MANGETI
BIBL·PHARM

TOM · I ·

JO. JACOBI
MANGETI,
MEDICINÆ DOCTORIS,
BIBLIOTHECA
PHARMACEUTICO-MEDICA,
Duobus Tomis comprehensa.



IOHANNES IACOBVS MANGETVS MEDIC. DOCT. &c.
Serenissimi ac Potentissimi Regis Prussiæ Archiater, scientificæ Societatis Rosarensis Spen-sieratorum dictæ, Socius. &c ÆTAT. XLIX.

JO. JACOBI

MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,

& Sereniſſimi ac Potentiſſ. REGIS PRUSSIÆ Archiatri,

BIBLIOTHECA

PHARMACEUTICO-MEDICA,

SEU

Rerum ad PHARMACIAM GALENICO-CHYMICAM ſpectantium

THESAURUS

REFERTISSIMUS,

In quo, Ordine Alphabetico *non Omnis tantùm*

MATERIA MEDICA

Hiſtoricè, Phyſicè, Chymicè ac Anatomicè explicata;
ſed & Celebriores quæque

COMPOSITIONES, TUM EX OMNIBUS DISPENSATORIIS
Pharmaceuticis, variis hactenus Linguis in lucem editis, cum è melioris
notæ Scriptoribus Practicis excerptæ:

IMO SECRETIORES NON PAUCÆ PRÆPARATIONES CHYMICÆ, MECHANICÆ,
in Curioſorum cujuſvis Ordinis uſum, undequaque conquiſitæ, abundè cumulantur.

Cum INDICE MATERIARUM *locupletiſſimo*, & FIGURIS *æneis neceſſariis.*

TOMUS PRIMUS.



GENEVÆ,
Sumptibus CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON,
RITTER, & S. DE TOURNES.

M. DCC. III.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI REGIO SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRUSSIÆ REGIS FILIO UNICO

JOANNES JACOBUS MANGETUS S.

LIBROS Naturalis Historiæ licentiore Epistolâ narrare constitui Tibi, jucundissime Imperator; (sit enim hæc Tui Præfatiò verissima dum Maximi consenescit in Patre.) *Sic olim Caius Plinius Secundus compellabat Titum Vespasiani filium in excelsissimo humani generis fastigio positum, dum illi grandi opere immensas rerum naturæ opes offerret. Liceat mihi*, SERENISSIME PRINCEPS REGIE, *eadem hic, aut similia verba proloqui, dum levicula mea, Plinii exemplum secutus, è Doctissimo quoque Veteri ac Recentiori, imò ex propriis Observationibus & Experimentis congesta* TIBI *consecrare sustineo. Quis etenim* Jucundissimi *ac* Humani

Generis Deliciarum *titulos magis unquam promeritus est, quàm Princeps in bonum publicum natus, cujusque eminentior virtus à primoribus annis longè latèque emicans, astrum nobis exhibet in horumce tenebricosorum temporum medelam ab Omnipotentis manu positum? Quis* Maximi *nomen digniùs occupabit, seu potiùs in quô aliò nomen illud consenescere veriùs dici poterit, quam in* AVGVSTISSIMO PARENTE; *si non ætatis, præclarorum saltem facinorum, eorumque innumerorum ratione habitâ; hic quippe si titulos annosque numerare velimus, acta premunt annos. Ut etenim alia taceam, quorum pars etiam minima Heroas Veteres fecit, quis nescit à* Fortissimo Principe, *quasi Supremi Mundi Rectoris Eminentissimò* Vicariô, *Coronas Regias aliorum capitibus aptatas, Sibique ipsi etiam, plaudente saniore Europâ, & Jò Pæana, ac magnos triumphos clamante impositas fuisse? Felix, Invictus, ac semper Triumphans Nestoreos vivat annos Rex Justus, Pius, Pugnax, & , ut omnia uno complectar elogio, pace belloque verè Magnus. TU autem,* SERENISSIME PRINCEPS REGIE; *seminia illa virtutis ab Avito Sanguine hæreditario jure in TE devoluta,* AVGVSTISSIMI PARENTIS *exemplo feliciter innutrita, ac* Illustrissimi Comitis à DHONA *sapientibus curis diligenter exculta, explicare perge, donec in lætam illam adoleverint messem in qua Boni omnes spes suas ab* AVGVSTISSIMA DOMO BRANDENBVRGICA *hactenus tam prosperè petitas, renovari videant. Perge radios illos spargere, quorum primus fulgor, imò ipsos antecedens aurora, exultationi toti fuit Christiano Orbi; dissipatisque adulatorum nebulis, ac discussis tetris illis vaporibus, è Calumniatorum (in Monarcharum Curiis non sanè infrequentium) pectore exhalantibus, quibus cum proximi ac boni cujusque detrimento, splendorem Regium commaculare annituntur, ab ortu, in quo adhuc dum tam magnificè versaris, & in quo non aliter quàm puer Apollo serpentem Pythona perdidit, effuso per vulnera nigra veneno; TU etiam,* SERENISSIME PRINCEPS REGIE, *omne vitiorum monstrum fortiter devincis, ac eâdem facilitate opima spolia exinde re-*

portata

portata in virtutis Sacrario appendis, quâ olim ea quæ ex Regni & omnis Veri atque Iusti hostibus, nec non Generis Humani perniciosis turbatoribus reportabis Deo Optimo Maximo consecraturus es: Ab illo, inquam, ortu ad eum meridiem propera, quo Nativitatis, Virtutum, puræ Religionis ac magnorum Facinorum Majestate undique coruscans, Probi cujuscunque oculos benignis ad TE convertes radiis, dum eorundem justo ardore malis omnibus metum incuties.

Verùm quò me abripit Pliniani effati quantumvis apprimè conveniens applicatio, impetusque animi, ac perjucunda futurorum in SERENITATE TVA REGIA *prævisio, seu mentis, si ita dicere fas est, Numinis plenæ vera de TE prænunciatio? Dum potiùs quid offeram, quoque illud faciam nomine ulteriùs explicandum ac enarrandum venit.*

Monarchæ Macedoni aureum pomum datum fuisse ex aureo omnium Orbis terræ partium tributo confectum scribunt. Aliquid ego simile meditor, SERENISSIME PRINCEPS REGIE, *dum è Naturæ ac etiam reconditioris Mundi Thesauris undique corrado quo munus* TIBI *offerendum conficiam: Quippe dum quæ in Animalibus, Vegetabilibus ac Mineralibus humanæ saluti & conservationi maximè utilia sunt congero, ac ea Historicè, Anatomicè, Chymicè, omnibusque aliis Artibus necessariis examinata describo: Dum Medicamenta simplicia & composita, non tantùm permulta, sed sanè dixerim propè omnia, in unum corpus coacta exhibeo; pomum quasi è præcipuis Naturæ opibus, auro, gemmis, & aliis, non ineptè dicam, multò preciosioribus conflatum tracto, quod in Virorum Principum Cimeliarchiis locum promereatur: Imò Historiam Naturalem, Plinianâ minùs quidem universalem, sed fabellis certè ac nugis, Plinii ævo potiùs quàm ipsi Plinio imputandis, expurgatam cudo, quæ vel eo nomine* TIBI, SERENISSIME PRINCEPS REGIE, *veritatem quà quà patet summo studio inquirenti, summo ardore diligenti, non grata esse non poterit. Sit itaque venia etiam ignoto, & longis terrarum intervallis dissito, si ad* TE *properans, quicquid assidua accuratiorum Scriptorum versatio, quicquid plurium annorum non indiligens inquisitio difficileque experimentum*

mentum de Naturæ Thesauris, ex ejus etiam secretiori Sacrariô, colligere permisit, pedibus Tuis summittat, Utinam fœcundius ingenium plura ac nobiliora compingere, eaque concinniori ordine disposita producere dedisset; TE etenim, SERENISSIME PRINCEPS REGIE, *ac proinde Publicô magis digna forent, nec forsan me aliquibus irridendum propinarem quod festinabundus nimiùm longè accedam, ut cum hoc qualicunque munere eorum turbæ me immisceam qui* REGIÆ TVÆ SERENITATI *lautiora dona quotidie offerunt. Verùm animum illud erexit quòd in magnis aliquid tentasse vitio nemini tribuatur unquam, quòdque si non omne illud peregerim quod tantæ spei* PRINCIPIS *conspectui sine pudore subjici queat, multa tamen utiliter rimatus sim, nec ita à vasto ac gravi eorum quæ versanda venerunt pondere conculcatus abierim, quin ex immensis Naturæ opibus partem aliquam* TIBI *jam consecrandam reportare valuerim.*

Præterea is sum, SERENISSIME PRINCEPS REGIE, *qui quamvis vultu* TIBI *ignotus, Medicis tamen Aulicis* AVGVSTISSIMI REGIS *beneficentiâ aggregatus, imò* Sacris *ipsius* REGIS, REGIÆque FAMILIÆ Personis *Medicus designatus fui. Huic nomini,* SERENISSIME PRINCEPS REGIE, *vigilias sanè meas omnes debeo, omnemque sedulitatem adhibere æquum est ut si quando de valetudine tam magni ponderis mecum agatur, imparatus aut inops non adveniam: Sollicitiorem itaque exindè me præstiti in medicamentorum cujuscunque demùm sortis instituendô examine, diligentiæque hâc in parte meæ indicium qualecunque* Bibliothecâ *hâc* Pharmaceutico-Medicâ TIBI *jam commonstrare officii mei credidi.*

Deus ter Optimus, Maximus SERENITATEM TVAM REGIAM *longinquos sospitet in annos, ac vota nostra ferventissima in tam Illustris & Gloriosæ vitæ conservatione abundè compleat.*

JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ PHARMACEUTICO-MEDICÆ

LIBER I.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

A.

ABIES.

ABIES ab *abeo* Grammaticis dicta putatur, ut à *facio*, *facies*, à *ſpecio*, *ſpecies*, quòd in altitudinem tendat: ἐλάτη pariter Græcis dicitur, παρὰ τὸ ἐλᾶν, ὅ ἐςὶν εἰς ὕψος ἀναπέτασθαι, teſte Etymologo. Notandum autem vocem ἐλάτην æquivocam eſſe, & pro involucro fructus palmæ arboris interdum accipi, aut etiam pro fructu ipſo.

Notæ Abietis characteriſticæ in genere, prout *Piceam* Latinis dictam complectitur, ſunt folia ſingularia ramulos undique cingentia, ſed non ex lateribus tantùm, verùm etiam ex ſuperna & inferna eorundem parte naſcentia, brevia & anguſta, proceritas eximia.

J. Bodæus à Stapel multis probat falli Botanicos, qui *Sapinum* arboris ſpeciem eſſe negant, ſtatuuntque, Plinii autoritate decepti, Sappinum inferiorem eſſe ac enodem caudicis abiegni partem; oſtenditque Plinium diſtinguere *Sapinum* & *Sappinum*. *Sappinus* Piceæ ſativæ ſpecies eſt; *Sapinus* autem ſpecies Pini quæ cæſa regerminat. Pars autem inferior Abietis enodis *Sapinea* dicitur non *Sapinus*. Sic autem vocabatur pars hæc Abietis, quòd enodis eſſet ut *Sapinus*: rectè ergo, inquit Bellonius, *Sappinum* arborem dixit.

ABIES *Mas.*

Nomina. Abies mas, ſimpliciter *Theophraſt.* Picea Latinorum, ſive Abies mas Theophraſti *Joh. Bauh.* Picea *Parkinſon.* Picea major *Gerard.* Picea major prima, ſive Abies rubra *Caſpar. Bauhin.* ac tandem Abies conis deorſum ſpectantibus aliis appellatur.

ABIES *Fœmina.*

Nomina. Abies fæmina, ſive ἐλάτη θήλεια *Joh. Bauh.* Abies ſimpliciter *Parkinſon.* Abies mas conis ſurſum ſpectantibus *Caſp. Bauh.* ac tandem Abies Taxi foliis aliis dicitur.

Adeò autem conformes ſunt hæ arbores; ſcilicet Abies mas & Abies fæmina, ut à nonnullis confundantur: Differunt tamen. 1. Quod folia *Piceæ* ſeu Abietis maris ſunt nigriora, latiora, molliora, læviora, minùs pungentia, ramos circumquaque veſtientia. 2. Quòd cortex Piceæ ſit nigrior, tenacior; Abietis fæminæ, albicantior, fragilior. 3. Quòd Piceæ rami ad terram flectantur, ſecus ac Abietis; virent perpetuâ fronde, niſi quòd menſe Maio foliis priſtinis decidentibus, nova ſubinde renaſcantur.

Vires. Cortex exiccat, adſtringit, uſuſque eſt præcipuè externi in ulceribus & ambuſtis. Coni ſeu Strobili exiccant & adſtringunt, uſus itidem ſunt in primis externi, in inflammatione Epatis & aliarum partium. Epithema ex iis paratur in verrucis (quarum ſignaturam referunt) & clavis pedum abigendis admodum proficuum.

Reſina ex Abiete duplex colligi poteſt, liquida & ſicca.

ſicca. Liquida (quæ lachryma & oleum abiegnum) colligitur ex tuberculis, ſeu ex vomica abietum novellarum, ſed pauca: Hæc officinis terebinthinæ puræ titulo venit, ſed perperam. Sicca ex Abiete & Piceâ colligitur, quæ Thus figurâ ementitur & ejus uſum æmulatur. Reſina hæc à pluribus Practicis magnopere commendatur ad recentia vulnera, præcipuè capitis, ſananda, ad calculum renum & arenulas, ad urinam ciendam unciæ pondere pota. Ad arthriticos præterea, & iſchiadicum dolorem, ac ad gonorrhæam virulentam confert, ſi aliquot diebus continuis matutino tempore ſumatur. *Raius.*

Præparata. Aqua è frondibus tenellis ſimplici methodo deſtillata, quæ mundificans eſt & adſtringens. Oleum Stillatitium ex lignô per deſcenſum, quod clarum elicitur. Turiones, ſive ſummitates, & folia valdè commendantur à D. Joh. Michaelis in ſcorbutô, hujuſque contracturâ, arthritide vagâ, & inter hujus morbi ſpecifica numerantur. Id Sueci cum Muſcovitis belligerantes experti ſunt: crudeliter enim ſæviente hôc morbô in eorum caſtris, ob pravam victûs rationem, cereviſia, vel aqua communis cum hiſce foliis decocta & epota, etiam deſperatos reſtituit, cæteroſque à contagiô præſtitit immunes. Specificum igitur antiſcorbuticum egregium in ſe continebunt. Itaque ℞. turionum abietis m. ij. vel iij. aquæ fontanæ & vini ãã. menſ. j. vel ij. coque in diplomate tamdiu quàm gallina arte elixatur, poſtea fortiter exprime. Hujus decocti doſis ℥ij. ad iij. Ex turionibus iſtis conficitur etiam eſſentia ad ſcorbutum maximæ virtutis, ſequenti modô. ℞. turionum abietis vel pini ſylveſtris q. v. coque in ſ. q. aq. comm. per horam unam vel alteram. Colaturam inſpiſſa uſque ad extracti conſiſtentiam: Huic ſuperaffunde ſpiritum cochleariæ, & acquires eſſentiam pini ſylveſtris, cujus doſis eſt à gutt. 20. ad. 30. vel 40. in convenienti vehiculo.

Paratur etiam inde aqua ſequenti modo. Scilicet initio menſis Aprilis, collige conos tenerrimos, ſive cymas de abiete, ſucco turgidas, exprime ſuccum, & hujus ℞. cantharos octo; indantur vaſi quercino & addantur cymæ novæ contuſæ cum vini generoſi q. ſ. ex iiſque vas impleatur. Stent in calore leni, uſquedum, agitata materia ſpirituoſum odorem de ſe ſpargat; mox ex MB. deſtillentur. Aquam hanc deſtillatam reaffunde novis cymis contuſis, digeſtis per 4. dies, pòſt deſtilla, & uſui repone.

ABIGA, vid. *Chamæpythis.*

ABLUENTIA & *Abſtergentia*, vid. *Hypactica.*

ABLUTIO, vid. *Lotio.*

ABROTONUM.

Abrotonum aliquibus quaſi ἄβρωτον inhumanum, quia ipſo eſt abſinthio amarius; vel quaſi ἄβρωτον, quia cibo inutile; vel διὰ τὸ πρὸς ὄψιν ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι, ἄλλως τὸ δὲ τὸ δίπνουν εἶναι; quòd conſpectu molle ac delicatum appareat, vel quòd halitum difficilem, ſeu gravem, vel acrem ſpiret, ut ſcribit Nicandri Interpres. Caſp. Hoffmann. Abrotonum ſcribit per o. ex autoritate Plinij, Theophraſti & aliorum, ut ſit ab ἁβρὸς & τόνος, quia ἁβρῶς τείνεται, molliter extenditur.

ABROTONUM *Mas.*

Notæ ejus characteriſticæ ſunt *Caulis* fruticoſus & lignoſus. *Flores nudi* eum non terminantes, ſed è lateribus egreſſi, velut in ſpicis longis. *Folia* tenuiſſima, minùs quàm abſinthii incana.

Nomina. Abrotonum mas *Gerard.* vulgare *Johann. Bauh.* Mas vulgare *Parkinſon.* Mas anguſti-folium majus *Caſp. Bauh.*

ABROTONUM *Fæmina.*

Chamæcypariſſus item dicitur, ab aliquali foliorum cum cupreſſo ſimilitudine. *Notæ* ſunt ſuperficies fruticoſa, perennis, *folia* odorata; *flores* ſolitarij ramulos terminantes.

Nomina. Abrotonum fæmina vulgare *Parkinſ.* Fæmina foliis teretibus *Caſp. Bauhino* Chamæcypariſſus *Joh. Bauh. Gerard.*

Vires. Qualitatibus inter ſe conveniunt; utrùmque enim ſubadſtringit & validè diſcutit; reſiſtit putredini ac veneno; morſibus venenatorum animalium (ſcorpionum & araneorum) medetur; vermes necat; urinam movet, imò abrotoni coma pulveriſata ad ʒj. cum tantillo nitri iis commendatur quibus ob calculum urina ſupprimitur. Impetus hyſtericos diſcutit; regium morbum ſolvit. Summitates vino vel aqua decoctæ, adjecto melle aut ſaccharo, orthopnoicis & aſthmaticis apprime conducunt, ſi Trago credimus: Nam vitia pectoris expurgant; Cardiacæ medentur & tuſſi, lentoſque humores pulmonum incidunt; Epatis obſtructiones reſerant. Extrinſecus uſus abrotoni famoſus eſt in oſſibus exſiccandis; & quia pilorum ſignaturam ſummitates ejus æmulantur, ad alopeciam tollendam maximopere commendatur. Ut temperamento ita & viribus cum abſinthio convenire videtur, ventriculo tamen minùs gratum eſt. *Raius*

Præparata. Aqua ex foliis & ſummitatibus, quæ menſes movet.

Vinum Veteribus in uſu fuit creberrimo, modò non item.

Conſerva ex ſummitatibus & floribus paratur, ut conſerva abſinthij.

Oleum infuſarum ſummitatum in oleo communi.

Oleum ſtillat. ex ſummitatibus ſiccis. Agyrtæ balſ. ſulph. inde parant.

ABSORBENTIA.

Abſorbentia, Græc. ἀναπίνοντα, dicuntur medicamenta quæ ſiccitate ſuâ terreſtri, ſalia variæ acrimoniæ in humoribus corporis humani reperibilia, imbibunt & quaſi exſugunt; ac propterea Imbibentia etiam vocantur. An verò rectè Aperientibus annumerentur à Dom. D. Waldſchmidt aliis ventilandum relinquimus. Eorum autem materia, ſunt varia terrarum genera, præparata ex lapidibus & teſtaceis, calces, aliaque id genus.

ABSTERGENTIA *alvum*, vid. *Hypactica.*

ABSINTHIUM.

Abſinthium, Græc. Ἀψίνθιον: Latini enim hic mutant π. in β. quomodo pro Ὀψώνιον dicunt *Obſonium*, pro Ἄψυρτος *Abſyrtus*, pro Ἀψὶς *Abſis.* Vocatur autem Ἀψίνθιον, quaſi indelectabile, ab α στερητικῷ & ψίνθος, quod Heſychius interpretatur τέρψις *delectatio.* Id malo, inquit Voſſius, quàm ut ſic dicatur quaſi ἀπίνθιον, etſi ita Etymologo teſte, quidam veterum Comicorum id, ad etymon credo alludentes, appellarunt. Ἀπίνθιον verò ſonat impotabile, quaſi ὃ οὐκ ὤν πίνῃ τὶς διὰ τὴν πικρότητα. Alii nomen hoc inditum eſſe huic plantæ exiſtimant ab ἅπτεσθαι, quod eſt tangere & manibus tractare, per antiphraſin, quod nullum animal ob amarorem eximium eam attingat.

Notæ

Notæ sunt *Flores* nudi, *Caulis* indeterminatus, *Folia* incana, amaror insignis.

ABSINTHIUM *vulgare.*

Nomina. Absinthium vulgare, *Parkinſ. Lobel.* Vulgare maius, *Joh. Bauh.* Latifolium, sive Ponticum, *Gerard.* Ponticum, seu Romanum officinarum & Dioscorid. *Caſp. Bauh.*

ABSINTHIUM *Ponticum.*

Nomina. Absinthium Ponticum, sive Romanum vulgare, *Parkinſ.* Tenuifolium Ponticum Galeni, *Gerard.* Ponticum vulgare folio inferiùs albo, *Joh. Bauh.* Ponticum tenuifolium incanum *Caſp. Bauh.*

Vires Absinthij vulgaris. Calefacit & siccat; ventriculum ac epar roborat; appetentiam ad cibum excitat; obstructiones reserat, & inde natos affectus tollit, ut icterum, hydropem &c. Febribus putridis, etiam diuturnis, confert; vitiosos humores per urinam expurgat; pellit præterea interaneorum vermes; bilem educit; crapulam discutit; sudorem ciet; capiti, quia vapores crassos exhibet, pigritiem ac somnum inferre solet, minùs tamen si prius per aquam calidam trahatur leviterque exprimatur. Extrinsecùs arcet vigilias temporibus ac plantis pedum impositum. Auditum acuit suffitus aure susceptus; tandemque vestes à tineis conservat.

Præparata. In usu sunt Succus expressus, Aqua destillata, Syrupus, Sal fixus & Oleum. Verum his omnibus præstare videtur *Cerevisia*, seu *Vinum absinthites*, quod & ventriculum roborat, & appetitum excitat, & obstructiones reserat, & urinam ciet.

Aqua destillata languidior est, & minorum virium, ut sunt pleræque aquæ destillatæ; quæ totam plantarum unde educuntur virtutem minimè possident.

Succus differt ab herba sicca: hæc enim adstringit, ille verò magis aquosus detergit. Estque Vinum absinthites quod ex herba sicca infusa paratur longè delicatius & gratius palato, quàm quod ex recenti: Hoc enim herbaceum & terreum quid resipit.

Sal fixus, si à reliquis partibus vi ignis omnino separetur, nec gustu, nec facultatibus differre videtur ab alterius cujuscunque plantæ sale fixo. Siquidem omnes hujusmodi sales naturâ & qualitatibus propè convenire existimo. Interea tamen adnotandum quod mercurium sub variis præcipitent coloribus, dum hi rutilantem magis, alii subflavum, alii purpureum &c. illum faciunt.

Salis absinthii ℈. j. ʒ. ß. aut etiam ampliùs, pro ægri viribus & ætate, in succi limonum cochleari uno exhibitum, ad vomitum compescendum, in febribus biliosis, inque ipsâ cæliacâ passione, aliisque affectibus vix unquam frustratur Medicum. Nec dubito quin centurias aliquot hominum, ne dicam myriadas; ex ipsis orci faucibus eripuerit, cùm alia medicamenta nequicquam profecissent.

Pro *Vino Absinthite*, *Aquam absinthitem* exhibere solebat D. Bovvle. Manipulum scilicet absinthij in aquæ frigidæ sextariis tribus per octo horas infundere præcipit, ejusque infusi quantitatem exiguam, quantum scilicet patera vinaria capiat, mane & vesperi, sed præcipuè à prandio, aut cæna, propinare: In hystericis enim affectibus, obstructionibus lienis & ventriculi debilitate, plurimum prodesse expertus est. Vino autem & cerevisiæ præferendam aquam, quia nulli ei insunt vapores caput tentantes quemadmodum in illis. At vero cerevisia tenuis videtur aquæ anteponenda: Aqua etenim in septentrionalibus regionibus nimis cruda est, & ventriculo eorum qui non assueverunt inimica.

Oleum absinthij intùs sumptum necat vermes, venenis resistit, oppilationibus epatis & icteritiæ confert.

Absinthij usus creditur inhibere concitationem ad Venerem, quo nomine apud honestas fæminas damnatur, & maximè vini, aut zythi ex eo parati: nec facilè hos potus maritis permittunt. *Cornar.* apud *Joh. Bauh.*

Radicis absinthij degustatæ sapor, primò in apice linguæ percipitur, inde ad ejus radicem transit, postea in fauces, & paulatim ingulam descendit, ut ipsum tandem ventriculum calefacere videatur caloris sensu ad horæ quadrantem durabili; idque quamvis nihil omnino succi deglutiatur, neque tamen ingratus est, aut caput tentat quemadmodum folia. Unde colligit Dom. *Grevius* radicem hanc, quæ ab omnibus vulgò ut inutilis rejicitur, præstantissimis stomachicis annumerari debere, prout eam reverà esse etiam experientiâ didicit.

In tertianis, ac quotidianis (vix in quartanis) fugandis, sola *Essentia*, vel *Extractum absinthij* mixtum cum præcipitantibus, seu absorbentibus insipidis, vel cum salibus fixis, aut volatilibus, sæpissime valet; nec hic Chinâ Chinæ opus erit. *Dan. Ludovicus de Pharm. moderno sæculo adaptandâ.*

Ad Hemicraniam. ℞. cucumeris sylvestr. radicem viridem minutim incisam & absinthij ãã. q. s. Decoque in aq. partib. ij. & olei iij. Hydrelæo hoc mediocriter calente partem fove. Radicem verò & absinthium contusa in modum linimenti suppone. Hoc solo medicamento mulier quædam mirum in modum inclaruit sanando hemicranias, sive cum febre, sive sine febre, cujus exemplo curavit etiam *Paulus Æginetæ*, adnotante *D. Chesnau.*

Ad quotidianam & quartanam præscribit *Ernestus* oleum seminis absinthij à ℈. ß. ad ʒ. ß. sumendum in liquore convenienti. Si oleum non sit in promptu, cape succi absinthij cochleare j. cum vinô: Hoc autem instante paroxysmô, ad sudandum ægrotô probè coopertô.

Sedavi statim serpentem gangrænam aquâ marinâ cui absinthium incoxeram, quod experimentum in aliis quoque gangrænis opposui fælici cum successu. *Thom. Bartholin. Ephem. German. Ann. 1. Observat. 2.*

Absinthium viride intra calceos calcatum frigidam ventriculi intemperiem emendare experientiâ didici, non sine fructu in nobili virô qui hujus calcatione non exiguum levamen se percepisse coram exposuit, sanctèque affirmavit. *Gregor. Horstius Observ. 22. lib. 7.*

Joh. Veslingius narrabat plures hydropicos extractô absinthij à se percuratos, atque in primis civem quemdam Patavinum, cui æstivô tempore abdomen ita intumuerat, ut cartilagines costarum spuriarum in dextrô latere extensionis vehementiâ ab ossibus avulsæ fuerint. Ut adnotat in suis observationibus *Georg. Hyeron. Welschius.*

Accidit cuidam oculorum lachrymatio adeò fervida, ut lachrymæ per faciem decurrentes eandem ferè totam adurerent. Hic succô absinthij cum albumine ovorum mixtô & applicatô sanatus est. *Ex Observat. Hieron. Reusneri.*

In Diarrhæa post purgantia, post fructuum horariorum abusum, vinum absinthites egregiè confert.

Multi ab experientiâ edocti tradunt usum absinthij oculis noxium esse. *Raius.*

Vires Absinthij Pontici. Ex longô usu comarum absinthij

sinthij Pontici, quæ sacchar ô adservatæ fuerant, hydropicos quosdam quasi desperatos sanitati restitutos se novisse, scribit *Matthiolus*.

Absinthium Ponticum, quamvis sit vulgari acrius, est tamen efficacius. Vis ejus quippe consistit in sale volatili acri admodum oleosô. Hinc & destillando suggerit oleum: calcinando verò sal fixum. Saporis est amaricantis, unde analogum bilis est, adeò ut quem usum præstat bilis balsamum in corpore, hunc & absinthium inferre soleat. Bilem non tam evacuat, quàm potiùs auget, quia defectibus bilis & ictero ipsi succurrit. Usurpatur item in Cachexiis tàm incipientibus, quàm confirmatis, Hydrope ascite & Leucophlegmatiâ; Lumbricis & putredini resistit. Quin & reliqui ejus effectus, ex sale volatili oleosô deducendi: hinc enim stomachicum est egregium, ac omnes in ventriculô & intestinis cruditates delet, sive acidæ sint, sive viscidæ. In affectibus porrò scorbuticis & febribus intermittentibus egregiè convenit; inprimis febri tertianæ, cujus integra curatio, præmissô vomitu, in hôc absinthiô consistit, cujus succus recens expressus ægris propinari potest. In icterô illi addatur chelidonium maius. In genere vix morbus chronicus est, cui repellendo commodè non adhibeatur absinthium. Sic in passionibus hystericis ex dulcium usu pronatis, quoque commendatur ut amara omnia; minùs autem commodè in mucilaginosis affectibus pulmonum, inprimis ob adstrictionem, adhibetur. *Oleum* de aliquali vi narcoticâ participat, unde in vigiliis commendatur. Absinthium extrinsecùs adhibitum ventris tormina discutit, adeóque & quæ partum subsequuntur. Infantum vomitum compescit, &c.

Præparata. Sunt eadem quæ ex Absinthiô vulgari: *Aqua* nempe *stillat. Spiritus*, vel per fermentationem, vel per spiritum vini, vel per putrefactionem. *Succus*, *Vinum*, *Conserva*, *Syrupus*, *Oleum infusum* & *destillatum*.

ABUTILUM.

Abutilum, seu Althæa lutea, *foliis* althææ mollibus, *floribus* ex foliorum alis exeuntibus luteis, ab aliis hujus generis discernitur. Affinis & similis est Alceæ Venetæ, Sabdariffæ, Bammiæ moschatæ, aliisque Alceis accenseri solitis plantis exoticis pentapetalis, cum conceptaculis in quinque cellulas dispertitis: Verùm in hâc thecæ disjunctæ sunt, & tantùm contiguæ, non conjunctæ: uncium efficientes vasculum, ut in illis.

Nomina. Althæa lutea, *Gerard.* Lutea, sive Abutilum Avicennæ putatum, *Parkins.* Althæa Theophr. flore luteô, *Casp. Bauh.* Theophrasti flore luteô, quibusdam Abutilon, *Joh. Bauh.*

Vires. Hæc planta, secundum Avicennam, recentibus vulneribus utilis est, illa scilicet conglutinando, & quasi momentô consolidando; quapropter eam adnumerare vulnerariis mihi placuit. Ejus verò semen in mitigandis doloribus à calculô excitatis, à recentioribus usurpatur, *Meuve*.

ACACALIS.

Acacalis fructus est cujusdam fruticis in Ægyptô nascentis, qui à semine tamarisci non multum abludit. Ejus infusio adjungitur collyriis visioni roborandæ destinatis, idque secundùm Dioscoridem. Mathiolus verò tale semen ad nos adsportari negat, asseritque se nullum ex omnibus seminibus exoticis huic analogum unquam vidisse.

ACACIA.

Acacia dividitur in *Acaciam veram*, quæ scilicet propriè hic dicitur, & *Acaciam Germanicam*, ob aliqualem virium convenientiam falsò sic denominatam.

ACACIA *vera*.

Nomina. Acacia vera, *Joh. Bauh.* Acacia foliis scorpioidis leguminosæ, *Casp. Bauh.* Acacia Dioscorid. *Gerard.* Acacia vera, sive spina Ægyptiaca, *Parkinson.* Acanthus Theophrasti, aliis.

ACACIA *Germanica*.

Nomina. ἀγριοκοκκομηλέα, seu Prunus sylvestr. *Casp. Bauh.* Acantha Arabum, aliis.

ACACIÆ *veræ descriptio & vires*.

Acacia vera est arbor, quæ Alpinô autore, *mas* atque *fœmina* reperitur. Mas quidem spinis est horridus & fructum non edit, Fæmina spinis paucioribus mollioribusque referta est, easque extra ramos tantum habet, non autem intrà. Hæc arbor est fæcundissima, florereque orientibus Pleiadibus, Novembri scilicet mense, incipit, & rursus, iisdem occidentibus, mense scilicet Martiô, bisque in annô fructus fert & maturat.

Vires Acaciæ veræ. Ægyptij, ex observatione Alpini, Acaciæ arboris utuntur succô ex siliquis immaturis expressô, vel etiam ex floribus, aut foliis, ad oculos roborandos, atque ab inflammationibus, quæ ibi sunt frequentissimæ, tuendos; ad oris auriumque omnia ulcera, nec non ad labiorum fissuras. Ad dentes collabentes roborandos atque firmandos, succo in pulverem redacto, post ablutionem ex decocto ejusdem succi, vel cum foliis, aut floribus parato factam, utuntur supra gingivas asperso, eoque dentes confricando. Sanguinem spuentibus drachmam singulo mane, in aliquo liquore dissolutam, potandam offerunt, mirasque ad quamcunque sanguinis fluxionem firmandam semper vires habuisse apud eos cognitum est. Ego sæpissimè hoc solô auxilio multas mulieres ab immodico uteri profluvio pæne mortuas revixisse atque sanatas fuisse certò scio. In iis quidem quæ has immodicas patiuntur vacuationes, clysteribus ex acaciæ foliorum florumque paratis in uterum injectis utuntur, atque etiam succo pulverisato prædicto cum decocto dissoluto atque immisso. In alvi fluxionibus eodem modo tum clysteres frequentant, tum per os succum feliciter exhibent. Ad anum uterumque foràs procidentem, succo dissoluto cum foliorum florumque decocto, nihil habent præstantius, ac quo utantur frequentius. Ad eos qui ex quacunque causa articulos debiles habent fomentum ex iisdem omnibus paratum pro præsentaneo auxilio habent. Omnes ejus fomento utuntur ad defendendos articulos ab humorum decursu, atque non minùs in eisdem tumefactis & inflammatis, præsertim in principio, dum humores adhuc in cursu sunt. Hinc usus ad podagricos dolores frequentissimus est, maximamque vim habet acacia ut à podagricis insultibus homines præservet. Non desunt qui ad ea mala, non modò foris fomenti, vel balnei modo, acaciâ utuntur, verùm etiam succi modicum per os sumere ante fluxionis tempus per aliquot dies consuescunt, ut ipsæ internæ viæ angustiores factæ, minùs cursui humorum pateant. Aliqui etiam ex succo acaciæ atque aceto linimentum parant, ad liniendos articulos debilitatos, quo sane mirificè eos roborant ac firmant. Multos novi recenter à podagra tentatos usu assiduo acaciæ

acaciæ planè convaluisse, qui singulis diebus per horam ad minus, pedes in decoctô acaciæ calidô detinebant, eóque fomentabantur, postea pedes absterſos, linimentô ex ſuccô acaciæ, opobalſamô, ac acetô paratô, inungebant. Ad pudendorum aliarumque partium debilium ulcera difficilia, ſucci aquâ pluries loti & pulveriſati uſus eſt iis familiariſſimus; decoctô etiam utuntur ad exſicandas puſtulas omnes, præſertimque Gallicas: Sed decoctum parant etiam cum modicô ligni guaiaci. In pueris ad achores in capite orientes, & decoctô & pulvere utuntur. Hæc omnia *Proſper Alpinus*.

Acaciæ vim adſtringendi validam ineſſe veteres & recentiores conſentiunt; quâ mediante prædicta pleraque præſtat, ad quæ Dioſcorides etiam eam commendat. Pro ſuccô acaciæ jam officinæ olim ſuccum pruni ſylveſtris ſubſtituère ſolebant.

Modus autem ſeligendi ſuccum acaciæ ex *Auguſtanis* hic eſt. Acacia eſt ſuccus arboris in Ægyptô naſcentis, qui ex immaturis, ut plurimùm, ſiliquis expreſſis coctione inſpiſſatur, inque globularem formam redactus, & tenuibus veſiculis incluſus ad nos defertur. Eligatur mundus, internè nitidus, colore ex nigrô ſubrubeſcens, ſapore gratè adſtringens. Cui non admodum diſſimiles vires licet prunorum ſylveſtrium ſuccus habeat, ne tamen doloſè ei admixtus ſit, cavendum.

ACACIÆ *Germanicæ vires & præparata.*

Vires Acaciæ Germanicæ. Medicinæ inſerviunt *flores* & *fructus*. *Flores* leniter purgant, reſolvunt, diuretici ſunt, renum ſabulum everrunt, pleuritidi medentur cum nodulô in vinô infuſi. *Fructus* cereviſiæ injectus, quoad colorem & ſaporem gratiam illi conciliat, ad ventriculi præterea & inteſtinorum tonum confortandum, fluxum alvi compeſcendum, item ad nimium menſium fluorem &c. confert. Exſiccatus verò & pulveriſatus, ac ad ʒj. adſumptus certiſſimâ experientiâ probatum eſt lithontripticum.

Præparata ex Acaciâ Germanicâ ſunt *Aqua ſtillatitia* ex floribus cum vinô, priùs per veſicam elicita, ac demùm ex MB. in ſpiritum tranſlata. Antinephritica eſt. Ex acaciæ hujus tenellis præterea ſurculis aqua deſtillata faucibus ex lue venereâ & morbô Hungaricô inflammatis, in modum gargariſmi adhibita, notabilem præſtat opem. *Syrupus* ex floribus fit multiplici illorum infuſione, purgat leniter, prodeſt pleuriticis, nephriticis, &c. *Roob* confert omnibus hæmorrhagiis, & alvi profluviis. *Conſerva* fit ex floribus, & in eoſdem adhibetur uſus quibus ſyrupus deſtinatur. *Succus* prunorum ſylveſtrium ex fructibus exprimitur, inſpiſſatur, inque taleolas efformatus adſervatur pro acaciæ veræ ſubſtitutô. *Fructus conditi* fiunt cum mellis partibus duabus & vini parte una, vel cum acetô. *Vinum* fit ex fructibus maturis exſiccatis. Nimirum contuſi hi rediguntur in globulos ac in furnô exſiccantur; hinc infunduntur. Egregium eſt hoc remedium in dyſenteriis, vel fluxibus mulierum. *Plura vide ubi de* Prunô ſylveſtr. *ſub titulô* Pruna.

ACANTHA *Leuce*, vid. *Spina alba*.

ACANTHUS.

Acanthi pueri in florem ſui nominis verſi fabula nobilis, quem Pæderota à puerili, uti ſuſpicatur Kyberus amore, Græci vocant. Melamphyllon etiam non ineptè à Græcis dicitur hæc herba, quòd folium ſaturatô virore nigreſcat. Planta eſt ſingularis & anomala, quam Botanici vulgò, ob folia in ſylveſtri genere ſpinoſa, carduis annumerant.

Dicitur verò *Branca urſina* à ſimilitudine quam folia habent cum anterioribus urſi pedibus.

Acanthi folia veteres Architecti, ob figuræ venuſtatem & elegantiam, epiſtyliis, ſeu columnarum capitulis inſculpere ſolebant. Frondibus acanthi (inquit Vitruvius) columnas Corinthias veteres Architecti coronabant, quarum effigies adhuc hodie noſtris frequenter oculis offerunt. Veſtibus etiam pretioſis figuram acanthi foliorum circumtexebant, unde Virgilius

Et circumtextum croceô velamen acanthô.

Verùm an Branca urſina vulgaris ſit verus Antiquorum Acanthus, meritò dubitatur, quia Plinius acanthum topiariam herbam facit: Branca autem urſina operibus topiariis omnino inidonea eſt. Nec enim ductilis, nec ſequax, & in animalium aliarumve rerum formas & effigies fingi apta. Ex altera tamen parte acanthi deſcriptio apud Dioſcoridem Brancæ urſinæ perbellè quadrat.

Nomina. Acanthus ſativus, *Lobel. Gerard. Parkinſon.* Sativus, vel mollis Virgilii, *Caſp. Bauh.* Carduus acanthus, ſive Branca urſina, *Joh. Bauh.*

Vires. Acanthus eſt è 5. herbis emollientibus. Uſus ejus potiſſimum externus eſt in clyſteribus, aliiſque paregoricis quarumcunque formularum, & ut plurimùm in cataplaſmatis. Radices, autore Dioſcoride, ambuſtis & luxatis commodant, in cataplaſmate impoſitæ. Potæ urinam ducunt & alvum ſiſtunt. Podagris calidis tritæ & calefactæ utiliter illinuntur, ſecundùm *Plinium*. Tabidis etiam conducunt, item ſanguinem ſpuentibus, ex altô delapſis, ictu aliquô, aut conatu ſupra vires læſis, ruptis atque convulſis, ſecundum *Dioſcorid.* non minùs quàm ſymphiti majoris radices, quas ſubſtantiâ, lentô ſuccô & qualitate proximè refert. *Dodonæus.*

ACCESSORIUM.

Terminus eſt ſignificans apud Pharmacopæos mutationem medicamento à rebus extrinſecis advenientem, quâ illius virtus vel minuitur, vel adaugetur. Hæ autem mutationes, per ejuſmodi acceſſoria contingentes, accidentales à Ranchinô, à Renodæô verò, diſpoſitiones ab extra contingentes, nominantur.

ACCIPITER.

Accipiter Græcè Ἱέραξ vocabulum eſt æquivocum; vel enim ſignificat genus avis rapacis, voracis, audacis & acutô viſu præditæ. Vel ſignificat piſcem, qui etiam milvus dicitur. Vel in Chirurgiâ ita vocatur faſciæ, ſeu deligationis ſpecies naſo deſtinata. Vel nomen viri cujuſdam illuſtris qui primus Cereri templum poſuiſſe fertur. Species quoque tormentorum belliquorum, quæ hodie *Mouſquet* appellatur, aliàs accipitris nomine veniebat. Sed hæc nihil ad nos, qui tantùm de Accipitre ave, ejuſque partibus, quantùm ad intentum noſtrum pertinent, verba facturi ſumus.

Accipitrem autem volunt denominari à græcô ὀξύπτερος, quia alas habet in acutum deſinentes & longiſſimas. Ἱέραξ præterea dicitur, quaſi ſacer ales, utpote cujus magna fuit apud veteres veneratio. Ejus variæ extant ſpecies, quas longum eſſet enumerare, longiuſque etiam deſcribere: Itaque ſine ulteriori in hiſce mora continuò pergimur ad

Vires, quæ integri accipitris eximiæ reputantur in oculorum vitiis, incoquitur ſcilicet ille oleo, quod illinitur.

Adeps accipitris inſervit cutis vitiis.

Excrementa tantâ vi calefactoriâ pollent, ut à Galenô è forô eliminentur medicô; interim reperiuntur qui oculorum vitiis arcendis non fruſtrà adhibeant, aliique qui ad partum promovendum, tum intùs per os, tum extùs in ſuffitu impendant. Imò Hippocrates ipſe & Plinius ad Sterilitatem emendandam propinant.

ACCIPITRINA, vid. *Hieracium*.

ACER *Arbor.*

Acer hæc arbor Vossio dicta videtur; quia acris, hoc est duri admodum, ligni sit, potius quàm, ut Perotto videbatur, quia acria in ea artificium ingenia exerceantur, juxta illud Plinii lib. 16. cap. 15. *Acer ejusdem (ac tilia) amplitudinis, operum elegantiâ ac subtilitate citro secundum.*

Notæ sunt *folia* laciniata, aut angulosa, *semina* bina juncta, vasculis duris membranis extantibus alatis inclusa.

Vires. Aceris radix, Plinio prodente, contusa è vinô, jecinoris doloribus utilissimè imponitur. Unde Serenus.

Si latus immeritum morbô tentatur acutô,
Accensum tinges lapidem stridentibus undis,
Hinc bibis; aut aceris radicem tundis, & unà
Cum vinô capis, hoc præsens medicamen habetur.

ACER *Sapor.*

Hôc verbô calidissimus omnium saporum intelligitur, qui secundùm *Mesuem* oritur à substantiâ igneâ & terrestri quartô gradu: quapropter linguam acrimoniâ & siccitate suâ vellicat; eam scilicet calefaciendo & quasi adurendo. Ex eâdem illâ doctrinâ fluit distinctio saporis acris in duas species, quarum alia procedat à principiô calidô & siccô; qualis in pipere, pyrethrô & similis naturæ aliis. Secunda à principiô calidô & humidô; qualis in alliô, cæpâ, porrô, &c. Verùm quid caliditati tribuimus vires, commodius salibus acrioribus hisce plantis innidulantibus imputanda.

ACERBUS *Sapor.*

Acerbus, sive στρυφνὸς ac ponticus, denotat qualitatem gustatilem quæ linguam quasi contrahit, desiccat, & in profunditatem exasperat. Hôc donantur sapore pyra sylvestria, aliique plures fructus maturitatem non adepti, ut & mineralia quædam vitriolica, &c.

ACERVUS *formicarum*, sive *Myrmecium*, vid. sub titulô *Formica*.

ACETABULUM, vid. *Umbilicus Veneris.*

ACETOSA.

Acetosa ab acetô recentioribus dicta est, quia acidô sapore acetum æmulatur; Græcis oxalis, pariter ab acidô succô. Dividitur in Hortensem, seu rotundifoliam, & Sylvestrem, pratensem, seu longam. Ex his Sylvestris major officinis in usu est; cui tamen Hortensis, seu rotundifolia commodè substitui poterit.

ACETOSA *Sylvestris*, seu *Foliô longô.*

Nomina. Acetosa vulgaris, *Parkins.* Pratensis, *Casp. Bauh.* Oxalis vulgaris foliô longô, *Joh. Bauh.* Oxalis, seu Acetosa, *Gerard.*

Vires. Acetosa omnis, ut & acida alia, refrigerat & siccat; appetitum excitat; choleram reprimit; sitim sedat; putredini resistit: Unde in febribus biliosis simplicibus, ac pestilentibus usitatissima est, atque etiam utilissima; seu *succum* expressum jusculis & sorbitionibus immiscere, seu *folia* eisdem incoquere maluerís. *Aqua destillata* eisdem usibus inservit hyemis tempore cùm folia evanuerint: Est autem, ut pleræque hujusmodi aquæ stillat. languidior multò, & minorum virium.

Semen additur cordialibus medicamentis, estquè proculdubiô facultatis adstringentis particeps, ut aliorum Lapathorum semina.

Singularis est (inquit Simon Pauli) quod aliqui Practici pro horribili secretô habent, quòd acetosæ radix siccata & decocta rubellô eleganti colore aquas tingat, cujus tamen Rulandus jam pridem meminit; imò omnes hodie satis superque nôrunt.

Groënlandi miserè vexantur scorbutô, sed quasi renati convalescunt, miscendo cochleariam & acetosam simul in brodiis suis avenaceis, vel hordeaceis. Hæ duæ plantæ semper crescunt simul in hâc regione, quasi seorsim sumi non debeant, ne separatæ noceant: quippe una sale volatili, altera acidô turgescit, ex quarum misturâ media qualitas exultet. *Bartholin.*

ACETOSELLA, vid. *Trifolium acetosum.*

ACETUM.

Vulgata est parœmia: contraria juxta se posita magis elucescunt. Vinum si comparetur *Aceto*, tanto magis se commendat, neque tamen acetum fœtus adeò degener est, quin suos habeat usus, & ad se invitet curiosum sciendi animum. Not. de eô:

1. *Acetum fit ex succis vinosis.* Acidum esse acetum nemo ignorat, & quidem liquidâ existens formâ. Latius patent liquores acidi, latissimè acidum in genere. Non omnis liquor acidus & rei naturâ & loquendi usu acetum est, propriè loquendo. Non succus citri, limonum, acetosæ, berberum & similium, quamvis dentes stupefaciant præ acore, non agresta, seu omphacium, licet ex ipsius vini prosapiâ oriundum, ut nec succus pomorum immaturorum. Sed acetum productum est succorum vinosorum, seu completorum, seu incompletè & proximè talium. Sic acetum communissimè & instar omnium fit ex vino, fit ex cerevisiâ, quam οἶνον κρίθινον esse, seu vinum ex hordeo, jamdum *Xenophon* scripsit; fit ex succo pomorum vel pyrorum expresso, quod pomaceum acerrimum est; fit ex mulsâ seu hydromelite; fit à priori quasi quibusdam locis ex malto & aquâ coctis, & ad hoc degenerantibus statim. Verbo, acetum est productum succorum vinosorum fermentatorum, etiam apud ipsos Indos, quibus succi tales quidam vinum, spiritum vini, acetum largiuntur. Adeoque iisdem gaudet natalibus, ac spiritus vinosi. Quam in rem operæ pretium est considerare vinum, tanquam exemplum aliorum, quoad elementa sua penitius. Vinum nempe, i. e. succus uvarum fermentatione depuratus, per analysin chimicam constat (1) partibus aquosis plurimis; (2) partibus sulphureis volatilibus striatis, quæ alembicum striatim transcendunt, & in vitro quoque strias pingunt. (3) Partibus sulphureis fixioribus, quæ colorem fœnerant, unde sapa illa à destillatione eleganter rubet, & hinc qui tincturam coralliorum cum vino parant, simul tincturam vini reportant. (4) Partibus tartareis, i. e. salino-terreis, acidis, quibus alcalinæ immersæ quoque & subjugatæ sunt. Hæc sunt elementa vini, ex quorum varietate & proportione vinum variis gaudet effectibus & qualitatibus, quod nutriat, ob partes sulphur-aqueas; quod reficiat, ob partes spirituosas, & acidas; quod inebriet, ob partes sulphureas, non solùm volatiles, sed & simul fixas, gravativas, vaporosas; quod arthriticos & nephriticos faciat, ob partes tartareas, coagulum ob fermenta viscerum debiliora deponentes, non aliter ac aliàs sibi relictum quoque in cadis tartarum deponit. Inde quoque clarum est, quare vinum aliud dicatur ὀλιγόφορον, i. e. parum vel nihil ferens aquæ addendæ, more veterum, quod ipsum jam satis sit aquosum, aliud generosum, πολύφορον, aliud tenue, aliud minus gravans caput, aliud diureticum. Breviter sic clavis patet de vino philosophandi juxta rationes naturæ genuinas. Miranda est in hoc Creatoris sapientia, quod tam appositum liquorem ad nutritionem & refectionem mortalium condiderit. Idem suo modo quoque extat in succis vinosis omnibus. Hoc verò loco cumprimis duæ sunt considerandæ partes, spirituosæ & acidæ. Hinc not.

2. *Acetum*

2. *Acetum est liquor universus succorum vinosorum.* Primâ fronte absonum videri id posset dictum, acetum esse liquorem inversum, si id intelligatur ut verba sonant, grosso modo & absurdo, quoad extima. Sed longè verissimum est, si mentis oculos penitius applicemus. Liquor idem manet substantiâ, diversus, imò contrarius in effectu, sive qualitatibus. Quis enim nescit, quantum differat vinum ab aceto, sapore, odore, viribus? Vinum periit, in acetum degeneravit, ex amico suavi in acidum στόμα. Quid causæ est? Non alia quàm immutatio & inversio partium sulphurearum cum salinis, spirituosarum cum acidis. Vinum est κατ' ἐξοχὴν acidum spirituosum, seu spirituosum subacidum, unde & nervis gratum est & inimicum: gratum ob sulphur blandum, roscidum; inimicum ob acidum. Sed proportio horum potiorum elementorum ita librata est, ut nuptum quidem semper acidum sit spirituoso, sed prædominetur sulphur volatile, seu spiritus. Quod si verò fiat inversio & immutatio talis, ut contrarium emergat, acetum præstò est, non vinum. Ut si utræque & acidæ & spirituosæ pessum eant & corrumpantur, nec vinum superest, nec acetum fit, sed vappa, vinum iners, corruptum planè. Cum ergò contrarium & inversum statum observemus in effectu, necessum quoque est inversionem & contrarietatem adfuisse in elementis, illis omnia sustinentibus. Atque sic in aceto non amplius partes sulphureæ volatiles adsunt, unde nec inebriat acetum, sed potius ebrietati est contrarium, sed illæ destructæ sunt, ipsæ verò acidæ in solium evectæ, exaltatæ & prædominantes. Ast si ulterius, inquiramus, quorsum latæ fuerint spirituosæ illæ particulæ, an in auras evanuerint, an immaneant ipsi liquori, non putandum est prius, per experimenta, sed posterius. Non prius, siquidem pondere non imminutum deprehenditur æquè, uti id necessum fuerat. Neque enim suspicari licet abire in auras spiritum, & ex aëre sal nitrosum recipi in viscera liquoris insolati. Ergò posterius, præcipuè cum experimentis aliis constet, reduci posse ex aceto spiritum inflammabilem, debilitato iterum & infracto acido, experimento spiritus ardentis sacchari Saturni, per se in retortâ destillati, quod sufficienter & ad oculum id monstrat. Atque sic meritò acetum est vinum inversum, acetum est liquor inversus succorum vinosorum; nec, nisi hoc pacto philosophemur, animus satiatur, vel res cum veritate & veritas cum re concordant. Audiamus *Billichium*, ex Peripateticâ scholâ hæc explicantem *l. 1. c. 2. p. 28. Obs. & parad. Chim.* Humor vegetabilis, *inquit*, fermentescens, si eo usque extenuetur, ut terram ignis vincat, in promptu est spiritus ardere aptus; sin ignem terra prosternat, acetum exoritur, defectu videlicet ignis vivifici oppressi atque pessundati dominio victricis terræ &c. Non opus est illa obscuris tradere his terminis, sic enim penitius omnia & evidentissimè clarent. Imò & sic ratio dari potest, quare ex aliarum plantarum succis quoque parari possit acetum, experimento *Deodati*, quando nempe additur spiritus vini, ut sic vinosus magis fiat succus, & habeant, quod deglutiant & inde robur acquirant partes acidæ salinæ & tartareæ, accedente obstetricante ministerio. Nam

3. *Quæcunque velificantur inversioni liquorum vinosorum, ea aceti productionem præstant.* Plurimum ad illustrationem horum, imò & saporum & φαινομένων multorum aliorum facit, si attendamus proportionem & commixtionem variam perpetuam acidi & oleosi, salis & sulphuris. Dulcedo in melle, saccharo, manná est eximia, quandoquidem acidum obedit sulphuri roscido balsamico, idque resolubile reddit, & tanto penitius æquales particulas ingerit gustatui. Sin aquæ accessione & fermentatione expandantur illæ, dulcedo fit remissior, (non aliter ac in uvis, musto, ac aliis quoque,) & sapor vinosus, unde mulsa inebriat & spiritum vini fundit. Ex hâc viâ humidâ itidem acetum consurgit optimæ notæ. Imò & siccâ viâ, si destilletur manna, vel mel, fit enim sic liquor acidus, qui spiritus nomine venit, soluto acidi & sulphurei blando vinculo, utrobique additis, quæ spumascentem unctuositatem coërceant. Adeoque verissimum est assertum, mel & saccharum esse vinum concentratum. Vinum ergò est medium inter aquam & spiritum, medium inter spiritum vini & acetum, singula secum condens. Quæcunque ergò ad alterum extremum magis illud aptant, eadem etiam ad aceti generationem faciunt; quæcunque nempe spirituosas debilitant & exacuunt, juvantque salinas. Facit huc (1) insolatio, seu calor lenis, vino soli vel calori exposito, ita enim dum aufugere & avolare contendit pars volatilis, à fixiori subigitur facilius. (2) Additio acrium salinorumque aliorum, amygd. amar. sem. erucæ, Tartari, quæ omnia exacuunt partes acidas salinas & subactionem facilitant. (3) Fermentum proprium. Vis immutandi maximè visitur in aceto, unde acetum vino additum est propagativum & multiplicativum sui.

4. *Essentia aceti non consistit in vermiculis innatantibus.* Vermiculos inesse aceto fidem facit non solùm autoritas *Panaroli, Ponæ, Borelli, Willisii, Nardij*, verùm etiam αὐτοψία & sensus, si oculo conspicilio microscopico armato id intueamur. Citato enim motu hinc inde feruntur, unde cum motus spontaneus, animalium sit, licet imperfectorum, creditum non abs re fuit, dari in aceto vermiculos, licet id negent nonnulli, qui filamenta saltim æstimant. Ratio verò cum obstare videatur, de eâ videndum est, quomodo nempe in aceto, vermibus & putredini contrario, generari vel existere queant vermes. Adscribunt id nonnulli vappescenti potius aceto, adeóque invalido; quod ut eatenus concedi potest, ita vix sufficit ad rem totam exhauriendam, cum certum sit eosdem in aceto non degeneri quoque dari. Dixerim potius, esse vermium genus, quod ut aliàs in absinthio, & aliis quoque anthelminticis, ita & in aceto hospitetur, depositum illuc à muscis; indemne tamen & innoxium, frustra enim ob id abstineat quis ab aceti usu. Not. tamen quædam experimenta circa hoc ipsum φαινομένον annotata: (1) Non reperiri idem in omni aceto. (2) Affuso vino, vel theriacâ, quod experimentum est *Panaroli*, ipsos enecari, vel cessari moveri. (2) Posse fluctuationem etiam simplici oculo ad solem videri, adeóque non esse oculorum lusum. (4) In aceto destillato frustra eosdem quæri. An ergò filamenta solùm sint aceti impuri mobilia ob levitatem, id vix asserere licebit accuratius intuenti. Satius videtur eosdem admittere, & quidem ideò in aceto simplici vel rosaceo, aliisve non destillatis, quod salis illum fluorem comitetur refringens & temperans sulphur, quod vermibus inimicum non est. Verùm acredinem & acorem aceti à vermibus arcessere vix consultum vel veritati conveniens videtur. Dantur enim alia acida notoriè & per se talia, citrà ullum talem casum, vel miscelam vermium. Depictos eosdem exhibet *Hoockeus in micrographiâ.* Sin contrarium quis asserere & negare vermes velit, adduci posset motus uniformis, minus viventibus proprius, & pro causâ motus adduci materia subtilis, aëris beneficio ad hæc filamenta, quæ nec ipsa negari possunt, lata. Quanta enim caloris & lucis sit subtilitas, satis patet. Hinc & aëris accessu prohibito motus ille minus observatur. Nihilominus præstat ad animalem motum id referre, experimentis pluribus rem confirmantibus, quam in rem legi meretur observatio *Menzeliana Dec. II. Ann. II. Ephem. Germ. obs. 58. p. 96.*

5. *In quibus acetis sulphur prædominatur præ sale,*

eorum minus commoda vel efficax fit destillatio. Visitur id speciatim in aceto ex cerevisiâ parato. Cum enim spissior hujus sit consistentia, color item saturatior, facilè claret, quare & in genere acetum ex cerevisiâ ordinariè sit debilius, & quare idem minus commodè destilletur, quod & *Glauberus* annotat. Obstat enim sulphur copiosius, quod fluorem salis fieri minus sinit, illud quippe obtundit magis, nec evolvi patitur æquè, præcipuè cum & tartarus, seu pars salina terrea minor sit. Commodum quidem satis est acetum hordeaceum pro usibus domesticis, minus verò pro medicis. Hinc etiam acetum ex vino rubro respectivè minus fit, nec ad destillationem ita quadrat. Sulphureæ enim particulæ itidem eo casu prædominantur, unde ab usu hujus vini aliæ longè sentiuntur quoad saporem vires, aliaque effecta. Adde, quod & spiritus vini in rubello vino in nostris regionibus sit minori quantitate, unde & minus ætatem fert, minus ventriculo respectivè gratum sit, sed facile singultum cieat, exceptis generosis dulcibus. Contrarium accidit in reliquis aceti generibus, quæ tamen itidem rarius destillationi subjiciuntur.

6. *Fundamentum destillationis aceti consistit in separatione partis aqueo-salinæ à sulphureâ & tartareâ.* Testatur id sensus & ratio. Videmus enim elevari partem limpidam & acidam subtiliorem, ad leges & normam destillatorum aliorum, in fundo verò remanere partem grossiorem, coloratam & tinctam, acidam quoque ipsam fixiorem & concentratam. Quod si ignis urgeatur amplius, empyreumaticum consequitur destillatum, partem sulphuream urgente calore, & ad evectionem cogente. Sin ad siccitatem omnimodam cogatur, bullulas seu vesiculas ad instar alveariorum apum exhibet, indicio itidem evidenti, partis sulphureæ cum terreâ tartareâ combinatæ, & spumascentem levitatem ostendentis. Demonstrat ergò ad oculum destillatio heterogeneitatem, seu diversas in aceto particulas, cum sulphurea, præsertim fixiora, non aërea, cum terreis evehi inepta sint. Hinc etiam experimenta fieri plura possunt circa acetum radicatum, quod vocant, quasi dicas radicem id continere mixtionis, imò forsan ex hoc non minus ac ex urinâ aliisque consimilibus phosphorum parare licebit. Exin verò vi contrariorum quoque patet

7. *Nullum modum genuinum dari acidum aceti purum obtinendi, præter destillationem.* Destillationis duo præcipui sunt usus, utrique videndi in aceto destillato, evehere partes volatiliores respectivè seu virtuosas ex mixtis, quo sensu abstractio dicitur quoque, & patefacere partes contentas heterogeneas. Non enim æqualis datur ignis actio in objecta, sed partem post partem evolvit, quæ evolvi quidem potest, reliquam intactam relinquit, vel, si adigatur ulterius, immutat quoque. Quo ipso, quod & quo modo analysta fit, evidens est. Non omne ergò acetum est acidum, non totum inquam, sed saltim quoad partem salinam evectam, & in aqueo phlegmate fluorem adeptam. Non exhaurit destillatio radicem acoris, acidum enim cum phlegmate & terrâ divisum habet amorem, unde pars fixior huic juncta remanet, pars volatilis evolvitur aquæ juncta. Hinc quod acetum est in liquido, id tartarus est in solido; acetum scilicet est acidum phlegmati immersum, idque acuens; Tartarus est acidum terræ immersum, eamque itidem acuens. Hinc & tartarus ad aceti faciliorem productionem inservit eximiè, & affinitatem quoque utriusque monstrat, quod tartarus aceto solvi possit, destrui verò etiam sale tartari. Ita porrò acetum non rarò vappescit, degenerat & iners fit, postquàm ad summum acoris gradum devenit, quod aceto destillato non comperit, maximè durabili & incorruptibili. Quod si conjungantur acidæ terreæ & acidæ phlegmaticæ partes, tartarus & acetum, exin quoque egregia consurgunt producta non pauca. Finis ergò destillationis aceti est depurare & subtilisare, non item acuere partes acidas liquidas.

8. *Modus destillandi aceti in producti destillati facilitate, copiâ & puritate fundatur.* Ubivis compendium ἐγχειρήσεως quærere consultum est, quod operam feliciori & breviori processu absolvat. Communiter hactenus acetum ex cucurbitâ humiliori tædiosè destillatum fuit, expetitum tamen majori quantitate ad arcanum tartari, & alios usus. Ut verò destillandi ratio genuina pateat, supponendum est: (1) acetum fixius esse longè præ spiritu, (2) non minus ac aquam egere ignis fortiori propulsione: (3) id verò minori arenæ calore minus perfici posse. Hinc cum tædiosus sit processus dictus, optimè destillatur & commodissimè ex vesicâ cupreâ, cum alembico vitreo, citra refrigerium usitatum per medium, illud enim κάτω consultius h. l. adhibetur, ut scilicet cucurbita recipientis loco interviens in aquâ frigidâ plenum vas locetur. Ita enim facillima fit destillatio, observatâ proportione caloris agentis, & humidi patientis; ita copiosè habetur acetum destillatum, cum ex vesicâ mensuræ vj. viij. x. aceti unâ vice, uno igne & operâ destillationi subjiciantur, non lentè stillantibus guttis, sed ad modulum aquarum sufficiente quantitate. Ita puritas obtinetur, neque enim ex vesicâ æneâ quicquam venerei simul evehitur, neque ipsum acetum radicatum adeò animâ veneris inficitur tumultuariâ seu brevi illa morâ, inprimis lardo prius inunctâ vesicâ. Imò si vel maximè vis venerea cum aceto radicato communicetur, nihil interest, illud quippe minus in usu est, sed vel in futuros usus pro destillatione repetendâ asservatur, vel in experimenta alia cedit, vel abjicitur. Consultò tamen destillatio continuatur saltim ad tertias circiter, vel ne empyreuma ingratum succedat. Quin & cum communi more apparatis vesicis ferè minus quadrent alembici vitrei, hoc & alio fine melius foret, easdem ad morem cucurbitarum in collo formare, facillimis & iisdem sumtibus.

9. *Usus aceti est vel medicus, vel pharmaceuticus.* Medicus vel internus, vel externus; uterque vel generalis, vel specialis. Summum & multiplicem usum habere acetum, extra dubium est. Illum verò ut curatius lustremus, operæ pretium est. Acetum nempe ex vino, ad cujus normam alia judicanda sunt, minus tamen usitata, hoc juris possidet. Medicos ergò usus quod attinet, seu quà corpus ipsum afficit proprio suo usu, acetum (1) *refrigerat*, seu corpus ita alterat, ut non tam calorem intendat, sanguinem rarefaciat, & balsamum vitale adaugeat, quàm eundem refrænet, moderetur, ac sulphureas partes, caloris effectrices, deprimat atque obtundat. Hoc argumentum ut inconcussum est, ita frustra sunt, qui calidum illud esse arbitrantur. Acetum nitrosæ est naturæ, & spiritus potiùs figit, quàm elasticos reddit, ut calida propriè facere debent. Confunduntur vires salis & sulphuris. Acetum liquor inversus est succis vinosis, seu vinum inversum etiam quoad effectus. Hinc acetum non inebriat, sed ebrietatem potius sedat, vel testibus applicatum, de quo vid. *Heer.* Ex eodem fonte (2) *sitim sedat*, febrifugum est, hæmorrhagias narium compescit, repellit, & qui alii sunt effectus refrigeranti virtuti proprii. (3) Acetum *incidit & resolvit*, virtute attenuante summâ conspicuum, quod alibi digessimus latius. (4) Acetum *figit* humores ebullientes, volatiles, impetuosos, quos coagulat, & in motu compescit. (5) Acetum *bezoardicum est*, antidotus venenorum vegetabilium, sulphure vaporoso & narcotico, spiritibus inimico, noxiorum, unde & vigiles reddit somno sopitos. (6) Acetum

tium *reficit*, potissimum figente & penetrante suâ virtute, reficit spiritus, ob rarefactionem nimiam avolantes, unde sudores colliquativos compescit, epithemata ingreditur &c. Vires verò speciales acquirit infusum cum plantis aptis, unde acetum rosaceum, rutac. bezoardicum præsentius exquuntur, quod debent. Hæc ut summatim de aceto recensita sufficere possunt, ita

10. *Usus aceti pharmaceuticus ad extrahendum, solvendum, corrigendum & invertendum inservit.* Exerit hunc usum vel simplex, sibi relictum, vel destillatum, unde instar regulæ not. (1) *Quæcunque præparationes cum aceto faciendæ evaporatione egent ejusdem acetum destillatum requirunt, non simplex.* Exemplo sit saccharum saturni, extractum opii, hellebori & alia, arcanum Tartari, & inprimis tincturæ variæ. Nam tincturæ cum aceto simplici, non destillato, paratæ nullæ sunt genuinæ, propriam enim tincturam, non extrahendi corporis exhibet. Excipi tamen illi casus debent, ubi aceti evaporatio vel indemnis est, vel scopo potius incidendi, attenuandi simul apta, uti gummi ammoniacum & alia aceto hoc fine emplastra solvuntur. Tacemus imbibitiones innoxias rad. ari, coriandri &c. (2) *Quæcunque infusa expetuntur subtilibra & magis durabilia, consultius aceto destillato extrahuntur.* Fieri possunt aceta medicata & simplici & destillato aceto, non sine insigni virtute, imò & abstrahi seu destillari exemplo aquæ apoplecticæ acidæ, quam amaram vulgò vocant. Pro mixturis seu potionibus internis ✠; (quorsum & aqua prophylactica referenda,) utpote mitius & subtilius, v. g. ad hæmorrhagias, ad febres magis præscribitur. (3) *Pro solutione simplici & solitariâ acetum non destillatum melius est*; partim quod acrius sit, ob partem tartaream adhuc conjunctam, partim quod sufficiens, & frustra est superfluis uti, quando per pauca res fieri potest. Obsignabimus hunc discursum fundamentô dictorum, seu definitione: Acetum est liquor acidus inversus ex succis vinosis, à sale acidô prædominante & fluorem super sulphureas partes indepto. *Wedelius.*

Hactenus de Acetô in genere, ejusque destillatione, ac viribus. Jam descendamus ad varias Acetorum species.

Aceta quæ in Officinis prostant, vel *mera* sunt, vel qualitatibus aliunde imprægnata: Hæcque rursus, vel *simplicia*, vel *composita*.

Aceta mera sunt 1. Acetum *destillatum* simplex de quo mox dictum. 2. Acetum ex *fæcibus*, factum scilicet ex matrice aceti, vel per cucurbitam vitream in MB. vel per cucurbitam fictilem, in cineribus, aut igne aperto. Hic primo phlegma elicitur, postmodum acres acidi spiritus & denique rubei. Ex residuis salinis partibus oleum fætidum tartareum præparari & crystalli etiam confici possunt. 3. Acetum *radicatum*, seu *alkalisatum*, cujus elaborandi varij dantur modi. Alii etenim ex calcinatis fæcibus in aceto destillato residuum; quæ scilicet cum aceto destillato per arenam destillantur, idque donec sal cum ipso aceto elevetur. Alii acetum cum tartaro & sale communi acuunt vel cum sale armoniaco, sale gemmæ & tartaro calcinato. Nonnulli acetum destillatum cum spir. vitrioli, vel cum spiritu nitri acuunt. Sed optimum elaboratur, si acetum superaffundatur vinaceis, & fermentationi exponatur, ac tandem destilletur. 4. Acidum *Mellitum*. Pro quo ℞. mellis lib. 4. acet. ad eminentiam 4. digitor. destilla ex arenâ. Exibit aqua acerba, quam rectifica. Solvit corallia, margaritas, & reliquos lapides pretiosos. 5. Acetum *terebinthinatum*; quod ex aceto & terebinthinâ destillando paratur. Tartarus etiam, vel spiritus vini alkalisatus addi potest, ad majorem energiam. Oleum terebinthinæ supernatans separari debet.

6. *Spiritus Aceti* S. Clossæi.

Destillentur aceti ℔. vi. in MB. paulò ultra tepidum incalescente, donec sexta tantum pars restet: Hæc una cum cucurbitâ & alembicô in cineres transportetur, ac destilletur ad siccitatem usque cum cohobio ter vel quater super fæces reposito. Quod si adhuc fortiorem exoptes, tam ex crystallis fæcum aceti cum boli s.q. globulos concinna; qui per retortam acti igne nudo, in recipiens quod prædictum aceti spiritum contineat. Per rectificationem igneus ac corrosivus spiritus acquiretur metallorum solutionibus aptissimus.

Quæ ex Aceto simplici parantur, sunt sequentia

1. *Aceti crystalli.* ℞. Acetum ad mellis consistentiam inspissatum. Repone ad crystallisandum s.a. Crystallos purifica solvendo in aceti phlegmate & crystallisando. Satius est subtiles aceti partes per MB. abstrahere, & demùm ad crystallisandum reponere. *Deodatus Panth.* ex fæcibus aceti post destillationem in locum frigidum repositis crystallos parat, qui aquâ abluendi & exiccandi. Ex his oleum, & spiritus rucundus destillari potest.

2. *Aceti syrupus* de quo vid. sub titulo *Syrupus*.

Aceta aliis qualitatibus imprægnata fiunt ex *aceto* vini optimo ac *vegetabilibus*, suntque vel *insolata* ac *infusa* tantùm, vel etiam *destillata*.

Pro iis autem ℞. materiam insolandam puram atque exsiccatam; præparetur ad infusionem; (ut fit in decoctionibus, incidendo scilicet quæ incidenda sunt, & contundendo quæ contundenda &c.) hinc imple lagenam, vel vitrum, ac affunde acetum vini acerrimum donec ad lagenæ cervicem pertingat. Orificio bene clauso, colloca in locum tepidum, vel temperatum; & acetum viribus rerum infusarum imprægnabitur.

Vegetabilia, ut mox dictum, aliquantulum arefacta recipere oportet, ne squalore suo acetum corrumpant.

Sunt autem hæc *Aceta* rursus, vel *simplicia*, vel *composita*.

Ex illis usitatiora in officinis sunt.

1. *Acetum anthosatum*, ex infusione florum rorismarini.
2. *Calendulatum*, ex floribus calendulæ.
3. *Caryophyllatum*, ex floribus caryoph. hortensium.
4. *Citratum*, è corticibus citri.
5. *Fragorum*, è fructibus fragariæ.
6. *Lavendulatum*, è floribus lavendulæ.
7. *Liliorum convallium*, è floribus hujus plantæ.
8. *Menthatum*, è foliis menthæ.
9. *Papaverinum*, è floribus papaveris rhæados.
10. *Rosatum*, è floribus rosarum.
11. *Rubi idæi*, è fructibus hujus fructicis.
12. *Rutaceum*, è foliis rutæ,
13. *Sambucinum*, è floribus sambuci.
14. *Scordiatum*, è foliis scordij.
15. *Scilliticum*, è radice, seu bulbô scillæ.
16. *Violatum*, è floribus violarum martiarum.

Aceta composita quod spectat, plures eorum formulas jam tradituri sumus. Scilicet.

ACETUM *Agrestinum Solutivum* S. Clossæi.

℞. *Succi agrestæ, sive Omphacii depurati* ℥ij. *fol. senn. orient.* ℥j. *sem. anis. cont.* ℈j. *rad. mechoacan. in tenues lamellas dissecta, non autem pulveris.* (alias acetum evaderet viscidum) ʒß. *caryoph. integr. num.* 2. Macerentur in lagenâ locô frigido, & de isto aceto agrestino permisce cochlearia duo, aut tria,

tria, in jusculis condimenti loco, in quibus priùs dissoluta sit cremor. tart. ℨß. Adultis detur dosis superior integra.

Hujus remedii assiduo usu Hemitritæum, & morbos Chronicos, quamvis longâ patientiâ, edomari, probatum est.

ACETUM Alexicacum, seu Destillatum Alexicac. F. F.

℞. *Radic tormentill. Zedoar. bistort. ãã. ℥ß. angelic. imperator. hirundinar. ãã. ℥jß. pimpinell. dictamn. alb. aristoloch. rot. veræ ãã. ℥ij. herbar cardui bened. galegæ, scordij ãã. M. jß. sedi maj. endiv. ãã. m. ij. flor. calend. m. ijß. rosar. rubr. nymph. boragin. tunic. sambuc. ãã. M. ij. poma citria recentia, miniméque putrida num. viij.*

Incisis incidendis, ac contusis contundendis, affunde aceti acerrimi ℔. x. Stent in infusione dies tres, postea destillentur per alembicum vitreum.

ACETUM Bezoardicum F.F. seu *Clar. D. de Spina.*

℞ *Rad. enulæ campan. ℥ij angelic. ostrutii, valerian. vincetoxic. chelidon. pimpinell. ãã. ℥vi. gentian. dictamn. alb. aristoloch. rot. tormentill. Scabios. succisæ, petasitid. Zedoariæ ãã. ℥ß. baccar. juniper. M. iiij. Myrrh. elect. ℥ß. folior rutæ, chelidon. maj. scordii, chamædr cardui benedict ãã. M. ij.*

Incidantur & contundantur ut moris est. Deinde affunde aceti vini acerrimi ℔. viii. spir vini ℔ iii. theriac. Andromach. ℥ij. spir. tart. ℥ß. camphoræ ℨij. Digerantur per dies 14. dein exprimantur, filtrenturque per chartam.

ACETUM Bezoardicum *Clar. D. Diemerbroeckii.*

℞. *Rad. angelic. carlin. petasitid. helenii, dictamn. ãã. ℥ß. Zedoar. ℨij. herbar. cardui bened. scord. ãã. ℨi. centaur. min. rutæ ãã. ℥ß. flor. stæchad. ℨij. sem. card. benedict. citri ãã. ℨi. baccar. juniper. ℥ij. F. pulvis grossus, cui affunde aceti acerrimi ℔. v. vel vj. stent simul in loco radiis solarib. exposito per 14. vel plures dies, postea colentur cùm forti expressione.* Eidem aceto, si velis, eundem pulverem adhuc semel de novo infundere poteris, tuncque erit multo efficacius.

Acetum hoc optimum est pestis præservativum; ejus autem duo, vel tria cochlearia mane bibere oportet, supermasticando fr[illegible]ulum panis. Advertendum tamen ne eo, vel alio quopiam utantur asthmatici, tussiculosi, aliive qui aliquod pectoris, pulmonumve habent vitium.

ACETUM Bezoardicum, sive Theriacale *Timæi.*

℞. *Confection. Orvietan. ℨij. diascord. Fracast. ℥iß. theriac. Androm. ℥i. Rad. angelic. contrahyerv enulæ, pimpinell. torment. scorsoner. dictamn. alb. petasitid. ãã. ℨvi. Fol. scord. rutæ, millefol. ãã. Mj. Flor. calend. tunic. ãã. Mß. Cortic. Frax. citri ãã. ℥ß. Baccar. juniper. ℥iiß. macer. Zedoar. ãã. ℨiij. camph. ℈ij. croci orient. ℨi. myrrh. elect. ℥ß. aceti ex succo rubi Idæi q. s. M. & stent in infusione in loco calido, donec acetum probè sit impragnatum; tunc colatura servetur usui.*

Vires sunt insignes in peste: Nihil enim magis profuisse in peste castrensi exercitus Suecici ad Tribesæam, ut & in febre pestilentiali Colbergæ, ac acetum hoc theriacale, mox in principio cum tantillo scordii, vel theriacæ, ad eliciendos sudores exhibitum, ipse refert *Timæus* Cas. Medic. lib. viii. cas. xxxii.

ACETUM Confortans *S. Clossæi.*

℞. *Fol. rutæ Miij. fumar. Mj. baccar. juniper. ℥ij. caryoph. macis, nucis mosch. testicul. castor. ãã. ℥ß. Contusis affunde aceti rosar. ℔. iij. Insola per aliquot dies, vel macera retro fornacem.*

Gravidis, puerperis, & ab utero syncopisantibus prodest, odorando, tempora fricando, & pulsui utrique ex linteis eo madentibus, alligando. In febribus malignis commode additur camph. ℨj.

ACETUM Febrifugum, sive Aqua Prophylatica *Fr. de le Boë Sylvii.*

℞. *Rad. angel. zedoar. ãã. ℥i. petasitid. ℥ij. fol. rutæ hortens. ℥iiij. meliss. scabios. flor. calendul. ãã. ℥ij. nucum juglandium immatur. concisar. ℔. ij. pomor. citrior. recentium concisor. ℔. j. Contundantur omnia simul, deinde affunde aceti vini opt. ad tres quartas partes ex arenâ, in cucurbitâ vitreâ per se destillati ℔. xii. Digerantur per noctem, manè destillentur igne cinerum lento pene ad siccitatem, idque sine ustione.*

Acetum hoc magnarum est virium in peste atque febribus, & gratissimum. Admisceri potest potui ordinario, cerevisiæ, aposemati, jusculo &c. ad aciditatem cuivis ęgro gratam, & ad sitim tollendam, sudoremque blandum promovendum, sæpius quantitate parvâ usurpari.

ACETUM Lithargyrii *Ph. Aug.*

℞. *Lithargyr. subtiliss. triti ℔. j. aceti fortis ℔. ij. stent in infusione per dies tres, vel quatuor, sæpius agitando, post filtrando.*

Vires ejus sunt insignes in perpoliendâ cute, & ulceribus humidis, fætidis, ac malignis exsiccandis. Cum oleo sambuci, vel violarum mistum, in serpigine, herpete, ac calidis doloribus, non parum prodest.

ACETUM Pestilentiale *Zwelferi.*

℞. *Rad. angelicæ, levistici, ãã. ℥iij. Herbar. recent. meliss. rutæ hortens. scord nostr. ãã. ℥iv. rosar. rec. ℥iij. granor. juniper. ℥iv. cortic. citr. recent. extim. ℨjß. Hæc incisa & contusa immergantur in aceti vini boni ℔. xii. Factâ aliquali digestione abstrahatur acetum, destillando in alembico vitreo ad siccitatem. Aceto huic abstracto denuò immitte Rad. angelic. contraierv. enulæ, recent. morsus diabol. Zedoar. ãã. ℥ß. herbar. recent. rutæ, scordii nostr. ãã. ℥ij. croci optim. oriental. ℨij. cortic. cicr. recent. extim. ℥jß. granor. juniper. myrrh. rubr. ãã. ℥j. Stent in infusione, loco calido, vitro bene clauso, per septimanam. Colentur postea, atque filtrentur. Filtrato aceto adde, dum in usum venire debet, pro qualibet librâ j. mellis citrati ℥ij. vel ℥iij.*

Efficax est in peste, & malignis febribus, cùm pro præservatione, ante egressum, matutinis horis, unum, aut duo ejus cochlearia sumendo: tum curative potiunculis sudoriferis immiscendo à ℨij. ad ℥ß.

ACETUM Prophylacticum F.F.

℞. *Rad. angelic. zedoar. levistic. pimpinell. german. rutæ ãã. M. j. turbith. elect. ℨij. cortic. citr. recent. ℨiij. baccar. juniper. bene matur. ℥iß. lauri ℥i. Incisa & contusa, ut moris est, macerentur cum acet. acerr. mensur. 2. postea destilletur per alembicum vitreum. Servetur pro usu.*

Insignes vires bezoardicas acetum hoc obtinet, quibus non modò contagiosos morbos præcavere, sed & sudorem, urinamve expellere valet.

Acetum pro Rabidi morsu *Hannemanni.*

℞. *Folior. rutæ, abrotani, betonic. salviæ tenui fol. ãã. M.j. Incisis affunde aceti vini opt. ℔. i. siqne tempus permittit, per aliquot horas maneat in infuso. Exprime. Expresso adde, theriac. Androm. ℥ ij. Adultus magnum de eo faciat haustum. Junioribus & puerulis datur cochleatim. Sin verò periculum metuatur, additur herb. card. Fullon. M. j. vel hujus seminis contus. ℨ i,*

Vulnus commorsum per novem dies apertum tenendum, ac prædictæ herbæ expressæ post fricationem cum bacillô è vite applicandæ omni mane, tamdiu donec æger in portu naviget. Si metus periculi adhuc sit, repetatur potio. Tota Respublica Medica simile euporiston vix habet, quod æquè prodest.

Acetum Rutaceum F. F.

℞. *Fol. rutæ, scord. card. benedict. tanacet. ãã. M.j. baccar. juniper. rad. angel. ãã. ℨij. Zedoar. cortic. citr. ãã. ℨß. Incidantur minutim, ac infundantur in aceti opt. ℔. vi.*

Viribus cum aliis bezoardicis convenit.

Acetum Siccum *Collect. Chymicor. Leydens.*

℞. *Tart. alb. ℔ß. abluatur diligentissime, tum siccetur & pulverisetur. Hic pulvis infundatur in acet. vini acerr. Postea pulvis iterum siccetur; & siccatus iterum infundatur in aceto ut antea, & rursus siccetur, hocque decies repetatur ac fit pulvis acidissimus, qui in quavis aquâ solutus, eam reddit acidam.*

Acetum Theriacale *Pharm. August.*

℞. *Rad. chelidon. maj. ℨiß. angelic. ostrutii, gentian. bistort. valerian. pimpin. dictamn. alb. carlin. Zedoar. ãã. ℨi. plantag. maj. ℥ iß. folior. scord. card. bened. dictamn. Cretic. ãã. p. ij. cortic. & semin. citr. ãã. ℥iß. granor. juniper. ℥ij. nucleor. nucum juglandium ℨij. sandali citrini ℨß. Infundantur omnia in aceti rutacei ℔. iv. atque sic in vitro probe clauso infusa permaneant.*

Morbis venenatis auxiliatur; putredinem humorum arcet; Sudores prolicit; pestilentis luis contagia dissipat. Præsumptum ab infectione corpus tuetur, ac peste correptos, tam internè exhibitum, quàm forinsecus arteriarum & cordis regioni superimpositum, plurimùm reficit.

Acetum Theriacale *Pharm. Londin.*

Adde aquæ theriacalis (suô locô, scil. capite de Aquis, describendæ) *magmati. flor. caryophyllor. ℨij, lavendul. ℨiß. atque affundantur aceti rosacei & sambucini acerrim. ãã. ℔. iv. F. sine ebullitione digestio in fimô per octiduum, mox per manicam Hipp. colatura.*

Acetum Theriacale *Anton. de Scobbis* in Theat. Pharm. univers. Italicè conscriptô,

℞. *Radic. angelic. imperator. vincetoxici, fol. rutæ, scord. salviæ, baccar. juniper. sem. citri. flor. centaur. min. rorismar. cuticulæ citri, lign. aloës ãã. ℨß. Aceti vini opt. destill. ℔. v. F. infusio in MB. vase vitreo diligentissimè clauso, per dies 12. Post in expressione forti filtratâ dissolve theriac. Androm. unc. ij. Infunde rursus in MB. tepido per dies 5. Sicque servetur ad usum.*

Earundem est virium ac usuum cum præcedentibus.

Sequuntur jam Aceta varia ex Hadriani à Mynsicht Armamentario Chymico collecta.

Acetum *Aromaticum odoratum.*

℞. *Rad. Ireos Flor. unc. jß. Flor. Lavendulæ, Rosar. rub. Tunicæ ãã. unc. j. Caryophyllorum, Cinamomi acut. ãã. unc. ß. Nuc. Moschat. Macis, Galang. min. Zedoariæ ãã. ℨiij. Cort. Aurantiorum citri ãã. ℨij. Styrac. calamit. Myrrhæ rub. Bentzoin. ãã. ℨjß. Fol. Rorismarin. Rutæ, Majoranæ, Salviæ ãã. ℨj. Galliæ Moschat. ver. Lig. Aloes. Santali citrin. Spic. Indicæ ãã ℨß.*

Aceti vini violati q. s. Misc. & acetum tinctum & bene imprægnatum usui servetur.

Vires, Usus, Dosis.

Cum intincto panno lineo naribus, odoris ergo recipiendi, admotum, cerebrum confortat, sensus excitat, Spiritus recreat, animique defectione vires quasi emortuas copiosè restaurat, cæterisque cordis affectibus opem unicè præstat.

Acetum Theriacale.

℞. *Theriacæ Andromach. unc. j. Corn. Alcis spagyricè calc. Bacc. juniperi sem. Card. bened. ãã. unc. ß. Fol. Verbenæ, scordii, Rutæ ãã. ℥ ij. Myrrhæ rub. cort. citri ana ℥ß. Rad. Tormentillæ, Angelicæ zedoariæ, Petasit. ana ℥ j. Camphoræ, Lig. Aloes, Macis, Aceti vini Calendulati. q. s.*

Misc. donec optimè tingatur; postea separabis Acetum tinctum & ad usum reservabis.

Acetum Mithridaticum.

℞. *Mithridat. Damoc. Terræ sigill. Rad. Tormentillæ, Enulæ camp. Angelicæ ãã. drach. vi. Corn. Cervi igne calcin. Pulv. Serpentum, Myrrhæ rub. ãã. ℥ ß. Sem. citri excort. Acetosæ, bacc. juniperi ãã. drach. iij. Flor. calendulæ, tunicæ ãã. drach. ij. Croci orient. caryophyllor. camphoræ ãã. drach. j. Aceti vini rosat. q. s.*

Vires, Usus, Dosis.

Duo hæc Aceta, in Peste & Morbis Epidemiis valde celebria sunt: Resistunt enim impressioni & præservant à putredine, & qui horis matutinis vel de Theriacali, vel de Mithridatico Cochl. j. utitur, eodem die, post Dei providentiam, non inficitur. In curatione Dosis utriusque Cochl. ij. cum Scr. j. Bezoars. nost. Solar. vel Aureæ Hadrianeæ, &c. Laudantur similiter, si singulo mane, antequam quis è domo sua exeat, lavet manuum pulsus cum his Acetis: Item, portare in manu spongiam in ipsis infusam. Quibus tamen siccius est cerebrum, & qui vigiliis molestantur, ii aceti odore parciùs omnino utantur, aut etiam planè ab eo abstineant.

Acetum Zedoarticum.

℞. *Rad. Zedoariæ ℥i. Angelicæ, tormentillæ, scorzoneræ ãã. unc. ß. Bac. lauri excort. Junip. ana. ℥iij. Flor. calendulæ, lavendulæ, rosar. rub. Lig. Aloes, Macis ãã. ℥jß. Caryophyllor. nuc. moschat. ana drach. ij.*

Infundantur in Aceti vini sambuc. s. q. donec perfecte colorentur; postea acetum coletur & reponatur.

Acetum Myrrhatum.

℞. *Myrrhæ rub. unc. j. Rad. Gentianæ unc. ß. Herb. Card. bened. Rutæ, Absinthii, Scabios. Veronicæ, Scord. ana drach. ij. Croci orientalis, Cassiæ ligneæ, Castorei ana drach. i.*

Macerentur in aceti vini Caryophyllati s. q. per octiduum; postea filtrentur, & acetum clarum ad usum servetur.

Acetum Rhizoticum.

℞. *Rad. Tormentillæ, serpentar. Pimpinellæ, Angelicæ Valerianæ, Imperator. succisæ, Dictamn. alb. Enulæ camp. Vincetoxic. Zedoariæ, Petasit. ana unc. ß.*

Infundantur in aceti vini salviati s. q. & post debitam digestionem, Acetum filtratum ad usum reponatur.

Vires

Vires, Usus, Dosis.

Maximam vim contra Pestilentis veneni corruptionem tria hæc præcedentia aceta habent: Immò multarum sunt virtutum: quibus vel nares & pulsus inungi, aut spongiæ olfaciendæ imbui, vel silices aut lateres igniti perfundi possunt, quodque tum ad Pestem præservandum, tum curandum, propinari potest. In curatione autem datur Cochl. j. aut alterum pro virium ratione ad sudoris provocationem. Pro præservatione Cochl, dimidium sufficit.

ACETUM Bezoarticum.

℞. *Rad. Scorzoneræ, Angelicæ dictamn. alb. ana unc. j. Tormentillæ, zedoariæ, Enulæ camp. ana unc. ß. Camphoræ ãã. drach. jß.*

Pulverisatis & mixtis affunde sp. vini à confectione Bezoart. Solar. nost. residui, & Aceti Vini Sambucati destillati ãã. ad 6. digitorum supereminentiam; Stent in vitro optimè clauso, donec perfecte tingantur; Postea filtrentur & ad usum reserventur.

Vires, Usus, Dosis.

Acetum hoc Bezoarticum, tanta virtute pollet, ut unciæ Semis vel unius pondere, vel per se, vel pari cujusvis aq. cordialis quantitate potum, Pesti mirifice opituletur, & infectos, vel à quocunque venenato animali ictos, vel demorsos, cum adstantium admiratione, à longo veluti somno excitet, & integræ sanitati restituat. Valet etiam contra omnia venena hausta, sive per os sumpta; nec non cor majorem in modum roborat, & omnes Spiritus recreat. Præservandi gratia Cochl. s. mane sumitur; Curandi verò, datur ab Unc. s. ad Unc. j. ex aq. Card. benedict. Hirundinariæ, Scordii, vel simili, &c.

ACETUM Diaphoreticum.

℞. *Rad. Sarsæparillæ, Chinæ ana unc. j. Lig. sassafras ʒ. vj. Flor. sambuci unc. ß. Cassiæ ligneæ drach. ij.*

Incisa & contusa infundantur in aceti vini acerrimi s. q. & macerentur tamdiu, donec rubini instar tingantur: postea filtrentur, & acetum perfecte tinctum & filtratum usui servetur.

Vires, Usus, Dosis.

Acetum hoc laudabile, cerebri & capitis vitia emendando, jecur confirmando, Lienem extenuando, Hydropi auxiliando, Renum calculum ejiciendo, flatus discutiendo, vomitus cohibendo, concoctionem juvando, putredini resistendo, Gallico morbo succurrendo, incipientem Elephanthiasin curando, egregiam vim diaphoreticam habet. Denique ob ingentem siccitatem & moderatum calorem, est remedium excellens ad omnis generis defluxiones, quas absumit. Spongiam quoque in aceto hoc infusam gestare & odorari, maxime prodest adversus Pestis contagia; præsertim non neglectis aliis remediis. Dosis à Cochl. j. ad Cochl. ij. per se, vel in vehiculis appropriatis.

ACETUM Hystericum.

℞. *Herb. Rutæ rub. exsic. Gran. Chamæactes ana ʒi. Gum. Sagapeni, Galbani ana ʒß. Rad. Pencedani, Castorei veri ana drach. ij. Callor. Equarum. Assæ fœtidæ ana drach. j.*

Infundantur in Aceti vini acerrimi s. q. Et fiat digestio in B. M. per 5 aut 6. dies, quousque acetum perfectam acquirat tincturam; postea filtra & ad usum reserva.

Vires, Usus, Dosis.

Mulieres suffocatas statim olfactu & odoris suffitu suscitat, nec non Vertiginosos, Lethargicos & utcunque Veterno obdormiscentes excitat. Interne quoque sumptum idem facit. Dosis à Cochl. semis ad integrum.

ACETUM Vomitorium destillatum.

℞. *Cort. Rad. thapsiæ ℥iv. Rad. Asari rec. exsic. ℥ j. sem. Cartami excort. ℥j. Cinamomi acut. ʒß.*

Mixta & contusa infundantur in Aceti Vini acerrimi lib. iv. Digerantur in vitro bene clauso, sæpe agitando, per mensem; Postea in cucurbita ærea, superimposito adaptato alembico plumbeo, igne lento ex cineribus usque ad siccitatem, destillentur. Et sic habebis acetum destillatum, à Saturno imprægnatum, & subdulce, quod totum, nullo rejecto phlegmate ad usum reserva.

Vires, Usus, Dosis.

Est Vomitorium leve, suave, quod omnes humores tam frigidos quam calidos sine labore purgat. Datur in Quotidiana & Tertiana verâ & nothâ, quas sedat: nec non debilitatem & nauseam à superfluis & acutis humoribus factam, aufert. Probatissimum etiam Febribus interpolatis post septem accessiones. Dosis ab ℥ij. ad ℥iij. plus minusve. Delicatis exhibetur cum Syrupo acetoso.

ACHATES, vid. sub titulô *Lapis*.

ACHETA, vid. *Gryllus*.

ACHILLEA, vid. *Millefolium*.

ACHIOTT, vid. sub nomine *Urucu*.

ACIDUS *Sapor.*

Acidus, Græc. ὀξὺς, quid significet sensibus magis perspectum est, quàm ut verbis exprimi commodè possit. Ejus tamen hodieque frequentior in Medicinâ applicatio tricas peperit non paucas; quas ut breviter expediamus, dicendum, quòd vox *acidi* accipitur, vel de qualitate quâdam gustatili, in humoribus, alimentis ac medicamentis occurrente, cujus quidem virtus, juxta Galenum, consistit in hoc quòd mordicet absque calfactione, & vim quoque fermentandi possideat: Item quod nata sit incidere, extenuare, dividere, farctuque liberare & perpurgare citrà ullam excalfactionem: Quibus recentiores meritò addunt non omne *acidum* dividere, tenuare, &c, at etiam aliquod ex iis congelare, coagulare, figere, incrassare, obstruere, fermentationem cohibere, atque ita frigus totius corporis, pallorem, ac infirmitatem efficere. Nimirum, inquiunt, non omne *acidum*, idem est, dum aliud in fixis, vitriolaceis, aluminosis portionibus; aliud verò in nitrosis & volatilibus consistit, Unde & *antacida* varia etiam esse debent, Vel sumitur *acidum* pro principio quodam salino constitutivo & substantiali omnium corporum; ita ut unà cum altero, quod *alkali* appellant, ad constitutionem rerum omnium naturalium concurrere, non infimi, inter modernos magnâ contentione docuerint. Quæ sententia tantum invenit apud multos applausum, ut in Scriptis Medicis nil jam fermè quàm *Acidum* & *Alkali* legatur. Imò non modo naturalium rerum, sed & earum quæ sunt contra naturam, morborum puta, causarumque morbificarum, originem, ex illis duobus deducere non veriti sunt, Quâ de causâ palmaria etiam Medicinæ objecta, & Architectonica Naturæ instrumenta appellata fuerunt. At de his in præsentiarum satis; plura vide sub titulo *Alkali*.

ACIDUM *Tartari*, vid. *Tartarus*.

ACINOS.

Acinos Ἄκινος, quia ἀκινεῖ id est ἵησι κοιλίαν καὶ ἔμμην-


Aconitum foliô platani,
flore cœruleô, de quô
unô verbô hic pag. 13
cuiusque vires eædem
sunt ac Napelli

ἔμμηνα πινομένη, alvum mensesque sistit, Dioscoridis sententiâ. *Lobelius* per υ scribendum esse ἄκυνον contendit; ut sit ab α privativo & κύω, *sum prægnans*, quòd sterilem infæcundamque plantam signat: Nam Theophrastus & Plinius nullum in eo *florem*, aut *semen* agnoscunt, forte quia obscurius & serius flores promit, qui frigore superveniente sæpius corrumpuntur.

Acinos autem *foliis* est serpylli, aut ocymi minoris, *floribus* in verticillis ad caulium nodos foliis intermistis, *calyculis* oblongis, striatis, collo angusto, ventre turgidiore, quo cum Verticillatis Frusticosis conveniunt.

Nomina. Acinos multis, *Joh. Bauh.* Ocymum Sylvestre, *Gerard.* Clinopodium minus, sive vulgare, *Parkins.* Arvense ocymi facie, *Casp. Bauh.*

Vires. De viribus Acini nihil certi occurrit, nec insigni aliqua facultate dotatum esse, odor saporve arguunt. Autore *Schwenckfeldio*, calfacit & siccat, aperit, provocat, discutit, roborat, tenuium est partium, menses & partus pellit, ex vino potum melancholicos restituit.

ACINUS.

Acinus non pro uvæ vinaceo apud idoneos Autores, sed pro uvâ ipsâ, seu pro fructu toto accipitur, qui ex succo, & ex ambiente cute, seu folliculo constat. Columell. lib. 11. cap. 2. *Cùm expresseris vinacea, quæ acinis celantur, eaque jam infuscata & propemodum nigra fuerint &c.* Extenditur & hoc nomen latiùs ad fructus minutiores arborum fruticumve spissiùs crescentes, & coactiùs, ut Hederæ &c. & sic à bacca distinguitur, quæ rariùs crescit, ut in Oleâ, Lauro &c. *Junius.* Medici recentiores pro gigarto, seu vinaceo accipiunt, cùm dicunt, *uvæ exacinatæ.*

ACONITUM.

Aconitum dictum Plinio ab ἀκόνη, quoniam in nudis cautibus crescit. Theophrasto ab Ἀκονὶς, pago Mariandynorum. Prius etymon probat Ovidius, cùm dicit.

Quæ quia nascuntur dura vivacia caute,
Agrestes Aconita vocant.

Alii nomen quidem à *cautibus* deducunt, sed diversam ejus rationem assignant: *Quoniam* scil. huic plantæ *eadem vis in morte esset, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam, statimque admota velocitas sentiretur.* Plinius.

Aconiti Notæ sunt *folia* circumscriptione subrotunda, laciniata, *flores* cucullati, *semina* rugosa: *Vis* in plerisque saltem speciebus deleteria.

Aconitum vulgò dividitur in Aconitum magnum *flore* purpureô, & Aconitum *foliô* platani, *flore* pallescente luteô. Datur etiam in hoc ipso genere aliud *flore* purpureo.

ACONITUM *magnum purpureo flore, vulgò Napellus.*

Nomina. Napellus vulgò, *Joh. Bauh.* Aconitum cæruleum, seu Napellus, *Casp. Bauh.* Napellus verus cæruleus, *Gerard.* Verus flore cæruleo, *Parkins.*

ACONITUM *folio Platani.*

Nomina. Aconitum foliô platani, flore luteô pallescente, *Joh. Bauh.* Lycoctonum luteum, *Casp. Bauh.* Luteum Ponticum, *Gerard.* Luteum ponticum serotinum flore albidô, *Parkins.* De aliô quod flore est cæruleô non novimus unde denominationem specialem desumere possit quàm à floris colore.

Aconiti magni, seu Napelli vires & præparata.

Vires Aconiti magni, seu *Napelli.* Facultate est hominibus aliisque animalibus exitiali & perniciosâ. Evidenti, sed perquàm miserabili experimentô, id Antverpiæ olim compertum, in recenti adhuc est memoria (inquit Dodonæus). Cum enim ab imperitis hujus inter acetaria allatæ essent radices, quicunque eas ederunt, mox sævissimis correpti symptomatis, brevi vitam cum morte commutârunt. Quin & *Turnerus* perhibet, Gallos quosdam Antverpiæ pro Imperatoria in acetariis, comestis napelli radicibus, intra biduum omnes obiisse, exceptis duobus histrionibus, qui eas revomuerant. Est itaque napellus venenorum præsentaneorum facilè princeps.

Animal quod napellô nutritur, ejusque bezoar, seu remedium specificum ab avicennâ perhibetur: Musne sit, an Musca, inter Botanicos non convenit. Consule *Dodonæum* & *Joh. Bauh.*

Napellus in jugis montium Alpinorum nutritus vires admodum noxias exercet; delatus autem in hortos parum suis operatur venenis; quod experimento confirmat *D. Martin. Bernhard. à Berniz* in *Ephem. German. ann. 2. observat.* 42. Idem etiam confirmat *Petr. Joh Faber.* in *Panth. lib.* 1 *cap.* 43. *Cicuta*, etenim inquit, *& napellus, quæ versus meridiem, in montibus Pyrenæis venenata sunt, si transplantentur versus loca septentrionalia & humida omnem malignitatem deponunt.* Non ita tamen tutum fuerit experiri napelli in hortis culti vires.

De napello, hæc habet Curiosissimus D. Abbas *Rousseau* in tractatu Gallico cui titulus *Remedia secretiora ac probatiora D. Abbatis Rousseau.* Botanici aiunt quòd si manu tantùm tractetur Napellus per aliquod temporis intervallum, mors inde provenire potest. Illius itaque manipulum cùm prehendissem statim formicationem è malleolo in brachium atque ipsum cubitum serpentem persentiebam, ac propterea ne virus ulteriùs quàm par erat vim exereret, plantam abjiciebam. Torpor tamen inde ortus non sic minus ad humerum usque exporrigebatur, verùm ibi prorsus substitit, alioque nullo enascente dolore, per totam diem perduravit. Essentiam meam viperarum, (de qua in sequentibus) continuò assumebam, & omnia symptomata die proxime subsequente evanuerunt. Alia vice ejusdem plantæ florem primoribus dentibus masticatum linguę apice leviter attingebam, quo certior fierem de eorum veritate quæ asserit Vanhelmontius, scilicet quòd cùm extremâ linguâ radicem napelli superficialiter tantùm degustasset totum caput reverà perturbatum fuit, sed imaginativa facultas prorsus inoffensa perstitit, imò sic se in intellectualibus apprehensionibus multò liberiorem vidit. Credidi etenim in hujus plantæ flore præparationem quandam ac maturitatem à natura provectam reperiri, quæ qualitatem minùs venenosam exerere parata foret, quàm ab ipsa radice profundi posset: cùmque saporem non ita insuavem deprehenderem, de virtute interiori ac subsequutura non malè augurabar. Verùm momento post degustatum illum florem, formicationem in apice linguæ observabam, unde ad salivam excreandam pro cohibenda actione succi, seu potiùs tincturæ è flore quantumvis leviter masticato, eductæ, ac sensibiliorem operationem quàm expectaveram exerentis, subinde me incitabam. Formicatio interim illa, cùm, ad usque linguæ radicem proveheretur, os aquâ vitæ colluebam. Statim caput perturbatum, ac quasi fascia constrictum, sine dolore tamen, corque ipsum quasi colligatum, & omnia membra aliquatenus stupefacta, sed sine ulla, vel leviori ad animi deliquium propensione, persentii. Hæc per aliquod tempus continuavere, interea-

tereaque eam animæ libertatem quam describit *Van Helmont*, quamque in me alias nunquam videram observavi; unde cùm facilè concluderem nihil lethalis sic oriri posse, dispositionem meam non ægrè ferebam. Expertus sum itaque hanc plantam in imaginationis instrumenta agendo, ea verè defecare, sicque intellectum ad sua munia exequenda promptiorem reddere, quàm sub sanguinis ac carnis onere perpetuo, indeque enata obfuscationne, existat: Unde non immeritò dicit laudatus *Van Helmont*; *Est etiam in plantis arbor scientiæ boni & mali, & virtus dotalis continens sanæ mentis redintegrationes.*

Posteaquam præmemorata experimenta perfeceram aliud in eadem planta instituebam, scilicet illius largam quantitatem cum radicibus, foliis & floribus contritam, fermentationi exposui, cùmque inde vinum, modo quo ex aliis omnibus plantis conficitur, eduxissem, illud non tantùm leviter degustavi, sed etiam ejus plenum cochleare exhausi, nec tamen sic vel minimam stupefactivam vim exertam animadverti. Imò cum ulteriùs procedendo ex ejusmodi vino aquam vitæ per destillationem provocarem, illiùsque rectificatæ pintas duas penes me haberem, de qua, quasi de aquâ vitæ vulgari, singulis diebus matutinis horis haustulum ebiberem, nunquam inde aliquid mali subortum vidi.

Discant itaque Philosophi nihil amplius oggerere iis quæ attuli in probationem positionis meæ, scilicet quod fermentatio sit correctorium naturale, veneni plantis ac medicamentis innidulantis.

Pro vino autem prædicto, aut etiam ex aliis omnibus plantis parando, sic procedit prænominatus Autor.

℞. Mellis optimi partem unam, aquæ font. partes quatuor. Vas miscellam continens hyberno ac æstivo tempore in laconico ad eum gradum excalfacto ut commodè quis in eo quantum ei videbitur subsistere possit reponatur; Post dies duos aut tres, sine ulla fermenti alieni adjectione, dissolutio hæc mellis commovebitur; cùmque plenam fermentationem attigerit, hoc est die integra postquam liquor fermentari cœpit, adde herbas probe concisas & contritas, mensuram nimirum unam super mensuris duabus dissolutionis mellis; omnibusque probe commistis & agitatis fermentationem inceptam continua, donec herbæ vasis fundum petant, nec ampliùs ad superiora revehantur.

Atque hæc est generalis methodus quâ omnes fermentantur ac præparantur plantæ cum suis radicibus, foliis & floribus, præsertim verò illæ quæ sulphure, aut oleo, salibusque volatilibus imprægnantur, qualescunque demùm eæ fuerint. Fermentatione peracta destilletur aqua vitæ modo ordinario, scilicet per alembicum cum proprio refrigeratorio; observando quòd tota materia, liquor scilicet cum propriis fæcibus, ac iis quæ in fermentationis fine subsederunt, in alembicum intrudi debeant, quódque liquor exstillatus rectificandus veniat. Si autem fermentatio probè fuerit peracta, nihil olei essentialis ac volatilis in destillatione apparebit, quia scilicet unctuositate ejus sic resolutâ, in aquam vitæ abit, quæ ipsum oleum ac sulphur sali & mercurio volatili plantæ unitum exhibet: unde etiamsi, sal fixum cum aliis principiis itidem fixis post destillationem residuis spoliata propinetur magnarum erit virium, majorum tamen si idem illud sal volatile factum spiritui prædicto artificiosè afficiatur.

Aconiti platani folio vires.

Vires Aconiti folio platani. Maligna est & homini adversa vis Aconiti, succus inprimis radicis, non solum assumptus, homini, brutisque venenum est, sed & telis, aut sagittis illitus lethalia vulnera infligit.

Hujus autem semen aut radix in pulverem redacta, & cum oleo temperato, ut unguentum inde fiat, illitû pediculos ac furfures enecat & abstergit. Idem radix præstare potest si in aqua vel lixivio decoquatur, ac cum eâ postea caput abluatur.

Plures dantur aliæ Aconitorum species, quas hic enumerare supervacaneum foret, ubi non de Re Botanica in specie, sed tantùm de iis quæ in medicamenta assumuntur, aliàsque in Re Medica exercenda faciunt agitur. Liceat tamen verbo attingere quæ de Aconito falso, *Matthiolo*, Aconito 1. *Dioscoridi*; Thora folio Ciclaminis, *Joh. Bauh.* Thorâ Valdensium, *aliis* dicto, observavimus.

De hac planta scribit Clar. Joh. Bauhinus, (ex aliorum tamen sententia) quòd Napelli excedat malitiam, quódque animal quodcumque, telo, vel alio instrumento ejus succo illito, vulneratum intra semihoram necessariò moriatur. Negat tamen mortiferum esse si bibatur, aut devoretur; tametsi absque noxa id non fiat. Nos magnam hujus plantæ copiam in monte vicino *Thuyry* dicto sæpius colligi curavimus, succoque ipsius vulnera animalibus inflicta pluries fovimus, nec tamen aliquid funesti inde ortum vidimus: unde concludimus plantæ virulentiam tragicè nimiùm à Gesnero & aliis explicari, propterea quod iis quæ sibi relata fuerant fidentes propriam experientiam satis non consuluerant. Radix exsiccata saporis est subdulcis ac aliquatenus nauseosi & ingrati, quæ canibus aliisque animalibus exhibita noxæ nihil, aut parum admodum intulit.

De Aconito Pardalianche vero *Dalechampij*, quod ab hoc Autore in jugis montis vicini, loco dicto *Les Faucilles*, reperiebatur, quodque eradicare ille non audebat propter pestiferam venenositatem, quam etiam iis qui ipsum vel leviter attingunt, infert; hic etiam forsan non immeritò liquid dicendum haberemus. Nimirum quòd planta quæ præmemorato Botanistæ tantum timorem incutiebat, aliud prorsus non fuit quam ipse *Petasites*; ut ex descriptione folii & loci ubi reperitur, absentiaque omnis alius plantæ figuræ illi quam depingit aliquatenus affinis, facilè nobis constitit. Verùm de his ut & aliis ad rem herbariam peculiariùs pertinentibus, commodius alibi.

ACORUS.

Acorus quia ταῖς κόραις, id est, pupillis sive aciei oculorum caliginosæ medeatur, dicitur.

Spica quam profert simplicem, elegantem, *Juli* specie, eam ab omnibus aliis hujus generis satis discriminat.

Acori veri Nomina.

Acorus verus sive Calamus Officinarum, *Park.* verus sive Calamus aromaticus Officinarum *C. B.* verus, Officinis falsò Calamus. *Ger.* Calamus aramoticus vulgaris, multis Acorum. *J. B.*

Acori veri vires.

Acori radix vim habet excalfactoriam & siccantem partium est tenuium, usus præcipuus in obstructione mensium, in dolore colico, in ruptis & contusis, Ad urinæ deductionem commendat Fallopius in vino tenui decoctam radicem cum succo Boraginis.

Radices conditæ gustui sunt jucundæ & ventriculo gratæ, easque Turcæ manè jejuni adversùs corrupti aëris contagia manducare solent. Quin & radices Acori Antidotis utiliter admisceri scribit Dioscorides. Tartaros quoque eas circumferre solitos, & aquam non bibere, quin priùs Acori radix in ea fuerit macerata Clusio referebat Bernhardus Paludanus.

Radices siccatæ gratiorem spirant odorem; Nam (ut rectè Plinius) recentium virus majus.

In catar-

Tab. I. T. I.

Thora Valdensium, cuius flos plenus hic depingitur, quia talis nobis non semel uisus est: aliàs etenim est hæc planta flore simplici aureo, penta petalo



In catarrhis exiccandis, præcipuè convulsivis, inque Apoplexia ipsa magnam habet laudem condita radix.

Ad anorexiam Radix Acori quò acrior eò melior sive recens usurpetur minutim incisa cum cocleari Juniperi, vel eadem in loco umbroso siccata, sed non præparata in pulverem redigitur, seligendo substantiam intermediam acrem & cum dimidio extracti Tormentillæ miscendo egregium suggerit pulverem stomachalem contra anorexiam, in declinatione morborum cùm ægri malè se habent occasione salivæ viscidæ ac glutinosæ; infusio radicum Acori & Helenii recentium in vino optimo plurimum opitulatur, salivam scilicet corrigendo & appetitum provocando.

ACUSTICA.

Acustica vel *Acoustica medicamenta*. Sunt remedia quæ auditum roborant. Ab ἀκυςικὸς i. e. ad auditum pertinens. Qualia sunt è *foliis*, fol. hyssop. porr. è *floribus*, flor. rosar. è *Rad.* Cyclam. porr. è *sem.* Porr. ex *animalib.* Bovis fel. & urin. Canis axung. Capræ fel, Cast. test. Hom. urin. Ariet. fel, Vulpis ping. Suis fel, Anser. ping. Gall. ping. Ranar. ping. Tincæ fel, Aselli. &c.

ACUERE.

Acuere, seu *Acuare*, i. e. rem fortiorem reddere, vel stimulum eidem addere. Sic acuitur spiritu Nitri acetum destillatum pro conficiendis magisteriis solubilibus. Sic acuuntur pilulæ gr. i. ac ii. Diagrydii, Trochisc. alhandal. Gumm. de Gamandra.

ACUS.

Acus, *eris*, purgamentum frumenti, palea. Porrò Acus *Plinio* dicitur cùm per se spica pinsitur; Palea verò ubi cum stipula teritur in area.

ACULA, vid. *Scandix.*

ACULEOSA, vid. *Carduus Stellatus.*

ACUTELLA, vid. *Ononis.*

ADAMAS, vid. *Gemmæ sub Titulo Lapis.*

ADARCA.

Adarce, *Adartion*, *Adarcus*, ἀδάρκη, ἀδαρκίον, ἄδαρκις, secundum substantiam est veluti spuma concretæ aquæ salsæ, concrescens ad arundines & stipulas. Acerrimum quid est calidissimumque & propterea deleterium & impossibile, ut intra corpus sumatur. Foris verò impositum permisceri solet aliis mitioribus quæ vim ejus retundant, & ita cum fructu adhibetur, teste Galen. l. 11. de S. Fac. Rulandus & Johns. in Lex. Chym. dicunt, esse carnem marinam secundum nonnullos, & præcipuè in Cappadocia & Galatia nasci. Indicum nativum veluti in arundinibus Indiæ sponte nasci, non aliàs quàm sal Indum in Canna. Est verò *Adarce* similis colore flori lapidis Asii, & in forma melli halcionio & aliquando cavo proxima, ut possit videri lacustre quasi halcyonium. Et quia pendet ex arundinibus, *Pericalamitum* & *Calamochium* quondam dicebatur. Hodiè ni fallor *Balla marinum* vocant.

ADEPS.

Adeps generaliter tàm *Axungiam* quàm *Sevum* denotat, usitatiùs tamen pro *Axungia* usurpatur. Vid. sub titulo *Axungia.*

ADIANTHUM.

Adianthum ἀδίαντον Græcis dicitur ὅτι ὐ διαίνεται i. e. quòd in aquis non madescat, ob siccitatem scil. superficiei, quæ aquæ contraria est, & eam solet repellere, quemadmodum in pulvere & pennis, & aliis siccis & lævibus contingit, in quibus non consistit aqua, sed aut elabitur, aut in guttulas retunditur. *Plin.* lib. 22. c. 21. *Aliud Adianto miraculum, aquas respuit, perfusum mersumve sicco simile est, tanta dissociatio deprehenditur, unde & nomen Græcis.* Non quod nunquam omninò madescat, quasi longiore mora in aqua submersum non æquè ac aliæ plantæ irrigetur, sed quòd imbris & cœlo cecidentis stillicidia foliis ejus non insideant, ut *Nicander*, ob siccitatem scilicet & lævorem superficiei. Alii παρὰ τὸ διαίνειν marcescere & α privativô dictum censent, quia non ut reliquæ herbæ illico decerptum marcescit. *Politrichum* dicitur quòd capillos multos & densos faciat, eorumque defluvia expleat.

Adianthum triplex est, *aureum* scilicet, *album* & *nigrum*.

Adianthorum Nomina.

Aureum. Adianthum aureum majus *Ger.* Polytrichum aureum majus *Parkins. C. B.* Politrichum Apuleii & majus quibusdam *I. B.* vocatur.

Album. Adianthum album *Tab.* Ruta muraria *C. B. I. B. Ger.* muraria sive Salvia vitæ *Parkinson.* dicitur.

Nigrum. Adianthum sive Capillus Veneris *I. B.* Adianth. verum sive Capillus Veneris verus *Parkins.* Adianth. foliis Coriandr. *C. B.* nominatur.

Adianthorum Vires.

Adianthum aureum & *album* viribus inter se conveniunt. Album tamen peculiariter ad Enterocelas puerorum præstare continuis 40. diebus pulvere exhibito. Matthiolus affirmat. Quoad reliqua conveniunt cum Adiantho nigro.

Vires Adianthi nigri. Folia & summitates hujus plantulæ in usum medicum veniunt; quæ quod ad vires & usus attinet, Sanguinem purificat, humoresque in massa ejus commixtos ad justam temperiem reducit: præparat & purgat pituitam, nec non bilem utramque, atram & flavam: humiditates superfluas dissipat serososque humores resolvit & per transpirationem insensibilem amandat: Sudores & urinam provocat, putredini potenter resistit, unde in omne genus febribus, simplicibus, putridis, malignis, pestilentibus, continuis, intermittentibus, felici cum successu exhibetur. Singulari & specifica proprietate capillis conducit, omnibusque illorum vitiis medetur; Alopecias sanat, furfures, aliasque eorum sordes detergit, marcidis & decoloribus vigorem & nitorem conciliat, defluentes continet, raros densat & honorem capiti restituit, canitiem denique arcet. Omnes cerebri facultates exsuscitat humorum in illud decumbentium excessus temperat, & vitia corrigit. Spiritus animales depurat, vapores calidos & biliosos compescit, acres, acidos & narcoticos lenit: proinde adversus vigilias immoderatas, affectus comatosos, catarrhos, epilepsiam, phrenesin, maniam, melancholiam, cephalalgiam, contraque omnigenas intemperies & tumores qui capiti accidunt conducit, visum acuit humores ad dentes, aures, colli aut faucium glandulas defluere solitos cohibet & dissipat. Odore seu halitu suo cor exhilarat. Pectoris vitia emendat, adversus tussim, respirationem difficilem, asthma, Peripneumoniam, Pleuritidem, Hæmopty-

sin, Syncopen, Lipothymiam, Cardialgiam remedium est præsentaneum. Hepatis & Lienis calores temperat, eorumdem obstructiones reserat; Calculum renum & vesicæ comminuit, & urinæ meatus aperit. Adversus Icterum & colores pallidos est Antidotum. Partibus generationi inservientibus utilis est & amica. Sterilitati opitulatur, Uteri immunditias expurgat, Secundinas educit, menstrua ciet &c. de quibus tamen videndum quid experientia comprobet.

ADOR.

Ador, vel *Adorum*, vel *Far*. Est quoddam genus frumenti quo aliàs Diis litabatur, hodie nobis ignotum.

ADURENTIA, vid. *Pyrotica*.

ÆGYLOPS, vid. *Festuca*.

ÆGYPTIACUM, vid. *Unguentum*.

ÆLUROPUS, vid. *Pilosella*.

ÆREOLUS, vid. *Chalcus*.

ÆRUGO, vid. *Æs*.

ÆS.

Æs, χαλκὸς, idem quod Cuprum, est metallum ignobilius, durius Plumbo, mollius Ferro, constans portionibus sulphureis, mercurialibus & salinis.

Æris generatio. Æs generatur propriè per Sulphureo-Mercurialem halitum, in terra atramentosa impura & variè contaminata; imò colore suo protinus monstrat, metallum istiusmodi vehementer adustum esse, quod colore adeò intensè rubro fulget; & quemadmodum vena varii coloris est, sic etiam generatur in diversis lapidum speciebus; & quamvis alii vocent infirmum, foliosum & terrestre, uti tamen malleo facilè extenditur, ita quoque pinguedine intrinseca pollere apertè monstrat, quo partes à partibus non facilè dissolvuntur.

Signum itaque *venæ æratæ* alicubi latentis præcipuum, saxorum flavi, aut cærulei coloris fissura, rimarumque copia. Et ratio est, quod Mercurius calore nimium exaltatus, lapidem intrinseca humiditate exsiccet, unde fissuras, rimasque tanquam continuationis vinculo dissoluto nasci necesse est. Quandocunque ergo hujusmodi saxa cærulei coloris, in saxo grisei coloris, viridis coloris venulis adumbratos repereris, illud certum tibi & optimæ, & uberis venæ indicium sit. Si rursus saxa montium instar talci, quæ quidem aliud non sunt, quàm foliata pyritis fætura, splendescere videris, proximum latentis venæ indicium obtinebis; præterea aquæ ex montibus vitriolatæ subvirescentis coloris, odorisque metallici, quæque fluvii fundum putri quadam, viridi, tenui & mucosâ, veluti pelle quadam obducunt, montem ære prægnantem indicabunt, cujus quidem rei ratio alia non est, nisi quòd flumen ex ærosis venis corpuscula quædam vitriolata abradat, quæ deinde intra flumen dejecta, dum lapidibus adhærent, cum tempore naturali sulphuris pinguedine quâ pollet, juncta, hanc quam dixi, viridem pellem efficiunt: Et uti æs magnum in necessitatibus humanis usum habet, ita quoque Natura abundantissimum esse voluit, & elaboratione ob flexilem naturam facillimum, quod & ope terræ Gelaminæ in aurichalcum facilè tingitur, cum sulphuris pulvere in calcem facilè ducitur, cum sale ex rubro in candidum mutatur, cum Stanno vel arsenico, facile se fusibile præbet, de quibus in sequentibus. Non desunt qui frequenti cæmentatione, nonnihil quoque auri extrahant.

Modus quo Æs in Orichalcum transmutatur.

Accipe Æris optimi, & Cadmiæ fragmenta, alternatim in oblongas ollas imponantur, quæ ære & cadmiâ repletæ, in fornaces subtus excavatas demittuntur, ignisque accenditur in quibusdam quasi cuniculis; itaque cum simul liquefacta fuerint, æs auri colore tinctum mutatur in *Orichalcum*, quæ ratio vulgaris est; at alii tenues æris bracteas circiter digitum latas injiciunt in catinum, in quo argentum fundi solet, ejusque exteriorem partem oblinunt argillâ, cum quâ mista sit ferri squama; interiorem verò melle mundissimo, similiter singulas æris bracteas oblinunt, eisque inspergunt pulverem subtilissimum qui fit ex cadmiæ fossilis, fæcis vini, quam tartarum vocant, carbonum Tiliæ æquis portionibus: Catinus autem tegitur operculo fictili, cui est foramen, in quod immittitur stylus, quo liquefactum æs commovetur. Sed operculum quoque, quâ parte cum catino coit, argillâ superinductâ oblinitur. Catinus hac ratione instuctus in fornacem imponitur. Itáque cum Cadmia æri miscetur, primò egreditur fumus ruber, deinde cæruleus, tandem luteus, qui mistionem factam esse significat.

Alius modus quomodo Æs coloretur.

Æs diligenter purgatum, & ab aliis metallis separatum, Opifices multifariam colorare nituntur. Namque interdum illi fuso Cadmiam addunt, & æs colorem aureum induit. Aliquando Magnetem, seu Talcum, & tunc speciem argenti repræsentat: quandoquidem ex Talco candido Chymicis organis aqua extrahitur, quæ in ære dealbando est præstantissima; alii præterea referuntur modi quibus ex ære argentum mentiri possumus: Nonnulli metamorphosin æris in argentum assequi conantur, dum æquas portiones Auripigmenti, & halinitri in vase vitreo supra carbones comminuunt, & hujus pulveris semiunciam singulis libris æris fusi addunt miscendo, donec in veram argenti formam transmutetur. Sed hæc nulla in argentum transmutatio dici potest, sed tantùm tinctura argenti accidentalis.

Si verò misturam respiciamus, hæc duplicis generis esse solet: vel enim æs cum aliis metallis, vel cum aliis fossilibus permiscetur. De ultima misturâ paulò ante egimus, quando cum magnete colorem argenteum, & cum lapide calaminari, *Gelamina* dicto, colorem aureum acquirit. Nam hoc postremo modo præparatum, *Aurichalcum* appellatur. Itaque æs antequam cum aliis metallis fundatur, ejus fusio tarda, vel celer est ponderanda. *Mizaldus* ad accelerandam æris fusionem ungulas equi inter fundendum permiscet: Quemadmodum igitur cætera metalla suam habent misturam quam opifices *Legam* vocant, ita pariter æs ab hac non est alienum, non ut æris massa augeatur, sed ut ab illo quædam viscidita auferatur, quæ impedit, quominus rectè ad varia opera fundatur. Miscetur ergo cum stanno, & Aurichalco: propriâ tamen & optima mistura vel lega perfectum stannum esse traditur, ut opera sine metallo parentur, nam operibus malleo, & dila-

dilatatione egentibus, æs purissimum & perfectum esse debet, quoniam *æs mistum* malleo frangitur. Hæc mistura pro varietate operum, varia esse debet: nam aliam statuæ, aliam bombardæ, aliam campanæ, aliam demum mortaria, & lebetes expostulant; quando quidem centum libræ æris cum duodecim stanni pro tormentis bellicis majoribus metallum conficiunt: sed centum libræ æris cum viginti stanni metallum pro campanis constituunt. Hæc mistura ab opificibus aliquando metallum, aliquando vulgò Bronzum, appellatur, juxta majorem vel minorem stanni quantitatem, quam recipit: Nonnulli pro minori impendio Aurichalcum vel plumbum æri admiscent, & similiter quod *Bronzum* vocant, pro variis operibus conflare nituntur.

Tria maximè consideratione digna sunt in *ære fuso*; Primò, hoc à naturâ illi insitum est, ut ingruente frigore magno, meliùs & citiùs fundatur, quamvis vehemens flammarum examen non toleret. Nam totum comburitur, unde colligendum est, multum exhalationis combustibilis ei inesse, præterquamquod in comparatione ad cætera metalla odorem sulphureum & fœtidum spargat. Deinde si lapillus, vel lutum, vel lignum, vel carbo madidus, in æs adhuc fusum in catino inciderit, tunc catinus fremens instar tonitru, omne æs contentum evomit, & quidquid tetigerit lædit & incendit. Rursus si æs factum consideres, notandum erit, quod æs sæpius detersum, citiùs quàm neglectum, rubiginem contrahat, & ab hac labe immune servatur pice liquidâ; verùm oleo linitum, vel sale, & aceto madefactum, illicò ærugine vexatur, quamvis ab hac postea non consumatur. Quamobrem opera ænea æternitatem ferè assequi traduntur; imo æs in speciem argenti facilè tingitur. Tandem rerum naturalium inquisitores illam aquam esse optimam retulerunt, quæ in vase æneo diu contenta, illud non maculaverit: item aquam in vasis æris servatam, notabili incremento attolli, quando nubes in pluviam densantur, observasse ferunt, idque inde nasci conjectant, quoniam Venus mari, & æri dominetur. Sed hæc uti experientiæ repugnant, ita non nisi mera phantasiæ ludibria censenda sunt.

Vires & usus Æris in Medicina. In multis affectibus, quibus humanum corpus affligitur, *æs* tanquam præsentissimum remedium adhiberi potest: hocque in medicina utilissimum esse, inde colligimus, quoniam *ære vulnerati* citiùs, quàm ferro saucii curantur, & quamvis aquæ thermales ærugine infectæ vomitionem promovent, nihilominus ori glandulis, uvæ, & oculis non mediocri sunt adjumento. Hinc *Dioscorides* ad ocularia medicamenta vasa ænea adhibet: Quocirca jure optimo scripsit *Macrobius* operarios in fodinis æris versantes oculorum valetudine semper pollere, & alios oculis laborantes ad æraria accedentes pristinam sanitatem adipisci: hâc de causâ in pharmacopæis æs crematum, flos, ærugo & squama æris servantur, cum ad mentem *Dioscoridis* exsiccandi & adstringendi virtute potiantur: Flos æris ex eodem autore non solum adstringit, sed carnem ulceribus supercrescentem reprimit, & claritati oculorum confert: Squama æris in Cypro optima habetur, quæ pariter ophtalmicis medicaminibus mixta fluxionem oculorum cohibet, & asperitatem palpebrarum absumit. Ærugo gustui acrem qualitatem communicat, & ex Galeno digerentem facultatem participat, ideóque cum cera, & oleo permixta ad cicatricem vulnera perducit: hodie in officinis pro flore æris ærugo adhibetur, cujus vires à *Jodocio* celebrantur his versibus.

> *Adstringit, tenuat, lacrymas ciet, ulcera sanat,*
> *Expugnat callos, duritiemque loci.*
> *Exsiccat sordes auris, sed naribus intus*
> *Quando supercrescit, inde premenda caro.*

Demum æs ustum vocatur à barbaris *Calcecumenon*, quod aliter *Chalcos cecaumenos* dici deberet juxta sententiam *Dioscoridis*, vehementer adstringit, exsiccat, & ulcera facilè persanat; ideò varia medicamina extrinseca ingreditur. Æs crematum in emplastro Apostolico *Nicolai Alexandrini* collocatur: Ærugo ingreditur Emplastrum divinum *Nicolai* Præpositi; unguentum Apostolorum *Avicennæ*, & unguentum Ægyptiacum *Mesue*, quæ omnia medicamenta non sine aliqua mordicatione summopere detergunt, cum acrem qualitatem participent: nihilominus curationibus putridi ulceris non mediocriter conducunt.

Æris *Præparationes.*

I. Æris purificatio. Purificatur à sordibus superficiariis, si imponatur hor. 7. 8. 9. &c. in aqua vitrioli mixta cum aceto destillato.

II. Calcinatio, unde Crocus. 1. *Reverberatoria* dicitur.

Fit more communi, limaturam scil. cremando. Laminæ æris reverberantur calore fornacis figulinæ in æs ustum, quod facili contritione in calcem reducitur.

2. *Immersiva.* Solutio fit in liquore acri, E. gr. Aq. fort. Spiritu Sulph. Spirit. vitrioli & simil. Dissolve æs in aqua forti, ac præcipita per aquam tepidam infusam, vel per particulam Martis Lunæve injectam.

3. *Vaporosa: unde Ærugo, seu viride aris.* Suspendantur laminæ æris, ut vapori Vini & racemorum objectæ sint, sic adhærescet Crocus pede leporino abstergendus.

4. *Illinitionis.* Illine laminas æris liquore acido seu acri. Quinimo sola aqua simplex, tantillo salis communis vel armoniaci imprægnata æruginem extrahit.

5. *Cementatoria.* Fit cum sale communi, & Tartaro &c. ℞. Laminas æris, Fiat S. S. S. cum sale communi præparato, calcina paulatim leviter igniendo. Postea ignitas in aquam injice, atque à nigredine benè elue iterumque S. S. S. calcina, ac elue ut prius. Tandem coque ac repone ut subsideat crocus, quem edulcora aquâ.

Vires. Inservit Chirurgiæ, ingreditur Emplastrum Oppodeldoch.

Eodem modo cementatur quoque cum Sulphure, hor. 3. vel 4. inque æs ustum reducitur Officinarum; hoc æs ustum aqua pluries lotum fit præstantissimum ad ulcera putrida.

De viridis æris seu æruginis præparatione, de quâ in Calcinatione æris vaporosâ mox allatâ certamen est inter Clariss. *Tachenium*, & Nobiliss. *Zwelferum.* Tachenius in Hippocr. Chemic Spiritum ex illo destillatum, nihil aliud esse docet, quàm acet. destill. fortissimum, sale acido volatili aceti imprægnatum, eo quod viride æris sequenti modo præparetur, quemadmodum & *Robertus à Boyle testatur in paradox. chemic.* In Gallia scilicet recepta praxis est, inquiens, tenuatas Cupri laminas, in siliquis uvarum, ex quibus succus in torculari fuerat expressus, immergere, quô mediô, magis salinæ istarum siliquarum partes sensim in cuprum agentes sese cum ipsis in eam cæruleo-viridem substantiam coagulant, quam viride æris appellamus, unde ex hoc paratus spiritus etiam sine rectificatione, odore, sapore, & proprietatibus suis videtur maximè rectificatum spiritum vini, acidi referre, qui spiritus

ſpiritus propterea etiam ſiliquarum adſcribendus ſali per earum cum Cupro commiſturam alterato, quia Cuprum ſcilicet in retortæ fundo, in forma croci ſeu rubeſcentis pulveris invenitur. Hæc Nobiliſſ. Robertus Boyle. Cui & Clariſſ. Schroderus ſubſcribere videtur. Verum hic modus elaborandi admodum lentè rem videtur expedire, multum enim temporis ſpatium in colligendo ita hoc croco ſeu viridi æris requireretur. *Zwelferus* in apologiâ contra *Tachenium* alio modo viride æris docet conficere. Nimirum Laminæ Cupri cum Uvis expreſſis recentibus ſtratificantur, & deſuper affunditur una pars aceti, & tres vel quatuor partes urinæ puerorum: addunt deſuper multoties nonnihil de alumine & nitro, ſic ſæpius hanc mixturam, ſi exſiccata fuerit, nova urinâ madefacientes, donec Laminæ Cupri vel penitus eroſæ & in æruginem converſæ conſpiciantur, vel in æs viride convertantur, quod in maſſam panis formâ conglobatum, corioque involutum ad Nos transfert. Hunc verum eſſe modum conficiendi æs viride confirmat etiam *Agricola* libr. 8. *de Natur. foſſil.* & *Wormius in ſuo Muſæo* cap. 12. Ex hoc præparatur non ſolum menſtruum *Zwelferi*, quo fiunt magiſteria reſolubilia, & tincturæ martis rubræ, ſed ſpiritus aſthmaticus *D. Joh. Michaël.* cum gumm. ammoniac. & Sulphure *Frider. Hoffmann.*

III. Deſtillatio. Deſtillationibus iisdem ♀ ſubjici poteſt, quibus ♂: Unde & 🜄m, Spiritum, Olea, Mannam, &c. exhibere aptum natum eſt, inprimis tamen deſtillationi ſubjicitur Vitriol. ♀is, cujus ſpiritus adeo famoſus eſt, ut peculiari nomine Acetoſus eſurinus Paracelſo nuncupetur: Vireſque quæ ſpiritui Vitrioli vulgaris adſcribuntur, huic efficacius competunt.

1. *Spiritus & Oleum Vitrioli ♀is S. Cloſſ.*

Fiat Vitriolum ♀is methodo Crolliana. Hujus ℔. xii. in 🝬 conjiciuntur & △ moderato deſtillatur phlegma omne, id quod horis circiter 6. perficitur; Cohobetúrque deſtillationibus aliquot ſuper Colcothar proprium, ut mediante hac fermentatione ∽us volatiliores ſecedant promptius, tum demum augeatur △ per gradus per 5 ☍ continuos minimumque corp. fixi in 🝬 remanet. Spiritus albos à rubris ſepara atque ſeorſim rectifica.

Vires. *Spiritus ♀ ſummum eſt adverſus Epilepſiam Sympathicam [inprimis ex utero] remedium, præmiſsâ purgatione cum floribus rubris ℈ij. Doſ. à gutt. 8. ad 10. in juſculo acidis ſuccis exaſperato, alias vomitum excitabit.*

2. *Spiritus aurei coloris.*

Fit ex 🜿 cui ſuperfunditur vel ſpir. ♀ extillatus, vel 🜄 Tartariſatus, digerendo donec Tincturam extraxerit, evoca menſtruum, reliquum pelle per 🝬. egreditur aureus Spiritus.

Hîc non intercidat etiam memoria *Pulveris Sympathetici Nobiliſſ. Digbæi Magni Regis Angliæ Cancellarii*, qui conficitur ex hoc Vitriolo ♀neris ſeq. modo.

Recip. Vitrioli ♀ Romani vel Cypr. q. v. diſſolve in 🜄 ſ. filtra per chartam bibulam, evapora ſuper lento igne & coagula, contunde groſſo modo & ferventioribus ☉lis radiis expone per 14. ☍, uſque dum accuratiſſimè fuerit calcinatum.

N. 1. Cum aër ſerenus eſt, ☉li eſt exponendum, & ubi pluvioſus & humidus, in locum ſiccum transferendum.

N. 2. Ne ♂te attingatur, tam quando fit, quam cum factum eſt Pulvis.

N. 3. Hic labor inſtituendus die 25. Julii ☉le in ♌nem ingrediente. Et præſtat 4. vel 5. ☍ ab ingreſſu expectare, ut certiores ſimus de ipſius confirmatione in propriâ domo.

N. 4. Hic Pulvis uſui aſſervandus eſt in [illegible], ne excrementiâ humiditate recuperatâ formam priſtinam aſſequatur, unde non levis ſequeretur ipſius virtutis diminutio.

Uſus & Vires: Vulneribus recentibus, è quibus adhuc cruor emanat, immergitur linteum mundum, huic inſpergitur pulvis, & alio panno involutum in loco temperato ſive vicino, ſeu remoto aſſervatur. Sin autem vulnus jam inveteraverit, & degeneraverit in ulcus, eodem modo materia ex affectâ parte manans ſive pus ſive ſanies fuerit, linteo committenda, pulvere aſpergenda, & ſedulò aſſervanda. Tum vulnus vino tepido prius adlutum panno mundo obtegendum eſt alternis diebus vel ſæpius, prout manantis ſorditiei copia requirit. Sordidi autem panni ſimul in loco temperato coaſſervandi ſunt.

Et obſervandum 1. ſi vulnus exterius fuerit ſufficere, ut Cruor in pannum effluat, ſin etiam interiores affecerit partes, ipſis penitus immittendus eſt pannus, ut læſam pariter attingat partem.

2. Eandem eſſe hujus pulveris virtutem, quocunmodo vulnus fuerit inflictum, adeò ut ſciam Noſtrum *Dn. D. Johann. Michaël.* p. m. etiam in dyſenteriæ initio ſummâ cum εὐφορίᾳ in uſu hunc habuiſſe pulverem linteis cruentis dicto pulvere inſperſo. 3. Loco mutanda eſſe lintea, ſi calida ſcilicet intemperies partem invaſerit, loco frigidiori & humidiori eſſe committenda cum pulvere & ſanguine conſperſa. Si verò frigida diſcraſia vulnus occupaverit, locus contrarius eſt eligendus. 4. Si vulnus oſſium fracturæ complicatum ſit, fragmenta foràs ſunt educenda, quæ perioſtio nudata ſint, ſi verò fractura æqualis, vel contriti oſſis particulæ perioſteo adhuc cohæreant, vulnere prius ſympatheticè curato pars hypodeſmidibus, epideſmidibus & aſſulis pro more deliganda & fulcienda eſt: admiſcendo ſcilicet in curando vulnere pulver. radic. ſymphyt. gumm. tragacanth. æquâ vel mediâ doſi. vid. *Digbæum in Orat. de pulvere ſympath. Nicol. Papinii Diſſertat. de Eodem Sylveſtr. Rattray in aditu ad ſympath. & antipath. P. Borellum in obſervat. Frider. Hoffmann.*

IV. Extractio & 1. Tinctura Baſiliana.

℞. Virid. æris q. v. ſolve in bona quantitate ✱ filtra. Hinc abſtrahe ad ſiccitatem (aliis cryſtalliſabitur) nanciſceriſque viride æris purificatiſſimum, extrahe ſ. a. Tincturam Smaragdinam cum ſucco ex racemis immaturis expreſſo, donec nihil ampliùs coloris exhibeat.

N. *Remanet corpus, quod reſervetur ad Salis ♀is confectionem. Tholdius.*

2. *Alia, ſeu flores æris.*

℞. Ærug. q. v. extrahe cum ✱, decanta & abſtrahe ad ſiccitatem, edulcora optimè aquâ calidâ.

Vires. *Mundificativum ſummum eſt in vulneribus, unde & Emplaſtrum Oppodeldoch ingredi ſolet. Wirtzius in Chirurgia.*

N. *Similis modo fit & 🝆m ♀is per Cryſtalliſationem.*

3. *Alia Balſamus ♀is dicta.*

℞. Lamin. ♀, affunde ∽ Terebinthin. digere & colorabitur colore viridi.

Uſus ejus eſt in Chirurgia.

4. *Alia.*

℞. Limat. vel lamin. ♀is ℔ iij. vel iv. irrora ✱ ſiccescat lentè, idque repete multoties. Hinc affunde 🜄 calidam, decanta ac filtra per chartam, (& remanebit in charta terra flava, alii uſui reſervanda.) Filtraturam coagula l. △. ad mellis conſiſtentiam.

℞. Hujus Tincturæ quantitatem ſatis magnam inde cu-

de cucurbitæ atque ♅o leviter imposito, da ignem lenem, & quando fervescere incipit, tolle ♅ moveque bacillo, ut resideat, idque repete, donec amplius non fervescat. Hinc firma & annecte firmiter ♅m, (luto & simil.) destillaque ex arena in recept. capaciss. △ gradatim adhibito, sic prodibit primo, spiritus albus acidus paulatim flavescens, & rubescens cum nebula: urge, donec nihil amplius ascendat. (est opus unius diei.) Destillatum rectifica in cucurbita oblongi colli ad siccitatem, igne moderato, ne quid flavi & rubei ascendat. Ex restante materia extrahe f. a Tincturam cum V̄ rectificato. Hanc destilla, & quia ascendit quoque Tinctura, cohoba, donec figatur: hinc coagula ad consist. mellis.

N. *Ex materia seu terra illa remanenti, ulterius calcinata, extrahi potest Sal. comm.*

Vires. *Tinctur. præst antissimum medicamentum est in Epilepsia, aliisque morbis plurimis, cum liquore convenienti exhibitum.*

Alia Manna dicta.

Manna simili modo parari potest ex Minera ♀is, &c. Sicut Manna ♂, ex minera ♂.

Quinta essentia ♀is.

⊕ post expulsionem ~us albi & rubei olei residuum, expone aëri pluvioso, ut humescat, (aliàs parum salis obtinebis) perfundatur phlegmate suo, eliciatur sal ut moris est, cujus pars una confundatur cum part. duabus spir. & olei ♀is, stent in digestione per 14. ♂, Tingatur colore rubeo.

Vires. *Hæc Tinctura levissimo △ continuo fixata & coagulata, est summum arcanum ad morbos cerebri sang. depurandum, febresque omnes contin. & intermitt. S. Closs.*

Super Tinctura Basiliana 1. locô allatâ, notandum: Si hæc viridis solutio filtrata in alembico abstrahatur ad cuticulam apparentem, & in loco frigido crystallisari permittatur, crystallos ♀ acquires, ex quibus retortæ vitreæ loricatæ immissis sp. ♀ destillare potes magnarum virium. Prout & ex crudo ære viridi, ut suprà monuimus, qui probe rectificatus non cedit illi ex dictis crystallis præparato. Tinctura autem Smaragdina cum succo ex racemis immaturis expresso, exterius adhibita summum est mundificativum in vulneribus, item in gingivæ ulceribus. Prout & altera descriptio ex floribus æris eandem suppeditat viribus cum illâ convenientem. Unde & Emplastrum Oppodeldoch ingredi solet.

N. Hic spiritus ♀ ex crystallis Vir. ær. unde oriundus sit, Autores etiam inter se non conveniunt. *Tachenius* l. c. acet. dist. fortissimum putat esse. Contra *Cl. Zvvelferus* l. c. Magnam esse differentiam statuit inter acet. dist. & hunc spiritum ♀is; eò quod æs viride aliter componatur, atque *Tachenius* sibi imaginetur; Unde hunc non nudum acet. dist. sed peculiarem spiritum esse ex urinâ, spiritu uvarum, & acet. ex ♀re extractum. Deinde modum diversum operandi evincere, spiritum ♀ris solvere perlas, corallia &c. blande & amicabiliter, & à solutis his integrè abstrahi posse, acet. dist. autem non: spiritum ♀ris tincturas extrahere tùm ex ☿nio, tùm ex marte; Acet. dist. non. Præterea hic spiritus magnarum est virium ac Epilepticis, apoplecticis, hystericis opitulatur, rectè exhibitus. Summum etiam præstat levamen in doloribus dentium crudelissimis, colicos dolores sistit ac demulcet, & Lumbricos externè inunctus enecat, quæ omnia Acet. dist. nullo modo exsequitur.

N. Præterea quod ex omnibus metallis nullum est, quod tam facilè, & tam jugiter colorem suum prodat delitescentem, atque cuprum. Nam in menstruis acidis non solùm ▽fort. & spiritu Acet. solutionem exhibet sub-cœruleo-viridem, sed in spiritu urin. fuliginis simpliciter cœruleam. Oleum sive Spiritus Terebinth. elegantem solutionem largitur viridem. *Nobilissimus Robertus à Boyle in tr. de Coloribus.* Colorem illum putat adventitium emergere posse tam ex Cupro ipso, quàm ex salibus, quibus corroditur: Sic v. g. accipe sp. urin. infunde convenienti æris in minutas partes redacti quantitati, & elegantem solutionem cœruleam obtinebis, huic si guttas aliquot rectificati sp. vitrioli infuderis, saturato hoc privabis colore & communis ▽æ speciem conciliabis. Porrò si in parvum circiter cochleare solutionis floris æris in aqua paratæ instilles sp. Salis & aq. fort., solutionis viror in momento evanescet, & liquor apparebit limpidus. Si autem denuo vel ol. Tartari p. d. vel spir. urin. modicum instilles, mixtura colorem pristinum, quamvis nonnihil immutatum exhibebit, æmulum coloris cœrulei ultramarini. vid. Nobiliss. à Boyle l. c. p. 256. *Frider. Hofman.*

IV. Salificatio & 1. Sal.

Sal ♀is Vitriolatum ex viridi æris lixiviari potest beneficio ⚹, nimirum ⚹o aliquantulum abstracto, residuum frigori exponitur, sic congelantur Crystalli.

2. *Aliter, secundum Thold. ex Basil.*

℞. Residuam materiam, ex qua Tinctura Basiliana extracta est, exicca, & affunde ▽m mellis, vt extrahatur Sal, abstrahe tandem ▽m mellis, & digere cum V̄.

Vires. *Sal ♀ calfacit intensius quàm reliqua Metallorum salia, corroborat ventriculum, cruditatesque inibi emendat, proinde flatibus, aliisque affectibus inde oriundis, v. g. colico & simil. medetur; uterum frigidum calfacit, ejus suffocationem sanat, menstrua promovet, renum quoque morbis succurrit.*

Dosis gran. 3. ad 8.

3. *Aliter.*

Calcina limaturam ♀is cum Sulphure, (eodem scil. modo, quo supra ♂m calcinare docuimus,) hinc elixivia sal coquendo cum ▽ fontana, aquâ hâc evaporatâ relinquitur sal. seu Vitriolum ♀is.

Vires. *Inservire poterit loco Vitrioli, ac proinde eadem inde Medicamenta parari possunt quæ in Vitriolo dedimus.*

Notandum circa usum salis ♀is, illud intus non tutò adhiberi posse, quia facile vomitus enormes concitat. Spiritus autem exinde destillatus in capitis & stomachi affectibus singularis energiæ est. Si æs solvatur in spiritu Nitri, solutionem crystallisando elegans etiam vitriolum impetrabis, cujus crocus in chirurgicis operationibus miracula edit.

VI. Sublimatio.

Vitriolum vel Viride æris sublimatur cum sale Armoniaco.

Flores veneris. Fac lixivium ex ℔ i j. Calcis vivæ & ℔. j. salis armoniaci, hoc coagula in salem quem M. cum part. ij. boli communis, & spiritus albos educ instar aquæ fortis, igne per gradus aucto, rectificentur.

℞. Hujus menstrui partes quatuor, limaturæ æris, aut quod melius Viridis æris part. j. pone inter cineres vase obturato, solvetur metallum insensibiliter, affunde aliud tantisper donec fæces nigræ & leves tantùm supersint, aquam solventem abstrahe, quod remanserit urge igne aperto in cucurbita, elevabitur metallum in flores subsidio resolubiles in ballamum viride.

Vires. Usus ejus est in ulceribus cacoëthicis, si verò eosdem à spiritibus salis Armoniaci vindicaris, tùm securè & absque morsu vulnera & ulcera quævis exiccant, Empl. & Unguentis permixti.

Sequenti modo aliter præparari possunt.

℞. Vitrioli q. v. affunde phlegma vitrioli ad eminentiam duorum vel trium digitorum, & spirit. Vitrioli parum. Ac postmodum stent in loco tepido per tres dies, tandem filtrentur, ac denique cum oleo Tartari p. d. præcipitentur. Hi flores aquâ dulci diligenter edulcorandi sunt. Arcanum sunt contra vermes; vomitum etiam concitant, & cum Sale Nitri conjuncti in febribus quotidianis & tertianis intermittentibus commendantur. Dosis est à gr. iij. ad ℈ß. in vehiculo appropriato.

Oleum Viridis Æris causticum.

℞. Viridis Æris part. j. Sal Nitri part. ij. ponantur in catillo, incendantur carbone donec deflagrarint, quod remanet solvatur in cella per deliquium, vel in vesica suilla diligenter clausa, in aqua demersa; melius est tamen illud humido aeri exponere. Valet ad pustulas venereas & verrucas absumendas.

Aetites, vid. sub Titulo *Lapis*.

AGALLOCHUM.

Nomina. Agallochum Officinarum *C. B.* Lignum Aloës *Park.* Lignum Aloes Officinarum & Agallochum pleri que putatum *I. B.*

Agallochum seu lignum Aloës, ab arbore peculiari, Oleam repræsentante in variis Indiæ Orientalis regionibus, desumitur; cujus natale solum cùm olim Tigres, aliæve ferocissimæ belluæ infestum redderent, ideóque collectoribus summum vitæ periculum instaret, rarius ad nos deportatum illud fuisse, scribunt; unde etiam in Paradiso nasci, simpliciores quidam opinati, lignum Paradisi eapropter denominarunt. Quamvis nunc loca illa magis habitata, bestiisque istis magna ex parte depulsis, securiorem collectionem, uberioremque ad nos transmissionem reddiderint. Optimum licet in Curiosorum potiùs & Magnatum scriniis reperiatur, rarius in Pharmacopolia transiens, pro melioris tamen notæ ligno haberi & eligi debet, quod est solidum, compactum, ponderosum, suavem, si fricetur, odorem spirans, sapore aromatico & subamaro præditum, nigro-purpureum; insuper quod accensum non adeo prompte flagrat, & resinosi humoris plurimum exsudat. Improbatur leve, cariosum, albicans, quod flammam statim concipit, vel fractum pulverem dimittit. Distinguitur inter alia, ab Aspalatho, quòd hic in ignem conjectus flammam faciliùs concipiat, inque cineres abeat; Agallochum autem resinæ instar prunis impositum, primò liquescat, antequam comburatur, & prætereà colore ad fuscedinem magis inclinet.

Agallochi Vires.

Lignum Aloës calfacit & siccat: confortativum est omnium viscerum, ac præcipuè cordis ac uteri. Spiritus vitalles ac animales recreat: hinc medetur lipothymiæ; amaritudine sua lumbricos necat. Externè creber ejus usus est in cucuphis & epithematibus cordialibus.

Agallochum Dioscoridis commanducatum, itemque decocto collutum halitum oris commendat, ac toti quoque corpori siccum tritumque odoris gratiâ inspergitur: ad suffimenta denique Thuris instar adhibetur. Radix verò drachmæ 1. pondere pota, stomachi superfluos humores, imbecillitatem ardorémque mitigat: Iis quoque quos lateris & jecinoris dolor excruciat, ac Dysentericis aut torminosis ex aqua adhibita opitulatur.

Agallochum Antiquorum plerique Botanici idem esse putant cum Xylaloe seu Ligno Aloës officinarum. Xylaloëm autem ob amaritudinem dictum volunt. Hermolaus à nonnulla similitudine coloris.

AGARICUM.

Agaricum ab Agaria Sarmatiæ regione nomen habet, excrescentia est Laricis, fungi instar ei adnascens.

Nomina. Agaricum *I. B.* Agaricus sive Fungus Laricis *C. B.* Agaricus ex Larice *Park.*

Notæ characteristicæ optimi Agarici hoc disticho continentur.

Res frangi præsto pretiosus Agaricus esto,
Candidus & splendens, bonus in libra leve pendens.

Eligatur, quod fœmina dicitur, i. e. candidissimum, leve, rarum, friabile, primo gustatu dulce, mox amarum & stypticum. Improbatur masculum, sive grave, nigricans, corrosum, durum & lignosum. Optimum quondam ex Sarmatia per Illyriam, & ex Galatia in Asiam, & Cilicia Alexandriam, atque inde Venetias devehebatur; nunc Tridentini montes, Galliæ Delphinatus, nec non Rhætorum, Vindelicorum, Noricorumque tractus sat copiosum & laudabile suppeditant. Distinguitur facilè ab aliarum arborum, maximè verò glandiferarum fungis, colore solum observato ac pondere, hi enim è lignea quadam materia concreti, duri & nigricantes conspiciuntur, excussis è silice vel pyrite flammis pro explodendis sclopetis fomitem potiùs præbentes; quàm ad Medicum usum adcommodati.

Agarici Vires.

Agaricum purgat pituitam, præcipuè crassam & lentam, tenuem, aquosam, serosam & viscosam totius corporis, & bilem utramque. Datur Hepaticis & anhelosis & ictericis, & nephriticis & dysentericis, & in urinæ difficultate, & in uteri strangulatu, & in vitiato colore drachmæ pondere. Facit quoque ad dolorem ischiadicum & comitialem morbum. Ducit & menses, unde & prægnantibus usus ejus interdicitur.

Datur in substantia à ʒj. ad ʒij. in infusione à duabus ad quinque.

Duo vitia corrigenda sunt in Agarico, 1. *Tarditas* ipsius. 2 *Levitas*, ob quam ad fundum ventriculi ægrè descendens, nauseam & vomitum facit.

Præparata Agarici.

Extractum Agarici. ℞. Agarici q. v. extrahe cum spiritu vini. Nonnulli adhibent Agaricum Trochiscatum, extrahuntque cum spiritu vini.

Alii aquam adhibuisse malunt, ac præ aliis aquam Anisi vel Cinamomi in qua Agaricum macerant hor. 24. exprimunt ac inspissant. Verùm enim vero quia Agaricus nonnihil resinosi quoque in se continet, præstat spiritum vini adhibere. Dosis est à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij.

Agaricus Trochiscatus. ℞. Agaric. limat. cum vino in quo maceratum zinziber additóque tantillo Tragacanth. vel Gummi Arab. F. Trochisci.

Trochisci de Agarico, aliter. ℞. Agaric. lim. ℥iij. sal. Gemm. ʒß. zinziber. ʒiij. cum oxymell. q. s. F. Trochisci.

Pilulæ de Agarico. Pilulæ Hieræ cum Agarico vid. sub Titulo Pilula.

AGERATUM.

Ἀγήρατον Dioscoridi l. 4. c. 59. cui nomen inditum διὰ τὸ ἐπὶ πολὺ τὸ ἄνθος ὁμοιοειδὲς φυλάττεσθαι, quoniam flos in sua coloris specie diutissimè conservetur, quasi dicas

Ageratum purpureum seu Ageratum Serratum alpinum



dicas senectutis expers, quod Ἀγήρατος dicitur; vel ut Plinius l. 27. c. 4. quoniam diutissimè non marcescat.

Notæ ejus characterica sunt flores lutei nudi in umbellæ formam dispositi, folia integra profundè serrata.

Agerati Nomina.

Ageratum vulgare sive Costus hortorum minor *Park.* Ager. foliis serratis *C. B.* Ageratum plerisque, Herba Julia quibusdam *I. B.* Balsamita fœmina sive Ageratum. *Ger.*

Agerati Vires.

Hæc planta Officinis pro Eupatorio Mesues habetur. Temperamento & viribus cum Costo hortorum seu Balsamita mare convenit. Ex hujus & Ophioglossi foliis unà contusis, & in oleo olivarum bullitis, addito ceræ, resinæ siccæ & Terebinthinæ tantillo, unguentum sive emplastr. efficitur præstantissimum.

Mesue Eupatorio suo purgandi facultatem ascribit quam alii huic plantæ adimunt, & proinde non esse Eupatorium Mesue contendunt. Nonnulli verò alvum laxare quàm mollissimè statuunt. Felici cum successu oleum *Agerati* adhibetur in verminantibus puerulis, tàm ut iis id propinetur, quam ut Gossipio exceptum umbilico eorum applicetur.

AGASYLIS, vid. *Ammoniacum.*

AGGREGATIVA, vid. *Collectiva.*

AGNUS, vid. *Ovis.*

AGNUS CASTUS.

Hic fructex Ἄγνος i. e. castus Græcis dicitur, quòd iis à quibus estur, aut bibitur, aut substernitur castitatem conservet, Galeno sexto simpl. autore: quare matronæ Atheniensium in Thesmophoris Cereris sacro ἁγνεύουσαι i. e. castitatem custodientes, foliis ejus cubitus sibi sternere solebant, Dioscoride & Plinio referentibus. Officinæ ineptè Agnum castum appellant, non advertentes *castum* nihil aliud esse quàm expositionem *Agni*, Ἄγνος dicitur, quasi vimen, ob invictam virgarum flexibilitatem. *Vitex* Latinis à vinciendo aut viendo, ob eandem rationem. Semen quibusdam, à Piperis similitudine, Piper Eunuchorum appellatur.

Folio digitato, Cannabis æmulo, seminibus rotundis, calyce exceptis, nudis, viminibus lentis ab aliis arboribus distinguitur.

Agni Casti Nomina.

Agnus folio non serrato *I. B.* Vitex foliis angustioribus, Cannabis modo dispositis. *C. B.* Vitex sive Agnus castus folio angusto, *Park.* Vitex sive Agnus castus. *Ger.*

Agni Casti Vires.

Viticem ad impetus Venereos reprimendos, & castitatem tuendam utilem esse jam dictum: unde in abundantia seminis, & contra nocturnas Veneris per somnum imaginationes, & seminis incontinentiam sanitati hominis non parùm confert.

Fructus epotus demorsis à serpente, sed & lienosis ac hydropicis opitulatur, lactis abundantiam facit, urinam & menses ciet. Caput tentat vini modo, soporem infert, nam & odor & sapor similis. Folia tum suffitu; tum etiam substrata venenata fugant, & contra venenatorum morsus adhibita auxiliantur. Testium durities cum butyro vitiumque foliis emolliunt. Rimas sedis semen cum aqua illitum mitigat; aliaque multa præstat.

AGRESTA, vid. *Omphacium.*

AGRIFOLIUM.

Notæ sunt folia in ambitu longis, acutis, rigidis spinis armata semper virentia; baccæ parvæ, rotundæ, rubræ, quaterna semina triquetrastriata continentes.

Agrifolij Nomina.

Agrifolium *Ger.* Agrifolium sive Aquifolium *Parkinson.* Aquifolium sive Agrifolium vulgò *I. B.* Ilex *A.* sive aculeata baccifera folio sinuato *C. B.*

Agrifolij Vires.

Baccæ ad colicos dolores utiles sunt; crassos siquidem pituitososque humores per alvum educunt decem aut duodecim numero sumptæ. Zythogalum factum ex cerevisia & lacte, in quo decocti sunt hujus foliorum aculei, mirè conducit ad dolorem colicum & tormina intestinorum. Matthiolus radicum decoctum in fotu ad articulorum duritiem, tumores dissolvendos, ossa fracta ferruminanda commendat.

Viscum aucuparium hoc modo præparatur. Delibratis Junio aut Julio mensibus, quotquot videtur aut opus fuerit hoc genus arboribus, cortices detracti in aqua fontana per septem aut octo horas continuas decoquantur donec tenerrimi evadant. Coctos in acervum humi cum Filice S. S. S. compones, aquâ prius curiosè separatâ, & per duas tresve septimanas fermentari & computrescere sinas, donec in mucilaginem abeant: Exemptos deinde, in mortario tandiu tundas donec fingi formarique possunt instar Massæ farinaceæ. Massam in aquam profluentem submersam manibus verses, & diligenter subigas. Aqua brevi sordes omnes eluet, visco residuo puro & defæcato; in fictili aliquo vase per quatuór adhuc aut quinque dies despumando, donec se purgaverit & perfecerit: deinde in novum vas translatum reservetur ad usum. Non ex corticibus hujus arboris tantùm Viscum aucuparium paratur, sed etiam è fructu Visci, Castaneæ & Sebesten.

Visci Aucuparij Vires.

Vim habet emolliendi & discutiendi tumores, Parotides, &c.

AGRIMONIUM, vid. *Eupatorium.*

AGRIMONIUM Sylvestre, vid. *Potentilla.*

AGRIPALMA, vid. *Cardiaca.*

AGRIOTA, vid. *Cerasa.*

AIUGA, vid. *Chamæpytis.*

AIZOON, vid. *Sempervivum.*

ALA.

Ala, caulis est angulus, quem cum caule vel armo vel folium, vel pediculus folii constituit, qui semper ferè acutus est, vel rectus saltem, quia pediculi sursum nituntur. Non raró etiam accipitur pro ramulo, ut cum dicimus *caule multis alis brachiato*, *vel in multas alas diviso*, quia rami veluti totidem alæ cauli adnascuntur.

ALABASTRA.

Alabastra sunt folia illa viridia, herbacea quæ flores sepiunt. *Junius* exponit alabastrum Rosæ globum nondum explicitum totum, sed conniventem.

ALABASTRITES, vid. sub Titulo *Lapis.*

ALAU-

ALAUDA.

Alauda, Græcis Κορύδαλος dicta, à voce κόρυς significante galeam; Latinis etiam Cassita & Galerita, à casside & galea seu galero nominibus derivatis, quæ tamen cristatæ propriè conveniunt, ab aliis avicularum generibus distinguitur 1. Calcanei seu postici digiti unguo prælongo, quæ nota maxime characteristica est, 2. colore plumarum testaceo terreove, 3. Cantu quem inter volandum in sublimi exercet.

Partes officinales sunt. Cor, integra ales, & sanguis.

Alaudæ Vires.

Cor Alaudæ cristatæ femori alligatum, arcere colicum dolorem aiunt; idem quoque de corde recenti devorato perhibent, ut & de integra Alauda, testa vel unà cum pennis incinerata, quæ Dosi ℥ß. seu cochl. 1. ac ij. per dies aliquot exhiberi poterit. Sanguis recens ex aceto acri aut vino calido haustus, calculosis efficacissimè convenit.

Alba Spina, vid. *Carduus Mariæ.* id tamen impropriè.

Albinum, vid. *Gnaphalium.*

Album Græcum, vid. sub titulo *Canis.*

ALBURNUM.

Alburnum Plinio dicitur exterior ligni pars mollior & teredini obnoxia, à calore albo.

Alcali, vid. *Alkali.*

ALCANNA.

Alcanna, hic Terminus aliquando pro *Ligustro*, aliquando pro *Ichyocolla* accipitur.

Alce,
Vid. Descriptio ejus sub titulo, Cervus,
cujus species est.

Hîc tantùm quæ ex eo officinalia subnectemus. *Cornu.* scilicet, *Ungulam*, & *Nervos.*

Cornu & Ungulæ Cervi Vires.

Cornu & Ungula specificâ virtute celebrantur adversus Epilepsiam, tum præcavendo, tum curando, idque usu tàm interno quàm externo. Internè propinantur scobs, & præparata subjuncta. Externè includitur particula annulo, gestaturque digito qui minimo proximus est, ut palmam respiciat: Inditur itidem pugno, applicatur pulsui, immittitur in aurem sinistram, suspenditur de collo, ut cutim attingat.

Dosis à ℈ß. & ultra ℈j.

Nervorum Cervi Vires.

Nervi circumligantur membris spasmo obnoxiis,

Præparata & Cornu.

Præparari potest uti cornu Cervi, & Uri ac Vaporari sicuti C. C. philosophicè calcinatum. Galreda exinde confici. Spiritus. Sal volatile. Oleum.

Præparata ex Ungulis.

Magisterium fit vel cum aceto, vel cum spiritu Nitri. Quod cum spiritu Nitri, abstrahendo non præcipitando, cum oleo Tartari præparatum est, præstantius erit. Eleganter etiam ex Cornu Alcis per spiritum vitrioli post mediocrem hujus abstractionem copiosâ aquæ simplicis affusione præcipitando adparatur; sed hoc potius ad alterandum & adstringendum adhibetur, quàm ad sudorem movendum.

Sunt qui Aquam, Spiritum & Sal volatile ex medullâ cerebri destillant, quæ pro arcano Epileptico habent.

ALCEA.

Alcea à Malva foliis laciniatis differt. Fortè sic dicta est ab ἀλκὴ auxilio remedio; cum ejus radices dysentericis & ruptis auxilio sint.

Alceæ Nomina.

Alcea vulgaris *I. B.* vulgaris major *C. B.* vulgaris sive Malva verbenacea *Park.* Malva verbenacea *Ger.*

Alceæ vires.

Ex emplasticorum & emollientium medicamentorum numero est Alcea, utque facie externa, sic etiam viribus cum Malva convenit. Celebratur ab Empiricis ad caliginem oculorum. Aquâ decocta torminibus intestinorum remedio est, Breviter, Alcea, Malva & Ibiscus omnibus totius corporis calidis doloribus apprimè conducunt.

Alces, vid. *Alce.*

Alchermes, vid. *Alkermes.*

ALCHIMILLA.

Alchimilla dicitur hæc herba quòd Alchimistarum præconiis celebrata sit; Pes leonis à foliorum forma.

Percepierre dicta plantula Alchimillæ propriè dictæ species non est: Differt enim & situ florum, & foliorum ex quibus componuntur numero, & seminibus in singulis vasculis singulis. Non binis ut in Alchimilla. Ut patebit ex utriusque descriptione.

Notæ Alchimillæ *genericæ* sunt flosculi in summis caulibus, octoni foliis herbaceis compositi, vasculis seminalibus, singulis bina semina continentibus insidentes, umbellatim congesti.

Alchimillæ Nomina.

Alchimilla *Ger.* vulgaris *Park.* major vulgaris *C. B.* Pes leonis sive Alchimilla *I. B.*

PERCEPIERRE.

Percepier seu *Percepierre* vox est Gallica Saxifragam denotans: Hæc enim plantula calculis comminuendis efficax censetur. Non est autem cur *Percepier* Anglorum dicatur, quasi Angliæ propria sit, cùm in exteris etiam Angliæ peculiarem esse hanc herbulam, sed tantùm hoc nomine Anglis notam: sic cum Geranium batrachioides, Germanorum Gratiam Dei appellant, non intelligunt hanc plantam Germaniæ peculiarem esse, sed tantùm Gratiam Dei Germanis dici.

Percepierre dictæ plantæ Nomina.

Percepier Anglorum, *Lob. Ger. emac.* Anglorum quibusdam *I. B.* Polygonum Selinoides *Park.* Chærophyllo nonnihil similis **C. B.** Alchimilla montana, minima *Col.*

Alchimillæ descriptio.

Ex radice minimi digiti aut pollicari crassitudine, plurimis fibris donatæ, strenuè adstringente & desiccante *caules* surgunt aliquot tenues, teretes, hirsuti, ramosi, dodrantales, quibus insident *flosculi* herbidi, umbellatim congesti, quorum singuli octonis constant foliolis, majoribus quatuor, totidemque minoribus, alternatim positis, in quorum medio apiculi lutei. *Flosculi* summis vasculis seminalibus insident, suntque eorum velut umbilici. In singulis vasculis bina continentur semina parva, non exactè rotunda, sed ex una parte productiora, splendentia.

dentia; Folia alia statim à radice exoriuntur longis, sesquipalmaribus, pediculis hirsutis, alia cauli pediculo aut brevi, aut nullo adhærent. Cæterùm folium ad Malvam accedit, ex luteo virescens, infra hirsutum, in octo aut novem angulos obtusos seu plicas divisum, in singulos angulos singulis nervis à pediculo prodeuntibus, concinnè in ambitu crenatos.

Percepier descriptio.

Radix in planta tenuis, simplex, paucis & tenuissimis fibris donata, lignosa; unde emergunt cauliculi complures, tenues, palmares, teretes, hirsuti, quos è geniculis cerebris ad summum usque foliola stipant subrotunda, tripartita ferè, profundè laciniata, ad Geranij columbini folia quadantenus accedentia, licet minora hirsutaque alternatim posita, inferiore quidem pediculis donata, superiora brevi aut nullo, viridi dilutiore colore, internè albidiora.

Ad singula genicula folij pediculus in sinum foliaceum dentatum dilatatur, qui & caulem ipsum, & geminum flosculorum ordinem amplectitur. Flosculi namque ad singula genicula, exceptis tribus aut quatuor imis, pediculis brevibus in duos ordines dispositi sedent, herbacei, è quatuor foliolis compositi, quibus subsunt utriculi semina intus singula continentes. Milij aut Panici effigie sed minora.

Alchimillæ Vires.

Vulneraria est è nobilissimis. Calfacit, sicc. astring. sanguinem sistit, mensesque & alba mulierum profluvia. Folia & summitates atque etiam radix vulnerarijs potionibus, pulveribus, emplastris atque unguentis adjiciuntur.

Mulierum mammas impensè laxas linteum ejus decocto intinctum, & impositum duras solidasque efficit. Decoctum hoc interanea vulnera rupturasque glutinat: idem decoctum, aut aridæ herbæ pulvis in eodem aut aquâ stillatitiâ sumptus ramices intestinorum, potissimum in pueris sanat. Præcipua est in hac planta vis adstrictoria qua mediante agit quidquid agit.

Percepier Vires.

Vehementer & repente urinas ciere & calculum comminuere dicitur. Crudum estur ut olus, tum muria conditum asservatur, & ex eo aqua stillatitia magno usu elicitur.

ALCHOOL, vid. *Alkool.*

ALCHYMIA.

Alchymiæ nomen mixtobarbarum ab Articulo *al*, Arabicis omnibus nominibus præfigi solito, & Græco χύειν deductum, omnibus populis, & Nationibus, proprij juris factum est, uti nomen *Almagestum* ab *al* Arabico & μέγιστος, Magnæ Constructionis *Ptolomaicæ* opus sat ostendit. Qui verò purum id Arabicum nomen volunt, illi illusi videntur, nomine Arabico *Alchymie*, quo in libris Arabum nihil frequentius est, & à Græcis, uti innumera alia passim occurrentia, mutuatum est. Qui vero ab Ægyptiaca voce *Chami*, illud derivant; putant illam à *Chamo* primo Ægyptiorum Rege *Noemi* Filio literis descriptam, in Arca conservatam, & in Ægyptum translatam fuisse, posteros verò illam nullo non tempore à *Mesraimo Chami filio* & *Hermete* ejus consiliario traditam coluisse. Verùm cum hæc omnia quàm fusissimè in *Obelisco Pamphilio* & *Oedipi Syntagmate* de Alchymia Ægyptiorum hieroglyphica discursum fuerit ab *Athanasio Kirchero*, eò *Lectorem* remittimus, ubi luculenter docebitur, Ægyptios nequaquam Alchymiam transmutatoriam, sive, quod idem est, magnum illud *Elixiris*, sive Lapidis Philosophici mysterium intellexisse; sed eam quam Spagyricam μεταλλεργίαν, sive artem metallicam vocant, & in separatione, depuratione, lamento, decoctione metallorum potissimum consistit, & non incongruè ἁλιχυμία, id est, à salis perpetuo interventu, *salis fusio* dicitur. Atque hoc modo intelligi debere Alchymiam Ægyptiorum, nulli dubium esse debet, fuitque à primævis Mundi hominibus ante diluvium *Adamo* adhuc vivente probe culta à *Tubalcain Lamechi* ex *Sella* filio, uti habetur Gen. c. 4. *Sella quoque genuit* Tubalcain, *qui fuit malleator & Faber in opera cuncta æris, & ferri.* Æs verô, & ferrum ex fodinis eductum non purum, putumque sed arte metallica (quam Divinitus inspiratam *Adamus Protoplastus* veluti animæ vitæ transigendæ pernecessariam, filios suos edocuerat) eductum, laboratumque fuisse, nemo dubitare debet; quam & posteri *Adæ Noëmus*, filijque avita traditione acceptam, post diluvium in universas mundi partes propagarunt. Unde multiplices Alchymiæ species emanarunt, quarum prima est omniumque antiquissima, quam *Metallurgiam* sive Metallicam Artem vocamus, quam ita describimus: *Alchymia Metallurgiga nihil aliud est, quàm ars metalla præparandi, lavandi, excoquendi, solvendi, coagulandi, & pura ab impuris separandi, in usus humanos necessarios, quam & Chymiam propriè dicimus.* Altera species est, Alchymia transmutatoria, quæ χρυσοποιΐα quoque dicitur, qua quælibet metalla imperfecta in aurum, argentumque purissimum se tranmutare posse Alchymistæ sibi imaginati sunt, quam hoc pacto definimus. *Alchymia est scientia docens facere & generare quandam medicinam, quam* Elixir *vocant, quæ quando projicitur super metalla, perficit illa completque in momento projectionis, transformatque ea non imperfecta solum in perfecta, sed & in aurum & argentum pro ratione medicinæ projectæ.* Utrum verò hæc Definitio subsistere possit, & utrum definitioni effectus respondeat in *sequentibus* docebitur. Tertia species rectè dici potest Chymia Spagyrica, sive analytica, qua non mineralium tantummodo, sed & vegetabilium, animaliumque corpora in sua elementa resolvuntur, quam & *Chymiatriam* sive Chymiam medicam vocant, & versatur potissimum circa artificiosam oleorum, salium spirituumque, seu quintarum essentiarum ex mineralibus, metallis, plantis, animalibusque extractionem in medicinæ usum, estque studium omni laude dignum, quod ex intimæ Naturalis Philosophiæ fontibus haustum, & prolatum primùm, Regum deinde multorum, Principumque studio excultum, merito jure in liberalium scientiarum numerum relatum, in sacratissimum tandem Medicinæ complexum venit; cujus quidem ingentia emolumenta in genus humanum emanantia condignis encomijs sat celebrari nequeunt, cum verè sit arcanioris Philosophiæ fons, humanæ sapientiæ clavis, medulla & anima tum Physicæ, tum Pharmaceuticæ Facultatum; Medicinæ radix, & scopus unicus, ad quem viri sapientes nullo non tempore collimarunt: tot enim stupenda nobis Dei Opt. Max. opera patefecit, tot pandit Naturæ Sacramenta, tot antehac medicamentorum præparationes, herbarum denique, animantium, mineralium, & omnium pœne corporum abditos & penitissimo Naturæ sinu reconditos usus depromit, ut in genus humanum merito ingrati videri possunt, qui aut eam ex Medicis negligunt, aut sepultam volunt.

De Alchymia, quam Chryſopœiam *vocant.*

Nullum equidem in univerſa Naturali Philoſophia argumentum adeò controverſum, tot tantiſque digladiantium pugnis, & certaminibus expoſitum, tot differentium opinionum monſtris fœcundum reperio, quàm id, quod de *Auro conficiendo* palam circumfertur, ut proinde ſupervacaneum exiſtimem, de tantarum controverſiarum litiumque deciſione calamum movere: atque adeò ſupprimendum conſultiùs duxerimus, quàm hoc *Eridis* pomum tangere; quia tamen à multis meum de hoc argumento judicium requiſitum fuit, quàm inſtantiſſimè rogatus, quid de eo ſentiam, ea quâ fieri poteſt, ἀκελεῖα meam aperiam ſententiam.

Quatuor ſunt, de quibus inter Philoſophos & Mathematicos nullo non tempore inextricabilis, & in hunc uſque diem indeciſa lis & controverſia mota fuit; quorum *prius* Quadratura circuli requirit; *alterum* Statica facultas ſibi vendicat, eſtque motus perpetuus, quem puta artificioſa quadam machinatione conſtitui poſſe nonnulli perperam exiſtimant: *tertium* Phyſica ſibi prærogat, eſtque lampadis, quæ perenni, & æterno igne ardeat, conſtructio: *quartum* eſt Alchymia quâ imperfecta metalla Philoſophici lapidis divinâ, uti ipſi dicunt, efficaciâ pollentis poteſtate in aurum puriſſimum, nobiliſſimumque converti poſſe imaginantur. Innumeri & ſunt, & fuerunt ex Mathematicis, qui pertinaci ſtudio, incredibili labore movere quadrata rotundis, ut ad id, quod jam à bis millenis ferè annis tantopere deſideratum, inquiſitumque fuit, id eſt, ad Quadraturam circuli pertingerent, nec tamen huc uſque inventus eſt, qui intentum à Mathematicis τετραγωνισμὸν, ſeu Quadraturam veram, & realem, quæ in adæquata diametri ad circumferentiam proportione conſiſtit, in hunc uſque diem ſe inveniſſe gloriari queat: etſi nonnulli eam ſe detexiſſe tàm firmiter crediderint, ut nullis verbis, nullis rationibus ab ea ſe divelli paſſi fuerint, donec tandem detectis paralogiſmis convicti, veluti dubia quadam luce deluſi, pavoniâ caudâ contractâ quieverint. Idem perpetui motus artificialis exploratoribus accidit, qui perverſa imaginatione & rei, quam moliuntur, deſiderio in tranſverſum acti, dum ingentibus fruſtraneo labore expenſis, rem ſe confeciſſe confidentius ſibi perſuadent, tum enimverò experimento facto, perennis motûs loco, perpetuæ quietis ſtabilimentum ſe conſecutos, miſerandumque in modum deluſos ſe eſſe ad deſperationem uſque deplorarunt.

Anno 1661. decem *perennis motûs* inventiones, ex diverſis partibus, examinandi cauſa ad me tranſmiſſæ fuerunt, quas Auctores prorſus deſideratum effectum præſtituras credebant; Sed ad Lydium Staticæ lapidem exploratæ ad unum omnes ingentibus refertæ paralogiſmis deprehenſæ, tantum in animis machinatorum effecerunt, ut relicta ulteriori ἀεικινήσεως inquiſitione, & veluti conclamata, utilioribus ſe ſtudiis dederint; neque unquam me hujus machinationis ſive ſcriptæ, ſive typis mandatæ effectum ullum videre potuiſſe memini, tametſi omnes paſſim clament, ab hoc, vel illo, in hac, vel illa urbe motum perennem inventum eſſe; imò in impreſſis quoque libris ſpecioſis hujuſmodi titulis eam complures exornare non ſint verecundati: *Motus perennis machina jam tandem à tot ſeculis deſiderata, tot Mathematicorum ingenii induſtria fruſtrà inquiſita, tandem omnibus numeris abſoluta, & demonſtrata.* Ecce ſimilibus ad nonnullam rei præſtitæ fidem conciliandam titulis, nonnulli ante victoriam triumphare non erubeſcunt. Quæ quidem de motu perenni purè artificioſo dicta velim: poſſe verò ſubſidio Naturæ accedente, machinam perpetuo mobilem ex Arte, & Natura commiſtam fieri, cujuſmodi nos in *Arte noſtra Magnetica* exhibuimus, non nego: quæ tamen machinæ plerumque omnis emolumenti expertes comperiuntur. Eadem de lumine ſeu igne perperuo intelligenda ſunt. Sed ut ad propoſitum nobis ſcopum jam revertamur. Quod de dictis jam artibus, certè de *Alchymia* potiſſimum verificatur: Vix enim *Alchymiſtarum* alicujus nominis reperias qui non lapidis iſtius notitiam ſe habere, aut jactitet, aut ab alio quopiam magnæ Artis operationem ſe vidiſſe conteſtetur, quorum tamen veritatem ſi ad *Cleanthis* lucernam exactiùs explores, non niſi putridas, & verminoſas merces, aut ad ſummum vel fuco ſingulari adornatam operationem, vel ſimplicem à reliquis metallis auri ſeparationem, quod Metallurgorum proprium eſt, nulla tranſmutatione factâ, reperias; ut proinde certo mihi perſuadeam, hujuſmodi difficultates nullo unquam tempore exhauſtum iri, & conſequenter uſque ad adventum, ut cum Hebræis loquar, *Eliæ*, id eſt, ad conſummationem ſeculi duraturas. Uti enim hæ in individuo conſiſtunt, ita quoque majorem humani ingenii induſtriam ad hujuſmodi arcanum penetrandum requirunt, ad quod non niſi forſan Angelis mentibus acceſſus datur. Eſt enim Natura adeò ſui juris tenax, ut in hujuſmodi ſe humana induſtria ſuperari nunquam permittat, utpote ſibi ſoli arcano operandi modo reſervato.

Ex hiſce præmiſſis concludo tandem, etſi arcana hujuſmodi ex ſe, & natura ſua ſcibilia ſint, adeò tamen in intimo Naturæ receſſu, centróque convoluta latent, ut ea nulla humani ingenii induſtria extrahi poſſint. Dico itaque Alchymiam, quam *Chriſopœiam* tranſmutatoriam vocamus, objectum quidem habere ex ſe, & ſua natura ſcibile, ad quod tamen non niſi Angelicus forſan, aut Dæmoniacus intellectus pertingat: quia tamen Alchymiſtæ pro aris, & focis concertantes, eam vel à primordiis Mundi cognitam eſſe contendunt, nihil porrò reſtat, niſi ut nunc quæ jactantur, vera ſint, & num *Lapis* iſte *philoſophicus*, nulli unquam forſan cognitus, tantas, quantas illi jactant, vires obtineat, examinemus.

De Antiquitate Alchymiæ.

Lapidem illum *Philoſophicum*, quo in Arte Tranſmutatoria ſeu projectoria Alchymiſtæ, uti dicuntur, non tantæ antiquitatis, ac ipſi ſibi perſuadent, eſſe, vel ex hoc patet, quod ante *Chriſtum* à nullo unquam ſcriptore ejus mentio fiat. Pſeudo Alchymiſtæ, ut Lapidi ſuo fidem majorem conciliarent, eum vel ab ipſo *Adamo* derivant, imò ne quid præſumptionis aut temeritatis intermitterent, eum à Deo Opt. Max. per Arborem boni, & mali in Paradiſo præfiguratum fuiſſe, à quo deinde *Adam* artem hanc didiciſſe non tàm impiè quàm ſtolidè aſſeverant; *Adamum* verò poſteris ſuis *Enocho*, filiiſque traditam ad *Noëmium* propagatam, qui per liberos ſuos deinde eandem in omnes Mundi partes diſſeminarit; hujus autem ſummum cultorem fuiſſe *Chamum* eamque per filium ſuum *Miſraimum*, & *Hermetem* ad poſteros deduxiſſe, ex Auctoribus mirum in modum tortis oſtendere conantur: quaſi verò genus humanum in primis illis Mundi exordiis nulli alteri arti, quàm quæ in Lapidis confectione conſiſtit, incubuiſſe credere debeamus; dicant quidquid volent nulli judicio pollenti quiſpiam unquam id perſuadebit. Ex ſacro quoque Textu novimus, *Adamum* & poſteros non auro, ſed ferro terram coluiſſe; rurſus hanc quoque *Belum*, *Ninum* & *Semiramidem* exercuiſſe, neſcio quibus futilibus argumentis oſtendere conantur. Ab Ægyp-

Ab Ægyptiis verò Artem totam literis hieroglyphicis ab *Hermete* descriptam fuisse asserunt, de qua tamen ego ne hilum quidem in iis reperio; hujus & *Pythagoram* peritum Artemque per *aureum femur* indicasse tradunt. Hanc *Moysen* in omni Sapientia Ægyptiorum instructum coluisse; Hanc *Hippocrati*, *Aristoteli*, *Divo Thomæ*, *Apollonio Tyaneo*, *Alberto*, cæterisque magni nominis Philosophis attribuunt, non alia de causa, quàm ut Arti nugacissimæ auctoritatem aliquam conciliarent. Ut proinde satis mirari non possim, tot ac tantis nugis humanum se ingenium occupasse, cùm tamen tot fabulis, tot inconcinnis assertionibus tantùm abest ut Artis fidem promoverint, ut potiùs, omni ejus credibilitate destructa, eam prorsus evanidam, omnibus exosam reddiderint. Quin & *Salomonem* eam coluisse, ex *Magico Libro*, quem *Claviculam Salomonis* vocant, ab eo composito, ostendunt; uti verò *Claviculæ Liber* horrendis & prorsus abominandis rebus refertus est, ita ego eum verius ex officina Diaboli, quàm *Salomonis* prodiisse censeo. Quis enim fucum pseudo-Alchymistarum hîc non videat? Si enim *Salomon* hanc auriferam Artem calluisset, certè minimè aurum ex Ophir ultimis Indiarum oris, ingentibus sanè sumptibus, & vitæ periculis, triennali navigatione adduci curasset. Non sistunt hîc Pseudo-chymistæ, sed quidquid superstitiosa antiquitas unquam fabularum excogitavit, id non alio fine factitatum fuisse asserunt, quàm ut admiranda *lapidis Philosophici* mysteria sub occultis illis mythologiæ involucris latentia, exprimerent. Hanc artem, ajunt, per duodecim agones *Herculis*, per vellus aureum in Colchide ab Argonautis, à Græcis per Deorum πολυθέιαν, ab Ægyptiis per *Osiris*, *Isidis*, *Hori*, *Typhonis*, historiam, expressam fuisse. Ne verò in nugacissimis rebus tempus perdam, legat qui volet *Petri Fabri* Herculem Chymicum, *Michaëlis Mayeri* arcanorum arcanissima, *Georgii Hervortii* Tabulæ Bembinæ interpretationem, quis nil aliud, quam Artis magnæ rationem & methodum ab Ægyptiis significatam fuisse inconcinnè, ne dicam ridiculè, interpretari conantur. Sed qui nostrum *Oedipum* pervolverit, is sanè luculenter videbit, multò aliam fuisse Ægyptiorum intentionem, quàm ut *Philosophici lapidis*, quem nunquam cognôrant, mysteria per ea significarent.

Quæ omnia hîc fusiùs prosequerer, nisi ea quam fusissimè in Alchymia Ægyptiorum *Secundo Oedipi Tomo* inserta descripsissem, ubi tamen per nonnulla Symbola haudquaquam Artem Lapidis, sed metallicam artem, qua ex certis terrestribus materiis ingentem auri copiam extrahebant; per *Elixir* verò suum, non lapidem, sed liquorem ex pretiosis lapidibus, herbis, plantis aromatibusque extractum vitæ prolongandæ opportunum significasse demonstro.

Neque sistunt hîc Alchymistæ, sed ex *Canticis Canticorum* veluti epithalamio quodam Solis & Lunæ, Lapidis sui mysteria à *Salomone* significare fuisse, stultè, impiè, plenisque blasphemiâ verbis ostendere non verecundantur. Nos tamen quantum fieri potuit, antiquitati hujus perditæ artis incumbentes, nullam ante *Christum* à quopiam scriptore hujus artis mentionem fieri deprehendimus. *Cajus Caligula* Cæsar, primus ex Imperatoribus, *Plinio* teste, fuit, qui ex auripigmento aurum excoxisse dicitur, eum verò cùm lucrum expensis non responderet, ab opere destitisse ferunt; sed ab Auripigmento aurum separare, non ad transmutatoriam, sed ad Spagyricam Chymiam, pertinet quâ aurum, quod arsenico, aut auripigmento naturaliter inest, ignis vi, & per decoctionem à terrestribus fæcibus, quibus nectitur, separatur, quod Metallurgorum proprium est; neque *Plinium* mortalium curiosissimum, hujus artis transmutatoriæ, lapidisque sive *magni Magisterii* ullam notitiam habuisse ex Tractatu *de Metallis* luculenter patet, quam tamen si habuisset, proculdubio, ejus tanquam argumenti omnium curiosissimi, amplissimam mentionem fecisset. Quod verò *Julium Firmicum* vocis *Alchimiæ* mentionem fecisse dicunt, id in Manuscriptis Bibliothecæ Vaticanæ non occurrit, sed Chymiæ vocem, vel per fucum, vel ab impressoribus ad Alchymiæ quandam antiquitatis fidem conciliandam, additam fuisse verisimile est. Addo, si tantùm lapidis magisterium curiosissimis Scriptoribus, *Æliano*, *Solino* cæterisque Philosophis, & Oratoribus cognitum fuisset, illud haud dubiè magnis encomiorum titulis in cœlum usque extollere nunquam destitissent. Quodnam enim argumentum nobilius, excellentius atque admiratione dignius, quo nempe sola *Lapidis Philosophici* efficaciâ omnia in aurum converterentur, esse poterat?

Suidas de *Diocletiano* narrat, cum eo regnante *Ægyptii* auro, & divitiis præpotentes, res novas multorum hominum illustrium cæde molirentur, rebellionem motam statim in ipso exordio sopitam fuisse, & ne in posterum Ægyptii auri divitiarumque viribus freti, Romanis, novis rebellionum, seditionumque tumultibus, multum negotii facesserent, conquisita undique veterum de argenti, aurique fusione scripta Cæsaris jussu flammis tradita fuisse. *Ægyptios* itaque Artem auriferam calluisse quidem, non tamen illam magni lapidis fabulosam (alias enim non fuisset magni secreti loco habita,) sed quæ separatione ex terrenis glebis fusione fit, id est, Metallurgiam omnibus communem. Secutus aliquot post annis *Zozimus* scriptor Græcus, cujus de Arte sacra, & *Chrysopœia* libri *Manuscripti* adhuc conservari dicuntur in Bibliotheca Regia Parisiis, de quibus tamen, uti quid contineant, mihi non constat, ita quoque judicium meum interponendum minimè censui; quem secutus *Nicephorus Blemmidas* de eadem materia librum scripsit, qui tamen uti ex Manuscripto Vaticano patet, de *Lapide* nullam mentionem facit, soli Spagyricæ totus intentus. Hisce successerunt Arabes qui primi hujus Lapidis auctores Orbem innumeris & fabulis, & superstitionibus replerunt. Hi suppositititiis *Hermetis*, reliquorumque Ægyptiorum veterum scriptis mysterio referris allecti, novum quid edituriantes, lapidem hunc vegetabilem divinis virtutibus præpollentem, tanquam thesaurum thesaurorum Mundo obtruserunt; & ut partubus suis nonnullam auctoritatem conciliarent, ex vetustissimis *Hermetis*, monumentis, artem suam non tam comprobare, quam authenticare contenderunt. Est ingens apud me horum scriptorum Arabicorum copia, in quibus tamen nil, nisi nonnullas transmutationes metallorum, tincturasque, non essentiales quidem, sed purè accidentales, uti coagulationes metallorum, tincturasque, non essentiales quidem, sed purè accidentales, uti coagulationes Mercurii, separationes auri ab argento, hujus ab ære, & plumbo, à me haud infelici successu probata, reperi. Ubi verò de suo *Lapide* agunt, non arbitror ullas ab humano ingenio fabulas, apologosque excogitari posse absurdiores, illis, quas ipsi, sub abstrusis parabolarum, allegoriarumque involucris describunt, & tanta verborum obscuritate exponunt, ut ne *Oedipus* quidem ad eorum mysteriorum expositionem sufficere posse videatur. Quæ omnia uti in *Alchimia* nostra *Hieroglyphica* magna Arabicorum textuum allegatione exhibuimus, ita ea hoc loco recitare supervacaneum esse existimavi.

Has Arabum traditiones primò secuti sunt complures magni inter Latinos nominis, *Arnold. Willanovanus*, *Raymund. Lullus*, *Joann. Azotus*, & ultimò tandem *Parasel-*

Paracelsus, quos innumeri alii secuti sunt, qui auro inhiantes, Arabum mentem, aut non intelligentes, aut perperam interpretantes, aurea catena cœlitus deducta, id est, nova *Hermetica Philosophia* cusâ, Regum, Principumque tantarum rerum pollicitationibus avidorum animos veluti aureis catenis attraxerunt primò, quorum favor, & propensus in aureum studium animus tantam excitavit orexin, ut totos se ei, non sine publicorum negotiorum damno dederint. Hinc factum est, ut nullus pæne histrio, miles, circulator, nullus tonsor, chirurgus, balneator, mechanicus, mercator aut medicus, inventus sit, qui non mox in Alchimistam vel una nocte fungorum more excreverit, hinc tot flagitiosorum hominum καθάρματα, tot Principum deceptores impostoresque, tot humani sanguinis hirudines, tot marsupiorum emunctores, veluti ex equo quodam Trojano prodîere; adeò ut vel ipse *Paracelsus* fateri cogatur, *Chymiam* omnium eorum inhonestè se alere cupientium agrum esse, nullumque porcum esse, qui in *Chymiæ* vineam rostro suo grassari non audeat; quorum plerique fuere suæ professioni desertores, ministri πολυπράγμονες, Juris apostatæ, pharmacopæi ad incitas redacti, ignavi opifices, fabri ærarii, Agyrtæ versipelles, Aurifabri φιλάργυροι, circumforanei audaces, sartores ebriosi, stupidi fullones, dentifragi, & tonsores garruli, patrimoniorum decoctores, aliique hujus furfuris vani, rudes, & imperiti homunciones, qui cum bona sua abligurierint, ubique ferè terrarum tanquam muscæ circumferuntur, grandia de benedicto illo Lapide Solis & Lunæ filio debuccinantes, perpetuò montes aureos somniant, divitias *Crœsi* pauperrimi mortalium spondent; verbo, exhausto per circulationes cerebro pro tinctura colorem, pro *Lapide Philosophico* saxum, pro thesauro carbones, & cineres post se relinquunt. Atque hinc factum est, Chymiam cæteroquin nobilem facultatem tam turpes notas incurrisse, ut hodie Alchymista nil vilius, dolosius nihil, fraudulentiusque habeatur. *Athan. Kirch. in Mundo Subterraneo.*

ALCYONIUM, vid. *Spuma & flos Maris.*

ALECTOROPHOS, vid. *Crista Galli.*

ALEMBICUS, vid. *Instrumenta Pharmaceutica.*

ALEPHANGIA, vid. *Pilulæ Alephangina.*

ALEXANDRUM, vid. *Levisticum.*

ALEXIPHARMACA.

Alexipharmaca, generali vocabuli acceptione sunt, quæ venenis sunt adversa, & malignitati. Licet verò quidam *alexiteria* morsibus animalium venenatorum; *Alexipharmaca* vero medicamentis venenatis & deleteriis propriè competere statuant; attamen promiscuo ferè usu hodiè pro synonymis accipiuntur. Speciosè etiam dicuntur *bezoardica*, à lapide bezoar, adeò ut nomen hoc etiam medicamentis tribuatur, quæ nullo modo lapidem bezoar recipiunt, solummodo ob virtutem, quam possident. Dicuntur item *antidoti*, licet hoc vocabulum specialioribus alexipharmacis magis conveniat.

Ut verò de modo horum agendi dicamus, præsupponimus.

1. *Venena impugnare violenter calidum innatum, seu seri & sanguinis σύστασιν & intimam miscelam.*

2. *Venena agere non tam occultis*, quàm, respectu hujus hypotheseos, *manifestis qualitatibus*, quatenùs resolutionem sanguinis magis vel minùs violentam important, pro agendi ἐνεργείας gradibus.

Hinc ut plurimi errores illati sunt in forum medicum, non considerantibus penitiùs medicis, in quo veneni natura consistat, & in eorum occulta qualitate sola acquiescentibus; Ita etiam de activitate & virtute alexipharmacorum, quæ itidem occultiori vi agere hactenùs credita sunt, unde tot elogia *lapidis bezoar* enata, ut omnium venenorum domitor fuerit creditus promiscuè, &, qui has virtutes non pro genuino, sed falso habendus sit, ex quo sanè nullum unquam verum extitisse convincere, facile est. Par ratio *unicornu veri*, &c.

Sunt vero *alexipharmaca*, sive termino hodiè usitatiori, *bezoardica.*

1. Vel *putredini resistentia, & sulphur sanguinis, seu partes ejusdem oleosas sartas tectas servantia*, ne vappescat, idque tùm *intendendo & vegetando*, & quidem magis volatilia, uti sunt *amara & aromatica oleosa, balsamica*, angelica, carlina, zedoaria, myrrha, opobalsamum, baccæ juniperi, & plura alia; *acria volatilia*, sulphurea & salina, ut theriaca rusticorum allium, camphora, &c. Pertinent huc & ipse ∽ C. C. eboris, oleum pestilentiale Henisii, &c. tùm *concentrando & penetrando* unà, *acida*, succus citri, acetum, acetum bezoardicum. Et hæc præcipuè conveniunt in morbis epidemiis à penitiori putredine oriundis, fœtore v. gr. cadaverum, item febribus puerperarum, &c. ad præservationem & curationem: item in morsu canis rabidi, araneorum.

2. Vel 2. *ichorescentiam, resolutionem ac rarefactionem nimiam impedientia*, adeoque vinculum quasi & individuam copulam & conjunctionem seri & sanguinis respicientia, sive *adstringentia austeriuscula*, uti eo nomine celebres sunt tormentilla, bistorta; quæ quidem, quibus alvus siccior est, minùs conveniunt: sive *mucilaginosa*, ut C. C. philos. gelatina ejusdem, scorzonera, ejusque extractum, &c. item ex terreis terra sigill. Lemnia, bolus Armena: sive *terrea absorbentia, & fermentum resolutivum præcipitantia*, ut C. C. ustum, unicornu fossile, lapis bezoar or. & occid & bezoardica chimicorum, quæ certè non peculiari alexipharmaca virtute; sed absorbendi gaudent, unde iisdem non absolutè semper fidendum est: *sive acida*, sulphur sanguinis obtundentia, ut ∽us acidi, clyssus ♉ii 🜍ratus, ∽⊖ volat. ∽⊖ & ⦶ compositus, &c. sive *opiata*, quæ sanè, præsertim cum aliò maritata, inter bezoardica numerari merentur modi, ritè & justo tempore adhibeantur. Si enim quæ alias certe opiata, vinculum & consortium seri & sanguinis conservant illibatum, unde etiam theriaca sine opio confecta sudorem non movet, nec exspectationi satisfacit. Et hæc eximiè prosunt, & præter alia, in sudore Anglico, dysenteria maligna epidemia, aliisque malignis, ubi ardor, & Vesuvianus calor microcosmum affligit.

3. Vel *serum, ejusque & motum promoveneia, & coagulationem & incoctionem*, ut sic loquar, *impedientia*, qualia præter quædam ex suprâ jam dictis sunt tum id *fluxile reddentia*, qualia sunt *salina*, seu *nitrosa*, seu *volatilia* etiam *urinosa*, & ☿*rialia*, ut ♁ nativa, ♉ii, ☿ fixus diaphoreticus. Unde regulæ instar notandum est: In febribus malignis, ubicunque serum quasi coagulatum est, & sudor hinc nullus obtineri potest; sed omnia quasi uruntur, ♁ina, aliis prudenter maritata bezoardicis, ejus fluxilitatem maximè promovere; ast si ad resolutionem & ichorescentiam inclinet sanguis, omninò devitanda esse, neque in ipsis tunc subsequentibus motibus convulsivis omninò tuta esse vel fida: ex quo ipso etiam eximia horum agendi virtutis emergit differentia. Tùm *substantia seu quantitate augentia & reficientia, diluentiaque*, ut ▽æ ♌tæ, decocta, potiones, & inprimis emulsiones, quæ in malignis ad hunc quidem finem maximæ sunt utilitatis. Nisi enim serum hoc restituatur, quod & poculo largiori, (modò ne quid nimis, obtineri potest, frustrà omnia reliqua utplurimùm impenduntur, & inprimis somnus recuperari

recuperari nequit; sed ex pervigilio continuato deliria contumacia & motus adeò convulsivos nasci necesse est.

Conveniunt hæc tum venenis in genere, ab extra propinatis, vel per errorem haustis & communicatis, cor muniendo, & sanguinis tonum illibatum conservando, tùm in peste, febribus malignis, & pestilentialibus Hungaricis, petechialibus, febribus puerperarum, variolis & morbillis, ac similibus contagiosis & mali moris affectibus.

Unde distinctio locum hîc obtinet, quòd *alia* alexipharmacà sint *universalia & communia* tanquam causæ universali, in qua omnia venena coincidunt, resistentia; *alia* verò antidota *particularia*, quæ huic vel illi veneno speciatim adversantur, de quibus etiam quædam dicenda veniunt.

Quoad APPLICANDI verò MODUM & cautelas plura se offerunt monenda:

1. *Nullum est alexipharmacum, quod omnibus aquè venenis ex asse conveniat*, adeóque nulli plus est tribuendum, quàm reverà inde experientia testari potest. Sunt quidem polychresta quasi tria & generalia: in liquida forma, *Tinctura bezoardica*, qua hodiè gratiosus medicus cavere vix potest: in media *theriaca, mithridatium*, quò & *electuaria* similia, ut *Orvietanum*, &c. referenda, sunt medicamentum antiquissimum & per tot secula probatum, adeoque, licet inconcinna variorum ingredientium congerie conflatum, non temerè rejiciendum: in solida *pulveres bezoardici*. Ast magna tamen egent adhibendi providentia.

2. *Promiscuus usus non convenit*, unde distinctio ratione virium maxime est necessaria, in volatilia, media & fixa. Prudenter hinc *in epist. Cratonis* 248. *pag.* 462 *Weiselius* talismodi pharmaca in duplicem classem distinxit, *absorbentium* nimirum, ϰ) ἱδρωτικῶν & *sudoriferorum* propriè dictorum, quod nisi fiat, *rectè addit*, multiplex oriri solet ambiguitas & controversia, imò hoc pacto plusquam empirica fit applicatio.

3. *In principio magis volatilibus opus*, ad penetrationem majorem & discutionem citiorem, item ubi intimior malignitas, ubi natura ab expulsione v. gr. petechiarum, variolarum, morbillorum cessat, vel hæc exanthemata retrocedere videntur, cum respiratione difficili, præcordiorum anxietate, &c. *in progressu magis fixis*, ubi nempè alteratione & præcipitatione magis opus; magis circa statum & declinationem, conquiescente jam tumultu; utraque pro medici prudentis ςοχασμῷ seligenda & usurpanda. Aquosa modo se habent, & utrisque conjungi possunt.

4. *Gravidis, infantibus & debilibus, & ubi ad ichorescentiam inclinat magis sanguis, temperatiora & mitiora magis conveniunt.* Unde, quibus theriaca non convenit, electuarium diascord. Fracast tanquam temperatius magis locum habet: ubi Ræ bezoardicæ locus non est, licet mitigari queat, ibi pulvis bezoardicus detur. Si enim his nimis volatilia dentur, sanguinis rarefactio magis intenditur, & hinc facilè noxæ aliæ largo modo consurgunt.

5. *Non solo sudore tollitur venenositas*: serum quippe non est nimis absumendum. Unde nec sola calida, nec sola temperata, nec sola sudatio à quovis medicamento, sufficiunt, in quo maximè errare solet tùm vulgus, qui pulvere cardui benedicti vel C. C. omnia posse effici credit: tùm medici, qui continuis sudoribus ægros fatigant: Omnia scilicet facienda sunt ad naturæ ductum & indicationes.

6. *Serpentinis, viperinis, lapidi bezoar, unicornu vero, &c. non nimis fidendum.* ⊖ enim viperarum quidem inter volatilia laudem meretur eximiam, lapis bezoar & unicornu verum inter fixiora; ast pulveri viperarum vix fidat medicus, neque in genere his solis credat se posse hydram hanc Lernæam, venenositatem puto, debellare.

7. *Suspectis præstat abstinere, quàm uti, saltim non solis*, uti sunt nux vomica, radix doronici, licet ad vertiginem sit satis usitata. Præstat enim aliis selectis uti, quàm incerto mactari effectu, qui si malè cadat, medicamento adscribi potest.

8. *Alexipharmaca ante initium somnum maturè propinata efficaciora*, imò hoc modo penitùs sæpè morbum in prima herba jugulant, quæ *Helmontii* est observatio, & experientiæ maximè conformis; hinc etiam iisdem non superdormiendum, per somnum enim facilè irrepit venenum ad cor.

9. *Inprimis & cacochymicis corporibus volatilia minùs conveniunt*, unde etiam urgente usu lenientia & balsamica evacuantia possunt interponi; quod si major sit malignitas, cavendum est tamen, ne promiscuè quibusvis humores confundamus.

De Antidotis specialibus.

Specialia venena pauca apud nos dantur, & vel sunt morsus venenatorum animalium, araneorum, viperarum, canis rabidi, &c. vel errore aut insidiis aliorum hausta ac propinata ex vegetabili, vel minerali classe.

In genere de his regula quasi universalis notanda est: Ubicunque speciale venenum incognitum est, ad antidota universalia confugiendum; sin innotescat id ipsum, cuilibet, præter universalia, cor & calidum nativum roborantia, specifica, id est, contraria appropriata, opponenda.

Deinde etiam notandum, plurima mendacia hinc inde in libris de venenis contineri, & illa tùm venena, tùm præsidia præscribi, quæ nunquam vel visa, vel usitata, vel applicata fuerunt.

In specie quod thesin illam attinet, *an quodlibet animal venenatum secum quasi gerat antidotum, illiusque caro proprio morsui vel ictui adversetur?* dicere malim, illam non esse ℛ παντός. Utut enim pinguedo viperarum, etiam nostra experientia, mitiget à morsu inflictum vulnus, ℴℴ scorpionum proprium ictum, non tamen æquè id ad omnia est extendendum. Non scilicet valet in contrarium, quod aliàs dicitur,

Nil prodest, quod non lædere possit idem,

ut quodvis lædens etiam hoc modo prodesse queat. Unde, quod in specie pulverem viperinum & serpentinum attinet, primo dicimus, serpentum morsus non esse adeò noxios, imò vix venenatos. Torpidum animal est serpens, &, modò quis id cordatiùs adoriri audeat, innoxiè potest tractari, contigi & necari, dentesque habet longè minores. Ast vipera longè præsentiùs noxam suam in corpus vibrat, quatenùs dentes ejusdem quasi falcati sunt, quod in serpentibus minimè reperitur; unde & uncis hisce vulnerando partes membranosas præsertim & nervosas, & quatenùs simul saliva bilis plena, seu sale volatili acri imbuta inseritur vulneri, unde fermentatio p. n. corruptiva exsurgit, agunt.

Deinde, quòd viperina vel serpentina caro venenum proprium expellat, illi ipsi hypothesi non omninò & universaliter est fidendum, tum in actu curationis, tum præservationis. Præstat enim sudoriferis & alexiteriis putredinale fermentum & humorum affluxum arcere, ne ob sal volatile causticum cum membro & sanguine communicatum pars ipsa sphaceletur & motus convulsivi exoriantur.

Nec solennis vulgi valet hypothesis, assumto viperarum pulvere, vel serpentum, ob hanc ipsam solam antidotum innoxiè posse tractari serpentes. Tales enim hoc modo absolutè fidentes præmium audaciæ, seu potiùs temeritatis subeunt, & carè satis hanc pœnam luunt. De hoc ipso verò pulvere viperino uberius

uberius paulò agit *D. D. Zvvelfferus classe* 14. *append. de sale theriacali. p.* 275.latius hoc ipso loco videndus: ubi & de ἰδιοσυγκρασίᾳ quorundam, &, quod palmarium duco, audacia & prudentia callidè hæc animalcula tractandi, uberiùs disquirit. Non omnis noxa hoc modo avertitur, neque tamen nullum penitùs auxilium inde sperandum, quod tamen satis est exiguum, & magis ipsum fermentum corruptivum cum sanguine cōmunicandum, quàm vulnus, attinet, quod tamen non est negligendum. Novimus hinc, personas illustres, ob præsumtum pulverem viperinum securos se putantes, hinc incurrisse nihilominus periculum, nec nisi assumto statim bezoardico meliùs habuisse. ut adeò minus hoc succedat. Exemplum etiam videsis apud *Grülingium cent* 1. *obs.* 1.

Adeoque utinam vana illa persuasio cessaret! sæpè enim captores viperarum callentiores sunt ipsis medicis, quos falsâ narratione decipiunt, & prudentia magis, quàm antidoto se muniunt. In nostris etiam regionibus in specie minùs sunt venenata hæc ipsa animalcula, quàm in Hispania, Italia, Gallia, &c.

Quod verò reliqua venenorum genera inanimata, ut sic loquar, attinet, potiora sunt è vegetabilibus *napellus*, seu *thora*, cujus antidotus statuitur *antinapellus* seu *anthom: cicuta, & hyoscyamus*, qui cum mucilaginositate sua & sulphure fœtido immaturo noxius sit, aceto corrigitur.

Notabile est, quod acida corrigant plurima vegetabilia venenosa, *napellum*, *bellam donnam*, quæ præter alia symptomata fauces præcludit, ut deglutitio fieri nequeat, *helleborum*, &c. indicio manifesto, eorundem noxam esse adscribendam sali volatili & sulphuri immaturo, indigesto, plurimáque mucagine inviscato, unde cum sanguine communicata, vel adhuc in ventriculo oberrantia, poros nervorum obstruere, eosdem vellicare, sanguinis κρᾶσιν destruere, & mortem ipsam inducere apta nata sunt.

Præcipuè verò ☿-tus & ○-○*cum*, hisque confinia metallica alia, ut *cobaltum*, &c. huc pertinent. Uti enim manifesta plane, nempe corrosiva agunt qualitate, ita *theriaca*, quæ propriè morsibus animalium venenatis dicata, & eo nomine inventa est, his unice vix profuerit. Sed antidoti vice funguntur tùm *obtundentia & demulcentia*, *pinguia*, butyrum, ☍ amygdal. dulc. &c. Hinc qui in foro probant ☿-ti vel auripigmenti assumtione theriacam, butyro copioso priùs se præmuniunt: tùm *præcipitantia* ex crystallo montana & similibus; quæ ipsa tamen saltim in leviori casu prodesse possunt; nam, si majori dosi fuerint propinata, nec natura ipsa vomitu spontaneo se liberaverit, frustra sunt. Neque enim proportio inter agens & patiens facilis hinc inveniri, neque à natura æque actuari antidotus potest, si pessundetur statim ventriculus, ipsique eschara lethalis & sphacelus inducatur.

Assumta *saturnina*, ut globuli plumbei & similia acidis exhibitis in saccharum quasi fatiscunt, & sensim corroduntur, sicut hujus rei exempla varia *anno III. ephem. Germ.* consignavimus.

Reliqua antidota possunt legi apud autores qui de venenis vel ex professo, vel aliàs scripserunt; quæ tamen si ullibi, certè in hoc, alter, ex altero transcripsere, & venena, sæpè planè incognita & inusitata proposuerunt, nec remedia à contrario semper desumserunt, occultum ipsis virus incertis remedius oppugnantes. *Georg. Wolffgang. Wedelius.*

ALEXITERIA, vid. *Alexipharmaca.*

ALGA sive FUCUS MARINUS.

Fucus propria & primaria sua significatione herbam marinam denotat, cujus ad tingendum usus est. Quod & *Servius* testatur cùm ait, *Fucus herba genus qua vestes tinguntur:* & *Acro* quoque in 2.Sat.lib.2.cum scribit, Fucum esse genus herbæ marinæ unde lana inficitur, & adfert illud *Horatii* ex Od.5.lib.3.*Neque amissos colores Lana refert medicata fuco.* Hinc & pro colore ipso accipitur, & generatim pro quavis tinctura. A Botanicis autem extenditur ad omne genus Algæ marinæ significandum, quamvis ad tingendum utilis non sit, ob similitudinem nimirum & convenientiam in notis genericis. Quamvis autem *Plinius* neget Linguam Latinam habere nomen, quo Græcum φῦκος exprimat; (itaque Algam maris vocat, tamen existimavit non satis esse id nomen accommodum) nihil tamen causæ est, cur putemus non posse transferri *fucum.* Nam & ipse *Plinius* lib.25. cap. 10. ait, Phycos thalassion, id est *Fucus marinus*: inque indice lib.ait. *Phycos tria genera, quod Fucus marinus:* Et ratio favet, φύκει enim usæ mulieres ad conciliandum ori ruborem, ut *Lucianus* in Amoribus, aliique plurimi auctores tradunt. At Latinorum fucus ad eundem usum adhibebatur, ut unicuique notum. Et *Plinius* capite ante citato scribit, φύκει circa Cretam nato in petris purpuras quoque inficiunt. Unde cognoscitur quis color fuerit fuci, nempe rutilans & quodam modo puniceus. Cùm autem mulieres genis fuco tinctis pulchriores viderentur, quàm essent, & falso colore viros fallerent, hinc *fucum facere* est falsa & simulata specie alicui *imponere, decipere*: & *fucus* in genere pro quovis pigmento accipitur.

Algæ Nomina.

Fucus maritimus vel Quercus maritima vesiculas habens *C. B.* Quercus marina *Clus. Ger. Park.* Fucus sive Alga marina latifolia vulgatissima *Aliis.*

ALHANDAL, vid. *Colocynthis.*

ALICA.

Alica vel *Halica* interdum accipitur pro certo frumenti genere: Vid. *Plinium* lib. 18. cap. 7. & *Celsum* lib. 3. c. 6. sed frequentiùs pro re factitia, quæ fiebat ex Zea cui admiscebatur creta, quæ transibat in corpus, coloremque ac teneritatem adferebat. Hæc propria & genuina Alica res Romana à *Plinio* dicitur, apud quem lib. 18. cap. 11. modum conficiendi vide. Differt autem Alica latè sumpta à Græcorum Chondro, ut genus à specie; siquidem Chondrus non creta sed gypso & arena repurgaretur, quemadmodum altera Zeæ species memorata *Plinio* adulterina cognominata, ex Zea in Africa degenerante confecta.

ALIMENTUM.

Quidquid à natura alteratur & in substantiam nostri convertitur, *Alimentum* dicitur. Triplex est autem alimentum. Simplex scilicet ut *panis, caro, &c.* Alimentum medicamentosum quod nutriendo alterat ut *hordeata, lac &c.* Et medicamentum alimentosum quod alterando nutrit qualia sunt *jusculа alterantia.* Differenta autem quæ inter alimentum, medicamentum & venenum intercedit, hæc est. Alimentum à natura nostra alteratur, venenum contrà illam destruit. Medicamentum neque à natura alteratur, neque illam destruit.

ALISMA, sive DAMASONIUM, vid. *Pseudo-orchis.*

ALISMA TRAGI, vid. *Mentha Sarracenica.*

ALKAEST, vid. *Menstruum* sub titulo *Extractum.*

ALKALI.

Alkali est terminus Spagiricus denotans principium universale salinum, rerum omnium naturalium & præternatu-

ternaturalium, oppositum Acido suo loco descripto. Est autem illud volatile & fixum, lixiviosum ac urinosum, imò eo nomine veniunt calcinata prope omnia, quæ cum acido luctam habent. Aliàs omnium prima significatio vocabuli Alkali fuit de sale ex herba Kali parato. Quandoquidem verò hodierni Chymistæ de Alkali & Acido multa deprædicant, illaque pro Principiis rerum naturalium, non minùs quàm earum quæ contra naturam sunt magno cum fastu, oggerunt; non inutile fuerit eorum insufficientiam è Clar. Joh. Bohnio demonstrare, cujus propterea Epistolam ad Nobil. Joelem Langelottum in hoc argumento conscriptam adferemus; illique propter aliqualem materiæ affinitatem Clariss. Jacob Barneri demonstrationem spiritus vini sine acido, continuò subjungemus,

Vir Nobilissime,

Uti promiscuè credendi, omniáque pro certis & veris admittendi facilitas cunctarum disciplinarum, adeóque & Physices, incrementis non parùm quovis tempore obfuit. Ita Dubitationes, à Philosophis Excellentissimis tàm studiosè commendatas, si non ubiquáque, in Philosophia tamen naturali instauranda & promovenda duplicem in se habere fructum, *Franc. Baco de Verulam. de augm. scient. l. 3. c. 3.* nervosis deducit verbis: Unum scilicet, quod eandem muniat contra errores, quando id, quod non planè liquet, non judicatur aut asseritur; (ne error errorem gigneret) sed suspenditur de eo judicium, & non fit positivum: Alterum, quod dubitationes in codicillos relatæ totidem quasi spongiæ sint, quæ incrementa scientiæ perpetuò ad se sugant, & alliciant; Unde fiat, ut illa, quæ, nisi præcessissent dubitationes, leviter & sicco pede transmissa fuissent, dubitationum admonitu attentè & studiosè observentur.

Scepticam hanc viam hujus seculi Scriptores quidam acutissimi triverunt, potissimùm in principiorum naturalium numero, & natura explicanda, scilicet modò nominatus *Baco*, huicque nescio an comparandus, an anteponendus, *Boyle*, quorum editorum messem Respublica Philosophica uberrimam nunc experitur, ac experietur quilibet eorum Lector sedulus & Imitator prudens. Uterque siquidem illorum, duce Experientia, non tenui & manipulari, satis declararunt, quàm ficulnea sint Peripateticorum asserta, communiter pro axiomatis habita, & principiorum, elementorum, formarum specificarum, qualitatum, similiumque numerum atque essentiam explicantia; ita ut de eorum Discipulis vix dici valeat; Ubi desinit Physicus, ibi incipit Medicus. Imò Biga hæc Angliæ Luminum ulterius progressa Chymicorum pariter trium Principiorum veritatem in dubium per sua scripta vocavit, idque *Boyle*, specialiùs & prolixiùs egit in *Chymista Sceptico*, & *Tentaminib. physiolog. circa Nitri redintegrationem*: Cujus de Hypothesibus Chymistarum effatum nunc multùm recessus fovere apparet, dum easdem cum minùs perfectis animalibus idem fatum habere asserit, scilicet utraque, uti properè formentur, sic ferè brevis ævi esse.

Atque profectò hoc nostro tempore vix ullus, Chymicus, in tribus illis hypostaticis principiis acquiescit, cùm eorundem etiam Autores, quid per illa sibi velint, se vix scire, satis prodant. Igitur paucis abhinc annis *Duumviratus* quidam ab illis introducebatur, qui Helmontium non tam legerant, quam ejusdem Paradoxis, ut fascino quodam, ligati, & ad judicii liberioris prolem generandam elumbes redditi fuerant. Scilicet restringebatur prolixior principiorum activorum numerus ad binarium; prodibatque in arenam ALCALI & ACIDUM, pugiles s. gladiatores duo, quorum conflictus generationum, coagulationum, dissolutionum, uno verbo cunctorum naturalium phænomenorum immediatæ & solitariæ existerent.

Quibus, ne Antiquitatis splendor deficeret, *Hippocratis* autoritas in auxilium vocabatur, *Ignis* & *Aquæ* notionibus *Acidi* & *Alcali* vim explicantis: Nec deesse poterat *Basilus Paracelsus*, reliquaque Philosophorum Turba diversis tantùm terminis ejusdem *Acidi* & *Alcali* principatui subscribentes. Hypothesi huic, uti præter facilitatem & aptitudinem motuum intrinsecorum rationes formales explicandi etiam illa sors, novitatibus cunctis frequens, contingebat, ut mox alios in sui admirationem, ac demum amplexum arriperet: Ita hactenus lucem publicam vidit ferè nullum scriptum Physicum aut Medicum, nisi *duobus* illis *salibus* benè conditum, aut quod conditura hac destitutum Lectoribus delicatulis mox nauseam non pepererit.

Et sanè talis illa est doctrina, quæ rebus Chymicis non saltem & Physiologicis, sed Pathologicis quóque & Therapeuticis multum lucis fœneratur, ita ut per eandem abstrusissima hactenus, nunc reclusa, multique errores passim detecti fuerint, uti ex acutissimis scriptis *Helmontii*, *Zwelferi*, *Sylvii*, *Tachenii* &c. satis superque liquet, ideò magni æstimatis & æstimandis. Vix tamen eadem ad hoc autoritatis culmen pervenisse videtur, quin de illius Monarchia universali dubitare adhuc liceat in tali seculo viventibus, ubi singula librare convenit, Id est, *an hæc ex Laboratoriis Chymicis petita hypothesis sufficiens & adæquata sit, ut Theoriæ phænomenorum naturalium per eandem non tàm explicari valeant, quàm earum plures detorqueantur saltem atque corrumpantur?*

Adeóque nec mihi circa Philosophiam hanc, potentiis Salinis innixam, ambigere, religio fuit, postquam non simplicem & solam fidem comperiebar, quæ Physicos & Medicos nos reddit, sed opera etiam bona propria pro summo illo bono contemplativo acquirendo necessaria esse, convincebar. Hinc nefas duxi, illis axiomaticam dignitatem per credulitatem meam concedere, quorum dubiam sortem experimenta & ratiocinia plura mihi declarabant. Quæ TIBI, *Chymico plurimæ Experientiæ pariter ac subtilissimi Ingenii, & studiorum meorum ad hunc usque diem Fautori Maximo*, eum in finem nunc expono, ut, si indecenter forsan dubitaverim, in Mechanica erraverim, hanc non commodè applicaverim, aut incongruas consequentias exinde deduxerim, méque ipsum seduxerim, Tuo auspicio & manuductione ad illam, quam solùm intendo, veritatem perducar. Rationes meas dubitandi in tres fasciculos collectos sisto, quorum *Prior* de essentiæ horum principiorum obscuritate conqueritur; *Alter* ex nonnullorum phænomenorum syndrome pro existenti & principatu illorum absoluto stabiliendo formatas inductiones disquirit; & *ultimus* tertii alicujus ad minimum, pariter valdè activi, entis necessitatem suspicatur.

Primò scilicet (quod Elementa quóque Peripateticorum, æquè ac tria vel quinque Chymicorum suspecta semper reddidit) destituimur adhuc definitionibus essentialibus Acidi & Alcali; quibus deficientibus, nec, ubi sint, vel non sint, cognoscere, aut determinare licet. Vix enim sufficit Philosopho illa utriusque entitatis notio, quam ipsis imponimus à modo linguam & palatum nostrum feriendi diverso, cùm rerum naturalium penitior cognitio à solis sensibus externis expectari haud queat. Non tantùm, quòd pro Elementorum essentiis confirmandis relativa saltem aliqua ad sensorium hoc vel illud potentia inepta sit, utpote quorum singulis propria & ab alterius sensûs distincta Idea communicatur, quas omnes ad conceptum generalem revocare, quamdiu intra sensuum directorium hæremus, impossibile est:

Verùm quòd dentur etiam particulæ concretorum materiales, minores longè, quàm quæ à sensoriis nostris acutissimis, & quocunque modo armatis percipiuntur. Ita effluvia Mercurii vivi liquori, cui per aliquot horas hic infusus fuit, & cum quo aliquatenus ebullit, reverà innatant, licet sensus omnes fugiant; præsentiam tamen suam testantur, dum infusum hoc æque, ac Mercurius ipse, vermes necat, & tollit; Uti ante Helmontium *Jul. Cæs. Claudin. Consult.* 64. & *Hartmann. in prax. Chymiatr.* annotarunt. Pariter particulæ medicamenti purgantis cujuslibet à nutrice assumpti lacti hujus nullam à priore sensibilem alterationem aut characterem imprimunt; Manet siquidem hoc consistentiâ, colore, odore & sapore idem: Nihilominus huic easdem immersas esse, catharsis, quam in lactando movent, credere jubet. Immò plura & tantum non innumera adducere valerem, nisi hoc assertum à plurimis Physicis acutissimis comprobatum nossem, aut sola effluvia magnetis comprobarent.

De cætero licet admittatur sensuum acumen tantum, quod interiorem Corporum naturalium texturam penetrare valeret: Nova tamen mox difficultas præliminaris emergit, an scilicet omnibus aut pluribus sensibus simul; an huic vel illi saltem arbitrium in causa tam arduâ, absque ullius Leuterationis & Appellationis beneficii reservatione legali, concredendum sit? Non omnibus vel uno pluribus, propter diversam, quam modò tetigi, idearum emergentiam, harumque per notionem aliquam communem impossibilem expressionem; & verb. gr. illa quam ex auro concipit oculus, species nullam congruitatem habet cum ipsius soliditate, digitis tangentis haud cedente; Nec quicquam commercii intercedit dulcedini facchari cum ejus albedine, aut consistentia firmiore, sed objecta hæc corporum diversa diversis sensoriis percepta nonnisi distinctis pariter conceptibus sensorio communi offerunt & ab eodem excipiuntur.

Multò minus huic aut illi sensui externo soli principia naturalia creandi & proclamandi munus concredi potest; mox enim pro Tactu pugnarent Peripatetici, calidum & frigidum, siccum & humidum elementa vocantes; Visum commendaret Parmenides, Lumen & tenebras principia rerum credens; Imò metuendæ forent plures reliquis sensibus faventes, & Reipublicæ physicæ tranquillitatem turbantes partes. Cùm tamen illæ qualitates, quæ verb. gr. tactiles, aut linguæ objecta sunt, non statim reliquarum cunctarum potentiarum, quæ præter istas concretis naturalibus insunt, & quarum intuitu ejusmodi contingunt in universitate hac phænomena, qualia à calore, ariditate vel amarore &c. derivare difficillimum est, formalitates exhauriant, vel aliquid saltem lucis obscuritati earum fœnerentur.

Et ut ad Gustum in specie, quem judicem venerantur Alcali & Acidi Patroni, deflectam, de his notandum, quòd quemadmodum superius in genere observabatur, dari quasdam substantias determinatis potentiis imbutas, quæ nec visui, nec tactui, nec aliis sensibus obviæ sunt: Ita quoque consentientibus nobiscum Duumviratus hujus Autoribus, Acidum & Alcali in adeo minutas & insensibiles particulas redacta, & permixtorum compagem ita nonnunquam discontinuata existunt, ut à lingua, vel quocunque demum gustûs organo percipi & dijudicari haud possint; In talibus etiam concretis, quorum activitas ab horum uno altero principio dependere dicitur, verb. gr. Alcali volatile in Cornu cervi, aciditas in melle &c.

Præterea nec illæ videntur adæquatæ satis definitiones, dum Acidum definitur per ejusmodi substantiam, quæ non alcali est; cum hoc tamen, si concurrat, effervescentiam parit: Et Alcali dicitur, quod non est acidum, cum hoc tamen æque effervescit. Siquidem Definitiones hæ saltem negativæ & relativæ sunt; de quarum vi non immeritò Logici dubitarunt. Nec illud pro indigentia demonstratum est, & allegatarum acidi & alcali affectionum, id est, mutuæ eorum effervescentiæ, tantam latitudinem & vim esse, ut omnia phænomena naturalia per veram & sufficientem inductionem ad eas, tanquam summa genera, referri queant: Quod usque dum non præstabunt principiorum horum assertores, tamdiu duumviratum illorum in dubium vocare, perduellionis crimen haud erit.

Non nego equidem (foret enim hoc summæ ignorantiæ, aut protervæ pertinaciæ signum) per Acidi & Alcali potentias, harumque reactiones in Chymiâ, cui etiam prima incunabula eadem debent, mirandas & infinitas patrari solutiones, præcipitatioues, destillationes &c. Ast pariter concedi oportet, ejusmodi operationum chymicarum observari diversas, quas mediantibus illis effervescentiis vel ad minimum non sine illis celebrari, neutiquam satis evinci potest; quod per exempla bina saltem nunc elucebit.

Scilicet notissima & decantata satis est alcalium in sulphura mineralia potestas, ita ut per sal Tartari, aut Nitrum fixatum sulphur commune in pulverem candicantem f. lacteum redigatur, ex eodem Balsamus & Tinctura tam per fixa hæc, vel similia Salia, quam per volatilia, verb. gr. salis ammoniaci & Cornu Cervi, & mediantibus iisdem ex antimonio Sulphur quoddam extrahatur: Nulla tamen in nominatis dissolutiouibus aut secretionibus annotatur effervescentia, potissimùm earum quæ per viam humidam adornantur. Imò utut inficiandum non sit, si per fusionem seu calcinationem cum alcalibus fixis tale quid fiat, strepitus ingentes, certissima & pathognomonica effervescentiarum signa, has mixturas edere: In iis tamen formalitas extractionis partis sulphureæ haud consistit; aliás quoque cum his, si non iisdem, saltem aliqualibus & minoribus, coctiones sulphurum in lixiviis aut corundem digestiones & destillationes per spiritus salino-volatiles contingerent, quod autopsiæ contrariatur. Sed strepitum horum causa unica est acidum sulphuris per accensionem sui juris factum, quod in alcali, verb. gr. Tartari agens effervescentiam parit, quâ cessante & omni aciditate per calcinationem expulsâ, demum massa epati similis evadit, id est, agit alcali purum in sulphur sibi commissum.

Pariter aptissimum deprehenditur resinarum plurium, verb. gr. Terebinthinæ, Scammonii, Gialappæ, &c. solvens vitellum ovorum; quod nihilominus sine omni effervescentiâ notabili in illa corpora agit: Nec in ejusmodi dissolutionibus hæc concipi potest, cum eâdem ration Terebinthina cunctas reliquas resinas, imò diversa gummata, dissolvat, id est, sine ullo tumultu vim suam in hæc exerat; quem modum solvendi, ut singularem encheirisin *Zwelferus in Animadversionibus in Pharmacop. August.* passim pro gummatibus & resinis solvendis & unguentis ac emplastris admiscendis commendat.

Prolixiorem me gererem in pluribus adhuc ejusdem farinæ exemplis enarrandis, & coagulationum pariter unam atque alteram Chymicis laboratoriis notissimam in medium proferrem, nisi in sequentibus series non exilis harum & similium foret expectanda. Sufficiat nunc digiti saltem extremitate (uti ajunt) attingere coagulationem Mercurii vivi, quam hic à fumo liquati plumbi patitur, ita ut fluido ejus Corpori soliditas, metallicæ æmula, absque ullâ Acidi & Alcali reactione, inducatur; id est, qualem nec ullo sensuum

sensuum acumine, nec per sanam rationem augurari valemus.

Interim quamvis denique omnes operationes Chymicæ ex solâ sæpiùs nominatorum talium reciprocâ aut hostilitate, aut amicitia fluerent; illæque propriè loquendo æquè naturales sint ac istæ, quæ sine ullâ artificis directione aut cogitatione in macrocosmo & microcosmo fiunt: Nullus tamen Scriptorum unquam satis comprobavit, naturam in operibus sibi soli notis & propriis, nos verò latentibus, solis his instrumentis uti; & animus semper pendebit, annon præter nobis perspectos agendi modos aliis prudentissima & potentissima mater sit instructa? Cujus contrarium cùm nemo forsan removere queat, Acidum & Alcali non tam facilè principiorum naturalium titulo condecorare, convenit.

Sed quia assensus Tui, *Vir Excellentissime*, de hoc dubii genere olim jamdum ex Literis Tuis recordor, alia potius argumenta producere nunc placet, quibus principiorum illorum hypostasin & universalitatem non parùm concuti puto. Dum affectiones illæ, quibus in definitionibus eorum naturam exhauriri & declarari, sibi nonnulli persuadent, neutiquam illæ videntur, quæ rationem istorum formalem, ut propria quarti modi, involvant, & differentiam utriusque specificam forment: Id est, quæ aut Acido aut Alcali omni, soli semperque competant, quod ex sequentibus palam fiet. Scilicet omne quidem Acidum cum quovis Alcali, si nihil impedimenti intercedat, effervescit, modò plus, modò minus, hæcque duo semper tendentiam habent, vel secundùm quosdam hostilem, & ad sui destructionem, vel secundùm alios amicam, & ad arctiorem mutuumque amplexum: Attamen, an omne cum Acido effervescens sit Alcali, & omne cum alcali ebulliens sit acidum, ambiguum manet.

Prioris siquidem negativam probabilem reddit 1. quòd acida cum acidis quoque ebulliant, & solutiones suas invicem turbent atque præcipitent, verb. gr. spiritus salis & vitrioli solutionem Lunæ aut Veneris per Aquam fortem vel Spiritum Nitri adornatam: *Effervescit, & in offam quasi albicantem abit Spiritus Vitrioli & Salis cum solutione Saturni*, per Acetum destillatum præparatâ; & Aqua fortis atque Spiritus Nitri, quamvis ad sensibilem ebullitionem liquorem nominatum haud cogant, fundum tamen petere jubent particulas plumbi sub formâ pulveris albicantis. Allegarem etiam fervorem, quem Oleum Vitrioli vel proprio spiritui affusum excitat: nisi constaret de effugio, quod in particulis metallicis, intra olei dicti poros latitantibus, quærunt. Quasi scilicet partes hujus Salinæ magis concentratæ, à phlegmate verò accedente nunc discontinuatæ atque actuatæ agerent in particulas illas metallicas, simili modo ac aliud quodvis acidum menstruum in metalla sibi subjecta; hinc ebullitio, hinc calor.

Et profectò ratione particularum metallicarum oleum dictum Vitrioli non saltem ab omnibus acidis, sed proprio etiam spiritu distingui, mihi persuadere videtur non saltem hoc, quod ab amico quodam percepi, per longiorem nempe degestionem obscuriorem suam rubedinem illud deponere, & limpidum magis evadere; sed docuit me idem Vitriolum, à quo per solutionem cum aqua pluviali destillata & coagulationem pluries repetitam juxta *Basilii* mentem maximam metalli partem separaveram: quippe quod spiritum mox ad leviorem & arenæ ignis gradum dimittebat. Ita ut non dubitem, si solutiones & coagulationes illæ ulteriùs continuentur, totum spiritum mitiore illo igne destillari posse, remanente forsan tantùm capite mortuo, non obscurè rubeo, sed albicante, & spongioso, alumini usto simili; quod de suâ vitrioli præparatione & destillatione annotavit Regiæ Anglorum Societatis Membrum quoddam, uti ex *Transact. Philosoph.* 1674. *p.* 46. 47. *&c.* constat. Cùm verò idem Vitriolum ita depuratum igne fortiore & reverberii urgebam, spiritus quidem aliqualem adhuc portionem evocavi, nihil verò olei, ut aliâs moris est, in vasis recipientis collo conspicere potui.

2. Acidum etiam in motum cietur ab eo, quod neque acidum, neque Alcali est, verb. gr. idem oleum vitrioli cum aqua seu communi seu destillatâ non sine insigni calore: Item cum spiritu vini & oleo terebinthinæ cum summâ incandescentiâ & strepitu. De Aquâ forti idem expectandum, si dicto oleo terebinthinæ hæc combinetur, & quidem cum luculentissima flamma, illis scilicet probè observatis circumstantiis, quæ Te, *Nobilissime Vir*, ex *Actorum Hafniensium parte* 1. *Cap.* 71. per *Excellentissimi Borrichii* communicationem latere non possunt.

Porrò nec omne cum Alcali ebulliens, aut hoc intra amplexum suum recipiens, mox pro Acido venditandam esse, jubet liquor Nitri per carbones fixati & oleum Tartari per deliquium: quæ pariter, ac succus Citri, acetum &c. lac in partes secedere faciunt; quod à bile in eodem lacte aliquoties me observasse memini. Simili modo spiritus vini rectificatissimus cum spiritu Urinæ & spiritu salis Armoniaci (præparato hoc cum cineribus clavellatis aut Sale Tartari, minimè verò cum illo, cui cum calce vivâ destillatur) itidem probe rectificatis in coagulum seu offam abit, non sanè ratione acidi: quod in spiritu vini occultari, sibi nonnulli persuadent, uti suo loco pluribus constabit: Inpræsentiarum verò unicum huic scopo sufficiet.

Tentavi nempe sæpiùs, an, cùm plurimi ex Helmontio spiritum vini omnem suam activitatem, si à Sale Tartari aliquoties cohobetur, amittere, & in Alcali relinquere, supponant, idem spiritus Tartarisatus, id est, qui in sale Tartari suam aciditatem, si quam habuit, deposuit, cum dictis spiritibus urinosis coaguletur: Et semper observavi, licet bis vel ter, imò aliquandò sexies, à novo semper Sale Tartari cohobatus fuerit ille, eâdem celeritate, ac cum spiritu vini non tartarisato, desideratam offam fuisse productam. Imò huic addere, non inconveniens erit, illam, quam in hâc mixtura annotavi circumstantiam, videlicet ejus coagulum, si in loco tepidiore saltem per exiguum temporis momentum asservetur, mox instar nivis liquescere; quæ subitanea colliquatio, si ab acido quodam coagulata hæc fuisset materia, haud expectanda foret, utpote cujus particulæ alcali intimiùs subeuntes, non tam facilè ab hoc iterum recedunt.

Refero huc Magnetismum illum, qui salia volatilia & alcalia fixa intercedit, id est, si hæc, uti *in Epistolâ ad Naturæ curiosos* curiosissima loqueris, compari suo volatili jungantur: Ratione cujus Sal volatile vini, ut verum compar (de cujus confectione olim Nos invicem communicasse recordaberis,) alcali Tartari fixo per convenientem digestionem ita adhærescit, ut ambo simul alembicum conscendant, paucissimis vel nullis, si per crebriores solutiones in aqua, quæ non madefacit manus, hoc benè prius fuerit depuratum, terrestreitatibus in fundo relictis.

Et quid opus est ad minus frequentes operationum Chymicarum species descendere, cum sympathiam hanc inter alcalia fixa & volatilia satis doceat Spiritus Salis Ammoniaci, qui æquè cum Sale Tartari per deliquium soluto in coagulum abit, ac cum Spiritu vini.

Nolo pro deducendis & illustrandis magis illis, quæ

quæ disserui, inpræsentiarum cum quibusdam supponere differentiam illam, quæ acida intercedere dicitur; nec Helmontij defendam hypothesin, alcalibus suas quoque Respublicas esse: Immersa enim hæc videntur adhuc pluribus difficultatibus. Sed ad *alterum* difficultatum mearum *fasciculum* me convertam, monstraturus à diversis corporibus tales edi effectus, quos Acido & Alcali communiter adscribunt, quæ tamen illis vel plane non, vel non in tanta quantitate inexistunt, quando ad superandam aliarum concreti particularum vim, hinc ad dominium impetrandum necessaria.

Ita oleis expressis acidum inesse dicitur, ratione cujus inflammabilitate eadem gaudeant, ulceribus atque ossibus læsis cum maximo damno applicentur, & vasis cupreis aut orichalceis illita saltem, aut inter deflagrandum viriditatem ac cœruleum colorem inducant. Quibus tamen obstare puto, quòd, quamvis forsan in Oleis expressis, præprimis olivarum, aliquid Acidi lateat; haud tamen tantum illius sit, quanta pars Olei inflammabilis, (quod totum ferè deflagrat,) & à qua caustica atque erodendi illa vis metuenda.

Siquidem (1.) observatur Olea hæc talia præstare in dissolutione & extractione corporum sulphureorum, qualia non acidis, sed alcalibus, competunt: Et Olea nucum, lini, raparum &c. pro balsami Sulphuris præparatione commoda æquè Menstrua observantur, ac Sal Tartari, Oleum Terebinthinæ, Anisi &c. licet, hæc ob puritatem majorem felicioris penetrationis esse, non negandum. (2.) Oleum Philosophorum, id est, quod ab acido rodente per destillationem super lateres liberatum creditur, inflammabilitatem suam sartam tectamque conservat. (3.) Pauxillum est, quod quantitati Olei olivarum per destillationem hanc decedit; Destillatum verò penè totum alcalicum deprehenditur, & ratione saporis atque odoris Oleum Cornu Cervi aut simile æmulatur. (4.) Nec desunt alia corpora, quibus in destillatione olei Philosophorum æquè commode, ac lateribus, uti convenit: Hæc quamvis ad acida absorbenda & concentranda aliàs minùs apta deprehendantur, verb. gr. arena purissima, prodit tamen Oleum super eadem destillatum magis penetrans, quàm illud Philosophorum vulgare.

Præter inflammabilitatem autem in oleis expressis aut cœteris pinguibus, horumque aciditate radicari visas, potentias reliquas quod spectat, experientiâ diuturnâ quidem confirmatum stat, illa non adeo proficua esse ulceribus vel cranij aliorumque ossium affectibus; sed ista sordida magisque serpentia reddere, ossibus verò facilè cariem inducere. Dubitationi tamen adhuc locus relinquitur, an pinguia hoc præstent ratione acidi? Cùm exilissimum & fere nullum hoc esse, modò deduxerim: Imo pinguia plura, verb. gr. axungia canina, humana &c. in phthisi non minimarum virium deprehendatur, quæ Sale volatili alcalico abundare, per mechanicam demonstrabile est; & oleum Olivarum ipsum in calculo renum, hujusque concretione inhibenda, uti nonnullis frequens, ita utilissimum observetur remedium, quatenus austerum illum coagulatorem obtundit & enervat.

Nec ossium cariem seu erosionem sola acida causantur, sed alcalia, si potentiora, eâdem ratione in illa agere, probabile fit, quòd ossium porosæ magis partes in elixatione, pro sceletis nitidioribus conficiendis adornatæ, si lixivium, cui hæ incoquuntur, aliquando potentius fuerit, mox arrodantur, & cariosis simillimæ evadant.

Deinde nec vis dissolvendi Venerem tantam consequentiam involvit, quæ in oleis expressis acidatis præpollentiam necessariò inferat: eò quod Cuprum vel Orichalcum calcinare aut his rubiginem viridem inducere non solis (forsan nec omnibus) acidis proprium sit; sed divisum hæc cum alcalibus non modò in Cuprum, sed in ferrum quoque, imperium tenent. Prius aut paradoxum erit illi, qui spiritum Salis Armoniaci aliquandò instrumentis æneis aut casu, aut præmediato consilio illinivit, utpote qui mox & in momento penè hæc arrodit, & viride æris extrahit; ad cujus aliàs confectionem non saltem acetum, sed volatiliores quoque uvarum expressarum spiritus, & ipsa Puerorum Urina adhibetur. Posterius evincit Croci Martis aperitivi, æquè per acida ac alcalica confectio, dum limatura chalybis lixiviis salium absinthii, fraxini, genistæ &c. aliquoties irroratur, usque dum rubiginem contrahat, & in Crocum transeat, qualem Croci aperitivi descriptionem *Senn. prax. lib. 3. part. 6. sect. 1. c. 2.* suppeditat, ac nonnullis practicis usualem esse novimus.

Nec minorem in ferrum agendi vim habent Salia volatilia, quorum frequentissimum, saltem nunc nomino Spiritum Salis Armoniaci, qui Marti affusus tanto impetu hunc aggreditur, ut cum eo admodum ebulliendo mox particulas quasdam metalli separet, & cum his in crustam quandam abeat; dum reliquum ipsius sub hac crusta sibi superinducta profundiùs rodit & serpit.

De destillatis Oleis, horumque inflammabilitate & activitate idem nonnulli pronunciant; quasi in his acidum quoque primas teneret, eò quòd (1) alcalibus fixis connubant, ac cum his in sal volatile abeant; (2) Oleum chamomillæ ex vasis cupreis destillatum cœruleum colorem nanciscatur; corrodendo & imbibendo aciditate suâ horum particulas quasdam metallicas. Cui asserto tamen litem movet, quod olea vegetabilium destillata revera horum salia volatilia concentrata sint; & connubium eorum cum salibus fixis non statim aciditatem inferat, uti superiùs per sal vini volatile, item Spiritum vini Tartarisatum fuit demonstratum. Pariter regeri potest, neutiquam colorem illum cœruleum soli oleo chamomillæ vulgari proprium à substantia metallica esse; eò quòd per vasa vitrea quoque destillatum hoc eandem Tincturam acquirat. Et quid obstat, quo minùs alia olea potentiora, & inter hæc chamomillæ Romanæ, similem tincturam non suscipiant? aut quæ ratio, cur, uti Pharmacopœi observant, admisso sæpius aëre, illud Oleum eandem cœruleitatem amittat? cum metallicæ particulæ non adeo volatiles aut evanidæ sint, ut mox in auras abeant.

Quibus tandem accedit, acidas particulas, ut tales haud inflammabiles existere, alias Oleum Vitrioli acidissimum totum conflagraret: Sed aliud quid mixtis subesse, ratione cujus eorum nonnulla admodùm combustibilia sunt; quemadmodum vel in solo sulphure communi manifestum fit, quòd præter acidam, aliam quandam seu inflammabilem substantiam fovere, probari facilè posset; nisi theoria hæc ad subsequentem, eumque *ultimum* dubiorum fasciculum reservanda foret.

Id est, dantur Corpora, ad quorum constitutionem præter famosa illa duo salia non tantùm aqueæ & terrestres particulæ, ut elementa passiva magis, sed aliæ insuper activæ, non parum faciunt: Ita tamen, ut in aliis concretis hæ magis sensibiles, in aliis magis absconditæ deprehendantur. Ad quam suspicionem tamen declarandam antequàm me accingam, ex Menstrui illius universalis virtute quædam depromam, quæ tam præcedentia, quàm insequentia muniunt; id est, Acidi & Alcali autoritatem in dubium vocant.

Etsi enim famosi illius Solventis Adeptum & Possessorem

ſorem me haud profiteri, multò minùs ejuſdem effectus portentoſos teſtari valeam: Illius tamen exiſtentiam cum *Paracelſo*, *Helmontio*, *Starkey*, *Ludovico de Comitibus*, &c. Imò illis etiam, qui ſalinum hunc Duumviratûm defendunt, ſuppono: Hocque ſtante, quæro, cujuſnam Athletarum horum robore in concreta quævis, ſibi commiſſa liquor ille vim ſuam ſolventem exſerat? Sive enim aſſerat quis, contingere hoc per aciditatem aliquam occultam & ſeminalem; ſive per huic contrariam potentiam; ſive forſan per utriuſque conjunctionem: Neutrum tamen horum omnem ſuper Acidum & Alcali hauſtam declinabit ambiguitatem. Si enim Alcali dicas, quomodò illam Mercurialem vulgò appellatam, & à ſulphurea diverſiſſimam metallorum partem aggredietur? quod per illam duumviratus hypotheſin acido ſaltem proprium eſt: Sin Acidum ſurroges, qua ratione hoc ſulphureas mineralium aliorumque mixtorum molleculas ſolvet? Quas chymici omnes, & ex profeſſo *Polemannus de ſulphure Philoſoph.* alcalium ſaltem poteſtati ſubjectas eſſe, nervosè ſatis deducunt; Et quidem per illam Sympathiam, quam *Helmontius Complex. atque mixtion. elemental figment.* item *Blas human.* vàldè probabilem & mechanicæ ſatis conformem reddit.

Huic ſi quis objicat, non ſolùm per alcalia ſulphurum extractiones celebrari; ſed interdum Spiritus acidos pro ſulphuris, verb. gr. Antimonii, ſecretione commendari. Exempl. gr. Acetum proprium, Aquam Regis &c. Illi regeri poterit, ſulphuris memorati per acida ſeparationem neutiquàm per modum ſolutionis ſeu extractionis fieri, id eſt, ut menſtruum ſolvens cum atomis ſulphureis evocandis coëat & uniatur; ſed per meram ſaltem Mercurialis vel alterius cujuſdam non oleoſæ partis corroſionem: Ita ut ſulphurea, quæ à menſtruo acido non ita abſorberi poterat, ſui juris facta ſuperficiei hujus innatet, cochleari tollenda, aut granulis ipſius Antimonii circumcirca adhæreſcat inſtar cruſtæ ſulphuris vivi ſubſtantiam æmulantis. Modus hic eſt Sulphur ab Antimonii Corpore ſeparandi ab *A. Salâ* commendatus, & ab aliis Chymicis tanti æſtimatus, ut eum aliis ut vocant, proceſſibus pluribus præferendum eſſe, moneant. Et ſanè verum eſſe ſulphur, quod hac ratione elicitur, monſtrat partim ejus combuſtibilitas, ſi carbonibus candentibus immittatur; partim per Encheiriſin, qua allegatus Autor pro ſeparando cortice hoc ſulphureo à reliquo Antimonio utitur, manifeſtum fit. Scilicet ſi affundatur incruſtato huic Antimonio Lixivii Salis Tartari ſufficiens quantitas, atque ambo ſimul coquantur: ſolutio mox apparebit aurei coloris, ex qua per acetum deſtillatum præcipitatur ſubſtantia iſthæc ſulphurea,per ſublimationem ab aliis heterogeneitatibus magis depurganda & in flores redigenda: Interim non negò,illam, quæ ſub ſulphuris veri ſpecie prodit, ſubſtantiam interdum ex menſtrui & menſtruati particulis conflari, &, propriè loquendo, non ob hocſeparari, uti inferiùs de ſulphuris ex Olei Terebinthinæ & Vitrioli, item de Sulphuris Antimonii per idem oleum Vitrioli præparatione conſtabit.

Quòd ſi tandem utrumque horum Salinorum principiorum in liquore Alcaheſt conjunctum, ſive Sal tertium & enixum latitare, hocque combinatis facultatibus vim ſuam exſerere, concludas: Remoram injicit omnium, qui de Materia deſideratiſſimi illius liquoris ſua animi ſenſa propalarunt, univoca ſententia, ſimpliciſſimum nempe & homogeneum illam ens eſſe; hinc ſolvens hoc univerſale ſimplex, & incorruptibile exiſtere, uti ex ſuperiùs nominatis, *Helmontio*, *Ludovico de Comitibus*, *Starkey*, &c. videre licet. Imò ſi uni vel alteri Chymiſtarum, qui Adeptos hujus menſtrui Philoſophici ſeſe jactitant, hoc in paſſu auſcultare & fidem adhibere mens fr: Alcalicæ naturæ hoc eſſe, potiſſimùm inclinant: Ita ut *Helmont. de poteſtat. medicam. item paſſiva humor. Scholar. decept.* alcalibus volatiliſatis non ſaltem magnorum pharmacorum poteſtates, ob ſummam penetrandi vim, tribuat; Sed in ſolutionibus & extractionibus radicalibus alcaheſti arcanum Sal volatile Tartari adæquare *de febribus c.* 15. ediſſerat. Quæ ſi admittantur, alcalicum hoc menſtruum per præmiſſas antecedentes non poterit agere in quælibet, verùm ſibi ſaltem proportionata.

Sed ut ad illa, quæ cuivis aut pluribus obvia ſunt, regrediar, atque per illorum unum atque alterum ultimo loco evincam, præter Acidum & Alcali Tertium quoddam ad minimum in Concretis exiſtere, quod maximam æquè ac illa in iiſdem agendi vim habeat: Placet in medium producere auri aliorumvè metallorum Amalgamationem, quam adornare ſolent mechanici æquè ac Philoſophi per Mercurium vivum; qui cum illis ita & per tàm minima coit, ut in maſſam unctuoſam & manibus tractabilem ſimul degenerent; & hoc ſive mediante trajectione per Corium, ſive deſtillatione, ſive cum floribus ſulphuris accenſione ſeparato, illa ſub forma calcis ſubtiliſſimæ denuò conſpicua fiunt.

Acidorum aliàs eſſe corrodere metalla, à nemine unquam fuit negatum: Ab acido verò calcinatoriam quoque Argenti vivi virtutem ſcaturire, ſatis obſcurum hactenus ſtetit. Nam quod pro aciditate hâc Mercurii comprobanda adduci poſſet ex obſervatione *Nobiliſſimi Borrichii*, *Actor. Hafnienſ. part.* 1. *cap.* 77. lamellas ferreas per notabile tempus Mercurio depurato immerſas rubiginem contraxiſſe: neutiquam videtur omnem ambiguitatem tollere. Siquidem ipſe Acuratiſſimus Obſervator dubius hæret, & quemvis ſuo ſenſu abundare permittit, an rubiginis illius promus Condus, Argenti vivi penetrali inhabitans, acidum ſalſumvè ſit? Cùm alcalia etiam Martem rubigine incruſtare, & in Crocum redigere, ex ſuperiùs dictis repeti queat. Adeòque, ut taceam, illum probandi modum conſequentia neceſſaria deſtitu, quod corrodit metalla, eſt acidum, quia medii hujus Termini inſufficientiam ſatis evolutam eſſe reor; Imò concedam quoque, acidum omne, ſive domeſticum, ſive peregrinum, à Mercurio non tàm facilè ſeparari: Nondum tamen mihi perſuadere poſſum, ſummam illam activitatem, quæ aurum verb. gr. metallum texturæ aliàs firmiſſimæ, intra breve temporis ſpatium per minima diſſolvit, ab acido hujus ſolo, & potiſſimùm, promanare.

Siquidem 1. Menſtrua quævis acida, poſtquam in metalla aut mineralia egerunt, multum acrimoniæ ſuæ perdidiſſe, obſervantur, ſi ab his illa iterum ſeparantur; concentrata ſcilicet potiſſima eorum aciditate intra metalli calcem. Mercurius verò, quacunque encheiriſi ab iis revocatus, non ſaltem ejuſdem ac anteà formæ, nitoris & activitatis eſt; Sed inter optimos modos Mercurium depurgandi ille à pleriſque refertur; ut cum metallis nobilioribus amalgamatus ab iiſdem aliquoties cohobetur. 2. Nec infrequens & à Chymicis magnæ æſtimationis commendata Mercurii rectificatio contingit, ſi hic cum dupla portione calcis vivæ & Tartari calcinati aliquoties per retortam pellatur: Qua ſane ratione, ſi quæ adhuc aciditas Mercurio ſubeſſet, per deſtillationem ſuper alcali repetitam hæc ſepararetur; Cùm tamen ita rectificatus Mercurius nihil de amalgamatoriâ & metalla arrodendi virtute amiſerit.

Hoc tertium autem mixtorum elementum quale ſit, difficile dictu: Ad differantiam tamen reliquorum duorum Ens hoc inſipidum ſeu dulce, ac in Corporibus

poribus combustilibus inflammabile interim vocari forsan posset; usque dum essentiæ hujus commodior, & magis adæquata notio suppetat: Licet nec is sim, qui hoc pro universali principio venditem, aut quarti etiam existentiam excludam.

Primò ergò facilem me sisto in admittendâ Cartesii aliorumque Recentiorum Doctrinâ, ignis actualis naturam in motu celerrimo & diverso minimarum particularum consistere, non tantùm eò, quod Corpora, plura, licet ad sensum frigida satis, per motum incalescant, & flammam concipiant: sed quod microscopii etiam adjumento observentur certa corpuscula poris concretorum inflammabilium immersa, quæ, punctulis ac lineolis argenteis simillima, & ante sui accensionem quietissima, ad primum incalescentiæ gradum mox vibrari incipiunt, ita quidem ut cum flammæ excitatione instar scintillularum celerrimo motu quaquaversum concieantur, imò concreta ipsa in diversos motus secum abripiant. In Carbonibus, præeunte *Hookio Micrograph. observ. 16.* innumeri & totam illorum substantiam penetrantes pori deprehenduntur, quos tamen per saniorem Philosophiam haud vacuos, sed materiâ quadam subtilissima repletos partim concipere convenit, partim ipsum Microscopium per filamenta argentea reticulata, quæ inibi conspiciuntur, oculis exponit. Lucentium harum atomorum quædam per radios solares commodo speculo ustorio concentratos statim ad diversos terminos celerrimâ agitatione feruntur, remoto speculo quietem denuò subeunt: diutiùs verò in hos directis radiis solaribus, plures earum simul inordinato motu rapiuntur, ut pluviæ cuidam argenteæ vel aureæ hoc phænomenon haud ineptè comparari valeat.

In Sulphuris floribus, horumque per speculum dictum accensione, idem mecum observarunt alii, utpote quorum porulis interjecta lucidissima corpuscula pari celeritate & diversa motûs determinatione agitantur, ut sulphuris pollinem manifestissime simul exagitent, hacque ratione in flammam illum abripiant. Nec minus jucundum & Hypothesi Cartesianæ multùm favens spectaculum apparet, si tale quid in pulvere pyrio adoruetur, cujus porulis anteà pariter quiete inhærentes scintillulæ ita per radios solares commoventur, ut ipsos pulveris hujus globulos simul quaquaversum & citâ admodum vibratione detorqueant, & ebullientes quasi (quod in floribus sulphuris itidem observatur) reddant.

Hæc utut in omnibus Corporibus inflammativis ita eveniant, (nolo enim prolixus esse in enarrandis illis, quæ ceræ colliquatio, olei, Terebinthinæ & spiritûs vini excandescentia exhibuerit) non tamen concedendum puto, particulas terrestres quasvis, modò singulæ seorsim primi elementi motum sequantur, ignis formam nancisci; sed earum nonnullas saltem, quæ quandiu mixto quietæ inexistunt, & aliorum elementorum atomis oppressæ non percipiuntur, ignem potentialem tantùm formant, mox vero excitatæ, hinc mixtionis vinculo soluto, situ mul coëunt, & in ignem actualem seu flammam prorumpunt.

Evincit siquidem hoc effervescentiarum diversitas, quarum quædam ex commixtione certorum corporum æquè frigidæ, ac aliæ calidæ apparent, contingentibus nihilominus in utrisque harum celerrimis particularum confusarum collisionibus. Cui addo quod quidem succini, colophoniæ &c. pulvis & ipsa Martis limatura per candelæ flammam transmissa, mox accendantur, alia verò corpora pariter minima, verb. gr. Sal, arena &c simili, imò majore, celeritate per eandem flammam projecta tale quid haud patiantur: Cujus sanè discrepantis phænomeni rationem in particularum inflammabilium præsentiâ aut defectu consistere, probabile est. Demum fluida & liquida corpora cuncta, licet horum formalitas in minimorum varia volutatione consistat, nec calorem nec flammam contrahunt; nisi eorum certa quædam & inflammabilia ipsis inhærentia, & à cæteris liberata moveantur: Hinc alius motus per Microscopium in spiritu vini non accenso observatur, ille scilicet, qui ipsi cum fluidis cunctis communis; alius, si flammam hic concipiat.

Substantiæ hujus ab alcali discrepantiam exinde colligo, quòd, quæ hoc Salis genere abundant, minùs, quæ verò eodem destituuntur, magis apta ad flammam concipiendam sint: Quod, quia plus quàm quotidianæ experientiæ conforme, per specialia exempla illustrare, non videtur opus. Acidas verò particulas ab inflammabili substantia distinctas existere, quoniam magis dubitatum fuit: ab uno atque altero adhuc ratiocinio probabilitatem quandam mutuari debet. Sulphuris itaque Corpus si intueri placet, illud haud homogeneum est, sed ut reliqua transeam, præter minima acida (quæ Vigener. de Igne & Sale cap 37. aluminosa vocat) inflammabilia quódque possidet: ita quidem, ut his per oleosa menstrua verb. gr. spirituum Terebinthinæ, separatis; residuum ejus Sal Crystallinum formet, quamvis in exili quantitate, unde non mirum ex librâ unâ verb. gr. Sulphuris vix unciam semis vel drachmas sex stagmatis acidi colligi. Magis hoc confirmatur per artificialem illam sulphuris veri & inflammabilis generationem, cujus modum *Boyle Chym. Scept. t 2. p. 133.* docet, & mixturam Olei Terebinthinæ cum Oleo vitrioli materiam agnoscit. Nec minorem lucem opinioni huic concedit illud Sulphur Antimonij, quod cum oleo Vitrioli præparatur, dum hoc per aliquot septimanas cum Antimonio digeritur, usque dum friabile hoc factum per arenæ ignem sulphur verum & inflammabile exhibeat, ex combinatione acidæ olei Vitrioli & inflammabilis Antimonij partis oriundum.

Ex vegetabilium combustione idem elucescit, quæ sive igne foci sive in vase clauso instituatur, particulas oleosas & inflammabiles ab acidis quam distinctissimas sistit, Licet tales sub ejusmodi disparitate ex fermentatis seu putrefactis herbis aut floribus non extrahantur; sed mediante fermentatione & putrefactione ita immutentur, ut ex acido sæpius fiat oleosum, ac ex utróque interdum urinosum emergat. Prioris immutationis veritatem nobis declarabit mel atque saccharum, quorum spiritus acidus simplici destillatione proliciendus superveniente fermentatione oleosus, inflammabilis & spiritui vini quàm simillimus prodit. Alterius metamorphoseos exemplar primum exhibet Salium volatilium vel spirituum urinosorum ex vegetabilibus sine omni additamento extractio, quam *Dominus Dr. Cox. Angl. Transactioni Philosoph.* suæ Nationis Anni 1674. d. 25. Martii inseri passus fuit: cujus operationis potissimum instrumentum cùm sit putrefactio, mediante hac ita immutantur & disponuntur vegetabilia, ut, licet aliàs cuncta acidum non leve contineant, præter phlegma atque oleum nigrum & crassum sal volatile in notabili quantitate nunc promant; ita quidem ut, si minùs sufficientem putrefactionem eadem experta fuerint, urinosi spiritus quantitas imminuatur, aciditatis verò quædam reliquiæ in plegmatico liquore observentur. Oleosa autem salinam naturam mediantibus dictis universalibus analystis induere inde liquet, quod, qui ex vegetabilibus neglecta fermentatione destillantur, liquores aquei oleum copiosius sibi supernatans vehant, quod fermentatione superveniente aliquomodo immutatur, ut particulis salinis atque aquosis intimius commixtum & junctum in spiritum ardentem seu sulphureum abeat, oleis per se

minimè

minimè commiſcibilem; per putrefactionem verò idem planè deſtruitur, ita ut ejus corruptio ſalis urinoſi generatio evadat omnis odoris & ſaporis concreti expertis, & Sali Cornu cervi, urinæ &c. ſimilis.

Quæ quamvis ita ſeſe habeant in fermentatis & putrefactis; per ſe tamen & igne nudo deſtillata vel combuſta docent, magnam differentiam intercedere partes ſuas acidas & inflammabiles. Lignum ſiquidem, (quod ex vegetabilium partibus nunc in teſtimonium vocabo) dum concrematur acidas quidem perdit, utpote per calorem ignis agitatas & expulſas: differunt autem nihilominus hæ ab inflammabilibus, & pabulum ignis exiſtentibus.

Non obſcuram lucem lucrantur hæc ex ſequentibus. Si enim fuliginis inſtituamus anatomen, lignorum quædam pars inflammabilis ſub forma olei ſatis copioſi, quædam Salina apparebit: Sin verò in vaſe clauſo concrematio lignorum fiat, i. e. deſtillationi per retortam illa tradantur, cum oleo ſpiritus exſtillat ſapore acidus & minus inflammabilis; qui tamen quoque oleoſam & inflammabilem adhuc ſubſtantiam involutam tenet, eamque conſpicuam reddit, modò ipſius aciditas tollatur, quod commodiſſimè fit, ſi ſuper cineres proprios vel aliud corpus alcalicum is cohobetur. Imò nec aciditate omni fuliginem deſtitui, exinde colligo, quod longè alius magisque urinoſus ex hac propellatur ſpiritus, ſi aliquod alcali fixum ipſi admiſceatur, quam eſt ille, quem fuligo igni per ſe tradita fundit: Hinc non adeò abſurdus, ac primâ facie haberi poſſet, eſt *Vigenerius de igne & Sale* dum *cap.* 32. ex capite mortuo fuliginis ſalem armoniaci ſalis naturæ ſimilem elixari ſcribit.

Præterea ſi ab acido mixtorum prodiret inflammativa potentia, carbones ex lignis producti & omni aciditate privati focis vel furnis noſtris nihil emolumenti adferrent, utpote per hanc hypotheſin ad ignem ſuſtinendum & alendum minus apti. Memini quidem nonnullorum conatuum haud vituperandorum, quibus aciditatem ex prunis in alia corpora derivatam per diverſos effectus evincere ſatagunt: Sed quamdiu nondum apertè liquet, quod alterationes hæ ſoli acido, ut cauſæ, competant, uti ſuperius deduxi; conſequentia talium argumentorum ſuſpecta manet. Ego carbones lignorum vehementi ſatis & continuato igne deſtillando nullum ſpiritum acidum ex his prolicere potui; Sed phlegma ſaltem in vaſe recipiente obſervavi fuliginoſum, i. e. aliquali & linguæ vix perceptibili ſalſedine tinctum: quod cum alcalibus neutiquam, cum acidis verò variis aliquo modo, effervescebat, adeoque alcalicum potius dicendum videbatur.

Tandem à partibus etiam meis videtur ſtare Spiritus vini, qui ſi probè rectificatus fuerit, totus deflagrat, & præter phlegmaticam atque ſalinam ſubſtantiam plurimum oleoſæ continet; quam de acido parum aut nihil participare, multò minùs ideo inflammabilem eſſe, hinc ſuſpicor. Quod Spiritus ille, ſi aciditatis notabilis particeps, aciditatem fluidorum minimè corrigeret, & eos dulcificaret: quorum tamen illa non ſaltem, quæ menſtrua corroſiva ſatis aliàs ſunt, ſed humores etiam corporis noſtri acidiores & ponticos, quales in melancholicis concedunt Veteres cum recentioribus omnes, ita attemperant ſpiritus ſulphurei, ut corpora torpidiora alacria ſatis evadant & variis humorum lancinationibus atque doloribus vexata tranquilliorem ſtatum ſubeant. Nec video argumentum, quo defendere poſſent ſuam (ſi in ſpiritu vini ſupponatur aciditas) proterviam Medici & Chirurgi, quando Spiritum hunc contra putredinem quamvis, in vulneribus capitis, quibus acidum omne corruptivum, & inflammationibus, ab acido ſanguinis peregrino aut dependentibus, aut huic tale mox inducentibus, applicant: Quod nihilominus cum optimâ ægri tolerantiâ, hujuſque emolumento fieri, quotidiana teſtatur Praxis. Imò ſi inflammabilitatem hic ab acido haberet, hanc in rectificatione ſuper alcalia repetitâ perderet; quod tamen nunquam etiam in illo, qui ſexies imò pluries à ſale Tartari fuit cohobatus, obſervare potui; ſed eum ſapore quidem ſuaviorem minuſque rodentem, totum interim deflagrabilem inveni; ne illa repetam, quæ de ejuſdem vi coagulatoria cum ſpiritu urinæ ſuperiùs tetigi. Paradoxa hæc, ſed vera, ſunt, licet plures, quorum Ingenia ſubtiliſſima interim magni æſtimo, in illâ ſententiâ eſſe noverim rectificatione ſuper Sal Tartari non minus activitate ſuâ in alia Corpora, quàm inflammabilitate ſpiritum dictum ſpoliari: ita quidem ut Sal Tartari ab eodem tantum demum aciditatis acquirat volatilis, quantum pro illo volatiliſando ſufficiat.

Sed pace Clariſſimorum illorum virorum Tibi, *Vir Ampliſſime*, ponderandum ſiſto, annon potius ſpiritus vini aliquid ab alcali recipiat, hincque ipſius Textura aliquo modo immutetur? An pondus ſalis Tartari per frequentiorem ſpiritûs vini cohobationem augeatur, vel imminuatur, hactenus accuratè examinare non potui, licet ſanctè quendam Amicum, cujus ingenuitas æquè ac experientia Chymica non parùm laudis meretur, mihi aſſeveraſſe recorder, ſe aliquoties attendiſſe, notabilem dicto ſali portionem hâc ratione deceſſiſſe. Nihilominus alcalina quædam effluvia ſpiritui vini affricari credo; eò quòd illa extrahat vel diſſolvat alcaliſatus hic liquor, quæ ſine alcali non poterat imbibere. Ita ſpiritus vini ſatis aliàs rectificatus olea deſtillata neutiquam aggreditur, aut per minima recipit, ſed hæc ipſi ſeparatim innatant: Tartariſatus verò intimiùs illis connubit, & unitur. Idem Spiritus vini tartariſatus totum oleum nucis moſchatæ expreſſum diſſolvit, inſtar alcali pinguedinem imbibentis; quod à rectificatiſſimo aliàs fruſtrà expectaretur. Brevibus, effectus edit alcalibus competentes, ergò ejus immutatio per rectificationem ſuper alcali non in acidi cujuſdam ſeparatione; multò minùs in hoc, ſed in alio quodam, Spiritus inflammabilitas ſita eſt, quod tertium locum inter Alcali & Acidum meretur. Et per conſequens aut hæc duo non ſufficiunt pro munere principiorum gerendo, aut quemadmodùm alia acrimonia acida eſt in Nitro, alia in Sale, alio acrimonia aromatica in pipere, alia in Cinamomo, aliaque in Caryophyllis &c. Ita tam Acidum, quàm Alcali plures ſpecies diſtinctas complecti, dicendum erit.

Arbitrium negotij hujus penes *Tuam Amplitudinem* erit, cauſam ſaltem *Tibi*, ut Judici æquiſſimo non minus ac perſpicaciſſimo, exponere; *Tuamque* ſuper eam ſententiam experiri volui, cui cedere, glorioſum æſtimo. Vincam enim, ſive vincar, nunquam maculabor, cùm veritas ſcopus ſit noſtrorum ſtudiorum communis & unicus: Quem ſi attigerimus, hæc, ſi non laudanda, ſane nec culpanda erunt. Unde ſi dubitationes meæ tantum ponderis gerant, ut ad ulteriorem quæſtionis ventilatæ inveſtigationem alios invitent, eoſque me non adeò abſurdè ambigere perſuadeant, gratulabor mihi: gratulabor tamen conatibus meis non minùs, ſi levitatem meorum argumentorum, hinc Alcali & Acidi Duumviratum firmum & firmatum, cognovero. *Tu* interim, Patrone colende, qui Studiis meis favorem nunquam detrectaſti, Vale! & quod in pagellis his deſideras, Affectu perenni emenda.

JACO-

JACOBUS BARNERUS
Lectori Benevolo.

Invitatus veluti accurata illa Dissertatione, quâ acidum & alcali pro rerum naturalium principiis haud sufficere, Chymiæ *pariter ac* Anatomes dexteritate *Celebratissimus, & in Inclyta haccce Acad. Prof. Publ. D. D.* Bohn, *demonstravit, constitui universam illam doctrinā de* acido & alcali, *quâ hodiè incantos juvenum animos à priscâ ac solidâ eruditione seduci video, ad examen revocare. Ad Tractatum hunc quamvis præsens hicce* Vini Spiritus non acidus *referri peculiarem ei dicare operam volui, cùm præcipuum eum esse videam, cui acidum manifestò adscribi solet, usque adeò, ut nihil magis receptum sit, ore omnium celebratum, quàm Spiritum illum acidum asserere; hocque probatur communiter ex coagulatione ejus cum Spiritu Urinæ, quod quàm ineptum sit falsumque opusculo hocce declarare debui. Tu,* Lector Benevole, *eo fruere ac benè agere perge.*

B. C. D.

Quod itaque institutum est causæ hujus momenta expendere jam aggredior, *an sc. in Vini Spiritu acidum sit, quod ab Urinoso simul in Sal volatile coagulari possit?* Ne autem nominum lusu deludi videar ipsemet, quid per *coagulationem* intelligi debeat, exponam; merè enim, ut hoc unicum adferam, inspissationi coagulationis nomen tribui quoque, notum est. Propriè scilicet, ac Chymico sensu Salia se invicem coagulare dicimus, dum alterum arripit, sicque quod in phlegmate suo solutum fuit, (adeò scilicet spiritus *salium* suorum *fluores* sunt!) in Salem concrescit; & hoc sensu κειτήελον illud asserti sui de coagulatione Spiritûs Vini cum alcali Urinoso factâ acceptum non minùs volunt sequaces ejus, *Sal scilicet acidum Spiritus Vini cum Sale Urinoso in mutuos amplexus concedere, stabilique jungi connubio*, indéque coagulum hocce, ad *Salia enixa volatilia* (quam me olim sententiam fovisse quoque non diffiteor) nonnulli referunt.

Etenim ut rem omnem ab ovo, quod dicitur, exordiar, jam ex antiquioribus *Lullius*, (prætereo alios,) in *experimentis* suis concretionis hujus Spiritûs Urinosi ac Vini cujuscunque doctrinam habet, ac remediorum illorum, quæ hac ratione confecta hodiè frequentari incipiunt, nobilitari effectu, exempla adfert. Sicque repetitum ab antiquitate processum hunc Sennertus quoque adfert, dum in *tract. de consens. & dissensu pag. 166.* causam coagulationis spiritûs Urinæ & vini Peripateticorum scholam ex principiis suis vix atque vix explicare posse contendit.

Renovasse verò videtur doctrinam hancce *Helmontius* Urinæ analysi illâ, quam prolixè *tract. de Lithiasi* describit. Primùm se ille deprehendisse (id quod per ea, quæ dicta sunt, non assererem æquè, ad coagulationem verò calculi vesicæ principia hæcce cum satis benè applicasse, non est quod negem) in Urina Spiritum istiusmodi *coagulatorem*; *Gorgonicum* eum, occasione fabulæ, quam de *Gorgonibus* Poëtæ habent, vocat *Charletonius*, *tract.* quem *Spiritum Gorgonicum* inscribit, contendit, quòd ab eo scilicet Spiritus Vini in istius-modi *offam albam*, sic dictam ei, reduci queat. Arreptum hoc à multis fuit, *Boyle Illustris* mentionem ejus repetit, & multi alii, omnis generis remedia ex duobus hisce compingere tentarunt, jamque anni aliquot elapsi sunt, ex quo cum celebrato hujus loci quondam Chymiatro, cujus præmaturum fatum vehementer doleo, D. D. *Sultzbergero*, alibi etiam technasmata hæcce exercui, & adhuc dum remedia omnis generis hac ratione parata usu recepta habeo, quin imò ac novo invento diu desideratam Salium volatilium fixationem per se sine acido Spiritus Salis, &c. eleganter succedere hac occasione deprehendi, prout in sequentibus hoc explicabo.

Sic itaque experimentorum fide suffultus, quæ duorum horum coagulatio sit, nec acido, nec alcali, illorumque concursui acceptam eam ferri debere, ad oculum demonstrabo, inque hunc finem Spiritum utrumque, *Vini* scilicet unà cum oleis, alterumque, quem *coagulatorem cum Helmontio* vocamus, singulatim expendam.

Docui autem aliàs, ac in Chymiæ præceptis meis: ardentes Spiritus illos, qui communi nomine *Spiritus Vini* appellari solent, esse olea in phlegmate resoluta, hinc namque simili cum aliis ratione flammam exspirante phlegmate concipiunt, in oleum ac phlegma resolvi queunt, adeóque solo illo fluore (non tamen etiam nego à Sale volatili Urinoso aliquid accedere illis, id quod in sequentibus demonstrabo pluribus) ab ipsis oleis differunt. Etenim vidi multoties Spiritui Vini rectificatissimo cuicunque si aqua communis instilletur, eum primitus lactescere, expositum deinde aëri liberiori supernatans oleum commonstrare, reliquum sine sapore est ac phlegma, simílique ratione, qua in sequentibus dicam, me destillatum quodcunque oleum in resinam commutare, ex Vini Spiritu sequestrata resina hacce, utut ille rectificatissimus sit, merum phlegma prodire, compertum habeo; prætereo modos alios, quibus Spiritus Vini in oleum & phlegma redigere scio; adeoque hac in parte Vini Spiritibus & oleis convenit, ex iisdem principiis essentialiter illi constant. Sicque tradita accurata oleorum analysi, ultrò in notitiam Spirituum oleosorum deveniemus, ac innotescet, nihil acidi sub velo hocce delitescere. Etenim liquorem habeo salinum prorsus, quem multis in Academia hacce ad oculum demonstravi; eum dum affundo oleo cuicunque stillatitio, excitato insigni calore, egregia cum colorum mutatione, oleum in resinam abit, quæ pristino ejus ponderi ferè respondet, ubi Salinus ille ac menstrualis liquor ablutus est, resina verò ceræ instar tractari, ac corio induci potest.

Durante hac resolutione, cum phlegmate liquor salinus exspirat, vehementi actus calore, ex liquore illo (*arcanum capiat qui potest!*) separo Sal Urinosum volatile, specifici saporis, quod reverà alcalicum est, & cum acidis insigniter effervescit.

Ex resina itaque, cui *cera primigenia* cum *Magneno* nomen tribuo, sale volatili Urinoso & plegmate, interveniente seminali pinguedine minimo corporis sui dulci fracidóque verè, ut rectè Excellentissimus Bohnius in *laud, tract.* habet, consistit oleum plerumque. Hinc dum olea rancescunt, Sal ille volatilis, in quo dicta etiam seminalis virtus residet, exspirat, in fundo magmate resinoso subsidente; imò sum expertus, in hunc modum sola rectificatione oleorum cum aqua facta, resinosam partem in nonnullis destrui, ut in cucurbitæ fundo illa remaneat, limpidiore oleo cum aqua prodeunte. Olea inde quò clariora sunt, aquæ scilicet ac Spiritui similiora, eò meliora censeri debent, rubicunda magis plus resinæ continent. Illa verò resina indifferenter se habet, odoris ac saporis seminalis expers est, indéque *oleorum habitacula resinas esse*, axioma formatum dedi. Hinc est, quod fermentatione cum spiritu ardente separata olea consistentiæ limpidioris & virtutis melioris existant, orbata scilicet crassiore resinæ magmate, de quo vindicias meas adversùs Beckium prolixius vide.

Quod

Quod itaque in plantis existit volatile, seminali insignitum virtute, illud alcali Urinosum est, cum acidis effervescit, partes alcali explet omnes, id quod in ipso tract. de acido & alcali pluribus demonstratum est, hincque ultrò innotescit, non æquè acidum, sed urinosum ac volatilem esse plantarum Salem, promocondum craseos ac specificæ virtutis.

Atque sic videmus incineratione dum alcalisata conficiuntur, odorem urinosum exspirare, in ligno *vitis* id manifestò observare licet, ac iis omnibus, quorum odor saporque non adeò prævalet, qui aliàs ac igne actûs urinosum saporem obtundit, hinc alcalisata illa, sic dicta, hodiè Urinosum saporem simul habent. Illud itaque alcali volatile cum resinosa aut ♁rea parte in formam olei concrescit, similique ratione ac ultra oleosam partem in Spiritibus ardentibus aliquantulum ejus reperitur, ut si secundùm *Glauberum* ex accenso Spiritu Vini, quod tamen quàm difficulter succedat, votum irritum ferè reddat, non dicam hîc pluribus, Salis volatilis aliquid separetur, alcali hoc Urinoso illi tribui debeat. Etiamsi *Helmontiano* modo longa ac tædiosa circulatione olei cum alcalisato, vel secundùm *Glaserum* Spiritus Vini cum Spiritu Nitri coagulando, de quibus curiosè videri poterit in *tract. de Salibus volatilibus plantarum* laudatissimus *Wedelius*, procedas, urinosi alcali in Salibus illis ubique indicia deprehendes. De acido plantarum similiter in dicto tract. nostro agam, ac demonstrabo ex nonnullis separari illud quidem, sed seminali virtute maximam partem orbari, nec demonstrari posse ulla ratione, quod acidum istud oleorum mixtionem ingrediatur. Verior itaque analysis illa oleorum (probè observes, *Lector Benevole*, me non de oleis omnibus, sed stillatitiis plantarum, *anisi, absinthii, Juniperi*, quæ tractavi, hîc agere, ac illam solummodò temeritatem redarguere, quæ indistinctè oleis omnibus aciditatem tribuit,) luculenter demonstrat, non acidum, sed alcali potiùs, mistionem oleorum ingredi; adeòque nec acidum in Spiritu Vini, utpote oleoso, vel mente concipi potest.

Sed oggannient *Acidistæ*, acidum illud *occultum* esse, sic namque & vitæ cibum, quem aëri *Cosmopolita* tribuit, occultumque esse vult in acido consistere cum *Tachenio Beckius* meus garrire haud erubescit; *largo promissor hiatu* aëri exponendus est, ut acidum illud captet, ac genialiter Solis se radiis invitet. Si verò occultus acidus ille Spiritus est, qua ratione ergò deprehendere illum fuit integrum?

Ex effectu forsitan ac à posteriori? Ita est! acidum scilicet cum alcali Urinoso tum in oleis, tum eorum Spiritibus, dicto in antecedentibus modo, in neutrum concrescit: Spiritus Vini in alcalisato Salis Tartari acidum suum exit, *nudam sine veste* videmus *Dianam*, manibusque *Beckii* cum acidi pulpamento excidit lepus, ilicet auribus eum jam renuerit. Hæc sunt Eleusina sacra illa; aram trepidat nux cassa. Prius assertorum horum falsum prorsus est, alterum fide non minùs laborat, certè ratione aliâ explicari debet, quod ipsum ac ultimum hocce alibi & in dicto vindiciarum mearum opere fusiùs pertractatum dabo. Prius itaque, quod instituti ratio postulat, ut prolixius excutiam, quærere ex Solis acidique filiis illis, quos Dii Deæque servent omnes, licet; Vini Spiritus dum in Sale Tartari aciditatem deponit, quâ ratione septenô etiam cohobiô ab alcalisato illo abstractus, cum Spiritu Gorgonico nihilominus concrescat, inque *offam albam* abeat? Esto, Vini Spiritum abstractum à Sale Tartari Sal ejus volatile secum rapere, de quo alibi videbimus, eâ verò ratione & aciditas, quæ in alcalisato forsitan non remansit, obliteraretur, ac multò minùs in coagulum cum Spiritu Urinoso abiret. Sed ut singula meliùs innotescant, ordine adferri debent experimenta illa, quæ circa coagulationem hancce Vini Spiritus ac Urinosi alcali multoties à me instituta sunt.

Primùm virgulâ sequiore notari meretur *Helmontius*, qui *cit. loc. de lith.* haud obscurè contendit, *in sola urinâ humanâ coagulatorem illum reperiri*, quem tamen ex Sale ammoniaco æquè eleganter conficere novimus.

Si itaque, quod *Tachenius* vult, ex urina Camelorum & sale communi compositus est sal hicce; Cameli etiam urina ultra humanam Spiritum huncce urinosum non minùs recondet; scio tamen, quod obiter addo, *Monspelii* ex urina humana Salem Ammoniacum conflari. Sed & qui ex *Nitro* Urinosum spiritum separare mecum norunt, ac originem ejus ex fimo equino ac terra nitrosa, urina equorum conspersa esse, facili negotio, instituto experimento, cognoscent, similiter ab eo Spiritus Vini coagulari. Ita etiam cùm alumine se res habet, nam & ex eo Sal Urinosum separari potest, quod Urinæ acceptum ferendum, quâ ac decoctione alumen conficitur, ut insigniter in eo errasse videantur, qui ex alumine & Tartaro Salem Urinosum, quem proferunt, pro Sale Tartari volatili habent; aluminis Urinosus ille est, ac Spiritum vini similiter coagulat. Ideoquè brutorum & equorum Urinæ in coagulo hocce id contingit, quod ab humana puerorum etiam, qui nonnisi vinum biberunt, exspectamus.

Sed quid multis? tentavi negotium hocce cum Spiritu viperarum, Cornu Cervi rectificato, eandem ex iis ac Spiritu Vini offam albam obtinui, negotium pariter succedere cum salibus urinosis plantarum, ab iis vini Spiritum itidem in offam illam cogi compertum ac testem habeo Angliæ naturæ curiosum *Dominum Cox*, vid. transactio Philosophica numerò 100. Unde, si, quod institutum meum est, oleorum ope sapore specifico urinosa salia imbuere animus fert, haud aberrabis, si proprium alcali volatile plantæ illius, cujus oleum desiras, sumseris. Ego, in *Catalogo medicamentorum meorum* dicam, olea solvo liquore insipido, ut extra formam oleorum redacta, ac hac ratione mitiora reddita, cum propriis suis salibus volatilibus eò meliùs misceri, ac in genuinas essentias converti queant.

Nec hoc prætereundum est, Salia volatilia plantarum genuina specifica quidem proprietate insigniri, sibique oleosam partem vel similem ei, in qua seminalis virtus est, assimilare, ex quo tamen illa ipsa merè etiam urinosa existunt, prout in superioribus dictum; ac dum destillatione eliciuntur, simul etiam oleum prodit, dubitandum non est, urinosis illis spiritibus simul aliquid Olei, pro more descriptæ hucusque coagulationis accedere. Dicam paucis, qua ratione ex mala applicatione veluti ex putredine acidum, Gorgonicus hic error subortus fuerit. *Viderunt autores illi, Urinæ Spiritum concrescere cum Vini Spiritu sublimationis ope, hincque Salem prodire, nec sciverunt probè, Spiritum solummodò Salem, salis ammoniaci scilicet esse in phlegmate solutum*, (Spiritum à Sale in tabula principiorum suorum distinctum ponunt) *hinc crediderunt, veram coagulationem factam fuisse. Viderunt deinde ab acido & alcali, eorumque concursu, aliàs salem enixum produci*; quanquam & acidum cum acido se in Sal coagulet, *ergò per bonam consequentiam*, quam ita vocant, *concluserunt in Spiritu Vini etiam acidum esse, & ab eo urinosum Salem arripi ac coagulari.*

Perinde itaque est, ut priora pertexam, quo Urinoso alcali utaris, in amplexus ejus Spiritus Vini ultro concedit, quod ut eò melius fiat, attendi debet (1.) Salem Urinosum fluore in sic dictum spiritum solutum esse

esse debere, requiritur tamen etiam, ut summè rectificatus existat, sed & subtilissimum vini alcohol simul sit; ita (2) ac pro lubitu spiritus misceri possunt, vasculum, quô liquores hi excepti sunt, in frigidum ponatur, ita meliùs concretio succedit, (3.) offa alba hac ratione concreta immittatur in phialam, & leni igne sublimatio instituatur, sic adscendit Sal volatilis ex *Spiritu anisi* e.gr. *dulcis &c.* (4.) Si ab oleis etiam e.gr. *anisi*, Spir. Sal. Ammoniaci abstrahatur, simili coagulatione in Salem istiusmodi dulcem *anisatum* abit.

Ast notandum etiam est, quòd contra acidum, fictum illum coagulatorem, præprimis militat, concretionem illam offæ albæ, stabilem haud esse, calori enim si vasculum, in quo concreta offa est, exponatur, ut rectè Nobilissimus *Bohnius* etiam annotat, vel calida etiam detineatur manu, quod non semel sum expertus, protinus coagulum diffluit. Notandum & hoc, Salem quemcunque, sive ex oleo anisi, sive ex spiritu ejus cum coagulatore hoc modô factum, protinus ac solâ aquâ communi dilutum supernatans oleum iterum reddere non sine saporis sui insigni jactura. Simile quid observare licet, dum sal istiusmodi ex sale Tartari iteratò sublimatur, oleum tunc in alcalisato maximâ sui parte relinquit, olea enim cum alcalisatis coëunt facilè ac fatiscunt, de quo alibi. Sunt & aliæ encheireses, quæ sic dictæ coagulationi oleorum inserviunt, statim e. gr. dum conficitur spiritus salis Ammoniaci, oleum, cujus sapore sal imbui debet, mixturæ alcalisati & salis ammoniaci addi potest, quô modô Chymicus Lipsiæ experientissimus, cujus manus jam aliquot annorum decursu deveneror, Dominus *Zittmann* utitur. Præterea compingitur in crystallos satis fixos sal istiusmodi, inque hoc fixatio, cujus in antecedentibus mentionem feci, consistit &c. Sed quomodocunque rem agas, quicquid tentes, oleum iterum separari potest, experimenta alia sub finem vide.

Hæc cùm ita se habeant, ecquis non videt, olea neutiquam ab Urinoso alcali immutari, nullâ ratione eorum acidum in salem reverà talem abire, eoque modô instar enixi Salis concrescere, sed partes solummodò oleosas non immutatas, Salinis alcali fucatâ amicitiâ, quasi quodam lenocinio adhærere?

Et hoc quâ ratione fiat, exponendum nunc est; Stante itaque hocce, firmissimô veluti suppositô, quod in antecedentibus probatum dedimus, Spiritum ardentem quemcunque esse solutum oleum cum suo phlegmate, oleum essentialiter maximam partem ex resinâ constare; hoc inquam suppositô, si insuper addideris Spiritum Vini, quò magis alcalisatus est, eò magis de resinoso oleo participare, hincque protinus instillatâ aquâ, cum quâ veluti cum proprio ac rectificatione dempto phlegmate, & destillatione firma adeò, ut in sequentibus dicetur, unio facta non est, lactescere, ultrò videbis, quod res est.

Phlegma illud, quo Sal Urinosum in spiritum solutum est, affusum Spiritui vini rectificatissimo, præcipitat resinam seu oleum, hinc color albus seu offæ se offert resinæ sc. præcipitatæ lactescunt. Alcali Urinosum liberatum quodammodò à suo phlegmate simul in fundo resinoso oleo se adjungit. Et hæc est coagulatio illa, spes fallax, ac inane votum, vacuisque cantat aristis *acida fidicen lyra Beckius.*

Clara esse omnia, quæ hucusque dicta sunt, haud facilè quis negabit, nisi qui Soli obloqui amat; unum alterumque tamen, ut dictis majorem lucem fœnerer, addere ab institutò alienum non erit.

Ex quo itaque offa illa alba concrevit, ipsi magmati, fundum tenenti, liquor limpidior supernatat, qui ex Spiritu Vini ac Salis Ammoniaci, utpote ex quibus, hoc scilicet Sal ipsum, illo resinosum oleum separatum est, phlegma cum superfluo Spiritu Urinoso censendus est, adeoque calore accedente, dum materiæ rarefiunt, in supernatante illo phlegmate, iterum coagulum resolvitur, prout hoc etiam videmus in spiritibus aliis, *Clysso Tartari Nitrique*, omnes coagulati hybernô tempore (frigus scilicet versùs centrum cogit, adeoque ad crystallisationem & coagulationem maximè facit) æstate à calore in suo phlegmate iterum diffluunt.

Adeoque & cum intuitu phlegmatis, quod in spiritu Urinoso est, resinosum oleum in fundum ex spiritu Vini præceps agatur, nequaquam alcali volatile siccum, sic dicti communiter flores salis Ammoniaci spiritui Vini commixti in similem eum offam coagulant; quando adeoque *citat. superius loco* dicit *Sennertus*, Sal Urinæ Spiritum vini coagulare, de spiritu hoc ac soluto sale intelligendum est; solvuntur illi, & solutio clara limpidaque remanet. Dixi concretionis negotium non succedere, si Spiritus Vini dephlegmatus non sit, in promptu ratio est, abundante phlegmate, dilutæ adeò sunt particulæ oleosæ resinosæque, ut in eas protinus agere spiritus urinosus haud queat, abundans illud phlegma diluit etiam magis alcali Urinosum, sicque iterum actio illa ac concretio in offam impeditur, quò minùs in particulas resinosas spiritûs Vini agere, ac in offam simul concrescere queat.

Dixi, nam & hoc explicandum est, phlegma destillatione uniri firmius, ita namque videmus aquam *Cinnamomi*, *Anisi &c.* iterato cohobiô abstractam egregiè ab admixto oleo resinoso, ut alibi dicam, lactescere, lacteum istum colorem non æquè produces, si cum aquâ oleum solummodò agitandô misceas, protinus enim illud supernatare vel fundum petere videbis.

Sic se res habet in aliis, cum oleo e. gr. & Spiritu Vitrioli. In Spiritu hocce phlegma cum acido Sale arctè adeò conjunctum est, ut in rectificatione simul cum Spiritu per alembicum transeat, contrà si oleum vitrioli, quod à Spiritu suo essentialiter non differt, concentratas solummodò magis particulas Salino-acidas, ultimô igne extorsas, ac pauciore phlegmate contentas habet, cum aquâ miscueris, limpidum habebis liquorem, qui si usum medicum spectes, ac rem ipsam, à Spiritu Vitrioli, oleô dilutiore, non differt, sed aqua cum Sale acido firmiter adeò, prout in Spiritu conjunctum non est, quin non evocari posset denuò, oleô vitrioli in fundo remanente, iteratum verò cohobium si instituas, oleum Vitrioli tandem tandemque in Spiritum eleganter abit. Inquirere hîc possem, cur ex Vini Spiritibus istiusmodi offam solummodò spiritus urinosi compingant? sed hoc explicatu facillimum est, miscentur spiritus illi aptè, cum activis constent particulis, easque ac semetipsum unà cum parte oleosa simul elevant, hinc cohærent faciliùs. Alcalisata è contrariò cum rectificatissimo Spiritu Vini non æquè miscentur, sed iis ille supernatat; unô verbô alcalia fixa tantam penetrandi vim non habent; acida porrò corrosiva prorsus vini Spiritum destruunt, in resinam commutant olea, si potentiora sunt, mixturæ verò Salium aliæ simile quid offæ albæ commonstrant, quale de Spiritu Salis Ammoniaci & oleo Tartari p.d. Clariss. D.D. *Bohnius*, annotat.

Præter dicta hucusque superest & aliud, quod mihi ipsemet objicio, amore quippe acidi illius, ac amplexu præcociore abreptus, similem & hac in parte cum *Acidistis*, (nullibi hoc nomine aut censurâ rigidiore tango alium, quàm solum *Beckium*, qui immane quantum sine ratione ullâ nugis hisce dementare videtur) sententiam quandam fovi, scilicet deprehendi curiosô artificiô, cujus testem habeo Clarissimum Virum Dn. Doct. *Schreckium*, in *Pharmacop. Augustan.* restit.

restit. p. m. 274. Urinosa animalium salia, quæ vitris aliàs detineri nequeunt, sine acidis illis spiritibus *Salis & Vitrioli*, qui *Tachenio* nauseam adeò contra *Zvvelfferum* moverunt, à Spiritu Vini eleganter in Crystallos compingi. Tribui hoc acido Spiritûs Vini, eoque impensè mihi blanditus sum, præsertim cùm ab *Helmontio* didicissem, *nullum generosum*, verba hæc ejus sunt, *remedium esse, quod non Spir. Vini nuptum sit*; sed & hîc sententiam mutare cœpi, cùm in memoriam mihi revocarim, Sales illos Urinosos in phlegmate suo ac parciore solutos ultrò sine etiam spir. Vini in crystallos elegantes concrescere, ex Urinæ spiritu istiusmodi crystallos sine acido ejus fixo commonstrare adhuc dum possum. Nec ejus rei ratio deest, successu scilicet temporis ex Spiritu humiditas ultrò disperit, *Salia*, quæ *agere non desinunt*, consimilibus etiam particulis suis se sociant conjunguntque, ita in acidis etiam solo Vitrioli Spiritu, in quibus de alcali nequicquam adest, cum tempore crystalli concrescunt. In Spir. Vini si soluti fuerint sales urinosi, felicius fixatio hæcce succedit, in ejus quippe resina habent particulæ Salinæ, in quod agant, sic se invicem arripiunt, prout hoc etiam licet videre in Spiritibus acidis, ceræ, resinæ ac simile quid si in illos injiciatur, agere protinus incipiunt, colorem mutant, sic per se Spir. acidos eleganter in salia sua redigere scio.

Atque hinc est, quod e. gr. *Spir. Tart. Sal volat. viper.* à rectificatione albissima successu têporis rubra nigra evadant, salia oleo sua, quæ abscondita gerunt, magis magisq; resolvunt, usque adeò ut acida, dum non habent, in quod agant, ipsum adoriantur vitrum, in quo detenti sunt, sic Hamburgi memini me vidisse fractum circulariter vitrum cum Spiritu Vitrioli, quem capiebat, in enixum abiisse.

Et hactenus solidè satis acidi Spiritus Vini commenta redarguisse me arbitror.

Certè, quod singulariter hîc notari potest, si acidum illud Spir. Vini occultum existit, mutua actione & reactione non adeò in enixum æque abibit, aut prout *Beckius* garrit, cum Sale Tartari fixo effervescentiam aliquam concitabit, hoc verò, quod illi volunt, quanquam falsissimum sit, dum facit inque Salem coagulatur, manifestum sit necesse est, nam vi axiomatis, *Salia agunt, ubi soluta sunt*; adeoque quicquid statuant, victas dare manus coguntur.

Ultrò in partem alteram discursus prolabor, quanquam eam prolixè hîc exigere animus haud sit, prout in superioribus jam dixi.

Beckii assertum, temeritatis maculâ notatum; hoc est, Spir. Vini Sal. Tart. affusus in eô aciditatem deponit, oritur hinc effervescentia aliqua (Germanicè dicimus *das Grasz hören vvachsen*,) particulæ terreæ præcipitantur. & Sal Tart. factum est volatile: In contrarium rectè habet laudatissimus *Bohnius*, non pondus Sal. Tart. hac Spir. Vini abstractione, augeri, sed imminui potiùs, accedit & hocce, quòd Spir. Vini ille à Sale Tartari abstractus licet pro *Tinct. Tart.* digerendo, agitandô toties totiesque misceatur, inflammabilitatem, prout jam diximus, & rectè etiam D. D. *Bohn* annotat, haud amittat, licet juxta *Beckium* acidum suum, in quo inflammabilitas ei unicè consistit, exuerit; adeò undiquaque in contradictionem se involvit.

Spiritus Vini dum miscetur cum Spiritu Urinoso, si de auditu vel cum apro certes, nullos effervescentiæ motus percipies, ne quidem incalescunt, sed in sale Urinoso longe subtilius ac penetrans magis alcali est, quàm in alcalisato, ut eò meliùs etiam actio & reactio in iis percipi posset, quam tamen nullam observamus.

Fixæ particulæ colliquescunt adeò fortiter cum alcalisatis, ut nec à potentioribus acidis, *Spiritu Vitrioli*, quod vel officinarum Pharmaceuticarum tyrones compertum habent, sæpenumero deturbari queant, præterea simul, quod experientiâ comprobatum habeo, cum Sale fixo, processu *Zvvelfferi* illo aëreo, fixorum scilicet volatilisatione, in liquorem abeunt, à solo autem Spiritu Vini, prout *Beckii* crepundia grande hoc sonant Epos, non tantum effervescentia concitari, sed etiam particulæ hæ terreæ sequestrari debent, sed hac de re alibi.

Quis nescit, iteratâ rectificatione Spiritus Vini subtilioris multum amitti, hinc erroris ansa non minùs arrepta est, in Sale Tartari ejus acidum imminui, hincque ejus ponderi decedere. *Calx viva* Spiritum Vini rectificatum phlegmaticum reddit, facta ab eo abstractione, forsitan quia etiam in calce vivâ coagulatur acidum ejus, ecquis verò nescit, à calce viva Spirituum ac particularum Salinarum copiam absumi? sic Spiritus Salis Ammoniaci cum calce viva factus non in ea quantitate elici potest, quàm si cum alcalisato destillatio aliqua instituatur, nec prodit Sal formæ siccæ, quod ab abundante sale urinoso alias esse solet, & hoc est, quod vi figendi calcis vivæ scriptores attribuêre.

Dicam, quod res est, *oleosæ ac resinosæ partes, quas in Spiritu vini esse superius abundè demonstravi, in alcalisato seu Sale Tartari remanent*, hic est *balsamus* ille *Samech*, & tunc à resina alium saporem, qui constrictorius aliquantulum est, Sal acquirit; constat namque, olea, id quod jam suprà innuimus, cum alcalisatis, quæ non immeritò *pinguia Helmontius* appellat, ob similis consistentiæ rationes concrescere, & partes aliæ etiam terreæ, fixis alcalibus pertinaciter adhærent, quæ omnia prolixè & curiosa experimentorum serie declarari possent, si instituti ratio illud efflagitaret.

Ut hæc itaque concludamus, à priori demonstratum est, traditâ superius Spiritus Vini ac oleorum analysi, non esse acidum ullum in illis, in resinam tantum insipidam, ardentem tamen, æquiponderantem ferè corpori suo, insuper sal volatile Urinosum ac phlegma, quæ flâmam non concipiunt, redigi ea posse.

Seminalem virtutem; ut & hoc addam, acidumque putatitium, somni suavioris incitamentum occultum vix 10080. partem corporis esse contendit *Beckius* noster, nihilominus cum alcalisato effervescere, coagulari ab iis reverà ac insigne pondus addere debet. *Er vvirds eine vveile fühlen* Germani dicimus.

Porrò & à posteriori seu effectu demonstratum est, non esse stabile aliquod coagulum Vini ac Urinæ spiritus, adeóque firmiter tenendum est, *in oleis & Spiritu Vini acidum indistinctè non occurrere*; *altisque cadunt de montibus umbræ*!

Nugas *Beckii* alias, v. gr. *acidum Spiritus Vini in ebrietate Spiritus nostros figere*, æquè verò, ac si spiritus ille, quem ex vino stomachus noster separat, cum communi illo arte ac Igne facto non genuino, prout eum Helmontius vocat, naturalis enim ope alcahest separatus mitis ac suavis est, coincidat, & in somno Morpheus forsitan alcalisatum afferet, ut acidum iterum liberet; nugas hasce inquam ac similes alias tractare, & inutilibus tempus terere nolo.

Demonstravi itaque, quâ ratione sales hi volatiles oleosi, juxta *Sylvium* sic dicti, ope Urinosorum spirituum confici possint, proximum nunc erit, ut etiam de usu eorum aliquid addam.

Hoc autem beneficij ab iis habemus, quod partes oleosas specificè distinctas, quæ digestioni nostræ ac stomacho aliquantulum reluctantur, protinus in corporis recessus ingerant, sicq; usus medicos accelerent. Sanguis ac partes nostræ omnes ex simili sale volatili Urinoso consistunt; ille adeoque naturæ nostræ inimicus non est, ut sibilo dignus sit Medicus, qui hîc dixit, mortem salium horum usu accelerari.

Eorum verò effectus ab ipsis oleis determinari possunt, universaliter omnes insigniter aperiunt, hinc experientiâ compertum habeo, quod sal volatile anisatum etiam alvum moverit, obstructos menses reseraverit; de reliquo, e. gr. *Sal Juniperinum* diureticam virtutem habet, *majoranisatum* narium obstructionem aperit, *absynthiacum* antifebrile insigne est, odoratum quanquam e. gr. oleo *Cinnamomi* odorem, saporem etiam aromaticum qualemcunque insigniter obtundat Urinosus, cordis affectibus, Syncopi succurrit, eadem & aromatica contra apoplexiam commendat *Helmontius*, scilicet cùm volatilia sint, sanguinem egregiè impellunt &c. De reliquo dosin omnia communem habent granorum xij. usque xx. ac in vino, à cujus aciditate egregiè sapor ingratus mitigatur, exhiberi possunt. Hæc de usu ac integra materiâ hacce dicta sufficiant.

ALKEKENGI.

Hujus *notæ* sunt fructus in calycibus in vesicas intumescentibus occultati.

Nomina Solanum halicacabum vulgare *I. B.* vesicarium *G. B.* halicacabum *Per.* halicacabum sive Alkekengi vulgare *Park.*

Vires. Radicis cortex tusus & ex aqua devoratus duarum drachmarum pondere purgat interdum per superna bilem & pituitam.

Solani halicacabi baccæ nephriticæ, diureticæ, ac lithontripticæ insignes sunt. Earum vis non solùm præstantissima habetur ad renum vitia, ad ciendam urinam, sed ad ejus quoque acrimoniam retundendam. Valet etiam fructus epotus ad expugnandum morbum Regium autore Dioscoride. Sumi autem possunt vel vino infusæ, vel in sero lactis aut Zythogalo decoctæ, vel in pulverem redactæ in quovis liquore.

Baccarum folliculi vesicam inflatam referunt, unde ex signatura seu nota impressa colligunt eas vesicæ dicatas & salutares esse.

Civis quidam Augustanus, morbo articulari gravissimè laborans, ita ut sæpe per integrum semestre decumberet, cœpit cujusdam suasu, singulis Lunæ mutationibus, in ipso illarum puncto, octo fructus Halicacabi comedere, vel contusos ex vino bibere. Ita expelli sibi per urinam materiam mirè fœdam, totumque se ab hoc morbo liberum affirmabat.

Suffitus seu fumus ex fructu Halicacabi contusô, cum cera mixto facta indè pasta in laminam ferream ignitam injecta, fumum suggerit, quo ore accepto, catervatim vermes è dentibus cum sputo copioso rejecti, & crudelissimi dolores sopiti observati fuerunt.

ALKERMES, vid. *Kermes.*

ALKOOL.

Alcohol, Alchool, Alcool, Alkel, Alcol. Vox est Arabica quæ duo diversissima denotat; primum pulverem tenuissimum, ac pollinis farinæ tenuissimæ instar, ferè impalpabilem; deinde spiritum vini reiteratis destillationibus rectificatissimum, ut accensus totus consumatur, nec fæces, aut phlegma relinquat.

ALLELUIA, vid. *Trifolium Acetosum.*

ALLIARIA.

Alliaria seminibus oblongis, teretiusculis majoribus cum Hesperide convenit; floribus parvis, albidis, foliis subrotundis, odore Allii, unde nomen sumpsit, ab eadem differt.

Nomina. Alliaria *Ger. Park. I. B. C. B.*

Vires. Alliaria dicitur quia Allium redolet digitis comminuta. Usus ejus est ad embammata, sive intinctus. Rustici pro salsamentorum condimento utuntur. Recens urinam ciere dicitur; sicca veneno adversari si in vino coquatur. Contra veterem tussim ex resina & melle sicca lingitur. Podagras acri aceto circumlita mulcet.

Singularem vim habet qua putredini resistit, unde & herba ipsa ex melle, & succus ejus inspissatus ad gangrænam aliaque ulcera putrida atque maligna unguentis cataplasmatibusque inditur.

Semen emplastri modo impositum, vulvæque admotum mulieres uteri strangulatu oppressas liberat & excitat.

Semen tritum naribusque impositum sternutamenta excitat, & cerebrum purgat.

Herba in oleo & aqua decocta & pota asthmaticis subvenit.

Folia enematis incoquunt nonnulli ad colicos & nephriticos dolores & calculum.

Scordium legitimum ut odore ita & viribus refert. G. Fabric. Hildanus cent. 2. obs. 44. Succus, inquit, Alliariæ in Gangrænis, ulceribus putridis & sordidis magnarum est virium, ut à frequenti experientia edoctus sum; mirum igitur nemini videri debet, quod nonnulli Antiquorum, Arabum præcipue, pro scordio vero Alliariam aliquando substituerint; non quòd verum Scordium ipsis fuerit ignotum, sed quod in Alliaria easdem ferè vires repererint: præterea Scordium minimè crescit in multis regionibus, neque nisi siccum & obsoletum haberi potest, cum Alliaria ubique ferè locorum prodeat.

ALLIOTICA, vid. *Alterantia.*

ALLIUM.

Allium nonnullis dictum videtur ab ἅλλεσθαι exilire, quod exiliendo crescat. Sunt qui ab halante gravi odore deducunt, & Alium scribunt: Vossius non dubium putat quin sit ab ἀυλιδες, i. e. Alliorũ capita seu nuclei.

Græcis Σκόρδον dicitur quasi σκαιὸν ῥόδον, i. e. rudis rosa, propter odorem gravem: vel quòd comestum vapores excrementitios ad cutim pellat, & vescentibus pandiculationes moveat.

Allii sativi notæ sunt bulbus è multis nucleis seu spicis compositus, odor gravis, vehementior, caulis rectus, singularis.

Nomina. Allium *Park. Ger.* sativum *C. B.* vulgare & sativum *I. B.*

Vires. Allium eximiè calidum est & causticæ facultatis particeps, quippe quòd non tantùm vesicas excitat, sed cutim corrodit. Nec obstat quòd in censu alimentorum est: nam & alia sunt foris quidem caustica, intùs autem minimè; quia intùs miscentur cum aliis eduliis cumque acido ventriculi alterantur: & præterea ventriculus humore mucoso satis denso oblinitur, ut cutem ejus interiorem non tangant ingesta.

Incidit & discutit, Alexipharmacum est. Usus præcipuus internus & externus est in colica flatulenta lumbricis, peste, tussi, calculo. Et ad effectus prædictos, sæpissimè à vulgo vel in lacte, vel in jusculo decoctum exhibetur, unde & *Theriaca rusticorum* appellatur. Verùm usum ejus frequentior molestus est & noxius, partim ob fœtorem intolerabilem, præcipuè vero quia capitis dolorem infert, sitim excitat, oculis nocet, sensuumque omnium instrumentis.

In Thoracis affectibus pituitosis egregiè facit ad expectorationem. In lacte coctum & tritum sistit catarrhos & prodest ad raucedinem. Mulierculis nostratibus ad hosce affectus in pueris in frequenti usu est; ut & ad lumbricos ventris enecandos & expellendos.

Allium (inquit Platerus de febribus) in hydromelite decoctum; & ad ℥ij. vel paulo plus exhibitum potenter sudores & urinas elicit in peste laborantibus. Hungari (inquit Joh. Bockelius de peste) pestis tempore non habent certius remedium quàm Allium: exsiccat enim corpora humana & putredinem impedit.

Refert historiam Zacutus Lusitanus de quodam sene, qui

ne, qui cùm in tempore hyberno per nivosa loca diu iter fecisset, innato ventriculi calore pæne extincto lethaliter decubuit. Pro quo instaurando & vivificando, cum calidissima remedia nequicquam proficerent: tandem Zacutus admonitus ab Avicenna Allium siccum melle delibutum exhibuit. Hoc cùm quatriduo usurpasset, melius habere cœpit, & cùm ejus usum mensem unum continuasset, sanitati restitutus est. Atque id ipsum Septentrionales populos natura docet, qui propterea Allium in continuo usu habent.

Allium cum adipe suillo tusum, si plantæ pedum eo inungantur, multum conducit ad pulmonum canales aperiendos & ab infarctu liberandos in Asthmate.

Si emplastra ex Allio contuso plantis pedum applicentur, oris halitus Allium spirabit. Tradit etiam *Petr. Laurembergius* in *Appar. plantar. lib.* 1. c 2. Allium gallinis & aliis altilibus cum esca objectum, saporem & odorem suum in eorum carne & ovis prodere. Denique Christophorus Bennet M.D. in *Theat. tabidorum exerc.* 29. asserit fonticulos ægrorum membris vel incisos, vel inustos in rarioris texturæ hominibus. Allij intus sumpti post tertiam aut quartam à comestione horam odorem reddere. Verùm (ut rectè *D. Lovver* contra *Edm. de Meara*) istiusmodi odorem vapores totum corporis habitum penetrantes non producunt; sed corpuscula quædam ex Allio decidentia sanguini miscentur, cùmque eo simul ad pulmones delata, unà cum fuliginosis sanguinis effluviis per expirationem emittuntur.

Allij succus potus hominem non modo turbat, sed etiam interficit. Secundum *Spigel.*

Gilbertus noster de Magnete lib. 1. figmentum ait & mendacium esse, Magnetem non attrahere ferrum si Allio illitus fuerit.

Ad cornua pedum ♃. Allium sub cineribus coctum, pluries calidissime supponatur.

De Allio, tanquam insigni contra venena & vermes medicamentô, sic ad me conscripsit Clariss. D. Joseph Lanzonus Medicus Ferrariensis Celeberrimus. Allium inter Deos jurejurando habuisse olim Ægyptum refert *Cæl. Rhodiginus Antiq. lect. lib.* 22. *cap* 2. ex quo Multi nonnulla encomia Allio tribuunt; *Galenus* autem Allium rusticorum theriacam appellat, & *Plinius* ad multa rusticorum medicamina aptum esse allium putat; Et ego justè fateri possum solo allio manducato Rusticum fere mortuum à fungorum Veneno liberatum fuisse, ac omnino sanatum hoc solo medicamine; imò ipse Rusticus postquam fuit sanatus mihi retulit, se olim Patrem suum ope Allii sanatum vidisse à Morsu viperæ; Ex quô deducere fas est, Allium inter remedia, alexipharmaca dicta, locum habere, & forsan hanc ob causam inter cibos militares Allium referebant Antiqui, ne scilicet veneno milites perirent, unde in obsidionibus Urbium olim in magno pretio allium fuisse testatur *Suidas*, cui alludit illud. *Allia perdo in obsidione*; Sic miles mihi jam retulit, qui trium Annorum spatio militavit in castris Serenissimæ, ac semper Gloriosæ Venetorum Reipublicæ, se à veneno ab alio milite impio, propinato, liberasse ope succi Allii ad pondus unciarum duarum assumpti, ex quô multam nigricantem, & fætidam evomuit materiam, inde superveniente Ictero, & Diarrhœa sanatus est, Allium quoque præstare adversus lumbricos pluries notavi; Mulierculæ enim nostræ, Ferrarienses filios suos ope aceti, ac succi Allij exhibiti à vermibus liberant, & unam præcisè nosco Adolescentulam annorum ætatis. 15. valde vermibus obnoxiã quæ ex quô sæpe in cibis utitur allio, ac ex quô semper secum gerit allium, non amplius à lumbricis tentatur, atque ut solebat antea torquetur; hinc Galliarum Populos allium pueris exhibere ad ventris animalia pellenda monet *Clar. Ioh. Bruyerinus De re Cibar. lib.* 9. *cap.* 12. *pag. mihi* 415. Sileat ergo Horatii Musa, quæ allium carmine suo mire detestatur, quod hic apposuisse non erit alienum, eruditionis gratia.

> *Parentis olim, si quis impia manu,*
> *Senile guttur fregerit;*
> *Edat cicutis allium nocentius.*
> *O dura messorum ilia!*

Allium enim multoties humano corpori juvat, ac multis medetur morbis, imò in deliciis apud quoſdã esse solet, maximè elixatum; elixatur enim, ut acrimoniam deponat, & succi sit melioris, unde Allio magnã in cibis autoritatem apud quosdam semper fuisse testatur *citat. Bruyerin. loc cit.* ait enim, hodie Galliarum illam portionẽ, quæ ad Pyreneum, Hispaniasq; spectat, allio liberalissimè vesci, & inter pulmentaria nautarum, atque navigantium eximiè commendat; hinc ob suum salem volatilem acrem appetitum conciliat, atq; cruditates acidas acrimonia sua alchalina corrigit; Egregium est diureticum, & in affectibus cholicis usitatum remedium, quod etiam commendat *summus ille Medicorum Antesignanus Galenus.* Umbilico illinitum hystericas etiam passiones sedare scribit *Clar. Etmullerus in Schrod. dilucid. part.* 1. Lac in Stomacho coagulatum dissolvere allium notavi ego in *Miscellan. Acad. nostræ Leopold. natur. curios. decur.* 2. *Ann.* 8. *obs.* 202. *p.* 505. Quę omnia breviter ad laudem Allii dicta sufficiant ad pręsentem exornandam observationem; Plura verò de Allio optanti dabunt *Schroder. Hofmann. Tragus, Paulli*, & alii plures tam antiqui, quam recentes Botanici.

Allium Serpentinum, vid. *Victorialis.*

ALNUS.

Alnus, (Græcis κλήθρα) inde dictam putat Curtius quòd ab amne alatur. Quid si dicamus; quòd ipsa potius herbas alat? *Pascit sata*, (inquit Plinius) *& sub Alni tegmine herbas succulentiores nasci observatum* J. B. Hoc de gramine fortasse verum esse potest (quod tamen nobis non videtur) at nec frumenta, nec legumina, nec linum, aut milium & similia, rectè & feliciter sub ejus umbra frigida proveniunt, ut observavit Aug. Gallus.

Nomina Alnus *Ger.* vulgaris *Park. J. B.* rotundifolia glutinosa viridis *C. B.*

Vires & Usus. Folia Alni viridia imposita tumores discutiunt & inflammationes extinguunt: viatorum calceis immissa dolorem & lassitudinem mitigant: viridia rore madentia conclavibus inspersa, brevique amota, pulices iis facilè adhærentes tollunt. E cortice Alni cum ferro detrito & rubiginoso per aliquot dies aqua macerato color efficitur niger, Atramenti similis, quo nonnulli ad lingendum utuntur, Sutores etiam etiam ad coria denigranda. Cortex Matthiolo pro atramento scriptorio conficiendo gallę vicem supplere potest. Cortex incipientibus inflammationibus utiliter imponitur, & ad oris & tonsillarum inflammationes ac tumores conducit.

Folia sive arida, sive viridia vetustis vulneribus sæpius imposita hæc ad sanitatem perducere feruntur.

ALOE.

Aloen Græci & Latini pariter tum & Officinæ herbam ipsam ejusque succum densatum appellant. Aloe autem dicta videtur quia maritimis gaudet. A Recentioribus Sempervivum marinum, quia Sempervivi modo diu durat appellatur.

Floribus hexapetalis, vasculis seminalibus in terna locumenta divisis se ad hoc genus pertinere ostendit. Foliis crassis succulentis, ad margines aculeatis, radice succum crassum, flavum, insigniter amarum fundente à reliquis congeneribus differt.

Aloe autem duplex est. Vulgaris scilicet & Americana.

Nomina. Aloe vulgaris *C. B. I. B.* vulgaris sive Sempervivum marinum *Ger. Park.*

Aloe Americana *Clus. Park.* Americana muricata *I. B.* Aloe folio mucronato *Ger.* folio in longum aculeum abeunte. *C. B.*

Aloes vulgaris vires & usus. Hujus plantæ succus, in aluta, utribus, aut vesicis concretus, Solisque calore induratus, hodie ut olim *Aloe* dicitur.

Hujus in officinis genera reperiuntur tria. 1. *Succotrina*, seu *Succotorina*, 2. *Hepatica*, 3. *Caballina*, quibus additur *Lucida*, quam alii à Succotrina non distinguunt.

1. *Succotrina* ab insula *Succotora* denominatur (Est autem Succotora Indiæ insula, ultra 128. m. p. à maris Erythræi freto distans.) Hæc omnium præstantissima est, 1. colore cum rubedine flavescens hepatis in modum, nitida etiam, h. e. pellucida seu transparens. 2. Odore aromatico, ad myrrham ferè accedente, undè odoramẽtis & suffumigiis olim adhibita erat, 3. Sapore amaro, aromatico & adstringente, amarore fugaci nec diu morante in lingua. 4. Pondere levis, substantia tamen compactâ. Tractando, in Sole etiam vel calore mollescens, frigefacta friabilis; quæ Aloes optimæ notæ sunt.

2. *Hepatica*, quòd hepati tum colore tum consistentia similior sit, vocitatur, præcedente impurior est, colore è citrino rufescente, non pellucida, odore graviore, amarore intensiore, magisque adstringens.

3. *Caballina*, quæ est Aloes crassamentum, seu pars impurior, arenosa & sordibus conspurcata, ideóque caballis seu equis exhibenda.

Horum trium generum ex una eademque planta, vel coadunatis earum speciebus, parandi rationem post J. Bauhinum tradit Abrahamus Muntingius in *Aloid. hist.* sequentem.

Folia ad unum omnia, radice in terra permanente, abscindunt, in frustra secant, atque planè contundunt, nec non per 30. horarum spatium in vase quodam fictili vitreato reponunt. Quo facto supremam succi partem, ad ejusdem usque evidentem omnino differentiam demunt, quam in alutam vel vesicam, Solisque calore exsiccandam deponunt, eamque Aloen *Succotorinam* vocant tum Insulæ Succotoræ tum Indiarum indigenæ omnes.

Deinde in medio consistentem succum, uterculis exsiccandi causa concredendum tollunt, quem *Hepaticam* dicunt.

Tandem ex sola remanente illorum fæce *Caballina* vocitata, omnium scil. impurissima, perficitur.

Nos potius suspicamur Aloen è vulnere seu incisione in foliis facta emanare: Aloe enim nobis videtur esse succus plantæ essentialis & proprius sanguini analogus, in vasis majoribus contentus, in quintam, ut vocant, essentiam coctione exaltatus, in quo tota vis plantæ qua talis nidulatur: non crudior ille & limpidus, qui fibris & parenchymati foliorum inest. Calore autem Solis concrescit. Quam opinionem confirmat *Plinius*.

Aloe vim præter purgantem obtinet & exsiccantem calefacientémque, obstructiones aperit, meatus reserat: Purgat autem biliosos & pituitosos humores.

Aloe pene sola medicamentorum quæ alvum solvunt confirmat etiam ventriculum, adeò non labefactat vi aliqua contraria. *Gal. Plin.* &c. Hoc castigatione opus habere scribit C. Hofmannus in *De Med. Officin.* Est enim, inquit, purgans propriè dictum, quo ipso affert secum aliquid naturæ adversum, quod dum corrigere volumus Mastice, Croco, Cinnamomo, tacitè fatemus culpam. Quinetiam Aloe tota magis roborat ventriculum, minùs purgat. Eluuntur enim simul cum sordibus partes quædam igneæ acresque quæ alioqui ventriculum lacessant.

Quòd frequens Aloes usus hæmorrhoidum venas aperiat, ego (inquit Fuchsius) millies observavi; & vos ex 100. eorum qui Aloe ad excernendas fæces utuntur, videbitis 90. hæmorrhoidum fluxum pati, omisso verò Aloes usu venas illas claudi. Certè venarum orificia aperiendi vim habere in confesso est, ob id vitanda iis qui hæmorrhagiæ obnoxii sunt ex ore, alvo, utero; hinc noxia prægnantibus. Et Thom. Bartolinus Act. Med. Ann. 1673. obs. 64. exemplum adducit urinæ cruentæ ex nimio Aloes usu. Dices validum adstringens esse. Imo, externè applicatum, non intus sumptum. Non autem quod medicamentum facit foris, id protinus etiam intus facit.

Aloe ventris tineas & lumbricos enecat & expellit: cum aceto & felle bovino mixta, atque umbilico imposita idem efficit; ictéritiam flavam depellit, omnemque putredinem arcet, nec non diu cadavera corruptionis vel putrefactionis immunia, cum Myrrha præsertim aliisque mista, conservat. Quare nonnulli Mumiæ efficaciam omnino possidere contendunt, eamque præter Aloen humana pinguedine mistam nihil aliud esse asseverant. Ejus verò pilulæ tres per aliquot dies exhibitæ mensium abundantiam excitant. Habui ancillam (inquit C. Hofman.) cui nulla alia ratione promoveri poterant menses quam usu pilularum de tribus.

Externè pulvis hæmorrhoidibus inspersus sistit. In vino dissoluta Alopeciam curat. Collyriis indita visum acuit: Cum melle mista pudendorum ulceribus, nec non fistulis, orisque putredinibus omnibus medetur, & halitum emendat. Ora venarum claudit, sanguinem sistit, densat & siccat externè admota; in pulvere vulnera recentia & quæ ægrè ad cicatricem perduci possunt mirifice conglutinat.

In Aloe exhibenda cautiones quædam habendæ sunt 1. Nè detur iis qui ex nuda intemperie sine materia laborant, Tales non indigent vacuatione, nedum medicamento tam fortiter siccante quodque loco vacuationis tabem inducit. Contra datur cum magno commodo frigidis & humidis.

2. Ne senibus detur & his qui quacunque de causa siccati sunt nisi necessitas urgeat.

3. Ne sit usus ipsius nimis creber, adeóque quotidianus, ut quidam faciunt. *Evacuatio enim quæ fit per purgantia valdè indigentibus & ex longo tẽpore utilis est.*

4. Quemadmodum Agaricus prohibetur gravidis, ita Aloe & Aloetica. Hinc ratiocinans Helid. in pertinacissimis mensium obstructionibus dat. Elect. de Hiera ℥j. cum Scrupulo croci integro.

Tria sunt in Aloe quæ correctione egent: 1. Quod tardæ sit operationis: quod corrigitur additis aromatibus essentiæ tenuioris & acribus, ut sunt *Macis, Nux moschata, Caryophylli, Cinnam. spica nardi, Calam. aromatic. Cubeb. Schœnanth. Crocus.*

2. Quòd debilis sit operationis: quod corrigitur à Ruffo addita Terebinthina vel alia resina acriore. Alii abluunt eam in decocto Rhabarbari, vel infusione Rosarum, & sic reddunt robustiorem.

3. Quòd anastomatica sit, & orificia venarum aperiat. Quod corrigitur commiscendo Mastichen, Tragacantham, Bdellium & similia. Vel abluendo eam aqua Endiviæ vel Cichorei.

Vires Aloes Americanæ. Planta hæc unica (inquit Franc. Hermandes) quicquid vitæ esse potest necessarium præstare facilè posset, si esset rebus humanis modus. Tota enim illa lignorum sepiendorumque agrorũ usum præstat, caules tignorũ, folia verò tecta tegendi, imbricum, lancium; eorundem nervuli & fibræ eundum usum habent ad linteamina, calceos & vestimenta conficienda, quem apud nos Linum, Cannabis; Gossipium

Gossipium, &c. E mucronibus fiunt clavi, aculei, subulæ, quibus perforandis auribus, macerandi corporis gratia Indis uti mos erat cùm Dæmonum vacarent cultui; item aciculæ, acus, tribuli militares, & rastilla idonea pectendis subtegminibus. Præterea è succo manante, cujus evulsis germinibus internis, foliisvè tenioribus cultis [Yztlinis] in mediam cavitatem extillat planta unica ad 50. interdum amphoras (quod dictu est mirabile) Vina, Mel, Acetum, ac Saccharum paratur. Succus namque destillatione fit dulcior & spissior donec tandem cogatur in saccharum. Vinum fit ex eodem succo diluto fontana aqua, additis corticibus Malorum Medicorum, Limonumque & aliis. E saccharo dicto paratur acetum, nempe resoluto in aqua, & novem diebus insolato. Idem succus menses ciet, alvum lenit, urinam evocat, renes & vesicam emundat. E radice quoque restes fiunt firmissimæ. Crassiores foliorum partes truncusque decocta sub terra edendo sunt apta, sapiuntque Citrea frustra saccharo condita: quin & vulnera recentia mirè conglutinant. Fit enim succus assatione glutinosus, qui suapte natura frigidus ac humens est. Folia quoque assa & affecto loco imposita convulsionem curant, ac dolores leniunt (præcipuè si succus ipse calens bibatur) quamvis ab Indica proficiscantur lue, sensumque hebetant atque torporem inducunt. Radicis succus luem Veneream curat apud Indos.

Præparata Aloes vulgaris. 1. *Depuratio.* ℞. Aloës q. v. pulveris. solve in aqua, quod arenosum subsidet; abjice: pinguissimum è contra & quod leve est, recipe.

Sunt qui aquam Endiviæ, vel Cichor. Acetosæve adhibent. Alii ut augeatur vis purgatrix decoctum purgans loco aquæ substituunt.

Aloë constat parte resinosa & aquea, illa purgationi inutilis est, hæc idonea. Ea propter, si Aloën purgantem expetas, neglecta resinosa, aqueam collige, in aqua solubilem, eamque à fæcibus sequestratam.

2. *Balsamus sive extractum Aloës.* ℞. Aloës succotr. q. v. extrahe rubedinem s. a. cum spir. vini, rectific. decanta, filtra coagulaque ad consistentiam aloë debitam. Dosis à ℈j. ad ʒß. Extractum poterit quoque fieri cum aceto still. & aqua rosarum.

3. *Aloë violata.* ℞. Aloës purissimæ grossè contusæ ℔j. infusionis violarum ex triplici infusione ℔iij. clarifica, digere ut solvatur aloë, cola ac coagula leni calore ad consistentiam pilularem. Dosis à ℈ß. ad ʒß.

4. *Aloe Violata Tartarea.* ℞. Aloës violatæ ℔j. Cystall. Tart. ℔ß. M. Dosis à ʒß. ad ʒj.

5. *Aloë Rosata.* Fit eodem modo quo violata cum succo Rosar. & ex eadem cum vino F. pilulæ.

6. *Aloë rosata Hieronimi ab Aquapendente.* ℞. Aloes puræ pulveris. q. v. impasta cum succo rosar. Damasc. seu provincialium: exicca leni calore æstivi solis; iterumque impasta, idque toties, donec Aloë sedecim succi partes imbiberit, reservetur dein in massa pilulari pro usu. Dosis ad ℈ß.

7. *Eadem aliter.* ℞. Aloës puriss. ℔j. succ. Rosar. Damasc. ℔ß. coagulentur ad ignem, idque repetatur bis vel ter, sic habetur Aloë rosata optima.

8. *Oleum Aloës purgans.* ℞. Aloëpaticæ ℔j. Myrrhæ ℥j. Thuris ʒß. destillata lento igne in cineribus ex cucurbita humili. *Vires.* Umbilico illitum purgat & expellit lumbricos.

Aloën succo Nicotianæ imprægnatam in usum trahunt quidam.

ALPHENIC, vid. *Penidia.*

ALSINE.

Alsine dicta est quòd ἄλση, id est, lucos & umbrosa loca præcipuè amat.

Alsines notæ genericæ sunt Folia conjugatim in caule sita, calyx ad modum floris in plura segmenta, seu mavis folia expansus, vascula seminalia simplicia, h. est in plures cellulas seu loculamenta minimè divisa, seminibus medium occupantibus, exteriùs protegente vasculo.

Nomina. Alsine tetrapetalos Caryophylloides, quibusdam Holosteum minimum. Alsine verna glabra *Ind. Monsp.* Alsine montana capillaceo folio. *Parkins. C. B.*

Vires. Refrigerat & humectat, easdem vires obtinet quas parietaria, præterquamquod non adstringat: insigniter nutrire creditur, unde atrophiæ pthisique laborantibus esca salutaris æstimatur. Ad scabiem decocta adhibetur.

ALTERANTIA.

Alterantia, ἀλλοιωτικά, dicuntur remedia quæ absque manifesta evacuatione aut etiam augmentatione, mutationem aliquam evidentem in humoribus, spiritibus & partibus solidis inducunt.

ALTERATIO.

Alteratio, ἀλλοίωσις, generaliter denotat qualitatum mutationem, h. e. in aliam naturam & à præsenti diversam transitionem. Alterationem triplicem constituit haud malè Fallopius, *Unam* quæ plane non lædit.

Alteram, quæ toto genere est præter naturam, & læsionem infert.

Tertiam, quæ medio se habet modo & vel ad statum. sec. nat. vel. p. n. referri potest, pro majori vel minori excessu.

ALTERCUM, vid. *Hyociamus.*

ALTHÆA.

Althæa ἀλθαία, vel ut constanter apud Galenum legitur ἀλθία, ab ἄλθος remedium vel ἀλθαίνειν medendo, nomen accepit. Althæa verò nomen inditum illi est à multiplici excellentique quam in medendo præstat utilitate.

Althæa folio productiore minusque rotundo item molliore & magis incano, adde & loco natali in palustribus & maritimis à Malva differt.

Nomina. Althæa vulgaris *Park.* Althæa Ibiscus Ger. Dioscoridis & Plinii. *C. B.* Althæa sive Bismalva *I. B.*

Vires. Emollit, laxat, discutit, dolores lenit, tumores maturat, acrimoniam mitigat, & corrigit, tum herba, tum etiam radix & semen. Usus præcip. in affectibus vesicæ & calculo renum, in Asthmate & Pleuritide. Extrinsecus ejus usus creberrimus est in clysteribus, cataplasmatis, &c.

In summa ad quatuor præcipuè utilis esse perhibetur.

1. Ad calculum renum & vesicæ, tum Syrupus Althææ, tum decoctum foliorum, sed præcipuè radicum, seu ore tenus assumptum, seu in clysteribus, tum denique semen quovis modo præparatum. Emolliendo & lubricando hoc efficit: Abundat enim succo lento & mucilaginoso.

2. Ad affectus pulmonum, Asthma, tussim, pthisin, pleuritin.

3. Ad intestinorum erosiones, dysenterias, &c. Decoctum radicum & mucilago seminum præcipuè.

4. Ad tumores duros emolliendos & maturandos (cataplaſma foliorum aut radicum.)

Ex radicis mucilagine cum Saccharo fit confectio Dialthæa in catarrhis ſubtilibus, in raucedine, in aliis gutturis vitiis utilis.

Mucilago Althææ aqua roſ. extracta eos dolores mitigat illita, qui arte à ſinapiſmis & veſicatoriis excitantur, ſi hi nimis moleſti ſunt.

Radix ad clyſmata dyſentericorum inſtar ſpecifici medicamenti maximè commendabilis eſt.

Mulierculæ nonnullæ radicibus Althææ papillarum ſciſſuras conſolidant, iis in linimenti formam redactis, addito tantillo ſacchari.

Ad renum affectus, ♃. Rad. Alth. ℥ß. Cicer. rubr. M ß. fiat juſculum cum butyro aut melle.

Radices Althææ acrimonia præditas eſſe arguit ab experientia D. Segerus. Ex applicatione enim hujus radicis contuſæ & in aqua ſimpl. decoctæ plurimæ puſtulæ rubicundæ & dolorificæ, membrum adeo exaſperavere, ut undique planè exulceratum apparuit, quod tamen malum emplaſtro de ſpermate ranarum ſanatum fuit.

Levamen manifeſtum notatum fuit in ſeptuagenario Stranguria laborante, aſſumpto decocto foliorum Biſmalvæ. Item in alio qui gonorrhœâ contaminatus videbatur.

ALUM, vid. *Symphitum.*

ALUMEN, vid. ſub Titulo *Sal.*

ALUMEN PLUMEUM, vid. *Amiantus.*

ALVUM SUBDUCENTIA, vid. *Hypactica.*

ALYPUM, vid. *Turbith.*

ALYSMA vid. *Damaſonium.*

ALYSSUM.

Alyſſon ab α privativo & λύσσα rabies dicta eſt, quod demorſos à cane rabido mirificè juvet. *Alyſſon* Galeno 2. de Antid. herba eſt marrubio ſimilis, orbes habens in ſurculorum ſummitatibus aſperiores & magis ſpinoſos, flores ad cœruleum vergentes: unde ſpecie diverſa eſt ab Alyſſo *Dioſcoridis* & *Plinii*, quæ foliis eſt rotundis, & fructu duplicium Scutulorum effigie.

Nomina Thlaſpi Narbonenſe Lobelii *Ger.* Thlaſpi Alyſſon dictum maritimum *C. B.* Naſturtium vel Thlaſpi maritimum *J. B.*

AMALGAMATIO.

Amalgamatio eſt calcinatio metallorum familiaris per hydrargyrum.

AMANTILLA, vid. *Valeriana.*

AMARACUS, vid. *Majorana.*

AMARANTHUS.

Amarantus, malè cum *th.* vulgò ſcribitur Amaranthus. Nam Græcè eſt Ἀμάραντος, quod & florem notat, & adjectivè ſignificat immarceſcibilis, ab α privativo & μαραίνω marceo.

Nec immeritò ita dictus eſt hujus plantæ flos, quoniam decerptus non ſtatim marceſcit, ſed coloris gratiam quàm diutiſſime retinet ſiccatus. Pro flore, hoc in loco, cum vulgo, ſpica tota, ſeu coma, intelligitur.

Amarantus autem à Blito differt coma ſpecioſa & immarceſcibili, ſemine in vaſculis membranaceis incluſo, quæ per maturitatem tranſverſim ſeu horizontaliter rumpuntur ad modum Portulacæ ſeu Anagallidis terreſtris. Fortè Blitum vulgare hoc reſpectu convenit cum Amaranto, nec aliter differt quàm ſpicarum colore, ut ſuperius diximus.

Nomina. Amarantus maximus *C. B.* paniculâ ſparſâ *Ger.* purpureus major paniculis ſparſis *Parck.* Blitum maximum ſive Amarantus major, ſemine albo *J. B.*

Vires. Folia, Flores & Radices Amaranti ad ſicciorem accedunt temperaturam. Hodiè in corollis puellarum texendis duntaxat uſurpantur. Cæterum tribuuntur huic paſſim vires quædam, quibus fides ſine ratione nequaquam eſt adhibenda; ut quòd cœliacos & dyſentericos juvet, menſium abundantiam cohibeat & albas uteri fluxiones.

AMARANTUS LUTEUS, vid. *Stœchas.*

AMARONÆ, vid. *Ceraſa.*

AMBARUM, vid. *Ambra.*

AMBRA.

Ambra varia ſortita eſt nomina. Aliis enim Hambra, item Ambar, Hambar, Ampar, Ambarum; Ambarus; imò Ambracan & Ambraca, dicitur.

De ejus origine inter Autores non parum diſputatum eſt, quorum cùm præcipuas opiniones accuratè admodum ventilaverit. Clar.Iuſt.Fid. Klobius Medic. Witteb. in doctô ſuô de Ambræ hiſtoria tractatu, propria ipſius hoc in argumento verba offerre minimè pigebit. Sic autem ille.

1. *Reperitur qui Ambram nativam dari negat.* Etenim ambarum, vulgò griſeum dictum, Veteribus vix cognitum nec quicquam factitium ex Ladano, Xyloaloe, Styrace & Zybetho credidit Leonardus Fuchſius, ſicut id teſtatur Adrianus Toll commentario in Stœckeri praxin auream *cap. de Epilepſ.* & Matthiolus *in Dioſcorid. p. 66.* quando ſcribit: neque libet ſubſcribere ſententiæ Fuchſii: qui in libro de componendis medicamentis, quam ultimo loco auctum edidit, Ambarum noſtri uſus factitium eſſe cenſet atque legitimum Ambarum, de quo ſcripſerunt Mauritani, quodque ipſe ſuccini generi adſcribit, deſiderari, ſiquidem non video, quibus rationibus vel autorum teſtimoniis hanc ſuam comprobet ſententiam: Audiatur Silvaticus, qui controverſiam dirimit: Sophiſticatur quidem cum ligno aloes, ſtorace, calamitha & ladano reſolutis, addito muſco reſoluto in aqua roſarum & appoſita aqua in parva quantitate, ſed cognoſcitur, quia ſophiſticata poteſt malaxari ſicut cera, Vera autem non; *in Pandect. cap. 37.* Ideoque quamvis factitia detur, non tamen eſt neganda nativa apud nos, Id quod ex ſequenti hiſtoria apparebit manifeſtiùs, ubi procul dubio Genuina Ambra & non factitia inter Cæſarum dona præſentata eſt D.14.Maij Anno 1615. *Mehemet Kihaja Turcarum legatus Imperatori Matthiæ dedit decem equos coloris aurei, magnificè, & ſplendidè ornatos, præcipuè eorum ſex quorum duo ephippia & frena unionibus undique picta habebant, alii verò rubris tegumentis cooperti erant: cimelium ex adamantibus & rubinis confectum; ſex canes veloces coccineo panno tectos; tapetem unionibus pictum ita amplum & gravem ut robuſtus homo vix eum ferre poſſet: duos pulvinos Turcicos, & duos catinos bezoar, bizam, Ambra, terra ſigillata, balſamo, & omnigenis raris repletos; Mitteran in 22. libro hiſtoriæ ſuæ Belgicæ.*

2. *Reperiuntur, qui ſcribunt, quòd Ambra ſit ſpuma maris.* Ita quoſdam ſenſiſſe teſtatur Idem Silvaticus in Pandectis & Weckerus *in ſuo Antidotario ſpeciali lib. ſect. 2. p. m. 79.* Et Libavius *lib. 4. Singularium cap. 1.* Eò quoque perventum eſt, ut ſpuma maris quædam crederetur. Verum ſufficiunt ad hanc opinionem, quæ Garcias ab Horto & ex hoc Weckerus habet

habet. Et opinio ratione caret, quod nullum ambarum inveniatur, ubi frequentissimæ sunt Balænæ & ubi fluctuum reciprocatione spuma plurima excitatur; quemadmodum id quoque satis demonstratum est à Fragoso in libro de medicamentis ex Indiis in Europam delatis *cap. de Ambaro p.* 89. Scaliger *Exerc.* 104. hæc habet: Balæna dentes nullos, pro iis longissimas virgas habet, crassitudine pollicari, quæ tamen in villos scinditur ac desinit, his subigit maceratque spumam, unde ali creditur, visæ namque sunt pinnis ciere fluctus eosque dirumpere crebris impulsionibus atque ore excipere, unde nutrimenti vel fides vel suspicio. Nam quantum piscium sit satis ad explendam ingluviem, atque reponendam corporis immanitatem, neque molem vorare grandiorem licet eis propter gulæ angustias, aditus enim vix semipedem patet, Minusculi pisces facilè subterfugiunt illius invasiones, flexu enim lento est & ignavo, alii negant alio tempore spumas illas agitari, quam cum in Venerem lacessitur &c. Ubi nulla fit mentio Ambræ: Libavius citato loco *p* 339. pergit, Repudiantur, qui spumam maris dicunt, quod nihil ambræ existat multis in locis ubi spuma exactissima, Cur dulcis & non salsa foret ambra, si spuma esset? &c.

3. *Reperti sunt, qui arbitrabantur, quòd Ambra sit jecur cujusdam piscis.* Id quod testatur Idem Silvaticus in Pandect & Eichstadius in libello de Confect, Alcherm *cap.* 15 & Fragosus citato loco, quod Symphorianus Campegius hepar esse cujusdam piscis marini autumet, Verum notum est jecinora præter suum parenchyma ex aliquibus constare venarum & arteriarum filamentis, quarum vel minimam saltem particulam in frusto Ambræ etiam satis magno repertam fuisse usquam, nullus scribit, quantum ego memini, Et verisimile non est eadem jecinora evomi à balænis aliisve belluis marinis sine vitæ noxa, quæ postmodum vel in littus ejiciantur, vel à nautis ad hanc rem attentis in mari colligantur, Et unde quæso rostella atque conchylia aviumque ungues aliæque res quandoque in ambra reperiuntur, quemadmodum id abundè constat, ad jecinora pervenirent, nisi concedere velimus, aviculis forte insidiari balænas & aucupia instituere in alto mari & conchylia colligere, eademque rostella sive sint avium sive polyporum sepiarumque officula, ut vult Carolus Clusius *lib.* 7. *in Garciam ab Horto de Aromatum historia cap.* 1. atque illa omnia ad jecinora ablegare certo naturæ instinctu sine noxâ concoctionis integra & quasi in peculiarem capsulam impacta reponere.

4. *Reperiuntur, qui scribunt, quòd Ambra sit sperma Ceti.* Sic Hieronymus Cardanus *lib. de subtilit. p.* 184. Creditum est esse semen piscis horrendi monstrosique ex Cetaceo genere, cujus caput lapidis referat duritiem (hinc Lapis Manatis ut nonnulli scribunt, sed fortè rectius Manati, sicut patet ex Historia Naturæ Joannis Eusebii Nierembergii *cap.* 9. *lib.* 11. *ex Oviedo*) Hic in Oceano oritur ejusque nomen Ambar. Et Jul. Cæs. Scaliger, qui rem propius putaverunt, omnes pene aliquid de Balæna esse arbitrantur; Et versa pagina, Qui Balænæ semen esse autumant, è lumbis, quibus hæreat, excipi prodidere: Quæ adducta sunt à Cardano & Scaligero habet Historica Descriptio Africæ nostro ævo scripta à Joanne Leone, Afro, primò Arabicè, dein Italicè, nunc verò Gallicè, Lugduni apud Joh. Temporal 1556. cum Privilegio Regis fol. pag. 383. Tit. de Piscibus.

Ambara, Piscis.

Convertimur nunc ad Pisces. Ambara magnitudinis & formæ horrendæ piscis est, qui nonnisi mortuus videri potest, quum mare illum in litus ejicit, Capite est duro, quasi lapideo: & nonnulli viginti quinque perticis longi, & quidam longiores reperiuntur, itaut non malè illi nomen Ceti adaptaretur: Litoris Oceani Incolæ hunc piscem esse Ambræ ejectitium dicunt; At an sit sperma vel stercus ignorant.

Addit autem Scaliger: Hoc nondum mihi pro certo est inventum in Venationibus Callaicis & Bajonensibus. Et Nicolaus Monardes lib. de simplicib. medicament. ex novo orbe delatis *cap.* 7. Inde convellitur eorum opinio, qui Balænarum sperma esse asserunt, ex eo decepti, quod interdum in Balænarum Ventriculis inveniatur; quæ illud aquis innatans nonnunquam devorant, alimentum esse existimantes. Et Autor non nominatus *in notis Caroli Clusii ad Aromatum Historiam Garciæ ab Horto cap.* 1. *p.* 243. expressè habet: Vulgo persuasum esse, non sane quod verum sit, sed quod falso id vulgus putavit. Francisci Baconi Baronis de Verulamio sententia hæc est, in Historia Naturali Centur. *IX. p.* 929. Quidam censent, ambram ex piscium spermate refundi; sed extra probabilitatis speciem, opinio est, &c. Imprimis notanda veniunt verba Excellentissimi D. D. Schröderi, quæ habet *lib.* 3. *cap.* 31. de spermate Ceti: Est & aliud genus bituminis, quod sperma Ceti Officinæ vocant, alii Ambram subalbidam, alii florem maris seu salis Veterum interpretantur, Germ. *Wallraht*: Et in notis: Colligitur in mari cui ceu sperma supernatat, cujus autem originis sit, nondum inter se autores conveniunt, sunt enim, qui esse semen volunt à Balæna seu Ceto emissum, sed malè, invenitur enim in locis ubi ne Balænarum quicquam deprehensum, & quæ habet *lib.* 5. *cap.* 77. de Ceto in notis. Ex hoc animali sunt, qui sperma Ceti officinarum desumi volunt, sed malè, Alii ambram ipsi acceptam referunt, sed itidem falsò &c. Deinceps nulla fit mentio Ambræ, ubi magna balænarum copia est; Benevolus Lector haud gravetur suam concedere benevolentiam in perlegendo piscandi genere balænas in Florida, quam ipsam piscationem ita recenset Johannes Eusebius Nierembergius in sua Historia Naturæ *lib.* 11. *cap.* 60. *ex A Costa:* Quo piscationis genere in captandis Balænis, quas Florida numerosas exhibet, Indi utuntur, hoc ferè se modo habet. Canoam seu scapham inscendunt & eam usque ad dorsum conspectæ Balænæ impellunt, post, Indus è navi super piscis cervicem exiliens & illic aliquamdiu ceu in equo sessitans, opportunum tempus venatur, quo acuminatum palum secum in hunc usum allatum, in ejus narium unam profundus defigere possit, Nares autem hoc loco vocamus ea foramina, per quæ tum aërem bestia introspirat, tum conceptam aquam copiosiùs eructat, succedente ergo primo ausu, arreptis fustibus ac sudibus eam undique alacriter contundit Indus, quibus irritatior balæna reddita plagis, immani habitu furere incipit & nunc hûc nunc illûc per vastum mare sese jactat, ingentique fremitu magnam aquarum molem in montes excutit: nonnunquam magna succussatione in profundam maris abyssum se demittit, paulò post iterum in aera seu altum erumpit & motus præ insania miros & aspectu horrendos edit. Interim nihilominus Indus ceu expeditissimus eques, in equo suo immotus considet & ut dolorem ferocientis bestiæ ingeminet aut acerbiorem reddat, palum secundum quoque in nares alteras pisci abstrudit, tamdiu repetitis ictibus incussum, usque dum omnes trahendi aeris meatus ei præcluserit: Ita probe confectâ re, pisce relicto, in suam iterum insidit canoam, quam secum interim pertraxerat redalligatam: Eâ ergò paulò longiùs à pisce secedit, funemque quo illum ligavit aliquantò extensius remittit, sensim tamen post se nonnihil attrahens, ita piscis, quamdiu profundas aquas habet, mirè furit, suum ductorem insequendo, At in humiliorem

locum

locum maris excussus propter corporis inexpediti vastam molem illicò immobilis jacet, nec se prorsum vorsumve movere potest. Hoc viso Indorum magnus numerus prædæ spe, dicto citius approperans, balænam conficit: cujus postea dissectæ carnes viritim ex æquo partiuntur, ex quibus resiccatis deinde probam farinam & ex hac tandem panes longo tempore durabiles pinsunt &c. Eandem historiam Germanico Idiomate recenset Merian vel potius Johan. Ludvvig Gottfried, in Historia Antipodum; cujus piscandi modus in figura ab eodem exhibetur: Et de Balænis pugnacibus idem Nierembergius refert *cap. præced.* 59. Juxta Insulam Loandam, ad latus maris, plurimæ balænæ conspiciuntur, quæ in se invicem magno boatu insurgunt ac sæviunt, adeò ut ob cruentum, quod ineunt prælium, plures sæpè in littore extinctæ reperiantur; Has incolæ diligenter per littora conquirunt atque è pinguedine unguentum quoddam parant, quo naves picis loco illinunt. Quamvis autem hic semper balænæ cernantur, *Ambra* tamen hic nulla, non grisea, quam vocant, non candida, non nigra. E quo efficitur non esse Balænarum semen ambram, uti aliquorum opinio est, cum hoc in loco, ubi tanta illorum copia est, ne nomine quidem nota sit. Hæc autem allegasse placuit ideò, quoniam Autor Gallus in Historia naturali Insularum Antillarum Americæ cap. 20. de Ambra grisea, ejus origine, notisque characteristicis veræ & sinceræ, liberaliter admodum scribere audet, ad Floridam & in aliis Americæ locis ambram copiosè reperiri hisce verbis: Ambra grisea majori in copia reperitur in oris Floridæ quàm in aliis Americæ locis.

Sic quoque juxta Norvvegiam in Oceano Deucaledonio & Hyperboreo versus Islandiam & Groenlandiam nihil quicquam Ambræ reperitur: Nam sic scribit Gerardus de Veer, Amstelodamensis in descriptione itinerum Batavorum ad regiones septentrionales *p.*182. in tertia parte ubi Johan. Hugo à Lindschott qui Norvvegiam diu incoluerat sic ait; Vidimus in mari magnam copiam spermatis Balænarum & plurimi nostrorum nautarum corbibus dictum semen colligerunt. Ubi nulla fit mentio ambræ.

Neque recordor Valerium Cordum libro de halosantho & Gesnerum in Corollario de halosantho quicquam meminisse de Ambra.

Et Laurentius Eichstadius in libello de Confectione Alchermes scribit *pag.* 65. sperma Ceti est mollius nec ita friabile ut ambra &c. Constat itaque ex allegatis ne tantillum quidem ambram convenire cum spermate Ceti, sed nimio plus potius differre; quod ipsum quoque cujusvis autopsia facile testabitur.

5. *Repertos fuisse, qui Ambram esse fructum arboris sub mari crescentis.* Idem testatur Silvaticus in Pandectis, Verùm quanquam constet ex Odoardi Lopetz navigatione ad Congianos instituta, ut refert Pigafetta: Quod in parte Insulæ Loandæ continenti opposita nascantur in locis humilioribus sub aqua arbores post defluxum maris conspicuæ, quarum radicibus magnæ adhærent ostreæ carne pugnum humanum æquante, sapore jucundo: *in Histor. Mexican. Joan Fabri p.* 567. plantæque aliæ ac frutices, qui ad arborum figuram aliquo modo accedere videntur, sub mari crescant & reperiantur, ut sunt Quercus Marina Theophrasti, frutex marinus Erucæ facie, teste Carolo Clusio & Corallium in ramos pro naturæ voluntate nunc plures nunc pauciores singulari atque amabili venustate sese diffundat & propterea etiam à plurimis frutex vel arbor salutetur, Ideo tamen de certitudine arboris Ambram ferentis nihil concludere licet.

6. *Reperiuntur, qui Ambram Camphoræ speciem esse ajunt:* Quod ipsum asserere conatur Averroes 5. *Colliget. cap.* 56. Cui adstipulari videtur Cæsalpinus, quando *lib. de Metallicis. cap.* 33. *p.* 71. ita scribit. Nec injuria fortè Averroes inquit, Camforæ genus esse, quod nascitur in maris fontibus, aquis innatans, quæ Ambra dicitur, ex genere succini: Verum reprehenditur à Weckero, quod ejus opinio à Veritate sit aliena & tanto Viro insignique Philosopho indigna, sitque clarius, quam ut multis demonstrari debeat, primùm quod Gamphuram in mari nasci dicat, deinde quod eandem, quæ frigida est & sicca tertio gradu, Ambari genus faciat, quod calidum & siccum statuit secundo ordine *lib.* 1. *Antidotarii special. sect. de Marinis.* Hæc ille: Quibus & hæc forte addi possunt, quòd Camphora tenuium sit partium & propter earundem volatilitatem facilè evanescat, nisi semine lini vel pipere addito, quasi nutriatur semper, & ita conservetur, Ambra non item: Et Septalius *in Animadversionibus Medicis* scribit: Non est recipienda sententia patrum commentatorum Mesues, quam Calestanus adeo mordicùs defendit, ambræ camphoram æquali pondere addentium cum legatur Ambracam: (cujus est mentio facta supra in nominis appellatione) dictionem postremam, Cam, Camphoram explicantes, Cum Cam Epithetum optimæ ambræ sit, vel communi omnium loquendi modo receptum: *lib.* 9. *numer.* 146. *&c.* Præterea de Camphora constat, quod illam fundat arbor caphura dicta: testantibus Joan Eusebio Nierembergio in Histor. Naturæ *lib.* 14. *cap.* 39. *pag.* 314. ex Francisco Hernando & Excellentiss. Mœbio Prof. Publ. Jenens. in Anatomia Camphoræ. De Ambra non.

7. *Reperitur qui asserere conatur, quòd Ambra sit species Naphthæ.* Ita sentit Nævius in Consilijs à L. Scholtzio collectis, *Consil.* 225. Puta Ambram non esse ex piscibus ut quidam opinantur, sed ex naphthæ genere, quod succinum Orientale demonstrat, moschum & ambram olens &c. Verum Naphtha 1. est colamen Bituminis Babylonij, 2. est consistentia liquidum, 3. est ignis rapacissimum, quemadmodum testatur Excellentissimus Schröderus in sua Pharmacopæia, quod de Ambra dici nequaquam potest.

8. *Repertos fuisse, qui Ambram esse gummi quoddam arbitrabantur, testatur sæpius citatus Silvaticus.* Verùm Gummata sunt concreti liquores, aqueis faciles solutu, profusi tum ex stirpibus, tum ex arboribus excelsis; Namque sic *Gummi Arabicum* manat ex arbuscula, quam Dioscorides Acaciam nominat. Sic *Anime* ex arboribus quibusdam proceris incisis in nova Hispaniola exstillat. Sic *Asa fœtida* est Lachryma Laseris in Media, Lybia ac Syria. Sic *Benzoe* stillat ex arboribus certis, magnitudinis proceræ quo ad corticem sauciatis, Sic *Caranna* affertur ex Carthagine Indiæ Occidentalis seu novæ Hispaniæ provincia, ubi ex vulnerata arbore elicitur. Sic *Elemi* asportatur ex Æthiopia, ubi stillat ex arbore, quam oleam nonnulli volunt, alij cedrum. Sic *Copal*, Sic *Galbanum*, Sic *Mastiche*, Sic *Myrrha* cum sua stacte, Sic *Opium*, Sic *Opopanax*, Sic *Sagapenum*, Sic *Sanguis Draconis*, Sic *Sarcocolla*, Sic *Storax Calamita*, Sic *Tacamahaca*, Sic *Tragacanthum*, Sic *Olibanum & Thus* ex suis sibi proprijs exstillant & eliciuntur arboribus &c. Quæ omnia Excellentissimus Schröderus obfirmatè passim recenset in sua Pharmacopœia ex præstantissimis & probatissimis autoribus, Garzia videlicet, Matthiolo, Cordo, Monarde, Dioscoride, Clusio, Fragoso, Cæsalpino, Lobelio, Bellonio, Dodonæo, Tabernæ Montano & alijs: Itaque cum nondum constet ex quanam arbore vel frutice, hujus vel illius Regionis, Ambra proveniat, assensus videtur esse differendus. Refert quidem Alexander Geraldinus in India Episcopus, in Itinerario suo ad Pontificem Leonem X. (quod ipsum Itinerarium Onuphrius Geraldinus Auctoris AbNepos edidit Romæ An. 1631.) *p.* 175. Dam-

Damniana, Panniani Soli civitas maxima est, per medium cujus flumen à Nilo ortum labitur, ibi latissimæ Valles, ibi altissimæ arbores, vellera nobilissimi serici per folia tenentes, ibi per colles odoratæ passim arbores se retegunt, quæ quadam parte anni sudorem per internodia emittunt, quem postea coagulatum per sancta deorum templa adolent, cum suaviori longè odore, quam ipsa thura, &c. Verum à Geraldino ambra vix indigitatur, cum eâ ratione pervenire & reperiri haud possit in Oceano Æthiopico & Indico, cùm tamen in his & eorundem circumcirca littoribus imprimis inveniatur, quemadmodum infra pluribus demonstrabitur, sed potius beneficio fluminis à Nilo orti Pannianum solum & Civitatem Damnianam perlabentis in mare mediterraneum devolveretur, ubi tamen inveniri nullibi fit mentio. Ex Libavio addere libet, quæ habet *lib*. 4. *Singularium cap*. 2. *in Scholiis p*. 320. Mira est ambræ natura non statim indurari, postquam eliquata est, cum tamen id faciant cæteræ resinæ liquabiles, ut & pix & cera.

9. *Reperiuntur qui scribunt, quòd Ambra generetur in mari in speciem fungorum & à fluctibus maris in littus ejectari soleat.* In hâc Opinione non solùm fuit Avicenna *lib*. 2. *c*. 63. sicut scribit Weckerus, cujus sententiæ tamen non in omnibus editionibus fit mentio, allegat autem Autor non nominatus eundem Avicennam in notis in notas Caroli Clusii ad Garciæ ab Horto aromatum historiam *pagin*. 243. his verbis: Quod autem à fluctibus maris in littus ejectari soleat præclarè ostenderat Avicenna, ideò nos illa ex Codice Arabico conversa retulimus. Et Serapio *lib. de simplicibus c*.196. Hambra id est Ambra dicitur, quod nascitur in mari & generatur in eo sunt species fungorum in terra & quando mare turbatur, ejicit à fundo ejus lapides magnos & cum iis ejicit frusta ambræ: Sed & ipse Scaliger *Exerc*. 104. *sect*. 10. Cùm tot seculis nulla in Balænis ambra visa, facilius inclinat animus, ut credamus fungi esse speciem, cortice siquidem obductam vidimus, nec sine squammularum vestigiis, ut in fungo vetulo, intus globulorum cohæsionibus potius accedit ad tuberum naturam quorundam, quæ papillatim concreta sunt: Et in fine hæsitanter: Si quid ad persuasionem facere potest, illud huc adducendum censui, In Rutenis fungillos nasci perpusillos valdè odoratos, ad Pyrenæos etiam odoratiores, quos *Mosserons* vocant. Verùm Serapionis verba vix sunt attendenda, nam 1. nondum probatum est in mari nasci ambram, & 2. generari in eo sicut species fungorum in terra, sed potius sibi invicem contrariantur fungi & ambra: Nam fungi facilè putrescunt, rancescunt & magno labore exsiccati, situ & carie corrumpuntur, ambra non item, sed ambra laudatissima potius à putredine, situ & carie conservat & odoris fragantia vitales Spiritus egregiè mehercle recreat reficitque. Scaliger si per *Mosserons* *intelligit Muscari, illi sane non sunt fungi, sed 1. sunt flores. 2. habent folia. 3. habent bulbos. Fungi non. Odoris fragrantia imitantur quidem quadantenus Muscari Moschum, quemadmodum & Cyanus Moschatus & Geranium Moschatum, & Abel Mosch. &c. Ideò tamen non sequitur 1. Ambra est fungus. & 2. Crescit sub mari Fungus Scaligeri puerile figmentum est, scribit Libavius *l*.4. Singularium *p*.345. videndum an sub mari nasci queat fungi planta. Non quod foris aliquid simile habet, statim est idem. Concedimus in India nasci plantas odore fragrantes. Sed talis fungus nondũ est conspectus. Nec fungi cadaver quidem. In Rutenis fungillos nasci ait perpusillos valdè odoratos, & ad Pyrenæos odoratiores, quos *Mosserons* vocent. Sed nihil hoc facit ad persuasionem, monstrandi sunt in mari Æthiopico & Indico, &c.

10. *Reperitur Andreas Cæsalpinus, qui Ambram gemmam quandam esse autumat*, quando scribit *lib*. 1. *de Metallicis cap*. 34. *p*. 72. Forte non erraret, qui diceret (loquitur de ambra) vocari Aromatitem Plinii, quam inter gemmas reposuit: Hanc sententiam fovere Cæsalpinum testatur Aldrovandus in Musæo Metallico *l*. 3. *c*. 21. *p*. 431. illa fortè ratione ductus, quod Plinius scribit Aromatiten gemmam myrrhæ odorem redolere *l*.37. *Hist. Nat. c*. 10. Verùm Cæsalpinus sibi constare non videtur, quando *l*. 2. *c*. 36. de Onyche *p*. 121. ità scribit: Alia est gemma Samatracia apud Plinium ex Insula ejusdem nominis nigra ac sine pondere ligno similis; Hæc hodiè Ambra nigra vocatur copiosa in Compostella; ex qua conficiunt imagines S. Jacobi Compostellani, quas peregrini ferunt religionis gratia; globulos etiam formant ad Coronas precarias: Sed fortè ab Ipso Cæsalpino Aromatites gemma ad Succini seu Gagatis potius species rectiùs refertur *cap*. 28. *lib*. 2. *de Metallicis p*. 113.

11. *Reperitur qui scribit, quòd Ambra sit verum & nativum Sulphur.* Ita sentit & scribit Trium Cæsarum Romanorum Medicus Crato *in Consiliis à Laur. Scholtzio Collectis column*. 1093. his verbis: Hoc silentio minimè præterire debeo, Sacræ Cæsareæ Majestatis Maximiliani II. Augustam Conjugem Mariam Caroli V. filiam Dominam meam Clementissimam, ambram mihi donasse, quã ego pro vero & nativo sulphure habeo, cùm & ardeat incensa & maculas sulphureas habeat. Verùm facilè conceditur plus participare de sulphure, si in principia Chymica resoluta consideretur, quam de sale, cum magis olfactus quam gustus organon afficiat suavibus suis & amicabilibus exhalationibus, suasque facultates earundem subtilitate amplius diffundat, Et quamvis incensa arserit & sulphureas vel potius flavas habuerit maculas (de sulphureis autem maculis alias nemo quicquam habet, quantum ego memini) exinde tamen non concludendum, quod sit verum & nativum sulphur: Libavius *lib*. 4. *Singul. c*. 5. *p*.340. ad hanc Cratonis opinionem ita infert: Libenter credimus tanto Viro asserenti suam ambram arsisse ut sulphur; sed nulla autoritas dignitasque alioquin satis est ad cavendas omnes imposturas; Quid si aliud quid fuisset quam ambra?

12. *Reperiuntur, qui scribunt, quòd Ambarum sit terra*: Sunt qui existimant esse Insularum aliquot sive rupium partes, quas mare undis tectas habeat, quæ subinde tempestatum impetu avellantur. Nam partibus sæpenumero natat 10. aut 12. imò 50. & 60. palmarum, Ita ferunt aliquando integras reperiri Insulas ex Ambaro, quas cum repetere vellent illi, qui antea naves oneraverant, nullas invenere: Jo. Hugo à Lindschott *cap*. 70. Germanica editio *pag*. 50. *parte quarta* habet quidam existimant quod sit spongiosa quædam terra, &c. Hæc mea est opinio, veluti pro regionum natura, terra interdum rubra est, ut Bolus Armenus, interdum Candida ut Creta, nonnunquam nigricans, sic verisimile est aut Insulas aut terras similis cum Ambaro formæ inveniri, quòd terra sit aut fungosa, aut alterius generis, quod verum esse testatur magna ejus quæ reperitur quantitas, Siquidem inventa sunt interdum fragmenta humanæ magnitudinis, interdum nonaginta palmarum latitudinis: Affirmarunt nonnulli, se Insulam ex puro Ambaro vidisse, quam postea requirerent, nusquam comparuisse, Anno 1555. Circa promontorium Comorin quod è Regione Insularum de Maldiva est, fragmentum trium ferè millium pondo repertum est; sed cum is qui invenerat picem aut bituminis genus esse existimaret, vili admodum vendidit; maximum verò, quod unquam viderim fragmentum, quindecim libras pendebat: Sed qui in Æthiopiam commercii causa navigant, multò majora fragmenta se vidisse affirmant, totus enim ille Æthiopiæ tractus

* *Non intelliguntur Muscari, sed fungi apud Gallos* Mousserons *dicti, qui revera aliquid de ambra odore referunt. Non tamen sic Scaligeri opinionem firmatam volumus.*

tractus à Sofala ad Brava usque Ambaro abundat, scribit Pro-Regis Indiæ Medicus Garcias ab Horto *lib.* 1. *Aromatum Historia cap.* 1. Et ex eodem aliquoties citato loco Weckerus. Garciæ quadantenus adstipulatur Renodæus in Dispensatorio: Eâ generali acceptione, cùm bitumen possit etiam dici terræ species, non illius verisimilitudinem impugno; Et revera nonnulli terram pretiosam vocant. Terræ fungosæ pinguisque genus ob fragmentorum amplitudinem Occo appellavit, referente Libavio in Singularibus *l.* 4. *c.* 1. Quàm autem hæc opinio sit veritati consona exinde elucescit, quoniam isti terræ nullus certus assignatur locus, dum nunquam fit mentio ab autoribus, ubi effodiatur aut reperiatur, quemadmodum Bolus Armenus, Bolus Bohemicus, Creta, ab Insula Creta sic dicta, Catechu seu terra Japonica, (quanquam de hâc nondum constet an sit terra simplex vel aliquod compositum) ab Insula Japan, Terra Lemnia, Terra Melitea, Terra Silesiaca, &c. Et si esset aliqua terra atque ejusdem integræ darentur Insulæ in longè minori fortè esset pretio; Deinde terra acu perfossa vix resudat & oleaceum liquorem mittit quæ tamen pro præcipuis notis habentur melioris Ambræ. Cardanus *de tuenda sanitate p.* 318. scribit: Et quamvis Insulas & moles in mari Indico Ambaris esse glorientur, ad fabulas, ut reor usque, certum tamen est, magis deesse rem quam usus rationem: Præterea Libavius citato loco *p.* 342. de Insula ex ambra pura, quæ interdum pateat, interdum evanescat, videntur anilia narrari. In Historia Mexicana à Joanne Fabro etiam hæc habentur *p.* 571. De Insulis ejusmodi Ambarinis F. Gregorius nihil sibi unquam visum nec auditum fuisse sanctè mihi affirmavit. Posse ingentia Ambræ pondera interdum mari innatare non absurdum putamus, quæ hyperbolicè Insulæ dici queunt.

13. *Reperiuntur qui scribunt, quòd Ambra ex quodam fructu ad maris littus nascente fiat:* Id quod patet ex Nicolao Monarde, quando *lib. de simplicib. medicamentis ex novo orbe delatis cap.* 7. *p.* 301. ita scribit & decidit: Non desunt qui Ambar ex fructu quodam ad maris littus nascente fieri dicant, qui Aprili & Majo Mensibus maturescit & odoratus est, quem decidentèm vorent balænæ, quasi fructus in alimentum cedens, aliud quam sanguinem & Carnem generare possit: Carolus Clusius Exoticorum *lib.* 2. *de Indicarum plantar. Hist. c.* 17. de Ambare hæc habet: Fructus est hîc in India, Ambare vocant, nucis magnitudine, nullius in Medicina usus, sed eo solent cibos condire ut palato gratiores reddantur: maturus enim odoratus est, gratamque aciditatem retinet, cartilagineo quodam integitur cortice virescente, dum immaturus est; at in maturo fulvus color: Christophorus à Costa exactius describit *in lib. suo de Aromat. c.* 52. *p.* 288. Crassa magnaque est hæc arbor foliaque habet juglandis foliis magnitudine respondentia, sed non ejus formæ, dilutius virentia & multis venis elaborata, quæ illis magnam gratiam addunt, flores exiguos, candidos, fructus juglandis nucis magnitudine virentes & cortice quam illa læviore, odoris gravis & gustus acerbi, dum adhuc virent, coloris verò flavi in maturis, gratioris odoris & saporis grata aciditate commendabiles, medullam continentes cartilaginosam & duram è duris nervis obliquè intertextis constantem, hanc arborem appellant Canarini Ambare, fructum Ambares, Persæ Ambereth, Turci Harb, Lusitani Ambares, quemadmodum Canarini: propter fructus gratam aciditatem omphacii seu agrestæ loco cibis admiscent, maturum ex Sale & aceto edunt, excitat enim edendi appetitum, unde adversus biliosos humores utilem esse perhibent, Sale & aceto conditus diu conservari potest: hucusque Christophorus à Costa. Sequentia addit Carolus Clusius citato loco. Conduntur in Cadis ut apud nos olivæ, sed sunt longè meliores, &c. Exinde patet fructum illum Ambares, nullam planè habere cognationem cum suavissima Ambra, sed saltem, si fortè obviam veniant, balænis alimentum suppeditare.

14. *Reperiuntur, qui scribunt, quòd Ambra sit manatio fontis in mari ad instar bituminis:* In hac opinione fuit Simeon Sethi teste Adriano Toll superius citato loco & Cardanus *lib.* 5. *de subtilitate p.* 28. Camphora, succinum & ambra è bituminis genere sunt, atque eâ de causâ etiam si quid horû fluat ex arboribus, nil prohibet, quin etiam ei simile in terræ visceribus generetur.

Et Avicenna *lib.* 2. *Tract.* 2. *cap.* 63. Ambra secundum quod existimo, est manatio fontis in mari.

Et Georgius Agricola *lib.* 4. *de natura fossilium c.* 5. consentit. Rectius Avicenna & Pselus ipsam Ambram in mari effluere è fontibus sentiunt. Et lib. de natura eorum, quæ effluunt è terra *cap.* 17. Est bitumen quoddam, quale emanat ad maritimum Arabiæ Felicis oppidulum, quod Sichrim appellant; Id ipsum etiam concretum Arabes Ambram vocant.

Et Reinerus Solenander in suis libris de caloris fontium causa.

Et Bertinus *lib.* 18. *cap.* 13. Ambra seu Ambar est liquidum Bitumen, suave, odoratum.

Et Libavius *lib.* 4. Singularium: Verior sententia fluere de fontibus in mare, & ibi induratum ejici in littora.

Et Garcias ab Horto *lib.* 1 *de Arom. c.* 1. Ambarum Bituminis modo ex maris alveo emanare, hæc opinio melior & veritati magis consona plerisque visa est.

Jo. Hugo à Lindschotren in Navigatione ac Itinerario suo in Indiam Orient. *c.* 70. *p.* 75. scribit: Ex fonte aliquo, aut ipso maris fundo suis locis glutinoso, haud inani argumento creditur fluere. Cum Lindscotano consentit D Paludanus in annotationibus: Ambarium Latinè, Arabicè Ambar, picis quædam est species (ut & meritò autor ait) ex certis fontibus alto in mari existentibus ejectum. Id soli expositum mox duratur, ut alia, quæ ex mari proveniunt.

Et Adrianus Toll in commentar. ad praxin Auream Stöckeri *c.* 2. *de Epileps. p.* 22. Verissimè bituminis quoddam genus est, ex maris fontibus & alveis, procellarum vi in littus eructatum, quod aëri expositum illicò densatur, ut solent pleraque alia, quæ sub aquis adhuc tenella molliaque sunt, aquæ verò eruta exsiccantur & indurantur, ut Corallium, succinum.

Idem sentit Nicolaus Monardes de simplicium Medicamentorum historia *c.* 7. Varia est circa ejus originem opinio, sed verissimum Bituminis genus esse ex fontibus in alto mari manans, quod aeri expositum illicò densatur, ut solent pleraque, quæ sub marinis aquis tenella & mollia sunt, at aquâ exempta durantur, ut Corallium, Succinum. Idem existimat Julius Cæsar Baricellus in hortulo suo Geniali p. m. 287.

Paulò speciosiùs scribit Jo. Eusebius Nieremberg l. 2. *Hist. Nat. c.* 59. A solertibus naturæ indagatoribus observatum est, ambram habere suas scatebras & fontes in mari, è quibus hic succus terræ emissus instar petrolei vel halosanthos profluit, & postea densatur ut asphaltum vel succinum, ideóque in numero bituminum rectè ponitur *p.* 64.

Præterea in Francisci Hernandis Medici in Indiis præstantissimi Nova Plantarum, Animalium & Mineralium Mexicanorum Historia à Nardo Antonio Reccho in ordinem digesta à Joanne Terrentio, Joanne Fabro & Fabio Columna notis & additionibus illustrata & Romæ Anno 1651. excusa, adeóque haud ita pridem, equidem satis prolixè de Ambra agitur, itidem tamen statuitur: Ambram non esse aliud quàm Bitumen & quoddam veluti terræ excrementum, quod ab ejusdem visceribus in maris abysso in mineralibus innata expellitur: quod ipsum p. 572. ulterius asseritur.

Atque

Atque complures alii, iique præcipui, quos omnes jam commemorare supervacaneum duco.

Verùm sunt sine certitudine nudæ conjecturæ: Nam nunc ajunt, esse manationem fontis in mari ad instar bituminis, nunc ajunt scopulorum & cautium radicibus Spongiformi & molli adhærescere substantiâ, nunc ajunt esse Terræ succum, ut Eusebius, nunc esse Terræ excrementum, ut patet ex Hist. Mexicana, nunc, quòd Ambra quasi integra sit pinguedo, nunc oleum Concretum ut Cardanus, quid ergò tandem aliquando fiet? Locum hic habet illud Hispanorum proverbium: *De Luengas Vias Luengas mentiras*: Et conqueri hîc possent, de quo Scaliger conqueritur in Gazelæ & Moschi descriptione de scribendi periculo, quando fides nostra ex aliorum sæpenumero pendeat mendaciis: *Exerc.* 211. *n.* 3. Nam vix credidero Simeonem Sethi & Avicennam ac suæ opinionis adstipulatores suis oculis ad maris abyssum penetrasse, illamque manationem observasse; Itaque qua facilitate asseritur, eadem facilitate rejicitur, videlicet quando nulla planè subest probabilitas, nedum relationis alicujus, aliqualis saltem certitudo. De succino quod adfertur exempli loco, adhuc sub judice lis est, num in mari mollescat, & ex mari demum induretur, cùm etiam alibi extra mare repertum fuisse satis constet, & habita quadam disputatione publica in Academia Regiomontana (ubi succinum satis copiosum est) inter lapides potiùs referatur; sed illam ego litem non facio meam: Nam, quod concernit generationem suam, illa hûc non spectat, inter omnes tamen, quas reperiri Autorum opiniones, arridet imprimis illa, quam fovet Ruellius in Natura stirpium *lib.* 1. *cap.* 40. *p.* 114. & 115.

15. *Reperiuntur, qui scribunt, quòd Ambra sit succinum*: Sic enim Cæsalpinus *lib.* 1. *de Metallicis c.* 34. *p.* 72. Ambra vulgò nomen commune est ad omne succinum. Privatim autem apud Arabes medicamentum est odoratissimum à Recentioribus Græcis Ambar, à Latinis Ambarum vocatur, vulgò Ambra Cane & Ambra Griscia, Hermolaus Barbarus primus succinum Orientale vocavit. Et Georg. Agricola *lib* 4. de Natura fossilium *c.* 15. scribit: Tam Arabicum succinum, quàm Asiaticum Mauri appellant Ambram. Et Reinerus Solenander de caloris fontium causa: Non alia ferè in Re differunt, quam quòd in diversis gentium Regionibus oriantur & concrescant: ea sunt succinum, quod Græci ἤλεκτρον vocant, & Arabum Ambra: Hæc in Arabia Felice ad Sichrim (ut scribunt) oppidum maritimum ex liquido bitumine coloris è cinereo candidi concrescit, illud ex eodem bitumine è Saxis in Germanicum mare profluens atque ibi indurescens succinum (quod quasi è succo fiat) appellant. Quò inclinat Uffenbachius Francofurti ad Mænum Ordinarius quondam Medicus, qui ad Wirsungi Medicinam meminit, quòd Ambra sit delicatus & suavissimi odoris succus vel ex terra quidam proventus.

Secundùm Bertinum *lib.* 18. *cap.* 13. nuncupatur Succinum Asiaticum seu Africanum,

Leander Albertus in Descriptione totius Italiæ Tit. de Liguria *p.* 14. scribit: Lingurium item, quod Electrum aliqui vocarunt, nonnulli ambram, abundabat. Hæc ille. Verùm hîc duplex fit confusio, primò confunditur Ambra cum succino, & deinde succinum cum Lyncurio. Dum Ambra ab aliquibus Autoribus succinum & quidem Africanum appellatur & Lyncurius lapis, succinum, propter colorem & pelluciditatem, cùm tamen toto cœlo differant. Sed hæc obiter.

Et Matthiolus citato loco in Opinione prima scribit de Fuchsio, quòd legitimum Ambarum, de quo scripserunt Mauritani, ipse succini generi adscribat.

Et in Opere Historico Germaniæ Antiquæ Schardii de Effluviis Suevis *p.* 170 *c.* 25. in Cornel. Tacitum hæc habentur. Cæterum ut cum succino convenit ambarum, quod & ambra & ampar profertur ex Ætio non est obscurum, qui & materiam ejus subindicavit, cùm illud multis in locis aut sulphuris aut bituminis modo scaturire pronunciet, & Selachiticum à Municipio quodam Indiæ vocatum, ubi scaturit, cùm ibidem sit subalbidum, aliis anteponat, in Officinis Indicum ferè Ambra Chrysea, nostra verò Citrina appellatur, Gallis etiamnum eadem consuetudo permansit. Hæc de communibus appellationibus succini satis sunt.

Et Jo. Monardus in Composita Mesuæ ad confectionem Galliæ Moschatæ *p.* 420. Ambra Canni est Epitheton ambræ, quæ à Recentioribus Græcis ambar dicitur. Ex nostris fuêre, qui succinum Orientale vocarunt, &c.

Verum succinum est pellucidum, ambra non. Succinum ad maris littora quidem invenitur, attamen etiam è terra effoditur, quemadmodum Rondeletius, Celeberrimus Medicus & Philosophus Charabe extractum habuit ex montibus Pyrenæis, in cujus altera parte fuit Charabe, in altera Gagates Lapis, ut scribit Gœbelius *lib.* 2. *de succino p.* 17. Ambra non. Nam neq; ex terra effoditur, neque in montibus reperitur. Succinum duriusculum est, adeò ut inter gemmas referatur à Francisco Ruco *l.* 2. *c.* 26. in tractatu de Gemmis aliquot iis præsertim, quarum Divus Joh. Apostolus in sua Apocalypsi meminit, atque ex eo componantur altaria, pocula, candelabra, arculæ, statuæ, &c. Ambra non: In succino aqua conspicitur, quæ decrescente Luna decrescit, & accrescente Luna accrescit: Jo. Bartholom. Crügerus Prof. Med in Academ. Regiomont. Disput. de Succino. In ambra non. In succino reperiuntur festucæ, alga, herbarum stipites, folia arborum, culices, muscæ, formicæ, de quibus testis est Martialis lib. 6. n. 15.

Dum Phaëtontea formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modò quæ fuerat vitâ contempta manente
Funeribus facta est, nunc pretiosa suis.

araneæ item, erucæ, pisces & ova piscium ipsi involuta reperiuntur: ut scribit Aurifaber in succini historia: In ambra non: In succino Rana reperta est & Lacerta, sicut scribit Daniel Hermannus Prussus in Discursu Philosophico:

Aspicis ut stet adhuc illæso corpore Rana,
Rana gerens viridem ceu nuper nata colorem
Ut pedibus distenta est; ut torvumque tuetur
Lumine distorto; Et saltum velut usque minatur
Et quasi contendit patulas exire per auras,
Abnegat Electri massa indurata regressum.
Frusto alio exiguos tremebunda Lacerta lacertos
Ne quicquam extendit, sinuatque volumina caudæ
Tortilis: & squamæ apparent per terga minutæ
Et parvi unguiculi; deformes pandit hiatus
Os, in agone olim luctâque in mortis apertum,
Quando animam evomuit crebris singultibus actam.
Sanguinis hinc sparsi vestigia viva supersunt.
Heu misera ut voluit caveam evitare futuram!
Suavis odor pinguis terræ penetrare cavernas
Impulit: hîc illam liquido implicuitque Electro
Vix ambas melius Cous depingat Apelles.
Vix repræsentant sic viva membra colores.
Felices ambæ, atque æterno nomine claræ
Quas talis succus tumba tumulavit odora
Nobilius nullum poterant reperire sepulchrum, &c.

Et Vipera. Nam sic Martialis lib. 4. n. 159.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit
Fluxit in obstantem succina gemma feram,
Quæ dum miratur pingui se rore teneri
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne Tibi regali placeas Cleopatra sepulchro
Vipera si tumulo nobiliore jacet.

In ambra talia non inveniuntur: Contra verò ambra bibula est, nam dissolvitur non quidem spiritibus vel aquis destillatis, neque etiam vino, *sed potius* guttulis aliquot olei appropriati & destillati: Zvvelfferus in Animadv. ad Pharm. Aug. ad pulver. pro ulcerib. gutturis *p.* 165. *col. a.* Succinum non. In ambra rostella avicularum inveniuntur, conchylia item & ostrearum

rum testæ & Officula de sepiis ac avium unguiculis aliæque res ut lapilli, *teste Olao Wormio in suo Museo*, quemadmodum pluribus demonstrabitur: In Succino non. Et quantum Odor Ambræ differat ab odore succini non opus est, ut pluribus jam deducatur, cum sensus unumquemque illud ipsum docere satis possit. Deinde verò succinum attrahat ad se paleas & folia arida, ut magnes ferrum, scribit Erasmus Stella in Borussiæ Antiquitatib. *lib.* 1. *p.* 517. de Ambra scribit hoc nemo, quantum ego memini. Addenda quoque hîc veniunt, quæ habet Agricola *lib.* 4. *de natura fossil. p.* 494. M. Paulus Venetus asserit in Balænis ad Insulam Madagascar inveniri (loquitur de ambra) ut fortè invenitur, tametsi in nostris piscibus repertum esse succinum, nescio. Et adjicere placet verba Libavii, *quæ habet lib.* 4. *in scholiis p.* 334. Si quis Salem & Chalcanthum adimere posset succino, ambram faceret: Verum (quemadmodum ipse Libavius scribit *eod. l. p.* 313.) luxuriare solent mentes acumine speculationum.

16 *Reperiuntur, qui Ambram esse excrementum belluæ cujusdam marinæ referunt.* Ita quosdam sensisse testis est Silvaticus in Pandect. Et Libavius in Singular. li. 4. c. 1. Aliqui putant, ex cibis in ipso gigni & vel adipem esse vel excrementum alvi, huc respiciunt, qui Electrum ab ipso pisce voratum nobilitari scribunt, fortassis quo pacto animal Zibetti, Caprea Moschi, Martes & congeneris odoris exhibent medicinas p. 305. Et idem innuit Jo. Eus. Nierembergius in Historia Naturæ *l.* 7. *c.* 64. de medicamentis ab animalibus desumtis, dum hæsitanter scribit: Quid jam opus esset addere, si excrementum Balænarum ambra fuisset. Et Avicenna lib. 2. tract. 2. cap. 63. & Adrianus Toll. commentar. in Stockeri praxin auream cap. de Epileps. *p.* 23. dum ita sentientes refutant. Illud quod dicitur, quod ambra sit excrementum animalis maris longinquum est. Et quamvis in Balænæ Ventre magna aliquando quantitas reperiatur, non propterea æstimandum in ventre balænæ genitam, cum forsitan in fluctibus attigerit & ingesserit. Nam absurdum est arbitrari illius excrementa ac pravam illuviem ambram esse, cum ea etiam optima à balæna devorata bonitatem ac suavitatem amittat. Et Hieronymus Megiserus in Descriptione Insulæ Madagascar sequentia habet. Alii existimant quod sit Balænæ excrementum cænosum, & stercoraceum, quæ fuit etiam Avicennæ sententia: cui sententiæ objici potest, quod si ambra sit sperma sive excrementum Balænæ, quî fiat ut propè Bajonam in Gallia, & Cantabriam in Hispania nulla reperiatur nec unquam reperta fuerit, quamvis in dictorum locorum littoribus magna Balænarum copia videantur, & capiantur quotidiè.

Præterea Eduardus Lopetz & Augustinus Cassiodorus in Descript. Regni Congo *p.* 10. sequentia referunt: Supra Balænarum cutem crescunt variæ piscium & conchyliorum species, dictusque Eduardus hoc verum esse & pluries vidisse affirmat: autumatque ambram non ex illo pisce, ut vulgò existimatur, procedere, cùm in tota Regni Congo regione, ubi magna illius piscis multitudo reperitur, nulla nec grysea, nec nigra, nec alba ambra colligatur.

Tot jugulatis in America, Gallia & alibi Balænis sat stercoris inesse deprehensum est, sed non omnibus ambram nec dimidiam nec totam mutatam Libavius *li.* 4. *Singular. p.* 345. Et non solet animal ejusdem speciei facilè alterius stercus vorare. Propiùs accedit sequens opinio, quâ asseritur.

17. *Quòd Ambra sit recrementum Balænæ.* Quæ ipsa opinio ex sequenti cum primis comprobabitur relatione: Nam ita Carolus Clusius *lib.* 7. *in Garciæ ab Horto aromatum historiam p.* 148. Quid sit legitimum Ambarum atque quomodo nascatur, dicam, quod Francofurti ad Mœnum Anno 1593. paulò ante meum ex ea urbe abitum mihi referebat Vir probatæ fidei mihiq; Amicus Dom. Servatius Marel Burgundus, qui multas regiones peragraverat Ambariq; Moschi, gemmarum & similium rerum mercaturam exercuerat. Quum enim de Ambaro inter nos sermo incidisset, ille ad me, Exploratum-ne habes quidpiam de Ambaro? Non inquam, præter ea, quæ ex Garciæ Aromatum historia & libell. Nic. Monardis de simplicib. Medicam. è novo orbe delatis didici; Legi, inquit, utrumque, illum quidem à te Latinum factum, hunc verò Hispanico sermone evulgatum, sed quid aliud adferunt, quàm Autorum dubia testimonia, qui cæcutientes tanquam in tenebris versantur: Mihi autem crede Ambarum nihil aliud esse, quàm Recrementa quædam in ventriculo Balænæ Veræ multo tempore collecta, Veræ inquã, quia plerique cetaceos alios Orcadem Physeterem & similes magis dentibus præditos Balænæ appellatione donant. Balæna autem legitima nullos dentes habet, sed integros pisces vorat & mollibus imprimis delectatur ut polypis, sepiis & similibus, quibus in Ventriculo non probè confectis necesse est, multam viscidam materiam in eo generari, quam posteà simul congestam & ventriculum nimis gravantem vel singulis annis vel breviore temporis spatio rejicit. Ista materia tam diu in ventriculo asservata, deinde rejecta & mari innatans Ambarum est, in quo interdum polyporum devoratorum rostella deprehenduntur. Si Balænæ liberato jam recens ab illa materia ventriculo capiantur, nullum ambarum habere reperientur. Si aliquantò post rejectam materiam, aliquid quidem habebunt, sed deterioris nec probè excocti atque ita paulatim crescens illa materia congesta probitatem vetustate adquirit, at si ante, quã Ventriculus illà materia liberatus, sit Balæna capiatur, plurimum & optimum reperietur. Hæc ille: Quam ego ædepol opinionem vix non amplector, modo in aliis quoque locis, ubi itidem magna Balænarum copia est, illud idem experiri liceret; si scil. in Archipelago di S. Lazaro & Mari Pacifico, si in Mari Medit. si in Scythico, si ad Norvveg. in Oceano Deucalidonio & Hyperboreo, It. ad Regnum Congo, si ad Moluccas ambra inveniretur, vel in iisdem inibi mortuis vel occisis balænis reperiretur, applausũ tùm mereretur hæc opinio. Præterea non videtur accipienda, quod ex polypis, sepiis aliisve similibus piscibus mollibus putredini facilè obnoxiis & aliàs succum haud ita bonum suppeditantibus tam nobile medicamentum vitales spiritus reficiendi, generari posse, verisimile non sit; Mercatorum, inquit Libavius *l.* 4. *Sing. p.* 397. sermones incerti sunt, & plerumque sub magnis titulis abscondunt magnas fallacias & magis lucrum quam naturales historias quærunt, & ob id mirificè res distinctas confundunt: Quod ipsum quoque jamdudũ asserere non dubitavit Cicero, quando scribit. Nihil proficiunt Mercatores, nisi admodum mentiantur. *l.* 1. *Offic.* In totum tamen hæc opinio rejicienda non videtur, sed in quantum recipienda. Etenim reponi quandoque & in Balænarum ventriculis ambram colligi, est extra omnem controversiam, quandoquidem relationes illud ipsum satis commonstrant; Nardus Antonius Recchus & Jo. Faber in Francisci Hernandis Historia Mexicana *p.* 563. scribunt: Immensam Ambræ quantitatem non tam terræ ipsi, quam scopulorum & cautiũ radicibus spongiformi quidem sed molli admodùm substantia adhærescere, hujus autem substantiæ mixtura talis est, ut cuncti omninò pisces magis illam, quam ullũ alium cibum escamve appetant. Et Laur. Eichstadius de confectione Alchermes *c.* 15. de Ambra scribit: Si nonnunquam in Cetis inveniatur, ab iis absorptam esse verisimile est: Et Libavius citato loco *p.* 335. À Balæna Ambram interdum extrahi, sed rarò, concedimus, sed quam illa venatu maris dudum absorpserat, non genuerat. Donamus item hanc recentiùs voratã meliorem esse, diutiùs detentam, mutationem in substantia & viribus accepisse, atque ita hanc rejectilẽ, illã probandam. Testatur idem Jo. Leo Afric. Rerũ Africanarũ sedulus Scriptor, quando capite de piscibus refert, Qui

Oceani

Oceani ripam inhabitant, hunc piscem (cujus nomen Ambara est,) Ambram quam vocant effundere ajunt, Cæterum an Sperma vel Excrementum sit, inter se dissident, utut sese res habet piscis portentosa sui magnitudine Balænæ appellationem meretur *p.* 358. *edit. Elzeviriana Anno* 1632. Num autem in earundem ventriculis generetur ex assumptis piscibus, polypis, sepiis & similibus, maximè dubitatur, sed potiùs contrarium in sequentibus demonstrabitur.

18. *Statuitur quòd Ambra sit fimus Avis* (cujus nomen, linguâ Madagascaricâ *Aschibobuch*, Insulanorum verò de Insulis Maldivis *Anacangrispasqui*) *Indiæ Orientalis odoratissimus, ad varios usus in Medicina maximè salubre medicamentum.* Hujus sententiæ meminit, quamvis non assertive, Scaliger *Exerc.* 164. *sent.* 10. Insulæ sunt, inquit, Indici Maris Palanduræ nomine, quarum Incolæ Ambar arbitrantur esse stercus avium, quod maris allisionibus è scopulis abradatur: Et Excellent. Horstius in sua Pharmacopœia Catholica. Et Fragosus *Cap. de Ambaro l. de Aromat. & medicamentis ex Indiis in Europam delatis p* 89. Jo Barrosius scribit esse stercus avium, quas, ut mihi videtur, Paviotte dicimus, quia ipsam comedunt, & ut fama est, paulò pòst evomunt, Ulysses autem Aldrovandus *lib.* 3. *Musæi Metallici cap.* 6. paulò clariùs rem deducit: Circa generationem Ambræ, Authores sententiis inter se variant, quandoquidem nonnulli stercus illarum aviū esse autumant, quæ herbis odoriferis in Maldiva Insula nutriuntur: hoc enim alluvionibus undarum maris à scopulis abradi vel ablui & ad littora deferri affirmant. Quinimò propriam sententiam magis stabiliunt, cum Ambram rostris Avium quandóque refertam observaverint; etenim his in locis tales aves assiduè nidulantur: Hæc ille. Libavius sequentia habet: Alii repudiatis piscibus ad aves se contulerunt, & harum stercus esse, scopulis impositum hærensque & posteà fluctibus ventisve abrasum tradiderunt, argumento, quod plerumque avium rostella in ea inveniantur, quasi majores aves comestis minoribus cum excrementis ossicula & rostella remittant, uti & conchylia ostreaque capta & deglutita, cum & harum testulæ adhæreant *lib.*4 *Singularium cap.*1.*p* 306. *& p.*310. Legimus alicubi (ni fallimur) prætiosissimi odoris fimum ex avicula quâdam Indica inter merces in Europam asportari: Nihil absurdi est etiam grandibus volucribus tanti pretii excrementum esse, præsertim cum consentaneum sit, eas victitare vel illis aviculis suaveolentibus vel seminibus odoratis & herbis, &c.

Ferdinandus Lopetz de Castagneda Rerum à Lusitanis in India Orientali gestarum Scriptor *lib. IV. cap.* 33. scribit: Majores Insulæ de Maldiva Archipelagi illius interioris, multas odoriferas herbas producunt, quas depastum veniunt magnæ quædam aves Incolis Anacangrispasqui nuncupatæ: Istæ aves in rupibus & scopulis earum Insularum secundum maris littus sitis versantes & aggregatæ stercus egerunt, quod ambra est, cujus tria genera faciunt. Unum album ipsis scopulis uti egestum est, inhærens, quod probatissimū censent, & *Pona hambar* hoc est, auream ambram appellant; majoris quam reliqua pretii, quod pauca quantitate & majore difficultate reperiatur, quàm alia duo genera, quæ cinerei & nigri sunt coloris, & ex albo originem trahunt. Ex istis, quos dixi, scopulis tempestatum vehementia temporis successu magnis fragmentis cadit hæc Ambra & in littus ejicitur: Id *Coambar* dicitur, id est, Aquæ Ambra, quoniam aquarum fluctibus valdè eluta magnam suæ probitatis partem perdidit. Tertium, quod nigrum, *Maniambar* vocant, quod significat piscis Ambram, nigredinem enim contraxisse existimant, quod à Balænis aut aliis piscibus devoratum fuerit, qui illud concoquere non valentes rursus evomuerunt, id autem est omnium vilissimum, quia penè totam facultatem amisit. Hæc Ferdinandus Lopetz de Castagneda à Carolo Clusio allegatus. A Zeilero inter alios rarissimos autores citatur etiam Ferdinandus Lopetz, cui annno 1536. cùm esset Prorex in India adductus fuit vir ex Bengala vocatus Hugo d'Acuigna, qui capillis nigris donatus tunc temporis tricentesimum quadragesimum agebat annum, quater juventuti restitutus fuerat, & septingentas uxores unà habuerat: in Theatro Tragico Historia 13. *p.* 442. Quod si in literarum positione forte irrepserit error, & aliundè deduci possit, quod Ferd. Lopetz de Castagneda ex Illustri (nomine & fama) Familia in Hispania, fuerit Vicerex in India Orientali, tantò majorem sua habebit fidē relatio; Etenim Ecquis ausit in Regis Vice Tenentem Personam falsæ allegationis præsumere suspicionem? Hæc Castagnedæ assertio appellatur in Hist. Mexicana *p.*57. frivola, verum non additur, ex quo fundamento & qua de causâ, proinde illam ego avide desidero, & si nulla dari firma poterit, frivola potiùs est accusatio.

Hisce subjicitur Quæstio, cujus explicatio non parum opinioni huic ultimæ stabiliendæ facit. *Quomodo fiat, quod rostella avicularum, conchylia item & Ostrearum testæ, item Ossicula de sepiis & avium unguiculi aliæque res, ut lapilli (videatur Musæum Olai Wormii) in laudatissimâ Ambra inveniantur quandóque?*

℞. Weckerus *lib.* 1. *de Marinis sect.* 7. *p.m.*78. *Antidotarii sui specialis* ex Garcia ab Horto hæc habet: Refertum est plerumque avium rostris, quas in eo nidulari credibile est, interdum conchyliis testisque ostrearum permixtum invenitur, quæ contactu Ambaro adhærent, & in eundem Garciam ab Horto Carolus Clusius: Hujusmodi rostella in ambaro reperta mihi dedit M. Hugo Morganus Pharmacopœus diligentissimus; sed ea non avium, ut putat noster Autor, verum sepiarum esse deprehendi. Et Joh. Hugo Lindschottanus *cap.* 70. *p.* 75. scribit: Ambarum cum testis ac stercore marinarum avium in eo nidificantium mixtum apparet: Et Amplissimus Dominus Olearius Illustrissimi Holsatorum Ducis Mathematicus in Itinerario Nobil. Mandelschlo commemorat *p.* 70. Ostendit mihi Aromatarius quidam Hamburgensis magnum ambræ gryseæ frustum in quo integra avis ungula inclusa erat: mirandum sanè quomodo?

℞. Res est manifesta, de modo & occasione est disceptatio atque ideò investigatione digna. Quod si propemodum omnes pensitemus opiniones & hoc quæsitum ad certam aliquam applicare velimus, nulla videtur accommodatior, quam decima octava sive ultima, quâ statuitur, Ambram ab avibus in montium cacuminibus Insulæ Madagascar, hodiè Insula S. Laurentii nuncupata, imprimis in promontorio seu Capo d'Ambra & adjacentibus Insulis excerni in saxa & loca declivia ab alluvione maris non ita tuta: hinc conjectare licet, in ejusmodi loca tempestatis impetu ac procellarum vi quandoque Conchylia, sepias atque ostreas ejici, refluxu verò maris citiori ibi subsistere & fortè ab avibus congregatim inibi habitantibus conspergi, & in massam ambræ recludi, ut quasi studio impacta vel à natura ingenita esse videantur, sine noxa corruptionis integra: Corrumpi enim id posse, quod ab aeris attactu immune est, & tam exquisito adversus putredinem munitum est medicamento tutelari, verisimile non est, & quod adducit Ampliss. Dn. Olearius, quod integra avis ungula frusto ambræ inclusa fuerit, hæc fortasse ratio dari potest. Ejusmodi Avis Incolis in Madagascar *Aschibobuch* dicta, vel quemadmodum eas appellat ad Idioma Insulanorum de Insulis Maldivis, Ferd. Lopetz de Castagneda *Anacangrispasqui* (vel aliæ etiam ac minores aviculæ) vel senio confecta, vel morbo emaciata, vel pugna sauciata & dimicatione defatigata, vel quocunque modo interempta decidere facilè potuit ac mori, numne deinde temporis tractu ejusmodi unguiculi ac rostella à dictarum avium excrementis tegi atque temporis tractu obduci potuisse

tuisse sit verisimile? Sine cujusquam offensa hæc adjicio, me male Ambram puram, sine rostris, sine rostellis, sine sepiarum ossiculis, sine avium unguiculis, sine conchyliis, sine ostrearum testis aliisve id similibus, quoniam præsumtio est, in fimo computruisse sepias & ostreas & conchylia, unde deteriora effluvia & putredinis quippiam nobilissimæ Ambræ facilè communicari potuit: Quid dicam de rostellis & rostris avium, item de unguibus, quæ omnia potius expellendi facultate vel quasi prædita sunt, & ad exteriora sese exserere, sed reverà non virtute suâpte. Etenim nunquam, quod ad exteriora tanquam minus nobile fuit expulsum, à natura coaptabitur cum corporis partibus & in earundem nutrimentum abibit: Id quod liquidò apparet in C. C. in Ung. Alc. in Un. Cor. in Unguium Microcosmi fabulosa & superstitiosa sculptura, &c.

Atque hactenus de Ambræ natalibus fusè satis Clar. Inst: Fidus Klobius. Pauca nos rursus adjiciemus.

AC 1. Circa opinionem à Clar. Klobio quasi adoptatam, quis non videt probationes illi firmandæ necessarias non satis adduci, eamque meram tantùm conjecturam continere? Imò quis credat ex unius aut alterius, illiusque etiam testis minimè oculati, relatione, avium fimum seu stercus ambræ tantam quantitatem, quantam non tantùm devorent innumeri pisces, in totumque orbem diffundatur: sed etiam unde tam ingentes massæ producantur, quæ in leviori merce, non millenas libras, ut quidam affirmarunt, pondere suo superarint, sed ad quadragenas, imò & quinquagenas, qualis nuperrimè in Hollandiam advecta est, pervenerint, sufficere valeat? Videamus itaque 2. An plus soliditatis reperiatur in ea sententia qua asseritur Ambram è favis apum conflari: de quo sic Dominus Pomet, in eleganti sua de Aromatis ac Simplicibus Medicamentis Gallicè conscripta generali Historia, Ambra nihil aliud est quàm coagmentatio quædam favorum apum è rupibus in mare decidentium, vel inde à pelagi fluctibus, ventorum vehementia, aliasque evulsorum. Qui favi melle referti dum mari innatant, specifica quadam ejusdem salis proprietate, ac radiorum solarium actione, colliquantur ac in pretiosissimam ambræ substantiam aquis innatantem, excoquuntur & condiuntur. Hoc mirum sanè multis videbitur, & à me ipso etiam tam confidenter assertum non daretur, ni ab amico accepissem se frustum ambræ vidisse cujus dimidia pars pura cera fuisset; ac apud Dominum de Monconys legerem, sibi in Anglia affirmatum, ambram griseam è cera & melle è variis oræ Indiarum maritimæ rupibus deciduis, & aquæ marinæ agitatione ad perfectionem suam evectis, confici, quódque cùm aliquando magnum ambræ frustum ad integram perfectionem nondum deductum confregisset, in illius medio, mel cum sua cera, adhucdum cruda, reperiisset. Verùm contra hanc assertionem itidem militant rationes contra priorem allatæ, imo etiam aliæ, quòd scilicet in variis maris Balthici aliarumque regionum oris, ubi abundant apes, non æque reperitur ambra, ac in pluribus Indici & Æthyopici maris tractibus. Concedimus reverà in earum aliquibus sufficientem calorem desiderari, quo ad absolutam perfectionem excoquatur hæc materia, at sanè non videmus, quomodo in frigidioribus regionibus saltem ejusdem rudiora quædam incoamenta, & quasi, naturæ pretiosam hanc substantiam edere gestientis, molimina, cernere non liceat, dum in aliis, ubi nulla requisita desunt, partus ad integram maturitatem deductus conspici etiam necessario deberet. Crediderim itaque cum cera in ambræ frustulis reperta est, illam è rupibus aliquibus deciduam præmemoratis frustulis minus compactis, atque in illum in quem ea deciderat locum à maris fluctibus propulsis, adhæsisse, ac non aliter quàm conchilia, unguiculos, ac rostra avium, de quibus suprà, adnatam fuisse; nullatenus verò de propria ejusdem substantia exstitisse. Satius proinde fuerit in re admodum obscura cum Viris Præclarissimis apud Klobium 14. loquentibus, dubitanter pronunciare, ambram è terræ visceribus in imas eructari oceani abyssos, suique generis bitumen esse, quod in aquis marinis varie jactatum, partim à grandioribus piscibus voretur, partim in viciniora littora adigatur. In quo, præter citatos Autores, consentientes habemus Clarissimos viros, Schröderum, in sua Pharmacopæa Medico-Chymica; Dale, in sua ad materiam Medicam Manuductione; Charleton de variis fossilium generibus; Ammanum in sua ad materiam Medicam introductione; &, qui instar omnium, Celeberrimum Hermanum, qui peragratis præcipuis Indiæ regionibus, verisque quamplurium exoticorum medicamentorum natalibus curiosissima perquisitione rimatus sic habet in suo de Materia Medica manuscripto Tractatu. Ambra grysea est substantia sebacea, pinguis, solida, levis, cinerei coloris, marmoris instar variegata, albis subinde exiguis maculis adspersa, effluxa bituminis instar ex terræ visceribus, in imo maris condensata, & in ejusdem superficiem, vel littus ejecta, &c. Atque hæc de Ambræ natalibus satis, super varias partes eandem constituentes jam è re fuerit Clar. Herm. Nicol. Grimm. experimenta quæ Miscell. Curiosiss. Decur. ij. A. j. p. 405. reperiuntur adducere. Ambræ, *inquit*, unc. j. retortæ vitreæ indidi, adaptatoque cum luto recipiente, igni commisi libero; præmisso tamen lenissimo calore; exivit liquor aqueus: subsequente paulum fortiore, spiritualis successit liquor & flavi oleum coloris. Intensiore calore salis quoque volatilis exiguam portionem accepi, nil aliô, licet diutius urgerem, subsequente. Residuum quod fuit piceæ erat formæ. Humores qui transiere aceto ex succino destillato conformes fuere, nisi quòd olei odor suavior & sal volatile succino similius. Exinde ambram nil cum corporibus animalibus, nedum mineralibus, sed vegetabilibus ratione qualitatum & unctuositatis habere commune, judico; idque eo, quia in plerisque ligni frustis observavi eandem quâ perlita fuere unctuositatem quæ effluens ex truncis arborum littoribus adnascentium delabitur, & se subtilissimis à sole calcinatis coralli arenulis, atque aliis materiis miscet, tandem in littore comparet, duritiemque convenientem naturam & perfectam solis aërisque beneficio acquirit.

In regionibus orientalibus multa cadunt pretiosa odorata multisq; etiamnũ incognita gũmata, quæ cum arboribus in lacus vicinos abripiuntur, sive solis calore liquefacta defluunt, unde iterum ex arenis elevata conspiciuntur. Ambra siquidem in diversis Indiæ locis invenitur in Japan, in Insulis Moluccanis, Mauritij, Neykottarres, in Summatricis occidentalibus finibus, in Insula Borneo & Caep Commoriis propè Malabar sitis.

Ambra solvitur in spiritu vini, post se copiosam relinquens nigram piceamque materiam ab eo indomitam. Hic spiritus tandem sedimentum quoddam album, nubilosum post se relinquit, se paulatim magis magisque coagulans in formam collium montiumque, quod exsiccatum terram præsentat foliatam splendidam, aspectuque jucundam, ut facilè adduci patiar, talem unctuositatem quasdam in undis pinguedines inibi natantes spermatis instar ceti sibi associare & cum iis se unire. Clariss. Doctor Willelmus de Rhyne ex Japonia redux, Ambram in Balænis ibidem incredibilis magnitudinis reperiri mihi retulit, ut plerique locum suum natalem in Cetaceo genere habere credant eandem; quod fidem apud me non

me non meretur. Quia enim ceti passim mare pererrant, ambramque quamvis obviam deglutiunt, quæ in ventre eorum calefacta in molliores ejusdem partes se insinuet, cujus copiam tandem extensio subsequatur, satis ponderosa tumoris instar vasti; hinc in ceto crescere deinceps & augeri credidere, &c.

Ambræ tria statuuntur genera. *Unum Selachiticum ex Zeilan* Insulâ Indiæ, rufum & pingue, quod cæteris præfertur; *Alterum* ex Sechra loco maritimo Arabiæ felicis, subalbidum, colore ovi struthiocameli, quod utplurimum ad nos defertur, griseum & variegatum maculis nigricantibus. *Tertium* teterrimum, quod nigricat, quale esse volunt, quod pisces devorarunt, *hujus* etiam duas constituunt *species unam* in ventre repertam, ignobiliorem, *Alteram* juxta spinam dorsi magis sinceram.

Optima censetur Ambra quæ à sordibus est repurgata, quæque plurimum ad candorem accedit, cinerei coloris, aut quæ ex striis, nunc cineris, nunc candicantibus constat, lævis, quæque acu perforata, multum oleaceæ resinæ resudat. *Nigra & candidissima* improbantur, quia gypso adulteratæ putantur.

Ambra adulteratur sæpe ex ligno aloës, styrace, ladano extractis, addito moscho, vel etiam ex benzoino, cera alba novi examinis, carie fraxini, arborum musco, addito Moscho & Zibetho; sed fraus facilè animadvertitur. Nativa non tàm facilè in aquis mollescit, ac factitia: Manibus præterea si tractetur, ceræ modo lentescit factitia; non item vera. Color etiam ac odor non tàm exactè exprimi possunt in adulterata, quin à vera differant.

Vires. Ambræ usus est vel internus, vel externus. Internè sumpta ex optimis est ad spiritus demulcendos & confortandos, unde cerebro & cordi conducit, sensus omnes vegetiores reddit, in Apoplexia, Vertigine, Lypothymia, Spasmo, &c. summis laudibus decantata. Multum etiam confert ad prolongationem vitæ; sic Nobiles in Barbaria ex ejusdem usu longævi reperiuntur, cum plebs brevioris sit ævi.

Præparata Ambra Essentificata. ℞. Ambræ gryseæ optimæ partes octo, Mosch. odoratiss. p. j. Sacchar. albiss. p. ß.

Omnia pulverisata cum Spiritu Rosarum ardente terantur optimè diutiùs, sæpius aliquid de Spiritu rosf. affundendo, attemperando & rursum reponendo, usque siccescat. Hinc rursus ut prius teratur, & servetur.

Vires. Omnium viscerum confortativum maximum est, inprimis vim procreandi promovet. *Dosis instar pisi minoris in vino, vel alio liquore.*

Essentia Ambræ. ℞. Ambr. grys. p. 1. Olei amygdal dulc. p. 17. impasta ac digere dies aliquot, postea exprime: Expressioni affunde spiritum vini rectificatissimum, digere ac destilla per arenam. Sic elevabitur cum spiritu vini Essentia quoque Ambræ, relicto oleo Amygdalarum in fundo. Abstrahe igitur spiritum vini leni calore, ad consistentiam olei. *Dosis guttæ paucæ.*

AMBROSIA.

Ambrosia Veteribus τὸ τῶν θεῶν βρῶμα, Deorum cibus dicitur. quod eum mortales non edant, vel quòd qui eum edunt immortales evadant, ità eximiæ fragrantiæ gratiâ etiam Diis expetita.

Cùm autem unica duntaxat Ambrosiæ species hactenus cognita & descripta sit, non est cur notas genericas adscribamus, cum eæ ex descriptione peti possunt.

Nomina. Ambrosia *Dod. Ger.* quibusdam *I. B.* hortensis *Park.* maritima *C. B.*

Compluribus fruticat statim à radice ortis virgultis (*Dod.* unica caule fruticis exigui modo assurgere scribit) striatis, rubentibus, subhirsutis, in ramos multos diductis: *folia* suaveolentia, Absinthii communis magnitudine, & divisurâ, albicantia, lanuginosa, sapore aromatico, amaricante, non ingrato *Flores* secundùm ramulos alternatim dissiti, sublutei, rotundi, muscosi, absque fructu pereunt, subsunt inferiùs angulosa, terrestris Tribuli instar echinata *capitula* exigua, nunquam florentia, in quibus *semen* nigricans, singulis unicum inest, nigrum, gigarto vitigineo simile & ferè par. *Radix* lignosa, simplex, fibris aliquot capillata. Inalbicat è virore tota herba, & gratum odorem spirat.

In maritimis Hetruriæ arenosis spontanea observatur.

Atque hæc est Ambrosiæ quibusdam sic dictæ apud Joh Bauhinum descriptio; quæ quomodo cum Ambrosia Dioscoridis & Plinij quadret, non videmus, ac propterea an vires discussivæ, adstrictivæ, repulsivæ ac repressivę, quę huic tribuuntur, illi itidem competant, dubitamus.

AMBUBEIA sive AMBUGIA, vid. *Cicorium.*

AMBUSTA.

Ambusta seu remedia ad *ambusta*. Indicans horum medicamentorum sunt *Ambustiones & combustiones partium.* Hæ verò ut varii generis sunt, 1. ratione *materiæ*, v. g ex aqua fervida, pulvere pyrio, oleo, plumbo, aliisve ignitis. 2. Ratione *graduum*, uti v. g. *primus* est solus ardor, seu inflammatio: *secundus* ubi cum vesicis & pustulis fit combustio: *tertius*, ubi vel cutis ipsa secedit, in humidis, vel corrugatur & nigricat ut in aliis ignitis non humidis: *quartus* enim gradus est incurabilis, quo partis exterminium ipsum inductum est: Sic etiam variat curatio, & selectus horum medicamentorum omninò habendus est. Sic mitiora medicamenta conveniunt primo ambustionis gradui, ubi solùm inflammatio tollenda, & pustularum generatio impedienda: secundo & tertio gradu partes magis demulcendæ, quod apud practicos latiùs videri potest.

In genere ergo medicamenta ad ambusta duplicia sunt: vel enim adhibentur *ad eliciendum empyreuma*, uti sunt v. gr. *tenuium partium, calidaque* ipsa, quæ quidem saltim in principio, & primo ambustionis gradu locum obtinent, qualia sunt allium, cepæ, & horum succus, sal, camphora, calx viva, myrrha, ℔ ceræ; &c. Sic mulier apud *Paræum l. 10. p. 244.* suasit, ut primo apparatu cepæ crudæ cum pauco sale intritæ apponerentur locis ex oleo combustis, unde mane altero pustulæ nullæ adfuerunt, nisi in loco sano.

Vel *ad mitigandum & demulcendum calorem* & ardorem, & consequenter sanandum partes exulceratas, eáque tum *aquosa*, ut aqua omnium florum, rosarum, spermatis ranarum, phlegma vitrioli, alumen, atramentum, quæ quidem itidem primo saltim gradu adhibenda: tùm *mucilaginosa*, albumen ovi, cataplasma ex pomis dulcibus assatis & per setaceum trajectis, cortex medianus sambuci, tiliæ, flos lactis, mucilago seminis psyllii, cydoniorum. Sic & radix filicis apud *Sim. Paulli*, feces cerevisiæ, adeps porci bulliens guttatim super lauri folia projectus & collectus, quod quasi incantamenti instar curare scribitur, vel lardum eodem modo in glaciem stillatū, quod & in pernionibus convenit. Pertinet huc unguentum, ceu experimentum singulare, in omni adustione cum exulceratione à quâvis materia facta, descriptū à *Dornereilio dispens. p. 105.*

Tum *oleosa*, & quidem temperatoria, acredinem secum non gestantia, ut oleum lini, it. nucum, ovorum, &c. *vid. Borellus l. 50. c. 76.* balsamum sulphuris externum Rulandi.

Tùm *absorbentia & temperantia terrea*, saccharum Saturni, calx viva lota, vel ejusdem cremor.

Tùm *ex his mixta*, quæ omnium sunt optima, ut albumen

albumen ovi cum ol. oliv. vel lini conquassatum & pennâ inunctum, quod pro experimento nobilissimo dilaudat *Agricola in chirurg. tract. 3. p. 342. Mynsichtus*, aliique: it. unguentum de litharg. seu unguentum nutrit. offic quod omnium nobilissimum: emplastrum ex succis herbarum solani, tiliæ, sambuci, hyoscyami, &c. empl. de sperm. ran. camphoratum, diasaturni Myns. de pinguedine cervi, &c. calx viva lota, cum oleo in unguentum redacta, unguent. alb. coct. de cerussâ, butyrum Saturni Fabri, &c.

Notandum verò. 1. *actu frigida esse cavenda*, ob contrarietatem, inde enim major ardor exoritur, fluxusque & dolor augetur. Hinc medicamenta contra ambusta tepidè sunt applicanda; hinc distinguendum est inter frigefacere & refrigerare, medicamenta ἐνεργητικῶς alterantia conveniunt, & possunt tepidè applicari.

2. *Unguenta pro ambustis adhibenda non debent esse dura*, ne dolorem majorem concilient.

3. *Interius etiam ardor restingui unà potest*, uti spiritum salis summopere in hunc finem commendat *Digby tract. de pulv. sympath.* ceu egregium quasi balsamum.

4. Sic &, licèt omnia ex æquo ambustis debeantur, *quandoque* tamen *pars ipsa respici debet*, v. gr. in combustionibus oculorum collyrio appropriato, ne visus tollatur; articulorum, v. gr. brachii; ne ad motum reddatur ineptum, &c, *Georg. Wolfg. Wedelius.*

AMETISTUS, vid. sub Titulo *Lapis.*

AMIANTUS, vid. sub. Titulo *Lapis.*

AMMI.

Ammi vox ejusdem originis esse videtur cum Seseli: Ruellius tamen ab ἄμμις matula deducit, quia adeò provocat urinam, ut subinde opus sit matulâ.

Ammi vulgare, foliis in longas & angustas lacinias dissectis, circum oras crenatis, ab aliis Umbelliferis differt.

Nomina. Ammi vulgare *Ger.* vulgatius *Lob. Park.* majus *C. B.* vulgare majus latioribus foliis; semine minus odorato *Aliis.*

Vires. Ammeos semen unum est è quatuor seminibus calidis minoribus: incidit & aperit, exsiccat. Valet ad tormina, urinæ difficultatem & venenatorum morsus: Menstrua quoque ciet. Miscetur & cum erodentibus medicamentis è cantharide paratis, quo resistat urinæ difficultatibus, quæ alioqui id genus medicamentis supervenire solent. Sed & potu ac illitu dolorem pallidiorem efficit velut Cuminum. Nonnulli etiam Cyminum Æthiopicum appellant.

Mirificè præstat ad mulierum sterilitatem, Autore Matthiolo, manè ʒj. pondere ex vino meraco aut carnium jure in tenuem pulverem contritum alternis diebus, tribus horis ante cibum. Quod tamen diutiùs dari non debet quàm quatuor aut quinque diebus. Est enim ad sterilitatem præstantissimum remedium, & pluries expertum. Sed abstineat vir à conjuge ejus iis diebus quibus semen ebiberit. In quem finem, itemque adversùs fluorem album mulierum, præmissô uterinô clystere (inquit Simon. Pauli) sequentem pulverem aliquammultis sterilibus novis nuptis commendavi, quibus ingravidatæ atque à fluore albô liberatæ fuere. Clysteris descriptio ℞. Rad. Aristoloch. utriusque āā. ℥ij. Gentianæ, Zedoar. āā. ʒj. herb. hederæ terrest. cent. minor. Aristol. Rorism. ana M. j. Melissæ, Artemis. rubræ ana M. ß. Cardamom. min. ℥ß. conscinde & contunde pro decocto ad clysterem uterinum.

Pulveris hæc est descriptio ℞. herbæ Veronicæ exactiss. pulverisatæ, seminis Ammeos ana ℥ß. Cardamomi minoris, Cinnamomi acerrimi ana ʒij Sacchari candi quartam partem ad pondus omnium F. pulvis.

Ut semen Ammeos sit legitimum debet esse odoratum, aromaticum, acre, sapore Origanum aliqualiter referens, recens, vegetum & purum.

AMMONIACUM.

Ammoniacum *C. B.* & aliorum. Ferulæ lacryma Galeno.

Ammoniacum Plinio ab Hammonis oraculo nomen habet; juxta quod gignitur arbor quam Metopion vocant: At Dioscoridi totus cum radice frutex Agasyllis appellatur. Advehitur nunc in magnas glebas coactum, grumis magnis constans, unguibus lactei candoris nitentibus, aut rufis, per substantiam coloris obsoleti & fusci permixtis, odore Galbani virosiore, sapore amaricante.

Elige sincerum minimè arenosum, purum, majoribus grumis, foris flavis aut croceis, intus candidioribus, quod claram flammam cùm accenditur alit, in manibus cum lentore tractatum mollescit, repentinóque ictu propter densitatem aridiorem, in plurimas splendidas nitentesque micas dissilit. Solvitur aqua.

Vires. Attenuat & resolvit, attrahit validè, alvum movet, splenicum est. Usus præcipuus est in doloribus arthritidis, in resolvenda mucilagine viscosa, crassa ac contumaci pulmonum, mesenterii, & hinc in obstructionibus contumacibus Lienis, epatis, uteri, in calculo, extrinsecùs in scirrhis, panis tophisque juncturarum, in scrophulis aliisque tumoribus durioribus resolvendis, &c.

AMOMUM.

Amomum officinarum est Ammios alterius semine apij. *B. P.* semen parvum, striatum, petroselino minus, ex ruffo spadiceum, saporis acris, aromatici quasi ex pipere & cumino compositi, odoris fragrantis ad origanum accedentis. *Nota* generica est quòd sit planta umbellata.

Nomina. Amomum verum *Ger. emac. Park.* racemosum quod verum credimus Amomum. *C. B.* Amomum novum, Cardamomi vulgaris facie, sive Indicus racemus *I. B.*

Vires. Amomum vim habet calefaciendi, adstringendi, siccandi, somnum inducendi, dolorem eximendi si fronti imponatur, inflammationes etiam ac melicerides concoquit ac discutit. A Scorpio ictis cum Ocimo impositum prodest. Podagricis auxiliatur, ipsosque lenit: Oculorum item inflammationes & eas quæ in visceribus sunt cum Uva passa. Ad menses & in pessis & in incessibus commodum est. Decoctum verò ipsius potum convenit hepaticis, nephriticis, podagricis. Admiscetur etiam Antidotis & pretiosis unguentis.

Amomum Galeno Acoro similem facultatem obtinet, nisi quòd Acorum siccius sit, majore autem coquendi facultate Amomum.

Præcipuus autem usus Amomi apud Veteres erat ad unguenta. Quæ constant Amomo, inquit Plinius, omnia acutiora fiunt, maximéque nares feriunt: acerrima per se Amomo: Hinc Regale unguentum appellatum quoniam Parthorum regibus ita temperatur, Amomo etiam constat.

AMPELITIS, vid. sub titulo *Terra.*

AMPELOPRASUM, sive PORRUM SYLVESTRE, vid. *Porrum.*

AMULETA.

Nominata περιάμματα, περίαπτα, ἢ ἀποτρόπαια, *Latinis amuleta* ab amoliendo dicta, celebrem operum chimicorum classem constituunt.

Duplicia

Duplicia conſtitui poſſunt: quædam manifeſtis agunt qualitatibus, quædam occultis, ἀναπολόγητα, quod *rationem actionis reddere non ſit facile*, dicta.

Utraque de collo pendentia vel carpi viciniæ, quâ pulſus advertitur, applicata, cum incaleſcunt, contactu corporis ἀποῤῥοίας, *profluvia* ſeu *effluvia* quædam effundunt, cutaneos per poros inſinuant, indeque hæc cum ſanguine refluo ad cor centrum vitæ deferuntur, ſuasque exſerunt facultates.

Non admittitur *Helmontii* ſententia, cum, *libro, poteſtas medicaminum inſcripto, t.* 61. diſtinctionem proponit amuletorum, periaptorum & appenſorum; & *quædam* docet agere vi influentiæ, & directiva, citra evaporationem illorum, quæ in corporibus fixioribus nimirum ſedent: *quædam* licet ſint, quæ ſenſim viribus minuuntur, quia aporrhœam ex ſe dimittunt.

Si agere debeant hæc amuleta, neceſſarium eſt, ipſis talem adſcribere actionem, quæ fiat per contactum, corporalem vel virtualem. Neuter eſt ſine ἀποῤῥοίᾳ. In corporali hæc eſt ſenſibus magis, in virtuali minus obvia, ut cum vite florente, vinum in cadis etiam movetur. Non evaporant ex amuletis atomi ὑλωδέστεραι, craſſiores, ſed volatiliores.

Memoratu dignum, quod quædam amuleta ſint ſimplicia, quædam characteribus & verbis, nonnunquam ignotis ornata.

In *Tralliani* monumentis exempla occurrunt tum ſimplicium, tum compoſitorum. Inſpiciatur *libri* 1. *cap.* 15. περίαπτα καὶ ἀντιπαθῆς πρὸς ἐπιληπτικοὺς, *quæ alligantur & naturaliter reſiſtunt comitialibus*, hîc occurrunt *Simplicia* plurima: Jaſpis καπνιοθεὶς, *à fumo qui infectus non pellucet*, &c. Περίαπτα φυσικὰ ἀντιπαθῆ ſimplicia proponuntur *lib.* 12. *cap.*7. πρὸς πυρετοὺς τριταίους καὶ ἀμφιμερινούς. *cap.* 8. πρὸς τεταρταίους. At *libro* 10. *cap. ultimo* περίαπτα φυσικὰ ἀδιάπτωτα, διὰ πείρας δεδοκιμασμένα, καὶ λίαν δραστικὰ πρὸς τὴν κωλικὴν ἔχοντας διάθεσιν proponuntur ſimplicia plurima, & *compoſitum unum*, verbis & characteribus vulgaris notitiæ, Lunæ influxu etiam notabilitatum. Nimirum, *annulo* ferreo octangulo inſcribere jubet; φεῦγε, φεῦγε, ἰοὺ! χολὴ, ἡ κορυδαλὸς ἐζήτει. *Fuge, fuge, heu bilis, alauda quærebat.* Subjectam autem figuram in annuli caput ſcribere jubet N. γινέσθω δὲ ὁ προϋποτυπωθεὶς δάκτυλος ιζ. τῆς σελήνης, ἢ κα, *paretur autem præfiguratus annulus* XVII. *aut* XXI. *die Lunæ.*

Paracelſus, magnus verborum, ſigillorum, characterum, & amuletorum patronus; *pluribus à Sennerto lib. de conſenſu & diſſenſu cap.* 18. *allegatis locis*, naturam vires ſuas in verba & characteres non minus, quàm in herbas & radices imponere docet.

Idem archidoxeos magicæ libris, metallica appendicula, characteribus & barbaris verbis inſignita, proponit, iiſque virtutes magnas tribuit. *Libro* 1. contrà graviores morbos, epilepſiam, viſûs infirmitatem, atrophiam cerebri, paralyſin, calculum renum, coeundi impotentiam, contracturam, menſium immodicum & deficientem fluxum, lepram, vertiginem, ſpaſmum, convulſionem, ſigilla proponit. *Libro* 2. ſubjungit ſigilla 12. ſignorum cœleſtium, & ſecreta ac efficaciam eorundem. *Libro* 3. ſigilla ad oves & muſcas characteribus ornata proponit. *Libro* 4. variationes horum ſigillorum cum characteribus ſubjungit.

Dubitantibus, quomodo ſit poſſibile, quod metalla ſignis, literis & vocabulis notata, vires tales habeant, ſine incantationibus & mali genij cooperatione, vitio vertit, quòd diabolo tantam poteſtatem tribuant, Deo detrahere videantur. Metalla vivunt, ideò etiam vitales operationes exercere poſſunt. *Characteres* & *verba* non eſſe viribus deſtituta, probat exemplis incantatorum ſerpentum. *Exterius* applicata etiam vitâ carentia internis viſceribus vim quandam communicare confirmat exemplo cantharidum, manu geſtarum, veſicæ dicam ſcribentium. Mortua corpora virtutibus prædita, oſtendit præterea exemplo alcedinis *deſs Eiſsvogels*, cujus pellis ſingulis annis plumas abjicit, & novas producit ejuſdem coloris, idque multorum annorum tractu continuo.

Nonnulli allegant Pyrrhi digitum febrifugum; & pollicem dextri pedis lienoſos reſtituentem, Galliæ etiam & Angliæ Regum ſtrumas, enunciatis paucis verbis: *Dieu te gueriſſe, le Roi te touche*: ſanantium exemplum. *Paræus* recitat quoſdam prætendere hæreditariam curam luxatorum & fractorum oſſium, colligentes inde ſingularem aliquem per temperamentum & addita quædam verba influxum.

Borellus hiſtor. & obſervat. variar. medico phyſ. centur. 3. *obſerv.* 6. curationes magneticas adſcribit etiam temperamento. Franciſcus Henricus Patritius Lugdunenſis innumeros curavit febricitantes, propinatis ægro trium pomorum medietatibus, quas deglutiendas dabat. In primâ ſcribebat: *Chriſtus pro vobis natus eſt*: in ſecundâ, *mortuus eſt*: in tertiâ, *reſurrectus eſt.* Tandem hæc vis in eo exſtincta. Nonnulli pactum cum dæmone ceſſaſſe putabant: Ipſe verò ad virtutem naturalem ejus, quæ ætatis mutatione, vel temperamenti, mutata etiam eſt & exſtincta.

Diſtinctio therapeutices medicinæ partis in χειρουργικὴν, φαρμακευτικὴν, διαιτητικὴν, ῥηματικὴν verbis & characteribus etiam patrocinatur.

Verum οὐδὲν πρὸς ἔπος. Multa in Paracelſicis minus firma & ſolida occurrunt. 1. Committitur fallalia ἑτεροζητήσεως. Non vocatur in dubium, metalla multis virtutibus eſſe prædita, & eadem corpori applicata vires ſuas eidem communicare. Communicatio hæc, ſeculo hoc noſtro præcipuè, ſtabilitur imprimis circulatione ſanguinis. 2. Non negatur etiam metalla ſub certâ conſtellatione fuſa influxu aliquo ditari. 3. De verbis impreſſis & characteribus potiſſima quæſtio. Illa agere inficias imus. Fabuloſa ſunt, quæ refert de alcedine. Admiranda imprudentia, res nullo rationis innixas fulcro ſtabilire velle exemplis inanibus, cum ſenſuum fide pugnantibus. οὐκ ἂν ἐστὶ πᾶν τὸ φαινόμενον ἀληθές. *Non omne, quod apparet, verum eſt*, *autore Ariſtotele* 4. *metaphyſ. cap.* 6. Exempla allegata etiam nihil ad rem. Nec temperamenti proprietas hîc locum habet. Diviſio medicinæ propoſita nullius eſt momenti.

Demonſtratione hâc convellitur verborum & characterum efficacia. *Characteres*, *verbaque* iis conjuncta, ſi agant, aut præſtent aliquid, præſtant id ut inſtrumentum quoddam. Inſtrumentum reducitur ad cauſam efficientem. Ergo ad efficientem per ſe, vel per accidens. *Si per ſe* agant verba & characteres, agunt vel inſitâ vi, vel naturæ, vel rationis.

Non agunt *vi naturæ*, quia nulla agnoſcitur latens virtus. Quamvis enim *verba* naturalibus inſtrumentis proferantur, voxque hoc modo naturalis ſit ipſa, ſignificant tamen οὐ φύσει, ἀλλὰ θέσει, *non naturâ*, *ſed pacto*, & ex hominum inſtituto: neque ullo modo concedi poteſt Paracelſo, quod natura vires ullas iis impoſuerit. *Characterum* materia, quamvis naturalis ſit, metallica, lapidea vel vegetabilis, adſcriptas illas vires à naturâ non habet. Nec etiam forma & figura eorundem ullius eſt efficaciæ.

Non agunt *ratione*, quia rationis & conſilii characteres ſunt expertes.

Non per accidens, quia non agunt neceſſitate coactionis ab aliquâ causâ ſublunari vel cœleſti. *Sublunaris* nullum habet locum. Artifex & idea in mente ejus concepta, à quâ fiunt verba & characteres, in exteriora non agunt. Imaginatio etiam

artificis vel confidentia, cogitatio aut firma animi persuasio, hîc nihil habent virium. Sunt enim hæ actiones immanentes, neque ex animo in subjectum patiens transeunt.

A Cœlo etiam aut *Stellis*, astrali ve spiritu influente vim impressa verba aut characteres obtinere probabile non est.

Supranaturalis causa etiam non admittitur: nullam enim *Divinam* characteres & verba talia habent promissionem bonorum temporalium aut cœlestium. Si à *Dæmone*, malo aliquo genio, tacitoque pacto, & latente fœdere, hæ deriventur vires, apage!

Tandem etiam neque *Casus* aut *Fortuna* hîc ullum habent locum.

Ergo characteres, figuræ, verbaque amuletis impressa, nullam habent efficaciam.

De Xenexto Paracelsi, & recentiorum.

Paracelsus lib. 2. de peste cap. 3. meminit virtutis magneticæ attractivæ, quæ sit in homine, similis illi in magnete ferrum, & succino paleas trahente. Illâ mediante sani in peste inficiuntur ab ægris. *Die gesunden Augen, so sie in die fliessenden starrend sehen, so zeucht der* Magnet *der gesunden Augen an sich den* Chaos *der fliessenden Augen. Jetzt ist das Wehe in diesen Augen.* Hæc virtus attractiva debet è medio tolli, si homo præservationis sit cupidus. Impediri autem, *ait*, per *Xenexton*, collo appensum, quo facto, corpus non afficiatur, cùm non ampliùs attrahat. Modum autem, quo virtus attractiva impediatur, & ex quâ materiâ Xenexton paretur, non addit.

Recentiores de modo & materiâ solliciti, Xenexton attrahere, *ajunt*, ad se venenum pestilentiale, tanquam homogeneum quoddam, & sic corpus liberum evadere. In Xenexto autem attractum venenum fit dissipabile.

Nonnulli consuetudinem hîc omne ferre punctum, & dum cor assuescit vicinâ gestatione, tolerantiam quandam in adversis inde nasci, & cor tam promptè non lædi volunt.

Alii & externum & internum venenum, ob similitudinem substantiæ, singulari συμπαθείᾳ ad se attrahere censent arsenicum. Ideò etiam nolunt alexipharmaca miscere.

Materia duplex adsignatur à recentioribus: venena sola, alexipharmaca sola, & composita ex utrisque.

Venena sola primum obtinent locum. *Mercurium* nuci avellanæ includunt. Sindone exceptam nucem à collo suspendunt, ad cordis regionem. Huic plus tribuit *Saxonia lib. de plica*, quàm *Arsenicum*.

Arsenici inventio adscribitur *Jacobo Carpo Anatomico Bononiensi.* Pulverisatum arsenicum album mucilagine tragacanthæ exceptum in massam redigitur orbicularem vel triangularem, & à collo suspenditur.

Alexipharmacum solum est *Sapphirus*, quem proponit *Helmontius tomo 1. de magnetica vulnerum curatione t. 37. 38.* Homini, *inquit*, suus magnes, quo, tempore pestis, per insensibilem transpiratum à contaminatis venenum forinsecus haurit. Natura etenim, quæ solet aliàs benignum succum duntaxat admittere, eumque ab excrementis solerter secernere: huic suo nunc magneti succumbens, nocuam auram elicit, mortemque intrò vocat. Contra hunc magnetem suus est magnes contrarius, ipse nempe sapphirus aut frustum succini lucidum, priùs per planetarios septem pulsus confricta (sunt autem ii in gutture, carpis manuum, prope pedum malleolos, & ad cordis thronum) & collo, periapti vice appensa, humanum magnetem præcellunt, impediunt, adeoque diræ luis amoleta certissima; alioqui planè inefficacia, si pulsuum confrictio non præcesserit. Quæ enim priùs sapphirus & succinum erant, ab affrictu, mutatâ familia, nomen prius amittunt, & Xenexton deinceps appellantur.

Composita Amuleta chimica, ex cordialibus & venenis.

Hæc iterum sunt vel alexipharmaca sola, chimicè præparata, vel cum venenis mista. Tale est Xenexton *Crollianum in basilica* propositum.

Compositum hoc *Crollianum* amoletum nulli non est notum.

♃. *Bufonum exsiccatorum pulverisat.* ℥ij. *zenith. juvenc.* ☍ *cryst. albi, Auripigment. rad. dipt. alb. tormentil.* a. ℥iij. *margar. non perfor. corall. hyac. smaragd.* a. ʒ ß. *croci orient.* ℈ij. *mosch. ambræ* q. v. Excipiantur *mucilag. trag.* ▽ *ros* paratâ. Exinde ☉ & ☽ in ♓ existentibus, fiant *Orbiculi*, signandi signo ♏ ab una, & serpentis ab altera parte, vel scuta cordis figuram habentia.

Vires. *Crollius* attrahere docet venenum ab intra, & extra illud consumere.

Αντιλοιμικὸν amuletum hoc nobis placet.

♃. ☿. *per fumum* ♄ *mortificati, imò etiam* ♄ *ipsius corrosi, pulv.* ℥vj. ☍ *albi, rubri risigallo, flavi* ☍ *dicti, cinnabaris. rad. dipt. albi seu fraxinellæ* a. ℥iv. *tormentill. bistortæ, angelicæ* a. ℥x.
Misce ita, ut massa splendeat à ☿ & à cinnabari, eminenter. Incorpora modico *rob. juniperi* & *gum. tragacanth.* in ▽ *zedoar. solut.* Formentur instrumento Crolliano orbiculi. In superficie spargatur modicum cinnabaris ♁j.

Vires an suo merito amuletis attribuantur, vulgi judicio stabilitæ, dubitatur. Quilibet suo indulgeat genio. Nemo solis illis fidat, sed in subsidium interna alexipharmaca vocet.

Hæc Rolfincius in sua Chymia ad artis formam redacta; Sequitur jam

AMULETUM CONTRA PESTEM.

♃. PUlv. Bufonum exsiccator. ℥ij Serpentum ʒvj. Succini Citrini, Ladani ana. ℥ß. Pulpæ panis triticei ℥ß. Moschi Orientalis, Zibethi ana. ℈j. M. & cum s. q. Aquæ Rosarum fiat Pasta, ex qua formentur Placentulæ ad magnitudinem unius aurei, vel medii etiam Imperialis, quibus imprimatur signum Scorpii, & Viperæ, obducantur Zendalo rubro, *de collo ad regionem cordis appendendi, præservationis gratia: attrahunt enim advenientia ab extra Venena tanquam Veneni animalis receptaculum proprium; cum in symbolum habentibus facilis sit transitus.* Zvvelfer.

AMURCA.

Amurca, ἀμόργη, dicitur *sedimentum* vel recrementum olivarum expressarum, *fæx olei*, Hipp. Ejus usus commendatus in ulceribus. Calefacit enim & exsiccat in gradu secundo, secundum Galen.

AMYGDALÆ.

Amygdalus, Græcis Ἀμυγδαλέα & per contractionem Ἀμυγδαλῆ: Fructus Ἀμυγδάλη & Ἀμύγδαλον. Amygdalam Græcis nominari Herodianus Alexandrinus autor est. παρὰ τὸ ἐν τῷ μετὰ τὸ χλωρὸν ὥσπερεὶ ἀμυχὰς ἔχειν πολλάς, quòd post viride putamen nucleos

cleos ſcarificatos oſtendat, & in rimulas dehiſcat, quas ἀμυχὰς vocant.

Latinis etiam ut Catoni, Nux Græca vocatur, quamvis Columella Nuces Græcas ab Amygdalis videtur diſtinguere, unde Ruellius eum per Græcam nucem tantum Amygdalã amaram intellexiſſe ſuſpicatur.

Naxia Amygdala, à Naxo inſula dicta Veteribus Græcis maximè commendantur: Secundas partes Cypria ſibi vendicant, quæ præter cæterorum morem repando cacumine prodibant.

Amygdalus à Perſica cui aliàs perſimilis eſt, differt pulvinato fructus callo minùs ſpiſſo & per maturitatem ſicciore, oſſiculo longiore, lævi, & ſcrobiculis inſculpto.

Nomina. Amygdalus ſativa *C. B.* Amygdal. dulcis & amara *I. B.*

Vires. Amygdalæ dulces multùm nutriunt & corpus pinguefaciunt; quantumvis Galenus eas leviter alere ſcribat, Galeno opponimus Dioclis apud Athenæum, Simeonis Sethi aliorumque auctoritatem, & quotidianam ferè experientiam. Humorum acrimoniam leniunt, ſemen genitale augent, unde tabidis & macilentis conveniunt. Exhibentur autem præcipuè in emulſionibus.

Lactis Amygdalini parandi modum deſcribit Joh. Bauhinus his verbis, Amygdalarum dulcium à cuticula expurgatarum (quod fit aqua tepida, non fervente, ne oleoſa ſubſtantia provocetur in actum, ſic lac non bene album fieret) quantum voles, unc. iij. vel unc. iv. addi poſſunt ſemina Melonum & Cucurbitarum itidem decorticata ad unc. i. ſeminum Lactucæ & Papaveris albi (ſi refrigerare magis voles, ſomnumque placidum, non violentum, quod fit opiatis, accerſere) ſingul. ℨj. vel ij. Contundantur in mortario marmoreo, quod omnium optimum ad hanc rem, ſenſim affuſâ aquâ coctâ, aut decoctionis hordei vel etiam ſero lactis pro ratione ſcopi; trajice per linteum & in loco frigidiuſculo reſerva, nam citò aceſcit. Poſſis cum ſolo hordeato & Amygdalis parare.

Sunt qui moti autoritate Avicennæ, dicentis Amygdalas ob ſuam unctuoſitatem commovere choleram, ſibi perſuadent non tutum cremoris ſeu lactis Amygdalarum uſum febricitantibus, & iis qui ſtomachum bilioſum habent, facile inflammare, mittere ad caput vapores, vulnerato capite iis non utendum, excitare Dolorem capitis. Nos in cremore unctuoſitatem illam non obſervavimus, nec quicquam nocumentorum jam dictorum, licet in febribus & calidis morbis ſæpius uſi ſimus, ſac utamur ipſi indies, etiam in noſtro corpore *I. B. P. Bauhino* noſtra etiam experientia ſuffragatur, qui Lac Amygdalinum maximo ſolatio & levamine, in febribus ſæpe potavimus, nec ullum inde vel leviſſimum nocumentum aut incommodum ſenſimus.

Oleo Amygdalarum dulcium, in raucedine & faucium aſperitate nullum novimus præſtantius remedium. Pulmoni & pectori utiliſſimum eſſe noſtrâ experientiâ multorum commodo ſæpiſſimè exploratum, inquit J. Bauhinus. Ad Orthopnæam, ℞. Olei Amygdalarum unc. ij. Sacchari candi ℨij. Fiat eclegma. Nos recens expreſſum ſyrupo aliquo Thoracico, ut Hyſſopi aut Hederæ terreſtris, affuſum unà agitare & miſcere adeóque bibendum præbere (parva quantitate unâ vice) ſolemus, ſed ſæpius repetere illius uſum, denuò agitantes vas, nam oleum à ſyrupo facilè recedit, eique ſupernatat. De hoc oleo, J. Bauhini ſunt quæ ſequuntur. Eſt ſane medicamentum verè ἀνώδυνον, & ad multa efficax, blandum, gratum, & quidam veluti typus aliorum oleorum ejuſdem generis: Scimus quid poſſit in colico dolore ab induratis fæcibus, ab humore acri, in quibus tutò & maximo ſucceſſu multoties exhibuimus. Sed recenter oportet eſſe expreſſum. Doſis ab unc. iij. ad ℔ß. vel per ſe, vel in jure carnium. In conſtipata alvo mite, tutum & probatum medicamentum, etiam & renum dolore divexatis. Eſt etiam inſigne anodynum, & unicum propemodum infantium medicamen: quibus etiam recens natis exhibetur ad tormina ventris compeſcenda cum Saccharo penidiato ad ℨij. Meſues oleum hoc duritiem omnem & ſiccitatem juncturarum & aliarum partium emendare, impinguare, conferre hecticis, ſemen augere, ardorique vulvæ & urinæ injectum commodare ſcribit. Convenit etiam mulieribus poſt partum difficilem ad dolores leniendos. Extrinſecùs vel per ſe inunctum, vel cum oleo Tartari mixtum (cum melle Dioſc.) maculas faciei, à Sole aut etiam frigore peruſtis medetur & cutem erugat.

Gummi Amygdalinum ad multa commendat Dioſcorides: quòd verò illud aſtringere & calefacere ſcribit, J. Bauhino verum non videtur. Facilè tamen conceſſerit aſtringere per accidens, nempe glutinando, viſcido liquamine in humore aliquo diſſolutum, qua ratione dyſentericis quoque prodeſſe putat.

Magma, reliquum poſt expreſſionem olei ad exterſionem manuum & faciei & cutis levigationem quovis ſapone præſtantius eſt.

Amygdalæ amaræ calidæ ſunt & ſiccæ, atten. apèr. extergunt, diureticæ ſunt, obſtructiones jecoris, lienis, meſenterij uterique reſerant. Extrinſecùs lentigines tollunt ſi maſticatæ illinantur, capitis dolori ſubveniunt in frontalibus.

Amygdalas amaras quinæ ſenæve ſi præſumantur ebrietatem arcere Plinius & Dioſcorides tradunt, rémque exemplo confirmat Plutarchus in Sympoſ. l. 1. quæſt. 2. Ipſe quoque Dioſcorides in Eupor. mulſarum Amygdalarum amararum cyathi unius menſura & ebrietatem arcere ſcribit. Novimus tamen (inquit J.B.) qui amuletum illud adverſùs ebrietatem in uſu habentes nihilo ſecius à Baccho obruuntur, ac nimiâ ſui remedii fiduciâ decepti irâ proſternuntur, ut nec manus, nec pedes ſuo amplius fungi poſſint officio.

Amygdales amaras vulpeculis ſi comedantur lethales eſſe tradunt. Marcellus Virgilius in fele, ſeptem aut octo exhibitis, mortiferam earum vim expertus eſt: Jo. Lutzius in gallinis, quæ ex eſu magmatis poſt olei expreſſionem projecti interierunt.

Experientiâ compertum eſt, Oleum Amygdalarum amararum præ omnibus oleis, auribus eſſe conveniențiſſimum.

Qui de facultatibus Amygdalarum diſſerere vult. (inquit *C. Hofman.*)

1. Hoc inprimis debet præ oculis habere quod Galenus monet *6. Simpl.* etiam dulces habere aliquid amaroris, qui tamen à dulcedine vincitur. Hoc clarum facit ætas, ob quam amareſcunt ac mel. Hinc omnes deterſoriâ ac abſtergente facultate pollent.

2. Deinde & hoc debet animadvertere, ut ſive dulcibus, ſive amaris velit uti, utatur recentibus non rancidis, nam vetuſtate aquea humiditas abſumitur & evaporat, adeoque evadunt prorſus oleoſæ.

3. Ab hoc pendet tertium, quouſque progreſſæ ſunt illę quę nondum ſenſibiliter ſunt rancidæ. Quæ enim recentiſſimæ ſunt, quia plurimum habent ſubſtantiæ illius aqueæ, quæ amarorem illarum obſcurat penitus, ventriculò ſunt amiciores, ſive alimenti, ſive medicamenti loco uſurpes minúſque caput tentant. Quò magis autem progrediuntur eò fiunt deteriores. Recentiſſimæ autem ſunt, quæ extus fulviſſimæ, planæ & non rugoſæ, intus albiſſimæ.

4. Et illud non videtur prætermittendum, ſemper

per & in omni usu detrahendum esse corticem illum flavum immediatè obhærentem nucleo. Ille enim quia terrestri sua substantia obtundit, & mitem calorem dulcium & acrem rancidarum, quivis videt causam.

Amygdalas tenellas antequam officula induruerint mensis secundis inferunt, & integras unà cum tegumentis esitant Itali, suntque revera subacido sapore palato & ventriculo accepti.

Ex Amygdalis contusis cum Saccharo & aqua rosacea fiunt delicatissimæ illæ placentæ *Marcipanes* dictæ, quæ palato mirificè gratificantur, & principem nostro judicio inter bellaria locum sibi vendicant. Ex iisdem cum Amylo & ovis conquassatis debita proportione mixtis & contemperatis parantur lagana illa tantopere expetita, & in præcipuo honore habita, quæ *Macarones* appellant. Hæc autem in clibano coquunt. Ex iisdem itidem cum Saccharo & aqua rosacea ad pultis consistentiam aut paulò crassiorem comminutis fit Butyrum Amygdalarum dictum, aliaque insuper multa dulciaria, pastæ & cupediæ ex iisdem efficiuntur, tum sanis, tum ægris grata & salubria.

Integræ cum ficubus aut uvis passis comeduntur, & Saccharo etiam incrustantur. Quocunque autem modo sumptæ gulæ blandiuntur, & ventriculo etiam si probè comminuantur conveniunt. Alias enim si non penitus atterantur dentibus, adeò densa & compacta est earum substantia ut particulas deglutitas integras rejectas videas.

Vanslebius in Itinerario suo Ægyptiaco observat, inundatione incipiente aquam Nili primò viridescere, deinde rubere valdéque turbidam & cænosam fieri ad accessum Æthiopici diluvii; quæ res valdè incommoda & nociva calidæ istius & siccæ regionis incolis foret, ni callerent artem aquam facili negotio depurandi & clarificandi; quæ hujusmodi est: Aquarii nempe & bajuli quamprimum hydrias suas seu cantharos aquâ repleverint, interiora eorum pastâ ex Amygdalis contusis paratâ affrictâ oblinunt, quo aqua brevi fæcibus secretis, seu ut Chimici loquuntur, præcipitatis, clara & crystalli instar pellucida evadit. Amygdalarum defectu aut inopiâ ex Armeniacorum nucleis pari modo contusis pastam parant ad eundem usum. Quin & farinam Fabarum eundem effectum præstare Vanslebius ab Ægyptiis edoctus est.

AMYLUM.

Amylum dicitur quòd χωεὶς μύλȣ sine mola paretur. Maceratur scilicet sæpiùs quotidie Triticum aut Siligo aquâ affusâ & effusâ, donec ità mollescat ut cremor exprimi possit, qui deinde in Sole siccetur, & tunc *Amylum* vocatur.

ΑΝΑΧΟΛΛΗΜΑΤΑ.

Ἀναχολλήματα seu Agglutinamenta sunt Remedia lenta & glutinosa ut fronti & sincipiti adhærere, & humorem affluentem repellere possint; ideò componuntur ex iis quæ obstruunt, repellunt & refrigerant, ut sunt Farina volatilis, Terra sigillata, Argilla maximè fornacis, Gallæ, Myrrha, Thus, Conchæ, Acacia, opium & Album ovi, quo dicta incorporantur ad emplastri paradigma. Lex verò componendi hæc est, primò ut species prius in pulverem subtilissimum redigantur & cribrentur. Secundò Albumine ovi quantitatis sufficientis subigantur & incorporentur. 3. ut conjecta in linteo fronti vel sincipiti imponantur, & demum quando incalescunt, subinde ovi albumine renoventur. *Exempla sint sequentia.*

℞. Argillæ ustæ in fornacibus ℥ij. Pollin farin. ʒiij. Opii. gr. iv. F. Agglutinamentum cum ovi albumine quod in hæmorrhagia Narium primò ad cervicem, deinde etiam ad frontem ponatur.

Aliud in defluxionibus oculorum. ℞. Terræ sigillatæ ʒij. Gallar. ʒß. Myrrhæ, Thuris ana ʒj. Pulverisata cum ovi albo inspissentur fiatque ἀναχόλλημα. Hoc fronti impositum potenter humores affluentes in ophthalmia repellit, sed ut humor melius revellatur, simul attrahentia ad Nucham applicanda.

Aliud fortissimum in desperata ophthalmia. ℞. Semin. Hyosciam. ℈ij. Opii ℈ß. Croci ℈vj. Farinæ volatil. ʒijß. Argillæ exustæ in fornacibus ʒij. Ovorum lutea assatorum n. ij. Cum albumine ovi conquassati. F. Agglutinamentum pro fronte. *Weickardus.*

ANACARDIUM.

Anacardium Officinar. est arboris Malabaricæ, Bibo dictæ, fructus compressus, aviculæ cordis figuræ, nigricans, splendens, &c. Arbor unde enascitur est arbor nucifera.

Nomina. Anacardium *I. B. C. B. Ger. Park.*

Anacardio fructui nomen dedisse videtur forma aviculæ cordis æmula, compresso, unciam longo, aliquando majori, in obtusum mucronem desinenti, ex pediculo rugoso, totam basin occupante appenso, colore nigro aut fusco splendenti. Inter externum corticem & alterum nucleum immediatè abientem clauditur liquor glutinosus, seu melligo nigricans, cui alii vim causticam, *Cordus* saporem primùm dulcem, mox acrem, deinde vehementissimè adstringentem, adeò ut fauces in angustiam constringat, adscribit.

Garcias Anacardio, inquit, nomen indiderunt recentiores Græci (nam Veteribus incognitum fuit) à cordis (præsertim exsiccati *C. B.*) tum similitudine tum colore, Arabum vestigia secuti. Lusitanis *Fava Malaqua* dicitur, quod viridis & in arbore pendens similis sit majori nostrati Fabæ. Miramur (inquit *I. Bauhinus*) neque *Garciam*, neque *Acostam* arborem Anacardiorum descripsisse; si modo arbor sit, de quo valdè dubito, cum in *Hort. Malabar.* nullam ejus inter arbores mentionem inveniam. Et tamen *Acosta* magnam esse copiam refert horum fructuum in *Malabar.*

In multis Indiæ provinciis nasci consentiunt Autores. An verò in Siciliæ monte Ætna; ubi referente *I. Bauhino*, Paludanus se virides arbore pendulos vidisse testatur, vehementer dubito, quantumvis id confirment Monachi in *Mesuem. Serapio & Curtius*, qui in Apulia provenire tradit.

Vires. Arabes Anacardia calida & sicca esse usque ad quatuor gr. proinde vim causticam habere, delere verrucas & exulcerare cutem; quod repugnat experientiæ. Eorum etiam melliginem exulcerare, inflammare, sanguinem & humores adurere statuunt, quod *Acosta* etiam confirmat, & tota provincia Malabar ejus usum esse caustici vice scribit. Si quis instillet in putridum & cavum dentem urit frangitque & corrumpit facilè. Calce addita ad bombycinos pannos obsignandos, & alias res quaslibet notandas utuntur. Etenim notam adeò firmam imprimit, ut nulla lotione eximi queat.

Idem *Garcias* fructum ipsum deleteriam facultatem habere negat, & ad experientiam provocat: siquidem in Indiis è lactis sero maceratum asthmaticis dari & adversùs lumbricos scribit. Præterea iis viridibus (addit) & sale conditis utimur in cibariis, olivarum conditarum modo. Causticam vim siccato tamen inesse concedit. Quinetiam Acosta non tantum viridem fructum edulem esse ait, & ad excitandum appetitum, non solum quidem edi, sed coctæ Orizæ admiscere

admisceri ad modum *Mangas*, &c. Sed & in desiccato medullam internam edi ad bibendi appetitum irritandum affirmat, solam mellaginem quæ inter duos cortices continetur causticam esse.

Mesues Elect. Anacardino has vires attribuit, Ventris totius inferioris, & cerebri affectus frigidos compescit, sanguinem reddit puriorem, & indè spiritu animali reddito purgatiore & tenuiore, sensus omnes, apprehensionem, intellectum & memoriam juvat, coloremque vividum corpori tribuit.

E contra Casp. Hofman. non admittit Anacardios quovis modo præparatos, imò damnat penitus confectionem Anacardinam, quamvis *Sapientum* dicatur: imò, inquit, est *confectio stultorum*. Habeo enim ab amicis, quosdam ab ejus usu maniacos esse factos, & catenis opus habuisse; & à quodam *Joh. Heldero* præceptore suo multa exempla proposita eorum quibus malè cesserit. Interim tamen Historiam narrat oppidò mirabilem de quodam ex ordine suo cui alter præceptor confectionem hanc dedisse ferebatur. Hic enim cùm antea sciebant eum omnes asinum fuisse, à sumpto Elect. intra paucos menses eò doctrinæ provectus est, ut J. C. factus ad Professuram Wittebergensem aspiraverit. Sed intra paucos annos ità exsiccatus est, ut cùm perpetua siti premeretur, quotidie ad ebrietatem usque biberet, itaque & sibi & suis inutilis factus, tandem miser periit.

Solent interdum Indi nonnulli hunc fructum cuspidi cultelli infixum candelæ ardenti imponere, qui dum uritur mirum quos strepitus edat, quas ignis scintillas quasi fulmina ejiciat variorum colorum, eaque ratione impostores mulierculis & rudioribus imponunt. *Raius*.

ANACATHARTICA, vid. *Pectoralia*.

ANAGALLIS.

Anagallis dicta videtur viris doctis ab ἀνὰ & γάλλος quod æquè reprimat ac reponat sedem procriduam. Γάλλος denotat eum cui amputata sunt virilia. Verisimilius illud nomen accepisse ἀπὸ τῶ ἀναγαγεῖν τὰς ψυχὰς, *animas evocare ac elicere*, magica enim herba est, ac à Magis proprio nomine Magico donata. Magicam herbam esse ostendunt hæc *Plinii* verba, *Præcipiunt aliqui effossuris, ante Solis ortum, priusquam quidquam aliud loquantur, ter salutare eam, tum sublatam exprimere, ità præcipuas esse vires*. Fortè à colore hyacinthino qui in fæmina relucet nomen accepit: est enim Γάλλις, Hyacinthus.

Notæ Anagallidis sunt Folia ex adverso bina, in vulgari subtus maculosa. Flores in singulis foliorum alis singuli, pediculis longis, tenuibus, hærentes petalis ad ungues junctis, adeo ut Flores integri decidant: Vascula seminalia per maturitatem transversim seu horizontaliter dissilientia.

Anagallidis Maris Nomina.

Anagallis mas est præcipui usus; quæ Anagallis mas *Ger.* Flore phœniceo *C. B. Park.* phœnicea mas *J. B.*

Vires. Anagallis moderatè calida est & sicca, undè & pro vulneraria habetur, adhibetur usu interno & externo.

Adversùs pestem mirificè conducit, ità usurpata, ut postquam ex illa (in vino scil. decocta) Mediocrem haustum acceperis, in lectum te componas probè contectus ac sudes.

Mulier quædam Lutetiæ aquâ è phæniceâ Anagallide destillatâ multos suffusione laborantes curavit.

Ad Phthisim, tabem pulmonum, sputum fœtidum & purulentum bibat æger singulis diebus manè & vesperi aquæ Anagallidis maris destillati cum pari lactis è vacca rubra emulcti quantitate permixtæ & Sacchari optim. q. s. edulcoratæ cochlearia duodecim. Expertum multoties medicamentum.

Camerarius in horto scribit, venatores in ovis frixis Anagallidem dare cani ab altero demorso.

Basileæ in frequenti usu est pro torminibus recens natorum. Ejus decocto utuntur Westphalicæ mulieres in mensibus movendis.

Vulgus decoquit eandem in urina, & cataplasmatis forma, calidè applicat pedibus ubi podagricis doloribus infestantur: quod Nobili Anglo præ omnibus aliis pretiosis profuit. Imò multi pediluvium ex urina cocta faciunt cum quo à paroxysmo sæpe liberari videntur. Discutit urina ob salem suum volatilem. Cavendum est maximè in hoc morbo à repellentibus: Semper enim pessima symptomata post se ducunt: Quippe, ut inquit Hofmannus, tum videre nos podagricos mori, si humores influentes repellantur ad viscera, aut si viscera tam sint debilia, ut humores ad superficiem pellere non possint. Itaque si diu superesse podagrici discupiant, & diureticis & viscera corroborantibus medicamentis eis opus est: topicis & repellentibus omninò eis interdicendum.

Epilepticis quibusdam Aq. Anagallidis phœniceæ, certo experimento dedit *Achill. Gasserus*.

Villisius in mania pro specifico venditat decoctum Anagallidis Flore purpureo, item summitatum Hyperici. *Raius*.

ANAGALLIS AQUATICA vid. *Beccabunga*.

ANAGYRIS.

Anagyris, Ἀνάγυρον dictum putant à natali solo, ut Anagyrum pro frutice non secus sumamus, quàm Anticyram pro Helleborô. *Stephanus* περὶ πόλεων Anagyrum locum esse ait in Attica, qui ad tribum pertineat Erechtheidem. Duplex est non fœtida, quæ Laburnum Plinij putatur, & fætens seu vera Dioscoridis. Foliis in eodem pediculo ternis floribus & siliquis in oblongo racemo pendulis ab hujus generis aliis distinguitur.

Vires. Folia Anagyridis fœtidæ trita & imposita tumores reprimunt: sicca in passo pota menses ac secundas movent, fœtum mortuum ejiciunt. Semen commanducatum vomitiones movet, nec & semen tantùm, sed & folia, unanimi Botanicorum consensu.

Accidit interdum ut capræ & oves in Creta fame vexatæ hujus folia depascant, licet odoris sit ingratissimi, & posteà ex harum lacte caseus conficiatur: quo si fortè ignarus aliquis vescatur aut lac bibat, statim excitentur tum vehementissimi vomitus, tum fluxus ventris: Et cùm hoc sæpissimè accidat, multi in discrimen vitæ veniunt, quam ob causam frutex omnibus sit exosus. *Raius ex Hon. Belli.*

ANALEPTICA.

Analeptica sive Resumptiva dicuntur medicamenta quæ vires corporis attritas sivè morbi diuturnitate, sive defectu Alimenti, restituunt. Analeptica autem differunt à restaurantibus in eò quòd *prima* habitum corporis, *alia* verò vires debilitatas restituant: Utraque constant ex alimentis & medicamentis simul junctis; quia non tantùm nutritioni corporis inserviunt, verùm etiam morbis quibus divexatur medentur.

ANANAS.

Ananas est fructus plantæ cujus *Nota generica* est quòd sit inter Herbas Pomiferas. Fructus hic magnitudinem obtinet majoris melonis vulgaris, figuræ ovali, exteriùs eminentiis constans quasi umbilicis humanis, quæ in totum flavescentis coloris, per oras autem incarnati, quælibet autem in medio foliolum habet triangulare, serratum, griseum. Fructus odoris est suavissimi, saporis ferè instar fragorum gratissimi, apprimè succulentus.

Nomina. Nana Brasiliensibus, Ananas Lusitanis *Margyr.* Nana sive Strobilus Peruvianus & Ananas *I.B.* Carduus Brasiliensis foliis Aloës *C. B.* Anana seu Pina *Parck.* Matzatli seu Pinea Indica *Hernandes.* Pinea Indica Hispanis *I.B.*

Vires. Exhibetur fructus (inquit *Hernandes*) febrientibus refrigerij causâ & ad excitandum appetitum, retineturque ore, ut sitim mitiget, & linguam humectet. *Pisò* febricitantibus, tum vulneribus aut ulceribus infestatis prorsus abstinendum ab hoc fructu monet; adeò enim, inquit, humores accendit, ut non solùm impediat restitutionem ægrorum, sed & in pejus eos disponat. *Ego* potius cum *Hernandes* senserim etiam in febribus moderatè sumptum non inutilem esse.

Jac. Bontius fructum hunc in taleolas dissectum aquâ aut vino paululum macerare necesse esse ait, ut erodens vis ipsi insita extrahatur, aliàs calore suo palatam & linguam exulcerat, bullasque in iis excitat. Quapropter omnibus & singulis suaserim, ut his fructibus moderatè utantur, nè decepti à gratissimo sapore incurabilem dysenteriam incurrant.

Mirum est quod de hoc fructu referunt *Acosta* & *Linschotanus*, nimirum cultellum ei insertum, si unius diei aut noctis spatio (horæ mediæ *Linschot*) relinquatur, ferè consumptum iri totam scil. partem quæ in vulnere hæsit. Hoc si verum sit succum hujus fructûs valde acrem & erodentem esse convincit; atque idcirco non sine causa *Bontius* ab immoderato ejus usu cavendum monet; nec *Linschotano* assentiendum, qui fructus hosce communi usu hominibus vix nocere scribit, nisi supra modum sumantur usque ad gulam.

Adde ex *Pisone*, quòd tum recens fructûs liquor, tum vinum indè expressum urinæ suppressioni & doloribus nephriticis succurrat, tum quoque venenis, inprimis succo *Mandihocæ* adversatur; quod idem illius radix fructu deficiente præstat.

Omnia hæc efficacius operatur liquor stillatitius è fructu vi ignis extractus, si modicâ quantitate exhibeatur, largiùs sumpta nocet ob corrosivam qualitatem. *Raius.*

Anarrhinum, vid. *Antirrhinum.*

ANAS.

Anatino generi Rostra breviora sunt quàm Anseribus, pedes autem pro corporis ratione majores; corpora minora; maximè tamen in hoc genere minimas in illo vel æquant vel etiam excedunt. Crura breviora quàm Anseribus, posteriùs sita; Dorsum latiùs & planius, adeóque corpus magis compressum. Rostrum denique latius magisque resimum. Lingua ad latera utrinque pectinata seu dentata asperiusculis eminentiis.

Anates sunt vel feræ, vel domesticæ seu mansuetæ, Feræ duorum sunt generum. 1. *Marinæ*, quæ circa mare plerumque versantur, & in aquis salsis victum quærunt, urinando plurimum. Rostra eis latiora quàm reliquis, præcipuè lamina ejus superior, magisque resima: Digitus posticus amplus, latus & tenuis, seu membranâ auctus. Fortè ut gubernaculi usum præstet: Cauda longiuscula non tamen acuta. 2. *Fluviatiles*, seu aquarum dulcium & stagnorum sectatrices, quibus Rostrum rectius & angustius; posticus digitus exiguus; cauda acuta; venter albus.

Partes Officinales. 1. Anas viva. 2. Adeps. 3. Sanguis. 4. Fimus.

Vires. Viva sedat dolores colicos, si ventri imponatur, parte deplumatâ.

Adeps calefacit, humectat, mollit, digerit, resolvit. Ea propter eo utimur in dolore interno & externo, scil. artuum, laterum, in nervorum frigida intemperie, &c.

Sanguis alexipharmacus est, & hinc in antidota à nonnunquam adcitur.

Fimus morsui venenatorum animalium imponitur.

ANASTOMOTICA.

Anastomotica, Ἀναςομωτικὰ medicamenta, dicuntur ea quæ caliditate & acrimoniâ suâ vasorum ora aperiendi vim habent, qualia sunt, Allium, Porrum, Cyclamen, Salvia aliaque similia.

Anatrum, vid. sub Titulô *Sal.*

ANCHUSA.

Ἄγχουσα ἀπὸ τὸ ἄγχειν, quòd vim suffocatoriam habeat dicta videtur. Aliis verò à florido radicis colore, siquidem Ἀγχούζειν est fuco illinere, quod nobis non probatur, cùm Ἀγχουσίζεσθαι sit potius ab Ἄγχουσα. Lignosus autem est frutex, pedalis, aut cubitalis, radice subrussâ, robustâ, stolonibus rigidis, rorismarina texturâ; qui ab Echio, Lycopside, Buglossa, aliisque congeneribus, radicis sanguineo succò quo manus inficiuntur, *Dioscoride* monente, differt.

Vires. De Anchusæ viribus, quæ Veteres habent apud ipsos videri possunt. Radix oleo soluta rubro colore tingit. Antiquæ mulieres pro fuco seu pigmento eâ uti solebant. Petroleo infusam & illitam ad vulnera recentia & puncturas commendant.

Androsæmum vid. *Hypericum.*

ANEMONE.

Ἀνεμώνη ἀπὸ τοῦ ἀνέμου dicitur, quòd flos tantùm vento flante aperiatur, vel potiùs quòd locis apertis & vento obnoxiis florere gestiat.

Anemones in genere *Notam characteristicam* facimus, caulem determinatè foliatum, & unicâ tantùm distinctione, ubi terna hærent folia, flores in singulis caulibus singulos.

Anemones sylvestris seu spuriæ semina Ranunculi in capitulum congesta, nullo pappo lanuginéve, vel adhærente, vel involvente.

Anemones genuinæ seu hortensis semina pappo involuta. Pulsatillæ semina cincinnata plumulis longis adhærentibus.

Vires. Anemone (secundum *Galenum*) abstergit, attrahit, desopilat. Radix masticata phlegma è cerebro elicit æquè ac succus naribus attractus, ulcera fætida mundificat. Anemone extùs applicata menses ciet, lácque puerperis auget.

ANETHUM.

De *Anethi* Etymo nugantur Grammatici. Alij Ἄνηθον quasi ἀνίκητον dictum volunt, id est invictum, quòd

quòd cibi excitat appetentiam. Veriùs ἄνηθον dicitur παρὰ τὸ ἄνω θεῖν, quòd sine cursu sponte sua feratur, id est quòd citò crescat; vel ut apud *Theocriti Scholiasten* habetur παρὰ τὸ ἄνω ἥγειν ἵεσθαι, quòd sursum ascendat sive eat, id est, quòd rectum sit, sive in rectum assurgat.

Nomina. Anethum *I. B. Ger.* hortense *C. B.* hortense sive vulgare *Park.*

Vires. Herba, sed præcipuè semen, digerit & discutit, maturat tumores, auget lac, conciliat somnum: Venereos appetitus minuit, singultui vomitusque medetur.

Oculis nocere & visum hebetare dicitur: quod nobis mirum videtur, cùm Fœniculo, (quod omnium consensu visum acuit) simillimum sit tàm qualitatib. quàm facie externâ, nec minùs potenter flatus discutiat.

Teneræ comæ & radix recens vim habent diureticam, eáque calculosis non parùm prodesse certum est.

Decoctum Anethi in oleo & aqua q. s. bibatur. Deinde frusta panis in aqua fervente madefacta præbeantur. Mirum in modum juvantur ægroti in ileo à fœcibus induratis etiamsi stercus vomuerint.

Ad singultum contumacem à frigida causa, ℞. Ol. ex semine Anethi gutt. IV. Ol. Amygdal. dulc ℥ß. m. f. haustus. Ad singultum nullis remediis cedentem hoc unum habuit *Otho Heurnius. Raius.*

ANGELICA.

Angelica Barbaris & Agyrtis ab Angelis dicta est hæc herba ob insignes qualitates: iisdem & radix S. Spiritûs dicitur ob eandem rationem.

Ejus *notæ* sunt folia latissima, semina striata magna & crassa per maturitatem alba, succus lacteus per siccitatem flavicans.

Nomina. *Angel. offic.* Angelica sativa *J. B. C. B. Ger. Park.*

Vires. Radicem Angelicæ Alexipharmacum, Bezoardicum, & cordiale nobilissimum esse unanimi consensu docent medici & botanici.

Herba ipsa, sed præcipuè radix & semen calfacit & siccat, aperit attenuat, sudorifica, & vulneraria est: menses movet, fœtum expellit, suffocationi uteri maximè conducit: malignis morbis, venenis, ipsique pesti medetur.

Pro præservatione pestis radices aceto maceratas aut naribus admovent tantùm, aut sub lingua habent, aut masticant, aut acetum bibunt jejuni. Pro curatione vel ʒj. solius pulveris, vel ʒß. cum Theriacæ ʒj. in vino tenui, in aqua card. benedicti, tormentillæ, &c. propinant & sudorem inducunt, idque repetunt singulis sex horis.

In vulneribus τῶν ἰοβόλων, præcipuè canis rabidi, emplastrum fit cum thure, ruta, pice, aliis.

Radix condita cum sacchara, ut & foliorum pediculi delibrati manè sumpti putantur valere plurimum contra pestem, & aëris contagionem, quin & sanare quosvis thoracis & pulmonum affectus frigidos. Iidem commanducati fœtentem oris halitum emendant.

Angelica non facilè provenit vere; recenti siquidem semine disseminari cupit. *Raius.* Nos tamen contrarium sæpius experimur.

ANGUILLA.

Anguilla, ab *Anguis* similitudine: Græcis veteribus ἔγχελυς, ἀπὸ τῆς ἰλύος, quòd commoto cœno faciliùs capiatur: modernis ἄγχελυ. Ortum earum quod attinet; quamquam Aristoteles expressè affirmet, in dissectis neutrum sexum, nec ova vel semen deprehendi posse: nonnullas tamen ex iis, majores potissimum, *viviparas* esse, nos plusquam unâ dissectione edocti sumus: Et memini, me semel ex Anguillæ prægnantis utero undecim Anguillulas exsecuisse, singulas suis secundinis inclusas.

Anguilla alia est *Mas*, alia *Fœmina*. *Mari* caput est majus, rostrúmque obtusius: *Fœminæ* minus, acutiúsque rostrum. *G. Charleton.*

Partes Officinales sunt. 1. Pinguedo. 2. Caput. 3. Sanguis. 4. Hepar. 5. Exuviæ.

Pinguedo vulneraria est, capillos generat, illita in Alopecia; auditum restituit instillata auri; hæmorroides mitigat.

Caput anguillæ verrucis cutis mederi aiunt, scilicet si caput sanguinolentum adhuc, quo verrucæ tactæ sunt, terrâ cooperiatur, ut putrescat.

Sanguis adhuc tepidus colicos domare dolores dicitur, cum vino assumptus.

Epar cum *felle* siccatum, pulverisatum, exhibetur in difficultate partus in vino, magnitudine avellanæ.

Exuviæ circumligantur membris luxatis; Sale conditæ, & fumo exsiccatæ ad procidentiam uteri usurpantur in suffumigio.

Sunt, qui dicunt vinum in quo Anguillæ suffocatæ fuerint, abstemios reddere, bibitum.

Præparata. Aqua destillata Phthisicis & hecticis utilis.

ANGUIS, vid. sub Titulò *Serpens.*

ANGURIA, vid. *Citrullus.*

ANIMAL.

Animal est corpus animatum sensu & motu spontaneo præditum, vel potiùs sentiendi & se movendi facultate, licè non mutet locum.

Ità disertè *Aristoteles lib. 2. de Anima, cap. 2. tex. 16.* Τὸ δὲ ζῶον διὰ τὴν αἴσθησιν πρώτως. καὶ γὰρ τὰ μὴ κινούμενα, μὴ δὲ ἀλλάττοντα τόπον, ἔχοντα δ' αἴσθησιν, ζῶα λέγομεν, καὶ οὐ ζῆν μόνον, *i. e.* Animal per sensum & propter sensum primariò est Animal. Etenim quæ non moventur neque mutant locum, habent autem sensum, Animalia ea dicimus.

Omnibus ergo Animalibus unus saltem inest sensus, *v. g.* tactus, quod *Aristoteles* sæpius inculcat. Αἰσθήσεως δ' ὑπάρχει πρῶτον πᾶσιν ἡ ἀφή· καὶ ὥσπερ τὸ θρεπτικὸν δύναται χωρίζεσθαι τῆς ἀφῆς καὶ πάσης αἰσθήσεως, οὕτω καὶ ἡ ἀφὴ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων· τὰ δὲ ζῶα πάντα φαίνεται τὴν ἁπτικὴν αἴσθησιν ἔχοντα. *i. e.* Inter sensus autem primò inest Animalibus omnibus tactus: & sicut facultas vegetativa seu nutritiva separari potest à tactu & ab omni alio sensu, ut in plantis videmus; ità tactus separari potest & seorsim existere ab omni alio sensu. Animalia autem omnia videntur tangendi sensum habere. Et in cap. 3. ejusdem libri, Τὰ δὲ ζῶα πάντα μίαν ἔχει τῶν αἰσθήσεων τὴν ἀφήν.

E Philosophis recentioribus non pauci, Cartesii præcipuè asseclæ, sensum propriè dictum Brutis nullum inesse contendunt: cúmque Brutis tribuitur sensus, nihil aliud significare vocem illam quàm passionem seu motum in Sensorio ab impellente sive externo, sive interno excitatum. *Peyerus Merycologiæ* lib. 3. c. 4. *concludit, Bruta tanquam automata artificiosa à rebus internis pariter ac externis, impressionem in Sensorio efficientibus, naturæ ordine mille modis concinniter moveri, absque notione vel scientia.* Et ejusdem operis l. 1. c. 4. *Quamvis enim Bruta careant Anima cognoscente, tamen ab objectis externis perinde afficiuntur in cerebro uti homines.*

Iterum *lib. 1. cap. 4.* *Quod autem* Plutarchus *Avis hujus* [Ardeæ] *solertiæ tribuit, ac si ipsa singulari calliditate prædita, conchásque calore recludi gnara, consiliorem suo prudenter aggrederetur, id ego magis piè Divinæ Providentiæ soli acceptum refero, flectenti Brutorum machinas mille modis per organa convenientia secundùm Naturæ ordinem.*

Et *Cartesius* in Epistola ad D. *Morum, Se non morari ait astutias Canum & Vulpium, nec quæcunque alia*

alia quæ propter cibum, Venerem, aut metum à Brutis fiunt. Profitetur enim se posse perfacilè illa omnia, ut à sola membrorum conformatione profecta, explicare: quod utinam præstitisset, si præstare potuit.

Præcipua hujus sententiæ fundamenta sunt. 1. Quod Deus possit efficere machinas, quæ eosdem planè motus aut actiones exserant quales ab Animantibus proficiscuntur. Nam si ea est hominum industria (verba sunt *Colberti* Metaphys.) ut ad usum vitæ, vel ad oblectationem excogitent, dubitare non licet, quin à summo rerum artifice machina ex infinitis penè partibus compingi possit, quæ eodem modo ex objectorum impressione moveatur, ac si sensu & perceptione donetur. Nos de omnipotentia Divina, an scilicet tales machinas fabricare possit, nollemus disputare. Quæstio est, non utrùm potuerit efficere, sed utrum fecerit, quod nobis ob rationes mox dicendas non videtur verisimile. Deinde, ut scitè *Colbertus*, Licet nobis ab iis qui contra sentiunt vicissim requirere. Annon potuerit Deus, ut sensuum organa, ità vim sentiendi & objecta corporea percipiendi Brutis tribuere? Si potuit, quin ità fecerit cùr dubitamus? Hæc argumentatio apud Cartesium eousque valuit, ut concederet, non posse demonstrari nullam esse in Brutis cogitationem aut Animam, quoniam, inquit, Mens humana illorum corda non pervadit.

2. Cùm nos ipsi tam varios & dissimiles motus nè cogitantes quidam exeramus; cùm enim loquimur aut scribimus, aut testudinis fides pulsamus, simul & eodem momento complures musculos, nervos & alia organa citra ullam perceptionem, & peritè, & celerrimè, movemus: cur non & Bruta pariter ab objectis impulsa omnes suos motus & actiones obire possint? Quid (inquiunt) an Canis *v. g.* latrare non poterit, cùm homo sæpe loqui, aut nervos testudinis stringere soleat citra ullam attentionem ex assuetudine tantùm, & mechanica partium dispositione?

Cartesius certum esse ait in Corporibus Animalium, ut etiam in nostris, esse ossa, nervos, musculos, sanguinem, spiritus animales & reliqua organa, ità disposita, ut se solis absque ulla cogitatione omnes motus, quos in Brutis observamus, ciere possint; Quod in convulsionibus cernitur, cùm mente invita machinamentum corporis vehementiùs sæpe, ac magis diversis modis solùm se movet, quàm ope voluntatis soleat moveri.

Nos equidem concedimus animalium corpora organa esse miro artificio composita, & multa in nobis fieri ad quæ non attendimus. Alia tamen tum à nobis, tum etiam à Brutis fiunt, quæ attentionem & perceptionem arguunt, de quibus postea.

3. Rationum omnium quæ bestias cogitatione destitutas esse persuadent, *Cartesii* judicio, præcipua est, quòd quamvis inter illas unæ aliis ejusdem speciei sint perfectiores, non secus quàm inter homines, ut videre licet in Equis & Canibus, quorum aliqui cæteris multò feliciùs quæ docentur addiscunt: & quamvis omnes perfacilè nobis impetus suos naturales, ut iras, metus, famem vel similia, voce vel aliis corporis motibus significent, nunquam hactenus fuerit observatum, ullum Brutum animal eò perfectionis devenisse, ut verâ loquelâ uteretur, hoc est, ut aliquid vel voce, vel nutibus indicaret, quod ad solam cogitationem posset referri. Hæc enim loquela unicum est cogitationis in corpore latentis signum certum; atque ipsa utuntur omnes homines, etiam quam maximè stupidi & mente capti, & linguâ vocisque organis destituti.

Verùm quamvis fortè loquela propriè dicta Brutis non concedatur, alia tamen sunt, quæ sensum & perceptionem iis indultam probant.

4. Si Bruta sentiunt & percipiunt, hoc est cogitent, non secus ac homines, habebunt pariter sibi adnexas Animas à corpore distinctas adeóque immortales; quod nullo modo verisimile est, cum eorum nonnulla *v. g. vermis, ostreum, spongia*, & exilia illa animalia Microscopio nuper detecta, adeò imperfecta sint, ut nemo iis perceptionem & memoriam nedum immortalitatem libenter concesserit.

Resp. Quid de Brutorum animabus fiat postquàm à corporibus separantur, an maneant, an pereant & in nihilum abeant, nobis non constat. Quidni vero durent & in nova corpora se insinuent?

Concedemus tamen operationes illas quas in Brutis miramur omnes ab ipsis non proficisci: aguntur enim potiùs quàm agunt; nec ipsa Domini sunt intelligentiæ illiùs quam in actionibus suis ostendunt; sed à Divina sapientia diriguntur ad fines quos ipsa sibi non proponunt, quorumque nullam habent notitiam: οὔτε γὰρ τέχνῃ, οὔτε ζητήσαντα, οὔτε βουλευσάμενα ποιεῖ. ut rectè *Aristoteles*; passive se habentes ad motus illos & instinctus naturales, ab Autore naturæ sibi impressos. Si enim Bruta autores essent suarum actionum, eáque efficerent innatæ scientiæ vi, absque ulla deliberatione aut consultatione, quæ ab illis effecta videmus; sequeretur planè ea non dico ratione prædita esse, sed intellectu ratione humana multò præstantiore & perfectiore.

Sequitur jam ut rationes eas proferam, quibus inductus à sententia illa, quæ Bruta omni sensu & perceptione multat, alienus sum.

Primò, Multæ Brutorum actiones, ea sensu & perceptione quadam donata esse convincunt. Quorsum (inquit D. *Morus* in Epist. ad *Cartesium*) illa attentio est & auscultatio in avibus cantatoriis, quam præ se ferunt, si nullus in ipsis sensus, nec animadversio? unde illa vulpium canumque sagacitas? Quî fit ut minæ & verba ferocientes cohibeant belluas? Canis famelicus cùm furtim quid abstulit, cur quasi facti conscius clam se surripit, ac meticulosè & diffidenter incedens, nemini occursanti gratulatur, sed averso pronóque rostro suam ad distans pergit viam, suspiciosè cautus nè ob patratum scelus pœnas luat? Quomòdo ista fieri possunt, sine interna facti conscientia? Et in secunda Epistola, Annon Canes brevibus latratibus cibum sæpiùs ad mensam mendicant? imò verò aliquando Domini cubitum pede, quâ possunt cum reverentia tangentes, quasi sui oblitum, blando hoc eum signo commonefaciunt.

Nec pigebit, quamvis prolixa satis, quæ Doctissimus Vir *Joann. Faber Lynceus in Exposit. Animal. Novæ Hispaniæ*, &c. De solertia Animalium profert, huc transcribere. Cæci ostiatim mendicantes *Romæ* & alibi, Cane plerunque mediocris magnitudinis catenulæ ferreæ alligato utuntur. Hic ipsis viarum dux: hic diluculo eos ad varia urbis loca educit, & sospites vesperi domum reducit: hic fidissimus tota ipsis die socius assidet, & loro etiam solutus, ubi parumper exspatiatus fuerit, longè tamen haud discedit, & ad minimam heri sui vocem recurrit, collum absque ullo renisu catenæ aptandæ subjicit, & inter medias populosæ Urbis turbas, longissimè ab ædibus etiam dissitus, rectam viam sine ullo diverticulo, absque ullo in foveam aliquam præcipitandi magistri sui metu domum pergit, ac pensum laboris sui diurni, panem nempe mucidum & aquam gelidam ab hero accipit & quod mireris amplius, ad quæcunque etiam longissimè distantia, & aliquot milliaribus ab urbe remota, ut est Sanct. *Pauli* Basilica in *Via Ostiensi*, loca eos deducit. Ubi enim Cæcus à sua in qua habitat platea remotior paululum ad bivium vel trivium

vium aliquod devenerit, & aurium judicio, (quo maximè cæci pollent) sive hoc ex fontium aquæ cujusdam lapsu, sive fabrorum & artificum strepitu collegerit, se tali quodam loco constitutum esse: & si ad *SS. Petri* aut *Pauli* aut *Joannis Lateranensis* Basilicas, quæ pluribus passuum millibus, & in triangulo quodammodo locatæ à se invicem absunt, properare desideret, absque eo quod ullum mortalium quo loco sit interroget, loro suo canem semel tantùm, vel hac, vel illac, & Ecclesias dictas versùs dirigit; tum securus ad harum aliquam, quam ipse in animo habet, perducitur, vesperíque salvus sine ullo diverticulo reducitur.

Quòd si in longissimo quodam vico sex septémve cæcus domos habeat, quas bis terve in septimana eleemosynam postulaturus, ibique precationes dicturus suas adire sit solitus, ubi ad hujusmodi platearum aliquam, quas optimè Canis cognoscit, pervenerit, nisi singulas & jam sibi notissimas ædes priùs omnes accesserit, ex ea minimè discedit. Ubi autem precautiunculam jam Mendicus inceperit, decumbit interea Canis, quietémque fessus capit, & quando ultimam precationum voculam prolatam audivit, confestim fine ullo magistri monitu nutuve surgit, & ad alias consuetas ædes gressum dirigit.

Vidi profecto non sine maxima animi mei jucunditate, simul & stupore, dum cæco cantanti & stipem petenti nummulus ex superiori domus parte ante pedes projiceretur, industrium adeò ipsius Canem fuisse, ut illum quæsiverit, & ore è terra sublatum arreptumque in ipsam heri capsulam seu pyxidem reposuerit: & si fortè fortuna eundem non protinus reperisset, baculo ab hero suo monitum, & comminantibus verbis adactum, ut omni adhibita diligentia nummum indagaret. Si verò panis ex fenestris, dejectus fuisset, Canis hic, famelicus licèt, nisi eum Domino suo priùs porrexisset, & ab eo portiunculam accepisset, eundem minimè arrosit-------

Solebat ædes meas amicus frequenter invisere, qui cùm ingentem & Molossorum ferè genere Canem secum duceret, ipsique ego ad superiores ædium partes aditum præcludi jussissem, penderet autem prope ostium inferius mearum ædium pes Capreoli funiculo alligatus, quo campanulam adventantes & intrare cupientes pulsare docebantur, idque à Domino suo jam sæpius factitatum, Canis conspexisset; ubi admisso hero inventus exclusus fuit, paulò post tintinnabulo pulsato puer descendit, & præter Canem neminem offendit, qui pedibus suis capreoli pede arrepto, intromitti gestiens, hominis instar funiculum attraxerat; nec id semel tantùm, sed iteratis vicibus alia die tentavit, nobis omnibus conspicientibus, ridentibus, & bestiæ ingenium admirantibus.

Hic ipse Canis cùm in ollam prægrandem unguine illitam linguendi causâ caput immisisset, nec revocare posset, ubi diu multùmque luctatus sed frustra, & ut nè vas illud figulinum rumperetur, leniter tractasset; tandem impatientia fractus, maximo cùm impetu terræ impegit, in frustra comminuit, & eâ se mox molestiâ liberavit.

Cassianus Puteus Lynceus S. Stephani Eques Romanus Florentiæ non semel se vidisse affirmavit quendam Sereniss. *Medicea* familiæ Principem Canem aluisse qui ad nutum heri sui imperium omne reciperet, mensæ continuè inserviret, orbes apportaret, patinas reportaret, & ore arrepto argenteo disco, in quo calicem vitreum vino repletum stantem gerebat, ità affabrè Domino suo porrigeret, ut nè tantillum vini effunderet, cui & equum conscendenti fideliter stapedem infixis dentibus arctissime firmaret.

Doceri præterea Canes possunt, ut arrepta ore pecunia ad macellum properent, & à noto sibi lanione carnes, vel à caupone etiam vinum emant domumque reportent: Rem perditam omni diligentia requirant & inveniant, ad numeros saltent: In rotâ versatili ambulantes, vel trusilem molam agant, vel carnes in veru ad ignem volvant. Hactenus *Faber*.

Præterea Canis Domini anteambulo in via, ad eum subinde respectat, nè fortè è conspectu amittat, quem si viderit, alacris denuo progreditur; sin minùs, non procedit ulteriùs, at nec subsistit, sed quanta potest festinatione recurrit, & Dominum indagat. Concipi quidem potest quomodo motus heri versùs aliquam partem directus, eodem impellat Canis machinam: verùm absentia Domini, cùm sit nihil, nullam potest habere vim, nullum influxum. Verùm responderi potest, ideam heri in memoria posse excitare illum motum. Instabimus ergo in alia actione cujus non ità facile est rationem reddere.

Cùm idem anteambulo ad viæ divortium venerit, & incertus sit quàm semitam Dominus capiet, subsistit ibidem, expectans donec viderit, quorsum ille gradum diriget; nè si ipse diversam partem eligeret, totidem quot processerit vestigia remetiri cogatur. Cur canis cùm ad fluvium venit, si alveus ejus angustus sit, statim transilit, sin latior, quàm ut illum saltu possit transcendere nihil simile tentat? Si prædæ alicui adeò propinquus sit, ut se illam assequi posse speret in eam insilit, sin adeo longe absit, ut eò usque saltare nequeat, irrito conatu se non fatigat? nisi quòd innatâ quadam trigonometriâ de distantiis judicare potest, utcunque sine sensu & perceptione quomodo hæc præstare possit, ego equidem non capio.

At nec Equi ingenio minùs excellunt quàm Canes, nec minùs mira sunt quæ præstant. Vidimus qui ad numeros saltaret, qui ad heri jussum claudicaret, qui se mortuum simularet, & pedibus extensis absque ullo motu jaceret, séque quomodolibet tractari, trahi retrahíque permitteret, usque dum verbis quibusdam prolatis statim exurgeret & exsiliret; quod à Cane factum totum theatrum & *Cæsarem Vespasianum* (qui in *Marcelli* theatro aderat) obstupuisse ait *Plutarchus*: qui terram pede pulsando numerare videbatur quot denarii essent in solido, *&c.* quod oculo in herum conjecto, & observando quoties ille manum leviter moveret, totiésque terram seu pavimentum feriendo, præstabat. Cùm mus è foramine exiens felem propinquum videt, latibulum suum citato cursu repetit, quòd scilicet noverit se ibi tutum fore ab hoste. Si mus mera esset machina, posset fortasse felis aspectus eum impellere ut recto cursu ab eodem fugeret. At quid retrahit murem ad foramen, quamvis forte Feli vicinius sit quàm locus ubi nunc est?

Cur Canis in mensam, si altior sit, non statim exsilit, sed primùm in proximam cathedram, hinc in mensam ascendit? non immeritò quærit D. *Colbertus*, qui pluribus instantiis prolatis concludit, *Neminem tantam solertiam in Automato posse bona fide agnoscere quantam in equis, canibus, simiis, elephante & omnibus pœnè Animalibus agnoscimus:* quod & nobis videtur.

Secundò, Opinio isthæc à communi generis humani sensu & sententia abhorret. Quis enim Bruta dolorem nullum pati, nec vicissim voluptate aut lætitia perfundi, adeóque crudelitatem erga illa exerceri non posse *Peyero* concedet? Quis tam ferreus est? tam ab omni misericordia alienus, ut Animalibus hisce

hisce graviter afflictis diráque & extrema patientibus non indoleat. Certè vulgus nostrum cùm Brutum aliquod letaliter vulneratum, morbo insanabili laborans, aut dolore quovis vehementi cruciatum videt, spectaculi impatiens præstare clamitat ut occidatur, adeóque à dolore liberetur (*put out of its pain*) Quid aliud significant lamenta, querelæ, gemitus, ejulatus, vociferationes, quas percussa, cæsa, vulnerata edunt, imò lachrymæ quas eorum nonnulla ut v. g. Testudines, ubertim fundunt, quàm aliquem iis doloris sensum inesse?

Inquies, hoc præjudicium est, cui omnes ab ineunte ætate assuevimus, quodque non facile excutimus, Bruta scilicet Animantia cogitare, quòd eadem nobiscum qui cogitamus sensuum organa habeant. At Philosophi meliùs edocti supra vulgus sapiunt. Ego equidem in eorum numero nomen meum profiteor qui huic præjudicio assueverint, nec illud hactenus deponere potuerint, sive id infirmitati meæ, sive argumentorum in contrarium allatorum imbecillitati debeatur. Quasi verò hoc sit Philosophum esse, humanitatem exuere, inque Brutorum corpora absque ullo crudelitatis sensu sævire posse; eáque urere, torquere, dilacerare, animi causâ pro libitu tractare, procul omni sympathias affectu. Quin & Sacræ literæ crudelitatem erga Bruta exerceri posse innuere videntur. *Prov.* 12. 10. *Curat justus vitam jumenti sui, miserationes autem improborum sunt crudeles.* Quæ enim justitia esse potest erga machinam? quæ commiseratio?

Tertiò, Considerandum est an Decorum sit & Divina Majestate dignum, tam humiliter sentire de Creaturis inanimatis, quasi nihil aliud sint quàm machinæ seu Automata: annon humano generi illusisse videatur Deus, si pro vivis Animalibus, internum motûs sui principium habentibus, prout hominibus hactenus persuasum fuit, quibusdam tantum ceu puppis, aut icunculis omni prorsus vita & sensu destitutis, mundum replevisset. Si hoc verum sit, est sanè cur homo se efferat & superbiat, suáque sòlius causâ mundum hunc conditum fuisse jure, glorietur, nec enim hominibus deletis alióve translatis ullus ejus amplius usus fore videtur.

Iis qui mediam sententiam amplectuntur, Bruta scilicet & sensu & perceptione donari, & tamen omnino materialia esse, consentire nequeo. Materiam & perceptionem toto genere distare *Cartesianis* libenter concedo. Dividatur utique materia in partes quantumvis subtiles & minutas, quomodolibet figuratas, moveatur motu pernicissimo, recto, obliquo, circulari, sursum, deorsum, confusè, ordinatè, nihilo propiùs ad perceptionem accedet quàm si omnino iners & quieta jaceret. Quis motum localem & perceptionem res esse distinctas non agnoscit? nec hujus notionem & conceptum in illius includi?

At neque motus (inquiunt) in rei materialis conceptu includitur, nec ei necessariò inest. Materia enim potest esse sine motu; Motus tamen est modus quidam materiæ; cur ergo non & perceptio modus materiæ esse possit?

Respondeo, materiam passivè se habere ad motum; nec posse seipsam movere; nullam utique habet vim αὐτοκινητικήν: quam si haberet, esset quidem aliqua probabilitatis species, perceptionem etiam ei competere posse. Perceptio autem sine actione intelligi nequit. Quin si sensus & perceptio Rei materiali competere, ejusve modus aliquis esse posset, non equidem video, cur non perinde & Intellectus & Ratio, proinde cur non & Animam rationalem posse esse materialem seu modum aliquem materiæ concedamus. Expediant se si possunt hujus sententiæ patroni.

Rationem à perceptione aut sensu separari in nobismetipsis experimur. Inter dormiendum enim cùm somniamus, ideas & imagines rerum satis clarè percipimus, rationis tamen usum non habemus; quod vel indè patet, quod cùm videamus tot absurda, incongrua, & aliena, quæ nullam inter se connexionem aut dependentiam habent, vel simul repræsentari, vel unum alii succedere; non omnino miramur aut movemur; cùm si ratio vigilaret, statim detegeret, ea quæ loco & tempore tantopere distant, simul existere non posse, nec hoc illud statim, consequi; ut alia multa in somniis visa taceam, quæ ratio mox respueret & falsi coargueret. Id ergo principium quod percipit in homine, sive Anima sit, sive facultas Animæ, distinctum est ab eo quod intelligit & ratiocinatur. Cur ergo ejusmodi principium seu Anima, solâ percipiendi facultate prædita non possit seorsim existere, & cur in Brutis non existat?

De generatione Animalium,

Non mihi in Animo est integrum de Generatione tractatum scribere; tres tantum celebres Quæstiones, quæ hodienum inter Philosophos agitantur, breviter discutiam. Eæ autem sunt,

1. An detur aliqua generatio spontanea aut æquivoca?

2. An omnia quæ unquam fuerunt aut futura sunt Animalia individua initio creata fuerint, an nova indies generatione producantur?

3. An Animalcula quæ generatione augentur & perficiuntur in ovo fœmineo, an in semine masculo hospitantur?

An detur aliqua generatio spontanea aut æquivoca?

Ego cum iis planè sentio qui nullum omnino Animal sponte nasci, nec ullam dari generationem æquivocam existimant.

Primò enim productio Animalis ex materia indisposita Theologorum unanimi consensu Creatio est & Omnipotentiæ opus. In prima enim rerum creatione Animalia non ex nihilo facta sunt, sed ex aqua & terra, absque ulla præparatione & dispositione prævia. Quodcunque ergo Agens absque semine ex materia indisposita Animal producere, vel materiam in instanti præparare potest, Omnipotens est. Verùm si Generatio aliqua spontanea concedatur, hoc quotidie fiet. Quodnam ergo efficiens est in his generationibus? num Sol? At ille omnipotens non est. Num Deus? At ille die sexto creationis omne opus absolvit.

Secundò, Si Animal ex putri aliâve quâ materia indisposita produci posset, quid opus est tanto ad generationem molimine? quid duplici sexu? quid tanto ad utriusque semen præparandum vasorum apparatu? tot flexibus & meandris, tot gyris & circuitibus, ad generosum illum spermatis liquorem è sanguine & succo nerveo eliciendum & paulatim elaborandum donec debitam perfectionem acquirat? Apage otiosam hanc & supervacuam generationis pompam. Res utiquè faciliùs multò & compendiosiùs posset expediri; è pulvere & aqua pluvia ranæ, è putri materia insecta momento producuntur.

Annon hoc contumeliosum esset in Naturam aut potiùs Deum ipsum, asserere illum longum & non necessarium generationis processum instituisse, & ambages frustra quæsivisse, Rejiciamus ergo sententiam hanc, Rata apud nos sunto Axiomata illa physica. *Natura non facit circuitus. Natura non abundat in superfluis, nec deficit in necessariis.*

Tertiò

Tertiò, Meâ equidem sententia absurdum omnino & à ratione alienum esse videtur, Rem inanimatam, quæ inferioris ordinis & ignobilior est, posse producere animatam, quæ superioris est & nobilior: vel enim ex materia indisposita illam producit, cujusmodi productio, ut diximus, creatio est; vel ipsa materiam præparat & disponit, quod est ultra vires suas agere, cùm nulla habeat organa & vasa ad eam præparandam idonea, quæ, ut diximus, permulta requiruntur.

Quartò, Generatio hujusmodi experentiæ etiam refragatur. Si quod enim aliud certè putris materia, & præ omnibus caro putrida, ad insecta generanda aptissima videtur. Animalia enim spontanea si quæ sunt è putredine oriri omnes statuunt. At acutissimus Vir D. *Franciscus Redi* è carne aliáve materia putrida nullum omnino Animalculum oriri, si insecta omnia ab ea solicitè arceantur, expertus est. Quin & D. *Malpighius* ne terram quidem absque semine ullam plantam edere experiendo didicit.

Quintò, si insectum, si rana, si mus sponte possit oriri, cur non & Equus? cur non & Elephas? cur denique non & Homo ipse? Nec enim minor Ars & curiositas elucet in horum quàm in illorum corporum structura: & ratio sola cur illa sponte oriri imaginamur, hæc verò minimè, videtur esse, quòd ob magnitudinem hæc non facilè visum nostrum effugiant; illa verò ob parvitatem oculis nostris se facillimè subducant, & in latibulis occultent; ubi nec generationem nec partum illorum observare possumus. Præterea si nullum sit semen quod speciem determinet, cur non aliquando, imò cur non sæpissimè novæ rerum species producantur? quod sextum nobis argumentum suppeditat.

Sextò, si dentur Animalia aliqua sponte orta, cur earundem omnia specierum sunt cum iis quæ naturali methodo generatione propagantur? Cur non interdum, imò sæpissime species novæ, *Hybridæ*, Androgyna, monstra, producuntur? Cùm *Sol* aut calor, aut quodcunque aliud efficiens assignare poteris universale Agens sit, quid speciem determinat? Materia inquies, seu principia harum specierum convenientia. At cùm diversarum specierum semina in omni materia putri inveniri longè verisimilius sit, in aliqua certissimum, cur ex eorundem mixtura ejusmodi quæ diximus novæ & monstrosæ Animalium species non potius exoriantur. Hoc enim etiam in Animalium corporibus fieri videmus ubi semina permiscentur; quomodo ex commixtione & concursu seminis Asini cùm Equino generatur mulus. Cur efficiens universale non æquè agit sive principia cognata, sive aliena in materia putri occurrunt? Deinde, cur Animalia hæc sponte genita partes generationi dicatas obtinent, ipsáque etiam ex coitu maris & fœminæ speciem suam propagant? cùm ex ejusmodi parentibus genita & nata non sint. Annon millies verisimilius est omnia fixo, stabili & spermatico principio originem suam debere?

Ultimò, Suffragia præstantissimorum hujus ævi Philosophorum, qui Insectorum naturam diligentissimè examinârunt, eorumque generationis modum curiosissimè observârunt, sententiam nostram confirmant: Quorum auctoritas plus apud me valet quàm aliorum mille è vulgo Philosophantium, qui communibus præjudiciis abrepti, receptæ sententiæ absque ullo rerum ipsarum examine mordicus adhærescunt.

Ii sunt, (ut elogia omnia omittam quibus ornari merentur) D. *Franciscus Redi*, cujus superiùs mentionem feci: qui multis tum argumentis tum experimentis probat, nullam dari ne in insectis quidem generationem spontaneam. Hic tamen Insecta illa quæ in gallis aliisque plantarum excrescentiis nascuntur excipit.

D. *Marcellus Malpighius*, qui in Tractatu de Gallis (quo nomine præternaturales omnes & morbosos tumores & excrescentias plantarum complectitur) ostendit verrucas illas & excrescentias quascunque in quibus Insecta quævis inveniuntur excitatas esse vel venenosi cujusdam liquoris vi, quem unà cum ovis suis supra folia, gemmas aut fructus Plantarum ejusmodi Insecta ejiciunt; vel terebris suis aut aculeis foramina efficientes in ipsam gemmarum aut fructuum pulpam instillant; vel vapore contagioso ipsorum ovorum, mortificationem seu syderationem producente in partibus plantarum in quibus deponuntur; vel denique à vermiculis ipsis exclusis, dentibus suis in gemmas, folia, fructus aut etiam lignum ipsum foraminibus factis penetrantibus; unde tandem concludit. *Erunt itaque Gallæ, & reliqui plantarum tumores morbosæ excrescentiæ, vi depositi ovi, à turbata plantarum compage, & vitiato humorum motu excitatæ, quibus inclusa ova & animalcula velut in utero foventur & augentur, donec manifestatis firmatisque propriis partibus quasi exoriantur novam exoptantia auram.*

D. *Joannes Swammerdam*, qui in *Historia* sua *Insectorum* generali affirmat, quòd in tota natura nulla detur generatio accidentalis s. spontanea; verùm omnia Animalia generatione propagari, & postea de Insectorum è Plantis generatione agens sic infit. Nos firmiter credimus, impossibile esse experientia probare ulla omnino Insecta è plantis prodire ac nasci; verùm è contra mihi satis constat Animalcula illa non aliam ob causam plantarum partibus includi, quam ut indè alimentum hauriant. Verum quidem est, certo constanti & immutabili naturæ ordine videre nos multa Insectorum genera speciebus nonnullis plantarum & fructuum velut propria affigi. Sciendum tamen est, illa omnia ex seminibus Animalculorum sui generis ibidem depositis oriri; Insecta etenim ova seu semina sua adeò profundè in plantas demergere solent, ut postea cum illis quodammodò uniantur, orificio illo seu apertura per quam intrarunt penitus occluso & obliterato, nullo ejus in superficie vestigio remanente. Ova a. inibi excluduntur, & fœtus enutriuntur usque dum debitam perfectionem acquirant.

D. *Martinus Lister* nostras, Notis in *Goedartii Insect.* Num. 16. p. 47. *Non enim* (inquit) *inducor ut credam, hoc vel aliud quodvis Animal modo quodam spontaneo è planta produci, aut alii causæ cuicunque originem suam debere quàm Parenti Animali.* Item Not. 3. in Insect. N. 39. hæc habet, *Quoad spontaneam erucæ hujus aliorumque Insectorum generationem pro parte negativa jam sententiam meam tradidi. Hoc certissimum est Cossos hosce, ab ovis à Parentibus Animalibus exclusis esse productos, aquè etiam patet minutulos hos vermes capaces esse arborem gradatim terebrandi, id est, pro ipso alimentandi tempore, quæ quidem exigua foraminula fortè post plenum eorum ingressum denuo coalescunt, saltem non sunt oculis nisi Lynceis aspectabilia. Addo insuper, quòd forsan transmutationem nullam subeant, sed per multos annos sub erucarum larva maneant, quod probè consentit cum observationibus meis.*

His addi possit D. *Antonius Levvenhoeck* Belga, qui eandem etiam sententiam sequitur. Literis 14. *Maii* 1686. ad Regiam Societatem *Londinensem* datis hæc habet, Est enim apud me ratum ac firmum, nulla viventia Animalia, sive demum vermem, sive muscam, pulicem, pediculum, imò nè blattam quidem, ex succo vel foliis ullius arboris vel plantæ, aut etiam putredine vel sudore produci posse. Et ut mihi hac in re satisfa-

satisfacerem, carnem sumpsi vitulinam, eámque intra vitreos quosdam tubos Hermeticè occlusos inclusi, quos per aliquot mensium spatium, tam propè fenestris ad solem, quàm alibi reliqui, ità ut caro portione sui aliqua in aquosum mutaretur liquorem. Hanc carnem liquorémque multoties accuratissimè examinavi, diversisque temporibus vitra aperui rursusque occlusi, verùm nullum unquam vivens animal in ipsis animadvertere potui. Et paulò post de pediculis agens, ratum apud se esse scribit. Quod prout impossibile est, Equum vel Bovem similéve Animal ex fimi cujusdam putredine progigni posse, atque impossibile sit pediculum vel pulicem absque generatione posse produci.

Quæ in contrarium objici solent in Tractatu Anglicè scripto, cui Titulus *Sapientia Dei in Operibus creatis manifestata*, refutavimus. Iis quæ de Ranis pluvialibus diximus addi potest, D. *Perault* in ejusmodi ranarum ventriculis cibum, inque ipsis intestinis excrementa sæpius invenisse, unde jure concludit, eas tum temporis non fuisse primitus formatas, sed cùm jamdiu antè natæ essent, repentè prodiisse: quod non mirum, cùm post imbrem à siccitate lumbrici & cochleæ terrestres innumeræ à latibulis suis prodeant grato, ut videtur, aquæ pluviæ vapore allecti. Ibidem ostendimus quid de insectorum in hominis aliorumque Animalium intestinis, visceribus, vasis inventorum generatione & origine sentiendum sit.

De pediculorum, Syronum, aliorumque vermium in caseo putrescente inventorum generatione res minùs est difficilis: ea namque ab insecto ejusdem speciei ova ibidem deponente producta esse minimè dubium est. Insecta enim pleraque mira odoratus sagacitate pollent, ut loca ovis suis fovendis & excludendis, & fœtibus enutriendis idonea è longinquo facilè percipiant, eóque se conferant.

De origine vermiculorum è corporibus erucarum vivarum aut Chrysalidum egredientium, magno interdum numero, nondum constat; conjicere tamen possumus eos oriri ab ovis muscarum seu vesparum Ichneumonum, quæ vel aculeis suis cutem erucarum dictarum perforantes ova in earum corpora insinuant, vel exteriùs in cute ea ponunt, quæ ibidem postea excludantur, fœtusque cutem erodentes corpus ingrediantur; ibique nutriantur donec debitam magnitudinem & perfectionem acquirant. Dubia Chrysalidum nonnullarum nunc in Papilionem, nunc in muscam metamorphosis ulteriori observatione indiget.

Bufones in lapidibus mediis serra dissectis in ventos fuisse certa fide nobis constat. Fieri potuit quod Animalia illa recens nata, aut cùm parva fuerant, foraminulo aliquo aut rimula in petra inventa, in eam irrepserint, ut commodum in hyeme latibulum obtinerent; postmodum autem vel foraminulo fortè occluso, vel quod ipsi mole aucti eadem egredi nequiverint, incarcerati & inviti detenti. Cumque Animal valdè sit frigidum, & in saxo propemodum torpidum plerumque jacuerit non multo alimento at nec aëre indiguit, quin per plures annos in hoc statu potuit durare. Fortè etiam antequam materia petræ in lapidem concreverat bufo in eadem latebat, qua liquoris cujusdam petrescentis ope in lapidem indurata, bufo incrustatus & inclusus est, non aliter quàm muscæ aliáve insecta in Succino aut crystallo.

An omnia quæ unquam fuerunt & futura sunt Animalia individua initio creata fuerint, an nova indies generatione producantur?

Partem affirmativam sequitur & propugnat Doctissimus Vir *Joannes Conradus Peyerus*, Merycologiæ lib. 1. cap. 5. *Ipse* (inquit) *quondam in Doctrina de generatione Animalium ex ovo quædam ceu inepta rejeci, quæ mihi nunc videntur ità consentanea, ut propugnare ausim. Talia sunt potissimum præsentia ideæ realis in ovo ante congressum, quæ fœtum postea constituat; & numerus idearum in quolibet ovo ex quo famella nascitur tantus, ut species inde propagari queant per omnia secula.*

Fundamentum hujus sententiæ præcipuum est, quòd *Animalium conformatio Divini sit opus artificii. Insania est, animantibus vim proprios fingendi ac procreandi fœtus tribuere, furor id Atomorum aut particularum qualiumcunque fortuito largiri concretui, quod hominum captum artémque omnem superat: denique impietas creaturarum originem à Deo non repetere, aliúmque plasten, & nescio quam facultatem aut genium spiritúmve formatorem suspicere ac venerari.* Quod ad priores duas causas attinet, Dignissime *Peyere*, Animalis conformationem iis non deberi libenter concedo, at cur tertiam quam assignas adeò averseris, ut qui eam approbant impietatis & idolatriæ insimules, rationem non video. Cur Deus ad opera conformationis aut generationis Animalium *Plastica* cujusdam *Naturæ* ministerio non possit uti, æque ac Angelorum vicariâ operâ ad Providentiæ negotia & mundi Administrationem utitur? Pro Plastica hujusmodi Natura argumenta sanè non contemnenda profert Vir ob pietatem & eruditionem celeberrimus D. *Radulphus Cudworth*, in Academia *Cantabrigiensi* dum viveret Hebraicæ Linguæ Professor, & Collegii Christi Præses dignissimus, Lib. de *Systém. Mundi.*

Primò, Quia contraria sententia, vulgi saltem opinione, Divinam Providentiam nimis operosam, solicitam, & trivialibus curis distractam supponeret, adeóque eam creditu difficiliorem redderet.

Secundò, Quia Divinæ Majestati minùs consentaneum & decorum videtur, minùs σεμνὸν, ipsum αὐτουργεῖν ἅπαντα, velut propriis suis manibus omnia fingere, etiam levissima & vilissima quæque, absque ullius ministri subordinati interventu.

Tertiò, Tardus ille qui in rerum generatione observatur processus ab imperfectiore ad perfectius gradatim ascendens, supervacua & inanis pompa, ociosáque & inutilis φαυλασία esse videretur, si Agens omnipotens esset.

Quartò, Ἁμαρτήματα illa, ut vocat *Aristoteles*, Errores & lapsus qui committuntur, cùm materia inepta est aut contumax, nec formatricis ductui facilè cedit & obsequitur, ut in Monstris, *&c.* Agens non ea vi & virtute esse cui resisti non possit abundè arguunt, quin Naturam ejusmodi causam esse, quæ non minùs quàm humana Ars materiæ obstinatione aut indispositione aliquando impediri aut frustrari obnoxia sit: cùm Agens Omnipotens certò & infallibiliter opus suum efficeret, nec ulla materiæ contumaciâ aut ineptitudine, nec alio obstaculo impediri possit, aut perturbari, cogíve ut à scopo aberraret aut offenderet ulla in re. Dari hujusmodi Plasticam naturam s. Architectum (ut vocat) sic probat *Eruditiss. Wepferus Ephemer. German.* Ann. Observat. 129.

Quis enim in animum sibi inducere posset, corpuscula quædam in colliquamento, humore prorsus homogeneo, occultata & tenui membrana coercita, atque à colore vel matris vel ignis rarefacta valere partes figurâ, colore, consistentia diversas formare, illis debitum numerum, magnitudinem, & situm tribuere, legitimè connectere & unire, ad usus & actiones nobilissimas determinare, & ut verbo dicam, omnia sapientissimè & prudentissime disponere?

Qualis-

Qualisnam Spiritus hic sit quem *Naturam Plasticam* vocamus si quis scire desiderat, librum modò laudatum consulat.

Sed ut ad rem redeam, unicuique fœminæ inter Animalia ova omnia, seu conceptus seu semina mavis dicere, quæ unquam paritura est per totam vitam, ab initio seu prima formatione indita esse; quæ postquam exhausta aut consumpta sunt ipsa sterilis & effœta redditur, mihi equidem verisimillimum videtur. Hoc in avibus observatu facillimum, in quibus nudo etiam oculo visibilia sunt tot ovorum principia seu semina, quot sufficere possint ad tot annorum partus quot animal vel victurum est vel fœcundum duraturum. Idem ergo de aliis etiam Animalibus probabiliter concluditur. Quod si nova in ovario possent formari, quid opus est ut aliqua congenita essent? Annon melius esset, cùm res exigit cúmque opus est, ea producere, quàm multa & fortasse inutilia futura primitus creâsse, per tot annos in ovariis reservanda, multísque periculis & casibus exponenda? Hinc etiam non sine magna probabilitatis specie concludi potest, Animantium saltem omnium semina in initio à Deo opt. max. creata fuisse.

Prima *v.g.* hominum Parens concreata sibi habuit semina omnia seu conceptus seu ideas hominum quos unquam fuit paritura: harum idearum unaquæque sibi etiam insita habuit semina seu ideas hominum omnium à se per maturitatem edendorum, & sic in infinitum.

At inquies, ova equidem fœminis congenita esse negari non potest; ideas fœtuum pariendorum ovis inesse quomodo probabitur? Fortassis Animalculo in spermate masculo hospitanti fœtus originem suam debet.

Respondeo, Posse equidem hoc fieri, verùm ab rationes paulò pòst dicendas nobis minùs verisimile videtur. Quin & ipse D. *Malpighius* Anatomicus ὁ πάνυ in ovis etiam subventaneis non longè à centro Globosum candidumque corpus seu cinereum, quasi molam, locatum esse se observâsse scribit, in Dissertatione de *Formatione pulli in ovo*, unde sequi videtur, dari in ovo fœtus primordia etiam ante coitum; quidni ergo & in his omnium successivè futurorum fœtuum seu animalium primordia & ideas ad mundi usque interitum?

Videamus jam quibus argumentis *Joan. Conr. Brunnerus* hanc sententiam oppugnat, sub calcem tractatus de Pancreate, *Peyero* referente.

1. *Si primæ matris testiculi, (& in his ova fœcunda tantùm) totius generis humani seminia actu conclusissent, ut taceam illorum qui in lucem nunquam prodierunt, quorum numerus alterum proculdubio multis parasangis superat, non negabit tamen æquus rerum æstimator quin unicus Evæ testiculus (quamcunque atomum fingamus uniuscujusque ovuli rudimentum, sufficit saltem esse corporeum) revera totum Evæ corpus mole superasset.*

Respondet *Peyerus*, Se nullam necessitatem videre cur Evæ testiculi majores fingantur cæterarum mulierum quarumcunque ovariis, etiamsi continuerunt ideas & principia distincta universi hominum generis. Attenta enim mens cogitatione sua in unico materiæ divisæ grano universum concipere potest; quoniam fines invenit nullos, si dividendo progreditur: neque centenarium extensionem aliter participat quàm scrupuli minimum. Igitur ratio præjudiciorum exsors vel in exiguissimo muliebri ovo infiniti Creatoris omnipotentiam considerans immensum idearum numerum è quibus homines nascantur, possibilem intelligit. Quod ut sensibus quoque appareat, accipe quæso (*Brunnerum* alloquitur) mastiches granulum, illudque prunæ impone. Effluvia fumi specie confertim inde erumpentia fateberis opinor esse corporea; percipiuntur enim naribus ad quas appellunt. Sed anne ea numerabis? Minutias equidem computare nolo, nec si velim possum. Sint ergo nostro sentiendi modo innumerabilia. Jam exhalationum particulæ singulæ, cùm oleant, erunt ex elementis aliis compositæ, si Philosophis vulgaribus credis, ac proinde rursus dissolubiles. Quòd si tandem in tantillo mastiches grano tam vastam sentis particularum congeriem, eccur in ovo fœminino idearum latentium immensitatem admittere detrectas? Putásne difficilius fuisse Deo tales Animalium ideas condere, quæ per constantes evolutionum vices, re hortante, excrescant in fœtus, quàm in frumenti grano innumeras creare farinæ atomos. Hactenus *Peyerus*. Fatendum sanè materiam incredibilis divisionis capacem esse; at verò in partes infinitas divisibilem vix concedent saniores Philosophi. Quoniam si in infinitum divisibilis sit, partes infinitę ei actu inerunt; materia enim non divisibilis est in plures partes quàm ei actu insunt, ut demonstratu facillimum esset; proinde dabitur infinitum actu; quod absurdum & contradictorium esse omnes fatentur; quo etiam posito mille alia absurda sequuntur.

Sufficit tamen *Peyero* quòd sit in tantùm divisibilis, ut minimam ejus partem assignare homini difficillimum nè dicam impossibile sit. Immensæ fere divisibilitatis materiæ plurima exempla producit Illustriss. *Boylius* in Tractatu *De mira subtilitate Effluviorum*, &c. Unum alterúmve tantum brevitatis causâ huc transcribam.

1. Curatè in agili quadam bilance *gr.* 1. Cupri non calcinati, sed limati duntaxat, appendebam; & quia hoc metallum elegeram, eo quòd in plerisque menstruis largitur colorem cæruleum saturum conspicuúmque, volui etiam solutionem ejus peragere non in Aqua forti, vel Aqua Regia, sed Spiritu Salis Ammoniaci (cùm is urinosus sit) per alia experimenta compertum habens, hocce Menstruum solutionem multò intensiorem quàm alterutrum aliorum suppeditare. Elegantem hunc liquorem, cujus insigniorem adhibebam copiam, ut scil. omne Cuprum penitus dissolveretur, alto vitro cylindrico quadripollicaris diametri immittebam, gradatim ei affundens aquam stillatitiam, (quæ communi, incommodâ salsedine sæpius instructâ, multò est aptior donec vitrum ferè implevissem) colorémque nonnihil pallidum, non tamen adeò dilutum ut manifestus non esset conspicerem. Tum liquorem hunc vitro conico infundebam, ut eò esset facilius, vas illud aliquoties ad eandem altitudinem implere. Vas hoc conicum ad certum usque signum quater consecutive implebam, id ipsum, necnon liquorem, toties appendens, in insigni bilance, quæ uno quasi grano in alterutram partem flectebatur. Diversa hæc pondera vitri unà cum liquore contento simul addebam; túmque vitro vacuo iterum ponderato, quater ejus pondus à summa supradicta subducebam; unde deprehendi solius liquoris pondus ad grana redactum ad 28534. grana assurgere; adeò ut unum granum Cupri, quod non planè dimidiam habet gravitatem specificam Auri puri, tincturam largiretur liquori pondus ejus 28534. vicibus æquanti.

Jam verò si placet advertere, Experimenti mei scopum fuisse ut ostenderem in quantum numerum partium unum Cupri granum possit dividi, permittes ut considerem (quod & feci) hanc partium multitudinem æstimandam esse ex proportione, non tam ponderis quàm molis respectu, Metalli tingentis ad liquorem tinctum; proindéque cùm complura experimenta hydrostatica me edocuerint, pondus Cupri ad pondus aquæ molis ejusdem habere se proximè

ut 9. ad 1; grani pondus Cupri mole sua nonnisi nonam partem facit tantæ quantitatis aquæ ac pendet granum unum, adeoque numerus ante memoratus granorum aquæ multiplicandus est per 9, ad obtinendam proportionem inter corpora tingentia & tincta, hoc est, singulum granum Cupri largiebatur aliquid coloris cærulei plus quàm 256806. partibus aquæ limpidæ, quarum unaquæque mole sua ipsum granum æquabat. Quod quanquam stupendum videatur & vix credibile, visum tamen mihi fuit experimentum urgere ulteriùs; quod faciebam omnem liquorem ex alto illo vitro cylindrico in aliud vas mundum effundendo, unde cùm bis implessem vitrum conicum, idque toties evacuassem in idem vitrum cylindricum, tertia vice implebam vitrum conicum aqua destillata excolore, eâque ipsâ etiam in vitrum cylindricum effusâ, deprehendebam manifestum adhuc, licet pallidum, colorem cæruleum mixto illi liquori inesse. Denique, abjecto liquore qui erat in vitro cylindrico infundebam ei ex eodem vitro conico, destillatæ aquæ excoloris, tinctique liquoris prius in vase mundo sepositi partes æquales, invenique colorem licet valde pallidum dilutúmque, cœrulei tamen nonnihil habere, quod ab oculo intento facilè dignosci poterat. Unde patet Cupri gr. j. potis fuisse colorem quamvis languidum impertiri plusquam duplæ quantitati aquæ supra commemoratæ, id est, 513612. partibus aquæ quarum singulæ eandem cum tingente materia molem obtinebant.

2. In bilance adeò exactâ, ut perexigua grani unius parte huc illuc flecteretur frustum suspendi Ambræ griseæ nuce Juglande majus, & plusquam 100. grana ponderans; non potui tamen 3 ½ dierum spatio ullum etiam ista bilance ponderis Ambræ illius decrementum agnoscere, licet sufficientum adeò locuples, dio expositum probabile sit magnam halituum odoriferorum copiam eo temporis spatio exspirasse. Deinceps suspensa etiam etiam per 5 ½. dies *Assæ fœtidæ* quadam massa comperi nec eam sensibilem ullam ponderis jacturam fecisse, quamvis, nequicquam obstante ingratâ frigidâque tempestate, cingeretur Atmosphærâ fœtidis exhalationibus stipatâ. Et quanquam elapsis horis 12. aut 14 post mutatam fortè cœli temperiem dictam massam inspecturus accederem, licet immutatum nonnihil isto temporis spatio æquilibrium reperirem, tota tamen massa nè quidem octavam unius grani partem amiserat.

3. Canes illi quos *Hispaniolos* vocamus Angl. mira sagacitate odoratu suo distinguere nôrunt loca illa quæ à Perdicibus, Coturnicibus, *&c.* nuper insessa fuere. At ego valdè miratus fui acerrimum odoratum insignis cujusdam Canis insidiantis (quod genus Angli vocant *Setting Dogs*) qui suo circumcursitandi agros more, aliisque motibus, capite præsertim peractis, non modò nobis indicabat speciem Alitum, quorum odorem offenderat, sed & locum ubi Perdices ante aliquot horas (quamvis forte sine ulla mora) insederant, nósque in conjectando, quandiu ante adventum nostrum avolaverant, juvabat.

Vir quidam generosus, valdè gravis & modestus, mihíque familiaris, qui sæpe canes illos sagaces (qui Anglis *Blood-hounds* dicuntur) adhibet, apud me asseruit, quòd siquis homo transiverit modò agrum aliquem, odorem ejus, ità hæsurum terræ, ut ab ejusmodi cane post aliquot ab hominis illius commeatu horas percipi queat. Adhæc, solers quidam venator apud me asseveravit, observasse se, Feræ in fugam & calorem actæ odorem quandoque inde ab una die in proximam solo hæsurum.

Jam verò cùm substantia in gramine vel solo relicta à transcursu Perdicis, Leporis, aliusve Animalis, hac illac duntaxat itantis, probabiliter quædam duntaxat ex Effluviis, è pedibus ipsius emissis, gramini solóve communicat; quæ cùm satis exilia sint, ut visus aciem fugiant, fortè non unum pondere granum, quinimo nè decimam quidem illius partem conficiant: cúmque Atmosphæra unius ex parvis istis materiæ illius expirantis portiunculis valde ampla sæpiùs esse possit, si cum corpore emittente eam conferas, ut ex ea conjicere est distantia, ad quam Canes quidam insidiantes vel sagaces odorem Perdicis vel Damæ alicujus percipiunt; in locis tamen libero aëri ventóve expositis perquam verisimile sit hos halitus assiduè à fonte suo avehi ad dictam Atmosphæram per 6. 8. vel plures etiam horas alendam; *h. e.* quandiu solo hærere observatus fuerit odor, continuas halituum sibi invicem succedentium suppetias requiri; non possumus non inde arguere, halitus quos emittit extremæ adeò parvitatis esse debere ut vix concipi à nobis queant. Hactenus nobiliss. *Boylius.* Ex quibus clarissimè demonstratur, materiam in immensæ parvitatis & tenuitatis particulas dividi posse, imò actu dividi.

Pergit *Peyerus*, *Extant in rerum natura tantâ subtilitatis Animalia, ut visum planè fugiant, nec conspiciantur nisi exquisito microscopio. In his atomum magnitudine vix superantibus vita & motus multiplicem partium & membrorum apparatum palàm indicat, os, ventriculum, intestina, cor, venas, arterias, cerebrum, musculos, nervos, succum & sanguinem aerémque & alia sexcenta; quibus convincimur, etiam in minimo puncto corporeo latere posse incomprehensibilem rerum varietatem.* Oculi enim nostri (ut illud addam) non justam rerum magnitudinem nobis exhibent, sed earum duntaxat proportionem; ut quod nudo oculo punctum apparet, tot revera habeat partes, quot totum universum habere nobis videtur.

His adde, D. *Antonium Levvenhoeck* Delphensem Batavum in aquæ pipere per triduum infuso impraegnatæ guttâ unicâ animalcula minimùm 8280000. observâsse. Hoc, inquit, fidem fortasse excedit, verùm affirmo, quòd si granum Arenæ unicum è majusculis in 8000000. partes æquales divideretur, harum partium una, unius ex hisce Animalculis magnitudinem æquaret saltem si non excederet. Si hoc fidem superet, quid existimandum de Animalculis illis, quæ perspicacissimus & ingeniosissimus ille naturæ arcanorum indagator D. *Rob. Hookius* noster detexit: quorum nonnulla adeò stupendæ & planè incredibilis parvitatis erant, ut vel milliones millionum in una aquæ gutta possent contineri, *i. e.* Decies centies millies decem centena millia. Horum unumquodque sua membra suósque musculos habeat oportet. Ad muscularem autem motum quemlibet, (inquit) in majoribus saltem Animalibus, peragendum non pauciores millionibus millionum partes requiruntur, singulæ etiam microscopio visibiles. Quæ cùm ità sint; In ovariis initio creatorum ideas omnium quæ unquam futura erant Animalium contineri potuisse non est omninò incredibile. Nec opus est, ut primæ Parentis testiculi majores fingantur mulierum hodiernarum ovariis, quamvis plures reverâ fœtuum ideas continerent; possunt enim nihilominus harum ova edenda in parem cum illius conceptibus magnitudi-

tudinem grandescere; futuris licet ideis seu ovis invariatis manentibus: nec tamen video quid absurdi sequatur, si concedamus, omnia etiam ova in posterum successivè edenda proportionaliter augeri.

2. Argumentatur *Brunnerus*, *Si cuncta Animalium membra jam formata existant in ovo, tam tenuia licet ut præ exilitate visum fugiant, non concipio quomodo unâ imaginationis vi in gravida producantur hic capita aut pedes vitulini, illic canina facies, istic alia monstrosa membra, &c. experimento utique certo partes ac membra demum formari in utero aut ovo, atque delineari.*

Pyerus qui vim seu Naturam Plasticam rejicit, ut hoc argumentum expediat, ad Dæmonem confugere cogitur. *Supersunt* (inquit) *duo quibus causa jure imputari queat: matris imaginatio, quæ sæpe mirum quantum in tenello embryone efficit, & Dæmon. Cùm prius admittere abnuas, posteriori locum concedere teneris. Et potest sanè Diabolus, permittente Deo, hominibus variè abuti, ac transfigurare fœtus in utero, ut puniantur improba scelestáque terræ mancipia, quæ posthabito pudore obscænis vacant cogitationibus, vel Bruto nefariè consuescunt.*

Primam quam assignat causam meritò & nos rejicimus: cùm eorum quæ in utero fiunt mater nullius conscia sit; neque quid illic rei geritur magis intelligit quàm fœtus qui ibidem formatur, tantùm abest ut ipsa aliquid efficiat, aut ad effectum concurrat aliter quàm locum & pabulum, & fortè etiam aerem seu spiritum fœtui subministrando. Quid quod in Oviparis Animalibus fœtus è matre separatus, & in ovo conclusus à matre nihil recipit præter fotum & calorem moderatum: ova enim etiam absque Gallinæ incubatu calore artificiali fota pullos excludunt, ut *Ægyptiorum* quotidiana praxis demonstrat?

Nec tamen secunda causa nobis satisfacit. Ad incitas redactus videtur *Peyerus*, cùm nodo dissolvendo δαίμονα velut ἀπὸ μηχανῆς introducat. Deo permittente posse hæc Diabolum efficere non negamus: Deum autem talia Satanæ permittere gratis asseritur. Plurimæ sunt passim honestæ & piæ matronæ quæ imaginationis vi malaciæ notas fœtibus suis imprimunt; in quarum embrya Diabolo tantum licere non est cur opinemur: naturalibus potiùs causis notas eas deberi verisimile est. Nos sanè è sententia gravissimi & eruditissimi Viri D. *Hen. Mori* non abhorremus, Dari *Plasticam* aliquam *Naturam*, quæ in generationis negotio agens est principale, quæ Plantarum & Animalium corpora efformat; si enim in generatione, hominis *v.g.* Animal vel Matris vel Embryonis id efficeret, verisimile est eam sibi consciam & potentiæ & actionis suæ, intellecturam quid & quomodo ageret; cùm tamen nihil tale in nobismet experimur. Ea nihilominus esse potest causarum subordinatio, ut fortis imaginatio, vehementi aliqua passione excitata, in *Naturam* quam diximus *Plasticam*, vim aliquam & influxum habeat, eámque in consensum rapiat, ut quam illi repræsentavit notam in fœtus corpus exprimat.

His consona sunt quæ Clariss. & Eruditiss. Vir *Joannes Jac. Wepferus* adfert in Dissertat. ad Historiam fœtus sine cerebro nati *Ephem. Germ. Anno 3. Observ.* 129. Cùm (inquit) Viviparorum ova utero non adhærent (ut paulo ante probavi) aut si elapso aliquot dierum, imò mensium spatio, demum affigantur, ità tamen ut non continua sed contigua sint, rationi consonum est, formatricem matris fœtum non adornare, sed in his Viviparorum ovis Architectum quendam & omnium partium opificem contineri. Hæc ampliùs stabilit & propemodum demonstrat, quòd matribus viviparis, vel morbo, vel vi enectis, fœtus nihilominus aliquandiu in utero vivant, imò ex utero cæsi post matris obitum sæpe diu superstites maneant, & curiosè enutriti adolescant. Necessum est ergo Architectum in Scenam producere, illique hujus monstrosi capitis culpa deferenda erit. Hunc (pergit) Accidens aut motum quendam variè figuratorum corpusculorum à nuda illorum inclinatione profectum neutiquam dicere ausim, nec dum formarum substantialium existentiam etiam in Brutis excutere possum, ob rationes quas superiùs adduximus.

Paulo pòst, Etsi enim (inquit) Architectus non videatur, ut in artibus mechanicis fit, intellectu & providentiâ quadam agere, ex ipso tamen opere pervidetur & palpatur quasi, non sine intellectu, sapientia & prudentia, tam mirabilia, tam stupenda, & quæ intellectu nostro assequi nequimus, perpetrare, scilicet illa illa ipsa quæ in prima Animalium creatione à Conditore rerum omnium sapientissimo imperata fuerunt quorum semper memor concurrentibus ad generationem & formationem necessariis ea quoque gnaviter perficit: quæ certè omnia non ab accidente sed à substantia [spirituali] horum mandatorum capaci expectanda sunt ...... Negari non potest, inter fœtus & matres viviparas propius quoddam commercium intercedere: utcunque enim non continuitate sed contiguitate jungantur in utero, nihilominus quamdiu in his claustris detinentur, spiritus & sanguinem sine intermissione accipiunt, unde nutriuntur & augentur. Deinde necesse est ut matris Anima sua sensa Architecto impertiat; quæ ille quoque arripiat, intelligat & perficiat, eâ ratione quâ à matre suppeditata fuerunt. Nisi enim hoc fieret, impossibile esset, ut Architectus *ex. gr.* in hoc monstro, simulachrum tam affabrè non in quavis parte, sed in determinata & à matre designata expressisset; nec caput ceu cruore perfusum tantâ industriâ in fœtu adumbrâsset. Quomodo a. Architectus visu & auditu privatus in profundis tenebris mediusque in undis simulachrum videre, & silentis matris mandata intelligere potuerit, non me certiùs scire fateor, quàm qua ratione pedis pollex non auritus cogitatu citiùs se ad voluntatis imperium moveat.

De modo generationis Animalium illorum quæ præter fœtum humanum in utero formata & edita fuisse fidem nobis faciunt historiæ illæ *Fortunii Liceti* de Cancro, *Ludovici Hannemanni* de Serpente, *Cornelii Stalpart* de Cane unà cum fœtu exclusis, aliæque multæ quæ apud Autores occurrunt, rationem reddere iis qui generationem æquivocam rejiciunt difficile esse fateor, nisi ad operationes Magicas aut præstigias Diabolicas recurramus.

An Animalcula quæ generatione augentur & perficiuntur in ovo fœmineo, an in semine masculo hospitantur.

Dom. Antonius Levvenhoeck Delphensis in spermate plurimorum Animalium Insecta numerosissima Microscopio detexit, unde novam introduxit hypothesin, Animalia omnia Insectis hisce originem suam debere, non ovo materno.

Dari hujusmodi Animalcula in spermate non equidem negaverim, nihilominus tamen in alteram potiùs sententiam propendeo, in conceptu scil. seu ovo materno Animalis primordia includi.

1. Quia, quicquid ille contradicit, Semen omnium Animalium in uterum non injicitur. Nam in nonnullis ob brevitatem penis & distantiam uteri ab orificio exteriore, impossibile est ut penis in uterum pene-

penetret. *Sic v.g.* Galli gallinacei penis adeò brevis est & parvus, ut an ullum omnino habeat ab Anatomicis controvertatur. Deinde fœminas nonnullas quibus pudendum adeo obstructum erat ut membrum virile nullo modo admittere posset nihilominus injectu seminis in vaginam imprægnatas fuisse legimus.

Ephemer. German. An. 3. *Observat.* 273. Puella quædam 8. circiter annorum, cùm sese ut calefaceret, carbonibus in olla contentis insideret obdormiens perfracto fictili in carbones incidit, & totam perinæi, vulvæ & pubis regionem combussit: vocatusque Chirurgus adeò negligenter eam curavit, ut integra vulvæ labia firma cicatrice, sibi conjungi, & relictis tantùm duobus foraminulis, uno infra os pubis, altero propè anum in perinæo, coalescere permiserit. Hæc cùm ad pubertatem pervenit à juvene quodam per contactum absque membri virilis intromissione ingravidata est; & prolem satis robustam cùm partus tempus adesset, enixa est. Videsis integram historiam loco citato.

In iisdem *Ephemer.* Historia occurrit *Observ.* 97. Viri cujusdam cum pene inferiote tantum parte perforato, ut semen in uterum injicere nequiret, aptissimi tamen ad generandas proles, cùm ex ejus lumbis sex prodierint liberi. Nonnullos etiam legimus quibus penis tam brevis erat ut glans solummodo extaret, qui nihilominus liberos genuerunt.

Deinde, Affirmat *Harvæus*, Se plurimis dissectionibus mense *Octobri* in cervis institutis, tum ante earum coeundi terminum, tum etiam postea, nullum unquam in uteri cavitate aut ejus cornibus semen aut sanguinem, alteriusve rei vel vestigium reperire potuisse. De fide Viri tanti non est cur dubitem; at neque de ἀκριβείᾳ cùm ipse experimentum hoc magni momenti esse ratus, rem diligentissimè examinaverit, nec in plurimis quas dissecuit, in hunc maximè finem fœminis ullam unquam spermatis guttulam in utero invenire aut observare potuerit. *Harvæo* etiam suffragatur *Reinerus de Graaf*, qui semen masculum nihil aliud esse quàm vehiculum cujusdam salis volatilis aut alterius spiritus conceptioni seu ovo mulieris contactum vitalem imprimentis fidenter asseverat.

His adde, Uterum nothum seu redundantem mulieris cujusdam à *Mr. Dione* Chirurgo *Parisiis* dissectæ, (cujus Historia ab eodem Gallicè edita & in Latinum versa in *Ephem. German.* extat) in quo infans conceptus, per quinque vel sex menses detentus & velut incarceratus, tandem claustris effractis in cavitatem abdominis erupit, nullum habuisse meatum considerabilem, neque exitum quidem in orificium uteri internum, neque in vaginam, per quem semen penetrare & ingredi posset, nisi diverticula quæreret.

2. Ipse D. *Levvenhoeck*, qui se sperma masculum in utero fœmineo sæpiùs vidisse aliisque ostendisse asserit, nullum tamen in tubis Fallopianis sibi unquam comparuisse aut ad testes fœmineos penetrasse refert. At vim seminis eousque se extendere, quicquid ille repugnet, certissimum est: nam post coitum ova fœcundata inde decidere, & in uterum per tubas illas quantumlibet arctas, se insinuare, D. *Malpighio* & D. *de Graaf* testibus omni exceptione majoribus, quibus & D. *Peyerum* adjicere liceat, firmissimè credo. *Peyeri Merycologiæ lib.* 1. *cap.* 5. verba hæc sunt, *Fœminarum testiculos à coitu affici ac immutari palam indicant pullulantia tubercula fibrosa & glandulosa, quibus ovum quodlibet fœcundum admirando naturæ ingenio liberatur atque secernitur. Vidimus hæc & palpavimus aliquoties cùm in Vaccis, Ovibus & Capris, tum præcipuè in Damis vulgaribus Cepvini generis, apud Josephum du Vernium* Lutetiæ Parisiorum. *Exigui quidem fateor sunt Damarum testiculi, sed post coitum fœcundum in alterutro eorum papilla s. tuberculum fibrosum semper succrescit, quo ovum seu conceptus ab ovario liberatur, ut per tubam postea descendat in uterum. Scrophis autem prægnantibus tanta accidit testiculorum mutatio, ut mediocrem quoque attentionem fugere nequeat.*

3. Ovaria hæc, ita enim liceat appellare, Dom. *Levvenhoeck* ne quicquam contradicente, aliósque nescio quos eorum usus assignante, ad generationem omnino necessaria esse vel inde patet, quod fœminæ quibus exsecta sunt sterilescant illico, nec ullam postea prolem edant, ut patet quotidiano in porcis castratis experimento. Nam castratores testiculos duntaxat fœmineos auferunt, ut ipsemet sæpius vidi & observavi. Quod si altero tantùm testiculo exsecto alterum reliquerint, Animal nihilominus pariturum affirmant & res ipsa evincit; in illo tamen cornu cujus ovarium exsectum nullum postea fœtum reperiri.

4. In tubis Fallopianis extra uterum fœtum aliquoties repertum fuisse affirmat Riolanus; celeberrimus Harvæus noster à seipso visum asserit: Nec desunt exempla id confirmantia à recentioribus prolata: nos unum alterumve commemorabimus. 1. *Benedictus Vassalius* Chirurgus Parisiensis, VI. Jan. 1669. aperuit cadaver mulieris 32. annos natæ, temperamento sanguineo, & habitu corporis satis masculo præditæ. Repertæ fuere duæ matrices, singulari connexione, à Natura tam bene dispositæ, ut vera undecies jam concepisset, 7. nimirum filios & 4. filias, justo omnes tempore & debita compositione; at qui habebant fraterculum embryonem conceptum in *adjutorio* sive *adminiculo* genuini Uteri, & quidem in loco ad distensionem tam inepto, ut fœtus grandescens 17. septimanis matrem funestis symptomatis exagitaret: tandem 3. mensium fœtus factus, carcere effracto, tumulum sibi in ipsa matre paravit, excitando ingens sanguinis profluvium in universam abdominis cavitatem, id quod tribus ultimis diebus vehementissimi motus convulsivi & demum mors subsecuta fuit. *Vassalio* de gemino utero non assentitur *Tilingius* inquiens; Qui Embryonis hujus domicilium ex icone æri incisa appictum [Programmati Gallico, quod recitavimus] attentiùs intueatur, dextram uteri genuini Tubam dilatatam, veram & genuinam hujus conceptionis S. fœtus sedem, non autem propriè loquendo uterum verum fuisse confitebitur. 2. Aliud exemplum adferam, quod quantum ego quidem discernere possum, hypothesin *Levvenhoeckianam* funditus evertit & prosternit; occurrit a. Act. Philosoph. Reg. Societat. Londinensis N. 147. Sect. 4. Caniculæ cujusdam gravidæ fœtus utero inclusi ictu violento exanimantur. Subsequitur carnis aliusve materiæ putridæ & purulentæ per pudendum evacuatio sat ampla & copiosa: nec ità multo post, eadem canicula denuo gravida facta ventrem deformem habere observabatur. Mortuam (nec enim diu supervixit) Dominus ejus vir Generosus *Oxonium* misit dissecandam. Uteri aperti cornua ossibus, musculis firmioribus & crassiori cute fœtuum mortuorum (quorum nonnulli situ naturali collocari sceletis adhuc integris restabant, ossium duntaxat interstitiis carne muculosa & cute repletis) adeò suffarcinata reperiuntur, ut impossibile planè esset, ullam omnino, non dico materiam crassiorem, sed vel vaporem quidem auramve seminalem ad Ovaria penetrare aut aditum invenire. Ova itaque secunda hac ingravidatione fæcundata, cùm nullum in uteri

in uteri cornibus locum invenirent, in abdominis cavum compulsa sunt, ubi mesenterio, renibus, *&c.* affixa reperiebantur; duobus tantùm folliculis tenui ductu intercedente utero connexis. Hi, ut conjicio, in cornua primò delapsi, & magnitudine aucti ob loci angustias iterum exclusi & retrocedere coacti sunt; reliqua tria ova seu fœtuum folliculi, cùm nullus omnino initio in Cornibus locus superesset, admissa non sunt sed in abdomen prolapsa. Membranæ embrya continentes tenuissimæ erant, & Animalcula iis contenta ob inopiam alimenti fame enecta. Qui plura desiderat *Observ.* 110. An. 1. *Ephem. Germ.* legat, necnon *Acta Phil. Angl.* Num. 192. p. 479.

5. His adde experimentum à D. *Anton. Nuck*, factum quod Animal ex ovo generari egregiè comprobat. Cani fœminæ tertio post congressum instituto die extraxi per vulnus abdomini inflictum sinistri lateris cornu (cujus Ovarium jam duobus ovulis majusculis notabiliter conspicuum) inter vaginam & ovarium medio loco, ligatura arctiori constrictum reposui, vulnusque intra octiduum ad cicatricem perduxi. Vigesimo primo post ligaturam injectam die canem cultro Anatomico examinandam inspicio; & quod ante hariolatus eram, etiam plenè perspexi. Sinistri cornu pars (inter ligaturam & ovarium) duplici fœtu erat obsessa; altera verò portio (ligaturam inter & vaginam) planè vacua nobis visa: quod manifestissimè probat ovula ulteriùs quam ad ligaturam propelli non potuisse, & in ipsis ovulis aurâ seminali fœcundatis, non verò in semine virili fœtus quærendos esse.

6. Aliquod fœtus rudimentum in cicatricula ovi subventanei observavit Clariss. Vir D. *Marcellus Malpighius*, *Dissert. de formatione pulli in ovo*, non longe, inquiens, à centro [cicatriculæ] in ovis etiam subventaneis globosum candidúmque corpus seu cinereum, quasi molam, locatum esse observavimus.

Quid ergo, inquies, confert semen virile? Quid ejus usus est? Respondet *Peyerus*, Maris copula fœcundo coitu efficit, ut patefactis quibusdam poris & meatibus qui ante occlusi fuerant, ideæ in ovis nutrimentum affluente succo capere incipiant ac vegetari.

Quemadmodum enim in plantarum seminibus Plantula suis jamjam conformata partibus, [foliis quæ primo erumpunt, gemma, & radicula] tandiu tegumentis suis inclusa delitescit quandiu idoneo humore minùs perfunditur aut irrigatur, [*ad multos interdum annos*;] ità fundamentum futuræ prolis in ovulo humano positum, eò usque quiescit, donec spirituosi seminis virilis contagiosa quadam quasi fermentatione actuatum sese exserat, & motum vitalem acquirat; ut *D. Golleri* in *Ephem. German.* An. 12. Obs. 143. verbis utar.

Hinc patet *D. Hannemanni*, *Eph. German. An.* 12. *Obs.* 55. argumenta contra oviformem ut vocat genesin infirmo & labili fundamento niti, nimirum ova per 10, 11, 12. imo 16, 17, & 20. etiam annos sine partu vel conceptione in ovario esse non posse quin corrumpantur. Cur enim in testibus seu ovariis muliebribus ceu loculis convenientissimis recondita, non æque bene conservari & fœcunditatem suam tueri possint, ac semina plantarum in cistis aut chartulis reposita per viginti & plures annos integra & incorrupta etiamnum prolifica durare? Quod nostro & aliorum experimento constat.

Ad illud quod secundo loco quærit, nimirum, *Quid dicendum de iis fœminis, quæ* 10, 11, 12, *imo* 16, 17, *&* 20. *annos, in conjugio vivunt, & licet millies virum expertæ sint, tamen nullum edunt fœtum, nisi post tot elapsos annos; vel ova non habuerunt in ovario, vel successu temporis in ovario nascuntur illa ova?*

Responderi potest, neutrum horum; verùm aliam subesse posse causam quamvis eam ignoremus. Fortè mariti rem cum iis ante illam temporis periodum habere non potuerunt. Nos enim novimus qui ante septem annos exactos debitum conjugale persolvere, nequiverunt. Cur ergo & aliqui non pari ratione per integrum vicennium ad id munus obeundum inhabiles manserint, seu ob nimiam genitalis flaccidicatem, seu ob præproperam spermatis ejaculationem, seu ob fascinum, aliámve nobis incognitam causam? Fortè etiam quamvis mariti rem cum eis vel millies habuerint, genitura tamen ob debitæ constitutionis & temperiei defectum per id tempus sterilis & infœcunda & ad ovum vivificandum inefficax fuerit, postea tamen spirituosior reddita ad fermentationem requisitam in ovo excitandam idonea evasit. Præterea quis scit annon fœminæ prolis cupidæ, quam post tot annos à maritis obtinere desperaverint, alienam opem, implorârint? Denique ob aliquam fortasse fœminæ ipsius indispositionem, aut vitium sive ovarii, sive uteri, sive humoris quem in coitu confert, debita fermentatio & generatio non procedit; quibus impedimentis remotis, aut vitiis tempore sanatis, ad concipiendum & pariendum apta evadit. Simili modo tertio etiam dubio responderi possit. Verùm de Dubiis hisce solvendis non est cur valde soliciti simus, cum ipsius *Hannemanni* non minùs quàm nostram sententiam urgeant. Nam quæcunque indispositio sive mariti sive uxoris generationi & conceptui officit in illius Hypothesi, eadem & in nostra eundem effectum habere potest.

7. Opinio hæc prudentiæ illi quæ in omnibus naturæ operibus elucet repugnare videtur; siquidem ex ea necessariò sequatur, innumera animalcula nequicquam creata fuisse. Nam cùm unico coitu, (de humano loquor) aliquot millia in uterum injiciantur; horum autem unicum duntaxat plerunque solet duo triave rariùs, multa non possunt in justam magnitudinem proficere, reliqua omnia interire necesse est: proinde frustra initio creata videntur. In nostra a. Hypothesi nihil tale accidit, non enim reconduntur in utero ova plura quàm ad partus in tota vita futuros sufficiunt: Quin omnia ad perfectionem perduci possunt, imò non rarò perducuntur.

8. Tandem D. *Levvenhoeck* à scopo longè aberrat cùm rationem assignat, cur unum duntaxat animalculum aut duo triave tantùm in utero *v. g.* humano, proficiunt, quòd scil. non plura in matrice particulam inveniant iisdem fovendis ac ad tantam creaturam perducendis aptam: quasi non plures essent particulæ ad hunc usum idoneæ, quod gratis, & sine ulla omnino ratione asseritur; cùm uteri textura sibi ubique similis sit; & cùm nonnullæ plures, ad septem usque, fœtus pepererint, cur non & omnes idem faciant, cùm Animalcula non desint, nec particulæ iis fovendis idoneæ?

Deinde extra uterum in tubis fœtus aliquando inventos fuisse superiùs ostendimus.

9. Ova seu fœtus, Anatomicorum omnium consensu, per aliquod tempus à conceptione, aliqua etiam durante gestatione, nullam habent cum utero connexionem, sed libera & soluta in eo jacent.

Alij masculi seminis Animalculo s. insecto Animal quodcunque originem suam debere contendunt, verùm oportet, inquiunt, ut id in idoneum nidum seu hospitium recipiatur, ubi sedem commodam & alimentum conveniens inveniat, aliàs non profi-

eiet, sed brevi interibit; hujusmodi autem nidum non alibi quàm in cicatriculæ ovi meditullio extare: Proinde ova fœminea necessaria esse ut nidos commodos & animalculorum receptacula.

Hæc quidem & dici posse concedo, & non facilè posse refelli. Septimum nostrum Argumentum contra hos æquè ac D. *Levvenhoeck* militat. Deinde, Quæro num Animalcula hæc in ovaria irrepant; an in utero subsistant & maneant, ovorum descensum expectantes.

Si prius, mirum cur non in viviparis æquè ac in oviparis multa simul, imò omnia unà ova fœcunda reddant, & in uterum deturbent: Si posterius, non videtur verisimile, Animalcula isthæc tamdiu in utero durare posse, quòd si possent, frequentes superfætationes cur non evenirent? Nec minùs difficile concipi, quomodo in tam brevi 24. horarum spatio, quo ovum per totam uteri longitudinem transit, insectum aliquod membranas ovi & cicatriculæ penetraret, & absque errore nidum suum inveniret. Tandem si spermatis masculi effluvia eam vim & influxum in ovarium habere possint, ut aliquod inde ovum eliciant, & in uterum compellant; cur non etiam corpus fœtus inibi latitans vivificare, motúsque in eo vegetativos excitare queant?

Verum, ne quid dissimulem, multa de his rebus dubia & quæstiones moveri possunt, quibus solvendis & enucleandis me imparem esse fateor; non quòd certas in natura causas non habeant, sed quòd ego eas ignorem, ut *v.g.*

Cur Animalia *unipara*, ut mulier, unicum tantùm plerunque fœtum edant, quamvis sæpius eâdem nocte marem passa fuerint: *Multipara* autem multa, quamvis semel tantùm cum mare coiverint.

Cur Animalia *unipara*, duos trésve, aut etiam plures interdum una vice fœtus edant, an quòd toties eodem tempore coiverint, quolibet coitu ex ovario unicum ovum eliciente: An eodem coitu, in uniparis etiam, gemini interdum generentur.

De Distinctione Animalium in Vivipara & Ovipara.

Cum Distinctio illa Animalium in *Vivipara* & *Ovipara* incautis & in Historia naturali minùs versatis facilè imponere, eósque in errorem inducere possit; ut opinentur scilicet Animalia omnia quæ vivos fœtus pariunt (quod nomen Viviparum sonat) ab iis quæ ova ponunt genere diversa esse, operæ pretium fore existimavi ostendere distinctionem illam nullius fere usûs esse ad Animalium genera discriminãda.

Dico ergo, Si vox Viviparum de partu propriè dicto accipiatur, Animalia ejusdem generis alia *Ovipara* esse posse, alia *Vivipara*. Sic *v. gr.* in Serpentino genere *Natrix torquata* Ovipara est, *Vipera* vivipara. Nos ergo Distinctione illa seposita;

Primò, Animalia omnia aliquo sensu ovipara esse supponemus, secundum receptum illud, *ex ovo omnia.*

Secundò, Ova in duo genera distinguemus, Alia fœtûs duntaxat primordium, cum pauco liquore qui primum ei alimentum suppeditat includunt: cujusmodi ova *cicatriculæ* ovi Gallinacei aliúsve Avis respondent. Alia præter cicatriculam dictam, s. fœtus primordia, & colliquamentum membranâ inclusa amnio respondente nutrimentum fœtui sufficiens, usque dum debitam perfectionem acquirat, suúmque ipse cibum colligere possit, membranis convenientibus reservatum continent. In prioris generis ovis uterus aliudve corpus externum fœtui nutrimentum subministrat; Posteriora præparatum & intus reconditum pabulum in fœtûs usus sufficiens obtinent, unde hujusmodi ova *Uteri expositi* non immeritò dicuntur.

Quæ primi generis ova gignunt Animalia vellem equidem libenter *Viviparorum* nomine donare, quæ secundi *Oviparorum*, si vocum Etymologia permitteret, idoneis enim vocabulis ad hæc genera significanda destituimur. Verùm ad homonymiam vitandam satius est sensu recepto *Vivipara* Animalia appellare quæ vivos fœtus in lucem edunt, *Ovipara* quæ ova.

In utroque ergo genere nonnulla *Ovipara* sunt, alia *Vivipara.*

In primo *Vivipara* sunt Animalia Quadrupedia pilosa; duobus cordis ventriculis instructa Hæc enim fœtum in Utero tandiu retinent & nutriunt donec maturus sit & partui idoneus. *Ovipara* sunt Pisces, qui ova sua in aquas ejiciunt, ubi masculo spermate seu lacte inspersæ fœcundantur, & ab aquis alimentum hauriunt donec fœtus inclusi perficiantur, quod brevi tempore fit.

Post secundas cogitationes suspicor Piscium ova cum Insectorum ovis convenire, nec quicquam alimenti ex aqua hautire, verùm pisciculum ex materia intus in testa contenta sola formari & perfici, ut in Insectis fieri videmus; quorum ova in fœminæ utero perficiuntur & justam magnitudinem acquirunt; deinde mas superveniens genitali liquore asperso ea fœcundat & vivificat. Quæ enim ova fœmina absque ullo maris congressu ponit, quamvis subventanea & irrita sint paris tamen magnitudinis esse cum fœcundis & proliferis agnoscimus. Putamen enim seu membrana externa durior est & rigidior quàm ut extendi queat, saltem in aere; cujusmodi & testæ seu membranæ ovorum piscium esse videntur. Verùm quamvis de Insectis res clara sit, de Piscibus idem non fidenter affirmaverim, sed suspicionem meam duntaxat propono ulteriori examini subjiciendam.

Quòd si à scopo non aberrem, quin res ità se habeat ut conjicio, nova instituenda est ovorum divisio, nimirum in ea qua præter fœtus primordia unum tantùm liquorem continent, cujusmodi ova cicatriculæ ovi gallinacei aliusve avis respondent; & ea quæ duos trésve præterea liquores membranis propriis inclusos complectuntur. Primi generis ova in duplici sunt differentia; in aliis fœtus inclusus ex solo humore contentò alitur: in aliis liquor in ovo contentus fœtui non sufficit, sed novo indiget alimento, pro longo illo tempore quod ad eum perficiendum requiritur; ad hoc autem præparandum & subministrandum, fœtúmque interea fovendum uterus necessarius est.

In secundo genere *Vivipara* sunt 1. Pisces Cartilaginei, Σελάχη *Aristoteli* dicti, quæ ἔσω μὲν ᾠοτόκα εἰσὶ, ἔξω δὲ ζωοτόκα, id est, Ova propriè dicta intus concipiunt, quæ postea in utero fovent & excludunt. 2. Serpentes nonnullæ, ut *Viperæ*, quæ ova perfecta secundi generis gignunt, eáque pariter intus fovent & excludunt, adeóque tandem vivos fœtus pariunt. *Ovipara*... sunt Aves omnes; & Serpentes reliquæ, quæ tamen non aliter differunt à Viviparis, hujus generis, quàm quod ova in sterquilinio alióve loco calido deponant, ubi externo loci calore radiis solaribus excitati foventur, & excluduntur.

De Divisione Animalium.

Prima omniumque commodissima Animalium Divisio est in *Sanguinea* & *Exanguia.*

Sanguinem voco liquorem illum rubicundum vitæ sedem fontémque, caloris nativi pabulum & vehiculum, qui circulari motu jugi & indesinenti per arterias & venas fluit.

Non

Non me latet quosdam, etiam magni nominis Philosophos, quique sibi supra vulgus sapere videntur, distinctionem hanc reprobare, & Animalia omnia sanguinea esse contendere, siquidem omnia liquorem ejusmodi vitalem obtineant, motu perpetuo circumactum, quantumvis rubro colore tinctus non sit. *Eos intactos præterire nequeo*, inquit *Peyerus*, Merycolog, *lib.* 1. *cap.* 1. *Qui Animalium genera duo summa constituunt, sanguineum & exsangue. Quippe mea persuasione sanguis inest omnibus quantæcunque subtilitatis animalibus, si absit præjudicatio. Neque enim sanguinis essentia præcisè consistit in purpura, neque ruber color ità illi hæret, ut abstrahi nequeat; quin potiùs generaliter sanguis nuncupari mereatur apud Philosophos omnis ille humor, qui viventium corde ac arteriis & venis ad instaurandam vitam naturâ continetur.*

Verùm cùm id nominis ei quem diximus liquori rubicundo inditum & vulgari usu tritum sit; cúmque distinctio illa Animalium in *sanguinea* & *exanguia Aristoteli* saltem coæva, & Philosophis tam veteribus quàm neotericis recepta & approbata fuerit, non est cur nos aliquid innovemus, & ut his gratificemur, tam eximii usûs distinctionem rejiciamus. Interim tamen non negaverim dari in omnibus Animalibus liquorem aliquem vitalem, sanguini analogum, circulari pariter motu præditum, quique eundem corpori usum præstet; non tamen ideò sanguinem dicendum, quòd colore illo rubicundo, quo velut purpurea ornatus chlamyde (ut loquitur *Peyerus*) calidiorum & perfectiorum Animalium sanguis refulget, destituitur, proindeque ignobilior, minûsque spirituosus jure censetur.

Non est tamen dissimulandum, dari aliquod Insecti genus verè sanguineum, nimirum Lumbricum terrestrem, cujus liquor vitalis non sanguini tantùm analogus sed purpureo colore tinctus, & purus putus sanguis est. Verùm exceptio una, aut etiam altera si detur, non evertit aut destruit Regulam generalem.

Animalia *sanguinea* dividi possunt in *Pulmone* respirantia & *Branchiis* respirantia.

Pulmone respirantia iterum in cor *duobus* ventriculis, & cor *unico* ventriculo præditum habentia.

Cor *duobus* ventriculis præditum obtinent Animalia calidiora, seu *vivipara*, in Terrestribus *Quadrupedia*, in Aquatilibus *Cetaceum* genus; sive *ovipara*, ut *Aves*.

Cor *unico* ventriculo instructum habent *Quadrupedia Ovipara* & *Serpentinum* genus: Si modò Genus Serpentinum distinctum sit à Genere Quadrupedum oviparorum.

Branchiis respirant Pisces præter Cetaceos omnes; sanguineos intellige, nam Piscis nomen interdum extenditur ad Exanguia aquatica.

Animalia *Exanguia* sunt vel *majora*, vel *minora*; *Majora* pleraque Aquatica sunt; & ab *Aristotele* commodè dividuntur in tria genera, nimirum 1. Μαλάκια, i. e. *Mollia* sive *Mollusca*. 2. Μαλακόστρακα, i. e. *Crustacea*, & 3. Ὀστρακόδερμα, i. e. *Testacea*. Quæ loco citato in hunc modum definit.

1. Μαλάκιά ἐστιν ὅσα ἄναιμα ὄντα, ἐκτὸς ἔχει τὸ σαρκῶδες, ἐντὸς δὲ τὸ στερεὸν, καθάπερ καὶ τὰ ἔναιμα τῶν ζώων, οἷον τὸ τῶν Σηπίων γένος: i. e. *Mollia sive Mollusca sunt, quæ cùm sanguine careant, extrinsecus habent carnosum seu carniforme corpus, intus a. solidum & firmum* [ossi respondens] *quemadmodum ea quoque quæ sunt sanguinea Animalium; quale est*, Sepiarum *genus.*

2. Μαλακόστρακά ἐστιν ὅσα τὸ μὲν στερεὸν ἐκτὸς ἔχουσι ἐντὸς δὲ τὸ μαλακὸν καὶ σαρκῶδες. Τὸ δὲ στερεὸν αὐτῶν οὐ θραυστὸν, ἀλλὰ φλαστὸν, οἷον τὸ τῶν καράβων γένος καὶ τὸ τῶν καρκίνων. *Crustacea sunt, quæ firmas suas partes extùs habent, intus autem carneam mollitiem. Partes quoque illæ firmæ non potiùs frangi quàm disjici compressæ dici debent.*

3. Ὀστρακόδερμά ἐστι ὧν ἐντὸς μὲν τὸ σαρκῶδες, ἐκτὸς δὲ τὸ στερεὸν θραυστὸν ὂν καὶ κατακτὸν, ἀλλ᾽ οὐ φλαστὸν, τοιοῦτον δὲ τὸ τῶν κοχλίων, καὶ τῶν ὀστρέων γένος ἐστι. i. e. *Testacea sunt quorum intus est carnosa pars, foris firma, quæ & flexu frangi, & ictu rumpi compressione disjici non possunt; quale genus concharum & ostrearum est.* Hæc autem vel sunt μονόθυρα, sive *Univalvia*, vel δίθυρα sive *Bivalvia*, vel στρομβώδη, sive *turbinata*.

Animalium Tabula generalis.

Animalia sunt vel
- *Sanguinea* eaq; vel
  - *Pulmone respirantia* corde ventriculis prædito
    - *Duobus*
      - *Vivipara*, . . .
        - *Aquatica*; Cetaceum genus.
        - *Terrestria*, Quadrupedia, vel, ut *Manati* etiam complectamur; pilosa Animalia hujus generis amphibia terrestribus annumeramus.
      - *Ovipara*, Aves.
    - *Unico*, Quadrupedia vivipara & Serpentes.
  - *Branchiis respirantia*, Pisces sanguinei præter Cetaceos omnes.
- *Exanguia*
  - *Majora*, quæ vel
    - *Mollia*, Μαλάκια, Polypus, Sepia, Lolligo.
    - *Crustacea*, Μαλακόστρακα, Locusta, Astacus, Cancer.
    - *Testacea*, Ὀστρακόδερμα, quæ vel univalvia, vel bivalvia, vel turbinata.
  - *Minora*, Insecta.

Limaces terrestres ambiguum genus sunt. Aliæ enim *testaceæ* sunt seu Ὀστρακόδερμοι; aliæ *nudæ* seu Μαλάκιαι quodammodo, quamvis propriè Μαλάκιαι non sint, cum nec os intus habeant, nec cirros seu πλεκτάνας pedésve illorum instar, nec aliter à limacibus testaceis seu cochleis terrestribus differant quàm quòd testâ careant. Quidni ergo Exanguia tam terrestria quèm aquatica majora dividamus in cirrata seu *Pedata*, & *Apoda*, *Pedata* in *mollia* & *crustacea*; *Apoda* in *Testacea* & *Nuda*?

Exanguia *minora*, *Insecta* appellantur. Græcis Ἔντομα, ὅτι κατὰ τὸ ὄνομα ἐντομὰς ἔχουσι, ἢ ἐν τοῖς ὑπτίοις, ἢ ἐν τοῖς πρανέσι, ἢ ἐν ἀμφοῖν. *Quòd, ut nomen indicat, incisuras habent, aut in partibus supernis, aut pinis, aut in utrisque.*

Hæc Animalium Divisio, quamvis omnium exactissima, & naturæ maximè consentanea mihi videtur; minimè tamen rejicienda est vulgaris illa in 1. *Quadrupedia*, aut (quod mallem) *Bestias terrestres*, quo nomine & Serpentes complector. Serpentes enim à Lacertis aliisque nonnullis Quadrupedibus oviparis non alia in re quàm pedum carentiâ differunt; 2. *Aves*; 3. *Pisces*; 4. *Insecta*.

In eo peccat hæc Divisio, quòd Quadrupedia *vivipara* & *ovipara* ad idem genus reducit, quæ notis essentialibus & genericis differunt; & ovipara (ut diximus) cum Serpentibus conveniunt.

Divisio illa Animalium secundùm loca in *Terrestria*, *Aquatilia* & *Amphibia*, quamvis nonnullius usus esse possit, rerum tamen naturis minimè respondet, & in multis vitiosa est; siquidem, 1. Separet ea quæ genere conveniunt, ut *v. g. Cetaceos* Pisces dictos, & quod pejus est, *Amphibia* à Quadrupedibus *viviparis*, Insecta etiam *aquatica* à *Terrestribus*, præter ratio-

rationem & Physicorum omnium consensum. 2. Conjungat ea quæ genere differunt. Nam ut alia omittam, Animalia *Amphibia* alia *Vivipara* sunt & & pilosa, ut *Castor*, *Lutra*, *Phoca*; alia *Ovipara*, ut *Salamandra aquatica & Rana*. Quin & in eodem genere infimo, *v. g. Lacertæ*, aliæ aquaticæ sunt & amphibiæ, aliæ terrestres, ut hinc *Crocodili & Salamandræ*; inde *Lacertæ*.

Nos nè à communi hominum opinione nimis recedamus; & ut affectatæ novitatis notam evitemus, Cetaceum Aquatilium genus, quamvis cum Quadrupedibus viviparis in omnibus ferè præterquam in pilis & pedibus & elemento in quo degunt, convenire videantur, Piscibus annumerabimus.

De Quadrupedium viviparorum pilosorum divisione.

Quadrupedia vivipara, seu potiùs Animalia vivipara pilosa (Datur enim quoddam Animal viviparum, pulmone respirans cum duplici etiam in corde ventriculo, binis tantùm pedibus instructum, nimirum *Manati* Indorum) ab *Aristotele*, quem omnes ferè Historiæ Naturalis Scriptores secuti sunt, dividuntur in 1. Μώνυχα, i. e. *Solidipeda* aut *Solidungula*, quæ ungulam habent solidam & indivisam. 2. Δίχηλα sive *Bisulca*, quæ sc. ungulam habent bifidam, ut *Bos*, *Ovis*, &c. 3. Πολυσχιδῆ seu Πολυδάκτυλα, i. e. *Fissipeda* seu *Digitata*, quæ pedes habent in plures quasi digitos fissos, ut *Canis*, *Lepus*, *Leo*, *Vulpes*, &c.

Mallem tamen hujusmodi Animalia vivipara pilosa, quæ præter *Manati* dictum, (quantum hactenus novimus) omnia Quadrupedia sunt, in *Ungulata* & *Unguiculata* dividere. Liceat mihi memoriæ & doctrinæ causâ nova hæc vocabula cudere. *Ungulata* voco quæ digitos seu extrema pedum ungulis tecta obtinent: Ungulam voco corpus durum, substantiæ corneæ, concavum, quod extremos digitos tegit & continet, supra quod etiam Animal partim incedit. *Unguiculata*, quæ digitorum extrema nuda, unguibus tantùm adnascentibus armata habent.

Prioris generis Alia Μώνυχα seu μονόχηλα sunt, i. e. *Solidi-peda*, ut *Equus*, *Asinus*, *Zebra*. Alia Δίχηλα seu *Bisulca*, ut *Bos*, *Ovis*, *Caper*, &c. Alia denique τετράχηλα seu *Quadrisulca*, ut *Rhinoceros* & *Hippopotamus*.

Non me latet Animalia bisulca dicta strictè loquendo τετράχηλα esse, *h. e.* quatuor ungulis instructa, duabus ante, totidem retro sitis, verùm posteriora hæc ad notabilem ab anterioribus distantiam sita sunt, neque Animal iis insistit, iisve inter incedendum innititur: in quadrisulcis aliter se res habet, siquidem digiti exteriores medijs propriùs admoti sunt, & in eadem circulari circumferentia siti videntur, & Animal (ut conjicio) super iis stat incedit, non super mediis tantùm.

Bisulca sunt vel *non Ruminantia*, ut *Porcus*: vel *Ruminantia*, ut *Bos*, *Ovis*, *Capra*. *Ruminantia* in hoc genere omnia *cornigera* sunt. Cornuum autem respectu dividi possunt in ea quibus *perpetua* sunt hæc Arma, ut *Bovi*, *Ovi*, &c. & ea quibus *decidua*, ut *Cervino generi*. Fœminæ in *Cervino* genere semper, & in *Ovino* plerunque cornibus carent: interdum etiam & mares, quod tamen extra communem naturæ ordinem in mansuetis & cicuribus Animalibus evenit.

Animalia Vivipara *unguiculata* sunt vel πλατυώνυχα & ἀνθρωπόμορφα, unguibus *latis* & effigie humana, ut *Simiæ*: vel unguibus *angustis* & plerunque acutis, ut reliqua. Quæ iterum dividi possunt in ea quæ pedibus *bifidis* sunt, & binos duntaxat ungues habent, ut *Cameli*, qui etiam ruminant: & quæ pedibus *multifidis*, & plures obtinent ungues, ut reliqua.

Animalia pedibus multifidis dividemus primò in *Analoga* & *Anomala*. *Analoga* voco dentium præcipuè respectu, quæ eandem dentium formam & ordinem cum aliis aliquammultis observant; *Anomala* quæ à reliquorum norma abludunt, & vel nullos, vel sui generis dentes habent, cum alijs neque in figura, neque in dispositione convenientes.

Multifida analoga dentium respectu dividi possunt in ea quæ *plures* dentes *primores* habent in utraque maxilla, ut *Leo*, *Canis*, &c. & ea quæ *binos* tantùm, ut *Castor*, *Lepus*, *Caniculus*, &c. Hujus generis omnia Phytivora sunt.

Quæ plures dentes primores habent in utraque maxilla, sunt vel *Carnivora*; vel *Insectivora* seu victu promiscuo ex Insectis & Vegetabilibus.

Carnivora sunt vel *majora*; vel *minora*. *Majora* iterum subdividi possunt in ea quæ capite sunt subrotundo, rostro brevi, quod genus ob similitudinem cum Fele, Domestico Animali notissimo, *Felinum* voco; vel capite & rostro productiore; Quod Genus itidem *Caninum* nuncupo ob similitudinem cum Cane, ut *Lupus*, *Vulpes*, &c.

Animalia carnivora *minora*, non sola magnitudine à majoribus differunt, sed & parvitate capitis, & crurum brevitate & figura corporis graciliore, unde in foramina angusta se facilè insinuant. Hinc nostratibus *Vermine* dicuntur, quasi Genus vermineum, quia vermium instar in caveas & cuniculos irrepunt; Differunt insuper Intestinorum brevitate & Cæci carentiâ.

Insectivora sunt *Taxus*, *Echinus terrestris*, *Talpa*, &c.

Verùm quoniam nobis de victu hujusmodi Animalium nondum satis constat, pro Carnivoris habebimus omnia quotquot Animalibus cujuscunque generis, sive Sanguineis, sive Exanguibus & Insectis vescuntur; eáque dividemus in rostro brevi & capite subrotundo donata, & rostro productiore instructa: sicque *Taxum*, *Echinum*, *Talpam*, & sique sunt similia, Carnivoris annumerabimus.

Animalium Viviparorum Quadrupedum Tabula.

Animalia Vivipara pilosa seu Quadrupeda sunt vel
- *Ungulata* eaq; vel
  - Μονόχηλα, i.e. *Solidipeda*, Equus, Asinus, Zebra.
  - Δίχηλα, i. e. *Bisulca*, seu ungulâ bifidâ, quæ vel
    - *Ruminantia*, Μηρυκάζοντα, cornibus
      - *Perpetuis*, quorum tria sunt genera
        - 1. *Bovinum.*
        - 2. *Ovinum.*
        - 3. *Caprinum.*
      - *Deciduis*, *Cervinum* genus.
    - *Non ruminantia*, Genus *Porcinum.*
  - Τετράχηλα seu *Quadrisulca*, Rhinoceros, Hippopotamus, *&c.*
- *Unguiculata* quæ pede sũt vel
  - *Bifido*, duobus duntaxat unguibus donato, *Camelinum* genus.
  - *Multifido*, πολυσχιδῆ, quę vel sunt
    - *Digitis indivisis*, sibi invicem cohærentibus & communi cute tectis, eorum tantùm extremis in margine pedis extantibus, & unguibus obtusis munitis, *Elephas.*
    - *Digitis aliquousque separatis* & à se invicem divisis, quæ vel
      - Πλατυώνυχα & Ἀνθρωπόμορφα, *Simiæ.*
      - *Unguibus angustioribus*, Dentibus primoribus seu incisoribus in utraq; maxilla, vel *

Pluri-

Pluribus, Hæc autem omnia vel carnivora & rapacia sunt, vel saltem insectivora, aut victu promiscuo ex Insectis & Vegetabilibus. { *Majora*, rostro { *Productiore*, Genus *Caninum*. *Brevi*, capite rotundiore *Felinum* genus. } *Minora*, corpore longo gracili, cruribus brevibus *Vermineum* genus, seu *Mustelinum*. }

Binis insignioribus, cujus generis species omnes phytivoræ sunt, *Leporinum* genus.

E quadrupedibus viviparis pede multifido anomala sunt *Ecchinus terrestris*, *Tatou sive Armadillo*, *Talpa*, *Mus*, *Araneus*, *Tamandua*, *Vespertilio & Ai* sive Ignavus. Priora quinque *rostro productiore* cum genere Canino aut Vermineo conveniunt, dentium forma & dispositione ab iisdem differunt; imò *Tamandua* dentibus omnino caret. Posteriora duo *rostro* sunt *breviore*. *Hæc Clariss. Rajus in sua de Quadrupedibus Synopsi doctissimè præfatur.*

Animalia Officinalia integra sunt. Apes siccæ, Bufo exiccatus, Cantharides siccæ,

Cicadæ siccæ, Lumbrici siccati, Millepedæ siccæ; aselli, Scinci, Scarabæi pilares, Serpens exiccatus, Huc Mumia,

De Partibus Carnosis usitatioribus.

Cor Galeritæ, Lupi. Epar Lupi, Porci, Ranarum, Tauri. Lien Bovis. Pulmo Agni, Suis, Ursi, Vulpis.

Vires: *Partes carnosæ ut & ipsamet animalia carnosa integra sive viva, sive discerpta & adhuc calentia ea sint, si extrinsecus membro alicui imponantur, vim habent fermentativam, paregoricam, discutientem: Hinc usus maximi in phrenitide, cephalalgia, vigiliis. Applicari nimirum possunt capiti, cervici, plantis pedum. Imposita tumoribus pestilentialibus, uti & ictibus animalium venenatorum, præmissâ tamen ventosarum applicatione, eliciunt virus. Attritus à calceamentis attractos, ab inflammationibus tuentur. In specie pars qualibet suum simile respicit, Epar epata: Lien Lienes, &c.*

Præparata usitatoria ex partibus carnosis sunt, Decocta, Extracta, Destillata, &c. Vide suis locis.

De Partibus Membranosis.

Intestina Lupi, Vulpis. Testiculi Apri, Castoris seu Castorium. Priapus cervi, Tauri. Secundina cervina. Umbilicus Infantis. Rete ex animalibus. Vide de singulis.

De Cornibus.

Cornu Alcis, Bovis, Bubali, Cervi, Hirci, Rhinocerotis, Tauri, Huc Unicornu.

Vires. *Frigida & sicca habentur, discutiunt, incidunt, ut plurimùm sudorem movent, atque alexipharmaca sunt, pro diversa tamen natura animalium, de qua suo loco.*

Præparata. 1. Cornu præparatum (in specie sic dictum.) 2. Cornu ustum, Vide calcinat. 3. C. philosophicè calcinat. Vide ibid. 4. Magisterium. 5. Galreda, Gelatina. 6. Liquor seu spiritus. 7. Oleum 8. Sal volatile. 9. Extractum. 10. Quinimò nec decoctionibus infusionibusve vires suas denegant,

De Ossibus.

Cranium humanum (non inhumatum:) Dens Apri, Elephantis, s. Ebur. Lupi. Os de corde cervi. Ossa Hominis, Lupi, Taurj. Talus Leporis, Porci.

Vires. *Ossa in genere vim habent exiccandi, discutiendi, adstringendi, seu fluxiones sistendi, ossa, ligamentaque corroborandi. Calcanei combusti, ut scribit Rhasis, summè pollent adversus colicos cruciatus. Specialiora vide suis locis.*

Præpar. Ossa ut Cornibus ferè cognata sunt substantiâ, ita & præparationibus. Hæc fiunt 1. Os præparatum (in specie sic dictum) 2. Galreda seu Gelatina. Magisterium. 4. Liquor seu spiritus acidus. 5. Oleum. 6. Sal volatile. 7. Spiritus essensificatus. Vide infra suis locis.

De Crustaceis seu Testaceis.

Lapides cancrorum seu Oculi cancrorum, Carpionis, Percarum, Truttarum. Mandibula Lucij, Conchæ, concharum testæ oblongæ. Entalium, Dentalium, Mater perlarum, Testæ ovorum, strutionis.

Vires. *Crustacea omnia, quia naturæ sunt salinæ & tartareæ, medicamenta suppeditant excellentissima ad solvendum tartarum seu calculum, ad stranguriam, dysuriam, Ischuriam, difficultates & suppressiones urinæ, ad colicas passiones, ad tartareos morbos pulmonum, &c. Extrinsecus usus sunt creberrimi in dentifriciis præcipuè si cremata fuerint, hinc & in rimis cutis solidandis, exiccandis, &c,*

N. *Omnia genera lapidum, qui in capitibus piscium reperiuntur trita & cum vino exhibita, colicum dolorem compescunt & calculum, qui in renibus defixus jacet, atterunt & comminuunt.* Wecker ex Galeno & Avicenna, &c

Præparata nihil ferè peculiare habent à præparationibus lapidum mineralium, de quibus videsis, Hinc fieri possunt 1. Calcinata. 2. Præparata (strictè dicta) 3 Sal (impropriè ita dictum.) 4. Magisterium. 5. Liquor seu oleum per del.

De Lapillis.

Lapilli quamvis in animalibus plurimis, plurimisque animalium cavitatibus reperiantur; attamen sunt rari, ac præter lapidem Bezoar ferè nulli, qui in Officinis, prostant. E re foret nihilominus, ob insignem vim, quam in calculo resolvendo obtinent, in promptu nonnullos habere. Quales sunt

Lapilli in ventriculo & vesica fellis tauri.
Calculus humanus, Ludus dictus [metaphoricè].
Lapilli hirundinum, &c.

Præparata eadem exhibere possunt, quæ alij lapides.

De Lacte & sero Lactis.

Lac est sanguis vi mammarum pro fœtus nutrimento elaboratior redditus. Ex variis lactis generibus præ reliquis inserviunt medicinæ.

Lac Asinum, (quod tamen nostratibus minùs usitatum.)

Caprinum, Humanum, Ovillum, Vaccinum.

Optimum est ex animali sano non nimis pingui, ætatis mediæ, recens mulctum, colore candidum, quod ungui instillatum cogitur.

Vires. *Refrigerat, humectat, mollit, paregoricum est, acrimoniam mitigat. Hinc usus insignis in dysenteria (clysmatisatum) in phtisi, &c. Extrinsecùs in oculorum destillationibus, capitis dolore, (excellit cremor.)*

N. *Lac etsi optimè nutriat, tamen non omnibus æquè commodum est: Nocet enim in visceris intemperie & fe-*

& febri; quia facilè corrumpitur, malumque adaugere aptum est. Capiti itidem & nervoso generi minus convenit.

Præparata ex lacte, Butyrum, scil. Lac coagulatum, Serum & Caseus, inter nativa merito recensentur.

Vires. *Butyrum convenit, ut consistentiâ, ita & viribus generalibus, cum axungiis.*

Lac coagulatum vim habet refrigerantem ac Anodynam.

Caseus in medicina rarissimi est usus. Recentem imponunt nonnulli Epati ad æstum febrilem comprimendum; vetustum, sunt qui commendant ad resolvendos tophos podagricos.

Serum lactis, seu Aqua lactis fit duplici modo, per se & per admistionem rei separationem juvantis. Per se secernitur caseosa substantia à serosa, si lac (non nimis recens) calori exponatur. Admiscentur, quæ separationem juvant, coagulum v.g. vituli, agni, &c. liquor acidulus, herba acidula, v.g. acetum. Spir. Vitr. acetosa.

N. *Sunt qui serum cum petroselino factum poscam Italicam appellant.*

Vires. *Calfac. & siccat, abstergit, alvum subducit, urinam ciet. Hinc usus crebri in Infusionibus purgantibus, abstergentibus, &c. Extrinsecus extergit scabiem, datur per se ab ℥ij. ad ℔ j.*

N. *Integrum tractatum, de facili medicina per seri & lactis usum conscripsit Joannes Costæus.*

Plura vide sub proprio titulo Lac.

De Felle.

Fel est portio chymi excrementitia, flava, amarissima, acerrima, in epate ab utiliore parte separata, inque vesiculam propriam collecta, unde per alvum subducitur, & transeundo alvum sollicitat.

Usitatoria sunt

Fel Bovis seu Tauri, Capræ, Ovis, Suis, Ursi.

Fel omne desumendum est ex animalibus mediæ ætatis, quæ neque famem, neque sitim passa sunt, neque exercitio nimiùm defatigata, neque irâ percita: intellige nisi exaltatum fel desideraris.

Vires. *Fel omne calefacit, siccat, incidit, terget, discutit, expultricem stimulat, lumbricos amaritudine fugat. Hinc medetur (extrinsecus,) hebetudini ac albedini oculorum, purulentiæ aurium &c.*

N. *Differunt autem inter se non modo secundùm magis & minus, sed & viribus peculiaribus, tum à natura alimenti, quo animal pascitur; tum à natura ipsiusmet animalis dependentibus. Inter quadrupedum fella efficacissimum est taurinum: Inter avium præstantissimum habetur fel perdicis & gallinæ. In genere tamen avium fella fortiorum virium censentur, quàm terrestrium.*

Præparata. Fieri quidem possunt Extracta cum V. ex fellibus siccatis. Verùm præter Tincturam illam Cosmeticam ex felle taurino confectam nullam in praxi vidisse memini.

De Medullis.

Μύελος, Medulla est pinguedo ossium cavitatibus, velut nutrimentum, insita.

Suntque Officinales

Medulla Bubula seu bovilla, Canina, Cervina, Equina, Hircina, Hœdina, Ovilla, Vitulina.

Vires. *Calefacit, emollit, rarefacit, ulcera explet. Hinc proficuus medullarum usus in tumoribus induratis & scirrhosis, &c.*

N. *Optima habetur cervina, dein vitulina: Medulla Hircina & bubula tum acrior est, tum siccior, ideoque ad molliendum minus idonea.*

Est & medulla spinæ dorsalis cerebrique, id est, substantia molliuscula in cavitatibus eorum collocata.

Verùm excepto cerebro leporino, reliquæ usus sunt rarissimi.

Præparata exinde fieri possunt præcipua, Aqua still. & Oleum.

De Pinguedinibus seu Axungiis vel Adipibus.

Axungia, Adeps, Pinguedo. Agnina, Anatina, Anserina, Aprugna, Ardeæ, Aschii s. Thymmalli piscis. Canina, Caponis, Castoris, Catti sylvestris, Ciconiæ, Cuniculi, Erinacei, Gallinæ, Humana, Leporis, Lucii piscis, Lupi, Muris montani, s. gliris alpestris, Ovis ex lana, Oesypus, Porcina seu suilla, Serpentum, Taxi seu Melis, Ursi, fœminæ & masculi, Vulpis, Vulturis.

Huc Butyrum & præcipuè maiale.

Vires. *Calfaciunt, humectant, emolliunt, abstergunt, digerunt, pus movent, Anodynæ sunt plus minus. Nimirum quia pinguedo vires quadantenus secundùm naturam animalis sui sortitur, prout hujus natura fuerit, ita & illius. Imbecillior est suilla (quia sus frigidior & humidior,) hac paulo fortior vitulina; hinc gallinacea; efficacissima omnium est anserina.*

N. *Quoties adipis absolutè fit mentio, recipe suillam recentem, sine sale candidam.*

Præparat. Oleum stillatitium.

N. *Quomodo axungia lavetur & asservetur.*

De Sanguine.

Hebr. Dam. Arab. Dem. Est proximum animalium nutrimentum ex chylo in Venis & Epate elaboratum, adeoque de naturâ animalis magis participans quàm ipse chylus. In Officinis quidem nulli prostant, adhiberi tamen nonnunquam solent maximè recentes.

Sanguis Anatis, Anseris, Asini, Canis, Columbæ, Equi, Hirci, Hœdi, Hominis, Leporis, Muliebris menstruus, Perdicis, Tauri, Turturis.

Vires. *Calefacit, adstringit, sanguinis fluxus cohibet, magis minus pro natura diversâ animalium, nutrimentique; qua ratione & viribus peculiaribus inter se differunt. Avium sanguis, quia nitrosâ plerumque scatet facultate, incidit, abstergit, calculum atterit, oculorum suffusioni confert; ut columbæ, milvi, vulturis.*

Præparata. Anatomia sanguinis exhibet 1. ▽m seu spiritum. 2. Oleum. 3. Sal volatile. 4. Sal fixum. His adjunge balsamum antipodagricum, & magisterium cujus formulas vide sub tit. de Homine.

De Sevis.

Sevum Cervinum, Damæ, Equinum, Hircinum, Hœdinum, Ovillum, Taurinum, Vitulinum.

Huc Cera.

Vires. *Sunt calida & humida moderatè vel emolliunt, discutiunt, aliquantulumque adstringunt.*

Præparata rara per se exhibent, utplurimum emplastris aliisque inungendorum formulis inserviunt. Si quis tamen ea destillationi submittere velit, poterit id probè ad modum, quo Gummi resinæ destillantur.

De Stercore & Urina.

Stercus nihil est aliud, quàm nutrimenti assumpti pars inutilior, crassior, fœculentior, à parte utiliori in ventriculo & intestinis virtute chylifica aliquantulum immutata & hinc per anum excreta.

N. Con-

N. *Constat 1. spiritu volatili fœtente flagrabili (Sulph. fœtidum vocant.) 2. Sale fixiori (quo agri fœcundantur.) tum quoque 3. terreis, ac 4. aqueis portionibus, quæ prioribus illis subjectum præbent.*

Stercora in Medicina usitatiora sunt

Stercus Anserinum, Asininum, Asprugnum, Bovillum sc. Vaccinum, Caninum seu Album græcum Officinarum, Caprillum, Ciconiæ, Columbinum, Equinum, Gallinaceum, Humanum, Lupinum, Muris, Muscerdæ, Ovillum, Passerculi, Pavonum, Suillum.

Vires. *Virtutes stercorum eruendæ sunt, tum ex natura rei alimentariæ, tum ex natura animalis, cujus vi chylificâ aliquantulum eas immutari diximus. Avium excrementa (quia harum natura ut plurimùm calidissima est) tota sunt nitrosa, unde & mirificam vim habent discutiendi, incidendi, attenuandi, dissolvendi, aperiendi, abstergendi (scil. maculas cutis) diversimode tamen, prout scil. diversæ aves sunt diversisque vivunt alimentis. Jumentorum stercora vim obtinent Anodynam, refrigerantem, discutientem, exhibenturque intus & extra.*

Præparata præcipua quæ inde exhiberi possunt, sunt:

1. Aquæ stillatitiæ, 2. Olea stillat. 3. Salia.

N. *Præter ∇m ex stercore vaccino (omnium florum dictam) non memini alias esse usitatas.*

Urina est veluti colamen chymi & sanguinis, constans ex Sale viscosaque terra humiditati phlegmaticæ immixta.

Raræ etsi sint, quæ in usum medicum veniunt, tamen viribus non carent insignibus, præcipuè:

Urina humana. Hinc Caprina, Leporina, Ovilla.

Vires. *Calefaciunt, siccant, abstergunt, putredini resistunt, Urinam pellunt, &c.*

Præparata. Spiritus Salquè volatile; Sal fixum: Vide lib. 5. de homine,

[N. *De stercoribus & urinis prolixè Rulandus in Pharmacopœa nova scripsit.*

De Unguibus & Ungulis Officinalibus & de Coagulis.

Ungulæ usitatiores sunt

Ungula Alcis, Asini, Bovis, Canis, Equi, Lyncis. His addere licet Unguem odoratum seu blattam byzantiam.

Vires. *Vide seorsim lib. 5.*

Præparata. Præparata in specie sic dicta. Magisterium, quibus addi quoque potest oleum stillatitium.

Coagulum nihil aliud est quàm lactis in Ventriculo quadrupedum, quæ adhuc sugunt, concretio & condensatio. Sic sunt

Coagulum Agni, Equi, Hippace, Hœdi, Leporis, Vituli.

Excipiendum coagulum antequam ipsa animalia aliud quippiam præter lac maternum degustaverint.

Vires. *Coagulum omne*, teste Galeno, *acris & digerentis est facultatis, adeoque exiccatoriæ. Hæc Schrôderus.*

ANIMAL MOSCHIFERUM, vid. *Moschus.*

ANIME GUMMI.

Anime duplex est, Occidentalis & Orientalis.

Occidentalis arboris in Hispania nova crescentis lacryma est seu resina alba, ad Thuris colorem nonnihil vergens (pellucida, ex albo citrinescens) verùm Copali magis oleaginosa: Defertur granis Thuris formâ, sed crassioribus, quæ confracta luteum colorem ostendunt instar resinæ: gratissimi & suavissimi odoris est, & prunis imposita facilè consumitur. Differt ab Orientali quod hec tam candidum, neque tam lucidum sit, Orientale item magnis fragmentis adfertur transparentibus.

Orientale triplex est. 1. Album. 2. Subnigrum, quod Myrrhæ quodammodo simile, odoratum, quod *Dioscorides* inter Myrrhæ species tanquam improbum commemorat, & Minæam à terra ubi præcipuè nascitur, eam appellat: *Serapio* Aminæam, quam vocem Lusitani in Anime corruperunt. *Amat.* 3. Quod *Clusius* addit pallidum & resinaceum retorridúmq;. *Anime* omnia genera jucundum in suffumigiis spirant odorem.

Anime optimum censetur, quod est mundum, albicans aut flavescens & Succini modo translucidum, unde etiam Conr. Gesnero lib. 3. Epist. med. Succini Indici albicantis species fuit creditum.

Vires. Calf. 2. humect. 1. atten. resolv. astring. discutit, cephalic. est.

Usus præcipuus est externus, in capitis ac nervorum affectibus frigidis, dolorificis, catarrhosis, flatulentis, in affectibus articulorum, paralysi, contractura, luxationibus, contusionibus, &c. Miscetur emplastris & ceratis, ad usus prædictos.

Solvitur ut aliæ Resinæ in oleo, tùm quoque in spiritu vini rectificatissimo.

ANISUM.

Anisum Harmaro ab α priv. & ἴσος dicitur, quòd folia proferat minimè æqualia. Anisum quidam, auctore *Plinio* l. 20. c. 17. quasi ἀνίκητον vocavere, quia appetentiam cibi præstaret: Et forsan sic dictum est, ὅτι ἀνίησι τὰς ἐμπνευμάτωσεις, quod tensiones flatulentas internas & externas remittat & laxet.

Folia ima à summis plurimum differunt; ima enim integra sunt, superiora tenuiter dissecta. Semen odore & sapore est gratissimo, præ cujusvis alius mihi notæ umbelliferæ semine; quibus notis ab aliis congeneribus facilè distinguitur; præsertim si addas, parvam esse herbam, annuam aut potiùs æstivam.

Vires. Semen Anisi præcipuè in usu est, herba raro in usum venit, radix tanquam inutilis nunquam. Calf. & siccat. Cephalicum, hepaticum & pneumonicum ac stomachicum inprimis audit. (*Plinius* stomacho inutile esse ait, præterquam inflato.) Usus præcipuus in inflatione ventriculi, tussi, &c. *Schroder.*

Cæteris flatum discutientibus medicamentis gratius est ventriculo, minùs habet acrimoniæ, & plus suavitatis.

Veteres in ventriculo frigido & humido mirificè commendârunt. Hinc in siti quæ à ventriculo, in dolore capitis, in vigiliis ab eodem, in diarrhæis à cruditatibus, &c. laudatur, urinam ciet & Venerem stimulat. *Dioscorides*, sed præcipuè *Plinius*, Prolixi admodum sunt in ejus viribus describendis quos adeat qui plura velit.

Pinsunt hoc in panem ex quo Biscoctum parant, quin & saccharo obducunt ad paranda Confecta quæ vocant, quæ & flatus discutiunt, & oris halitum fœtentem emendant.

Spiritibus illis tenuibus, ex quibus generosiores seu aquas ardentes eliciunt, omnibus leviter contusum ante destillationem infunditur, ad gratum saporem iis iteratâ destillatione exaltandis conciliandum. *Trochisc. de Aniso* usus est in febribus diuturnis; *Olei de Aniso destillati* in flatibus: *Dianiso Mesue* in iisdem & tussi à frigida causa: *Spiritus Anisi* in angustiis pectoris. Spir. Vini Anisatus in Cardialgia.

Observat *Heurnius*, quòd pulvis seu decoctum Anisi in colicis doloribus, urinæ difficultate, &c. longè præferendum est ejus oleo: quod observandum est contra illos, qui omnia præter chymica spernunt.

Ad infantum tormina dare solebam scrupulum Anisi crasse pulverisat. cum primo pultis cochleari. Hoc purgat infantes non aliter ac si senior Rhabarbarum sumpsisset. *J. Heurnius.*

In singultu flatulento æger continuè masticet Anisi semen.

Helmontius illud magni facit in Colica. *J. Rajus.*

ANODYNA & NARCOTICA.

Anodyna, paregorica, epicerastica & *narcotica* idem significant; suntque medicamenta, quæ causâ & morbo remanentibus, dolorem mitigant.

Ut nihil inter omnia symptomata dolore molestius est, ita nihil ægrotis gratius medicamentis hos sistentibus & mitigantibus.

Ut vero eo meliùs in horum recensione progrediamur, necesse erit præmittere distinctionem inter Anodyna interna & externa, juxta hunc enim applicandi locum variat utique etiam agendi eorum modus.

Utraque quidem in genere sunt, tensionem & vellicationem partium membranosarum laxantia; sed diverso longè modo.

Externè enim id præstant tum *emollientia*, ἐνεργητικῶς talia seu *macilaginosa*, unde epithema euporiston in omnibus doloribus confit ex pane similagineo, lacte, croco, vitello ovi, &c. Sic & lumbrici vivi applicati dolores tùm paronychiæ, tùm alios partium nervosarum insigniter leniunt, quâ ratione aliquando curavimus dolores dorsi maximos, solis his continuis & applicatis.

Seu *aquea tepida*, calida & humida. Sic balnea, fotus & topica similia blando tepore laxant & digerunt, adeoque egregiè demulcent: sic balnea in doloribus calculi & similibus sunt optima. Sic usitatum est in praxi, & ab ipso *Hippocrate* commendatum, ut in pleuritico lac calidum vesicâ exceptum lateri dolenti applicetur: licet enim, quod nonnulli objiciunt, non possit penitùs liquoris virtus membranam hanc penetrare; attamen neque opus est eo, sufficit enim, blandum teporem hoc modo diutiùs continuari posse, & hinc diutiùs afficere ac demulcere dolentem partem.

Seu *pinguia*, quod præstant illa ipsa omnia, nisi quid applicationem eorum impediat. Sic unguentum Anodynum vulgatum officinarum ex meris constat pinguibus. Sic vitellum ovorum inter Anodyna hæc meritò refertur. Hinc in hoc omnes pinguedines conveniunt, & utramvis selegeris, perinde fuerit, parvo habito selectu.

Tùm *repellentia*, & *fluxum humorum prohibentia*, quæ ut priora demulcent: ita hæc obtundunt sensum partis. Sic huc pertinent omnia actu & potentiâ frigida, uti v. g. colicam applicatâ glacie curatam recenset ex aliis *l. de nive Bartholinus*: concentratur enim inde calor, & consequens irritatio, & doloris intentio remittit. Pertinent huc porrò frontalia, Epithemata, in dolore capitis frequentari solita, unguent. alabastr. & similia.

Tùm *digerentia*, quæ suavi ac leni calefaciendi & discutiendi virtute pollent, caloremque nativum roborant, & difflationem materiæ vitiosæ per poros apertos, quos simul laxant, procurant. Et hæc in scholis medicis propriè dicuntur *paregorica*, si nempe in reliquis ita se omnia habeant: sive per se formâ sacculorum, sive fomentorum, sive pediluviorum &c. usurpentur.

Pertinent huc in specie *nervina*, quæ balsamicâ suavi suâ vi grata cerebro, & partem demulcent, & acorem ac acrimoniam præternaturalem tollunt; seu *spirituosa*, sic ∀i solo dolores sæpe abiguntur: sic ∇ magnanimitatis, ∾ lumbricorum cum ∀i, licet paulò debilior, officium facit. Sive *oleosa*, sic ∞ saponis Veneti, ceræ, carminativa. & ipsa quoque cocta varia, chamæmeli, anethi, huc spectant: sive *urinosa*, sic ∾us ⊖ armoniaci vel per se vel cum ∀i, quem falsò inde coagulari sibi finxerunt hactenus, dolores sopit: sic ∾us C. C. lumbricorum volatilis, & similes, quàm optimè solantur dolores partium nervosarum, vel membranosarum omnium. Sive *mixta*, tale est linimentum nostrum nervinum ex ∇ magnanimitatis, ∾u lumbricorum volatili. & C.C. vel salis armoniaci conjunctim, laudatissimum.

Et hæc quidem conveniunt in doloribus omnis generis, non tamen uno modo, neque partibus omnibus.

Sic membranosis partibus & articulis magis prosunt spirituosa, & digerentia, minùs pinguia, medio modo emollientia. Sic emollientia magis conveniunt, ubi viæ simul laxandæ, ut in calculo & inflammationibus, quæ ad suppurationem tendunt; digerentia & spirituosa, ubi magis discutiendum. Sic repellentia magis locis tutioribus & siccioribus, v. gr. capiti; minùs mollibus & humidioribus mammis. Cùm itaque magna sit horum latitudo, benè sunt discriminanda, & pro partium & affectuum naturâ varianda Anodyna, quo ipso prudens medicus ab empiricis & vulgo differt, qui omnibus omnia applicant, nullo habito respectu, & adeò, dum prodesse volunt, longè magis nocent.

Notabimus verò porro pro horum explicatione,

1. *Opium plus internè, quàm externè convenit*, non, quòd in hunc modum non possit applicari; verùm, quia causam magis respicit priori illo casu adhibitum. Et, si inter topica simul recipitur, non aliâ ratione agit, quàm demulcendo, digerendo, emolliendoque, & partem effluviorum suorum cum sanguine communicando. Reliqua verò recensita extrinsecus magis usurpantur.

2. *Narcotica*, præterquàm actu frigida, *non auferunt sensum partis, extrinsecus adhibita: non repellunt; sed discutiunt, emolliunt & digerunt.* Falsa enim hæc fuit hypothesis veterum, narcotica frigida statuentium, unde arbitrati sunt, eorum applicatione sensum quasi partis intercipi, auferri & emori; id quod tamen contra experientiam est omninò; hinc enim opium applicatum, & per 24. horas ampliusque gestatum, tantum abest, ut sensum auferat, ut potiùs emolliat. Hinc hyoscyamus quoque cum lacte coctus dolores scorbuticos eximiè solatur: quam in rem elegantissimum exstat experimentum apud *Drawitium tract. de scorbuto*, ast emolliendi suâ & digerendi potissimùm vi, unde emplastrum de hyoscyamo vidimus non solùm insigniter profuisse doloribus; verùm etiam discussisse, &, pro re natâ, suppurationem promovisse. Par ratio est cicutæ, unde frustrà est, quod à quibusdam objicitur, cicutæ, seu emplastri de cicutâ usum non esse tutum in scirrho lienis, quòd magis congelet. Eliminanda hinc illa hypothesis è foro medico, & tamen negandum non est, sulphur, quod narcoticum vocant, in his ipsis reperiri, quod extrinsecùs quoque cum sanguine communicatur ex parte.

3. *Narcotica & Anodyna externa per se dolores, per accidens vigilias sedant*; ipsa vero, præterquam papaveracea, pro somno ciendo non sunt in usu æquè; utrumque vero opiata faciunt. Uti enim dolores excitant vigilias. ità illis ablatis & cessantibus hæ quoque unâ quasi fideliâ auferuntur. Ast cicutam, hyoscyamum, mandragoram, interiùs propinare hodiè religio debet esse medico. Gaudent enim sulphure impuro, indigesto, naturæ inimico non blando.

Unde ad interna quoque digrediemur jam, & præmittimus

4. *Ano-*

4. *Anodyna & narcotica tantùm differre gradu; non vero omnia Anodyna, nec narcotica, esse hypnotica.* Sensûs enim ligatio, quæ propriè est narcosis, si de internis medicamentis prædicetur, debetur ligationi spirituum animalium, quò minùs influant; sed vapore narcotico quasi vinculo quodam detineantur, adeoque quæ(interna) sunt Anodyna, dosi auctâ narcotica fieri possunt, & narcotica vice versâ dosi minore fiunt Anodyna.

5. Attamen, *sunt quædam Anodyna, quæ non æquè sunt narcotica*, quæ nempè acrimoniam quidem humorum mitigant, & consequenter dolores auferunt, & per accidens quoque interdum soporem cient; attamen somnum intentione primariâ non efficiunt, e. gr. sulphura Anodyna, vulgo narcotica dicta, metallorum & mineralium, quale eximium latet in cinnabari nativâ de quâ effectus vidi aliquot notabiles, conquievisse inde dolores dentium, capitis, nervosarumque partium aliarum, unde in omnibus doloribus gravioribus conveniunt cinnabarina, quæ tensionem & vellicationem membranosi generis tollunt, acorem & acrimoniam, siqua adest, absorbent & præcipitant, adeoque his ipsis sunt convenientissima, v.gr. arthritide, pleuritide, calculo, &c.

Ut verò de *Modo Agendi* somniferorum in specie, seu narcoticorum horum in genere, & inprimis opiatorum, meliùs constet, dicimus, eum consistere non in sale, nec Mercurio; sed sulphure, & quidem 1. blando, 2. facilè resolubili. In sulphure quidem, unde inflammabilitate, pinguedine, odore, &c. opii, croci, & similium id patefit: item ab oleo, quod per destillationem elicere facile est: blando verò, ut removeamus omnia illa ab interno usu, quæ tali non pollent, sed immaturo, indigesto, fœtido, naturæ inimico, non obstante, quòd hæc ipsa soporem, imò lethum inferre hoc ipso apta nata sint. Resolubili verò, tùm ratione corporis: in se, quatenùs unà gaudent vel sale volatili, ut opium, crocus, unde resolutio eorundem in ventriculo, seu exhalatio, evaporatio citior oritur, & facilis in sanguinem communicatio; vel aquoso vehiculo, ut emulsiones, 🜄, notum enim est, hisce potissimùm duobus sulphur recludi, expandi & resolvi, & consequenter activitatem suam consequi. Hinc in genere narcotica & hypnotica pollent sulphure magis vel minùs vaporoso & resolubili, sive mucilaginoso, quale in hyoscyamo occurrit, sive aqueo, sive superficiario, sive immerso, ut in lactucâ, cujus succus lethalis scribitur; quem tamen noxium concesserim, lethalem nolim dicere, item solano, cicutâ, vino, cerevisiâ; sive sibi magis relicto, puro, & oleoso, ut in 🜄, croco, opioque visendum est: inprimis vero emulsionibus papav. sem. 4. frig. maj. & min. &c. cum aqueis humectantibus. Ad quem ordinem & classem singula alia quoque possunt referri, quæ spiritus turbant, & vaporosis suis effluviis eosdem inebriant, ac torpidiores reddunt.

Hoc ipsum itaque sulphur resolutum in corpore serosis aqueis & salinis particulis ἀναθυμιάσεις de se emittit & exhalat, quæ cum sero commixtæ ad cerebrum feruntur, cujus pori hinc blandè vel fortiùs obstruuntur, & somnus obrepit, spiritibus animalibus non tàm pessundatis, venenatis, exstinctis & destructis, quod vult *Verulamius* & *Willisius*, quàm obnubilatis, ut sui juris ampliùs non sint, neque libere motitentur, functionibusque suis præesse queant. Hinc uti duo hæc perpetuo ad somnum requiruntur: serum blandum, mite, & sulphur suave, vaporosum, ipsi immersum, etiam in statu naturali: ita regula est tàm vera, ac sol in meridie lucet, opium non operari, neque Anodynum, vel potiùs narcoticum evadere, sive somnum ciere, nisi serum in sanguine sit proportionatum: unde statuimus, serum esse vehiculum tùm alimentorum, & in specie sulphuris alimentosi, emulsionis chyli; tùm medicamentosi opiati & in genere omnium medicamentorum.

Applicandi denique *Anodyna Modum* subnectimus:

1. *Nullum ex Anodynis illustrius est opio.* Hoc omnium primum & ultimum, quo solo, si noverit legitime uti, contentus esse potest medicus. Stat sua laus aquis hypnoticis vegetabilibus & sulphuribus mineralibus, sive ⊕-li, sive aliorum, Anodynis: nullum præcellentius est ipso opio ritè parato, unde non injuriâ in genere *Willisius* & alii medicinam non carere posse hoc nepenthe asserunt: in specie verò *Sylvius* dicere solitus est, se malle non esse medicum, quàm opio carere, & *Platerus*, referente id nobis *B. Rolfinckio*, dixit aliquando per hyperbolen, se posse opio suo in vitâ servare rotâ confractum, innuens, nullum quasi dolorem esse, qui huic non cedat. Hinc adeoque opio tuto non solùm licet uti; sed idipsum est perquam necessarium.

2. *Dolores sistit opium, non palliativè; sed reverâ.* Nimis religiosi in hoc sunt medici quidam, qui semper causam, causam, auferendam esse inclamitant, & contra methodum esse, symptomati dolori medelam præstare opiatis, ad leve momentum duraturis; ast, omninò & acrimoniam humorum apprimè demulcet opium, & in centro quasi, detinet materiam morbificam, ac naturæ quietem concedit: unde, quòd non constanter æquè & penitùs dolores sedat, id ipsum non tàm medicamento, quàm copiæ & acrimoniæ morbificæ adscribendum est, cui aliis quoque præsidiis κενωτικοῖς omninò subveniendum est.

3. *Vigilias sedat opium, & somnum suavem conciliat*, modò non oriantur à nimiâ siccitate, quo casu per se data non prosunt; sed cùm humectantibus optimè, ita, ut hoc modo per insigne quasi strategema & demulceatur cerebrum, & sopiatur, præcipuè in senibus, & aliàs ubi à siccitate nimiâ, lymphæ defectu, acore, indispositione oriuntur. Unde capitiluvia, pediluvia, &c. huc spectant, ut & alia opiatorum vehicula, & illorum vim promoventia: quam in rem elegans locus est apud *Heer. observ.* 2.

4. *Fluxionibus seri & sanguinis nil magis æquè medetur, ac opium.* Hinc in hæmorrhagiis narium, uteri, sputo sanguinolento, diarrhœâ, dysenteriâ, febribus catarrhalibus incrassat & coquit, moderaturque & refrænat, ut impetus humorum irruentium quasi sistatur, ligeturque: neque obstat, calidum esse opium, cùm hoc ipsum non primis qualitatibus; sed τρόπῳ τῆς μίξεως sit adscribendum.

5. *Uti verò humoribus magis tenuibus, volatilibus, aqueis, acribus, fluxilibus convenit: ita crassis, viscosis, pituitosis & fixis minùs*, illos enim magis compingit & incrassat: hinc & in hydrope confirmato nocentissima sunt opiata, & mors illis hoc ipso maturatur, major enim est copia, major restagnatio. Unde in genere quoque notandum: *Ubicunque maxima humorum est copia & restagnatio, ibi opiata potiùs nocent, quàm prosunt*, nàm motum eorum refrænant magis, non fluxiles reddunt: hinc in affectibus pectoris, si copia humorum major bronchia pulmonum obstruat, & expectorari gestiat, e. gr. in pleuritide, asthmate, &c. opiata suffocationem promovent: idem in tussi, doloribus ventriculi, & aliis valet.

6. *Ubicunque serum deficit, vel non dandum, vel non nisi cum humectantibus; in malignis vero non nisi cum bezoardicis.* Hinc in vigiliis senum, nisi blanda demulcentia interponantur, frustrà usurpatur, & annotante *Sim. Paulli*, & testante experientiâ, tunc potiùs species diambræ, diamoschi dulces, & similia spiritus refocillantia cum humectantibus, uti vino, &c. conveniunt: quâ de re notabilis locus legi meretur

retur apud *Heer. observ. 5.* In malignis verò omnibus, ubi dolor intensior, fluxus gravior, operatur tutò & jucundè; ubi verò vigiliæ solæ peccant, cum emulsionibus & bezoardicis aliis commode jungitur. Quin ipsum quoque inter alexipharmaca non infimum obtinet locum, exemplo theriacæ, elect. diascordii Fracast. & omnium ferè aliarum antidotorum, unde & antidoti liquidæ, Tincturæ & misturæ bezoardicæ cōmodè, sed refractâ dosi, maritantur cum Anodynis.

7. *Opium optimum est sudoriferum.* Vix ullum habemus tàm certum, tàm fidum, & propriè quasi dictum diaphoreticum, quàm est opium: imò, quæ verba sunt *Walæi meth. med. pag. 65.* quòd theriaca, quòd Mithridatium sudorem moveant, hoc omne ab admixto faciunt opio. Expertus ego sum, *addit*, hæc duo electuaria, absque opio præparata, sudorem prorsus non movisse. Unde non solùm, si dicto modo cum aliis misceatur sudoriferis, illorum virtutem intendit; verùm etiam per se datum utplurimùm blandum & roscidum sudorem conciliat. Adeo ex omnibus hisce patet, maximum respectum circa opiatorum usum habendum esse seri, ut sulphur ejusdem resolvi, & in actum deduci queat.

8. *Dosi præstat deficere, quàm excedere, medio tutissimus ibis.* Duas annotavimus in praxi necessarias esse circa opii præbium distinctiones: 1. *Inter dosin ordinariam & extraordinariam.* Opium sibi relictum ne additione non necessariâ superfluorum ingredientium diffusiùs redditum, potest à tertiâ, quartâ grani parte, ad gr. 2. vel 3. commodè dari ordinariè, & hoc modo officium abunde facit, modo gradus quoque ipsius indicantis & proportio respiciatur sedulo. Urgentibus verò doloribus, seri qualitate aliâ, nimis acri &c. consuetudine & similibus circumstantiis variantibus, adscendi potest longiùs, quæ extraordinaria non faciunt regulam. 2. *Inter intentionem primariam & secundariam.* Sic si solùm dolorem, vigilias, fluxiones urgentes sistere velimus, majori opus est dosi; sin in consortium adsciscamus alia, humectantia, adstringentia, absorbentia, febrifuga ante paroxysmum, &c. minori, accisâ & quasi dimidiatâ, vel tertiatâ, ut ita loquar, dosi datur: primariâ intentione ordinariè circa noctem, & rariùs; secundariâ etiam aliis temporibus, & frequentiùs. Natura enim hîc quàm maxime paucis contenta, unde præstat bis benè & tutò, quàm semel malè.

9. *Præstat sæpe usus internus præ externo*, ibi enim est proxima ad illud actuandum via, hîc longinqua, minùsque tuta vel fida. Sic in doloribus dentium præstat sæpe adhibere pilulam opiatam internè, quàm ipsi denti; licet non credam æque, ab usu hujus uti authores memorant, quosdam mortuos. Sic opium in clysteribus præstat omittere, præcipuè cùm omnes clysteres intestinis sint peregrini, neque hoc modo humorum acrimonia vel dolor æque cedat, ex falsâ hypothesi activitatis opii enato errore. Aliàs in emplastris & unguentis tutò quidem adhibetur; sed longè alia est ibi agendi ratio, ut supra jam diximus.

10. *Viribus summè debilibus non conveniunt opiata.* Prosunt quidem utique lassis, dolentibus, & reficiunt debiles; sed, si ad summum deducta sit debilitas, minùs. Sic morte instante data, eam accelerant magis. Sic nec partu instante, dolor enim ille potiùs est promovendus, quàm sistendus, licèt ex aliò fundamento danda. Sic in specie ventriculi imbecillitati cautiùs administranda. Deinde hoc quoque intelligendum est de dosi primariâ, non item accisâ, quod si observetur, longè faciliùs restaurari queunt & recuperari vires, reparato somno, delenitis doloribus, refracto humorum impetu. Contrà si exhaustis spiritibus & consumptis, reliqui, qui supersunt, ligentur, statim mors adest. *Wedelius.*

ANODYNUM MINERALE, vid. *Crystallus Mineralis.*

ANONIS, vid. *Ononis.*

ANSER.

Anser Domesticus Cygno minor est, Anate major: Saginatus etiam libras decem pendet. Longitudo ejus à summo rostro ad imos pedes $37\frac{1}{2}$. digitorum, ad ultimam caudam $35\frac{1}{2}$. Alarum expansarum latitudo $60\frac{1}{2}$ Rostrum ab apice ad angulos rictûs $2\frac{2}{3}$. longum, ad oculos $3\frac{1}{2}$. Cauda $6\frac{1}{2}$. digitos longa, 18. pennis componitur, extremis brevissimis, reliquis sensim longioribus ad medias usque, quæ longissimæ sunt. Color in his ut in reliquis avibus domesticis varius, vel fuscus scil. vel cinereus, vel albus, vel ex fusco & albo versicolor. Rostrum & pedes in junioribus lutei, in adultis plerunque rubri. Remiges alarum pennæ 27. Cùm irascitur sibilum edit serpentis instar. Est autem admodum longævus. Narravit nobis amicus quidam noster fide dignissimus patrem suum Anserem habuisse 80. annos natum, qui præ senectute nihilo imbecillior aut languidior redditus, etiam alios 80. annos super victurus videbatur, ni ob malitiam & ferociam quâ in juniores sæviebat, eum occidere coatus fuisset; Verùm de Ansere ave ubique gentium notissima plus satis. Non debeo tamen reticere, stercus ejus ad icterum remedium esse præstantissimum. *Wilughbejus.*

Partes Officinales sunt 1. Pinguedo. 2. Sanguis. 3. Stercus. 4 Cuticula pedum.

Vires. Pinguedo calore suillam superat, suæque subtilitatis ratione promptiùs penetrat ac resolvit, ideoque rectè per anum injicitur, ad obtundendam erosionem in alvo corporis sitam, alopecias capillis explet, rimis labiorum medetur, tinnitui aurium succurrit, auribus indita, spasmum nervósque rigidos sanat, (pinguedo ex Ansere, farcito carne cati, aliisque nervinis herbis, & assato collecta,) alvum laxat præcipuè infantum, umbilico inditum, ventrive impositum.

Sanguis Alexipharmacus habetur. Dosis ad ʒij.

Exhibetur in melancholicis affectibus, cancro &c. ad humoris malignitatem demulcendam. Externe pruritum tollit.

Stercus calfacit & siccat vehementer, incidit, aperit menses, secundinam & urinas potenter movet. Hinc maximi usus in morbo regio, scorbuto, hydrope, cochleari urinæ. Capræ vel Vituli destillatæ, continuarique potest ejus usus dies aliquot. Idem & tussi mederi perhibetur.

Præfertur viridiusculum in pratis verno tempore collectum, quod siccatum calore moderato & pulverisatum à ʒß. ad ʒj. exhiberi poterit.

Alii in potu recens exhibent, cum liquore conveniente transfusum.

Stercus Anseris masculi sagittas & globulos extrahit.

Anserem Album cursu tamdiu defatiga, donec reddat excrementum, hoc calidum paronychiis impositum mirificè curat.

Cuticula pedum exiccata & pulverisata ob astringendi vim commendatur in profluvio mensium sistendo. Dosis ʒß.

Extrinsecùs cum successu pernioni imponitur.

Sunt & qui medicamentis Anticterícis admiscent. *Schroder.*

ANSERINA, vid. *Argentina.*

ANTALIA.

Antalia, *quibusdam* Entalia, sunt conchulæ parvulæ, ejusdem substantiæ cum Venereis, aut potius

tius Cylindricis, niveæ, læves rimulam habentes.

Usus. Ingrediuntur compositionem *Unguenti Citrini*; quod vi abstergendi sine acrimonia & caliditate polleant præclarâ. Hisce affines sunt Conchulæ Striatæ, cum Venereis, quoad figuram, affinitatem quandam habentes; ex quibus monilia conficere solent.

ANTHELMINTHICA.

Anthelminthica, ἀνθελμινθικὰ, vocantur medicamenta contra vermes, quæ interimendo, suffocando, liquando, destruendo operantur.

Ut toto genere p. n. sunt vermes & quæ his affinia reperiuntur in corpore animata seminia, ità etiam *Anthelminthica* infausto huic malo apprimè satisfaciunt, tantò majori encomio digna, quantò magis non tàm humores expellunt vitiosos, ceu desciscentes à statu naturali, quàm hostilium animatorum acervum fugant, enecant, exterminant.

Faciunt verò hoc ipsum potissimum vel 1. *interimendo, putredini resistentia*, sive enim statuamus, per generationem æquivocam mediante putredine gigni eosdem, sive ex animato charactere & seminio, seu ovo; attamen in & cùm putredine eosdem foveri, & quasi in nido stabulari, certò certius est.

Hinc talia ipsa sunt tum (1.) *amaricantia & balsamica*; ut enim hæc apprimè corpus à putrilagine deffendunt: ita quoque hîc omninò primas tenent, & *omnia amara sunt anthelminthica* uti v. g. Myrrha, aloe, absinthium, scordium, rhabarbarum, fel tauri, tanacetum, & è compositis elixir proprietatis, pilulæ Rufi, &c.

Tùm (2.) *acida*, adeoque etiam *omnia acida sunt Anthelminthica*: unde non solùm acetum; sed & inprimis spiritus acidi vitrioli, vitrioli philosoph. salis, non tantùm, quia itidem putredinem disjiciunt; sed & quòd motum & calidum quasi eorundem eminenter pessundent ac destruant, pro interno potissimùm usu conveniunt.

Sic vel sola Tinctura violarum ⊕-lata egregiè se gessit nostro experimento in puero, vermibus ad mortem ferè excruciato. Sic etiam *nitrosa omnia vermes enecant*, tùm ob amaritiem, tùm, quod putredini resistant, tùm ob sal acidum in iisdem emicans, vid. *Langius lib.2. epist.4. p.m.*510. de hoc ipso. Hinc pulvere pyrio indusia inficiunt contrà pediculos milites.

Tùm (3.) *acria, & sale volatili vel sibi relicto, vel oleoso prægnantia*: unde allium ad vermem cordis vulgò dictum celeberrimum est; Camphora, quam quicunque secum gestat, nunquam pediculis corripitur: quod amuletum pro militibus, tabellariis & viatoribus aliis est accommodum; item ∽ C.C. ejusque ⊖ volatile potentissimè vermes necat: neque hæc solùm irritando vermes expellunt; sed & interficiunt, contra *Pered.l.1. c.51.* ob summam penetrantiam, quâ vitæ ipsorum & putredini adversantur.

Tùm (4.) *terrea, alcalina, & lixiva salina alia*, ut corallina, cujus pulverem empirici lumbricis terrestribus inspergunt, eosque sic necant, C.C. ustum, ⊖ absinthij, card. bened. licet non adeo potenter id præstent; attamen non minùs ad hanc quoque classem spectantia.

(5.) *Aquea* verò magis vehiculum præbent reliquis eminentiori charactere mercuriali signata sint.

Hæc omnia animatum seminium pessundant, annihilant eidemque quàm maximè resistunt.

Vel 2. *suffocando*, transpirationem, in quâ vita vermium & insectorum consistit, impedientia, qualia sunt oleosa & pinguia omnia, quæ poros obstruunt, & ventilationem inhibent, adeoque quasi suffocant, uti sunt oleum olivarum, amygdalorum dulcium & amarorum. Licet verò hęc sola debiliora verè sint, neque iis solis æquè ad interimendos vermes tutò fidere possimus; attamen egregium quoq; habent usum, ut reliqua eo magis possint operari. Hinc & exteriùs in plattulis enecandis oleum olivarum affrictum prodest. Hinc in clysteribus ad vermes illiciendos pinguia propriè dicta, (nàm juribus & decoctis pinguibus delectantur.) & olea non debent recipi, aversantur enim eadem vermes, & inde potiùs repelluntur. Ast, si olea sint penetrantia, aërea, quam maximè vermibus sunt infesta, ut inprimis °° tanaceti, spicæ, succini.

Vel 3. *liquando & destruendo*, quæ substantiam eorundem mucosam & glutinosam resolvunt, annihilant & corrumpunt, simulque acrimoniâ suâ quasi veneni loco iisdem sunt: qualia nota sunt inprimis *mercurialia*. Nihil sub sole vermibus, & cuivis animato seminio tàm inimicum est, quàm hæc ipsa: absumunt enim ipsorum nutrimentum, & quasi in ideali saltim antidoto eosdem necant, ut in decocto ☿rij vivi patet. Non enim solùm in substantiâ ipsis adversatur; licet crudus planè non tàm facilè expellat, quia facilè dilabitur: unde cum sacchari duplo commodè potest teri & per minima in mortario vitreo agitari: Item ☿ dulcis optimè contrà eosdem exhibetur; verùm etiam, quod experimentum est Helmontianum, aqua sive simplex, sive specifica cum ☿rio cocta, ceu ☿ali sidere tacta, licet coctione hâc de ☿rij substantiâ nil decedat, contrà lumbricos admodum fit valida.

Notandum verò, quòd agitationem ☿rij vivi cum aquâ vel cerevisiâ factam damnet *Glauberus parte 2. furn. philos. cap.* 38. *p* 79. & inprimis, quod non corporaliter; sed virtualiter saltim irradiata dicatur, innuens, particulas subtiles ☿les agitatione hâc cum liquore confundi, & per subsidentiam hinc demonstrari posse. Addit etiam, nunquam se vidisse bonam operationem, sive ab hoc infuso, sive ☿rio dulci; verùm ipsa hæc virtus negari nequit, licet negari non possit, promtiorem esse ☿rium necandis, quàm expellendis vermibus, ut jam pluribus dicemus.

Sic etiam cinnabarina necant vermes, unde, licet minùs concinnè, nonnulli eo progrediuntur, ut cinnabarin ♁ij, siqua virtus antepileptica in eâ sit, non nisi in sympathicâ epilepsiâ, à vermibus oriundâ, prodesse affirment.

Vel 4. *purgando exturbantia*, unde certum quoq; est, *omnia purgantia propriè dicta esse Anthelminthica*, inprimis vulgò dicta cholagoga. Hæc cùm duplici modo agant, non solùm ut amara, acria, & resinosa, quæ omnia vermibus inimica diximus; sed & ut evacuantia, & ad exitum irritantia, ad vermes è corpore fugandos omnium sunt optima & nobilissima, inprimis aloë, colocynthis, seu trochisci alhandal, rhabarbarum, species diaturbith cum rhabarbaro, quas probatissimas esse *Heerius observ.* 26. rectè scribit: unde suprà jam diximus, si qua exempla vermium grandiorum eductorum prostant, omnia vel pleraque saltim illa purgantibus fuisse præstita.

Addemus verò his ordinariis duo adhuc alia anthelminthica, quibus tutò fidi non potest, nec debet, attamen ab autoribus quoque sat gravibus commendantur.

1. *Dulcia*, quæ licet nauseabundo alimento vermes quasi ex repletione per accidens necare possint; attamen hoc ipso regerminationem ipsorum non impediunt. Sic quidam passulas infantibus verminosis concedunt, & *B. Sennertus in praxi* decoctum sebesten expertissimum medicamentum dicit, singulis diebus infantibus ante cibum propinandum. Sic mel & alia dulcia non nocere; sed prodesse verminantibus asserunt quidam, quòd facilè bilescant, & adeò ver-

verminantibus afferunt quidam, quòd facilè bilescant, & adeò vermibus potiùs adversa fiant; verùm non in omnibus æquè bilescere dulcia, alibi jam asseruimus. Adeoque dulcia ad vermes abigendos non prosunt, nisi decipiendo, ut his ipsis inescati pro melle fel, & venenum ac mortem hauriant.

2. Utut ab autoribus medicis varijs traditum sit, *lumbricos terrestres* torrefactos & exhibitos vermes microcosmicos omnis generis proprietate quâdam expellere, quod à contrariâ ipsis mucilaginositate resolutâ, transpiratione consequenter prohibitâ, vel ⊖le volatili deduci posset, attamen, ut taceamus, hujus rei experimenta nondum sufficientia facta desiderari posse, *lumbricos* ipsos jam *è corpore expulsos* denuò propinatos alios sui generis expellere, non solummodo incertum est; quin potiùs contrarium inde producatur, cùm vermium semina hoc modo propagari, & lumbricos produci potiùs experientiâ plurimorum autorum certum sit. De quo vid. *Finkius enchir. dogm. Herm. cap.23.p.120.Tabernam.in herbar. lib.1.cap.5. Senn.l.3.prax.parte 2.sect.1. cap. 5. Heerius observ.9. & Kergerus de ferment. sect.1. cap.6. pag.56. &c.* non obstante, quod assumto tali pulvere lumbrici plures dejiciantur; unde ab agyrtis id pro potissimo remedio solet venditari.

Ubivis includenda medii ordinis, seu è reliquis mixta. Sic talis euporiston ad vermes est non contemnendum, si lixivium cum ☍o olivarum concutiatur, idque magno cum successu propinetur.

Quoad *Modum Applicandi*, præsupposito, indicari eadem ab animati in corpore seminij præsentiâ, notandum,

1. *Non solùm necandos; sed etiam expellendos esse vermes.* Solent enim in corpore restitantia mortuorum cadavera non tàm promtè statim expelli, adeoq; putrida sua miasmata communicant cum corde & massâ sanguineâ, unde inter Anthelminthica duplex est differentia: quædam sunt pigra magis & desidia, quædam magis activa, & vermes interimentia & expellentia.

2. *Anthelminthica maritanda dulcibus.* Sic clystere ex lacte mirè alliciuntur versùs inferiora. Sic & cum lacte exhibentur commodè calido, ut hoc vehiculo hauriant venenum. Sic melle pani illito excipitur semen sanctum, ut hoc modo inescentur. Aversantur enim, ut omnia insecta alia, sibi contraria. Sic ☊us ⊕li philos. cum sacchato miscetur, eodem fine.

3. *Propinanda sunt jejuno ventriculo, neque statim desuper alind comedendum*, ex jam datis rationibus: alio enim suppetente alimento, ingratius quod est & adversum ab ipsis negligitur, & consequenter scopus desideratus non obtinetur. Hoc vero maximè valet in lumbricis teretibus: illi enim promtissimè necantur; in tæniâ vero non minùs quoque id locum habet.

4. *Mercurialia stimulo egent; infantibus verò non æquè tutò propinantur.* De priori jam diximus. De altero egregius locus est apud *Glauberum loco citato*, ☿us dulcis, inquit, infantibus datus à 10. ad 30. grana contra vermes, plerumque, (nisi robustiores sint,) debilitatem & infirmitudinem membrorum causatur. Omnia quippe in hâc ætate fluxilia & laxa sunt, inprimis ossa & nervi, hisce vero ☿us inimicus est, adeoque ea facilè lædit.

5. *Anthelminthica aliquando mutanda sunt, ne adsuescant hisce vermes*, in graviori præcipuè casu, ubi copiosior verminosa proles infixa intestinis hæret & quando dato uno minùs ex voto res succedit, neque vermes secedunt.

6. *Externa umbilico applicanda, minùs ventriculo, nisi ad ventriculum approximent.* Non solùm, quòd umbilicus perspirabilis magis; sed & quia centrum abdominis, adeoque ubi-ubi hæreant in intestinorum volumine, ad eos faciliùs potest ferri virtus; licet *externis hisce non nisi in subsidium utendum*.

7. *Ascarides magis balneis, suppositoriis & clysteribus possunt curari.* Sunt verò pueris, interdum & adultis, familiares, & æmulantur vermes caseorum, sunt quasi filij vermium & examen, schola & seminium. Per os itaque ut via remota est, ita propinquior per inferiorem gutturem, ut *Plautino* termino utamur: quo pacto aliquot ægros feliciter restituimus.

8. *Anthelminthica non sunt universalia præsidia.* Nota est hypothesis *B. Langii & Hauptmanni* de verminosâ putredine omnium quasi morborum, dolorum, affectuum, & tantùm non mortis ipsius causa, de quo ipso *Hauptmanni ad Fabrum* extat *epistola, & illius pathologia animata.* Verùm, uti non negatur, vermes militare in classe causarum morbificarum: ita ad omnes morbos hanc extendere causam, minimè inconveniens est.

9. *Latiùs etiam Anthelminthicorum usus extenditur ad quævis animalia p. n. corpus affligentia.* Sic pediculi eodem genere mortis affici possunt, ut & lendes, speciatim in tineâ, cum primis helleboro, camphorâ, staphide-agriâ. Sic hausto bufonum vel serpentum semine, quod rariùs, attamen aliquando, contingit, eadem ipsa quoque valent. *Wedelius.*

Julepus vermes enecans in febre verminosa. ℞. Aq. portulacæ. cich. ana ℥ ij. confect. hyacinth. & pulv. contra vermes ana ℈j. syr. limon. ℥i. F. julep.

In forma decocti. ℞. Rad. gramin. cich. acetosæ, ana ʒi. fol. cich. portulac. oxalidis, agrim. ana m.j. scord. m. ß. hord. integr. p. j. rasur. eboris ʒ j. flor. cordial. & summit. scord ana p. j. F. decoct. pro 4. dosibus vespere & manè sumendis. Adde cuique syr. limon. ℥ß. spir. vitrioli ad levem aciditatem. Addi possunt. Confect. hyacinth. pulv. contra vermes ad ℈j. Spir. nitri, aut sulphuris, aut salis ad guttas 4. Trochisci de corallis, vel de cornu cervi ad ℈j. Lapis bezoardicus verus ad gr. 4. Pulvis lumbric. terrestr. in furno exsiccat. ad ʒß.

In pueris, quando vermes vomitum, vel inappetentiam, vel saporem, excitant, cum vel sine febre. ℞. Aq. portul. ℥iij. confect. hyacinth. ʒ ß. pulv. contra vermes & corallinæ pptæ, ana ℈j. syr. limon. ℥ß. F. potus.

Ex Chymicis & Galenicis prosunt, Pulvis hieræ picræ ad ℈ß. Theriaca vetus ad ʒß. Pulvis viperin. ad ℈ß. Mercurius dulcis à gr. 10. ad 15. vel præcipitatus à gr. 4 ad 10. Extract. rhabarb. à gr. 10, ad 20. Extract. aloës à gr. 15. ad ʒß.

Prodest & hic pulvis. ℞. Corallinæ, & C. C. ppt. ana ʒß. semin. contra, pulv. hieræ picræ ana ℈ j. F. pulvis de quo detur ʒß. singulâ septimanâ, manè jejuno ventriculo, cum cochleari panatella.

℞. Rhab. elect. ʒj. semin contra & corallin. ana ʒj. Mercurij dulcis ʒß. F. pulvis, dosis est ad ʒß. Purgat clementer pueros & vermes necat.

In febre maligna, quando vermes junguntur, sic parantur julepi. ℞. Aq. scorzon. scabios. portul. ana q. s. syr. limon. ℥ vj. pulv. viper. semin. contra ana ℈ß. salis prunell. ʒß. F. julep.

Aliquando cum sit commotio, ob putridos malignosq; vapores; febris, vomitus, metus convulsivi excitantur, in quo casu.

℞. Aq. portul. ℥ iv. aq. theriacal. ʒ i j. confect. hyacinth. & pulv. contra ana ℈j. M. F. potus, capiat uno haustu, vel in duas vices, si parvulus sit ægrotans. Defectu aquæ theriacalis, substitui potest theriaca à ℈j. ad ʒß. *Tenke.*

ANTHEMIS sive ANTHEMISIUM, vid. CHAMOMILLA.

ANTHERÆ.

Antheræ Officin. ſunt ſummitates ſeu cacuminula in florum medio ſtaminibus incumbentia, q. ἀνθ-ῥόδυ, i. e. flos roſæ.

ANTHERICUM, vid. *Aſphodelus.*

ANTHORA.

Nomina. Antithora flore luteo Aconiti *I. B.* Anthora *Park.* Aconitum ſalutiferum ſeu Anthora *C. B.* Anthora ſive Aconitum ſalutiferum *Ger.*

Anthora pernecabili Thoræ veneno adverſa, dodrantem alta interdum & cubito procerior *caule* eſt ſingulari, rigido, anguloſo, ſubhirſuto, cui *folia* alternatim adnaſcuntur, Napelli æmula, tenujùs diſſecta, & ſplendoris illius expertia, averſâ parte albicantia, ſapore amaro prædita, Nigellæ quadantenus ſimilia: *Flores* non ingrato odore præditi, cucullati, & rictu hiante Napelli penitus, excepto colore, qui huic ex flavo palleſcens: Corniculata ſeminis vaſcula iridem conſimilia. *Radix* ex bulbis olivaribus conſtat, foris fuſcis, intus albis, guſtu amaris fibratis. *J. Rajus.*

Vires & Uſus. Radix calf. & ſicc. cardiaca eſt: attenuat, aperit, abſtergit, Præcipui in morbis, ac ictibus venenatis, peſti ſpecificè adverſatur & peculiariter Radici Thora, *Schrod.*

Conferunt radices anthoræ non ſolùm ad epotum napellum, ſed & alia venena hauſta nec non ad Viperarum morſum. In febribus petechialibus & alijs malignis ſummo cum effectu adhibentur. *Hofmann. in Schrôd.*

ANTHOS, vid. *Roſmarinus.*

ANTHRAX, vid. *Rubinus.*

ANTHYLLIS.

Nomina. Anthyllis maritima lentifolia *C. B. Park.* Anth. lentifolia ſive Alſine cruciata marina *Ger. emac.* Anth. lentifolia Peplios effigie maritima *J. B.* Alſine litoralis foliis Portulacæ *C. B.* Alſines genus pelagicum. *Cluſ.*

Longè latéque ſummâ arenâ ſerpit, multíſque *ramis* humi jacentibus prædita eſt, tenuibus, lentis, flexilibus, quadrangulis, quos multa ambiunt *folia* Anagallidis aut Alſines folijs non diſſimilia, ſed craſſa admodum & ſucci plena, (ut ſunt pleraque Pelagicarum ſtirpium) bina ſemper ex adverſo alternatim naſcentia, viridia, glabra, ſalſo guſtu; inter quæ extremis ramulis *floſculi* vireſcentes, quinque folijs conſtantes; & in his quinque ſtaminula pallida, floribus ſuccedunt vaſcula grandia, in quibus ſemina quàm pro plantæ modò multò majora.

Vires. Anthyllis (ſecundum *Dioſcoridem*) ad pondus unius aut duarum unciarum in vehiculo convenienti pota multùm inſervit in affectibus renum, potenter enim urinas ciet. Contuſa cùm oleo roſaceo in formam peſſarii & vaginæ indita inflammationes uteri emollit ac reſolvit. *Rajus.*

ANTIBALLOMENA ſive SUBSTITUTA, vid. *Succedanea.*

ANTIDOTARIUM.

Antidotarium ſeu Diſpenſatorium nihil aliud eſt quàm antidotorum vel medicamentorum Tractatus.

Tractatus iſte dividitur in ſex claſſes quarum *prima* de Syrupis, *ſecunda* de purgantibus, *tertia* de corroborantibus ſeu cardiacis; *quarta* de unguentis & ceratis; *ſexta* tandem de emplaſtris agit.

ANTIDOTUM quid ſit vid. ſub Titulo *Alexipharmaca.*

De compoſitionibus vero *Antidotis* dictis ſub titulo *Electuarium.*

ANTILYSSUS, vid. *Pulvis Antilyſſus.*

ANTIMONIUM.

Antimonium eſt corpus minerale, naturæ Metallinæ finitimum. Conſtans 1. ex Sulphure minerali, partim puriſſimô, naturæ ſolaris, eôque in rubedine fundato, partim combuſtibili inſtar alterius ſulphuris. 2. Ex copioſo Mercurio metallico indigeſto, rubiginoſo, coagulato tamen magíſque cocto, quàm eſt Hydrargyrum, participante de natura ſaturnina. Et 3. ex ſubſtantia quadam terreſtri & ſalina perpauca.

Quod in Officinis proſtat, liquefactione ex minera eſt fuſum, inque formas pyramidales ut plurimum effuſum. Minera quoque etſi interdum proſtat venalis, attamen rara eſt.

Dicitur Hebraicè *Zadda*, Græcè Στίμμι, Στίβι. Arabicè *Aitmad* ſeu *Atimad.* Latinè *Stibium*, Antimonium. Barbar. *Antiſtini* [illegible] *coſol Othi.* Ænigmatic. *Lupus*, quòd ſcil. omnia metalla præter Solem abſumat. *Proteus*, quòd omnes colores Vulcani beneficio induat, *Radix metallorum* quòd omnibus metallis q. adjaceat, vel quòd à nonnullis minera ſtatuatur metallorum. *Saturnus Philoſophorum* à devorando, tùm quòd Saturni, id eſt, Plumbi naturam redoleat, tùm quoque quod lapidem Philoſophorum inde parare ſomnient. *Magneſia Saturni* eadem ratione.

Delectus Antimonij,

Varijs in Regionibus eruitur ♁. Noſtraque Germania ejus ubertatem paſſim præbet. Maximè tamen laudatur Ungaricum & Tranſſylvanum, utpote quòd Sulphure puriori dotatum, aurique minera imbutum eſt. Strijs id ſplendidioribus & longioribus, obſcuráque rubedine, (quæ bonitatem ejus arguit ob Sulphuris abundantiam,) reperitur. Hujus nimirum meminit Paracelſus ſub titulo rubentis Leonis, & Baſilius Monachus in Curru triumphal. ſub Orientalis nomine. Et hoc maximè ad Medicamentorum elaborationes eligendum eſt.

Artifices inſuper variis modis bonitatem Antimonij explorant. Quidam chartæ luteo colore in Pharmacopolijs tinctæ, denteque apri rite levigatæ id affricant, certitudiniſque notam, rubram lituram, inductione illa poſt ſe relictam ſtatuunt: Alii fortiſſimo aceti ♎u drachmas aliquot benè pulveriſati Antimonij imbibunt, inque lamella ferrea vel figulina ad lentum ignem, ne ♁ fluat, evaporare ſinunt: quod ſi poſt evaporationem pulvis Antimonij rubens relinquatur, ulterius de ejus certitudine non dubitant. *Vide Baſilic. Antimonij Philippi Moltheri, qui ſe Hammerum vocat.*

Antimonij Vires in genere.

De viribus Antimonij audiamus Quercetan. in tetrad. cap. 3. In Antimonio, *inquit*, ſunt ſexcentæ proprietates, variæ ac præſtantes, ut præparantes, expurgantes, vomitiones concitantes, & id genus alia, ut nunquam ſatis laudari queat hoc Medicamentum. Crudo adhibuerunt Veteres vim adſtringendi, exiccandi, meatus corporis obſtruendi, excreſcentias carnis abſumendi, cicatrices obducendi, oculorum ulcera & ſordes mundificandi, unde & ad Collyria inprimis commendatur. Sunt & qui ad Epilepſiam arcendam exhibent, etiam in ipſo paroxyſmo. Unde pulv. niger Waldecc. *Schrôderus.*

De Delectu Antimonij rurſus ſic Hofmann.

Præter ſuprà allatas ſpecies Antimonij duas adhuc adſignat *Baſilius Valentinus.* Unam, quæ plus mercurialis,

rialis, alteram quæ Sulphureæ proprietatis sit. ☿rialis ad Naturam ☉larem accedat, quam arguunt nitentes in eo radii, Sulphurea autem ☉le destituta, quod priorem commendat speciem. Quæ diversitas Antimonij in causa est, quod quoddam plus cinnabaris, quàm butyri, quoddam plus butyri, quàm cinnabaris, aliud plus Reguli suppeditet. Unde certorum temporum & constellationum observatio in Regulo stellato conficiendo etiam inepta est, cùm tota hujus rei ratio potius à diversâ Antimonij constitutione dependeat.

Præparata Antimonii.

Præparationes quibus ♁ subjicitur sunt: 1. Calcinatio. 2. Sublimatio. 3. Destillatio. 4. Liquatio. 5. Extractio. 6. Infusio. 7. Salificatio. 8. Mercurificatio.

Calcinatio est tum sicca, tum humida.

Calcinatio sicca, unde

1. Vitra, 2. Croci, 3. Diaphoretica, 4. Reguli.

I. Vitra Antimonii.

1. *Vitrum Antimonij Hyacinthinum.*

℞. ♁ pulver. calcinetur in vase figulino amplo ac lato non vitreato continuò scil. materiam rudiculâ movendo, ne concrescat, quod si id præter spem evenerit, denuo pulverisare oportet. Deducendus est hic labor △que augendus, vel in tantùm, ut vas paulatim igniatur, materiaque cineream seu griseum acquirat colorem, nec fumum (à quo diligenter cavendum,) ampliùs emittat.

N. *Ex hac calce fit diaphoreticum laudabile ac singulare pestis præservativum. Si ulterius in crucibulo igniatur, ut ex albescente colore fiat pulvis ad flavedinem inclinans.*

Dosis g. 3. infusa in vino, datur cum succo calendulæ.

Calx illa in crucib. benè & satis fusa, (quod immisso stylo ferreo experiri licet,) effundatur in tabulam lapideam, vel pelvim æneam, ut in vitrum abeat. Vitrum si adhuc nigrum ac opacum fuerit, reiteranda est fusio, donec pellucidum ac hyacinthinum colorem nanciscatur, in qua fusione aliquid Antimonij crudi Matthiolus admiscet. Sed vereor ne pelluciditatem depravet. *Vide Basilium in curru triumphali Antimonij.*

N. 1. *Calcinationem maturandi gratiâ licet Sal. com. dimidium (vel ana) addere, id quod post absolutam calcinationem aquâ fervente & dein ✱ insuper affuso abluendum.*

2. *Fusionem ut promoveas, Borracem addere potes, nempe ad ℔. 1. Borrac. ℥ß. nec est quod inde periculum metuas: Etenim posthabito, quod Borrax exhalet, constat quod Borrax sine noxa intrò ad ʒß. exhibeatur.*

3. *Tempus vitrificandis eligunt nonnulli, quo ☉ & ☾ in ♒ vel ♓ (signis aqueis) existunt.*

4. *Accenseri potest vitrificationi & illa operatio, qua ♁ levi operâ ignis, vitri formam, licet absque perspicuitate induit, ♁io scil. in crucibulo liquato intinguntur ferrei baculi, decutiturque quicquid adhæserit, atque hac ratione totum ♁ extrahitur. Extractum & contusum denuò liquatur, extrahiturque ut ante, idque toties, donec ♁ optimè pulverisatum rubicundo-purpureum colorem acquirat.*

Dosis & usus cum simplici vitro communis est.

Rectius tamen ∽*u Sulphuris,* ⊕*-li, vel proprio aceto aliquoties cohobatum, ut evanescente purpureo colore, albicans evaserit, exhibetur. Valde enim ejus vis emetica hac correctione emendatur, ut solam per alvum deturbandi vim postea obtineat. Verum febrium curativum.*

Dosis g. 3. ad 5. in ▽ centaur. min. vel simili, Molth.

2. *Vitrum ex Minera.*

℞. Mineræ ♁ opt. Sal. nit. puriss. ana calcinentur optimè ac fundantur in vitrum. *Basil.*

3. *Vitrum Antimonij flavum.*

Fit ex Regulo. *Vide suo loco.*

4. *Vitrum Antimonij rubeum.*

NB. Si vitrum Antimonij miscueris cum Sulph. citrino, ac fuderis in vitrum, hoc ipsum rubescit. Alij fundunt cum auripigmento, sed præstat ab hoc abstinuisse.

5. *Vitrum album.*

℞. Antimonij p. 1. Borracis p. 2. vel 4. funde aliquamdiu, sic assumit primò colorem citrinum, postea album. Effunde ut in vitrum abeat. *Basil.*

Vires. *Vitrum Antimonij humores crassos, viscidosque ejicit, in ventriculo vicinisque locis superfluos, idque per vomitum ac per alvum. Resistit quoque venenis in peste, præcipuè si cum aceto propinetur, quippe hac ratione & sudorem ciet: utile quoque est in febribus putridis ac malignis, Hydrope, &c,*

Usus & dosis; *Datur à g. 2 ad 4. in infusione à gr. 3. ad 6. vide de hac infusione infra.*

6. *Vitrum ♁ nigrum extemporaneum S. Closs.*

℞. Mineræ ♁ij ℥ij. Liquescat in crucibulum injice per cochlearia aliquid de mixturâ ex Sal. com. decrepit. Sal. Nit. & ⊖ ▽ communis composita ana ʒij. absumptis pulver. affundatur ♁ in pelvim aut mortarium calens. Habebis vitrum nigrum purificandis metallis aptiss. Si ♄ni ℥ß. addatur, repurgabit ☉ instar Reguli ♁ij.

7. *Vitrum Antimonij Diaphoreticum.*

Vitrum ♁ij Diaphoreticum evadit, si pulverisatum sæpè maceratur, cum ✱ sæpè fundatur. *Libav. lib. 2. Alch. tract. 1. c. 23.*

8. *Vitrum Regulinum.*

Calcina Regulum pulverisatum, (continuò agitando, ne fundatur,) donec fumus cesset, hinc funde & effunde. Sic in vitrum evadet quàm elegantissimum.

N. *Si Com. Salem addideris, citrinescit vitrum. Hujus dosis major exhiberi potest quàm præcedentium.*

9. *Vitrum Antimonij Solare, ☉ transparens.*

℞. ☉ puriss. ℥ß. ♁ Ungar. ℥ VIII. Funde ad △, ac effunde (cavendo ne in Regulum abeat,) mixturam pulverisatam calcina per se, (ut calcinatur ♁ in præparat. vitri,) donec non ampliùs fumiget, Deinde funde fortiss. △, effundeque in pelvim, ut abeat in vitrum transparens rubicundum.

N. *Invenies in fundo crucibuli ☉m dimidiâ parte diminutum.* Hartm. *in Croll. Kesl. 3. c. 30.*

Ex hoc fit infusio cum ∇, quam Tincturam vocant.

10. *Aliud ex Regulo.*

℞. ☉ opt. ℥ß. Reguli ℥ VIII. Fundantur, pulverisentur ac calcinentur sine fusione, donec fumus cesset, Dein liquescant △ fortiss. effundanturque ut vitrescant.

N. *Huic calcinationi finitima est calcinatio Antimonij crudi, cum C. C. usto. Nimirum lævigantur simul optimè ♁ & C. C. ustum, proportione anaticâ. Hinc committuntur igni, ut calcinentur.*

Vires. *Sudores prolicit. Dosis gr. à 3. ad 5. vel 6.*

Quoniam vitra ♁ij violentius utplurimum operationes suas perficere, adeoque corpus anxiè affligere solent, diversæ institutæ sunt correctiones, quibus violentia ea aliquo modo infringi mitigarique queat; ideoque.

2. *Cor-*

2. *Corrigitur vitrum Antimonij. Correct.* 1.

℞. Vitrum antimonii teratur subtiliter, aliquotiesque affundatur ⚹ atque iterum exiccetur. Hinc fit Electuarium Antimoniale, seu Pilulæ Antimoniales Crollii. *Vide infra.*

Correct. 2.

℞. Vitrum Antimonij, digeratur aliquandiu in ∼ Sal. comm. extractioni decantatæ, affunde ▽ commun. ac residebit ♁ sine violentia vomitum ac secessum ciens.

Dosis gran. 2. 3. *ad* 6. *Clarissim. Dn. D. Petrus de Spina.*

Correct. 3.

℞. Vitrum Antimonium, q. v. solve in ☍ Tart. per deliq. solutioni instilla ∼⊖i, ac concrescent illico Crystalli exiccandi,

Dosis gr. 3. 4.

Correct. 4.

Vitrum Antimonii purgans.

℞. Vitri Antimonii pulv. ∼ vel ☍ ⊖i, (vel Sulphur. per campan.) ℥j. Misc. exactè ac exicca lento △. Repetatur id septies vel ultra, semper ∼⊖i unc. j. admiscendo.

N. 1. *Præstantior fit hic pulvis, si in extracto Mastich. (ex Mastich. & ▽) per ♂ 3. maceretur, ac ▽ postmodum desuper accendatur, penitusque exhalet Pulvis residuus l. △ cinerum in patella vitrea (horis* 12.) *exiccetur.*

Vires. *Purgat per inferiora.*

Dosis à gr. 3. *ad* 5.

N. 2. *Si pulveris hujus ʒiij. vel pulveris prioris non macerati ʒij. in Electuario Antimonij Crolliano vitro ibidem substituantur, præstantius id ipsum evadet.*

N. 2. *Fiunt & inde Pilulæ Antimoniales ad febres. Hartmann. vid. suo loco.*

Correct. 5.

5. Fit per separationem Sulphuris Auripigmentalis. *Vide in infusione ▽ bened. Brendelii.*

Correct. 6.

∼⊖*i purgans*

℞. Vitrum ♁ pulv. q. v. affunde ∼m ⊖i non rectific. ad eminent. duorum digitorum. Digerantur aliquamdiu calore leni, sic fit extractio nigropunicea.

Vires. *Purgat per inferiora.*

Dosis gutt. 6. 7. 8. 9. 10.

Hartman. in Croll.

N. 1. *Eodem modo corrigi potest per* ∼m *Sulph. vel* ✢ *proprium.*

N. 2. *Ex Tinctura illa nigropunicea (scil. per* ∼*um* ⊖*li extractâ) paratur Tart. album* ⊖*latum purgans, quippe virtute* ♁*ali impragnatum, affundendo ei duplum olei Sulph. coagulumque siccando.* Schröder.

De Vitris jam recensitis sic commentatur Frider. Hoffmann.

1. *Vitra Antimonii.* 1. *Vitrum antimonii Hyacynthinum.*) Exacta est hæc *Domini Autoris* præparatio, juxtà cujus modum ego etiam non semel vitrum antimonii hyacinthi instar elaboravi, sequentia tamen unâ observanda sunt. *Primò*, Antimonium post peractam calcinationem diutius non asservandum, eò quod ab aëre attracto immutetur, sed statim crucibulo immissum igni furioso tradendum est, sic quadrantis horæ spatio perspicuitatem (quam subinde bacillo ferreo inserto explorabis) nancisecetur, quâ apparente statim effundendum est. *Secundò*, Antimonium martem avidè devorat; dum itaque Antimonium liquatum est in igne, quantum possibile brevissimâ morâ ferreis tractetur instrumentis. Quod si etiam illud in ferreo calcinares vase, non vitrum, sed scorias & regulum efficeres. Item si in Acet. dist. ex scoriis ferri parato funditur, undique eum terebrat, & in scorias convertitur vitrum. *Tertiò*, Sulphur crudum antimonium egregiè purificat, si igitur ejus vitrum ad perspicuitatem reduci nequeat, injiciatur illi in crucibulo, dum fluit, frustulatim aliquid crudi Sulphuris citrini, quod antimonii vitrum reddet perspicuum. *Cl. Zwelferi in animadvers. ad Pharmacop. August. p.* 459.

N. *Ex hâc calce fit diaphoreticum Laudabile.*) Hæc calx vel per se ulterius in crucib. igniatur, ut ex albescente calore fiat pulvis ad flavedinem inclinans, vel in proportione anaticâ CC. ustum addi potest, hinc committuntur igni, ut calcinentur. Hæc juxtà vim suam diaphoreticam habet etiam stypticam, undè ingredirur Dn. D. *Iohann. Michaelis* p. m. pulverem Dysentericum.

N. 1. Vitrum si adhuc opacum fuerit, reiterandà est calcinatio & fusio, donec pellucidum ac hyacinthinum acquirat colorem.

N. 2. Si Sal. comm. vel Borrax calcinationem maturandi gratiâ addatur, non purum fit neque ita pellucidum ac hyacinthinum, sed citrinum.

N. 3. Sereno cœlo instituenda est vitrificatio, id quod & in Regulo fundendo est observandum.

N. 4. In vitrificatione, quâ antimonium in crucib. liquatum ferreis baculis extrahitur, & contusum denuò liquatur. Vitrum antimonii opacum & rubicundo-purpureum nanciscitur colorem ob admixtas ferri scorias.

Rectius tamen spiritu Sulphuris; Vitrioli vel proprio aceto aliquoties cohobatum, ut albicans evadat, exhibetur, &c.) Verùm cum dictis spiritibus correctum suam non deponit vim emeticam, quocunque modo tentes. Cave igitur, ne in substantia exhibeas. Calcinatione & Nitro vitrum ♁nii optimè figitur, sed tunc evadit diaphoreticum.

2. *Vitrum ex Minerâ.*) Ex minera ♁nii, si pura sit, etiam vitrum ♁nii cum ana Nitr, calcinando præparari potest, sed opacum fit, non pellucidum & hyacinthinum.

N. 1. Vitrum ♁nii flavum fit ex Regulo.

N. 2. Sulphur citrinum vitrum ♁nii ad rubedinem perducit, ut etiam suprà ex *Cl. Zwelfero* notavimus. Nonnulli etiam fundunt cum auripigmento, sed ob deleteriam ejus qualitatem ab hoc abstinendum est.

Vires. Dominus Autor statuit resistere venenis: *Et D. D. Joann. Michael.* p. m. etiam in Peste, sed statim in principio felicissimo cum successu se exhibuisse dixit oxymel vomitivum, ut qui hoc medicamine usi essent, à bubonibus postea liberati fuerint. Verùm maximâ cautelâ ac circumspectione hîc opus est & videndum, ne dum hâc ratione hostem peregrinum excutere tentamus, in aliâ januâ apertâ ultrò admittamus, inquilinum hospitem exterminantes. Ejusmodi vomitiva si quid proficui interdum præstiterint, id totum per accidens fuit, quatenus scilicet ad stimulationem unius alterum pronum ac vicinum vitiosum unâ exturbatur. Intereà omnia drastica ac colliquativa existunt, sive flava, sive rubra, seu alba aut nigra extiterint, cuncta turbulenta existunt.

6. *Vitrum, ♁nii nigrum extemporaneum S. Closs.*) Hoc metallurgiæ inservit, ad purificanda metalla aptissimum. Si ♄turni ℥ß. addatur, purgabit ☉ instar Reguli antimonii.

7. *Vitrum antimonii diaphoreticum.*) Præstat loco Acet. dist. substituere spiritum Vir. ær., inde tincturam elicere & cum sp. vini circulare, Acet. dist. enim admodum est debile.

8. *Vitrum Regulinum.*) Ex regulo tanquam puriſſimâ antimonii parte confici etiam poteſt vitrum antimonii, prout & ex ☿rio vitæ ſolâ in crucib. fuſione fit album igne fortiſſimo multò communi mitius & elegantius.

9. *Vitrum antimonii* ☉*lare,* ☉ *tranſparens.*) Rec. ☉ puriſſ. ℥ß. antimonii Ungaric. ℥viij. liquefiant ſimul in Crucib. uſque dum ☉ ab antimonio abſorptum ſit. Hinc ſtatim antimonium effundatur, ne ☉ abeat in Regulum. Redige poſteà in pulverem ſubtilem ☉larem hoc antimonium, & tribus vicibus (ut ſuprà) probè calcinetur, donec non amplius concreſcat nec fumum eructet. Deindè immitte protinus in crucib. funde igne fortiſſimo, ſi liquatum fuerit, injice particulam unam vel alteram Sulphuris, quò citius pureficetur, & pellucidum fiat, rudiculâ ferreâ explorando. Poſteà effunde in pelvim cupream, & ſic vitrum rubicundiſſimum inſtar Rubini evadet. Ex hoc Tinctura ☉laris antimonii conficitur, de quâ infrà pluribus. Ex Regulo etiam eodem parari poteſt modo.

N. *Huic calcinationi finitima eſt calcinatio antimonii crudi cum CC. uſto.*) Hoc *D. D. Hartmannus* in frequentiſſimo habuit uſu, modumque ſibi ſingularem ac ſecretum reſervavit, quia ☉ addidit. Fœliciter autem eo uſus fuit in dyſenteriâ præprimis epidemicâ admixtis aliis dyſentericis, Et vocavit hoc antimonium ☉lare cum fructibus calvariæ. Unde & primarium eſt ingrediens Pulveris Dyſenterici *D. D. Joh. Michaelis* p. m. quem ſuprà lib. 2. cap. *De Pulveribus communicavimus.*

Cum Vitra antimonii violentius ut plurimum operationes exſerere, & corpus anxiè affligere ſoleant, diverſæ inſtitutæ ſunt correctiones, quibus violentia illa aliquo modo infringi & mitigari queat: ideoque 2. Corrigitur vitrum Antimonii Correct. 1.) Cum juxtà Th. Paracelſum Antimonium ſit mera ♄turni Marcaſita, in ſe Sulphur habens arſenicale, omnis venenatæ qualitatis non eſt expers. Habet enim in ſe ſal quoddam ſubtile acidum, quod conſiſtit in venenoſo nullius ferè molis halitu ac fuligine, ut conſtat ex ejus vitro, quod venenum halituoſum ſi aut ignis flammâ aut nitro accenſo ab Antimonio evacuatur, tunc minera ſeu ſubjectum ejus ſalſum rurſus ſaturatur dictis ſalis acidi ſpiritibus, qui tamen cum ſint ex flammâ & nitro, non ſunt Antimonio propria, interim tamen eandem exercent violentiam. Hanc D. Autor corrigere præſumit Acet. diſt. ſpiritu Sal. comm. ſpiritu Vitrioli, ol. Tartari, &c. Optimum tamen ejus corrigens nitrum manet.

Correct. 3. Rec. Vitrum antimonii q. v. ſolve in ol. Tartari per deliq.) Hoc medicamentum aliàs dicitur tartarus vitriolatus antimonialis. Cui arridet hanc invertere elaborationem, poteſt vitrum antimonii cum ſp. vitrioli ſolvere & cum ol. tartari poſtmodum præcipitare. Commodè ut etiam ſequentia trahi poſſunt. Rec. vitri antimonii ſuprà edocti ℥iij. Nitri cryſtall. ℥ß. Miſce & pulveriſata detona in Crucib. poſtmodum effunde materiam, pulveriſa, & cum aquâ tepidiſſimâ edulcora, & quidem ſtatim, ne diu aquæ immerſa materia edulcoranda maneat, ſed quamprimum fundum petierit pulvis, aqua ab eo decantanda ac pulvis impalpabilis ſiccandus eſt; qui fundum petit ſeparandus eſt, ne pulveri impalpabili permixtus maneat. Hoc vitrum antimonii correctum ſecuriſſimum eſt Emeticum, ita ut infantibus etiam convenienti doſi in infuſo tutò exhiberi poſſit. Doſis pro infantibus in infuſione à gr. v. ad ℈ß. in vini ℥jß. in Adultis à ℈ß. ad ℈jß. in vini calidi unc. ij. infuſ. per noctem, pro grato ſapore aqua Cinamomi aliquid cum Syrup. Ceraſ. n. addi poteſt.

N. Ex modò allato vitro antimonii correcto ſequens Tartarus Vitriolatus vomitivus etiam præparari poteſt. Rec. vitri antimonii ſuprà correcti, ʒij. Nitr. el. ℥ß. Mixta in Crucib. detonentur, & materia calcinata flava ſubtiliter pulveriſetur, cui adde ſalis Tartari puriſſimi ℥ij ▽ ſ. ℔jß. coq. in vaſe terreo vitrato ad ſiccitatem; hæc maſſa ſicca ſolvatur denuò cum aquâ ſ. q. ſ. ſolutum filtretur, & clarum reddatur, ac à pulvere ſeparetur, quod denuò ad priſtinam ſiccitatem Salis tartari evapora; Huic ſali tartari emetico inſtilla guttatim ſp. vitrioli ſ. q. uſque dum nulla amplius efferveſcentia percipiatur, maſſa exſiccata uſui aſſervetur. Doſis eſt ℈j. ad ʒß.

Correct. 4. vitrum Antimonii purgans.) Omnes hæ correctiones cum ſp. vitrioli factæ voto non reſpondent, dum vitrum antimonii inde manet ſemper emeticum, quocunque modo cum ſp. vitrioli corrigatur: ſed Nitrum ejuſque ſpiritus optimum manet corrigens.

N. 2. *Ex Tincturâ illâ nigro-puniceâ (ſcilicet per ſpir. vitrioli extracta) paratur Tartari alb. Vitriolat. &c.*) Verum melius procedit cum vitro antimonii beneficio nitri correcto & poſtmodum cum Sale tartari imprægnato & cum ſp. vitrioli præcipitato, quemadmodum ſupra deſcripſimus. *Hactenus ſuper Antimonii vitris notæ Hoffmanni.*

I I. Croci Metallorum.

1. *Crocus Metallorum vulgaris.*

Rec. Antimonii Electi, Sal nitr. puri an. ſigillatim trita atque exactè mixta inflammentur in crucib. vel mortario æneo, remanebit materia ob colorem hepati haud diſſimilem, hepar Antimonii dicta. Hæc edulcorata aqua calidâ, dicitur Crocus Metallorum.

N. 1. *Si aquæ, in qua hepar Antimonii edulcoratum, acetum inſtillaris, præcipitem dabis Crocum ſubtiliorem, ſeu ut aliis placet, Sulph. auratum.*

N. 2. *Inflammatio (quam & detonationem vocant) fieri commodius poterit, ſi materiam paulatim ac per vices injeceris primâque vice vel carbone vivo, vel ferro ignito materiam incenderis.*

N. 3. *Ex aqua, edulcorationibus illis imprægnata ſi aliquantulum evaporaverit, Cryſtallos Sal. nitr. vel lapidem Prunellæ Antimonialem colligere potes, cujus uſus idem qui lapidis Prunellæ dicti: Exhibet itidem inſigne cauſticum.*

N. 4. *Sunt qui Sal. nitr. Tart. ac Antimon. incluſa, crucibulo comburunt, relicto ſolo foramine, combuſta conjiciunt in aquam calidam, ut imprægnetur. Hinc decantant atque inſperſo Aceto præcipitant. Sic Crocum Metallorum nanciſcuntur ſubtilem magis fixum, quem ulterius in* ▽ *macerant.*

2. *Crocus Metallorum Rulandi.*

Crocus Metallorum Rulandi quiſnam ſit & quomodo conficiatur, variè agitatur. 1. Quercetanus ferè in opinione eſt, Crocum illum Rulandi non eſſe diverſum à Croco Metallorum vulgari: Hartmannus ab hoc non niſi levi diſcrimine diſtat, quod in præparatione ſitum eſt: nempe Sal. nit. fluenti & ab △ remoto, ſine inflammatione admiſcet Antimonium ſpatulâ ferreâ continuò agitando, donec omnia probè ſint mixta, quæ tandem accendit.

N. *Si qua inflammatio acciderit, ſubſiſte, juſtam Sal. nit. refrigerationem expectans.*

2. *Tentzelius in ſua Exegeſi ex Libavio hunc præfert, quem & Mylius in Baſilica Chymic. pro ſincero habet.*

Rec. Antimonii Sal. comm. Sal. nit ã.

Minutiſſimè ſeorſim trita indantur catino, luto probè munito, (foramine tamen parvulo, in media ſummita-

summitate, spirituum arsenicalium exhalandorum gratiâ, relicto: inque furnum anemium collocentur, igne follium, si libet, adhibito, donec omnia sufficienter fluant, tamdiu continuando, quamdiu fumus per foramen prorumpere non desinit. Quando vero desierit, △m probe ad ¼. horæ adauge, dein exime ubi Antimoniũ forma vitri cinnaberini in fundo à salibus supereminentibus instar Reguli à scoriis sequestratum sese malleo facilè detruncandum atque terendum dabit. *Vid. Hartmann. disp. Chymiatrico-Medicas.*

N. *Ejusdem cum superiori est usus, nisi quod deorsum colluviem vitiosorum humorum deturbare potissimum solet.*

3. *Brendelius* Vitrum Antimonii pro Croco Metallorum Rulandi venditat.

4. Alii Regulum, quippe qui nonnunquam, vel sponte suâ in præparatione vitri Antimonium in globulos parvos abit. Sit ut sit: quodlibet horum haud citra magnam utilitatem in usum Medicum vocari aptum est.

Vires. *Utriusque Croci idem esse poterit usus. Nimirum in doloribus capitis ab impuritate ventriculi, (quâ non raro concitantur,) Epilepsia, Pleuritide, Melancholia Hypochondriaca, Febribus tum continuis, (ac præcipuè Ungarica dicta) tum intermittentibus. In peste, præservatione ab Arthritide, coagulatione sanguinis, &c. In quibus omnibus cum convenienti aqua exhibitus purgat per vomitum, ac nonnunquam per secessum.*

Usus præterea ejus insignis est in Clysteribus. Nimirum ℥ß. vel ℥j. ebullire sinitur, in aqua convenienti vel vino: Colatura admiscetur brodio vel decocto simplicium mollientium, optimumq; Medicamentum in colica exhibet.

Dosis interna est à g. 3. ad ℈ß. Ego vix 6. gr. transcendo.

Crocus Antimonii Regulatus.

Fluat regulus Antimonii cum pari pondere Sal. nit. fusaque materia remotis scoriis in lateribus eluatur à nitrosa salsedine, postea exiccetur, & cum affusione ▽ aliquoties humectetur & decantetur. Ex commun. Greg. Horstii.

Vires. *Longè minus per vomitum, magis vero per alvum movet ad g. x. cum Zibebis laxat. tribus exhibetur, vel cum diagrid. correcto per fumum Sulphur. & ☿o dulci.* Schröderus.

Super Crocis metallorum sic commentatur Frideric. Hoffmann.

Croci Metallorum 1. *Crocus Metallorum vulgaris.*) *Dominus Autor cum Joh. P. Fabro* Antimonii & nitri anaticas partes, *Crollius* verò unam nitri & duas antimonii partes accipiunt; quâ ratione illorum magis correctus & propterea vomitus leniter provocat. *Crollii v.* minus correctus ob minorem nitri quantitatem, atque hinc majori cum violentiâ ac frequentiâ suam præstat operationem. Deinde distinguendum h. l. est inter hunc *Rulandi*, *Quercetani*, *&c.* Crocum Metallorum, & inter illum, quem commendant *Th. Paracelsus*, *Helmontius*, *P. Poterius* & alii. Ille enim convenit cum Crollii & Fabri Croco; Hic verò roborat tantum viscera & Archéum potenter restaurat, fermentorum exoticorum peregrinas qualitates & anomalias emendando, sic annotante *P. Poterio in Centur. Curation.* Quomodo autem hic *Th. Paracelsi*, *Helmontii*, *Poterii*, *&c.* Crocus conficiatur, ex ipsis rectius hariolari, quam perspicere licebit, dum formulam præparandi ænigmaticam planè ac proinde numeris Platonicis obscuriorem tradidit; quamvis hoc tandem exinde possimus excerpere quod hic Metallorum Crocus ex primo Metallorum Ente, seu semine parandus veniat, partim ex *P. Poterio* factâ conjecturâ animadvertimus, quod cum remediis illis Nobilioribus ac pretiosis, quorum ipse se inventorem deprædicat, nempe cum saccharo metallino ac metallorum sulphure Paracelsi Crocum eandem fermè efficaciam sustinere iste adseruerit.

Sulphur auratum.) Qui hunc Crocum Metallorum Loco Sulphuris aurati adhibent, valde errant. De quo infra pluribus.

Crystallus nitri vel Lapidem prunellæ.) Dicitur etiam nitrum antimoniatum, anodynum minerale; aliàs in clysteribus etiam stimuli loco non infrequenter additur. De reliquis virtutibus infrà de Nitro.

Relicto solo foramine.) Nonnulli Nitr. & Antim. simul comburunt in olla supernè perforatâ, ut fuligines queant exhalare, ita tamen ut nitrum non ad fluorem veniat. Atque hoc modo Sulphur auratum antimonii verum conficitur.

N. Sequentes descriptiones Croci Metallorum *Rulandi*, *Tentzelii*, *Brendelii* cùm nihil præ reliquis singularis obtineant, & parum à *Crollii* & *Quercetani* discriminis intercedat, prætermittimus & ad Ejus accedimus.

Vires. Crocus Metallorum vix commodè in substantiâ adhibetur, sæpius autem in infuso, unde & Aqua vomitoria *Rulandi* ex ejus Croco Metallorum conficitur. Præstat tamen loco hujus infusi Oxymel vomitivum suprà laudatum adhibere. In Cephalalgia per consensum scilicet ex hypochondriis, item in Epilepsiâ, Melancholia, Maniâ per consensum, seu ignotam actionem regiminis ex ventriculo, aliisque infimi ventris locis; Item in applectico insultu, nisi jamdum vomitus symptomaticus adsit, & ventriculo orificium ob cerebri consensum aliàs jam satis sit irritatum, tunc non convenit. Nonnulli etiam in Pleuritide commendamt, sed Ego non suaserim, licet in principio fuerit, ob majorem vitiosæ materiæ ad locum affectum motum. Quidam in febrium principio adhibent, antequam fermentum febrile sese penitius insinuet: v. g. in Febribus Ungaricis, quæ citissimè per vomitus curari volunt, cum in castris ex mala diætâ ut plurimum suam trahant originem. Sed Medicus statim in principio exhibeat, necesse est.

Usus præterea Ejus insignis est in Clysteribus.) Qui pulverem Croci Metallorum decoctis admiscere veretur, infusum sumat cum vino paratum, quod à partibus superioribus & dissitis egregiè revellit, unde convenientissimus ejus usus est in apoplexiâ, melancholiâ hypochondriacâ, colicâ, ac contumacissimâ alvi obstructione. Externè etiam croci metallorum infusum in ophthalmia aliisque oculorum porrigitur affectibus. Verum vitro antimonii plus energiæ in affectibus externis attribuitur. *Hactenus Hofmann. de Crocis metallorum.*

III. DIAPHORETICA.

1. *Antimonium diaphoreticum vulgare.*

℞. Antimonii opt. Sal. nit. pur. ā. Exactè mixta calcinentur detonatione [ut in Croco Metallorum vulg. dictum,] terna, seu donec amplius detonationem recuset, (post singulas detonationes materiam edulcorare oportet, edulcoratumque & exiccatum denuò cum Sal. nit. ana miscere.) Tandem Antimonium diaphoreticum candidissimum exicca pro usu.

N. *Aqua illa edulcoratoria si evaporet, reddit Lapid. Prunellæ Antimonialem, de quo in Sal. nit.*

Modus compendiosior.

℞. 1. ♁ crud. Sal. nit. puri an. Immitte in crucib. cui aliud crucibulum inversum in fundo perforatum imponatur,

ponatur, luto inferiori crucibulo annexum: ignem da circularem, quo materia accensa paulatim calcinetur, fumumque per foramen expiret; ignem per horam continua, quâ præterlapsâ, materiam pulverisatam ▽ calidâ edulcora.

2. R. Materiæ hujus edulcoratæ part. ij. Sal. nit. puri p. 1. vel ana. impone crucibulis, ut in priori operatione.

N. *Sic Antimon. diaphoreticum præparavi aliquoties, sine ulla molestia sudorem movens.*

Alii Sal. non abluunt, sed massam tritam cum pondere æquali Sal. nit. ut ante miscent: Alii addunt Tart. vel Sulph. ♃. miscent.

Basilius circulat insuper hoc Antim. diaphor. cum V, quem dein desuper incendit, &c. dein reverberat atque pulverem restitantem per deliq. resolvit.

Vires. *Antimonium hoc diaphoreticum resistit corruptioni, mundificat sanguinem, conducit adversus omnes obstructiones licet inveteratas, Hepatis, Lienis, Mesenterii, aliarumque partium internarum: adversus retentionem mensium, cachexiam virginum, suffoc. hyster. Hydropem, Melanchol. hypochondriacam, Luem ♀, ulcera tam interna, quàm externa, Scabiem: præsertim confert & in febribus malignis, Exanthematibus & variolis, rumpit interna apostemata, verum non subitò, sed paulatim operationes suas exerit.*

2. *Flores Antimonij fixi, seu diaphoreticum.*

Fit si Antimon. diaphoretic. præcedens in ▽ horis aliquot coquatur, decoctumque filtretur, sic præcipitabitur nempe pulvis subtilissimus ad fundum (maximè si ⚹ insperseris) virtute priorem superans.

N. *Hic pulvis Basilio Valentino in curru suo triumph. dicitur Flores Antimonii fixi seu pulvis albus Antimonii quem commendat ad interiora apostemata, ut & in Lue venerea, in qua cum spiritu Guajaci exhiberi poterit.*

Præterea in iisdem affectibus quibus convenit præcedens diaphoreticum, pulvis hic majori cum utilitate exhiberi aptus est.

Dosis gr. 15. quam dosin vel quinquies Valentinus singulis diebus exhibet.

3. *Antimonium diaphoreticum Tartarisatum, Flores Antimonii Tartarisati, F. F.*

♃. Antimonij diaphoretic. vulgaris. Sal. Tart. ℥iij. M. fluant in tigillo hor. 4. dein tere ac dissolve per deliq.

Hinc

♃. Olei hujus ℥ij. spir. ⊖-i. ℥i. instilla guttatim & præcipitabitur pulvis, quem sicca & serva.

Dosis à gr. 5. ad 10. Schröderus.

De Diaphoreticis Antimonii jam allatis sic Hoffmann.

Diaphoretica. 1. Antimonium diaphoreticum vulgare.) Hujus præparationes insigniter diversæ sunt: *Dominus Autor* recipit antimonii & nitri ana, miscet & detonatione ternâ calcinat, semper cum novi nitri additione. Vel quoad Modum compendiosiorem accipit Antimonii crudi & Nitr. ana. Immittit in Crucib. cui aliud Crucib. inversum in fundo perforatum imponit, luto inferiori Crucibulo annexum. Ignem dat circularem, quo materia accensa sensim calcinetur, fumumque per foramen expiret: △nem per hor. continuat; quâ elapsâ materiam pulverisatam ▽â calidâ edulcorat. Hujus edulcoratæ materiæ sumit part. ij. nitri recentis puri part. j. vel ana imponit Crucib. ut in priori operatione. Alii Nitr. non abluunt, sed massam tritam cum ana recent. nitri ut anteà miscent, Nonnulli spirit. vini desuper incendunt. *Clariss. Zvvelferus* Rec. antimonii crudi ℔j. Nitri puri ℔ß. Tartari albi ℥iij. hæc mixta & pulverisata detonat, paulatim & per vices, mixturam prunis ardentibus Crucib. injectis inspergendo: hanc detonationem ter reiterat, additâ semper relicto antimonio eadem quantitate recentis nitri & tartari: tandem ▽â s. edulcorat. Edulcoratum & exsiccatum pulverem Crucib. immissum, duabus vel tribus horis igni committit, ad majorem fixitatem & vim adstrictivam ipsi conciliandam. Additionem tartari non censet inutilem, eò quod ejus Sal non parùm faciat ad exactiorem antimonii resolutionem. In edulcoratione partes crassiores, quæ fundum citò petunt, relinquere præcipit in residuo & abjicit, solo reservato pulvisculo, qui leviter commotus ▽æ innatat. Filtrationem perperàm institui dicit, quia verum Antimonium diaphoreticum per chartam non transit, unde nec illud, quod per chartam transmittitur, & uti alia Magisteria præcipitari potest, pro vero diaphoretico, sed pro calce duntaxat vires Antimonii diaphoretici non adæquante habendum esse censet. Sed in his *Dominus Lucas Schrœckius* l. c. sese etiam Antagonistam præbens sequentibus ratiociniis hæc oppugnatum venit in Mantiss. Hermetic. pag. 539. Nam primò utilissimum fore monet, si Spiritus Nitr. & Tartari per hanc detonationem non in auras abiret, sed mixtura retortæ tabulatæ sensim inferretur, adaptato recipiente convenienti, & postmodum residuum pro Antimonio diaphoretico præpararetur. *Verum* quis oleum & operam perdere vellet in elaborando clysso ex tam exigui ponderis Antimonii ℔j. Nitr. ℔ß. & tartari alb. ℥iij. *Si* quis tamen aliàs ex residuo hujus clyssi notabilis ponderis ingredientium Antimonium diaphoreticum conficere voluerit, ei integrum erit. *Deinde*, inconcinnum asserit *Dom. Schrœckius* prunis ardentibus crucibulo injectis mixturam illam inspergere, cùm potius crucibulo prunis ardentibus imposito inspergenda ac detonanda sit. Verùm si benè laboraveris, uterque modus succedit, licet alter ille Domini Scrœckii mihi etiam arrideat & in usu sit. *Tertiò*, edulcorationem illam materiæ à calcinatione residuæ Schrœckius quidem non improbat, sed hoc tantùm animadvertit, quod unà cum ablutis illis salibus non exigua Antimonii diaphoretici utilis pars auferatur, quam, dum cuinam usui inservire debeat, non exprimit, vel abjicit planè, vel saltem suo Antimonio diaphoretico non conjungit. Verùm nullum est dubium Nobiliss. Zvvelferum Nitr. Antimoniatum non abjecisse, sed vel pro singulari usu reservasse, vel pro necessitatis ratione Antimonio diaphoretico denuò immiscuisse. *Quartò*, vim adstrictivam, quam *Clar. Zvvelferus* Antimonio diaphoretico tribuit, perstringit, eò quod, inquiens, in diaphoretico hoc Medicamento vis adstrictiva non desideretur, sed contraria potius eidem Resolutiva. Unde ad sudorem pellendum adhibetur. Ad obstructiones, licet inveteratas, hepatis, Lienis, Mesenterii, aliarumque partium internarum &c. *Cl. Noster Schrœderus* commendat, atque in variis morbis illud reserare obstructiones *Rolfinckius* testatur. Verùm Arti Medicæ nullum infert absurdum unum idemque medicamentum pro certo respectu adstringere & simul etiam aperire, adstringere & simul etiam sudorem pellere; Equisetum adstringit, fructus acaciæ adstringunt, fragaria adstringit, & tamen calculum etiam expellunt; Vincapervinca adstringit, & simul etiam Menses movet. Radices tormentillæ, bistortæ, adstrictivæ sunt, & tamen etiam diaphoreticæ; Bolus Armena, Terra sigillata, C C. ust. calx Antimonii diaphoretica tum s. tum cum C C. usto cujus *Dominus Autor* mentionem injicit, adstrictiva sunt & tamen etiam diaphoretica, ut non solum in Peste, dysenteriâ malignâ, sed & variolis

variolis & aliis febribus malignis adhibeantur. Nostrum ♁nium diaphoreticum si examinemus, etiam adstringentis facultatis experiemur, quam cum ipsi ♁nio tum etiam nitro, quod in ♁nio abundè figitur, uti ponderis auctio edocet, vel maximè debet. In dysenteriæ epidemiæ initio utrique sexui omníque ætati ♁nium diaphoreticum propinatum in cibo & potu sub specie Magisterii cordialis Medentem non deseret unquam. Prætereà in febribus malignis, variolis, morbillis, imò ipsâ in Peste etiam à ℨß. ad ℨj. oblatum miræ est efficaciæ. Sed unde hæc vis diaphoretica juxtà vim suam adstrictivam emergit? *Clariss. Simon Pauli in suo Quadrip. Botanic. Class. Tert.* p. m. 225. ζέσιν sanguinis aut ebullitionem sistere asserit, non ut sudores moveant, adhiberi. Quemadmodum enim longè satius est in scintillam expuere, ne exardescat, nec mox ingenti flammâ integras depascat ædes, sic consultissimum frigidis ac siccis, quibus annumerantur jam recensita, prohibere sive sanguinis incendium, sive id insequentem ζέσιν, quæ si modum excedit, ita ut turbata omnimodè sanguinis circulatione, sanguinis ἀῤῥήτως corrumpatur, nec is redire ampliùs ad naturalem habitum possit, ac corruptionem illam insequatur contagium, quàmplurimos è medio tollens, pestis ea audit, cujus fomitem, seminarium aut contagium denique non nisi sive alexiteriis, sive alexipharmacis & sudoriferis foras ex corpore eliminabis. Sed hæc ratio nondum satisfacit, nam si hæc valeret, non tuta foret curatio, dum causa istius incendii seu ebullitionis hac ratione non tolletur, & opiata idem effectum præstare valentius possent; Imò unde sudoris eruptio consueta post enumeratorum medicamentorum diaphoreticorum frigidorum & siccorum usum? Quapropter statuo, Antimonium diaphoreticum, prout & reliqua loco inductionis allata non equidem ex illorum sudoriferorum censu esse, quæ vim attenuandi & resolvendi crassos humores obtinent, sed talia esse, quæ Naturæ æmula vi suâ figendi & præcipitandi à texturâ peculiari partium dependente fermenta morbifica vel salia volatilia Sulphurea figunt, & præcipitant, unáque tonum partium roborat, quo facto vis archéi tumultuans sedatur, & illud quod molestum est per sudorem vel urinam ex lymphâ aut massâ sanguineâ exterminat. vid. tr. meum de Method. Medend. p. 139. De Sudoferis cap. II. *Quintò*, cum Tartaro addito detonationem fieri posse, *Dominus Schrœckius* quidem non diffitetur, neque Medicamentum inefficax inde prosurgere statuit: sed eâdem carere nos facile posse, urget ratio, quia etiam cum solo nitro paratum non minus efficax existit, & quia à Tartaro cineres aliqui ipsi commiscentur. Verùm, quoad prius, experientia contradicit, quâ constat, illud cum tartaro juxta *Clariss. Zvvelferi* descriptionem paratum majorem vim adstrictivam & fixitatem nancisci, atque illud cum nitro solum elaboratum. Deindè cineres aliqui si qui commiscentur à nitro deflagrante consumuntur & Sulphure ♁nii absorbentur. Sextò; Crassiores quidem partes separare, & subtiliores tantum pro usu adservare *Dominus Schrœckius* non prohibet. Sed illas idcircò planè abjicere, haud esse consultum arbitratur, cùm ille pulvis non effœtus sit, sed subsecuturæ alterum alicui ♁nii diaphoretici præparationi reservari, & tunc cum novo crudo ♁nio iterum calcinari queat. Verum exiguum ex his oritur dispendium, si partes crassiores in edulcoratione fundum petentes purè antimoniales sint & non sordibus scateant, per Nos licet, an reserventur, an secus; si autem impuræ fuerint & sordidæ, quivis sanè abjiciet. Septimò, sinistrum *Dominus Schrœckius* vocat *Nobiliss. Zvvelferi* judicium, dum hic animadvertit, filtrationem in ♁nii diaphoretici præparatione ab Augustanis præceptam perperam institui. Cùm Augustani probè norint, quod ipse pulvis ♁nii, diaphoreticas quoque virtutes possidens, qui post massæ calcinatæ non excessivâ aquæ quantitate perfusionem separatur, per filtrum non transeat; cùm pulveres à salibus in quibus soluti fuerint, iterum separati, tam subtiles non sint, ut minimos chartæ bibulæ poros penetrare queant, Intereà nemo sibi persuadeat, dictum pulverem esse omnem Antimonii diaphoretici substantiam. Neutiquam. Nam subtilior ejus pars in aquâ illâ decocta cum salibus unita remanet. Unde etiam per filtrum facili operâ transmittitur, liquore pellucido, ac si nullum corpus solidum in ipso contineretur, apparente. Non secus ac in croco metallorum, ubi, dum materia calcinata in aquâ coquitur, pars ejus aliqua unà cum salibus ibidem solvitur, alia autem separatur ac fundum facilè petit. Illi verò filtrato etiam, ubi acetum inspergitur, ♁nii soluta substantia, sive Sulphur auratum sic dictum se manifestans, copiosè fundum petit. Pariter in dictâ ab ♁nio diaphoretico separatâ & filtrata aquâ se res habet, quæ ideo reposita tractu temporis pulverem aliquem albicantem & tenuem, in fundum præcipitatum exhibet, qui tantum abest, ut veri ♁nii diaphoretici epitheto defraudari queat, ut potius melior ejus pars existat. Unde etiam aliquibus Anima ♁nii diaphoretici vocari solet & in minori dosi easdem virtutes, quas crassior ejus pars in filtratione primo remanens, majori mole spondet. Verùm ad hoc primò sciendum est, *Clar. Zvvelferi* censuram in Augustanos justo adhuc stare talo, qui reverà præcipiunt calens decoctum per filtrum esse transmittendum & loco frigido relinquendum, ut id, quod subtilius, in 🜄 solvatur & tandem præcipitetur in pulverem albicantem & tenuem sæpius abluendum & exiccandum; (clara sunt verba) Si enim hæc vera ipsorum non esset mens, cur adderent, quod si Acet. destill. immittatur in idem decoctum filtratum, facilius & celerius pulvis iste cadit majorum virtutum: Ubi differentiam faciunt inter pulverem illum, qui spontè subsidit, (nec alterius mentionem faciunt, qui per filtrum non transit,) & eum ab Acet. destill. ⍖tatum. *Deindè*, quod subtiliorem illam partem, quæ per filtrum transmittitur cum aquâ filtratâ & separatâ, & posteà Acet. destill. ⍖tatur, quam Animam, item Magisterium antimonii vocant, notandum est, toto cœlo differre ab illo pulvere, qui filtrum non transit, alia enim est ejus partium textura & figura 🜄æ poros implentium plus de Sulphure antimonij, quàm nitro participantium, alius est ejus effectus, dum in copiâ adsumptus à ℈ß. ad ℨß. vomitum cieat, imò in omni non reperitur aquâ antimonii diaphoretici separatâ & filtratâ, in primis si sulphur antimonii cum Nitro justò deflagravit, parum vel nihil ejus acquires, præsertim non calidâ, sed frigidâ adhibitâ aquâ fontanâ. Adeóque hæc calx à *Clariss. Zvvelfero* dicta nihil aliud est quàm mutilum Sulphur antimonii quod nitri actiones fixativas subterfugit, & in poros aquæ sese insinuavit; ille autem pulvis, qui filtrum non transiit, optimum est antimonium diaphoreticum, cujus virtus non tam à sulphure antimonii, quàm nitro, quod abundè in antimonio figitur, ut ponderis incrementum edocet, dependet. *Octavò, Nec Dominus Schrœckius* illud probat, quod *Zvvelferus* de omni antimonio diaphoretico admonet tractu scilicet temporis id aëri expositum pravam & quasi malignam induere naturam, hincque varia prava symptomata procurare adsumptum, ad quod evitandum, singulis duobus vel tribus mensibus recenter illud

illud conficere, aut vetustum cùm vel sine nitri particulâ denuò calcinare consultum ducat, illud enim tam citò pravam induere naturam si debitè paratum fuerit, falsum dicit. Verùm hoc acquiescimus, & omninò fateri cogimur, si antimonium diaphoreticum optimè paratum fuerit, ita ut multum de terra nitrosa participet, ultrà plures annos absque ulla noxa ægrotis propinari posse, secus autem si sulphur antimonii in eo excedat, ut à Nitro non debitè calcinatum fuerit, tunc facilè tractu temporis aëri expositum pravam & malignam iterum induere potest naturam, quæ per vim emeticam ut plurimum se exserit, ad quod evitandum ritè præparari debet.

Materiam pulverisatam ▽*â callidâ edulcora.*) In hanc, uti dictum, si Acet. destill. infundatur, pulvis subtilissimus ⩡tatur, magisterium ♁nii dictum, de quo suprà. Si verò hæc aqua incoquatur, habebis Nitrum ♁niatum.

N. Nonnulli Antimonium diaphoreticum non edulcorant, sed fortius igniunt, id quod non improbatur, cum Antimonium diaphoreticum expellat malignitatem, & Nitr. sanguinis sedet ebullitionem, alvúmque servet apertam.

Vires. Quod deobstruendi etiam vim habeat, verum est, sed hoc non per se facit, verùm aliis mixtum purgantibus. Certum enim est; Antimonium diaphoreticum aliis sociatum purgantibus minorem illorum dosin majore compensare virtute purgante absque ullis ventris torminibus v. g. Si radic. gialapp. ℈ß. adjungas gr. iij. vel iv. antimonii diaphor. energia dosin æquabit scrupuli unius radicis gialappæ. Resistit corruptioni, mundificat sanguinem, conducit adversus cachexiam virginum, quia menses movet; *Clar. Härmannus* hoc in casu loco arcani in aquâ arthemisiæ compositâ adhibuit; Verùm melius est, si substituatur antimonium diaphoreticum Tartarisatum. Summo etiam cum effectu adhibetur in malo hypochondriaco. Medetur etiam Lui venereæ, ob purificationem sanguinis, ob quam causam etiam scabiei medetur, item tineæ, in quâ tutò ante balneum singulis etiam diebus cum CC. mixtum præbetur, ut autem optatus emergat effectus, necesse est, per duas vel tres continuetur septimanas. In Lue venereâ exhibetur cum decocto lignorum vel sp. bacc. sambuci ad sudoris elicium. Ulcera etiam tam interna quàm externa curat. Inde etiam in dysenteriæ malignæ initio convenientissimè cum cibo ac potu mixtum propinare soleo non sine singulari euphoriâ. Cum oculis ♋ exsiccat & purificat sanguinem, per aliquot dies continuando. Confert etiam in peste, variolis, morbillis, febribus cum CC. f. △in emulsionibus. Interna etiam rumpit apostemata. Unguentis admixtum confert etiam in externis ulceribus.

N. 1. Ab Antimonio prædicto diaphoretico non differunt flores Antimonii fixi. Ubi notandum, illud, quod de Antimonio diaphoretico per filtrum transit, & postmodum ⩡tatur cum Acet. dist. exiguæ mollis & virtutis esse. Satius igitur est Antimonio diaphoretico acquiescere prædicto.

N. 2. Hujus Antimonii diaphoretici virtus non tam ab Antimonio, quàm Nitro est, ut supra etiam monuimus, quod in Antimonio abundè figitur, salvâ manente vi suâ refrigerante ac anodyna; paucis cognitâ, at ab *Helmontio* per encheirisin demonstrata, dum Nitrum in terram insipidam albissimam convertit *in tr. de complexion. & mission. element. figment.* §. 24. *Et de Lithias.* cap. 4. §. 17.

N. Ex eodem etiam fonte promanare *Antimonium fixum Cl. Tachenii in Hipp. Chemic.* p. 427. Sed à *Domini Autoris* floribus antimonii fixis parum differunt. Coquit scilicet antimonium, quod cum tribus Nitr. partibus commistum, ac per vices accensum & calcinatum est in ▽â s. in illâ bullitione Nitr. à sulphure antimonii in alkali combustum dissolvit sulphur antimonii jam fixum (quemadmodum Nitr. Tartari bulliens solvit Sulphur commune pro lacte) huic solutioni calidæ filtratæ inspergit Acet. dist. (& senties sulphuris odorem) quod statim ab alkali combibitur & sulphur cadit in album, rarum, levem ac spongiosum pulvisculum, hunc abluit. Hujus drachmam cum Acet. dist. ⩡tatam in peste exhibitam majoris esse valoris scribit, quàm unciam non cocti & soluti. Verùm hujus censuram à me datam vide in antecedentibus.

3. *Antimonium diaphoreticum Tartarisatum. Flores antimonii Tartarisati F. F.*) Recip. Salis Tartari & antimonii diaphor. albi fixi ana ℥iij. misce, indantur Crucibulo ponanturque in ignem patentem dum simul liquefacta fluant per horam dimidiam, materia refrigerata trita imponatur tabulæ marmoreæ in cellâ subterraneâ, resolvetur in ol. flavum, ejus ℥i. instilla paulatim spirit. Vitrioli ℥ß. eo planè modo, quo fit Tartarus Vitriolatus. Pulvis exsiccetur, teratur subtilissimè. Hic juxtà vim suam diaphoreticam habet etiam aperitivam & diureticam. *Hactenus Hoffmann. de Diaphoreticis antimonii.*

IV. *Reguli.*

1. *Regulus Antimonii simplex.*

I.

℞. Sal. nit. ac Tart. ana, calcinentur seu fluant in crucibulo vi ignis.

℞. Materiæ hujus calcinatæ, ac Antimonii ana misce ac committe iterum in crucibulo igni fortissimo, quo instat aquæ fluant.

Funde postea in calicem fusorium vel mortarium æneum sevo illitum, idque movendo, Reguli separationem & subsidentiam promove. Omnibus refrigeratis Regulum à Scoriis separa.

II.

℞. Antimonii elect. ℔ ij. Tart. alb. iv. Fundatur ♁ & postea adjiciatur paulatim Tart. ℔ ij ß. circiter, linquatur in fluxu per tempus. Dein fac Regulum, separaque Scorias. Regulum purifica, iterum fundendo, & dum fluit, reliquum Tart. addendo.

℞. Calcem Antimonii cineream per se factam, (vide in præparatione vitri ♁) fluat ad △ hor. integrâ, dein moveatur ab igne & reponatur ut refrigescat. Agiteturque refrigescendo, ut Regulus deorsum vergat ad fundum secedens.

N. 1. *Alii admiscendo carbones pulverisatos majorem Reguli quantitatem sibi pollicentur.*

N. 2. *Ex Scoriis fit Sulph. auratum*; *suo loco.*

N. 3. *Regulus quomodo fixetur, vide de floribus* ♁ *vel in destillatione* ♎ *Reguli.*

N. 4. *Tempus fusionis optimum censetur* ☾ *crescente præsertim* ☉*e in* ♌ *constituto, atque insuper sereno cœlo. Experientia enim docuit tunc temporis majori felicitate Stellæ fusionem succedere.*

2. *Regulus* ♂*alis.*

℞. ♂. ℥ix. circiter, appone igni donec incipiat liquescere. Huic adde Antimonii ℥viij. auge ignem ut fluant. Post injice Sal. nit. M. f. & cum cessaverit strepitus, funde in vaginam fusoriam, vel in mortarium, sic ♂ & Regulus simul uniti in fundo coalescent.

Fit & si in secunda fluxione, ♂is limaturam vel frusta injeceris.

N. 1.

N. 1. *Regulus hic si aliquoties fundatur (in quibus fusionibus semper aliquid Sal. nit. vel & Tart. injiciendum,) & à scoriis separetur, tandem stellam contrahit solis radiantis instar, imo vel multis stellis ac si terra aquis circumdata esset Regulum signatum vidi.* [*hinc Regulus stellatus dicitur.*]

N. 2. *Plures regulum præparandi modos habet Sennert. in Institut. l. 5. p. 3. s. 3 n. c. 19.*

N. 3. *Ex Scoriis fieri potest vitrum. Sala.*

N. 4. *Si Regulum in* ♁*tu* ♉ *solveris, solutionemque aliquoties maceraveris ac destillaveris: tandémque inspissaveris, optimum habebis catharcticum ἄνω ϗ κάτω blandè noxia expellens. Dosis gran. 2. 3.*

Tentzel. de ♁*u* ♉.

Vide sis etiam Tincturam ex Regulo ♂ & ♀.

3. *Regulus Iovialis.*

Fieri potest, si Regulum sine ♂ factum, denuo ad ignem fuderis, duranteque fusione ♃ adjeceris.

4. *Regulus* ☉*laris.*

℞. ☉ part. I. Ant. p. IV. vel VI. fundantur & effundantur ut moris in Regulum à scoriis separandum. Scorias adjecto Antim. crudo, funde iterum superinjiciendo cum fluxerint parum de scobe ♂ ac affundendo denuo, ut Regulus subsideat. Sic potes vice tert a procedere, vel donec nihil amplius Reguli appareat.

N. *Similiter fit & Regulus* ☾*aris.*

5. *Diaphoreticum Regulinum seu Cerusa Antimonialis, & exinde Cerusa Antimonialis diaphoretica.*

℞. Reguli p. I. Sal. nit. Crystall. p. iij. (alii an.) fluant super carbones per horam, dein edulcora, separando Reguli grumos, qui in fundo colliguntur. Pulvis l. △. excitatus dicitur Cerusa Antimonialis. Hunc pulverem si denuò cum Sal. nit. calcinaveris, vel sine fusione ad citrinum colorem reverberaveris, planè fit diaphoreticus, diciturque cerusa diaphoretica.

Vires. *Cerusa intrinsecus maxima cum utilitate assumi potest in curatione ulcerum inveteratorum, scabierum aut pustularum pertinacium, continuis 3. 4. aut pluribus septimanis, quotidie scilicet assumendo. Diversimodè operari consuevit. Nam in quibusdam duabus vel tribus primis diebus nauseam aliquam producere solet, cum crebra expuitione, reliquo tempore insensibiliter operatur: Aliis alvum laxat moderatè, aliis sudorem ciet, aliis prorsus insensibiliter, & non nisi in fine tandem manifestas operationes edit. Extrinsecus deficcat, stringitque moderatè, abstergit & aperit.*

Dosis intro ℈ß. *ad* ʒß. *4. aut 5. hor. ante prandium.*

Cerussa Antimonii diaphoretica citra nauseam easdem operationes & quidem majori cum fructu operatur. Dosis eadem. Vide Salam. in Anat. Antimonii.

6. *Cerussa Antimonii Solaris.*

℞. Regul. Antimonii ℥j. ☉ purg. ʒj. Sal. nit. ℥iij. calcinentur in Crucibulo sine fusione. Sic Regulus abit in pulverem citrinum, ☉ vero pondere imminutus invenietur. Pulverem edulcoratum, si libet, denuo calcina.

Vires. *Sudorem ciet.*

N. *Curiositas humana adinvenit quoque calcinationem per calorem Solis cœlestis, quem Magicum appellant.*

Nimirum:

Concentrentur radii Solares in Antimon. pulverif. beneficio speculi incensorii, sic brevi tempore fumus ex Antimon. ascendet, Antimoniumque album evadet.

N. 1. *Pondus Antimonii post calcinationem auctum potius, quam imminutum deprehenditur.*

N. 2. *Flores Antimonii hac ratione facilius calcinantur, quam Antimon. crudum.* Schröderus.

De Regulis Antimonii allatis sic habet Hoffmann.

1. *Regulus antimonii simplex.*) Descriptio Reguli prima & secunda *Domini Autoris*, ut una pars Antimonii & una Nitri & Tartari accipiantur ac fundantur in Crucib. ad Regulum, non est exacta, dum inde nil nisi calx salina emergit, sive scoriæ. Ideóque seq. modo voto respondet. Recip. Tartari part. II. Nitri part. I. detonentur, & degenerabunt in Sal. comm. nigrum vocatum *der schvvartze Fluss.* Deinde Recip. antimonii pulverif. q. v. & adde aliquid de prædicto pulvere, fluant in Crucib. & Regulus inferiorem petet fundum scoriis eminentibus: quo crebrius Regulus cum hoc sale fluxerit, eò purior ac pulchrior futurus.

N. Ex scoriis Reguli sulphur etiam auratum antimonii cum Terrâ fervente fieri potest Acet. dist. inspergendo. Hæc aqua antequam Acet dist. præcipitatur, externum remedium est in ulceribus exedentibus magnis tibiarum sanandis, si quotidiè horâ unâ vel alterâ crura exulcerata illi immergantur, item in mensium suppresione coquuntur scoriæ Reguli in vino, illudque decoctum superfunditur silicibus ignitis, atque vapores per sellam perforatam excipiuntur.

3. *Recip. calcem antimonii cineream per se factam.*) Regulus Antimonii etiam per se ex calce Antimonii fundi potest, alii addunt carbones, cum quibus item pulverisatis magna Reguli acquirunt quantitas. Nonnulli picem admiscent, sed præparatio cum pice admodum periculosa est ob incendii ædium periculum; & non multum etiam Reguli inde obtinetur.

N. 3. *Regulus quomodo fixetur.*) Regulus antimonii quocunque modo præparatus totus volatilis est, ac toties scorias deponit, quoties funditur, seu igne liquatur, quia flante folle in auras pelli potest.

N. 4. *Tempus fusionis optimum censetur.*) Verùm hæc constellationis observatio inepta est, vid. suprà.

2. *Regulus Martialis.*) Ad hunc optimus & qui citissimæ fusionis est chalybs eligendus, qualis ex Carinthia affertur. Alias descriptio Autoribus bona est, commodè tamen etiam seq. modo conficitur. Recip. rament. chalybis part. I. primò in Crucibulo calefiant, pòst adde antimonii pulver. part. ij. fluant in Crucib. & Regulus fundum petet, dum sulphur antimonii arripit ♂tem in scoriis superficietenus detentum. Regulum cum Tartaro & nitro purifica.

N. 1. Ex hoc cum nitro depuratissimo optimum conficitur bezoardicum in majori dosi atque antimonium diaphor. s. propinandum. Unde inferius præscriptum Diaphoreticum Regulinum etiam promanat.

N. 2. Regulus hic in basi stellam interdum habere solet ex striis reguli à circumferentiâ ad centrum tendentibus promanantem.

N. 3. *Ex scoriis potest fieri vitrum.*) Scilicet per calcinationem prævium & subsequam fusionem, prout de vitro antimonii dictum.

N. 4. *Si Regulum in spiritu ♉ solveris.*) Nonnulli etiam Sulphur antimonii ex cinnabari elicitum addunt Regulo & panaceam inde sulphuris antimonii conficiunt cum spirit. sulphuris per campan. vel sp. Vitrioli vid. in Autore nostro infra. Alias si Regulum sensim in spir. ♉ & Nitri solveris, solutionemque in digestionem posueris ac postmodum

♌ laveris, tandemque ♌ lato menstruo inspissa veris & guttas ultimo decidentes in aquam profuderis, optimum edulcorando habebis sulphur Antimonii catharticum ἄνω καὶ κάτω blandè noxia expellens.

3. *Regulus jovialis.* Regulus Jovis fit, si loco ♂tis sumseris Jovem Anglicanum & cum Antimonio fundas in Regulum. Similiter etiam fit Regulus ☉laris ☽naris &c.

5. *Diaphoreticum Regulinum seu cerusa Antimonialis & exinde cerusa Antimonialis diaphoretica.* Dicitur *Cl. Knoeffelio* sulphur album Philosophorum. Præstat sumere ad Regul. part. 1. Nitri crystallis. depuratissimi part. 3. vel 4. aliàs nulla fit cerussa.

Vires. In curatione ulcerum inveteratorum deploratorum quasi quæ aliàs ob nimiam serositatem curari nequeunt, ut & scabie contumacissimâ, variolis, morbillis, fœlicem hujus energiam sæpius expertus fui. Sciendum tamen, ejus usum prout omnium sanguinem purificantium per 2. vel 3. septimanas continuandum esse. Deinde exoptatiorem præstaturum effectum, si intermedientur essentiæ vulnerariæ ex lignis, quo pacto citò curabuntur vulnera & ulcera interiora. Est sanè medicamentum, quod omnia lignorum decocta & quasvis magistrales potiones superat. Extrinsecùs desiccat, unde in aquis cosmeticis v. g. fl. fabar. sigill. Salomon. hepatic. nobil. &c. contrà maculas faciei & vitiligines præscribi potest, cutim reddit mundam & nitentem, potest etiam inter unguenta cosmetica ad fissuras & rimas præscribi. Dos. est à ℈ß. ad ʒß.

6. *Cerusa Antimonij ☉laris.* Ne ☉ fundum petat, loco ☉ purg. substitue calcem ☉.

N. Totum ☉ non calcinatur, sed saltem aliquid solaris ab Antimonio extrahitur.

N. *Curiositas humana adinvenit quoque calcinationem per calorem solis cœlestis quem magicum appellant. Si scil. concentrentur radij solares.* In ♁nio pulverif. beneficio speculi incensorij, scilicet concavi, *sic brevi tempore fumus ex Antimonio adscendet, & Antimonium album evadet.* Hanc calcinationem cœlicam & physicam vocat *Bartholettus in meth. med. de difficil. respir.* Eandem quoque mirè commendat *Poppius in Basilic.* Antimonij p. 21. Sunt qui beneficio speculi concavi Sal. comm. quoddam crystallinum ex aëre colligere volunt; Refert Digbæus ex fide amici radios solis per ejusmodi speculum concavum certo modo dispositum in purpureum & minutissimum pulverem præcipitari. Sed notandum, hunc pulverem non ex radiis fuisse, verùm ex aëre, in quo volitant semper particulæ vel salinæ, vel alterius generis, quæ igne hoc speculari collectæ & ad ruborem calcinatæ fuerunt. Inde & non mirum ut *Dominus Autor* scribit, pondus Antimonij ex his salinis particulis post hanc calcinationem auctum iri.

N. Flores Antimonij hâc ratione facilius calcinantur, quàm Antimonium crudum. *Hactenus de Regulis Hoffmann.*

Calcinatio Humida, unde Præcipitata.

1. ♁ *Rubeum fixum.*

℞. Antimonij elect. q. v. affunde 🜅, stent aliquamdiu in digestione, donec calx in fundo alba appareat. Postea abstrahe 🜅 per destillationem, (vel decantationem,) vel & affundendo ▽ præcipita, calcemque elue ▽ tepida, donec 🜔 🜅 non ampliùs sentiantur. Pulverem siccatum reverbera in crucibulo clauso hor. 6. (♂ 3. *Basil.*) fietque rubeus.

N. *Reverberatio hac minori molestia in fornace figulina absolvi poterit.*

Vires. *Felicissimè purgat æque deorsum quàm sursum, idque non tam naturâ suâ, quàm humoris biliosi circa ventriculum stabulantis, quinimo in nonnullis per diaphoresin operatur.*

Dosis g. 2. 3. 4. & plura.

Basilius decantat solutionem 🜊, decantatam destillat ad siccitatem pulveris, cui affundit ▽ pluviam: digeritque ut fiat extractio rubicunda: hanc iterum filtratam destillat ad siccitatem: Ex pulvere rubeo remanente extrahit cum 🜍 tincturam rubicundam, abjectis fæcibus albis, 🜍 iterum abstrahit, pulveremque relictum reverberat ♂ 3. postremo extrahit tincturam cum 🜄, fæcibus itidem rejectis, tandem abstrahit 🜄 ad siccitatem.

Vires. *Summarum est virium in resolvendo cruore coagulato, in rumpendis Apostematibus, & in curanda Lue venerea.* Basil.

1. *Præcipitatum vitrum.*

Solvatur vitrum Antimonij in 🜅 seu in 🜊, vel in ℅ Sulph. aut in 🜔u Sal. com. dein menstrui abstractione fiat præcipatio.

N. 1. *Ex præcipitato illo ♁ antequam reverberetur, extrahi possunt Sulph. & ☿ Antimonii, de quibus suis locis.* Salà de ☿.

N. 2. *Si Antimonio grossè contuso affuderis 🜅, & reposueris aliquamdiu, extrahetur Sulph. Antimonij partim supernatans, partim frustula Antimonii obducens. Hoc sulph. in lixivio Tart. solvitur, si inibi decoquatur.*

3. *Præcipitatum Antimonij diaphoreticum:*

℞. Croc. Metall. ℥ij. impone destillatorio vitreo oblongi colli, quod calenti ▽ immergatur, hinc affunde sensim 🜔m Sal. nit. ℥xii. movéque sæpius ne fundo adhæreat. Conserva id calidum, donec 🜔 Sal. nit. non ampliùs laboret, & ♁ redactum sit in pulverem album. Dein vase exactè clauso, digere in MB septiman. 4. aut 5. ac tandem separa 🜔 Sal. nit. in ∴ pulveremque spatula lignea agitando, exicco ad △, donec nullus ampliùs fumus exhalet. Hinc ablue & relue ▽is cordialibus.

Dosis à g. 4. ad 12. Sala de ♁.

4. *Præcipitatus Regulus ♂.*

℞. Flor. regul. ♂ (cum ✱ sublimat. & edulcoratos) solve in 🜅, (ex Sal. nit. & ✱ destillat,) digere ac tandem per iteratas cohobationes præcipita. Præcipitatum ablue & reverbera ut 🜔 🜅 separentur, continuò spatula ferrea agitando, donec acquirat colorem flavum. *Quercet. Schröder.*

De Calcinatione Antimonij allata sic habet Hoffmann.

Calcinatio humida. Unde præcipitata 1. ♁ *Rubeum fixum.* Ex aq. reg. affusâ Antimonio electo & præviâ digestione in loco calido abstractâ iterum remanet pulvis rubeus probè edulcorandus, vomitus excitans & sedes. Ex hoc cum sp. Vir. ær. tinctura extrahi potest, (quam cùm Acet. dist. *Basilius* vult extrahere) quæ iterum ad siccitatem abstracta, demum cùm sp. vini denuò extrahi potest. Summarum est virium in resolvendo cruore coagulato, in rumpendis internis apostematibus & curandâ lue venereâ.

2. *Præcipitatum vitrum.* Ex vitro Antimonij simili modo præcipitatum conficitur. Cum ol. vitrioli vitrum Antimonij vel Antimonium pulverif. grosso modo prius digere, postmodum in retorta ex Aren. destilla, & sulphur Antimonij acquires in florum elegantissimorum formâ in retortæ collo & excipulo sublimatorum. Ex hoc etiam emanat fonte sulphur. Anti-

Antimonij *Cl. Helmontij*, quod ex Tachenij opusculo de Hipp. chemic. seq. conficitur modo.

♃. Superadde aq. fort. ex Nitr. & ☉ vel Vitriolo parato tantum Salis fusi, quantum solvere potest, hanc aquam superfunde antimonio, grosso modo contuso sicuti milij grana circiter, & illicò leni calore aget in Antimonium, cujus Regulum rodit, cui statim aquam frigidam superadde & videbis sulphur separatum, quod ▽æ instar picis supernatat.

N. 1. Quod unicâ vice non ultrà duas circiter drachmas solvere tentes, aliàs in majore quantitate corroditur quoque sulphur ab aquâ & in fæces abit. Hoc sulphur edulcora ▽â frigidâ & aspectu simile erit communi, nisi quod parum viridescat.

N. 2. Hoc est sulphur illud Antimonij, quod *Cl. Helmontius* extrahere jubet & vix, uti jam dictum à vulgari discrepat, nisi quod paululum in viriditatem vergat. Est salutare tympanitidis remedium.

N. 3. Hoc antimonii sulphur funde leni igne in cochleari ferreo, fuso sulphure, cujus sit v. g. ℥ß. adde ☿rij ℥vi. plus minus, non refert, (sulphur enim tantum recipit, quantum mortificare potest) misce continuò cum spatulâ ferreâ, donec refrixerint, massam reduc in pulverem (quem plurimi accendunt carbone ignito, ut superfluum deflagret sulphur) hunc retortæ longo collo inde, ne obturetur à cinnabari adscendente, & per gradus ex Aren. pelle, tunc quod superfluum erit, aut de ☿rio aut sulphure, illud per collum retortæ colliges, tunc auge ignem, ut capella candeat, & cinnabaris elevabitur, Frigefactis omnibus frange retortam, cinnabarim reduc in pulverem, quem septies adhuc per se sublimabis in idoneo vase.

N. Mercurius antimonij hîc requiritur, de quo infrà.

3. *Præcipitatum Antimonij diaphoreticum.* Non opus est tanto apparatu, qualem *Dominus Autor* præscribit, sed tota res in eo consistit, ut crocus metallorum ritè ac debitè figatur, id quod fiet, si vel boni spiritus nitri sextuplum, vel salis nitri triplum à croco metallorum abstrahatur, vel cum nitro in Crucib. figatur. Bezoardicum præcipitatum, hinc elegans ac securissimum oritur eximiè diaphoreticum, prout & cum mercurio vitæ & sulphure aurato Antimonij succedit. Dosis est à gr. 5. ad ℈ß. vel per se, vel cum C.C. s. igne.

4. *Præcipitatus Regulus ♂tis.* Hæc descriptio & præparatio etiam non est in minimis habenda. Quod si itidem cum scoriis reguli martis & sal. armoniaco flores sublimentur, fit inde crocus elegantissimus, ex quo tinctura nobilissimarum virium ad sanguinis depurationem elaborati potest, de quâ infrà de marte seu ferro, *Hactenus Hoffman.*

II. Sublimatio, unde Flores & Cinnabaris.

1. *Flores Antimonij Crudi, vel mineræ antimonialis.*

♃. Antim. crudi triti, q. v. pone in cucurbitam fictilem, quæ in ∴m ponatur satis profundè. Cucurbitæ adapta alembicum cæcum vel rostratum cum excipulo, aut si mavis connecte ollas aliquot (Num. 3. 4. vel plures,) sese invicem excipientes: Ignem gradatim admove, ne sit nimium fortis, nec debilis nimis. Si enim fortior sit, funditur Antimoninm, nec sublimatur, si vero debilior, non ascendunt flores. Si rectè ▽m rexeris, colliges triplices flores, albos, flavos & rubros. *Sen. Instit.* Phlegma antimonij in appositum excipulum colligi poterit.

N. 1. *Felicius ac compendiosius proceditur.*

Primò si cucurbita tubulum seu canalem in latere habeat, per quem Antim. tritum paulatim per vices, (singulis horis parum,) in cucurbitam (gradatim ignitam) injiciatur. Liquescit enim statim sal. arm. abitque ferè penitus in flores.

Secundo, si cucurbita obliquè fornaci imponatur, ut tubulus perpendiculariter ascendat.

Tertio, si in anemio sublimatio instituatur, ac Antimonij ℥ij. Arenæ ℥iij admisceatur. Alij admiscent carbones contusos, eliciuntque Sulph. remanente in fundo materia cœrulea, in qua ☿ Antimonij.

Quarto, Alembici vertex foraminulo sit pervius. Et hoc benè notandum est nisi fine frustrari velis.

N. 2. *Parari possunt & flores Antimonij per ♉m binis rostris ante scilicet & retro connexam, quorum rostrorum antico apponitur excipulum amplum, per posticum autem inflatur ventus, vapores seu flores ab antim. elevatos in excipulum deducens.* Kesl. 1. *cent.* 31.

N. 3. *Non è re foret, si excipulum foramen haberet canalemvè, quo acidum phlegma in aliud excipulum suppositum deflueret. Quinimo excipulum nisi pervium fuerit, foramine flatibus egressuris idoneo in cassum laborabitur.*

2. *Flores Reguli.*

Ex Regulo eodem modo quo ex Antim. crudo flores elevari poterunt.

3. *Flores cum additamento, s. compositi,*

Ex Antim. crudo, regulo & vitro.

♃. Antimon. Sal. arm. an. misceantur rectè & sublimentur per Arenam.

N. *Sufficit alembicus sine ollis: elevanturque flores rubei, qui ▽a calida edulcorati albescunt.*

Vires. *Vomitum movent, mitius tamen quam simplices flores.*

Dosis g. 4. ad 6.

N. 1. *Restituit horum florum usus Maniacos, Melancholicos, Quartanarios, vide Epist. tract. 1. observ. Horstij annexas.*

N. 2. *Si ☿ij dulcis gr. 12. gr. 2. horum flor. addideris, fortiterque simul contriveris, ferè sine vomitu per secessum serosa & biliosa edunt.*

N. 3. *Eodem modo fiunt & flores ex Reguli & sal. arm. vel ex vitri antim. & sal. arm. æqual. partibus.* Basil.

N. 4. *Quod in summitate cucurbitæ invenitur, adde fæcibus in fundo relictis, additoque pauxillo sal. arm. sublimationem repete, habebis flores flavos.*

4. *Aliter, Sulph. Antimonij secundum Basilium,*

♃. Antimonij opt ℔j sal. armon. ℥iv. sublima, sublimato admisce antimonij ℥v. sublima iterum: hinc edulcora, & habebis Sulph. combustibile. *Basil. in Cur. Tr. p.* 217.

N. *Sunt qui loco sal. arm.* ♃. *Sal. com.*

5. *Flores ♁ ⊖lati.*

♃. Florum antimonij rubeor. ℥iv. Flor. Sulph. (sublimatorum ad perfectam albedinem) ℥ij. Colchotar. ℥xii. mixta sublimentur ter, & habebis flores rubicundissimos. *Quercetan. in Tetrad.*

N. *Basilius non addit Sulph.*

6. *Flores Reguli spiritu ♂ ac Veneris imprægnati.*

♃. Reguli stellat. atque sal. armon, (à ♂ ter sublimat.) an. sublima bis terve, hinc edulcora & exicca, tandem denuò à colchotare tertiò eleva.

Vires. *Purgant blandè, conferunt ad omnes febres intermittentes.*

Dosis aliquot gr. Querc. in Tetr.

N. *Flores hi cum sal. arm. sublimati, & nondum ab eodem edulcorati, resolvuntur in liquorem magnarum virium in vulneribus.* Basil.

De

De usu florum Antimonij in genere notare expedit, quod scilicet quoniam violentos vomitus ferè provitant, optima correctione opus habeant, sine qua non facile ac tutum erit, eos in usum Medicum vocari.

Sunt nihilominus qui exhibent g. 2. 3. 4.

Sic igitur

Correctio florum Antimonij.

℞. Flor. Antimonij alb. ℥ j. Sal. Com. Tartari 🜊 impraegnati ℥ j ß. Liquescant vi 🜂 in massam rubram. Affunde massæ huic tritæ 🜅 (🜄 vitæ,) aromatisatum, additis Salis vel Magisterij Perlarum ac Corallor. an. ʒ ij. Digerantur calore cinerum ☍. 2. postea abstrahatur 🜅 ad siccitatem, remanebit in fundo Antim. optimè depuratum, servetur in vitro clauso, quia in aëre resolvetur.

Vires. *Opitulantur morbis, ab atra bile oriundis, per alvum, per superiora, per insensibilem respirationem noxia copiosè expurgantes.*

Sal. Com. Tart. aceto impraegnatur hoc modo.

℞. Sal. Tart. (frequenti solutione ac coagulatione summè depuratum) solve in 🜊. Hinc abstrahe humiditatem lento igne, novumque 🜊 affundendo, iterum solve ac abstrahe. Operationes solutionis ac abstractionis repetendo, donec 🜊 extillet aciditate sua non ampliùs spoliatum, (quod octava vel nona imbibitione ac destillatione fiet,) Exiccetur postmodum; sic habes Sal. Tart. impraegnatum.

N. *Hujus usus quoque est in Magisterio Tart. purgante.*

🜅 aromatisatus, seu 🜄 vita aromatisata.

℞. Galang. Galliæ mosch. Caryophyllor. Cinamom. Macer. an. ʒ ß. Croc. ʒ iij.

Ex mediocriter tritis fit extractio cum 🜅 optimè rectificato, donec ampliùs non tingatur. Tinctura decantata est 🜅 aromatizatus.

Vide de his Crollium.

Correct. 2.

Circulentur per mensem cum 🜅 mellito, sic omnem deponunt violentiam, retinebuntque solam dejiciendi facultatem.

Dosis à g. 5. ad 7. vel ad summum 10.

🜅 mellitus.

🜅 affundatur melli, stet aliquamdiu, postea destilletur: In fine augeatur 🜂, ut 🜍 quoque mellis transeat & jungatur 🜅.

Correct. 3.

Exponantur flores in scutella vitrea, charta supernè duntaxat tecta, mediocri calori (fornacis) per mensem unum ac alterum, quotidie bis (ne non agitati nigrescant) agitando: Flores manent quidem rubei, sed tamen benè porosi & leves, Sulphure fœtido ad papyrum elevato.

Vires. *Movent sedes duntaxat sine vomitu satis benignè.*

Dosis à g. 5. ad 8, *vel* 10.

Correct. 4.

Mitiores etiam fiunt, si aliquamdiu cum Sal. Com. conterantur & postea iterum 🜄 dulci dulcorentur.

7. Flores Antimonij diaphoretici.

℞. Flores Antim. irriga 🜍 Sulphuris in crucibulo clauso 🜂 carbonum.

Sala *in anat. Antimonij f.* 3.

N. *Alij affundunt 🜍m ☿i, quo iterum abstracto edulcorant ac calcinant, ut materia igniatur.*

8. Flores fixi.

Flores Cheiri Paracelsi.

℞. Flores Antimonij, fige sublimationibus, toties iteratis, donec nihil amplius sublimetur.

N. 1. *Flores relicta in fundo materia, denuo in singulis sublimationibus semper admiscendi sunt.*

N. 2. *Hi flores in cella per deliquium in 🜍 solvuntur, quod 🜄 destillata quinquies eluendum.*

Fixantur flores hoc modo.

Formetur pila rotunda terrea cum foramine, per illud immitte Calc. viv. & reple ad medias, postea immitte quoque nodulum floribus Antim. albis repletum, tum circumcirca novam Calcem vivam agglomera, ad plenitudinem usq; globuli integram, tum ostiolum luto obducito, globulumque in furno lateritio ad reverberandum collocato, & per biduum urito.

Vires. *Flores fixi clementius purgant & sudores copiosos movent.*

Dos. gr. 8. ℈ß. *Est S. Closs.*

9. Cinnabaris Antim.

Fit, si post butyri Antimonialis destillationem 🜂 fortis & suppressionis quoque, (i. e. super Arenam) horis aliquot detur. Quippe cinnabaris Antimonii hac ratione collo 🜕æ adhærescit, quam collectam sublimatione una ac altera purificare poteris.

N. 1. *Si desideras potius cinnabarim, quam butyrum Antimonij, da statim 🜂 fortem.*

N. 2. *Ex hac paratur ☿ diaphoreticus, qui in Epilepsia & vertigine præstantissimus.* Schröder.

De Sublimatione antimonij sic habet Hoffmann.

Sublimatio, unde Flores & Cinnabaris. 1. Flores antimonij crudi, vel mineræ antimonialis. Vel per se fiunt, vel Antimonium cum aliis scil. Aren. miscetur, ut discontinuetur vel impediatur ejus fluxus, aliàs vel nihil vel parum sublimabitur. Aliàs prout Dominus Autor cum encheirisibus tradidit optimè succedit illorum præparatio: Nec de nihilo est illa *Cl. Zwelferi*, quam communicavit in *mantiss. spagyric. Part. 2. Cap. 8. p. 365.*

N. Si rectè ignem rexeris, colliges triplices flores, albos, flavos & rubros pro diversitate etiam instrumentorum.

N. Alij admiscent carbones contusos, eliciuntque sulphur, remanente in fundo materiâ cœruleâ, in quâ mercurius antimonij, qui per se fieri nequit, sed necesse est, ut salia addantur resuscitativa, de quo infrà uberius.

N. Alembici vertex foraminulo sit pervius, quæ encheirisis probè observanda est in multis operationibus, hac tamen cautelâ, ut foramen sit minutulum.

N. Ex regulo eodem modo, quo ex Antimonio crudo flores fieri possunt; vid. *Cl. Zwelfer. l. c. p. 368.*

3. *Flores cum additamento, seu compositi.* Ex Antimonio crudo, regulo & vitro. *Cl. D. D. Hartmannus & D. Gramannus Practicus Hall.* hos flores grassantibus febribus malignis in continuo habuerunt usu, & vocarunt tincturam Antimonij siccam, quæ & jam in nostris officinis D. *Gramanni* autoritate nobilitata prostat, cujus dosis à quibusdam præscribitur à gr. 2. ad 3. 4. sed ultra extendi potest ad ℈ß. vel gr. 12. nec vomitum movet, sed diaphoreticam saltem vim obtinet. Totum autem artificium sublimationis in ignis regimine & vasis mo...atorij formâ consistit. Si enim ignis vehementior adhibetur, flores isti fiunt purgantes, quales etiam *Cl. Finckius* in enchiridio Dogmatico-Hermetico describit, egregios tum quoad colorem tum odorem ambratum & moschatum. In maniâ, melan-

melancholiâ, quartanâ &c. loco arcani sunt habendi. Recip. Sal. Armon. ℔ß. vitri Antimonij vel Sulphuris aurati Antimomij ℥ij. f. ♎atio ex Aren. lento ignis gradu in vase ♎atorio humili, posteà edulcora aquâ calidâ per chartam bibulam & reliquias salis armoniaci per sp. vini repetitâ destillatione separa.

N. Ex hoc fonte promanat *Nobiliss. Helmontij* ἐγχείρησις, quâ nitrum vertit in terram insipidam albissimam. Sublimat scil. Antimonium crudum cum ana sal. armon. modesto igne, tincturam siccam separat à sale armoniaco per aquam, hæc cum nitro ferè tota avolat in flammâ. Si vero cum sale Armoniaco relinquas, adhuc bis per se sublimetur, & à Sale liberetur, habebis pulverem Antimonij salis expertem, qui si cum Nitr. miscueris non inflammabitur amplius, sed quantùm nitri miscueris, in terram commutatur & Salis naturam negligit.

N. 2. *Si mercurij dulcis gr.* 12. *horum florum gr* 2. *addideris, per secessum sine vomitu educunt.* Optimè corrigitur Antimonium per mercurium dulcem ratione salium, in mercurio dulci latitantium, & tunc ut plurimum per inferiora purgat, & possunt inde parati pilulæ, ut blandum catharticum.

N. Eodem modo fiunt & flores ex Regulo & Sale Armoniaco, vel ex vitro Antimonij & sal. armon. æq. partibus: Quod in summitate cucurbitæ invenitur, adde fecibus in fundo relictis, & addito pauxillo sal. armon. repete sublimationem, & habebis croceas flores.

4. Aliter, *Sulphur Antimonij secund. Basilium.* Etiam succedit; Et non differt ab antecedentibus descriptionibus, nisi quod sublimatio ternâ repetatur vice.

5. *Flores Antimonij vitriolati.* Hi non amplius sunt in usu. Nihilominus tamen spiritus terebinthinæ beneficio exinde tinctura extrahi potest in febribus intermittentibus ante paroxysmum non inutilis.

6. *Flores Reguli spiritu ♂tis ac veneris impragnati.* Hæc descriptio & elaboratio non est contemnenda. Assumi autem debet sal. arm. depuratissimum vel ejus loco flor sal. arm. depuratissimi. Ex his conficitur præcipitatus Regulinus ♂tialis supra descriptus.

N. Hi flores cum sal. arm. sublimati & nondum ab eodem edulcorati resolvuntur in liquorem magnarum in vulneribus & ulceribus virium.

De usu florum antimonij in genere notandum; eos, cum vomitus violentos proritent, optimâ opus habere correctione, sine quâ non tutum erit, eos in usum vocare. Sit igitur correctio florum antimonij: ℞. *Fl. antim. alb.* ℥j. *Salis Tartari Spiritu Acet. dist. impragnati* ℥jß. *&c.* Hæc præparatio meritò inter arcana habenda est: Et hîc obiter notabis, quod Sal. comm. Tartari Acet. dist. imprægnatum aliàs terra foliata Tartari dicatur, quam *J. Primorosius in method. Art. Pharmaceut.* & *Locatelli in thesauro Arcanorum chemicorum* descripserunt. Ante quos tamen *Th. Paracelsus & Finckius* eandem nomine magisterij tartari insigniverunt: de qua infrà *de tartaro* pluribus.

Sp. vini aromatisata, seu ▽ *vita aromatisata.* Hujus loco etiam assumi potest spiritus alius ex vegetalibus specificis aperientibus confectus, isque imprægnetur cum terrâ foliatâ Tartari, & postmodum hic spiritus imprægnatus flor. Antimonij ad tincturam extrahendam affundatur.

Correct. 2. *Circulentur per mensem sp. vini mellito.* Ex melle ♃tur aqua lento cinerum aut B. calore, quæ primò exit, insipida est, altera instar Aceti dist. acris, priorem cum ana sp. vini rectificat. misce & in phialâ super flores ad 4. digitorum eminentiam affunde, circulentur per mensem in loco calido.

Correct. 3. Hæc correctio etiam non contemnenda est, Sulphure fœtido in auras elevato, unde benignè operantur sine vomitu per secessum.

Correct. 4. Mitiores etiam fiunt, si aliquandiu cum Sal. com. vel quod adhuc melius est, cum ☿ misti mediocri calore per aliquot hor. probè agitentur, & posteà aq. dulci edulcorentur.

7. *Flores Antimonij diaphoretici.* Hæc fixatio cum ol. Sulphur. vel Spiritu vitrioli non succedit, dum pristinam isti flores suam non indè deponunt violentam vim emeticam.

8. *Flores fixi. Flores Cheiri Paracelso.* Hos flores vult *Dominus Autor* figere sublimationibus sæpius iteratis, donec nihil amplius sublimetur, & quidem in peculiari instrumento. Sed licet vel centies & ultrà sublimationem instituat, tamen laterem lavabit. Puriores quidem fiunt; sed non fixi, nisi phialæ sat amplæ superius Hermeticè claudendæ immittas, & per longum tempus in digestionem ponas, usque dum in rubicundissimum pulverem convertantur.

Fixantur flores hoc modo. Compendiosiori viâ Antimonium fixatur cum calc. vivâ, si Antimonij ℔ß. & calc. viv. lib 2. sumantur & in Crucib. per 12. hor. spatium in igne reverberij calcinentur; Hinc elixivientur, & in lixivium Acet. dist. instilletur, tunc flores Antimonij elegantissimi crocei coloris ♃buntur, flores cheiri *Paracelsi* æmulantes, ex quibus cum sp. vini Tartarisato tinctura in digestione extrahi potest, de quâ infrà pluribus.

9. *Cinnabaris Antimonij.* Quomodo *Cinnabaris* Antimonij in majori impetretur copiâ *P. J. Faber proponit in univers. sapient. Libr.* 4. *arcan.* 5. & *Nobiliss. Guerner. Rolfinck. in chem. in Art. form. redact. Libr.* 5. *sect.* 5. *C.* 6. Verùm nisi hæc cautela observetur de diversâ Antimonij specie, quam Nobil. *Robertus à Boyle Angliæ decus in tentamin. Physiologic.* pag. meâ 77. communicavit, non tamen voto semper respondebit. Nam si Antimonium magis mercuriale & ad naturam solarem accedens fuerit, id quod arguunt nitentes in eo radij, minus cinnabaris suppeditabit; secus autem, si magis sulphureum, sed auro, quod priorem commendat, destitutum. Facilè tamen nec in minimâ copiâ ex Antimonij sulphurei crudi & sublimati anaticâ portione ex lib. 1. ad tres vel quatuor unciæ haberi possunt citrà Cap. mort. repetitas cum novo mercurio sublimato destillationes, si ignis saltem, ut etiam Autor Noster innuit, non statim fortis detur, sed moderatus, tantum continuus citrà suppressionem. Posteà saltem crebrior intestituenda rectificatio per duo inversa vasa sublimatoria fictilia, ut scorias omnes deponat. Est præstantissimum ac tutissimum medicamentum mercuriale cum bezoardico minerali s. it. Antimonio diaphor. miscendum ad vim illorum diaphoreticam ac sedativam exaltandam. *Vide de Cinnabari Nativâ.*

N. Hujus virtus si manere debet integra, per partium ejus sulphurearum & mercurialium separationem, ut & per acida & alkalia factum inversionem destrui non debet. *Hactenus Hoffman.*

III. Destillatio, unde Aceta, Olea, Spiritus, &c.

℞. Mineram Antimonij, tere ac elice Acet. per ♉m, prolectum funde super mineram novam, digere ♂ (23.) hinc destilla iterum per ♉m, idque repete, donec quantitatem cupitam acquisiveris.

N. *Parum Acet. fundit, adeoque labor sat tædiosus est.*

Aliter.

℞. Miner. Antim. lævigat. affunde aq. pluvial. destillat. ad eminent. digit. aliquot, digere vase H. cl. in fimo

fimo equino, donec incipiant fermentari ac spumam ejicere: Dein abstrahe ▽m, augendo △m in fine, redde capiti suo mortuo, & reaffusa aq. quæ abstracta erit, fiat cohobatio toties reiteranda, donec prodeat liquor acidus instar acet.

Vires. *Inservit Tincturæ Antimonij extrahendæ, refrigerat efficaciter sanguinem, in febri præcipuè maligna & Ungarica, si cum Lap. Prunellæ & aq. destillata conveniente misceatur: curat inflammationem ex pulvere nitrario ortam cum sacchare ♄i.*

N. 1. *Acet. hoc Antim. melius evadet, si pulverisatæ novæ mineræ Antim. id affuderis ad emin. dig. 3. circulaverisque (♉ 12.) sic tingetur rubro colore magisque acescet: tum effunde & abstrahe per MB, sic acet. Antimonij exibit clarum & rubedinem post se relinquet in fundo. V. Basil. p. 223.*

N. 2. *Acuari potest hoc acet. suomet Sale.*

Nimirum.

℞. Acet. antimonii ℥iv. Sal. antimonii ℥j. solve ac destilla per Cineres.

Dici poterit ⚹ antimonii alkalisatum, sive radicatum.

N. *Felicius forsan processeris, si Sal. antim. in acet. solveris atque ex argilla & solutione hac massam & exinde globulos formaveris, eosque per ☊m, ut ⊖ Sal. com. solet, destillaveris, Bas. p. 222.*

Aliud.

Acetum antimonii in majori copiâ obtinebis, si super cratem ferream mineram Antimonii frustulatim impones, superstructo Aludele cum pluribus ollis perviis & ⅩⅩ, subministrando carbones in aliâ areâ focariâ accensos, ne acetum à carbonum vaporibus inquinetur. *Ex S. Closs.*

N. *Cum hoc aceto ☿ali parari possunt flores fixi sive ♁ diaphoreticum, de quo Poppus in Hodoget. pag. 145. & sequentibus.*

2. ⚯ *Antimonij per se.*

℞. Antim. quantitatem satis magnam, pone in putrefactionem, dein educ aquam, quam vicissim affundendo, putrefactionem ac postea destillationem reitera, idque toties donec exurgat tandem ⚯, seu liquor oleagineus.

N. *Nancisceris potius acet. quam liquorem oleagineum.*

Vires. *Dissolvens est egregium, Poter. in Pharmacopœia.*

3. *Aliter.*

℞. Miner. antimonii, q. v. miscè cum ∴ pelle per ☊m.

4. ⚯ ♁ *Saccharatum.*

Recip. Antim. ℔ ß. Sacchar. cand. unc. ij. M. opt. & destillentur per ☊m in Arena F. ⚯.

Beguinus.

Recip. Antimonii, sacchari cand. ana unc. iv. ⊖ ust. unc. j.

Utile est ad externos & internos morbos.

N. *Ex hoc ⚯ fiunt Pilulæ febriles ad Quartanam, quas vide suo loco.*

5. ⚯ *Antim. Saccharatum Sennerti.*

Recip. Antimonij ℔ ij. Sulph. unc. iij. M. pone in △ circularem ut liquescant, atque ita △ per hor. 4. vel 5. continua: dein auge △ ut Sulph. accendatur & exhalet; hinc pulverisa ♁ affundeque ⚹ digeranturque ☍. 8. dein destillentur, donec guttæ rubræ ascendere incipiant, tunc muta recipiens.

Recip. Antim. relictum in fundo ℔ 1. sacchar. cand. unc. 4. 🜄 opt. unc. ix. Destilla per ☊m, (in receptaculum in quo sit ⚯, quod primò extillarit.) aq forti, donec nihil ⚯i vel vaporis amplius appareat. 🜄 in B. abstrahe ad remanentiam 4æ partis.

Vid. Sennert. Institut.

N. 1. *Melius fit hoc ⚯, si digeratur aliquamdiu cum 🜄 novo, fæcibusque per colaturam separatis à colatura 🜄 per destill. abstrahatur.*

N. 2. *In eliciendo ⚯ o saccharato lentè procedere memineris, ne nimia ebullitione fine optato frusteris.*

N. 3. *Si cum aq. vitæ aliqua, vel aq. rosarum, in qua moschus vel ambra soluta sit, addita aq. cinam. digeratur, atque liquor cohobiis cohobetur, movet alvum sine vomitu ac molestia, utileque Medicamentum exhibet in Hydrope.*

Dosis à gr. 3. ad 6.

6. *Oleum Antimonij Saccharatum Quercetani.*

Antidotus Panaretos.

Recip. Miner. antim. ad albed. calcinatæ ℔ß. sacchar. cand. in formam syrupi cum circulato minore (🜄 opt.) transmutati ℔ 1. Misc. Digerantur ☍ (4. vel 5.) Balneo Vapor. dein per gradus ignis destillentur.

Elicitur primò circulatum minus, secundò liquor albus, tertiò flavus, quartò rubicundissimus, instar sanguinis, dulcisque Balsamus; collige singula seorsim vel separa ab invicem.

Vires. *Liquor albus opitulatur cancrosis ulceribus & externis morbis.*

Liquor flavus idoneus est vacuationi per alvum & vomitum.

Liquor rubicundus ternis aut quaternis cohobationibus rectificatus & ablutus ▽ cordiali, admirandas præstat curationes in Lepra, Morphæa, Apoplexia, Epilepsia, Peste, in ▽ appropriatis exhibitus.

Dosis à gr. 3. ad 6. Quercetan. in Tetr.

N. *Eodem modo & ex Croc. Metall. & Sacchar. āā. cum 🜄 digestis, ⚯ præparari potest.*

Dosis gr. 4. 5. 6. 7.

7. *Oleum Antim. Sacchararum Fausii.*

Recip. Croc. metallor. pulverif. Sacchar. cand. an. unc. ix. vel Sacchar. unc. vi. Spir. 🜍i rectific. unc. ij. Vini ℥ß.

Digere ☍ (8) postea destilla in ☊ per gradus. Aufer phlegma in MB lento.

N. *Eodem modo extrahitur oleum ex Sulph. antim. ⊙rato, prodit liquor crassus, qui extrahendus aliquoties affuso rec. 🜄 quo rursus ad mellaginem separato, ea demum per ☊ pellenda in oleum.*

Dosis à g. 8. ad ℈ß. in morbis fluidis, Cl. D. D. Joh. C. Faus.

8. *Oleum Antimonii Saccharatum Basilii.*

Recip. Vitr. antim. lævigat. affunde agrestam, digere aliquot ☍, dein (abstracta agresta ad siccitatem,) admisce sacchari cand. æquali pond. cum modico aceti destilla per ☊m gradatim, tandem △ prodibit ⚯ rubicundum, cum 🜄 exaltandum.

Vires. *Prodest adversus Epilepsiam.*

Dosis gut. aliquot. Basilius in curr. triumph.

9. *Oleum seu Liquor Antim. mellitus.*

Recip. Antim. crud. pulv. ℔j Mell. opt. ℔ iij. Bulliant simul, moveanturque spatula, usque dum substantia aquosa mellis evaporaverit, & remanserit materia

quædam nigra instar picis, quæ digitis friari queat. Hanc destilla per ☉m △ nudo gradatim, in excip. amplum, hor. 24. & prodibit liquor impraegnatus facultatibus antimonij, cum aliquot floribus à liquore separandis.

Vires. *Liquor iste est corrosivus & penetrans, summopere mundificativus, præsertim in ulceribus, absumit enim excrescentias, &c. Adversus gangrænas præstantissimum quoque existit remedium. Uti eo possumus aut commixto melli rosato, unguentis, pulveribus, ▽, &c. Sala de Antim.*

Liquor hic Acet. Philosophici vices supplere poterit, in præparatione Tincturæ Antimonij ζωηφιλ@ dictæ.

10. *Aliud Magist. antim.*

℞. Antim. opt. ℔ß. O ust. ℥iv. Bol. arm. Sal. Com. an. ℔ß. omnia seorsim trita misceantur, destillenturque △ nudo. Sic prodibit primò phlegma, secundo ∽ albicans, tertio ∽ rubescens. Si quid collo adhæreat glaciei instar, admove cautè ferrum candens, ut solvatur. Rectifica per ☉m: In rectificato hoc ∞ solve ⊙ foliatum: Solutioni postmodum affundes ▽ circulabisque sept. 6. circiter, & subsidebunt feces, à quibus decanta ▽ cui si affuderis aquâ destillatam, præcipitabitur ♁ albus, edulcorandus & reservandus. Dicitur Magisterium Antimonij.

Vires. *Purgat suaviter per vomitum.*

Dosis. g. 3. Kesl. 1. c. 68.

N. 1. *Pulvis ille correctus cum ∽tu Sal. com evadit sudorificus: vide infra Tincturam ex Regulo ♂, n. 13.*

N. 2. *Magisterium hoc Antim. Kesleri nil est aliud quam ☿us vitæ ex butyro. Ita Hartmannus in Croll. parat ex floribus albis & ∞ Sal. Com. & Glaub. in secunda parte p. 93. aliud concinnat ex Sal. Com. & ⊕-lo. Hi omnes modi in unum recidunt certo experimento.*

11. *Oleum Antimonij glaciale, ex Antim. & ☿ ♎to.*

Vide in destillat. ☿ij.

12. *Aliud Oleum Antimonij glaciale seu Butyrum antim. & exinde Antidotus πολύχρησος Antim.*

℞. Reguli ♂ stellat. ℔j. ☿♎ti lbjß. M. exactè destilla per ☉m, (*vide in destillatione ☿ij.*) ∞ glaciale destillatum rectifica una ac altera destillatione, feces semper rejiciendo. Hinc affunde ∽m hydromelitis vinosi, cohobaque, ut tandem crebris istis cohobationibus ∞ illud dulcescat. Tandem abstrahe ▽ ad consistentiam ∞i.

Vires. *∞ hoc exquisitissimum, ac pretiosissimum est Remedium, multis curandis ægritudinibus, iisque gravissimis aptissimum. Quin & domitor est febrium tertianarum, quotidianarum ac in primis quartanarum. Blandè enim vomitum multis concitat, aliis alvi solutionem citra vomitum, eamque vim habet, ut radices & seminaria mali prorsus eruncet & evellat.*

N. ∽ *hydromelitis vinosi separatus, si vitriolica aciditate (∽ ⊕-i) impregnetur, summum est diaphoreticum, & longè ab aliis vulgaribus alind.*

Dosis cochl. ß. vel 1. per se vel in liquore conveniente. Querc. in Tetr.

13. *Aliud Oleum Antimonii Crystallinum ex floribus.*

℞. Flores antimonij, ▽is, (ex ⊕ ad flaved. calcinato & Sal. Com. an. lb. iij. argillæ lb. v. vel vi.) dephlegmatæ ā. M. & destilla in MB, sic tantum prodit phlegma, ∽sque cum floribus coëunt. Affunde novam ▽ atque denuo evoca, idque repete, donec flores nihil spirituum amplius retinere queant. Tunc destilla per ☉m primo excipiendo seorsim humiditatem aqueam, dein mutato Excipulo ∞ albicans, ac ponderosū, instar butyri antimonij relicto ⊛ inutili.

Vires. *Idem ferè est cum butyro Antimonij: Inservit solutioni ⊙is, & est basis præcipitati purgantis, ut & vomitorij. Hartm. in Croll. p. 224. Sennert. Instit. l. 5. p. 3. s. 3. c. 17.*

Nimirum.

Rectificatur oleum hoc per Retortam: hinc duplex inde paratur præcipitatum, alterum ἄνω ἢ κάτω, alterum κάτω solum purgans: prius fit, oleum id instillando in ▽ ♃m pluv. pulveremque ab acrimonia sua lotionis beneficio liberando: posterius fit oleum id cum an. ol. Tart. p. d. mixtum (♂ 2.) reponendo & hinc similiter flores edulcorando.

Dosis à gr. 1. ad 4.

14. *Oleum Antimonij compositum ad Vulnera.*

℞. Antimonij Sulphur. an. p. ij. ✱ vel Sal ⊡ p. 1. Calc. viv. p. iv. destilla △ forti cum tribus cohobiis quod sublimatum erit, semper ⊛ reddendo.

Vires. *Mundificat optimè vulnera inveterata. Basil.*

15. *Aliud Oleum.*

Fit ejusdem qualitatis ∞, si ♁ cum ∽ Sal. Com. imbiberis, ac postea destillaveris. *Tentzelius.*

16. *Aliud, Balsamum Antimonij dictum.*

℞. ♁ lb. ij. Sal. Tart. lb. ß. Sal. Nit. ℥iv. Fluant in Acet. forti, effundanturque in tabulam lapideam.

℞. Massam hanc & Calc. viv. ℥iij. misce & affunde ∽m terebinth. ad eminent. 4. digit. Digere vase clauso ♂♀ aliquot, sic ∽ Terebinth. rubro colore tingetur. Postea adde silices contusos ad spissitudinem aliquam, destillaque per ☉m.

NB. Ubi guttæ flavæ apparere incipiunt, muta receptaculum, & auge △ atque extillabit ∞ rubrum. *Sennert.*

Vires. *Magnarum est virium in diuturnis ulceribus.*

N. *Vide etiam Balsamum Antimonij Reguli. In Tincturis ex Regulo.*

17. *Balsamus Vulnerarius Basil.*

℞. ♁ opt. lb. j. Salis Communis vel ♉ lb. ß. Argil. lb. vj. M. & destilla △ fort. per ☉m, & prodibit tandem ∞, quod dephlegma ad remanentiam ♁veris rubei, hunc solve per deliq.

Vires. *Summarum est virium & arcanum summum in vulneribus inveteratis. Basil. in C. Triumph. vide etiam Balsamum Reguli in Tincturis.*

N. 1. *Keslerus.*

℞. Antimonij, ♉, (vel Sal. Com.) ana. O ust. lb. ß destillaque sine argilla.

Alij.

℞. Solum ♁ & ♉, (sine O & argilla) vel Sal. Nit. *Vide Basil. in repetit. lapid.*

Alij.

℞. Antimonij, part. ij. Sal. Com. p. 1. Bol. armen. p. ij.

N. 2. *Processus est plurium (3) dierum instituendaque est destillatio per gradus.*

N. 3. *∞ hoc præcipitari potest cum ▽. Præcipitatum elotum exhibetur, à gr. 3. ad 6.*

18. *∽ ex Regulo.*

1. Figatur Regulus, (quod fieri potest multoties iteratis sublimationibus, sive in ovo Philosophico id fiat, sive in cucurbita, quotidiè scilicet id quod sublimatum est ad fundum detrudendo.)

2. Regulus fixus ponatur aliquandiu menses (6.) in cellam, ut solvatur, ∞ illud filtra & coagula ad spissitudi-

tudinem. Hinc repone, ad liquescendum, filtra iterum; coagula ac solve iterum ac cum triplo Tripolæ mixtum destilla per ⊂m. Sic primò prodit ∿ albus, dein rubeus: rectifica.

Vires. *In febribus omnibus intermittentibus, ut & in quartana virium est summarum, mundificat sanguinem per diaphoresin, atterit calculum Renum & Vesicæ, materiam Podagricam discutit, dolores vel extrinsecus applicatum lenit.*

Dosis à gr. 3. ad 5.

19. *Aqua Antepileptica ex Croco Metall. Quercet.*

℞. Croc. Metall. misce cum crusta panis pulverisata, ac elice ∇m per cornutam ad △ satis magnum.

Vires. *Hanc pluris facit Quercetanus in Epilepsia, quam reliquas suas Antepilepticas omnes è vegetabilium familia desumptas.*

Ego huic labori ♂ ac ♀ 3. integras frustra impendi, primò exivit phlegma, secundò ∿ nebulosi prodierunt, tertiò striæ seu ☍ rubicundum, omnia autem in parva quantitate.

20. ∇ *Stimmi Sulphurea. Clyssus aliàs.*

℞. ♁ elect. Sal. Nit. pur. Sulph. pur. ana ℔j. propellantur per ⊂m, in ventris capacitate superiori tubulatam, in receptaculum amplum ac capaciss. rostro firmiter annexum, in quo infusa sit aliquota ∇æ pars: Injice materiam sensim per vices, tubulumque propediem obtura, videbis materiam injectam paulo post incendi, receptaculumque nebulosis vaporibus repleri, quibus sensim ∇æ illi commixtis receptaculum pellucidum redditur, quo apparente, injice iterum, &c. ∇m spiritibus destillatis impraegnatam filtra, vel si placeat, & adustionem sapiat à phlegmate in MB libera. Glauberus ℞. ♁ ℔j. ⦶ ℔iij. Sulph. ℥iij.

Vires. *Crassam Tartareamque mucilaginem ubicunque locorum delitescat in corpore, attenuat, ac per emunctoria convenientia expurgat, per alvum scilicet, per ⊡m, per sudorem, per salivationem; Unde utilissimum Medicamentum audit in obstr. Epatis, Lienis, Mesenterii, Uteri, in affectu Hypochondriaco, Colico, & simil, præsertim si cum Crystallis ♂ acuatur. Misceatur cum ∇ font. vel alio liquore convenienti, ad gratam aciditatem, bibiturque pro libitu.*

21. *Aqua Stimmi Tartarea.*

Fit eodem modo ex ♁, Tart. & Sal. Com. an. quibus si aliquid Sulphuris admisceatur, melius destillatio procedit.

Vires. *Prodest itidem in obstructionibus, maximè autem expellit per sudorem materiam in habitu corporis delitescentem.*

N. 1. *In utriusque ∇æ destillatione colligi possunt flores, qui à Sulphure per sublimationem liberati in usum venire quoque possunt.*

N. 2. *Ex ⊛o fit ♁ diaphoreticum, si semel ac iterum cum Sal. nit. ana calcinetur & dulcoretur, vel ex eodem Sulph. auratum extrahi potest, si cum lixivio forti coquatur. Vide Sulphur. Antimonii.*

22. *Spiritus ♁ij compositus S. Closs.*

℞. Sulphuris ♁alis (Clossæ an. vid. infra) part. 1. colchotaris ⊖li p. ij. M. & ter aut quater aceto perfunde destillando cum cohobio. Tandem ultima vice repone pulveres in amphoram terream tabulatam (vitrea enim disrumperetur) cum Recip. amplo, urge ignis in reverberio clauso spatio tridui integri, ut fieri solet in destillando ☍ ⊖li & spiritum ab ☍ separa atque rectifica.

Vires. *Inservit utrumque figendo ☿o & ♁ri.* Schröderus.

De Destillatione antimonij sic habet Hoffmann.

3. *Destillatio. Unde aceta, olea, Spiritus &c. 1. Acetum antimonij.*) Præparatur tantum ex minerâ antimonii, non ex antimonio fuso, quippe cui ignis inter fusionem spiritum illum acidum ex sale terræ centrali dependentem abstulit. Sed parum aceti præbet.

N. Aquam pluvialem tonitrualem vel rorem majalem clarificatam infunde mineræ antimonii prius probè tritæ, pone ad digestionem in fimo equino vel quod melius in segmenta lignorum vase Hermeticè clauso, donec fermentari incipiant: Postmodum ♌la & destillatum super Cap. mort. cohoba.

N. 2. *Acuari potest hoc Acet. suomet sale &c.*) Acetum antimonij nihil aliud est, quàm radicalis quædam humiditas mineralis suo sale centrali etiamnum gaudens, qualis in omnibus alijs itidem reperitur mineris. Efficaciter sanguinem refrigerat, cum aquâ destill. conveniente scilicet acetos. semper viv. portulac. &c. si misceatur, in febribus ardentibus malignis &c.

N. *Felicius forsan processeris, si sal antimonij in Acet. solveris & ex argillâ &c. globulos formaveris.*) Sed parum acquires Aceti, cum in argillam ebulliendo agat, & agendo vicissim patiatur, sicque destruatur & in aliud ens convertatur.

N. Acet. antimonij in majori obtinebis copiâ, si super cratem ferream mineram antimonij frustulatim imponas, superstructo Aludele cum pluribus ollis pervijs & Alemb. subministrando carbones in aliâ areâ focariâ accensos, ne acetum à carbonum vaporibus inquinetur. S. Closs.

2. *Ol. antimonij per se.*) Sed nancisceris potius Acet., quàm liquorem oleagineum. vid. Pharmacop. Sp. Poterij.

4. *Ol. ♁nij saccharatum. Reci. ♁ ℔ß. sacchar. cand. ℥ij. &c.*] Antimonium & sacchar. cand. adeo se invicem amant, ut non facilè separari queant, sicut ☉ & mercurius. Melius succedet præparatio, si antimonium cum sacchar. cand. per aliquot dies in digestionem ponantur & per retortam ex Aren. postmodum destillentur. Non tamen ol. sed liquorem acidum nancisceris compositum ex ♁ & saccharo cando.

N. Hoc usus fuit Dn. D. Johann. Michaelis sæpius in Quartanâ.

N. ℞. ♁nij, sacchar. cand. ana ℥iv. O ust. ℥j. Hoc ultimum additur, quia corpora valdè reserat & discontinuat. Exinde etiam acidum destillatur stagnna.

5. *Ol, Antim. saccharatum Sennerti.*] In eliciendo hoc ol. saccharato lentè procedere debes, ne nimiâ ebullitione fine optato frustreris, id quod & in mellis ♌latione observandum & aliarum rerum, quæ facilè ebulliunt, aliàs labor erit frustraneus. Melius fit hic liquor, si cum sp. vini novo aliquandiu digeratur, & fecibus per filtrum separatis à colaturâ sp. vini per ♌lationem abstrahatur.

N. Cum Essentiâ moschi & ambræ combinatum sine ulla molestia per secessum in hydrope operatur guttatim in vehiculo appropriato exhibitum.

6. *Oleum ♁nii saccharatum Quercetani. Antidotus Panæretos*) Melius succedet, si simplex substituatur minera antimonij sine ullâ calcinatione, aliàs parum antimonialis virtutis elevabitur, cùm mediante calcinatione minera antimonij sua nativa ac radicali privetur humiditate, & vice versa nil nisi liquor acidus saccharatus suppositititius emergit, cui omnes vires erunt acceptæ referendæ. Cujus farinæ & sequentia ol. antimonij sunt *Fausii* & *Basilij* pag. 436. & 437.

10. *Aliud Magisterium antimonij.*) Hæc descriptio fallit. Et si succedere debeat, substituas O & Sal. comm. sine bolo Armen. Vitriolum & Sal. comm. ana ℔ ij. & ♁ nij

nij ℔ j. omniaque seorsim misce, & ℞la per retortam igne aperto. Primò prodit phlegma, deinde spiritus Albicans, tertiò butyrum antimonij collo adhærens. Ex quo mercurius vitæ (rectius tamen magisterium Antimonii) parari potest; hic si cum nitro figatur, egregium præbet antimonium diaphoreticum.

12. *Aliud Oleum antimonij glaciale &c.*) Hoc nihil aliud est, quàm butyrum antimonij martiale, ex quo mercurius vitæ resultat, si ▽a fontana infundatur, summâ cum violentiâ vomitus excitans. Nec juvat affusio spiritus hydromelitis vinosi pro ejus edulcoratione, dum suam deleteriam retinet subinde vim corrosivam ac colliquativam. Si tamen hic mercurius vitæ seu potius magisterium exinde paratum etiam cum sp. nitri vel ipsis crystallis nitri in forma sicca figatur, præstans exsurget anti-pyreton non emeticum amplius sed bezoardicum: Prout & sequens.

13 *Oleum ♁ crystallin. ex floribus* ex eodem fonte promanans similiter cicurari potest. Quod autem posterius ejus præcipitatum, ol. tartari p. d. ita figi possit, ut solùm per secessum purgans pharmacum inde resultet, hoc nemo sibi persuadeat; sed emeticum manebit.

14. *Oleum antimonii compositum ad vulnera*) Hoc sublimatum Chirurgis commendatum volumus in ulceribus ac vulneribus antiquis mali moris.

16. *Aliud Balsamum antimonii dictum*) Ne salis volatilis tartari patiaris jacturam, dum in Acet. forti fluere permittis, ex stimmi aquæ tartareæ cum calc. viv. elaboratæ Cap. mort. cum spiritu terebinthinæ tincturam extrahe, & posteà additis silicibus per retortam destilla. Aquam stimmi prolectam rectifica ex phialâ per Aren. & acquires sal volatile tartari vitro adhærens.

17. *Balsamus vulnerarius Basilii.*) Cum hoc ol. prodiens ex antimonio, Sal. comm. vel ♉ & argilla etiam nihil aliud sit quàm liquor quidam æmulans butyrum antimonii, quód cum aqua sublimatum mercurium vitæ seu magisterium antimonii suppeditat, hoc æquè ac aliis antecedentibus nonnullis carere possumus.

18. *Spiritus ex Regulo.*) De hujus spiritus prout & de ejus ol. in deliquium solvendi juxta Autoris præscriptum existentiâ valdè ambigitur.

N. Ovum philosophicum est instrumentum sublimatorium, cujus figura talis est pro mercurii sublimatione.



N. Aliàs etiam ova philosophica dicuntur lapides illi, quorum suprà mentionem fecimus, qui in Hassia reperti ad Nos deferuntur mineræ martiales, quæ aëri humido expositæ abeunt in sal Vitriolicum.

19. *Aqua Antepileptica ex croco metall. Quercetani*) Recip. antimonii vel croci metallor. 1. q. Panis q. v. destilla per retortam per gradus, & acquires primò phlegma, post acidum liquorem, qui rectificari debet, & valdè in epilepsiâ commendatur.

20. *Aqua stimmi sulphurea. Clyssus aliàs.*) Clyssus antimonij duplici conficitur modo. Primò fit sulphurea. Deindè tartarea. Ad sulphuream elaborandam quidam recipiunt antimonij, Nitri ana & Sulphur. part. 1. Nonnulli admiscent terram sigillatam, vel bolum optimum. *Dominus Autor* componit cum antimonij elect. nitri puri & Sulphuris puri ana. *Dn. D. Knœfelius Regius Medicus Poloniæ* recipit antimonij quintuplâ Nitri parte in pulverem album fixati & edulcorati, vel ejus loco Reguli antimonialis optimè pulveris. ℥ij. nitri puri & benè siccati ℥iv. probè mixtis in retortam tubulatam per vices sensim injectis evibrat cum fulmine spiritus cum floribus incarnatis.

N. Unâ vice circiter ʒß. vel cochl. 1. injiciatur, quo detonato, aliud injice. Signum detonationis est, quando cessant nebulæ.

N. *Dn. D. Dietericus & D. Knœfelius* hanc aquam stimmi sulphuream in frequenti habuerunt usu, & acidulas artificiales inde pararunt. Sumserunt scilicet phlegma vitrioli & miscuerunt cum hâc bis ter filtrando. Habet vim laxandi & urinam pellit. In caliditate totius massæ sanguineæ misceri potest cum sero lacti & loco acidularum usurpari. In febribus malignis potui ordinario instillari vel julapiis admisceri debet.

21. *Aqua stimmi tartarea*) Eandem etiam *Nobil. Robertus à Boyle* composuit ex antimonii, Nitr. & Tartari parte anaticâ & calc. viv. dimidiâ, redigit in pulverem ac probè miscet; hoc facto materiam sensim ac cochleatim in retortam ingerit tubulatam, receptaculo capacissimo instructam, & liquorem inde in aquam appositam destillat, qui per phialam rectificatus sal suppeditat volatile magnarum in Medicinâ virium

22. *Spiritus antimonij compositus S. Closs.*) Accurata est hujus spiritus descriptio & præparatio, inter arcana referenda. Triceps est, constans ex spiritu acido antimonii, Acet. & vitrioli. Inservit & fixationi cinnabaris & mercurii. *Hactenus Hoffmann.*

IV. Liquatio. Unde

1. Liquor seu Balsamus ex scoriis Reguli.

℞. Scorias Reguli, (sive simplicis, sive compositi,) expone aëri humido, sic solventur propter Salia Tart. & Sal. nit. admista.

Vires. *In Chirurgia usus est insignis præsertim in fistulis & ulceribus fœtidis.*

2. Liquor ex Sale vitri Antimonii.

Fit si id in albumine ovi ad duritiem cocti, vel Raphano, vel Bryonia excavata in cella resolvatur.

Vires. *Liquor hic assumptus intrinsecus Quartanam, Podagricas defluxiones, & Paroxysmos efficaciter compescit: In Chirurgia, vulnera, fistulas absque mordacitate tamen à putredine conservat & sanat.*

Dosis à ℈ß. ad ℈j.

De Liquatione antimonii sic Hoffmann.

Liquatio. 2. Liquor ex sale vitri Antimonij.) Hic suam debet originem non tam vitro antimonij, quàm salibus Acet. dist. & aliis supposititiis antimonio additis pro Salis putatitii attractione. *Hactenus Hoffmann.*

V. Extractio. Unde.

Sulphura & Tinctura.

Sulphura sunt Extracta crassiora.
Tincturæ sunt Extracta magis elaborata.

De Sulphuribus.

Sulphura hæc extrahuntur plurimum cum lixivio forti, vel & cum ⚹ *Bas. p.* 218.

Lixivium forte ad Extract.

1. ℞. Sal. Tart. Calc. viv. & Sal. com. ust. ana. F. lixivium filtratione clarificandum.

2. ℞. Ciner. clavell. Calc. viv. & Ciner. comm. F. lixiv.

3. Recip. Calc. vivæ ℔ .... ▽. ℔ xv. F. lixiv.

1. *Sulphur. ex Minera Antimonii, vel ♁ crudo.*

℞. Mineræ ♁ ℔ iii, v.&c.vel in defectu mineræ.
℞. Antim.crud. tere minutiss. & superfunde lixiv. forte, (ex Calce viva & ▽) digere ☍ 6. vel 7. ut fiat Extractio: Extractionem filtra, & leniter bulliendo reduc in pulverem rubeum. *Hartman. in pract. Kesler.* 2. *cap.* 18.

N. *Si experiri volueris, an aliquid Sulph. supersit in materia, transfunde nonnihil extractionis in vas aliud, instillaque Acet. sic præcipitabitur Sulphur ad fundum.*

Vires. *Inservit extrahendæ tincturæ, purgat itidem supra & infra.*

Dosis g. 2. 3. 4. 5.

2. *Aliter.*

℞. Antim. pulver. q. s. coque in lixivio forti præcipitaque ▽ pluviali (impregnata ✳) hinc edulcora.

Vires. *Tutius agit per vomitum quam crocus Metallorum.*

Dosis gr. 3. 4. 5. Beguin. & Quercetan.

Nix Diaphoretica Antimonii S. Closs.

℞. Sulph. Antimonij descript. vel Sulph. aurati diaphoret. ℥j. Ol. ⊖-li ℥ij. M. in ♉, fiet massa nigra ut pix, fermentetur per noctem, postea per reverberatorium exibit aqua acidula & in fundo manebit pulvis albissimus excellens Diaphoreticum, valet etiam ad vermes, cum pomatâ vero sequenti fit inde Cosmeticum præstans hoc modo.

℞. Axung. porci ℔j. sevi vervec. circa renes collect. ℔ ij.
Ireos flor. ℥iv. Garyoph. Coriandr. Benzoin. Styrac. calam. Calam. aromat. an. ʒ ij. & Florum lavend. quart. vi.
Bull. cum rasur. pomorum curtipendul. cum pellic. ℔ j.
Aq. rof. ℔ iij. in MB per horas xii. in vase vitreo.
Colentur in vas vitreatum ubi refrixerint, aqua & fęces diligenter amoveantur, cum calore miti iterum liquescat, effundatur in mortarium calens, ubi tamdiu agitetur, donec in Pomatam albam, levem & boni odoris (addito moscho) abierit, cujus singulis unciis immiscebis Antimonij Cosmetici ʒij.

3. *Sulph. ex Antim. calcinato.*

℞. Antimonij, Tart. ana. mixta liquescant ad ignis, postea effunde in ollam plenam aqua calida, stentque per ☌m, dein decanta ac præcipita Sulph. instillatione Aceti, vel sola coctione adhibita.

N. 1. *Alij fundunt solum ♁, idque fusum effundunt dicto modo in ✳ acerrimum, vel ∽m Sal. nit. acuatum, Hinc decantant, præcipitatumque ⚲erem colligunt.*

N. 2. *Nisi me felicior fueris, nihil efficies, cum nihil sit quod Sulph. Antimonii foras attrahat.*

Alij.

℞. ♂ p. 1. fundunt, fusoque injiciunt antimonij p. ij. atque dicto modo effundunt in ✳.

4. *Aliter.*

℞. Antimonij p. ij. scor. ♂ (*Hammerschlag.*) Sulph. an. p. 1. M. & injice sensim super Sal. nit. & Tart. ad △ fluentia, hinc fluant simul optimè, dein extrahe Sulph. coquendo in lixivio forti, præcipitaque instillatione ✳.

Vires. *Purgat per alvum.*

Dosis gr. 4. 5. 6 7. 8.

5. *Sulph. ex Croco Metallorum.*

Fit eodem modo: Hepar scil. antimonij coquatur in lixivio forti, vel sola aqua, (ut in edulcoratione Croci Metallor.)

6. *Aliter.*

℞. Antim. & Tart. pulverisatorum ana ℔ iij. cæmententur per 4. aut 5. horas, vase probè incandescente, quod tandem projicies in mensur. 2. aceti & per horam unam aut alteram ebullire sines, cola Acet. & coagula in pulverem.

Ex S. Closs.

7. *Sulph. ex scoriis Reguli: Sulph. auratum Antimonij.*

℞. Scorias à Regulo separatas, easque coque in lixivium, trajiceque per chartam, colaturæ insperge Acet. & præcipitabitur Sulph. auratum antimonii quod decantato lixivio edulcorandum.

Vires. *Movet vomitum, ac interdum secessum.*

Dosis g. vj.

8. *Sulph. ex Regulo Antimonii ♃iali:*

Fiat Hepar ex Regulo ♃iali & Sal. nit. Hoc Hepar sine ablutione coque in lixivio forti, ut abstrahatur Sulph. decanta & præcipita instillatione ✳.
Quercet. in Tetrad.

9. *Aliud.*

2. ℞. ♁ crud. per ♈ præcipitatum & edulcoratum, coque bulliendo in lixivio Tart. decantaque, lixivium tinctum evaporet, sic remanebit in fundo Sulphur antimonii cum Sal. Tart. sublimatur Sulph. antimonij purum. *Sala de ♁.*

10. *Sulph. ex Cinnabari Antimonii, Sulph. Antimonii verum.*

Cinnabaris antimonij pulverisat. coquatur ebulliendo in lixivio fortissimo, (ex cineribus clavell. & Calc. viv. an. vel ex Sal. Tart. & Sal. nit. Calc. vivæ,) per horas 3. vel 4. Decantetur lixivium à ☿ vivo, qui currit in fundo, filtreturque, hinc reponatur, ut Sulph. subsideat coloris rubei, quod à lixivio separatum edulcoretur sæpius ▽a commun. calida; dein leni calore exiccetur, habes Sulph. antimonij genuinum.

Hinc paratur.

Panacæa Sulph. Antimonii veri.

1. ℞. Sulph. jam descript.
Regul. antimonij an. ℥j.
☍. Sulph. per C. vel ☍ ⊖-i rectificatiss. ℥iij.
Digere per aliquot ☌ (8.) in loco calido, deinde destilla ex ∴. per ♉ vitream, ter ad minimum cohobando; urge postremo △e quarti gradus per horas 12. & erit totaliter fixum, quod exime & cum ▽ rosar. lava & exicca.

N. *Præstat materiam ♉ fracta exemptam sub tegula per horas 5. 6. reverberare.*

2. Recip. Hujus pulver. ℥j.
Mag. vel Sal. Coral. ℥ij. M. exactè.

Vires. *Est instar panacæa: habet nimirum in se vim diaphoreticam ac sanguinem mundificandi, ideoque quibuslibet morbis per sudorem sanabilibus inservire potest, præcipuè Lui venereæ, fœditatique cutis. Repetenda est Dosis sæpius in quibuslibet morbis, præsertim verò in Epidemiis, & malignitatem aliquam secum vehentibus.*

Dosis à gr. 10. *ad* 15. & 20.

Hartman. in Croll. in pract. Agricola de ♁. Schrôder.

De Extractione antimonij sic habet Hoffmann.

5. *Extractio. Unde Sulphura & Tincturæ.* 1 *Sulphur ex Minerâ antimonii vel antimonio crudo.*) Recip mineræ ♁ vel ♁ crudi q. v. tere minutiss. & superfunde lixi-

lixivij fortiss. q. v. ex Sal. comm. Tartari, calc. viv. & Sal. com. ust. parat. digere per 6. vel 7. ♂♀ ut fiat extractio; extractionem filtra, & leniter bulliendo reduc in pulverem rubeum.

N. Si experiri volueris, an aliquid sulphuris supersit in materiâ, transfunde nonnihil extractionis in vas aliud, instillaque Acet. sic præcipitabitur Sulphur ad fundum. Antequam hoc fiat, solutio per aliquot dies stet, & sulphur antimonij per se fundum petet, postmodum decanta & cum Acet. præcipita.

N. 2. Fieri etiam potest sulphur antimonij ex Cap. mort. Tincturæ Nephriticæ vel aquæ stimmi tartareæ.

N. 3. Recip. tartari & Nitr. ana ℥iv. antimonii crudi pulverif. ℥viij. misce ac tere, deponentur in Crucib. more solito, si refrixerint, pulverisa minutissimè, aquam calidam affunde, coque per semihoram, filtra per duplicem pannum linteum, vel sacculum, divide in duas partes. Unam ⩦ta in aquâ frigidissimâ, exsicca, & signa litterâ A. Alteram partem lixivij præcipita cum Acet. dist. more consueto & signa litterâ B. Quod in sacculo remansit, edulcora cum aquâ, exsicca probè & nota litterâ C. Pulvis A. & C. usurpatur in affectibus hystericis, quamvis sub litterâ A. grana 7. vel 8. vomitus & sedes causentur. Signatum littera B est Sulphur auratum summum sanguinis depurativum. Hoc si unicâ tantum Acet. dist. abstractione aliquanto magis figatur; in cachexiis contumacibus remedium est exquisitissimum, primò Enti metallorum planè simile, sive per se, sive cum alijs præcipitantibus sociatum detur.

Nix diaphoretica antimonij S. Closs.) Hæc nonnullis materia audit perlata. Prout autem hîc cum sp. vel ol. vitrioli, sic & alias etiam sulphur antimonii cum spiritus Nitri sextuplo figitur, si à sulphure aurato antimonii ad siccitatem usque abstraxeris, inque albissimum pulverem fixaveris, securissimum, & elegans inde acquires diaphoreticum, summum juxtà archei sedativum. Dosis est à ℈ß. ad ℈j. vel per se vel cum cervinis aut alijs cinnabarinis mixti.

N. Quod cum sp. Nitri fixitatem acquirit, internum agnoscit usum, quod autem cum sp. vitrioli, externe cosmeticum habet.

3. *Sulphur ex antimonio calcinato.*) Hæc cum tartaro elaboratio sulphuris antimonij optimè succedit. Quæ autem absque salium additione fusio antimonij commendatur, non succedit, quia salibus destituitur, quæ Sulphur antimonij extrahunt. Nec alter modus cum marte voto respondet, sic enim potius crocum ♂tis, quàm Sulphur Antimonij acquires.

N. Ex calc. viv. cum antimonio per 6. hor. calcinat. absque aliorum externorum salium sodalitio in aquâ coctis & cum Acet. dist. ⩦tatis etiam Sulphur Antimonij crocei coloris conficitur, vid. suprà.

4. *Aliter. Recip. antimonij p. ij. scor. ♂tis p. 1. & Sulphur. ana. M. &c.*) Hæc descriptio, hujusque elaboratio, prout & § 6. & 7. ex croco metallorum & antimonio cum Tartaro cæmentat. & scorijs reguli suâ non carent laude, nec in minimis sunt habendæ.

8. & 9. *Sulphur ex Regulo antimonij ♃viali; & aliud ex antimonio crud. per aquam reg. ⩦tat.*) Hæc magni etiam sunt valoris tam ob genuinam descriptionem, quàm veram etiam illorum præparationem nullis cedentia.

10. *Sulphur ex cinnabar. antimonii, Sulphur antimonii verum.*) Vide de hoc etiam *Cl. Zwelfer. in mantiss. spagyric.* part. 2. Cap. 8. Verùm inconveniens est, cinnabaris antimonij virtutem per partium ejus sulphurearum & mercurialium separationem per salia alkalia factam destrui; ideoque satius erit, loco Panaceæ sulphuris antimonij substituere bezoardicum minerale & cinnabarim antimonij cum magister. Cordial. ex margarit. & corall. ana præparat. *Hactenus Hoffmann.*

De Tincturis.

De Tincturis Antim. notare in genere expedit, quod monente Basilio, ⚹ in priori extractione adhibitum, ∽ purgantes figat (ita ut per ☐m sudores & ptyalismum duntaxat operentur, etiamsi postmodum per 🜄 extrahantur,) & contra 🜄 vim in eadem dejectoriam augeat. *Basil.*

Tinctura antimonij nihil aliud est, quam portio aliqua antimonij, idoneo menstruo soluta & exaltata, eaque potissimum sub colore rubeo.

Absolvitur Tincturæ præparatio plerumque duabus operationibus: Extractione scil. & Exaltatione. Hæc ferè non nisi 🜄 perficitur, illa potissimum ⚹, quod plerumque acuitur aliquo ∽u acido.

1. *Tinctura ex antim. crudo.*

℞. 1. Antim. pulv. extrahe Tincturam rubicundam s. a. cum ∽u ⊖-i Philosoph. digerendo in Cineribus, hinc decanta, decantatas Tincturas confunde, abstraheque ∽m ⊖-li in MB l. igne, donec guttæ flavescant.

2. Tincturæ in fundo remanenti affunde 🜄m rectificatum, extraheque 🜄i, igne MB, donec itidem guttæ flavescant. Tunc mutato recipiente, igne fortiori propelle Tincturam.

Vires. *Balsamum mirum est, quo uti possumus ad vulnera curanda, tàm interna, quàm externa: movet sudorem, nonnunquam etiam secessum & vomitum: emendat Symptomata veneni, Lepræ* Faber Monsp.

Alij pro menstruo utuntur 🜄, ex ⊖ Virid. Æris & O plumos.

2. *Alia, Balsamus vitæ Basilij.*

Recip. Antim. Crud. q. v. extrahe Tincturam rubic. cum ⚹ radicato, digerendo per horam, filtraturam digere iterum per horam, & nigrescet. Abstrahe ⚹ ad siccitatem, edulcora & circula cum 🜄 opt. ad eminent. 3. vel 4. digit. per horam unam ac alteram, vase clauso: decanta dein & destilla ex Cinere, & prodibit Spir. vini impregnatus Tinctura antimon.: circula ♂♀. 10. circiter, & subsidebit Tinctura; quam per Tritorium à Spir. Vini separa.

3. *Candefac primum Antim. hinc injice in ⚹.*

Vires. *Summarum est virium, mundificat sanguinem, curat Morphæam, scabiem, exhilarat spiritus.*

3. *Aliter.*

Recip. Antim. crudi q. v. extrahe Tincturam rubic. cum Acet. antimonii digerendo aliquamdiu, decanta, abstraheque Acet. & pelle Tincturam per XX ex ⁘.

Vires. *Summè prodest in Morphæa L. V. &c.* Basil.

4. *Alia, Manna Antimonii dicta.*

Recip. Antimonij pulverif. extrahe Tincturam cum ∽u antimonii essentificato: filtra ac abstrahe. Hinc digere cum Spir. Vini ac abstrahe.

∽ antimonii essentificatus præparetur ex Magnesia, acuaturque nativo suo sale.

Integrum equidem adscripsissem Processum, verum cum id forsan Dn. D. Paulo Kester. cui illum acceptum fero, ingratum foret, descriptionem, quam dedi, eamque vel Tyroni Chymiæ satis perspicuam, aqui bonique consule.

Ex Antim. calcinato.

5. *Tinctura ex vitro Antimonii, Magisterium Antimonii Salæ: 8o vitri Antimonii Basil.*

Recip. Vitr. Antim. ℥ß. lævigato, affunde ⚹ acerrimũ, vel

vel acuatum ~tu Sal com.(aliàs incassum laboraveris,) ad eminent.2.aut 3.digit.digere in ∴ calore, qui manu absque adustione tolerari possit ☍ 30. circiter, quotidiè semel aut bis agitando, &c. Tinctum liquorem decanta & abstrahe ✳ ad coagulationem usque subfuscam & acrem, (ad siccitatem ♁eris, *Basilius.*) Hæc exposita Aëri dissolvitur in liquorem, qui vitreo vase probe obturato servetur, ne liquescat & evaporet. *Sala, Thold in Halograph. pag.* 196.

Huic affunde ♈ ac extrahe iterum, decanta à fæcibus; tandemque ♈ abstrahe. Dicitur Alexiterium antimoniale. *Basilio in Curr. Triumph.* qui ♁erem ante ♈ affusionem edulcorat ▽æ destillatæ iteratis abstractionibus.

N. *Hæc Tinctura quandoquidem difficulter retineri queat, quin liquescat, paratur exinde Bezoardicum, quod.*

℞. ~ hujus antimonialis, ad mellis consistentiam inspissati ℥ij. C.C. ust. præparat. ℥j. M. exactè & exicca lentè.

Vires. *Utrumque conducit ad obstructiones omnes inveteratas Hepatis, Lienis, Pulmonum, &c. Item adversus mensium retentionem, Leucophlegmatiam virginum, Icteritiam utramque, Hydropem, Phthisin, Asthma, Pleurisin, Cachexiam, Melanch. Hypochondriacam; Itemque ad ulcera, tam externa, quam interna, Scabies quascunque & prurigines, Luem ven. Febres pestilentiales, continuas, putridas, &c. Morbillos, variolas: noxia expurgat per sudorem, ☐m salivationem: usus ejus continuari potest.* Basil. Tentzel.

Dosis Tincturæ à g 3. ad 9. in vino malvat. vel alio liquore. Bezoardici à g. 4. ad 12. &c.

Acetum ad hoc opus idoneum huc refer ex destillatione Acet. Eodem modo eadem Tinctura parari potest, si loco ✳ sumatur ♈ ex ⊕, Sal. nit. Calc. viv. ana ℔ 1. ✳ ℥ IV. ✳ ℔ iij. quæ digesta ♌antur per ♉m, ut ♈ ♌i solet. Liquor rectificatur ab æquali pondere Sal. com. *Kesl. 1. c.* 30.

N. *Pulvis ille, ante affusionem ♈ albumini ovorum coctorum impositus, in liquorem convertitur, vulneribus recentibus & inveteratis malignisque sanandis utilissimus.* Basilius.

6. Alia Tinctura ♁ vitri, ex minera facti.

Extrahe primò cum Acet. proprio, decanta ac abstrahe.

Extrahe secundò cum ♈ opt. decanta (rejectis fæcibus,) ac circula.

N *Si Tincturam hanc per horam unum ac alterum circulatum ♌veris, consequeris ☍ seu Essentiam Antimonii omnium fere morborum Panacæam, ex qua lapis ignis.*

Dosis gutt. 8. *Basil.*

7. Alia ex vitro ♁ij ☉ari.

℞. Vitri antimonii Solaris, q. v. affunde ♈. rectificatiss. ad eminent. digitorum 4. digere in vase clauso, & extrahetur Tinctura rubicundissima, quam serva, & adhibe sine abstractione.

Vires. *Movet sudorem citra vomitum, nauseam, mundificat sanguinem ab omnibus impuritatibus & feculentiis Tartareis. Salem microcosmicum resolutum (ex quo hydrops) coagulat, & phlegmata noxia ex corpore exterminat, Podagricos juvat, præsertim, si cum arcano Filicis fuerit propinata. Dolores artuum ex Lue Ven. tollit, ut & ipsam luem veneream cum decoctis convenientibus; curat ulcera: In Peste & aliis morbis Epidemiis magnum exhibet solamen.*

Dosis à ℈ij. ad ℈iij. vel plures.

N. 1. *Post extractionem, quæ ☍ fieri ferè potest; remanentia denuo fundi potest in corpus Solare album.* *Hartm. in Croll. Kesl.* 2. *c.* 30.

N. 2. *Quandoquidem vis dejectoria ✳ vj. refrænatur, non abs re foret, primo hanc Tincturam cum ✳ (ut in præcedenti præparatione) extraxisse.*

8. Alia, ex vitro Antimonij solari.

℞. Vitri antimonij part. ij. ☉ per ♁ purgat. p. r. fundantur simul, dein extrahatur Tinctura cum ✳ radicato; quo iterum abstracto, circuletur. Tinctura cum ♈ per ☍ (8.) abstrahe vicissim ♈, ac si placet auctiori △ Tincturam per ♉m propelle depressiorem, eamque seorsim collige.

Vires. *Medicina Diaphoretica est longè excellentissima. Purgat etiam satis promptè si Basilico credamus, addito Extr. Rhabarb.* Hartm. Tentzel.

9. Tinctura ex Croco Metallorum Bickeri.

℞. Croc. Metall. q. v. extrahe Tincturam s.a. cum ✳ acerrimo, decanta tinctos liquores & abstrahe ✳ ad spissitudinem mellis.

Vires. *Purgat & movet sudorem vehementer.*

Dosis à gr. 6. ad 12.

N. *Ex remanente Antimonio, ex quo Tinctura scil. prolecta fit Sal Antimonii dulce (vide suo loco.) Hoc Tincturæ admixtum, efficaciorem eam reddit* Bicker *in Epist. Clariss. Horst. vide hujus observ. l. 1. s. 1.*

10. *Alia.*

℞. Hepar antimonij, (i.e. Crocum metallorum à Sal. nit. suo nondum edulcoratum,) calcina per horas aliquot, (12.) & evadit pulvis albus, dein expone in cella, ut in liquorem abeat. Ex hoc liquore extrahe Tincturam cum ♈ opt. rectificat. decanta & abstrahe.

N. *Sal. nit. partim sponte in cella coagulatur, partim quoque in extractione subsidebit, ubicunque ergo separa.*

Vires, *Vires & Dosis eædem cum præcedenti.*

N. *Tinctura hæc est Viri Experientissimi ac bene de Rep. Chymica meriti, Dn. August. Weis, Pharmacopæi apud Wormatienses spectatissimi.*

11. *Alia S. Clossæi, quam vocat Oleum ♁ij febrifugum & Antipleuriticum.*

℞. Reguli ♁ per speculum ardens incinerati q. v. Superfundatur ~us ⊕li ad exstantiam unius digiti, digere per biduum, solutionem inclina, alium ~m ⊕li affunde, evacua omnes solutiones; M. & ex Cineribus phlegma extrahe estabit Ol. liquidum quod in ♈ dissolves, alterâque vice extrahes.

Dosis gr. 4.

12. *Tinctura ex Antim. Tartarisato.*

℞. Antimonium crud. Tart. ana misce & calcina in anemio, donec Tart. penitus combustus sit, elue dein Tart. ▽ calidâ, ac extrahe ex Antimonio remanente Tincturam s. cum ♈: abstrahe ♈ & remanet Tinctura Antimonii in fundo. *Basil.*

N. ♈ *abstractus cum Tinctura non potest iterum misceri, sed supernatat semper.*

13. *Rubinus Antimonii ☿alis.*

℞. Antimon. elect. Tart. ana fundantur simul.

Dein

℞. Hujus massæ ℥ij. (potius Reguli) ☿ij opt. purgat. ℥j. ☍ ⊕i ℥ ij. M. diligenter, digeranturque l. calore, donec siccescant: Dein extrahe s. a. Tincturam rubicundissimam cum ♈: decanta & abstrahe ♈m ad consistentiam mellis, sic habebis materiam, quæ frigori exposita indurescit in lapidem instar rubini. *Clodius.*

14. *Tinctur. ex Regulo ♂ aut ♁. Antidotos Pantagogos.*

℞. Calcem Reguli ♂ aut Antimon. solve dige-

rendo

rendo aliquot ♂ cum 🜍u ♉ tandemque destilla △ fortiss. & prodit 🜕 crassum, cui rectificato affunde 🜄 opt. circula, destilla cum cohibiis tribus, semper fæces rejiciendo. Tandem liquor servetur accuratissimè.

Vires. *Repurgat sanguinem, appetitum excitat, viscera corroborat, eradicat cachexiam, melanchol. hypochondr. Icterum, hydropem, idque leniter purgando.*

Dosis gutt. aliquot 2. 3. *&c.* Quercet. *in Tetrad.*

Potest etiam in præcipitatum, & calcem albam, rubram, imò etiam flavam redigi.

Cujus Dosis gr. 3. 4.

15. *Alia, Balsamus Reguli, & exinde Tinctura.*

℞. Regul. pulver. q. v. digere in MB. cum 🜍tû Terebinth. & rubescet, decanta, abstraheque affundendo ▽. (*vide Basil. Sulph.*) dein solve in 🜄 digere & abstrahe.

Vires. *Optimum est remedium in affectibus pulmonum, phthisi, asthmate, tussi, si frequenter adhibeatur.*

Dosis g. 3. 4.

16. *Tinctura ex Antim. calcinato cum lap. prunellæ.*

℞. Lap. prunell. ad porositatem usque per Sulph. depurati, Antimonij an. M. & committe igni reverberatorio ♂ (5) ut Crucibulum semper sit ignitum. Ex antimonio hoc edulcorato extrahe Tincturam s. a. per 🜊, hinc decanta, & abstrahe 🜊 Tincturam remanentem exalta, ut moris, per 🜄 *Kesler.*

Vires. *Purgat per secessum, (potius per sudorem.)*

Dosis g. 2. 3. 4.

N. *Terra in extractione cum 🜊 residua si dulcoretur, sistit omnes alvi fluxus.*

Dosis g. 8. 10.

17. *Tinctura ex Antim. rubeo fixo.*

℞. Antimonii rubei fixi, (*vide in calcin.*) q. v. extrahe Tincturam rub. digerendo cum 🜊, decanta & abstrahe ad siccitatem. Postea extrahe cum 🜄 similiter procedendo uti cum Acet.

N. *Basilius reverberat materiam antequam secundam extractionem cum 🜄 scil. aggrediatur.*

Vires. *Summarum est virium in resolvendo cruore, in rumpendis apostematibus in curanda Lue Ven. &c.*

Dosis g. 3. 4. *Basil. in curr. Triumph. Baco de Antim. qui vel pro Panacæa ferè vendicat.*

18. *Tinctura è floribus Antimonij, Lilium Paracelsi.*

℞. Antimonij, Sal Armon. ana. propellantur per 🝪m, ut nil nisi fæces remaneant. Ex floribus his optimè edulcoratis, & in reverberatorio aliquamdiu vase clauso per colores ad rubedinem reverberatis, extrahe Tincturam s. a. cum 🜄 rectific. eamque rursus tandem abstrahe ad consistentiam olei.

Vires. *Medicamentum est restaurativum totius corporis, solâ humorum correctione agens, mundificat corpus hominis supra omnia arcana: utile insuper in obstructionibus Epatis, Hydrope, Morphæa, Lepra in morbis Lienis, uti Scorbuto, & simil. movet menses, & si Basilio credamus purgat leniter per alvum, cum extr. Rhabarb. ac Tinctura Corallorum.*

Dosis g. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Paracels. l.* 2. *magnæ Chirurg. Basil. in curru triumph. (vocat Elixyr Antimonij,) Hartmann. in disp. Chymico-Medic.* 7. *thes.* 129. *Querc. Poter. Sala in Anat. Antim. (qui quoque flores rubeos obscuros cum arena sublimatos æque efficaces censet, ut & flores reverberatione ad eundem colorem redactos.)*

19. *Aliter, Arcanum Antimonij Basil.*

℞. Flores illos edulcoratos (etiam nondum reverberatos) affunde 🜍 ⊖i rectific. circula, donec benè uniantur: dein propelle simul, ac affunde 🜄 circulaque subsidentibus fæcibus separatis, Tincturam adhuc semel rectifica.

Vires. *Confortat ventriculum, noxios humores consumendo, appetitum excitat, tollit melanch. hypochondr. suffocationem uteri, colicam & simil.*

Dosis g. 1. *ac altera. Basil.*

20. *Aliter.*

Elixyr ☉lare Antimonii aliàs Electrum, seu Lili. Parac.

℞. Reguli Antimonij (ex ☿io vitæ cum pari pondere Tart. & ana. Sal. Nit. per detonationem facti) partem 1. auri purgati tantundem, fluant simul & pulverentur, adde Sal. Armoniaci quadruplum pondus, sublima toties donec Astrum Antimonij ascenderit, in fundo autem terra fatua & inutilis remanserit, elue salsedinem Sal Armoniani & restantes in fundo ☉ & Antimonij flores pone in Ovum Hermeticum in capella fixatoria, da △ talem, ut in fluorem non adducantur, sed ex flavis citrini, tandem verò ex citrinis castanei coloris fiant. Hisce fixatis floribus affunditur 🜊 Alkalis, & postmodum 🜄 ad extrahendam Tincturam, uti latius tradetur Artic. de Tincturis Antimonii & in Antidoto ζωηφίλῳ, Querc.

Vires. *Summa Medicina perhibetur esse in Ictero nigro, podagra, hydrope.*

Dosis instar grani coriandri bis in die ad curationem in Syrupis, ad præservationem semel in mense.

21. *Alia, Basil.*

℞. Flor. Antimonii rub. q. v. extrahe digerendo cum 🜄 ac abstrahe.

Vires. *Purgat leniter, tollit febres tertianas & quartanas.*

Dosis gr. j. & ij.

22. *Alia ex floribus.*

Antidotus ζωήφιλος *Quercetan.*

℞. Flores Antimonij, (nimirum qui ex Antimonio Ungarico per se ad albedin. calcinato, cum Sal. Armon. sublimati sint & edulcorati,) q. v. extrahe cum 🜊 Philosophico Tincturam rubic. s. a. tempore sat longo. Decantatos liquores tinctos destilla ad siccitatem. Ex pulvere edulcorato extrahe iterum Tincturam pellucidam cum ▽ vitæ Coralliorum (🜍 Corall. inflammab.) tandemque propelle fortissimo igne per 🝪m 🜕 rubrum cum ipsa ▽ vitæ, reserva citra separationem.

Vires. *Est verum vitæ Balsamum, nunquam satis laudandum. Exhibetur cum appropriatis, in Epilepsia, Apoplexia, Paralysi, Pestiferis morbis, Lepra, Morphæa, mundificat totum sanguinem.*

Dosis guttæ aliquot. Quercet. *In Tetr. 🜊 Philosophicum pro hoc opere vide de 🜊.*

23. *Tinctura ex floribus Antimonii ⊖latis.*

Antidotus Lysipyretos.

℞. Flor. Antimon. ⊖lator. rubicundiss. Extrahe cum 🜍u ⊖i Antimonialis, deinde cum vero 🜍i æthereo 🜍u.

Vires. *Vera est Antidotus contra febres omnis generis, uti & pestiferas.*

Dosis gutt. 4. 5. *in liquore convenienti. Quercet. in Tetr.*

24. *Tinctura ex floribus Reguli, Antidotus* πάγχρυσος.

℞. Flores Reguli rub. q. v. reverbera vase clauso vitreo ♂ 3. 4. continuos. Deinde extrahe tincturam

f. a. cum ⚹ radicato. Decantatos liquores libera à suo menstruo per destillationem. Postea nova fiat extractio cum 🜄. Tandem denuò 🜄 ad siccitatem usque abstrahatur.

Vires. *Totam sanguinis massam emendat; Morphæam, Lepram, Scrophulas, Luem Ven. persanat: instaurat & auget nativum calorem, visciditates ventriculi absumit, ac corpus omnibus excrementis expedit. Colicis est aptissima medicina, nec non præfocationibus matricis si Reguli ♂ loco, Regulus ♃. ad parandos flores substituatur.* Quercet. *in Tetrad.*

25. *Alia ex floribus Reguli ♂ præcipitatis Antidotus Isochrysos.*

℞. Præcipitatos fl. Reguli ♂ ad flaved.. reverberatos, extrahe Tincturam cum ⚹ Philosophorum f. a. relictis quibusdam fæcibus albis in fundo, Menstruo per Cineres separato remanebit in fundo 🝓 levissimus rubei coloris: quem reverbera horas 2. aut 3. Dein affunde ∽m Junip. digere. Sic ferè 🝓 convertetur in Tincturam rubicundissimam.

Vires. *Admirandarum virtutum est, adeoque ipsi auro potabili æquiparanda. Apostemata interna omnia aperit atque curat, sanguinem concretum dissolvit, corruptumque purificat, ad Lepram, Scrophulas, L. Ven. Pestem, infinitosque alios morbos magnum remedium exhibet.*

Dosis gutt. 6. 7. 8. 9. 10. Quercetan. *in Tetrad.*

26. *Tinctura ex Ol. Antimonii Saccharato.*

Recip. oo illius q. v. affunde ⚹ ad eminent. 3 aut 4. digitor. digere ac tandem abstrahe, sic relinquitur Tinctura in fundo rubicundissima. *Gluckraht.*

N. *Kesler* 2. c. 4. *extrahit cum* 🜄, *eumque vicissim abstrahit.*

Vires. *Purgat per inferiora.*

Dosis g. 3.

27. *Tinctura ex Sulph. Antimonii.*

℞. Sulph ex Antim. crud. (primi modi) q. 4. extrahe f. a. cum 🜄 non usque adeo forti. (Alcohol non extrahit) Decanta & destilla cohobationibus 7ies repetitis per XX. Tandem propelle per ⌒m vitream ex ∴, addito quoque igne suppressionis, ac prodibit in forma rubicundissima oo antimonii dulce: abstrahe 🜄 per MB ac remanet in fundo Tinctura.

Vires. *Confortativum est summum, movet sudorem, præservat à Podagra.*

Dos. g. 1. *ad* 4. Hartm. *in Pract.*

N. *Operatio hæc, quia expertis non successit, aliud eligere menstruum suadeo, vel acuere ⚹ addito ∽u Sal. nit. aut ⊕i, & simul.*

28. *Aliter.*

℞. Sulphur ex Antim. (secundi modi,) q. v. extrahe f. a. cum ∽u Sal. Com. quo iterum abstracto, digere cum 🜄, eumque denuo vicissim abstrahe.

Vires. *Sudorem ciendo contracturam artuum, imprimis ex colica causatam, feliciter curat.*

Dosis gr. 3.

29. *Tinctura ex Sulphure Antimonii Aurato.*

Extrahe cum 🜄, decanta & abstrahe ad consistentiam mellis.

Vires. *Sudorem provocat, purgatque inprimis per alvum absque molestia, non primo sed tertio demum die.*

Dosis gr. 4.

30. *Tinctura ex Sulph. Reguli ♃ialis, Antidotus Soterios Querc.*

Ex Sulphure dicto edulcorato extrahe tincturam f. a. cum vitriolicâ hydromelitis aciditate, alkalisata scilicet proprio Sale (id est, cum ⚹ ex melle Acet. & dein acuato cum suo Sale,) abstrahe menstruum & circula ad aliquot ☍ cum flagrante Juniperi ∽u. Deinceps per ⌒m crebris cohobationibus destillabis, & ∽m Juniperi separabis, ut restet in fundo Destillatorij liquor suavissimus.

Vires. *Omnium affectuum Pulmonum æque salutaris Medicina ac Balsamus utilis in Phthisi, Dyspnœa, Asthmate, Pleurisi, Peripneumonia, &c. In summa, saluberrima est Medicina, quamplurimis, gravissimisque morbis profligandis apta.*

Dosis à gutt. 3. *ad* 6. *vel plures.* Querc. *in Tetr.*

31. *Tinctura ☿ Antimonii cum ☉, Antidotus θεόπεμπτος.*

℞. ☉ per Antim. purgat. p. 1. ☿ antimonij p. vi. F. ããã. Ex hoc ããte abluto & purgato extrahe Tincturam pellucidissimam instar rubini f. a. variis cohobationibus cum circulato minore Paracelsi eam exercebis, circulatumque postea separabis, ut Tinctura restet sola.

Vires. *Pretiosissimum est donum Dei adversus Pestem, Lepram, Morphæam, & id genus alios morbos gravissimos.*

Dosis gut. 3, 4, 5. *ex theriacali.* Quercet. *in Tetrad.*

32. *Tinctura ex ⊕-o seu Crystallis Antimonii.*

℞. ⊕m seu Crystallos antimonij viridiusculos, superfunde aquam frigidam, copiosam, & præcipitabitur 🝓 albus, qui reverberatione evadit citrinus ac dein rubeus. Ex hoc extrahe f. a. Tincturam rubicundam cum ⚹: Hoc iterum abstracto, reiteratur solutio cum 🜄, quem quoque vicissim tandem abstrahe. *Thold. in Halograph.*

33. *Tinctura magisteriata, Lapis Ignis Basilij.*

℞. Tincturæ Antimonii, (ex vitro quod è minera factum.) ℔ij. Sal. antimonij ℥ij. Misce ac fac coire circulando cum 🜄, (per horam ad minimum,) dein abstrahe in MB 🜄 ad siccitatem, & postea fortissimo igne, elice per ⌒m oo hoc rectificata iterum MB ut quarta pars exhalet.

℞. Hujus ooi rectificati,

☿ij Antimonialis præcipitati, (scilicet per ∽m ⊕i ♂is.) an.

Digere in vase H. clauso aliquamdiu, sic solvetur primum præcipitatum, dein unientur omnia, & exhibebunt 🝓 erem rubeum, fixum & fusilem.

Vires. *Tinctura hæc æquipollet viribus ☉. Basil. in C. Triumph.*

N. *☿ij. præparationem habes infra.* Schrôderus.

De Tincturis antimonii sic habet. Hoffmannus.

De Tincturis antimonii.) Hîc rectè Dominus Autor annotavit, Tincturas istas antimonij non esse nudum ejus sulphur, menstrui ministerio ex antimonio elicitum, sed concretum, seu portionem aliquam antimonij idoneo menstruo solutam & exaltatam colore isto rubro ex variâ situs & texturæ minutarum partium figurâ lucis & oculorum respectu emergente.

N. Idoneum illud menstruum est v. g. Acet. dist. vel spiritus ex crystallis vir. ær. quem extrahendi modum *Cl Zwelferus à Basilio* Valentino didicit. Item ol. Terebinthin. etiam crudum antimonium pulveris. facile in sanguinei coloris balsamum dissolvit.

N. 2. Acet. dist. plerumque acuitur aliquo Spiritu acido v. g. sp. nitri, vel sp. vitrioli phil. solo affuso mineræ antimonij, & sexies vel septies cohobato. Sic.

1. *Tinctura ex antimonio crudo.*) Ex antimonio trito extrahe tincturam cum Spiritu Vitrioli phil. digerendo

rendo in Ciner, hinc decanta, decantatas tincturas abstrahe, cohobando, in prima autem ac secunda actione liquor niger ac fœtidus ascendit, postea ♌ labit liquor instar tincturæ auratæ; cum spiritu vini verò residuum circulandum & extrahendum est.

N. Alii pro menstruo utuntur aq. fort. ex vitriolo, ☉ plumos, & vir. ær.

2. *Alia. Balsamus vitæ Basilii.*) Hic ex antimonio crudo cum Acet. dist. radicato juxtà *Domini Autoris* descriptionem elaboratur; Componitur autem Acet. dist. radicatum quando à sale tartari Acet. dist. aliquoties abstrahitur, usque dum nanciscatur acorem. Verum huic commodius sp. vir. æs. substitui potest.

3 *Aliter.*) Cum Aceto antimonij digestionis beneficio etiam ex antimonio crudo tinctura rubicunda extrahitur, qui modus quoad præparationem & efficaciam est convenientissimus, in primis si Acet. à sale antimonij fuerit abstractum. Hujus præparationem vid. in Keslero.

4. *Alia Manna ♁ nii dicta.*) Hæc etiam cum Acet. antimonij nativo suo sale impregnato conficitur extrahendo, & extractum cum sp. vini circulando ac digerendo.

Ex antimonio calcinato 5. *Tinctura ex vitro antimonii. Magisterium antimonij Salæ. ol. vitri antimonij Basilij.*) Hæc juxtà *Domini Autoris* descriptionem optimè etiam succedit. Cum autem difficulter retineri possit, quin liquescat, conficitur exinde Bezoardicum, scil. ol. per deliquium solutum, affunditur CC. ust. & præpar. & sic elegans acquiritur bezoardicum; Alij loco hujus affundunt butyrum antimonij CC. ust. calcinat. & sic præparant bezoardicum CC. Elegantior tamen fit Tinctura ex vitro antimonij seq. modo Rec. vitri antimonij sine additione parati & instar rubini opt. triti q. s. affunde sp. vir. ær. ad trium digitorum supereminentiam. Stent in digestione sine agitatione, donec flavedine imbuatur spiritus, hunc decanta, alium superaffunde, atque hoc toties repete, quoties Menstruum affusum tingitur; Menstruum Tinctum in vitro abstrahitur ad aliqualem liquoris remanentiam. Cui sp. vini rectific. superfusus rubicundâ imbuetur tincturâ, quæ usui reservanda est.

3. *Alia, ex vitro antimonij ☉lari.*) vitri antimonij ☉laris elaborationem supra communicavimus, ex quo seq. modo Tinctura concinnari potest: Rec. vitri antimonij ☉laris optimè triti q. v. humectetur subinde sp. vir. ær. & iterum exsiccetur in leni calore. Ex hoc cum s. q. dicti spiritus extrahe Tincturam in loco tepido vase clauso. Hos tinctos spiritus leni destillatione ad remanentiam liquoris rubicundi abstrahe. Liquor residuus exaltetur sp. vini summè rectificato, & abstracto denuò sp. vini ad liquoris crassioris remanentiam remanet Tinctura antimonij ☉laris rubicundissima. Si hoc modo non procedatur, & prout Dominus Autor tradidit, sp. vini saltem vitro antimonij absque præviâ extractione cum sp. vir. ær. vel Acet. dist. factâ affundatur, spei exoptatæ non satisfiet.

8. *Alia, ex vitro antimonij ☉lari.*) Hæc satis concinna erit, modò Tinctura auctiori △ne per retortam depressam non propellatur, sed tantùm sp. vini abstrahatur, relicto liquore crassiore pro Tinctura vitri antimonij ☉lari.

9. *Tinctura ex Croco Metallorum Bickeri.*) Hanc valdè commendat *Bickerus de conservanda valetudine.* Item *Greg. Horstius in consil.* Nihil autem est aliud, quàm Sal aceti cum antimonij particulis sociatum. Melius succedet, si loco Acet. dist. sp. vir. ær. etiam substituatur & ad siccitatem inde abstrahatur, residuum a. sp. vini rectificatissimo circuletur. Eadem est ratio seq. *Tinctura* 10 *ex Hepate Antimonij.*

11. *Alia S. Clossæi, quam vocat oleum antimonij febrifugum & Anti-pleuriticum.*) De hujus elaborationis successu nemo dubitet, sæpius enim præparavi. S. quentem tamen etiam non postponendam duco: Rec. Minerae ♁nij ☉laris ℔ j. comminue in parva ad instar fabarum frustula. Hæc stratificentur in vase fictili forti cum Vitrioli calcinati ℔ ij. claudatur vas operculo & in Aren. calcinentur per gradus △nis continuos duarum septimanarum spatio, △ne per gradus aucto, usque dum antimonium rubescat. Quibus peractis antimonium separetur à Vitriolo & in pulverem subtilissimum redigatur. Huic vitro immisso affunde sp. vir. ær. ad 4. digit. transvers. eminentiam leni digere calore & Tincturam extrahe. Tinctum spiritum decanta & alium affunde, tamdiu, donec non amplius spiritus tingatur. Tincti spiritus omnes ♌ lando ad crassitiem abstrahantur. Residuum cum sp. vini rectificato denuò extrahatur, ejúsque Tinctura eliciatur.

12. *Tinctura ex ♁ nio Tartarisato.*) Quidam sumunt ♁ nij part. ij. nitri & tartari ana part. j. Miscent & calcinant in tigillo ad Reguli subsistentiam, quem seorsim servant. Deinde scorias adhuc tepidas pulverisatas injiciunt in sp. vini s. vel sp. cochleariæ, aut sp. Tartari & ita tincturam extrahunt. *Dominus Autor* omisso nitro saltem cum Tartaro calcinat, Verùm res eodem redit. Nonnulli etiam ex sulphure aurato antimonij Tincturam antimonij majoris energiæ spondent in impuritate sanguinis quâcunque emendandâ ratione antimonij, & ipsi juxta adsignant vim diureticam & abstersivam ob nitrum & Sal. comm. Tartari. Unde in calculo, podagrâ, scorbuto & malo hypochondriaco, item Scabie &c. pro sanguine purificando commode adhiberi potest.

12. *Rubinus antimonii mercurialis.*) *Johannem Fernelium* hoc habuisse Medicamentum tradunt, eoque in Lue ♀ nerea frequenter fuisse usum dicunt. Mediante digestione ex regulo & mercurio simul mistis præcipitatum emergit, ex quo postmodum cum sp. vini Tinctura rubicundissima extrahitur, quæ in formâ humida vel sicca asservari potest.

13. *Tinctura ex Regulo martis aut ♀. Antidotos Padagogos.*) Verùm notandum est hanc Tincturam ad Autoris Nostri præscriptum minus commodè elaborari posse, nisi prius solutum illud cum sp. ☿ vel Sal. comm. factum ex calce Reguli martis vel ♀ Aquâ s. à calce Reguli martis vel ♀ liberetur & coaguletur. Ex coagulato autem isto △ ne fortissimo flores sublimensur per deliquium solvendi, qui vel per se vel cum sp. vini sociati elegantissimam præbent essentiam seu Tincturam; Ad tonum viscerum corroborandum & appetitum excitandum.

14. *Alia. Balsamus Reguli & exinde Tinctura.*) Melius succedet, si prius ex Regulo antimonij sulphur antimonij conficiatur, illique sal tartari tantundem exactè misceatur, super △ne leni in patellâ terreâ. Huic Mixturæ cucurbitæ vitreæ immissæ affunde spirit. Terebinth. ad trium digitorum eminentiam. Stent in digestione usque dum spiritus rubro tingatur colore, qui effusus usui est asservandus. Hic ad usum externum præstans etiam est remedium; ratione tamen spiritus Terebinth internum etiam agnoscit usum. Obiter tamen notandum, quod in caloris hectici præsentiâ & in pulmonum exulceratione post hæmoptoën exortâ à similibus sit abstinendum balsamicis, prout & à balsamo Sulphuris quocunque modo parato. De quibus infrà pluribus.

N. Sulphur antimonij ex Regulo quomodo conficiatur, suprà invenies.

15. *Tinctura ex antimonio calcinato cum Lapid. Prunellæ.*) seu nitro antimoniato. Per Acet dist. extrahe Tincturam cum sp. Nitr. non nihil acuatum. Abstrahe hoc Acet. dist. ad mellaginem. Huic affunde sp. Nitri

extrahe

extrahe Tincturam rubicundam, quam demum spir. vini exalta.

N. Terra in extractione cum Acet. dist. factâ residua tanquam singulare anti-dysentericum commendatur; Verùm summâ cum cautelâ hanc usurpabimus, serioque inspiciendum est, ne adhuc aliquid virtutis nitrosæ in se contineat.

16. *Tinctura ex antimonio rubeo fixo.*) Figitur antimonium vel per se mediante digestione in peculiariter ad hanc operationem constructo vitro, vel leniter calcinando, vel cum spiritu Vitrioli, qui Sulphuri antimonii affunditur & aliquoties iterum abstrahitur, ex hoc fixo sulphure antimonii Tinctura cum sp. vir. ær. elicitur, spiritus tincti ad siccitatem abstrahuntur, & ex residuo cum sp. vini rectific. Essentia rubicunda extrahitur.

17. *Tinctura ex floribus antimonii, Lilium Paracelsi.*) * hìc nullius usus est, cum absque hoc flores antimonii per lenem reverberationem per se in phiala in pulverem rubicundissimum converti possint: *vid. Cl Zvvelferus in Mantiss. Spagyric.* part. 2. cap. 8. Ex his cum sp. vini tartarisato Tinctura elicitur, quæ maceratione, aut circulatione & abstractione ad debitam consistentiam in antimonij Essentiam redigenda est. Hâc si potiamur, sequente 18. *Arcano Basilij*, nec 19. *Elixir ☉lari*, seu *Electro* vel *Lilii Paracelsi* ☉, multum autem de *Sulphure antimonii* participante opus habemus. *Antidotus item* 21. *ζωήφιλ☉ Quercetani* nullius erit usus, cum viribus ac compositionis ratione cum 17. *Tincturâ ex floribus antimonii conveniat.*

N. Quid *Tinctura Lilii Paracelsi sit* vid. *in Cl. Helmontii Tr. Arcan. Paracelsi* p. m. 628. Item *Catarrh. delirament*: §. 43. Et *Pharmacopol. ac Dispensat. modern.* §. 49.

N. 2. ▽am vitæ coralliorum statuimus esse sp. vini in coralliis regeneratum. Scilicet corallia in Acet. dist. solvuntur, solutum coagulatur, hicque labor aliquoties repetitur, posteà destillatio subsequitur.

22. *Tinctura ex floribus antimonii vitriolatis.*) Flores antimonij vitriolati elaborantur, si spiritus vitrioli Regulo antimonij affusus in s. q. præviâ digestione ex Regulo tincturam extrahat & ejus humiditate abstractâ coagulum maneat, ex hoc postmodum sublimatum fiat quod instar florum alembic. adhæret. Ex hoc cum Spiritu Vitrioli ♀neris vel potius spiritu Vitrioli antimonii martialis, (qui componitur ex scoriis Reguli martis, dum ex hoc cum spir. Vitrioli conficitur Vitriolum antimonij martiale, & exinde posteà spiritus,) essentia extrahitur, quæ tandem cum spir. ♄urni æthereo circulatur & in præsentem transit Tincturam.

N. De vero ♄ni æthereo spiritu vide *infrà De saturno.*

23. *Tinctura ex floribus Reguli. Antidotos πάνχρησος.*) Recipe prædictos ex Regulo flores, reverbera vase clauso per aliquot ☍. Posteà extrahe Tincturam cum Acet. dist. radicato vel quod melius cum sp. vir. ær. Decantatos liquores à suo menstruo abstrahe. Et residuum sp. vini extrahe, qui tandem etiam ad siccitatem usque est abstrahendus.

24. *Alia ex floribus Reguli martis præcipitatis.*) Rec. præcipitatos leni reverberatione in phialâ fl. Reguli martis, extrahe Tincturam cum Acet dist. radicato vel etiam sp. vir. ær. menstruo per ♌lationem separato residuum pulverem rubrum, levissimum cum spiritu bacc. juniperi in Tincturam redige. Apostemata aperit interna, sanguinem concretum dissolvit & corruptum corrigit.

25. *Tinctura ex ol. antimonii saccharato.*) Ex antimonio cum Saccharo Liquor conficitur, prout supra ostendimus, huic affunditur Acet. dist. ad 4. digit. eminentiam, digeritur & iterum abstrahitur, abstractum cum sp. vini etiam circulari & in Tincturam transferri potest.

26. *Tinctura ex Sulphuribus ♁nij.*) Nisi cum Sp. Sal. comm. vel 8 prius Sulphur antimonii extrahatur, prout sequens docet processus, non facile succedet elaboratio. Deinde aliquoties cum sp. vini cohobari debet, & demum cum sp. vini iterum extrahi, ab extracto rursus sp. vini per MB. ad Syrupi consistentiam abstrahendus est.

28. *Tinctura ex Sulphure Antimonii aurato.*) Hæc paratu perquam facilis est vide infrà.

30. *Tinctura ex mercurio antimonii cum ☉. Antidotus θεόπεμπτος.*) De mercurio antimonii, quomodo conficiendus sit, & cujus naturæ, infrà videbimus. Ex hoc etiam cum ☉ ããã confici posse, non imus inficias: Quod autem ex hoc cum circulato Paracelsi minore Tinctura extrahi possit, ambigimus.

N. Sunt qui sp. vini circulatum ac sæpius destillatum, ut in oleaginosam abeat substantiam Circulatum Paracelsi autumant, sed malè. Alij sp. vini cum proprio Sale intervenientibus digestionibus aliquoties destillant, ut Sal tandem cum sp. vini per Alembicum transferatur, & vocant Circulatum majus. *Libav. Tr. de igne Naturæ.* Verùm fallunt & falluntur.

31. *Tinctura ex vitriolo seu crystallis antimonii.*) Primò conficiatur spiritus vitrioli antimonialis purgans seq. modo.

Rec. vitri antimonii q. s. sp. Vitrioli opt. affunde in cucurbitâ vitreâ ad duorum digitorum transversorum eminentiam, stent in digestione per 8. ☍ usque dum spiritus nigro imbuatur colore, qui per filtrum separandus est, & ad usum reponendus. Dos. est à gutt. v. vj. ad x. ad sanguinis purificationem. Deindè ex residuo vitro ab extractione relicto sal Antimonii conficiatur seq. modo. Scilicet vitro relicto admisce quartam partem Sulphuris triti & in patellâ terreâ super △ne leni calcinetur continuò agitando spatulâ, quousque sulphur totaliter conflagraverit. Hæc calcinatio cum sulphure quinquies repetatur. Tertiò ex vitro hoc calcinato cum s. q. Acet. dist. repetitis vicibus affusi extrahatur Sal. comm. Antimonii; Acet. per ♌lationem ad Salis siccitatem abstrahatur, qui porro sp. vini aliquoties solvatur, filtretur, & in crystallos reducatur. Ex his præcipitetur pulvis albus cum ▽a frigidâ, qui reverberatione evadit rubeus. Ex quo cum sp. vir. ær. Tinctura extracta tandem cum sp. vini exaltanda & edulcoranda est.

N. Quidam hoc vitriolum Antim. cum vitriolo Vener. confundunt: sed sciendum est, quod in ♌latione Vitrioli antimonij remaneat pulvis albus, in vitrioli verò ♀neris destillatione pulvis rubeus.

32. *Tinctura Magisteriata. Lapis △nis Basilii*) Transeat hæc, utpote descriptione ac præparatione admodum ambigua. *Hactenus Hoffmann.*

VI. Infusio. Unde

1. *Infusio ♁ crudi.*

℞. Antimonij crud. lævigati ʒß. △æ ♌tæ vel Vini ℥iij. iv. macerentur per noctem, colenturque.

Vires. *Colatura illa purgat supra & infra. Poter. in Pharmac.*

Recip. Vitr. ♁ ʒj. vel ʒij. vini generos. ℔ iii. vel iv. vitro benè firmiterque cooperculato, aliquamdiu insolantur, donec nempe liquor citrinum colorem induat; postea filtretur liquor, & vicissim in vitro benè clauso asservetur.

Vires. *Datur ad vomitiones ciendas, magno cum fructu, præsertim in iis morbis, qui non aliter quàm vomitionibus curari possunt & volunt, quales sunt tusses, pleuritides, anginæ, anorexiæ, ructus, atque infiniti alii in prima regione ventris hospitantes. Vide & in Vitro Antimonii.*

Dosis

Dosis à ℈j. ad ℈v. Hart. in Croll.

N. *Sunt qui frustum vitri Antim. pondere ℥ij. ad ℥ß. sine pulverisatione in Cerevisiæ vel Vini haustu aliquot horas, prout scilicet operationem magis vel minus efficacem expetunt, macerant, decantatumque liquorem propinant.*

N. *Admirandum est in infusione Vitri Antimonii non exhauriri ejus vim emeticam, sed pene in infinitum id posse infundi, ut nihil plane virium vel admodum pauxillum decedat. Quinimò, quod idem, si qua imbecillius redditum sit, novâ fusione pristinas vires recuperet. Vide Strauſſi Pulv. Sympathet.*

3. *Alia infusio vitri ♁, quam pro Aqua Benedicta Rulandi habet Brendelius.*

℞. Vitr. ♁ [per se sine addit. facti,] ℥j.
Vini generos. vel Malvat. ℔j. ad summum ℔iß.

Macerentur in loco non admodum calido, donec cutim contrahat vinum. (Hæc cutis nihil aliud est, quam residua portio Sulph. ☉calis, à qua oritur illa vehemens vomitio, relicta à calcinatione antimonij) cute ea per filtrum ab infusione separatâ & abjectâ, longè mitius quam antehac operationes suas exercet aqua benedicta. *Brendel. in Chymia.*

4. *Infusio Croci Metallorum, Aqua benedicta Querc.*

℞. Croc. Metall. Ungar. ℥j.
Aqua Card. bened. ℔ij. vel iij.
Cinam. ℥ß.

Macera per biduum aut triduum, dein transcola & serva usui.

Dosis ℥ß. aut amplius.

5. *Aqua benedicta Rulandi.*

Rulandus ▽ suam benedictam ita describit: Crocus noster Metallorum maceratur per ♂m, vel urgente necessitate ebulliat à lentis magnitudine ad pisi quantitatem in ▽ vel Vino, vel Cerevisia, vel ▽ mulsa, vel denique in liquore morbo conveniente, de quo capitur post infusionem ab ℥ß. ad ℥ij. colatum deinceps bibitur frigidè vel calidè.

Verum quis ille Crocus Metallorum Rulandinus sit, ambigitur, *de qua vide in Croc. Metall.*

Sit ut sit, sufficere tibi potest illa Quercetani, vel si mavis.

℞. Croc. Metall. (sive vulgaris ille sit, sive Hartmanni) gran. iij. ad ℈ß.
Vini generos. vel Vini malv. Hydromel. vel Cerevis. vel convenientis liquoris ab ℥ß. ad ℥ij.

Macerentur & necessitate urgente ebulliant, colenturque per chartam, Nota *Walæi* observ.

Vires. *▽æ benedictæ utriusque usus proficuus est in dolore capitis, ab impuritate ventriculi, sæpè enim is accidere solet, in Epilepsia, Pleuritide, Melanch. Hypochondriaca, Febribus, Peste, Arthritide, coagulatione Sanguinis, &c. In quibus omnibus cum liquore appropriato exhibeatur.*

Usus præterea ejus insignis est in Clysteribus.

Nimirum.

ʒß. ad ʒj. ebullit in ▽ convenienti vel Vino, colatur, admiscetur juri vel decocto simplicium mollientium. Optimum Medicamentum est in Colica. Vide *Riverium.*

6. *▽ Ophthalmica ex Croco Metall.*
7. *Syrupus vomitivus,*
8. *Vinum Hippocraticum purgativum,*
9. *Oxysaccharum Vomitivum. De quibus sub propriis titulis.*
10. *Spiritus vitæ aureus Rulandi.*

N. *De hoc* ♒ *u varia Medicorum opiniones: Quercetanus è familia Metallica desumptum illum existimat, in Pharmac. rest. c. 17. Alii nihil aliud esse opinantur quam infusum Trochiscorum Alhandal, quod vide in Colocynth. Tentzelius Spiritus Vitæ aureum à rubro diversum facit, aureum constituens Infusum Troch Alhandal: Rubeum verò ex terra sancta (Antimonij) paratum autumat.* Schroderus.

De Infusione Antimonij sic habet Hoffmannus.

1. *Infusio antimonii crudi*) In decoctis specificis contra Luem veneream antimonium crudum summo cum emolumento in usum trahimus, nec enim vomitus nec sedes concitat.

2. *Infusio vitri antimonii.* Spey-Waſſer. *Hartmann.* 3. *Aqua Benedicta Rulandi.* 4. & 5. *Quercetani* &c. Cum harum præparationes, usus & vires jam Lippis ferè ac tonsoribus notissima sint, non est quod multa verba de his amplius faciamus. Sanioris Medicinæ Practicæ Cultores noverint, quid horum loco vel surrogandum, vel auferendum sit. *Hactenus Hoffmann.*

Paratur quoque Rob. Antimonij *modo sequenti.*

℞. Vitri antimonij pulverisat. ℥i. affunde succi Cydon. vel Pomor. Borsdorff. mensuræ aliquot stent, in digestione per noctem in loco calido, inspissetur in *Rob.* & hujus gr. iij. sunt optimum vomitorium, præferendum omnibus vomitoriis purgantibus.

Item.

℞. Vitri Antimon. ʒj. affunde succum Cydon. ad eminent. 3. digitor. diger. igne leni per 4. dies post filtretur liquor, filtratus cum sacch. ana inspissetur in consistentiam syrupi. Dosis à ʒij. ad ℥ß. Optimum pariter vomitorium. *Ettmullerus.*

VII. Salificatio. Unde

1. *Sal ♁ij.*

℞. ♁ Ex quo Tinctura prolecta est, (sive ex Croco metalli, sive ex vitro, (calcinetur in fornace figura ♂ 4. donec in Cinerem penitus vertatur. Ex Cineres hoc extrahe Sal. cum ✳ decantaque. Hinc abstrahe ✳ & clarifica solutione ac coagulatione, ut moris iteratâ.

N. 1. *Nisi ♁ primâ vice probè calcinatum fuerit, adhuc semel calcinari poterit.*

N. 2. *Eadem calcinatio absolvi potest, si cum Sulph. ana misceatur & comburatur, donec Sulphur penitus efflagrârit.*

N. 3. *Quinimò Acet. Antimonij super ♁ fusum Sal. subdulce elicit.*

Vires. *Æquipollet viribus Sal. ex ☉; mundificat sanguinem, expurgat corpus ab omnibus impuritatibus, curat Luem Ven. prodest in Podagra, rumpit Apostemata, fugat Febres, extrinsecus mundificat ulcera maligna.*

Dosis gr. 4. Thold. in Halogr. vide etiam observ. Horst. l. 1. in Epist.

2. *Aliter.*

℞. Reguli pulv. q. v. præcipitata per se, in sublimatorio semper quod sublimatum est, materiæ quæ in fundo est, reddendo. Regulus ita in ♄erem rubeum conversus ponatur in cellam ad liquescendum: liquorem dephlegma aliquantulum, ac repone ad crystallisandum; Crystallos purifica.

N. *Hi Crystalli cum triplo tripolæ per* ☊ *m destillati, exhibent primo* ♒ *m album, dein rubrum, quem rectifica in* MB *vel* VB.

Vires. *Prodest hic* ♒ *in febribus, præcipuè quartana, atterit calculum vesicæ, promovet* ⊡ *m, præservat à Podagra, extrinsecus illitus, mundificat ulcera maligna. Basil.*

3. *Aliter.*

℞. ♒ ⊖i rectificatiss. funde super mineram Antimonii, stent in digestione septimanas aliquot, (6.) sic

sic solvetur ♁ in massam rubram, teterrimi fœtoris. Hanc inde ⊂æ, pelleque igne nudo in receptaculum sat amplum, (uti fit in ♌atione ∽⊖i,) sic prodibit primum ⚯⊖, hinc ∽ antimonij rubeo colore. Receptaculum tandem vesicâ probe occlusum repone in cellam ♂ (14.) sic concrescent Crystalli rubicundi, quos exime & sicca.

N. 1. *Aquam residuam rectifica, & habebis ∽m Vitrioli ut ante.*

N. 2. *Ex Crystallis his fieri potest ∽, ut ex Sale communi.*

Vires. *Crystalli hi obstructiones reserant, à viscosa ac tartarea mucilagine subortas, purgantque per alvum. Hinc usus præcipui in effectu hypochondriaco, tertiana, pleurisi & simil.*

Dosis gr. 4. 5. Agricola.

De Salificatione antimonij sic habet Hoffmann.

1. *Sal. antimonij.*) Antimonium crudum sal quoddam in se habere, quod per digestionem inde elici possit, licet admodum sit paucum, nullum est dubium. Interim tamen præsens non tam ex antimonio calcinato, quàm à Sale Acet. dist. aut sulphure emersit. Verum autem sal antimonij cum Acet. antimonii ex ipso antimonio s. a. per digestionem elici potest. *Hactenus Hoffmann.*

VIII. Mercurificatio. Unde ☿ Antimonii.

℞. Sal. ⊡ volat. * Sal. Tartariana ℥j. M. & affunde ⋇ acerrimum, digere vase H. cl. per mensē, dein destilla in Ciner. ad siccitatem: Siccis his salibus adde Tripolæ triplum, eliceque ∽m per ⊂m △ forti.

℞. Ergo Regul. lævigat ℥viii. affunde ∽m tuum destillatum, digere horas 3. dein abstrahe l. △ phlegma, restantique materiæ admisce quadruplum limatur. ♂, destillaque △ fortissimo ex ⊂ in excipulum ▽â semiplenum ac videbis ☿m in fundo currentem. *Basil. in curru Triumph.*

Ex hoc fit ⚯ seu Butyrum ♁, *de quo in* ☿*io.*

N. *Alium modum exhibet Basilius in repet. Lap. Phil.*

Nimirum.

♁ macerat aliquamdiu in Spir. Sulph. imprægnato *. Hinc sublimat, sublimatumque in sartagine ferrea agitat ad acquirendum ☿m.

Alius modus.

℞. ▽ Pluviæ destillatæ cum * affunde antimonio crudo pulverisato, digere per ♂ (8.) Hinc decanta & evaporare finito, habebisque ⚳erem albicantem dulcem, qui ad △m fusus ♄m exhibet nobilissimum, nihilque aliud est quam ☿ius antimonij, *de quo Joh. Agricola.* Schrōderus.

De Mercurificatione ♁ sic habet Hoffmann.

Mercurificatio, mercurius antimonij.) Omnes à Domino Autore communicatæ descriptiones & præparationes voto non respondent. Sequens autem Excell. *D. D. Joelis Langelotti Archiatri Ducis Holsatiæ* Regentis in Epistol. ad Naturæ curiosos omnibus satisfacere videtur. Teratur scilicet Regulus antimonij in pulverem impalpabilem beneficio molæ philosophicæ. Hujus libræ uni adde salis tartari puriss. & siccis. lib. ij. *ci ℥viij. Misce probè; deinde humecta cum Urin. hominis sani vinum bibentis, & cura, ut hæc mistura à duobus prævalidis & lacertosis juvenibus in porphyrite per integrum diem sine ullâ teratur intermissione, aspergendo semper, si humidum deficiat, urinam, posteà misturam istam cucurbitæ immitte & superfunde tantum urinæ, ut tribus emineat digitis, clausamque sicuti decet per Mensem lentâ digestione fove & quotidie agita. Sique intereà temporis siccior appareat massa, reaffunde urin. & finitâ digestione cum æ. p. vitri contusi & calcis vivæ in globulos forma & in umbrâ sicca, ex his seq. modo mercurium antimonij elicies. Primò præstò sit vas quoddam ferreum cucurbitæ instar oblongum, cui frigidam oportet infundere eamque in terram defodere. Huic superimpone laminam ferream multis foraminibus perviam, & pone in ea globulos benè siccatos, posteà capitellum itidem ferreum & paulò depressius ei adapta, ut carbones candentes commodè ei imponere queas, & sic gradum ignis per 4. hor. moderatum tene, inde auge eum per totidem horas, usque ad extremum; posteà sine refrigescere, cave, ne vas in terrâ defossum prius moveas & aquam effundas, antequam ea penitus refrixerit, aliàs multum mercurii perdes.

N. Licet hæc ita sese habeant, omniàque justo suo stent talo, tamen dubium manet, utrum hic Mercurius sit verus Metallorum, qualis etiam per artem a Metallis extrahi potest. An verò Mercurius vulgi, à vulgari illo non differens. Nam cum mirabilis sit illa, inquit Excell. D. Morsofius l. c. & imperceptibilis penè Mercurij in minima dissipatio, quæ fit in mineris per ignes subterraneos, facilè se metallis & aliis mineralibus v. g. antimonio insinuat ac commiscet, sed non radicaliter. Quædam ejus particulæ primâ metalli fusione evanescunt in auras: quæ tenacius hærent, remanent, ac tandem salium resuscitativorum ope eruuntur, & à reliquis particulis separantur. Facilius id efficitur in mineris, in quas pronior illi ingressus est, ac promptius iterum expellitur. Quando per fusionem particulæ metallicæ propius junctæ sunt, difficilius succedunt omnia. Hinc ex ♁nio & ♄turno facile extrahi potest. *Hactenus Hoffmann.*

Huc usque de Antimonij natura, viribus ac præparationibus variis ad Medicinam facientib. multis sanè edisseruimus; sic tamen Lectori Curioso non absolutè satisfactum credimus, ni rursus quæ in suo de Curru triumphali Antimonij adfert Basilius Valentinus, tum ad Artem Medicam, tum etiam ad Alchymiam, ut ipse asserit, facientia, eaque Notis & Præfatione Clariss. Theodori Kerckringij non parum illustrata, hic continuò subjunxerimus. Sit itaque

---

THEODORI KERCKRINGII Doctoris Med. Commentarius in Currum Triumphalem Antimonij Basilij Valentini à se Latinitate donatum ac primò Clariss. Kerckringij Epistola Dedicatoria.

ILLUSTRIBUS,

VENERABILIBUS,

SANCTISSIMIS,

ET

FORTUNATISSIMIS

VIRIS,

Veram Philosophiam adeptis, virtutis cultoribus, fortunæ Dominis, Mundi contemptoribus, quorum vita in Sanctitate, Sanctitas in scientia, Scientia in opere, opus in ægrorum & pauperum sublevatione consistit.

NOn arrogantiæ, sed venerationis est, Viri Sanctissimi, juxta ac fortunatissimi, quod vos alloqui nō refor-

reformidem, quos ignotos miror, colo, veneror, & tantum non adoro. Scio enim quales sitis, & quid adepti sitis, agnosco, tametsi qui sitis, prorsus ignorem, & si scirem, non nisi ignoto nomine compellarem, nec alio titulo vobis has in Chymica scientia primitias, quod cum observantia facio, dedicarem. Nullam inde exspectans, aut flagitans mercedem aliam, quàm ut favoris vestri radii aliquando mihi affulgeant, meque (quem vos rectam viam insistere, & ad templa illa sapientiæ serena, quâ decet semitâ, contendere ex ipso hoc opere intelligetis) iis, quæ vobis notissimæ sunt, rationibus promovere dignemini. Et quam ego gratiam hîc Philochymicis publicè facio in iis, quæ scribere, & palam loqui Author Apollo, nec Præses vetat Mercurius, eam mihi jam paulò ulterius profecto, & ad classem, ut cum Basilio nostro loquar, altiorem promoto, ne denegetis. Adfuit mihi, ut vestro vobiscum agam idiomate, in somnis Mercurius, atque avidè per vias ordinarias decurrentem, retraxit. Me, inquit, non vulgari indutum tunicâ, sed Philosophico cinctum palliolo intuere, & sequere. Quo dicto saltu præcipiti dedit se in viam, & quâ datâ portâ saltitando de campo in campũ post viginti circiter separata prædia, lassus resedit, & ad me conversus (secutus enim eram in spiritu) viden, inquit, me jam alium, & libero hoc cursu fatigatum, non juvenilibus istis exultantem viribus, quibus omnia prostravissem, nisi liber datus fuisset transitus. Ego tam amicâ compellatione excitatus, orare cœpi, & dixi. Mercuri facunde nepos Atlantis, & pater Chymicorum omnium, quandoquidem huc me deduxisti, deductumque tam benigno dignaris alloquio, monstra, quæso, iter ad insulas illas beatas, quas promisisti ostendere filiis tuis electis. Ille continuò; meministine, dum è laboratorio tuo me proripui, ibi vestem quandam rubram proprio meo tinctam cruore relinquere, ita saturatam, ut aura nulla colorem difflare, nulla vis omnia vorantis temporis essentiam immutare possit. Cùm annuissem; agesis, inquit, vola, atque illam mihi actutum adfer huc, ne hoc sudore madens refrigescam; me enim calidè eâ vestire, & arctissimè unire desidero, ut intrepidus fixo gressu tecum ad sponsam meam, amore jam languentem, pergam, quæ tot agitata injuriis, toties per aquam acta & ignem, & toties scandere, toties descendere jussa, omnia summâ patientiâ tulit, sperans tandem mecum genitalem intrare thalamum, ut simul producamus prolem illam, regiâ quidem jam inde à nativitate sua ornatam coronâ, quam tamen non nisi parcè ei licet communicare cum aliis: deducere tamen amicos suos potest ad palatium, ubi residet Rex ille Regum, qui omnibus ad se accedentibus, non facilè minùs, quàm liberaliter communicat regnum suum. Ubi ego curriculo vestem attuleram, illâ se tam arctè induit, ut non veste circumdatus, sed ferreâ pelle cinctus, & armatus videretur: ita vulcanios omnes contemnebat impetus, & arripiamus, inquit, iter. Tantum effatus,

—— campo se immisit aperto;
Ipse ducem haud timidus vadentem passibus æquo.

Atque ita pervenimus ad sponsam, pari virtute & constantiâ confirmatam. Hîc ego vidi mirabile illud connubium, & consummationem matrimonii, unde natus ille regio diademate coronatus filius. Quem cùm salutare vellem Regem Regum, & Dominum Dominantium, astitit mihi Genius meus, &, ne faxis, inquit, falleris. Prodromus hic ejus est; quem quæris, ipse verò non est. Hîc ego inter tristitiam gaudiumque dubius cùm hærerem. Abi tu, ajebat Mercurius, hoc sponsale aufer conjugii nostri munus, & digitis filii sui annulum abstrahit aureum; ubi verò ad eos perveneris discipulos, qui ipsum viderunt Dominum, eis hoc symbolum ostende. Noverunt illi ramum istum aureum, Proserpinæ antea consecrandum, quàm possis Plutonis intrare palatium; quo viso, fortè eorum aliquis verbo tibi reserabit januam illius thalami, ubi residet in magnificentia sua desideratus omnibus gentibus, sed solis cognitus Philosophis. Quo dicto, scena hæc omnis evanuit, non tamen vanum fuisse somnium mihi confirmavit sponsale munus, quod inveniebam in manibus meis, ipsum ex auro, sed mihi omni pretiosius auro, quod tum ostendam, cùm vestros coram dabitur cognoscere vultus, liberasque audire, & reddere voces. In illud optatissimum mihi tempus valete; & Mercurio Genioque omni gratiores apparete de obscuris, in quibus latetis, nubibus clienti, & cultori vestro, facilè ego vos agnoscam, ubi roseâ cervice refulgebitis, & ambrosiæ comæ divinũ vertice odorem spiraverint.

Ad Lectorem.

Vis me candidè tecum agere, Lector candidissime (nisi enim talis sis, nullus hîc tecum mihi est sermo) habes hîc Basilium Valentinum, non quidem ad Romani sermonis delicias, sed ad intelligendi utilitatem latinè loquentem, cum commentariis quibusdam meis. Mecum non nisi Germanicè, & sine commentatore locutus est: ego eum, promissis ejus illectus, iisdemque fidens, diligenter legi, quidquid faciendum proponit, expertus sum, erravi sæpe, sumptus multos inutiles feci, decies aliquando processum eundem expertus, successum nullum habui, non Authoris, sed meo semper (candidè fatenti crede) vitio. Est enim Basilius Chymicorum Princeps omnium, quod sciam, præstantissimus, omnium clarissimus. Eo lecto & intellecto habes, quicquid in Chymia sperari potest: hoc tibi de eo spondeo, hîc fidem meam pro eo interpono. Non me assecutum omnia, ne erres, profiteor; quis enim hoc vel possit, vel ausit? sed ex tot rebus, quæ hoc Authore assecutus sum, de cæteris spem concipio, & hoc Chymicorum alimento, quod non tantum inanis est fumus, me sustento. Atque hæc de fide & laude Authoris sufficiunt, qui his non credit, nec si plura addam, iis fidem habebit. Commentarium, quem adjunxi, non commendo: tantum dico, me encheireses quasdam breviter annotare, parvi illas quidem, ut apparet, momenti, eas tamen, quarum ignorantia mihi multis constitit millibus. Si tibi non est tanti, eos sumptus evitare, nil me duce est opus, da te in viam; errando fortè disces, si nec quærendi patientia, nec bursæ indulgentia te destituent, his ego ducibus sum usus, jungendo iis perpetuam attentionem, & accuratam meditationem comites. Non alios habui, non aliis tibi absolutè est opus, me missum face. Sin autem breviore tempore, parciore sumptu, minore inter errores tædio pervenire vis, quò iter intendis, non ero tibi dux inutilis, aut saltem, ubi distraheris vario errore viarum, index incommodus. Vale, & si me audis, me utere, multis (quæ hîc explicare non vacat) perfruere commodis. Iterumque vale.

Hactenus Kerckringius; sequitur jam ipse Frater Basilius Valentinus.

Quandoquidem ego Basilius Valentinus religiosis votis Ordini Sancti Benedicti vivam adstrictus, isque status alium quendam requirat sanctitatis spiritum, quàm eum, quo vulgo mortales in profano hoc aguntur sæculo; meum esse putavi ante omnia in libelli hujus principio declarare, quid pio Spagyro, insatiabili artis hujus desiderio flagranti, scitu necessarium sit; quid agere, quò collimare debeat, ut ea rei totius fundamenta jaciat, quæ stabilia sint, ne domus ventis agitata aliquando fatiscat, & totum ædificium fœda involvatur ruina, quod alias solidioribus, & firmioribus innixum principiis, ætatem tulisset. Quæ admonitio mihi ex officio religiosi videtur

datur & esse, & fore semper necessaria; etiam tum, cum omnes occiderimus, nec quisquam eorum, qui nunc sunt, seu potens, seu humilis sit colonus oculis hominum obversabitur. Interest enim mortalium meditationes has post me superesse, non tantum ut divinæ majestati honor sit & gloria, sed etiam ut homines ei synceram præstent in omnibus obedientiam.

In hac autem meditatione mea tandem inveni quinque præcipua esse capita, quæ omnibus tum sapientibus, tum sapientiæ artisque nostræ affectatoribus in primis sunt consideranda. Quorum primum est *invocatio Dei*. Secundum *naturæ contemplatio*. Tertium, *vera præparatio*. Quartum, *modus utendi*. Quintum *utilitas & fructus*. His enim qui minus attenderit, nunquam inter veros Chymicos locum obtinebit, neque perfecti Spagyri numeros omnes adimplebit. De his igitur quinque capitibus deinceps agemus, eaque in tantum declarabimus, ut opus generale in lucem prodire, & ab attento studiosoque operatore perfici possit.

Fieri autem debet *invocatio numinis*, cœlesti quadam attentione, deprompta ex imo cordis puri & synceri, conscientiaque, quæ sit libera ab omni ambitione, hypocrisi, & omnibus vitiis, quibus aliqua cum hisce intercedit cognatio: ut sunt arrogantia, audacia, superbia, luxus, mundana petulentia, oppressio pauperum, & alia hinc dependentia, quæ radicitus cuncta è corde sunt evellenda; ut quando homo ante thronum gratiæ comparere desiderat ad sanitatem corporis obtinendam, id fiat conscientiâ ab omnibus zizaniis liberâ, ut transmutetur in templum Dei sanctum, & ob omni immunditia expurgatum. Neque enim, quod iterum iterumque moneo, Deus irridetur, quemadmodum homines mundani sibi placentes, & suâ sibi plaudentes sapientiâ existimant; non irridetur, inquam, Deus, sed invocari vult reverentiali timore, agnoscique Creator omnium cum debita obedientiæ exhibitione. Neque id injuriâ. Quid enim habet homo, quod huic omnipotenti Creatori suo non debet acceptum; sive corpus, sive eam, quæ in corpore operatur, animam respexeris? nonne in hujus alimentum ex mera misericordia communicavit nobis verbum æternum, & salutem promisit item æternam? nonne corpori procuravit victum & amictum, & ea omnia, quibus negatis corpus vix, aut ne vix quidem potest subsistere. Proinde homini sunt omnia hæc à Parente illo optimo, qui cœlum & terram, visibilia simul & invisibilia, firmamentum, puta, elementa, vegetabilia, animaliaque omnia creavit, humili invocatione impetranda. Quod adeo est verum, ut certo mihi constet, impium nunquam veræ medicinæ, multò minus æterni panis cœlestis fore participem.

Sit ergo omnis intentio & fiducia vestra collocata in Deo, eum invocate & orate, ut impertiatur vobis benedictionem suam, hoc operis vestri sit principium, ut ad finem per illud optatum perveniatis, & tandem voti compotes efficiamini. *Initium enim sapientiæ timor Domini.*

Quicunque ergo sibi propositum habet id quærere, quod inter res terrenas est maximum, præsertim notitiam omnis boni, quod inest creaturis, & Deus liberaliter communicavit hominibus, implantavitque quantum ad vim effectricem lapidibus, herbis, radicibus, seminibus, animalibus, plantis, mineralibus, metallis, rebus denique omnibus, ille abjiciat terrenas cogitationes omnes, seponat quidquid ab iis dependet, & speret solam cordis liberationem, oretque Deum summâ demissione animi; ita fiet, ut spes liberationis in liberationem veram tandem convertatur: quod nemo revocabit in dubium, qui novit, quod ille solus sit Deus, qui liberabit Israël ab omnibus inimicis suis, quod re ipsâ præstabit, non tantum Israëli, sed etiam omnibus eum suppliciter invocantibus, & cum intimo cordis gemitu orantibus.

Sit ergo primum caput admonitionis nostræ oratio, quæ & est, & à nobis dicitur invocatio Dei, quæ si fiat non ex hypocrisi, & corde ficto, sed ea fide & fiduciâ, quâ eam faciebat Centurio in Capharnao; eâ animi demissione & defectuum suorum confessione, quâ prædita erat mulier Chananæa; eâ charitate, quâ Samaritanus excipiebat saucium in via Jerichuntis, infundens vulneribus vinum & oleum, solutisque expensis in hospitio, commendans, ut accurata ejus cura gereretur: si denique in ea spectetur charitas christiana, ut si, quod rogat, impetret, velit id communicare cum proximo suo, tunc omni procul dubio attinget (*a*) orationis suæ scopum, divitias, & sanitatem.

Orationem ordine sequitur *contemplatio*, per quam intelligo accuratam ad rem ipsam attentionem, sub quam cadunt hæ considerationes initio adhibendæ. Quæ sint circumstantiæ cujusque rei, quæ materia, quæ forma, unde operationes ejus procedant, unde sit infusa & implantata, quomodo ab astris generetur, ab elementis conformetur, à tribus principiis producatur & perficiatur.

Præ-

(*a*) Quæ hic fusè præmittit Author, & alibi sæpe interserit de pietate, de cultu divini numinis, & nominis ejusdem invocatione, nec laudare, nec improbare in animo est; sint ista avitæ suæ pietatis indicia, sint synceritatis ejus argumenta, sint fervidi zeli cujusdam per tot tautologias & perissologias sæpius ebullientis signata vestigia: ea quisque pro animi sui sententia, & ea persuasione, quâ jam inde à puero imbutus est, parvi magnive faciat. Meum fuit ista latinitate donare, ea ratione ac ordine, quo putabam minimam delicato lectoris stomacho allatura nauseam, & id præterea indicare, quomodo in rem Chymici, & veri Spagyri esse videatur, ea non negligere. Etenim cum pietas ad omnia valeat, ut oracula nobis tradunt, & præcipuum pietatis exercitium sit oratio, quâ dona cælestia impetrantur ab illo omnium Datore Deo, ad eum nimirum mentem attollendam vult Basilius, etiam inter laboris illas fastidiique plenissimas Chymiæ operationes. Quamvis enim nihil præstaret aliud oratio, mentem certè à cæteris rebus avocatam colligit in sese, attentamque reddit ad id, quod agitur; ex quo fit, ut ad plurima reflectat, eaque animadvertat, quæ illam profecto fugerent, si opus suum perfunctoriè, & in varias res distracta perageret: atque ita precationis auxilio multa accipimus, quæ nos à Deo impetrasse non ingrati agnoscimus. Quam hoc sæpe in spagyricis operibus veniat usui, novit quisquis unquam huic rei omnino deditus fuit: quoties ea, quæ jamdiu quæsivit, nec invenire potuit, uno momento accipit, & quasi supernè infunderetur, aut à genio aliquo dictaretur, cognoscit. In ænigmatibus omnibus solvendis istud usuvenit, si enim magno desiderio illa cognoscendi ardeas, *hæc oratio est*, & mentem quaqua versum agites, variè discurras, multa mediteris, *hæc cooperatio est*, ut non sit otiosa, aut Deum tentans oratio: vana tamen est omnis hæc tua opera, tam diu quàm solutionem non invenis. At si non desperes, sed instes perseverando in desiderio, & non cessando ab opere, tandem momento temporis tibi incidit solutio, *hæc est revelatio*, quam non accepisses, nisi desiderio summo orasses, & sedulo adhibendo operam, laboravisses; & tamen non potes percipere, quomodo ex iis omnibus, quæ cogitasti, quæ non erant solutio ænigmatis, ipsa solutio emerserit. Hæc ænigmatis solutio solvet tibi ænigma omnium maximum, quid valeat ad impetrandum tam spiritualia, & æterna, quam corporalia, & peritura bona oratio, videbisque dum ea corde non ficto, sed syncero instituitur, nihil esse accommodatius ad obtinendum id, quod desideras. Atque hæc sufficiant de oratione, quam non frustra Basilius, & omnes cum eo Philosophi prærequirunt ad Chymiam: *pietas enim ad omnia*, sed præcipuè ad omnium maximum, *est utilis*.

Præterea quomodo cujuſque rei corpus diſſolvi poſſit, id eſt, reſolvi in primam materiam, ſeu primam eſſentiam, de quo in alijs ſcriptis meis jam mentionem feci, quomodo videlicet ultima in primam, & prima in ultimam materiam commutetur. *(a)*

Hæc contemplatio, quæ ſecundam admonitionis noſtræ partem abſolvit, cæleſtis eſt, & ſpirituali ratione intelligenda: nec etiam aliter, quam ſpirituali cogitatione hominis, cujuſque rei circumſtantiæ & fundus perſpicitur; eſtque hæc contemplatio duplex. Altera poſſibilis, impoſſibilis altera dicitur. Poſterior conſiſtit in copioſis cogitationibus, quæ nunquam ad effectus procedunt, nec ullam formam rei exhibent, quæ ſub tactum cadat. Veluti ſi quis conetur comprehendere æternitatem Altiſſimi, quod vanum eſt, & impoſſibile, imo peccatum in Spiritum Sanctum, Divinitatem ipſam, quæ immenſa, infinita, & æterna eſt, tam arroganter aggredi, & inquiſitioni ſubjicere incomprehenſibile conſilium arcanorum ejus.

Altera contemplationis pars, quæ poſſibilis eſt, *Theoria* vocatur. Hæc id contemplatur, quod tactu & viſu percipitur, & naturam habet in tempore formatam: quomodo eo juvari & perfici poſſit reſolutione ſui; corpus unumquodque ex ſe edere poſſe, quod in ipſo latet bonum vel malum, venenum vel medicina: quomodo deſtructio & confractio ſuſcipienda ſit, qua juſto titulo ſine dolis ſophiſticis purum ab impuro ſegregari & ſeparari poteſt.

Quæ ſeparatio variâ manuum operatione, aliiſque variis modis inſtituitur: quorum quidam jam vulgares ſunt per experientiam, quidam etiamnum ab experientia vulgi remoti. Sunt autem hi, *calcinatio*, *ſublimatio*, *reverberatio*, *circulatio*, *putrificatio*, *digeſtio*, *diſtillatio*, *cohobatio*, *fixatio*, & hiſce non abſimiles; quorum gradus omnes inter operandum reperiuntur, diſcuntur, perſpiciuntur, & manifeſtantur; unde perſpicuè apparet, quid mobile, quid fixum, quid album, rubrum, nigrum, cæruleum, aut viride ſit, quando nimirum operatio ab artifice rectè inſtituitur. Fieri enim poteſt, ut operator erret, & à via regia deflectat, ſed ut erret natura, quando rectè tractatur, fieri non poteſt. Si ergo tu erraveris, eo quod natura non omnino ſolvatur, & liberetur eo corpore, quo captiva detinetur, redi tu in viam, diſce theoriam perfectius, & inquire accuratius in operandi methodum, ut fundamentum invenias, & certitudinem in ſeparatione rerum omnium: id quod plurimi refert.

Atque hoc eſt alterum Philoſophiæ fundamentum, quod invocationem ſequitur; res enim in eo tota verſatur, & his verbis continetur. *Quærite primò regnum Dei, & juſtitiam ejus* per invocationem, *& cætera*, quæ homo in rebus temporalibus quærit, eique ad corporis vel ſuſtentationem, vel ſanitatem neceſſaria ſunt, *adjicientur vobis*.

Theoriam, quæ cujuſque rei intima perſcrutatur, ſequitur *Præparatio*, quæ manuum operatione perficitur, ut opus aliquod reale prodeat. Ex præparatione oritur ſcientia, talis videlicet, quæ omnia aperiat fundamenta Medicinæ.

(b) Manuum operatio requirit diligentem ſui applicationem, ſcientiæ vero laus in experientia conſiſtit, differentiam autem harum dijudicat Anatomia. Operatio oſtendit, quomodo res omnes in lucem & aſpectum protrahantur, & viſibiliter proponantur: ac ſcientia praxin oſtendit, & id, unde practicus verus exiſtere poteſt, & nihil eſt aliud, quam confirmatio, quod manuum operatio aliquid boni manifeſtat, & evocat latentem & abditam naturam foras, eamque in lucem profert in bonum. Quemadmodum enim in ſpiritualibus præparanda eſt via Domini; ita etiam in hiſce rebus aperienda & præparanda via eſt, ne aberretur à recta ſemita, & tendatur ſine deviis erroribus rectiſſimo ad ſanitatem itinere.

Poſt præparationem, & præcipue poſt ſeparationem boni à malo, quæ fit per reſolutionem, procedendum eſt ad *(c) uſum ponderis*, ſeu *doſin*; necubi debito plus, necubi minus adhibeatur: ante omnia enim Medico probè ſciendum eſt, num debile, num vehemens nimis, itemque an nociturum ſit, an profuturum medicamentum, niſi impinguare velit cœmeteria cum exitio animæ ſuæ, & ſummo famæ detrimento.

Poſtquam medicamentum corpore receptum eſt, ſeque per omnia membra diffudit; ut perquirat eos defectus, contra quos adhibetur, animadvertenda eſt *utilitas*: poteſt enim fieri ut medicamentum præparatum diligenter, & pondere debito exhibitum, morbis quibuſdam obſit potius, quàm proſit, & potius venenum videatur, quàm medicamentum; hinc accurata debet inſtitui reflexio ad ea, quæ proſunt vel juvant; eaque annotari, ut memores ſimus eadem in aliis obſervare.

At tam in *(d) uſu*, quàm in *utilitate* hoc apprime animadvertendum, an vulnus ſit externum & apertum, an tantum internum & latens: uti enim magna eſt horum differentia, ita curationis non idem eſt modus: ideo fundus cujuſque morbi cognoſcendus eſt, an ſolis externis remediis curari poſſit; an internè foras pellere oporteat. Si enim centrum interius latet, id medicamenti genus dandum eſt, quod centrum iſtud perquirere, apprehendere, & reſtaurare poſſit; alias ſine fructu inanis erit Medici labor.

 Præ-

(a) Quæ de vera Philoſophiæ theoria hic adferuntur, ſunt compendia eorum, quæ Philoſophi tot libris ea ſuper re ſcriptis revelarunt, dicam, an occultaverunt. Attende verbis Authoris, & cum perfectè cognoviſſe videbis ſpiritum illum omnia permeantem, omnibus in rebus præſidentem, ſordibus tamen materiæ, & inquinamentis ubique involutum, à quibus ſi liberetur, redit ad ſubſtantiæ ſuæ puritatem, in qua omnia producit, & fit omnia in omnibus; ſuper hoc commentari, eſſet omnes Philoſophorum libros circa theoriam tanto ſtudio exaratos, tantâ contentione propugnatos in medium adferre.

(b) Cheirogogia in hac tertiâ parte maxime requiritur, ſine qua, non ſecus ac navis ſaburrâ carens fluctuat, & incerta vagatur omnis operatio. Hanc calamo exprimere difficile eſt, plus enim ſemel videndo diſcitur, quam multis paginis conſcribendis doceri poteſt; ſi tamen non ſit grave tibi, hos commentarios unà cum Baſilio pervolvere, in hac tam neceſſaria parte, non parum adjuveris.

(c) Per uſum intelligit, quod *doſin* vocant alii, quid enim juvat medicamentum, ſi neſcias, quâ quantitate ſit exhibendum, ut ſanet potius, quàm noceat, aut enecet: experientiâ ſolâ hanc diſcere, periculoſæ plenum opus eſt aleæ, & tamen non aliter omnis hæc doſium diſciplina primo eſt inventa, poſtea verbis facillimè traditur: ubi vox viva deeſt, præſtat eſſe nimis timidum, quàm parum prudentem, quamvis ut hoc de antimonio aſſirmem, cum debitè præparatum eſt, tam eſt innoxium medicamentum, quàm caſſia vel manna. Tota cautio eſt præcipuè circa uſum ejus poſt primas præparationes, in quibus adhuc multum retinet crudæ ſuæ venenoſitatis.

(d) Ab adjuvantibus & nocentibus ſumendam eſſe indicationem, vel tyronibus notum eſt. Quæ vero ſubjungit de interna & externa curatione, non adeo ſunt rudia, ut attentionem non mereantur. Quemadmodum & illa, quæ ſatyricæ ſuæ reprehenſioni permiſcet, ſi tam ſapiens ſit ejus lector, ut illa Baſilium miſere credat, ut minus dignos irriſores Chymiæ à ſacris ſuis arceat, ille ſibi ſapit; dum enim alii ringuntur indignabundi, hic colliget fructus axiomatum, quæ tanquam aliud agens, inter has ſpinas diſpergit; quæ dum tu perlegis Philochymice, ego tantiſper ſilebo.

Præterea si morbus sit exterior, qui ab interna origine oriatur, foveaturve, nunquam per externa remedia intro repelletur; magnum enim incommodum, & tandem sequeretur interitus. Quod vel ex arboris similitudine intelligi potest: si quis enim, dum ea jam germinat, floretve, repellat humores ad interiora unde per nutrimentum terræ prodierunt, tantum abest, ut ad optatum fructum ex eo flore perveniatur, ut etiam oritura sit per violentam conjunctionem humorum, exitum non reperientium, suffocatio.

Magna ergo distinctio est inter vulnera recentia cæsim, punctim, vel alio modo inflicta, & inter vetera, quæ internè capiunt originem; recentia enim solis externis remediis perfectè curari possunt: at in iis, quæ internè nutriuntur, parum proderit externa oleorum, emplastrorum, unguentorum, & balsamorum applicatio; nisi fons internus obturetur, unde humores ad exteriora fluunt: ubi fons obturatus erit, cessabit affluxio, & malum vel solâ diætâ facilè curari poterit.

Non est artis magnæ vulgare aliquod vulnus recens sanare, hoc enim quilibet rusticus facile crudo effecerit larido; sed occurrere omnibus symptomatibus, quæ vulneribus accidunt, & fontem mali exsiccare, hoc opus, hic labor est.

Adeste nunc, quotquot estis, qui vobis Doctoris utriusque Medicinæ titulum, id est, internorum & externorum morborum Medici arrogatis! intelligite titulum honoris vestri, & conscientiam ipsam vestram consulite, & videte num illum à Deo acceperitis, id est, in veritate possideatis, an eum tantum pro forma, ut ajunt, honoris causâ, usurpetis. Quantum enim cælum distat à terra, tantum differt ars sanandi interna, à sanatione externorum vulnerum. Si à Deo tibi sit datus titulus, idem Deus benedictionem, felicitatem, salutem, & eventus felices dabit; sed si vanus sit titulus, & solummodo ad ambitionem excogitatus & acquisitus, omnia tibi malè succedent, honor tuus corruet, & tibi parabis ignem inferni, qui non magis extingui, quàm verbis explicari potest. Christus enim discipulis suis dicit, *vocatis me dominum & magistrum, & bene facitis.* Quisquis ergo titulum honoris assumit, videat, an bene faciat, an non plus sibi asscribat, quàm scit & didicit, qui verus est abusus hujus tituli. Qui enim utriusque Medicinæ se Doctorem scribere vult, utramque Medicinam tam internam, quam externam didicerit calleatque oportet: nec ignoranda est ei Anatomia, ut constitutionem corporis ostendere, & à quo membro quisque morbus proveniat, unà cum fonte & causa ejus assignare possit. Sunt etiam ei remedia, quibus morbo occurret, & circumstantiæ externorum vulnerum intelligendæ. Deus bone! ubi titulus inveniretur, ubi magister compareret, quando examen institueretur, ad declarandum horum utriusque Medicinæ Doctorum ignorantiam?

Olim, longè ante mea tempora, ipsi Doctores Medicinæ vulnera externa curabant, in eoque partem officii sui sitam esse arbitrabantur: hisce autem nostris temporibus servos assumpserunt, quos hisce rebus impendunt, & hac ratione nobilissima ars ad mechanicam manuum operationem recidit, suntque eorum, qui eam exercent, quidam adeo rudes, ut *neque nare, neque litteras noverint*, vixque scirent *asinum*, ut dicitur, *expellere è segete.* Hi, inquam, se in vulneribus curandis magistros & Doctorum Doctores profitentur, & ut, quod res est dicam, potiori jure isto titulo gloriari possunt, quam tu magnifice Doctor, umbratice Chirurge, & ignorantissime titulorum ostentator, qui te jactas utriusque Medicinæ Doctorem.

Quid porrò jam domine Doctor; quid ais Chirurge expertissime? ne, quæso, hæc egrè feras, aut in pejorem partem accipias; ipse enim statim fateberis, siquidem diligentius te de punctim vel cæsim inflictis vulneribus examinavero, tantum in te ejus rei esse scientiæ, quantum in cerebro gallinacei galli, quem abecedarii pueri solent frontispicio elementaris sui libelli præfigere.

Ideo omnibus ego cujuscunque status hominibus, qui doctrinæ desiderio tenentur, suadeo; exquirite imprimis à magistris vestris doctrinam veram, quæ in præparatione consistit, & deinde in usu, ita titulum assumptum cum honore possidebitis, hominibus indubitanter plenâ fiduciâ, & re ipsâ opem feretis, & erit cur æterno Creatori ex corde non ficto gratias agatis.

Præter hæc omnia quisque serio secum reputet, quid sibi sit agendum, quid omittendum sit, & an assumpto titulo justè, an injustè utatur. Nam qui titulum quempiam assumit, ei imprimis probe intelligenda est ratio ipsius tituli, & cur eum assumpserit, quodve ejus verum sit fundamentum. Nec sufficit, si de vulgo dicat quispiam (venia sit auribus, ignoscantque mihi homines delicatiores, si de putrefactione agentes rotundè loquamur) hoc est stercus egregium, odorem spirat molestum & gravem, nec scit quâ id ratione fiat, quod homo, qui forte cibum assumpsit saporis odorisque gratissimi, optimeque accommodatum, inde confecerit excrementum qualitatibus præditum ita contrariis, & odorem spirans adeo ingratum, & naturæ repugnantem: cujus non alia est ratio, quàm naturalis putrefactio & corruptio. Idem evenit in omnibus rebus bene olentibus & aromaticis; incumbit enim Philosopho inquirere, quid sit odor, & unde vires suas capiat, & in quo vis ejus in utilitatem veram patefieri possit: nam fimo fœtenti terra nutritur, & impinguatur, nobilisque fructus ex eo producitur; cujus rei non una est causa; sed in immensum volumen excresceret liber, si omnes generationes & mutationes naturales vel leviter vellemus attingere; *digestio* tamen & *putrefactio* claves earum sunt præcipuæ, quod ignis & aër maturationem quandam producant, qua ex aqua & terra transmutatio potest sequi, atqui & hæc quædam mutatio est, qua ex fimo male olenti fragrantissimum balsamum, & contra ex balsamo gratissimo graveolens fimus produci possit. At dices, quid nobis rudia adeo atque absurda exempla profers? exemplum quidem, fateor, de caula potius sumptum est, quàm ex aula; prudens tamen rerum æstimator rem altiori pervadens indagine, facile intelliget, quid hæc sibi velint: quod nempe ex summis infima, & ex infimis summa efficiantur, ut ex medicamento venenum, & ex veneno medicamentum; ex dulci amarum, acidum, & corrosivum; & contra ex corrosivo res alia utilis.

At bone Deus: natura à nobis hominibus quodammodo indignatur tota pervideri! cum vitæ nostræ tempus constitueris adeo breve, & tu verus omnium judex multa reservaveris tibi in creaturis, quæ non scientiæ, sed admirationi nostræ reliquisti, quorum inspector & judex tu solus esse voluisti, concede mihi, ut ad finem usque vitæ conservem in corde meo te, & Servatorem meum, ut præter salutem corporis, & quæstum, quem liberaliter communicasti, etiam salutem animæ, & spirituales divitias possim acquirere, qua de re me dubitare prohibet misericordia illa tua, quâ tu animæ

meæ

meæ sulphur, & balsamum pro me misero peccatore in arbore crucis effudisti, diabolo quidem venenum mortiferum, nobis autem peccatoribus præsentissimum medicamentum. Ego certe sano fratres meos, quantùm ad animam spectat, oratione; secundum corpus autem aptis remediis ex medicina petitis: spero itaque illos vicissim operam daturos, ut ipsi mecum, & ego cum illis tandem inhabitemus tabernaculum altissimi, in eoque Deo nostro æternum perfruamur.

Sed ut revertar ad Philosophiam antimonij, intelligat ante omnia lector meus res omnes in se continere operativos & vivificos spiritus, qui corpus inhabitantes se cibant, alunt, & sustentant ex corpore; nec elementa carent his spiritibus, qui permittente id Deo vivo, sive boni sint, sive mali, domicilium in iis quærunt. Homines & animalia in se habent spiritum vivum, & operantem, qui cum recesserit nil nisi cadaver conspicitur: herbis & fruticibus inest spiritus sanitatis, alias nulla præparatione ad usum medicinæ redigi possent. Metalla & omnia mineralia insidentur obsidenturque incomprehensibili suo spiritu, in quo præcipuè consistit vis, virtusque eorum omnium, quæ efficere possunt; quod enim spiritu caret, vitâ caret, nec ullam vivificam vim in se continet; scito ergo in antimonio etiam esse spiritum, qui efficit, quidquid in illo vel ex illo ratione & modo invisibili, non secus ac in magnete vis quædam invisibilis abscondita est, de qua fusius suo loco agemus cum de magnete tractabimus.

Sunt autem genera (*a*) spirituum varia, visibiles intellectu & cognitione spirituali præditi, qui tamen dum volunt tangi vel apprehendi nequeunt, ut homines naturales tanguntur, & præcipue qui in elementis fixerunt domicilium, ut sunt spiritus ignis, lumina, & alia objecta formaliter lumen ex se spargentia: quales aërei, qui in aëre habitant: in aquis spiritus sunt aquei: & in terra sui spiritus terreni, quos appellant *vires terrestres*, qui in terris, divite aliquâ venâ præditis, præcipue reperiuntur, ibique sese ostentant, ac se nobis aperiunt. *Hi spiritus sensibus & intellectu pollent, artes norunt, & se mutare sciunt in diversas formas, usque ad tempus judicij sui; an autem jam nunc pronunciata sit adversus eos decretoria sententia, an ne adhuc quidem, relinquo divinæ Majestatis providentiæ, quam nihil latet.*

Alij vero spiritus, qui sermonis sunt expertes, neque se possunt actu ipso visibiliter ostendere, sunt ii, qui in animalibus, ut hominibus, & similibus habitant, in plantis item & mineralibus; habent nihilominus in se occultam & operativam vitam, & se manifestant, & in lucem prodeunt vi sua efficaci operandi, quam in se & secum ferunt, testanturque apertissimè virtutem sanandi, dum ea ope artis illis eripitur, & à corpore eorum separatur.

Eodem prorsus modo efficax spiritus & vis operatrix antimonij edit sua dona, eaque distribuit inter homines, quando à corpore suo prius solutus, & à vinculis suis liberatus est, ut jam penetrare possit, & adhiberi in eos usus, quos sibi artifex in præparatione proposuit. Oportet autem ut artifex & Vulcanus consentiant: ignis dat separationem ad vim operativam, artifex autem format materiam. Sicuti faber ferrarius utitur unius essentiæ igne, etiam ferrum unica ejus materia est, unde omnia ordinat ad tam diversa instrumenta formanda; jam enim veru, jam calceos equorum ferreos, jam securim, jam alia innumera facit, quorum unumquodque ei inservit usui, ad quem ab artifice destinatum est, licet una fuerit materia, quæ in tot usus fuit præparata. Ita ex antimonio varia opera ad diversos usus confici possunt; in quibus faber est ipse artifex; qui format; vulcanus est quasi clavis, quæ aperit: operatio & utilitas in medium producit experientiam & usum.

O! si vesani homines veras aures haberent ad audiendum, & veros oculos, & intellectum ad non tantum audiendum, quod scribo, sed ad intelligendum arcanum, & scientiam usus; profecto non haurirent insalubres & turbidas illas potiones, sed properarent ad limpidos hosce fontes, & biberent ex puteo vitæ.

Sciat ergo mundus me sciolos illos Doctores, qui sapientes videntur, ostensurum stolidos & vesanos esse: & contra me effecturum, ut multi inerudititi, sed scientiarum cupidi discipuli re ipsâ in veros evadant Doctores.

Omnes itaque mortales, qui gemebundi ad scientiam aspirant, hic corde læto, certâ fide datâ, & bonâ conscientiâ citatos, & invitatos volo, ut velint asseclæ fieri doctrinæ meæ, & scripta informationesque meas accuratè percurrant, ita votorum suorum tandem compotes facti, laudem meam ex sepulchro excitabunt, & nomen meum mortale reddent immortale commemoratione laudum mearum perpetuâ, quamdiu cœlum sydera pascet: cui vero post mortem meam placuerit in schola contra me disputationem quampiam instituere, huic scripta mea affatim respondebunt; & certus sum discipulos meos nunquam oblivioni tradituros acceptum à me beneficium, quo semper obtinebunt imperium veritatis, quod & mihi semper fuit, & illis erit ad oppressionem mendacij usque ad finem mundi.

Scit etiam benevolus, & syncerus artis spectator Antimonij duo esse genera multum inter se distincta: *alterum est pulchrum*, purum, aureæque cujusdam proprietatis, idque plurimum habet mercurij: alterum quod sulphuris habet plurimum, nec auro est adeo amicum, ut prius, distinctum pulchris, longis, & ex albo splendentibus striis; ideoque alterum altero aptius est ad usum tam Medicinæ, quam Alchymiæ: quemadmodum si caro piscium cum carne aliorum animalium comparetur, licèt utraque sit & vocetur caro, magnam tamen ab alijs carnibus habet differẽtiam; eadem est Antimonij ratio.

Multi quidem scribunt de virtute interiore Antimonij, sed pauci eorum vel docuerunt verum fundamentum virium, quibus est præditum, vel invenerunt, quâ ratione, quove modo eas acceperit, proindeque tantum in verbis fundatur eorum doctrina, & sistit citra verum fundamentum, amittuntque fructum quem ea scriptione assequi sperabant.

Ad scribendum vero de Antimonio requiritur profunda meditatio, mens late se explicans, & multijuga doctrina de præparatione, de vera ejus anima, in qua utilitas omnis sita est, & quâ cognitâ indubitatum potes ferre judicium, quid in eo malum, quid bonum sit, quid medicina, quid venenum. Nec enim res esset parvi momenti vero examine in antimonium,

(*a*) Quæ sequuntur de spiritibus, nonnihil confusa videntur ex sententiis quorundam Theologorum, qui de spiritibus igni, aëri, & cæteris elementis inhærentibus, & postmodum æternis ignibus addicendis, & ad inferni loca detrudendis varias habuerunt opiniones, quod nos cum Basilio, utpote nobis incognitum, divinæ scientiæ permittemus dijudicandum: cæterum quod de Antimonii, aut cæterorum Chymicorum spirituum vi, potentiaque admirabili ille subjungit, & nos toties cum summa admiratione vidimus, tantum de materialibus spiritibus intelligemus, qui certè tantarum sunt virium, tamque mirabilia efficiunt, ut de spiritibus illis, quos phantastici quidam, melancholiâ imaginationem pervertente, se videre, & cum iis colloqui comminiscuntur, majora nunquam, aut miranda magis sint prodita scriptis, aut ab iis, qui mentiendi licentiâ alios vel terrere, vel oblectare conantur, unquam narrata esse meminerim.

nium inquirere, eoque in essentiam ejus fundamentaliter penetrare, & studio ardenti in finalem ejus notitiam pervenire, quo ipsi venenositas (adversus quam imperiti imperitè voces suas tollunt) adimatur, & ipsum in meliorem statum medicinæ, omnis venenositatis expertem, mutetur, præparetur, & usurpetur.

Multi adeo Anatomici antimonium miris modis vexarunt, torserunt, & cruciaverunt, ut vix dum verbis describi, nedum credi possit; nihil tamen, si res ad vivum exigatur, effecerunt, quia veram ejus animam non quæsiverunt, ideo ne quidem eam, quam ipsi quærebant commentitiam ejus animam, invenerunt; nigris enim coloribus via ante oculos eorum obscurata est, ideo neque observare potuerunt eam, neque cognoscere.

Est antimonio id cum mercurio commune, ut circulo rotundo, cujus nullus est finis, comparetur, qui ex omnibus coloribus componitur, in quo semper eò plus invenitur, quò diligentius inquiritur, modò rectâ viâ, & debito ordine procedatur, nec unius hominis vita sufficit, ut omnia perdiscat ejus mysteria. Est venenum, præsentissimumque venenum, etiam est expers veneni, & medicina præstantissima, sive extrinsecus, sive intrinsecus adhibeatur; quod quam plurimos latet ob cœcitatem eorum, idque incredibile, stultum, & vanum judicant, quod illis propter imperitiam est ignoscendum, & danda ea venia, quam solius stupiditatis nomine merentur; id tamen in iis ferendum non est, quod nec hîc, nec usquam doceri cupiant, & melius informari.

Antimonium omnibus quatuor primis qualitatibus est præditum, est frigidum & humidum, est rursus calidum & siccum, accommodatque se ad quatuor anni tempora, est volatile item & fixum; volatile ejus non est expers veneni, fixum contra liberum est omni venenositate, quod mirum est adeo ut antimonium unum ex septem mundi reputetur miraculis, de quo tot scriptores egerunt, nescientes ipsi quid scripserint. (a) Nullus hactenus ante me fuit, hodieque nullus invenitur, qui potentiam, virtutes, vires, operationem & efficaciam tandem ita perdidicit, & omnem ejus energiam ita profunde penetravit, ut nihil amplius in eo lateat inveniendum, quod experientiâ non possit in lucem proferre. Si quis autem inveniretur, is dignus esset, qui curru triumphali circumveheretur, quemadmodum monarchis, & fortissimis heroïbus olim post prælia feliciter peracta, victoriasque insignes ab hostibus reportatas concessum fuit: sed vereor, ut multis ex nostris Doctoribus opera sumenda sit, ut eos sibi currus curent conficiendos.

Ita plerumque terreni mundi hujus Magistri cogitationibus suis immerguntur, ut nihil nisi divitias ex antimonio quærant, obliviscanturque ejus ad medicinam & sanitatem corporis inquirere utilitatem, quæ tamen ante omnia quærenda foret, ut ea in lucem proferendo mirabilia Dei nostri opera manifestentur, & illi detur cum profunda gratiarum actione gloria.

Negandum non est plus divitiarum unà cum sanitate in eo reperiri posse, quàm vel omnes simul vos, vel ipse ego possim credere: ipsum enim me in scientia antimonii non nisi discipulum profiteor, quamvis in eo plus viderim, expertus sim & didicerim, quam vos, & omnes vobis similes, qui magnam vobis arrogatis in eo scientiam, vel jam didicistis, vel unquam discetis. Nemo tamen ideo expavescat, aut de felicitate sua desperet, quandoquidem Deus mirabiliter sua dispensat munera & beneficia; sed postquam mundus ingratitudini suæ immersus, neque æstimavit, neque debitâ reverentiâ agnovit beneficia Altissimi, & divitias sanitati præposuit, Deus quasi telas aranearum prætendit oculis eorum, ut cæcutiant, nec omnia cognoscere possit arcana naturæ in forma hujus mineralis abscondita.

Omnes vociferantur, *divites*, *divites* volumus fieri! Fateor ad divitias aspiratis omnes, & cum Epicuro dicitis *primum corpori provisum sit*, *anima tandem etiam quidpiam inveniet*, & cum Mida, sicut in fabulis est, omnia cupitis converti in aurum, quæcunque tetigeritis. Ideo tam multi optatas illas suas divitias in antimonio quærunt; sed cum obliti sint donum illud Creatoris sui sacrificio grati cordis agnoscere, id, quod ante omnia fuerat procurandum, & amorem proximi post terga projecerint, frustra equi dentes inspiciunt, non ætatem enim ejus viresque magis agnoscent, quam convivæ in nuptijs celebratis in Cana Galilææ cognoverunt opus mirabile, quod Christus ibi operatus est, dum aquam convertebat in vinum. Vinum illud aquam fuisse sciebant, jamque vinum ex ea factum gustu percipiebant, latebat autem eos, quâ id ratione contigerat; reservabat enim sibi Dominus Jesus Servator noster opus illud supernaturale ad ostendendam omnipotentiam suam.

Ita dico uniuscujusque esse investigare mysteria & arcana, quæ Creator creaturis indidit singulis; quamvis enim (ut supra diximus) incredibile sit, nos omnia posse perdiscere, invenire, & penetrare; tamen minimè prohibitum est in ea inquirere, quandoquidem tantum possit studio & solertiâ effici, ut quamvis ipsi defectus aliquis adhæserit, quò minus ad optatas divitias & perfectam sanitatem pervenerit; tantum tamen acquirere possit, ut non sit cur eum laboris pœniteat, sed potius occasionem habeat gaudendi & lætandi, quod tantum adeptus sit, ut Creatori suo omni tempore gratiarum actionis debito sit obligatus.

Quisquis ergo in perfectum Antimonij evadere cupit Anatomicum, ei primum animadvertenda est solutio corporis illius, ut illud debito loco arripiat, & rectam viam sibi proponat, ne per devia seducatur. Secundo loco observandum est regimen ignis, ne vel nimius ille sit, vel nimis exiguus, ne nimis calidus sit, aut frigidus nimis: ignis enim caput est rei: hoc spiritus vivifici extrahuntur, & ad operandum solvuntur: caveat etiam ne vis ista operativa adustione mortificetur, & omnino intereat.

Tertio usus seu dosis observanda est, ut nempe mensuram debitam inveniat, ut supra à me commemoratum est, dum egi de quinque capitibus ad Alchymiam requisitis, nunc autem tantummodo per transennam instar parabolæ repetitur.

Per resolutionem caput rei proponitur; igne verò percoquitur ad utilitatem. Ita lanio bovem discindit, & in partes dividit; sed homo frui carne istâ non potest, nisi calore ignis percoquatur, quâ ratione carni rubra substantia eripitur, & in album alimen-

(a) Hic se in laudes antimonii diffundit. Lege, lege Philochymice nihil hyperbolicum, nihil Thrasonicum reperies; non exhauriet laudes Basilius dicendo, quia nemo hactenus vires ejus omnes cognoscere potuit experiendo: multa vidimus, multa quotidie nova inveniuntur à curiosis scrutatoribus, sed plura restant invenienda: adeo ut, quemadmodum fons est inexhaustus in igne (quo enim plura ab eo extrahis, eo plura dat, millies enim, si illi acetum extrahas, millies novum dabit, sine ulla rei ullius additione) ita virtutum, semper novarum inæstimabilis est thesaurus. Natura hoc minerale elegisse videtur, in quo thesauros omnes suos absconderet, ut non immerito *currum* illi *triumphalem* construxerit Basilius, qui novis quotidie ex ignorantiæ castris ablatis ditatur spoliis.

alimentum præparatur. Si homo fame coactus crudam illam & rubram carnem devoraret, potius venenum ei esset, quàm medicina, eò quod naturalis calor stomachi debilior sit, quàm ut corpus illud crudum concoquat digeratque. Hac itaque ratione poteris, amice chare, concludere, cùm antimonium majus venenum, magisque spissum corpus minerale secum trahat, quàm animalis caro, ut exemplo tibi vulgari jam ostendi, etiam periculosius erit ita crudum sine præparatione, separatione, & percoctione in usum revocare; sed venenum erit, manebitque quod citâ morte ægrum interimet.

Ideo Antimonio venenositas sua sic adimenda est, ut nunquam iterum in venenum converti possit, eâ ratione, quâ vinum, dum semel per putrefactionem & corruptionem in acetum versum est, nunquam spiritum vini ex se proferet, sed semper est, & semper manet acetum. Contra vero, si per distillationem spiritus solus à vino depellitur, ita ut aquositas à spiritu separetur, idemque spiritus postea exaltetur, nunquam deinde in acetum mutabitur, quamvis spatio centum annorum conservaretur, sed manebit semper spiritus vini, non aliter, quàm acetum manet acetum.

Et hæc transmutatio vini in acetum res est admirabilis, quod aliquid è vino producatur, quod antea in vegetabili sua essentia non erat; in quo & hoc notandum, quod in distillatione vini primo prodeat spiritus; at in distillatione aceti contra primùm aquositas, & deinde spiritus prodeat, ut supra loco suo commemoravi, ubi & hujus exempli mentionem feci. Ideoque spiritus vini facit volatilia, quia ipse volatilis est, sed spiritus aceti figit, & solida reddit omnia medicamenta, tam mineralium, quàm vegetabilium; ita ut res fixas apprehendant, & morbos fixos depellant.

(*a*) Adverte & observa hæc diligenter; hæc enim clavis præcipua plurimi refert.

Antimonium igitur, quod suum secum habet acetum, sic præparetur, ut illi omnis venenositas eripiatur, nec is, qui illo utitur, ullum venenum inde hauriat, sed potius omne venenum à se depellat, & fuget.

Præparatio ergo Antimonij consistit in clavi Alchymiæ, quâ illud resolvitur, aperitur, dividitur, & separatur, ut est calcinatio, reverberatio, sublimatio, ut antea de eo declaravimus. Item in extrahendo ejus essentiam, in vivificando ejus mercurio, qui mercurius postea in fixum pulverem præcipitandus est; etiam per artem & methodum potest ex eo fieri oleum, quod novum & incognitum illum morbum omnino consumere potest, quem per hasce expeditiones bellicas Galli in regiones nostras invexerunt.

Idem in alijs præparationibus, quæ ex arte Spagyrica & Alchymia fluunt videre est: ut exempli gratia; si quis ex hordeo, tritico, aliisque granis cerevisiam velit conficere, omnis hi gradus ei antea perfectissimè percurrendi sunt, quàm ex iis possit essentiam vimque subtilissimam exprimere, & in potum efficacem redigere. Maceranda sunt primò tamdiu in aqua, ut tempus eis sufficiens sit, ut se aperiant, & resolvant; & in Anglia & Belgio fieri, etiam tum juvenis per ea proficiscens loca, diligenter observavi; atqui hæc ipsa est *putrefactio*, & *corruptio*. Hac clave adhibita, aqua defluat, & frumentum maceratum in acervos arctè componatur ad invicem, itaque justo tempore maneat, dum sponte calorem concipiat, per eumque germine producto grana sibi invicem inhærescant, & hæc est *digestio*.

Hoc peracto grana, quæ sibi mutuo germinando inhærebant, separantur, & vel in aëre, vel calore ignis exsiccantur, indurantur que, & hæc est *reverberatio* & *coagulatio*:

Tum sic præparatum frumentum in molam defertur, ut comminuatur, & commolatur: & hæc est *vegetabilis calcinatio*. Post hæc calore ignis coquendo hæc grana, nobilior eorum spiritus extrahitur, eodemque aqua imbuitur, quod ante præparationem fieri nequivisset, & hac ratione aqua cruda in cerevisiam formatur, hæcque, ut rudi loquamur Minervâ, dicitur, & est *distillatio*. Lupulus si addatur cerevisiæ, est sal ejus vegetabilis, qui eam conservat, & præservat ab omnibus contrarijs eam corrumpere tentantibus. Hunc modum coquendi aquam in potum per extractionem spiritus è granis ignorant Hispani, & Itali, & in natali meo solo Germania circa medium Rheni paucos inveni hujus artis peritos.

Post hæc omnia fit per *clarificationem* nova *separatio*: potui nimirum hoc modo confecto, tantillum fæcis apponitur, quæ motum internum, caloremque in cerevisia excitat, ita ut elevetur in seipsa, fitque adjuvante tempore separatio densi à raro, & impuri à puro, atque hoc modo tandem cerevisia acquirit perfectam & constantem in operando vim, ut penetret, eaque efficiat, propter quæ facta, & in usum est reducta: quod antea fieri non potuit, quia spiritus operator impuritate suâ impediebatur, ne opus suum posset efficere. In vino autem, nonne idem experientia docet? istud non posse ante tempus illud, quo impuritates ab eo separantur, opus suum adeo perfectè & efficaciter perficere, quàm post separationem puri ab impuro; id quod per ebrietatem innotescit: nec enim non defœcata cerevisia, vel vinum tantum spiritus edet ad inebriandum, quantum post clarificationem. Sed de his verbum post hæc non addam.

Post hæc nova adhuc separatio institui potest per *vegetabilem sublimationem*, ut spiritus vini vel cerevisiæ separetur, & per distillationem in alium potum vini ardentis (quod etiam ex fæcum sedimento fieri potest) præparetur. Dum hoc fit separata est vis operatrix seorsùm à suo corpore, spiritus per ignem extractus est, & inertem mortuamque habitationem deseruit, in qua antea commodè hospitabatur.

Jam si rectificetur hoc vinum ardens, seu spiritus vini, fiet *exaltatio*, ut eum sæpius distillando, & certo quodam in operando modo purum & omni phlegmate seu aquositate liberum ita coarctetur, & quasi condensetur, ut postea una mensura plus efficiat, quàm antea viginti, pluresve mensuræ; citius enim inebriat, estque celer, volatilis, & subtilis ad penetrandum & operandum. (*b*)

(*a*) Non tantum crede Basilio, & mihi eadem fide & synceritate tibi affirmanti: *hæc clavis est prima, hæc est artis totius præcipua, hæc primam tibi portam aperiet, hæc ultimam, quæ ducit ad Regis thalamum reserabit.* Sed ut dixi, non tantum crede, sed adverte & observa. Hic stas in limine, si aberraveris, à janua omnis cursus tuus erit error, omnis festinatio ruina, omnis sapientia stultitia. Qui clavem istam assecutus est, & modum novit, quo eâ utatur, qui *encheresis* vocatur, & vires habet, quibus eam vertat, quas Plutus suppeditat, illi aditus patet ad ipsa Chymiæ adyta.

(*b*) Heus tu, siste viator iter.

Ne contemnas, aut leviter transilias hanc tautologicam, sed non perissologicam admonitionem: sæpius mente recurras ad hanc tabernam cerevisiarum perscrutare, contemplare, & perpende singula, fortè hoc turbido, & fumoso gurgite, quod minimè rebaris, piscis erit. Si in hac luce adhuc cæcutias, nescio quodnam tibi proderit collyrium: si tam certâ manuductione non pervenias, nescio quis claudo dabitur scipio, quæ stupentem diriget itineris demonstratio. Crede, lege, meditare, labora: & parce tot Chymicorum libris, qui te vario distrahunt errore viarum, hic unus dicit omnia.

Hîc te moneo, quisquis es, qui scriptis meis cupis erudiri, & speras ex antimonio divitias, veramque medicinam consequi, ut hanc meam intentionem non perfunctoriè percurras; nulla in ea est littera, quæ frustra sit exarata, & quæ non habeat singularem quandam significationem ad te erudiendum. Imo hic semel affirmo, multa hinc inde verba in scriptis meis dispersa inveniri, ad quæ si lector quâ convenit ratione adverteret, & cognosceret in quibus fundamentis nempe præcipua rei capita sita, & quodammodo sepulta sint, non pœniteret illum sæpius eadem folia revolvere, & quodque verbum vel nummo aureo æstimare. Cognosces enim, quamvis exempla à me proposita rusticum quid & ineptum sonent, ea tamen grande aliquid, & magni momenti in sese continere. Sed nolo hîc scriptis meis auctoritatem vel laudem conciliare, quod nec opus est, nec me deceret, ipsa enim, dum operatio eorum in lucem prodibit, satis per se sibi laudis acquirent. De industria, & volens tam rudia & vulgaria adfero exempla, quia vis antimonii, & vera ejus virtus altè abscondita, & profundè in abdito inquirenda est: volui rudibus his exemplis te manuducere, & viam sternere, ut per hæc rem ipsam consequaris, neque in principio à janua aberres, unde diu vageris, nec investigationem tuam ad finem optatum unquam perducas. Antimonium enim avi assimilatur, quæ per aërem fertur, & prout eam ventus impellit, se convertit quocunque vult: aëris vel venti partes hîc agit homo, qui antimonium ad lubitum impellere ac movere potest, & reponere eo in loco, quem ipse sibi elegit; potest illud rubro vel flavo, albo vel nigro colore imbuere, prout id esse desiderat, & prout ignem regit, & conservat, cum omnes in antimonio colores non secus ac in mercurio reperiantur, quod neminem in admirationem rapiet considerantem, quàm multa natura in sinu suo gerit abscondita, quæ nec tu, nec ego multis deinceps diebus capiemus.

Si forte homini indocto liber objiciatur, nescit ille quid eo scripto significetur, aut quid sibi velit scriptura ista: absconditum enim est id ab oculis ejus, & hæret, ut vacca, quæ ad oblatæ novitatem januæ obstupescit. At si quis illis indocto suggesserit explicationem libri, eumque tam rem eo contentam, quàm usum rei docuerit, non amplius miratur ut artem, sed jam facta est illis res vulgaris, cujus operationem & rationem intelligit, & utilitatem studio suo addiscere, capere, & comprehendere potest tam perfectè, ut jam eum nihil eorum lateat, quæ libro continentur, quoniam didicit & legere, & intelligere, quod in eo scriptum continetur. Talis liber est antimonium iis, qui legendi artem ignorant, ideo animo fideli omnes eos mone, qui utilitatum ejus exoptant fieri participes, ut ad litteras ejus animum advertant, eas cognoscere, & pronunciare addiscant, ut sic eum librum legendi artem obtineant, & eo modo, tanquam in gymnasio de classe in classem promoveantur, ubi is, qui experientiam rectè consecutus est, tanquam rector præsidebit, & judicium feret, quod in examine præmium auferet: alius enim præ alio in possessionem ejus mitti dignus est.

Sed hîc mihi in mentem venit, quod nullatenus videtur prætereundum esse; nimirum hodieque quàm plurimos reperiri, qui dicunt, & temerè vociferantur, *crucifige, crucifige* in omnes eos, qui venena præparant in medicamenta, quibus tot mortales, inquiunt, vel pereunt, vel si supersunt, misere animam trahunt; qualia sunt mercurius, arsenicum, antimonium; isque clamor plerũq; intenditur ab iis Medicinæ, si Diis placet, (*a*) Doctoribus, qui ne quidem intelligunt, quid inter venenum, & medicamentum intersit, & prorsus ignorant, quomodo venenum præparandum sit, ut in medicamentum salutare transeat, & loco malignitatis suæ meliorem naturam induat. Contra hos ego primus exclamo, & protestor; hos inquam, qui præparationis ignari, hominibus venena porrigunt, etenim mercurius, auripigmentum, antimonium, & alia his similia in substantia sua venena sunt, & nisi rite præparentur, venena manent.

Attamen post legitimam præparationem omnis venenositas infringitur, extinguitur, & expellitur; ita ut nihil ex iis, nisi medicamentum supersit, quod omnibus venenis internis, etiam altissimè radicatis, resistit, eaque funditus evellit: venenum enim eo modo præparatum, ut jam ipsum nocere nequeat, resistit omni veneno, quod nondum præparatum invenit, idque ipsum adeo præparat & subigit, ut venenatam suam naturam juxta secum exuere compellat.

Hîc jam ingens inter doctos certamen excitavero; dubitabunt enim, scio, quid hæc mea verba significent, an fieri possit, id quod affirmo, & scribo, an non: & in diversas abibitur sententias. Erunt, qui existimabunt fieri nullâ ratione posse, ut iis rebus, de quibus agimus, sua venenositas omnino possit auferri; nec miror, in ea illos manere sententia, cùm doctrina similium præparationum illis prorsus ignotà sit, nec minimam cogitationem habeant, quæ ducat ad profundorum istorum mysteriorum scientiam; minor tamen eorum pars fateri mihi cogetur, fieri posse, ut vel quid in aliud melius transmutetur.

Vos enim, vos ipsi Doctores mei, fateri debetis, propositum vobis esse id mali, unde morbus originem ducit, in meliorem statum reducere. Agitedùm ergo, nonne simul concedetis malum, si quod insit iis rebus, unde medicina fiet, in melius posse converti, ut opus suum tanto melius, validius, utiliusque sine ullo insigni periculo perficiat? Sed cum paucis admodum notus adhuc sit, vel experientiâ compertus modus, quo in hisce præparationibus procedere oportet, minima eorum pars sibi constabit, & pugnabit pro sententia, quam hic affirmo, & publicè profiteor: auferentur enim plerique majore turbâ clamantium, venenum, venenum! quas voces dum audio, recordor equidem clamorum istorum feralium, quibus Judæi mundi Servatorem ac Redemptorem ad crucis supplicium deposcebant, ingeminantes crucifige, crucifige eum, quo, ut summum, præsentissimum, perniciosissimum, & maledictum venenum proclamabatur, cum esset nobilissima, summa, gloriosissima simul, & utilissima animarum nostrarum medicina, quæ nos à morte peccatorum, diabolo, inferno, & omnibus infortuniis erat liberatura. Quod licet superciliosi isti Pharisæi, & legis periti, nec volebant, nec poterant intelligere, nihilo tamen minus, & erat tùm, & erit verum usque ad finem mundi, & post eum ad omnem æternitatem; nec diabolus, nec mors, nec ipsæ portæ inferorum, nec ulla quantumvis vel potens, vel perversa creatura quicquã unquam efficere poterit, quo veritas hæc evertatur.

Ita

(*a*) Indulget nonnihil genio suo Basilius, exagitando Pseudo-medicos, quorum ea tempestate tanta erat ignorantia, ut omnem subtiliorem medicinæ præparationem, quam ipse, & Chymici cum eo profitebantur, contemnerent, & veluti inutilem, periculosam, ac noxiam proscriberent; in quos mirum non est paulò vehementius vicissim insurrexisse Chymicos, qui tum patrocinante sibi scientiâ & conscientia animosi perrumpere conabantur agmen illud imperitorum; sed non semper quæ meliora sunt, sunt etiam feliciora. Vincebant causâ Chymici, numero vincebantur: ea tamen pugnabant, freti rei veritate & bonitate, constantiâ, ut se victoriam reportaturos, certo confiderent; quod & hic indicat author noster, & Paracelsus vaticinans de venturo Artista Elia præsagiebat fore. Et certe mihi quantum profecerint Chymici hisce temporibus attentius consideranti, sese aperit quasi aurora istius diei, dum video tot radios venturi solis.

Ita spero, imo nullus dubito, licet omnes omnia moliantur, clamentque simul tam vagabundi & circumforanei Medicastri, quàm in civitatibus desidentes Medici, & quotquot Medicinæ aliquam partem profitentur Magistri, quin omnium istorum imperitorum ingratiis (veros enim & semper discere paratos Medicos, hic intactos esse volo) antimonium triumphabit, & vi virtuteque suâ, post justam præparationem acquisitâ, omnes inimicos suos vincet, & conculcabit; contra verò imperiti & falsi judices, & importuni ac pertinaces antimonii condemnatores, quia veritatem non agnoscunt, unà cum superbis & sanguinariis Judæis peribunt, & in abyssum demergentur isti magnifici, sibique solis sapientes Doctores, qui Imperatores, Reges, Principes cæterosque magnates deterrent, & serio admonent, ne tales medicinas, vel extremis labiis attingant, quod sint noxiæ, venenatæ, & undequaque periculosæ, hic non indicabo, cùm videam eos tantummodo ex opinione sua judicare, nec pensi habere observationes ullas aliarum rerum, quarum illi notitiam suâ sibi observatione non ante acquisiverint, ac proinde aliud aut aliter judicare nequeunt. His ergo ego denuntio, quod si quis sit, qui tam potens venenum assumpserit, ut inde sequutura videatur mors præsentissima (siquidem homo iste curæ meæ omnino permittatur) me illi præbiturum antidotum, à me præparatum, quod continuò veneno isti resistet, idque quamprimum è corpore depellet.

Parum autem mea refert, an tu Domine Doctor, qui rem hanc neque novisti, neque unquam mentem tuam, ut nosces, applicuisti, eam parvi facias, eamque vel ridiculam, vel omnino falsam reputes, sufficit mihi quod (Deo sit, si qua inde laus) id probare, & defendere possim; ipse enim expertus sum, ipse confeci, ipse præparavi, ipse præscripsi medicinam istam, nec deest multorum copia testium, id suo assensu & sigillo confirmantium.

Et si quando contendendum mihi foret in schola cum Doctore istiusmodi, qui medicinas ipse suas non novit præparare, sed id negotii alteri committit, certus sum mihi primùm præ illo locum assignandum; quid enim? ignorat ille bonus, quas medicinas ægris præscribit; albusne sit color earum, an ater, ruber, flavus, grisius, an cæruleus, eum omnino latet, neque magis an siccum sit, an calidum, frigidum, an humidum medicamentum, quod exhibet, est misero notum; hoc tantum novit, se id in libris invenisse, indeque diuturni temporis præscriptione possessionem, vel quasi possessionem prætendit; nullam autem ulteriorem requirit informationem.

Exclamare hîc iterum liceat, bone Deus, quid hoc est rei! quid hominibus his bonæ mentis est! quam curam gerunt ægrorum suorum! væ, væ illis! in die judicii invenient fructum ignorantiæ, & temeritatis suæ; tunc videbunt in quem transfixerint, dum proximum neglexerunt, pecuniam aucupantur, & nihil prætereà: ubi, si professio sua illis esset cordi, noctes diesque impenderent, quo doctiores in arte sua evaderent, unde ægris certior cum eorum æstimatione salus, & ipsis gloria major contingeret. Sed cùm labor eis sit gravis, rem fortunæ mandant, securi honoris, ac famæ suæ contenti, rabularum instar se garrulitate quadam defendere, nihil de conscientia, nihil de rei veritate solliciti; carbones nescio quid peregrinum, & exoticum iis videntur, ideo parcunt nummis, quos iis impenderent, tanquam si melius eos essent collocaturi. Vulcanus ille scilicet medicamentorum præparator non invenitur apud eos, furni namque eorum apud Apothecarium sunt, ad quos nunquam vel raro accedunt: chartula nimirum, cui solemne illud *Recipe* inscriptum est, iis utramque facit paginam, quam recipiens mediastinus nescio quis apothecarii famulus ex mortario suo omnem medicinam, omnem ægri sanitatem magno strepitu extundit.

Muta mi Deus, muta hæc tempora, & fac finem hujus arrogantis superbiæ; arbores illas everte, ne in cælum usque excrescant; subverte gigantes illos, ne montes omnes accumulent, & defende eos, qui serio rem agentes, tibi fideliter serviunt, ut adversus hosce persecutores suos possint consistere.

Ego certè omnes iisdem votis in monasterio nostro mecum obstrictos serio admonebo, ut mecum diurnas nocturnasque Deo adhibeant preces, ut hos inimicos veræ Medicinæ ita illuminet, ut errorem suum execrentur, & gloriam Dei, potentiamque creaturis inditam agnoscant, & latentem in iis claritatem per præparationem, & anatomiam quasi auribus percipiant sibi loquentem, quæ aliàs externis circumdata & circumtecta impuritatibus, in profundo latitat, nec unquam in lucem progreditur. Confido autem Creatorem rerum omnium, tam earum, quæ sub sensum cadunt, quàm quæ remotæ sunt à sensibus, benignè preces nostras exauditurum: quod si minus me, fratribusque meis superstitibus contingat, poterit tamen ubi nos fatis concesserimus, sequi ea rerum hominumque conversio (Deus his votis aspiret) ut densum & obscurum illud velum tollatur ab oculis inimicorum, & ipsi per veram & infallibilem illuminationem claram assequantur visionem, ut drachmam inveniant deperditam; quod faxit gratiâ & misericordiâ suâ æternus ille rerum temporumque Moderator Deus.

Æquum autem est, ut ego, qui discursum quendam numeris suis absolutum de Antimonio in lucem edere constitui, (*a*) de nomine ipso exordiar. Arabes, quibus jam olim metallum hoc innotuit, illud linguâ sua *asinat* vocaverunt; Chaldæi verò appellavêre *stibium*; apud Latinos hodieque in usu est nomen *antimonii*, quo illud primum indigitaverunt: at Germani nostri linguâ suâ id ei dederunt nominis, quod naturæ ejus quandam proprietatem videtur exprimere; cùm enim constare videatur materiâ quadam striatâ, atque ex eo facilè confici possit vitrum præditum variis coloribus, qui ex illo educuntur, illud *spiesglas* vocaverunt, quasi vitrum striatum dicerent. Ex qua nominis varietate id in primis judicio prudentiore colligendum est, Antimonium ab Arabibus, Chaldæis, Latinis, nostrisque Germanis cognitum, & magni æstimatum, & virtutem utilitatemque ejus observatam, & in usum reductam fuisse; postea verò, orientibus variarum opinionum hæresibus, usum defloruisse, virtutemque ac gloriam ejus obscuratam primo, deinde prorsus extinctam concidisse; quæ res nulla ratione in dubium vocanda est, nihil enim magis proclive est; quàm ut veritas oppressione inimicorum damnum & naufragium patiatur. Quis enim nescit malitiam diaboli, cui à Deo propter nostra delicta, & cæcitatem sæpe multum

(*a*) Poëtæ non raro collocant in medio poëmatis sui historiæ, aut tabulæ principium, ut sustentatione perpetuâ finem suum, qui est oblectare legentes, facilius consequantur: Chymici alium ob finem eodem utuntur medio. Cùm enim propositum sit illis ita docere lectores, ut ab iis solis intelligantur, qui ardenti scientiæ desiderio totos se studio isti devoverunt, non servant illum, qui à principio per media ad finem procedit, ordinem. Ea propter author noster jam demum agit de nomine antimonii, unde alius quilibet ordini Scholastico addictus, sumpsisset exordium: mox autem ab hoc etiam discursu abstractus, satisfacit objectioni antea factæ per interrogationem: an possit antimonio omne suum auferri venenum? quod utilibus, & plus quàm præ se ferunt, significantibus ostendit exemplis.

multum permittitur: ille nimirum est hostis generis humani perpetuus, qui omnes vires suas impendit, omnes dolos adhibet, nihilque, quod in se est, omittit, ut utilitas veræ Medicinæ ignoretur, & usus exterminetur; satis gnarus eo ipso Dei potestatem & gloriam obscurari, & illa Eucharistica hominum sacrificia impediri, quibus Deo propterea gratias agunt, quod bonitatis suæ quasi radios creaturis indiderit, unde illi salutem per naturale auxilium consequantur: verùm enim verò cum nihil ad rem faciat de nomine quæstio, hac disputatione supersedebimus: omnis enim laus antimonii in præparatione ejus consistit, quæ fit ad perficiendas virtutes ei à natura per naturæ Authorem infusas; de hac ergo mihi erit sermo, hanc pertractando, & virtutem ejus notam, & nomen meum immortale facere conabor.

Antea tamen quàm virtutem antimonii declarare aggrediar, cum superius fassus sim, id merum esse venenum, sciendum & diligenter notandum est, venenum posse venenum ad se trahere, utpote rem sibi similem multo citius, multoque magis, quàm rem quamlibet alterius naturæ.

Advertat autem lector meus, & tanquam rem notatu dignam observet, verum unicornu, quod nullâ fallaciâ sophisticatum est, omne venenum à se repellere; nec posse quicquam ejus assumere, vel ad se trahere, id quod hac patet experientiâ. Ponatur aranea viva in medio circuli ex unicornu confecti, hæc circulo exire, & unicornu pertransire non poterit; fugit enim id quod veneno adversatur. At si ex venenata materia circulus fuisset confectus, non dubitasset aranea exire, ipsumque venenum sibi simile pertransire.

Nota deinde hoc experimenti genus: excavetur nummus argenteus, isque aquæ imponatur, ita ut navis instar super eam fluitet, tum particulam veri unicornu ita teneas, ut non tangat quidem, sed quàm proxime ab eo absit: unicornu illud, spirituali suâ virtute nummum à se depellet, ut fugiat, non secus atque anas, quæ per aquam natitans, fugit, dum insidias aucupis, glandem sibi plumbeam intentantis, animadvertit.

Contra verò, natura mirum in modum amat & sequitur, quod sibi est simile; ut patet hoc exemplo. Impone aquæ partem panis puri & synceri, in scutella aquâ repletâ, ita ut panis innatet aquæ, admove tum syncerum unicornu pani, sic tamen, ut eum non tangat, si jam unicornu pedetentim moveas, sequetur particula illa panis. Adeo similia amat, adeo dissimilia odit natura, ut hæc fugiat, illa sequatur. Considerent ergo Doctores nostri, quod venenum magneticâ quadam ratione venenum adtrahat, & ea, quæ veneni sunt expertia, simili modo purâ & venenatâ qualitate carentia sibi adsumant.

Potest itaque venenum duobus modis auferri: primò per contrarium, quod veneno repugnat, ut jam de unicornu est relatum; secundò per simile, dum venenum magneticâ quadam vi ad se trahit. Debet autem venenum, quod veneno sibi simili medebitur, ita antea præparari, ut venenum ejus in medicamentum transierit, & vi suâ attractivâ possit alterum sibi assumere, & secum expellere.

Cujus rei clarissimum datur in sapone vel smegmate exemplum. Est illud ex oleo, aliisque pinguibus ingredientibus materiis compositum, quæ lino inficiendo, quàm purgando aptiores videntur, & re verâ sunt; sed quia bullitione smegmatis inter coquendum, ope salis præcipuè, separatio quædam, & præparatio facta est, smegma redditum est aptissimum, ut ex lino, aliisque rebus omnem pinguedinem & sordes ad se trahit, & eluat: ita profectò potest venenum certo quodam modo per antecedentem præparationem accommodari, ut jam non venenum, sed medicamentum sit, venenumque aliud ad se trahat, ejiciat, & hominem pristinę restituat puritati & sanitati.

Quandoquidem jam eò sermo nos deduxit, ut vero Medicinæ studioso, hactenus tamen ejus ignaro, eousque naturam aperire inceperimus, ut quid in ea bonum, aut malum, quid venenum, quid innoxium sit, cognoscat, id quod à Doctoribus propter supinam eorum negligentiam nondum inventum est, atque ut veritas ejus demonstretur, pariter & confirmetur, non pigebit experimentalia aliquot exempla proponere, quæ veritatem in lucem producant, & falsa aliorum dogmata refutent.

Imponatur ovum, quod hyemali frigore congelatum est, aquæ vehementer frigidæ, ibique linquatur justo temporis intervallo, glacies extrinsecus ad ovi putamen adhærescet, frigus autem ex ovo extrahetur, illudque pristino suo vigori, & integritati restituetur.

Rursum, si cui membrum aliquod torpeat frigore, non sit negligens sui, sed aquam nivalem frigidam circumponat; ita frigus attrahit, & membrum restituitur.

Contra verò, si quis membrum habeat inflammatum, circumponat illi materiam calidam, unde inflammatio orta est. Exempli gratia, spiritum vini, qui merus est ignis, vel quintam essentiam sulphuris; & re ipsa comperiet, calorem à calore attrahi, magnetica quadam ratione, eumque gaudere suo simili; & dare membro inflammato, non solùm pœnæ calorisque levationem, sed vires omnino pristinas.

Ne autem hoc propositum non sit ab omni parte exemplis confirmatum, addo & illud mantissæ loco: Cape sperma ranarum, quod circa mensem Martium invenitur, illudque asseri impositum exsicca ad calorem solis, exsiccatum contunde in pulverem eumque insperge vulneri à venenatis viperis aut sepentibus inflicto, & facta erit ejusmodi in vulnere præparatio, ut deinde adhibitis medicamentis vulnus possit persanari. Vel aliter; idem sperma ranarum sæpius linteo lineo illinatur, ac identidem exsiccetur, linteum deinde in particulas concisum imponatur vulneri: idem præstat, quod jam dictus pulvisculus.

Quò autem veritatis hujus fundum tibi declaretur apertius: sume tibi bufonem venenatum ad solem exsiccatum, & include ollæ undique clausæ, atque urendo in cinerem redige, deinde exemptum fricando comminue, vulneri à veneno exorto impone, venenum aliud venenum attrahet, sibique adjunget. Quamobrem quæso? hac combustione, quæ est calcinatio bufonis, vis interior fit manifesta, & efficax ad operandum, ut simile, & nominatim venenum ad se possit attrahere. Firmiter ergo tibi persuade hanc infallibilem, immutabilemque veritatem, quam tibi jam, & aliis in exemplum proposui. Si quis autem peste correptus sit, etiam hoc diligenter observet, inveniet enim veritatem eorum, quæ jam dixi; solum astrum solis, & spiritus mercurii tempore pestis adhibita, multa conservant: spiritus enim mercurii etiam sibi similia ad se trahit, & in se habet medicamentum, & vim attractivam omnium morborum venenatorum.

Verumtamen cùm astrum solis, ex quo tanquam ex operativo & omnia vivificante sole cuncta in genere oriuntur universaliter, antecellat omnibus, ego permittam supra omnia operantem naturam agere in potentia auri, id est, in astro suo, unde & ipsum, & cuncta metalla, mineraliaque in principio primam nativitatem, & propagationem generationis acceperunt. De quo pluribus agi poterit, cùm astrum solis tibi manifestabo, conscientiæque tuæ religiosissimè commendabo.

Eadem etiam ratione agendum est cum antimonio, quod easdem cum auro corporali habet operationes, de astro tamen ejus jam non loquor. Scio enim me, inquit

inquit antimonium, oportere coram eo pavere, timere, & tremere, quamvis in multis Medicinæ rebus capitalibus longè multumque illud excellam; attamen universaliter efficere nihil possum eorum, quæ astrum solis, munitum cælesti veritatis testimonio, efficere potest. Mitto astrum mercurii, quandoquidem ipsummet ego ex eodem cum illo productum sum; sed quantum ad cælestem vim penetrativam operandi, astro solis cedere debeo primum dominii locum.

Scripta mea, & libri, se invicem sequuntur per experientiam, quemadmodum metallorum aliud (quantum ad virtutem) ex alio observari, & æstimari & igne probari debet, cujus valoris sit. Ita mea hæc sive dicta, sive scripta, sive medicamenta, ad unum scopum, & finem in scholas invehi debent, ubi divitiæ seu Plutus locum sibi quasi hæreditarium obtineret, & honorem omnem loci istius auferret. Quod Vulcano soli convenit, ut jactet se magistrum in suo elemento ignis: quod in exemplum, & veram, manifestamque probationem hac ratione ostendi potest, Cum chalybs durissimus silice duro solidoque percutitur, ignis ignem excitat commotione vehementi, & accensione eliciente occultum sulphur, sive ignis occultus manifestatur commotione istâ vehementi, & per aerem accenditur, ita ut verè & efficaciter ardeat; sal manet in cinere, & mercurius inde se proripit unà cum sulphure ardente. (*a*)

Ita & hîc intellige antimonium modo quodam sic apprehendi debere, ut mercurius à sulphure ejus & sale, naturali modo separetur. Jam quemadmodum ignis, qui absconditus delitescit in materia, nisi manifestus fiat, & demonstrari possit, nihil utile, nihil manibus, ut sic dicam, tangibile, nihil magnum efficere potest: ita medicina nihil præclari efficiet, nisi antea à crasso separata, rectificata, itáque exonerata, clarificata, in lucem producta, & præparata sit, ut pateat omnibus separationem puri ab impuro peractam, & montanum omne sive terrestre segregatum esse à puro metallo, tunc messis optata exspectanda est; ut sic tandem cognoscatur, nihil fieri posse priusquam ignis certâ ratione ad operandũ apertus & solutus est.

Ut brevibus ergo multa comprehendam, dico hanc esse antimonii conditionem. Quidquid occultum & absconditum est à notitia vulgari, id artis gaudet nomine & honore, quamdiu nempe latet; verùm simul atque absconditum illud factum est manifestum, ars finem habet, & jam transiit in opus mechanicum; quod non semel in aliis libris meis indicavi.

Quemadmodum apis mel exsugit ex floribus ea arte, quam Omnipotens ei indidit, in quovis, succus, & vis roborativa latet, ex quibus medicina omnium oculis conspicua conficitur. Jam vero ex dulci illo, suavissimique saporis melle corrosivum pessimum, atque præsens venenum præparari potest; quod fortè nemo credidit, nisi qui experientia didicit; nemo certè, nisi diligentissimus observator, animadvertit. Hinc tamen mel contemnendum non est, nec dicendum id, quantum ad gratissimam suam dulcedinem, corruptelam esse medicinæ, quia corrosivum ex eo fit; sed dicendum est, id provenire ex imperitia Medici, qui non novit debita ratione præparare. Hic jam habeo quod ad liberationem ab ultimo judicio imperitum doceam Medicum. Mel enim præparatur ex superfluitatibus brutorum animalium, unde agris, campisque pinguedo suppeditatur: in iis proveniunt variorum generum flores, herbæ, frutices, ex quibus apes exsugunt nobilissimum quintæ essentiæ; per hoc fit alteratio & generatio alterius in alterum, in alimentum scilicet alterius formæ & saporis, quod prioribus nulla ratione assimilatur, & mel dicitur. Ex eo melle paratur homini amœnus, opportunus, gratissimus, multasque ad res utilissimus cibus. Ex eodem parari potest venenum hominibus pecoribusque, quàm maximè noxium.

Ideo tu Naturæ perscrutator, cujuscunque tandem ætatis, sexus, fortunæ, vel eruditionis, sequere me, & naturam; ego te veritatem sine ulla falsitatis mixtura, ex imo erutam rei fundo erudiam; ego te, quis rectè, quis perperam procedat, intelligere faciam; ego te bonum à malo, summum ab imo separare docebo. Potest etenim ex antimonio, si prius venenum ejus commutetur in remedium, medicina confici, quæ omnes morbos radicitus eruat, atque instar ignis penetret, præparet, & coquendo consumat.

Primum ergo præparandum est antimonium in verum lapidem, qui quinta illius est essentia, quia in operatione sua igni omnino est similis, quamprimum ad coagulationem suam redacta est, à me *Lapis ignis* nominabitur: cùm autem hic lapis ignis ritè præparatus est, prout in fine hujus tractatus ulterius scribam; vis medicinalis ejus omnes noxios humores consumit, purificat sanguinem in summo gradu, & omnia præstat, quæ ab auro potabili efficiuntur.

Ideo rogo te, mi inexperte Doctor, qui præparationem meam didicisti, nec usum percepisti, ne me judices ex suspicione falsa, & imperitis tuis cogitationibus, sed ipsam rem aggrediaris, & discas quomodo præparatio antimonii institui, quomodo ulterius cum eo procedi debeat, quomodo venenum repellatur, separetur, & in locum ejus medicina salutaris reponatur, atque exaltetur.

(*b*) Cum hæc, inquam, perfeceris, tunc demum de differentia judicare poteris, & ea intelliges, quæ prius à cognitione tua tam longe fuerant remota.

O vos miseri & miserandi medicastri! qui fuco deliniti, Thrasonium nescio quid spiratis, & per montes fundamento carentes inceditis, ac per nubes cogitationibus vestris ambulatis, ignari ubi tandem ad quiescendum pedem figetis: vos, inquam, admoneo, videte quid in extremo judicio Filio Dei respondebitis, quærite, & ubi quæsiveritis ad usum convertimini, & sic officio vestro functi, cætera Deo permittite, qui successum dabit, & nunquàm vos auxilio suo destituet. Vos autem infames, stultis bacchantibus insaniores, qui nec discere, nec manus carbonibus conspurcare vultis, nolite judicare, ne judicium provocetis in vos pronuntiandum, quod seri nepotes libro inscribant indelebili.

Omni Medico ante omnia curandum est, ne dum ultro citroque discurrit, ut sanitatem deperditam restituat, contrariam naturæ curationem instituat, vel à recta intentione declinet. Cùm spiritus vini aquæ forti affunditur, fit vehemens ebullitio, neque duæ hæ naturæ facilè se invicem patiuntur; sed qui eas per destillationem conjungere, & unire noverit secundùm usum verum Philosophorum, multis in rebus potest iis uti in bonum. Eodem modo oleum seu liquor tartari, & acetum ex generoso vino confectum inter se comparantur: oderunt enim, & non minus, quàm ignis aquam, alter alterum fugit, quamvis ex eadem materia prodierint.

(*a*) Qui simplicissimam hanc de chalybe & silice legis comparationem, laxa fræna tuæ admirationi, & obstupescens te ipsum interroga, posset-ne ratio aut modus inveniri, quo ex lapide hoc & ferro frigido eliceretur substantia, cujus granum unicum, quid granum? cujus pars centesima grani posset rudis item materiæ ingentem massam exiguo tempore convertere in rerum omnium splendidissimum, pretiosissimum, & humano generi utilissimum ignem? fieri potest, & fit quotidie, dum fixum fit volatile, & rursus volatile, fixum. Qui habet intellectum, intelligat; & desinat diffidere admirabilis chymiæ viribus.

(*b*) Effervescit iterum Basilius in Pseudomedicos; sed tu perlege, post fermentationem hanc utilem dabit doctrinam, quam mox in aqua forti, & spiritu vini reperies.

rint. Ideo Medico id in primis curandum, ut ab ægro circumstantias omnes accuratè intelligat, intellectas consideret, ut inter curandum media illa adhibeat, quæ tollendo morbo apta sunt, ne ex medicina nocumentum proveniat. Exempli gratiâ, dum ferrum aquâ forti solvitur, si subitò oleum tartari affundas, non facilè vitrum servabis integrum; contrariæ enim naturæ, non secus ac pulvis pyrius, ignem edunt, qui vitrum disrumpit. De his omnibus nihil quicquam noverunt togati nostri Doctores, ideoque ignorantiam suam solo silentio defendere possunt. Vos ergo, vos iterum alloquor, Medici titulares, qui schedulas lõgas receptuum conscribitis: vos Apothecarii, qui decoctionibus vestris ollas impletis, non minores iis, quibus in aulis Principum cibi ad aliquot centenos homines alendos percoquuntur; vos inquam, qui hactenus cæci fuistis, sinite, ut oculis infundatur collyrium, & lumina balsamo perungantur, ut decidat ab iis pellis illa densissima cæcitatis, & perspiciatis, tanquam in speculo clarissimo, veritatem. Deus concedat vobis gratiam, ut mirabilia ejus opera cognoscatis, & radicetur in vobis charitas proximi, ut inquiratis veram medicinam, quam Rector cælorum supernè manu suâ omnipotente, & ineffabili ac æternâ suâ sapientiâ indidit, impressit, & communicavit nobilibus creaturis suis in bonum generis humani, unde petat auxilium in summa necessitate sua, & consilium in morbis suis ad sanitatem. Quid tu vermis terræ miserabilis, & esca vermium, quid respicis ubique corticem, & negligis nucleum, immemor Creatoris tui, qui te formavit secundùm imaginem suam; quin gratias ei agas, quin studio diligenti opera ejus, naturam ipsam superantia indages? revertere, & in teipsum convertere, ibi imaginem ingratitudinis tuæ intuere, ut pudeat te coram ipso, & hujus nominatim pudeat, quod non investigaveris ea, quæ in bonum mortalium Deus opt. max. infudit creaturis suis, ex quibus potuisses ei offerre acceptabile sacrificium laudis & gratitudinis.

Sed finem hujus sermonis faciam, ne lachrymis, quibus affatim ebullientibus ex oculis vixdum resisto, commaculem hanc ipsam scripturam meam, & dum mundi cæcitatem doploro, lituris inducam hanc lamentationem, quam volo esse notam omnibus. Homo ego sum religiosus, Ordini Sacrosancto incorporatus, in quo perseverabo, quamdiu placuerit Deo Omnipotenti hoc miserabile corpus spiritu vitali animare; ideoque non alia, neque aliter scribendum mihi est, quàm statui isti convenit. At si judicis sæcularis fungerer officio, exaltarem vocem meam, & inflarem tubam clangore canoro, si fortè audirent surdastri illi, qui hactenus veritatem nolunt agnoscere, sed eam sine causa, falso, & mendaciter ex ignorantia persequuntur, calumniantur, contemnunt, vituperant, & prorsus meditantur opprimere.

Tu autem Domine Deus, qui in altis habitas, qui diceris, & verè es Deus Sabaoth, qui residens in supremo throno majestatis, regis cælum & terram, quæ creasti, qui stellas conservas, & ordinas cursum firmamenti in motu suo secundùm mandatum tuum, cui obediunt elementa, coram quo tremunt creaturæ omnes, quæ in terra, quæ in cælo reperiuntur, & spiritus infernales ineffabili pavore expallescunt: despice, quæso, tandem in ludum hunc mundi ingratissimi, & doce eum internè cognoscere illa, quæ filiis hominum exterius visibiliter proposuisti, ut lauderis in throno tuo, in veritate tua cognoscaris, & in immensa tua majestate adoreris. Quantum ad me, ego homo miser, & indignus pro magnis & infinitis donis & beneficiis tam sanitatis, quàm divitiarum tibi gratias ago, & laudo majestatem tuam in sæcula. Plura ego mi Pater & Domine in hoc mundo caduco nec possum, nec valeo.

Ut igitur de antimonio scribamus, & principium sumamus à fundo, unde antimonium imperium, triumphum, & gloriam acquirit, per quem exaltatur ad perfectam operationem, ante omnia prodemus certam originem radicis ejus. Quomodo in terra ginatur, quarum stellarum dominio subjectum sit, & quænam elementa id percoxerint, quænam ad maturitatem perduxerint. Antimonium igitur non est aliud, quàm fumus, vel (ut aliter interpreter) vapor mineralis, qui à syderibus supernè factus, & postea per elementa ad formalem coagulationem & maturitatem deductus & percoctus est. Notandum autem antimonium ex eodem astro suam essentiam, virtutem, vim, operationem, qualitatem acquisivisse à principio ex radice & essentia eadem, unde mercurius vulgaris productus est, attamen duriore coagulatione, ita ut perductum sit ad essentiam duriorem; quæ etiamnum desideratur in mercurio vulgi vivo, seu mercurio currente; cujus ratio est, quod plusculum substantiæ salis ex tribus principiis assumpserit; licet enim è tribus principiis de sale habeat minimum, plus tamen assumpsit essentiæ salis, quàm mercurius vulgaris, unde illi contigit ejusmodi coagulatio: à sale enim durities in omni re, id quod vulgari mercurio abest: habet enim salis admodum parum, sed inditus ei est spiritus quidam calidior sulphuris modo spirituali, ideo semper fluit, nec potest ad coagulationem perduci, nisi accipiat appositionem aliorum spirituum metallicorum, qui matri Saturni maximè, & maximis pollentes viribus sunt infusi, sine eo autem figi non potest, nisi ab eo, qui habeat lapidem Philosophorum, per quem potest sua tria principia adducere ad concordantem æqualitatem, & tum acquirit ejusmodi corpus, quod fundi, diduci, malleari, liquescere, & fluere potest, ut alia metalla; aliàs mercurius est fluidus, eritque fluidus, donec ei hac ratione volatilitas sua eripiatur.

Hinc animalia omnia, & omnia vegetabilia nimis imbecilla sunt, ut mercurium figant in malleabilem substantiam, quod tam multi nequicquam conati fuerunt, eò quòd omnia ista naturam non habent metallicam. Mercurius autem tam intus, quàm foris, nihil nisi merum ignis est, ideo nullo est igne combustibilis, nullus ignis illum apprehendit, ut eum de essentia sua deturbet, sed fugit subitò, & resolvit se spiritualiter in oleum incombustibile; vel post fixationem suam ita manet invariabilis, ut nulli homini suppetant vires, quibus illum iterum conturbet. Atque hactenus quidquid ex auro fieri potest, id etiam ex eo per artem confici potest, cùm post coagulationem suam auro omnino sit similis; quia cum auro ex eadem radice, ex eadem stirpe, & ex uno eodemque productus est. At cùm propositum mihi jam non sit de mercurio fusius disputare, sed tantum simpliciter, attamen veraciter, ex veris principiis & certitudine ipsum fundamentum antimonii describere, missum faciam mercurium, & ulteriorem de antimonio adferam declarationem: quicquid tamen de (*a*) mercurio per similitudinem ad introductionem, & ulteriorem considerationem intelligendum proposui, non frustra, vel de nihilo factum est; sed ut principium antimonii clarius intelligatur, quod, ut antea ostendi, unà cum ipso quasi mercurialiter originem suam accepit.

Observa

(*a*) Quod ita misere torquet omnes hujus artis studiosos: quid sit ille *mercurius noster*; quid materia lapidis, quæ ubique & omnibus in rebus reperitur, breviter & clarè hic manifestatur. Ideo non frustra sibi tuam conciliat attentionem orator Basilius. Lux omnis, quæ à me huic adderetur claritati, tenebræ forent, ideo, ut ipse monet, attende.

Observa ergo diligentissimè, sæpe recogita, intellige, & intimis tuis cogitationibus infige, quod omnia tam mineralia, quàm metalla simul eodem tempore, & eodem modo, ex una eademque re principali nata sint, & progenita: atqui res ista non est aliud, quàm merus vapor, qui ex elementari terra per astra superiora, tanquam per syderalem distillationem macrocosmi extrahitur, quæ syderalis calida infusio supernè in inferiora aëreo-sulphureâ proprietate ita operatur, & agit, ut eis vis quædam & virtus spiritualiter & invisibiliter implantetur, qui fumus se postea in terra in aquam quandam resolvit, ex quâ aquâ minerali omnia deinde metalla generantur, & maturantur ad suam perfectionem, pervenitque hoc vel illud metallum, vel saltem minerale, prout unum ex tribus principiis prædominium acquirit, utque habent multum, vel parum mercurii, sulphuris, & salis, vel inæqualem mixturam ponderis eorundem, unde metalla quædam fixa, quædam non fixa, id est, quædam constantia & stabilia, quædam volatilia & facile mutabilia reperiuntur, ut videre est in auro, argento, ære, ferro, stanno, & plumbo.

Præter metalla jam dicta, etiam generantur alia mineralia ex tribus principiis, secundùm communicationem, & participationem inæqualis ponderis eorundem. Ut sunt vitriolum, antimonium & aliæ plures marchasitæ, vel aliud electrum, & alia mineralia, quæ macrologiæ fugiendæ causâ, non recensebimus.

Jam aurum in astro & principio suo imbutum fuit multò perfectiore Mercurio, quàm cætera metalla & mineralia; ideoque vis ejus operativa multò potentior, multoque efficacior est, quàm astra aliorum metallorum: imo, quæ in omnibus dispersa sunt, in solo astro solis omnia, multoque plura inveniuntur.

Id volo, cum in maturatione sua per ignem ulterius producitur, plus illud unum perfectionis continere, quàm omnia metalla & mineralia simul. Unum solum est minerale, de quo jam sæpius mentionem feci, in quo sulphur solis æquè forte & potens, imo potentius reperitur, & fortius, quàm in ipso auro: quemadmodum etiam duo genera metallorum inveniuntur, in quibus hoc prædominium vehementer triumphat, de quibus jam scribendi nec facultas suppetit, nec voluntas: sed intra eos, quos ipse mihi circumdedi terminos, agendi de essentia Antimonii, me contineo, de qua jam dicere instituo.

Antimonium ergo est minerale, factum ex vapore terræ in aquam commutato, quæ spiritualis syderea commutatio est verum astrum Antimonii; quæ aqua per sydera ex terra elementari, deinde per elementum ignis, qui in aëre residet extracta est, & per coagulationem formaliter in essentiam tactilem commutata: in qua essentia tactili (unde nempe Antimonium formaliter factum est) invenitur plurimum sulphuris prædominantis; post hoc Mercurius censetur, salis autem ex tribus est minimum; tantum tamen salis assumpsit, ut duram suam & immalleabilem formam inde consecutum sit.

Sicca & calida, (vel potius ardens) est præcipua ejus qualitas, de frigore & humiditate est in eo minimum, uti & in Mercurio vulgari; quin etiam in auro corporali plus caloris, quam frigoris inest.

Atque hæc sufficiunt dicta de materia & tribus principiis fundamentalibus Antimonii, quomodo per Archæum in elemento terræ perfectum sit: verumtamen Philochymici non multum suâ referre putant hanc à me allatam rationem Philosophicam, nec eos sollicitos habet in quo centro astrum Antimonii quiescat, vel ex qua radice fluat; sed magis optant discere utilitatem ejus & usum: quâ ratione scilicet præparetur, & in statum suum redigatur, ut possint virtutem, vimque unà cum operatione ejus cognoscere, de quibus tam multa & scripta sunt olim, & etiamnum hodie dicuntur, & decantantur ab omnibus omnium statuum & conditionum hominibus: docti enim juxta & indocti exspectant satisfieri huic desiderio suo ardenti & insatiabili, ideo nec ego volo lectorem multis discursuum ambagibus circumducere, aut fastidiosâ dilatione detinere; sed simpliciter erudire omne, quod ego studio & diligentiâ, quam sæpè Antimonio impendi, de essentia ejus perscrutari potui; nec enim quisquam propter vitæ hujus brevitatem, omnia ejus arcana scire, aut investigare potest. Nam in præparatione Antimonii perpetuò miraculum aliud ex alio sequitur; alius gradus gradum priorem excipit; alius color colori succedit, & vis, virtus, operatio semper major alia post aliam se manifestat.

Atque ut hinc exordiar, Antimonium merum venenum est, nec de genere minorum venenorum, sed quo homines & bestias possis perimere, adeò pervasit vis nocendi totam mineralis hujus substantiam; hinc oritur communis illa omnium vociferatio; plebs enim, imperiti Doctores, & omnes ii, quibus fundus veræ Medicinæ incognitus est, pariter uno ore proclamant venenum, venenum! venenum, inquiunt, (ut & ipse supra fassus sum) latet in Antimonio: ideo nemini suademus, ut eo utatur; parit enim sanitatis vitæque periculum: ideo Doctores, qui in aulis versantur admonent Monarchas, & Principes, aliosque Magnates, ne utantur Antimonio. Alii de schola, elatâ voce monent, cavete vobis, ne quid cum antimonio habeatis in Medicina commercii; merum enim venenum est: hos sequuntur minorum oppidorum incolæ. Atque hic pervagatus clamor ita movit plerosque mortalium, ut usque ad hæc mea tempora Antimonium malè audiat, nec ullus Medicinæ ejus confidat, quæ tam varia, tamque inexplicabilis in eo reperitur. Verè enim, & sanctè affirmo, quàm verè Deus est creator omnium rerum visibilium, quæ vel cœlo vel terrâ continentur, omniumque creaturarum, quæ vel ad cognitionem nostram venerunt, vel adhuc venturæ sunt; quod nulla Medicina major sub cœlo, & solis radiis, unquam experientiâ duce monstrabitur, in qua tantum columen sanitatis, tam verè, tam affluenter reperietur, quantum in Antimonio inesse certis & irrefragabilibus experimentis declarabitur.

Audi fili orationem meam, & tu lector attende ad scripta mea, & vos mundi sapientes observate diligenter meam in experientia fundatam annuntiationem de Antimonio: theoria enim mea ex natura oritur, & practica sequitur ex certa experientiâ, quæ multifariam utilitatem ostendit suam, & non sine incredibili admiratione omnium eam infinitis modis prodit. At in principio assentior tibi, & fateor, ut antea in scriptis meis fassus sum, Antimonium merum esse venenum, & ante præparationem nihil in se, aut apud se habere, quàm venenum, idque verum esse affirmo. Sed tu quicunque tandem es Doctoris, Magistri, Baccalaurei gradu insignite, vel non insignite, seu arte imbute, seu alio quodam privilegio promote, tu, inquam, qui tam inconsideratè sine veritate, & tam arroganter vociferaris, & mihi oggannis, ausculta paulisper. & argumentationis tuæ neutiquàm immemor, audi, quid ego inpræsentiarũ tibi dicam.

Antimonium venenum, ergo unusquisque caveat sibi, ne eo utatur. Non, non sequitur domine Doctor, Baccalauree, Magister, non, inquam, sequitur domine Doctor, quamvis rubro su perbias pileo. Theriaca fit

ca fit ex periculosissimo veneno viperæ, quæ θηρίον dicitur, unde & nomen accepit: ne ergo quisquam mortalium eâ utatur, est enim in illa venenum. Ecquid tibi hæc placet consequentia? ecquid arridet hæc mea doctrina? audisis, post præparationem nulla in Antimonio reperitur venenositas, nam arte spagyricâ Antimonium de veneno in medicinam convertatur oportet, prorsus ut de veneno viperæ dictum est, quod in theriacam convertitur; absque præparatione autem nihil commodi ex eo, nihil auxilii in medicina consequeris, sed plurimum dispendii & detrimenti.

Quicunque jam Antimonij discipulus fieri desiderat, ille post orationem, & ardentem Dei invocationem, ad scholam Vulcani se conferat, hic enim omnium arcanorum magister & revelator est: hic præceptor à sapientibus mundi contemnitur, pro nihilo putatur, & irridetur, quia propter negligentiam, & malignitatem suam nihil quicquam ab eo didicerunt, & omnis revelatio propter socordiam eorum impeditur, nulla utique medicina, absq; Vulcano unquam præparatur, dicant & occlament insensati illi, & insani quicquid libuerit.

Jam ad processus, & præparationem Antimonij perveniam; posthac enim clamores istos hominum arrogantium, sibique plaudentium susque deque habebo: faciant illi, & in lucem producant quidquam, quod Antimonium antecedat: præsertim cùm ex Antimonio fieri possint medicinæ æquales iis quæ auro & Mercurio vulgari insunt (astrum solis excipio) ex hoc enim aurum potabile adversus lepram, ex hoc spiritus mercurii, summum illud remedium adversus morbum Gallicum, ex hoc infinita alia præparari possunt. Licet contemptores illi hoc minus capiant & penetrent, quid mirum? non didicerunt enim, nemo autem de re, quam non didicit, sanum potest ferre judicium. Exemplo sit illis animal iis in stupiditate non absimile asinus, quem agaso docere non potest, quomodo fistulam suam accommodabit, ut eâ commodos ad harmoniam edat sonos: non didicit enim. Ita rectum judicium ferri nequit cum solido fundamento ab eo homine, qui antea studia sua eò non contulit, ut ex scriptis, quid ea in re æquum sit, quid iniquum possit pervidere. Eodem modo in hac facultate quid cuique Doctorum attribuendum sit, antea & scriptis, & ipsa aggressione operis addiscere oportet.

Antequam tamen ad processus transeo, interpellabit me forte quis, & petet, quibus modis tam mineralia, quàm res aliæ venenositatem accipiant? quid sit venenum? unde venenositas cujusque rei originem ducat? quomodo ea auferri, & tandem quomodo minerale ejusmodi ad sanitatem post evacuationem veneni absque periculo securè usurpari possit? hisce quæstionibus ego breviter & clarè responsum volo. Veneni infusionem sub duplicem cadere considerationem, naturalem, & supernaturalem.

Prima ratio cur Deus summus astrorum Dominus, & Cœli Terræque Conditor proposuit nobis apertum venenum, præcipuè in mineralibus, est ut hac ordinatione suâ ostenderet nobis mirabilia & potentia opera sua ad distinctionem boni & mali, ut nobis præscripsit in lege notitiam ejus, quod homini agendum incumbat, videlicet arripere bonum, & fugere malum.

Ita etiam arbor vitæ in Paradiso proponebatur; rectus ejus usus cedebat in bonum; at verò abusus lapsum attulit in malum, eo enim infringebatur Dei præceptum, unde pernicies, & omne malum. Atque hæc est ratio prima.

Altera est ut per hoc capiamus, & intelligamus distinctionem inter malum & bonum, & discamus tandem malitiam exterminare, & bonitatem in locum ejus reponere: Deus enim non vult hominem exitio suo immergi & perire, sed ut à malo decedat, & transeat ad emendationem, quà exitium ab animo ejus propulsetur. Ita nobis creaturis suis mirabili convenientiâ proposuit bonum & malum, quod cùm in præcepto verbi, tum in opere creaturæ invenitur, ut eligamus, quod utile & bonum est sanitati, & vitemus, quod malum & perniciosum est.

Venenum præterea conficitur per stellas, dum contrariæ oppositiones & conjunctiones earum contingunt, quibus elementa inficiuntur, ut causa existant in hoc mundo inferiore pestis, & aliorum morborum venenatorum, quod & de Cometis intelligitur.

Quartò venenum fit ex rebus inter se pugnantibus, veluti cùm aliquis in se accendit venenum ad mortem per iram, mœstitiam; etiam siquis æstuans calore insolito bibat. Quintò etiam ad venena referri possent arma, quibus quis occiditur, tum abusus armorum venenum est illi; sed dum quis armis utitur ad justam & inculpatam tutelam corporis sui, ad quam inventa sunt, tum Medicinæ quoddam genus haberi possent.

Causa veneni denique demonstrari potest ex natura, eo modo: quidquid naturæ repugnat venenum est; ideo, quia repugnat. Uti cùm quis eo cibo vescitur, quem stomachus ejus ferre non potest, tum cibus iste ei venenum est; naturæ enim repugnat: contra vero, si quis sit, cui hic cibus amicus est, ei ille ipse medicina est.

Sed præcipuè venenum ad corpora attrahitur in terra, dum essentia quædam mercurialis (jam mihi de veneno mineralium sermo est) quæ adhuc in immatura, cruda, & nondum percocta forma est, quæ naturæ repugnat, & difficulter digeritur, quia talis essentia mercurialis nondum perfecta & percocta est ad maturitatem, ideo pervadit ea totum corpus, ut crudum, immaturum, indigestibile, minerale. Quemadmodum si frumentum crudum ab hominibus manducaretur, stomacho difficile esset illud ita digerere, ut non sequeretur insignis corporis debilitas; imbecillior enim est calor naturalis, quàm ut illud ad debitam concoctionem & perfectionem perducat. Frumentum quod ab igne majoris mundi maturitatem accepit, deinde à minore igne percoqui debet, ut à microcosmo digeri possit. Eadem ratione, ut antea de carnis ad maturitatem percoctione dictum est. Idem hîc intelligendum, cùm Antimonium adhuc crudum sit, nec in terra ad fixitatem percoctum, stomachus hominis (ut ita per similitudinem loquar) debilior est, quàm ut illud ferat, & apud se retineat, sicut certâ experientiâ demonstratur, quod omnia cathartica, sive mineralia, sive animalia, sive vegetabilia sunt, propterea quòd mercurialis quædam volatilis materia adhuc in illis dominatur; qui spiritus volatilis causa est, cur alia, quæ in homine sunt, expellantur: non quod per hoc medium apprehendatur ipsa radix morborum, id quod per fixitatem cujusque rei efficitur. Omnis enim Medicina ad fixitatem perducta investigat morbos fixos, & eos radicitus evellit, quod non fixa purgantia efficere non possunt, sed tantum quasi spolium quoddam de morbis reportant, vel potius comparandæ sunt aquæ, vi quâdam actæ per plateam, quæ cæterùm terram ipsam non pervadit. Quæ fixa sunt reddita, non per inferiora purgando, quod non fixis venenatis familiare est, ac proinde morbi, ut sic loquar, nucleum vel centrum non tangunt, sed sudorem expellendo, aliisque modis ipsam radicem intimam morbi

morbi aggrediuntur, non contenta superficiali quâdam sordium expulsione : ideo omnes & singulos admonemus sæpius, Antimonio omnem prorsus venenosam impuritatem eximendam, antequam vel dici vel esse possit talis Medicina, quam non sit religio adhibere. Ideoque bonum à malo, fixum à non fixo, medicina à veneno diligenter separentur, siquidem ex usu Antimonii, verum honorem, veramque utilitatem speremus : atqui solus id ignis potest efficere. Vulcanus enim horum omnium solus & unicus magister est. Quicquid Vulcanus in majore orbe non perfecit, & crudum reliquit, id in mundo minore per alium quendam Vulcanum emendandum est, immatura maturando, cruda calore percoquendo, & purum ab impuro separando. Quod fieri posse jam extra admirationem est omnium, quotidiana enim experientia id docet, & sponte apparet in corporali aspectu colorum, qui ex igne prodeunt. Per separationem enim & ignem, quæ fixationem perficiunt, venenositas adimitur, & mutatio mali in bonum loco ejus reponitur, uti jam antea diximus. Ignis itaque est separator venenositatis à medicina, & boni à malo, id quod Medicorum nemo mihi verè & fundamentaliter fateri & demonstrare vel audet vel potest, nisi qui mecum fraternam cum Vulcano initam amicitiam potu soleni confirmaverit & igneum amoreque plenum balneum celebraverit, quo sponsa ab omni inquinamento perpurgata, cum sponso suo legitime in lecto connubiali possit cubare.

Vah mundani acumen ingenii eorum, qui hæc scripta mea intelligitis, nec ad intelligendum operam navatis ! si novissetis, quid fixum, quid non fixum appelletur, & quid significet separare purum ab impuro, profectò multas res oblivioni traderetis, & omissis aliis insanis operibus, me solum sequeremini : in me enim (ipsum Antimonium te alloquor) invenis Mercurium, sulphur, & salem, quibus nihil ad sanitatem hominum est conducibilius. Mercurius est in regulo, sulphur in colore rubro, & sal in derelicta terra nigra. Qui hæc separare potest, & iterum unire debito modo secundùm artem, ita ut fixatio sine veneno dominetur, ei cum honore & veritate gaudere licet, se Lapidem, qui ignis dicitur, assecutum, qui ex Antimonio confici potest ad sanitatem mortalium, & ad sustentationem temporalem cum utilitate particulari.

In Antimonio enim reperies omnes colores, nigrum, album, rubrum, viridem, cæruleum, griseum, flavum, & alios, quàm credi potest plures mixtos colores, qui singuli singulatim separandi, singulatim cognoscendi, & singulatim ad usum sunt revocandi, quisque in eo statu, ad quem ordinatio est facta, & quemadmodum ordinatio talis est instituenda.

Ideo jam distinctè declarabo, quomodo medicina præparanda, venenositas depellenda, fixatio suscipienda, & vera separatio, quâ malum retundatur, & deprimatur, ac bonum triumphet, in opus sit revocanda.

Advertat interim artis amator, virtutem Antimonii non tantum, ut cætera metalla singula cum singulis lapidibus pretiosis comparari posse, sed ipsum solum omnium lapidum virtutes universaliter continere, quod colores ejus, quos per regimen ignis ex se effert, & oculis exhibet, satis demonstrant : pellucidum ejus rubrum assignatur carbunculo, pyropo, & corallo; album adamanti & crystallo; cæruleum saphyro; viride smaragdo; flavum hiacyntho; nigrum granato, qui lapis occultè negredinem quandam in se habet absconditam. Quantum autem ad metalla, nigrum Saturno, rubrum ferro, flavum auro, viride cupro, cæruleum argento, album Mercurio, mixtum ex variis coloribus Jovi attribuitur. Quemadmodum autem omnes colores omnium metallorum, & lapidum pretiosorum in Antimonio clarè reperiuntur; ita omnes etiam vires virtutesque Medicinæ in eo non minus, quàm colores ostenduntur; sed omnes istos colores ex eo educere, non est unius hominis; vita enim angustioribus circumscribitur terminis, quàm ut unus labore suo perdiscat, quicquid natura in sinu suo abditum gerit, & absconditum. Fit enim unâ aliquâ ratione, ut per præparationem educatur ex Antimonio acidus humor per distillationes instar aceti veri & synceri. Aliâ viâ color ruber pellucidus paratur, dulcis & sapidus instar mellis dispumati, vel sacchari. Aliàs amaritudo prodit instar absynthii. Aliàs acrimonia quædam quasi oleum quoddam salsum : ita semper natura alia aliam sequitur. Jam sursum pellitur ad montes Olympicos per sublimationem instar aquilæ volantis rubrum, flavum, album. Jam per de census deorsum pulsus, diversos edit colores, & præparationes; uti & per reverberationem ex eo fit metallum simile plumbo vulgari. Item vitrum transparens, rubrum, flavum, album, nigrum, atque aliis imbutum coloribus : quibus tamen omnibus uti in medicina consultum non est, nisi antea sint alio examine probata. Etiam resolvitur in rara & mira olea, quæ varia sunt, & multiplicia, quorum quædam cum additione perficiuntur, quædam per se sine mixtione aliarum rerum, alia item intrinsecus assumuntur, alia tantum extrinsecus vulgaribus ulceribus & vulneribus imponuntur. Extractiones jam tot suppeditat, totque coloribus variegatas, ut fatigare possit Apollinem Delphicum; siquidem omnes mutationes naturæ ejus, quæ per ignis januam reserantur, nobis oraculis suis velit pandere.

Fit ex eo Mercurius vivus, fit sulphur; quod ardet instar sulphuris vulgaris, adeò ut pulvis pyrius ex eo possit præparari, fit sal verus & naturalis, fiunt alia ex eo multa.

Aggrediamur ergo & loquamur de præparationibus ejus, ut sunt essentia ejus, magisterium, arcanum, *elixir*, & tinctura particularis, in quam tum demum omni diligentiâ & studio intendes, quando tibi lapidem, qui *ignis* dicitur, & præparationem ejus scriptis declarabo, unà cùm variis secretis & arcanis, quæ mundo vix, aut ne vix quidem sunt cognita, quibusque parum attenditur, postquam Ægyptii, Arabes, & Chaldæi, qui artes hasce profitebantur, obiere; quorum tamen ad verum veræ medicinæ fontem indagandum, cæteraque ejus opera perficienda, usus est plurimus.

Adverte nunc ergo diligenter & profundâ meditatione recogita, omnes præparationes aliam post aliam sequi, prout eas tibi revelabo; nulla enim, quæ utilitatem suam non habeat, adducetur, sed unaquæque, prout in statu suo ordinatur. Fixa enim medicina Antimonii expellit fixas, & irradicatas ægritudines; non fixum autem, ut crudum, & non præparatum Antimonium aperit, & purgat tantum ventriculum & fundum morbi non attingit.

Jam igitur aggredior præparationem omnium, quæ ad Antimonium pertinent, omnes claves præparationis ejus proferam, quæ nunc ex igne, tanquam novâ nativitate in lucem prodeunt, & revelantur, in ea vocatione ad quam à Deo Creatore suo ordinatæ sunt. Hæc reseratio & præparatio mineralis Antimonii multis variisque modis & viis perficitur; ordinatione & regimine ignis pariter & multijugâ cheiragogiâ, unde operatio medicinæ, virtus, vis, & color fluit & emanat.

Cùm ergo Antimonium aspectui offerat colorem crudum, nigrũ, cui album inspersum sit, primum agam de prima ejus perturbatione, quæ in calcinatione, ac

ac incineratione consistit, fitque hoc modo.

Sume Antimonium Hungaricum optimum, aut aliud quod nancisci possis, tere in pulverem, si fieri possit, impalpabilem; hunc pulverem molliter, & tenuiter dispersum extende in scutella figularia rotunda, vel quadrata, quam ambiat margo ad duorum circiter digitorum latitudinem elevatus, hanc scutellam impone furno calcinatorio, subde in principio ignem moderatum ex carbonibus; ubi videris fumum subeuntem ex Antimonio, move id spatha ferrea, nunquam cessando, quamdiu ullum ex se fumum emittit, dumque inter calcinandum Antimonium eò perductum est, ut in globos seu glebas conformetur, ab igne amovebis; ubi refrixerit rursum in pulverem subtilem tere, & rursum igni impositum move, & calcina, ut antea factum est, donec nihil amplius fumi ascendat, eaque actio toties repetenda, & tamdiu continuanda est, donec Antimonium igni impositum nullum amplius edat fumum, non coaguletur in glebas, & colore referat albos & puros cineres: tunc calcinatio Antimonii ritè peracta est.

Impone hoc Antimonium ita calcinatum crucibulo, quali utuntur aurifabri ad aurum argentumve liquefaciendum, idque vel follibus exagita, vel igni impositum ipsum furno ventoso vehementi impone, eique talem ignem subministra, ut Antimonium fluat clarum & purum instar aquæ. Ut jam certò & infallibiliter probes, an vitrum Antimonii satis sit coctum, & perspicuum suum colorem acquisiverit, intinge ferrum frigidum oblongum in crucibulum adhærebit vitrum ferro, decute id malleo, explora ad lucem diei, si sit mundum, clarum, & transparens, bene habet, & acquisivit debitam suam maturitatem. Sciat enim lector meus, in arte adhuc tyro & rudis (non enim hæc scribo in arte versatis, qui sæpius vires ignis experti sunt, sed (*a*) candidatis, tyronibus & artis Spagyricæ studiosis, discipulis; vulgare enim & tritum est plurimis ex Antimonio vitrum conficere) sciat inquam omne vitrum sive ex metallis sive ex mineralibus, sive alia quacunque materia fiat, percoquendum esse ad debitam maturitatem, ut habeat clarum, pellucidumque splendorem, & aptum sit ulteriori ad medicinam præparationi: quam tralucentem & puram maturitatem solus Vulcanus efficit in secreta & abdita natura: hoc itaque unusquisque sciat, animadvertat, & retineat.

Quando jam, quo diximus modo, Antimonium in crucibulo in vitrum abiit, *sume pelvim vel scutellam ex cupro confectam, quæ sit & lata, & plana, calefac illam ad ignem, alias dissiliret materia, & infunde Antimonium, quàm potes, tenuissimum, habebis purum, flavum, & pellucidum vitrum Antimonii.* Atque hæc optima est via præparandi vitrum Antimonij per se, sine additione, estque hoc vitrum virtute & vi præditum præ omnibus cæteris optimâ, ut post præparationem suam ulterius operetur, & hoc vitrum appellatur à me *vitrum* (*b*) *Antimonii purum*: cùm & alia per additionem boracis, aliarumque rerum præparentur hoc modo.

Recipe Antimonii crudi unam, boracis Venetæ partes duas, tere hæc simul, impone crucibulo, & fac per folles, vel furnum reverberatorium hæc inter se fundantur, & perfectè misceantur, postea effunde in pelvim, vel scutellam cupream calefactam, quàm potes tenuis-

(*a*) Rectè Basilius se tyronibus hujus artis scribere dicit, quia rem à vitro antimonii, id est ab ipsis Chymiæ exorditur rudimentis, idque tam operosè conficere docet, ut nemo, quantumcunque novitius, hîc possit hallucinari: experientur tamen non raro etiam veterani, quàm sępe iis hærebit aqua in praxi, illis ego hosce conscripsi commentarios. Placeat sibi quisque in scriptis suis, per me licet: ego certè me aliquid attulisse puto, quod sera posteritas mihi semper referet acceptum. Cùm enim Basilium, aliosque artis artium Magistros, per aliquot annos & legerim diligentissimè, & secutus sim operando quàm potui strictissimè, tot tamen errores meos, quorum vel ipsa me horrore perfundit recordatio, tantâ sui pecuniâ, tanto coactus sum emendare labore, ut me omnium eorum misereat, qui viam hanc ingressuri sunt, impulsi syncero proximos juvandi desiderio; nam eos, qui nihil, quam divitias prætendunt, & artem tam nobilem faciunt avaritiæ, vitiorum omnium sordidissimo, mancipium, nihil moror, subeant illi quod merentur supplicium. At vos, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan, *quærite primum regnum Dei*, quod charitate proximi, vel constituitur, vel propagatur, *& cætera*, quæ alii tam impiè quærunt, sponte, quæ Dei benignitas est, *adjicientur vobis.* Nullum adhortor diligentius, ut hos commentarios unumquemque enim satis res adhortabitur sua, quando videbit me sæpe verbo uno & animadversione simplicissimâ cum liberare tot sumptibus, quos toties in experiundo irrito successu fecit. Ego hic candidè tibi profiteor, lector studiose, si tam sincerè mihi encheireses, quas hic aperio, indicatæ fuissent, me parciturum fuisse ingenti pecuniâ: contigit enim sæpius, ut aliquot errores, dum processus aliquos pervicaciter prosequerer irrito conatu, luerem aliquot florenorum millibus. Raro tamen operationes, quas Author noster omnium, quod sciam, sincerissimè, & apertissimè tradidit, repetam ab ovo, nec Chymiæ tradam tyrocinium, quod alii jam authores tyronibus notissimi præstiterunt: sed eos, qui jam dudum solverunt è carceribus, & metam oculis, metam animo & flagrantissimo desiderio designant, monendo juvabo, ne vel sanguis in via lubricus, vel prostratus jam Entellus eos impediat, ne propositum auferant bravium; quod est divitiæ & sanitas.

(*b*) Hæc est via jam trita passim conficiendi vitrum antimonii, quod utile est in multis operationibus: sed illud ita passim propinare ægrotis, periculosæ plenum est opus aleæ. Succedit illud quidem sæpe feliciter, sed non est tanti ista fortuita quorundam sanitas, ut propterea vel unius hominis vita exponenda sit periculo. Vidi enim cùm æger tantum sesquiunciam sumpsisset infusionis eum post ingentes vomitus, & supercatharticas evacuationes subitò efflare animam; atque hinc illæ lachrymæ, hinc clamores isti contra Chymicos insurgunt, tanquam si arti imputanda esset aliquorum Pseudochymicorum impia temeritas, quorum nihil refert, quot funeribus impleant domos, modò unus alterve sanatus eorum ebuccinet famam, & illi audiant magni Doctores, emungantque rusticis pecuniam. Ratio hujus periculi est, quòd omnis vis emetica antimonii in sale ejus fixo contineatur, in quo sale simul omnis ejus venenositas stabulatur, quam naturæ debiles evincere nequeunt, atque hinc non tantum à vi salutifera ejus boni accipiunt, quantum à veneno nocumenti: sed res ista sanos homines deterrere non debet ab usu antimonii, cum videant illud etiam tum, cum venenum admixtum, sæpe tam salutares producere effectus: potius ergo ita ratiocinandum est, si vis illa salutifera à noxia facultate liberaretur, quid non boni efficeret? quos morbos non sanaret? Ecce ergo tibi vitrum antimonii, quo & utor sæpe, & à quolibet in usum revocari potest, sine ullo feralis catastrophes periculo.

Sume vitrum antimonii purum, ut hîc Basilius docet confectum: funde illud in crucibulo, ut liquidò fluat ad tertiæ partis consumptionem. Tere hoc in pulverem impalpabilem: affunde ei spiritum vini optimè rectificatum, qui tribus digitis pulveri superstet, claude firmiter, & tribus mensibus circuletur, extrahe spiritum vini per destillationem, vel si tinctus sit rubedine (quod semper erit, si rectè in operatione tua processeris) eum tantummodo decanta, & sepone, est enim præstans medicina. Corpus iterum impone crucibulo, permitte ut fluat, & funde in quaslibet formas, potest enim, quascunque vis, assumere, etiam facierum, quæ annulis imponantur, & manu gestentur. Usus autem hic est.

Impone duabus vini unciis frigidis per noctem ejusmodi vitrum, & mane bibat æger vinum istud, optimos percipies successus; blandè enim purgat, & si natura inclinet, ut supernè educatur materia peccans, molliter ei obsequitur, & molles ciet vomitus. Hoc tantum nota, dosin præscriptam minuendam esse pro viribus, ætate, & constitutione ægrotantis. Atque hoc primum, lector, tibi me oblatum sepone cimelion, pluraque exspecta, si gratus & attentus perlegas cætera.

tenuiſſimè, ut antea dictum in præparatione ſuperiore, & invenies pulchrum, & inſtar (*a*) pyropi pellucidum Antimonium, ſi modo debita inter operandum illud encheresi tractaveris. Hæc autem rubedo per ſpiritum (*b*) vini, ex hoc rubro vitro abſtrahi, & per diuturnam in igne circulationem in ſummam, utilem, & efficacem medicinam perfici, atque exhiberi poteſt.

Vitrum autem pellucens, candidum Antimonii poſt commixtionem ejus hoc modo præparatur.

Recipe Antimonij minutim triti vel contuſi unam, boracis Venetæ puræ partes quatuor, ſimul contere, vel contuſa, miſce, impone crucibulo, benè fluant; primum quidem evadet flavum, ſed ſi diutius in igne maneat, evaneſcet flavedo, & accipiet colorem album, unde vitrum pulchrum, & primum album. Qui color an ad maturitatem ſuam perductus ſit, ut ſupra, ferro frigido probatur.

(*c*) Multis præterea modis ex Antimonio vitra formantur conſtantia infinitis propemodum formis, ſed cum non propoſuerim hîc alia deſcribere, quàm quæ ipſe expertus ſum, & quæ ad ſanitatem felicem manifeſtarunt ſucceſſum, nil opus eſſe duxi alijs deſcribendis chartam impendere, aut lectori longâ oratione tędium creare; præſertim cum tibi jam in ſolo vitro quod ex Antimonio fit, ad felix rei principium, præcipuus color, rubeus ſcilicet, ex parte propoſitus ſit: niger color, quo Antimonium ante præparationem imbutum erat, jam nunc per caminum ſpirituali modo evolavit, quandoquidem iſto ſpirituali modo plurima ſubſtantia venenata vi expulſivâ ignis, tanquam per calcinationem jam diſceſſerit. Quanquam vitro Antimonij in hac ſua præparatione nondum omne venenum ſit ademptum, ſed adhuc plurimum retinuerit; volo autem, cum ſemel inceperim ulterius revelare tibi quomodo venenum huic vitro poſſit eripi, & aliam ſeparationem puri ab impuro, veneni à medicina aggredi, quo Oratori lingua ſolvatur, & occaſio detur, ut ei fræna laxet in laudes meas, eaſque magno clangore, qua patet orbis, dilatet, id quod neceſſariò conſequar à diſcipulorum meorum gratitudine, quando oculis ſuis videbunt, manibus tangent, & comprehendent me iis veritatem ipſam ſine fuco ad ſummam eorum utilitatem declaraviſſe, & memorabilis teſtamenti hæredes ſcripſiſſe.

Prima ergo ſeparatio ſulphuris à ſuo corpore, & extractio tincturæ à ſuo ſale hunc in modum perficitur.

Recipe ex puro vitro antimonij, quod te docui conficere ſine adjunctione rei cujuſquam, (d) tere id in pulverem ſubtilem, & inſtar farinæ impalpabilem, impone vitro prædito fundo planiore, quod cucurbita *dicitur, affunde acetum forte benè rectificatum, & impone igni digeſtivo, vel ſi æſtas ſit, Soli expone, movendo id quotidie (e) ſemel iterumque, in eoque languido calore tamdiu digeratur donec acetum contrahat flavum colorem vergentem ad rubrum, qualis eſt auri mundiſſimi & benè purificati; tum effunde extractionem hanc claram & puram, affunde acetum denuò, & reitera hanc operationem, quamdiu acetum tingitur, ubi nulla amplius tinctura extrahi poteſt; miſce omnes has extractiones, filtra, & cucurbitæ impone, adde ei galeam, & per balneũ mariæ diſtilla acetum, donec in fundo remaneat pulvis flavus ad rubedinẽ vergens: affunde aliquoties huic pulveri diſtillatã aquam pluviam, eamq; diſtillando extrahe iterumq; affunde recentem, & diſtilla, repetendo ſæpius, ut omnis aciditas eripiatur, remaneatque (f) pulvis dulcis & gratus: hunc pulverem tere in marmore vel vitro antea calefacto, impone cucurbitæ, affunde ex optimo ſpiritu vini ſummè rectificato, ita ut ſuperſtet ad altitudinem*

(*a*) Cautio, cui ſucceſſum hîc adſcribit, eſt, ut igne utaris fortiſſimo, qualis ad fuſionem auri requiritur: nec enim abſque hoc rubedinem pyropi conſequeris.

(*b*) Non vulgari, qui nihil hîc, in quo magnopere exclames, efficiet, ſed philoſophico, quem ego ad hanc tincturam extrahendam, ſic paro. *Recipe ſalis ammoniaci tertiò ſublimati uncias quatuor, ſpiritus vini ſupra ſal tartari diſtillati, ita ut ab omni phlegmate ſit liber, uncias decem, pone in phiala in igne digeſtivo, ut ſpiritus vini ſulphure vel igne ſalis ammoniaci repleatur: deinde diſtilla per alembicum: id repete, & tertiâ diſtillatione opus hoc abſolve, & habebis verum menſtruum, quo rubedo ex vitro antimonii extrahitur.*

Extrahitur etiam tinctura hujus vitri proprio ejus aceto, quæ ulteriore operatione perficitur, in præſtantiſſimum medicamentum.

(*c*) Qui plura vitra ex Antimonio præparata deſiderat, Beguinum, Hartmannum, Crollium, alioſque conſulat: nos hiſce à Baſilio propoſitis acquieſcimus.

(*d*) Breve eſt, ſed adeo utile, quod hic moneo, ut ſine hac encheresi, nec eſſe poſſit, quod præcipitur, nec unquam terendo corpus in mortario ad requiſitam tenuitatem perduxeris, multo enim minus in lapide porphyrio. Prius ergo comminue in mortario, deinde miſce tantillum aceti diſtillati, ut pultis habeat craſſiuſculæ conſiſtentiam, & ita tere in lapide porphyretico, ut pictores colores ſuos comminuunt, & voti redderis compos ſine controverſia.

(*e*) Felicem te ſi damno meo ſapias, Philomathe! ſequebar κατὰ πόδα hanc admonitiunculam, movendo bis terve de die cucurbitam, ſed materia lapidis inſtar coagulabatur ſemper, & fundo adhæreſcebat, ut vi nulla poſſet avelli: donec cautior factus ab initio quinies aut ſexies, & eo ſæpius de die movere incepi materiam ſpatulâ ligneâ; tu, id ſi ſapis imitare, non tantum hic, ſed etiam in ſuperiore vitri Antimonii præparatione, & omni extractione tincturæ ex antimonio.

(*f*) Non te hic fallit Author ſynceriſſimus, ſed cheiragogiam quandam celat; quam ſi me clare pandentem audis, votis tuis ſemper reſponſura non te fallet operatio. Si multum tincturæ habeas, magna ſit cucurbita, ſi parum, parva. Etenim ſi majorem, quàm tinctura requirit, ſumpſeris, nimis magnam vim ignis requiret acetum, ut per alembicum aſcendat, propter ſpatii, per quod aſcendendum eſt, nimium intervallum: atqui tanto igni ferendo, quin corrumpatur, non eſt tinctura. Quod ipſum aliam præterea requirit cautelam: ut nimirum poſtquam duæ tertiæ diſtillatæ ſunt, mutes vas tuum, minorique cucurbitæ imponas reſtantem materiam, eamque diſtilles, donec reſtet juſtæ ſpiſſitudinis pulticula: cave autem ne, quod innuere videtur Baſilius, ad ſiccitatem uſque detrahas acetum, ne tinctura aduſtione prorſus corrumpatur.

Omni hac præcautione mea nondum efficere potui, ut non integro anno laboraverim, ſæpius hanc tincturam irrito ſemper conatu repetendo, unde totius penè Chymiæ ſubiiſſet ex deſperatione tædium: nullius enim in Medicina efficaciæ erat tinctura mea, quippe caput tantum modo mortuum, & inſipidum. Diſce hinc, quàm parum ſit proceſſum aliquem, vel ex ſcripto compilare, vel etiam vivâ voce ab amico accipere, niſi manu quodammodo ducatis, & minimas erudiaris, quæ inter operandum obſervandæ ſunt, encheresés. Simul vide quàm non parcè tecum agam, dum revelo id, cujus ignorantia tantis mihi ſterit moleſtiis, & impenſis. Encheresis autem, quæ ad edulcorandam pultem iſtam, quæ in fundo remanſit, requiritur, hæc eſt. *Pulti iſti aquam diſtillatam affunde, eamque per balneum leniter abſtrahe, ubi hoc tertium repetes, percipies tandem aquam dulcem prodire*, quod tempus ſummâ diligentiâ obſervandum eſt; ſi enim te fallat, acta res eſt, periit operatio tota, & nihil acquires niſi caput mortuum: nam ſimulatque guttæ viginti, aut ſummum triginta aquæ dulcis prodierunt, iterum prodit aciditas, quam vel imperiti hujus rei, vel incauti exiſtimantes eſſe aciditatem aceti, in diſtillatione pergunt, expectantes donec aqua dulceſcat, ſed cum hæc ſit aciditas antimonii, quæ dulcem aquam, extracto aceto, ſtatim ſequitur, fit ut hac perſeveratione in diſtillando pereat omnis virtus Antimonii, & remaneat caput mortuum inutile, & inſipidum. Tu ergo cautior, ubi dulcis hæc aqua prodit, exime pultem, quę in fundo eſt, eamque alteri vitro impone, & permitte ad calorem Solis, vel alium moderatiſſimum evaporare, ut pulvis ſiccus relinquatur ſuperſtes, & ubi charybdem hanc evaſeris, perge.

dinem trium tranſverſorum digitorum, impone calori digeſtivo, ut ſupra, extrahetur tinctura Antimonij ad ſtuporem amœna, alta, & rubra, & deponit quandam terram ſeu fæces in fundo.

Extractio hæc eſt dulcis, grata, & virium tantarum in Medicina, ut nullus fidem ſit adhibiturus, qui expertus non fuerit. Fæces, quæ reſederunt, retinent venenoſitatem, ſed extractio ſolam medicinam, quam experientia docuit eſſe remedium externum pro hominibus & pecoribus.

Si enim hujus medicinæ ſumantur tria quatuorve grana, pellit lepram & morbum, quem vocant *Gallicum*, purificat ſanguinem, diſpellit melancholiam, & reſiſtit omni veneno, & quicunque anguſtiâ pectoris, ſpirandique difficultate laborat, aut punctione laterum, tandem liberatur uſu hujus medicinæ. Pluraque alia mirabilia operatur hæc (*a*) medicina, dum ritè & tempore ſuo adhibetur.

Pulvis ille flavus, de quo dictum *antequam ſpiritu vini extractus eſt, tritus in lapide calefacto, imponatur* (*b*) *ovis ad duritiem coctis, loco vitelli, qui exemtus eſt, ponaturque in loco humido, vel penuario, ſolvetur pulvis in liquorem flavum.* Liquor hîc admirabilis ſanat omnia vulnera recentia, ſi ſub initium molli plumâ indatur vulneri, & illud ſtiptico, aut alio emplaſtro præſervativo circumdetur, omnia vulnera recentia ſeu punctim, ſeu cæſim inflicta, hoc liquore ſanantur, ſine putrefactione, inflammatione, aut ullâ puris ſuperfluitate, ita perfectè, ut meritò ei, qui cælum & terram creavit, iiſque talem medicinam indidit, laudes gratiæque reddantur.

In omnibus veteribus, malignis, & corroſivis vulneribus utere hac extractione, ſeu balſamo Antimonii, nunquam te in neceſſitate deſeret, & ipſe poſt me laudum ejus encomiaſtes virtutes ejus deprædicabis, quibus exterius adhibitus beat mortales, lupus & (*c*) cancer ei cedunt, caries in oſſibus, ulcera maligna, à vermibus corroſa & perforata, eum fugiunt, revocatque priſtinam ſanitatem, & ei præparat apud ſe hoſpitium, quando fixitas ejus intrinſecus, & alia media convenientia extrinſecus ritè adhibentur. Vitrum Antimonii duobus etiam modis à me in oleum reducitur diſtillatione, ut vocant per alembicum.

Sume vitrum prout ex minera Antimonii eſt confectum, ſubtiliter tritum, extrahe per acetum diſtillatum tincturam, poſtquam acetum abſtraxeris, & edulcaveris, addes ſpiritum vini, quo extrahes tincturam, eamque benè clauſam in pellicano circulabis menſe integro: poſtea diſtillabis id ſingulari quadam (*d*) *dexteritate per ſe ſine additione, & accipies mirabilem, gratam, & dulcem medicinam. In forma olei rubri, ex quo deinde* Lapis ignis *formatur.* Hoc oleum eſt quinta eſſentia, quæ ſummum eſt, quod de Antimonio ſcribi poteſt, ut etiam in ſuperioribus meis ſcriptis, in quibus brevem feci declarationem Antimonii, invenitur, in quibus indicavi quatuor inſtrumenta requiri ad præparationem ejus, & quintum in quo Vulcanus fixit domicilium. Intellige quatuor præparationes fieri oportere, antequam perfectum ſit, & quintum eſt utilitas, & ordinatio operis in corpore

(*a*) Hæc medicamenta, quæ operationes ſuas non ſenſibili vi, ut cathartica, emetica, diaphoretica, & ſimilia perficiunt, ſed inſenſibiliter ſpiritibus noſtris ſpiritum univerſalem, quem ſecum puriorem deferunt, uniendo, naturam emendant, & ſanitatem reſtituunt, non ſunt adhibenda, niſi prius corpus ſaburrâ humorum peccantium ſit exoneratum; aliàs gemmas has mittes in ſterquilinium, ubi ſordibus obrutæ lucere, & vires ſuas oſtendere non poterunt: ſunt enim quamvis univerſalia dici poſſent, propter virtutes eorum multiplices, topicis annumeranda, quibus juxta Galeni, omniumque paſſim Medicorum ſententiam, generalia præmittenda ſunt.

Tinctura, de qua hîc ſermo, præſtat ea omnia, quæ Baſilius hic enumerat, ſi per aliquot tempus uſus ejus continuetur, ſicubi enim locum habet dictum illud, medicinæ adhibitæ juvant, continuatæ ſanant, certè iis, quæ inſenſibiliter operantur, imprimis debet applicari.

(*b*) Ova quidem mollia ſemper, ut dicitur, cautè, & molliter tangenda ſunt; at in duris iſtis etiam eſt quod te moneam; niſi enim caveris exempto vitello pelliculam illam, quæ albumen ab eo dirimit, confringere, miraberis balſamum tuum intra albumen ſe recipere, & te magnâ ejus parte fruſtrari.

(*c*) Si Chirurgi Authori noſtro hîc fidem haberent, quanto ſtudio ſibi hoc balſamum compararent, quanto fructu, & quàm frequenter adhiberent. At ego fidem meam interpono, Baſilium longè etiam infra laudes ejus ſubſtitiſſe, plura enim præſtat, quàm ipſe de eo deprædicat. Hiſtoriola una ex Obſervationum mearum medicarum centuriis deſumpta id confirmabit. Fœmina ætate quadragenaria, jam ſeptem omnino annos in læva mamilla, magnos dolores patiebatur, quos tumor cum duritie comitabatur. Quos illa conſuluerat Chirurgos & Medicos, uno ore omnes cancro eam laborare judicaverant, & laborabat cancro, etiam judicio Practici illius famoſi, qui *Orſchoti*, (pagus is eſt circa *Sylvam Ducis*) ſatis laudabiliter, & verò feliciter in Chirurgia verſatur, & ingentem hominum turbam ad ſe trahit, is enim poſtquam tribus menſibus medicari huic morbo conatus fuerat, tandem non niſi membri ablatione hunc extirpari poſſe ſeverè pronunciavit. Fœmina potius omnes morbi dolores perferre pertinax quàm tam ferali & ancipiti uti remedio, ad me venit: ego autem mamillam contemplatus prorſus inflammatam, duplo alterâ majorem, & copiam tenuiorum humorum ad vulnus affluentem, omnia prius experiri volui, quàm ſinerem miſeram perire: atque animum in hoc balſamum intendens, tentare num qui in aliis morbis promiſſa Authoris ſui impleviſſet, hic falleret. Ægræ itaque ore hiante reſponſa præſtolanti dixi, intra octiduum me pronuntiaturum ecqua citra exſtirpationis remedium affulgeret ſalutis ſpes, ſimul hoc remedium dedi, ut eo mamillam ſuam perungeret: res mira, intra biduum & materia ad concoctionem pervenit, & juſtam conſiſtentiam; bonæ ergo ſpei plenus adjunxi intrinſeca, & extrinſeca, quæ rei videbantur convenire remedia, atque duorum menſium ſpatio plenam ſanitatem fœmina conſecuta eſt. Ego autem non ſine peculiari gaudio benedixi Domino, qui tantam virtutem huic balſamo largitus eſt.

(*d*) *Hoc opus, hic labor eſt*; pauci admodum quos æquus amavit Apollo veri artis filii potuere tincturam per alembicum transfundere. Encheireſi quadam, ut ait Baſilius, opus eſt: hanc annis plurimis quæſivi, & tandem, Deo auſpice, inveni, visne eam tibi per ænigma dicam? avidum te video; accipe magnum hoc myſterium. *Feſtina lente*, pingit Alciatus, & anchoræ Delphinum implicat. Exiſtima hoc tibi, ut in omni vita, ita in hac re apprimè eſſe utile; *canis enim feſtinans* ut ſcis, *cæcos parit catulos*: itaque te iterum, iterumque moneo, ut ei per Junonem, Bacchum, & Vulcanum alas quidem præparandas cures, ſed per animam tuam ne ſubito volare permittas, da eum Mercurio erudiendum, ut paulatim volatui aſſueſcat; imo fune aſtrictum tene, ne inſtar avis caveâ liberatæ, extra poteſtatem tuam conſtitutus, per ignorantiam propius ad ſolem accedat, & cum Icaro plumis aduſtis in mare præceps ruat: ſed poſtea tempore ſuo ei fræna laxabis, ut evolet, atque perveniat ad inſulas illas fortunatas, quò oculos intendunt omnes filii artis, & quò pervenerunt omnes, finem optatum & diu quæſitum adepti. Hic faciem depravas, & caperas frontem Philomathe, & tanquam ſi te hiantem, oſtenſo Tantalico pomo, deluſerim, indignaris? quid faciam, ipſum te conſulo: visne hic margaritas ante porcos projiciam, & omnibus exponam myſterium, quod tam ſanctè ſolis tanto privilegio dignis artis filiis revelandum, majores noſtri ſervaverunt; ipſe tu nihil mage dolebis, meque execraberis ſi fecero. Intelligunt me, qui artem intelligunt: quique ſunt Chymici, iis viam aperui, quam ſi diligenter calcaverint, pervenient quo tendunt. Mihi nemo tam clarè revelavit; ſed ſcripta auhorum legendo, ſtrenuè laborando, & ſine defatigatione aut deſperatione Deo confidendo (quod precationis genus eſt efficaciſſimum) tandem impetravi, quod habeo. Stude & tu, & curre, ut comprehendas: qui enim novit tincturas reddere volatiles, jam admiſſus eſt in penetrale ipſum, & conclave artis Chymicæ; eadem enim eſt ratio omnium. Perlege fabulas, ſcrutare ænigmata, conſidera parabolas omnium ſapientum, omnes huc tendunt, omnes idem dicunt: compara cum hoc meo ænigmate, aliorum parabolas, & hoc cum illis: ut intelligas, quantum ego claritatis in omnibus addiderim, & quàm facilem tibi ſtraverim viam ad ſapientiæ illa templa ſerena.

pore hominis. Primus labor est *calcinatio*, & *liquefactio in vitrum*, Secundus est *digestio*, per quam extractio perficitur. Tertius est *coagulatio*. Quartus est *distillatio* in oleum, in qua primum subtile à non subtili separatur, & post eam separationem sequitur *fixatio* per ultimam coagulationem, per quam tandem materia ad pellucidum ignitum lapidem reducitur; qui ut in metalla operetur, dein fermentari debet propter proprietatem suam penetrativam: at non tantum, quantum lapis ille vetus Philosophorum, quia non universale est, sed tantum tingit particulariter, de quo sub finem plura dicentur, ubi de lapide ignis tractabitur.

Hoc, de quo locuti sumus, distillatum (*a*) oleum, omnia efficit, quæ Medico scitu sunt necessaria, quique ei est in curatione sua opus. Dosis ejus ante coagulationem sunt grana octo, sumpta cum vino mero: hominem facit rejuvenescere, liberat omni melancholiâ, & quidquid in hominis corpore accretionem & augmentationem accipit, ut crines & ungues decidunt, & renovatur homo in Phœnix (siquidem commentitia hæc avis, quæ tantum exempli gratiâ à me adducitur usquam terrarum invenitur) innovatur per ignem. Et hæc Medicina non magis igne comburi potest, quàm plumæ Salamandri istius incogniti: consumit enim omnia symptomata in corpore humano, ut ignis consumens, cui meritò assimulatur, fugat omne malum, & expellit omne id, quod aurum potabile potest expellere. (*b*) Astrum solis solum omnem medicinam mundi excellit, quando ritè præparatur ad perfectam fixationem: astrum enim solis, & astrum Mercurii ferè oriuntur ex uno matris suæ sanguine, & ex una origine vivificæ sanitatis.

Jam neminem sollicitum habeat, ne hoc oleum Antimonij cum aceto distillato, & postea cum spiritu vini quàm purissimè, & subtilissimè extractum, & ulterius per Vulcanum, quàm potest maximè, exaltatum, fortè aliquâ ratione purget, aut frequentes excitet secessus, aut alterationes aliquas faciat: nequaquam enim ista efficit, sed tantummodo per sudorem, urinam, & salivam ad stuporem expellit radicem morbi, & instaurat quicquid symptomate aliquo corruptum est.

At vulgare vitrum Antimonij subtiliter teritur; deinde sex grana vel plura secundùm vires naturæ, modico vino in calore per noctem imponantur, mane relicto pulvere (*c*) vinum decantatur, & clarum bibitur, purgat per aliquot secessus, & sæpe etiam vomitum movet per mercurialem immaturam proprietatem, quæ adhuc vitro inhæret, prout quisque intelligens Medicus facilè judicabit, & ulterius examinabit, quomodo hoc vitrum, dum eo purgare vult, examinandum, & secundùm Justitiam sit administrandum; obligat enim plures homines ad inquirendum; solus namque ego omnia propter brevitatem temporis indagare, & pervestigare non potui, tu te operi isti accinge, & post me, imo me-

(*a*) Ni Basilium nossem, hic eum pariter tecum agyrtam agere, vel circumforaneum Medicastrum putarem; sed res ipsa mihi toties pro eo locuta est, ut religio mihi foret de promissis ejus tantillum ambigere; quæcunque enim expertus sum (pauca autem hoc libro continentur, quæ expertus non fuerim, nam ipse mihi ab initio Doctor, amicus fuit, & patronus) adeo supra promissa ejus inveni efficacia, ut parcus mihi videatur fuisse in declarandis medicamentorum viribus, ne dum illa laudaret, se nimium videretur commendare. Non suscipiam tamen hîc vicarias ipsi partes, qui non credit, experiatur, & sciet: quem sua ab experiendo deterret incredulitas, jam fructibus ejus carendo, satis magnas dedit peccati sui pœnas. Est enim oleum hoc, si tempore suo ritè usurpetur, medicina verè universalis. Adverte, quæso, quid dicam, *si tempore suo ritè usurpetur*; id est, purgato prius corpore ab humoribus crassioribus & crudis, adhibitisque, ut me adhuc monere memini, medicamentis generalibus; est hoc oleum medicina universalis ad sanandos omnes morbos sanabiles: non enim eò dementiæ adegit Chymicos medicamentorum suorum bonitas & virtus, ut non existiment aliquos morbos esse non sanabiles. Quis enim restituat membrum aliquod principale jam putredine absumptum? nolo tamen ut omnia existimentur Chymicis hisce nostris remediis insanabilia, quæ passim pro talibus vulgo jam sunt condemnata; humorem verbi gratiâ cristallinum. quem toties ablatum restitui, quis non judicabat, reduci non posse? sed de hoc & similibus, alius erit scribendi locus, Modò de medicamento hoc, quod omnis generis febres, etiam opprobrium illud vetus Medicorum, *quartanam* sanat, & in chronicis omnibus mirabiles edit operas; unicum dabo ex observationibus meis experimentum. Anno 1665. puella unius & viginti annorum hydrope in enormem distenta crassitiem auxilium à me, ego pro illa ab hoc petebam medicamento. Dabam ei enim nihil aliud, quàm bis de die hoc ipsum medicamentum, cui adjungebam quotidie clysterem: & intra dies viginti tantum sudavit, ut corpus mediâ ulnâ attenuaretur; intra, quod dixi, viginti dierum spatium urinæ etiam reddebat isto tempore ab eodem medicamento provocatæ non parum, sed sudor erat admirabilis.

Nota autem, amice Philomathe, si fortè vel ipse conficias, vel ab alio confectum recipias hoc oleum, illud non imitari aliorum diaphoreticorum in operando consuetudinem, quæ usurpata, prima dosi provocant sudores; si namque corpori ingeratur obstructo humoribus, prima dosi nihil agit, quàm blandè vias aperire sudoribus, altera die sudores lentè & molliter educit, tertiâ die sudatur, quartâ autem, & aliis deinceps natatur in aquis, ut ipsæ tandem per lectum distillent in pavimentum. Opus hîc est Medico, nec clava Herculis multum proderit, si non in manibus sit Herculis.

(*b*) Nemo hîc prodigè aut temere aurum suum profundat, dum audit de Astro solis, neque discrimini se exponat, ut cum mercurio vulgari periculosa ineat certamina. Lucet in mundo chymico Sol alius, alius Jovi famulatur Mercurius. Non tamen aurum chymicus hic sol est, aut mercurius; sed auro omni præstantior, omni mercurio, etiam fabuloso, qui mortuos revocabat ad vitam, potentior: est aurum & argentum vivum Philosophorum, quæ hîc tangit Basilius: sed nos agimus, agamusque tantùm de Antimonio.

(*c*) Atque hoc est vulgare vomitorium, seu vinum emeticum, quo nunc passim omnes circumforanei utuntur, nonnunquam felici, nonunquam contrario, semper ambiguo successu; quod partim à Medico, partim à medicina proficiscitur. Miserat, ut historiæ narrant, Georgius Castriotus Epirotarum Rex, Mahometi Turcarum Imperatori, id sæpius efflagitanti, tot mirabilium patratorem gladium suum, quem cùm Turca ex fœdere remitteret, neque se videre in eo quicquam singulare, diceret. Respondit Castriotus gladium quidem Scenderbechii misisse, sed non Scenderbechii brachium, quo gladius ille animabatur, ut miracula tanta patraret. Ita pleræque Medicinæ Chymicæ, præsertim aut mortuæ, aut, quod deplorandum magis, mortis sæpe causæ sunt, quando non animantur periti Doctoris manu, qui noverit eas tempore & loco administrare. Quæ ab ipsa medicina petitur infelicis successus causa, est, quod nimiis adhuc imprægnata sit proprietatibus mercurialibus, ut benè hîc annotat Basilius, quas ego soleo modo, qui sequitur, corrigere.

Recipe vitri antimonii purissimi uncias quatuor: boracis *Venetæ* unciam semis, *simul fundas, quod cùm arte factum est, consequeris vitrum viride & pellucidum instar Smaragdi, hoc tere subtiliter affunde ei vinum Gallicum, itaque calidum quiescat aliquot diebus.* Ex hoc vino da ægro ab una ad binas uncias secundùm ætatem, corporis habitum, vires, & cætera, vel naturalia vel non naturalia, quæ prudentia Medici semper in consilium adhibet, dum de vita vel nece alicujus sedet arbiter. Hoc vinum emeticum sine periculo, quod quidem à medicina sit, porrigi posse ægrotantibus, me certissima medicorum magistra docuit experientia, & hoc præterea: cùm vinum pulveri superfusum fuerit exhaustum, si affundas rursus novum, illud iisdem imbuendum viribus. Hîc enim antimonium etiam id ostendit, quod in eo est mirabilium omnium admirandum maximè, quod inexhaustos contineat in se thesauros, & quamvis ex eo sumas, vires ejus non imminuas: quod & in erogando aceto suo, & in aliis, quæ Harpocratis sigillo subjiciuntur, stupendum est miraculum.

cum laudaberis, & ego te, si quid amplius inveneris, his meis scriptis laudo, & laudabo è sepulchro quod mihi destinatur, quamvis corpore sis mihi ignotus, nec ullam tecum, quippe fortè nondum nato, disputationem instituerim.

Vitrum Antimonij vulgare etiam per additionem distillatur in oleum laudabile & salutare, quod sine periculo, summâ utilitate in epilepsia adhibetur, ut paulo post docebo.

Vitrum teritur, quàm fieri potest tenuissime, deinde ei affunditur omphacium, atque ita in cucurbita, quæ plani sit fundi, benè lutata aliquot diebus digeritur, mox succus omnis abstrahitur: postea cum sacchari clarificati pondere duplo spiritu aceti benè malefactum tere, atque retortæ impositum, in nomine Altissimi distilla, in fine igne vehementi, & acquires oleum rubicundum; quod ad perspicuitatem usque cum spiritu vini est (a) clarificandum. Hujus usus, in parva quantitate adhibitus, inventus est utilissimus: huic oleo paululum spiritus salis adjungitur, & subtili præparatæ calci auri affunditur, quæ antea cum aqua sua præparata (quod quâ ratione conficiatur, in aliis scriptis meis jam docui) alembicum transcenderit, tantummodo (b) tincturam auri arripit, & corpus intactum relinquit. Cum hæc fermentatio est facta, opus mihi foret ingenti chartarum mole, ut omnia naturæ arcana declarem, quæ præter omnem hominum opinionem hac medicina efficiuntur.

Tantum id Medico inculco, ut ea, quæ propono Philosophicè consideret, laborem arripiat, & præparationem perficiat, & perducat ad usum, & ipsemet quotidie plus laudis inveniet, & plures operationes ex eo discet, quàm ullus ei aliorum Medicorum potuerit præscribere.

Ubi antimonium eò perduxisti, & rectè perfecisti, in quo prudenter agendum, resque fusè & profundè perpendenda, ut labore experientiam acquiras, tum te magisterium ejus assecutum esse, quod paucis admodum notum, vel communicatum est, jactare poteris.

Hoc magisterium mixtum cum solutione seu tinctura corallorum, & exhibitum cum aqua cordiali mira efficit in morbis, qui purificando sanguinem curandi sunt, & quidquid tibi offeretur, in quo sanguis accidenti aliquo corruptus est, hoc magisterium sanat, cor exhilarat, castitatem, probitatemque probitatemque promovet, & hominem ad rem omnem, quam aggreditur, aptum reddit, & idoneum.

Pro omnibus hisce beneficiis Conditori, Conservatorique rerum omnium semper ex intimo corde gratiæ agendæ sunt, quod creaturas suas, corpore & animo infirmas, tantâ misericordia respexerit, nobisque media suppeditaverit, quibus utrique morbo mederi, & in omni necessitate solatium, subsidium & perfectum auxilium consequi possimus.

Nunc in animo est pergere, & de arcano antimonij quædam, sed summâ cum brevitate dicere.

Recipe antimonii subtilissimè pulverisati partem unam, & sal (c) armoniacum sic dictum, quod ex Armenia adferatur, etiam pulverisatum, misce, (d) retortæ impone, & simul distilla, & ei, quod destillando provenerit, affunde aquam pluviam vulgarem destillatam, sed antea calefactam, & salem omnem dulcorando aufer, ut nulla acrimo-

(a) Dum ait, spiritum vini ad perspicuitatem usque clarificandum: admonitio est brevis, sed operæ non exiguæ. Id enim vult, ut oleum istud trans alembicum agatur, cujus rei significationem & cheiragogiam te jam supra docui.

(b) Putasne intelligis, quæ legis Philochymice? non intelliges, nisi vel divinitus tibi Philippus, vel humanitus Oedipus appareat, qui modum tincturam hanc conficiendi clariùs edoceat. Difficultas ænigmatis in eo est, quod omnia menstrua, quibus tincturæ extrahuntur, ipsa colore ut careant, necesse sit; id ni fit, qui scire poteris, an rei tincturam consecutus sis, an eam tantum, quam affundisti, retraxeris? Non te hic longis detinebo ambagibus, sed quasi manu ducam indicando quomodo hunc processum anno millesimo, sexcentesimo sexagesimo quinto instituerim, & si quid inde attendo, & præcedentia cum præsentibus, & hæc cum iis, quæ sequuntur, conferendo, utilitatis haurire possis, dilata cordis sinum, nequid in terram effluat. *Oleum illud rubrum, quod jam jam dictâ operatione acceperam rectificabam per retortam, & consequebar oleum album acidi, sed grati saporis; affundebam ei spiritus salis partem mediam: ponebam in phiala, ut bini hi spiritus se conjungerent, postquam mense integro sit digesseram, distillabam eos simul tertiò per retortam ad majorem eorum conjunctionem: tum superfundebam eos calci auri (cujus conficiendæ methodum in aliis Basilii scriptis reperies) deinde ponebam hæc simul in digestione: mense elapso tingebantur colore fulvo ad rubedinem vergente admodum saturato, effundebam tincturam molliter, eique in retorta repositæ blandè humorem abstrahebam, ut pulvis rubicundus resideret in fundo: edulcorabam eum aquâ distillatâ, atque iterum spiritu vini tincturam extrahebam, tum reddebam volatilem draconem istum, dabam caudam ei suam devorandam, sex integris mensibus, & consequebar tincturam dulcissimam & gratissimam*, cujus grana decem vel duodecim exhibita ægrotis sudorem provocant, vires confortant, & ne intelligentem verbis obtundam, in morbis omnibus tum corporis, tum aliis, est medicina universalis.

Cum hic omnium tincturarum præstantissimæ inciderit mentio, semel Chymicum docebo, quod illi ubique erit usui. Plurimum scilicet referre, quo quæque tinctura extrahatur menstruo: non enim sufficit, quæ erronea multorum est opinio, ut corrosivitate careant, ac sint dulcia menstrua; sed oportet, ut peculiaris sit iis amicitia & convenientia cum mercurio corporis, cui superfunduntur, ut verum & syncerum sulphur ex illo extrahant. Exemplo te docebo, quid velim clariùs. Aqua distillata tincturam extrahit ex sulphure, quod per acetum destillatum ex vitro Antimonii factum est: at si jam purum ab impuro separatum esse tibi persuadeas, falleris: aqua enim ista sal quoddam imbibit, quod tincturam inficit; at spiritus vini rectificatus ejus proprium est menstruum, hoc enim sulphur ejus volatile solummodo assumit, nullumque habet cum sale commercium.

Idem evenit in tinctura corallorum, quæ spiritu vini super cortices aurantiorum distillato extrahitur: hîc enim synceram corallorum tincturam non consequeris, quia per hoc menstruum purum sulphur à corpore corallorum non separatur; eumque errorem in plurimis experientia mihi detexit, quæ optima esset magistra, nisi didactrum in hac arte exigeret, sæpe nimis pretiosum. Sed ut cum tinctura, unde hic omnis fluxit sermo, concludam; nemo existimet hanc esse aurum potabile Philosophorum: Hic enim error in Philosophia esset maximus, & ansam daret Sophistis sua, ut solent venditandi supra veritatem. Licèt enim pretiosissima sit tinctura, & tinctura auri, colorem tamen ejus solummodo assumsit, pondus ejus, quod auro potabili proprium est, non hæreditavit. De hac potabili medicina non est hic agendi locus, ne transgrediar, quos mihi ipse circumdedi terminos commentandi super curru triumphali antimonii, quem illi Valentinus noster Basilius construxit verè magnificum. Alias dicendum mihi foret, quomodo Sol præparari possit per Venerem & Vulcanum, ut spatio duarum horarum se resolvat in Mercurium unitum cum Baccho, relinquens fæces exiguas, quod Mercuriale menstruum iterum ab auro resoluto separatur; & ita acquiris liquorem ponderis gravissimi, qui deinde nunquam ad priorem consistentiam reduci potest. Quam operationem curiosis quibusdam philochymicis ostendi. Sed de his aliàs dabitur dicendi locus.

(c) Antimonii & salis armoniaci ana partes æquales sumendæ sunt, quod Basilius voluisse videtur, sed nescio quomodo oblitus est dicere.

(d) Ut unâ eademque operâ distilletur ac sublimetur sal armoniacum simul cum antimonio fieri posset instrumentum, quale hîc tibi, partes ejus describendo, totum depingam. A. est Furnus. B. Retorta. C. Recipiens. D. Apertura in recipiente cum tubo mediocri, cui apponi posset alembicus E. Furnus est, F. qui mediocri suo igne ea, quæ incidunt in vas recipiens sublimat ad alembicum E. Atque ita materia, quæ ex retorta B. destillatur per ignem furni F. statim sublimatur; quod non hic tantum, sed in omni sublimatione potest esse usui. *Vid. Figuram* I.

acrimonia remaneat; & antimonium apparebit plumarum inſtar purarum, & albarum relucentium, ſicca eas ſubtili calore, & vitro circulatorio, ſeu pelicano impone, ſpiritum vitrioli bonum, & quàm optimè rectificatum affunde, & circula, donec benè (*a*) *conjunctum, & unitum ſit, deinde ſimul diſtilla, ſpiritum vini affunde, & iterum circula, tum fiet ſeparatio, fæcibus ad fundum ſubſidentibus, eas ſepara, ſed arcanum permanet mixtum cum ſpiritu vini, & vitrioli*: quando jam hoc arcanum iterum rectificas, una ejus gutta cum aqua roſarum exhibita, plus valet, quàm olla plena decoctionis herbarum, excitat orexim comedendi, corrigit ſtomachum, & quod in eo eſt malignitatis concocuit, pellit triſtitiam & melancholiam, probum efficit ſanguinem, bonámque digeſtionem; in ſuffocatione matricis, & paſſione colica, quòd utramque mirè ſedet, theſauri inſtar habet pretii inæſtimabilis, & laudem meretur non facile verbis explicabilem.

Poſt arcanum antimonii ordine ſequitur (*b*) *elixir* ejuſdem, quod hac ratione conficies. *Sume in nomine Domini, bonam mineram antimonii, tere ſubtiliter, & ſublima cum media parte ſalis ammoniaci, quicquid ſublimatum fuerit, impone retortæ vitreæ, & ter diſtilla, poſt ſingulas deſtillationes fæces ſeparando, tandem ſal armoniacum aufer dulcorando, & materiam antimonii, probè clauſam, reverbera igne moderato, non nimium pellendo, donec fiat inſtar terræ cinnabaris, quo facto affunde acetum forte vini diſtillatum, & extrahe ejus rubediuem, acetum abſtrahe, donec remaneat pulvis, quod fieri debet in balneo mariæ, deinde extrahe cum ſpiritu vini, ut fæces ſeparentur, & habebis extractionem claram & puram. Hoc peracto, impone hunc ſpiritum vini cucurbitæ unà cum extractione, appone nonnihil tincturæ corallorum, & quintæ eſſentiæ rhabarbari, & exhibe doſin trium, aut quatuor guttarum.* Efficit molles ſeceſſus, & purgat ſine ventris torminibus, ſiquidem præparando benè proceſſeris, efficit ſanguinem agilem, & iis apta eſt medicina, qui deſiderant molliores ſeceſſus.

Hîc mirabitur fortè Medicus aliquis, qui fieri poſſit, ut hæc medicina ſedes efficiat molliores, cùm antimonium materia ſit vehemens & dilacerans, eique adjungatur rhabarbarum, quod per ſe etiam vim habet purgandi: parcat hîc admirationi, quæſo, & ſciat antimonii vim illam venenatam purgatricem hac præparatione ita mortificari, ut nihil apprehendere, vel expellere poſſit; ſed ſimulatque ei purgans aliquod ex ſimplicibus adjungitur, illud ipſum ſecundùm vires naturæ ſuæ fungitur aperiendi & purgandi officio; antimonium verò præparatum (*c*) nihil quicquam negotii habet cum ſtomacho, ut inde ſordes expellat, ſed acquirit per medicinam purgantem quaſi campum apertiorem, ut ſine impedimento alio quodam modo operetur, atque ut videat, imo ut quærat viam ſine impedimento id melius efficiendi, ad quod ordinatum & præparatum fuit.

Hîc fidem exigo ab omnibus cùm nulla me ſubigat neceſſitas, ut minus vera ſcribam; hoc eo modo præparatum elixir penetrat purgatque corpus, quemadmodum antimonium penetrat aurum, illudque liberat ab omni impuritate. Quod ſi fusè velim omnes vires virtutesque ejus commemorare, precibus mihi Deus cæli exorandus foret, ut me dignaretur vitâ longiore, quò poſſim mirabilia ejus laudare, altius inveſtigare, & ſecundùm veritatem aliis communicare: ut mecum rapti in admirationem, Creatori ſuo publicè reddant pro tanta dignatione gratiam.

Quò autem mihi, propoſitoque meo ſatisfaciam, poſtquam ſemel incepi, deſcribo hîc virtutes Antimonii, quantum eas experimentis aſſequi potui: id, quod me etiamnum latet, ſilentio prætereo; nec enim me decet de rebus ignotis, nec adhuc experimento cognitis ferre judicium, ſed ea aliis judicibus, commendo, qui ſtudio & labore in eo quid profecerint. Nec enim quiſquam unus in antimonii viribus cognoſcendis ita expertus eſt, ut nihil reſtet dicendum, tum propter vitæ brevitatem, ut antea dixi, tum vel maximè, quia quotidie novi quid in eo invenitur.

Sciant ergo homines antimonium non tantum aurum purgare, mundare, & ab omni peregrina materia, omnibuſque aliis metallis liberare, ſed idem efficere vi ſibi innata in hominibus, & pecudibus. Ut hoc rudi experimento probem. Si pater familias aliquam pecudem, verbi gratiâ porcum, ſaginandam ſeponere propoſuerit, ille diebus duobus tribuſve, antequam id aggrediatur, det illi commodam doſin antimonii crudi, qualis eſt dimidia drachma, cibo permixtam pro porco, ut illum eâ ratione purget, quo acquiret non tantùm appetitum comedendi, ſed citius accreſcet, & pingueſcet, & ſi quo morbo laboret vel circa hepar, vel etiam lepra porcorum, efficiet antimonium, ut lepra exſiccetur, & expellatur.

Pingue quid, & ruſticum quidem ſonare videtur hoc exemplum, auribus præcipuè potentum; propoſitum tamen volui, eo tantummodo fine, ut privati & laici, quorum cerebra ad ſubtiliorem illam Philoſophiam à natura non ſunt fabricata, oculis ſuis in ipſo opere videre poſſint veritatem ejus, quod circa hoc propoſui, ut & ſcripta mea alia, in quibus paulò ſubtilius de his locutus fui, tantò certiorem fidem inveniant: non tamen author ſum cuiquam, ut hominibus ejuſmodi ex crudo antimonio medicinam præbeat, multò enim duriores cibos muta animantia ſtomacho concoquunt, quàm tenera complexio hominum poſſit digerere, quapropter is, qui antimonio rectè & cum fructu utetur, prius ejus præparationem calleat, deinde doſin noſcat, quæ juvenibus, quæ ſenibus conveniat; quantùm robuſtis, quantùm imbecillis ſit exhibendum, in quo non minimum artis hujus conſiſtit

(*a*) Hæc unio tam arcta eſſe debet, ut diſtillando, alterum ſine altero non tranſeat, aliàs oleum tuum perdidiſti & operam. Quanti hæc unio ſit in Chymia momenti, norunt ii optimè, qui res duas tantummodo confundendo, mira ſe putant effecturos, at poſtea, fallente eos experientiâ, diſcunt, quid inter unionem & confuſionem interſit; res enim confuſæ nihil accipiunt virium, quod iis antea non inerat, at unione, neſcio quis rebus ingeneratur ſpiritus, qui ea præſtat, quæ nunquam homini veniſſent in mentem inde potuiſſe exiſtere. Adverte hic in generatione animalium (quis crederet!) ex unione elementorum generari poſſe viſum, guſtum, tactum, & tot animalium potentias, quæ nulli elementorum inſunt, & tamen ex unitis emergunt: ſi quando contingat, ut aliqua tinctura ſe menſtruo univiſſe videatur per digeſtionem, & poſtea ſeparetur, id ideo fit, quia non legitimè celebratum eſt matrimonium, nec perfecta debito modo eſt unio. Id quod in tinctura ſolis & antimonii non ſemel videbis accidere.

Inſtrumentum quo ego tincturas meas conjungere, & in individuam ſocietatem copulare ſoleo, poſtea in hoc ipſo libro depictum reperies. Id in ſpiritu vini notandum eſt, quod in aliis menſtruis non ita accidit, quod rebus facillimè unitur, & iterum levi artificio ab iiſdem ſeparatur.

(*b*) Hic proceſſus ut facilis eſt factu, ita facilè à nobis præteritur, ne prurigine potius ſcribendi, quàm obſcura illuminandi calamum ſumere videamur.

(*c*) Nota hîc iterum iterumque cathartica Galenica vires quidem habere humores educendi, ſed non habere corrigendi. Chymica autem pollent utraque facultate, & certè, non quantum eductum ſit, refert; ſed quantum ſanatum: quod potius facit Chymicè præparatorum medicamentorum occulta poteſtas, quàm publica illa purgandi violentia.

ſiſtit myſterium, ignoratione cujus plus nocebit, quàm proderit imprudens Medicus.

Prolixæ ſcriptionis foret exemplis confirmare ſingula, abrumpam ergo ſermonem hunc, & tranſibo ad aliam antimonii præparationem, & fixitatem ejus deſcribam, quæ ſe habet inſtar vini, cui ſpiritus ſubtractus, & à corpore ſeparatus eſt, hic ſpiritus corpus hominis calefacit intrinſecus, at ſi extrinſecus circumponatur, omnem calorem partis inflammatæ ad ſe trahit: contra verò cùm ex vino acetum factum eſt, illud refrigerat tam intrinſecus, quàm extrinſecus adhibitum: quamvis tam ſpiritus, quàm acetum ex eadem ſtirpe provenerint, & ex eadem radice orta fuerint.

Ratio hujus diverſitatis eſt, quod acetum fiat per ſolam digeſtionem, per quam ſequitur putrefactio vini, unà cum vegetabili fixatione: contra verò ſpiritus vini fit ſeparatione per deſtillationem, ſeu vegetabilem ſublimationem, quæ ſpiritum reddit volatilem. Simili quoque ratione antimonium præparatur, & ſecundùm præparationes diverſas, diverſos habet effectus, & diverſimodè nobis communicat dona ſua, quæ humano intellectui vix ſunt comprehenſibilia. Fixitas autem ejus, de qua hîc ago, hoc modo præparatur.

Recipe antimonii quantum libet, tere ſubtiliter, impone pulverem cucurbitæ, & affunde aquæ fortis tantum, ut ſuperſtet latitudine, ſex digitorum, ponatur in calore ſubtili decem diebus benè lutatum & clauſum, ut extrahatur: hanc extractionem puram & claram per decantationem effunde, eamque filtra, ut omnibus fæcibus & impuritatibus liberetur, tum extractionem vitro impone, & omnem aquam fortem extrahe per deſtillationem in cineribus, vel arena, manebitque in fundo pulvis antimonii flavus & ſiccus: huic affunde aquam pluviam deſtillatam, ponaturque in ſimili vitro in calore moderato, & conſequeris extractionem rubram, hanc iterum filtra, & per balneum mariæ leniter diſtilla aquam pluviam, manebitque pulvis rubicundus; huic denuo affunde acetum diſtillatum forte: hoc acetum contrahet cum tempore colorem rubrum inſtar ſanguinis, & deponet fæces: hoc acetum iterum diſtilla, iterumque remanebit pulvis rubicundus: hunc pulverem reverbera operatione nunquam intermiſſâ tribus continuis diebus igne aperto, tum demum illi abſtrahe tincturam per ſpiritum vini; fæces remanent, eas ſepara à tinctura.

His omnibus tanto labore perfectis, ſepara iterum ſpiritum vini, diſtillando per balneum mariæ, remanetque pulvis (a) fixus, rubicundus, admirabiliter operatur. Doſi mediæ drachmæ ter de die ſumptus, mane ſcilicet, meridie, & veſperi, vel ſæpius; non enim nocet homini, expellit omnem grumoſum ſanguinem ex corpore, diutius ſumptus aperit ſecurè periculoſa omnia apoſtemata, eaque expellit, radicaliter curat morbum Gallicum, crines novi, facit, ut creſcant, & renovat notabiliter totum hominem.

Cùm jam docuerim conficere pulverem fixum antimonii, atque extractionem prorſus commodam ad uſum, jam eo relicto diſcurſu; breviter de floribus antimonii agere propoſui, qui multis modis præparari poſſunt.

De his verò (b) maxima pars neque diſcurrere, neque reſpondere poteſt, quia proceſſus talium operationum non didicerunt, minima autem pars, nempe diſcipuli, apoſtoli, & ſequaces artis Spagyricæ ſcripta mea pluris facient, diligentiùs legent, & prudentiùs de iis judicium ferent. Hoc tamen te præmoneo; mi Diſcipule, & Apoſtole, ſi vis imitator meus eſſe, tolle in principio crucem tuam, & patere, prout ego paſſus ſum: diſce perſecutionem tolerare, uti ego eam tuli, labora, prout omnes majores noſtri mecum fecerunt, precibus continuis inſta, & pulſa aures Domini Dei, & ſis patiens, & laborioſus ſine tædio, nec te deſeret Altiſſimus; qui me clementer exaudivit; quare ei ſingulis horis gratias ago, quemadmodum oculi mei lachrymis oppleti teſtantur. Sed ut pergam in inſtructione mea de floribus antimonii, ſciendum eſt, veros antimonii flores non uno, ſed variis modis poſſe præparari, quod neminem latet Spagyrorum. Sunt qui eos miſtos cum ſale armoniaco agunt per retortam, deinde reddunt eos dulces, auferendo ſalem armoniacum, hoſque magni faciunt; ſunt etenim hi flores pul-

(a) Proſtat in officinis Antimonium diaphoreticum, ſed quod hic nomine pulveris antimonii fixi indigitant, argento non eſt venale, nec auro, tantò virtutes ejus ſuperant intervallo omne id, cujus vulgus fit particeps. Fruſtra tantâ attentione, tantoque ſtudio (nam iis inter præparandum hunc pulverem opus eſt accuratiſſimis) intenderet operi huic Philoſophus; ſi hæc tantorum effectuum myſteria manibus tractarentur vulgaribus, aut pretio fierent venalia: is cui contigit fixus hic pulviſculus, utatur eo in Chronicis morbis, præcipuè ubi ſudores ſunt excitandi, & effectus videbit, unde gaudeat, ſi ipſe in ſe uſus fuerit; unde glorificetur, ſi in aliis.

(b) Quantis Baſilii temporibus Chymia impetita ſit calumniis, patet ex tot reliquiis ſcriptorum, quibus & Theologi quidam, imprudenter judicantes, quæ non intelligebant, & Politici, non multò illis prudentiores libros ſuos infamaverunt, dum iis, qui rem penitius examinaverunt, occaſionem præbent exiſtimandi eos non majore circumſpectione cæteras cenſuras ſuas plerumque detonuiſſe in innoxios. Eos hic non noto, qui circumforaneos Sophiſtas quoſdam, artis nobiliſſimæ prætextu ſcelera ſua tegentes, & magno nomine magnas fraudes populo obtrudentes, coarguerunt: eſt enim genus hoc hominum non tantùm coarguitione, ſed etiam ſupplicio digniſſimum: ſed quid, quæſo, boni meruêre, ſi nomine eorum abutantur mali? cur ars certiſſima, & tam ſalutaris, quàm utilis proſcribitur, quia homines reperiuntur, qui non arte, ſed artis nomine & umbrâ abutuntur. Sed nolo hanc pertexere apologiam, ne fortè in me ruat, quæ calumniæ maxima cauſa fuit, invidia, dum ita lamentantem, & ſuos armantem audio Baſilium, & quod plaudam temporibus noſtris, quibus jam nonnihil evanuit denſiſſima illa nubes, quæ tanta disjiciebat tonitrua. In officinis jam proſtant medicamenta, ut ajunt, chymicè præparata, ipſi illi, qui ſe vel maximè Hippocraticos dici volunt, vix audent Chymiam damnare, & ſubinde in uſum revocant, quæ ab arte chymica profecta eſſe, negare nequeunt. An tandem appropinquant illa tempora, quibus adveniet Helias artiſta, myſteriorum majorum revelator? quem tam dilucidè variis in locis μαντῶδες venturum prædicit Paracelſus Operæ pretium fortè erit ad ſolatium oppreſſorum diſcipulorum Baſilii adferre aliquot Paracelſi loca, quibus Heliæ, tum nondum nati, prædicit adventum; quæ ſi commodè quis, ut cætera Viri illius dicta ſumenda ſunt, interpretetur, nihil in iis deprehendet abſurdi; niſi oſtendere velit abſurdam ſtupiditatem ſuam, vel ſceleratam invidiam. Libro ergo de mineralibus cap. 8. ita ſcribit. *Quod vilius eſt Deus patefieri ſinit, quod autem majoris momenti eſt, vulgo adhuc latet, uſque ad Heliæ artiſtæ adventum*, alii legunt, *uſque ad artem Heliæ, quando is venerit.* Et iterum in libro mineral. tractatu primo. *Verum quidem eſt*, inquit, *multa in terris adhuc latent abdita, quæ juxta cum aliis ignoro. Nam hoc ſcio Deum deinceps mirabilia multa patefacturum, & multò plura in lucem producturum eſſe, quàm antehac nobis omnibus cognita fuerint. Hoc item verum eſt; nihil eſt abſconditum, quod non ſit retegendum: ideo poſt me veniet, cujus magnale nondum vivit, qui multa revelabit.*

Conſolare, conſolare ergo Philochymice, & præpara viam Heliæ iſti, qui felicia adferet tempora, & plura revelabit, quàm antea majores noſtri propter iniquitatem temporum & invidiam auſi ſunt detegere. Quiſquis es in hac arte verſate, aliquod ad hanc felicitatem confer ſymbolum, & quàm medicinam mundus propter prædominantes malos humores capere totam ſimul non poteſt, demus per epicraſim, ut paulatim convaleſcat, & veniant Heliæ tempora, (*æque enim artes*, addit Theophraſtus *Heliam habent, ac de cætero intelligitur*) quando liceat de his liberius loqui, & ſine perſecutione impiorum, apertè prodeſſe proximo. Hæc lege, intellige, conſolare.

res pulchri albique coloris. Alii instrumenta peculiaria ad hoc habent præparata cum cavernis ventosis, per quas antimonium aërem recipere, & sublimari potest. Alii eos sublimant igne forti, imponendo tres alembicos sibi invicem, & unâ eademque operâ conficiunt flores albos, flavos, & rubros; quas ego omnes vias ingressus sum, & nullum in eis errorem inveni: at modus, quo ego flores utilissimos ad medicinam, & efficaciores in operationibus suis confeci, hic est.

Miscui flores rubros antimonii cum colcotare vitrioli, & tertium cum iis sublimavi, ita essentia vitrioli simul ascendit, & flores fiunt fortiores, quo facto extraho eos flores spiritu vini; subsidunt fæces, seque à spiritu separant, eosdem artifex seponit, & spiritum vim destillat in balneo mariæ, donec remaneat pulvis siccus; atqui hi sunt flores mei antimonii præparati, quos ego exhibui fratribus meis, aliisque, qui in necessitatibus requisiverunt à me spirituale auxilium animabus suis ratione status mei Ecclesiastici, & corporibus ægris propter fiduciam, quam in arte mea reponunt.

Hi flores suaviter purgant sine frequentibus aut excessivis secessibus, plurimas tertianas & quartanas febres, nec non alios complures morbos sanaverunt; adeò ut proposuerim auxilio Servatoris mei Jesu, & Sanctissimæ Matris ejus Mariæ testamento ordinare perpetuum monimentum in altari meo omnium curationum quas ejus gratiâ perfeci: tum ut ea ratione Deo gratias agam, tum ut gratitudinem meam posteris notam faciam, ipsique agnoscant opera mirabilia Altissimi, quæ ego diligentiâ meâ ex visceribus naturæ extraxi, quæ ille in profundis ejus & secretissimis arcanis sepulta, recondiderat. De sublimatione autem antimonii, quæ postea flores vocantur, hoc præterea animadvertet lector, quod ii se habent instar aquarum, quæ in altis montibus erumpunt.

Jam de differentia aquarum, quæ oriuntur in altissimis montibus, imò in altioribus, si possent reperiri, ad illos enim etiam aquæ ascenderent, quandoquidem in cacuminibus altissimorum montium vulgariter fontes scaturiant. Et aliarum aquarum, quæ fossione in profundissima terræ, & sequendo scaturigines earum inquiri debent: posset quis judicare, matricem aquarum in terra ab una parte uberiùs esse repletam divitiis aquarum, quàm ab alia, cùm unumquodque elementum peculiarem matricem habeat potentem vel imbecillam, ut pariat ex sydere, unde elementa originem suam ducunt & nascuntur. Quando jam matrix ejusmodi fortis, & potens est in terra, etiam pellit semen suum fortiter, & efficaciter à se per vehementem pressionem usque montes nivales Alpium, vel ad usque fastigium ædificii turris (a) Babylonicæ: si quis fatuorum hunc meum discursum audiat, me vel insanire, vel vino madere dicet; sed hæc communis erit mihi cum Discipulis Servatoris nostri calumnia. Eadem ratio est sublimationis, quod sicut aquæ, quæ plurimæ in altissimis montibus inveniuntur, salubriores & gelidiores sunt, quàm eæ, quæ in fundo sitæ fossione altè eruuntur, ita materia pressione, & vi ignis sursum pellatur usque ad montes veterum, qui jam dudum ante me dormierunt, sapientum tum terra, quæ plerumque inutilis est, remanet, usque ad salem, qui etiam separatim extrahi potest in usum suum, & præbet separationem, per quam malum à bono, purum ab impuro, crassum à tenui, subtile ab eo, qui d subtile non est, venenum à medicamento possit dignosci. Nos miseri mortales hîc propter peccata nostra per mortem, quàm meruimus, terræ imponimur, donec tempore putrefiamus, & in sordes redigamur, & tandem igne, caloreque cælesti suscitemur, clarificemur, & exaltemur ad cælestem sublimationem, ubi fæces omnes, peccata omnia, omnisque impuritas separabitur, nosque fiemus filii Dei, & vitæ æternæ, ad quam me vobiscum perducat misericors & miserator Dominus.

Spero autem neminem fore, qui in malam partem accipiet hanc mundani cum spirituali comparationem, qualis est cælestis exaltatio, cum terrena & temporali sublimatione. Quod enim feci, nullus absque ratione factum esse arbitretur, sciatque me alias non ignorare, quid album sit, aut nigrum, quid differat aura tenebrosa & tristis à sudo cælo & sereno. Abrumpamus ergo sermonem hunc, & aliam proferamus antimonii præparationem. Habeat discipulus, apostolus, imo fidelis artis imitator hanc instructionem, & secundùm veram Philosophicam doctrinam fideliter animadvertat, quod omnis extractio ex antimonio, quemadmodum etiam ex aliis rebus omnibus, in operatione magnam habeat differentiam, quæ nec in materia consistit, nec per eam materiam, ex qua trahitur, cognoscitur, sed consistit, & manet in præparatione, & in additione, per quam vis ex materia extrahitur, id quod secum adfert experientia.

Exempli causâ, quicquid ex antimonio, vel alia re quapiam spiritu vini extrahitur, aliam prorsus habet operandi vim, quàm ea, quæ bono & acri aceto extrahuntur. Causas hujus rei jam in aliis meis scriptis attigi, & earum præcipua est, quod omnia, ex antimonio, vel aliis herbis, radicibus, aut seminibus purgantibus; (intelligo de prima extractione) potenter expellunt per secessum: contra verò quicquid per acetum extrahitur, non movet secessus eâ ratione, sed potius obstruit, & retinet peculiari quadam ratione, quâ volatile in fixum mutatur.

Hoc est singulare secretum, & magni pretii arcanum, sed nulli, vel saltem pauci inveniuntur, qui ad hæc reflectunt, quia multa abscondita sunt, & latent altè sepulta in hoc arcano, quæ hactenus nec dominorum, nec servorum quisquam, nec ullus sapientum hujus mundi animadvertit.

Fit ergo extractio antimonii duobus modis, aceto videlicet, & spiritu vini; acetum obstruit, & spiritus vini per se potenter expellit urinam, eamque promovet, quemadmodum etiam secessus, prout & alio loco & modo est dictum, & præcipuè ubi in duodecim meis clavibus dixi, *quod extractio ex vitro antimonii mediocriter purget, sed quod contra extractio ex vitro antimonii, quæ aceto facta est, non purget*, quod verum est, nec ullâ falsitate permixtum. Hæc autem experientia occasionem dat cogitandi & reflectendi, quâ ratione natura promotionem det, & parturitionem in verum Philosophum.

Hæc autem est res admiranda, quod omne id, quod spiritu vini primùm ab initio extrahitur, habeat proprietatem purgatricem.

Sed quando vitrum antimonii in initio aceto distillato extractum est, & postea extracto aceto iterum per spiritum vini separatum est, abiit omnino vis illa venenata purgandi, adeo ut ne vestigium ejus remaneat, nec ullam

(a) Parabola hæc est maximi momenti, sed ita clara iis, quibus dempta est cataracta ab oculis, ut iis illam explicare sit diurnæ luci Solis lucernam accendere: quibus autem nondum ea detracta est, locus hic occasionem non adfert, eam detrahendi: lege ergo, relege, & meditare, dies diei eructat verbum, & lectio posterior explicatrix est prioris, & prior posterioris.

ullam ſibi aſſumat vim ſedes promovendi, ſed operationes ſuas perficit per ſudorem, aliaque media, ſed præcipuè per ſalivationem & ejectionem per os, inquirit in omnia noxia, purgat ſanguinem, ſanat morbos pulmonum, & prodeſt iis, qui pectoris anguſtiis,& frequenti tuſſiculâ laborant;breviter quàm plurimis morbis medetur, etiam ſedat tuſſim malignam, & quicquid ejusmodi eſt indolis; eſtque medicina prorſus admirabilis.

Alia præterea fit extractio ex antimonio, hoc modo. *Antimonium crudum teritur, affunditurque ei acetum forte, non è vino, ſed ex propria minera confectum, exponiturque ſimul ſubtili calori Solis probè clauſum, poſt aliquod temporis intervallum tingetur acetum colore ſanguineo, effunde hanc extractionem claram, filtra,& iterum per alembicum ex arena diſtillata oſtentat colores admirabiles, amœnos viſu, & inter diſtillandum mires aſpectu.*

Hoc (*a*) oleum fit tandem ſanguinis inſtar rubrum, & multas relinquit fæces, valetque ad multas infirmitates; laudatur enim vis ſingularis,atque uſus ejus in lepra; novus morbus jam nuper inter milites exortus eo conſumitur, & exſiccatur, & mira mirorum efficit. Medico ante omnia ſit propoſitum diligenter in uſum ejus animadvertere ſecundum experientiam & notitiam ſuam, ſed inprimis præparationem ejus ritè peragat ſine tædio laboris,aut oblivione alicujus eorum, quæ præſtanda præſcribuntur.

Alia rurſum Antimonii extractio hoc modo inſtituitur. *Sume Antimonii in nomine Domini, & tartari crudi ana partes æquales: bene inter ſe trita, impone crucibulo forti, quod non ſinat ſpiritus perrumpere, & ure hanc materiam, donec tartarum ſit omnino combuſtum, quod in furno ventoſo faciendum eſt. Hanc materiam exuſtam tere ſubtiliter, affunde aquam vulgarem antea calefactam, edulcora materiam lixiviando. Fiet* (*b*) *hepar, ita jam multis antè temporibus à majoribus noſtris nominatum: hoc hepar ſiccatum impone cucurbitæ, affunde ſpiritum vini puriſſimum, extrahe diſtillando per balneum mariæ ſpiritum, ſic ut tertia ejus pars remaneat, ſed antea debet ſpiritus vini una cum extractione per chartam filtrari:* hac extractione utendum quidem utiliter, ſed modicè, magnâ enim prudentiâ eſt in uſum revocanda. Atque in hoc admirandum accidit, quod ſpiritus vini extractus non amplius uniri poſſit cum rubra extractione, unde tractus eſt, ſed alterum alteri ſupernatat inſtar aquæ, & olei, quæ commiſceri non poſſunt.

(*a*) Hic tuam Valentine ſynceritatem! Quis ex hac Præſcriptione tua conficiet iſtam quintam eſſentiam, quam Petrus Hiſpanus *lib. de Quinta eſſentia omnium rerum* meritò extollit, tanquam maximum Philoſophiæ ſecretum? Quid dicam? non te perverſum, ſed timidum facit hominum malitia, verentem, ne ſi pravis paſſim communicentur arcana, plus illis efficiant mali, quàm boni. Hic itaque proceſſus ideo tantum mihi à viro religioſo (cur enim rem indicare nollet!) tam obſcurè ſcriptus videtur, ut artis filii intelligerent eum ab ipſo non ignoratum fuiſſe. Ut autem lector intelligas, te non fruſtra nummos emendo, tempus legendo hos commentarios impendiſſe, clarè tibi, & nudè exponam, quomodo ſæpius eum perfecerim: adverte tu ad ſingula, ut nuſquam deficias: operationes enim ſic aliæ aliis concatenantur, ut unâ omiſſâ, vel negligenter factâ, ruant ceteræ, nec votis tuis labor reſpondeat. *Cape de optima Antimonii minera, quia friabilis ſit (nam ſi Antimonium crudum ſumpſeris, prout indicare videtur Baſilius, nihil effeceris, quia ſubtiliſſimum ſuum ſulphur prima diſtillatione ſua jam amiſit) tere ita ſubtiliter, ut per byſſinum tranſeat cribrum, impone cucurbitæ, & affunde acetum, quod ſecundum artem ex propria ejus minera eſt diſtillatum, pone in digeſtione* 40. *diebus, & ſi omnia, quæ huc requiruntur, accuratè ſervaveris, tingetur acetum tuum colore rubro inſtar ſanguinis: hanc tincturam rubram, per inclinationem effuſam, impone retortæ, blandéque acetum extrahe: pulverem qui remanſit, extrahe ſpiritu vini, ut iterum contrahat colorem ſanguineum; eam extractionem impone circulatorio ei ſimili, quod hic appingendum curavi, quia nullum unquam inveni aptius, ut ſpiritus reddantur volatiles: tum impone balneo mariæ eam diu digerendam, donec videas tincturam ſe ſurſum attollere, & volatilem per alembicum tranſire, refrigeſcat tum, & impone omnem materiam cucurbitæ vitreæ, & diſtilla ſpiritum ſecundum artem, & tranſibit rubicundiſſimus per alembicum, ut ſanguis. Deinde abſtrahe iterum ſpiritum vini, & habebis craſſum ponderoſum oleum.* Quomodo hoc oleum deinde cum ſale ſuo conjungatur, & uniatur alibi dicemus; cujus uſus eſt in metallis emendandis maximus. Hic illud deſcripſimus, & eò perduximus, ut medicina ſit præſtantiſſima in gravibus morbis, quæ paſſim habentur pro inſanabilibus. Perficit totam operationem ſuam per ſudores. Et cùm nullus ſit morbus, cui non ſuccurrat, quid opus eſt enumerare aliquos? ſatius eſt omnino tacere, quàm laudes ejus, quoſdam recenſendo, deterere. Nemo eſt, qui Chymiam vel à limine ſalutaverit, qui ignoret quid ſit quinta antimonii eſſentia. *Vid. Tab. II. Fig.* 2.

(*b*) Multi ſermonis cauſa eſt hepar in conviviis, non pauci nobis erit hepar Antimonii in operationibus chymicis. Atque in primis adverte, loco tartari melius ſumi ſalem tartari, non tantùm ad operationis compendium) (nam alias tam diu fundendum eſt, donec tartarum in ſalem commutetur) ſed vel maximè, ut vitrum accipias coloris longè melioris. Obliviſcitur etiam, vel ob rationes quaſdam omittit Baſilius admonere, quod vitrum effundi debet in pelvim antea calefactam, & contundi in mortario ante calefacto, aliàs vitrum hoc propter ſalem tartari ita quàm primum aëri imbuitur, ut continuò in cœnum vel pultem quandam commutetur. Omittit præterea determinare aquæ quantitatem, in qua pulvis jam tritus ſolvendus eſt, ut colorem accipiamus pulchriorem, & magè ſaturatum, in qua coloris exaltatione præcipua vis ejus ſita eſt. Præcipitationem præterea hepatis ex aqua,quæ aceto fieri debet ſilentio involvit. Atqui & hæc, & quæ jam dicta ſunt in hac operatione ſunt neceſſaria.

Neque hoc ego admonere prætermittam, quod & in hac, & in omni fuſione Antimonii eſt obſervandum, ut ea inſtituatur cœlo ſudo & ſereno, ſi aliter faxis, fruſtra deplorabis coloris in hepate tuo obſcuritatem. Nam ſi me rideas multam in operationibus Chymicis aſtrorum influentiis vim tribuentem, ego te multorum proceſſuum ſiniſtrum ſucceſſum ridebo deplorantem. Nolo digredi in eum locum, ut haſce probem cœleſtium influentiarum virtutes, contra homines enim tam parum vel ſcientes, ut non intelligant, vel expertos, ut non viderint, & interim tam pertinaces, ut iis, qui viderunt, experti ſunt, & rem ita ſe habere confirmant, fidem non adhibeant, ego non magis rationibus agere velim, quàm contra eos, qui etiamnum mutationem metallorum per lapidem Philoſophorum fieri negant. Quos ego, & mecum, qui toties id non factum eſſe, ſed fieri conſpexerunt oculis, & fecerunt manibus, contemnendos magis, quàm refutandos eſſe putamus. Ruſticum enim illud *nego, nego,* quis evertet? Irritant homines iſti pertinaces aliquando iſto agendi modo bonorum, & conſciorum artis patientiam, exiſtimantes illos Zelo quodam confirmandi id, quod affirmant eò progreſſuros, ut experimentum iis artis præclaræ oſtendant; ſed non puto quemquam eorum, qui myſterium adepti ſunt, adeò fore imprudentem, ut ſic temerè margaritas porcis objiciat & indignis oſtendat, quid Deus ei revelaverit, & de quo pane ille edat, qui non eſt mittendus canibus.

Hoc ergo ad rem, unde digreſſus ſum, rediens affirmo, eſſe quædam anni tempora, quibus ſi fiat hepar Antimonii, & menſtruo debito præcipitetur, alio prorſus imbuitur colore, aliiſque præſtat viribus, quàm id, quod alio tempore confectum eſt, idque tam ad metalla, quàm ad homines ſanandos, ut ipſe expertus, in multis gravibus morbis, & morborum ſymptomatis. Addam & hoc, ex hepate antimonii per ſpiritum vini extrahi poſſe rubedinem, quæ volatilis fit, & trans alembicum diſtillatur, quæ ſine periculo omnibus exhiberi poteſt. Nec iſtâ cautione Baſilii magnopere opus eſt, etiam antequam volatilis eſt rubedo, quod modicè ſit propinanda. Data enim ad 30. 40. & 50. guttas, parum admodum ſudoris excitat, nedum purgationem, aut vomitum movet. Sed mirabilia illa, quæ ſanguinem purgando, radices morbi exſtirpando, & hominem vegetum reddendo facit, per inſenſibilem expirationem, & occultas ſuas vires efficit. Vino huic vendibili opus non eſt eloquentiæ hederâ, quâ commendetur ægrotis, qui ſemel vires ejus experti ſunt, ſciunt quid valeat, & quantis illud expetant votis, quantis æſtiment pecuniis.

sunt. At si spiritus vini extractus superfundatur alteri hepati antimonii, denuo attrahit sibi, & hoc priori extractioni vel eidem superfusum non miscetur: quæ res inter mirabilia censeri potest. Sed quis posset declarare omnia mirabilia Dei? aut quis digne æstimabit dona Creatoris, quæ creaturis suis implantavit? nobis altâ meditatione vix perscrutabilia.

Antea mentionem feci de extractione antimonii ex (*a*) vitro ejus per acetum, & etiam per spiritum vini: nunc autem dico, quando talis extractio per acetum facta est, & acetum per balneum mariæ iterum extractum, pulvisque, qui remanet in loco humido, resolvitur in liquorem flavi coloris. Adeo mirabilia efficit in recentibus & veteribus vulneribus, ut ea calamo nec possim, nec ausim committere omnia; cujuscunque sint generis symptomata arcet, nec ullum radices sinit agere, nullam admittit putrefactionem in recentibus vulneribus. Eadem efficit etiam altera extractio ex hoc pulvere, antequam solutio per spiritum vini est facta, nec cedit uspiam aliis medicamentis, quæ ad internos affectus adhibentur.

Hanc præparationem sæpe attigi in aliis meis scriptis, etiam in hoc tractatu de antimonio ex superabundanti, quia scio quanta commoda, quantaque secreta in eo lateant; ideo spero discipulum nullo affectum iri tædio propter repetitiones in scriptis meis, quæ fideliter aperio, & in lucem profero. Quicquid enim scribo, non fit sine ratione, verbaque mea sunt quidem brevia, sed multum considerationis requirunt, quamvis sæpius repetantur: ignaris discursus mei parum admodum adferunt intelligentiæ, pueris & inexpertis parum utilitatis; sed discipulis & apostolis meis plurimum salutis & prosperitatis.

Restat alia extractio per aquam causticam, quam experientia docuit hoc modo. *Recipe vitrioli, salis communis ana partes æquales, ex his distilla per latus* (*b*) *aquam, quæ cùm vehementer per ignem pellitur, prodit materia instar tenuis butyri, vel amurcæ olei olivarum, hæc servatur seorsum ad usum. Caput mortuum teratur subtiliter, & solvatur in cella in aquam, hanc aquam serva seorsum, & filtra eam per chartam: posthac sume antimonium Hungaricum, tere subtiliter, impone cucurbitæ plani fundi, affunde hanc aquam, pone in calore, cum*

justo tempore suo in eo steterit, fit instar amethysti, ex violaceo nigrescens; tum ignem intende fortiter, & acquires colorem perspicuum instar cærulei sapphyri, ex hoc colore præcipitatur pulvis albus affusione aquæ communis: hic pulvis assumptus eandem habet operationem, quam rubra extractio vitri antimonii per sedes, & simul excitat vomitum. In priore solutione ex capite mortuo facta, & in cella asservata, laminæ tenues ferri coquantur; & transmutabunt verè martem in venerem, prout experientia docebit. Jam animadverte ulterius. *Sume distillatum illud oleum, seu aquam, uti in hoc processu commemoratum est, superaffunde illi crocum martis, cum sulphure usque ad colorem rubrum reverberato, expone calori, extrahet tincturam martis instar sanguinis rubicundam: sume hujus extractionis partem unam, ex rubra antimonii extractione, quæ cum sale nitri exusta, & spiritu vini præparata est, partes tres: ex aqua mercurii* (*c*) *paulatim per tubum longiorem injecti partem unam: insuper calcis aureæ in hac aqua caustica dissolutæ partem mediam; omnia hæc simul confunde, deinde hæc in arena destillanda sunt igne mediocriter vehementi, cùm antea clarè fuerint decantata, sed non omnia distillatione transfunduntur,* manet pulchra solutio (*d*) fixa in fundo, quâ uti possumus in veteribus vulneribus apertis, in quibus fundamentum ponit sanationis ad stuporem. Caput mortuum quod relinquitur, in loco humido resolutum, dat liquorem tam acrem, ut nulla aqua fortis cum eo sit acredine comparanda. Sed de his jam satis: loquendum enim jam mihi de pulvere albo, qui etiam ex antimonio præparatur hoc modo.

Cape antimonium purum, quod ex Hungaria adfertur, aut in similibus plagis montanis invenitur, tere id subtiliter, cape item mensuram eandem salis nitri purissimi, quod tertiò omni diligentiâ mundatum est, hæc compositio simul uritur in olla nova vitreata, quæ nullâ unquam pinguedine fuit infecta, igne circulatorio, non quidem tota simul, sed diversis vicibus partes adjungendo. Hanc rationem agendi veteres Spagyrici *detonare* nominant, terminus artis discipulo artis addiscendus, utpote non cuilibet rusticorum in sua experientia vel arte communis. *Hac operatione peractâ, tere materiam duram, quæ in olla remansit subtiliter, ei in olla vitreata affunde aquam*

(*a*) Sollicitum, & affectu plenum hîc agit Præceptorem Author noster, cui non dixisse sufficit, sed identidem inculcat præcipua doctrinæ suæ præcepta: quid autem illum specialiter moverit ad repetendum, præsertim vires sulphuris antimonii, non video: nihil se frustra repetere dicit; tu ergo lector, si tibi est tanti, attentius perpende, an hîc invenias quidpiam, quod dictum non sit, aut rationem cur iterum dicatur. Ego, qui intelligentibus me scribere profiteor, nihil hîc repetam, qui cepit, cepit, qui ibi non intellexit, vereor ut hîc intelligat.

(*b*) Encheresin hîc te docebo, Philochymice, quam tanti tu facies, quantam ex ea commoditatem in operando percipies, ne quod sæpe fit, dum spiritus metallorum distillas, vasa tua dirumpantur. Retortæ tuæ terreæ A aperies superius foramen B cui immittes materiam per partes, ne tota simul nimium virium suarum exerat, claudesque foramen statim operculo; spiritibus receptis in vase C datur exitus per foramen D in appositum aliud recipiens E. Cui rursus alterum recipiens appositum est F. Ita spiritus subtiliores ascendentes per foramen D recident in recipiens F. Crassiores autem manent in fundo G recipientis C. Hoc autem instrumentum usui tuo hic erit aptissimum: tum ne, quod dicebam, spiritus transiens fortissimus rumpat vitra, tum ad alia, quæ facili speculatione tu hinc colliges. *Vid. Tab. II. Fig.* 3.

(*c*) Ut studium Lectorum acuant Chymici, & magis, ne quis præter veros artis studiosos in adyta eorum penetret, non omnia uno loco tradunt, sed documenta sua spargunt, ut eorum collectione diligenti non secus ac aquilæ solis intuitu legitimos suos probent filios: ita vides Basilium hîc aquæ mercurii usum proponere, quam in tractatu, qui vocatur supplementum conficere docuit, aut potius rudi carbone processum ejus delineavit: nec enim ibi, uti hic demum mentionem facit foraminis, quod superius in retorta patere debet, ut ei tubus immittatur, per quem mercurius per partes exiguas injiciatur. Si enim, vel tantillum mercurrii retortæ incluseris, eamque igne vehementi pepuleris, ut fieri oportet, ut spiritum ei extrahas, retortam, furnumque ipsum vi suâ vehementi, & indomabili evertet, nisi des ei spatium largius, & libertatem majorem volandi, ut tandem postquam multas visitavit retortas, conquiescat, & quasi defatigatus resideat. Cùm autem omnibus veris Chymicis notissimum sit, quantarum hic mercurius in resolutione metallorum sit virium, nullam ejus hic mentionem faciam.

(*d*) Hæc solutio nondum fixa est, sed nisi te labor jam fatigaverit, ulteriore operatione poteris eam figere. Cujus præcipuus usus est in emendatione metallorum, quod Basilius ne attingit quidem. Ignoscat nunc mihi genius omnium Chimicorum, dum omnibus candidè pandam hoc secretum. Tu Philochymice me celerrimè oraculum pandentem, mente & cogitatione consequere: nam operatio non tam absolvetur celeriter. *Hic pulvis extrahendus est fortissimo aceto, id abstrahe, & quod in fundo remanserit, edulcora aquâ distillatâ, extrahe rursum vini spiritu, spiritumque abstrahe, remanebit in fundo pulvis rubicundus, hunc conjunge cum sale fixo, quod ex fæcibus, quæ post abstractionem cum aceto remanserunt, confectum est, & trium mensium spatio fac, ut vulcanum non amplius fugiant, sed placidissimè cum eo, & in eo ludant*; si hoc perfeceris, habes duo conjuncta matrimonio inseparabili: & purum ab impuro separasti, volatile fixum, fixum volatile reddidisti, & parum abes à felicitate illa, quam votis expetiisti omnibus.

aquam vulgarem mediocriter calefactam, & ubi materia resedit, innova hanc affusionem aliquoties, donec sal nitrum omne extrahatur (*a*) *: denique sicca materiam, & tantùm salis nitri novi appone; quantum ejus est pondus; exure rursus, & repete eandem operationem tertiò: tandem tere id quod post tertiam operationem manet subtiliter, affunde spiritum vini optimum, circula mense uno diligenter clausum in cucurbita, seu circulatorio: dum eximitur nonies, vel decies, spiritum vini toties affusum desuper exure; hoc peracto sicca pulverem molliter, & integro die excandefac in crucibulo, quali aurifabri ad liquefacienda metalla utuntur; hunc pulverem in loco humido resolve super mensa lapidea vel vitrea, vel in ovis duriter coctis, fit inde liquor, qui expositus calori iterum siccatur, & in* (*b*) *pulverem revertitur.* Hic pulvis efficit egregia quædam & mirabilia, quæ non facile fidem invenient apud eos, qui non sunt experti: at non operatur subitò, sed tempus habeat oportet, ut exerat vires suas, & ostendat experientiâ teste virtutem suam admirabilem. Quicunque interiùs laborat apostematibus, sumat de hoc albo fixo pulvere antimonii in spiritu vini, vel alio vino generoso quartam drachmæ partem quinies, vel sexies per diem, & experietur internum apostema aperiri, & omnem coagulatum sanguinem paulatim sine ullo vitæ, aut sanitatis periculo expelli. Qui novo militum morbo interius laborat, utatur, eo quo dictum est modo, hoc pulvere, & experietur hoc malum toto in corpore consumi, atque ex eo expelli; producit præterea novos crines, & innovat hominem in novum statum ad stuporem omnium; dat novum, sanum, & purum sanguinem, & tantum efficit boni, ut possit ne minima ejus pars (quantumvis hoc æquitas postulare videatur) à me describi, vel enarrari.

Non æquum est, me hæc omnia clarè, & eo modo manifestare, ut quilibet ex scriptis meis absque labore & tædio possit perfectus Doctor evadere: quemadmodum non decet juvenem (*c*) rusticum pane candidissimo, optimeque pisto vesci, quem labore suo non paravit, vel cujus ipse frumentum tribulo suo non excussit.

Sed nimis longè procedo in hoc aperto doctrinæ campo, in quo antiqui venatores suas capiunt alaudas, & juvenes eos statim retibus suis insequuntur. Stylus enim meus (uti omnia scripta mea satis superque testantur) sibi propositum habet singularem quendam modum, sicuti & omnium ante me Philosophorum. Si quis autem miretur, processus hîc quosdam proponi, in quibus Philosophia mea ab aliis differt: id responsi habeat, sermonem Philosophicum multùm differre ab aliorum modo discurrendi, qui nudè ac purè declarant processum aliquem sine ullis ambagibus vel ænigmatibus. Adverte ergo differentiam. nec me accusa, quasi ab ordine deflexerim, quantùm ad stylum Philosophiæ, & præparationum, & processuum. In discursu enim Philosophico addiscere, & judicare oportet, quod ad theoriam pertinet, sed instructionem processuum te docet praxis, ideo in iis utendum est verbis veris, simplicibus, claris, & benè fundatis.

Fit etiam balsamum ex antimonio ad graves morbos admodum utilis, non tamen ex crudo, sed ex regulo ejus, unde mercurius antimonii vivus confici potest, eo, qui sequitur, modo.

Sume ex optimo antimonio Hungarico, & (*d*) *tartaro crudo partes æquales, & mediam partem salis nitri, terantur simul subtiliter, & postquam in furno ventoso inter se fluxerint, effundantur in pelvim æneam, ibique refrigescant; tunc invenitur regulus; hic ter, & eò sæpius tartaro & sale nitri purgatur per ignem, & fit albus relucens, ut argentum capellatum, quod jam fulminavit, & plumbum suum omne superavit. Hic regulus teritur minutim, & vitro imponitur, superfunditurque oleum juniperi, vel spiritus terebinthi, qui prior in distillatione prodiit,*

(*a*) Non te seducit aut circumducit, Philochymice, Basilius, quando mysteria abditissima tam candidè promit, & mirabiles effectus tam syncerè, & fideliter promittit. Vel ex hac operatione exemplum cape. Post primam enim detonationem cum nitro, simulatque salem nitri à pulvere purâ aquâ separaveris, habes pulverem illum Rulandi, quo vir ille tot miracula medica patravit, quo tantùm nominis, tantumque pecuniæ sibi comparavit: Quem si tu certâ cæli constitutione (quod in hepate antimonii monere me memini) præparaveris, habebis illum tantò meliorem, quantò rubicundiorem: color enim ejus anima ipsius, cujus in Medicina effectus probavit, laudavitque Rulandus; sed nec ille laudes ejus exhausit, nec inexpertis persuasit tantas in hoc medicamento latere virtutes. *Hic crocus metallorum*, sic enim vocant, non est ille, qui in officinis venum exponitur, cujus granis octo affundunt vini uncias binas, & cùm æger hausit solum illud vinum sine ullo pulvere, sæpe tantum infernè, & supernè ejicit, ut utraque, aut saltem alterutrâ parte sequatur anima. Hujus autem usus talis est. *Sume ejus grana* 8. 9. 10. *vel* 11. *secundùm ægri vires, & cetera coindicantia, iis superfunde tres aut quatuor vini uncias; parum enim refert plus minusve vini sumpseris, impone balneo spatio quatuor aut quinque horarum, extrahe tincturam croci metallorum instar sanguinis rubicundam (quod in infusione croci officinalis non fit) hoc vinum jam sulphure croci saturatum, unà cum subtiliore pulveris parte, quæ decantando transit*, exhibeo ægro, qui blandè, infernè, & superpè purgatur absque molestia: nec tantùm humores educit hoc medicamentum, sed quod antimonialibus ritè præparatis est proprium, radicem morbi aggreditur, & si quid corruptum sit in corpore, si quid labefactatum emendat, & restituit. Quam admirabiles hæc sola tinctura mihi ostenderit effectus, supersedeo enumerare, ne fidem eorum citare cogar, qui eos experti sunt; hoc saltem mihi crede, quisquis chymica medicamenta in usum revocas, ut semper accipias veras rerum tincturas, in quibus volatile earum sulphur est absconditum; si hoc negligis, famam, lucrumque tuum, & ægri tui negligis sanitatem.

(*b*) Credidisti, aut expertus es vires semel detonati pulveris, non eris Thomas in hoc ter detonato. Adfer manum tuam, tange, & utere, eadem tibi præstabit, quæ verum antimonium diaphoreticum, sed securitate efficaciaque majore.

(*c*) Tam clarè omnia detexit Valentinus, ut nemo vel ante, vel post eum id fecerit clariùs, Conspirasse videntur post eum omnes, ut luci, quam ipse intulit mundo, tenebras offunderent; hinc nec vehementer eum publicè laudant, quamquam privatim quisque eum maximi faciat, nec libros ejus in alias transtulerunt linguas, quamquam ipse omnium unus sit dignissimus, qui omnium gentium loquatur sermonibus, ut Philochymicos, in labyrinthis aliorum errantes, consoletur, & semper novam producat Philosophorum sobolem. Quod autem quis putaret, eum tam clarè posse loqui, ut quilibet illotis, ut ajunt, manibus attingens Chymiam, statim eum intelligeret, hoc est, quod hic ait, fieri non posse, nec oportere ut opilionis vilissimi filius de polline edat, quod nullo illi in triturando constitit sudore: ceterùm, ut ipse infra confitetur, verbis utitur claris, & simplicibus.

(*d*) Quod in præparatione hepatis antimonii adverti, hîc repetendum est, ut pro tartaro crudo sumas salem tartari, quo procedat operatio citiùs, & tutiùs. Sal nitri hic est inutile. *Sume ergo antimonii, & salis tartari ana partes æquales, ex eo funde regulum, secundùm regulam hic à Basilio traditam.* Vitrum si (quod omnes ferè faciunt) abjicias, facies inutiliter. Paro enim ex illo medicinam inprimis utilem, hoc modo. *Contundo hoc vitrum in mortario calefacto, cavendo ne quid humiditatis ab aëre contrahat quod satis facilè provideri potest, hoc pono in phiala, ex quo alcohol vini tincturam extrahit pulcherrimam rubri coloris, instar sanguinis.* Cardiacum præstantissimum est hæc tinctura, si sumatur ad guttas 30. 40. vel 50. in liquore convenienti; idque, si velis, bis aut ter per diem: tutò enim sumitur, & totum recreat hominem.

prodiit, & purus est instar aquæ fontanæ, benè clausum impone balneo mariæ in calore subtili, fietque oleum juniperi vel spiritus terebinthi ruber instar sanguinis, eum effunde, & rectifica spiritu vini. Iisdem pollet viribus, quibus balsamus sulphuris, uti tum indicabo, cùm de sulphure scribam, quoniam unam eandemque postulant præparationem.

Hujus balsami guttæ tres, aut quatuor, cùm vino calido tantummodo ter in hebdomade assumptæ, sanant morbos pulmonum, depellunt tussim frequentem, & asthma: etiam conducunt vertigini, laterum punctionibus, & diuturnâ tussi laborantibus.

Multa etiam præparantur olea ex antimonio, quædam per se, & sine additione, & alia multa per additiones; at non iisdem prædita sunt virtutibus, sed unumquodque suis, secundùm diversam præparationem. Cujus hanc tibi nunc declaro similitudinem. Multa esse genera animalium, quæ solùm in terra versantur, ut sunt, multa reptilia vermium & serpentum, alia item, quorum quædam etiam nova genera, quæ antea nota non fuerunt, ex putrefactione prodeunt. Alia in aquis habitant, ut omnia genera piscium: alia volitant per aëra, ut genus omne volatilium & avium: quædam nutriuntur igne ut Salamander: & præterea inveniuntur multa mirabilia animalia in regionibus & Insulis calidioribus, quæ hisce nationibus ignota sunt, quæ vitam suam prorogant ex solo calore Solis, quæ moriuntur, simulatque alium attingunt aërem. Ita antimonium aliam assumit naturam, aliamque ad operandum complexionem, dum additione aquæ, aliam dum per solum ignem præparatur. Et quamvis omnis ejus præparatio per ignem fieri debeat, sine quo virtus ejus manifestari non potest; adverte tamen additionem terræ prorsus aliam operationem dare, quàm additionem aquæ: ita etiam quando antimonium in igne per aërem sublimari, & ulteriùs præparari potest, alia virtus, aliæ vires, alia operatio sequuntur, quàm in præparationibus jam descriptis. Oleum ergo antimonii per se sine additione, & simul verum sulphur ejus faciendi, hæc est methodus.

Sume Antimonium Hungaricum crudum, id tritum subtiliter, impone cucurbitæ vitreæ, quæ planum habeat fundum, & affunde acetum verum Philosophorum, sale suo acidius redditum. Cucurbitam deinde clausam impone fimo equino, vel balneo mariæ, ut putrefiat quadraginta diebus, tum se resolvet corpus, & acetum contrahet colorem rubrum instar sanguinis, effunde acetum, & affunde novum, idque toties, donec acetum non tingatur amplius, tum acetum omne filtra per chartam: rursus impone vitro mundo, ut antea fecisti, & clausum impone fimo equino, vel balneo mariæ, ut putrefiat quadraginta diebus, tum corpus se denuo resolvit, & materia fit in vitro tam nigra, quàm chalcanthum vel sutorum atramentum: ubi hoc signum habueris, tunc vera solutio facta est, per quam sequetur ulterior separatio elementorum.

Impone nigram hanc materiam alteri cucurbitæ, & alembico imposito, distilla acetum igne modico, tum acetum transit clarum, & remanet in fundo materia sordida, eam tere subtiliter, & edulcora aquâ pluviâ distillatâ, tum eam molliter exsicca, & impone circulatorio longi colli (circulatorium sit præditum tribus cavitatibus, tamquam si tres globi sibi invicem essent impositi, sed à se invicem tamen distincti, sicut sublimatoria cum *Aludel* solent fieri, & tandem habeat instar phialæ collum longè protensum) *affunde spiritum vini summè rectificatum, qui tribus digitis superstet materiæ, & vitrum bene clausum, impone molli calori duobus mensibus, tum sequetur alia extractio nova, & spiritus vini fiet pellucidus, & ruber instar pyropi, ut erat prima extractio aceti, imo pulchrior. Effunde spiritum vini ita tinctum, filtra eum per chartam, & impone cucurbitæ, materiam nigram, quæ remansit, sepone, & separa ab hoc opere, nec enim ei est utilis.*

Impone alembicum cucurbitæ, & incipias distillare in recipiente, omnibus benè clausis per cineres igne mediocri, tum spiritus vini tincturam antimonii secum defert, & elementa se separant ab invicem, & alembicus, recipiensque tibi præbebunt aspectum auri prorsus pellucidi: in fine remanent aliquæ fæces, sed paucæ, & aureus color in vitro omnino perit: materiam rubram, quæ distillando transivit in recipientem, impone circulatorio decem diebus, & totidem noctibus, tunc fit separatio per illam circulationem, nam oleum per hanc acquisivit gravitatem, separatque se à spiritu vini, & decidit in fundum, spiritusque vini iterum clarus est, ut erat in principio, & supernatat oleo, quæ separatio admirabilis, miraculi instar est in natura; secerne (a) *oleum deinde à spiritu vini per separatorium.* Oleum hoc est singularis & incredibilis dulcedinis, quæ nulli alteri rei comparari potest, est gratum in usu, & omnis corrosivitas ab eo separata est.

Nemo cogitatione potest assequi, aut intelligentiâ comprehendere, quàm incredibiles effectus, potentes vires & utilis virtus in hoc Regio oleo existat: ideo sulphur hoc antimonii non aliter appellavi, quam *balsamum meum vitæ*, quia plurima efficit per gratiam Dei in iis, in quibus nullum nisi à Dei misericordia erat sperandum auxilium, & nihil restabat nisi certissima vitæ cum morte commutatio, prout fratres mei sæpiùs factum esse testantur. Reficit hominem tanquam si denuo esset renatus: purificat sanguinem; mixtum & exhibitum cum tinctura corallorum mundat lepram, & pellit omnem scabiem, quæ per sanguinem impurum radices egit in homine: abigit melancholiam & tristitiam cordis, confirmat artus, & ante omnia cor, quando cum magisterio perlarum exhibetur. Etiam memoriam emendat; in deliquio non est inventa medicina nobilior, si cum olei cinnamomi æquis partibus mixti guttæ sex per os linguæ imponantur, & tantillum de essentia croci naribus & arteriæ affricetur.

Ah Deus omnipotens, quid me juvat multa dicere, scribere, & excogitare! paucos enim, ut opinor, inter Doctores inveniam, qui fidem absolutam præbebunt hisce scriptis meis, quæ discipulis, apostolis, & asseclis meis fideliter loco testamenti mei declaravi: Alii verò, qui mirabiles effectus antea cognoverunt, & vires in veritate sæpius experti sunt, accuratiùs attendent, & faciliùs fidem adhibebunt, & mihi pro hac benignitate (quod scilicet vires & virtutes, quæ creaturis infusæ sunt, ego Dei permissu aperuerim, & quasi

(a) Hîc habes non tantum quicquid ex antimonio confici, sed penè omne, quod à Chymico promitti potest. Hoc illud est, quo replentur omnes omnium Chymicorum libri, quod tot involvitur fabulis, tot implicatur ænigmatibus, tot obscuris explicatur commentariis; hoc est, quod toto orbe optatur à stultis, quæritur ab artis filiis, invenitur à sapientibus. Hoc Basilius revelat, hoc repetit, hoc inculcat: hoc est Currus ejus Triumphalis, quem quasi circumducit, & sæpius ostentat in variis scriptorum suorum compitis. Antea in hoc ipso tractatu sub nomine *extractionis antimonii crudi*, hic *oleum* est *antimonii*, mox convertetur in *Lapidem*, qui *ignis* dicitur. Ita sæpius se offert hic Proteus semper varius, attamen idem semper in substantia. Confer omnes processus, qui toties diversimodè proponuntur cum commentariis his meis super extractione antimonii crudi factis, & habebis opus numeris suis omnibus absolutum; habebis volatile fixum, & fixum volatile, habebis thesaurum, in quo, si nescis quid habeas, remittam te ad Æsopi gallinaceum gallum, qui gemmam in sterquilinio invenerat, sed nesciebat, quid habebat. Adverte diligenter, mi Philochymice, & scias neminem tecum clarius & syncerius egisse, quàm Basilium, & me post illum, qui tibi indico, ubi lateat lepus, quem tot alii tam vagè venantur. Si hic jam non sapis, nec tribus anticyris sanaberis: itaque nihil addam, ne stultos, qui ne nunc quidem sapiunt, redigam ad insaniam.

& quasi ex carcere extractas in lucem & liberam operationem protulerim) dum in sepulchro redigar in pulverem, gratias agent & honorificè de me loquentur. Alius modus, ut antimonium sine additione trans alembicum agatur, hic est.

Fit regulus ex antimonio per tartarum & salem nitri, ut supra descripsi: hic teritur subtiliter, & magno rotundo vitro imponitur, & in mediocriter molli igne arena imponitur: hac ratione antimonium sublimabitur, quicquid sublimatum fuerit, id quotidie plumâ deterge, ut iterum in fundum recidat, in eoque persevera, donec nihil amplius sublimetur, sed omnia in fundo remaneant, tum antimonii regulus per se fixus & præcipitatus est: sed adverte opus esse sat longo tempore, & repetito sæpius hoc labore, antequam id consequaris. *Præcipitatum hoc rubrum exime, subtiliter tere, & repone in cavea humidiori lapidi plano & mundo, maneatque ibi sex mensibus, tandem præcipitatum incipit se resolvere in liquorem rubrum purumque, & faces, sive terra ab eo separatur: sal, inquam, antimonii solus se resolvit, hunc liquorem filtra, & impone cucurbitæ, extrahe plegma ut densetur, & iterum caveæ impone, tunc pulchras crystallos dabit; has separa à phlegmate, sunt pellucidæ, mixtæ colore rubro: sed dum iterum purificatæ fuerint, evadunt albæ:* tunc factus est verus (*a*) sal antimonii, prout eum sæpius confeci. *Hunc salem exsicca, & ei permisce terræ Venetæ, quam* tripel *vocant, tres partes, & forti igni distilla; transibit primò spiritus albus, postea spiritus ruber, qui se etiam resolvit in album; hunc spiritum rectifica molliter, ac subtiliter in balneo sicco, vel maris,* atque ita habebis aliud oleum album ex sale antimonii distillatum; at longè cedit sali superiori ex rubra tinctura confecto.

Hoc oleum; quid oleum? hic spiritus dicam potius, quandoquidem sal modo spirituali sit distillatum, in febribus quartanis, aliisque sæpius vim suam ostendit, valdè juvit in confractione lapidis vesicæ, promovet urinam, prodest in podagra: affrictus extrinsecus vulneribus corrosivis veteribus, quæ operationem suam habent ex Marte, ea purificat: etiam purificat hic spiritus salis antimonii totum sanguinem, quemadmodum sal auri; & quamvis plurimis aliis morbis sanandis utiliter applicari possit; attamen non adeo perfectus est, atque superius oleum rubrum antimonii, in quo sulphur ejus ad summum perductum, purificatum, & separatum est, ut dixi, ideo de hoc supersedebo plura loqui.

Cùm jam de Sulphure & Sale antimonii egerim, ostenderimque, quomodo in oleum & spiritum redigi possint, ut medicinæ inserviant: jam ulterius procedens agam de Mercurio, & manifestabo, quæ medicina in eo abscondita, & quasi sepulta delitescat.

Sume reguli antimonii, eo, quo supra docui, modo confecti, partes octo, salis ex urina humana clarificati & sublimati partem unam, salis armoniaci partem unam, unamque salis tartari. Misce salia omnia simul in vitro, affusoque aceto vini fortis, claude luto sapientiæ, & digere salia cum aceto mense integro in calore conveniente tandem impone omnia cucurbitæ, & cineribus distilla acetum, ut salia remaneant sicca; hisce admisce terræ Venetæ partes tres, & per retortam igne forti distilla, & habebis spiritum mirabilem: hunc spiritum affunde regulo antimonii trito, & putrificetur eo duobus mensibus, tum suaviter ab eo distilla acetum, & cum eo, quod remanet, misce quadruplum pondus chalybis limati, & violento igne per retortam distilla, tum spiritus salis, qui tandem transit, secum transvehit mercurium specie fumi, præponas autem recipientem vitreum magnum plenum aqua; tum spiritus salium commiscetur aquæ; sed (*b*) *mercurius colligitur in fundo vitri in verum mercurium vivum.*

Ecce tibi quomodo Philomathes ex antimonio conficere possit mercurium currentem, quem tamdiu, & tot in partibus orbis expetiverunt quamplurimi. Jam utilitatem ejus, & quomodo hoc mercurio cum laude uti possimus in medicina, hîc tibi annotabo, & scriptis tradam.

Sume in nomine Domini hujus mercurii partem unam, exprime per corium, affunde olei rubri vitrioli summè rectificati partes quatuor, extrahe oleum, remanebuntque spiritus olei apud mercurium, pelle igne vehementi, aliquid sublimabitur, hoc sublimatam iterum appone terræ in fundo: affunde iterum aliud oleum ejusdem ponderis, ut antea, repete hoc tertiò: quartâ verò vice pone sublimatum, quod ascenderit cum terra, & tere simul; tunc erit clarum & purum instar speculi, vel crystalli; impone circulatorio, & affunde tantum olei vitrioli, & triplum spiritus vini, circula donec fiat separatio, & tandem aliquando mercurius se resolvet in oleum, & supernatabit instar olei olivarum: quod ubi factum erit, separa id ipsum oleum ab aliis, & impone in vitro circulatorio, affunde acetum forte distillatum, & ita permitte quiescere præter propter diebus viginti, tunc (*c*) *oleum iterum acquirit gravitatem suam, & decidit in fundum, & quicquid adhuc venenatum in eo est, remanet in aceto, quod tenebrosum, & omnino confusum est.*

Hoc est arcanum magnum, quod repugnare videtur naturæ, ut oleum hoc prius supernatet, & postea gravius redditum, petat fundum. Verum tamen adverte, oleum vitrioli etiam grave esse, sed cum mercurius in separatione sua nondum sit omnino purus, superstat illi, sed cùm impura levitas illi per acetum eripitur, quia acetum illam assumit, tunc oleum recipit justum suum pondus, fit compactum, & decidit in fundum. Atque hoc est oleum ex mercurio antimonii, quod est quartum medicinæ columen.

Heus nunc leprosi! ubi estis? suppeditabo vobis media ad salutem: hoc oleum est utile adversus apoplexiam, confortat cerebrum, facit hominem industrium, excitat spiritus vitales capitis: si quis gravibus morbis longo tempore laboraverit, & aliquamdiu utatur quotidie hoc oleo, huic decidunt ungues & crines, & redit quasi in hominem recenter creatum; omnis sanguis humani corporis eo ita purificatur, ut omne malum ab eo abstergatur, & expellatur.

Sanare

(*a*) ἴσος ἴσῳ Græcis in proverbio est, & hic patet in opere chymico. Hoc enim sal acuit omnia menstrua ad faciliorem metallorum extractionem; sed magis omnibus eas extractiones, quæ ex antimonio fiunt, utpote minerali ipsi cognato & simili.

(*b*) Quæ tempore Basilii summa erant arcana, temporibus nostris jam sunt vulgaria Chymicorum opera: quotus enim quisque, qui nomen suum inter veros chymicos profitetur, ignorat modum conficiendi mercurium ex antimonio; vel hoc, quo Basilius docet, vel alio modo: nam varios jam excogitaverunt artifices varii, & quisque utitur eo, qui sibi probatur maximè.

(*c*) Nihil opus facibus est in meridie, nihil commentariis in tam perspicua descriptione, quâ Basilius docet conficere oleum mercurii ex antimonio: pedetentim incede, adverte ad singula, & nunquam frustrabitur te tua opera. Ne tenebras offundam, abstineo commentario, sed addo, me non dubitare, quin mirabiles in corpore humano hic mercurius præstet effectus; sed ego expertus non sum vires ejus ad sanitatem animalium, & commentarii mei non excedunt meam experientiam.

In metallorum autem emendatione vires ostendit singulares. Dico enim, & liquidò affirmo, qui potest oleum hic à Basilio descriptum ad lapidem fixum perducere, jam gloriari posse se habere tincturam fixam, unico Regum Regi, magno Philosophorum Lapidi cedentem. Quando huc usque profectus es, Philochymice, noli retrocedere, nec manum tollere ab aratro: perge læto gradu, si forte nemore in tanto se ostendat ille

Aureus, & foliis, & lento vimine ramus.

Sanare morbum Gallicum, quem nuper hæreditavimus, huic ludus est, per hanc enim medicinam radicitus evellitur: & ut paucis multa comprehendam, major est hujus olei in medicina laus, quàm, ut vel ore, vel calamo virtus visque ejus omnis exprimatur.

Quid hæremus nunc miseri mortales de terra sumpti, & in terram reversuri? cur non properamus Deo Creatori nostro gratias agere, pro hac Medicina, nobis tam clementer indulta? Et vos utriusque medicinæ, si Diis placet, Doctores, venite ad me hominem religiosum, & servum Dei, manifestabo vobis, quod oculi vestri nunquam viderunt; ostendam vobis viam salutis & sanitatis, quam hactenus non cognovistis. Si quis tamen reperiatur inter vos, qui processus meos, & modum præparationis melius me intelligit, is, quæso, non taceat, nec claustrum imponat ori suo, ipse enim hîc adsto paratus discere, nec me pudet ulterius inquirere, & lumen concupiscere, quod antea fortè non cognoverim. Sæpius enim jam vox hæc mea audita est; angustioribus terminis hanc vitam nostram circumscriptam esse, quàm ut homo unus omnia indaget, quæ natura abscondita gerit in sinu suo. Contra verò, me authore, sileant illi, qui minus, quàm ego experti sunt, nec solidam scriptorum meorum assecuti sunt intelligentiam, neque ea emendare aggrediantur, aut verbis, rabularum instar, inconsideratis reprehendere, quæ nunquam ipsi in scholis didicerunt, & quorum processus nunquam à legis peritis acceperunt.

Termini enim mei aliter sonant, & aliud significant, quàm eorum, qui se mihi opponunt, & quos pudet laboris arbores plantandi, iisque surculos fructiferos inserendi, ideoque aridis ac sylvestribus semper inhærent arboribus, nec unquam ramum ullum viridium & sapidorum fructuum benè culti pomarii attingere possunt.

Ne, inquam, festina ad judicandum, homo inexperte in arte nostra, & noli condemnare, quod nondum cogitationibus vel ipse assecutus es, aut disciplinâ accepisti. Multis, sed imprudentibus hoc verbum in ore versatur; pisces in aquis congelantur; sed hi meram ostendunt imprudentiam & inscitiam suam: nunquam enim probabitur piscem, vel in asperrima hyeme in aqua congelari, quamdiu glacies quotidie diligentiâ mortalium aperitur.

Quod autem pisces moriantur, ideo fit, quod cùm glacies non aperiatur, illis respiratio aëris eripitur, atque hinc suffocantur; facilè enim probari potest, nullum animal posse vivere, cui aëris inspiratio negatur. Unde concluditur pisces eos, qui tempore asperioris frigoris sub aqua mortui repeniuntur, non frigore ipso, ut parum intelligentes existimant, sed negatione aëris extinctos esse. Eadem ratione, ut applicemus hoc exemplum, dico; siquidem antimonium fructus istos incredibiles sit pariturum, illud è montibus erui, atque ei in principio respiratoria fossorum labore fieri debere, & postea aquâ, aëre, & igne, ut mediis auxiliaribus, præparari, ne fœcunditas ejus suffocetur in terra, sed multis laboriosisque artificis præparationibus manifestetur, atque in lucem prodeat ad speratam morborum sanationem, propter quam omnem ejus suscepit indagationem.

Ubi nunc, ô miser! qui antimonium nihil facis, & apud omnes, instar meri veneni criminaris, ubi est Rhetorica vel Dialectica tua, quâ te defendas? sed cum nec album, nec nigrum, nec viride, nec rubrum, nec flavum intelligas; nec scias quanam viâ aggredi possis justificare antimonium, multoque minus ejus virtus, vis, & utilitas tibi nota sit, benè facis, quod taceas, & permittas hanc tuæ imperitiæ reprehensionem, veluti fluctum vento vehementi agitatum, trans caput tuum volitare, timens, ne si isti venti & fluctus prædominentur, navis tua fragilis, & Sutilis fundum petat, & submergatur.

Ut hoc periculum evites, invocâ tempestivè dormientem Magistrum tuum, uti discipuli Servatoris nostri Jesu Christi fecerunt, dum timebant perire, non tamen ex simulato & ficto, sed ex vero & puro corde, absque omni hypocrisi, tum redemptio & auxilium sine dubio sequetur, ut in omni veritate videas, & advertas ventos, & mare tibi obedire, & omnia ad finem optatum perducas.

Utinam ita animatus esset homo, ut labore & diligentia quidpiam assequi studeret, tum certè Dii prosperitatis, & artis præsides Dii successum darent, per quem ejusmodi discipulus, & artis assecla certus fieret, sibi in optato artis gymnasio, & desiderato domicilio gratiæ felicitatem, & salutem non denegandam, ut ipsemet certò videret, & inveniret fundamentum solidi lapidis angularis, super quo reliqui lapidum ordines commodè possint ædificari: tum tot cessarent malè fundatæ rabularum ineptiæ, quibus in scholis discipulorum aures, & in domibus ægrorum capita obtunduntur: resque ipsa, ore quasi aperto, loquetur, & certâ experientiâ confirmabit arcem lapideam, seu palatium, non tam facilè igne accendi & comburi posse, quàm corbem columbariam, aut veterem ciconiæ nidum ex ligno putrido compositum, atque à Sole magis magisque indies exsiccatum.

Tu autem orationis meæ auditor, & discipule hanc synceram informationem meam acri judicio perpendas, & ardenti desiderio contendas infimum artis centrum pervadere, quod in externa facie cognosci à nemine potest, vim virtutemque ejus, non secus quàm venator feram, persequere, quære vestigia ejus per nivem, ut probè distinguas, nec cervum pro hinnulo, leporem pro vulpe capias, aut per errorem ex vestigiis ejus à te malè judicetur, projice benè retia tua, & capies multitudinem piscium secundùm votum & desiderium tuum: colloca fila tua, prout oportet, & dispone aves, quæ cæteras alliciant loco suo, & auceps adimplebit desiderium suum cum utilitate. Et ut hisce breviter admonitionem, unâ cum animadversione unicuique quærenti proponam, dico: dispone, amice venator, retia & instrumenta tua rectè ad ventum, ut oportet; & tu nauta, qui noctes atque dies per vastum navigas æquor, & sæpius à ventis huc illuc pelleris, adverte ad acum tuam, & sine dubio aliquid capies, nec navem tuam peregrè redeuntem sine magno mercaturæ tuæ lucro in portum deduces.

Sed quid ego multis ago, aut quid tempus, quod sophisticis rabulis in more positum est, inutiliter tero paleam inanem triturando? fallor; non inutiliter tempus impendo; omnia enim verba in scriptis meis ita sunt allata, ut litteræ paucæ inanes in iis inveniantur, quæ non aliquam utilitatem, unà cum utili instructione contineant, ita ut tempus scriptionis meæ mihi potius recreationi fuerit, quàm tædio.

Ideo nunc gladiatorum more uno passu retrocedam, & novam rerum externarum scholam in laboratorium inferam; nimirum quod antimonium ejus naturæ sit, ut præparari possit, ut præsens auxilium adferat in medicina, quæ tractat de vulneribus externis, quæ multipliciter se nobis offerunt, & ex Chirurgia declarantur. Incipiam igitur, & brevibus explicabo processus meos, quomodo nempe illud in medicinam fit adhibendum, & quomodo utiliter præparandum.

Quicunque juniorum studiosorum desideras occulta naturæ perscrutari, & abscondita ejus in lucem proferre, audi, quid dicam tibi, ut possis diem à nocte, clarum ab obscuro distinguere. *Cape Antimonii Hungarici unam, salis communis partem mediam, & sex partes argillæ non combustæ, tere simul, & distilla vehementer sine intermissione igne diuturno, tandem oleum transibit,*

transibit, huic abstrahe suum phlegma per destillationem, ut pulvis ruber siccus remaneat in fundo cucurbitæ, tere illum subtiliter, & resolve in lapide marmoreo, & habebis rubrum balsamum relucens pro vulneribus, quod alia, quamplurima balsama longè antecellit. (*a*) Usus ejus præcipuus est in vulneribus, quæ longo tempore fuerunt aperta, in quibus alii Doctores suis emplastris, unguentis, oleis, & ligamentis nihil potuerunt efficere; sed summo cum dedecore equo demum frænum & ephippium tollunt, eumque reducunt in stabulum, unde ad eos prodierat.

Formulæ meæ loquendi simplicitatem sonant, vir enim religiosus, cui modus agendi sæcularium ignotus est, nequit omnia tam clarè detegere, & describere, quàm res ipsa videtur requirere: quantum ad terminos, quod iis videlicet non ita formaliter utatur, hoc sibi postulat ignosci, & si quid in eo neglexerit, rogat ab omnibus in bonam partem accipi, paratus ratione status sui omnibus Christianis, uti volens iis offert, die & nocte inservire, & hanc eorum benevolentiam precibus apud Deum remunerari.

Hoc oleum salutare est in multis gravibus accidentibus, & præcipuè in vulneribus veteribus, ita ut paucæ medicinæ inveniantur, quæ huic non debeant cedere: illud tantum oleum, quod cum vulgari Apothecariorum sublimato præparatur illi æquale effectibus, & sæpe melius esse experientia docuit, nominatim in lupo & cancro, & in vulnere *noli me tangere*. Sed in fistulis ordinariis, & herpetibus superius oleum mira efficit, quæ nisi experientia iis patrocinaretur, fidem non invenirent, quæ omnia à me non recensetur, ne quis judicet me id ambitione ductum facere, aut famam inde venari, quam ego nunquam à me, neque quæsitam fuisse, neque etiamnum quæri sanctissimè affirmo.

Nunc accipe olei alterius præparationem.

Sume mercurium mortificatum, qui ad claritatem & splendorem sublimatus est, & apud Apothecarios prostat venalis, & antimonii partes æquales; tere simul, & distilla ex retorta, quæ spiritus retineat, ter, & rectifica ad oleum spiritu vini, tunc operatio, absoluta est, & oleum fit rubrum instar sanguinis, sed in principio est album, & instar glaciei, vel butyri coagulati. Hoc oleum in multis, ubi natura nullam dabat emendationis spem, mira effecit: & vim, virtutem, potentiam, efficaciamque suam semper maximè ostendit in perfecta emendatione mali in bonum.

Per additionem aliud oleum paratur ad vulnera externa apprimè utile.

Sumitur antimonii pars una, & una sulphuris, media salis armoniaci, vel salis urinæ purificati, & calcis vivæ partes duæ: expelle oleum fortiter, quicquid sublimatur, id tere cum capite mortuo, & affunde rursus oleum, terque ita distilla, tum oleum est præparatum.

Cum vetera vulnera vix aut ne vix quidem sanari possunt, tunc hoc oleo utere: est enim forte, potens, & penetrativum, & facit fundum bonum, quemadmodum & oleum vitrioli, unde sequi deinde potest omnimoda sanatio.

Balsamum admirable ad vetera vulnera ex diversis ingredientibus, inter quæ & antimonium ita paratur.

Recipe sulphuris uncias quatuor, excoquatur igne modico; impone mercurii libram semis, versa spathâ ligneâ, donec fiat massa una, hanc massam tere subtiliter, (facta enim est, quemadmodum cinnabarum solet præparari) tere cum ea antimonii uncias quatuor, arsenici rubri uncias quatuor, croci martis uncias duas, lateris pulverisati uncias octo. Hæc omnia impone cucurbitæ vitreæ, & sublima quemadmodum similia solent sublimari, consequeris in ista sublimatione pyropos, quorum color orientalibus non cedit, sed fixitatem non habent; volatiles enim sunt, & evanescunt in igne. *Ut hosce pyropos artifex separet à cinnabaro, quod inter sublimandum ascendit, eos terit subtiliter, & extrahit aceto forti distillato: quo opere perfecto extrahit acetum in balneo mariæ pedetentim, remanebitque pulvis, tere hunc pulverem minutim, ut ante, & impone alteri vitro, & extrahe tincturam ejus spiritu vini, remanentque sordes, eas separa: hanc extractionem cum spiritu vini digere in balneo benè clauso mense uno, tum extrahe spiritum vini, ut extraxisti acetum, remanentem pulverem impone scutellæ vitreæ planæ, eam impone caveæ in cupa referta aquis, ut vitrum ei possit instar naviculæ innatare: pulvis, qui in vitro est, intra paucos dies se resolvet in clarum & pellucidum liquorem.*

Hic liquor salutaris est in veteribus apertis vulneribus, & est balsamum vulnerarium in similibus accidentibus, si iis imponatur, stiptico vulgari circumdetur, neminem auxilio destituet in diuturnis apertis vulneribus, adversus quæ frustra tentata sunt alia remedia.

De ulceribus apertis, quæ internè originem sumunt, hîc mihi non est sermo, ea enim fine remediis internis, quæ affluxiones exsiccent, & centrum morbi in ipsa radice sua depellant, perfectè sanari non possunt, quamvis hac tempestate pauci reperiantur, qui ad hoc reflectant, & cogitatione suâ radicem ipsam morborum attingant, de qua nunc ago.

Si homines animo volverent eas vitæ calamitates, in quas nos protoplastrum lapsus præcipitavit, peccatumque illud originis, & tot malorum sequacium catervam, tristitiæ nimirum, angoris, morborum, & miseriarum recogitarent, meliùs profectò tempus suum locarent, plusque laboris impenderent, in quærenda proximi sui salute, tam impensè iis à summo cæli Rectore commendatâ, & debiti officii instar mandatâ, sed quamplurimi, proh dolor! laboris tædio tempus inutiliter consumunt; & non quod faciendum erat, sed quod hactenus fecere, & facere porro lubet, faciunt, atque timent vel extremos digitos conspurcare; non minus quàm si torquerentur invidiâ mercatorum, qui fortè tantillum lucri facerent sapone vendendo, quo molliculas manus suas abluerent. Nonne omnes, quotquot hîc miseri mortales degimus in terra peregrini sumus, nihil, quod nostrum dicere possimus, possidentes? nonne omnia, quibus utimur, Domini nostri feudalia bona sunt, nobis, quamdiu vivimus, nec diutius concessa? ita ergo nos in iis utendis geramus, ut tempore illo, quo & ratio eorum, & ipsa erunt reddenda, conscientiâ bonâ freti, subsistamus, & propter ingratitudinem non conjiciamur in carcerem, & tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.

Si hæc esset meditatio, hæc uniusque intentio, monstri simile foret, si quis de peccato in se admittendo, si quis de officio suo negligendo cogitaret; omnes certatim muneribus à Deo acceptis proximo inservire contenderent, Sed hæc remota sunt à cogitationibus mundi, mundanorumque hominum; *pecunia, pecunia* scopus est, quo collineant omnes, hanc potentes per fas & nefas quærunt, atque in hoc pauperes

(*a*) Prudens Imperator eo milites suos inter præliandum componit ordine, ut in principio aciei boni & fortes, in fine optimi atque fortissimi ineant pugnam, qui minus valent armis, aut viribus, in medio collocentur, exemplum pugnandi à prioribus spem auxilii & victoriæ à posterioribus accepturi. Imperatorem sequitur Orator in collocandis argumentis, quibus animos expugnet. Oratorem imitatur Basilius in ordinandis processibus, quibus discipulum suum ad sapientiam, & sapientiæ fructum perducat felicitatem. Insignes ergo processus habuimus, iisque explicandis qualem qualem adhibuimus operam, atque lucem aliquam attulimus.

Jam medii sequuntur clari illi per se, & non tanti, atque superiores momenti, ea propter illis non inhærebimus.

pauperes iis subserviunt, ut simul de mammona iniquitatis participent.

Sed cavete, moneo, cavete, ne carnis istius ossa gutturi inhærentia, vos suffocent, ne piscium spinæ cor vobis confodiant. At quid juvat admonitio, quam parvi facit, & pro derediculo habet mundus. Audite quæso historiam, vel percipite parabolam. Cùm ego, voti magni reus, difficilem illam peregrinationem versus Divum Jacobum susciperem, ut visitarem locum istum sanctum tanquam peregrinus, Deum precatus sum, eique me voto obstrinxi, si daret felicem ad monasterium meum regressum. Ille dedit, ego hodieque ei gratias ago: sed putabam plurimos mecum exultaturos, eidemque Deo acturos gratias, propter insignes reliquias, quas tum temporis attuli, & obtuli monasterio nostro in consolationem pauperum, multorumque aliorum, quo sibi pararet in hac peritura lachrymarum valle nomen, quod nulla deleret oblivio: pauci tamen hinc reddebantur, vel meliores, vel erga Deum ob tantum beneficium gratiores, sed perseverabant in irrisione, & contemptu, id, quod Deus in die novissimo vindicabit.

At jam de his satis, procedamus in instructione nostra de Antimonio, unde alia rursus Medicina paratur, quam in genere febrium, & in peste ipsa valdè expertus sum.

Antimonium teritur subtiliter, vitreæ retortæ imponitur, & igne forti distillatur sine ulla additione, tertiò aut quartò, & semper in magno vase recipitur, tandem fit ex eo pulvis rubicundus; extrahe eum aceto; extractionem eam circula molli igne decem omnino diebus, abstrahe acetum distillando, & id, quod remanet, singulari (a) enchevesi in oleum distillando transfundendum est. Hoc oleum porro circulatur, donec ei ablata sit humiditas, & rursus in pulverem reductum est, qualis erat dum initio acetum ab eo per distillationem separatum, & postremum oleum in vase recenti receptũ fuit.

Hujus olei grana quatuor assumpta cum aqua cardui Benedicti, si æger benè tegatur, & sudet, sanant quotidianas, tertianas, & quartanas febres; eadem dosis multùm valet ad pestem depellendam, cum spiritu vini vel aceto destillato, prout, vel cum calore, vel cum frigore paroxysmus primus pestis accesserit. Quod in monasterio nostro trium fratrum, facto jam testamento, in extremis versantium, hoc arcano ex peste recuperata docuit sanitas; quod animos eorum arti huic meæ ita conciliavit, ut majore, quàm antea zelo, & precibus, & labore me juverint, & tempus, quod illis à divino officio supererat, quotidie mihi subserviendo, impenderint, brevique tantam experientiam sint consecuti, ut suâ, fratrumque suorum industriâ, plus experientiæ cæperint in arcanis naturæ indagandis, quàm antea longè diuturniore tempore obtinuerant. Pro his ego gratias illis egi, usque in senectam meam, & senium, & porro re ipsâ illis retulissem gratiam, quippe sic de me, & de aliis fideli suo labore meritis, sed ante me vitæ suæ curriculum absolverunt, & ingressi sunt viam omnis carnis, quare remunerationem eorum summo commendo Medico, qui in cœlis habitat, ibique illos exhilarabit sufficiente gaudio, & satisfaciet cœlesti præmio, quod hîc in terra illis fuit ab ignaris & ingratis hominibus denegatum.

Aliud ad vulnera oleum ex Antimonio cum additione paratur, eo, quem subjiciam, modo. *Sumuntur Antimonii, sulphuris, salis nitri ana partes æquales. Detonentur infra campanam, sicut oleum sulphuris per campanam conficitur, qui præparandi modus jam olim antiquis non fuit incognitus*, sed animadverte hanc viam meliorem esse, si pro campana (b) alembicum sumseris, eique vas recipiens apposueris, ita plus olei consequeris, ejusdem quidem coloris, quo illud ex sulphure vulgari eductum, sed viribus & virtute haud parum illo præstantius. Utimur eo intrinsecus quidem cum spiritu vini ad guttas tres adversus pulmonum phthisin; extrinsecus autem, si illinatur, ac deinde imponatur emplastrum stipticum, adversus omnia vulnera fœtentia, & ad putrefactionem tendentia, adeoque omnia omnino vulnera certissimum remedium esse reperies.

Rursus aliud oleum ex Antimonio adversus omnia vulnera exedentia hac ratione conficitur. *Recipe Antimonii libram unam, salis communis desiccati libram semis, laterum confractorum libras quinque: omnia terantur, & retortæ imponantur: ubi oleum flavum distillaveris, omnesque spiritus transierint, impone materiam alteri vitro, eique phlegma extrahe, remanebitque pulvis, quem in loco humido lapidi insternes, & consequeris balsamum humidum, quod in omnibus vulneribus verminantibus, & in cancro, qui in facie hominis, & fœminarum uberibus maximè prodit, singulare est remediũ.*

Plura de hoc balsamo scribenda forent, nisi vererer fore, ut imperitus quispiam horum, aut rabula sophisticus in me impingeret, diceretque me hæc dilatare nimis, & plura chartæ mandare, quàm experientia me docuerit, ac proinde meras speculationes & imaginationes venditare.

Aliud porro oleum conficitur hoc modo. *Antimonii pars una sublimetur cum quarta parte salis armoniaci ige subtili: sal tollit sulphur Antimonii in altum rubrum, instar sanguinis: tere hoc sublimatum subtiliter, & si sumpsrris prius libram unam Antimonii, tere cum eo rursus uncias quinque Antimonii, & eo rursum sublima, ut ante factum est, hoc sublimatum solvitur in loco humido. Sed aliàs sume sublimatum illud, & edulcora à sale addito, molliterque sicca, & habebis sulphur, quod ardet instar sulphuris vulgaris, quod prostat apud Apothecarios venale. Extrahe ex hoc sulphure tincturam per acetum distillatum, & cum acetum in balneo mariæ leniter abstraxeris; & pulverem remanentem subtili enchevesi transtillaveris, habebis* (si quidem in hac operatione non aberraveris) *præstantissimum (c) oleum, dulce, gratum, & suave in usu suo sine ulla corrosivitate, aut periculo.* Sanat phthisin, depellit puncturas lateris, & siquis laboret difficultate anhelitus, is assumat duo grana mane, & totidem vesperi, dum concedit cubitum, in elixire vel spiritu vini, dilatat angustias pectoris, expellit omnes impuritates, & phlegmata ex pectore, & multos mihi sæpenumero protulit minimè speratos effectus.

Cùm verò in aliis præparationibus ex Antimonio eas vires descripserim, quæ huic cum illis sunt communes, nihil opus existimo eas omnes repetere, veritus ne artis affectatoribus, vel perissologiâ tædium, vel ineptâ tautologiâ alienas cogitationes adferam. Liquor interim, qui, ut supra dixi, in loco humido resolvi-

(a) Cum spiritu vini hæc extractio volatilis reddenda est, eo modo, quo in superioribus operationibus docui.

(b) Picturâ jam te alloquar, non tantùm verbis, Philochymice, ut compendio sermonis accipias hoc laboris & sumptuum compendium. Instrumentum hoc aspice, & tibi confice, ut Basilium sequi possis in faciendo sulphuris oleo per campanam: hac enim viâ tantum olei tibi dabit uncia, quantum viâ jam vulgò tritâ suppeditat libra; ex unciis nimirum sulphuris sedecim elicies semiunciam olei, quam alii vix sperant ex sedecim libris. *Vid. Tab. II. Fig.* 4.

(c) Hæc est altera repetitio processus, quo conficitur balsamum Antimonii, ut vocat in hoc tractatu, vel quinta essentia Antimonii, de quo sæpius supra. Hæc tamen in processu est differentia, quod hîc sulphur per salem armoniacum ab Antimonio separatur, & deinde aceto extrahatur: ubi in aliis processibus sulphur per acetum extrahatur, quando adhuc unitum est Antimonio. Sed hæc tanti non sunt, ut ancipitem reddant operationum effectum, varietas ergo hæc libertatem dabit majorem operatori, ut non scrupulosus sit in iis, in quibus rationem intelligit ejus, quod agit, & modi, quo agit.

solvitur, externa est Medicina, & apprimè utilis, ut mundet impuritates cutis, & si tantillum olei tartari misceatur, sanat phagedænam digitorum, & si sæpius eo ungatur, purificat cutem, & scrofulis medetur.

Sulphur Antimonii præterea alio modo præparatur. *Antimonium subtiliter teritur, & coquitur horis duabus, vel paulò diutius, in acri lixivio de cineribus ligni faginei confecto: ubi coctum Antimonium clarè filtraveris, affunde acetum, & sulphur petet fundum prorsus rubrum, effunde phlegma, & pulverem leniter exsicca: distilla hunc pulverem cum aceto vini: extrahe tincturam, & fac, prout cum superiore sulphure fecisti; idem in oleum distillando reducere, non est oleum & operam perdere*; quamvis oleum supra commemoratum, plus virium habeat, eò quod corpus ejus per salem armoniacum initio sublimationis melius solutum & apertum fuerit.

Restant porro multa de Antimonio scribenda, & nominatim tria Spagyro Medico, & Philosopho scitu necessaria, nimirum præparatio aceti, quæ ex minera ejus conficitur, deinde prætereunda non est Philosophica stella signata: & tandem sermo instituendus de plumbo Philosophorum, de quo multi magna sunt imaginati, & putaverunt ratiocinatione suâ, & speculatione verum & syncerum Mercurium Philosophorum ex eo conficere, quod profectò fieri non potest, quandoquidem Antimonio cælitus tanta non est data efficacia, ut in ipso is Mercurius existeret, vel ex eo præparari posset. Mercurius primum ens, vel prima aqua metallorum, quæ perfecta sit, unde lapis magnus veterum sapientum confici possit, illud, inquam, ens primum, & semina ejus in alio minerali inveniuntur, in quo operatio secundùm genium metallorum major est, quàm in Antimonio: attamen particularem quandam, & utilissimam suppeditat operationem. Inquire porro quid ad internam, quid ad externam medicinam pertineat; est enim columen omnis Apothecariorum officinæ, si debitè præparetur, ut sæpè moneo; nec quicquam deerit, modo artifex benè discat distinguere indolem metallorum, & mineralium, & diligenter observet tum præparationem, tum usum Antimonii, tunc enim, & non ante sequetur perfectum de eo judicium.

Jam igitur stabo promissis, discipulosque meos secundùm votum eorum consolabor satis faciendo iis, & instructionem dando, perquam vera separatio boni à malo tandem iis innotescet, & dando informationem de aceto Philosophorum, quod ex Antimonio conficitur.

Minera unde Antimonium funditur, & purificatur, teratur subtilissimè, hanc materiam impone vitro rotundo, quod phiala vocatur, habens collum oblongum, affundatur aqua pluvia distillata, ut cucurbita sit media plena, benè clausa seponatur in fimo equino, ut putrefiat donec minera incipiat effervescere, & spumam in superficie accipere, tunc tempus est eximendi, signum enim est corpus se aperuisse: hanc materiam digestam impone cucurbitæ, benè claude, & aquam extrahe, habebit ea saporem utcunque acidum, ubi aqua omnis ablata est, intende ignem, & transibit sublimatum: hoc iterum tere cum fæcibus, & affunde iterum eandem aquam, & iterum abstrahe, tunc erit acrior: hæc operatio repetenda est, donec aqua fiat tam acida, quàm aliud acre acetum vini distillatum; sublimatum autem, quo sæpius operatio repetitur, eo magis minuitur. Ubi hoc acidum acetum obtinueris, cape recentem mineram ut ante, & affunde hoc acetum, ut tribus digitis emineat: impone pelicano, & digeratur duodecim diebus in calore, acetum fit rubrum, & multò acidius, quàm ante: hoc decanta purum, & distilla per se sine additione in balneo mariæ, transibit acetum clarum, & rubrum remanet in fundo, quod extractum cum spiritu vini est præstans Medicina. Acetum autem iterum rectifica in balneo mariæ: ut suo liberetur phlegmate: tandem solve in eo proprium sal, scilicet in quatuor unciis unciam unam, & pelle fortiter ex cineribus, (a) acetum fit acrius, & acquirit plus virium, & virtutis.

Hoc acetum refrigerat vehementer, non ut vulgare acetum, sed magnâ cum admiratione, & certâ experientiâ, maximè ad sedandum gangrænam ex pulvere pyrio productam; etiam sanat alia irritata vulnera & membra, quando cum anima saturni tritum, in unguentum conformatur, & exterius applicatur. Mixtum cum aqua endiviæ, cui sal prunellæ additum est, consumit synanchen, & extinguit magnum ardorem ejus, sedat præterea motum inflammati sanguinis. Tempore pestis intrinsecus assumptum dosi unius cochlearis, singulis vicibus, & extrinsecus lineis pannis bubonibus impositum, extrahit venenum, & præstantissimè refrigerat. Sed adverte, cum hoc modo extrinsecus vis adhibere, miscendum esse tertiam partem aquæ, quæ ex spermate ranarū distillatur.

Multi stellam signatam Antimonii magni fecerunt, & operam dedêre quàmplurimi, ut eam conficerent, nulli parcentes labori, modò eam consequerentur, quod nonnullis successit, aliis verò propositum suum, resque tota in profundo aquarum submersa est. Imbiberant plerique eam animo sententiam hanc stellam veram esse materiam, unde confici posset lapis ille Philosophorum; hac inducti cogitatione, vel imaginatione, quod natura ipsa eam in stellam signaverit, ideo non poterant, ut existimabant, hisce cogitationibus in viam erroris abduci. Ego autem nihil horum esse syncerè denuntio: longè enim aberrant istiusmodi indagatores à recta & regia via; & enecant se conscendendo rupes & scopulos, in quibus capricorni fixerunt domicilium, & accipitres suum capiunt refugium. Non est huic stellæ datum in se tantum continere potentiæ, aut tam pretiosum ex se formare lapidem: idem tamen ego affirmo, insignem Medicinam in ea latere absconditam, quæ ex ea confici possit. Fit autem stella hac ratione.

Recipe Antimonii Hungarici partes duas, chalybis partem unam: hæc liquefiunt cum quatuor partibus tartari usti, & funduntur in scypho ferreo, quo utuntur aurifabri, dum aurum suum purgant. Dum refrixerit, exime regulum, & separa ab omni impuritate, & scoria.

Tere

(a) Hoc acetum etiam inter præcipua numeratur eorum, quæ ex Antimonio conficiuntur: ideo operæ pretium judicavi, id quibusdam commentariis illustrare. Quamvis enim modo, quem Basilius præscribit, fieri possit, tamen quædam adhuc requiruntur, ut opus reddatur cùm facilius, tùm perfectius, quæ jam subjungo. *Pro sex libris Antimonii requiruntur quatuordecim libræ aquæ distillatæ, & quando post digestionem illud distillare cupimus, quædam encheresis observanda, à qua propemodum totius operis dependet successus. Ita enim collocandus est alembicus, ut rostrum ejus tegatur aquâ, quæ est in recipiente, vel quæ transit distillando in recipientem, aliàs spiritus Antimonii dispergetur, & plus mediâ parte perit, opusque multò plus requirit temporis, ut perficiatur.* Figurâ appositâ *Tab. II. Fig. 5.* hoc expressi, ut si qui sint, qui audiendo non satis hoc percipiunt, videndo intelligant. *Ubi aqua tota transivit per alembicum, ignis*, ut monet author, *intendendus est, & tribus noctibus totidemque diebus sine intermissione continuandus, tum refrigescat, & sublimatum*; ut docet, *cum Antimonio denuò misceatur: iterum resumatur labor ad tres dies & noctes, ac deinde repetatur tertiò, tunc aqua tua acida erit, uti acetum vulgare: hoc acetum si tinxeris nova Antimonii minera, habebis tincturam, quam balsamum suum vitæ nominat, toties descriptum, sed nunquam satis laudatum.* O si scirent mortales mysteria quæ in hac tincturâ latent abscondita, nescio an luberet aliam circa Antimonium suscipere operationem: omnia in hoc uno sunt. Dixi Philochymice, tu face.

fig. 1.




fig. 2.




fig. 3.




fig. 4.





fig. 5.



Tere hunc regulum subtiliter, & pondus ejus examina, & appone ei triplum tartari usti, funde, & effunde, ut supra, idque tertium repete, tum se purgat regulus, & evadit purus, & clarus. Nota autem, cum fusionem ritè perfeceris, usus que fueris encheresi, quâ decet, quod in hoc palmarium est, obtinebis stellam (a) pulchram, & ex albo micantem, instar argenti capellati, non minus artificiosè distinctam, quàm si eam pictor quispiam diligenter circino dispartitus fuisset.

Hæc stella cum sale armoniaco in (b) sublimatum rubrum redigitur; tinctura enim martis ascendit. Dum ejusmodi sublimatum, uspiam depontur, fit ex eo liquor, qui miris in Chirurgia præstat viribus.

Hic regulus, seu stella signata, sæpe cum angue lapideo per ignem deducitur ita, ut tandem se in eo consumat, & se prorsus uniat cum (c) angue: hoc facto habet artis affectator materiam omnino calidam & ignitam; in qua ars plurima sepulta latet. Hæc materia præparata se solvit in oleum: hoc ipsum oleũ distillatione transfundi debet, & tum rectificari, ut sit purum, & clarũ. Hoc oleum intus commodè & securè assumi potest, at magnâ prudentiâ & cautione, nec sæpius, quàm bis per hebdomadem, nec plus, quàm guttæ tres in duabus unciis vini, vel alia aqua ex herbis distillata, secundùm morbi exigentiam. Hanc ob causam Medici est, morbi causas, unà cum ægroti complexione præscire, quo remedia sua securius adhibeat.

Hæc est insignis (*d*) acrimonia, multa in se arcana complectens, sed nihil opus est imperitis omnia simul & semel revelare. Artes quædam supprimendæ sunt, ut Philosopho, qui iis indagandis improbum quotidie impendit laborem, secreta quædam, & arcana propria supersint. Qui autem vestigiis meis cupit insistere, non lassetur quærendo, sed quod ego feci, faciat, & quod toties desideravi, quodque tam calidis votis expetivi, mecum assequetur.

Principia hæc quæ vobis præscripsi, sufficiunt, ut finem ex iis perscrutemini. Multi defecerunt, imo multi prius morte abrepti fuerunt, quàm tantum de principiis in tyrocinio suo erant assecuti: citiùs nimirum vitâ defuncti, quàm magisterium artis adepti; atque ideo librum rudimentorum in initio edidi, ut artis studiosus affectator, cui tanto tempore in primis experientiis erat opus, tantò citiùs ad desideratum finem, & scopum optatum pertingat, mihique post Deum gratias agat.

In hoc oleo præterea latet effectus admirabilis; *si enim longo tempore circuletur, tandem crystallos arripiet, nimirum cum illa tribus diebus, & totidem noctibus antea calcinatæ fuerint, & ex illis elicit salem, quo facto, hoc oleum iterum per retortam distillatur,* & consequeris Medicinam quæ lapidem in vesica admirabiliter confringit, & expellit, multaque alia insigni quadam virtute efficit.

Ut autem de Plumbo Philosophorum etiam sermonem inferamus, noverint curiosi naturæ indagatores, Antimonio & Plumbo vulgari sibi propinquam intercedere cognationem, arctamque inter se colere amicitiam. Quemadmodum arbor, quæ resinam suam superfluam, quod arboris sulphur est, lateraliter ejicit, ut cerasus, & arbores aliæ, quæ ejusmodi gummi edunt, ut & alia arborum genera, quæ propter abundantiam Mercurii excrescentiam quandam proferunt, & à se ejiciunt, quæ fructui earum nec formâ, nec viribus ulla ratione est similis, sed prorsus alias habet proprietates, ut in quercubus, & pomis apparet, quæ similes fructus nothos, vel monstra proferunt. Sic terra etiam similes habet abortus, qui in separatione à puris metallis secernuntur, & ejiciuntur.

Quamvis jam Antimonio cum Saturno tam arcta sit cognatio: tamen propter nimium, quod in se habet sulphur ab eo ejectus est, ita ut viscosum corpus suum in nativitate non potuerit ad perfectionem perducere, atque ideo inter mineralia necesse fuerit consistere; eò quòd abundantia calidi sulphuris effecerit, ut Mercurius ejus defectu frigoris, quo repellitur, nec ad coagulationem pervenire, nec in malleabile corpus coalescere potuerit. Cæterum dico plumbum in Antimonio non aliud esse, quàm suum regulum, qui nondum lentorem consecutus est, &, prout supra dixi, quando regulus, & chalybs per liquefactionem uniuntur, & in stellam conflantur, multi sunt, qui inde lapidem veterum Philosophorum volunt conficere; cui rei ego antea refragatus sum. Quæ autem Medicinæ ex eo parari possint, jam antea breviter audivistis, quibus ego verbum non amplius addam.

At ratio, quod regulus plumbum dicitur, & habetur, hæc est. *Quod, quando sumitur regulus, quem Antimonium in conficiendo vitro dat per se, & crucibulo benè clauso, qui igni possit resistere, imponitur, eique sal saturni, quod prius cum isto sale tribus horis cæmentatum fuit, apponitur, & permittitur simul liquefieri in furno ventoso, (e) regulus dum eximitur, redditus fit lentus & ponderosior, quàm ante fuerat:* accepit enim ponderositatem à spiritu salis, qui ei quoque lentorem dedit, adeo ut corpus illud jam compactum & grave sit redditum.

Ideoque dico non multùm inter se differre stellam signatam, & plumbum Antimonii: quæ tamen passim ut duæ res diversæ distinguuntur, utrumque enim ex vitro Antimonii conficitur, & ad unam eandemque Medicinam præparatur, uti jam satis est à me dictum. Hîc itaque sermonem hunc abrumpam, ut explicem, quid *Lapis*, qui *ignis* dicitur, sit, postquam eam, quæ subsequitur Appendicem declaravero.

(*a*) Hîc notandum, *In tertia fusione reguli ignem vehementer esse intendendum, ut intenso illo calore auferatur, si quid adhuc impuri apud regulum resideat*, atque ita regulum consequeris pulchritudine & candore argento Largi- comparandum, sed virtute, & pretio longè superiorem.

(*b*) *Hoc sublimatum antequam imponatur Caveæ, ut ibi resolvatur, purgandum est à sale armoniaco aqua distillata.* Parva sunt quæ moneo, sed horum, & istorum talium ignoratione magni committuntur errores, opusque cum sumptibus & impensis omnibus vel perit, vel saltem non reddit operæ suæ pretium.

(*c*) Anguis ejus naturæ est, si laxas, emergit, si stringis, erumpit: idem hic vereor: ideò anguem vocat id, quod miscet cum hoc regulo. Anguem autem lapidis, seu lapideũ, quia sal hîc; ut anguis lapidem libentissime lambit.

(*d*) Qui intelligunt quantæ utilitatis sit essentias ex metallis extrahere, non ignorant virtutes acris hujus olei: menstruum enim hoc est hanc ad rem unicum. Quot sunt, qui ætatem, quanta fuit, operationibus chymicis traduxerunt, & nunquam ad notitiam veri menstrui pervenire potuerunt; tibi jam revelatum est, eo tu, si sanitatem quæris, tutò uteris in corpore, si quid aliud votis audacioribus moliaris, & jam jam speras te compotem fore, hoc omnium est maximum ad thronum regni Chymici conscendendi adjumentum.

(*e*) Non invidiosè, quod faciunt Chymicorum plerique, sed affectuosè cum Chirurgis agam: exoptans illis & mentem, ut velint, & facultatem, ut possint talia miserè afflictis parare præsidia, & sanitatis compendia, quale parari potest ex hoc regulo. Vis prodam tibi mysterium? audi placidè, & utere. *Hic regulus per sal saturni redditus malleabilis, misceatur cum Mercurii per Saturnum condensati ana partibus æqualibus, & igne vehementi simul fundantur, atqui ita benè commisceantur, prodibit materia facie externâ argento similis, sed virtutibus suis internis omni argento nobilior, & pretiosior: funditur, vel malleo diducitur in quascunque formas aut statuas.* Sed tu Chirurge artis tuæ studiose, & gloriæ per artem cupide, illud diducas in laminam tenuem, & extrinsecus vulneribus, fistulisque malignis appone, stupebis, dum naturam videbis hac arte adjutam, plus exiguo tempore perficere, quàm tu per tot unguenta & emplastra tanto tempore potuisti sperare. Non ridebunt te amplius rustici, & exprobrabunt, ut Basilii verbis utar, se plus crudo, rancidoque laridi frusto efficere, quàm te omni artis chirurgicæ tam operoso choragio.

Largire gratiam tuam Deus, & aperi corda graviter audientium, eisq; impartire benedictionem tuam, ut te in omnipotentia tua, & mirabilibus operibus naturæ agnoſcant, tibi ad laudem, honorem, gloriam, proximo ad auxilium, ſolatium, & roboris confirmationem; ægrotis autem ad ſanitatis ſuę reſtitutionem, Amen.

Appendix.

Concluſionis loco ſcias Antimonium ad plures uſus alios adhiberi, quàm ad ſcripturam, quâ Typographi utuntur. Etiam ſub certa quadam conſtellatione & concurſu planetarum mixtura metallorum fit cum antimonio, ex qua ſignaturæ, & characteres funduntur, ſingularibus virtutibus prædita. Ex eadem etiam mixtura ſpecula conficiuntur, multorum & mirabilium aſpectuum & proprietatum.

Præterea nolæ & campanæ ex eo fiunt ſoni admirabilis. Item imagines hominum, & multa alia: (*a*)

Sed cùm rebus hiſce nulla cum Medicina intercedat cognatio; ipſæque ordini, regulæque, & vocationi meæ non ſint propriæ, merito vocationi meæ acquieſco, & res haſce aliis, qui norunt eas melius, tractare commendo.

De Curru Triumphali Antimonii, & quid ſit Lapis ignis.

Cùm me tempore quodam cogitationum abundantia, quas interna & fervens ad Deum ſuggerebat oratio, ab omnibus terrenis negotiis liberaſſet, proponebam ſpiritualibus attendere inſpirationibus, quibus opus eſt ad accuratum naturæ ſcrutinium. Proponebam igitur parare mihi alarum remigium, quo ſydera alta peterem, atque (*b*) aſtra ipſa inſpicerem, id quod ab Icaro, patreque ejus Dædalo quondam factitatum, ſi antiquis Poëtarum ſcriptis habenda ſit fides.

Cùm autem ad ſolem propè nimis accederem, pennæ meæ nimio ejus ardore conſumebantur, adurebanturque, ut ex alto in profundum maris deciderim: ſed in extrema hac mea neceſſitate Deum invocanti, miſſum eſt cælitus auxilium, quod omni me periculo, & exitio præſenti eripuit. Angelus enim mihi properabat in auxilium, qui aquis imperabat, ut quieſcerent, & continuò apparebat in profunda abyſſo altiſſimus mons, quem deinde conſcendi, ut in eo examinarem, an ſit ea, quam homines jactant, inter ſuperiora & inferiora (*c*) amicitia, & familiaritas: & an aſtra ſuperiora eam nacta ſint à Creatore ſuo potentiam, ut quidpiam ſibi ſimile in terra producant.

Dum igitur omnia perſcrutabar, invehi veritate, ut ſic loquar, ipſa verius, quicquid veteres Doctores tot ab hinc ſæculis ſcriptis mandaverunt, & diſcipulis ſuis, qui vero eos imitandi tenentur deſiderio, tradiderunt. Quare Domino, ac Patri meo cœleſti, ut par eſt, habui, egique gratias pro incomprehenſibilibus operibus ſuis.

Equidem invenio, ut paucis rem exponam, omnia, quæ generantur in montium viſceribus, ab aſtris ſuperioribus infundi, & principium ab iis ducere ex nebula aquoſa, fumo, vel vapore humido, quæ diuturnitate longi temporis ab aſtris cibata, & ab elementis in formam tangibilem redacta ſunt. Porro vaporem iſtum exſiccari, ut aquoſitas dominium perdat, & ignis poſt illam auxilio aëris dominium retineat, ex aqua ignem, & ex igne & aëre terram produci, quæ etiamnum in rebus omnibus corpore conſtantibus ante ſeparationem earum ſimul inveniuntur. Hæc eſt ergo (*d*) materia prima omnium rerum, aqua ſcilicet, quæ exſiccatione ignis & aëris in terram formata eſt.

Jam verò cùm certum mihi ſit, lapidem, qui *Ignis* dicitur, atque ex Antimonio conficitur, ſimul cum proceſſu præparationis ejus deſcribere, cùm ille non tantum homines, ſed particulariter etiam metalla ſanet, ante omnia neceſſarium erit hæc capita attingere. Quid propriè ſit Lapis ignis? quæ ejus minera? an lapis ſine materia fieri poſſit, an non? quænam ſit extrema lapidum differentia, & quot ſpecies eorum inveniantur? & de uſu eorum denique.

In hoc meo propoſito illuminet me, quæſo, ſpiritus cœli, ut veram & ſynceram inſtructionem dem, quantum nimirum mihi fas eſt, & res ipſa permittit: ſpero equidem æternam abſolutionem ab illo meo ſummo Confeſſore, qui ab æterno poſſidet thronum miſericordiæ, & omnium rerum teſtimonium dabit, quando ſententia decretoria in judicio noviſſimo de omnibus hominibus ſine appellatione ulla pronuntiabitur.

Ante omnia igitur ſcias & advertas, quod vera tinctura Antimonii, quæ hominum metallorumque ſit Medicina, non fiat ex crudo & liquefacto Antimonio, ſicut apud Mercatores & Apothecarios proſtat; ſed ex

(*a*) Quas in Appendice hac tanquam per tranſennam tangit, & tranſilit vires & virtutes Antimonii, tam multæ ſunt, & variæ, ut ne centeſima quidem earum pars hominibus adhuc ſit cognita: quæ ignoratio redundat haud dubiè in probrum & ignominiam generis noſtri, quod nos homines inter tot animantes ſoli rationis vi, & ratiocinandi facultate præditi, tanto impetu feramur in ſacram illam atque abominabilem lucri cupiditatem, ut vix cuiquam ſit otium mirabilia illa inveſtigandi, quæ author naturæ creaturis ſuis indidit: ſed nolo repetere næniam hanc toties à Valentino decantatam: iſtud tantum recogita: minerale hoc in quo ſpiritus latet tam admirabilis, ut hauriendo exhauriri non poſſit, etiam vires habere, quæ ſtudendo à nemine ſatis cognoſci valeant. Quæ extra Chymiam & Medicinam ego expertus ſum, pauca ſunt; talia tamen eſſe experientia me docuit, ut non putem Antimonium aliis in rebus ſe præbiturum minus admirabile, quàm in Chymia & Medicina ſe exhibuit.

De characteribus, tamen & ſignaturis, quæ concurſu conſtellationum quarundam confici poſſe dicit Author, quid ſentiam, hîc non aperiam: ſufficit me dicere non eſſe cognitam ullam inter omnia metalla & mineralia ſubſtantiam, quæ tantùm contineat cœleſtis ſpiritus, & tantam habeat cum aſtris ſympathiam, quàm Antimonium. Appende hoc omnibus à me de Antimonio dictis, ſed non leviter expende, & propera ad *Lapidem*, qui dicitur *ignis*.

(*b*) Danda hæc omnibus, qui de rebus arcanis tractant, eſt venia, ut ea quæ non ſciolis, aut irriſoribus, ſed dignis tantum, & ſyncero deſiderio ad ea adſpirantibus pandere volunt, ſingulari quodam, & parabolico ſcribendi genere declarent. Quò magis excuſandus Author noſter, quod, ubi pervenit ad myſteriorum, quæ hoc libro explicare propoſuit, maximum, ad parabolarum quaſdam ſe conferat latebras, & pietatis cœlo, quod omnia, etiam ſceleratiſſima ſolet tegere, ita obvelat ſecreta ſua, ut pii & ſynceri artis diſcipuli oculorum ſuorum acie penetrare poſſint nubes has. Tu ergo

Dum fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri

intellectuali quadam laſciviâ cum illo lude, non te illudet.

(*c*) Nemo unquam, qui in Chymiæ penetralia vel per tranſennam immiſit oculum, hanc ſuperiorum in inferiora negavit influentiam; nemo non manu ipſâ quaſi tetigit: ſit ergo Baſilio id quàm ſanctè affirmanti, & toties experto apud eos, qui nondum obortâ luce adhuc palpando chymizant in tenebris, fides.

(*d*) Hæc cantilena eſt vetus, hæc ſumma eſt artis; ex hac naturæ imitatione inventus eſt, ex hac fit, ſi quando fiat minor hic *Lapis ignis*: ex eadem magnus ille Philoſophicus conficitur lapis. Hæc eſt Anaxagoræ aqua, Empedoclis ignis, Ariſtotelis materia prima, ex qua facta ſunt, fiuntque adhuc hodierno die omnia. Quod in hominis nutritione, in arboris accretione, in metallorum generatione clarè patet: non enim ex cibo, pluvia, aut terra ſumitur, ſed aliunde in hæc infuditur, quod carnem, ligna, metalla conſtituit: illud ipſum alimentum eſt, quod omnia nutrit; ſed ut ita variè ſpecificetur, ab eo, in quo habitat corpore, ſegregari, alterique adjungi debet, quod arte præſtatur Chymica.

ex minera extrahitur, prout ex montibus eruitur, & prius in vitrum formatur. Sed quomodo ea extractio fiat, hoc est opus palmarium, in quo ars tota consistit: qui eam rectè assequitur, ei sanitas & divitiæ paratæ sunt. Hoc autem diligenter advertes, mi lector, tincturam Antimonii præparatam, fixam, & solidam, vel lapidem ignis, ut ego eam nomino, essentiam quandam esse puram, penetrativam, spiritualem, & igneam, quæ in materiam coagulatam reducta sit, Salamandro similem, qui in igne non consumitur, sed purificatur & conservatur.

Lapis tamen ignis non tingit universaliter, sicuti (a) lapis Philosophorum, qui ex ipsius auri essentia factus est. Nequaquam, hoc ei virium datum non est, ut tanta perficiat, sed tingit particulariter: nimirum lunam in solem, stannum item & plumbum, martem autem & venerem non attingit, neque ea dant plus, quàm ex illis per separationem effici potest. Præterea non potest una pars hujus tincturæ plus, quàm quinque partes transmutare; quæ persistunt in Saturno, & Antimonio ipso: ubi contra magnus lapis Philosophorum infinita efficere potest: etiam in augmentatione non potest adeo exaltari, nihilominus tamen aurum est purum & solidum.

Minera ex qua hic, sive lapis, sive tinctura conficitur, nihil est aliud, quàm, ut supra attigi, ipsa terra Antimonii: ex ea, inquam, fit; at quomodo fiat, quâ verò virtute, vi, & potestate polleat, mox audies.

Animadvertat autem lector, multa inveniri lapidum genera, quæ tingunt particulariter; omnes autem pulveres fixos, qui tingunt, hîc lapidum nomine indigito, alius tamen alio tingit altiùs, ut imprimis lapis Philosophorum, qui agmen ducit, hunc sequitur tinctura solis & lunæ, &c. in album: deinde tinctura vitrioli aut veneris, similiter tinctura martis, quarum utraque tincturam solis in se habet, dum ad fixationem reductæ sunt: has excipiunt tinctura Jovis & Saturni ad coagulationem Mercurii, ac tandem tinctura ipsius Mercurii. Hæc est differentia, & multitudo lapidum & tincturarum, quæ omnes tamen ex uno semine, & una matre originali generantur, ex qua eadem ipsum verum universale profluxit, extra has verò nullam est reperire aliam tincturam metallicam. Imo res omnes, quocunque demum appellentur nomine, omnes lapides, seu pretiosi sint, seu vulgares me non tangunt, neque quicquam modo de illis aut scribere, aut dicere in animo est; quandoquidem vires nullas, nisi ad Medicinam spectantes in se contineant. Nihilo magis nunc animalium, aut vegetabilium lapidum mentionem faciam, quia ad Medicinam tantum conducunt: ad opera verò metallica inutiles, omnisque virtutis sunt expertes: quorum omnium virtutes & mineralium, & animalium, & vegetabilium omnes in unum collatas lapis Philosophorum complectitur.

Salia verò nulla tingendi vi prædita sunt, sed tantum sunt (b) claves ad præparationem lapidum, cæterum quantum ad se nihil efficere possunt. Attamen quod ad metallica salia pertinet (jam rem dico, si rectè intelligas, quam distinctionem inter salia mineralia ponam) ea parvi facienda non sunt neque à tincturis rejicienda, cùm iis in earum compositione nullatenus carere possimus, in iis enim latet thesaurus ille pretiosissimus, à quo omnis fixatio suam ducit originem.

Petent hîc nonnulli, & quidem jure meritissimo. An lapis istiusmodi absque materia confici possit? Respondeo negando, unaquæque enim res suam habeat materiam oportet; sed non sine distinctione. Animalia enim suam, vegetabilia suam, suamque mineralia requirunt: tantum hoc advertas, & ante omnia observa, nullum corpus extra fermentationem (quam ego in fine operis, quantum attinet ad præparationem magni Lapidis dissuadere non possum, si velim metalla cum lucro convertere) utile esse ad ullum lapidem: quamvis enim in principio forma corporea, atque ens corporale, visibile, & tangibile assumatur, tamen ex illo formali corpore, elici debet spiritualis, & cœlestis quædam entitas, dicam, an apparentia, aliud enim quo id appellem, nomen non occurrit, quæ entitas antea per astra isti corpori infusa, & per elementa perfecta & concocta fuit; hæc autem spiritualis entitas iterum per ignem minorem, & regimen, ac directionem microcosmi iterum ad tangibilem, fixam, solidam & inconsumptibilem materiam reducenda est.

Sed quid ago, aut quid loquor? quasi extra me rationemque (c) omnem positus, in libero campo habenas ori meo laxo: si namque mihi vel ratio constaret, vel judicium, non tantos oris panderem hiatus, manuique, ne scribendo pergeret, imperarem.

Omnes tincturæ metallorum eâ ratione præparari debent, ut præcipuo quodam ferantur erga metalla amore, & propensionem, desideriumque habeant sese cum illis uniendi, eaque in meliorem statum reducendi. Vis emblema, seu exemplum? ecce tibi in hominibus. Si qui duo mutuo amore inflammentur, nec mora invenitur, nec requies, donec uniantur, desiderioque suo faciant satis: post hanc unionem quiescunt, & multiplicantur secundùm Dei beneplacitum, & benedictionis promissionem.

Homo vivit multis & periculosis morbis obnoxius, quorum nonnulli vires naturæ ita debilitant, & consumunt, ut homo nullis remediis possit perfectè ad sanitatem, pristinasque vires revocari. At amor morbus est, quocum nullus aliorum morborum comparari potest, qui non sanatur, nisi productione sibi similis, quod utraque natura desiderat, quod desiderium non sedatur, nisi expletâ voluntate accensæ cupidinis.

Quot hodieque testes reperiuntur hujus, quæ amori inest, violentiæ? nec enim juniores tantum accendit, sed etiam provectæ ætatis homines quosdam ita exagitat, ut præ ardore ejus prorsus insanire videantur. Morbi naturales complexioni hominis plerumque attemperantur, adeoque in alios ferociùs incurrunt, mitiùs in alios: amor verò nullo discrimine pauperis, aut divitis, juvenis, aut senis, omnes corripit, correptos ita excæcat, ut omnia sus deque habeant, & nullum vel videant, vel timeant lapsum. Morborum alio-

(a) Quantum cœlum elevatum est à terra, tantum distat Philosophorum verus lapis ab hoc lapide ignis. Ipse candide fateor, quamvis hunc invenerim, me toto cœlo distare ab illo. Et hoc, quidquid est, sapientiæ Basilii refero acceptum. Tu vide ne à phantasia tua seductus desipias, & te aliosque decipias.

(b) Claves, ut rectè hîc dicitur, sunt salia: aperiunt arcam, in qua latet thesaurus, ipsa thesaurum non constituunt. Videndum autem ut veram sumas clavem, ne claustrum corrumpas, & arcam non aperias. More Apothecariorum in hac re *quid pro quo* sumere tutum non est. Clavis sit philosophica oportet, sumanturque salia propria ad aperiendum accommodata, nec contemnas illam, quæ insinuatur distinctionem inter salia aperientia, quas hîc vocat, uti sunt claves, & salia figentia, quæ ipsum ingrediuntur thesaurum, ut satis patet ex textu.

(c) Satisne sanus es Basili, qui ita prostituas lapidis arcanum, hactenus tam diligenter ab omnibus Philosophis absconditum? certè nisi te agitaret, nescio quæ mentis intemperies, claustrum ori tuo apponeres, nec tam clarè aperies, quid sit purum ab impuro separare, quid fixum volatile reddere, & rursus illud figere: quomodo inferius fiat superius, & idem rursus mergatur in profundam abyssum, unde evolaverat. Tot tam brevibus verbis pandere mysteria, quemadmodum hic facis, si non insania est, certè ingens quædam erga posteros est benevolentia. Hoc profectò est: hac affectione arsisse videtur Valentinus, & non potuisse superare inclinationem illam benefaciendi quàm plurimis, per impositam Philosophis omnibus obligationem celandi arcanum illud naturæ mysterium, quod ab ejus Authore, id est, natura naturante intellectuali revelatione communicatur tantum filiis artis dignis & electis. Excidit secretum secretorum Basilio; tu lector attende, invenisti margaritam, non sis Æsopi gallus gallinaceus.

aliorum symptomatibus singulis singula infestantur membra, reliquis in ipso dolore sanis & rectè valentibus: amor quos inficit, totos pervadit, corpus, totamque corporis substantiam, formam & essentiam omnem penetrat, nec quicquam inoffensum relinquit; in corde enim locum capiens, ibi focum accendit, cujus ardor per venas, arterias, omniaque corporis membra diffunditur: & ut verbo dicam, ubi amor semel radices egit, homo ita ab omni sensu, ratione, intellectûque abducitur, ut omnium obliviscatur, nihil pensi habeat; Dei, legisque Dei immemor, promissiones ejus, juxta ac minas vilipendat, inferni tormenta, vitæ æternæ præmia ludibrio habeat, (loquor de amore inordinato & illicito) cui, qui eo semel occupatus est, ita adhæret mordicus, ut nihil illum abducat, nihil avellat; officium, vocationem, & conditionem suam obliviscitur; omnem admonitionem irridet: parentum, superiorum, aliorumque, qui benè ei volunt, consilia spernit; verbo ut dicam, amore sic excæcatur, ut non videat miseriam suam, sic exsurdescit, ut non audiat eos, qui fidis monitionibus damnum, & exitium ab eo conantur avertere: nihil in homine sanum, vel integrum relinquit amor: impedit somnum, ne nocte magis, quàm die quiescat, eripit appetitum, ut neque cibum, neque potum sumere libeat, propter assiduæ cordis animique tormenta: privat omni providentiâ, hinc res suas, vocationem officiumque negligit, nec laboris, nec studii; orationisque recordatur, omnia abjicit, solum corpus amatum deperit, hoc studium ejus, hæc occupatio vanissima. Si verò vel non succedit amatoribus ex voto, vel non tam citò & prospere, quàm desiderant, quot hinc melancholiæ, dolores, mœrores, quibus ita macerantur, & evanescunt, ut vix hæreant ossibus, imo tandem vitam ipsam amittant, quod quàm multis probari posset exemplis! isti enim tales, quod vel cogitatu horrendum, pro nihilo habent omnia cùm corporis & vitæ, tum animæ & salutis æternæ pericula & detrimenta.

Sed de his satis, hominem enim religiosum non decet iis cogitationibus diutius inhærere, aut isti flammæ locum in corde concedere, & hactenus, absit verbo jactantia, ego me ab ea incolumen toto vitæ meæ curriculo conservavi, & Deum precor, atque invoco, dignetur mihi præstare gratiam, ut sponsâ meâ spirituali, quę sancta est Ecclesia Catholica contentus, ei fidem, quam juravi, sanctam præstem & inviolatam.

Neque hæc alio fine allegavi, quam ut exprimam amorem, quo omnes tincturæ ferri debent erga metalla, si unquam ab iis in veram amicitiam sint admittendæ, & amore, qui ad ima penetret, sint in melius convertendæ.

Jam ad præparationem lapidis gradum faciamus, differamusque usum ejus in finem. Lapis hic naturæ penetrativæ & ignitæ igne ipso coquitur, & ad maturitatem perducitur, non secus ac cetera omnia, quæ in hoc orbe reperiuntur, quæ tamen, ut diversæ naturæ sunt, ita modis diversis id consequuntur, sicut diversos etiam ignes rerum natura suppeditat.

Primus ignis cœlestis est, à Deo accensus in cordibus nostris, quo ferimur inflammato quodam amore, & certâ fiduciâ in Deum verum Creatorem nostrum, in sanctissimam & incomprehensibilem Trinitatem, & in misericordiam gratiamque Servatoris nostri Jesu Christi, quæ fiducia accensa amore nunquam in necessitatibus deseret, sed certò certiùs liberabit animas nostras ab exitio sempiterno.

Alter ignis elementaris à sole productus est, & eò tendit, ut omnia ad maturitatem perducat in macrocosmo.

Tertius ignis est corporalis, quo omnes cibi & Medicinæ coquuntur, & præparantur, sine quo homines nec corporis sanitatem, nec vitæ sustentationem obtinere possunt. De quarto igne mentio fit in sacris paginis, qui scilicet ante supremum Dei judicium hunc mundum visibilem consumpturus est. quis autem ille, & qualis futurus sit ignis, id, siquidem sapimus, supremæ illi Majestati judicandum relinquemus. Quinti autem ignis in iisdem, quibus Dei verbum continetur, paginis mentio facta est, ignis, puta æterni, quo in illo nunquam finiendo, nunquam solvendo carcere infernali diaboli, & socii eorum homines pravi, ignibus istis æternis addicti, vexabuntur, punientur, & miserè cruciabuntur æternùm; à quo igne nos servet, precor, omnipotens & misericors Dominus. Ego autem omnes & singulas ratione præditas creaturas vivâ voce admonitas velim; ut precibus suis quotidianis eam efflagitent ab Omnipotente gratiam, & misericordiam, ut vitam suam ita possint divinis præceptis, officioque suo conformare, ut ignem hunc, & æterna ejus tormenta possint evadere.

At lapis noster ignis, quod notandum est, coqui & maturari debet igne corporali in microcosmo, quemadmodum cæteræ Medicinæ, & cibi eodem præparantur. Ubi enim cessat ignis magnus macrocosmi ab operatione sua, ibi microcosmus novam incipit producere generationem, ideoque nemini mira videbitur hæc concoctio. Frumentum augetur, & maturescit igne elementari macrocosmi, sed igne corporali microcosmi nova demum coctio, & maturatio efficitur, ut homo possit eo divûm munere uti, & frui ad sui sustentationem, quo ultimum & minimum, quod ex primo & maximo productum est, sua possit perficere.

Verum oleum Antimonii, ex quo lapis ignis dictus conficitur, supra modum est dulce, & à terra sua eo modo purgatur, & separatur, ut si vitrum eo plenum soli exponatur, varios, mirosque projiciat radios, tanquam si multa ignita specula in cubiculo adessent, pyropum, aliosque colores referentia. Nunc arrige aures Philomathe, & Philalethe, & audi quod te docebo.

Accipe in nomine Domini mineræ Antimonii, quæ post ortum solem creverit, & salis nitri ana partes æquales, tere subtiliter, & misce, tum igni moderato impone, ure simul encheresi commodâ, in qua præcipuum consistit operis, remanebit materia ad nigrum vergens, ex ea confice vitrum, id vitrum tere subtiliter, & extrahe ex eo altam istam tincturam rubram acri aceto distillato, quod ex propria minera factum est, extrahe acetum distillatione in balneo, remanebit (a) *pulvis, quem iterum extrahes spiritu vini summè rectificato, tum remanent fæces, & habes extractionem pulchram, rubram, dulcem, quæ magno in Medicina est usui, hoc est purum sulphur Antimonii, quàm fieri potest optimè separatum. Si hujus extractionis habeas libras duas, sume salis Antimonii, prout te docui præparare, uncias quatuor, hisque super affunde extractionem, & circula, ut minimum mense integro in vase benè clauso, & sal se uniet cum extracto sulphure; si fæces deposuerit, eas separa, & extrahe rursum spiritum vini per balneum mariæ, pulverem, qui remanet artifici, pelle igne vehementi, transibit non sine admiratione multicolor dulce oleum, gratum, pellucidum & rubicundum. Rectifica hoc oleum iterum in balneo mariæ, ita ut quarta pars inde proveniat, & tum est præparatum.*

Hac absolutâ operatione, sume vivum (b) *Mercurium Anti-*

(a) Cave, cave, Philochymice, ne igne hoc alas avis tuæ, quæ jam in altos sese erigebat montes, aduras. Intelligenti pauca, nihil opus est inculcare eadem toties, satis id facit sollicitus Pater Basilius.

(b) Quod toties ambiguum te reddidit verbum *Mercurius noster*, etiam hîc intelligendum est: nisi enim sumpseris verum Philosophorum Mercurium, nihil ages. Quis hic sit, qui tibi candidè dixerit, hic tibi erit Pylades, tu illi Orestes, & nihil mihi in vita erit jucundius, quàm me vobis tertium adjungere amicitiæ socium.

antimonii, quem te docui, quomodo conficeres, & affunde oleum vitrioli rubicundum, factum super ferro, & summè rectificatum, aufer distillatione in arena phlegma à mercurio tunc assequeris præcipitatum pretiosum eo colore quo nunquam visum est gratius, & in chronicis morbis, apertisque vulneribus ad sanitatem recuperandum utiliter usurpatur: exsiccat enim vehementer symptomaticos humores, unde morbi martiales proveniunt, in quo spiritus olei, qui apud mercurium manet, eique se conjungit, & unit, vehementer juvat.

Sume hujus præcipitati, & olei dulcis superioris antimonii partes æquales, infunde simul in phiala benè clausa, præcipitatum se in oleo cum tempore resolvet in calore idoneo, & se fixabit: phlegma etiam per ignem absumitur, & fit ex eo ruber, siccus, fixus, & fluidus (*a*) *pulvis, qui ne minimum quidem ex se dabit fumi.*

Jam agam, mi apostole, & arcanorum discipule, loquarque more Prophetico. Quando ad hunc finem perduxisti studia tua Philosophica, eâ, quâ tibi præscripsi, ratione, habes medicinam hominum, & metallorum; est grata, & dulcis in usu, extra omne periculum, est penetrativa, nec movet ullas sedes, adfert emendationem, & expellit malum; utere eâ, prout oportet, & adferet tibi commoda multa, tam ad sanitatem, quàm ad temporalem necessitatem, quo fiet, ut sis extra indigentiam in hoc mundo, quæ res tanti est, ut nullum inveniri possit sacrificium gratitudinis, quo pensetur hæc Dei erga te indulgentia. Hîc ego, mi Deus, ut homo religiosus angor animo, nescio enim an benè, an perperam facio, an ultra terminos debitos (*b*) loquendo provehar, an citra subsistam; interim propono, & unicuique quasi domum suam adduco. Tu juvenis artis sectator inquire, & experire, ut ego feci: si scopum attingis, eo summas, & post Deum mihi Præceptori tuo gratias age; at si abis in semitas devias, vel avias, tuâ id culpâ, tibi imputa, me missum face, nec enim tui sum reus erroris.

Jam satis dixi, satisque scripsi, & docui tam clarè, tam apertè, tam luculenter, ut scriptis id fieri possit nec manifestiùs, nec dilucidiùs, nisi perditus quis & temerarius sciens volens se ad inferos velit præcipitare, ut ibi submergatur, & pereat; quia à rerum Creatore severissimè est interdictum hæc ulteriùs recludere, & comedere de arbore, quæ plantata erat in medio Paradiso. Hîc igitur interjungam parumper, donec alij indicaverint, quid hîc mihi faciendum, quid omittendum censeant, supersedeamus ergo de hoc loqui, & transeamus ad usum.

Scias ergo usum consistere in observatione personæ complexionisq; ejus, quantum ad valetudinem humanã pertinet, ut nimiâ quantitate natura non obruatur, nec nimis parvâ non juvetur. Nimietas tamen non adeo religiosè timenda est; non enim nocet facilè, quia juvat ad recuperandam sanitatem pristinam, & repugnat veneno, si quod fortè lateat. Hoc tantum addo, tria, aut quatuor grana, unicâ dosi exhibita, sufficere ad omne malum depellendum, usurpata in spiritu vini; perrepit enim lapis hic, aut tinctura omnia membra corporis, & in se continet multorum arcanorum virtutes; aufert vertiginem capitis, & omnes morbos, qui ex pulmonibus originem sumunt; pellit difficultatem anhelitus, & tussim, lepra mirum in modum eâ emendatur, uti & morbus Gallicus; sæpe eâ curatur pestis, icterus, hydrops, & febrium omnia genera, etiam pellit venenum assumptum; etiam iis prodest, qui philtrum aliquod assumpserunt, confirmat membra omnia, cerebrum, caput, & omnia ab iis dependentia; prodest stomacho, & hepati, sanat morbos omnes, qui ex renibus originem ducunt; purgat immundum sanguinem; etiam hæc tinctura antimonij comminuit lapidem vesicæ in pulverem, eumque expellit: etiam urinam promovet, dum à flatibus sistitur: restituit spiritus vitales, curat suffocationem matricis, menstrua facit, ut fluant, eademque sistit, si nimium abundent, dat fœcunditatem, & semen reddit sanum valensque, tam fœminis, quam viris; hic Lapis ignis denique intrinsecus assumptus, si apponantur extrinsecus emplastra convenientia, sanat cancrum, fistulas, cariem in ossibus, & omnia ulcera corrodentia, & quidquid à sanguinis immunditia originem capit, etiam ipsum morbum *noli me tangere* dictum, & ut brevibus complectar, hic lapis instar tincturæ particularis (*c*) remedium est ad omnia symptomata, quæ humano corpori possint accidere, id quod experientia tibi clarius monstrabit, viamque ulteriorem aperiet, siquidem Medicus sis à Deo ad id officium vocatus.

Atque hæc de antimonio pro me, quantum puto, scripsi satis superque; si quis me sequatur, ille sua hisce adjungat, ut mysteria antè mundi consummationem revelentur Dei singulari indulgentiâ ad gloriam & honorem ejus, & conservationem sanitatis. Hisce jam me ad tempus silentio involvo, & redeo ad Monasterium, ut ibi Philosophiæ ulteriori dem operam, quo de aliis rebus possim commentari: & quemadmodum dudum promisi Deo permittente de *vitriolo*, *sulphure vulgari*, & *magnete* scribam, principiumque eorum, vires, operationes, & virtutes aperiam.

Deus cœli terræque Dominus concedat nobis hîc temporalem sanitatem, & postea salutem æternam ad animæ nostræ refrigerium in sedibus gaudij & lætitiæ, nullis unquam temporis finib. terminandæ, Amen.

Ita concludo Tractatum de Antimonio, & quicquid scripsi de rubro oleo antimonij, quod ex sulphure summè purificato conficitur, & de spiritu, qui ex sale ejus præparatur. Adverte animum ad ea, & confer cum iis hæc postrema, quæ de Lapide ignis tibi præscripsi, si acutè ea consideres, hac comparatione facilè unionem usque in finem reperies: idem enim est fundamentum, eadem ratio, eadem amicitia, quo salus acquiritur, & cervus diu quæsitus jucunda venatione capitur.

ANTIRRHINUM.

Ἀντίῤῥινον ἢ Ἀνάῤῥινον Dioscoridi l. 4. cap. 133. dictum quod fructu sit vituli narium similis. Appellatur & Os leonis Cæsalpino, qui existimat plantam hanc eandem esse quam intelligit Columella per illa verba *Et hianti sæva leonis Ora feri*. Siquidem flores hujus rictum leonini oris æmulantur, quod verum

(*a*) Procul hinc, procul este profani, & vos, Chymicis sacris initiati, animis linguisque favete. Intrat Rex in thalamum suum, ut consummet matrimonium. *O tua te quanti attollet gloria rebus! Connubio tali!* Ne tamen festines nimis intrare, aut turbare conjunctionem hanc maritalem, multis mensibus se oblectabunt simul mutuis amplexibus, nec exibunt, nisi ex mutuo amore in hermaphroditum corpus mutati sint, & produxerint optatum illum omnibus filium, si non Regem Regum, at saltem Regulum, qui morbis & egestate sublevet subditos suos.

(*b*) Nimis sibi multa dixisse videtur Author noster, quod si tu idem sentias in tristitia ejus gaudebis. Mirum autem est neminem, antillum lucis attulisse huic Philosophiæ, quin statim eum pœniteat.

(*c*) Vires medicæ hîc decantantur: supponit enim Basilius te non avaritiæ sordibus inquinatum, sed luce charitatis splendentem, ac proximi juvandi ardentem desiderio, eum arcana pandentem esse secutum. Vale jam Philochymice, & si quid vel ex interpretatione Basilij, vel ex commentariis meis accepisti lucis, eo fruere, & filiis artis communica, ut resuscitetur tot jam sæculis oppressa sub avaritiæ intolerabili jugo Philosophia, & redeant illa Ægyptiorum tempora, quibus non terminis inanibus, sed mirabilibus operibus philosophabantur Trismegistus, & tot sapientes Magi.

verum est de hujus plantæ floribus, non de Aquilegiæ, quam alii à Columela denotatam volunt.

Notæ hujus sunt flos rictum exprimens quo cum Linaria convenit, calcari carens, quo ab eodem differt, vasculum in bina loculamenta divisum, è tribus foraminibus semina fundens, vituli caput & nares referens.

Nomina. Antirrhinum vulgare *I.B.* purpureum *Ger.* purpureum sive roseum *Park.* majus alterum folio longiore *C.B.*

Vires. Hæc planta est nullius usus in Medicina. Mulierculæ eam de fenestris appendunt ut adversus Diabolum, spectra & omne genus veneficiorum domos suas tutentur.

ANTISCORBUTICA.

Antiscorbutica medicamenta dicuntur ea quæ in cura Scorbuti adhibētur, qualia sunt E *Foliis.* Anagall. aquat. Chamædr. Chelidon. Choclear. Fumar. Nasturt. aq. Nasturt. hortens. Numular. Portulac. Vermic. Soldanel. E *Floribus.* Centaur. E *Rad.* Raphan. marin. Polypod. Ex *Animalibus*, Homin. Urin. Anser. Stercus. E *Seminib.* Aquileg. E *Præparatis*, antiscorbutica. Elect. Scorbutic. Diaclysma antiscorbutic. seu Closs. Tinctura è florib. antimonij. Nitrum vitriolatum. Sal chalyb. cachl. Cryst. alum. Tinctura Sulphur. seu Closs. Spir. tartar. Tinct. tart. Spir. vini, Scirrhus rad. Chinæ. Balsam. terebint. Sacchar. Saturni. Bezoar. lap. &c.

ANTITHORA vid. *Aconitum.*

ANTIVENEREA seu *Antaphrodisiaca.*

Videri quidem posset contra naturam, semen extinguere & ardori metam ponere, præsertim in homine, qui ad singula quasi momenta, secus ac bruta animalia pleraque, ad venerem pronus est, attamen multi dantur casus, ubi quod speciei debitum est, sui urget refrænationem.

Præsupponimus verò, semen seri florem subtilissimum, quod per mechanicam patet, & naturam in statu quidem secundum naturam, quando jam corpus debitam acquisivit magnitudinem, præter conservationem individui, quam nutritione continuatâ machinatur providè, residuum, quod aliàs in augmentum corporis cesserat, ad speciei propagationem, adeoque seminis proventum impendere, in statu verò præter naturam varia producere φαινόμενα, quæ seminis consequuntur vel copiam, vel qualitatem vitiatam. Hinc semen imminuentia seu antivenerea & antaphrodisiaca potissimum, si MODUM AGENDI inquiramus, *vel ipsum hunc proventum imminuunt*, non tam subtrahendo alimenti quantitatem, quod equidem multum per suprà dicta, ad imminuendam venerem facit, quàm collectionem seu συναθροισμὸν seminis (liceat ita loqui) remorātia; sive *constringendo*, unde Saturnina interius principem inter hæc ipsa habent locum, inprimis saccharum saturni per evaporationē paratum, quod intensivum quidem dulcorem linguæ simulat, reverâ tamen partibus ✱ti cum metallicis conjunctis concentrat quasi serum, quò minus turgere, vel ad partes genitales, præterquam minus vegetum & vividum, possit pertingere, unde evirat, copiosius scilicet adhibitum idémque constringit. Hinc & tinctura saturnina, vulgò antiphthisica dicta, rectius styptica & ad nostrum scopum antivenerea audit. *Tum dissipādo* & *consistentiam seminiformen destruentia*, difflationem spirituum procurantia, qualia inprimis sunt *camphorata*, de quibus quasi in proverbium abiit:

Camphora per nares castrat odore mares;

& inprimis *amaricantia*, unde absinthiaca, aloëtica ex parte & alia huc spectant. Sic vitex, quem, vulgò sed falsò agnum castum vocant, folia rutæ, absinthij, salicis, semen cannabis, & inde parata emulsio cannabina *Mynf.* lactuca, & alia ob amaritiem hunc censum subeunt, mentha etiam ipsa, unde proverbium, mentham belli tempore ne serito. Memorandæ hîc aquæ & essentiæ castitatis, qualem aquam describit *Mynsichius*, essentiam verò in usu habuit *Dn. D. Michaelis.*

Vel stimulum, ὀργασμὸν & *acrimoniam tollentia*, qualia inprimis sunt tum *aquea*, refrigerātia, ut nymphæa, lactuca, endivia, portulaca, semina quatuor frigida majora & minora, & inde paratæ aquæ, emulsiones & similia. Uti enim renum calor vel sanguinis potius & seri vigor multum facit ad seminis conquassationem in testium pampiniformibus canaliculis & poris, ita quæ calorem diluunt, temperantque minus vigorosum semen fœnerant, & consequenter venerem minuunt. Hinc ebriosi, qui nimio potu obruunt corpus, hinc hydropici & cachectici sterilescunt & ad generandum nepti fiunt.

Tum *terrea*, quæ participant & imminuunt motum sanguinis & consequenter seminis; Sic ex vegetabilibus fragaria, agrimonia, & similia, item terra sigillata, corallia, bolus armena, os sepiæ, quod, ejúsque magisterium, gonorrhϾ curandæ non inconsulto adhibetur, sandala omnia & alia suo modo huc faciunt.

Et hæc ipsa quoque vel hujus generis exterius multum ad calorem temperandum faciunt. Ita enim folia vitis, salicis, agni casti exterius substernere quidam solent, folia nymphææ item & alia, quæ tamen sunt minorum gentium, neque nisi obiter forsan in praxi ea consulere consueverunt medici, ut Venus in lactucâ v. gr. vel simili suum sepeliat Adonin. Præ aliis hîc memorari merentur saturnina, quæ uti intrinsecus veneri sunt adversa, ita & extrinsecus insignem huic rei impendunt opem. Laminæ, inquam, plumbeæ pro mitigando renum calore & pollutionibus nocturnis averruncandis in praxi perquàm sunt usitatæ, non solùm ob frigiditatem nativam quasi, ob quam repellunt, & temperant, verùm etiam aliâ ratione, quia, ut verbis utamur *Langii differt. de calcul. curat.* §. 9. magneticè quasi acrimoniam salinam extrahunt, id quod inde licet deprehendre, dum quælibet pars affecta sub plumbeo hoc tegmine semper madere ac sudare solet, in quo sudore sal causticum, (acre) calorem intendens continuò egreditur, & suâ acrimoniâ saturnum solvere tentans visibiliter adhærescit, quæ ipsa attractio salis copiosa fit beneficio mercurij, quo saturnus abundat. Mercurius autem deperditè quasi salinum contubernium amat, adeóque exhalationem procurat & factâ prius refrigeratione actuali potentialem inducit. Taceo rationem illam mechanicam, quod corpori applicata lamina premat id ipsum, & hoc modo moneat, in somnis præsertim, naturam, ne exorbitet, cum notum sit, pollutionem nocturnam utplurimum fieri supino positu in dorsum decumbentibus.

Tum *acida*, quippe quæ obtundunt sulphur vividum sanguinis, & unà glutinosæ seminis συςάσει impediendæ apta nata sunt; hinc commendatur acetosa licet, ut hoc addam, fabula sit, quam ex *Gilberto Anglico* refert *Finckius in enchir. dogm. Herm. c.* 31. & alij, semen acetosæ à puero venerem nondum experto collectum ad gonorrhœam esse præstantissimum amuletum; acetum, tincturæ refrigerantes, & acida tum tartarea, tum salina omnia. Sic observavimus, hepaticum rubrum, seu crystallos & sandalatos in pollutione nocturnâ minuendâ egregium tulisse auxilium; Sic apud *Joëlem* extat locus, ubi spiritus vitrioli pro seminis excretione promovendâ & annihilatione ejusdem commendatur. Notabilis verò præcipuè est observatio *B. Langii, comment. in Fabr.* qui observavit, viro honorati nominis ex familiari spiritus vitrioli usu, quo infirmitatem stomachi corrigere allaborabat, (sine ullâ sanitatis

sanitatis jactura) pudendum unà cum testibus exhaustum & extenuatum fuisse, ut amittendæ virilitatis adesset periculum, quâ tamen remotâ consuetudine integritatem virilem, generosis subsidiis refectus, ex voto recepit, postea multæ sobolis parens factus.

Patet hoc ipsum etiam per contrarium, uti enim à motu nimio agitatum corpus, vel spiritus aliunde novos acquirens ἐξονειρωγμὸν patitur, quando spumescit quasi serum, & hinc stimulum acquirit novum; ita quæ hanc spumescentiam, evectionem & exaltationem domant, ut in specie acida, idem quasi deprimunt & imminuunt.

Tum *nitrosa & mercurialia*, quatenus fluxile reddunt semen, &, ut ita loquar, quasi in primum ens resolvunt. Notum enim per mechanicam est semen suâ naturâ licet γλισχρὸν sit & crassioris consistentiæ, promptè tamen in aquam resolvi posse. Quæcunque itáque id præstant, eadem semen quódq; imminuunt & veneri sunt adversa. Sic in genere nitrosa serum reddunt fluxile & unà invertunt sulphur, unde legi potest insignis observatio apud *Timæum* cujusdam extremè libidinosi, qui tandem nitri exhibitione largiori cessaverit & sibi & aliis molestus esse, quas effreni suo ardore persequi non destiterat. Mercurialia verò præter id ipsum, sal enim acidulum intimè possident, serum & semen fluxile reddens nervos rerum gerendarum exhauriunt, & musculosis & nervosis partibus quasi debilitandis & sepeliendo membro prompta atq; parata; hinc mercurius dulcis in gonorrhœâ simplici & virulentâ imprimis commendatur.

Vel denique *media*, quæ motum seri aliàs corrigere & fluxiones sistere apta nata sunt, adeóque affluxum moderantur, acrimoniam mitigant, consistentiam balsamicâ suâ vi integram servant, & vascula seminalia roborant, exulcerata, laxata, & virosa abstergunt, & aliorsum divertunt, qualia quidem in universum aliàs debentur catarrhis seu motis seri quibuscunque fluctibus, v. gr. succinata, unde observavimus tal smodi divertentia, v gr. essentiam succini cum bezoardicâ & anodynâ maritatam felicissimè gonorrhœam abegisse, quò pertinent & sudorifera ex lignis, decoctum ligni sancti, sassafras, bezoardicum martiale &c.

Notandum enim semen imminuentium classem latius patere, nec solùm ad castitatem inducendam in cœlibe vitâ facere, sed & vitiis, fluxionibus & ichorescentiæ seminis, seu semini vitioso, quodcunque loco ejus exit, deberi, unde conveniunt, selectu quidẽ adhibito, in gonorrhœâ omni, simplici, pollutione nocturnâ, & virulentâ, in effreni item libidine, & symptomatibus similib. vel inde oriundis, suo modo etiam fœminis ipsis fluore albo & gonorrhœâ laborantibus.

Quoad APPLICANDI MODUM

1. *Variat semen imminuentium virtus ratione temperamentorũ.* Ut enim in genere quodvis agens agit secundũ receptivitatis modum; ita quãdo apud autores contraria occurrunt & leguntur v gr. vitícẽ, rutham, mentham, venerem imminuere eandémque lacessere, semen imminuere & producere, effectus sanè illi diversitati corporum sunt adscribendi, unde rectè *Hoffmannus*, semen agni casti, scribit, frequentius usurpatum semen imminuere, & habere hunc effectum in calidioribus (calida enim dissipant) sed in frigidioribus contrarium; quem κατὰ πόδα sequitur *Sim. Paulli in quadrip.* Sic, eorundem decisio, mentha recens venerem auget, sicca minuit.

2. *Variat eadem horum vis pro seminis statu & absumptione simplici indicatâ, vel adstrictione.* Neque enim omnia omnibus conveniunt; sic in pollutione nocturnâ refrigerantia acida, aquea & leniter styptica conveniunt, in gonorrhœa simplici acida & nitrosa, ut & lixiviosa, quicquid etiam in contrarium tradant practici, magis vitanda, in virulentâ mercurialia in principio, acida verò & nitrosa minus prosunt, nitrosa in libidine auferendâ potentiora, in fluxu verò exulare debent, media fluxioni magis quàm quieti debentur.

3. *Imminuendo semen cavendum, ne in alterum extremum vel contrarium ruamus*; hinc & in genere absinthiaca, saturnina & alia recensita in maritatis & recens nuptis minus locum habent, largiori scilicet quantitate propinata. Et in juvenibus pollutione nocturnâ præsertim affectis, cautè cum his est mercandum. Valet enim hoc loco illud *Horatianum*: naturam expellas furcâ, tamen usque recurret. Pollutio nocturna morbus est ætatis, unde imminui quidẽ semen, & ejusdem ὀργασμὸς & acrimonia refrænari potest, sed non extingui debet; neq; ipsa natura id concedit, unde monasticæ vitæ dediti quicquid tandem usurpent, ut minuatur vel emoriatur vir.l.tas, pollutiones tamen nocturnas & phantasmata venerea, quin gonorrhœam sæpè nihilominus patiuntur, plenaria enim absumptio absque totius noxâ & detrimento institui (exceptâ castratione) per medicamenta vix potest. Novimus senem septuagenarium calidioris temperamenti, qui à primâ juventute pollutiones nocturnas in extremum usque senium passus est, & nihilominus copiosâ prole beatus est. Novimus verò itidem pastorem conjugatum gonorrhœâ mortuum.

4. *Mercurialia fluxum seminis adaugent potius quàm refrænant*; sibi scilicet relicta fluxile reddunt magis semen unde observavimus ab eorum usu, ut & à purgantibus adhibitis, fluxum semper quasi augeri, ut- ut igitur in principio gonorrhœæ virulentę, & simplici etiam specie cũ purgante datus locum habeat v. gr. mercurius dulcis; illud tamen magis fit abstergendi, mundificandi & divertendi gratiâ, quàm adstringendi, unde ut commodè hoc modo datur, quò ulcus vesicularum seminalium, quòd à coitu impuro contractâ acrimoniâ exortum est, mundificetur & ad consolidationem aptetur, ita, si quis his solis velit pergere, & rẽ exhaurire, frustra erit. Tunc enim, præmissis scilicet hujusmodi, roborantia ex agrimoniâ, fragariâ, succinatis & similibus, quę laxos parietes firmant, acrimoniã mitigant, & fluxilitatẽ coërcent, cõmodius subjũgũtur.

5. *Externis oleis & unguentis pro absumendo & imbibendo semine non fidendum*; hæc ipsa enim tonum partium genitalium magis laxant fluxumque promovent, quàm remorantur, unde unguentum rosatum *Mesue*, refrigerans *Galeni*, oleum hyosciami, & quæ alia solẽt commendari, habent quidem aliquando suum locum, lumbis præsertim inuncta, ast præstat internis potius, quàm his insistere, neq; testes iisdem ungendo quicquam profeceris; ut taceam; oleo calorem quoque partibus fœnerari. *Wedelius.*

APARINE.

Nomina Aparine *Ger. J.B.* vulgares *Park. C.B.* Philanthropon *Dioscoridis & Plinij.* Lappago *Plinij J.B.*

Ab infima radicula oriuntur *viticulæ* quadratę, asperæ, geniculatæ, infirmæ proxima quæq; scandentes, adherescentesque, tres aut quatuor cubitos interdum longæ, ramosæ. *Folia* septena, Rubiæ modo, stellæ instar radiata, singulis geniculis circumnascuntur, aspera, in spinulam desinentia. *Flosculi* propè summos ramulos è geniculis exeunt in pediculis oblongis tenuibus, pusilli, albidi, tetrapetaloides, quorum singulis didymæ succedunt lappulæ, bina semina continentes, cortice nigro, (quem tamen sponte ne per maturitatem exuunt) tectæ, cui subest substantia quædam dura & cartilaginea. *Raius ex J.B.*

Vires & Usus. Aparine (inquit Dioscorides) pastores coli vice utuntur, ad eximendos è lacte pilos (nimirũ circumactis per lac foliis, quorum asperitas adeò tenax est, ut facilè quicquid tetigerit apprehẽdat. I.B.) Seminis, caulium ac foliorum succus potus contra vipe-

viperarum phalangiorumque morsus auxiliatur, infusus aurium dolori medetur. Herba cum axungia trita strumas discutit. Sanguinis etiam abundantiam ex vulneribus reprimere folia imposita *Plinius* tradit.

Aquam destillatam bis in die sumptam mensurâ trium ligularum, ajunt alvum cohibere, efficacissimumque esse adversus morbum regium, *Trag.*

Aqua destillata vel herba ipsa concisa minutim, inque vini albi q. s. decocta, & pota, in calculo & arenulis insigne est remedium. *D. Needham.* Pulvis qui ex hac herba & vitulino liene in furno exiccatis fit, arcanum est ad tumores lienis & flatus hypochondriacos.

Angli aquam illius destillatam quotidie ex Officinis poscunt contra, tùm pectoris, tum hypochondriorum molestos dolores.

Aparine in liquore Posseti cocta & hausta mire gonorrhϾ prodest simplici. *J. Raius ex D. Palmer.*

APER

Vid. hujus Animalis Descriptio sub Titulô *Porcus*.

Hîc verò ejus partes Officinales subnectimus, quales sunt.

1. *Adeps.* 2. *Dens.* 3. *Genitalia*, 4. *Fel.* 5. *Stercus.* 6. *Urina.*

Vires. *Adeps* recipitur ad unguentum armarium, commendatur peculiariter ad laterum dolores leniendos, materiamque molliendam: rejectiones sanguinis sistit, in aceto vel vino potum, ad rupta & convulsa, ex aceto bibitur, luxatis cum aceto rosarum medetur. *Dioscorides.*

Dens specificè in pleuritide exhibetur: cynanche, cum oleo lini inunctus vel exhibitus curat. *Dosis* ℨj.

Genitalia ac Testiculi ad Veneris impotentiam ac prolificationem faciunt.

Fel strumas discutit, illitum Venerem stimulat.

Urina & cerebrum apri, in vesica in fumo suspensa, in linimentum coeunt, tineæ utile.

Stercus aridum potum rejectiones sanguinis sistere creditur, id quod etiam præstat extrinsecus admotum.

Urina comminuit specificè vesicæ calculos, eósque expellit.

Lapis porcinus, ex apri vesicula fellea, Piedra de Puerco Lusitanis ictericis commendatur. De eo plura vide sub titulô *Lapis*.

Communiter *Sanguinem etiam porcellorum Sylvestrium* cum cochleis & cancris aliisque herbis specificis destillatum in atrophiâ curandâ commendant.

Præparata.

Dans præparat. leg. comm.

Fieri etiam potest Magisterium ex dente solvendo cum aceto distillatæ & præcipitando cum Spir. Vitrioli vel Oleo Tartari.

Dens apri mucilaginosus valdè est, ideoque congelascit nonnunquam in fundo præcipitatum. Hanc congelationem ut præcaveant, solent igni aliquantulum exponere & urere.

Sunt & qui Aquam ex sanguine cum plantis refrigerantibus & humectantibus destillatam in Atrophiâ magnifaciunt. *Schroder.*

APERIENTIA.

Modus agendi & virtus Aperientium consistit principaliter *in partium tenuitate* seu λεπτομερείᾳ, gaudent aperientia particulis incidentibus, acutis, penetrantibus, & ductus laxantibus, quibus motum humoribus fixis procurant, & vias per quas ipsis transeundum, expediunt.

Secundariò verò aperientia modicâ crassitie gaudere debent, ne tàm facilè virtus eorundem exspiret, vel dissipent potius, quod faciunt rarefacientia, quæ in superficie hærentibus & poris magis sunt dicata, ubi poros laxant, & humores fundunt; sed aditum sibi & permanentiam fœnerantur, materiæ enim magis in profundo hærenti debentur. Hinc amara maximi æstimantur inter aperientia, quia ob partes terrestres simul roborant. Instar regulæ enim valet circa *aperientia, optima esse, quæ unà partes & villos roborant, nec tonum laxum inducunt.*

Et hæc sunt propriè dicta aperientia, seu potiùs *prima classis*, nempe volatilium. Sunt verò & præter hæc aperientia, quæ *absorbent & resolvunt*, non suâ quidem vi, quòd penetrent, tenuibus gaudeant particulis, & penetrantibus; sed, quòd absorbentia sint, & coagulum illud, quod humores quasi figit, & plerúmque acida, pontica, austera est qualitas, absorbeant, unde edulcantur quasi humores, & consequenter in alveis suis non restagnant; sed promptè eunt, ac redeunt, & vel circulantur, vel excernuntur.

Indicans igitur apertionis universale quasi & commune (vasis, poris obstructis, & materiæ obstruenti,) est I, *obstructum*, adeóque hinc conveniunt aperientia magnâ latitudine omnibus obstructionibus in genere, v. g. obstructioni

1 *Viscerum*, ut hepatis, uteri, mensium, renum, lienis, mesenterij. Ubi notandum: *Illa viscera magis esse obstructionibus obnoxia, quæ pluribus gaudent vasis*, ut hepar, & lien præcipuè.

2. *Vasorum*, ut *venarum & arteriarum*, quæ instar canalium sunt, unde sicut aliàs aquæ in canalibus, quos transeunt, materiam limosam, quâ scatent, sensim & sensim deponunt, & ad latera affigunt: ita etiam se res habet in vasis, unde videmus in iis, qui obstructa habent vasa, pulsum auctum, & citius moveri sanguinem, quia spatium ipsi est angustius. Item *nervorum*, ut in *paralysi*, ubi conveniunt aperientia nervina, quæ poros nervorum obstructos expediunt. Item *vasorum salivalium*, lymphaticorum &c.

3. *Meatuum*, ut pori choledochi, intestinorum, ureterum, &c. unde conveniunt in *ictero, colicâ, calculo*, ubi obiter notandum: *omnes nephriticos esse etiam hypochondriacos*, seu abundare materiâ tartareâ seu obstruente, in sanguine.

II. Aperientia indicat *concretum, tartareum*, quando humores salini, Tartarei, terrestres, obstructiones caussantur, ubi propriè audiunt *resolventia*: unde *in calculo, scorbuto, affectu hypochondriaco*, unicè prosunt, sive illa concretio & coagulatio sit *in fieri*, unde in *grumescentiâ sanguinis, palpitatione cordis, lipothymiâ, syncope, polypo cordis, &c.* conveniunt: vel in *in facto*, ut in *abscessibus internis, pleuritide, abscessu hepatis* &c. Item *in casu ab alto, vulneribus*, internè: unde antipleuritica & traumatica pleraque simul sunt resolventia, & in pleuritide eadem conveniunt, quæ in casu ab alto. Sic &, quod suprà iam diximus, resolventia hæc hoc modo conveniunt in *hæmoptysi*, juncta adstringentibus. Sic & in *asthmate*, & *tussi* ipsâ optima sunt resolventia. In *scirrhis hepatis & lienis* conveniunt aperientia & resolventia, tùm intus, tùm exteriùs, sicut eo casu gummi Ammoniacum & alia hanc vicem obeunt. Sic in *calculo* talismodi resolventia, v. gr. inter alia ex spermate ceti, sale volatili succini, lapidibus cancrorum, egregia sunt & eximia.

Concretionem verò talismodi patiuntur & subeunt vel *humores*, sanguis, bilis, serum, urina, lac; quandocunque restagnant, & extra propriam quasi sphæram, ut sic dicam, moventur, seu extra suum elementum versantur: Vel *flatus*, unde flatulentis quoque affectibus resolventia sunt optima, & suo sensu huc pertinent omninò *carminativa*: quid enim aliud hęc præstant, quàm quòd resolvant flatus crassos inprimis, vel tenues concretos, & vias ipsis liberas reddant? Sic &, quando connivent quasi orificia & pori, eadem prosunt.

III. Ape-

III. Aperientia indicat *crassum, viscidum, tenax*, sive id de bile prædicetur, quando iners fit, naturam suam exuit, & acrimoniam salino sulphuream, blandam, balsamicam perdit, sive de pituitosis, frigidis, & hujusmodi succis, unde in *anasarcâ, catarrhis crassis, cachexia, calculo glutinoso, ventriculo pituitâ repleto*, &c. conveniunt, quo casu audiunt speciatim *incidentia & attenuantia*.

Utut vero sæpiùs etiam tenues videantur peccare humores in obstructionibus v.gr. *scorbuto & affectione hypochondriacâ*: attamen illi in recessu sunt crassi, & præter partes salinas volatiles etiam aliæ adsunt, unde nimium quantum variant symptomata. Sic & serum seu lympha, quamdiu in propriâ suâ sphærâ, & sub nativi caloris dominio versatur, tenuitatem præ se fert, quando verò excidit & elabitur vasis vel è corpore, crassescit, quod videmus in *catarrhis*.

Sic conveniunt aperientia talismodi, inprimis volatilia, in *apoplexiâ*, quando principium nervorum obstruitur: in *narium* item *obstructionibus*; *febribus intermittentibus, quotidianis, tertianis, orthopnœâ, &c.* Et hoc casu egregiè etiam se gerunt purgantia ipsa, quippe quæ omnia salino liquante & fundente gaudent stimulo.

IV. Aperientia indicat *acidum, acre, austerum, acerbum, ponticum*. Quando videlicet acido extraneo quasi fixatur sanguis, quando austeris particulis constringuntur succi, ut circuitus sanguinis non legitimè fiat, nec partes volatiles liberè commeent, ac evolvantur. Et hoc casu audiunt ferè absorbentia, saturantia, præcipitantia. Ex quo patet etiam latissimus usus, v.gr. in *affectibus capitis vertiginosis, epilepticis, apoplecticis, paralyticis*, prosunt aperientia & absorbentia cephalica, cinnabarina inprimis, quæ sanguinem reddunt fluxilem, & ob hanc ipsam vim latissimè patent, & in *affectibus articulorum, doloribus* quibusvis, *calculi, articulorum, ischii, uteri* conveniunt: item salia volatilia, tùm sibi relicta, tùm ☍osa magis reddita. Sic in affectibus hepatis & lienis, *ictero flavo & inprimis nigro, scirrho, hydrope, cachexia*, & maximè *affectione hypochondriacâ & scorbuto* omne eadem absolvunt punctum. Si enim quæratur, *quâ ratione agant martialia, & aperiant?* optimè respondetur, *absorbendo*, (ut mittamus h. l. quæ latissimè hanc in rem discurrere possemus & digredi,) non aliter ac ⟿tus ⊖li, ⊕ ⊖lis, ▽ ipsa affusa ♂ti. acidas suas particulas infringunt, saturantur, dulcescunt, & in vitriolum facessunt. Sic par ratio est in corpore, unde & corallia à *Glaubero* laudantur ceu insigne *εὐπόριστον in affectione hypochondriacâ* ad ℈ j. vel ʒß. assumta. Sic in affectibus tùm his, tùm *nephriticis* laudatissima sunt eadem.

Atque hæc ipsa jam aperientia, & in suo genere considerata, duplici agunt ratione: vel *alterando*, ut corrigant ipsam materiam peccantem, & restabiliant ductus, meatus & vasa, vel *evacuando*, quo intuitu etiam ipsa purgantia optima sunt aperientia, quia ipsa etiam gaudent λεπτομερείᾳ seu tenuitate partium. Hinc regula practica est: *in obstructionibus viscerum non solùm esse aperiendum*, seu, *non solis inhærendum aperientibus; sed & evacuandum, ut id, quod apertum est, & liberatum ac expeditum, evacuetur*. Et in morbis chronicis ac diuturnis interpolanda sunt hæc sibi invicem, 1. aperiendum, 2. purgandum, hinc iterum aperientibus continuandum &c.

Evacuantia verò uti nota sunt, ita materiæ ipsi h. l. non opus erit latiùs recensendæ occupari. Hoc saltim huc pertinet, quod eleganter alicubi *Martianus* recenset, & exempla talismodi apud *Gesnerum* exstant, v.gr. *in oxymelite helleborato Gesneri*, quòd *purgantia aperientib. addita eorundem vim intendunt & adaugent*.

Ipsa verò aperientia, quæ ceu indicatum indicantibus jam recensitis satisfaciunt, sunt varij generis, eaque, non excedentia secundum caloris gradum, vel primam tertij gradûs mansionem: 2. gaudeant verò simul substantiâ crassâ, roborante, terrestri, ne calor tam citò difflетur. Hinc principia activa in his prædominantur, inprimis sal fixum & mercurialia, partes aëreæ, terreis immixtæ. Suntque

V. gr. 1. *acria* sive cum aromaticâ energiâ, sive salis volatilis virtute, ut rad. 5. aper. in specie fœniculi & petroselini, pimpinellæ, ari, plantæ antiscorbuticæ, cochlearia, nasturtium, sinapi, costus Arabicus, cortex Winteranus

2. *Aromatica*, & oleosa volatilia, ut mentha, pulegiũ, flores liliorum convallium, melissa, cinnamomum, cubebæ, semẽ dauci, costus, macis: olea carminativa anisi, fœniculi; salia volatila oleosa, ⟿us antiscorbutici.

3. *Amaricantia*, quæ κατ' ἐξοχὴν id præstare jam diximus, v. gr. radix cichorij, gentianæ, squillæ, absinthium, eupatorium, chamædrys, marrubium, centaureum minus, agnus castus, gummi Ammoniacum, aloe, & ex his parata varia: MP de Ammoniaco, Tinctura absinthij infusa, &c.

4. *Acida*, ut cappares conditæ, ⟿⊖ volatilis, ⊖li, ⊕, Tartari, clyssus ♀ij, quæ insigniter penetrant: acetosa, acetosella, succus citri, cremor & cryst. Tartari, acidulæ, &c.

5. *Aquea*; quæ diluunt, temperant, abstergunt, & vehiculum præbent reliquorum, ut serum lactis, ▽æ ♌tæ, &c.

6. *Absorbentia fixa, lixiva & enixa*, ut ⊖lia plantarum, Tinctura Tartari, ♀ij Tartarisata: quæ insigniter abstergunt, & venarum amurcam expurgant: item *terrea*, tùm *alcalina*, ut ceterach, hepatica nobilis, lapides ♋, corallia, Tartarus ⊖latus: tùm ⊖*lata*, ut ⊖lum, ⊖lum ♂tis, crocus ♂tis aperitivus, limatura ♂tis in substantiâ, Tincturæ ♂tis, & quæ ex hisce variis modis sunt mixta: Inprimis eorum selectissima remedia quaternario numero comprehenduntur, & sunt ♂*ialia, Tartarea*, ⊖*lata*, ♀*ata*.

Sic & *diuretica* omnia sunt aperientia, quę precipuè conveniunt, ubi in gibbâ hepatis parte hæret obstructio, & quando sanguini penitiùs nuptum est malum.

Quoad *Applicandi usum & Modum*, aperientia & resolventia præsente indicatione adhiberi queunt & debent, adhibitis tamen quibusdam cautelis.

Conveniunt nempe, & magis ex usu sunt, 1 *præmissis universalibus*, vel saltim iisdem non omissis, aliàs enim sæpe impinguntur potiùs humores, quàm extricantur tunicæ meatuum & vasorum. Hinc tùm purgantia huc pertinentia, quæ superiùs monuimus commodè debere interponi, tùm alia universalia præsidia, v.gr. ipsa quoque V.S. quæ in magnâ obstructione sępe utilissima est, si unà vitium sanguinis in quantitate & qualitate adfuerit. Sic in *obstructione mensium, palpitatione cordis*, quin ipsis etiam interdum *obstructionibus hypochondriorum* non sola aperientia rem expediunt, non purgantia sola; sed V.S. sæpè requiritur, quæ inprimis in *mensium suppressione* necessariò simul in usum trahenda.

2. *Non insistendum unicè est & continuò solis aperientibus, præsertim volatilibus*. Verum quidem est, illa ad penitissimas ferri partes, extergere & rarefacere humores, & heroica esse medicamenta: sic etiam incidentia & attenuantia strenuè se gerunt; verùm, si quis continuo usui inhæserit, nec interponat roborantia, tonum viscerum labefactabit, & corpus ad malum habitum præcipitabit. Hinc sæpe videmus, hypochondriacos frustrà indies talibus uti medicamentis, si negligant simul topica. Et longè magis illi errant, qui spiritibus volatilibus, v. gr. ⊖lis ✱ci, continuò usurpatis superare contendunt obstructiones.

3. *Admiscenda quoq; partem affectam respicientia*, uti cephalica capiti, hepatica hepati, &c. ut partiũ harum nativus

nativus calor conservetur. Sic ut ab obstructione renum *calculus* generatur, ita eidem conveniunt aperientia; sed simul coagulum resolventia.

4. *Dulcia minus inter aperientia conveniunt*, unde sirupis digestivis & aperientibus solis frustrà utebantur, & ordinem etiam aperientium horum observabant, quem describit *Heurnius meth. ad praxin l. 3. cap. 7. p. 285.* Exhibuerunt 1. sirupum acetosum simplicem, 2. de duabus radicibus sine aceto, 3. de duabus radicibus cum aceto, 4. sirupum de quinque radicibus aperientibus, 5. sirupum byzantinum sine aceto. 6. Sirupum byzantinum cum aceto. Ex quo ceu porisma elucet materia siruporum aperientium, singuli enim hi locum quidem habent, & gradibus differunt, uti etiam

5. *Gradus aperientium commodè observantur*; ast soli rem non absolvunt, sed stant post principia. Notabimus tamen circa usum aperientium dulcium duo peculiaria, quorum *primum* est, quòd *dulcia eximiè conveniant inter aperientia, ubi abstersione opus est*, ceu mel, saccharum, in affectibus pectoris inprimis, uti & stomachi, eo casu benè se gerunt, & aliàs quoque terebinthinata egregiè abstergunt: *alterum, dulcia inter aperientia præcipuè locum habent & numerari possunt, ubi fermentatione sanguinis opus est*, unde observant autores, quod in specie *Hildeshemius spicileg. 1. de affect. cap.* notat, sirupos in obstructionibus mensium insigniter prodesse, non aliâ scilicet, quàm dictâ hâc causâ: videndum tamen, ne quid nimis.

6. *Danda sunt aperientia vacuo ventriculo, non cum cibis, nec post eosdem statim*, quia tùm in genere alimenta cum medicamentis non sunt confundenda, tùm in specie aperientia, quandoquidem in vasa lactea chymum nondum concoctum, excrementum cum alimento præcipitant, adeoque obstructiones adaugent.

7. *Aperientia valdè siccantia in hecticâ minus conveniunt, si putrida conjuncta sit febri*, augent enim magis rarefactionem sanguinis, & calorem.

8. *Minus etiam in renum debilitate prosunt, eosque nimio usu lædunt*, reduntdatque in eos separatum & fusum à sanguine serosum.

9. *Præ reliquis vitandum est, ne siccent nimis, unde humectantia seu liquida magis diluunt, & temperant*, & in hepatis, uteri, lienis affectibus maximè sunt observanda. Observavi sæpiùs, contumaces hypochondriacos, cùm fortioribus & siccioribus aperientibus frustrà & diu fuissent vexati, optime habuisse ab humectantibus talismodi, unde & Galenica medicamenta cum chimicis hîc commodè miscentur, & in *infuso* commodè dantur, in *decoctis* etiam, ob eandem rationem. Hinc & *acidulæ* insignes possident in obstructionibus auferendis vires, quod & salia resoluta secum gerant, & copioso liquore diluant. *Pilulæ* vero magis conveniunt, ubi humoribus excremẽtitiis viscera abundant, ut MP. *Tartarearũ Quercetani, Bontij, Schrôderi*: &, ut summatim hæc repetamus: *aquea & liquida magis diluunt & temperant: terrea magis absorbent: salina magis per urinam pellunt: acida magis incidunt: acria magis attenuant & resolvunt: dulcia magis abstergunt: amara simul magis roborant.* Wedelius.

APES.

Apis (sic dicta, vel quòd se pedibus invicem alligent Apes: vel quòd sine pedibus nasci primò videantur.) Pro priori ratione facere videtur illud *Virgilij 4. Georg.*

Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendant.

Pro *Posteriori* militat illud ejusdem,

Trunca pedum primo, mox & stridentia pennis
Miscentur.

Μέλισσα & μέλιττα, à μέλι, melle, cujus opifex est, vel παρὰ τὸ μέλειν, vel ἀπὸ τὸ μελέτης, à meditatione, exercitio, & diligentiâ; quasi Animalculum esset, non ex mero naturæ instinctu; ast prudentiâ Politicum.

Partes Officinales sunt.

1. *Apes.* 2. *Mel.* 3. *Cera.* 4. *Propolis.*

Apes siccæ & contritæ inunctis Alopeciis capillum restituunt. Apes siccę pulveratæ & ad ʒ j. frequentiùs ac sępius in vehiculo aptô epotæ hydropicis conferunt.

Mel, eligendum est flavum, pellucidum, odore ac sapore jucundum, consistentiâ neque crassum, ac concretum, neque dilutum nimis, omni ex parte unitum seu continuum; flavo succedit album, quod itidem, modò reliqua bonitatis signa ne desuerint, non contemnendum. Vitetur autem in mellis electione favus aranearum texturis refertus. Omnibus porrò præferendum mel Virgineum dictum, id est, quod novellæ *Apes* conficiunt colore ex flavo albicans.

Vires. Mel calidum, ac siccum statuitur gr. 2. Albicans tamen minùs calidum censetur, nutrit, abstergit, aperit, pulmonibus convenit, urinam ciet, tussi medetur, putredini resistit.

Extrinsecùs oculorum caliginem discutit, aliisquè eorum affectibus succurrit.

Cautiò.

Mel, quia facilè bilescit, Epati calidioribusque corporibus non adeò proficuum est.

Mel crudum alvum inflat, tussim lacessit, fastidium creat.

Mel Galeno succus est roris cœlestis, ab Apibus collectus. Paracelso resinosum quid terræ, invegetabile genus virtute plantarum, ac influentiarum cœlestium transplantatum & hinc ab apibus collectum atque ulterius digestum.

Hinc variat quoque 1. pro varietate plantarum, qua ratione optimum censetur apum in rosetis, vel lilietis, &c. degentium. 2. diversum quoque Mel existit pro diversitate influentiarum. Sic Mel præstantissimum habetur, quod anno sereno ac salubri verè ac Æstate confectum. Quercetano dicitur Ros vel Manna cœlestis, atque inde acta sua Philosophica præparat.

Præparata.

Mel depuratum. ℞. Mellis q. v. affunde aq. portionem æqualem vel duplam, triplamve, si valdè impurum fuerit, vel si alienæ rei expers sit, sine additione, coque & despuma cochleari pertuso.

Quod si hac ratione non satis depuratum foret, clarificari poterit cum albuminibus ovorum, singulis ad singulas libras adhibitis.

Conrad. Kunrath dictam mellis depurationem improbat, quippe quâ potiores ac meliores spiritus, quibus maximè imprægnatum est, in auram evanescant. Itaque hanc substituit.

℞. Mel virgineum nondum igni commissum, unà cum favis, inde Manicæ Hippocratieæ, suspendeque in loco tepido Solis vel in hypocausto vaporibus, aqueis, (ut Balneatorum balnea calefieri solent,) calfacto ut perfluat Mel.

[Habent potionis genus, quo delectantur Poloni, Lithuani, Livoni, complures etiam Germani, Hydromel vocatum ex Mellis parte una, Aquæ part. VIII. Prostat etiam in Officinis compositum aromaticum, Item laxativum.)

Mel destillatum; *unde.*
Aqua Mellis, Spiritus atque *Oleum.*

℞. Mellis

℞. Mellis ℔j. adde Sal. com. vel silicum mundor. contusor. arenævè ℥iij. ʒvj. (alij etiam addunt segmenta Ligni Juniperi,) destilla per Retortam gradatim, & exit aqua alba, dein flava cum Oleo, ut & Spiritus, quæ aliquoties rectificentur

Alij eliciunt primò aquam in cucurbita ex MB. Remanenti in cucurbita melli addunt arenam, vel silices calcinatos contusos, destillantque per retortam aquam flavam cum oleo. Hæc digerunt dies aliquot (5. 6.) dein distillant, tandem oleum supernatans ab aqua separant.

Alij.

℞. Mell. cum cera & favo, ponunt in fimum ad putrefactionem per mensem, fimumque sæpius (dieb. ternis) mutant. Hinc destillant. 1. Exit aqua alba (faciei abstersioni dicata) 2. aqua flava, *Osvvald*

Adduntur Arenæ, vel silices vel vitrum, ut fervescentiæ, ad quam Mel maximè proclive est, præcaveatur, id quod alij meditantur sacculos parvos Arenâ refertos imponendo.

Sunt qui aquam primò elicitam super novum Mel fundunt & rectificant.

Vires. Utraque aqua alba scil. & flava suffusiones & albugines oculorum sanat, capillis producendis confert. Inservit Tincturæ Corallorum extrahendæ.

Intrinsecùs reserat obstructiones, pellit urinam, atterit calculum.

Oleum quòd instar aquæ vitæ ardet, *vires* habet admirandas, præsertim si per dies aliquot circuletur cum Spir vini. Etenim separato iterum illo Spir. vini, remanet oleum dulce & gratissimi saporis, vulneribus Sclopetariis, & phagedænicis ulceribus plurimum conducens. Singulare quoque est ad podagricos dolores sedandos. Discutit maculas faciei cum oleo Camphoræ.

Oleum Mellis compositum.

℞. Mell. ℔ij. Vitrioli calcinati, ℔j. Spir. vini rectif. ℔ß. Tart. ℔j. destilla per retortam, primò extilla phlegma, dein spirit. &c.

Vires. Lenit dolores podagricos, si locus affectus eo inungatur.

Acetum Mellis.

℞. Mell. opt. p. i. Aq. flv. p. viii. coque ad medietatem, postea suspende in eodem semen Erucæ in petia, atque repone in loco calido vel Sole, donec deferbuerint. Fit paulatim acetum acerrimum, quod destilletur.

Vires. Præter alios *Usus* solvit & silices, reliquosque lapides, etiam sine ulla præcedenti calcinatione. *Hartman.*

Tinctura Mellis.

Tincturam mellis *Beguinus* extrahit ex melle crudo cum arenis impastato, eamque exhibet Phthisicis pro nutrimento. *nihil valet.*

Qu. Essentia Mellis.

1. ℞. Mel cum fivis q. v. (℔xv) elice aquam per MB. quâ projectâ relinquatur adhuc remanens materia in MB. ferventi, dies quinque.

2. Dein 1. affunde aquam atque extrahe s. art. tincturam, eamque decantatam purifica optimè per digestionem ad subsidentiam. Tandem destilla Tincturam per MB. ad siccitatem, (destillatum dicitur elementum aëris, essentia illa remanens ignis.)

3. Ex fæcibus incineratis, projecto priùs Oleo, per descensum, retortamve, si ita visum fuerit, extrahe sal cum aq. comm. more solito, idque purifica optimè, (dicitur Elementum terræ.)

Sal mellis in caranculis penis utile.

4. Conjunge jam omnia atque destilla ex cineribus per alembicum, toties cohobando, donec omnia volatilia sint, ac alembicum transcenderint.

Sic habes Qu. E. Mellis.

Vires. Instar panaceæ esse poterit. Dosis gr. III. IV. V. &c.

CERA.

Cera, Κηρὸς, Harabic. Hahama. Medium quodammodò tenet calefacientium, refrigerantium, humectantium & desiccantium, ita tamen ut ad caliditatem inclinet, partium quadantenus est crassarum, & emplasticarum, ideóque digerit, maturat &c.

Cera citrina semper præferenda est *albæ*, quia hæc non solùm per diuturnam insolationem flavedine suâ, sed etiam subtilissimis, fragrantioribus & virtuosioribus suis partibus privata est, dum Sol omnibus vegetabilibus à sua radice evulsis, ipsiusque radiis diu expositis multum detrahit, eademque viribus effœta reddit. Aliàs cera Citrina, mediante digestione cum spir. vini facilè ad albedinem defertur, ceræ flavedine evanescente, nec in spir. vini ullà apparente. *Hoffman.*

Præparata.

Oleum ceræ, vid. sub Titulô OLEUM.

Oleum ceræ boni odoris & coloris.

Fit, si rectificetur super recentes ceræ particulas igne cinerum. Ex eo fit.

Balsamus vulnerarius. Per macerationem menstrualem florum hyperic. & radic. consolid. major.

Magisterium ceræ.

Fit ex eâ solutâ in Spir. vini, filtratâque, ut remaneat in charta instar butyri, quod edulcoratum atque ad ℥j. propinatum valet eximiè ad Dysenteriam.

Propolis, πρόπολις, σμήνιον, *Dioscoridi*, Cera virginea, rudis est, & cerosa, crassaque materia seu Gluten in alveorum foribus repertum.

Eligenda flava, odorata, Styracem vel Galbanum referens, in vehementi ariditate mellis, & mastichis in modum ductilis.

Vires. Calfac. 2. aut princip. 3. leviter abstergit, attrahit, aculeos, & omnia infixa corpori extrahit, dura concoquit, dolores demulcet, ulcera desperata cicatrice obducit. In veteri tussi suffitu juvat. *Schrôderus.*

APHACA.

Aphaca quibusdam dicta videtur ab ἀ privativô & φακῆ Lente, quòd Lentem minimè referret, vel potiùs ab ἀ i. e. ὁμῶ & φακῆ lente, quòd Lenti simillima sit.

Foliis integris, triangulis, & ex adverso binis à Piso & Lathyro distinguitur. *J. Raius.*

Nomina Aphaca *Park. Ger. emac.* Vicia quæ Pitine Anguillaræ, latâ siliquâ, flore luteo *J. B.* Vicia lutea foliis Convolvuli minoris *C. B.*

Vires. Galenus lib. de medic. simpl. de Aphaca sic loquitur. Aphaca sicut Lens facultatem adstringentem possidet, uti Lens estur, sed est concoctu difficilior, magis desiccat, calore potitur moderato, *Semen* (secundum *Dioscoridem*) tostum sive coctum diarrhœam sistit. *Dodoneus* Aphacæ vim adstringentem experimento probat. *Meuve.*

APHRONITRUM, vid. sub Titulô *Sal.*

APHYLLANTES, vid. *Jacea nigra.*

Apiaria, vid. *Jasminum.*

Apiastrum, vid. *Melissa.*

Apices, vid. *Antheræ.*

APIUM.

Apium, Græcis Σήλινον, ab apibus nomen habere putatur, quia Apes eius flore delectantur. Petroselinum vulgare Apium Veterum censetur. Apium Officinarum eorundem Eleoselinum est. Petroselinum vulgare ab Apio palustri foliis minoribus, floribus luteo pallidis differt.

Apium Officinale.

Nomina. Apium palustre seu Officinarum *C. B.* Vulgare ingratius *J. B* palustre seu Eleoselinum Veteribus *ejusdem.* Apium Officinarum seu Paludapium *Park.* Eleoselinum Paludapium *Ger.*

In paludosis rivulis & fossis majoribus, præsertim maritimis non rarò invenitur. Unde in hortos translatum diligenti cultura mitius minusque ingratum evadit; unde in Italia & Gallia folia ejus teneriora, unà cum supernâ radicis parte abscissa cum oleo & pipere esitant, & in deliciis habent. Itali hoc genus herbæ *Sceleri*, sivè *Celeri* vocant. Galli usum ejus Italis debent, à quibus & nomen acceperunt. Parkinsonus pro nova specie proponit *Selini*, sive *Apii dulcis* titulo: cujus tamen sententiæ non accedo, quoniam apium dulce, seu *Celeri* in hortis nostris latum & cultum post aliquot annos in vulgare Paludapium degenerat, ob aëris scil. frigiditatem. Quod idem fœniculo dulci apud nos lato post tres vel quatuor annos plerumque accidit; adeo ut, si illud habere velimus, novum semen ex Italia petendum sit.

Vires. Apij radix inter quinque radices aperientes recensetur: Semen annumeratur seminibus calidis minoribus. Radix urinam & menses movet, calculum pellit, regium morbum solvit. Semen efficacius est quàm radix, & ad eadem ad quę sativi Apii semen commendatur, minùs tamen tutus ejus usus est, nam comitiali morbo obnoxii ab hoc offenduntur, ut evidentibus experimentis comprobatum legitur & observatur.

I Raius. ex I. B.

Apium Hortense, vid. *Petroselinum.*

Apium Risus, vid. *Ranunculus.*

APOCROUSTICA.

Referemus huc propter affinitatem & *repellentia, reprimentia* ac *repercutientia.*

Dicuntur ἀποκρουστικὰ, sive repellentia, quòd in oppositum vertant & pellant, ut ex loco, quem occupat materia, vi recedat; quæ vel exitum importunè affectat, vel retineri potiùs debebat, vel sensum corrumpit, vel tumorem parit; aliisque modis parti cuidam est inimica, in quo quidem vel *universale vitium* est, ut, si sanguis alicubi impetuosè erumpit; vel *particulare*, affectæ partis ipsius, si pori nimis hiant, si unitas soluta, &c.

Indicans itaque repellentium triplici comprehendimus nomine. Respiciunt enim.

Vel *fluxum*, sive effluxus fiat, sive affluxus impetuosus seri & sanguinis, & ῥευματισμός. Hinc conveniunt repellentia in omnibus *fluxionibus sanguinis*, ubi actu effluit idem, in vulneribus, hæmorrhagiis narium; id enim fit toto genere p. n. Sic conveniunt in *Opthalmia*, & aliarum quarundam *inflammationum* initio, ubi nihil contra indicat. Præcipuè verò id locum habet in materia adhuc fluxili, mobili, volatili, & ad partem ruente, nondum impactâ, nec extravasatâ. Debentur scil. magis materię influxuræ vel influenti, quàm influxæ: est tamen ubi & id tutò fieri potest. Sic apprimè conveniunt repellentia in *cancro*, non omissis universalibus *ex Saturno solano*, &c.

Vel *sensum*, dolorificum nempe, molestum, & tristem, illum enim obtundunt, ut non percipiat accensas dolorum faces. Ita conveniunt repellentia in *pruritu*; uti novimus pruritum immanem testium aquâ frigidâ edomatum & curatum. Sic in *podagra*, licet non æque tuto: in *doloribus dentium* interdum locum habent: si enim affluxus per jam dicta h. m. inhibetur, necesse quoque est cessare dolorem.

Pertinent huc etiam *comprimentia*, quæ ipsa quoque suo modo repellunt, & sensum auferunt, influxu spirituum inhibito.

Vel *poros*, si v. g. nimis hiant, & dimittunt per diflationem humorem inutilem: hinc conveniunt in *sudoribus colliquativis*, & *cruentis*, *phthisi*, *hecticâ*, dorso applicata, quo ipso quoque affluxus inhibetur, si pori densentur magis, ne admittant humorem.

Sunt igitur repellentia 1. *actu frigida*, ut aqua frigida, marmor frigidum; ferrum frigidum: uti notum est vulgatissimo experimento, cultri frigidi compressione *contusiones* statim ita curari, ne affluxus major fiat. Coagulant enim hæc quasi sanguinem, & partem ipsam ad resistendum aptam reddunt, sistunt fluxum, sensum obtundunt, poros firmant & obstruunt.

2. *Acida*, *austera*, *acerba* & *adstringentia terrea* aliáque suprà dicta.

Sic in *panaritio*, *hæmorrhagiis*, acetum: Sic in *hæmorrhagiis*, Vitriolata, aluminosa, in vulneribus styptica, &c. prosunt.

3. *Viscosa* & *oleosa*, quæ poros potissimùm respiciunt, ut oleum olivarum, nymphææ, sperma ranarum, albumen ovi, psyllium & mucilagines, &c.

Pertinent huc & illa, *impropriè* licet videantur ita dicta, *repellentia*, quæ id præstant effectivè & ἐνεργητικῶς, ut & poros obstruant, & fluentem materiam vitiosam illam cum massa sanguinea reduniant, & adeò retrocedere faciant, v. g. mercurialia in *scabie*, in unguentis illita, quæ & obviscant poros, &, uti diximus, non admittunt apponi partibus. *Wedelius.*

APOCYNUM.

A vi & effectu nomen accepit hæc planta (inquit Columna) quæ quia canes interimit, à canibus nomen habet, ἀπὸ τοῦ κυνὸς ἀπόκυνον dicta.

Notæ ejus sunt Folia in caulibus bina opposita; succus lacteus; siliquæ lanigeræ & in plerisque speciebus geminæ.

Nomina Apocynum sive Periploca scandens, folio longo, flore purpurante *J. B.* Apoc. folio oblongo *C. B.* Apoc. 2, angustifolium *Clus.* Periploca repens angusti folia *Ger.* Apoc. angustif. sive repens *Park.*

Vires & Usus. Apocyno nullam vim homini salutarem inesse tradit *Dioscorides.* *Galenus* non tantùm canes celerrimè interimere scribit, sed & hominibus venenum esse, & extra solùm corpus impositum discutiendi vim habere.

Folia Apocyni Syriaci contusa (ut ait Alpinus) tum in aqua cocta, emplastri modo apponuntur in frigidis tumoribus & doloribus. Ex lanugine parant cubilia Ægyptii in suum usum. Utuntur etiam ea ad excipiendum ignem ex silice excussum. Succus lacteus quo scatet, calidissimus est & exurentis facultatis, quem plures in quibusdam vasis excipiunt ad depilanda

landa coria; nam si aliquanto tempore in eo macerentur pilis nudantur. Lac quoque siccatum præstantiùs corpora solvit, atque dysentericos fluxus etiam lethales facit. Est etiam præstantissimum remedium ad impetiginem curandam, & ad plures cutis maculas & infectiones tollendas, si eo partes illinantur.

Apollinaris, vid. *Hyosciamus.*

Apophlegmatisma, vid. *Masticatoria.*

APOSTEMA APERIENTIA.

Stercus columbinum, Ranunculus, Cantharides & Lac ficûs sunt remedia quæ utplurimùm adhibentur ad *abscessus* aperiundos. Tumores tamen qui perducti sunt ad maturitatem, ferro, aut aliquando, quamvis rariùs & ob particulares rationes, igne tutius quàm suprà dictis mediis aperientur.

APOZEMA.

Apozema sic dictum à verbo græco ἀποζέω quod idem significat ac decoquo, fervefacio. Duplex est, alterans scilicet & purgans. Alterans, est decoctum alterans, quod humores & partes vario modo immutat.

Fit ex simplicium decocto, primò radices præscribuntur, ligna, cortices, mox herbæ, tum fructus & semina, mox flores. Coctio fit in aqua fontis vel fluvialis: non præscribitur quantitas aquæ: sed arbitrio Pharmacopæi relinquitur. Communiter præscribitur pro 3. aut 4. dosibus. Dissolvitur in qualibet dosi saccharum, vel syrupus intentioni idoneus ad ℥j.

Tempus sumendi est manè & vesperè. Singula dosis excedere non debet ℥vi. sunt tamen qui ad ℥viii. exoptent, & alij bis, alii semel in die patiuntur. Pueri vix ultrà ℥iv. aut v. admittunt: adulti verò plures nisi sint nauseabundi.

Usus est, primò ad alterandos, & purgationi præparandos humores, nec non ad obstructiones reserandas,

Quando bilis calidior, siccior, tenuior, & acrior est in febribus acutis molestum parit orgasmum, ideóque refrigerantibus, humectantibus, incrassantibus & demulcentibus acrimoniam est temperanda, quod fit sequenti decocto.

℞. Radic. cichor. acet. buglos. ana ℥j. fol. cich. lact. portul. oxalid. buglos. ana m. j. 4. semin. frig. maj. ana ʒj. passular. purgat ℥j. hord. integr. & flor. violar. nymph. ana p. j. Fiat decoctio ad ℔iß. pro 3. dosibus, adde cuique syr. violati, vel granator, vel de nymph ℥j. salis prunellæ ʒß. Capiat bis in die.

Vel

In forma julepi sanguinem, bilémque refrigerantis & incrassantis.

℞. Aquar. lact. papav. rhœad. portul. an. q. s. syrupi granator. ℥. j. salis prunel. ʒß. Fiat julep.

Bilis quandoque exhaustis tenuibus partibus, crassior evadit, & partibus impacta multorum morborum parens est. Quod ferè accidit in omnibus febribus, quæ ab ipsius putredine oriuntur; in quo casu refrigeranda, humectanda & attenuanda. Hoc præstat sequens decoctum.

℞. Radic. gramin. aspar. brusci ana ℥j. folior. cichor. cum toto, endiv. scariolæ, capill. ven. pimpin. agrim. ana M. j. 4. semin. frig. maj. ana. ʒ. j. hord. integri, flor. cichor. & trium cordialium an. p. j. Fiat decoctio pro 3. dosibus. Adde cuique syrupi capill. vener. vel de cichor. simpl. ℥j. spiritus vitrioli, vel sulph. gutt. vi. Capiat vesperè & manè horâ, &c.

Pituita excrementitia peccat frigiditate, humiditate, crassitie, lentore, & viscidirate; quæ vitia corrigi debent alterantibus, quæ calefaciunt, exsiccant, attenuant, incidunt, & detergunt; pro quo intento sequens decoctum utile est in affectibus frigidis à pituita, ut in asthmate, paralysi, apoplexiâ, epilepsia, & similibus; tum & in febribus pituitosis.

℞. Radic. apij, petrosel. fœnic. ana ʒvi. radic. enulæ campanæ, & salsæ-paril. ana ℥ß. folior. agrim. beton. capill. ven. hyssopi, chamæpyt. an. M. j. semin. fœnic. petros. an. ʒij. stœchad & calend. an. p. 1. Fiat decoctio in aqua fontis pro 3. dosibus non claris, sed sæpiùs colatis. Adde cuique syrupi de 5. radic. ℥j.

Rarò hæc pituita colligitur in corporibus præsertim istius regionis, quæ ferè omnia calore potiùs quam frigiditate à mediocritate recedunt. At si aliquando ob alimenta ad aliam producendam apta, vel propter aëris hyberni inclementiam redundet, videndum est num calor viscerum & sanguinis prohibeat usum remediorum, quæ intensiùs calefaciunt, exsiccant, & attenuant, in quo casu mixtis secundum diversas indicationes alterantibus utendum.

Aliquando humor pituitosus, crassus, viscidus, mucosus & sibi multum cohærens, pituitam frigidam mentitur, cùm tamen effectus sit caloris sensim humidum resolvendo incrassantis, & multos sales adustos terrenamque fæculentiam contineat, à quibus coagulatur. Huic calefacientia & exsiccantia non competunt, sed potiùs leviter detergentia, attenuantia, & demulcentia; qualia atræ bili, & melancholiæ adustæ conveniunt.

Pituita quandoque tenuis est & salsa, caloris aliquantò particeps, qualis est quæ movet catarrhum ferinum cum tussi, tunc utendum non calidis, sed temperatis, admixtis quoque frigidis incrassantibus, ut.

℞. Radic. cichor. unc. jß. folior. endiv. buglos. capil. vener. pimpin. & lactucæ an. M. j. semin. melon. cucurb. lact. alth. an. ʒj. passul. purg. jujub. an. ℥j. hordei integri & flor. cordialium ana p. j. Fiat decoctio pro 3. dosibus. Adde cuique syrupi capill. vener. ℥j. salis prunellæ ʒß.

Humor melancholicus frigidus est, siccus, crassus, tartareus, & fæculentus, præparatur iis quæ vim habent calefaciendi, multum humectandi, attenuandi, & incidendi.

Sequens decoctum prodest in febribus longis, quartanis, vertigine, melancholia, obstructionibus à crassis & terrestribus humoribus. Et quia difficilè attenuatur & humectatur humor melancholicus, & valdè alterantibus resistit, ideò frequenter iterari debet.

℞. Rad. apij, fœnic. enul. camp. ana ℥j. corticum radic. capparis, mediani fraxini, & tamarisci an. unc. ß. fol. bugl. utriusque, fumariæ, lupuli, agrim. melissæ, capillarium omnium, ana M j. seminum apij, cuscutæ ana ʒj. florum genistæ, tamaris. & trium cordial. an. p. j. Fiat decoct. pro 4. dosibus non claris. Adde cuique syrupi de pomis, vel capillor. ven. vel de 5. radic. ℥j.

Ex chymicis dissolvitur utiliter in qualibet dosi,
Tartarum vitriolatum ad ʒß. vel
Spiritus aut sal tartari ad ℈ß.

Ex bile adusta fit atrabilis, quæ calida sicca & crassa est, ideóque refrigerantia, multùm humectantia, simul & attenuantia expostulat.

Huic igitur, & bili cuicumque adustione incrassatæ, convenit sequens formula.

℞. Radic. cichor. brusci, fragariæ ana unc. j. corticis mediani fraxini ʒvi. folior. cich. agrim. buglos. utriusque cum radicibus fumar. ceterach, polytrichi ana M. j. summitatum lupuli, asparagi, ana M. ß. 4. semi-

seminum frigid. maj. an. ʒj. pomi redol. frusta aliquot, flor. cordial. & calendulæ an. p. j. Fiat decoct. pro 4. dosibus. Adde cuique syrupi de pomis simplicis, vel capil. vener. vel violati ℥j. Capiat manè & vesperè.

Ad majorem & faciliorem præparationem addi potest.

Tartarum vitriolatum ad ℈j. vel

Spiritus tartari, vel nitri ad gutt. vi. Vel

Sal prunel. ad ʒß.

Si plures diversæ naturæ succi concurrant, & viscera, venásque angustiores obstruant, utendum est aperientibus, quæ nitrosa vi pollent & subamara sunt; ideóque attenuant, incidunt, penetrant, & abstergunt, ubi causa calida prævalet, prædominari debent refrigerantia.

Decoctum aperiens in affectibus chronicis hepatis, lienis, mesenterij, uteri cum obstructionibus, suppressis menstruis, pallidis coloribus.

♃. Radic. brusci, aspar. apij ana ℥j. cort. mediani fraxini & tamarisci ana ℥ß. folior. cichor. cum toto, agrim. ceterach. capill. ven. ceref. an. M. j. folior. chamædryos & hyss. an. p. j. semin. melon. cucurb. petros. an. ʒj. flor. cordial. & tamaris. an. p. j. Fiat decoct. ad lib. jß. pro 3. dosibus sæpiùs colatis. Adde cuique syrupi de 2. aut 5. radic. vel capillorum ven. unc. j. Capiat manè horâ ante admotionem fomenti, si hoc utatur ægrotans.

Ex chymicis addi potest cuique dosi Sal tamarisci vel fraxini ad ℈j. Spirit. nitri aut tartari ad ℈ß.

Continuari debet usus prædictorum apozematum quandiu permittet ægri patientia & morbus exiget. Quia verò fastidiunt plerunque ægrotantes decoctorum usum, ideo per 4. aut 5. dies post & antè purgationem assumuntur, & deinde forma remedii aperientis mutatur in jusculum, bolum, vel opiatam, & si necessarium sit ob affectus contumaciam, rursus renovandus est usus apozematum.

Apozema purgans est, quod humores non solùm præparat, sed & vacuat, mixtis purgantibus remedijs cum alterantibus.

Pro quadruplici humoris purgandi differentia, quadruplex esse dicitur, cholagogum quod bilem; phlegmagogum quod pituitam; melanagogum quod melancholiam; hydragogum quod serosos humores expurgat, additur mixtum quod omnes simul, vel plures humores educit.

Componitur ex iisdem, quibus constat apozema alterans; adduntur purgantia simplicia cum correctivis, ut polypodium, senna, agaricum, turbith, radix mechoacam, hellebori, & alia hujusmodi.

Rhabarbarum non ponitur in decocto, sed infunditur, quia dum coquitur, vis purgans cum parte volatili dissipatur, crassior & terrestior adstringens exprimitur in decocto. Non debet præscribi radix jalap; quippe oleosa, & resinosa non solvuntur ab aqueis, nisi debiliter.

Ea debet esse proportio purgantium, ut si vehementia sint, in duplo majori copiâ ponantur in decocto, quàm in infuso: si mediocria in triplo; si leviora in quadruplo. Sic si fit ℥jß. polypodij & sennæ, erit turbith, hermodactylorum, agarici ℥ß. Rhei infusi ʒiij. vel unc. ß. additur syrupus aliquis purgans in dissolutione, & quandoque in alternis dosibus pulvis, aut resina jalap. vel aliud extractum purgans intentioni idoneum. Præscribitur vulgò pro tribus dosibus.

Nota quòd dosis purgantium debeat esse major, in decocto, quàm in infuso, primò Quia vis ignis major vim purgantium in spiritu volatili sitam dissipat. Secundò quia liquor alterantium per coctionem partibus expressis imprægnatus, minùs aptus est ad purgantium vim suscipiendam ob crassitiem & viscciditatem, ideóque ex arte est, ne dum bulliunt purgantia, ignis sit violentus.

Antequàm exhibeatur apozema purgans, oportet ut præcedat venæ sectio, quibus, & quoties competit; tum & purgatio minorans, quandoque etiam alterantia per decocta, juscula, fomenta, quandò fervor humorum purgationi repugnat, exhibenda sunt.

De Apozemate cholagogo.

Utile est in affectibus ab infarctu bilis cum obstructionibus, in febribus tertianis nothis, & reliquiis auferendis, post intermittentem, aut continuam, &c.

♃. Rad. brusci, asparag. ana ℥j. fol. cichor. cum toto, agrimon. pimpin. capill. ven. an. M. j. polypodij. querc. contus. & sennæ mund. an. ℥jß. tamarind. ʒj. cryst all. tartari ʒiij. semin. coriand. & fœnic. an. ʒß. florum cordial. an. p. j. Fiat decoct. ad ℔jß. pro 3. dosibus, dissolve in qualibet syr. ros. solut. compos. ℥j. Capiat singulo manè tribus horis ante jusculum.

Loco prædicti syrup. dissolvi potest.

Aqua 9. infusion. rosar. pallid. ad ℥j.

Syrupus de cichor. cum rhabarbaro ad ℥j.

Si primæ doses non sufficienter purgent, dissolvi etiam potest, in ultima, cum syrupo prædicto, mannæ ad ℥j.

Si fervor humoris & tempestatis non repugnet, potest dissolvi diaprunum solutivum, vel electuarium de citro ad ʒiij. vel ℥ß. vel pul. rad. jalap. ad ℈ß.

De Apozemate phlegmagogo.

Prodest in affectibus frigidis & humidis cerebri, nervorum, apoplexiâ, paralysi, tremore, febribus pituitosis, infarctu à pituitâ in quolibet morbo,

♃. 5. Radic. aperient. an. ʒ. vi. radic. enulæ camp. & valerianæ an. ℥ß. folior. cich. agrim. chamæd. & beton. an. M. j. polypodij quercin. contusi & fol. sennæ an. ℥jß. agarici recenter trochiscati & hermodactylor. an. ℥ß. turbith. gummosi & radicum mechoac. an. ʒiij. semin. fœnic. & coriand. præpar. an. ʒj. flor. genistæ p. j. Fiat decoct. pro 3. dos. non claris, sed sæpiùs colatis. Adde cuique syrupi rosat. solutivi compositi ℥j.

In ultima dosi superadde, si non satis purgaverint præcedentes, elect. diacarth. vel diaphœn. ʒiij. vel ℥ß.

Vide ne prædicti affectus sint à causa calida, colluvie serosa, ichorosa, fervore sanguinis, bile crassâ & num in hypochondriacis & scorbuticis, tùnc enim mitiora hydragoga, & melanagoga magis competunt.

De Apozemate melanagogo.

Usurpari potest in omnibus morbis à melancholia productis, modò fervor humorum, aut empyreuma caloris non lateat, in quo casu priùs agendum alterantibus internis, & externis, & levibus purgantibus per ptisanas, infusum cassiæ, &c.

♃. Radic. apij, fœniculi, petrosel. an. ℥j. radic. enulæ camp. mediani fraxin. an. ℥ß. folior. cich. fumar. ceter. melissæ, agrim. an. M. j. summit. asparati, lupul. an. m. ß. polypod. quercini contusi & sennæ mundat. ana ℥jß. radic. helleb. nigri præparati ʒiij. agarici recenter trochiscati & radicis mechoac. an. ʒiij. tartari chalybeati ʒj. semin. fœniculi, petrosel. an. ʒj. epithymi, flor. calendul. & violar. an. p. j. Fiat decoct. pro 3. dosibus. Adde cuique syr. de pomis sapor. ℥j. in ultima dosi, si casus exigat, superadde confect. hamech ʒiij. vel ℥ß.

De

De Apozemate hydragogo.

Convenit in omni serosa colluvie, in imo ventre & venis contentâ, in hydrope, cachexiâ, &c.

℞. Radic. apii, brusci, fœnic. an. ℥j radic. eryngij & ireos nostratis an. ʒvj. fol. agrim. polytrichi, brassicæ marinæ an. M. j. polypod. quercini, & sennæ mund. an. ℥jß. turbith. & rad. mechoac. an. ʒiij. semin. fœnic. & ebuli an. ʒjß. florum tamarisci, genistæ an. p. j. Fiat decoctio pro 3. dosibus. Adde cuique aquæ 9. infusion. rosar. pallid. ℥j.

Vel

℞. Succi ireos nostratis depurati & saccharo leviter cocti ℥j. Vel

Syrupi rosati solutivi, aut florum persicorum ℥j.

In prima & ultima dosi addi potest.

Resina jalap. ad gr. vi. vel viij.

Pulvis rad. jalap. ad gr. x. vel xij.

Pulvis diacarth. ad ʒß. vel ʒj.

De Apozemate mixto.

Competit in chronicis viscerum obstructionibus cum infarctu, ab omnibus humoribus simul confusis: tum & in præparatione ad curandam luem veneream, quando imus venter scatet copiosis humoribus excrementitiis.

℞. Radic. brusci, apij an. ℥j, cortic. rad. capparis, medij fraxini, & tamarisci an. ʒß. fol. cichor. cum toto, omnium capillarium an M. j. hellebori nigri ex aceto præparati ʒij. polypod. querc. contusi, & sennæ mund. ana ℥iß. agarici recenter trochisc. hermodact. rad. mechoac. an. ʒiij. semin. fœnic. apij, petros. an. ʒiß. epith. & flor. cordial. an. p. j. Fiat decoctio. Adde rhabarb. cum santalo in aqua cich. infusi & expressi ʒiij. Fiat apozema pro 3. dosib. non claris, sed sæpè colatis. Adde cuique syr. rosar. solut. vel aquæ 9. infus. rosar. pallidar. ℥j. Capiat singulo manè tribus horis ante jusculum. *Tencke.*

APHRODISIACA.

Ut generatio actio naturalissima est & speciei productioni invigilat ac debetur, ita quoque sub considerationem medicam commodè vocantur medicamenta illa quæ semen augent, seu ἀφροδισιακὰ, & vi relationis ac contrarietatis, quæ id ipsum imminuunt.

Sunt verò hæc ipsa, vel *roborantia*, seu semen *substantialiter augentia*, analeptica, spirituosa, & calorem nativum juvantia; seu alimentosa communia quasi cum robore totius, qualia sunt omnia εὔχυμα, εὔπεπτα, & πολύτροφα, facilè in succum convertibilia, &, præter vinum ipsum, inprimis lacteo & oleoso succo turgida, dulcia, oleosa, v. g. amygdala dulcia, nuces pineæ, pistacia, dactyli, ova sorbilia, lac aliáque victûs genera; seu condimenti loco his addita medicamentosa, aromata.

Sic galli caponumque testes ad semen augendum omninò probatissimi censentur à *Valeriola*; sic cerebrum passeris, sic caput cynaræ & ostreæ huc pertinent, utrumque scopum respicientes. Sic quidam viperis saginant gallinas, & carnem hinc ad impotentiam commendant. Ex medicamentis quoque huc referri possunt quædam, quæ γλισχρὸν & spumeum seminis characterem respiciunt, ut radix satyrii & bulbi alii, semen bombacis, quod commendat *Hoffman.* ambra & ex reliquis multa quæ jam recensebimus.

Hinc id ipsum quoque in proverbium abiit, quod sine Cerere & Baccho frigeat Venus, manifesto indicio, vi contrariorum, dato suo penso corpori, sufficere id ipsum & roborari ad Venerem. Hinc etiam à lautis epulis & cœnâ dubiâ in juvenibus & spiritibus copiosis pollentibus sequente nocte utplurimum sequitur pollutio nocturna, indicante naturâ hoc ipso, quod à superfluo etiam magnam partem ad semen parandum sibi sumat.

Et hæc locum habent in senibus magis, vel quibus debiles & pauciores sunt spiritus, ut reconvalescentibus à morbo, & quibus semen deest. Ut enim concurrunt ad coitum fœcundum tum semen spirituosum, consistens, copiosum, & inde turgens quasi, tum partium genitalium vigor; ita priori requisito satisfaciunt potissimum jam dicta.

Vel *stimulantia, interius quidem*, quæ caliditate & acri oleoso inprimis sale semen turgidius, spirituosius & acrius reddunt, ut pruritum inde, ὀδαξισμὸν seu titillationem, seu rectius ὀργασμὸν, *turgescentiam* facilius sentiat, & exitum hoc ipso affectet; partes verò musculosas & erectioni inservientes roborant. Talia sunt tum *aromata omnia*, & his confinia *balsamica, sulphurea & aromatica*, v. gr. cardamomum, cinamomum, crocus, caryophylli, zingiber, semen erucæ, fraxini, quod linguam avis vulgò vocant, seseleos, nux Indica condita, zingiber conditum, eryngium; in specie verò piper omne, uti inter alios *Solenander s. 4. cons. 7.* piperis ʒß. cum lactis ℥iij. & Sacchari ℥ß. exhibet, & similia exempla pulverum talismodi legi possunt apud *Platerum in obs.* Sic & antheræ herbarum huc spectant aphrodisiacæ, *vid. Rolfinc. O. & M. p.* 821. Imò ipsa huc referenda meritò sunt opiata, seu sola, seu cum moschatis & ambratis v. gr. in pilularem formam mixta. Quicquid enim in contrarium adduci soleat vulgò, de quo in *Opiologiâ* quoque diximus; certum tamen est per experientiam, opium probatissimum esse aphrodisiacum, & plus forte præstare, quàm ullum aliud, eò magis laudandum, quod & roboret & stimulet, & spirituum dissolutionem impediat.

Tum *oleosa & spirituosa*; quæcumque enim calorem nativum seu partes sanguinis volatiles, & sulphureas intendunt, eadem quoque venerem stimulant, vel saltim contribuunt aliquid, unde spiritus formicarum seu aqua magnanimitatis simplex & composita hunc censum subit, quæ non aliâ ratione nomen hoc acquisivit, quàm quod faciat magnanimos, seu herculem in thalamo, item spiritus satyrionis, ejusque & jam dictorum essentiæ & liquores, passim descripti.

Sic & aqua vitæ satyriata, aqua vitæ Matthioli, oleum cinamomi, ambrata, moschata, & ex zibetho parata, confectio alkermes completa &c. huc faciunt.

Tum *Salina & acria alia* non aromatica; uti enim Venus ex mari salso genita fingitur, ita salina insigniter quoque stimulant. Sic sal commune in cibis huc spectat, & salita alia alimentosa plura. Sic lac halecum communiter dictum inter aphrodisiaca stimulantia non immeritò refertur. Sic boracem quàm maximè commendat *Mercurialis lib.* 1. *cons.* 48. ita quæ sale acerrimo gaudent, in partes genitales liquabili, fortissimè stimulant, unde fortissimè inter stimulantia hæc sunt cantharides. Sic ipsa etiam purgantia evadunt aphrodisiaca, ob stimulum hunc ipsum, quàm in rem legi possunt observationes elegantes apud *Plater. l. 1. obs.* ubi refert, quendam à cathartico ita fuisse stimulatum ad venerem, ut se continere nequiverit, quin mulierem sibi ministrantem comprimeret; alium sumpto purgante cum medico expostulasse, quod ipsi aphrodisiacum propinasset. Ab acrimonia enim medicamenti ob viciniam vesiculæ seminales facilè irritari possunt, imò in duriorum fecum excretione quoque nonnullis semen excernitur, de quo legi meretur *Rolfi. de part. gen. p. 1. c. 24. p. 58.*

Vel

Vel *media*, pertinent enim huc, quæ itidem non inutiliter commendari consueverunt, quæ acrimoniam minus explicitam habent & partim ad alimentarem classem, partim medicamentosam referri queunt, v. gr. boletus cervinus, (quem tamen pigriórem esse observavimus, unde sunt qui ex hoc censu penitus eum eliminant,) priapus cervinus, unde usu probatum scribit *Solenander*, ante congressum ʒj. pulveris veretri cervini excisi dum in amore est & exsiccati, cum ovo sorbili exhibitum superbibito parum vini generosi, plurimum profuisse; item stinci marini carnes. Inprimis hic memoranda chocolada Inda, quæ & semen auget, & stimulum addit, unde & in jusculis cum vino, saccharo, & vitello ovi, quàm utilissimè adsumitur, & eo fine plurimis à nobis fuit commendata, & in pulvere ad ʒij. vel ℥ß. vel amplius potest comedi, vel cum vino assumi.

Exterius verò itidem roborantia calefacientia & stimulantia id præstant, v. gr. ex oleo nucis moschatæ expresso & destillato, macis, caryophyllorum, oleo formicarum *Myns.* additis cautè cantharidibus, zibetho, quod membro virili inungunt quidam &c. Sic inprimis commendata sunt fella animalium quorundam, v. gr. hirci, itidem membro virili inunctum. Sic refert *Solenander l. c. cons.* 19. illitu fellis hircini se feliciter usum, & *B. Dn. D. Schenckius* exemplum nobis memoravit, quod hoc remedium venatori per jocum quasi commendaverit, ipse verò seriò id captans finem obtinuit, gratitudinem suam postea testatus medico.

Quoad *applicandi* horum *usum & modum.*

1. *Aphrodisiaca in viris, in fœminis verò minus locũ habent.* Uti enim in illis ad coëundi potentiam maximè faciunt, ita frustrà fuerit libidinem in fœminis ciere. Juxta *Hippocratem* enim nostrum in *epist. p.* 911. semper opus habet mulier moderatore. Habet enim in se à naturâ lasciviam, quæ nisi quotidiè resecetur, velut arbores in materiæ multæ effusionem exuberat. Et rara sunt illarum exempla, quæ non tam citra voluptatem omnem concipiunt, quàm nullo appetitu ad τὰ ἀνόητα seu κλινοπάλην feruntur. In sterilitate verò muliebri curandâ eadem ex parte conveniunt, non scilicet tam quæ stimulant, quàm calorem roborant, de quo alibi.

2. *Quæ flatus excitant, venerem non cient.* Communiter id de aphrodisiacis prædicari solet, flatum esse necessarium ad venerem, de quo castigans Cardanum legi potest *Scaliger exerc.* 175. Ut ut enim in pueris videatur à flatu erectio seu distensio potius penis observari & hi ipsi concurrere per accidens possint, uti ex pene flatus prodeuntes observavimus; inter aphrodisiaca tamen id referri non potest nec debet; imò lusus est in voce *flatus*, quæ spiritus excitant, venerem cient, adeoque semen turgidum reddunt, non item quæ flatus.

3. *Non tam piperatis & acribus stimulantibus in senibus exstimulanda venus, quàm vitalem virtutem corque ipsum reficientibus.* Thesis hæc est *Simon. Pauli Quadrip. Botan. p.* 145. frustrà enim exstimulaveris deficiens semen, quin, quod alterum quasi est πόρισμα, in senibus stimulantia ἀφροδισιακὰ sæpè alvum laxant, ob eundem vesicularum seminalium cum intestinis consensum, ut hinc ridiculo effectu infelices amatores senes, assumptis talismodi confortativis gratiam sibi juvencularum conjugum conciliaturi, fœdâ illuvie alvinâ non raro & sponsam & lectum conspurcent.

4. *Confortantia & leniter stimulantia aphrodisiacis commodè miscentur.* Ita nempe, ut & corpori lautius prospiciatur, & medicamentis vitale robur confortantibus, non omisso leni stimulo, id præstetur, unde huc pertinent electuaria diasatyr. condita, liquores, mixturæ variæ. Inprimis verò probata deprehendimus duo remedia; mitius unum & analepticum, fortius alterum; illud est chocolada, hoc rotulæ stimulantes *Mynsichti.* Imò observavimus, sola confortantia, sine stimulantibus, & sola stimulantia sine confortantibus vix felicem effectum dedisse. Lenia verò diximus stimulantia, qui enim improvidè utuntur cantharidibus, stranguriâ & ardore urinæ indicibili, quod ipsi observavimus, & mictu cruento non raro afficiuntur, quorum remedium & antidotus est lac & emulsiones refrigerantes. Vid. *Lang. lib.* 1. *epist.* 47.

5. *Locus & tempus applicandorum aphrodisiacorum attendendum est.* Quoad *locum* quidem, externa inunguntur habito selectu perinæo, lumbis, membro ipsi, & pollici pedis ob consensum, cavendo tamen ne membro ultra zibethum vel fel hirci alia acriora illinantur. Quoad *tempus* verò alimentosa & confortantia magis interdiu mane, vesperi & inter edendum quoque stimulantia interna & externa magis circa noctem & ante congressum conveniunt, horâ unâ circiter vel dimidiâ ut, ubi ad prælia ventum est, & classicum canatur & celeusma.

6. *Aphrodisiaca etiam impotentiam à fascino tollunt.* Possunt quidem eo casu misceri & propinari seorsim, quæ aliàs contra incantationes solent commendari, præcipuè essentia hyperici cum essentiâ satyrionis ante diluculum sumpta, de quo *vid. A. Sala*, item alia, uti multos restituit mictio super scopas recentes, item per annulum sponsalem, rasura cornu capri assumpta, decoctum aquilegiæ, juxta *Hartmannum*, ad eluenda genitalia. Sic etiam observavimus sublatam urinæ missionem per asseris ex reliquo trunco extrusum nodum; item exemplum novimus, remedium *Charrichteri herb. p.* 252. probatum esse, quæ omnia sano sensu possunt in usum trahi; ast ipsimet restituimus aliquot fascinatos & ligatos hoc modo (ita enim solent vocari) solis aphrodisiacis, nominatim rotulis stimulantibus *Myns.* & chocoladâ jam laudatis. *Wedelius.*

Hactenus de Aphrodisiacis in genere sequuntur jam Aphrodisiaca seu Venerea aliquot specifica ex Cnoëffelio.

Species Confortantes.

℞. *Specierum diasatyrionis simpl. diatrion, piper. ana.* ʒij. *diamoschi dulcis, diambræ ana* ʒj. *lithontriptic.* ʒij. *boleti cervini, priapi cervi, carnis stinci marini ana* ʒj. *sem. urticæ, erucæ, linguæ avis ana* ʒij. *cardamomi, cubebarum, macis, cassiæ ligneæ cinnamomisatæ, caryophyllatæ ana* ʒj. *olei macis* ℈ß. *cinnamomi gtt. v. M. F. Pulvis subtilissimus.*

In confortanda & stimulanda venere est pulvis hic præstans. Dos. ℈j. ad ℈ij. plus, minusve, prout Medico videbitur, in aquæ cinnam. cordial. s. q. horâ unâ ante somnum.

Trochisci Viperini confortantes pro S. R. M. Uladislao IV.

℞. *Ambræ gryseæ, cum semine alceæ odoriferæ in pulverem subtilem radactæ* ʒij. *moschi Orientalis veri, optimi* ℈j. *magister. perlar. butyracei* ℈viij. *pulveris viperini nostri simpl. succoladæ Indicæ subtiliter pulver. ana* ℥j. *sacchari Canarini pulverisati* ℥ij. Ex omnibus exactè mixtis, additis *confectionis alkermes & gelatinæ priapi cervini ana q. s.* F. Pasta mollis ex qua formentur trochisci minores ℈ß. ponderantes, qui chartæ inclusi lentè exsiccandi sunt.

Dos.

Dos. N. 4. usque ad 6. & 8. horâ unâ, vel alterâ post cænam, superbibendo bonum haustum vini generosi, seu aquæ cinnamomi cordialis.

Pasta pro placentulis in extincta virilitate.

℞. *Amygdalar. dulc. excorticat. pinear. mundatar. pistacior. non rancidor. decorticator. ãã. ℥iv. pulpæ capi assati, perdicis assatæ ãã. ℥iß. dactylorum, uvarum Damascenarum enucleatar. ãã. ℥j. cerebell. passerum in æquinoctio verno captorum & aquâ cinnamom. ablutor. N. 30. renum cuniculorum juvenum N. 4. rad. eryngij conditæ, Satyrij conditæ ãã. ℥j. cinnam. acuti ℥ij. cassiæ caryophyllatæ, pulver. viperini ãã. ʒvi. carnis stinci marini ʒv. ambræ gryseæ ʒij. moschi elect. ℈ij. Sacch. albiss.* ℔. 1.

Omnia optimè mixta, redigantur in massam tenacem, ex qua postea formentur panes dulciarii, qui sensim exsiccandi, & auri foliis obducendi sunt.

Ad virilem fortitudinem instaurandam, maximè si impotentia à maleficio, aut incantatione, aut pharmaco aliquo originem duxit. Dos. à ʒij. ad ℥ß. ante ingressum lecti.

Electuarium Diasatyrionis D. D. Cn.

℞. *Electuar. Diasatyrion. simpl. ℥iß. pinearum recent. non rancid., pistacior. excorticat. ãã. ℥ß. radic. eryng. cond. ʒvj. sem. fraxini, erucæ ãã. ℈j. extracti glycyrrh. borracis ãã gr. 15. olei cinnam. gtt. iij. caryophyllor. gtt. ij. elæosacchari citri ex recentibus corticibus sine igne parati ℈ij.*

Ex omnibus priùs contusis & concisis more consueto, cùm syr. Zingiber. cond. f. Electuarium mediæ consistentiæ. Dos. à ʒj. ad ʒij. & ʒiij. sub ingressum lecti. Superbibatur haustus vini Moschatellini, seu Alicantini.

Essentia Regia composita.

℞. *Confect. alkerm ℥ß. ambræ ʒij. ess. perlar. trium piper. per elixyr. Matth. factæ ãã. ʒj. ℈j. Zibethi ℈j. Moschi ℈ß. olei cinnam. gtt. 8. caryophyllorum gtt. 4. macis ℈j. spir. formicar. compos. per spiritum ardentem facti, elixyr. Matthioli ãã. ℥iv.*

Misceantur probe in vitro angusti orificii, quod optimè claudatur; stent per octiduum in digestione, in loco tamen non nimis calido, postea filtrentur, & ad usum in vitro bene munito serventur.

Cordiale, cephalicum, & venereum est insigne. Dos. gtt. VII. ad XV. & ultra in vino generoso Hispanico, seu Moschatellino, vel aquâ cinnamomi.

AQUA.

Hic de Aquis in genere, deque variis earum Differentiis & Qualitatibus.

Item

De Thermis, Aquis medicatis compositisque, earum natura, proprietate, origine.

De Aqua Simplici.

Elementum purum & simplex in rerum natura dari non posse, & consequenter Aquam, quâ fruimur, quaque carere non possumus, non esse simplicem neque puram, sed substantiam variis heterogeneorum mixtorum corpusculis mixtam confusamq; inferius demonstrabimus. Et tametsi hoc loco aquam fontanam simplicem dicamus, id tamen non de simplicitate absoluta, sed de respectiva intelligi velim; in quantum videlic. ad alias aquas comparata, majores simplicitatis notas exhibet; quam tamen absolutè simplicem non esse, tantæ fontium differentiæ satis ostendunt.

Sex potabilis sive dulcis aquæ differentiæ ut plurimum statuuntur; Primò *Fontana*, quæ ex imis terræ visceribus venâ vivâ scaturit; secundò *Lacustris*, sive palustris stagnansque; tertiò *Pluvialis*; quartò *Cisternarum*; quintò *Fluvialis*; sextò *Putealis*.

Quænam ex hisce potu saluberrima, atque ad sitim sedandam juvandamque concoctionem aptissima, inter Medicos non exigua lis est & controversia; Fontanam alii ob summam limpiditatem, suavitatem, levitatem frigiditatemque præferunt: Nonnulli *Plutarcho* teste, imbrium sive pluviarum aquam; eo quod levis sit & aërea: Quidam cisternarum aquam reliquis anteponunt, eò quod nihil aliud sit quam aqua pluvialis, & ab omnibus quisquiliis defæcatissima. Non desunt qui putent fluviorum aquas esse saluberrimas cujusmodi *Solinus* Choaspis fluminis Persiæ aquas esse dicit tantæ perfectionis, ut Rex non alias quàm hasce in potum adhibuerit; uti & de aqua Nilotica, utpote suavissima omnium & fœcundissima, aliisque innumeris enunciatur. Putealis aqua gravis est ægréque conficitur, nec statui quidem potest num omnis sit putredinis expers. Verùm tanto fuerit minùs damnanda quantò ex frequenti haurientium commotione magis magisque emendatur; vel si è subterraneo fonte scaturiat. Lacustribus denique sive stagnantibus aquis veluti ab omnibus è numero salubrium exauctoratis, quid de reliquis recensitis statuendum sit, ostendamus.

Et primò quidem pro certo statuendum est, nullam in Orbe Terrarum Aquam dari quæ non ex terrenæ miscellæ quisquiliis, quas iis commisceri necesse est, saltem aliqua ex parte polluatur. Si enim fontis etiam limpidissimi originem attendas, fieri non potest, quin è subterraneis cuniculis per quos longo itinere transit, terrenorum succorum lapidumque diversa proprietate pollentium tincturâ, corpusculorumque rasurâ inquinetur. Rursus aqua pluvialis, uti ex varia vaporum, variis mineralium spirituum copiis imbutorum resolutione accidit, ita terræ iis associatæ dum redduntur, inquinamentum vitare non possunt. Undè cisternarum aqua, quod tùm ex diversarum aquarum, quæ diversis anni temporibus in iis colliguntur, tùm ex grandine & nivibus hyberno tempore in tectis colliquatis miscella quædam sit, à Medicis passim, uti *Matthiolus* refert, improbatur; eò quod nives & grandines, nescio quid noxium & exitiale in se contineant, multorum morborum seminarium. Iterum fluviales aquæ, cùm diversorum mineralium, rivorum, omniumque sordium, morticiniorumque receptaculum sint, certè saluti eas conferre nemo sensatus asseruerit, nisi longo temporis tractu magnis fictilibus asservatæ vasis ac defæcatæ clarescant, & prorsus expurgentur. Quod idem de lacustribus & stagnantibus aquis sentiendum est, quæ utique fluvialibus aquis tantò deteriores esse censentur, quanto immobili situ squalentes putrefactioni sunt propiores.

Ex his itaque sex aquarum potabilium generibus, si stagnantes excipias, nullum fere esse potest, quod non nonnullam puritatis suæ jacturam patiatur; nullæ quoque sint quæ varia transcolatione, concoctione, defæcatione emendari non possint. Undè aliunde aquarum bonitatis salubritatisq; signa colligenda sunt; quæ supponimùs.

Primum itaque signum atque universale bonitatis aquarum est, nempe si claræ sint, pellucidæ, tenues, puræ, leves, sui coloris, saporum quidem expertes, & gustui jucundæ, quæque citò & caleant igni admotæ, & frigeant, mox ubi ab eo remotæ fuerint; si denique ne minimo quidem tempore in præcordiis morentur, sed facili ferantur tramite, citra omnem ventriculi molestiam, aquas sub hoc qualitatũ signorumq; complexu ad potandum laudatissimas, ac tuendæ valetudini commodissimas habeto, testibus *Galeno, Cardano, Dioscoride, Matthiolo* aliisque.

Secundum signum, si homines communi alicujus loci aquâ utentes in veneris viribus robustos, colore nitentes, nulli crurum vitio, nulli oculorum lippitudini obnoxios, longam vitam sanamq; trahentes, illas aquas scito esse probatissimas.

Tertium signum, si in subjectis aheno flammis aqua mox ferveat, similique velocitate subtractis ignibus deferveat, illas probæ & melioris notæ aquas censeto, præsertim si nihil, vel saltem parum arenæ aut limi in fundo aheni resederit.

Quartum signum, si legumina in ea cocta, & celeriter percocta fuerint, nulla duritie relicta, certum tibi aquæ saluberrimę indicium sit.

Quintum signum, si fontem intuearis, circa quem nec muscus, nec juncus crescit, neque ullis sordibus inquinatus fuerit locus ille; aqua verò pellucida, clara, per latices & arenulas nullo muco obductas transeat, certa habebis tenuitatis salubritatisque istius aquæ signa.

De Aquis mixtis seu compositis medicatis in genere, earumque causis, & de mixtionis cum mineralibus diverso modo & ratione.

Aquæ dicuntur mixtæ seu compositæ, quæ ex diversis terris, metallicis corporibus, succis, reliquisq; mineralium speciebus commixtæ componuntur; quorum uti non est numerus, ita quoque aquarum differentium varietas finem non habet. Quemadmodum enim nulla in homine facies est, nulla vox, nulla inclinatio naturalis ingenii, nullum temperamentum in homine dari potest, quod non ab alterius temperamento differat; ita dico, nullam esse aquam, sive simplicem sive compositam, quæ non specialem ab aliis quibuscunq; aquis differentiam sortiatur. Adeóque dicere ausim, tot esse differentes aquarum species, quot differentes sunt terrestrium glebarum, mineralium, metallorum, succorumque tàm liquidorum quàm concretorum species; quæ cùm sub numerum non cadant, ita quoque innumeras aquarum species, præsertim si singularum cum singulis mixturæ aptè combinentur, existunt; ut proinde difficile sit, de medicatis aquis firmum ferre judicium. Viderunt id duo nobilissimi Philosophi, *Seneca* & *Plinius*; unde ille *l.* 3. *Nat. quæst.* de aquis disputaturus, *Ad rem*, inquit, *seriam, gravem, immensam accessimus; faciemus quod in itinere fieri solet; qui tardiùs exierunt, velocitate pensant moram; sustinemus & opus, nescio an superabile, magnum certè, sine ætatis excusatione tractemus.* Hic vero *lib.*31.*cap.*1. plurimas aquarum vires differentiasq; conspicatus, *Cunctas*? exclamat, *quis mortalium enumerare queat? Quidni cordati formident Philosophi? infinitum enim pertransiri non potest.* Non obstantibus tamen hisce difficultatibus non ita deterremur, ut proinde nobis hastam abjiciendi animus sit.

Est quiddam prodire tenus si non datur ultra. Idem mihi præstandum esse censeo quod *Physiognomis*, qui in infinita illa temperamentorum diversitate, ex prædominii eorundẽ prognosi non ita aberrant, ut non subinde hominũ naturam intimam ad virtutes & vitia inclinationem veluti acu tangant & verissime determinent. Ut idem in hoc aquarũ judicio prǽstemus, tantoq; feliciori cum successu monstremus, principales tantũ hoc loco rerũ miscellas, quibus aquæ tinguntur, enarrabo, ex quibus Lector curiosus facile modum reliqua explorandi reperiet; cùm ex prædominio qualitatum sensuũ officio experimentorumq; ope, non difficulter comperiantur. *Mixturas* itaq; aquarum omniũ qualicunq; tandem modo compositarum, ad quinq; *capita* reduco.

1. Vel enim diversis terrestris materiæ glebis miscentur, quibus omnes terræ species comprehenduntur.

2. Vel diversis salium, qui succi concreti dicuntur, generibus, & fiunt tot differentes mixturarum species, quot differentes sunt salium species.

3. Vel diversis succorum sive liquidorum fluorum speciebus junguntur, quibus tum pingues, uti bitumina, tum non pingues uti aquę fortes & causticæ continentur.

4. Vel cum metallicis corporibus miscentur, & indũunt naturam eorum quibus tinguntur metallorum.

5. Denique vel variis lapidum generibus miscentur, sub quibus omnes saxosæ substantiæ differentiæ continentur.

Atque ad has quinque Classes, quicquid in Corporea & Subterranea natura reconditum est, revocatur; ex quorum commixtione sequens qualitatum, quæ in ea quam recensuimus aquarum diversitate elucescunt, series emanat.

Aquæ, Terris infectæ, Salsæ, Nitrosæ, Aluminosæ, Vitriolatæ, Sulphurosæ, Æruginosæ, Ex calce & gypso, Metallicæ, Bituminosæ, Mercurio infictæ, Ferratæ, Æratæ, Lapidescentes.

Ex hisce nascuntur qualitates ut sunt, Acidæ, Amaræ, Salsæ, Calidæ, Frigidæ, Oleaginosæ seu pingues, Venenosæ, Coloratæ, Ebullientes, Transformativæ, Purgativæ, Quibuscunque membris salubres.

Ex horum vero singulorum cum singulis combinatióne nascitur admirabilis illa aquarum varietas quam suprà citati *Philosophi* concipere nequiverunt; has enim duodecim species, si juxta artis nostræ combinatoriæ principia conjugaveris, nascentur 479001600. id est, quadringenti septuaginta novem milliones, mille sexcentæ aquarum differentium species. Has iterum si in differentes terrestrium glebarum, salium, nitri, aluminis, vitrioli, sulphuris, metallorum species combinatione resolveris, numerum habebis qui omnem numerum arenæ maris excedat. Quoniam verò in enarratis duodecim speciebus, semper prædominium sensibus occurrit, illo contenti, de singulis ordine, am tempus est ut disseramus.

De Fontibus seu aquis auriferis, gemmiferis, aliisque terrâ infectis.

Triplex mixtionis modus in his omnibus considerandus est. Primò sunt nonnullæ aquæ medicatæ, quæ non perfectâ, sed confusâ mixturâ constituũtur, id est, quæ sensibilibus variorũ mineralium corpusculis scatent, & nullo negotio ab ea separari possunt. Secundò, quædam perfectâ mixturâ constant, ita ut singulæ particulæ aquæ, singulis vaporosis spiribus intimè per unionem quandam non nisi longi temporis decoctione separabilem misceantur, atque adeo unum cum aquis corpus, unam substantiam, unam formam constituant, uti aquæ *salsæ*, *vitriolatæ*, &c. Tertiò sunt denique quædam aquæ, quæ partim vera rerum quas continent mixtura, partim confusa sine vera mixtura constant: suntque composita ex primo & secundo mixtionis modo. Hoc pacto multæ sunt *Thermæ* quæ calcarium lapidem evomunt, & à se separant, utpote confusanea quadam ratione iis inditum, cum sale verò perfecta mixtura uniuntur. Sec hæc omnia penitius exploremus.

Auriferi fontes & flumina, ubique ferè locorum repe-

reperiuntur, ubi videlicet auri dominantur fodinæ; præ cæteris celebrioris nominis sunt *Tagus* in Hispania, in Italia *Padus*; in Germania & Hungaria *innumerabiles rivi*; in Asia *Padrotus*, *Chrysorrhoas*; in Bactris *Oxus*; in Carnenia *Hyramnis*; in Africa *Nilus, Niger & Zairus*; in America juxta Potosium *omnes fluvii* aureis scatent ramentis. Verùm de hisce vide tractantes, *Aristotelem* de *admirandis auditionibus*; *Plinium*, *Solinum*, & hujus ætatis complures Geographos. Nostrum verò est causas hujus Chrysorrhoias exponere.

Si quis itaque quærat, Undenam hujusmodi auri ramenta originem suam trahant, utrum ex natura fluminis permixti terrenis glebis, utrum aliunde? Paucis me in re minimè recondita expedio: si venæ auriferæ flumini aut lacui subsint, certè eæ, juxta nonnullorum placitum, dici possunt in aquis ipsis generari; congruentiùs tamen loquemur, si dicamus aurum in nativis montium venis ortum, inde amnium rivorumque fluxu & impetu abrasum rapi, atque in alveos fluminum derivari eorumque arenis aquisque permisceri; docetque experientia, in Tirolensi Principatu, Boëmia, Saxonia, Hungaria, & denique in omnibus illis Regionibus in quibus montium uterus auro gravatur, ibidem & rivulos auri ramenta ab auriferis venis abrasa arenisque mixta ostendere.

Referunt Patres nostri, flumina circa Potosinam Regionem in America ita auri feracia esse, ut nostri Collegii Potosini reditus annui nulli sint nisi quos ipsis flumen auriferum subministraverit; ita autem operantur: Mancipia certis & constitutis temporibus ad arenam extrahendam mittuntur, qui extractam arenam tabulis parùm inclinatis à spurcitie & sordibus frequenti suprà aquæ affusæ lotione emundant; atque hoc pacto reliqua terrestri materia per affusionem aquæ sublata, auri ramenta graviora relinquuntur. Ramenta hæc crucibulis imposita igni fervido colliquant, & deinde quod colliquatum est, malleo in laminas deductum in usum convertunt.

Quantum verò Nilus auri per catadupas præcipitati Ægypto subministret, ostendimus in secundo Oedipi Ægyptiaci Syntagmate de *Alchymia Ægyptiorum*, ad quem lectorem remittimus.

Cum itaque innumera hujus generis flumina in Geocosmo reperiantur, meritò quis dubitare posset, Utrum hæc flumina non etiam aliquid à virtute auri participent, sive, quod idem est, perfectè aquæ misceatur? Respondeo quod *non*; si enim in aureo poculo per 100. annos aquam servaveris, nullam tamen indè virtutem attrahet; cum enim aurum sit indissolubile, & strictissimis naturæ legibus compactum, nisi aquis fortibus dissolutum, desideratum effectum præstare non poterit. Contingit tamen subinde, ut aureæ venæ rosivo quodam & caustico liquore dissolutæ in spiritus abeant, atque hisce aquæ imprægnatæ nonnullam virtutem concipiunt; non putem tamen perfectam auri cum aqua mixtionem dari posse, sed confusaneam tantùm & leviter tinctam.

De Fontibus & Aquis terreno luto infectis.

Quandocunque aqua transit per loca vario terrenæ substantiæ luto infecta, tùm eâ quam ipsum lutum insitam habet qualitate tingitur. Fit autem lutum hujusmodi ex creta, argilla, arena, gypso, ochrea, sandaracha, rubrica, cinere, calce, cæterisque mineralium corporum arenis & pulveribus, simulac cum humore miscentur. Cretaceæ & argilosæ aquæ magno in Hetruria numero reperiuntur, graves & sanitati minimè conducibiles. Si per arenam duriorúmque lapidum sabulum aqua transierit, ea omnium optima censetur & saluberrima. Aquæ gypso tinctæ pariter in Hetruria reperiuntur haud infrequenter; quæ quidem uti externæ corporis lotioni plurimùm conferunt, ita haustu sumptæ periculo ob causticam quandam virtutem, qua gaudent, non carere existimantur. Quæ ochrâ, sandarachâ, similibusque scatent aquæ; potui summoperè nocivæ, loco balnei tamen utentes à multis infirmitatibus liberantur. Variat autem hoc lapidum genus secundum loca non parùm, nam colore reperitur cineritio, livido, pallido, subrubro; alibi lapidis genus nascitur quod erutum in gypsum tenacissimum convertitur, uti in Cypro, *Plinio* teste; per hujus lapidis venas si aquæ transierint, reddantur albæ. Gypsearum itaque aquarum ubique locorum magna copia comperitur; uti in Italia apud Camertes, ad Callim fluvium, unde ex eo bibentes, *strumosi* fiunt. Bononiæ puteorum quorundam aqua gypsea, oppidò nociva & suffocativa vi quadam pollens; apud Helvetios ad Eugestam; Puteolis in Campania; aliisque innumeris locis.

De Salsis Aquis & Fontibus.

Constat inter cæteras medicatas aquas, nihil *salsis Fontibus* esse frequentius numerosiusque; neque enim nulla aqua non dicam medicata, seu composita, sed neque pura quidem & simplex assignari potest, quæ non salis nonnihil admixtum habeat; quod Arte Chymica ita comprobatum est, ut de eo nulli ampliùs dubitandi locus relinquatur. Sicut enim sal semen quoddam naturæ est, & elementum terreum ad omnium mixtorum compositionem concurrens, ita natura quoque nullibi id deesse voluit, quod rerum conservationi tantoperè necessarium foret. Hinc nullum ferè *Thermarum* genus dabitur cui non salis quidpiam immistum sit; in quibus tamen aquis sal prædominium habet, eæ quoque salsæ vocantur; Quarum nonnullæ quidem nascuntur ex intimis salsuginosis montium cavernis, quædam ex ipsis fluminum ripis salsedine pollentibus, aliæ ex ipsis subterraneis aquis nativa locorum salsugine abundantibus tinguntur. Et fontes fluviique Hungariæ, Poloniæ, Tirolis, Saxoniæ, in Italia Volaterris, in Æmilia, Piceno, Hetruria, Gallia, Hispania, in toto denique Terrarum Orbe ubivis locorũ passim obvii id sat testantur. Sed de hisce in *sequentibus*.

De Fontibus Nitrosis.

Nos hoc loco aquas *Nitro* infectas allegabimus; quod ut faciamus, scire te primùm velim, Tellurem in nonnullis locis abundantissimum nitrum producere, uti Ægyptus juxta Memphim, hodiè *Cairum*, ubi etiam calore Solis tostum in lapidem vasis conficiendis aptissimum convertitur. Per hujusmodi itaque loca *aqua* defluens, nitrosa qualitate, magno rei medicæ emolumento tingitur, in Sabinorum Agro, qui hodie Puteus Retinianus dicitur, Catilias Aquas, Veterum Scriptorum monumentis, vel ab ipsis Aboriginum temporibus celeberrimas, nitro refertissimas dicti Auctores monstrant. Hujusmodi sunt nonnullæ aquæ in Æmilia juxta Maldulam, & in Valle S. Martini juxta Viam Flaminiam; in Bajano Territorio Brachulæ, & Succullaria ad Avernum Lacum, & quæ est in Ænaria Insula. In Hetruria aqua Borra & Volaterrana, in Germania laudatissimæ juxta Argentinam, in Helvetia ad Tigurum, in Ducatu Wirtenbergensi ad Sylvam Martianam, in Alsatia, aliisque innumeris locis; quarum omnium virtus, uti *smecticâ* sive abstersoriâ vi pollet, ita catharticæ sive laxativæ ab omnibus Medicis habentur, nisi aliarum mixturâ aquarum differentes effectus præstent; prædominium enim *nitri* aquas potenter facit, quæ & potæ malum habitum ex pituita contractum emendant, alvum solvunt, prosunt nervorũ vitiis, quod distillationibus infestatur, pectori, cutis vitia scabiemq; sanant, auribus instillatæ tinnitus tollunt, verbo, æquos cum sale effectus producunt, nisi quòd sal *restringentem*, *abstergentem* vim nitrum prodat.

De Aquis Aluminosis.

Quandocunque aquæ per loca *alumine* referta transeunt, ejus viribus tinctæ, aluminosæ fient. *Alumen* autem contrariis quasi *qualitatibus* imbutum est, *calidis* videlicet mediocriter, & *siccis summè*, *frigidis* præterea ac potenter *adstringentibus*; eorumque indicia sunt sapor: primò enim in gustu subdulcis ac tenuis, pungens linguam, unde in amarulentum & insigniter adstringentem paulatim abit, quas vires *aquæ* cùm eo perfecto *mixtæ* participant. Mirum sanè est nullum me vidisse, rivum *alumine* tinctum, qui quicquam herbarum in ripis hinc inde patiatur. Neque enim, quod & ipse *Theophrastus* notavit, *aluminosæ* lymphæ plantam ullam aut alunt, aut gignunt, potentis sanè siccitatis, quæ ei prædominatur, lucu lentissimum indicium; Unde morbis qui ex nimia humiditate sive frigiditate originem ducunt, sanandis mirum in modum conducunt. Tales sunt *aquæ* juxta Tolfam ex aluminosis montibus profluentes; tales Abulæ in Agro Tyburtino.

Itur ad Herculei gelidas qua Tyberis arces,
Canaque sulphureis Albula *fumat aquis.*

Aliæq; innumeræ, uti ex Catalogo Thermarũ constat.

De Aquis Sulphureis & bituminosis.

Aquæ hoc loco tripliciter considerari possunt, ut aliæ sint Sulphuratæ, aliæ Sulphureæ, aliæ ex utroque. *Sulphuratas* dicimus puras, quæ multum sulphureæ substantiæ incommixtibilis continent. *Sulphureas* puras, quæ vaporibus spiritibusq; sulphureis quamdiu fervent, mixtæ, tinguntur; sed frigidæ atque iterum igni submotæ omnem sulphuris tincturam, vaporibus spiritibusque, qui in iis existunt avolantibus perdidisse comperiuntur, ita ut nec odorem, nec saporem, nec ullam ampliùs sulphureæ indolis notam præ se ferant. Si verò aquæ ex sulphureis corpusculis unà cùm halitibus spiritibusque intimè tinctæ & perfectè mixtæ fuerint, tunc verè & propriè sulphureæ aquæ nomen obtinent, sulphureosque effectus præstãt semper; sive calidæ fuerint, sive frigidę.

Prioris generis sunt *Aquæ Albulæ*, quæ sulphureis glebis abundant, iis tamen non commiscentur, sed, ut paulo ante dixi, aluminis prędominium habent.

Secundi generis sunt omnes illæ sulphureę aquæ, quæ frigefactæ sulphuream indolem exuunt.

Tertii generis sunt aquæ in Hetruria *S. Cassiani*, & aquæ Cajæ propè Viterbium; cùm enim longis ambagibus per sulphureas vaporibus halitibusque sulphureis refertas transeant, & abrasis substantiæ sulphureæ ramentis, & spiritibus iis immixtis perfectè tinguntur, & intimè & inseparabili unione commiscentur.

Ad *bituminosas aquas* quod attinet, certum est experientiâ omnes pingues & bituminosos liquores etsi prima fronte omnem cùm aquis mixturam respuant, longâ tamen morâ devictos iis confusè misceri, uti omnes *bituminosi fontes* monstrant; adeo enim (ut de nonnullis fontibus in Agro Parmensi refert *Fallopius*) bituminosis vaporibus referti sunt, ut ex flammâ, vix iis admotâ aquâ accendatur, neque potest flamma in ipsa aqua accensa ulla aquarum affusione extingui, sed vento solummodo, aut pannis ipsis superinjectis. Nascuntur autem *bituminosæ* hujusmodi *aquæ* ex pluribus bituminosis spiritibus vaporibusque qui à bituminis in locis illis subterraneis bullientis vena perpetuo elevantur. Verùm de natura, speciebus, origine bituminis vid. sub Titulô Bitumen.

De Aquis succo lapideo sive petrifico pollentibus.

Per *succum lapideum* sive *petrificum*, hîc intelligo *humorem* quendam optimè elaboratum & coctum *ex materia lapidosa* genitum, qui *humor* seu *succus* sicescens vertitur in lapidem; Aquæ verò medicatæ hoc succo imbutæ vocantur *petrificæ*, quia quamcunq; rem illis impositam successu temporis vel lapideo inducunt tegmine, vel eam etiam prorsus in lapidem convertunt. Invenitur autem hic succus potissimum in *Thermalibus aquis*. Quibusdam duplici modo miscetur, subinde vera & propria: nonnunquam non vera sed confusanea mixtione. Prioris modi exemplum in planta damus. Si enim à planta quapiam aqua petrifica in alimentum attractum fuerit, tum & simul succum petrificum attrahi necesse est, unde planta prorsus lapidescit. Si verò succus non fuerit cum aqua permixtus, sed confusus tantùm, tum quoque planta vitato succo, aquam trahens nunquam lapidescet, sed caulem solùm lapideo vestiet amictu.

Quæ omnia experientiâ didici in Itinerę meo Hetrusco, in quo propè Roncolanum Senensis Territorii Oppidum duos *fontes calidos* observavi, quorum aqua per canales ad molares rotas vertendas ducebatur. In hisce canalibus *Cyperus*, *Junci*, *Ranunculus*, similesque *herbæ* tanta adolescebant fæcunditate, ut quotannis eas, ne aquæ motum interturbarent, extirpare oporteret; extirpatas vero projectasq; in vicinum locum, herbas omnes in lapidem *conversas* non sine admiratione spectavi. Cujus rei causam cum à Molitoribus quærerem, responderunt *Aquas* istiusmodi hujus virtutis esse, ut quæcunque intra canales, aut in ipsâ aquâ excreverint *herbæ*, mox ac exstirpatæ fuerint, *lapidescant*; quęcunque vero extra aquam in campis parentibus excreverint *herbæ*, istas extirpatas nunquam lapidescere. Cujus quidem rei causa alia esse non potest, nisi quod cum istiusmodi aquis *succus lapideus*, sive spiritus petrificus intimè commixtus sit, *herbæ* vero aquam hoc spiritu turgidam pro alimento attrahant, necessario fiat, ut *herbæ* quamdiu hoc humido aluntur, lapidescere nequeant; mox tamen ac eo destitutę fuerint, tum *succi petrifici humidum* intra *herbas* attractum suæ veluti libertati relictum paulatim siccescendo, ex insitâ naturæ pronitate tandem in id ex quo primum prodiit, id est, in saxeam substantiam convertatur, similem ei ex quâ originem suam duxit, quod perfectæ mixtionis cum aquâ manifestum signum est. *Aquæ* vero quæ non perfectè, sed confusa quadam ratione cùm hujusmodi petrifico succo vel spiritu commixtę sunt, quoad totam substantiam non lapidescunt; sed veluti cortice quodam lapideo tantũ inducuntur.

Est in Hetruria juxta Castellum quod à *Colle* nomen habet, *fluviolus* limpidissimus, qui exiguo post ortum suum spatio intra torrentem, cui *Sena* nomen vulgo obtigit, evolvitur. Scatet hic torrens lapide quodam spiritu petrifico fœto; hinc fluviolus ei simul ac commixtus fuerit, mox etiam petrifica qualitate imbuitur; omnia siquidem, quæ in dicta aqua permanserint, uti *ligna*, *herbæ*, *frondes*, aliaque non quidem lapidescunt, sed tantummodo lapideo cortice, salvâ ligni herbarumque substantiâ induuntur; quod indicat succum petrificum *aquis* non perfectè, sed confusè tantùm, uti diximus misceri.

De Aquis Metallicis.

Aquæ Metallicæ dicuntur, quæ *auri*, *argenti*, *æris*, *ferri*, *stanni*, *plumbique* proprietates referunt. Utrùm vero *metalla* cùm aquis verè & propriè misceri queant, magna inter *Philosophos Metalloscopos* controversia est. Negativæ sententiæ ratio principalis est, primo quia ob indomabilem duritiem sese perfectè aquis communicare nequeunt. Si enim in aureo, argenteo, plumbeo, &c. poculo aquam frigidam vel centum annos teneres, nullum tamen mixturæ indicium reperires. Sed nos affirmativæ sententiæ adscribimus; & ad *Aurum* quidem quod attinet, certum est, aliquam id, si non perfectam, saltem confusaneam subire mixtionem cum liquore. Patet ex *aquis forti-*

fortibus, in quibus aurum prorsus in insensibiles atomos resolvitur; patet & in *aquis chalybeatis* & *ferratis*, quæ virtutibus ferri seu chalybis imbuuntur ad obstructiones hypochondriacas saluberrimis. Quomodo itaque *aquæ* misceri queant cum *metallis* exponamus.

Dico metalla solida & ad perfectionem suam per ignis purgationem depurationemque jam perducta, vix ac ne vix quidem ullam cum aquis mixtionem, nisi adhibita decoctione admittere; hac enim spiritus metallici suscitati, sese aliquo modo aquis communicant; uti in aquis chalybeatis experientia docet. Secundò, Cùm in subterraneis venis metalla non ita solida & dura sint, neque debitam perfectionem habeant, utpotè quæ multo adhuc humido, & ad instar terrestrium glebarum mollitudine polleant; fieri subinde potest, ut interveniente *aquarum causticarum* affluxu spiritus auriferi separati, unà cum abrasis auri ramentis, mox ubi sese aquis calidis insinuârint, iis unà virtutem suam per mixtionem quandam, qualiscunque tandem illa sit, communicent; atque hoc pacto ego *Thermas Piperinas* in Helvetia, & si quæ alibi reperiuntur, *auri* facultate pollere existimo.

Cùm in nonnullis locis *thermæ* dentur *argenteæ*, meritò quæri potest, utrùm argentum cum aquis verè misceri potest? *Fallopius* id ob summam visciditatem ac duritiem, qua pollet, aquis misceri posse negat. Nos dicimus, *aquas* quidem *frigidas*, sive quæ in fodinis argenteis subinde rivorum more confluunt, mixtionis incapaces esse; si tamen spiritus argentei, aut Subterranei Ignis æstu, aut aquarum causticarum virtute in appropriatis venis resoluti *aquis thermalibus* commisceantur, eas virtute quoque argenti specifica tingi, nihil dubito, & argentum in eascem redactum aquisque mixtum sat superque docet.

Quæcunque de *aquis* auriferis, argenteis dicta sunt, de *æratis, ferratis, stanneis plumbeisque* pari pacto dicenda sunt. Quæ quidem, uti dictum est, quoad *substantiam* nullis aquis miscentur, sed quoad *vim* à spiritibus iis inexistentibus communicatam. Non enim *thermæ plumbales*, quæ in Germania & Lotharingia passim inveniuntur, à plumbo appellantur, quod in iis plumbeæ substantiæ vestigia reperiantur, sed quod vim & proprietatem plumbi præ se ferant; atque adeò ad *Saturninos morbos* profligandos plurimum conducant. Accedit quod quanto metalla meliora sunt, tantò vim suam aquis faciliùs communicent. Atque hæc de mixturis aquarum sufficiant.

De Mixtura Aquarum Medicatarum.

id est:

Quomodo & qua industria, quænam Mineralia ac Metallica corpora cuivis Aquæ medicatæ insint, per nonnulla experimenta cognosci potest.

Magni sanè in re medica momenti est, exactam de *medicatis aquis* judicium ferre; cùm ex eo tota infirmorum iis utentium salus dependeat. Et quamvis complures, varios eas cognoscendi modos præscripserint; visum tamen nobis fuit, nonnulla ab aliis nova & non observata experimenta hoc loco tradere; ut, hoc pacto nihil in hoc proposito nobis argumento Lector reperiret, non undiquaque exactissimè discussum.

Cùm autem virtutes & proprietates aquarum thermalium in eo temperamento specialiter, quod aquæ ipsæ cùm ipsis terrestrium glebarum mineraliumque miscellis sortitæ sunt, consistant; *Mixturarum* cognoscendarum primò quispiam modus per viam experimenti, unà cum exacta notitia mineralium necessario omni Corinthum hanc adeunte, promptus esse debet. Modus autem duplici ratione perficitur. Prior totus sensuum peragitur ministerio. Alter, quem Physici *à posteriori* vocant, ex recrementorum quæ canales post se relinquunt, qualitate colligitur. Utrumque paucis exponemus.

Inest à naturâ hominibus cognoscendi vis insita ab evidenter apparentibus & sensibilibus, per quam non causas duntaxat rerum venentur, sed & planè scire videantur, cùm sensibus consonet ratio. Aquarum itaque quarum misturam, & consequenter naturam & proprietatem nosse desideras, substantia exploranda est, quantum nempe à simplici aqua, pondere, colore, sapore, odore, & tactus demum qualitate differre videatur. Quæ quidem substantia utplurimum duplici dote superbit; una *elementari*, qua unaquæque res qualitatibus operatur, calida, frigida, sicca, humida; altera *specifica*, quam nonnulli *cœlestem* quoque appellant; omnibus elementorum viribus, omnibus sensuum conjecturis superiori; utpotè quæ non nisi in mirificis effectibus sese prodat; quæ sane si in ullo mixtorum genere, certè in *aquis medicatis* potissimum sese exerit; atque adeò longè patet, ut non dicam ullus medicatæ, sed ne simplicis quidem aquæ fons occurrat, quem non nonnullus cœlestis favoris radius adspiraverit ac singulari beneficio affecerit. Quorum tamen investigatio tantò est difficilior, quanto intimi causarum thalami magis sunt inaccessi. Accedit *misturam* in aquis elucescentium infinita quædam varietas; in quibus uti facultates non uno constant gradu, neque eandem in uno atque alio fonte efficaciam habent, ita difficultates congeminant.

Medici utplurimum primarum notitia contenti qualitatum, disciplinæ usum per gradus, veluti quosdam caloris distribuentes, à primo ad secundum, à secundo ad tertium, & hinc ad quartum, ad quartam singula actionem efficaciamque perveniant, oppidò fallaci conjectura existimant. Deinde cognito primarum inter se qualitatum connexu, ad compositas consequentesque alias ex ordine naturæ *operationes* progrediuntur; *Calefacientium* quidem aquarum effectus, rarefactionem, fusionem, digestionem & attenuationem; *Humectantium* mollitionem, lenitionemque; *Frigefacientium*, repletionem, distentionem; *Siccantium* denique adstrictionem, condensationemque, & alia hujusmodi rimantur. Ex his denique ad tertium genus *operationum* progrediuntur, quæ videl. ex secundis inter se, ac primarum virtute resultant, quæ intus susceptæ abstergunt, lubricant, alvum solvunt, ad vomitum concitant, & similibus corporis viscera exagitant. Hinc ad quartũ *operationũ* genus provecti insignes quidem vires comperiunt, at ob abditas rationes atque inexplicabilem ferè partium nexum, à totâ substantiæ similitudine deductâ proprietate, vix hucusque, nisi à paucis, quos Divina Bonitas excellenti subtilitate ingenii beaverit cognitas. Hujusmodi sunt quæ per occultos naturæ *characterismos* perficiuntur; ex quibus aliæ lapides in vesica renibusque frangunt, epilepsiam sanant, occulta quadam proprietate singula membra respiciunt; dementiam inducunt, afferunt oblivionem, hebetesque reddunt, sternutamenta cient, calvitiem accelerant, lacrymas eliciunt, risumque movent, aliæ fæminas sterilitate laborantes fæcundant.

Atque hoc pacto Medici procedere solent. Sed in tantis Medicorum tricis; certa quædam *regula*, quæ rebus non dubiam lucem afferat, tenenda est. *Peripatetici* Philosophi plerique multum tribuunt sensatæ experientiæ; dum ad *tactum* aquas referunt calidas & frigidas; leves & graves ad *pondus*; ad *saporem* dulces, amaras, acidas, acres, salsas; ad *colorem* puras, turbidas, cæruleas, lucidas, nigras, atque alias aliasque hisce coloribus mistas; ad *odorem* sulphu-

sulphureas, bituminosas, similesque fætentissimi putoris; tametsi nemo hanc certam & infallibilem *regulam* sequatur.

Etiamsi enim multæ ex *colore* dignoscantur, certi tamen esse non possumus, utrum color ex hac potius quàm ex illa minerali miscella originem ducat; sunt enim multa quæ aquam simili colore tingant. Si *gustum* consulas, & acredinem quandam senseris, scire tamen non poteris, utrum hæc à sale, an ab alumine, an à nitro aut vitriolo, an ab omnibus unà mixtis originem ducant, nisi ad intimas eorum facultates respexeris; cùm enim omnes acrimoniâ linguam vellicent, à differentibus quibus pollent facultatibus cognoscendæ sunt; *salsæ* quippe *aquæ*, in potum assumptæ corroborant stomachum, *nitrosæ* contra stomachum evertunt potentiusque pituitosos concitant humores: illæ asperitatem manibus lotura sua inducunt, hæ abstersiva seu smectica vi sua lenes & molles reddunt; sed uti in illis fallax asperitatis judicium est, eò quod complura mineralia lotione sua manus exasperent, ita mollitudo & lenitas manuum, quam abstersiva vi sua *nitrum* efficit, compluribus aliis quoque, uti calci, cineri, lixiviisque convenit. Aluminosa non odore sed gustu discernitur; est enim adstringentis virtutis sine acerbitate, linguam tamen palatumque mirificè vellicat, dentes stupefacit; verùm cum multa alia eosdem præstent effectus, de iis firmum judicium concipi non poterit. *Vitriolatæ* & *bituminosæ aquæ* gustu & olfactu cognoscuntur: gustu linguam acredine quadam, olfactum verò putentissima mephiti percellunt.

Nisi itaque ex omnium unicuique miscibili competentium qualitatum complexu dignoscantur aquæ, ob aliarum similium confluxum perfectè æstimari non possunt. Quod si verùm est de salibus & aliis concretis fluoribus, multò magis id de fluoribus in *metallicis aquis*, qui perfectam cum aquis, uti diximus, misturam non admittunt, verificabitur, hinc alii ad *inciles* per quos aqua medicata fluit, spè explorandæ mixtionis confugiunt; ex *recrementis* enim mineralium ripis adhærentibus, se se ad nonnullam cognitionem pertingere posse sibi persuadent rerum aquis cõmixtarum; ut si sulphure, alumine, nitro, sale, vitriolo, similibusque obductæ fuerint concretæque, talibus quoque ipsas aquas constare credunt. Verum enim vero cum ii nesciant, utrum verè & perfectè an confusa tantum dictarum rerum miscella imbuantur aquæ, omne de iis judicium pendebit. Hisce motus, sequens experimentum *cognoscendæ aquarum mixturæ* præscribendum duxi.

Experimentum Chymicum.

℞. Aquar. miner. q. v. destill. alembico vitreo l. a. ferè ad siccitatem, *Sedimentum* in fundo vasis remanens supra tabulam ferream politissimam *igne* candentem, exponatur. Si itaq; *aquis* commixta fuerint, cinis, gypsum, calx, sulphur, sal, nitrum, alumen, vitriolum & cerusa, juxta singulorum naturam & proprietatem examen instítues. Si enim aquis commixta fuerint *calx, marmor & gypsum*, videbis illa in candenti lamina non comburi; sed postquam alia fuerint combusta, remanebunt illa colore multo ac antè candidiori fulgentia; hac tamen differentia, quod si *ipsum* aderit id statim candidissimum fiet, *calx* vero & *marmor* ad candorem manifestandũ nonnullam moram tempusq; requirunt. Si *sulphur* adsit, id statim solita odoris graveolescentia se prodet. Si vero *sal & nitrum*, illa dum comburuntur in candenti tabula scintillabunt; hac tamen differentia, quod *sal* cum crepitu, *nitrum* sine crepitu scintillabit. Si *cerussa* adsit, illa supra candentem tabulam ferream in intensam rubedinem vertetur, atque adeo plumbi inexistentis apertum signum est. Si denique *alumen* adsit, id liquefactum, lactei prorsus coloris signa post se relinquet.

De Thermis Europæ, & primò de Lusitaniæ & Hispaniæ Fontibus & Thermis.

Europa Lusitaniam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, Hungariam, Poloniam, Illyricum, Græciam cum adjacentibus Insulis Sicilia, Anglia, Scotia, Hybernia continet, quæ innumeris ubique *Thermis* referta, ex sequentibus patebit. In *Lusitania* octo, in *Hispania* 40. in *Gallia* 45. in *Germania* 120. in *Italia* 86. in *Hungaria* vicinisque locis 9. in *Polonia* ad Carpathum complures, in *Illyrico* 16. in *Græcia* & vicinis Insulis 22. quæ omnes per occultos terræ meatus sibi correspondent & uno eodemq; igne variis pyrophylaciis distributo animantur & conservantur, non secus ac in *corpore humano* per diversos canales & ramosos venarum ductus, calor animalis omnia animat, dirigit & in effectus à natura intentos sollicitat.

Et ut de *Thermis* Lusitaniæ incipiam, sciat Lector, omnes ferè *Atlantici Maris* Insulas, uti sunt Canariæ, Maderæ & quas Azores vocant, *Thermis*, quemadmodum annuæ Societatis nostræ abundè testantur, refertissimas esse; nec id mirum est, cum sulphure, sale, nitro, alumine, bitumine polleant copiosissimo, & ingentia subtùs alant pyrophylacia, quibus perpetuo agitantur. Est inter cætera *Lusitaniæ* prodigia, ille cum primis *Lacus* admirandus in vertice *montis Erminii*, qui teste *Antonio Vasconzello* Societatis nostræ Theologo in descriptione *Lusitaniæ*, ejus naturæ est, ut æstuante *Oceano* & ipse pariter exæstuans intumescat, luculentũ sanè occulti cum Oceano per hydragogos canales correspõnsus signum. Idem de *mirifico puteo* juxta Monasterium S. Hieronymi, totum cum cellis & habitaculis in rupe excisum *in monte Sintra*, in quo aquæ ad æstum maris intumescunt. Sola Interamnensis *Lusitania* non amplius quàm 18. leucis longa, lata 12. teste *Vasconzello* numerat ad *viginti quinque millia fontium perennium*, aquæ præstantiâ cum nullis in Europa comparandorũ: virtutibus enim mirificis pollent ob Tagi aureas fundentis arenas, divitias quas vicinis undique & undiq; terris communicat. Quos inter & *plures thermales* sunt *fontes* nominis celebritate toti Lusitaniæ noti: uti sunt propè Obidos Caldas, Monasterio ab *Eleonôra Joannis II. Regis conjuge*, in usum infirmorum constructo Xenodochio memorabiles. Sequuntur *Balnea Algarbiorum* juxta oppidum Alvor, in quibus *Joannes II* Rex, cùm lethalis veneni remedium quæreret, periisse dicitur.

Sed relictis aliis quæ in Baira & Conventu *de Lafoes* sunt aliisq; passim obviis, unum nobis hoc loco *prodigium* exponendum est, quod in *fonte*, quatuor à Conimbrica leucis dissito, juxta oppida *Cutanhedium* & Cadimam, elucescit. *Fons pede non amplius profundus*, arenosus & subturbidus est, vulgò *Pervencas*, à perenni aquarũ arenarumq; ebullitione, qua *fervet*, sic dictus; *eâ* verò est *naturâ* ut quicquid in eum injeceris absorbeat, nec satis potest apparere quò injectos arborum ramos devolvat, cum non semel arborem integram experimenti causâ, radicibus imis aut summis tantùm frontibus applicatam, trunco tantum sive ramo quolibet, ita avidè devoret, ut nullis viribus queat avelli, & brevi temporis spatio, ne tantillus ramusculus appareat. Illud etiam accidit, ut labenti jumenti pede ita fortiter brevi spatio *animal* ad se trahat, ut vix ulla arte & robore à devorantis aquæ vi possit abstrahi. Hæc *Vasconzellus*.

Hispaniæ præcipui Thermarum fontes sunt *Caldas del Rey*, sic pagus appellatur, juxta quem ebulliunt, juxta viam quæ à Compostella in Lusitaniam ducit, balneorum nobilitate insignes, calidæ ac digerentis facultatis. Hinc ad oppidum Tralus 30. stadiis dissitum, alterum

terum *balneum* celeberrimum occurrit, eò majoris utilitatis quò ex naturali hic mistione ac diversorum fontium confluxu, suo quisque arbitrio aquas præparare ac temperare potest; calefaciunt, siccant, digerunt. Iterum juxta Orensem Civitatem scaturit aqua calida ac vena minio prædivite; & quamvis nonnihil sulphurei redoleat, ubi tamen frigefacta resederit, adeo sinceram, claram limpidamque se exhibet ut non potui tantùm, sed & ad eduliorum usum sit peridonea; ac Veteribus Romanis ad usum deliciarum adhibitam, *vetusta thermarum vestigia* satis demonstrant. Est & hoc mirabile, *ex medio fluminis Minii*, cui thermæ adjacent, aquas calidissimas erumpere magna quantitate; quæ arguunt aquas ex profundissimis terræ visceribus, in ipso fluminis fundo exitum habere, & incommixtibili fluxu aquas fluminis penetrare. Sunt & *alia* in hoc Galliciæ Regno ad Vianam civitatem & in *Suidis* montibus. Hinc in Castiliam & Bæticam profecturus omnia plena *thermis* reperies. Inter confinia Tarroconensis partis & Navarræ, qua Iberus non longè affluit ad pagum *Fitteri*, balnea magnæ virtutis passim reperiuntur, uti & ubique locorum ad radices Pyrenæas; in *Agro Hispalensi* Bæticæ complura nascuntur quæ forsan ea sunt quæ à *Plinio* Cæparia dicuntur, aut Anthetana.

Est in medio Hispaniæ mons altissimus, qui longo excursu in Occidentem Castiliam dividit à Granatensi Regno, à quo supernè *Ana* fluvius, infernè autem Bætis apertiùs in Mediterraneum influit; in hoc *Vulcani* ergasterium esse existimo, ex quo & metalla omnis generis cudantur & aquarum mira varietate prægnans totam Hispaniam pulchris amnibus perluat. *Metalla* autem ibidem copiosa fœtura parturire glabrities montis sat monstrat, utpote in quo arboribus perpetuo damnatis exilio, salebrosi tantùm scopulosique recessus dominentur, colore livida subfuscaque facie sterilitatis suæ opprobrium veluti lugere videtur, non incongruè *Sierra Morena*, à *Mauro* sive atro colore ab indigenis sic vocitatus. Spectantur in hujus montis crepidine aditus profundissimi, ac inter alios juxta *Almadien* pagum specus ingens in 50. ferè milliarium recessum exporrectus, in quo complures altissimi visuntur *putei*, è quibus immensa *argenti vivi* copia frequenti operarum fossorumque turbâ hauritur, qui magno vel conducti pretio, vel ad pœnam magni alicujus sceleris commissi eluendam ad has mineras addicti, miseram trahentes animam tremebundo corporis habitu, convulsis nervorum tendinibus, exiguæ tandem vitæ tempus calamitosâ morte redimunt. *Terrestres glebæ* quæ fodiuntur hydrargyrumque exsudant, utplurimum lapidosæ sunt & rufi coloris, exusta vero extrinsecùs calore nigrescit, ac livido seu ferrugineo colore procul aspectantibus apparet. Videntur & *quatuor acrium aquarum fontes*, omnes differentis facultatis circa montis crepidinem; signum variæ latentium in monte aliorum metallorum mineraliumque venarum miscellæ; quæ tamen depositis per transcolationem salubrium glebarum malignantis naturæ facultatibus, ab indigenis cum magno in morbis contumacibus calculi & vesicæ emolumento usurpantur.

Porrò in Archiepiscopatu Toletano, juxta Valentiolam, non procul à vadis, *Ana* fluvius terrâ conditur, *Navafons* occurrit in vasta planitie miræ acrimoniæ, juncetis undique & undique constipatus, limpidissimis aquis amœnissimos longo tractu irrigat hortos, fructusque alit tum gustui suavissimos, tum copiâ & magnitudine præ cæteris inæstimabili; tantæ verò acredinis est ut projectum in fontem *armum*, vel ad horæ translapsæ spatium ad ipsa ossa usque consumat; originem suam haud dubiè ex dicto monte *Morena* trahit, qui spiritu Mercuriali turgidus, transcolatione tamen per terras alumine, nitro, vitriolo pollentes emendatus, insignes haurientibus eam præstat utilitates.

Mirum proinde alicui non immeritò videbitur, aquam vituli ossa consumentem, haurientibus tamen ipsam esse innoxiam, quod utique calori naturali, illam quantocyus transmittenti acrimoniamque temperanti adscribendum est; siquidem *acetum*, etsi æneam tabulam aut ferream acrimoniâ suâ exedat consumatque, stomacho tamen non tantùm innoxiũ, sed & maximè salubre esse, quotidianus ejus in acetariis usus abundè docet.

Alter acris aquæ fons ad *Almagram* oppidum spectatur, cujus aqua optima & potui adeò grata ut ex mille quingentis circiter ejus vici familiis, teste *Balthasare Ruizuio* hinc oriundo hujus fontis descriptore, major pars abstemia perpetuò vivat, omni exclusso vini potu, solò hujus fontis potu delectentur, tanto hominum concursu, ut *circa meridiem* frequenti haustu totus veluti exsiccatus compareat. Similis fons ad *Bolegnum* cernitur, non multùm à præcedenti dissitum oppidum.

Est & similis conditionis fons tribus *Toleto* milliaribus dissitus, in hoc tamen differt à præcedentibus, quod aqua in fontis superficie hausta dulcissima sit, at si quis situlam ad imum putei alveum submerserit, is aquam summè acrem sit educturus. Cujus quidem rei ratio non inventu difficilis; cùm enim in hunc fontem seu puteum tùm dulces, tùm acres perpetuò influant, fit, ut acres ob diversorum salium copiam insita iis gravitate statim subsidant, dulcibus utpote levioribus superficiem petentibus. Hinc digressi per reliquos Hispaniæ tractus, sive ad Boream, sive ad Austrum, sive denique ad Orientalem Pyrenæorum montium tractum, ubique balneorum multitudinem comperies; ita ut vix pedem ad decem leucas moveas quin nova semper ac nova *thermarum* spectacula reperias.

De Fontibus seu Aquis medicatis Galliæ.

Tota illa Galliæ pars, quæ Pyrenæis montibus terminatur, adeò *thermarum medicatorumque fontium aquis* scatet, ut vix sit, qui illos numerare queat. A Bayona siquidem Narbonam usque, continuata vena sive sulphureus cuniculus ex montibus sulphure, nitro, alumine, bitumine, vitriolo gravidis per varios subterraneos ductus ramosque constitutus, quem terræ motus ingens Anno 1660. ibidem exortus horrendis cladibus afflixit, abundè demonstravit; unde præter voragines profundissimas, siccata flumina, montes partim decurtatos, partim absorptos, vel ipsæ *thermarum*, prioribus sive mutatis canalibus, sive obstructis aquæ ferventissimæ in frigidissimas repentinâ Metamorphosi degenerârunt. At nos relictis innumeris aliis, potiores tantùm hoc loco *Thermas* celebrioresque recensebimus.

Thermæ ad pagum *Dax* inter montes Pyrenæos sitæ, sulphureo-bituminosæ sunt, ita à natura temperatæ ut nullus sit morbus ex iis quos Arthriticos vocant, quem non curent, quæ subinde tamen ita incalescunt, ut non *aqua* solùm, sed & circumsiti agri ardere videantur, quod manifestè innuit latentis infra montes alicubi pyrophylacii vestigia.

Sequuntur has *aliæ*, vulgò *Orentaine*, *thermæ* celeberrimæ, necnon renum hepatisque vitiis profligandis saluberrimæ.

Sunt ad montem Balarvæ juxta *Biterras* contra spasmi, paralysis, hydropis arthritidisque morbos remedium singulare. Occurrunt deinde ad Pyrenæorum montium radices *balnea*, vulgò de *Montferran*, ejusdem cùm præcedentibus virtutis facultatisque. His vici-

vicinæ accedunt *Thermæ*, vulgò *de Baignaires* ad pagum cognominem, & aliæ vulgo *Dencausse*, ingenti hominum confluxu celebres, admirandæ virtutis, vel ex hoc capite, quod fœminis sterilitate laborantibus fœcunditatem conferant, cæterisque infirmitatibus quibus mulieres passim infestari solent, potissimum medeantur. Non procul hinc nova occurrunt *balnea* in loco invio & deserto vulgò *Baregues*, quæ tametsi magno infirmorum incommodo adeantur, illud tamen facultate omnium morborum expultrice facile recompensant. Atque hæ sunt *thermæ celebriores* in hoc Subpyrenæorum montium tractu; quæ uti ex subterraneis meatibus originem trahunt, ita eam ulterius usque in Alverniæ montes propagare videntur.

Spectantur autem in *Alverniæ* montibus, eorumque districtu sex potissimum celebrioris nominis *thermæ*; quarum priores sunt vulgo *de Vicleconte*, quæ ex immensa rupe ingenti fragore & fervore, è duobus veluti epistomiis præcipitatæ, aptum infra lavacrum præparant omnibus qui contumaci humorum colluvie gravantur; constat ex vitriolo, cujus signum est, quod destillata purum in fundo vasis relinquat vitriolum, & si quis aquis *gallam* impo suerit, is ipsam aquam statim in *atramentum* reperiet conversam; tantę acredinis, ut nisi alterius præterfluentis aquæ misturâ temperetur, ob nimis violentam & causticam quandam facultatem exulcerationes intestinorum efficiat, dysenteriam conciliet, aliosque morbos inducat; quæ tamen attemperata nulli non morbo profligando utilis & fructuosa est. Has sequuntur ad dictos Alverniæ montes, thermæ *Mont-d'or*, & quæ vulgo *Aygues caudes*, id est, *aquæ calidæ* vocantur, miræ pariter virtutis; unde magno hominum concursu celebrantur. Sequuntur has tota Gallia celeberrimæ, *Nivernenses* & *Borboniæ*, quarum vis & naturalis constitutio omnibus satis sunt notæ.

Restat tandem mirum in aquis prodigium, quod Claremontium nobile in Alvernia oppidum nobis exhibet, exponendum. Mire Philosophorum ingenia torsit *admirandum hujus fontis prodigium.* Exit hic ex rupe, & in ipso exitu rupes producit & lapides candidissimos. *Rivus* qui ex fonte manans ut transiri possit suis accolis propria virtute ponticulos extruit, hoc ingenio rivum super in modum fornicis dispositos adfluere faciunt, & mirum dictu, intra 24. horarum spatium, ponticulum continuâ & laboriosâ aquæ industriâ constructum inveniunt. *Aqua* siquidem hujus fontis limpidissima, sensibili operatione in lapidem fluxu naturali nunquam interrupto, commutatur. Et quoniam ab aliis fontibus nec colore, nec sapore distinguitur, *bruta* ipsa decepta dum eam avidiùs bibunt, mox deficientia intereunt; aperta siquidem, stomachum eorum non aquâ sed lapideâ mole expletum reperiunt. Incolæ hujus loci miram in hac aqua petrificativæ facultatis efficaciam curiosis spectatoribus exhibituri, aquam vitro infundunt, & è vestigio in lapidem conversa rupto vitro figuram ejus adeò exactè refert, ut in gypseum poculum intra modulum fusum credatur. Pari pacto in quodcunque cujuscunque figuræ vas aquam infuderis, mox vel uti coagulum quoddam sensibili condensatione in lapideam molem vasis figuræ prorsus similem commutatur.

Unde nonnulli curiosiores eam intra statuarum modulos seu formas infusam lapideam statuam rupto modulo reperiunt. Atque hoc de Galliæ *thermis* & *medicatis fontibus*, dicta sufficiant.

De Fontibus & Thermis Germaniæ.

Uti universa ferè Germania Superior potissimum Montosa, copiosis metallicis venis scatet; ita vix est locus qui non aut *thermas* aut *medicatas aquas* alicubi producat. Et *fontium* quidem *acidorum* in Germania tantus est numerus quantus in nulla alia Regione; *Thumhauserus* eos ad millenarium excurrere asserit, præter *thermas* ubique locorum obvias; quas, quia tædiosum foret describere, hîc *nomina* tantum locorum & compositionem apponam, ex diversis *Auctoribus* extracta.

Tabula Thermarum in Germania.

1. *Thermæ Curienses seu Piperinæ* aureo-sulphureo-ferreo-nitrosâ misturâ constant, omnibus infirmitatibus medentur. *Hæ Thermæ* præ aliis omnibus id mirum habent, quod tertiâ die Maij Inventione S. Crucis sacro erumpant, decimo quarto verò die Septembris Exaltationi ejusdem S. Crucis sacro die se se subducant, exsiccentque.

2. *Thermæ Plumbariæ* in *Lotharingia*, plumbeâ misturâ, unde & nomen habent, constant, medentur omnibus morbis exulcerationem adducentibus.

3. *Thermæ Badenses Helveticorum* sulphureo-aluminosæ sunt, calefaciunt & exsiccant, frigidis morbis opportunæ.

4. *Badenses* in Marchionatu Badensi propè *Argentinam*, sulphureo-sale-aluminosæ sunt; frigidis morbis auxiliantur.

5. *Badenses in Austria* sulphureo-nitro-aluminosæ sunt, morbis frigidis medentur.

6. *Ferinæ* in Ducatu Wirtenbergensi, vulgò *Widbad*, eadem qua præcedentes misturâ constant.

7. *Cellenses* ad Martianam sive Nigram Sylvam, sulphureo-nitro-aluminosæ sunt; febribus diuturnis medentur.

8. *Göppingenses*, in Ducatu Wirtenbergensi ad oppidum Goppingam, *acidulæ* sunt modico sulphuris mistæ, pectoris vitiis pulmonisque medentur.

9. *Avenses*, vulgò *Au*, *juxta Rotenburgum* ad Nicrum, eadem qua præcedentes misturâ constant, cum excessu tamen sulphuris; nervorum vitiis mirificè conducunt.

10. *Embsenses*, juxta Lacum Acronianum, alumine-nitrosæ sunt; dolori capitis, nervorum resolutionibus à colicis doloribus ortis conferunt.

11. *Gerbersveilenses* in Alsatia, alumine-ferreo-nitrosæ sunt; Lienosis, hypochondriacis, omnibus vitiis cutis opitulantur.

12. *Carolinæ*, juxta Elenbogen in *Boëmia* oppidum sulphureo-aluminosæ sunt; glandulas, strumas, ischiaticam, paralysin, & similes morbos curant.

13. *Wisbadenses*, Moguntiæ ex adversa Rheni ripa oppositæ ad pagum Wisbaden, sulphure constant cum exigua portione aluminis & nitri; frigidis conferunt morbis.

14. *Gasteinenses*, in Bavaria Diœcesis Salisburgensis, auro, sale, nitro, argento, ære constant; omnibus morborum generibus profligandis prosunt, mulieribus fœcunditatem conferunt.

15. *Abudiacenses*, in Bavaria, sulphure, alumine nitroque pollent, odore ova frixa referunt; facultates sunt eædem, quæ præcedentium.

16. *Albechenses*, in Bavaria propè Ratisbonam, sulphure, alumine, nitro, constant; calculo renum & vesicæ conferunt.

17. *Wemodingenses*, in Bavaria, sulphure, alumine, nitro, constant; ejusdem sunt cum præcedentibus facultatis.

18. *Hubadenses*, vulgò *Huberbad*, vicinæ Badensibus, sulphure, cupro & pauco alumine & sale miscentur; obstructionibus potenter subveniunt.

19. *Salzbergenses*, sulphure & halinitro constant; omnibus medentur morbis ulcerosis, præterquam venerea lue infectis.

20. *Badenveilenses*, intra Friburgum & Basileam, multum sulphuris, halinitri verò & aluminis parum habent

habent; Asthmaticis & viscerum oppilationibus conferunt.

21. *Wattenveilenses*, in Alsatia Superiori, sulphuris & halinitri portione tinguntur; ejusdem facultatis cum præcedentibus.

22. *Willengenses*, ad Hercyniam sylvam sulphureo-aluminosæ sunt; exsiccant, corroborant.

23. *Brinzbacenses*, cupro & ferro constant; hypochondriacis, lienosis & febribus quartanis conferunt.

24. *Kibbadenses*, in Brisgoja, sulphur, halinitrum, alumen, sal in se continent; omnia morborum genera curant.

25. *Glottorbadenses*, inter Friburgum & Waldkirchen sitæ, cuprum proferunt cum pauco sulphure; ictericis, hepaticis, aliisque morbis prosunt.

26. *Vogtspergenses*, in Alsatia copiosum produnt halinitrum, aluminis parum & sulphuris; scabiosis utplurimum conducunt.

27. Hisce vicinæ sunt *Zuckerthalenses* & *Salzenses thermæ*, ejusdem cum præcedentibus qualitatis.

28. *Uberkirchenses*, & *Nideravenses* prope Rhotoburgum ad Nicarum, produnt sulphur cum mistura vitrioli, seu chalcanthi; catarrhosis prosunt.

29. *Deinacenses*, in Hercynia Sylva juxta oppidum *Kalb*, ferreo, cupro, & alumine tinguntur; oppillatis prosunt.

30. *Fiderinæ*, alumen, cuprum, cum pauco sulphure continent, vinum colore & sapore imitantur; Hæmoptoisi medentur.

31. *Antigastrenses*, in Hercynia Sylva propè Oppenacum oppidum, sulphur, alumen, & nonnihil vitrioli continent; pravis humoribus evacuandis prosunt.

32. *Kirchenfeldenses*, in Palatinatu inferiori, in eo tractu, qui *Hundsruck* dicitur, ferro, cupro, vitriolo constant.

33. *Trevirenses cum tribus acidis fontibus*, primus prope Monasterium *S. Matthiæ*, alter *Berggeel* dicitur, ob luteum colorem; tertius propè *Mettersdorf*.

34. *Bassenheimenses* & *Kesselbrumnenses*, in Archiepiscopatu Trevirensi, alumine, nitro, halinitro, sulphure pollent.

35. *Conterthalenses*, in Valle cognomine propè Memmingam, alumen, halinitrum, sulphur cum portione chalcanthi produnt.

36. Hisce proximi sunt *Ponterbrun*, *Hailbrun* propè Andernacum, cui peculiare est, nil impuri tolerare, quod non statim eructet.

37. *Annabergenses* in Misnia, alumine cum venæ cupreæ misturâ pollent; rheumaticis symptomatis multum prosunt.

38. *Aquenses*, juxta Aquisgranum, sulphure, sale & alumine tinctæ; nervorum morbis potissimum sanandis opportunæ.

39. *Laubacenses*, in Suevia prope Ulmam, sulphureo-nitrosæ; omni ætati & temperamento conferunt.

40. *Leuningenses* & *Furstenbergenses*, sale-nitro-aluminosæ sunt.

41. *Lucenses* & *Brigenses*, in Wallesia copioso ære & medico sulphure constant.

42. *In Archiepiscopatu Trevirensi aquarum acidarum fontes* numeratur 12.

43. *Spigelbergenses* prope Hammeliam inferioris Saxoniæ, alumine, vitriolo, & ochra infectæ Arthriticis morbis conducunt.

44. *Teplitzenses* in Boëmia sulphure, nitro, alumine, bitumine & saxo calcario constant; nullum est ferè morbi genus, cui non prosint.

45. *Wolckensteinenses* in Misnia, de quibus doctè & eleganter Idiomate Germanico scripsit insignis Medicus *Augustus Harptman*, quem consule.

Atque hîc sunt sive *fontes medicati*, sive *Thermæ* in Germania celebres.

De Thermis & Fontibus medicatis Hungariæ, Transylvaniæ, cæterarumque adjacentium Regionum Septentrionalium.

Carpathus Mons dividens Transylvaniam ab Hungaria & Polonia, uti omnigenis metallorum, mineralium aquarumque speciebus fœtus est, ita quoque *fontes & thermas innumeras prodigiosis virtutibus refertas*, ubique passim locorum producit; Pyrophylaciis subtus strenuè Naturæ machinationes urgentibus. Ignis siquidem naturâ suâ ad adscensum propensus conclususque in intimis terræ cavernis semper agitatur ad aliquem exitum, quem ubi repererit cum nascentis aquæ alicubi fontibus eos ad summum fervorem alterat, cujus nempe vires neque aqua, nec ventus, minime omnium ignis destruat; imò quo semel impetum facit, eò urget fortius, exorbitatque invento obice ad patranda symptomata, quæ videmus & in natura & in certis artis operibus admiranda; conclusus paulatim repit, ac mira postremò edit incendia; ita quoquo penetrat, & non exhalat, primò aërem obvium, qui magis est alterabilis, in se convertit, mox terram, quam penetrat, & non aquas solùm quas offendit, sed & saxa & cuniculos incendit omnes, maximè verò ubi naturali appetitu ad exitum trahitur, & per loca sulphure gravida, ubi fovetur & alitur, penetrat: atque hoc pacto vires sibi ad extremum fervorem quem in thermis videmus & sentimus, comparat; quod uti in omnibus huc usque recensitis *thermarum* fervoribus patuit, ita vel maximè in *Hungariæ, Transylvaniæ thermis* eluceslit.

De *aquis & lacubus calidis, & quæ Arctoo frigore* nunquam congelantur, videatur *Oslaus Magnus*, *de Islandiæ & Groenlandiæ thermis*.

In Scotia, Anglia & Hybernia, lege si placet *Hectorem Boëtium*, *Buchananum* ut & *P. Eusebium Norimbergum* de *miraculosis Naturæ effectibus Hyberniæ, &c.*

De Italiæ Fontibus Thermisque.

Italia Alpibus clausa & concatenatis Apennini jugis per medium juxta totam suam longitudinem divisa, nec non Mari Supero & Infero vallata eum à natura situm obtinuit quem nulla alia in Geocosmo similem; & quoniam Natura tanto eam naturæ munimine cinxit, fieri non potest quin unà eidem junxerit omnia non ad humanæ vitæ sustentationem duntaxat necessaria, sed ad deliciarum ubertatem abundantissima subsidia; inter quæ *thermarum* multitudo & varietas maximè sese spectandam præbet; quarum quidem numerus si exactè recensendus foret, nec charta sufficeret ad eas describendas, nec ingenium ad impenetrabliles earum virtutes & proprietates, quæ in iis elucescunt explicandas.

Primò ad eas me conferam enodandas quæ in Transpadana Italia nominis celebritate præcipuæ sunt; quarum in solo *Territorio Patavino* sex numerantur; & sunt *Balneum Aponitanum*; Balneum *Montis Osthoni*; *S. Petri*; *Domus nova*; *D. Bartholomæi*, & denique quod *S. Helenæ* vocant; quorum omnium naturam ordine paucis perstringam.

Balneum Aponitanum, Grecæ ἄπονον eò quod sine dolore medeatur, non ab hodiernis tantùm sed & veteribus Scriptoribus, *Suetonio*, *Claudiano*, *Plinio* celebratum, in media valle situm, qua spectat Septentrionem montibus cingitur, quà urbem respicit *Patavinam*, vastâ planitie circumdatur; assurgit collis crudo quasi pumice compactus, ex quo per lapideas veluti fistulas uberi perennique fluxu manat *laudatissimâ illa aqua*, *Aponensium thermarum* mater; de cujus misturâ

fuerunt

fuerunt varia Medicorum judicia. *Fallopius* uti mille experimentorum modis scrutinium fontis aggressus, nihil non egit quo in intimam fontis miscellam pertingeret, ita meritò omnibus reliquis palmam eripuisse videtur, dum irrefragabili experimentorum notitia doctus tandem statuit inesse aquis illis salem quidem ex prædominio, deinde *lapidem calcarium* (qui videlicet coctus vertitur in calcem) denique *vaporem sulphureum*, unde intulit, aquam calefacere in secundo gradu remisso, exsiccare itidem in secundo gradu, at intenso; quod ex Iatrica scientia contra *Savanarolam* ita comprobavit ut de eo nullus ampliùs apud Medicos dubitandi locus relinquatur. Usus earundem quadruplici modo perficitur; potu videlicet, insessione, embrocha sive stillicidio, & laconico, quibus omnes morbi ab inveterato frigore & humiditate originem ducentes curantur, exceptâ lue gallicâ.

Ab Apono versus Occidentem progressis 150. passibus occurrit collis prealtus, cui nomen *Orthoni*, ad cujus radices visitur ædes Deiparæ sacra multis inclyta miraculis; in cujus vestibulo caverna visitur, intra quam per lateritiam scalam descensus patet. Hic manat purior unda, *Aqua Virginis* dicta nonnihil tepida, & meritissimo condita sale, solo potu mederi apta. Non procul ab *Aqua Virginis* aquæ ferventissimæ *scaturigo* cernitur, *salsa & sulphurea* ad sanandos intracutaneos morbos peridonea. Non procul hinc *duo balnea* cernuntur tepidis & medicatis vaporibus repleta, optimi ad emolliendos artus remedii. In lacuna autem illa fervens aqua scatet, est lutum argillosum & pingue, cujus vis ea est, ut siccet, digerat, roboret, & dissitas partes jungat; cave tamen ne dum calidum est affectæ parti admoveas, sed eam aqua illa prius calefactam frigido cæno oblines, Soli exponendo, deinde usurpando.

Ex *Patavio* per 12. milliarium planitiem digressis occurrit amœnissimus collis, ex cujus visceribus ebulliunt *ferventissimæ* illæ *aquæ*, quæ ab ædicula *D. Petro* ibidem constructa consecrataque, nomen habent; copioso sale constant, & succo quodam Ochræ haud absimili; moderatè calefaciunt, siccant & leniter roborant.

Quatuor ab his milliaribus progressis, occurrit collis, qui ex Boreali parte *ferventissimas aquas* evomit, ex altera parte fontium medicatorum ibidem scaturentium frequentia celebris est quos à nova domo à Carrariis Patavinæ Urbis Patriciis ibidem ædificata, *Thermæ novæ domûs* vocantur, quæ tamen culturæ negligentia hodie quasi obsoletæ squalescunt.

Ad 500. passus circiter hinc descendentibus, occurrit Mons quem ab ægrotorum frequentia illuc confluentium *Mons ægrotorum*, corruptè *Monte groti* dicitur; ex hoc monte *Thermæ* manant *celeberrimæ*, sulphure, sale & gypso compositæ, unde siccant vehementer, moderatè calefaciunt, cutis ulceribus potissimum conducentes.

Ulterius provectis in convalle quadam ardius undique cincta collibus, à *D. Petri balneo* duobus millibus passuum dissita, occurrit *Balneum S. Bartholomæi* ab æde ejus honori consecrata sic dictum, *omnium thermarum celeberrimum* & frequentissimum, non quidem ratione aquæ, sed ob ferventissimum & bituminosum, cui illa supernatat, *lutum*, ad artuum nervorumque emolliendum rigorem illitione peridoneum; fervorem hunc concipiunt ex igneo & bituminoso, quem inferni ignes spirant halitu.

Duobus deinde hinc milliaribus visitur Sacellum *S. Helenæ* in colle dicatum, unde & *balneum* nomen habet. In quo præter venusta Laconica & gemina stillicidia & fontem ferventis aquæ & medicatum lutum; aqua sulphureis referta vaporibus habet præter salem, sulphuris modicum, & nescio quid argillosum ad ochræ colorem vergens; unde moderatè calefacit & siccat: *lutum* verò frigefactum vi medicatâ privatur. Mirum in hoc quicpiam latet & diversum à luto *balnei S. Bartholomæi*, quod hoc potenter exsiccet, illud verò emolliat.

Atque ex hac *thermarum multitudine*, quæ in *Agro Patavino* elucescit, luculenter patet, *totum hunc tractum subterraneis ignibus*, & consequenter omni mineralium genere refertum esse, quæ venas suas in circumvicinas regiones longè latéque diffundant. In Agro siquidem Veronensi, decimo Patavio dissito lapide, statim *Thermæ* occurrunt *Calderianæ*, quibus Medici non tantùm ad potum insessionémque, sed & ad usus varios, quin & ad coquenda pro ægris cibaria, & ad vinum diluendum utuntur; mistura ejus constat rubrica synopica cum modico salis & sulphuris. Correspondent hisce per subterraneos cuniculos in Cispadana Regione *Thermæ Aquaritanæ, Regienses*; scatent ex Mutinensi Agro ad Aquarium Regiensis urbis pagum: peritiorum Medicorum judicio sale, nitro, & calce marmoreo constat aqua, cujus hæc mira vis est, quod *extra fontem centum annorum spatio incorrupta perseveret*; unde non solum per Italiæ vicinas Provincias, sed & in Galliam, Hispaniam transfertur; omnes, quos Aponitana usus habet. Huic proximè correspondet in Flaminia *Balneum D. Mariæ*, tribus distinctum thermis, Dominorum videl. Medii & Thurris, quarum aquæ omnes sal habent ludicissimum & gemmeum cum portione nitri, vaporibus ad hæc sulphureis, & calce marmorea tingitur.

Thermæ Hetruriæ.

In nulla Italiæ Regione copiosiores *thermas* me reperisse memini, quam in *Hetruria*, quas si quis ad numerum revocare vellet, is facilè ad 50. earum excurreret. Sunt enim inprimis, quas fundit, *Thermæ* Territorii *Lucensis*, *Pistoriensis*, *Pisani*, *Volaterrani*, *Viterbiensis*, *Braccianensis*; quorum unumquodque iterum in diversas & multiplices alias *thermas* dividitur, quas unico intuitu sequenti tabulâ exhibemus.

Tabula Thermas Hetruriæ continens.

Lucensi. Florentiolæ, Malapetræ, Corsenas, de Ducciis, S. Joannis, Villenses.

Pisano. B. Reginæ, S. Juliani, De Aquis.

Volaterrano. Bagno al morto. Balneum casei cocti, Ducciæ, Balneum planitiei, S. Michaëlis, Cum diversis aquarum generibus.

Senensi. Thermas S. Philippi, Thermas S. Cassiani, & in decem fontes distribuuntur, Aquas Borræ, Balneum de Avenione, *Bagno bello*, Balneum Clusinum, B. Russellanum, B. Rapolanum, B. Saturnium, Baln. Montis Alceti.

Viterbiensi. Baln. Bullicamum, B. Bassetum, B. Cruciatum, B. De Palatiis, B. Jasellimum, Castrense, Balneoregium, Ad lacum Vadimonis.

Braccianensi. Bal. Vicarellum, De Styliano, B. Cæres veteris, B. Centum cellarum, Et complura ad maritimam oram, B. Nepesinum.

Thermæ Campaniæ.

Hetruria Campaniæ per subterraneas minas colludens, innumera *Aquarum medicatarum Thermarumque* genera producit, in *Agro* potissimum, *Puteolano*, *Bajano*, & vicinis *Insulis Ischia & Prochyta*, quæ eandem toto eo tractu Terrarum originem ac subjectam habent tum à sulphurea Puteolis, tum à Vesuvio Neapoli *Vulcani* officinis terrarum combustarum cinerumque naturam; quarum nonnullæ non acres tantùm sunt & injucundæ, sed blandissimæ ex ipsis cineribus exiliunt jam extinctis, uti modo ita olim celeberrimæ. Aliquæ in quibus nonnulla viget acrimonia, utilissima in

ma in potibus ad multas infirmitates, abstersoriæ nimirum facultatis, & vel nitrosæ sunt, vel salsæ.

Ciceroniæ aquæ olim, modò *Balneo del prato* dictæ, in Bajanis sitæ sunt, de quibus *Plinius* sic ait; *Digna memoriâ villa est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, porticu ac nemore celebrata, quam* & M. Cicero *Academiam vocabat*; *in qua post obitum ipsius* Antistio Vetere *possidente fontes eruperunt calidi, quos oculis perquam salubres eleganti Epigrammate* à Laurina Tullio *ejus liberto fuisse celebratos*. Hodie eadem virtute pollent, & præstantissimum collyrium sunt, ex Cadmia cujus tinguntur virtute, constant.

Sunt & hoc loco, vetustate tamen ferè obsoleta, *Balnea* alia *Solis*, *Lunæ* alia, alia *Imperatoria*, à vetusta superstitione sic dicta, sulphure & ferro constant. Hinc milliaribus tribus progressis sub Promontorio Misenno, occurrit celeberrimū *Cantorelli Balneū*, quod ob miros effectus, quos in spiculis ferreis extrahendis præstat, magnetis tincturâ infici perperam opinantur. Huic proximè in Lucullano Agro ad Cryptam *Pausilipi*, *duo fontes* magnæ virtutis emanant; à dextris limpidissimus, à sinistris lactei coloris, cujus aquæ hyeme tepescunt, æstate frigidæ sunt, cujus ratio jam dicta fuit, ex calcis, sulphuris & ferri misturâ constat, uti ex montis ferrugineis glebis saxisque constat. In hoc eodem Bajano sinu ad *S. Mariæ* Monasterium *Balneum Petreoli*, & aliud, quod *Culmam* vocant, ejusdem naturæ, occurrit, detersoriâ virtute constant.

Dum Anno 1638. hunc tractum examinarem, equidem miratus sum, *fontium medicatorum* in hoc tractu *ebullientium copiam* & varietatem, cum vix centum passus conficias, quibus non novus aliquis fons aut lacuna differentis virtutis occurrat.

Vidi hîc *fontem*, quem *Gillerosi* vocant, renibus purgandis opportunum. Proximæ sunt *aquæ*, quas *Bracchulas* vocant, sulphureo-nitrosæ naturæ; *S. Georgii thermæ*, quæ totæ nitro constant. Alia *Pugilli* nuncupata hæmorrhoidum fluori peridonea, constringentis facultatis. Alia *Succellaria* ad margines Averni lacus emanans, diluta visitur, subalba & sapore, urinas, calculo tum renum, tum vesicæ pellendo proprii. Hisce jungitur *Juncana* propè Cryptam, eò quod inter *juncos* ebulliat, potu sumpta pinguefacit, Venerem in frigidis excitat. Sunt & in hoc districtu aliæ fontanales, *de Petra*, & quam *Plagam* appellant *Balneolum* potissimum ob vim corroborativam Neapolitanis in pretio est. Ad Monasterium *S. Anastasiæ* vel exigua scrobe effossa, aqua limpidissima exilit tum potu grata, tum viribus medicatis plurimum pollens; adeóque scatet totus hic *Bajanus* tractus aquis, adeóque salubribus ut non immeritò *Horatius* de iis cecinerit.

Nullus in Orbe locus Bajis *prælucet amœnis*.

Emanant hîc, dicit *Plinius*, benignè passimque in plurimis terris *medicatæ aquæ*, nusquam tamen largius, ac pluribus auxiliandi generibus, quam in *Bajano sinu*; aliæ sulphuris, aliæ bituminis, aliæ salis, aliæ nitri, aliæ aluminis, nonnullæ item acidâ variâque misturâ, & vapore quoque ipso aliquæ proficientes. Quibus incomparabilis locorum accessit amœnitas, quam admiratus olim *Martialis* sic ad *Flaccum* scribit.

Littus beatæ Veneris aureum Bajas,
Bajas superbæ blanda dona naturæ;
Ut mille laudem, Flacce, versibus Bajas,
Laudabo dignè non satis tamen Bajas.

Verum tamen, quæ est rerum humanarum inconstantia & vicissitudo, eorum pleraque in præcedentis seculi *Puteolani* territorii incendio, cineribus obruta & submersa fluere desierunt; quæ verò ex tanta clade remanserunt, hodie utilissima frequentantur, cujusmodi sunt quas recensuimus. Plena itaque omnia hujus Agri loca ebullientium fontium thermarumque scaturiginibus, ita ut vel in ipsa *Cumanæ Sybillæ* crypta, Natura *thermalem* produxerit *aquam* humanæ infirmitati medicatricem. Plena quoque omnia ignibus sunt, uti Phlegræi campi; seu *Forum Vulcani*, abundè testantur; ut proinde hisce locis mirificum *Aquæ & Ignis conjugium* paranympha Natura, Suprema omnium Opifex Mens constituisse videatur. Ab his porrò per subterraneas cuniculorum ambages vicinæ Insulæ Ischia & Prochyta, quas junctas in unum olim *Ænariam* vocabant, tantum *aquarum* diversissimarum *igniumque* fœturam conceperunt ut vix sit in iis locus qui hisce non abundet.

Thermæ Siciliæ & Liparitanæ.

Non dicam hoc loco de *Thermis* & *Fontibus medicatis* quæ in reliqua Regni Neapolitani maritima ora passim magno numero in *Calabria* occurrunt, sed in *Siciliam* calamum convertam, in qua quas Natura alibi sparsim ostendit divitias, eas in hac Insula veluti in parvam quandam *epitomen* contraxisse videtur; à qua exempla differentiarum cunctarumque alterationum in aquis medicatis elucescentium meritò petenda sunt; verùm *Vulcani Regnum*, ubi *Ignis* manifestè se prodit natura, ejusque *effectus* qui sunt flamma, vapor, combustio; fumus; ignis *materia*, sulphur, gleba pinguis, cinis, pumex, lithanthrax, bitumen, sal, vitriolum, omnis generis metalla. Unde ob materiæ varietatem mirè variantium ignium operationes, innumera undique exoriuntur sudatoria, *aquæ calidæ*, *tepidæ*, *frigidæ*, *salsæ*, *acidæ*, *albæ*, *nigræ*, *sanguineæ*, *unctuosæ*, *bituminosæ*, *putridæ*; quæ non venas solùm præbent, sed & integra flumina, lacus, fontes, balnea producunt. Nec alicui mirum hoc esse debet; qui enim immensam vim *Ætnæ* nôrit, is quoque omnium horum causam & originem facilè asseruerit; hujus enim potestas per transversos quacunque pyragogos canales ex intimis barathris diffusa, in totam hujus Insulæ periodum perpetuis vaporum fumis sæviens, pro eo caloris gradu quem continent, vel è specubus æstuant, sudatoria efficiunt; vel ubi aquis observantur, eas inalterant, tincturisque suis tot faciunt *thermarum genera*, quot aliàs forsan non reperiuntur in toto *Orbe Terrarum*.

Inter cæteras, celebres sunt illæ *Thermæ*, quas in *Selenuntinæ* Urbis reliquiis, hodie *Sciacca* vocatur, producit, varietate admirabili; siquidem in medio altissimi Montis *S. Calocero* dicati, varii hinc inde *specuum labyrinthi* occurrunt; quorum alii rectis, transversis alii, cuniculis patent; alii in imum Terræ Tartarum profundissima voragine porriguntur; qui semper horrendo ac formidabili fragore retonant; sive ob inclusam ignis latentis multitudinem, sive ob ventorum hinc indè currentium inclementiam, sive ob undarum maris in cuniculos montis magna vi agitatarum impulsum, certè tonitruum fragoribus haud absimiles constitutis temporibus edit; res horrenda nulli non metum incutiens. *Antrum* inter cæteros est vastum, in cujus medio *puteus* profunditatis immensæ, & visû ad imum tenebrosus & horridus, hic calentibus pluribus hinc indè scatet venis, quæ ex diversarum cavernarum canalibus relabuntur, ac vapores simul emittit, qui ad supremam antri concamerationem salubres excitant intrantibus sudationes. Visuntur & in hunc diem

diem in ſaxo vivo à Veteribus ab immemorabili tempore inciſa ſedilia, variis ornata inſcriptionibus, quæ tamen uti temporum injuriis exeſæ ſunt, ita omnem ſpem penetrandi curioſis eripiunt. Sunt & in hoc Antro *ſiphones*, ſive Artis ſive Naturæ induſtria neſcio facti, calidis referti vaporibus, ad quos ii qui capitis intemperie, aurium tinnitu ac ſurditate laborant, auribus applicatis exiguo tempore ab infirmitatibus liberantur; nervis quoque corroborandis proſunt; unde inſigni infirmorum illuc magno numero, præſertim in feſto *S. Colaceri*, confluentium emolumento viſitantur, Xenodochio publicis ſumptibus in eum finem illic extructo. In planitie hujus montis alia mox exurgunt *Thermarum* genera, & inter cæteras *aqua* limpidiſſima, miræ ad laxandum alvum virtutis, quam qui non cognitam biberit is utique magnis ſe adſpectantium ludibriis exponet, cum operatio adeò à potatione ſubitanea ſit ut vix tempus & locus ſe honeſtè ſubducendi detur. Undè indigenæ nugatores ridiculum cum exteris doloſa inductione ad bibendum inductis ſæpenumerò exhibent ſpectaculum.

Non deſunt ad Ætnæ radices Thermarum copiæ, quæ tamen ex tanto numero meliorum non curantur. *Syracuſis* nobiliſſimos fuiſſe lacus *Piſmam* & *Cianon Mirabella* docet, quorum hunc cum Luna incrementum decrementumque pati *idem* aſſerit. *Catanæ* quoque duas olim magno columnarum apparatu *thermas* celebres fuiſſe, *Pet. Carrera* in Catanæ deſcriptione demonſtrat. Catanâ Panorum terreſtri itinere petentibus è latere occurrit *Oppidum* quod *Mineo* vulgò vocant, in cujus planitie celeberrimus ille ab antiquis memoratus Scriptoribus *Palicorum Lacus* paulò intra mediterranea occurrit, immenſæ profunditatis, occulto cum *Ætna* correſponſu, *aquis ad tres cubitos in altum aſſurgentibus* veluti colludere videtur, flatibus in eas tum à mari vicino, tum ab Ætna incumbentibus. *Sulphuroſæ* ſunt, ac cinereæ; eaſdem quas Ætna infectiones habet, incendii, ſulphuris, cineris ac putoris; unde *halitus* mittunt non avibus tantum *lethiferos*, ſed & hominibus periculoſos, cum non ſecus ac Ætna *flammarum* quoque *globos* ejaculentur, de quibus ſic *Ovidius* 5. Metam.

Perque lacus altos, & olentia ſulphure fertur,
Stagna Palicorum ruptâ ferventia terrâ.

Hodie à mephiti quam expirant *naphtæ*, ab incolis *Naphthia*, nominantur; & cum tribus fontibus ſcateant, hi tamen labra ſtagni non excedunt, haud dubiè per ſubterraneos meatus alibi ſe ſe exonerantes, uti ſupra de lacuum proprietate oſtendimus. Hujuſmodi *lacus* quoque *Agrigentum* inter & *Bivonam* cernitur inexplorabilis profunditatis, qui ſulphureas undas ex origine ſua ad tres cubitos in altum ſumma intuentium admiratione ejaculatur. Rurſus in Peloro ad fretum Mamertinum tres lacus occurrunt, veterum ſuperſtitione celebres, à quibus non procul diſtant *Thermanæ Urbis*, ex Hymeræ Urbis vetuſtiſſimæ ruinis, *Cicerone* & *Plinio* teſtibus conditæ, *balnea*, tum ad delicias tum ad morbos profligandos peridonea. Ad *Ennam* quoque, quæ hodie *Caſtrum Joannis* dicitur, lacunæ comparent, *Proſerpinæ* raptu celebres, quam Poëtæ fingunt hoc loco inferos petiſſe, voragine poſt ſe relictâ fœtidiſſimis putidiſſimiſque aquis referta. Sunt & in Panormitana Diœceſi *aquæ* naturâ ſulphuroſæ & ferventiſſimæ, uſu in balneis nec minus in ſudationibus famâ celebres. *Drepanum*, quæ olim *Segeſta* dicebatur, ad radicem montis *Ericis* diverſis pariter uti metallorum ita aquarum diverſitate ſcatet, quæ licet calidiſſimæ ſint & ſulphureæ, quia tamen ſalis cuniculum non tranſeunt, ubi refrixerint, *Strabone* teſte fiunt potabiles: hodiéque durant *tria balnea*, quorum prius calidum, alterum calidius, tertium calidiſſimum eſt; ſub quibus uti refert *Fazelus*, ad jactum fundæ ingens lacus ſulphureus eſt, qui ſubitaneâ eructatione æſtuoſus, Herbeſus *Solino*, incolis hodie *Gurgus* dicitur.

Tempus me deficeret, ſi omnes lacus, fontes, flumina, Charonticas ſcrobes, lacunaſque ſulphureas, in mediterraneis *Siciliæ* locis recenſere attentarem; ſed hæc Lectori, quæ egomet vidi, dicta ſufficiant.

Liparitanæ ſive Vulcaniæ aut Æoliæ Inſulæ ita ſcatent *thermis* ut vix locum relinquant aquæ potabili, quà medicatis fontibus, quà ignibus fœtæ.

Africam inter & Siciliam Inſula interjicitur *Pantalaria* nomine, *Solo* quocunque incedas, arido eſt, rubro & calido, ut vix nudis pedibus ambulantibus toleretur, quæ utique ex imis æſtuariorum, quæ Vulcaniis officinis Ætneis & Liparitanis per ſubterraneos cuniculos correſpondent, originem trahit; & ex ſpecubus montium patet, qui aquis & vaporoſis flatibus exagitati, jugi intus perpetuóque ſonitu fremere ſentiuntur. Summum in ea Naturæ prodigium, *Fazelo* teſte, cernitur; cùm enim terra nimio ardore ſitibunda aquæ dulcis ſummam penuriam patiatur, miro ſanè Naturæ conſilio hiſce incommodis proviſum eſt. Eſt in medio Inſulæ ingens *Antrum* horridis undique & undique ſaxis concameratum; in hujus antri umbilico immenſæ profunditatis vorago comperitur, ex qua perpetui exſurgentes halituum vaporûmque fumi, in vaſto fornice condenſati in *dulcis aquæ* latices reſolvuntur, tantâ copiâ & multitudine, ut ea indè intra ſiphones partim arte, partim naturâ factos extra corrivata, toti Inſulæ ad potum, aliorúmque uſum abundè ſufficiat.

De Aſiæ, Africæ, & Americæ Thermis.

Dico, *eandem, quam in Europa vidimus, Thermarum fontiumque mineralium abundantiam in cæteris Orbis Terræ partibus exiſtere*, idque ei ſolummodò dubium eſſe poſſet qui miras Naturæ leges ignoraverit. Sed ne gratis tantùm hæc dixiſſe videamur, jam nonnullas earum, tum ex Hiſtoricorum monimentis, tum variorum, qui Orbem Terrarum ſtudioſè perluſtrârunt, relatione commemorabimus.

Aſia Major & Minor, unà cum Græcia quam comprehendit, adeò plena *thermis* & fontium miraculis ſcatet, ut integro opus foret Tomo ad eas omnes deſcribendas; legat qui volet *Ariſtotelem de admirandis*, *Plinium*, *Solinum*, *Theophraſtum*, *Ælianum*, innumeroſque alios; conſulat præterea *Pauli Marci Veneti Itinerarium*, qui paſſim earum in Tartaria, cæteriſque Regionibus meminit. *Haithon* quoque Armenus *de Thermis, de Mari Caſpio*; de Perſide *Itineraria variorum*, qui plenam totam admirandis aquarum fontibus eſſe exponunt. *Annales Societatis JESU de rebus Indicis* eas paſſim commemorant; & inter cæteros exactiſſimè *P. Martinus* in eximio ſuo opere quod *Atlantem Sinicum* inſcripſit. Japonia *calidiſſimis aquis* perpetuò, teſte *Aloyſio* Froës, fervet: Inſulæ Philippinæ ita iis ſcatent ut vix ex undecim millibus, quæ in iſto Archipelago numerantur, Inſularum una occurrat quæ non aliquid ſingulare & admirandum in aquis producat.

Africa ad litora potiſſimum innumeris medicatis aquis abundat.

Non dicam hîc de Americæ provinciis, quæ adeo iis refertæ ſunt ut, quemadmodum Hiſtorici narrant, non tantum mediterraneæ Regioni ingentem earum copiam ſuppeditent, ſed & in nonnullis locis ex altiſſimis rupibus *ferventiſſimas* fluminum ad inſtar effundant; & ſi alicubi exitum non inveniant, per ipſum maris fundum, in extimam maris ſuperficiem magno impetu,

impetu, omnes mirificis pollentes virtutibus profundant. Sileo hîc Mexicani Regni Thermas frequentissimas, tum ad deliciarum, tum ad morborum medelam à benigna Natura institutas. Dies me deficeret, si quæ in Guatimala, Peru, Chili, Quito; Cusco, Potosi Naturæ in aquis miracula spectantur, describere attentarem. Sit itaque hæc Regula catholica: *Ubicunque Vulcaniæ officinæ cum metallicis fodinis reperiuntur, ibidem thermas* veluti individuos earum comites *abesse non posse*; sed ubique Vulcanias officinas, sulphureas fossas, nitrosos, salinos, aluminosos, vitriolatosque fontes reperiri in præcedentibus ostensum fuit. Recte itaque inferimus, *Thermas nullibi locorum*, mirandæq; facultatis fontes *deesse*. Sed hæc de *Thermis* sufficiant.

Unde medicata facultas Thermarum, contra tot ac tam differentes morbos, profluat.

Cùm in tota rerum naturalium contemplatione nusquam mirabilior appareat *Naturæ majestas* quàm in mira *aquarum varietate*; certè omnibus modis demonstrandum est, quisnam sit opifex tantorum effectuum, quodnam magisterium, quo diversissima cæteroquin elementa & qualitatibus prorsus contraria, tanta tamen concordia in calidis aquarum *thermis*, tanta harmonia uniantur ut aqua humiditate sua igneam vim non extinguat, & ignis potentia vi sua omnium efficacissima contrarium humorem non offendat: imò naturali quadam amicitiæ ambitione, ea pacis fœdera pangunt quæ nulla potentia dissolvi posse videantur; ita ut ignis omnia per omnia activitate sua moveat, nutriat omnia per omnia aqua, sicque adeò juxta *Philosophi* effatum, prima vitæ participatio ex calore, ejusdem conversatio in humido. Quomodo & quo paranympho virtutum diversissimarum confluxus tam arcto conjugio, tam exacta proportione, tam præcisa mensura & symmetria attemperentur, altioris utique scrutinii est. Agedum, *tentemus* nonnihil, in quo si Lectori non undequaque satisfecisse videbimur, saltem quidpiam nos in re ardua tentasse, laudem merebimur.

Sapientissimus Conditor rerum Deus Opt. Max. uti omnia propter Hominem produxit; ita quoque omnibus ad eum in perfecto sanitatis statu conservandum mediis omnis generis instructum esse voluit. Hinc nihil in rerum natura est quod peculiari virtute medica non polleat; nil quod non unam aliquam ex humani corporis partibus virtute sua respiciat, & mirifico quodam charactere id ad quod fovendum conditum est, præ se ferat; imo veluti pondere quodam in id cui naturali amicitiæ lege correspondet, feratur. Quoniam vero corporis humani constitutio plurimis sulphureis, nitrosis, salinis, vitriolatis & oleagineis partibus constat, iisdem videl. quibus unumquodque mixtum; hinc fit ut *aqua thermarum calida*, cui exactè commiscentur, usurpata, miros istos, quos in infirmorum symptomatis miramur, salubres effectus præstet. Neque enim putes velim, omnes horum effectuum causas, à primis semper qualitatibus dependere, sed utplurimum à specificis rerum quæ thermis miscentur viribus qualitatibusque. Sunt autem *quæ medicatis balneis* plerunque perfecta unione miscentur, sal, nitrum, alumen, vitriolum, sulphur, bitumen, unà cum septem metallorum tincturis, quæ uti nescio quo magnetismo ad concreditas sibi humani corporis principales partes feruntur, ita illas quoque eâ, de quâ disserimus, virtute mirificâ beant, & in perfecto sanitatis statu conservant. Sed rem tandem ostendamus, initium facturi à *medicatis Aquis salsis*.

Omnis terra participat *Salem* ei proprium, ubi plus, ubi minùs reperitur; & *quales terræ reperiuntur, tales* obtinent *salsæ qualitatis gradus ipsæ aquæ*; unde fumosæ, siccæ, ponticæ, amaræ, acres, subamaræ; & ubi exactè tellus est salsa, exactè salsæ sunt; unde raro fit in aquis ex quapiam minera aut metallo impressio, quæ & salis non participet qualitatem, hunc enim saporem omnis terra participat; unde rursus patet, vix aquam puram & simplicem reperiri, uti *suprà* quoque docuimus, quæ non aliquid salis, etsi sub insensibili quantitate, contineat; graduum autem acredinis diversitas dependet à locis subterraneis per quæ fluit; quæ si per mineras sale copioso refertas ierit, salsissima; si per loca rariori sale fœta, minus salsa; si per glaream & sabulum fluxerit, deposita salis per transcolationem mole, insulsa egreditur. Cur vero *calidæ aquæ salsugineæ salsiores* sint *reliquis*, id accidit ex adustione; quæ fit ignis subterranei virtute, qua spiritibus evolantibus sal fixum restat, quo aquæ tanto redduntur salsiores quanto perfectiori mistura cum aquis sal dilutum fuerit. Idem itaque fit in *salsugineis thermis* à natura, quod in aquis sale dilutissimis arte paratis; quæ uti violenter exsiccant, calefaciunt minus, adstringunt, contrahunt, abstergunt, repurgant; quæ sunt salis propriæ facultates, ita cutim quoque abstergunt, omnemque excrementitiam ac putrescentem humiditatem coërcent, nimiamque corporis crassitiem cum tempore attenuant.

Quod itaque *salsa thermarum aquæ*, scabiosis, leprosis, elepsiaticis, maculosis vitiliginosisque tantopere conferant, id salis viribus utplurimum adscribendum est; quod cum à naturâ mirabili misturæ symmetriâ & proportione intra aquas digestum sit, hinc caloris aquæ inexistentis virtute per apertos poros penetrans, eos effectus præstat, quos miramur; & uti nulla corporis nostri particula est, quæ non salinis corpusculis constet, quæ si vel præternaturali calore aduratur, vel aliunde ex humorum corruptione perniciosas qualitates acquisiverit, fit ut intra *calida salis balnea*, ea naturali quodam appetitu sui similibus particulis, extrà aquæ vehiculo introductis attractæ, corpus à molesto hospite, per corruptæ putredinis vitiosique humoris intercutanei evacuationem, liberent.

Cur vero lienosis & hypochondriacis cæterisque morbis qui à flatibus originem trahunt, tantopere prosit, eo qui sequitur modo fit. Corpuscula salina unà cum aquâ calidâ, cui miscentur, per poros introducta & calore attenuata, universum mox corpus sua subtilitate pervadunt, obstructas ad lienem, intestina, uterum cæteraque membra, semitas acredine sua recludunt, ubicunque sui similia corpuscula humorum vitio depravata offenderint, illa attractu quodam in se derivant, & una tandem qua pollent abstersiva virtute, membra emolliunt, ad solitas functiones apta reddunt, fæces vero obstructionum causas, unà secum per exoneratoria naturæ ostia, subducunt. Hinc patet cur nonnullæ *thermæ* sterilibus *fœcunditatem* conferant; quia salina corpuscula aquis immixta humorum vitiosorum in uterinis morbis colluviem virtute sua exsiccant, discutiunt, abstergunt, vias occlusas aperiunt; quibus præstitis fœcunditatem, si naturalis uteri defectus non obstiterit, consequi necesse est. Atque hoc pacto medicæ *thermarum salsarum vires* in dictorum profligatione morborum operantur.

Nitrosæ thermæ in paucis à salis facultatibus discrepant; Calefaciunt enim, extenuant, digerunt, detergunt, mordent, spissant, siccant, exulcerant; ob efficaciam qua majori quàm salinæ pollent, salsis etiam amariores sunt, & ob acria, subtilia & spiritosa nitri corpuscula, quæ aquis miscentur, incidunt

cidunt & multò potentiùs quàm salsæ attenuant; unde viscidos humores educunt, alvum laxant, cient urinas, sudores provocant, renes mundant, arenulas pellunt, calculum frangunt, quicquid enim in corpore nitrosarum fæcium impuritate magna & malignantis qualitatis repererint, id tanquam sibi simile attractu quodam unitum acrimonia sua, omni phlegmate & visciditate consumpta dissolvunt. Nescio tamen quem abditum *ad oculorum vitia* & lippitudinem consensum habeant; siquidem longâ experientiâ observatum fuit, in *nitrosis fodinis*, nullum aut lippitudine aut oculorum vitio tentari; quod haud dubiè summæ ejus subtilitati & incisivæ facultati, quæ omnia detergit, adscribendum est. Unde apud Medicos *nitrum* semper collyrium habitum fuit ex paucis præstantissimum.

Aluminosæ thermæ, præter eas facultates quas cum nitrosis & salinis communes habent, adstrictoriâ potissimum virtute pollent; unde corporis partes tenuitate sua exonerant excrementis, easdem firmant, redduntque magis robustas; sanguinis fluxum quacunque de causa provenientem cohibent; GonorrhϾ fluxum sistunt; urinæ ardores mitigant; vesicæ ac ureterum obstructionem tollunt, relaxatam renum vim retentivam corroborant, & innumeros alios effectus pariunt, magno infirmorum adjumento. Cujus quidem rei ratio alia non potest esse, quàm vis quædam quæ uti misturam salis & nitri participat, ita multò efficacius, quàm prædicta, operatur; ex aquæ siquidem prædominio, habent quod refrigerent, ex acrimonia ignea verò, quod mediocriter exsiccent & adstringant.

Thermæ vitriolatæ, sive atramentosæ, Græcè χαλκάνθινα, à Chalcantho, quasi diceres *æris florem* ac superficiarium materiæ æneæ recrementum; uti itaque ex *ære* originem suam habent, ità solùm in iis locis quæ fodinis æneis scatent, producitur. Unde thermæ quæ per hujusmodi vitriolatas fluunt, virtutem participant vitriolo propriam, quæ est juncta vehementi adstrictioni cum insigni calefaciendi virtute, nec minus exsiccant, constipant, contrahunt, rodunt; unde nisi aptè temperentur, potui non tantùm inutiles, sed & periculosæ sunt; utilissima tamen in balneis aut embrochis sunt, iisdem morbis sanandis idoneæ quibus aluminosæ, nitrosæ &, salinæ, cùm superaddito tamen quodam, quod promptiùs penetrent & abstergant; unde vix *acidulæ* repeiuntur, quę *ex vitriolo* aliquid non participent, non quidem quoad eorum esse sensibile, sed quoad spiritosam vaporosamque substantiam, qua subtiliter & perfectè tinguntur.

Atque hæ sunt *quatuor Salinorum corporum species*, quæ *non mixtæ*, & singulæ per se operantes eosdem quidem effectus pręstant in iis quibus miscentur aquis, solummodo diversis intentionis gradibus, & à vitriolo quoque accedente ea facultate æri propria, differentes. *Commixtæ* tamen inter se toto cœlo differentes obtinent effectus, quos si ad *combinatoriæ artis* regulas revocamus, eos viginti quatuor diversissimos effectus obtinere comperiemus.

Combinatio misturæ quatuor Salinorum corporum, Salis, Nitri, Aluminis, Vitrioli.

Prædominans	Sal, sali Sal, nitro Sal, Alumini Sal, vitriolo Sal, nitro, alumini Sal, nitro, alumini, vitriolo.	Mixtum calid. hum.	siccat. siccat, attenuat. siccat, penetrat. siccat, attenuat, incidit. siccat, attenuat, penetrat. siccat, attenuat, penetrat, incidit, calefacit.
Prædominans	Nitrum, nitro Nitrum, sali Nitrum, alumini Nitrum, vitriolo Nitrum, sali, alumini Nitrum, sali, alumini, vitriolo.	Mixtum siccum calid.	attenuat, dissipat. attenuat, siccat. attenuat, penetrat. attenuat, incidit. attenuat, siccat, penetrat. attenuat, siccat, penetrat, incidit.
Prædominans	Alumen, alumini Alumen, sali Alumen, nitro Alumen, vitriolo Alumen, sali, nitro Alumen, sali, nitro, vitriolo	Mixtum sicc. frig.	penetrat, densat. penetrat, siccat. penetrat, attenuat. penetrat, incidit. penetrat, siccat, attenuat. penetrat, siccat, attenuat, incidit.
Prædominans	Vitriolum, vitriolo Vitriolum, sali Vitriolum, nitro Vitriolum, alumini Vitriolum, sali, nitro Vitriolum, sali, nitro, alumini	Mixtum humid. frig.	incidit, calefacit. incidit, siccat. incidit, attenuat. incidit, penetrat. incidit, siccat, attenuat. incidit, siccat, attenuat, penetrat.

Non posuimus hîc omnes *qualitates* quæ singulis ex his quatuor competere possunt, sed *primigenias* tantùm & prædominantes; quod si singulas unicuique proprias hîc apponere vellemus, *combinatio* meritò in infinitum cresceret. Cùm enim singula utplurimum quadruplici qualitatum dote à naturâ instructâ sint, 12. in 24. ducta, dabunt 288. differentes misturas, & consequenter differentes effectuum species; hæc si in quatuor primarum qualitatum gradus duxero, prodibunt 1152. uti misturæ, ita differentes effectus; ut proinde diversas salium, nitrorum, aluminum, vitriolorum species sileam, quæ si intra se combinare attentarem, res propemodum in infinitum abiret; quis autem si bitumen, sulphur & reliquæ metallicæ mineraliumque species accederent, combinationem rerum sufficientibus verbis describet?

Consectarium I.

Ex hisce patet, *nullam aquam medicatam dari posse*, *quæ non differentem* ab aliarum mineralium, metallorùmque *mixturam*, & consequenter diversas proprietatum *rationes sortiatur*. Habent enim sese

se se hæ *mixturæ* non aliter ac *numeri*, quibus vel unitas addita numerum essentialiter mutat, ut docetur *l. 4. Metaph.* ad quas etsi sensus pertingere non queat, in occultis tamen earum thalamis mirâ naturæ sagacitate mixtas latere, ipsa ratio à priori, à posteriori experientia docet; ut proinde miram Divinæ Sapientiæ in rerum naturalium dispositione providentiam satis admirari non possimus, dum admirabile illud diversissimarum rerum in unum conspirantium conjugium propiùs intuemur, ea temperie, proportione, symmetria & mensura quadam harmonica dispositarum, ut in usu earum infallibilem consequatur effectum infirma & morbosa mortalium conditio.

Meritò autem hoc loco quæri posset, *quomodo confusanea hæc* tantarum specie differentium rerum *miscella in aquas sine confusione operetur*; quomodo vires suas in infirmorum corporibus exerat? Ad hæc paucis respondeo: Cùm Deus & Natura nihil frustra agat, illiusque opera ex intentione optima & perfectissima sint omnia, certè necessaria ei fuit mira quædam attemperatio, ne unum alterius vires retardaret aut infringeret; sed unanimi quadam conspiratione medicinales humano generi, propter quod conditæ erant, conservando, consentaneos necessariosque effectus intenderent. Hinc factum est, ut sicuti singulæ dictarum rerum missarum species singula humani corporis membra respiciunt, & magnetico quodam sympathicoque ad ea affectu feruntur, trahunturque: ita intus potu, vel exterius sessione, lotione, illutatione embrochaque sive stillicidio sumptæ dictarum *aquarum singulæ species ad istiusmodi membrum confluunt quod amico naturæ affectu respiciunt.* Et quoniam *salinæ species* subtilissimis spiritibus referræ sunt, iis Natura veluti prodromis quibusdam utitur tum ad aperiendas portas obstructasque semitas extergendas, tum ad præparandam, digerendam, maturandamq; humorum congeriem; *sulphureis spiritibus* veluti tetrarchis in aquis calori suo omnia moderantibus animantibusq; Sequuntur tandem Optimatum introitus, qui sunt metallicorum corporum spiritosæ substãtiæ, quarum unaquæq; statim naturalem sibi stationem mansionemq; petit; & *aurea* quidé veluti regiis cumalata virtutibus, metropolitanam cordis sedem præ aliis occupat, confortantque, *ænea* & quæ multo sulphure constant ad pectoris arcem pulmonumque stationem confluunt; *ferrea* ad lienis hypochondriorumq; officinam, ad purgandam melancholicam fæcem properant. *Plumbea, stannea, & nitroso-salsa substantia* pollẽtia ad sanguificam Microcosmi culinam, jecur corroborandum, & ad phlegma hydropicorum expurgandum exsiccandumq; se accingunt. *Sulphurea bituminosa & nitrosa substantiæ* ad intestina dejectoriâ suâ facultate laxanda concurrunt. *Lapideæ substantiæ* miscella ad renes vesicamque sublevandam suas egregiè peragit partes. Alia incisiva & resolutiva sua facultate cerebri nervorumque morbis, paralysi, tetano, tremori, opisthotono, apoplexiæ per embrochen conveniũt.

Vides igitur, Naturam idem multiplicitate specierũ in aquis commistarum facere quod in perfecta *Democratici status* administratione fieri assolet, dum unusquisque officium sibi commissum in hoc vel illo loco, in hac vel illa officij conditione, meliori, quo fieri potest, modo peragit, omnes tamen in eundem semper scopum collimantes; quod in hoc est bonum commune; & unica *Reipublicæ salus*, in illo perfecta Microcosmicæ Oeconomiæ sanitas, temperiesque humorum.

Consectarium II.

Ex hoc patet, ferè *plerosque*, non primis qualitatum formis (quarum solum officium est, calefacere, siccare, humectare, frigefacere,) sed & *specificis mineralium proprietatibus* à tota substantiæ similitudine promanantibus, *miros* quos subinde in infirmorum cura præstare videmus, effectus produci: quæ quidem specifica proprietas nihil aliud est quàm *sympathia* quædam, & occultus naturæ consensus, quo una in hoc potius quàm in aliud humani corpus membrum virtutem suam exerit.

Vides itaque Lector, *quomodo medicæ facultates in thermis operantur*, & quâ virtute enarratos effectus perficiant. *Athan. Kircher. in mund. subterran.*

Hæc de Aquis jam paulò fusius; non tamen adhuc dum satis pro dignoscendis variis mineralibus quibus imprægnatæ in famosa abeunt medicamenta, tum intus tum extus, adhibenda. Quò itaque methodum probandarum aquarum ubique gentium scaturientium, illamque etiam pluribus exemplis ac experimentis specialibus illustratam; tradamus; quod de fontibus Galliæ meneralibus observavit Celeberr. Domin. Du Clos; cum totâ Regiâ scientiarum Academiâ; item quæ de fontibus medicatis Angliæ doctè admodum, pro more, conscripsit Clarissim. Domin. Lister; imò quæ de Salis cathartici amari in aquis Ebeshamensibus & hujusmodi aliis contenti natura & usu, non mediocri diligentia, expertus ac commentatus est, accuratissimus juxta ac doctissimus Nehemias Grevv, huc adferemus. Sic etenim experimenta innumera videbit Lector quibus quid & quomodo in omnibus aquis, sibi exquirendum veniat abundè patebit. Sint itaque primò.

OBSERVATIONES, Super aquis mineralibus, plurimarum Provinciarum Galliæ,

In Academia scientiarum factæ.

Cum aquarum mineralium usus, ob virtutem in sanandis pluribus morbis rebellibus & diuturnis nunquam non in pretio fuerit, nonnulli Medici id egerunt, ut præcipuas earundem in propria substantia examinarent, hunc in finem, ut judicare possent, quibus morbis, & cui ægrorum constitutioni convenirent: aliis communi opinioni, & observationibus quorundam effectuum inhærentibus.

Hæc materia, cum Physicæ contemplationis sit, Academia scientiarum Regia decrevit, inquirere in qualitates præcipuaaum hujus regni aquarum, easque in ordinario Physicorum hujus Academiæ conventu examinandas, non sine solicita diligentia afferri ex diversis provinciis curavit, usque dum occasio sese offerret, easdem ad ipsam earum scaturiginem observandi.

Hoc decretum, de procedendo ad examen, non sine magna deliberatione formatum est, utilitate harum aquarum in restituenda sanitate plurium ægrotorum, collata cum difficultate cognoscendi causas proprietatum illarum, ut quæ particulariter dependent à mistura diversarum & multiplicium materiarum, in decursu earundem sub terrâ, nec non cavitatibus & rupium interstitiis occurrentium, vaporum scilicet, succorum, salium, terrarum &c.

Multo maxima harum materiarum pars, quibus aquæ minerales scatent, ab aliis non discernitur, & diversa plurimarum materiarũ mistura, usq; adeo varias aquarum mineralium species, salutares vel pernitiosas constituere potest, ut omnes cognoscere & determinare impossibile sit. Aquæ unius ejusdemque fontis, diversis temporibus ob recentem admistionem, vel cessationem prioris notabiliter alterari possunt.

Vero simile non est, aquas hasce minerales à solis vaporibus mineralibus condensatis productas, & in terra usque adeo abundantes mineras esse, ut continuè suppeditare possint tantàm vaporum condensatorum copiam, quæ sufficiat alendo decursui aquarum nunquàm exarescentium. Sed fieri potest, ut nonnulli vapores, vel exhalationes minerales misceantur cum aquis communibus, per terram decurrentibus, ibidemque condensentur, ita, ut aquæ assumant qualitatem illarum exhalationum, nec non salium quorundam volatilium non concretorum, inter siccas has exhalationes, vel earundem vapores exaltatorum. Qualitates harum exhalationum, horumque vaporum haud facile discernuntur: diversitas materiarum permagna est, & casu inter se miscentur; conditiones locorum, per quos transeunt, & in quibus detinentur, non sunt evidentes, & alterationes, quas aquis, in quas se insinuant, imprimunt, non semper manifestæ sunt.

Nec minus difficultatis est in cognoscendis discernendisque succis, qui cum aquis mineralibus permisceri possunt, specialiter vero illis, qui concretionem non admittunt, nec aliquam sensibilem qualitatem his aquis tribuunt: hi enim liquidi & plane volatiles succi in destillatione unà cum aquæ materia transeunt, nec nisi per effectus, quos simplex aqua producere nequit, sese videndos exhibent.

Succi, concreti vulgo dicti, cum resolvi & condensari possint, post destillationem vel evaporationem aquæ aliquid post se relinquunt, quod illos visibiles & palpabiles reddit. At vero species & proprietates illorum, si numero plures sint, ægrè discernuntur, nisi aliquam cum illis qui noti sunt cõmunionem habeant.

Salia & terræ inter materias, quæ aquis fontium & puteorum miscentur, magis sensibiles, magisq; communes sunt: nec est ferè terra, quæ non aliquid salis, in transcurrentibus aquis dissolubilis imbibat: & decursus aquæ semper aliquid subtilioris terræ secum vehit: atque hoc in his aquis magis manifestum est: sed cognitio horum salium & terrarum, aquâ mistarum, non semper usque adeo distincta est, ut de certa illarum specie quidquam decerni, & certum de earundem proprietatibus judicium ferri possit.

Pauca numero salia concreta sunt, quæ nobis innotuerint. Multo plura esse possunt, quæ nullam cum sale communi, nitro, alumine, & vitriolo, ceu quatuor vulgaribus salium concretorum mineralium generibus convenientiam habeant. Illa, quorum dispositio concretioni nondum apta est, & quæ embryonis instar, quasi in suo seminario adhuc sunt, minus in hoc statu cognosci possunt: & quæ magis formata, & vel jam concreta, aut concretionis capacia sunt, ac à nonnullis enixa, id est nata & à matrice liberata vocantur, substantiam simplicem & homogeneam in singulis speciebus non habent.

Sal, dictum commune, duas diversas portiones commistas habet, quarum una in frigore & humido condensatur, & in crystallos abit, post evaporationem aliquam aquæ, in qua dissolutum est: altera nec in crystallos abit, nec condensatur, nisi absumptâ per evaporationem omni aquâ. Illa portio quæ in frigido & humido crystallos format, magis sulphurea est, ideoque cum sale sulphureo tartari calcinati, in humido aëre, vel communi aqua resoluti, citra cõdensationem coit, nec aquam turbidam reddit: sed hæc salis communis portio, quæ non condensatur nisi post evaporationem omnis aquæ, in qua dissoluta est, aliquid acidi habet; quo sal tartari solutum, & salia omnia alia, fixa, sulphurea & nitrosa statim coagulantur.

Vitriolum, quod in aere humido super marcasitis sulphureis floret, æquè portionem quandam habet succulentam, non nisi post omnis aqueæ humiditatis evaporationem condensabilem, peracris saporis, & unctuosæ atque in humido aëre promptè solubilis consistentiæ, quæ succulenta portio multum differt ab illa, quæ in aqua, in qua vitriolum est solutum, primum condensatur, & crystallos in frigore format. Hæ crystalli purum acido-austerum vitriolum sunt, quod ob misturam salis sulphurei & nitrosi multum mineralis terræ deponit, & cum hoc sale sulphureo & nitroso altera portio, miscere sese citra turbam potest, deficiente illa aciditate, in qua salia sulphurea suam actionem exercere possint. Id quod in sale communi aliter sese habet, ut cujus prima portio magis sulphurea, & secunda magis acida est.

Vera nitra æquè ex duabus diversis salinis portionibus composita sunt, quarum una, magis sulphurea, in frigido & humido crystallos dat; altera quæ post crystallisationem soluta manet, & nisi omni humiditate solutiva ab igne satis forti pulsâ non condensatur, minus sulphurea est, & nonnihil acidi habet, à quo prior destituitur.

Prima salium mineralium principia, & embryones, non sunt nisi vapores, vel succi non concreti, plane vaporabiles, quorum nonnulli condensari, & partim ministerio ignis figi, vel aëris beneficio liberari à suis matricibus, & concretioni aptari possunt, id quod in quibusdam nitrosis, aluminosis & vitriolatis observare licet. Sal sulphureum, quod in calce lapidum duriorum & igne excoctorum invenitur, & veri nitri species est, seminarium suum in crudis illis lapidibus habebat: & in hoc primo suo statu valde differt ab eo quem ab igne acquirit, qui à frigido & coagulativo causticum illum reddit & resolutivum. Frigida & coagulativa qualitas hujus lapidei salis in primo suo statu satis manifesta est in aquis, ex rupibus nonnullis scaturientibus, quæ admodum limpidæ & frigidæ sunt, & si quis illis ordinariè utatur, articulares morbos, nec non frigidos scirrhososque tumores excitant. Hoc salis lapidei seminarium nitrosum, causticum & resolutivum factum est ab igne, qui exaltare illud, sed non producere lapides in calcem redigendo potuit, non magis quam exustas ostreorum testas, ex quibus calx, non minus quam illa sulphurea fit. Hoc sal, quasi embryo in lapidibus calcariis, succus quidam lapideus est, qui se insinuat in aquas, decurrentes inter lectum & interstitia lapidum in his rupibus, sed qui in aquis, quas inficit, haud facile discernitur.

Seminaria aluminis & vitrioli in illis materiis esse necesse est, ex quibus aquæ ministerio, post calcinationem in igne, & macerationem in aqua hæ salium species producuntur. Ignis & aqua, à quibus exaltantur, producere illas non potuerunt. Seminaria aluminis in lapidibus aluminosis, vitrioli in marcasitis sulphureis, in hoc statu sensibus nostris manifesta non sunt, & sæpius in ipsis etiam aquis mineralibus non nisi ab effectu, & minus quidem certo cognoscuntur, cum effectus illi possint esse æquivoci.

Omnis hæc salium mineralium diversitas, inter embryoni similia, enixa, crystallina, succulenta, sulphurea, non sulphurea, primæ & secundæ concretionis, nec non inter genera illorum & species, misturas, proportiones, alterationes, &c: difficile, & minus certum reddit judicium de proprietatibus aquarum.

Terræ

Terræ quoque subtiles, aquis mineralibus admistæ, diversarum specierum, cognitu difficilium esse possunt: dantur enim varij coloris terræ, albæ scilicet fulvæ, flavescentes, leucopheæ, nigricantes, & diversarum qualitatum. Aliæ in aceto vini distillato dissolvi possunt, aliæ non: aliæ igne fusibiles sunt, aliæ non item, sed diversos colores assumunt: aliæ sunt margæ similes, aliæ argillaceæ, aliæ cretaceæ, aliæ bolares, aliæ arenaceæ, aliæ talceæ, aliæ calcem æmulantur, aliæ à certis quibusdam succis salinis producuntur; aliæ non: aliæ simpliciter minerales, aliæ metallicæ sunt. Multo maxima harum specierum pars, seorsim spectata, cum haud facile discernatur, aliæ cum aliis mistæ eo minus cognoscuntur.

Simplex quarundam terrarum mineralium sulphurearum infusio, aquas puteorum & fontium notabiliter alterare potest, utut post distillationem nullum sedimentum relinquant, quemadmodum in liquoribus vomitoriis, à sola infusione antimonij factis, nihil residui apparet. Aquæ minerales calidæ nonnihil alterari possunt, ab occursu materiarum sulphurearum & bituminosarum, hæ enim materiæ aliquid subtilioris salis obtinent, id quod hæ aqua solvere, & secum evehere possunt.

Quædam aquæ minerales frigidæ, vel tepidę subacidulum, aut vinosum quid sapiunt, id quod in illis, quæ notabiliter calidæ sunt non observatur: sed hic sapor usque adeo facile à minimo etiam calore, vel ipso etiam aëre fugatur, ut quid illum producat difficulter cognoscatur, & non in his modo aquis ille sapor invenitur, quæ aluminosæ & vitriolatæ censentur, sed in illis etiam, quæ manifestè nitrosæ sunt, & salis sulphurei, acidis oppositi copiam obtinent.

Causæ calidarum quarundam aquarum mineralium parum notæ sunt: non sine ratione dubitamus, an sint aliqui ignes subterranei, à quibus calefiant, vel an hunc calorem contraxerint ab exhalationibus quibusdam fermentabilibus, aut in quibus ob misturam aliorum succorum effervescentia quædam fiat.

Et omnes hæ difficultates in causa fuerunt, cur publico bono per quadriennij spatium communicatum non sit, quicquid Physici hujus Academiæ in aquis, ex diversis Provinciis ad se transmissis & examinatis, prout occasio tulit, observare potuerunt.

Methodus, quam in hoc examine sequebantur, erat, ut observarent:

1. Unde aquæ illæ allatæ essent.

2. Quo tempore, quave aëris dispositione ab ipsa scaturigine exceptæ essent.

4. An in lagenis puris & benè obturatis conservatæ essent.

5. An aliquid in lagenis subsedisset, & quale illud esset.

6. An aquæ illæ limpidæ essent, vel turbidæ.

7. An odorem vel saporem quendam manifestum haberent.

8. An pondere ab aquis simplicibus & communibus differrent.

9. An tincturam vel colorem aliquem à pulveribus gallæ, foliorum quercus, corticum granatorum, mirobalanorum &c. reciperent.

10. An aeri expositæ, vel nonnihil calefactæ calorem mutarent.

11. An per alembicum in balneo Mariæ elevaretur, & primum distillaret subtilior reliquo liquor; & an aliqua in diversis porti onibus unius ejusdemq; aquæ, seorsim exceptis, differentia occurreret.

12. An in superficie illarum aquarum, dum igne moderatissimo distillatio vel evaporatio absolvitur pelliculæ quædam formarentur; vel an aliqua terrestris concretio, floccorum instar in aqua hinc inde ferretur, aut in latere vasorum vel fundo hæreret, & qualis illa esset.

13. An post totalem fere aquæ distillationem vel evaporationem, in residuo liquore, in frigidum ocum misso, salina quædam, fibrosa, granulata, foliorum instar, vel aliter composita concretio formaretur.

14. An aqua ad sicitatem usque distillata vel evaporata, sedimentum quoddam relinqueret, & quale, quantumque illud esset.

15. An terrestria sedimenta aliquid salis retinerent, vel non.

16. Ad quam salis vulgo noti speciem referri harum aquarum salia possent.

17. An mercurium sublimatum, in aqua communi solutum, præcipitarent in colorem rubrum, coccineum, vel flavum, & an terras etiam vitrioli communis sulphureas præcipitarent, perinde ut nitrum verum antiquorum, & natrum Ægyptiacum, vel glutea album & borax fossilis, nec non alcalia, vel salia fixa sulphurea plantarum.

18. An sirupum violatum mutarent in viridem, & an cœruleum tornasolis colorem ope acidi aluminosi vel vitriolati, aut alterius restituerent, quod vera nitra faciunt.

19. An tornasolem rubore inficerent, quod facit alumen & vitriolum.

20. An liquorem salis fixi tartari soluti promptè condensarent & coagularent, quod succulenta & secunda portio salis communis facit, quæ non condensatur sine prævia totali evaporatione aquæ, in qua hoc sal solutum est.

21. An aliquam mutationem efficerent in aqua solutionis mercurii sublimati, vel vitrioli, nec in colore tornasolis, & sirupi violati, nec in liquore salis tartari soluti, non magis quam sal nitri, & prima portio salis communis, quæ in frigido & humido in crystallos vertitur.

22. An terrestres harum aquarum residentiæ, post separationem suorum salium, omnes vel quædam in aceto vini distillato cum aliqua effervescentia solvi possent, perinde ut quædam cretarum species, & terra cādida, coagulationes salium nitrosorum & alcalium, à mistura secundę portionis salis cōmunis productorū.

23. An terrestres hæ residentiæ à sale liberatæ, & in ignē missæ, ac in crucibulis Germanicis fortiter ignitæ, fixæ essent: an colorem mutarent; vitro obducerentur, vel in calcem redigerentur, & an ope salis reductivi aliquid metallici ex illis elici posset, nec ne.

24. Et an hæc salia depurata post fusionem in igne, & bonæ notæ crucibulis vitriatis, extraordinarium quendam colorem induerent.

Hæc aquas minerales examinandi ratio, satis commoda visa est, ad acquirendam aliquam proprietatum illarum cognitionem, & quidem majorem; quàm illi, qui de his scripserunt habuisse videntur, & qui non nisi ab effectis qui ad diversas causas referri poterant, judicium tulerunt.

Secundum hoc examen, in numerosa multitudine aquarum, à diversis scaturiginibus allatarum, tam calidarum, quàm frigidarum, particulatim observata sunt salia & terræ, diversarum qualitatum, & in quantitate diversa.

Salia aquarum, quæ ad Academiam allata, & post distillationem vel lenem evaporationem condensata sunt, ad duo genera reduci possunt: alia sc. ad nitrum antiquorum, quod est sal sulphureum minerale, quale alcali plantarum; alia ad sal commune. in utraque differente sua portione, vel secundum utriusque misturam consideratum.

Aquæ, tam calidæ, quàm frigidæ, in quibus aliquid nitrosi salis inventum est, hæ sunt: *Bourbon l'Archimbault, de Neris, d'Esvahon, du Mont d'Or, de Chaudesaigues, de Vichy, de Vic le Comte, des Martres de Veyre, & de Sallez Chasteau Morand.*

P 3 Aquæ

Aquæ frigidæ, in quibus etiam aliquid veri nitri inventum est, sunt hæ, *de Pougues*, *de Saint Mion*, *de Pont-Gibault*, *de Saint Floret*, *du petit Jaude*, *de Jaude au Champ des Pauvres*, *de Beaurepaire*, *de Posse*, *de Vic en Charolois*, *de Saint Alban*, *d'Andabre*, *de Camarets*, *& de Prugniez*.

Aquæ calidæ, quæ affinitatem aliquam habent cum sale communi, duabus ejusdem diversis portionibus instructo. sunt hæ, *de Bourbon Lancy*, *de la Bourboule*, *de Barbazan*, *d'Encause*, *de Balleruc*, *de Bagnieres*, *& de Baréges*.

Aquæ frigidæ, quę istiusmodi sale communi gaudent, sunt hæ, *de Capvert*, cũ nonnullis aliis, exiguã ejusdem portionem obtinentibus, quales sunt aquæ *de Besse*, *de Pons en Saintonge*, *de la Rochepoſay*, *de Vaujour*, *de Chasteau-Gontier*, *de Premeau*, *& de Provins*.

Aquæ in scaturigine sua non minus frigidæ, quarum sal conferri potest cum illa portione salis communis, quæ in frigido & humido crystallos exhibet, sunt hæ: *de la Trauliere*, *de Saint Pierre de Clermont*, & aliæ aliquot.

Illæ vero, quarum sal simile esse videtur sali illius portionis salis communis, quæ non condensatur ante totalem aquæ evaporationem, in qua sal solutum est, numero multo plures & consideratione magis dignæ sunt, hæ sc. *de Sainte Reine*, *de Chastelguyon*, *d'Availles*, *de Digne* &c.

Omnes hæ observationes, de diversitate salium, in his aquis occurrentium, sunt generales. Duo illa genera salium, nitrosa sc. & communia cum quibus harum aquarum salia collata sunt, singula plures species comprehendere possunt, quarum specificæ differentiæ haud facile probè cognoscuntur; & diversarum harum specierum varia mistura magis multiplex, & minus nota est.

Differentia inter salia nitrosa harum aquarum, quam observare licuit, in eo consistit, quod in igne & parvis crucibulis Germaniæ fusa,

Alia carulea videbantur, quod sali tartari accidit: talia erant illa aquarum, *des Martres*, *de Veyre*, *de Josse*, *& de Saillez Chasteau Morand*.

Alia viridem colorem assumpserunt, id quod sal nitrum carbone alcalisatum facit; idemque fecerant salia aquarum *de Neris & d'Esvahon*.

Alia flavescebant, aquarum sc. *de Vichy*.

Alia ruffa videbantur, aquarum nempe *de Chaudesaigues*, *du Mont d'Or & de Saint Floret*.

Alia ferrugineum colorem assumpserunt, aquarum videlicet *de Bourbon l'Archimbault*, *d'Andabre*, *& de Prugniez*.

Alia rubri coloris erant, ut aquarum *de Pougues*, *de Jaude*, *de Beaurepaire & de Saint Alban*.

Alia ex fusco alba videbantur, ut aquæ *de Vic en Carlodois*.

Quod ad differentias attinet, observatas inter salia, quæ ad genus salis communis referri possunt, nulla aut exigua particularis alia sese obtulit, præter illam de duabus substantiis salinis, quæ in sale communi invenitur, quarum una in frigido & humido in crystallos abit, nec aquam solutionis salis tartari turbat; altera non condensatur ante totalem evaporationem aquæ, in qua sal solutum est, & solutionem salis tartari & veri nitri statim condensat.

Salia aquarum ex diversis fontibus *de Bagnieres* in igne & crucibulis Germaniæ fusa, vapores exhalabant, qui carbonum flammas cæruleo colore inficiebant, refrigeratata, laccæ colorem claræ referebant.

Sal aquæ *d'Availles* in igne haud aliter ac sal marinum crepitabat.

Sal aquæ *de Ballerue* ægrè fundebatur, & ex fusco album videbatur.

Illud aquæ *de Sainte Reyne*, salis ammoniaci instar subtilem acrimoniam obtinebat. Alia nihil singulare, quod quidem manifestum esset, habebant.

De formis & figuris particularibus horum salium tam nitrosorum quam communium, in condensationibus non erat ut multum ageretur, cum ejusdem generis salia, pro ratione & gradu evaporationis aquæ, in qua, ut depurarentur, soluta erant, variarent.

Quantitas salis, tam nitrosi, quam communis, in singulis mineralibus aquis, cum quomodo constitutio aëris sereni & pluviosi, ita nec in eorundem fontium aquis eodem semper sese modo habeat, præcisè etiam semper determinari nequit. Sufficit probabiliter notasse majorem, minorem vel mediocrem differentiam.

Aquæ, in quibus notabilis & satis magna quantitas salis, vero nitro similis observata non est, hæ sunt: *de Bourbon l'Archambaut*, *de Vichy*, *du Mont d'Or*, *de Vic le Comte*, *des Martres de Veyre*, *de Saint Mion*, *de Saint Floret*, *& d'Andabre*.

Mediocrem quantitatem habebant aquæ *de Chandesaigues*, *de Pougues*, *de Pont-Gibault*, *de Saint Alban*, *de Jaude*, *de Beaurepaire*, *de Posse*, *de Vic en Charolois*, *de Prugniez*.

Exiguam habebant aquæ *de Neris*, *d'Esvahon & de Sail*.

Sal, communi sali visum non absimile, copiosum erat in aquis *de Balleruc*, *de la Bourbonne*, *de Chastelguyon*, *& d'Availles*.

Mediocrem ejusdem quantitatem obtinebant aquæ *de Bourbon Lancy*, *de Bagnieres*, *d'Encausse & de Digne*.

Sed exiguam habebant aquæ *de Bareges*, *de Capvert*, *de Barbasan*, *de la Trauliere*, *de Besse*, *de Pons en Saintonge*, *de la Rochepoſay*, *de Vaujours*, *de Chasteau-Gontier*, *de Sainte Reyne*, *de Premeau*, *de Provins*, *de Forges*, *de Saint Paul de Rouen*, *de Belesme*, *de Hebecrevon*, *de Bevilly*, *de la Taille*, *de Meneton*, *de Bourberouge*, *de Vaux*, *de Montigni*, *de Montbosq*, *& de Pontnormand*.

Manifesti salis nihil inventum est in aquis *de Saint Pardoux*, *de Bardon*, *de Chanonat*, *de Mans*.

In nullis harum aquarum alumen, vel vitriolum deprehensum est, quod quidem ex sedimentis discerni potuerit. Materiæ illæ, quæ salibus mineralibus annumerantur, sunt succi, ab evaporatione superfluæ humidataris, à qua resolvuntur, condensati. Multum satis fixæ terrestreitatis continent, & illorum acidi spiritus nonnisi vehementi calore separantur, cujus ministerio elevati, corrosivam acrimoniam nanciscuntur majorem.

Subacidus vel vinosus sapor numerosarum mineralium aquarum, cum aquis aeri per paucos aliquot dies expositis, vel leviter calefactis promptè pereat, ab alia quam aluminis & vitrioli mistura procedat necesse est. In his aquis, in Mariæ balneo distillatis, aciditas, nec in eo quod distillat, nec in eo quod in alembico servatur, ulla superest, nec fere aliud, præter salia nitrosa vel communia occurrit.

Sola aqua *de Vahis in Delphinatu*, scaturiginis vocatæ *la Dominique*, post distillationem sal quoddam reliquit, vitriolo albo non absimile. Sapore nonnihil ad vitriolum & subdulce quoddam accedebat, leviter stipticum. Hoc sal, in aqua communi solutum, tincturam tornasolis vitrioli instar vertebat in rubentem, & sali tartari in aqua communi soluto admistum, plane nigrum atramenti colorem assumebat, terram præcipitans nigerrimam, paulo aliter quam vitriolum album, quod eidem sali tartari admistum, minus nigredinis largitur. Restat ut inquiratur, an hæc aqua *de la Dominique* vomitoria sit, perinde ut

aqua

aqua in qua vitriolum est solutum, & an effectus producat, illis, quos aqua vero & perfecto vitriolo infecta producit non absimiles.

Color ex rubro fuscus, vel purpureus, quem aquæ minerales acidæ suscipiunt, infusione quarundam materiarum, quæ cum vitriolo atramentum formant, certum indicium non est, aciditatem harum aquarum à vitriolo tanquam sua causa dependere, cum in multo maximo illarum numero vitriolum nullum, sed nitrum sulphureum appareat, absorbendæ aciditati vitriolicæ & aluminosæ aptum.

In terris quibusdam sulphureis succi inveniuntur, vaporum non coagulabilium, acidi, & qui seminarij vitriolici locum obtinere videntur, successivè, & per gradus ad concretionem deveniant, vitriolo proximam. Hi succi vaporosi, occurrentes aquis nonnullarum scatebrarum, vaporosam illis & levi casu delebilem aciditatem tribuere possunt, quod accidit aquis *de Pougues*, *de Saint Mion*, *de Vic le Comte*, *de Vic en Charolois*, *de Martres de Veyre*, *de Saint Parise*, *de la Trauliere*, *de Besse*, & pluribus alijs. Et ubi hi succi ad quendam concretionis gradum pervenerunt, post aquæ destillationē aliqua ejus portio in eo quod residit restat, ut in aqua *de la Dominique*, quæ aciditatem suam admoto calore deponebat.

Terræ, quarum diversa quantitas in aquis mineralibus, ab Academiâ examinatis, inventa est, non minus difficulter quàm salia in suas species discernuntur.

Magnum terræ copiam exhibuerunt aquæ *du petit bain, du bain de la Reyne, & de la fontaine de la Fogue, qui sont à Bagnieres, dans celle de Barbazan, d'Encausse, de Prugniez & de Chastelguyon.*

Mediocrem illæ, *de grand Bain, & du bain de Saint Roch de Bagnieres, & celles de Capvert, d'Andabre, de Bourbon l'Archimbault, de Vic le Comte, de Martres de Veyre, de Saint Floret, de Saint Pierre de Clermont, de Jaude, de Josse, de Digne, de Pougues & de Passi.*

Exiguam illæ *de alut Bagnieres, de Bareges, de Chaudesaigues, du Mont d'Or, de Vic en Charolois, de Saint Mion, de Besse, de Vernet, de Chanonat, de Pont Gilbaut, de la Bourboule, de Saint Alban, de Sail, de la Frauliere, de Vichy, de Bourbon Lancy, de Neris, d'Esvahon, de Pons en Saintonge, de Monteodre, de Fonsrouilleuse, de la Rochepozay, de Vaujour, de Chasteau-Gontier, de Premeau, de Sainte Reyne, de Provins, du Mans, & en toutes celles de Normandie.*

Nihil terræ manifestæ inventum est in aquis *de Balleruc, & d'Availles*, quarum residentiæ prorsus salinæ erant.

Maxima harum terrarum pars alba & subtilis erat, ut illa *des eaux de Bagnieres, de Capvert, de Barbazan, d'Encausse, d'Andabre, de Prugniez, de Vic en Charoois, de Vic le Comte, des Martres de Veyre, de Besse, de Vernet, de Castelguyon, de Saint Pierre de Clermont, de Jaude, de Pont-Gibault, de la Bourboule, de Josse, de Saint Alban, de Sail, de Neris, d'Esvahon, de Saint Parise, de deux Bourbons, & de Pougues.*

Aliæ e fusco albæ erant, nimirum aquæ *de Bareges, du Mont d'Or, de Chaudesaigues, de Saint Floret, de Chanonat, de Vichy, de Barbon, de Saint Pardoux, de la Trauliere, de Pons, de la Rochepozar, de Chasteau-Gontier, de Saint Paul de Bouer, de Belesme, de Premeau, & de Sainte Reyne.*

Aliæ fulvæ, quales aquarum *de Vaujour, du Mans, de Provins, Forges*, & Normandiæ fere omnium.

In evaporatione omnium harum aquarum terrestia illa non unius generis formam assumebant, nonnulla pellicularum, ut in aquis *de Capvert, de Barbazan, d'Encausse, de Vic en Charolois, de Vic le Comte, des Martres de Veyre, de Vernet, de Saint Alban, de Vichy, de Pougues, de Saint Parise, & de Pons.*

Alia floccorum, ut in aquis *de Careges, d'Andabre, de Prigniez, de Saint Floret, de Chanonat, de Saint Pierre, de la Bourboule, & de Posse.*

Alia mucilaginis, ut in aquis *de Chaudesaigues, de Vic en Charolois, de Montendre, de Vaujour, du Mans, & de Premeau.*

Alia grumorum, ut in aquis *de Vic le Comte & de Saint Mion.*

Alia palearum, ut in aquis *de Chastelguyon, de Besse, de Barbon, & de Saint Pardonge.*

Alia granulorum arenaceorum, ut in aquis *de la Fonsrouilleuse, de la Rochepozay, & de Sainte Reyne.*

Alia pulveris fusci subtilis, ut in aquis *de Provins*, & Normandiæ ferè omnibus.

Aliæ quoque in his terris, in acetum vini destillatum missis, vel fortiter ignitis differentiæ observatæ sunt.

Nonnullæ in acetum vini distillatum missæ, non sine effervescentia ferè totaliter dissolvebantur, id quod terræ albæ accidit, quàm coagulatum natron deponit, quæ vulgo *soude blanche* vocatur, quæ veri nitri species est: ob hæc coagulatio momento absolvitur ob misturam portionis salis communis, quæ in humido non condensatur.

Tales erant terræ albæ nitrosarum quarundam aquarum *d'Andabre, de Prugniez, des Martres de Veyre, de Saint Mion, de Saint Floret, de Jaude, de Pont-Gibault, de Josse, d'Esvahon, de Saint Alban.*

Aliæ non nisi particulatim & parum dissolvebantur, aquarum *de Chaudesaigues, de Vic en Charolois, de Vernosa Chastelguyon, de la Bourboule, de Vichy, & Bourbon l'Archimbault.*

Aliæ non dissolvebantur, aquarum sc. *de Bagnieres, de Pons en Saintonge, & de Prumeau.*

Nonnullæ, ut aquarum *de Vanjour, de la Rochepozay, & de Saint Paul de Bouen*, in acetum vini distillatum missæ, vividam coloris hyacinthini tincturam referebant, quæ paucorum dierum spatio, per præcipitationem exiguę quantitatis pulveris nigricantis evanescebat, & sulphurea videbatur.

Alias etiam harum tartarum differentias ignis exhibuit: aliæ enim, vehementer ignitæ, colorem mutabant, aliæ non: quædam calcinabantur; aliæ in vitrum abibant.

Illarum, quæ albæ erant, & colorem in igne mutabant, alię obscurè fuscum, ut aquarum *de Vernet*; aliæ flavum, ut aquæ *de Saint Floret*; aliæ fulvum, ut aquæ *de Prugniez*; aliæ rubrum colorem referebant, ut aquę *de Mont d'Or, de Vic le Comte & de Saint Alban.*

Aliæ colorem non mutarunt, ut aquæ *de Bagnieres, de Bareges, de Capvert, de Barbazan, d'Encausse, de Chaudesaigues* &c.

Aliæ in calcem redactę sunt, ut aquarum *de Passi*, quæ totæ gypseæ erant.

Aliæ in vitrum abibant, ut aquæ *d'Andabre.*

Sulphura & bitumina, tam concreta, quàm liquida, quoad totam suam substantiam cum aquis non manent permista, utut nonnunquam in quibusdam scaturiginibus inveniantur. Sola eorundem salina portio in aquis solvi potest, pingui & inflammabili sese statim separante: & ut cognoscatur, in scatebris & cruteris observanda sunt. In aquis ad Academiam missis nihil istiusmodi visum est.

Hæc Clariss. Dominus Du Clos. Sequitur jam

Clariss. MARTIN. LISTERI, de Fontibus Medicatis Angliæ, Exercitatio, Nova & Prior.

Salium quatuor fossilium magis cognitorum, sc. Vitrioli, Aluminis, Salis, Petrę, dicti, Salis marini, Quintique minus cogniti, sc. Salis Calcarij *Figuræ & Descriptiones.*

Salia Fossilia matura, hactenus apud nos reperta, magisque cognita quatuor sunt: scilicet *Vitriolum* è Pyrite, *viride*; *Alumen*; *Sal commune*; *Nitrumque* Salpetra *dictum*.

Ad hæc autem *quintum genus* adjiciendum est, quamvis è minùs cognitis est, tamen quòd omnium longè copiosissimum est, meritò in hâc salium classe recensendum est; nimirum, Sal, sive *Nitrum Calcarium*.

Cùm verò horum omnium salium Figuras ab eorum crystallis desumptas, diligenter descripserimus, de Medicatorum Fontium salibus, aliquid, ut opinor, mox certiùs statuemus; scil. Comparatione, inter salia utriusque generis, factâ.

Vitrioli Descriptio.

I. Vitriolum autem *viride*, è *Pyrite ferreo* nascitur; cujus maturæ & perfectæ *crystalli* perpetuò ex utraque parte mucronatæ sive acuminatæ sunt, & ex decem planis lateribus inæqualibus constant: scilicet, ex quatuor medijs planis pentagonis, & ad singula quæque extrema acuminata, terna plana triangula habent.

Aluminis Descriptio.

II. *Lixivium* è cremato *aluminis* metallo diuque servato percolavimus, siccavimusque. Id autem *Crystallos* albas ad hunc modum Figuratas dabat; nimirùm his Figura paululùm compressa est, ex altera parte, quasi vertice dicas, planum sexangulum habet, ex altera & opposita parte sive basi plano similitèr sexangulo insidit; ejus autem latera claudunt tria sexangula plana, quibus alternatim bina plana quadrangula interponuntur, ita quælibet integra aluminis crystallus ex undecim planis conficitur: Scilicet, è quinque sexangulis, & senis quadrangulis planis: illa autem ipsa crystallus, quem descripsi, quinquaginta circiter grana pendebat.

N.B. Simplex autem & primaria universorum salium concretio benè, & diligenter notanda est. Nam ubi ea diutiùs processit, crystalli quidem magnitudine augeri videntur: At id ferè fit plurium salium integrorum & primariorum conjunctione quadam fortuita, unde verę & naturalis Crystallorum figuræ confusio oritur.

Salis communis Descriptio.

III. *Aqua Marina* ad siccitatem excoquatur, rursus ejus sal tantillo aquę fontanæ diluatur, crystallos verè cubicas dat.

In medio verò superiore latere, sive plano, velut quædam perspicuitas observatur, puta à materiæ deficientia sive inanitate: reliqua autem quinque latera solida & albida sunt.

Ipsas etiam easdem cubicas crystallos nobis exhibuit *salis* nostri, *gemmei* dicti, dilutum.

Idem expertus sum, de *sale communi*, è fontibus salsis mediterraneis nostræ Insulæ excocto.

De *sale* autem marino *è sabulo* in æstuario *Lancastriensi* confecto, illud porrò notavi, istiusmodi salem in ipsa maceratione antequam ignem coquendo expertus fuerat, in massam albissimam *striatam* concrevisse, haud alitèr, quàm in Antimonio fuso, aut quodam lapide Gypsi, videre licet: hanc tamen ipsam massam aqua fontana dilui, & ex toto in Crystallos Figuræ cubicæ concrevit, more cæterorum salium marinorum, jam nunc commemoratorum.

Sal autem marinus à sale Fontium mediterraneorum *Specie* omnino differt; atque adeo aqua marina ex toto genere à dulci distinguenda est; siquidem aquæ marinæ crystalli ad singulos angulos præcisæ sunt, in singula plana triangularia; certè ex altera Tesseræ parte; Fontium verò salsorum crystalli angulis integris sunt; quod à me primùm, quantùm scio, jam nunc literis proditum est.

Nitri Descriptio.

IV. *Nitrum*, quibusdam *Salpetra* & *Halonitrum* dictum, in crystallos sexangulas, tenues, longas, & æqualitèr crassas concrescit. Hæ, inquam, crystalli sua latera parallelogramma habent. Eædem autem desinunt, ex altera tantùm parte, vel quadam acie, vel mucrone, pyramidis in modum acuminato, scilicet, ob varium positum duorum planorum laterum. Ex altera verò parte haud poliuntur crystalli, sed semper quasi præfractæ desinunt; idque moneo, ne Nitri Figura à me primùm delineata & evulgata, & à quodam, ut video nuper minùs rectè exposita, aliquem decipiat.

Notandum autem est, mucronem illum acuminatum, quem ferè ex altera parte uniuscujusque crystalli Nitri, ad modum coni figuratum esse diximus, ex ipsa prismi extremitate esse constitutum, & nullatenus ipsum prismi corpus extenuari: quod tamen multos de his Nitri crystallis incautè somniare video.

De simplici autem & primaria harum crystallorum concretione loquor: nam fortuita quadam plurimarum coitione id aliquando evenire videtur.

At illa quidem differentia notanda est, quòd quæ sic fortuitò coëunt, eædem, si denuò aqua diluantur, in perfectam sui generis speciem tandem ex toto reduci possint.

Præter crystallos verò sexangulares *è salis petra* diluto formatas, ibidem etiam non rarò (si id sal minùs purgatum sit) alias quoque crystallos cubicas multangulares, nescio quasdam reperies: & hæ omnes seorsim collectę, ex nova solutione, vel in crystallos Nitri supra descriptas abeunt, vel suam originem, si alienæ sunt, fatentur.

Sal autem Nitri dictus in ignem impositus, illicò flammam tenuem concipit, & ex toto non sine strepitu absumitur, omnino nihil capitis mortui, aut Colcotharis, ut Chymici loqui amant, relicto.

V. Est præterea quoddam salis genus, quibusdam *Nitrum Murale*, nobis autem *Calcarium* dictum: quò ferè è lapide calcario, tàm crudo, quam cocto in parietibus vetustissimis ædificiorum sponte nascatur. Hujus autem salis minùs cogniti (etiamsi omnium salium fossilium, certè apud nos, frequentissimi,) Figuram & Descriptionem ipse primus, quòd scio, jam nunc exhibebo.

Itaque hujus salis Calcarii crystalli tenues, longęque sunt; iisque mediis quatuor latera parallelogramma sunt, at ferè inæqualia; ex altera verò parte, ipse mucro ex binis planis lateribus triangularibus formatur, ex altera, & adversa parte duo plana quadrata habet, perpetuò ad contrarium cum priore illa parte positum. Ex his verò crystallis majusculæ ad dimidium digitum longæ sunt.

Hujus autem salis aliæ nonnullę varietates sunt, quod aliæ quina latera media habent, *&c.*

Atque

Atque illud quoque sal iterata solutione ex toto concrescit in crystallos jam descriptas, etiamsi singulis vicibus, paucas tantùm integras & perfectas obtinueris.

Est etiam de natura hujus salis Calcarij, ut in ignem impositus sine flamma liquescat & in bullas intumeat, pumicisque albissimi instar indurescat: idque planè ad aluminis modum.

De Ferri Venis: *ubi non nisi* unum *in Anglia* Pyriten, *eumque ex toto ferri merum metallum esse affirmatur.*

Universos Sales fossiles nostros hactenus descripsimus, cum autem illorum aliquot salium quædam *glebæ*, tanquam *Parentes*, rectè existimantur; nimirùm Vitrioli viridis *Ferri vena*, & Salis calcarij *lapis calcarius*, erit instituti nostri, illa metalla breviter explicare.

De *Ferrariis* autem *Metallis* incipiam.

Itaque Ferri metallorum accidentia & proprietates, quantùm eas ipse propria inspectione didici, fideli enarratione communicabo.

Illud inprimis verissimum est, quod à *Plinio* olim positùm est; scilicet *Metallorum omnium, Vena Ferri largissima est*: certè in Anglia nusquam non occurrit; atdistinctionem illam Gilberti nostri (*de Magnete lib.* 1. *cap.* 8.) non admitto, qui venam ferri metallicam à ferrea nescio quâ materia discernit, atque ita ferè magnam totius Insulæ nostræ Britannicæ partem ferream esse vult: Siquidem illud firmissimum esse duco, omnem sive terram lutosam, sive venam lapideam, quæ vel cruda vel cocta, præparatave quocunque id fiat modo, à magnete ducatur, ab eoque ut ferrum alliciatur, in ferrum conflari posse. Ut si quis in Fornacibus, vel caloris defectu, vel aliàs, error fit, is non protinùs in venam metallicam, ac si non verissimè de natura ferri participaret, rejiciendus est.

Venæ autem Ferri metallicæ *experimentum* ex Agricola (*Lib.* 7. *p.* 194.) hic proponere visum est; nam ad id diligenter examinata sunt singula ferri metalla infrà nominanda.

Venam ferri (inquit ille) experimur in Camino Fabri Ferrarii, eadem uritur, comminuitur, lavatur, siccatur, Magnes in ramentum loturâ collectum imponitur, qui scobem ferream ad se trahit: ea pennis detersa, catino excipitur, atque magnes usque eo in ramentum loturâ collectum imponitur & scobes detergitur, dum restet, quam ad se alliciat; ea autem simul cum Halonitro coquitur in catino, donec liquescat, & ex ea *ferrea massula* confletur. Quod si Magnes citò facileque scobem ad se traxerit, Venam Ferri divitem esse conjicimus, si tardè, pauperem: si prorsus eam respuere visus fuerit, ferri paulum, aut nihil in se continere.

Magnes.

§. 1. *Præcipua* adeo vena ferri *Magnes* est. Is, inquam, optimum ferri metallum est, seque aliaque omnia ferri metalla, vel cruda vel cocta ad se allicit, ut proximè suprà positum est.

Is autem, quem ex agro *Devonensi* nostræ Insulæ habui, ex nigro livescit, pauloque obscurior est, quàm ipsum ferrum politum: huic fracto soliditas marmorea est: sui ipsius scobem non secus, quàm ferri conflati ad se alliciebat.

Vena Scintillans quasi arenacea.

§. II. *Secundo* autem loco, *venam ferri rubram* in medium profero, eaque velut *arenaceus* quidam lapis scintillat; huic, inquam, color ex quadam purpura, sublividus est: ea inæqualibus & asperis particulis, quasi dicas ex ferrea scobe constat: nam quocunque modo illam confringas, ita, se semper ostendit; & (ut nihil omittam, quod de hac re observavi) hic quoque ipsissimus est venæ ferri *Suecicæ* habitus, & nunc, & olim præ cæteris Europæ meritò æstimatæ: at *Suecicæ* color magis ex livido ad quandam viriditatem accedit: Ita enim universa exemplaria ex duodecim puteis ad me transmissa, ferè ad unum sese habuerunt; porrò hanc nostram in pulverem redactam, crudam, & ignem nondùm expertam allicit Magnes: at non libenter Magnetem sequitur, ut ex Suecia Venæ, quæ quidem crudæ & incoctæ, Magneti non aliter obtemperant, quàm si merum ferrum essent; Optimæ venæ certissima nota: at huic nostræ ea quidem proprietas non ex toto deest. Postremò hic noster lapis admodum ponderosus est, ut sunt pleraque metalla, è quibus ferrum conflatur. Ad jugum montium Cretaceorum agri Eboracensis, non longè ab oppidulo *Water* dicto, is lapis repertus est.

§. III. In iisdem montibus cretaceis, vasto limite circumscriptis, *alia vena ferri rubra* innumeris ferè locis se ostendit; ea autem interdum mollior est, instar cujusdam argillæ, & quæ durior est, lineas etiam rubras, Chartæ illisa, ducit. Illam verò, nisi benè ustulatam, non approbat Magnes, in hac quoque vena, mediocriter ferri diviti, insunt quidam velut *Nuclei*, aut *Nodi* ferrei subrotundi, à seminibus sinapi, ad capitis pueri magnitudinem: his autem & durities marmorea, ut nihil dubii sit, illos posse poliri, & in nitorem lævigari; siquidem etiam fracti, lævam & æqualem superficiem ostendunt. Item illis color ex rubro nigricans est: tractando digitos rubore non inficiunt. At hos etiam crudos, in minutum pulverem contritos, bonus Magnes alliciebat.

Item in eadem vena, alios molliores lapides, è laminis constantes invenies, quibus color quidem ruber est,

Hæmatites.

§. IV. A cretaceis rupibus ad *calcarias plumbiferas* agri *Westmorlandiæ* transeo; hæ quoque ferri Metallorum plurium generum feraces sunt. At iis propria est Vena, quæ *Hæmatites* appellatur.

Atque hic etiam lapis ibidem sub diversa specie reperitur; unde ab Antiquis, & nostris etiam hominibus, diversimodè nuncupatur: siquidem interdum stibij fusi more, in longas *strias* ad centrum aliquod spectantes concrescit, interdum ad extrà *Uvas* repræsentat, inde *botrytes* quibusdam appellatur.

Interdum *Lævorem* quendam instar Holoserici exprimit, quæ summa lævitas aliquod pingue digitis sentitur. Quæ tamen omnia accidentia, in uno eodemque lapide notavi: adeo diversâ ratione, diversa nomina sortita est eadem vena.

Præterea idem Hæmatites interdum mollis est, & merum lutum, & non aliter, quàm argilla tractari potest. Modò purus putus & ex toto Hæmatites est: modò per minima miscetur cùm rupe calcaria plumbifera.

Universæ autem hæ Venæ ferri, chartæ illisæ, admo-

admodum liberè ducunt lineam rubram, idque non sine quodam splendore, quasi metalli alicujus fusi. Et in hoc convenit Hæmatites (ut id obiter notem) cum isto anonymo metallo, à nostris *plumbum nigrum* appellato non alibi terrarum Europæ, quàm in agro *Westmorlandiæ*, ubi etiam Hæmatites plurimùm abundat, invenio.

Huic autem ferri venæ sua singularis excellentia est, quod ex ea sine prævia aliqua in *Regulum* (quod ajunt) fusione, optimum ferrum conficitur. Scilicet vel mera ignitio sufficit, ut malleo in ferrum induretur.

Hujus solius metalli fornax hodie in oppidulo *Milthorp* dicto agri *Westworlandiæ*, habetur: At ipse lapis juxta *Furnes Fell* eiusdem agri & alibi effoditur.

At ne hanc quidem venam Ferri, etsi ditissima sit, Magnes ad se allicit, nisi priùs benè ustuletur.

§. Item alium quendam Hæmatitem à metallariis nostris magnopere laudatum ex *Cambria* habeo: huic autem insignis durities est, color ex rubro sublividus, recentèr fractus nitorem quendam, instar cuiusdam *Selenitis* cum rubedine ostendit, item lineam rubram non ducit, neque crudus à Magnete ducitur. Hujus quoque lapidis in Ferrum operatio, facilis esse dicitur.

Vena ferri in arena.

§. V. *Sequuntur* Ferri venæ, quæ in arena soluta, *Lapideve arenaceo* nusquam non inveniuntur. His autem venis fere color sublividus est: interdum ad rubedinem accedens. Modò lapides fissiles sunt, vel plani; modò concavam testam repræsentant: interdum solidi & leves lapides sunt: Interdum cum arena permiscentur; qui si duri sunt, *Smiridis* locum supplere quodam modo possint. Interdum eædem venæ arenaceæ merum & molle lutum est.

Aëtites.

Aëtites autem in iis, qui concavi sunt, reperitur; Albidam, aut flavam medullam, in se continens. Hi verò lapides naturalitèr inæquales sunt, & asperi, iisque ex politurâ gratia quædam additur.

Ocra Fossilis lutea.

Inter arenam verò non rarò *Ocræ luteæ* metallum reperitur, ut ad *Santon Sands* agri Lincolniensis, ubi olim magna copia è vena sua effossa est.

Hæ quoque venæ ex pondere se produnt, at nisi benè crementur, & post magnum ignis tormentum à Magnete non alliciuntur: at ubi id fit, ex toto Magneti cedunt.

Hujusmodi metalli loca sunt ferè ubicunque arena naturaliter reperitur, Plurima certè nominare possim, at paucis agri Eboracensis contentus sum; nimirùm juxta *Kirkham* & *Westo*, ubi plurimi lapides ad similitudinem Aëtitum habentur, at maximam partem solidi. Item ad *Wentbritge*, ubi eximiè purpurascit vena, certè quæ ad meridiem oppiduli; in ipso colli jugo aliquando inveni.

Ferri metallum in vicinia Carbonum Fossilium ex meris rupium stratis, solidis, & dilatatis.

§. VI. *Ferri* autem metalla, è quibus in multis Angliæ locis id conflatur, longè omnium copiosissima sunt: Quæ verò in vicinia, & inter ipsos *Carbones Fossiles* reperiuntur, venæ *dilatatæ* sunt, & ipsa rupium strata; scilicet unum alteri superinjectum. Huic autem lapidi soliditas marmorea est, & quæ poliri possit: maximéque si Cochlites aliquis eo misceatur, à nostris ad polituram valdè expetitur.

Ei ferè color ex livido nigricans, aut sublividus est.

Ex his autem stratis alia solida sunt & in vastissimum spatium dilatantur: Alias ex majusculis *quadratis lapidibus*, velut artificio quodam manufactis constat, cujusdam Pavimenti instar inter se commissis; iidem autem à nostris Putealiis *Gallystones*, nescio quâ ratione, appellantur.

Ex his verò quadratis lapidibus, parvuli in Agello quodam *Kelfield* dicto, juxta *Pockley* in vicinia *Hemsley* agri Eboracensis copiosè reperiuntur; utcunque quidem optimum Ferri metallum est.

Item aliæ *Subrotundæ pilæ* sunt, à nostris hominibus *Hareballs* appellatæ, omnium magnitudinum sunt, à nuce vulgari ad lapidem molarem.

His autem venis multa loca, in agro Eboracensi, nobilitata sunt: Ut *Bentley* in Vicinia *Black Barnsley*, & *Adderstone*, &c.

Hæ verò venæ, in minutias confractæ ante fusionem, ferè ustulantur, & in ipsa fusione cum *Saxo calcis* miscentur, deinde vena, in liquorem purgatum fusa, sub malleo multo & improbo opere in Ferrum induratur.

Item hæ venæ si iterata fusione purgentur, longè tenacius & præstantissimum *Ferrum* dant: ut experiuntur *Officinæ Ferrariæ* juxta *Kerstal-Abbie* agri Eboracensis.

In ipsa fusione, materia quædam viridis, vere vitrea, & non ampliùs in aëre resolubilis, ipsi metallo innatat.

At universas has venas, nisi prope & diu ustulentur, prorsus ignorat Magnes.

Ferri metalla Margâ inventa.

§. VII. *Ferri* autem mètalla in *Sussexia* effossa, è quibus Bombardi regii conflantur hæc sunt.

1. Id quod à nostris *Balmine*, (id est) metallum Pilæforme, appellatur: sub argilla quadam albida sternitur. Hic verò lapis velut nucleus albidus est, cortice rubro contectus. Ut hæ, etsi optimum Ferri metallum sint, tamen rariores sunt. Diu autem ignitæ ex toto rubræ fiunt, & tum demùm à Magnete alliciuntur.

2. Metallum rubrum albis venis distinctum, huic superiori, ad tres pedes subjacet.

3. Tertium quoque rubidum, ad eandem distantiam alteri substratum. *Pettee mine* à nostris appellatum; fortè quòd huic & pauciores & fusciores Venulæ albidæ sunt: huic etiam laminæ rubidæ.

4. Quartum & imum metallum: hæc tria autem ultima, pavimenti instar sternuntur: duo quidem priora molliora sunt; totidem posteriora duriora sunt; & ut faciliùs funduntur, ita magis ad *Ferrum* contribuunt: Item quarto metallo, laminæ rubræ sunt, ocrâ etiam hic

hic & illic interstinctum, perinde ut in quibusdam venis Ferri arenaceis. Huc accedit, duo posteriora calida credi, & cæteris faciliorem fusionem præstare, scilicet ob sulphureum Vitrioli principium.

Si quando verò hæc metalla in marga subcærulea reperiuntur, vix tractabilia sunt: Id verò vitium à nimio Vitriolo ortum esse credibile est. At in alba marga optima sunt.

Ocra rufescens à pyrite orta.

VIII. *Ocra rufescens* sive fulva à pyrite fere nata, & in plerisque acidulis certè atramentosis inventa merum Ferri metallum est: Et à Magnete post debitam ustionem ex toto allicitur.

Pyrites.

IX Unus Angliæ *Pyrites*, idque purùm putùm Ferri metallum est; atque adeo minimè sterilis censendus est, cum Ferri vena est. A reliquis autem Ferri venis distinguitur, quod is per excellentiam vitriolicus sit, & argenteo vel aureo quodam nitore ferè resplendeat: item à Chalybe percussus, scintillas edit, si durus sit. Illum verò lapidem à Mauritanis *Marchasitam* appellant moderni. Is autem in omnium metallorum fodinis & multa quidem varietate reperitur. Etenim est, qui aureus, qui argenteus colore tenus; qui lævis; qui striatus, qui mollis, qui durus; qui purus putus, & sui generis metallum est, qui variâ proportione, nunc per minima, nunc parciùs miscetur, cum Plumbi, cum Stanni, cum Æris, cum Aluminis metallo. Itèm similiter cum ipso silice nigro, cum carbone fossili, cum lapide calcario, cretaceo, aliisque plurimis metallis. Alii cubis constant, alii è laminis velut membranaceis conficiuntur; alii tuberibus racemosi, alii rotundi grandinis instar, aut pilæ, cujuslibet magnitudinis; alii multangulosi, alii favi-ginosi; imò infinitum esset, singulas differentias exequi; At de eorum aliquibus pauca addam, quæ diligenti perscrutatione ipse observavi.

1. Pyritæ quidam intùs striati, ferè subrotundi, extrà tuberosi, & interdum angulosi, reperiuntur. Horum autem Striæ intùs tendunt, quasi ad centrum aliquod, instar Antimonii fusi, aut perinde ut suprà posuimus de quodam Hæmatite.

In his verò sunt, qui locis humidis copiosè vitriolum suum edunt. Hi, ubicunque saxum cretaceum, ibi & ipsi reperiuntur, at ferè venâ sparsâ. A nostris *Rust balls* appellantur, certè in Lapidicinis juxta *Foulmore* agri *Cantabrigiensis*. Item in collibus agri Eboracensis *The Woolds* dictis passim. De his autem nescio quæ mirabilia, suo more Glauberus narrat.

2. Alii Pyritæ aurei ibidem, & præcipuè in rupibus plumbiferis, & inter carbones Fossiles sunt, qui cùbis constant, alioque modo angulosi sunt. Hi autem quibusdam Helmontii *Ludus* existimantur.

3. Interdum etiam, præcipuè ubi carbones fossiles abundant, & alibi, ingentia *saxorum strata è solo Pyrite* & ex toto constant, alia eorum tenuia quidam, at alia crassa, & sesquipedalia & ampliùs, ut inter alia loca juxta *Bently Hall*, valle dictâ *Latherden*, agri Cravenensis, observavi.

In his autem Pyritarum stratis, alii lapides molles sunt, & fragiles, alii durissimi & planè silicei, ut perforari admodum difficulter possint, magno metallariorùm incommodo: Ut puteis carbonum fossilium juxta *Colln* agri Lancastriensis.

4. Item alii Pyritæ sunt *Testarum* quarundam *formâ*, in rupibus *Derbiensibus* reperti, ubi vulgò *Chertstone* audiunt.

5. Qui verò *Pyritæ in Stanni fodinis* habentur, à nostris Metallariis *Mundie* & *Maxi* appellantur. At non aliud sunt quàm vulgares Pyritæ, scilicet Ferri metallum aureo vel argenteo splendore conspicuum.

6. Item alios *Pyritas*, prorsus *Argenteo splendore* eleganter illustratos habui è puteis Carbonum fossilium, non longè à *Wakefeld*.

7. Item *in medio silice nigro pyriten* aureum lapis rarissimè in montibus cretaceis nostris inventus est.

8. Item cum *Plumbi metallo* Pyriten variis modis commistum habeo: interdum id totum pyritæ, velut cortice quodam contegitur: Interdum per minima inter se miscentur, ita tamen, ut aliquando vel nudis oculis Pyrites velut nodus quidam alteri metallo inseritur. Interdum istam misturam, non nisi Magnetis auxilio, idque post debitam ustionem, cognoscere licet.

9. Idem cogita de *Æris metallo*, sed ob utriusque quandam similitudinem, id vix oculis dignoscitur: adhibito autem Magnete cremato lapidi, facilè exploratur.

10. In Angliâ verò Argenti purum metallum nondum, quod scio, repertum est; sed ex omni plumbi metallo, nullo excepto, certè de triginta minimùm puteis, expertus loquor, argentum elici potest.

Ipsum autem Plumbi metallum Ferri venis per minima, ut supra notavimus, misceri plurimis experimentis mihi satis constat.

11. Item *Saxa aluminosa* juxta *Whitby* & alibi agri Eboracensis *Pyrite* abundant; unde parùm ignita per se postea accenduntur. Idem quoque Sulphuris copia, in summis saxorum crematorum cumulis inventa, satis superque testatur. Imò vix ullum Aluminis metallum Pyrite vacuum, apud nos reperitur. Adeoque vel nudis oculis ex aureo splendore ferè ubique cognoscitur.

12. Omitto *Pyritas ligneos ex Hibernia* (imò quod olim lignum Fraxinum, jam Magnes est, duritie marmoreâ) etiam copiosè reperiundos ad *Harrigate* agri Eboracensis. Item *Conchites* plurium generum, aliaque multa fossilia *Pyrite* infecta. Atque hæc hactenus de Pyritis ex nostra observatione.

Hæc autem universa & singula, quatenus *Pyritæ* sunt, post debitam ustionem, esse unius Ferri venam *Magnes* mihi liquidò demonstravit.

De Lapide Calcario.

Superiore Capite variam Ferri venam enarravimus, jam *Lapis* quoque *Calcarius* paucis explicandus est.

Hujus lapidis ratione, & proportione, exiguum est in Anglia Ferri metallum. Nam ex eo esse montium terrenæque glebæ longè maximam partem existimo.

At hujus autem lapidis Calcarii plurimæ apud me differentiæ sunt: quas tamen pluribus enarrare non vacat: Universorum verò illa communis nota est, *in calcem uri* posse. Item habitus & facies interna lapidis calcarii, ferè *levis* est, & ad polituram spectans.

In hoc autem censu enumerantur *Creta* quoque *alba*, ejusque alba argilla: item ipsi *Silices*, ferè in montibus cretaceis naturaliter inventi; ipsi enim igniti, *ex aqua* demissi *dissiliunt*: Item *Selenites*; ipsumque *Gypsum*, ejusque differentiæ plurimæ: Item *Stalactites*, aut quivis lapis ex aqua confectus, communis notæ ratione habita, *&c.*

Fontium *quorundam* medicatorum Angliæ *brevis Enarratio: ubi salium Crystalli universæ ad* Sal *tantùm* commune, *&* Nitrum calcarium *referuntur*; *Terrena verò gleba, ad* Ocram, *&* lapidem Calcarium.

Fontes medicati *Angliæ* penè infiniti sunt, & nusquam non reperiuntur: at paucos è multis describendos suf-

dos suscepi; an fortè reliqui ad horum exempla intelligantur. Cum autem in iis de quibus ipsi experimentum fecimus, duo tantum salium genera inventa sint: *Nitrum* scilicet *Calcarium*, & *Sal commune*, de his priùs incipiam, qui, ex duobus illis salibus, alterum tantum continere visi sunt.

Fontes Salsi fœtidi.

I. Itaque *Fons salsus* ad *Harrigate*, sulphureus & fœtidus vulgò dictus, in vicinia *Knazborough* agri Eboracensis, aliud metallum, præter merum salem vulgarem, non continet: cujus rei ea ratio esse potest, quod istiusmodi sal fere sine ulla, aut admodum exigua gleba oritur; adeoque per se aquis misceri potest: *In singulis* autem *Octonis libris aquæ, ad salis uncias duas* habet, atque adeo vulgari aquæ multùm præponderat.

Hujusmodi verò *salsi Fontes* in partibus *Angliæ* Borealibus montosis frequentissimi sunt. Eorum autem aliquot, quos ipse vidi, indicabo; nimirum agro Cravensi unus habetur ad oppidum *Long-Addingham*, medio vico ad lævam; alter prope *Skipton* ejusdem agri; tertius ad *Braughton*, ambo in ipso itinere admodum conspicui: alii plurimi & insignes pratis *Martonensibus* & villâ quâdam *Crikle-grounds* dictâ, *&c.* id genus fere infinita taceo. Atque universi ferè tanquam ex Sulphure putrescunt: Imò tempestate maximè humidâ & frigidâ, istorum Fontium odor fœtidus eminùs ad notabilem distantiam sentitur; cujus rei rationem infra exponam.

At quidam Fontes, etiam salsi atramentosi sunt: ex his ferè sal vulgaris excoquitur, horum autem historiam accurate expositam videsis (*NN* 53. 54. 142.) Actis Philosophicis Londinensibus. Hæc autem ab aliis prætermissa sunt.

1. Horum aquam admodum fœtere velut ex sulphure, maximè si tantisper quiescant putei; imò carnem recenter mactatam, atque istiusmodi aquâ maceratam citò, intra diem puta, putrescere solere.

2. Cum galla fieri atramentosam; in hoc autem censu numerandi sunt, tàm Nantvvicenses, Midlevvicenses, Nortvvicenses putei, scilicet agri *Staffordiensis*; item illi alteri Droitvvicenses agri Worcestrensis; hi, inquam, singuli cum gallâ atramentosi fiunt.

3. Arenam quandam albam, item lapidem album vasorum fundo adhærentem ex iis dejici, maximè si ferreis lebetibus coquantur; idque verum est etiam de aqua marina, sicubi in salem similiter excoquatur; at nec ipsa aqua marina, nec putei mediterranei Droitvvicenses, dum vel per se siccescant vel plumbo coquantur, arenam ullam lapideam dant.

N. B. Arena alba, quæ ab aquis supra positis inter coquendum dejicitur, si aqua pluviatili aliqualiter rigetur, & madida servetur, post aliquot menses tibi dabit crystallos novos, ad alumen proxime accedentes: ex iis autem unam elegantissimam, ad justam ejus magnitudinem & formam accurate depinxi. Hujus autem basis ex toto plana est; verticì etiam plano, multoque latiore; totum claudit circumferentia octangularis; at qualibus planis constabant singula, vix capere potui. Huic gustus salso-amaricans: item his crystalli, mense Julio, constrictæ, aliquot paucis diebus formam ex toto amittebant, & in pulverem niveum per se resolvebantur, ipsæ terræ sive arenæ albæ, ex quâ nascebantur, quam simillimam; At eâdem denuò aquâ liquefactæ iterum in crystallos constringebantur, & identidem brevi post in arenam albam cadebant; quod privatim his solis, quantum observavi, crystallis accidit.

Fontes Lapidescentes.

II. *Fontis lapidescentis* celeberrimi juxta oppidum *Knazborough*, ejusdem agri, *Crystalli* omnino eædem sunt, ac quas supra posuimus in sale calcario.

Hujus autem Fontis aqua vi ignis siccetur, & tenues *Laminæ calcariæ* albidæ copiosè innatant. Atque *idem* etiam *aliter* fortè mihi innotuit, scilicet hujus Fontis aquæ aliquot lagenas vitreas, ab *Augusto Mense*, ad brumam usque apud me servavi. Nihil autem in iis mutatum vidi, antequam vitrea vasa vehementiori gelu rupta fuerant; tum verò *Pulverem lapideum albissimum* haud parva copia dejectum animadverti: is sanè pulvis niveus, & supra fidem elegans est, & omni sale destitutus. Adeo quod *laminæ* sunt, si coctione aquam exsiccaveris; idem pulvis est, si per se dejiciatur.

Ex aqua autem hujus Fontis ad libras 60. habui farinæ lapidis calcarii circiter duas uncias & dimidiam, salis verò circiter drachmam; scilicet se habent, ut 1. *ad* 20.

Item denuò experimentum feci, nimirùm ex aquæ circiter libris 120. Lapidis calcarii ad uncias quinque habui, salis autem ad drachmas duas duntaxat.

Utrumque autem media æstate expertus sum. *Illam* verò aquam ex ipso Fonte hausi, *hanc* à rupe cadentem cepimus, adeo nullam differentiam in utraque notare potuimus; & exiguam salis portiunculam præ calce. Quod tamen aliter esse *Quidam* è nostris Scriptoribus vehementer affirmat, scilicet, ut fidem adstruat *Corrosioni Helmontianæ*; at falsus est.

At rectè quidem *Frencius noster*, ex hac aqua igne siccata tantùm pulveris cujusdam lapidei meminit, nec ullius salis mentionem facit; adeo in modica aquæ quantitate, ipsi nullus esse videbatur.

Ex lacte cocta, id coagulat, scilicet vel exigui salis nitri calcarii ratione. Etiam aquæ vulgari præponderat.

Est quidam Fons ejusdem naturæ, nec ita incognitus, ad ipsam ripam fluminis *Ouse* juxta *Clifton*, uno lapide ab *Eboraco*: ejus autem aqua cum gallis atramentosa non fit. Is verò salem calcarium dat, item pulverem calcarium album.

Idem in aqua *puteali* domus meæ, dum medio vico, *Stonegate* dicto, habitabam, expertus sum. Nimirùm coctione huic tenues laminas lapidis calcarii supernatasse, crystallosque easdem dedisse ultimâ evaporatione.

At *N. B.* qui *intra hanc urbem* Putei verum & *Inflammabile halonitrum*, unà cum reliquis dant. At id tantùm per accidens, & minimè naturaliter aquæ inest; cum halonitrum ab animalium sordibus oriatur.

Fontes Atramentosi frigidi: quibus non nisi alterum è salibus scilicet calcarium.

III. Fonti medicato *Scarborgensi*, *atramentoso* & frigido, omnino nihil inest, præter unum aut multum salem calcarium.

Hujus autem Fontis aqua, & Ocram, & lapidem calcarium albidum dat.

In Fontis *Scarborgensis* aquæ libris senis (inquit Wittius noster) ad tres drachmas contentorum habebis: & nostro quidem experimento in sexdecim libris coctis ad sesquiunciam contentorum habui.

Aqua atramentosa in Vicinia *Knazbourgh* ad *Harrigate*, quem *Fontem dulcem* nostri vulgò appellant, eundem salem Calcarium, at ejus pauca tantum grana in plurimis libris dat. In 80. Libris aquæ 90. grana contentorum remanserunt. Spiritu metallico

tallico (inquit *Frencius*) potentior est in hiberno gelu; item æstate, manè, quàm meridiè.

§. In fonte atramentoso juxta *Maulton*, ejusdem agri, idem sal calcarium habetur: at eadem aqua etiam Ocram & lapidem calcarium copiosè dat etiamsi *quidam* è nostris Scriptoribus contrarium audacter affirmant; at falsi sunt. Adde his *Alumen quoddam plumosum.* Scilicet eandem materiam; quàm è Sulphure usto, & ipso Pyrite macerato elicere liceat.

In hunc autem modum, nostro experimento, de hujus Fontis aqua, res se habuit. Nimirùm ex aqua tepefacta *Ocra* omnium prima cadit: mox ab eadem *Squamæ* lapidis calcarij dejiciuntur. Ipsa autem aqua ad minimam quantitatem tandem siccata, *pilos* quosdam instar aluminis plumosi filtro separare scilicet qui genuinus Pyritæ fœtus est. Ultimò verò è Nitro calcario *Crystalli* coëunt.

Si te confusa & exiguarum Crystallorum coitio morabitur; Aluminis tantillo vasculum frica, inde tibi elegantes & majusculæ Crystalli fient.

Ad has verò *Figuras* hujus Fontis Crystalli, si sigillatim numerentur, prout ipse, magna diligentia adhibita, didici, referri possint.

Nimirùm pleraque quatuor plana latera, longa & quadrangula habent, ex altera verò parte in mucronem desinunt, quem bina plana quadrangula constituunt, ex altera in aciem quandam, quam bina quoque plana quadrangula, sed ad contrarium semper cum prioribus positum, conficiunt; Fortè in his quintum datur planum inter medium, etsi angustissimum, visum, certè non armatum, fertè effugiens.

Alia salia sunt, quibus illud *quintum latus* inter medium, longe omnium latissimum est: Unde extremarum quoque partium tanta diversitas oritur, ut aliquot eorum *Crystalli*, aliæ esse videntur quàm sunt.

Jam ad eos Fontes venio, in quibus *ambo Salia* reperiuntur; at eæ ferè *Thermæ* sunt.

Fontes atramentosi, in quibus ambo salia sunt.

IV. *Paucæ* autem *Thermæ*, sive *Fontes calidi* in *Anglia* sunt: Ex ijs autem longè celeberrimæ sunt illæ atramentosæ, quæ in Urbe *Bath*, agri *Sommersettensis* oriuntur. De his autem aquis ita nostri scriptores *Jordanus* & *Guidotius* perhibent.

Thermarum *Bathoniensium Salia* sunt *Nitrum* & *sal commune* (id autem Nitrum, cùm inflammabile non sit, calcarium esse, nihil dubito.) At inest plus duplo salis communis, quam Nitri. Item *Ocra*, & *lapis calcarius* insunt. Illius autem ne minimum quidem coctione haberi potest, at hujus ad duplum & amplius omnium Salium.

Quòd verò lapidem Calcarium, duorum esse generum vult *Guidotius*, nimis fortè subtiliter distinguit.

Idem tamen in reliquis, quæ sequuntur, audiendus est.

Universa circa Thermas, maxime lapides, prope ipsos Fontes, ex *Ocra* summâ flavedine inficiuntur, Hujus verò ipsius *Ocræ* ad Libram integram is ipse *collegit.* Et addit, quòd in ipso halitu copiosiùs observatur, ideo illam, bonam partem, exhalari coctione, credibile est.

Thermarum aquæ, dum *calent*, atramentosæ fiunt. Item hæ aquæ vehementer calent, & assiduè *Vaporant.* Item æqualiter calescunt, tam *Hyeme*, quàm *Æstate.* Item hi Fontes calidi è luto nigro profunde erumpunt.

Thermæ saturatiorem colorem tempore *Gelu*; quàm *cœlo aperto* cum gallis dant. Item tempore gelu diu servatæ, tingendi facultatem retinent; quod aperto cœlo citò amittunt. Si eædem aquæ bene clausis vasculis serventur, post *plures dies* cum gallis tingunt.

Horum Fontium vel ipsa *Arena* ignita, Sulphuris modo, in tenebris flammam emittit; idem de eorum *limo* puta; Idem etiam de aquarum *residuo*, à coctione cremato, expertum est.

Aquæ Tepidæ, Derbienses, Buxton Wells *dictæ.*

§. *Aliæ* autem siquæ Thermæ apud nos, eæ in agro *Derbiensi* inventæ sunt; ex ijs autem, quæ *Buxton Wells* vulgo audiunt, ipse vidi; & tepidæ quidem aquæ sunt. Is autem Fons insignis est, & multa aqua decurrit; ipse autem Fons fornice satis amplo includitur ad commodiorem Balneationem, perinde ut in maxime calidis Regionibus quantum observavi, mos est, (de Aquis Sextijs Gallo-provinciæ alijsque transmarinis testis oculatus loquor) & minime sub dio, ut alibi apud nos admodum insalubriter fit. Fornicem autem ingredienti aër admodum tepidus sentitur, & nisi ex alterâ parte ædificij fenestra semper, certe interdiu, aperiretur, loci tepor, alicui facilè ferendo non esset, ubi autem paries libero aquæ exitui patet, vaporem, fumi instar, etiam diebus æstivis solstitialibus, summæ aquæ insidentem conspicere licet: illud tamen verum est, aquam nemini sub primâ immersione admodum tepidam videri; at à paucis momentis miraberis te non ante illam calidam sensisse, adeo jam tepore jucundo te per omnia membra blanditur: item, si pedem nudum aquæ ebullienti (quod pluribus balnei locis fit) superinjicias, illam tepidam manifeste senties. At maximam anni partem, præcipuè brumæ, vehementer fumat.

Præter hunc autem fontem fornice circundatum, sunt alij nonnulli tepidi prope erumpentes; quorum unus appellatur *Sancta Anna* Buxtonensis, de quo bibitur, & vomitum movet, si de eo plurimùm ingurgitetur.

Hi autem Fontes è lapide scissili nigricante scaturiunt, cui ferè carbones fossiles subsunt; & in montibus quidem ad meridiem occasumque altero tantum milliari distantibus, iidem etiamnum ad usum effodiuntur; at id ex rivuli vicini ripis, ipsoque clivo, cui ipsæ ædes superstruuntur, si diligenter rem attendas, tibi liquidò constabit.

Hi autem Fontes limpidissimi sunt, vixque ullum lutum dimittunt, & atramentosi, certe æstate non sunt, & tamen metallum aliquod, ferreum, puta, planè sapiunt.

Ex 32. autem libris utriusque Fontis ad siccitatem coctis, vix unum vel alterum scrupulum salis habui, sine ullis laminis lapideis; quamvis inter coquendum pulvere quodam cinereo, plane lapideo, Lebetem æneum stanno obductum, admodum infecit. Is autem sal, maximam partem, in crystallos salis vulgaris constringebatur, quibus interjectæ sunt paucæ crystalli lapidis calcarij.

De Origine rerum, *in Fontibus Medicatis* Angliæ *contentarum.*

Hactenus singulorum Fontium Medicatorum Salia (quæ duo tantum sunt, scilicet Nitrum Calcarium, & Sal vulgare) exposuimus: Item eorum glebam terrenam; scilicet, tam Ocram, quàm lapidem Calcarium.

carium. De horum autem omnium *Origine*, sive nascendi modo, mox breviter agemus.

A *Sale* autem marino sive *vulgari* incipiam, utpote cujus nativitas *simplicissima* est, neque alia quidem esse videtur, quàm *mera liquatio*; cum illud ipsum Sal purum putum metallum est.

Atque adeo in Fontibus nostris sine ullo, aut admodum exiguo terreno residuo, ut plurimùm, reperitur.

At ubi *Nitrum Calcarium*, ibi perpetuò *Lapis Calcarius* adest. Nitrumque adeo Calcarium è suo lapide *germinare*, credibile est. Hujus autem *Germinationis ratio* explicanda est.

Salium Fossilium in *Crystallos Concretionem* suprà exposuimus; at alia est eorundem *Germinatio*. Siquidem *illa* in instanti fit; *hæc* verò lentè & paulatim procedit, *Plantarum* germinantium *more* quodam analogo.

Cùm autem uno eodemque modo Nitrum calcarium nascatur, atque Vitriolum; quamvis ipsum hoc, certè maturum & perfectum in nostris Fontibus medicatis nusquam reperiatur; tamen quòd *Ocra*, istius Salis fœtura quædam sit (de qua etiam in hoc Capite quærendum est,) simul utriusque originem explicare, non alienum erit.

Rem itaque totam *Vitrioli nativitas* illustrat. Ejus autem à *Pyrita* prima eruptio, si in aëre fit, admodum *Immatura* est; procedente verò tempore, *paulò perfectius* est: At è nullo lapide Ferreo *Consummatum Vitriolum* gignitur, nisi post debitam *maturitatem* ad quam, continenter quidem germinando, tandem pervenit.

Vitriolum, inquam, *Neophiton*, *trichites* quidem est, id est, pilorum instar è Pyrite nascitur: at his pilis nascentibus, color quidem *Albidus*, adultis verò *viridis* est. Deinde iidem Pili, *à tenuibus* tenerisque, *crassi* validique fiunt. Ipsam autem rem ad hunc modum & experiri, adeoque concipere facile est.

Aquæ Fontanæ *Stillicidium* in pyriten ferreum *globosum* artificiosè cadat: si cautè & diligenter experimentum conficiatur, & semper citra quàm aqua cum gallis atramentosa fiat; (quod subinde explorandum est) salem albidum, in crystallos *cubicærhomboides* concrescentem dabit.

Hæ autem crystalli primâ concretione oriuntur: nam iis demptis, si ulterius eadem siccetur, sal alterius generis, si quod habeat, dabit. Scilicet, proprij fontis peculiare; quod diligenter animadvertendū est.

Si verò eatenus sinas eandem aquam in Pyriten destillare, donec atramentosa cum gallis fiat, sibi salem immaturum, in crystallos multorum laterum concrescentem proximè ad Aluminis modum & subviridem exhibebit.

At sinas velim eædem *Stiriæ*, quoad colorem & consistentiam, perficiantur, (at quot horæ diesve ad istam maturitatem requirantur, nondum exploravi) & Vitrioli maturi supra descripti Crystallos tandem obtinebis.

Hæc autem de *aspergine* Pyritæ in aëre: si tamen perpetuò *sub aqua* servetur, mihi nondum constat, eum salis ullius fœcundum esse, certè omnino nihil Vitrioli generabitur. Ab eo interim spiritus quidam, sive vapor subtilis, & sulphureus, & inflammabilis fertur, & in suam Ocram, sive ferreum metallum assiduè resolvitur: Nimirum illa sunt quasi vegetandi, sive generandi Vitrioli abortio, sive frustranei sub aquis conatus. At de his infrà plura.

In secundo autem jam posito processu nascitur quidem *Ocra*; at eam ipsam quoque in Pyritis resolutione sub aqua præcipuè gigni intelligendum est.

His adde, ante *ipsam* Vitrioli *Vegetationem*, ne Tormento quidem chymico id elici potest. *Si à prima statim concrematione Pyritæ* (inquit Borrichius *Doc. Met. p.* 44.) *ejus coctioni insisterent, parùm collecturi sunt, modo verbis eorum, qui huic magisterio, præerant, fides debeatur*; scilicet ejus germinatio, quæ lentè procedit, expectanda est.

Idem quoque identidem confirmatur; cùm è *lapide calcario*, *statim ab ipsâ coctione macerato*, omnino *nihil salis* concrescit, idem tamen lapis, sive crudus, sive coctus in Parietibus ædis alicujus, aut tectorijs usurpatus, abundè Salem suum edit, & qui in crystallos sui generis, ut suprà descriptum est, concrescit.

Idem quoque ipsum de *Nitri Calcarii* germinatione cogitandum est; quod pulverem niveum, sive lapidem calcarium, ex utraque supra posita ratione similiter dat; atque Vitriolum, Ocram.

At (ne quid ab alijs notatum omittam) Vitriolum perfectum, ab Ocra sua purgatum, albidum fit; ejusque Salis albi calx, sive Caput mortuum à calcinato Sale, non rubescit, sed fit albidum, leve, & spongiosum; ut clarissimus *Coxius* (*a*) noster author est.

At respondeo, Creta (*b*) sive lapis Calcarius ipsis pyritis, pavimenti loco, alte substerni solet, nimirum illis locis, ubi sub dio conficitur Vitriolum: Igitur meritò quærendum est, an non id Salis al. cujus calcarij potius, quàm Pyritæ caput mortuum sit. Deinde pyrites alijs quibuslibet lapidibus per minima misceri solet, quarum misturarum plurima genera apud me diligenter servo. Rursus pyrites purus putus Ferri Metallum est, ut suprà posui, & crematus totus quantus est, & instar Ocræ calcinatæ rufescit, & à Magnete allicitur; atque adeo per se lapidem Calcarium non dat. Porrò istius salis albidi Figuræ examinandæ sunt, an non referri possint ad Vitriolum immaturum, aut ad sal vulgare, &c.

Vitrioli generatio, ut ab Helmontio *explicata est, refutatur; item illa altera Philosophorum* Parisiensium; *item Vitriolum* factitium *ullâ arte confectum.*

Vitrioli autem generatio, ut ab *Helmontio* explicata est, mihi quidem non arridet. Is verò vult, ipsis aquis naturaliter duci Salem, sive succum sive Spiritum quendam universalem, Embryonatum, esurinum, (*c*) *Hermaphroditicum* (nam his & alijs nominibus ipsum idem appellat.)

Iste autem sal ipso transitu metallum corrodere potens est; à qua corrosione ipso instanti Vitriolum confici vult.

Hæc autem contra objicio.

I. *Ipsum* ejus salem esurinum, (utpote nullius adhuc qualitatis participem, atque adeo non cognoscibilem) uspiam existere, esse gratis dictum.

II. *Pyriten* Vitriolum suum sub aquis perficere minime posse, ex rationibus suprà positis manifestum est.

III. *Ferri* venam ab illo sale suo esurino corrodi vix credibile est, siquidem vel mollissimum nostrum *Hæmatiten*, luti cujusvis æmulum, aut ipsam Ocram, vel valentissimis menstruis dictis (puta ab Aqua forti dicta, aut *spiritu* Nitri) minime corrodi posse experti sumus.

(*a*) *Vide Phil. Transact. Oldenburgii, Num.* 130. (*b*) *Vide ibidem Num.* 142. (*c*) *Semen Salis esurini à Saporum Explicatione adhuc liberum*, Parad. 3. ---- *Ens primum esurinorum*, Ibid. ---- *Constat Martis Vitriolum Sale esurino, Embryonato Sulphure & vena Ferri* (*non Ferro*) *quam Sal esurinum, adhuc volatile, lambendo corrosit*. Parad. 44. ---- *Iste Sal non crescit intra venam Ferri*. Parad. 4.

ſumus. Illud fortè hominem decepit, ſcilicet ipſum Ferrum ab acidis quibuſdam facile corrodi: At de nullo Ferri Metallo, mihi adhuc in Anglia viſo, (& eorum plurima à pleriſque Angliæ partibus apud me ſervo) id minimè verum; eſt imò nec optimum *Suecicum*, magnetis, ſi quod aliud, amiciſſimum, à dictis *Menſtruis*, non, quatenus ferri metallum eſt, corroditur; de quâ re expertus fidem facio.

IV. *Vitriolum* aſſiduâ & lentâ germinatione perfici, experimenta ſuprà poſita appello, ergo non ullâ corroſione momento naſci.

Illud quidem veriſſimum eſt, è Chalybe cum aqua ſimplici (imo ſtillatitia & omni acido vacua, quod teſtatur elegantiſſimus Batavus *Pechlinus, Purg. Exerc.*) verum & maturum Vitriolum paucis momentis elicere licere.

At tu velim cogites, Ferri corpus, denſum licet, & ponderoſum, tamen vel ipſo metallo ſuo magis poroſum eſſe. Illud arguit ejus fuſio, à qua Pumicis inſtar ſe habet, admodumque fragile eſt, niſi poſtea vehementi opera ictibus duretur. Deinde ipſe *Chalybs* reliquorum *Electrorum* (cum Chymicis loquor) modo fit. (*a*) Id eſt, Ferrum ictibus duratum, & confectum, fuſo metallo rurſus incoquitur, & ad ſaturitatem uſque eo imbuitur; ſcilicet longâ coctione plurimum metalli fuſi in ſe imbibit. Jam verò Vitriolum non alio modo in illo, quàm in pyrite gigni cogitandum eſt; etiamſi ejus generatio intra ipſum Ferrum occultè perficiatur.

Atque adeo è Chalybe, id tantùm, quod in ſe habet, aqua ſimplex elicere videtur, & minime aliquid Vitrioli in inſtanti ortum eſſe. Cui quidem rei fidem facit, Scobem ferream (*b*) ab aqua infuſa incaleſcere non aliter, quam calcem vivam ſcilicet à ſale ante nato, & quodammodo incarcerato. His adde, è Pyrite quidem crudo Vitriolum *Trichites* naſcitur, at ex eodem uſtulato Vitriolum quidem naſcitur, at alio modo, haud ita conſpicuo, cum ab igne vegetatio futura, ſi non ex parte deſtrui; certè aliquo modo mutari videtur. Idem de Ferro exiſtimamus. Rurſus notum eſt, aluminis metallum (idem quoque de Pyrite nihil dubito verum eſt) nimium (*c*) concoqui poſſe. Poſtremò, etiamſi Vitriolum non perficiatur, niſi aliquo tempore germinet, ut ſuprà demonſtravimus, tamen quot horæ dieſve ad ejus maturitatem requirantur, vix adhuc intelligo, ut in hoc, vel in illo experimento, non ſatis temporis fuiſſe negem, quin Vitriolum perfectum gignatur.

V. *Ocra* eſt ipſum Ferri metallum, adeoque in ſe continere, certè Vitrioli principia; quod ſic demonſtratur; Ocra, utut benè & diligenter lavetur, donec non ampliùs aquas atramentoſas cum gallis efficiet, paulisper tamen, ſi illam humido aliquo loco recondas, Vitriolum denuò ex eo germinabit, non aliter, quàm è majuſculo pyrite.

VI. *Liquores* Chymici Metalla, quæ eroſerint, ſponte non deponunt; at univerſæ acidulæ atramentoſæ ſuam Ocram ſubitò dejiciunt.

Deinde iidem liquores Chymici, ſi quæ depoſuerint, eadem iterùm, admoto calore, corrodere poſſunt: contrarium verò in acidulis iſtiuſmodi experimur; ſcilicet eas nunquam ſuam Ocram ſemel depoſitam, vel calore admoto, iterùm aſſumere.

§. *Item* in illo à *Philoſophis Pariſienſibus*, (ubi de aquis *Galliæ* medicatis tractant) diſſentio; nimirùm eſſe aliquem vaporem acidum, per ſe ſubſiſtentem, tanquam ejus ens primarium.

Sed ubicunque iſtiuſmodi vapor ſive ſpiritus acidus eſt, ſi à Pyrite oriatur, verè Vitriolicus eſt; ſi ab aluminis metallo, Aluminoſus; ſi à lapide calcario, ſui generis Nitroſus eſt. Imò fateor illorum omnium Salium naſcentium, ſive vegetantium Spiritus ſubtilis eſt; adeoque cujuſcunque illorum naturæ, & proprietatum, unde emanavit, verè participat.

§. (*d*) *Aliqui* autem ſunt, qui Vitriolum ex ipſo *ſale communi* fieri poſſe affirmant. Illud quidem ex parte verùm eſſe poteſt; Scilicet quatenus iſte Sal Vitrioli participavit: Forte is colore viridi, & auſteritate quâdam Vitriolo haud ita diſſimilis eſt. At iſtum Salem communem in verum Vitriolum non converti, ſed à Vitriolo, *larvam* quandam mutuaſſe, credibile eſt.

Si tamen urgeatur, Salia plurium generum, in eadem aqua ſimul *Tabeſcentia*, ſi coctione ſiccetur, ſeorſim ſingula proprijs ſuis *Figuris*, & colore coire: Ita quidem eſt, fatemur. At ſi quis Sal Ferrum Cuprumve corroſerit, (puta, Sal communis vi ignis in Spiritum attenuatus, aut aliàs) tum quidem illum in *alienam Figuram* poſſe ex aliqua parte *contaminari* exiſtimamus.

At fruſtrà fortè litigo: nam de Veritate experimenti, *nondum editi*, nobis non conſtat.

Vitriolum maturum *in aquis noſtris medicatis* rarò, *aut* nunquam *reperitur*; *at* Pyritem *in atramentoſis ex* tota Subſtantiâ *liquari*.

Vitriolum autem *maturum* ab ullis aquis noſtris medicatis, quod ſcio, elici non perhibetur. Id quod etiam jure mirantur Philoſophi *Pariſienſes*, poſt diligens examen *centum* ferè Fontium medicatorum *Galliæ*. Idem ex parte in cauſa fuit, cur noſtri homines tam inurbanas lites inter ſe moverunt. Cùm tamen in omni ferè agro noſtro innumeri Fontes atramentoſi ſint, è quibus ſponte Ocra dejicitur; ſcilicet genuina Vitrioli fœtura.

Adeoque in animum inducere non poſſum, ut credam, Vitriolum Ferri in *Spadanis* Fontibus *Germanicis*, *Pohontio & Savenerio* dictis, ab *Helmontio* unquam offendi; quamvis ſe ſeriò eorum aquas olim diſtillâſſe ait. (*Parad.*)

Hæc autem hujus rei ſumma eſt. Pyrites qui in aëre in merum Vitriolum propriâ germinatione ex toto convertitur; idem ipſe lapis, ſive metallum, ſub aquis, in Spiritum, ſive halitum Sulphureum, Ocramve, *quaſi liquatur*. Id eſt, *Ex tota natura* fit Spiritus. Unde non ampliùs miramur tam tenuem ſuccum (qui etiam ipſiſſimus Pyrites eſt) in Cryſtallos concreſcendo minùs aptum eſſe.

Pyriten autem in aquis atramentoſis ex *totâ ſubſtantiâ* liquari, vaporareque multa demonſtrant.

I. In thermis noſtris quicquid (ut ſuprà poſitum eſt) earum halitui vaporoſo obviam fit, Ocra vehementer inficitur.

II. Item, tam de frigidis, quam de calidis atramentoſis illud notiſſimum eſt, eas, *Utriculis* diligenter occluſis, tingendi cum gallis proprietatem diu ſervare, eaſdem verò apertis vaſculis ſervatas, multò citiùs tingere deſinere: Scilicet ob Ocram non tam dejectam, quàm Vapidam, & à motu planè quieſcentem.

Neque enim Plantarum alia *Narratio* eſt; cujus illuſtre exemplum de *Ligno Cedrino Bermudenſi* olim (*e*) dedimus; ſcilicet id apud me multos annos, nec jam deſinere, *Reſinam* ſuam totâ ſubſtantiâ vaporare.

III. Ipſa *Ocra* vaporat, ut ſuprà poſitum eſt, quod tamen à natura lapidea; ex *ratione Chymica*, Scilicet

(*a*) *Vid. Agr. de re Metall* (*b*) *Vide* Pechlin. *de P. med. Facul.* p. 135. *Item F. Joſephi Burlii Ep.* 11. *ad Barthol. Phil. Tranſ. N.* 64. p. 2082. (*c*) *Phil. Tranſ. N. ultimo.* (*d*) *Phil. Tranſact. N.* 104. (*e*) *Philoſ. Tranſ. N.* 110.

licet corpore denso & gravi; maximè alienum est. Adeoque frustrà exspectari spiritum stillatitium, nimirùm fermentationis alicujus opus: At hic noster, qui avolat spiritus, ipsum metallum vegetans est.

IV. *Saporem*, odoremque istiusmodi aquarum, sub prima earum distillatione, ex toto perdi, citra alicujus Spiritûs dicti separationem, vel maxima diligentia adhibita; atque simul omnino facultatem tingendi cum gallis.

V. *Imo* ipsa tingendi proprietas per se tandem moritur, etiamsi aqua, vel diligentissime obturatis vitreis vasculis, servetur; atque adeo non ratione alicujus vaporis amissi, sed motus ejus vegetantis languidi, & plane quiescentis, mortuique.

VI. *Ocra*, & lapidis Calcarij vel ipsa *dejectio*, ea in *succo* fuisse, indicat. Nam à suis *salibus* (qui aut nulli, aut admodum exigui sunt, ut suprà positum est) *ne subsidant*, vel momento temporis, non posse *prohiberi*. Attamen, contra naturam densorum & gravium corporum, (ut illa quidem sunt) ipsa Ocra *lentè* quidem, maxime si, vel clausis vasculis, diligenter aqua servetur, aut si sibi, non adhibito calore ullo permittatur; & lapis calcarius *agre* tandem, & non nisi à longo & vehementi gelu, dejicitur.

VII. In quibus Fontibus Ocra & Lapis calcarius maxime abundant, ibi minimum Salis reperitur; scilicet in aquis atramentosis, ubi plurimum Ocræ, ibi omninò nihil Vitrioli. Item in Fonte lapidescente, (forte in Anglia insigniori) juxta *Knazeborough* Sal se habet ad lapideam farinam, ut 1. ad 20. Contra autem in ipso Vitriolo maturo, & nitro calcario, Ocra & lapis calcarius in multo minimâ portione sunt ad salina principia. Videlicet VI. Unciæ Nitri calcarii ad duas uncias subitò cremantur; Et similiter de *Colcothare* Vitrioli puta.

VIII. *Pyriten* ex toto sub specie succi aquis atramentosis inesse, hoc experimento constat. Aquæ alicui atramentosæ, ubi scilicet plurimum Ocræ habetur, puta *Maltonensi*, jam jam à Fonte haustæ, illius Lixivij tantillum guttatim adjice, quod Saponarij conficiunt ex calce viva & cineribus *clavellatis* dictis; & ipsum Pyriten (adeo quod subsidet, aureo splendore micat) dejici credas licet.

IX. *Alia* Pyritæ ratio in aëre, de qua suprà egimus, atque alia ejusdem sub aquis perpetuo immersi; Siquidem in aëre Vitriolum è Pyrite nascitur; sub aquis vero Pyrites quasi *liquatur*, Hæc autem huic rei fidem faciunt; nimirùm ipsum Pyriten in solam Ocram & Sulphur posse cremari. Ab eoque Vitriolum vi ignis minime elici posse: Similiter in aquis atramentosis Ocra, halitusque Sulphureus semper adest; minimè quidem Vitriolum, certè maturum.

At ipsum Vitriolum (cujus alia nativitas suprà declarata est) in tria principia resolvitur; quorum scilicet unum Salinum, alterum Sulphur, & tertium Ocra est. Salinum vero ejus principium solæ germinationi Pyritæ in aëre debetur.

De Sulphure autem in Vitriolo *severiores* aliqui dubitant: At quid fit de Sulphure Pyritæ, quem ignis tormento ad magnam sui partem in Sulphur propelli posse diximus. Atque idem in aëre tandem ex toto fit Vitriolum. Deinde alij modi apud Recentiores quosdam describuntur, quibus ipsum Sulphur ex oleo Vitrioli elicitur, quos, brevitatis memor, omitto. At non nego, quin *aliqui* Fontes ita comparati esse possint, vel loci, id est, subterranei alicujus ductus ratione, *ut semper*; vel etiam *Universi atramentosi*, ob admodum incertum aquæ incrementum, ut *certè aliquando*, Vitriolum in hoc, vel in illo maturitatis statu (quem triplicem esse suprà demonstravimus) exhibeant. Si quid itaque de hâc re certum explorare aliquis *curiosus* velit, an, & quomodo in Fontibus atramentosis Vitriolum detur, Næ is multa & longa diligentia utetur necesse est, & præcipue in omni notabiliter mutata cœli tempestate sæpius ad examen revocandi sunt.

At dicet aliquis, Vitriolum *coire* cum sale calcario; hæc mera suspicio est, ut opinor: Si tamen Vitriolum aliquod crudum subsit (nam de maturo verum esse non potest, siquidem à colore & Figura ubi subsit, facile discernitur) fælix erit, qui id vinculum ita dissolvere possit; ut ambo salia per se exhibeantur, & in conspectum veniant.

Deinde haud credibile est, Sal calcarium magis sub se continere Vitriolum quàm sal commune, ubi tamen Pyritæ odor vehemens est; Ut in Fontibus nonnullis salsis, ubi tamen *ne gru* quidem Vitrioli. At de his alij, quibus otium est, videant: nihil equidem affirmo.

Fontium quorundam Petrificationis *ratio.*

Petrificationis autem rationem paucis sic intelligo: Pyrites & Lapis calcarius (neque enim alia metalla nostra quantùm observavi, *lapidescunt*) tota substantia, uti proximè superiore capite dictum est, in istiusmodi Fontibus, *Subtili* admodum *aura*, quasi *liquantur*; Unde quodvis crassum lignum penetrant; & *lignei* quidem *Pyritæ* ex maxime interna parte lapidescunt: Id quod de pulvere aliquo calcario aut Ocra, ut ut subtilissima, vix concipi potest.

Deinde ex istis ligneis Pyritis, Vitriolum in aëre gignitur; ergo ex tota substantia Pyritarum sunt.

Pyriten verè ærosum sive venam cupri Ferrum in æs (ut hic obiter notem) similiter convertere, hoc est, ipsâ petrificationis ratione jam nunc in alijs duobus succis explicata. At hîc Ferrum non magis *in æs* convertitur, quàm illic lignum in ferrum; neque enim ullâ opus est solutione; at penitùs ingreditur succus ærosus ex totâ substantia placidéque coit, ferrum amplectendo.

Contra *Præcipitationem* autem aliquam, aut *salis divortium* in petrificatione multa faciunt.

1. *Nimirum* istiusmodi Fontes, fere non *turbari* aut, lutulentos fieri.

2. *Ocram* & lapidem calcarium per se quidem *dejici* (ut suprà expositum est) at *citra ullam tamen concretionem*, &c.

Thermarum *ratio*, è salibus *Pyritæ & Lapidis Calcarii* nascentibus, *sive ipsis Pyritis & Lapide Calcario* vegetantibus, *deducitur*; *aliæque* sententiæ *refutantur.*

Aquas nostras *calidas Bathonienses* atramentosas esse, & Salia duorum generum in se continere, nimirùm Sal commune, nitrumque calcarium: Item Ocram & lapidem calcarium exhibere, suprà expositum est: quo verò modo incalescant, multum dubij habet.

Ipse autem sic sentio, *Thermas* nostras à Pyrite, & lapide Calcario *Vegetantibus*, calorem suum mutuare.

Sal vulgare excludo, quòd ferè solâ liquatione nasci videtur.

Ab *utroque* autem metallo *vegetante halitus calidus* oritur: Pyritæ quidem is maximè Sulphureus, vehemens, & inflammabilis; lapidis autem calcarij mitior, leviorque est; quod sic probo.

De Pyrite autem incipiam.

§. I. *Ubi* Saxa *Puteis*, *Cuniculisve* aperiuntur, ubi qui-

quidem *vapor subtilis*, & qui facillimè, Sulphuris instar, accendi potest, metallariisque adeo summè perniciosus, ferè *oritur*.

Deinde *Vetustioribus* Metallorum *fodinis* maximè infestus est iste vapor; quòd ibi longum Spiritui Sulphureo generandi spatium fuit.

Item illud universo consensu testantur Metallarii, *puteos* subterraneos, totâ hyeme, *geluque* præcipuè tempore, admodum *tepidos* esse.

Pyriten autem copiosissimè Sulphur edere, suprà probatum est; & ulteriùs affirmo, in *nullo omnino metallo terræ Angliæ Sulphur inesse, nisi quatenus Pyrites est*, Pyritæve mixtum aut participans; non plumbum, non carbonem fossilem, non aluminis metallum, & sic de cæteris quibuslibet metallis similiter affirmo: idque non audacter, aut temerè dictum quis credat; nam multâ experientiâ id tandem didici.

Ut autem scias, quid & quatenus aliquid metallum Pyritæ particeps est, Magnetem adhibe, metallo debitè priùs contrito, crematoque, & experimento nunquam frustraberis.

Saxea materia fusa ab incendiis Ætnæ ex bonâ parte ferrea est, ut magnes demonstrat; at eadem in pulverem trita iterumque cremata huic rei abunde fidem fecit, si denuò magnes admoveatur: neque aliud Ferri genus id fuisse quàm Pyriten ex ejus facili accensione credibile est.

Pyritæ autem halitus effectus sunt *Fulmina* & *Fulgura*, si in cœlo accendantur; † *Terræ motus*, si forte cavis subterraneis accensus contineatur: *Thermæ* si per aquarum ductus subterraneos copiose feratur, etiamsi non accendatur.

II. *Halitum* quoque *calidum* à *lapide calcario Vegetante*, similiter ferri, sic probo.

Universos ferè *Fontes puteosque* (nam plerique, eatenus medicati existimati sunt, quatenus hoc vel illo sale, copiosiùs imbuuntur) præcipuè vehementioris gelu tempore *tepidos* esse, atque admodum copiosè etiam conspicuos, *densissimo vapore* humido, Thermarum instar, *halitus emittere*.

De veritate hujus experimenti, scilicet aliquot puteos aquarum in Urbe *Roma* gelu tempore extra dubium tepidos fuisse, vide & consule testimonium. *D. I. Ray.* nostri, (*Itinerario Anglice scripto,*) *viri* si quis alius, rerum naturalium *peritissimi*.

Calorem autem aliquot Fontium, præter experimentum sensus, hæc indicant, scilicet plantarum circumnascentium & innatantium perpetua viriditas.

Item istorum Fontium aquam non facilè congelari, vel vehementissimâ tempestate.

Istum autem Fontium teporem, adeo sensibus manifestum, à loci, aut ipsius *aquæ* (quæ una ubique est) *proprietate*, oriri minimè existimandum est. Sed ab halitu quodam calido in ipsis aquarum ductibus subterraneis nato.

At præter Pyriten & lapidem Calcarium nihil, quòd scio, halituosum emittit vaporem: atque adeo vel ambobus, vel eorum alteri iste halitus *calefactionis* attribuendus est.

Jam verò Pyrites metallum rarius est certè, si cum lapide calcario comparetur; qui ubique ferè ingenti quantitate & *continua caute* reperitur, ut suprà posuimus,

Deinde Pyritæ halitus ferè ab Ocra vaporante dignoscitur: igitur restat, ut iste Fontium tepor plerumque à lapide calcario oriatur.

A vaporibus calidis Thermas incalescere, hæc quoque faciunt à Philosophis *Parisiensibus* exposita.

1. Quòd in os sumptæ, haud æquè id adurunt, ac aqua communis, ad eundem caloris gradum igne culinari calefacta: Id quod à materiæ tenuitate, à qua Thermæ incalescunt, oriri videtur; Siquidem Spiritus Vini dicti flamma, manum haud æquæ adurit, ac pruna ei imposita.

2. Ex *coctura* ratione: sunt enim folia quædam, quæ colore tantùm mutato, in calidissimis Galliæ Thermis rigida permanent, cum eadem à levi coctura aquæ ferventis mollia fiunt: unde conjiciunt Thermarum illum calorem desiccativum esse potiùs, quam humectantem.

3. Quòd Thermæ noctu plus incalescunt, quàm interdiu; scilicet ab aëre nocturno vapores calidi nimiùm dissipantur.

4. Quòd Thermarum aqua aëri exposita, calorem suum diutiùs retinet, quam aqua communis ad ignem calefacta, quòd motum ab igne excitatum aër frigidus subitò cessare facit. Thermarum verò calidos vapores idem aër frigidus prohibet, nè tam citò dissipentur.

5. Quod Thermarum aqua in ignem imposita, idem temporis spatium ad effervescendum requiret, ac ipsa aqua communis frigida: unde liquet Thermas ab igne aliquo subterraneo non calefactas fuisse. *Hæc autem illi.*

His addo, ut Pyritæ & Lapidis Calcarij vegetationem halituosam esse probem; nimirùm, in udis & humidis, algidisque locis Salium eorum vegetationem maximè promoveri.

Rursus, à *Tonitru* ferè *Vehementes pluvias* accidere; quod vix fieri credibile est, si per se, & *Siccus* emittetur Pyritæ *halitus*.

Cùm autem id vapore aliquo humido per minima miscetur, si quando quacunque de causa, incendi contigat aqueas particulas simul cogi, dejicique necesse est; scilicet *Spiritu*, cujus solius motu & agitatione in auras feruntur, *exploso*.

Hactenus *nostra* opinio explicata est; jam ad *aliorum* de Thermis *Opiniones refutandas* transeo.

1. Alii autem Thermarum calorem à *facili* Metallorum quorundam, (Pyritæ puta) *accensione* oriri existimant.

Multa sunt mineralia, (inquit Paracelsus *De Thermi. Cap.* 3. Jourdan. *de Baln.*) *quæ ab aëre incenduntur, adeoque aquas in suis regionibus contentas calefaciunt*. Id quidem ex parte verum esse potest; at apud nos, id est, in *Angliæ* Viciniâ, nulli naturaliter *Vulcani* sunt: Neque enim opus esse arbitror, ut vapor sive spiritus iste Pyritæ reipsâ accendatur, ut aquæ calidæ fiant: Siquidem illum alterum spiritum è lapide calcario; forte ex sua natura, *omnino non inflammabilem* (nam aliam naturam, si fortè in *Halonitrum* mutetur, induit) tamen Fontium aquis teporem, notabilem impertire, supra demonstravimus.

2. *Corrosionem* verò inter salem nescio quem esurinum, & Ferri metallum suprà refutavimus. At detur, & vel valentissimus Nitri spiritus ex aqua dilutus in quemvis pulverem aut lapidis alicujus calcarii puta aut corallii injiciatur, etsi magnum quidem tumultum, calorem tamen non movebit.

3. Alii (*Paracelsus De baln. na.* T. 1. c. 3) *Luctam* inter diversos sales excitatam, sive *conjunctiones contrarias*, caloris causam perhibent.

Respondeo, ipsi sales inter se naturaliter non discordant, sed tranquillè in eadem aqua permiscentur.

† *Fulmina & Fulgura inquit Plinius, Sulphuris odorem habent*, ac *lux ipsa eorum Sulphurea* est. *Plin.* l. 35. c.

Si tamen unquam in conjunctione ferveant, id non ante evenire solet, quàm ignem chimica aliqua præparatione, experti sunt.

Sic oleum Vitrioli dictum, cum aqua simplici commistum, eam statim fervidam facit, non ob aliquam salium contrarietatem, (quæ nulla sunt) sed quod ex distillatione vehementi igneam naturam, Calcis vivæ more, retinet. Idem de cæteris Salibus cogita.

4. Quod avem *non* sit *aqua* alicujus *proprietas*, ex isto Fonte, sive puteo vel tepente vel calido, aqua hauriatur; & mox ea per se *frigescit*, & *conglaciatur*, halitusque mitti desinunt.

De Pluviarum Ortu & Materia.

Superiore Capite ipsius Pyritæ Vaporem humidum esse diximus cùm autem universos Fontes à sola pluvia oriri, credebile sit, idque à Wittio nostro, (*de Fonte Scarborgensi*,) doctè quidem, aliisque fusè probatum sit; cumque Pluviarum Ortum, vapori isti humido, tum Pyritarum, tùm lapidis Calcarii, magna ex parte, referendum esse existimem; De *Pluviarum Ortu* & *Materia*, hic paucis disserere, ab instituto nostro non alienum erit.

1. A *Calore* Solis *aqua exhalant*, unde pluviis materia multa, at non sola.

2. Huc accedit universorum *animalium halitus*, etiam *Insectorum*; quod sensibus liquidò patefit, si sub Vitreis vasculis aliquantisper serventur.

3. Item *Plantarum Spiritus*: quòd autem *Plantarum* Vita *halituosa* sit, perinde ut animalium, experimento, admodum feliciter excogitato, demonstravit *Willsius* quidam *Oxoniensis*. *Historia nat. Agri Oxon.* D. Plott.

Idem quoque multis retrò seculis à Plinio proditum est, de herba Æthiopide, quod tamen *Phænomenon* ipse inter magicas vanitates posuit. *Æthiope herba* (*inquit ille Lib.* 36. *apo.*|4. *ex aliis*) *amnes & stagna siccari conjectu*: Ad rem verò deridendam infra addit, *Siccentur hodie Æthiopide* Pontinę paludes, *tantumque agri suburbanæ reddatur Italiæ*. Verùm enim verò, siquis diligenter attendat ipsius herbæ descriptionem, quàm paulò infrà *lib.* 27.*c.*14. tradit his verbis, (Æthiopis *Folia*, habet *magna & multa, radices numerosas*, *plenas*) atque illam cum experimento supra citato conferat, non ampliùs, ut opinor, de rei veritate dubitare licebit.

Imò Fontibus, Fluviis, stagnisque quæ innascuntur herbæ, quantam aquæ portionem quotidie hauriant, vix credibile est.

Huc accedit Sylvarum herbarumque in sicco nascentium eadem ratione impensum mirandum. Nascuntur Fontes (inquit idem Plinius) decisis plerumque sylvis, quos arborum alimenta consumebant.

Item ipse ros nocturnus è plantarum spiritu densato maximè oritur; quod is Maio mense, apud nos longè copiosissimus sit, nimirùm cum plantæ vegetiores sunt, & maximè increscunt; aliis verò mensibus mulo minor est, hyeme exiguus ros.

Idem experimentum de *Alga* in aqua marina aliquoties feci; atque ita *aquam dulcem*, & *potabilem* elicere potui, *novo distillandi modo*, Nautis quidem optatissimo, & utilissimo fortè futuro; quod sine invidia communico.

4. At fortè longè maxima pluviarum materia à salibus Metallorum subterraneis, & præcipuè *Pyritæ* & lapidis *Calcarii* vegetantibus oritur; scilicet à quibus Fontium, Fluminum, Paludumque aquæ, imò ipsum Mare in nebulas copiosè exiguntur: Id quod de Fontibus suprà demonstratum est, idem de reliquis quibuscunque aquis cogita.

In regione aliqua montosa Vesperi in vallibus, æstate, & hyeme, maximè rigente gelu, densæ quædam nebulæ à Fluviis & stagnis assidue oriuntur: summo autem mane eædem, medio circiter itinere, montes ascendisse conspiciuntur: Solé verò orto, vel aliquo vento, aut dissipantur, aut si eodem die, ad montium cacumina, eas pervenire contingat, fere perpetuò in pluviam condensatæ iterùm in valles cadunt. Quod autem id Phænomenon æstate Vesperi, & hyeme, maxime gelu tempore, in conspectum veniat, utriusque eadem ratio est; nimirùm à purgatissimo aëre in quem novus vapor recipitur, id fit.

Nam gelu aër solito tenuior est, scilicet ob universas aqueas particulas in pruinam ab ipso ortu assidue conversas. Similiter æstate, maxime vesperi, Fluviorum, puta, vapor conspicuus fit; quòd ab æstu idem aër interdiu purgatus sit, vapore in altum assidue rapto.

Fontium ex Sulphure fœtentium *ratio.*

An aqua alicujus *Fontis* ex sua natura, vel contentorum ratione *fœtet*, vix ulla dubitandi causa est. Fontibus autem medicatis *ex Sulphure fœtentibus* unum, ut suprà positum est, Sal, idque vulgare, inest. Est autem præterea vapor sive halitus Sulphureus à Pyritâ natus. Is autem ex bona parte *Præcipitari* videtur ipsâ nativitate; atque ita odor ille putidus illius *dejectionis* effectus est.

Dejectionis autem hæc *indicia* sunt.

1. *Flos* quidam *albicans* universis hujusmodi aquis *innatans*, & circa oras istiusmodi Fontium ubique adhærens. Iste autem flos *merum Sulphur* est. Huc accedit, eas *Argentum tingere* primùm subflavo, mox *Nigricante* colore, ut pote ejusdem Sulphuris effectus

2. Deinde *Lutum nigerrimum*; id quoque Sulphureum est.

3. Festucas & lapides in istis Fontibus *ex purpura* tingi.

4. Item aqua horum Fontium *Subturbida est*, certè si cum aliis comparetur.

5. Universæ acidulæ, certè atramentosæ, quas eatenus ex pyrita oriri supra demonstravimus, si paulò diutiùs Utriculis serventur, ipsum eundem Sulphureum odorem, cum famosissimis illis in Vicinia *Knazborough*, spirant.

6. Fontes salsi, ut suprà positum est, quibus aqua assiduè & multum exhauritur, non putescunt; atque ita etiam fœtentibus salsis contingeret nullus dubito, si iidem multâ & improbâ operâ exhaurirentur.

7. Parùm cocta & fœtidum odorem, & argentum tingendi proprietatem amittit, halitu scilicet Sulphureo igne exacto, mortuoque.

Dejectionis autem causa, certè ex aliqua parte, esse potest ipsius Aquæductus *fracedo*, scilicet ex aqua ibi primùm stagnante, ex aliquo accidente: Et reverà universi hi Fontes vel stagnare, vel pigerrimi esse perhibentur.

Quidni numeremus in hoc censu, ipsius *salis* vulgaris *copiam?*

Varia, *quæ Fontes Medicati* Angliæ *à nostris Scriptoribus* comprehendere *dicuntur*, *breviter* examinantur.

Fontes medicati *Angliæ* alia atque alia continere, ab aliis Scriptoribus nostris, qui pauci non sunt, enumerantur. Tantæ autem *diversitatis ratio* esse videtur, Universos *unum Vitriolum* quæritasse, sed frustrà, Singula autem, ab aliis recensita, jam paucis excutiam.

Imprimis

Imprimis verò *Nitrum*, nescio quo fato, ferè plerisque nostris hominibus placuit.

At *Nitrum* recentiorum *Salpetra*, & *Halonitrum* dictum, tantùm non *factitium* est. Illud quidem verum est, id vix alibi uspiam repertum esse, quàm ubi multùm animaliâ frequentàrunt; adeo id *imis* terræ visceribus, & *sub* ipsis *montibus* nasci, per quos plurimi medicati Fontes discurrunt, cogitare durum est.

Fortè arte quâdam *Salpetra* confici possit; cùm tamen lapis nitrosus naturaliter nullus sit, ut, ex duobus alterum, scilicet vel Pyrites, vel Lapis calcarius, Nitro materiam præbeat, necesse est.

An fortè isti lapides urina macerandi, vel aliàs præparandi sint, antequam germinent, Posteris excogitare, & rem conficere relinquo.

At quamvis nulli *lapides naturaliter nitrosi* sunt; tamen est quædam *gleba* ejus *salis fertilis*, & quæ semel eo sale fœcundatur, ejus germen diutius retinet. Nimirùm eadem *nitrosa Gleba*, sale suo coctione exhausta, si in loco à ventorum & pluviæ injurijs libero asservetur, Iterùm novo nitro pullulare dicitur: At venti & Pluviæ immaturum salem tantùm dissipant; fertilitatis verò causa in ipsa *Gleba* est.

At aliquam multi affirmant, quorundam Fontium Salia in stirias concrescere solere. Leve quidem Nitri indicium! Etiam ipsum Vitrioli oleum dictum, Brumæ tempore in stirias concretum habui, & sic apud me diu servavi. Idem *Coxius noster* perhibet. (*Philos. Trans.* D. Oldenburg. N. 103.) Idem de Sale quoque marino, in stirias concreto, suprà notavi; At hæc potius ex quadam evaporationis aut concretionis ratione; quàm ex salis natura oriuntur. At detur Sal quorundam Fontium in nescio quas informes stirias ex aliqua parte naturaliter coire. Tamen aliæ insigniores *Nitri proprietates* ex ipsis iisdem autoribus desunt; nimirùm, in tenuem *flammam coloratam*, subitò & non sine quodam tonitru & fulgore accendi posse; esse *sexangulas* ejus Crystallos, *&c.*

De *Nitri* verò *Antiquorum* ejus sententiæ sum, id fortè in *Europa*, certè in his nostris regionibus Borealibus naturaliter nusquam reperiri; siquidem ex Antiquorum descriptione, relationeque, si attendas, istiusmodi sal terræ *Africæ* aut *Asiæ genus proprium*, &, ex toto genere, à nostro factitio distinctum esse videbitur.

Alij *Sal marinum* quibusdam Fontibus nostris inesse velint, quibus tamen non inest.

In alijs tamen multis, præter salsos malè olentes, id etiam atramentosis inesse, nihil dubito. Velim tamen *salem crudum* Vitrioli cubico-rhomboidem diligentiùs attendant, si quando aliquibus Fontium nostrorum examinatoribus reperiri contingat.

Alij sunt, qui in aliquibus nostris aquis atramentosis *pro Alumine* acriter contendunt; hi Chymiam quoque appellant; at metallorum minùs periti sunt: Deinde falsi sunt, cùm certum est, eos è cumulo ustulatæ rupis aluminosæ, illos lapides sumpsisse, de quibus experimentum fecerunt. Qui etiam, cùm leviter tantùm cremati sint, tamen vel à fumo contaminati, vel satis temporis ad Vitriolum suum edendum in aëre expositi sunt. Illudque verissimum esse censeo, Universam rupem, quatenus aluminosam, *novissimè excisam* crudamque, aquam, in qua macerata fuit, atramentosam cum gallis omnino non reddere. Id quod rectè *Wittius noster* attestatus est; & ego diligenter expertus sum. Lixivium autem ustulati lapidis aluminosi, aut etiam crudi, satis diù in aëre expositi, eatenus atramentosum fit, quatenus Pyritæ participavit.

Pyriten autem cum Aluminis metallo ubique esse commistum multa demonstrant. Scilicet in summo lapidis cremati cumulo, ferè Sulphuris copia, quæ scilicet Pyritæ genuina proles est, reperitur. At ipse quoque *Pyrites* ex aureo suo splendore ibidem in conspectum venit. Et à diligenti examinatore, certè Magnete ritè adhibito, ferè ubique in ipso metallo aluminoso deprehenditur. Ipse etiam illud testor, me Glebam Alumine ditissimam puram putam ex Hibernia habere, quam curiosè adhuc apud me servo: Alumen verò ex hoc metallo, non aliter quàm Vitriolum è Pyrite assidue efflorescit.

Cùm verò post germinationem plurium mensium hosce *pilos aluminosos* excuterem, eam cum gallis aquam, in qua soluti fuerunt, minimè atramentosam redderent. Porrò hi *Pili* aluminosi, etiam ex *annuo* incremento semper *albi* manebant; cùm tamen Pyritæ, sive Vitriolici pili etiam proximè à nativitate *Viridescunt*. Item illos fuisse ipsum Alumen, vel ex gustu eorum subdulci, & maximè austero, cuilibet discernere facile est: De ipsius autem aluminis & Vitrioli Crystallis, ut differant, suprà expositum est. Attamen Aluminis metalla sincera, & omni Pyrite vacua, certè apud nos, quod scio, rarissimè reperta sunt.

His adde, ipsum Alumen alvum vehementer comprimere; At acidulæ nostræ atramentosæ, *quibus id maximè inesse dicitur*, ventrem solvere, ut sunt aquæ Fontis *Scarborgensis*; & ex Sulphure fœtentes juxta *Harrigate*.

Alij rursus ipsam Ocram Fontis *Scarborgensis*, (nè quid omittam, quod ab alijs minus verisimile dictum sit) esse terram aluminosam, sive aluminis metallum affirmant. At hi forte Magnetis experimento vix fidem habent; quod tamen verissimum est. Nam illa ipsa Ocra, quæ pauca, levique *Bal. Mar.* dict. calore dejicitur, si debitè ustuletur, & libenter Magneti obsequi; & si diutius loco humido servetur, ubi germinet, etiam Vitriolum Ferri viride edet: Hæc autem, propria experientia edoctus, ipse testor.

At ulterius objicitur, hujus proximè nominati, aliorumque quorundam Fontium aquarum etiam atramentosarum, ut thermarum Bathoniensium contenta, etiamsi diutius calcinentur, albescere; Respondeo.

Ocram ferè in Thermis, alibique in frigidis medicatis avolare solere, & quasi spiritus, sui certè generis, quandam rationem subire, ut suprà expositum est.

Item si lenis sit coctio, ex parte quidem dejicitur; ut etiam sponte per se, aut cum galla cadit. Ita ut, id in aquis quibusdam atramentosis contineri, nihil dubij sit. Item in alijs, ubi abundat, ut in *Maltonensibus*, etiam contenta calcinata, ut ipsa Ocra cremata, admodum rubescunt. Adeoque ex *paucitate Ocræ albescunt*; unde non sequitur ipsam Ocram in istis aquis, ideo non fuisse; ubi illam extare multis alijs argumentis demonstratur. Deinde, etiamsi omnino nihil è contentis crematis Magnes attrahat; tamen nihilominus ferri metallum ibi esse posse, credibile est.

Nam ex *ipso Chalybe Vitriolum confectum*, etiam non leviter ustulatum, Magnes non attrahit, Ut ipse expertus sum. Adeo à reliquis partibus inter se commixtis, maximéque salinis, admodum diligenter purgetur, necesse est, ut experimentum Magnetis ritè succedat.

De *Bitumine* autem in Thermis nostris Bathoniensibus, *Majo*, *Junio*, & *Julio* præcipuè colligendo, nihil habeo, quod affirmem: Cùm nondum mihi certò constat, id bitumen esse; nam à duobus viris probis,

bis, ejus *Urbis* indigenis, illius bituminis dicti haud modicam quantitatem transmissam habui. At id totum ex corporum strigmentis fuisse affirmo, & aliud præterea nihil. Adde quod; iis tantùm mensibus colligi perhibetur, cum Thermæ maximè frequentantur.

Glariss. MARTINI LISTERI de Fontibus medicatis Angliæ, Exercitatio Altera.

De Concoctione Ventriculi & Humoribus.

Superiore aliquâ Exercitatione, non ita pridem à me editâ, Fontium medicatorum *Angliæ* salia, terrenasque glebas eorundem exposui; item tam salium, quàm glebarum originem & nascendi modum ex plantarum germinantium quâdam analogiâ demonstravimus: quibus positis, & Thermarum perennis calor, & petrificatio facilè intelliguntur. In hâc autem alterâ exercitatione de utilitate & effectibus Fontium eorundem in corpora humana, aliquid, at id quidem paucis, ex nostro instituto, & valetudinis ratione modicâ, dicendum putavi. Cum verò medicamenta in ægris corporibus tum demum optimè adhibentur, ubi sanitatis ratio rectè explicata est; cumque ea, maximam partem, in concoctione ventriculi & humoribus benè habitis consistat, horum expositionem, prout à me quidem concipiuntur, primùm aggrediar.

Concoctio autem præcipua est; atque adeò de eâ apud Antiquos & Recentiores summa contentio est: nostra autem sic se habet opinio, Cibum potionémque in chylum putrescere solere; neque enim naturaliter omnino ulla alia resolutio est rerum concoctibilium, *extra animal positarum*, uti omnia quidem sunt, quæ in stomacho & intestinis continentur: nimirum herbæ, carnes, pisces, vinum, cerevisiæ atque similiter id genus universus victus noster naturaliter putrescit.

Hujus autem putredinis ferè hæc est conditio, cibum potionemque tabescendo in humorem quendam salsum, ejus, qui in urinâ continetur æmulum, corruptione quâdam mutari.

Istiusmodi autem putredinis in ventriculo, hæc quoque, præter supra positum (quod tamen unum, mihi certè, demonstrationis loco est) argumenta sunt: Nimirùm, vinum potionésque ex hordeo confectas &c. naturaliter putrescendo acescere: imò illorum, & suo genere vel optimorum, putredinem acidam, quàm citò id contingere solet à ventriculo concoquente nemo non in se ipso aliquando & expertus & miratus est.

Item, Fœnum madidum, dum putrescit, accenditur, scilicet, à proprio halitu fervido, & inflammabili: ad eundem modum, dum Frumenta quæque, aut fructus, scilicet omnis victus ex genere herbaceo confectus, in ventriculo putrescit, idem halitus inflammabilis per intestina copiosè explodi solet; atque ipsum eundem halitum à reliquo victu, tam carne, quam pisce, illic & alibi putrescente, oriri, nullus dubito.

Huc accedit, apud Gallos, politissimam gentem, plerasque carnes ex omni memoria propriâ velut putredine condiri solere, ut minus laboris facessant stomacho concoquenti: Imò ipsa experientia nos abunde docet, concoctu difficilia non facile corrumpi, & contrà, facilè concoqui quæ facile corrumpuntur, id quod testatur *Galenus, de Aliment. facultatib. l.*1.

Rursus, apud omnes in confesso est, Fermenta & pani & potioni adjecta, concoctionem rerum, quibus addita sunt, in ventriculo adjuvare: At id fit earum corruptionem accelerando; de quâ re consulas velim Medicos antiquos, qui diligenter de alimentorum facultatibus scripserunt. *Panis fermentatus, inquit* C. Celsus, *facile intus corrumpitur: at panis sine fermento minimè intùs vitiatur.* Item inter ea, quæ facilè intus corrumpuntur, numeratur Lac, scilicet, puerorum nutrimentum: *Inter omnia tamen quæ mandimus*, inquit Galenus Alim. l. 3. *lac optimum, optimique succi est.* Item Caseus & recens & vetus: at is mirificè concoctionem adjuvat ex quotidianâ omnium experientiâ: ejus rei ratio est, quòd jam bis corruptus est, sc. semel in lacte atque iterum coaguli adjectione, id quod fieri solet ex ipso stomacho vitulino corrupto olidoque, sale insuper macerato: imò, ac si is post tantas rationes non satis putresceret, aliqui, imò plurimi, etiam ipsum putridum caseum quàm avidissimè appetunt.

Porrò, ex iis, quæ concoctionem ventriculi adjuvant, præcipuum esse sal commune & marinum: item salia, Alkalisata dicta, scilicet ex herbarum crematarum lixivio confecta: item *Acetum*, succi acetosi Limonum putâ, &c. hæc, inquam, omnia extrà adhibita, quamvis cibum aliàs condiunt, & à putredine conservare videntur; tamen putredinem concoquentem intus & in stomacho maximè promovent: cujus quidem rei hæc indicia sunt, nimirum, quòd ipsa aqua marina, atque universi fontes salsi, prout superiore Exercitatione narravimus, citissimè, solíque è fontibus medicatis, & præter modum, non sine insigni fœtore naturaliter putrescunt: quod de aquâ aliquâ dulci cujusvis generis, sive pluviatili, sive lacustri minùs verum est. Item ipsa salsamenta, tàm piscium, quàm carnis alicujus, sive ea liquida & ex muriâ macerata serventur, sive arida & ex sale siccentur, verè tamen putrescunt: id quod tàm ex odore, quàm maximè ex jusculo istiusmodi salsamentorum, si coquantur, cuivis gustanti & diligenter res examinanti, manifestum est. At ea condimenti ratio est; aërem plurimum excludi, dum diluto salino (id est, ob crassitudinem liquoris) salsamenta serventur, item sal vermiculos prohibet aliáve innasci animalia, quæ sc. salis gustu nimis infesto amoventur.

Item huc facit, Pisces marinos, vel maximâ diligentiâ adhibitâ, si per se siccentur; (quod tamen multis piscium generibus fieri solet) salem quendam urinosum vehementer olere, eóque supra fidem abundare, id est, sale naturaliter è putredine orto.

Imò, cibi etiam ex aquâ elixatio, ejus est quædam putredo; siquidem coquis notum est, carnem quamlibet aquâ frigidâ vel leviter lotam citiùs putrescere, etiamsi illicò affertur, quàm illotam, & aquâ omnino intacta.

Item, cruda & parum cocta carne vescentibus Dysenteria oriri solet, ut ferè militibus in castris contingit: scilicet, primùm è lento & viscoso quodam chylo mox sanguine interstincto, &c. ejus autem lentoris ratio est, subcrudam carnem multò minus putrescere, certè inassueto, quàm elixam: dejectionum autem lentorem ejus rei esse indicium hoc experimento evincitur. *Ichtyocolla* in s. q. aquę fontanæ coquatur, fac gelatinam, ut moris est; stet, donec putrescat, id quod citiùs æstate fit; iterum vel leviter incalescat ad ignem, non ampliùs in glutem coibit, sed fit limpidum & minimè lentum jusculum; adeoque veteres rectè existimârunt, omnem in sanguine lentorem ejus cruditatis indicium esse.

His accedit, Herbas, si benè stercoratæ sint, optime virescere, & uberrimum fructum ferre; stercus autem (scilicet aliquid ex animalibus & plantis corruptis fere confectum) quo putridius, eò melius. *At nutritoria Functio, ex veterum* [*Galen. de Sympt. Caus. lib.* 2.] *doctrina, cùm naturalis, non vitalis sit, haud*

haud aliter in animalibus, quàm in plantis perficitur: Et si nutritio, multò magis concoctio, à vitalitate amovenda est, siquidem hæc quidem extra nos, illa verò intus & in nobis & in plantis confici solet: Ut quidem dum pascimur, nos ipsi, perinde ut plantæ (absit verbo fastidium) stercoramur: neque aliud magis inter hominem & plantam interesse videtur, quàm quod planta intestinis careat, sive (quod ad idem redit) ea extra versa sint, *lacteasque* in cortice habeat.

Nimius essem, si omnia, huc facientia, explicarem. Unum addam, ventriculum & intestina plurimorum Insectorum in omnibus animalibus locum proprium & nativum esse; scilicet, animalium putredine naturaliter certè nutriendorum.

At, inquies, cibum in ventriculo ferè citra ullum ingratum putredinis odorem confici. Id tantum ex parte concedi potest. Nam valetudinarii, quibus superius ventriculi os minùs comprimitur, etiam inviti aliter sentiunt, deque mirâ aciditate ex omni potione queruntur, item de nescio quibus ructibus, tanquam ex ovis putridis: Imò idem à flatulentis & inusitatis cibis, etiam validis non rarò contingere solet; scilicet in ventriculi os impetum facientibus. At ne sit nobis ingratus odor à putrescente cibo, naturaliter ventriculi os constringitur. Deinde, in ventriculo cibum solidum, potionemque paucis horis putrescendo liquari, quod non nisi post aliquot dies fit in aëre, adeòque minus gravem esse sensibus nostris: Hujus autem subitaneæ putredinis argumentum est, urinam bis putrescere debere, ut ejus sal volatile faciliùs extricetur, scilicet semel in ventriculo, atque iterum in aëre. Verumetiam, ipsa Alimentorum consuetudo minus fastidium nobis parit, etenim aquæ puræ, & vini tantum potatoribus, Hispanis putà, non putidior potio, quàm cerevisia nostra; ipsis scilicet doliorum fracedinem inusitatam, quam istiusmodi potiones vehementer redolent, abominantibus.

At ipsius Urinæ, & Excrementorum ab intestinis excretorum fœtor pro nobis facit, & corruptionem aliquam in concoctione omnino arguit. Corruptelam cibi, inquit *Galenus*, [*de Sympt. different.*] sequitur necessario excrementorum fœtor, excrementa autem nunquam non fœtent, etiam admodùm sanis: Atque adeo crapulæ ratio, meâ quidem sententiâ, non in aliquâ cibi corruptela consistit; at è contra in ejus cruditate, scilicet, quod is minùs, quàm par est, in ventriculo corrumpatur: Imo liquet, sic affectis, cibos, sive id vinum sive caro sit, ad plures horas, imo interdum dies, ex integro fere rejectos esse.

Hujus autem putredinis concoquentis instrumenta sunt ipse loci calor: neque id alienum est à Veterum doctrinâ; *quæ calidis in locis diutius manent* (inquit de Euchym. *Galenus*) *ea computrescere, necesse est.* Item, superioris concoctionis ipsa fracedo; *atque ita cibus inusitatus* [C. *Cels.*] *ferè inutilis, & concoctu difficilis est.* Item, ipsam Pituitam non excludo per universa intestina excretam, at præcipue ab ore ortam. Pituitæ autem vis putrescens non alibi magis apparet, quàm in animalium venenatorum morsibus, à quibus funesta putredo paucis horis oritur. *Ob humorem*, (ut testatur idem Author de Euchy. item de natur. Facult. lib. 3.) *quem venenata animalia in ictam partem infligunt, illam vel celeriter vitâ privari, vel in putredinem labi.* Illud etiam experimentum *Galenus* aliquoties inculcat, huic rei apprime faciens, scilicet Scorpionem, jejuni hominis sputo bis terve aspersum protinus interire. Deinde non alibi magis aut citiùs putrescit cibus, quàm inter dentes (scilicet ob salivæ recentis effluxum) si quis forte ibi intercipiatur.

Chylum autem à putrescentibus cibis in ventriculo ortum, necessario salsum esse constat; quòd à plantarum carniúmve omnigenûm putredine, quibus sc. vescimur, istiusmodi sal ante omnia oriri solet: Deinde ipsa Urina, ab ipso è venis exitu, salsa est; item sudor, similiter à subtili pororum transpiratione assiduè emergens, utique salsus est.

Atque hæc hactenus de Concoctione Chyli in ventriculo, ejusque naturali salsedine. Chylum autem salsum in vasa lactea proxime ab intestinis assumi, credibile est, imo ipsum ejus ingressum sic olim demonstravimus. Cani inediâ quadraginta minimùm horarum admodum famelico carnis coctæ aridæ & sine ullo humido aliquot uncias dedimus; Hujus autem Duodenum post quinque horas [*de hoc Experimento conficiendo, vide plura* Actis Phil. Londin.] perforavimus, & immisso clystere aquam tepidam ex Indigo trito benè tinctam, ad integram libram injecimus; deinde foramine consuto, canem, vinculis solutum, in pedes conjecimus ad horas tres; quo tempore iterum aperto abdomine, *lacteas* cæruleo liquore refertas, non sine voluptate contemplati sumus; idem autem Experimentum ab aliis nostris Anatomicis multâ varietate nuper confirmatum est, ut jam satis constet, eas venas, maximè si ab ullâ causâ labefactentur, non liquores tantùm coloratos, sed crassiusculos etiam pulveres, & facilè & copiose admissuras.

Ipsius autem Chyli ingressus in *lacteas* rationem, Suctio aliqua, ut opinor, optime explicat. Quòd, ut à jam positis videtur, ab aliquo animali, admodum famelico, sine ullo delectu & raptim quidem perficitur; imo fames non nisi quidam Suctionis sensus est. A sano autem & minime fame macerato, haud ita. His adde, subitaneam ex liquidis refectionem. Deinde, quicquid intra corpus assumitur, Ore assumitur, atque adeo alibi à similibus Facultatibus, si opus est, Chylum assumi verisimile est. At Chylus, dum in intestinis est, haud adhuc corporis indigena est, adeoque denuò venarum osculis recipiendus est, perinde ut primùm intestinorum magno ore receptus est: Imò ipsum capitis *Os* non nisi communis aliquis ingressus sive iter est ad *lacteas*, quæ sola animalis vera oscula sunt. Rursus, cum Intestinorum compressio & repletio ad ingressum chyli per se nihil efficiant, uti ex experimentis nostris aliorumque satis constat; cùmque ille alter arteriarum pulsus (humorum in corporis habitu movendorum unicus autor) hic ex positis necessario deficiat, suctio sola restat, quâ lacteas subire possit chylus in intestinis confectus.

Chyli autem in venas Lacteas recepti in subclaviam iter jam satis cognitum est; mox verò cordis & arteriarum assiduo motu in universum corporis habitum propellitur.

At quoties renes adpellat cutémve in ullâ fere parte, idque assidue fit, toties ab humore ejus salso paulatim defæcatur. Atque ipse idem chylus, à sale bene purgatus, fit lympha, plerisque sanguinis Serum dictum. Igitur pars chyli, quæ residet purissima Lympha esto.

Verus autem chylus sive Lympha, integer humor est; etiam dum adhuc in venis arteriisque circumagitur. Etenim sanguis è venis missus, frigore quidem contrahitur; at id intelligi non debet, perinde ut in lacte constricto, ubi pars caseosa à sero separatur. Nam verus chylus sive lympha, quæ à sanguinis grumo decedit, quæque à venis missa, sanguinis serum plerisque audit, ejus pars non est: cui rei illud abunde fidem facit, lympham propriis vasis dimidium circuitûs semper conficere solere, Deinde, lym-

lympha, sive id serum mavis appellare, ab ipso sanguine naturaliter recedit vel paucissimis momentis post sectam venam, in lacte vero id ægre contingit & non sine acido aliquo vel innato vel adjecto. Item, in universis dejectionibus vel turbatur liquor, vel semper aliquid supernatat, ut in lacte & urinis vel maxime sanorum; at neutrum quidem in sanorum sanguine misso fit; estque adeo alius humor sanguinis grumus ruber, atque alius chylus sive lympha, sanguinisve serum plerisque dictum.

Hactenus humorem à concoctione ortum in triplici statu vidimus; scilicet primùm in Chylo, dum in ventriculo is conficitur, extraque ipsum corpus in intestinis adhuc habetur; alter verò ejus status est, ubi in lacteis vasis receptus est; nimirùm ubi primùm intra corpus admissus, ejusque adeo humor jam proprie appellandus est; in hoc autem statu ab intestinorum chylo parum differt, nisi forte quòd pars ejus medio itinere glandulis mesentericis paulò ampliùs, quàm in lactearum suctione, purgetur; siquidem adhuc subsalsus est, & subalbescit, imò etiam aliàs colorari potest, ut constat ex artificio quodam nostro suprà exposito; eandémque tamen, aut paulo tenuiorem, propter lympham additam, consistentiam retinet, motusque lymphæ fit particeps, eoque ex parte in subclaviam promovetur. Tertius autem chyli status est, ubi in venis Lymphæque ductibus adhuc à sale suo purgatior, liquidiorque est, opacitatemque omnem & albedinem deposuit.

An verò ipsum arteriarum contentum rubrum, id est, sanguinis refrigerati grumus; item ipsa lympha proprijs vasis venisque scilicet communi cum sanguine receptaculo circumacta, à chylo oriantur, vel per se ante extiterint, mihi quidem haud dubium est. Etenim, ut opinor, omnes corporis partes organicas, simul cum ipsâ animali matre prototypâ ab omni ævo connasci, ipsumque adeo sanguinem lymphamque iisdem natalibus deberi existimandum est; siquidem vascula prorsus inania nasci, mihi quidem cogitare durum est. De puncto autem saliente rubro, is quidem nobis tantùm conspicientibus, vitæ sive motûs cujusdam istius humoris initium est.

Dentur igitur ab ipsâ creatione vasa sanguinea & lymphæ ductus, eorumque humores proprij, nativi, & radicales, nimirum sanguis & lympha; atque liquidò constat, nobis nascentibus chylum suffici in nutritionis materiam tàm horum primariorum humorum, quàm reliquarum partium organicarum; scilicet ab uno chylo & ipsius sanguinis & lymphæ & reliquarum partium nutritio & incrementum est.

An verò chylus ex toto à lacteis vasis absorbeatur, hæreo: Illud quidem libenter concedo, in multis animalibus ejus longè maximam partem, & quæ Lymphæ magis affinis sit, ea subire; at chyli fortè alteram & crassiorem partem etsi multo minorem, sanguini propriè sic dicto nutriendo dicatam, proxime à venis mesentericis assumi, credibile est; siquidem non video, quomodo sanguinis grumus è re tam dissimili, & colore & consistentiâ, ut ejus serum quidem est, confici possit; nisi inquam in chylificatione (quæ mera ciborum tabescentia est) aliæ atque aliæ partes in diversa itinera promoveantur. Deinde ea ponderosiora esse videntur, è quibus sanguinis grumus confici debet, quàm ut ad subclaviam, nullo fere impetu adjuvante, deduci possint: Neque enim venæ huic muneri prorsus ineptæ sunt, siquidem si pulmonem attendas, siquis aër inspiratus per bronchias in sanguinem admissus fuerit, id tantùm venarum capillarium attractione fieri potest; ad hæc, ferè infinita animalium genera *lacteis* carent. Rursus, utriusque itineris, scilicet & chyli & venarum mesentericarum, eadem ratio est; nimirùm idem anfractus & venarum abruptio, in chyli autem itinere venæ lacteæ primi & secundi generis dict. Glandulis mesentericis inseruntur, id est, unâ & eâdem vectione bis fiunt capillares: quorsum illud? non ut aliquod fermentum, (quod quibusdam gratis dictum est) à glandulis mutuentur; aut secretione aliquâ multùm purgetur; nam chylus albus qui glandulas intrat, idem etiam ab iis albus exit; sed eâ tantùm ratione, ne, cùm aliquid ab extra necessariò assumendum sit, etiam ipse aër simul irruat: ad eundem modum cum mesentericæ venæ aliquid alimenti sanguini propriè sic dicto conficiendo ab intestinis assiduè attrahant, hepatique ferant, etiam ipsas itinere suo abrumpi necesse est, ne eadem calamitas, iis infirmatis, ab aëre externo, si forte simul admittatur, aliquando accidat. Adhæc, venæ totius corporis reliquæ, quæ nihil præter unum sanguinem ab arterijs assumtum referunt, omnino integræ & minimè abruptæ ad ipsum usque cor continuo itinere deducuntur. Postremò, hâc ratione is chylus terrestrior, à bile ex bonâ parte purgari potest, antequam reliquum sanguinem suâ amaritudine inficiat; sed de his omnibus, dubito; neque aliquid libenter affirmo, atque hæc quidem obiter.

Illud autem silentio prætereundum non est; arterijs venisque plus Lymphæ semper contineri, quàm sanguini diluendo opus sit; siquidem vel à longo jejunio, de eâ aliquid separatur. At Lymphæ ductus, ut opinor, promptuarii loco sunt, & quemadmodum illinc novus chylus per *lacteas* ipsis venis aliquando suppeditatur, ita hinc supervacaneus & vetus chylus lymphæ ductibus reponitur, & assiduè venis denuò sufficitur. Etenim quamvis sanguinis circuitûs præcipua vis à cordis systole habeatur; at ne id quidem sufficeret ad sanguinem fluidum præstandum, nisi lymphæ quoque assiduum supplementum eo ulterius omni momento diluendo adjiceretur. Atque illa forte è præcipuis rationibus est *Divortii* alicujus portionis Lymphæ in propriis vasis; scilicet cur Lympha vasis peculiaribus, etsi communi quidem circuitus lege cum venis ferè obstricta sit, ex dimidio itinere promoveatur.

Utrumque autem sanguinem tàm is qui in arteriis, quàm qui in venis continetur, eundem lymphæ modo in se habere, credibile est. Etenim illa sanguinis ex arterijs missi, etiamsi coagulo ejus maxime implicetur, brevi tamen post ipsum illud coagulum, lymphâ, demissâ, paulatim subsidet.

Concoctione autem, id est, chyli origine, motu, usu, item ejus discrimine à sanguine propriè sic dicto, lymphaque alijs atque alijs natalibus hactenus explicato, reliquo jam persequemur; scilicet quo modo purgentur iidem humores variâ secretione in aliis atque alijs corporis partibus.

Humores autem à Secretione nati vel maximè utiles sunt, & ad speciei conservationem destinati, ut lac, humorque genitalis; vel minùs utiles & supervacanei, & velut rejectanea corporis sunt, ut Urina, Sudor, Bilis, Pituita: Nam quæ per Colon excernuntur, in horum censu minimè ponenda sunt, quòd intra corporis habitum non fuerint unquam, nisi quatenus illorum vel ipsa stercora aliquando participaverint.

Humorum autem paradigma sic institui potest.

Humo-

Humores
- Primarii
  - Sanguis propriè sic dictus.
  - Serum sive Lympha.
- à Concoctione, Chylus.
- à Secretione
  - maximè utiles
    - Lac.
    - Humor genitalis.
  - minùs utiles
    - Urina.
    - Sudor.
    - Pituita
    - Bilis.

Ex hoc autem Schemate patet, sanguinem & lympham esse humores medios post Recenti intersede, scilicet inter chylum à concoctione & Pituitam, &c. à secretione aptos. Ut autem humores posteri, sive ex altera parte animalis secretione aliquâ nati, faciliùs intelligantur, singula paucis exponam. Igitur, cum duo tantùm ipsius animalis proprij & primarij humores sunt, nimirùm sanguis & lympha, utriusque etiam distincta & peculiaria recrementa esse, verisimile: Adeoque à sanguine propriè sic dicto una bilis oriri videtur. Unde sequetur à solâ lymphâ reliquos humores derivari; nisi quoque chylus, quod tamen ad idem ferè redit, plurium & maximarum secretionum proximus author existimandus esset. Etenim ab ipsâ lymphâ, id est, veteri chylo, humor genitalis oritur; à recenti urina, & sudor; à recentissimo, id est, minus purgato, lac: à purgatissimo chylo, Pituita: Atque adeò hujusmodi alterum Schema delineamus.

Humores, secretione confecti, oriuntur

Vel
- ab ipso sanguine propriè sic dicto, ut
  - Bilis.
- à chylo novo, & minùs purgato
  - Lac.
- à chylo recenti
  - Urina.
  - Sudor.
- à lymphâ purgatâ
  - Pituita.
- à lymphâ purgatissimâ & veteri
  - Humor genitalis.

Singulos autem quosque humores, prout in Paradigmate exhibiti sunt, jam breviter percurram. Igitur à sanguine propriè sic dicto, qui unus ex humoribus primarijs sive radicalibus est, Bilem oriri diximus; cui rei hæc quidem fidem faciunt. Quòd hujus perinde atque illius exiguus modus est, certè præ reliquis corporis humoribus; atque adeo vesicula Fellis rarò dimidio plenior est; at nè is quidem ipse humor totus quantus è venis missus sanguis existimandus est; sed neque pars ejus grumosa, nisi quatenus ab omni chylo, sive lymphâ, ex toto purgata est: Quòd bilis secretio pigerrima est, perinde ut ipsius sanguinis nutritio & incrementum; id quod tum demùm manifestum est, si quâ de causâ is disperdi contigerit; ut ferè fit à vehementi aliquâ Hæmorrhagiâ, &c. Quòd animalia, ut insecta pleráque quæ sanguine sive succó venarum non rubro prædita sunt, nec bilem (quantum scio) habent: Quòd ipsius sanguinis & bilis color quodammodo communis est; nam qui picturâ versantur benè intelligunt, quàm facilis sit mutatio à rubro ad subflavum viridemve: His adde, alios in corpore omnino nullos humores esse coloratos, præter unum sanguinem & bilem.

Lac autem unde secernatur, multum dubij habet; à chylo autem novo & vix purgato, ut opinor, oritur. Etenim mammas nutricibus proximè à cibo potioneque subitò lacte repleri notum est; à quo id è chylo novo confici colligimus; ipseque chylus paucis (si tamen ullis opus sit) circuitibus satis purgatur, ut ab ipso lacte minùs differat. Ad hæc, lacteis venis carent aves, insecta, & ovipara quæque, id est, animalia quibus mammæ usui non sunt; ac si venæ lacteæ ejusque receptaculum mammis aliquando administrare natæ sint; de modo autem alij videant: Illud tamen addam, ubi venæ lacteæ desunt, ibi etiam nec iidem lymphæ ductus reperiuntur; unde conjicio, lymphæ adjectionem in lacteis venis non tantùm chyli dilutioni, ejusque motui inservire, sed etiam ne nimiùm citò & tenaciter sanguinis grumo chylus implicetur, aut contaminetur; siquidem eadem lympha à sanguine assiduè idque sæpius in die separatur; ac si ideò aliquod symbolum ei daretur, quod cum novo chylo, in venis lacteis promoto, communicaret, scilicet ex integro per sanguinis massam pertranseundi: Item, illud notes velim, chylum in *subclaviam* iter moliri, ne, cum ex eo conficeretur lac, fellis amaritudinem sapiat, cùm mesentericæ venæ felli purgando ex omnium consensu dicantur. Ad hæc, lactis, Vaccini putà, quod ultimò prolicitur, ut mulieribus villicis benè notum est, non solùm instar chyli crassius est, sed multò magis, perinde ut ipse chylus certè si parùm coquatur, ut mos est, salsedinem quandam sapit; ac si id eo emulgendi instanti & assiduè in mammis conficeretur, ipsâque inanitionis vehementi operâ velut forti aliquâ suctione ipsæ mammæ à crudiore chylo subinde replerentur: Unde etiam conjicio, lac tenue & limpidum, quale est à muliere & à solidungulis quibusdam, non ideo laudatur, quòd mitius est & minùs nutrit, sed è contra, quòd ab eo *Tabidi* plurimùm & valenter reficiantur, cum ei multum lymphæ misceri videatur, scilicet humoris, siquis alius, utique nutritij & purgatissimi.

Urinæ autem sudorisque ferè eadem est natura, scilicet vehementer salsa; atque adeo utriusque origo quædam communis censenda est: At id genus salem à putrescente victu nostro nasci suprà ostendimus; nimirùm, recens confectus chylus salsus est, à qua salsedine, postquam in venas receptus est, per urinam, sudorem, aut ipsum etiam pulmonis halitum, aut, quod ferè idem est, per insensibilem transpirationem assiduè purgari videtur.

Ad Pituitam autem accedo, cujus nativitas à lymphâ purgatâ esse videtur, siquidem ambo naturaliter leni aliquo calore facile contrahantur; hujus autem rei, inter alia plurima, illud quidem

evi-

evidens indicium est, Narium, Palati, Pulmonis, Intestinorum mucum (quæ omnia una pituita sunt) naturaliter crassescere. Ad hæc, eadem pituita in Piscibus putà & Limacibus, quorum scilicet succus vitalis frigidus est, etiam ipso frigore similiter crassescit, perinde ut à quibusdam de ipsâ lymphâ observatum est.

Humor autem Genitalis à lymphâ radicali sive purgatissimâ oritur, perinde ut bilis à sanguine; id quoque evincitur ex ejus eximio lentore; item, quòd ab ejus dispendio, vel modico, vehementer admodum vires labefactentur; in *Gonorrhœa* autem illum à vitiatâ lymphâ augeri propter copiam manifestum est, vitiatam autem appello, ubi chylo crudo permiscetur, de quâ re infrà plura, Atque hæc hactenus de præcipuis Humoribus secretis.

Secretionis autem Animalis causam primariam esse ipsum arteriarum pulsum; (*a*) siquidem vena Renis putà, firmiter ligata *Clysteris* cujusdam vehementi impulsu in Arteriam, emulgentem putà, posse quemvis humorem in Ureterem propelli, Experimento *Bartholini* Filij [*Specim. Admi. Anatom.*] satis constat; atque adeò quòd vehementi operâ assiduè & velut Rivo emisso profluit, id singulis pulsibus paulatim naturaliter posse secerni, verisimile est.

His adde, per universas Secretionis vias sanguinem interdum sponte ferri, uno pulsu autore, Historia Medicinalis abundè testatur; ut in sanguinis sudore cutaneo, sanguinis sputo, Mammillarum, Narium, Renum, Ani, Uteri, Duodeni hæmorrhagia, quæ hepatis, ductûs pancreatici, plexuúmve glandularum intestinalium esse potuit; & siqua alia humorum itinera sive exitus sunt, per hos, inquam, omnes interdum sanguis, uno pulsu autore, fertur; atque illud ferè ob venas alicubi corporis impeditas.

De modo autem Secretionis Animalis adhuc quidem ambigo, & in re tàm difficili haud libenter aliquid affirmo: Galenicæ quidem objectioni, scilicet, cur hoc, quàm illud, Renibus putà, secernatur, vix habeo, quod respondeam: Neque enim facilè dixerim, an nescio quæ Fermentatio Attractióve mihi magis arrideat: Si tamen fateri fas est, in præsentiarum in hanc Antiquorum Doctrinam propendeo. Illud quidem verissimum est, vim quandam magneticam multis, præter magnetem propriè sic dictum, inesse, etiam in ipsis humidis, quod alibi demonstrare cogito. Item humores quosvis secernendos naturaliter & in statu sano, esse affines Secretorum, id est, similitudine quâdam, si non identitate & ex totâ ferè substantia: Jam si ponamus vasa pecularia, Secretioni animalis dicata, inania non nasci, sed in se continuisse ab ipsâ eorum origine quosque humores, quod suprà etiam de humoribus radicalibus posuimus, non adeo multùm, ut opinor, à verisimilitudine alienum est, si dicamus humores supervacaneos, à victu sive nutritione oriundos, his se libenter adjungere, quibuscum quædam quasi familiaritas intercedit; siquidem bilis non adeò promptè Urinæ miscetur, nec huic aut illi, Pituita: Deinde, etsi Renes putà Urinam non utique contineant, tamen magneticâ quâdam fracedine vehementer imbuuntur, cujus vi attractivâ particulæ quædam humore sanguineo confusæ singulis arteriarum appulsibus extricentur foràsque proliciantur. Et sic de cæteris partibus, Secretioni alicui dicatis, cogitare libet. Adhæc, si suctionis facultatem *lacteolis* ad quæque in corpus assumenda demus; eandem quoque potestatem vasis secretoriis ad cujusque humoris exitum concedendum puto; siquidem & hæc capillaria sunt, & paulatim ampliantur ad ipsum eorum exitum.

Ex his autem, quæ suprà posita sunt, patet, simul esse duplicem chyli Secretionem *unam* in Renibus, ubi particulæ aqueæ salsæque foràs amandantur; atque *alteram* in vasis lymphæ deferendæ dicatis, ubi scilicet chylus omnem opacitatem deponit, ut salsedinem in Renibus, hanc autem chyli duplicem Secretionem *simul* confici, tàm ex circulationis ratione manifestum est, quàm quòd siquando urina colorari contigerit, idem & lymphæ accidere solet, ut in Ictero, Pallore virginum, ex Indigo dato Arquatis, quod aliquoties expertus, & infrà expositurus sum.

Pituita autem, Lac, atque Humor genitalis, quos omnes ab uno chylo plùs minusve purgato oriri diximus, etiam ab omni infectu ferè alieni sunt: neque enim Lac in muliere lactescente, Morboque regio affectâ, quod sæpe contingit; aut viro eodem morbo vehementer tentato Pituita, humorve genitalis luteus ab aliquo, certè, quantùm ipse diligenter vidi aut legi, unquam observatus est: huius autem rei hæc ratio esse videtur, quòd is humor, scilicet chylus, omnium communis materia, semel in lacteis, atque iterùm in lymphæ ductibus defœcatus, tertiumque adeo minimum in his ultimis secretionibus, quibus Pituita, Lac, Humorque genitalis conficiantur, purgatur.

Ad Bilem autem secernendam omnium longè maximus apparatus esse videtur (cujus solius officina Hepar, certè recentioribus, audit) quòd quàm pigerrimè fit, cum sanguis, à quo purgatur, omnium tenacissimus & crassissimus humor est; adeoque privatim in hâc secretione; scil. quod crasso humori secernendo pigrior motus convenit, venarum ferè solius apparatus est, cùm in reliquis omnibus arteriæ quoque suas & primarias partes agant.

Quæ Pituitam verò expurgent, innumera instrumenta condidit natura, nullum autem, quo ea diutiùs servetur; de quo ultimo veteres intelligi debent, ubi Pituitæ expurgandæ aliqua viscera destinata esse negant. *Gal. Nat. Facult. lib.* 2.

Ipsorum autem humorum, tàm à secretione ortorum, quàm radicalium, Natura & Proprietates optimè à veteribus olim explicatæ sunt; atque ii in his (quamvis de numero & origine humorum paulo aliter quidem sentiam) omnino audiendi sunt: quos velim consulas; nam ut eá transcribam, non est instituti nostri.

Atque hæc hactenus de humoribus in bene constituto corpore: eorum autem vitia & errores, à quibus plerique oriuntur morbi, in iisdem etiam autoribus optimè expositi sunt; quos adi. Pauca autem *Nova* ipse addam; quæ, ut mihi videtur, non parùm faciunt, ad morborum, ex corruptis humoribus ortorum, intelligentiam.

Itaque *Bilis* quidem *unus* exitus est; scilicet per porum bilarium, per quem in *Duodenum* naturaliter profluit; at *Pituita*, *milleni* sunt. Nam per varios ductus Oris, Asperæ arteriæ, Gulæ, Pulmonis, Ventricu-

(*a*) *Non est diversa ratio quâ Urinæ per Renes in vesicam feruntur, & quâ sanguis in omnes animalis partes: Neque etiam quâ Flava secernitur bilis.* Galen. de Nat. Fac. Lib. 1.

triculi & Inteſtinorum, inter quos meritò etiam numeratur inſignis ductus Pancreaticus; item *Inteſtinorum Plexus Fragiformes* (quorum deſcriptionem & uſum, ut id hîc obiter notem, ipſe *primus* expreſſis verbis & de induſtriâ, ut *novum* aliquod in Anatomiâ inventum, olim Actis Philoſophicis Londinenſibus dict. Ann. 1673. [*Num.* 95.] didi, ſcilicet aliquàm multis annis ante Peierum, (quem tamen honoris cauſâ nomino, ita, & in hâc ipſâ quæſtione quam in multis alijs, ad ſummam Reipublicæ Literariæ utilitatem præclarè ſe geſſit) per hos, inquam, omnes una Pituita eliminatur.

Ut autem urina & ſudor, humorque genitalis ſemel ſecreti, intra corpus remeare ampliùs non poſſunt; ita alij ſunt ex ſuprà numeratis humoribus ſcilicet *Pituita*, & *Bilis*, qui, etiamſi ejecti, tamen cùm ulteriùs per inteſtina ferantur, eos interdum rurſus admitti, & ipſas venas *lacteas*, certè aliquâ de cauſâ *labefactatas*, *denuò ſubire*, credibile eſt.

At bilem quidem naturaliter circulari per venas meſentericas, prout à *Johanne Alphonſo Borello* nuper expoſitum eſt, haud veriſimile eſt: Imò, ut opinor, merum figmentum eſt, ſiquidem ex falſâ Hypotheſi arguitur; nimirùm, " *bilem aſſiduè in inteſtina de-* " *ferri, eâdémque velocitate pro molis ratione, quâ* " *ſanguis in Hepar*. At iſtiuſmodi ſanè bilis circulatio ſi perpetuo curſu per inteſtina feratur, ex parte quidem extra animal perficeretur, quod admodùm abſurdum eſt: Deinde cùm *Gliſſonio* noſtro hæc de bile perpetua eſſe exiſtimo, ſcilicet, eam naturaliter ex intervallo & confertim, ad eundem ferè modum quo humor genitalis è ſuis veſiculis ejaculatur, in inteſtina illabi; item, eam raró ad tempus concoctionis diſtributioniſve chyli effluere, quorum rationes vide ſis apud Doctiſſimum autorem: Rurſus ejus *Convaſationem* animali admodum proficuam eſſe; cujus quidem rei ſummam utilitatem indicant copioſæ illæ bilis eructationes, quæ in Febribus intermittentibus fieri ſolent, à quibus homines non aliter quidem, at multò magis debilitantur, quàm aut à ſanguine copioſe miſſo, aut etiam ab ipſius humoris genitalis diſpendio: Item, is Humor evidentiſſimè (*a*) Sanorum quidem ſtomacho, & inteſtinis adeo multò magis, ſcilicet propter ſummam eorum teneritudinem & acutiſſimum ſenſum inviſus eſt, faſtidiúmque parit: imò valetudinarijs, veneno eſt; ſiquidem in multis vitijs, ubi bilis in cauſâ eſt, ut in Febribus Intermittentibus, (in quarum numero ipſam peſtilentiam, Aſiæ indigenam pono) *Cholera* morbo, *&c.* Veneni alicujus ſumpti communia remedia. Itaque ejus uſus ad chylum conficiendum prorſus damnandus eſt; de quâ re pauca infrà adjiciam. *Vide Dioſc. de Venenis*.

De ipſo autem intervallo, & quantitate bilis quotidie excretæ hactenus, quantùm ſcio, ſilent Autores præter unum *Alph. Borellum*, qui neſcio quot bilis libras in ſanguine cauſatur, tamen non libenter concedo, bilem alibi uſpiam quàm in vaſis bilarijs temere reperiri, nec ibidem eam naturaliter unquam excedere *veſiculæ* ejus capacitatem, ſcilicet circitèr paucas uncias; ejuſque excretionem forte non fieri, certè ſanis, niſi admodum raró & exiguâ quantitate, putà ad aliquot drachmas, idque rariſſimè quotidiè, & non niſi forte poſt bidui aut plurium dierum moram; ſiquidem etiam poſt diuturnam inediam, illa vaſa nunquam vacua reperta ſunt. Poſt inediam (inquit idem *Borellus*, nam pro nobis omnino facit) aliquot menſium in ſerpentibus, vaſa bilaria æque turgida inveniuntur, ac prius fuerunt. Item, ob rationes ſupra poſitas de ejus origine ex ſanguine proprie ſic dicto.

De morâ autem bidui aut plurium dierum, illud intelligi poteſt, ab acceſſionibus Febrium Intermittentium, quæ ferè altero tertióve die redire ſolent; at raro in principio quotidiè homines afficere ſolent. Atque hæ bilis eructationes, etſi jam copioſiores (perinde ut ſaliva in Catarrho augeri ſolet, humorve genitalis in Gonorrhœâ, ſcilicet crudorum aſſiduâ miſturâ) tamen quod certâ aliquâ horâ in ſanis, etiam in ægrotis idem erumpendi ſpatium obſervent, credibile eſt; ut in mulierum menſtruis profluvijs. At horâ conſuetâ hic ut illic à malis medicamentis aut aliter facilè pervertitur, atque adeo Febrium Intermittentium Typi, ut vulgo notum eſt, vel levi de cauſâ, mutantur.

Contra Cl. autem *Cole* Noſtrum, quamvis pleraque *ſupra* poſita maximè faciunt, tamen privatim illa; nimirum à vehementi Emetico dato in multis, iiſque maximè ſanis & optime adeo concoquentibus, omnino nihil bilis ſurſum ejicitur; & in alijs, ubi id interdum contingit, ferè non niſi ultimis vomendi Paroxyſmis; adeo difficulter bilis è ſuis vaſis in inteſtina prolicitur, nedum ab omni ventriculi repletione eam naturaliter exprimi, credibile eſt.

Si quando autem vel *Bilis* vel *Pituita* efferveſcentes in inteſtina nimia & confertim ſuffundantur & venas lacteas ſubeunt, ut in varijs morbis ob earum imbecillitatem omnino contingere ſolet, actum eſt de valetudine noſtrâ. Atque hi duo humores, ut alieni Hoſpites, morborum plerorumque cauſæ primariæ, evidentes, & maximè univerſales ſunt.

Eſt autem & alius Humor in venas quoque aſſiduè receptus, qui etiamſi horum nullius particeps eſt, tamen non raro inutilis & ſupervacaneus eſt. Atque is ipſe chylus eſt, ſive is ſit crudus ſtomachi & ipſius alimenti ex ſuâ naturâ minimè putreſcentis vitio, ſive à guloſitate nimius, rurſus per communes ſentinas foràs ejiciendus eſt; at id ferè haud ſine Syndrome variorum malorum. Etenim hinc illæ obſtructiones, *&c.*

Nimirùm, ex his paucis, ut opinor, facile intelligi poſſunt Univerſa ferè morbòrum ſymptomata & variæ affectiones Urinæ, Sputi, Sudoris, &c. ſcilicet, cur illa interdumblioſa ſit, interdum turbetur & fæculenta ſit; cur hoc naturaliter tenue & dulce ſit, interdum vero ſubſalſum acrevè, & inſtar puris craſſeſcat; cur iſte interdum amareſcat, & infinita alia; ſcilicet prout vel bile vel pituitâ, vel chylo crudo & ex parte tantùm putrido ſupervacaneóve, aut ipſo demum ſanguine miſceantur ſimúlque exeant. Adeoque hinc item & veræ indicationes curativæ adipiſcendæ, & medicamentorum virtutes cognitæ ſuis quæque malis profligandis certius aptari poſſint.

Bilem autem ex totâ ſubſtantiâ in venas lacteas ingredi, indicium eſt Icterus; ex aliquâ ejus parte & Intermittentes & Continuæ quæque Febres Scorbutus, *&c.* Item ipſius Pituitæ, & Chyli crudi ſimilem ingreſſum in lacteas arguunt, Catarrhus, Gravedo, Phthiſis, Chloroſis, Hydrops, Pleuritis, Angina, Arthritis, *&c.* Unde non male *Galenus*, [*Nat. Facult. Lib.* 2.] Ex *morbis*, qui *frigidi* ſunt, ex pituitâ oriuntur; qui *calidi*, ex bile ortum habent. Atque hæc hactenus tantùm obiter, cum noſtri propoſiti non ſit, ſingulos illos morbos pluribus exponere, aut Pathologiam ex integro inſtituere.

(*a*) *Mala, quæ in ventriculo confluens bilis induceret, eſſent tanta, ut Functiones ipſius funditus deturbarent. Flava ſiquidem bilis, acrem, mordentem, atque omnia abradentem, obtinet facultatem, cujus ſucci vomitum copioſiorem, morſus inteſtinorum, Cardialgiæque ſolent ſemper præcedere. Galen. de uſu Part.* lib. 5.

Veruntamen, ne quis amplius dubitet in *lactearum* infirmitate, cruda aliosque humores, suprapositos puta, eas ab extrà subire, exempla aliquot rariora ex adversarijs nostris sumpta huc libenter transferam.

I. Quinquagenaria quædam circiter tres annos *Morbo regio* vehementer affecta est: Ei color per universum corpus mirè luteus; Urina pauca & coloris crocei, spiritus anhelans, abdomen & præcordia distenta, excrementa alvi albida, apthæ in ore, corpus admodùm extenuatum.

Huic autem præscripsimus pillulas ex *Indigo Barbadensi* ad drachmam quotidiè sumendas: Id autem illicò effecerunt, ut urinam copiosiùs redderet; proximè verò à sumptis pilulis, urinæ color à croceo claro sive perspicuo, in *atrum* subvirescentem, quale est apud lanæ tinctores lixivium eorum, Cæruleum dictum: Item, huic faciei color assiduo usu istius medicamenti ex luteo ad subviridem accessit: Adhæc, dejectiones virescebant. Post aliquot verò dies illam purgavi pilul. Rudij dictis: Inde urina ejus rursus fit limpida & crocea; & aliquanto meliùs se habuit. Procedente verò tempore rursus pillulas ex Indigo sumpsit, à quibus eadem urina ex viridi nigricans; at paulo minùs colorata, quàm antea.

Deinde semen cannabinum ex lacte contritum bis quotidie sumpsit: at hæc minus profuere; déque capitis levi quadam vertigine questa est.

Mox saponis Hispanici drachmam ex lacte semel in die dedi; mirùm dictu, quantocyùs & quàm benè ab eo medicamento dato convaluit. Urina sanorum & colorem & consistentiam consequuta est, inde multò facilior spiritus, appetentia excitata, &c.

N.B. Urina planè ab Indigo infecta est, scilicet, lacteas officio suo fungendo infirmatas, ipsamque adeo bilem admisisse, donec ejus ingens cumulus in venis corporísque habitu accreverat. At Hepar fortè minùs vitiatum est, sed quod subinde à vesiculâ felis ejicitur, foràsque amoveri debeat, rursus recipitur, lacteásque denuò subire, credibile est. Neque hæc nostra opinio multùm aliena est à mente Erasistrati, quantùm de eâ ex *Galeni* verbis [*de Facult. Nat. Lib.* 2.] conjicere licet, quam tamen, tanquam absurdam, deridet *Galenus*. *Nempe fieri posse, ut bilis cibis statim mista, forinsecus nobis adveniat, non gignatur in corpore.* Et quidem bilis ab ipsâ ejus nativitate, ut ejus cystis, meatúsque, item ipsa intestina corpori forinsecùs dici possunt, & sunt.

II. Mulier quædam robusta, carnosa, à longo tempore, sesquianno minimùm, *morbo regio* affecta est; modò autem meliùs, modò pejus se habuit; interdum ei cutis color intensè flavescebat, interdum ferè qualis sanorum, idem de urinâ cogita. Illud autem inprimis notatu dignum, istam mulierem haud multùm extenuatam fuisse à tàm diutino malo, propterea quòd id vitium per longa intervalla accedere consuevit. Nam Icterus accessit certis quibusdam temporibus, Febrium Intermittentium more; imò iidem paroxysmi verè febriles fuerunt, atque singulis tantùm septimanis redierunt, etiam diei horâ exactè servatâ; ut si quintâ matutinâ die Dominico v. c. febriret, eâdem horâ ejusdem diei proximè sequentis septimanæ se certò similiter affici expectavit.

An autem malum ab ipso initio has leges servâsset, nescio; at à multo certè tempore ità illam se habere, longâ observatione ipsa didicit, ejusque necessarijs rem ita ei fuisse summâ fide attestantibus.

Cujusque autem Paroxysmi conditio ferè hæc est; dolor vehemens circa ventriculum, vomitus, animi penè deliquium; à frigore incipit, mox admodum calet, sudore tandem finitur; circiter 12. horas durat. Ineunte autem Paroxysmo, tanta oritur præcordiorum distentio, ut si ea interdiu contingat & dum vestitur, fascia pectoralis rumpi soleat. Item sub eo tempore tantam frigiditatem pectoris sentire solet, ac si illud nudum aëri hyberno exponeretur; deinde in faucibus nescio quæ offa sursum à ventriculo ascendens strangulatoria; mox dolores vehementes sentit non in ventriculo tantùm, sed & in scapulis, digitorumque & manuum & pedum articulis; certè genua interdum post paroxysmum adeo vehementer dolent, ut hæc manibus continere, lenique fricatione subinde fovere, necesse habeat; Item in Abdomine & Lumbis interdum gravissimus dolor.

Ipso autem tempore paroxysmi, & aliquot, circiter duobus, diebus deinceps urina, siqua reddita est fæculenta atque adeo intensè flavescebat, ac si multo croco tingeretur, & universa cutis per id tempus flavescebat.

Paroxysmo autem finito, per aliquot dies vehementer languere consuevit, ac si visceribus careret (sc. ob solam inanitam cystin felleam) adeo sibi vacua videbatur circà præcordia & abdomen; & tunc temporis præcipuè flavet oculorum pars alba & universa cutis.

Paucis verò diebus exactis rursus cutis ad naturalem fere colorem redit, & Urina parùm aut nibil ex croco coloratur.

Sexcenta remedia frustrà sumpsit, ex meo autem consilio saponem Hispanicum ad ℨvi. ex lacte quotidie potavit: A quo medicamento proximæ accessionis mala multum levata sunt: Nam in eâ nec vomuit, ut semper antea consuevit, nec offam illam strangulatoriam in gutture sensit.

Item huic Indig. Barbad. ex syr. violarum dedi, à quo urina (*N.B.*) ex viridi subfusca reddita est; idque in ipso accessionum intervallo ei contigit ob Lacteas infirmatas.

Item deinceps sumpsit --- à quibus convaluit, & à multis annis jam optimâ valetudine fruitur.

In hoc autem casu, hæc notes velim 1. Paroxysmum fieri ab ipsâ bilis ferventis profusione in intestina & ventriculum, ejusque ab ingressu in venas lacteas: ubi autem semel admissa est, effervescere desinit, cæteráque adeo mala vehementiora paulatim finiuntur, sc. vomitus, offa (sc. motus ipsius stomachi sursum compressivus) *&c.* jam verò delatâ in corporis habitum bile, is flavet; & deinde, cùm per urinæ itinera ea paulatim ejiciatur, corporis habitus ad naturalem colorem redit.

2. Venena plus officiunt valetudini nostræ, dum in ipsis intestinis continentur, quàm ubi venas lacteas ingressa sunt, cujus rei ea ratio esse videtur, quòd extra corporis habitum multò magis tumultuantur, ob aërem ex parte admissum; at intra venas sanguineas tumultus ex bonâ parte supprimitur, non aliter quàm cerevisiæ aut vino contingere solet in occluso doliolo servatæ; ipséque adeo sanguis (siquidem in hoc sensu intelligatur) à *Galeno* rectè appellatur mitissimus succus, aliàs intemperatus. *De Const. Art. Medic.*

3. Viscerum vacuitas oriri videtur ab inanitione vesiculæ felleæ, perinde ut ab humore genitali; si tamen id sæpiùs & multùm fiat, eadem imbecillitas sequitur, ut ab aliquibus accessionibus alicujus Febris Intermittentis. Idem à naturali mulierum infirmitate, quamvis ne centesima quidem sanguinis pars cadat, idque semel tantùm in men-

in menſe. Imò haud diſſimile interdum obſervatur in abſceſſibus aliquot internis aperiendis.

III. Puer quidam decennis *Ictero* vehementer affectus eſt, is verè neſcio quibus malis medicamentis ad Icterum, quoad colorem quidem flavum, curatus eſt. At mox febricitavit, deliravit, ingenti ſiti & aſſiduo vomitu vexatus eſt, ei ex ſiccitate nimiâ arida lingua eſt; admodum hebes factus eſt, & dies noctesque dormiturus de lecto ſurgere noluit, de ſtomachi dolore multum & aſſiduè queſtus eſt, ad duos ferè menſes ad hunc modum ſe habuit, *N. B.* in oculis aut urina haud ulla Icteri ſigna, aliquoties tamen puer vomuit bilem æruginoſam. Tandem ex nulla ciborum appetentia ſubitò omnia oblata devoravit, & plurimùm deliravit, & cùm vix ulla ſpes de ejus ſalute appareret, en ſumma flavedo rurſus totum puerum ſubitò occupavit, & funeſta ſymptomata univerſa levata ſunt, & è veſtigiò convaluit. *N. B.* Bilem æruginoſam in ſtomacho & inteſtinis veneni alicujus rationem induere, at, ubi ea ſemel intra venas admiſſa eſt, tolerabilem eſſe, & facile domari expellique.

IV. Illuſtris puer F. circiter 9. annos agens facie plenâ & bene colorata diu doloribus circa veſicam & penem affectus eſt. Hujus urina, quę mihi ab ejus matre forte tum temporis ægrotante oſtenſa eſt; ſic ſe habuit; nimirùm inſtar ſeri lactis turbida ab ipſa ſcil. excretione fæculenta; item in fundo, grumi albi; item huic odor ipſiſſimus, qui caſei recentis eſt. (*N. B.*) Is puer quotidie mane ex præſcripto Medicorum Londinenſium lac aſininum bibere conſuevit.

Non ita diu poſt à chirurgo quodam Lond. Calculus ex ejus veſica ſectione exemptus eſt.

N. B. ex hoc caſu conſtat, in lactearum venarum infirmitate, cruda admitti, ſiquidem odor fracidus caſei ab ejus urina nares vehementer feriebat; quod tamen in ſanis etiam infantibus lactantibus minimè contingere ſolet, ſed eorum urinæ & ſuus odor & conſiſtentia qualis ſanorum. Nimius eſſem, ſi ſingula recitarem, quæ pleriſque morbis notata, atque huc ſpectantia in Adverſariis noſtris occurrunt.

Quidni autem in Catarrho ſentiam ob lacteas infirmatas, ipſam pituitam chylumque crudum, & ex parte tantum putreſcentem, eas ſubire? Siquidem huic ſententiæ fidem faciunt ſputum, ſive oris pituita, (a) ſubſalſum acidiuſculumque, ejuſque copia; Item, ſubturbida urina ſimul ac friget. At præter *lacteas*, inquies, & ſalivæ ductus vitiantur; ita eſt, & cùm ex frigore ferè catarrhi oriantur; hi vitio maximè opportuni ſunt, ut qui ejus injuriis propiores ſunt, ita quod primum corporis ambitum afficit, etiam inteſtina, ſcilicet cùm ea quoque ex ambitu corporis ſint, in conſenſum facilè trahunt. At de his, cùm ferè præter propoſitum ſint, ſatis ſuperque diximus.

Medicatorum Fontium Angliæ effectus in corpora humana inveſtigantur.

Expoſita ſanitatis ratione, quatenus in concoctione ventriculi & humoribus benè conſtitutis conſiſtit; item eorum vitia & cruditates vidimus, ſcilicet ex quibus alii atque alij morbi oriantur: reliquum nunc eſt, ut ſalium glebarúmque ſuprà poſitarum effectus in corpora humana inquiramus.

Cùm autem aquarum Medicatorum Fontium virtutes ab ipſa experientia optimè intelligantur; cúmque illas aquas in plura genera ſuperiore exercitatione diduxerimus, earum *Schema* hic exhibendum eſt, ut ſingularum ſymptomata enumerem.

Aquæ Angliæ Medicatæ ſunt,

Vel {
- Frigidæ, {
  - Salſæ, ſulphur olentes, id eſt Muriaticæ.
  - Nitroſæ.
  - Atramentoſæ } lapideſcentes.
  - Nitr-atramentoſæ } lapideſcentes.
- Calidæ, Salſo-nitr-atramentoſæ.

Atque adeò ea, quæ ſanis etiam hominibus, ab aquis hauſtis, fere accidere ſolent, hæc ſunt; nimirum, Ab aquis frigidis, ſalſis, ſulphúrque olentibus potatis, vehemens ſitis oritur, vomitus, ſtomachi æſtuatio, Diarrhæa etiam ad plures menſes non rarò durans; fœda puſtularum eruptio per univerſum corpus.

Ab aquis autem frigidis, tantùm Nitroſis; ubi ſcilicet *Nitrum calcarium* ferè maximam partem immaturum, & in ſucco volatili ſuo genere & modo ineſt; id quod ab evidenti aliquâ circa ipſos fontes Petrificatione facilè dignoſcitur; aut ſi ipſæ in ignem impoſitæ diſtillentur, cùm plurimum pulverem calcarium ſupra ſalis modum & proportionem dent; Ab hujuſmodi, inquam, aquis alvus ferè comprimitur.

Ab aquis verò frigidis Nitroſis, aut nitro-atramentoſis; ubi ſcilicet plurimum nitri calcarij maturi, minus autem iſtius lapidis ineſt; item ubi Ocræ, ſive Vitrioli ſub aquis abortivi plus minuſve adeſt, earundem, inquam, aquarum potatoribus hi ferè effectus accidunt; nimirùm, quædam quaſi vertigo, velut in levi aliqua ebrietate, alvi dejectio ferè ſine torminibus, quàm citatiſſima, & ferè ex toto aquea; ſitis exigua, aut nulla; ciborum appetentia, certè pro tempore, plurimùm aucta; in urina multum ſabulum rufum; imò interdum calculi albidi, etiam nonnullis, quibus ij minimè unquam in vita ante excreti ſunt; item in urina ſalinæ quædam particulæ ad ſolem micantes, imò vel nudis oculis conſpicuæ, etiam diu poſt aquas ſumptas, ad aliquot putà menſes notabiles; ipſius ani & latè circa oras ejuſdem, quaſi ab aliqua intertrigine, dolor moleſtiſſimus, ſcilicet ab ipſa ſalium mordacitate & acrimonia natus; interdum Vomitus; & ſi diutiùs & plurimùm ab aliquibus bibantur, quæ iſtarum aquarum crapula dicenda eſt, Febris non rarò oritur.

Illud autem notes, velim; aquas medicatas vehementiores mitioréſve hujuſmodi effectus in corpora humana exerere ſolere, prout horum ingredientium plus minúſve habent.

Atque hæc hactenus de Fontibus medicatis frigidis. Ubi autem naturaliter incaleſcunt aquæ, iiſdemque ſalibus, quæ ſupra poſita ſunt, donantur, eoſdem effectus, certè potatas, habere credibile eſt: quos tamen aliis meditandos relinquo.

At hæ aquæ Calidæ, etiam ad balneationem, ſaluberrimo uſui ſunt: Ita quidem eſt; ſanguinem reliquoſque humores calefaciunt, ſudores evocant, etiam alvum ſic non rarò urinam, certè tepidæ balneationes ut

(a) *Ex cibis, neutiquam ex noſtro corpore, ipſa pituita oritur; corpus enim, ubi ingeſtos cibos non vincit, ſimile iis ipſum quoque excrementum gignit.* Galen. de Temperam. lib. 2. ad finem *Pituitæ quod dulce eſt, id & ſalutare & naturale eſt Animanti, quod acidum, crudum eſt, quod ſalſum computruit.* Gal. de Nat. Facult. Lib. 2.

ut sunt *Buxionenses*, sæpiùs movent. Item, si nimium & diu usurpentur, ex istis effectibus hæc symptomata necessariò sequuntur, scilicet macies, sitis, & viscerum, maximéque ventriculi debilitas, *&c.*

Illud quidem multi, imò omnes, tam validi, quam imbecilli mecum, de Thermis tepidis *Buxtonensibus* loquor, experti sunt; scilicet in ipso balneo immersi mingendi cupiditate sæpiùs teneri; imò involuntariè sæpiùs mingere, putà, quater minimùm aut pluries, intra dimidium horæ. At de Thermis *Bathoniensibus*, utpote calidis aquis, superiore anno ipse haud eundem effectum expertus sum.

Atque ita varios & præcipuos effectus aquarum medicatarum, tàm frigidarum quàm calidarum nostrarum in corpora humana percensuimus; quatenus scilicet vel propriâ experientiâ, (nam plurimi etiam sani apud nos animi causa bibunt lavantque) vel evidenti aliqua ratione nobis illos investigare adhuc licuit.

Salium Glebarumque in Fontibus Angliæ *medicatis repertorum, Qualitates exponuntur.*

Hactenus singulorum fontium medicatorum effectus in corpora humana, paucis enumeravimus; sequitur, ut eorum naturam & usus, id est, medicamentosas qualitates, quæ maximè desiderantur, explicemus, ut variis morbis sublevandis, si fieri potest, aptè adhibeatur. Ut autem hanc quoque rem pro nostro modulo conficiamus, præter aquam istorum Fontium, quæ ubique una est, sive ea calida sive frigida sit; etiam salium glebarumque suprà positarum natura, & proprietates nobis expediendæ sunt.

Aquæ autem dulcis in utroque statu & salis vulgaris sive è fontibus mediterraneis coctilis, virtutes apud antiquos Scriptores (*V. Diosc.* &c.) benè & diligenter enarrantur; quos consulas, velim, nam instituti nostri brevitas transcripta non admittit.

Nitri autem Calcarij nascentis maturíve, item *Ocræ*, *Vitrioli abortivi* natura, cùm res utique in medicina novæ sint, accurate, quantùm per me licet, examinandæ restant.

Inprimis autem illud perpetuum esse duco, utraque metalla, jam nunc nominata, Petrificationis ubique loci, etiam in nostris corporibus, solos auctores esse. Etenim, cùm ex toto metalla sint, adeóque putrescendo, id est, concoctione ventriculi (*a*) indomabilia sint; cúmque ex sua natura, maxime nascentium statu, ut suprà demonstratum est, lapidescant; cúmque alia omnino nulla metalla, præter hæc duo, quantùm scio, uspiam lapidescant, etiam in nostris corporibus, siquando admittantur, eosdem effectus exercere, admodum verisimile est. Petrificationis autem rationem, de quâ breviter in superiore exercitatione egimus, vis quædam magnetica, ut opinor, optimè explicat: Etenim, quod vitriolum veneris ferro, si adfricetur, idem quorundam dentibus cibus potióve est: Illud autem vitrioli in ferrum Phænomenon esse meram petrificationem alibi fusiùs ostendere meditor; interim de calculis albi uspiam intra nos ortis, sic cogites velim, succos suprà positos metallicos esse causam eorum efficientem, & ex aliquâ, eáque bona parte, materialem; cùm tamen libens concedam, ipsa metallicorum succorum in lapidem constrictione, alias quoque plurimas & maximè lentas quasque particulas (qualia sunt, in sanguine aliisque humoribus secretis cruda omnia) simul implicari: Quam rem *aquifoliæ* lignum maximè illustrat, scilicet id genus ligni supra omnia ferè alia, in fontibus medicatis dimissum, citiùs (ut notum est) lapidescere solet; nimirùm propter *viscum* ei naturaliter insitum.

At pauci sunt, qui aquas medicatas bibunt; plurimi verò, qui calculo laborant. Respondeo. Universas aquas hoc sensu plus minúsve medicatas esse; at Fontes suprà dictos per excellentiam.

Damnantur inprimis, inquit Plinius, (*Lib.* 31. *c.*3.) Fontes quorum aquæ decoctæ crassis obducunt vasa crustis; jam scire velim, an hujus Urbis, aut alibi Angliæ, aqua Putealis illo vitio omnino careat; minimè quidem, idque non temerè affirmo; etiam *Pluviatilem* infectu haud prorsus immunem esse existimo: atque adeò universum genus humanum hac ipsa ratione calculo laboret, necesse est. Huic autem rei hæc quóque fidem faciunt; quòd è centum utriusque sexûs sanorum urinis vix & ne vix quidem unam, omni sabulo utique carentem, haud temerè reperies, nisi ea sit alicujus Strumis Podagrâve affecti, aut similium valetudinariorum, cujus rei alibi rationem reddere meditor: Id quod à multis annis post magnam diligentiam adhibitam expertus loquor.

Illud quidem verum est, Plantarum Carniúmque cujusvis generis naturaliter unum esse salem, ut suprà posui, à putredine concoquente ortum, id est à *sale* quodam id genus, universis rubus naturali, & quibusdam *essentiali* dicto; eundemque salem, iisdem rebus ustulatis, in aliud commune genus *Alkali* dictum constringi; quod tamen ipsi m à *Chymistis* (si qua iis fides danda est) totum volatile sive urinosum iterum reddi potest. At fossilia sive metallica salia alia atque alia sunt, & nobis, & penè igni dixeram, indomabilia: De Nitri redintegratione vide Nob. *Boileum*; item ferrum & cuprum, post magnum ignis tormentum, vitriolum quoque suum edit; etiam ipsum ejus *Colcothar* dictum adhuc denuò vitriolum generat. Atque adeo iidem viri etiam saltem vulgarem & in urinâ nostrâ, (*Helm. de Lithias. c.*3. *p* 21.) & in ipso sanguine (*Nob. Boilei Hist. Nat. Sang Human.*) haberi affirmant. Igitur ea, ne suas proprietates exerant, nostris corporibus penitus admissa, quid prohibeat, planè non video.

Tophos autem calculosque in nobis aliisque animalibus natos, ex magnâ parte metallicos esse existimo, quòd non aliâ materiâ ligna, animalia, item ipsa reliqua metalla extra nos uspiam lapidescant, satis constat; nimirum variorum venerum Conchæ, item herbæ plurimæ marinæ, naturaliter ex sui certè aliquâ parte verè lapidescunt; quod non fieret, nisi aquis omnibus inesset calculi communis quædam materia.

" At Helmontius aliter sentit; à fundi fracedine, " inquit ille, (*De Lithiasi c.*1. *p.*15.) oborto semine pe- " trifico, conchylia crustâ loricantur; quorum semen, " non tàm sexuali conjugio, quàm per ipsam fundi " fracedinem propagatur, & conchis ideo *foris* ad- " nascitur posteritas ---- ipsaque strata saxea sub ter- " ram oriuntur ab odore fracido saxeo.

Non equidem hîc quæro, quomodo nata sint strata Terræ

(*a*) *Quibus corporibus substantia solida & compacta est, ut lapidibus, ea ut putrescant, est impossibile. Gal. de Simpl Med. Fac. lib.* 11.

Quæ pertinaciùs vitam sui mediam conservant, non facilè ab Archeo superantur; nec solum digerendo contumacia, sed pervicacia sunt, & in nos agunt, quatenus non subacta. Helmont. Potest. Medicam. p 53.

Salia nobis domestica sensi condiendis cibis esse aptiora, quàm ut in alimentum promoveantur, ibidem.

Terræ ſaxeâ; ſed ſuppoſitâ eorum ab ipſa mundi origine creatione, quæſtio eſt, unde plantæ, animalia, imò ipſa ſaxa jam nunc lapideſcant? & affirmo, nos à germinantium quorundam ſaxorum ſimilitudine ferè decipi, ac ſi aliorum omnium generum ſaxorum ab unâ eademque causâ æquè hodie, ut olim, gignerentur; cùm tamen, certè quantùm ipſe obſervavi, quæ jam lapideſcunt omnia, vel Pyrites vel ſaxum aliquod calcarium tantùm ſunt; neque enim aliud tertium genus facilè aliquis uſpiam reperiet; adeo reliqua ſaxa ſive metalla deſiiſſe generari videntur. Atque hi duo ſucci ex ſalium aſſidua germinatione, ut ſuperiore exercitatione expoſitum eſt, orti, ſuo modo volatiles ſunt, mediiſque rebus tàm vivis, quàm mortuis recepti, ex ſua natura coëunt conſtringunturque etiam plerorumque animalium formâ, eorumque proprietatibus, certè ex aliqua ſui parte ſervatis; quas, brevitatis memor, recenſere omitto.

Huc facit, conchylas mediis tàm rupibus quàm nobiſmet ipſis gigni; id quod medicinalis Hiſtoria teſtatur; (*V. Tulpii. Blaſ. Obſ.*) imò ipſe conchylas vidi eleganter figuratas, in quodam calculi, ex utero vaccæ cujuſdam execti, fragmento; qui calculus integer xx. libras pependiſſe dicebatur; ſcilicet, ob unam ubique metallicam materiam calculoſam.

At aliæ prorſus Conchylæ in noſtris corporibus natæ, atque aliæ rupium, aliáque ipſa animalia Teſtacea, de quâ re alibi (*Hiſtoriâ Animal. Angliæ.*) fuſius tractavi. Ita quidem eſt, quòd in illis ipſa materia calculoſa quaſi ſponte in Conchylas coït; at in Conchyliis animalculis illius materiæ calculoſæ ſecernendæ diſponendæque etiàm partes aliquas privatim dicatas eſſe, credibile eſt; atque adeo iidem ſucci calculoſi, qui illis ad teſtas ſuas formandas uſui, nobis ferè, niſi aliquid ad oſſium materiam faciant, magno malo ſunt: Adhæc, avium genus univerſum, uti notum eſt, calculos mirè appetunt & quotidie eos libenter devorant; at id non tàm, ut opinor, concoctionis gratia, quàm ut earùm gypſo ſive calci cuidam materia detur; ſcilicet ei lotij earum parti craſſæ & albicanti, & è qua ovorum putamina, cùm opus eſt, conficiantur. Aves autem cùm parùm bibant, ipſos calculos ad illam materiam ſufficienter ſupplendam ſumant, neceſſe eſt. Neque illud multùm contra nos facit, quod à quibuſdam objicitur, ex avibus etiam maſculos idem lotium lapideſcens reddere, cùm id in aliis pleriſque naturæ operibus ſolenne ſit. Ex. gr. viris mammas natura dedit, cùm tamen minimè lacteſcere nati ſint: item homini, aliiſque multis animalibus inteſtina quidem *cæca* ſunt; at ferè iis uſui non ſunt, cum aliis interim animalibus, maximo; quod argumentum alibi fuſius tractavi: (*Act. Philoſ. Lond.*) atque id genus infinita alia numerare poſſim; adeò ferè inutilibus & humoribus & partibus aliqua animalia abundare voluit providens natura; quàm ut eæ partes & humores, ulli, cùm opus exegerit, deeſſent.

His adde, calculos noſtros ferè albeſcere vel rufeſcere; id eſt, ac ſi ipſis coloribus originem ſuam quodammodo mentirentur, ſcilicet vel ex ocrâ vel ex *lapide* calcario ſe ortos eſſe indicarent. Item illud argumentum eſt, urinam pyritis participem eſſe, quòd, ubicùnque homines aſſiduè mingunt, iſtiuſmodi loca (haud aliter quàm ubi fontes medicati ſcaturiunt) quaſi Ocra admodum inficiuntur: huic adjice, ipſa urina argentum tingi quodam aureo ſplendore, haud ſecus quàm ſi verè Pyrites eſſet.

Poſtremo, Magnetem adhibe, maximè fidelem judicem; is autem lapidi humano, debitè cremato, admotus, in aliis calculis plurimùm, in omnibus paululum ferri extricabit atque in conſpectum dabit, ut non ampliùs dubitare liceat, quin eatenus calculus humanus verùm metallum ſit.

Oſſa autem alba Helmontij (ut ejus viri opinionem de calculo hic obiter excutiam) non aliud eſſe videtur, quàm ſaponis quoddam genus extemporarium, ſcilicet, ex uno ſpiritu ſaponario, & altero utiq; oleoſo confectum; & minimè quidem petrificationem explicat, quæ ſine ullo aut ſpiritu urinoſo aut aqua ardenti in algidis fontibus perfici ſolet ex ſolo ſaxo calcario aut vitriolo abortivo.

Univerſa etiam animalia, perinde ut humanum genus, calculo aliquando laborant; ſcilicet, quòd communi ferè victu potionéque uno atque altero metallico ſucco neceſſariò contaminatis, nobiſcum utantur. Imò interdum nos quoque calculo affici ex ipſis animalium carnibus comeſtis propter eandem rationem veriſimile eſt; ſcilicet, quòd ſuccus calcarius ægrè tandem dejiciatur, id eſt, lapideſcat, niſi ubi viſcera quoque vitientur.

Adhæc, calculum in renibus & veſicâ eſſe malum per accidens; quòd is extra corporis habitum ibi concreſcit; atque adeò eundem ſimiliter ut in fontibus gigni, credibile eſt; niſi quòd in corpore calor aliquantulum adjuvet, etiam invito Helmontio; etenim lapis calcarius ex ſuâ naturâ, ut ſupra poſitum eſt, diu in ſucco manet; at, gelu intenſo, aut in radiis ſolaribus aqua ſiccata, ſi quando eum ſuccum dejici contigerit, inſtar farinæ alicujus cadit in molli pulvere; cùm aliàs idem ſuccus inter coquendum in ſolidas laminas lapideſcat.

Rurſus, quòd ipſæ arenæ, item nonnulli veſicæ calculi molles ſunt: ſunt enim in veſica alij atque alij calculi; in quibus alij ex molli luto videntur confecti. Atque idem de Tophis in articulis & alibi corporis natis manifeſtum eſt; nimirùm, eos è molli quodam luto, & non niſi longa mora, plurium putà menſium annorúmve, indureſcere, atque ægrè tandem in lapidem; ſcilicet ob multam materiam è victu crudam lapideis particulis implicatam.

Uſus autem Diureticorum, ut ſeminis Dauci, etiam Ludi Paracelſi dictæ (ſi quod iſtiuſmodi medicamentum unquam cognitum eſt) horum aliorumque quorumlibet, inquam, Diureticorum ratio eſſe videtur, ne Renes labefactati officij ſui obliviſcantur, atque iis adeo ſtimuli ſint. Nam calculi materia metallica, quò diutiùs in ſanguine tepefacto circulatur, eò magis ad cohæſionem tendit, ut ex ſupra poſito experimento patet. De Veneris autem liquamine volatili, nonnulla, quæ expertus didici, aliàs forte diſertiùs dicturus ſum. Illud interim ſuper omnia remedia Prophylactica, vel quæ ſeſquipedalibus titulis inſigniri ſolent, plaudo; ſcilicet, in minima potione victúve calculorum minima materia. Idque diſcant velim non Nephritici tantùm, ſed & maximè Arthritici. Hæc autem hactenus de Helmontij opinione obiter tantùm.

De variis uſibus Aquarum medicatarum Angliæ opiniones aliorum.

Fontium medicatorum Angliæ effectus in corpora humana; item *contentorum* naturam & proprietates ſuprà indicavimus: Adeoque uſus eorum medicinales paucis explicandi reſtant; ſcilicet, quibus morbis aptè medeantur: Illud tamen ex aliorum placitis, quàm à me diſci malim, quòd aquas noſtras celeberrimas non admodum frequentavi. Quod verò ab aliis de hâc re editum eſt, paucis ponere à noſtro inſtituto non alienum erit.

Eſto igitur, &, perinde ut olim creditum eſt, tàm frigidæ, quàm calidæ auxilia plurimis morborum generibus conferant. Inprimis autem frigidæ medicatæ bedè faciant ad Melancholiam Hypochondriacam dictam; ad Cachexiam ex aliquo morbo chronico, ſcor-

ſcorbuto, *&c.* ad calculum Renum & Veſicæ; ad Arthritidem; ad Vermes; ad ſterilitatem fæminarum, *&c.* Cùm autem, neſcio quo fato, ſinguli fontes apud nos, ut frequententur, ferè ad ſingulos morbos remedia vulgò audiunt, & tantùm non à ſuis Scriptoribus, ſi quos habeant, identidem *Panpharmaca* dicantur; idem mihi eſſet de universâ Medicinâ ſcribere, ac unius alicujus fontis examen ad Scriptoris ejuſdem libitum perſequi. In his verò jam poſitis ferè omnes conſentiunt, tam docti, quàm indocti, in his ideo paucis pedem figamus.

Itaque Melancholiæ Hypochondriacæ dictæ ſi cui morbo optimè medentur: Ille autem morbus ab humore quodam antiquis *Atrâ bile* dicto ortus eſſe, exiſtimatur; aque ejus humoris ſedes (ſi Antiquis in hâc re fides dandâ eſt) ventriculus eſt; item ſplen ejuſdem officina: Is autem humor (aiunt) remediis contemperandus purgandusque eſt; atque hæ ferè Intentiones Curativæ ſunt. Non opus eſt ut hic repetam, poſt tot viros, quàm alienum ſit ſplenem iſtiuſmodi humori alicui ſecernendo dicare. Ipſum autem morbum ejuſque ſymptomata graviſſima agnoſco; at *atram ullam* bilem à ſplene naturaliter ſecretam, atque inprimis ventriculo infeſtam, prout à *Galeno* (*De Atrabile lib.*) *deſcripta eſt, omninò nego.* Attamen ipſum quidem ventriculum & inteſtina in illo morbo vehementer affici; ſcilicet, interdum pituitâ aceſcente, interdum bile plus juſto amareſcente, aut ex utriuſque quâdam miſturâ aſſiduè moleſtari, non inficior: Hi verò illius morbi effectus quidam ſunt, haud cauſæ primariæ; quæ ferè crapula eſt, & alimentum ſupervacaneum. Nam univerſus victus noſter & vita, etiam optimorum virorum, minimè ex naturæ legibus ſobria & parca eſt; neque quoad ciborum quidem genera rectè inſtituta, ut quæ non niſi ex fructibus naturaliter ſumi debuerint. Ab ipſis, inquam, incunabulis guloſitatem docemur, atque reliquâ ferè vitâ noſtrâ palato & voluptatibus indulgemus; atque hæc valetudinis noſtræ præcipua calamitas eſt: Hinc illa Melancholicis ventriculi † debilitas, ciborum faſtidium; imò aliquibus, illorum horror; inediæ tolerantia mirabilis; reſpiratio tarda & rara, ut & ſimiliter pulsûs ipſius motus; Pavores inanes; phantaſmata: Hæc, inquam, omnia, & plurima alia hujus morbi ſymptomata, ab aliis memorata, ex chyli plenitudine nimiâ oriuntur. Ipſe enim ventriculus, tanquam fidelis monitor, nobis inſciis invigilat, & cùm ſat eſt chyli in venis, de eo amplius concoquere deſinit. Id autem ita eſſe, hæc probant; quòd urinæ in pleriſque, maximè incipientibus, ferè turbidæ, & ex frigore craſſeſcentes, utpote multo chylo vel crudo vel ſupervacaneo ſaturatæ: Quòd Hypochondria admodum tenduntur; ſcilicet ex nimiâ venarum majorum plenitudine, & infarctu; deinde hos homines diu & vehementer, vel valentiſſimis medicamentis datis, poſſe purgari, quod de verâ aliquâ inanitione habitus corporis haud veriſimile eſt; Rurſus, fæminæ virique deſides & luxurioſi, (inter quos numero magnam urbanorum partem, item literarum cupidos,) huic morbo maximè opportuni ſunt; his adde, ipſius victûs noſtri naturam & proprietates; ſcilicet ex maximè alimentoſis, nimirùm, carne omnigenâ ſuccoſâ & pingui, potioneque frequentiſſimè vel mero vel cereviſiâ valenti; Poſtremò, vehementi & aſſiduâ operâ Agriculturæ exercitatos hoc morbo rarò, aut nunquam affici, ſcilicet, ſi quid juſto amplius bibant comedantque iſtiuſmodi homines, id omne iis ſudore aut aliter exigitur.

At quî fit, hominem poſſe affici ex nimio chylo ad multos menſes, imò annos? Reſpondeo, verum venarum chylum purgatiſſimumque haud ita facilè diſperdi, aut ullâ amplius ſecretione naturali multùm minui: adeo difficile eſt chyloſo & præpingui ſponte ad maciem reduci: Rurſus, hoc vitio tentati ſibi, & ex neceſſariorum aſſiduo & importuno monitu, facile indulgere ſolent; ut quamvis cibum eâ ratione, quâ olim, non amplius ſumant; tamen jam *eupeptis* & victûs compendiis quibuſdam ſtudent, ſcilicet plurimi alimenti cibos & *vinolenta* maximè ingurgitant; à quibus malum indies ingraveſcit; atque hæc (aiunt) ventriculi culpâ, quem vehementer accuſant, fieri neceſſe eſſe. At ſi qua aciditas, aut amaritudo ab eo ſentiatur, cibi ſanè aliquibus aromatis conditi, potioniſve debitè putreſcentis effectus ſunt, haud peccatum. Adeoque ex novo & maximè alimentoſo chylo igni fomitem abundè ſtruimus, propriâ ſcilicet indulgentiâ; itaque rectè aliquibus monitum eſt, Hypochondriacos, quibus atra bilis magis redundat, & prædominatur, graviùs affici, & difficiliùs curari, quàm alios.

His ita poſitis, aquarum quorundam medicatorum Fontium uſum præſtantiſſimum in hoc caſu facilè intelligimus, utpote quæ urinam copioſiſſimè movent, aliaſque ſordes vehementer, & ferè ſine torminibus purgant, adeoque ſtomacho, & inteſtinis & ipſis venis ſemper aliquid detrahendo nihilque alimenti addendo, appetitum ſi quid aliud, revocant; idque innumeris exemplis univerſi ferè populi abunde confirmatur. Atque is fontium medicatorum uſus tam latè patet, & ita cuilibet ex propriâ experientiâ obviam eſt, ut cæteras quidem ab aquis incommoditates, infrà recenſendas, vel paucis diſcernere haud liceat.

Item ad Cachexiam, id eſt, corporis malum habitum vel ex alimento, vel ex aliquo morbo chronico, febre aliquâ intermittente putâ, ſcorbuto, hydrope, *&c.* de quâ re ita ſentio. Ubi venæ plurimo chylo, maximè ex vitioſâ aliquâ materiâ confecto, nimirùm naturaliter mali ſucci; item, ubi ipſum victûs genus per ſe ſtomachum lædit, malum corporis habitum, maximè urbanis & luxurioſis tandem oriri, neceſſe eſt. At ſuper omne alimentum noſtrum quotidianum, *Hordeum & mali ſucci & cacoſtomachicum* eſt: Veteres appello, quibus ſumma fides in his rebus habenda eſt; ſcilicet, C. Celſum, Dioſcoridem, *&c.* præter unum Galenum, qui medicamentorum facultatum (ut id hic obiter notem) peſſimus exſcriptor eſt, & multa vitiavit ex nimio Hypotheſeos amore, quod attento & conferenti facilè apparebit) adeoque quò plus iſtius peſſimi medicamenti potui noſtro ineſt, eò plus damni univerſo corporis & inprimis ſtomacho accedere, veriſimile eſt, etiam ab ipſis incunabilis ejus perpetuâ noſtrâ conſuetudine & uſu non obſtante: Hinc tot funera apud nos è Scorbuto & Hydrope, hominum quidem propriâ velut pinguedine putreſcentium.

Febres autem Intermittentes à ſecretis humoribus iiſque vitiatis oriuntur; nimirùm, ex bile & interdum ex ipſâ pituitâ; adeóque quo ſæpius efferveſcunt illi humores, eo plus damni etiam humoribus radicalibus in venis naturaliter contentis, ſanguini ſcilicet, & lymphæ inferunt; etenim omni acceſſione febrili *lacteas* plus minus ſubeunt, ipſaſque adeo venas ingrediuntur, ſanguinique permiſcentur; unde, ipſe corporis habitus à propriis humoribus vitiatur: Reliqua autem horum morborum ſymptomata, hic explicare inſtituti noſtri non eſt, quamvis ex ſuprà poſitis principiis nobis id haud difficile foret.

At

†*Omnes optimi cibi, qui animali plurimum nutrimenti adferant, ſi ſupra modum ſumantur, frigidos morbos generant, Galen. de cauſis morb. lib.*

At ubi corporis habitus vel propriis humoribus, vel alimento aliquo inidoneo vitiatur, *Medicati Fontes* remedio apto ferè non sunt. Nam haud semel novi, homines Febre aliquâ Intermittente tentatos, ab iis potatis pessimè mulctari; siquidem à salibus aquarum, etiamsi viscera venæque penitus purgentur; tamen humores secreti, istiusmodi aculeis additis, plus effervescant, necesse est. Identidem in Scorbuto & Hydrope ob eandem rationem ferè pessimè faciunt: hic itaque potare noli, nisi adhibitâ maximâ cautelâ, Medicoque aliquo in consilium adscito.

Ad *Vermes* benè faciunt; illud quidem nihil dubij habet, & quotidianâ experientiâ constat, vermes quoslibet, intestinis infestos, aquis medicatis potatis ejici. Etenim universa salia Fossilia intestinorum vermibus molesta sunt; maximè autem *Vitriolum* & *Nitrum*, (*V. Dioscord.*) ut hic diutiùs immorer non est opus.

Item ad Calculum & Arthritidem benè facere, vulgò existimantur. At calculi materia præcipua, ut suprà posui, è solis aquis, quatenus medicatis; scilicet, quatenus salibus nascentibus, adeóque lapidescentibus imbutis, nobis oritur.

Aquarum autem medicatarum, inquies, modus ingens, quâ viscera maximéque renes & vesica lavantur, calculo deducendo confert: Ita quidem esse potest; calculo hærenti remedio sint: At dum illum exigunt, alios ne gignant, metus est; scilicet, lactearum renúmque functiones immoderatis aquarum repletionibus solvendo.

Arthritis autem, certè nodosa, ad calculum quoque commodè referri potest, neque enim alia uspiam materia est, ejus morbi Tophis generandis, quàm quæ Renum & Vesicæ Calculis; scilicet alimenti nostri materia calculosa à salibus fossilibus nascentibus orta est: Universa, inquam, animalia, ipsæ plantæ, humanumque genus ex unâ eademque ratione lapidescunt. Arthritidis autem causa externa est, humorum vasa, at maximè lactea, & lymphæ ductus, labefactata; unde in corporis habitum admissa, quod prohiberi debet, materia lapidea, in articulis ea dejicitur; nimirum ubi maximè illa vasa angustantur; eádemque deinceps difficulter admodum venas sanguineas subit, quòd præ reliquis succis gravissimè ex suâ naturâ metallicâ & ponderosâ promovetur; adeóque in se ferè contrahitur, ubicunque subsistere contingit, & mox in Tophum ipso dejectionis loco induréscit. Atque ea est, ut opinor, morbi articularis ratio, scilicet succi cujusdam lapidei ad ipsos articulos dejectio: Quàm facilè autem victûs nostri materia lapidea ad ipsa ossa dejici & articulis adnasci apta nata sit, ex eo intelligimus, quòd ipsa animalium ossa ad Tophos metallicos accedant; nam calcinata in vitrum liquari possunt; deinde eorum cineres ab omni pinguedine purgati, quatenus ex calce sunt, ex Aquâ Forti aliisve quibuscunque Menstruis, Acidis dictis, facilè & ex toto solvuntur; nec ipsum quidem Corallium, si ex oleo benè teratur, iisdem menstruis dictis corrodi potest; adhæc ipsi *dentes*, qui scilicet ex omnibus ossibus *soli* naturaliter *nudi* sunt, plurimis inter mandendum ab alimento lapideâ crustâ obteguntur; nimirùm dentium ossa afficit succus iste lapideus ob quandam affinitatem; non aliter quàm ipso ferro cupri vitriolum, momentaneo quodam complexu attrahitur; neque enim alia res est iste amplexus, quàm Petrificatio; quod alibi fusiùs ostendere meditor.

At ipsa ossa, inquies, membranis suis arctè obvolvi solent; adeóque à vi succi lapidescentis satis tutò muniuntur; respondeo, ipsas membranas posse lacerari ex aliquâ vehementi corporis exercitatione aut ex nimiâ chyli plenitudine ab assiduâ crapulâ; deinde, membranæ ipsâ ætate provectâ attenuantur. Rursus ad Paroxysmum Podagræ excitandum sufficere videtur, si alicubi, etiam ipsis ossium membranis extrinsecùs adhæreat lapidescens succus; neque enim opus est, ut spina v. c. ad ipsa ossa penitus insideat; sed si ad tendinem aliquem, aut ipsam tantùm carnem adigatur, & ibi restitet, ad illius partis inflammationem, totiúsque aliquando corporis febrem accendendam satis est.

At vim ossium magneticam ipsas eorum membranas posse penetrare, succúmque adeo lapidescentem sibi allicere, hoc artificio constabit. Clavum ferreum vesicâ aliquâ siccâ diligenter include, filo collum vesicæ firmiter obstringe; deinde *nativum* Veneris vitriolum aquâ fontanâ ad saturitatum solve: In hunc cæruleum liquorem vesicam demitte; post 14. horas aut circiter cuprum rubrum vere lapideum vesicæ extrinsecus adhærens conspicies. At tu velim similitèr cogites de ossium attractione in Arthritide.

Ad *sterilitatem* fæminarum multùm conferre aquas medicatas, plurimi volunt, & conceptionem promovere: Sterilitatis autem Fæminis propriæ plurimæ causæ sunt; quibus equidem mala medicamenta adderem; quorum tamen nostri homines ferè obliti sunt; maximè quibus *Stomoma* ad Virginum Chlorosin curandam tam assiduo usui est. *Rubigo ferri*, inquit Dioscorides, *potu præstat, ut fæminæ concipiant*; at illam ferri vim ejus sali nascenti multò maximè inesse, credibile est; scilicet, ratione petrificationis, quâ forte tenella virginum ova induréscant aut aliàs vitientur. Cum puellarum verò bonâ veniâ non multum abs re erit, aliam sterilitatis causam humano quoque generi propriam, hactenúsque (quod scio) vix excogitatam, at ferè indelebilem indicare; atque ea quidem non Petrificatio est, sed illi admodum affinis; scilicet, Cicatrices, Fæminarum Ovariis, si non ipsis Ovis à variolis, penitiùs latéque insertæ. De maximè autem internis variolis, nemini dubitare fas est.

Atque hæc hactenus tam de Calidis, quàm de Frigidis aquis nostrorum Fontium medicatorum intùs sumptis, quatenus scilicet ex iisdem metallis oriantur, intelligenda sunt.

Thermarum autem usus externus ad Balnea jam paucis explicandus est.

At satis superque credo, sufficiant quæ ferè infinitis voluminibus tam à veteribus quàm à modernis de Thermis usurpandis scripta sunt.

Generatim autem Nervis prosunt: Item Luxatis, Fractisve. Privatim Ulcera & Scabiem sanant.

Balneationes autem & Unctiones ex veterum Doctrinâ, externis partibus optimè adhibentur: quòd ad ipsum corporis habitum facilè penetrant, etiam medicamentorum facultatibus ex integro servatis; cujus quidem rei illud argumentum est, diu morantes in balneis copiosè mejere. Sterilitatemque adeò fæminarum inprimis tollunt; scilicet ipsarum uterum penitùs pervadentes subtili quâdam aurâ: Id quod Martialis lepido hoc Epigrammate optimè exposuit.

> *Casta, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,*
> *Et, quamvis tetrico, tristior ipsa viro;*
> *Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno,*
> *Et dum Bajanis sæpe fovetur aquis:*
> *Incidit in flammas, juvenemque secuta, relicto*
> *Conjuge, Penelope venit, abit Helene.*

Quæ autem Hippocrates (*Aph. 16. S. 6.*) contra monet, veterum quotidianum intemperantem usum maximè respicit. Calidum, inquit ille, frequentiore usu hæc invehit incommoda, Carnis effæminatio-

nem, Nervorum incontinentiam, Animi torporem, profusiones sanguinis, Animi deliquia, ad quæ quidem mors; idque inculco, cùm viderim Bathoniensium aquarum perniciossimum usum apud nos quoque obtinuisse; scilicet, diu in aquis calidis immorandi; etiam veterum ad multa utilissimâ, *unctione* utique omissâ. Sed manum de Tabulâ.

Hactenus Clariss. Listerus in Exercitationibus duabus de Fontibus Medicatis Angliæ Annô 1686. *Londini vulgatis. Supersunt jam rursus quædam in eôdem argumentô quæ pro prioribus, tum confirmandis, tum illustrandis, faciunt, quæque in ejusdem Exercitatione Anatomicâ tertiâ Conchyliorum Bivalvium utriusque aquæ, inserta reperiuntur; quæ hic adjicienda meritò veniunt. Ea autem hæc sunt.*

Aquæ quædam Medicatæ Anglicanæ.

Aquæ Tunbrigenses atramentosæ fiunt cum gallis, ideo solùm ferratæ esse videntur, & præterea nihil in se continere.

Ex libris autem hujus aquæ, ineunte Junio, 48. ad siccitatem coctis, *Ocræ sequiscrupulus* relictus est. Sal autem, qui isto metallo ferreo inesset, vix tantus esse videbatur, ad exiguam aliquam crystallum conficiendam: ideò non amplius experimentum persequutus sum.

De hujusmodi aquis, at calidis loquitur *Scribonius Largus*, & quod mirificè remediant vesicæ vitia, eas *Vesicarias* quoque appellatas fuisse ait: de hisce aquis ferratis, *Helmontius* novam commentus est Hypothesin, quæ quia, multis, ut video placuit, ideò is mihi notandus est.

« Fontes, inquit, *Spadani* spiritum sulphureum « manifestè acidum & venam ferri exhibent, utrun« què nempè embryonatum immaturumque contine« tur, liquatum in aqua simplici. Hæc ambo pugnant « inter se condensanturque in corpus lapideum, la« genis se affigens, in forma ocræ, aquâ remanente « purâ.

At hæ nugæ sunt, & mera insomnia, immaturi quidem aliquô sensu sales, novissimè è saxis more herbarum pullulantes, dici possint, at aliquem spiritum sulphureum immaturum seorsim existere, ab Ocra quoque nescio: quâ immaturâ sive vena ferri, vanum est & futile commentum, illud rem satis evincit erroris scilicet maturum vitriolum crystallisatum si denuò in aquâ dissolvatur, copiosè dat ocram suam per se, & tamen nemo, ut arbitror, dicit ei inesse spiritum aliquem sulphureum.

Neque enim Ocra alia res est quàm ipsissima ferri vena.

Idem verò alibi, *in tartaro vini tantum acidus spiritus sive acetosus liquor vini mutatur in salem, qualis ante*; rectè; nam aciditas vini ex ipsis salibus est, & non merus spiritus. Tartarum autem vini, crystallisatio quidem salis acidi vini est, at non nisi imperfecta petrificatio, quod ex parte tantum satis est, ita ocra in aquis medicatis ferreis non fit corrosione aliqua à nescio quo spiritû sulphureo, sed integra demittitur à Salis Vitrioli immaturi amplexibus ut pote cum quo pullulat instar gemmæ, alicujus plantæ ex ipsâ ferè venâ sulphurea, i. e. pyrite, at Ocra non iterum resolvitur, velut Tartarus vini; bene est, ex ea tamen subcrescit vitriolum atque ita resolvitur; ex vitriolo *pyrites integer dejicitur*, vi lixivij saponarij quod non sine voluptate sæpius expertus sum.

Aquas verò *Epsamenses*, quas populus Londinensis frequentare solet, superiore atque hoc anno coxi leni igne ad siccitatem: quod autem ex aqua evaporata remansit, sedulò ponderavi, idem demum ex tantillo aquæ fontanę tepefactæ dissolutum per chartam bibulam filtravi. Mox reliquias lapideas in charta siccatas, itemque salem, qui chartam transierat, ex aquâ evaporatum seorsim ponderibus diligenter examinavi. Denique salem denuò dissolutum aquæ fontanæ tantillo in umbra & per se in crystallos ire permisi, ita sine fraude didici aquarum medicatarum cujuscunque generis contenta.

Ex aquâ putei *Simons* dicti (è quô puteô tota ferè aqua Epsamensis, quæ ad Londinum fertur hauriri solet) ineunte juniô, 1694. ad libras 24. leni igne siccatâ, resederunt circiter *quatuor unciæ & quinque drachmæ*, id est, ex singulis libris circiter sesqui drachma in & paulò amplius habuimus.

Hujus autem residentiæ sex drachmæ *lapideæ calcariæ* fuerunt, quæ scilicet filtro cartaceo hæserunt, *salinæ* verò reliquiæ, ad quatuor uncias, aquâ leviter calefactâ, denuò dissolutæ sunt: hi autem sales per se in umbrâ, ex aquâ sensim evaporatâ in crystallos *nitri calcarii*, abierunt.

Aliud Experimentum de iisdem aquis.

Aquæ Epsamensis, è puteo *primario in Ericeto* duodecim libræ sumptæ lentoque igne à me siccatæ, mediô Juliô ejusdem anni, circiter decem drachmas fœcum dederunt, scilicet lapidis calcarii unam; reliquæ verò novem drachmæ in crystallos salis calcarij, constrictæ sunt.

Utriusque autem putei aquæ medicatæ, gallis rasis & injectis, omnino *non atramentosæ* fiunt.

Aliud experimentum de iisdem aquis.

Exeunte Juliô, ejusdem *anni calidissimi*, *è puteo Simons* viginti quatuor libras ad siccitatem coxi, ex residentiâ verò duodecim tantum drachmas habui: quæ filtro trajectæ, duas circiter drachmas lapidis calcarii dederunt: aqua autem filtrata salem calcarium, ex crystallorum figura facile cognoscibilem ad decem drachmas exhibuit.

Eôdem tempore *è Puteô primariô* ejusdem oppidi, at in Ericeto effossô, 24. libras, leni igne siccavi: ad duodecim drachmas ex residentiâ habui, nempè duas circiter lapidis calcarij, & circiter decem drachmas crystallorum salis calcarij.

Excessus autem salis, præ lapide calcariô, indicat, dissolutionis modum; quò aqua transit super lapidem calcarium, germinantem in colatoriis subterraneis; itemque id genus germen ex multo maxima parte salinum esse.

Hic autem sal, qui merito nomen ex calce sibi vindicat, cùm idem ipsus sit, ac qui ex omni calce sive lapidea sive testacea oriatur, quod ex communi omnibus id genus salibus figura satis constat, iste, inquam, sal admodum leviter *amarescit*, at vide ne ex coctione aquæ in vasis aheneis, accedat quoque aliqua amaritudo præternaturalis. Id autem pluribus è nostræ facultatis hominibus, aliisque olim exhibui crystallosque ante aliquot annos gustandas dedi, ut; nullus dubitem, quin aquæ *Asiaticæ amarulentæ*, quarum toties mentio fit in historia tam sacra, quàm profana, magnam partem ex hujus generis sale amarescant.

Statio autem 5. itineris Israëlitarum in deserto *Mara* ab aquarum amaritudine dicta est. In istis scilicet Arabiæ partibus fuerunt lacus quidam *amari* vocati Teste Strabone.

Etiam ab urbe *Arsinoë* dextra littora legentibus, occurrunt plurimis in locis *Amnes*, è Petris in mare præcipitantes, qui amarum habent salsilaginis saporem. Ita Diodorus Siculus.

Cùm

Cùm autem jam de amaritudine aquarum quarundam salsarum verba fecimus; illa *Quæstio Aristotelica* (*Probl. sect.* 23 35) mihi in mentem venit; nempe, *Cur mare simul salsum & amarum?* Atque ita quidem gustanti apparet: at muriæ naturalis, è mediterraneis nostris Puteis, aliûs gustûs est; scilicet purus putus salsus. An quia in mare duplex sal liquatum effundatur unum è sale fossili, alterum à lapide calcario? an potiùs quòd amaritudo sit istius aquæ proprietas: prout ejus sal quoque à fossili differt; scilicet angulis excisis, cùm iidem integri sint in Fossili? Item illud alterum problema *Cassii* paucis perpendam: *Cur aqua marina cum salsa sit, diutius cocta dulcior evadit? coquitur autem donec ad tertiam partem evadit*; quod autem sibi vult author non ita manifestum est. An hôc pactô amaritudo ejus pereat, nondum comperi. Sanè ubi sal ex toto restat, scilicet in aquæ tantum tertiis soluta, salsior esse debet amariorque, siquidem iste gustus amarulentus, ex ipso sale privatim oriatur; at si detur, quòd procul dubio verum est, salem, diutius aquam coquendo, in crystallos majusculas coire, quò pauciores majoresque sunt salis particulę eo dulcior aqua evasura est, quod jam mitius linguam feriat. Fortè autem *salubrior*: etenim etiamsi plurimum salsamenti tam carnis quàm piscium edamus in quô multò major salis copia est, quàm inest in aquâ marinâ, tamen quod è sale in crystallos concreto condiatur & ventriculum juvat, & innocuum est. Igitur alia res est aqua sale condita, sive muria, ad quam aqua marina ad tertias cocta proximè accedit, atque alia ipsa pura puta crudaque aqua marina. Hinc sequitur illud utile Corollarium *Navigantibus* aquam marinam non tam destillare opus esse, quàm à simplici coctione illa uti. Item hinc quoque discimus, vel aquam medicatam quamlibet à coctione *minus purgare*; & si ad crystallos semel coiverunt, de vi purgatoria plurimum amittere, etiam si denuò dissolvantur, quòd illa dissolutio valde imperfecta sit; & non ad minima, quæ naturaliter fuissent; profectò hoc mangonium medicum meræ ad populum phaleræ sunt, earum scilicet viribus ex bonâ parte excisis, Turbæ malè sanæ lenocinari volunt.

De Aquis Mineralibus, ac Thermis Naturalibus, earumque probationibus, ut & Salium ac Metallorum ipsas subingredientium naturâ, jam non pauca; complebitur in hac parte hoc caput adducto quem supra promisimus, Clariss. Nehemiæ Grevv. Medici Angli & utriusque Regiæ Societatis Socij, de Salis amari cathartici in aquis quibusdam mineralibus contenti Natura & usu, Tractatulo. Esto itaque

Inclytæ Celeberrimæque Utrique *Regiæ Societati*, tam illi ad Scientiam Naturalem, quàm alteri speciatim ad Medicinam promovendam Institutæ, NEHEMIAS GREVV S.P.

Tractatum sequentem, *Viri Præstantissimi*, bipartitum offero. Cujus Partem priorem, de Aquarum *Amarescentium*, Salisque earum Naturâ; jamdudum paratam habui tanquam Historiolam, si Vobis non displicuerit, Materiæ Medicæ Pandectis inserendam.

Salem prædictum, olim ante Annos Quindecim, in Solenni *Philosophorum* Conventu, ubi *N. D.* Vicecomes *Brounckerus* tum præsidebat, palam exhibui.

Deinde, & è Vobis, *Doctissimi Medici*, nonnulli etiam propriâ Minervâ edocti, eundem pararunt, usuique Medicinali adhibuerunt.

Pars altera, de Aquarum, Salisque earum Usu, multorum Annorum Probationem, Meâmque Vestræ addendam, exigebat. Quantus Is igitur Usus, in Morbis non paucis, etiam Gravioribus & Periculi plenis, existimādus sit; & Vos, *Dignissimi, Collegæ*, atque Ego tandem. Testes sumus. An verò majorē promiserim, quàm par videtur, penes Vos, hac in Re Experientissimos, Judicium esto. Certè adeò Universalis est, ut dum Sal Communis Ciborum, Hic Medicinæ Condimentum, meritò nuncupari debeat.

In Recensu Morborum, ad quos delendos præcellit; coaptare visum est pauca Medicamēta Auxiliaria. Hoc nimirum Consilio, ne Medicastrorum more, Panaceam quandam ostentare videar. Vix tamen alicubi Integram descripsi Θεραπείαν. Quandoquidem hæc non Tironum, sed jam Peritorum, nempe procul à *Londino* Medentium, in Usum tractaverim. Quibus si indicavero Medicamenti Virtutes, hactenus apud Ipsos peregrini; haud Ingratum Iis Me fecisse arbitrabor, nec infeliciter Reipublicæ consuluisse. Et proinde Id, ex aliquâ parte, quod etiam Ipsi optatis, præstitisse. Quippe, Qui Vestram Experientiam aliis non invidetis; & Vosmet Scientiarum, Humanæque Salutis, non Monopolas, sed Custodes profiteamini.

PARS PRIOR

De Salis Cathartici amari Natura.

De Modis, quibus Aquæ Cathart. Amaræ primò innotuere.

Aquæ Minerales propè *Ebeshamum* in *Surriensi* Comitatu profluentes, primæ omnium Catharticarum Amarescentium, circa Annum Millesimum Sexcentesimum Vicesimúmque, indicante quodam Rustico, innotuere.

Primo ferè Decennio, Usum solummodo vicinis Rusticis, in lavandis Ulceribus, externū præbuerunt.

Deinde, N. D. *Dudleius North* Baro *Anglicus*, *Francisco* non ita pridem Magni *Angliæ* Sigilli Custodi Pater; cùm Melancholico Temperamento laboraret, & Aquas Spadanas antea in *Germaniâ* bibisset; inde monitus, harum etiam *Ebeshamensium* Virtutem experiri voluit. Scilicet, sperabat, ut opinor, Ferratas Aquas se etiam domi invenisse.

Quamvis autem, hâc in parte, Voto & Expectationi minimè responderent; Ipsum tamen sui Experimenti non pœnituit: postquam Aquas hasce Purgatorias (veluti Medicamentum à Deo datum) multo cum levamine potâsset.

Hujûs exemplo, & alij deinceps animâti, Aquarum operationem tentârunt. Et cum primis, S. P. *Maria de Medices*, *Caroli I.* Magnæ *Britanniæ* Regis Uxori Mater: Nobil. D. *Georg. Goring*, *Norvvici* Comes: aliisque, Nominis haud Vulgaris, quamplurimi.

Hi omnes, & alii quotquot Aquas biberunt, prædictos Fontes, nondum Voluptatis, sed Sanitatis gratiâ frequentârunt. Ideóque, vel à suis, vel aliis Medicis propinquioribus advocatis, bibendi Regulam acceperunt.

Exinde Medici hos Fontes, etiam suâ sponte adibant. Quorum Authoritate, in tantam Celebritatem evecti sunt; ut Duo Hominum Millia, ibidem uno Die, bibendum visendúmve convenerunt.

Postea verò, nempe Anno abhinc quasi Trigesimo, è *Londinensibus* plurimi, quorum ad Fontes accessum, Res vel angusta domi, vel importuna, prohibebat; Aquam ad se mittendam curârunt.

Eâ freti occasione, nonnulli magnâ copiâ advectam, tam ægrè valentibus ipsis, quàm Pharmacopolis, venditârunt: quod etiam hodie factum est. Nimirum, Valetudinariis, adeundi Fontes mos obsolevit, non quòd ab hodiernis Medicis minus æstimentur; sed vel domi, vel etiam è Fontibus aliis, bibentium numerus, magis indies creverit.

Paucis enim post Annis, à Primâ Fontium *Ebeshamen-*

hamensium divulgatâ notitiâ; ejusdem generis & alii, sive ab exquirentibus, sive fortuitò inventi, in mediocrem Famam atque Usum venere. Quorum Nomina, saltem præcipuorum, hîc proximè subjunxi.

Fontes	In Comitatu
Barnetenses,	*Hertfordiæ.*
Northavenses,	*Hertfordiæ.*
Actonenses,	*Mediosaxonum.*
Cobhamenses,	*Surriensi.*
Dulvicenses,	*Surriensi.*
Strethamenses,	*Surriensi.*

Præter hos, & posthac alios, adhuc ignotos, excitata multorum Curiositas, forsan duplo plures inveniet. Præcipuè suffulta isthoc Indicio, Quòd Aquæ Dulces, ferè è Montium Jugis; Hæ, plerunque, ex imis Radicibus scaturiant.

De Aquarum Catharticarum Amarescentium Naturâ.

Hujusmodi Aquæ, Saporem quidem mediocriter, sed tamen sensibiliter Amarum, præ se ferunt: vix quenquam alium.

Sunt qui in suis Itinerariis, de Fontibus Amaris prope *Syriam* & *Egyptum*, mentionem fecerunt. Et S. *Jacobus*, in Catholica sua Epistola, Fontes innuit, Dulces Amarósque, æquè bene notos fuisse Orientalibus. Qui omnes Amari, & huc forsan sunt referendi.

Hujusmodi Fontes, neque Amaritudine, neque Virtute, inter se æquales sunt: sed alii aliis paulò sunt fortiores. E fortiorum numero, *Dulvicenses* rectè æstimantur; è lenioribus, *Ebeshamenses.*

Istæ Aquæ, in suis Fontibus, sunt omnino inodoræ. Attamen in Vasis coopertis, dies aliquot vel septimanas, præcipuè æstivo tempore, conservatæ, cum fœtore putrent. Quod & Aquis ferè quibuscunque contingit; nonnunquam etiam Fontanis, in Navibus appropinquantibus Æquatori.

Eadem Aqua, Syrupi Violacei tantillo affuso, Colorem ejus cæruleum conservat; non aliter, quàm ex quavis ferè Fontana, immutatum.

Ex Aqua autem Calcis adjecta, colore quodam Glauco & Semiperspicuo, veluti ex guttis aliquot Lactis instillatis, hæc Aqua subalbescit. Partésque albicantes, post horam circiter, coaguli quasi nebulosi formâ subsidunt. Nimirum, ex Salis Calcarii Lixivialis, & Salis Aquæ Catharticæ potentiâ Acidi, unione, geniti.

Eædem Aquæ universæ, dum ebulliunt ferventve, Lac affusum coagulant. Minimè autem, si frigidè misceantur.

Aqua cujuscunque Fontis Cathartica Amara, in Vase Vitreo, Vitreato, vel aliò quovis convenienti evaporata, quendam Cremorem ejus superficiei innatantem, atque etiam Sedimentum præbebit: *viz.* utriusque simul sumpti Drachmas Sex, Octo, vel Decem circiter; ex singulis Aquæ Congiis.

Iste Cremor, tota sua substantia, colore cineritio, Lapideus est, & quodammodo Gypseus videtur. Calcarius, certè non omnino. Quippe, notissimum est, Lapidem Calcarium ustum, ex Aquâ communi affusâ, etiamsi frigidâ, incalescere, halitúmque multum emittere & opacum, & cuicunque Humani Corporis Parti impositum, adurendi vim obtinere; ideóque à Chirurgis, Caustici Potentialis loco usurpari. At prædictus Cremor, in Crucibulo pariter ustus, ex Aquâ Affusâ, neque gignit halitum, neque Calorem concipit; imò verò, neque Linguam ipsam, tenerrimam Partem, quidquam afficit.

Nonnunquam, ut ex Aquis *Actonensibus*, Laminis, quibus constat, minutissimis resplendet. Iisdem equidem friabilibus, atque prorsus insipidis, etiamsi ustis, ut supra dictum est: Liquore tamen quovis Acido, & maximè Spiritu Nitri affuso, cum fervore quodam ebullitionem, excitantibus.

Sedimenti pars minor, substantia similis est jam supra descripto Cremori. Reliqua, purè Salina est; sed è duabus Salis speciebus composita: altero Muriatico, altero harum Aquarum Proprio seu Speciali; cujus hîc imprimis Naturam & Virtutes monstrare proposui.

In Aqua *Ebesbamensi*, Sal Muriaticus, est quasi Vicesima pars totius Salini compositi. In *Dulvicensi*, majorem proportionem obtinet: quemadmodum & in plerisque supra memoratis.

Tam sapore Acri, quàm Crystallorum Figurâ, Sali communi non absimilis est. Unde fit, ut Aquæ, hoc Sale parcius imbutæ, pacatiùs alvum subducant.

Alter Sal, Aquarum Catharticarum, ut diximus, specialis est sive proprius. Eodem modo fit quo Sal quivis Lixivialis: nimirum, evaporando, filtrando, & crystallizando; sola Calcinatione omissa. In hac Præparatione, primò, pars Terrestris sive Gypsea, ab ipsa Salina; deinde, Sal Muriaticus, Liquórque fulvus & opacus, à Sale Aquarum proprio, sunt secernendi.

De Salis Aquarum Purgantium Proprii, hoc est, Amari, Naturâ.

Hic Sal, si modò perfectè paratus fuerit, è Cœlo recens delapsæ Nivis instar, pulcherrimo Candore prælucet.

Delibatus dum in sua forma sicca, eodem Amaro Sapore, atque Aqua ipsa, & multò evidentiùs, imprægnatur. Quâdam etiam Pungentiâ, valde quidem penetrabili, sed sine Acrimonia, acuitur.

Sin autem Drachmæ pondere, vel plus minus, in Aquæ communis libra, hoc est, eadem proportione ac in sua subterranea, solvatur: ista communis Aqua, ut eandem Lac coagulandi proprietatem obtinet; ita & eodem prorsus, Sapore, penè simpliciter Amaro, eademque Cathartica virtute, ac Aqua hujus Salis propria seu Mineralis, nobilitatur. Ideóque, ab isto Sale, quem Mirabilem vocant, nempe ex Oleo Vitrioli & Sale communi factitio; & ab omnibus aliis Salibus, *Salis Cathartici Amari* Titulo, non ineptè distinguitur.

Hic Sal Catharticus Amarus, pro variata suæ Aquę coctæ absumptione, & frigoris cui postea exponitur aucto gradu, atque aliis Circumstantiis; sub forma Crystallorum, nunc majorum concrescit, nunc minorum. Figura tamen, cuicunque dimensioni conjunctâ, ferè similium. Pleræque enim Crystalli, si rare concrescant, Prismata sunt minuscula, Planis quatuor Parallelogrammis Rectangularia: binis oppositis minoribus paulò compressa. Interdum duobus alijs Planis Parallelis Sexangularia: adeò autem pusillis, ut Oculorum aciem ferè effugiant. Longitudine, plus minus semiunciali, Crassitiem quinquies, sexies, vel etiam septies excedente. Basi, Salis ejusdem generis Molecula, Suffulta. Summitate, Planis Inclinatis plurimum variata; interdum Trinis, plerunque Quaternis, cum prædictis Parallelogrammis obtusos Angulos facientibus, vel mucronata, vel ut sæpius, Scalpelli more, acuata. Quorum in summitate Planorum unum, tribus reliquis simul sumptis, ferè majus & Pentangulare, vel Sexangulare: oppositum, quadrangulare, vel pentangulare; duo reliqua triangularia, atque minutiora; interdum, sine Vitro Lenticulari vix perspicienda.

Hæ Crystalli, suâ elongatâ Figurâ, Sali Nitro; Rectangulari, Muriatico, proprius quam cuiquam alij, accedunt.

Sal idem Catharticus Amarus, Aquâ communi solutus, & in Vase Vitreo diebus aliquot manere permissus; super Vasis ambitu, quadam quasi ramificatione, Arbustulorum formâ circumcirca concrescit. Quali Figuræ generandæ, hujus Salis jam supra descriptæ Crystalli, ut & Salis Nitri (quarum nempe Summitates nunc Angulis Rectis, nunc Acutis, terminantur) aptæ natæ sunt: unius scilicet Crystalli Plano inclinato, ad alterius Parallelum apposito. Id quod etiam in Generatione Foliorum, ex suorum Salium Figurâ effectû monstravimus. Ubi id obiter notandum, Me in illa (*Plant. Anat. lib. 4 p. 1. cap. ult.*) Exercitatione, Salis Nitri, & reliquorum Figuras, non usquequaque ut à Nobis conspectæ, sed quales forsan existunt in ipsis Plantis, exhibuisse.

Salis Cathartici Amari quinque Drachmis Phialæ inditis, affunde Aquæ communis semiunciam; & agitentur fortiter. Hâc solâ agitatione, & leni manûs tractantis hyberno calore, Salem brevi omnem, exceptis aliquot granis, aqua imbibit. Utpote, Salibus plerisque alijs, longè magis solubilem.

Quin & propriâ seu speciali suâ Gravitate, hoc est, suæ Moli comparatâ, ab omnibus alijs Salibus diversa est. Alumine gravior; Sale communi multò levior; Atque etiam Nitro, ut inferius Capite quinto videbitur.

Hujus Salis, & Salis Tartari, vel cujuscunque Lixivialis aut Urinosi Liquamina confusa, coagulum album generant; sive Salem quendam Neutralem; neque hujus neque alterius saporem, sed quodammodo Astrictorium, obtinentem.

Oleum Vitrioli fortissimum & recenter paratum, huic Sali Cathartico affusum, mediocrem ebullitionem excitat. Unde & Principij Alkalini, ejusdémque potentiâ suo modo Lixivialis, particeps est.

Quemcunque autem alium Liquorem, quantum sciverim, sive Alkalinum, sive Acidum, Sali prædicto instillaveris; exinde nullatenus movetur, vel incalescit.

Idem Sal in Ignem satis luculentum cum Crucibulo immissus, aliquo modo, scilicet Aluminis instar, liquescit; & in albæ, porosæque seu bullatæ Calcis speciem extumescit.

Attamen ista Calx, ex omni ferè parte, excepta forsan totius quadragesimâ, in aquæ communis sufficienti quantitate est resolubilis. Lapis autem Calcarius, haudquaquam similiter.

Eadem Calx, calore satis vehementi per horam in Crucibulo ignita; Alabastritis ferè duritiem acquirit. Neque deinceps aëri exposita, quidquam mollescit. Multò minùs, Calcarij Lapidis usti modo, in Pulverem resolvitur.

Ex hâc Ignitione, etiamsi aliquantum sui ponderis, Amaritudinis tamen nihil amittit; sed & auctam retinet.

Hæc Salis Cathartici Amari Calx, ex Spiritu salis, aut aliquo quovis affuso Acido, Ebullitionem concipit; pro affusi Spiritûs potentiâ, magis minúsve conspicuam. Unde existimandus est, quodammodo Lixivialis.

Ex hujus Salis Librâ, Vesicæ Vitreæ Retortæ, Lutoque obductæ, inditâ, atque Igne Reverberatorio distillatâ; cujusdam Spiritûs Acidi, Odore Saporéque, ex aliquâ parte, Spiritûs salis communis æmuli, paulò suprà semilibram in Receptaculo invenies.

Oleum Vitrioli, Spiritui salis communis effusum; Vaporem quendam opacum & fumosum generat. Quod etiam contingit ex eodem Oleo, si sit fortissimum, hujus Salis Cathartici Spiritui instillato.

Notissimum est, Aquas Ferratas Acidulas quascunque, ex Gallarum Infuso purpurascere. Quod etiam Vini albi Aceto contingit; sed obscurius. Idem tamen Infusum, ex Spiritu Salis Cathartici, quamvis acido, haud immutatur: Quin neque Spiritu Sulphuris, aut Oleo Vitrioli. Unde horum, aliorumque Acidorum Natura dissimilis, ut & multis alijs modis, indicatur.

Aquam fluvialem Poculis octo Vitreis infusam, ex guttis aliquot Syrupi Violacei instillatis, cæruleo colore imbui. Quorum Poculorum unum, absque aliâ re quâvis superinjectâ, manere permisi. Alij, Salis Nitri aliquantum addidi. Tertio, tantundem Salis Cathartici Amari. Quarto, Calcis vivæ Infusum, aquâ communi paratum, vulgò, Calcis aquam, immiscui. Quinto, Salis Cathartici Calcis Liquamen. Sexto, Infusum Tartari albi. Septimo, Salis Cathartici Spiritum stillatitium. Ultimo, tam Salis Cathartici, quàm aquæ Calcis, parum.

In Tribus prioribus, Cæruleus Color, sui similis perduravit; subsequente ejusdem Coloris solâ remissione.

In Quarto & Quinto, Color Cæruleus in Viridem confestim immutatus fuit: Sed in priore, quodammodo turbidum & pallidiorem; in altero, Smaragdini instar, pleniorem & valde perspicuum.

In Sexto & Septimo, transiit in Purpureum: in priore quidem obscurum; in altero, verè Amethystinum.

Color autem Viridis, qui in Quarto & Quinto, pòst transactum quasi Trihorium, evanuit; in Ultimo, & multò Intensior est, & durabilior.

E prædicto multiplici Experimento, observare est; quòd Nitrum, etiamsi deflagratione, Salem fixum, eundemque Lixivialem præbeat, & distillatione, Spiritum Acidum: quandoquidem tamen, neque Lixiviali neque Acido Sapore præditus sit; ideò Colorem neque Viridem, neque Purpureum Syrupo superinducit. Et ex pari ratione, idem de Sale Cathartico Amaro sentiendum est: eumque ex Principijs, solummodo potentiâ acidis, atque etiam Alkalinis seu potentiâ aliquo modo Lixivialibus, constare.

Quòd autem ex utroque istiusmodi Principio re verâ constet; ex ejus Spiritu, Acidum Saporem obtinente; & ex ejus calce, Viridem Colorem (aquæ Calcis aliorumque Liquorum Lixivialium more) Syrupo tribuente, monstratur.

Et in Ultimo Poculo, Color ideo Intensior est, & Durabilior; quòd ex duplicis Salis Livialis, tam Cathartici quàm Calcarij (ut atramentum ex duorum astringentium) combinatione, proveniret.

Patétque horum Salium existentia, & in transmutantis coloribus efficacia, non penitus & ex omni parte ab Igne pendere; quòd Tartari albi Infusum, pariter ut Cathartici Salis Spiritus, eodem Purpureo Colore Syrupum imbuat.

Postremo loco, id notandum, Me Salis Cathartici Principium Alkalinum, potentiâ, & aliquo modo, Lixiviale vocâsse. Neque enim, ut in hoc capite antea monuimus, in ipsâ hujus Salis Calce, sapor Lixivialis sentitur. Id tamen non obstat, quin ex alijs superius allatis Experimentis, Sal Catharticus, adhuc Igne intactus, ex aliquâ parte Alkalinus; calcinatus verò, suo modo Lixivialis, probetur: Etiamsi, Lixivialis, Nomine non prorsus adæquato, dicatur; nec forsan quoquam alio, usu comprobato. In nullâ enim re aliâ, magis curta habetur Vocabulorum Supellex, quàm in Philosophiâ: eâ scilicet, quæ velut Pedissequa Naturæ, mirandæ ejus ubique varietati, scrupulosissimè advertit.

De Salis Cathartici Amari, ab Alumine, & Sale Muriatico Differentiâ.

Ex allegatis Experimentis, & jam proximè allegandis, probè intellectis & comparatis, patebit: Salem Ca-

Catharticum Amarum, etiamsi nonnullas aliorum Salium qualitates communes habeat; ab omnibus tamen alijs Salibus, re verâ sive specie differre.

Quamplurimi, ex Minerâ quadam Aluminosa, generatum autumant: sed hoc insulsè. Unde enim id probari potest? Quod Lac coagulet? Minimè. Nam & eodem Argumento, scilicet maximè irridendo, Acetum, Vinum, Cerevisia, & quæcunque Lac coagulant, essent Aluminosa.

Neque inde, quòd, Aluminis instar, bullatim elevetur, dum liquescit. Nam in Borace etiam liquefacta, simillima elevatio contingit. Borax tamen Lac non coagulat: ideòque non est Aluminosa. Neque est proinde Sal Catharticus Amarus.

Porrò, ex Aluminis ℥j. per semihoram in Crucibulo ustâ, Calx semiunciali pondere manet residua. Huic Calci, Aqua Communis quantitate sufficienti affusa, donec partes aqua resolubiles absorberet; Terrenæ substantiæ simplicis & insipidæ, plus quàm Duo & Quinquaginta Grana in Vase subsidunt: quæ Salis Cathartici Calcis pariter solutæ Sedimentum sex vicibus superant.

Neque Aluminis Spiritus Igne forti distillatus, Spiritui Salis Cathartici Amari quoquam modo assimilatur. Cùm & acriori Sapore præditus sit, & multò minùs grato. Odore autem, quod præcipuè observandum est, planè fœtido; nimirum, Sulphuris spiritui vero, Germanicè *Saltz* dicto, seu Sulphuri liquefacto & flammanti, simillimo.

Adde, & ipsius Aluminis sapor, à Salis Cathartici sapore, adeo distat, ut nihil supra. Iste enim, cum nullatenus sit Amarus, sed planè Acerbus; hic, nullius Acerbitatis particeps, prorsus est Amarus.

Quin & suis sibi proprijs Figuris omnino distinguuntur. Nam Aluminis, factitij scilicet, Crystallus, secundum suam altitudinem mediocriter compressa, octo Planis comprehenditur. Duobus, Imo & Summo, Sexangularibus & Parallelis. Quorum singulorum planorum latera majora & minora, ita alternatim sunt composita, ut Tria majora, Tribus minoribus opponantur. Sex circumpositis Quadrangularibus, Lateribus angulísque inæqualibus, majoribus versus crystalli centrum, minoribúsque, vicissim inclinatis. Quàm longè autem suprà descriptæ salis Cathartici Crystallorum Figuræ hæc sit absimilis, ex factâ comparatione videre est.

Neque magis Sali Muriatico seu communi, sal idem Catharticus adnumerandus est. Utpote, si purè paratus, ab hoc, æquè ac ab alumine, sapore remotissimus.

Atque etiam Figurâ: quòd Muriatici Salis Crystalli, non elongatæ sint, sed in formam cubicâ paulò submissiorem, depressæ.

Porrò, Sal Catharticus, forti Igni in crucibulo admotus, Vaporem invisibilem, & vix ultra dimidiatam sui partem, emittit. Sal autem communis similiter ignitus, ut longè majori fluiditate liquescit; ita & Vaporibus, fumi instar, opacis, ascendit: parte totius, vix decimâ & octavâ in crucibulo remanente.

Neque verò (quod forsan mirum est) Spiritus salis communis, pariter ut Spiritus salis Cathartici amari, Lac coagulat. Id equidem non est negandum, Spiritum salis communis, Lac merum dum ebullit, coagulare, etiam mediocri proportione affusum. Ne itaque fallacijs innitar, sequentem experiundi Methodum elegi.

Aquæ fluvialis Libræ, Salis Cathartici Amari Drachmâ impprægnatæ, & bullienti, tria quatuorve Lactis cochlearia adjeci; & permisi aquam iterum bullire: unde statim, Lac in aquæ summitate coagulatum natabat.

Et omnino similiter, ex Spiritu Salis Cathartici Amari, eâdem proportione admisto.

Postremò, Spiritûs salis Cathartici loco, Spiritum salis communis, eúmque prædicto Spiritu fortiorem, deindéque Lac, eâdem quâ supra proportione immiscui; & aquam iterum bullire permisi. Quo facto, Lac nihilominus in suo naturali statu, sine ullâ coagulatione, fluidum manebat.

De Salis Cathartici Amari, à Salibus Nitro, & Calcario, Differentiâ.

Neque magis idem Sal Catharticus, è Salis Nitri genere existimandus est: à quo, solo sapore suo Amaro, satis distinguitur.

Nec minùs Figurâ: quòd Nitri Crystalli, non Quaternis Planis Parallelogrammis, sed semper Senis; non Rectis Angulis, sed Obtusis, sint contentæ. Et quòd harum summitates, Planis Inclinatis, vix unquam Quaternis, plerunque Binis, non infrequenter Senis, iisque magis quàm in Sale Cathartico, inter se æqualibus, terminentur.

Deinde, & quòd Igni injectus, nullo modo sit flammabilis: multò minùs, Nitri instar, in Flammas rutilantes & sonoras, longè majori ex parte abit.

Dixi, majori ex parte; neque enim diffiteor, sed Capite tertio innuimus, portiunculam, seu quasi vicesimam partem, post deflagrationem, fixam manere. Quæ tamen haud Nitrosa est, sed Sapore, aliísque Qualitatibus, prorsus Lixivialis; è Cinere Ligneo, à Nitropæis admista.

Sed & præterea; Sal Catharticus, supra Candelæ flammam in Cochleari collocatus, intra horæ semimomentum diffluit, & eodem modo, ac si Igni injectus, bullis intumescit. Nitrum autem hujusmodi Calore, vix se patitur liquefieri: spatium saltem octuplo majus exigit, flammámque splendidissimam.

E contrà, licet difficiliùs, multò tamen majori fluiditate liquescit. Igni enim forti in crucibulo immersum, non Aluminis, vel Salis Cathartici modo, ebullit: sed Resinæ, vel Metalli instar, fluit.

Quin & Exhalationes Opacæ, è Nitro in Crucibulo liquefacto ascendunt. Quales è Cathartico sale, etiamsi vehementissimè ignito, nullas vidimus.

Adde, & Lac coagulandi proprietate, ab invicem distant. Nam Salis Cathartici semidrachma, Lactis bullientis semilibræ injecta, Coagulum generat satis conspicuum, diffluente sero tenuissimo. Nitro autem simili modo, atque etiam longè majori proportione admisto, Lac nullo modo concrescit.

Nitri etiam solubilitas, illâ, quam in Sale Cathartico superiùs probavimus, triplo minor est. Aquæ enim communis Semiuncia, agitatione, & manûs hyberno calore adjuta, Salis Nitri, non supra sesquidrachmam imbibit.

Deinde, & Gravitate discrepant; quod sequenti modo expertus sum. Phialæ Cylindricæ infudi Oleum Terebinthinæ, donec ad trium Digitorum altitudinem ascenderet. Injectis deinde Salis Cathartici Uncijs duabus, Oleum ad quartum Digitum surrexit. At ex æquali quantitate Nitri deputati superinjectâ, Oleum haud supra Tres prætereà Digiti Quadrantes fuit elevatum. Ergo, Sal Catharticus Amarus, Sale Nitro, quartâ parte minùs gravitat.

Aqua tamen Sale Cathartico imprægnata, spatium, ratione ad molem Salis habitâ, minus occupat, quàm Sale Nitro imbuta. Hoc est, Aqua loco Olei, cum Salibus Phialæ, ut supra, injecta; post factam solutionem prioris, magis quàm posterioris, subsidet.

Deni-

Denique, eadem proportione, Vitriolum Dantiscanum, Sal Armoniacus, & Nitri loco, Sal Catharticus Amarus misceantur, eodémque modo distillentur, ut fieri solet in Aquâ Regiâ conficiendâ, Jam verò, si Sal Catharticus esset è Nitri genere; Aqua hæc stillatitia, pariter ut Aqua Regia, Aurum solveret. Hujusmodi tamen Aurum solvendi vim, in hâc Aquâ nullam vidimus.

Multò minus est Nitrum Antiquorum. Neque enim Ægyptium illud ab Hippocrate sæpe memoratum: neque ei non absimile, purpureum & acre, tam à Dioscoride, quàm *Plinio* descriptum: neque demum istud, ab Aetio, Glebæ instar, ustum Vinóque extinctum.

NEQUE denique, Salis Calcarij Titulo est designandus. Lac enim Sale Carthartico, vel Aquâ ipsâ Catharticâ, multò astrictiùs, ub eriúsque, quàm Aquâ Calcis, coagulatur. Et quid si ab alterutrâ æqualiter? Quot Liquores, antea nominati. Lac coagulant, qui non magis Calcarij, quàm Aluminosi sunt?

Spiritus Nitri, Cremori Aquæ Calcis innatanti, vel etiam Lapidi Calcario nondum usto, instillatus; conspicuam ebullitionem generat. Eodem tamen Spiritu, Sal Catharticus nullo modo afficitur.

Nusquam major Saporis differentia, quàm quæ inter Salis Cathartici, & Aquæ Calcis Saporem, reperitur: quippe huic, Lixivialis atque Dulcis; at illi, quodammodo Frigidus & Amarus.

Lapis Calcarius ustus, & nondum extinctus, Aquâ paucâ affusâ, in pulverem statim ac sponte resolvitur. E contrariò, Salis Cathartici pulverizata Calx, massa fit citissimè duriuscula, & in aliquot momenta quasi lapidescit.

Aqua propè *Londinum* fontana illa, quæ insignitur Imagine Agni Sacri, *Lambs-Conduit Water* vulgò dicta; ex Aquâ Calcis affusâ, Coagulo quodam cæsio seu glauco, pariter ut Aqua Cathartica, brevi subalbescit. Ex Aquâ autem Salis Cathartici Calce imprægnatâ, nullâ opacitate, coloréve inficitur; sed manet, æquè ac dum impermixta fuit, limpidissima.

Aqua communis, Sale Cathartico Amaro imprægnata, & deinde evaporatione absumpta; eundem Salem, sine ejus dispendio, vel Labe, exhibet integerrimum. Aquæ Calcis, è contra, pariter absumptæ Sal, ex omni parte in substantiam insulsam ac lapideam immutatur, Gujus rei ratio est, quòd Aquæ Calcis partes Salinæ, Sali alicui Aereo adeò congruant intiméque aduniantur, ut aliud genere tertium constituant. Quemadmodum ex Oleis optimis Vitrioli & Anisi confusis, Resina propriè sic dicta, eáque si lota fuerit, insipida generatur.

Id quod etiam Experimento sequenti probatur. Aqua Calcis, tam in Phialâ subere clausâ, quàm in Vase aperto, per septimanam vel diutius conservetur. In Phialâ, suam summitatem, nudam retinet: at in aperto Vase, scilicet ubi Aer liberè Aquæ accedit, insipido ac verè lapideo Cremore obducitur.

Aqua autem in quâ Sal Catharticus solutus est, & pluribus diebus Aeri in aperto Vase submissus, Cremoris lapidei ne particulam ostendit. Et Cremor, qui ex coctis Catharticis Aquis generatur, ipse etiam minimè Calcarius est; ut antea probavimus.

Adde, & egregiam in his Salibus solubilitatis differentiam. Salis enim Cathartici Amari Semiuncia, in Aquæ communis Sextanti, sine Calore, vel multâ agitatione, facilè citóque solvitur. At in Calce vivâ, Salis semiuncia, Aquæ communis Congios duos cum semisse, hoc est Centum & Sexaginta sextantes (320. Uncias) imbibenda exigit. Tantundem enim Aquæ communis, ad Calcis vivæ singularem Unciam edulcorandam requiritur. Quo facto, Calcis insipidæ & levissimæ semiuncia, vel circiter, vasis in fundo remanet.

Cæterùm, Sal Catharticus Amarus, si nullo alio modo, à reliquis supra memoratis Salibus, suâ tamen Virtute Medicinali, eminentissimè distingueretur: ut in alterâ hujus Tractatûs Parte, de ejus usu, luculenter patebit.

Interim, concedatur, tam Salis Nitri, quàm Communis, atque etiam Gypsi Lapidis portiunculam non modo Aquis Catharticis, sed forsan interdum & ipsi Sali Cathartico irrepsisse. Quid ergò? Et probabile est, Corpus nullum absolutè simplex in Rerum Naturâ inveniri, Plumbo vel Cupro, Argentum, Argento Aurum, in eâdem Fodinâ, Venâ, etiam Massâ Metallicâ, immisceri, nemo non novit. Neque tamen Argentum & Cuprum, vel Argentum & Aurum, constituunt Tertium Metallum: sed duo vel plura Metalla coexistunt separabilia.

Neque porrò, satis est ad definiendam Corporum Identitatem, quòd in aliquibus Qualitatibus conveniant. Nam & sic conveniunt Plumbum & Aurum; ambo sunt Corpora dura, opaca, ductilia, fusilia, graviora, *&c.* & proinde ambo, sunt Metalla. At nil Aurum est, quod omnes Auri Qualitates non obtinet. Aurum tamen non pluribus, non eminentioribus modis, à Plumbo, quàm Sal Catharticus Amarus, ab omnibus prædictis Salibus discriminatur. Ideóque est sui generis Sal Nobilissimus.

De Naturâ Salis Cathartici Amari, Observationes addendæ.

Qualitatum hujus Salis modò descriptarum specificantium præcipua, est Sapor ejus leniter & penè simpliciter Amarus. Reliquorum Salium, quos novi, proximè omnium, Argenti Crystalli, Saporis similitudine huic accedunt. Nam hæ quidem Amaræ sunt; sed & intensè: nec sine summâ Austeritate conjunctâ.

A me alibi † observatum est, Lapidem Calaminarem, nonnullas habere Qualitates cum Argento communes. Instillavi itaque huic Lapidi pulverizato, Spiritûs Nitri guttas aliquot. Et post inde factam effervescentiam, Aquâ communi affusâ Misturam dilui. Ista Aqua, non solùm, instar Crystallorum Argenti, acerbissima est, sed & valdè Amara. Unicum, quod sciam, Minerale, exceptis Argentis Sale, & Cathartico, Sapore Amaro præditum.

Utrum autem Sal Cathartious, ex aliqua Minerâ Argenteâ, perfectâ, vel imperfectâ, vel Lapidi Calaminari cognatâ; an potiùs ex aliâ generetur; cùm ejus Matrem Mineram, nondum adipisci potuerim, dubium relinquo.

Id interim è prædictis Experimentis patet; Salem Catharticum Amarum, è quibusdam Partibus potentiâ Acidis, atque Alkalinis, iisdémque suo modo potentiâ Lixivialibus, esse compositum.

In Salibus autem, è varijs Principijs compositis, Proportio, Natura, atque Unio Principiorum, sunt considerandæ. Videntur particulæ quædam Acidæ, Salibus etiam Lixivis admisceri; sed minori proportione. E contra, in Tartaro, hoc est Vini Sale, partium potentiâ Salsarum, minor est proportio; Acidarum, longè major. Et ferè similiter in Sale Cathartico Amaro. Cum hâc differentiâ, quòd in priore, partibus Alkalinis, admisceantur Actu Acidæ: in altero, tantum in Potentiâ.

S Por-

† In posteriori Exercitatione de Mixtione.

Porrò, omnes è Lixivio facti Sales, sunt Acriores. At Testacei, vulgò dicti, non sine ratione Leniores judicantur. Quemadmodum, & præ cæteris, nonnulli Liquores Acidi, ut Succus Lujulæ, Cremoris Tartari Liquamen & hujusmodi. His verò omnibus, Sal Catharticus suâ Lenitate præcellit. Spiritum quidem Acidum distillatione exhibet. Sapor autem Acidus, non nisi in Principijs ab Igne vehementissimo solutis & inquinatis sentitur. Quippe Sal ipse, nullam Acrimoniam, nullam Aciditatem sapit.

Neque tamen Sapore fatuo, sed acuto præditus est, & summè subtili: proindéque efficacius est Remedium. Hujus autem admiranda subtilitas, ex eo probatur, quòd quæcunque Vasa fictilia, si non optimè vitreata, penetrando, super eorum ambitu extimo, in forma quasi Villosâ, Amianthi Lapidis instar, concrescat.

Hujus item Salis Principia, Misturâ longè minus solubili, quàm in Tartaro, multisque alijs Medicamentis fruuntur. Quorum nempe Unio adeo stricta est ac intima, ut horum alterum, potentiâ Acidum, non valde ultra sui dimidiam partem etiam vi Ignis Reverberatorij, ab altero recedere videatur. Unde factum est, ut cùm alia Purgantia quæcunque mitiora, Medicum non rarò eludant: hic Sal, nunquam suâ vi Catharticâ destituitur. Ea enim Medicamenta in Humani Corporis Humores certiùs agunt, quæ minus Humorum vi sunt alterabilia. In quorum numero, prædictus Sal, aliáque Mineralia sunt reponenda.

Postremò, Sal idem, quamvis è diversis Principijs compositus, purissimus tamen, si modò diligenter paratus, censendus est. Ut ne quidem millesimam partem cujuscunque rei extraneæ in se recipiat. Nam si stillatitiam Aquam hujus Salis Unciâ impregnatam evapores; ne granum Salis heterogenei, aut Sedimenti Lapidei, aut Cremoris particulam; sed denuo, Salis Cathartici purissimi, eandem Unciam præbebit.

PARS ALTERA DE SALIS CATHARTICI AMARI USU.

De Salis Cathartici Amari Usu generaliùs considerato.

Aquarum Purgantium, nempe *Ebeshamensium*, & ex eodem Genere aliarum Usus, tam præcellens est, iam multiplex, Medicisque nostris *Londinensibus* in Praxi versatioribus, tam scitè perspectus; ut de eo dubia, vix quidem audienda sunt. In Morbis enim haud paucis gravioribus, efficacissimum Remedium comprobantur, nullâ insalubri Qualitate præditum, & cui appositè præscripto, nihil unquam mali inopinatò supervenit:

Id unicum, nec sine quâdam Argumenti specie, forsan objicitur: quòd prædictæ Aquæ, inter coquendum, Lapideum Cremorem præbeant. Unde dubitare licèt, an Lapidi etiam in Humano Corpore generando, materiem suppeditent.

Ista autem Objectio, duplici Experientiâ refellitur tam Illâ præcedenti, quàm Praxi Medicâ. Patet enim ex antea dictis, hujusmodi Lapideum Cremorem, neque Aquis Catharticis, neque verò Aquæ Calcis, nisi Aeri in Vase patulo commissæ, innataturum. Ideóque, nec quid Lapideum, è sumptis Aquis Catharticis, in Humano Corpore generari.

At Humani Corporis Humoribus, immiscetur Aer. Esto: & omni Aquæ pariter immisceri, Pneumaticis Experimentis probatur. Sed qui nullo modo esset Lapidificus, nisi Aere coadjutus liberè influente. Adde, & Aerem Humanum Corpus, non sine Colaturâ subingredi.

Quod autem ad Praxin attinet, non Mihi Soli, sed & alijs Medicis, Noti sunt, qui postquam Aquas has Catharticas Viginti, aut etiam Triginta Annos, affatim & per multos dies continuos potârunt; nihilominus Arthritide, & Vesicæ Renumque Calculo, semper immunes fuere, & perfectissimâ sanitate etiamnum fruuntur. Et jam antea memoratus N. D. *North*, qui Aquas tam *Ebeshamenses*, quàm *Barnetenses* potârat; prædictorum Morborum, quinque & octaginta Annos vixit immunis.

Quin & ipsa Aqua Calcis, quæ Lapideum Cremorem, Aeris admistione citissimè producit, à Medicis sæpe, tutissiméque propinatur.

Et nostri *Londinenses*, repurgando Saccharo, Calcis Aquam nunquam non adhibent. Cujus ope, pars altera Mellaginea, meliùs secernitur ab altera Concrescibili; quæ summam inde albedinem & præstantiam acquirit.

Verùm, si Aqua ipsa Cathartica, quanto magis ex eadem paratus Sal, præstantissimi Remedij loco habendus est? Quod enim objicitur, contra Aquæ usum, si Argumenti gratiâ concedamus; idem tamen contra usum Salis, ab omni Lapidificâ Substantiâ deaurati, nihil faceret.

Porrò, ex sumptâ Aquâ, si fæce Muriaticâ, uberiori inquinata fuerit, graviusculè moveri Alvum, interdum contingit. At prælaudatus Sal, qui ab istâ liberatur, Medicamentum, Purgantium prope omnium, lenissimum existit.

A maligno insuper plerorunque Catharticorum genio maximè vacuus purusque est. Humores nunquam exagitat; Ægritudines, aut Deliquia nunquam excitat; aut Intestinorum Tormina: nunquam vel irritis Motibus, fallit Medicum, vel ex Hypercatharsi Ægroto terrorem incutit.

Deinde, Aqua movendi vim, semper æqualem non obtinet: sed à siccâ humidâve Tempestate, tam Æstate quàm Hyeme, auctam vel imminutam. Et ex Hydropolis sunt, qui Aquam Catharticam domi asservatam, cùm defecturam viderint, temerare audent communi adjectâ. Unde nonnunquam fit, ut Medici usitatam Dosin præscribendo, successu tamen usitato fraudantur. Ex Aquâ autem purè & perfectè paratus Sal, ubique sui similis est, similémque habet vim purgatoriam.

His adde, *Londinenses* Medicos, non crudas Aquas, sed plerúnque coquendas præscribere. Nempe hoc modo sumptæ, tam diminutâ Dosi, quàm auctâ Vi, è Ventriculo & Intestinis fælicius descendunt. Æstivo tempore, ad duas tertias partes, Hyemali verò, ad dimidiam, coquendæ sunt: quod bihorium vel trihorium exigit. Verùm Aquæ Sal purgatorius, Liquore quovis conveniente, & forsan semel bulliente solutus, semper in promptu est Remedium, valde accommodatum Pharmacopœis; Ægrotis, maximè: qui in urgentibus Morbis, ex diuturnâ Coctione, multum Doloris atque Tædij sustinent, & interdum periclitantur.

Postremo loco, neque tamen infimo, considerandum est, quòd Aquæ, paulò diutius asservatæ, imprimis Regione vel Tempestate fervidâ, fœtore polluantur. At earundem extractus Sal, nullo aut Loco, aut Tempore est corruptibilis.

VERUM nonnullos, etiam de hujus Salis Salubritate dubitantes prævideo: scilicet, quod Spiritum Acidum distillatione præbeat.

Ista autem Objectio, contra usum Aquarum, utpote Salem continentium, etiam militat.

Quin & simili ratione, Sacchari, aut Mellis, aut etiam purissimi Panis usum suspicaremur: è quibus fin-

singulis, Spiritus stillatitius, non solùm pari gradu a..idus; sed & valde acris; vi ignis prop..llitur. Et Vinum, Cibíque Saluberrimi, quorum Principia, solâ Fermentatione, vel alio quoquam modo, depravantur; Qualitates semper noxias, interdum venenatas induunt. Vel Infantium Alimentum, Lac Maternum, si leni calore digeratur, brevi acescit. Sal autem Catharticus, in aliquo proprio vehiculo solutus, minimè suis solutis Principijs, sed Essentiæ integritate, propinatur: eâdem, nimirum, quâ Edulijs supra nominatis vescimur. Nam ut Sal ipse, ita & Aqua in quâ Salem solutum bibimus, saporem præ se fert mediocriter Amarum, sine quâvis Aciditate conjunctâ.

De Modo Salem Catharticum Amarum præscribendi.

In quovis Vehiculo Patientis Temperamento conveniente, aut Gustui grato, solutus bibitur: cujus generis, sunt Aqua Fontana, Stillatitia, aliáve purissima; Decoctum Hordei Orbicularis, vulgò Perlati, vel Avenarum tenue, vel ex Pane albo; Lactis Serum cerevisiatum, vel decaseatum, *Wey* vulgò dictum, & his similia. Mihi in frequenti Usu est Aqua parum cocta & Mace aromatizata. Cujus Libras duas, tres, vel quatuor, Salis Cathartici Semiunciâ vel Unciâ impraegnatas, præscribere soleo: vel etiam majori dosi; *ex. gr.* ℞. *Aquæ fontanæ* ℔iv. *Macis* ʒj. *Coquantur parum, & in Colaturâ dissolve Salis Cathartici Amari* ℥j. *vel* ʒx. pro Apozemate seu Decocto Cathartico, manè, jejuno Ventriculo, calidè, vel tepidè, interdum frigidè, bibendo, bihorij spatio, cum levi Exercitio.

Sumatur hoc Apozema vel per se, vel durante aliorum Catharticorum operatione.

Convenit etiam, pro re natâ, vel Senâ, vel Mannâ, vel utrâque Maci adjectâ, Salis Efficaciam promoveri: ut in sequenti, vel simili formâ.

℞. *Aquæ fontanæ* ℔iv. *Macis* ʒj. *Senæ Alexand.* ʒij. *vel iij. Coquantur parum.* Deinde adde *Salis Cathartici Amari* ℥j. *Mannæ albiss.* ℥iß. *vel* ℥ij. *& f. Colatura.*

N. D. *Dudleus North*, primus omnium Aquas Purgatorias cum Lacte bibebat. Sed ei Ventriculum gravabant, quòd permiscuit frigidè. Postea, Medici, Aquas bullientes affuso Lacte alterabant. Quo modo, si cuiquam placeat, Sal & ipse tutissimè sumatur: *ex gr.*

℞. *Aquæ fontanæ* ℔iijß. *Salis Cathartici Amari* ℥j. *vel* ʒx. *MS. Bullienti Aquæ affunde Lactis recentis* ℔ß. *& auferatur coagulum colatorio.*

Æstivo tempore, cùm Fontes ubique Medecinales frequentari soleant, Aqua vel Ferrata, vel etiam Purgatoria, ab ipsis Fontibus sumpta, Vehiculum esset optimum.

Hujus Salis Drachma, vel sesquidrachma, in Aquæ *Tunbrigensis* vel alterius Ferratæ tribus quatuorve primis haustibus sumpta, totidémque Auroris repetita, Humores primásque Vias, potationi propositæ, reddit paratiores.

Aquæ Ferratæ, interdum Alvum astringunt. Cui Incommodo, hujus Salis portiuncula, in primo haustu, vel ultimo, dissoluta, subvenit.

Quin & utilissimè sumatur idem Sal, ex Aquis ipsis Purgatorijs. Quarum haustus singuli, Salis Cathartici ʒj. impraegnati, tum multò certiùs, tum dimidio Numero, Ventriculum minus premente, per Alvum exeunt.

Interdum etiam, valdéque appositè, Clysteribus acuendis, loco Salis Gemmei, Salis Cathartici ʒiij. vel *iv.* immiscentur.

De Salis Cathartici Amari Usu speciali: & imprimis in Ventriculi Morbis.

Quæ de Aquis Catharticis, earumque Sale, jam proximè dicturus sum; non incertis Conjecturis, sed diuturnæ Experientiæ, tam aliorum Doctissimorum Virorum, quàm Nostræ, innituntur. Qui omnes, utrumque Remedium, in Morbis postea memorandis, optimo successu usurpavimus.

Imprimis itáque Aqua Cathartica, vel ejus extractus Sal, Remedium Ventriculo, Appetitum scilicet & Digestionem promovendo, est amicissimum. Partim, ex suo Principio potentiâ Acido; partim, ex totiûs Amaritudine, seu admisto Alkalino. Et è Priori, eò potiùs, quòd Spiritui Salis, omnium Ciborum Condimenti, Spiritum præbeat aliquo modo congenerum. Sed & ex Altero; quandoquidem & alijs plerísque Amaris corroboratum Ventriculum experimur. Et notissimum est, Appetitum, Salibus imprimis compositis adjuvari. Nam Condimenta ferè omnia, Muriâ non simplici, sed acidulatâ, præparantur. Verùm etiam Vinum rubicundum Gallicum, ut cum Cibis est gratissimum, ita Tartareo repletur Sale, hoc est, composito, omnium aliorum maximè. Sal item Chalybis, putà compositus, inter Medicamenta Stomachica, est non incelebre. Et digestoria bina ista universalia, Panis & Saliva, quorum alterum, Salem Acidum continet, alterum Alkalinum, compositi Salis permista locum supplent. Cæterùm, Fermentum ipsum Stomachicum, ex Alkalinis particulis Acidísque, illis ab Arterijs seu Sanguine, his ex parte à Nervis seu Spiritûs Animalis fæce, tralatitijs componitur: id quod ex Argumentis probare possim non paucis, quibus nolo hîc immorari. Quamdiu itáque in Ventriculo debitâ proportione asservatur uterque Sal, Coctionis opus rectè perficitur. Sin alteruter prævaleat, Sales nunc Acidi ex usu sunt, nunc Alkalini, ad æquilibrium restituendum.

Quoties ex Cibo Potúve Nimio, sive Improbo, vitiosa fit Concoctio. Vomitiones non rarò sequuntur. Quibus cohibendis, Aqua Cathartica Amara, vel ejusdem Sal, Remedium est præstantissimum. Eâdem scilicet ratione, quâ Mistura ex Salis Absinthij & Limonum succo celeberrima. Ei tamen ob id præferendum, quòd Sales quoquo modo peccantes, uno quasi Ictu, & destruat & è Ventriculo deturbet.

Proindè & in Cardialgiam, alióque hujusmodi Dolores, nihil prædicto Medicamento tutiùs est, aut efficacius.

Quemadmodum & in Calidam Affectionem Hypochondricam.

In supradictos Affectus, Aquam hanc Purgatoriam, vel proprium ejus Salem, interdum solitariè sumendum præscripsi: Plerunque verò, non sine aliorum Remediorum, Ut Venæsectionis. Vomitorij, & similium, conjunctâ ope. Quippe, Medici prudentis est, præcipuè in Morbis gravioribus, nulli unico Remedio, quantumvis celebri, Ægroti Salutem, suæque Famæ æstimationem concredere.

Hujusmodi autem Remedia, juxta Indicantia, infinitè sunt varianda. Quorum tamen aliquot Formulas, Doctissime Lector, subjunctas accipe.

In Dejecto Appetitu acuendo.

℞. *Aquæ Spadanæ, vel alterius Ferratæ, vel* (si haberi non poterit) *Fontanæ Maciatæ* ℔ij. *vel iij. Salis Cathartici Amari* ℥ß. ʒvj. *vel* ℥j. *MS.* Bibantur jejuno Ventriculo, tepidéque.

Aquæ autem quæcunque Ferratæ, quo meliùs, hoc

hoc est; fine fui fubtiliffimi Spiritûs difpendio, etiam tepidè, fi vifum fuerit, fumantur; Ampulla in quâ fervantur, Aquæ calefactæ immerfa, dilapfis aliquot horæ momentis, aperienda eft, & deinde poft fingulos effufos hauftulos obturanda.

Dum hæc fumuntur, horâ ante prandium, fumantur etiam ex Vini Xerenfis vel Abfinthitis Rhenani Cochleari uno, Elixyr. Propriet. gutt. xx. xxx. vel xl. Perfiftátque in horum ufu, quotidiano, vel alternis diebus, ad quartam, quintam, vel fextam vicem repetito. Vel,

℞. *Conservæ Abfinth. Rom. ℥ij. Cochl. Hort. ℥j. Zinzib. cond. ℥ß. Specier. Arom. Garyoph. ʒiß. Cort. Wint. Salis Abfinth. veri ãã. ℥j. Syr. Caryoph. q. f. MS. f. Elect.* Capiat q. Nucis Mofchatæ majoris horâ fomni, & Juglandis minufculæ horâ ante prandium, cum Vini fupradicti tantillo, vel fine eo, fi Caput gravaret. Vel,

℞. *Limaturæ Chalybis recentis & fplendidiffimæ ℥iij. Summit. Abfinthij Rom. Mß. Rad. Cyperi Rom. Calalami Aromat. ãã. ʒj. Galangæ minor. Cinamomi acerrimi, Croci ãã. ʒß. Vini albi Gallici, vel Xerenfis ℔ij.* Digerantur in Ampullâ obturatâ calore leniffimo, vel etiam in loco temperatè calido, per triduum, & agitentur quotidie. Capiat Colaturæ Cochl. ij. iij. vel iv. bihorio ante prandium quotidie.

In compefcendis Vomitionibus.

℞. *Aquæ cujufcunque Ferratæ, vel ejus loco Aquæ fontanæ. Maciatæ ℔iij, vel iv. Salis Cathart. Amari ʒvj. vel ℥j. vel ʒx. MS.* Bibantur manè, calidè frigidéve, prout maximè placent, & repetantur tribus vicibus, vel pluribus, fi opus fuerit, continuis diebus, vel alternis. Et horum ufui conjunge Pilulas fequentes.

℞. *Rofarum rubrar. Cinamom. acerrimi ãã ʒj. Garyophyll. Salis Chalybis ãã ℈j. Croci ℈ß. Ol. Menthæ Stillatitiæ gutt. viij. Syr. Chalyb. q. f. MS. f. Pilulæ n°. xxiv.* Sumantur tres bihorio ante forbile prandium, & hora fomni quotidie.

Aliquando Fomentatio ex *Vino rubro cum Theriac. Andr. ℥j. & floribus Rofar. rubr. foliifque Menthæ* calidè infufis, effet utiliffimum.

In Dolore Stomachi Colicæ Affectionis æmulo.

℞. *Senæ Mund. ʒij. Macis ʒ. Coquantur in Aquæ fontanæ q. f. ad ℔iij. vel iv. Colaturæ adde Salis Cathart. Amar. ʒvj. vel ℥j. vel ʒx. Syr. Chalybis ℥iß. Mifce, f.* Apozema Catharticum, manè, & pro more bibendum. Vel etiam fine Senâ. Et fumatur vel per fe, vel cum Pilulis fequentibus.

℞. *Pilulæ ftomach. cum Gum. gr. xxv. Limaturæ chalyb. fubtiliff. gr. x. fyr. chalybis q. f. MS. f. pil. iv.* horâ fomni fumendæ. Die proximo fumatur Apozema ut fupra, & fic per Triduum, vel diutius.

Interdum ex ufu erit, Extractum Gentianæ, vel alterius amari, Pilulis admifceri.

Atque etiam *Laud. Lond. gr. ß, vel. gr. j.* fi Dolor intenfior fuerit.

In Calidâ Affectione Hypochondriacâ.

℞. *Aquæ cujufcunque Ferratæ ℔iij. vel iv.* In fingulis hauftulis diffolve *falis cathart. Amari ʒß. vel ʒj.* ad octavam vicem circiter, & bibantur frigidè.

Vel loco Aquæ Ferratæ, fumatur in Aquâ Lactis fimplici, vel fol. Boraginis & Pimpinellæ diftillatâ.

In Cardialgia cum Calore.

In hoc Morbo, fimili modo, ac in præcedenti fumptus Sal, fæliciter fuccedit.

De Salis Cathartici, Amari Ufu, in Inteftinorum Partiúmque adjacentium Morbis. Et primò, in Colico Dolore.

In hoc Morbo, non opus eft Doctum & Exercitatum Medicum admoneri, Venæfectionem rarò aut nunquam omittendam, atque in primo loco celebrandam.

Deinde, confultiffimum effet, Clyfterem injicere hunc in modum paratum.

℞. *Decocti communis pro clyftere ℔i. addendo reliquis coquendis Senæ optimæ ʒiij. vel ℥ß. In colaturâ diffolve Salis Cathart. Amari ℥ß. vel ʒv. Spec. Hieræ picræ ʒiß. vel ʒij. Sacch. rubri. ℥ij. MS.* Ex hujus, vel hujufmodi Clyfteris ufu, Dolores Colici fæpe diffipantur; vel Saltem interiùs fumendis, & per Inteftina tranfeundis, via panditur.

Non rarò Pilulæ Rudij *℈j. vel ʒß. cum Laud. Lond. gr. j. vel gr. iß.* exhibetur utiliter.

Et nonnunquam *Hydrargyrum*, fi Ægrotus fufficienti quantitate, nempe quatuor vel fex unciarum, deglutiverit. Et præcipuè, fi unà cum *Tinctura Sacra*, hoc eft, *Tinct. Spec. Hieræ Picræ Vino albo parata*, quafi duabus Uncijs, vel alio liquore Cathartico convenienti, fumeretur.

Omnium autem Remediorum Nobiliffimum, Aqua eft Cathartica Amara, vel ex eâdem paratus Sal, fequenti, vel fimili modo fumptus.

℞. *Aquæ fontanæ vel fluvialis Maciatæ ℔iijß. Aquæ fl. Chamæam. vel fol. Menthæ ℥vj. Salis Cathart. Am. ℥j. vel ʒx. Mannæ albi ß. ℥iß. vel ℥ij. MS. fiat Apozema.* Bibat Ægrottus unâ vice circa ℥vj. calidè, & fumatur horæ vel fequihoræ fpatio, etiamfi ejufdem aliquam partem evomuerit.

Hujus Medicamenti vis, nonnunquam fortior evadit, ex fequentis conjunctâ ope.

℞. *Tinct. Sacræ ℥ij. iij. vel iv. Capiat Cochl. j. vel ij.* ante fingulos Hauftus Apozematis fupra præfcripti.

In Vermibus.

Idem Sal, fi Nutrix, è Drachmâ, vel Sefquidrachmâ, Puerorum vel Infantium Sorbilia paraverit fine Lacte, Vermes exterminat.

Præcipuè, fi Mercurij dulcis, aut Chryftallorum (*i. e.* Salis) Lunæ vel gr. j. pro Patientis ætate, vel ij. vel iij. in quovis Vehiculo convenienti, Medicus præmiferit.

Vel fi Clyfteribus amaris Sal Catharticus immifceatur.

In Dolore Nephritico.

In hoc Morbo, quemadmodum in Dolore Colico, plerunque cum Venæfectione aufpicandum eft, eâque non rarò repetendâ.

Cui etiam Vomitorium, ex Vino Benedicto, vel Sale Vitrioli, præcipuè, fi Ægrotus fuerit naufeabundus, aptiffimè fubjungitur. Cujus nempe Vi, non folùm exoneratur Ventriculus, pars nonnunquam primo loco delinquens, fed & totum Genus Nervofum, Renibus conterminum, & hâc in Affectione maximè laborans, relevatur.

Poftea præcipuè fi ex Emetico alvus non laxa fuerit, injiciatur fequens Enema.

R. Flor. Chamæm. M. Sem. Cumini, Fœniculi dulc. Petrofel. contufor ãã. ℥j. Radic. Althææ incifæ & contufæ ℥ij. Coquantur in Aqua communis q. f. ad lib. j. Colaturæ adde Terebinth. Venet. Vitello Ovi Solutæ ℥ß. Salis Cathart. Amari etiam ℥ß. Syr. Althææ ℥iij. MS. f. Enema.

Si Dolores vehementiores fuerint, addantur *Enemati Laud. Liquidi Cydon. gutt. XL. vel L.* Ex hujus, vel

vel hujusmodi Enematis usu, non rarò, cum vel sine Calculo, aut Calculosa materia, Urina profluit, Doloresque evanescunt.

Verùm, si pertinaciùs adhuc hærerent, ad sequens Apozema, tanquam Remedium maximè Salutiferum, confugiendum est.

℞. *Decocti Hordei Maciati* ℔iij. *vel iv. Salis Cathart. Amari* ʒvj. *vel* ℥j. *Syr. Althææ* ℥iij. *vel* ℥iv. *MS. f. Apozema.* Sumatur calide, horæ, sesquihoræ, vel Bihorij spatio, vel circiter, etiam si Ægrotus aliquam partem evomuerit.

In Urinæ Ardore.

Idem valet Apozema, in Ardore Urinæ; sive è Sanguinis Acrimonia, sive Gonorrhæa Venerea oriundo.

In Suppressione Urinæ.

Atque etiam in Suppressione Urinæ, quæ vel sine Lapide contingit, vel sine majori, quàm ut Vias Urinarias transire possit.

Attamen si dies aliquot Morbus duraverit, Sanguinis primo loco, & liberiùs mittendus est. Deinde, & Enema paulo acrius, cum Syrupo è Spinâ cervinâ, *Sale Cathart. Am. &c.* immittendum. Cujus durante Operatione, prædictum Apozema, vel ejus aliquot Haustus, utilissimè bibantur. Præcipuè, si ante singulos haustus, Misturæ sequentis sumatur Cochleare unum.

℞. *Aq. Fænic. Saxifrag. ãã* ℥iß. *Salis Succini* ʒj. *Tart. Vitr.* ℈j. *Millep. pp.* ʒij. *Syr. Althææ* ℥j. *MS.*

In Diabete.

In quo periculosissimo Morbi genere, si leni Evacuatione opus fuerit, cùm placidissimè moveat hoc Remedium, multùmque refrigeret omnium Catharticorum est Tutissimum & ferè unicum. Cujus ope, conjuncto Aquarum Ferratarum quatumcunque assiduo usu, & Hypnoticorum, nonnullos jam perituros, sed tamen Juniores, in Sanitatem restitui.

In Ictero.

Etiam in hoc Morbo, Venæsectio rarò omittenda est. Imò verò, repetenda, si Ægrotus paulò magis febricitet.

Neque minori usui sunt Vomitoria: quatenùs eum morbosam Colluviem Ventriculo exterminant, tum Bilem in suâ Vesicâ stagnantem proliciunt. Ideóque si opus fuerit, per intervalla iteranda sunt. Imprimis, si horum aliorúmve Remediorum usus minus efficax, Calculorum, Mole suâ vel numero Porum Biliarem occludentium, suspicionem integrat: ubi prudenter & forti animo persistendum est.

In quocunque autem Ictero, Calculoso, vel Simplici, Aqua Cathartica, vel ejus Sal, optimè propinatur, sequenti vel simili modo.

℞. *Pilulæ Ruffi* ʒß. *Rhabarb. Salis volatil. Urinæ ãã* ℈ß. *Syr. absinth. q. f. MS.* fiant Pilulæ num. vj. horâ somni sumendæ. Aurorâ proximâ, sumatur sequens Apozema.

℞. *Rasuræ C.C.* ℥ij. *Coquantur in Aquæ fontanæ* ℔vj. *ad* ℔iv. *Deinde adde Macis, Curcumæ ãã.* ʒj. *& coquantur parum. Colaturæ adde Salis Cathart. Amar.* ℥j. *Syr. Chalybis* ℥j. *MS. f. Apoz.* pro more sumendum.

Si Medico visum fuerit, loco Pilularum supra præscriptarum, præmittat Haustum sequentem.

℞. *Tinct. Sacræ* ℥iß. *vel ij. Syr. è Cichor. cum Rhabarb.* ℥j. *Tart. Vitriol.* ℈ß. *MS. f.* Haustulus horâ sextâ vel septimâ matutinâ sumendus. Post bihorium, bibat Apozema supra præscriptum. Et repetantur singulis vel alternis diebus.

Si Aloëtica fuerint nimis calida, propinetur Infusum de Rhabarb. *&c.*

De Salis Cathartici Amari Usu in Morbis Cephalicis. Et primò, in Mania.

In Maniâ, præter Venæsectionem, & repetita Vomitoria, Unguenta etiam Cephalica, Setaceum in Nuchâ, Vesicatoria, præcipuè Tibijs apposita, Cathartica, aliáque Remedia, plerunque adhibenda sunt.

In omnium autem Catharticorum, Helleboratorum, aliorúmve operationem promovendam, nihil magis convenit, quàm Aqua Cathartica, vel Ejus Sal, hunc vel similem in modum præscriptus.

℞. *Fol. Melissæ, Borag.n. ãã. Mj. Infundantur in Aquæ fontanæ coctæ & ferventis* ℔iv. *vel v. in Vase clauso per Semihoram. Colaturæ adde Salis Cathart. Am.* ℥j. *vel* ℥x. *Syr. Viol.* ℥iv. *MS. f. Apozema,* per se vel alio Cathartico convenienti, posseti loco, bibendum. Vel,

℞. *Salis Cathart. Amari* ℥j. *Dissolve* ʒi. *in haustu Aquæ Spadanæ, vel cujuscunque Ferratæ,* & bibantur hujusmodi haustus octo.

In aliorum Purgantium etiam Intervallis; præcipuè æstivo tempore, per se utilissimè, modo supra prescripto, sumeretur. Nam Humorum Spirituúmque Maniacam Conturbationem optimè compescit.

In Cephalalgia.

In quo Affectu, præcipuè ex Causâ Calidâ, vel Calido Temperamento conjuncto, nihil efficacius, quàm sequens, aut istiusmodi Methodus, in Re Medicâ inveni.

Imprimis sufficienti quantitate, locísque ex circumstantijs indicatis, mittatur Sanguis.

Deindè, prout Vires, aliáque monuerint, excitetur Vomitio, vel omittatur. Postea sumat Ægrotus sequentia.

℞. *Scammonij præp. Rhabarb. pulverizati, Mercurij dulc. ãã.* ℈ß *vel gr. xij. vel xiij. Syr. è Spina Cerv. q. f. MS. f. Pilulæ v.* horâ quartâ vel quintâ matutinâ sumendæ, superdormiendo. Post horas tres, bibatur sequens Apozema.

℞. *Aquæ fontanæ Maciatæ* ℔iij. *vel iv. Salis Cathart. Amari* ʒvj. *vel* ℥j. *Syr. Viol.* ℥ij. *MS. sumantur cum regimine.*

Repetatur idem Apozema cum Pilulis supra præscriptis, tertio, vel quartò quoque die: Et per se, diebus interpositis. Continuantur autem duabus Septimanis, vel tribus, si opus fuerit.

In Vertigine.

Cum Sanguinis missione similiter incipiendum est, præcipuè, si Affectus ex nimio Vino proveniret: & imprimis è Venâ Brachij.

Deinde Cucurbitulis cum Scarificatione appositis, non solùm Scapulis, sed & ipsi raso Occipiti: Cui parti, tam in hoc Affectu, quàm in Cephalalgiâ, & Oculorum Inflammationibus, fæliciùs quàm cuicunque alteri, admovendas, jubere soleo. Post Sanguinis missionem, sumat sequentia.

℞. *Pilulæ Mastichinæ* ℈ij. *Ol. Majoranæ stillat. gutt.* v. *MS. f. Pilulæ hora somni sumendæ.* Aurorâ proximâ, bibatur sequens Apozema.

℞. *Aquæ fontanæ Maciatæ* ℔ij. *vel* iij. *Aquæ Salviæ Odoratæ* ℥iv. *Majoranæ Hortens.* ℥ij. *Salis Cathartici Am.* ʒvj. *vel. MS. sumantur præscripto more.*

Interdum antè singulos Haustus, utiliter sumeretur sequentis Misturæ Cochl. j.

℞. *Fol. Majoranæ Hort. Salviæ Odoratæ ãã.* ℥ij. *Rad. Gentianæ, Specier. Hier. picr. ãã* ℈ij. *Vini albi optimi* ℥iv. Digerantur horis duodecim in Vitro clauso, & deinde

deinde fortiter exprimatur Tinctura, per subsidentiam depuranda.

De Salis Cathartici Amari Usu in Morbis quibusdam aliis: & primò, in Passione Hysterica.

In quo Morbo, postquam Symptomata graviora Opiatorum usu sedata fuerint: Tincturæ Sacræ (Vini albi partibus duabus, & Aquæ Hystericæ parte unâ paratæ) ℥x. vel xij. vel ℥ij. optimo successu plerunque exhibentur.

Sin autem Medicus alio temperatiori Medicamento Alvum movendam viderit: prælaudatum, cum lenissimè id perficiat, tutò bibitur. Et majori cum fructu, si loco Aquæ Maciatæ, eligatur Aqua Spadana, vel Melissæ, pro Salis Vehiculo.

In Arthritide Vagâ.

Quæ vulgò Rheumatismus, sed non sine Errore, nuncupatur. Cùm hic, Partibus Musculosis, illa Articulis solis obsidat. Morbus pertinax est, & post rarò plurium Remediorum Apparatum exigit.

Venæsectio reliquis præmittenda est; & singulis, vel alternis diebus, iteranda, ad quartam, & si opus fuerit, quintam, vel etiam sextam vicem.

Post primam vel secundam vicem, maximo sæpe ex usu erit Vomitorium. Quamdiu enim Ventriculus se malè habet, Morbosam Materiem Sanguini, Articulísque de novo indies immittit.

Verùm Cathartica, eáque fortiora, etiamsi interdum dies aliquot deserenda sunt; vix tamen unquam omittenda. Ut quæ potentiùs, non rarò unicâ vice, quàm Phlebotomiæ, ter quatérve repetitæ, Morbum enervent.

Horum autem Operatio, cùm Patientes ferè semper febricitent, Aquarum Purgantium, earúmve Salis ope, multò leniùs, & sine Humorum Effervescentiâ, absolvitur. Sumantur itaque sequenti modo.

℞. *Pulveris Jalapij resinosi* ℈ß. *Scammonij præpar. gr. vj. Calomel.* ℈ß. *Syr. è Spina Cerv. q. s. MS. f.* Bolus hora quinta matutina sumendus superdormiendo. Post horas tres bibendum est sequens Apozema.

℞. *Hordei perlati* ℥iß. *Uvar. Passarum minor.* ℥iij. *Bulliant in aqua fontana q. s. ad* ℔ijß. *vel iijß. addendo in fine, Macis* ʒß. *Colaturæ adde Salis Cathartici Amari* ℥j. *Mannæ albiss.* ℥ß. *vel* ℥j *vel* ℥iß. *pro Apozemate.*

Si Ægrotus difficilius moveatur, & alia coindicantia monuerint, addantur primo haustui *Syr. è Spinâ Cerv.* ʒvj. *vel* ℥i. Et repetatur Bolus cum hujusmodi Apozemate, vel alternis diebus, vel tertio, quartóve quoque die, prout Medico visum fuerit, vel etiam majoribus intervallis, donec Ægrotus perfectam Sanitatem recuperaverit.

In Morbi principio, & augmento, singulis, vel saltem alternis Noctibus, semper autem post singulas Purgationes, Humorum Ebullitiones, & in Articulos novi Influxus, Opiati convenientis usu, cohibendi sunt.

Quoties, vel propter Febrém paulò intensiorem, vel Patientis Imbecillitatem, Purgatio proroganda est; Vesicatoria supra vel infra Articulos affectos, quasi unam vel alteram transversam manum, applicantur summo cum levamine. Et interdum adeò est effrænatus ac præfervidus Sanguinis Latex serosus; ut ne quidem conjunctis dictorum Remediorum viribus cedat, donec Vesicantium ope, ex aliquâ parte, à rubicundo & leni Cruore secernatur.

In hoc Morbo, Sudores evocantia, etiamsi uberiores, vix quidquam proficiunt. At Diuretica, utiliter abhibentur: & ob eandem causam, Apozemata ex Sale Cathartico ut supra parata, magis conveniunt; cùm & alvi fæces, & Urinas, motu simultaneo propellant.

Curationis tempore, à Vino, omnibúsque Vinosis, & Cerevisiatis, non coctis, abstinendum est. Serum Lactis recens & coctione decaseatum, Potulentorum omnium est præstantissimum.

In Pruriginoso Affectu.

Pruritum, non quidem Contagiosum, sed è Scorbuto genitum, nunc Corpus universum, nunc aliquas Partes, ut Pudenda, aliásve occupantem, ultimò præscripto Apozemate, cum vel sine alijs Purgatorijs repetito, sæpe medicavi; & cruciatos nonnullos perpetuâque scalpturâ fatigatos, beavi requie placidissimâ. Imprimis, si Aquæ Ferratæ, Cerevisiæ loco, unà quotidie, & affatim potarentur.

Idem Apozema, post exiccatas Variolas esset utilissimum.

Et cum plerisque Catharticis commodè, posseti loco, bibitur.

Cæterùm, eos, qui ex Longo Itinere, præcipuè æstate, alvum astrictam habent; *Salis Cathart. Am.* ʒij. *vel iij. ex Aqua font.* haustu uno vel & altero sumptæ, & laxos reddunt multúmque refrigerant.

De Aquarum Amarescentium, earúmque Salis Abusu.

Oportet Medicum, non solùm Remediorum Usum indicare; sed etiam Lectorem præmonere de Abusu. Qui tergeminam affert Injuriam, Patienti, Medico, & Medicamento.

Prædictum itaque, in quibusdam Morbis neutiquam præscribendum est. In alijs autem, Causarum & Symptomatum ratio habenda.

Hydropicis quibuscunque nocet. Ubi scilicet languescit Calor Nativus, Sanguísque Spirituum, in rubicundâ ejus parte nidulantium, est pauperrimus. In his porrò, usus Humidorum, etiam in Cibis, Seri Sanguinei Influxum in Partes Morbo obrutas, accelerat.

Deinde, & Febre deducentibus Synochâ vulgò dictâ. Ubi, licet Causa Morbi, interdum Alvum moventibus per ἐπίκρασιν minuenda est; mediocriter tamen Calida, ut Decoctum Amarum, Pilula Ruffi, & similia, potius exhibenda, iísque Humorum Concoctio unà promovenda. Et proinde, quæcunque nimia frigefactione huic adversantur, metuenda.

Neque verò Intermittente Correptis quidquam proficit.

Neque Chlorosi seu Febre albâ Laborantibus. In quibus calorificæ Fermentationes propterea excitantur, quòd Humores nimis acescant, & Medicamentis magis Alkalinis edulcorandi sunt.

Hœmoptoicis etiam denegandum est. Ne eximiâ suâ subtilitate & penetrantiâ, Arteriarum reseraret oscula.

Et in Cholera Morbo. Ubi subitaneis Evacuationibus, maximæ Spirituum exolutiones superveniunt. Quales titubantis nimiúmve properantis Naturæ Motus, Cardiacis potius & Opiatis, per Intervalla sumptis, cohibendi. Postea verò, jam infracto Morbo, si Evacuatione opus fuerit, Patiénsque Biliosâ Temperie, sive Connatâ præditus, sive Adventitiâ, supradictum Salem non incommodè potaret.

Quin & Paralyticis. Ne Musculos, Nativo suo Calore Vigoréve jam destitutos, magis enervet. Attamen, si ex Causâ calidâ, ut ex Vino, aut Liquore quovis Vinoso, Morbus nasceretur; Idem non solùm tutò præscripsi, verùm etiam utiliter.

Non sine Cautelâ in Utero Gerentibus permittendum est.

Nec quibus supprimitur Urina, antequam perspectum

ctum habeas, id non ex Ulcere Vesicæ Urinariæ, Calculóve inexterminabili provenire. Nam si Ægrotus eorum alterutrum pateretur, ab omnibus Diureticis abstinendum est. Aliàs, hoc Medicamentum, cum optimo sæpe successu, hoc est, Urinarum, Lapidúmque, etiam majusculorum excretione, propinavimus.

Tractatus Cl. Nehemiæ Grevv de Sale Amaro Cathartico, Finis.

Sic complevimus quicquid super Aquis mineralibus à natura productis dicendum ac adferendum habuimus; De Arte paratis jam paucis agendum nobis superest. Veniat itáque, primò

FRANCISCI FRIZIMELICÆ

Patricij Patavini & in Patrio Liceo quondam Professoris.

De Balneis Metallicis artificio parandis.

LIBER POSTHUMUS.

Auxilia quibus Indicationes Curativæ, & Præservativæ, & Conservativæ perficiuntur, licet videantur esse minoris usus, quàm reliqua, quæ à Medico pertractantur; nihilominus ea divinam Manum apppellarunt quidam ex antiquis. Quæ profectò scio esse paucissimi usus, aut contrarij illius, quod à Medico intenditur absque Indicationibus, quas prius oportet cognovisse Medicum. Nihilominus Indicationes nihil sunt, nisi habeant auxilia, quibus perficiantur. Ideo non erit ab re differere de quibusdam Auxilijs, & præcipuè de his, quæ & plurimis indicationibus possunt deserere, & quæ Magna & Divina ab antiquis appellata sunt, veluti sunt Metallicæ Aquæ, & alia plurima istius generis. Sed quia hujusmodi Metallica, quæ liceat mihi in præsenti & in posterum appellare Balnea, quum sint diligentissime pertractata ab his, qui superioribus seculis de hac re scripsêre; ideo prætermittam consulto horum disceptationes legendas, & à Savonarola, & ab Aggregatore nostris Patavinis (etiam aliàs cum locum hunc publice profiteremur, ea fuerunt redacta in commentaria) non est opus amplius, ut hæc repetamus. Sed quia plerumque cogimur uti alijs pro his, ita ut succedanea sint nobis necessaria, aut careamus perpetuo usu istarum aquarum, aut ut plerique maximo dispendio, laboribus & periculis transferant se ad hujusmodi Balnea; etiam quia non possunt ita Naturalia hæc Balnea adhiberi, sicut conveniret: ideo de ipsis succedaneis pro ipsis Balneis agemus, & de ijs Balneis, quæ loco istorum Naturalium artificio comparata possunt adhiberi, quàm brevissime dicemus, dilucide & facile admodum, ut juvenes, qui non sunt ita exercitati, possint sibi ipsis hujusmodi parare. Impulsi hæc fecimus ab amicis, qui hoc cupiunt scire, & qui viderunt aliquando hæc à nobis parata cum ratione & experientia. Sed jam ad rem deveniamus.

De Aquis metallicis in genere, & de Generatione ipsarum.

Balnea, quæ ita appellabimus, maxime sunt Aquæ metallicæ. Quæ aquæ differunt ab alijs aquis Accidentibus quibusdam, ut Odore, Sapore & Tactu; & maxime odore, & sapore. Hæ aquæ distinguuntur ab alijs aquis, his potissimum tribus, sapore, salsæ enim sunt, interdum amarulentæ, adstringentes; sunt etiam odoratæ, veluti sulfureæ, bituminosæ, & alijs gravioribus odoribus præditæ: sunt & hæ aquæ calidæ, & interdum ferventes, raro frigidæ, sicuti Calderianæ Veronenses; nihilominus & ipsæ in ipso fonte habent aliquid caliditatis.

Hæ Aquæ in se duo habent. In primis est materia susceptiva ipsarum qualitatum; quæ est aqua, & quidem sua natura insipida, nullo sapore prædita, actu frigida, & nullum referens odorem; maxime inquam, susceptiva omnium extranearum qualitatum. Quæ aqua aliquando à Galenó appellata est seminarium, quasi in potentia ad omnia; & semen omnium advenientium qualitatum. Sed quomodo ista aqua habeat, secundum quod est in aquis metallicis, dicamus. Illud enim semen est quodcunque adventitium, sapores, odores, & tangibiles illæ qualitates. Arbitror enim esse, quia aquæ illæ subterraneæ, quæ sunt in ipsis fontibus, suscipiunt ab ipsa Terra, quæ continet Metalla, qualitates illorum metallorum. Fontes enim, sicut dicebat Aristoteles in 1. Meteor. sunt concavitates, quæ sunt in ipsis Montibus; quæ concavitates partim recipiunt aquam cœlestem per ipsos montes; partim generant aquam sua frigiditate & ære, & ex vaporibus existentibus in illis concavitatibus. Si in his concavitatibus, quæ sunt ad radices montium, contingat adesse metalla, sicuti in ipsis montibus plerumque contingit, vis ipsorum metallorum, & partes subtiliores ipsorum metallorum commiscentur aquis; ut aquæ quædam sint Sulfureæ, ex admistione subtilium partium sulfuris cum ipsis; aut salsuginosæ ex sale admixto; aut referunt Calcem, aut Cinerem, ex commixtione cineris, aut calcis cum aqua. Cineres enim & alia istius generis contingunt ex multis causis.

Ista Metalla possunt nasci in ipsa Terra, sicuti videmus montes abundare metallis plurimis. Cineres ex combustione, quæ plerumque fit in visceribus terræ, fiunt; unde combustio illa in causa est, ut incalescant aquæ, & fiant ipsæ ferventes. Nulli dubium in visceribus terræ & montium fieri combustiones, & interdum ingentes anfractus, ut videamus exire præter fumum, flammas, carbones, & adustos lapides; sicut & apud Æthnam in Sicilia, & in Vesuvio monte, & nuperrime hic in Italia apud Puteolos audivimus, & proximo tempore in agro Mutinensi. Ideo non est mirum has aquas effici Metallicas & ferventes hac ratione. Dixit enim Aristoteles in 2. Meteor. Aquas suscipere impressiones ab his terris, per quas dilabuntur, & ita efficiuntur aquæ metallicæ.

Sed distinctius de unaquaque agendum est à nobis, & signa sunt dicenda, quibus cognoscantur, ut ex his facile ad id, quod instituimus possimus pervenire.

De Speciebus Metallicarum Aquarum, & de Signis ipsarum.

Metalla quæcunque possunt nasci ex ipsa Terra, & maxime ex ipsis Montibus. Sunt enim hæc metalla facta ex vaporibus collectis in terra, & à caliditate ipsius Solis, sicuti declarabat Aristoteles 3. Meteor. ad finem. Appellaverunt ergo Metalla, non solum Æs, Aurum, Argentum, & Argentum vivum, & alia; Sed appellarunt Metalla etiam, veluti Sulfur, Alumen, & alia, quæ non sunt ipsa terra, nec partes ipsius terræ. Sunt enim Metalla, veluti Aurum, Argentum, Æs, Plumbum, Stannum, & alia: Est Sulfur, Alumen, Nitrum, Sal, & Bitumen; addo etiam & Cineres. Aquæ enim possunt accipere partes uniuscujusque Metalli, & diversorum Metallorum ad invicem commixtorum. Simplices essent, veluti ferreæ Calderianæ Veronenses, quamvis perpetuò commisceatur quidpiam Sulfuris istis Aquis: Raro dantur aliæ aquæ simpliciores. Impossibile ferè esset, ubi solus Cinis dominatur, ut inde scateret Aqua. Sed ut plu-

rimum, ut dixi, commixta sunt ex diversis generibus Metallorum. Verùm semper unum ipsorum Metallorum dominatur cæteris. Sicuti in aquis Aponitanis plurima Metalla sunt admixta, sed maxime dominatur Sulfur, quamvis sit admixtum Alumen, Nitrum, Calx, & Cineres, Magis in Balneis Montis Ægrotorum dominatur Sulfur; maximè in Balneis Sanctæ Helenæ: fere universæ illæ Aquæ sunt Sulfureæ. Balnea Sancti Petri sunt, in quibus maxime viget Alumen, quamvis sit admixtum quidpiam ipsius sulfuris; sed dominatur magis Alumen. In luto Sancti Bartholomæi licet sit plurimum Asphalti, & dominetur Asphaltus; nihilominus est etiam quidpiam ipsius Sulfuris.

Argenteæ, aureæque aquæ raro visuntur, nec creduntur esse alicujus usus. Sed quispiam dubitaret, quomodo aquæ illæ, quæ sunt prope argentinas, aureasque fodinas, ex quibus fit Chalcanthus, cum sint maximè metallicæ, non sint in aliquo usu? Ratio esse potest, quia sunt acres nimis, nec venirent tuto in aliquo certo usu in remedia. Cognoscuntur autem virtutes, & materia harum aquarum ex multis. Priores Medici, sicuti Savonarola & alij, separando partes Metallicas & Terreas à partibus aqueis, cognoverunt, quæ essent admixta Metalla, ex illo, quod post separationem permansisset in vase. Nos verò facilius hoc cognoscimus Odore, & Gustu. In primis illæ aquæ calidiores odoratu deprehenduntur, quòd sint metallicæ, ut Aponitanæ; minus odor ipsius Sulfuris, plus Salsuginis & aliorum metallorum deprehenditur. Præter hoc animadvertimus etiam per loca, per quæ dilabuntur. Et enim ex odoratu illud deprehendimus. Nam & odor sulfuris maxime deprehenditur; ut etiam in ipsis locis, per quæ dilabuntur, videmus Colorem & frusta ipsorum metallorum: interdum etiam & frusta salis, Nitri, & calcis deprehendimus in ipsis alveolis, per quos dilabuntur & colliguntur.

Sic igitur & ipsa subsidentia deprehenduntur metalla, quæ alterantur in ipsis aquis: eritque ista distinctio aquarum metallicarum, & ipsarum signa, & generatio.

Numquid sit possibile artificio, his deficientibus, illis similes parare.

Aiunt Philosophi, & assumunt sibi Medici pro certo, Artem imitari Naturam. Primò fuere aliqui, qui crediderunt, æque bonum posse fieri ab Arte, aut fortasse melius illo, quod factum est à Natura. Quod fortasse in omnibus non esse verum existimo, quamvis Ars ita possit auxiliari Naturæ, ut, quod ipsa ex se interdum facere non potest, adjuta ab arte faciat, aut melius faciat, quàm si non esset adjuta ab arte: quia plerumque sunt impedimenta plurima, quæ non permittunt operari naturam. Quæ impedimenta si removentur, Natura melius operatur, aut quod imbecilla est, & habet imbecilla instrumenta: unde commode operari non potest, nisi adiuta ab arte. Sed hæc missa faciamus, & dicamus, quod Ars plerumque imitetur Naturam, & facit simile illi, quod facit Natura.

Sic igitur cùm aquæ Metallicæ factæ sint à natura & cœlesti calore, & maxime à calore Solis, & aliarum Stellarum, quæ duo illa commixta ita alterant, ut si non se commisceant ita, ut fiat unum tertium, sicuti imaginati sunt multi; tamen ita se alterant, ut unum agat adiutum ab altero, & alteratum ab altero, quod per se ipsum non ageret; sicuti aqua per se non ageret, quod agit alterata à sulfure, neque sulfur per se ageret, nisi alteratum ab aqua: interim fiunt hæc à natura, hoc est, ex duobus naturalibus, ex sulphure, & aqua.

Numquid autem Medicus carens hoc mixto facto à natura, possit ipse imitando naturam aliquid consimile sibi comparare? Galenus assentitur huic rei. Credidit enim ipse in prim. de Simpl. Medicina, metallicas aquas posse fieri, in defectu metallicarum aquarum, ex commixtione metallorum cum aqua; ut Salsuginosas, Sulfureas, Aluminosas & Bituminosas posse fieri ex admixtione Salis cum aqua, Aluminis, Sulfuris & Bituminis. Sed hoc tamen difficillime. Videtur enim quod agens & locus deficiant in hac re, quæ sunt maximè necessaria in generatione. Nam metallicæ illæ aquæ fiunt in visceribus terræ, & à calore illo cœlesti Stellarum & Solis in primis. Hujusmodi autem mixtio, quæ fit ab arte, non fit, nisi ab igneo calore, heic in superficie terræ; & ideo videtur difficile, ita ista posse commisceri, sicuti ea, quæ à natura fiunt. Dixerim ego omnino commixtionem hanc fieri posse, sed non ita sicuti illa quæ à natura fit. Perfectior illa est, ista imperfectior, & veluti imago illius prioris. Ars enim non æque perfectum facit, sicuti dictum est, propter easdem causas. Unde in plures usus & meliores usus venit aqua illa metallica facta à natura, quàm ea, quæ facta est ab arte; in usus, inquam, Medicos. Etenim metallicæ aquæ à natura factæ potantur, balnea fiunt, stillicidia, & alia. Quæ autem ab arte facta est, commode fortasse & tuto non poterit potari, licet stillicidia balneaque fieri possent. Intus enim suscepta Medicina periculosior est, quàm extra applicata. Nam & sensibiliora sunt membra, viæ angustiores sunt, & loca, quæ sunt principia vitæ. Ideo nisi sit medicamentum optimè paratum, offendet facile interiora membra, quæ sunt vivendi & essendi principia: quod non arbitror posse ita commodè parari ab arte, sicuti à natura.

His rationibus crediderim, aquas metallicas arte non posse fieri potabiles, sed pro balneis, & ipsis stillicidijs. Et hoc intelligebat Galenus. Nos igitur qui huic sententiæ astipulamur, docebimus: quo pacto pro balneis, & pro stillicidijs possunt construi aquæ, & aliquo tutius: quod primò demonstrabimus, deinde modum conficiendi docebimus.

Quod tutius interdum arte paratæ Aquæ Metallicæ administrantur, quam confectæ à Natura.

Mirum quid videbitur aliquibus hoc à nobis proponi, & judicabitur fortasse insanum & alienum à veritate. Attamen si animadvertant ad ea, quæ scribuntur à Galeno, in 1. de Medic. secundum genera, Cap. 2. & reperiuntur apud Avic. in 5. Canone, Cap. 1. cessabitur omnis admiratio.

Certum est quod medicamina facta à natura, interdum non possunt ita, sicut sunt, venire in usum Medicum, nisi Medicus ipse operetur circa ea. Sic & aquæ istæ metallicæ quum sint à natura comparatæ, non facile veniunt in usum medicum, nisi aut temperentur à Medico, aut aliquid consimile ad voluntatem ipsius Medici paretur. Ideo qui has aquas administrat, quærat illarum operationes & virtutes ita moderari, ut possint ipsi tuto illas administrare. Quod fieri solet, aut minus calidas administrantes, actu inquam minus calidas, aut quod cadant minus ex alto, & non ita imprimant, aut quod fistula sit tenuior, & minor quantitas aquæ ducatur ad caput. Ista licèt sint moderamina, & correctiones ipsarum aquarum, nihilominus male potest corrigi & moderari quantitas virtualis ipsius aquæ: quia admixtis illis aquis quibusdam frigidioribus, male potest operari aqua illa. Non enim recipit societatem alicujus extranei.

Tutius igitur mihi videtur, ut aliquid consimile priori Aquæ construatur, ut si in ipsa Aqua Metallica (ut prius dixi) sint duo, Materia sive subjectum recipiens virtutem Metallorum, quod & (ut dicebam) Aqua ipsa purissima; Aliud quod recipitur in ipsa

Aqua

Aqua, ut sunt ipsa Metalla, sive quorum virtus recipitur, pro varietate Metallorum. Ipsa ergo Metallica Aqua efficitur. Et quia raro invenitur Aqua habens virtutem unius Metalli; nobis autem, hoc modo parando Aquam, licet parare Aquam habentem virtutem unius Metalli, ut penitus sulfuream, aut Aluminosam, aut cinericiam, admiscendo unum duntaxat Metallum, quod raro invenitur in aquis à Natura factis. Etiam licet nobis parare Aquam Metallicam, admiscendo plus aut minus Metallorum pro arbitrio nostro, & pro necessitate morbi tollendi. Etiam si mixtam Metallicam aliquam aquam facere voluerimus, interdum plus de sulfure, minus de alumine commiscebimus secundum opportunitatem. Interdum licet nobis aliquam qualitatem removere insitam ipsi aquæ, aut non insitam superinducere; quod difficile aut fere impossibile erit facere Metallicis aquis natura paratis: ut si exsiccantem duntaxat volumus Aquam, non calefacientem, commiscebimus quæ exsiccant & non calefaciunt, sicuti sunt Baccæ Myrtorum, folia, & Rosarum folia, & alia plurima, quæ exsiccant sine calefactione. Quæ tamen in aquis metallicis decocta nihil faciunt, eo quia, cum efferbuerit Aqua Metallica natura comparata, virtus penitus evanescit. Sed in hac non est sic, quia primo decoquuntur ea, quæ non sunt Metalla, secundo Metalla ipsa. Sic igitur ex his existimaverim ego commodius hoc posse fieri, quam si à natura essent paratæ. Præterea facilius possunt adhiberi; nam cubicula, quæ sunt in Thermis, solent esse calidiora, & molestioris aëris. Parata hæc aqua facilius potest administrari, commodius, & tutius. Hippocrates quasi negligebat Balnea, quia commodè non pararentur. Præterea Regiones illæ, in quibus hæ aquæ scaturiunt, solent esse olidæ, & pessimi aëris. Præterea dispendia, incommoda, peregrinationes, quæ miseri ægrotantes perpetiuntur. Nam in longis itineribus adinventi sunt plurimi, qui in itinere exspirarunt; minimeque hæc sacra loca attigerunt. Non tamen propter hoc detestarer ego usum Aquarum Metallicarum, præcipue ubi commode possint administrari & conveniant.

Quo pacto hæ Aquæ Metallicæ parentur in genere.

Dicebamus Aquas Metallicas in se duo continere: alterum quod est veluti Materia & subjectum recipiens Metallorum Virtutem, quod est Aqua; alterum verò Virtus Metallorum, & tenuiores partes illorum, quæ recipiuntur in Aqua.

Tria ergo sunt hic advertenda. Primum est Aqua, quod est primum subjectum, ut dixi, horum metallorum, quæ paranda & eligenda est, ut sit conveniens subjectum recipiendi virtutem metallorum: illa enim sit purissima, non permixta alicui extraneo, eo quia si debet esse subjectum harum virtutum, sit ipsa maximè in potentia: Aqua enim potissimum subjectum est, & materia omnium Medicinarum, quia maximè in potentia est, & susceptiva virtutum & partium subtilium Medicinarum, quæ ipsi permiscentur. Ideo cùm fuerit purissima, maximè impermixta, maximè erit subjectum & potissimum in potentia suscipiendi virtutem ipsarum medicinarum. Si autem erit permixta alicui alteri, ut terræ, aut alicui rei extraneæ, non erit ita in potentia, sed magis in actu, & ita non suscipiet, sicut suscipit quando est impermixta. Cognoscitur autem puritas & simplicitas illius tum ex gustu, tum ex odore, tum ex visu: Oportet enim ipsam tenuissimam esse, maxime penetrabilem visu; præterea oportet illam nullum habere saporem, sed maxime insipidam; nam cùm est crassæ substantiæ, illud non est nisi ex terra commixta: sapores cùm sint secundæ qualitates, non surgunt nisi ex commixtione primarum. Sic igitur si erit aut salsa, aut amara, significat commixtionem rerum calidarum & siccarum, terrearum scilicet cum ipsa aqua. Pariter ipsam oportet carere omni odore, ut impermixtam habeamus. Eligenda sunt igitur hæ aquæ, quales solent esse aut fontium, aut fluviorum, qui non sunt palustres, neque aliqua externa qualitate insigniti. Sic igitur eligenda est aqua.

Metalla eligenda sunt optima quævis, ut sulfur, si voluerimus, eligamus quod non fuerit concoctum igne, sed expers ipsius ignis, & ut appellant isti, sulfur vivum. Sic & alia metalla eligenda sunt, quæ sunt optima, & non aliter.

Tertio animadvertendum admodum conficiendi has aquas. Etenim virtus alicujus medicaminis non transfertur de uno subjecto in alterum, nisi vi ipsius ignis; nam proprium caliditatis est separare heterogenea, & dissolvere partes subtiles eorum, quæ sunt congregata, modo metalla non dissolvantur; neque partes diversæ metallorum poterunt segregari, nisi vi ipsius ignis. Præter illud est, quod vi caliditatis repertæ in igne funditur, sive funduntur metalla ipsa, & virtus, & partes subtiles ipsorum metallorum recipiuntur in ipsa aqua. Ideò debemus facere ut ferveat ipsa aqua, cui admixta sunt metalla. Item illud dicatur, quod non est ut fiat vehemens ebullitio ipsorum metallorum. Evaporant enim facile calidiores & tenuiores partes ipsorum ex nimia effervescentia: sed si volumus permiscere metalla cum ipsis herbis, certum est, quod decoquendæ sunt prius herbæ, deinde in illo decocto suscipere virtutem metallorum.

Sed quispiam diceret, nonnè tenuiores sunt herbæ ipsis metallis, & ideo postremo essent decoquendæ? Respondetur, quod non decoquimus longa decoctione metalla cum ipsis aquis, sed solum ut aqua effervens suscipiat virtutem metallorum, & propter hoc curamus effervescentiam illius aquæ. Sic igitur observanda sunt omnia, ut parentur consimiles aquæ.

Quo pacto Aquæ Sulfureæ cum aliis Herbis parentur.

Plerumque aquæ aptantur sulfureæ à Medicis, ut ex ipsis & revera Balnea fiant, & Stillicidia: & aptarent ipsi Medici, ut quæ ipsi habent Balnea naturalia omnia essent sulfurea, & non admixta alijs metallis. Ideo de sulfureis Balneis Arte comparatis primo dicendum est.

Et quia ex usu & intentionibus Balnea & alia Medicamina parantur; ideò de intentionibus & usu ipsorum dicendum est, id est, quo pacto indicationes prius habitæ à Medico his Balneis perficiantur, dicemus. Et quia indicationes variæ sunt; aliæ enim sunt universalissimæ, quæ ab universali natura Morbi sumuntur; aliæ verò magis particulares, quæ sumuntur à particulari Natura ipsius Morbi; aliæ adhuc minus, quæ non solum à natura Morbi & Causa sumuntur, sed etiam à temperatura corporum, & à natura particulari ipsorum membrorum, & ab aëre assumuntur. Ideo & nos servantes propositum ordinem, primo agemus de universalibus indicationibus, & de universali natura sulfuris, & sulfurearum aquarum.

Sulfur ergo, & sulfureæ aquæ, quæ ex ipso fiunt, est Medicamen calidum & siccum, sicuti experientia deprehenditur, & confirmatur ratione subtilissimarum partium, habet tamen quod leviusculè astringat. Componitur enim ex terrea & ignea substantia ipsum sulfur. Mitiores aquæ sunt, quæ habent virtutem sulfuris: etenim mitior fit exsiccatio & adstrictio ipsius ex commixtione aquæ. Aquæ ergo sulfureæ sunt illæ, quæ tutius possunt administrari, nec timemus adstrictionem, nec maximam exsiccationem & calefactionem, licet roborent, licet leviter calefaciant;

tiant, & exsiccent. Sed quia plerúmque exasperant, receptum est à nobis, ut insimul decoquamus herbas homogeneas his aquis, hoc est, quæ habent similem virtutem sulfureis aquis; veluti betonica, salvia, & aliæ herbæ istius generis. Commisceamusque etiam herbas, quæ lenius humectent & laxent, ne sint ita calidæ sicut sulfur & sulfureæ aquæ, quæ contemperent virtutem sulfuris, veluti chamomilla, anethum, malva, althæa, & alia istius generis. Etiam dicimus quod hæ aquæ conferunt frigidioribus & humidioribus morbis, & his qui ex dissolutione fiunt, aut dissolutionem conjunctam habent, veluti Paralysis, Stupor, Oedema, & alij morbi frigidiores & humidiores, sua caliditate, sua siccitate tollit intemperiem ægrotantis membri, aut universi corporis, ægrotantis, inquam, his ægritudinibus. Etiam roborant laxata ista membra, & si quæ innata est Materia, dissolvitur ab hujusmodi aquis.

Etiam hæ aquæ affectionibus matricis frigidioribus miro modo conferunt. Sed quia membrum matrix est multi sensus, & quæ facile ab acrioribus medicamentis patitur, ideo commiscemus ea, quæ laxant; veluti, ut dicebam, althæam, malvam, & alia istius generis, & sumendo indicationem particularem à membro, ea quæ conferunt matrici, veluti parthenium, matricariam, artemisiam, & alia istius generis; & interdum ubi opus radicem liliorum alborum. Sic dixerim de alijs membris, ut si pro capite nostra erit intentio, Rosas decoquamus, & alia istius ordinis, pro temperatura ipsius corporis, & pro ætate, sexu & alijs, commiscebimus ea, quæ non acriorem faciunt ipsam aquam, sicuti dictum est. Sed numquid absque commixtione istarum herbarum, cum aqua sulfurea liceat temperare minuta quantitate sulfuris? Dicamus, quod omninò non erit ita acris, sed minoris virtutis: unde non videtur quod ita tuto possumus illud agere minuta quantitate sulfuris, & non permixtis alijs herbis. Qua ratione sunt hæ decoquendæ herbæ, quia satis superque dictum est superius, non est ut repetamus amplius.

Proportio ipsius sulfuris ad aquam, in qua debet decoqui, debet esse talis, ut sit in quadragesima aut quinquagesima parte ubi erit vehemens, ut sint quadraginta aut quinquaginta libræ aquæ, & una libra sulfuris: quæ erit mitissima, erit centupla: quæ media, habet septuagesimam partem; & sic variabitur.

Modus decoctionis est, ut decocta aqua cum herbis commisceatur sulfur tritum, ut dissolvatur calefacta aqua. Hoc modo parata aqua poterit servari ad certum tempus, & nisi essent illæ herbæ commixtæ, diu servaretur: sed quia herbæ illæ procurant putredinem, non poterit valde diu servari hæc aqua, quin putrescat; fortasse servabitur per 8. aut 10. dies.

Quo pacto Aluminosæ aquæ possint parari, Salsæ, & Nitrosæ.

Alumen ex Metallis genitum est ex terra, ita ingentis adstrictionis, ut nomen ab effectu sortitum sit. στυπτηρία à Græcis appellatum est, id est, adstringens. Cujus variæ sunt species, à varijs regionibus, & à varia substantia. Etenim aliud Alumen est quod nascitur in Melo Insula, unde Melinum Alumen dictum est, quod penitus perijt in præsenti, ideo quia Melos insula devenit ad Turcas, & jam ut impediatur vectigal Summi Pontificis, factum est nulli Christiano liceat afferre Melinum Alumen. Est etiam alumen liquidum, quod est veluti aqua; Aliud Rotundum Alumen. In præsenti habemus fere rotundum Alumen, quod fit ex aqueo Alumine, & vulgo appellatur Alumen Roccæ. Etiam est Alumen scissile, quod vulgo appellatur Alumen Plumæ: sed de hujusmodi Alumine non est, ut habeamus sermonem, sed tantum de Alumine rotundo, & liceat mihi appellare Alumen Roccæ.

Aquæ ex natura plerumque sunt Aluminosæ, licet non sint purè aluminosæ, quin aliquid sulfuris non sit admixtum: sed quod plurimum dominatur in eis in aliquibus est Alumen, sicuti in agro Patavino sunt aquæ Sancti Petri: illæ enim aquæ potissimum sunt aluminosæ, dominatur enim Alumen in istis aquis, quamvis quidpiam ipsius sulfuris sit admixtum. Sunt etiam aquæ salsæ, sicuti Maritimæ aquæ, quæ ex natura salsæ sunt, quia vapores dulces elevati à sole derelinquunt mare salsum. Sunt aliquæ aquæ, quæ sponte scaturiunt salsæ. Sunt enim aliqui fontes ex sui natura salsi, sicuti in agro Patavino erant illæ aquæ Novæ domus, quæ salsæ erant, nunc autem sunt neglectæ; & lacus in Cypro, & plurimi alij montes, ubi sunt lacus & fontes salsi. Hic in proxima Germania apud Halam habent salsos fontes, ex quibus conficiunt salem, maxima sunt vectigalia. Possunt autem confici Salsuginosæ aquæ & Aluminosæ ex commixtione salis & aluminis cum ipsa aqua.

Nitrosæ quoque sunt aquæ & ex Natura, & ex Arte confectæ. Nitrum enim metallorum unum est, nascitur ex terra sicut alumen, & sal: sunt enim diversæ species & Nitrum, & Aphronitrum, & alia plurima istius generis. Sed in præsenti videtur jam perijsse hoc metallum, artificio autem confici, ut nitrum ad tormenta. Si conficeretur hoc nitrum, sicuti vulgo fit, ex colamento terræ cum aqua, conficeretur ergo & aluminosa & salsuginosa aqua, ex admixtione istorum metallorum cum ipsa aqua, eo modo & ratione sicuti factum est de aqua sulfurea.

Sed cujus usus est ista aqua, dicamus. Aluminosæ aquæ sunt quidem calidæ & siccæ, sicuti quæcunque aliæ metallicæ aquæ: sed hoc habent potissimum, ut dicebam, quod maxime adstringunt: & ideo ulceribus & maxime mundis conferunt hæ aquæ. Conferunt etiam hæ aquæ hydropicis, & relaxatis corporibus; siccant roborantque hæ aquæ miro quodam modo. Tamen animadvertere oportet, ne utamur his aquis in illis corporibus, quæ munda non sunt, ne, quum obstruxerint corpus, febrem inducant. Videmus enim frequentissime supervenire febres ex usu istarum aquarum adstringentium, quum poros obstruant, & immunda sunt corpora, Mulieribus quibus supèrflue erumpunt menstrua, & quæ menstruis albis laborant, conveniunt istarum aluminosarum aquarum balnea, dummodo, ut dixi, exquisitè fuerit purgatum corpus.

Conficiantur ergo ad hoc, & plurimos consimiles usus, hæ aquæ aluminosæ. Salsæ verò sunt multi usus, quæ ex Natura fieri possunt, sicuti dicebam. In hoc agro Patavino adeo increvere hæ aquæ, & copia istarum aquarum, ut superiore tempore decreverint in hoc agro sal conficere. Etiam arte possunt salsuginosæ aquæ fieri, & admixtione concocti salis cum aqua, in eadem mensura, sicuti prius. Exsiccant autem miro modo hæ salsæ: unde hydropicis conveniunt, qui aquoso hydrope laborant, ut his aquis immergantur; & qui laborant humida scabie admodum: & denique ad omnes humidos morbos hæ aquæ conferunt. Et ita conficientur hæ salsuginosæ aquæ. Et potissimum advertendum est, ne forsan sua acredine & caliditate inflamment ipsa corpora, sed parentur commistis herbis, propter illud quod diximus.

Nitrum pariter ex eo genere metallorum est, sicuti Alumen, sed non ita adstringit; sed calefacit, exsiccat, abstergitque. Hujusmodi nitrum nascitur & erat notum alias, pariter & aphronitrum; sed in præsenti perijt notitia ipsius nitri: utimur autem nitro arte parato.

Nitrosæ aquæ plurimæ sunt, & in agro Volaterrano ingens

ingens est copia nitrosarum aquarum. Si quæ nitrosæ sunt in agro Patavino, sunt & Aponitanæ,& Sanctæ Helenæ, sed non sunt ita nitrosæ, quum plurimum sulfuris habeant commixtum.

Conficerentur aquæ nitrosæ, sicuti aluminosæ, & salsæ. Valerent autem potissimum ad robur ipsorum membrorum, sicuti ad relaxata & paralytica membra, ad imbecillitatem membrorum, & ad articulos humidos nimis. Certum est, quod usus istarum aquarum moderatus esse debet; nam & interdum calefacit, & nisi sint exquisitissimè purgata corpora febrem inducunt, & quidem vehementem.

Quæ Calcem, & Cinerem attinent.

Aquæ possunt habere virtutem ipsius calcis & cineris quando transeunt per calcem & cinerem. Suscipiunt enim virtutem cineris & calcis; unde amarulentæ & Salsæ, acresque plerumque sunt, eo quod transeuntes per loca cineritia & adusta suscipiunt partes tenues illorum duorum, aut illorum alterius, & ita fiunt salsuginosæ, amaræ, acres, & postea interdum actu calidæ, Sed quispiam dubitaret, quomodo ibi sit calx aut cinis. Cinis enim reliquiæ sunt rei inflammatæ & adustæ. Quid autem est illud quod adurit & inflammat, & quid est illud, quod aduritur & inflammatur in illis subterraneis cuniculis? Præterea quomodo est ibi calx, quum calx conficiatur ex adustione durarum rerum, aut lapidum, aut cochlearum, aut alterius consimilis, à vehementi caliditate? Dicatur quod facile est invenire materiam cineris & calcis. Sunt enim ibi lapides, qui possunt inflammari & coqui in calcem, & comburi, ut vertantur in cineres: Nam in Æthna Siciliæ Monte, & cineres & calces visuntur & prodeunt. Sic etiam in plerisque montibus illud posse esse, sed non prodeunt sicut ibi: non est enim tanta vis; ut possit erumpere, sicut interdum factum audimus & in Puteolano agro, & in Mutinensi, Agens autem est caliditas, qui & motu confricationeque fit, & facta comburit lapides, ex quibus generantur calx & cinis,ut dictum est: & ita commixtis his cum aqua, fiunt illæ aquæ cineritiæ & calcis.

Exiccant autem & calefaciunt, & dissolvunt indurata membra, quando ex congelatione siccitas facta est, & membrorum contractio. Nisi essent alia metalla commista his aquis, certum est quod non venirent in usum. Sola enim cineris aqua acerrima quidem esset, & magis quæ ex calce: fiunt enim ex aqua calcis cauteria. Ideo non audeat Medicus conficere sibi aquam calcis solam, neque aquam cineris, ubi vehemens sit, sed perpetuo commisceantur, quæ mitiorem aquam reddunt, sicuti dictum est. Sic igitur Medicus ad exsiccandum, roborandum, resolvendum, sive digerendum & calefaciendum utatur his aquis, aut à natura, aut artificiosè comparatis:

Conficiantur in ea mensura, in qua docent & quantitas Morbi, Causæque, & cætera quæ à coindicationibus adsumuntur ab Aëre, anni tempore, constitutione, temperatura, & alia quæ declarata sunt semper per contrarium.

Bituminosa, & aquæ ex Pice, & Asphalto sunt aquæ.

Bitumen sive Asphaltos, & Pix Asphaltos, sicut & Pix prodeunt ex terra, & sunt fossiles, & interdum ex ipsis montibus insimul cum ipsis fluminibus & aquis descendunt. Unde plerumque aquæ sunt bituminosæ; & plerumque hujusmodi Asphaltos conjungitur cum luto, sive ipsa terra; sicut contingit in Agro Patavino apud Sanctum Bartholomæum, & apud Montem Ortonum, & in loco Montis Ægrotorum. Plerumque enim sunt hujusmodi aquæ & lutum præcipue. Sed animadvertendum etiam, quod loca ista licet sint bituminosa, nihilominus habent commixtum sulfur; olent enim sulfur.

Possumus autem & artificio nobis parare etiam lutum, licet fortasse difficilius pararetur quàm reliquæ aquæ metallicæ; eo quia raro utimur his aquis bituminosis; sed luto. Ideo, ut plurimum nostrum erit parare lutum, quod non erit facile. Materia enim, quæ suscipere debet bitumen, fortasse non erit facile nobis parare illam. Commiscere bitumen, sive picem Asphaltum cum ipsa terra, videtur quidem difficile, neque multum ad rem, eo quod omnino terra exsiccat & adstringit. Ex bitumine autem, piceque & pice Asphalto quærimus ut plurimum emollitionem & relaxationem. Ideo quibuscunque affectionibus etiam ipsorum extremorum non conveniunt hæc medicamina, sed solum induratis membris & contractis. Ideo non erit facile conficere & parare sibi talia medicamina maximè mollientia.

Aliquod autem lutum digerit & resolvit, quod cum Asphalto plurimum habet sulfuris, veluti lutum Montis Ortoni. Ut autem commodè & facile ista parari possint dicamus, & inquiramus primo Materiam, secundo Medicamina, tertio Modum, quo ista conficienda sunt.

Materia, ut dicebam, non sit ipsa terra, propter rationes, quæ dictæ sunt; sed sit aliquod medicamen, quod sit veluti Materia, & quod relaxet & emolliet. Sit istud maxime cera, & novissima cera, quæ prodiit ab Apibus. Nec enim erit optima materia temperata vergens paululum ad calidum & humidum, & ut dicebam, emolliens & relaxans; nihil præstantius hac cera. Commisceantur quæ principaliter hoc possunt præstare, prout est intentio componentis hoc medicamen. Sunt qui Bitumen, sunt qui Picem usq; ad Laricinam & Terebinthinam commiscent:ista enim accipiuntur & commiscentur oleo antiquissimo.

Sed ut ad particularem modum operandi deveniamus, duobus aut tribus exemplis rem commonstrabo. Accipiat duas vel tres partes ceræ, postea libras tres resinæ, & ita laboret, commiscendo ceram cum resina;sit resina quarta pars ceræ, commisceatur tantum olei antiqui, quantum satis ad excipiendum hoc medicamen, ut dicebam, admisceatur tantum olei. Certum est,quod facile ista parari possunt. Sed istorum medicaminum usus erit, ut liniantur contracta membra. Ad Picem & Resinam alias etiam confugere oportet, ut loco Asphalti interdum sit opus commiscere aliam resinam; etiam si ea, quæ digerunt & resolvunt & emolliunt Medicamina non erit malum pro opportunitate, veluti iris, Aristolochia & alia plurima istius generis.

Istius Medicaminis usus sit post evacuationem corporis: itque hoc Medicamen applicitum his corporibus, quæ ista ferre possunt, & non aliter. Hoc pacto lutum Medicum parabimus

Bituminosæ aquæ quo pacto parari possint dicamus. Si bitumen non in multa quantitate decoquamus in aqua, bituminosa erit aqua.Sed proprium istarum aquarum sunt lutosi illi fontes. Cum volueris ægrotantem maxime contractum sanare, post evacuationem corporis linias locum cum supradicto medicamine, adaugendo semper medicamen respectu aquarum. Et ita de bituminosis aquis hæc dicta sint.

Terreæ, Aereæ, Argenteæ Aquæ & aliæ plurimæ istius generis.

Metalla plurima nascuntur in ipsa terra, ex vapore ipso calido & sicco, sicuti Ferrum, Argentum, Aurum, & Æs; & aquæ plerumque dilabuntur super ipsa metalla, unde acquirunt & recipiunt virtutem & accidentia illorum metallorum, ita quod sint ferreæ, argenteæ &

& hujusmodi habeant virtutes horum metallorum, habeantque ipsa etiam accidentia illorum adstrictionem, odorem, saporem; veluti sunt ferreæ istæ Calderianæ, quæ sunt in agro Veronensi; æreæ plurimum in balneis; raro argenteæ, aut aureæ.

Hæ metallicæ aquæ præter illas primas virtutes, quod calefaciant, exsiccent, infrigident, & humectent; habent secundas virtutes, ut quod roborent, & quod adstringant, & spiritus & calorem naturalem generent. Ferreæ infrigidant & exsiccant: habent etiam quod roborent, & quod spiritus generent. Aureæ & Argenteæ, de quibus diffusè dictum est ab iis, qui scripsêre de Balneis, & metallicis aquis.

Solum incumbit nobis dicendum, quo pacto & artificio possint parari hujusmodi aquæ. Certum est, quod decoctione minimè parari possunt, sed extinctione horum metallorum ignitorum in aqua. Metalla enim ignita ad ruborem usque si extinguantur in aqua & decies, & septies, & sæpius, derelinquunt hæc metalla aliquas partes, & subtiliores in ipsa aqua. Nec credendum est, sicuti imaginantur quidam, quod medicamen operetur, nisi aliquæ partes subtiles decidant ab hujusmodi medicamine, & mediatè vel immediatè recipiatur in corpore; etiam quod medicamen dicatur esse solidum, sicuti adamas, ferrum, & alii lapides, & metalla solidissima. Nec enim deveniendum est ad illas suas proprietates, seclusis resolutionibus harum partium à medicamine.

Sic igitur ignienda sunt hæc metalla, & sæpius immergantur in aqua. Fabri ferrarii habent suas aquas, quibus extinguunt ferrum. Operantur hæ aquæ hoc modo, non ex proprietate. Sic igitur hoc pacto parabuntur hæ aquæ, quæ exsiccant, vires roborant; & præcipuè ubi aureæ fuerint istæ aquæ. Et ita balnea ex istis metallis fieri possunt, sicuti dictum est.

Composita Balnea ex pluribus Metallis.

Non solum unum metallorum potest commisceri cum aqua, ut fiant aquæ ipsæ metallicæ, sed plura & diversa metalla simul hoc possunt præstare; imo frequentissime diversa metalla commiscentur, & raro unum, sicuti videmus in his balneis nostris Patavinis. Aponitana balnea, quæ sunt præcipua in hoc ægro, nam sunt refertissima pluribus balneis, quorum duntaxat superfluit usus destructis aliis, & temporum injuria, & sævitie & immanitate Barbarorum. Ipsa ergo balnea Aponitana habent plurima metalla commixta, ut sulfur & alumen, nitrum, sal, & alia plurima metalla, quamvis sit unum ex istis metallis, quod prædominetur aliis, veluti sulfur. Ita enim metalla, quibus hæc conficiuntur balnea, ferè omnia duntaxat sunt calida & sicca, roborantque hujusmodi aquæ metallicæ ratione ipsius metalli dominantis: imo hujusmodi balnea & olent naturam sulfuris.

Ut autem artificio comparentur hæc balnea, hoc modo agendum est, ut illa metalla, quæ voluerimus sint maximè parata, & proportione sua sint in sua mensura; ut verbi gratia si sulfur debet esse supra quartam, & alumen & alia infra quartam, eligatur proportio istorum metallorum, quæ necessaria est, & ita cum aqua parentur balnea.

Quo ordine sint decoquenda ista metalla, dicemus. Incipiendum autem est ab adstringentibus, eo quia quum dico adstrictionem dico in Mulieribus; sed sit adstrictio suppressio earum evacuationum, quæ sunt opportunæ. Sic igitur non est opus, ut decoquantur ea adstringentia, ut ipsa adstringentia sint facta ab aliquo, tunc ipsa venit tollenda: & ita secundo loco veniunt commiscenda alia; ut verbi gratia, si superabundet multitudo aliquorum menstruorum, tunc suppressio fit cum adstringentibus; & sic de aliis. Sic igitur dicamus, quod secundo loco sunt & alia, ut sunt metallica, commiscenda, quæ non ita dura; & illud est ex ipsis metallis commixtis. Hujusmodi enim balnea diversarum virtutum, & diversæ compositionis operantur quidem diversimode ex diversitate metallorum, licet imaginentur quidam, quod per quandam ignotam virtutem operentur. Quidam enim arbitrantur, quod fiat una forma tertia ex commixtione istarum omnium qualitatum, & sic illa forma tertia operetur. Sed revera sic est, quod virtutes istorum diversorum Medicamentorum remanent illæsæ, & ita operantur per suas qualitates. Verum illud contingit quod alterentur, & patiantur ad invicem, & remittantur; verbi gratia sulfur patitur ab alumine, alumen à sale, sal à nitro, & ita successive.

Sed quo pacto debeat componi Balneum etiam artificio dicamus, pro necessitate & voluntate Medici volentis operari. Debet eligi quantitas & proportio horum metallorum, & oportet decoquere in aqua sicuti prius. Sed qui instituat quantitatem & proportionem horum metallorum? Dicamus, quod sumantur hæc à natura ægri, & ab ægritudine, à causa, omni tempore, & aliis, sicut dictum est. Et ita componuntur balnea composita.

Numquid sint ea servanda in usu istorum Balneorum, sicuti in Naturalibus.

In administrandis balneis, quæ ex metallicis aquis parantur, aliqua observanda videntur, quæ numquid observari debeant in his quæ artificio comparantur dubitaretur. Sed illud inprimis dicatur, quod balnea hæc arte comparata debent administrari his, quibus administrantur quæ à natura sunt facta; eisdem affectibus, eisdemque morbis conveniunt, & tutius quidem, sicut dicebamus in principio istius sermonis, possunt administrari, quam ea, quæ à natura sunt facta, quando in ea quantitate qua volumus possimus administrare, & etiam quando volumus. Etiam observandum est, ut hæc administrentur balnea purgatis corporibus, sicuti administrantur naturalia: nec ita tamen requiritur tanta mundificatio corporis, sicuti in iis quæ à natura sunt facta, quando in aëre temperatiori possimus hæc administrare, quam ea quæ sunt à natura. Et ita non timemus tantam supercalefactionem ipsius corporis, quantam timemus in his, quæ à natura parata sunt. Præter hoc diutius potest quispiam immorari in hujusmodi, quam in naturali balneo, propter aërem calidiorem in illis, in hoc temperatiorem; ut verbi gratia, si solemus dimorari in naturali balneo, sicut communis solet esse mora, per horam, aut per tres quartas horæ, ad minus per semihoram; poterimus morari in hoc per quinque partes horæ, per horam cum dimidia: semper enim intelligo horas æquinoctiales, id est vigesimam quartam partem motus totius.

Etiam hæc balnea cum ipsis naturalibus conveniunt, & aliquo modo discrepant; quod possint exhiberi cuique parti corporis, ita ut per ipsum stillicidium cadant super affectam partem ipsius corporis, sicuti ea, quæ à natura sunt. Discrepant autem, quia prolixiùs & diutius possunt cadere hæ aquæ super ipsas partes corporis, quæcunque illæ sint, sicuti & per horam, & per horam cum dimidia: quod tempus solet esse summum casus istarum aquarum supra locum. Etiam hæ aquæ possunt crassiùs & altiùs cadere super ipsa membra, sicut dictum est de balneo totius. Et ut uno verbo dicam, mitiora sunt hæc balnea, his, quæ à natura sunt facta. Etiam quod conveniant hæc balnea cum his, quæ à natura parata sunt in multis; in hoc tamen potissimum discrepant, unde etiam sunt majoris usus & majoris commodi, quia quæ à natura facta sunt, non possunt administrari nisi statutis quibusdam temporibus, ut vere & autumno: quæ

quæ autem arte parata sunt, in omni tempore possunt administrari; eo quia in vere & in autumno hæc balnea sunt moderata, pura, impermixta: in hyeme autem sunt permixta extraneis aquis; ità quod illud commodi quod optamus ex illis habere non possumus; impediuntur enim ab aqua sibi commixta extranea. In Æstate autem sunt vehementiora, & aër est effervens & comburens: In Vere autem neque effervescentiam aëris, quæ est in æstate, neque admixtionem quæ est in hyeme timemus; sic & in autumno. Sed quæ arte parata sunt, non habent hæc incommoda: nam non sunt permixta, nec sunt effervescentia; temperantur enim à nobis, eo quo volumus modo: eligimus temperatiorem Aërem & alia, quæ in hac re sunt oportuna. Etiam disconveniunt à naturalibus balneis, quia illa, quum amiserint naturalem illum actu existentem calorem, non sunt alicujus usus: sed ista possunt calefieri sæpiùs, quæ adhuc sunt magni usus. Ratio est, quia actualis caliditas aquarum metallicarum naturalium non est, nisi ex ardente igne ad intrà viscera terræ, per quæ dilabentur istæ aquæ; quam caliditatem quum amiserint, hoc nostro artificio non æquè bene instauratur, sicuti instauratur caliditas, quæ omnino facta est ab artificiali ista caliditate. Plura autem sunt in quibus conveniunt & disconveniunt & artificiales & naturales aquæ. Sed ista quum sint potissima, puto posse sufficere, quia horum exempla cætera possunt esse manifesta.

Quanto tempore possint servari hoc modo paratæ Aquæ.

Hoc pacto paratæ aquæ diutius, quam quæ à natura factæ sunt, servari possunt. Nam naturales metallicæ aquæ, quamprimum desierint esse calidæ, & quod secundo calefiant, hæ sunt modici aut nullius usus; etiamsi secundo vel tertio incalescant ipso igne, non habent quod requiritur in hujusmodi aquis; etiamsi diu detineantur, putrescunt. Contra autem verè in omnibus sunt hæ aquæ metallicæ arte comparatæ: inprimis hæ aquæ metallicæ, sic paratis metallis & aquis etiam quod infrigidentur & permaneant infrigidatæ denuo incalescant, propter hoc non desinunt esse aptæ ad Affectus, quos volumus amovere. Et illud est in causa, ut etiam dicebam superius, quod hæ aquæ incalescant ab ipsa natura: deficiente autem calore naturali, non potest ars generare calorem simillimum calori naturali, quem generavit natura. Etiam calor naturalis existens servatur ab ipsis metallis, & à vehemente caliditate existēte in visceribus terrę, quę illud faceret, haberi non potest. Sed in artificialibus aquis, quę semel est indita caliditas ab igne extrinseco, si deperdatur, sicuti arte facta est, denuo potest reparari, adhibita eadem extrinseca causa, quę prius adhibebatur, hoc est, caliditas.

Hæ autem aquæ eodem modo possunt putrescere, sicuti naturales, & fortasse magis; quia quū putredo fiat à calore extraneo corrumpente, & agente in calorem naturalem; illud vehementius fieri potest in his, quæ non ità sunt à natura facta; calor enim istorum facilius dissolvitur à caliditate extrinseca, quam calor naturalis eorum, quæ sunt facta à natura; & ideo citiùs & faciliùs hæc corrumpuntur, ut dictum est. Et ità si comparamus has duas aquas, illud erit quod diximus.

Quomodo fumosa Balnea comparari possint.

Ut frequenter quotidiana docet experientia, & ratione comprobatur, res emittunt vapores agitatæ caliditate aliqua; veluti aqua supercalefacta caliditate solis transmittit suos vapores, Pix, Resina, Asphaltus, & alia hujus generis, supercalefacta emittunt suos vapores; terra etiam ipsa madefacta hoc idem præstat. Vapor autem hic duplex est, alius humidus, alius verò siccus; qui duo vapores possunt elevari ab igne. Sic igitur hi duo vapores non solum à natura, sed arte quoque fieri possunt. Quod quo pacto fiat, erit declarandum à nobis quum conferat rei medicę: & quia putamus, attinere ad opus quod sumus aggressi, non erit ab re de his agere.

Vapor ille humidus, qui propriè vapor dicitur, exit ab ipsa aqua; & ideo ad emollitionem alicujus rei duræ, ad flatus discutiendos quidem mediocres, ad sudorem evocandum, poterimus uti hoc vapore. Comparatur, si projiciatur aqua metallica eorum metallorum, quæ volumus, in vase calido; deinde posito membro quod volumus, aut universo corpore, & validioribus pannis cooperiatur corpus vel membrum, ut non exhalent vapores, sed colligantur, & præstant quod volumus. Et ità poterimus habere suffumigium, quo adjuvatur membrum, vel universum corpus.

Etiam alia erit ratio sive modus usus istarum suffumigationum, ut si habeatur validior lapis silicis, deindè igniatur; ignito lapide & imposito in vase, impositoq; mēbro in eodem vase aspergatur lapis ille jam ignitus aqua metallica. Tunc enim effluunt fumi & vapores ab eodē lapide, & cooperto vase, sicuti prius crassioribus & validioribus pānis, prohibetur vapores effluere è vase, & ità colliguntur & alterāt ipsū mēbrū sicut oportet.

Differentia autem est intèr duos istos modos, acrior est hic postremus, mitior primus. Vapores enim sunt secciores & acriores, qui sunt à postremo illo, prodeunt enim è duriore lapide inflammato, à quo quum exierint, sunt acriores & vehementiores illis, qui prodeunt ab aqua; & sunt mitiores pro diversitate substantiarum à quibus prodeunt vapores diversa autem est natura ipsorum & qualitas. Ideo prodeuntes à lapide sunt acriores, ab aqua autem mitiores.

Utimur autem potissimum his suffumigijs, quum voluerimus aut discutere aliquid congelatum in ipsis mēbris, aut exsiccare aliquod membrum, & roborare.

Cavenda autem sunt incommoda, quę ex istorum usu possunt evenire. Nam & indurare aliquod membrum, & ità exsiccare interdum possumus, ut mēbra immobilia fiant. Interdum sunt cavenda ista suffumigia, aut si voluerimus uti, utemur ea ratione, qua Galenus in 2. ad Glauconem.

Et ità ubi desunt nobis balnea à natura facta, poterimus talia hac ratione, & modo artificio comparare. Scio autem plura alia esse genera balneorum, quę artificio possunt comparari, ut balnea aquæ frigidę, aquę tepidę, olei, lactis, vini, & tepidioris sanguinis. Sed nostrum non erat institutum de his agere, neque hoc requirebatur ab amicis, in quorum gratiam hæc ità repente dictavimus; sed solum quo pacto deficientibus balneis metallicis possint sibi ipsis similia illis arte comparasse, quando plurimi ipsorum discedentes ex his locis debeant migrare ad alia, ubi hęc à natura facta non habeantur. Et ità terminabitur, quem intendimus, sermo de Balneis metallicis arte comparatis.

Hæc Frizimelica de Thermis artificialibus; quibus subjungemus quæ aliquando in eodem argumentô ad nos scribebat Præclariss. D. Wepferus.

Thermæ roborant quidem artus & multum seri dissipant; at sanguinis acrimoniam emendare vix persuaderi possum. Multis vapores sulphurei adversissimi sunt. Nobilis & nubilis virgo nostras pertingens ad thermas Badenses vaporesque hauriens ex ijs elevatos, equo insidens leipothymiâ correpta illô decidit, diuque restaurari nequit.

Artificiale autem balneum parari posset, quô frequenter Austriaci ac Boherni uti solent, ac quidem etiam apud nos.

℞. Sulphur. vivi ℔. *j. Calc. vivæ* ℔. *j. Coq; in s. q. aq. font.*

Quidam seorsim coquunt in aquâ Tartar. vini alb. crudi e. g. ℥iv. ac balneo addunt. In hôc semel vel bis in septimanâ ad bonam tolerantiam balneari potest, sicque tædia itinerum, pro conquirendis balneis naturalibus necessariorum, vitantur.

Sic Clariss. Wepferus, jam aliquid etiam addendum venit de Acidulis arte parandis, quarum duas nobis exhibet formulas Celeberrim. Fridericus Hoffmann. in suâ Clavi Schröderianâ, quæ pro aliarum omnium exemplô, esse poterunt. Sic autem Ille

Acidulas artificiales Kyperus sequenti modô paravit.

℞. Limatur. ferri puriss. ℥vj. spir. sal. comm. opt. ℥iij. Spir. vitriol. rectific. ℥ij. Limatura ponatur in cucurbitam capacem, affundatur spir. guttatim & rotetur massa, ne fiat compacta. Spiritu affuso adde phlegma vitrioli, & colloca in locum tepidum & agita interdum. Atque sic acquires Acidulas locô naturalium usurpandas. Dosis cochlearia *iij.* ad *vi.* in aquâ fontanâ.

Acidulæ Artificiales meæ inventionis.

℞. Martis ℥iv. circiter, in crucibulô appone igni, donec incipiat liquescere. Huic adde Antimon. ℥viij. Auge ignem ut fluant, & Regulus fundum petat, scoriis superficiem petentibus. ℞. Scoriar. & Mercur. Sublim. aa q. v. Destilla per retortam igne vehementissimô, ut nihil Mercurij vivi in residuô maneat, sed in recipiens omnis destillet. Caput mortuum aquâ fontanâ humecta, dilue & filtra. Atque sic præparatæ sunt compendiosiori viâ fiunt cum spir. vitriol. philos. rasuræ martis infusô & filtratô. Chrystalli mart. exinde etiam fieri possunt.

Atque hactenus satis de Aquis Mineralibus tum naturalibus tum artificialibus. Pergamus jam ad Aquas apud Pharmaco pæos in præparationibus suis usuales.

Aquæ simpliciores apud Pharmacopæos usuales, sunt Aqua 1. fontana. 2. putealis. 3. fluvialis, 4. palustris, 5. pluvialis, 6. nivea. Ex his usitatior fontana & pluvialis, quibus quoque 7. ros majalis addi poterit, item 8. Aqua è plantis vulneratis stillans.

1 *Aqua fontana* est omnium purissima & usitatissima. Purissima est, quia per terram ceu colatorium colatur. Usitatissima est, quia ad omnia recipitur, ad quæ aqua sine peculiari mentione alterius. e. g. pluviæ, &c. recipi jubetur.

N. *Præfertur inter fontanas quæ fluit ab Oriente ad Occidentem, quæ decurrit à montanis locis altioribus, item quæ Visu, Gustu & Olfactu, clara, tenuis, levis, ac sincera deprahenditur, ut & quæ citò incalescit, & citò refrigeratur; quæ Hyeme calidior; Æstate frigidior. Aquam hanc injecto pane tosto corrigere, ægrotisque, loco potus sat grati, conceditur sat frequenter.*

2. *Putealis* fontanâ vilior, & crudior ut plurimum habetur, eò quod ponderosior plerumque sit ac linguam magis feriens. Verùm si ex vivis scaturiat scaturiginibus, reliquisque bonitatis signis abundet; illius vices subire haud inepta est.

3. *Fluvialis*; quod radijs Solaribus exposita fuit, magis habetur digesta quidem, quam putealis: Verum tamen in usurpatione ejus, non erit inutile, spectare, unde originem trahat, quóque perlabatur.

4. *Palustris* pessima omnium censetur, adeoque è Medicina eliminanda.

5. *Pluvialis*, est aqua levis linguamque minus feriens, utimur eâ ut plurimum destillatâ. Sunt qui præferunt imbres à Meridie advolantes, vel ab Oriente, utpote quas radijs Solaribus magis imprægnatas & digestas arbitrantur. *Schröderus.*

Hæc Pluvialis aqua ad medicamentorum compositionem omnium est procul dubio, optima, dulcissima enim, tenuissima & levissima: Et cùm tenuissima sit, Medicamentorum vires facilè in se imbibit. Esse autem suavissimam & levissimam præter *Celsi Lib. 2. C. 17. Plinij lib. 31. C. 3. & aliorum* autoritatem confirmat *Vitruvius lib. 8. C. 3.* Dum Aquam pluvialem his laudibus ornat; Quæ ex imbrib. Aqua colligitur, salubriores habet virtutes, eò quod colligatur ex omnib. fontibus, levissimis, & subtilissimis exhalationibus; deinde per aëris excretionem percolata tempestatibus liquescendo pervenit ad terram. Nam Sol de aquis omnibus tenuiorem & suaviorem portionem resolutam in vapores sursum attollit, ut *Riolanus* explicuit *Lib. de Diat. Sanor.* Dummodò illa temporaria fuerit in Martio decidua ac tonitrualis; præterquam enim quod optima ad stirpes colendas, præprimis insuper ad Medicamentorum extractiones valdè commendatur, ut ipse etiam *Tabernamontanus* ad cerevisiarum coctionem hâc de causâ in historiâ plantarum Cap. de Hordeo laudet. Non desunt, qui Aquæ vitæ nomine dignantur, per quam ignis æthereus, Anima aut spiritus Universalis incorporatus *Azoth* ex astris ad Nos descendat, absque hoc enim foret, omnia sublunaria & quæ in hoc Universo animâ vegetativâ sunt prædita, collabascerent ac perirent effœta & omni fœcunditatis spe orbata. Aqua Elementaris nuda, inquiunt, tantos non posset præstare effectus, nisi sal aëris quoddam centrale in illâ delitescens omnis fœcunditatis clavis esset. Neque hoc sine ratione, saltem in aquâ Pluviali esse. Præterquam enim quod magna aquæ pluvialis copia inspissata sal sui generis præbeat, inde etiam patet, si aquam pluvialem tonitrualem Terræ cuidam affundas ☉lari vel alterius mineræ & exponas loco tepido à radijs solaribus tamen remoto ad evaporationem, sæpius affusione & evaporatione repetitâ, ut pondus Naturæ impleatur, & ex illâ in globulos redactâ instar spiritus salis destilles spiritum & destillatum aliquot cohobijs à Cap. mort. abstrahas, spiritum salis aquæ pluvialis nancisceris Tincturâ ☉lari imprægnatum, qui ☉ solvit & recludit, cujus mentionem etiam facit *P. Poterius Lib. 2. Pharmacop. Spagyric. cap.* 14. Ex quâ autem progenie dictum sal aquæ pluvialis sit, facilis est conjectio, Nitrosum illum esse; Hujus enim spiritus ☉ non solum solvit, sed & in solutionem ☽ næ cum Aquâ forti factam ▽ pluvialis infusa illam non præcipitat, ratio, quia Nitrosæ prosapiæ est, putealis autem & fluvialis, (licet illa magis, quam hæc) statim præcipitat, eò quod magis alkalisatæ sint naturæ. Nec minoris sanè energiæ est aqua ex aëre collecta, seu spiritus mundi à quibusdam nostri ævi appellatus sale illo universali aëris & macrocosmi ingravidatus. Cujus *BURRHUS* olim & Vice-colonellus *KRANACH* magnam sibi compararunt copiam beneficio capacissimi cujusdam filtri vitrei, cujus orificium inferius clausum, glacie vel aquâ fontanâ frigidissimâ Nitro vel Sale Armoniaco imbibita repleti & radijs solaribus expositi, dum ad hujus exteriorem superficiem in aëre catervatim natantes vapores delati in vitrum suppositum à solis fervore immune destillarunt. Hanc aquam *Non Nemo* aliquot ante annos (quamvis non nesciam multos adhuc falsâ hâc persuasione dementatos) leni balnei vaporosi calore destillans pro Panacea seu Medicinâ Universali venditavit, in primis in periculosis ac dubijs affectibus, ubi robur vitale à malignitate, putredine ac calore febrili vehementissimo jacturam patitur, quales variolæ, morbilli, febres milliares, dysenteria, cholera, erisypelas, lipothymia, apoplexia, &c. quasi ipsi non compar esset remedium. Verumenimverò, certum quidem est aërem non sterile & effœtum esse corpus, qui ob porositates suas Atmosphæræ multos tanquam ex Pandorâ

sua

sua & immensos proferat fructus alis Microcosmici & ignis ætherei impraegnatum, Nectare ex terræ gremio & Astris ad Nos perveniente, absque hoc foret, omnia sublunaria in hac universitate collabescerent, & interitum aut ruinam minarentur. Aqua putresceret, Terra fatisceret segetibus, imò homo ipse intercideret, nisi quidam igniculi seu spiritus salini illorum essent pabulum. Unde *Sendivogius* in Epist. 12. tractat. Est in aere, inquit, occultus vitæ cibus, quem Nos rorem de nocte, de die aquam rarefactam vocamus, cujus spiritus invisibilis congelatus melior est, quàm Universa Terra. Et tr. de sulphure. Aër est verus locus seminis omnium rerum, & in ipso est spiritus vivus omnium creaturarum. *P. Joann. Faber in Pallad. Spagyric.* Singulis horarum momentis vita è cœlo in terram per aerem defluit, ibique Mixtorum compositionibus conservatur, ut hinc tanquam ex communi viventium promptuario viventia omnia & ipse homo vitam capessat. Unde & quidam inveniuntur, qui metallorum originem huic Mercurio aereo referant acceptam. Extat speciosus de vero *Sale Philosophorum Liber à Gallo Nuisement* scriptus & Latinè à *Combachio* conversus, ubi sententia illa propugnatur, & confirmatur. Vide etiam quæ Excellentiss. *Dom. Dom. Joël Langelott* in Præfat. ad Experimenta *D. Joann. Tilemann.* proponit. Verum sal ex aere extrahi posse luce meridianâ clarius, adeò ut etiam, qui colligunt, afferant, flante vento Boreali & hyeme acidum, illud esse, collectum autem æstate, odore, colore & sapore differre à priori, nec vix aliquid acidi in se continere, sed potius alkalisatum esse. Differre etiam dicunt ratione loci regionum &c, Sic *ingeniosiss. D D. G. Morhoff in Epistol. De Metallor. transmutat.* p. 29. refert, quod Amstelodami apud Dominum *Theodor. Kerkringium* viderit veri ac genuini vitrioli, sed impuri quantitatem non exiguam, quam ex aere Amstelodamensi multis aquarum salsarum & soli paludosi effluviis impraegnato machinæ cujusdam beneficio extraxerit. An autem statim illud Universale sit, Ego cum Domino *Morhofio* non crediderim. Vagantur in aere particulæ salinæ varii generis, quæ ignibus subterraneis & Solis calore subtilisatæ in atmosphæram provehantur, prout soli subjacentis indoles illas subministrat, Nitrosæ Vitriolicæ, &c. Quis hisce vires catholicas adscripserit? Plura vid. in *Tractat. meo de Method. Medendi.* Et Anonymi de Auro Auræ cum Epistolâ meâ huic annexa. *Clariss. Frideric. Hoffmann.*

6. ***Nivea***, pluviali affinis est, magisque penetrans, adeoque & ad sudorem movendum non inefficax, quas vires naturæ salinæ acceptas refert, quâ præ reliquis abundat, vi frigoris condensata.

N. 1. *Præfertur collecta circa solstitium Hybernum & Æquinoctium Martii.*

N. 2. *Odontalgiam pertinacissimam aquâ niveâ fuisse domitam, vide Zacut. l. 1. Hist. med. observ. 46. De usu vid. d. l. dub. 42. Schroderus.*

In aqua nivea hâc etiam sal quoddam esse, negari nequit, unde quidam Nivis aquam ad duas uncias porrectam vim alvum purgandi habere dicitur sitimque egregie sistere & urinam pellere pro ratione salis, quod loci subjacentis genius profert. Ad sudorem movendum non inefficax dicitur ob Nitrum quod ex hâc elicitur penetrantissimum, quæ causa etiam, quod faciat ad res conservandas, ut alimentum hybernum temperando & fovendo calorem in terræ gremio internum, ejusque sal centrale augendo. Boreales igitur montes longâ nive cooperti gramen etsi parcum, tamen saginandis pecoribus aptissimum producunt, adeò, ut nisi tempestivè à pascuis abigantur nimiâ moriantur pinguedine. Circà Solstitium hybernum & Æquinoctium Martii colligenda est Nix ad Usum medicum. De *Nivu Usu Medico vid. elega*[illegible] *tractat. Thom. Bartholin. Johann. P. Fabr. in Panchym. Libr. 3. c. 4. & Zacut. Lusitan. Libr. 1. histor. Dedic. obs. 46. Dub. 42. Hoffmannus.*

7. ***Ros***, reliquas omnes subtilitate, adeoque & penetratione antecellit: Constans liquore volatiliori, saleque acriori, præfertur Majalis.

(Hic Ros Majo, & Junii principio, colligendus, ante ☉ ortum, lunâ crescente, quando pluvia per aliquot dies non decidit, non linteis, sed instrumentis vitreis)

(Vires. *Vim habet laxandi, resistit ictibus animalium venenatorum, collectus ab herbis ophthalmicis oculorum affectibus convenit.*) *Schroderus.*

Quando sol est exortus, Rorem tanquam sui analogon statim ad se rapit, sale constans volatili, & fixo, ideoque malè facit *Rhumelius*, qui Medicamentum exinde præparare volens rorem prius inspissat & demum spiritum elicit. Si enim spiritum ex Rore Majali conficere velis, prius Rorem per aliquot dies in digestionem pone, postmodum destilla, & in primâ destillatione in forma striarum qui ascendit spiritus est, insequentes guttulæ autem post strias mera aqua. Dn. Dr. *Johannes Michaelis* egregium Medicamentum ex rore Majali omnibus coloribus conspicuum, item Sal. comm. omnibus fulgens coloribus aliquando confecit. Ex *rore*, inquit *Helmontius*, per analysin ignis sal saccharinum paratur magnorum morborum remedium. Nonnulli egregium quoddam menstruum ex illo ad ☉ solvendum præparant, cujus beneficio medicus quidam Venetus ☉ potabile paravit. Gallus quidam præparavit primo Sal. comm. volatile & fixum ex terrâ virgineâ, deinde conjunxit cum sale Roris majalis, & ita confecit Medicinam ad extractionem ☉. *Nollius* etiam ex Rore spiritum salis elaboravit, quo in agone constitutos revocari & tincturam ex ☉ evocari posse scribit. Mirum, quantis elogiis *P. Borellus centur. 1. observ. 6.* Spiritum Roris exornet, Multis inquiens, exantlatis laboribus & vigiliis in arcanis Naturæ perquirendis secretum auri solvi tandem nactus sum, id est, menstruum benignum, amicè intra paucas horas solvens & sine fumo, imo sine igne quoque dissolutum potest ad salis Naturam & olei reduci, cujus grana 3. 4. vel 6. juxtà ætates varias propinata intra 4. horas circiter sudoribus copiosis febres malignas purpuratas, epidemicas & pertinaces curarunt; Sciant verò lectores à spiritu roris illud factum juxtà Sendivogii doctrinam. At dicent multi: cur non ejus copiam mihi comparo. Sed sciant expensas lucrum superare. Notandum est, pergit, collectores Auri fluvii Gard juxta Urbem Vigam asserere Roris guttas unicuique Auri paleæ adhærere manè in arenâ eoque nutriri. Alias usu exploratum, injectis Rori Auri foliis & in digestione positis ea dissolvi; Ros per filtrum colatus in fundo exhibet materiam nivi perquàm similem, summè Cardiacam. *Mathesius* in sarept. concion. 3. aureum nummum rore vel pluviâ majali aliquoties aspersum & sole exsiccatum vel terrâ absconditum ponderosiorem fieri. Ex Rore cum Mannâ egregium & secretum Menstruum ad ☉ & corralliorum rubr. tincturam extrahendam Nonnulli etiam præparare volunt. Et vidit modo laudatus *Morhofius* l. c. ipse tincturam hoc modo paratam ab homine, qui nescio quos thesauros inde sperans magno pretio Principi alicui hoc secretum vendiderat. Ex Rore generari Perlas statuunt *Mazotta, Rhumelius* & alii; Verùm ad ostrea altius mari & fluminum fundo immersa, in quibus margaritæ majores & speciosiores inveniuntur, Ros nullo modo pertingere potest. Quo pacto enim magno Aquæ intervallo gaudentes sese impleri roscido

roscido conceptu & pro qualitate Roris concepti uniones candidi & sordidi ac palentes fieri possunt.

Quoad Vires, Ros Majalis in Festo Ascensionis Domini collectus multis mederi morbis dicitur. Communis aliàs Rusticorum est purgatio propter sal volatile, quemadmodum & res rore madefactæ v. g. rosæ majorem vim laxandi acquirunt, prout & Ros ex Rosis collectus magis alvum solvit. Venenosorum animalium vim hebetari Rore ab aliis experientiâ habeo compertum. Externè Ros in herbis ophthalmicis v. g. fœniculi, euphragiæ & aliis tempore matutino collectus valdè commendatur in oculorum affectibus. Non semper tamen tuto in Rore nudo pede deambulandum est, nec confert nudo corpore sese in eo volutare, prout quidam suadent, quia sic pori cutis facillimè obstrui possunt, imò materia peccans ad inferiores partes repelli, quemadmodum fit in scabie & podagrâ, quæ causa forsan fuit, quod *Plutarchus in quæst. natural. quæst. 6.* rorem ut summè noxium Leprosis scribat, quem sequitur *Mercurialis in tr. de Morb. cutan. Libr. 2. fol. 50.* Per accidens forsan ob venenata animalia Rorem inficientia ab ejus usu dicti Autores fuerunt deterriti. Quam noxius enim sit repellentium usus sinistrè adhibitus in podagra & aliis affectibus vid. Simon Pauli in quadripartit. botanic. pag. 169. *Hoffmanus.*

Præparata ex Rore.

(1. *Spiritus Roris Majalis.*)

℞. Ror. Maj. q. v. pone per aliquot dies in digestion. hinc destilla, ascendent primò striæ, i. e. spiritus, hinc aqua.

[2. *Sal volatile fixum.*]

(Menstruum pro ☉ & corallorum tinctura extrahenda ex Manna & Rore parare nonnulli satagunt.

Præparata ex Aquis.

Aquæ fontanæ plerumque crudæ in usum accersuntur; Meteoricæ autem plerumque destillatæ. Præter has sunt qui & Essentiam seu Spiritum alcalisatum inde parant, idque mediante destillatione & salificatione.

Destillatio.

℞. Aquæ pluvial. vel niveæ bonam quantitatem, destilla ex cucurbita vitrea leni MB calore, ut solummodo pars spirituosa colligatur, hinc subsiste. Alii, ut eò felicius pars spirituosior à reliqua sequestretur, præmittere solent digestionem seu putrefactionem (per mensem 1. aut 2.) in vase Herm. clauso, qua fit ut non modo fæces subsideant, sed & liquor quodammodo ad sequestrationem disponatur

Hinc paratur

Spiritus alcalisatus, seu Essentia.

℞. Spiritum jam elaboratum; adde Sal. comm. circula simul vase Herm. clauso, per mensem destill.

Nisi digestio sive putrefactio præmittatur, incassum laborabis. Hâc præviâ si destilles ▽ pluvialem vel niveam in forma striarum ascendit pars spirituosa, quam potius aliquid nitrosi quam alkalisati obtinere judicaverim. Sunt, qui fæces calcinant, & in his latet vis attractiva magnetica salem ex aëre attrahendi.

Salificatio.

℞. Aquæ quantitatem maximam (mensur. 20. 30.) exhalet aliquantulum (si opus sit interpositâ filtratione,) hinc reponantur, evaporetque ad siccitatem: sic nanciseris fæces salsedine impregnatas. Elixivia crebris solutionibus, habebis sal purum.

N. 1. *Sunt qui fæces calcinant, sed metuo ne quid pereat. Continet enim & Sal. volatile.*

N. 2. *Sunt & qui Sal. volatile ex spiritu sibi spondent, sed successu mihi irrito.*

N. 3. *Terra illa residua ex evaporatione si per* ♉ *pellatur, oleum quoque supernatans exhibet, sed parum.*

[*Spiritus salis* ▽. *fontanæ spiritui,* ✳ *affinis, & aurum in calcem vertere dicitur, quod intelligendum de fontibus quorum aqua de* ✳ *participat.*]

Tartarum Philosophorum S. Closs.

Ros vel aq. pluvia levi artificio reducitur in Terram subalbam, si scil. matracium rore semiplenum H. S. immergatur in Aq. Thermalem calentem vel retrò clibanum aut in hypocausti ergastulo digerantur longo temporis intervallo, sic n. de die in diem vi △ lenti atque continui generantur Atomi splendentes, quæ ad fundum vasis agglomerantur, & à cœrulea aq. supernatante separari debent.

Spiritus aq. pluvialis acidus & ardens Joh. Fabri.

Imbibe hanc Terram decimâ parte alterius aquæ pluvialis, digere dum spissescat, idque septies reitera, habebis materiam pinguem & ad syrup. consist. accedentem, è qua △ cinerum primo ♉um acidum, deinde △ Arenæ ♉um igneum propelles. Utrumque rectifica & super ☿ sive gummi restans plures cohoba, intercedente semper digestione; quod superest calcina △ reverberii ad albedinem, & ex calce hac Sal naturæ extrahe. Jam liquores illos sali fixo reaffunde, digere, congela in MB tandem sublima in salem crystallinum, quem in matracio H. S. furnoque secreto in terram fixam rubentemque figere non dubitabis.

Hanc pro Panacæa Universali habent plures Philosophi.

8. *Aqua è Plantis vulneratis stillans.*

Succus limpidus seu lympha ab aqua communi cum primùm effluere incipit, nec gustu, nec consistentiâ multum differt. Tantâ copiâ verno tempore ascendit, ut in nonnullis arboribus è vulnere inflicto ubertim emanet. Vasa autem per quæ movetur, sunt fistulæ spirales seu tracheæ D. *Malpighio* dictæ. Ratio, seu causa, (inquit) propter quam primo vere per fistulas hasce ascendit, est, quia corticis Lymphæ-ductus seu vasa per quæ totâ æstate fertur, tum primùm formari incipiunt, cùm ergo hâc viam non invenit, in vasa aerea digreditur; quamprimùm verò lymphæductus prædicti consistentiam & extensionem debitam consecuta sunt, succus è diverticulo in viam redit, & tracheis derelictis in hæc ut in proprium suum receptaculum se confert. Hæc D. *Grewius*, qui tamen nobis non undequaque satisfacit: quamvis enim satis causæ sit cur succus in tracheas primùm irruat, cum tamen vasa ista ampliora sint & patentiora quàm noviter extructi lymphæ-ductus, & nisi obstet quominùs cursum continuet, cur hic derelictis velut electione quadam ad novos canales se reciperet, rationem non video. Interim tamen succum verno tempore per vasa aerea sursum ferri, & vulnerato trunco per eorum orificia effluere minimè negamus.

Quæ de motu succi vernali in *Betula, Vite, Acere majore & minore, Juglande, Carpino, Salice* experiundo didicimus, subjiciemus.

1. Per quæcunque tandem vasa ascendat succus, per totam ligni crassitiem ascendere experimenta evincunt: Siquidem terebrato trunco aut ramo radicéve, quò profundius factum fuerit foramen, eò copiosior succus extillat, & quidem pro altitudinis proportione, ut ex duplo profundiore foramine dupla ferè succi quantitas eodem tempore emanet.

Deinde ut omnem vel scrupulosissimo cuiq; dubitandi ansam præscinderemus, grandiorem Betulæ Ramum Terrâ reciprocatâ ad medullam ferè incidimus, spa-

tioque circiter semipedali interposito, ab eadem parte paris altitudinis sulcum seu incisionem fecimus, deinde ligno serraturas, intercedente exempto, inque areæ ligneæ complanatæ medio foramine terebrato, panni laciniam seu filtrum ei immissimus, cauto interim nè quid desuper liquoris in filtrum deflueret. Quibus peractis succum nihilominus è foramine copiosè extillare deprehendimus.

2. Succum in vasis tam deorsum quam sursum liberè moveri constat. Virga enim Salicis aliusve arboris cùm succo turget recisa, & perpendiculari situ suspensa, ab inferiori majore extremo lacrymam aliquandiu extillabat: quin si taleæ aut baculi saligni aut Acerni utrinque recisi superiori extremo fistulam ceream ita applices & agglutines, ut vasculum quoddam efformet, cujus latera sint circumferentia tubi, fundus planum extremi baculi recisi, eique perpendiculariter erecto aquam infundas, videbis brevi aquam transito ligno ab altera baculi extremitate paulatim extillare, nec cessare antequam vasculum prædictum exinanitum fuerit. Idem in Tithymalo aliisque lactescentibus cernitur, quæ recisæ ab utraque parte, tam superna quàm interna succum lacteum pariter effundunt. Unde patet nullas in vasis plantarum valvulas dari. Quod indè etiam confirmatur, quod si talea aut surculus inversus plantetur, superiore nimirum extremitate terræ immissâ, nihilominus comprehendit, & quamvis mutatâ succi directione germinabit, ut in *Salice* experti sumus. Hoc tamen perpetuò evenit (*Malpighio* monente) plantatos taliter surculos minùs proficere.

3. Vasa succifera in progressu inter se communicant per mutuas anastomoses, quod hujusmodi experimento probamus. Serrato profundè per transversum Betulæ adultioris caudice, deinde interposito spatio ab eadem caudicis parte ad eandem quantum conjectari potuimus profunditatem, serâ adactâ, non ab inferiore tantùm sulco lacrymavit truncus, sed etiam à superiore, & quidem æquâ quantitate, idque non tantùm cùm primò serraturæ seu sulci facti essent, sed etiam post aliquot dies, & de novo iterum postquam cessâsset aliquoties, effluere. Vasa autem dissecta non aliunde succum excipere potuerunt quàm ab integris & intactis in altero trunci latere ascendentibus, cum quibus in superiore arboris parte per anastomoses conjungebantur. Hic autem obiter monere convenit, Sectionem Corticis transversam circularem non semper aut omnem arborem perimere, ut vulgò creditum est. Siquidem ex nostra observatione in Agrifolio cortici annulo palmaris propè latitudinis detracto, & ligno denudato, arbor nihilominus per plures annos supervixit. Dom. autem *Malpighius* in variis diversarum arborum surculis & ramis *Opuli* v. g. *Prunorum*, *Mali Cydoniæ*, *Quercûs*, *Salicis*, *Populi*, *Avellanæ*, horizontalem sectionem in cortice fecit, ablatâ ejusdem & libri annulari portione: quo facto pars superior surculi seu caudicis supra sectionem brevi vegetans ità excrevit ut longè turgida redderetur. Cortex enim in *Quercu* præcipuè, in *Prunis* & *Cydonia Malo*, horizontales utriculorum ordines ità elongat, ut frequenter appendices promantur, quibus denudato ligni portio cooperitur; & factâ denuo mutuâ anastomosi cum inferiori secti corticis labio continuus redditur cortex: rami quoque portio ultra sectionem ligneo super excrescente circulo & involucro, impensè crassa protuberat. Denudata verò lignea portio gracilis adhuc subsistit nullo vigente incremento, quod reliquo quoque surculi infra sectionem contingit. Hinc autem patet,

Succum non tantùm inter corticem & lignum sursum repere, sed etiam in vasis in ipsa ligni substantia sitis ascendere.

Quandoque dubitavi (inquit D. *Malpighius*), & nos quoque unà, an expositus tumor ultra circularem sectionem in superioribus ramorum partibus excitatus, ab impetu succi sursum propulsi contingeret: Secto namque cortice per solas ligneas fistulas ascendens alimentum quasi ab angusto & arcto loco, laxiorem corticis campum ultra sectionem inveniens ad extra dilatari posset, unde hærendo nutritionem in proximis partibus promovere valeret. Quoniam tamen in novellis, præcipuè Quercûs, factâ corticis laceratione, si exigua rari portio ultra sectionem circularem superfit, amputatâ sc. rami extremitate, nullus ferè tumor subcrescit: & in arboribus, in quibus factâ pariter horizontali sectione, ita tamen ut portio ejusdem corticis minimi unguis latitudinem æquans adhuc integra supersit, cortice ita continuato; certum est nutritionis augmentum subsequi in reliquâ corticis parte, & in superiori portione. Quare ex his probabilius conjeci nutritii succi motum à superioribus etiam ad inferiora promoveri. Hactenus *Malpighius*, cui & nos etiam suffragamur, imò succi descensum ex superiùs allato experimento, atque etiam ex discissa radice ab utraque parte, tam quæ hæret, quàm quæ in terra restat, lacrymante, necessariò colligi & concludi opinamur, adeoque ramuli supra annulum decorticatum germinationem & augmentum succo descendenti deberi, qui cum ulteriùs inferiora versus ob corticem interruptum motum suum continuare nequeat, in corticis & ligni novum involucrum erogatur.

4. Succus non tantùm inter corticem & lignum, ut olim & vulgò creditum est, neque inter annuos tantùm ligni circulos, seu tunicas sursum repit, sed etiam in vasis in ipsa ligni substantia sitis, ut modò ostendimus.

5. Arbores nonnullæ citiùs lacrymare incipient quàm aliæ ejusdem generis & ætatis: adultiores & majores citiùs perpetuò quàm minores & juniores, & copiosiùs etiam ex æqua incisione.

6. Arbor quæcunque ex incisione antequam succus ascendat facta, cùm idem ascendere incipiet lacrymabit.

7. Dissecta particulari aliqua radice, ab utraque parte, hoc est, tam ab ea quæ trunco unita manet, quàm ab ea quæ ab eodem separatur; ut mox innuimus, succus extillabit, unde etiam constat eum susque deque id utramque moveri.

8. Succus è vulnere inflicto in eundem locum aliquandiu destillans gelatinam quandam seu coagulum albicans paulatim præcipitabit, & copiosiùs cum arbor folia explicare incipit. Coagulum hoc videtur esse materia ligni.

9. In motu & effluxu succi in varii generis arboribus magna est differentia. *Acer majus* Autumno etiam post delapsa statim folia, & deinceps per totam hyemem idoneâ tempestate vulnerata succum extillat: idoneâ inquam tempestate, hoc est, aëris temperie gelida & leviter pruinosa. *Acer majus*, *Juglans*, &c. incisæ aut terebratæ, post nocturnum gelu splendente Sole, modo frigus non nimium vehemens sit, succum uberrimè manant, non internoctu quidem aut summo mane, sed duabus tribusve à Solis exortu horis & circa meridiem maximè. Post gelu vehementius & diuturnius, cum frigus incipit se remittere, succus maximâ omnium quantitate effluit, etiam è vulneribus pridem factis, iisq; arborib. quæ vix unquam aliàs vulneranti respondent. Quod adeò verum ut si gelu fortè inciderit adulto vere, cum jam succus extillare desiit, fluxum denuò repetit, & matutinis saltem horis emanat. Gelu ergo modò non sit valdè vehemens succi motum promovet, imò jam cessantem revocat: vidimus enim è vulneribus *Aceri* majori & *Juglandi* inflictis noctu diuque extillantem liquorem cùm statim post egressum vi frigoris in stirias concresceret & condensaretur. Notandum etiam in gelu vehementi, cùm terræ superficies nive obtegeretur, radicem *Aceris* majoris discissam, è parte terræ hærente uberrimè lacrymasse, & copiosius quàm aliàs unquam, cùm tamen ob vim frigoris succus in trunco vel congelatus vel ad motum pigrior

pigrior redditus incisione factâ non efflueret. Unde patet copiosi hujusce effluxûs causâ gelu fuisse; an quia superficies terræ cõstricta vapores ascensere solitos cohiberet & repercuteret: qui exitû non invenientes, paulò infra terræ superficiem constipati, impetu facto in radicis poros irruerent. Verùm (ut verum fatear) in ratione hujus phænomeni reddenda mihimet ipsi non satisfacio: eadem tamen proculdubio est quæ copiosissimæ emanationis fontium vivorum in gelu vehementissimo, quale brumâ præcedenti accidit. *J. Rajus* Virtutes autem hujus aquæ variæ sunt pro varietate plantarum è quibus effluit. Sic quæ è Tiliâ educitur Epilepticis confert, medicamentisque antispamodicis parandis apta est. Quæ ex Betulâ Hydropicis medetur &c.

Sequuntur jam Aquæ Stillatitiæ, tam simplices, quàm compositæ: ac primò.

De Aquis stillatitiis in genere, ac destillandi inventione.

Etsi varia, variarum stillatitiarum aquarum natura sit, & quoad saporem, colorem, odorem & in his quæ ex herbis, floribus, fructibus, lignis &c. arte educuntur notabilis differentia appareat; in genere tamen quoad consistentiam & reliquas aquæ proprietates conveniunt, ac si quid diversum continent, id ab aquæ natura alienum est, oleosum nempe, aut sulphureum, aut terrenum id, ut odor, ac sapor prodit, quod simplici, in prima mixtione, aut alimenti attractione, pro propria cujusque indole, & soli, quo nascitur proprietate, extrinsecus accedit, quod in odoriferis, ac ijs, quæ volatilis sulphuris, plurimum participes sunt, manifestum est; reliquæ n. etsi sulphureæ, ac oleosæ substantiæ haud expertes sint, illis tamen magis terrestres, ac graves, & quæ non nisi violentia ignis, vix sine empyreumate, nulla odoris, aut saporis præstantia commendabiles, elici possunt. Ne autem imperitis in arte hoc admirationem pariat, exemplo doceri ne recusent: Sumant nimirum, Cinamomi, Caryophyllorum, Nucis moschatæ, Cardamomi, Piperis, ac similium quantum placet, & f. q aquæ fontanæ affusa oleum cujuscunque quantitatis, destillatione extrahant ac separent, aquam reliquam, quamtumvis rectificare conentur, nihilominus odorem, ac saporem, rerum cum aqua destillatarum nunquam penitus auferent. Nec est quod quispiam sibi persuadeat, hanc aquam, ex siccis aromatibus, eductam esse, qualitates enim aromatum, solummodo sibi adsciscit quod infusione unius guttulæ, olei Cinnamoni, in cantharum simplicis aquæ plenum videre est, quam mox eam vehementi odore, & penetrandi vi alteret: Nec cum aromatibus solum res sic se habet, sed cum odoriferis & sulphureis plerisque floribus folijs, seminibus, corticibus, Radicibus, &c.

Ex alijs vice versa, ut acerbis, acribus, salsis, amaris, vix quidpiam, nisi inodorum, aut forte empyreum redoleat, per destillationem exigere licet, nec aquæ ex catharticis destillando prolectæ, purgandi, neque est stipticis astringendi, ex vulnerariis purificandi, & consolidandi, aut ex alexitericis venenum infrigendi, (qualis in eorum substantia oblata, decoctis, vel infusione deprehenditur:) adæquatam vim obtinent. Quamobrem prudens ac cautus Medicus, ejuscemodi simplicioribus aquis non magis, quam virtus, ac vera eorũ laus, sustinere possit, facile attribuat; ac eruditiores quiq; tales, maxime refrigerantes, & humectantes vix unquam basis loco, sed in mixturis, & julapijs, ad morbos calidos, aut aquæ communis vice, ad infusiones, & decoctiones adhibere consueverunt. Fit tamen interdum ut etiam quædam, nullo acri sapore aut odore, sed simplici vi diaphoretica præditæ; cujusmodi sunt, ex radice Scorzoneræ, Urticæ, Card. bened. & Veronicæ destillatæ, pro ijs ægris, qui delicatuli, viribus fracti, facile in sudorem diffluant, aliaque remedia fastidiant, per se etiam in usum recipi possint.

Ac harum præcipue odoriferæ & appropriatæ, pro ratione circumstantiarum, ac varia intentione, in capitis nimirum usum Aquæ Lavendulæ, Salviæ, Rorismarini, Liliorum convallium, Majoranæ: in pectoris levamen, aquæ Hyssopi, Marrubij, Enulæ: in cordis subsidium, Melissæ, Basiliconis, florum Aurantiorum, Cinamomi, Rubi Idæi: ad stomachi confortationem, Menthæ, Thymi, Absynthij: ad uteri rectificationem. Aquæ Pulegij, Artemisiæ, Scordij, Valerianæ expetuntur. Absurdum vero in morbis gravibus, ex eorum solo usu, perfectam curam polliceri, ut quorundam simplicium, ac rudium fert opinio. Quinimo intempestivo horum, usu, vires ventriculi dejectas, fluctuationesque plurimi senserunt.

Destillationis primum inventorem, ut fatear, ignoro, antiquissimam tamen eam esse, conjectura quivis facile colligit, cum famosissimi illi, juxta & vetustissimi Medici Rhasis inquam, & Albucasis, (qui anno à Christo nato M. LXXX. in vivis claruerunt:) illius meminerint. Probabilitatem quandam hanc ab Ægyptijs inventam, & aliquandiu secreto habitam tandem ad cæteros demanasse, Suidas & Firmicus asserunt. Utut sit nullus dubito, quin aqua illa, guttatim in operculi concavo, à vaporibus ex lebete ascendentibus, collecta, hominibus hujus inventionis ansam dederit; dum cibos in ollis, vel quid aliud, ad ignem coquebant, hacque ratione moti, porro singularia instrumenta ad hoc opus finxerint: Quanquam non multum interest, quando, & quis Author hujus extiterit. Sufficiat eam jucundam, juxta & utilem esse, qua mediante, non solum olea vegetabilium, spiritus ardentes, aquas vitæ, spiritus vitrioli, Salis, Aluminis, imo Sales ipsos ex fæcibus educendi, decocta inspissandi, infusa subtilissimorum aromatum, modo longe convenientiori quam olim apertis vasis perficiendi nunc facultas datur, ac plurima alia, quæ, brevitatis studio, prætermitto.

De variis modis Aquas destillandi.

Ad opus hoc diversa, diversæ figuræ, & usus, instrumenta inventa, distincti itidem ignis gradus, reperti sunt. Inter antiquissima, cuivis nota instrumenta primo Alembicus occurrit, in forma campanæ superius acuminatus, inferius latus, cum rostro, à latere, ex plumbo fabricato; quorum tres vel quatuor, super totidem in formace constructas aheneas vesicas, ponuntur, accumulata circumcirca inferius arena, ne æs, vel cuprum ab igne immediatè tangatur, quibus herbæ, vel flores continentur, atque accommodato ad alembicum excipulo, permanentibus simplicibus, in forma placentæ siccæ; Qui mos, ante 40. annos, Nobilibus Italis, eorumque Pharmacopæis, usitatissimus fuit, qui tamea vitio non caret, quando quidem aquæ, acidæ vel alioqui acriores, pravas ex plumbo qualitates contrahentes, turbidæ, albæ, & dulces fiunt, quocirca, vitrea instrumenta, alijs præferenda sunt.

Secundus modus hic est: fornax ei, qui hypocaustis calfaciendis commodus, similis extruitur, inferius latior, & paulatim per gradus in acumen ascendens, ex fidelijs durissimis, & vitreis, quæ in externa fornacis parte, concavæ sunt, instar cucurbitæ brevioris, quibus alembici terrei, vel vitrei imponendi, quo artificio, exiguo igne, diversæ aquæ, unica vice, destillari possunt.

Alij peculiares fornaces, arena, vel cinere replent; quibus cucurbitas terreas, vel vitreas, aliquantum firmiores, herbis refertas astruunt, ac sic juncto alembico, leni igne aquas provocant.

Alij vero, animadvertentes, isthoc modo aquas, nisi accurata cura habeatur, facilè Empyreuma contrahere,

here, per ahenum, aqua fontana plenum, igne subtus accenso, ex cucurbita opus compleverunt, qui modus, per Balneum Mariæ nunc audit. Cumque nec hoc modo, adustionem, aqua paulo vehementius bulliente, evitari posse, vidissent, ac insuper plures cucurbitas simul impositas, in operculis ad hoc constructis, aut plumbeis circulis quo minus fluctuent, obfirmentur, facilè mutua collisione rumpi, elegerunt fornacem, cum magno cupreo vase, præfixo intus sustentaculo, per modum marginis, cui laminæ ferreæ inniti, hisque patella cuprea, foraminibus pervia, aut asserculum robustum, seu sporta densior panno lineo rudiore inducto superstrui possint. Partem cavam aheni, quidam arena, quidam verò segmentis lignorum replent, & per canalem ad hoc factum, qui ad fundum usque penetret, sufficientem aquæ quantitatem infundunt, ignem augendo, donec segmenta vel arena, à vapore aquæ incalescant, hinc aliquot cucurbitæ, pro fornacis capacitate impositæ, ad medium usque sepeliuntur, securiore, quam in Balneo, modo, subsistentes, qua ratione, etiam aquarum major copia, ignis per diem, & noctem continuatione, destillatur, præsertim si fornaci turris conjuncta sit, qui justam carbonum quantitatem recipiat qui modus destillandi per arenam dicitur. Alius modus: in fornacem conditur vas aheneum, cùm operculo multis amplis foraminibus pervio, quibus pannus lineus annectitur, in quo tanquam in sacco cucurbitæ firmari possint, ità tamen, ne aqua affusa harum fundum attingat, qui Balnei roris nomine venit.

Paratur quoque, non minoris artificij fornax, ex quo mediante vapore, ab aheno extrinsecus advenientе, plura instrumenta aquas fundant. Quo in genere, hoc præcipue notandum est, ut semper aquæ sufficiens copia adsit, ne ahenum corrumpatur, aut sacculi per calorem adurantur, vel cucurbitæ frangantur. Quidam etiam destillationes, per descensum, ut vocant, instituunt ollam vitream, satis latam, ac firmam recipiunt, cujus orificium panno lineo, vel incerniculo obducunt, floresque, ac herbas, iterum linteo cooperiendas ad trium digitorum altitudinem, ac insuper orbem ex terra, vel cupro, cum margine, qui arenam capiat, cùm ignitis carbonibus, imponunt: unde fit, ut humor simplicium calóre expressus, vaporis modo, deorsum, compellatur. Magna vero diligentia adhibenda, ne simplicia calore exurantur, aut per marginum juncturas evaporent, quod planè quidem, vix impediri potest, cùm omnis humidi, in vaporem soluti impetus, sursum nitatur, donec iterum, frigore incrassatum, suopte pondere, deorsum vergat. Introduxit quoldam curiositas, rerum odoriferarum vaporem, mediante calore solis, vel lampade, oleo, vel spiritu vini elicere. Vulgatissimus demum mos est, quo spiritus vini, per vasa cuprea elicitur, de quo, cum lippis ac tonsoribus notus sit, nihil attinet, plura verba facere.

Quinam ex supra allatis modis, optimi censendi sint.

Quamvis plures, quam supra exposui, destillationis modi reperti sint, ac ignis una eademque natura sit, ejusdem tamen, quoad gradus distinctio magnaque instrumentorum, haud adeo magni momenti varietas est: Quocircò ut res planior fiat, distinguamus oportet, vegetabilia, ex quibus aquas elicere animus est, in duas differentias scilicet humidas, frigidas, & terestres, ut plurimum inodoras, & in calidas, odoratas, sulphureæ, ac oleagineæ substantiæ. Illis mitior calor, qualis est Balneum Mariæ, convenit, distinctione graduum habita, quandoquidem, quo temperamenti frigidioris, & humidioris simplicia existunt leniorem, ac vice versa, quo calidioris, fortiorem quoque ignem postulant. Quod si tamen supradicta difficultas, per hunc modum destillandi, quempiam gravat, is per arenam humidam, vel vaporosam, negotium absolvere poterit. In hoc enim unico, rei cardo versatur, ut nulla ignearum partium contaminatione, aut empyreumatis contractione aquæ corrumpantur: His vero multo fortior, quo maximè sulphureæ, calidę, & subtilissimę substantiæ evocantur, qui gradus sublimationis humidæ, nullo alio instrumento melius, quam per vesicam procurari potest: Quamvis enim destillata quædam, ut Rosarum, Salviæ, Melissæ, Liliorum convallium, satis efficacia per Balneum Mariæ quoque obtineantur; duratione tamen, & viribus perpetuo inferiora sunt.

Quomodo supradicti destillandi modi, in usum ducantur.

Instrumenta, ad frigidiorum simplicium destillationem, talia in promptu habere oportet, primum ahenum oblongum quod 4. vel 5. circiter cucurbitas capiat; exceptum fornace commoda catillo, spiraculis, & ostiolis ferreis, quæ aptius claudunt, magisque durant, quam quæ ex alia materia constant, ac tali, in quo pauca carbonum quantitate, ignis multis horis foveri, & pro libitu variari possit.

Qui vero posthabito Balneo Mariæ, normam; per arenam humidam destillandi, mecum amplectitur, is neque cupreo operculo, per cujus foramina cucurbitæ distinguantur, nec circulis plumbeis queis illæ pressæ firmentur, opus habet, modo ahenam profundius, cingente interius ambitum margine procuret, in quo orbita cuprea perforata, ac catillus grosso linteo obductus, appositè locatus sit, cucurbitæ autem, ut & qui has claudant alembici, capitellis capacioribus, quo vapores faciliùs in aquam resolvantur, ex stanno optimo anglico elaborati sint. Has herbis minutim incisis vel radicibus, e. g. Scorzoneræ, Cichorei, Brioniæ aut fructibus Cucumeris, Citrulli, Melonis, Cucurbitæ, fragorum, Rubi Idæi contusis, vel, prout usus postulat, herbis, & floribus integris, ad medietatem manibus comprimendo implere decet, & eousque autem in arena sepeliendæ sunt; ut transversi digiti spatium, à sabuli fundo absint: *Sic* applicato alembico, & recipiente, curandum, ut sabulum humescat, cùm stabili caloris augmento, ad moderatam usque non totalem tamen, in cucurbita contentorum ariditatem, primus quisque liquor, posteriori præstat, secundus mediocris, ultimus vilissimus, qui ignis actione, nidorem accepit, quæ regula, quamvis vulgò negligatur, ab edoctis tamen, studiosè observatur. Multoties mage consultum videtur, ut loco herbarum vel fructuum eorundem, succus colo expressus, vitreis organis distilletur; restibilis pars, mage spissa, cum Saccharo, in Syrupum redigitur: Is licèt aliquando impurior, ob terrestreitatem, antequam in cucurbitam mittatur, depurari posset, ab hoc tamen labore abstinendum, ne aëreæ & subtilissimæ partis quam in his aquis expetimus, jacturam faciamus. Cæterum, quod in cucurbita remanet, nunquam alicujus empyreumatis expers esse potest, quocirca nullo modo id, pro essentia, de qua superiori tractatu actum, obtrudi debet: Et posito, non concesso, succos illos, antequam ad destillationes adhibeantur, clarificari posse, sine infirmatione aquæ destillandæ, succi tamen illi ut experientia ipsa fateri cogit, clausis instrumentis ad crassitiem redacti, cum vapor diu, multumque antequam exspiret, vel in aquam resolvatur, in alembico morari soleat, nunquam sapore, colore, cæterisque viribus, ad illorum extractorum bonitatem accedunt; quæ leni igne, in phialis apertis, aquositatem suam deponunt, ac spatula interdum, quo celerius consistentiam consequantur modicè moventur: Residuum igitur, licet alias ex eo Tartarus, seu Sal extractus usui veniat, ad harum tamen virtutem nihil confert. Si verò animus est succos, ad balsami consistentiam inspissare; quia

qui à me, essentiæ vocantur; necessum est, hos prius clarificare, & tradito à me alibi modo, aquosam partem per exhalationem separare.

Sed ut eò, unde discessi, revertar: Malorum Citriorum, Limonum, berberorum, ribium, uvarum immaturarum, alijque hujuscemodi succi aciduli, præcipuè cùm residuum in usum servandi, intentio adsit, aptius in vitreis organis destillantur: In his aquis quod admiratione dignum est, vix ulla aciditas, sed tota in residuo hæret; cujus rei, meo quidem judicio ea est ratio, quod pars ea, cui aciditas connectitur tanquam tartarea ac terrestris, non nisi violentiore igne, elici possit; quod palam fit, hoc residuum ex retorta, primum lento ac deinceps vehementiori igne urgendo, ut instar fumi crassi, in recipiens transiens, cùm prima aqua, se commisceat; adeo enim acuta efficietur, ut acore cùm spiritu vitrioli contendere possit.

Hæc quamvis à secunda destillatione vel rectificatione pellucida, adustionis tamen, nunquam expers ad varia Chemica opera, ad corallos, Margaritas, oculos Cancrorum, cæteraque corpora duriora solvenda aptissima existit. Cæterum Acidum Vini, Cerevisiæ, Mulsi per Balneum Mariæ, aut arenam vaporosam evocare convenit, cujus ultimum, quod egreditur, magna aciditate pollet, atque ad omnes in Chemia usus, æque ac illa, per arenam siccam destillata, efficax est: Hi, alijque similes succi, licet aciditate sua, vix ipsi aceto cedant, cùm aquis tamen destillandis, per Balneum Mariæ, minime ascendant, alterius eos naturæ esse quam acetum, quod multos subtiliores, ac penetrantiores partes, in se complectitur, probare haud est operosum.

Secundum hanc viam, tum Spiritus Vini, & alterius generis aquæ, ex cucurbita, ad tertiam tantum partem repleta, si vinum destilletur, ne ipso effervescente, vitrum rumpatur, lento igne, juncturis probè clausis, educuntur: Qui vero Spiritum Vini rectificatum expetit, eum secundò vel tertio, ex cucurbita, igne moderatissimo, provocet, ut tantum ea pars, quæ maximè aërea (quæ spiritus propriè dicitur) à suo phlegmate libera prodeat: Quod hac observatione assequeris; si spiritum, qui per modum striarum, levissimo igne, in alembicum surgentem tollas, separatim recondendo, qui scilicet igne concepto mox totus conflagrat, ut ejus nihil amplius restet, qui enim, licèt in principio; flammam cæruleam fundat, penitus tamen comburi recusat, admixti phlegmatis arguitur. Quod quidam, pulchro artificio intercipere solent, chartam emporeticam, rostro alembici admovendo, quò parti aquosæ transitus denegetur, qua ratione, spiritus omnes phlegmatis expers exillat; secundus vero ab hoc, in destillatione consequens, (præcipuè si ex vino malvatico, Hispanico, Ungarico, moschatello, alijsque id genus generosis, in quibus majorem, quam in reliquis penetrandi ac digerendi, virtutem advertere licèt;) quandoquidem, sapore & odore, non ignobilis, loco communis spiritus vini, varios in usus aptari potest.

Hæc itaque sufficiant de utilitate Balnei Mariæ, ac arenæ vaporosæ, quæ pro vario gradu, ad rerum infusiones, digestiones, circulationes, dissolutiones, coagulationes, ac rectificationem quorundam liquorum, commodissima habetur.

De modo destillandi aquas, per vesicam.

Est & differentia sua, destillationi per vesicam pro varietate sc. instrumentorum, refrigeratoriorum, canalium, serpentinarum, quorum quæ Medico, commodissima esse existimo, saltem proponam. Eligatur vesica ænea fortis, vel è cupro rubro, quæ fundum versus, paulum angustior sit, ac sensim, in majorem latitudinem assurgat, usque ad collum, altitudinis duorum pedum, ipsius vero colli altitudo, quatuor transversos digitos non excedat, latitudo tanta, ut manus liberè immitti & extrahi possit totius vasis capacitas 16. mensurarum; Alembicus ex stanno anglico, cujus collum, in vesicam intret, longitudine transversi pollicis, in pede, refrigeratorio cupreo cinctus, cum rostro, pone refrigeratorij fundum penetrante, ipsum refrigeratorium, justæ latitudinis sit, altitudinis tantæ, ut repletum ad 3. digitos in altum, aqua alembicum attingat, ac medij transversi pedis, altitudine superet, constructo ad latus epistomio, ad aquæ calidæ, cum frigida commutationem, post hæc furnus, huic vesicæ excipiendæ aptus, ad variarum aquarum, & oleorum destillationem. Cui hæc in majori copia parare, visum est, vesica communis quam spiritui vini, ex fecibus parando adhibent, sufficit, mutato saltem cupreo alembico, in stanneum, ne aquæ vitæ, olea calidiora, & acria pravas inde qualitates contrahant, quæ sæpissimè, cupri saporem, aut colorem vitrioli referunt, cujus rei experientiam facere, parvi laboris est, sumendo nimirum spiritum, ex vino quocunque, Hispanico, seu Rhenano, in cupreis instrumentis destillatum, eumque leni, ut supra docui, igne, ad mediam circiter partem abstrahendo, spiritus prolectus fortis equidem, sed delicatus, & suavis apparebit, restibilis verò flavi, aut viridis coloris, abominabilem saporem continet, quod ad duo cochlearia haustus, homini etiam durissimo, aut vehementer stomachum conturbabit, aut enormem vomitum excitabit: Unde potatores spiritus vini, ingentes sæpe noxas ventriculi, hepatis, intestinorum, ac diversa gravia accidentia incurrunt, quę potius, ex prava cupri tinctura, quam ipsius spiritus calore (quamvis, & ipsius abusus, nocendi potestate, non careat) proficisci solent, quæ noxa à stanneis alembicis nequaquam timenda est, etiamsi enim olea, ac spiritus acriores, corrosione quadam, hujus metalli aliquid imbiberent, id tamen, prout natura hujus metalli fert, nunquam ut cupri partes, liquori per minima mixtum manet, sed in forma pulveris, ad fundum secedit, modo ipsum stannum, absque mixtura plumbi purum sit. Nemini enim non constat, recepto usu, apud cõplures nationes, patinis stãneis sine discrimine, cibos dulces, acidos, acres, calfactos, frigidos, mensæ inferri, ac quandoq; in ijsdem coqui, nulla tamen læsione subsequente. Hujus ergo, Medici, Physici, Locorum, & urbium, quibus provincia, officinas pharmaceuticas lustrandi commissa est, hos cupreos alembicos aboleri, & ut stannei eorum in locum substituantur, curare deberent: Nec me latet, quod aliqui hac in re satisfacere sibi persuadeant, si canales cupreos, intus stanno obduci curent, secus autem se res habet, præterquam enim quod uniformiter, per totum canalem, vix stannum induci possit, calore paulo majore accedente illud à cupro solvi contingit. Objiciunt aliqui frustra res in cupreis vesicis coctas, quæ jam quidquid pravi contrahere possunt imbiberint, & de facto pravæ qualitatis participes existant, stanneos alembicos ac serpentinas requirere. Concedo equidem succos vinosos, acidos, & acres, in ipsa vesica, de cupro quid in se recipere; Sed quidquid id sit, vitriolatum, aut æruginosum, illud, inter destillandum, cùm habitibus, tamquam terrestre ac grave quid, minimè in altum ferri, rationi consonum est. Restat igitur, si quid tale aquæ destillatæ possident, culpa alembici aut serpentinarum, id fieri: Quod ipsa operatio, ad oculum demonstrat, tales enim aquæ à cupro corruptæ, si denuo, mutato solummodo alembico cupreo, cum stanneo, aut vitreo destillentur vitiatæ priùs, jam claræ, & correctæ, optimo sapore ac odore prodibunt: Quare labem contractam, non à vesica, sed ex alembico accepit, in cujus, & canalium rimis, ma-

gnam

gnam sæpe æruginis quantitatem videre est (quod etiam, in hujuscemodi laboribus, parum versatum, ne dicam probatum chymicum vix latere potest) quæ tota difficulter erui potest, illud vero in vesica, post destillationem relictum, ad usum internum minimè admittendum est. Hinc crassum errorem Medici errant quicunq; decocta sua, in diplomate cupreo, fieri mandant, seu vinum, seu acria, salsa, & acida vegetabilia recipiant; at vero multo meliùs illi, qui vasis vitreis, id negotij peragant: Atque hic, nisi intra cancellos, de destillandi, per vesicam doctrina, subsistere consultum esset, latissimus pateret campus, de instrumentorum, æneorum, atque cupreorum abusu, differendi.

Requisita ad destillationem, per vesicam, hæc sunt: Primum materia in vesica contenta effervescat, ac bulliat: Secundo, additio liquoris cujusdam, maximè, in aridorum per vesicam destillatione opus est: Tertio omnia simplicia refrigerantia, etiamsi amarore, vel acrimonia prædita sint, ac frigus temperandi, aperiendi, solvendi, detergendi potestate valeant, cujus classis sunt, Cichoreum, Endivia, Card. bened. Fumaria, Nasturtium aquaticum, Beccabunga, à vi, & odore aromatico aliena, sine virium jactura, commodius, per vesicam quam Balneum Mariæ destillantur. Quarto communis ille, ac asinino stupore obreptus, pharmacopæorum mos repudiandus, qui cuicunq; herbæ, cujuslibet temperamenti, ea sit, cum in cumulum concisæ fontanam affundunt, & superciliose destillandi opus urgent. donec ingentes amphoras impleverint, nominibusque herbarum, & insignijs ornaverint; ac sic denique egregiam rem se præstitisse, opinantur, quæ destillata demum, ad julapia, tabulata, emulsiones, mixturas cordiales, margaritarum solutiones, ægrotis tanquam supremum subsidium, ac ultimum in summa virium dejectione, anxietatibus, Syncope, cæterisque non contemnendis affectibus, Asylum futurum adhibent, quorum errorem, non tantum aliquos non pudet, sed etiam nefando ausu, defendere conantur. Quinto Herbarum, quæ huc referendæ, succus experimendus, eoque vesica, ad medium usque replenda, & focus augendus ad succi ebullitionem, ne tantum guttatim, sed instar spiritus vini destillantis prodeat, continuò, ferè ignis gradu observato, qui tamen sub finem, paulatim remittendus ne crassum illud, liquoris restibile aduratur, aut aquæ alienum temperamentum, aut virium mutationem subeant, ad quod etiam aquæ in refrigeratorio sæpius cum frigida permutatio, quo facilius vapores, in aquam resolvantur, plurimum præstat: hocque modo, ex sex partibus succi, quatuor utplurimum eliciendi sunt; Sal vero, ex remanentijs, in cinerem redactis, more usitato extrahi potest. Hisce, ac hoc modo paratis liquoribus stillatitijs, confidenter, qua conscientiæ, qua effectus securitatem, merito utetur.

At vero herbarum calidarum, & siccarum, ut Salviæ, Majoranæ, Rorismarini, &c. seu multum, seu minus odoræ sint, destillandi ratio hæc est, minutim incisis ac ollæ vitreatæ impositis, aquæ fontanæ, q. s. ad pultis consistentiam affunditur, ex curiosè contectis, ac refrigeratis, postmodum succus exprimitur. Hic ex præscripto artificio destillatus, sapore, & odore præstantem liquorem suppeditat, tantillum enim aquæ, ad aridæ, & tenacis substantiæ resolutionem specificam simplicis virtutem, infringere nequit; quod alias in majore copia, sc. ad herbæ ℔ j. aquæ ℔ *iiij*. affundendo contingeret. Qui vero hunc laborem aversatur, saltem herbis concisis, tantum aquæ affundat, ut fine adustionis periculo, ebullire queat, quæ denique eousque abstrahenda, dũ sapor ac odor, vires satis validas inesse probet, ac nulla nidoris contaminatio, se manifestet; quam novis identidem herbis, ter destillationem repetendo conjungere decet. Nec ignorandum, per vesicam stanneam, cum alembico vitreo, aquæ præstantes, ac per ipsum B. liquores educi posse. Ultimò, & hoc observatione dignum, quædam simplicia, antequam ad hoc opus veniant, conditurам salis, quædam macerationem per se, in vitro clauso, vel aspersionem vini, alia denique fermentationem, pro varia Medici intentione requirere, quæ in gratiam Juniorum, & necdum in arte consummatorum artificum, sequentibus exemplis declarabo.

Aqua Rosarum nobilis ex Rosis salitis.

Modus hic apud Pharmacopæos usitatissimus est ac quandocunq; major rosarum copia quam ob brevitatem temporis destillari possit, commodissimus.

Rosæ sufficienti quantitate salis conspersæ, mensæ insternuntur, ac manibus confricatæ in dolium quernum, seu ollam vitreatam, aut quod ferè præstat, in cucurbitam, ampli orificij injectæ, pistillo ad vasis tolerantiam, donec repletum sit comprimantur, ac sic probè clausæ ad usum destillationis servantur, quę sequenti modo fit. Hujus conditurae rosaceæ, mensuris quatuor, sex aquæ fontanæ mensuræ affundantur, ac secundum antedatam instructionem, aquæ stillatitiæ, mensura proliciatur, quæ seorsim, in vitreis lagenis, bene clausis, loco sicco, non admodum calido servanda, relicta, si quæ adest, candicante pinguedine, instar spermatis Ceti, quam aliqui oleum Rosarum esse autumant: Hæc aqua, post aliquot temporis spatium, fragrantissima redditur, levi quodam amarore, Rosarum folijs genuino, & proprio, gustum afficiens, cujus cochlearis mensura, vulgaris ℔ integræ, quandoque præferenda est: ejus scil. quæ avaritiæ exsaturandæ causa, vel stolidorum ementium, potius ad quantitatem, quam qualitatem attendentium vitio comparatur. Secundaria autem, destillationis progressu proveniens, utpotè minoris virtutis novis Rosis destillandis, loco communis aquæ inservit.

Nobiliores tamen & præstantiores ad compositiones cordiales, & bezoarticas, ni sumptibus parcendum sit, hoc modo fieri possunt, aqua nimirum primo loco destillata, & secundaria simul, quatuor mensuris Rosarum denuo affundantur, & quinta vel sexta tantum pars, destillatione producta, ad hunc usum seligatur.

Variant aquæ Rosarum, non modo, differentibus inter se, Rosarum qualitatibus, sed etiam pro destillationis modo, quæ enim odoris gratia, & refrigerandi simul intentione expetitur, illa quæ ex Balneo Mariæ, vel arena vaporosa & quidem ex Rosis albis destillatur, præstat, ac hujus loco, illa per vesicam destillata, quantumvis, in alijs affectibus præstantior, contra oculorum inflammationem, in collyrium adhibita, ardorem præsente exasperando non parum nocumentum adferret: Nam sulphureæ, odoræ, & penetrantis facultatis aquam, vesica depromit, potissimum ex Rosis fermentatione spirituosis magè factis; Quæ odore excellens, sapore subamaro, ad evanidas vires, calore absente aptissima.

Modus aquam odoriferam eliciendi ex fermentatis Sambuci floribus.

Hisce floribus, à petiolis liberis, q. s. & bene compressis, aliquot cucurbitas vitreas, vel ex stanno anglico factas, implere decet, quæ si angustioris orificij sunt, subere, & cera Hispanica, latioris vero alembico cœco claudantur, ut nihil expirare possit; quæ aheno aqua repleto imponendæ, haud profundius, quam ut tertia cucurbitarum pars, ab aqua tangatur, eoque caloris gradu quem manus, sine molestia perfert, ad quartum usque diem foveatur, tandem aqua refrigerata, ac floribus, qui in proprio humido, ad pultis consistentiam contabuerunt, expressis, succus, per vesicam parvam, cum alembico stanneo, destillandus est. Aqua hæc mirificæ, qua odorem, qua saporem suavitatis est, ad externa juxta, & interna, ejusdem, cum vulgari Sambuci destillato, usus est.

Aqua

Aqua, ex floribus Caryophyllorum.

Floribus Caryophyllorum, rubris, & odoratis, minutim incisis, in cucurbita vitrea, aqua rosarum incarnatarum ex Balneo Mariæ destillata, ad æquale cum floribus pondus, affundatur, quorum succus expressus, post 40. horarum in B. fomentationem, vel tota massa, ex vesica parva stannea, cum alembico, & serpentinis vitreis, donec ℔ *ij.* prodierint, destilletur: quæ studiose servanda, & usu postulante, aquis cordialibus, ac bezoardicis miscenda.

Aqua Liliorum convallium.

Paratur hæc aqua, diversis modis, quorum complures vix alicujus momenti existunt, hic autem præ cæteris, potior mihi visus est. Floribus Liliorum convallium recentibus, à viridi parte mundatis, & in cucurbita benè compressis, mensura una, cum media vini hispanici, aut malvatici, affundatur, hisque in loco frigido servatis, elapso triduo, quinque mensuræ aquæ fontanæ addantur, cujus prima, per vesicam, destillatione mensura seorsim colligatur, magnæ, & progressu temporis increscentis virtutis, quæ vero hanc sequitur, minoris efficaciæ secundaria est.

Aqua nobilis Veronicæ.

Herbæ Veronicæ, mundatæ, concisæ, & contusæ, in mortario lapideo, tantillum vini, aspergatur, eaque per diem & noctem, ut marcescat quieti detur, cujus succus demum prælo expressus, ad medietatem destillatus, aquam citrini coloris, odore, & sapore valentem refert. Virtute pollet solvendi, abstergendi, aperiendi, siccandi, & mundandi: quamobrem internis obstructionibus pulmonis, hepatis, lienis, mesenterij in scabie, pruritu, serpigine, febribus malignis, morbillis sanguinem mundificando, & sudorem pellendo utilissima censetur. Dosis ab ℥ß. ad ℥*ij.*

De Insolatione aquarum destillatarum ad Solem, & earundem conservatione.

Obtinuit antiquus jam usus, ut aquæ recens destillatæ, per dies aliquot Soli exponantur, idque duabus potissimum de caussis. Prima est, ut impuritatem quam continent maximè spumosam, ad fundum deponant, & quadam veluti digestione à cruditate repurgentur. Secunda, ut si quod empyreuma alienumque saporem aut odorem contraxerint, illud abjiciant; Non tamen omnibus, ex æquo hæc competit, ijs ex frigidis, humidis, & glutinosis simplicibus destillatis, visu albidis, & mucosis convenientior; ex calidioribus verò odoratis, sale conditis, fermentatis cum additione vini, aut mellicrati productis minus utilis. Hac enim ratione subtilioribus partibus orbatæ, virium jacturam faciunt, ut cuivis etiam parum docto patet.

Contrahunt aquæ destillatæ empyreuma, pro vario destillationis modo, majus, vel minus, vel etiam nullum; nullum illę quæ ex succis, vel simplicibus longo tempore maceratis, nec ad siccitatem residui, abstrahuntur; quod alioquin contingit, sive per B. sive per vesicam, opus perficiatur; Semper igitur præstat, humido adhuc in fundo superstite, ab opere desistere, & nobilioris substantiæ rationem habere.

Quantum ad conservationem aquarum destillatarum, excipiendæ sunt hæ vasis vitreis, vel terreis vitreatis; & sufficienter excoctis, eæque bene obturatæ, loco temperato locari debent, hyemali tempore: quæ vim frigoris ægrè substinent, muniendæ sunt, semel verò frigore concretæ, rancidæ aut mucilagineæ rejiciantur. Quod si aquas turbari aut albescere contingat, per arenam mundam, vel pulverem vitri crystallini aut silicum alborum filtratione depurentur, exceptis ijs, quæ ex oleosis & aromaticis simplicibus, aut cum vino destillantur, quarum albicantes præstantiores sunt; ut in aqua Cinamomi videre est; quandoquidem non ob impuritatem, hoc colore tinguntur, sed partis aut vinosæ aut oleosæ commixtionem. Quamobrem utilitas insolationis, ad dictas aquas simplices, nativo vigore imbelles solùm extenditur; quamvis etiam in his quædam reperiantur, quæ etiam optimæ, clarificatæ & correctæ, hoc tamen à natura obtineant ut nunquam sine aliqua hypostasi, aut muccagine existant, quæ, modò putrilaginis, & alieni saporis expertes sint, ob id minimè rejiciendæ. *J. D. Thom. A. in Collect. Chimic. Curios.*

De Aquis Simplicibus destillatis hic in specie ulterius non agemus, quia scilicet sic purum Catalogum è variis plantis ac aliis materiis, unde eliciuntur, texeremus, satis infructuosum ac inutilem. Sint itaque jam Aquæ compositæ variæ.

Aqua & Spiritus Absinthij minus-composita, Londin.

♃ *Fol. Absinth. sicci* ℔ *ij. Semin. Anisi* ℔. ß. *Macerentur in spiritûs vini tenuioris congiis sex horas 24 addendo cuilibet libræ liquoris destillati sacchari purissimi* ℥*ij. Primæ duæ libræ spiritûs Absinthij* nomine; *qui sequitur liquor, Aqua Absinthij minus composita titulô designetur.*

Aqua & Spiritus Absinthij magis-composita. Londinens.

♃. *Absinth. marini, vulgaris ana* ℔. *j. Salv. Menth. Melissæ, ana m. ij. Rad. Galangæ. Zinzib. Calam. aromat. Helenij ana* ℥*iij. Glycyrrhisæ* ℥. *i. Uvar. passar. exacin.* ℥*iij. Semin. Fœnic. dulc. Anisi. ana* ʒ*iij. Cinnamomi, Caryophyll. Nucis Mosc. ana* ʒ*ij. Cardam. Cubebar. ana* ʒ*j. Incidenda incidantur, contundenda contundantur, & in Vini Hispan.* ℔ *xxxiv. infund. per horas totidem; deinde destil. in* MB. *addendo sacch. albiss.* ℥*ij. cuique libræ. Prima libra Spiritus Absinthij compositus appellari potest.*

Aqua Acustica sive ad Auditum D.D. Mindereri, è Ph. Aug.

♃. *Herbar. Rorism. Majoran. Salv. hort. Lavend. Rutæ, Origan. Polij mont. Flor. samb. ana p. 1. spicæ. Romanæ p. ß. Bacc. Lauri, Junip. ana* ℥. *iij. Rad. ireos illyricæ, cyperi rotundi, valerianæ, levistici, cyclamin. ana* ʒ. *ß. pyrethri* ℈. *i. bryon. cucum. asinini, raphani, capar. ana* ℥. *iß. colocynth.* ʒ*ij. nucleor. persic. Sem. raphani, rutæ ana* ℥. *ß. fœnic. castor. ana* ʒ*iß. Incisis & contusis, adde Galbani in* ℥. *iß. aqua aureæ Langij dissoluti* ʒ. *ij. Urinæ capræ vel pueri* ℥. *viij aceti scillini, rutacei ana* ℥. *viij. spir. junip.* ℥. *ij. Factâ per 24. horas maceratione, destilletur lento igne in Balneo, destillatum commisceatur cum spir. rosarum m*ʒ. *j. servetur usui.*

Vires. Ad varias auditûs læsiones, surditatem, tinnitum, sibilum ac strepitum in auribus, ab humore, vapore, vel flatu provenientem conducit.

Aqua Alexipharmaca. *Zwelf.*

♃. *Rad. rec. Angel. levisticæ, enul. ana* ℥. *iij. zedoar. Ostrutij, contrajervæ, ana* ℥. *ß. Herb. recent. rutæ hort. scord. nostr. ana* ℥. *viij. melissæ citratæ* ℥. *vi. Sem. rutæ rec. collect.* ℥. *j. bacc. Junip.* ℥. *vi. Lauri* ℥. *ij. cort. Arant. rec.* ℥. *iij. Citri rec. & ext.* ℥. *iv. cinam. opt.* ℥. *ij macis* ℥. *j. caryoph.* ℥. *j. Incisa & contusa immittantur in cucurbitam vitream, superaffundendo vini boni lib. vi. Factâ digestione, fiat destillatio per Arenam*

aut

aut per B. n. vaporosum ad siccitatem ferè specierum; immissis proboscidi Alembici, croci austriaci vel orientalis, myrrh. elect. ana ℥j. camphoræ ʒß. Aqua prolecta cum cautelâ asservetur. Quæ cùm in usum petetur, Syr. de scordio simpl. vel compos. aut de cort. Citri edulcorari poterit. E residuis autem speciebus, beneficio aquæ seu spiritûs vini Extractum parari potest, cùm ad prophylaxin, tùm etiam ad curationem. Quòd si efficacius Extract. velis gustuique consulere, additis elæosacchari, rutæ, citri & angelicæ ana ℥j. vel ʒvj. hoc ipsum præstabit.

Vires. Aqua hæc Alexipharmaca in omnibus morbis qui Malignantis naturæ sunt, quin in ipsa Peste, cùm præservativè, tùm curativè in usum vocanda. Dosis ℥j. vel ℥iß. pro sudore eliciendo.

Aqua Alexipharmaca Amstelodam.

℞. Nucum jugland. cum corticib. mense Junio collectar. ℔iv. Herbar. card. bened. meliss. rutæ, scabios. scordij āā. ℥iv. Destill. s. a. cum s. q. aceti.

Aqua Aluminosa Liebautij,

℞. Succor. Plantagin. Portulac. agrestæ, alumin rupei āā. ℔ß. albumina ovorum nom. xij. Destillentur simul ut artis est.

Hæc aqua pro mundificandis vulneribus & ulceribus adhibetur. Quandoquidem autem in ea nihil de alumine præter phlegma quoddam insipidum & satis iners ascendit, quidam in destillato suprà præscripto duas aluminis drachmas dissolvunt.

Aqua Aluminosa Magistralis Fallopij.

℞. Aluminis rupei, mercurij sublimati āā. ʒij. aquar. plantagin. & rosar. āā. lib. j. Bulliant in vase vitreo ad medietatis consumptionem, & post residentiam factam servetur ad usum.

Aqua hæc detergentibus viribus præcedenti non parum præpollet, adhibeturque in vulneribus sordidioribus, ut & in ulceribus ac cancris à causa venerea ortis, ut ea ratione imminens præpediatur mortificatio.

Aqua Analeptica ex Animalium partibus destillata, Rolfink.

℞. Pulm. vulpis, vituli ana n. ij. carn. vitul. bovin. junior. ana lib. ij. caponis dimidij lib. ¼. perdicum pectus utrumque sang. porcini rec. lib. j. Fol pulmonariæ, salv. veron. hyssopi, tussil. ana m. iij. Rad. caryophyllatæ, iridis fl. diptami albi ana ℥ij. Sem. fœnic. anisi, ana ℥iv. dactyl. ficuum ping. ana n. xij. passul. min. lib. j. major. lib. ß. cinam. caryophyll. macis, ana ℥ß. nuc. mosc. n. vij. contusa concisa omnia s. a. macerent. in aq. font. ad supereminentiam spitamæ, vini boni pro arbitratu, stent in digestione dies vi. post destillentur.

Vires. Hæc aqua est medicamentosa, destinata pectoris infirmitatibus refocillandis, spiritibus recreandis, temperiei nativæ partium conservandæ.

Aqua & Spiritus Angelicæ magis composita, Londinens.

℞. Rad. angel. Fol. card. bened. ana ℥vi. melissæ, salviæ ana ℥iv. Sem. angel. ℥vi. fœnic. dulc. ℥ix. Herbæ siccæ & semina crassiusculè contundant. quibus adde Specierum aromatici rosati, Diamoschi dulc ana ℥iß. infund. per biduum in vini Hisp. lib. xxxij. destill. s. a. leni igne. Admisce unicuique libræ saccari in aqua rosacea soluti ℥ij.

Tres primæ libræ *Spiritûs*, cæteræ *Aquæ* titulo insigniantur.

Aqua Angelicæ Pestilentialis Collectan. Leidens.

℞. Rad. Angel. imperator. petasitid. valerianæ āā. ℥ß. Semin. angelic. levistici, baccar. juniper. āā. ʒvj. spir. vini mensur. i. Per tempus infusum destilla, vel absque distillatione filtra & serva Dos. est cochleare j.

Aqua Anhalthina ex Schrodero.

℞. Therebinth. elect. lib. ß. thur. masc. lign. ℥. Aloë pulv. ℥iij. gran. mastich. caryophyl. [aliis fl. anthos] nucistæ, cubeb. aliàs galang. cinam. ana ʒvj. croc. orient. integ. ʒiiß. sem. fœnic. bacc. lauri ana ℥ß. Pulveris. infundant. in vini lib. v. gerantur per dies 6. additis Moschi in petia ligati gr. xx. Hinc destillentur lentissimo MB. Quod clarum est separetur à turbido.

Vires. Calf. sicc. discut. stomachum, cor & reliqua viscera corroborat. Hinc efficax est in animi deliquijs. Extrinsecùs crebrior ejus usus est: confert in catarrhis atque doloribus à causa frigida subortis, in Arthritide vaga, in Paralysi, Epilepsia, Apoplexia, Vertigine, Tremore, Lethargo, &c. scil. membrum affectum eâ bene fricetur.

Aqua Angelorum odorata è Theatro Pharmaceutico Anton. de Sgobbis.

℞. Rosar. rubr. ℥iij. florum mirthi ℥ij. citri ℥iv. roris marini ℥j. genistæ, rosar. moschatar. āā p. iij. meliss. m. ij. summitat, citri m. iij. cinnamom. opt. caryophylor. iridis oriental santal. citrini āā. ℥ij rad. angelicæ ℥ß spicæ nardi ʒiij. lign. rhodij, cubebarum āā ʒij. aquæ rosar. & flor. aurantior. fragrantiss. āā. lib. vj. vini alb. lib. ij. stent in infusione MB. per dies tres, post omnis aqua odorata secundum artem destilletur; tum in ea rursus infunde styracis calamit. benzoini electi āā ℥iß. ligni aloës ℥ß. moschi & ambræ āā. q. v. atque hæc ingredientia in ejus fundo semper relinquantur.

Valet non tantùm propter exquisitam fragrantiam, spargendo odori grato, in quocunque volueris loco, & varijs rebus eo inficiendis; sed etiam corroborandis varijs humani corporis partibus, ut & suscitandis spiritibus oppressis, ac cordi langueuti reficiendo; idque & intus adhibita & extus applicita.

Aqua Antimelancholica D. D. Tobiæ Fischeri, è Pharm. Aug.

℞. Rad. buglossi ℥ij. Flor. borrag. buglos. anthos ana ℥iß. croci orient. integ. ʒj. carnis seu pulpæ cydonior. pomor. dulc. odorator. ana ℥ij. citri cum corticibus contusi ℥iß. Concisa misce, & infunde in vini albi opt. ℔iiß. Macerent. horis 24. post destill. in Balneo; destillatum restituatur capiti mortuo, digeratur & denuo destillentur.

Vires. Ad varias melancholiæ species proficua est, mentis torporem & stuporem tollit, timores & mærores profligat, imaginationis hallucinantis dispellit nebulas, lætitiæ lumine cor & cerebrum irradiat.

Aqua Aperitiva ex Schroder.

℞. Rad. eryng. scorzoner. folic. cent. major. brus. ana ℥ß. fœnic. cortic. cappar. tamarisc. fraxin. ana ʒiij. citri odorat. ʒiiß. Sem. vitio card. bened. cichor. ana ℥ß. endiv. scariol. nasturt. citri ana ʒij. Herb. polytrich. adianth. ceterach. cuscut. scolopendr. beton. endiv. ana m. iß. Sum. thym. epithym. lupul. Flor. hyperic. genist. borrag. meliss. ana m. j. passul. min. ℥j. Infundantur in aq. lupuli, scolopendr. card. bened. veronic. ana ℔j. vini Rhenan. ℔iiß. additis cinamomi ʒiß. spec. dialacc. ʒß. Stent in loco calido per duos dies probè clausa, postea destillentur in MB. igne lento.

Vires. Maximarum est virium, in reserandis obstructionibus totius corporis, maximè verò Lienis, Epatis & Mesenterij, adeóque commendabilis in effectu hypochondriaco, aliísque affectibus affinibus. *Dosis cochl. I.*

Aqua Apoplectica Crollij, ex Schroder.

℞. Flor. lil. convall. tiliæ, pœon. primul. veris, majoran. lavendulæ, salv. beton. rorismar. cerasorum nig. & dulc. crescente Lunâ decerptorum q. p. Tritis omnibus & mixtis, vel seorsim flores, seorsim cerasa destillentur, adde farina

farinæ sinapi ℔j. vel ij. affusáque aqua comm. q. s. fermententur ac destillentur in MB. Spiritui elicito adde Elixyr. epilept. Croll. ana circula aliquandiu. Dosis cochl. ß.

Aqua Apoplectica Sennerti.

℞. *Flor. lil. conval. q. v. infunde in vini opt. Mensur. ij. dieb. 14. postea destilletur ac serva. Destillato infunde postmodum Flor. lavend. recent. q. placet, cubebar. cinamom. nucis mosch. macis, galang. ana ℥ß. visc. quern. Rad. peoniæ ana ʒvj. Stent in maceratione vase clauso dieb. 14. Hinc. destilla. Schr. Ph.*

Aqua Apoplectica Langij. *vide infrà* Aqua Mirabilis Langij.

Aqua Apoplectica D. Charraz.

℞. *Summitat. majoran. Flor. tiliæ, lilii convall. anthos, lavend. salv. & prim. veris ana m. iij. macerentur per 8. dies ad Solem vel in hypocausto in Spir. vini rectific. & Aq. flor. Arant. ana ℔iij. Deinde in Balneo Aren. ex parte destillentur & servetur aqua.*

Vires. Excellit hæc aqua corroborandis partibus nobilibus & cerebro. Dos. cochl. dimidium ad cochleare integrum, tàm ad præcavendam quam ad fugandam Apoplexiam, ut & ad omnes cerebri morbos. *Schrod. Ph.*

Aqua Apoplectica Noribergens.

℞. *Flor. lilij convall. m. vj. lavend. m. vj. lavend. m. ß. Fol. salv. m. iij. Sem. peon. ℥ß. visc. quercin. Rad. dictamni albi, caryophyll. ana ℥j. Herb. majoran. beton. prim. ver. ana m. iß. puleg. polij mont. origani cretici, thymi cret. ana m. j. Rad. peon. Bacc. Lauri, ana ℥ß. gran. junip ℥iß. calami arom. Zedoar. cortic. citri pomi, piper. longi, nigri ana ℥ß. Sem. coriandri præparati, erucæ, cardamomi, cubeb. castorei ana ʒij. Zingib. albi, caryophyllorum, cinam. optimi, galangæ ana ʒiß. granor. paradysi, nucis mosch. ana ℥ß. myrrh. optimæ ℈iv. Pulverisentur & infundantur in vini optimi per destillationem rectificati Mensuris iv. & vini generosi Mensura ß. & destillentur per Balneum sec. art.*

Aqua Apoplectica Wedelij.

℞. *Flor. lavendul spicæ, ãã. m. xij. liliorum convall. m. v. paralys. m. iij. cheiri, m. ij. pæoniæ, tiliæ ãã m. ß. roris. mar. betonic. ãã. m. j. summit. serpilli, citrariæ ãã m j. ß. herbar. pulegij, chamædryos, chamæpith. polij mont. ãã. m. j. zinziber. caryophyllor. cubebar. N. mosch. cardamomi, macis ãã. ℥ß. Affunde aqua lilior. convall. opt. cum vino destillatæ mensur. iv. vel q. s. & destillentur s. a.*

Aqua Antapoplectica, Zvvelf.

℞. *Vini Malvat. vel. Hispan. ℔vj. Spir. vini anisati puri non phlegmatici, ℔viij. cerasor. nigr. ardent. ℔ij. aq. lilior. convall. sine additione ex Baln. n. vaporoso still. ℔j. Quibus immergantur successivè, & quidem tempore Veris subsequentia, Rad. recent. peon. ℥ij, doronic. veri ℥iiß. cyperi rotundi ℥j. Zedoar. ℥jß. Herb. recent. basilici, beton. hormini seu salv. sylv. majoranæ, menthæ odoratæ, puleg. calamin. mont. rorism. salv. serpilli, thymi ana ℥iv. Flor. recent. acaciæ, lil. conval. cheyri, lavend. paralys. peon. tiliæ, tunicæ ana ℥iij. Sem. coriandri ℥jß. cardam. min ℥ij cubeb ℥jß. cinam. opt. ℥vj. caryophyl. ℥ij. nuc. mosch. ℥iij. Bacc. lauri, junip. ana ℥j. Ligni rhodij, santal. citrini ana ℥iß. aloës opt. odorif. ℥j. Cort. arant. recent. extim. citri recent. extim. ana ℥jß Omnia debito tempore collecta & infusa destillentur tandem in Balneo n. vaporoso ad siccitatem ferè specierum, capitello, vel ejus rostro, immissis. lign. aloës opt. incis. crass. ʒj. & si lubet ambræ gryseæ ʒß. moschi opt. orient. ℈j. Absolutâ destillatione, Aqua usui asservanda.*

Vires. Aqua hæc roborando cerebro, & universo nervorum generi, dicata est; ad roborandam memoriam, arcendam apoplexiam, & paralysin præstantissima.

Aqua Apoplectica alia ejusdem.

℞. *Aq. cinamomi, cum vino stillat. vini Malvat. ana ℔iv. Hisce mixtis immergantur cinam. acuti ℥viij. caryophyll. ℥j. nuc. mosch. ℥ij. macis ℥j. Rad. recent. pæon. ℥iß. doronici veri ℥j. cyperi rotundi ℥iß. Sem. coriandri ℥j. anisi ℥iß. Bacc. lauri ℥j. cardam. min. ℥iß. cubeb. ℥j. Factâ maceratione destillentur per Balneum n. vaporosum, ad siccitatem ferè specierum, rostro capitelli in petia ligatis immissis ligni Aloës crassè incis. ʒj. & si lubet ambræ gryseæ ʒß.*

Vires. Præstans hæc aqua destillata servetur usui superiùs edocto. *Zvvelf. Ph. Reg.*

Aqua Antapoplectica Mineralis ex eodem.

℞. *Cremor. Tart. ℔j. mineræ antimonij ℔iß. Destilletur ex ijs igne moderato per Retortam Spir. acid. qui rectificetur. Hinc.*

℞. *Illius spir. ℥vj. cui adde spir. Veneris ex viridi æris ℥iij. Saturni ardentis, ex sacchara instillati ℥iß. Vitrioli volat. sulphur. ab acido suo spir. rectificati ℥iv. Misceantur ad usum.*

Vires. Est Aqua seu Spiritus subacidus præstans in affectibus apoplecticis, epilepticis, soporosis, summè expetendus. Reserat meatus cerebri, secundæ regionis & medij ventris, ut influentibus spiritibus animalibus & vitalibus liber pateat aditus, quò uberius partes contentas irradient. In Epilepsia infantum securissimè adhibetur, à ℈j. ad ʒij. in vehiculo grato.

Aqua Apoplectica spirituosa Joh. Helffrich Jungken.

℞. *Flor. lilior. convall. anthos, lavend. tiliæ, basilic. mari ver. ãã. ℥ij. herbar. salviæ, majoran. serpilli. rorismar. thymi ãã m. ij. incisis affunde vini gener. & spir. cerasor. nigr. per fermentation. parati ãã. q. s. Tunc digestione per dies sex factâ, destillâ, & in aquâ prolectâ rursus infunde, cinnam. cardam. nuc. mosch. cubebar. caryophyllor. Zedoariæ, angel. tormentill. ãã. ℥j. Maceratione rursus facta, destilla per vesicam, & aquam primò egredientem serva, & si lubet in aliqua ejus parte suspendatur in nodulo moschus & ambra, in alia vero parte castoreum pro fœminis.*

Medetur Apoplexiæ, Epilepsiæ, Vertigini & alijs capitis affectibus. Dosis cochl. j. Externè verò naribus admovetur, vel temporibus ac pulsibus, vel membris affectis illinitur.

Aqua Apoplectica Ludovici.

℞. *Aq. lilior. convall. spirituosæ, è recentibus floribus sine fermentat. moderato igne extractæ ℥xij. utriusque spicæ nostratis ex herba & floribus destillatæ spirituosæ ℥iv. M. & serva.*

Hanc aquam, tam per se, quàm cum aqua quadam aromatica, v. g. cinnam. &c. ex tempore mixtam, id præstare asserit suus Autor, quod tot aquæ & spir. Apoplect. cephal. mirab. salviat. lavendulat. &c. largiter promittunt, at parum servant, utpote quæ vel intensiori caliditate, vel incompetenti dulcoratione, affectus potiùs exasperant quàm mitigant. Imò effectum qui varijs picarum & varijs hirundinum adscribitur, melius obtinuimus, si aquæ modò dictæ, vel sp. C. C. rectific. vel essentia castorei, vel acetum medicatum, aut rutaceum saltem permiscebatur.

Aqua Apoplectica Electricis Saxoniæ.

℞. *Flor. lilior. convall. ℔iß. lavendul. tiliæ, anthos ãã. m. ij. cinnam. ℔ß. galangæ ℥ij. cardam. cubebar. ãã. ℥jʒvj. radic. pæon. ℥iv. vini gener. mens. iv. vel ℔xij. Infusa post triduum destillentur.*

Aqua

Aqua Aromatica Norimbergens.

℞. *Cinamomi* ℥ß. *nuc. mosch.* ʒij. *macis, galangæ, caryophyll. granor. paradisi, Flor. rorism. lavend.* āā ʒj. *cardam. cubebar. ana* ʒß. *Pulverisata infundantur in vini Malvatici mensura una & servetur usui.*

Aqua Arthritica, Ph. Aug.

℞. *Flor. chamæm. Fol. pulegij, lavend majoranæ* āā. ℥j. *rorism.* ℥iij *salv. chamæpit. ana* ℥ij. *myrrhæ opt.* ℥ij. *caryophyll. cinam. ana* ʒij. *Rad. pœon.* ℥ß. *pyrethri, cyp. rot. ireos illyricæ ana* ʒjß. *cardamomi min. cubeb. ana* ʒj *nuc. mosch.* ℥ß. *Infund. in* ℔iv. *Spir. vini rectif. stentque in infusione, vase probè clauso, per dies* 14. *Postea destill. in* MB.

Vires. Tremulis, paralyticis ac paresin à colicâ perpessis auxilio est, frigidis articulorum morbis opitulatur, nervos roborat, & juncturis virium jacturam resarcit.

Aqua Arthritica Zvvelf.

℞. *Rad. cyp. rot. pœoniæ recent. cardopatiæ, pyrethri ana* ℥jß. *Herb. recent. camæpyth. calamin. mont. major. rorism. salv. hort. satureiæ, serpilli, Flor. recent. lavend. spicæ* āā. ℥iij. *Summit. Abiet. arb. recent. oculor. populi arbor. recent* āā. ℥vj. *cinam. acuti, coriand.* āā. ℥ij. *caryophyll.* ℥iß. *cardam. cubeb. macis ana* ℥j. *Bacc. lauri* ℥iij. *junip. recent. virid.* ℥iv. *Cuncta incisa & contusa immergantur in Spir. vini rectif.* ℔viij. *Factáque maceratione in vase probè clauso, destillentur per Balneum n. vaporosum ad totam specierum siccitatem. Liquor extillatus servetur ad usum.*

Vires. Frigidis articulorum affectibus opitulatur, nervos corroborat, lentos viscosósque humores, partibus musculosis & juncturis impactos, quíque profundiùs delitescunt, allicit, attenuat, & ad διαφόρησιν disponit. Usus ejus ab extrà nimirùm; unde & Paralyticis, imò Paraplecticis etiam, solatio est.

Aqua Arthritica Mollenbrockij.

℞. *Ovor. formicar. mens. j. vini generos. mens. vj. Destilla & huic destillato infunde summitat. pini m. iij. baccar. junip.* ℔. ß. *flor. lavendul. anthos, salv. summit. arbor. vitæ* āā *m. v. fol. lauri m. iij. cubebar.* ℥iij. *post infusionem destilla iterum, ac liquori egresso spirituoso adde radic. pyretri* ℥iij. *Stent ita per longum tempus infusa: Tunc filtratæ aq. summe* ℥iv. *spir. lumbric. terrestr.* ℥ij. *cochlear. rectificati* ʒij. *M.*

Vires. Sunt insignes si externè. Sæpius affricatur membris paralyticis & arthritide correptis.

Aqua Asthmatica Ph. Aug.

℞. *Rad. enulæ* ℥ij. *ireos Flor.* ℥iß. *Herb. hyssopi, pulmon. salv. hort. ana m. j. Sem. anisi, fœniculi, cinam. acuti ana* ℥iß. *cardam.* ʒij. *croci* ℈ij. *Spir. vini* ℔j. *Aq. scab. tussilag. veron. ana* ℔ß. *Digerantur per triduum, postea destill. in* MB.

Vires. Morbis thoracis & pulmonum, à crassis & viscidis humoribus productis medetur; & difficilem inprimis respirationem emendat.

Aqua Asthmatica alia ex eâdem Pharmac.

℞. *Rad. enulæ camp.* ℥ij. *ireos Flor.* ℥iß. *glycyrrhizæ, fœnic. farfaræ ana* ℥j. *althææ, consol. maj. ana* ℥vj. *scillæ præparatæ, aristol. rot. veræ* āā. ʒij. *Herb. nepetæ, prasij, hyss. capill. Vener. pulm. utriusque salv. hort.* āā. *m. j. Sem. nigellæ, erucæ, nasturtij* āā. ʒvj. *urticæ romanæ* ℥ß. *anisi, fœniculi ana* ʒvj. *Bacc. lauri junip.* āā ℥j. *spicæ indicæ, cinam. acuti ana* ℥ß. *costi arabici, cardamomi ana* ʒij. *croci* ℈ij. *jujubar. sebesten.* āā. ℥j. *dactylor. ping. caricar. ping.* āā. *n. viij. Incisis & contusis omnibus fiat infusio in vini albi opt.* ℔vj. *Malvatici* ℔iv. *sublimati* ℔ij. *aq. still. centaurij min. scabiosæ, taraxaci, tussil. plantag. veron. card. bened. hederæ terrest.* āā. ℔ß. *per dies vij. postea in liquore dissolvantur Lohoch sani & experti, de pulmone Vulpis, de pino, ad Asthma* āā. ℥ij. *Destillentur omnia s. a. in* MB.

Vires. Præpeditam spirandi facilitatem à crassis & viscosis humoribus, meatus pulmonarios, & thoracis regionem obsidentibus introductam tollit, pectorique spiritum liberiorem conciliat.

Aqua Asthmatica Zvvelf.

℞. *Spir. vini anisati, & rectif.* ℔iij. *vini Malvat.* ℔ij. *His mixtis immergantur Rad. recent. enulæ* ℥ij. *ad iv. calami aromat.* ℥ij. *pimpinellæ* ℥iij. *Herb. recent. anethi, calaminthæ mont. hyss. melissæ, rorism. salv. hort.* āā. ℥ij. *Sem. anethi, anisi, carvi, nasturt.* āā. ℥j. *cinam. acuti* ℥ij. *macis* ℥j. *benzoes, styracis calam. ana* ʒvj. *croci opt. orient. vel austriaci* ʒiij. *vel* ℥ß. *Bacc. lauri* ℥j. *junip.* ℥jß. *Factâ maceratione sufficiente, donec nimirum omnia infusa & collecta sint, destistentur ex Balneo n. vaporoso, ad siccitatem ferè specierum, proboscidi alembici prius immittendo croci opt.* ʒß. *Aqua exinde destillata servetur usui, in quem ubi, necessitate adurgente, vocanda Syr. de Enula edulcorari poterit.*

Vires. Solatio est ijs, qui cum stertore phlegmata secernunt, & quibus citatior anhelitus, asthmate præfocatis, senibus catarrho frigido detentis, Pulmonibus denique dicata.

Aqua Aurea D. D. Johannis Langij, è Pharm. August.

℞. *Vini alb. opt. mens. j. aq. still. cerasor. nigr.* ℔jß. *Fl. lil. conval. m. x. lavend. m. jß. anthos m. j. caryophyll. macis ana* ʒij. *cubeb.* ʒß. *visci querni, Rad. pœon. dictamni albi ana* ʒij. *Incidenda incidantur, & conquassanda conquassentur; & post factam aliquandiu digestionem destillentur in* MB.

Vires. Vires omnes corporis fulcit, epilepticos insultus abolet, insignis etiam est auxilij in catarrhis frigidis ad pulmones defluentibus, & asthmata inducentibus.

Aqua Bardanæ composita Ph. Aug.

℞. *Rad. bardanæ recent. vincetoxici recent. Cort. med. rad. fraxini ana* ℔ij. *Minutim incisa infundantur horis* 24. *in vini albi odoriferi, & aceti rutacei* āā. ℔v. *Postea destill. in* MB. *addendo post destillationem spiritus acidi sulphuris q. s. pro manifesto acore, & ad singulas libras liquoris egressi Camphoræ* ℈ß. *quæ in nodulo ligata stillatitio huic liquori immersa pendula permaneat.*

Vires. Sudores potentissimè prolicit, grassante peste felici cum successu adhibetur, venenatorum enim humorum malitiam temperat, atque ab infectionis ac putredinis miasmate sanguinem liberat.

Aqua Bezoardica ex Scroder.

℞. *Rad. carlinæ exicc.* ℔j. *vincetox.* ℔ß. *Summit. hyperic. exicc. absinthij* āā. ʒvj. *M. F. pulvis cujus*

℞. ℥xij. *aq. font. lib. iv. spir. vini rectif. lib.* ß. *M. & destilla per vesicam ad medias, dissolve in sing. lib. sal. Tart. Vitriolati* ℈ij. *donec acescat.*

Dosis pro præservatione cochl. j. pro curatione iv. aut v. reiterando semel post horas v. sudando desuper usque dum meliorationem presentiat.

Aqua Bezoardica D. Charraz.

℞. *Rad. carlin. & vincetox.* āā ℥iv. *Fol. scord. rutæ, card. bened. melissæ & summit. hyperic.* āā. *m. ij. Macerentur contusa vel concisa omnia in aq. nucum still. lib. iv. & spir. vini lib. j. & igne arenæ moderato destill. ex residentia*

verò combusta sal extractum in aqua ad usus servanda dissolvatur.

Vires. Hæc aqua admodum efficax est contra pestem & morbos omnes epidemicos. *Dos. cochl. j. ad præservationem, iij. verò aut etiam ℥iv. ad curationem & ad sudores promovendos.*

Aqua Bezoardica Coll. Regal. Londin.

♃. *Fol. chelidon. m. j. cum radicib. m. iijß. rutæ m. j. scord. m. ij. dictam. cretic. card. bened. ana m. jß. Rad. Zedoar. angel. ana ℥iij. cort. externi citri, limon. ℨv. Flor. tunicæ ℥iß. rosar. rubr. cent. min. ana ℨij. Incidenda incidantur & per triduum macerentur in Spir. vini opt & vini Malvat. ana ℔iijß. aceti flor. tunicæ, succi limon. ana ℔j. Destillentur per MB. in vase vitreo. Liquori destillato adde cinam. ℥iij. caryophyll. ℨijß. Theriac. Androm. ℥iij. Mithrid. ℥iß. camph. ℈ij. trochisc. de viperis ℥ß. macis ℨij. xyloaloës ℨj. sant. citrin. ℨjß. Sem. card. bened ℥j. citri ℨiij. Macerentur bidui spatio & lentissimo igne destillentur per MB. bis vel ter. Postquam ad medias facta fuerit destillatio: quod in vase erit residuum, colari poterit per pannum lineum, & colatura per ulteriorem destillationem reduci in extractum Mellagineum, asservandum sub nomine Extracti Bezoardici.*

Aqua Bezoardica Michaelis Angeli Rotæ, è Thes. Pharm. Italico Felicis Passera Capucini.

♃. *Succ. angelic. pratens. pimpinell. cortic virid. nuc. jugl āā. ℔iij. card. bened. rutæ, scordij nostratis āā. ℔ij. echij, rutæ caprar. scab. acetos. heder. terrestr. calendul. myrrhid. cyani maj. meliss. āā. ℔jß. aceti sambucini, calendulati, cariophyllati, rosati, & è rubia tinctorum āā. ℥viij. aceti rutacei ℔ij. rad. bistort. tormentill. gentian. maj. dictamni alb. carlinæ, aristoloch. rot āā. ℥iv. petasitidis, imperator. vincetox. angel. odorat. āā ℥iv. cuticulæ citri ℥vj. cortic. median. sambuc. recent. fraxini recent. āā m. vj. ligni rhodij ℥ß. bacchar. juniper. lib. ij. santal. citrini, dictamn. Cretic. scordij Cretic. chamædryos, corallinæ āā. ℥ij. boleti cervini ℥iv. Macerentur omnia per dies tres in MB. tepido, post destillentur rostro capitelli adaptando camphoræ optimæ nodul. inclusæ ℨj. Asservetur aqua prolecta vase vitreo probè obturato. Poterit etiam è residua materia extractum confici, eidemque uniri sal è stipitibus ac fecibus elicitum.*

Hæc aqua efficacissima est tam in præservatione quàm in curatione morborum malignorum. Dos. ℥ij. ad ℥iij. vel sola, vel suo extracto concomitata, vel Syrupo de contrahyerva, aut acetositatis citri, aut de ruta capraria composito admista: item cum theriaca, mithridatio diascordio, vel confectione hyacinthina, exhibita.

Aqua Bryoniæ composita ejusdem Collegij.

♃. *Succi rad. bryoniæ lib. iv. Fol. rutæ, arthem. ana lib. ij. sabinæ, m. iij. matricar. nepetæ, puleg. regal. ana m. ij. Ocimi, dictam. cretici ana m. jß. cort. aurant. flav. rec. ℥iij. myrrhæ ℥ij. castor. ℥j. vini generosi Canarini lib xij. Digerantur per quatriduum vase idoneo, mox fiat in MB. destillatio, deinde sub medium destillationis, expressio, & colatura, & tandem per destillationis continuationem, & tincturæ inspissationem, fiat extractum hystericum.*

Aqua contra Calculum, Norimberg.

♃. *Vini Malvat. ℥jß. nucleor. persicor. num. quinquaginta cerasorum acidorum num. centum, Florum sambuci ℥iv. F. destillatio in Balneo.*

Aqua Cancrorum simplex.

E cancris fluviatilibus vivis contusis sine alia additione elicitur, ac Phthisicis præcipuè restaurandis adhibetur.

Aqua Cancrorum composita Ophtalmica è Nicol. Lemery Pharmac. Univers.

♃. *Cancros fluviatiles vivos, mense Junio, sole & luna in cancro existentibus num. xxxj. Pro pondere eorum adde herbæ chelidonij cum toto. Contunde hæc unà, ac porrò adiice sem. fænic. contus. ℥j. fabar. marinar. camphor. ana ℥ß. caryophyllor. aloës hepatic. tuthiæ præparat. ana ℨij. M. & divide in tres partes æquales; primamque partem in MB. destilla, deinde partem alteram immitte cucurbitæ, & destillatam illam à parte primâ aquam affunde, rursumque abstrahe, ut primâ vice, tum tertiam quoque partem infer, & aquas antea destillatas omnes superinfunde, adeóque tertia vice destilla & serva.*

In detergendis & consolidandis oculorum ulceribus valet hæc aqua, si ejus guttæ aliquot ter aut quater de die oculis instillentur: Tuthia tamen in illius præparatione prorsus inutilis est, quando quidem ejus vires inter destillandum non ascendunt itaque poterit omitti.

Aqua Caponis composita, Ph. Aug.

♃. *Caponem evisceratum atque in frusta incisum, depositâ pinguedine, in olla capaci, & probè occlusa decoque in s. q. aquæ font. ad debitam mollitiem contunde ad pultis formam, cum brodio dilue & exprime. Postea*

♃. *Brodij lib. ijß. aq. borag. buglossi ana lib. jß. Flor. rosar. violar. bugloss. borag. ana ℨij. cinnam. electiss. ℥j. Destillentur in cucurbita vitrea secundum artem*

Vires. Analepticum ac resumptivum est medicamentum, tabidis, consumptis & à morbo longo extenuatis proficuum.

Aqua Carbunculi, Ph. Aug.

♃. *Flor. rorism. lilior. conval. violar. borag. ana ℥iij. lavend. ℥j. Herb. majoranæ, Salv. nucis mosch. macis, zingib. caryophyl. cinnam. galangæ, Bacc. junip. visci querni, Sem. pœon. ana ℥ß. cardam. ℥j. vini malvat. aq. fragor. rosar. lavend. ana lib. iij. F. infusio per octiduum in loco tepido, postea s. a. destillatio. Liquori destillato splendoris, vulgò expetiti, caussâ, aliquot folia auri immergi solent.*

Vires. Non tantùm spirituum vitalium ac animalium vigorem conservat & auget, sed viscera etiam, & nervosum inprimis genus roborat, eorúmque affectus frigidos emendat.

Aqua ad desiccandos Catarrhos, ex Schroder.

♃. *Serpilli q. v. inde cucurb & affunde vini Malvat. quantum ad cooperiendam herbam suff. relinque in cella per 3. septim. deinde destilla leniter & in aqua macera ligni Sassafr. torno attriti ℥j. Dosis cochlear. jß.*

Aqua carminativa seu de Chamomilla composita, ex Schroder.

♃. *Flor. Chamomillæ Rom. m. xxx. Incidantur & contundantur, infundantúrque per horas 24. in aq. chamom. lib. x. (alij xv.) vini generosi lib. vj. Hinc exprime fortissimè, in colatura iterum infundantur horis 24. alij flor. chamom. com. (m. xv. xiv.) exprimantur, colentur. In colatura macera. Flor. cham. m. xij. Flav. cort. arant. ℥jß. Herb. absinth. pont. m. ij. cent. min. puleg. orig. ana m. ijß. Sem. aneth. ℥ij. anisi, fœnic. ana ℥ß. carvi, cumini card. bened. mariæ ana ℥ß. Bacc. junip. lauri ana ℥ß. Stent horis 24. tunc MB. lento igne destilla.*

Vires. Magnarum est virium in morbis à flatibus subortis, e. g. passione colica, inflatione ventriculi & similibus. Præterquam enim quod flatus discutit, vim quoque obtinet paregoricam.

Aqua

Aqua Carminativa Dorncreilij, è Ph. Aug.

℞. Flor. chamam Rom. m. xxxiij. Cort. arant. exter. ℥vj. Herb. absinth. pont. m. ß. cent. min. puleg. origani ana p. j. Sem. anethi ℥ij. anisi, fœnic. ana ℥j. carvi ℥ß. card. bened. ℥ij. mariæ ℥vj. Incisa & contusa infundantur per octiduum in Aq. chamam. ℔viij postea in MB. destillentur.

Vires. Discutit flatus, lenit dolores ventriculi ac intestinorum.

Aqua Carminativa, Zvvelf.

℞. Aq. flor. chamom. sine addit. stillat. ℔vj. anethi ex summitatibus cum vino generoso still. ℔v. His aquis mixtis immergantur Flor. camom. Rom. recent. ℥vj Herb. recent. melissæ, origani, thymi, ana ℥iij. vel iv. Sem. anethi, anisi. fœniculi, carvi ana ℥iß. cumini ℥j. Flav. seu cort. arant. citri recent. ana ℥ij. Bacc. lauri, junip. ana ℥iß. cinam. acuti ℥ij. macis ℥j. Factâ maceratione brevi, destill. in Balneo n. vaporoso, ad siccitatem specierum. Aqua servetur usui.

Vires. Aqua hæc carminativa, iis qui Colicâ flatulentâ, torminibus ventris, & crebris eructationibus nidorosis excruciantur, utilissima: roborat Caput & Ventriculum, digestiones vitiatas corrigit. *Dosis ℥j. vel ℥iß.*

Aqua & Spiritus Castorei Londinens.

Castorei recent. ℥iv. Flor. lavend recent. ℥j. Salv. rorism. ana ℥ß. cinam. ℥vj. macis, caryophyl. ana ℥ij. Spir. vini rectif. lib. vj. Digerantur in phiala, ad tertiam partem tantùm repletâ, vesicâ bubulâ & subere optimè clausâ per biduum, in cineribus tepidulis; deinde Aqua seu spiritus destilletur per MB. vase diligentissimè obturato asservandus.

Aqua Cephalica aromatica, ex Scroder.

℞. Nucis mosch. ℥j. galang. calam. arom. ana ℥ß. macis, caryophyl. cinam. ana ℥j. Fl. lavend. m. jß. Vini Rhen. mens. ij. stent in infusione postea destillentur.

Vires. Non capiti solùm, sed & ventriculo maximè convenit, imbecillitati eorum succurrendo, cruditates indè ortos corrigendo, & discutiendo.

Aqua Cephalica F. F. vel epileptica, ex Schroder.

℞. Flor. lilior. conval. ℔jß. pœon. lavend. beton. ana ℔j. tiliæ, prim. ver. ana ℥iij. Herb. botryos cum fl. m. j. Rad. pœon. ℥iiß. aristoloch. ℥ß. dictam. albi ℥j. Sem. pœon. ℥iiß. cubeb. ℥j. piper. nigr. ℥ß. visci quern. ℥j. ʒij. coryl. ʒiij. Macerent. in vini Malvat. mens. ij. per septim. 3. deinde destillentur in MB.

Vires. Non immeritò Apoplecticam nominaveris, utpote cui morbo præcipuè consecrata est. Succurrere tamen apta est, & reliquis capitis affectibus, catarrhorum flatuúmque nequitiâ introductis. Quales sunt Vertigo, Gravedo capitis, Epilepsia, &c.

Aqua Cephalica è Weickard.

℞. Fol. salv. min. rorism. Flor. lavend. summit. majoranæ ana ℥viij. Fol. rutæ, puleg. ana ℥v. meliss. ℥vij. menthæ crispæ ℥vj. Flor. beton. ℥x. sum. abrotan. ℥iij. Incisis atque minutim in mortario contusis adde cariophyl. cinam. nuc. mosch. ana ℥ijß. macis ℥iß. galangæ, zedoariæ ana ℥ijß. zingib. cubeb. ana ℥iß. carnis citri ℥v. Sem. fœniculi ℥iv. Bacc. juniperi ℥iij. Conquassentur omnia & misceantur in vase conveniente, affundendo vini Malvat. aut alterius generosi, ℔viij. stent simul per mensem, postea destill. in MB. & in fine rostri Alembici suspendantur in sindone aliquot grana Moschi.

Vires. Hæc aqua mirificè spiritus animales confortat, & dolori capitis ex causa frigida convenit, si parùm de ea bibatur, nec non linteis excipiatur & fronti ac temporibus applicetur.

Aqua Cinnamomi cordialis, è Ph. Aug.

℞. Aq. borag. bugloss. rosar. violar. ana ℔j. Cinnam. elect. ℥iij. Post triduam infusionem fiat destillatio.

Vires. Vires in confortando corde sunt egregiæ.

Aqua Cinnamomi Cydoniata, è Ph. Aug.

℞. Succi cyd. recent. express. ℔iij. Cinnam. elect. ℥ijß. F. infusio per triduum, postea destillentur.

Vires. In corde & stomacho roborando vires habet eximias.

Aqua Cinnamomi contra Epilepsiam, Norimberg.

℞. Cinnam. opt. ℔j. Sem. pœon. recent. ℥j. sclareæ, caryophyll. ana ℥v. visci quercini, Rad. pœon. ana ℥ß. Incisa & contusa macerentur in aq. cinnam. ℔v. per dies octo, deinde F. destillatio per B.

Aqua Cœlestis Londinens.

℞. Cinnam. opt. ℥j. zingib. ℥ß. santal. omnium ana ʒvj. caryophyll. galangæ, nucis mosch. ana ʒijß. macis, cubeb. ana ℥j. cardam. utriusque ana ʒiij. Zedoariæ ℥ß. Sem. Melanthij ʒiij. anisi, fœniculi dulc. dauci sylv. ocimi, ana ʒiß. Rad. angel. caryophyllatæ, glycyrrhisæ, valerianæ min. calami odorati, Fol. hormini, thymi, calaminthæ, puleg. menthæ, serpyl. majoranæ ana ʒij. Flor. rof. rubr. salv. rorism. beton. stœch. buglossi, borag. ana ʒiß. Cortic. citri ʒiij. Terenda terantur, & macerentur dies 15. in ℔xij. Spir. vini opt. in vase vitreo probè clauso: dein destill. in MB. s. a. Tum aquæ destillatæ adde Spec. Diambræ, aromat. rosati, diamoschi dulcis, diamargariti frig. diarrhodon Abbatis, Elect. de gemmis, ana ʒiij. Santali citrini contusi ʒij. moschi, ambræ griseæ, in tela rara ligatorum, ana ℈j. Julepi rosati clari, ℔j. Optimè simul conquassentur, ut Julepum cum aqua benè commisceri queat. Dein clauso vase cum cerâ & chartâ Pergamenâ, reponantur, donec crassamentum deposuerint, & aqua clara evaserit.

Aqua Communitatis ophtalmica, ex Schroder.

℞. Herb. euphrag. m. iij. chelid. fœnic. verben. sileris mont. ana m. ij. rutæ, melissæ, ana m. j. caryophyll. macis, pip. longi ana ℥ß. Macerentur per noctem in Aq. ros. alb. Vini alb. ana Destill. aq. in MB.

Vires. Acuit visum, sordes oculor. detergit, maculas aufert, ulcera sanat, &c. scil. instillata.

Aqua Communitatis paulò aliter, ex Eôdem.

℞. Summit. euphrag. m. ij. chelid. verben. beton. chamæpit. aneth. hormini, anagallid. fl. rubro, ana m. j. Sem. ameos ℥ß. Rad caryophyll. ℥j. Flor. anthos, m. ß. piper. long. ij. Macerentur in vini albi q. s. per diem integram, & destillentur.

Vires. Vires easdem obtinet cum priori.

Aqua confortans usitata, è Ph. Aug.

℞. Aquar. ceras. nigr. rosar. borag. buglos. Flor. violar. tiliæ ana ℥vj. cinnamomi optimæ ℥iß. Margarit. præparatar. ℈ij. corallior. albor. præparatar. ʒj. C. C. spagir. præparati ℈iv. sacchari perlati ℥v. Misce ad vitrum pro usu.

Vires. In omni debilitate & languore virium exhibetur, spiritus animales puriores reddit, sensuum internorum & externorum organa reficit, atque ita generale quasi confortans, omni ætati, sexui, & morbo adcommodatum existit.

Aqua Confortativa Norimberg.

℞. Aquar. cerasor. nigr. rosar. borag. buglos. Flor. violar. rubi-idæi ãã. ℥iij. cinamomi opt. ʒvj. margaritar. præparatar. corall. rubr. præparator. ãã. ʒß. Smaragd. præp. C. C. spag. præparati, ãã. ℈ij. confect. manus Christi perlatæ ℥ijß. Misce.

Aqua cordialis è succis Timæi, è Ph. Aug.

℞. Succi cerasor acidor. ℔ij. rubi-idæi ℔ß. rosar. rubr pallidar. ana ℥ix. granator. acido-dulc. citri, acetosellæ, ana ℔j. borag. buglossi, ana lib. ß. Misceantur & in Balneo destillentur.

Vires. Vires ejus sunt in corde confortando, & cumprimis in febribus ardentibus & malignis maximè salutares.

Aqua cordialis frigida, Norimberg.

℞. Rosar. rubr. contusar. lib. ß. santal. alb. citrini, ana ℥ß. Flor. cordial. ana ʒij. Misce & infunde in aq. & uccor. seq. scil. Acetosellæ, nymph. fragor. violar. borag. buglos. jucci rubi idæi ana lib. j. depurati cydonior. limon. citri, ana lib. ß. Mixta digerantur per aliquot dies; postea in MB. per Alembicum abstrahantur, addendo aq. cinam. flor. cordial. lib. i. ß. & servetur usui.

Aqua cordialis temperata, è Ph. Aug.

℞. Cinnam. acutiss. ℥iij. ʒij. Cortic. citri exter. ℥ß. ligni Aloës opt. ʒij. sandali citrin. ℥ß. Sem. ocimi caryophyllati ʒiij. galangæ, caryophill. macis, nuc. mosch. ana ʒiß. cardam. ʒiij. Flor. lavend. ʒj. borag. ℥j. rosar. ℥ijß. anthos ℥ß. croci austriac. ℈ij. Typhar. succulentar. cornu cervi junioris & recenter capti ℥iv. Incisa & trita infund. in vini Malvatici, succi pomor. redolent. è rubo-ideo ana lib. j. aq. borag. buglos. ana lib. iß. rosar. lib. ijß. cerasor. nigr. melissæ ana lib. ß. in vase vitreo probè clauso, diebus octo, deinde in Balneo destillentur; in cujus liquoris media parte infundantur ambræ griseæ veræ, moschi orientalis ana gr. vij. Reliqua medietas servetur incompleta.

Vires. In subito virium lapsu ex defectu spirituum animalium aut vitalium, cerebrum & cor mirificè recreat. Unde apoplecticis, epilepticis, paralyticis, cardiacis, & syncopticis commodissimè exhibetur: Insuper analeptica est, & ex morbis diuturnis convalescentes insigniter roborat, virésque corporis universi manifestè restaurat.

Aqua cordialis Saxoniæ, è Pharm. Londin.

℞. Succor. boragin. buglos. melis. bistortæ, torment. scordij, verben. oxylapathi, acetosæ, rutæ caprariæ, myrrhidis, cyani majoris & minoris, rosar. calendulæ, limon. citrij, ana ℥v. pimpinell. pentaphylli ana ℥iij. aceti vini albi lib. j. Sem. portulacæ, Flor. nymph. ana ℥ij. borag. buglos. violar. tunicæ ana ℥j. Specier. diatr. santal. ʒvj. Infund. omnia ritè præparata per triduum, deinde destillentur vitreis organis in MB. adde stillatitio liquori margaritar. pulveratar. ʒiij. probè misceantur & conserventur.

Aqua cordialis restaurans P. de Spina, ex Schroder.

℞. Cornu Cerv. mollis & tenelli in taleolas sect. lib. ij. succi carn. vitulin. & capon. in duplici vase s. a. extracti, lib. ij. succ. pomor. redolent. lib. j. bugloss. acetos. vini opt. ana lib. ß. ligni santal. citrin. rhodij ana ʒvj. cinam. ℥j. lign. Aloës ℈ij. Digerantur omnia per dies 2. deinde destillentur in MB.

℞. Hujus aq. lib. iv succi citr. recentis q. s. ad gratam aciditatem. Deinde adde Flor. caryophyll. rubr. p. iv. borag. bugloss. violar. ana p. ij. rosar. rubr. p. iij. Extrahatur tinctura, cui adde confect. alkerm. ʒiij. de hyacintho ℥j. magist. margarit. corall. rubr. ana ℥j. Digerantur & serventur pro usu.

Vires. Spiritus vitales languidos mirificè reficit, adeóque convenit in syncope, palpitione aliísque affectibus cordis. *Dosis cochl. ß. integr.*

Aqua C. C. citrata Valdschmidtij.

℞. Rasur. C. C. ℥vj. pom. citri cum corticib. & seminib. n. iv. Infunde per dies tres in aq. rosar. scabios. acetos. card. bened. meliss. scord. ãã. lib. iij. postea destilla & usui asserva.

Aqua Cosmetica, ex Schroder.

℞. Ceruss. alb. lib. j. succ. limon. ℥j. limacum ℥iij albumineovor. n. xv. camph. borra. ana ʒiß. myrrh. ℥ij. thur. mastich. ana ℥ß. Infundantur horis 24. in aq. tiliæ lib. iij. sambuc. lib. j. ß. postea destillentur.

Vires. Cutem dealbat levémque reddit.

Aqua Cosmetica pretiosa, ex eôdem.

℞. Lilior. alb. ʒvj. ireos floren. fabar. cicer. lupinor. ãã ℥ß. Flor. fabar. recent. m. ß. tragacanth. ceruss. alb. sacchari alb. ãã. ℥ß. medullæ panis alb. in lacte madefactæ ℥j. oliban. gumm. arabici ãã. ʒiij. borrac alumin. plum. ãã. ʒij. album. ovor. ℥j. camph. ʒiß. In s. q. aq. Rosar. & flor Fabar. ãã. infundantur per dies 3. Deinde destillentur.

Aqua Cosmetica sive myrrhata S. Clossæi, ex Eôdem.

℞. Lactis caprill. recent. mulcti lib. iv. album. ovor. n. xij. aq. nenuph. rosar. alb. ãã. lib. j. succ. sempervivi major. lib. j. ß. vini Hisp. lib. iij. Fiat destillatio in MB. de qua cape lib. ij. myrrh. opt. subtil. pulver. ℥ij. Digere per 24. horas & F. iterum destillatio per MB. non omninò ad siccitatem pro ordinariâ ablutione. Quod si facies eruganda sit, aut epidermidis asperitas tollenda, tunc.

℞. Aq. myrrhatæ præscriptæ lib. ß. sacchar. cand. ʒij. borrac. ʒj. aluminis usti ℈j. misce abluatur facies.

Aqua Columborum cosmetica D. Charraz.

℞. Columbos juniores exenteratos & in frusta dissectos n. ij. micæ panis alb. lib. j. Nucleor. persicor. & Sem. 4. frigidior. major. mundator. ana ℥iv. album. ovor. n. xij. & succum quatuor limon. Macerentur horis xij. in lact. caprill. lib. iv. Deinde in MB. destillentur. Aquæ verò destill. addantur borrac. caphur. sacchar. candid. & alumin. usti pulverat. ãã. ʒiij. Soli per triduum priùs exposita, per 15. dies in cella stent vinaria, filtratáque aqua ad usum servetur.

Vires. Hæc aqua cutem dealbat, illámque levem & splendidam efficit, potest ex ea lavari vultus singulis horis, sed præcipuè manè & vesperi.

Aqua alia Columborum, ex eodem.

℞. Myrrhæ electæ pulveratæ ℥vi. columbos juniores exenteratos in frusta dissectos n. ij. vini Hisp. & seri lact. ana ℔j. aqua rosar. & nenuphar. ana ℔ß. album. ovor. n. ij. Omnia permixta & Alembico vitreo excepta in MB. destillentur, & servetur aqua ad usum.

Vires. Usus ut & effectus hujus aquæ ijdem sunt qui præcedentis.

Aqua Damascena odorifera, ex Schroder.

℞. Ireos flor. caryophyll. cubebar. cinam. acerr. granor. paradisi, calam. arom. ana ℥j. majoran. thym. Fol. lauri, Flor. anthos rosar. rubr. ana m. j. lavend. ʒiij. vini opt. mens. iij. Macerentur ac destillentur. Destillato liquori addantur moschi ℈ß. Zibeth. gr. vi. M.

Vires. Calfac. sicc. incidit, discutit, cor ac caput inprimis roborat.

Aqua diuretica ex nucleis F. F. seu liquor diureticus, ex Schroder.

℞. Flor. sambuc. siccat. ℥vj. amygdal. amarar. ℥v. nucleor. persic. ℥vij. cerasor. ℥iij. Incisa ac grosse contusa macera in vini Malvat. mensur. ijß. j. hinc destilla in MB.

Vires.

Vires. Insignium virium in atterendo calculo, abstergendis ureteribus, urinâque cienda. *Dosis cohlear. j.*

Aqua diuretica S. Closs. ex eodem.

℞. *Vini alb. in quo radic. v. diureticæ & ering. prius lotæ & contusæ, fuerint maceratæ ℔ij. terebinth. mell. optim. ana ℥iij. succi raphan. & malv. ana quart. j. M. & infundantur omnia simul per dies 4. adde lumbric. terræ nodulo inclusorum & filo suspensorum ℥v. deinde destillentur in MB.*

℞. *Aquæ hujus destill. ℥ij. spir. sal. comm. succinat. id est per octiduum cum sale volatili succini proportione sub tripla digesti ℈ß.*

M. F. dosis.

Aqua diuretica D. D. D'Aquin.

℞. *Rad. ononid. apij, fœnic. ering. Bacc. junip. & alkekengi, ana ℥ij. Fol. virgæ aur. nasturt. aquatic. betulæ, Flor. sambuci, ana m. ij. Contusa vel incisa omnia, macerentur horis 24. in vini alb. & succor, raphani & parietariæ ana ℔ij. deinde addantur mell. Narbonensis ℔ij. terebinth. Venetæ ℔ß. & destillentur s. a. igne arenæ moderato addendo singulis aquæ destillatæ libris spir. Sal. dulc. ʒj.*

Vires. Hæc aqua efficacissima est in difficultatibus urinæ tollendis, datur ab ℥j. ad ℥iij. vel ℥iv.

Aqua diuretica D. Charraz.

℞. *Rad. petroselini, raphani & valerianæ major. Nucleor. persic. ana ℥iv. Sem. bardanæ, milij Solis ana ℥ij. Fol. pimp. nasturt. aquat. becabung. sisimbrij & capill. Vener. Monspel. ana m. ij. Contusa omnia in vini alb. generosi ℔vj. per triduum macerent. deinde, additis terebinthinæ Venetæ ℔ij. igne arenæ destillentur, & servetur aqua ad usum.*

Vires. Usus, vires & dosis hujus aquæ sunt eadem quæ præcedentis.

Aqua dysenterica, ex Schroder.

℞. *Nucistæ, Sem. plantag. sanguinar. bursæ pastor. & sanguisor. ana ℥ß. gallar. ʒvj. cydonior. exiccator. ℥j. mespilor. exiccat. sorbor. exiccat. ℥j. Flor. balaust. m. j. Rad. acori ℥ß. Fruct. acaciæ exiccat. ℥j. panis tosti cum crusta m. iij. Infunde in aq. plantag. tormentil. burs. pastor. ana q. s. in infusione per dies octo postea destilla ex MB.*

Vires. Convenientissima est in alvi uterique fluore, adeoque in dysenteria, diarrhæa, &c. *Dosis cochl. j. vel ij.*

Aqua sive Balsamum Embryonum, è Ph. Aug.

Nucis mosch. ℥iijß. caryophyll. cinnam. zingiber. cubebar. granor. paradisi, Zedoariæ ana ℥ij. macis ℥iß. galang. ʒvj. croci ʒij. Flor. tunicæ, tiliæ ana lib. j. lavend. Herb. salv. carvi, fœnic. ana ℥iij. menth. crispæ, Rad. pœon. Sem. ejusd. visci querni ana ℥ij. medullæ panis tritici adhuc à furno calentis lib. ij. Incisa & contrita infundant. per 24. horas in loco calido, in vini Malvat. mens. iv. aq. boragin. bugloss. ana mens. iß. Flor. lil. conval. mens. 1. fragor. rosar. ana mens. ß. Postea leni calore destillentur.

Vires. Datur fœminis, quæ sæpius abortum passæ sunt, magno cum emolumento, itemque gravidis; ubi à subito terrore aut alia caussa extrinseca languescunt; lipothymias, dolores, & tormina, ventrisque inflationes in eis persanat, infirmum fœtum roborat, quin etiam parturientes in enixu adjuvat, spiritus instaurat, vires reficit.

Aqua Epidemia Londinens.

℞. *Rad. angel. imperat. petasitid. pœon. ana lib. ß. mei Athamantici, scorzoner. ana ℥iv. serpent. Virgin. ℥ij. Fol. rutæ, rorism. melissæ, card. bened. scord. calendulæ cum fl. dracuntij, galegæ, menthæ, ana m. iv. Quibus debitè præparatis affunde aq. font. congios iv. spir. vini opt. congios ij. finitâque, calore Balnei, vase optimè clauso, triduanâ maceratione; destilla per MB. congios iv. in quib. suspende croci, nodulo inclusi, ℥ß. Aquæ hujus stillatitiæ singulis libris adde sacchari albiss. ℥jß. fiatque colatura per manicam Hipp.*

Aqua Epileptica Langij, è Ph. Aug.

℞. *Flor. lilior. conval. recent. m. xij. lavend. ℥j. rorism. stœchad. ana ℥ß. cinnam. ʒvj. nuc. mosch. ℥ß. piper. long. cubebar. ana ʒij. visci quern. Rad pœon. dictamni nostrat. ana ℥ß. Infundantur in vini generosi mens. iß. per octiduum postea destillentur.*

Vires. Hæc aqua præstantissima est ad Epilepsiam, Vertiginem & Lethargum, non tantùm ratione præservationis, omni tempore proximè quadram Lunæ antecedente, eandem usurpando; sed etiam ratione curationis, in ipso paroxysmo, & recollectis paululùm viribus, illam adsumendo: etiam exteriùs illam adplicando, summæ virtutis & efficaciæ esse experientiâ constat.

Aqua Epileptica Puerorum, è Ph. Aug.

℞. *Aquar. cerasor. nigr. Flor. tiliæ, pœon. squamariæ ana ℥viij. saccari perlati, ℥iv. Misce ad usum.*

Vires. Datur per se, vel cum superioris particula commixta; ad epilepticos inprimis puerorum insultus, dentitionis utplurimùm tempore, ob gingivarum crassitiem supervenientes, inhibendos & mitigandos.

Aqua Epileptica & Cephalica Zvvelf.

℞. *Aq. lilior. conval. sine additione still. ℔ij. beton. Flor. tiliæ pœon. cerasor. nigr. ana sine addit. aq. simpl. stillat. ℔ijß. rosar. sine addit. still & bis à rosis recent. cohob. ℔ij. vini Hispan. ℔iv. His mixtis successivè immergantur Flor. recent. acaciæ, cheyri, paralyseos, tunicæ ana ℥v. lavend. anthos cum fol. ana ℥iijß. Herb. basiliconis, majoranæ thymi, ana ℥iv. Rad. recent. pœon. ℥iij. cinam. acuti opt. ℥iv. nucum mosch. ℥ij. macis ℥iß. cardamomi minor. cubebar. Sem anisi ana ℥j. coriandri ℥ß. Factâ brevi maceratione, ingredientibus omnibus collectis, destillentur per arenam, vel Baln. n. vaporosum, rostro capitelli immissis Rad. doronic. veri ʒij. ligni Aloës ℥ß. Aqua destillatione prolecta servetur usui.*

Vires. Virtus ejus Epilepsiam, Vertiginem, hisque affines Capitis affectus respicit; quam Præservationis loco omni tempore, proximè quadram Lunæ antecedente, adhibeas: Curativè autem ipso insultu epileptico & paroxysmo instante, externè applicetur &, si vires ferant, intùs assumatur, vel infundatur.

Aqua Epileptica seu Hirundinum composita, ex Eodem.

℞. *Flor. lil. conval. pœon. tiliæ, beton. ana sine addit. aq. simpl. destill ℔ij. His aquis mixtis, successu temporis, immergantur Flor. recent. anthos cum fol. cheyri, paralyseos, tunicæ, flor. recent. majoran. rutæ, thymi ana ℥iij, vel iv. Rad. recent. pœon. ℥iij. cardam. ℥iß. cinam. opt. ℥ij. nucis mosch. ℥iß. macis cubeb. coriandri ana ℥j. castorei ʒvj. Collectis omnibus, & infusis, fiat destillatio in Balneo n. vaporoso, ad siccitatem ferè specierum. Aqua in vitro benè clauso asservetur. Jam verò accipe Pullorum hirundinum vivorum, non verò crudeliter discerptorum n. xxx. Immittantur vivi adhuc Balneo n. vaporoso, vel Alembico vitreo & statim apposito agglutinatóque Capitello vitreo, ac præposito Recipiente, qui suprà destillatam aquam adhuc contineat, fiat Destillatio ad omnimodam pullorum hirund. exsiccationem (qui à rarefacto nimium vapore, & calore, citra magnum dolo-*

tis sensum illico præfocantur.) Sic enim spiritus vivificus, unà cum elementari aqua Hirundinum, superiori aquæ unitus, consortij jure efficacissimum reddit liquorem, virtutéque suâ impregnat (quique alias ex quibuscunque animalibus eum destilles, nullo pacto se figi sinit, quin brevi æthera petat, suo elementari, effœto, & vappæ consimili liquore relicto) arctissimâ copulâ stabilitur & perdurat; quod quidem tantò magis accidet, si primæ aquæ stillatæ compositæ, nonnihil de sale quodam fixo superaddatur, priusquam spiritus vitam & symbolum animalis referens superioris aquæ, beneficio Alembici uniatur. Contingit hæc unio inter salia hæc fixa & volatilia, ob symbolum, & naturale sigillum, quo ad se mutuò referuntur. Proindè non inconsultum foret, si ex speciebus omnibus ac singulis, à destillatione primæ aquæ residuis, inque cineres redactis, beneficio aquæ pluvialis, Sal eliceretur, & sæpè dictæ aquæ incorporaretur.

Vires. Aqua hæc, Cephalica, Epileptica, Histerica, simul & Uterina, virtute suâ dicitur. Interno externóque usui dicata. In dosi assignanda haud error committi potest, cum in qualitatibus suis temperata sit; à duobus ergo ad tria cochl. tutò propinare licebit.

Aqua Epileptica è Volucrum specie differentium Pullis, ex Eôdem.

℞. Pullor. Hirundinum n. xv. picarum n. vj. vel viij. turturum n. ix. vel x. cornicum n. iix. ciconiarum n. iij. vel iv. Hi pulli vivi adhuc immergantur Baln. n. vaporoso, & protinus aptato Capitello, seu Alembico, destillentur in vas recipiens, capitello arctè unitum, ad pullorum omnimodam siccitatem. Aquæ stillatæ adde pro quavis ejus libra Boracis Venetæ ʒij. atque studiosè servetur in vitrô cerâ & vesicâ clauso. Jam verò accipe pullos aridos à destillatione relictos eosque deplumatos & conquassatos, ac retortæ vitreæ immissos, destilla gradatim igne aperto & tandem violentissimo, ut retorta candeat. Peracta destillatione, liquor egressus, unà cum sale volatili & oleo fœtido, calore arenæ per Alembicum vitreum sat altum rectificetur saltem ad dimidias, quodque in residuo manet, oleum fœtidum & liquor rejiciantur. Hic liquor rectificatus, cui sal volatile pullor. hirund. totum inhæret, additis Spir. cerasor. nigr. ardent. ℔ß. Aquæ flor. arantior. ℥viij. Nucl. persicor. ad pultis formam cum aqua contus. ʒj. cinam. opt. ʒiß. nuc. mosch. macis, ana ℥j. denuò per Alemb. vitr. igne arenæ destilletur ad siccitatem specierum additar.

Vires. Aqua hæc spirituosa in vitro arctè clauso asservata, omnibus insultibus epilepticis & hystericis Antidotus est, à ʒj. ad ij. vel iij. in grato aliquo vehiculo propinanda.

Aqua Epileptica & Podagrica, ex eôdem.

℞. Catellos sex, vel octo dies natos, n. v. vel. vj. eosque diligenter repurgatos in Baln. n vaporoso, appositóque capitello & vitreo recipiente, juncturis benè clausis, destillentur ad omnimodam humiditatis consumptionem; rostro tamen capitelli priùs in petia ligatis immissis, Borac. Venet. ʒij. vel ʒiij. Croci Austr. vel Oriental. ʒiß. Aqua prolecta spiritu vivifico turgens in vitro cerâ & vesicâ bene clauso asservetur, dein accipe Catellos siccatos & aridos, Retortæque vitreæ immissos, præposito Recipiente, destilla igne apertò, ad omnimodam radicalis humoris expulsionem. Aqua seu Spiritus stillatus, cum sale volatili & oleo fœtido in Cucurbita vitrea rectificetur ad dimidias saltem, quod reliquum est, crassus scil. olidúsque liquor, & oleum, citra spiritûs & salis volatilis vestigia, rejiciatur. Jam verò Liquor salinus hic & spirituosus, cui sal volatile totum inhæret, additis Spir. cerasor. nigr. ℥vj. Aquæ flor. papav. errat. sine addit. stillat. ℥iv. arantior. ℥ij Summit. Abietis arbor. recent. oculor. populi arbor. recent. ana ℥iv. rorism. recent. ℥iij nuc. moschatar. ʒj. denuò in Cucurbita vitrea, igne arenæ destilletur, ad specierum usque siccitatem, rostro Capitelli immissis Borac. Venet. ʒij. croci Austr. vel Oriental. ʒj.

Vires. Probatur hæc aqua omnibus epilepticis & hystericis affectibus, in doloribus colicis, & arthriticis, intùs adhibita; externè verò in *Chiragra* & *podagra*, quarum licet characterem non tollat, dolorem tamen, ac earum fervorem reprimit, fermentum acidum podagricum salsedine suâ purâ immutando, vique adaperiente ad diaphoresin disponendo.

Aqua pro Epithemate cordis, Noribergensium.

℞. Specierum Diamoschi dulcis, Diambræ, pro Epithemate cordis ana ʒij. rosar. rubr. odoratiss. ℥j. sandalor. omn. āā. ʒij. ireos florent. ℥iij. Cortic. aurant. citrior. ana ℥j. boli armen. orient. ʒij. aq. rosar. ℔iv. vini odorati ℔ß. aceti rosac. ℔j. Incisis & contusis omnibus destillentur s. a.

Vires. In cordis affectibus, syncope & palpitatione, tùm etiam in febrili calore cor primariô occupante, contemperando, præsentaneum remedium præstat.

Aqua Febrifuga ex Schroder.

℞. Rad. scorzon. pentaphyll. tormentill. dictamn. āā. ʒvj. Sem. citri excort. card. bened. mariæ, acetos. ana ℥ß. santal. omn. ℥ß. galegæ m. j. Flor cordial. ana m. ß. rasuræ C. C. ℥ß. Contusis affundantur Aq. tormentill. cichor. card. bened. mariæ, papav. errat. āā. q. s. Macerentur in vitro clauso diebus tribus, postea adde pomor. citri contusor. n. vj. Succi endiv. acetos. card. bened. plantag. āā. ℔j. borag. scord āā. ℔ß. Destillentur in MB.

Vires. Convenit in febribus præcipuè malignis, malignitatem quippe discutit, putredini resistit. *Dos.* ℥j. vel ij. vel iij.

Aqua Febrifuga, ad Quartanarios D. Charraz.

℞. Rad. & Fol. fœniculi, Fol. absinth. rutæ. salv. arthem. & rorism. vel Flor. ejusd. & Summit. cent. min. āā. m. ij. Macerentur per triduum in vini albi lib. iv. deinde ex arte destillentur.

Vires. Commendatur hæc aqua in febribus intermittentibus, sed præcipuè quartana, datur ineunte paroxysmo, ab ℥j. ad ℥iv.

Aqua pro Fœtore oris, Weickard.

℞. Aq. rosar. odorif. rorism. majoran. malor. citrior. ex tota substantia elicitæ, ana lib. ß. cinam. ℥iij. nuc. mosch. galang. caryophyll. cubebar. āā. ℥ij. lign. Aloës ʒj. Redigantur in pulverem & cum prædictis Aquis misc. macerentur per biduum, postea extrahatur aqua cui adde moschi Alexandrini gr. x. & servetur in vitro angusti orificij ad usum.

Vires. De hac aqua accipiatur cochleare unum ac diu in ore contineatur, & naribus priùs emunctis si attrahatur, mirificè confert, præsertim dum à cerebro ortum habuerit fœtor.

Aqua Fumariæ composita, è Ph. Aug.

℞. Rad. glycyrrh. rasæ ℥ß. polypod. querni mundi ℥vij. Herb. absinth. romani, cuscutæ āā ʒj. Epithymi ʒvij. Flor. borag. bugloss. violar. āā. ℥j. rosar. ℥ß. mirobalanor. chebular. citrinar. āā. ʒxx. prunor. ungaricor. enucleator. passular. major. enucleatar. ℔ß. pulpæ cassiæ fistulæ, tamarindor. āā. ℥ij. Pulverisanda pulverisentur subtiliss. reliqua verò incidant. & contundantur, postea omnia infundantur in Aqua fumar. ℔vij. Stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidie agitato, deinde adde Succi fumariæ depurati ℔iij. Destillentur in MB. igne lentissimo.

Vires. Ventriculum & hepar roborat, obstructiones aperit, cutis morbos, præcipuè ab humore salso ac adusto natos, ut psoram, lepram, impetiginem atque serpiginem curat.

Aqua

Aqua ad Gangrænam è Pharmac. Uinivers. Nicol. Lemery.

℞. *Sacch. alb. ℥viij. rad. aristoloch. rotund. ℥iv. vini alb. iv. Infundantur simul per horas sex, post bulliant in vase figilino bene clauso igne lento ad tertiæ partis consumptionem.*

Resistit gangrænæ, deterget ac corroborat partes quibus applicatur, vel ex linteis ea imbutis, vel per injectionem in vulnera.

Aqua Gentianæ composita Londinens.

℞. *Rad. gentianæ incis. ℔iß. Fol. & Flor. centauri min. ãã. ℥iv. Macerentur in vini albi opt. ℔xij. per dies octo, destillentur postea per MB.*

Aqua Gilberti è Ph. Londin.

℞. *Fol. scabios. pimp. dracuntij, meliss. angel. anagallid. fl. purp. tormentill. cum radice ana m. ij. Omnia ritè collecta & præparata in vini Canarini congijs iv. macerentur, destilla per MB congios iij. quibus adde Flor. cordial. ãã. ℥iij. tunicæ ℥vj. croci ℥ß. Rad. curcumæ ℥ij. galang. Sem. ocimi, ãã. ʒj. Cortic. citr. sicc. ℥j. sem citri, card. caryophyll ana ʒv. Rasur. C. C. ℥iv Macerentur 24. horas, & destill. in MB. suspendendo prius in rostro Alembici perlar. præparatar. ℥ß. corall. rubr. præparati oculor. Cancri præparat. succin. alb. ana ʒij. cochlear. Cancror. subtiliss pulve. ʒvj. Lapid. Bezoart. Oriental. ambr. gris. ana ℈ij. Tandem adde sacch. cand. alb cum aq. rosar. rubr. ℥vj. aq. cinnamom. opt. vel spir. ℥iv. soluti, ℥xij.*

Aqua contra Gonorrhœam, ex J. H. Junck.

℞. *Menth. sicc. Sem. lact. rutæ, ana ℥iiß. semin. Agn. Casti ℥ij. diptamn. Cretic. ℥iß. terebinth. Venet. ℥v. vini generos. ℔iv. Stent in infusione per dies aliquot, tunc destilla & edulcora cum s. q. sacchari.*

Vires. Hujus aquæ titulus vires indigitat.

Aqua ad Gonorrhæam virulentam Quercet.

℞. *Rad. ireos florentin. fol. dictamn. Cretici & menthæ siccæ ãã. ℥j. sem. agni casti, rutæ, lactucæ ãã. ʒvj terebinth. Venetæ & vini albi ãã. ℥xx. Contusis contundendis, omnia alembico vitreo excepta in MB. ex a. destillentur & servetur aqua ad usum.*

Hæc aqua detergendis vasis spermaticis in gonorrhæa affectis inservit; si priùs adhibita sint medicamenta anodyna, acrimoniam humoris mitigantia. *Dos. est à ʒij. ad ℥j.*

Aqua Hæmoptoica Pharmac. Bruxellens.

℞. *Rad. bist. symph. maj. torment. ãã. ℥j. herbar. centinod. millefol. veron. pyrolæ, sanic. bursæ pastor. cum toto ãã. m. j. summit. rubi lentisci ãã m. ß. granor. sumach. myrtillorum, sem. plantag. berberis, papaver. alb. ãã. ʒvj. flor. nymph. cucurbitæ, cydonior. rosar. rubr. ãã. p. ij. Contusis & commixtis omnibus, macerentur per quatriduum ad ignem B. in succor. plantagin. portulac. acetos. agrimon. ãã. ℔ij. Deinde fortiter exprimantur. His adde acaciæ, hypocistidos, terr. sigill. boli armenæ ãã. ℥ß. pulver. diatragacanthi frig. ʒij. Macerentur denuò per quatriduum, dein in MB. destillentur.*

Valet in sistendis hæmorrhagijs, diarrhæis, ac gonorrhæis. Dos. ab ℥ß. ad ℥iij. Advertendum autem quod maxima pars eorum quæ ipsam componunt ingredientium, parum aut nihil prorsus suarum virium destillato liquori sufficiat, quia nimirum, vel fixiora, vel terrestriora, vel è particulis invicem nimium intricatis ac concatenatis constant.

Aqua Antihectica ex Schroder.

℞. *Herb. hissop. hed. terrestr. rorell. centaur. min. adianth. scabios. cich. pimp. quinquefol. acetos. epatic. pulmonar. Flor. borag. bugloss. papav. rhæad. rosar. ãã. p. ij. Sem. 4. frig. major. ana ʒij. R. cichor. enulæ, ana ℥ß. pimpinell. ʒj. Cancror. fluviat contus n. xxv. M. & cum lacte caprino infunde ac destilla ex MB.*

Vires. Hecticâ laborantibus mirè prodest, acrimoniam sanguinis obtundendo adeóque nutritionem emendando. *Dosis, cochlear. iij. aut iv. assumpta manè ac post meridiem totidem.*

Aqua Antihectica ex Eôdem.

℞. *Herb. pimp. epatic. stellat. millefol. agrim. veronic. nasturt. aquat. ana m. j. Sem. 4. frig. maj. ana ℥ß. Flor. borag. bugloss. cichor. rosar. ana p. j. Rad. cichor. enul. pimpinell. ana ʒvj. Cancror. fluviatil. n. xiij. Limac. n. xvj. Sang. de vitulo nigr. ℔j pulmon. vitul. ℔ß. aq. epatic. ℔j. lact. caprin. q. s. F. infusio & destillatio ex MB.*

Vires. Hujus aquæ vires & usus conveniunt cum supra dicta.

Aqua Hirundinum usitata, è Ph. Aug.

℞. *Pullor. hirund. in frusta dissect. n. xxiv. visci quern. ℥iij. Sem. pæon. excort. ℥j. Rad. ejusd. ℥ij. Aq. Flor. lil. convall. sambuc. tiliæ, pæon. ana mens. j. Stent in infusione loco calido, per horas 24. deinde destillentur per MB.*

Vires. Adversus epilepticos insultus potens est, ab apoplexia præservat, vertiginem curat, incubo ac paralysi auxiliatur, ac infantium convulsionibus medetur.

Aqua Hirundinum composita è Ph. Aug.

℞. *Hirundinum in frusta dissect. n. xl. Fol. rutæ recent. m. ij. Castorei ℥j. vini alb. ℔iij. Destillentur in MB. ut artis est.*

Vires. Epilepticis auxilio est.

Aqua Hirundinum composita major, è Ph. Aug.

℞. *Pullor. hirundin. dissect n. xxxx. Castorei ℥iß. Sem. pæoniæ, Rad. ejusd. visci quern. ana ℥ij. rad. dictamn. alb. ℥j. Fol. rutæ, Flor. samb. tiliæ, lil. convall. anthos, paralys. ana m. j. cinnam acut ℥iij. cubeb. macis, lign. Aloes ana ʒij. vini alb. odorifer. ℔viij. aceti scillini ℔ j. Macerentur per triduum in vase vitreo probè clauso, postea lento igne destillentur. Liquori stillatitio huic postmodum addendo Spir. vitrioli rectificati q. s. pro acore fuerit.*

Vires. Cerebri meatus potenter reserat; convulsionem, spasmum, paralysin, apoplexiam, epilepsiam reprimit. Adultis potissimùm usurpanda, uteri quoque affectus ac suffocationes plurimùm juvat.

Aqua Hydrotica tempore Pestis, Weickard.

℞. *Herb. virid abrotan. anagallid. chelidon. rutæ, salv. minor. ana m. ij. Flor. lavend. samb. ana m. Incidantur herbæ minutim & permisc. omnia, deinde conspergantur pauco aceto rosar. vel tunicar. & macerentur spatio diei naturalis, postea eliciatur aqua arte chymica & liquor extractus servetur in vitro angusti orificis, cujus usus sit cum elect. diaphoret.*

Aqua Hysterica Crollij, ex Scroder.

℞. *Rad. dictamn. Sem. dauci ana ℥j. cinnam. acut. cassiæ lign. meliss. ana ℈ij. croc. Orient. ℈j. castor recent. ℈iß. Ex omnibus mixtis fiat pulvis cui affundantur aq. rutæ ℔iiß. stent dies 4. in infusione, hinc destilla in MB.*

Vires. Convenit in utero pravis humoribus molestato. Discutit, in suffocatione succurrit.

Aqua Hysterica Matthæi Martini, ex eôdem.

℞. *Fol. meliss. odorat. beton. ana m. vj. puleg. m. iß. ca-*

iß. calaminth. arthem. basilic. camadr. hyssop. ana m. ß. matricar. p. 1. Rad. pœon. eryng. meu. angel. dom. sylv. ana ℥ß. Sem. carvi, siler. mont. coriandr præparat. ana ʒij. galang. Zedoar. ana ℈iv. beton. rapontic. ana ʒiß. Comminutis affunde vini generosi & actu calidi lib. iij. stent in infusione horis ix. ad cineres calidos. Postea ubi parum ebullierint in vase cooperto, destillentur in vase vitreo & quæ primò exibit aqua servetur.

Vires. In affectibus melancholiam redolentibus mirè efficax est. *Dosis cochl. ß. vel j.*

Aqua Hysterica D. Chartaz.

℞. *Rad. pœon. bryon. cortic. arant. ana ℥iij. Fol. artemis. matricar. meliss. puleg. regal. rutæ, sabin. & Flor. sambuc. ana m. j. myrrh. & castor. ana ℥ß. croci ʒij. Macerent. horis 24. in 24. in vini Hispan. & aq. julorum nucum & flor. arant. ana lib. ij. deinde igne arenæ moderato destillentur.*

Vires. Commendatur hæc aqua in morbis uteri *Dosis ab ℥ß. ad ℥ij.*

Aqua Hysterica vulgò Panacis Heraclei composita, è Pharm. August.

℞. *Rad. pœon. decrescente Lunâ collect. ℥iij. Sem. ejusd. ℥iß. siler. mont. visci quern. ana ℥iv. myrrh. elect. castor. ana ℥ß. rad. levist. dictamn. alb. zedoar. ana ℥ij. Infundantur per dies x. in loco calido, in aq. melissæ ℔iv. & vini odorati ℔iij. Postmodum lege artis destillentur.*

Vires. Uteri affectibus medetur, præsertim verò præfocationibus ac epilepsiæ per consensum matricis natæ, menses itidem ac secundinas pellit, & flatus uteri dissipat.

Aqua Hysterica Zvvelf.

℞. *Aq. meliss. citrat. matricar. floresc. rorism. aq. cerasor. nigr. sine add. distill. per Baln. v. vaporos. ana ℔iß. vini Malvat. boni ℔ij. His mixtis immergantur successivè Rad. cyperi rotund. zedoar. ana ℥iß. pœon. recent. ℥ij. Herb. recent. basilic. calaminth. mont. menthæ crispæ, puleg. thymi. ana ℥iij. Summ. aneth. ℥ij. Flor. recent. beton. salv. hort. cheyri ana ℥iß. Cort. arant. recent. extim. ℥ij. Sem. carvi, fœnic. ana ℥iß. coriand. Bacc. lauri ana ℥j. nuc. mosch. ℥iß. cinnam. opt. ℥iij. macis, antophyllor. ana ℥j. croc. Orient. castor. ana ʒvj. Factâ maceratione brevi, postquam omnia collecta sunt, destillent. per Baln. v. vaporos. rostro Alembici immissâ, croci Oriental. ʒß. servetur aq. in vitro benè clauso.*

Vires. Aqua hæc efficaciter servit Melancholicis, Hystericis, & Utero præfocatis. *Dosis à cochlear. j. ad iij. plus minùs.*

Aqua Hysterica succincta & efficax, D. Le Mort.

℞. *Asæ fœtidæ ℥ij. myrrhæ ℥ß. castor. ℈v. bryon. ʒiij. Sem. rutæ ʒiß. croci ʒj sal. volat. succini ℈ij. spir. sal. armoniac. ℥j. vini super herbas cephalicas & uterinas rectificati ℥xx. sal. tartari ℥j. Digerantur simul in fimo equino per dies ij. postmodum colatura defæcata usui in vitro arctè clauso reponatur.*

Vires. Omnibus hystericis passionibus succurrit, ut & motibus convulsivis, epilepticis, tremori artuum, &c. *Dosis à gutt. x. ad ʒj. in vehiculo convenienti.*

Aqua Imperialis, è Pharm. Londin.

℞. *Cortic. citri sicc. aurantior. nuc. mosch. caryophyll. cinnam. ana ℥ij. Rad. cyperi, ireos fl. calam. aromat. ana ℥j. zedoar. galang. zingib. ana ℥ß. Summit. lavend. rorism. ana m. ij. Fol. lauri, majoran. meliss. menthæ, salv. thymi, ana m. j. Flor. rosar. alb. pallid. recent. ana m. ß. aq. rosar. ℔iv. vini alb. opt. lib. viij. Contusis contundendis, infundantur omnia diem integrum; tandem destilla per MB. ut artis est.*

Aqua Juventutis, Weickard.

℞. *Salviæ min. lib. jß. Flor. rorism. lib. j. aurantior. lib. ß. nuc. mosch. macis ana ℥ß. caryophyllor. zingiber. granor. parad. ana ℥j. Pistentur omnia subtiliss. Floribus & salv. except. quæ minutim incidenda, macerentur simul in vini opt. lib. vj. per triduum, indè calentis aquæ Balneo educatur liquor, qui in vase optimè munito servetur, cui etiam parum ambræ & moschi addatur.*

Vires. Hæc aqua insigniter ventriculum ac epar confortat si cochlearis mensura jejuno stomacho bibatur, visum etiam acuit, si quotidie gutta una vel altera oculis instilletur, valet etiam ad ulcera maligna eorumque fœtorem corrigit, si linteis excepta applicetur, tardat canitiem & juventutis robur conservat, ob id hoc nominis sortita.

Aqua Juglandium composita, è Ph. Londin.

℞. *Putaminum virid. nucum jugland. lib. i. ß. Rad. raphani horten. lib. j. Flor. asari virid. ℥vj. Sem. raphan. ℥iv. Contusis affundantur aceti vini alb. lib. iij digerantur simul per triduum, & destillentur in vitreis organis in MB.*

Aqua Lavendulæ composita, è Schroder.

℞. *Nucist. cubebar. zinzib. cinamom. opt. Galangæ calam. ar. macis. caryophill. visc. quern. an. ʒiß Rad. pœon. Eruc. ana ℥iß. Flor. til. pœon. anthos. salv. ana. m. ß. lavendul. lil. convall. ana. m. xxiv. Vini optimi q. s. F. infusio & destillatio in MB.*

Vires. Calefacit, exiccat, cephalica est & arthritica, intrinsecus & extrinsecus adhiberi apta.

Aqua & Spiritus Lavendulæ Composs. Matthiæ, è Pharmac. Colleg. Reg. Lond.

℞. *Flor. Lavend. congium j. affunde spir. vini opt. cong. iij. obturato vase macerentur ad Solis teporem dies viij. deinde destilla per alembicum cum suo refrigeratorio. ℞. Flor. Salv. rorismar. beton. ana m. j. borag. buglossi, lilior. convall. paralys. ana m. ij. Omnes hi flores recentes tempestivè collecti, macerentur in spir. vini opt. cong. j. & misceantur cum spir. flor. lavend. suprà dicto, addendo. Folior. melissæ, matricar. aurantior. recenter collect. Flor. stæchad. aurantior. bacc. lauri ana ℥j. Post digestion. convenient. destillentur denuò tandem addantur, cortic. extern. citri, sem. pœon. decortic. ana ʒvj. Cinnam. nuc. mosch. macis, cardam. cubebar. sant. citrini ana ℥ß. ligni aloës ʒj. Digerantur horis xxiv. coquantur & filtrentur ad depurationem, adde, perlar. præpar. ʒij. ambræ gris. mosch. croci ana ℈ß. rosar. rubr. siccar. sant. rubri ana ℥ß. citrini cortic. citri sicc. ana ʒij. Species sindoni inclusæ suspendantur in spiritu prædicto.*

Aqua laxativa efficax D. D. Zvvelferi.

℞. *Folior. Sennæ elector. ℥vj. Rhabarbari opt. ℥ij. Agarici trochiscati ℥jß. Cremor. tartari ℥ß. Tartari vitriolaci ʒij. Cinnamomi ℥ß. Quibus incisis & contusis super affundantur, Aquæ simplicis ferventis lib. iij. relinquantur in digestione loco calido per noctem, fiat pòst colatura cum expressione, quæ interim asservanda. Jam verò.*

℞. *Species Catharticæ residuæ & expressæ quæ affusa s. q. aquæ simplicis coquantur, & quidem repetitis vicibus, quoad omnis virtus Cathartica extracta sit, Colaturæ & expressiones omnes, alb. ovorum priùs probè clarificatæ ad remanentiam lib. j. evaporent, quæ remanens libra superiori infusioni asservatæ juncta, additisque præterea sequentibus, nimirum, Mannæ electæ Calabrinæ ℥viij. Albumin. Ovorum n. iij. cum particula aquæ cinnamomi vel rosarum conquassatorum, item Cremoris Tartari ʒvj. Et sic junctim, unica saltem ebullitione facta,*

ta, clarificentur per manicam Hippocratis transcolando.

Aqua Limacum Magistr. è Pharm. Colleg. Reg. Londinens.

℞. *Succor. hederæ terrestr. tussilagin. scabiosæ, pulmonar. maculosæ ana* ℔iß. *portulacæ, plantag. ambros. veronicæ ana* ℔j. *sanguin. porcini rec. vini alb. ana* ℔iv. *limacum hortensium incisar.* ℔iij. *rad. glycyrrhizæ pulver.* ℥ij. *enulæ campanæ* ℥ß. *ireos florentinæ* ℥j. *sem. bombasis* ℥iß. *frigidior. major. anisi ana* ʒvj. *croci* ʒj. *flor. rosar. rubrar. p. vj. violar. borag. ana p. iij Macerentur per triduum tepide; destillentur deinde vitreis organis in* MB.

Aqua & Spiritus Lumbricorum Magistralis ex eadem Pharmacopœa.

℞. *Lumbricor. bene mundator.* ℔iij. *Limacum cum testis mundator. congios ij. Contundantur in mortario, indantur vasi convenienti, addendo, folior. urticæ urentis cum radic. man. vj. angelicæ sylvestris m. iij. brancæ ursinæ m. vij. agrimoniæ betonicæ ana man. iij. rutæ man. j. absinthij comm. man. ij. flor. rorism.* ℥vj. *rad. oxylapathi* ℥x *oxalidis* ℥v. *curcumæ, cortic. inter. arb. oxyacanthæ ana* ℥iv. *sem. fœnugræci* ℥ij. *caryophyllor. pulver.* ℥iij. *C. C. crasse pulver. eboris similiter præparati ana* ℥iv. *croci* ℥iij. *spir. vini tenuioris congios iijß postquam xxiv. horis maceratæ fuerint, destillentur per* MB. *organis vitreis, Libræ iv. primæ,* Spiritus *nomine reserventur; quæ sequuntur.* Aqua Lumbric. Magistr. *indigitentur.*

Aqua Magnanimitatis, ex Schroder.

℞. *Formic. (præstant majores, acidulum odorem exhibentes) m. ij. Spirit. Vini mensur. i. vel q. s. Digere vase clauso donec putrefactione in liquorem abierint. Hinc destilla per* MB. *aromatizáque tantillo cinamomi.*

Vires. Calefacit intensè, incidit. Usus ejus præcipuus est in atrophia sive intrinsecus, sive extrinsecus adhibere velis.

[*Magis efficax reddetur reiterata formicarum infusione & destillatione.*]

N. 1. Si species anacard. infuderis, insigne conficies extractum, ad memoriam roborandam.

N. 2. Sunt, qui animositatem ejus potu excitari volunt, unde & nomen accepit; fides sit penès expertum. De collectione sunt qui monent, præferendas esse formicas, quæ plenilunio cum ovis simul colliguntur, hasque ad plenilunium usque subsequens dirigere jubent.

N. 3. Nonnulli ℞. *lib. ij. aquæ magnanimitatis descriptæ addunt. Confect. Anacard.* ℥ij. *castor. recent.* ℥j. *Fl. bugloss. anthos. ana m.* ℥j. *cinamom. opt.* ℥j. *Digeruntque per aliquot dies, hinc destillant.*

Alia Aquæ magnanimitatis descriptio, ex Eôdem.

℞. *Spir. vini rectificat. ad eminent. digit. iij. digestis adde Fl. anthos. Rof. rubr. Bugloss. Meliss. Majoran. ana m. j. Castorei el.* ℥ij. *Spec. diamosch. dulc.* ℥ß. *Confect. anacard.* ℥j. *Aq. bugloss. Betonic. Tiliæ ana* ℔j. *Tritis terendis misce ac per mensem digerantur, deinde destillentur in* MB. *& cum proprio sale rectificentur.*

Vires. Cordialis est & cephalica præ priori, magnarumque virium ad memoriam roborandam.

Aqua Mariæ è Pharmac. Colleg. Reg. Lond.

℞. *Sacchari candi* ℔j. *Vini canarini* ℥vj. *aq. rosar.* ℥iv. *Fiat. syr. bene coctus in* MB. *adde, aq. cælestis lib. ij. ambræ grisæ, moschi ana gr. xviij. croci gr. xv. santali citrini in aq. cælesti infusi* ʒij. *Fiat aqua depurata.*

Aqua Mastichina, è Ph. Aug.

℞. *Mastiches* ℥iv. *mac. elect.* ℥ij. *caryophyll.* ℥j. *cinnam.* ℥ß. *Pulverisentur omnia & commisceantur, deinde affundantur illis vini Malvat. lib. ij. Stent in infusione per triduum, postea destillentur in arena igne lento, in Aquam.*

Vires. Facultatem ventriculi concoctricem & retentricem confortat, ciborum fastidium, nauseam, singultum, vomitum & choleram profligat.

Aqua Mastichina Stomachica, Zwelf.

℞. *Mastiches elect.* ℥iv. *styrac. Calamitæ* ℥ijß. *cinamomi opt.* ℥ij. *macis nuc. mosch. ana* ℥ß. *caryophyll.* ℥j. *quæ minutim contusa immergantur in vini Malvat. lib. iv. Facta maceratione per aliquot dies per Baln. n. vaporos. ad specierum ferè siccitatem destillentur. Aqua in vitro benè clauso custodiatur.*

Vires. In Ventriculi & Cerebri frigidis affectibus, à crassa ac vitrea pituita ortum ducentibus, summo emolumento cedit, propinata à ʒij. ad ℥ß. pro dosi, sæpius, vel saccharo, vel syr. aliquo conveniente edulcorata. *Ex illa Syrupus pariter efficax confici potest solâ sacchari s. q. additâ, ut sine ulla coctione aut ebullitione Syrupi acquiratur consistentia: sumatur nempè Aquæ hujus lib. j. & sacchari lib. jß. solâque sacchari in calore leni dissolutione conficiatur Syrupus justæ consistentiæ, qui iisdem quibus Aqua gaudet virtutibus.*

Aqua ad memoriam confortandam Weickard.

℞. *Fol. lilior. convall. bonam partem, macerentur in cucurbita vitrea benè obturata lentissimo igne, deinde*

℞. *Aq. stillat. cerasor. nigr. lib. j. ß. Quibus permixtis infunde Flor. lavend. m. jß. anthos, tiliæ, primul. veris ana m. j. caryophyll.* ʒj. *macis* ℥ß *scillæ præparat.* ℥jß. *diptamn. alb.* ℥j. *cubeb* ℥ß. *visci quern.* ʒij. *Rad. pœon.* ℥ß. *Incidenda incidantur & conquassanda conquassentur, stent ita simul in loco digestionis per mensem, deinde extrahatur Aqua per Alembicum vitreum in Balneo vel cineribus calidis.*

Vires. Usurpetur quotidie manè & vesperi assumendo singulis vicibus duo vel tria cochlearia, est medicina prorsus divina ad memoriam labilem.

Aqua Mercuriata è Ph. Aug.

℞. *Cerusæ Venetæ* ℥ij. *alumin. crud.* ℥iß. *sal. nitri, ammoniaci, ana* ʒij. *lithargyri, merc. sublim. ana* ℥j. *zingiber.* ʒjß. *Aq. solan. plantag. rosar. alb. ana* ℥iij. *centinod.* ℥iv. *acet. acerr. lib. j. M. & bulliant parum, & serventur in vitro sine colatura.*

Vires. Cutis defœdationi, pustulis, verrucis, ficubus, serpigini, scabiei malignæ, fissuris in volis manuum & plantis pedum conducit, ulceribus inprimis venereis penicillo leniter contactis illita prodest.

Aqua Mirabilis, sive Apoplectica Langij, Secundum correctionem Augustanorum.

℞. *Flor. primul. veris, rorism. Fol. majoran. ivæ arthetica ana m. j. Rad. calam. aromat. ireos, aristoloch. rotund. ana* ℥iß. *Sem. siler. mont. fœnic. pœon. ana* ʒj. *cubeb. nuc. mosch. caryophyll. ana* ʒiij. *cinam. lign. Aloës ana* ʒij. *piper. long. sagapeni, opoponac. myrrh. gummi juniperi ana* ʒiß. *Aq. Herb. paralys. salv. beton. ana lib. j. Flor. tiliæ lib. j. ß. Stent omnia mixta in infusione per dies octo, postea leni arenæ calore destillentur.*

Vires. Egregia est & mirabilis in præservatione ab apoplexia & omnibus ægritudinibus nervorum frigidis, curans paralysim, torturam, spasmum & loquelam restituens.

Aqua Muscarum Crinalis Nicol. Lemery.

℞. *Muscar. vivent.* ℥iv. *meliss. lib. j. lactis lib. ß. Misceantur & destillentur s. a.*

Capillos

Capillorum accretioni promovendæ facit, ac surditati confert.

Aqua Nephritica D. D. J. Georgij Brenggeri, è Pharmac. Aug.

℞. *Rad. althaa, ononid. petroselin. malv. saxifrag. ana ℥ij. Sem. cœpar. cynosbati, fœnic. mil. Solis, urtica ana ℥j. Bacc. alkekeng. heder. junip. Cortic frangula, tamarisci ana ℥ß. Lign. guaiac. nephrit. sassafras, cinam. mac. ana ʒiij. Nucleor. cerasor. persicor. prunor. sylver. Contusa infundantur per aliquot dies in vini Malvat. ℔iv. Spir. vini ℔ij. Succ. fragor. limon aspa-rag. raphan. veronic. ana ℔ß. Postea additis terebinth. Venet. ʒij. Destillentur, ut art. est.*

Vires. Obstructiones renum aperit, sabulum ex iisdem & ureteribus propellit, terrestrem substantiam, calculorum renum & vesicæ genetricem dissolvit, & lapillos jam procreatos sensim conterit, & in arenulas redactos educit, difficultatem insuper urinæ facilitat, acrimoniam ejusdem mitigat, mictionisque varijs vitijs occurrit.

Aqua Nephritica Zvvelf.

℞. *Nucleor. cerasor. nigr. ℥ij. persicor. ℥vj. amygdal. amar. ℥iv. Contundantur opt. in mortario, ad pultis minutissimam formam, affusâ particulâ vini Malvat. vel Rhenani. Sem. apii thlaspios, milij Solis, petroselini ℥ij. Pari modo ad pultis formam subtilissimè, additâ etiam s. q. vini Malvat. vel Rhenani contundantur. His duabus pultibus adde præterea Bacc. halicacabi ℥iß. junip. virid. ℥iv. alij recent. ℥ij. cœpar. recent. ℥vj. porri recent. ℥iv. Rad. recent. pimpinel. ℥iij. raphan. hyemalis recent. ℥viij. calam. arom. ℥iij. Herb. recent. rutæ murariæ ℥iv. cinam. opt. ℥iij. mac. nuc. mosc. ãã. ℥j. Immergantur cuncta in vini Rhen. opt. diuretici ℔vj. vel vij. Syr. cerasor. ardent. ℔ß. Aq. cerasor. nigr. petroselin. ex toto benè conquassatis, ãã. sine additione aq. stillat. ℔j. Factâ maceratione brevi, postquam omnia collecta, & liquoribus immersa fuerint, destillentur ex Baln. nostro vaporoso, vel per arenam lento igne. Aqua stillat. prolecta ad usum, in vitro benè clauso asservetur.*

Vires. Renum parenchymati solatio est, mundando, detergendo, arenulas & grumos tenuiores ex renibus proscribendo & atterendo: omnibus vesicæ affectibus summè conducibilis. *Dosis ab ℥j. ad ℥ij. in vehiculo grato, aut jure alterato ex radice petroselini vel ciceribus, &c.*

Aque Nephritica composita, Weickard.

℞. *Fol. heder. terrestr. m. iv. nasturt. aquat. m. iij. agrim. m. ij. meliloti cum fl. majoran. saxifrag. cum toto Summit. fœnic. ana m. j. Rad. petroselin. pimpinel. german. rubiæ tinctor. ãã. ℥ij. ononidis ℥iij. fruct. alkekengi n. xx. Bacc. junip. nigr. m. j. lauri excorticat. ℥vj. gland. quercus recent. sine corticib. n. xxxx. Sem. genist. ℥ß. petrosel. macedon. ʒiv. cinam. ℥ij. mac. ʒiß. sacchar. alb. ℔j. Incisis & conquassatis in mortario affunde vini Malvat. aut alterius generosi mens. j. aq. fragor. petrosel. malvæ ana ℔ij. Macerentur in vase bene munito per octiduum, postea s. a. destillentur, & Aqua extracta servetur ad usum.*

Vires. Aqua hæc potens est antinephriticum si de ea singulis diebus duo vel tria cochlearia calculosis exhibeatur per se, vel cum modico vini diuretici mixta.

Aqua Antinephritica correcta D. de Bellegarde, ex Schrodero.

℞. *Mell. Narbonensis ℔ß. terebinth. Venet. ℥ij. lign. nephritici & rad. ononid. ãã. ℥iß. lign. Aloës unc. j. galang. caryophyll. cinamom. mac. cubeb. & mastich. ãã. unc. ß. Contusis contundendis omnia per triduum macerentur in Aq. vitæ ℔iv. postea igne moderato destillentur.*

Vires. Datur calculosis & morbo colico afflictis. *Dosis ʒj. vel unc. ß. sola aut liquori idoneo immista.*

Aqua Antinephritica Amstelodamensium.

℞. *Rad. raphan. sylv. sive rustican. unc. iv. glycyrrhiz. ononid. petrosel. pimp. nell. ãã. unc. ij. lign. nephritic. inter. sassafr. ãã. unc iij. Fol. heder. terrestr. ribesior. nigr. bethon. chærefol. fragar. ãã. m. ij. Sem. fœnic. urtic. Bacc. alkekeng. ãã. unc. ij. junip. unc. j. Incisa contusa macerentur in succi heder. terrestr. & vini alb. ãã. q. s. per tres dies & noctes, tunc. destillent. ex MB. in cucurbita humili ad siccitatem, & liquorem serva.*

Vires. Specificas in renum & vesicæ calculo vires habet, hinc urinam pellit, aperit, attenuat, resolvit. *Dosis unc. ß. ad unc. j.*

Aqua Nephritica, è Miscellaneorum Curios. Dec. j. Ann. vij.

℞. *Fragor. recent. mens. num. iiij. bacchar. alkekengi ℔jß. rad. raphani radula concisarum ℔j. sem. dauci vulg. ℔ß. succi betulæ mense martio collecti ℔xxiv. M. destillentur s. a. ex MB.* Dos. est ab unc. j. ad unc. iij. in calculo pellendo ac frangendo & causâ ejus tollendâ.

Aqua Nephritica Wedelij.

℞. *Rad. ononid. pimpinell. ãã. unc. j. ß. fol. heder. terrestr. virg. aureæ, herniar. ãã. m. ij. herb. saxifr. albæ m. iij. flor. chamom. rom. m. j. sem. dauci hyperici ãã. ʒij. saxifr. cynosbat. ãã. unc. j. nucleor. persicor. cerasor. ãã. ℥vj. amygdalar. amarar. unc. iij. Incisis & contusis affunde vini vel aq. mensur. vj. circiter. Tum per aliquot dies digest. destillentur.*

Aqua usitata ad Oculos è Ph. Aug.

℞. *Aloës hepatic. sarcocollæ ãã. ʒj. camphor. croc. Oriental. ãã. ʒß. in vase clauso aliquandiu bulliant in vini Cretici, aquæ rosar. ãã. unc. vj.*

Vires. Morbis oculorum destinata, inflammationes, affluxus, nebulas, pustulas & maculas eorum sanat.

Aqua odorifera è Ph. Aug.

℞. *Herb. menth. crispæ, majoran. basilic. thym. ãã. m. I. Flor. lavend. rosar. rubr. spicæ Nardi, origan. ãã. pug. ij. ireos flor. cinnam. ãã. unc. ß. caryophyll. mac. styrac. Calamit. asæ dulcis ãã. ʒiij. gum. Ladan. ʒij lign. Rhodij unc. ß. lign. Aloës ʒß. vini Malvat. aq. rosar. cortic. citri, majoran. lil. conval. spicæ vulg. ãã. unc. vj. aceti lavend. rosar. rubi-idæi, sambucini ãã. unc. iij. Stent in digestione per decem dies, destillent. s. a. In destillati dimidia parte suspendatur Sacculus albus sericus, qui sandali citrini, zibethi, moschi, ambræ ãã. ℈ß. contineat.*

Vires. Mira & singulari virtute, excellentis fragrantiæ, & suavissimi odoris, ipsum cerebrum penetrat, spiritúsque animales & vitales reficit.

Aqua odorifera Zvvelf.

℞. *Aq. Flor. arant. rosar. fragrantiss. ana sine addit. destillat. ℔ij. His mixtis aquis ac vitreo largo & amplo immissis, superinspergantur leviter, ne fundum petant, sed aquæ innatent, Flor. jasmini q. s. ut desuper saltem aqua tegatur. Claudatur deinde vitrum supernè vesicâ & chartâ ceraceâ, ne vitrum aut aqua in eo contenta, cum supernè aspersis floribus multum commoveantur, & flores fundum petant: relinquantur*

tur hoc situ per diem ac noctem: flores deinde priores removeantur, novis substitutis: idque toties reiteretur; donec subjectus liquor odore fragrantissimo imbuatur; quem deinde rectifica & usui reserva, in vitro arctissimè clauso: proboscidi autem vitri immittantur ambræ grisea, moschi opt. Orientalis ana ℈j. Fiatque aqua fragrantissimi odoris.

Vires. Aqua hæc reficiendis spiritibus, tam vitalibus, quàm animalibus, aptissima est, ab intrà vel extrà usurpanda.

Aqua Odorifera pro Epithematibus Cordis & Pulsuum Zvvelferi.

℞. *Aq. Flor. aurantior. lib. ß. basilic. majoran. lavend. rosar. ana sine addit. destillat. lib. j ß. Acet. Flor. lavend. tunic. rosar. ana n. modo parat. lib. j. His liquoribus mixtis immergantur Rad. cyperi rotund. ireos florent. ana ℥j. Herb. thym. Cretici recent. Flor. arant. recent. ana ℥ij lign. Rhodij raspat. ℥j ß. cinam. opt. ℥ij ß. caryophyll. ℥j. nuc. mosch. ℥j ß. cort. seu flaved. arantior. citri ana recent. & extim. ℥j ß. asæ dulc. seu benzoës styrac. Calamit. ana ℥j ß. gumm. ladani ℥j. Factâ brevi maceratione destillentur ex Baln. n. vaporoso, ad siccitatem fere specierum, Alembici rostro immissis, si lubet, mosch. opt. Oriental. ℈j. ambræ grisea ℈ß. in petia ligatis. Aqua prolecta fragrans, odoris perfectissimi; servetur in vitro benè clauso.*

Vires. Cardiaca est, viribus cum superiori participatis, intus forísque applicanda.

Aqua Odorata egregia D. Charraz.

℞. *Rad. ireos Florent. & benzoini ana ℥j ß. styrac. elect. ʒvj. ligni Rhodij ℥ß. santal citrin. ℥ij. calamo aromat. & labdani ana ℈ij. Flor. benzoini ℈j. Pulverata omnia, Matracio commissa, in aq. rosar. lib. j. & flor. arantior. lib. ß. Vase diligenter obturato, horis 24. in MB. tepido macerentur, deinde in eodem Balneo calidiori destillentur & aqua servetur ad usum; diluendo moschi Orientalis & ambræ grisea ana ʒvj.*

Dicta est hæc aqua, Aqua Angelica propter odorem suavem & gratum, Posset etiam specierum in aquis dictis infusio colari, in eâque dissolvi mosch. & ambra grisea, hicque liquor nomine Aquæ Angelicæ signatus asservari. Poterit rursus Magma exsiccari atque vestibus ad odorem immisceri.

Vires. Usus hujus aquæ est tantùm exterior.

Aqua Ophthalmica, seu ad Oculorum inflammationem, Zvvelf.

℞. *Herbar. recent. chelidon. euphras. fœnic. ana lib. ij. Flor. recent. rosar. lib. ij ß. cyani, papav. errat. ana lib. j ß. croc. opt. Oriental. ℥ß. Subtiliter incisa & contusa destillentur ex Balneo n. vaporoso ad siccitatem totalem herbar. & flor. servetur. aqua in vitro benè clauso; cujus, si placuerit, singulis libris Sacchari Saturni resolubilis ex Minio vel ipso Plumbo, facti ʒij ß. addi, ac in eo dissolvi possunt; denuò filtrari & custodiri.*

Vires. Pretiosa est in omnibus oculorum inflammationibus, lippitudine, acri lacrymâ stillantibus, suffusione & cataractâ præcipiti laborantibus. Dissipat viscosos eorum & excrementitios humores, tunicas roborat, à gutta serena præservat, pustulas absumit; extremitate subtili penicilli Pictorum, in ea madente, ad oculorum canthum externum, guttâ unâ alterâve instillatâ, abstergendo.

Aqua Ophthalmica cærulea, ex J. H. Junck.

℞. *Aq. Flor. cyani, chelid. major. euphras. rosar. ana lib. ij. superfunde has aquas calci vivæ recent. è furno extract. tunc filtratis adde phlegmatis urinæ cum vitriolo alb. destill. lib. iij. sal. armoniac. vel urin. unc. j ß. mista stent in vase auri calcino in loco frigido sæpius agitando donec perfectè coloretur; tunc ulterius soli expone, postea filtra & serva.*

Vires. Excellit omnia alia collyria in omnibus oculorum affectibus, refrigerat, deficcat; mundificat, mitigat sal lymphæ corrosivum; unde pruritus, dolor & inflammatio ac excoriatio ortum sumunt, & & vel per se, vel cum aliis mixta applicatur.

Aqua Papaveris composita, Londinens.

℞. *Flor. papaver. erratic. lib. iv. irrorentur cum vini alb. lib. ij. deinde destillentur vitreis organis in MB. Aq. destillat. cohobetur super recentes flor. idque ter repetatur. Unicuique aq. destillat libræ addant nuc mosch. incis. n. ij. sacch. alb. unc. ij.*

Aqua Anti-Paralytica Amstelodam.

℞. *Rad. salseparill. lign. guaiac. lib. j ß sassafras unc. iij. Herb. beton. calaminth. mont. chamædryos, chamæpityos, hyssop. majoran. origan. prasij, prim. ver. puleg. rorism. salv. serpyll. thym. Flor. calendul. stœchad. ana m. j. Baccar junip. unc. j, Infund. triduo in s. q. Spir. vini, ut supereemineat quatuor digitos. deinde s. a. destillentur. Liquori destillato iterum per diem naturalem infundatur Rad. costi amari, pyrethri, zingiberis, Sem. sinapi albi, caryophyll. piperis, cinam. styrac, Calamit. castor. ana ℥j. Distillent. s. a. & aqua stillatitia usûs servetur in vitro nimbo probè obturato.*

Aqua Anti-Paralytica & Anti-Apoplectica D. Charraz.

℞. *Cerasor. nigr. contus. lib. iv. micæ panis alb. lib. j. rad. valerian. contus. & rasur. C. C. ana unc. iij. mac. & caryophyll. pulverat. ana unc. ß. croci ℥ij. Flor. lavend. & lil. convall. ana m. iij. omnia simul mixta in MB. tepido horis 24. digesta, aucto ejusdem Balnei calore destillentur, & servetur aqua prolecta ad usum.*

Vires. Commendatur in Paralysi, Apoplexia & omnibus frigidis cerebri morbis. *Dosis ab ℥ß. ad ℥j.*

Aqua Pectoralis Norimberg.

℞. *Rad. ireos florent. eryngij, helenij, fœnic. ana ℥ß. Herb. veron. scabios. ana m. ij. capill. vener. hyssop. salv. marrub. ana m. j. cinam. opt. granor. junip. ana ʒiij. Affund. Spir. vini opt. q. s. stent in infusione per dies 14. postea destillentur. Destillatum funde super Rad. liquiritiæ ℥ß. jujubar. sebesten ana n. xxx. dactyllor. ficuum ana n. x. passular. minor. major. exacinator. ana ℥ij. Digerantur & filtrentur.*

Aqua Pectoralis in Phthisi valde utilis, Weickard.

℞. *Herb. virid. paululum exsiccat. unâ cum flor. salv. min. scabios. hyssop. veron. ana m. ij. auricular. tussilag. capill. Vener. cattariæ, marrub. prunell. beton. alchimill. numular. pulmonar. crescent. in Fago ana m j. Flor. rorism. Ptol. Mart. Pruneol. syl. borag. buglos. rosar. ana ℥j. Rad. ireos florent. enul. campan. glycyrrh. tussilag. ana ℥ij ß. asar. pimpinel. diptamn. urtic. major. ana ℥ij ß. ari ℥j. Sem. fœnic. cucurbit. excortic. ana ℥ij ß. galang. caryophyll. cinam. elect. croci ana ℥ß. bol. Arm. præparat. ʒv. albi græci ʒvj. Flor. sulphur. ℥ß. pulmon. vulpecul. recent, sed exsiccat passular. corinthicar. jujubar. pinear. ana ℥iij. sacchar. candi ℔ij. Contusa omnia crassiori modo infund. simul. in Aq. scabios. veron. morsus diaboli, fol. quercus, fœnic. salv. hyssop. tussilag. meliss. malv. flor. pruneol. sylv. papav. erratic. singul. ℔j. lact. caprin. ℔ij. vini Malvat. ℔ij. vini caustici, ℔j. Misceantur probè in vase stanneo, exponantur radijs solaribus per octiduum, & agitentur quotidie, postea destillentur s. a. in Balneo & liquori extracto adjiciantur manus Christi perlat. ℥iij. mosch. Alexand. ℈ß. ambr. gris. gr. viij. scil. in nodulo ligat. relinquantur ita per triduum in vitro obturato, deinde colentur, colatura reservetur ad usum.*

Vires,

Vires. Optima est hæc aqua atque probata contra *Phthisin*, si de ea æger singulis diebus manè & vesperi bibat ad quantitatem trium cochlearium.

Aqua Perlarum confortativa Zvvelfer.

℞. *Aq. melissæ citrat. cerasor. nigr. de rubo idæo, sine addit. still. āā. ℥vj. cinam. sine vino, rosar. sine addit. still. āā. ℥iv. In his mixtis aquis solvantur Magist. perlar. Oriental. corall. rubr. matris perlar. āā. ʒiß. addendo syr. de corticib. citri n. m. parati ℥iij. essent. citri sacchar. ex recent. corticib. parat. ℥ß. vel ℥j. Misceantur exactè, fiat aqua perlata clara.*

Vires. Efficax est hæc aqua in omnibus Animi defectionibus & Lipothymijs, ab ℥ß. ad ℥j. vel ultra.

Aqua Petasitidis composita Londinens.

℞. *Rad. petasitid. recent. & contus. ℔ß. angel. imperat. āā ℔ß. Macerentur in cerevisiæ non lupulatæ generosæ, ℔x. deinde destill. in MB. donec saporis mutatio vires radic. extractas esse testetur.*

Aqua Philosophorum ex Schroder.

℞. *Flor. sambuc. recent. ℔iij. Herb. lact. portulac. solan. cum toto āā ℔j. hyoscyam. alb. Flor. papav. errat. domest. āā ℔ß. rosar violar. āā. ℥iv. Succ. semperviv. lib. iij. plantag. acetos. āā lib. ij. endiv. lib. j. Omnia recentia contusa & incisa stent in infusione in cella frigida dieb. x. postea destilla in MB. vel cinere, ad siccitatem sexies reiterando semperque destillatum affundendo super novas herbas, omissis siccis, tandemque rectificato adde sal ex fœcibus extractum, depuratúmque, sepeli in terram frigidissimam per mensem.*

Vires. Omnibus morbis calidis convenit, &c.

Aqua Physagoga è Ph. Aug.

℞. *Sem. anisi lib. ij. dauci sylv. ℥j. cinnam. acutiss. ℥ij. nuc. mosch. macis, galang. caryophyll. ana ʒij. Trita infundantur in vini Malvat. mens. iv. per biduum aut triduum in loco calente. Deinde destillentur l. a.*

Vires. Flatus ventriculi & intestinorum à frigidis & crassis humoribus ortos dissipat.

Aqua Picarum Norimberg.

℞. *Picar. juv. n. vj. Flor. paralys. anthos, lavend. beton. Fol. meliss. ana m. j. hyssop. majoran. ana m. ß. Infundantur in Aq. flor. tiliæ, lil. convall. ana lib. ij. F. destillatio.*

Aqua ad Podagricos dolores D. Charraz.

℞. *Stercor. bubul. sicc. & spermat. ranar. ana partes aquales; simul misceantur & Alembico vitreo excepta, in MB. calore moderato destillentur, & Aq. prolecta in loco frigidulo ad usus servetur.*

Vires. Sedat dolores podagricos calidos: Atque ea propter lintea in eam immerguntur partique affectæ imponuntur.

Aqua Pœoniæ composita Londinens.

℞. *Flor. lil. conval. recent. lib. j. Infund. in vini Hisp. congijs quatuor.*

℞. *Flor. tiliæ lib. ß. pœon. ℥iv. Macerentur per biduum; deinde destilla ad siccitatem, in MB. In destillato liquore macerentur Rad. pœon. mar. debitè collect. ℥ijß. dictamn. alb. aristoloch. long. ana ℥ß. Fol. visci quercin. rutæ ana m. ij. Sem. pœon. decortic. ʒx. rutæ ʒijß. castor. ℈ij. cubeb. macis, ana ʒij. cinnam. ℥iß. scillæ præparat. ʒiij. Flor. rorism. puleg. stæchad. Arabic. lavend. ana p. iv. beton. tunic. paralys. ana p. viij. tum. Succ. cerasor. nigr. lib. iv. adjectis, destillent. omnia in vitreis organis, ut suprà.*

Aqua Purgans Zvvelfer.

℞. *Aq. ex granis sambuc. ebuli ana recent. & sine addit. still. lib. jß. asari ex toto sine addit. tempore vernali still. lib. ij. esulæ, helleb. ana ex toto pariter sine addit. still. lib. j. aq. mercurial. etiam sine addit. still. lib. ij. His aquis suo tempore collect. & destillat. mixtis adde Flor. rosar. Damascen. lib. ß. tanaceti recent. aloës hepaticæ, ana ℥iv. scamm. ℥iij. colocynthid. olei Tartar. per deliquium ana ℥iß. macerentur per mensem unum, additis postea cinnam. acuti opt. ℥iß. Sem. fœnic. anisi ana ℥j. destillentur ex Balneo n. vaporoso ad siccitatem specierum, semel atque iterum cohobando.*

Vires. Laxat alvum, humores peccantes promiscuè & suaviter educit. *Dosis ab ℥ß. usque ad ℥iij.*

Aqua Raphani composita Londinens.

℞. *Fol. cochleariæ utriusque verno tempore collect. & mundat. ana ℔vj. ex hisce contusis, succus exprimatur, cui admisceantur Succor. becabungæ, nasturt. aq. ana ℔jß. vini alb. opt. ℔viij. mala limon. cum. toto incis. n. xij. Rad. bryon. recent. ℔iv. raphan. sylv. ℔ij. ari, ℥ß. cortic. Winterani, nuc. mosch. āā. ℥iv. Macerentur per triduum, & destillentur MB.*

Aqua Reginæ Hungariæ simplex

Est Spiritus vini multiplici infusione florum Anthos imprægnatus & destillatus.

Vires. Cerebro confortando dicatus est, naribus attractus scil.

Aqua Reginæ Hungariæ composita.

℞. *Flor. rorismar. recent. ℔iß. summitat. rorismar. thymi, satureiæ, lavendul. costi hortens. salviæ min. major. āā. ℥ij. Contundantur omnia simul; indantur cucurbitæ vitreæ & adde sal. armoniac. & tartari separatim pulver. āā. ℥ß. M. exactè & superaffunde spir. vin. lib. iv. f. maceratio & destillatio s. a.*

Valet hæc aqua in suscitandis spiritibus, apoplexia, paralysi, lethargo. Dos. à ʒj. ad ʒij.

Aqua Salviæ composita Norimberg.

℞. *Herb. salv. m. viij. prim. ver. p. ij. Flor. jaceæ seu Trinitatis m. ij. borag. lavend. bugloss. cichor. sambuc. ana m. ß. Com. hyperici, ℥vj. Rad. iridis ℥ß. Aq. salv. simpl. prim. ver. lavend. ana ℥iß. sambuc. chamæm. rosar. ana ℥j. vini Cretici lib. jß. Maneant mista omnia in vitro per noctem, deinde destillentur per Balneum.*

Aqua Antiscorbutica D. D. Tobiæ Dorncreilij, è Pharm. August.

℞. *Rad. raphan. sylv. acerr. lib. iv. polypod. quern. mund. Cortic. rad. cappar. ana ℥ß. Sem. fœnic. ℥j. cardam. ℥ij. croc. oriental. ʒj. Radices raphani incidantur in orbiculos tenuiss. reliqua verò pulverisent. & simul infundantur in vini alb. opt. lib. xvj. & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidie semel atque iterum agitato, deinde adde Aq. cochlear. becabung. nasturt. aquat. ana lib. jß. chamædr. veræ, fumariæ ana lib. j. Seri lact. caprin. lib. jß. Misceantur & destillentur in MB. igne lentissimo.*

Vires. Valet propriè ad affectum Scorbuticum, maritimis & Aquilonijs regionibus endemium, in nostris tamen regionibus non omninò ignotum. Liberat enim obstructiones lienis, emollit, & attenuat humorem fœculentum melancholicum, eumque per meatus convenientes sensim evacuat, & lienem roborat.

Aqua Anti-Scorbutica Norimberg.

℞. *Rad. raphan. marini lib. j. Herb. becabung. nasturt. aquat. chamæd. fumariæ ana m. v. cochlear. recent. m. iij. Infunde per triduum in Aq. cochlear. becabung. nasturt. fumar. violar. ana lib. ß. Deinde destillentur.*

Aqua Anti-Scorbutica Zvvelfer.

℞. *Aq. becabung. cochlear nasturt. hortens. chærefol. Aq. Chamædr. ana sine addit. ex Baln. n. vaporoso still. lib. j. cerasor. nigr. itidem sine addit. still. lib. jß. His aquis mixtis immergantur Rad. recent. raphan. sylv. ℥vi. apij cum toto, enulæ, calam. aromat. pimpinellæ ana ℥jv. Baccar. lauri, juniper. virid. ana ℥ß. Sem. nasturt. urtic. fœnic. coriand. ana ℥j. cinnam. opt. ℥iij. nuc. mosch. ℥jß. macis ℥j. Factâ brevi maceratione, postquàm singula collecta fuerint, destillentur ex Baln. n. vaporos. serveturque usui.*

Vires. Præsentaneum remedium est Scorbuticis, Hypochondriacis, & quibus Lien globatus in molem; quod roborando attenuandóque humores, perficit.

Aqua Anti-Scorbutica Bontekoe: è J. H. Junck.

℞. *Cinnam. ℥iv. nuc. mosch. ℥ij mac. ℥j. caryophyll. ℥ß. Cortic. citri recent. n. viij. arantior. recent. n. iv. acori veri ℥iß. croci ʒiij. Concisis & contusis affunde Spir. vini opt. mens. ij. stent donec Spir. vini benè imprægnatus est. Dosis cochlear unum vel alterum sæpius haustum.*

Aqua Scordij composita Norimberg.

℞. *Succi scord. galeg. acetos. citri, pomi ana lib. j. Theriacæ opt. ℥j. Misceantur, & macerentur in aqua tepida, postea in duplici vase destillentur.*

Aqua Scordij composita Londinens.

℞. *Succor. depurator. galeg. acetos. scord. citri ana lib. j. Theriac. Londinens. ℥ij. Macerentur per triduum, & destillentur Alembico vitreo in* MB.

Aqua Serpilli composita D. W. è J. H. Junck.

℞. *Herb. serpilli m. vj. fœnic. m. iv. verben. meliss. Flor. tiliæ, lilior. conval. lavend. anthos ana m. ß. Sem. anisi ℥ß. zedoar. galang. cubeb. ana ʒj. cinnam. ʒß. mac. nuc. mosch. ana ʒij. visci quercin. Rad pœon. ana ℥jß. vini generosi mens. iij. F. s. a. destillatio.*

Vires. Est cephalica, stomachica, &c. *Dosis cochl. j. & ultra.*

Aqua Hypnotica, seu Anodyna, aut Somnifera Zvvelf.

℞. *Aq. Flor. nymph. alb. papaver. errat. solan hort. semperv. major. Hyoscyam. capitum papaver. recent. & maturescent. ãã suo tempore collect. & sine addit. ex Baln. n. vaporos. still. lib. ij. vini Malvat. lib. ijß. His mixtis immergantur Sem. papav. alb. nigr. hyoscyam. lolij ãã. ℥jß. prius in mortario incisa & contusa minutissimè ad pultis formam, additâ s. q. Aquar. prædictar. seu vini Malvat. porrò adde pomor. Mandragoræ recent. n. xv. opij Thebaici ℥iij. Factâque maceratione & fermentatione per dies xv. additisque postmodum croci opt. oriental. ℥j. cinam. acut. nuc. mosch. ana ℥jß. caryophyll. ℥ß. destillentur ex Balneo nostro vaporoso, ad siccitatem specierum, binis vicibus cohobando. Aqua prolecta servetur.*

Vires. Aqua hæc Anodyna est; & in omnibus vigilijs diuturnis, ac quibuscunque doloribus, uti & morbis ardentibus, auxilio cedit. Refrigerat insuper ac humectat, sumpta ab uncia una plus minus, habitâ tamen ratione & morbi & ætatis.

Aqua Antispasmica S. Clossæi, ex Schroder.

℞. *Vitriol. Ungaric. ℥iv. succin. flav. per triduum in aceto destil. infus. ℥j. vini malvat. ℔jß. F. digestio vase clauso per octiduum in* MB. *mox destillato in ciner. ferè ad siccitatem, vitando Empyreuma.* ℞. *hujus liquor. destill. ℥ix. aq. still. post ferment. cerasor. nigr. lil. convall. Flor. tiliæ arbor. & pœon. ana ℥iij. Rad. utriusque valerian. ℥ß. Sem. pœon. Bacc. junip. recent. matur. ãã ʒiij. Pullor. hirundin. exenterator. n. iij. corvi & picar. detractis plumis exenter ãã. n. 1. castor. opt. ʒß. caphur. gr. xv. F. omnium destillatio in* MB *bulliente.*

℞. *De liquore destill. quart. j. aq. claretæ cum ambra & moscho ℥jß. M. sumat cochl. j. aut ij. incipiente paroxysmo, absque morâ.*

Aqua Splenetica F. F. ex Schroder.

℞. *Rad. filic. ℥ij. polypod. apij ãã. ℥jß. aristol. rot. levistic. acori, calam. aromat. ana ℥j. Cort. cappar. tamarisc. lign. fraxin. rhabarb. elect. ana ℥ß. Sem. levistit. carvi, anisi, cymin. ana ʒij. Sum. absinth. fumar. cuscut. Flor. agrim. Fol. ceterach. scolopendr. ana m. iß. vini generosi ℔viij. stent in digestione dies 2. Hinc destillentur per* MB.

Vires. Lienem roborat, aperit; urinam promovet, &c.

Aqua Stapediana prima, è Ph. Aug.

℞. *Theriacæ Andromachi, Mithridatij Damocratis ana ℥vj. pulv. elect. de Bolo apud Joubertum, Bezoardici apud Nicolaum ana ℥ij. aquæ vitæ rectificatæ, vini Malvat. aceti rutacei ana ℔j. Succi radic. pimp. limon. ana ℥vj. Destillentur simul in Balneo, ac stillatitio huic liquori immisceantur Theriacæ ℥vj. & post aliquot dierum digestionem Liquor filtratus servetur pro usu.*

Vires. In peste morbisque malignis mirificas vires obtinet, sudores potentissimè movet, unde venenatam materiam omnem disjicit; valetque plurimum tàm in curatione, quàm in præservatione.

Aqua Stapediana secunda è Ph. Aug.

℞. *Conditi pro familia ℔ij. aq. vitæ non rectificatæ, vini Malvat. aceti rutacei, succi rad. pimp. limon. ana ℔j. Destillentur in Balneo; ac stillatus liquor permisceatur cum Theriacæ Andromachi ℥iv. digeratur & filtretur.*

Aqua Doct. Stephani, è Ph. Lond.

℞. *Cinnam. zingib. galang. caryophyll. nuc. mosch. gran. paradisi Sem. anisi, fœnic. carvi ana ℥j. Fol. thymi, serpill. menth. salv. puleg. parietar rorism. Flor. rosar. rubr. chamæmel. origan. lavend. ana m. j. vini Gasconici ℔xij. Macerentur omnia diei spatio, tum destillent. per* MB. *s. a.*

Aqua Stomachica D. Hochstetteri, è Ph. Aug.

℞. *Rad. Scorzoneræ ℥j. vincetox. ℥ij. acetos. ℥j Sem. acetos. ʒvj. fœnic. coriand. ana ℥ß. nuc. mosch. caryophill. ana ʒvj. mastich. ℥iß. vini Cretic. opt. ℔iv. Macerentur simul per triduum, deinde destillentur per* MB.

Vires. Præter vires stomachicas, etiam alexipharmacas obtinet, unde etiam alexicacæ epitheton ab authore quondam unà meruerit.

Aqua Stomachica alia è Ph. Aug.

℞. *Cinnam. acutiss. caryophyll. ana ℥x. calam. aromat. galang. ana ℥j. zedoar. zingib. ana ʒvj. mac. nuc. mosch. Bacc. lauri decortic. ana ℥ß. costi Arabic. piper. long. nigr. Sem. anisi fœnic. ana ʒiij. mastich. elect. oliban. elect. myrrh. ana ʒijß. Cortic. aurantior. citri ana ʒij. ligni Aloës opt. ʒjß. sandal. alb. citrin. ana ʒj. Incidantur grosso modo, & contundantur, mixtis omnibus*

superfundantur vini Malvat. mens. iv. macerentur per octiduum in vitro bene clauso, deinde destillentur in MB. Liquor egressus servetur usui.

Vires. Vitia coctionis in stomacho emendat, imbecillitatem ejusdem corrigit, humores crudos ipsis ventriculi tunicis impactos incidit,& attenuat, ructus atque flatus in ventriculo obortos tollit & dissipat.

Aqua Terebinthinata è Ph. Londinens.

℞. Rad. irid. Florent. Fol. sicc. menth. dictamn. ãã. ℥j. Sem. pulverat. agni casti, rutæ, lactuc. ãã. ℥vj. terebinthinæ Venet. ℥iv. vini alb. ℔iij. Digerantur 24. horas in MB. tum destillentur ut a. e.

Aqua contra Terrorem ex Schroder.

℞. Flor. lil. convall. m. ijß. (vel plur.) Superfunde vini alb. generos. mens. iij. stent simul in loco frigido dies 14. postea destilla per MB. Destillato iterum adde cinnam. ℥jß. cubeb. ℥ß. cariophyll. ℥iij. mac. galang. zingib. zedoar. croci orient. ãã. ʒij. M. stent bene obturata aliquandiu. Hinc adde Flor. lavend. recent. m. j. spicæ nostr. m. jß. stent iterum aliquot dies. Hinc destilla in MB. ex fœcibus extrahe sal destillatóque adde.

Vires. Convenit gravidis terrorem passis, præcavet abortum, fœtumque confortat.

Aqua Theriacalis è Ph. Aug.

℞. Rad. valerian. torment. pimp. bardan. gentian. petasitid. ãã. ℥jß. angel. dictam. alb. ãã. ℥j. enulæ camp. zedoar. aristoloch. rot. ãã. ℥jß. cortic. medior. fraxin. m. iv. Herb. beton. veron. scabios. card. bened. hyssop. ãã. m. jß. acetos. agrim. fumar. rutæ, centaur. min. ãã. m. j. Incisa & contusa infundantur per triduum in vini albi Neccarini mens. iv. aq. valerianæ, scabios. acetos. ãã. mens. j. postea addendo Theriacæ Andromachi ℥iv. Destillentur omnia lento igne.

Vires. Præstans est hæc aqua in pellenda lue pestifera, commotis nimirum & prolectis sudoribus: manè à jejuno, dimidij cochlearis mensurâ sumpta, præservativum est celebre, malignis quoque febribus potenter resistit.

Aqua Theriacalis Bezoardica, sive Chylostagma Diaphoreticum Mindereri, è Ph. Aug.

℞. Rad. tormentil. gentian. dictamn. alb. ãã. ℥ij. vincetoxic. carlin. ãã. ℥ijß. petasitæ, ostrutij, angel. zedoar. cortic. citri ãã. ℥iij. median. sambuc. recent. fraxin. recent. ãã. m. iij. Baccar. junip. recent. ℔j. Fol. dictam. Cretic. scord. nostr. chamœdr. ãã. ℥j. sandal citrin. ʒiij. lign. Rhodij ʒij. Incisis & contusis addantur Theriacæ Andromachi ℥ij. Mithridatij Damocratis ℥j. Succ. nuc. juglandium immaturar. limon. acetos. pimp. ãã. ℔jß. card. bened. scord. nostr. rutæ ãã ℔j. scabios. heder. terrestr. calend. meliss. hortens. ãã. ℥viij. chelidon. galeg. Acet. de rubo idæo, sambucin. rosat. ãã. ℥iv. rutac. ℔j. Post triduanam digestionem lento Balnei calore liquor evocetur, in cujus mediâ parte suspendatur Camphoræ in nodulo serico ligatæ ʒj. altera verò pars pro ijs qui Camphoram non ferunt, seorsim servetur.

Vires. Valenter hæc aqua sudorem pellit, venenatamque omnem materiam à centro ad circumferentiam corporis expellens, disjicit; suâ subtilitate corpus undique pervadens, arcensque putredines. Unde peste correptos adjuvat, febribus malignis & contagiosis adversatur, exanthemata, maculas pulicares, variolas ac morbillos expellit.

Aqua Theriacalis per Infusionem, Noriberg.

℞. Vini Cretici opt. aliquoties destillat. Hispanici, aceti acerr. in quo semina rutæ incocta fuerint, ãã. ℔iij. Theriacæ select. Mithridatij optim. ãã. ℔j. camphoræ ʒß. Misceantur, & agitentur sæpiùs, ac insolentur, vel furno calenti imponantur, ac deinde Aqua ista usui servetur.

Aqua Theriacalis s. contra Pestem, ex Schroder.

℞. Succi galeg. acetos. scord. citri. ãã. ℔j. Theriac. opt. ℥ij. Mista digerantur aliquamdiu, postea destillentur. Dosis cochl. j. ad ij.

Aqua Theriacalis Croll. s. spiritus Theriacalis camphoratus, ex Schroder.

℞. Theriac. Andromach. ℥v. Myrrh. rubr. ℥ijß. Croc. orient. ℥ß. Campher. ℥ij. Mixtis superfunde Spir. Vini rectificati ℥x. stent in loco tepido, cucurbitâ, imposito alembico, bene clausâ, &c. (24.) Hinc destilla in MB. à lentissimo calore gradatim ascendendo. Sic Spiritus prodit elegans, quem reaffunde materiæ in cucurbita, digere, atque denuò destilla idque vice tertiâ.

N. *Sunt qui Camphoram in Alemb. ponunt, alij contrà, Camphoram omittunt, Spiritumque Theriacalem simplicem vocant.*

Vires. Egregius usus est in Peste, ciet sudorem, resistitque veneno. Sennert. in Institut. Hartm. in Croll. Fink. in Enchirid &c. *Dosis* ʒj.

Aqua Theriacalis ex D. Charraz.

℞. Radic. Gentianæ, Angelicæ, Imperatoriæ, Valerianæ, & Contrayervæ, ãã. ℥ij. Cortic. Citri & Arantiorum, Cinnamomi, Caryophyllorum & Baccar. Juniperi, ãã. ℥j. Summitatum Scordij, Rutæ, & Hyperici ãã. man. j. Infunde per triduum in Spiritus Vini, & Aquarum Nucum & Cardui Benedicti, ãã. ℔ij. deinde additis Theriacæ probatæ ℥iv. igne arenæ distilla & Aquam ad usus serva.

Resistit venenis & corroborat partes nobiles. Datur, à ʒj. ad ℥ß.

Aqua Theriacalis, Cordialis, Bezoartica D. D. Donzelli.

℞. Radic. Angelicæ, Zedoariæ, Caryophyllatæ, Tormentillæ, Barbæ Hircinæ, Petasitidis, Enulæ Campanæ, ãã. ℥ijß. Rasuræ Cortic. Ligni Sancti ℥vij Santali Citrini, Cinnamomi, Macis, Baccar. Juniperi, Sem. Cardui Benedicti, Sem. & Cortic. Citri, ãã ℥j. Dictamni albi, Scabiosæ, Menthæ rubræ, Chelidonij, Scordij, Rutæ, Melissæ, Scorsoneræ, ãã. man. j. Flor. Centaurij minor. Hyperici, Genistæ, Calendulæ, Borraginis, Buglossi, ãã. P. j. Macerentur omnia per dies quatuor in B. M. affusis vini Malvatici ℔iij. Succi Limonum, Aquar. Nucum, Melissæ, Ulmariæ, Cardui Benedicti, ãã. ℔ß. Fiat expressio adde, Theriacæ opt ℥iij. Confectionis de Hyacintho, ℥j. Alkermes ʒvj. Diamargar. frigidi, Diacorall. ãã. ʒiij. Diambræ, Diamoschi. ana ʒj. Croci orient. Myrrhæ ana ℥ß. Sacchari candidi ℔ß. Macerentur denuò omnia per dies ij. aut iij. calore B. M. Pòst destillentur in Balneo Cinerum ad siccitatem; è fæcibus extrahetur sal per incinerationem, qui adjungetur aquæ prædictæ.

Secunda infusio poterit etiam asservari sine destillatione, si libet, eritque illa remedium non minùs potens nec minùs efficax, imò potentius & efficacius, in sudoribus provovandis Corde affecto sanando, & Malignitate etiam Pestilentiali fuganda.

Aqua Theriacalis alia D. D. Donzelli.

℞. Succ. Cardui Benedicti, Scordij, Corticum viridium Nucum Juglandium ana ℔ij. Rad. Petasitidis ℥iij. Croci ℥ß. Myrrhæ, Aloës ana ℥j. Dictamni albi ℥iß. Theriacæ Andromachi veteris ℥vj. Vini albi generosi ℔j. Contundenda contundantur, & macerentur omnia in MB. per dies iij. deinde destilletur Aqua ex a.

Provocat

Provocat Sudores copiosos, atque remedium est in febribus malignis. Dos. ℥j. ad ℥ij. in validioribus. Propinatur in aquæ Scorsoneræ ℥v. aut vj. probè tecto ægro in lecto calido.

Aqua Theriacalis seu Sudorifera. D. D. Diemerbroeckij.

℞. *Radic. Ostrutij, Petasitidis, Angelicæ, Carlinæ, Valerianæ, ana ℥ijß. Enulæ Campanæ, Corticum Aurantior. sicc. ana ℥ij. Herbar. Scordij, Absinthij, ana ℥ij. Cardui Bened. ℥iij. Flor. Rosar. rubrar. ℥ß. Stæchados ℥ij. Baccar. Juniperi ℥iiß. gran. Cardamomi minor. ℥v. Cinnamomi electi ℥j. Hæc omnia sumantur sicca, conscindantur simul & grosso modo contundantur, iisque affundantur in cantharo lapideo, vini albi Rhenani vel Gallici tenuis ℔xxij. Aquæ rosar. ℔ij. Vase bene obturato stent in infusione diebus xi. Tunc addantur hæ herbæ virides & recentes, conscissæ & aliquantum conquassatæ, Folior. Rutæ m. vj. Tanaceti m. iv. Rosmarini, Pimpinellæ, ana m. jß. Maneant simul in infusione adhuc per dies viij. vel x. quotidiè baculo commovendo, postea affunde, Succi Citri ℔ij. Stent adhuc per dies iij. vel iv. postea super ignem leviter ebulliant, & colentur ac in torculari fortissimè exprimantur, Colatura expressa destilletur in MB. aut arenâ, per Alembicum vitreum. Illud quod post distillationem in fundo cucurbitæ remanet, adjecta aqua Cardui Bened. attenuandum, & per chartam emporeticam raram colandum est, quæ colatura lento igne exsiccanda est ad extracti consistentiam quod usui servandum, ex fæcibus & herbis combustis sal parari potest.*

Hac Aqua interdum sola sed ut plurimum aliis admista in Peste Noviomagensi An. 1636. & 1637. fælicissimè utebatur D. D. Diemerbroeckius.

Aqua Theriacalis è Pharmac. Colleg. Reg. Lond.

℞. *Succi putaminum virid. nucum juglandium ℔iv. rutæ ℔iij. cardui bened. calendulæ, melissæ āā. ℔ij. rad. rec petasitidis ℔jß. bardanæ ℔j. angelicæ, imperatoriæ āā. ℔ß. folior. scordij m. iv. theriacæ Andromachi vet. mithridatij āā. ℥viij. vini canarini generosi ℔xij. aceti acerrimi ℔vj. succi limon. depurati ℔ij. fiat per biduum digestio in B. vase optimè clauso, deinde destillatio: & hinc inter destillandum paretur Extractum Theriacale.*

Aqua Pro-theriacalis ex eadem Pharmac.

℞. *Fol. Scordij, scabiosæ, card. bened. galegæ ana m. ij. cortic. citri, aurantiorum rec. ana ℥ij. sem. citri, card. bened. seseleos, thlaspios ana ℥j. flor. calendulæ, anthos ana m. j. Incidenda incidantur, & contundenda contundantur crassiusculè, deinde cum vini albi meraci ℔iv. & aquæ card. bened. ℔ij. in vas vitreum immittantur bene obturatum; ut per duas hebdomadas insolentur, vel in hypocausto per aliquot dies macerentur, facta agitatione frequenti. Tum demum in MB. destillentur. ita ut libræ duæ priores extillatæ per se separatim usui serventur. Quæ verò postea per destillationem effluit aqua, itidem per se usui asservetur; tum denique singulis libris admisce, Julapij alexandrini ℥j. aquæ cinnamomi cochleare unum.*

Aqua de Tribus. *vid.* Mistura de Tribus.

Aqua Tristantis, ex Schroder.

℞. *Nuc. mosch. ℔j. Macer. zinzib. granor. paradis. Caryophyll. āā. ℥jß. Rhabarb. opt. ℥j. Castor. spicæ nard. āā. ℥ß. Ol. laurini. ℥ij. M. & fac ut aromata maneant integra, infunde Vini optim. lib. xiv. maceraque in vitro clauso septiman. 4. Dein cola, speciesque omnes contunde ad pulmenti formam, addanturque postea liquori colato, iterum stent per 2 3. sæpius agitando: Denique destilla in MB.*

Vires. Cephalica & uterina est, crassos flatus discutit.

Aqua Viridis Hartmanni correcta à D. Charraz.

℞. *Mell. rosat. ℥ij. sulf. vivi, alum. crud. virid. æris ana ℥j. albi græci, comar. sabin. & samb. ana p. j. Flor. hyper. rorism. rutæ, plantag. salv. puleg. ana m. ß. omnia, excepto virid. æris per horæ semiquadrantem in vini alb. & aq. solani ana lib. j. coquantur, postea addito extra ignem & dissoluto viride æris, coletur aqua viridis & servetur.*

Vires. Prædicantur insignes ad sanationem ulcerum oris, faucium & nasi, vel aliarum partium, etiam scorbuticorum & venereorum: Si ulcera tangantur, linteis concerptis hac aquâ immersis.

Aqua Vitæ Matthioli è Ph. Aug.

℞. *Cinnam. ℥x. zingib. ʒv. sandal. citrin. ℥jß zedoar. ʒv. caryophyll. galang. nuc. mosch. ana ʒiij. macis, ʒij. lign. Aloës, cubeb. ana ʒj. cardam. utriusque ana ʒiijß. Sem. Melanth:j ʒiij. anisi, fœnic. pastinacæ sylvestr. ocimi, Rad. angel. caryophyllatæ, calam. odorat. phu minor. Fol. sclareæ, thym. calaminth. puleg. menth. serpill. amarici, ana ʒij. Flor. rosar. rubr. ʒiijß. salv. beton. rorism. stæchadis, buglos. borag. ana ʒjß. corticum citri ʒiij. Incisa & contrita macerentur in lib. xij. Spiritus vini rectificati per 15. dies, postea destillentur, & in prolecto liquore infundantur sandali citrini ʒjß ambr. gris. mosch. Orient. ana ʒß. post filtrationem addendo Julepi rosar. lib. j.*

Vires. Aqua hæc singularis efficaciæ exsistit, tam internè quàm externè adhibita, epilepticos, animo deficientes, & loquelam amissam restituit. Additur etiam in clysteribus colicorum, unciæ pondere, præsentaneo auxilio, ubi à flatu aut frigiditate provenit morbus, & præsertim additis Theriacæ aut Mithridaticæ Antidoti binis drachmis: denique ad frigidos omnes affectus Medicamentum magnoperè est commendandum.

Aqua Vitæ composita è Ph. Aug.

℞. *Cinnam. elect. ℥ß. zingib. ℥j. caryophyll. nuc. mosch. gran. paradisi ana ℥iß. lign. Aloës, macis, piper. long. ana ʒij. Flor. salv. odorat. recent. lib. j. cardam. mastich. cubeb. calam. aromat. galang. ana ʒjß. Flor. rosar. rubr. ʒij. citrariæ ℥ß. cortic. citri ℥vj. Baccar. lauri ℥ß. stœchad. Arabic. ℥iv. rorism. lavend. majoran. meliss. beton. ana ℥vj. rutæ ℥ß. castor. spicæ Indicæ ana ʒj. Incisa & contusa infundantur per decem dies, in Spir. vini opt. lib. x. Destillentur lento igne, in liquore infundantur in petia ambr. gris. mosch. Alexandr. ana ʒß. Servetur optimè.*

Vires. Omnes in universum corporis vires firmat, spiritus reficit, cor recreat, animi deliquia pellit, syncopas delet, vitales spiritus auget ac reficit, nec non calorem nativum elanguentem exsuscitat.

Aqua Vitæ Loimica Noriberg.

℞. *Rad. dictamn. alb. succisæ, tormentill. imperat. pimpinell. gentian. angelic. bistortæ ana ℥j. santal. citrin. Mithridat. Theriac. ana ℥ß. camphor. ʒß. vini opt. destill. lib. iij. F. infusio s. a.*

Aqua Vitæ Regia D. Charraz.

℞. *Ligni Aloës, angel. carlin. valerian. ana ℥j. cinnam. elect. macis, & cortic. exter. citri ana ℥vj. caryophyll. cardam. minor. & sem. fœnic. dulc. ana ℥ß. Flor. arantior. anthos, salv. & majoran. floridæ ana p. ij. Contusis contundendis, omnia Matratio excepta, cum Spir. vini & vini Malvat. ana lib. iv. vase diligenter obturato, igne moderatissimo per triduum macerentur, deinde in Balneo arenæ ex arte destillentur, dissolvendo in aqua stilla-*

stillata, mosch. & ambr. gris. ana ℈ß. & servetur aqua ad usum.

Vires. Aqua hæc, corroborat cerebrum, cor, stomachum atque omnes nobiles partes languentes, sive per spirituum depauperationem, sive per oppressionem à materijs peccantibus. *Datur longè post pastum à ʒj. ad ℥ß.*

Sequuntur Aquæ Vitæ compositæ variæ I.D.Thom.A. in Collect. Chim. Cur.

Aqua Vitæ Nobilis cum Ambra per infusionem.

Rosarum incarnatarum ℔xx. in una aut pluribus cucurbitis vitreis, congestis, spiritus vini Hispanici, & odoris ferè aromatici, ℔x. vase obstructo affundantur, atque per tres, vel quatuor dies loco frigido macerata, ex vesica cuprea, cujus alembicus stanneus sit, ad spiritum vini, cum parte aquæ, evocandum destillatio instituatur, in quo iterum rosæ recentes infundantur, ac post hanc tertiò repetitam infusionem, ac destillationem, spiritus vini rosatus, per arenam vaporosam rectificetur, ad sequentem aquam vitæ complendam.

℞. Spir. vini rosati ℔ij. civil. Aq. flor. aurant. rosar. opt. ana ℔ß. ambr. gris. opt. ʒj. mosch. orient. puri ℈j. Zacchar. candidi ʒvj. Ambra grisea & moschus cum ℥iv. dicti spiritus in mortario vitreo dissolvuntur, dein in phialam capacem, probè obturandam, ne quid expiret, ad circulationem, in Balneum vaporis aut calore arenæ, per octo dies continuandam, transferuntur, hic spiritus tinctus, & per pannum lineum tenerum, colatus, reliquo jungitur, atque hoc modo, sacchãro etiam in pollinem redacto, absque igne in aqua rosarum & naphæ soluto, & ad julebi consistentiam, omnibus mixtis, Aqua ambrata parata est: Quæ licet initio turbida existat, tandem per residentiam clarior evadit: Si verò turbatio liquoris (quæ tamen, cum tàm ob pinguedinem ab ambra communicatam, quàm confusionem spiritus vini cum aquis oriatur, nil aut parum refert) quempiam anxium habet, facilè corrigitur, admixtâ mediâ parte albuminis ovorum, in ampulla vitrea, prævia agitatione, ut probè misceatur, & concessa per viginti quatuor horas, in loco frigido, quiete, per sacculum, ex linteamine denso consutum, colatus, clarus, ad instar auri fulgens evadat. Hæc aqua, sapore, & odore Ambræ præcellit, quem quilibet aucto ejus pondere validiorem efficere potest.

Alia Aqua Vitæ Diambræ per destillationem parata.

Quanquàm meo quidem judicio, rectius facit, qui Ambram, & Moschum, vel in substantia, vel in spiritu vini, aliòve liquore appropriato solutum, ad usum eligit, quàm qui alteri horum, affusum spiritum aut aquam, destillatione iterum abstractam usurpat; quandoquidem præcipua, & balsamica, ac cumprimis Ambræ substantia, perpetuo in fundo vasis destillatorij hæreat: Illorum tamen in gratiam, qui aquam vitæ ambratam in votis habent, hanc communicare volui.

Pulvis Diambræ.

℞. Rosar. rub. ʒvj. Ligni Aloës veri resinosi ℥ß. Benzoini puri Styracis calam. depur. Ambræ gris. opt. ãã ʒij. Moschi orientalis ℥ß. Bals. de Peru aqua ros. loti ℈j. Ol. Nuc. musc. gut. x. Rosar. pall. recent. dest. ℈ß. Sacchari Candidi ℥ß. Misce f. pulvis subtiliss. Qui in vitro, angusti orificij, & ne quid exhalare possit, bene obturato, aliquot dies, loco moderate calido, ne Benzoin, Styrax, & Ambra liquentur, maceratus, odoratissimus evadet, modo Moschus, qui adulterationi magis obnoxius probata nota sit, sine quo Ambra languidior est.

Huic ita parato, in vase circulatorio, Aq. Rosar. præstantissimæ, ℔ij. affundantur, subsequente digestione, per 14. dies in arena calida, aut per hiemem, in præfurnio eo caloris gradu, ut aqua quidem in circulum moveri, non tamen ebullire possit; Magni enim interest hanc macerationem rectè complere: Hinc, ex materia in cucurbitam translata, Aqu. Naphæ ℔ij. affusis singulari industria per Balneum vaporis, aut arenam vaporosam, liquor ad sequentem usum adhibendus evocetur. Studiose laborandum, ne pulvis, qui deinceps perfumigijs inservit, empyreumate contaminatus, pretiosam hanc aquam quoque inficiat.

Paraturus igitur Aquam vitæ Diambratam, prædicti destillati, ℔j. accipiat, dissolvendo in ipso, pulveris sacchari cand. ʒvj. spiritus vini selectissimi ℔iij. affundat, quo modo præparata, insigni sapore, & odore commendabilis est.

Quin etiam saccharum album, finissimum, absque ulla coloris mutatione, cum Ambra, & Moscho conficitur, ex quo, in aqua Rosarum soluto, & cum spiritu vini mixto, aquam vitæ ambratam extemporaneam, componere licet, cujusmodi aliquot modos, brevitatis causa, consulto præterimus.

Hæ modò præscriptæ Aquæ vitæ, vires morborum frigidorum pertinacia dejectas, calorem innatum, ac sensus omnes partes principes, potissimum cor, ac cerebrum, ad quæ Moschus, & Ambra appropriata sunt, recreant, ciborum coctionem adjuvant, partes genitales, ac uterum roborant, ejusque ex frigida colluvie, oborta symptomata arcent: Temperamento tamen frigidioribus, utpote senibus, quibusque calor, abundantia humorum phlegmaticorum quodammodo suffocatur aptiores, quam juvenibus, cholericis, & concitatis, ac sanguineis, quibus dolorem capitis, sanguinis ac membrorum inflammationem excitat, ideóque caute usurpandæ.

Aqua Vitæ aromatica per infusionem.

Hæc compositio, ob aromatum admixtionem, talis vocari meruit, cujus apparatus talis est.

Pulvis Diaromaticus.

℞. Cassiæ ligneæ veræ, sive Cinamomi viscosi ℥iv. Cinamomi vulgaris acuti ℥ij. Ligni Aloës veri, opt. & resin. vel more nostro ut infra loti. Santalin. Citrin. fragrantiss. Nuc. musc. Macis ana ℥j. Galangæ zingib. ana ʒij. Caryophyll. cardamom. granor. parad. piperis alb. ana ʒj. Croci orient. ʒß. Fol. menthæ moschatæ. Coriandri ana ℥ij. Sem. fœnic. dul. Anisi ana ℥j. Elæosacch. de corticib. Citri vel Limonum ʒij. Ambræ cinerit. opt. ʒj. Moschi Alexand. ʒß. Sacchari Cand. ℥ij. Misce f. Pulvis subtiliss.

Qui, aromatibus, per setaceum, in pollinem redactis, Ambra, & Moscho, cum Elæosaccharo Citri, & pulvere sacchari candidi super porphyrite lævigato compositus in vitro ad usum servatur.

Cassia lignea, ex genere corticum aromaticorum, Cinamomo admodum similis, nisi quod lævior, magis fusca sit, ac densiore flamma comburatur, sapore grato, Cinamomi æmulo, & dulci, quæ longiore masticatione, sensum aliqua acrimonia ferit, & in aqua cocta, & infusa, muccaginem, quemadmodum semen Cidoniorum deponit, unde cassia viscosa dicta, destillatione majorem, quam ipsum Cinamomum, olei copiam fundit, atque ex residuo ejus, affuso vino malvatico, aut hispanico, liquor cordialis, qui aquam Cinamomi, virtute aromatica, & corroborante superat, elicitur, cujus simplicis olim, insignem quantitatem ex Indiarum Regione, ad Hollandos advectam notavi, ex illo tempore rarius, nec eadem quantitate, aut bonitate, ad nos pervenit, qua tamen in re, ut selecta quæque haberi possint, nullis parcendum sumptibus. Hanc aliquando Cinamomo mixtam reperiri fertur, quod vero simile,

eum Authores, in Insula Zeilan, id nasci, atque Cassiam, Cinamomi speciem selectiorem statuant.

Lignum Aloës, quod attinet, ejus distinctionem, in Anatomia Vegetabilium tradidi, cum seria admonitione, ne quis pro eo, illud nigricans, & in igne fœtens lignum, ut multi etiamnum Medici faciunt, substituat: si quis autem Pharmacopæus, minus solers, ac industrius, selectum consequi, haud laboret, ex fragmentis saltem ligni veri, cum spiritu vini, balsamicam partem extrahere conetur; quæ ablutione, sequenti modo, eligi possunt:

℞. *Fragmentorum horum, quamvis exoletorum, dummodo partes aliquas vegetiores contineant, sufficientem quantitatem, horum pulveri per setaceum transmisso, frigida affunditur, ac pars supernatans, cochleari tollitur, aliquot porro diebus elapsis, aqua turbida separatur, servato in fundo ligno quod probatum, & exsiccatum, in usum reponitur. Quod experimentum, à me casu exigente inventum, hujus artis Studiosis, ultro communicare volui. Quid Elæosaccharum sit, in appendice, de mixturis præparantibus, docui, nimirum saccharum cand. pulverisatum, cum s. q. olei de corticibus Citri, vel Limonum miscetur, ut pinguisculum fiat, quomodo, non tantum gestatu, sed etiam sumptu commodius existit, & vires integras, diutissimè conservat, quæ hanc aquam vitæ paranti, probe observanda sunt. Hujus pulveris ℥ij. spiritus vini rectificati ℔iv. affunduntur, quod infusum, per triduum, calore maceratum, per pannum lineum colatur, eique ℔ij. Aquæ Rubi Idæi, in quo ℥iv. Sacchari Cand. solutæ sint, & insuper albumen ovi addatur, ac spatio unius diei transacto, iterum per sacculum mittitur, ut aqua vitæ, coloris fusci, pulchra & pellucida evadat.*

Quomodo prædictæ aquæ vitæ, per destillationem parandæ sint.

℞. *Pulveris Diaromatici præcedentis, ℥iij. spiritus vini rectificati ℔iv. macerentur, per diem, & noctem, dein aquæ Rosarum, vel Rubi Idæi ℔. affundantur; spiritu per destillationem abstracto, & Sacchari fini ℥ix. in eo dissolutis, ut spiritus limpidus, & clarus fiat, per pannum Xylinum coletur. Aquæ vero ℔ij. post spiritum destillatum educantur.*

Aquæ hæ aromaticæ, calore suo membra interiora, à frigida, & humida materia labefactata corroborant, coctionem, & appetitum promovent, aquosam superfluitatem, per habitum corporis diffusam, unà cum flatibus consumunt, tenacem pituitam incidunt, & putredini resistunt, ac non tantum supradictorum morborum symptomata mitigant, sed etiam valetudinem pituitosis conservant: Calidi, & sicci tamen temperamenti hominibus, non minus, quàm aqua vitæ ambrata adversatur.

Aqua Vitæ cordialis præstantissima.

℞. *Fol. Melissæ, dilig. exsicc. rosar. rubr. ana ℥iß. Fol. Menthæ moschat. ocymi, caryophyll. Fl. borrag. buglossi calendulæ, chamomillæ Romanæ, liliorum convall. meliß. Turcicæ āā ʒvj. Rad. doron. rom. ℥iv. Pœoniæ debito tempore coll. Scorzoneræ, Tormentill. Iridis florent. Cort extern. Citri āā. ℥ij. Ligni aloës resinosi vel more nostro loti, Cassiæ ligneæ veræ āā. ℥iij. Santali, citrini, domestici ℥iß. Macis nuc. moschat āā. ℥j. Galangæ granor. paradisi zedoariæ caryophyllor. āā. ʒij. Spicæ Indicæ ʒj. Essentiæ flor. Tunicæ rub. rec. ℥j. Croci orient. ℈. Tartari acetos. depurat. melissæ āā. ℥j. Oleor. melissæ, Menthæ moschat. De cortic. Limon. cinamomi salviæ āā. gut. x. Sacchari candidi ℥iv. Misce f. pulvis subtilissimus.*

Saccharo cum aqua Rosarum, ad Syrupi consistentiam percocto, ambæ Essentiæ miscentur, eique in tabulam morsulorum instar effuso, siccato, & in pulverem redacto, olea destillata cum reliquo pulvere, ac insuper Ambræ griseæ gr. iv. & Moschi orientalis, ad singulas uncias compositi gr. ij. adduntur.

Pulvus hic, non tantum, ad aquam vitæ, ut sequitur parandam, sed etiam, ad confectiones cordiales, epithemata, aliasque formulas, commodus est. Vocatur autem Diamelissophyllon, non tantum, quod folia, flores, Tartarum, & oleum Melissæ in compositionem admittat; sed etiam ut Melissa, inter simplicia præcipuum quodammodo Cordiale existit, ita & hoc compositum, inter corroborantia excellat. Proposita autem aqua vitæ, sequenti modo paratur.

℞. *Pulv. Diamelissophylli præscr. ℥j. Spir. vini rectif. ℔ij. civil. Tota Mixtura in phiola obturata, per diem digeratur; spiritus tinctus. & quoad fieri licet clarus, in aliud vitrum transfundatur, atque residuo, addita libra aquæ ex fragis fermentatis destillatæ, per diem, & noctem calore foveatur, quod tandem percolatum cum residui pulveris expressione spiritui prædicto una cum Syrupi flor. Tunicæ & flor. Aurantiarum ana ℥iv. misceri convenit, ac cuncta albumine ovi mixta, porro per 12. horas, calore macerentur, ac per sacculum mundum colentur. Aqua vitæ insignis est, contra vertiginem animi deliquium, puncturas laterum, terrores, & palpitationem cordis, ac quæcunque accidentia, tum ex frigidorum humidorum, ac putrescentium pravitate, tum ex atrabile effumante, ac maligno apparatu suborta, nec non animum exhilarat, cogitationes anxias, & insomnia terrifica sublevat, variæque gravidarum imbecillitati succurrit.*

Dosis ejus, Cochleare unum per se, plus vel minùs, & quanquam satis temperata est, præsente tamen febrili calore, cum aquis Tiliæ, Fragorum, Borraginis, Jusculo, vel emulsione amygdalarum, pinearum, aut pistaciorum, exhibere præstat: quarum emulsionum potior pars nutriens, per alembicum, insana quorundam opinione, non adscendit.

Aqua Vitæ Cordialis.

℞. *Pul. Diamelissophylli ℥iij. Spir. vini rectif. ℔iv. civ. Aq. Rosar. pallid. opt. Rubi Idæi āā lib. jß. Spiritus destillatus & aquæ lib. ij. postremo egressa, cum sacc. cand. ℥viij. pulverisatis edulcorentur, & per sacculum, ut instar fontanæ limpida fiat, percoletur: Qui vero colorem non magnopere curat, Sacchari loco Syrupi de rubo Idæo, & florum Tunicæ āā. ℥v. admiscere, & colaturam clariorem reddere potest, quo pacto, virtutes ejus auctiores fiunt.*

Aqua Vitæ aurea.

Hodie non modo Spiritus vini rectificatus, sed complures aquæ vitæ compositæ, commixtis solummodo aliquot auri folijs, potissimum à circumforaneis, ad emungendos loculos hoc titulo decantantur: Ut tamen spiritui vini, ac præcipue, varijs aquis vitæ compositis suum pretium relinquam, sine discrimine, & methodo adhibitæ, sæpe parum præstant: Quare nemini titulus, aquæ vitæ imponat, cum folia auri innatantia, ad rem nihil faciunt, sed plicis ventriculi, & intestinorum, inhærentia, plus officiant, quam prosint; donec nondum alterata cum excrementis alvi expellantur. Qui vero cum hisce aquis, Aurum, Argentum, lapides pretiosos, lapidem Bezoardicum, corallia, margaritas, terram Lemniam, cornu cervi ustum, unicornu, os de cornu cervi, ac similia metallica, lapidosa, lutea, vel ad cornu duritiem accedentia admixta cupit, primo solventibus appropriatis, in formam Magisteriorum, quæ in liquore resolvi possunt, redigantur, quæ etiam loco crudorum, ad pulveres, & confectiones cordiales, merito recipiuntur, & à doctis horum præparationem, usum, virtutesque, non ignorantibus, administrantur. Atque hæc, in eorum gratiam, qui has panaceæ loco ostentant profero, qui tamen, qua ratio-

ne aurum has perficere possit, minime sciunt, cujus, aliorumque Magisteria, hic exponerem, nisi rerum confusio vitanda esset: Quandoquidem hoc loco, tantum de vegetabilibus agere propositum est. Dicuntur autem jure merito, hujusmodi aquæ aureæ, non ob folia auri admixta, vel colorem fulvum, sed singularem virtutem, vitale robur augendi, ac cor, cui aurum comparatur, exhilarandi beneficium.

Aqua, seu Elixir Vitæ.

Nomine Elixiris Chymici medicamentum quoddam partes principes roborandi, putredinem arcendi, vitam prolongandi, virtute pollens subaudiunt. Quidam, nec abs re, Spiritum vini hoc titulo donare cœperunt, ac ipsiusmet qualitatem ejus considerans, facile in eorũ sententiam concedo, ut in postrema parte Hydrelæologiæ meæ declaravi. Quidam vero, simplici Spiritu vini non contenti, compositas aquas vitæ, cum additione specierum confortantium excogitarunt, quibus pro lubitu, nomen hoc Elixiris imposuerunt, quæ tum apud Medicos, cum Magnates aliquos, ac inter cæteros præcipue, apud magnum Hetruriæ Ducem, in pretio habentur, qui præter alia selectissima, & illustria medicamenta (quæ Regia plane munificentia, non tantum subditis petentibus, gratis elargiri curat, sed sæpe quoque magnatibus alijs, ipsum invisentibus, muneris loco offert) singularem etiam, & quendam aromaticum spiritum, per ordinarios suos Chymicos elaboratum, sub titulo Elixiris possidet. Quapropter nec ipse potui, quin etiã hoc loco, singulare aliquod Elixir adjungere.

℞. *Pul. Diamelissophylli ℥iijß. Diambræ nostræ ℥ß. Spiritus ardent. Rubi Idæi rectif. lib. ij. Mellis refragrantiss. Vini malvatici opt. ana lib. j. Aquar. flor. Arant. Rosar. opt. ana lib. jß.*

Omnia mixta, per alembicum vitreum, in arena vaporosa destillantur, ac primo egressus spiritus, seorsim servatur, ac porro in duabus aquæ libris posterius exstillatis, sacchari candidi ℥viij. ut Julebi consistentiam accipiant, addita ea spiritus salis Melissæ quantitate, quæ sufficit, ad saporem instar Syrupi Citri acidulum conciliandum, cui liquori demum, prius reservatus jungitur. Atque ita Elixir vitæ absolutum est, quod quidem in omnibus affectibus, Panaceæ vicem haud sustinet, ac multo minus mortuos excitat, viribus tamen cuivis specifico cordiali nequaquam cedet. Dosis hujus, ut etiam aliarum aquarum vitæ cordialum, se habet vehiculis congruis: Quin etiam spiritum salis Melissæ auro, & corallorum, margaritarum, aut lapidis Bezoardici Magisteriis impraegnare licet, quo facultas confortandi adaugeatur; quãvis per se ritè præparatus, viriũ nobilitate excellat.

Aqua Vitæ Diasatyrionis.

Inter alias aquas vitæ, etiam aqua Magnanimitatis locum habet, quæ illis præcipuè, quorum natura mollis, languida, frigida, humida, rei venereæ tractandæ impar est, subsidio venit. Nominis autem ratio, ni fallor, hæc est, quod (ut communis fert sententia) illud ipsum, quod calorem, ac potentiam, ad rem veneream confert, etiam animositatem, ad res arduas gerendas, in iisdem augeat. Unde ille Naturæ genius Aristoteles usum Menthæ militibus, eo quod sperma consumendi, & consequenter animum, & corpus, torpore afficiendi vim obtinere, hucque effectum semper cum defectu animositatis virilis, ad pugnam conjunctum esse crediderit: Ut non abs re, destillatum hujuscemodi facultatis, aqua pusillanimitatis, ac vicissim generandi vim corroborans, aqua magnanimitatis, vocari mereatur. Basis, & præcipuum ingrediens apud quosdam est certum genus formicarum, cum aromatibus Ambra & Moscho, ac vino malvatico maceratum, ex quo infuso, Aqua vitæ, ad dictum usum accommodata destillatur. Sed quoniam hujus generis medicamenti (quamvis non negem, huic præmultis, vim confortandi venerem, ac insignem quoque calefaciendi, & penetrandi vim inesse) nullam unquam experientiam feci, eo misso, quandam aquam vitæ, Diasatyrion vocatam, non minoris efficaciæ, describam.

℞. *Sem. anisi, dauci, fœniculi dulc. fraxini ana ℥j. Nuc. mosch. ping. ℥vj. macis, costi dulcis, caryophyll. Galangæ, Piperis longi, sem. Erucæ ana ℥ij. Ambræ gris. opt. ℨj. moschi alexand. puri ℈j. Misce f. pul. ultimo add. ol. melissæ cinamomi ana gutt. x Misce. Huic pulveri in phiola, spiritus vini lib. vj. affundantur, & vase obturato, ne spiritus exhalare possit, per duos dies foveantur, & ut virium dissipatio commodius evitetur, triplici circulatorio in quo spiritus sine jacturæ periculo agitari possit; excipiantur, ac definito tempore elapso, spiritus tinctus in aliud vitrum transferatur, pulveri vero in circulatorio reliquo, succi Onosorchidis recenter expressi, sine clarificatione, lib. ijß. addantur, & vase denuo clauso, simul per quatuor dies macerentur, hinc per colum fortiter exprimantur, ac succus colatus cum mellis virginei electi lib. trib. quadr. in eo solutis, & spiritu vini conjuncto more solito clarificetur.*

Hæc aqua vitæ calefacit partes naturales, una cum genitalibus, spiritus, sanguinem, & genituram augendo corroborat, ac propriæ functionis memores facit.

Dosis, pro natura sumentis, unum, vel duo cochlearia, paulo ante pastum, præcipue ijs, quibus stomachus frigidior negotium facessit, quandoque etiam post cœnam, sumenda sunt: Qui vero obeso, humido, & molli sunt corporis habitu, prius per cathartica, & sudorifera, diætam, & excercitia, corpus ad ejus usum disponant: Contra exsangues, squalidi, melancholici, vel longo morbo confecti, sola diæta humectante, & restaurante prius corroborati, cum vehiculis analepticis, ut in capite de Aqua vitæ cordiali memini, stata hora; quam diu, & quantum opus, sumere possunt.

Nobilis Aqua Vitæ Cephalica.

Præmissis nunc quinque præcipuis compositionibus, totum corpus roborare valentibus, aliæ nunc proponendæ restant quæ licet, humidam, frigidam superfluitatem consumendo, una totum corpus penetrent, peculiarem tamen ad certum aliquod corporis membrum, respectum habent. Quarum prima hæc est.

℞. *Fol. Beton. recent. exsicc fl. rosar. rubr. stœchad. arab. Cortic. ligni sassafras. fruct. myrtill. nuc. mosc. ãã. ℥j. Ligni Aloës opt. rad. irid. florent. Benedictæ caryophyll. pœoniæ mastychis el. succini albi styracis calam. benzoini amygdaloid. ãã. ℨvj. calami aromat. cubebar. gran. parad. ãã. ℨij. spicæ Ind. cardamomi ãã. ℨj. Sacchari albiss. ℥ij. Ess. flor. primul. veris ℨß. ol. salviæ, rorismarini, majoranæ, caryophyllor. ãã gut. vj. Fœniculi dulc. gutt. xx. ambræ gris. gr. xxiv. Moschi opt. gr. xij f. pul. s. a. Hujus pulv. ℥iv spir. vini rectificati ℔iv. affundantur, ac postquam spiritus spatio unius diei elapso abunde tinctus est, is cum expressione, ad pulveris siccitatem per linteum colatur; hinc cum aqua Melissæ, & Rosarum optimæ (in quibus Sacchari finissimi, ℥vj. solutæ sint) ãã ℔j. misceatur.*

Præstat hæc aqua vitæ, ad capitis, & nervorum corroborationem, calefacit, siccat, digerit, sensuum interiorum meatus aperit, & humida cerebri intemperie, vertigine, defluxionibus, tinnitu aurium, imbecillitate, memoriæ, veterno, apoplexia, epilepsia, & spasmo laborantes oppido juvat. Dosis. Cochleare unum aut duo mane, seu vesperi, diuturniorum vero ejus usum curativum, convenientia cathartica præcedere debent.

Aqua Vitæ Cephalica alba.

℞. *Pul. ceph. præscripti ℥iij. 🜄 rectif. ℔iv. aq. salv. ℔iß. Pulvis cum liquoribus, leni calore, tribus diebus maceretur, dein liquori, per destillationem abstracto, Aq. Meliss. & rosar. cum saccharo, plane ad ipsum, cum præcedenti modum, adhibita, cui visum est, clarificatione.* Spiritus abstracti pars, antequam cum aquis misceatur, seorsim servanda, ad externum in Epithematis usum, cæterum usu, & dosi, cum superiore convenit.

Aqua Vitæ è lilio convallium composita.

Flores Liliorum convallium, ubicunque terrarum, præcipue tamen in Germania, cujusvis ordinis hominibus, magni fiunt, ac licet vario modo in medicinam veniant, liquoris tamen forma usitatior est, cujus descriptionem quandam hic subjungam. *Florum lilior. convallium, recentium, ablatis caliculis viridibus, ℔xx. cum pulveris Diamelissophylli, & pulveris cephalici ana ℥iij. in cucurbita, Spiritus vini rectificati ℔viij. affundantur; tota hæc mixtura, per octo dies fere macerata, duabus mensuris aquæ fontanæ additis, per alembicum vitreum, aut stanneum, ut in sectione aquarum destillatarum docui, donec omnis spiritus egressus sit, qui ad aquositatis separationem, per arenam vaporosam pro lubitu rectificari potest. Hoc vero opus, per vesicam instituendum, quo oleum, ac nobiliores florum, & pulveris partes ebullitione soluta cum spiritibus, facilius uniantur.*

Mirifica virtute pollens, ad affectus omnes, quos vulgaris aqua lilior. convallium sublevat, intra, aut extra corpus adhibita, meliori cum fructu usurpatur, qui temperationem vero desiderat, spiritus hujus libris duabus, Aq. Rosar. & Aq. Lilior. convallium simpl. ana ℔ij. cum sacchari albi ℥viij. admiscere potest.

Aquæ Vitæ pectoralis optima.

℞. *Flor. scabiosæ, mal. arbo. rubr. fol hyssopi, marrubij, Glycyrrhizæ ãã ℥j. rad. Helenij, iridis florent. sem. anisi, fœniculi ãã ℥ß. Origani, thymi ãã ʒij. croci orient. ʒß. Benzoini, styracis, calam. depurator. ãã ʒvj. Essentiæ flor. papav. Rhœad. Veronic ãã ʒij. sacchari ℥ij misce f. pul. s.a.*

Processus talis est. *Essentia ad hujus pulveris ℥ij. Spiritus vini ℔iv. affusis extrahitur, in separato autem à pulvere spiritu, sequentia minutim incisa, infundantur.*

℞. *Jujubar. recent. enucl. Dactylor. enucl. Caricar. ping. ana ℥iij. Mixta, per diem & noctem, calore foveantur, subinde commovendo, tandem spiritui iterum percolato jungantur Aq. Tussilaginis, & Scabiosæ ana ℔j. Syr. violarum ℥viij. Essentiæ passular. ℥iv. clarificetur.*

Vires. Calefacit, digerit tenues defluxiones, à capite in asperas arterias, vel cavitatem pectoris procumbentes concoquit; nec minus concoctam, & tenacem materiam, expectorationi apparat, tussi diuturnæ, & respirationi difficili succurrit, apostemata interna rumpit, mundat, sanat, anhelitum, à contagione purulentæ materiæ fœtentem, corrigit.

Dosis. Cochleare unum plus vel minus, cum vehiculo pro ratione affectus, ætatis, &c. omnes vero, qui cum pulmonis exulceratione, calida intemperie, aut febricula continua, lenta, carnosam totius corporis partem consumente, laborant, serio adhortor, ne hac, vel similibus spirituosis aquis mortem sibi accelerent. Nulla enim habitualis intemperies calida. similia medicamenta, absque noxa sustinet. Quamobrem analeptica, diæta refrigerans, & substantifice humectans, quæ potius in conservationem vitæ conspirat, adhibeatur.

Depurantur autem ambo Gummata, Styrax nimirum, & Benzoin hoc modo: utriusque partes æquales, cum aqua Rosarum, super modico igne dissolvuntur, & per pannum firmum, ut purior pars, relictis sordibus, transeat, quæ exsiccata, facili opera, in pulverem conteritur.

Aqua Vitæ Anisi.

Cum Anisum, præter gratum, & dulcem saporem, virtutem quoque frigidas pectoris noxas mitigandi, obtineat, eoque tam laudatum, quam usu tritum medicamentum existat, aquam vitæ ex eo conficiendam hic apponam.

℞. *Sem. anisi recent, grosso modo contusi ℥xij. spir. vini rectif. Aquæ fontanæ ana ℔vj.*

Ex his commixtis, & per noctem maceratis, per vesicam, cum alembico stanneo, primo spiritus seorsim excipiendus, dein aqua non contemnendæ virtutis, usque ad duas libras destillatur, quæ cum sacchari finissimi ℥xij. spiritui primo loco egresso, commixta, mixtura fit laudabilis, quæ aliquantum turbida, per linteum Xylinum clarificari potest. Facit ad colluviem humorum frigidam, in pectore resolvendam, lac auget, urinam movet, medicamentum polychreston est, & familiare.

Aqua Vitæ Menthæ.

℞. *Foliorum menthæ moschat. dilig. exsicc. ℥vj. spir. vini rectif. Aq. com. ana lib. iv. Ambo, spiritus sc. & aqua, ex vesica per se destillantur, in quibus Sacchari lib. ß. dissoluta, hæc compositio absoluta est. Simili modo ex Roremarino, Salvia, Thymo, Melissa, ac alijs, sicci & calidi temperamenti herbis, Aquæ vitæ fieri solent: Et cum hujusce herbæ diversæ species existant ad hoc opus moschatinam, folio oblongo, fusco, odore moschum referente, tam, ob odoris præstantiam, quam acrem, & aromaticum saporem præferendam censeo: In cujus defectum, Mentha crispa hortensis, qua multis annis usus sum, merito succedit.*

Hujus vires illustres, & raræ sunt, quam Fernelius Dogmaticorum decus sequentibus verbis comendat.

Mentha utraque calida, sicca principio tertij ordinis, gustu acris, subamara, tenuium partium, adstringendi & siccandi vim obtinet, stomacho apprime utilis est, appetitum excitat, & in condimentis peculiarem usum invenit, & in eo, humores frigidos, crassosque excalefacit, attenuat & absorbet singultus, vomitiones, choleramque sedat, sanguinis rejectiones sistit: Quæ virtutes consideratione dignæ sunt. At vero miror, non modo tantum, ac talem virum sed complures alios viros doctos, Aristotelis authoritatem sequentes, ut in capite, de aqua vitæ Diasatyrionis memini, quod hanc conceptioni resistere doceant, semenque ipsum ex inguere.

Etenim talis effectus, aut vi manifestæ qualitatis sequitur, aut occultæ proprietatis, cujus natura nondum apud Physicos, ulla rationis indagine definita est. At vero hæc herba, cum calida, sicca sit, in principio tertij gradus, amara, & subtilium partium, cum sensibili adstrictione; hujus operationis, à manifesta qualitate, nulla assertio dari potest: Siquidem consecutionis necessitate, Piper, Zingiber, Cubebæ, Cardamomum, Cinamomum, Caryophylli, & complura aromata, ut ipsæ herbæ, similis propemodum temperamenti, v. g. Majorana, Thymus, Satureja, Lepidium, Sinapi, Carum; & cuncta quæ acrimonia calefaciendi, siccandi, & penetrandi facultate, Menthæ nullatenus cedunt eundem, quod aperte falsum est, effectum præstarent: Ab occulta vero, nobis tantum sensu & experientia cognita, multo minus demonstrari potest, quandoquidem hæc, à manifestis qualitatibus independens sine discrimine in omnibus, cujusque temperamenti, hominibus, vi quadam magnetica idem efficeret, cui quoque eventus refragatur, hæc enim recens, aut sicca comesta, sine seminis exsiccatione, coagulatione, aut consumptione ulla, sumentes alacres, magisque animosos reddit. Quare aut diversæ speciei herbam, aut cœli constitutione, solive natura, alteratam, aut ex idiomate originali non satis intellecto, alieno nomine expressam Aristoteles protulit. Vel vana isthæc persuasio, quorundam veterum Medicorum errore introducta fuit, quemadmodum illa, de ligno Juniperi, quod ut præsentissimum venenum, hominibus necem adferre, quidam per somnium scripserunt, cui experientia haud quaquam respondet, & qui hoc absurdum, apud Germaniæ populos proferet, vulgo pro insano, & mente capto haberetur, ex eo enim non solum pocula, sed etiam decocta, & infusa, æque, nec minori fere cum fructu, ac ex ipso Quajaco ad varios humani corporis affectus, catarrhos scilicet

nervorum languores, dolores articulorum, morbum Gallicum parata, in usum veniunt. Enimvero, si sola authoritas, hoc vel illud, approbandi, aut rejiciendi, sufficeret multa, experientia nobis cognita, juxta & utilissima ab alijs, pro veneno diffamata, ex foro medicinali proscribenda essent. Quocirca, in valore rationum supra dictarum concludo, hanc nec manifesta, nec occulta qualitate conclusionem ratam habeo, donec quispiam alius ex Medicis, praxi & eruditione clarus, succo hujus simplicis, in pluribus integris, robustis nullo virilitatis defectu notatis, hominibus sæpius exhibito, iisque convenienti hujus usu debilitatis, effectum talem experientia comprobet. Ego quidem, hoc nobile medicamentum, tum ad curationem, tum ad præservationem summæ conditionis hominibus, ac mecum alij quoque Medici, magno commodo præscripsimus. Cæterum, quibus alioquin, temperamenti ratione competit, horum frigidas, & flatulentas ventriculi noxas, nauseam, dolores, ructus placat, ac præsertim vomitum ex effusione bilis ortum, unde anxietates, & palpitationes cordis imminent, blande moderatur, appetitum & ciborum coctionem confirmat, quam bene peractam, non solum chyli, sed quoque sanguinis probi, & fœminis generatio sequitur. Præter hæc virgines cachexia, chlorosi, colore fœdo, & corporis habitu intumescente, virium, & appetitus dejectione laborantes, præmisso congruo cathartico, hæc aqua vitæ, dummodo malum non inveteratum sit, mane ac vesperi à cœna, justa dosi sumpta, brevi temporis intervallo restituit: & ut paucis complectar, in omnibus ventriculi infirmitatibus, panaceæ loco est, senes potissimum, inappetentes, ac pejus etiam coquentes mirifice juvat. Dosis. cochleare unum, vel duo ad coctionem promovendam. Hujus usum diutius continuanti à cœna offerenda est, mane jejuno, cum mica panis contrita, quoad vires melius exserendas, in stomacho moram agat. Hæc etiam, præsente in ventre & intestinis pituita ac bile eam abstergendo, magno sumentium commodo, aliquoties alvum movet.

Cavendum tamen, ne hujus usus in abusum vertatur, nec illorum, ridicule argumentantium stolida ratio audienda, nimirum, si duo cochlearia stomacho prosunt, ergo vel 6. illum amplius juvabunt, qui tamen illius quantitate offensi, & deterius habentes, medicamento, aut consultori causam imputat, minine etiam quotidianus usus, sed pro necessitate susceptus approbatur.

Aqua Vitæ Limonum, & Arantiarum.

Ex corticibus limonum, & arantiarum, qui non tantum odoris præstantia, sed etiam stomachum roborandi virtute commendabiles sunt, tum condita, tum Aqua vitæ, ut sequitur, parantur.

℞. Flavedinis corticum Citri ℔ß. *Spiritus vini rectificati Aq fontanæ ana lib. vj. Primo spiritus per vesicam destillando, dein quantitas aquæ, quæ sacchari lib.*ß. *dissolvendæ sufficiat, eliciatur, quæ aqua saccharata, cum spiritu, cum scrupulo croci tincto mixta, & per pannum colata, aquam vitæ complet.* Idem processus, in aquis vitæ, ex corticibus arantiarum parandus observatur, præterquam quod loco croci, eadem spiritus quantitas, rasura ligni santali citrini tincta cum aqua saccharata misceatur. Eadem ratio est cum corticibus Citri, quorum recentium, si copia non detur, exsiccati, dummodo sapore, & odore integro prædici sint, ad opus eligantur, aut etiam, in horum defectu, olei, non quidem illius rancidi, à Materialistis, & Pharmacopæis quibusdam dispensari soliti, sed odorati, & probati guttæ aliquot cum spiritu tincto & aqua temperata misceantur: cujus generis olea, unicuique qui decipi recusat, manu propria, suadeo elaboret.

Aqua Vitæ Juniperi.

*℞. Baccarum Juniperi contusar. lib. j. Spiritus vini rectif. Aq fragorum ãã lib. vj. Sacchari finissimi lib.*ß. *cum quadr. Fiat Aqua vitæ, secundum superiorem methodum.*

Vires hujus aquæ vulgo notæ sunt, urinæ in aliquibus per accidens putrescentis fœtorem, quemadmodum nux myristica, therebinthina, ac simul calculosam constitutionem emendat, meatus urinarios, à limosa, & tartarea colluvie repurgat, anhelitum commendat, humorum putredini, & pestilenti contagio resistit. Dosis eadem, cum supradictis, in ipso usu, contra calculum, succo violarum, vel alio quopiam succo leniente miscenda.

Aqua Vitæ Carminativa.

Quanquam suprascriptæ aquæ vitæ, vi calefaciendi, penetrandi, discutiendi, in genere, ad flatus pellendos, ex cruda, humida, frigida materia obortos faciant, hanc tamen, tanquam magis specificam huic loco inserendam esse arbitratus sum.

℞. Flor. Chamomoll. Rom. ℥iv. *Baccarum Lauri. Sem. anisi carvi, dauci, fœniculi dulc. Sileris mont. Cortic. ligni Sassafras Galangæ ana* ℥ß. *Moschi orient. gr. viij. Misce f. pul.*

Hic pulvis, in spiritus vini rectificati lib. vj. per duos dies maceretur, & pari quantitate aquæ affusa, per vesicam destilletur, ac quisque horum liquorum, seorsim excipiatur; aqua autem lib. ij. cum sacchari lib. ß. *mixta, & spiritui confusæ filtrantur.* Hæc aqua vitæ digerit, frigidum, & glutinosum humorem, in stomacho, & intestinis collectum attenuat, & expultricem, ad eum exturbandum excitat, urinæ meatus viscidis recrementis impeditos expedit, hinc magno usui est, in colica, inflatione ventriculi, dolore laterum pungente, alijsque ex prædicta causa affectibus prognatis, frigidam & humidam uteri intemperiem corrigit, menses, qui pauca quantitate, cum maximo dolore, angustia & flatulenta tensione prorumpunt, frigidos crassos succos attenuando, ac meatus aperiendo, expeditores reddit. Dosis eadem, quæ aliarum præscriptarum aquarum esto. His vero, minime solis, sed catharticis insistendum, à quibus etiam prægnantes, & intemperie alicujus partis laborantes, sibi caveant. Plurimum vero facultas ejus, tum in colica flatulenta, tum in urinæ suppressione, additione guttarum 5. vel 6. spiritus nitri rectificati intenditur, ac præsentissimum ægris auxilium est, casu vero calidior ac penetrantior, in frigidioribus constitutionibus expetatur, solum spiritum à pulvere abstractum, sine aquæ, & sacchari additione, adhibere licet, qui etiam exterius illitus prodest.

Aqua Vitæ Theriacalis.

Variæ sunt aquæ antidotales, ut cuivis vel in re medica leviter initiato patet, unam saltem, ad usum valde commodam subjungam.

*℞. Scordij nostri lib. ij. Absythij pontici lib. j*ß. *Rutæ* ℔ß. *His debito tempore, & modo collectis, ac exsiccatis, mensuræ tres spiritus vini ac totidem aquæ fontanæ affunduntur, spiritus iterum destillando abstractus, ulterius ab aquositate, per arenam vaporosam, vel Balneo Mariæ, lento calore rectificandus: hinc*

℞. Theriac. Andromachi opt. lib. j. Spir. Vini præd. lib. iv. ℥*iv. Aceti flor. Sambuci Tunicæ rub. Calendulæ Succi Citri vel Limon. depurati ãã.* ℔ß. *Spir salis Absynth. rectif.* ℨiij.

Theriaca, in prædictis liquoribus dissoluta & vitro conclusa per octo dies, benigno calore fovenda, hinc liquido à spisso separato Theriacæ linteo exceptæ humiditas paulatim extillata reliquo jungenda, adjecto porro huic liquori, duorum ovorum albumine, qui sæpe agitatus, elapso diei spatio, per manicam ut clarescat coletur. Cui *aqua hæc pellucida, instar aquæ, in votis et totam mixturam, leni calore, per instrumenta vitrea, destillare licet,* sed

sed cum Theriaca, & florum potiores partes, cum spiritibus acidis, & tartaro utili, per alembicum non ascendant, sed in fundo cucurbitæ hæreant, præscriptus modus præstat. Aqua vitæ Theriacalis, venena, frigidorum & malignorum humorum noxam corrigit, putredinem, & lumbricos, à corruptione ciborum natos arcet, & tam præservativum, quam curativum, non ignobile auxilium est. Dosis ejus à ℨj. ad ℨij. per se, vel cum aquis destillatis sumpta, per sudorem, præcipue in dispositis, & materia in extremitate vasorum, ac intra cutem hærente, blande operatur, quod animadversione dignum est, ne diaphoreticis, ut frequenter accidit, sudor extortus, plus damni adferat. Præcipua enim curationis pars, in morbo pestilenti, & sudoriferorum apta, & methodica applicatio. Atque hæc non in arte consummatis viris, sed junioribus, qui theoriam suam nondum experientia confirmarunt, vel rudioribus, & nulla habita consideratione, mox ad quævis diaphoretica confugientibus, admonitionis loco adjunxi.

Aqua Vitæ Angelicæ.

Quandoquidem Angelicæ radix, primarium inter antidota locum obtinet, ejus aquam, ad præscriptum modum destillatam, hic Colophonidis loco, apponendam esse censui.

℞. *Rad. angel. mont. odorif. exsiccat.* ℥iv, *Spir. vini rectif.* ℔iv. *Aq. communi* ℔iij. *Radix hæc contusa, una cum spiritu, & aqua, ex parva vesica more solito destillatur, dissoluta in aqua vitæ* ℔ij. *sacchari finissimi, ea demum clarificatur, quæ gustui grata, & excellens est, præcipuè, si ex radice Angelicæ montanæ quæ palustrem odore, & virtute superat, paratur.*

Vires. Ad eosdem affectus, quos ipsa Angelica juvat, celebratur, pestem potissimùm, & malignos morbos arcet.

Hæc I. D. Thom. A. in Collectan. Chymic. Curios. Sequuntur jam aliæ aquæ secundum proprium ordinem alphabeticum.

Usquebach *sive* Aqua Vitæ Hibernis popularis è Pharm. Londinens.

℞. *Aquæ vitæ generosior.* ℔xxiv. *Illis per quatriduum infunde Rad. glycyrrh.* ℔j. *uvar. passar. exacinat.* ℔ß. *caryophyll.* ℥ß. *macis, zingib. ana* ℨij. *Servetur colatura in usum.*

Aqua vomitiva Plateri. ex Schroder.

℞. *Nucum jugland. virid. Rad. raphan. ana part. ij. aceti vini part. iij. Conquassatis nucibus & raphano, F. digestio leni calore dies quinque vel sex, postea destilla ex* MB. *Dosis ab* ℥ß. *ad* ℥ij.

Aqua Saturnina *sive* Æsculapij Vomitoria, ex Schroder.

Destilla Acetum fortissimum per Alembicum plumbeum magnum abjiciendo quartam partem aceti primò extillantis tanquam nimis debilem, reliquum excipe ad siccitatem ferè totalem, cavendo tamen ne ab aceti mellagine tetrum acquirat odorem.

Vires. Dulce est gustui, datur in febribus intermittentibus, pro Vomitorio & contra Epilepsiam phlegmaticam à ventriculo suscitatam *Dosis ab* ℥j. *ij. & ultra.*

Aqua Vitæ Mulierum, Weickard.

℞. *Cinamon. acerr. Nucist. macis, zingib. caryophyllor. gran. paradis. cubebar. cardamom. āā.* ℥ij. *(alij* ℥iß.*) Piper long.* ℥j. *(alij rectius* ℥ß. *) Galang.* ℥ß. *(alij rectius* ℥j. *) Zedoar.* ℥j. *(alij omittunt.) Pulverisentur singula seorsim permisceanturque. Hinc adde. Fol. Salv. min. menth. crisp. Fœnic. ana m. j. (alij Melissæ & melius.) Affunde Vini generosi Mens. iij. maceraque vase clauso* ☌ *(14.) postea destilla in* MB. *vel vesicâ stanno oblita.*

Vires. Uterum corroborat; suffocationes ejus compescit, flatus discutit idque adeò feliciter, ut generosis ac nobilibus mulieribus Palatinatus, instar Panaceæ in morbis uterinis habeatur. Corroborat insuper ac calfacit ventriculum, caput, ac reliqua viscera. Exiccat catharros. *Dosis à cochl. ß. ad j. &c.*

Aqua vitæ mulierum camphorata S. Spiritus matricalis camphoratus, ex Schroder.

1. ℞. *Dictas species priores affunde: Spir. Vini digerantur & destillentur.*

2. ℞. *Camphor. Ol. amygdal. d. ana* ℔j. *M. optimè digeranturque in* MB. *vel Cinerib.* ☌☍ *(14.) ut camphora totaliter cum oleo conjungatur. Hinc superfunde præfatum spiritum rursumque per* ☌☍ *aliquot digere: Sic Spiritus extrahit essentiam camphoræ. Tandem leni calore* MB *destilla usque ad sublimationem Camphoræ.*

N. *In rostro poni possunt grana Kermes, quæ ruborem destillato conciliant.* Dosis gut. xx. ad xxx.

Aqua Virtutum ex Schroder.

℞. *Cinamon. el. Gran. paradisi āā* ℥j. *Nucist. caryophyll. zinzib. āā* ℥ß. *Macis galang. ana* ℨij. *Salv.* ℥vj. *Vini Rhenani* ℔vj. *Incisa & contusa infundantur per* ☌ *24. F. destillatio.*

Vires easdem obtinet cum præcedenti.

Sequuntur aliæ rursus aquæ ex Schroder. ab Hoffman adnotato, alijsque itidem Autoribus.

Præter aquas destillatas sunt & aliæ officinales, ex destillatis scilic. simplicive fontana, & accedente rerum aliarum incoctione, infusione, admixtione, resultantes.

Modus parandi nihil discrepat à modo decoctionis, infusionisve, aliàs tradito.

Usitatiores hujus formulæ sunt

Aqua Ophthalmica. F. F. 1.
Ophthalm. Bruni 2.
Ophthalm. Quercet. 3.
Aqua ad suffusionem expertissima 4.
Saphirea 5.
Viridis. Collyr. Virid. 6.
Perlarum. 7.
Lac virginis. 8.
Caustica. 9.
Antipodagrica Quercetani. 10.
Antipodagrica I. Raici 11.

1. Aq. Ophthalmica. F. F.

℞. *Vitrioli alb.* ℨiij. *Baccar. Laur. excort.* ℨiij. *Aq. rosar. alb. fænic. ana lib. j. Bulliant lento igne in cucurbita vitrea ad consumptionem medietatis, hinc adde Camphoræ* ℨij. *M. Filtra per chartam.*

[Huic similis Aqua ophthalmica, quam Autor editionibus prioribus affixit sub finem libri II. quæ huc referre potest.]

℞. *Aq. rosf. alb. lil. alb. fœnicul. ana* ℥x. *Bacc. lauri contrit.* ℨij. *Vitrioli albi* ℨiß. *Camphoræ* ℈ij. *Bulliant in diplomate & stent per noctem bene clausa, manè colentur & serv. pro usu.*

2. Aqua Ophthalm. Bruni. Collyrium Bruni.

℞. *Vini albi. aq. rosar. alb. ana* ℥jß. *Aloës hepatic. subtiliter pulv.* ℨj. *F. Collyrium.*

Vires. Commendatur ad palpebrarum scabiem pruriginosam.

3. Aqua Ophthalmica Quercetani.

℞. Croc. metall. ʒj. vel ʒij. Infunde in aq. euphrag. fœnic. aut simil. ℥v. vel vj.

Vires. Virtutis miræ est contra amblyopiam, amaurosim & suffusionem.

4. Aqua ad suffusionem expertissima.

℞. Aquar. euphras. fœnic. verben. ana ℥iij. Succorum chelid. rut. ana ℥vj. Piper. long. ℈ij. nuc. mosch. ʒj. caryoph. ʒß. croci, ℈j. Florum rorism. aliquantulum contrit. m. ß. Sarcocoll. Aloës hepat. ana ʒiij. Fellis perdicum ℥j. Incisis tritisque singulis adde Sacch. albiss. ℥ij. Mell. rosar. ℥vj. Ponantur in Alemb. vitreo, destillentur in MB. igne lento.

℞. Hujus aquæ ℥j. Spiritus Tart. rectificat. ℥j.

De hac aquâ instilletur in oculum laborantem bis aut ter in die.

[*In caligine oculorum etiam apud senes præstantissima comperta.*]

Hofm. *Aq. ad suffusionem expertissima.*) Cum Dominus noster Autor inscribat expertissimam Aquam, de effectu sane non facilè dubitare vellem. Interim tamen libenter scire aveo, unde tantæ rei effectus? quid enim à Sarcocollâ, aloë hepatica, Sacchaфo & melle non præmissâ digestione, sed per nudam ac simplicem destillationem erit expectandum, nisi nuda aqua quibusdam ingredientium effluvijs medicamentosis dotata, minûs ad prædictum affectum sufficientibus. Ideóque sequens Aqua per infusionem ac digestionem facta erit commodior.

℞. Aloës hepatic. sarcocoll. ana ʒj. croci or. ℈ij. pulverisat. infunde in vini & aq. rosar. s. q. vase clauso & digere.

5. Aqua Saphirea ad oculos.

*℞. Lixivij Calc. viv. cum Aqua fontana facti, & filtrati. q. v. In hoc solve * parum. Id ubi exactè solutum fuerit, aquam hanc in æneam pelvim conjice per noctem, & Saphiri acquiret colorem, &c. estque diaphana in vitro seposita.*

Vires. Ad omnia ferè oculorum vitia, imò ad ulcera quævis mundanda utilissima, cancrum, ambustionem, aliáque multa vitia sanare perhibetur. Oculis aliquot guttæ tantùm imponuntur, prout scilicet multum parumve salis æris ve continuerit. Efficax item est ad pelles oculorum auferendas. Potest dilui Aqua still. fœniculi, Euphrag. &c.

N. *Est usitatißima Agyrtis.*

6. Aqua Viridis. Collyrium viride.

℞. Ærug. æris ʒij. Auripigment. citrini ʒj. aq. ros. alb. plantag Vini alb. ana ʒiij. m. bulliant simul, maneatque liquor super materiam.

Vires. Utile est in Pterygio, si oculo instilletur.

Hofman. *Aqua viridis. Collyrium viride.*) Hæc ob virulentam auripigmenti citrini qualitatem suspecta est, dum extrinsecus etiam non correctum adhibitum horrenda inferre solet symptomata. Ideóque sequens magis arridet mihi usu approbata.

℞. Vini Rhen. aq. plantagin. rosar. r. ana ℥ij. Tut. præparat. ʒij. Myrrh. el. pulverisat. ʒiß. Coque ad tertiæ partis consumpt. sub finem in nodulo suspende pulv. virid. æris ℈j. camphor. gr. vij. Tunc. colatura sine expressione adhibeatur usui. Valet in omnibus oculorum affectibus usque ad miraculum.

Aqua Ophthalmica D.D. Daquin.

℞. Tutiæ Alexandrinæ ter in Aqua Rosarum extinctæ, & supra Porphyrium præparatæ & Caryophyllorum pulveratorum, ana ℥iß. Sacchari candidi ℥j. Caphuræ, Aloës, ana ʒjß. Vini Hispanici ℔iv. Aquæ Rosarum albarum ℔ß. Aquarum Chelidonij, Fœniculi, Euphrasiæ & Rutæ, ana ℥ij. Omnia simul mixta, Lagena vitrea diligenter obturata excipiantur, & Soli æstivo per quindecim dies exponatur, deinde simul serventur ad usum.

Admodum efficax est hæc Aqua in omnibus oculorum morbis, in id autem adhibetur tantùm liquor purus, relicto in fundo vasis sedimento crasso.

Aqua florum Cichorij. Secretum pro morbis oculorum ex D. D. Donzello.

℞. Flor. Cichorij cæruleor. quo tempore sol Leonem ingreditur, q. v. Ex illis recentibus adimplebitur vas vitreum angusti orificij, illudque vesica duplici adhibita diligenter obturabitur, postea in pasta farinacea sepelietur, & in furnum cum panibus coquendis immittetur, cocta massa retrahetur, vasque in illa sepultum retegetur quod continebit, non flores ut ante, sed præcipuè liquorem ex illis confectum, liquor ille per retortam vitream distillatus præbebit Aquam quæ servetur ad usum. Hæc Aqua Arcanum est maximæ efficaciæ in morbis oculorum, sed præcipuè in illorum albugine, nubecula, ungue, suffusione & caligine.

Aqua Ophthalmica D. Joh. Valent. Willij, in Actis Hafniensibus Bartholinianis.

℞. Valerianæ major. Chelidonij maj. Euphrasiæ, Fœniculi, cum caulibus, floribus, folijs & radicibus, mensibus æstivis, summo manè erut. ana q.v. à sordibus suis repurgatas, non tamen lotas, in cucurbitam vitream capacissimam conjicito affusâ aqua rosar. albar. bis destillatæ s. q. clausum vas loco tepido committatur, ibique per triduum digeratur materia. Deinde aptato recipiente, leni admodum MB. calore latex limpidus nec usque adeò remissè olens destilletur. Elicitus ita liquor recentibus denuò herbis eodem modo collectis & purgatis, affundatur, repetito priori processu, quâ cohobia atque hæc excipientes destillationes ubi tertia vice successerunt, enituntur spirituosissimam aquam, colore limpidissimo, sapore subacri, odore mixto, prævalente tamen valerianâ, tantæ penetrationis ut si vel unicam guttulam tetigeris, integram diem odorem liquoris sparges.

Hujus Aquæ effectum in se ipso expertus est Author; de quo sic; Dextri oculi acie planè non ex voto fruor sine tamen dolore, quotiens verò vesperi unius aut alterius guttulæ instillatione in oculum utor, manifestè acuo adeò, ut sequenti die liceat esse longè oculatiori. Ita ejusdem liquoris efficaciam laudarunt, quotquot eo sunt usi.

7. Aqua perlarum in Officina usualis.

℞. Aq. Rosar. Borrag. Bugloss. ana ℥iv. Manus Christi perlat. ℥j. Sacchar. cand. ℥ß.

Alia.

℞. Aq. acetos. Borrag. Bugloss. Rosar. ana. ana ℥iv. Manus Christi perlat. ℥ij. Margarit præparat. ʒß. Syrup. Granat. ℥j. M.

Vires. Vulgo notissimæ sunt, utpote ad quas in extremis, tanquam ad ultimum levamen confugitur, cochl. subinde propinando.

Hofman. *Aqua Perlarum in Officinâ usualis.*) Hæc Aqua modò ex ingredientibus aquis destillatis f. a. paratis & non fracidis elaborata sit, non rejicienda est. Et Margaritæ præparatæ non adeò difficillimæ sunt solutionis, quin à fermento ventriculi acido, quod in ægrotantium ventriculo tantum abest ut debile sit, ut sæpè nimium potius augeatur, vinci & in actum deduci possint. Solutionum margaritarum usus non semper adeò tutus est; dum acidi isti liquores, quibus margaritæ sunt solutæ, sæpè in ventriculo varijs salibus impregnato præcipitantur, & & novas excitant turbas, & sic majus in periculum ægroti conjici possunt.

Hujus

Hujus quoque loci sunt & alij liquores Aquei ut

8. Lac Virginis.

♃. *Aqu. solan. Nymph. lactuc. acet.* ℥ij. *dissolvantur in his lithargyr. argent.* ℥j. *Ceruſ. candid.* ʒiij. *Camphor.* ℈j. *Stent aliquot horis dum reſederint, quæ craſſa ſunt, tum transcolentur per filtrum aut cribrum ſetaceum.*

Uſus magnus lactis hujus eſt, non ſolùm in decorandis Virginibus, acquirendóque nitore faciei, ſed & in ſcabie emendanda ſanguineque ſiſtendo: tum ad paſſam frontem, id eſt, paſſarum more rugatam, explanandam exporrigendamque.

N. *Aliud vide apud Auguſt.*

Hofman. *Lac Virginis.*) Si cerusſâ excluſâ ſimplici ſaltem viâ præpararetur, locum merebitur; ſed coctio diſſolutioni eſt conjungenda, & demum colatura inſtituenda.

9. Aqua cauſtica, F. F.

♃. *Spirit. vini rectific.* ℥iij. *Pulv. caryophyll.* ℥j. *zinzib. cinamom. ana* ʒß. ℈ß. *Pulv. Ceruſſ.* ʒjß. *Alum. uſt.* ʒß. *aceti.* ʒjß. *Miſceantur optimè & ſerventur in vaſe optimè clauſo.*

Vires. Mundificat vulnera inveterata, excreſcentias exedit.

Hofman. *Aqua cauſtica F. F.*) Hujus aquæ ingredientia ſe invicem præcipitant & ſic apertè inter ſe pugnant & deſtruunt; Idcóque nil obſtat, quin ceruſſa, alumen uſtum, Vitriolum album omitti poſſit, & ſolùm Mercurius ſublimatus retineatur, ita ut ſumatur Mercurij ſublimati ʒß. vel ℈ij. & cum aq. roſar. ℔j. & Mel. roſar. ℥j. unâ vel alterâ ebullitione coquatur & colatura cum linteis duplicatis applicetur, tam in antiquis ac ſordidis, quam recentibus ulceribus; Ubi tamen adeſt ſuſpicio nervoſi generis læſi, Mercurius ſublimatus exulet, ac vicem illius ſuſtineat ſaccharum Saturni, ſed in majori quantitate.

Alia.

♃. ☿. *ceruſ. ana* ℥ß. *Alum. uſt. vitrioli alb. ana* ʒij. *Aq. roſar.* ℥ivß *Fontanæ* ℥iv. *M.*

10. Aqua Anti-podagrica Quercetani.

♃. *Aq. fontan. (potiùs pluvial.) in qua aliquoties extinct.* ♀ *& Mars. Adde vitrum* ♁ij *ac* ☿ *dulc.*

Vires. Reſolvit tartarum, dolores ſopit. *vid.* Querc. Rediv. tom. 3. p. 263.

11. Aqua Anti-podagrica Joh. Raici.

♃. *Aq. terimachtim utriuſque (i. e. aq leviſtic. à bolo & Terra ſigill. deſtillatæ)* ℔ſ. *Laudan.* ☿*ial. (i. e.* ☿ ♎*ti, potiùs* ☿ *dulcis, acet fortiſſimi an. macerati)* ℥iij. *Alhadid. (i. e. Aquæ ferri)* ℔ij. *Calcinationis lapidis de Alcohol. (i. e. Croci metallorum)* ʒj.

M. Lôſſel in Podagra.

N. 1. *Aqua alhadid fit limaturam in aqua macerando, poſtmodumque, ut nonnulli volunt, per veſicam abſtrahendo. Verum enimvero melius foret, ut ex ipſiuſmet Raici ore in memoriam mihi revoco, Limaturam aëri humido exponere, atque inſtante plenilunio ex cucurbita humili ſeu Urinali aquam deſtillare, iterumque aëri reponere, ac deſtillare. Quæ aqua redolet naturam ſalis* * *itaque in quantitate minori adhiberi poteſt.*

N. 2. *Aqua podagr. Rulandi forſan ab his non multùm eſt diverſa.*

[*Suſpectæ aquæ hæ Mercuriales generiſque nervoſo noxiæ videntur.*]

Hofman. *Aqua antipodagrica Quercetani & Johannis Raici*) Harum Aquarum virtus anti-podagrica ſtet penes experientiam, interim in Raici compoſitione Mercurius ſublimatus mihi eſt ſuſpectus podagricis inungere articulis.

Aqua Styptica D. Matte la Faveur ex D. Charraz.

♃. *Vitrioli* ℔xxv. *diſſolve in q. ſ. aquæ ſimplicis, diſſolutio per linteum craſſum trajecta in lebetem cupreum immittatur ignique imponatur, peractis aliquot ebullitionibus, vas ab igne retrahatur & liquori contento affundatur aceti ſtillatitij* ℔j. *ſic præcipitabitur pars vitrioli terrea, quæ vitrioli ſulphur, impropriè dicitur, liquor poſt duodecim horas quiete depuratus per inclinationem effundatur, & pulvis in fundo reſiduus probè lavetur, edulcoretur, & exſiccetur ſuper cineres calidos. Tum,*

♃. *Hujus pulveris* ℥viij. *immittantur in retortam vitream, affuſis Spir. vitrioli bene dephlegmati* ℥viij. *reponatur retorta in arena Balneo, fiatque deſtillatio igne primùm leni ſed tandem violento, qui continuetur donec ex retorta nihil ampliùs exeat; refrigeratis vaſis & abrupta retorta, conteratur maſſa contenta, atque in matracium conjiciatur; affuſo Spir. Vini ſuper Sale Tartari rectificato ad eminentiam quinque aut ſex tranſverſorum digitorum, tunc matratio aptetur vas circulatorium optimè lutatum atque in Balnei calore digeſtivo contineatur per 24. horas, quibus elapſis Spir. vini intenſam contrahet rubedinem, tum per chartam emporeticam trajiciatur calidè, poſt Spir. per Alembicum vitreum evocetur & evaporet ad ſiccitatem materiæ reſiduæ, quæ in pulverem abibit ſubalbidum; Illius autem pulveris* ℥j. *immiſceantur* ℥iv *aquæ pluviæ, quæ mixturæ inſoletur per dies aliquot, poſt filtretur liquor, & ſervetur ad uſum.*

Hic liquor ſtypticus admodum idoneus erit ſiſtendæ cuilibet hæmorrhagiæ.

Aqua Styptica alia ejuſdem.

♃. *Vitrioli Piſani* ℔vij. *vel viij. bulliat in aq. font.* ℔xvj. *diſſoluto vitriolo, liquor ab igne retrahatur, illique affundatur aceti ſtillatitij* ℔ß *poſtquam conſederint materiæ, effundatur per inclinationem liquor clarus, lavetur, edulcoretur & exſiccetur pulvis in fundo præcipitatus; qui pulvis in retortam vitream à parte tantùm inferiori lutatam immittatur, illique affundatur duplum ponderis Spir. Vitrioli probè rectificati; Fiat diſtillatio igne nudo, ſed moderato, ad ſiccitatem materiæ quæ griſei erit coloris, tunc abrupta retorta & contrita maſſa contenta, reponatur in crucibulo ſuper prunas ardentes, continuò agitando ſpatula ferrea, donec ſubluteum conquiſiverit colorem, quo tempore in mortarium affundatur & optimè conteratur. Illius pulveris* ℥j. *in matratium conjiciantur unà cum aq. comm.* ℥iij. *& poſt dimidiæ horæ digeſtionem liquor per chartam emporeticam trajiciatur, atque in phiala vitrea bene obturata aſſervetur, pro applicatione in quibuſlibet hæmorrhagiis.*

Aqua Styptica D. Lemery.

♃. *Colcothar. ſeu Vitrioli rubri in retorta dum Spir. diſtillatur reſidui, Alumin. uſti & Sacchari candidi, ana* ʒß. *Urinæ junioris hominis, Aquæ Roſar. ana* ℥ß. *Aquæ plantag.* ℥ij. *Diu ſimul omnia agitentur in mortario, poſtea miſtura in phialam vitream conjiciatur, & aſſervetur pro uſu, quo tempore liquor per inclinationem erit effundendus.*

Hac aqua imbutum linteum & arteriæ reſectæ applicitum manu ſuperimpoſitâ, ſanguinem ſiſtit; ea etiam poteſt humectari linteolum atque in nares intrudi ad hæmorrhagiam narium. Poteſt eadem aqua interiùs aſſumi ad ſupprimendum ſputum ſanguineum, ad dyſenteriam, fluxum hæmorrhoidalem & menſtruum. Doſ. à gutt. x. ad gutt. xx. in aqua Polygoni.

Aqua

Aqua Styptica D. D. Weber, Anchora sauciatorum ipsi dicta.

℞. *Vitrioli Ungarici, Alumin. ana ℔ß. Phlegmatis vitrioli ℔iv. Coquantur tamdiu donec omnia fuerint dissoluta: Liquorem frigefactum filtra & à crystalis subinde natis separa, adde singulæ libræ liquoris, olei vitrioli ʒj. & serva pro usu.*

De Liquore hoc Styptico librum integrum conscripsit D. D. Joh. Cornel. Weber S. C. M. Medicus Aulicus, Monet autem, Linteamina quintuplicata liquore probè humectata, vulneri, vel orificio arteriæ vel trunco membri extirpati, superimponenda esse cum adæquata ligatura & sic sanguinem in momento congelari. Addit, linteamina per aliquot dies superimposita relinquenda, ne crusta sanguinis incrustatus simul detrahatur & sanguini via aperiatur, & vulnus nullo alio adhibito remedio, perfectè sanatum inventum iri. Hoc remedium in variis animalium generibus tentatum, nunquam, modò ritè operatus fuerit ipsum fefellisse. Rursus adjungit; si quis desideret remedium ejusdem virtutis intra corpus assumendum, ille propinet liquorem Terræ Sigillatæ cum Spir. Vitrioli paratum; aut si cui magis placeat Spir. ex Vitriolo & Alumine paratus, cum isto præparet liquorem Terræ Sigillatæ, & sibi comparabit remedium magnarum in sanguine sistendo virtutum, ad aliquot gutt. intrò assumendum. Ac tandem inquit; Terram Catechu & ex ea paratam essentiam se non recommendare, quia tantarum virium non est, ut sanguinem in momento sistat, licèt aliquo modo vitriolicæ sit naturæ.

Processus aquæ Stipticæ è Miscell. Curios. Decur. ij. Ann. iv.

Cum adhuc in Curlandia versarer, Generos. *D. de Lettau* Serenifs. Hassiæ Landgravij, ad Ser. Curlandiæ Ducem Legatus, Vir Naturæ per quam Curiosus, inter alia monstravit decantatissimum liquorem stipticum, quem genuinum adservabat, sibi ab Excellentissimo *Nostro Priamo* communicatum, cujus sapor aluminosus, cum sedimento consimili, & effectus, Illo teste, præclarus. Hassniam deinde veniens, quæsivi Chirurgum Regium, *Dn. Haquard*, hujus aquæ possessorem, experturus, num illa Hafniensis, cum ea, quam Mitaviæ degustâram, ejusdem & esset saporis, & sedimenti; sed quia dictus *Dn. Haquard* apud Reginam Matrem in arce Niekôping Falstriæ moraretur, voti compos. non factus sum, tametsi Illustr. tum adhuc in vivis *Thomas Bartholinus* affirmavit, Hafniensem, utut sit aluminoso sapore, sedimento tamen carere. Post Lubecam appellens, cum de hac aqua sermones misceremus, ego, & Excellentiss. *D. D. Hannekenius*, miratus hic est, in aqua, quam in Curonia videram, esse sedimentum, cùm Excellentiss. *Priamus*, in litteris ad *D. D Hannek.* testatus fuerit, aquam suam stipticam, esse destillatum quid, qualia sedimentum habere non solent. Igitur Crailshemium veniens, dubiæ prorsus fidei, cum ejusmodi liquorem optarem, volutavi *Acta Medica Hafniensia*, ibique in *Vol. 2. obs.* 41. reperi Illust. *Bartholini* hæc verba: *Vitriolum primas tenere partes in hoc liquore stiptico, nulli dubitamus, quamquam de veneno aliquo, alijsque ingredientibus, nebulæ quadam oculis nostris objiciantur. Illud sapore, quasi sorex, suo indicio se prodit. Mera solutio vel coctio vitrioli videtur. Difficultas augetur unica, quod innoxiè adsumi dicatur. Et hic totum artificium latet, ut vitriolo vis emetica adimatur.* Hæc ille. Quamquam autem non sit contemnenda mille experimentis probata vitrioli vis adstringens, vel solo famoso venere sympathetico probatissima, non tamen videbatur mihi prorsus satisfacere, cum primis, cum aluminosus sapor, vitriolicum in sapore vicisse, alumenque præ vitriolo cum minori acrimonia magis & potentius adstringere videretur: Hinc methodo Beckerianæ institi, quam describit *ejusdem volum. observ.* 133. & est mera quædam solutio Martis limaturæ & spiritus vitrioli, conjunctorum cum phlegmate vitrioli, cui post additur solutio aluminis crudi cum aqua pluviali facta, abjectâ residentiâ, & fateor, usum ejus non fuisse quidem spernendum, attamen nec sapor mihi videbatur penitus idem, nec interna propinatio usque tuta. Hinc in Excell. *Weberi* tractatum peculiarem & curiosum de liquore stiptico incidi, cùm autem ipse D. Auctor interni ejus usûs mentionem nullam injiciat, & ratio dictet, hunc liquorem sapore acriorem futurum, quàm ut instar aquæ communis bibi queat, quod tamen vult primus Inventor *Bondetus Gallus*: præterea crudior mihi appareat compositio, & oleum vitrioli ʒj. ad liquoris ℔j. dosis præter rem major, cogitavi, num fortè propior ad hanc aquam genuino more parandam accessus & via reperiri posset. Communicati proinde ab amico quodam meo processus bini, quorum primus à Weberiano parùm differt, & geminus perhibetur à Gallo Clerico ipsa datus lingua Gallica. In Latinam transl: tus ita sonat. ℞. *Vitrioli, aluminis rochæ, & phlegmatis vitrioli ana ℔j. pulverisetur vitriolum & alumen, & simul injiciantur in vitrum capacius, cui pulveri superfundatur vitrioli phlegma; Vitrum imponatur calori arenæ lento, usque dum media pars dicti phlegmatis evaporarit, quod restat, per chartam emporeticam filtretur & reponatur in cellam pro crystallisatione: liquor restitans decantetur in aliud vitrum, cui misceatur olei vitrioli ʒj. quæ parum invicem digesta, usui serventur: ad gratiam liquori conciliandam torna Solis eum tingere licebit.* Ad hunc modum liquorem in Officina nostra Weinmanniana sat elegantem parare jussi. Alteram descriptionem idiomatis Germanici talem transtuli. ℞. *Mineræ vitrioli q. v. fac ut in aëre liquescat, hujus liquoris pars sexta evaporetur, cujus evaporati recipe lib. vj. mineræ Martis pulverisatæ lib. ij. Stent simul in digestione per dies aliquot, postea destilla primo ignis gradu usque dum omnis aquositas alembicum transcenderit, post auge ignem per gradus & perge destillare summo Ignis gradu per dies quatuor, donec omnis materia transierit. Postea Recipe limaturæ Martis lib. jß. superfunde spiritum destillatum, qui si subtilior est, quàm, ut cum Marte effervescat, tantillò terra sensim affundendo diluatur; dum videas effervescentiam. Stent ita in retorta capaci, destilla igne lento, ad remanentiam decimæ partis; post limaturæ Martis recentis tantumdem injice, & aquam destillatam reaffunde, stent parum, postea destillentur, ut antea, pene ad siccitatem, ut tamen materia humida maneat, reaffunde hinc liquorem vel spiritum & sex partes aquæ fontanæ, ut omnia solvantur; soluta filtrentur ad separationem fæcum Martialium impurarum & minùs perfecte solutarum liquor ad siccitatem, cavendo tamen empyreuma, evaporetur, & remanebit in fundo sal flavescens, quod in s. q. aquæ plantaginis pro usu solvatur.* Hæc D. Rosin. Lentilius loco citato.

Sequuntur Aquæ variæ è D. I. Le Mort Chymiâ.

Aqua Cardui Benedicti.

℞. *Herbæ Card. bened. q. v. conscindatur grossò modò, huic adde ad singulam libram, salis communis ℥ij. sal. alcal. ℥ij. fœcum cerevisiæ, vel fermenti subacidi cochlear. j. aquæ pluvialis calidæ pintas 6. fermentur simul per 14. dies, vel, si citius expetatur, in calore detineantur per 6. vel 8. dies, ut fermentatio, hoc externo accedente motu, eo celerius absolvatur, dein destillationi omnia committantur in vesica, alembico & serpentina instructa.*

Prima *egrediens libra hujus* Aquæ *erit valde spirituosa, & maximè commoda pro sudoriferis potionibus.* Secunda *erit debilior, quæ vehiculi locum retinere potest in mixturis vel aliis medicamentis blandioribus.*

1. In

1. In hac *Aquæ* præparatione *concissio* valde necessaria est, ut *omnes herbæ partes* undiquaque in motum fermentativum abripiantur, & quasi ulterius imminuantur.

2. *Aqua* fragrantior, & majoribus viribus dotata evadit, si *debilior Aqua*, *antea* super eandem herbam *destillata*, communis loco aquæ herbæ adjiciatur; *decoctum* autem *herbarum* quod à quibusdam præscribatur adjiciendum, non video *rationi chymicæ* consonum; *volatilis* enim *pars*, in talibus operationibus præcipuè *servanda*, *non* mediante *coctione fuganda*. Si autem non in promtu sit *destillata*, *succus expressus*, succulentæ ubi sint herbæ, vel *infusio*, *sequenti* modo paranda affundatur.

℞. *Herbæ cujuscunque s.q. huic superfunde Aquæ communis fere bullientis q.s. in vase exactè clauso macerentur per 6. horas, dein exprimatur liquor, fermentationi cum recenti herba, ut supra, committendus.*

3. Adduntur *salia* duo, quoniam *salia muriatica* corpora præservare solent à nimis celeri fuga & motu; *salia* enim *interna volatilia*, quæ in partibus ramosis corporum delitescunt, ab illis *retinentur* & coërcentur (perstante licet fermentatione) in quibus potissima vis & *efficacia simplicium* consistit. Quoniam autem acie sua omnes *corporis meatus* & *poros* facile perterebrant, ideo *muriatica* hic permiscentur. Constat autem omnibus experimentis, illam *figendi* vim dependere ab *acidis salinis* particulis, *in muriatico sale* existentibus: hisce ergo frœnum imponimus mediante *alcali fixo*. Hinc *duplex finis* facile obtinetur; *reseratio* nempe *corporis crassioris*, & *volatilisatio tenuium*, in eo *antea retentarum partium*.

4. Requiritur *maceratio* aliquot dierum, ut nempe *vinosum* aliquem *acorem* mediante hoc motu intestino concipiat.

5. *Fermentum* requiritur ad *motum* citiùs augendum, & ad subtiliores particulas exaltandas *cellulis* ipsis magis *distensis* per *aëris* & *aquæ* ingressum.

6. Si *herba* sumatur *recens* & *humida*, sufficit *media pars aquæ* suprascriptæ; quo autem *major* ejus *copia*, eo *citius fermentatio* absolvitur.

Vires. Sudorifera & antifebrilis est. *Dosis spirituosæ Aquæ à ℥ij. ad ℥j.*

Eodem modo *omnes aliæ* Aquæ *herbarum calidæ* destillantur, hac semper cum observatione, si *recentes* assumantur, *minori maceratione* illas indigere, *siccioribus* verò *ulteriori* opus esse.

Florum spumosa & rara textura *instertitiis* plurimis gaudet, *Aëre & Aqua tenuiori dotatis*, in quibus particulæ plurimæ subtiliores *salinæ* innatant, quæ ob levem partium *cohærentiam*, & *pororum laxitatem*, facilem & liberum derelinquunt levioribus & glabris *Aqueis* particulis ingressum, unde *citius*, præmissa levi *infusione destillando* vires suas communicant excipiendas. Prout autem *folia*, & reliquæ vegetabilium diversorum partes, plurimum inter se *rarâ vel densiori consistentia* differunt, sic & *Flores*; ideóque magis minusve protractas *macerationes*, *fermentationes* &c. requirunt, pro diversitate sui status: ex: gr: *albissimi & levissimi flores*, quorum vires in *exiccatione* plerumque pereunt, diutinæ *moræ in humidis aquosis impatientes* sunt; *poris* enim & *meatibus* hoc modo læsis perit eorum *fragrantia* & nativus *odor*; impetum *aquæ fortius* vero sustinent *flavi & palladi*, fortissimè *rubri*. Generalis autem est regula *sequens*: eos in *fermentativo motu diutius* integris viribus subsistere, qui in *exiccatione* minus statum sui *coloris & odoris* mutant. *Sequens* exemplum pro alijs sufficiet.

Aqua Florum Sambuci.

℞. *Flor. Samb.* ℔iij. *Salis communis m.ij. iis superfunde aquam tepidam, ut optimè innatare ei queant, macerentur per tres, 4ve dies; dein destillationi committantur in vesica anea.*

1. Observatur *maceratio levis*, utpote quæ rariori florum texturæ sufficiat.

2. In *balneo Mariæ* si destillatio fiat *florum*, multò *gratior*, & *majorum virium* est *Aqua*, utpote, qui facilè *fundo* vel *lateribus vasis* adhærere solent, & inde *empyreuma* contrahere.

3. *Sal commune* additur, ne *fætorem* infusio contrahat, præcipue si diutius continuetur. *Aëreo-salino-aquosa* etenim particularum in *floribus mixtura visco-so-ramosis* corpusculis concatenata, in quosvis situs &c. brevissime invertitur, & *putredinem* concipit, nisi *salibus mediocriter fluidis* à *motu* tumultuoso cohibeantur. *Fermentationem* si quis admittere velit, poterit. Etiam loco salis communis in media quantitate *sal petræ*, si ita libeat, addatur.

Vires. Externo & interno usui commoda est Aqua; emollit, acrimoniam humorum lenit, pustulis faciei medetur & erysipelati, interiè urinam & aquas pellit, dolores nephriticos mitigat. *Dosis internè pro libitu ad ℥j. vel alteram. Externè linteola humectata parti affectæ applicantur.*

Eodem modo *Aquæ* simpliciores *rosarum*, *florum lavendulæ*, *anthos*, & similium, destillantur.

Radicum & *Corticum* firma cohæsio dependet à *ramosis* crassis *terrestribus particulis*, illas investientibus, unde consortium *aquosum* non tam cito admittentes difficilius *divortium* suarum partium admittunt. Ergo longiorem requirunt macerationem, addita, ne putredinem concipiant, majori salis copia *sequenti* methodo.

Aqua Corticum Arantiorum.

℞. *Cort. Arant. recentium* ℔x. *Salis communis M.v. Stent in infusione in sufficienti quantitate aquæ communis per duas vel tres septimanas, donec albedo interna emolliri incipiat, & fragrantissimum spirent odorem, dein destillationi committe addita majori aquæ copia*; *sic* aqua *obtinetur fragrantissima albicans*, *quæ albedo in omnibus aquis stillatitiis signum est spirituositatis, & mixturæ oleaginosæ.*

1. Requiruntur diutina *maceratio* & *salis* copia in hac operatione ob firmissimam compagem externæ *flavedinis* illorum *Corticum*, quæ, internè medulla albicante obducta, vehiculum *aquosum* alias respueret.

2. *Sal* in omnibus *macerationibus diutinis* admiscetur, ne *putredinem* vegetabilia concipiant, antequam destillationi subjiciantur: si verò aliquis oboriatur metus, ne *salia volatilia*, in corpore illo existentia, nimis ab illo sale retineantur, illud præcaveri potest addito *sale tartari*, vel *cineribus lignorum* vel alio quocunque alcali, quod acidum figens debilitare possit; illud autem sal tantum admiscetur, ubi *destillationi* committuntur, ne in maceratione fugam tentent.

3. *Oleum* simul cum *Aqua* prodit separandum, si in majori adsit copia; ut postea latius.

4. Hæc *Aqua odore* & *sapore* grato sese manifestat; si vero ad illa parum respiciat Artifex, sed potius, ut *sale volatili* polleat penetranti, & hoc modo *magis Uterina* reddatur *aqua*, *sequenti* modo est procedendum:

℞. *Cortic. recent q. v. reponantur in dolio, donec fere putrescere cogantur, & molliores plane reddantur; hosce affusa sufficienti aqua destillationi committe, sic maxima* olei *copia*, *& fætidior* aqua *obtinentur.*

Vires. Carminativa & stomachica est, doloribus colicis & febribus intermittentibus prodest. *Dosis ad ℥ij.*

Eodem modo destillantur *omnes radices, ligna duriora & cortices*, excepto *solo ligno sassafras*.

Antiscorbutica ea omnia dicuntur, *quæ sale volatili plurimo, eoque liberiori, & in ipsis herbis sapore manifesto acri sese explicante gaudent*, quod plerumque in vegetabilibus sub *forma liquida & spirituosa acri* procedit. Hæc ob *tenuitatem*, & *facilem fugam* particularum nulla ferè *maceratione* indigent, sed spirituoso menstruo conjuncta facilè vires suas in destillatione deponunt. e. g.

Aqua Cochleariæ.

℞. *Herb. Cochlear. cum toto M. x. conscindatur leviter, huic superfunde Vini Gallici pintas tres; Sal. tart. ʒij. fiat destillatio in* MB. *donec circiter pintæ duæ semis prodierint, quæ ad usum reserventur.*

1. Nullam admittimus hic *macerationem*, quoniam levissimæ salinæ particulæ, existentes in *Cochlearia*, facillime in altum eleventur ob continuum *motum intestinorum*, in talibus macerationibus subsequentem, qui nullo modo præcaveri potest. Hinc non solum partes internæ *exaltantur* in talibus, sed extempore *fugantur* ob summam *salis* ibidem latitantis *tenuitatem* & velocitatem: neque vas tam exacte claudi potest, quin jactura aliqua saltem fiat. *Contusio & expressio succi* mihi etiam nullo modo arridet, experientia plurima edocto, ex *integra* vel leviter conscissa herba *duplo plus liquoris spirituosi* obtineri, quam ex *contusa*: utpote in *concussione* illa plurimum avolat *salis spirituosi*, quod ex halitu, oculos, nares &c. infestante, apparet.

2. *Spirituosa* attamen si expetatur *Aqua*, *sequenti modo* procedas oportet:

℞. *Musti vini fere ad finem fermentationis perfecti q. v. adde. Herb. Cochleariæ q. s. ut innatare queat, fermententur ulterius in vase destillatorio conveniente per duos vel tres dies vase decenter clauso; dein adaptato alembico & recipiente fiat s. a. destillatio. Signum destillationis finitæ est, ubi plane* limpida Aqua *procedit.*

3. Additur *vinum*, quoniam vehiculum existit apprimè conveniens *salibus volatilibus*, quorum vires adauget; illud autem vice versa à *sale volatili* acuitur, ejus *volatili acido-sali* sese permiscenti.

4. *Sal tartari* solùm permiscetur in minori quantitate, ut salia existentia tam in *Cochlearia*, quàm in *vino*, ab acido nimio liberentur, & vinculis suis exuantur; pondus verò est minimum, nimirum, ne *urinoso odore* liquorem inficiat destillatum, *fermentationem* sistat.

5. In MB. peragitur destillatio, ne *empyreuma* contrahat, &, ut *subtilior* ascendat *liquor*, calore debiliori propulsus; *minori* quantitate excipi potest, si *fortior* expetatur: *reliqua* Aqua subsequens *loco vehiculi* inservit.

Vires. Scorbutico & omnibus exinde oriundis symptomatibus, tam curandis, quam præcavendis, summoperè conducit: in ulceribus etiam cacoethicis, è scorbuto productis, externa lotio prodest, præcipuè si cum proprio decocto misceatur. Dosis à cochleari 1. ad cochl. 2. bis vel ter in die.

Hoc modo *Beccabunga*, *Nasturtium* & similia destillantur.

Secundi generis sunt ea Vegetabilia, quæ *frigida & humida* AA. dicuntur, quæque plurima *aqua*, cum pauco *sale* in ea disperso *fluido* acido imprægnata particulis *terrestribus* ei immixtis crassioribus *ramosis*, conspiciuntur. Hæc ob plurimam humiditatem, *facile aquam* suam phlegmaticam, *difficilius cæteras*, utpote *crassiores* & fixiores, dimittunt. Quibus vero lubet earum vires experiri in re Medica, *non semper inutiles* illas reperiet ob benignam & temperatam salium in ijsdem commorantium mixturam, quæ in liquore destillato, & secundum artem præparato, excepta non spernenda actiones sæpius producunt; ab hisce enim, & à paucissimis (cum *salibus* elevatis) *viscosis* particulis, omnis virtus dependet. Hæ particulæ igitur ut exaltentur, *seqq.* mod. procedendum est.

Aqua Plantaginis.

℞. *Herb. Plantag. xx. Conscindatur optimè, ei adde nitri ℥j. tart. crudi ℥ij. aquæ communis q. s. macerentur per octo dies, dein destillationi committantur s. a. & largè exceptum liquorem, recenti macerata affusum herba, rectifica ad mediæ vel tertiæ partis abstractionem, hunc exceptum ad usum serva.*

1. Major *conscissio* hic admittitur, quoniam nullus est metus fugæ particularum *acidiorum* nimis *terrestrium*: imo *contusio* in pulpam hic locum obtinere potest, ut eo liberius disruptæ partes *divortium faciant*.

2. *Nitrum* & *tartarum* adduntur, ut vis *salium* interna refrigerans adaugeatur, &, ut *vehiculi* loco in destillatione inserviant *aquæ communi*.

3. *Rectificatio* commendatur, ut particulæ *salinæ*, pertinaciùs aliàs destillationi resistentes, iterata hac destillatione tanto majori copia liquorem imbuant, eumque hoc modo *efficaciorem* reddant.

Vires. Refrigerat, hepatis & renum inflammationibus prodest, podagricos mitigat dolores, si alijs admisceatur: etiam convenit in gonorrhæa, calculo, & similibus. *Dosis pro re nata*.

Omnes herbæ & vegetabilia *frigida*, qualicunque modo *astringentia* dici possunt tam ob *salia* interna, quæ *motum nimium* in corpore humano coercent coagula leviora inducendo, & vasa quodammodo contrahentia; ut omnia *acida austera*, quam ob copiam *terrestrium* particularum, (quæ, si per se considerentur, *stipticæ* sunt; nisi *pororum situs* & salina concreta, *fermentum* & *liquores* alio modo disponant) quæ glutinis instar *viscosi fluiditatem* nimiam prohibent, & vasa obsident, illa *sale* hoc *austero* contractiora facta, *astrictoriam* vim manifestam reddunt. Notandum enim est, omnibus *experimentis* facile posse demonstrari, salia *acida terrestribus* associata particulis, *austero* & *astringenti* sapore & vi pollere, imo annon pleraque medicamenta, *astrictione* mediante in primis vijs *efficaciam* suam præstent, dubium est, quod, si non plane verum, saltem probabile mihi videtur: cum nullum detur medicamentum *plane astringens*, nec *plenarie purgans* quin vice versa, in hisce vel alijs vijs & vasis *laxet*, aut *contrahat* orificia vasorum & poros partium fluidarum ratione *fermenti & salis* varij in *mutuum amplexum aut destructionem* ruentis, halitusque *acido-austeros* evomentis, qui postea fibras vasorum afficiunt, ut *pressionem* & *modificationem succi contenti* ulteriorem elaborent: &c. sed de his alibi. Obiter tantum in præsenti *notabimus* statum & dispositionem fluctuantem corporum *triplicem*, *Generationem* nempe, *Alterationem* & *Corruptionem* dependere à *ternario* motu, qui est. 1°. *particularum intestinus*, cum aliqua coll[i]sione, ut apparet in Fermentatione. 2°. est partium *externa* continuata series, de vicinia unius loci in viciniam alius *propulsio* absque intestina læsione, eaque in *Pressione* observatur. 3°. est partium *fluidiorum* à *solidioribus segregatio* per angustiora corporis solidi interstitia, quæ absolvitur mediante *Filtratione*. Hi *tres motus* quomodo *omnem notam* absolvant in corpore quocunque, nimis longum esset hic tractare: sufficiat probabile esse, hasce actiones plerasque à *condensatione* & *rarefactione* partium *solidarum* & *fluidarum* oriri, seu ab *utrisque* se invicem juvantibus, cum nulla fiat *fermentatio*, quin præcedat *constrictio* pororum & meatuum aliqualis: nulla *pressio*, quin vasa solida, vel limites

circa

circà superiora vel inferiora *coarctentur*: nulla *filtratio*, nisi per meatus & interstitia sensim *contractiora*. *Fermentatio* unit, exaltat, & subtiliat. *Pressio* distribuit, & continuum *fluidorum* cursum efficit, unde partes quæcunque solidæ irrigantur, & secernuntur. *Filtratio* depurat, segregat, & præcipitat. Hæc *Phænomena*, in corporibus conspicua, *non seorsim semper* conspiciuntur, *sed aliquando omnes simul*: sic *constricto* vase illi motus non raro *omnes* conspicui &c. *Astringentia* simul & semel, si mere & strictè astringant (quod rarissime contingit) partes *solidas & fluidas contrahere & replere* debent. Sed ad rem.

Difficultas itàque summa est, ob *gravitatem & fixitatem acidi* & *austeri* succi eliciendi per destillationem, *aquas* tales comparandi, quoniam *mixtura acidi fixioris & terræ crassioris* requiritur. *Acida* autem, ut antehac diximus, *phlegmate* multo *tardiora*, illud tantum subsequuntur, & in *minima* tantum quantitate *aquoso* vehiculo diluta, segregata à potiori sua terra, altum petunt, debilesque vires tantum communicant. Itaque, quantum possibile est, *astringens*, & *quodammodo stipticus liquor*, *sequenti* modo obtineri potest:

Aqua Bursæ Pastoris.

℞. Herb. Bursæ Pastoris cum toto q. v. conscindatur minutim, adde singulæ libræ aluminis crudi, vitrioli Martis āā ℥ß. aquæ q. s. infundantur decem vel duodecim diebus, dein destillentur, ut moris est; liquor exceptus usui servetur.

1. Additur *alumen & vitriolum*, utpote quæ se invicem exacuunt, ita ut *alumen* plurimas in destillatione dimittat particulas, & vires *stipticas* summopere illarum accessu adaugeat. *Alumen* enim *facilis* est ascensionis cum vehiculo *Aquoso*, imò, si merum *alumen* sæpe *aqua* communi cohobetur, *totum* transit alembicum; quibus verò *hæc salia* non arrident, sola *præcedenti* operatione eandem *aquam*, ab *aquâ* communi non multum differentem obtinere poterunt.

2. *Cohobatio*, seu iterata super fæces destillatio, *hic* valde etiam utilis, ut *salia austera fixiora* partim eleventur, quæ *sæpius repetita*, in hac destillatione est optima.

Vires. Stypticus est & astringens liquor, unde valet in omnibus alvi, uteri, oris, & narium fluxibus, & hæmorrhagijs. Externè summopere conducit ulceribus eluendis, & ardori mitigando.

In qua parte consistat vis *purgatrix* medicaminum, multum torsit animos Medicorum: saltem apud *Chymicos* receptum est, illam à *sale* dependere; cujus autem *figuræ*, vel internæ consistentiæ sit *hoc sal*, ambiguum est. Ego illud *acrioris acido-salinæ qualitatis* esse credo, *sequentibus* inductus experimentis. 1°. Quoniam infusa *purgantia* cito *acescunt*. 2°. Ob *saporem* manifestè *astringentem & acrem*, si non omnium, saltem plerorumque, quæ *salia fermentationem ulteriorem* facile imprimunt & ineunt. 3°. Quoniam *præcipitant & coagulant*, quod plerumque fit ab *acido*. 4°. In omni *purgatione* vasa *contrahuntur* & vellicantur ob *acidam astrictionem*, qua mediante *flatus & pressiones* fiunt. 5°. Omnia præparata *Chymica* mineralia cum *sale acido*, ut oleo vitrioli, spiritus salis &c. *vehementius purgant*, quam quæ cum sal. volat. &c. exhibentur parata. 6°. Vis *purgatrix* multum *infringitur*, & tollitur vegetabilium & mineralium, si digestionem patiantur in menstruo *spirituoso-sulphureo & salino volatili*. 7°. Post *purgationem* peractam *constipatur* alvus in plerisque: non, quoniam *omnes fæces* evacuatæ, ut vulgus nobis obtrudit, sed ob remanentiam *succi salini austero-acidi* facti, cum fæcibus terrestrioribus: ut & ob defectum acrioris *acidi* stimuli, orificia minora & *intestina vellicantis*. Notet autem *Benevolus Lector*, me hic non loqui, nisi de *fermentabili aciditate simplicium purgantium*, & quidem tali, quæ *post fermentationem in ventriculo* nostro factam sensim ad ulteriores pergens vias, *acorem manifestum* induit: unde materia subtilior spirituosa, quæ antea latitabat incarcerata, jam sui juris facta impetum in orificia vasorum, & fluidos in ipsis vasis existentes humores, facit, illorum crasin turbat, *vasa acore* suo *contrahente* comprimit, unde *flatus* ab halitibus ibidem inclusis: hinc *pressio*, postea *excretio*. Si enim *aciditas jam manifesta* adsit, *ventiformis expansio*, & *motus intestinus partium* cessat, adeòque impetus & *alteratio* partium *nulla* dein producitur, sed *astringit*, & *coagulum crassum* facit, unde in prioribus vijs humorum condensatione *salium extricatio*, & per consequens eorundem *actio impedita* cernitur, adeoque corpuscula terrestria præpollentia ubique superficies *aquæ* & *salis* involvunt, illáque *obtusa* reddendo, vasa infarciunt, *austeróque* succo *fibras contrahunt*, indeque *contrarias* actiones superioribus edunt. Hinc facile liquet, cur *cerevisia*, *vinum* & *serum lactis*, recenter jam in expansione & *fermentativo* motu constituta, *purgent*: Eadem *inveterata* & jam *plane fermentata*, id est, solidiorem consistentiam nacta & *acida* facta astringant. Sic plurima *purgantia* ab *acido* affuso mitigantur ob easdem rationes, imò etiam, quia *salsa salibus* mixta se invicem non raro *destruunt*, mutuosque meatus replendo è *poris* corporum *terrestrium* eliminata particulas *terrestris inertes* relinquunt; & rariorem *ventiformem* agitationem, quæ in *propulsivo & intestino motu* maximè requiritur, nullam admittunt: Eodem modo, ut *diversa salia* & corpora *porosa terrestria fermentanti* liquori admixta ex tempore non solum ejus *motum inhibent*, sed & *subsidentiam* illius procurant, ut minus *spatium* occupet, & quoad *saporem odorem* & *colorem* sæpius mutetur, quod & in *præcipitationibus* diversis manifestatur, ut & in omnibus *salibus* vario modo inter se invicem agitatis & *collisis*: hæc varijs experimentis probare possem, si brevitati non studerem, animusque esset, illa hic plane elucidare. Hinc etiam plurima *vegetabilia* in *ortu* suo *purgant* à succo salino vegetiori interno, quæ tempore incrementi in *acidum austerum* degenerantia, *astrictoriam* vini assequuntur: unde vulgus, *primordia herbarum* novum sanguinem generare, non præter rationem semper dicit, quoniam crassioribus *fæcibus* eliminatis per illa *fermentabilia salia*, partes sanguinis magis *depuratæ* relinquuntur, obstructionesque præcaventur. Vis *purgandi* ergo infringitur ob *texturam* partium *læsam*, & *rarefactionem spumosam impeditam*, à *salium* nempe aliorum *mixtura indecenti*, à nimia *alcalina volatilitate*, *leviusculam* acrem *aciditatem* prohibente, ut fit à *spirituosis ramosis*, & ab *acore contracto* &c.

Ex hisce patet difficultas *purgantem* vim integram eliciendi mediante *destillatione*: destillata enim *fermentationi* rarissime vel *nunquam* obnoxia sunt, nisi plurimis alijs jungantur, & obruantur *heterogeneis* corpusculis, quorum nutum postea sequi coguntur. Ut autem *textura* partium essentialis, quantum possibile, integra servetur, & blanda qualitas *alterandi* obtineatur in *Aquæ destillata*, *sequentem* proponemus methodum:

Aqua Fumariæ.

℞. Herb. Fumar. cum toto M. xx. Succi Fumariæ recenter expressi ℔x. *Tartari crudi* ℥iv. *Salis Tartari* ℥j. *Infundantur simul per quatuordecim dies, postea in* MB. *destillentur ad abstractionem librarum sex, hanc aquam, cum media quantitate succi recentis conjunctam, super-*

superfunde recentis herbæ Fumariæ Manipulis sex, tartari crudi unciâ uni, salis tartari drachmis duabus, post macerationem duorum dierum denuo destilla ad ♉vj quem liquorem, super herba recentis Manipulos tres denuo rectificatum, usui serva.

1. *Sal tartari crudo tartaro* admiscetur, ut eo faciliùs dissolvatur, & *leviter fermentetur* sal cum herba, dein ut *vehiculum* magis idoneum existat pro vegetabilibus: *succus*, loco aquæ hic additur, ut *faciliùs vires* suas communicet integras.

2. Rectificatio *repetita* fit, ut tantò majori copia particularum illius herbæ imbutus liquor prodeat efficacissimus.

Vires. Alterans est valde blanda hæc aqua, in puerperis & periculosissimis etiam morbis conveniens, biliosos & adustos humores lenit, evacuat, & temperat. *Dosis* à ℥j ad ℥ij. Hoc modo & *rosæ pallidæ* destillari queunt, & omnes *herbæ* alterantes & *diureticæ*.

Aquam, tanquam *principium universale*, quidam colunt, & audacter in hæc verba prorumpunt: Omnia ex *Aqua*. Re vera multum debetur *Aquæ*, tanquam matrici, in qua cætera *fluida* & *solida*, tanquam in proprio latibulo, concurrunt. Hæc *vehiculi* locum retinet, & corporum solidorum *stabilem* alias *figuram inconstantiâ* suâ, accessu materiæ subtilis, cujus motui facile obedit, dilacerat; *salia* enim *ibidem* latitantia cum particulis subtilioribus *Aëreis* haud difficulter in corpora *terrestria* ruderosa, aut motu & forma propria prædita sæviunt, imo & in durissima illis obvia incidens *mineralia* eorum superficies rodit & dividit, ut in metallorum *crocis* & pulveribus patet: id óque non mirum est; quod illam *Fermentum generale Mundi*, & *solvens universale* nominemus: *fermentum* enim omne includit, fermentando imminuit, vehendo disponit & communicat, *Aëream* tenuem expansionem, particulis suis ubique dispersis aptiorem reddit *vitæ vegetativæ*, magis *patulos* reddendo *meatus*, *ætheris* ingressum facilem admittentes. *Igni* terrestri ventiformi suâ *rarefactione focum luculentiorem* reddit: dum in *tubulos ramosorum* corporum, unà cum *Aëre* circumfluo, sese ingerit. Terrenam molem levem & *tumidam* reddit, illam subeundo, dividendo & imminuendo in infinita ramenta. Egregia in hoc orbe Phænomena *immutationem* diversarum ab hac petenda; corpora enim hoc destituta, vel in *atomos*, vel *in molem prægrandem inutilem* densam excrescerent, ut patet in *Chymicis* operationibus, *ignis vehementia* peractis. *Ferociam* ergo particularum subtilium lenit, *tarditatem* verò corporum terrestrium exaltat.

Haice autem agendi vires mutuatur à sua mixtura; nunquam enim *motum tantum* obtineret, nisi à *materia subtili*, & aëreis globulis adjuvaretur, quos instar spongiæ in *interstitijs* suis in maxima copia admittit: *Terra* abundare *Aquam* simplicem, imò & destillatam, subsidentia turbulenta, productio vermium &c. manifeste demonstrant, ubi illa *stagnare* cogitur diutius asservata. Hæ particulæ *terrestres viscosæ* in *Aqua* contentæ, hic illic in vita *vegetativa* depositæ, verum *productionis corporum principium* existunt: quæ sese *appropriantes* tubulorum & vasorum figuræ, in quibus vehuntur, sensim *incrementum* illis præbent, avolante postea superflua *Aqua* levioris copia &c. ut alibi latius. Hinc *nutrimenta* majoris efficaciæ, & incrementi vegetabilibus ex *oleis mucilaginosis* in *Aqua* rite fermentatis fiunt, ut arbores, frutices &c. in immensum crescant *fructibus* onustæ, tam peregrinæ quam indigenæ. Sed de hac *materia* forsan alibi fusius.

Quo corporum igitur *pori* & *meatus* apertiores, eo aëri & aëri major locus ibidem conceditur; omnia enim in hoc mundo *interstitia*, alias vacua futura, occupantur tamdiu, donec à materia subtili, (quam *simplicissimam* hic existere vix credibile est ob corporum copiam, quam permeare cogitur, non sine impressione aliqua ipsis communicata) spatiola minima tantum occupentur. Ut autem obiter *Aëris* & *Aquæ* differentiam paucis secundum nostram mentem delineemus, illa utráque corpora *una eademque* esse censemus per communicationem subtilissimæ materiæ diversificatam in sua extensione, ita ut *obtusæ oviformes* sint aqueæ particulæ densiores, oblongæ vero & in *spirales hiatus* & cavitates majores diductæ existant *aereæ* rarefactæ & extensæ per influentiam continuam *materiæ subtilis*. Nil obest illud experimentum, quod vas vitreum hermetice sigillatum ne guttam quidem *aquæ condensata* deponat, quoniam nec *ventus*, vel eodem inflata corpora *detumescentias* & subsidentias ullas admittunt aquosas, quamvis ex aqua rarefacta *ventos* oriri extra dubium sit. Sed hæc in longam nimis molem excrescerent, si ulterius in iis hæreremus.

Ex hisce *animalibus* & *vegetabilibus*, inesse copiam aquæ, sat manifestum est. *Fermentatio* enim & pressio continua succi fluidi, per tubulos sat laxos continuo circulum suum absolventis, ob ingressum aëris & vasorum solidorum structuram, in utrisque observabilis est.

Mineralia autem, & potissimum inter ea Metalla, non æque hoc liquore imbuta conspiciuntur, tres præsertim ob rationes, 1. quoniam jam *adultioris ætatis*, in conspectum nostrum veniunt. 2. Ob *pororum* densitatem. 3. quoniam *igne* *fusorum* passa ad nos vehuntur, in quo præcipua *humiditas* avolat. Adiusse vero humiditatem aquosam in ejus productione, *sequentia* experimenta nobis monstrant 1. fodinarum continuæ exhalationes *humidæ*, 2. interior terræ regurgitatio continua *aquarum*, quæ & circa mineras observatur, 3. minerarum *analysis* arte *spagyrica* facta, quæ *aquam* salino-acidam præbet in destillatione; ideóque metalla & mineralia densiora *ignem experta* instar cad verum vel capitis mortui sunt *Chymicis*, scilicet pro destillatione, nisi quis *salium* additamentis illa ex orco revocare velit in vitam *mobiliorem*. Prout autem omnes *aquæ* nulla in re differunt, præterquam in sale, vel sulphure, vel utriusque iis permixtis, quæ mixtio hic *rarior* esse solet ob intestinum motum negatum in particulis illis *durioribus*, superficietenus tantum *aqueo* consortio gaudentibus in minimâ copiâ. *Salia* enim, nisi in minima & quidem maxime porosa levissima ramenta diviserit *terram*, illa aquoso debiliori vehiculo subigi nequit, multo minus in altum propelli sub forma *liquida* dilutiori; & in ea diutius retineri, quin cessante *motu* violentiori vel secessu *salium*, propriam recuperet *gravitatem* subsidentibus denuo ad se invicem corpusculis. Sic haice omnes *Aquas*, nullius momenti aut valoris censemus, si illis destituantur; vulgo fotis & phlegmatis nomine in mineralibus & animalibus ab Artistis insigniuntur. Pulveri arte ex metallis & mineralibus facto, *aëris humidum* appellens, illic aliquatenus sistitur & adhæret, partim ob *aëreum* sal volatile, impetum in ea faciens, partim ob internum (quamvis in minima copia) in metallo existentem, *spiritum*, qui fermenti loco cæteris *aqueo-salinis aëreis* inservit. Hic liquor destillatione elevatus odore & sapore aliquali metallico prodit. Idem etiam fieri potest additione *aquæ communis*, sc. ubi pulveres minerales cum ea rite socientur mediante *solutione* subingrediendo se invicem. Idem etiam fit agitatione & imminutione celeri in *molâ philosophica*, ut in pulverem minutissimum abeant, aëreo-humido salino liquore in illa circumgyratione imbuendum: verum multò melius procedit, si *rore* vel ejus spiritu pulvis sæpius irrigetur, vel pulvis

pulvis ipse *rori* objiciatur, & de die diligenter ab *aëris* injurijs arceatur; sic nobiliorem *aquam* &c. nanciscimur. De *salibus*, & sulphureis mineralibus hic nulla mentio fit, cum ad alia loca pertineant. *Aquas* autem has in præparationibus *spirituum* dabimus, ubi nomine *Plegmatis* prostabunt.

In *Animalibus* hæc *aqua* etiam nihil aliud sunt, nisi *humidum* nativum, quod vehiculi loco, & diluendis sanguinis particulis ramosis, & viscosofalinis inservit. *Intricata* enim & valde *levis* figura corporea ibidem existit, ita ut conglobationem exactiorem solius fere *salis* & *terræ* referat, è cujus *rariori texturâ* partes glabræ & flexiles, *aquosæ* facile excidunt mediante *motu*, exterius in partes illas impellente, unde *aqua* seu *phlegma* inutilius seorsim elevatur ferme insipidum.

Ad majorem vero elucidationem *sequentia* exempla artificiosius elaborata proponemus, ut *Chymicis* omnia perscrutantibus aliquo modo satisfaciamus.

Aqua Martialis.

℞. *Mineræ Ferri integræ q. v. contundantur, quantum possibile, in pollinem, humectetur aqua pluviali, vel, si magis salina expetatur, puteali, stent in maceratione in umbra per duas vel tres septimanas, cavendo, ne massa nimio humore obruatur, vel illo nimis privetur, ad siccitatem usque. Dein fiat destillatio per cucurbitam vitream in arena positam ad siccitatem usque pulveris, donec omnes vapores & guttæ destillare cessent.*

1. Minera assumitur, quoniam in ejus sulphure *sal nativum* delitescit, & mediante terra inter mixta *porosius* metallum existit.

2. *Humida* retinetur massa in aëre, ut *salia* ex *aëre* & *aqua* ibidem sese insinuare possint, & ramenta illa exaltare, quæ alias *submerguntur* in nimia affusione, vel avolant nimia privatione humidi.

Vires. Diversæ sunt pro ratione mineræ in altum per salia magis minusve elevatæ, leviter aperit, vermes necat, putredini resistit, inservire potest loco aquarum mineralium. Dosis pro re nata.

Aqua acidula Antimonij.

℞. *Mineræ Antimonij q. s. contundatur in pulverem tenuem, dein diutissime cum* aqua communi *lævigetur in mortario amplo vitreo, singulis diebus ad minimum per horam unam vel alteram, idque continuetur per 8. vel 10. dies; vespertinis* rori *objiciatur pulvis madidus. Dein huic Antimonio superfunde triplum pondus* aquæ communis, *& fimo equino ad digerendum committatur per mensem unum, singulo die materiam optime agitando, ut undiquaque menstruo illo imprægnetur. Destillatio postmodum instituatur in arena primo lento igne, dein fortiori, ultimo fortissimo: sic sulphur levissimum salinum antimonij elevatur, mixtum aquæ, usui servandum.*

1. Sæpius *lævigatio* reiteratur, ut partes omnes *aëri* & *aquæ* obversæ, impetum & actionem eorundem magis sustineant & admittant.

2. Digestio fit, ut *calore* mediante sulphureo-salinæ particulæ majorem in *actum* reducantur, & rariores factæ, *aquæ* externæ *ingressum* efficaciorem relinquant.

3. *Cohobatio* hic valde necessaria & repetita digestio, postquam nempe pulvis residuus per aliquot dies humectatus *aëre* & *rore* denuo fuerit: præcipuè, ubi *acetum* expetitur *Antimonij*, quod alias nimis debile est.

4. Si *fortior* expetatur *aqua*, post ternas vel quaternas cohobationes per MB. rectificetur *Aqua* magis aut minus acida.

Vires. Sudorifera est, & sanguinis ardorem temperans, unde convenit in morbis malignis quibuscunque. Menstruum identidem est Chymicum pro solvendis mineralibus & metallis diversis. Dosis ad gratiam in vehiculo.

Aqua Hirundinum.

℞. *Pullorum Hirundinum q. v. suffocentur in lacte ovillo, dein contundantur in levem pulpam, vel saltem frusta minora, digerantur simul in fimo equino per aliquot dies, donec levem putredinis notam ineant: postea destillentur in* MB. *ad siccitatem. Aqua prolecta usui servetur.*

1. In *lacte* suffocantur, & simul cum eo digeruntur, quoniam menstruum est *animalibus* analogum.

2. Leviter *putrescere* coguntur, ut *salia volatilia* aliquo modo decarcerentur, quæ tamen à *lactis acido* excipiuntur, ut mixturam temperatam ineant.

3. Si *putredo major* expetatur, suffocentur in debiliori *oleo tartari per deliquium*, & eodem modo procedatur: sic sale volatili fœtido imprægnata prodit aqua.

Vires. Epilepticis & convulsivis motibus succurrit, apoplexiæ convenit, præcipuè pro infantibus in usum trahi potest simplex hæc, vel composita, ut in officinis prostat. *Dosis à* ℈*j. ad* ℥*ij.*

Aquæ variæ ex Timæo Lib. Cas. Medic.

Aqua Apoplectica Heroica.

℞. *Flor. lavend.* ℥*ij tiliæ, pœon anthos, lil. conval. ana* ʒ*vj. basilic. cheyri, paralys. chamæm. sambuc. ana* ʒ*ij. rosa rubr.* ℥*ß. Herb. salv. origan. rorism. meliss. menth. cryspæ, thym. rutæ, ana* ℥*ij. spicæ Celticæ, hyssop. satureiæ ana* ʒ*j. Rad. pœon. Lun. decrescente, collect.* ℥*ß. calam. aromat. ireos florent. ana* ʒ*ij. liqui.* ʒ*iij. zingiber. galang. ana* ℥*ß. zedoar.* ℥*ij. nuc. mosch.* ℥*ß. cubeb.* ʒ*ij cardamom. piper. nigr. alb. long. ana* ʒ*j. maceris* ℥*ß caryophyll.* ʒ*ij. gran. paradis.* ʒ*j cinam. acutiss.* ℥*ß. croci orient.* ʒ*j. cortic. citri aurantior. ana* ℥*ß. Sem. sinapi* ℥*iij. erucæ, coriand. præp ana* ʒ*ij. anisi, fœnic. ana* ℈*iv. anethi* ʒ*ij pœon.* ʒ*vj. Bacc. lauri,* ʒ*vj junip.* ℥*ß. lign. Aloes* ʒ*ij mastich myrr. elect. thur. oliban. ana* ʒ*jß. succin alb. visc quern. ana* ʒ*ij. Conserv. rosar. rubr. pœon. salv rorism ana* ℥*j. prim. ver. majoran. ana* ʒ*vj. vini Malvat.* ℔*xix. Mixta destillentur igne lento deinde adde Spec. diambræ, diamosch. dulc. ana* ℥*ß. dianthos, diarrhod Abbat. ana* ʒ*ij. diatri. santal diamargar calid. lætif. Galeni. ana* ʒ*iß. camphor.* ʒ*iß. Digerantur dieb. ix. postea destillentur denuo.*

Aqua Cephalica calida.

℞. *Herb. beton. meliss verben. ana m. ij. Flor. salv. anthos. beton. cheiri, sepill prim. ver. stæchad. Arabic. lavend. tiliæ, lil. conval. ana m. ß. Summit. majoran. m. j. cinam. acutiss. nuc. mosch. cubeb. caryophyll. ãã.* ℥*ß. gran. paradisi* ℥*j. Bacc. lauri* ℥*ß. Concisis & conquassatis affunde vini Malvat.* ℔*xij, Sent in digestione per triduum, postea destillentur.*

Aqua Cephalica frigida ex succis.

℞. *Sem. lact.* ℥*iß. papav. alb.* ʒ*vj. 4. frigid. major. excort. ãã.* ʒ*ij. amygdal. dulc.* ℥*ijß. aq. rosar. opt.* ℔*ij. M.F. Emulsio add. Succ. rosar. rubr. pallid. ana* ℔*iß. plantag. nymph. lactuc. acetos. ana* ℔*j. pulver. lign. Rhodij* ʒ*ß. Mixta destill. in* MB. *ex vasis vitreis.*

Aqua Soporifica.

℞. *Sem. papav. alb.* ℥*ix. nigr.* ℥*vij lactuc.* ℥*iv. portulac.* ℥*ij. 4. frigidor. major. ana* ℥*j croc. orient.* ʒ*ij. nuc. mosch. maceris ana* ℥*ß Flor. rhœados, violar. nymph. ana m. ij. endiv. rosar. ana m j Incis. & contusis affunde Aq. lactuc.* ℔*vj. nymph. violar. portulac. ana* ℔*jß. nuc. mosch.* ℔*ß. Stent in infusione per diem & noctem postea destillentur.*

Aqua ligni Saffafras.

℞. *Ligni ſaſſafras elect. lib. ß. cinam. acutiſſ. ℥iij. Inciſis & conquaſſatis affunde vini Hiſpan. lib. viij. Stent in infuſione per triduum poſtea deſtillentur.*

Aqua Pectoralis frigida.

℞. *Herb. farfaræ, ſcabioſ. veron. capill. Vener. pulm. endiv. ãã. m. j. Flor. viol. purpur. roſar. rhæados, tuſſilag. borrag. bugloſſ. ãã. m. ß. Sem. portulac. endiv. ãã. ʒvj. papav. alb. ℥ß. malv. cytonior. ãã. ʒvj. 4. frigidor. major. ãã. ℥ß. paſſular. minor. ℥iij jujubar. ſebeſten, ana n. xv. ficuum n. xj. Rad. liquir. ℥ij. Spec. diatrag. frigid. ℥j. Conſerv. violar. roſar. ãã. ℥iv. Aqua ſcabioſ. veron. tuſſilag. ãã. lib. ij. violar. roſar. ãã. lib. jß. marrub. lib. j. Mixta deſtill. in MB.*

Aqua Pectoralis calida.

℞. *Rad. enulæ camp. ℥jß. ireos florent. pimpin. ãã. ℥ß. tuſſilag. ʒvj. liquirit. ℥j. althææ, ʒvj ariſtoloch. rotund. ʒiij. Flor. ſalv. hyſſop. majoran. marrub. ãã. m. jß. Sem fœnic. aniſi, urticæ, ãã ʒij. paſſular. min. ℥iij ficuum n. xx. ſquill. præ. ℥jß looch ſani & experti ℥ij. Spec. diaireos, ℥j. hydromel lithuanici lib. viij. aq. hyſſop. lib. iij. Mixta deſtillentur.*

Aqua Pneumatica.

℞. *Ficuum n. xv. paſſular. min. ℥iv. major. ℥ij. looch ſan. & expert. ℥ijß. de pino ℥ij. ſucc. liquirit. inſpiſſat. ʒiß. Conſer. flor. hyſſop. tuſſilag. veron. ãã. ℥ij. cinam. acutiſſ. ℥ij. ſquillæ præp. ℥jß. Spec. diaireos ℥j. cardam. min. ℥ß. macer. ʒiij. croc. orient. ℥ij. Herb. capill. Vener. marrub. ãã. m. ij. Flor. malv. arboreſcent. farfar. ſalv. ãã. m. j. Contuſa & mixta infunde in ſpir. vini ſimpl. lib. x. Digerantur per diem & noctem poſtea deſtillentur & edulcor. ſacch. cand. alb. q. ſ. ad gratum ſaporẽ.*

Aqua Antipleuritica.

℞. *Flor. papav. errat. m. iij. bellid. cum toto m. jß. Herb. card. bened. card. mariæ ãã. m. iß. taraxac. ſcabioſ. pimpinell. ulmariæ, heder. terreſtr. ãã. m j. Rad. liquirit. ℥j. paſſular. min. ℥iij. ficuum n. xiij. jujubar. n. xv. Sem. melon. excort. card. bened. mariæ ãã. ʒiij. Aq. flor. Rhæados lib. iv. ſcabios. card. bened. flor. chamæm. ana lib. jß. betulæ lib. ij. Mixta deſtillentur.*

Aqua Cordialis frigida.

℞. *Flor. roſar. rubr. violar. borrag. bugloſſ. nymph. ana ʒvj. Rad. bugloſſ. ℥ij. acetoſ. tormentill. fragar. ana ℥j. Sem. citri, acetos. ana ℥ß. Terræ ſigill. ſtringens ℥j. ſantal. omn. ana ʒij. Inciſis & conquaſſatis adde Conſerv. roſar. provinc. ℥iij. violar. borrag. bugloſſ. acetoſell. ana ℥j. condit. flor. citri ℥iß. Aq. roſar. opt. lib. ij. borrag. bugloſſ. rubi idæi, fragor. ceraſor. nigror. acetoſell. ana lib. j. aceti de rubo idæo lib. ß. ſucci citri acidi lib. j. Mixta deſtillentur in vaſis vitreis.*

Aqua Cordialis calida.

℞. *Herbar. meliſſæ m. iij. Card. bened. m. iß. Flor. calend. tunic. lavend. lichn. coronar. roriſm. roſar. rubr. ana m. j. Sem. ocym. caryophyllat. ana ʒvj. citri ʒiij. Rad. caryophyllat. ℥vi. cinam. acutiſſ. ℥iij. macer. ℥j. ſantal. citrin. ʒij. lign. Aloës ʒiß. caryophyllor. ʒij. cardam. min. maj. ana ʒiß. flaved. cortic. citri ℥j. croci orient ʒjß. Inciſis & conquaſſatis affunde vini Frontignani, vel Malvat. lib. ix. Macerentur per ſeptendium, poſtea adde Aq. meliſſ. calend. cortic. citri ana lib. j. Mixta deſtillentur.*

Aqua Cordialis ex ſuccis, De eâ jam ſupra.

Aqua Cordialis odorata.

℞. *Flor. roſar. rubr. pallid. ana m. iij. violar. tunic. ana m. j. Flor. jaſmin. tiliæ, calend. borrag. bugloſſ. ana p. ij. Pomor. citr. recent. n. v. aurant. n. iij. ſtyrac. calamit. ʒvj. cinam. acutiſſ. ℥jß. caryophyll. ℥ß. macer. ʒiij. Rhod. ʒvj. ſandal. citrin. alb. ana ʒiij. Rad. ireos florent. ℥vj. inciſis & conquaſſatis affunde Aq. roſar. fragrantiſſ. ℔iv. lavend. ℔iij. meliſſ. ℔ij. fragor. rubi idei ana ℔j. Mixta deſtillentur.*

Aqua Bezoardica.

℞. *Rad. tormentill. angel. gentian. zedoar. pimpinell. caryophyllat. dictamn. ſcorzoner. contraierv. ana ʒvj. Fol. dictamn. Cretic. ſcord. rutæ, millefol. ana m. jß. Flor. calend. borrag. bugloſſ. roſar. ana m. ß. Sem. citri ℥ß. card. bened. napij, naſturt. ana ℥ij. Cort. fraxin. citri ãã. ʒvj lign. Aloës, ſantall. omn. ana ʒjß. Bacc. juniper. ℥iß. Theriac. Andromach. ℥iß. Mithridatij ℥ij. diaſcord. Fracaſt. ℥iij. Spec. elect. de ovo ℥ß. liberant. ʒvj. affunde Aq. cortic. citri ℔viij. acetoſ. ℔iv. Spir. bacc. juniper. ℔j. Macerentur per dies vij. poſtea deſtillentur.*

Aqua Stomachalis.

℞. *Rad. calam. aromat. ℥j. galang. zedoar. ana ʒvj. pimp. enulæ, ana ℥ß. Fol. menth. meliſſ. ana m. ij. Com. abſinth. m. j. Flor. tunic. roſar. ſalv. ana p. ij. Cort. citri, aurant. ana ℥ß. nuc. moſch. ℥j. cinam. acutiſſ. ℥iij macer. ℥ß. caryophyll. ʒvj. gran. paradiſ. ℈iv. piper. long. ℥ij. cubeb. exemptis acinis ℥iv. medullæ pan. ſiligin. ℔iß. vini Malvat. ℔xij. Stent in digeſtione per triduum, poſtea deſtillentur.*

Aqua Epatica calida.

℞. *Rad. coſti Ægyptiaci, curcumæ, ana ℥j. fœnic. gram. aſparag. rhapontic. colam. aromat. ana ℥ß. Herbar. abſinth. utriuſque veron. agrim. eupator. fumar. centaur. min. ana m. jß. Flor. ſalv. tunic. epatic. roſar. rubr. ana m. j. Sem. fœnic. card. bened. ana ʒiij. Cortic. fraxin. ʒvj. cinam. acutiſſ. ℥iij. paſſular. min. ℔ß. Epatis lupi præp. ℥iv. Inciſis & conquaſſatis affunde vini abſinthites, helenites ana ℔vj. aq. agrimon. veron. ana ℔j. Mixta macerentur per triduum, poſtea deſtillentur.*

Aqua Epatica frigida.

℞. *Aquæ cichor. ʒij. acetoſ. fragar. plantag. taraxac. ana ʒvj. Herbar. endiv. m. iij. ſcariolæ, acetoſ. cichor. taraxac. ana m. ij. Flor. nymph. violar. roſar. rubr. epatic. ana m. j. Sem. 4. frigid. major. ana ʒvj. 4. frigid. min. ana ℥ß. Spec. diarrhod. Abbat. diatr. ſantal. ana ℥ß. Aq. endiv. ℔iv. cichor. ℔iij. taraxac. ℔ij. agrimon. ℔jß. epatic. ℔j Succ. ribium, fragor. ana ℔j acetoſ. ℔iij. citri ℔ß. Mixta deſtillentur in MB. per Alembic.*

Aqua contra Icterum.

℞. *Rad. fragar. cum toto, chelidon. c. toto ãã. ℥ij. lapathi acut. cichor. fœnic. petroſelin. urtic. rubiæ tinctor. ãã. ℥vj. Herb. cuſcut. m. iij. marrub. m. ij. centaur. min. agrim. card. bened. ana m. j. Flor. epatic. nobil. m. jß. hyperic. calend. roriſm. ãã. m. ß. Sem. aquileg. ℥j. petroſelin. ℥ß. com. abſinth. m. ij. bacc. junip. ℥iij. Inciſis & conquaſſatis affunde ſucc. rad. urtic. ℔ß. chelidon. major. ℔iß. lapath. acut. lib. ij. aq. betulæ lib. vj. vini Rhenani opt. lib. iv. Mixta deſtillentur.*

Aqua Splenetica.

℞. *Rad. aſparag. filic. polypod. bryon. rubiæ tinctor. acori veri, apij ana ℥j. ariſtoloch. rotund. ʒvj. Herb. fumar. m. ij. cuſcut. ſcolopendr. meliſſ. centaur. min. epithym. ana m. j. Cort. tamariſc. cappar. ana ʒvj. fraxin. ℥j. Flor. geniſt. m. ij. borag. bugloſſ. ana m. j. Sem leviſtic. carvi, aniſi. fœnic. ana ℥ij. Inciſis conquaſſatis affunde vini Rhenani opt. lib. x. aq. fumar. abſinth. meliſſ. ana lib. ij. Stent. in infuſione per triduum, deinde deſtillentur.*

Alia

Alia ex Succis.

♃. *Succ. fumar. lib. iv. absinth. lib. ß. veron. meliss. cochlear. nasturt. fœnic. petrosel. cichor. endiv. ana lib. j. flavedin. cortic. citri ℥jß. aurant. ℥ij. vini Rhenan. opt. lib. iv. Mixta destillentur ex vasis vitreis.*

Aqua Aperitiva.

♃. *Rad. fœnic. asparag. cichor. apij, petrosel. liquirit. ana ℥j. polypod. quern. ℥jß. Herb. fumar. m. ij. agrimon. capill. Vener. cuscut. cichor. endiv. beton. scolopendr. ana m. j. Flor. borrag. centaur. minor. bugloss. genist. ana m. ß. Sem. anisi. fœnic. ana ℥iij. Sum. lupuli, m. j. Cort. tamarisc. fraxin. cappar. ana ʒvj. passul. min. cubeb. ana ℥iij. Incisis & conquassatis affunde aq. fumar. agrim. ana lib. iv. cichorei, fœnic. beton. ana lib. iij. Mixta destillentur.*

Aqua Digerens.

♃. *Chamæm. Rom. menth. crisp. Flor. sambuc. ana m. ij. Rad. calam. aromat. ℥iv fœnic ℥j. Bacc. lauri, junip. ana ℥iß Sem. carvi, cumin. fœnic. anisi ana ʒvj. Cortic. aurant. ℥ij. citri ℥ß. maceris ʒiij. cinam. galang. min. ana ℥ß. Incisis & conquassatis affunde vini Malvat. ad eminent. 4. digitor. Stent infusa per triduum, deinde destillentur.*

Aqua Antiscorbutica calida ex succis.

♃. *Succ. cochlear. nasturt. aquat. ana lib. iv. becabung. lib. ij. fumariæ lib. iij. absinth. lib. j. ß. Cort. internor. virid. abietis lib. j. strobyl. abietis lib. ß. Cortic. citri ℥iij. aurant. ℥ij. vini Rhenan. opt. lib. vj. Mixta destillentur.*

Aqua Antiscorbutica frigida ex succis.

♃. *Succ. becabung. lib. iv. cochlear. nasturt. multiberis, rubi Idæi ana lib. ij. cichor. endiv ana lib. j. acetos. lib. ß. citri lib. j. Seri lact. caprin. lib. iv. Mixta destillentur ex vasis vitreis.*

Aqua Nephritica magistralis.

♃. *Rasur. ligni Nephritici ℥ij. ß. Rad. ononid. petroselin. pimpin. armorac. liquirit. polypod. asparag. althææ, apij. aristoloch. rotund. ostrutij. angel. fœnic. gentian. ana ℥ß. Sem. anisi ℥iij. fœnic. ℥jß. halica cab. milij Solis, urtic. sinapi, erucæ, raphan. pimpinell. saxifrag. seseleos, ana ℥ß. Herb. heder. terrestr. m. j. pimpinell. saxifrag. veron. petrosel. fœnic. serpill. origan. ononid. apij ana m. ß. Flor. sambuc. genist. ana m. j. persicor. m ß. Nucleor. persicor. cerasor. amygdal. amarar. ana ℥ij. Aq. betulæ lib. xij. Hydromel. Lithuan. vel Finnici lib. viij. Stent in infusione per dies vij. postea destillentur.*

Aqua Diuretica.

♃. *Sem. milij Solis ℥ij. saxifrag. ʒvj. napi, citrulli, melon. cucumer. ana ℥ß. citri ℥iij. Nucleor. persicor. ℥iij. cerasor. prunor. sylv. ana ℥j. amygdalar. amarar. ℥ij. Aq. petrosel. veron. sambuc. ana lib. j. hederæ terrestr. lib. iv. M. F. Emulsio adde vini sectarij vulgò* sack *lib. vj. Mixta destillentur in* MB.

Aqua contra ardorem Urinæ, & ulcera Renum & Vesicæ.

♃. *Sem. lact. portulac. endiv. cytonior. papav. alb. melon. excor. ana ʒvj. amygdal. dulc. pinear. recent. ā ā ℥ij. contundantur. in mortario postea affunde Aq. plantag. tormentill. veron. symphyt. maj. lactuc. fol. quercus portulac. ana lib. j. malv. utriusque ana lib. j. ß. M. F. Emulsio adde Pulv. rad. symphyt. maj. ℥j. plantag. tormentill. althææ ana ʒvj. ireos ℥ß. liquirit. ℥ij. Herb. sanicul. veron. ana ℥j. Flor. hyperic. ʒvj. bellid. min. violar. papav. erratic. nymph. ana ʒij℥. gran. myrtill. ʒijß. Trochisc. Gordenij, alkekengij ana ʒiij. conserv. flor. malv. ℥iv. cassiæ fistul. cum aq. malv. recent. extract. ℥ij. Mixta destillentur in vasis vitreis.*

Aqua Antifebritica.

♃. *Herb. card. bened. centaur. min. quinquefol. card. mariæ ā ā. m. ij. Rad. gentian. ℥iß. Succ. absinth. potentill. card. bened. ā ā. lib. ij. aq. centaur. min. lib. iv. Mixta destillentur.*

Aqua contra febres malignas.

♃. *Succ. scabios. acetos. card. bened. card. mariæ, citri, rutæ, ana lib. jß borag. taraxacon. endiv. rosar. ana lib j. Pomor. citr. unà c. corticibus & seminib. incis. n. vij. rasur. c. c. lib. ℥. Macerent. per triduum, postea destillentur.*

Aqua contra febres hecticas.

♃. *Ungul. caballin. capill. Vener. lentisci palustris, endiv. epaticæ, cichor. lact. portulac. acetos. borrag. bugloss. rosar. pallid. flor. nymph. ana m. iij. vel q. v. Ex omnibus recent. exprimatur succus destillandus ex vasis vitreis. Cum hac aqua extrahantur Emulsiones amygdal. dulc. pinear. & sem. 4. frigid. quotidie assumendæ.*

Aqua contra Variolas & Morbillos.

♃. *Rad. fœnic. ℥jß. liquirit. acetos. scorzon. ana ℥ß. Herb. Scord. scabios. card. bened. acetos. ana m. jß. Flor. calend. aquileg. ana m. j. borrag. bugloss. ana m. ß. Sem. napi ʒvj. aquileg. ℥j. nasturt. citri, acetos. card. bened. melon. ana ℥ß. ficuum n. xv. passular. min. ℥iij. cicer. rubr. ℥ij. lentium ℥j. Spec. liberant. ʒvj. Incisis & conquassat. affunde Aq. scabios. lib. iij. acetos. aquileg. card. bened. ana lib. ij. Sent in infusione loco calido per diem & noctem, postea destillentur.*

Aqua Nervina.

♃. *Origani m. vj. stæchad. Arabic. m. ij. calaminth. m. iv. Spicæ indicæ ʒvj. Flor. hyperic. m. ij. lumbric. terrestr. præp. ℥iij. affunde hydromel. Lithuani. aut Finnici ad eminentiam trium vel quatuor digitorum. Macerentur per triduum, postea destillentur in vasis vitreis.*

Aqua Arthritica.

♃. *Rad. valerian. gentian. aristoloch. utriusque rhapont. veri, pœon. arthemis. imperator. angelic. ā ā. ℥j. Herb. centaur. min. chamædr. chamæpith. hyperic. c. florib. salv. meliss. majoran. rorism. ana m jß. Flor. beton. primul. ver. pœon. sambuc. ā ā. m. j. Sem. petrosel. macedon. hyperic. pœon. ā ā. ℥ß. Incisis & contusis affunde Aq. Ivæ arthreticæ ℔ij. meliss. ℔jß. hydromell. opt. ℔vij. Stent in infusione per dies tres, deinde destillentur.*

Aqua Hysterica.

♃. *Rad. zedoar. levistic. ana ℥ij. Sem. dauci sylv. ℥jß. pœon. ℥j. myrrh. elect. ʒvj. castor. ℥ß. nepetæ ℥iv. Contusis affunde Aq. matric. ℔vj puleg. ℔ij. meliss. ℔iß. Spir. bacc. junip. ℔ij. Macerentur per dies vij. postea destillentur.*

Hactenus de Aquis ex Timæo, quales reperiuntur ad finem Casuum Medicinalium. Sequuntur jam aliæ quæ in Libro Epistolarum ejusdem Autoris, ac primò ex Herbis calidis.

Aqua Cephalica.

♃. *Fol. beton. salv. primul. veris, rorismar. majoran. euphras. meliss. hyssop. origan. chamæpyth. serpill. thym. ocym. ana m. j. Incisis & conquassatis irrorentur Spir. vini rectific. ℔ij. postridie affunde vini Malvat. ℔vj. Aq. beton. meliss. ana lib. j. Stent in infusione per triduum postea destill.*

Aqua Ophthalmica.

♃. *Herb. chelidon. majoran. fœnicul. beton. euphras. fumar. rutæ, salv. rorismar. meliss. pimpinell. ana m j. Incisis & conquassatis affund. roris majalis lib. vj. vini Malvat. lib. iv. Mixta destillentur.*

Aqua Pectoralis.

℞. *Herb. veron. scabios. prassij alb. card. bened. nicotian. chærefol. tussilag. beton. fœnic. salv. hyssop. rorell, pulmonar. maculos. ana m. j. Conquassata macerentur in hydromel Lithuan. ℔x. per triduum postea destillentur & edulcorentur sacchar. cand. alb. ad placitum.*

Aqua Cordialis.

℞. *Fol. meliss. ocym. scord. card. bened. cardiacæ, scabios. caryophyllat. balsamitæ, verben. bugloss. ana m. j. Incisis & contusis affunde vini Malvat. ℔vj. aq. card. bened. bugloss. ana ℔j. Macerentur per triduum postea destillentur.*

Aqua Stomachalis.

℞. *Fol. menth. hortens. rubr. balsamicæ, ana m. ij. beton. basilic. ana m. j. absinth. pontic. vulgar. ana m. jß. rorismar. m. ij. Incisis & conquassatis affunde Spir. bacc. junip. ℔iij Vini Rhenan. ℔vij. Digerantur in MB. per biduum postea destillentur.*

Aqua Epatica.

℞. *Fol. agrimon. seu eupator. chamædr. veron. absinth. capill. vener. marrub. alb. card. bened. epatic. cuscut. chamæpith. rorism. ana m. j. Minutiss. incisa & conquassata destillentur cum vino absinthite.*

Aqua Splenetica.

℞. *Scolopendr. tamarisc. cuscut. fumar. capill. Vener. cerefol. absinth. polytric. chamædr. nasturt. cochlear beccabung. ãã. m. j. vini chalybeat. ℔vj. aq. meliss. fumar. ãã. ℔j. Sent. in digestion. MB. per diem. & noctem postea destillentur.*

Aqua Nephritica.

℞. *Herb. veron. capill. Vener. polytrich. aur. cerefol. saxifrag. beton. rorism. petroselin. eryng. heder. terrestr. ononid. chamædr. filipendul. ana m. j. Incisis & conquassatis affund. aq. betulæ ℔vj. vini Hispanic. ℔iv. Macerentur per biduum, postea destillentur.*

Aqua Hysterica.

℞. *Fol. arthemis. meliss. menth. matricar. puleg. beton. levistic. calaminth. rutæ, rorism. agrimon. veron. chamædr. mercurial. ana m. j. Incisa & contusa irrorentur. aq. vitæ mulier. q. s. affunde aq. arthemis. ℔iv. meliss. menth. ana ℔jß. Mixta destillentur.*

Aqua Arthritica.

℞. *Fol. chamæpith. chamædr. hyperic. veron. agrimon. cerefol. meliss. rorism. beton. primul. ver. arthemis. serpill. ana m. j. Incisa & contusa aspergantur Spir. vini tartarisat. ℔ij. postea affunde aq. Ivæ arthetic. ℔iij. Stent in infusione per biduum, postea destillentur.*

Ex Herbis frigidis.

Aqua Cephalica.

℞. *Fol. recent. lactuc. plantag. portulac. acetos. endiv. nymph. ãã m. vj. Exprimatur succus & destilletur.*

Aqua Pectoralis.

℞. *Fol. portulac. tussilac. althææ, scarial. capill. Vener. intyb. major. nymph. ana m. iij. Incisis & conquassatis affunde aq. heder. terrestr. tussilag. portulac. ana ℔iij. Mixta destillentur.*

Aqua Cordialis.

℞. *Fol. recent. acetosell. endiv. nymph. taraxac. scariol. violar. fragar. borragin. bugloss. ãã. m. iij. Exprimatur succus & destilletur ex vasis vitreis.*

Aqua Stomachalis.

℞. *Fol. recent. intyb. major. m. iv. acetos. portul. lactuc. malv. spinach. ana m. iij. Exprimatur succus & destilletur.*

Aqua Epatica.

℞. *Fol. recent. acetos. fragor. violar. asparag. hepatic. nobil. endiv. cichor. lactuc. portulac. taraxac. ana m. iij. Exprimatur succus & destilletur.*

Aqua Splenetica.

℞. *Fol. fragar. portulac. capill. Vener. fumar. cichor. endiv. lactuc. ana m. ij. Incisis & conquassatis affunde aq. fumar. lib. v. cichor. lib. ij. aperitiv. nostr. lib. j. Mixta destillentur.*

Aqua Nephritica.

℞. *Fol. fragar. nymph. parietar. acetos. portulac. cichor. plantag. lactuc. ana m. iij. Incisis & contusis affunde aq. betul. lib. ix. Mixta destillentur.*

Ex Floribus calidis.

Aqua Cephalica.

℞. *Flor. anthos, lil. convall. lavend. salv. stœchad. Arabic. cheiri, beton. pœon. tunic. primul. ver. tiliæ, majoran. ana m. ij. Incisis & contusis affunde vini Malvat. lib. x. aq. lavend. lil. convall. ana lib. j. Mixta destillentur.*

Aqua Pectoralis.

℞. *Flor. scabios. salv. beton. hyssop. pulmon. maculos. tussilag. meliss. anthos, ana m. ij. affund. hydromel. Lithuan. lib. x. Mixta destillentur.*

Aqua Cordialis.

℞. *Flor. calend. scabios. meliss. tunic. borrag. bugloss. lil. convall. hyperic. ana m. ij. affunde vini Malvat. ad eminent. 4. digitor. Macerentur per triduum postea destillentur.*

Aqua Stomachalis.

℞. *Flor. betonic. anthos. salv. lavend. chamæm. Roman. ãã. m. ij. menth. m. iij. meliss. m. ij. Mixta & conquassata destillentur cum vin. Hispan. vel Malvat. q. s.*

Aqua Epatica.

℞. *Flor. epatic. nobil. m. iv. sambuc. lupul. salv. centaur. min. ãã. m. ij. affunde vini Rhenani absinthites q. s. Macerentur in loco tepido per horas 7. postea destillentur.*

Aqua Splenetica.

℞. *Flor. genist. hepatic. vitic. lupuli, sambuc. cichor. anthos. hyperic. fumar. ãã m. ij. Aspergatur Spir. vini tartarisat. lib. j. postea affunde aq. fumar. q. s. destillentur.*

Aqua Nephritica.

℞. *Flor. sambuc. m. iij. hyperic. betonic. chamæm. anthos, m. ij. genistæ m. iij. Destillentur ex aq. betulæ q. s.*

Ex Floribus frigidis.

Aqua Cephalica.

℞. *For. rosar. rubr. albar. nymph. violar. purpur. papav. alb. rhœados, ana m. iij. affunde aq. violar. rosar. papav. erratic. ãã. lib. iij. Mixta destillentur.*

Aqua Pectoralis.

℞. *Flor. violar. purpur. nymph. malv. cyani. bugloss. cichor. farfar. pulmonar. maculos. papav. errat. rosar. rubr. alb. ãã m. ij. affunde aq. heder. terrestr. farfar. flor. rhœados, pulmon. maculos. ãã. q. s. Mixta destillentur.*

Aqua Epatica.

℞. *Flor. cichor. violar. rubr. bugloss. hepatic. alb. nymph. acaciæ papav. errat. ãã. m. ij. affunde aq. cichor. endiv. ãã. q. s. Destillentur.*

Ex Radicibus calidis.

Aqua Cephalica.

℞. *Rad. pœon. Lunâ decrescente, collect. ℥ij. doronic. enulæ, rhodiæ, caryophyllat. aristoloch. utriusque angel. cyper. sars. parill. dictamn. alb. costi Ægyptiac. ãã. ℥j.*

Incisis

Incisis & conquassatis affunde vini Malvat. q. s. Stent in infusione per triduum, postea destillentur.

Aqua Pectoralis.

℞. *Rad. enul. campan. pimpinell. fœnic. ana ℥ij. ireos, squillæ, ana ʒvj. aristoloch. rot. tussilag. angel. liquirit. acori veri, scabios. ana ℥j. Incisa & conquassat. macerentur in hydromel. Lithuan. q. s. per triduum postea destill.*

Aqua Cordialis.

℞. *Aq. bugloss. scord. enulæ, doronic. angel. rhapont. veri, dictam. Cretic. alb. scorzoner. pimpinel. caryophyll. tormentill. contrajerv. ana ℥j. Incisis & contusis, affunde aq. citri ex corticib. cum vino destill. q. s. Macerentur per triduum postea destillentur.*

Aqua Hepatica.

℞. *Rad. quinq. aperient. major. & minor. pimpinell. rubiæ tinctor. rhapont. veri, rhabarb. elect. cichor. ana ℥j. Conquassat. affunde aq. nostr. Epatic. q. s. post macerationem destillentur.*

Aqua Splenetica.

℞. *Rad. filic. polypod. quern. rhapontic. veri, cichor. fraxin. scorzoner. enulæ, caryophyllat. bugloss. quinq. aperient. major. & min ana ℥j. Incisa & conquassata macerentur per triduum. in s. q. vini Rhenan. postea destill.*

Aqua Nephritica.

℞. *Rad. ononid. saxifrag. pimpinell. satyrij, aristoloch. long. petroselin. alth. enul. quinq. aperient. major. & minor. ana ℥j. Incis. & conquassat. macerent. in vini Hispanic. s. q. postea destillentur.*

Aqua Uterina.

℞. *Rad. valerian. levistic. enul. angelic. pimpinell. fœnic. petrosel. rubiæ tinct. caryophyllat. bryon. aristoloch. rotund. asparag. cyper. dictamn. alb. ana ℥j. Redigantur in pulverem grossum qui conspergatur aq. vitæ mulier. q. s. vini Melissati q. s. Digerantur in Balneo tepido per triduum, deinde destillentur.*

Aqua Arthritica.

℞. *Rad. arthemis. imperator. pœon. gentian. rhapontic. valerian. aristoloch utriusque ana ℥j. Contusis affunde aqua Ivæ arthetic. arthemis. meliss. ana q. s. Macerentur per triduum, postea destillentur.*

Ex Radicibus frigidis.

Aqua Hepatica.

℞. *Rad. acetos. acetosell. asparag. gramin. endiv. cichor. fragar. taraxac. plantag. lactuc. āā. ℥j. In pulverem comminutis affunde aq. endiv. cichor. fragor. ana q. s. Digerantur in MB. per triduum postea destillentur.*

Aqua Splenetica.

℞. *Rad. fragar. bugloss. gramin. oxylapathi, polypod. quern. cichor. taraxac. acetos. ana ℥j. Incisis & conquassatis affunde aq. cichor. taraxac. fragar. ana ℔ij. tartar. albiss. ℥iij. Macerent. per triduum postea destillentur.*

Aqua Nephritica.

℞. *Rad. arnogloss. fragar. cichor. nymph. gramin. malv. althææ liquirit ana ℥j. Incisis & conquassatis affunde aq. betulæ q. s. Macerentur per triduum, postea destillentur.*

Ex Seminibus calidis.

Aqua Cephalica.

℞. *Semin. pœon. basilic. siler. montan. aquileg. rorismarin. majoran. coriandr. cumin. anisi, fœnic. carvi ana ℥j. Contusis affunde vini Malvat. q. s. Stent in infusione per triduum, postea destillentur.*

Aqua Pectoralis.

℞. *Semin. card. bened. card. mariæ, napi, nasturt. anisi, fœnic. aquileg. cerefol. seseleos, āā ℥j. In pulverem grossum redactis affunde aq. fœnic. card. bened. scabios. ana q. s. Stent. in infusione donec liquor rubescat, postea destill.*

Aqua Cordialis.

℞. *Sem. card. bened. citri, aurantior. ocymi, amomi veri, angel. levistic. hyperic. ana ℥j. Comminuta macerentur in vini Malvat. q. s. postea destillentur.*

Aqua Hepatica.

℞. *Sem. quatuor calid. major. & minor. aurantior. aquileg. citri, card. bened. asparag. seseleos, cicer. rubr. ana ℥j. Incisis & conquassat. affunde vini Rhenan. alb. q. s. post macerationem destillentur.*

Aqua Splenetica.

℞. *Sem. genistæ, fraxin. ammeos, cerefol. rutæ, agni casti, cumin. anisi, fœnic. citri, cochlear. nasturt. card. mariæ ana ℥j. In pulverem grossum redactis affund. vini absinthit. q. s. macerentur per triduum postea destill.*

Aqua Nephritica.

℞. *Sem. genistæ, petroselin. mil. Solis, dauci, fœnicul. anis. cerefol. saxifrag. pimpinel. nasturt. cochlear. cicer. rubr. ana ℥j. Comminuta macerentur in vini Hispanic. s. q. postea destillentur.*

Ex seminibus frigidis.

Aqua Cephalica.

℞. *Sem. papav. alb. ℥iij. portulac. ℥ij. lactuc. psyll. ana ℥j. Contusis affunde aq. rosar. lactuc. papaver. erratic. ana q. s. Mixta destillentur.*

Aqua Pectoralis.

℞. *Sem. quatuor. frigid. major. & minor. ana ℥j. papaver. alb. ℥jß. althææ, psyll. cytonior. card. mariæ, āā. ʒvj. Conquassatis affunde cremor. ptisanæ hordeaceæ q. s. destillentur.*

Aqua Hepatica.

℞. *Sem. frigid. major. & min. lactuc. endiv. cichor. cytonior. ana ℥j. Contusis affunde aq. cichor. & endiv. āā q. s. Mixta destillentur.*

Aqua Nephritica.

℞. *Sem. violar. lactuc. plantag. endiv. cichor. citri, portulac. 4. frigid. maj. & min. ana ℥j. Conquassata destillentur ex s. q. seri lact. caprin.*

Aquæ ex Fructibus.

Aqua Cordialis.

℞. *Succ. pomor. Borsdorff. ℔iij. cytonior. ℔ij. fragor. rubi Idæi, ribium. pyror. moschatell. granator. limon. cerasor. nigr. āā ℔j. Mixta destillentur ex vasis vitreis.*

Aqua Pectoralis.

℞. *Passul. min ℔jß. cubeb. ℔j. jujubar. sebesten, dactyllor. ficuum, siliqu. dulc. prun. de prunellis ana ℔ß. Conquassatis affunde aq. violar. rosar. endiv. portulac. ana q. s. Mixta destillentur igne forti ex arena.*

Aqua Nephritica.

℞. *Fruct. exsicc. cynosbat. ℔ß. cerasor. nigr. cum nucleis ℔j. alkekeng. amygdal. amar. nucleor. persicor. bacc. junip. ana lib. ß. Incisa & conquassata destillentur cum aq. betulæ q. s.*

Ex Aromatibus.

Aqua Cephalica.

℞. *Nuc. mosch. ℥ij. cubeb. cardam. macer. caryophyll. carpobalsami ana ℥j. acori veri ℥ij. cinamom. acutiss. ℥iv. Incisa & conquassata infunde in vini Malvat. s. q. Macerentur per triduum postea destillentur.*

Aqua Cordialis.

℞. *Cinnam. acutiss. ℥iv. cassia lignea ℥ij. macer. ℥j. caryoph. cardamom. cubeb. ana ʒvj. nuc. mosch. ʒvij. croc.*

croc. orient. veri ʒiij. Contusis affunde vini Malvat. q. s. Macerentur per triduum, postea destillentur. Addi potest ambra & moschus.

Aqua Stomachalis.

℞. *Nuc. mosc. caryophyll. zedoar. macer. galang. āā. ℥ß calam. aromat. ℥ij. piper. long. ʒiij. cinam. acutiss. ℥iv cubeb. cardam. ana ʒvj. Incisa & conquassata macerentur in vini Malvat. q. s. per triduum, postea destillentur.*

Aqua Epatica.

℞. *Acori veri, cinnam cassiæ lign. āā ℥ij. caryophyll. ℥ß. galang. zedoar. āā ʒvj spicæ Indicæ ℥ß. croci ʒvj. Comminutis affunde vini Rhenani opt. q. s. stent in digestione in MB. per triduum, deinde destillentur.*

Aqua Splenetica.

℞. *Cinnam. acutiss. ℥iij. zedoar. galang. acori veri āā ℥j. caryophyll. ʒiij. croci ʒij. Incisis & conquassatis affunde vini Rhenani Melissat. q. s. Destillentur.*

Ex Lignis & Corticibus.

Aqua Cephalica.

℞. *Lign. sassafras ℥vj. rhodij ℥vj. agallochi ℥ß. Contusa macerentur per septennium in s. q. vini Malvatici, postea destillentur.*

Aqua Epatica.

℞. *Lign. santal. rubr. ℥iv. citrin. alb. āā ℥j. rhodij ℥ß Comminutis affunde vini rubell. tenuis q. s. stent in digestione MB. per dies septem, deinde destillentur.*

Aqua Splenetica.

℞. *Cort. lign. fraxin. ℥iij. tamarisc. cappar. āā ℥ij. aurant. ℥ij. citri ʒvj. Macerentur in vino Chalybeato per dies septem, postea destillentur.*

Aqua Nephritica.

℞. *Rasur. lign. Nephrit. ℥iv. lign. sassafras, juniper. āā ℥ij. santal. rubr. ʒvj. Macerentur in vini Hispanic. q. s. per triduum, postea destillentur.*

Aqua contra Luem Veneream.

℞. *Lign. sancti rasi ℔j. cortic. lign. sanct. ℔ß. sassafras ℥vj. sars. parill. ℥ix. lign. rhodij ℥ij. santal. citrin. alb. āā ℥ß. cinnam. acutiss. ℥iv. Redigantur in pulverem grossum, affunde vini Hispan. q. s. Macerentur loco tepido per dies ix. postea destillentur.* Hæc Timæus.

Aquæ variæ è Pharmacopæa Bateana.

Aqua Aluminosa.

℞. *Alum. & ⊕ alb. āā commixt. coq. in vase ♁reo △ lento, donec indurescant Lapidis instar. Injice pulv. hujus coch. i, in ▽ bullientis ℔ij, donec solvitur, ac filtra. Ad Ulvera, vulnera, fistulas, &c. lavanda.*

Aqua Animalis.

℞ *♁ris equi non defat. gati rec. gl. bolos num. xij. misc. cum Leucœn. ℔viij. Adde Sem. fœnic. d. petrosel. āā. ℥ij. Theriac. Januer. s. ℔j polypod. qu. Rusci. Fol. hepat. āā. m. ij zz ℥iij. ℈a l. △ s. a. Dos. ad ℥iv. super sudando, in Pleurisi, Doloribus, Rheumatismo, &c.*

Aqua Antiphthisica.

℞. *Sang. vitul. rec. agitatione à fibris separati, ℔iij. Terebinth. Ven. ℥x. glyc. rec. ℔j. uv. pass. exacin. ℥xij. ficus ping. n. 100. Limac. hort. n. 70. Rad. irid rec. ℥vj. Fol. Tabaci Hispan. incis. ℥ j. micar. panis alb. ℔j. ℈a s. a. Dos. ℥ij. cum debita olei quantitate supernatante, omni manè cum Syr. Pectoral. per dies 15.*

Aqua Antiscorbutica.

℞. *Fol fumar. nasturt, aq. cochl. utriusque, becabung. āā m. xij. ling. cerv. cichor. pini, chamædr. prass. agrimon. Centaur. min. āā. m. x. absinth. Rom. Hepatic. āā. m. iij Rad bryon. ℥viij. filic. fœm. lapath. cort. dulcamar. fraxin. intern. āā. ℥vj. Sem. fraxini ℥jß. angel. ℥ß. contusis omnibus rec. adde V. Rhen. ℔vj. in quibus Chalib. limat. ℔j. vigecies extincta fuerit. exprime prelo & ℈a in MB (addendo Troch. de Cappar. pulverisator. ʒvj. luti & ℥iß,) ad mellaginem; quæ postea exhaletur ad consist. Extracti:* quod servetur pro *Extracto Antiscorbutico.* Bat.

Aqua Antiscorbutica.

℞. *Fol. Ari. cochlear. hort. nasturt. aquat. absinth. vulg. āā m. vj. cort. aurant. rec. ℥iv. n. m. ℥ij infunde per noct. in Cerevis. Brunsvicens. ℔viij. & ℈a s. a.* Miclethvv.

Aqua Arthritica. *vid.* Aqua omnium Florum.

Aqua Asthmatica. *vid.* Aqua Pectoralis.

Aqua Bechica.

℞. *Fol. heder. ter. tussilag. botryos, āā ℔iij. hyssop. rorism. puleg. marrub. āā ℔iß. Rad. enul. glyc. āā ℔iß. Irid. Fl. ℥xij. ficuum incis. ℔iij. croc. opt. sem. anis. fænic. d. āā. ℥ß. V ℔x. ▽ font. ℔48. macer. ac ℈a per vesicam ℔24. vel 30. pro Syr. Tolutano magistrali conficiendo.*

Aqua Benedicta.

℞. *♆ sonantis ℔j. cui affunde Hydropeg. bullientis ℔viij. Post complet. ebullit. & debitam residentiam filtra ad usum. Dos. ℥iij. vel iv. ter in die, vel pro potu com. per mensem. Multum facit in plurimis Casibus epota; sc. in Faciei Rubore, Pustulis, &c. In strumis, Asthmate, Phthisi, Empyemate, Dysenteria maligna, Tumoribus Scroti aquosis Profluvio albo, Arthritide vagâ, Ephelidibus. Herpete, Gangræna, œdemate, Tumoribus genuum & tibiarum, ulceribus omnibus cum affluxu humorum, &c. In Diabete curandâ opt. Remed.*

Aqua Benedicta comp.

℞. *Glyc. rec. ℥j. cort. sassafr. ℥ß. uv. pass. exacin. ℥vj. n. m. ʒvj. Aq. Bened. ℔vj. infund. in frig. dies ij. & f colat. Idem præstat cum priori, efficaciùs autem in aliquot Casibus.*

Aqua Camphorata.

℞. *⊕ Rom.* AB, *āā ℥iv. Camphor. ℥j. m. f. pulv. de quo projice ℥j. in ▽æ bullientis ℔v. amove ab igne, & subsidant fæces. Istâ aquâ tepidâ fove quævis ulcera & fluxiones omnes tollit: mundificat, siccat, roborat, dentes firmat, putredinem arcet, Ignem sacrum, & manus scabiosas curat. In Ophthalmia, Epiphora, &c. mira præstat.*

Aqua Caryophyllorum.

℞. *Fl. Caryoph. hort. rec. lib. ij. dactyl. lib. anis. glyc. āā ℥j. macer. in fæcum Vini lib. 24, & ℈a per XX lib. iv. quibus adde sacch. cand. ℥iv. & suspende in nodulo caryoph. aromat. n. 3. vel 4. cum Mosch. & Ambr. gris. āā. gr. v.*

Aqua Cephalica.

℞. *Rad. pæon. mar. ℥iv. angel. Valerian. āā ℥ß. caryophyllat. ℥j. Fol. salviæ rorism. beton. majoran. melis. Fl. lavend. beton. pæon. calend. salv. rorism. lil. convall. tiliæ āā, mi. stœch. ℥iß. ros. r. paralys. āā. m. ij Lign. rhod. sant. citr. āā. ℥vj. n. m. ℥iß. galang. ℥ß. cardamom. cubeb āā ʒiij. Infund. in vin. alb opt lib. xiv. dies x. deinde adde cinam. opt. lib. j. macer. per dies ij. & ℈a s. a. In capitis Intemperie, Cephalalgia, &c. Dos. coch. ij. Attrahe inter nares, fricentur optimè Tempora, loca pone aures, ore teneatur & auribus: Linteolum eâ intinctum muchæ adhibeatur. Plurimis levamen conciliavit, aliis incassum exhibitis.*

Aqua Cerasor. comp.

℞. *Ceras. n. cum. nucleis opt. contus. lib x. lactis rec. vaccæ rubræ cong. ij. Fol. violar. rubi, prunell. caprifol. āā. m. iv. ℈a s. a. Dos. lib ß. bis in die. In Tympanite curando Præstantiss. Remedium.*

Aqua

Aqua Chalybeata.

℞. Chalyb. limat. mund. ℥iv. V. alb. lib. iv. Insolentur ac agitentur quotidie ad nigredinem Vini, & ♂ discolorationem: dein adde f. agr. recent. leniter expres. lib. iv. sperm. ceti, rhab mumiæ, aa ʒß. ∂a ad siccum siccit. Dos. ℥iij. vel iv. bis in die, ad fistulas, præsertim urin. partium, Apostemata, hæmorrhoid. dolorem, mictionem purulentam Contusiones, sanguinem coagulatum, &c.

Aqua Chamæmeli comp.

℞. Fl. Chamæm. rec dupl flore m. xxx. incid. contund. & infund. in Aq. stil. è fol. Chamæm. lib. x. vin. Hispan. lib. xvj. hor. 24. exprime & infund. secunda vice Flor. rec. m. xx. In tertia expressione infund. Flor. rec. m. xij. addendo flaved. cort. aurant. rec. ij Fol. abs. pont. centaur. puleg. orig. ana m. ijß. Sem. aneth. ʒij. anis. fænic. carvi, cumin. cardui ben. card. Mariæ ana ʒiß. Bac. laur. junip. ana ʒß. n. m. ʒiij. post macerationem debitam ∂a s. a. In flatu, Colica, Calculo, Mensibus obstructis, &c.

Aqua Cinamomi Cardiaca.

℞. Succ. borrag. residentiâ depurat. lib. xxiv. Fl. caryoph. simp. flore (sc. Pinkes*) m. ix. croc. ℈ij. cinam. opt. lib. ß. Fl. borrag. m. iv. ∂a s. a. in* MB. *In Syncope, Animi deliquio, &c. Insignis.*

Aqua Cinamomi Hordeata.

℞. Aq. Hordei depurat. lib. viij. Cinam. opt ℥xij. macera ac ∂a s. a. in MB. *Cum ana Oxym. Scillit. cochleatim sumpta mirificè prodesse solet in Asthmate.*

Aqua Cordium Comp.

℞. Corda vituli valdè recentia per frusta sect. nu. vj. micæ panis à lacte vaccino inebriatæ lib. ▽Ros. Dam. ▽ fl. aurant. ana lib. j. mala citria incisa num. 3. cinam. ℥iv. macis ℥j. Gelat. c. c. cum V. alb. fact. lib. iv sanguin. Agni, Vituli, à fibris purgat. ana lib ij V. Hispan. lib. iij. ∂a s. a. In virium dejectione mirâ præstat.

Aqua Cosmetica.

℞. Pedes Vitulin. confractos n. vj Leptopityri ℥vj. pulveris myrrh. ℥ivß. œnogalact. ℔vj. ∂a s. a. Cum istâ facies abluatur, perfricando aluminis frustô lævigato.

Aqua Crinalis.

℞. Muscar. vivent. ℥iv. mel. ℔j. lactis ℔ij. ∂a. s. a. Præterquam quod in Alopecia mirè prodest, in surditate etiam valet auribus instillata.

Aqua Cucumerum comp.

℞. Succ. cucumer. hort ℔iv. vin. alb. ℔vj. Thecar. fabar. ℔iß. Fol. cum radic. ononid ℔j. Bac. junip. ℥vj. n. m. nu xxj. Sem. petrosel. ℥iv. Saxifrag. alb. ℥iß. Fl. genist. m. viij. sambuc. lamij. alb. aa m. vj. ∂a s. a. ad siccitatem. Dos. ℥ij. omni mane, præmissis pil. ex terebinth. Cypr. in calculo & arenulis expellendis.

Aqua Cynosbati comp.

℞. Fruct Cynorrh. cum sem. contus. ℥vj. Sem. raphan. ℥ß. petrosel. ℥j. saxifrag. ℥j. Rad. saxifrag. alb. ℥j. glyc. ℥iij. alth. ℥vj. seri lactis ℔x. ∂a. s. a. Dos. ℥iv. bis in die cum Syr. de Alth. & de portulac. præmiss. cons. cynosbati.

Aqua Digitalis.

℞. Fol. Digitalis rec. ℥xij. glyc. ℥iv. anis. ℥ij. cerevis. fort. lib. xij. fermenta dies 19 ac ∂a s. a. Antasthmatica insignis est: & optimè valet ad promovendam expectorationem. Dos. Cochl. aliquot sæpe.

Aqua Embryonum.

℞. Rad. eryng. rec. lib. j. dactyl. lib. ß. amygd. dulc. non decort. ℥iv. contus. in pulp. adde. n. m. ℥iij. mac. ʒß. ʒß. Aq. cinam. hordeat. lib. iß. vin. Hispan. Aq. Melis. aa lib. ij. ∂a s. a. Dos. ℥ij. ter in die cum sacch perlat. præmis. elect. ex cons. ros. r. garyoph. n. m. condit. pul. ebor. margarit. &c.

Aqua Epidemica.

℞. Fol. chelidon. rorism. rutæ, salv. artemis. abs. ana gal. dracont. scabios. agrim. melis. scord. centaur. min. card. b. beton. roris sol. ana m ij Rad angel. torment. gentian. zed. glyc. ana ℥j. macer, in Vin. alb. lib. viij. dies ij. dein ∂a s. a.

Aqua Febrifuga.

℞. Summit. centaur. min. m. viij abs. vulg parthen. pentaphyll. calend tormentil. nicotian. virid. acetos. card. b. dracont. chamæm chamædr. ana m. vj. taraxac. m. xij. contus. adde Leucœn lib. iv & ∂a, & ▽æ ∂atæ novis affusis herbis macer. ac ∂a ad siccit In ▽ ∂at. infund. Rad. fraxinel. torment. ana ℥iv Sem citr, cardu ben. card. Mariæ, acetos. ana ℥ij Fol. scord galeg ana m iv. ∂a s. a.

Aqua Formicarum.

℞. Formicar. major. (Maio vel Jun. collect.) lib. melis lib. ij hydropeg lib j. ∂a s. a. Dos. coch. j. vomitum ciet & curat febres Tertianas.

Aqua Fortis Duplex.

℞. Fit ex ⦶ *&* 🜔 *ana, per* ♉ *∂atis s. a. Solvit* ☽ & ♀.

Aqua Fortis Aluminata.

℞. O *calcin.* ⦶, *ana lib. j.* 🜔 *lib. ß. ∂a s. a.*

Aqua Herpetica.

℞. O *℥j.* 🜔 *alb. ℥ij.* ✝ *opt. lib. j. Rad. Enul. rec. ℥iij. Fol. virid. Nicotian. m j. coq ad. cons. tertiæ part. colat. adde* 🜔 *ust. ʒß. Cum istius q. s. pannis madefactis herpetem permitte siccescere, quater sc. dum Eschara adnata nova cuticula adnascitur.*

Aqua Hirundinum.

℞. Hirundin. vivent. n. 40. castor. ℥j. Vin. alb. lib. iij. ∂a. Ad Epilepsiam curandam optimè valet.

Aqua Hormini comp.

℞. Fol. Hormin. rec. contus m. xij V lib. ij. ∂a ad siccitat. ▽æ ∂atæ affund. rec. fol. horm. m x. Fl. Lamij m. vj. & ∂a secunda vice repet. affusio & ∂atio tertiâ vice cum rec. flor. & herbis, addendo n. m. ℥j. Liquor ∂ans ultimâ vice excipiatur supra sacch alb. ℥vj. ambr. gris. in petia suspens. gr iij. intra phialam. In abortu præcavendo (apud Mulierculas) multum facit. Profluvio albo subvenit.

Aqua Hungarica.

℞. Fl rorism. rec. lib. Alcoch. V. lib. iij macer. ac ∂a s. a. Confert ad Arthritidem vagam & Ischiadem. Detur Coch. j. bis in septimanâ. Facies & pars affecta quotidie lavetur. Attrahe in nares, &c. v. usus Aqua Cephalica. De ea jam etiam supra.

Aqua Lactis Alexiteria.

℞. Fol. ulmar. card. b. galeg. ana m. vj. menth. abs. com. ana m. v. rutæ m. iij. angel. m. ij. contus. adde lact. rec. cong. iij. ∂a cem. organis.

Aqua Lactis Cardiaca.

℞. Pomor. redolent. cum cort. & sem. lib. xij. Fol. melis. Scord. ana m. x. Rad. zed. Tormentil. ana ℥viij. lactis rec. lib. x. ∂a s. a.

Aqua Lactis Nephritica.

℞. Fol. alth. parietar. aparin. ana m. 4. Rad. alth. ℥xij. glyc. ℥iij. Saxifrag. alb. ℥iv. lact. rec. lib. xij. ∂a s. a. Aliter. ℞. Albumina ovorum cum testis suis (demptis vitellis) nu. 24. contusis optimè & agitatis adde lact. rec. lib. viij. ∂a lentis. igne s. a. Dos. lib. ß. omni manè per dies 15. vel 20. & præterea semel vel bis in mense per dies 2 vel 3. continuos circa plenilunium & novilunium.

Aqua Lactis Pectoralis.

℞. Limac. hort. contus. lib j. sang. porcin. lib. ij. cap. & heder. terr. ana m. iij. ling. cervin. m. ij. glyc. anis. ana ℥ij. jujub. uv. pass. ana ℥iv. lact. rec. lib. xij. ∂a s. a. Pulmonica, Phthisica, ad Tabem, &c.

Aqua

Aqua Lactis Scorbutica.

℞. *Cochlear. mar. sedi major. āā m. xij. becabung. gramin. nasturt. aquat. āā m. vj. charefol. m. 4. lact. rec.* ℔ *xij* 🜍*a s. a.*

Aqua Lamij comp.

℞. *Fl. Lamij alb. m. x. consolid. maj. m. viij. hormin. m. 4. dactyl. nu. 24. n. m.* ℥*iij. cass. lign.* ℥*j. œnogalact.* ℔*xij.* 🜍*a ad siccit. Usus in Profluvio albo, &c. Dos.* ℥*iv. pro vice.*

Aqua Melluminata.

℞. *Fol. querc. lanceol. rubi, fragar. pentaphyll. bugul. millefol. periclymen. salv. rorism. ros. r. āā m. ij. Scob. guajac.* ℥*iv. Rhodij* ℥*ij. Radic. bistort.* ℥*j.* 🜔 *viv.* ℥*iß.* 🜕 ℥*j.* ☉ ℥*iv. mell.* ℔*ß. coq. in* 🜄 *fluent.* ℔*viij. ad consump. dimid. f. colat. fæce depositâ servabitur per annum totum. Cum Ol.* 🜔*ris, ad ulcera oris, & gingivarum: Cum Flor.* ☽*i, ad Pustulas, optimum Remedium.*

Aqua Mercurialis.

℞. *Rad. lilior. alb.* ℨ*ij. coq. in Hydropeg q. s. ad* ℔*j. colat. adde amygd. amar. excort.* ℨ*ij. f. emulsio. In ista solve in Mortar.* ☿ ℨ*ij f. Aqua Albissima s. a. Ad faciei ruborem, pustulas, &c. Curand. certissima Aqua. Tange loca sæpe cum gutta minutissima, statim exiccando cum linteolo.*

Aqua Odorifera.

℞. *Poma limon. & aurant. rec. āā nu. vj. Rad. irid. Florent santal. alb. cinnam. āā* ℥*ij macis, Caryoph. āā* ℨ*vj. Fl. lavendul. m. iv. Chamæmel. Rom. anthûs, āā m. ij. Fol. Majoran. m. ij. Ocim. m. iij. Styrac. calam.* ℨ*iij. benzoin.* ℨ*v. Fl. Ros. Dam. m. xv. Cyperi rot.* ℥*ß.* 🜄 *ont.* ℔*xxx.* 🜍*a in* 🝪 *s. a. Reserventur aquæ primo* 🜍*atæ* ℔*xv. cujus singulis libris adde (in nodulo ligat.) Mosch. opt. gr. ij.*

Aqua Omnium Florum.

℞. *Fit ex stercore Vaccino Maio collect. cum Lucœni tertia parte* 🜍*ato. vel, ex sterc. vaccin. rec. & limac. cum testis contusis, āā, com. organis* 🜍*atis. Dicitur hæc Aqua Arthritica. Arthritidi vagæ, Rheumatismo, Calculo, urinæ suppressæ, &c. maximè proficua. Dos.* ℥*iv. pro vice.*

Aqua Ophthalmica.

℞. *Fit ex Aq. è gum. Guajaci (quæ fit per* 🜿 △*e moderato cinerum cum pulvere laterum, separando* 🜅*m & rectificando* 🜄*m:) cum* 🜄 *Ros. alb. mixtâ s. a. In morbis oculorum optimum Remedium.*

Aqua Ophthalm. Sapphirina.

℞. *Fit ex* 🜄 ♆ ℔*j.* * ℥*iij. solutis invicem, in pelvi ænea maceratis, donec colorem sapphirinum acquirant. filtra ad usum. Morbis oculorum variis subvenit; guttis 3 vel 4 pro vice in oculos instillatis, Omnibus ulceribus, fluxionibus, pustulis, suffusionibus, &c. Medetur.* De ea jam suprà.

Aqua Pectoralis.

℞. *Rad Helen. aristol. rot. āā* ℥*ij. irid. nr.* ℥*iß. irid. Florent. Petroselin. fœnic. glyc. āā* ℥*j. Fol. Nicotian. virid. m iv. scabios. Veron. tussilag. Hyssop. marrub. cap.* ♀*, card. ben. āā m. j jujub. sebest. āā nu. 30. caric. dactyl. āā nu. 16. Sem. nicotian.* ℨ*iij. nigell.* ℨ*j lini, urtic. nasturt. sinap. āā* ℨ*ij. bacc. lauri,* ℨ*vj. guajac. pul.* ℥*viij. Tereb. ven. (in Vitellis ovor. solut.)* ℥*ijß. Leucœn.* ℔*xvj. macer. dies 3, &* 🜍*a s. a. inter* 🜍*andum milleped. contus. nu. 60. in petia ligat. suspendendo in Receptaculo. Egregij est usus in Asthmate, Dyspnœa, Tussi, in Tartaro pulmonum & renum, &c. Dos.* ℥*ij. bis vel ter in die extra paroxysmum.*

Aqua Persicariæ comp.

℞. *Persicar. maculos. rec. lib. iij. pariet. portulac. thecar. fabar. āā lib. j. contus. adde lact. rec. lib. viij.* 🜍*a s. a. Arcanum magnum habetur in calculo renum ac vesicæ. Dos.* ℥*iv. bis in dies cum melle per dies 20. continuos.*

Aqua Picarum comp.

℞. *Pullos picar. nu. 6. Sterc. albis. de Pavon. mar. lib. ß. Visci querc. veri, Rad. pœon. mar. ana* ℥*iv. Flor. primulæ veris rec. lib. j. Vin. alb. & Hispan. ana lib. v. Infund. ac* 🜍*a s. a. Dos* ℥*iv. manè & vesperi ultimis diebus ante plenilunium & novilunium. Insigne Remedium in Epilepsia.*

Aqua Pneumonica.

℞. *Fol. Peti opt. nonconvolut. cort. extern. aurant. ana* ℥*iv. cort. Winter.* ℨ*vj. anis.* ℥*jß. V. Hispan. lib. vj.* 🜄 *lib. macera, ac* 🜍*a organis vitreis. In dolore Colico, Stomachi cruciatibus, inappetentia, &c. Medela probatissima. Dos. coch. j. ante cibum.*

Aqua Prolifica.

℞. *Sem. Angelic. decort. lib. iß. fœnic. d. glyc. ana* ℥*iv. uvar. pass. exacinat. lib. j. Fol. artemis. meliss. ana m. iv. card. puleg. ana m. ij. Sem. amomi* ℥*iv. œnogalact. lib. xij.* 🜍*a s. a. Dos.* ℥*iv. (præmissis præmittendis) cum Tinctur. Juniper* ℨ*j, & Syr. è succo Salv. Coch. 2. manè & hora somni, præmissis Sem. sesel. pulv.* ℈*ij. cum Rhodosacchar.*

Aqua Regia.

℞. *Fit ex* ⊕ *&* *, *ana, ex* 🜿 *vitrea satis ampla in* ∴ *posita, per secundum* 🜄*is gradum* 🜍*atis s. a.* Solvit ☉.

Aqua Salivalis.

℞. ☿*, Theriac. Androm. zed. Cinnam. ana* ℨ*ij. troc.* ℨ*ß.* 🜄 *ont. lib. Infund. per aliquot dies.*

Aqua Sarsæ comp.

℞. *Sarsapar. chinæ nodos. ana* ℥*xij. lign. guajac. lib. ij. cort. ejusdem, Sassafr. ana* ℥*iv. santal. alb. sem. coriandr. ana* ℥*iß. glyc.* ℥*iv. V. alb. lib. xxiv. Aq. Hord. lib. xvj.* 🜍*a post macerat. debit. per vesicam lib. xxiv. servando* 🜄*am f. colat. quæ exhaletur in* MB. *ad consist.* Extracti *s. a.*

Aqua Senelorum comp.

℞. *Senelor. matur. à stipt. liberat. cong. ij. contusis opt. adde Rad. alth. glyc. āā* ℥*viij. ononid.* ℥*iij. Fol. parietar. Bacc. halicacab. āā* ℥*xij. menth. m. ij. Sem. dauci com.* ℥*iv. coriand.* ℥*ij. Neogalact.* ℔*xij.* 🜍*a s. a. Dos.* ℥*iv. cum Syr. de Alth. &c. In calculo multis auxilio fuit.*

Aqua Siphylica.

℞. *Scobis guajac.* ℔*iß. cerevis. meracæ rec.* ℔*ij. macer. ad cineres trib. dieb. & destill. ad siccitatem. Dosis* ℥*j. in liquore convenienti.* Ad Luem Veneream.

Aqua Styptica.

℞. *Colcothar. alumin. usti, sacchar. cand. āā* ℨ*j. urinæ juvenis, aq. rosar. rubr. ana* ℥*j. aq. plantag.* ℥*iv. Digere ac filtra ad usum.*

Aqua Tussilaginis composita.

℞. *Herb. gerrard. hyssop. āā* ℥*viij. Flor. tussilagin.* ℨ*xxiv. glyc.* ℥*iv. anis.* ℥*iij. uvar. passar.* ℔*j. cerevis. fortiss.* ℔*xij. Destilla s. a. In Pleuritide, Empyemate, &c.* valet.

Aqua Venustatis.

℞. *Aq. menth.* ℔*j. sal. commun. puriss.* ℥*iß. coq. & despuma. Pro facie abluenda per variolas. Tollit furfuracea & pruritum.*

Aqua Vermifuga.

℞. *Merc. crud. rectè purgat.* ℥*j. aq. gram. portulac. ana* ℥*iv. macer. duab. horis, sæpè ac fortiter agitando, postea decanta aquam & cola, in vase mercurio. Dentur cochlear. iij. ter in die.*

Aqua Vulneraria.

℞. *Vitriol. opt.* ℥*ß. nitri puriss.* ℥*ij. impone aq. fontan. congios. vj. per se maneant horis 48. Syphone sine subsidentis materiæ agitatione extrahe. Dosis* ℔*ß. vel* ℔*j. bis vel ter in die.*

Citissimam efficit curam vulnerum aut ulcerum. *K. Dygby Eq. Aurat.*

Aquæ variæ è Goddardio.

Aqua Absinthii comp.

♃. *Cort.extern.rec.limon.lib.iß.aurant.lib.j.Summit. absinth.sicc.cort.Winteran.ana lib.ß. Flo. chamæmel ℥iv. Cardamom.min. in capsulis, caryoph. cubebar. schœnanth. ana ℥j.cinnamom.nuc.m.Sem.carvi ana ʒij. Sp.vini,cong. iß. Aq.font. (vel.aq.absinth.secundâ ex aquâ fæcibus affus. ∂lat.) cong. ivß. Infund.per 3 dies, & dein ∂la in MB. ad siccitatem.*

Aqua Alexiteria.

♃. *Bacc.Junip.lib.iij.zed.myrrh.sem. angel. ana ℥ix. Dictamn.Cret. rad. serpentar. Virg. ana ℥vi croc. ℥iß. Sp vini, cong.iiß. Aq Proalexit cong.ivß. Infund. calidè per dies 3 dein ∂la in MB, ad siccitat. alexiter.secundâ ex fæcibus cum aqua simp. & postea Aq. Alexiter. part. æq. admisc.*

Aqua Chamæmeli comp.

♃. *Summit. Absinth. ℥viij. Fl.chamæmel. N. M.ana lib j. Sp.vin.cong.j. Aq.simp.cong.vj. Infund.per dies 3 & ∂la in MB ad siccitatem.*

Aqua Cochleariæ comp.

♃. *Cochlear.hort.modios iij.vel lib.xxx. Rad.raphan. rustic.in taleolas ten.incis.lib.vi. Aq. simp.cong. iij. Infund.calidè per hor.24. & ∂la ad extract.cong.iij. Aquæ.*

Aqua Cordialis.

♃. *Cort.ext.rec. limon.℥iv. aurant. ℥iij. cinnam. ℥ij. nuc.m.macis,calam.arom. coriand ana ℥j. cubeb.ʒvi. caryoph.Sem.carvi,cardamom.in capsulis, ana ℥ß. croc.ʒij. Sp.vin.lib.vj. Aq font.lib.xij. Infund.ac ∂la s. a.*

Aqua Lenitiva.

♃. *Ficuum, Rad. Alth.ana lib.ij.glyc. irid. Flor. ana lib.j. Fl.sambuc.sicc. ℥iij. Infund.in Aq.font. cong. v. & adde styrac.cal.℥iij nuc.m.℥ij. Sem.anis fœnic.d.ana ℥ß. in sp.vin. lib.vj.infusorum. Ol. amygd. amar. ℥vj. Diger. & ∂la in Alemb. s. a.*

Aqua Pectoralis.

♃. *Ficuum lib.vj. Rad.enul.glyc.ana lib.iij.irid.Flor. lib.jß. Sem.anis fœnic.d.ana ℥j.sp.v.cong.ijß. Aquæ Propectoralis (vel Aq.s. & postea A. Propector.æq.part. admiscend.) cong.ivß.Infund calidè per dies iij. & dein ∂la ad siccitatem.*

Aqua Propectoralis.

♃. *Botryos, tussilag. heder. terr.ãã ℔vj. marrubij.puleg.hyssop.rorismar.ãã ℔iij. Aq.s.cong.xij. Infund.calidè per dies iij, & dein ∂lentur in Alemb. s. a.*

Aqua Proalexiteria.

♃. *Jugland. virid. ℔xxxv, vel num. 400. Rad. rec. Petasit. ℔xij. Imperator ℔iv. Valerian. Helen. Flor. rec. calendul. Herb.rec.scord.melis.centaur.min.ãã ℔vj. absinth. rutæ, ãã ℔iß. Aq. simp. cong. xviij. Infund. calide per dies iij, & dein ∂lentur in Alemb. cum rostro spirali ad omnimodam virium extractionem, cavendo ab empyreumate.*

Aq. cong. xij. minimum, } Prodeant.
cong. xv. plurimum, }

Aquæ variæ è Thesauro Freder. Hoffmann.

Aqua Apoplectica D. H.

♃. *Fl primul.veris ℔j lavendul stœchad. A. ana ℥j. tiliæ,bugloss.ãã ℥jß.anthos.Nenuphar.ãã ℥ß. Radic.pæon. recent.caryophyllat.irid Fl ãã ℥j. Galang. caryophyll. ana ʒij. croci Or. ʒj Pom.citri rec.num.ij.rasur.ligni Sassafras ℥iß. Herb.majoran. rorismarin. ãã m.ij. Semin. fœnicul. basilic coriandr.cardamom.ãã ʒiij.Incis. & contus. grosso modo affunde. aq.rorismarin.Vini generosi ana ℔iv. Vase clauso digerantur per 3. ☍. Postmodum adde succi recenter expressi ex fol. Salviæ. Melissæ ãã ℥vj. Spir. vini ℔iv. Denuo per 2. ☍ digerantur & destill. in MB ad siccitatem.fiat semel cohobatio hinc per se in B. Aqua destilletur, seu rectificetur destillando ad tres partes & inserendo rostro alembici Moschi. el. ambræ grys. ana gr.v. quarta parte relictâ. Tandem omnia in vitro optimè clauso ad usum reserventur.*

Vires, Usus, Dosis. Hæc Aqua Apoplectica admirandæ est virtutis ad cerebrum & nervosum genus confortandum. Ab apoplexiâ & paralysi præservat, & ab aliis capitis affectibus à dyscrasiâ frigidâ ortis, sive internè sumatur, sive extrà applicetur. Dos. coch. j. ad ij. vel iij.

Aqua Apoplectica P. H. D.

♃. *Fl. Lil.convall.℔vj.Vini generos.mensur.v.destilla in B. Aquam destillatam infunde super fl. Lavendul. anthos.stœchad.Arabic. Salviæ, tiliæ, primul. veris. betonic. ana m.iij.radic.pæon.rec.caryophyllat.rec. ana ℥iij. herb. rutæ.m.j.majoran.basilic.ana m iv. Sem erucæ.ʒiij.nigell. cubeb.ana ℥jß.macis.nuc.moschat.caryophyll.ana ℥j.bacc.lauri.℥ß. Vini generos.mensur. iij. Stent in digestione per 8. ☍, postmodum adde Aq.Lil convall. suprà nominatam, destilla per XX. Aquam divide in duas p. æq. Unam reserva pro usu & S. Aqua Apoplectica s.Castoreo. Alteram rectifica super castorei ℥j. in B. & S.Aqua Apoplectica c. castoreo.*

Alia Anti-Apoplectica. H.

♃. *Fl. Lavendul.anthos.pœoniæ ana m.iij.lil.convall. m.iv. primul. veris. cheiri. ana m. ij. cinamom.el. caryophyll.ana ℥ij. nuc mosch.℥j.macis.galang. Lign. aloës, cubeb.cardamom.ana ℥ß.cortic.citri. aurantior. Scyllæ ana ʒij. Aq.Ceras.nigr Sonchi ana ℔ij. vini Rhen. ℔vj. Spirit.Vini Rhenan.℔iv. destill.in MB.*

Aqua Ant-epileptica D. R.

♃. *Fl. Lil.convall. ℥viij. paralys. ℥iij infunde in vini Rhenan.s.q. Stent infusa per integram septimanam in vase stricti orificij loco calido, deindè lento igne destilla per vesicam. Rec. hujus destillat.s q.adde Aq.rosar.fr. cerasor fragor. Melissarum vino destillat.ana ℔j. Vini Malvatic. Spir. vin. ana ℔jß. Misce.infunde & s. a. destilla, huic destillato adde, Cinamom.el.nuc.moschat.ana ℥j. Piper.long.cardamom.cubebar.caryophyll ana ʒvj. Sem.fœnicul.℥iß.radic.pœon.recent. ℥j. fl. lavendul. rorismarin. pœon. Stœchad. Arab.ana ℥j. h paralys. ℥ij ʒij. Stent in infusione per ☍, postea destilla per serpentem, & pro usu repone.*

Vires, Usus, Dosis. Adhibetur contra Epilepsiam, vertiginem, lethargum, spasmum &c. tam in ipso, quàm extrà paroxysmum in omni humidâ & frigidâ aëris intemperie. Dosis est à cochl. j. ad ij.

Aqua Arthritica D. C.

♃. *Calam. aromatic. galang. cyper. rotund. costi aromatic pyrethri ana ʒvj. zinziber. ℥ß. h. rorismarin ℥j. salviæ ʒvj. Majoran. ℥ß. fl. chamomill. R. ʒvj Stœchad. A. thymi ana ℥ß. nuc. moschat. ℥ij. Bacc. juniperi m. j. grosso modo contusis adde sp. vini Rhenan. ℔iv. macerentur per 4 ☍ & destilla ex MB ad siccitatem.*

Vires, Usus & Dosis. Frigidis articulorum affectibus medetur, nervos roborat, crassos & viscidos humores musculoso generi & juncturis impactos attenuat, discutit & resolvit. Usus ejus est tam internus quàm externus in arthritide, paralysi &c. Dosis coch. j. vel ij.

Aqua Arthritica alia P. H. D.

℞. *Acervi formicarum num. j. affunde vini opt. mensur. xij. destillaſ. a. Posteà: Rec. Ciner. abietis. m. iv. bac. juniperi ℔ß. fl. calendul. m. vj. betonic. ſambuc. ſummit. arbor. vitæ. fol. lauri. ſalviæ. roriſ. Ivæ arthetic. ana m. iv. Cubebar. ℥iij. destilla iterum, posteà infunde radic. pyrethri ℥iij. ſtent in digeſtione & filtra.*

Aqua Arthritica alia D. L. M.

℞. *Thuris. maſtich. myrrh. bdellii. ammoniac. opoponac. mumiæ. alumin. Sal. ammoniac. āā ℥j. tartari ℥jß. bacc. lauri, juniperi āā ʒv. ⊖ol. Rom. ℔ij. ſp. vini ℔viij. juniperi ℔ij. digere triduo & deſtilla per ∴. cum duobus cohobiis: deſtillato adde, caſtorei ℥ß. camphor. ℈iv. ſp. ⊖lis: ℥vj. M.*

Vires & Uſus. Dolorem arthriticum compeſcit cum petiis externè applicata.

Aqua ad Ariduras.

℞. *Semin. Urtic. minor. ℔ß. raphan. ſylv. in taleol. ſect. ℔¼. radic. ari piper. long. āā ℔ij. affunde vini malvatici vel Rhen. opt. q. ſ. digere per 14 ☍, quotidiè bis & ter agitando, deſtilla per XX & ſerva.*

Vires & Uſus. Linteo in hâc aqua madefacto arida membra ad calorem bis vel ter in die fortiter frica.

Aqua Aſthmatica. D. P.

℞. *Radic. Enul. tuſſilagin. āā ℥ß. gentian. ʒiij. caryophyll. zinziber. āā ʒij. bacc. Lauri excorticat. gran. juniperi āā ʒijß. cinamom. el. cardamom. āā ℥ij. h. Salv. majoran. hyſſop. marrub. rad. irid. Fl. liquirit. uvar. paſſ. carn. dactyl. amygd. dulc. pinear āā ʒiij. ſcyllæ. ℥ß. pulmon. vulp. ʒijß. ſem. fœnicul. ʒij. caricar. n. iv. mell. opt. ℥j. Sacchar. ℥xviij. Contunde omnia & infunde in Vini Malvatic. ℔ij. Aq. vit. opt. ℔iv. Stent in infuſione per aliquot ☍ in loco tepido vitro benè clauſo, poſtmodum deſtilla ſ. a.*

Aqua Aſthmatica alia D. R.

℞. *Radic. enul. tuſſilagin. Scillæ āā ℥ß. radic. ireos. liquirit. gentian. cinamom. cardamom. āā ʒj. fol. ſalviæ. majoran. hyſſop. marrub. āā m. ij. dactylor. jujub. Sebeſten. amygdal. dulc. excortic. āā ʒiij. Pulmon. vulpis n. ij. Semin. fœnicul. ʒij. urtic. ʒiij. Caricar. nu. xiv. mellis ℥j. Sacchari ℥iß. vini malvat. ℔v. ∇ ℔i℥. deſtilla ſ. a.*

Alia pro D. S. B.

℞. *Radic. enulæ, tuſſilagin. āā ℥ß. ireos Fl. glycyrrhiz. āā ʒij. Scyllæ ℥ß. ficuum ℥j. bacc. Lauri juniperi alkekeng. dactyl. pinear. amygdal. dulc. jujub. ſebeſten. prunor. dulc. pulmon. vulp. āā ʒij. h. Salviæ. hyſſop. āā m. j. ß. zinziber. caryophyll. cinamom. cardamom. āā ʒij. mellis deſpumat. ℥iij. Sp. vini aniſat. ℔iv. Vini malvatic. vel Hiſpan. ℔v. Stent in infuſ. per diem, deinde deſtilla in MB. f. Aqua, cui adde Moſchi in ſyndon. ligati ℈ß. Julepi roſarum vel Violarum ℥ix.*

N. Non adeò accurata eſt præcedentium trium Aquarum Aſthmaticarum compoſitio, Medicorum quorundam Noſtri ſeculi ob variorum ingredientium, utpote radic. tuſſilagin. liquirit. uvar. paſſar. dactyl. amygd. dulc. pinear. Pulm. vulp. caricar. Mell. Sacchar. jujub. ſebeſten. prunor. &c. deſtillationi ineptorum admixtionem; ideóque, ut harum elaboratio fiat concinnior & elegantior, ſolum ex balſamicis nec non ſpirituoſis volatilibus, omiſſis jam adductis, additio ſpiritu vini Aqua ſpirituoſa elicienda eſt; cui poſtea Saccharum, Mel, Syrup. de jujub. Sebeſt. Lohoch de paſſul. dactyl. item emulſiones amygdal. d. vel pinear. &c. addi poſſunt.

Vires, Uſus & Doſis. Aſthma ex craſſis & viſcidis humoribus bronchias pulmonum obſidentibus ortum tollunt, & pulmonibus liberiorem reſpirationem conciliant. Unde anheloſi, five aſthmatici ſenes ſibi habeant recommendatos; Doſis cochl. j. vel ij. tam in paroxyſmo quàm extrà paroxyſmum.

Aqua contrà Catarrhos.

℞. *Summit. Serpilli campeſtr. recent. ſtatim in primo ejus flore q. v. affunde Vini Malvatici q. ſ. ut tres emineat digitos, inſolentur in cucurbitâ capaci firmiter clauſâ per 14. dies aut circiter, tunc deſtilla, deſtillatum affundatur recentibus ſummitatibus, iterumque ut antea ad Solem digerantur, aut deſtillentur, tandem in quamlibet libram aquæ hujus infunde raſur. ligni Saſſafras ℥ß. tempore uſus per inclinationem ſepara q. ſ.*

Vires, Uſus, Doſis. Valet in quovis catarrho, præſervat ab apoplexiâ, epilepſiâ, paralyſi, &c. Doſis cochl. j. veſperi, quando catarrhi moventur.

Aqua Cephalica interna D. P. H.

℞. *Fl. lil. convall. m. viij. affunde Vini Rhen. lib. ij. ſtent per 13 ☍, poſtea adde fl. pœon. m. iij. iterum ſtent per 3 ☍, poſteà in MB. deſtilla, in deſtillatò infunde fl. lavendul. anthos. ſtœchad. Arabic. ana m. j. caryophyll. ʒij. nuc. moſchat. ʒjß. cubebar. ʒj. radic. pœon. rec. ℥j. Stent in infuſione, poſtea deſtilla, & deſtillato adde Ceraſ. n. ſylveſtr. enucleator. contuſ. m. j.*

Vires, Uſus, Doſis. In Hemicraniâ, cephalalgiâ, defluxionibus ex frigidâ cauſâ ortis conducit, Doſ. cochl. j. vel ij. veſpertino tempore.

Aqua Cephalica externa P. H. D.

℞. *Fl. lil. convall. ſambuc. roſ. alb. āā m. vj. lavendul. m. ij. fol. Solani m. iß. Salicis. m. iv. hyoſcyam. m. ij. capit. papav. n. xx. camphor. ʒj. cum aq. ſ. deſtilla, & reſerva Uſui.*

Aqua Ocularis D. V. S.

℞. *Radic. ir. Fl. caryophyllat. āā ℥j. valerian min. ℥ß. pœon. rec. ʒiij. fol. thym. ſerpilli. citri ana m. iij. Pulegii m. jß. fl. roſ. r. m. ij. borrag. bugloſſ. roriſm. lil. convall. āā m. j℥. Sem. Siler. montan. paſtinac. ſylv. ana ℥j. ocym. ʒij. fœnicul. ℥j. nuc. moſch. ℥iß. macis ℥j. cubebar. ℥ß. cardamom. ℥iß. cinamom. ʒvj. Aq. vitæ ℥v. nuc. moſch. lavendul. ſ. v. ana ℥iv. Vini malvatici lib. j. Deſtilla in MB. adde moſchiel. ambræ gryſ. ana gr. iij. julep. roſar. ℥iv. ſtent per 8 ☍. deinde ſepara.*

Alia Aqua Ocularis ejuſdem.

℞. *Radic. ir. Fl. pœon. rec. calam. arom. āā ℥ij. h. Betonic. euphraſ. verben. chelidon. ſalviæ. fl. roriſm. cyani, lil. convall. tiliæ, primul. veris. lavendul. ana m. j. ſpic. indic. ℥ß. Sem. fœnicul. aniſ. carvi, ſiler. montan. pœon. coriandr. āā ʒvj. macis, caryophyll. cortic. citri āā ʒiij. Benzoi, caſtorei ana ʒij. ſp. vini lib. ij. vini malvat. vel Hiſpanic lib. vj. ſtent in vitro benè clauſo per 3 ☍ loco calido, adde Aq. euphrag. betonic. ſalviæ. meliſſ. ana ℥iijß. tiliæ, convall. pœon. ceraſ. n. ana ℥ijß. M. & deſtilla in MB.*

Vires, Uſus, Doſis. In omnibus oculorum affectibus à quacunque cauſâ ortis ob vim ſpecificam ophthalmicam hæ aquæ commendantur. Doſ. cochl. j. vel ij. mane & veſperi.

Aqua Hypnotica ejuſdem.

℞. *Radic. cichor. m. j. caryophyllat. ℥ij fol. betonic. m. ij. fl. roſ. r. violar. ana m. iij. borragin. Nymph. ana m. j. Semin. cucumer. cucurbit. ana ʒj. Portulac. lactuc. ana ʒß. papav. alb. ʒij. nigri ʒß. Aq. fontan. lib. iv. infunde per hor. 3. deſtilla per MB.*

Aqua Hypnotica alia Altenburgenſium.

℞. *Sem. papav. alb. & nigr. ana lib. ß. lactuc. ℥ij. Portulac. ℥j. quatuor frigid. major. ana ℥ß. cortic. mandrag. ʒiij. macis, nuciſta ana ʒij. croci Or. ʒj. fl. Nymph. violar.*

papav.

papav.rh.ãã m.j. opii præparat.ʒvj. capit.papav.n.xii. infunde biduo in aq.lactuc.℔iij. nymph. rosar.ãã ℔iß. papav. err. ℥ix. & destilla.

N. Cum nec harum Aquarum compositio Medicorum quorundam nostri seculi concinna sit, dum quædam ingredientium, ut radic. cichor. &c. destillationi inepta, quædam ut semin. cucumer. cucurbit. portulac, &c. virtutem suam MB. destillationem eliciendam non communicent, nisi aliâ viâ ac medio procedamus, commodior erit. si sequenti modo fiat præparatio.

℞. Aq. lactuc. fl. Nymph. alb. papav. erratic. rosar. ana ℔ij. Vini malvatici ℔iij. His mixtis immerge Sem. papav. alb. & nigr. ãã ℔ß. lactuc. ℥ij. portulac. ℥j. 4. frigid. major. ãã ℥ß. prius in mortario probè & minutissimè contusis, additâ s.q. aquarum prædictarum & vini malvatici, porro adde Pomorum Mandragoræ rec. n.x. opii Theb. ʒvj. factâ fermentatione per 15. ☍, adde tandem macis, nucistæ ana ʒij. croci Or. ʒj. destilla ex MB. binis vicibus cohobando. Aqua pro usu servetur.

Vires, Usus & Dosis. In omnibus diuturnis vigiliis ac quibusvis doloribus & morbis calidis auxiliatur. Refrigerat, condensat & humectat. Dosis cochl. j. vel ij. tempore vespertino.

Aqua Antiphthisica D. D. W.

℞. Cap. deplumat. & eviscerat. n.j. Pulm. hepar & cor vituli ana n.j spec. decoct. fl. & fruct. ℥ij. radic. cichor. Taraxac. fœnicul. petroselin. asparag. chinæ, Lign. sassafras. santal. citrin. ana ℥ß. hepatic. nobil. pulmonar. scolopendr. cichor. endiv. veronic. scabios. ana m.j. fl. borragin. bugloss. ros. r. lil. convall. violar. ana m.iß. semin. portulac. melon. cucumer. cichor. papav. alb. anisi ana ʒiij. cortic. citri. pulmon. vulp. Epat. lupi ana ʒiiß. cinamom. ℥ß. cardamom. macis, ligni aloës ana ʒj. Spec diambr. diarrhod. Abb. diaxyloal. diamoschs. dulc. ana ʒi. croci Or. ʒß. incis. & contus. infunde in vini Rhen. ℔vj. Aq. veronic. endiv. cichor. Scolopendr. rosar. ana ℥x. Stent per ☍, posteà ♌ la.

N. Capo & Pulmo vituli coq. in lacte caprino vel humano & cum speciebus, postmodum ♌ lentur.

Aqua Antiphthisica alia T. M.

℞. Carnis porcin. ℔vj. Aq. fontan. ℔xij. bulliant ad tertias, adde in fine farfar. pulmonar. betonic. m.ß. rad. liquirit. ras. ℥ij. pinear. ℥iiß. Factâ leni ebullitione destilla in MB vase vitreo, & servetur pro usu.

Alia D. S. B.

℞. radic. enulæ. tussilagin. ana ℥j. ireos fl. glycyrrhiz. ana ʒvj. scyllæ ℥j. bacc. lauri, juniperi alkekeng. ana ℥vj. fruct. dactyl. pinear. amygd. dulc. jujubar. sebesten prunor. dulc. ana ʒvj. ficuum ping. ℥iij. Pulmon. vulp. ℥vj. ℞ Salv. murrub. majoran. rorismar. hyssop. ana m.ij. zinziber. alb. caryophyll. cinamom. cardamom. ana ℥ß. Mell. despumat. ℥vj. sp. vini opt. ℔. viij. vini malvatic. ℔x. Stent. in infus. per 24. hor. Posteà destilla in MB. adde julep. rosar. ℥xviij. Moschi opt. in pet. ligat. ℈j. reserva in vitro optimè clauso.

Alia F. S. S. D. M. A.

℞. Aq. violar. ℔iij. ex fl. & fol. salviæ. Seri lactis caprin. depurat. per succ. lim. ana ℔iß. Pulmon. vitul. n.iv. Hepat. eorund. n.ij. Carnis capon. junior. cum oss. contus. n.ij. Hepat. gallinar. n.xij. pulmon. vulp. rec. n.ij. Incide omnia minutim & destilla aquam s. a. in MB. Huic Aquæ adde sanguinis porcelli anni dimidii ℔iiß. lactis asini. caprilli ana lib.ij. succi depurati pulmonar. primæ Matthiol. auricul. muris. botryos. ana m.iv. caudar. cancr. fluviat. n.30. limacum è suis testis extr. n.xx. fl. ros. rubr. Hordei cum cortic. ana p.vj. fl. viol. borragin. ana p.iv. Pomor. dulc. App. n.xij. citri, aurant. ana nu.j. radic. consolid. maj. alth. ana lib.j. chinæ elect. minutim incis. liquirit. ana ℥iv. santal. rubr. ℥iij. Micæ panis albiss. lib.iß pinear. mund. rec. pistac. ana ℥v. Medull. nuc. indic. ℥iv. spec. diamargarit. f. calid. ana ℥ß. Croci Or. ℈ii. Infunde omnia in suprà dictâ Aquâ Magistrali & ♌ la s. a. Dosis est ℥ij. ad iv. cum julep. violar. ℥ß. gutt. ij. sp. 🜂 ris.

N. Quatuor istæ aquæ jam allatæ antiphthisicæ, quorundam Medicorum nostri seculi principum etiam effœtæ & nomine sanè indignæ sunt; tum ob nimiam diversorum ingredientium farraginem, conglomerationem & inconvenientem dosin, tum quorundam ad destillationem ineptorum admixtionem, ut & in præsentiarum virgulam censoriam non subterfugere queant. Quid à capon. deplumat. & eviscerat. carnis, pulmonum, hepatis, & cordis vitulini, pulmon. vulpis, hepatis Lupi, carnis porcinæ, hepat. gallin. Sanguinis porcelli, lactis asini, caprilli, limacum &c. destillationibus præter nudam elementarem humiditatem sive gas aquæ est expectandum? quid suppeditant radic. cichor. tussilagin. taraxac. asparag. chinæ liquirit. consolid. maj. alth. Sem. portulac. melon. cucumer. papav. alb. Cichor. pinear. amygd. destillata, nisi aquam effœtam? quem in finem spec. diambr. diarrhod. Abbat. diaxyloal. diamosch. dulc. Croc. &c. adduntur, nisi ut divitum crumenas evacuent? Eâdem absurditate scatent admixti fructus dactyl. jujub. sebesten. ficus, prun. dulc. cum Melle & Saccaro, quæ ne ullam quidem perceptibilem qualitatem aquis destillatis impertiuntur. Quapropter satius est ex omnibus hisce ad destillationem ineptis decocta infusa emulsiones, conservas, &c conficere, sapore & odore jucunda, atque ita potestates medicamentorum quæ clamant ad cœlum, quasi frustrà venissent, ita deperdere & frivolè vulcani inclementiæ exponere.

Aquæ Cordialis Frigida D. V. S.

℞. Semin. citri. ℥j. acetos. ʒiij fl. violar. m.iv. borragin. bugloss. ana m.iij. rosar. m. ij. Incis. & contus. infunde in s.q. aq. rosar. Opt. ℔iv. borrag. ℔iij. bugloss. Nymph. ana lib. iß. Stent in infus. in loco calido per 4. hor. deinde adde succi mali citri depurat. ℥viij. granator. dulc. acid. ana lib.ß. limon. cydon. ana ℥iv. croci Or. ℈ß. Destilla △ lentissimo, adde in fine aq. cinamom. borraginat. pone ad conservandum pro usu.

N. Nec dicta Aqua suis caret scrupulis: Nam ex semin. citri acetos. nihil scopo tuo satisfaciens per stillationem elicies; quid virium præstabit semiscrupulus Croci? succorum nonnullorum acidorum aciditas pariter non elevatur, sed in residuo manet, quæ tamen in hâc aquâ maximè desideratur. Ideòque sequens Aqua cordialis frigida rationi magis conformis erit:

℞. Aq. fl. violarum martial. lib.ij. borragin. bugloss. lib j. rosar. fr. lib.iv. nymph. lib.iß. His aquis immerge cortic. tenerr. citri ℥iv. cinamom. el. ℥iij. croci opt. Or. ʒiij factâ brevi maceratione destilla per B. vaporosum ad siccitatem. In hujus aquæ usu tunc addi potest succus citri rec. express. vel granator. vel lim. &c. q. s.

Aqua Cordialis ex Corde Cervi.

℞. Cor. cervi recens, scindatur in partes minores, lavetur ex vino optimo & purgetur bene à sanguine concreto, huic adde rasur. ligni sassafras ℥j. caryophyll. nuc. moschat. ana ʒiijß. gran. paradys. ʒij. Cardamom galang. calam. arom. ana ʒiiß. fl. anthos. ros. r. viol. Martial. ana m.ß. borrag. p.iij. summit. Meliss. m.ijß. Semin. citri. Sinapi alb. ana ʒj spec. el. de gemm. fr. ℈iv. Misce omnia ac indantur vasi vitreo, affunde vini malvatici canthar. vj. Destilla lento △ ne ex organis vitreis.

Aqua Cordialis alia ex Corde Cervi. D. G.

℞. Cordis Cervi n. j. scinde in partes abjectâ pinguedine & infunde in vini malvatici ℔iij. Aq. ros. borrag. bugloss. Nymph. ãã ℥viij succi citri aurant. pomor. acid. dulc. ãã ℔ß. cydon. ℥viij. Ligni sassafr. ʒvj. cinamom. ℥ß. caryophyll. nucist. ana ʒij. cardamom. cubeb. Cass. lign. ana ʒiß. macis. galang. sem. citri ana ʒj. santal.

santal.citrin.ʒj.spec.lætific.Rhaſ.diamargar.fr.de gemm. fr.ana ℈ij.fl.roriſm.roſar.r.violar. borragin.ana m.ß. ſyrup.caryophyll.rub. id. ana ℥iij. Sent in infuſ. per 3. ☍: poſteà fiat deſtillatio.

N. Nec dictæ Aquæ virgulam cenſoriam defugiunt: Notum enim eſt primò ex partibus animalium ita ſimpliciter deſtillatis nudam aquam elementarem, niſi ſpiritu ſuo vivifico adhuc turgeant, deſtillari; deinde quem in finem prius ex vino laventur in partes minores conſciſſæ & à cruore purgentur ante deſtillationem. Tertiò addito ſpecierum el. de gemm. frigid. lætificat. Rhaſ. diamargar. fr. &c. ita conglomeratarum inutilis & ſupervacanea eſt. Quartò ſuccorum virtus ſuper alembicum non elevatur, ſed in reſiduo manet. Quintò inepta etiam & abſurda ſyruporum admixtio. Ideóque ſequens deſcriptio Aquæ cordis cervi præſtantior videtur.

℞. *Cordium Cervinorum adhuc calidorum prout ex occiſis jam cervis ſunt deſumpta cum ſanguine q. v. Immergantur Balneo vaporoſo & protinus aptato capitello ſeu alembico deſtillentur in receptaculum capitello arctiſſimè unitum ad omnimodam ſiccitatem; Aquæ deſtillatæ adde pro quâvis ejus librâ ſalis tartari ʒij. atque in vitro optimè munito ſerva. Poſtea accipe corda à deſtillatione relicta, ac retortæ immitte, deſtilla igne aperto per gradus & tandem igne violentiſſimo in vas vitreum recipiens uſque ad cordium totalem combuſtionem, & humiditatis radicalis expulſionem. Hoc labore peracto, oleum fœtidum à liquore egreſſo & ſale volatili libera, & rectifica ſeorſim per phiolam oblongam ſuo capitello munitam. Huic liquori rectificato adde Spiritus vini malvatici ſ. q. Aquæ Cinamom. Caryophyll. Saſſafras. Nuciſtæ ana q. ſ. fl. roriſmarin. Summit. Meliſſ. roſ. r. ana m. ij. Cardamom. cubebar. Caſſ. lign. an. ʒiß. galang. Calam. arom. ana ʒiiß. per alembicum vitreum deſtilla ex MB. ad ſiccitatem additarum ſpecierum & quidem in præmiſſam antè à cordibus deſtillatam & ſale tartari imprægnatam Aquam.*

Aqua Cordialis Confortans P. H. D.

℞. *Raſur. ligni Rhod. cinamom. acut. ſaſſafras ana ℥iij. Cortic. citri rec. aurantior. rec. ana ℥j. macis. caryophyll. ana ℥ij. fol. Citri. Meliſſ. ana m. vj. fl. roſ. r. lil. convall. tunic. lavendul. borragin. bugloſſ. Violar. Martial. ana m. v. ſucci pomor. Borſdorff. ℔iv. Vini generoſ. opt. q. ſ. Stent in digeſtione per 14. ☍. Poſtmodum deſtilla lento B. calore. Roſtro capitelli impone. Croci Or. ℈ij. ambræ gryſ. moſchi ana gr. iij. Zibeth. gr. iv. omnibus in petia ligatis.*

Aqua Damaſcena Hamburgenſium.

℞. *Aq. roſar. fr. ℔ij. cordial. Norinb. ℔j. ſpirit. roſar. ℥iij. Eſſent. lavendul. ʒiß. Vini Malvatic. Aq. vit. opt. āā ℥j. Cortic. citri. rec. ℥ß. ligni Rhod. ʒvj. caryophyll. Cinamom. āā ʒiij. Santal. citrin. ʒij. Benzoi ʒiij. Stent in digeſtione vaſe clauſo per octiduum, poſteà deſtilla, & roſtro impone Moſchi in pet. ligat. ℈j.*

Vires, Uſus & Doſis. Hæc aqua in Virium diminutione, cordis debilitate, ubi ſpirituum vitalium refectione opus habemus, magnarum eſt virium. In Senibus internè doſ. cochl. j. Externè etiam pulſibus cum linteis applicari poteſt.

Aqua Mirabilis & divinæ ferè virtutis, ſenio confectos quaſi rejuveneſcere faciens, etiam vulnera & ulcera ſanans, O. B.

℞. *Caryophyllor. zinziber. cortic. citri. thuris, majoranæ, gentianæ, roſar. r. chamædr. ſem. anethi, gran. Piper. calamenth. galangæ. origani. caryophyllat. fl. cheiri ſtœchad. Arabic. radic. coſti n. nuc. Moſchat. meliſſæ, cortic. aurant. baccar. lauri, pulegii chamæpyth. ligni paradyſ. Menthæ acut. cinamom pulegii ſylv. filipendul. bacc. juniperi. ſpicænard. matricar. zedoar. Nuc. Indic. maſtich. aloës epatic. fl. anthos. ſalviæ, roſ. alb. acori veri, angelic. aniſi, Piper. longi. croci cubeb. Filicis, ocymi. fl. ſambuc. cardamom. Ladani, Uvar. paſſar. āā ℥j. Ambræ, moſchi āā gr. vj. pulp. dactyl. amygdal. dulc. ficuum, gran. pœoniæ āā ℥vij. mellis puri ℥vj. ℥vj. ſacchari ad pondus omnium. ſpiritus vini ex vino rubro opt. & rectific. Menſ. XV. vel q. ſ.*

Modus præparandi.

Contundantur omnia groſſo modo & macerentur per 2. ☍, tum deſtilla per alembicum primo lento △ne per diem, ▽am claram & pellucidam ſeorſim in receptaculo ſerva; poſtmodum adaptato alio recipiente deſtilla per 8. hor. donec aqua quadantenus coloretur; hanc iterum in recipiente ſeorſim aſſerva. Tertium tandem receptaculum adde, deſtilla ultimò ▽am rubicundiſſimam.

Uſus. Primæ & Secundæ deſtillationis Aqua virtute ferè conveniunt; ſecunda tamen paulo efficacior eſt ſequentem ad uſum. Vulnera ac ulcera omnia, cancrum, fiſtulas brevi ſanat, ſi quotidiè ter primâ & ſecundâ aquâ humectentur aut laventur. Contrà ſpaſmum & contracturas externè illita juvat. Item à Calculo liberat, confortat memoriam, ſiſtit dentium dolores; aurium dolorem & auditum deperditum reſtituit, in morbis colli ac faucium pro gargariſmate uſurpata confert. Tuſſi & hydropi medetur quotidiè jejuno ſtomacho ad cochleare ſi ſumpta. Tempore peſtis egregium eſt præſervativum, pluresque alias habet virtutes incomparabiles. Tertia verò Aqua rubicundâ gradu adhuc præſtantior eſt, Lepram, phthiſin, hydropem, podagram, iſchiadicam, Luem ♀neream, &c. curat, ſi manè ſingulis diebus ad cochl. iß. uſurpetur.

N. Verum hæc Aqua compoſita potiori jure incompoſita & confuſa ingredientium ſimplicium congeries dicenda erit, adeò abſque ullo ordine & convenienti ſimplicium doſi concinnata eſt, additis inſuper nonnullis minus neceſſariis & ad deſtillationem ineptis, qualia v. g. pulp. dactyl. amygd. dulc. ficuum, mellis, ſacchari, &c. quare omiſſis his videtur ſeq. modo melius elaborari poſſe.

℞. *Radic. gentian. coſti, zedoar. acori veri. caryophyllat. angelic. pœon. rec. ana ℥j. Semin. anethi. ocymi aniſi ana ℥ß. gran. piper. piper. long cubebar. cardamom. ana ʒij. Cortic. citri. aurant. ana ʒiij. Ligni paradyſ. ℥ß. caryophyll. ʒij. cinamom. ʒvj. Nuc. Moſchat. indic. āā ʒij. zinziber. ʒiß. Oliban. maſtich. ladan. Aloës epatic. ana ana ℥j. h. Majoran. chamædr. calamenth. Origan. Meliſſ. pulegii. chamæpyth. menthæ acut. pleg. ſylv. filipendul. ſpicanard. matricar. ana m. ij. fl. roſ. r. & alb. cheiri. ſtœch. A. anthos. ſalviæ. Sambuc. ana m. j. Spiritus Vini q. ſ. rectificatiſſ. ſtent in infuſ. per 14. ☍ continuos in loco moderatè calido, & poſtmodum deſtilla per XX.*

Aqua Magnanimitatis. K.

℞. *Spirit. Vini ter ſuper formic. ſ. q. rectificat. Menſur. iv. adde herb. Meliſſ. m. iij. cortic. citri flav. ℥ß. Cinamom. el. ℥ß. ʒij. caryophyll. ℥ij. cardamom. cubebar. āā ʒvj. radic. zedoar. ℥ij. maſtich. ſtyrac. calam. benzoi. āā ℥jß. Stent in digeſtione per 8. ☍. & deſtilla, roſtro alembici impone Moſchi ℈ß.*

N. Formicæ colligantur ☽ creſcente circà ſolſtitium æſtivale in Junio die ſerenâ in cucurbitam, in quâ fruſtum caſei repoſitum, ubi ſufficientem earum copiam habueris, baculo exime acuto caſeum & ſuperfunde V ad eminentiam 2. digitorum & deſtilla, in ſpiritu deſtillato aliæ formicæ digerendæ & deſtillandæ iterum, ſic accipies ſpiritum fortiorem

Aqua Virtutum D. R.

℞. *Radic. ireos ℥ij. galang. zedoar. cyperi ana ʒvj. cortic. citr. cinamom. āā ʒiʒ. nuciſt. macis, zinziber. croci ana ℥iß. caryophyll. ℥ß. Ligni Rhodii.*

Maſtich.

Mastich. Santal.citrin.ana ℥iij. Cardamom. utr. ana ℥j. h.Calaminth.meliss. rorismar. pulegii. serpill. majoran. fl. quatuor.Cordial.ana m.ß tunic lavendul. salviæ ana m.j. Vini Rhenan.lib.vj. Aq.rosa.lib.iv. sp.vini lib.ij. Digere triduo & destilla.

N. Author hujus compositionis addit corda porcorum demptâ pinguedine & in taleolas conscissa n. iij. De his quid judicandum vide suprà.

Alia Aqua Virtutum Hamburgensium.

℞. Fl. rorism. mel ss. basilic. pulegii. serpill. ana. m. j. carn.cydon.cortic.citr.rec.ana ℥j.ligni aloës santal.citrin. Rhodii ana ʒiß. caryophyll. ʒij. nuc. moschat. ʒiß. croci spic.indic.celtic.ana ʒj. Incis. & contus.infunde in aq.ros. sp.vini opt.ana lib.jß.acet. ros.lib. j. Stent in infus. per 3. ☍ in loco tepido, postea destilla in MB. in liquore dissolve vel suspende Moschi q. s. pro grato odore.

Aqua Vitæ pro Mulieribus Altenburgensium.

℞. Macis,nucistæ,cardamom.utr. caryophyll.ana ℥j. cinamom. galang.macropiper,zinzib.zedoar.℥ß.h.meliss. salviæ,fœnicul.serpilli, majoran. anserin.ana m.j. menthæ. m.ß.vini Rhen.lib.vj. Infunde 6. ☍ & postmodū destilla.

Vires, Usus, Dosis. In affectibus ventriculi & uteri frigidis, veluti collicâ flatulentâ, suffocatione uterinâ &c.admirandæ est energiæ, dosis cochl. j. vel ij.

Aqua Vitæ pestilentialis Altenburgensium.

℞. Radic.tormentill.dictamn.pimpinell.gentianæ. bistort.succisæ. valerian zedoar. ostrutii ana ℥j. vincetoxic. ʒvj angelic.℥ß doronic.℥j scabios.℥ij.marrub.ʒij. Semin. acetos. citri ana ℥ß. erucæ ʒj fl. borrag. bugloss. scabios. ana m.ß. Santal. alb. rubr. xyloaloës nuc. vomic. ana ʒij. cortic.citri.ʒiij.cinamom.℥j.croci ʒj. mithridat.℥j. Theriac. ℥ij. Spir. vini s. q. infunde per noctem & destilla.

N. Hujus aquæ vitæ pestilentialis compositio minus etiam accurata,admodum inconcinna est,radices enim nonnullæ,quales v.gr.tormentill.bistortæ,succis.Semina item acetos. Citri &c. utpote quarum virtus materiæ terrestri nimis immersa, ne quippiam in destillatione per alembicum transmittunt,sive lento sive fortiori igne per B.vel ∴ destilles, nil prorsus genuinæ virtutis, sed humiditatem elementarem præbent. Eidem censuræ exposita Theriaca & Mithridatium, à quibus parum etiam elevatur, dum mel substantiæ medicamentosæ per destillationem extrahendæ non parum impedimenti affert. Quapropter ex reliquis balsamicis saltem dicta Aqua conficienda & ex residuis extractum conficiendum ; quod Aquæ nuptum præstantiorem habebit effectum.

Aqua Bezoardica Altenburgensium.

℞. Radic.enulæ.tormentill.pimpinell. dictamn. vincetoxici,valerian.levistici.ana ʒij.h. Rut.salviæ ana m.j.Cinamom.caryophyll.macis.galang.cardamom. ana ʒß. zedoar.cortic.citri ana ʒij. Sem. acetos. ʒjß. CC. crudi ℥ij. Infunde in sp. vini malvatici,vini malvat.per se ana lib. j.ß.add.Theriac. Mithridat.āā ℥ij. acet.vin.℥ix.destilla.

N. Hujus animadversionem pete ex superioribus.

Aqua Bezoardica temperata D. F. H.

℞. Pom. citri recent. & succulent.num.vj. succus exprimatur, eique adde cortices prædictos Citri seminibus exclusis, adde succi scordii ℔jß. acetos. rutæ capraг. scabios.card. b. ana lib.ß balsamicorum ingredientium theriac. ana q.s. destilla in MB.

Hujus aquæ dos. est ℥j. per se vel cum aliis liquoribus permixta.

Aqua Stomachalis P. H. D.

℞. Mastich.℥iij. macis ℥ß caryophyll. galang.ana.℥j. zinziber.℥ß.calam.arom.℥iv.zedoar.℥j. Sem.Coriandr. anisi fœnicul. ana ℥jß. scyllæ ℥j. Cortic. Citri aurantior. ana ʒj.radic. aron.℥iij. cariophyll. pimpinell.ana ℥iij. Cinamom.℥iß.nuc.mosch.℥j.Succi cydonior.℔j.Sal.absinth. ℥ß. Vini generos. opt. q. s. stent in digestione per 14. ☍. Posteà destilla, ex residuis speciebus f. Extractum.

Aqua contra Colicam. D. D B.

℞. Fl. Chamæmel. R. sambuc.fol. ment.rubiæ exsi cat. āā m.iij.bac.juniperi rec.℥ijß.Lauri excorticat ʒvj.Sem. cymin.℥j anisi āā ℥ß.Calam.arom.ver.℥jß flaved. cortic. aurant.℥iij. cinamom. el. ʒvj. galang. ʒiij. zedoar. ʒiiß. Pulveris.omnia tenuissime, asperge Sp. ⊕ ʒß. Posteà infunde vini Malvatic. Mensur. iij ß. Stent per ☍. 2. in MB.ac digerantur lento △ne,vase benè munito destilla per cineres XX △ne lenissimo. Ex fæcibus fiat Extractum. Dosis ℥ß. vel. ℥j.

Alia Aqua Anti-Colica. P. H. D.

℞. Sem fœnicul.carvi.anisi āā ℥ij petroselin.mac.℥ß. fl.chamæmel R sambuc.summ. absynth. centaur. min. ana m iv.fol.menth.Origani pulegii ana m.iij.cortic.citri.aurant. ana ℥ij.bacc.juniperi.lauri ana ℥j.cinamom.el.℥iß. caryophyll.℥j. Sp Vini optimi q.s. Stent in digestione posteà destilla. Ex ⊕ fiat Extractum.

Aqua Anti-hypochondriaca D. D. S. Aperitiva.

℞. Radic.polypod. ℥iij cichor.petroselin asparag. ana ʒjß.rubiæ tinctor.oxylapathi. centaur.maj.scorzoner. ana ℥j. Cortic.radic.cappar.Thamarisc.fraxin. citri ana ʒvj. h.eupator.m.iß.agrimon.scolopendr. endiv.meliss. fumar. cuscut.ana m.j centaur. min absinth. chamædr. ana p. iij. Sars.paril.℥iij.Ligni Sassafras ℥jß. Sem.4.fr.maj.ana ʒiij. apij.anisi.petroselin.citri.nasturtij ana ʒjß.troch.de eupator.rhabarb.el.ana ℥ß.Santal. Citrin. Calam.arom. Phu Pontic.ana ʒjß fl Cordial.lupul.Nympheæ ana. m.j. Sambuc.m.ij. Croci Or. Spic.indic.ana ℈j. Incidenda incidantur, reliqua contundantur & infundantur in Aq. endiv. agrimon.cuscut.borragin.buglos. Meliss. nasturtij ana lib. jß.Vini Rhen.℥ix.Sal. Tartar.ʒij. Stent in infus. per octiduum in loco calido vase clauso, agitentur quotidiè,posteà destilla per MB.

Vires, Usus & Dosis. Maximæ est virtutis in reserandis venarum mesaraicarum obstructionibus ex materiâ tartareâ oriundis, unde in malo hypochondriaco, scorbuto & cachexiâ virginum mirandæ est efficaciæ vel per se ad cochl. j. ij. vel iij. aut cum aliis anti-hypochondriacis loco vehiculi usurpata.

N. Aqua præcedens anti-hypochondriaca nec minoribus reliquis scatet absurditatibus & erroribus ut mirari subeat abhuc inveniri quosdam Medicos,qui tamen sibi volunt aliquid sapere,multum huic attribuentes, cùm tamen impossibile ingredientium specierum virtutes per destillationem hoc modo elici posse plerisque terrestrioribus adeóque ad destillationem ineptis. Commodius ex illis extractum justæ consistentiæ parari, & cum aquâ ex reliquis balsamicis destillatâ misceri posset, majoris energiæ in prædictis affectibus.

Aqua Anti-Scorbutica D. B. O.

℞. Ligni Sassafras.radic.chinæ rasp. ana ℥jß. sarsaparil.scorzoner.ana ℥j.h.cochlear. virid. m.iv. agrimon. chamædr.chamæpyth.ceterach.meliss.ana m.ij.Sem.card.b. citri.aquileg.ana ℥ß fl.genistæ hyperic. sambuc. centaur. min.ana m.ij.raphani comm. in taleol. incis. ℥ijß. Cortic. Citri cappar.Thamarisc.ana ℥ß.cinamom.℥j gran.paradys.cardamom. min. ana ℥ß. Ligni Rhod.santal. alb.ana ʒvj.croci integri ʒij. Incis. contus. infunde per sextiduum in seri lactis caprin.aq.fumar.vini Rhenan. ana ℔iv. Posteà destilla per ∴. Dosis per se ℥ß vel ℥j.& cum alijs mixta ℥ij. ℥iij. iv.

Alia Anti-Scorbutica D. R. R.

℞. H.rec.cochlear.beccabung.nasturtij ana m.ij.scordij Cretic. card.b. ana m. iß. persicar. fumar. schœnant. hyssopi. chamædr. chamæpyth. fl. genistæ hyperic. ana m.j. borragin. bugloss. ana m. ß. epythymi, radic. helenii filic. chelidon. maj. asari, ari. Cortic. cappar. ana ℥j. radic. polypod. ℥ij. raph. sylv. ℥iij. Calam. arom. cortic.

cortic. citri. aurant. ana ℥ß. croci Or. ʒj. spic. indic. semi anisi fœnicul. cochlear. cuscut. ãã ʒij. alth. Malvæ ãã ℨiij. erucæ ℥j. Infunde ▽ fl. Sambuci ℔iß. cuscut. scolopendr. Meliss. ãã ℔ß. Vini Rhen. ℔ij. Seri lactis ℔iv. Digere per octiduum, posteà destilla, ex remanentiis fiat extractum.

Alia Anti-Scorbutica D. V. S.

℞. *H. rec. cochlear. nasturt. aq. nummular. beccabung. Meliss. fumar. ãã M. iv. fl. borragin. buglos. ãã ana m. j. m. destilla cum Vino Rhen. in MB.*

Alia Antiscorbutico-Phthisica Ejusdem.

℞. *Radic. fœnicul. enulæ ãã ℥j. asari ℥ß. fl. veronic. pulmonar. hyssopi. capillor. ♀. cuscutæ. cochlear. beccabung. Nummular. Lichenis petros. ãã m. j. thymi epithemi ãã. m. ß. fl. genist. m. j. hyperic. caryophyll. sylv. cichor. sylv. ana m. ß. croci Or. ʒij. funde in ▽ cochlear. veronic. ãã. ℔ß. vini Rhenani ℔j. Destilla in MB. ex remanentiis f. Extractum.*

N. In dictis Aquis Anti-Scorbuticis multa etiam extant ingredientia destillationi ob illorum terrestreitatem ineptissima, qualia v. gr. radic. chinæ, sarsaparill. scorzoner. filic. polypod. fœnicul. cortic. cappar. thamarisc. Semin. card. b. aquileg. cuscut. alth. malv. &c. quare satius fuisset ex hisce omnibus extractum confecisse, reliquis volatilibus balsamicis in aquam destillatis cui extractum usus tempore addi posset.

Aqua Hydropica P. H. D.

℞. *Summit. sambuc. m. vj. fl. sambuci h. soldanell. ãã m. iij. anserin. ulmari. centaur. min. absinth. Vincetoxic. ana m. vj. gran. ebul. m. iv. rad. irid. fl. bryon. ana ℔ß. petroselin. ℔j. asari ℥j. rub. tinctor. raphani ana ℔ß. gran. junip. m. ij. Ligni Sancti. sarsaparill. ãã ℥iij. colocynth hermodactyl ãã. ℥iijß. halicacab. m. ij. sem. anisi. fœnicul. petroselin. succi raphani, cucum. asin. ãã ℔j. Superfunde ad eminent. 3. digit. vinum: destilla s. a. Destillato adde spirit. Salis Nitri ãã ʒj. Salis volatil. ☐ humanæ ℥ß. Stent in digestione per 8. ☍. posteà destilla & reitera. Ex residuo fiat Extractum.*

N. Nec prædicta Aqua hydropica suis caret absurditatibus; quid sibi volunt grana ebuli, rad. rub. tinctor. Lign. Sanct. Sars. parill. colocynth. hermodactyl. &c? num vis illorum purgans supra alembicum elevabitur? ineptissima etiam est additio spirituum ⊖ & ⊕ cum Sale volatil. urin. invicem sibi contrariorum & sese mutuò destruentium. Ex reliquis spirituosis Aqua componi potest istis intereà omissis, & pro usus tempore in extracti formam redactis & seorsim adhibitis.

Aqua Mastichina D. D. L.

℞. *Mastich. ℥. Macis. ℥ß. caryophyll. ʒij. vini generos. ℔v. sp. vini ℔ij. Destilla ex MB.*

Aqua Hepatica P. H. D.

℞. *Fol. lactuc. m. vj. vitis Endiv. acetosell. ana m. iv. radic. cichor. ℥iijß. succi Melon. cucurbit. cucum. ana ℔iß. bacc. fragor. ℔j. Distilla cum rore majali addito pauxillo Salis.*

Aqua Hepatica alia ejusdem.

℞. *Fl. hepatic. nobil. rosar. r. borragin. buglos. summ. fumar. centaur. min. ãã m. iij. absinth m. iß. h. card. b. agrimon. endiv. sonchi acetosell. ãã m. iv. radic. cichor. taraxic. gramin. ãã ℥iij. asari ℥j. santal. omn. ana ℥iij fruct. fragor. ℔ij. Affunde aq. cichor. q. s. & destilla in MB. Aquæ destillatæ adde Sp. ⊖oli volatilis parum.*

N. In hisce aquis destillatis omitti possunt radic. cichor. taraxic. graminis &c. minus ad destillandum aptæ, & decocta exinde parari possunt cum brodio carnis.

Vires, Usus & Dosis. In intemperie massæ sanguineæ & laticis calida, seu ubi καῦμα viscerum urget, prout in internis inflammationibus, febribus ardentibus accidit, dictæ aquæ magnarum sunt virium. Dos. vel per se vel cum alijs ℥j. ij. iij. vel ultrà.

Aqua Antidysenterica D. G. R.

℞. *H. polygon. alchymill. veronic. pentaphyll. pyrol. ana m. j. acetos. Hispanic. fol. quercus ãã m. j radic. tormentill. pimpinell. bistort. vincetoxic. ãã ℥j. rhapontic. ʒij. Semin. oxylapath. acetos. portulac. papav. alb. coriandr. ãã ʒiij. fruct. cydon. citri. cortic citri, aurant. ãã ℥ß. fl. ros. r. verbasc. malv. chamæmel. R. ãã m. ß. nuc mosch num. ij. Pulveris. grosso modo & incisa infunde in Aq. Cordialibus stent in infus. per 4. ☍, posteà destilla per vesicam, & asserva in vase vitreo.*

Aqua Dysenterica Alia P. H. D.

℞. *Radic tormentill. Lapathi consolid. maj. ãã ℥vj. bistort. ℥iij h bursæ pastoris. acetos. polygon. plantagin. pentaphyll. portulac. anagallid. millefol. ãã m. iv fl. bellid. min. ros. r. balaust. summit. rubi hyperic. cym. quercus ãã m. iij. prunor sylv. m. ij. nuc mosch. santal. rub. ãã ℥ß. opij. Theb. ʒij. granor. chermes m. ß. Infunde in ▽ cymarum quercus octies chalibeat. destilla, & ex residuo fiat extractum, cui adde Lapid. hæmatit. ʒiij. umbilic. marin. præpt. ʒß. Croc. ♂tis ʒij. O. ℈ß. m.*

Alia Aqua Dysenterica D. D. R.

℞. *Panis siligin. lib iiß. Philon. Persic. ʒiiß. Boli armen. terr. sigillat. ãã ʒj. Balaust. Nuc. cupress. Myrtill. Italic. & nostrat. ana p. j. santal. r. ℥j. nuc. moschat. tost. ʒvj. Tragacanth gummi. Arabi. ãã ʒiij. radic. tormentill. plantagin. ãã ℥ij. Opij th. ℈j. fl. ros. r. ℥ß. spicæ Indic. ʒj. acaciæ. ʒiij. Sang. dracon. ℥ij. cortic. Myrobalan. citrin. & indor. ãã ʒvj. semin. portulac. ℥ß. Incis. & contus. infunde in s. q. aq. plantagin. tormentill rosar. vini rubr. ãã lib. j. Stent in infus. per 12. hor. destilla vitreis organis in MB.*

N. Cùm hactenus allatæ Aquæ dysentericæ valdè affines sint aquæ dysentericæ Jos. Quercetani, hujus autem animadversionem accuratissimam reliquerit Nobiliss. Johann. Zvvelfferus in Pharmacop. Reg. p. 222. eò benevolum Lectorem remitto.

Aqua Nephritica D. G. R.

℞. *Fruct. fragor. lib. iv. vini Malvatici lib. ij. Aq. juniperi lib. iß. Petroselin. ex radic. lib. ij. heder. terr. m. iv. radic. saxifrag. alb ℥j. nucl. persic. ceras. n. contus. ana ʒv. Stent in infus. vase clauso per mensem, destilla & serva in vitro.* Dosis ad præservationem cochl. j. vel ij. in curatione cochl. iij. vel iv. tempore matutino vel ventriculo vacuo.

Aqua Nephritica alia D. R.

℞. *Succi Petroselin. alth. ana lib. ij. veronic. ononid. ana lib. ß. milefol. milij ⊙lis ana lib. j. Terebinth. Cypr. ℥iij. Aceti vini ℥xvj. destilla in MB.*

Aqua Nephritica alia R. G.

℞. *Succi porri, cæparum. raphani ana lib. ij. pilosell. Sigilli Salomon. ana lib. j. radic. argentin. parietar. ana ℥ij. Succi citri lib. ß. terebinthin. Venet. ℥iij. Stercor. columbin. alb. ℥ij. M. & indantur in XX & vase clauso digerantur 9. ☍. Posteà fiat destillatio.* Dosis est à ℥iß. ad ℥ijß. vel per se, vel cum alio specifico

Aqua contrà Gonorrhœam D. F. H.

℞. *H. menth. sicc. ℥iij. Semin. rutæ agni casti ana ℥ijß. fol. dictamn. ℥j. rad. ir. Fl. ℥ij. Terebinthin. Venet. ℥x. Vini albi generos. ℥xxx. f. destillatio in MB.*

Usus. Capiat æger cochl. ij. manè horis duabus vel tribus ante pastum, & vesperi quatuor horis à cœna.

Aqua Hysterica D. G. R.

℞. *Succ. mercurial. matricar. ana lib. j. nuc. mosch. Cinamom. ligni aloës ana ℥j. fl. anthos salviæ ana m. j. Tana-*

cet. m. ß. castorei ʒvj. radic. fœnicul. bryon. ana ℥ß. Vini albi ℔iij. Digere per 4. ♂♀. & posteà destilla.

Alia Aqua Hysterica P. P.

♃. Radic. valerian. ℥iv. fol. matricar. tanacet. artemis. absinth. menth. majoran. puleg. ana m. iij. Infunde per 24. horas in s. q. vini albi generosi in loco calido, forti expressione prælo subigantur, in colaturâ infunde. galang. zinziber. macis. piper long. ana ℥j. spic. indic. croci or schœnanth. calam. arom. ana ℥ß. opii Theb. ℥iij. Semin. papav. alb. ʒiß. camphor. ℥ij. Macerentur triduo in fimo equino & iterum torculari exprimantur, facibus sp. vini affunde & tincturam ex his extrahe, à colaturis simul commixtis in Phiolâ cum suo capitello Aquam prolicito.

Usus. Hæc uterinis affectibus potentissimè succurrit, ejus suffocationibus citò medetur, & cuivis flatulento affectui promptum affert levamen, vertigines sanat, cephalalgiam arcet, nec minus articulorum doloribus medetur.

N. Ex magmate à destillatione residuo Extractum, fit, Laudani Opiati facultatem obtinens. Cujus dos. à gr. iij. iv. v. De Aquâ datur ℥ß. ℥j. ad ℥ij.

Alia Hysterica D. R.

♃. Radic. asari. bryon. rec. angelic. ireos Fl. levistici. meu. petroselin. ana ℥ß. Sem. sesel. dauci Cret. agni casti ana ℥ij. Nigell. ʒvj. h. Matricar. Nepet. artemis. ana m. ij. Meliss. chamæmel. R. ana m. iß. Salviæ, lavendul. ana m. j. bacc. lauri ℥ij. zinziber. ℥ß. Caß. lign. Cinamom. ana ʒiß. nucist. macis. Cardamom. ana ʒij. castorei myrrh ana ʒiij. galang. zedoar. gran. paradys. croci ana ʒj. Incis. & contus. infunde in Vini Rhen. ℔v. aq. rut. ℔vj. calam. arom. ℔j. addit. galban. aceto solut. ℥ij. digere octiduum, postea destilla. Dosis est à cochl. j. ad ij. iij.

Aqua contra Vermes P. H. D.

♃. Radic. gentian. ℥iv. zedoar. ℥ij. h. Tenacet. absinth. centaur. min. scord. fol. persicor. rut. abrotani Sabinæ ana m. iij. Corallin. m. j. card. b. m. iij. semin. chin. ℥j. Cortic. aurantior. ℥ij. C. ▽ s. destilla.

N. Ex residuo fiat Extractum justæ consistentiæ.

Aqua Vulneraria D. V. S.

♃. Radic. symphyt. ℥iv. tormentill. ℥iij. caryophyllat. ℥ij. h. vinc. pervinc. consolid. sarracenic. sanicul. pyrol. alchimill. equiset. Veronic. pulmonar. ana m. iijß. fl. tussilag. m. j. Consolid. Maj. m iß. Infunde in s. q. aq. s. Stent in loco tepido per 24. hor. posteà destilla, ex residuo fiat cum Saccharo Syrupus.

N. Cum, uti sæpius monitum est, ex radic. symphyt. tormentill. parum vel nihil destillationis beneficio eliciatur, & reliqua etiam ingredientia non multum virtutis aquæ communicent, melius foret decoctum exinde parare vulnerarium.

De Aquis externè abhibendis.

Aqua delens omnes faciei maculas.

♃. Phaseol. alb. Micæ panis albiss. ana ℔j. cucurbitam longam tener. virid. recent. num. j. radic. sigill. Salom. ℥iij. Conscinde tenuiter & macera totâ nocte in lacte caprino destillato, adde recentia semina melonum mundat. contus. ℥v. Nucl. persic. excortic. ℥iij. Pinear. excortic. ℔ß. in mortario lapideo singula seorsim contunde, & tunc omnia commisce & adde duarum columbarum pulpam carnis ex pectore mediocriter coctam & in frusta conscissam. f. Coctio in MB. ex cucurbitâ vitreâ.

Usus. Hoc præstantissimo liquore manè & vesperi ter quaterve abluatur facies, & spontè siccetur, præcipuè in parte maculosâ.

Aqua ad pustulas faciei, etiam eas, quæ sunt ex Lue venereâ ut fissuras Gallicas in quâcunque parte.

♃. Spermat. ranarum ℔v. ☿rii ♎ti ℥j. Digere in alembico benè clauso ad ☉, vel in fimo equino, destilla per alembicum.

N. Quamvis hanc Aquam ante destillationem pro Aquâ anti-podagricâ multi venditent, tamen Martinus Rulandus Filius D. Oberndorfferum asserentem Parentis Rulandi Aquam Antipodagricam ☿rium ♎tum constituisse, mendacii arguit. Interim tamen compertum habemus, Parentem quotannis multum spermatis ranarum colligendum curasse.

Aqua Ophthalmica D. D. K.

♃. Vini Rhenan. Aq. plantagin. rosar. fr. ana ℥iij. Tut. præparat. ʒij. myrrh. el. pulveris. ʒiß. coq. ad tertiæ partis consumptionem, sub finem in nodulo suspendatur pulv. viridis æris ℈j. camphor gr. vij. ebulliant parum. Tum colatura sine expressione adhibeatur usui. Valet in omnibus affectibus oculorum ad miraculum usque.

Alia Aqua Ophthalmica D. M.

♃. ⊡ puerorum ℔j. θol. Rom. ℥iv. Succ. chelidon. ℔iß. Stent in digestione per aliquot ♂♀, postmodum destilla.

Aqua Odontalgica externa P. H. D.

♃. Radic. pyrethri ʒiij. hyoscyami ʒv. cort. rad. mandragor. caryophyll. an. ʒij. fol. buxi. salviæ plantagin. serpilli fl. balaust. ros. ana p. ij. caric. ping. num. vj. coq. in s. q. decoct. hordei ad ℥viij. Colatur. adde Mell. ros. colat. ℥iiß. camphor. gr. v. opii. Theb. ℈ß. M. S.

Aqua ad Gingivarum exulcerationem & putredinem.

♃. Radic. tormentill. ℥iij. bistort. ℥iß. fl. ros. r. balaust. cupul. glandium ana ℥j. coq. in aq. cochlear. in diplomat. ℔iij. in Alembico cum suo capitello & apposito recipiente ad horas 3. posteà exprime & adhuc calidè filtra, & filtrato adde aluminis ʒj. Liquorem egressum in primâ destillatione adde iterum filtretur & servetur usui.

Aqua ad Capillos canos denigrandos.

♃. Limaturæ ☽næ finiss. ʒj. affunde Aquam fortem ℥j. stent in loco calido per ♀, donec ☽na fuerit soluta, adde ▽ rosar. ℥iv. in quâ θoli Rom. ʒj. fuerit soluta, filtra per chartam & serva ad usum.

H. Hâc tincturâ semel saltem capilli sunt tingendi cum setis vel imbuendo in hâc, & siccescere sinas, ita denigrescunt, ut nec aquâ relui possint, durant ad annos duos vel plures, sed vide, ne statim cutim attingant, aliàs exulcerabitur.

Aqua de Cypro.

♃. Aq. rosar. optim. ℔ij. fl. aurant. citri ana ℔j. Misce & in his dissolve Zibethi Moschi ambræ ana q. v. obtura benè & expone ☉, quantò antiquior, tantò ad odorem vestibus conciliandum melior.

Aqua alia de Cypro.

♃. Benzoes ℥iß. Styrac. calamit. ℥j. ligni aloës ℥ß. cinamom. el. ʒvj. caryophyll. num. xij. Omnibus subtilissimè contusis superfunde aq. rosar. opt. pint. ij. & simul bulliant △ lento & vase clauso, donec pinta iß. supersit. Colaturæ adde dissolut. Moschi opt. gr. xij. ambræ gr. viij. zibeth. gr. iij. parum sacchari candi & benzoi q. v. & in phiolâ benè obturatâ insola.

Aqua Corrosiva D. B.

♃. Aq. fort. in quâ per 5. aut 6. ♂ calx viva in s. q. est extincta, hujus ▽ Rec. ℔iv. in hâc duodecies extin-

gue chalybis laminam; postea in eandem immerge æris usti ℥ij. cinnabaris ʒß. Misce per 4. vel 5. ☍, donec virescat.

N. Hâc ad verrucas & alias hypersarcoses utere ex Mss. B.

Aqua Aluminosa Ejusdem.

℞. ▽ rosarum plantagin. ana ℔j. Onis, ☿rii viv. ♎at. ana ʒij. ♎latum & O terantur, & cum aq. permisceantur ac bulliant ad medietatis consumptionem; Valet ad præservationem ossis à putredine.

Aqua alia corrosiva.

℞. O Rochæ saccharin. ♎ti. ⊕. ✱ci. Sacchari alb. āā ℈j. bulliant in s. q. ▽æ ad tertias & cola.

Valet ad omnia ulcera cancrosa & phagedænica.

Aqua in ulceribus antiquis corrodentibus & depascentibus carnem.

℞. Lithargyr. aur. ℥iß. olibani ʒiij. aceti vini acerrimi ℔j. ℥ix. Aq. plantagin. ℥vij. rosar. fr. ℥ß. coq. ad tertiæ part. consumpt. adde colaturæ aluminis, ceruss. ♀ris, Terr. sigillat. ana ʒiß. Mumiæ ʒj. ol. Tartari per deliq. ℥iß. iterum ebull. & col.

Aqua Antipodagrica P. H. D.

℞. ⊖ ⊕-ol. O. āā ℔j. affunde ▽ spermat. ranarum canthar. v. coque ut solvantur ⊖ & O. filtra & serva usui.

N. Plurimum præstat aqua hæc parti dolenti illita.

Aquæ variæ à D. Caspar. Theophil. Bierlingio collectæ.

Aqua polychresta hepatica Rolfincii.

℞. Cort. cappar. tamarisc. Rad. cichor. bryon. polypod. vincetoxic. valerian. āā ℥ij. Herb. cochlear. card. bened. cichor. absinth. epatic. fumar. nasturt. aquat. veronic. ana m. iß. summ. meliss. m. ij. Flor. centaur. minor. genist. borrag. bugloss. ana m. ß. sambuc. m. j. Sem. anis. fœnic. sinap. ana ℥iß. Troch. de rhabarb. rosis. cappar. eupator. ana ℥ß. Incisa & contusa macerentur in ▽æ fontanæ & vini generosi ana ℔viij. colentur & exprimantur fortiter, vel sine colatura & expressione destillentur per alembicum.

Aqua polychresta composita ejusdem.

℞. Rad polypod. ℥iij. cichor. asparag. petroselin. ℥iß. rub. tinctor. m. j. oxylappat. centaur. minor. scorzoner. ana m. ß. Cort. radic. tamarisc. cappar. citri fraxin. ana ʒvj. Herb. eupator, Mes. agrimon. scolopendr. endiv. meliss. fumar. cuscut. āā m j. centaur. minor. absinth. chamædr. ana p iiiß. sarsaparill. ℥iv. scob. lign. sassafr. ℥iß. sem. 4. major. frigid. ana ʒiij. apij, anis. petros. citri. nasturt. ana ℥iß. Trochisc. de eupat. rhabarb. ana ℥ß. Santal. citrin. Calami aromat. Phu Pontic. ana ʒiß. Flor. cordial. nymph. lupul. ana m. j. sambuc. m. ij. Croc. orient. Spic. indic. ana ℈j. Incid. incis. reliqua infunde confusa in aqua endiv. agrim. cuscut. borrag. bugloss. nasturt. aquat. ana ℔iß. vini Rhenan. ℥ix. ⊖ Tartar. ʒij. stent in infusione per dies 6. loco calido, bene clauso vase, agitentur quotidie, postea destillentur in vitris per MB. vapor. prima medietas servetur seorsim. S. aqua aperitiva composita primæ destillationis. Reliquum destilletur ad siccitatem, S. aqua aperitiva composita secundæ destillationis. Dosis ʒij.

Aqua Nephritica Ejusdem.

℞. Fragor. ℔iiij. vini malvat. ℔iij. spir. juniper. ℔ß. aqu. petroselin. ℔iij. Heder. terrestr. virid. m. iij. rad. saxifr. alb. ℥j. Nucl. persic. contus. cerasor. contus. ana ʒvj. stent in vase clauso, post destillentur, destillato adde ocul. ♋. praparat. ʒj. ⊖ Tartar. ℈j. Serventur in vitro.

Destillatum sarsaparillæ ejusdem.

℞. Rad. sarsaparill. ℥ij. chin. incis. ℥j. cichor. scorzoner. ana ℥iß. Cort. cappar. tamariscor. Lign. rhodii ana ℥ß. Fol. chelidon. rec. cochlear. recent. beccabung. recent. fumar. recent. ceterach. chamæpyth. ana m. j. Incisa & contusa infundantur cum aqu. cichor. ℔ij. fumar. cochlear. ana ℔iß. Stent in MB. per triduum, expressus liquor indatur in cucurbitam vitream, & destilletur in △e cinerum ad mucilaginem. Possunt etiam destillari cum vino, sicque destillatum calidius evadit.

Aqua ad Capillos Canos denigrandos.

℞. Limat lunæ siniss. ℥j. affunde ▽F. ℥j. circiter, stent in loco calido per noctem, donec luna soluta, adde ▽æ ros. ℥iv. in qua ⊕-l. Roman. ʒj sit soluta, filtra per chartam & reserva ad usum. Hac tinctura si solum semel capilli tingantur, denigrescunt mirum in modum.

Aqua Ophthalmica.

℞. Pan. tritic sine cortic. ℔j. Maceretur in lacte q. s. Mellis simplicis ℥iv. rosat. Bacc juniper. ana ℥ß. laur. ʒ j. Herb. calaminth. origan. rorismar. euphras. chelidon. major. ana m. j. Flor. cyan. fabar rosar. ana p. ij Sem. fœn. græc. ʒvj. fœnic. ℥ß. ocym ℥j. infundantur in vini albi lib. ij. aqu. euphras. rosar. ana lib. jß. fiat destillatio in MB.

Vera Aquæ Ophthalmicæ descriptio Rulandi.

℞. Vitri ♉ij pulveris. aq. fœnic. ros. chelid. euphras. ana lib. iß. Coq. in XX tecto in arena posito per ☍. cola. Residentiæ depurata adde ☍ ♄. rubei ℈j. servetur usui.

Aqua Uterina D. R.

℞. Rad. levistic. imperat. eryng. arist. rotund. ana ℥j. Herb. meliss. abrotan. artemis. calaminth. nard. ana m. iß. Flor. chamom. m ij. cheir. calendul. anthos. ana m. j. Summ. schœnant. p. j. major m j. Myrr. rubr. ℥iij Borrac. ℥. j. Vini alb. lib. ij. Aq. meliss. chamomill. ana lib. iß. F. infusio per 24. horas post per MB. destilletur.

Aqua Hysterica.

℞. Flor. pæon. aquileg. sambuc. matric. calend. ana m iij. Herb. artemis meliss. rut. beton. urtic. menth. cardiac. verben. millefol. puleg. centaur. minor. sabin. ana m. iv. Sem. carvi m. j. myrr. bacc. laur. ana ℥j. zedoar. galang. asa fœtid. galban. ana ℥j. Croci ʒiij. Rad. aristoloch. ℥ß filic. ℥iv. bryon. pæon. rub. tinctor. valerian. Levistic. Diptamn. Cret. ana ℥j. Castor. ʒiij. spic. Indic. ʒij. Destill. s. a ex residuo f. extractum.

Aqua Scorbutica.

℞. Rad. raphan. lib. j. enul. campan. ℥iß. ostrut. angelic. Cort. cappar. tamarisc. ana ℥ß. rad. acaciæ ℥j. Herb. recent. cochlear. nasturt. aquat. āā m. vj. sedi m. iij ceterach card. bened. fumar. absinth. acetos. ana m. ij. Flora quileg. epatic. genist. ana m. iij. Sem. aquileg. ℥iij. cymin. carvi ana ℥ß. Gran. juniper. recent. ℥iv. Incisa & contusa destillentur l. a. in MB. in ▽ vel succis fumar. acetos. scabios. cochl. beccabung. nasturt. aquat. ana lib. j. destillatam aquam novis herbis prius descriptis si vis reaffunde, & destilla rursus, sic enim fiet efficacior.

Aqua Præservativa.

℞. Rad. angelic. valerian. tormentill. gentian. ana ℥j. zedoar. pimpinell. Sem. citri excort. fol. scord. Cort. citri ana ℥ß. Terr. sigillat. Strigens. rasur. CC. CC usti ppt. ana ʒij. Santal. omnium ana ℥ß. lign. aloes, cinamom ana ℈ij. Camphor. ℈ß. Spec. liberant. sine aloe, cordial. temper. ana ʒij. Theriac. Andromach. *Mithrid.* Democrat. *ana ʒvj. Concis. & contus. affunde ▽ card. bened. acetos. scord. ana lib. ij. stent. per 3. dies in digestione.*

Aqua Somnifera sive Opiata.

℞. *Flor. utriusque papaver. ãã ℥iij. nymph. utriusque, violar. ãã ℥ij. Fol. hyoscyam. alb. papav. alb. lactuc. endiv. portulac, ãã ℥j. Sem. hyoscyam. alb. papav. alb. lactuc. ãã ʒiij. Opii Thebaic. ʒij. Cinam. opt. ʒiß. santal. citrin. caryophyll. croci oriental. cubebar. ãã ℈ij. Succ. papav. alb. lactuc. ãã ℥iv. spir. vin. ℔v. Herbæ & flores sint recentes; contusæ infundantur, stent per dies 4. semper moveantur, ponantur in syndone in ✕✕ destill. postea etiam addi poterunt mosch. gr. vj.*

Aqua Hypnotica D. Weckeri.

℞. *Sem. papav. alb. ℥ß. lactuc. ℥j. cort. rad. mandragr. ʒij. Opii præparat. juxta* Quercet. *ʒiij. Aq. papav. compos. ʒviij. infundantur per noctem, manè destillentur per* MB.

Aqua Hypnotica D. Reinesii.

℞. *Fell. leporin. sem. papav. alb. nigri ãã ℥ß. præparat. l. a. infundantur* ▽ *℥iv. per dies 4. tunc destillentur.*

Aqua Hellebori nigri purgans D. Gantzlands.

℞. *Rad. hellebor. nigr. veri ℔j. infunde in vini mensuris 4. cum semine anis. & fœnic. deinde per B. destilla, hujus liquoris destillati cochlear unum purgat corpus sufficienter.*

Aqua ☿ii purgans per inferiora.

℞. *Spir. anis. ℥vj. scammon. ℥. vitr. ☿. ʒij. stent in infusione in loco calido per aliquot dies. Dos. ʒij. ʒiij. vel ℥ß.*

Aqua Cordis Cervi.

℞. *Cord. cerv. adhuc calentium recentiumque, nonnihil etiam madidorum sanguine n. ij. dissecentur & indantur statim in cucurbitam satis amplam, adde crass. incis. meliss. odorat. fol. m. iij. Herb. major. borrag. buglosf. recent. ana m. ij. Gran. kerm. cort. citri ana ʒvj. Sem. basilic. citr. ana ʒiij. santal. citrin. aloes contus. ana ʒij. macis, zedoar. galang. ana ʒiß. caryoph. ʒß. cinamom. ʒiij. croci ʒj. Incidenda incidantur grosso modo, contundantur in mortario marmoreo, superfundas vinum Malvaticum ad eminentiam 2. digitorum, stent vel ponantur in ☉ digestionis ergo, demum destillentur in* MB. *imposito cucurbito vitro benè lutato. In cucurbita potest suspendi mosch. & ambr. in petia ligat. ana ʒj. Insigne est cordiale in febribus ardentibus, petechiis, peste, morbo ungarico, &c.*

Aqua Uterina Arcana.

℞. *Zedoar. ʒiij. semin. dauc. ℥j. rad. levistic. ℥ß. castor. ʒiij. minutim concis. affundantur ▽æ matricar. ℔iij. diger. per 8. dies. destill. per* MB. *Dos. cochl. ij.*

Aqua Philosophica.

℞. *🜅. commun. ex ⊖l. & ⏀. factæ ℥iß. in illa dissolv. ⊖*. ʒj. diger. in lento calore & habebis aquam philosophicam.*

Aqua contra Calculum D. L.

℞. *Succ. pomor. citr. q. v. vel ℔j. baccar. alkekeng. n. 80. digere per 28. horas, postea destilla per* ⁖. *Datur ad ℥iiß. singulis mensibus 3. diebus ante novilunium, & tribus diebus post novilunium, corpore prius purgato.*

Aqua Antepileptica Hartmanni.

℞. *Flor. primul. ver. ℔j. lavendul. stoechad. Arab. ana ℥ß. tiliæ, buglosf. ana ℥iß. anthos. nenuphar. ana ℥ß. Rad. pæon. irid. Florent. ana ʒvj. zedoariæ ℥iij. caryophyll. ʒvj. macis ℥iij. Cinamom. ʒij. croc. orient. ʒj. Pomor. recent. n. ij. rasur. lign. sassafr. ℥iß. Fol. major. artemis. ana m. iß. rorismar. m. j. sem. fœnic. siler. montan. basilicon. ana ʒiij. confract. & contus. gross. modo affund. ▽. rosar. vini generos. ana ℔ix. simul per 3. dies vase benè clauso digerantur, hinc adde succi recent. express. ex fol. salv. meliss. ana ℥vj. spir. vin. ℔iij. denuo per 2. dies digerantur & destill. in* MB. *ad siccitatem, fiat simul. cohobium, hinc per se in B. vel cineribus* ▽. *destilletur s. rectificetur, inserendo rostro vitr. mosch. & ambr. ana gr. ij.*

Aqua Anti-phthisica ex sanguine humano.

℞. *Sanguinis humani ex optimæ temperaturæ, sanguineæ complexionis, valetudinis integræ, juvenis, annorum circiter 21. communi dextra brachij vena mense Majo, Luna crescente & à malignis libera radiis ℥iij. pluresve, elicitus ▽. roris majalis ex tritici segete collecti destillata excipitur vase clauso leni calore mensis spatio digeritur, post in* MB. *destillatur, priorem aquam fragrantem (in qua ☿) seorsim colligendo, insipidam etiam, acetum & 🜔 tandem fortiore △ fœces iterum cum ▽ roris majalis destillata digeruntur, iterumque ▽, ✢ & 🜔 ut prius eliciuntur, tandem ⊡ insipidæ seorsim selectæ infunduntur per noctem, post filtrantur, & humiditas in* MB. *lentè extrahitur, usque dum cremorem contrahat, postmodum in frigido reponitur, ibique linquitur, usque dum crystallisetur ⊖. tria itaque iterum principia conjunguntur, caloreque lento vase Hermeticè clauso, usque dum uniuntur, iterum in Athanore digeruntur.*

Contra phthisin remedium certissimum D. Bucretij.

℞. *Succ. veronic. plantag. heder. terrest. agrimon. scabios. pulmon. macul. ãã ℥viij. Rad. consol. concis. & cont. ℥iv. Limac. è suis conchis ex tract. & contus. Hepat. vitulin. in frusta minut. concis. ãã mij. Lactis caprilli Mens. iv. digerantur per triduum in* MB. de hac. ▽. exhibe 3. vel 4. haustus tabido. Singuli haustus edulcorentur saccharo rosato, stupenda facit.

Aqua anti-podagrica P. H. D.

℞. *⊖l. alumin. ãã ℔j. affunde iis ▽. spermat. ranar. cantharos v. coq. ut solvatur ⊖ & alumen in ea, solutionem filtra & usui serva,* plurimum præstat ▽ hæc illita parti dolenti.

Aqua Arthritica Doct. Tilemanni.

℞. *⊖l. Ungaric. ℔j. tartar. alb. ℥iij. Mumiæ, mastichi oliban. myrrh. ãã ℥ij. Gumm. ammoniac. bdellii, opoponac. ãã ℥ijß. mellis crudi ℔ij. ▽. ℔iv. f. destillatio.*

Alia.

℞. *Acerv. formicar. n. j. vel. q. v. affunde vini optimi cantharos xij. destilla s. a. postea.*

℞. *Conor. abiet. m. iv. baccar. junip. ℔ß. flor. lavend. m. vj. primul. ver. beton. sambuc. Summit. arbor. vit. Fol. laur. Herb. sal. rorismar. ivæ arthet. ãã m. iv. cubeb. ℥iij. destilla iterum, postea adde, Rad. pyrethr. ℥iij. stent in digestione, postea filtrentur per chartam, ▽ reservetur usui.*

Aqua Cephalica J. A.

℞. *Fol. & flor. salv. ℥vijß. lavend. odorat. ℥ij. lil. convall. ℥ijß. rad. pæon. ℥ij. Fol. & flor. major. cubebar. ãã. ℥ß. cinam. elect. ℥ij. caryophyll. ʒij. macis ʒj. Infundantur in ℔x. vini opt. Rhenan. stent. per duodecim dies in digestione, post destillentur per* MB.

Aqua ad memoriam confortandam Nobilis Silesij.

℞. *Herb. centaur. minor. c. flor. verben. majoran. rorismar. Flor. chamomil. solani, lilior. convall. ãã m. iß.* Destillantur in MB. sumuntur, luna decrescente, cochlearia duo.

Aqua Epileptica Regis Daniæ.

℞. *Herb. salv. beton. rorismar. major. meliss. ãã m. j. Flor. lavend. primul. veris, stœchad. Arabic. ãã m. ß. rosar. rubr. spic. Celtic. ãã m. j. lilior. convall. ℥iij. Rad. diptamn. alb. ʒiij. asari ʒvj. pæon. ℥iv. tormentill. aristoloch. rot. angelic. pimpinell. ãã ʒiij. pyrethr. ʒvj. Visc. quercin. lign. Rhodii ãã ℥j. nuc. moschat. ℥iß. cubebar. galang. cinamom. ãã ʒvj. castor. ʒß. zingib. cariophyll. macis, granor. paradis. calam. aromat. cardamom. ãã ℥ß. piper. long. nigr. albi ãã ℥ij. gran. pæon. ℥v. juniper. ℥j. Semin. eruc. anis. fœnicul.*

fœnicul.citr.sesel.ãã ℥ij.coriandr.℥ß. contundantur grosso modo & infundantur in ▽ ℔xx. vini generos. ℔viij. stent per 4. dies in digestione, postea destillentur, adde sacchar. ℔j. mosch. ambr. ãã ℈ß.

Aqua Epileptica Reginæ Daniæ.

℞. *Visc. quercin. rad. pæon. levistic. ãã ℥j. diptamn. alb. ℥ß. ireos Florent. ʒij. Herb. rut. murar. asplen scolopendr. abrotan. meliss. salv. major. cochlear. chamædr. ãã m. j. Flor. lavend. lilior. convall. beton. primul. ver. stœchad. Arabic. cheir. ana m. j. Sem. pæon. ʒv. coriandr. præpara. ℥iij. Cubebar. ℥ß. nuc. mosch. macis ana ℥ß. pulveris. pulveris. & infund. in vini Rhen. ▽æ hirund. ana ℔ij. ceras. nigr. lilior. convall. ãã ℔j. stent in infusione & agitentur per octiduum, post destillentur in MB. & ad singulas libras destillati adde spir. moror. Norvvegic. ℥ß. citri flor. lilior. convall. ãã ʒj. m.*

Aqua Cordialis D. P. H.

℞. *Flor. rosar. lilior. convall. tunicar. lavendul. borrag. bugloss. violar. ana m. v. cort. citr. aurant. macis, caryoph. ana ℥ij. fol. citri, meliss. ana m. vj. Rasur. ligni Rhodii, sassafr. cinamom. acut. ana ℥iij fragor. ℔j. croc. ℈j. Ambræ, moschi ana gr. iij. affunde vini Rhenani optimi q. s. stent in digestione per 14. dies, destillentur lento B. postea adde mag. corall. & margarit.*

Aqua Cordialis D. Pleisneri.

℞. *Corallior. rubr. præparat. ℥j. Perlar. præparat. ℥ß. succi berber. ℥iv. spirit. 🜍. ℥j. M. stent per noctem, manè separa ▽. à fæcibus. Liquori adde syr. granator. ℥ij. spir. cynosbat. ℥j.*

Aqua destillata pro Dentium abluitione.

℞. *Rad. tormentill. ℥iij. bistort. Flor. rosar. rubr. balaust. Capul. gland. ana ℥j. Coq. in ▽. cochlear. ℔iij. in vitr. cum suo alembico, & apposito recipienti ad horas 3. postea exime & calidè exprime fortiter, postea filtra, filtrato adde aluminis ʒj. liquorem egressum in prima destillatione adde, iterum filtretur & reservetur usui.*

Aqua Magistri Berger Ocularii pro oris collutio.

℞. *Vini alb. mens. j. spir. vin. quart. part. mensur. Camphor. ℥ß. ⊖-l. alb. ʒj. O. ℥j. rad. pyrethr. ʒvj. staphisagr. ℥ß. zingib. ʒij. caryophyll. ʒvj. zedoar. Calam. aromat. ana ℥ij. ligni Brasil. rubr. ℥j.* Omnia hæc in vase fictili vitreato ad mediæ circiter mensuræ consumptionem ebulliant, ab igne deinde remove vase adhuc tecto frigefieri permitte, per pannum cola, & in vitro bene clauso asserva: optimum est remedium contra scorbutum, gingivarum corruptionem, & tartarum dentibus inhærentem, si colato liquore os frequenter colluatur.

Aqua antifebrilis D. B.

℞. *⊖. absinth. centaur. minor. ana ʒj. spir. ⊖-l. ʒiij. Aq. card. ben. centaur. minor. ana ℥vj. absinth. syr. & succ. violar. ʒiij. Aq. cinamom. cydoniat. ℥j. M. pro usu in certa dosi.*

Aqua Romæ in usu Febribus.

℞. *Aqua fontan. ℔iij. succ. agrest. ℥iij. Julep. rosar. vel sacchar. ℥ij. M. coletur ex arte.* Si melius fieri volueris, accipe loco succi agrest. succi citri depurati tantundem, & sacchari finissimi.

Aqua ad pustulas faciei etiam eas quæ sunt ex lue venerea, ut & fissuras gallicas in quacunque parte.

℞. *Aquæ spermatis ranar. ℔v. ☿ ʒj. digere in vitrino benè clauso ad solem vel in fimo equino, destilla per alembicum.* Utiliter etiam in erysipelate abhibetur.

Aqua ad Morphæam.

℞. *☿ ʒj. virid. æris ℈j. ⊖. *c. gemmæ, petra ana ʒiß. camphor. gr. v. aquæ rosar. plantagin. ana ℥iv. lixivij barbitons. ℥ij. Coq. l. a. filtra.*

Aqua expulsiva D. Weckeri.

℞. *Ficuum pingu. n. xij. cicer. rubr. lentium, ana ℥ij. Sem. aquileg. ℥iß. rapar. fœnicul. ana ℥j præparatis l. a. affunde, Aquæ aquilegiæ, nasturt. calendul. galeg. ana ℔iiß. stent in loco calido per noctem, mane destillentur per MB.* Est miræ efficaciæ in variolis & morbillis.

Aqua contra variolas in oculis.

℞. *Aq. fœnic. rosar. rut. euphrag. ana ℥vj. sem. sumach. ʒß. flor balaust. ℈j. bulliant parum & colentur, adde, croci gr. iv. caryophyll. gr. ij. m.*

Aqua inaurans.

℞. *Sal. alumin. ana ʒß. nitri ℈j.* Omnia simul additis fol. auri n°. 8. vel 9. probè misce, & cum aquâ limpida parùm coque postea spirit. vini optime ad digiti unius superminentiam affunde, in leni calore tincturam extrahe, alium iterum superaffunde, quousque spiritus vini non amplius tingatur, tunc hujus spiritus vini mediam partem evaporare permitte habebis oleum flavum quo si gladij, arma, cultri inungantur, & cum corio abstergantur pulcherrimi evadent.

Aqua Magnanimitatis Laurenbergii.

℞. *▽. malvat. q. v. in quo macer. per quatuordecim dies Herb. basilicon. majoran. salviæ, meliss. pulegii ana m. ß. Flor. borragin. salviæ, primul. veris. rorismar. lilior. convall. ana p. j. spiritum deinde destilla, postea mense Junio circa solstitium quære nidum formicarum, qui 1. manu percussus acidum de se spirat odorem, 2. cujus formicæ nulla ova habent collecta, 3. cujus formicæ nigræ sunt & majusculæ, cumulum aperito, vasi vitreo latioris orificij infunde 4. partem mensuræ ▽ antea descripti, videbimus protinus ascendere & irrepere in vas illud allectas odore fragrante, inde in vas tuum colliges quater vel quinquies, misce postea bacillo ligneo eas probe commovendo ut omnes suffocentur. Vas hoc cum formicis, quibus necessum est, ut protinus integram mensuram tui ▽. affundas, adhuc expone solis radiis, postea elice spiritum, cui adde, confectionis anacardinæ, cinamom. ana ℥j. croci ʒß. moschi gr. xij.* M. Dosis cochlear unum.

Aqua Veltheimiana.

℞. *Cinamom. caryoph. cubebar. nuc. mosch. galang. zingiber. cardamom. mastich. ladan. zedoar. cort. citr. aloës epatic. oliban. baccar. laur. herb. meliss. menth. majoran. matric. serpill. origan. puleg. salviæ, chamæpyth chamædr. Flor. anthos. laventul. chamomill. rosar. albar. rubr. pæon. sambuc. cheir. stœchad. Arabic. sassafras, sem. anis. aneth. piper. long. nigr. Rad. filic. caryophyllat. croci ana ʒij. Incisa & contusa infundantur in ℔vj. spiritus vini optimi, postea destilla in MB. adde moschi, ambr. ana gr. iij. sacchar. clarificat. q. s. Usui servetur in vitro bene munito.*

Aqua Vitæ rubra optima.

℞. *Cinamom. acut. ℥iß zingiber. caryoph. santal. rubr. macis ana ℥ß. nuc. moschat. piper. nigr. galang. cubebar. cardamom. specier. aromat. rosat. diambr. dianthos, sem. anisi, fœnic. coriandr. præparat. Herb. major. basilicon. flor. lavend. spic. rorismarin. ana ℥ß. rosar. rubr. m. j. Concisis & contusis omnibus superf. ▽. opt. rectif. ℔v. ▽. ros. in qua caryoph. supra præscripti macerati fuerunt ℥ij. cinamom. ℥j. vini malvatic. optim. lib. ij. Macerentur omnia per quatriduum, exprimantur postea & colentur, adde sacchari candi albi lib. ij. stent iterum in infusione per biduum, colentur postea aliquot vicibus, ut aqua clarafiat.*

Aqua Ischiatica.

℞. *⊖-l. Roman. lib. ij. tartar. albiss. ℥iv. mumiæ, mastich. thur. myrr. ana ℥ij. ammeniac. ℥ß. mellis lib. ij. aq. vit. lib. j. ℞la in MB. ter vel 4. vel pluries cohobando, servetur usui.*

Aqua contra calculum ab Ungaro communicata.

♃. Nucl. persicor. ℥iij. morell. ℥ij. cerasor. ℥iv. Acin. oxyacanth. baccar. sambuc. cynosbat. ana ℥j. Lapid. mespilor. halikakab. ana ℥ß. Amygdal. amar. ℥iij. Baccar juniper. ℥ij. Semin. melon. ℥j. petroselin. ℥ß. alth. fœnic. ana ℥iiß. saxifrag. bardan. ana ʒiß. Herb. herniar. m. iij. Rad. ononid. petroselin. ana ℥iß. Omnibus grosso modo contusis affunde vini malvatici lib. x. stent per quinque dies in digestione, destillentur postea in MB.

Aqua sine corrosione solvens aurum & deaurans.

♃. Alumin. roch. salis commun. nitri ana ℥ß. Auri foliati vel calcinati vel limati ʒj. M. & tere invicem, inde ollulæ vitreatæ, & affunde aquam ad supereminentiam trium digitorum, coque ad consistentiam, ne nimium exiccetur, iterum ▽. affunde, & coq. & sic perge ter vel quater usque obtineat colorem croceum, qui est signum solutionis solis, super hac massam affunde spiritum vini rectificatum, & attrahet in momento colorem aureum, & massa relinquetur albissima, spiritus vini decantatus digeratur in vitro obdurato, donec fæces subsideant, iterum decantetur, hic spiritus vini destillatur usque ad partem quartam, in hanc partem infunde ☿. vulgar. sublimat. & rectificati (durch Weltzen kleien.) *Huic intingatur linteolum vel papyrus emporeticus, & in crucibulo comburatur in pulverem. Hunc pulverem africa ☽æ, & colorem ☉. acquiret illa. ☿ vivus solvitur in* 🜅, *& additur ⊖. comm. m. ij. & sublimatur hoc modo: ♃. ☿. viv. p. j. Calc. viv. p. iij. ⊖. p. ij. tere & digere in arena, & residebit ☿ in fundo, reliqua ascendunt.*

Aqua nigra Chirurgorum ad gangrænam & sphacelum.

♃. Gallar. alumin. ana ℥ij. ⊕l. alb. ℥iß. Ceruss. ʒv. sabin. virid. æris ana ℥ß. baccar. laur. juniper. āā ℥iß. Oliban. ʒij. Fol. querc. rut. absinth. salviæ, salis commun. ana m. ß. Aceti vinos. vini, lixivii fort. ana mens. ij. Coque ad trium digitorum consumptionem & lintea duplicata, hâc aquâ tinctura calidè applica.

Aqua Ophthalmica D. Krausens.

♃. Zingiber. albiss. ʒß. caryophyll. baccar. laur. ana ℈j. ⊕l. alb. ʒß. camphor. ℈ß. Aquæ rosar. chelidon. ana ℥ijß. euphrag. fœnic. ana ℥j. vini alb. opt. ʒvj. infund. per dies octo, filtra.

Aqua Cephalica Regis Poloniæ.

♃. Rorismar. m. v. Salv. m. vj. major. m. v. serpill. m. iv. beton. m. iij. aneth. m. j. sambuc. m. iß. Flor. lavend. m. v. lilior. convall. m. ij. rosar. iij. verbasci, m. ij. Cinamom. galang. zingiber. caryophyll. macis āā ℥j. Semin. cumin. ℥ß. granor. Paradis. cubebar. āā ℥j. Vini Rhen. canthar. xij. infunde & destilla per MB.

Aqua Panis.

♃. Medull. pan. trit. ℔ij. nuc. moschat. cinamom. ana ℥ij. caryoph. ℥ß. galang. ʒvj. Dum panis medulla adhuc est calida vinum malvaticum affundatur & omnia simul probè misceantur, postea per 4. vel 5. dies in MB. *Sent & ter vel quater cohobentur.*

Aqua Asthmatica alba D. Mavii.

♃. Rad. enul. farfar. ana ℥j. gentian. caryophyllat. zingiber. ana ℥ß. Bacc. laur. juniper. ana ʒij. alkekeng. Cinamom. ana ℥ß. cardamom. ʒij. Fol. salv. majoran. hyssop. marrub. rad. ireos Florent. polypod. querc. liquirit. Passul. minor. Dactylor. excort. amygdal. dulc. pinear. ana ʒvj. squil. præparat. ℥j. Pulmon. vulp. præparat. ℥ß. ficuum ping. ʒvj. semin. fœnic. urtic. origan. ana ℥ß. Spirit. vin. ℔x. destillentur per vesicam, post adde sacchar. ℔iß. Mosch. gr. ij. m.

Aqua Cephalica calida ad intra ejusdem.

♃. Flor. rorism. primul. ver. lavend. betonic. tiliæ, lilior. convall. ana m. ß. Herb. beton. major. salv. hyssop. meliss. rorismar. satureiæ, puleg. melilot. chamædr. chamæpyth. serpill. calaminth. ana p. iv gran. pæon. cubebar. cardamom. Bacc. laur. juniper. Sem. coriandr. anis. fœnic. ana ʒj. Rad. eryng. pæon. gentian. alb. bryon. āā ʒij. cort. citr. ʒiij. Ligni aloes ʒj. cinamom. ʒß. macis ʒj Stœchad. Arabic. p. ij. Concis. & contus. omnia mediocriter superf. spir. vin. opt. q. s. stent in digestione, post destillentur per vesicam.

Aqua Cephalica frigida ad extra ejusdem.

♃. Herb. aneth. chamomill. melilot. malv. alth. lactuc. solan. hyoscìam. portul. puleg. sempervív. acetos. borragin. bugloss. Fol. papav. salic. ana m. j. flor. sambuc. nymph. alb. violar. ana m. ß. Semin. aneth. plantagin. ana ʒij. portal. lactuc. ana ʒj. Amygdal. amar. dulc. ana ℥j. nucl. persicor. ℥ß. Ros. sal. cont. ℥iv. omnia benè concis. & contus. grosso modo infunde in Aq. verben. rosar. abrotan. beton. lavend. flor. aurant. sambuc. tiliæ, lactuc. puleg. pæon. ana lib. j. stent in digestione per aliquot dies, postea destill. per vesicam, & alembico imponitur camphoræ ʒj.

Aqua Splenetica ejusdem.

♃. Splen. bovis castrat. n. j. croc. oriental. ʒj. myrrh. ℥ß. affund. vin. opt. q. s. stent. in digestione. ♃. Cortic. tamarisc. fraxin. cappar. Rad. polypod. fœnic. petroselin. asparag. rusci, apii ana ℥ß. cichor. ʒiij. raphan. ℥iß. Herb. heder. terrestr. scolopendr. capillor. vener. filicis, cuscut. cochlear. nasturt. ana p. iij. Flor. borrag. bugloss. ana p. ij. rosar. p. iij. Semin. nasturt. ʒij. agni casti ʒiß. fœnicul. ℥ß. anisi ʒij. Terebinth. ℥ß. Ammoniac. dissolut. ʒij. Omnia benè concis. & contusa addantur prioribus, cum succ. cochl. ℥iij. nasturt. ℥vj. beccabung. ℥iv. destill. per vesicam.

Aqua virtutis ad extra seu ad cor & pulsus ejusd.

♃. Herb. roris. meliss. major. serpill. puleg. Flor. borag. bugloss. ana m. j. lavendul. m. ß. rosar. rubr. m. ij. Flaved. cort. citr. ℥j. cydonior. ℥ß. Santal. albi, citrini ana ʒiß. Lign. Rhod. raspati ʒiij. spic. Indic. celtic. ana ℈ij. nuc. moschat. caryoph. Cinamom. ana ʒiß. Omnia minutim concisa infund. in aq. rosar. puleg. spir. vin. ana lib. ß. Vini optim. q. s. destill. ex organis vitreis, in rostrum suspend. mosch. gr. vj. adde spec. diamosch. dulc. diambr. āā ʒiß. M.

Aqua vitæ aurea D. Reinholt.

♃. Xyloal. santal. citrin. ana ℥ß. caryoph. macis, nucis condit. ana ℈j. Baccar. juniper. acet. per noctem macerat. & siccat. ʒiij. cortic. citri ℥ß. herb. acetos. card. ben. agrim. veronic. betonic. scord. hyperic. galeg. ana p. ij. Sem. citri, napi āā ʒij. Rad. angelic. succis. enul. tormentill. pimpinell. galang. minor. āā ʒß. zedoar. doronic. diptamn. alb. cyper. carlin. arist. long. serpent. valerian. liquirit. olsnit. pentaph. vincetoxic. gentian. pæon. āā ℥j scorzoner. Lign. sassafr. ana ʒij. Flor. rosar. rubr. incarnat. borrag. bugloss. violar. betonic. anthos. ana ʒiij. incidenda incidantur, contundenda contund. & infund. in Elix. vit. D. Scröder. *lib. ß. vini malvatic. fragrantiss. lib. iij. vini Rhenani puri non sulphur. lib. j. spir. vini Rhenan. malvatic. ana lib. ß. stent in loco calido per tres dies, vitro optimè clauso & sæpius benè agitato, postea adde croci orientalis integri ʒij. myrrh. ʒiij. mithridat. ℥ß. M. & destill. organ. vitr. per* MB. *adde fol. ☉. n. vj.*

Aqua Mirabilis M. H.

♃. Herb. Salv. ℥xij zingiber. Cariophyll. granor. Paradis. nuc. moschat. piper. long. galang. ana ℥ß. Vini optim. lib. vß. Omnia simul vasi clauso immittito ut per XII. dies digerantur, vinum postea detrahito, reliquumque in mortario diligenter contundito, vasi iterum inde vinum detractum superaffunde, in balneo destilla, inditâ recipienti salviâ

salviæ recentis semi unciâ, juncturisque ne spiritus in auras abeant luto diligenter obductis, & quando guttulæ coloris erunt rubri ut ignis extinguatur permisce. Hæc aqua in ventriculi affectibus est præstantissima, commendatur in vertigine, aurium tinnitu, manuum & faciei maculis, oculorum morbis; vulnera & cunctos tumores si eâ laventur curat, dentium, orisque affectibus medetur, & ad narium ulcera confert: Ejus usus est mane jejuno ventriculo.

Aqua alba pro pueris D. Andr. Doreri.

℞. *Aq. cerasor.* ℔ij. *flor. tiliæ, scabios. ana* ℔j. *Margar. præparat.* ʒij ℈ij. *C. C. ust. & præparat.* ʒv. ℈j. *Sacchar. cand. alb.* ʒx. ℈ij. *M. bene in mortario marmoreo & servetur usui.*

Aqua alexiteria D. Clementis.

℞. *Rosar. rubr. m.* ß. *zedoar. theriac.* Andromach. *ana* ℥ß. *Semin. citr. card. ben. ana* ʒiij. *rad. tormentill. cortic. citri, santal. citrin. ana* ʒiß. *Rasur. C.C. C.C. usti & ppt. ana* ʒiij. *camphor. optim.* ℈j. *gr. vj. Succ. pomor. citri opt. Aceti rosar. acerrim. ana* ℔j. ℥iij. *Incident. & contund. incidenda & contundenda & digerantur in* MB. *duos dies naturales, post destill. gradat. servetur usui.*

Aqua Analeptica D. Schillingii.

℞. *Rasur. C. C. crud. C. C. ppt. ana* ʒiij. *Semin. citr. rad. zedoar. ana* ʒiiß. *tormentill. cort. citri, santal. citrin. ana* ʒiß *flor. rosar. rubr. opt. m.* ß. *camphor.* ℈j. *gr. vj. Succ. mali citr. acet. rosar. opt. ana lib.* ℥iij. *Omnia simul mixta macerentur in balneo per triduum, post destill. in vase duplici sive clauso, & servetur usui.*

Aqua anisi cum spirit uvini D. Belzeri.

℞. *Semin anis. elect.* ℥xij. *coriandr. ppt. Radic. liquir. ras. ana* ʒvj. *cort. citr. siccat.* ℥j. *Flor. borragin. bugloss. rosar. ana m.* ß. *concis. & contus. affunde spirit. vin. canthar. iij. destilla s. a. & servetur usui.*

Aqua antihypochondriaca D. Coci.

℞. *Rad. vincetoxic. fraxin. asparag. rub. tinct. acor. ver. ana* ℥ß. *Sarsaparill.* ℥iß. *cortic. rad. cappar. tamarisc. ana* ℥iij *ebul.* ℥iß. *sambuc.* ℥iij. *Herb. cuscut. eupator. scolopendr. ana m. j. Semin. frigidor. major. exart. minor. ana* ʒij. *fœnicul. apij. halicacab. ana* ʒiij. *Summit. epatic. agrimon. ana m. j. centaur. minor. Flor. sambuc. ana m.* ß. *epat. lupi præparat.* ʒvj. *Schœnant.* ʒiij. *Incid. & contund. grosso modo & misc. adde, Specier. diacurcum.* ℥j. *diarrhod.* Abbat. ℥ß. *Trochis. de ros. de rhabarbar. de eupator. de absinth ana* ℥ß. *de cappar.* ʒij. *M. & infund. in vin. malvat. lib. ix. aq. flor sambuc. ebul. ana lib. iij. agrimon. scolopend. ana lib. iß. succ. rad. irid. cœlest. lib. ij. stent in infus. loco calido per dies* 14. *vase singulis diebus aliquoties agitato, deinde destilla in* MB. *igne lentissimo.*

Aqua antiscorbutica D. Kistij.

℞. *Cort. rad. cappar. tamarisc. frangul. ana* ʒvj. *Rad. polypod.* ℥iß. *gentian.* ʒvj. *Fol. cuscut. fumar. agrimon. lupul. card. bened. chamædr. meliss. ceterach. Flor. centaur. min. sambuc. ana m. j. Flor. cochlear. nasturt. becabung. recent. & virid. ana m. iij.* Rad. *chinæ elect.* ℥iß. *præpar. l. a macerentur per hor. ix. in aq. fumar. nasturt. agrimon. cuscut. chamædr. card. bened. ana lib. ij. destill. l. a. in* MB.

Aqua aperitiva D. Landgravij.

℞. *Cort. intermed. virid. sambuc. Fol. nasturt. cochlear. ana recent. m. iij. Rad. ireos Florent. enul. campan. ana* ℥iß. *sassafr. baccar. juniper. ana* ℥iij. *Fol. agrimon. Flor. chamomill. utriusque, sambuc. centaur. minor. ana Miij. cort. tamarisc. frangul. ana m. ij. Troch. de eupator. rhabarb. cappar. ana* ʒvj. *Aquæ agrimon Acet. Rhen. ana lib. iij. præp. l. a. destill. organ. vitr. in* MB. *collectum reservetur usui.*

Aqua apostematica D. Kolreiteri.

℞. *Herb. scabios. morf. diab. salv. min. charefol. ana m. ij. veron. satur. centaur. minor. ana m. j. Rad. polypod.* ℥j. *Herb. rut. murar. Flor. lavend. Herb. vinc. pervinc. pyrol. sanicul. auric. mur. ana m.* ß. *Rad. agrimon malv. fœnic. pimpinell. ana* ℥ß. *Flor. chamom. Roman. epatic. alb. lilior. convall. ana m.* ß. *Herb. card. ben. menth. endiv. hyssop. lingu. cervin. fumar. puleg. pentaphyll fragar. meliss. major. rorismar. ana m.* ß. *infund. in* ▽. *Rhen. vini Rhen. ana canth. iij. post destill.*

Aqua pro auditu difficili D. Belzeri.

℞. *Rad. raphan. major. porri, cœpar. ana* ℥iß. *Hellebor. alb.* ℥ß. *Fol. origan. rut. majoran ana mj. Flor. anthos. lavendul. salv. ana m.* ß. *Sem fœnic. cumin. ana* ʒiij. *Bacc. laur. n. xxx. contund. omnia gross. modo add. fellis vaccin.* ℥iß. *post macerent. in vin. opt. canth. iij. ac tand. destill. omnia organis vitreis.*

Aqua aurea D. Döreri.

℞. *Cardam. cubebar. ana* ʒvj. *galang. minor.* ℥ß. *Lign. aloës* ʒj. *nuc. mosch.* ℥iij. *mac.* ℈ij *Flor. tiliæ* ℥iij *borrag. meliss. Turcic. bugloss. ana* ℥j. *tunic. rubr.* ℥iß. *concis. & contus. affunde aq. ceras. nigr. destill* ℔iv. *vel vj. spir. vin. opt.* ℔ij. *vel iij. stent in infus. per mens. post destill. s. a.*

Aqua Bezoardica D. Landgravii.

℞. *Rad gramin. scorzoner. ana* ʒvj. *valerian. diptamn. alb. ana* ʒiij. *Sem. acetos. citri. card. ben. ana* ℥ß. *herb. endiv. acetos. galeg. ana m. j. capill. vener. m.* ß. *Flor. cyan. calendul. borrag. bugloss ana m. j. Santal omnium ana* ʒij. *cort. citr. recent.* ℥j. *Incis. & contus. macerentur per* 24. *hor. in loco calido in aq. endiv. borrag. bugloss meliss. card. ben. calend. acetos. scab gramin. ana* ℔ß. *destill. in* MB. *lento igne adde postea C.C. præp.* ʒvj. *marg. præpar. corall. rubr. præpar. fragm. lap. precios. præp. oss. de cord. cerv. succin. alb. præparat. ana* ʒj. *M.*

Aqua contra calculum D. Döreri.

℞. *Camph. galang. min. calam. aromat. mac. piper. long. cardam. cubebar. granor. Parad. nuc. mosch. ana* ʒj. *cinamom.* ʒiß. *zingiber.* ℈ij. *fruct. alkekeng. gland. ana* ℥ß. *Bacc. laur. nucl. persicor. morellor. mespill. ana* ʒiiß. *Oss. dactylor.* ℥j. *Gran. juniper.* ℥ij *sem. basilic. portulac. endiv. petrosel pimpinell. levistic. fœnic. cynosbat. lactuc. milii solis, saxifrag. urtic. ana* ʒij. ℈iß. *apij, raphan. ana* ʒiiß. *Rad. liquirid. ononid. ana* ʒvj. *eryng. pimpinell. petrosel. apii. meu ana* ʒiß. *fœnicul. levistic. peucedan. alth. malv. filipendul. ana* ʒiijß. *Cort. aurant.* ʒj. *Herb. heder. terrestr. veron. ana* ℥ß. ʒß. *Flor. chamomill. Rom. saxifrag. Herb. cum rad. fragar. ana* ℥ß. *vini Rhen.* ℔vj. *f. destill. in* MB. *s. a. adde ocul.* ♋. *præpar.* ʒij. *mand. luc. pisc. n. vj. lap. carpion. n. ij.*

Aqua cardiaca ejusdem.

℞. *Flor. borrag. bugloss. tunic. ana m.* ß. *Fol. basilic. meliss. ana m. ij. puleg. menth. ana m. j. Sem. meliss. basilicon. cubebar. ana* ʒj. *caryophyll.* ℥iij. *zedoar. galang rad. enul. doronic. ana* ℥iß. *mac.* ʒj. *Santal. citr. alb. ana* ʒij. *Lign. aloes* ʒiß. *cort. citri. aurant. ana* ℥ij. *Cinamom. elect.* ℥iß. *Vin. Rhen. alb. opt.* ℔xv. *infund & præp s. a. per* 4. *dies, post destill. an* MB. *add. fol. aur. fin. n. xv.*

Aqua cephalica ad extra D. Schvvalenbergeri.

℞. *Flor. chamomill. melilot. serpill. aneth. ana m. j. lavendul. rorismar. rosar. rubr. beton. ana pij. spic. celtic. Indic. vulgar. ana pj. Fol. beton. m. ij. Bacc. juniper. laur. ana m.* ß. *Hisce omnibus concisis & contusis superf. spir. vini puriss. canth. iijß. stent in infusione per triduum, post destill. in* MB.

Aqua cephalica ad intra D. Kolreiteri.

℞. *Flor. rorismar. paralys. lavend. tiliæ, lilior. convall. pæon. ana m.* ß. *fol. puleg. meliss. salv. betonic. hyssop. euphras. origan majoran. ana m. j basilicon. satur. chamædr. chamæpyth. ana m.* ß. *Sem. anis. fœnicul. Cardam. utriusque, Cubeb. Gran. pæon. ana* ʒj. *Rad. bryon. eryngii, pæoniæ, cruciat. gentian. ana* ℥ß. *cort. citr. sicc.* ʒv, *lign. aloes* ʒj.

macis

Macis ʒß. schœnant. ℈j. cinam. ʒv. calam. arom. nuc. mosch. ãã ʒj stœchad. Arab. p. ij. Hisce contus. superf. spir. vin. puriss. canth. ij. cum dimidio vini; stent simul in macerat. in loco calido p. 14. dies, vase bene clauso, post destill. in MB.

Aqua contra Colicam D. Döreri.

℞. *Flor. chamomill. sambuc. fol. menth. crisp. exsicc. ãã m. iß. bacc. juniper. ℥iß. laur. ℥j. sem. cymin. acet. ppt. ℥j. anis. fœnicul. ãã. ℥ß. calam. aromat. ver. ℥iß. cinam. acut. ʒvj. galang. minor. zedoar. ana ʒiij. flaved. cort. aurant. siccat. ℥iij. Pulveris. omnia, post infund. ex vin. malvat. opt. mens. ii ß. stent per biduum in* MB. *ac digerantur igne in vase benè munito, tandem destilla in cineribus lento igne.*

Aqua contra palpitationem Cordis ejusdem.

℞. *Cord. cerv. n. j. scindatur in frusta tenuia, lavetur & purgetur benè à sanguine concreto, cui adde, rasur. lign. sassafr. ℥ß. caryoph. nuc. mosch. ãã ʒj. gran. Parad. Cardamom. galang. calam. arom. ãã ℈ij flor. anthos. rosar. rubr. violar. borragin. ana p. j. summit meliss. m. j. sem. citr. sinap. alb. ana ℈iß. incidantur omnia ac contund. gross. modo.*

℞. *Spect. elect. de gemm. frig. lætific.* Rhaz. *ana ℈j. diamarg. frig. ℈ß. Commisc. omnia ac indantur vitreo vase, affunde vin. Rhen. ℔vj. Muniantur ritè, ac stent in digestion. per trid. post destill. lento igne ex organ. vitreis in* MB.

Aqua Damascena ejusdem.

℞. *Rad. ireos Florent. ℔ß storac. calamit. ℥ß. major. ℥j. caryoph. calam. aromat. ana ℥iß. Flor. ros. rubr. ℥ijß. rad. cyper. rot. cort. citri ãã ℥ß. mosch. ver. gr. xv. aq. rosar. ℔xij. destill. in* MB.

Aqua cordialis ad pulsum D. Schillingij.

℞. *Sem. citr. ʒv. acet. ʒij. meliss. ʒß. cardamom. utriusque ana ℈ß. cort. citri ʒij. santal. citrin. ʒj. mac. ʒij. cinamom. ℥j. spic. Indic. ℈ß. flor. violar. purp. m. iij. rosar. rubr. borrag. bugloss. ana m. ij. Incis. & contus. infund. in aquis stillatitiis seq. Aq. ros. ℔iij. meliss. borragin. ℔iß. bugloss. nymph. ãã ℔. stent in infus. in loco calido per quatriduum, adde succ. granat. ℥viij. pomor. Borstorff. ℥vij. citri puriss. ℥v. limon. ℥ij. cydon. ℥iß. croc. orient. ℈ß. misce simul & destilla per* MB. *adde sub finem aq. cinam. ℥j.*

Aqua contra dolores dentium D. Luchtenii.

℞. *Rad. torment. serpent. ãã ℥j. plantag. ℥ß. prunell. ʒij. cort. nuc. jugland. ℥vj. sem. coriandr. ppt. ℥ß. Bacc. myrtill. ʒij. fol. myrtill. m. j. herb. plantag. marrub. urtic. minor. prunell. ana m. jß. rorismar. salv. min. ana m j. Flor. rosar. rubr. cort. citr. siccat. cass. lign. ana ℥ß. nuc. cupress. ʒiij. sem. portulac. ʒvj. pinear. recent. n. iv. bol. Armen. mastich alb. ana ʒij. nuc. mosch. ʒiij. cinam. myrrh. ana ʒj. M. omnia s. a. superfunde spir. vin. ℔xij. stent per aliquot dies destill. per* MB.

Aqua hydropica D. Coci.

℞. *Cort. sambuc. non virid. m. xij. fol. cochlear. m. iv. card. ben. m. v. baccar. juniper. m. iij. coccognid. m. iv. sem. fœnic. anis. ana ℥j. carvi ppt. ʒx. vini Rhen. q. s. ut 5. digitos superemineat, stent in loco calido 8. dies, deinde destill. in* MB.

Aqua pulmonica ejusdem.

℞. *Rad. liquir. ras. ʒxj. enul. ʒv. consolid. maj. ʒvj. ireos Florent. ℥ij. passul. minor. purg. ℥iß. Fol. menth. rut. murar. meliss. ana ʒxj. consolid. major. scabios. herniar. eupator.* Mes. *ling. cervin. ana ℥iß. absinth. ℥j. Carn. dactyl. ℥iß. croc. integr. caryoph. arom. cinamom. acut. ana ʒiß. sem. coriandr. ppt. ʒj. anisi, fœnic. ana ʒiij. Flor. consol. major. ℥j. Concis. s. a. infund. in lactis caprin. ℔xij. serventur per hor. 24. in loco calido, post destillentur s. a. in* MB.

Aqua Theriacalis D. Steinmetz.

℞. *Rad. valerian. angelic. ostrut. petasitid. ana ℥iß.*
Fol. rut. scord. card. ben. flor. calend. ana m. iv. tunic. m. ij. myrrh. select. ℥iß. baccar. juniper. ℥iij. Incis. & contus. minutim macerentur 24. hor. in vini Rhan. ℔vj. suco. citr. ℔ij. acet. acerr. ℔ß. adde camphor. ʒj. spir. vin. dissol. theriac. Andromachi, *Mithridat.* Damocrat. *ãã ℥vj. destill. organ. vitreis l. a.*

Aqua vitæ pro Mulieribus D. Döreri.

℞. *Cinamom. acut. nuc. mosch. mac. caryoph. zingib. alb. cubebar. cardamom. minor. gran. Paradis. ana ʒvij. galang. minor. ℥iiiß. piper. long. ℥ij. zedoar. ʒv. Contus. mediocriter indantur in vas vitr. superfund. vini Rhenani canth. vj. pone in cellam per 9. dies quotidie agitando, adde salv. min. menth. hortens. ana m. iij. post stent iterum per 14. dies & destill. ut artis est.*

Aqua Zedoariæ ejusdem.

℞. *Zedoar. elect. ℥iv. sem. card. bened. recent. ℥ij. Aq. veronic. ex vino destillat. Spir. vini optim. ãã ℔iv. stent in infus. per 24. hor. loco tepido, post destill. in* MB. *s. a.*

Aqua carminativa D. Schvvalenbergeri.

℞. *Flor. chamom. Roman. Mxxx. Incid. & infund. in aq. chamem. ℔xvj. stent in digestione in loco calido per 8. dies, post fortissimè exprimantur. In colatur. iter. infund. chamomill. Roman. Mxxx. stent iterum in digestion. per 8. dies, post colentur & exprim. fortiss. in colatur. infund. chamom. Rom. m. xv. flaved. cort. aurant. ℥ij. absinth. Pontic. m. j. Centaur. min. puleg. origan. ana m. jß. sem. aneth. ℥ij. anis. fœnic. ana ℥iß. carv. card. ben. Mariæ, ana ℥ß. Mac. ʒij. stent in infusione per mensem, deinde destill. organ. vitreis lento igne per* MB.

Aqua artemisiæ composita D. Joh. Jac. Reiteri.

℞. *Rad. raphan. sylvestr. acerr. ℔ß. Eryng. pimpinell. rub. tinctor. rusci ana ℥ij. apii, asari, asparag. cyper. enul. fœnicul. petrosel. pyrethr. valerian. ana ℥iß. Herb. sabin. m. vj. artemis. calaminth. puleg. major. dictam. Cretic. matric. persicar. ana m. iij. meliss. m. j. heder. terrestr. chamæpyth. ana m. ß. sem. anis. ℥ß. apii, levistic. petrosel. ana ʒvj. nigell. milii solis ana ℥j. cardamom. cubebar. ana ℥ß. cass. lign. ver. ʒij. calam. aromat. ʒß. Baccar. juniper. ℥iij. Semina & aromat. pulveris. herb. & rad. incid. & contund. denique misc. quibus superfunde vini Rhen. ℔iv. aq. sabin. artemis. matric. meliss. ana ℔ij. stent in alembico cœco per 8. dies quotidieq; semel agitentur, post destillentur in* MB.

Aqua apoplectica D. Kolreiteri sine castoreo.

℞. *Cinamom. galang. minor. ana ℥ij. caryoph. aromat. macis ana ℥iß. zedoar. cardamom. cubebar. nuc. moschat. ana ℥j. gran. Paradis. pæon. piper. long. calam. aromat. ana ℥ß. flor. lilior. convall. ℥vij. lavend. cheir. rosar. incarnat. rorismar. primul. ver. tiliæ, meliss. stœchad. Arab. ana m. jß. major. salv. ana m. ij. Incid. & contund. omnia grosso modo. stent in infus. per aliquot dies, effund. vini Rhen. opt. canth. vij. destilla lento igne secundum artem, & serva usui.*

Aqua apoplectica cum ambra & zibetho D. Rothii.

℞. *Fol. beton. salv. maj. & min. major. rorism. veronic. ana m. ij. rutæ, scabios. capillor. vener. hyssopi, polii montan. card. ben. galeg. chamædr. periclymen. meliss. cuscut. lingu. cervin. rut. sylvestr. agrimon. ana m. ß. Flor. lavendul. m. iij. rorismar. lilior. convall. primul. veris, tiliæ, sambuc. ana m. j. scabios. rosar. rubr. meliss. borrag. bugloss. ãã m. ß. cubebar. ℥ij Sem. pæon. excort. ℥ij. ʒiij. aquileg. ʒj. anis. fœnic. aneth. ãã ℥ß. Rad. pæon. ℥ij. zedoar. ℥iß. pimpinell. glycyrrh. gentian. caryoph. helen. diptamn. alb. angelic. ãã ℥ß. Visc. quercin. ℥iij. ficuum pingu. passul. major. minor. Pinear. pistac. ãã ℥iij. calam. arom. ℥j. cardam. gr. parad. ãã ℥ijß. Theriac.* Andromach. *lib. j. Elect. de scord. Mithridat. opt. ãã ʒij. Castor. ver. ℥v. aq. stillat. flor. lavend. vin. malv. opt. ãã ℔. iij. vel q. s. Stent in infus. per 8. dies destil. summâ diligentiâ per baln. vaporos. in vasis vitreis. Post*

  ℞. Un-

℞. Ungul. alcis ℥j. C. C. ust. & ppt. Unicorn. Terræ sigillat. Brund. Ebor. ppt. ā. ʒß. Croc. orient. opt. ℈j. zibeth. ʒß. Ambr. gryſ. ʒiß. Pulveriſentur hæc omnia & M. includ. nodulo ex ſandalo albo, immergatur aq. apoplect. & ſervetur uſui.

Aqua apoplectica *Viduæ Hoffmannianæ.*

℞. Flor. lilior. convall. ℔iß. lavend. ℔ß. tiliæ, pæon. ā. ℥ij. primul. ver. ℥j Sem. pæon. Rad. pæon. ariſt. long. Viſc. quercin. ā. ℥ij. Herb. beton. alb. purpur. primul. ver. Cubebar. ā. ℥j. Caſtor. Piper. nigr. ā. ʒß. Infund. ſimul omnia in vin. Rhenan. canth. V. per menſem in Sole, poſtea deſtill. per MB.

Aqua apoplectica H. A.

℞. Spir. vin. optim. ʒviij. in quibus infunde Nuc. moſchat. n. ij. ſucc. alb. ʒj. Thur. Maſtich. ā ʒij. Sem. pæon. ʒj. in digeſtione ſeorſim ſerva, Poſtea.

℞. ▽. cephal. noſtr. deſcript. ℔ij. Rad. leviſt. Viſc. quercin. ā. ℥j. Conſerv. flor. anthoſ. tiliæ, beton. ā. ʒiß. ſtent etiam cum prioribus per 5. dies in digeſtione ſeorſim, agitentur ſæpius infuſa, & poſt digeſtionem colentur, tunc

℞. ▽. cephal. ſic infuſ. & colat. ℥xv. Spir. vin. ſic colat. & impregn. ʒiiij. Aq. Cinamom. ʒj. Theriacal. Paracelſ. ʒiiij. M. hæc omnia, excellens remedium in apoplexia.

Aqua apoplectica *Electoriſſæ Saxoniæ.*

℞. Cubebar. Cardamom. ā. ʒiß. ʒiij. Cinamom. ℔ß. Galang. ℥ij. Rad. pæon. ℥iv. Flor. roriſmar. Mij. lavend. ℔ß. tiliæ. ā. lib. ß. lilior. convall. ā. lib iß. Vini optim. canth. ix. Infuſa per triduum deſtillæ.

Aquæ è D. T. D. Mayernæ.

Aqua è cordibus Animalium.

℞. Corn. animal. n. xij. Rad. tormentill. angelic. biſtort. carlin. Zedoar. ana ʒ. iij. ſcorzoner. bardan. imperator. petaſit. ana ʒ. ij. Fol. card. bened. pentaphyll. ulmar. morſus diaboli. ſcord. oxytriphyll. ana m. vi. meliſſ. calend. ſcabios. bugloſſ. borrag. rut. murar. ſalv. roris marin. Flor. roris Sol. calend. hyperic. pimpinell. ana m. vi. limon. & aurant. ana xv. vini generoſ. lib. xviij. Infund. omnia per 24. horas poſtea deſtilla ut a. e.

Aqua Inſtaurans.

℞. C. C. primarij, adhuc mollis, ſiccati & raſi ℥vi. capon unum magnum carnoſum, coxam unam vervecinam, & unam vitulinam magnas. Confractis oſſibus, coque ſimul in aq. hord. recent. ad putrilag. f. brodij colatur. de qua cape lib. viij. Rhenani opt. lib. iv. ſeri lact. recent. ſucc. pomor. redolent. recent. expreſſ. ana lib. vi. ſang. agn. recent. mactati confracti lib. iij. ova recent. n. xxiv. Miſceantur omnia. Adde mica panis alb. ex clibano adhuc fumantis lacte recenter mulcto penitus imbutæ lib. ij. cortic pomor. rodolent. recent. lib. j. Fol. meliſſ. virid. m. vi. Summ. menth. hortenſ. m. i. Flor. paralys. lil. conval. ſambuc. borrag. bugloſſ. ana p. vi. Cortic. citri recent. ʒ. iv. cort. rad. ſaſſafras, cort. Winteran. ſantal. citrin. nuc. moſch. ana ʒ. i. F. in vaſe refrigeratorio deſtillatio ut a. e.

℞. Hujus liquor. deſtill. lib. iv. aq. cinam. naphæ fragrantiſſ. ana ℥. iv. ſyr. moror. rubi Idæi & garyophyll. rubr. ana ℥. iij Miſc. optime, atq; indatur nodulus cōtinēs ambr. griſ. ʒ. ß moſch. orient. gr. vij. croci ℈. ß. Serva ad uſum.

Aquæ variæ ex Ph. Indic. Herm. Nicol. Grimm.

Aqua Apoplectica.

℞. Herb. roriſm. matricar. majoran. ocym. menth. ana m. ij. Fol. marrub. nepet. rut. ana m. j. Flor. cinam. anthos, marmellæ, cardam. ſylveſtr. Ceylonic. Iavanici, ana ℥. ʒ. citri, aurantior. ana ℥. ij. Rad. recent. zedoar. ℥ß. arundin. Indic. odorat. totius plantæ m. j. cortic. citri, aurantior. ana ℥. i. Sem. coriandr. cardam. cubeb. Fruct. caryophyll. nuc. moſch. ana ℥ß. cinnam. Baccar. cinnam. ana ʒ. ß. In capitello vel roſtro Alembici immittatur lign. Aloes ſantal. citrin. ana ℥. i. vini Hiſpanic. lib. viij M. & deſtill. in B. M.

Aqua Antepileptica.

℞. Flor. recent. cinnam. cardamom. ſylv. marmell. ocymi, moguri ana m. iiß. Herb. calaminth. matricar. roriſm. ocym. ana m. ii. majoran. m. i. cinnam. ʒ. ij. nuc. moſch. ʒ. j. macer. cubeb. coriandr. ana ʒ. vi. In roſtrum Alembici immitt. caſtor. lign. Aloes ana ʒ. ij. vini Hiſp. lib. ij. aq. roriſmar. lib. iv. M. & deſtillentur in B. M.

Aqua Cordis Cervi.

℞. Cordis Cervi n. i. Succ. citri, aurantior. ana lib. ij. cinnam. ℥. ij. cardamom. ℥. ß. Cortic. citri. aurantior. ana m. ß. aq. roſar. lib. i. vini alb. Gallici lib. iv. M. & deſtillentur in B. M.

Aqua Tenellorum Cervi.

℞. Cornua Cervi novella ſanguine adhuc repleto & infruſtula conciſa q. ſ. Succ. citri, aurantior. ana lib. i. Flor. cinnam. cardamom. ſylveſtr. marmell. ana m. i. aq. roſar. vini alb. Gallici ana lib. i. M. & deſtill. in B. M.

Aqua Alexipharmaca.

℞. Rad. recent. zedoar. zerumbeth. calam. aromat. cardam. ſylv. ana lib. i. ariſtoloch. long. Clemat. ℥. ii. Cortic. rad. cinnam. cinnam. ſylv. ana lib. i. citri. aurantior. ana ʒ. ii. Herb. rutæ, matricar. ana m. i. Bacc. cinnam. ℥. ii. cinnam. macer. caryophyll. ana unc. ß. In roſtrum Alembic. immitte croci orient. myrrh. elect. ſantal. citrin. ana unc. ß. Conciſis & contuſis groſſo modo adde aq. zerumbeth. zedoar. camphor. ex radicib. cinnam. ana lib. ii. vini Hiſpanic. lib. i. M. & deſtill. ſ. a.

Aqua Carminativa.

℞. Aq. calaminth. & aneth. ex ſummitatib. cum vino Hiſpanic. deſtill. lib iv. His aquis indantur Cortic. citri, aurantior. lign. ſaſſafras ana unc. iv. Bacc. cinnamō. Sem. aniſi Chinens. cumini ana unc. ii. Rad. zedoar. cinnam. maceris, ana unc. ß. M. & deſtill. in B. M.

Aqua Hyſterica.

℞. Herb. matricar. majoran. ocymi menth. roriſm. ana m j. Summ. aneth. arthem. arundin. Indic. odorat. ana m. ß. Rad. ariſtoloch long. zedoar. galang. calam. aromat. ana unc. i. Cortic. aurant. unc. i. Sem. ocym. fœnic. coriandr. ariſtoloch. Bacc. cinnam. ana unc. ß. nuc. moſch. macer. cinnamom. caryophyll. ana ℥. ij. In roſtro Alembici immitt. caſtor. croc. ana ʒ. i. vini Hiſpanic. lib. viij. M. & deſtill. in B. M.

Hactenus varias ac penè innumeras è variis Autoribus petitas tradidimus Aquas : Sequentur jam coronidis loco illæ quas Adrianus à Minſicht in ſuo habet Armamentario Chymico.

Aqua Epileptica.

℞. Rad. Pæoniæ debite collect. unc. ij. Ariſtoloch. rot. Diptamni alb. Angelicæ ana unc. ii. Viſci quercini, Stercor. Pavonis, Squillæ præp. Anacardi ana unc. j. Sem. Pæoniæ maris Coriand. præp. Carvi Fœniculi ana ʒ vj. Secundin. exſic. in qua maſculus fuit Caſtorei veri ana ʒ. ſ. Herb. Card. benedict. Millefolij Rutæ ſylveſt. Salviæ acut. Roriſmarin. ana ʒ. vi. Inciſa & contuſa infundantur in Vini Malvatici lib. xij. & digerantur in loco calido per octiduum, vaſe quotidie multoties commoto; Poſtea per alembicum deſtilla & liquori deſtillato à novo impone. Flor. Pæoniæ maris Lilior. conval. ana unc. iiij. Betonicæ, Tiliæ, Lavendulæ, Meliſſæ, Borraginis, Bugloſſæ ana unc. iß. Nuc. Moſchat. Cubebarum, Macis Cinamomi acut. Piperis longi Caryophyllor ana unc. i. Miſc. & igne lentiſſimo in B. Mariæ ſecunda vice deſtilla.

Vires, Uſus, Doſis. Valet à tota ſubſtantia contra Epilepſiam, Vertiginem, Lethargiam, Congelationem & Su-

& Subethicos affectus: à quibus omnibus præcavet, & quos propriè curat. Exhibetur in ipso paroxysmo Epileptico ab ℥. j. ad ℥. js. In præservatione autem singulis Lunæ quadris, in omni humida & nebulosa aeris constitutione è Cochl. j. ad Cochl. ij.

Aqua Apoplectica.

℞. Sem. Erucæ ℔. j. Sileris mont. Carvi, Anisi ana ℥. j. Rad. Caryophyllat. ℥. iiij. Pæoniæ mar. Pyrethri, Acori aquat. ana ℥. ij. Bac. Juniperi ℥. iiij. Lauri excort. ℥. is. Herb. Ivæ arthetic. Hyssopi, Majoranæ, Origani, Verbenæ, ana ℥. s. Confractis & contusis crasso modo affunde in matracio capaci Vini Malvatici Lib. X. Spirit. Rosarum opt. ℔. ij. Stent in infusione per 14. dies; postea in B. M. destill. ad siccitatem, & in liquore destillato iterum infunde: Flor. Liliorum convall. rec. Primulæ veris rec. Lavendulæ ana ℥. iiij. Salviæ acut. Calendulæ Betonicæ Anthos ana ℥. js. Cardamomi utriusque Cubebarum Lig. Aloes Nuc. Moschat. Macis Cinamomi acut. Galang. min. Piperis long. Caryophyllor. ana ℥. j. Misc. & denuò digeratur per triduum; deinde mediante B. Mariæ in organis Vitreis igne lentissimo destilletur: postea per se rectificetur inferendo rostro alembici Galliæ Moschat veræ Scr. j. bombace involuta. Tandem aqua in vitro bene clauso usui servetur.

Vires, Usus, Dosis. Aqua Sophorum rectius appellatur: quoniam est miræ virtutis in confortando cerebro & nervis. Memoriam & intellectum admodum juvat. Ab Apoplexia & Paralysi præservat, nec non ab alijs periculosis Capitis affectibus. Humores insigniter discutit ac attenuat. Sanguinem puriorem reddit, & colorem vividum corpori tribuit. In Apoplexia præsertim apprimè confert, sive intrinsecus sumatur, sive membra affecta illa inungantur. Dosis à Cochl. j. ad Cochl. ij. &c.

Aqua de Xyloaloe.

℞. Spec. Conf. Anacard. ℥. j. Sem Sileris mont. Carvi, Fœniculi, Lavendulæ ana ʒ. vj. Herb. Majoranæ, Roris marin. Salviæ min. Flor. Primulæ veris, Stæchad. Arab. Rosar. rub. Anthos ana ʒ. ij. Galangæ min. Cinamomi acut. Caryophyllorum Macis, Nuc. Moschat. Cubebarum, Cardamomi min. ana ʒ. j. Crassiuscule incisa & contusa infundantur in Vini Malvatici lib. iiij. stent ita simul in sole, vel loco digestionis per mensem; postea adde: Aq. Liliorum convall. Flor. Hyperici ana ℔. ij. Buglossæ, Melissæ, Betonicæ ana ℔. j. Misc. & per B. M. destillentur; & in liquore destillato toto iterum infunde: Lig. Aloes ponderos. ℥. iiij. Cassiæ ligneæ ℥. j. Spec. Diaxyloaloes, Diambræ, ana ℥. s. Croci orient. ʒ. j. misce & post debitam digestionem denuò per M. B. destilla, & aquam destillatam usui reserva.

Vires, Usus, Dosis. In confortanda imbecilla memoria hæc aqua illustris & famigerabilis est: aperit enim meatuum cerebri obstructiones, omnesque crassos, lentos, & viscosos capitis humores absumit. Dosis à Cochl. j. ad ij. sumatur & fricetur, nec non debita observetur: Sic intellectum egregie juvat, oblivionem delet, & ingenium singulariter acuit.

Aqua Mastichina.

℞. Aq. Menthæ crispæ ℔. j. Caryophyllor. cum Vino Malvat. destillat. ℥. iiij. Gran. Mastichis elect. ℥. j. Coquantur in duplice vase per duas horas; postea filtrentur, cum syr. Cydoneor. edulcorentur, & ad usum serventur.

Vires, Usus, Dosis. In Nausea, Vomitu & Cholera morbo, quæ cognata sunt mala, hæc aqua efficacissima est; Stomachum enim confortat, & facultatem retentricem maximè roborat. Dosis. ab ℥. ij.

Aqua Hypnotica.

℞. Sem. Papav. alb. & nigri ana ℥. viij. Melon. excort. Anethi, Anisi ana ℥. j. Amygdal. amar. ℥. ij. Rad. Glycyrrhiz. Nuc. Moschat. an. ℥. js. Cardamomi min. Macis, Croci orient. Flor. Papav. errat. Violarum rec. ana ʒ. j. Incidantur, contundantur, & infundantur in Aq. Lactucæ ℔. iij. Rosar. rub. Nymphææ ana ℔. ij. Portulacæ, Endiviæ ℔. j. Misc. & digerantur in loco calido per biduum aut triduum; postea in B. M. destillentur.

Vires, Usus, Dosis. In omnibus diuturnis vigilijs, doloribus acutis, in Febriumque ardentium calore & siccitate hujus aquæ longè tutior est usus, quam aliarum soporificarum, quas in substantia, Hyoscyamus, Mandragora, opium, &c. ob illorum virulentiam & nimis soporiferam qualitatem, ingrediuntur. Dosis ab ℥. s. ad ℥. ij. plus minusve per se, vel additis amygdal. vel Sem. 4. frig. major. fiat emulsio exhibenda.

Aqua Narcotica.

℞. Suc. Flor. Papav. errat. depurati ℥. xvj. Opij in aq. Solani diss. ℥. ij. Cort. rad. Mandragoræ Croci oriental. ana ℥. s. Styracis calamit. ʒ. ij. Lig. Aloes ℥. j. Misc. & B. M. destillentur ad tertium. cohobium.

Vires, Usus, Dosis. Somnum mirabiliter provocat & in omnibus doloribus, inquietudinibus, vigilijs extremis, anodynum est præstantissimum & accommodatissimum. Melancholicis & supra modum mœstis, Spiritus animales recreat, tristitiam aufert, & omnes nidores in cerebo tumultuantes discutit. Maniacorum & Phreneticorum bilis fervorem compescit & furiam illam mitigat, quibus subitò quietem conciliat. Dosis à Drach. j. ad duas.

Aqua Ophthalmica aurea.

℞. Decoct. Lig. Brasilij cum pauco Aluminis in vino Malvat. Aq. Rad. Herb. & Flor. Valerianæ cum vino destillat. Sacchari cum aqua Fragis matur. destillat. ana ℥. xij. Rosarum fragrantiss. ℥. viij. Fœniculi Verbenæ Flor. Cichorei, Euphrasiæ, Pulegij, Rutæ hort. ana ℥. vj. Mellis virginei ℥. iiij. Tutiæ præp. ℥. js. Vitrioli alb. Croci Metallor. Myrrhæ rub. Aloës Rosat. ana ℥. s. Sacchari candi alb. Camphoræ ana ʒ. iij. Zingib. albi Caryophyllor. Piperis nigri Bac. Lauri Cinamomi ana ʒ. j. Sal. Chelidoniæ Valerianæ Saturni ana ℈. j. Ex his omnibus invicem bene mixtis f. l. a. Collyrium, quod in vitro clauso per mensem, aliquoties in die movendo, in lento ignis aut Solis calore digeratur: postea usui reservetur.

Vires, Usus, Dosis. In omnibus oculorum affectibus, valdè mirabilis est: Perfectissime enim omnes oculorum prolapsus, inflammationes, lippitudines, nebulas, fistulas, maculas &c. curat, vehementissimosque dolores sistit, & si non eodem, altero die persanat, guttula una atque altera per oculorum cavitates, manè, meridie, & vesperi diligenter diffusa.

Aqua Ophthalmica viridis.

℞. Mellis Virginei ℥. viij. Fragor. matur. ℥. iij. Vitrioli alb. Salis com. ana ℥. s. Misc. & in vase aurichalcino stent in loco humido & frigido sæpius agitando, donec perfecte virescant, seu viridi sese demonstrent colore; postea adde: Vini Malvatici. ℔. j. Aq. Rosarum opt. Flor. sambuci ana ℔. s. Consolid. rega. Euphrasiæ, Chelidoniæ, Valerianæ, Cyani ana ℥. iiij. Misc. stent in vitro clauso aut in caloris digestione per mensem, vel quod melius sub dio soli & rori exponantur per aliquot septimanas, tunc viridissimus liquor separat sese in superficiem, remanentibus in fundo fecibus impuris, à quibus separetur; & sic demum insolata promenda usui.

Vires, Usus, Dosis. Ad oculorum contusiones, inflammationes, ardores, rubedines, Lippitudines, inustiones, fistulas, pustulas, fluxum tenuem, epiphoram &c. medicamentum est solemne. Usus ejus, ut bis terve in die gutta una atque altera oculo instilletur atque intrusa aqua per totum oculum diffundatur; sic infirmus cito curabitur.

Aqua Ophthalmica subnigra.

♃. *Vini Græci generosi ℔j. aq. chelidoniæ, rosar. alb. euphrasiæ, fœniculi, Rutæ hort. āā ℥vj. caryophyllorum, aloës hepatic. tutiæ præp. āā ʒv. camphoræ, ʒvj. Misc. in phiolâ vitreâ & expone soli per dies caniculares, semel in die agitando; postea immotam reserva ad usus.*

Vires, Usus, Dosis. Epiphoras rarefacit, rubores discutit, lippitudinum causas exsugit, corneam & limpidiorem reddit, & fotu subjacentes humores crassos extenuat. Usus tempore præcipue misce instillando parum in oculum, nec non petias ex collyrio hoc madentes, si opus extrinsecus applicando.

Aqua Ophthalmica de Cancris.

♃. *Cancror. fluviat. vivor. mense Junio Sole & Luna in cancro existentibus, num. xxxj. Et pro pondere horum adde tantum Herb. chelidon. cum toto, contunde hæc una, iisdemque porro adde: Sem. fœniculi contus. ℥j. fabar. marin. præp. camphoræ ana ℥ß. caryophyllor. aloës hepaticæ, tutiæ præp. ana ʒij. Misce & divide in tres æquales partes, primamque partem in MB. destilla; deinde partem alteram immitte cucurbitæ, & destillatam illam à parte prima aquam affunde, rursumque abstrahe, ut prima vice, tum tertiam quoque partem infer, & aquas antea destillatas omnes iterum superinfunde, adeoque tertia vice destilla. Et sic verè præparata est aqua illa de cancris & Chelidoniâ famosissima. Qui vult, ex fecibus calcinatis salem potest extrahere, & majoris efficaciæ ergò admiscere.*

Vires, Usus, Dosis. Hæc illa est aqua ophthalmica pretiosissima, magno semper in pretio habita, cujus etiam Crollius in Basilica sua chymica mentionem facit his verbis: Mirum & stupendum ophthalmicum fit ex chelidonia & cancris. Quod si debito artificio & tempore præparetur, oculos ad desperationem læsos, virtuosissime restituit, & omnia vulnera 24. horarum spacio conglutinat. Hactenus Crollius. Sed modum præparandi ex mera invidia revelare noluit, vel ipsemet nescivit, nisi quoad ab aliis eandem deprædicari forsan audiit. Hac de aqua opthalmica ægris oculis una, duæ, pluresque guttulæ instillentur, vel illinantur plumâ gallinæ nigræ, idque bis, ter quaterve quotidie, prout necessitas requirit, & continuandum hoc, donec æger sanitati restituatur

Aqua Ocularis interna.

♃. *Bac. Juniperi ℥ij. cass. ligneæ ℥j. sem. sileris mont. fœniculi āā ℥ß. rutæ ʒiij. spec. diamoschi dulc. nuc. mosch. lig. aloës ana ʒij. fol. euphrasiæ, verbenæ, rutæ sum. rorism. salviæ, pulegii, anethi, fœniculi ana ʒjß. flor. chelidon. major. betonicæ, lavendulæ, rosar. rub. anthos ana ʒj. Macerentur in vini Malvatici ℔vj. per octiduum; postea MB. destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Ad visus imbecillitatem & caliginem, Spiritusque visivos confortandos cerebrum humoresque rectificandos, præmissis universalibus, mirificè prodest. Dosis manè & vesperi ab ℥ß. ad ℥jß.

Aqua Pectoralis.

♃. *Amygdal. amar. passular. min. ana ℔ß. rad. ireos flor. glycyrrhiz. althææ, tussilag. ana ℥j. malvæ min. symphyti major. enulæ camp. ana ℥ß. sem. fœniculi, anisi, cydoneor. card. bened. card. Mariæ, myrtillor. urticæ, ana ʒiij. croci oriental. macis, cinamomi acut. ana ʒij. Herb. pulmonar. utriusque, veronicæ, marrubii, hederæ ter. capil. Ven. scabiosæ, Hyssopi, salviæ ana ʒjß. flor. chamomillæ, farfaræ, violarum, jaceæ ana ℥j. Incisa & contusa infund. in Hydromellis opt. & antiqui ℔x:j. & digerantur per octiduum; postea MB. destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Ad miraculum usque in omnibus thoracis affectibus, utpotè Dispnœâ, Orthopnœâ, Asthmate, Tussi &c. operatur. Pituitam crassam, lentam & viscosam in pulmonibus vel capacitate pectoris collectam, attenuando, incidendo, ac detergendo ad eductionem per screatum, facilem reddit, & Stomachum simul confortat, præservat & curat una cum spec. Diasulph. nost. sumpta, omnes putrefactiones & apostemata. Præterea Phthisicis, Suspiriosis, Arteriacis, Empyacis, seu purulenta exscreantibus peculiariter, & efficaciter opitulatur. Dosis ad ℥ß. ad ℥j. & ℥ij.

Aqua Antiphthisica.

♃. *Conf. rad. cosolid. major. rosar. rub. ana ℔j. Micarum panis trit. ℥iv. pinearum mundat. Pistat. virid. ana ℥iij. rad. chinæ ℥ij flor. hepaticæ alb. rorismarini, medul. nuc. Ind. ana ℥j. macis ℥ß. Confractis & contusis affunde in matracio capaci. aq. pulmon. vituli ℔ij. plantaginis, caponis ana ℔j. cinamomi, bugloss. veronicæ, scabiosæ, ana ℔ß. Stent in infusione per octiduum, aliquoties in die movendo; postea adde: Suc. tussilag. exp. lact. caprini ana ℔ß. Sang. porcelli unius* (vom gantzen Spanfercken) *Limacum è suis testis extract. & contus. ℥jß. hepat. gallinarum num. iij croci oriental. ʒj. Denuò misce, & MB. per alembicum destilla.*

Vires, Usus, Dosis. Est aqua mirabilis operationis & expertissima ad curandum Phthisin, sanandum ulcera Pulmonum, & purgandum pectus ab humoribus crassis. Phthisicis autem ex thorace rheumatizantibus; Item, Asthmaticis, Peripneumonicis, &c. in sequenti forma exhibere solemus, & oculariter juvat.

♃. *Aq. antiphthisic. ℥xjx. sacchari cand. alb. ℥iij. Lact. sulphuris ʒij. Flor. sulphuris, ʒjß. mag. perlar. orient. coral. rub. ana ʒj. Misc. Dosis manè, meridiè & vesperi à cochl. j. ad coch. ij. Et homo ex hujus liquoris usu fit valde pinguis: quia humectat, lenit, nutrit, confortat, humiditatem radicalem restaurat, & Tussim sedat. Extenuatis, consumptis, & Hecticis maximum solatium est; illos enim pristinæ sanitati restituit & morbum planè expellit; sed prius quam ad usum medicum adhibeatur, diligenter moveatur.*

Aqua Pulmonis Vituli.

♃. *Interiora Vituli, Cor scilicet, Pulmones, Hepar; eaque deposita pinguedine & exemptis probè venulis, minutim conscinde; postea adde: Rad. consolidæ major. ℥iv. Herb. Pulmonariæ Gallicæ, sanguisorbæ, Hyssopi, Veronicæ, Salviæ, Agrimoniæ ana ℥ß. Affunde earundem aq. s. q. & decoque in ollâ vitreata nova cooperta.*

♃. *Brodii cum toto lib. iij. aq. borraginis, buglossæ, Rosarum ana lib. j. spec. diamargar. frig. Rad. Pimpinellæ, cinamomi acer. ana ℥j. Quat. sem. frigid. major. ana ʒij. Flor. cordial. ana ʒj. Misc. & MB. per alembicum destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Hectici & phthisici hujus aquæ usu diu possunt foveri: Propterea non sine ratione apud nos descriptio hæc semper in magno pretio est. Dosis per se à cochl. j. ad cochl. ij.

Aqua Caponis.

♃. *Caponem, quem s. a. coque in ollâ novâ vitreatâ cum Passu-*

Passular. minor. pinearum, Rad. Glycyrrhiz. ana ℥j. Jujuben, Sebesten āā No. xij. Caricarum recent. No. *viij. herb. pulmonariæ, endiviæ, farfaræ, lactucæ, ana* ℥ß. *flor. violarum, Betonicæ, ana* ʒj. *Peracta coctione contusis omnibus in mortario lapideo, adde: Vini Canariensis recent.* ℔iij. *Aq. Tussilaginis, marrhubii, buglossæ ana* ℔j. *Micæ panis alb. lacte capril. macerat. lib.* ß. *conf. Borraginis, rosar. Polytrichi āā* ℥iv. *Spec. Diamargarit. frig.* ℥ß. *cinamomi acut. macis, sem. anisi ana* ʒij. *Mixta per alembicum è* MB. *destill. secundum artem; & liquor destillatus usui servetur.*

Vires, Usus, Dosis. Hæc Caponis aqua per se, in morbis pectoralibus Tussi nempe, Asthmate, Phthisi, &c. exhibita, efficacissima & famosissima est. Dosis à cochl. j. ad cochl. ij. & tria.

Aqua Cinamomi Buglossata.

℞. *Aq. buglossæ, lib. vj. flor. violarum, rosarum ana lib. ij. cinamomi acut. lib. j. Cori. rad. buglos.* ℥iij. *Flor. borraginis, melissæ, ana* ℥j. *Spec. Diarrhod. Abb.* ℥ß. *Misc. & & post debitam digestionem in* MB. *destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Concoquit, emollit, venenis resistit, Cerebrum, Cor, Ventriculum, Hepar, Splenem confortat. Oculos clarificat. Urinam movet; nec non Renibus & Vesicæ convenit. Dosis à cochl. j. ad cochl. ij. & tria.

Aqua ex Corde Cervi.

℞. *Cord. cervi minutim incis. num. j. Cinamomi acut.* ℥ß. *caryophyllor. cardamomi min. galang. min. Macis, croci or. ana* ʒij. *lig. aloës, Santal. citrin. cort. citri, sem. ocymi caryophyllat. ana* ʒjß. *flor. lavendulæ, rorismarin. melissæ, salviæ ana* ʒj. *Macerentur in vini malvatici lib. vj. per noctem & manè in* MB. *per alembicum destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Cor confortat, illudque à tremore & aliis periculosis accidentibus præservat; Tum quoque casum virtutis & defectum animi curat: Spiritus enim vitales & naturales fovendo & augendo resuscitat, & Cordi quam citissimè subvenit. Dosis à cochl. j. ad duo vel tria cochlearia.

Aqua Cordialis frigida.

℞. *Conf. rosarum rub. lib. jß. fruct. rubi idæi lib. j. spec. diarrhod. abb. diamargar. frig. āā* ℥jß. *sem. oxalidis* ℥j. *santalor. omnium ana* ℥ß. *flor. cordialium ana* ʒij. *Misc. & infunde in aquarum sequentium: acetosellæ, nymphææ, fragorum, violarum, borraginis, buglossæ āā lib. j. Mixta digerantur per aliquot dies; postea iterum adde: Aq. Cinamomi buglossat. lib. jß. Suc. depurat. cydoneor. limonum, citri ana lib.* ß. *Denuò misce & in* MB. *per Alembicum abstrahe.*

Vires, Usus, Dosis. In omnibus ardentibus Febribus & aliis morbis summè calidis & corrosivis, suaviter & supra modum cor exæstuans refocillat, & inde omnium virium imbecillitatem firmat. Iis quoque, quibus animus deficit, sive à corde, sive Stomacho originem ducat, omnem noxæ venenosæ causam vitalium partium discutit, & Spiritus ex nimij caloris imbecillitate & tremore languentes ad pristinum statum & robur restituit. Dosis ab ℥j. ad ij.

Aqua Cordialis calida.

℞. *Cinamomi acut.* ℥iv. *Rad. caryophyllat.* ℥iij. *caryophyllorum, terræ sigillat. ana* ℥j. *cardamom. utriusque galangæ min. macis, zedoariæ, flav. cort. aurantior. cort. citri, sem. Ocymi caryoph. ana* ℥ß. *ligni aloës odorat. croci oriental. spicæ Indicæ, Pulegii exsiccat. ana* ʒiij. *flor. borraginis, buglossæ, ana* ʒjß. *Pulverisata & mixta infund. in vini Malvatici lib. iij. stent in Infusione per octiduum; postea adde: Aq. cinamomi cum vino destill. Flor. tunicæ ana lib.* ß. *rorismarini, lavendulæ, melissæ, salviæ ana* ℔j. *Misc. & in* MB. *per alembicum abstrahe.*

Vires, Usus, Dosis. Opitulatur valdè mirabiliter omnibus frigidis Cordis affectibus, ejusque palpitationi & animi defectioni prodest. Lipothymiam & & Syncopen curat. Spiritus vitales recreat, Tristitiam citra causam ortam amovet & Cor exhilaret. Eos quoque, qui à longo morbo adhuc debiles sese recolligunt, egregiè roborat. Corpus universum vividum reddit & canitiem retardat; Quicunque enim senex utitur hac Medicina, non indiget alia in sanitatis suæ conservatione. Dosis à Cochl. j. ad Cochl. ij. & iij. pro una vice.

Aqua Acetosa stomachalis.

℞. *Sacchari albiss. lib. j. conf. rosar. opt. Aq. rosarum, Sp. vitrioli rect.* ℥ß. *Fiat mixtura; postea colatura servetur ad usum.*

Vires, Usus, Dosis. Acetosa hæc stomachalis, ubibique id est, in intemperie tam calida quam frigida, valet; cujus effectus etiam in inappetentia & fastidio, quod fit ex succo vitriolato vitiato in Ventriculi fundo & consopito, satis laudari nequeunt. Omnem enim coctionem sive ablatam, sive tardam, sive vitiatam, insigniter juvat, & Ventriculo robur conciliat. Exhibenda in justo vehiculo, horis duabus ante pastum sine motu, vel hora una cum motu] prævalente quidem caliditate cum vino Granatorum vel Syr. Limonum vel acetos. Citri, vel tinct. Rosarum, &c. prædominante verò frigiditate cum aq. Cordiali; vel Stomachicâ, aut vino Absinthiaco, Malvatico, aut alio generoso. Dosis est saporis in acidum mutatio.

Aqua Stomachica calida.

℞. *Galangæ min.* ℥jß. *caryophill. nuc. mosch. cinam. acut. zingib. alb. mastichis elect. Rad. pimpin. enulæ camp. acori aquat. āā* ℥j *menth. crispæ,* ʒvj. *rorismar. salviæ acut. Absinthii, āā* ℥ß. *cardamomi utriusque calami arom. macis, piper. long. sem. Ameos ana* ʒiij. *schænanti, spicæ Indic. Lig. aloës ana* ʒij. *Mixta & contusa macerentur in Vini malvatici* ℔viij. *Aq. Pulegii, Melissæ ana* ℔j. *per* 14. *dies; postea* MB. *destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Ventriculum frigidum calefacit atque rectificat. Torsiones, punctiones & dolores sedat. Pituitam & humorem crudum in eo collectum digerit, ac concoquit. Phlegma liquefacit. Nauseam & vomitum sistit. Acido ructui medetur. Podagram à causa frigida dissolvit: Nec non ad maciem & dispositionem senectutis, ad excitandum appetitum & caliditatem in senibus, ad fugandum ventositatem crassam, ad aperiendum oppilationes, ad resolvendum humiditates superfluas & corruptas, juvamentum divinum est. Dosis à cochl. j. ad duo & tria, vel ab ℥ß. ad ℥j. & duas.

Aqua Epatica frigida.

℞. *Fragorum maturor.* ℔j. *spec. Diarrhod. Abb.* ℥iv. *Rad. cicorei, agrimoniæ, scorzoneræ, eringij ana* ℥j. *Flor. centaur. min. epaticæ alb. borraginis, rosar. rub. āā* ℥ß. *rhabarb. elect.* ʒiij. *santalor. omnium āā* ʒij. *Sem. Quat. frig. major. & minor. Oxalidis, ana* ʒjß. *Incisa & contusa infund. rub. in vini* ℔iv. *Stent in infusione per octiduum; postea adde: Aq. flor. epatic. alb. portulacæ, acetosellæ, endiviæ, melonum, cichorei, rubi Idæi, cuscutæ, ana* ℔j. *Misc. & per alembicum in* MB. *destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Tutissimus & felicissimus hujus aquæ usus est, in omnibus Febribus ardentibus, Tertianis, Quotidianis, Quartanis cæterisque totius corporis à calore proficiscentibus noxis, in quibus Epar patitur. Insuper Ventriculi, Pulmonum & Lienis intolerabilem & corrosivum calorem alterando & confortando virtuosissime & ocularitèr attemperat ac emendat. Dosis alternis horis ab ℥j. ad duas & tres, per se vel cum syrupis convenientibus & specificis.

Aqua Epatica calida.

℞. *Spec.Diacubeb.℥iij.rad.costi amari,apii,curcumæ, Fœniculi Gran. Juniperi,sem. anisi, ameos, dauci, ana ℥j. calami aromat. rhabarb. elect. Cass. ligneæ ana ʒvj. spicæ Indicæ, croci Oriental.schœnanti āā ʒiij. Herb. abrotani, Absinthij, agrimoniæ, serpilli, scordij āā ℥ß. Flor. epaticæ alb. stæchad. citrin. ana ℥ß. Omnia fideliter contusa & mixta infundantur in vini generosi ℔vj. digerantur per octo dies; postea adde: Aq.centaur.min.cichorei, veronicæ,capil.vener.chamomillæ, fumariæ, marrubii, scolopendriæ, epaticæ alb. ℔ß.*

Vires, Usus, Dosis. Propinatur felicissime in omnibus morbis Epatis frigidis ejusque obstructionibus. Cachexiæ & Hydropi auxiliatur. Hepatis quoque & Lienis ægritudines antiquas, & chronicas eradicat, & ad illorum humiditatem frigidam confert: Crassos enim, lentos & viscosos humores in illis collectos incidit ac attenuat. Dosis ab ℥j. ad ℥ij. vel iij. per se vel cum syrupis appropriatis.

Aqua Splenetica.

℞. *Rad.Filicis utriusque,polipodii,apii āā ℥jß..Aristolōch.rot.acori aquat.calami aromat.levistic.āā ℥j.rhabarb.elect. cort. capparum, tamarisc. ana ʒvj. Herb. absinthii pont. artemisiæ, agrimoniæ, fumar. scolop. cassuthæ, ceterach.ana ℥ß. Sem.levistic.fœnicul.anisi,carvi āā ʒ..... Crassiusculè concisa & mixta infundantur in vini Rhen. ℔x. Stent in digestione per octiduum; postea MB. per alembicum abstrahantur.*

Vires, Usus, Dosis. In liene ac venis meseraicis materiem crassam & succum melancholicum collectum attenuat ac emollit. Obstructiones liberat. Inflationes & tumores dissolvit. Icteritiæ nigræ, Melancholiæ hypochondriacæ. Febribusque quartanis mirè medetur. Dosis manè & vesperi ab ℥j. ad ij.

Aqua Antihydropica.

℞. *Sem.erucæ ℔ß. Fraxini,cymini,apii ana ℥jß.Rad. Acori veri, caryophyllat.vincetoxic.curcumæ,costi amar. card Mariæ, ebuli, sarsparill.ana ℥j. Rhabarb. elect. galangæ min.nuc.mosch. caryophill. ana ʒvj, cort. capparum med.Sambuc. tamarisc. ana ℥ß. Herb. agrimoniæ, soldanellæ,sum.juniperi virid.ana ℥ß. Flor. epatic. alb.sambuci ana ʒij. Incisa,contusa & mixta infundantur in vini malvatici, ℔viij. Digerantur per 14. dies in loco calido, vase singulis diebus aliquoties agitato; postea adde: Aq. Absinthij Pont. abrotani ann ℔ß. Epaticæ nost. utriusque artemisiæ, card. ben. Serpilli ℔j. Misc. & per alembicum in MB. destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Est proprium Hydropicorum remedium: Frigidum enim Epar calefacit & confortat, ejusque obstructiones liberat & facultates auget. Flatus crassos dissipat. Materiam Gachexiæ & Hydropis absumit, & vi diaphoretica expellit. Dosis ab ℥j. ad ℥ij. & iij.

Aqua antiscorbutica.

℞. *Raphani Sylvest.in taleolas incisi ℔j. rad. polypodii ℥ij. Angelicæ, ostrucij, zedoariæ ana ℥jß. Ras.lig.Guajaci, sassafras,calami aromat.galangæ min.ana ℥j. cardamomi min. croci orient. Sem. Fæniculi, cort. capparum, Tamarisc. ana ʒvj. Incisa & contusa infundantur in vini Malvatici ℔vj. Digerantur in loco calido per octiduum, vase quotidie semel atque iterum exagitato; postea adde: Aq. Nasturtij aquat.cochleariæ, urticæ min. vermicular.chelidon.min.numulariæ,fumar.ana ℔j. Misc. & in MB. per alembicum abstrahantur.*

Vires, Usus, Dosis. Medetur propriè in hisce maritimis & Aquilonijs Regionibus affectui, quem vocant Scorbuticum: Lienis enim obstructiones liberat. Humorem fæculentum melancholicum emollit ac attenuat. Sanguinem quoque in universo corpore rectificat. Splenemque valide confortat. Exhibetur auroris aliquot continuis ab ℥j. ad ℥ij. & ℥iij.

Aqua Anticolica seu Carminativa.

℞. *Flav.cort.aurantior. ℥vj. Rad. zedoariæ ℥iij. Bac. lauri excort. gran. Juniperi ana ℥jß. calami aromatici, galangæ min. cinamomi acut.ana ℥j. Sem.quat.calid.major & min. Chærefolii, nigellæ, anthi ana ʒiij. crassiusculè contusa & mixta infundantur in vini Malvatici ℔viij. Stent in infusione per octiduum; postea adde: Aq. è Suc. chamomill. ter destillat. serpilli cum vino destill. ana ℔j. Misce & in MB. per alembicum destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Colicæ passioni, quæ à materia frigida & humida vel flatibus originem trahit, præmissis universalibus, mire medetur. Dosis à cochl. j. ad cochl. ij, & iij. vel ab ℥j. ad ij. vel ℥iij.

Aqua Benedicta Serpilli.

℞. *Herb. Serpilli cum florib. tempore matutino ante Solis exortum decrescente Luna collect. ℥viij. chamom.Roman. ℥ij. satureiæ, thymi ana ℥j. Infundatur in vini Rhenani opt. ℔viij. Stent in infusione per aliquot dies; postea destillentur. In liquore destillato iterum infunde: Herb. Serpilli cum florib. ℥viij. cassiæ ligneæ ℥j. lig. aloës, macis ana ℥ß. Incide in particulas minimas, & post debitam digestionem denuò per alembicum in MB. destilla & sic verè præparata est.*

Vires, Usus, Dosis. In omnibus Catarrhis & defluxionibus tum prohibendis tum etiam Caput ab iisdem præservandis prodest. Cerebrum, Ventriculum, & omnia intestina frigida corroborat. Cibi appetentiam excitat. Urinam ciet. Calculum expellit. Dolores Ventris & maximè Colicam mitigat. Flatus à visceribus & hypochondriis dissipat. Tormina & singultus sedat. Vomitiones cohibet. Menses provocat. Partum, secundinas, & Fœtum mortuum ejicit. Concretum sanguinem dissolvit. Senibus, Orthopnoicis, & Anhelatoribus, item, ruptis & vulsis auxiliatur. Dosis ab ℥ß. ad ℥j. & ℥ij.

Aqua Castitatis.

℞. *Terræ Sigillatæ ℥iv. sem.agni casti ℥jß. Rutæ, nymphææ, lactucæ, papav.alb.ana ℥j.cannabis, acetosæ, portulac. milij Solis, endiviæ, ameos, coriand. præp. ana ʒvj. Rad. Diptamn. alb. Cynogloss. bistortæ, ireos flor. ana ℥ß. Santalor omnium, mag. Saturni, camphoræ, ana ʒiij. herb. absinthii pont. menthæ crisp. bursæ Pastor. taraxac. verbenæ, fol. salicis ana ʒij. Incidantur, contundantur & infundantur in Vini rub. stiptici ℔x. permittantur in digestione per octiduum; postea MB. destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Hæc aqua non immeritò casta vocatur: Quia Monachorum, virginum monialium, viduarum, illorumque, qui in cælibatu vivere constituerunt, ignitum & prolificum semen ita compescit, ut inde libidinosi omnes ea utentes, in castitatis & modestiæ amantes, sine sanitatis periculo facillimè evadant: Suâ enim frigiditate & occulta quadam proprietate Rem Veneream dissolvit. Præterea præmissis universalibus, unamquamque Gonorrhœam seminisque profluvium absque ullâ molestiâ curat. Dosis manè & vesperi vel tempore necessitatis ab ℥j. ad ℥ij. & iij.

Aqua Febrifuga.

℞. *Spec.febrifug.nost. herb. centaur.min. card.benedi. quinque folii, absinthii ana ℥iv. Macerentur in sero caprino & in arena destillentur ad tertium cohobium.*

Vires, Usus, Dosis. Extirpat Tertianam notham & Quartanam sine dubio: præmissis tamen universalibus. Dosis ab ℥j. ad ℥iij. manè in aurora & tempore paroxysmi.

Aqua

Aqua Hysterica.

℞. Bac.sambuc.exsic.℥iij.rad.bryoniæ,dictam.alb.pæoniæ,zedoariæ,ana ℥j.Visci quercin.ʒvj. Cass. ligneæ, myrrhæ rub.cardamom.min.croci orient.castorei veri ãã ℥ß. Sem.agni casti,cymini,dauci,rutæ ana ʒiij. Flor.pulsatillæ ʒij. Incisa & Contusa infundantur in Vini Malvatici lib.vj. macerentur per 14. dies; postea adde: Aq. artemisiæ,matricariæ, pulegii,melissæ,nepetæ ana lib j.Misc.& per MB. *destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Saluberrima hæc aqua omnes uteri suffocationes etiam periculosissimas, vel saltem desperatas & gravissima inde nata symptomata curat atque mitigat. Dosis à cochl. ij. ad iij. in ipso paroxysmo per se; vel cum Spec. Diajovis ℈. j. vel Troch. Jovial. ℈ß. aut cum Specif. uterini nost. ℈j. In præservatione autem singulis Lunæ quadris cochl.j. sufficit.

Alia aqua Epileptico-Hysterica famosissima, olim à Viro Clarissimo & Excellentissimo Dn. D. Jacobo Martini, Physico Lubecensi primario & Practico felicissimo, amico meo honorando p. m. adhibita, & adhuc in eadem officina usitata, vulgariter Aq. Lit. A. dicta.

*℞. Cinamomi opt.℥j. caryophyllor zingib. nuc.mosch. ana ʒvj.cort.citri,aurantior.ana ℥ß. spic.Ind.℈iij.Herb. scariolæ,Pulegii,scordii,melissæ,menth,abrotomi fœm. matricariæ ana ℥ij.salviæ ℥viij majoranæ ℥ß. Sum. rorism. ℥iv.castorei veri ℈xvj. Vini adusti lib.vj.*civil. *Vini Rhenani lib. xvj. Digerantur per triduum in loco calido; postea in* MB. *destillentur.*

Aqua Dominarum.

℞. Cassiæ ligneæ ℥ij. rad. artemisiæ rub. gentianæ, dictamni alb.ana ℥jß. Nucl.amygd.amar. persicor. cerasor. ana ℥j. myrrhæ rubræ,borrac.Venet.Sem.lavend.ana ℥ß. herb.marrubii, rutæ, sabinæ, ana ℥iij. Flor. centaur. min. sambuci,cheiri ana ʒij. Medul.nucl.interior.Lap Ætitis castorei veri,opoponacis,sagapeni,assæ fœtidæ ana ʒß.Piperis nigri, croci oriental. succini alb. ana ʒj. Crassiuscule incisa & contusa infundantur in Vini Malvatici lib. vj. digerantur per aliquot dies; postea adde: Aq. Calament. buglossæ, matricariæ, artemisiæ, pulegii, Verbenæ ãã lib.j. Misc. & in MB. *per alembicum abstrahatur.*

Vires, Usus, Dosis. Partum facilitat. Fœtum mortuum; nec non secundinam tardantem sine mora expellit, quæ alias si detinentur, Cerebro, cordi, ac Stomacho nocumenta non exigua communicat,pravis vaporibus ex ea elevatis & ad jam dictas partes traductis. Quare ejus eductio neque negligenda neque parvi facienda est. Hæc aqua etiam tarditatem menstruam præsenti auxilio sollicitat. Dosis à cochl. ij. & tria.

Aqua Antinephritica.

℞. Rad.Ononidis.lib.j. Minutim concisæ macerentur in vini generosi lib.iij. per tres dies; deinde exprimantur, & in colatura infundantur. Rad. Glycyrrhiz. rasæ,saxifrag,cum toto,Petroselini,eryngii, pimpinellæ ãã ℥iij.gran. alkekengi,Juniperi ana ℥iv. Sem.milii solis,fœniculi,melonum,urticæ ana ℥ij. Lig. sassafras,nephritici ana ℥j. cinamomi acut. macis ana ℥ß. Stent in infusione per aliquot dies; postea adde: Suc. hederæ ter. portulacæ ãã lib.jß. fumariæ, petroselini, veronicæ ana lib.j. Misc. & in MB. *ad secundum cohobium destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Ad miraculum Renum calculosam dispositionem emendat, eos confortando & materiam lapidis educendo. Dosis cochl. ij. tum præservationis, tum curationis ratione.

Aqua Lithontriptica.

℞. Nucl. cerasorum, persicor. ana ℥x. amygd. amar. ℥v.Flor.sambuci, acaciæ ana ℥iij. Rad.pimpinellæ, ononidis, verbenæ,eryngii,malvæ min.ana ℥j. Ras. lig.fraxini, Off. Mespilorum.sang.hircini præp.cinamomi acut. galangæ min. Lap.Percar.pisc. Oc. cancri ana ʒvj. Bac. Lauri excort. gran. Juniperi, alkekengi ana ℥ß. fol.hederæ ter. ℥iij sem. saxifrag. alb. urticæ Rom. lapathi major. petroselini, genistæ, milii solis, Dauci ana ℥j. Omnia incisa & contusa infundantur in vini Malvatici lib. xvj. Et digerantur, sæpe movendo, per 14. dies; postea in MB. *destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Propinatur in omnibus calculorum generibus, in quibuscunque etiam sint membris. Præcipue autem lapides Renum & Vesicæ potenter confringit, egregiè dissipat, atque inde, arenam remotamque urinam mirabiliter expellit, Lumborum dolores sopit, nec non stranguriam & dysuriam è vestigio solvit. Dosis per se ab ℥j. ad duas,per se vel cum syrupis appropriatis, mane stomacho jejuno.

Aqua contra ardorem Urinæ.

℞. Rad.glycyrrhizæ,altheæ, malvæ min. ireos flor.ãã ℥ij. Pinearum mundat.amygd.dulc.ana ℥jß. sem. Melonum excort.cydoneorum, apii,papaveris alb. endiviæ,Lactucæ, ana ʒvj. gran. alkekengi, myrtillorum, cassiæ fistulæ, galang. min. ana ʒiij. Herb.violariæ, bellis min. veronicæ ana ℥ij. Incidantur, contundantur, & infundantur in aquarum sequentium: Flor.papav. errat.malvæ utriusque ana lib.j.ß. plantaginis,portulacæ, Violarum, Lactucæ, fol. Quercin.numulariæ ana lib.j. Digerantur per aliquot dies; postea in MB. *per alembicum destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Ardorem & difficultatem urinæ mitigat. Ciborum calidorum & lotii acrimoniam obtundit. Exulcerata fistulâ urinariâ, Vesicæ, Renibus, & ureteribus, ulcera detergit, glutinat, & cicatrice tegit. Præsens est remedium, quod in senibus etiam Vesicæ scabiei ac inde mictioni creberrimæ obnoxiis, utile expertus sum. Quia urinæ strigmenta mucosa, aspera, & dolorifera complanat atque lenit. Dosis ab ℥j. ad ℥iij.

Aqua contra vermes.

℞. Ras. cornu cervi ℥iv. Mercurii vivi sale & aceto optimè purgat. ℥ij. Fol.senæ Alexand.elect.sem.Cinæ & citrini,corallinæ veræ, ana ℥jß. rhabarb. elect. agarici opt. myrrhæ rub. ãã ℥j. Rad. dictamni alb. exemptâ medulla Aristoloch. rotund. zedoariæ, ana ʒvj. Tartari alb. nitri præp. croci orient.ana ℥ß. Sum. centaur. min. Tanaceti, Fol.persicorum, scob. lig. coryli ana ʒiij. Omnia incisa & contusa infundantur in Hydromelis ℔iv. *Digerantur in Infusione per octo dies; posteà adde: Aq. absinthii. Pont. abrotani ana* ℔jß. *card. ben. graminis, scordii ana* ℔j. *Misc. & in* MB. *per alembicum destillentur.*

Aqua Theriacalis.

℞. Theriacæ Venet. ℥viij. terræ sigillatæ ℥ij. Rad. Angelicæ hort. Tormentillæ, enulæ camp. ana ℥ß. Cornu cervi Spagyricè calc. Alcis eodem modo calc. Lig. sassafras, Bac. juniperi,cort.citri ana ℥j.Boleti cervini,myrrhæ rub. ana ʒvj. Antimonii diaphoret. croci orientalis ana ʒiij. Pulverisata mixta infundantur in Vini Malvat. ℔viij. *& macerentur per octiduum vel 14. dies; postea igne lentissimo in* MB. *destillentur.*

Vires, Usus, Dosis. Quoniam hæc aqua suâ renuitate in omnia membra se quam celeberrimè insinuans, facile à calore nativo, in actum deducitur, utimur illa felicissimè in omnibus morbis ubi sudor eliciendus est. In Febribus, Ictero, Putredine, Vermibus, Lue Venerea, Puncturis Laterum, Tremore Cordis, Peste, rectificatione sanguinis &c. Non enim tanta alteratione, ut ipsa Theriaca seu Mithridatium, in Ventriculo eget. Dosis ab. ℥ß. ad ℥j. &c.

Aqua de Cornu Cervino.

℞. Cornu Cervi Spagyricè calc. ana ℥ij. terræ sigillatæ Bol. rub. orient. ana ℥j. rad. torment. dictam. alb. scorzoneræ, zedoariæ ana ℥ß. lig. sassafras santali citrin. Cassiæ ligneæ ana ʒiij. Sem. acetosæ, Angelicæ, citri exc. ana ʒij. croci oriental. macis, flor. Calendulæ, ana ʒjß. concisa & contusa infundantur in succorum depuratorum card. ben. acetosellæ ana ℔ij. scabiosæ, veronicæ, cort. nucum virid. scordii ana ℔ß. Macerentur per 24. horas; postea lento igne ex MB in organis vitreis ad secundum cohobium destillentur.

Vires, Usus, Dosis. Hæc aqua summam contra Pestem & omnia alia venenata, vim habet & efficax est ad sudorem eliciendum, præsertim in gravidis & pueris, quibus aquæ Theriacales non conveniunt. Ex hâc ℥j. vel ℥ij. aut plures pro ægri viribus & natura dantur per se, vel cum aliis medicamentis sudorem elicientibus loco vehiculi appropriati & specifici, miscetur & exhibetur.

Aqua Aloetica solutiva.

℞. Aloes epatic. ℥xvj. suc. fol. senæ virid. exp. elaterii veri ana ℥iv. myrrhæ rub. ℥j. Omnia invicem bene mixta per MB. in organis vitreis igne lentissimo destillentur.

Vires, Usus, Dosis. Ventriculum hac aqua, quoties usus postulat, inunge, & linteolum sive spongiam calidam superpone, & miram videbis operationem: Est enim Medicina valde illustris, & solis Regibus & Principibus digna.

Aqua Cosmetica.

℞. Lact. caprini lib. iv. Aq. rad. aronis, Flor. fabarum, rosarum alb. lilior. albor. sigil. salomon. ana lib. j. Mellis virginei alb. ℥iv. Sacchari cand. alb. Thuris albi ana ℥ij. Hermodact. alb. Ireos florent. Borrac. Venet. ana ℥j. Sal. Tartari alb. eboris usti, camphoræ ana ℥ß. flor. narcissi alb. Malvæ min. alb. nenuphar. alb. ana ʒij. Misc. & MB. inferendo, pro ditioribus, rostro alembici Galliæ moschat. ℈j. bombace involuta, destillentur.

Vires, Usus, Dosis. Externè saltem adhibetur ad faciem clarificandam & dealbandam. Item omnes faciei maculas & lentigines tollit & singulariter Ictericis fœditatem cutis emendat: Lavetur autem facies seu cutis aliquoties in die. Vel *℞. Aquæ hujus Cosmeticæ ℥vj. Mercurij cosmetici ʒij. Misc. ut fiat instar lactis quo facies sæpe illinatur.*

Aquæ variæ è Clariss. viri Caroli Musitani Mantissâ ad Armamentarium Medico-Chymicum Hadriani à Mynsicht.

Aqua Alexipharmaca.

℞. Rad. tormentillæ, bardanæ, enulæ campanæ, angelicæ, gentianæ, pimpinellæ, zedoariæ ana unc. dimid. fol. betonicæ, scabiosæ, hyssopi, rutæ, centaurij minoris, corticum med. fraxini ana p. dimid. Incidenda incidantur, & contundenda contundantur, & infundantur in vini albi lib. vj. adde theriacæ optimæ Andromachi, Mithridatij Damocratis ana unc. dimid. pulv. terræ sigillatæ, santalor. citrinor. ana drach. iij. m. stent in loco calido per quinque dies, deindè destilla in alembico vitreo lento igne ad remanentiam duarum partium, & usui serva.

Nonnulli in nostra aqua vini spiritum timent, quia igneus est, illum aqua fontana diluant, ut ejus æstus temperetur, qua de re sequentem aquam bezoarticam componimus.

Aqua Bezoartica.

℞. Rad. Carlinæ exsicc. lib. dimid. petasit. contrayerva, vincetoxi ana unc. ij. fol. scordii, flor. hyperic. absinth. ana ʒiij. m. f. pulvis, cujus ℞. ℥xij. aquæ font. lib ij. spiritus vini rectificati lib. j. m. & post 4 vel 5 digestionis dies destilla per vesicam ad medietatem, & serva.

Vires, Usus, Dosis. Quantæ efficaciæ, & valoris sit hæc aqua alexipharmaca, & bezoardica nostra in febribus malignis, & pestilentialibus, experientia te docebit; nàm volatilitate sua momento in omnes corporis venas se inserit, totumque corpus pervadit, nutrimentum degeneratum in penitioribus partibus delitescens à centro ad peripheriam potentissimè evocat, putredini resistit, malignitatem cicurat, & utramque sensibiliter, vel insensibiliter per universale corporis emunctorium eliminat. Exanthemata, petechias, morbillos, & variolas ad expulsionem impellit. Partes principes roborat, spiritus reficit, cor exhilarat, animi deliquia pellit, syncopes delet, & languentem exsuscitat calorem, valetque plurimùm tàm in curatione, quàm in præservatione, ut *libro de Pyretologia* diximus. Dosis pro præservatione cochlear. j pro curatione ij. reiterando semel post quinque horas, desuper sudando, quousque se meliorari sentiat æger.

Aqua Anti-hectica.

℞. Rad. caryophyll. symphit. mai. tormentillæ, gentianæ ana lib. dimid. Bellid. min. tussilag. sedi maj. hederæ terrestr. vineæ pervincæ, prassi ana m. dimid. veronicæ, liquiritiæ ana m. iv. cancror fluviatil. num. xxx. sang. porcelli lib. ij. contunde contundenda, & infunde in lactis vaccini lib. xx. deindè in vase vitreo per MB. destilla, & destillatum liquorem ad usum serva.

Vires, Usus, Dosis. Hæc aqua succum alimentitium, & sanguinem temperat, corrigit, & ab omni acrimonia, & acore salino vindicat, & focus, undè aliquid acre succo alimentitio, & sanguini subministratur, exstinguitur. Hinc sanguinis in suum naturalem redit circulum, & succus alimentitius, qui anteà ob acorem à partibus renuebatur fit illis gratus, & genialis: qua de re consumptæ, & extenuatæ corporis partes avidè nutriuntur, reficiuntur, pinguescunt, humidum primigeneum restauratur, & pristinæ sanitati hecticus restituitur. Dosis ℥iij. vel iv. & saccharo perlato edulcorari, & bis in die propinari possunt.

Aqua Anti-venerea.

℞. Salsæparillæ minutim incisæ ℥ij. ligni visci quercini ℥ß. limaturæ cornu cervi, rasuræ eboris ana ℥ß. antimonii crudi minutim incisi, petræ pumicis contus. ana ℥iij. Hæc duo ligentur in petia linea, & simul cum aliis infunde in aquæ fontis lib. vj. Detineantur per 24. horas in infusione, demùm bulliant lento igne ad tertiæ partis consumptionem, in fine adde cinnamomi acuti ʒij. cola, & ad usum serva.

In hujus aquæ confectione pumex admiscetur pro antimonij correctivo, aliàs enormes excitaret vomitus, ad quos sistendos tamquàm incantamentum valet parum pumicis in pollinem redactum & in vino propinatum, ut fusiùs in nostra *Trutina medica lib. 4. cap. 8. de Nausea, & Vomitu* egimus. Verùm ut verum dicamus, pumicis admistio frustanea est, nàm experientia nos cum alijs docuit antimonium decoqui posse absque tali correctivo, & non provocare vomitus, ut videre est apud *Zwelferum, Borellum, Willisium*, & alios, quos de *Lue Venerea Tomo 4. lib. 3. cap. 19. de Doloribus Venereis* retulimus.

Vires, Usus, Dosis. Ad dolores venereos radicitùs extirpandos non datur in tota Republica Medica potentius medicamen hac nostra aqua, & longè superat omnia antidota contra luem, & meritò inter alia primum

mum sibi vendicat locum, & omnibus palmam præripit. Hujus ope inutilia decocta, & æstuaria ab aula medicorum recesserunt, & quos ægrotos Mercurij suffumigia, & extremæ inunctiones deluserunt, hæc ad pristinam evocavit sanitatem. Adeò in lue infallibilem in dies experti sumus, ut multos, quos deploratos vulgarium grex post decocta, suffumigia, & inunctiones omni salutis spe orbatos deseruit, hujus aquæ beneficio ab orci faucibus revocaverimus. Bibitur hujus aquę amphora una tribus vicibus partitis s. mane, in prandio, & cœna; reaffusio pro potu quotidiano uti potest, quia amphora una non est satis. Post decem dies dolores sedat, imò gonorrhœam curat, bubones tàm legitimos, quàm spurios resolvit, gummata discutit, ulcera, & pustulas, nullo adhibito extrinseco medicamento, exsiccat, imò plura præstat, & alijs morbis à Lue Venerea pręstans est medicina, ut quotidiana experientia nos docuit. Cibus debet esse ex carne assata; cruda, acida, & salsa vitentur. Corpus debet esse purgatum, operaturque per diaphoresim, sudores, urinam, & leniter per secessum: Verùm notandum est, quòd si diarrhœa superveniat, cessare debet aquæ usus, aliter enim ægrotus in vitæ discrimen conjicitur, ut multa testantur exempla. Ejus usus continuari debet per mensem chymicum; nàm licèt intra decem dies dolores sedet, tamen aliud est dolores sedare, & aliud radicitùs sanare. Quolibet anni tempore tàm rigido, quàm fervido sumi potest.

Aqua Arterialis.

℞. Colcothar. alum. usti, sacch. candi ana drach. dimid. urinæ junioris hominis aqu. ros. ana ℥. dimid. aq. plantag. ℥. ij. Diù simul omnia agitentur in mortario, posteà mistura in phialam vitream injiciatur, & asservetur pro usu, quo tempore per inclinationem liquor erit effundendus.

Vires, Usus, Dosis. Magnum arcanum est in sanguinem ab arterijs resectis sistendo, nec simile in toto naturæ orbe reperitur, si arteriæ incisæ linteolum hac aqua madidum applicetur, imposita manu. Recenti aneurysmati multùm conducit spongia madida imposita, ut in *Physico-Chirurgico Tom. 1. c. de Aneurismate* diximus. Eadem quoque energia, & eò magis venalis sanguinis fluxum ex vulnere in momento supprimit, & si vulnus fuerit penetrans, syringa iniici potest. In hæmorrhagia sistenda nulli est comparanda, si linteolum, vel gossypium aqua udum naribus intrudatur. In mulierum nimio sanguinis fluxu renibus magno emolumento applicari potest. Hæc eadem interiùs ad supprimendum sanguinis sputum, dysenteriam, hæmorrhoidalem, & hepaticum fluxum propinari potest. Dosis à guttis x. vel xv. in aqua Polygoni, & non ultrà, alias vomitum excitaret.

Hæc aqua diù asservari non potest, facilè namque corrumpitur, & graviter olet ob urinæ admistionem, pro qua re sequens nostra diù incorrupta asservatur, & magis mirabilia operatur, ac etiam tutò per os assumi potest.

Alia Aqua arterialis.

℞. Aqu. plantag. ℥. iv. alum. rocc. ust. vitrioli rubificati ana drach. j. sacch. candi drach. dimid. f. omnium pulvis subtiliss. m. & in phiala parùm agita, deindè adde lacrym. sang. drac. coralliор. rubr. in pollinem redact. lapid. hæmatit. præp. ana drach. dimid. spiritus vitrioli gutt. x. iterùm agita, & unà stent per duos, vel tres dies, ut ingredientia solvantur, postmodùm filtra, & in vase vitreo optimè clauso ad supradictos usus reserva.

Vires, & Usus. Arteriarum, & venarum incisarum sanguinem affatim profluentem sistit, hæmorrhagias, sanguinis sputum, & fluxum ex quacumque corporis parte coërcet.

Aqua ad Gonorrhœam Specifica.

℞. Terebinth Venet. ℔. iij, thuris, mastiches, nitri, sanguin. drac. Sarcocoll. grosso modo pulverisat. ana ℥. iij. mumiæ Alexandr. ℥. ij. rad. consolid. utriusque ana l. ß. flor. cyperi ℥. v. rad. card. bened. valerianæ ana ℥. ij. torment illa, dictamni Cretici, gentianæ, contrayervæ ana ℥. j. Infunde per sex dies in alembico vitreo in suff. q. vini alb. generosi, deindè destilla.

Vires, Usus, Dosis. Specificam hanc aquam meritò nominamus; nam si gonorrhœæ apparentibus indicijs exhibeatur, urinæ acrimoniam temperat, & dolorem in penem erigendo infra paucissimos dies demulcet, & aufert, deindè fluxum saniosum sensim imminuit, & tandem omnem absolvit curationem citra recidivæ suspicionem, & imposterùm quisque à luis Venereæ symptomatibus tutus esse potest.

Arterialis Pulvis.

℞. Pro aqua arteriali nos sequentem ejusdem virtutis, & efficaciæ pulverem paramus, ut. Alum. rocc. calcinat. vitrioli rubificati, sacch. candi ana drach. j. lacca pictorum, lacrym. sang. drac. coralliоr. rubr. ceræ Hispanicæ rubr. ana drach. dimid. fiat omnium pulvis subtiliss. in vase vitreo asservandus.

Vires, Usus, Applicatur supra venas, & arterias resectas, ac omnia vulnera sanguinem profluentia, & pro nimio sanguinis profluvio per os cum syr. de symphyto Fernelij sumi potest.

Aqua Ophthalmica Pretiosa.

℞. Herbar. recent. ruthæ, euphragiæ, fæniculi, chelidoniæ, ana ℔. ij. flor. recent. ros. alb. ℔. j. cichor. ℔. dimid. subtiliter incisa, & contusa stent in loco calido per quatuor dies, deindè destilla in M. B. ad siccitatem, cohoba ter, & aquæ stillatitiæ inde lapid. hæmatitis præp. drach. ij. salis Saturni drach. j. auri stridentis unc. dimid. croci metallor. drach. iij. tutiæ præp. drach. ij. dimid. Vas vitreum sigilla, & per quindecim dies stet in loco calido, deindè aperi, & per chartam emporeticam filtra, & tinctum liquorem in vase optimè clauso asserva.

Vires, Usus, Dosis. Pretiosa reverà est hæc aqua in omnibus oculorum affectibus: ophthalmiam, & sugillationem resolvit, vehementissios dolores lenit pterigia, & pannos incipientes discutit, nebulam, & albuginem tollit; lippitudines, & lacrymationes sistit, fistulas, & pustulas sanat, suffusionem, & cataractam incipientem avertit, guttam serenam, & cæcitatem evitat, viscosos, & excrementitios eorum humores dissipat, tunicas roborat, visus debilitatem corroborat, eumque clarificat, & tandèm conspicilla proscribit. Dosis gutta una, vel altera in malè affectos oculos ter in die, manè, meridiè, & vesperi instillatur; ad visum verò conservandum, & clarificandum, semel in aurora laventur.

Aqua Ophthalmica compendiosior.

℞. Aquar. euphragiæ, fœniculi ana ℥. ij. chelidoniæ ℥. iv. rosar. albar. unc. ij. dimid. rutæ unc. j. dimid. tutiæ præpar. unc. iij. caryophyllor. integror. drach. ij. dimid. antimonij crudi unc. ij. camphoræ drach. j. virid. æris, aloes succotrin. ana drach. ij. vini græci ℔. iv. Inde omnia in vas vitreum, quod optimè claude, & ad usus serva.

Vires, Usus, Dosis. Ad oculorum inflammationes, rubedines, ardores, fluxiones, lacrymationes, lippitudines, & nebulas celeberrima est, & omnibus oculorum defectibus succurrit, si ter in die gutta una, vel duæ in oculos ità cadant, ut totos internè humectent. Si hac aqua oculi laventur, visum conservat, & ab omnibus imminentibus tuetur malis.

Non

Non eſt via tàm longa, quæ breviari non poſſit: nos magno tenuioris fortunæ hominum emolumento paucis impenſis, in oculorum inflammatione, rubore, ſugillatione, & cœteris affectibus ſequens receptum præſcribimus, ut ℞. *Aq. roſ. alb. vel. chelidoniæ ℥. ij. lapid. hæmatitis præp, drach. j. m.* & utere.

Aqua Perlarum.

℞. *Aquar: quatuor cordial ana ℥. ij. manus Chriſti perlatæ ℥. j. magiſt. perlar. drach. dimid. ſuccin: alb. pulveriſati ſcrup. j. aquæ Laugij ℥. j, m.*

Vires, Uſus, Doſis. Inſigne cordiale eſt in lipothymia, & ſyncope; cor enim, & vitales facultates imbecilles refocillat, exhilarat, ſpiritus vitales revocat, & ferè fugientes coërcet. Prætereà hecticis ſolemne eſt medicamentum.

Aqua Somnifera.

℞. *Succor. depurator. ſolani, lactucæ, hyoſcyami, papav. alb ana ℔. j. pone in vaſe vitreo, & infundantur ſemin. lactucæ, papav. alb. ſolani ſomniferi, lolij ana ℥. i. cortic. rad. mandragoræ, cynogloſſ. ana ℥. ij. croci Orient. drach. ij. dimid. Terantur omnia, & digerantur per tres, vel quatuor dies (vigorari poſſunt ſpiritus vini ℔. j.) poſteà deſtilla per alembicum, juncturis optimè clauſis, lento igne, ad tertium cohobium, & cautè ſervetur ad uſum.*

His ingredientibus vindemiarum tempore muſto infuſis fieri poteſt vinum ſomniferum.

Vires, Uſus, Doſis. Omnes humanæ vitæ cruciatus ſedat, & pacat, id non per moleſtantis cauſæ ablationem, ſed quia obſtupefacit, ſomnum inducendo; undè in omnibus capitis doloribus, colicis, nephriticis, podagricis, & innumeris alijs dolorificis affectibus ſimile medicamen non reperitur, & non ſolùm dolores ſopit, ſed omnes corporis partes præcipuas tuetur, potiſſimùm cor, & uterum; ac interdùm ſulfureos ſpiritus fixando, & occaſionalem materiam mitigando, febrium ſolatur ardores; eapropter epilepſiæ, melancholiæ, maniæ, vulvæ ſtrangulationi, delirio, hæmorrhagiæ, & omnibus alvi fluoribus, ut diarrhœæ, linteriæ, cœliacæ, fluxui hepatico, dyſenteriæ, teneſmo, & hæmorrhoidum cruciatibus auxiliatur. Hinc omnes morbos ab Archeali Idea partos, ut varios uteri furores, aſthmaticos affectus, & alia ſimilia mala ab Idea tantum in vita concepta producta narcoticis adminiſtratis medelis profligari quotidiè experimur. Doſis drach. dimid. poſt paſtum, ſed ſi plus dederis, in profundo, & perenni veterno infirmum ſepelies.

Aqua Sudorifera.

℞. *Lign. guajaci limat. l. ß. corticis ejuſdem ℥. ii. ſalſaparillæ ℥. iij. ſaſſafras ℥. j. Macerentur per 24. h. in vini generoſi albi l. iij. Deinde affunde aquar. Sonchi, Bugloſſ. Borag. ana ℔. iv. rad. angelicæ, bardanæ, Scorzoneræ, gentianæ, ariſt. rot. ana ℥. ij. contrayervæ ℥. j. Zedoariæ, ʒ. vi. fol. card. Bened. galangæ, Scordij ana m. ij. facta maceratione deſtilla, & aquæ extractæ adde theriacæ antiquæ, Mithridatij ana ℥. ij. cortic. exterior. citri ℥. i. ß. Sem. citri ℥. ß. florum Sambuci p. ij. confect. de hyacintho ʒ. iij. Lapid. Benzoar. or. ℈. ij. Iterum deſtillentur ex balneo vaporoſo roſtro capitelli immiſſi ligni aloës ʒ ij. & ſerva in vaſe optimè clauſo ad uſum.*

Vires, Uſus, Doſis. Præſtantiſſima eſt hæc aqua febribus malignis, & exanthematibus pellendis. In omnibus morbis malignantis naturæ, ut febribus petechialibus, caſtrenſibus, Hungaricis, & peſtilentibus eſt vera antidotus. Datur puerulis, ubi variolarum, aut morbillorum ſuſpicio adeſt, eas namq; efficaciter eliminat, & cor à putridis vaporibus tutum reddit. Doſis ℥. ij. ad iij. in ſyr. de ſcordio, vel card. benedicto ℥. j.

Sicut hæc noſtra aqua ſudorifera morbis contagioſis, & malignantis naturæ depellendis eſt efficaciſſima antidotus, ità lui Venereæ, quæ eſt maligna, & contagioſa, medetur, & nullum alexipharmacum eſt tam potens hanc luem profligare, quam ſudor, medicamentum minimè inſolens, ut eſt ſuffumigium, & extrema hydrargyri inunctio, quæ ptialiſmum excitat, fauces, gingivas, palatum, linguam ita exulcerat, & tumefacit, ut fami, & ſiti parcant; nam hujuſmodi ægrotis aquam præbere eſt toxicum ad necem dare; vel diarrhœam ſimplicem, vel cruentam promovet maximis torminum torturis, & patientis vitam in quæſtione ponit: Sola itaque aqua ſudorifera, vel decoctum eſt tutiſſimum luis Venereæ prophilacticon, omneſque ejus curat ſpecies, ut dolores, gummata, puſtulas per univerſam cutem &c. ac ipſum Venereum ſeminium radicitus exterminat, Pro hujus noſtræ aquæ ſudoriferæ uſu præmittenda ſunt univerſalia medicamenta putà purgantia de communi morborum omnium, ſed his mercurialia præferenda ſunt, ut alvus aliquoties ſubducatur; ità namque craſſi ſucci inciduntur, ſubtiliantur, & fluxiles redduntur, & facilius per ſudorem proſcribuntur. Præmiſſis hiſce, curatio per diætam ſudorificam perficitur, dùm æger ſingulis diebus bis, mane, & veſperi ante paſtum hujus aquæ accipiat ℥vi. vel ultra pro circumſtantiarum varietate. Interim in lecto lodicibus benè tectus profuſiſſimos expectet ſudores, & à ſudoribus abſterſis utatur æger cibis aſſis, & non elixis, & pro potu, decocto ſecundario ex lignis elicito, quod bocchetum vocatur. Sudor nunc brevior, nunc prolixior juxta qualitatem morbi continuandus eſt. Dùm curatio per ſudorem perficitur, interpoſitis tribus, quatuor, vel quinque diebus, lenis inſtituatur evacuatio, & cum alvus ſubducitur, per illum diem æger à ſudore vacet oportet.

Aqua ad Stranguriam.

℞. *Lactis caprini ℔. iv. cortic. fabar. flor. roſ. albar. ana m. ii. rad. alth. malvar. ana lib. dimid. fruct. alkekengi ℥. i. ſebeſt. jujubar. ana ℥. ij. quatuor ſemin. frigid. mai. ℥. dimid. ſem. papav. alb. cydonior. ana drach. iv. lactucæ drach. iij, macis ℥. dimid. boli Armen. ℥. ij. Contundenda contundantur, digeranturque, poſtmodum in M. B. ſ. a. deſtilla. deſtillatumque liquorem ad uſum ſerva.*

Vires, Uſus, Doſis. Ad urinæ ardorem efficaciſſima eſt hæc noſtra aqua, quæ acidum ſalrem non tantum in urina obtundit, & immutat, ſed etiam primario in ſtomacho, unde ſuam ſcaturiginem agnoſcit, corrigit, ac proindè ardorem in mingendo abigit. Renum, ureterum, & veſicæ mucilagines abſtergit, & aſperitates complanat. Doſis unc. i. ad unc. iij. quibus admiſceri poteſt *ocul. cancr. fluviatil.* ʒ. *i.* vel *Balſami Peruviani liquidi gutt. aliquot,* & per plures auroras ſumi.

AQUIFOLIUM, vid. *Agrifolium.*

AQUILA.

Aquila (vel ab aquilo, h. e. fuſco, ſive ſubnigro colore, qualis aquæ eſſe ſolet: vel ab acutè volando; nam avi hac nulla volat vehementius, ut eſt apud *Ciceron.* 2. *de Divinatione*: ac apud *Cedrenum* legimus, videri veteres, ad ſignificandam raptûs celeritatem, finxiſſe, *Ganymedem* aquilà à *Jove* raptum eſſe: vel ab acutò viſu; quia aquila perhibetur acuti adeò visûs, ut cum in eam altitudinem elata eſt, ut nec humanis pateat oculis, tamen & minutos videat piſciculos in mari natantes, & lepuſculos ſub umbroſo frutice recubantes.) Græcè ἀετὸς παρὰ τὸ αἰεὶ ἔτεος εἶναι, quod ſemper augurium ejus veridicum crederetur: idq; fortaſſis, quia

quia ministra *Jovis*, qui est summus æther, quem sola illa petit. *Charleton.*

Aquila in genere definiri potest, Avis rapax diurna, è maximis, omnium generosissima, rostro à radice statim adunco. Magnitudine sua ab Accipitre distinguitur, generositate & rostri aduncitate à Vulture. *Wilughb.*

Usus. Medulla crurum & ossium, in medicina rarò occurrit; Ad Pisces capiendos utilis esse, vulgò creditur. *Dale.* Quidam præterea credunt cerebrum ejus drachma unius pondere sumptum epilepticis conferre

Aquila Alba, vid. *Mercurius Dulcis.*
Aquila Coelestis, vid. *Sal Ammoniacum.*

AQUILEGIA.

Aquilegia recens vocabulum est, quasi Aquilina, ob florum mucrones aduncos ut sunt Aquilini ungues. Anglis *columbine* dicitur, quia florum calcaria recurva columbarum cervicem cum capite & rostro tum figurâ, tum colore referunt. An veteribus Græcis vel Latinis cognita fuerit, aut quô nomine dicta, nondum constat.

Notæ illius *genericæ* sunt folia Umbelliferarum modo divisa, flores penduli cum pluribus corniculis recurvis, semina nigra, lucida.

Aquilegia officinalis.

Nomina. Aquilegia flore simplici *J. B.* vulgaris flore simplici *Park. parad.* Aquilegia sylvestris *C. B.* item Aquilegia hort. simplex *ejusd.* Aquilegia cærulea *Ger.*

Vires. Tragus & *Matthiolus* scribunt seminum pulv. ʒ. *i.* cum croco nummi pondere è vino bibitum certò sanare icterum, si lecto se contineat æger & sudet.

Camerarius in hortô, semen sacchare incrustatum laudat in viscerum obstructionibus, in vertigine, &c.

Aqua Stillatitia *Trago* eadem efficit, præstatq; levamentum adversus syncopen; abscessus proinde internos discutit: venenum quodvis expellit, ac tormina mitigat.

Clusius semen tenuissimè tritum & in vino datum mulieribus in partûs difficultate optimo cum successu exhiberi scribit. Si primus haustus non sit efficax repetatur. *Camerar.* docet decoctum herbæ totius cum momento Ambræ contra ἀδυναμίαν facere. Semen in expellendis variolis & morbillis usûs mulierculis est creberrimi, *Schrod.*

Extrinsecus frequens ejus ad putrilaginem gingivarum scorbuticam emendandam ulceraq; oris & faucium emendanda.

Folia Anglis in usu sunt in collutionibus & gargarismis contra affectus faucium & asperæ arteriæ calidos. *J. Rajus.*

Arabis, vid. *Draba.*
Arachus, vid. *Aphaca.*
Aracus, vid. *Cicera.*

ARANEUS.

Araneus (vel ab ἀράχνης, omissô χ, quomodo à χλαῖνα est læna) vel παρὰ τὸ ἀραιὰ ἴχνη ἔχειν, quòd tenuia habet fila,) Crusculis ut plurimùm incedit octonis, quibus omnibus internodia terna. Cum coire volunt fœmina deductam araneam trahit, mas eandem mutuò trahit: quod ubi sæpius fecerint, coeunt, & aversis clunibus copulantur: qui modus ijs propter alvum orbiculatam convenit. Generatim distinguuntur in *Noxios* seu *Phalangia*, inter quos præcipuum locum obtinet *Tarantula*; & *Innoxios* qui subdividuntur in *Domesticos* & *Subdiales*, & utrique rursum in *Retiarios*, *Telarios* & *Varios*.

Araneæ λαγαρώτατοι agilissimæ, succinctissimæ, εὐζωνότατοι, sunt τεχνικώτεροι τῶν ἄλλων, ingeniosiores in vitæ functionibus. Mares aranei similes sunt Flandris qui otiosè degunt, mulieres negotia exercent.

Omnibus Araneis illud proprium est, quod ova sua, tanquam in sportula, ex telis suis constructa, secum gestent & foveant *Harvæus.*

Aranei non ictu sed morsû venenum ejaculantur. Deprehenditur mox stupor in demorsa parte, cum refrigeratione extremorum, & alvi flatibus. Corpus insuper universum obstupescit (si ex improviso devorati sint in cibo) & instar Anasarcæ intumescit, Antidotis veneni vis infringenda, & reliquiæ sudoribus discutiendæ. Vulnus quamprimum abluatur aceto, quam valentissimè. Theriaca, seu cepa & allia trita imponantur. *Charleton.*

Partes Officinales. 1. *Aranei*; 2. *Tela Araneorum*; (*Aranea dicta.*)

Vires. 1. *Araneus* febriles paroxysmos arcere dicitur, pulsibus metacarpij, temporibusve impositus, peculiariter tamen ad quartanam commendatur, putamine *avellanæ* inclusus, colloq; suspensus vel lacerto appensus.

2. *Tela*, constringit, conglutinat, ideoq; vulneraria est sanguinem cohibens, inflammationem præcavens. Ad arcendos febriles motus non solùm externè, sed & internè à nonnullis audacter adhibetur. *Schrod.*

ARBOR.

Arbor (δένδρον) est planta lignosa, crassitudine & altitudine inter omnes maxima, cui caudex pro superficie est perennis & naturâ simplex, qui in multos ramos majores, quos ἀκρέμονας & ὄζυς Græci vocant, & deinde in ramusculos complures, quos ijdem κλάδυς, Latini surculos appellant dividitur. *J. Rajus.*

Arbor Dysinteriæ, vid. *Macer.*

ARBOR VITÆ.

Nomina. Arbor vitæ *Ger. Park.* Vitæ, sive Paradisiaca, vulgò dicta, odorata ad Sabinam accedens *J. B.* Thuya Theophrasti *C. B.*

Quanquam non inquilina elegans hæc arbor, facilè tamen cœlo solóque nostro assuescit, sic ut in justæ proceritatis arborem excrescat: *caudice* rectô, nodoso, cortice cinereo aut rubente, materie Abiegnâ, resinosâ, ramis perpetuâ comâ virentibus, & alarum modo expâsis, qui in alios ramulos planos, alternatim è latere succrescẽtes divisi, abeunt denuò in multa oblonga *folia*, numerosis foliolis cõpressis, quaterna medium gibbosum complectentia ex ramulorum extremis aut paulò citra. Vere oriuntur *flores*, pusilli, flavescentes, quorum nonnulli deinde in conos, parvos, sublongos, Pinei nuclei magnitudine efformantur, è sex tenellis squamulis compactos, initio virides deinde pallescentes, postremò ubi planè maturuerunt nigricantes, qui in quatuor carinas dehiscentes, *semina* ostentant sublonga, quaterna, plerunque paleacea, medio paulùlum extuberante, in quo medulla acris & amariusculi saporis. Coni hi non nisi detracti ferè aut tabidi pediculo excidunt. Hujus plantæ odor non est gratus. Si quis folium digitis nonnihil duntaxat confricaverit, facilè eluere non possit. Hunc autem non modò viridis ex se exhalat, sed etiam multis in annis recisa & exiccata retinet.

Vires. Ex sapore & odore facilè colligitur hanc arborem temperiei esse calidæ, & partium tenuium, unde verisimile est digerendi & abstergendi facultate præditam esse. *Parkinsonus* folia tenera & cruda cum butyro pani illita & comesta ad tenaces & viscidos humores expectorandos nonnullis esse in usu scribit, verùm aliquibus qui teneriore sunt constitutione non convenire quòd nauseam facilè moveant. Elicitur ex ea aqua & oleum per Chymica organa, utile ad dolores podagricos ritè impositum. *J. Rajus.*

ARBOR FOETIDA, vid. *Frangula.*

ARBUSTUM.

Arbustum est planta quæ reliquas, exceptâ arbore, crassitie & altitudine superat, unico & duro trunco; arboris ad instar, gaudet; sed est minùs durabilis: quoad reliquum arbori simillima, ità ut non major reperiatur differentia inter arbustum & arborem, quàm inter homuncionem & hominem.

ABBUTUS.

Nomina. Arbutus *Ger. Park.* Arbutus, Comarus Theophrasti *J. B.* Arb. folio ferrato *C. B.*

Arbutus quamvis locis nonnullis in justam arborem adolescit, plurimum tamen frutex est, contortis stolonibus scabro cortice intectis, in quibus perpetui viroris *folia*, Laurinis similia & paria ferè, crassa, virentia, per extremum tantillum purpurascentia, circumquaque eleganter crenata. *Flores* tanquam ex amento racematim penduli, pulchri, similes ferè floribus Lilij convall. concavi, albi, odoris jucundi. Hos excipiunt *fructus* Fragis similes, sed multò majores, exactè retundi, acerosi, ante maturitatem lutei; maturi autem rubentes, sapore valdè grato & dulci præditi. *Semen* (ut ait *Clusius*) Milio non multò majus, inque fructûs meditullio contentum, nihilominùs tenui obductum membrana.

Vires & Usus. Arbuti fructus, Memæcylon Græcis dictus, ventriculo incommodus est, & capitis dolorem inducit, uti tradunt veteres *Dioscorides, Plinius, Galenus.* Mihi sanè (inquit *J. Bauh.*) quoties comedi dolorem causârunt ventriculi hi fructus. At *Clusius* se multos semel sine ulla noxa edisse ait, & revera sapore sunt non usque adeò grato ac Fraga, dulci tamen, cum proprio & peculiari quodam gustu acerbo, quem vix exprimas, ut rectè *J. Bauh.* Patavij in foro venales vidimus; & à tenuioris fortunæ hominibus non minùs in Italiâ quam in Hispaniâ appetuntur.

Amatus ex Arbuti folijs & floribus aquam vitreis organis elici tradit, eamque servari tanquam sacratissimum adversùs pestem & venena antidotum. *Matthiolus* pulverem ossis de corde Cervi ei admiscet. Eam verò aquam statim morbi initio propinandam ajunt. Fructu delectantur Turdi & Merulæ. *J. Rajus.*

ARCANUM.

Arcanum, Græcè dici potest ἀπόῤῥητον, ἀπόκρυφον, μυςήριον; & est genus remedij, cujus modus præparandi singularis, vel efficacia abstrusior relinquitur, ne vilescat. *Brunon.*

Arcana nonnulla è Ph. Bateana.

Arcanum Aluminis.

Fit ex alumin. dulc. ℥. *ii. Sal. comm. fusi,* ℥. *vi. mixtis, reverberatis, & aqua ablutis f. a.*

Vires. easdem habet cum Alumine dulci

Arcanum Corallinum.

Fit ex Merc. crud. ℔. *i. Spir. nitr.* ℔. *iij. destillatis cum trib. cohobiis, Arcanum in fundo manens edulcando per calcinationem, vel ablutionem f. a.*

Vires. Secretum est magnum in lue Venerea, Hydrope, Podagra, Ulceribus, Scabie, Cancro, &c. *Dosis gr. iv. ad vi. vel ultra.*

Arcanum Paracelsi Corallinum.

℞. *Merc. crud. vitriol. calcinat. nitri ana* ℔. *ij. M. & sublima, sublimatum misce cum nitr. & sal. comm. parum calcinat. ana* ℔. *j. aceti q. s. ut fiat pasta, quæ rursus sublimetur, separando rubrum à flavo, & abluendo utrumque seorsim, & Spir. vini accendendo f. a.*

Vires. Æmulatur Mercur. dulc. Secretum est in lue Venerea, Hydrope, Scabie, &c. *Dosis gr. iv. ad viij.*

Arcanum Cosmeticum.

℞. *Talchi Venet. subtil. pulverat. f. a. p.* I. *olei camphor. p. ij. Digere in B. M. ad summam albedinem. f. a.*

Arcanum Duplex.

Elicitur ex Capite mortuo Aq. Fort. duplicis in aqua calida soluto, filtr. & exhalato, f. a.

Vires. Egregij usus in Melancholicis affectibus, febribus omnibus, Calculo, Scorbuto, &c. *Dosis,* ℈. *i. ad* ℈. *ij.*

Arcanum Joviale.

Fit ex ããã. ex part. æquat. Mercur. mund. & Stann. Anglic. pulverat. in Spir. nitri, rectif. digesto & per Retortam ad siccitatem destillato, Massam in fundo tritam edulcando accensione crebrâ Spir. vini f. a.

Vires. Sudorificum est magnum. *Dos. à gr. iij. ad viij.*

Arcanum Scriptorium.

Fit ex sal. Saturni ʒ. *j. in aqua* ℥. *j. solutâ, pro liquore Scriptorio, ex pulvere Auripigmenti & calcis vivæ ana* ʒ. ß. *in aqua* ℥. *iv. digest, pro liquore oblinitorio.*

ARCHEMI, vid. *Cinnami.*

ARCIUM, vid. *Bardana.*

ARDEA.

Ardea (ab arduo altoque volatu) ἐρωδιὸς quasi ἐρωτίδιος, avis amori & veneri propria.

Ardearum familia hâc certissimâ notâ ab alijs omnibus avium generibus distinguitur, quòd nimirum instestinum cœcum unicum & simplex singulæ obtineant Quadrupedum more, cùm aliæ pleræque aves geminas nactæ sint.

Fœmina quam descripsi quatuor ferè libras pendebat, à summo rostro ad extremos ungues 4. pedes longa, ad ultimam caudam 38. $\frac{1}{2}$. digitos.

Anteriores verticis plumæ albæ; succedit crista nigra 4. $\frac{1}{2}$ digitos alta. Mentum album: Collum in albo & cinereo nonnihil rufescit. Gula alba, maculis nigris pulcherrimè picta; inque ejus infima parte succrescunt pennulæ longiores, angustæ, acutæ, albæ. Dorsum lanuginosum contegunt longiores è scapulis ortæ pennæ cinereæ, strijs seu lineolis albis deorsum tendentibus variæ. Pectoris media pars & Uropygij ima, quæ sc. caudæ subest, ad flavum vergit. Sub scapulis macula magna nigra à qua area nigra ad podicem tendit.

Pennæ alarum remiges circiter 27. quarum ultimæ cinerascunt, reliquæ omnes nigricant, exceptis undecimæ & duodecimæ marginibus exterioribus, quæ nonnihil cinerascunt. Omnium prona seu inferior facies cinerea. Alæ nothæ pennæ nigricant, sub notha, macula magna alba: superiùs etiam nothæ radices plumæ albæ vestiunt, deinde linea alba per totam alæ basin ad ramos usque continuatur. Secundi ordinis pennarum alæ decem nigricant, deinde quatuor aut quinque oris exterioribus albent; reliquæ omnes cinereæ. Cauda quoque cinerea, septem digitos longa: 12. pennis componitur. Rostrum magnum, validum, rectum, in acumen paulatim attenuatum, ab apice ad angulos oris 5$\frac{1}{2}$. digitos longum, ex viridi flavicans. Mandibula superior inferiore tantillo longior, cui fossula insculpta à naribus ad extremum apicem procurrit: Ejus late-

latera versùs extremitatem nonnihil aspera & velut serrata videntur, ut pisces lubricos meliùs retinere possit nè elabantur. Mandibula inferior magis flavicat, quin utriusque latera in aciem valde acutam tenuantur. Oris hiatus amplus. Lingua acuta, longa, minime tamen dura. Palpebræ & spatium plumis nudum inter oculos & rostrum virescunt. Foramina narium angustæ & oblongæ rimulæ.

Crura & pedes virides: Postica crurum pars & pedum plantæ viridiores. Digiti prælongi. Extimi anticorum imum internodium, medio membranâ adnectitur. Unguis medii interius latus serratum, quod observatu dignum est. *Wilughb.*

Partes Ardeæ officinales, non aliæ sunt quàm Pinguedo seu Axungia.

Vires. Pinguedinis hujus rarus est usus in Medicinâ, lenire tamen dicitur podagricos dolores, oculorumque nebulas discutere, & visum clarificare, illita. Hinc & surdastris conferre indita auribus. *Schrod.*

AREOTICA.

Areotica sive *Rarefacientia* dicuntur medicamenta quæ cutis poros dilatando vaporum evacuationem per diaphoresin facilitant. Talia sunt althæa, mercurial. aneth. flor. chamomill. melilot. sambuc. semin. lini, anethi. caricæ siccæ & similia. *Meuve.*

ARESTA, vid. *Ononis.*

ARGENTILLA, vid. *Potentilla.*

ARGENTUM.

Fodina Argentifera, ejusque natura & proprietas.

Multi, uti est apud *Agricolam*, putaverunt, argenteam venam per se puram non reperiri, sed vel æratæ, vel plumbeæ venæ, aliisque corporibus metallicis commistam. Sed hoc & experientiæ, & historiæ repugnat; siquidem in Potosinis Americæ montibus, *auri argentique frusta*, subinde adeò *pura reperiuntur*, ut ne quidem ulla depuratione indigeant; sed aurificibus uti nata sunt, tradantur in necessarios variæ supellectilis usus, elaboranda; cujusmodi & in Hungaricis fodinis subinde inventa fuisse referunt, non dicam intra abditas montium venas, sed vel aratri ope, in agrorum sulcis, intra radices arborum quoque, vel etiam in scaturiginibus, quæ ex montibus auriferis, argenteisque erumpunt; imò subinde quoque ipsi vitium racemi foliaque aureo colore tincta spectantur. In intimis quoque Monomotapæ desertis montium vallibus purum putumque aurum subinde instar lapidum reperiri Abassini annales Societatis nostræ tradunt. *Agricola* confirmat dicta argentea illa tabula intra Saxonicas fodinas argentiferas inventa, quam natura ad tantam puritatem, & perfectionem deduxerat, ut Aurificis quidem industriâ eliquata, & quam optimè posita, in mensam efformata videretur, ut vel ipse *Dux Saxoniæ* gloriari sit solitus, ne *Imperatori* quidem in tàm insolita, mira & plena magnificentiæ mensa, non manu artificis efformata, sed incredibili Naturæ industria elaborata, convivari, concessum esse: quod luculentum signum, argentum proprios habere sui exortus natales.

Accedit, quod hoc, quod de argento dicitur, id de omnibus aliis venis metallicis dici possit, cum nulla sit adeò pura, & ab omnibus heterogeneis ita depurgata, quæ non semper aliquid reliquorum metallorum sibi commistum habeat, pro varietate halituum, venas, nunc hoc, nunc alio colore tingentium, cum singulæ venæ exhalentur; colore quodam in cœruleum, nonnullæ in viridem, aliæ in fulvum fuscumque non desint quæ in cinericium nigrumque, aliosque colores juxta compositionem, combinationemque cum prima, & proxima metallorum materia efflorescant. *Argentum* itaque pro hujus misturæ ratione nunc in majore, nunc in minore quantitate, pro majori, vel minori sulphureo-mercurialis halitûs in terra pura, & argento producendo proportionata concoctione reperitur. Nam ut ex fodinarum præsidibus intellexi, concrescit illud plerunque *in lapide cinerei* vel *grisei coloris*: præterea in lapide quodam duro haud absimili Tyburtino, quem *Travertinum* vocant. Vena gravis est, & ponderosa, lucentibus veluti quibusdam punctis prædita, luculentum sanè melioris notæ argenti indicium. Si verò inveniatur in lapide candido & plumbeo, tum maximè appetitur, eò quod à terrestreitate sua facilè purgetur.

Rursus utplurimùm quoque reperiri solet sociatum *Marchasitis*, seu pyritibus, quæ tamen quantò aureo colore plus superbiunt, tantò minus argenti spondent; quanto ad candidum colorem plus approximant, tanto fœcundiorem argenti venam pollicentur: Cujus rei causam hanc damus, quod fulgidior pyritarum color, nescio quam adustionem notet, qua argentum paulatim consumitur. Contra candidus pyritarum color uti temperatiorem calorem indicat, ita quoque uberiorem argenti copiam spondet, præsertim si plumbo & æri fuerit sociatum. Accidit subinde ut *sulphuri* & *arsenico*, *mercurioque* nondum fixis, similibusque combustibilibus rebus conjunctim inveniatur: tum nulla alia re opus est, nisi ut igne forti, argentum à cæteris per evaporationem separetur: Quomodo verò hæc separatio fiat, ex praxi, qua in America passim utuntur postea exponam.

Argenti natura & proprietates.

Materiam argenti ex substantia Sulphuris & Argenti vivi dimanare *Albertus Magnus*, aliique pronunciarunt. *Brassavolus* tamen statuit esse argentum vivum condensatum sulphur virtute comprehendens, cum ex frequenti pertractatione argenti, odor sulphuris persentiatur, sed sub argento, & auro sulphur diversa ratione latitare asseverat, quandoquidem auro sulphur in actu, & argento, sulphur in potentia assignat. Veri autem Philosophi & diligentes rerum naturalium scrutatores, argentum ex substantia magis aquea, quàm ignea prodire affirmant, ideóque illud in temperatura frigida, & humida constituunt, quicquid alii de temperamento frigido, & sicco argenti dixerint. Imò *Albertus* & ipse argentum frigidum, & siccum non sine aliqua humiditate existimat. Quod alias affectiones, considerandum est argentum esse tractabile, & sonorum: auribus enim non injucundum tinnitum communicat, & si purum sit, hominis halitum recipit, & nubem protinus discutit. Cæterum si comparetur ad aurum, profectò minus perfectum est: quocirca Chymici dicere solent, uti se habet Luna ad Solem, sic se habet argentum ad aurum: Sed Luna est minoris luminis, ita & argentum minoris pretii, & ponderis esse debet. Similiter si meditemur utriusque metalli proprietates, maximum inter utrumque discrimen inveniemus. Primò enim in eruendo è fodinis argento, non ita purum ut aurum colligitur, sed terrâ & sordibus adeò permixtum, ut illius depuratio immensum laborem expostulet: Insuper argentum purificatum, malleo quidem dilatatur, sed minùs quàm aurum, cùm majorem duritiem & crassitiem nanscíscatur. Deinde auro, & plumbo est levius, siquidem liquefactum illis instar oleum supernatat, diuturno igne diminuitur, & in locis humidis abditum

abditum corrumpitur; quibus affectionibus aurum minimè vexari *Tractatu* de auro manifestabimus. Itaque Auctores non debent magna admiratione teneri, quando argentum cùm sit candidissimum, lineas nigras corporibus imprimat, quod non aliunde nisi ab impuritate metalli dimanare censemus. Tandem argentum à natura hoc habet insitum, ut à familiaritate sulphuris, stanni, & ferri abhorreat, veluti cuncta animantia, & potissimùm *canis*, teste *Plinio*, odorem ab argentariis exeuntem mirum in modum abominatur.

Inveniendi Argenti & præparandi ratio.

Metallurgis jamdudum innotuit, *Argentum* in terreno cinereo, & obscuro generari, ibique inveniri, ubi *pyritæ* multi conspiciuntur: imo quemadmodum pyritæ aureo colore adspersi, venas, ita pyritæ albicantes minutis maculati granis, venas argenteas indicare solent: quocirca locus, ubi pyrites candidior, rarior, & minutior observabitur; majorem spem venarum argenti præbebit. Inventa igitur, & aperta argenti vena, fossores tamdiu in eruendo argento prosequuntur, donec *aluminis* mineram inveniant: quandoquidem reperto hoc succo concreto, macro, venæ argenti finem prædicunt.

His igitur præpositis ad argentum effossum depurandum accedemus, quod non nisi cum ♄ nigro plumbo, aut cum vena plumbi, quæ *Galena* appellatur, quæ utplurimùm juxta plumbi fodinas invenitur, excoquitur. Interdum Metallurgi *ex cadmia bituminosa* virtute ignis argentum eliciunt, quæ tamen exiguam illius in se quantitatem continet: aliquando *minium*, cujus vomica est argentum vivum, à metallurgis in argentum excoqui, *Plinius* testificatur. Verùm quando argentum auro, vel æri fuerit permixtum, multa pro separatione metalli magisteria adhibere solent, quæ *Georgius Agricola* diligenti examine prosequitur. Præterea nonnulli ex hydrargyro purum argentum extrahere profitentur, quod utrum verum sit, non nisi experientia explorari potest. *Picus Mirandulanus* narrat, nimirum suis temporibus accidisse, ut argentum vivum cum plerisque aliis rebus pro *equi* medicina permixtum, in purum argentum fuerit transmutatum; quod si verum est, id non tam ex hydrargyro, quam ex adjunctis rebus, quibus commisceb tur, eductum fuisse facilè crediderim.

Posteàquam argentum ingenti laborum difficultate fuerit excoctum, & elaboratum, caret illo albore, qui in argento desideratur; quocirca Artifices tartarum cum sale communi in aqua miscent ad ignem, in qua argentum nonnihil fervefaciunt, & inde illud extrahunt candidissimum. Insuper sunt nonnulli, qui candorem argenti colore flavo, *tutiæ* & *curcumæ* beneficio tingere nituntur, ut hac coloris prærogativa aurum æmulari videatur. Alii verò laboribus animum, & corpus fatigant, ut argentum in aurum tranforment. Quomodo verò argentum auro obduci possit paucis accipe.

Triplici modo id potissimùm fieri observavimus. *Prior* est, cùm supra tenuem argenti bracteam alia auri similiter tenuis posita, malleo, tamdiu, donec firmissimè simul cohærescant, contunditur. *Secundus* est, cùm supra crassam argenti bracteam, denarius aureus collocatus malleo quàm latissimè potest extenditur. *Tertius* modus est, quando bracteæ argenteæ, hydrargyri, & ignis ope auro mixtæ diluuntur.

Argenti in Medicina usus.

In usu medico *Argentum* non vulgarem habere commoditatem perhibetur, quandoquidem Medici Dogmatici illius scobe & tenuissimis bracteis utuntur, eò quod hoc metallum tremori, & palpitationi cordis opituletur, cerebrum roboret, putridam in ulceribus carnem blandè exedat, & tandem in mania & aliis affectibus melancholicis multum adjumenti adferat. Quamobrem cum inter *cardiaca pharmaca* numeretur, ingreditur Electuarium de Gemmis, *Galeno* adscriptum, Auream Alexandrinam, & omnia ferè Antidota, quibus aurum permiscetur. Imo argentum, refrigerando & siccando, scabici & prurigini medetur, si cum oleo tartari mixtum, ut notat *Mylius*, adhibeatur. Item alii limaturam argenti cum Hydrargyro permiscent, & hanc medicinam in sanandis hæmorrhoidibus mirum in modum perperam extollunt. Denique foliis argenti, medicamenta in bolo præscripta involvuntur.

Chymici Argentum potabile parant, deinde *calcem, crocum, quintam essentiam, oleum & salem*. *Oleum* argenti sive Lunæ in morbis cerebri magno usui futurum prædicant: propterea in sananda epilepsia hujus tres, vel quatuor guttas cum aqua florum betonicæ, salviæ & melissæ patienti propinant: *salem* quoque non solum in prædicta affectione, sed etiam in aliis morbis capitis minimè infrugiferum divulgant, cum omnes cerebri humiditates superfluas absumere dicatur: Imò ex hujusmodi sale sumpto à granis quatuor ad quinque, cum semidrachma olei juniperi, hydrope laborantem amplissimum fructum esse consecuturum pollicentur, & tandem stomacho labefactato plurimum prodesse asseverant. In Pharmacopœis denique mortaria argentea cum pistillis pariter argenteis ad gemmas contendendas pro confectione hyacinthina servari debent, ne à pulvere lapidis porphyritici alteretur, qui ob contactum angulorum durissimarum gemmarum produci posset: neque aliud metallum ad hoc peragendum opus idoneum esse videtur, quoniam colorem & qualitatem gemmarum inquinare, & alterare potest. Cum autem in mortario argenteo præpar tæ fuerint, hoc incommodum à gemmis proculdubio arcetur. *Athan. Kircher. in Mund. subterran.*

De Fodinis in Peru videatur Aurum.

Sequuntur jam Præparationes Argenti ex Schroden ab Hoffmann. annotat. Item alia quædam.

Purgatio à sordibus superficiariis.

Coquatur, laveturque cum ▽, in qua solutum Tart. ac Sal. com.

I. Purgatio ab alienis Metallis.

1. *Per calcinationem immersivam.*

Solve ☾ per ▽F, quæ solummodò solvat ☾, relictis Metallis intactis.

2. *Per fusionem cum ♄o.*

Immitte plumbum in ✝bulum ignitum; ut liquescat, quo liquefacto, superinjice Lunam, continuando ignem donec cum plumbo metalla illa imperfecta vi ignis, partim in fumum abeant, partim quoque scoriarum nomine secernantur, relictâ ☾ in fundo.

N. 1. *Ignis sat fortis requiritur, unde è re erit, furnum anemium adhibere.*

N. 2. *♄us hac purgatione in spumam cum argenti recrementis concretus, dicitur Lithargyrus, de quo infra (Helchysma idem ferè sonat recrementum ☽æ plumbum.*

3. *Per nitrum.*

Fluat ☾ ad ignem, hinc superinjiciatur per vices Sal. nit. & purgabitur. ☾a.

II. Cal-

II. Calcinatio.

1. Immersiva.

Solve ☾m laminat. in liquore aliquo corrosivo, coagula inspissando vel præcipitando, ac edulcora. Præcipitatur autem ☾ soluta, per muriam salsam, ▽ salsam, vel per particulam æris injectam.

N. *Liquor ille corrosivus, vel est* ▽F *(vide in Sal. nit.) vel spirit. Sal. nit. vel his finitimus humor, (ut patebit infra in tincturis, seu* ☾ *à potabibi, recipitur autem in quantitate tripla, quadrupla, sextupla, &c.*

N. 2. ☾ *hac ratione soluta, si more solito ad crystallisandum reponatur, concrescit in Crystallos, quos vitriolum* ☾*æ vocant.*

2. Calcinatio Amalgamatoria.

Fit, per Tart. ⊖lat. per ♉, per ☿, per Sal. com. & simil.

N. *Calcinatio hac fieri debet sine fusione.*

Exempli gratia.

℞. ☾æ lamin. p. 1. ☿♎, p. ij. Misc. exhaletque ☿ ad lignem, & remanet ☾a instar resinæ. *Senn. Instit.*

Sic cementatur quoque cum duplo ♉, vel cum quadruplo Sal. com. hor. 4. 5. 6. 7. 8.

Aliter.

℞. ☾ limat. p. 1. fl. Sulphur. p. ij. Sal. com. p. ß. Misc. sublimaque septies, ut flores Sulphuris sublimari solent, sublimatum restanti materiæ semper addendo, ultimâ vice sublimatum abjice, restantemque materiam aquâ elue.

Calcinatio ☾æ cæmentatoria fit etiam ut supra dictum est de ⊙ potabili cum ⁓u Sal. Tart.

Calcinatio Reverberatoria.

Quia ☾ facilius igni ac calcinationi paret, quam ⊙, ulterius operosâ reverberatione opus non habet, nihilominus tamen, cui ita visum fuerit amplius ☾ calcinatam elaborare poterit, denuo illam cum Sulph. vel cum Sal. comm. [♉] vel simul cum Sulphure & ♉, vel cum Sal. Com. & ✱, &c. aliquoties pro lubitu cementando, ac dein ablutionibus à salsedine liberando.

Exempli gratia.

℞. Calc. ☾ (per ▽F) ℥ j. Sal. com. ℥ ij. ✱ ʒ ij. Misce & reverbera per ♂8.

HOFMAN.) *2. Calcinatio 1. immersiva*) Solvitur Luna in menstruo quodam corrosivo, verbi gratia, ▽ fort. spir. Salis Nitr. &c. Et soluta ⩪tatur per Muriam, ▽ salsam, vel per particulam æris injectam. Hoc enim modo spiritus corrosivi ▽ fort. aggrediuntur ♀rem ob figuras proportionatas, quas in eâ inveniunt, & Lunam relinquunt, cujus tamen particulæ ♀neri coacervatim adhærescent, si laminatim fuerit injecta.

N. ▽ pluvialis etiam Lunam solutam cum ▽ fort. ⩪tat; id quod ▽a salana seu fluvialis, & putealis nostra non præstat; utpote admodum acida, nitrosa & salsa.

N. 2. Luna *hâc ratione soluta, si ad crystallisandum reponatur, concrescit in crystallos.*) variis crystalli isti insigniuntur nominibus. Dicuntur purgantes, unde Luna hydragoga, catharticum Lunare, quia hoc purgat aquam hydropicorum, cum pilulis vel aliquo Extracto hydragogo adhibitum. Misceri etiam potest cum aliquâ conservâ verbi gratia, flor. persicorum, vel etiam roob sambuci. Hujus effectus ratio omnis dependet à salibus adjunctis corrosivis, unde non nimis crebrò exhiberi debet, aliàs noxam inferre potest. Hujus usum consequi debent Ebur. f. △. spec. diarrhod. Abbat. Diatrion. Santal.

Calcinatio cementatoria fit per Tartarum Vitriolat. &c.) Hæc calcinatio sine fusione fieri debet. Hic Tartarus Vitriolatus Lunaris conficitur ex laminis Lunæ facto SSS. cum Tartaro Vitriolato, inde pulvis viridiusculus resultat, qui mirè in affectibus Capitis pro digestivo commendatur.

Rec. *Luna Lamin. part. 1.* ☿*rii* ♎*at. part. ij. &c.*) Melius procedet, si sumatur rament. Lunæ ʒ j. vel ʒ ij. ☿rii ♎ati pond. æq. ✱ tantundem, hæc probè commixta parvæ phialæ longo collo munitæ immitte quàm optimè clausam flammæ candelæ admove & brevi temporis spatio in fundo ☿rium fluentem videbis, utroque fracto reperies etiam reliquam massam spongiosam & raram. Ratio est, quod salinæ partes ♎ti cum ✱co vehementi calore excitatæ Argentum adoriantur, quo ipso minutæ partes ☿rii à salibus, quæ ipsas disjunctas tenebant, liberatæ & per calorem huc illuc agitatæ post varios motus in hanc coëunt massam. Reliqua salia volatilia etiam Lunam arrodunt, cumque eâ unita novum concreti genus componunt.

Aliter. Rec. ☽ *limat. p. 1. flor. Sulphuris p.* Salis part. ß. Miscei) Optimè procedit calcinatio omisso licet Sale. Inde non solùm egregia Tincturæ Lunæ cum spir. lil. convall. & ✱niaci Urinos addito tantillo spiritus Vitrioli, sed & Aqua Lunæ confici potest, addito tantilla spiritus Vitrioli, sed & Aqua Lunæ confici potest, quæ seq. modo præparetur; Si scilicet Lunæ sic calcinatæ cum flor. sulphuris affundatur ▽a cephalica vel simplex, vel composita, atque ita Luna calcinata extrahatur. Sic verbi gratia, in debilitate memoriæ Lunæ huic calcinatæ affundi potest ▽a Sophorum Dorncreil. vel Mynsicht. vel ▽ cerebri humani. In Maniâ ▽a flor. hyperic. & anagallid. flor. phœnic. In Epilepsiâ ▽a Epileptia Langii, vel ▽a lil. convall. fl. tiliæ. Sic etiam in reliquis affectibus pro eorundem diversitate affundi possunt ▽æ specificæ vel f. vel c. Et si edulcorentur, in majori possunt propinari dosi.

N. Probè hic attendatur, ne nimium Sulphuris ultra partes duas addatur, aliàs Lunam Sulphur comburit, neque etiam justo minus addatur, aliàs Luna non ritè calcinatur. Scilicet ad Lunæ ℥ j. addi possunt ʒ ij. vel ℥ j ß. fl. Sulphuris.

Calcinatio Lunæ cæmentatoria fit etiam cum spiritu Salis Tartari.) Convenientius cum sale Tartari volatili.

N. Mira operatio per cæmenta est, refert *Dominus Stockmannus in Oratione inaugurali Rostochi anno 1619. habitâ de Argento in Aurum* per cæmentum mutato. Propriam, inquit, fidem testor, quod aliquando hisce viderim, Laminas & benè magni ponderis argenti frusta per subviride cæmentum ita perfici, ut Auri naturam induerent optimæ notæ, idque spatio paucarum horarum igne non magno. Verùm magna hîc suspicio est de sophismate quodam; facile enim per insidias ⊙ pulvis carbonibus vel Crucibulis recondi potest, ut arte factum quis putet, quod verum & nativum est: vid. Michael Mejerus in examine fuccorum Pseudochemicorum detectorum, item *D. Morhofius* in epistol. citat. pag. 84.

Calcinatio Reverberatoria.) ☽ non nimium debet calcinari, aliàs loco medicamenti pretiosi adipiscimur Medicamentum vulgare purgans nauseabundum vel emeticum ob saporem vitriolicum.

III. Solutio & extractio unde ☾æ potabiles & Tinctura.

N. *Luna ut mollior est Sole, ita facilius quoque in potabilem formam reduci potest, adeò ut si optimè calcinata fuerit soli 🜄i, optime tamen rectificato, obediat. Quia tamen labor iste aliquo modo laboriosus ac diuturnus est loco 🜄 simplicis, idem ille 🜄 acuatus, vel aliud aliquod menstruum recipi solet, ut patebit in singulis.*

1. ☾ *potabilis per 🜄 simplicem.*

♃. ☾m calcinat. (cum 🜄 in quo aliquid ✱ sit solutum) extrahe cum 🜄 cohobando aliquoties.

Dosis gran. 3. vel 6. Gluckrath.

Aliter.

♃. ☾ calcinat. [per 🜂, seu liquorem corrosivum destillatum ex Minii p. 1. ✱. p. ij,] extrahe cum 🜄 optimè rectificato. *Kesler. 1. cap. 1.*

2. ☾ *potabilis per 🜄 sale urinæ acuatum & simil.*

♃. ☾m calcinat. (per ♒ Sal. nit. cum cohobiis, vel per ☿,) extrahe per 🜄 rectificatum acuatum, sale urinæ volatili, (id est, per 🜄 microscomicum,) filtra & coagula. *Vide de ☉ Kesler. 1. cap. 7. Sennert. Institut. Beguin.*

Aliter.

♃. ☾ calcinat. (scilicet miscendo cum fl. Sulph. p. ij. Sal. com. p. 1. sublimando septies, *vide supra cæmentat.*) p. 1. 🜄 opt. p. iij. Sal. com. Urin. volat, p. ¼. digerantur in vase benè clauso per dies aliquot.

Hanc destilla per retortam vitream aliquoties, [8. 9. aut tantisper] donec materia ascendat cœrulei coloris. Sin minus hæc successerint, calcinetur denuò ☾ pluries, & procedatur ut dictum.

Dosis gran. 5. 6. 7. &c.

N. *Eodem modo fieri quoque potest ☾ potabilis per 🜄 acuatum Sale Naturæ, de quo in ☉.*

3. *Alia ☾ per 🜄 Tartarisatum.*

♃. Calcem ☾æ reverberatam, (cum fl. Sulphur.) affunde 🜄 opt. Tartarisatum, abstrahe cum septem cohobiis, sic solvetur ☾, circula per mensem in MB. & habebis liquorem cœruleum. *Kesl. lib. 4. c. 44.*

4. *Alia per 🜄 ⊖-latum.*

♃. ☾ calcinat. q. v. extrahe s. a. tincturam cœruleam cum 🜄 ⊖-lato (*vide Vinum*) decanta ac abstrahe.

N. *Præstat reliquis in Epilepsia.*

5. *Tinctura ☾æ Basiliana.*

Habeatur in promptu,

1. Sal. commun. cum ana Calcis vivæ calcinatum, *vide calcinat.* Virid. æris.
2. Ad manus sit calx ☾æ.
3. Paretur 🜂 ex ⊖-i & Sal. nit. ana.

Ergo.

♃. Calcem ☾æ. misce cum Sal. com. calcinato, cum calce viv. & inde phialæ vitreæ, affunde 🜂m, eamque abstrahe destillando, cohobaque vice tertiâ, ultimâ vice ignem augendo, ut materia in vitro fundatur. Sic ☾m nancisceris pellucidam, ex qua cum ✱ fortiss. extrahatur s. a. tinctura sub colore ultramarino.

N. *Remanebit corpus ☾æ in extractione hac residuum, quod Sali ☾æ conficiendo reservatur.*

Videatur Tholdius in Halographia ex Testamento Basilii.

N. *Plures modos tincturas ☾æ conficiendi ad imitationem modorum, qui in Solis tincturis descripti sunt, ipsemet Lector colligere poterit.*

Exempli gratia.

Tincturæ cum 🜄 acuato Sal. com. naturæ, &c.

Essentia ☾æ, uti lapidum & crystalli extracta Clossæ ana sunt, parari potest. *Vid. c. 4.*

Luna potabicis S. Closs.

Luna potabilis fiet si primo ☾am laminatam pluries cum Sulph. calcinaveris, & inde per affusionem aqu. communis ⊖-lum elicueris, quod resolvendum erit in spiritu composito ex Sal. com. Sal. nit. & 🜄 præscripto Art. de Tincturâ Solis, fæces segregando per digestionem, tincturam cœruleam cogendo in pulverem, è quo demum per 🜄 vera essentia exurgit adversus Epilepsiam optima.

Excommunic. S. Closs. Alio modo.

Primo āāā &c, pars una ☾ cum part. 8. ☿ii exprimaturque per corium, secundo globulus restans teratur cum quadruplo Sal. com decrepitati & prunis ardentibus calcinetur per horas 4. in pyxide cæmentaria; si quid non probè calcinatum superfit, cæmentetur, iterum addito novo Sal com. & calx à Sal. com. per ablutiones liberetur. Tertio sublimetur hujus calicis ℥ j. cum ℥ iv. ✱ci idque 5. repetatur 4. liquore acido potabili primum (✱) dein Sulphureo, vegetabili (🜄) extrahatur Tinctura, quæ ad siccitatem reducta sal dabit in cella diffluens in Oleum, quod itidem spatio 10. ♂ fixari poterit in Medicinam morbis cerebri specificè dicatam.

Ex communicat. ejusdem.

HOFMAN. *Solutio & Extractio, unde ☽næ potabiles & Tinctura.*] Quod suprà de ☉ ejusque præparatis medicamentis monuimus, idem & hoc loco de ☽nâ & ejus præparationibus sive solutionibus volumus intellectum, utpote ☉ proximè, in perfectione, duritie, & fixitate succedens, examen sive fulmen ♄turni licet non in tanto gradu, tamen in suo genere fixitatis sustineat. Et quacunque ratione vulgari prout *Dominus Autor* tradidit, à salibus annexis immutetur tamen. Ejus substantia propriè in calcem, Tincturam, Salem & Mercurium vivum resolvi nequit, sed vivum manet in plaustro, nisi alio medio Ejus nexus interior destruatur, idem numero pristinum iterum adsumit habitum. Omnes igitur calcinationes solutiones, extractiones circà Ejus corticem exteriorem versantes, item Tincturæ, Magisteria &c. nil nisi variæ cæteroquin larvatæ Lunæ vexationes sunt, ex Lunæ solutionibus à salibus menstruorum corrosivis prognatæ, sub quorum texturâ & variâ figurâ Luna manet integra. Prævíæ illæ Calcinationes non alio fiunt fine, quàm ut Luna soluta sese eò facilius cum Menstruis additis conjungere & Tincturam adscititiam repræsentare possit. Aliàs enim notum est, ex *Lunæ* ut *Luna* tanquam corpore fixo ☿rium fixum & Sulphur albicans habente, nullam Tincturam, sive ea cœrulea aut viridis sit, juxtà vulgarem modum cum salibus corrosivis extrahi posse, si qua autem Tinctura videatur, illa non ex ☽nâ, sed ex Cupri Lunæ à monetariis admixti cum particulis Menstruorum salinorum, puta Nitri, Vitrioli, 🜄 fort. &c. ad Lunam corrodendam aut præcipitandam adhibitorum coalitione emergit, unde & pro diversitate dictorum Menstruorum Tinctura Lunæ variat, ut modò sit cœrulea, modò viridis, modò flava &c. Sic verbi gratia Si

Si ♀ solvatur in Acet. dist. Tinctura inde resultat viridis, si sumatur sp. Urin. fit cærulea; Factâ solutione Argenti purissimi, nulla manifesta Tinctura prodit, nisi quòd quandoque valdè languido colore subcœruleo videatur. Cùm tamen sequentes *Dom. Autoris* Solutiones & Extractiones seu Tincturæ ut inutiles non sint adeò simpliciter rejicendæ, si dextrè ac debitè præparentur & in usum ducantur, non sine notabili effectu in plurimis Capiti affectibus conducibiles; Lubet illarum animadversiones singulis descriptionibus subjicere.

Loco spir. vini simplicis spir. vini acuatus recipi solet.) Acuitur autem vel cum sale Tartari fixo; vel volatili, floribus item *ci, sale volatili urin. C.C. cranii humani &c.

1. *Luna potabilis per spiritum vini simplicem.*) Rec. Lunam non finam calcinat. & loco *ci etiam Sal. com. volatile urin. substitui potest. Sequenti etiam modo procedit. Rec. Limatur. Lunæ, s. q. adde sal volatile urin. q. v. inde vitro accuratè clauso, repone per mensem & habebis pulverem salinum cœruleum, sal exinde ♎ma, manebit in fundo calx cœrulea, quam extrahe sp. vini rectificato. Item Sal. com. volatile urin. indè pyxidi argenteæ, probe opertæ, tractu temporis Sal. com. urin. arrodit Lunam in lasuram, Sal. com. ablue & extrahe lasur. per sp. vini & habebis Essentiam Lunæ.

2. *Luna potabilis per spir. vini sale urin. acuatum.*) Hæc ut & altera descriptio suum merentur locum. Commodè tamen etiam sequenti modo elaborari possunt. Rec. Lunæ lamin. ℥ iij. solve cum spir. Nitr. s. q. solutionem abstrahe in cucurbitâ vitreâ, donec cuticula quædam appareat, quâ frigefactâ in crystallos vel Vitriolum Lunæ converte; in patellâ vitreâ leni calore exsicca, & in pulverem albicantem convertè, Cui posteà admisce *ci optimè ♎ti duplum. Relinque aliquandiu aëri humidiori libero, ut Sale Naturæ imprægnetur, exposita, quoad colore cœruleo viridescente imbuantur, hoc facto, immittantur cucurbitæ vitreæ suo capitello munitæ in Aren. ♎mentur, sic * animam Lunæ evehet, quæ post reiteratas ♎ationes addito recenti semper *co per elixiviationem cum ▽ â s. à sale dicto separanda est, & ex hâc tandem Tincturâ per Spir. Vini sale volatili urin. essentificatum extrahenda, repetitâ recentis Spiritus affusione, quoad omnis Tinctura prolecta sit.

N. *Eodem modo fieri etiam potest Luna potabilis per spir. vini acuatum Sale Naturæ.*] Experientia hîc consulenda est, an etiam *Tritus*, beneficio Molæ philosophicæ institutus, aliquid præstare possit, quemadmodum suprà de sale demonstratum fuit.

3. *Alia* ☽ *per spir. vini Tartarisatum.*] Spiritus Salis tartari volatilis præstantior erit, Lunæ cum flor. Sulphuris calcinatæ affusus.

4. *Alia per spir. vin. Vitriolatum.*] Conficitur hic Spiritus, si sp. vini rectific. cum sp. Vitrioli anaticâ parte misceatur & per Alemb. ex Aren. destilletur primo lento △nis gradu, deinde fortiori, sæpiusque cohobetur & circuletur in digestione.

5. *Tinctura Lunæ Basiliana ut & Luna potabilis S. Closs.*] Hæc non sunt de nihilo, & laudem merentur; attamen nec interiorem Lunæ nexum solvunt, sed adhuc in exteriori versantur.

His addatur Luna Potabilis Batei.

♃. *Lunæ præcipitatæ ℥ j. Sal. comm. ℥ ij. Sal. ammoniac. ʒ ij. M. ac reverbera dies 8. Ablue à salsedine, & extrahe Tinct. cæruleam ope Spir. Vitriol. dulc. decanta ac abstrahe.*

Vires. Usus est maximè in morbis capitis, & inprimis Epilepsia. Hydropicam aquam exiccat. *Dos. gr.* 4. 5. 6. *&c.*]

IV. Salificatio.

☾a in salem ⊖-tum quomodo convertatur, ex jam dictis innotuit. Dabimus igitur modum salificandi Basilianum, quem ex testamento ejus manuscripto verbotenus cum plurimis aliis transtulit Tholdius in suâ Halographia.

Nimirum.

♃. Corpus illud ☾æ in extractione tincturæ Basilianæ residuum affunde ▽ mellis corosivam s. a. abstrahe & edulcora, ut dictum in Sale Solis.

N. *Supererit materia, ex qua extrahi potest* ☿.

Vires. *Conducibile est morbis capitis, & imprimis Epilepsiæ, Hydropicam aquam exiccat.*

Dosis gran. 4. 5.

(Chirurgi loco lapidis Corrosivi sæpè sale ☽æ caustico utuntur tanquam minus doloroso, citiusque escharam faciente, [subflavam.] Modus conficiendi Molinetti traditur ab Hofman. ♃. ☽. capellatæ ℥ ij. Aqu. fort. ℥ vj. Minutissimè in scobem redactam solve, pone in vase vitreo △ ∴, ubi ☽ a soluta, auge paulatim △, & lapidem ☽. instar lanæ habebis, qui per gradus perficitur ad ▽ consumptionem.]

Spiritus Lunaris S. Clossai.

Prima opera fit in parando ⊖-lo ☾æ, quod fit per Sulph. instar ⊖-li ♀is, verum ad minus calcinationibus 20. iteratis indiget. Longe faciliori ac meliori methodo extrahitur è limatura ☾æ subtilissima beneficio aq. lilii convall. ℥ iij. fortificatæ cum ℥ j. spiritus ⊖-li ♀is (vel cum ⚹ tenendo per mensem in digestione cineritum, sic spiritus ♀eus imprægnabitur Tincturâ ☾ ex cyano subvirescente, quâ sepositâ alium spiritum ⊖-li ♀ ei substitue, totiesque extrahe, donec tota ferè ☾ soluta sit, tandem solutiones exapora ad cuticulam usque, collige crystallos, è quibus siccatis per ♉ more solito primo phlegma & spiritum ♀is pelles, quæ seorsim servanda, deinde auctiori △ spiritum ☾æ & ultimò oleum.

Spiritum hunc Lunarem Idiopathicæ Epilepsiæ ῥιζότομον esse expertus est Author qui supra.

Hofman. IV. *Salificatio.*) Quod suprà de Sale solari annotavimus, idem istud & hûc spectat de Lunari Sale, quod Nemo hactenus ullo modo demonstrare potuit, ab omnibus Mineralium generibus separari posse: Et quod *bonus ille Tholdus* in suâ Halographiâ ex Testamento Basiliano suppeditat, salium adjunctorum ex Sal. com. Nitr. Vitriolo acet. destill. * &c. est progenies & quædam duntaxat corporum separatorum, cum iis, quæ operationi adhibita fuerunt, intermixtura. Quoad *Mercurium*, certum equidem est, *Argentum* æque ac *Aurum* constare ex mercurio, non vulgi sed philosophico, & sulphure albicante. Ille summa arte elici potest ex argento ut substantia viscosa summè ductilis & purissima, volatilis ponderosa, non tamen currens, ut vulgariis Mercurius qualem Tachenius in suo Hippocrate chemico cum salibus ressuscitativis ex argento forsan casu elicitum nobis proponit. Quis se vadem dederit, Mercurium sublimatum, huic mixturæ cum reliquis salibus non intermixtum fuisse, cujus repagula corrosiva salina à sale tartari fuere soluta, ut postmodum cum Luna Mercurius vivus sese præcipitaverit & in currentem manifestarit.

Hactenus Schroderus ab Hoffmanno annotatus de variis argenti præparationibus. Liceat jam in curiosorum gratiam; imò quo malè feriatorum

hominum fraudes in metallis sophisticandis commodius detegantur, duplex hic artificium exhibere, quorum uno è cupro simpliciter aut aurichalco, alio ex eodem metallo cum argento ad dimidias unito, massa præparatur à genuino argento non ita abludens quin impostura locum dare possit, præcipuè quæ è secundo oritur artificio, siquidem ex ea nonnullus aliquando confecit plura millia ejus monetæ argenteæ quæ apud Hispanos Piastre *vocatur, à legitima vix dignoscibilis.*

Artificium primum.

℞. Borraci Venet. ℥ij fundantur in crucibulo furno fusionis immisso, post adde Sandarachæ, seu arsenici rubei pulver. ℥j. Move spatula lignea & fusionem seu liquationem absolutam expecta, quæ post aliquod temporis intervallum advenit, si modo ignem excitaveris. Tum crucibulo ex igne educto, projiciatur materia in laterem, seu tegulam cavam, aut aliud quid simile, efformabitur inde vitrum subflavum ad unius circiter unciæ quantitatem. Postea ℞. Aurichalci veteris laminati, mundi ac in particulas discissi ℥ij. repositoque in vividiori igne crucibulo in illud prædictum immittatur aurichalcum. Quando crucibulum præ calore albescere aurichalcumque liquari incipiet, adjice vitri prædicti è borrace & arsenico confecti ʒ. circiter vj. continuetur ignis, post coopertum grandiori carbone crucibulum, usquedum materiæ perfectè fundantur, quod horæ spatium ad summum requirit. Postea in ærarium proplasma cera perunctum (Lingotiere Galli vocant) *projiciatur, & habebis metallum expetitum ad quantitatem circiter ℥ij. reguloquopiam è borrace & arsenico enato, vestitum, quod ab eo ad instar squamarum separatur.*

Artificium secundum.

℞. Cupri ℥iv. quibus in crucibulo fusis adjice arsenici bene fixati ℥iv. & tartar. ʒij. prius simul commixtas. Materia permaneant fusæ usque dum clarescat cuprum ac pellucidum evadat. Tum projice in proplasma seu typum ærarium, frigefactoque aliquatenus metallo, tritici furfure cooperiatur, integréque frigefacto arena fricetur. Tum ℞. metalli mox præparati, & argenti puri āā. Argentum in crucibulum prius immittatur, cùmque fusum fuerit immitte etiam cuprum præparatum, amboque simul probe fusa, pauco nitro ac tartaro mixtis ac pulveratis conspergantur. Metallum clarum evadet, quod in prædictum proplasma projectum, furfureque triticeo conspersum, usquedum frigescat relinquatur; frigefactum verò arena fricetur, & aquæ tartaro ac sale communi imprægnatæ incoquatur. Habebis metallum modò minùs fragile, ac magis malleabile foret.

ARGENTUM, vid *Mercurius.*

ARGILLA, vid. sub. Titulô *Terra.*

ARGUROPOEIA, vid. *Chrysopœia.*

ARIES, vid. *Ovis.*

ARILLI.

Arilli Offic. Vinacea, gigarta, quasi aridula, quòd sicci sint & nullum succum præbeant. *J. Raius.*

ARISARUM.

Arisarum est planta ijsdem notis characteristicis, quas Arum exhibet donata, illique propterea congenea. Virtutes medicas nullas, aut nobis non satis cognitas, possidet, sicque minùs necessarium videtur ut illi describendæ insistamus, qui toti proprie in usualibus versamur.

ARISTA.

Arista est Acus exilis ac longa è gluma extans. *J. Raius.*

ARISTALTHÆA, vid. *Althæa.*

ARISTOLOCHIA.

Aristolochiam Cicero nomen accepisse auctor est ab inventore *Aristolocho*, qua de causa dentem calumniæ vix evitare potuit. Contendunt enim nomen huic inditum quòd puerperis prosit. Sed quid impedit quominùs ab *Aristolocho* nomen habeat, simúlque salutaris sit puerperis? Credibile enim non videtur *Ciceronem* de suo hoc finxisse, sed ab aliquô antiquô Auctore, cujus scripta deperdita sunt, desumpsisse, Quod eò magis fit verisimile, quòd apud *Galenum* in carmine Andromachi legatur ἢ λεπτῶν ῥίζαν ἀελσολόχυ. *Nicandri* etiam *Scholiastes Aristotelem* testem vocat, à muliere inventam Aristolochiam. Nomen autem inventoris herbæ inditum fuisse verisimile est, qui sive vir, sive fœmina fuerit perinde est.

Notæ ejus *Diagnosticæ*, sunt flos semifistularis, seu corniculatus, labellô in palæ formam productô. Pericardium gradium grando in sena loculamenta dispertitum

Aristolochia rotunda, longa &c.

Nomina Aristolochia rotunda *I. B. Ger.* rotunda vulgatior *Park.* rotunda flore ex purpura nigro *C. B.*

Aristolochia longa *I. B. Ger.* Longa vera *C. B. Park.*

Aristolochia Clematitis *Park.* Clematitis recta *C. B.* Clematitis vulgaris *I. B.* Saracenica *ber. emac.*

Sunt rursus aliæ Aristolochiæ, Clematitis nimirùm altera, & tenuis, seu pistolochia duplex, quas hic enumerare aut ulterius describere superfluum credimus.

Vires. Utriusque *Aristolochiæ*, tam *longæ*, quam *rotundæ*, radix calida & sicca censetur. Utraque discutit, attenuat, aperit cum modica abstersione: rotunda tamen tenuiorum partium est, longa crassiorum.

Quæ *Clematitis* vocatur fragrantior est, itaque eâ ad unguenta utuntur ungentarij, sed ad sanationes infirmior, & longè minus tenuitatis obtinet quam rotunda. *Lobelius* Polyrrhisæ Arist. radicem reliquis duabus (longæ & rotundæ) præferendam ait, tum suavi aromaticitate, tum medicata efficaciore facultate: cujus causa merito *Andromachi & Galeni* theriacis aptiorem. Clematitis tamen vulgaris utrâque reperitur ignavior.

Utraque Aristolochia Cephalica, Epatica & Pulmonica inprimis est. Hinc prodest ad tartaream mucilaginem resolvendam, expectorandamque, ad menses ciendos, tumores internos rumpendos, venena discutienda. Insuper *longæ* infusio ad scabiem exiccandam in plurimis Regionibus usitatissima est. Extrinsecùs adhibetur ad exsiccanda & mundificanda vulnera.

Rotunda efficacior est, inprimis mensibus ac fecundis ciendis *Schrod.*

C. Hoffman. ita distinguit vitium respectu. Commendatur *longa* in vulneribus & ulceribus sordidis, in vitijs cutis, in purificandis dentibus. *Rotunda* in affectibus pectoris à crassis humoribus, in flatibus, doloribus ventriculi, in singultibus, in ruptis, ubi sanguini grumi dissolvendi sunt, in obstructionibus lienis, &c. Educit enim per urinas, menses, cum varia excrementa.

Præcipua utriusque vis est (ut nomen indicat) ad uterum à partu expurgandum, menses movendos. Tam efficaces sunt, inquit *Lobelius* longa & polyrrhisis præsertim, ut radices utriusque pari momento, partim intro datæ, partim in pessario admotæ, eli-

elicuerint fœtum, jam sesquidiem erumpere conatum, fœtûsque involucra lacerata enixam puerperam tridui cruciatibus pænè enecatam.

Exhibetur ad effectus uterinos plerumque in decocto. *J. Rajus.*

ARMENIACA, vid. *Mala Armeniaca.*

ARMENUS LAPIS. vid. sub titulo *Lapis.*

ARMORACIA, vid. *Radicula Sylvestris.*

AROMATA.

Inter vegetabilia primum locum meritò sibi vendicant *Aromata* quippe quæ, uti reliquis communiora sunt, ita & in præscriptionibus (receptis ut vocant) simpliciter præscribuntur, non factâ mentione aliquâ, sive ex radicum numero illa sint, sive ex fructuum, florum corticumve. *Talia sunt.*

Antophylli, Calamus aromaticus. Cardamomum majus & minus. Caryophylli. Cassia lignea. Cinnamomum. Canella. Costus Arabic. verus, Cinamomum album. Crocus Orientalis, Austriacus, Ungaricus. Cubebæ. Folium Indum, Malabathrum. Galanga major & min: Grana Paradisi, Cardamomum Arabum, Macis, Nuces mosch. Miristicæ, Nucistæ. Piper album, nigr. & longum. Scænanthum. Spica Celtica, Romana, Saliunca. Zedoaria. Zingiber finum album belletinum, item rubeum.

Vires. Aromata in genere sunt calida, & evidenter sicca, partium tenuium, hinc incidunt, attenuant, aperiunt &c. vid. in singulis pleniùs.

Præparata ex aromatibus fieri possunt formularum variarum. Apta sc. nata sunt subire infusionem, decoctionem, confectionem, pulverisationem, adeóque immisceri possunt Electuarijs, Trochiscis, &c. Potiora tamen & minùs vulgaria quæ inde conficiuntur, sunt: *Extracta, Aquæ, Olea, Salia, Magisteria.*

Vis aromatum, quia in parte volatili potissimùm consistit, præstat inde conficere præparata volatilioris naturæ, ut sunt destillata &c.

AROMATICUM, vid. sub Titulô *Pulvis.*

AROMATISARE.

Aromatisatio dicitur artificiosus præparationis modus, quo medicamenta magis odorata ac suaveolentia redduntur, ad gratiam palati, cordis ac facultatis vitalis, & animalis robur & oblectationem. Medicamenta siquidem ventriculum subvertentia, si caryophyllis, aut cinnamomo, aut alijs aromatis condiantur, minus infensa sunt, ac molesta partibus præcipuis, & salubrius humores excrementitios per secessum, aut etiam vomitum si contigerit, educunt.

Licèt autem aromata calida sint omnia *Galeno, cap.* 15. *lib.* 2. *de aliment.* facultatemque vitalem exhilarent: quædam tamen magis respiciunt cerebrum, ut caryophylli; quædam cor vitæ fontem, ut cinnamomum; alia ventriculum, ut nux moschata; alia jecur, ut santali; & quædam uterum, ut moschus, ambra, zibethum, non quod sanè his delectetur uterus sub odoris specie; organum etenim non est odoratus, sed afficitur tantùm odoribus, ratione materiæ tenuissimæ, seu vaporis aërei, quo recreantur spiritus, quibus genitalia turgere omnibus est in confesso.

Multas confectiones aromaticas descripsit *Mesue*, ut diacinamomum, aromaticum rosarum, diamoschum utrumque, diambram, electuarium de gemmis, & pleraque alia, quorum felicissimus est usus ad robur principibus membris conciliandum & conservandum, putredinem arcendam aut corrigendam, & reficiendos spiritus.

Qui ex morbo convalescunt, aut valdè sunt senes, satisque valent opibus ad jacturam virium resarciendam, consilio Medicorum, conditis solent uti paratis ex conservis, syrupis & pulveribus cardiacis, quorum eximia vis aromatum odori suavissimo maximè tribuitur.

Similem ob causam syrupi multi aromatisantur confectione Alkermes, aut trochiscis galliæ moschatæ, vel moscho, ambra, zibetho & alijs suaveolentibus inclusis nodulo, ita vasi, quod syrupum aut liquorum continet, alligato, ut circa illius medium suspensus maneat. Sic enim aromatica vis æque distribuitur ad totum humorem, quod etiam norunt Oenopolæ, qui vinum fragrantius & suavius reddunt, suspensis in dolio zinzibere, cinamomo & similibus.

Qui inter aulicos ditiores sunt, salaciores & magis desidiosi, ut belluarum more potentiùs ruant in Venerem, ad illiusque ludibria sint vegetiores exercenda, ovis interdum vescuntur sorbilibus, vel frixis cum multo moscho aut zibetho, ita ut naturam destruant magis quàm reficiant.

Multi verò fructus, ut nuces & pyra, ante condituram cinamomo aut caryophbllis configuntur; cum ut palato, tum ut cordi gratiora sint & magis amica. Julepi sæpiùs aromatisantur aquâ rosaceâ, apozemata cinamomo aut sandalo citrino; opiatæ & condita confectionibus aromaticis, pomatæ ambrâ, vel moscho, ut & alia multa medicamenta styrace, benzoin, caphurâ. *Joan. Ronodæus.*

ARONIA, vid. *Dracunculus.*

ARRHENICUM, vid. *Arsenicum.*

ARS.

Ars est ordinatio præceptorum ex professo institutorum ad benè operandum. Quæcunque igitur terminantur operatione, sunt artes. Quorum verò terminus est sola cognitio, scientiarum nomine venire debent.

ARSENICUM, vid. *Auripigmentum.*

ARTHEMISIA, sive HERBA *Sanct. Joan.*

Artemisia dicta est ab *Artemisiâ* Cariæ Reginâ, quæ eam sibi adoptavit, cum antea *Parthenis*, quod Virgo Dea nomen illi dederat, vocaretur. Alij ab *Artemis* id est *Diana* deducunt, quia fœminarum malis medetur.

Notæ ejus Characteristicæ sunt Caules indeterminati, folia dissecta subtus incana; odor & sapor remissior quàm Absinthio cui alias persimilis est; flosculi purpurascentes, nec ut in Absinthio deorsum nutantes.

Nomina. Artemisia vulgaris *J. B. Park.* vulgaris major *C. B.* Artemisia mater herbarum *Ger.*

Vires. Artemisia uterina est: menses, fœtum & secundinas pellit, sordes abstergit, adeóque usûs creberrimi & mulierculis, quæ eam adhibent internè & externè, adeò ut vix balnea & lotiones parent in quibus Artemisia non contineatur. *Schrod.*

Decocto Artemisiæ, si id cum sacchato & melle temperetur, tussis mitigatur, calculus comminuitur.

Herbæ siccatæ pulvis ℥. *iij.* pondere potus in vino optimum est doloris ischiadici remedium, autore *Parkinsono*: qui & herbam recentem aut ejus succum haustum in convenienti aliquo liquore præstantissimum esse remedium asserit ijs qui nimium Opij sumpserunt.

Decocto Artemisiæ, si id cum saccharo & melle temperetur, tussis mitigatur, calculus comminuitur.

Herbæ siccatæ pulvis ℥. *iij.* pondere potus in vino optimum est doloris ischiadici remedium, autore *Parkinsono*: qui & herbam recentem aut ejus succum haustum in convenienti aliquo liquore præstantissimum esse remedium asserit ijs qui nimium Opij sumpserunt.

De præstantia hujus plantæ contra lassitudinem multa dicuntur. *Plin.* lib. 25. cap. 15. *Artemisiam alligatam qui habeat viator, negatur lassitudinem sentire. Joh. Bodæus* in *Theophr. Hist.* hujus decoctum hominum ex itinere lassorum pedes, si eo abluantur adeò recreare disertè affirmat, ut nihil in rerum naturâ reperiatur, quod ei sit anteferendum.

Sim. Paulus se sanctè testari posse scribit, se ijs ægris in quibus nervosum genus malè habere sibi visum esset, flatulento spasmo, obnoxijs, aut qui de doloribus, aut lassitudinibus membrorum, præsertim post chronicos, & quandoque etiam post acutos malignos morbos, conquesti sunt, felicissimo sæpè eventu præscripsisse vannum maximam partem ex Artemisiæ, post dein Salviæ, Agrimoniæ, Chamomillæ & Polentæ tritæ decocto repletam, ut in eam se se immergerent, vel in ea considerent.

Sunt qui carbonem sacro *Jo. Baptistæ* die sub hujus radice effossum ad epilepsiam commendant. Eum autem tum in pulvere exhibent, tum de collo suspendant pro amuleto. *Schrod.* De carbore isto vide *Fernelium* in consilio de puero epileptico; *Jo. Bodæum*, & *J. Bauh.* in hac herba, qui hujusmodi superstitiones & magicas vanitates meritò reprehendit & damnat.

Novi, inquit *Sim. Paulus*, vetulam quandam, cujus utraque genua cum obsedisset tumor insignis œdematosus, quæ linteis duplicatis, super Artemisia suffumigatis, eum ex voto abegit. *J. Rajus.*

ARTHANITA, vid. *Ciclamen.*

ARTHRITICA MEDICAMENTA

Audiunt hoc loco *Arthritica* generalis vocis acceptione non solùm principaliter, quæ articulis conveniunt, ut dolore laborantibus, seu arthriticis; verum etiam suo modo & secundariò alijs eorundem affectibus. Cùm verò quasi fraterno sodalitio ex eodem velut ovo prosiliant, & miro lusu se se invicem transforment & excipiant calculus, arthritis & affectus hypochondriacus, sive qui arthritici, ijsdem & nephritici & hypochondriaci, & vice versâ facilè sint vel fieri queant facilè etiam fuerit, arthriticorum naturam pervidere: ità enim & nephritica sunt arthritica & hypochondriaca sunt arthritica; hypochondria suggerunt, & sumptus quasi subministrant, renes coagulant, articuli recipiunt. Nihilominus tamen & hæc paullò intimiùs spectabimus.

Patet enim itidem agendi horum modus, si, quot sub se classes comprehendant, dispexerimus.

Respiciunt scilicet arthritica vel *serum*, cujus vitium sanè maximum in arthritide, & huic affinibus affectibus spectandum est: hinc est, quod nonnulli à capite dolorum podagricorum originem arcessant, & remedia similia, catarrhosis scilicet defluxionibus alijs convenientia, & his proficua sint. Talia sunt tùm

1. *Universalia, evacuantia* & *divertentia* per alvum, urinam, & habitum corporis, purgantia puta, diuretica & diaphoretica, quæ ipsa in genere maximè articulos juvant, nec sine his feliciter ijsdem mederi licet, inprimis diaphoretica nobilissimos arthriticis afferunt usus, & unicè quasi opem ferunt.

2. Tùm 2. *particularia alterantia*, ut quoad *quantitatem*, leniter *absumentia*, & *exsiccantia*, & ita defluxiones divertentia, uti hoc nomine radix chinæ, sassafras, & ligna alia commendantur, item quoad *qualitatem*, ejusdem salsedinem, acorem, acrimoniam seu *temperantia & diluentia*, aqua, & substantificè humectantia, de quibus insignis extat locus apud *Langium miscell. cur. tit. 10. pag.* 22. ubi regulam quasi reddit: *Humectans refrigerium podagricorum esto desiderium*; seu *invertentia* & *absorbentia*, ac *præcipitantia* varia, quæ & suis locis adducta sunt sub hypochondriacis, & jam tangemus quoque. Hinc omnia illa huc mutuari quoque licet. Conveniunt nempe arthriticis omnia *aperientia*, *viscerum depurationem*, εὐχυλωσιν *& tonum respicientia*, inprimis *martialia*, & ipsa quoque apprimè *antiscorbutica*: hæc quippe causam antecedentem & foventem, salia acria, tollunt, & proventum seri balsamici, suavis ac dulcis procurant. Hoc nisi observetur, frustrà omnis arthriticorum est curatio, & in hoc præservatio & curatio eorundem versatur.

Conveniunt verò hæc ipsa in arthritide, dolore ischiadico, podagrâ, defluxionibus catarrhalibus, & similibus.

Tùm denique 3. *resolventia*, fluxilitatemque sero fœnerantia, uti præ alijs *cinnabarina*, quæ coagulationem maximè prohibent, & tùm alias, tùm præcipuè hoc casu fluxile reddunt serum. Conveniunt verò hoc, ut & externè *mercurialia*, apprimè in doloribus articulorum, & alijs à lue venereâ oriundis, ubi emplastrum de ranis Vigonis cum ☿rio prodest.

Vel *nervos*, quò *membranas*, *ligamenta*, *& fibras* referimus, quæ scilicet ab affluxu humorum inferiorum patiuntur, debilitantur, irritantur, & talia sunt eadem, quæ sub cephalicis latius recensebimus, adeoque *omnia cephalica sunt etiam arthritica*, ob communionem generis, & inde ductam originem.

Inprimis verò arthriticorum titulum, quæ articulis & juncturis quasi propriè debentur, subeunt.

1. *Quæ sulphure balsamico, oleoso, suavi, & roscido pollent*: uti hoc nomine celebria sunt chamædrys & & chamæpitys quæ & iva arthritica nuncupatur: ros marinus item, salvia, & gummata: unde huc quoque pertinet galbanetum Paracelsi, & aliorum: castorium imò ipsum & euphorbium. Nec obstat, hæc non æquè omnia promiscuè ob caliditatem arthriticis convenire: nam ob affluxum humorum, & calorem inde ortum illis quidem, in paroxysmo præsertim, ferè primò loco nominata chamædrys & chamæpitys solùm ex usu sunt; sed cùm ligamenta & nervi sint frigida, hinc in alijs casibus articuli etiam omninò talia quandoque exposcunt. Conveniunt enim talia, præter arthritidem, etiam paralysi, atrophiæ, vulneribus articulorum & nervorum & inprimis ichori ulcerum seroso, quem non tàm adstringentibus debere vel posse curari, quàm partem roborantibus, ut nutrimentum parti debitum in actum deducatur, experientia practica testatur. Contracturæ quoque & debilitas partium à vulneribus, fracturis &c. his nervinis auscultant. Imò ulcera ipsa sæpe priùs non sanantur, quàm tonus partis affectæ talis modi nervinis restituatur.

2. *Quæ sulphure fixo, naturæ amico, pollent*, quæcunque enim symptomata in genere à salinis spiculis, acribus, salsis, acidis, exsurgunt in sulphureâ viscositate, demulcendique amicâ naturæ vi solatium inveniunt. Subeunt hunc censum inprimis cinnabarina, quæ & partium nervosarum dolores omnes unicè solantur & respiciunt, & inprimis quoque articulorum cruciatus, præcipuè si maritentur cum opiatis. Hæc itaque & priori titulo, quatenùs serum respiciunt, & hoc ipso, quo jam dicimus, arthriticis conveniunt.

3. Cùm

3. Cùm vero & *salia volatilia sulphure polleant oleoso*, ipsa quoque interiùs eo nomine adhiberi commodè possunt, & exteriùs, tum hæc tùm spirituosa volatilia officium faciunt. Hinc spiritus C. C. ⊖lis ✱ci item debito modo adhibitus juncturas solatur. Sic aqua magnanimitatis seu *spiritus formicarum* eo casu consultò adhibetur exterius. Præcipuè verò huc pertinent lumbrici, qui in substantiâ gaudent mucilagine suavi, partibus volatibus salinis intertextis: hinc substantiâ partes nervosas demulcent, contriti adhibiti, in potionibus, & exteriùs appositi semper ferè fecere officium: præcipuè hinc laudantur in arthritide vagâ scorbuticâ.

Conveniunt verò hæc in doloribus & anxietatibus, & præcipuè arthritide, podagrâ, &c. & inde oriundis pavoribus.

Vel denique respiciunt *dolorem* ipsum urgentem, à tensione & vellicatione membranarum oriundum, tum *internè*, ubi laudatæ jam emulsiones, item cinnabarina & anodyna officium faciunt, si præsertim fonti ipsi unà, nempe visceribus depuratorijs & seri acrimoniæ alijs fuerit prospectum; tùm *externè*, inter quæ missis reliquis omnibus sola nominamus 1. *paregorica*: sic topica ex lacte dulci, similagine, croco, &c. laudantur, & fotus similes alij. 2. *Nervina* spirituosa, sulphurea & urinosa. Nervina enim reliquis omnibus unicè præstant inter topica artriticorum; unde non solùm in quibusdam casibus recensita nervina vegetabilia colum habent; verùm etiam inprimis è lumbricis & formicis parata, uti sunt laudati spiritus, lumbric. volat. ∇magnan, ∽ C. C. ⊖lis ✱ci, ☍ saponis, &c.

Quoad Applicandi Modum, inter interna quidem primum generis loco notamus:

1. *Tonus articulorum conservandus est*: hinc calida & sicca nimis medicamenta, serum nimis exhaurientia, uti in nephriticis & calculosis, ità etiam in arthriticis vitanda sunt. Seri nempe proportio est observanda, non exhauriendæ partes tenuiores relictis crassioribus: non serosæ, quæ vehiculum quidem sunt, ast unà frenum bilis, relictis salinis acribus. Hinc maximè peccant, qui solo sudore ab externis impellentibus prolecto, v. gr. balnei &c. calore, omissis internis impellentibus specificis, audent curate arthiriticos.

2. *Non articulis solùm medendum est, non considerato toto; neque solis visceribus neglectis articulis.* Cùm enim recipiant & luant totius vitia, hinc frustrà, quæ vulgi est opinio, curatio fit, nisi tollatur salina acrimonia, nisi fons, ut sic loquar, obstruatur, unde frustrà sunt omnia sæpe topica, neque ulla constans solatium afferunt. Videndum tamen unà est, ut nec ipsi negligantur articuli, sive frigore externo, vel Venere, vino & alijs lædantur magis.

3. Quoad externum usum notamus in genere axioma practicum: *Localia sæpe exasperant dolores & morbum*, quatenus non tàm demulcent materiam impactam, non tàm archeum solantur afflictum, quàm accumulant majorem mali cruciatum, ut licet videantur quandoque mitescere symptomata, atrociores tamen hinc accendantur dolorum faces, vel alia inde emergant. Imò hinc, quæ unâ vice prosunt alterâ nocent, adeoque quædam loco defensivi & roborantis adhiberi possunt, quædam consultiùs omitti.

4. Hinc *locum non habent in articulorum doloribus repellentia, sive actu frigida*, sola aquea, *sive potentiâ*, debilitant enim magis partem, & nervis ac articulis sunt inimica, quod de ipsis acidis quoque intelligendum est. Unde, quod *Plinius* refert, *l.* 23. *c.* 1. M. Agrippam demersis in acetum calidum cruribus in acerrimo morbi impetu, à dolore pedum, quem perpeti non posset, evasisse, non facile imitandum est.

5. *Unctuosa & pinguia emplastica locum quidem habent in quibusdam recensitis articulorum affectibus*, v. gr. ichore ulcerum seroso, dolore à lue venereâ, &c. *minus verò in arthriticis.* Hinc frequenti experientiâ edocti sumus, unguenta, emplastra & similia plus damni dedisse podagricis; imò plures ex arthritide vagâ hoc modo fixam sibi accersiverunt, plurimi tophos. Hinc & ipsa *Galenus lib.* 4. *meth. med. cap.* 3. tophos in articulari morbo produci rectè *scribit*, ex humore glutinoso & crasso: quando is non paulatim est digestus; sed violentis remedijs totus simul siccatus. Et *Fernelius consil.* 12. geminari inde dolores observat. *Wedelius.*

Sequuntur Medicamenta Arthritica varia.

Emplastrum Miraculosum & alia Arthritica sive Antipodagrica D. Sim Schultzij.

Emplastrum hoc miraculosum, mihi tandem ad longam & prolixam aliquot annorum petitionem communicatum, est temperatissimum, ad varia ulcera & vulnera optimum, quod sine omni sorditie ubivis applicari potest. Novi qui ad erysipelata eodem feliciter usi sunt. Imprimis autem ego Usum ejusdem in varijs tumoribus, arthritide & podagra, atque in fonticulis sæpius expertus sum. Hoc ipsum jam boni publici gratiâ (mortuo ejus possessore, qui id mihi communicavit) benigno lectori iterùm candidè communico, cum hac cautione, ut in præparatione ejus summa adhibeatur diligentia.

℞. *Ceruss. opt. s. Angl.* ℔. *ij. camphor.* ʒ. *ij. lithargyr.* ℔. ß. *Bacc. lauri* ʒ. ß. *olei olivar. recentiss.* ℔. *iv. minij* ℔. ß. *sapon. Venet.* ℥. *iv. Omnia pulverisata & commixta decoque cum oleo olivarum ad densitatem, & effunde super aquam fontanam frigidam; fiantque l. a. magdaleones in loco opaco asservandi.*

Huic subjungo Emplastrum antipodagricum Serenissimi & Potentissimi quondam Poloniæ & Sueciæ Regis Joannis Casimiri, quod tale est.

℞. *Olei oliv.* ℔. 1. *lithargyr. subtiliss. pulver. lib.* ß. *Decoque in patella ad nigredinem in forma cerati admodum tractativi, adde pulver. radic. consolid. major,* ℥. *iij. Super lento igne mixta ebulliant, Dein* ℞. *Boli Armen. subtiliss pulverisf. ceræ, resinæ, ana* ℥. *iv. Liquef. iterum in patella & adde farinæ fabar.* ℥. *ij mumiæ, tragacant. pulv. ana* ℥. ß. *Agitentur benè baculo, quoad frigescant, & F. Emplast. s. a.*

Aliud Emplastrum antipodagricum Serenissimi cujusdam Regis Daniæ.

℞. *Picis navalis* ℥. *vj. resin. vulgar. colophon. ana* ℥. ß. *ceræ citrin.* ℥. *v. ol. Scorp.* ℥. *iß. terebinth. Venet.* ℥. *ij. pulver. succin. myrrh. mastich. ana* ℥. ß. *sulphur.* ℥. *iß. M. F. l. a. Emplastrum.*

Ego in Arthritide vagâ sæpè optimum fuisse expertus sum hoc.

℞. *Olei comm.* ℥. *iv. smegmat. Venet.* ℥. *v. minij, ceruss. ana* ℥. *ij. camph.* ℈. *i. alum.* ℈. ß. *M. coque l. a. & F. massa pro Emplastro.*

Præter ista usitatum est Thorunij Unguentum *Acopum* dictum, Excellentiss. p. m. *Dn. D. Christiani Meissneri*, antecessoris nostri summè æstimandi, sequens:

℞. *Rad. hyoscyam. m. iij. Herb. cicut. solani, parietar. lactuc. anagallid. sempervivi, ana m. ij. Herb. parid. cum uvis vel baccis, papaver. rof. canin. verbasc. ana m. ij. Ranar. virid. n. viij. lumbric. terrestr.*

restr. ℥. *iij. axung. porcin. lib. viij. Contusis ac invicem probè mixtis adde vini Hispanic. lib. iv. peractâ dein digestione dierum sex, fiat decoctio ad consumptionem vini, colaturæ expressæ* ℥. *vj. opij Thebaic.* ℥. *ij. styrac. Calam.* ℥. *j. Pulv. herb. solatr. Cortic. mandragor. ana* ℥. ß. *croci orient.* ʒ. *ij camph.* ʒ. *iß. Cum s. q. ol. papaver. & hyoscyam. M. F. l. a. Unguentum.*

Pro iisdem doloribus agmen claudat hoc Decoctum *ab Amico quodam mihi nuper communicatum.*

℞. *Cerevis. veter. & potent. hordeac. lib. iv. olei oliv. cochl. iij. Fol. salviæ, m. i. Decoq. l. a. omnia; in quo decocto linteamina calidè macerata, expressa, & sic calidè parti affectæ applicata; dolores podagricos per aliquot horas mirè sedant.* Misc. Cur. Dec. 1. Ann. viij.

Unguentum sive Balsamum Burrhi. Antiarthriticum

℞. *Viscera omnia vituli, abjectis intestinis: minutim concide, hujus carnis concisæ, Accipe part. i. sevi hircini, axung. apr. recent. extract. ana part.* II. *ol. ovor. express. à pistac. pineis, amygd. dulc. ana part.* ß. *ol lumbric. anguill. limac. sperm. ranar. ana* ℥. *i. Liquef. in lebete clauso lento igne per horas sex, tunc transfunde pinguedinem, fæces nigras abjice, & in hac pinguedine agitanda cum spatula misce sequentes pulveres* ℞. *dent. caballin. mercurial. malv. flor. cordial. lil. alb. sambuc. betæ sicc. chamæm. ana* ʒ. *ij. rorism. salv. paralys. ana* ℥. *j. ocymi. abrotan. hyssop. pyrolæ, hyperic, beton. origan. dracun. diptamn. sanicul. stellariæ ana* ʒ. *j. & post mixtionem accipe tantumdem unguenti infrigidantis Galeni, compone omnia simul, & utere pro maximo anodyno linimento in omnibus afflictionibus vagantium dolorum, inungendo leniter caput, usque ad talos totum corpus in stuffa tepida, si necesse sit.* Misc. Cur. Dec. 1. Ann. 9.

Remedia Antiarthritica externa D. Andr. Cnöffelii.

Liquor Tartareus.

℞. *Sedativi nostri liquidi absque opio* ℥. *iv. Spir. tartar. rectificat.* ℥. *i. ad* ℥. *ij. pulver. nostri ruber.* ℈. *i. M. & usui necessario servetur in vitro.*

Vires. Externè in doloribus podagricis sedandis, multum præstat hic liquor. Modus utendi; in mixtura ista calefacta, linteola madefiant & parti dolenti applicentur.

Pulvis pro aspersione S. Reg. Maj.

℞. *Lithargyr. aur. pulv.* ℥. *iv. rad. ireos Florent. pulveris.* ʒ. *ij. mosch. gr. iv. zibet.* ℈. ß. *M. F. pulv. subtilliss.*

Mixtura balsamica pro Illustriss. & Reverendiss. Principe ac Domino, Dn. W. Lezinski Episcopo Varmiensi.

℞. *Mucag. aquat. non* ♎*t.* ℥*xx. balsam. s. topici Eggenberg. præc.* ℥*v. phlegmat.* 🜖*l.* ℥*viij.* 🜅 *nostri odoriferi* ℥*ij.*

Misc. diligenter, ut exactè uniantur. Sign. ut supra Circumligata mixtura circa carpum, genu & pedem, ac ter vel quater spatio 24. horarum renovata, omnes dolores mitigat.

Mixtura pro Illustriss. & Excell. Dn. Dn. Georgio Ossolinio, Cancellario magno Regni.

℞. *Spermat. ranar. reserv phlegmat.* 🜖*l.* ana *unc. iv. alumin. unc ij.* MP. *de trib. (ex aloe. myrrha & croco)* ʒ*ij.* ℈*ij. camphoræ* ʒ*j.*

Misc. omnia exactè. Mixtura in doloribus podagricis ex causa calida bis vel quater in die adhibenda, linteis sc. eâ calidâ imbutis.

Topicum balsamicum pro Illustriss. Comite in Oldenburg.

℞. *Mucagin. aquatic. nr. m. aluminatæ unc.* XLVIIJ. *aloes, myrrhæ pulverisat.* ana *unc. ij.*

Coquantur ad dissolutionem specierum; deinde add. *phlegmat.* 🜖*l. unc* XLVIIJ. *mucagin. aquat. adhuc recent. unc. xxiv.* 🜅 *labor. nostr. unc. xx. balsam. Eggenberg. unc. viiij.* 🜅 *rosar. fragrant.* q. s. *essent. lign. rhod.* g. xx.

Misceantur exactè, sign. ut supra.

Liquor externus tartari pro Illustriss. Dn. Generali, Dn. Christophoro Arcissevvski.

℞. *Phlegmat. compos. unc. iv. liquor. Tartari rectif.* ana *unc. iß. pulv. rub. anodyn.* ℈*j.*

Misceantur opt. pro una lagenula, & tales commisceantur num. vi. Sign. Liquor externus Tartari.

Usus hujus topici talis erat, qui & in aliis topicis Cnœffelianis, hîc descriptis, observandus est.

Lagenula prius commovebatur fortiter, donec ab excitato pulvere turbidè rubesceret liquor; Tum effundebatur ejus liquoris, bene jam cum pulvere commixti, nonnihil in cochlear argenteum, & super prunas candentes collocabatur in cochleare, ut paululum incalesceret, & inspissaretur; quam primum fumare incipiebat liquor; amovebatur cochlear ab igne, & eo liquore locus affectus, tumens, seu inflammatus, affatim illinebatur pluma aliqua. Locus illitus tamdiu non tegebatur, donec liquor illitus dispareret, & per se siccaretur, tum demum applicabantur desuper linteamina calida.

Repetebatur illa illinitio, quinquies, *6. 7. 8. 9.* 10. & etiam vicies de die, tamdiu, donec aut dolor vinceretur & cessaret, aut pustulæ parvæ in loco illito apparerent, ulteriorem illinitionem ob mordacitatem liquoris non permittentes.

Tum eo die cessabatur, & locus illitus spongia vino calido imbuta detergebatur, & lentè purgabatur: Quod si postero die pustulæ illæ disparerent, & dolor adhuc permaneret eadem illinitio repetebatur, donec omnis dolor & afflictio periret.

Si quis medij anni spatio notabilem profectum (ex usu tàm interno quàm externo medicamentorum Cnœffel.) non sentiret, sed æquè ut solebat infirmaretur, eum pro desperato, & à DEO ad has pœnas condemnato habendum esse dicebat. Plura circa hanc materiam & de medicamentis Cnœffelianis quær in epistola de podagra curata, & ab ipso Generoso Dn. Christ. Arcissevvski conscripta.

Topicum castrense pro Illustr. Comite de Ostrorog. Pocillatore Regni.

In castris, crudo & castrensi more, absque extractione sequentem, (pro topico ordinario) hanc constituimus compositionem:

℞. *Aq. mucaginis absque igne parat.* ℥ *iv.* 🜄 *Tartarisati camphorati* ℥*ij. liquoris nostri sedativi* q. s. *gummi guttæ* ℈*ij.* ad *iv.*

Misceantur benè. Sign. ut supra.

Topicum extraordinarium anno 1649. Lublini paratum.

℞. 🜖*li vulg. Ungarici* ℔*ij. Onis* ℔*j* 🜕*æ puerorum* ℔*iij.* Destillentur ex 🜔â per cucurbitam. Postea

℞. *Hujus liquoris egressi* ℥*vj. liquoris Tartari nostr. compos.* 🜅 *Tartari rectific.* ana ℥*iß. pulv. mei rubr. topici* ℈*ij.*

Misceantur. Sign. ut supra.

To-

Topicum Dn. D. Podchocimski pro Generoso Dn. Comorovvski.

℞. *Calcis vivæ* p. iij. *Tartari crudi* p. j. Pulverisata inde ♉ æ. Adde *aceti vini* q. s. Destillentur, & exibit aq. viridis.

Ex relicto capite mortuo adhuc prius calcinato extrahatur sal. Jam.

℞. *Hujus liquoris destill.* ℥vj. ⊖*is ex* ☉*o extracti* ℥iij. *phlegmatis* ⊕*li* ℥iij. Misce.

Ad dolorem sedandum & materiam arthritidis resolvendam hoc topicum miræ virtutis est, si linteola duplicata in liquore mediocriter calefacta & demersa membro dolenti applicentur. Et hoc topicum quondam S. R. Maj. à Dn. D. Podchocimski fuit applicatum.

Topicum ordinarium S. Reg. Majest. JOHANNIS CASIMIRI.

℞. *Spermatis ranar. destill. phlegmatis* ⊕*li*, (*vel loco hujus aceti*) ana ℔j. *myrrhæ rub. pulverif.* ℥ij. Misce.

Aqua antipodagrica cœrulea S. Reg. Majest. ULADISLAI QUARTI.

℞. *Lixivij calcis vivæ* per ▽*am spermatis ranarum & omnium florum extract.* ℔ij. ⊖*lis* ✳*iaci* ℥ß.

Misceantur continuò in vase cupreo, & saphiri acquirent colorem, postea filtrentur per chartam. Eoque liquore prius calefacto pars dolens illinatur, vel cum in eo intinctis pannis applicetur.

℞. Aqua antipodagrica viridis.

℞. ▽*æ mortua aurifabrorum* (*quâ usi fuerunt aurifabri in separationibus,*) *phlegmatis Vitrioli* ana *lib*ß. ▽*æ sperm. ranar. lib. j. gumm. gutt. opt. pulv. unc* ß. *camphoræ* ʒij.

Misceantur & fiat aqua antipodagrica, ex qua foveantur partes dolentes calidè cum linteis ea imbutis. *Not.* Cautè tamen adhibenda est, propter vim adstringendi & repellendi.

Aqua antipodagrica externa Cl. Dn. D. Kraffts.

℞. *Cancrorum fluviat. in lapideo mortario contusor.* num. 30. *liquor limacum rub. in locis apricis & vinetis degentium lib.* iß. *lumbic. terr. purgat. lib. j. sperm. ranar. crud. in cella asserv. lib. iv.*

Omnibus invicem benè mixtis adhuc adde *stercoris bubuli recent. lib.* iß. *lentium palust lib.* ß.

Macerentur in loco calido per 24. horas, postea destillentur in VB. ut artis est, liquori egresso postea admisce, in æquali pondere & mensura, phlegma Vitrioli, per se abstracti, & servetur ad usum. Jam

℞. *Aq. antipodagricæ præscript. lib. ij. lapidis salutis* (contra podagram) *unc. j. camphoræ diss. unc.* ß. *croci* ʒij. *opij. pro dispositione Medici.*

Misceantur, & leni calore unius vel alterius diei intervallo digerantur, mixtura tandem per chartam prius filtrata, in usum futurum reponatur. Exterius, calidiuscule membris affectis, dolentibus & tumentibus, in petijs applicata, & eousque, donec tumor & dolor cessent, eximiæ virtutis est.

Liquoris limacum conciliatio talis est.

℞. *Limacum ex testis exempt.* q. v. ⊖*lis communis* q. s.

Fiat in olla nova perforata, vel in loco raro S.S.S. subtus verò applicetur aliud vas terreum, ad excipiendum liquorem, qui tandem tempore in cella, seu alio loco humido frigidoque repositus ex sacco, seu vasculo perforato stillare solet. Liquor collectus & mucaginosus, absque ulteriore destillatione, pro aq. antipodagrica Cl. Dn. D. Kraffts, superius descripta asservetur. Vel cum aq. spermatis ranar. & phlegmate Vitrioli ana p. æqual. solum mixta, in doloribus podagricis, inflammationibus, & ad ambusta multum confert.

Liquorem mucilaginosum anodynum ex cochleis rec. exemptis, bac. sambuci exsiccatis & sale usuali ana p. æqual. inveniet B. L. in anatomia sambuci Cl. Dn. Martini Blochvvitij, qui & vicem hujus præstare potest.

Lapis salutis Dn. D. Kraffts.

℞. *Vitrioli Ungar. lib. j. anodyni mineralis,* ⊖ ✳*ci* ana *lib.* ß. *Tartari, aluminis crudi* ana *unc. iv.* ⊖*lis gemmæ unc ij.*

Pulverisentur singula seorsim, ponanturque in olla nova vitreata satis capaci, quibus postea affunde ad supereminentiam spithamæ, *aceti flor. sambuci, virid. æris tincti, aq. sapphireæ, per* ⊡*am puerorum fact.* ana q. s.

Mixta coquantur leniter, (spatula lignea frequentius agitando) donec spissescere incipiant, ubi circa finem adhuc adjicitur *sacchar.* ♄*ni crystallisati & in pulverem redacti unc j.* ♀*ris Vitrioli unc* ß.

Misceantur benè & in lapideam substantiam materia convertitur, quæ ad suos usus reservanda est. Rem si rectè institues, lapis hic viridiusculi erit coloris, lapidis turcoidis instar; alias si diutius in igne permanserit, rubei erit coloris. Valet in omni dolore arthritico, maximè contra chiragram, gonagram, & podagram: dissolvitur in aq. antipodagrica, ejusdem Authoris, seu in aq. sperm. ranar. aq. omnium florum, vel alia aqua anodyna; filtratus liquor prius calefactus, linteis duplicatis adhibetur. Insuper virtutes hujus lapidis sunt, in omni inflammatione, scabie, morphea, ulceribus, putridis & fœtidis, gingivis exulceratis cancro, & in alijs adhuc multis infirmitatibus, si in aq. simplici vel appropriata solutus, debitè applicetur.

Cataplasma ad dolores & tumores podagr. S. Reg. Maj. ULADISLAI IV.

℞. *Medullæ panis tritici lib. j.*

Temperetur lacte vaccino recenter mulcto pro consistentia pultis prope ignem, absque tamen ebullitione; adde *farinæ avenæ, florum chamomillæ pulv. capit. papaveris pulv. pulv. florum omnium* ana ℥j. *vitellor. ovor.* n. *ij. croci* ʒij. ☍*o septem florum* ℥iß.

Fiat cataplasma, quod linteolis illitum tepidè articulis dolentibus applicandum est bis, ter & sæpius in die.

Cataplasma anodynum Dn. D. Cnœffelij.

℞. *Medullæ panis albi, cum liquore reservato, mucaginis aquaticæ, in formam pultis liquidioris redact.* ℔iß. *pulv. folior. nicotianæ nostr. nymphææ* an. ℥ij. *flor. chamomillæ, rad. ulmariæ* ana ℥j. *myrrhæ rub. el. Vitrioli calcin.* (*ad albed. usque*) ʒvj. *medullæ cassiæ rec. extr.* ℥j *croci* ʒj. ℈j. Misce, fiat cataplasma, cui adhuc adde ☍*o spermatis ranar.* parum.

Applicandum calidè linteis raris exceptum, ac pro necessitate reiterandum.

Emplastrum antipodagricum anodynum nigrum Officinæ Regiæ ULADISLAI IV.

℞. ☍*o sperm. ranar. lumbric. anodyni Myns.* (*ex 7. flor.*) ana ℔j. *adipis anserini, medullæ crurum vituli* ana ℔ß. *lithargyrij* ℔iß. *ceruss. Venet.* ℔ij.

Coquantur ad debitam emplastri consistentiam. Adde sequentia, in alio vase prius liquefacta, & colata utpote *ceræ odoratæ flav lib. j. picis nigræ specul. sevi hœdini* ana ℥iij.

His

His exactè mixtis & parum refrigeratis, adde

MP. *de tribus (ex myrrh. aloë & croco) masticis, thuris* ana ℥j. *pulv. sperniolæ (ex oculis nigris per sæpissimam insuccationem, cum prop. mucag. parat.)* ℥iij. *camphoræ in* ℴℴ *ovor. solut.* ℥j. *saccari* ♄ni ℨvj.

Fiat omnibus exactè inter se mixtis, empl. nigr. anodynum & nobile, in doloribus arthriticis magnum solatium.

Usus ejus præstantissimus est in ulceribus malignis corrodentibus, crancrosis, & alijs similibus ♄ ninis, maximè tibiarum, quæ ob maximam materiei impurioris, & salinæ acrioris copiam, sanari non potuerunt.

Hujus emplastri inventor fuit Cl. Dn. D. Cnœffelius, cujus descriptionem ex dispensatorio secreto, ab ipso Pharmacopœo Regio Dn. Joh. Heker, excerpsi.

Not. Si forsan consistentia emplastri non arrideret, adjectione ceræ & ℴℴ sperm. renarum corrigi potest.

Vinum Balsamicum.

♃. *Myrrh. rub.* ℨ. *vj. mastich.* ℨ. *ij. Flor. lavend. m. i. vini Hungar. lib. iv. Coquantur omnia leniter bulliendo, postea colentur.*

Vires. Ubi dolor & tumor evanuerit, ad articulos roborandos & confirmandos, lotio partium adhuc debilium instituatur.

Vinum Balsamicum aliud correctius post dolores finitos, & tumores adhuc relictos.

♃. *Herb. solan. & urtic. min. ana m. ij. Flor. lavend. sambuc. & camomill. ana m. j. Sem. lin.* ℨ. ß. *Coquantur in vini adstringentis lib. v. In expressa mucagine incoque leniter bulliendo litargyr.* ℨ. *iij. myrrh.* ℨ. ß. *mastich. sperm. ceti ana* ℨ. *iij. Misce omnia priùs in pauco vino soluta & colata, utatur ut supra.*

ARTICAULIS, vid. *Cynara.*

ARUM.

De *Ari* Etymo ita *Lobelius*, Quin si è Græco non fit ἄεϱν ἱεϱὸν quasi Sacrum, ut in Iride factum; plebecula quæ barbam *Aronis* vocitat, videtur agnoscere ex Palæstino vernaculo & ornamento *Aaronis* Pontificis sumptum.

Nota Ari *generica* sunt pistillus in medio flore pro stylo nudus, flos monopetalos sedi fructuum cohærens; bacciferum est, fructus enim pulpa humidâ semina ambiente constat. Folijs integris & minùs dissectis à Drancuntio differt.

Nomina. Arum *J. B.* vulgare Ger. vulgare maculatum, & non maculatum *Park.* Arum 2. & 3. sive maculatum maculis candidis vel nigris, & vulgare non maculatum *C. B.*

Aliud rursus Arum datur quod minus & maculatum audit; At majoris quod verè officinale nomina attulisse suffecerit.

Vires. Ari cujuscumque, sed præcipuè maculati, radix insigni acrimoniâ pollet, ità ut semel gustata verno tempore cùm succo maximè turget, integro die linguam vellicet. Quantumvis autem acris sit, si penitus exsicca fuerit & aliquandiu asservata, acrimoniam omnem amittit & insipida evadit.

Ari radices & folia olim cibum præbuerunt satis gratum, testibus *Theophrasto* & *Dioscoride*, sed prius in aceto coquebantur ad acrimoniam tollendam, de quo tamen dubito.

Arum quod *Galenus* in Ægypto edule esse ait instar raporum, procul dubio erat genus illud quod Colocasiam vulgò vocant, & tamen monuit me *Dn. Tancredus Robinson* ex observatione *Helbigij* ex India reducis, Radicem Ari coctam ab Indis quibusdam loco panis haberi; maximam enim & crassissimam ibi crescere. Fortè intelligit Colocasiam dictam quæ revera Ari species est, & in India Orientali copiose oritur, ex qua & Indi Javanenses, Malaij, Chinenses panem conficiunt; referente *Bontio*: qui hæc de ea scripsit. *Alpinus* Colocasiam edulem esse ait, quod quidem verum est, sed cum cautione est intelligendum, nè ignarus quidam vitæ periculum incurrat, cùm planta hæc naturâ suâ venenata sit. Itaque radices ejus crassas & in taleolas discissas Javani per triduum aut quatriduum in profluenti macerant, ut mucilaginosa quæ in ijs est substantia abluatur. Nam in hac mucilagine deleteria ejus vis consistit. Tunc expressas torculari easdem radices Soli siccandas exponunt, & dein eas in pollinem terentes, placentas ex ijs loco panis & oryzæ conficiunt. Præterea dum hanc radicem coquunt, ejus decoctum abjiciunt, & addi à recenti recoquunt, & tam ijs quoque vescuntur cum aceto & oleo nucis Indicæ & pipere: ut nos radicibus Betæ rubiæ.

Radix, ejus maximè quod maculata habet folia, sive sicca, sive recens, tusa, ac ad minus drachmæ pondere sumpta, remedium est præsentissimum ac minimè fallax adversùs venenum & pestem: quidam tantundem addunt Theriacæ. *Trag.* & paulo post ad pestem & anthracem vix præstantiorem ac salubriorem herbam novi quàm folia Ari recentia imposita.

Decocta radix melle excepta medetur pectoris morbis omnibus pituitosis: expectorat enim validissimè crassas lentasque exscreationes, adeòque asthmaticos maximè juvat: hernias curat, & urinas ciet.

Eadem siccata insigne medicamentum est in Scorbuto; nec minùs efficax in affectibus lienis & uteri, præsertim in flatibus. *D. Needham.*

Ad Arthritidem, ♃. Fol. Ari, contundantur & cum stercore vaccino applicentur calidè. Valde prosunt, inquit *Matthiolus.*

Mulieres Anglicæ ex Ari radicibus stillatitias aquas ad fucum parant, quas ad faciem erugandam illustrandamque magnis laudibus efferunt.

Id quod etiam efficaciùs præstat insolatus radicum succus, cerussæ speciem referens, quem *Gersa* corrupto ut videtur à Cerussa nomine vulgò vocant: is siquidem mirum in modum cuti splendorem & nitorem conciliat. *Matth.*

Radices Ari cum floribus Sulphuris commixtas B. Beynon, misericors ille Samaritanus tanquam summum remedium, dum adhuc viveret nobis in Phthisi revelavit. Dolæus. *J. Rajus.*

ARUNDO.

Arundo Græcis κάλαμος, ab *areo* dicta est, eò quod citò arescat, ut volunt Grammatici.

Arundo planta est inter culmiferas maxima, paniculâ lanuginosâ, aquosis gaudens.

Nomina Arundo vallatoria *Lobel. Ger.* vulgaris palustris *J. B.* vulgaris sive phragmites *Dioscoridis* κάλαμος χαϱακίας Theophrasti *C. B.* Harundo vulgaris sive vallatoria *Park.*

De Arundine secunda quæ domestica & sativa, hic verba non facimus quia, easdem cum priori virtutes possidet, nec aliquid singularis præbet.

Vires. Urinam mensesque movere & ischuriæ succurrere radicis tam sylvestris quàm sativæ in vino aut aqua decoctum propinatum scribit *Matthiolus.* Ejusdem in vino decoctum furfures aufert, si eo abluatur. Erysipelati alijsque inflammationibus (etiam testium) folia virentia tusa & imposita medentur

Æstis

Æstivo tempore hæc per febricitantis conclave refrigerandi gratiâ sparguntur. Maculas ex variolis relictas succus radicis cùm sevo hircino & melle pari dosi delet. Sudores potenter movet medulla contusa syncipiti & pedibus adposita si quis in lectum se componat & cooperiat: Spicula aculeosque corpore extrahit radix contrita per se, tum cum bulbis imposita *I. Raius.*

ARUNDO SACCHARINA.

Nomina. Arundo Saccharina *I. B. Ger.* Arundo Saccharifera *C. B.* Harundo saccharifera *Park.*

Medius inter Miliaceas atque Arundinaceas plantas videtur Saccharatus Calamus. In quinque, sex, septemve pedum altitudinem assurgit ordinariè, exceptis foliis (quamvis viderim decem pedes longam, & sex supra quinquaginta juncturis constantem *Marg.*) crassitie quatuor digitorum utplurimum; multas habet juncturas seu nodos, quorum quilibet circiter quatuor digitorum interstitio distat ab altero: & quo magis distant nodi, seu internodia longiora sunt, eò melior judicatur Arundo. *Folia* superiùs multa gerit, longa, acuminata (bicubitalia, ac interdum longiora sursum erecta, Arundinis sativæ angustiora, palustri Typhæ, tam figurâ, quàm positu similia, scabra, & secundùm longitudinem striata, stolones amplectentia *C. B.*) Paniculam producit, postquam longo tempore stetit, aliquo modo Melicæ similem (Marggravio instar *Vubæ*, id est, Arundinis sagittariæ) Color Arundinis ex viridi vergit ad flavedinem: ad nodos ex una parte albescit, ex altera flavescit, quasi duo annuli, alter flavus, alter albus circumdarent nodum, qui ipse elevatus est, & canescit, vel nigrescit. Medulla Arundinis solida, succulenta, dulcis, alba. *Radix* crassa, geniculata, obliqua, & per transversum se propagans, ad Donacis radicem accedens, sed dulcior, succulentior, minusque lignosa.

Arundo Saccharina sponte oritur in utraque India, tam Orientali, quàm Occidentali. Seritur etiam alibi multis in locis, ut in insulis Canariis, Lusitania, Hispania, Sicilia, Creta, Cypro.

Solum amat pingue & humidum: cujusmodi obtinent plani campi ad fluviorum majorum ripas, qui hyeme inundantur.

Optimum tempus plantandi (in Brasilia) est mense Januario vel Augusto, aut circiter. Plantatur autem hoc modo. In terra elaborata sulci fiunt paralleli operâ ligonis; in hos sulcos ordine recto ponuntur Arundines, ita ut initium sequentis obtineat finem antecedentis; hoc facto, taleæ hæ inhumantur. Ac singula internodia germina sua protrudit hæc canna plantata, ità ut quodvis internodium det novam Arundinem.

Postquam sic progerminaverit Arundo singulis tribus vel quatuor mensibus, pro ratione soli, ab herba luxuriante purganda est, nè illa plus incrementi capiat quàm canna ipsa; isque labor tandiu repetendus donec Arundo in aliquam magnitudinem adoleverit.

Spatio octo, decem vel duodecim mensium à plantatione Arundo hæc justam adquirit magnitudinem, pro ratione soli, ita ut tunc apta sit ad saccharum ex illa conficiendum.

Sacchari conficiendi Modum Piso sic describit.

Cannæ maturæ factæ circa fundum, ac in ipso geniculo abscinduntur, quòd in eo aqueus quidam humor contineatur. Mox amputatæ, frondibusque quibus maximam partem vestiuntur resectis in fasciculos coguntur, & currui imponuntur.

Molendina tribus gravissimis axibus, (erectis) è solidissimo ligneo confectis, circulisque ferreis obductis nituntur; inter quos arundo continenter inserta, & Axium se contingentium angustiâ compressa, liquorem fundit dulcissimum. Molæ vel aquâ, vel jumentis versantur. Illæ aquæ longissimo canale deductæ, lapsu impetuoso ex alto in superiores eximiæ magnitudinis lintres decidentis vi circumaguntur, hæ boum aut equorum operâ, quorum contentione exactiùs & fideliùs Canna exprimitur.

Cæterùm liquor hic, qui in Saccharum ipsum postea abit, ad 24. duntaxat horas durat, moxque acescit, & ad conficiendum Saccharum prorsus fit inidoneus, sed si diutiùs servetur bonum indè nascitur acetum.

Axes asseresque per quos succus fluit, tum & alveus per quem decidit bis spatio 24. horarum, vel una Tareffa (Tareffa est spatium terræ cujus quadra viginti circiter est passuum, & tot cannas profert quot per diem naturalem meti possunt) lavari debent.

Canna primò à tergo axium excepta vicino denuo immittitur, ut si quid succi in ea sit reliquum penitus exprimatur, tunc *Bagasso* vocatum, quod tanquam inutile excrementum igne absumitur.

Succus, quem *Caldo* vocant Hispani, per canales & ductus ligneos in amplissimos æreos cacabos derivatur, in quibus continent: nunc vehementiùs, nunc leniùs, toto quo molæ agitantur tempore fervescit, frigidæque aspersione intentior ebullitio coercetur, ut substantia minùs consumatur. Ab hoc succo in primo aheno consistente, modicóque substructo igne, paulò fæculentior & copiosior spuma aufertur, vocatur *Cagassa* quæ solis pecoribus escam potumque suppeditat.

Sublatâ *Cagassa* liquor seu *Caldo* in proximum ahenum *Caldera de mellar*, Lusitanis, effunditur, in quo coquitur, & prægrandi cochleari, crebris foraminibus pertuso à sordibus liberatur. Ut exquisitiùs immunditiæs secernatur, fortè quoddam lixivium affunditur. Hinc per linteum percolatur, ac tandem succus eo pacto novissimum excrementum, si quod habet deponit, Hæ fæces mancipiis victum sufficiunt. Vinum quoque exinde vulgò *Garapa* dictum, conficiunt, intermiscendo aquam, quod avidissimè appetunt incolæ. *Rum* aliqui vocant.

Porrò minores qui subsecuntur Cacabi, *Tachas* appellant, alii sunt ad concutiendum, alii ad coquendum parati: in quibus succus jam dictus tantisper condensatur, donec Serapii, & mox Sacchari consistentiam acquirat. Ad hæc vehementi & assiduo labore, primùm in majoribus, tum minoribus ahenis inter coquendum capacissimis cochlearibus agitatur, quatitur & ad altitudinem viginti plus minus pedum attollitur, unde rursus in vasa prolabitur.

In cacabis minoribus ob ignem intensissimum vehementioris ebullitionis habenda est ratio, statutisque temporibus olei modicum guttatim instillatur, nè ignis vehementia Saccharum aliquid detrimenti capiat.

Observatu dignum est, si oleum majoribus inderetur ahenis, in quibus liquor, primò *Caldo* dictus, purificatur, Sacchato conficiendo planè foret ineptus. Vicissim si minoribus lixivium sicut majoribus infundatur, æquo impossibile Saccharum conficere. Si denique momentum succi limonii vel acidi quid injiciatur, Sacchari consistentiam nunquam acquiret.

Formæ porrò fictiles innumeræ, quandò succum fluidum acceperunt, ordine asseribus perforatis in amplissimis ædibus (*Caro do purgar* vulgò) imponuntur, mox superimposito luto humefacto, dicta vasa à melle, quod subfusco antea colore Saccharum tingebat, repurgantur. E formis excussum candidum à nigricante, *Moscovado* dicto, separatur, & in frusta redactum Soli sereno exponitur probéque exsiccatur donec cistis recondatur.

Marggravius. Sacchari conficiendi methodum & processum fusius quidem, sed & confusiùs describit, ut & *Franc. Hernandes* qui non minùs confusus est. Videatur etiam *D Hugesii* Angli tractatus Anglicè conscriptus Medicus Americanus dictus, & *D. Ligoni* Historia Insulæ *Barbados* dictæ.

Lutum quo utuntur in Anglia ad Mel Saccharinum Melassos dictum præcipitandum, vel idem est ei quo ad fistulas Nicotianæ fumo hauriendo destinatas conficiendas utuntur, vel simillimum. Lutum aquâ temperatum Saccharo in formas infuso superimponitur operculis modo. Aqua è luto defluens & per massam transiens Saccharum in granula cogit & condensat, mel unà secum devehens eluit & expurgat, ut in Saccharo coquendo & purgando exercitati quidam opinantur. Rectène hi an secus sentiant mihi non constat: illud autem experientia certum affirmat *Marggravius*, nec aquam solam, nec limum seu lutum solum Saccharum purgare, sed utramque junctam: nam seorsim quælibet materia illud corrumperet. Cæterum lutum ad Saccharum dealbandum utile esse Gallinarum indicio compertum aiunt, quæ cum lutosis pedibus fortè Saccharum calcâssent, & argilla infecissent, deprehensum fuit partes illas lætiùs candicare quas contigerat argilla.

Vires & usus. Sacchari facultates in cibo & medicina, quin & præparati ejus modi adeò numerosi sunt ut singulos recensere & accuratiùs expendere vel justum volumen requireret. Sic breviter *C. Bauhinus.*

Usus ejus ad condimenta, obsonia & alimentorum sapores edulcorandos, ingratos etiam insipidos suaviores reddendos; imò nullum nunc epulum magnificum, vix quotidianus victus, sine Saccharo placet. Acria liquidem lenit, acida retundit, austera palato gratiora efficit, & saporibus omnibus majorem gratiam conciliat. Equidem cum aliis cibis moderatè sumptum satis laudabile alimentum subministrat: colorem floridum reddit, urinam provocat, & alvum movet & id sua dulcedine ac lentore præstat: in nonnullis concoctionem promovet, si post largiùs assumptum cibum parum ejus in fine comedant: sed si largiùs sumatur, capitis dolorem excitat, quia difficulter, & quidem melle difficiliùs concoquitur. Verùm & pistores & coqui, in frequentissimo usu habenti placentas inde & massas panis (ut vocant) effingunt ac torrent, omnis generis animalia & aves & pisces & quadrupedes ex eo scitè efformant, vel integra vel eorum partes, ità coloribus fucantes, ut vera esse videantur: sic & fructus omnis generis, naturalibus similes & formâ & colore concinnant: in summo, Saccharum non aliter quàm farinam in omnem formam componunt.

Sic & Aromatarii ipsa aromata ut Cinnamomum, fructus seu nucleos Pineos, Amygdalas, Avellana, Pistacia; seminum varia genera, Coriandrum, Anisum, Fœniculum, Carum, Papaver album, illo, modò corticis crassitudine, modò cutis tenuitate, contegunt & includunt.

Quin & innumera bellaria, dulciaria, scitamenta ad mensas secundas instruendas ex omne genus fructibus cum Saccharo conditis liquidâ & siccâ formâ parari solent.

Nec minus frequens est Sacchari usus in Officinis, ad Syruporum, Conservarum, Conditorum, Electuariorum, Tabellarum & aliorum confectionem.

Est autem Sacchari in medicamentis componendis ut & Mellis triplex usus, 1. siccitate & lentore suo conservare; imò Saccharum Salis quoddam genus est: unde à nonnullis Sal Indicus dicitur; eodemque modo quo Sal corpora conservat: 2. siccitate eadem abstergere: 3. sapore dulci condire: & hoc cùm suavius sit melle, condimenti gratiâ sæpè additur: nonnunquam quibusdam medicamentis præter Saccharum, & Mel, ut magis abstergat admiscetur.

Notandum rectè à multis fieri dum Saccharum melli in medicamentis quæ mulieribus exhibentur, substituunt; siquidem mel utero valdè inimicum est.

Tandem è Saccharo cum aqua fontana, cum pulpâ variorum fructuum, Prunorum, Cerasorum, Citriorum, Grossularum, Ribium, &c. varia potuum genera, parantur, quibus enumerandis & describendis immorari operæ pretium non duximus.

Antiquiores Medici qui superiore seculo vixerunt unanimi ferè consensu Saccharum ad pectoris & pulmonum vitia, raucedinem, tussim, & gutturis asperitatem, lateris & thoracis ulcera commendant. Cæterum apud nos in Anglia non ità pridem in crimen adduci, & magnâ infamiâ laborare cœpit, medicis tum nostratibus, tum extraneis. Scorbuti & Tabis popularium morborum præter solitum grassantium nuperas furias, immoderato in cibis & potu Sacchari usui imputantibus. Et ne quis humidiori potiùs aëris constitutioni eas pestes deberi suspicetur: in Lusitania (aiunt) regione calida ob eandem rationem, Tabes epidemica facta est. Lusitani enim plus Sacchari consumunt, quàm quævis alia gens.

De Scorbuto autem iidem antiquiores quos diximus Medici cum recentioribus consentiunt, eum à Sacchari nimio usu produci, cùm dentibus valde nocuum, nec eos nigros duntaxat reddere, sed & putrescere & vacillare & excidere facere Saccharum scribant, quæ certa Scorbuti signa & symptomata sunt. Saccharum enim Salem acidum & maximè corrosivum continere ex destillatione patet. Scoriatus autem sali fixo in sanguine redundanti debetur; proinde iis quæ sale volatili abundant sanatur. *J. Raius.*

Asa Foetida vid. *Assa Fœtida.*

Asa dulcis, vid. *Benzoinum.*

ASARINA.

Hæc planta *Asarina* vocatur quia foliis cum *Asaro* convenit.

Vires. Calida est, lumbricos necat. *Meuve.* Prodest calculosis, asthmaticis & in pulmonum ulcere. *Clusius* in Historiâ, Tussilaginem secundam Alpinam esse suspicatur, quod & nobis verisimile videtur. *J. Raius.*

ASARUM.

Dictum est *Asarum* (si *Plinio* credamus) lib. 1. cap. 6. ab ἀσὲρπτικὸς & σαίρω, quod inter alia significat orno: non enim adhibebatur coronis. *Hoffman.* Dicitur & Νάρδος ἀγρία, id est, Nardus sylvestris, eò quòd odore Nardum æmuletur, vel ut *Plinius* quòd Nardi vim habeat.

Asari *nota* sunt cytini in tres lacinias divisi: laciniæ hæ sunt calyx floris, cui subest fructus, in terna pariter loculamenta distinctus, & per maturitatem in tres carinas dehiscens: *Folia* crassa, colore Hederæ & ferè consistentiâ.

Nomina. Asarum *Ger. I. B. C. B.* vulgare *Parkins.* Asarabacca *aliis.*

Vires. Radices Asari crudi quamvis magna anxietate vomitum cieant, in aqua autem non in vino incoctæ mutantur in deopilans, diureticum & tardarum febrium remedium, quod occulta tum in eo atoma prodit

prodit: ad hoc tanquam ad sacram anchoram confugiebat *D. Ohemius* in febribus diuturnis ab hypochondriorum inveteratis obstructionibus dependentibus. *Frid. Hoff.* M. M. lib. I. cap. 12. Asarum in infuso convenit, unde mitius evadit, in decocto vis volatilis magis abigitur, unde vomitorium esse ferè desinit, nisi levis sit decoctio. Radicem quàm folia mitiorem deprehendimus: moriebatur hypercatharsi vir quidam robustus, qui cochlear unum foliorum pulveris sumpserat, frustra datis Antidotis *I. R. ex Wedelio.*

Crassam pituitam & utramque bilem per vomitum ac nonnunquam per secessum violenter expurgat. Dos. radicis à ʒ ß. ad ʒ j. in substantia, à ʒ. j. ad ʒ. iij. in infuso. Folia exhibentur n. 6. 7. 8. 9. infusa, cocta & expressa.

Diureticum est & emmenagogum insigne: unde Meretriculæ plus satis frequentant decoctum ejus, cùm sentiunt se gravidas. Quò tenuiùs est tritum eò magis urinas movere, minùs autem alvum ducere creditur.

In Arthritide & dolore ischiadicô, inque Hydrope & febribus, præcipuè tertianâ & quartanâ, tandemque in ictero utile esse censetur. Folia in vino aut aqua decoquunt, & decoctum melle edulcorant, ad Arthritidem in serô lactis.

Mesues monet cum pro purgatione coquimus debere coctionem esse mediocrem, aliàs perituram, primùm quidem vim vomitoriam, deinde purgatoriam quoque. Unde præceptum nos capere par est, si volumus ut per inferiora tantùm purget decoquamus plusculum. *C. Hofman.*

Vomitorium ex præscriptione *Nicolai Chernau.* ℞. pulver. radic. Asari à ʒ. ß. ad ʒ. j. capiat æger cum Hydromel. aut Oxymel.

Aliud ℞. Decoct. rad. Asari aut semin. ℥ iv. Propinetur post cibos pingues & liquidos, eosque diversos. Rondelet. *I. Raius.*

Adnotat D. *Poncet* in sua Aromatum ac Medicamentorum simplicium historia generali, quòd aliquando sub Asari radicibus, ad pedis profunditatem, reperiatur tuberis quoddam genus, extùs subflavum, intus album, succo lacteo, caustico ac igneo prægnans.

ASBESTUS, vid. AMIANTHUS, sub titulô *Lapis.*

ASCALONICA CEPA.

Nomina. Cepa Ascalonica sive fissilis *I. B.* Cepa Ascalonica sive Ascalonitides *Park.* Ascalonitides *Ger. emac.* Cepa sterilis *C. B.*

Plures simul conjunctos bulbos, Porraceis mediocribus suppares, fibrosos habet, sapore Cepæ vulgaris. *Folia* exeunt fistulosa, teretia, glabra, eodem sapore prædita, Caulem & florem rarissimè profert.

Escalotas autem Gallicas Antiquorum Ascalonitidas sive Palæstinas cepas arbitrantur Adversariorum auctores, quas Francigenæ *Apetis* vocitant, quòd appetitum ad cibum excitant & acuunt.

Vires & usus. Minutim incisa pro olere usurpantur. Acetariis quoque admiscentur ad saporem acutum communicandum.

Viribus cum cepis conveniunt. *I. Raius.*

Planta est aperitiva, quæ calculosis confert, & in suppressione urinæ non parum prodest, ut etiam in vaporibus aëris corrigendis.

ASCARIDES.

Ascaridum seu vermiculorum in ano tum hominum tum pecudum aliquorum, innascentium, descriptionem consultò omittimus, quia curationem tantum medicam postulant, nihil verò virium pro aliis aliquibus infirmitatibus pellendis præbent.

ASCHIOTTA, vid. ACHIOTI.

ASCLEPIAS.

Asclepias dicitur ab antiquo medico, nec dubium quin illud nomen ei impositum sit à vi quâ venenis resistit.

Ab Apocyno differt succo limpido, siliquis singularibus Ciconiæ rostrum referentibus. At *Columna* Asclepiadem succo dilutè luteo turgere scribit, non limpido seu aqueo.

Nomina. Asclepias flore albo *Park. Ger. C. B.* Asclepias sive Vincetoxicum multis floribus albicantibus *I. B.*

Vires. Radix hujus herbæ alexipharmaca ac sudorifera est insignis. Usus præcipui in peste aliisque venenosis affectibus, in obstructionibus mensium, in palpitatione cordis, ac lipothymia, in Hydrope. *Semen* commendatur ad calculum. Extrinsecùs usus tam florum, quàm radicum ac seminis est in ulceribus sordidis ac malignis purificandis, ad ictus insectorum venenatorum, in ulceribus mammarum, &c.

I. B. & Trag. multùm vim ejus extollunt in Hydrope.

Radix pondere semilibræ per noctem in vino macerata, & deinde usque ad tertias decocta, manè jejuno stomacho calida pota, sudore interim provocato, mirificè expellit aquam intercutem, adeò ut illa per pedum plantas erumpat, estque hoc singulare experimentum.

Nobis interim mirum videtur Apocynum malignam & lethiferam esse herbam, Asclepiadem autem ei planè congenerem salutarem. At *Pena & Lobelius* in Adversariis se certum exploratumque aiunt jam diu Apocynum latifolium saltem aliis venenis à cane devoratis antipharmacum fuisse: quibus contraria scribit *Clusius. I. Raius.*

Decoctum radicis Asclepiadis salutiferum esse scrophulosis, conjecturis deductis à simili probat *Dn. Ioach. Georg. Elsnerus. Misc. Cur. Dec. I. Ann. I.*

ASCYRUM, vid. HYPERICUM.

ASELLI, vid. MILLEPEDÆ.

ASELLUS.

Asellus, qui Gallicè *Merlan*, est piscis marinus, pedem longus, ad instar brachii crassus, mollis, coloris argentei, squamis vestitus &c. In ejus capite duo minutiores reperiuntur lapilli oblongi qui in calculo renum ac nephritide inde orta conferunt, ut & in sistendis diarrhæis, si modo in pulverem conterantur impalpabilem super porphyrite Dos. à ℈ ß. ad ʒ ß.

ASINUS, Descriptio vid. sub Titulo *Equus.*

Asini autem Partes officinales earumque vires hic subjungemus.

1. *Ungula.* 2. *Sanguis.* 3. *Lac.* 4. *Urina.* 5. *Stercus.* 6. *Adeps.* 7. *Pili.*

Vires. Ungula in morbo comitiali ungulæ Alcis vicaria censetur, datur per mensem diebus continuis, ad ʒ ß. nonnullis & Calvaria.

Extrinsecùs commendatur cinis ad discutiendas strumas & sanandos perniones cum oleo inunctus, ad rimas cutis consolidandas, apostemata discutienda, pterygium oculorum tollendum, cum lacte mulieris instillatus, ad fœtum mortuum eliminandum, in suffitu, ad epilepticas & hystericas excitandas, nidore.

Sanguis sudorem ciet, secatur scilicet Asino vena ad aures; intinguntur lintea & exsiccantur, deinde extrahitur cruor cum aquâ florum hyperici & propinatur, melan-

melancholici humoris ferociam mitigare dicitur, morbosque incantatione introductos arcere.

Lac nutrit, abstergit fortiter, hinc utile in Phthisi, in morbis ventriculi, renum abscessu, vesicæ lithiasi, arthriticis doloribus, laxat nimirùm alvum, abstergit vias urinarias, ciet menses.

Extrinsecùs adhibitum, stabilit gingivas, compescit dolores podagricos cum stercore adhibitum, faciei gratum conciliat pallorem illitum.

Urina medetur, peculiariter morbis renum *Dioscorides*, tum & scabiei, verrucis & callis, membrorum atrophiæ & paralysi podagricisque doloribus, &c. v.g. ♃. *urinam pull. asinarum, ungulam asinæ incineratam, subige addendo axungiam asini cum tantillo spicæ Indicæ ad odorem*; F. *Unguentum.*

Adeps cicatrices concolores reddit.

Stercus sanguinem sistit, potum vel ustum, vel emplastri instar impositum naribusve admotum. Nonnulli syrupum indè parant.

Pellis loco culcitræ imposita, infantum terrorem arcere dicitur.

Sordes Asini in auribus delitescentes temporibus illitæ somnum conciliant.

Caro Asini scil. pulli in curandâ leprâ à quibusdam valdè commendatur. Phthisicis etiam præscribit *Hoffmann. ex Plinio, in Ph. Schrod.*

ASIUS LAPIS vid. *Sub titulo* LAPIS.

ASPALATHUS.

Aspalathus Theocriti Scoliasti dicitur, διὰ τὸ μὴ ῥαδίως ὑπὸ τῶν πληγέντων ἀποσπᾶσθαι, ἤτοι ἀφαιρεῖσθαι, à percussis difficulter avellitur vel aufertur.

Aspalathum Veterum Officinis incognitum esse *Matthiolus* aliique existimant.

Ruellius lignum Rhodium Offic. Aspalatum esse multis probare nititur, cui se opponit *Cordus* & lignum Rhodium Offic. pro Xylaloe à nonnullis venditum, Aspalathum non esse contendit & *Ruellii* argumenta refutat. *Matthiolus* etiam *Ruellium* erroris arguit, qui tamen in tradendo ligno Rhodio *Cordo* contrarius est, cùm ei deneget acrimoniam & amaritudinem, quas ei tribuit *Cordus*, tanta, inquiens, ei inest amaritudo, ut nullius gustum effugere possit, cui adjuncta est cum aliqua adstringendi vi manifesta acrimonia quæ paulatim incipiat donec prorsus excalefactas fauces propemodum ut Coccognidium exasperet & fervore detineat, ut demonstret scil. lignum Rhodium esse Oleam Æthiopicam. Utri (inquit J. B.) credendum.

Matthiolus ligni Rhodii plantam Oleastri in insula Rhodo nascentis speciem esse ait, cujus etiam descriptionem & historiam dat à Rhodiis sibi communicatam: *Anguillara* etiam ejus descriptionem tradit à Rhodiensi quodam pharmacopœo sibi missam. Invenitur in insula Rhodo frutex spinosus, foliis Oleæ, sed paulò minoribus, flore albo odoratissimo, cortice albicante & aspero. Reperiuntur interdum arbusculæ quædam quæ detracto cortice coloris sunt rubescentis; quo vetustiores eo vegetior color. Totum lignum non rubet sed solùm partes quæ adhærent cortici. Non reperitur in tota insula Rhodo lignum ullum ibi nascens odoratum excepto hoc, ex quo Turcarum nobiles singulatum parant compositionem ad suffumigia.

Honorius Belli lignum Rhodium *Matth.* & *Officin.* à plurimis pro legitimo Aspalatho, in Theriacis usurpatum, nihil aliud esse affirmat, quàm Cytisi veri à *Marantha* descripta lignum, qui in insulis Rhodio propinquis & Rhodo ipsa *Caloieri* oritur. Patrni in sphærularum precariarum usum convertunt. Erravit, inquit *Matthiolus*, credens lignum spinosum esse, & Oleæ speciem; non esse autem Aspalatum rectè judicat. Erravit & *Anguill.* cum suo Rhodiensi pharmacopœo qui illud suffumigii genus somniavit.

J. Bauhinus pro Aspalatho observavit in quadam Officina lignum quoddam validissimum & solidissimum durum, grave, tortuosum, nigricans partim, partim albicans, alternantibus interdum utriusq; hujus coloris venis, alicubi flavescens, subindè transversis micis pectines secantibus, odore nullo, sapore amaricante.

Considerandum proponit, an hoc lignum traditum sit à Botanicis nomine ligni Rhodii & Oleastri. *J. Raius.*

Probatur Aspalathus densus, odoratus, ponderosus ac gustu amarus, in quo *Plinius* aliqualem Castorei odorem requirit. In ejus defectu lignum Aloës commodissimè substituitur; licet nonnulli eundem Sandalo Citrino, aut ligno Rhodio à Sandalo Citrino parùm differente, resarciant. *Ph. August.*

ASPARAGUS *in genere.*

Asparagus primum germen herbarum dicitur quod edendo est, vel oleris cujusque turio antequam in folia explicetur, à σπείρω. Hinc per Antonomasian dicitur herba quædam quæ grandes profert & edules asparagos. *J. Raius.*

ASPARAGUS *Planta.*

Etsi Ἀσπάραγος vel Ἀσφάραγος *Galenus* 2. *Aliment.* omnes propemodum teneres caules & tenera germina, seu ex oleribus & herbis, seu ex suffruticibus, seu ex fruticibus arboribusque vocitet; attamen peculiari generi plantæ etiam tribuitur, quæ sic dicta, quod cauliculos hos qui prima germinatione è terra prodeunt, præcipuos habeat.

Asparagi *notæ genericæ* sunt folia tenuissima & quasi capillacea, turiones crassi, esculenti.

Nomina. Asparagus *Parck.* Sativus *Ger.* hortensis & pratensis *I. B.* sativa *C. B.*

Vires. Asparagi turiones seu germina recentia, leviter decocta & butyro condita sapore delicato palato se commendant, & in cibis magno æstimantur verno tempore. Ventrem emolliunt, urinamque cient, fœtorem tamen mirum ei communicant, ut quivis in se ipso facilè potest experiri.

Radix diuretica est, lithontriptica & ex aperitivis quinque. Ejus decoctum epotum ægrè meientibus, Regio morbo laborantibus, nephriticis & ischiadicis opitulatur.

Nota frequentiorem usum diureticorum quorumcunque vesicam exulcerare, ideóque *D. Bovvle* traumatica diureticis admiscere solebat.

Asparagum alvum solvere non credit *C. Hofman.* quis est diureticum medicamentum.

In pituitosis Venerem stimulare posse & semen augere decernit *idem*, cùm in biliosis subductâ materiâ contrarium faciunt. *I. Raius,*

ASPERSIO.

Aspersio πρόσκλυσμα, ῥαντισμὸς, ῥαντις, & ῥανὶς, ῥάπισμα, notissima est applicatio alicujus materiæ medicæ vel liquidæ, vel pulverulentæ superficiaria & rara, seu minutatim facta. *Brunon.*

ASPERUGO.

Asperugo aparines seu rubiæ cruciatæ quædam est species, cujus descriptionem hic omittimus, quia scilicet nihil in remedia facit; quamvis aliqui illam plantis recenseant vulnerariis, quibus illius usum lubentes relinquimus, dum aliis multis in hoc negotio usualibus ac notioribus non caremus.

ASPERULA.

Nomina. Asperula *Ger.* Asp. 11. Rubeola montana odora *C. B.* Asperula aut Aspergula odorata *Parck.* Rubiis accidens Aspercula quibusdam, sive Hepatica stellaris *I. B.*

Compluribus geniculis intercepta radicula tenera summa tellure serpit, capillaribus fibris demissis: unde *cauliculi* surgunt tenues, quadrati, palmares & dodrantales: ad quorum singula genicula *folia* radiata

Rubiæ

Rubiæ positu nascuntur, quam Aparines latiora, pallidiùs virentia non sine splendore, subhirsuta. Circa fastigium dividitur caulis in binos ternós ve ramulos, ex quibus pediculi *flosculos* sustinent suaviter olentes, Valerianæ ferè forma, candidos, & quatuor foliolis compositos. *Semina* parva sunt valdè hirsuta, non exactè rotunda, sed ad renis potiùs figuram accedentia, vestibus adhærentia Aparines ad modum.

Vires. Usus hujus est in obstructo hepate ac meatu biliario;& hinc in ictero, ac in hepate calidiore refrigerando. Extrinsecùs in intemperie hepatis calida &c.

Fertur in vinum conjecta hilaritatem efficere & saporem ei gratum conciliare, unde Germanis in frequenti usu est. *J. Rajus.*

ASPER SAPOR, vid. *Acerbus Sapor.*

ASPER. Piscis Rondeletio sic dictus, descriptionem non meretur.

ASPERUM TACTU, vid. *Qualitates Tactiles.*

ASPHALTUS, vid. *Bitumen.*

ASPHODELUS.

Asphodelon dictum volunt quasi σπόδελον διὰ τὴν τῶν καιομένων νεκρῶν σποδὸν, *à mortuorum combustorum cinere.* Etenim in tumulis Veteres Asphodelum serebant, nè deesset cibus mortuis, ut *Porphirius* in quodam epigrammate scriptum reliquit, ubi tumulum his verbis inducit, *Foris quidem Malvam Asphodelumque habeo, intùs verò mortuum claudo.*

Asphodeli *notæ* radices multis tuberibus uno capite dependentibus constantes, flores stellati, semina triquetra. *J. Rajus.*

Nomina Asphodelus major ramosus flore albo *J. B.* major albus ramosus *Park.* albus ramosus mas *C. B.* ramosus *Ger.*

Datur alia Asphodeli species caule simplici, hastula regia dicta, quam hic per varia sua nomina non designamus: ac describimus, notis genericis jam allatis contenti.

Vires. Asphodeli radix calida est & sicca gr. 3. Juxta *Galenum* abstergit & resolvit, hujus verò tostæ cineres calidiores. Sicciores & subtiliores; quapropter plurimùm commandantur in Alopecia. *Dioscorides* succum cum thure, melle & myrrha mixtum in aurium sordibus detergendis commendat. *Meuve.* Radices præterea urinam ciere, menstrua provocare, venenis resistere, ac ulceribus detergendis, calloque eorundem discutiendo, facere creduntur.

ASPIS, *vid.* sub titulo *Serpens.*

ASPLENIUM, vid. *Ceterach.*

ASSA FOETIDA.

Assam vocem ex Lasere corruptam esse plerique putant. Et autem Asa (describente *J. Bauhino*) lenta & sequax, compactæ substantiæ, colore russo, glebis satis magnis coacta; odorem nobis virosum, Allij ferè, vehementiorem magisque abominandum latè spirans, & nares acriter feriens, sapore primùm amaro, postmodum mordaci, in Officinis sæpè impura, admota igni flavescens.

In Officinis sæpe duplex habetur; una pura & translucens: altera impura & turbida, cui Sagapenum (quo adulterari *Dioscorides* scribit) cujus odorem refert, permiscetur, unde Germani Diaboli stercus nominant. Utraque tamen gravis odoris est. Cujus si usus esse debeat ad medicamenta liquida, aquæ, aut aceto, aut vino injecta super prunas resolvenda, & quod in fundo manet rejiciendum; vel per colum, cui adhærebit, transmittendum.

Plerique Botanici Asam fœtidam Laseris seu Laserpitij plantæ ferulaceæ que Σίλφιον *Dioscoridi* lib. 3. cap. 94. dicitur, gummi esse volunt, è caule aut radicibus incisis effluens. Hanc sententiam ita probat *Garcias.* Altiht Arabum esse Laserpitium *Dioscoridis* & *Plinij* satis ostendit *Serapio* lib. simpl. cap. 251. qui de Altiht agens ad verbum ea refert quæ *Galenus* & *Dioscorides* de Laserpitio scripsere. Certum autem est Asam fœtidam Arabibus Altiht dici: nam cuicunque Arabi gummi *Imgu* aut *Imgara* ab Indis vocatum. h. e. Asam fœtidam ostenderis, statim id *Altiht* sive *Antit* esse pronunciabit. At verò quamvis fortasse Arabes in ea opinione fuere, non indè sequitur Asam fœtidam Antiquorum Laser esse. De Cyrenaico id concedi non potest, quoniam notæ ejus Asæ fœtidæ nullo modo conveniunt, an Medicum & Syriacum doctiores dubitant. *Jo. Bodæus* expresse negat. Verùm non opus est argumentis ultrò citroque allatis depugnare: cùm *Jac. Bondius* jam dudum rem definivit, & controversiam diremit. *Hist. nat. & medic. Indiæ Orient. lib.* 4. qui continet Animadversiones in Garciam.

Planta (inquit) è cujus radice Assa exprimitur magna quantitate crescit in Imperio Persico, inter Laram & Gamaron civitates, quarum prima non longè distat à mari, & nostris mercatoribus, & Anglis etiam, frequentatur. Estque hæc planta duorum generum. Prima sarmentosa ferè, ut Salix aquatica. Ex ejus folijs & stolonibus incisis Asa fœtida per torcular exprimitur, quæ ut reliqui succi, Sole indurata in consistentiam evadit, qualis est Aloës. Secunda porro Assæ species longè fœcundior existit, estque succus expressus è radicibus hujus plantæ, quæ crassissimos Raphanos, folia autem folia Tithymali referunt. Hujus generis se aliquot radices domi habuisse ait, quæ quamvis jam essent exsuccæ, tamen totas ædes fœtore replerent, qui insuetis vix tolerandus esset. Quod Javani & Malaij & cœteri Indiarum incolæ negabunt, se quicquam odoratius nunquam naribus percepisse affirmantes. *D. Mandelsso*, qui in Persia peregrinatus est, duo etiam Asæ fœtidæ succo prægnantium plantarum genera agnoscit, verùm ea paulò aliter describit; Alterum fruticosum seu sarmentosum est, foliis parvis Oryzæ similibus. Alterum Rapi folio, colore viridi folia Ficûs referente. Locis siccis & lapidosis meliùs proficit. Gummi circa finem æstatis manare incipit, Autumno colligitur. Confirmat etiam quæ *Garcias* & *Bontius* habent de ejus usu apud Indos in cibis condiendis.

Vires. Nullum medicamentum simplex per totam Indiam majore est in usu quàm Asa fœtida, tum in medicamentis, tum in condiendis cibis, ut post *Garciam* testatur *Bontius*, ut propter hanc causam una sit cum Opio ex præcipuis mercibus quæ per Indiam distrahuntur. Solent Baneanes & omnes gentiles provinciæ Cambaiæ, qui à carnium usu abstinent, Asam jusculis & oleribus suis commiscere, confricato primum ex ea lebete, nec alio condimento utuntur omnibus in cibis.

Utuntur eâ medicamenti loco ad Appetitum prostratum excitandum, ventriculum roborandum, flatus discutiendos, Venerem irritandam. Apud nos in Europa, præcipuus ejus usus est internus in suffocatione uterina, peripneumonia, vulneribus. Extrinsecùs in tumido Liene & uteri suffocatione, panaritio, cum allio, ovi albumine suscepto, *Schrod.* N. si quis Epilepsiæ obnoxius senserit suffitum ex Asa fœtida & cornu caprino paroxysmo actutum corripitur, Idem. *J. Raius.*

Modus eligendi. Nec quempiam in electione terreat hoc, quòd Garcias ab Horto Indos Asam in delitijs habere, eâque in con-

condiendis cibis, confricato ex ea ante co&turam lebete, creberrimè uti scripserit; aut enim barbaram gentem tali condimento uti decuit, ut consimiles haberent labra lactucas; aut alioquin ejus odore adsueti id cæteris condimentis adcommodant, prout & plurimi nostrorum, Allio, Cepis, & alijs quisdam fœtidis cum delectatione vescuntur, unde etiam *Mesue* Asam fœtidam Porri (cujus nobis usus in mensis sat frequens est) odorem repræsentare scripsit. Hinc eligenda, quæ hujus odorem æmulatur, viscida est, & pura. Adulterata visu & gustu, quin imò fœtoris remissione vel defectu cognoscitur. *Ph. August.*

ASSATIO, & FRIXIO.

Assatio est medicamentorum cum succo tantùm proprio concoctio: Quo præparationis modo carnes, radices & fructus sine aliquo humore adventitio coquuntur. Ea autem assatio fit modis pluribus: Carnes enim veru transfixæ versatis ad ignem coquuntur; vel catino figulino exceptæ in clibano; vel suprapositæ cratis suppositis prunis ardentibus assantur. Radix quoque Betæ nigræ sub cineribus assatur, ut & castaneæ in pertusâ sartagine: sed hæc cuncta magis ad popinam, quàm pharmaciam pertinere creduntur.

Assantur verò medicamenta multa, ut qualitatem inutilem deponant, & retineant salutarem: alia ut fiant mitiora, nonnulla ut faciliùs & citiùs pulverentur. Sic rheum assatur aliquando, ut minùs sit purgatorium, & valentiùs astringat: quemadmodum & scylla, ut illius vehementia obtundatur, quâ interanea lædit, ex *Dioscoride*. Sic & cerebella passerum assantur, ut ficciora sint & magis pulverabilia, ut commodiùs his permisceantur quæ Venerem suscitant.

Multa quoque præparantur assando, ut copiosa & excrementitia illorum humiditas absumatur, dum verò super tegulam ignitam, vel in furno aut sartagine assantur, cochleari aut rudiculâ quadam ferreâ debent versari, ne urantur, atque amoveri antequam nigrescant.

Hoc autem discrimine dirimuntur inter se assatio & frixio quod illa fiat cum succo proprio: hæc verò cum adventitio, ut, cum oleo, butyro, vino, aceto, aut alio succo vel liquore, modo multa alimenta friguntur, ut fabæ & cicera, tum ut suaviora sint, tum ut flatum magis deponant.

Coriandrum frigitur, h. e. præparatur cum aceto, ut illius qualitas cerebro noxia obtundatur. Frigitur & viticis semen, ut flatus magis discutiat, & Venereos appetitus inhibeat. Nonnulla verò friguntur in oleo amygdalarum dulcium, ut myrobalani citrini, chebuli & nigri in compositione Tripheræ Persicæ: alia in omphacio; & quædam in vino, aut alio succo, pro vario Medici scopo, ut qualitatem meliorem acquirant, vel deteriorem amittant. *Renodæus.*

ASSERVATIO MEDICAMENTORUM.

De Asservatione, ac primùm de tempore seu duratione Asservationis.

Asservatio est quâ res medicamentales usui repositæ asservantur.

N. *Scopus asservationis est res medicamentales usui reservare: Circumstantiæ igitur eò dirigi debent, ut quantum fieri potest, res integræ usuique idoneæ quovis tempore in promptu sint.*

Res asservandæ sunt tum nativæ, tum præparatæ.

Circumstantiæ Asservationis præcipuæ sunt *tempus, locus, & modus adaptandi.*

Tempus asservationis, dico quamdiu res asservari potest. Unde Canones:

Tempus asservationis ne sit ultra terminum durationis; Etenim quia vires cum tempore evanescunt, non nisi cadaver inutile tandem relinquitur. Accidit hæc evanescentia, in alijs citiùs, in alijs tardiùs, prout res solidioris vel minùs solidæ sunt substantiæ. Nimirum sunt, quarum vis facilè dissipatur, harum asservatio brevioris erit temporis: sunt è contra, quarum natura solidior, adeoque corruptioni magis resistit; earum itaque duratio erit quoque diuturnior, v. g. lignorum & sim. Hinc constituitur.

I. *Tempus, seu Duratio nativorum.*

Mineralia pleraque [exceptis sulphureis atque aqueis quibusdam] quia solidioris ac durabilioris sunt naturæ, durationis quoque diuturnioris censenda sunt.

E vegetabilibus. 1. *Flores* quamdiu odorem, colorem & saporem retinent, asservari possunt: Vix autem, [exceptis paucis] semestre durant, mutandi igitur annuatim. Schœnanthos flores decennium durabiles ajunt.

N. *In genere de floribus notandum, eò commodiùs in usum medicum illos captari, quo fuerint recentiores; puta, nisi humiditas obsit, quæ ex nascentia est reliqua.*

Herbæ diutiùs quidem asservari possunt, præstat tamen singulis annis mutationem instituere.

Semina quo calidiora, acriora magisque aromatica sunt, eò quoque durabiliora, ideoque pro re nata biennium ac triennium integra servari possunt, minutiora tamen ac frigida minora singulis annis mutare fas est, servandaque sunt diligenter, ne rancescant.

HOFMAN. Semina calidiora ultrà tres durant annos, frigida quædam non ultrà quatuor menses, id quod observandum in Medicamentorum præparatione v. gr. in speciebus diamargarit. fr. & alijs, quas ingrediuntur sem. 4. fr. major. Ultimò tandem addenda, quando Medicus præscribit potionem vel emulsionem confortantem, aliàs ob rancorem facilè contractum semina flava ac rancida reddita raucedinem vel ardorem ventriculi ægroto inferunt, & cruditatem ventriculi nidorosam augent.

Fructus quotannis mutandi sunt. Exotici tamen duriore cortice ac crusta vestiti, per duos tresve annos durant. v. g. Myrobalani.

Radices parvæ, tenues, raræ, anno quolibet mutantur, ut Asari, Asparagi & simil. Magnæ crassâ præditæ substantiâ biennium vel triennium integræ manent, ut Aristolochia, bryonia, gentiana, rheum ponticum. Triennio servari potest uterque helleborus.

Cortices in annum perdurant & ultra.

Gummi & resinæ durabilioris sunt naturæ.

Animalia, horumque partes, vires suas vegetas obtinere creduntur, quamdiu incorrupta servantur; id quod rancido fœtore, sapore, situ atque coloris mutatione dignosci potest. Durabiliores autem sunt partes quæ ficciores ac solidiores: corruptibiliores, quæ molliores, & hæ singulis annis mutari solent.

II. *Tempus seu Duratio Præparatorum.*

Aceta infusa quotannis mutare convenit, vel affuso novo aceto infusisque novis materialibus renovare.

Aquæ stillatitiæ phlegmaticæ singulis annis vel mutandæ vel renovandæ sunt. Renovationem dico, quâ aqua recentibus plantis superfunditur, denuoque destillatur. Aquæ spirituosæ diutiùs servari queunt.

Bal-

Balsamica aromatica annos duos tresve durabilia sunt.

Cerota vix annum durant.

Clyster, quia, ut reliqua decocta, facilè corrumpitur, nullus exstat paratus, sed ex tempore præparatur.

Collyria sicca, cum trochiscis conveniunt.

Condita fructuum, biennium durant.

Confecta, quia sacchario circumvallata sunt, diutiùs durant quàm nativa.

Conservæ unius sunt anni.

Decocta, quia intra dies paucos corruptioni obnoxia sunt, nulla pro usu exstant, sed recenter parantur, Et hujus rei gratiâ, species certorum decoctorum officinis in promptu sunt, v. g. decocta pectoralia.

Electuaria lenitiva intra annum ferè imbecilliora fiunt: solutivorum virtus ad sesquiannum perdurat, N. *Renodæus durationem hâc regulâ includit: quò Electuaria quævis gratiora sunt, eo citiùs hebescit illorum energia ac facultas.*

Elixyr, quia spirituosum est, si benè muniatur, quominus exhalet, aliquot annos servari potest.

Emplastra vix ad sesquiannum durant, quin nimis sicca evadant.

Extracta duriora in plures annos perdurant, nec facilè præter exsiccationem quid detrimenti contrahunt.

Feculæ vegetabilium singulis annis renovari queunt, integræ tamen manent biennium & ultra.

Flores variant pro diversitate materiæ unde sublimantur.

Julepi ex præscriptionibus recenter parantur. Julepus enim rosatus ac violatus in consistentia Syrupi asservantur.

Lohoch sive Eclegmata quæ amygdalas, pineas, & semina frigida rancori obnoxia recipiunt, vix ultra annum durant, reliqua ad biennium pertingere queunt.

Magisteria præcipitatione parata, quia ex rebus fiunt durioribus, ideoque nec facilè corruptibilia sunt, asservari in annos tres pluresve poterunt.

Morselli etsi ijdem aliquamdiu integri manere apti sint; præstat tamen recentes adhibere, præcipuè si fortè simplicia rancori obnoxia continuerint.

Olea expressa temperata, ut amygdalinum, sesaminum, ex pineis & sim. intus præsertim summa vix ultra mensem sine rancore servantur: frigida, unius sunt anni: calida per duos vel tres durant. Ex fructibus odoratis quæ exprimuntur, [ut è Nucista,] semestri servari possunt.

Destillata, diutiùs durant. *Insolata* quotannis ferè vel biennij decursu mutari solent.

Pilulæ tum ob duriorem compagem, tum ob aloen, quam pleræque recipiunt, ad annos duos tresve pertingunt, præsertim quæ opium non continent.

Præparata in specie sic dicta, quia per se durioris ac minus volatilis sunt essentiæ, duos tresve annos integra manent.

Pulveres præstat adhibere recentes.

Rob singulis annis mutantur.

Rotulæ ex tempore ferè fiunt.

Salia in annos aliquot durabilia sunt, præsertim crystallisata.

Species aromaticæ singulis annis, vel sesquiennali periodo renovandæ sunt.

Spiritus si benè custoditi fuerint, quò minus exhalarint, diu durare possunt.

Succi liquidi mutantur quotannis: Duriusculi ac inspissati diutius durant, scilicet in annos duos, tres & ultra.

Syrupi simplices in annuali periodo mutari volunt: Compositi ac aromatici biennali.

Tinctura in pulveribus durabiles sunt annis aliquot; tincturæ liquidæ durabiles sunt pro diversitate menstruorum.

Trochisci & Collyria sicca annum durant unum. Excipe qui opium continent, seminaque rancori obnoxia, nimirum illi ad sexennium usque pertingere possunt; hi brevis sunt durationis, nec annum integri manent.

Unguenta ad annum vel sesquiennium ut plurimum servantur.

De loco Asservationis.

Locus asservationis vel *generatim* consideratur, vel *speciatim*.

Generatim consideratur locus, tum ratione *domicilij*, tum *asservatoriorum*, ubi scilicet nativa siccantur & asservantur.

Locus in genere eligendus est purus asservandoque medicamento conveniens, sublimis, siccus, pervius, septentrionem meridiemque spectans. Vitandus econtra locus impurus, pulverulentus, subterraneus, uliginosus, insolatus, infumatus, &c. Custodiendæque sunt res ne à radijs solis urantur, neque squalore tecti vel murorum madefiant. Quinimò, non abs re foret in peculiari camera seu hypocausto, super scamnis ac asseribus, herbas rara stratificatione, blandi caloris beneficio siccare, postmodumque vasis mundis asservare.

Speciatim consideratum locum exhibent *vasa asservatoria*, scilicet ampulla, arcula, capsula, fictile, lagena, olla, phiala, pyxis, sacculi, scatulæ, thecæ, vitra sacharina, urcei. Hæc talia adhibere oportet, qualia rerum asservatio exigit, ut integræ scilicet maneant, neque à vase saporem, aut qualitatem alienam contrahant.

E Mineralibus; *Terræ* scatulis vel arculis ligneis asservari poterunt.

Salina ligneis custodiuntur vel vitreis non metallinis, reponunturque loco sicco.

Aquea vitris vel urceis vitreatis.

E Vegetabilibus: *Flores* siccantur in umbra reponunturque (maximè qui jucundum odorem halant) arculis tiliaceis, vel in vitris angusti orificij, capitulis stanneis.

Herbæ siccantur in umbra, nisi quæ scapo sunt crasso, flore aut folijs humidioribus ac adeò proclives ad putrefactionem; nimirum hæ calore intensiore solis scilicet vel similis exiccari possunt. Ubi probè siccatæ fuerint, includuntur sacculis lineis, vel, quod melius est, arculis ligneis, ut à pulvere tutæ sint.

Semina asservantur loco sicco, vasculis ligneis vel vitreatis, chartisque, ut eò diutius & sine impuritate perdurent.

Fructus, scatulis, pyxidibus vel sporris continentur.

Radices asservandæ sunt in aëre sicco, ut exsiccentur: Minores, rariores, & quarum vires solis vel ignis calore facilè dissipari possunt, in umbra & vento exsiccandæ sunt, ut apij, fœnic. &c. Crassiores igne, sole vel vento siccantur, ut Bryon. Gentian. mandrag. rheipontic.

Cortices arculis ligneis, locoque sicco asservantur.

Gummi ac resinæ siccæ, sicco loco atque ligneis vasis includuntur: liquidiores, urceis.

Ex *Animalibus*. Animalia horumque partes sicciores in pyxidibus ligneis reponuntur, ut ossa.

Adipes & medullas, vasis urceis, vel figulinis vel vitreatis recondere convenit, locoque frigido ac sicco asservare.

Præparata.

Aceta ac aquæ ſtillatitiæ vitreis vaſis lageniſvè, locoque temperato commodè ſervantur.

Balſama illa odorata pyxidibus ſtanneis (meliùs vitreis) benè occluſa ſervantur, liquidiora, ſtillatitia ſimili modo ſervanda ſunt, quo olea ſtillatitia & ſpiritus.

Cerata aſſervantur ut emplaſtra.

Condita & ſim. figulina potiùs, quàm ſtannea vaſa expetunt.

Confectiones ſaccharo obductæ ligneis arculis reconduntur, locoque moderatè calido ac ſicco locantur.

Conſervæ, *Eclegmata*, *Electuaria*. Vaſis figulinis vitreatis potiùs quàm ſtanneis aſſervantur.

Emplaſtra ac *Cerata* veſica aut charta, quæ liquatam ceram imbiberit, obvolvuntur, atque ſic arculis vel pyxidibus ſiccis tenentur.

Extracta vaſis figulinis vel vitreis amplioris orificij, ut ſpatulâ depromi poſſint, ſervantur; vel ſi ſicciora fuerint, ut pilulæ reponuntur.

Feculæ, *Flores*, *&c.* Vitris vel pro re nata ſervantur.

Morſelli, ut confectiones cuſtodiuntur.

Olea infuſa atque expreſſa in vaſis vitreis vel figulinis vitreatis reponuntur. *Deſtillata* in vitris anguſti orificij.

Pilulæ involvuntur veſica vel charta cerata, reconduntur que in thecis ſiccis, ligneis, vel ſtanneis loco ſicciore.

Præparata vitris cuſtodiuntur locoque ſicciore.

Rotulæ ut confectiones arculis ligneis ſervantur, locoque ſicco.

Salia vitra poſtulant, locumque ſicciorem.

Species aromaticæ coriaceis ſacculis probè conſutis, vel in vitreis aut ligneis vaſis optimè ſervantur.

Spiritus vitra benè obturata exigunt, adeoque anguſti orificij, locumque temperatum vel frigidiorem.

Succi liquidi in vitris anguſti orificij aſſervantur, ſuperfuſo aliquantulo olei amygdalini, olivarum, ut à ſitu conſerventur; inſpiſſati ſucci cum Extractis conveniunt.

Syrupi non detinentur rectiùs quàm in figulinis vaſis vitreatis, præſertim ij qui per ſe acidi ſunt, quos omnino in vaſis figulinis vitreatis parare ac detinere oportet, quippe noxam mineralem ex metallinis vaſis facilè eliciunt.

Trochiſci in pyxidibus ligneis commodè reponuntur.

Vina in doliolis ijſque figulinis, vel vitris.

Unguenta ac *Linimenta* vaſis figulinis, partim quoque pyxidibus ſtanneis concluſa tenentur.

De modo adaptandi ad aſſervationem.

Modus adaptandi variat, prout res *integra* vel in *partes* diſſecta, *repurgata* vel *ſecus* aſſervari poſtulat, vel prout diverſo *ſitu* eſt collocanda aliudve expedit, cujus auxilio à corruptione conſervetur. v. g. *Succis ſuperfunditur oleum, camphora ſemini lini imponitur, &c.*

Flores aſſervantur ût plurimum à caulibus ac folijs ſuis herbaceis ſegregati.

Herba ſeu *folia* ſi grandiora fuerint, caulibus craſſioribus tenuioribus, unà cum ijſdem aſſervantur nec rarò unà cum floribus,

Radices, *aliæ* ſervantur integræ, ut ariſtolochia, gentiana, hermodactylus, ſatyrium, &c. *aliæ* in taleolas diſſectæ, ut bryonia, enula, iris, &c. Similiter adimitur nonnullis lignoſa matrix, ut fœniculo, petroſelino, &c.

Fructus, Exempli gratia, Poma collocanda ſunt ut pediculi deorſum, flores ſurſum ſpectent. Quinimo frumento, v. g. hordei ſemini poma impoſita diutiùs durant.

Carnoſa animalium *partes*, laventur primùm pro libitu, cum vino vel decocto convenienti, hinc exſiccantur in furno, ſiccatæque folijs congruis, exempli gratia, abſintij ne putreſcant involuta aſſervantur. Sic *pulmones* parantur extractâ primùm aſpera arteria. Sic parantur & *Epata*, *Lienes*, &c.

Res pingues & oleoſæ lavantur in aqua aliquoties, donec puræ evaſerint. Hinc lento igne liquantur, colantur, effunduntur ve ſuper frigidam, ut ſordes ad fundum ſecedant, vel in ſpumam colligantur, poſt reponuntur in locum frigidum quo ſervantur. Sic lavantur *axungiæ*, *ſæva*, *medulla*, &c.

N. Alij *adipes ſolâ lotione purgatos aſſervant, lotionemque malunt ex aqua frigida, ſcilicet hac ratione adipem non modò ſolidioris ſubſtantiæ, ſed & coloris candidioris manere autumant:* Alij *aquam ſalſam lotioni adhibent dein dulcorant, & ne ranceſcant aliquid ſalis pro aſſervatione admiſcent;* Alij *Vino pinguedines abluunt quo magis abſtergantur.*

Membranoſæ partes, ut inteſtina ſecundùm longitudinem ſecantur, abluuntur (vino vel decocto convenienti) in fruſta diſſecta exſiccantur (in clibano) ac ſervantur, involuta folijs convenientibus.

Sanguis repurgatur à ſero, hinc exiccatur in furno.

Fella detrahuntur à jecore præligatiſque filo vijs introitus & exitus; ſiccantur in camino ſuſpenſa.

Coagula exiccata fumo aut ſole aſſervantur. *Scroderus.*

ASTACUS, vid. *Cancer.*

ASTER ATTICUS.

Aſter dictus eſt à floribus ſtellarum inſtar radiatis.

Nobis Aſter cenſetur Herba flore compoſito in pappos abeunte, inodora, folijs integris & indiviſis, innoxia.

Difficile admodum eſt *notam* aliquam aſſignare quâ differat ab Aſtere Virga aurea dicto: Sive enim floris colorem accipias, non pauci Aſteres ſunt flore flavo aureóve; ſive florum parvitatem, nonnulli ex Aſteribus dictis floſculis ſunt perexiguis, ut v. g. Aſtericus latifolius Virginianus *Cornuti*; ſive flores in umbellas aut capitula congeſtos, crebros; in Aſterum numerum relatas invenies nonnullas, floſculis in ſummis caulibus creberrimis in capitula aut umbellas conglomeratis. Eſt ergo Virga aurea Herbæ ſpecies Aſteri ſubordinata, floribus parvis, aureis, plurimis, in ſummis caulibus in corymbos ſeu umbellas congeſtis.

Nomina Aſter montanus luteus Salicis glabro folio *C. B.* montanus folijs Salicis *Park. Ger.* Conyza media Monſpelienſis, quibuſdam Aſteris Attici genus folio glabro, rigido *J. B. J. Rajus.*

Vires. Galenus affirmat Aſterem Atticum poſſidere facultatem mediocriter digerentem, calfacientem non admodùm deſiccantem, dum adhuc luteus eſt præcipuè, & recens. *Dioſcorides* ejus applicationem commendat in ſtomachi debilitatibus, in bubonibus, oculorum inflammationibus, ani procidentiâ. *Idem* addit infuſionem floris purpurei ex aquâ fontanâ epotam plurimùm opitulari Anginâ vel Epilepſiâ laborantibus. *Meuve.* Adhibetur item & extus cataplaſmatis for-

mâ, & intùs in decocto, contra animalium venenatorum morsus.

Asteria, seu lapis Stellaris, *vid.* sub titulo *Lapis*.

ASTRAGALUS.

Nomina. Astragalus sylvaticus *Ger.* sylv. folijs oblongis, glabris *C. B.* Astragaloides sive Astragalus sylvat. Astragalo magno Fuchsiij vel Chamæbalano leguminosæ affinis planta *J. B.* Lathyrus sylvestris lignosior *Park.*

Ex *radicibus* longis, quasi repentibus, variéque implicatis, partim tenuibus, partim tuberosis Chamæbalani *Dodon.* perquàm similibus, nisi à tuberibus capillares fibræ prodirent, externè nigris, internè albis, sapore subdulcibus, *caules* exurgunt multi dodrantales, aut pedales, angulosi.

Foliorum ad eandem costam adnexorum duo aut tria paria præter ea quæ ad caulem sunt, nullo in extremo neque impari folio, neque capreolo, costâ mediâ in pilum tenuem procurrente. Ex alis foliorum emergunt *surculi* floriferi, non admodum longi, duos aut tres *flores* sustinentes pallidè purpureos, & ad carneum dictum colorem tendentes. *Siliquæ* flores excipiunt sesquidigitum aut duos digitos longæ, angustæ, teretes, primùm subrubræ deinde per maturitatem nigræ, *semina* octo aut plura parva, subrotunda, ex viridi flavicantia continentes.

In sylvosis & dumetis Aprili floret, Majo semen perficit.

Vires & Usus. Saporem habent hujus radicis tubera ad Glycyrrhizam accedentem, ijsque utuntur Scoti montani, ad eosdem thoracis affectus quibus Glycyrrhiza convenit. *Karmyle* illis dicitur, & ea tubera cum aqua temperata ad famem & sitim tolerandam utuntur & utilissima experiuntur; dulci enim suâ substantiâ humores in ventriculo acidos & acres corrigit & mitigat, imò figit & compescit, adeóque famis & sitis remedium est, & propterea si non sit eadem planta quæ *Theophrasto* Scythica dicitur (quæ Glycyrrhiza esse communiter à doctis censetur) ei certè consimilis est, leguminosa, siliquosa quoque & facultatis ejusdem, Et verisimile admodum Autori nostro videtur, hujus plantæ tubera cibum esse à *Dione* in Severi Imperatoris vita memoratum, quo usos dicit Britannos, ut per aliquot dies ab hostibus pressi famem & sitim tolerarent. Hæc enim vires Glycyrrhiza pares habet, passimque montibus nostris sponte provenit planta, & ad hunc usque diem montanis nostris (qui priscorum Scotorum mores & vivendi rationem retinent) ad eosdem usus ejus tubera usurpantur. Glycyrrhiza autem nullibi, quod sciam, in tota insula nisi plantata nascitur. *D. Sibbald.*

Siliquæ hujus plantæ erectæ vix possunt dici, sed potiùs propendentes, aut sitûs inter erectum & propendentem medij. Quæ sequuntur etiam an siliquas erectas, an propendentes obtineant, non satis scio. *J. Rajus.*

ASTRANTIA NIGRA.

Astrantia & *Asterantia* corrupta vox esse videtur ab Asteritio vel Astritio, Asteritium autem ab Osteritio, seu Ostrutio, quod à Struthio.

Nomina Astrantia nigra *Lob.* Helleborus niger Saniculæ folio major *C. B.* Sanicula fœmina quibusdam, alijs Helleborus niger *J. B.*

Astrantia nigra, sive Veratrum nigrum *Ger.*

Alia datur Astrantia minor quæ cum alia in descriptione & viribus non parum convenit.

Cubitum altos majoresque promit caules, teretes, striatos, qui mansu saporem exhibent Imperatoriæ: *Folia* Pentaphylli modo quinquepartita, singulis segmentis serratis, Imperatoriæ folijs suppparia, rugosa, supernè atrovirentia, infernè & virore in luteum tendentia. *Flores* simul aliquot Saniculæ longè majores, ex multis glomeratis flosculis virescentibus: pentapetalis, quos folia obvallant multa, striata, ex albo virescentia, paucâ admixtâ purpurâ. Succedunt flosculis pro more umbellatorum semina bina juncta, oblonga, alterâ facie planâ, alterâ gibbâ & canaliculatâ, colore cinereo. *Radix* multum fibrosa, Hellebori modo atra.

Vires. *Fuchsius* Saniculam suam fœminam tum viribus quàm forma ad veram Saniculam proximè accedere scribit. *Dodonæus* Veratro nigro *Dioscoridis* formâ & viribus respondere. De viribus cum illo sentimus; nam humores melancholicos purgare testes habet medicos quosdam Germanos, eâ feliciter usos. *Gesnerus* etiam hanc herbam vim per alvum purgandi, Helleboro albo ferè similem, sed tamen mitiorem obtinere primum se expertum refert. Quod confirmatur sententiâ Dodonæi.

Fabritius Hildanus ad curationem scirrhi lienis in Apozemate præscribit Saniculam fœminam.

Athanor, vid. *Furnus.*

Atractylis, vid. *Carthamus.*

ATRAMENTUM.

Atramentum, μέλαν, varias habet significationes. Communiter denotat *Scriptorium* vel *Librarium*, τὸ μέλαν γραφικὸν, vel *fuligineum* & *pictorium*; vel significat in Medicina plerunque *Calcanthum*, sive Vitriolum & dicitur *Atramentum sutorium* χάλκανθος. Mysticè quoque vel Ænigmaticè tribuitur hoc nomen lapidi Philosophico. *Brunon.*

Atramentum librarium paratur, secundum Dioscoridem, ex gummi & fuligine quæ exhalat è summitatibus Pini combustis, unicuique libræ gummi, tres uncias fuliginis addendo.

Scriptorium autem ex vitriolo & gallis quercinis constat.

Vires. Utrumque plurimùm commendat *Fernelius* ad ambusta. *Menve.*

ATRIPLEX.

Atriplex à Græco Ἀτράφαξις, nomen factum seu corruptum videtur: alijs ab atro colore quòd comestum faciat homines lividos. Ἀτράφαξιν autem παρὰ τὸ ἀθρόως αὔξειν dictum volunt Grammatici: nam octavo ex quo sata die erumpit è terra. *Theophrast.*

Nos pro Atriplicis speciebus hoc in loco non habemus plantas omnes quibus id nominis à Botanicis inditum est, sed eas duntaxat quæ in folliculis è duabus valvulis conniventibus compositis semina inclusa habent, & quidem singulis: reliquas Atriplicis nomine insignitas Blitis accensemus, aut Amarantis.

Atriplex est vel *alba* vel *rubra*.

Nomina. Atriplex alba hortensis *J. B. Park.* hortensis alba, sive pallide virens *C. B.* sativa alba *Ger. emac.*

Atriplex rubra hortensis *J. B. Park.* hortentis rubra *C. B.* sativa purpurea *Ger.*

Atriplex hortensis alba & rubra specie differre videntur, quoniam semine satæ in se invicem non transmutantur, sed alba semper producit albam, rubra rubram.

Vires. Atriplex refrigerat & humectat; cocta estur ut olus; in alvo solvenda celebris est, unde etiam nonnulli quinque herbis emollientibus eam annumerant. *Usus* Officinalis præcipuè externus est in clysteribus & epithematibus paregoricis.

Semen exhibitum tum alvum abundè subducit non sine

sine molestia, tum crebros vomitus provocat, experimento Pharmacopœi cujusdam, qui ad rusticos purgandos eô uti solebat. *Matth.* De vi purgatrice & emetica vehementi hujus seminis aliud exemplum ex Serapione adfertur. *J. Rajus.*

ATTENUANTIA.

Attenuantia dicuntur & de cibis, & de medicamentis, quæ acri & calidâ facultate prædita crassos succos attenuant, colliquant, incidunt & resolvunt. Hodiéque dicuntur portionibus salinis, nitrosis, lixiviosis, alcalicis, volatilibus vel evectis operari. Talia sunt Hyssop. Amarac. Rosmarin. Origan. Polium. Rut. Laur. Acor. Bacc. laur. Marrub. Centaur. min. Arum, Acetum, Succ. limon. Cinnam. Cappar. & multa alia. *Meuve.*

ATTRACTYLIS, vid. *Carthamus.*

ATTRAHENTIA.

De Attrahentibus, Sinapismis & Vesicantibus.

Opposita repellentibus sunt *Attrahentia, tractoria*, seu *attractoria* medicamenta, quæ nempe parti affectæ apposita illuc vocant humores & materiam.

Indicans attrahentium generale *duplex est*: *s. n.* & *p. n.*

Indicans s. n. est 1. *calor* ipse deficiens, & 2. *nutrimentum*, unde attrahentia debentur partibus *calore* & *nutrimento* carentibus. Hinc ergo prosunt in *paralisi, atrophia, ariduris*, quatenus vegetant calorem nativum, spiritus restaurant, sanguinem alliciunt, ut parti suus reddatur tonus: item in *gangræna* & *sphacelo* incipiente, ubi emoritur jam quasi pars, ut, si ullo modo possibile id fuerit, sibi restituatur.

Utroque casu conveniunt etiam olea destillata, quæ ipsa quoque rubificantium sensum subeunt. Sic in *paralisi* oleum piperis, cinnam. & caryophyll. prosunt, alijs mixta, nè tam citò exspirent, vel sola: In *gangrænosis* verò partibus, oleum cinnamomi, caryophyllor. præcipuè, ut & spiritus vini camphoratus.

Indicans p. n. est varium; & principaliter quidem.

Vel 1. *materia serosa & ichorosa*, cui inprimis debetur attractio, sicubi restagnet in hac vel illa parte, & negotium facessat sive benigna, sive mali moris; inprimis, si adsit unà ῥευματισμός. Evacuant enim, derivant, & evocant ex alto, seu è profundo, unde dicuntur μετασυγκριτικὰ *evocantia*; quin sæpe etiam revellunt: unde prosunt *in dolore ischiadico* & alijs doloribus profundis. Laborabat quidam scriniarius *dolore femoris* satis molesto, & profundo, citra ullius præsidij auxilium; tandem verò vesicatorio apposito feliciter curabatur. Et hoc pacto etiam particulariter evacuantium suo sensu titulum merentur. Sic & in *ulceribus, ac fonticulis*, radix gentianæ vel hellebori nigri adhibetur, ut materia magis fluat.

Vel *vaporosa*, siquidem flatulenta distensio in partibus carnosis se offerat, licet id paulò rariùs contingat, commista humoribus. Sic in *epilepsiâ*, ab aurâ v. gr. ex pede oriundâ, utilissima sunt vesicatoria parti mittenti applicata, quale exemplum refert *Trallianus*, adhibiti cum successu hunc in finem lepidij. Apud *Heerium* item elegans exstat observatio applicati hunc in usum butyri ♁ij. *obs.* 23. *p.* 275.

Vel, & secundariò quidem, *partes solidæ* quoque, ut tela, sagittæ, globuli plumbei, ceu dictamnus eo nomine celebris est. Ictus erat v. gr. quidam studiosus globulo plumbeo in pede, eximi verò instrumentis renuebat, cogitatum de potione vulnerariâ, quæ adjuvaret naturam, & præscripta eadem feliciter ex radice dictamni, &c. nimirum adjuvant hæc naturam, quatenùs fluxiles magis reddunt humores, porosque dilatant. Pertinet huc experimentum *Arculani com. in l. 9. Rhas. c. 41. p.* 287. ubi ad extrahendas res infixas auribus, & quascunque alias in alijs locis lacertam vivam vel vix mortuam applicare jubet cum capite, & per tres horas deligatam retinere.

Evacuandi fine parti affectæ ipsi, nî quid prohibeat; revellendi verò, parti oppositæ, vel remotiori adhibentur. Sic in *ophthalmiâ, dolore capitis*, applicantur vesicatoria nuchæ, seu parti cervicis posticæ: Sic in *ophthalmiâ* commodè applicatur plantis pedum bursa pastoris, &c.

ATTRAHUNT verò eadem vel 1. *vi vacui*, ut *cucurbitulæ*, sive cum, sive sine scarificatione. Conveniunt hæ v. gr. ad extractionem materiæ malignæ, in *bubonibus pestilentibus* & similibus. Sic & eædem in *colicâ flatulentâ* & singultu atrahunt & discutiunt. Quin *Heerij* experimento ad vesicas excitandas commodè adhibentur, si diutiùs permittantur cuti adhærere, intra horæ scilicet spatium, & singulis quadrantibus admotâ flammâ repetatur appositio.

Vel 2. *ratione doloris*, asperis & acutis particulis, pungendo: unde pertinent huc *panni asperi, frictiones* ijsdem præstitæ, item *urticationes*, quæ frequentissimi sunt usus in paralyticis & membris atrophiâ laborantibus. Dolor verò adjuvat attractionem, & allicit humores, tùm per se irritando archæum, tum quod pedisequus quasi est acrimoniæ & caloris, unde hæc non opus est latiùs excutere. Sic in affectibus soporiferis, lethargo, hæmorrhagijs nimijs &c. locum inveniunt. Alij, v. gr. *Mercatus lib. 2. de recto præsid. art. med. usu cap.* 8. addunt etiam

3. *Suctum*, quale exemplum attractionis videre est in hirudinibus; attamen eo casu evacuatio est manifesta, adeoque illa tractio hîc locum minùs habet.

Vel 4. quod propriè hujus loci est, *igneâ & urente qualitate*, quatenùs nempe ignem occultum secum possident, seu potiùs sale acri, inprimis volatili admodum sunt imprægnata, unde attrahentia sunt calida à secundo completo ad tertium & quartum gradum usque, tenuitate simul gaudentia, substantiâ terrestri retusâ, ne difflentur, sed penitiùs infigatur.

Hæc itaque acutis suis particulis cuti infixa archæum irritant, ut advocet humores, & humores ipsi hinc funduntur, & poris dilatatis magis illabuntur; unde illuc potissimum colliguntur, ubi uredo hæc parti accesserit.

Patet hinc, magnam esse attrahentium latitudinem, & ad hæc simul omninò spectare *rubefacientia*, sive *phœnigmos*, quæ cuti summæ ruborem inducunt; *vesicatoria*, quæ vesicas inferunt; & *caustica* ipsa.

Variant nempe solùm gradibus, adeoque attractio generis locum tuetur: reliqua species ejus sunt, & modum dicunt. Magis verò & minus non variant speciem. Differunt, inquam, gradibus; unde vesicatoria in minori quantitate adhibita attrahunt & rubefaciunt: & rubefacientia intensiori gradu vesicas excitant.

Mitiora v. gr. sunt, quæ secundo gradu calida: *fortiora*, quæ tertio: & *fortissima*, uti caustica & escharotica. Quò calidius nempe est medicamentum, eo magis attrahit.

Pertinent & suo sensu huc ἀποφλεγματίζοντα ipsa, nam & illa attrahunt humores salivales & serosos in os seu fauces.

Pollent itaque hæc omnia salinis spiculis, modo per se eminentibus, modo cum sulphure commixtis, & notabile est de hisce quibusdam, quod extrinsecus vesicas excitent & ruborem, & ventriculo verò immissa id non præstent, exemplo ceparum, allij, sinapeos, neque enim ventriculus tàm citò noxam sentit, ut cuticula, & vis eorundem sub caloris & fermenti dominio subigitur statim.

Ho-

Horum *quædam* carpis applicantur ad arcendos paroxysmos febriles, ut allium, sinapi, ranunculus flammeus, iberis: *quædam* spicula extrahunt, ut narcissus, dictamnus, gummi hederæ, &c. *quædam* nutrimentum magis alliciunt, ut gummata, ammoniacum, &c. *quædam* sunt vesicantia, ut cantharides; *quædam* *ἀποφλεγματίζοντα*, ut euphorbium, pyrethrum, &c.

Inprimis huc spectant formulæ & nomina remediorum quædam, quibus usitatiùs hæc attrahentia insigniuntur, scilicet *Sinapismus*, à basi dictus, & *Dropax*, seu *picatio*, quæ differunt tantum gradibus. *Sinapismi* enim fortiores escharam inducentes, unde minori etiam circumferentiâ applicantur; *dropaces* verò mitiores, unde tantùm rubefaciunt, & toti etiam membro applicantur, quo de alibi. Dicuntur quasi pilos evellentia, licet psilothra ab his sint diversa.

Selectiora inter hæc sunt *sinapi*, in sacculo etiam solum adhibitum, quod *Hartmannus* nuchæ applicandum jubet ad dolorem capitis, *cantharides*, & *fermentum*, quod, *Galeni* elogio, validissimum est ad attrahendum, in eo enim eminent quoque partes salinæ, & ipsius corporis glutinoso magmati vis emolliendi adest, ut poris magis ea possit inspirari, ceu eo fine & caricæ à quibusdam adhibentur, loco excipientis.

Referenda huc quoque *acida* ipsa sunt, ut acetum, &c. Licet enim ea inter repellentia quoque sint relata, quatenus humores calidos figunt quasi & influere prohibent; attamen ob conjunctam acredinem ijsdem quandoque mitioribus utiliter maritantur. Sic euporiston attrahens est *cataplasma* ex *fermento* & *aceto*, quod in doloribus varijs, v. gr. pleuritide, cephalalgiâ, item singultu, vomitu, præcipuè cum *aromaticis* mixtum; in uvulæ laxitate & tumore cum *succino* bregmati impositum, insignis est utilitatis.

In specie mitiora & rubefacientia conveniunt in paralysi, & atrophiâ, ubi urticationes inprimis locum habent, & jam dictis casibus alijs.

Vesicatoria in specie nomen habent ab effectu, quem edunt, excitant enim vesicas, modò unam majorem, si ritè operentur, modò plures parvas.

Materia usitatissima & commodissima sunt *cantharides*, quæ cùm sint duplices, vel nostrates, vel Hispanicæ, vetustæ vel recentes, hæ, si haberi possunt, illis præferendæ.

Accusantur cantharides, quòd infestæ sint vesicæ, & non solùm internè propinatæ sal quoddam acerrimum, quo pollent, in urinam liquent; sed etiam exteriùs capiti impositæ eandem mirè afficere dicuntur, & per externum hunc contractum solum exulcerare partes internas, evocare sanguinem per mictum cruentum &c.

Sed verum quidem est, interius, si incautè propinentur, noxam ab ijs afflari vesicæ, & oriri ardorem summum, mictum cruentum, & alia incommoda; externe tamen id rarissimè contingit, neque forsan nisi in illis qui tenerioris sunt texturæ, ut effluvia hinc citiùs recipi, & cum lymphâ communicari possint, adeoque ad renes vehi. Nos sanè nunquam illum effectum observare potuimus, licet sæpissimè vesicantia applicuerimus.

Quoad *Formam Externam*, adhibentur cantharides vel in formâ *unguenti*, cum theriacâ v. gr, rariùs verò cum alijs pinguibus, pinguia enim obtundunt hanc attractionis vim: Vel in formâ *cataplasmatis*, addito fermento & semine ammeos, quod pro vero cantharidum correctorio vulgò habetur, id verò tanti non est, ut opus sit, semper addere. Adjuvare potiùs statuerim vim attrahentem.

Adhibentur hâc formâ, cataplasmatis puta, sæpiùs vesicatoria, sed incommodi id habent, quod semper de novo sint reparanda, neque tâm firmiter cuti adhæreant, quin præscriptum terminum emplastris constrà facilè excedant.

Rubefaciens seu vesicatorium mitius tale esse potest:

℞. Sinapi flavi acuti ℥ij. *euphorbij* ʒß. *fermenti* & *aceti scyllit.* ana q. s.

Fortius: ℞. *fermenti acris* parum ℥ß. circiter, *cantharid, abscis. alis & ped.* quod pro correct. habetur, ʒß. *caric. pingu.* n. j *sem. ammeos* ℈j. *aceti simpl. vel scyllit.* q. s. M. F. cataplasma.

Nota: cùm cantharides admodum leves sint, & quinquaginta & plures longè vix ʒj. pendant, meliùs præscribi eas pondere, quam numero, quod quidam faciunt, excepto, si mitiùs velimus attrahere.

Quæritur verò, *an acetum, quod communiter addi solet, rectè admisceatur?* Pro negativâ facit, quòd acetum partes salinas acres figit, & acrimoniam infringit, ut sinapi aceto præmacerato utimur pro intinctu, quod sine illo tolerari non poterat: cepe, allia, raphanus, arum cum aceto mitescunt. E quo non ineptè concludit negativè *Martianus comm. in Hipp p.* 382. Addi potest, quòd acetum repellat & refrigeret, quod contrarium est indicationi, maximè, ubi malignitas simul concurrat.

Decidi res facilè potest, si & quantitatem mediocrem aceti attendamus, & formam, quâ adhibetur: hoc enim modo acrimoniâ suâ auget vim, neque, dispersо per fermentum corpore cantharidum, adeò infringere vim earundem potest; quin corrigentis vicem subit, unde in hâc formâ modicum aceti, licet mitiget medicamenti vim ex parte, non nocet. Alij 🜄 eligunt.

Omnium verò optimè confiunt vesicatoria, si cantharides vel simplici cerato ex cerâ & terebinthina impastentur, sine aceto, vel cum alio quodam emplastro, v. gr. *defensivo viridi Wurzij &c.* vel *emplastro vesicatorio Horstij* utamur.

Applicatum hoc magnitudine debitâ, elapsis quatuor, quinque, vel septem horis vesicam excitat, quæ, nisi spontè rumpatur, discindenda, & hinc communiter folium brassicæ applicare solent, donec consolidetur; vel emplastrum album coctum, vel de spermate ranarum imponi potest; pro leniendo dolore; quem in finem etiam elegans *unguentum* ex sambuco habet *Riverius in observ. communic. p.* 657. ad dolores scilicèt vesicantium.

In usu habemus, ut revulsio & evacuatio fiat præsentior, adeóque fluxus diutiùs duret, miscere hinc *emplastri vesicatorij* ana cum *emplastro albo cocto* sive *de spermate ranarum*, quod defendit, & simul apertum servat fluxum, quâ ratione ad unam vel alteram septimanam servavimus aliquando apertum, pro indicantis urgentiâ: id verò tonsoribus difficile sæpe est imprimere.

Patet jam ex dictis, quòd vesicantium usus nobilissimus sit in defluxionibus à capite ad oculos, aures, & aliàs partes: in hemicraniâ, ophthalmiâ, febribus malignis, dolore coxendicis, doloribus profundis, & partibus carnosis. Quoad *locum* enim apponuntur ponè aures, in nuchâ, interdum & in suturâ coronali, alijsque partibus carnosis. Vid. *Mynsicht. armam. chim. sect.* 29.

Quoad usum legitimum verò attrahentium horum in genere, notanda est regula *Galeni lib. art. med. cap.* 85. Duo, *ait*, simul invitant ad calidorum pariter atque acrium medicamentorum usum, & *summa partes, quæ tolerant, & profundæ, quæ egent.*

Posito scilicet indicante, cogitandum utique est, *an adhibenda sint?* Sic *non conveniunt* 1. *nisi præmissis universalibus.* Concordant hoc in casu vesicantia cum diaphoreticis. Hæc itaque, & discutientia, si præmissa fuerint, idque frustrà, sine successu, utiliter adhibentur, ne nempe materia nimis copiosè ad cutum trahatur.

2. *Ubi*

2. *Ubi vehemens influxus, ils non utendum*: ibi enim & fluxus ipse magis augetur, & symptomata alia inducuntur, febris, dolor, vigiliæ, & pars frustrà cruciabitur. Adeoque eo casu potiùs repellentia, discutientia, & mitigantia conveniunt.

3. *Non, ubi inflammatio est, vel pars ipsa alio modo debilis.* Uti enim soli cuti adhibentur attrahentia, ita, si ipsa patiatur jam, afflictæ non addenda est afflictio. Sic cruribus œdematosis & hydropicis cautè applicanda, utplurimùm enim gangrænæ periculum infaustum reddit successum.

4. *Non articulis, ne magis debilitentur & fluxus eò derivetur.* Unde frustrà quis ea in arthritide adhibuerit, & cum noxâ. Vide quendam textorem proprio ausu, cùm arthritide scorbuticâ manuum laboraret, urticatione usum, ferè hinc motum manuum perdidisse. Leniora verò non nocent, ut balnea formicarum, quippe quæ discutiunt, evocant, & unà roborant.

5. *Non, ubi improportionata est materia.* Sic memini, medicum vesicatoria apposuisse ventri mulieris hydropicæ, magno cum cruciatu, nullo cum levamine.

6. *Si attrahendi nutrimenti gratiâ adhibentur, hinc conveniunt emplastica*, ne transpiret iterum, quod in usu partes & vigorem appulit, ut post frictiones, & inunctiones, ex commendatione *Hartmanni* adhibetur commode radix symphyti in aqua fontana decocta, & forma cataplasmatis membris calde applicata. *Wedelius.*

AUBERICA, vid. *Mala Persica.*

AUDITUM JUVANTIA, vid. *Acoustica.*

AVELLANÆ, vid. *Corylus.*

AVELLANA MEXICOANA, vid. *Cacao.*

AVENA.

Ut ab habeo est habena, sic ab *aveo* (inquit Vossius) videtur esse *Avena*, sive ab occupandi aviditate, quod *Agratius* scripsit: sive potiùs quod aveant illud edere pecudes ac equi.

Avena paniculâ sparsâ, semine angusto oblongo nunc nudo, nunc glumâ crassiore tecto, in locustis bifidis, à reliquis frumentaceis distinguitur.

Avena vulgaris officinalis.

Nomina. Avena alba *J. B.* vulgaris seu alba *C. B.* vesca *Lob. Ger. Park.*

Avena nigra ab alba non multùm abludit, eòque tantùm differt quòd semen sit paulò nigrius ac minùs nutriat.

Vires. Avena in qualitatibus primis temperata est, desiccat, mediocriter digerit, & adstringit nonnihil: in usu frequenti est in medicina.

Cremor Avenæ non minùs utilis est ægrotantibus quàm Ptisanæ ex hordeo. Medici plurimi in morbis acutis non alijs fere sorbitionibus ægrotos alunt quàm Avenatis. Farina Avenæ extrinsecùs ad cataplasmata non minùs utilis est quàm Hordei, desiccat ac digerit mediocriter, ac sine morsu.

Avenâ, dum colica nos affligit, ceu medicamento potissimùm utimur, quæ compersa pugillis aliquot salis communis torretur in sartagine, tosta verò sacco tenuioris telæ indita abdomini ægrotantis applicatur, & plerùmque nisi colon & intestinum rectum excrementis sint referta, ingens levamen ab illius usu percipi solet. *S. Pauli.*

Qui calculo renum laborant ijs commendandum balneum ex polenta trita, Lupulo & Avenæ stramine, quod insigniter mitigat dolores nephriticos, calculum & urinam ità pellens lumbis, stramine calente & probè cocto circumdato, in vanno considentes micturiant: & sæpiusculè sine dolore calculum excernunt. Quod Euporiston lubens publici juris facio, quod jam per triginta & amplius annos compluribus commendavi ægris, multis alijs remedijs in cassum adhibitis. *J. Rajus ex Simone, Paulo.*

AVICULÆ CYPRIÆ, vid. *Trochisci odorati.*

AVIS.

Aves quæ generatim Græcis ὄρνιθες (παρὰ τὸ ὀρέγειν τὸ αἴρεσθαι: aves enim impetuosè se movent, & volando altè extollunt: sed propius est ὄρνυμι excito; unde ὀρνιθίας, tempestas,) dicuntur; Latinis Aves ab Hebreo *Aph*; id est volans, quia in aere liquidô volant.

Avis est animal bipes, alatum & plumigerum; à Quadrupede plurimùm, & his præsertim proprietatibus differens.

Quod neque pilos habet, neque labia, neque dentes, neque cornua, neque pedes anteriores: sed plumam pro pilis, rostrum pro labijs & dentibus, alas pro pedibus anterioribus, & pro cornibus nonnullæ gerunt cristam & calcaria. Etiam avibus desunt cilia & supercilia, & nares, & auriculæ. Membranam autem nictatoriam habent, in majori oculi cantho conspiciendam, quâ oculos suos detegere solent, & dum dormiunt, obvelare. *Charleton.*

De Partibus Avium externis.

Non nobis in animo est, de partibus Avium omnibus agere; sed de ijs tantùm, quæ vel hujus generis propriæ sunt, vel quamvis alijs animalibus communes, figuram tamen aut constitutionem aut usus peculiares in Avibus obtinent.

1. Aves in universum omnes dentibus carent, eorum autem loco Rostro substantiæ corneæ præditæ sunt. Dentes propriè dictos hîc intelligimus, à mandibulis sc. distinctos & separabiles: nonnullis enim avibus ut v. g. Mergis, Rostra ipsa serræ in modum dentata sunt. Rostrum autem duplicem præcipuè eis usum præstat, omnibus quidem organi ad cibum colligendum, hauriendum, aut alio quovis modo assumendum; plerisque etiam teli ad vim inferendam, aut illatam repellendam ulciscendámve. Hos usus præcipuos esse dixi, ad alia enim præterea utile est, nimirum ad nidum extruendum, pullos pascendos, pennas componendas; nonnullis etiam ad scandendum, ut Psittacis & Loxiæ inservit.

2. Caput Avibus omnibus, exceptis nocturnis, pro corporis proportione exiguum est, nimirum ut aërem inter volandum promptiùs dividat, & corpori viam aperiens transitum faciliorem reddat.

3. Oculi Avibus & Piscibus depressiores sunt seu planiores quàm Quadrupedibus. In Avibus autem lamellæ osseæ squamatim sibi invicem in circulum incumbentes, oculorum pupillam sub tunica sclerode, ubi processus ciliares sunt, ambiunt; ad oculos sc. firmandos & ab injurijs defendendos. Quinetiam Aves pleræque si non omnes, præter palpebras membranam nictatoriam, quam *Periophthalmum* vocant, obtinent, quâ pro libitu, palpebris etiam apertis oculos tegere possunt. Hæc è majori oculi cantho oritur, eique detergendo inservit. Membrana autem hæc non est Avibus propria, sed quadrupedibus etiam plurimis communis. De Avium oculis ità *Harveus noster.* Imò verò, me observatore, oculi Avium nunquàm se se ad ratam illam proportionem contrahunt, quæ est in oculum & caput Animalis vivipari. Gallinæ enim alijsque avibus, si cutem oculos integentem detraxeris, horum quilibet totam cerebri molem facilè æquaverit: in Beccagine, Scolopace autem & similibus alteruter oculus toto reliquo capite (si rostrum dempseris) major est. Omnibus verò avibus id commune est, ut orbita seu cavitas quæ oculum amplectitur, cerebrum ipsum exuperet, ut in ipsarum cra-

cranijs videre est. Fit autem ut earum oculus minor videatur, quia totus præter pupillam cute & plumis obtegitur. Nostrâ observatione in multis, ne dicam omnibus, avibus cerebri cavitas orbita seu cavitate utriusvis oculi major est.

4. Aves omnes auriculis extantibus carent, plerisque etiam aurium foramina patula sunt & aperta; Rapacibus tamen nocturnis & nonnullis etiam diurnis operculis suis instructa.

5. Frænum oris, seu cutis illa quâ mandibulæ colligantur, vel intra os cadit dum clauditur, ut in plerisque avibus, vel extra, ut in Alaudis. Hujus mollitie & teneritudine, aut colore & crassitie Aves juniores à senioribus distinguuntur.

6. Aves omnes Epiglottide destituuntur. Unde patet ad vocem modulandam aut etiam articulandam non omninò necessariam esse Epiglottidem, cum Aves plurimæ vocem suavissimè modulentur & inflectant, nonnullæ etiam articulatè loquantur, quamvis eâ careant. Crena autem quæ est in capite laryngis, per quam spiritus trahitur & redditur palati fissuræ, seu foramini quod ad nares tendit, directè subjacet.

7. Quæ longas tibias longum etiam collum obtinent, siquidem aliter cibum neque in terra, neque in aquis commodè colligere possent; sed non vice versâ: quæ longum collum, longas tibias; ut in Cygno alijsque aquatilibus patet. His enim collum inservit ad cochleas, insecta, semina & herbas, in fluviorum, lacuum, stagnorumve fundo nascentes indagandas, & extrahendas, dum ipsæ in aquæ superficie natant.

8. Aves omnes pro claviculis, quibus pleraque Quadrupeda donantur, Furculam dictam obtinent.

9. Alæ vel saltem alarum rudimenta Avibus omnibus donantur. In terrestribus Struthio & *Emeu*; in aquaticis *Penguin* seu Anser Magellanicus *Clusij* alas habent, ad volandum omninò inutiles: & *Emeu* quidem adeò exiguas & fere nullas ut nesciam planè quem eiusum præstent; nam Struthioni extensæ & agitatæ ad cursum promovendum inserviunt. Insecta quamvis alas habere dicantur, non tamen Avium similes, sed membranaceas obtinent; *Vespertilio cutaneas*: Avibus solis alæ ex pennis compositæ. Aves omnes versus extremitatem aliæ appendicem quandam habent digiti æmulam, quam nos alam secundariam aut notham appellare solemus, 4. vel 5. pennulis compositam. Præter hanc in interiore alæ parte Aves nonnullæ ordinem pennarum obtinent, quem nos alam notham interiorem nuncupavimus: quæ in plerisque alba est.

10. Aves universæ binis pedibus incedunt, quod eis cum homine commune est, qui idcircò *animal implume bipes* à *Platone* definitur. Hirundines quidem nonnullæ apodes dicuntur, non tamen quia pedibus omninò carent, sed quia breves eos habent & debiles, h.e. ut rectè *Aristoteles*, quia κακόποδες sunt. Hæ ob alarum longitudinem & pedum exilitatem, si fortè in terram deciderint, vix se se iterum tollere possunt. Quod verò Manucodiatæ seu Aves Paradisi pedibus omninò destituantur, prout vulgò receptum, & à summis viris Historiæ Animalium peritissimis non ita pridem creditum fuit, quia quæ ad nos ex Indijs adferuntur, pedibus plerunque multari solent, jam falsum & erroneum esse idoneis testibus oculatis, & integris avibus allatis abundè convincitur, ut nemo sanus eâ de re amplius dubitare possit.

11. Plerisq; Avibus digiti in singulis pedibus quatuor; antici tres, posticus unus. Paucis quibusdam tres tãtùm omnes antici, nam postico carent hujusmodi. Hæ sunt ex hactenus cognitis Emeu, Otis sive Tarda avis, Oedicnemus *Bellonij* sive Charadrius *Gesner*. &, si modò ab hac distincta sit, Stella avis, Anas campestris *Bellonij*, Hæmatopus *Bellonij*, Himantopus *Plinij*, Pluvialis viridis, Charadrius *Aldrovandi*, Arenaria *Cornubiensium*; & in palmipedibus Penguin *Batavorum*, seu Anser Magellanicus *Clusij*, Alka, Anas Arctica *Clusij* Lomvvia, Mergus *Bellonij* & Columba Groenlandica dicta. Struthioni soli digiti bini. *Marggravius* tamen Struthionem Brasilianum tridactylum facit. Plures quatuor in singulis pedibus digitos (quicquid Veteres de Porphyrione fabulantur) nulli Avium generi natura concessit, nisi calcar pro digito in Genere gallinaceo accipias. In ijs autem quæ quatuor digitis donantur, pleræque (uti diximus) anticos tres, posticum unum obtinent; nonnullæ duos anticos, posticos totidem, ut Cuculus, Psittaci omnes & Pici martij; aliquæ duos anticos, unum posticum, quartum ad latus extrorsum mobile, eo usque ut angulum ferè rectum cum medio digito efficiat, ut Balbutardus aliæque fortè quædam rapaces & Noctuæ omnes. Quæ postico digito carent, arboribus nunquam insident. Medius digitus & tibia plerisq; avibus æquales sunt. Palmipedibus nonnullis intimus digitus membranâ secundum longitudinem exterius appensâ auctus est; extimus nunquam.

12. Ex digitis autem in omnibus ferè avibus quibus quatuor sunt digiti, Posticus unico officulo seu internodio constat, anticorum extimus duobus, medius tribus, intimus quatuor, qui ordo à natura tam constanter observatus, à nemine hactenus, quod sciam, animadversus est. Excipienda solùm ex omnibus quas observavimus Hirundo apus, cujus digiti singularem obtinent compositionem & ab alijs avibus diversam. Digitus posticus quibus adest à parte pedis interiore perpetuò situm obtinet, pollicis vicem supplens. Postici autem digiti unguis, saltem in terrestribus, omnium maximus est & fortissimus. Quibus unus tantùm posticus est, anticorum digitorum extimus medio, ab exortu aliquousque adnectitur, ne retrorsum cadat, sive extrorsum aberret: [in plerisque Avibus non in omnibus.] Hæc autem connexio vel est immediata, cohæsione seu adnascentiâ, vel fit membranâ interveniente.

13. Omnibus quas novimus avibus, etiam ijs quæ caudâ carent, Uropygium donatur; Uropygio autem glandulæ binæ innascuntur humori cuidam unctuoso præparando & secernendo destinatæ, cavitate internâ & foramine seu vase excretorio instructæ. Circa foramen autem succrescit plumarum pilorumve congeries pictoris penicillo similis. Cùm ergò pennarum villi diducti aut aliò quovis modo incompositi sunt, avis capite ad Uropygium circũflexo, penicillum modò dictum rostro atripit, liquoremq; appulsu rostri è glandulis expressum excipiens pennas eo oblinit & villos rostro deducens componit, & efficit ut firmiùs cohærescant. Notandum autem glandulas Uropygij minores esse ijs avibus quæ caudâ carent ut Golymbis, &c.

14. Orificia ani & uteri contrarium situm in pennatis omnibus atque in alijs animalibus obtinent. In his enim podex caudæ immediatè subjacet; pudendum fœmineum seu vulva inferiùs sub podice locatur: in illis excrementi exitus partem inferiorem obtinet, vulva supra eum, inter ipsum & Uropygium sita deprehenditur. Cur verò os uteri ad spinam vel supernam partem ponatur, coitum ipsum causam esse opinatur *Aldrovandus*. Nam supergressu, inquit, hæc animalia coeuntia, instrumenta in proximo habere oportebat, quo facilius & promptiùs invicem conjungerentur. Quæ tamen ratio nobis non satisfacit cùm Quadrupeda, quæ etiam supergressu coeunt, nec tamen genitalia eodem situ disposita obtinent, nullam indè in coeundo difficultatem aut incommodum experiuntur.

15. Avibus omnibus commune est pennis plumisque vel toti undique corpori, vel maximæ ejus parti innascentibus vestiri. Corporis nomine hoc in loco truncum solummodo intelligimus. Nam in plerisque avibus tibiæ & pedes, in nonnullis etiam capita detecta sunt. Maximæ ejus parti ob Struthiocamelum addidimus. Quamvis enim, ut diximus, pedes plerisq; nonnullis capita, ut, v. g. *Gallopavoni*, *Grui*, *Emeu* nuda sunt, præter *Struthionem* tamen, nullam hactenus avem novimus cui pars aliqua corporis implumis fuerit. Quæ de *Gallinis lanigeris* feruntur fabulosa & falsa esse existimamus. Quamvis autem *Pennæ Plumæq;* nomina interdum confunduntur; *penna* saltem apud idoneos autores *plumam* sub se complectatur, proque ea passim usurpentur: nos tamen in hoc opere nomina hæc distinguimus cum *Harvæo nostro* in hunc modum. Plumæ à pennis differunt formâ, usu & nascendi loco atq; ordine. Pulli enim priùs sunt plumigeri quàm pennigeri: quippe pennæ in alis tantùm & uropygio reperiuntur, ac profundiùs ex ima cutis parte vel ex ipso periosteo enascuntur, motuique inserviunt; plumæ autem è summa cute oriuntur, & ubiq; e munimenti gratiâ adsunt. Lanugo quâ aviculæ recens exclusæ vestiuntur, apicibus plumarum primigeniarum plerunque hæret. In quamplurimis autem avibus mediæ plumarum partes nigræ sunt.

16. Cauda avium è pennis componitur. Caudâ autem pleræque aves donantur; paucæ eâ carent, ut Colymbi & Gallinæ quædam species. Cauda ad iter flectendum dirigendumve inservit, temonis instar, quod præcipuè in Milvis cernitur: de quibus *Plinius*, *videntur*, inquit, *hoc genus aves artem gubernandi navem homines docuisse caudæ flexibus, in cælo monstrante naturâ quid opus esset in profundo*. Proinde aves illæ, quibus cauda brevis est, crura longa, pedes retrorsum in directum extendunt inter volandum, nimirum ad caudæ defectum hac in parte supplendum: cùm aliæ pleræque aves quibus cauda longa aut mediocris, pedibus ad corpus adductis, nonnullæ etiam dependentibus volent. Præterea cauda non ad iter duntaxat dirigendum, sed etiam ad corpus sustentandum, & in aëre librandum conducit, unde Colymbi, qui eâ carent ægre volant, & velut erecti in aëre, capite sursum elato, ano deorsum dependente. Multis avibus extimæ caudæ pennæ medijs albidiores sunt. Mediæ duæ non in eisdem rectis cum reliquis hinc inde sitæ sunt, sed anterius superiusve paulò. Pennarum autem caudæ numerus in nullo Avium genere impar est. In nulla ave pauciores decem pennas caudæ hactenus observavimus: quamvis *Marggravius* Brasilianas aliquas memorat, quibus octo tantùm sunt: & Tropicorum Avi dictæ, binas tantùm pennas, eas tamen longissimas, caudæ inesse nobis relatum est.

17. Pennarum alæ Remigum apices semper acuminantur ex ea scapi parte in gradatim longioribus, quæ longiores seu longius procurrentes pennas spectat. Sic in decem extimis pinnullæ seu villi à scapo exteriores in acumen procurrunt, quia pennæ exteriores interioribus sensim longiores sunt, aut ob situm suum longius excurrunt: in reliquis versus corpus interiores, quia à decima interiores exterioribus longiùs procurrunt ob situm sc. in ala complicata. In multis tamen avibus Remiges pennæ mediæ extremis apicibus velut crenatæ videntur, in quibus sc. villi seu pinnulæ ab utraq; e scapi parte æqualiter procurrunt. Hoc autem evenit quando pennæ æquales sunt, nec antecedens consequente brevior aut longior productiorve versus aliquam partem. Interiores Remigum pennarum limbi exterioribus latiores sunt. Limbi nomine hoc in loco telam pennæ intelligimus, prout scapo contradistinguitur.

18. Aves, quantum scimus, omnes pennas plumasque totius corporis quotannis mutant. Fundi autem plumarum omnium, (h. e. ima pars, quæ conspectui non patet) in quocunq; Avium genere unicolores sunt, & plerunque colore à parte visui exposita diverso.

19. Musculi in Avibus omnium crassissimi sunt pectorales, qui alis movendis inserviunt. Nam cum volatus non sine valido alarum motu, & vehementi agitatione exerceatur ad quam vires requiruntur robustissima esse oportet organa quæ ei obeundo sufficiant. Contra verò in homine musculi qui cruribus movendis inserviunt, majores sunt & robustiores ijs qui brachijs destinantur, quoniam eorum actio, nimirum corpus totum sustinere, ac de loco in locum transferre, magnam vim ac potentiam requirit. Proinde si volatus homini possibilis foret, non brachiorum, sed crurum ministerio utenti successurum putant, qui hæc curiosiùs expenderunt.

De Partibus Avium internis.

De volucrum Cerebri; Cl. Vir, *D. Willisius, lib. de Cerebri Anatome, c. 5.* copiosè agit, ubi omnes eorum partes, involucra, ventriculos, &c. accuratè describit, his verbis. Cranij tegmine sublato, dura menynx molem intùs contentam arctè complectitur: in medio illius, ubi cerebrum in duo hemisphæria dividitur, sinus in longum protensus habetur, qui nullâ falce interstitia dimissâ, Cerebro minùs profundè inseritur: dein ubi hæc membrana cerebrum & cerebellum interstinguit, duo sinus laterales efformantur. Insuper Volucribus sinus quartus adest, verû quia aliquâdo posteriùs quàm in homine aut Quadrupedibus, situm habet; nam paulò infra glandulam pinealem, duræ menyngis processus cavus & teres super medullæ oblongatæ crura dimittitur; ubi statim dividitur in duos ramos, quorum utrinque unum sursum emittit, in cavitatem inter membranam striatam & Cerebri hemisphærium, in posteriore Cerebri parte consitam.

Superiore hac membranâ sive *durâ menynge* circumquaq; discissâ & sepositâ, Pia mater valdè tenuis apparet, quæ non uti in homine alijsque perfectis animalibus, tam crebris vasorum plexibus insignitur; verùm hæc menynx subtilissimâ fibrarum texturâ constans, Cerebri intus contenti superficiem planam & æquabilem, gyrisque & anfractibus prorsus destitutam solummodo investit undique & intimè succingit.

Cerebri fabrica in Volucribus aliter habet ac in homine aut Quadrupedibus: nam præterquam quòd in ambitu ejus anfractus & inæqualitates omninò desunt, etiam interiùs *corpus callosum* ac *fornix*, etiam *corpora striata*, qualia supra descripsimus prorsus desiderantur: atque insuper ipsa Cerebri compages alio modo configuratur. Quo hæc meliùs perspiciantur, Cerebri Anseris aut Galli Indici instituas; atque membranis discessis Cerebri fissuram, & medietatem ejus unam ab altera leviter comprimendo diducas & separare pergas, donec ventum erit ad ipsum fundum, in quo duo corpora medullosa existunt; quæ nervorum instar tranversim protensa hemisphæria invicem connectunt. Utrumque interstitia latus membrana subalbida investit, quæ quidem strijs velut radijs, à toto ambitu versus angulum inferiorem productis insignitur, striæque istæ circa corpus medullarium insertiones concentrantur. Dein si membrana hæc secetur, in utroque Cerebri hemisphærio cavitas subjecta apparebit, quæ totum ab interstitij latere spatium, ac insuper posticam cerebri regionem subducit, eâque membranâ striatâ concameratur. Utraque cavitas circa fundum in ductum intermedium & communem, qui ad infundibulum patescit, aperitur; & ex utroque ductûs istius latere medullæ oblongatæ crura exporriguntur, quibus utrumque Cerebri hemisphærium per duo medullaria corpora appenditur; nimirum è

rum è Cerebri mole ventriculo substrata meditullium unum, & è membranâ striatâ ventriculum obtegente meditullium alterum prodit. E binis hisce in utroq; latere repositis corpora medullaria nervorum instar, transversim protensa duo Cerebri hemisphæria invicem conjungunt. Insuper bina hæc utrinque coalescentia utrumque Cerebri hemisphærium medullæ oblongatæ cruribus affigunt.

Adeò Cerebri figura in Volucribus si hominum & Quadrupedum perfectiorum Cerebro comparaveris, velut inversa esse videtur. Nam sicut in his pars corticalis exterior est, eique medullaris substernitur, ita in Volucribus inferior Cerebri compages quæ mole crassâ & spissiori constat, corticis loco est; membrana autem externa & superior ventriculum concamerans, supra quamvis aliam partem medullaris apparet. Porro ventriculi in hominis & Quadrupedum cerebris, infra & propè fundum, in volucribus superiùs & juxta oram exteriorem collocantur. Hujus discriminis ratio esse videtur, quòd in cerebro perfectiore, quale homini & Quadrupedibus contingit, spiritus animales tum ortum suum tum exercitium habent; sc. in parte ejus corticali procreantur, atque in medullari, quæ huic ampla substernitur, pro facultatum actibus, ijdem circulantur variéque expanduntur. At verò in volucrum cerebro spatium quidem amplum subest pro spirituum generatione, sed pro circulatione eorum ibidem locus vix ullus conceditur. Nempe Avium cerebra muneribus Phantasiæ aut Memoriæ non multum occupari videntur. Quinimo putandum est spiritus in Cerebro genitos, in medulla oblongata, pro tuenda functione animali potissimum exerceri: namq; illic, uti mox ostendemus, substantia medullaris, quæ corporis callosi loco est, consistit; & instar corporum striatorum in alijs, in his sunt membranæ striatæ; per quas sc spiritus in Cerebro procreati, sine quavis ibidem diataxi, protinus in medullam oblongatam feruntur. Cæterùm quia spiritus in Cerebro geniti excrementa serosa deponere debent, ideò à complicatura membranæ, super Cerebri puppim ipsiúque medullæ oblongatæ crura, ventriculi ad hanc rem satis idonei resultant. Attamen volucrum cerebris, quia fornix omninò deest; bini tantùm ventriculi anteriores adsunt, intra quos plexus choroïdes expanditur, cujus portio venosa à sinu quarto, uti modo dictum erat, paulò inferiùs oritur, arteriæ autem ex utroque latere medullæ oblongatæ accedunt.

Nec magis in ipso volucrum cerebro quàm in medulla oblongata heterogeneitas, sive conformatio ab eadem in hominibus & quadrupedibus longè dispar apparet: nam in prima illius sectione, unde nervi optici oriuntur, duæ insignes protuberantiæ lateri utrique accrescunt. Hæ multo majoris sunt proportionis, quàm in perfectioribus prominentiæ orbiculares, adeò ut cerebrum alterum & succenturiatum videantur: utraque albidi coloris & purè medullaris, interiùs excavata est; ità ut hujusce generis animalibus bini ventriculi in cerebro, totidem in medulla oblongata reperiuntur. Cumque in his sicuti in cæteris quibuscunque animalibus, etiam cavitas cerebello subjiciatur, ventriculi in toto ἐγκεφάλῳ existentes numero pariter ac figurâ & positione differant.

In medio caudicis medullaris, ubi sc. istæ prominentiæ lateribus ejus adnascuntur, Rima ad infundibulum ducens indicitur, in istam autem utriusque ventriculi apertura dehiscit, ut minimè dubium fuerit, quin serositates ibidem congestæ, istâ viâ amandentur. Porrò verisimile est, has prominentias excavatas & medullares in volucribus corporis callosi vicem supplere, in quibus nempe spiritus animales propter facultatum suarum exercitia circulentur. Quippe in cerebro spatium angustum est, ut spiritus intra illius confinia produci ac una circulari nequeant. Porro cùm in Volucribus spirituum animalium usus ad facultatis locomotivæ actus, plusquam ad phantasiam aut memoriam requiratur; certè præcipuus locus, ubi & conveniunt & exerceantur in medulla oblongata potiùs quàm in cerebro collocari debuit.

Arteriæ carotides quæ ad Avium majorum cerebra sanguinem adducunt; tam exiles sunt ut ad easdem in homine & Quadrupedibus harum nulla sit proportio. Trunci ipsarum intra calvariam delati, sine quavis divaricatione in plexus retiformes, eodem quo in alijs animalibus ritu, juxta glandulam pituitariam ascendunt, & recta cerebrum petunt, vasorumque exiles quasdam propagines, tum ad exteriorem ejus ambitum, tùm per interiores recessus distribuunt. Enimvero perexigua sanguinis portione, respectu aliorum animantium, avium cerebra irrigantur; quia nempe ad spirituum animalium refectionem, ubi plantasia & imaginatio minùs exercentur, haud multum sanguinis requiritur.

Volucres (secùs ac nonnulli asserunt) & *processus mammillares* & *os cribrosum* habent; nam anteriores Cerebri productiones summè extenuatæ & durâ menynge involutæ, ferè ad mediam rostri partem protensæ, ossi triangulari (cui sinus duplex tenui septo interstinctus adest) inseruntur. Isti autem processus intra prædicti ossis sinus delati, desinunt in vesicas aquâ limpidâ plenas, quæ planè referunt processus mammillares in vitulo aquâ limpidâ tumidos. Porrò cùm è quinto nervorum pari ramus insignis in utroque latere, oculi orbitam pertransiens, naris cavernam ingreditur, è trunco ejus surculus emissus, ipsi naris orificio impenditur: interim ambo majores trunci, ossi cribroso circumdati mutuò conveniunt, & mox ab invicem abscedentes, & ad rostri finem perducti, in palatum distribuuntur. Ad hunc modum volucres, pariter ac homo & quadrupedes, peculiari olfactûs organo, gemino sc. processu mamillari instruuntur; ac insuper intra nares è quinto pari nervos ascititios habent; quorum actione & ramorum in alias partes communicatione etiam in ipsis, stricta adeò inter olfactum & gustum affinitas conciliatur. Cætera nervorum paria ferè ad eundem modum habent ac in homine ac quadrupedibus. Pariter item observamus quantum ad *Cerebellum* & reliquam medullæ oblongatæ portionem, inter aves & alia quæ suprà consideravimus animalia haud magnum discrimen intercedere; nisi quòd prominentiæ orbiculares ante cerebellum, aliæque annulares sub ipso, in illis occurrentes, utræque in volucribus desiderantur: Nempe has posteriores non videntur omnino requiri; priorum autem vices à prominentijs medullaribus excavatis, quales Volucribus subesse ostendimus, facilè supplentur.

Hactenus *Willisius*: Quæ omnia ità prorsus se habere experientiâ didicimus, quamvis in ijs intelligendis nonnullam forsasse difficultatem Lector in Anatomicis minùs versatus, præsertim nullis iconibus adhibitis, experietur.

Pulmones in omnibus quas dissecuimus avibus, & alijs proculdubio quibuscunque, lateribus & costis supremóque dorso adeò affixi sunt, ut parùm admodum dilatari & contrahi possint. Quin etiam (quod tamen à nemine hactenus observatum memini, inquit *Harvæus*) earum bronchiæ seu asperæ arteriæ fines in abdomen perforantur, aëremque inspiratum in membranas quasdam secundùm ventris longitudinem protensas derivant. Ita ut in pennatis pulmones potiùs transitus & via ad respirationem videantur quàm adæquatum respirationis organum.

Membranæ autem illæ (saltem cum musculorum ventris adminiculo) respirationi inserviunt, & diaphragmatis officium præstant. Perforatio hæc pulmonum haud obscura & cæca est, sed patula adeò, ut in *Struthione* meatus plurimos repererim, qui digitorum meorum apices facilè exciperent. In *Gallo Indico* & *gallinaceo* ipso, omnisque fere pennatis, immisso in tracheam stylo, transitus è pulmonibus in cavitates abdominis apertos ac patentes invenies, Aër in eorum pulmones follium operâ inspiratus non sine impetu ad inferiora pertransit. Aves autem diaphragmate, saltem musculo, quale quadrupeda obtinent, carent.

Aves nullæ plures uno ventriculos obtinent, nisi prolobum seu Ingluviem pro ventriculo reputes. Hæc extra corpus, ut plurimum in infima colli parte ad os jugale hæret. Ejus autem usus esse videtur, ad cibum humectandum, adeóq; emolliendum, macerandum & ventriculo præparandum: indeq; pennata quædam, cibum ità maceratum pullis suis regorgitant, eosq; nutriunt, quemadmodum quadrupedes fœtus suos lacte alunt, ut videre est in Columbaceo genere, atq; etiam spermologis illis, quos nos *Rooks* nominamus. Fortè etiam, quoniam ventriculus non admodum capax est ijs avibus qui musculosum obtinent, nec cibi tantum continere possit, quantum usibus corporis sufficiat, vel in hybernis noctibus, vel longiore inedia, quam pro varijs accidentibus pati avibus aliquoties necessarium est, prolobus eis seu sacculus quidam à natura concessus est, in quem cibi copiam cùm suppetit recondant, quam deinde paulatim ventriculo subministrent,

Ventriculus musculis crassis & validis instructus avibus solis non tamen omnibus (Rapaces enim membranosum obtinent) conceditur. Hujus usus esse videtur ad cibaria duriora, tricicum v.g. hordeum, pisa aliáq; frumentorum & leguminum grana, quæ integra deglutiunt, conterenda seu comminuenda, adeóq; in granivoris dentium defectum supplent. Quod ut efficaciùs præstent, aves hæ lapillos & arenulas subinde deglutiunt, & in ventriculo unà cum cibarijs servant, dum interim in ingluvie nihil tale reperitur, quorum ope musculi prædicti ceu lapides duo molares binis invicem cardinibus colligati, cibaria duriora commolunt, subigunt & conficiunt. Id ità fieri, inquit *Harvæus*, in pluribus avium generibus apparet, in quorum ventriculis si calculi aliáve duriora & aspera diutiùs permanserint, à continuo eorum motu adeò attrita & lævigata cernuntur, ut cibariorum attritioni inepta sint, ac propterea rejiciantur. Hinc aves cùm calculos eligunt, linguâ probant, & si nihil asperos senserint rejiciunt. Hoc modo ferrum, argentum & lapillos attractos & propemodum absumptos in ventriculo Struthionis inveni, atque etiam in Cassowvare. Ideóque vulgò creditur, eos ferrum concoquere & eodem nutriri. Falconibus, Aquilis alijsque avibus ex præda viventibus; si aurem prope admoveris dum ventriculus jejunus est, manifesto intus strepitus lapillorum illuc ingestorum invicemque collisorum percipias. Neque enim Falcones refrigerij causâ (qui vulgaris Accipitrariorum error est) lapillos devorant, sed ut eorum operâ cibum comminuant: quemadmodum & aliæ Aves quibus molendo victui ventriculus carnosus obtigit in eundem finem calculos vel sabulum, vel quid aliud simile deglutiunt.

Rapacibus avibus & piscivoris nonnullis quia carne vescuntur, quæ granis mollior est nec triturâ indiget, sed dissolvitur & liquescit in ventriculo, saltem acido ipsius fermento macerata tabescit; membranosus est ventriculus non musculosus. Hæ enim rostris carnes discerpunt quod eas ad concoctionem diponit. Unde & Quadrupeda carnivora dentes habent serratos ad prædam discerpendam & dilaniandam, nec enim eam masticando multùm comminuunt, ut jumenta aliaque herbivora & granivora animalia. Sufficit eis carnem dentibus discerpere eámve fortiter premere & velut contundere: Nam hujusmodi contusio eam ad corruptionem disponit, & celeriorem fortasse quam si diutina masticatione comminueretur.

In multis avibus Oesophagus immediatè supra ventriculum in folliculum quendam, seu vestibulum ventriculi, quem echinum vocant, quia nonnullis intus tuberculis asper est, dilatatur. Hujus interior superficies quamplurimis granulis glandulosis papillaribus è quibus succus quidam mucaginosus facilè exprimitur undique consita est. Mucago autem ista cibis in ventriculo permixta, menstrui, ut vocant, loco eis macerandis & dissolvendis inque chylum vertendis inservit.

Pleræque aves binas appendices seu intestina cœca obtinent; Ardearum familia singulas, Picorum nullas. In his quæ binas obtinent, carnivoræ omnes & aviculæ minimas & brevissimas; Aquaticæ fissipedes mediocres; Palmipedes latirostræ longas; Gallinaceum genus longissimas. Appendices autem in avibus positione sunt contraria cæcis Brutorum quadrupedum; siquidem in quadrupedibus cœcum nihil aliud esse videtur quàm intestinum colon continuatum seu productum ab ano sursum versùs ventriculum, cum ileo angulos acutos faciens. Cæca autem seu appendices in avibus, à ventriculo versùs anum descendunt, cúmque intestino recto angulos acutos faciunt. Quis autem usus sit appendicum seu cœcorum intestinorum sive in pennatis, sive in quadrupedibus, me non satis perspicere fateor.

In quamplurimis avibus, circa medium intestinorum, appendiculam quandam seu intestinum cœcum vermiculo simile observavimus, quod nihil aliud est quàm reliquiæ ductus illius per quem vitellus ovi in intestina pulli derivatur. In nonnullis processus iste admodum est conspicuus, semidigitali vel digitali ferè longitudine; in aliquibus brevior est & minor multo; in alijs denique obliteratur penitus & evanescit. Cæterùm ductum istum seu canalem vel primus invenit, vel saltem primus, quod scimus, literis prodidit *D. Nicol. Steno*; nobis certè cognitus fuit antequam libellum ejus videremus. Verum illi merito hujus inventi gloria debetur qui illud primus orbi communicavit. *Aristoteles, Fabricius, Harvæus* alijque vitelli magnam partem ab exclusione pulli in ejus abdomine receptam & conclusam superesse animadverterunt, non tamen in intestina hoc ductu seu infundibulo quodam derivari, sed mediantibus venis capillaribus in eum sparsis sensim liquari, inque sanguinem immediatè recipi putaverunt.

Meatus cystici in intestina exitus in Avibus plurimis à ventriculo longiùs distat, quia non mingunt, ut nonnulli volunt, & plus fluidi excrementi admiscetur, Usus enim fellis est partim ad excrementa attenuanda & fluida reddenda, partim ad intestina vellicanda & ad excernendum acrimoniâ suâ stimulanda. Verùm cùm & aves renibus instructæ sint & urinam unà cum fœcibus excernant, cùmque excrementa præter carnivoras omnium non admodum fluida sint pro urinâ ijs admixtâ, non aliam fortè ob causam porus bilarius tam procul à ventriculo intestinum penetrat, quàm nè bilis in ventriculum regurgitet. In plurimis autem avibus meatus cysticus & porus bilarius non concurrunt in unum ductum communem, sed separatis & longiùs à se invicem remotis foraminibus intestinum ingrediuntur.

Aves omnes quamvis vesicâ urinariâ careant, renes amplos obtinent & ureteres per quos urina profluat. In avibus autem, inquit *Harvæus*, & serpen-

pentibus, quibus fungosi sunt pulmones parva cernitur urinæ copia, quod parùm admodum, & pitissando bibant, & eorum nonnullæ, nimirum Aquilæ, nihil omnino; quare vesicâ urinariâ ijs non est opus, sed lotium in communem cloacam alvi quoque fæcibus dicatam destillant, ijsdemque commistum simul egeritur. Differt hoc lotium in avibus atque in alijs animalibus: nam cùm urinæ partes duæ sint; serosior una & liquida; crassior autem altera, quæ in sanis hypostasis nominatur, & in urina jam refrigerata subsidit, aves (contra quàm vivipara animalia) majorem hujus copiam obtinent; eâque ab alterâ colore albo seu argenteo distinguitur; & non modo in cloaca reperitur, ubi abundat, alvique fœces circumlinit, sed etiam in toto ureterum ductu, qui à renum tunicis hac ipsâ albedine discernuntur. Nec solùm in avibus crassior hæc materia à renibus descendens conspicitur, sed in serpentibus etiam alijsque oviparis, præsertim ijs quorum ovum duriore cortice obducitur. Major quoque hujus quàm serosæ & tenuioris partis copia; estque consistentiæ inter crassam urinam & stercoraceum excrementum mediæ; adeò ut ureteres pertransiens, lac coagulatum; sive leviter densatum, referat, forasque ejectum in crustam friabilem concrescat. Veteres, cùm Aves non mingere pro indubitato haberent, rationem ejus assignabant, quod humidum omne superfluum pennis alendis insumeretur.

Pancreas Avibus quas dissecuimus omnibus duplex est.

Testes maribus intra corpus profundè reconditi & dorso statim infra jecur adnexi sunt. Verno tempore, cùm semine turgent, duplo triplove majores fiunt, quàm per hyemem.

Ovarij & uteri descriptiones accuratas vid. apud *Harvæum lib. de gen. Animal.*

Avibus nonnullis palmipedibus latirostris & Mergis aspera arteria in vas quoddam ceu ampullam, ex ossibus & membranis intermedijs compositum, variæ in varijs avibus figuræ, desinit; è quo deinde rami in pulmones hinc inde abeuntes oriuntur. Ossa figuram & consistentiam vasi conferunt, quemadmodum costæ thoraci, aut cartilagines annulares asperæ arteriæ, impediuntq; nè ejus latera in se collabantur. Membranæ ossium interstitia complent clauduntque. Vasculum hoc ob internæ cavitatis anfractus Labyrinthum vocare soliti sumus.

Quis ejus usus sit, an ad vim vocis augendam; an ad aërem cellæ instar recondendum, qui sufficiat avibus dum urinantur, ut diutiùs sub aquis possint durare; an ad utramque hoc præstandum, an verò ad neutrum, nobis nondum planè constat. Voci intendendæ non inservire argumento est, quòd Aves ejusdem tribûs quæ eo carent, ut v.g. Anates domesticæ vocem validam & vehementissimam edunt: Quodq; nec ad urinandum conducat, illud suadet, quòd Colymbi dicti, qui præ alijs omnibus frequentissimè urinantur, diutissimeque sub aquis manent, eo careant.

De Generatione Avium.

Aves omnes oviparæ sunt. Hoc licet & Serpentino generi, & Piscibus & Insectis commune sit; Avibus tamen & figuram ovorum & testa fragilis, & albuminis ac vitellis distinctio, & incubandi ratio peculiaris est. Ova autem omnium, si exterior cortex delibretur, alba sunt.

Avibus fœminis ova omnia quæ per totam vitam paritura sunt à prima statim generatione inesse verisimillimum est; adeóque cum ovorum racemus penitus exhaustus est, parere desinunt & effætæ fiunt, ut de viperis *Angelus Abbatius* observavit. Nos enim in eis Avibus quæ semel tantùm, aut ad summum bis singulis annis pariunt, ovarium observavimus innumeris ferè ovorum granulis stipatum, quæ eis ad multorum annorum partus sufficiant. Cùm ergo certum sit Aves nonnullas ætate effœtas fieri, omnes autem ovorum minorũ magnam congeriem simul continere, quæ paritura sunt omina ijs connasci non sine ratione arbitramur. Non me latet *Harvæum* asserere, gallinam quamvis in vitellario nulla ovorum primordia parata habeat, nova tamen post coitum in ovario generare. Verùm tantus vir non satis perpendit hanc rem, ideóq; eam duntaxat obiter & oblique tangit: ipse autem cum *Fabricio* fatetur in gallinæ reliquorúmque oviparorum fere omnium ovarijs infinitam propemodum vitellorum multitudinem cerni, varijs admodum incrementis à quantitate propemodum invisibili ad consummatam magnitudinem. Cur verò tantam vitellorum supellectilem natura præpararet, quæ ut diximus in plurium annorum partus sufficiat, si novos generandi facultatem fœminis contribuerit? Nec de Avibus tantum, sed & de Quadrupedibus etiam fœminis & de mulieribus ipsis verum est. conceptuum omnium primordia, sive ova ab initio ijs inesse, quæ postea per totam vitam parituræ sunt. Nam corpora illa *testes fœminei* dici solita, nihil aliud sunt quàm ovaria bina, ut ea dissecanti manifestè patebit, plurimis variæ magnitudinis ovis composita; quibus in lucem editis, aut quovis modo consumptis corruptisve, fœmina parere cessat, nec ulla ampliùs restat generationis spes.

Ovi partes sunt primò *Cortex* seu *putamen*, qui in ipso utero antequam editum sit ovum, durescit, contrà quàm *Aristoteles* & *Plinius* eósque secutus *Fabricius ab Aquapendente* tradiderunt: Atque hoc cuivis facilè digitis experiri in gallina prægnante licet, aut si ijs minùs fidat, oculis; aperto sc. abdomine gallinæ parturientis. Quod si experimento faciendo aut facultas aut voluntas non suppetat, consulat *Harvæi de gener. Animal. Exercitat.* 11. ubi illud luculenter demonstrat 2. *Membranæ quatuor*, duæ exteriores quæ albumen exteriùs succingunt, una interior quæ vitellum continet, & quarta media quæ interiùs albumen ambit. 3. Albumen duplex, quod *Harvæus* primus in ovo gallinaceo observavit, utrumque propriâ membranâ, involutum, alterum tenuius, & liquidius; alterum crassius & viscosius; paulòque magis ad albedinem vergens; in vetustioribus autem & requietis ovis, post aliquot dierum incubationem subflavescens, Ut secundum hoc albumen vitellum undique obtegit, ità liquor iste exterior ipsum circumambit. Bina hæc albumina distincta esse vel hinc constat: Si ablato cortice membranam utramque proximam penetraveris; videbis alborem liquidum & exteriorem protinus effluere, ijsdemque membranis hinc inde in patinam reclinatis, interius tamen & crassius albumen locum & figuram suam globosam servat: utpote membranâ propriâ, tenuique adeò ut visum prorsus effugiat, terminatum: hanc autem si secueris, secundum albumen illico huc illuc sparsim effluit, & figuram rotundam amittit, perinde atque è vesica secta humor in ea conservatus prorumpit. Et disruptâ propriâ vitelli membranâ, liquor croceus egreditur, & globositas pristina subsidit.

4. *Vitellus*, de quo vid. *Harvæus lib. de Gener. Animal. Exerc.* 12. 5. *Chalazæ bina*, altera in obtuso, altera in acuto angulo. Plus earum in albumine reperitur, vitello tamen validiùs adhærent, ejusque membranæ appenduntur. Corpora sunt longiuscula, concreta magis quàm albumen, & albidiora, nodosa, luciditatis cujusdam non expertia, ut grando, unde illis nomen. Constat enim quælibet chalaza pluribus quasi grandinibus albumine ab invicem junctis. Earum altera major est & longiùs à vitello versus obtusum ovi cacumẽ protenditur: altera minor à vitello inferiùs versus partẽ ovi acutam porrigitur. Major ex duobus vel tribus nodis, quasi

quasi grandinis granis globulisvè conflatur, qui modico intervallo à se invicem distant, & minor ordine majori succedit. In omnibus omnium avium ovis reperiuntur fœcundis pariter & subventaneis. Unde apparet vulgaris mulierculatum error existimantium grandines esse galli sperma, atque ab ipsis pullum procreari. Harum usus est, ut sint tanquam poli istius microcosmi, & connexiones omnium membranarum convolutæ invicem & contortæ, quibus liquores non modò suis locis conserventur, sed debitam quoque positionem retineant. b. Circulus albus & perexiguus (vitelli tunicæ tanquam cicatricula quædam inusta) adnascitur, quem ideò *Fabricius* cicatriculam nominavit. Macula hæc perpusilla est lenticulæ ferè magnitudine, aviculæ pupillam referens, alba, plana & circularis. Omnibus quoque ovis inest, etiam à prima eorum origine in vitellario est. Est autem hæc præcipua totius ovi pars, cujus gratiâ reliquæ omnes efformantur & ex qua pullus originem suam ducit. Hæc omnia *Harvæus*.

Ovorum pediculi, quibus ovario adnascuntur, non solidi sunt ad modum petiolorum fructuum, sed concavi & fistulosi.

Ova si secundùm longitudinem manibus comprimantur, difficulter nec nisi magnâ vi adhibitâ rumpuntur.

Ova motu violento agitata, donec conquassentur albumine & vitello confusis, super obtusiori extremitate erecta statui possunt, quæ aliàs albumine & vitello integris difficillimè hoc modo eriguntur. Vitellus enim inter chalazas suspensus & velut pendulus levi momento huc illuc vibrat.

Ova aceto macerata testis solutis in vas angusti oris immitti, aut per annulum traduci possunt.

Cùm ovo duplex liquor, albumen sc. & vitellus, insit; ex albumine solo formatur & alitur fætus donec grandescat. Vitellus partim grandiori, partim excluso jam pullo alendo inservit. Nam post exclusionem vitelli bona pars adhuc residua, in pulli abdomen recipitur ibidemque velut in thesauro quodam reservata, per *ductum instinalem* dictum in intestina infunditur, estque lactis vicaria. Cùm enim viviparis lac suppetat, quo fœtus recens editos alant, donec paulatim firmiori & duriori cibo assuescant, vitellis eis non opus fuit. Avibus autem quæ mammis & lacte carent pro fœtu tenero nutriendo vitelli humorem præparavit, & in ovi meditullio recondidit Dei ministra natura. Hæc omnia confirmat *Harvæus*. Absumitur, inquit, primò albumen, & vitellus serò tandem pro cibo est, lactísque vicem in jam natis Animalibus supplet. Nempe ut quale alimentum natura in viviparis animalibus per ubera porrigit; tale in oviparis per vitellum exhibeat. Quare accidit ut omni albumine absumpto, vitellus ferè integer in ovo supersit, perfecto jam & consummato pullo, diuque etiam post ejus exclusionem; nos enim etiam post sex septimanas nonnihil ejus in ventre pulli intestino affixum vidimus.

Quod fœtum ex albumine formari diximus, non de quacunque Albuminis parte intelligendum est, sed de puriore & lucidiore, in cicatricula dicta contenta, in qua fœtus primitus formatur. Imò verò huic prima embryonis stamina etiam ante incubationem inesse, quemadmodum plantarum seminibus seu ovis novellam plantam, observavit celeberrimus Vir, & naturæ arcanis indagandis sagacissimus, *Marcellus Malpighius*: Et quod magis adhuc mirum, etiam in ovis subventaneis aliquid molæ simile cicatriculæ inesse. *Harvæus* de formatione & nutritione pulli in ovo sibi parùm constare videtur, alibi enim ex utroque liquore albumine nimirum & vitello pullum tum ab initio formari, tum ali statuit. ut *v. g. Exercitat.* 36. ubi hæc habet. Enim vero ex ductu venarum umbilicalium, & propaginum illarum distributione, quæ proculdubio alimento hauriendo inserviunt, manifesto constat, materiam constitutivam & alimentum à prima statim origine, tàm à vitello quàm ab albumine nutriendo pullo suppeditari: & colliquamentum à nobis dictum, videtur non minus è vitello quàm albumine conflari; utriusque enim humoris aliquid colliquescit. Quin etiam macula ex qua primum dilatata fit colliquamentum, quæque oculus à nobis dicitur, vitelli tunicæ impressa cernitur. Alibi pullum primò colliquamenti liquore nutriri, deinde albumine tenuiore, tandem crassiore, ultimo vitello asserit. *Exercitat.* 21. Post diem decimum maxima albuminis pars in colliquamentum indeque in fœtum absumpta est; totum nempe albumen tenuius, crassiorísque pars major. Vitellus autem amplior quàm initio erat conspicitur. Unde manifestè constat, vitellum nondum nutritioni inservire, sed postea huic officio dicatum esse. Et quantum ex venarum ductu ac distributione conjecturâ consequi potui, fœtus ab initio statim ex colligamento nutritur; quippe in ipsum duntaxat venæ primùm disseminantur: deinde in tenuioris albuminis membranam, posteàque in crassius albumen & vitellum. Similiter & crassius mox albumen pro nutricatu est; ultimoque tandem vitellus, &c.

Ex ovo omnia, non in oviparis tantum animalibus, sed & in viviparis. Fœminis enim viviparis ova insunt, quamvis ea non pariant. Bina nempe corpora illa, *testes fœminei* dicta, nihil aliud sunt, ut superiùs diximus, quàm ovaria seu ovorum conceptacula aut congeries & massæ quædam ovorum minutissimorum, ut cuivis ea dissecanti manifestè patebit, ut mirari meritò possimus rem adeò apertam & evidentem curiosos Anatomicorum oculos tamdiu latuisse. Hoc autem interest inter Oviparorum & viviparorum ova, quòd hæc unico liquore, albumine sc. solo constare videntur, cùm illa duplicem triplicemque obtineant. Imò si rem exactiùs perpendamus, viviparorum ova cicatriculis ovorum dictis respondent, quibus fætus ab initio inest. Nam vitellus oviparis, ut diximus, lactis vice conceditur, & liquorem albumini analogum ex ipso utero imbibit ovum vivipari. Post coitum enim ovum fœcundum redditum in uterum devolvitur, eodem prorsus modo quo semen maturum ab arbore herbave in terram delabitur, ibidemque pariter humorem imbibit, quo fœtus intus conclusus nutritur. Deinde, post aliquod temporis spatium, utero se affigit, inque eum, seminis delapsi instar, velut radices agit.

In oviparis incubatio viviparorum gestationi æquivalet: in utraque enim ova pariter foventur; in hac intus in utero, in illa foras sub alis, usque ad partûs seu exclusionis tempus, cum fœtus jam grandior factus & aërem liberum suspirans, tegumenta eum involventia dirumpit & in lucem egreditur. Ovum autem *uterus expositus* non ineptè dicitur, eodem enim modo in oviparis fœtui alimentum subministrat, quo uterus in viviparis.

Ut alia Animalia sic & Aves diversarum specierum nonnunquam coire & semina miscere minimè dubium est, unde tertium quoddam spurium & utriusque speciei particeps oritur, quod tamen speciem suam minimè propagare existimo. Aliàs enim numerus specierum in utroque ferè Avium genere in infinitum crevisset. Sic etiam in genere Quadrupedum licet ex Asini & Equæ coitu mulus nascatur, mulum autem parere pro prodigio haberi solet. Fit tamen hic coitus inter Aves cognatas & ejusdem generis participes; præcipuè inter Accipitres aliasque rapaces diversarum specierum, partim quòd harum species sibi

sibi mutuo perquam similes sunt, partim quod omnes in Venerem admodum proclives.

Mirum est, quod in gallinaceo genere fieri quotidie experimur; Gallinas sc. absque uno Galli congressu ova concipere & parere, quæ quamvis undique perfecta videntur, sunt tamen irrita seu infœcunda; quæ Græci subventanea vocant, quasi Gallinæ vento implerentur. Nec Gallinæ solùm, sed & aliæ etiam aves, salaces præsertim & in Venerem proclives, cùm pruriunt & libidine turgent, si earum genitalia aut etiam dorsa leviter contrectentur aut demulceantur, ova nonnunquam edunt. Sic *Harvæus*, Imò verò, inquit, usque adeo libidinosæ interdum aves sunt, ut si dorsum earum manu saltem leviter tangas, statim procumbant, orificiumque uterinum nudent & exporrigant: quod si blande digito demulceris, vago murmure alarùmque gesticulatione gratam Veneris dulcedinem exprimunt. Quinetiam fœmellas ova indè concipere & *Aristoteles* autor est, & *ipsemet* in Turdo, Merula, alijsque expertus sum; idque olim primùm fortuito meóque damno didici. Psittacum nempe insignem doctéque garrulum uxor mea diu in delitijs habuit. Erat is adeò familiaris, ut quocunque vellet, liberè per ædes vagaretur; absentem Dominam inquireret; inventæ hilari voce adblandiretur; vocanti etiam responderet, advolaret, vestemque rostro pedibusque vicissim comprehendens, ad summum humerum scanderet, indèque ad brachium descendens super manum semper se sisteret. Jussus loqui aut cantare, etiam noctu & in tenebris, morem gessit. Sæpè ludibundus & lascivus sedentis gremium adibat, ubi caput sibi attrectari, dorsumque demulceri gestiebat; quassatisque alis & blando strepitu summam animi sui lætitiam testabatur: Ego hæc omnia ab usitatâ pridem familiaritate & obsequio proficisci interpretabar: marem enim sum arbitratus ob loquelæ & cantûs eximiam præstantiam. Quippe inter aves fœmellæ rarò cantillare aut voce invicem provocare solent: Sed mares solùm suavi vocis modulamine fœmellas delinire & ad Veneris obsequium pellicere animadvertimus.

Non diu post blandas has contrectationes, Psittacus qui multos jam annos sanus vixerat, ægrotavit, crebrisque tandem convulsionibus obortis, in Dominæ suæ gremio, ubi toties luserat, animam plurimùm desideratus expiravit. Dissecto itaque cadavere, ut mortis causam inquirerem, ovum ferè perfectum in utero reperio; sed ob defectum maris corruptum, quemadmodum aviculis in caveis inclusis sæpè accidit, quæ maris consortium desiderant.

Plurimæ itaque aves quantò salaciores, tantò etiam fœcundiores sunt, & aliquando sine mare, ob pabuli ubertatem, vel alia aliqua de causa ova concipiunt, rarò autem citrà ejus operam ea vel perficiunt, vel pariunt, sed morbis potiùs inde gravioribus tenentur, tandemque intereunt.

Non minùs mirum fortè cuidam videri possit, quòd unico maris coitu ova omnia quæ fœmina per integrum etiam annum proximè sequentem paritura est, fœcundentur. *Fabricius*, ut ab *Harvæo* citatur *Exercitat. 6. de gen. Animal.* Quod omnino verum sit, (inquit) virtutem fœcundandi tota ova, & quoque uterum à semine galli provenire, patet ex eo quod mulieres agunt, qui gallinam domi gallo destitutam habentes, eam per unum atque alterum diem alibi gallo committunt: ex hoc enim exiguo tempore succedit ovorum omnium fœcunditas per totum illud anni tempus. Et ego, inquit *Harvæus*, *Fabricio* patrocinaturus, aliquando vernâ tempestate, de coitûs fœcundantis tempore & necessitate aliquid certi indagaturus, gallinas duas à gallo seclusas per quatriduum detinui, quæ interea singulæ tria ova pepererant, non minùs alijs ovis prolifica. Iterumque aliam gallinam quæ decimo ab inde die ovum peperit, aliudque vicesimo & utrumque fœcundum. Ut videtur posse unum atque alterum coitum integrum racemum, omniaque illius anni ova fœcundare. Quæ sequuntur minùs considerate, & ex præsumpta opinione illum scripsisse puto.

Nam quamvis gallina in vitellario nulla ovorum primordia jam parata habeat, tamen post coitum fœcunda reddita, paulò post ova tùm in ovario generat, tum in lucem profert, eáque etiam prolifica. Scilicet non modò illorum ovorum, quæ adhuc vitelli duntaxat sunt, & albumine carent; aut quæ minima jam primordia in Ovario existunt; sed ea quoque ova ab eadem virtute fœcunda redduntur, quæ nondum inchoata, diu postea concipienda sunt.

Verùm ego summum virum hallucinatum puto, in eo quod affirmaverit gallinam cùm jam omnia sua ova pepererit & nullum in ovario supersit plura denuo parituram: Non enim video qui hujus rei experimentum capere potuerit; cùm si talem gallinam aperuisset, nec ullum intus ovum invenisset, non certo scire potuerit eam nova parituram si vixisset. Fortè opinatus est illam omnia peperisse ova, & vitellarium penitus exinaniisse, antequam glocire seque ad incubandum conferre cæperit. Quod si de omnibus gallinis glocientibus verum sit, ejus sententiam omnino confirmat. Ego verò cùm de alijs avibus minimè verum esse experientiâ didicerim, neque in gallinis obtinere credo, quamvis in eis nondum expertus fuerim.

His addemus observationem illam Harvejanam *Exercitat. 39. de gen. Animal.* Natura ijs ferè animalibus numerosos fœtus largitur, quæ viribus animisve imbecillia, ab aliorum injurijs ægrè se tutantur; adeòque vitæ brevitatem copiosâ prole compensat. Tribuit hoc avium generi natura (inquit *Plinius*) ut fœcundiores essent fugaces earum quàm fortiores. Cum enim generatio quælibet perpetuitatis gratiâ à natura instituatur, frequens ijs contingit quæ brevioris sunt ævi, & externis injurijs obnoxia, nè species deficeret. Ideòque aves quæ robore pollent & ex rapto vivunt, adeóque diuturniore & securiore vitâ fruuntur, rarò plùs quàm bina ova edunt. Columbæ quidem, Palumbæ & Turtures bina duntaxat ova incubant, sed numeri defectum frequentiâ compensant: decies enim quotannis pariunt. Multum itaque generant, licet non multa.

De Ætate Avium, quàmdiu scilicet vivant.

Aves ex Animalibus sanguineis calidioribus maximè sunt longævæ. Quadrupedibus certè pro corporis proportione multo vivaciores. Cygni vel trecentesimum ætatis annum assequi traduntur. Anserem octuagenarium sanum & validum & multos adhuc annos superfuturum ni ob malitiam suam illum occidere coactus fuisset, parentem suum aluisse, ab amico quodam nostro summæ fidei certiores facti fuimus. Quid quod Onocrotalus ille, qui Maximiliani Cæsaris temporibus Mechliniæ altus fuit octuogenarius certò credebatur. Quæ de Aquilæ & Corvi ætate feruntur, quamvis fidem omnem superant, docent tamen multum adhuc esse quod vero supersit. Compertus est apud nos (inquit *Albertus*, citante *Aldrovando*) Columbam vivere per viginti annos. Quod ad Columbas domesticas attinet, inquit *Aldrovandus*, retulit mihi vir quidam fide dignus & rerum naturalium non imperitus, se à patre suo, qui Columbacei generis aliarùmque avium studiosissimus esset, audivisse, Columbam habuisse viginti & duobus annis, & semper generâsse, excepto ultimo seme-

ftri, quo cœlibem vitam, relictâ conjuge, elegerat.

Et ut alites mittam, minimæ etiam aviculæ quàm diutissimè vivunt. Nos Linariam novimus quatuordecim minimum annos in cavea enutritam, quæ nulla adhuc languoris aut senij signa præferebat. De Carduele *Gesnerus* à necessario quodam suo sic sibi scriptum memorat. Carduelis avicula etiam ultra vigesimum annum vivit. Moguntiæ enim puer vidi Carduelem egressum viginti tres annos, cui singulis septimanis rostrum ac ungues præcidebantur, ut Papaver, cibum potúmque capere & suo loco consistere possit. Nec dubium est, quin liberæ & sui juris, cùm aperto semper cœlo fruantur & victu naturali gaudeant quod etiam undique conquirendo corpuscula exerceant, multo diutiùs vivant quàm in ædibus & caveis conclusæ.

Quod *Plinius* de Animalibus observavit, *diutius sc. gestari, quibus sunt longiora vitæ spatia*, de Animalibus ejusdem generis accipiendum est. Nam si conferantur animalia diversi generis, vivaciora nonnunquam invenientur, quæ minùs diu in utero gestantur, ut Aves Quadrupedibus. Quod si objiciatur, hæc inter se conferri non posse, quoniam Aves in utero non gestantur, respondemus incubationem in oviparis, viviparorum gestationi æquivalere; in utraque enim ova pariter foventur, in hac intus in utero, in illa foras sub alis, ut superiùs ostendimus.

De Proprietatibus quibusdam & Accidentibus Avium v.g. Figura & magnitudine, colore, instinctibus naturalibus, ingenio, &c.

Corporis truncus brevior latiorque & crassior est Avibus quàm Quadrupedibus; caput pro portione corporis multo minus. Cùm enim volucres eodem ferè modo aërem tranent, quo naves aquas, corpus earum carinæ, caput proræ (quæ ob similitudinem etiam Rostrum navis appellatur) cauda gubernaculo seu clavo; Alæ remis velisque respondent: unde & *Poeta* eleganter Remigium alarum dixit.

Pennata omnia in genere Quadrupedibus minora sunt, h. e. maxima maximis. Unde fabulosa omnino existimo quæ de *Ruck* ave feruntur, itemque de *Cuntur*, quòd sc. alis expansis 15. aut 16. pedes occupet, rostroque instruatur tam duro ut eo vaccinum tergus perforet. Plumis albis nigrisque mixtis vestiri dicitur, cristam parilem instar novaculæ & non serratam instar Gallinaceæ genere. Duæ illarum, inquiunt, vaccam occidere & comedere valent, nec ab hominibus abstinent. Pauciores sunt; plures si reperirentur pecus universum in Peruvia destruerent. Species quatuor in insula Marignana occurrere scribunt. *De Laet. Hist. Ind. Occident. & Lerius Hist. Bras.*

Aves ejusdem generis cicures & domesticæ pro diversitate Regionum in quibus degunt, victûs quo utuntur, aliorumque accidentium, coloribus, sapore carnis, magnitudine & fortè etiam corporis figurâ plurimùm variant: feræ pleræque eâdem proximè magnitudine sunt, eosdemque colores servant. Pleræque dico, sunt enim paucæ quædam quæ etiam liberæ suique juris, seu naturâ feræ, coloribus plurimùm variant, ut *Aves pugnaces*.

Ungues, pili, cornua & similia (inquit *Aristoteles*) gignuntur ex cute: quo fit, ut ipsa colorem pariter cum illa immutent: alba enim & nigra & vario modo diversa pro colore cutis redduntur. Hæc autem in avibus omnibus longè aliter se habent: cujuscunque enim coloris plumæ fuerint, subjecta cutis non nisi unum exhibet. Quinetiam una eademque penna varijs interdum coloribus miroque ordine tingitur. *Hac ex Harvæo.*

Ex Avibus aliæ gregatim volant & degunt, ut Columbæ: aliæ ut gallinaceum genus coëundi & pariendi tempore binæ tantum, mas sc. & foemina: à partu verò unà cum sua prole degunt. Hæ pullos cùm jam adoleverint & sibi ipsis prospicere possunt à se procul abigunt.

Aves nonnullæ conjugalem vitam degunt, ità ut mas unus uni maritetur fœminæ, ambóque proli enutriendæ socias præstant. Sic Perdices vitâ conjugali gaudent. Columba quoque mas incubandi vices, nidum componendi, pullósque nutriendi subit. In his autem quæ conjugio copulantur, plures mares quàm fœminæ nascuntur in quibus unus mas pluribus fœminis sufficit.

Aves pleræque dum dormiunt caput retorquent & sub ala recondunt: pleræque etiam inter dormiendum unico pedi insistunt, altero sublato, ut calore corporis foveatur.

Dari in Animalibus instinctus quos vocant naturales vel sola nidificandi ratio in avibus ad fidem faciendam sufficiat. Cùm enim quæ ejusdem speciei sunt in remotissimis & longè à se invicem disjunctis orbis terræ partibus, ex eadem semper materia nidos construant, eandémque eorum formam perpetuò observent, necesse est ut id vel institutione aut parentum imitatione addiscant, vel instinctu naturæ efficiant. At neque institutione, quis enim docentes discentesve vidit unquam? neque verò imitatione, pulli namque admodum juvenes nidos deserunt, cùm jam nullo ingenio sunt, nec quicquam ferè præter victum aut curant aut animadvertunt: At neque unquam parentes nidum componentes videre potuerunt; nec alias sui generis aves, quas imitentur, cùm ipsi Vere à nativitate sua proximo nidificent, Superest ergo, ut instinctu agant.

Lubet hîc cum *Harvæo* mirari, quantâ sedulitate ac patientiâ aves fœminæ ferè omnes, dies noctesque totas nidis suis insideant, seseque macereat, ac præ fame propemodum enecent; quantisque periculis se exponant ut ova tueantur; quæ si aliquando coactæ tantillum relinquerint, hem! quanto ardore ac festinatione eadem repetunt & operiunt? Anates & Anseres interea dum paulisper abfuerint, ova stramine tegunt & occultant. Quâ verò magnanimitate imbelles sæpè matres ova sua protegunt? quæ tamen fortasse subventanea aut urina fuerint, aut etiam non sua; imò verò artificialia interdum ova pari animi fortitudine defendunt. Stupendus profectò avium amor erga ovum iners & vitâ privatum, quod tantæ solicitudini nihil commodi aut voluptatis retribuant. Quis non admiretur affectum illum aut furoris potiùs glocientis gallinæ, qui extingui nequit nisi aquâ frigidâ obruatur. Durante hoc animi impetu cuncta negligit, & ceu furibunda alas dimittit dum hispidæ surriguntur plumæ; inquieta & querula obambulat; alias gallinas nido deturbat; ova passim quærit quæ incubet; nec quiescit, donec aut illa nacta fuerit, aut pullos quos deducat; quos sanè miro zelo & ardore convocat, fovet, pascit, ac tuetur. Quàm lepidè risum movet gallina, dum supposititios Anatis pullos quos pro suis exclusit in aqua natantes sequitur, locumque sæpe ambiens, cum periculo vadum tentans, invocat, mirisque artibus ad se pellicere satagit.

Aves omnes tempore coitûs loquaciores sunt & vocaliores.

Aves multò citiùs crescunt & justam magnitudinem assequuntur quàm Quadrupeda. Quæ enim cibo in os ingesto à parentibus nutriuntur pleræque intra mensem unum aut sex summum hebdomadas, nonnullæ multò citiùs ad volandum idoneæ, debitam

tam speciei suæ corporum mensuram proximè attingunt: intra semestre spacium omnes perficiuntur. Nec hoc tamen in ijs, ut in Quadrupedibus, vitæ brevis indicium est.

Aves non paucæ ingeniosæ admodum sunt, ut vel inde constat, quòd humanis vocibus imitandis dociles; quas nullum unquam quadrupes (quod equidem audiverim) efferre aut efformare potuerit, quamvis eorum organa multò ad id aptiora esse, utpote humanis conformia, videantur.

De Insulis, rupibus & clivis quibusdam insignioribus circa Angliam, ubi Aves maritimæ magno numero quotannis nidificant & pariunt.

Aves aquaticæ complures, præcipuè autem maritimæ, gregatim quotannis nidificant & pariunt, vel in excelsis rupibus, vel in insulis desertis minusve habitatis, vel in clivis maritimis. Hujusmodi loca celebriora circa Angliam sunt.

1. Bassa insula in æstuario Edinburgico, non procul à litore sita, quam *Harvæus* non minus verè quàm eleganter his verbis describit. Est insula parva, Scoti Basse nominant, abrupto & confragoso clivo editissima (veriùs saxum ingens sive scopulum dixeris) haud amplius mille passum circuitu amplitudo ejus clauditur. Hujus insulæ superficies, mensibus Majo & Junio, nidis, ovis pullisque propemodum tota instrata est; adeò ut vix uspiam, præ eorum copiâ, pedem liberè ponere liceat: tantaque supervolitantium turba, ut nubium instar, solem cœlumque auferant; tantusque vociferantium clangor, & strepitus, ut prope alloquentes vix audias. Si subjectum mare inde, tanquam ex edita turri & altissimo præcipitio, despexeris, idem quoquoversum infinitis diversorum generum avibus natantibus prædæque inhibiantibus opertum videas; ut aprici colles, montesque acclives frequentissimis ovium caprarumque gregibus obsessi eminùs spectantur. Si circum navigando imminentem clivum suspicere libuerit, videas in singulis prærupti loci crepidinibus & recessibus avium cujuslibet generis & magnitudinis ordines innumerabiles, plures sanè quàm illuni nocte & sereno cœlo stellæ conspiciuntur: Si advolantes evolantesque eminùs aspexeris apum profectò ingens examen credas. Hactenus *Harvæus.* Hallucinatum tamen puto cùm inter alia ex reliquijs nidorum foco utilium reditus annui partem aliquam possessori accedere scripsit. Nam hoc genus avium, nunquam festucas, virgulta, aliàmve foco utilem materiam nido extruendo conquirit, sed vel in nudis cautibus ova ponit, vel paucissimas festucas & quisquilias ijs substernit.

Aves autem quæ Insulam hanc præcipuè frequentant ut inibi pariant sunt. 1. Anseres Bassani dicti, Scotis *Soland geese*, qui hujus insulæ proprij sunt, nec alibi (quod scimus) circa Britanniam pariunt, Cùm nos ibi essemus medio Augusto, cæteræ omnes aves discesserant, soli Anseres remanserunt, necdum enim pulli eorum penitus adoleverant. 2. Turtur maritimus hìc dictus, ob similitudinem aliquam quamvis palmipes sit. Avem hanc nos non vidimus, suspicamur tamen eam esse quam sub titulo Turturis Groenlandici descripsimus. Hæc etiam hujus insulæ peculiaris est. 3. *The Scout*, quæ vel Lomvvia est, vel Halka *Hoieri*: putamus tamen utrámque speciem hìc parere. Hæ etiam alibi plurimis circa Angliam locis inveniuntur. 4. *Scarfs*, quos ex nominis cum Germanico *Scharff* convenientia, Corvos marinos esse conjectamur. 5. Larorum variæ species.

2. Farnæ insulæ propè Bambergam pagum in litore Northumbrico arce jam ferè collapsa olim celebrem; quæ quotannis frequentant ut ibi pariant 1. Anates *S. Cutberti* dictæ, *Wormio*; ut puto Fider. Hæ pullos recens exclusos ad mare deducunt, cùmque eis mox insulas deserunt, neque eas iterum respiciunt, aut redeunt ante Ver proximum; nec alibi quàm in his insulis; quod equidem audivimus; pariunt aut conspiciuntur. 2. *Guillemots*, i. e. Lomvviæ *Hoieri*, 3. *Skouts*, i. e. Alkæ *ejusdem*. 4. *Conternebs*, marini aut Graculi palmipedes. 5. *Puffinets*, quas nomen Puffinos Anglicos esse, arguit; verùm descriptio nobis exhibita Turtures potiùs Bassanos. 7. Larorum variæ species, nimirum *Annets, Pickmires, Terns, Mirecrovvs*, hìc dicti.

3. Clivi maritimi circa Scarburgum in Comitatu Eboracensi, ubi præter Laros Æstate pariunt Anates Arcticæ *Clus*, hìc *Mullets* dictæ, Alkæ *Hoieri*, eodem nomine sc. *Aucks* hìc notæ; Lomvviæ quoque ejusdem Hoieri, quas *Skouts* vocant.

4. Insula quædam celebris non procul à Lancastria, *The Pile of Fouders* dicta, quam pariter Avium maritimarum diversorum generum magni greges, Æstivo tempore quotannis frequentare, ibidemque nidificare & parere dicuntur.

5. Insula Mona, cum alia parva adjacente, *The Calf of Mann* dicta, in quibus præter Anates Arcticas, Alkas *Razor-bills* dictas & Lomvvias, Puffini Anglici nidificant, nec usquam alibi (quod sciam) circa Angliam præterquam in insulis Sorlingis.

6. Presthólma insula inculta & deserta non longè à Bello marisco Angleseiæ (seu Monæ insulæ *Taciti*) oppido primario. Hìc etiam Anates Arcticæ Puffini dictæ, Alkæ & Lomvviæ, necnon Corvi marini & Larorum variæ species pariunt.

7. Bardscia insula ad extremum angulum seu Promontorium Carnarviæ in Wallia.

8. Lundia insula in æstuario Sabriniano.

9. Clivi maritimi non procul Tembeia in Wallia.

10. Godreve insula, seu potius rupes, non procul ab oppido *S. Ives* in *Cornubia*, Alkæ & Lomvviæ, *Murres*, & *Kiddavvs* dictæ nidificant.

11. Sorlingæ insulæ in alto mari ab extremo Cornubiæ promontorio *the Lands end* dicto 30. circiter milliaribus in Occidentem remotæ, in quibus præter alias aves Puffini quoque nidificant.

12 *Caldey* insula.

13 *Erme* insula, prope Guerneseiam.

De Divisione Avium.

Aves in genere dividi possunt in *Terrestres* & *Aquaticas*.

Terrestres sunt, quæ aquas minimè frequentant, sed in siccioribus plerunque degunt.

Aquaticæ sunt, quæ vel in aquis vel circa aquas plurimùm versantur, & in aquosis plerunque victum quærunt.

Terrestres sunt vel rostro & unguibus aduncis, γαμψώνυχες Græcis dictæ; vel rostro & unguibus rectioribus minùsque hamatis: illas *uncungues*, has *rectungues* brevitatis causâ dicemus.

Γαμψώνυχες seu *uncungues* sunt, vel *carnivoræ* & *rapaces*, aliorum animalium prædâ & laniena plerunque victitantes; vel *frugivoræ* & mansuetiores, ut *Psittaci*.

Carnivoræ & *rapaces* sunt vel *diurnæ*, quæ interdiu prædantur, vel *nocturnæ* quæ internoctu.

Rapaces diurnæ dividi possunt magnitudinis ratione in *majores* & *minores*.

Majores sunt, vel generosiores, quibus Rostra ab initio seu radice statim adunca, *Aquilæ* dictæ; vel *ignaviores* & minùs generosæ, quibus Rostra aliquousque recta, versùs extremitatem in uncum curvantur, *Vultures* denominatæ.

Mi-

Minores, Accipitres in genere dictæ, sunt itidem vel *generosiores* quæ magno studio cicurari & ad Aucupium institui solent, *Havvks* nostratibus dictæ: vel *ignaviores* minùsque generosæ, ideóque ab Aucupibus neglectæ, quas, quoniam liberas suique juris esse permittunt, feras aut sylvaticas meritò dixeris.

Institui solitæ ab Aucupibus nostris dividi solent in *Macropteras* seu alis longis instructas, & *Brachypteras* seu alis brevibus. *Macropteras* vocant quarum Alæ complicatæ ad extremam ferè caudam pertingunt: *Brachypteras* in quibus Alæ complicatæ ab extremitate caudæ multùm deficiunt.

Aves rostro & unguibus minùs hamatis sunt vel *majores*, vel *minores*, quas *Aviculas* vocamus. *Majorum* titulo complectimur quotquot Turdum simpliciter dictum magnitudine vel excedunt vel æquant. Nonnullis tamen generibus (ut v. g. Picorum) ob notas generis characteristicas communes, unam vel alteram avem etiam Turdo minorem accensere coacti sumus, Majores sunt vel Rostris crassis, validis & longiusculis, rectis; vel minoribus aut brevioribus. Priores sunt vel carne, insectis, frugibus, aut saltem insectis & frugibus promiscuè vescentes, vel insectis tantùm. Illæ colorum respectu in duo genera dividi possunt, nimirum *Corvinum*, quibus corpus totum unicolor ferè & nigricans & Picis affine, quibus corpus pennis diversis coloribus varium. Insectivorarum in hoc genere unica tantùm est familia, nimirum Picorum Martiorum.

Rostris brevioribus aut minoribus donatæ sunt vel carne alba, vel carne nigra. Carne albâ præditas Gallinaceum genus vocamus. Carne nigrâ sunt vel majores qui bina duntaxat unâ vice ova ponunt, ut Columbæ, vel minores quæ plura duobus ova pariunt, ut Turdi.

Aves minores, aviculæ nobis dictæ, sunt vel Rostris tenuioribus, vel Rostris crassioribus. Utriusque generis plures sunt species subalternæ. *Wilughbeius in Ornithologia.*

AVORNUS, vid. *Frangula.*

AURANTIA, vid. *Mala Aurea.*

AUREA ALEXANDRINA, vid. *Electuarium.*

AURELIA, vid. *Elichryson.*

AURICALCUM, vid. *Cadmia*, Item *Æs.*

AURICULA ASINI, vid. *Auricula Ursi.*

AURICULA JUDÆ.

Nomina. Fungus membranaceus auriculam referens sive Sambucinus *C. B.* F. Auriculæ Judæ, coloris ex cineraceo nigricantis, perniciosus, in Sambuci caudice nascens *J. B.* F. Sambucinus, sive Auricula Judæ *Ger. Park.*

Brevissimo vel potiùs nullo pediculo nititur, sed caudici arboris inhæret, aut singularis, aut geminus, membranaceâ cute constans, implicatâ & sinuosâ, coloris ex cineraceo nigricantis. *Vulgus* Auriculam Judæ nominat, cartilagineâ enim & membranaceâ est substantiâ quemadmodum auris.

Vires. Fungus hic exsiccatus etiam per annum servari potest. In lacte decoctus aut aceto maceratus, in Angina alijsque oris aut gutturis tumoribus aut inflammationibus exhiberi solet, ad gargarisandum aut guttur eluendum. Omnis generis inflammationes & tumores ex aqua rosacea aut vino impositum sedare & reprimere tradidere quidam. *Trag.*

Oculorum affectibus medetur in aqua appropriata maceratus & impositus. *J. Rajus è Schrod.*

AURICULA LEPORIS, vid. *Bupleurus.*

AURICULA MURIS, vid. *Pilosella.*

AURICULA URSI.

A similitudine aliqua foliorum nomen sortita est, differt à Primula veris, cui aliàs simillima, folijs lævioribus, densioribus, succulentioribus, floris calyce breviore, ut florum tubi ferè nudi appareant, foliorum quorundam rudimentis in caulis vertice è quibus florum pediculi exeunt.

Nomina Auricula ursi flore luteo *J. B. C. B.* ursi lutea *Park.* Sanicula Alpina lutea *Ger.*

Vires, Vulneraria est hæc planta, adstringens, detergens & consolidans: Ac propterea in ulceribus pectoris aliarumque partium, in hernijs & extus & intùs usurpatur.

AURIPIGMENTUM.

Auripigmentum, seu Arsenicum, fuligo sive succus est mineralis, pinguis, inflammabilis.

Græcè ἀρσενικὸν, ἀρρενικὸν. Arabicè Harnet & Zarnich.

Genera ejus tria recensentur, album videlicet, (Arsenicum in specie sic dictum, seu arsenicum Crystallinum,) Citrinum seu Flavum, (Risigallum Auripigmentum,) & tertiò Rubeum Sandaracha.

Ex his album in Medicina usitatissimum est, fulvum raró, rubrum rarissimè. Eligatur album Crystallinum, ponderosum, durum, purum, ad lacteum colorem tendens.

N. *Arsenicum Crystallinum factitium est, fitque sublimando ex auripigmenti scobe & sale anaticè mixtis. Auripigmentum & Sandaracha nativa sunt, nec differunt, nisi quod Sandaracha auripigmento sit magis in terris excocta.*

Vires. Inter Venena loco haud ultimo Arsenicum recensetur, nec immeritò, quippe præter summam acrimoniam, tantâ quoque malignitate vitæ nostræ Balsamo infestum est, ut non modo intus assumptum, sed & extrisecus adhibitum horrenda Symptomata introducat.

Qualia sunt,

Convulsiones, manuum ac pedum stupiditates, sudores frigidi, palpitationes, deliquia cordis, vomitiones, corrosiones ac tormina, sitis, æstus, &c. *Exempla vide sis apud Salm. in Ternar. Bezoard. cap. 27. apud Schenck. & alios.*

Verum enim vero nec facultatibus caret utilibus, quas intrinsecus in curanda peste reliquisque venenatis affectibus, ut & in scabie maligna, cancrosa, &c. conferre potis est, modò qua decet ratione præparetur.

Extrinsecus adhibetur ad partem quamvis pilis denudandam, nonnunquam & cauterijs, amuletisque admiscetur.

Auripigmenti & Sandarachæ Vires eædem ferè sunt, nisi quod in Arsenico paulum sint mitigatiores, idque ob sal in præparatione ejus accedens.

N. *Sandaracha Arabum est Gummi Juniperi.*

Præparata.

Præparationis scopus eò dirigendus est, ut acrimonia mitigata dulcescat, auraque maligna & volatilis separetur, Huic scopo media destinata reperimus, sublimationem, fixationem, & liquationem.

HOFMAN. *De Arsenico*) *Arsenicum* in specie sic dictum factitium quid est, & per [illegible]ationem ex auripigmenti scobe, & sale anaticè mixtis conficitur, hinc non

non in fodinis, sed fornacibus reperitur. *Auripigmentum* autem & *Sandaracha* nativa sunt, & ejusdem naturæ in iisdem reperiuntur mineralibus, solo colore differentia, hoc rubro vel subluteo, illud citrino est colore. Sandaracha est etiam vel nativa, vel factitia. Hæc fit ex Auripigmento.

N. *Sandaracha Arabum est Gummi Juniperi.*) *Sandaracha*, vel *Sandarax*, & *Vernix*, gummi juniperi promiscuè & indifferenter in formulis usurpantur; jam tutò & absque periculo illis vocabulum gummi juniperi inserere licet, *Sandarachæ* verò non ita. Cùm *Arabes*, ubi mentionem faciunt Sandarachæ, gummi juniperi vel vernicem in suis formulis intelligi velint. *Græci* autem contrà, cùm non modò dictum gummi, sed auripigmentum præsentissimum venenum suis compositionibus immisceant, ne error committatur, tutius est imposterum, gummi juniperi semper gummi juniperi, & auripigmentum semper auripigmentum scribere.

Vires. Inter Venena Arsenicum loco haud ultimo recensetur.) Venena duplicia sunt; Alia simpliciter talia sunt, quæ nec sanis nec ægris prosunt, sed omnibus & semper nocent. Alia, quæ interdum quidem nocent, & hominem interimunt; aliquando tamen & secundùm artem adhibita in usum medicum venire possunt. Ex horum numero & *Arsenicum* est. Hujus virulenta qualitas per fixationem, mortificationem & reveberationem ita demulceri potest, ut ex ipso medicamenta præsertim ad externos usus confici possint non facultatibus utilibus carentia. Licet Myrepsus eo crudo usus sit in Antidoto Persicâ & in Antidoto Musæ Apollonio adscriptâ. *Avicenna* etiam illud intrinsecus propinavit, nec non *Galenus* cum galbano illud suffitu attractum tussientibus præscribit. *Jos. Quercetanus* illud in scabie ac peste commendat. Verùm ejusmodi deleterium ac venenatum medicamentum internè adhibere cuivis Medico Christiano debet esse religio.

Externè autem an rectè in ulceribus cancrosis applicetur, videatur *Cista medica Epistol. pag. meâ* 132. & 172. *Cl. Helmontius* p. m. 259. §. 13. Realgar statuit fixum, seu Arsenicum per Nitrum in sulphur adstringens mitigatum innumerabiles ulcerum diversitates corrigere & extinguere, dum miti suo veneno ipsum ulceris fabrum & cruoris corruptorem enecat. Vide Arcanum ad cancros persanandos Dr. Pr. in thesaur. pharmaceutic. annexo sect. x. n. xxx.

Sublimatio.

Unde

1. *Arsenicum dulce.*

♃. *Auripigmenti cryßall. q. v. sublima per se deinde in Crucibulo opt. horar. 2. spatio decoque* [*sic enim sua nigredine & farina quadam levi atque corrosiva spoliatur.*] *Postea cum squama æris, iterum sublima.* (*qua venenum illius crassius atque nigrius retinebit.*) *Tandem bis ac ter cum Sale commun. præparato sublima, Postea perfecte dulcoretur.*

N. *Illius perfectio ex eo cognoscitur, quando Metallis injectum, candorem illis conciliat & indit perfectissimum qui remanet etiam in iis, postquam ignita fuerint: Cum tamen Auripigmentum crudum eadem nigrefaciat, atque fumo quodam infesto, quem oculus & olfactus non sine noxa, & incommodo sentire possunt, contaminet & inficiat.*

Vires. Tantum abest quod assumentibus noceat, ut quoque benigne & sine ulla perturbatione ea venena expurget, quæ alijs Catharticis nullatenus cedunt.

Usus. Dari potest illius sublimati substantia, in fusione ad pondus 5. 6. 7. Querc. in Alexexicac.

Potest & per deliquium in 🜍 redigi ulceribus utile.

HOFM. *Sublimationis illius perfectio ex eo cognoscitur, quando metallis injectum candorem illis conciliat.*) Hoc ingreditur pulverem illum ex mineralibus compositum venenatum, aliàs notissimum, cujus adminiculo S. S. S. facto cum ☿ ℔j. & ☽næ finiss. (seu per aq. fort. solutæ, & postea ☿ præcipitatæ,) ℥j. igni rotæ per bihorij spatium ad fluxum concreditis, ex ☿ nere ☽na conficitur, omnes sustinens probas præter eam, quæ fit in cineritio sub cappellâ. N. Auripigmentum si sublimatur, largitur inter partes ejus, quæ sursum evolant, massulas quasdam, quæ etsi minerale ipsum sit probi coloris flavi, satis habebunt rubedinis, ad æmulandum Rubinos tum colore tum transparentiâ. De cæteris nihil animadversione vel annotatione dignum occurrit.

Aliter.

2. *Rubinus Arsenici diaphoreticus.*

♃. *Auripigmenti q. v. sublima bis vel ter in Arena, semperque separa ☿erem subtilissimum, qui in cucurbita instar farinæ volatilis adhæret, est enim Auripigmenti venenum, partem Crystallinam misce exacte cum flor. Sulphur. ana & sublima.*

Vires. Est specificum in affectibus pulmonum ex crassis catarrhis. Datur quoque ad sudorem ciendum, in morbis malignis & venenatis.

Extrinsecus si adhibeatur, curat omnia ulcera maligna curatu difficilia.

Dosis à gr. 5. ad 8.

N. *Auripigmentum hac ratione præparatum ad ℈j. secundum Tentzel exhiberi potest. Tentzel in Exeg Querc.*

Eodem modo potest parari & Rubinus ex auripigmento æquali dosi, & ad similes affectus adhibendus.

Arsenicum sublimatum.

♃. *Auripigmentum Sal. Com. tost. colchotar. limaturæ mars. an. M. sublimaque dando △m per gradus, quod sublimatum est, tum novis speciebus misce, & ut prius sublima, idque repete. Basil.*

Fixatio seu Calcinatio.

Unde.

1. Auripigmatum fixum, & exinde 🜍.

♃. ⦵ *Cryßall.* (*vel Auripigmenti illius sublimati,*) *Sal. Nit. purific. an.* (*alij* ♃. *Auripigmenti p. j. Sal. Nit. p. ij. Alij* ⦵ *Sal. Nit. Tart. an.*) *M. ac injice per vices in Crucibulum versaque spatula,* (*cavendo fumum,*) *donec cesset Ebullitio. Postquam cuncta injeceris, da △m fortiss. per Horas 4. 6.* (*alij* ♂ *integrum*) *Tandem edulcora Sal. Nit. calida ▽ separando remanebit in fundo ☿ albissimus* ⦵ *i fixi. Basil.*

N. 1. *Felicius hæc calcinatio procedit inter duo Crucibula luto connexa, cum spiraculo ad fumi egressum.*

N. 2. *Mullerus terria vice calcinationem illam cum Nit. ana repetit, ☿erem singulis vicibus ▽ dulcorando.*

Vires. Inservit. Oleo per deliquium præparando ad vulnera, ut & Auripigmento fixo sudorifero.

Eodem modo potes procedere cum Realgare argenti, Cadmia, & simil.

♃. *☿eris arsenici fixi, q. v. imbibatur 🜍o Tart. p. d. aliquoties,* (*ter.*) *Denique dissolve materiam in aqua vitæ ut extrahatur & separetur totus Sal, & restabit ☿ alb. & fixus, quem separa.*

Vires. Sudorem movet, datur cum Theriaca.

Dosis g. 3. 4. 5. *Mullerus in miraculis Chymicis, Querc. in Spag.*

3. Re-

3. Regulus ☉☉ & Auripigmenti S. *Closs.*

℞. *Hujus vel illius ℥viij. Sal. Nit. & Tart. simul detonatorum per accensum carbonem ℥vj. limat. martis ℥iv. pulv. carbonum ℥j. M. fundantur in Crucibulo & regulus concutiendo ad fundum depellatur, qui purior quàm ille ℥ ij.*

N. *Ex hoc Regulo in flores ♎ato putrefactionem cum salibus resuscitantibus & ✳ fieri volunt ☿um ☉☉ corporalem. Fides sit penes Experientiam.*

Liquatio.

1. 🜕 Auripigmenti Anodynum, Butyrum Auripigmenti, Liquor Auripigmenti.

℞. *☿eris Auripigmenti fixi, q. v. dissolvatur in cella per deliqu.*

Vires. Conducit venenatis ulceribus in Lue Venerea, Cancro, Serpigine, ani fistulis, morsu canis rabidi.

Usus. 🜕 *Auripigmenti illius, (☿eris,) tantum in ▽ plantagin. vel persic. solvitur, ut mixtura ipsa gustu linguæ tolerari possit. Aquâ illa lavetur vulnus seu ulcus.*

Basilius in rep. L. Ph. addit Sal Tartari & ad liquescendum exponit.

2. *Aliter.*

℞. *Butyri Auripigmenti ʒ. j. ol. Mirrh. ʒ. ij. Misce.*

N. 1. *Paracelsus l. de mort. rer. natur. hanc Auripigmenti fusionem cum Sal. Nitr. liquefactionemque subsequentem in cella, mortificationem vocat, atque Auripigmentum, Realgaria, &c. simili modo mortificari posse perhibet.*

N. 2. *Quercetanus in spagyr. præparat. præparationes Auripigmenti datas ænygmaticè describit, quas enuclavi in Querc. Redivivo.*

Destillatio.

Spiritus & Butyrum Auripigmenti.

Fit ex parte una Auripigmenti & partibus duabus Mercurij sublimati destillatis per Retortam, ut fieri solet in parando butyro Antimoniali; primò egreditur spiritus subtiliss. semper fumans, & sub finem liquor crassus qui in aqua comm. præcipitatur, vel in suo liquamine servatur.

Vires, Spiritus dicitur Ferrum solvere radicaliter, tincturisque ingressum præbere in corpora metallica. Butyrum verò est Septicum violentum Cancrorum ulceratorum eradicativum, debet autem ei par quantitas opij ad sensum doloris obtundendum permisceri, & ex filo carpto circumcirca admoveri cum defensivis convenientibus. *Ex S. Clossæo* Schroderus ab Hoffmannô annotatus.

Aurium Sordes, vid. *Cerumen.*

AURUM.

Fodina Auri ejusque conditiones.

Primò summo studio observanda est vena Auri, ex qua lapidum specie originem suam traxerit, (siquidem hîc venam non pro nativa loci vena, aut montis sumimus, sed pro materia montis jam egesta.) Si itaque in *Lapide Lazuli* venam auri inveneris, duplici beneficio beaberis, partim auro inde extracto, & lapide Lazuli, qui uti inter lapides non infimum locum occupat, ità partim Medicis, ad variarum infirmitatum medelam, partim pictoribus, ad colorem illum ultramarinum cœruleum, quo neque pretiosior, neque carior habetur, maximè opportunus est. Aurum ex eo ità extrahitur. Primò vena Lazuli in pollinem redigitur; deinde pulvis catino impositus probè lotus, Mercurio ad amalgamationem usque saturatus subigatur, & lapidis farina Mercurio innatabit, aureus verò fœtus fundum petet; Mercurium verò auro adhuc saturatum per coriaceam bursam remanet unà cum scoria argenti vivi separabitur, quod denuo lomento purgatum integrum, & purum reperitur.

Alij sic faciunt, modo priori usitatiori: Lento igne venam auriferam in fornace aperta torrent tamdiu usquedum humiditas omnis evaporetur, quæ deinde ope molæ in pollinem redacta, & alio quovis modo comminuta, per cinericium, quam cupellam vocant, addito plumbo fundenda est, atque hoc pacto aurum separabitur à sua vena, & à plumbo, ut in sequentibus fusiùs patebit.

Generatio Auri.

Aurum ex halitu Sulphureo - Mercuriali purgatissimo intra purissimam appropriatæ terræ salinæ matricem generatur, & diuturno temporis tractu à modico calore excoquitur. Quoniam verò hæc operatio non nisi per longum temporis spatium elaboratur, hinc fit, ut natura auri hanc claritatem caritatemque adipiscatur, similem originem hæc carmina manifestant:

Mox inde ad matris descendens viscera magnæ
Reptes spectatum thalamos, prolem atque nepotes
Sulphuris, & vivi Argenti in c[a]ligine cæca.
Ve, mihi crede, sat est vires tenuisse propinquas,
Unum hoc efficies gemino quod pendet ab ortu.

Sunt præterea multi ex *Alchymistis*, qui auri generationem arti perperam adscribunt, ob multas, quas de hac re legerunt non historias sed fabulas. Inter alias verò adducunt hominem Maurum, qui in regione Mauritaniæ apud fabrum, pulverem quendam citrinum argento fuso addebat, & illud in aurum illicò vertebat; vixisse quoque referunt hominem in Gallijs, qui habebat oleum rubrum, quod Lunam, nempe argentum, in lucidissimum Solem, id est in purissimum aurum, utique per imposturam transmutabat. *Picus Mirandulanus* dum suis temporibus aurum in ventriculis perdicum, inventum fuisse narrat, nil mirum dicit; quis enim nescit, gallinas, perdices, anates, similesque volucres nil magis appetere, quàm metallica corpora. Ad ripas itaque fluminum aurea ramenta arenæ passim commixta devorâsse, verò haud absimile est; quæ calore stomachi in unam postea confluxerint massam; non ut ipse putat, occultâ eduliorum potestate generatum, quanquam Naturam hanc virtutem superficiei terræ impertiri posse, non negem. Narrant enim in montibus Cretæ Capras, *Ibices* nuncupatas, fuisse visas, quarum dentes aureo colore erant suffusi, in illa potissimum parte, quâ herbas vellebant, quod haud dubiè ex spirituum auriferorum tinctura, quâ herbæ imbuuntur, accidit. In humano cranio quandoque inventum esse aurum *Albertus* refert: quod si verum est, alia de causa non evenit, nisi ex halitibus, qui, dum eliquatur aurum, exsurgunt, & non secus ac hydrargyron in cerebro coagulantur.

Natura & proprietas Auri.

Multifariam *Chymistæ* auri naturam investigare nituntur, quam ob rem nulli parcunt labori, sc. illud solvendo, ponderando, gustando, sublimando & fundendo, ut inde omnes illius affectiones rimentur, & tandem illud in secundo excessu, calidum & humidum constituunt, Placuit tamen *Galeno* frigiditatem & siccitatem illius commendare.

Ve-

Verùm ut melius omnes Auri proprietates assequamur, non erit ab re cunctas qualitates illius examinare. Ac *primò* quidem si meditemur auri qualitates activas, Aurum diu pertractatum, nunquam manus tangentis inficit, quæ prærogativa cæteris metallis non competit: atque adeo præcipuum puritatis argumentum sit. Deinde Aurum percussum, exiguum edit sonum, & sui, vel alterius lineas alicui corpori non imprimit, nisi coticulæ, sive Lydio lapidi, atteratur, tunc enim lineas sui simillimas reddit: quæ omnia summam in auro perfectionem indicant. Si qualitates puri auri passivæ considerentur, primò ab acribus succis in sua quantitate nullam sentit noxam; *Secundò* non est fragile, quamquam sit molle: Quare malleo percussum adeò dilatatur, ut ex singulis ejus denariis, quinquagenæ, pluresve bracteæ senum digitorum longæ efficiantur; idque præ cæteris metallis auro contingit, ob perfectissimam materiam, ex qua constat. *Tertiò* rubigine non infestatur, nisi fuerit altero metallo permixtum, tunc rubeginem cærulei coloris amœnissimi effundit, quam pictores cæruleum ultramarinum vocant. Quod si purum, & sincerum fuerit, quamvis per multa secula intra terram sepultum permanserit, nullam rubiginem contrahit: non fœdatur sale, in aureo salinario vase positum, quod in reliquis non fit.

Si qualitates internæ puri auri ponderantur, primò observabimus, ex mente *Aristotelis*, igne ita fundi, ut nihil prorsus substantiæ amittat, imò ibi purificetur & splendidius evadat, nihilque suæ soliditatis perdat. Deinde aurum in aquis acutis positum, quas aurifices ad segregandum aurum ab argento præparant, in limum minimè solvitur, ut multi perperam arbitrantur, sed in particulas insensibiles dividitur, quæ siccatâ aquâ denuo pristinæ formæ unita restituuntur. Debemus tamen animadvertere, quando dictum fuit, aurum nec igne, nec usu absumi, id in comparatione ad alia metalla intelligendum esse, quandoquidem nummi aurei assiduo digitorum attritu absumuntur, & diuturno igne aurum paulatim halitibus evaporatis evanescit. Tandem inter qualitates auri externas recensetur gravitas plumbo nigro æqualis, & calor, qui diutius in candenti auro continetur, nec non color fulvus & nitor fulgens memoratur, cum aurum inter metalla sit primum, quod colorem monstret, qui magis in auro, quàm in aliis metallis refulget. Hinc ex analogia quadam interpres *Pindari*, & *Chymici* aurum Soli dicatum esse asseverant. Nam sicut Sol in medio Planetarum resplendet, ita pariter aurum inter cætera metalla coruscat.

Prædictis addunt nonnulli pravam auri qualitatem, propterea quod ex *Plinio* aurum venenatum esse censent. Sed advertendum est, tum *Plinium* verba fecisse de auro, cui aliud metallum permixtum erat, at quando igne purificatur, tunc omnem malignantis qualitatis pravitatem exuit, siquidem in medicamentis sumptum, tantùm abest ut homini sit detrimento, ut potius facultatem vitalem mirum in modum roboret, & omnes humani corporis spiritus recreet. Quòd verò de auro adventante die frigescente narratur, *in lib. de Natura rerum* inter fabulas reponendum est, utpote quod quotidianæ experientiæ repugnat.

Antipathia & Sympathia Auri.

Proximo & affini quodam ordine proprietatibus *Auri Antipathia & Sympathia* succedit. Primò *Sulphur* & *Aurum* inter se diffidere inde colligimus, quoniam Aurum vapore sulphureo, & fœtido perfusum illico gratum colorem amittit, quamvis postea eodem sulphure in aqua fervefacto, unà cum tartaro, & modico salis pristinus splendor ei restituatur. Pariter à *Plumbo* gravem offensam recipit; nam aurum fumo plumbi imbutum in pulverem tenuissimum redigitur, & interdum odore plumbi adeo rigescit, ut malleo dilatari nequeat: quamobrem artifices aurum denuo fundere, & modicum nitri, vel sublimati superinfundere coguntur, ut malam qualitatem à fumo plumbi receptam deponat. Amplius *limonum succus* pertinacem auro se præbet inimicum, utpote quod illo maceratum, teste *Levino Lemnio* pondere diminuatur; Sed & hoc à me experimento facto falsum inventum est.

Quantus *Mercurii cum Auro sympathicus affectus* sit ex præcedentibus patuit, cùm ubicunque id repererit, hydrargyron igne solutum, illico aurum quodammodo amplecti videatur. Si præterea liquescenti auro misceatur argentum vivum, moveatur mixtura, donec frigescat, aurum in pulverem redigetur: dum argentum vivum penetrando, materiæ aureæ ita copulatur, ut nullam habere continuitatem patiatur, nullâ prorsus auri specie remanente. Hoc non est ignotum Artificibus Saracenis, ut habetur in *libro de Natura rerum*, qui itinerantes aurum hac ratione corruptum secum ferunt; nam postea ad libitum in fornacula positum pulchrius & splendidius resurgit. Qui ab immunditiis & terrestribus quisquiliis auro commistis in officina auraria aurum separant, non auri & Mercurii odium, sed potius quandam eorum familiaritatem esse pronunciant: dum enim immunditias commistas molâ triturant, & illis Mercurium diligenter miscendo addunt, tum quicquid auri permixtum fuerit, Mercurio adhæret, qui postmodum per corium transcolatus in fundo aurum relinquit.

Quod verò *Philostratus* aurum à draconibus unicè appeti referat, id poëtarum figmentum esse quis non videt? dum dracones thesaurorum custodes constituerunt. Notior itaque galli gallinacei in aurum amor est, nam auri micas, & nummos aureos, æneosque magnâ aviditate eum devorare ipse vidi. Quod verò ossa hujus animantis liquescenti auro permixta, illud in se consumere dicantur; quod etiam, *Æliano* teste, ab ossibus tibiæ Accipitris, imò ab osse Milvi piscis aurum trahi dicatur, pariter falsum comperimus. Quod rursus *Liber de Natura rerum* de admiranda sympathia Echini piscis cum auro narrat omnia poëtarum deliramenta superat; Nam hic sale servatus, tantâ vi pollere somniatur, ut admotus orificio, aurum in puteum delapsum extrahat. Quod verò virga Coryli recens in aurum fusum immissa, illud in pulverem redigere dicatur, eò quod humiditas virgæ ab auro, & vicissim humiditas auri attrahatur à virga, falsum invenimus. Idem de vino asserendum esse multi pronunciant, eò quod vinum aurum colore, cæteris proprietatibus æmuletur, eò quod sicut vinum inter vegetabilia, ita aurum inter mineralia primas partes occupet.

Præterea aurum, uti & alia multa metalla, miro consensu se amplectuntur, quando ab Aurifabris hujus amicitiæ haud ignaris permiscentur, hancque misturam vulgò *legam* appellant. Plumbum igitur, & stannum ità amicè se amplectuntur, ut copulata talem mixturam constituant, quæ à perito etiam artifice dignosci nequeat: Aurum verò non nisi cum argento & ære, apprimè ligari potest. Postremò nonnulli *magnetem* quoque dari sibi imaginantur, qui sicut magnes ferrum, ita & hic aurum trahat, cujusmodi *Philostratus* esse dicit, Pantarben lapidem, fictitium, quem inter vetularum deliramenta verius, quàm in rerum natura ponendum censeo: ut proinde satis mirari nequeam, tam putidas imposturas, & affanias ridiculas in hunc usque diem

diem etiam in Scholis concatenatis erroribus irrepsisse, cùm vix Liber sit de miris Naturæ arcanis tractans qui inter cætera hujus fabulosissimi Pantarbis mentionem non faciat.

Inveniendi & præparandi Auri ratio.

Plinius in monimentis suis triplicem inveniendi auri rationem tradidit: observando scilicet arenas fluminum; Superest solùm, ut de *Arte* præparationis verba faciamus: cùm alio artificio aurum fluminis elaboretur, & alia ratione aurum minerale præparetur. De quibus Historia Indica ita dicit, *Itaque aurum amnis solâ ablutione perfectè præparatur; nam quando ab arena fuerit segregatum, funditur, & est perfectissimum.* Memorant, qui novum orbem perlustrarunt, teste *Majolo*, retia ab incolis adhiberi, quibus auri glebas ab amnibus extrahunt. Id potissimum accidit flumini Zenero, non procul ab urbe, cui Carthaginis nomen inditum est in Novo Regno sito: etenim Accolæ, quando magni incidunt certis mensibus imbres, retibus multa auri ramenta expiscantur, quæ nullâ præparatione indigent. Pariter juxta montem Ctesiæ in India fons esse perhibetur, qui quotannis aureis ramentis impletur, ita ut inde centum urcei fictiles auro pleni singulis annis hauriantur: fictilia enim vasa oportet esse fragilia, quoniam aurum sine præparatione in illis concrescit, singuli autem urcei pondus talenti exæquant. Sed nos fabulosas hujusmodi relationes relinquamus.

Ex alijs etiam rebus præterquàm ex fluentis, & mineris aurum eruitur, & præparatur. Primò enim per mixturam quandam studiosè paratam ex auro aqua separationis soluto cum plumbo, vel pice, & arena; sub hac mixtione aurum sine suspicione de regione in regionem occultè deferri solet. *Plinius Cajum Caligulam* Cæsarem auri sitientissimum jussisse, magnam *Auripigmenti* quantitatem propter similitudinem, quam cum auro habebat, excoqui, & inde aurum purissimum emersisse, sed adeò exigui ponderis, ut opifices damnum sentirent. Ex lapide *Cyaneo*, vel *Lazuli*, ut Arabes legunt, & ex *Cupro* rubeo Hungarico virtute argenti vivi separari, compertum fuit.

Est apud me Liber Hebræus manuscriptus, qui cujusdam herbæ succo aurum produci, & præparari docet; herbam vocat *Borizam*, Lunariæque speciem esse ait, non in campis, sylvisque, sed in stolidi Rabbini cerebro natam, cujus caulis est violaceus, & folia producit majoranæ foliis similia, crescentia ad motum Lunæ, & tota planta odorem croci spirat; succus hujus plantæ, ô rem miram! ita permiscetur argento vivo, ut fiat veluti crassamentum, quod in pulverem redactum, & æri inspersum, illud in purum aurum convertit, & uncia hujus pulveris ad tingendas centum æris uncias sufficere perhibetur; quo quidem figmento nil stolidius esse potest. Si enim id veritati appropinquaret, procul dubio jam omnia metalla in aurum essent conversa, sed ad rem.

Itaque Aurum à terra purgatum, lotum, fusum & elaboratum in his operationibus flavum & splendidum colorem amittit: propterea opifices aliquando illud macerant spatio diei naturalis in aqua tartari, postea aquâ dulci abluunt, & linteo mundo abstergunt; interdum cum sale ammoniaco, ærugine & tartaro in aceto fervefaciunt, & quandoque cum sale communi, tartaro & sulphure tamdiu in aqua confervere faciunt, donec colorem perditum recuperet; imò quando aurum est mollius, necesse est illud figere, & densare; idcirco statim atque ex chrysophysiis extractum est, aquâ regiâ utuntur ex ærugine, chalcantho, alumine, & lapide calaminari paratâ. His omnibus expeditis, & præparatis, aurum fundunt in virgas, quæ num aliquid argenti contineant, necne, opifices ex Lapide Lydio, & per acus probatorias experiuntur, quas cuncti aurifices in suis officinis servant. Unde ut portio metalli auro permixta, quam *Legam* vocant, penitus auferatur, nonnulli mistura ex tartaro, & pulvere laterum utuntur, hac misturâ fornaculam rotundam cum lateribus construunt, & aurum eâdem misturâ tectum in olla ponunt, & ignem per diem naturalem accendunt; sic enim alienum metallum, seu *Legam* absumitur, *& aurum ad viginti quatuor ceratia* reducitur, quæ vulgò *Caratti* appellantur. *Athan. Kircher. in Mund. Subterr.*

Fodinarum Auri, & Argenti, quæ in Peru, Novo Regno, & Nova Hispania in America reperiuntur, mira fœcunditas ex Relatione Patrum Societatis Jesu.

In toto Orbe Terrarum nullus inventus locus hucusque fuit, qui majorem Auri, Argentique copiam præbuerit, quàm illa Americæ pars, quam Novum Regnum, Peru, & Potosinam coloniam vocant: Nam ut *Acosta*, l. 4. c. 4. narrat; Indigenas in Peru, vasis aureis, trullis, pateris, cyathis, lagenis, urceis & hydriis prægrandibus etiam minimè contentos, sellas etiam & vehicula integra ex auro fabricari curâsse; idolorum simulacra ex puro & obryzo auro fecisse: *Pizzarus*, postquam *Atalipam* superasset; dicitur, tantum in Gazophylacio Regis auri invenisse ac inter laminarum aurearum, longo ordine per strues dispositarum congeriem, ad earum altitudinem vix gladio extento pertingere posset: jumentorum ungulis non ferreas, sed aureas soleas subderent. Et quamvis omnis ille tractus Americæ, à Tropico Canori, usque ad Capricorni, auri, cæterorumque metallorum feracissimus sit: nulli tamen hæc celeberrima Potosi montana provincia Carcas Regni Peru, sub 21. latitud. Austral. constituta cedere videtur. Et quamvis hæc Regio sub Zona torrida sita sit, tantum tamen abest, ut à Sole torreatur, ut potiùs frigoris inclementia olim penè deserta fuerit, & deserta haud dubie mansisset, nisi ingentium thesaurorum aviditate attracti homines locum non tantùm adiissent, sed & ibidem incredibili hominum confluxu vastissimam urbem, sive ad necessariarum rerum abundantiam, sive ad luxum etiam, deliciasque necessariam, extruxissent.

Mons ipse oppidò præceps, cæteris vicinis fastigio subtili & præcelso eminentior est: Radix milliaris latitudinem obtinet; à summo vertice ad radicem cubitos quos Hispani *Vacas*, seu *Virgas* vocant, 1624. habet, quæ ¼ milliaris, seu leucæ Hispanicæ faciunt. Auri fodina primùm dicitur detecta ab Indo quodam, nomine *Cualpa*. Hic aliquando venandi causâ, cum in hujus montis tesqua venisset, & asperitate montis ab ascensu impediretur apprehensum fruticem quendam ad gressum promovendum opportunum, dum evelleret nisu violentiori unà quoque cum radicibus venam auriferam extraxisse, & cum metallicæ rei haud imperitus esset, venam igne probatam, melioris auri notam invenisse, quare re dissimulatâ, cum tempore ad tantas divitias pervenit, ut omnibus admiratione esset, donec aliis, re cognitâ, tandem pluribus allectis totus mons perfodi cœpisset, præsertim Hispanis supervenientibus, qui auri præ Indigenis avidiores, tandem monte *Potosi* non contenti, quatuor alias fodinas *Potosi* vicinas detexerunt: Atque inter cætera admiranda, in venam inciderunt, cujus moles hastæ æquabat altitudinem,

atque

atque in aliam postea, specie fere pectinis, cujus altitudo 300. latitudo 19. pedum fuerit; in profundum ad 50. aut 60. orgyas exporrecta inexhaustum offerebat thesaurum. Et quemadmodum acta dictorum locorum referunt, à tempore Licentiati Poli singulis septimanis quintarum loco, teste *Acosta*, 150000. Regales, nonnunquam 20000. consignati fuerint; quæ summa quotannis Millionem una cum semisse constituit ad minimum. Rursus *Acosta* teste, acta referunt, à primo Hispanorum in Peruviam adventu, videlicet ab anno 1545. usque ad 74. septuaginta sex milliones Regis ærario accesserint; ab anno verò 76. usque ad 85. triginta tres milliones; atque adeò spatio 40. annorum 111. milliones regalium ex dicto argento in Hispaniam missi fuerint, non computatis illis, quæ in usum Gubernatorum & Metallurgorum, & bellorum administrationem impensi fuerunt. *Potosi montana* quatuor primariis venis instruuntur, quæ quidem universæ in Orientali montis parte, ex Austro in Boream constitutæ sunt, quæ quo loco diffusissimæ sunt pedum senorum, quo verò angustissimæ, spithamæ unius latitudinem habent: Præter has verò aliæ quoque diversæ ex illis ramorum instar in arbore, per efflorescentias quasdam reperiuntur. Singulæ venæ jurisdictioni certorum Dominorum, à quibus & nomina sortiuntur, subdita sunt: singulæ venæ suas habent fodinas: prima quam *divitem* vocant, fodinæ 18. numerantur, profunditatis nunc 180. nunc 200. orgyarum, in quibusdam tamen locis fodinæ 60. aut 70. orgyarum profunditatem habent. Accessus seu aditus ad fodinas ita habet.

In latere montis scrobes seu fossas transversim pertuderunt, quæ usque ad mineræ sedem pertingunt: cùm enim venæ quæ Austrum, Boreamque spectant, è supernis deorsum vergant, necesse est, ut ductus earum usque ad radices montis prosequantur, quæ profunditas, uti *Acosta* narrat, orgyas habet 1200. etsi porrò ea sit fodinarum profunditas, spatium tamen in circuitu sextuplo majus ambiendum est, priusquam ad ipsius montis basin perveniatur. Harum fossarum latitudo octo pedum utplurimum est, altitudo verò stantis hominis mensuram paulò majorem obtinet. Atque ex his metalla omnia educuntur. Quantos verò in educendis mineris, labores sustineant fossores, dici vix potest: dum sub terra, quasi in perpetuis tenebris defossi, labores suos conficere coguntur, nec scire possunt, quæ hora, vel dies sit, qua nox incumbat, cùm ad penitissima illa Naturæ latibula Soli, Lunæque accessus non sit. Sileo infirmitates quas in pestiferis illis antris, ob halituum mineralium perniciem incurrunt. Qui in fodinis operantur, ardentibus continuò candelis utuntur, eâ distributione temporis, ut duodecim horis alterna operarum requie à laboribus abstineant. Venas fractas, comminutasque dorsi impositas, per scalas quasdam, mirâ arte constructas, efferunt. Sunt hæ scalæ tribus ex bovino corio contortis funibus factæ, quibus transversi baculi graduum specie inseruntur, ita ut duo invicem occurrentes, commodè sibi cedere queant. Scalarum quælibet decem orgyarum longitudinem habet ejus extremis, alia subnexa: Ad scalarum latera nonnullibi scamna ex ligno confecta adscendentibus quieturis exstructa sunt. Operarum primus cereum ardentem præfert, ad lucem, tum sibi, tum subsequentibus se sociis necessariam præstandam; & uti profunditas adeò horrida est, ut vel intuentibus primò formidinem incutiat, ita quoque miserandi fossores, vel fractis scalis coriaceis, vel venarum, quibus onerantur, mole præponderante, laboribusque fracti, dejectique, ærumnosam vitam, formidandâ morte finiunt.

De modo, quo Aurum, quod Virgineum vocant, à Natura ad ultimam perfectionem elaboratum, in Insula, quam Hispaniolam vocant, eruant, præparentque.

Si ullum Americæ Regnum, certum cumprimis *Hispaniolam* insulam ditavit benefica rerum Natura: Nam, ut ex relatione tum nostrorum Patrum, tum Americanorum Scriptorum testimonio constat; aiunt enim quod ibidem non solummodo intra intimos montium recessus, sed & vel in extima eorundem superficie, inter saxorum videlicet fissuras, rimasque, imò & in ipsis vallibus, planitiebus, sylvis, agris, ripis, fundisque fluminum, ingens copia *auri*, non solitis heterogenearum partium sordibus involuti, sed passim puri puti copia reperiatur eruaturque. Nam, ut Franciscus *D'Oviedo* narrat, in sua de Novo Regno Historia, inventam fuisse in Hispaniola, puram putam auri massam, 3600. Reales ponderantem.

Cùm itaque vel in ipsis agris, campis, sylvis, fluminum limo sine magnis impensis auri suppetat copia; hinc relictis montium fodinis; in quibus aperiendis, cùm non nisi immensis sumptibus, non nisi ingenti operarum multitudine aurum tum erui, tum elutum separari posse viderint; ex agris, campis, sylvis, fluminibusque id eâ, quæ sequitur ratione eruunt eluuntque.

Remotis itaque juxta flumen aliquod, locis, queis arena aurea dives est, saxis, fruticibus, & arboribus quoque excisis, certum fodinæ spatium determinant, deinde ad pedes unum atque alterum incipiunt effodere glebam, quam statim ad flumen elotam, ex arena, num dives sit, explorant: Si non ad aliud profundiùs spatium glebam effossam denuo elutam in flumine probant, quam si sterilem, ad sex aut septem pedum effossionem repererint, illâ relictâ, aliam campi partem adoriuntur, & hoc pacto procedunt, donec divitem auri glebam incurrerint, quam deinde fodinam quaquaversum dilatant, effossamque glebam corbibus inditam, ad flumen deportant, ubi à mulieribus ad id officii destinatis, in certis cribris setaceis, elutione limus ab arenis aureis separatur. Si verò non nihil adhuc terrestris, limosæ materiæ relictum fuerit, id, iteratâ, atque iteratâ elutione expurgatum; tandem omnibus separatis fæcibus, sola aurea ramenta, scobemque relinquit, quod *purum putum aurum* tantæ bonitatis est, ut nec igni ad depurgandum, neque plumbo aut Mercurio ad separandum indigeat, sed in laminas fusum in monetarium usum cedat. Utrum verò aurum in planis hujusmodi sive agrorum, camporum, sylvarum, aut fluminum alveis, ripisque à Natura elaboretur, merito quis dubitare posset,

Dico itaque istiusmodi aurum nequaquam in dictis locis originem suam duxisse, sed ex intimis montium venis opulentissimis, aquarum defluxu in campos evolutum; quod variis modis contingere potuit. Nam Primo subterraneæ aquæ venam auri transeuntes semper non nihil ex constipatis auri frustis abradunt secumque extra montem devehunt, unde limus fluminum aureis arenis, ramentisque, minimis, minoribus, & maximis scatet: quo eluto, aurum purissimum tandem colligitur. Secundò, cum abundantia spirituum auriferorum continuò intra montium gurgustia sursum feratur, indè fit, ut intra rimas montium coagulati, cum tempore integras massas producant, quæ torrentium imbriumque violentiâ, quæ maximè mensibus Decembri, Januario, & Februario ibidem dominantur, abrasa, in radices planiciesq; montium deducta, ibidem

ibidem limo, argilla, saxisque partim tecta, partim detecta relinquuntur. Quoniam verò quotannis ex continuis trium mensium imbribus, alia, atque alia aurifera materia ex superficie montium abrasa in plana fertur, hinc fit, ut plana loca semper nova & nova cute tegantur, & à multis annis in summam altitudinem arenarum cumuli exsurgant; cujus quidem rei luculentum testimonium dat supra citatus Franciscus *d'Oviedo*, qui suo tempore in fodinis planorum duos annulos aureos affabrè elaboratos, quos Indigenæ auribus appendere solent, inventos fuisse refert, una cum carbonum multitudine adeò recentium, ut non ita pridem extincti viderentur. Quod quidem aliâ ratione fieri non potuit, nisi quod ab Indigenis ibidem luculento foco olim extructo, inter solita gentis tripudia annuli amissi fuerint, & deinde imbrium, torrentiumque violentia locus arenâ, limoque involutus, aliisque identidem posteris temporibus novâ limi adductione quotannis admotâ, campus in eam excrevit altitudinem, quam tum effossione annuli, carbonésque inventi posteris temporibus demonstrârunt. Atque hæc de Auro Virgineo eruendo eluendóque Americanis erui solito, satis.

De Metallorum, potissimum Auri & Argenti separatione, & praparatione in America usitata.

Mineræ, quibus argentum promitur in *Potosinis montibus* plerunque inter duos scopulos, quos *Casse* nominant, procurrunt, quorum alter ita durus est, ut cum quolibet silice certare queat: Alter verò perpetuò mollior, & fragilior existit. Per horum media spatia metallicarum venarum situs porrigitur, quamvis ubique nec simili mole, neque æquo ductu: aliis enim in locis vena admodum crassa, divésque, argenti feracissima profluit; in aliis contrà fragilior existit. Illud ambræ colorem refert, hoc magis nigricat; aliud rotæ, aliud cineris, speciem coloremque exprimit. Verbo, ejus colores adeò diversi sunt, ut rerum imperitis meri lapides videri possint: fossoribus verò non aliis ex signis, quàm ex punctis venulisque certo colore insigniti innotescunt, quidquid eruitur ex fodinis Minerarum, id Oves Peruanæ, quibus equorum, mulorumque vice utuntur ad molas deportant: Ita autem in metallicæ mineræ eliquatione procedunt.

Fornaces, quas *Guairos* vocant, construunt, quibus minerales glebas primò molis contusas injiciunt, quod ut faciliùs solvatur, metallum plumbosum & facillimè in liquorem resolubile, quod *Forachen* vocant, adjungunt: Spuma liquatione excitata, per medium ignis descendit, plumbum verò unà cum argento, cui argentum innatat incubatque tandiu donec totum depurgetur. Ex metalli hujusmodi quintali, vi eliquationis, nonnunquam 30. aut 40. Regales argenteos eliciunt. Refert *Acosta*, massam sibi quandoque donatam fuisse, ex cujus singulis quintalibus 200. aut 250. regales educti fuerint: Steriliores verò venæ, non nisi ad summum quinos, aut senos regales præstant, & hujusmodi utplurimum quoddam argentum durissimum siccissimumque est, vix ob plumbi paucitatem eliquabile; unde in strues congestum, ceu inutile est rejectitium olim abjiciebatur, donec peritiores metallurgi ingenio & industriâ tandem vi hydrargyri magno & incredibili censu copiosum argentum eduxerint: Norant enim hydrargyrum argentum sterile maximè purgare emendaréque. Compertum etiam fuit, metalla quantò sunt meliora, tantò iis plus ex hydrargyri mixtura decedere; aptum quippe, quod in igne consumat voretque metallum, per partium metallicarum, quas secum devehit, subductionem sublimatum: Sed & huic remedium opposuerunt, ita ut temperato ignis gradu, sine jactura illud non *Potosii* duntaxat, sed & in Mexicano Regno, hydrargyri ope eliquent. Hinc relictâ arte fusionis, per fornaculas, quas *Guairas* vocant, peractæ, quarum in Potosini montis ambitu ad 6000. olim numerabantur, quæ omnes argento fundendo extruebantur; hodie vix ultra 2000. superstites sunt, utpote hydrargyro solo principatum sibi in eliquatione metallica vendicante.

De Præparatione Auri Argentique, hydrargyri beneficio in Regno Peruano usitata.

Hydrargyron in variis tum terrenis, tum lapidibus reperitur. In Hydria Carniolii utplurimum ex humida terra educitur, in America uti & in aliis Europæ fodinis, potissimum in Hispania, utplurimum ex Cinnabari, & Minio educitur. In America vis hydrargyri Cinnabari insiti, ante Hispanorum in eas oras adventum, non cognoscebatur, sed color cinnabaris tantùm hominum idolorumque vultibus imbuendis tingendisque, tum ad ornamentum, ut ipsi putabant, tam ad terrorem hostibus incutiendum, Indigenis inserviebat, donec tandem operâ *Licentiati Castri* Peruviæ gubernatoris usus demonstratus fuit, fodinis hydrargyri primò detectis, Anno 1566. ac inprimis fodina omnium opulentissima *de los Santos* appellatur, quæ quidem nihil aliud est, teste *Acosta*, quàm rupes seu cautes solidissima durissimaque, hydrargyro quaquaversum perfusa, tantæ molis, ut in longitudine 80. in latitudine 40. virgas, seu perticas Hispanicas occupârit; perfossa hæc rupes formâ quadrilaterâ ad profunditatem 70. orgyarum cujus amplitudinem tantam esse perhibent, ut uno tempore 300. viros unà operantes facilè capiat. Quomodo verò Aurum Argentumque hydrargyri vi extrahatur in America, jam dicendum restat.

Diximus suprà, ingentes strues Mineræ argentiferæ circa Potosinum montem, tanquam inutiles congestas esse, quas cum *Petrus Fernandez de Velasco*, metallicarum rerum peritus, inspexisset, commoditate argenti vivi usus, ex iis ingentem argenti copiam eduxit. Hoc autem pacto in utraque vena tam fertili, quàm sterili excoquenda proceditur. Vena hydrargyri ferax probè tusa in ollam conjicitur, quæ obturata deinde igni committitur; hoc pacto, vi ignis à sua minera hydrargyrum quasi divortium facit, separatumque in sublime elatum, ubi densiori solidiorique corpori occurrerit, auramque frigidiorem senserit, illico naturæ suæ pristinæ destitutum destillat deorsumque ruit; eo pacto, prolecto hydrargyro, olla, quæ jam probè refrixit, reseratur; ubi tamen summopere cavendum, ne hydrargyri calente adhuc ollâ, fumus cum summo vitæ periculo, aut dentium jactura excipiatur.

Cum verò ad metallorum solutionem infinitâ lignorum copiâ opus esset certa herba, seu sparti genus inventum fuit, quod in Peruvianis montibus uberrimè provenit, cujus ea mira vis est, ut metalla, quæ æstuantissimis arborum carbonumque fornacibus injectorum incendiis liquefieri non possunt, hæc herba in fasces collecta, fornacibusque injecta, maximo sane negotiationis metallicæ emolumento, protinus venas fluere faciat.

Solutum itaque, eliquatumque hydrargyrum coriaceo sacco inditur, & reconditorio illatum, inde Potosium advehitur, ubi integri unius anni decursu 6000. aut 7000. hydrargyri quintalia pro parandis metallis impenduntur, absumunturque, ut ejus quantitatem sileam, quæ ex sordibus, quæ ablutionis primæ metallorum matrix aut sedimentum sunt, in dies insuper colligitur: sordes hujusmodi collectæ in fornacibus utuntur, ut si quid hydrargyri in iis remanserit, proliciatur extrahaturque. Videntur autem Potosii harum fornacum semper quasi quinquaginta metallorum quotan-

quotannis paratorum quantitas, Nostrorum relatione peritorumque hominum supputatione 300000. Quintalia constituit. Ex sordibus verò, ac matrice ad minimum 2000. Quintalia hydrargyri excipiuntur. Mira tamen & in hac operatione metallorum qualitas observatur. Nonnulla quidem metalla cum levi hydrargyri impensa plurimum argenti fundunt, alia argenti simul multum largiuntur, & hydrargyri non minus absumunt: Contrà, quæ parciùs dant, minus requirunt. Atque adeò juxta metallorum conditionem, metallarii negotii vel proba, vel improba sors, lucrumque aut jactura sequitur: Vulgò tamen notum est, quod quantò metalla ditiora sunt, tantò majorem hydrargyri copiam absumant, & vice versâ. Sed jam ad praxin.

Metalla itaque in principio, pilis mortariisque hanc in rem paratis minutissimè tunduntur, postea cribris, ac filis cupreis intortis transcolantur; quibus, si probè & industriosè confecta fuerint, horarum 24. spatio, triginta ad minimum Quintalia transmitti possunt. Hoc modo metalla colo excreta, in amplum patentemque cacabum conjiciuntur, ita ut singulis 50. Quintalibus metalli, quinquaginta quintalia salis addantur, eo fine, ut nativam lævigati metalli pinguedinem absumat, exedatque; hoc enim pacto Argentum ab hydrargyro faciliùs implicatur, incorporaturque. Hoc peracto, hydrargyrum corio, aut panno cannabino injectum exprimitur, ut roris, aut sudoris specie in metalla, priùs sudibus probè ad meliorem partium permixtionem subacta fundatur; tandem massam ritè in formam panum elaboratam cacabis igne quinis, aut senis diebus excoquendam imponunt. Si itaque hydrargyrum officio suo probè functum, cum argento intimè coivisse, ex reliquis heterogenearum partium quisquiliis supernatantibus, repererint, tum argentum ab hydrargyro hoc pacto separant: Miscellam omnem in modium aquâ plenum conjiciunt, ac molâ manuali, & ferè modo quo sinapi moli, terique solet, metallicam massam subigunt, quâ commotione, argilla sordesque à metallo cum ipsa aqua per canalem defluunt, argentumque unà cum hydrargyro ob innatam gravitatem ad fundum vasis subsidit, & hoc sub arenæ specie in fundo vasis superstes exemptum denuo ad ultimam metalli puritatem consequendam lavant, lotum in panno, aut corio fortiter exprimunt, ita ut quicquid hydrargyri cum argento non probè unitum fuerat, secedat, reliquum verò intra coriaceam bursam, argentum verum restet, ita tamen, ut sexta tantùm massæ pars argentum, reliquæ quinque partes hydrargyrum sit. Sed & alio modo, ut ab argento ipsum quoque hydrargyrum separetur, procedunt. Massam coactam vasi indunt validoque dato igne, operculum vasis probè obturant. Succenso itaque igne, hydrargyrum in fumum fatiscit, qui, caloris & levitatis vi elabens, si in fictiles ollas impegerit, illico cogitur, & crassescit (haud secus, ac vapores ex aqua fervente elati in operculo ollæ guttescunt) deinde per canalem huic vasi deputatum, non secus ac per alembicum defluit, & destillat in vas recipiens; sic quicquid hydrargyri metallorum fusioni impensum est, recuperatur, argentumque purum simplexque, sed quinta sua parte diminutum restat.

Ex binis horum panum unum conficiunt sexaginta quinque libras plerunque pendentem; qui deinde ut probentur, quintentur signenturque, ad loca deportantur. Estque argentum tantæ puritatis nobilitatisque, ut nonnunquam 2380. *Alloys* tenuius sit. Has itaque omnes torturas, ærumnasque argentum sustinere cogitur, donec probum purumque evadat, quod purum quidem attentiùs inspectum, massa, seu pasta rudis est, ex qua argentum molitur, cernitur, pinsitur, fermentatur, & tandem excoquitur, tum & lavatur, siccatur, iterumque eluitur, coquitur & recoquitur, pilo subditur, cribro inditur, fornacesque & orcas & haustra, tandemque ipsum ignem aquamque, non sine miserorum Metallurgorum vitæ periculo, ut usui humano luxuique servire possit, experitur.

Processus in Hungaria usitatus, separandi Aurum ab Argento.

Argentum aurum continens purgatur priùs ab omnibus metallis per cineritium, seu fulmen, secundum artem cum plumbo: postea hoc argentum granuletur, vel laminetur, prout lubet, & hujus imponatur uncia una in uncias tres aquæ fortis purgatæ in vitro separatorio, in cineribus calidis, vel super tripode, cum pauco igne; & argentum statim solvetur, auro relicto in forma calcis nigræ; ex qua per inclinationem argentum solutum effundendum. Calx verò nigra toties aquâ communi abluenda, quousque omnis acrimonia aquæ fortis recesserit, postea dissicanda, & in crucibulo ignienda, ultimò liquanda, & habebitur omne aurum quod in argento continebatur. Hic modus separandi aurum ab argento vocatur *Quartatio*, vel *Inquartatio*, hac de causa quia cùm velis hanc separationem instituere, debent semper esse argenti tres partes, & auri una quarta pars, nam aurum æquali parte, vel duplo argento mixtum, ab aqua forti non solvitur, neque à Chrysulca: si verò velis per Chrysulcam separationem dictorum metallorum facere, debet aurum triplo superare argentum, tum chrysulca aurum solvit, relicto argento. Jam videndum, quâ ratione argentum ab aqua forti debeat separari, quod fit duobus modis: unus fit subsidio aquæ fortis ad similes usus solito; alter eo modo quem paulo post explicamus; prior est, ut aqua fortis argento plena imponatur retortæ, & apposito receptaculo destilletur, primò lento, ultimo fortiore igne ignitionis, usque dum omnis aqua fortis ex argento egressa fuerit, quæ ad similes usus servanda. Argentum verò in fundo relictum paulo plus in crucibulo igniendum, ultimò liquandum in argentum, ut moris est. Alter modus hic est; Argentum in aqua forti solutum misceatur partibus quatuor aquæ communis; huic mixturæ imponatur lamina cuprea: & relinquatur horis 24. & invenies omne argentum ad fundum decidisse, à quo aqua fundenda, & argentum toties abluendum, quousque omnis acrimonia abscesserit, tandem exsiccandum, & cum pulvere liquefactivo reducendum.

Jam notandum, aquam fortem, ex qua argentum mediante cupro separatum fuit, continere in se cuprum, quod ex illa aqua separatur impositione laminæ ferreæ, quia natura aquæ fortis est, semper, quæ facilis solutionis sunt in se recipere, & quæ difficilis, à se dimittere; per hanc experientiam patet, illam ferri in cuprum mutationem per aquam vitriolarem non esse veram, sed potiùs cupri ex aqua cum ferro præcipitationem; & in hoc passu multi cinifiones Alchymistæ possunt imperitis rei metallicæ imponere, transmutationem cupri in argentum fingere. Datur etiam alia separatio argenti ex aqua forti, cùm aqua in qua sal commune solutum est: tunc cadit argentum in fundum in forma pulveris albi; qui multis repetitis ablutionibus est edulcorandus, exsiccandus & ultimo aliquo pulvere liquefactivo reducendus. Isti sunt præcipui & usitatiores modi, atque securiores auri ab argento separandi.

Jam de *aqua forti*, quæ est duplex, una quæ vocatur Virginea, altera Separatoria. Virginea est, quæ saltem distillata simpliciter ex nitro, & alumine, vel ex nitro, & vitriolo: hæc aqua habet multas fæces, eâ de causâ non dicitur Separatoria; defæcatur autem imponendo singulis libris dimidiam unciam argenti, ità solvetur argentum, & aqua dimittet fæces albas in fundum, quæ separandæ per effusionem: si enim istæ fæces non separarentur ab aqua, in divisione auri ab argento, commiscerentur auro, & illud inquinaretur. Alij verò purgant aquam tali modo; solvunt sc. in ea argentum, post distillant, & manet in fundo argentum, cum fæcibus aquæ fortis; & iste modus præstat priori.

N. Est dignum scitu & notatu, & potest esse pro puncto digno consideratione, quòd si aqua fortis in qua est argentum, vel ipsius argenti pulvis non adhuc edulcoratus, manus hominis vel quascunque alias partes inficiat, ità partem reddit nigram, ut difficillimo labore nigredo illa possit tolli. Et hujus rei ignorantes solent sæpè artifices decipere, & vexare; citiùs tamen nigredo hæc tollitur, ut experientiâ didici, oleo tartari, quàm sicut illi dicunt, recenti butyro. *Ath. Kircher. in Mund. Subterr.*

De variis Auri, ut & ejus Mineræ Probationibus vid. sub titulô Dokimastice.

De ipso jam quædam rursus in genere, & de variis Præparationibus in specie ex *Schrödero* ab *Hoffmannô* annotatô, superadjectis itidem alijs.

Aurum Metallorum cunctorum est nobilissimum, solidissimum, colore fulvum, compactum ex principijs summè digestis, adeoque fixis.

Dicitur Chymicis. 1. Sol, quia soli tum macrocosmico, seu cœlesti, tùm microcosmico id est, cordi sympatheticè respondere creditur, unde & ☉is signo notari suevit.

2. *Rex Metallorum*, quod principatum inter metalla sibi vindicet.

Præstantissimum censetur Arabicum, hinc Ungaricum, tandem Rhenanum.

Vires. Balsami seu calidi nativi, cordisque summum corroborans est, unde & in omnibus morbis in quibus vires reficiendæ sunt, cum successu exhiberi poterit. Mundificat insuper sanguinem, noxiorum scil. humorum discussione ac diaphoresi.

N. *Crudum aurum foliatum Veteres multis commiscuere compositionibus. Verum, me hercle, cui bono, præterquam quod oculos pascat, non video; solidior enim & compactior ejus substantia est, quam ut à calido nostro resolvi, inque actum deduci queat. Nec sufficit, quod nonnulli mutua cordis ac auri effluvia sympathica statuant, atque eapropter aurum foliatum exhibent. Etenim præterquam quod eâdem facilitate id destrui possit, qua citra rationes adseritur, applicari posset extrinsecus majori in copia, atque dubio procul majori cum utilitate, minoreque vel nullo cum dispendio.*

Hofman. *Aurum Metallorum cunctorum est Nobilissimum.*) Philosophis *Aurum* aliud est *Sophorum* & *vivum*, Aliud verò *vulgare & mortuum.* In illo Aureitatis tincturam latere, esse Lapidis materiam proximam, esse Chaos, cujus anima per ignem non fugata est, esse corpus digestum, quod brevi vitam germinativam recepturum, imò intrà paucos dies vitæ inchoantis actiones est demonstraturum. Hoc autem Vulgare esse mortuum, cùm in eo activitas germinans suppressa succumbat & sic æternum maneret, si modo in aëre sicco ambiente servaretur. *A Gebro* definitur *Lib.* 1. *cap.* 32. Corpus metallicum, citrinum, ponderosum, unitum, fulgidum, æqualiter in ventre terræ digestum & aquâ minerali diutissimè lotum, sub malleo extensibile & in igne fusibile, examinationem cineritij & cœmenti tolerans.

Solidissimum.) Causa soliditatis, firmitatis & duritiei in Auro ex seminalis sui dependet principij necessitate, quod potestatem habet aquam in hoc aliquid ab aquâ longè diversum transmutandi. Unde Naturæ & rationi est consonum, quod aqua in transmutatione in sui corpore tantam compressionem, concidentiam & coadunitionem sustinuerit, quantum Mercurius cum Sulphure Auri aquæ præponderat, & quantum seminis Auri Natura exegit, Ideoque aqua, dum subit seminis leges & dispositiones, etiam sui ponderis condensationem & concidentiæ dimensionum præceptis obligatur. Quemadmodum Mercurius vulgaris ex solâ etiam aquâ elementali & virtute simplicissimi seminis Mercurialis coaluit in corpus indivisibile, impenetrabile & inseparabile: Ita & Aurum remotè ex solâ aquâ elementali à semine suo solari in corpus solidissimum, compactum ac summè digestum fuit transmutatum, ut par non habeat inter Naturæ concreta.

Colore fulvum.) Hic color oritur à Sulphure optimè in Auro digesto, quod, licet etiam ipsi admodum tenaciter adhæreat, ab eo tamen separari potest, ut quantum ponderis habuit Aurum, ex quo Sulphur eductum est, tantum argenti illud Sulphur; si illi superjiciatur, colore suo tingat & in purum putum aurum convertat. Id quod cum peragitur, candida ex auro massa remanet, æquè ut prius ponderosa. Potestque Sulphur illud auri per cœmenta sulphureæ naturæ quamvis impuræ intendi & augeri vid. *Dominus Morhof.* l. c. p. 76.

Compactum ex principiis summè digestis, adeoque fixis) Scil. Mercurio & Sulphure summè in terræ gremio fermentatis & digestis, de quibus vide suprà.

Dicitur Chemicis 1. *Sol.*) Solis & Auri similitudinem probant Color, splendor, uti jam dictum ex Sulphure ejus digesto, quòd à Sole huic ingenerari creditur, adeò ut nonnulli eò deveniant, ut statuant, solis ipsius substantiam ex Auro constare liquefacto ex *Honorati Fabri* prolatâ hypothesi. Nullum igitur mirum, si hæc etiam semina per terram spargat & sibi similem substantiam producat.

2. *Rex Metallorum.*) Principem enim sibi locum inter metalla vendicat, inde & capita regum insigni regio evincit, sive quod metallorum Princeps plebeja capita fastidiens principis verticis jure suo ambitiosum est, sive quod regios mores, ut illustrissimi & clarissimi sunt, aureos esse oportere significat, sive tandem, quod ipsa quoque Regum opulenta libertas vinculis aureis est obnoxia.

Præstantissimum censetur Arabicum.) Alij etiam addunt ex Indiâ vel ex Chinâ allatum. Verùm experientiâ constat, illud ipsum multum habere Veneris admistum. Ducati Venetijs excusi suam etiam in Medicinâ merentur laudem. Notandum enim, quod non nisi depuratissimum Aurum & ab omni impuritate liberatum pro medicamentis conficiendis adhiberi debeat.

Vires. Hoc citrà sui resolutionem aut interitum, citrà sui penetrationem aut in habitum corporis distributionem liberè & eminus solâ quasi irradiatione agit in sopitum vel succensum Archéum, retentis adhuc pristinis & non mutatis pondere proprietatibus. Archeus haustam ab Auro dotem primum sentit, in sensatione istâ sibi fingit ideam rerum sibi agendarum, sequendo totius illius dispositiones: Unde sibiconsequenter pacem, requiem, aut iram suscitans harumque partas ideas assumens, easdem mox in viscera actio-

actioni regiminis auscultantia sigillativè dispergit peragens munia fausta vel opposita juxtà vitalis Archéi imperium.

N. *Crudum Aurum foliatum.*) Hujus usus in Medicinâ olim Græcis fuit incognitus; Arabes primitus hujus metalli virtutem fuêre experti, & suis compositionibus immiscuerunt in folia redactum; Hinc in Officinis prostat Aurea-Alexandrina Nicolai, Electuarium de Ovo aureo, Et nullus est pulvis Cordialis vel Epilepticus, quem aurum non ingreditur foliatum. Undè non immeritò quæritur: An Aurum crudum in usum Medicum salutari cum effectu trahi possit? *Nobiliss. Zvvelferus in animadvers.* P. A. & P. R. distinguit inter Aurum foliatum & Ramenta Auri seu in pulverem minutum redactum. Aurum foliatum inutiliter adhiberi statuit, tum quod ejus dosis admodum exigua sit, tum quod fermentum ventriculi actionem in illud exercere nequeat, sed se chylo immisceat & tunicis ventriculi saltem se insinuet, ut indè ad nauseam potius & ἀπεψίαν disponatur; Et ita nullum alium habeat usum, quàm ut oculis blandiamur, & conceptam vulgi ingentem in Aurum fiduciam collocantis opinionem stabiliamus. Aliam autem esse rationem Auri raspati & in pulverem redacti, cujus ℈ß. vel ℈j. propinatus à stomachi fermento acido subigitur & in actum deducitur, vitiosos humores corrigit, Cor exhilarat & energiam illam, quam ei suprà attribuimus, depromit. vid. *Zacut. Lusit. de Medicor. Princip. histor.* Libr. 1. quæst. 24. *Malach. Geiger.* in suo microcosmic. hypochondriac. Cap. 27. Sed hîc excipit *Dominus Schrockius* l.c. Class. nonâ p. 153. si scobs Auri pulverisata à ventriculi fermento subigi & actuari potest, cur non etiam folia auri, quæ multo subtilioris substantiæ, & ita quoque facilioris solutionis existunt. Verùm omninò adeo subtilis sunt substantiæ ut calor noster fermentalis ventriculi in ea agere nequeat, notum enim est in omni actione, justam non solùm dispositionem agentis ad patiens, & patientis ad agens, sed etiam moram requiri, ut agens in patiens suam exserere actionem possit. Jam folia Auri ob tenuitatem, volubilitatem & subtilitatem quasi inporosam ita sunt disposita, ut sal ventriculi fermentale seu spiritus fermentalis in ea sese insinuare nequeat, quibus & accedit continuus & negotiosissimus chyli, quibus folia auri sunt immersa quasi, motus qui impedit, quo minus actionem ventriculi fermentalem sustinere queant. Scobs autem Auri pulverisata contrà à stomachi fermento facilè subacta vim suam Cordialem irradiativam facilè in actum deducit, ut etiam ignitum Aurum & aliquoties in aquâ aliquâ extinctum vel in jusculo etiam magnarum sit virium, & in dysenteriâ non sine fructu administretur; Nec obstat, Aurum nimis compactum ac durum esse, ut à calore nostro digestivo vinci & in actum deduci nequeat, sed integrum per alvum iterùm excerni. Nam Auri actiones, uti suprà innuimus, occultæ sunt & magneticæ, quæ in integris sese exserunt, Magnes integer ferrum trahit, Cinnabaris saltem pulverisata Epilepsiæ domitrix, & alia mineralia integra non præparata operationes suas in corpore nostro perficiunt. Minus tamen philosophicè Aurum ita crudum in destillatione aquarum pretiosarum additur, dum de hoc ne tantillum quidem virium super alembicum adscendit, sed omne in Cap. mort. relinquitur, cum postea abjicitur; Nec prodest si injiciatur in liquorem cum gallinâ vel alio quopiam percoquendum, dum nihil virtut. solaris in jusculum transit, utut Aurum inter coquendum addatur.

N. *Excell. Zvvelferus* mirè commendat *Pulverem Solarem* ex rasurâ Auri Domini *Antonij de Pozis*, quem & ipse in *Officina Nostra Beckeriana* conficiendum curavi, & summæ efficaciæ esse in morbis deploratis experior, in quo Archéus noster suas etiam reperit delicias.

℞. *Rasur. Eboriis. vel Ebor. s.* △ ℥j *Pulver. Marchion. vel specific. Epileptic. DD. ♃. M.* ʒvj. *Scobis Auri subtiliss.* ʒv. *Lapid. bezoar. Or. vel. Bezoardic. Solar.* ℥ß *Unicornu veri marini* ʒij. *M. f. Pulvis. Dos.* ℈j. *vel.* ʒß. *vid. Mantiss. Spagyric. Part.* 1. *Cap.* 1. De Auro Metallo seu Sole *p. m.* 317. 318. *seq.*

Præparationes.

I. Purgatio.

Purgatio Solis fit, vel à sordibus superficietenus adhærentibus, vel à metallis imperfectioribus commixtis.

Purgationi à sordibus sufficit lotio ex ▽, præcipuè quæ Tartaro vel Sal. com. impraegnata est, vel ex 🜄 minus spirituosa, id est, aquosiori.

Purgatio ab imperfectis Metallis fit,

1. *Per calcinationem immersivam.*

Solvitur ☉ in 🜆, quæ solum ☉m solvat, relictis reliquis intactis, hinc depletur solutio, præcipitaturque; calx illa denuo fusa, purum exhibebit aurum.

2. *Per fusionem* 1. *cum* ♁: Fiat regulus solaris, modo quem habes de regulis in ♁: regulum hunc Solarem Crucibulo impositum, colloca in anemium, adde △ carbonum circularem, (suppressionis quoque si vis) adhibe, si opus, follem, donec totum ♁ effumarit, & non nisi ☉ penitus purificatum remanserit.

2. *Cum* ♄. fit ad eundem modum, quo ☾m purgare docemus, capite sequenti.

HOFMAN. *Præparationes* 1. *Purgatio.*) Hæc vèl à sordibus fit, & ex ▽ Tartaro impraegnata peragi potest, vel ab imperfectis metallis fit.

Per calcinationem immersivam.) Solvitur scilicet ☉ in aquâ regis, quæ solum ☉ solvat, relictis reliquis intactis; cujus hæc ratio est, quod atomi aquæ regis in ☉ inveniant poros pro habitaculis, quæ ob congeneres figuras & texturas *Aurum* penetrando in partes subtilissimas redigere & multò quàm anteà capacius & fluidius facere possunt, ut relicto ☉ liquati fundo liberè quaquaversum ad ipsam quoque summitatem unà cum sociatis liquoris partibus ferantur, nec ad fundum relabantur, nisi per præcipitationem.

2. *Per fusionem* 1. *Cum* ♁*nio &c.*) Hoc, ut & cum ♄no quæ fit, suo stant talo, utpote aurifabris admodum nota, sicuti & illa, quæ purgationi ☉ per cementationem inserviunt ibid. & in sequent.

2. *Per cementationem.*

℞. ☉ *laminatum. F. in olla cementatoria, S. S. S. cum cemento vulgari vel regali, committe igni gradatim horis aliquot, ut metalla imperfecta comburantur.*

Cementum vulgare.

℞. *Farin. laterum* ℥viij. *Sal. com. præparat.* ℥iv *Sal. Nit. Ærugin. ana* ℥ß. *M.*

Cementum Regale, quod soli ☉ parcit.

℞. *Farin. later.* ℥iij. *. ♉. *Sal. com. præparat. ana* ℥j. *Misc. humectando Urinâ.*

Cementum optimum.

℞. ☉ *p.* 1. ♀. *p.* ij. *fundatur simul, hinc fac lamellas tenuissimas instar papyri. Deinde per horas* 40. *vel.* 50. △ *forti cementa, stratificando scilicet cum cemento mixto ex farina later. Sal. com. colchotare, virid.*

*aris & * irroraque cum Acet. destill. forti, sic perit cuprum.* Beguin.

Cementum aliud.

℞. *Alumin. plumos. ℥j. Sal. Com. calcinat. ℥j. Sal. Nit. ℥ß. Alum. crud. ℥iß. Terr. ⊖- i ℥ ß. Cum Acet. destill. F. pasta; cui involvatur ☉ laminatum.*

Primum stratum fieri poterit ex Sal. Com. calcinat. & farin. later. cui ☉ priori cemento involutum imponatur. Tandem ultimo finiri poterit stratum cemento priori: cementetur gradatim primo △ lento hor. tres, plus minus, dein auge ignem, ut Crucibulum candescat hor. 4.

N. *Hac ratione probari possunt floreni, quippe qui integri manent evanescentibus metallis imperfectioribus.*

II. Calcinatio.

Calcinatio ☉ est 1. Immersiva. 2. Vaporosa. 3. Amalgamatoria. 4. Cementatoria. 5. Reverberatoria.

Calcinatio immersiva.

Calcinationis immersivæ actus duo sunt: solutio & Coagulatio, seu Præcipitatio.

Solutio fit per ▽R per ℘ ♉ij glaciale, per ∽m Sal. Nit. bezoardicum, per ▽s Sal. com. acuatas per ∽m Sal. Com. alcalis. per ℘ ♄i, Liquorem seu Balsamum Sal. Com. ∽m alcalisatum Acet. destill. per ▽ alcalisat. per spiritum bolarem ♉, *, spiritum ⊖-i, volatilem, Tartari, sanguinis, ⊡næ, calcis vivæ, mellis, ♉ij, ☿i, mineratum ☉, ♀, ♂, ♄ni, roris Majalis, & simil.

Coagulatio fit, vel humiditatis discussione, vel soluti ☉ repercussione ℘ Tartari, p. d. injectione cinerum clavellator. vel salium ex vegetabilibus elixiviatorum.

Præcipitatur itidem solutio Solis per ☿ injectum.

Præcipitatio fit etiam cum soluto *co, ∽u ⊡æ. Dissolutio cum menstruo aqueo insipido vix est possibilis. Potest tamen acrimonia ∽us Sal. Com. solventis aliquo modo occultari, Sic multi asserunt ℘ Sal. Com. ferè insipidum evadere, si lateres candentes sæpius in eo extinguantur, & postmodum destilletur spiritus dulcescens, in quo postea Solem solvunt. Alij Balsamo Sal. Com. dulci utuntur, quod fit ex Sal. Com. per vices XII. ∽u Acet. destill. imprægnato, deinde destillato, flores Sal. Com. collo ◯tæ adhærentes solvuntur in cella in ℘ auri fotivum.

Hinc

☉ Sclopetans seu fulminans, κεραυνόχρυσος.

℞. *☉ laminati & in frusta incisi q. v. solve digerendo in ▽R, (ex ▽ ℔.1. * ℥iv.) solutioni infunde guttatim bonam quantitatem ℘i Tart. p. d. (vel è contra solutionem ☉, infunde in bonam quantitatem ℘i Tart. p. d.) donec solutio clara & alba evadat, sic præcipitabitur ☉ instar limi, ☉le omni ex parte præcipitato, elue salsedines ▽ commun. calcemque ☉lis calore hypocausti lenissimo exicca vel sponte suâ exiccari permitte; sic paratum est ☉ fulminans.*

N. *☉ hoc fulminans cautè tractes, ne flammam scilicet concipiens detrimentum inferat, concipit enim promptissimè ac deorsum vergens, quicquid substratum, non sine adstantium periculo, in frustilla disiicit. Lævigaturus itaque memento singulis vicibus parum sumas, non ferro sed ligno agitand. vel ∽u Sal. com. aut Sulphuris guttatim affuso, vim* φλογίζειν *ac fulminantem adimas. Figitur quoque vis fulminatoria si calx illa in* ⋇ *l. △ per horas aliquot (24.) continuatâ agitatione coquatur.*

Vires. Sunt qui hujus gran. iij. vel IV. ad sudores ciendos exhibent.

Hinc & Diaphoreticum.

℞. *Calcis ☉ (▽ malvat. aliquoties irroratæ; atque iterum exiccatæ) ℥j. Croc. ℈j. Ambr. Grys. & mosch. or. ana gran. VI. Misc. & serva.*

Vires. Cum Vino malvatico, vel alio liquore exhibitum, multos affectus domare dicitur, præsertim ex obstructione ortos: cordiale quoque insigne est at hystericis minus utile, ob moschum & ambram.

2. Calcinatio vaporosa.

Fit similiter vaporibus ex liquore aliquo corrodente, (uti dictum,) elevatis. *Paracelsus lib. 5. de morte rer. natur. hanc habet; crocumque acquisitum ⊖-m ☉is appellat.*

℞. *☉ lamin. suspende super Urinam pueri mixtam cum uvarum pressarum exuviis, in Aludele sat amplo firmiterque clauso. Hinc pone in exuvias uvarum calidas ♂♇ (14.) & adhærescet laminis crocus pede leporino abstergendus.*

3. Calcinatio amalgamatoria.

℞. *☉ laminat. p. I. ☿ crudi puri p. VI. circiter F. ããã nimirum ☉ laminatum (& si vis ignitum,) cum ☿o ad △ calefacto, ut fumare incipiat, misce: mistura in ▽ infunde, ut mistura ea undique fere similis evadat.*

Hinc tere cum duplo Sulphuris continuoque ad △ lentum agitando calcina, donec ☿ & Sulphur sine liquefactione ac concretione exhalarint, calxque ☉is colore calendulæ remanserit. Sic calcinatur Basilio ad conficiendam Tincturam, vide infra, & conjunge Basil. Chym. Milij tr. 2.

N. 1. *Felicius procedet calcinatio si (ante combustionem cum Sulphur. idem ☿ cum ☉ toties amalgamatus & ab eodem per retortam abstractus fuerit, donec sese invicem amplius amplecti recusent. Vide Hartman. in practic. de Dysent.*

N. 2. *Beguinus separat ☿um superfluum per corium, post separationem miscet restantem massam cum duplo Sal. com. decrepitati, reverberatque sine fusione ☉is in Crucibulo lutato, & non nisi parvo foramine aperto, ☉em ita calcinatum (& edulcoratum,) amalgamat denuo cum ☿io massam trajectione in corio restantem miscet cum duplo Sulphuris vivi superfunditque ▽ optimum, una cum Sulphure efflagrandum, sic relinquitur ☉ spongiosus valdeque attenuatus.*

4. Calcinatio cementatoria.

1. Fit quando ☉, vel cum Sulphure, vel Sal. com. quoniam stratificatim mixtus, in △ reverberij adhibito caloris moderamine, ne ☉ fluat, subtilissimè pulveratur, *Sala de ☉.*

2. Cum C. C. usto.

℞. *☉ limat. q. v. tere diligentissimè cum C. C. usto dein reverbera (quod in furno figulino quoque fieri potest) donec colorem acquirat incarnatum.*

Vires. Medicina est viribus suis efficacissima dosis proportione C. C. (quæ recipitur fere octupla) est; quæ grana ☉ 3. 4. &c. contineat. Finckin. Enchir.

Aliter cum C. C. crudo.

℞. *☉ laminat. & C. C. in similes laminas redactum. F. S. S. S. collocetur que clausa lutataque pyxide in △ calcinationis gradualem, tandemque horis 4. auge △m, ut pyxis incandescat: hinc exime, atque itera calcinationem novo adhibito C. C. donec ☉ reddatur friabile. (fit vice tertiâ.) Tandem ☉ hunc calcinatum denuo cum C. C. usto tere ac reverbera △ mediocri, ut colorem acquirat laterum. Sic optimum habes Solis pulverem.*

N. *Expe-*

N. *Expedit fundum pyxidis arena vel alum. plumoso tegere, ac stratum eodem claudere. Joh. Agric. de Sol.*

5. *Calcinatio reverberatoria.*

Reverberari Sol dicitur, quando in pulverem purpureum seu summe bruneum, subtilem ac levem redigitur, id quod fit per se ignitione solâ, vel etiam flores Sulphuris calci ☉ admiscendo & comburendo.

N. *Supplere reverberationis vices possunt iteratæ ☉ calcinationes, sive illæ per ããã, sive per ℞ factæ fuerint.*

Hofman. ii. *Calcinatio ☉ est 1. Immersiva.*) Ab aquâ regiâ, butyro ♁nij, Spiritu Nitri bezoardico, per ▽ fortem Nit. vel Sale acuatis, Spiritum Salis alkalisatum, Oleum ♄turni, liquorem Salis, spiritum alkalisatum Acet. dist. ♉ &c. Aurum solvi posse in minutissima corpuscula nullum est dubium. Quod autem juxtà *Dnum Autorem* hoc etiam perficiat sp. ✱ urinosus, Tartari volatilis, cruoris, urinæ, &c. experientiæ mechanicæ contradicit. Si Aurum prius fuerit reclusum, Extractionem quidem ab his factam, sed minus solutionem concedimus.

N. ad Calcinationem ☉ immersivam etiam *Cl. Zwelferi* Croci Solaris cum Nitro, ☉ & Sal. præparatio in ▽ facta referri potest, in Animadverf. ad P. A. p. 465.

Multi asserunt, Oleum Salis ferè insipidum evadere, si lateres candentes sæpius in eo extinguantur.) Verum hoc modo corpuscula salina acida Olea Salis lateribus ita implicantur, ut postmodum nedum destillatione elici, sed & vires suas exserere nequeant, ut ad Auri solutionem inepta fiant. Commodius erit, sali decrepitata Acet. dist. affundere, & in Alembico tamdiu phlegma Acet. abstrahere, usque dum Acet. prout affusum, iterum destillet; Hoc sal Acet. dist. imbutum demum cum argillâ in globulos formatum per retortam destillandum est, unde elegantissimum non solùm, acquires spiritum, sed & ex Cap. mort. crystallos ☉ solventes, & in morbis curandis nancisceris admodum proficuos. Quò tendit etiam *Dnus Autor* cum balsamo Sal. dulci, cujus in sequ. meminit.

Hinc ☉ Sclopetans seu fulminans.) Græcis κεραυνόχρυσ☉, Or petant, *Aurum* crepitans à Gallis dicitur: *Dnus Autor* aquam regiam ad ☉ solutionem sumit, alij sp. Nitr. cum Sal. acuatum, ubi tamen enchirises sequentes sunt observandæ: Primò sp. Sal. & Nitr. anatica sumenda est portio, ita tamen ut sp. Nitr. excedat aliquantisper, (Ego sumo sp. Nitr. ℥j. ʒij. sp. Sal. ℥j. ✱ ʒij. ad solvendum ducatum) inde cucurbitæ vitreæ spiritus & postmodum solve in his ✱, id quod ex tempore fit, in hanc solutionem injice Aurum laminatum, expone in arenam moderatè calidam, & ☉ brevi solvetur temporis spatio. Ego suprà ellychnium accensum ex tempore maturavi solutionem. *Aurum* solutum infer amplæ cucurbitæ Alembicatæ, præcipita cum ol. Tartari p. d. magnâ quantitate, sed sensim ac sensim, ut ebulliat, & dum ita ebullit, adde aq. fontan. s. q. stent infusa per noctem, ac insequente die filtra per chartam bibulam, & habebis Sol fulminans in filtro, quod probe cum aquâ edulcoratum in aëre exsicca.

N. Ol. Tartari p. d. ex Tartaro & Nitro ana calcinatis & cum aquâ solutis iterum in sal coagulatis conficitur.

N. Vis fulminandi in hoc pulvere stupenda est, quatuor vel quinque grana in cochleari argenteo posita, admotâ infra candelâ accensâ similem bombardæ explosæ crepitum faciunt adstantium auditum personantem. Scrupulus unus hujus potentius operatur, quàm pulveris pyrij libra dimidia, quæ causa etiam, quod pulveri nuprum tormentario muros arcium vel castellorum munitorum fortius diruat, quàm simplex pulvis pyrius. Operationem præterea ejus reddit mirificam, quod, quemadmodum pulveris pyrij sursum, ita hujus deorsum, ut plurimum, nisi viam inferius præclusam inveniat, tendat. Vi hujus Auri fulminantis casu accensi magnum Lapidem vidi in frusta disjectum non sine magno præsentium periculo. Si inferius vim suam exserere ob aliquod nequeat obstaculum, resilit sursum, Exempli gratia, accipe grana aliquot cochleari indita argenteo, thalero obtege, & cochleari accensam subde candelam, à pulvere exploso strepitus insequetur validus, eritque fovea in fundo cochlearis ad perforationem ferè impressa & nummus sursum feretur cum impetu, non sine adstantium terrore. Hîc variæ & diversæ tanti effectus stupendi à Doctoribus afferuntur causæ, Nos tamen omnibus sepositis, statuimus hancce Auri fulminantis potentiam ex subitaneâ partium salium ✱, Nitr. & Tartari cum Sol texturæ firmissimæ dissociatione & disgregatione oriri. Quod autem ejus fulmen deorsum inclinet, causa est non solùm corporis solaris gravitas & fixitas, sed & salium ad hoc proclivium impetus deorsum vergens. Non desunt, qui calcem martis eodem modo fulminare statuunt, sed frustra sunt, dum inanis ejus non solùm est operatio, sed & dum cum martis substantiâ & dictis salibus tam arcta non intercedit unio & textura partium. Cum Saturno magis ejusmodi vis fulminandi exerceri potest, eò quòd ♄turnus per se vim fulminandi habeat, prout *Dn. D. Johann. Michaelis* p. m. in sacchari ♄ urni præparatione expertus fuit, quod vi suâ fulminante mediantibus salibus Acet. duos diffregit furnos, tectum domus & fenestras. Similem etiam cum Auro fulminante præstant effectum Sulphur vulgare cum Tartaro & Nitr. vid. Nobiliss. *Rolfinck.* chym. in Artis form. redact. Lib. V. sect. 11. Cap. 18. p. m. 341.

Vel Spiritu Salis, aut Sulphuris guttatim affuso vim φλογίσιν, ac fulminantem adimas.) Spiritus acidus Salis, Vitrioli vel Sulphuris compescit salia Auri fulminantis adjuncta & inhabilia reddit vi suâ figendi ad fulminandum, quemadmodum idem etiam accidit cum pulvere pyrio sp. Vitrioli vel Sulphuris imbuto, ut etiam ad impetum fulminandi fiat ineptus. Si itidem Sol fulminans nimium edulcoretur, vim suam fulminandi similiter amittit, sed nullam tunc habet vim laxandi, quæ à salibus Auro connexis oritur, hæc enim quam primum calorem corporis internum percipiunt, solvuntur & fermentationem concitant, quâ fit, ut Natura irritetur, & illa, quæ in corpore noxia sunt, per consuetas evacuentur vias. Unde & Sol fulminans in Colicâ, seu flatibus & ventris torminibus etiam cum fructu adhibetur, tam pro corroboratione, quàm pro flatibus discutiendis, quos potenter pellit & alvum simul deobstruit. Miscetur quoque interdum cum pilulis & pulveris in affectibus melancholicis. Habet etiam hoc Aurum vim diaphoreticam ad gr. iij. vel iv. in convenienti liquore adhibitum. Interdum utramque operationem & catharticam & diaphoreticam exercet, prout à salibus magis vel minus per ablutionem liberatum, magis vel minus etiam sudorem movet vel purgat.

N. Sp. Nitr. q. solve in eo ✱, q. s. ut fiat aqua regis, in hâc solve scobem Sol, ⩦ cum sp. Vitrioli Sulphureo. Hoc Sol fulminans purgat ad gr. iij exhibitum.

N. Sp. Nitr. part. iij. sp. Sal. part. j. misce, solve in his Sol q. v. & cum ol. Tartari p. d. ⩦ta, donec resideat, lavetur & siccetur, habebis pulverem cro-

cei

cei coloris non fulminantem. Cum liquore silicum etiam ▽rari potest.

N. R. Sol fulminantis ℥ß. sacchari ♄turni cum spiritu vini coagulat. & Cinnabar. ♁nij rectific. s. q. philosophicâ putrefactione radicaliter uniantur. In morbis desperatissimis ultimum remedium in febribus ardentibus malignis dosis pro pueris gr. iij. aut iv. in adultis gr. vj. viij. in convenienti vehiculo.

2. *Calcinatio vaporosa*) Quanquam Hartmannus hunc Solis crocum magnoperè deprædicet, neminem tamen arbitrari puto, hunc ipsum ex Sole esse. Est enim crocus ♀ impuri auri ad hoc opus adhibiti, & cum sale uvarum pressarum cum sale urinæ mixto extractus, si enim Solem finum sumpseris non procedit.

3. *Calcinatio amalgamatoria.*) Hæc quamvis valdè usitata ac mechanicis sit notissima, spernenda tamen non est, quoniam sine ullâ fit violentiâ, scilicet per ☿rium, qui interdum etiam aliquoties à Sole per retortam abstrahitur, vel per Cinnabarim vulgarem & factitiam, atque sic calx impetratur optima, dum Sol inde spongiosior fit & ad usum Medicum efficacior. Basilius Medicamentum habuit, quod vocavit *den Purpur-Mantel*, quod ex ejusmodi Solis croco paravit. Ex hoc ▽tatum Solare conficitur.

4. *Calcinatio cementatoria.*) Hæc melius succedet, si prius Sol cum aquâ regiâ solutus & per humiditatis abstractionem in Vitriolum fuerit conversus & postmodum cum Sulphure in vase terreo sub tegulâ leniter calcinando sub continuâ commotione in crocum redactus.

2. *Cum CC. usto*) Hæc commodius perficietur, si prius ex cornubus istis spiritus destillatus fuerit cum sale volatili & oleo, & demum Solis calcinatio cùm Cap. mort. horum cornuum fieret; Et adhuc melius, si cum rasurâ CC. crudi Sol calcinetur vel sal CC. volatile à Sole abstrahatur, à quo tota compositionis dependet ratio. *Cl. Hartmannus & Dn. D. Moebius* hoc medicamentum Solare cum CC. crudo, prout & *Dnus Autor* l. c. describit in frequenti habuerunt usu, & vocarunt medicamentum ex fructibus calvariæ, modúmque præparandi diu sibi secretum servarunt. Feliciter eo utimur in febribus malignis, dysenteriâ epidemicâ. Dosis est à ℈ß. ad ℈j.

5. *Calcinatio reverberatoria.*) Notandum calcinationem hoc loco non sumi propriè pro incineratione, quâ suo humido ingenito res ignis violentiâ spoliata in cineres redigitur, ita ut nullâ arte pristinum ejus corpus sit reparabile, quod in Solis calcinatione non procedit, sed impropriè pro istiusmodi △gnis operatione, quâ corpus compactum ac durum salium corrosivorum beneficio igne reverberij subtilem ac spongiosam quasi calcem quoad externam formam repræsentat, salvâ manente corporis internâ formâ.

N. Nonnulli, postquam Sol in aquâ regia solverunt, solutionem istam fundunt in plumbeam patinam, tunc aqua regia aggreditur ♄num relicto solari pulvere.

III. *Volatilisatio.*

Unde Sol spiritualisatus.

Volatilisationem voco Solis per ✕✕ destillationem, qua Sol velut in spiritualem naturam redigitur, idque fit beneficio volatilis alicujus, ejusque debiti vehiculi, seu menstrui, nimirum hoc ipsum à Sole soluto toties cohobatur, donec secum in liquida forma eundem Solem evehat. Vehiculum autem commodum præbet, 1. 🜍. 2. ☍ ♁ glaciale, [vide paulo post] 3. ⊖nit. Bezoardici, (vide. Sol potabilis per ⊖m Sal. nitri. Bezoardic.) ⊖ Sal. Com. rectificat.

N. *Loco Sal. communis, haud sine commodo substitui poterit ⊖ ex sale alicujus vegetabilis, v. gr. Cardui benedicti.*

Hofman. 3. *Volatilisatio. Unde Sol spiritualisatus.*) Volatilisatio ista Solis nihil aliud est, quàm ponderosi corporis in corpuscula satis exilia divisio, ad eam levitatem & volatilitatem redacta, ut partes ingredientes stillatitiorum etiam liquorum fieri queant, ita tamen ut pristinam iterum induant Naturam △is examini subjecta. Videri hoc potest in præparatione bezoardici Solaris, ubi spiritus Nitr. bezoardici beneficio crebrius Solis affusi, iterumque abstracti haud difficulter tantum Auri traducere per Alembicum possumus quantum ad destillatum liquorem duraturo colore aureo tingendum suffecerit.

Spiritus ex sale alicujus vegetabilis.) De hoc spiritu Ars pyrotechnica nihil sibi conscia est vid. suprà Libr. 2. Cap. de salibus.

III. *Extractio.*

Unde sol potabilis, Tinctura solis.

N. *Tincturas plerasque Solis solutiones & exaltationes potius esse quam extractiones non diffiteor; attamen quia vulgariter Tincturæ nomine efferuntur, & nobis visum fuit idem retinere. Aurum itaque potabile communiter dicitur aurum in liquorem redactum, internoque usui idoneum, de quo loqui videtur Hippocrates l. 1. de Diæta text. 47. Qui aurum, inquit, ad opus adhibent, tundunt, lavant, blando igne liquant (neque enim vehementi coit,) quod ubi elaboraverunt, ad omnia utuntur. Scias tamen & extractiones genuinas non esse impossibiles. Nimirum & Amici cujusdam mei & propriâ meâ experientiâ didici, quod ex Sole oleum rubicundissimum aquæ supernatans extrahi possit. Id quod hic repeto, ne de certitudine dubites.*

Hofman. 4. *Extractio, Unde sol Potabilis, Tinctura solis.*) Utrum genuina solis extractio possibilis sit, ita ut vera ejus irreducibilis Tinctura haberi possit, magna contentionis serra inter Chemicos Doctores trahitur. *Cl. Zvvelferus in appendic. ad animadvers. P. A.* de Tincturâ solis inquit: Apud Chymicos vulgares aurei passim excrescunt montes, de quâ tamen ingenuè hoc sentio & statuo, nunquam à me visam veram Auri vel Lunæ Tincturam; meræ solutiones sunt, & vel levissimâ operâ citò parabiles, aliud enim est solvere, & aliud extrahere. Etenim qui Tincturam alicujus rei efficere satagit, is eandem ex corpore vel subjecto extrahat necesse est, relicto corpore colore suo orbato, hoc nisi fiat & apertè demonstrari possit, non est, quod ullus glorietur de hâc vel illâ Tincturâ, quippe quæ omnes, quotquot adhuc in libris Chymicorum legere licuit, meræ solutiones sint, quibus nullo modo speciosum Tincturæ Nomen competit, quo mundo egregiè imponunt, ut verùm maneat, quod *Paracelsus in vexatione Chemistarum*, etsi metallum decies millies destruxeris, attamen è destructionibus semper resurget longè perfectius. Et *in Archidoxis* Libr. de separat. Elementor. Cap. de metallis. Unumquodque Elementorum in specie olei destructionis metallicæ potest reduci iterum in metallum album pristinum & malleabile. Quamvis etiam pars mercurialis in metallis, adeoque & in ipso Mercurij corpore propter adjuncta suscipiat larvas Vitrioli, olei, salis &c. non sunt tamen nisi oculorum imposturæ. Unde Philosophi dixerunt: Facilius esse Aurum construere, quàm destruere. Verùm in *Mantissâ Spagyric.* part. 1. cap. 1. pag. 322. mentem suam mutavit & contrariam assumens sententiam statuit, Tincturam

Auri

Auri seu Animam vel quintam Essentiam à corpore mercuriali Lunæ speciem referente ejusque proprietates ex integro æmulante separari posse. Dari etiam separationem sulphuris Auri à corpore seu Mercurio suo per præcipitationem solutionis, ubi corpus residet instar calcis albæ, nullo ingenio, nullâ arte reducibilis, Sulphure tingente in menstruo manente, quò spectant & *D. Johannis Tilemanni* experimenta circà veras & irreducibiles Auri solutiones nunc denuò recusa cum præfatione *Excell. Chymiatri D. Joelis Langelotti.* De quibus infrà uberius. Quod autem supra dictum, Aurum nullâ arte corrumpi, resolvi &c. posse, eò quod perfectissimum sit, hoc quidem certum est, quàm diu naturæ isti non conjungis aliam, quæ destruere aut resolvere illud potest: qualem se scire Chemici fatentur, extrà quam unicam nulla in hoc mundo est, quæ istud præstare possit. Aurum enim duplici partium nexu constat, interiori & exteriori. Interior est, quo miscibilia & ipsa corpora primogenia sibi implicantur. Exterior, quo partes mistæ ipsius scilicet Auri continentur. Exteriorem nexum disturbare plurima possunt, tritus, pulsus, salia, ita ut in sensibiles abeat particulas, quarum tamen quævis Auri retinet formam, nec corrumpi ideò dici potest Aurum, quod insensibiles particulæ in palpabile Aurum reduci nequeant. Interiorem plexum & nexum nihil nisi, quod ex ipsâ Auri naturâ primogeniâ est, à vinculis suis solvit. vid. *Elegantiss. Epistol. sæpius allegatam Excell. Morhofii p.90.*

N. Hâc occasione meritò quæritur; *Utrum transmutatio metallorum operâ humanâ fieri possit, vel minus?* de hâc quæstione vid. l. c. *Cl. Morhofii epistol. p. 78.* Qui eam fieri posse & factam fuisse statuit luculentissimis rationibus & exemplis p. 86. & p. 148. adeò ut, cùm hujus adsint exempla & testimonia sufficientissima, jam non opus sit aliundè deducendis rationibus. Ad majorem tamen rei evidentiam hîc inseram Epistolam anno 1667. d. 25. Novemb. à N. N. in N. Insulâ ad N. N. exaratam. P. P. invitatus ab N. N. in N. Insulâ d. 25. Novemb. in festo præsentationis B. Virginis, audivi recensentem mihi, quod ex Hollandiâ accepisset octavam partem unius grani Tincturæ aurificæ, quam minimam particulam jussus erat projicere super plumbi sex uncias, jussus insuper, ut hoc Aurum sic ex plumbo factum & ignitum extingueret in aquâ (puto bis vel ter repetendam ignitionem & extinctionem) deinde hoc Aurum iterum fundere ac projicere in plumbum fusum, quod hoc Aurum adhuc ducentas plumbi partes in purum etiam Aurum converterit. Autorem secretum hoc monstraturum, si placeret *Serenissimo* N. N. ipsum invisere, & quidem Amstelodami habitantem. Misit etiam de suprà memoratâ aquâ, cui aliquid de menstruo universali immixtum, ut illius etiam in Medicinâ sumeret experimentum quod factum est ab N. N. *Leudij* in præsentiâ quatuor Medicorum præcipuorum, jussit Chirurgum cum lancettâ incidere oculum totum canis utrumque per modum crucis, ut effluerent ex uno quidem tres humores, ex altero duo saltem crystallino relicto, ut effluxis humoribus tunicæ oculorum subsederint, infusis post aquæ illius aliquot guttis, humores iterum genitos seu restauratos, utrumque canis oculum pristinæ figuræ restitutum, & quidem illum citius, in quo permittebant & humorem crystallinum effluere, altero, in quo dictus humor retineretur, cum ingenti Medicorum admiratione. Apparere etiamnum in oculis incisuræ vestigia, quæ facta sunt per triduum in pupillâ, idcircò autem huic cani curato uno oculo jussit incidi & alterum, ut sumeret experimentum de visu, quem colligunt simul restitutum, cùm canis hinc inde obambulet, ut anteà. Hactenus de verbo ad verbum Dn. D. W. Addit D. D. M. cum sequenti die ipsum inviserem, dixit *Illustrissimus* N. N. &c. admodum gratiosè monuisse, quod per litteras ipsi communicatum sit, ac si drachma una istius Tincturæ aurificæ duodecim millia & quingenta drachmarum plumbi in Aurum purissimum transmutarint, & unica drachma istius Auri factitij post repetitam in aquâ extinctionem in plumbum liquatum injecta ducentas plumbi drachmas in optimum posset Aurum denuò transferre. Modò Laudatus *Illustrissimus* paratus est hoc ipsum cuivis ostendere & acceptum fore dixit, si alijs etiam *Electoribus ac Principibus* communicaretur, se velle fateri, quamdiu ipsi hujus Tincturæ aliqua copia adhuc esset. Ex his & alijs apparet, in quantum jamdum largissimus bonarum rerum diribitor Deus in hâc extremâ mundi senectâ in puncto projectionis permiserit. Hanc licet moderno tempore plurimi etiam impugnent, frustrà tamen sunt, & omnibus sese exponunt risui. vid. *Epistol. sæpius allegat. CL. Morhofii* p. m. 86. Hujus eruditissimum discursum l. c. traditum de modo & materiâ conficiendi lapidem Jubet hîc inserere, cùm dicta Epistola in paucis adhuc sit manibus. Cum transmutationis nomen, inquit, adeò Misochemicis odiosum sit, ac sensibus illorum repugnet, solius mistionis, quâ tota res potest expediri, substituemus. Communis scilicet metallorum materia est Mercurius, substantia ponderosa, ductilis, liquabilis, substantia altera Sulphur est, sive rubræ sit naturæ, sive candidæ, ab hâc distinctionem suam metalla recipiunt. Jam inter perfectius mista Aurum est, & quod secundum ab illo gradum habet Argentum; illud ex puri Sulphuris rubri, hoc ex puri Sulphuris candidi familiâ, arctiori tamen & propriori ob æqualem puriorum partium mistionem, cognatione juncta, quàm cætera illa, Plumbum & Ferrum, Stannum & Cuprum, quæ in se mutuo, immediatè saltem non convertuntur, ut cuprum & ferrum, plumbum & stannum: præ cæteris verò illa, quæ sulphur in se candidum habent, Hydrargyrus, Plumbum, stannum, Argentum facilius Aurei sulphuris operationibus obsequuntur, quàm illa, quæ à rubro Sulphure ortum trahunt: habet enim eorum, ut cupri & ferri sulphur majorem impuritatem cum quâdam pervicaciâ conjunctam, quàm cæterorum, quorum Mercurius copiosior est, & sulphur immaturum facilius excoqui in rubrum perfectius à perfecto Sulphure potest: nam in imperfectum rubrum vulgaribus etiam operationibus convertitur. Hinc Chemici lubentius vel plumbo vel hydrargyro in Auri confectione utuntur, quàm ferro aut cupro. Quando itaque Elixyr suum componunt Chemici, materiam metallicam, quæ est Mercurius ex argento extractus, tot operationibus depuratam cum purissimo Sulphure Auri conjungunt & in subtilissimam, fixam tamen Naturam, convertunt, omni Auro longè perfectiorem, quæ iteratis resolutionibus & coagulationibus majores semper perfectionis suæ gradus acquirit. Hoc Elixyr Plumbo, sed prius à scoriis per certos pulveres liberato, dumque funditur cum cerâ involutum injectum statim cum Mercurio plumbi tanquam sibi congenere ejusque partibus purioribus miscetur, unâ cum sulphure quàm arctissimè secum juncto, dum partes heterogeneæ vel separantur vel fumo avolant. Mercurius plumbi per mutuum illum partium consensum statim se sociat Mercurio subtiliori, ejusque Sulphur adjunctum etiam in interiorem sui naturam recipit, excluso illo, qui sibi adhæret, impuriori.

N. Summæ admirationis opus est, unum Elixyr vel pulveris projectionis granum integram Mercurij vel Plumbi libram in verum Aurum mutare posse. Verùm hoc Naturæ minus repugnare experimur, si per-

si perpendimus, quomodo exigua croci, moschi, ambræ, zibettæ &c. portio sufficiat ad mille vel amplius aquæ partes tingendas, vel odore inficiendas. Quid igitur non efficiet Aurum in Naturam longè subtiliorem redactum? Est præterea etiam mutuus quidam Naturarum consensus Nobis incomprehensibilis, per quem inusitata sæpè in Naturâ phænomena se ostendunt: quæ non per generationem, vel transmutationem, sed per alteratam partium interiorum mistionem, qualis & præsens est, fiunt.

Scias tamen & extractiones genuinas non esse impossibiles.) De quibus nec ego dubito; An autem genuinæ extractiones sint vocandæ, quæ saltem circa exteriorem Auri plexum versantur, cum salibus diversi generis loco menstrui adhibitis præparatæ, negamus. Quis enim ignorat, menstrua elaborari posse, quæ ex corporibus dissolutis eliciant & retineant partes, adeò tenaciter illis adhærentes, ut nova quasi concreta corpora veteribus destructis constituant: Et stricta illa unio, quæ inter partes corporis emergentis supponitur, in causa est, ut aliter discerpi nequeant, nisi per minutas partes materiæ, quæ ad eas dividendum se associant, & strictè admodum ijs illarum partibus cohærent, quas à prioribus partibus adhærentibus separant. Nec impossibile est, posse aliquod corpus Naturæ suæ mutationem acquirere, nec tamen partium suarum divortium pati, solâ scilicet novâ partium texturâ à potenti aliquo Agente effectâ. Examinamus *Dn. Autoris* ☉ *potabilis* descriptiones, deprehendemus, Tincturas illas ejusmodi etiam concreta esse, licet Solis croceum sæpè mentiantur colorem, quæ ex Sole cum particulis menstruorum ad corrodendum aut præcipitandum adhibitorum coalitione digestionis adminiculo, non autem ex merâ partium metalli illius Solaris alteratione orta sunt, seu ex merâ partium variatâ Solis texturâ & menstrui partium ac consequenti dispositione ejus reflectendi aut restringendi lucem mutatione à digestione promanante ejusmodi Solis Tincturæ emerserunt, Prout ex sequentibus animadversionibus patebit.

1. *Aurum Potabile per* 🜄 *sale urinæ acuatum.*

♃. *Calcem auri, [per* 🜅 *factam, reverberatione in summam porositatem & brunnitatem redactam,] affunde* 🜄 *microcosmic. digere l. calore per mensem vase H. clauso; donec sanguinis instar rubicunda tinctura evadat. Hinc decanta, & affunde novum menstruum, idque toties repete, quoties opus, Solutiones collectæ per octo & duodecim dies digerantur. Hinc lenissimo calore menstruum, [in similes usus reservandum,] in* MB *separetur. Sic remanet tinctura in fundo forma* ☍ *rubicundissimi, in quolibet liquore solubilis, quæ vicem auri potabilis supplere potest*

Eandem solutionem si loco MB in arena per cucurbitam vel retortam destilles: tandem solis tinctura simul per XX transit, rubicunda instar sanguinis, relictâ in fundo terrâ acidâ nigra, spongiosa. Tinctura à menstruo suo in MB saltem tepido liberata ulterius exaltari potest, si aliquoties in 🜄 solvatur, ac spiritus idem per destillationem à tinctura abstrahatur.

Dosis à gran. iij. ad viij. imo vel ultra, Hartm. in Croll & in Pract. Senn. Inst. Kesl. 1. Cent. 2. Gluck. in Beguin. libr. 3. cap. 2.

N. *Sala, Scheunemanus & alij loco salis volatilis urinæ, salem naturæ recipiunt, i. e. Macrocosmi Elementorum vel spiritum in terra ceu Macrocosmi Generatorio, [ut inibi in fœtuum terrestrium nutrimentum facessat,] in corpoream substantiam transplantatum. Hunc arte spagyricâ summe depuratum, animatione exaltatum, vocant* ☿*m Philosophorum.*

Consule Hartmann. in Croll. pag. 399. Salam de auro potabili. Tentzel. in Exeg. pag.(mihi) 491. Scheunemani Hydromantiam, &c.

Aliter cum 🜄 *acuato per Sal. Com. vel* ♉.

Alij 🜄 acuunt, vel sale volatili, seu floribus Sal. com. aut ♉. vel Crystallis salis dulcibus, vel spiritu ✱, aut Sal. Nit. atque ut dictum, cum hoc 🜄 acuato; ex calce solis summè brunna & porosa, Tincturam digerendo extrahunt: abstracto menstruo remanet tinctura in fundo, quam circulando fixare licet.

Usus.

♃. *Hujus Tinctur.* ʒi. 🜃 *theriac.* ℥j. *M. pro sudorifero aliquot dies continuando.*

Dosis ℈j. *Vide Quercetan. in lib. de Medicam. Spagyric. præparat Salam de auro potabili. Kesler. lib. 3. cap. 31.*

3. *Aliter cum* 🜄 *alcalisato sol vitæ Quercet.*

Primò calcina Solem laminatum per cementat. [cum Sal. nit.] & reverbera. Secundo, cementa per Sacchar. ♄, super hac mixtura accende aliquoties 🜄 alcalisatum. Relictam materiam circula (☍ 14.) cum 🜄 alcalisat. abstrahe & affundendo novum 🜄 alcalisat. iterum circula & abstrahe, idque repete donec tota solis substantia per XX efferatur. Separato menstruo manebit sol vitæ præstantissimus in fundo. *Quercet. Sala.*

4. *Aliud per Ol.* ♄*ij glaciale sive Butyrum* ♄*ij.*

♃. *Calcin. sol. reverberat. conjunge cum Ol.* ♄*ij glaciali rectificato, digerendoque per mensem extrahe tincturam rubicundam; quod si illud oleum vicissim seu secunda vice destilletur, aurum elevatur in* 🜄 *subtile, & hoc est auri potabile.*

Vires. Valide per diaphoresin movet.

Dosis gutt. 3. 4. vel 5.

N. *Oleum* ♄*ij, quod primâ hac destillatione ab auro prodit, purgat leniter, solvitque omnes obstructiones, & multa alia præstat Hartm. in Croll. p. 226.*

5. *Aliud per Ol* ♄*ij Saccharatum, Basilij Magisterium Solis.*

♃. *Sol volatilisat. affunde oleum* ♄*ij Saccharatum, cum tantillo spirit. sal. com. & extrahetur tinctura, relicto corpore solis intacto.* Basil. in Triumph.

6. *Aliud per spirit. sal. nit. Bezoardicum.*

♃. *Sol foliat. ac calcinat. solve in spiritu sal. nit. Bezoardico rubicundo, abstraheque menstruum calore lenissimo, (ne spiritus nimium prodeant,) per* XX *vel phialam oblongioris colli, usque ad pelliculam seu oleositatem. Hinc recens rubicundum menstruum affunde, solve, abstrahe, similiter procedendo tertiâ vel quartâ vice. Tandem hæc ipsa solutio solis ex retorta* 🜂 *fortiori destillatur, ut & spiritus prodeant, quos affunde iterum cohobando, donec ipsum aurum rubicundum instar rubini apparuerit.*

7. *Aliud aurum potabile per* ☍ ♄*i.*

♃. *Cal. solis per* 🜅 *vel* ☿ *&c. circula per aliquot dies cum Ol.* ♄*i flavo; sic compagem solis in liquorem solutam videbis.*

Vires & dosis. Usus ejus est contra venena non contemnendus, imo, sæpè visum est, gutt. iv. ad viij. in vino exhibitis, etiam eos, qui existimabantur morti proximi, refocillatos fuisse. Multum etiam præstat in Caduco, Apoplexia, Paralysi, & cæteris morbis capitis. Hartman. in Croll. pag. 474. Kesler. lib. 4. Num. 57.

8. *Aliud per spiritum sal. communis.*

♃. *Calcis sol. (solutionem solis in* 🜅 *Basilij præcipit. cum* ☿) *q. v. affunde spir. sal. com. rectificat. digerendo extrahe tincturam, corpore solis albo remanente in fundo,*

fundo, (quod est reducibile in ☽ *cam fixam) tincturam exalta cum* ▽ *circulando, totiesque cohobando, donec cum* ▽ *per* ⅩⅩ *deducatur. Kesler. lib. 4. cap. 71.*

9. Aliud per ol. Sulphur.

℞. *Calcis* ☉ *q. v. affunde ol. Sulphur. p. c. ad eminent. digit. 7. abstrahe cohobando aliquoties, donec* ☉ *solvatur. Soluto tandem soli affunde* ▽ *rectificatiss. ad emin. dig. 4. oleo Sulphuris non separato. Digere septim. (6.) Hinc abstrahe per* ⅩⅩ▽, *idque reitera, donec sol per* ⅩⅩ *elevetur. Hoc facto abstrahatur lenissimè* ▽, *ut maneat in fundo liquor rubicundus.*

N. 1. *Post tertiam vel quartam cohobationem separandum est phlegma, novumque etiam affunde,*

N. 2. *Reiteratione cum* ▽ *opus est septimanarum aliquot (10.)*

Hinc fit

Aurum Diaphoreticum compositum Poppi.

℞. *Calcis* ☉ *(à qua Ol. Sal. com. abstractum) ʒj. Ol.* ☿ *ij. (ex cinnab. nativa)* ℥*j. Ol.* ♂*tis (ex scoriis* ♂*) ʒj. Superfunde Sulphur. vini, aliquoties id abstrahendo, & remanet pulvis paulatim* △ *calcinandus & figendus.*

Prodest in contracturis. Dos. g. viij. Popp. in Thesaur.

10. Aliud per Essentiam Sal. communis.

℞. *Optimè calcinat. (per āāā, &c.) affunde Q. E. seu Oleum (Balsamum) Sal. com. ac extrahe, (solve) s. a. Decantatis extractionibus, (solutionibus) affunde* ▽ *opt. rectificat. sic* ▽ *animam Solis ad se trahet, relictâ Essentiâ Sal. com. in fundo, quam separa: Tincturam* ☉ *in* MB *à* ▽ *libera. Sala de* ☉ *potab.*

11. Aliud per spir. Mannæ.

℞. *Calc.* ☉ *fulminantem, redige in flores per peculiare aliquod instrumentum argenteum deauratum: Ex floribus extrahe tinctur. cum spiritu mannæ, abstrahe ad consistentiam pro libitu.*

Vires. Sudorem, eumque fœdissimum pellit, felicissimè morborum quorumcunque malignorum & venenatorum seminarium secum vehens. *Cl. Helv.* Dierich.

Dosis guttæ aliquot.

12. *Aurum potabile cum* ♌*u Sal. communis Tartari.*

F. āāā. ℥j. cum ℥vj. ☿ more vulg. superfluum ☿ium per corium exprime, globulum restantem tere cum ana Sal. Com. fusi, fac evaporare ☿ium mediocri △, salem ablue aq. calidâ, calcem ☉ tere fortiter cum ℥ iij. ♁ communis, pone in tegulâ fulminatoria (*eine Treibscherben.*) Un Creuset nommé foudroyant, *a burning crucible, een brandende smeltkruys.* coopertâ cum foramine, cementa per 3. horas ad totalem usque ♁ evaporationem, idque cementationis opus 5. aut 6. cum pari quantitate novi ♁ reitera donec scil. ☉ in spongiam rubicundam attollatur. 2. Extrahatur tinctura per seq. Menstruum ℞. spiritus Sal. Com. Tartari parati, ut indicabitur cap. de Tartaro vini part. 1. ▽. part. XII. Destilla simul ex cucurb. Hunc ▽ Tartarisatum affunde calci sive floribus ☉ sublimatis & tingetur rubro colore, abstrahe ▽, remanebit pulvis coccineus, cujus vires innumeræ.

N. *Si calcem spongiosam aliquoties* ♎*averis cum par. 8.* **ci donec sandaracino elevetur & postea ab admixtione* * *vendicaveris, felicius & citius extractio fiet Tinctura. Ex commun. S. Closs.*

13. ☉ *potabile Franc. Antonij.*

☉ Purgetur (bis) per ♁. Hinc calcinetur cum ☿. & Sulphur. Extraheque cum Sulphur. ♄j.

N. Licet & vice secundâ cum Sal. com. marino fuso ac tertiâ cum Sal. com. Tartari calcinare

Dosis g. 7. 8. &c.

N. *Hoc est genuinum illud adeò decantatum* ☉ *potabile Londinense, cujus descriptionem mihi servare constitueram. Verùm cum à diversis locis, quin etiam ex aula quadam illustrissima transmitteretur, ut communicaretur, nolui hac in re expectationem frustrari.*

14. *Aliud Quercetan.* ☉ *vitæ dictum.*

Ex calce ☉ levissima & spongiosâ, elice Tincturam digerendo in MB. per ✳. Tincturam hanc exaltâ circulando cum ▽.

Vires. Ad innumerabiles morbos ferè incredibilis videtur virtutis. Quercetan. in Sclopet. Ex ex hoc Sala in ☉. potab.

15. Aliud Laudanum ☿riale Bayeri.

℞. ☉ *per Sulphur &* ☿*m optimè calcinat.* ℥ß. *Olei.* ☿ *alis* ℥*v. (forsan. ol.* ♄*j) Digerantur calore ciner. in phiala H. C.* ♂ *octo, sic extrahitur tinctura* ☉ *rubicunda, hanc (relicto albo corpore) in phiala H. G. digerendo coagula (in Athanore) in lapidem rubrum, quem super porphyretico humido, solve; rejectisque fecibus denuo coagula; tertio eandem operam repete.*

Dosis gran. 2. ad 5.

16. *Aliud Billichij.*

1. Calcina cum 🜍 ac præcipita.

2. Reverbera cum flor. Sulph. & ☿, ut evadat pulvis instar boli armen.

3. Solve cum ▽ rectificatiss. digerendo ac cohobando multoties, (20.) & ultra: dein coagula abstrahendo.

4. Solve in spirit. Sal. com. digere dies aliquot (3.) hinc abstrahe. *Billich. in Exerc. th. 102.*

17. Tinctura ☉is.

℞. *Auri fulminantis probè edulcat. part. 1. spiritus* ⊖*i volatilis par. iv. (sunt qui Oleum* ⊖*causticum, in quo salis proprij pars 3. resoluta sit adhibent, sed tale menstruum naturæ nostræ inimicum est) Digerantur in B. tepenti per 40.* ♂. *Tinctum* ♌*um rubicundissimum & clarum separa per inclinationem, abstrahe ad siccitatem, affunde* ▽ *è vino Hispanico factum & Tartarisatum; & in calore lenissimo fiat Extractio instar Rubini, tinctos spiritus destilla & ad aliquam consistentiam redige, vel pulveris formam, quem etiam à sapore* ▽ *poteris eluere aqu. still. vel dissolvere in quocunque liquore appropr.*

N. *Si desit spiritus* ⊖*li volatilis, tunc ejus loco seq. Menstruum excellentissimum substitue.*

℞. *Sal communis* ♅ *. Sal. nit.* ℥*vj destilla s. a.*

℞. *Hujus aqu. fortis par. iij.* ▽ *tantundem, infunde* ▽ *in magnâ cucurb. quamstatim occludes* ⅩⅩ *suo, ebulliunt enim illicò commixti* ♌*us & flavescunt, deinde durante ebullitione rubedinem acquirunt, tandem eadem cessante menstruum subviride evadit, quod quidem nil peculiare possidet, nisi quod illius acredo facili negotio ab auro soluto elevatur, id quod adhibitis aliis* 🜍 *fieri non potest.*

Ex communic. S. Closs.

18. Tinctura Fratris Basilij.

*℞. ☉ per ããã calcinat. p. 1. solve digerendo in ℞ *ata, (vide in Sal. nit. ℞m Basilij,) vel in ℞ salinâ, (id est, Sal. com. acuatâ) p. iij. hinc. depleatur solutio, restantique ☉calci denuo ▽ illa solvens affundatur &c. donec penitus soluta calx sit: Solutiones digere in MB, ut subsideant fæces, quas separa. Solutionem defecatam digere iterum in MB ♂ ☍ (9.) Hinc abstrahe ℞ ad oleitatem; abstractam aquam affunde vicissim, impregnaque calcem cohobationibus tantisper repetitis, donec liquor ferè insipidus extillarit. Tum affunde novam ℞, impregnaque denuo ut dictum, in arena, idque tantisper donec ☉ per XX penitus transportatum sit.* [*N.* cum singulis destillationibus ignis est augendius] *tandem abstrahe per MB ad oleitatem, reponaturque ad Crystallisandum, s. a.*

Hinc.

℞. Cristall. ☉ p. 1. ☿ij vivi purg. p. iij. agitato optimè, sic apparebunt colores, subsidebitque ããã, Exhalet ☿ & restat pulvis Solis purpureus ✱ solubilis: qui tingit subito instar sanguinis.

Ex hoc pulvere extrahe s. a. tincturam rubicundam cum V̇i, qui cum spirit. Sal. com. mixtus & dulcificatus sit, (vide spirit. Sal. comm. dulcem ac ▽ temperatam Basil. in V̇i,) donec menstruum ulterius non tingatur, & corpus album reliquum sit.

N. 1. *Menstruum nisi caute & rite præparatum sit pro tincturâ rubicundâ, extrahit viridem, vel alterius alicujus coloris.*

N. 2. *Corpus illud album in extractione tincturæ residuum, inservit Sali & ☿io conficiendo, de quibus infra, videatur Tholdij Halographia, ubi ex testamento Basilij Monachi, prolixe elaborationes hasce describit.*

19. *Paulo secus ex manuscripto testamento Basilij.*

1. Purga ☉ per ♁.
2. Calcina, i. e. solve purgatum ☉ in ℞. coagulaque.
3. Volatilisa cum spir. sal. com. acuato, per spirit. draconis, (*) vide supra.

Præcipita cum Ol. Tart. vel quod melius per abstractionem lentam.

5. Reverbera cum flor. Tart. vide supra.
6. Extrahe Tart. Solis per V̇ igneum & spirit. Sal. com. vide ▽ temperatam in V̇.
7. Digere extractum Sulph. & solve denuo in ☿ Philosophorum, vel in ℞ dicta.
8. Volatilisa cum V̇.

N. *Basil. repet. lapid. Phil. volatilisat ☉ per spir. Sal. communis, hinc conjungit extractum Sulph. cum spir. ⊖i rubeo (corrosivo) per digestionem cum V̇ dulcificato solvit & digerit aliquamdiu; tandem cohobat, donec nihil in destillatorio residui maneat. Sic acquiritur liquor solaris seu ☉ potabile maximarum virium.*

20. Unicorum Solare seu Manna Solaris.

℞. Calcem Solis optimè reverberatam, imbibe aliquoties, menstruo solari, id est, affunde aliquantulum solaris menstrui (ad eminent. dimidij digiti,) vaseque H. clauso digere, l. △ ut siccescat.

Hinc iterum affunde, ac digere, totiesque repete, ut Sol in pulverem subrubeum transmutetur.

Dosis à gran. 1. ad 5.

N. 1. *Menstruum solare destillatur per cornutam ex minera, repetitis aliquoties destillationibus. Mynsicht.*

N. 2. *Felicius forsan processeris, si Menstruum hoc sale suo alcalisaveris, calcem, cum alcalisato hoc menstruo circulaveris ad modum, quo alias tincturas nomine mannas fieri diximus.*

Hic non possum non monere quod nonnulli tincturam Solis, beneficio oleorum aromaticorum sibi imaginentur. Nimirum calcem Solis optimè elaboratam impastant cum oleo, e. g. Caryophyllor. Cinamomi, camphoræ, ⊖li, &c. hinc V̇ rectificatissimum affundunt, atque intercedente digestione tincturam extrahunt.

Verùm, mehercle, loco tincturæ Solis aromaticorum oleorum tincturam nanciscuntur, quæ V̇ rectificatissimo, ceu suo simili (accedit enim ad naturam oleagineam) admixta acquiritur.

(*Impostores tales Tincturas plerumque vendunt, rubri coloris, nil de auri solutione participantes, quod quale impositum, reperitur.*)

Hofman. 1. ☉ *Potabile per spiritum vini sale urina acuatum*) Hanc particularem extractionem quasi Auri cum spiritu urinæ & vini Crollius jamdudum Chymiæ studiosis communicavit p. 3. 2. & cum illustratis notis *Cl. Harmtannus ad eundem.* p. 387. illamque denuò in praxi suâ chemiatricâ repetit. Cui subscribit *Nobiliss. Sennert. in instit. Lib. V.* part. 3. sect. 9. pag. 393. Et *Francisc. Antonius* in Confect. ☉ potab. item *D. Tilemannus* in experiment. nuper denuò evulgatis experiment. 15. & 17. p. 31. Verùm hoc ☉ potabile utut per digestionem, solutum, abstractionem, destillationem &c. intervenientem in tincturam sanguinis instar rubicundam redactum sit, nil quicquam tamen nisi mera etiam partium ☉ solutio est cum aquâ regiâ salibus corrosivis prius reclusam & demum cum spiritu vini urinosi partibus ☉ particulis adhærentibus digestionis beneficio in tincturam rubicundam translata, quæ non ex interno ☉ Sulphure, sed ex merâ partium salinarum texturâ cum ☉ minimis tenaciter adhærentibus producta.

N. *Sala, Scheunemannus, & alij, loco salis volatilis urinæ, salem Naturæ recipiunt id est, Macrocosmi aut elementorum; spiritum* &c.) Pucis spiritum mundi seu sal aëris. De hoc licet infra quædam monueris in hujus Libri Cap. 3. De aquis, lubet tamen & hic quædam etiam repetere. Vocatur hoc sal universale, sal Philosophorum, de quo speciosus liber extat à Gallo *Nuisement* scriptus, à *Combachio* in Latinam Linguam translatus, & discursus de auro auræ cum meâ epicrisi. Sal illud cœleste, æthereum, aëreum, universi vocant, quod vel ex rore, vel aëre, vel Nitro, vel excrementis etiam animalium v. g. urinæ, stercorum &c. extrahunt. Tale aliquod andetur, dubitat *Dominus Morhofius* l. c. p. 28. cum vetustiorum ante *Theoph. Paracelsum* Chemicorum schola ignorarit. Ex aëre colligi sal posse non negandum, sed illud universale esse, nemo facilè crediderit. Hoc ut & alia salia Vitriolica, Nitrosa &c. si in subtiliorem naturam clementi Vulcani Favonio redigantur, vel ab ☉ ipso tincturam elicere ac secum per alembicum auferre videntur. Si autem sub acrioris spiritus formâ comparent, tyrannicum in corpus illud exercent imperium. Huc pertinet tinctura ☉ per spiritum roris majalis extracta, quam pro arcano commendat *P. Borellus Centur.* 1. *observ.* 6. Huc spectat & *Johann. Tilemanni experiment.* 1. 2. 3. seq.

N. Ab hoc mirabili Aëris sale unico solvente Catholico deducit etiam Nobilissimus *D. Joel. Langeloti* Archiater *Sereniss. Ducis* Holsatiæ Regentis, operationem chemicam *Tritûs* beneficio in molâ philosophicâ peragendam ad ☉ potabile conficiendum, dum folia auri dicto instrumento, *Molæ Philosophicæ* nomine, infra depictæ, interveniente 14. ♂ ☍ continuâ agitatione tamdiu Tritui exponuntur, dum in pulverem fusco-subnigrum impal-

palpabilem convertuntur. Hunc retortæ planæ postea immittit △ne Aren. per gradus primùm, tandem fortissimo adhibito, stillat paucas, sed rubicundissimas guttas, quæ vel per se, vel cum spiritu vini Tartarisato digestæ verum exhibere dicuntur ☉ potabile. Residuum acet. distil. philosophico ex viridi æris, Sulphur. & alcoole vini longâ digestione parato extrahit. Paucissimum quod superest, beneficio borracis in corpus redigitur, non sine pristini ponderis defectu. In Epistolâ ad Naturæ Curiosos. Hanc operationem inquit laudatus Vir, rudem quidem primo videri intuitu, ast in recessu esse mirabilem à sale dicto aëris adjutam. Compendiosius ad dictam operationem nos pervenire posse, si sale Tartari hujus catholici solventis ope volatilisato loco solventis usi fuerimus, sed tunc digestionem longius esse producendam.

2. *Aliter cum spiritus vini per Sal. com. vel Sal. gem.*) Quomodo cryställis Salis dulcibus in oleo sal s solutis addito Mercurio ≏ato Auri Tinctura conficiatur vid. in *Johann. Tilemanni experiment.* 16 pag. 30. Alij cum cryställis salis Indici depuratissimis ☉ folia in mortario marmoreo in pulverem redigunt impalpabilem, donec rubescant, & demum cum Paracelsi circulato Tincturam eliciunt.

3. *Aliter cum spiritu vini alcolisato. ☉ vitæ Quercet.*) Hæc mirè commendatur ob varias ☉ præparationes per calcinationem, cementationem scilicet, reverberationem, circulationem, usque ad ejus summam volatilitatem peractas.

4. *Aliud per ol. Antimonij glaciale.*) Hoc oleum nihil aliud est, quàm butyrum Antimonij. A quo non abludit D. *Johann. Tilemann. Experiment.* 7. *pag.* 18. Pro Tincturâ conficiendâ hoc admodum ob vim suam corrosivam suspectum est. Potest tamen ad bezoardicum ☉lare adhiberi.

5. *Alij per ol. Antimonij saccharatum.*) Hujus olei descriptionem vid. *in CL. Sennerti* institut. & infrà de *Antimonio.* In hujusmodi elaboratione probè observandum est, ut rectificatio post solutionem ☉ volatilisati cum hocce oleo Antimonij instituatur, quâ factâ, cum spiritu vini extractio fieri debet.

6. *Aliud per Sp. Nitr. bezoardicum.*) Hic ferè convenit cum quarto ex butyro Antimonij conficiendo, ejusdem nempè valoris: ideóque & pro Tincturâ summè corrosivus ad bezoardicum ☉lare elaborandum commodior erit.

7. *Aliud ☉potabile per Oleum Saturni.*) Oleum Saturni quomodo præparetur tum infrà vide de Saturno, tum etam *in Johan. Tilemanni experiment.* 7. *pag.* 16. A Spiritu Saturni ol. Saturni differt, non nisi modo substantiæ, quòd ille subtilior ac tenuior, hoc crassius. Ille sine strijs in collo retortæ apparentibus, hoc cum strijs instar spiritus vini. Aliàs hæc præparatio suam meretur laudem, quòd non solùm elegantissima ac rubicundissima (ob oleum Saturni aliàs in digestione facilè rubescens) inde oriatur ☉tinctura, sed & magnarum virium sit in plurimis affectibus, ubi acidum peccat.

8. *Aliud per spiritum Salis.*) Si loco aquæ regiæ solvas ☉ cum sp. Salis rectificatissimo ab omni phlegmate liberato, & ex ☉soluto post humiditatis abstractionem beneficio spiritus vini sale volatili urinæ animati tincturam extrahas, melius operaberis. Hanc cum fructu in febribus malignis & ipsâ Peste in usum ducere poteris vid. *Cl. Zvvelfer,* in mantiss. Spagyric. *part.* 1. *cap.* 1. *pag.* 322.

9. *Aliud per ol. Sulphuris.*) Hoc ut & Aurum Diaphoreticum compositum Poppij valdè affinia sunt *D. Johann. Tilemanni Experiment.* 4. 5. 9. Quæ videantur.

10. *Aliud per Essentiam Salis.*) Hoc non differt ab 8. cum sp. Sal. com. ☉soluto & cum spiritu vini in ☉ potabile translato.

11. *Aliud per spiritum Mannæ.*) Flores calcis ☉fulminantis præparari nequeunt, nisi vis φλογίςή ac fulminans ☉ fulminanti per spiritus acidos adempta fuerit, & sic non flores ☉lis, sed salium acidorum acquires sublimatum. Interim negari nequit, ex mannâ egregium parari posse spiritum imprimis cum rore majali maritatâ, qui justo colligendus est tempore, sereno scilicet, quando pluvia per aliquot non cecidit dies. Sic Manna pariter debet esse electa. Quæ nisi observantur, spiritus etiam inde paratus nullum præstabit usum.

12. *Aurum potabile cum spiritu Salis Tartari.*) Hæc descriptio ex optimis etiam non postrema est; Notandum tamen, nisi ☉ per amalgamationem & cementationem probè prius fuerit resolutum, & spiritus Tartari suo sale volatili non sit imprægnatus, in ☉ potabili conficiendo frustrà laborari, quomodo iste philosophicè sit præparandus, vide infrà *Libr. IV. de Tartaro.* Nonnulli ☉ solvunt in sp. Salis acuato * in spiritu vini soluto, & destillant. In destillatione sublimatur Sulphur ☉lare cum *, quod demum cum spiritu vini Tartarisato (qui ex terrâ foliatâ Tartari paratur) extrahendum, qui Sulphur ☉lare relicto * imbibit. vid. *D. Joh. Tilemanni experiment.* 14. *pag.* 28.

13. *☉potabile Franc. Antonij.*) Hoc est genuinum illud adeò decantatum ☉ potabile Londinense; & describitur etiam à *D. Joh. Tilleman. in exper.* 13. *p.* 25. Hic loco olei vel Spiritus Saturni sumit spiritum vel acetum philosophicum mineræ Auri *pag.* 24.

14. *Aliud Quercetani ☉ vitæ dictum.*) Hic loco acet. destil. sumi potest spiritus Vir. ær. ad tincturam ☉ per digestionem eliciendam, quæ demum spiritu vini Tartarisato circulando exaltanda est.

15. *Aliud Laudanum Mercuriale Bayeri.*) Hoc cum ☉ potabili suprà descripto *Francisc. Antonij seu Londinensi* valdè affine est, si per Oleum Mercuriale intelligas ol. Saturni, & digeras calore cinerum in phialâ hermeticè clausâ per multas septimanas.

16. *Aliud Billichij.*) Nec hoc peculiaris alicujus operationis est particeps, sed cum antecedentibus etiam in primis 13. & 15. valdè conspirat. Ultima cum sp. Sal. com. solutio & digestio minus est necessaria, ideòque omittenda erit.

17. *Tinctura ☉lis.*) ☉ fulminantis vis fulminans prius auferenda est, antequam cum sp. Vitrioli volatili in digestionem ponatur; cujus conficiendi rationem infrà habebis de Vitriolo. Tincto Spiritui ad siccitatem usque abstracto sp. vini optimè Tartarisatus jungendus, & ad extractionem calori lenissimo subjiciendus est. Tinctum spiritum destilla & ad justam consistentiam redige.

18. *Tinctura Fratris Basilij.*) ∇ regia variè præparatur, aliter cum Nitr. & Sal. com. ut in antecedenti, aliter cum Nitr. & *. Hoc loco commodius sumitur sp. Salis cum Sale volatili urin. acuatus. Menstruum Domini Autoris pro tincturâ rubicunda facilè viridem, vel alterius coloris suppeditat. Fæces abjiciendæ, solutio decantanda, & sæpius cohobanda, ut ☉ spongiosius fiat. Restans iste ☉pulvis purpureus communiter à Philosophis vocatur *der purpur mantel.*

N. 2. *Corpus illud album &c.*) Hoc nisi à genuino & germano ☉menstruo sulphur ejus & nexum interiorem solvente productum fuerit, nexu solum ☉ exteriore per salina menstrua ad albedinem deducto, reduci per Antimonium & in pristinum ☉ iterum converti. Sunt enim

enim dicta menstrua ejusmodi energiæ, ut in cementatione, solutione, præcipitatione &c. tam firmo cum sole nexu sint copulata, etiam in ipsâ liquatione sæpè maneant unita, unde accidit, ut albâ quasi circumdent tunicâ, sub quâ fulvum vestitum sol ad tempus sæpè occultavit.

19. *Paulò secus ex manuscripto testamento Basilij.*) Hoc etiam nihil præ reliquis peculiaris obtinet, sed manet antiquum cum salibus corrosivis peragendum testamentum.

20. *Unicornu solare, seu manna solaris*) Menstruum solare ex minerâ solari conficitur, quod ad eliciendam tincturam ex calce solis h. l. adhibetur; Ex marcasitâ autem aureâ optimum solare menstruum destillatur. Prætereà etiam ex ipso nativo sol albicans & siccum sublimatur pro auro potabili adipiscendo & ejus tincturâ aptissimum, quod etiam ex imperfectis mineris solaribus nonnunquam acquiritur. Et si quis sciverit Sulphur imperfectarum minerarum volatile eruere, postmodum præcipitare, & denique figere, hic pro Philosopho ex igne habendus est qui autem menstruum sol solvens verum ac genuinum adhuc desiderat, verâ etiam ac genuinâ solis extractione destituitur; Sulphur scilicet illud imperfectarum minerarum operoso labore elicibile cum alkali quodam singulari, cum quo amicabiliter coit, ignis adminiculo in corpus fixum efformandum est, quo mira in Medicinâ peraguntur.

Hic non possum non monere, quod nonnulli tincturam solis, beneficio oleorum aromaticorum sibi imaginentur &c.) Non satis mirari possum cur *Dominus Autor* suprà dictam solis tincturam cum ol. destill. v. g. cinamomi, caryophyllor. &c. limam tam severè stringat, posthabitis in prædictas suis animadversionibus. Cum constet, omnem extractionem nisi fiat cum totali subjecti, ex quo extrahitur, destructione, nullam esse, quid de suprà allatis erit expectandum? Et facilè est judicatu, quo in æstimio istæ tincturæ solares sint habendæ. Interim quicquid sit, niholominus tamen sol potabile cum ol. d. Cinamom. egregium est confortativum, & *D. D. Johann. Michaëlis* in lipothymiâ, cerebri, cordis & uteri affectibus, item in puerperio difficili summo semper cum fructu adhibuit, cum ol. Cinamomi aliàs in se has virtutes obtineat egregias. Loco sp. vini si spiritus aliquis sumatur appropriatus v. g. spiritus Cornu Cervi destillatus, vel etiam *aq. vitæ Matthioli* potabilis iste liquor erit præstantior.

Processus de Auro Potabili, novo, paucisque adhuc cognito: Cui quidam alij ex Basilij Valentini, Josephi Quercetani, Portæ, & aliorum scriptis excerpti, cum Commentariolis propter affinitatem ut adjungerentur, non inconsultum visum fuit.

Ad Lectorem Benevolum.

Varij, amice Lector & amator Secretorum chymicorum, de auro potabili conficiendo, atque præparando, modi ac processus sunt publicati, ac circumferuntur etiam secretiones scripti. Inter quos hic præsens, Angeli Salæ, ut fertur processus, non postremas partes obtinet, ut qui non tantum Spagyricus sit, sed etiam Philosophiam magnam redoleat. Hunc igitur in gratiam Spagyrorum publici Juris reddere, & unâ cum aliis quibusdam Processibus secretis iisque eximiis propter affinitatem adjungere placuit. Quin & clavem tibi, in qua totus rei cardo vertitur & versatur, revelare non dubitavi, alias nullius usus futurus. Vale lector amande, & in tuum commodum utere.

Geber Arabs.

In Sole & Sale naturæ sunt omnia.

Aurum quonam & modo & methodo, formam medicamentosam, in quovis liquore solubilem induat, atque adeo bibi aptum, quod potabile vulgo vocant, reddatur, intimis Spagyrices principijs, vivaque αὐλοχειρίᾳ demonstraturus, initio præsuppono hoc: Quod videlicet id, nisi beneficio menstrui, fieri nequaquam possit.

De hoc autem liquore convenit inter omnes primo, quod ille uniri auro rite nequeat, nisi interventu tum solutionis, tum coagulationis. Ex quo duos actus, quibus aurum πότιμον principaliter reddatur, & conficiatur, emergere nemo non videt.

Secundò: quod idem ille liquor solutionis, coagutionisque opifex, quam maxime fieri possit temperatus, ac blandus esse debeat.

Talis vero liquor, quia in aurum, quatenus sol agere nequit, ideo adhuc alius actus, isque minus principalis, prærequiritur, per quem sol ita præparetur, uti solutionem promptissime suscipiat.

Calcinationem Chymici improprie quidem, attamen significanter nuncupant. Itaque totus processus auri potabilis elaborandi, absolvitur tribus hisce distinctis, subordinatisque actibus;

Calcinatione,

Solutione Magistrali,

Et denique *Coagulatione*,

De quibus omnibus nos ordine videbimus.

Calcinatio.

Calcinationem solis quod attinet, ea nihil aliud est, quam actus, per quem corpus solis attenuatur, subtiliatur, emollitur, in indivisibiles atomos disrumpitur, inque pulverem impalpabilem redigitur, hoc quidem fine, uti ad suscipiendam in sese solventis Magistralis actionem, habile fiat ac idoneum.

Hæc calcinatio, duobus in universum modis, fieri consuevit, vel per humidum, vel per siccum.

Calcinatio in humido vulgariter fit, in aqua Chrysulca, quam regiam alias seu solarem nominant.

Constat hæc ex aqua forti & sale Armoniaco.

Capio aquæ fortis ex duabus partibus vitrioli & una parte nitri distillatæ, exempli g. libram I. in qua dissolvo Salis Armoniaci summe depurati uncias duas.

Hæc est aqua Regia vulgaris, in qua pro instituta calcinatione dissolvo aurum laminatum, & frustillatim concisum, id quod leni calore, non sine tamen ebullitione dissolvitur.

Solutionem claram & flavescentem, in Bociam satis capacem, lixivio Tartari limpidissimo, ad dimidium, repletam, pedetentim, & fere guttatim instillo, quibus invicem confusis, prævio crepero ebullitionis strepitu, & mirabili exæstuatione, Sol instar limi procumbit in fundum, hoc facto & repercusso omni ex parte Sole, aqua calida eluo salsedines, donec nihil amplius acrimoniæ appareat.

Tum limum illum auri eximo & siccescere facio calore, vel levissimo, vel potius nullo, atque ita habeo præcipitatum Ceraunochryson, uti vocant Solis, sclopetantem, fulminantem, ita dictum, quod ejus grana duo vel tria, igni exposita, ubi flammam conceperint, concipiunt autem promptissime, similem bombardæ explosæ sonum faciant, operatione tamen pulveri pyrio contraria, quum non uti hic sursum sed deorsum versus, impetum suum omnem convertant.

Vidi ego (*Sala*) satis magnum marmor, vi hujus calcis casu accensæ, in frustilla disjectum, non sine astantium periculo.

Cæ-

Cæterum ad calcis modo dictæ partes duas, conjungo florum sulphuris purissimorum 1. partem. Hisce permixtis in crucibulo comburo sulphur, atque ita calx illa, acquiret colorem boli Armenæ, & vim sclopetandi omnem amittet.

Hujus calcinationis, aqua chrysulca, alia ratione pro alio itidem fine à me paratur.

Accipe exempli gratia aquæ fortis uncias octo, Salis armoniaci, & nitri depuratorum ana uncia tres, misce & per cornutam, servatis ex arte ignis gradibus distilla; elicies aquam, quam ob ingeniam penetrabilitatem, & corrosivitatem stygiam ego appello, de qua quia vulgaris illa, instituto nostro apprimè satisfacit, pluribus hic agere supervacaneum puto: nisi fortean hoc quis notare velit, quòd in illa ipsa solutum, præcipitatumque aurum nullam vim sclopetandi habere deprehendatur.

Sed redeamus ad priorem calcinationem, factam in aqua Regia vulgari, & circa ejus Historiam quæramus.

Primò, Num illa calcinatio accurato Chymiatro sit admittenda, & non potiùs damnanda, & execranda, utpote quæ per aquam tam corrosivam, & humanæ naturæ infestam, instituatur?

Secundò, an possit solvi sine sale Armoniaco?

Tertiò, quænam subsit causa, quare calx auri vim inflammabilem & sclopetantem acquirat.

Quartò, num eadem illa calx intra corpus exhibita, vim habeat diaphoreticam?

Quintò, quomodo eadem cum sulphure igni exposita, non conflagret, & cum strepitu dispereat?

Ad singula quæsita breviter respondebo & quidem ad primum: Chymiatros, (cum ijs enim mihi res est:) non magis vel posse vel debere damnare istiusmodi calcinationem, quam damnent Mercurium Diaphoreticum ipsum, quem autor Basilicæ Chymicæ Osvvaldus Crollius antimonium Diaphoreticum, inepte nuncupat, ut qui minimè gentium ex antimonio, sed Mercurio constante manifesta reductione præparetur. Illum inquam Mercurium Diaphoreticum, quem partim ex spuma illa venenosa, (quam butyrum Antimonij vulgo, ego rectius Mercurij, vocant) partim ex spiritu nitri, exercitatissimi quique chymiatri conficiunt. Et nihilominus tanquam arcanum summum, medicamentum maxime polychreston, alexiterium item minerale, summis laudibus deprædicare minime dubitent.

Equidem quare nostræ huic calcinationi magis, quam suæ dicam scribant, nihil profectò causæ video. Certe eadem utrobique Calcinationis ratio est: utrinque res agitur corrosivis, imo ab illorum parte magis, quam à nostra. Itaque si sua probant uti certe merito probant, nostra quoque non improbent. Quod enim pro se respondebunt, in sua illa Calcinatione, ignis vehementis interventu, evanescere corrosiva: idem nos, de nostra quoque calcinatione, vere affirmabimus, in qua aqua regis separet & enervet lexivium, eluant iteratò affusæ aquæ. Ignis denique ipse superveniens exurat penitus, atque auferat.

Qua de re quisquis gustum solum modò suum, consuluerit, atque exactam una, ponderis rationem inierit, dubitare nemo poterit.

In secunda quæstione dudum fateor hæsi, donec experientia, mihi aliud tum quærenti, omnem dubitationem exemit. Aurum cum æquali parte Lunæ fundi, commixta hæc duo metalla, & in lamellas diducta, inundavi spiritu nitri acerrimo, in quo solutum prius erat nitri refinati tantum, quantum potuerat ille combibere, vidi solutum Aurum, argento prorsus intacto.

Tertia quæstio nihil difficultatis præbitura est, ad occultas proprietates, hoc in negotio, quemadmodum in plerisque alijs naturæ effectis mirabilibus confugienti.

Nam quod Crollius, Salis Armoniaci percussionis ipsius causam existimat esse, nihilo fit doctior, & ad idem, hoc ignorantiæ nostræ, asylum, proripere sese cogitur, siquidem quis porrò quærat undenam eam proprietatem, Sal Armoniacus habeat? Sed & ipsa ratio Crollij, utut speciosa appareat, penitiùs tamen inspecta, videbitur prorsus imaginaria. Nam quare magis contrarietas tartari cum Sale Armoniaco, quàm ejusdem cum spiritu, vel vitrioli, vel nitri, quo utroque Aqua fortis componitur, repugnantia causetur percussionem? Æque enim vel nitri vel vitri spiritus, æquè Aquæ fortis, atque Salis Armoniaci adversatur tartaro.

Quinimò omnibus solventibus acidis, & corrosivis, hostiliter inimicum esse, experietur, quisquis in metallorum, gemmarum, corallorum, concharum, congenerumque corporum, solutionibus & præcipitationibus, aliquantulum fuerit versatus. Quid? Quod ipsa solventia corrosiva, quotquot sunt, per se cum sale tartari liquefacta, confusa, manifestissimè conspiciantur, hostili confestim pugna, ab utraque parte inter se congredi?

Itaque non valet primò, quod supponit Crollius, ex mutua pugna tartari cum Sale Armoniaco cadere Aurum. Nam quid quæso idem Aurum præcipitet in solo nitri spiritu, modo supra indicato solutum? Nullum ibi est Sal Armoniacum, & tamen præcipitatio ipsius sensibus obvia. Quid præcipitat Lunam solutam in aqua forti, in qua ne vel hilum quidem est Salis Armoniaci, vel esse per naturam potest. Siquidem argentum solvere debeat? Sed demus verum esse, quod vult Crollius, nihil eò aliud confecerit, quam hoc quod videlicet, mutua illa pugna, causa sit præcipitationis Solis. Atqui nemo tum non videbit, vim auri sclopetantem & percutientem, adhuc manere prorsus inde monstratam; quum diversissima sint, præcipitatio Solis, & vis ejus fulminans. Neque vel hilum eo juvatur, quod argutari pergit, Oleum tartari percutere spiritum nitri, summè purificatum, qui se in illo conflictu, cum sulphure Solis suo adversario conjungat, & quia sulphur illud Solis à natura summè depuratum sit & vulgari nostro sulphure longe subtilius, id ò valentius, & minore quantitate, operationes suas potenter efficere, videlicet quia Sal Armoniacus, pro constituenda percussionis causa adæquata, minimè sufficere videbatur, ideò de causa adjuvante cogitandum erat Crollio, quam video esse sal nitrum percussum, ab oleo tartari, & conjunctum cum sulphure Solis.

At verò non tantum nitrum, sed universum sal corrosivum, quod in aqua regia continetur, percutitur, idque ex æquo, nec magis unum quàm alterum. Atque hoc ipsum universum junctimq; percussū non magis sese sociat sulphuri auri, quàm ejusdem hujus Mercurio. In calce enim Solis, teste reductione, subsistit aurum corporaliter totum secundum se totum, nulla ejus pars subsistit ibi seorsim, nulla istic facta est sulphuris separatio. Itaque quicquid indidem, cúm auro unitur, cum toto auro uniri dicendum est, non cum sulphure seorsim.

Quod si vim φλογιστὴν, calcis auri, cujus ne verbo quidem meminit, à spiritu nitri, deduxisset ca satus, quemadmodum omnis res natura ortus sui quasi memor, perpetuò redire desiderat, ad id ex quo fuit orta. Ita quoque in calce auri, spiritum nitri ad naturam nitri inflammabilem redire non

non aliter atque usu venit. Quando idem spiritus cum argento est, in magisterium crystalloides exaltatus, tametsi vel sic quoque res ad occultas proprietates redijsset, aliasque quàmplurimas difficultates suggessisset, tum etiam vis sclopetandi sive percutiens, ipsi de integro probanda restitisset, aliquid tamen probabilitatis, adspersum fuisset, illi ratiunculæ, quæ sanè ut prorsus nulla esse cognoscatur, lubet eam irrefragibili experimento penitus evertere. Cape lamellas chalybis, solve in aqua regia, solutionem habebis flavescentem, & colore prorsus aureo, præcipita solutionem cum lixivio tartari, & procedere eodem omnino modo, atque in calce Solis paranda fecisti: perfecto opere dicat mihi Crollius, quare Sal Armoniacus tartarum, & spiritus nitri ipsum Martem, qui tamen secundum Philosophiam Chymicorum, ipsaque attestante experientia, plusquam aliud metallum ullum sulphuris habet. Quare inquam illa, omnia, Martem non potuerint eò adigere, ut quemadmodum calx Solis, ita calx quoque chalybis percussionem illam, aliqua saltem ex parte ederit, vel imitaretur?

Sed pergamus ad quartam quæstionem, cujus affirmativam miror, quare Crollius, eumque secuti alij sunt professi. Ego certè ternis experimentis, etiam in me ipso didici, calci auri, non nisi vim catharticam, eamque sine ulla vel nausea, vel vomitu inesse, quod ipsa mineras præsertim flatulentas, educat per alvum.

Neque res hæc analogismo caret rationabili. Quemadmodum enim in aërem macrocosmi, agit ab externo calore, in actum deducta calx, consimili ratione, à calore interno actuatam, par erat agere, in aërem ipsius microcosmi.

Quintam denique quæstionem facile expedimus, si, quod studiosè fortean occultavit Crollius, & plerique alij, nos manifestemus, calcem Solis cum floribus sulphuris permixtam, priusquam igni exponas, humecta, & quasi impasta, cum spiritibus, vel salis, vel vitrioli, vel sulphuris, vel quibuscunque alijs acidis liquoribus, & omne periculum effugies: & tantum de calcinatione in humido.

Cæterum in sicco calcinatur aurum, quando vel cum sulphure, vel cum sale quopiam, mixtim coagmentatur, seu uti barbarè quidem, attamen significanter loquuntur, stratificatur, & in igne reverberij adhibito tali caloris moderamine, ne aurum fluat, subtilissimè pulveratur.

De hac calcinatione oritur exigui momenti dubitatio: num ea fiat sine corrosivo. Dubitationis caussam præbuit Crollius, qui quum hujus ipsius calcinationis per sulphur minerale institutæ beneficio, ex Marte & Venere vitriolum doceret conficere, disertè professus est, sese hoc fine corrosivo facere. Nec videtur Crollius ratione destitui. Sulphur enim non est corrosivum. Ergo neque per sulphur quæ perficitur calcinatio, fiet per corrosivum. Ego tamen ut ostendam, quod sese facere negat Crollius, id omnium maximè facere, distinguo corrosiva in ea, quæ actu ipso & absolutè talia sunt, & quæ potentia. Sulphur actu quidem ipso, & quatenus sulphur est, nullam certè vel admodum obscuram vim corrodendi habet, sed accedente igne, in actum erodendi prorumpit, spiritus ejus fuliginosus & salinus, quem quisquis corrosivum esse neget, næ is dignus sit, cui oculos ille & palatum indesinenter mordicet. Per hunc spiritum sulphuris quum illa quoque calcinatio Crolliana perficiatur, utique negandum minimè est, eam per corrosivum peragi atque absolvi. Simile est de similibus calcinationibus judicium.

Superest adhuc alius calcinationis auri modus, à duabus illis, humida & sicca, distinctus, nisi quis eum malit, ad humidum referre, videlicet corrosio auri per Mercurium. Qui tamen modus quum Chrysopœiæ magis, quàm medicinali inserviat, eum tanquam à proposito nostro alienum inpræsentiarum dimittimus, Itaque hactenus tradidimus modo auri duplici via calcinandi, humida & sicca. Quarum alterutra, si nostro proposito accommodetur, saltem quasi rude quoddam initium calcinationis utraque est futura. Etenim utriusque generis calces, si menstrui nostri magistralis actionem commodam suscipere debeant, necessum est, ulteriùs adhuc, idque operosius, subigi ac elaborari. Quod quam conveniente ratione ego faciam, est operæ pretium breviter indicare.

Calcinatio ulterior.

Est in rerum natura liquor, neque ex vegetabilium, neque animalium, neque mineralium, familia præcisè oriundus, de quo tamen nullum, sive vegetabile, sive animale, sive minerale non participet. Is arte spagyrica ad summum exaltatus, evadit planè spirituosus, aereus, diaphanus, subtilis, penetrabilis: ejus in solvendo & coagulando, vires expertus sum planè mirabiles, quas non tantum in rebus extra microcosmo potenter exerit. Magnaque cum admiratione & ipsius microcosmi commodo singulari. Receptus enim intra corpus humanum, statim vim suam spiritualem, ex centro, ad ipsam usque περιφερείαν explicat, quascunque tartari microcosmici in visceribus præsertim, coagulationes efficaciter resolvit, separat resolutas, & mumiam vitæ, quibuscunq; tincturis venenatis, malignis, pestilentialibus, putredinosis infectam insigniter rectificat.

Hunc liquorem (cui nomen ego dedi, Mercurij Philosophici) commodissimum judicavi, qui inchoatæ calcinationis negotium perficeret atque absolveret. Itaque calcem Auri supra paratam, in hoc liquore solvi, solutam coagulari, idque multoties repetij, donec tandem Sol ille terrestris, duodecim signis Zodiaci (i. e. bidui spatio) sui binies evolutis, devenisset in calcem subtilissimam, rarissimam, spongiosam & impalpabilem aptam jam solutioni, quam & ipsam breviter exhibebo.

Solutio Magistralis.

Posteaquam ex laboriosissimo calcinationis opere sumus eluctati, faciliora deinceps, in solutione magistrali omnia sunt futura. Est autem hæc nihil aliud, quàm actus ille, quando liquor solvens magistralis, in calcem Auri ritè prædispositam agit, eamque sibi penitissimè & secundum minima naturalia, concorporatam combibit. Hoc quidem fine, ut ex intima illa utriusque conjunctione accedente postmodum coagulatione debita, corpus Auri formam acquirat medicamentosam, in quovis liquore solubilem, & potabilem.

Modus solutionis hic est: cape liquorem nostrum magistralem limpidissimum, eumque funde super calcem. Videbis ex actione menstrui in calcem Auri minimè levem ebullitionem, atque exæstuationem, pone in balneo, & digere per triduum, solutio flavescet, quam per declinationem effunde, affunde iterum de solvente, & solve donec superfusus calci liquor, desinat ebullire, solutiones omnes collige & serva.

Hæc videlicet est solutio magistralis, ad ejus exactiorem cognitionem, tria pulcherrima problemata discutiemus.

Primum est, an illa solutio possit fieri sine corrosivo?

Secundum, utrum in illa solutione forma Auri metalliter destruatur, vel possit ita destrui per artem.

Quæremus ultimò, an propterea negandum sit, in ejusmodi solutione aurum exaltari.

Ad

Ad primum problema respondeo ita, solutio calcis aurea non potest fieri sine menstruo.

Illud verò menstruum, aut erit merè aqueum, & insipidum, cujusmodi est aqua vulgaris, & aquæ distillatæ vegetabilium. Aut erit sulphureum, cujusmodi est Spiritus vini terebintinæ, olea aromatum stillatitia &c. aut erit salinum, cujusmodi est, e. g. Spiritus vitrioli, sulphuris, salis, aceti destillati, mellis, succi limpidi citriorum, limonum &c. Quartum dari nequit, sed hisce tribus generibus, tota solventium familia continetur.

Menstruum aqueum, nihil de calce auri solvet, nisi fortè adhærescentis salis extranei quicquam eluat. Menstrua quoque sulphurea, intactam relinquent calcem auri, idque adeò verum est, uti ipse Crollius istius modi solutiones, deliramenta vocare non dubitet.

Reliquum est ergo, uti menstruum solutivum sit è genere salium atque adeò corrosivum. Nullum enim menstruum salinum, agit in calcem metallicam, nisi corrodendo. Ratio hæc tam certa est, ac evidens, ut ipse Paracelsus disertè affirmarit, Aurum nisi corrosivo nequaquam solvi. At obstat quidam magni nominis Spagyrus in Anglia, qui Aurum suum potabile, quod conficit, cum solvente corrosivo conficere masculè inficietur.

Verùm is convincitur 1. à sapore sui Auri potabilis, id enim tam acre est, quàm sunt ipsa magisteria collariorum, perlarum, concharum, gemmarum cum spiritu aceti præparata. Secundò à modo actionis menstrui in calcem Auri. Nam quòd ipse disertis verbis fatetur, solutio calcis Auri fit, non nisi cum insigni ebullitione. At quid hoc est aliud, quàm corrodere & corrodi?

Tertiò denique ab eo, quod aurum suum potabile, aëri frigidiusculo vel humidiusculo expositum facilimè colliquescat, quæ sanè res character est corrosivi minimè dubius, siquidem Paracelso credendum. Neque verò tamen est, ut audito corrosivi nomine, statim quis cohorrescat. Quemadmodum enim in arte Medica, purgantia tripliciter distinguuntur, *in fortissima, valida & benigna: perinde in Chymia* quoque convenit, solventia corrosiva in tria ejusmodi genera dispeci. Ad primam classem referimus, aquas fortes, regias, Spiritum nitri, aliosque liquores præditos vi erodente ignea, & humanæ naturæ infesta.

Secundi generis sunt spiritus vitrioli, salis, sulphuris, aceti radicati, atque alij, qui quidem facultatem corrodendi minimè debilem possident, interim tamen naturæ nostræ non ita adversantur.

In tertio verò & benignorum ordine, collocamus, spiritum aceti simplicem, mellis, aquam quercus, succum limpidissimum citriorum, arantiorum, limonum &c. Nos primi generis corrosiva, quin etiam secundi, à solutione nostra penitùs amandamus. Et solo benigno liquore corrosivo rem conficimus, qui acrimonia sua, ipsum acetum destillatum minimè excedat, acetum autem ipsum certa quoque sua corrosivitate minimè destitui experientia docet. Quandoquidem illud ipsum corrodendo, non tantùm corallia, perlas, conchas, verùm etiam corpora metallica, chalybem, plumbum, stannum, cuprum in liquores resolvere valeat.

Quod si jam quis distinctione nostra, susque deque habita, omnia in universum corrosiva, promiscuè proscribere præsumat, is etiam atque etiam videat, ne ipsum unà acetum, aliosque succos, naturæ nostræ familiarissimos exulare pariter jubeat.

Secundum problema bimembre est, primò enim quæritur, num in solutione calcis solis, forma metallica destruatur?

Ad quod respondeo, eam minimè gentium destrui realiter. Quod si namque verè destructa esset, non posset reduci.

Nam quod semel corruptum est, idem numero redire nequit. Atque ex solutione illa, idem numero Aurum, difficulter quidem, reducitur tamen: Ergo in illa solutione, Aurum non est destructum realiter. Anglus tamen ille, cujus supra nemini, gloriatur; Aurum verè ac realiter in sua solutione destrui: At hoc ipsum contra veritatem, conscientiam, & experientiam. Ipsum namque ejus Aurum potabile, quomodo interventu salis tartari, per ignem primò reverberationis, deinde fusionis reducatur; possum ad oculum ego demonstrare quàm miserè se involvat idem, quando ait, in solutione sua auri; destrui formam metallicam, & nihilominus in eademmet solutione aurum sub sua specie conservari, Ita certè per illum, unum idemque aurum simul erit & non erit aurum, erit & non erit metallum. Veruntamen negandum non est, in auro soluto metallicam formam certo modo destrui, videlicet non quoad esse intrinsecum metalli, sed duntaxat, quoad ipsius esse extrinsecum. Rectius non destrui quidem ipsam formam metallicam, sed superventu solventis, in cujus quasi gremio, penitissimè reconditum aurum delitescat, ut non nisi difficulter, inde protrahi possit, solummodò obliterari.

Alterum secundi problematis membrum est, num possibile sit, solvere ita aurum, ut forma metallica prorsus destruatur.

Qua quidem in re, etiamsi omnes Chymicos ferè sunt contradicentes habiturus, ipse tamen propendeo in sententiam negativam, donec viva atque oculari apodixi, contrarium quis infallibiliter mihi demonstraverit. Ita namque existimo, quum ignis non possit destruere corpus auri metallicum, multò minus idem destrui poterit abs queliquore solvête, & ratio est, quia id quod magis valet destruere corpora metallica, non potest aurum destruere, multo minus potest corpora metallica destruere, quam potest ipsum menstruum, quod hic probo, e. g. Sume plumbum, in igne reverberij per se calcina, calcinationem continua, usque quo in scorias vitrificantes plumbum abeat, tum videbis plumbum verè ac realiter, secundum suam substantiam metallicam esse destructum, vi videlicet ipsius ignis. Ab altera parte sume aliud plumbum, redige in cerussam, solve cum spiritu aceti, mellis, salis, sulphuris, vitrioli, aquæ Regis, aquæ fortis, alijsque quibuscunque liquoribus, etiam vehementissimè erodentibus. Hac quidem via nunquam eò adduces plumbum, quin id perita artificis manu queat ex solutionibus illis reduci. Ex quo opinor liquet majorem esse vim ignis, ad destruendam ipsam metallorum substantiam, quàm sit solventium quorumcunque etiam corrosivorum. Quamobrem argumentum meum repeto. Si ignis non potest destruere corpus auri metallicum, multò minus poterit idem destruere menstruum sive solvens, ut non sine causa pronunciarit antiquus ille Spagyrus Rogerius Bacchon: Facilius est aurum facere quam destruere. Atque hæc quæ diximus adeò vera sunt, ut ipse Crollius, vim, aurum physicè sive radicaliter, id est, cum destructione formæ metallicæ solvendi, menstruis in universum omnibus detraxerit, excerpto solo menstruo universali. Qui si in vivis adhuc esset, facilè cum eo pacisceremur, ut sententiæ nostræ interea omni ex parte subscriberet, quoad usque probatum daret, fontem illum menstrui universalis, non esse rem imaginariam, sed revera alicubi in rerum natura scaturire.

Ostendi hactenus in solutione magistrali, neque destrui corpus auri metallicum, neque destrui posse: Quomodo ergo inquies per eam aurum exaltabitur?

 Crol-

Crollius postquam dixisset, calcem auri in oleo salis instar butyri liquescere, subjungit, hanc tamen non esse veram, & radicalem solutionem, quia iterum in corpus redigitur (uti & ipse philosophatur alicubi,) hoc ipsum crudum & indecoctum est. Natura enim bonum in melius, per alterationis modum transfert.

Atque aurum quod ita tractatur, neque alterationem passum est, neque solutionem physicam. In melius ergo non educit. Ego verò mallem hæc ab alio quàm Crollio pronunciata. Causa quare solutio calcis aureæ, in oleo salis facta, non sit vera solutio, est, quod per illam solutionem, aurum minimè gentium acquirit formam in quovis liquore solubilem. Abstrahe enim spiritum salis, non nisi in forma calcis remanebit aurum. Non verò uti vult Crollius, veræ solutionis auri proprietas est, non posse reduci in corpus. Talis enim solutio, quia in rerum natura nec datur, nec dari potest, certe neque vera esse potest, ens enim & verum convertuntur, & æquè latè patent, unde si talis solutio est non ens, est quoque eadem minimè vera.

Pergit tamen nos urgere ratione Crollius, quam melioris intelligentiæ ergo, placet formaliter resolvere. Ita ergo illa ratiocinatur: Quod in corpus redigi potest, id non deducitur in melius, Aurum autem non radicaliter solutum redigi in corpus potest.

Ergo aurum non radicaliter solutum non reducitur in melius.

Propositio Major probatur. Quod crudum est & indecoctum, nullam alterationem, vel solutionem physicam passum, id non deducitur in melius. Ratiocinatio mehercule satis speciosa & plausibilis, in cujus tamen syllogismo priore, Majorem propositionem, ex ipso evertemus Crollio, subsumo enim, Antimonium Diaphoreticum (rectius Mercurius Diaphoret.) Crollij, omnesque aliæ Mercurij præparationes, ejusdem salia, coralliorum, perlarum, vitriolum artificiale, Veneris, saccharum Saturni: hæc inquam omnia, in corpus rediguntur suum. Mercurij nempe Diaphoreticus, aliæque Mercurij præparationes omnes, cum sale tartari commixta, ignique aperto in retortam subjectum, vivum & corporalem Mercurium: Salia coralliorum, perlarum, in arena destillata liquorem quidem solventem, cum quo erant, in salis formam condensata, in receptaculum transmittent, ipsa verò corpora in forma lapidum pulveratorum remanebunt in vase distillatorio. Vitriolum Vener. solve in aqua communi, præcipita cum lixivio tartari, præcipitatam ex viridi flavescentem funde in igne, & habebis corporalem Venerem. Saccarum Saturni intra quadrantem cum tartaro calcinato, ope ignis fusorij, redit in suum corpus. Quid itaque iam concludemus? Ergo hæ præparationes Mercurij, coralliorum, perlarum, Saturni, Veneris nullæ sunt, neque deducunt subjecta præparationi corpora in melius. Atque ita non tantum Crollio, ejusmodi præparationes summis laudibus extollenti, verum etiam ipsi experientiæ contra dicimus. Atqui per Crollium non licet aliter, nisi hanc ipsius majorem, ingenua litura prorsus deleamus. Quam ipse fortè, tam inconsideratè non proposuisset, siquidem magisterij propriè ita dicti, in genere (namque id nominis, quodcunque apotelesma spagyricum complectitur:) naturam exactiùs habuisset cognitam, videlicet finis Chymiæ, est exaltare corpora medicinalia. Hæc exaltantur, vel separatione partium purarum ab impuris, utilium ab inutilibus, cujus separationis exempla nulli non sunt obvia, vel citra sui separationem exaltantur, quod fit reductione in magisterium. Estque hoc, uti ex Paracelso alibi elucidavi, opus spagyrices, in quo corpus integrum citrà sui separationem substantialem, per conjunctionem menstrui appropriati, & convenientis exaltatur. Talia magisteria sunt illa Mercurij, coralliorum, perlarum, Veneris, Saturni, ex Crollio supra allatæ præparationes. Tale Aurum potabile Angli illius, tale quoque nostrum: Imò verò ipsa vera, & genuina, omnium tum metallorum, tum concharum, hisque affinium corporum, præparatio spagyrica, non nisi in magisterio sita est, ut rectè magisterium Solis, quintam essentiam Solis, esse Paracelsus affirmet.

Legat initium lib. 6. Archidoxorum Pacacelsi, quisquis velit, tam magisterij in genere, quàm in specie magisterij aurei naturam, tum quomodo Paracelsus Crollio contradicat, & nobiscum omni ex parte faciat, rectè cognoscet.

Hæc tamen licet non aliter sese quàm quomodo dixi habeant, objici nihilominus potest, neque in magisterijs, exaltari isthæc corpora, sed qualitates omnes, omnemque agendi efficaciam, solis menstruis additis venire ascribendam.

Quòd si hoc inquam verum est, quì fit, quòd unum idemque menstruum cum diversis corporibus conjunctum non habeat tamen easdem qualitates, & proprietates; exemplis ad eam rem utar manifestissimis.

Quæro quare spiritus aceti, cum ♃ conjunctus, saccharinam dulcedinem præ se ferat, cum corrallis saporem amarum & minimè dulcem?

Quare spiritus nitri cum Luna conjunctus ardeat, Mercurio eò verò concorporatus sustineat ignis etiam vehementissimi examen?

Quare cum eadem Luna spiritus nitri hydragogum cum Mercurio Diaphoreticum utrumque certè, efficacissimum præbear? Quare una eademque aqua regia, cum tartaro fulminare faciat, Mars minimè? Nisi fallor, hæ proprietates suo quæque magisterio, quatenus tali, non soli præcisè menstruò acceptæ referendæ?

Porrò in secundo syllogismo Crollij, quisquis majorem propositionem nolit simpliciter admittere, cum eo non multùm ego litigavero, certè præterquam quod in omnibus magisterijs, uti ex supradictis loquitur, corpora integra, & per consequens cruda & indecocta subsistant, etiam in ipsis Pharmacopolijs notum est, quod crudus chalybs per limaturam duntaxat, in pulverem redactus, agat efficacissimè in affectibus microcosmi, quod nequaquam idem faciat integer. Taceo quod frustraneæ sint futuræ plumbi in cerussam & minium redactiones, nisi per has plumbum deducatur in melius. Ego in propositione inficias eo, 1. quòd aurum non radicaliter solutum, nullam sit passum alterationem. Recognoscat quis mecum solummodò calcinationem, quàm ea operosa fuerit, quæ si una cum sequuta solutione magistrali, alteratio non fuit, eaque multiplex, ego quidem quid alteratio sit, juxta cum ignarissimis scio 2. per solutionem physicam Crollius intelligit, vel talem solutionem, quæ fiat debita, convenientique applicatione, menstrui appropriati, ut agentis, cum calce solis rite elaborata, ut patiente pro hoc fine, ut inde emergat, Magisterium solubile & potabile, & tunc negamus solutionem nostram auri non esse Physicam, ubinam Physica activa & passiva, naturaliter sibi invicem applicantur, quin ibi Physica quoque actio emergat, insani fuerit inficiari, aut intelligit solutionem, quam radicalem idem vocat, qua auri forma metallica, verè ac realiter destruatur, & tum principium petit Crollius, estque ipsi supra ex abundanti satisfactum. 3. Denique ex his consectarium deducimus.

Aurum nostrum potabile nactum esse certam perfectionem, ut non possit proprè crudum dici quum tot tantasque alterationes subieris, uti in formam medi-

dicamentosam secederet. Nec etiam tamen perfectè coctum dici posse. Quandoquidem in forma illa medicamenti subsistant corporaliter, sed hanc ejus præparationem, esse medio loco inter cruditatem & coctionem, medio dico, non per participationem, sed negationem utriusque extremi.

Atque hæc de solutione quoque sufficiant.

Coagulatio.

Restat coagulatio actus omnium facillimus & ultimus, per quem solutio auri magistralis reducitur, ad consistentiam solidam.

Solutio abstrahitur lento igne, quemadmodum fit in magisterijs Perlarum, Coralliorum & consimilibus. Ita in fundo relinquitur magisterium auri potabile, solubile in quovis liquore, ex pallido subobscurè flavescens, pretiosissimum naturæ arcanum. Quod quammirabiles effectus, in microcosmo per sudores, urinam, insensibilem transpirationem, in febribus præsertim pestilentialibus, malignis, petechialibus, variolis, peste ipsa, alijsq; morbis, tam ἐπιδημικῶς quàm σποραδικῶς, grassantibus, tam ad præservandum, quam ad curandum, idq, exigua dosi, à grano videlicet uno, ad grana septem sumptum habeat, id & in Anglia satis observatum est, & à proposito meo alienum, ulterius commemorare. Ego idipsum affuso Spiritu vini circulato rectifico, & ad usus in vitro bene obturato asservo.

Circa hanc coagulationem, operæ pretium fuerit, unicum duntaxat dubium movere, in gratiam præcipue Angli illius, cujus jam plus vice simplice memini. Is quum videret solutionem suam auream instar auri seu Croci colorari, cœpit inde ad extractam ex auro tincturam, argumentari, deceptus nimirum in eo, quod tincturam menstrui solventis, putavit esse tincturam rei solutæ. Qua de re vere scripsit Crollius (164.) Multa sunt menstrua quæ si stant aliquamdiu in digestione per se sponte rubescunt, (ut in spiritu therebintinæ multoties licet rectificato, videre est.) & ita incircumspectos decipiunt, arbitrantes se tincturam rei solvendæ habere, cum tamen ipsius sit menstrui solventis.

Hæc Crollius, quæ si quis velit spiritu aceti, evidentius & magis appositè comprobare, is hunc ipsum spiritum affundat corallijs, perlis, conchis, gemmis calcinatis,

Antimonio, Jove, Saturno, calcinatis, & debito tempore digerat, videbit acetum distillatum & ubiq; & ex æquo rubescere, argumentum ni fallor invictum, menstrua sua sponte, minimè verò per extractam ex hisce corporibus tincturam colorari. Identidem se quoq; res habet, in solutione aurea rubescente Angli illius, (ut & in nostra.) Idq; tùm coagulatione ipsius, tum infallibilis reductione, ulterius poterit si opus sit ostendi.

Summa brevis suprascriptorum, cum clave seu commentariolo eorundem.

Primò aurum purgandum per ♁ l. a.

2. In laminas tenues idem redigendum.

3. Solvendum illud in aqua Regis Valentiniana, aut ea quam Crollius describit.

Aqua Basilij Valentini.

℞. *Cerberi chymic. l.* 1. *huic admisce l.* 2. *aluminis probè calcinati, inde retortæ & lento igne evoca spiritum prorsus infernalem.*

In hac aqua solve aquilæ Hermeticæ probè purificatæ l. 1. & habebis aquam Basilij. Hac ratione ubi distillaveris, ab omni periculo tutus eris.

Alia.

℞. *Spiritus nitri unam partem, & spiritus salis communis unam partem, confunde in hac aqua, solue aurum, & idem præstabit quod aqua prior.*

Salæ Aqua Regis seu aqua Chrysulcá.

℞. *Aquæ fortis ex duabus partibus Vitrioli & 1. parte nitri destillatæ. Exempli gratia l. 1. in qua dissolve uncias ij. salis armoniaci puri. In hac aqua dissolve Leonem rubeum.*

Ubi dissolveris, cum lixivio tartari præcipita. Tum cum aqua calida multoties ad dulcedinem elue.

Limum auri exsicca in loco, nec Soli, nec igni patulo, sed tantum vento pervio. Præterea, quando ad siccitatem perduxeris, cum floribus sulphuris misce. ☉ sint partes 2. florum pars 1. & combure vel reverbera. Hoc fit ad sclopetandi vim auro soluto adimendam.

Insuper auro sic præparato affunde spiritum, è sale sanguinis cervini, aut spiritum è sale sanguinis microcosmi paratum, exstilla, affunde denuò, & quidem toties, donec secundum mentem Salæ ☉ sit præparatum, & solutioni aptum.

Demum affunde spiritus vini optimi (aut aquæ roris maialis novies destillatæ.) tantum, ut totum aurum, in se combibat, sin minus combiberit priorem decanta, & affunde alium, decanta & in M. B. digere, flavescet.

His peractis spiritum vini leni calore Balnei exstilla, ad mellis consistentiam, dosin & usum reperies apud Franciscum Ant. Sala à grano uno ad septem exhibet, in liquore conveniente.

Aurum potabile aliud.

Primo aurum depurandum est per Lupum πολυφάγον, lege artis. Secundo in aqua Valentiniana solvendum & præparandum per omnia, ut in tractatu Angeli Salæ indicatum. Ad essentiam verò inde extrahendam, sequens menstruum apparandum erit.

℞. *Salis gemmæ, vel etiam, marini aut communis præparati. q. v. 1. partem, & terræ figulinæ, aut boli armeni partes quatuor, (rectius opus perficies, si ad l. salis, 1. sumpseris dimidiam libram aluminis optimè calcinati:) Sal pulverisa & cum terra, vel alumine misce optimè, materiam utramque sic mixtam conjice in retortam, cui applica vas recipiens & optimè l. a. obfirma. ubi factum distillare incipe. primum igne leni ad expellendum phlegma: Tum ignem auge, non tamen nimium, nam parum spiritus aut olei proliceres, si vehementiore propellere velles, & sali ad fusionem ansam præberes, tandem igne in tantum aucto, ut retorta mediocriter candeat, & accipies oleum flavum.*

Oleum quod exstillasti flavum, inde cucurbitæ humiliori vel retortæ convenienti colli sc. amplioris, & phlegma in B. M. vel si retorta uteris, in capella vacua exstilla: Materiam quæ in fundo vasis tui remanserit, igne fortiore sublima, & sal quidam Armoniacus in alembicum elevabitur, fecibus fundo residentibus, quæ, ut nullius pretij aut nomenti rejiciendæ. (Nota si destillatio cum alumine perficitur, & quidem in retorta, tunc sal Armoniacus in collum retortæ sublimabitur, distillatione semel peracta caput mortuum per tempus aliquot aëri humido exponitur, inde denuo retortæ injicicitur & plus olei, atque salis Armoniaci accipietur, poterit ter, quaterve fieri.) Salem hunc Armoniacum exime, & in spiritum vini exstilla, & spiritus vini salem Armoniacum secum in altum sublimabit, aut elevabit. Si prima vice non omnis sal ascendit, spiritus vini residentiæ iterum affundendus & labor sublimationis iterandus, donec una cum spiritu vini, omnis sal elevetur & transcendat.

Spiritus hic vini salis spiritu imprægnatus, aurum non in totum solvit, ut docet Basilius Valentinus, sed tantummodo animam seu sulphur auri attrahit, remanente solis corpore in fundo. Si menstruum prima vice sulphur auri non extraxerit, aliud menstruum affunde, tandem omnes extractiones con-

conjunge & in balneo una ex stilla & prodibit tinctura sanguinis instar rubicunda.

Menstruum prædictum etiam inservit reliquis metallis, & mineris animam extrahendi.

Alia ratio præparandi Aurum potabile.

℞. Salem communem cibarium, hunc funde in tigillo vel olla forti, post effusionem contunde & tere minutissime, vel si volueris sumito Salem Armoniacum, vel salem petræ, eumque cum calce viva calcina, ut moris est, fusum & calcinatum in aqua dissolve, ut terra calcis resideat permitte, liquorem clarum & limpidum decanta & per chartam emporeticam trajice, poteris eodem modo cum sale tartari & calce viva procedere, sed in hoc tantum mixtione & dissolutione opus est, ut sal tartari, & calcis vivæ uniantur. Filtratio hic locum non habet, propter enim nimiam corrosivitatem, omnem chartam perrumperet: tantum ut calcis terra resideat expectandum est & liquor clarus decantandus.

Ubi trajeceris, ut evaporet humiditas, & affusa aqua omnis da operam: Tum salem siccatum iterum pulverisa, & in locum humidum repone, ut in liquorem omnimodè resolvatur. Liquor hic Salinus in cucurbitam conjiciendus, cucurbita verò in Balneum cum alembico cœco reponenda, & ut putrefactio fiat per mensem, curandum. Mense elapso, alembicus cum rostro cucurbitæ imponendus, & ex Balneo Mariæ phlegma extillandum: Quod in fundo restat, denuò per mensem ut prius in putrefactionem collocandum, & in fundo remanebit oleum, quod rit quinta essentia salis.

Hanc quintam essentiam Salis funde super calcem auri optimè præparatum & in digestionem colloca, ad extrahendam quintam auri essentiam. Extrahet autem secundum Portam tantum tincturam & corpus auri in fundo relinquet.

Quando essentia salis, anima solis fuerit imprægnata, tum decanta illam, & aliam affunde ad reliquam in corpore solis erit essentia, extrahendam: ubi extracta fuerit iterum decanta, & cum priore conjunge.

Jam habeas in promptu essentiam vini optimè præparatam, & super extractam animam solis funde, & animam auri ad se trahet, relicta in fundo essentia salis. Essentiam vini quod attinet, ab auri tinctura per Mariæbalneum separa, & ceu Thesaurum pretiosissimum serva.

Aliud Aurum potabile Quercetani ex tetrad. fol. 440.

Aurum calcinetur more modoque philosophis usitato, sed prius adducatur ad summum puritatis gradum, per lupum incanum, seu multivorum, ubi puficatum, & calcinatum fuerit, tum immerge in aquam Regis, in qua aliquid de oleo antimonij glaciali solutum sit: Hoc ubi fiet, aurum eclipsim patietur & splendorem suum deponet, inque nigrum, lividum, & mortuum colorem mutabitur: Hæc autem mortificatio vitæ ipsius initium erit: Calci solis sic præparato, affunde aquam pluvialem destillatam, & ablue toties, donec rursus inclarescat, & fusco colore deposito splendidior reddatur. Nec quicquam periculi verendum, ex crebra illius ablutione, ut neque illius mortificatione.

Quo enim magis extinguitur, eo vitam splendidiorem, majoremque gloriam sibi comparabit, ex sulphureo & ardente liquore fructuum maturorum Juniperi, qui ex sole, vitalem suum balsamum, & sanguinem exquisitissimum extrahit: Corpusque ejus album, pallidum, ac tanquam examine, aut omni spoliatum vita relinquit. Hunc balsamum & sanguinem solis vitalem, si crebris cohobationibus ex spiritu flagrante Saturni per alembicum exercueris: exuperantem acquiret activitatem, ac operandi vim, virtutesque eximias, quibus Balsamum nostrum naturalem corroboret, ac potentiorem reddat, sese omnibus hostibus suis expediendi, &c.

Tinctura Auri secundum eundem Quercetanum, ex lib. de Med. spagyr. de præparatione.

Primo aurum præparetur per ☿ ut moris est. Deinde cum floribus sulphuris reverberetur, amalgamatum priùs cum Mercurio & hoc sæpius fiat reverberando illud, & præparando ut dictum tandiu, donec leve, spongiosum, & irreductibile fiat, & purpureum acquirat colorem.

Ex hoc auro cum spiritu vini alcolisato, i. e. cum spiritu salis Armoniaci commixto, ut 4. digitos supernatet, extrahatur tinctura, in matratio hermeticè clauso, & postquam per mensem in balneo digestum fuerit, color cum spiritu vini commixtus separetur, sc. per Balneum,

Liquor hic tamdiu circuletur, donec fixus reddatur. Hujus tincturæ ℈j. mixta cum uncia j. aquæ theriacalis optimæ, ad scrupuli unius quantitatem mane jejuno stomacho sumatur, continueturque decem dierum spatio. Medicamentum hoc Diaphoreticum est, expurgans universi corporis humores pravos & vitiosos.

Mercurius auri.

Auri album corpus, (quod est vera Luna fixa extracta sc. tinctura:) cum salibus resuscitativis, ut tibi constat, & cum aceto mellis, ut artis est præparata digestione & sublimatione ab experto spagyro reducetur in Mercurium vivum & currentem paucorum dierum spatio. Mercurius hic in matratium conjectus per se præcipitatur in furno Athanoris calore non magno, sed mediocri, & fiet inde pulvis rubeus, de quo exhibentur grana octò cum vino aut aqua theriacali, ad hydropem curandam, & luem veneream expellendam, per solum sudorem.

Præterea.

Si hunc Mercurium præcipitatum cum sua tinctura rursus conjuges, & debito tempore decoque in pulverem vel potius lapidem, habebis Medicinam omnium præstantissimam adversus lepram & sanguinem corruptum mundandum juventamque restituendam.

Aurum vitæ Quercetani in Sclopetario fol. 208.

Calcinatur aurum more spagyrico, ut levissimum & spongiosum reddatur, & quod reduci nequeat, à quo cum aceto distill. elicitur semen sive tinctura in Balneo, quod fit digestione, cujus tincturæ vires circulatione cum Spiritu vini ita augentur, ut ad innumerabiles morbos sanandos propemodum incredibiles videantur.

Aurum vitæ aliud præstantius eodem folio.

Aurum in tenuissimas bracteolas redigatur, & cum sale præparato toties calinetur & reverberetur, donec impalpabile reddatur. Salem ex Alcoole Solis separato solutionib. tum ipsum rursus calcinato sole candidissimo & Saccharino i. e. Saturni: Huic mixturæ affunde spiritus vini alcoolisati cum proprio sale, qui sc. in vino, non fecibus vini, *drusen*, latitat, ut ex artis præceptis traditur tantum ut quatuor digitos supernatet. Fac deinde ut accendatur & exardescat vini alcool, hocque sæpius reiterabis. Deinde novum affunde vini alcool, ac ritè & decenter omnia circulentur, quatuor dierum spatio, tum demum separetur distillatione competenti menstruum, novumque rursus affundatur, totiesque circuletur & di-

distilletur, ut factum est prius donec auri tota substantia per alembicum efferatur. Separato menstruo ut decet, remanebit in fundo Aurum vitæ omnium summum, & præstantissimum.

Aliud Aurum potabile ex cap. 29. tetradi Quercetani.

Solvatur Sal marinus, Coloniensis seu qui ex aqua marina coaguletur ex arte. Solvatur autem cum proprio menstruo, id est, cum aqua pluviali, seu fontis distillata, idque fiat toties, donec ad summam purificationem ac claritatem perveniat. Hujus sic mundati & clarificati salis lib. 6. adjice dissolventis vitriolati & melliflui ex vegetabili & animali parati, ita aceti ex melle facti quod sufficit, ad majorem fermentationem, ac corroborationem, ut facta digestione conveniente, quam præjisse oportet (ideò additur acetum, ut ex eo expeditius & libentiùs spiritus salis per alembicum transeat:) usum vehiculi præbeat, (Sal enim si in distillatione vehiculo seu expulsore caret, difficulter spiritum prodire sinit. Quare si quis salem in retortam conjicit & distillat, prodit aqua acida seu vitriolata. Quamprimum verò aqua seu phlegma in Sale latitans prodijt, Sal armoniacus quidam sublimatur: Quod si verò à distillatione cesses & caput mortuum aliquâ aqua irriges, vel in locum humidum statuas, ad attrahendam aquam & rursus Salem illum in retortam conjicias & distilles, tum ut primùm spiritum acidum consequeris, hoc toties repetere potes, donec totum tuum salem, in spiritum convertas, qui postea in Balneo rectificandus) ad commodiùs, spiritus aqueos, sulphureos ac vitriolatos, dulces, acidosque, qui firmissimè sali illi reconditi inhærent, extrahendos. Quod in pixide Waldenburgica, hoc est, quavis retorta terrea firmissima, vel etiam vitrea luto probè munita & loricata, præstandum est.

In hoc versatur rei cardo, ut gradatim igni admoveatur: in quam rem sedulò artifici, & in hujusmodi opere exercitato incumbendum est. Nec non & fornax reverberatoria Athanori requiritur, in qua opus ex norma & mensura dirigatur. Oportet enim, vas incandescat, purpureo non claro calore, ne videlicet sal fluat, cujus fluxus Spiritus impediat, & retineat, ne copiosiùs & opportunè, ut decet, exstillent. In eo autem adæquato igne cornutam aut retortam immorari necesse est ad octo dies, quo tempore semper recipienti invigilandum erit, quod usque adeò & spissum & capax firmissimoque luto obvolutum vel obductum esse oportet, ne quid usque exspiret: quod & turbidum & spiritibus vaporosis ac albis oppletum animadvertetur in quibus virtus & primum ens metallorum resolutum est in aquam acidissimam. Post spiritus exhaustos tandem ad collorum & summitatem recipientis sub finem distillationis sublimabitur aut attolletur terra, quæ foliata dicitur, instar nivis albissimæ, vel etiam flava quæ ei collo adærebit, qui mercurius aut sulphur philosophorum nuncupatur, quam utramque appellationem meritò & jure suo obtinet.

His itaque peractis & refrigeratis omnibus vasculis, ut probè omnia conquiescant, loricis vasa erunt exuenda, conjunctaque per agitationem, utraque essentia salina ac spiritualis seu liquida in alembicum effundentur vitreum, ex qua tria principia summè spiritualia simplicissima ac efficacissima seu maximè penetrantia, quæ in ea continentur, separanda erunt, ut seorsim singula seponantur, ut mox dicetur, quæque deinceps in unum corpus uniantur. Quod verè homogeneum est, ac nihil heterogenei retinens simplicissimum ac penetrantissimum efficacissimumque futurum est. Alembicus autem & recipiens firmissimè loricata in Balneo vaporoso collocentur, suo quodque loco ac lenissimo calore insipidum phlegma, aquæ tantùm inutilis saporem referens separetur. Quo separato, ad justam satis quantitatem, idque lentissimo igne, ut dictum, alembicus frigori exponatur, ubi pellucidissimi lapilli Chrystallini, gustuique dulces formabuntur: Quibus semotis ac seorsim depositis, redditoque denuò balneo dulci alembico, ut rursum ad lentum calorem insipidum phlegma sejungatur, si rursum alembicus frigori exponatur, concrescent iterum glaciales globuli, ijdemque perdulces. Quæ quidem operatio toties repetenda est, dùm nulli ampliùs lapilli emergant, & quicquid residui exstillabit, non ampliùs phlegma insipidum, sed aciditatis vitriolatæ, quæ mordicationem summam linguæ inferat, instar acerrimi spiritus vitrioli gustum inducat. Tunc verò ab operatione desistendum, & in fundo alembici quærendum verum salis oleum vitriolatum, acidumque à quo omne insipidum phlegma, & inutile extractum fuerit. Crystallini verò lapilli etsi sapore dulces deprehendantur, admirandæ tamen sunt virtutis, ut qui Soli vel auro seorsim, vel cum oleo suo, ad idoneam quantitatem permixti sint verum terrestris Solis menstruum, ac dissolvens. Ejus proprietates, ac virtutes vitales, vegetantesque locupletans ac exacuens. Liquor igitur iste balsamicus, ex sale eductus hoc ipsum potest, si ad debitam quantitatem, aquæ, aut passivi liquoris, qui ubique copiosus occurrit, commisceatur. Ista enim sic diluuntur, ac contemperantur inter se idoneè mixta, ut hac mixtione rosæ, violæ, alijve flores, vel emarcidi ac sicci, quique omni odore vitalique virtute, vel longo ante tempore exuti fuerint, perfusi ac imbuti, pristinum vigorem ac vitales alias virtutes recipiant, ac in colorem genuinum, ac magis etiam flor dum, quo vel dissolvens ipsum etiam tingetur, redintegrentur, ut nec majus, ex natura & verno sole, tot tamque elegantium sit feracior, quàm hyems ex artificiali nostro sole, ad radices herbarum effuso, fœcunda eniteat.

Hoc igitur modo, qui supra dictus est, si dulcedo illa crystallina salis, cum oleo, aut aciditate vitriolica propria, debita proportione conjungatur, Solque in eo philosophicè solutus, & in quintam ibi essentiam redactus omni sanguine rubicundiorem (quem colorem ex coctione aut digestione, proprioque calore sibi comparat) adjiciatur. Hinc universalis medicina nascetur admirandæ virtutis, quæ vel lepram ipsam tum universalem, tum particularem totius corporis, Epilepsias, & id genus indomitos affectus, unius aut alterius tantum grani dosi, expugnare valeat.

Accepimus à docto quodam medico &c. quod Joannes Montanus Strigius, antiquus & magni nominis Medicus, ac singularis raræque in utraque medicina eruditionis, cum salis dulcibus istis crystallinis statim ex illis oleum rubicundum resolveret, quod in proprio vase solem in liquorem reduceret, unde præstantissima medicina orietur, coctione omnium colorum discrimina experta. Cujus ad granum. j. aut alterum, pro dosi, admiranda auxilia, adversus superiores morbos præberentur.

Laudanum Mercuriale Doct. Hartmanni Beyeri, ex quo Aurum potabile.

Nonnulli ſecundum mentem Paracelſi, ex Chirurgiæ magnæ volumine tot locis colligunt, non contenti ſublimatione, ulterius progrediuntur. Ex eodem enim mercurio plenè dextreque rubificato, conficiunt oleum, dulciſſimi in Medicina uſus. Sic

Imbibe Sublimatum cum ſpiritu vini ad modum paſtæ, ut is tantum in vitro tres digitos emineat, poſt vitrum probè clauſum in digeſtione fimi equini vel B. ad putrefactionem per menſem Philoſophicum, i. e. per ſex ſeptimanas colloca, vel ut vertatur in mucilaginem oleaginoſam, quo facto tolle ſpiritum vini ab eodem ſubtiliſſimè decantando, & per filtrum trajiciendo, & diſtillando, lentiſſimo calore B. phlegma omne, ut reſtet in fundo oleum albiſſimum dulciſſimumque Hoc poſtea igne arenæ vehementiore per retortam expulſum, abit in luteum quendam liquorem, & pars ipſius mercurij aliquota ſimul evocatur, quem repetita vice, cum oleo prædicto diſtilla denuò, revertuntur omnia in oleum grave, dulciſſimi ſaporis & dotis fragrantiſſimi.

Hujus olei recipe uncias v. Solis per ſulphur & mercurium optimè calcinati ℥. ß. putrefac in phiala Hermetis ſignata, ad calorem cinerum, integrum octiduum extrahitur tinctura ſolis inſtar ſanguinis rubens, quæ relicto in fundo albicante ſolis corpore phiala Hermeticè occluſa, coagula lentò igne Athanore in lapidem rubrum, quem ſuper lapide porphyrio humido ſolve, in oleumque denuò rejectis fecibus coagula. Tertiò eandem operam repete.

Ea ſummum Elixir vitæ & Laudanum mercuriale, probe in vitro ſervandum. Ejus doſis eſt granum j. in hauſtu vini ſolutum, vel cum extracto Theriacæ, & pulvere liquiritiæ, quantum ſatis ad incorporamentum, in formam pillularem ſuperbibito hauſtu vini, in quolibet morbo, repetitis doſibus, ſi neceſſitas exegerit, datur à grano ſem. ad granum j.

Aurum potabile compoſitum, idemque vere Spagyricum.

Primum fiat vitriolum ex calcinato cupro per ſulphur, ut notum eſt, cum phlegmate vitrioli. Ex hoc autem vitriolo Veneris, fiat l. a. ſpiritus, & oleo limatura martis optimi. Exinde rurſus fiat l. a. vitriolum.

Vitriolum martis ubi paraveris faciendum eſt menſtruum ſingulare ex ſpiritu ſalis, aceto deſtillato, & ſpiritu vini optime rectificato, aceti & ſpiritus vini ſumantur partes æquales, ſpiritus ſalis autem quarta tantum pars. Hoc menſtruum ter per alembicum eſt propellendum, ad tres ſpiritus iſtos uniendos.

In hoc menſtruo, ut præceptum, parato diſſolve vitrioli martis q. pl. Menſtruum autem in Balneo rurſus leniter abſtrahe, poſtea per Retortam luto obductam & munitam, igne violentiori pelle, & tranſibit tinctura veneris & martis alembici finis, ſervato tamen debito regimine ignis, interdum inſtar fumi rubicundi nebuloſi, qui fumus apud Baſilium Valentinum materia prima tincturarum & perfectionis corporum mineralium nuncupatur.

Phlegma de hoc ſpiritu in Mariæ Balneo abſtrahe, affunde ſpiritum vini rectificatum, & circula, & rurſus ſepara, ſic Medicinam habebis prorſus excellentem atque admirandam: ſi vero placeat ſpiritum hunc tingentem, cum auro unire ſecundum Baſilium Valentinum, tum aurum finum ſolvendum erit in oleo ſalis, ſolutio in Mariæ Balneo abſtrahenda, in illa abſtracta aqua ſolve duas partes tincturarum martis & veneris, rurſus abſtrahe, & cohoba, dum in diſtillatione omnino ſentiatur acrimonia. Tunc recentes ſpiritus vel oleum recens ſalis ſuperfunde auro, & quidem tantum, quamtum pro ſolutione acceperas, in cineribus per aliquot dies leniter digere, deinde abſtrahe ab iiſdem aquam leniter. Aquam hanc abſtractam in MB. tepidam prius redditam, rurſus ſuperfunde & deſtilla ut prius, in fine ignem aliquantulum augendo. Sic aliquid corporis ſolaris, qualibet deſtillatione elevatur. Sol hic cum marte & venere animatus & conjunctus, perpetuo irreducibilis exiſtit. Abſtrahe aquam in MB. ad ſiccitatem, imbibe cum oleo Tartari ſumme depurato, & in cella ſecunda vice reſoluto, & probe filtrato, rurſuſque exſicca, imbibitionem his repete, tandem exſiccatum in cineribus phialæ immiſſum, fortiter fove, ut quaſi coaleſcant, poſtmodum rurſus pulveriſa & reſolve in cella. in oleum ſanguineum, quod extrahe cum ſpiritu vini & ſerva ad uſum.

Compendioſius ſequenti modo hæc peraguntur.

Ubi omnia Alembicum tranſcenderint, abſtrahe ad oleitatem, & ſuperfunde ſpiritum vini rectificatum, cum ſale urinæ acuatum ut ſcis, & èveſtigio omnes tincturas extrahet, pauco de corporis ſolis ſubalbido & omni tinctura exuto remanente. Spiritum hunc abſtrahe per Alembicum & recentem non acuatum ſuperfunde, ad oleitatem abſtrahe, quem per Retortam pelle, ſic habebis tincturam admirabilem ad omnes totius corporis affectus.

Spiritus Solis Domini Joh. Oſiandri præſulis Murbacenſis,

Non minus artificioſa, quam Spagyrica & Philoſophica eſt præparatio ſpiritus auri, quæ fit & paratur ut ſequitur.

Primum aurum in tenuiſſimas bracteolas redactum, cum Mercurio vivo amalgamandum eſt, & per corium rurſus tranſigendum.

Secundò maſſa quæ in corio poſt tranſactionem Mercurij vivi relinquitur, in teſta aliqua vitro obducta, ſub pileo vitreo, ad excipiendum avolantem Mercurium prunis ardentibus imponitur, ut non ſegniter in fugam ſe conjiciat.

Tertiò ſemper priuſquam Mercurius ex dimidia parte, vel in totum expiret, removenda auri ab igne maſſa, & rurſus terenda eſt, ne maſſa coëat, aut coaleſcat. Qua in parte ſæpius, etiam ab optimo artifice peccatur, & à ſcopo aberratur.

Quartò Mercurio omni ex parte fugato, & expulſo, cum calce reliqua novus Mercurius conjungendus, & ſemper idem per ignis vim rurſus abigendus, donec eadem calx jam ægre Mercurium ſibi jungi concedat. In labore hoc non opus eſt, ut Mercurius in amalgamando ſoli junctus prorſus fugetur, non refert etiamſi aliquid cum auro maneat.

Quintò, quando jam calx ſolaris incipit, ægre atque difficulter Mercurium ſibi commiſceri ad faciendum amalgama, tamdiu procedendum eſt, donec calx Solis Mercurium vivum & currentem in conſortium prorſus nolit amplius amplecti, (id quod ego inquit author proceſſus multiplici experientia didici.) Neque refert hic, quantum Mercurij auro admiſceat, nihil hîc periculi eſt, ſed tantum modo cavatur, & proſpiciatur, ne maſſa ſolaris in unum coaleſcat.

Sextò, quando calx ſolis Mercurium prorſus non vult admittere, vel ægerrime ſolummodo, tum Mercu-

curius omnis expellitur per calorem ignis, sed interim providendum, ne calx fundatur, calx talis quodammodo rubet.

Septimò calci huic affundendum acetum destillatum, (hoc enim huic operi nihil conducit) & acetum illico calcem solarem hoc modo paratam aggreditur, priusquam in digestionem collocetur, & extrahit quandam Essentiam. Tum acetum decantatur, & aliud affunditur, rursus per 24 horas in digestionem collocatur, & tantum ex calce solari extrahet acetum, quantum ad solutionem Mercurius aptum reddidit: sed qui quantitatem molarem sibi imaginatur, profectò is sibi somnia fingit.

Octavò calci solari residuæ rursus adjungitur Mercurius vivus, vel prior qui in usum venerat, vel alius novus, non refert: Et cum calx in continente cum Mercurio se copulare permittit, & quidem promtissime, & tum primi labores ordine repetuntur, donec tota calx solaris in Essentiam solvatur, quod tamen non nisi multis, & sæpius repetitis laboribus fiet.

Nonò omne acetũ, quod in solutionem fuit adhibitũ & decantatũ cõjungitur, & in cineribus lěto igne evocatur, & in fundo residebit sal albicans, qui cum aqua pluviali distillata est indulcandus, statim verò in aqua solvitur.

Decimò, quod si sal talis diligenter in moderato calore fuerit exsiccatus, tum Retortæ luto optime munitæ inditur, & magnum vas recipiens applicatur, & probe ad fugam spiritibus intercludendam luto cavetur, per gradus ignis administratur & primum prodibit phlegma, hinc sequitur fumus, qui instar fili lanei ad fundum recipientis contendit. Tandem vero, ut in tinctura corallorum tam potens & copiosus sequitur fumus, qui nullo artificio tam arctè potest occludi, in recipiente Retortæ applicato, quin ejus odor nares feriat, & quadam instar croci.

Undecimò his peractis recipiens vas ut refrigescet cum Retorta permittitur, & diligenter colligitur.

Duodecimò hic spiritus potest rectificari, & quidem in tantum, ut subtilior fiat, quam spiritus aliquis vini.

Expertus sum inquit author processus, quod ejusmodi spiritus, si calci Lunari subtilissime tritæ affusus, quandam suavedinem extraxerit. Hæc oculis meis vidi, & manibus aliquoties tractavi, & scio processum esse verissimum, sed diligentem requirit Spagyrum, interim fateor esse laborem haud brevem, non exiguam partem calcis solaris requiri. Quandoquidem una vice perparum extrahitur.

Princeps quidam cum hoc spiritu hominem deploratæ valetudinis restituit, & multum cum eo præstitit, sed qua ratione intra & extra corpus debeat usurpari, & an quoque ad Metallorum transmutationem aliquid faciat, id mihi non constat doctis & expertis id Philosophis ad experiendum relinquam. Hoc tantummodo notatu dignum est, quod solidissimum & perfectissimum corpus Solis nullique igni cedens, in tenuissimum, & subtilissimum spiritum possit reduci, id quod ego non semel, sed multis vicibus expertus sum.

Aliud Aurum potabile, quod est desumptum ex Testamento Fratris Basil. Valentini.

Summum atque primum aurum potabile, quod DEUS OPT. MAX. in totam naturam collocavit, est probe excocta, præparata & fixa substantia, lapidis nostri universalis, priusquam illa fermentetur, nulla major, præstantior, & excellentior Medicina universalis, & aurum potabile, potest in tota natura per orbem universum terræ reperiri, aut in lucem proferri, cœleste si quidem est Balsamum, quoniam ipsius principia & prima exordia, ex cœlo originem sumunt, & in terra formantur, postea vero, post suam summam puritatem, ad summam perfectionem deducuntur. De quo primo exordio, primaque origine, hujus cœlestis substantiæ ego quidem fuse satis & quantum necessitas postulat, scripsi, ut hic repetitione non opus esse existimem.

Quemadmodum vero excocta ejusmodi & perfecta substantia, summa, principalis & maxima universalis Medicina microcosmi est, sic viceversa illa ipsa materia, post suam fermentationem etiam tinctura est, & summa, maxima, & potentissima est medicina, omnium Metallorum, quæ per hanc ad summam depurationem & valetudinem perfectam, nempe in purissimum aurum possunt transformari, & transmutari. Et sic hoc aurum potabile summum & maximum, atque universalis est medicina, totius mundi, de quo solo, multa librorum volumina possent produci. Quoniam ipsius præparatio antehac in tertia parte secundum omnes circumstantias est descripta, & docta, non operæ pretium arbitror, ulteriorẽ institutionẽ proponendã, sed in dictis acquiesco. Sed ulterius dicam & declarabo, una cũ absoluto processu, quẽadmodum verum aurum potabile, ex cõmuni summe depurato, & perfecto auro possit fieri & comparari.

Recipe extractam ex auro animam sive Essentiam quæ cum spiritu salis communis dulcifacta est, quemadmodum te in particulari docui. & corpus solis totum albicans comparuit, spiritum salis extilla, & animam solis, decem vel duodecim vicibus dulcifica, tandem probe exsicca, eamq; pondera, & quatuor partes spiritus vitrioli Ungarici, dulcis scilicet affunde, bene obsigna, inq; Balneum vaporosũ colloca putrefac lentissimo calore atque igne, & quidem tamdiu, donec totaliter solvatur, inq; aquam, seu primam materiam reducatur, & ex ambobus illis, liquor sanguinis ad instar rubeus, pellucidusq; fiet, sicut ejus cum rubedine nullus rubinus possit conferri.

Hoc interim observa, quod si anima solis ceperit dissolvi, & in primam materiam suæ substantiæ transiverit, quod in vitro primum ad spondilia circumcirca, ubi materia tenetur, circulus eleganter viridis conspiciatur, denique vero omnes colores arcus cœlestis coëunt, & comparent, qui tamen brevi tempore durant.

Quod si vero anima Solis jam plane fuerit soluta, & nihil ultra in vitri fundo conspicietur, duplum pondus spiritus vini optime rectificati affunde. Vitrum sigilla quantum poteris optime, digere, vel putrefac rursus una per duodecim, aut quindecim dies, tum unà educ per alembicum, & materia transcendet, in forma sanguinis absolutissimi & optimi, aurea tota, perspicua: Toties hanc eductionem & exstillationem itera, donec nihil amplius de corpore Solis in fundo remanserit: & tum habebis verum, & perfectum aurum potabile, quod in æternum nunquam poteris in corpus aliquod reducere. Interim notandum, quod corpus solare, antequam destruatur, & anima ejus extrahatur oporteat ad summam puritatem & perfectionem reduci.

Aurum potabile Fr. Bas. Val. alterum.

Aliud etiam aurum potabile fit & arte singulari paratur, quod licet non pro perfecto omnibusque numeris absoluto auro potabili possit divendi: tamen plus etiam est quam semiaurum potabile habendum, quoniam quoad virtutes & efficaciam suam, potentissimas vires in multis morbis edit, quos alias natura vincere nequit, id quod experientia docuit & comprobavit.

Aurum vero potabile tale, duabus viis atque rationibus præparatur, ubi posterior, priore præstantior & efficacior est, sed plus ad id faciendum temporis & laboris atque operæ, quam ad primum requiritur, primi verò præparatio talis est:

Recipe extractam animam Solis, quæ cum spiritu salis dulci parata est, quam optime & diligentissime dulcifica, deniq; eam siccari sinas, atq; in phiolam capaciorem immitte, vel etiam in cucurbitam, huic affunde oleum vitrioli rubeum quod ab omni phlegmate sit liberatum, & prius per Retortam sit rectificatum, ut perspicuum & clarum fiat, id est album, ut observare possis, cum animam Solis aggreditur, & solvit, ex qua in rubrum & amœnum colorem transit. Hujus vero olei tantam affunde quantitatem, ut sulphur vel anima Solis, in eo solvi possit, tum in Mariæ Balneum pone, ad putrificandum, seu digerendum, & ignem paulo vehementio-

rem adhibe, donec videris animam auri dissolutam & colliquatam, in oleo vitrioli. Si quas forte feces in fundo reliquerit, eas separa ab extracta anima, tum affunde ulterius & quidem in duplo pondere, Essentiæ vini, vel spiritus vini optime rectificati, ut te in meo Testamento docui & institui, vitrum sigillo Hermetico obsigna, ne spiritus vini exitum sibi quærere possit, & denuo in Balneum Mariæ colloca in putrefactionem, moderatissimumque adhibe ignem, mensis unius spatio, & acrimonia olei vitrioli per spiritum vini imminuitur, & suam acredinem amittit, ut una præstantissima fiat Medicina. Hanc medicinam toties per alembicum distilla, vel etiam per Retortam, donec nihil in fundo cucurbitæ, vel Retortæ relinquatur. Et sic acquires plusquam semiaurum potabile, in forma & colore summe flavescentis liquoris. Interim nota, quod cum aliquibus Metallis etiam hac ratione processus potest institui, ut scilicet ex Metallo primum fiat vitriolum, ex quo spiritus distilletur, & hac ratione cum anima conjungatur, solvatur, & cum spiritu vini digeratur, donec omnia simul in adæquatam Medicinam transeant, ut docui, quæ suas quoque easque non parvas obtineat vires & virtutes.

Aliud ejusdem Fr. Basilii. Valent.

Altera via ejusmodi semiaurum potabile præparandi, quod quidem plus non est aurum quam semiaurum potabile, virtute tamen & efficacia proxime descriptum multis parasangis superat, & longo post se intervallo relinquit, talis est, ut sequitur.

Rec. animam auri extractam, de qua supra dictum, eam in phialam immitte, & superfunde extractum sulphur Philosophorum, quod cum spiritu Mercurii, id est, vitrioli ex terra Philosophorum extractum est, & Mercurius, sive spiritus Mercurii usque ad oleitatem, quæ sulphur est, rursus abstractus sit leniter, per modum distillationis. Hujus sulphuris Philosophorum, affunde tum ut dictum antea, tantum, ut in eo anima solis solvi possit, & in leni Balnei calore ut requiescat permitte, donec talis solutio peracta sit, tunc plus affunde, optime & summe rectificati spiritus vini, digere porro leniter & una extilla donec nihil in fundo amplius restet, & habebis Medicinam, quæ vero auro potabili haud multum præeminentiæ concedit. Et hæ sunt præcipuæ viæ, quibus corporale aurum potabile redditur. Hactenus Basilius.

Præparatio Auri ad Aurum potabile.

Recipe metalli omnium præstantissimi, quod propter indesinentes hominum insidias, quæ ei struuntur pallet, quantum libet, vel quantum tua fert conditio, id funde ter per lupum incanum seu multivorum, ut ipsum Philosophorum Spagyricorum celeberrimus Fr. Bas. Val. nominat. Tum reducatur in tenues bracteolas, seu folia tenuissima, & solvatur in menstruo sequenti: Recipe spiritus aromatis nobilissimi, (non quod ex India advehitur, sed quo nemo non hominum quotidie utitur:) unam partem, & spiritus cerberi Hermetici optimi quatuor partes, in hoc injice flavum tuum Metallum in cucurbitula, vel matratio positum, & pone in calorem debitum, donec omne solvatur. Si menstruum non omne Metallum solverit, affunde, decantato primo aliud, & solve, tum solutiones tuas confunde. Jam habeas in promptu Mercurium vivum crudum, purgatum tamen, & tantum in solutionem conjice, quantum Metalli solveras, & sic spiritus cerberi Hermetici & aromatis nobilissimi, Metallum deferet & Mercurium aggredietur, Metallum autem ad fundum in forma subtilissimi pulveris subsidebit; quod cum aceto distillato imbibendum, & ter in Balneo abstrahendum, & sic accipies calcem auri subtilissimam, quam per mensem igne mediocri reverberare poteris, ut tanto ad Essentiam inde extrahendam subtilior evadat.

Aurum potabile πολυθρύλητον, seu famosissimum Angli illius Francisci Antonii.

Primo omnium dissolvatur aurum finum in aqua regis secundum artem: Fiat autem aquæ fortis libra j. huic addantur unciæ quatuor salis armoniaci, in aqua distillata soluti, filtrati, & rursus coagulati, & distilletur primum in cucurbita in Balneo, spiritus vero graviores demum in Retorta in Balneo sicco, hoc est, in cupella vacua, sed bene operculata. In hac aqua solve tuum aurum, solutionem in vitrum latifundi effunde, & quod sit colli amplioris, vel in oleo salis, & spiritu nitri rectificans, ut paulo ante edoctus es. Priori solutioni cum aqua regis facta, guttatim infunde oleum tartari per deliquium facti, donec aqua recta clara & alba evadat. In hanc scilicet solutionem per spiritum salis & nitri factam funde ad unicam dimidiam, unicam unam Hermetis Chymici, colloca in lentem calorem, in matratio, obturato leviter vitro cum cera, & aurum fundum petet, spiritus vero se cum Mercurio conjungent, & ipsum solvent, qui Mercurius unà cum menstruo dum adhuc calet, ab auro est separandus, & in locum frigidiorem collocandus, separabitur phlegma menstrui & Mercurius in vitriolum album abibit. Aquam regis quod attinet, ubi post præcipitationem auri clara evasit & perspicua instar Crystalli, dabit tibi signum, aurum tuum omne ad fundum descendisse: sine ut quiescat, per noctem, & mane liquore effuso, calcem in fundo quater aut quinquies communi para aqua ablue, eamque debito modo exsicca.

Nota priusquam calx omnino exsiccata fuerit, scilicet, quæ cum oleo Tartari præcipitata est, (nam altera hac tractatione non indiget:) imbibe illam cum oleo salis communis, quod oleum Tartari mortificat, & fulminationem omnem avertit. Si autem siccare volueris, sine præparatione cum salis spiritu, cave ne calor sit excedens. Quamprimum enim calorem calx sentit, flammam statim concipit, & in auras evolat, sonitum horribilem instar bombardæ explosæ edens, ut qui præsto sit, de vita periclitetur. Quare tutius est in aere vel hypocausto tantum siccare, & spatula lignea diligenter agitare.

Calci si vis adde dimidiam partem sulphuris pulverisati simul misce, & in crucibulo igne rotæ sulphur conflagrare permitte, adhibendo in principio ignem fortissimum, ut calx quodammodo reverberetur, & tenuissima evadat, quam in phiala optime clausa, ad usum serva.

Jam fiat spiritus urinæ hominis sani, modice bibentis vinum, in cucurbita bene clausa, in fimo equino, vel alio loco calido per mensem Philosophicum, hoc est per 40. dies digere, finito putrefactionis tempore, distillatur urina per alembicum, adhibito recipiente satis amplo, donec omnis humiditas distillata fuerit, distilletur tertio à capite mortuo per cohobia, rectificetur, ut exinde spiritus postea juste elevetur. Ex phiala ergo prolixioris colli, cum suo alembico, & recipiente juncturis optime clausis, bene in cineribus distillatio instituetur, & elevabitur spiritus instar in alembicum, nulla concomitante humiditate aquea. Hæc destillatio, ad completam elevationem, totius spiritus continuanda est, quod sublimatione prodiit, cum aqua pluviali distillata solvitur, & ex phiala, ut prius distillatur, idq; sexies repetitur, semper novam aquam accipiendo. Hinc in phialam Hermetice clausam per 15. dies & noctes reconduntur crystalli, & digeruntur lento Balnei calore, donec in colorem limpidissimum abeant. Huic liquori additur æquale pondus spiritus vini, è vino bono facti, & quam optime rectificatur, & simul in Balneo per 12. dies digeruntur & uniuntur. Recipe nunc calcem solis antea præparatam & ei affunde menstrui è spiritu vini, urinaque facti ut tribus digitis emineat, in lento calore digere, donec sanguinis instar rubicundum evadat, tinctura decantata & sæpius collecta in B. per aliquot dies digeritur.

Hinc lentissimo calore spiritus solvens abstrahitur, denuo semel cohobandus. Hinc remanet in fundo cucurbitæ liquor in forma olei rubicundissimi, suavem odorem de se spargentis, in quolibet liquore resolubilis, propterea oleum hoc succedaneum verum esse potest: eandem solutionem si non in Balneo, sed arena destillas, è

cucur-

cucurbitæ humili vel Retorta, post partē menstrui primā, cū reliqua ejus parte solis tinctura per alembicum transit rubicunda instar sanguinis, relicta in fundo vasis terrâ nigra, arida, spongiosa & levi: ipsum autem menstruum, quod in tinctura solis prodiit, per Balneum tepidum separandum est, ut oleum solis in fundo cucurbitæ restans, solum asservari possit. Hoc est illud aurum potabile, quod in Anglia habetur, apud Franciscum Antonium, inde sæpius in Germaniam & alia loca allatum.

Hæc ex Collectaneis Chymicis curiosis.

Aurum potabile D. Joelis Langelotti.

Aurum foliatum q. v. in minimas particulas conscissum mortario densissimo, vel Aureo, quale Augustissimus Rex Daniæ *Fridericus* divæ memoriæ *Burrhi* suasu, quàm primùm operatio hæc ei his in oris innotuerat, conficiendum curavit, inditur, inque eo chartâ tantùm tecto, nè pulvis, vel aliud quid incidere queat, noctes atque dies continuâ molæ agitatione, tam diu teritur, usque-dum in pulverem convertatur subnigrum: Cui Tritui utplurimum 14. dies insumendi sunt. Si verò quis de die saltem velit operari, integro mense opus erit. Deinde pulvis hic Retortulæ non nimis profundæ, sed planæ, quales Anglicæ solent esse, immissus igne arenæ per gradus, eóque tandem fortissimo pellitur, & sic stillabit paucas quidem, sed rubicundissimas guttas, quæ vel per se, vel cum spiritu vini Tartarisato verum exhibent Aurum potabile non fucatum, vel ullâ aliâ qualitate peregrinâ infectum. Residuo (quod ipsum quoque facilè tritu poteramus resolvere) acetum nostrum Philosophicum ex Vitriolo & Sulphure cum Spiritu vini longa digestione confectum adfudimus, & sic iterum rubicundam tincturam accepimus, magnarum itidem virium. Paucissimum quod superfuit beneficio boracis in corpus reduximus, sed pondus ei debitum, defuit. *Miscell. Cur. Dec. 1. Ann. 3.*

Varias Auri sophisticati præparationes Vide sub variorum è quibus illa conficiuntur, metallorum titulo: De Operationibus verò pro illo per transmutationem è variis materiis eruendo, lege si ita vacat, Bibliothecam nostram Chemicam Curiosam. Unicam tantùm sophisticationem qua cuprum colore aureo imprægnetur, qui diu permaneat, & omnes probas præter cupellam sustineat à Joh. Franc. Vigani in suâ Medulla Chymica allatam hic adjiciemus.

℞. Cupri lib. j. funde in crucib. insperge gradatim sulphur. pulver. lib. j. usque dum totum deflagraverit, postea cuprum in laminas redige. Hoc facto sume auripigmentum q. v. funde & in aceto extingue, quod repetendum per 24. vices. Tum sequens stratificatio construatur in crucib. S. A. primò cum farina fabarum, tum cum nitro & tartaro, postea auripigmentum sit superstratum, cum cuprum ipsum, & iterum auripigmentum, nitrum & tartarum, farina fabarum, qui ordo observandus est per totam stratificationem, donec totum crucibulum impleatur. Ultimo huic crucib. superimponatur aliud cui est foramen in summitate. S. A. ignis cæmentationis, donec nec flamma nec vapor ullus apparet; ultimò detur ignis fusionis per horam. Frigefactum cuprum separetur à pulveribus, & novo crucibulo fundatur, separatis scoriis obtinetur cuprum aureum, quod in folia elegantia & diuturna à malleatore extendatur.

AURUM MUSIVUM vid. sub titulô *Vernix.*

AUSTERUS SAPOR.

Austerus, αὐςερός, Auster, dicitur de eo, quod terrestris est naturæ cum salinis & tartareis permixtæ, vim habens adstringendi, ab Acerbo solâ intentione diversum.

AXUNGIA.

Axungia, sic ab axibus ungendis ad rotarum faciliorem circumactum dicta, est substantia pinguis ex singulis animalibus desumpta, leniens est & remolliens, rarò internè usurpatur, sed externè more linimentorum adhibetur & pars dolens est eâ affricanda, excoquitur autem ignis ope.

Axungiæ Officinales sunt,

Axungia Suis.

Axungia suilla est omnium liquidissima, instar olei sæpiùs effluit, magisque emollit, concoquit & resolvit quàm oleum, habetque qualitatem lenientem & anodynam, propterea humorum acrimoniæ mitigandæ, dolori sedando, inflammationi contemperandæ, & humoribus resolvendis utiliter adhibetur, & cataplasmatis ad eosdem effectus institutis peraptè permiscetur. Quæ ex animalibus calidioribus, ut Leone, detrahitur resolventem vim habet majorem.

Axungia Ursi.

Ursi axungia calidior & siccior est suilla, & utraque qualitate inferior leonina, veluti inter ambas media. Non tantùm ad alopecias & perniones commendatur per se, sed unguentis resolventibus mista, qualitatem eorum reddit efficaciorem. *Hermann.* ipsam commendat in doloribus intestinorum.

Axungia Anseris.

Ingrati quid omnes habent axungiæ, quo ventriculum subvertunt: Anserina tamen suavitatem quandam præ se fert, quæ eam commendat in culinis. In Pharmacopoliis quoque celebratur ad medicinum; Nam & per se adhibetur meatui auditorio ad tinnitum, qui gravem auditum præcedere solet, atque pluribus aliis medicamentis externis, resolventibus commiscetur. *Hermann.* verò ipsam commendat in doloribus colicis.

Axungia Anatis.

Anatis axungia nec omittitur in arte medicamentaria, quà & per se utimur in artuum dolore, nervorum frigida intemperie, & unguentis quibusdam, ut resumptivo, & emplastris multis permixta. Qualitatem enim habet emollientem, resolventem, anodynam.

Axungia Gallorum.

Axungia gallinarum mediæ & inter suillam & anserinam naturæ. Recens & salis expers affectibus uteri prodest. Confert adhuc labiorum scissuris, aurium doloribus, & pustulis erumpentibus in papillis. *Renodæus de Mat. Medic.*

Axungia Canis.

Canis axungiâ utuntur Plebeii in affectibus pectoris & præcipuè in Phthisi, etenim quam plurimùm nutrit.

Axungia Felis Sylvestris.

Axungia hæc sanguinem coagulatum resolvit. *Hermann. in Mat. Medic. manuscr.*

Hic non addimus alias plurium animalium axungias, quæ sub propriis illorum animalium nominibus videri poterunt.

AXUNGIA CICONIARUM, vid. *Oleum Ciconiarum.*

AXUNGIA VIPERARUM, vid. *Viperæ.*

AXUNGIA VITRI.

Axungia vitri, seu Flos crystalli, nihil aliud est quàm Axungia quæ Alcali dissoluto supernatat. Axungia hæc potenter desiccat, scabiem cæterasque cutis deformitates sanat, si in aqua coquatur eâque pars affecta sæpiùs lavetur. *Meuve.*

AZOTH.

Azoth, Azock, Azoch, barbara sunt vocabula Paracelsica, quibus insignitur Mercurius, præsertim Philosophorum, h. e. argentum vivum, ex quovis corpore metallico tractum. Aliàs *Paracelso* Azoth quoque appellabatur medicina universalis, ex Mercurio, Sole & Luna parata, rerum speciem omnem exuta, & intentissimam induta vim, atque centralem quandam virtutem generalissimam, reliquas omnes medicinas in se concludens. Hanc in ensis capulo conclusam, quocunque locorum ierit, gestasse secum perhibetur. *Bruno.*

AZOTH Heslingii.

℞. Mercur. opt. lib. iij. purifica sale com. & aceto tunc exprime per corium, postea sume limatur. chalyb. purif. lib. ß. mercur. purgat.

purgat. ℥ VI. *fiat amalgama, item ex limatur. cupri lib.* ß. *& Mercur. depurat.* ℥ VI. *fiat itidem amalgama, ac tali modo ex stanni Anglic. lib.* ß. *ac mercur. depurat.* ℥ VI. *fiat amalgama, ac tali modo procede cum saturno plumb. lib.* ß. *& mercur.* ℥. VI. *Tandem post dies aliquod conjunge omnia hæc amalgamata, ac adde simul Cinnabaris nativæ lib. ij. subtiliss. trit. cum mercur. depurat. lib.* ß. *ac omnia in mortario marmoreo probè misce, ac stent ita per tres septimanas, tunc sume calc. viv. asperge paulisper muriâ salinâ, adde farin. secalin. & fiat inde massa, cui admisce supra factum amalgama, asperge muria salina, ut inde possint formari globuli, quos exsiccatos ex retorta pelle, ut mercur. omn. exent, quem tunc per corium exprime.*

Post hæc sume mercur. hujus philosophicè depurati ℥. VI. *Auri per antimon. fusi & subtiliss. limat.* ℥. ß. *& fiat inde amalgama; iterum sume Lunæ finiss. & subtiliss. limat. unc.* ß. *& mercur. depur. philosoph. unc.* VI. *fiat amalgama & immitte cucurbitulæ vitreæ & ità stent primò per tempus in lenissimo calore, tandem pone in cineribus, & post hæc in arena ac sensim auge ignem. Sæpiùs interim massam eximendo & probè invicem terendo, ac rursus cementando, donec longo tempore annuo, non amplius ascendit mercurius sed fixus manet in fundo. J. H. Junck. in Lexicô Pharmac.*

LIBER II.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

B.

BACCA.

Baccæ dicuntur qui sparsim arboribus fruticibusque adnascuntur fructus parvo-rotundi, & sic ab Acinis distinguuntur, qui sunt racematim dependentes, præterea voce *baccæ* intelligitur fructus minor pericarpio seu pulpa carneve molli humida semina includens, & membranâ tenuiore tectus.

Baccæ Officinales, vid. *Fructus & Baccæ Officinales*.

BACCHARIS.

Baccharis Monspeliensium *Ger. Park.* Conysa major Matthioli, Baccharis quibusdam *I. B.* Con. major vulgaris *C. B.*

Ex *radicibus* multis, sparsis, non altè depactis, lignosis, fragilibus, odoratis, amaris & acribus surgunt ad cubitos tres aut quatuor alti *caules*, striati, atro-purpurei incanâ lanugine hirsuti, solidi, rigidi, foliis singularibus non admodum crebris vestiti, supra medium in multos ramos & rectos divisi. Folia verbasci nigri aut digitalis purpureæ, minora, molli lanugine pubescentia, leviter crenata, odorata, sapore acri & amaro. *Flores* in summis caulibus & ramulis conferti, graviter olentes, è plurimis flosculis perexiguis, densè stipatis viridi, luteoque versicoloribus, squammis exteriùs purpurantibus. *Semina* exigua, oblonga, fusca, pappo adnascente alata. *I. Raius.*

Vires. Radicis decoctum obstructiones reserat, menses & urinas ciet. Folia ab *Ægyneta* commendantur in fluxionibus & catharris *Meuve.*

Balæna, vid. *Cetus.*

Balanus vid. *Ben*, Item *Suppositorium.*

Balaustia, vid. *Granata.*

BALNEUM & PEDILUVIUM.

Balneum est totius corporis infra caput, in quocumque liquore, immersio.

Balneum est vel *naturale*, vel *artificiale.*

Balneum naturale vid. in Aquis Mineralibus.

Hic tantùm de *Artificiali* ex *Wedelio* & *Tenke* superadditis quibusdam aliis.

Notissimus est communis balneandi mos, veteribus frequentissimus, nec minus hodienum usitatus. Nos jam non tàm de mundando corpore, vel abluendo, soliciti erimus, quàm de balneis medicatis.

Hinc neque dicemus hîc de balneis naturalibus, licèt in quamplurimis cum hisce nostris quo d usum externum saltim conveniunt; sed potissimum de artificialibus, quæ quidem sæpiùs præscribi & ordinari consueverunt.

Βαλανεῖα Græce seu *balnea* paulo latiùs patent, à *natando*, vel *intingedo*, immergendove potius toto corpore nomen sortita. Notanda tamen hîc pro conceptu de balneis formando differentia quædam. *Balnea* scilicet sunt, vel *propriè* vel *impropriè dicta*; utraque vel *universalia*, vel *particularia.*

Impropriè dicta sunt, vel saltim intuitu subsequentium verè & propriè dictorum cum lotione, quæ sicca sunt seu vaporosa, quæ *Laconica*, seu stufas vocant, qui mos balneandi ut antiquissimus est, ita apud Germanos nos integer servatur, quando nimirum sicci in altiori loco sudorem prolicimus, unde balnea sudatoria, vaporaria, audiunt.

Universale balneum siccum seu *Laconicum* est, quoad totum corpus factum, ut ferè in balneatoriis nostris hypocaustis solemus, profecto ab externo impellente, calore ignis, vel vapore aquæ calidæ quóque, vel spiritu vini, aliisque modis in domunculis concluso corpore, quem & internis unà prolicere integrum est.

Particulare, quoad hanc vel illam partem, uti silicibus extinctis in vino, aquâ, aceto, cum succino infuso, &c. id facile est, tectis superioribus, id quod in tumoribus v. g. pedum scorbuticis vel hydropicis in usu est.

Propriè dictum seu *humidum universale* duplex est, vel *quoad omnes partes*, natando quasi & immergendo totum corpus, vel ad collum usque insidendo, quod in thermis usu venit, quæ propriè balnea vocantur; vel quoad potissimas inferiores, insidendo usque ad umbilicum, quæ insessus & semicupia, ἐγκαθίσματα, vocant, & longè omnium sunt communissima; etiam ipsorum balneorum magis nomine.

Humidum verò *particulare* etiam duplex est, prout vel *lotione* cum vel sine immersione fit, ut capitiluvia, pediluvia, vel *subsstillo*, guttatim facto in partem affectam delapsu, ex aquâ simplici frigidâ, thermis, vel decocto aliquo definito, id quod tamen apud nos planè ferè inusitatum est; videri tamen exemplum potest apud *Heerium in observ. 22.* Dicitur id uno verbo *embrocha*, quasi dicas *irrigationem*, quâ pars successivè per guttulas delabentes sensim irrigatur & delibuitur, v. gr. caput, articuli.

Definiemus ergò *Balneum*, quod sit *decoctum diffusius, pro mundando vel alterando corpore extrinsecùs factum.*

Decoctum est non minus, quàm decoctum aliud pro usu interno, vel clyster, in usum extemporaneum fabricandum. *Diffusius* verò est, sive simplicius, sive majoris apparatûs, plurimo liquore, qui corpori abluendo sufficiat, distributum; unde liberum est, usurpandi sine vel simul & semel in aheno species decoquendas aquæ maritare, vel, quod fere commodius, seorsim in ollâ vel vase grandiore, in reliquum liquorem hinc dispensando virtutem.

Atque hinc actu utplurimum calidum est; minus usitatum, medicis quidem usibus, frigidum.

Quod ad *Materiale* balneorum attinet, præsupposi-

posito eodem decoctionis fundamento, de quo hactenus sub primis illis speciebus diximus, *ingredientia* balneorum sunt vel *communia* vel *propria, definita & particularia magis*. Inter *communia* primas tenent *emollientia, digerentia & paregorica*, de quibus quidem sub clysteribus jam abundè dictum est. Hinc chamomilla anima quasi est balneorum, cum simplex, tum Romana, civitatem quasi adepta in hoc. *Appropriata* varia sunt, tum abstergendi, tum humectandi, cephalico, uterino vel mundificante magis usu, quem inferiùs delibabimus; id quod & in capitiluviis & pediluviis valet, ubi inprimis refrigerantia, digerentia & roborantia conveniunt.

Notabile est, ex animali quoque regno huc arcessi tum partes animalium, uti pedes vitulini, suilli vel vervecis in corrigenda hecticâ vel atrophiâ usitato præscribuntur. Nec insuetum est in balneis emollientibus, humectantibus & laxantibus lac vaccinum liquori affundere.

Ex mineralibus verò, ut thermas artificiales quasi æmulemur, alumen, vitriolum, sulphur vivum, nitrum, frequenter recipiuntur, siquidem inprimis mundificandi externo fine, & quidem magis pro universali, quàm definito usu hujus vel illius partis, præscribenda fuerint.

Neque hîc cautelæ ullæ ferè, ut aliàs, observandæ veniunt: imò 1. præstat in dosi magis respectivè in excessu, quàm in defectu peccare, cujus rei pondera apposuimus, ut nempe liquor, sive aqua fontana, (reliqua quippe, lac oleum, ad unam vel alteram mensuram quandoque apud nos affundi solita magis sunt accessoria, refractâ dosi adsciscenda) & prædominetur & ablutioni sufficiat. In hoc quippe *Formalis* balneorum consistit ratio.

2. Pro particulari tamen usu apparatu & dosi minori longè opus est, quàm pro universali.

3. Pediluviorum, quo & suo sensu capitiluvia spectant, ingredientia ad tria summa genera, refrigerantium, digerentium & roborantium redegimus.

4. In affectibus verò capitis hoc quoque notabile est, quandoque reliquis etiam purgantia ipsa in decoctum addi & recipi, qualia exempla apud *Sennertum in praxi lib. 1. parte 2. cap. 15. de mania, pag. 423.* reperire licet ex helleboro, *&c.*

Balneum in scabie: ♃. *rad. oxylapath.* ℥ij. *helen. malv.* ana ℥j. *herb. saponar. nepeth. fumar. agrim. veron. siderit.* ana m. ij. *fl. chamom.* R. m. ij. *herb.* 5. *emoll.* ana m. j. *bacc. laur.* ℥ ij. *sulph. viv.* ⦶, O, a. ℥ij. M.

Balneum pro gravidis: ♃. *rad. alth.* *malvæ* a. ℥ij. *lib. alb. bryon.* a. ℥j. *caryophyll. ir. Fl.* ana ℥ß, *fol. atripl. sativæ, Mercurialis, serpilli, thymi s. J. agerati, orig. pol. mont. melissa, verbasci, beton. viol.* ana m. j *flor. cham. Rom.* mij, *melil.* mß. *rapar. exsicc.* m. j, *sem. lini, fœni. Gr.* ana ℥iij. *anisi unc.* ß. M.

Pediluvium pro somno ciendo in dolore capitis: ♃. *rad. rhod.* ℥. j. *caryophyll. ir. Flor.* ana ʒvj. *fol. salic. vit. endiv. lactuc. solan. nymph.* ana mij. *fl. pap. rh. summit. aneth. serpill. chamom.* R. ana mj. *cort. mandrag.* ℥. j. *cap. papav.* n. v. M.

Quoad *utendi modum*, valet hîc illud vulgatum:

Balnea, Vina, Venus conservant corpora nostra;
Corrumpunt eadem Balnea, Vina, Venus.

Non dicemus hîc de veterum balneandi more, deque partibus ipsius balnei, de quo elegantissimæ duæ epistolæ legi queunt apud *Scalig. patr. ep. 68. & 69.*

In sanis quædam observanda & ægris, quædam utrisque communia.

1. Ratione *temporis*. In genere notandum, balnea minùs locum habere, grassantibus morbis epidemiis, inprimis peste; dum enim poros magis aperiunt, contagioni facilior aditus hinc patet. Sic etiam non conveniunt eo die, quo venæsectio vel purgatio instituta est; ob motum contrarium sanguinis & humorum, vid. *Bauhin. de compos. med. p. 274.*

Quoad tempus speciale verò ineundi, ut antiqui balnea ingrediebantur ante prandium & ante cœnam, & lavandi hora eadem assignata erat, quæ excitationi, ita id ipsum quoque commodè hodienum observatur. Non balneandum est nempe repleto ventriculo, quod chylificationis & balneationis ratio non sit eadem, unaque cum altera non benè conveniat. Hinc commodum balneorum tempus est in genere matutinum, hora nona, vel vesperi hora quarta, ita enim ante cibum dissipabitur calor & corpus sibi restituetur meliùs; pediluvia & capitiluvia noctu commodiùs fiunt, Unde eleganter *Hippocrates l. 3. vict. acut. c. 32.* neque potu ait, neque cibo saturatum lavare æquum est.

2. Ratione *donationis* seu *temporis immanendi*, medium quoque tenendum, quod optimum, à semihorâ v gr. ad horam unam circiter; si enim ut canis è Nilo quis statim exeat, nec mundari corpus æquè, nec alterari poterit; sin diutius protrahatur, sanguis & spiritus nimis rarefieri & fatiscere, corpusq; lassari plus justo potest, id quod in debilibus & ad lipothymiam dispositis observandum.

3. Ratione *regiminis in balneo ipso*, liquor non nimis sit calidus, neque frigidus nimis, sed jucundus contactu, ipse verò balneans in balneo non prævaricetur, quod dici solet in proverbio. hinc in ipso actu cibus & potus omnis, inprimis frigidus, abesse debet; quin nec statim à lotione mensæ accumbendum, edendumque vel bibendum.

4. Ratione *insessus*, non insidendum ultra umbilicum, præcipua enim cura esse debet, ut jam monuimus, ne lædatur ventriculus, evocato ejusdem calore, & tono laxato. Valet id præcipuè in debilioribus, atque hinc quoque nonnunquam commodum est, scuto stomachali roborare ventriculum. Siquid enim aliud, sanè juxta ipsum *Galenum 10. M.M. c. 10.* cruditas ventriculi & vasorum balneum prohibet, unde & absurdum fuerit, in debilitatibus ventriculi, cœliacâ, vomitibus, diarrhœâ, dysenteriâ, balneo abuti.

5. Ratione *continuationis*. ubi alterandum, mundandum vel emolliendum est penitius, repetere balneum juvat, unde in gravidis ultimo mense bis vel ter balneare conducit, in scabiosis item duobus vel tribus diebus continuis, modo ne quid nimis, sed ut proportio inter remedium, & ægrum corpus, cui applicandum id est, probè observetur.

6. Ratione *regiminis post balneum*, in genere non subitò ex calido in frigidum locum concedendum, omnis enim subita mutatio, ab uno contrario in alterum, est periculosa, pori enim magis hiant & aperti sunt calore & tepore balnei, hinc occlusis derepente iisdem, facilè febris vel alia mala succedere queunt. Hinc est quoque, quod è balneo in aërem prodeuntes horreant, ob anomalum appulsum aëris in ipsos corporis poros. Excipiuntur tamen à quibusdam hoc loco hectici, cum enim in his pori nimis hient, & difflatur etiam utilis corpori magis humor, consultum est, è balneo gradatim in aliud descendere, ex tepido in moderatè frigidiusculum, ut ad peripheriam allectum quod est, ibi firmetur.

Deinde etiam unguenta & linimenta post balneum commode adhibentur, v. g. in scabiosis, ubi solemus ante balneum propinare sudoriferum, post ipsum verò unguentum contra scabiem ordinare, pro meliori abstersione & mundificatione. In hecticis, phthisicis & tabidis dorsum oleis refrigerantibus, seu poros potiùs tegentibus & occludentibus nimis patulos, inungi præcipimus, quod & extra balneum locum habet. In gravidis & interiùs confortans aliquod, pulverem vel potiunculam licet exhibere, & exterius linimentum emolliens, ut intentioni nostræ magis satisfiat.

Quoad *Usum* denique balneorum *in genere*, affectibus externis proximiùs, internis remotè & mediatè, at satis tamen efficaciter, medentur. *In specie* verò

Balnea 1. *non adstringunt*. Leguntur quidem hinc inde balnea adstrictoria præcepta, sed vix fidum ab iis auxilium

auxilium ſperandum eſt; diſtingui tamen poteſt inter ipſos poros & fluxiones, ſeu inter adſtrictionem pororum & fluxionum: illos reſpectivè quidem obſtruere poſſunt, licet itidem non abſolutè, unde in pediluvijs pro fœtore pedum adſtringentia utiliter recipiuntur, ut roborentur partes, & digerantur putidæ excrementitiæ fuligines; has verò minùs, unde in menſium immodico fluxu non ſolemus facilè balneorum auxilium implorare, quantum enim dant, tantum demunt, id quod ipſum quoque valet de fluore albo.

2. *Non conveniunt aquè febribus.* Legitur quidem hinc inde apud veteres balneum commendatum in febribus, balneum ſcilicet aquæ dulcis, verùm id hodiè planè exolevit, unde etiam rectè *Galenus l.c.* inter contraindicantia balneorum refert horrorem. *Duo* nempe in febribus hodiè ſunt obſoleta: *potus aquæ frigidæ*, & *balnea.* Neque in alijs acutis locum habent balnea, quia facilè nocere poſſunt, unde pediluvia immerſiva quoque pro ſomno ciendo in malignis malè ut plurimum cedere conſueverunt; rarefacto inde magis ſanguine & ad cor delato, unde malignitati facilis eſt victoria.

3. *Non ſero magis aucto vel moto*, tum in ſtatu ſecundùm naturam ex parte, tum in præternaturali, tum quoad totum, tum quoad certas partes. Hinc cacochymicis & plethoricis minus benè cedere ſolent, unde in cach xiâ, hydrope, ut & tuſſi, coryzâ, catarrhis ad pectus depluis, nocent; imò viſi ſunt, qui coryzâ laborantes balneum ingreſſi odorem vel auditum perdiderunt: non in inflammationibus partium, in eryſipelate. Neque obſtat, *Helmontium in catarrhi deliram.* §. 61. *pag.* 360. aſſerere contrarium, deſtillationibus nimirum ejuſmodi balnea non rarò convenire. Quin nec podagricis æquè conveniunt ipſis, obſervavimus enim inde tumefactas magis partes invitaſſe humorum affluxum majorem.

Balneorum verò uſus eximius eſt, & non unus.

1. Enim *tranſpirationem promovent & ſudorem*, non ſolùm Laconica illa, verùm & alia propriè dicta, calida, idque tum quoad totum, unde conſultum eſt, propinare ante balnei ingreſſum pulveres diaphoreticos & alia ſimilia, ut ab impellente juxtim interno & externo ſudor promoveatur, tum quoad partem, hinc diſcutiunt tumores, evocando per fotum balnei vaporoſi ſudorem, ſive ſimplici decocto herbarum promoti, ſive injectione ſilicum vel chalybis ignitorum, quod in tumoribus ſcorbuticis, & atrophiâ ipsâ quoque locum habet.

2. *Humectant, ſeu ſerum reſtituunt*; unde aridis, ſqualidis, ſtrigoſis, tabidis, quàm maximè conveniunt balnea aquæ dulcis, hinc melancholicis, à totius præſertim corporis habitu talibus, eadem quàm maximè conveniunt, qualia exempla apud ipſum *Galenum* aliosque & toto die apud Practicos occurrunt; imò ob eandem rationem in particulari capitiluvia quoque eximia ſunt; quem in finem non ſemel utiliter juſſimus decocto ſolius lactucæ foliorum caput ipſis lavare, ita enim ariditâ illâ & ſero reſtauratis vigiliæ corriguntur, & phantaſmata fiunt mitiora.

3. *Laxant, emolliunt, paregorica ſunt*; hinc ad auferendos callos, ſeu duritiem membranarum & cutis quàm maximè faciunt pediluvia; hinc ſtrategema eſt egregium practicorum, ut ad facilitandum partum tribus vel quatuor ſeptimanis circiter, ante eum, vel ultimo menſe geſtationis, balnea ſeu inſeſſus, (promiſcuè enim ea ſic vocamus,) ex plantis emollientibus & roborantibus præſcribantur; hinc in doloribus colicis & nephriticis, in alvi item obſtructionibus utroque nomine proficua ſunt, & dolores laxando, & vias demulcendo, unde utiliſſimè his balnea præſcribimus; hinc quoque ad partes contractas reſtituendas non minimum conferunt balnea & fotus.

4. *Mundificant & ſordes ſtrigoſas à ſudore, pulvere & excrementis maſſæ ſanguineæ ad peripheriam latis abſtergunt, eluunt & nitidam pellem præſtant.* Hinc in ſcabie, inprimis ſiccâ, leprâ, fœtore alarum, inguinis, pedum, abigendis, alijſque impuritatibus corrigendis non minimum habent locum, caputque à ſquamis liberant, totum corpus levius ſeipſo reddunt & pulcrius, unde ad coſmeticam quoque inprimis ſpectant.

5. *Roborant*, ſeu, roborandi quoque fine non rarò præſcribuntur, unde huc pertinet lixivium ſapientiæ Mynſichti, ſeu balnea pro confortandâ memoriâ; notato tamen, ne quid nimis, hæc enim in ſicco habitat, & exceſſu humoris obtunditur. Hinc in paralyſi laudatiſſima eadem deprehendimus, præſertim ſubjunctis roborantibus nervinis, & inter hæc formicis unà cum nido & ovis, nec non paulò viſcoſis, qualis eſt radix ſymphyti.

Tacemus denique vires ſpeciales alias, ut balnea ſeu capitiluvia ad pediculos necandos, & ſimilia derminata alia, *Wedelius.*

Utimur balneo ex aqua dulci, frigidâ ad totius refrigerium & inducendam cutis laxioris conſtipationem, tepidâ ad gracilia ſiccáque corpora humectanda, vaſa laxanda, humores ad cutem evocandos, ſomnum conciliandum, in hectica laborantibus, aut longo itinere fatigatis.

Ex aqua marina ad humores exiſtentes in habitu corporis abſumendos, cutem firmandam, & roborandos artus.

Ex oleo, vel oleo & aqua ad mitigandos dolores colicos & nephriticos citra inflammationem, ad cutem laxandam, & totum corpus emolliendum, præſertim in convulſionibus.

Ex lacte ad efficaciter humectandum ſqualidum corpus.

Utimur aliquando pro balneo vinaceis adhuc vino calentibus, ad humores in habitu corporis, & artubus exiſtentes liquandos & reſolvendos, externáſque partes excrementis liberas novâ firmitate roborandas.

Thermales aquæ competunt pro balneo in morbis frigidis, quæ pro varia metallorum, aliorumque foſſilium mixturâ ſuccos diverſos, ſales & ſpiritus obtinent varijs affectibus utiles.

Balneum compoſitum fit ex decocto radic. herbar. ſemin. flor. vel etiam foſſilium, quibus thermalium aquarum vires proximè imitari intendimus.

Radices, ac ſemina præſcribuntur libris & uncijs, herbæ faſciculis, flores manipulis, foſſilia libris & uncijs.

Tempus ingrediendi balneum eſt manè & veſperè, vel manè ſolùm aut veſperè ante cibum, non vigente frigore, aut æſtu nimio: perfectâ coctione, alvi, & veſicæ excrementis priùs excluſis: tepidum fit balneum in ingreſſu, ne calore nimis accendat, aut frigore rigorem excitet, aut poros occludat & obſtruat.

Mora in balneo eſt per horam, plus minùs pro viribus, & tolerantiâ corporis: poſt balneum linteis blandè exſiccatum corpus quieti tradendum. Ante ingreſſum balnei, vel etiam in primo ingreſſu, aut ſaltem poſt ſemi horam ab egreſſu, prodeſt gracilibus & debilibus aſſumere juſculum refrigerans, lac, aut ſerum lactis, aut hordei cremorem. Balneum enim nocet famelico; continuari debet per triduum, ſi bis in die; per ſex aut octo dies, ſi ſemel ſumatur: quæ omnes cautiones adhibendæ ſunt, in uſu tam ſim-

simplicis quàm compositi balnei. Aliquandò in ingressu balnei exhibetur ptisana laxans, aut aliud medicamentum purgans, præsertim in morbis melanlancholicis, hypochondriacis, hystericis, calidis gracilibúsque corporibus. Seu ad præcautionem, seu ad curationem præscribatur balneum, semper præmittenda sunt universalia, quæ sufficiant ad tollendas obstructiones, infarctus, duritias, & tumores viscerum; ne fusi calore balnei humores, aut fluxiles redditi, aut intrò frigore repulsi in partes debiles aut malè affectas decumbant.

Usus est

Primò, Ad refrigerandum & humectandum in calidis visceribus, renum ardore, dysuria, febre hecticâ.

♃. Fol. viol. lact. mal. cich. utriusque bugloss. an. fasc. I. *amygd. dulc. contus. & in sacculo inclus.* ℔ß. *flor. viol. nymph. an. M. i. Fiat decoct. in aqua fontis, vel fluviali pro balneo, quod ingrediatur tepidè, manè horâ vij. vesperè horâ vj. & continuet per triduum, plùs minùs pro exigentia.*

Æger egressus è balneo inungatur linimento refrigerante parti affectæ, & morbo appropriato.

Secundò, Ad paralyticum corpus exsiccandum, si balneum desit naturale.

♃. Salis comm. ℔*.ij. sulphur. & alum. an.* ℔*.i. folior. puleg. salv. chamæp hyss. rorism. an. fascic. j. flor. stœchad. anth. salv. an. M. ij. Fiat decoct. in aqua, addendo sub finem vini rubri* ℔*.iij. pro balneo, &c.*

Semibalneum.

Semibalneum, semicupium, & incessus idem sonant, estque dimidium balneum, in quo usque ad os ventriculi, & media femora æger proluitur.

Quia minor liquoris quantitas ad incessum necessaria est quàm ad balneum integrum, ita minor copia sumitur eorum, quæ incoquuntur, cùm semibalneum simplex non est, sed compositum.

Usus est

Primò, Ad temperandum calorem & siccitatem viscerum.

♃. Fol. cich. bugl. utriusque cum rad. lact fumar. an. M. iv. amygd. dulc. contus. ℔*. ß. florum nymph. rosar. an. M. ij. Fiat decoct. in aqua fontis, addendo aceti ros.* ℔*. ß. pro semicupio, quod ingrediatur, &c.*

Secundò, Ad dolorem nephriticum & colicum, urinæ suppressionem, &c.

♃. Rad. alth. lilior. an. lib. ß. fol. malvæ, pariet. violar. betulæ, & raph. an. M. iij. semin. lini, petros. fœnic. an. ℥. ij. Coquantur in aquâ fontis pro semibalneo; addi potest oleum commune, vel vinum album ad lib. i. ß.

Tertiò, Ad menses movendos.

♃. Fol. utriusque malvæ, pariet. arthemis. valerian. an. M. iij. semin. lini, sesel. an. ℥. iij. sabinæ, & dictam. an. M. iij. florum chamo. summit. hyper. an. M. j. Coque pro semibalneo. Tenke.

Pediluvium in Vigilijs nimijs.

♃. Cortic. rad. Mandragor. hyosciam. ana ℥. i. Herb. lactuc. solan. aneth. ana ℥ß. cap. papav. alb. cum semin. n. XI. *Flor. nymph. camomil. rosar. ana m j. Coq. in s. q. aq. pro pediluvio quod vesperi ante ingressum lecti veniat in usum.*

Aliud ad confortandos pedes post arthrit. Mollenbr.

♃. Herb. rorism. serpill. salv. ana m. ij. chamedr. chamæpith. beton. beccabung. Flor. chamom. m. j. Baccar. juniper. m. ij. sal. comm. m. j. Incisa coq. in aq. comm. potest etiam addi aliquid fæcum vini & acervi formic.

Semicupium in Tenesmo.

♃. Flor. verbasc. malv. ana m. I. *Fol. querc. m.* III. *Sem. lini, fœnigr. ana m.* I. *Coq. in s. q. aq. Fabror. & excipiatur vapor per sellam perforatam. Potest etiam decoctum applicari cum linteis.*

In dolore Hæmorrhoidum.

Potest fieri ex herb. linariæ, florib. verbasci & rad. scrophular. vel potest inde fieri sacculus parti affectæ applicandus.

Balneum in Paralysi, stupore membrorum & contracturis.

♃. Herb. salv. rorism. majoran. primul. ver. chamædr. chamæp. ana m. II. *Fol. lauri m.* I. *Bacc. juniper. lib. ß. lauri ℥.* II. *Flor. lavend. salv. primul. ver. ana p.* III. *Rad. enul. pyrethr. ana ℥.* IV. *F. B. Possunt etiam addi nitr. sulph. vivum, & aliquid de alum. In affectibus nervorum possunt addi lumbrici in vino loti & exiccati, vel & cinis juniperi qui singulariter prodest.*

Post balneum corpus debet abstergi & inungi cum unguento nervino, vel etiam cum spiritu lumbricorum. In stupore cum spiritu formicarum & lumbricor. invicem mixtis, vel possunt species indi sacculis & corpus fricari.

Balneum in Arthritide.

♃. Scob. lign. juniper. m. III. *guajac. lib.* I. *Herb. chamædr. chamæpit. ana m.* III. *Fol. laur. m.* I. *Bacc. juniper. lib.* I. *sulphur. lib.* I. *alum. ℥.* III. *Incisa D. Post balneum instituatur inunctio cum spir. lumbr. vel spir. articulari.*

In Scabie.

♃. Herb. fumar. scabios. parietar. ana m. III. *Fol. helen. Herb. saponar. ana m.* II. *Rad. elen. lapathi ana lib. ß. sulphur. viv. lib.* I. *Incisa D. Ante ingressum usurpantur sudorifera, ut essent. fumar. lignorum. Vel etiam antimoniata. Post balneum fiat inunctio cum unguento enulato, vel aliis unguentis compositis.*

Balneum ad Partum facilitandum.

♃. Herb. malv. alth. artemis. meliss. Flor. chamom. ana Miij. *Melilot. Malvæ ana* Mj. *Sem. lini fœnugræci ana ℥iij. Rad. alth. ℥iv.*

D. ad Chartam.

S. Species *pro Balneo.*

Post balneum potest fieri inunctio, cum unguento meô, quod præparatur ex mucilag. lini, fœnugr. alth. & ☍ amygd. dulc. ut & ☍ lil. albor.

Balneum in Ictero.

♃. Herb. sapon. pariet. ana Miij. *marrubij m. ij. Rad. bryoniæ lib. ß. Sigill. Salomonis ℥iv. Pulv. fabarum phaseol. ana ℥iv.*

Incis. D. S. Species *pro Balneo.*

Balneum contra sterilitatem.

♃. Herb. Mercurialis, artemis. puleg. matric. salviæ ana Mij. *rorismar. Florum chamom. melissæ ana* Mj. *lavend. mß. Bacc. junip. lib. j.*

D. S. Species *pro Balneo.*

Usurpatur statim post fluxum mensium bis in die. Post balneum in lectum se conferat, & quiescat per horam, sed abstineat à vinô.

Balneum seu potius Pediluvium in Agrypniâ.

♃. Fol. vitis, salicis ana M. IV. *Summit. anethi. flor. chamom. ana* Mj. *Fol. Nymph. flor. ros. rub. ana* Mj. *Cap. pav. alb. N. vj.* M.

Addi etiam possunt spong. cynosb. Pedes non debent abstergi, sed linteis involvi.

In Tumore Pedum.

℞. *Fol. ebuli, sambuci, filicis, Cucum. asinin. ana* Miij. *Flor. chamom.* Mij. *sambuci m.j.* 🜄 *crudi lib.* ß. *alum* ℥ij.

Balneum ex Vinaceis in Doloribus arthritidis.

Prodest valdè, ut ex formicis, si nervorum confortatione opus.

Pediluvium in fœtore pedum.

℞. *Fol. quercus Miij. Herb. origan. man.ij. Rof. rub. M.j. O.* ℥*ij. M.*

In Arthritide Scorbuticâ convenit balneum ex formicis & folijs pini; post balneum fiat inunctio ☍ lumbricorum.

Balneum ad menses.

℞. *Herb. Mercur. artemis. rubr. nepet. puleg. ana M.iij. Flor. chamom. m.j. lil. alb. cheiri ana m.ij. Rad. rub. tinct. levistici ana* ℥*iij. Bacc. lauri* ℥*ij.*

Potest etiam addi Man. j. herbæ Sabinæ, nisi metus impregnationis adest. Usurpari debet ante tempus mensium per 3. dies 4. vel plures.

NB. *Insessio* debet fieri usque ad umbilicum: Commodissimè ingredientia induntur sacculo; qui pubi applicetur. *Inunctio post balneum* fiat cum ☍ lil. & cheiri.

Balneum in Calculo.

℞. *Herb. saxifrag. fragar. parietar. fumar. anethi ana m.iij. Flor. chamom. m.ij. malv. m.j. Summit anethi m.ij. Rad. alth. ononid. ana* ℥*iv. Sem. lini fœnugr. ana unc. iij. Bacc. junip. lib. j. M.*

Si *adsit* ▣ *suppressio*, addi possunt Flor. genistæ & calcatrippæ: Inunctio post balneum fiat cum unguentô de althæâ & ☍ Scorpion. simplici.

Post Podagram ad roborandos Pedes.

℞. *Herb. arthemis. m. iij. origani, hyper. chamæp. Flor. chamom. absinth. ana m.j.* ⊖ *com. m. j.* Coq. in f.q. aquæ pro Balneô seu Pediluviô.

Ad Capillorum defluvium I. D. H.

℞. *Allij, caparum ana unc. iv. myrobal. chebul. citrin. ana* ʒ*iij. Tartar.* ʒ*vj. adianthi aurei capill* ♀ *ana m.j. vitell. ovor. N.iv. Liquirit.* ʒ*iij. Gummi Arab. unc.* ß. *Tragacanth.* ʒ*ij. Panis unc. i. Mellis unc. xii. cum* 🜄 *rosarum & lacte q. s.* F. Destillatio ex ∴.

Embrocatio in Affectibus soporosis.

℞. *Herb. serpent. rutæ, beton. rorismarini ana m*ß. *Flores eorum, lavend. ana p. iij. Infunde in f. q. lixivij. Col.* ℞. *lib. j. aq. cephalic. ad extra unc.* 1ß. *S. Aqua ad fomentandum caput.*

℞. *Fol. beton. laur. majoran serpill. ana m.* I. *Flor. lavend. p.* III. *stœchad. Arab. p.* II. *aneth p.* I. *sulphur. lib.* I. *Affunde, f. q. vini, stent in infusione in loco calido per diem, Manè filtra & adde unc.* I. *aq. cephalic. ad extra. Utatur ut supra.* J. Michaelis.

BALSAMÆLEON, vid. *Balsamum.*

BALSAMATIO.

Balsamatio Græcè σμυρνισμὸς, sumitur in specie pro conditura Cadaverum: de qua cùm elegantem admodùm Tractatum conscripserit Clariss. Clauderus, non ægre feret Lector si illum integrum pro istius materiæ explicatione jam adferamus; superadjectis etiam alijs quibusdam non minus curiosis, tum è Clariss. Blancardo, Rev. Celeberrimo Rhuyschio, tum ex alijs. Veniat itaque primò,

Gabrielis Clauderi D. M. Methodus Balsamandi Corpora Humana, aliaque Majora, sine evisceratione & Sectione hucusque solita, &c.

Occasio Scribendi.

Cum amico diversos aliquando miscebam discursus, ac inter alia negotij Balsamatorij incidebat mentio; ubi in memoriam mihi revocabam quæ anno 1660. *Roterodami* apud *Dn. Ludov. de Bils* cadavera mumisata videram; item, quæ Nobilissimus Dn. D. *Bohnius*, Anatomicus Lipsiensis strenuus, ac Philosophus per ignem indefessus retulerat, quòd scilicet in Anglia & Bataviâ plures viderit ac audiverit huic operi penitiùs dilucidando acriter invigilare; quæ item post meum abhinc abitum in insectis, visceribusque exemtis condiendis præstiterint *Hornius*, *Ruyschius*, *Svvamerdamius*, alijque; quæ non minùs alibi à nonnullis fuerint curiosè tentata; Memoriæ quoque succurrebat Historia *Tulliæ Romanæ* infra describendæ, quæ post 1500. Annos fuit inventa à corruptione libera liquori cuidam innatans.

Alium quoque Medicum in Saxoniâ inferiori fœtum semestrem à putredine servare liberum, liquori cuidam innatantem; Insuper referebat mihi hic Amicus, Amicum sibi monstrasse cucurbitam magnam, (vitri destillatorij capacis speciem illam intelligo) continentem varia insecta, minoresque bestiolas, v. g. viperas, bufones, lacertas, ranas, aves, sciurum, canem item minorem è delicatô illô Bononiensium genere, &c. liquori cuidam albo innatantia, figuramque externam ferè eandem præ se ferentia, qualem solent viventia; eademque hôc in liquore pluribus annis à putredine & corruptione esse futura libera.

Rarâ hâc jucundâque modô relatorum elegantia commotus, obliviscebar quodammodò laboris mei nuper inchoati, Deô quasi nolente, ceu exitus docebat; & postquam attentâ mente volutaveram, per fundamenta chymiatrica, rationesque physicas examinaveram, num curiosissima ista tractatio, partim in majoribus præmissa evisceratione, vel corporis in liquore continuâ reservatione, partim in insectis & minoribus integris atque non dissectis tentata, sese quoque extendi patiatur ad cadavera majorum tam brutorum, quàm ipsorum præcipuè Hominum; ut ita hæc sine concurrente exenteratione ab instante aut propinquâ aliàs Putredine, longioribus annis, & quidem liquoribus condientibus exemta, speciebusque talibus remotis, conservari valeant; insimulque corpora mortua Magnatum similibus condituris destinatâ sine solita hactenus, eaque tædiosa apertione, partium laceratione, viscerumque dispersione tractari possint.

Siquidem plus vice simplici, ut verum fatear, non mediocriter mirabar ac miserebar, quòd jam dicti Proceres Orbis (utpote quorum in gratiam nostrâ ætate præprimis cadaverum conditurae instituuntur,) Suis beatè defunctis plerumque dum vivebant, molliusculè ac delicatè tractatis, post innumeras varietatumque mundanarum calamitates ac turbas, miserabilesque morbosos cruciatûs, mediante morte placidam ad requiem avitaque dormitoria translatis, ultimum vel inter ultimos præcipuum quærant honorem in misella corporis dissectione, viscerumque crudelitatem aliqualem tantum-non præ se ferentibus extractionibus atque distractionibus.

Hinc etiam Papa *Bonifacius* VIII. detestandæ feritatis abusum, morem horribilem, abusus sævitiam, mentes fidelium horrore commoventem, & auditum perturbantem, improbandæ consuetudinis vitium, impiæ pietatis affectum nuncupat, truculenter exente-

exenterare mortuos; Additque, id Divinæ Majestatis conspectui abominabile, Humanæ considerationis obtutibus vehementius abhorrendum esse; citante hæc *And. Gryphio*, Tract. de Mumijs Wratislaviensibus, pag. 82. 83.

Neutiquam tamen modo proposita intellecta velim, quasi improbarem laudabilem illam nonnullarum Regionum consuetudinem, dum Familiæ præcipuæ & divites, pro causa morbifica, & mortis accuratiùs inquirenda, demortuos suos submittunt cultro anatomico, summa tamen modestia officium suum facienti, ut sic cultus debiti devotionem, turbatosque animi condolentis sensûs per hunc obitum ac triste divortium excitatos eò clariùs testarentur; ac perciperent, quænam fuerit genuina ac primaria causa, quòd defunctus consortio eorum tam amicabili fuerit ereptus.

Per placidam enim illam corporis apertionem tantum abest, ut viscera partesque contentæ lacerentur, hinc inde dispergantur, ac seperatim sepeliantur, ceu, ut plurimùm fieri solet in cadaveribus condituræ destinatis, ut potiùs decente in mortuos reverentia ac molliusculè tractentur, honestè omnia juxta situm naturalem reponantur, corpus denuò consuatur, atque ita legitime compositum Matri nostræ communi, Terræ, integrum restituatur.

Dum itaque tales Hæredes per honorificam hanc culturam, corporisque inspectionem immediate satisfaciunt ceremonijs sepulchralibus, vel ad funerationem pertinentibus, mediate simul perficiunt opus non tam bonum, quam optimum, quia per honestam hanc anatomiam status morbosi indagationem, perceptamque inde cognitionem adversæ ac dubiæ aliorum ægrotantium valetudini incomparabile emergit levamen, ac autô contra carum solatium; optandumque esset, quò pluribus in Regionibus similis mortuorum tractatio, ac libertas scrutandi pro difficultatibus causarum morbificarum magis magisque indagandis (utpote à quarum notitiâ vera morbi sanatio potissimùm dependet,) Medicis pro Proximi salute curiosis ac laboriosis concederetur.

Objectiones quædam ventilantur ac sopiuntur.

Ut autem ad Methodum condiendi redeam, dictis hisce meis meditationibus scrupulum statim movebat hoc, quòd (positô quidem, menstrua talia balsamica, ac species medicamentosas alexiterias, ratione qualitatis suæ innatæ ac penetrantis efficaciæ esse sufficientes, ne cruditates mucosæ in Visceribus coctionis, præcipue in Stomachô, Intestinis ac Mesenteriô latentes, ut & Sanguis ipse cum Visceribus reliquisque partibus in putridam corruptionem fermentent;) procul dubiô necessaria pretiosa nimis ac diuturna, difficilisque elaboratio, vix sit permissura, quin illud tam cito, ac in copia obtineri, atque ita ad corpora majora perfectius balsamanda commodè adhiberi possit; corpori enim mortuo, utpote ad putredinem proclivi, matura requiritur unctura balsamica, 24. horas non facilè excedens.

Propterea in cogitationibus meis ulteriùs progrediebar, ventilans, annon è Principijs Physico-chymicis posset extorqueri analogum quoddam quod pretiositate, elaborationisque difficultate ac diuturnitate Processibus alijs, (quorum hæ procul dubiô sunt pedissequæ,) cederet.

Post diversa experimenta frustraneô eventu instituta, multóque labore, fœtore, ac impensis redemta, tandem mihi licuit pertingere ad hancce methodum inferiùs capite sextô describendam.

Non minùs mecum controvertebam mihique opponebam, quòd ab Adolescentiâ vitam meam destinaverim, & adhuc destinem Arti servandorum sanandorumque hominum, ut proinde jam demum nulla mihi res debeat esse cum exosâ morte, atque demortuorum corporibus; Cùm ita malè elocem Talentum meum, & actiones hucusque proximi solatio institutas suffl[…]minem, atque non parvam facerem injuriam *Hygiææ* sacris reverenter habendis, quibus tamdiu litaveram; Vespillonibus ac Libitinarijs me associans.

Accedit, quod à proposito me deterrere debuerit, Augustum Romanorum Imperatorem, *Maximilianum primum* Testamento cavisse, ut corpus suum sine ulla exenteratione à suis terræ statim mandaretur, huic locô aromatum calx viva applicaretur, ut corpus putredini natum, per corrosivam calcis vivæ vim eò citiùs quoque in terram suam reduceretur. Talem condituram suo quoque corpori denegavit *Christianus* IV. Augustus Daniæ Rex, testante magnô *Thoma Bartholino*, Responsione de Experimentis Bilsianis p. 27. Præcipuè cùm huic opinioni aut mandato Cæsareo ac Regio pondus addant ac consentiant ipsæ *Sacræ Literæ*, de Homine pronunciantes, quòd sit Terra, ac in Terram revertatur, Genes. 3. v. 19. Nosque cum *Jobo* exclamare cogamur è cap. 17. v. 14. Putredinem voco meum Patrem, & vermes meam Matrem & meam Sororem. Ut propterea Labor hic meus audaculam redoleat temeritatem, ac *Scripturæ Sacræ* quasi contradicere videatur; dum marcescere ac iterum putrescere singula Humani Generis individua jubeat horrenda Divinæ pœnæ severitas.

Verum enimverò à nemine mihi methodum condiendi cadavera humana, præprimis tam honestam ac modestam describenti injuriosum infamiæ stigma inuri meritò posse, evincent, spero, *rationes Theologico-Medico-Politicæ sequentes*:

Theologicas quod concernit, cùm I. Conscientia propria cuilibet quotidiè aurem vellicet, ut discat mori, ac unusquisque quotidiè moriatur, antequam moritur, ut sic non moriatur, quando moritur; Vitaque Humana juxta *Senecam* nihil aliud sit, quam iter ad mortem, non video, quomodo tractatio mumisationis, ac similium obitum nostrum omnibus communem vel antecedentium vel consequentium haberi vel esse possit inhumana, aut Medico Christiano indigna.

Deinde II. Balsamicæ operam navantes condituræ, nobis tanquam in aliquô speculô ob oculos ponimus præludium ac argumentum Resurrectionis corporum nostrorum, imò Symbolum futuræ integritatis, ac testimonium Fidei nostræ de speratâ ac speranda olim incorruptibilitate, perennanteque Nostra Æternitate, qualem nobis Amicis suis fraterrimis *Salvator* in sacris Paginis abundè promittit. Ut è centum testimonijs unicum saltem adducam, nimirum ponderosa religiosi *Jobi* verba, extantia cap. 19. v. 25. 26. *Scio, quòd meus Redemptor vivat, & in novissimô die de Terra sum resurrecturus; Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum; Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.*

Si igitur sanctissimus *Jobus* solatium sibi resurrectionis promittit in corporis sui putridi ulcerosâ carne, & cute scabiosa, cur non similem quoque renovationis Typum Nobis sistemus in corpore Anima sua, utpote illius conservatrice, ad tempus quidem privatô, tamen per balsamationem tam longis annis durabili redditô?

III. Proinde nequaquam quoque dedecet Medicum de Mumisatione esse sollicitum, & curiosum, cum tractet corpus Humanum, nobilissimum illud Animæ immortalis domicilium, quippe quod solum futura resurrectione dignaturus est Deus O. M.

IV. Di-

IV. Dictum huncce, Resurrectionis scilicet, finem è lumine Naturæ subolfacientes Ethnici quidam sapientes ac devoti, dum de *Campis Elysiis*, de immortalitate Animæ, & similibus plura meditabantur ac loquebantur, impium ac improbum in mortuos suos facinus judicavere, si permitteretur, ut horum Cadavera aut igne comburerentur, aut putredini, vermibusque traderentur; propterea summô studiô invigilaverunt Balsamationibus.

V. Piam hancce Ethnicorum, & præprimis Ægyptiorum sapientiam Judæi didicerunt, & acceperunt à Majoribus suis, teste quà Veteri, quà Novô Testamentô, v. g. Dum *Josephus*, Ægypti Pro-Rex, jussit condire Parentem suum, *Jacobum* Patriarcham, Genes. cap. 50. v. 1. Et *Josephus Arimathiensis*, atque *Nicodemus*, Antecessorum vestigia sequentes, ipsum *Christi* Sosandri corpus Balsamatione honorârunt; (licet pia ac honesta simplicitas heic saltem laudanda, cum hôc labore supersedere potuissent in hoc Corpore mortem tertiô die Majestaticè superante,) Adhæc Christus ipse, mortis candidatus, testatur, sibi non displicere conditurarn corporis sui, dum Discipulos Fœminæ aquam nardinam pretiosam capiti affundenti indignantes severis verbis increpat, juxta sanctissimorum Evangelistarum testimonium dicens: *Quid molesti estis mulieri? Hac enim unguenti effusione me ad sepulturam præparavit.*

VI. Adhæc laudabilis illa consuetudo, ac in Mortuos cultus honestus neutiquam contradicit *Sacræ Scripturæ* Dicto, Genes. 3. v. 19. quasi prædicta illa ob peccatum Adamiticum universalis in Terram conversio, aut reductio infringeretur per dictas corporum Balsamationes; cum hæ multos annos inhibeant putredinem subitò aliàs irruentem; nequaquam verò planè & in æternum eandem præservare aut tollere seu valeant, seu etiam conentur.

VII. Cùm etiam Deus O. M. permittat, ut variæ Creaturæ, v. g. Homines, bruta, vegetabilia, &c. petrescant vi saltem aliquâ lapidificâ, sine ope, operaque Humanâ, utpote qua petrificatione, quamdiu mundus duraturus est, tales à putredine & corruptione quasi sunt immunes, sequitur, eidem quoque non ingratam fore corporum condituram.

II. Causas *Medicas* quod attinet, Hæ non minùs illud, quod causæ jàm adductæ *Theologicæ* de Conditurâ exercendâ probarunt, monent, nimirum (1.) ut sic differatur fœtor cadaverosus, ac putredo corruptibilis, imò potiùs per aromatica odorifera gratam obtineat suaveolentiam domicilium illud pretiosissimæ, ac miraculosæ structuræ, in quô Anima tamdiu habitavit, vel potius dictæ domûs pars fuit plusquam dimidia, atque essentialis; Cùm ob hæreditarium τὸ θεῖον vel *Divinæ Auræ particulam* Nobis mortalibus immortalitatis desiderium sit innatum, ac traducatur. (2.) Improvisò ac subitò aliquando accidit, ut mortuô Rege, Principe, Magnatibus, aut alijs longinquiùs in Patriam suam transportandis, à Medicô petatur, quò in conditurâ parandâ suam conferat operam ac consilium. Ne igitur imperitiæ argui possit Medicus, aut Medicina ipsa, (quam alias, licèt malè, imperfectam conjecturalem, ac mancam suspicantur nonnulli,) opprobriô afficiatur, cognitam habeat, necesse est, condiendi methodum; Et si ipse operi manum non admoveret, quomodo Chirurgi hoc tractent, quibusque medijs ac enchirisibus utendum ad minimum edoceat. Operationem enim hancce balsamatoriam non solùm indoctis Balneatoribus aut inexpertis Barbitonsoribus ob arduam suam difficultatem concredendam esse, fatebitur ille, qui alienis periculis cautus factus est.

Audiamus adcuratè hac de re disserentem *Petrum à Castrô* in Bibliotheca eruditi Medici, p. m. 55. 56. *Balsamationis notitia accurata maximè convenit Medico, ei præsertim, qui apud Principes & Magnates fecerit Medicinam. Nam præcipit Josephus servis suis Medicis, ut aromatibus condirent Patrem suum, Genes. 50. Hoc nobile testimonium impellere potest etiam doctissimos Viros, hâc de Materia scribere, Sebizium, Veslingium, & alios, quos consule.*

III. *Politica* tandem succedit causa, Cedrô digna, nimirum superstitum vivorum in Cognatos Morte ereptos reverentia.

Quemadmodum enim pictoriæ artis ope nobis reservamus, ac imprimimus memoriæ memoriam amicorum morte ad plures missorum, ac ab oblivionis carie vindicamus, horum figuras externas saltem æmulando atque repræsentando; ita quoque majorem honoris cultum iisdem exhibemus, dum de ipsis illorum, quos in vivis honorificô cultu ac amore mactavimus, & magnifecimus, corporibus mortuis non minùs optimè mereri studeamus, à corruptione putrida per tempus liberando; genuinô testimoniô, favorem viventibus exhibitum post mortem non esse mortuum, sed erga mortuos-absentes, veluti vivos-præsentes esse vegetum ac durabilem.

Traditur quid sit Balsamatio.

Quamvis unicus meus sit scopus, Physicô-Medicè saltem proponere Methodum præparandi cadavera Humana, aliáque (si cuidam curioso fortè liberet) majora sine illa hactenus solitâ exenteratione aut sectione: Minimè autem animum induxerim amplis ambagibus excurrere, atque ab alijs dicta exscribere & repetere de conditura, conditorumque statu ac conditione, cùm hæc à diversis Autoribus, quà antiquis, quà recentioribus, jamdum sint descripta, ac Orbi literato communicata. Nihilominus non possum non quædam, ea tamen brevia, de hâc præmittere, Medicisque meditationibus miscere, quò clariora magisque dilucidata Curiosorum oculis & auribus obviam eant Medico-physicè proposita.

Denominationem itaque quod concernit, quamvis in Tractatu varijs nominibus promiscuè sim usurus; placuit tamen in Titulô ponere vocem *Balsamationis*, nullus dubitans, quin Manes Ciceroniani ideò mihi non sint indignaturi; (Barbariem enim aliqualem hæc vox olet,) dum heic non tàm Philologicè, quam Medicè sit loquendum; vox autem hæc à *Balsamare*, hoc à *Balsamô* ortum ducat, quod essentiam rei nostræ penitiùs declarat; species enim medicamentosæ corpora à putredine præservantes virtute balsamicâ peculiari sunt dotatæ.

Adhæc vocabulum balsamare non modò in vernaculâ Germanorum Linguâ; sed Latinitate quoque non paucis receptum est; insuperque Terminis Artis Nostræ, vel technicis, quos vocant, quodammodò est adscribendum. Ab alijs dicitur *conditura*; *à* condire, vel *mumisatio*, *à* mumisare, quod *à Mumiâ* Veterum, propter analogiam; vel *Unctura feralis*, vel *Medicatio cadaverum aromatica*; Antiquiorum nonnulli vocitabant *Pollincturam*, illumque qui opus perficiebat Pollinctorem, *à* verbô pollingere vel pollincire, quod est poliendo ungere; vel pellem ungere; de specialiori tamen hujus vocis significatione controvertentes consulantur Philologi. Corpora ab Ægyptijs, Persis, Arabibusque olim condita communi voce audiunt Mumiæ, quæ Arabicæ Linguæ natales debet. *Ioh. de Mey*, Physiolog. Sacrâ, Loc. 30. Super Genesin. p. m. 83. eadem vocari *Caromomia refert.*

Definitionem pono talem. *Balsamatio, vel conditura est operatio artificiosa, qua corpus Humanum à perito Medico per balsamicas rerum medicamentosarum qualitates, vel cum, vel sine exenteratione & dissectione ita præparatur, ut plures annos integrum duret,*

&

& à putredine aut corruptione liberum conservari possit.

Dicitur heic (1.) *Operatio artificiosa.* Appellationem hancce non esse injustam vel supervacaneam, fatebuntur singuli, qui ejusdem administrationi manum tam peritam & sedulam exposcenti interfuerunt. Quanta vero dexteritate, quantis cautelis, quantâ item experientiâ hæc sit tractanda, adhuc clariùs patescit ex effectu contrario, dum scilicet Medicus aut Chirurgus enchirisium consuetarum necessariarum ignarus, vel alius quidã methodô novâ, nec sufficienter usu probatâ, licet curiosè & laboriosè satis, eandem aggreditur.

Dicitur (2.) *qua Corpus Humanum* &c. Denominatione sumtâ à potiori, cùm circa hoc primariò, & præcipuè Medicus versetur, hujusque gratiâ ut plurimùm similes medicationes balsamicas instituat. Quamvis quidem ita planè excludi non debeant corpora Brutorum. Quemadmodum enim Philiatri, Medicique juniores sæpissimè cultrum anatomicum exercent in aperiendis & dissecandis alijs præter Hominem Animalibus, ut per laboriosas hasce inquisitiones sæpè repetitas Humanæ valetudini eò meliùs consulant: ita quoque condiendi actio similiter in Brutis poterit aliquando tentari, tam pro comparandô agiliore in perficiendis condituris habitu, quam pro depingendo, laudabilis devotionis gratiâ, desideratissimæ Resurrectionis mysteriô; & hoc quidem ob cadaverum Humanorum, præprimis in nostris Regionibus, obtinendorum raritatem ac difficultatem: Siquidem & ipse ego peculiarem hunc meum mumisandi modum in similibus saltem, ijs tamen varijs ob dictum cadaverum humanorum defectum vel raritatem, aggredi fui coactus.

(3.) Dicitur, à *Medico perito.* Ex diversis quidem constat Historicis, Veteres Græcos, Romanos, imò Ægyptios aliquando cadaverum unctiones perfici curasse partim per mulieres; partim per viros plebejos, aut ministros. Hoc tamen potissimùm intelligendum esse de unctionibus vilioribus & superficiarijs, res ipsa loquitur. Cùm illis temporibus, præcipuè apud Ægyptios, Mortui tantum non omnes ungebantur, vel ad minimum quodammodò balsamicè præparabantur. Accedit, quòd ex ijsdem patescat Scriptoribus, multos, & imprimis Magnates, atque eos, qui pretiosas, genuinasque aromaticas Balsamationes desiderabant, Medicorum conditurae sua cadavera credidisse.

Quicquid a. horum sit, illud neutiquam Nos, Nostramque ferit ætatem, cùm opus de Magistri sui dexteritate ac qualitatibus testari debeat, juxta verba *Syracidis* c. 9. v. 21. & tales conditurae, quales in Magnatum saltem corporibus hodiè fieri videmus omninò requirant Mentem in re Medicâ benè exercitatam, dextramque adcuratè anatomisantem; nisi ejusmodi operatores ob effectum promissis non respondentem, subsannationum ac opprobriorum stigmata sibi ipsis inurere velint.

Neque attendenda est ista objectio, quasi operatio balsamatoria contrarietur honori ac autoritati Medicorum, quippe quos deceat, solatium vivis in adversâ valetudine adferre; neutiquam verò circa mortuos versari; ideòque etiam Medicina pomposô ac magnificô titulo, quod nimirum sit *Ars servandorum Hominum*, insigniretur. Cùm enim Nostrô seculô Pollincturae saltim destinentur *Dij terrestres*, hoc est, Imperatores, Reges, Duces, alijque Orbis proceres, quos viventes submissè coluimus & honoravimus, non immeritò solenni dexteritate ac genuinâ sedulitate opus erit tentandum. Et cum dictæ conditurae ratione materiæ non possint absolvi, nisi mediantibus rebus medicamentosis ijsdem, nimirum balsamicis, ac putredinem cohibentibus, quas viventibus, diversas tamen ob causas adhibere solemus, non video, quisnam alius huic rei curandæ aptus sit, ac peritus Medicus; Quemadmodum nemo elegans poculum vel annulum ex auro poterit conficere, nisi aurifaber; nemo diversorum colorum materias in concinnam cogere effigiem mediante penicillô, nisi pictor; nemo è truncô fingere ac sculpere artificiosam statuam, quam sculptor; & sic porro.

(4.) Dicitur, *per balsamicas rerum medicamentosarum qualitates.* Dum enim nobilissimus ille Hospes, Anima, domicilium suum, corpus deserit, calor nativus & Spiritus vitales, subitò operari cessant; hinc sequitur totius corruptio ac putredo post paucissimos dies fœtore manifestô sese ostendens, quod & rusticorum pusionibus & infimæ Plebi est notissimum.

Ut itaque putredo adducta præcaveatur, longisque annis differatur, Divina Sapientia inter alias innumeras miraculosas operationes docuit curiosos naturalium indagatores, quomodo ista mediantibus Medicamentis Balsamica virtute ac Sulphureo-volatili penetrabilitate pollentibus sit arcenda. Quænam autem sint ista, caput sextum te erudiet.

(5.) Dicitur, *vel cum, vel sine exenteratione & dissectione.* Tam Veterum seculis, quam hôc nostrô, dum mumisabantur, & adhuc mumisantur corpora, sic ut plurimùm fieri solebat, & adhuc solet, præmissa exenteratione & dissectione; exemtis è supremô, mediô & infimô ventre contentis ac visceribus, imò sanguine è vasis expressô; Partibus durioribus, magisque solidis, utpote aptioribus, huic operi postea solùm destinatis. Tentârunt quidem nonnulli successivè eandem absolvere quoque sine modò notatâ exenteratione & dissectione. Verùm talismodi Antiquorum tentamen superficiaria saltem conditura, & potiùs paucis diebus putredini solùm resistens vocitanda erit Unctio. Inter modernos verò in tali conditurâ, quoad cadavera majora, aliquid memoriâ & laude digni præstitisse nonnullos, orbi literato incognitum est; quantum mihi quidem constat, quam laboriosè etiam inquisiverim; nisi Dn. Lud. de Bils, Belgæ, operationes forte huc quodammodò trahere velis. Sed de hisce, & quæ tenuitatis meæ sint tentamina & specimina iisdem consulantur capita sequentia.

Tandem auditur in Definitione *Causa finalis*, & (6.) dicitur, *Ut corpus plures annos integrum & à corruptione liberum conservetur.* Non modò eruditis, per rationes physicas, sed & illis, qui per solam experientiam veritatem metiuntur, id est, Plebi innotuit certissimè, Mortis pedissequam individuam, & quasi inseparabilem esse putredinem aut corruptionem. Ut igitur Resurrectionis futuræ Symbolum ac Typum ante oculos nobis ponamus, insimulque testemur, quantô cordoliô illi nobis sint erepti, quantúmque desideravissemus ulteriorem eorundem in Mundô præsentiam, excogitata est conditura, quæ cadavera, proximam aliàs vermium escam, per tempus à putredine vindicat.

Ortus & progressus Balsamationis in genere monstratur.

Quemadmodum *felix illa est civitas, quæ Pacis tempore cogitat de Bello*, juxta axioma Politicum, hoc est, quæ splendente Pacis aureæ Sole meditatur suam defensionem contra ferreos novercantis Fati inclementiâ imposterum forsitan ingruentes Belli turbines. Ac veluti, juxta *Augustini* verba, *latet Homines una dies, ut metuantur omnes*, id est, cum nemini certô constet, quando sit comparriturus dies ille novissimus, judicio extremo generali destinatus, vel in specie dies ille, hujus vel illius Hominis Vitæ ultimus ac emortualis; ita optime suæ æternitati, vel Vitæ post mortem naturalem postea in æternum sine

morte

morte ulteriori duraturæ conſulit ille, qui ſingulis diebus, vel ſingulis horis potiùs eandem ſibi ultimam imaginatur, & proinde de obitu beatô, Animæque curâ magis eſt ſollicitus, quàm ut Mundanis vanitatibus, in ſpecie quoque magnificæ ac pompoſæ ſepulturæ, & quæ his analoga, cogitationes applicat; Ut proinde ſecurior, magiſque neceſſaria ſit ſollicitudo, benè ac beatè mori, quàm bene atque ſplendide ſepeliri.

Quamvis autem ambabus manibus concedam, & ipſe quoque ſtatuam, ſapientum, imò potiſſimùm Chriſtianorum omnium omninò eſſe, ut quæratur primò Regnum Cœlorum, fideliſſimô Chriſti mandatô; nihilominùs tamen quilibet, poſtquam propriæ Animæ fuit curator, jure meritò abhorret deteſtandam & beſtialem corporis ſui Animâ, utpote Hoſpite tam gratiſſimô, tam nobiliſſimô, privati tractationem, quam *ſepulturam aſininam*, id eſt, nullam nominat Scriptura Sacra, *Jeremiæ* cap. 22. v. 19. ac magis optat, ut molliuſcule tractentur ſua oſſa ad requiem toties-toties deſideratam tandem perducta. Deteſtabilis enim eſſet incuria, mentiſque laxitas, ſi corpus ſanguinea ipſius Chriſti Purpura tam care redemtū ſine honorificô cultu Terræ redderetur.

Hinc norunt quoque iſti, qui moribundis adſtitere, quod partes illas, è quibus eſſentialiter conſtamus, Animam nimirum & corpus, Majeſtaticus Creator tam amica copulâ univerit, ut non modo Ethnici; ſed & ipſi Chriſtiani, licet hi ob ſpem vitæ melioris ſucceſſuræ, ac generoſô mortis contemtû beatam analyſin diu expetierint & expectârint, (concurrente præprimis decubitu diuturnô, doloroſô, morboſo;) ſæpe-ſæpiùs tamen ægrè ferant, & moleſtum ſentiant inſtans dictarum partium divortium, cùm ſuperanda eſt mors, horribilium illud horribiliſſimum.

Verum, quid dico de miſellis Hominibus, cùm Mors horribilitate ſuâ horrorem incuſſerit ipſi Theanthropo Chriſto, ut perficiens opus à conditô Mundô omnium maximum, opus nimirum Humanæ Reſurrectionis, in hæc erumperet verba apud *S. Matthæum*, cap. 26. v. 39. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*; Cordis anxietate Sanguineum ipſi extorquente ſudorem.

Huc quadrant egregia verba *Heinrici Salmuth*, Commentar. in *Guid. Pancirolli* res memorabiles, Parte priore, Titulo 62. p. 316. inquientis: *Conſentaneum veritati & obſervantiæ, imò indubitatum eſt Sapientibus, quædam Nobis cognata eſſe ſemina immortalitatis; cujus adeò appetentes ſumus, ut etiam ſepulturæ proſpiciamus, & nolimus cadaver noſtrum malè haberi. Humanum ingenium, quod Animæ noſtræ vis eſt, cùm ſe ſciat immortale, optat etiam, ut corpus ipſum, domicilium ſuum, quoad fieri poteſt, eadem fruatur felicitate*, &c.

Hinc ſine ingenti admiratione & animi perturbatione legi neutiquam poſſunt, quæ prolixè pluribus ab Hiſtoricis produntur, quàm magnificis, quàm honeſtis, quàm varijs, quàm miris, imò quàm ſtupendis modis cadaverum, quibus Anima valedixerat, curam geſſerint relicti Cognati, Amici, Subditi; adeò quidem, ut non minùs illæ Gentes, quarum Animos tamen Barbaries & Atheiſmus obſederat, & quæ Carnis Reſurrectionem pro figmentô & ludibriô habent, non intermiſerint hunc vel illum honorem ingenuâ ac devotâ mente ſuis defunctis exhibere. Quamvis nonnulli talium mortuos honorandi modorum (ceu inferiùs pateſcet,) in Chriſtianæ ac ſanioris ſapientiæ Cultorum auribus jure meritò duriuſculè ſonent.

Prolixis Exemplorum ambagibus hîc exſpatiari non mei eſt propoſiti; ſed curioſum avidumque Lectorem potiùs remitto ad Autores latè dilucideque hæc proponentes, *Herodotum*, *Diodorum Siculum*, & alios Antiquitatum Scriptores.

In ſpecie verò eundem ablegatum volo ad *Eraſmum Franciſci*, qui more ſuô, id eſt, adcuratâ dexteritate plurima lectu digna collegit, & propalat in ſpeculô ſuô artium & morum exterorum Populorum, lib. 6. de ſepulturis & honoribus ſepulchralibus, p. 480. ſequ. Non poſſum tamen non, quin ex hiſce quædam paucis verbis tangam; & quidem non adeò ſpeciales proferam modos, quomodo hinc inde Reges, alijque Orbis Proceres à Populis fermè omnibus poſt obitum extraordinaria ſepultura pompa fuerint honorati; ſed potiſſimum in genere, quænam Gentium diverſarum in ſuos defunctos conſueta fuerit reverentia.

Plures ſepeliendi ritûs enarrantur.

Itaque 1. Morem illum noſtratem modernum corpora ſepeliendi, eaque reddendi Terræ, utpote communi Noſtræ Matri, ac cui ortum debemus omnes, non hodiè, aut nudius tertius initium ſumſiſſe; ſed & apud diverſos veteres Populos ſcilicet Ebræos, Græcos, Romanos, ut & quoſdam Peruvianarum & Braſilianarum Provinciarum incolas, alioſque Judos uſitatum fuiſſe, adeò notum eſt, ut teſtimoniorum productio ſit ſupervacanea, licèt ſolemnitates honorificæ apud hos vel illos fuerint modo majores, modo minores.

Audiamus piè & honeſtè de ſepulturâ ſentientem optime meritum I. M. *Dilherrum*, in Diſputat. Philolog. p. m. 9. ſic loquentem: *Quod Chriſtiani ſuorum cadavera non ceu Taxali, Brachmanni & Iberi vulturibus objiciant, aut more Hircanorum canibus* [*quos inde canes ſepulchrales nominabant*] *præbeant deglutienda; ſed honeſtè tumulent, illud in ſpem faciunt, uti è Prudentiô cognoſcimus, futuræ Reſurrectionis, quæ fiducia eſt Chriſtianorum.* Quibus ſubjungam lectu digna verba *Joh. Jac. Chiffletij*, Criſi Hiſtorica de Linteis ſepulchralibus Chriſti, cap. 1. p. m. 1. *Supremus Mortalium honor ſemper Sepultura eſt habitus, pax & quies defunctorum, ſolatium ſuperſtitum atque munus; Quod actum eſt, & perſolutum variò planè ritu; nam ſi ordine Elementa ſpectes, ex more credita ſingulis invenies cadavera.*

Græcos, Romanos, Gallos, Germanos, & pleraſque alias Gentes olim flamma conſumſit. Colchi ad arbores in aëre cadavera ſuſpenderunt. Senibus Hyperboreis ſepulchrum fuit mare, flumina Æthiopibus. Scythis algidioribus nives. Sed antiquiſſimum ſepulturæ genus illud fuit, quod redditum corpus eſt Terræ & ita locatum ac ſitum, ut quaſi operimento matris obduceretur, teſte Tullio. Sanè ab ipſa Natura eſt, ut mortuorum corpora Terræ mandentur. Plura vide apud Autorem.

Joh. de Mey, Phyſiolog. Sacræ Locô 30. ſuper 50. caput Geneſeos, p. m. 84. elegentia refert de Romanorum antiquorum ritu ſepeliendi, & quod cadavera in Terram abſconderint, E *Plinio* autem Lib. 7. cap. 54. refert, Horum cremationem demum initium ſumſiſſe, poſtquam longinquis bellis obruti cognoverant, eadem erui; multas nihilominus Familias, v. g. Corneliam, antiquos ſervaſſe ritûs.

2. Romani, Germani, ac Sinenſes veteres, Deaſtrorum cultui adhuc inhærentes, Mortuos ſuos partim comburebant; Quem mortuos in igne ſepeliendi modum apud plures alias gentes, & adhuc hodiè apud *Iaponenſes*, *Peruvianos*, *Peguvianos*, *Mexicanos*, *Calecutenſes*, *Tartaros*, *Aſiaticos*, *Siamenſes*, ſub *Magni Mogolis* Imperiô degentes, alioſque Indorum aliquando in honore ac uſu haberi, teſtari uberiùs cùm alijs poterit laudatus *Eraſmus Franciſci*, locô ſuperiùs citatô, qui varia è varijs Autoribus,

Petro

Petro Bertio, Chriſtoph. à Coſtâ, Joach. Brulio, Pet. Pinto, Rob. Harcourtio, Guilh. Piſone, Walthero Rhalegio, Laudonniero, Caſp. Barlæo, Joh. Lerio, Martinio, laborioſè collegit.

Jam notatæ autem combuſtioni non ſubjiciebantur ſaltem inferioris conditionis Homines, pauperes, vel hoſtes bello victi; ſed etiam divites, populique Magnates, imo Reges, & quidem non ſine ſumtuoſâ per Ligna aromatica incenſa, per gummata ſuaveolentia inſperſa, per balſama ac olea pretioſa igni infuſa magnificentiâ.

Lubet ſaltem è pluribus adjungere verba *Athan. Kircheri*, in China illuſtrata, Partis ſecundæ, cap.3. f. m. 107. de Imperatore *Sinarum* & *Tartarorum Xanchi*, paucis ab hinc luſtris mortuô hæc referente: *Peractis exequiis, in quibus extructo ex pretioſis lignis rogo, theſauris, qui opulentiſſimi cujuſpiam Regni divitiis comparari poterant, unà cum cadavere Regio combuſtis, magnificentiæ & granditati Imperatoriæ finem impoſuerunt.*

3. Dictæ corporum combuſtioni, tanquam analogas, ſubjungimus incenſiones ſpecierum aromaticarum ac ſuffumigia Gummatum ſuaveolentium, quibus Regum ac Procerum ſepulturas honorare conſueverant aliquando *Ebræi*. Sic lib. 1. *Samuel.* cap. 31. v. 12. legere eſt *Jabitas* è *Gilead* cadavera *Sauli* & Filiorum murô detracta & ſepultur's deſtinata ſimilibus fumis pretioſis honoraſſe in gratitudinis teſſeram, quòd olim illos ex *Ammonitarum* tyrannide liberaverit. Sic 2. *Chronic.* c. 16. v. 14. *Regem Aſſam ſepelierunt in hoc ſepulchro, & poſuerunt ſuperlectum ſuum plenum ſuffimentis & unguentis aromaticis, arte Pharmaceutica confectis, & inſtituerunt ſuper eum combuſtionem valdè pompoſam.* Similem honorificam in Sepultura incenſionem fumorum promittit Divina Majeſtas per *Jeremiam* Regi *Zedekiæ*, *Jerem.* cap. 34. v. 5. quod ſecundum conſuetudinem Patribus, Regibus prioribus exhibitam comburantur in ſepultura ejus aromaticæ ſpecies. E contra 2. *Chronic.* cap. 21. verſ. 19. de impiô Rege *Joram* narratur, quod ſubditi eundem ſolita ſuavi incenſione apud ſepulturam non honoraverint.

Sepulturæ & combuſtioni ſimpliciter quaſi inſtitutæ ſubnectimus alios nonnullos modos è pluribus ſaltem ſequentes,

(4.) Quomodo *Perſæ*, ut & *Syri*, *Arabeſque* veteres, mortuos ſuos obduxerint melle aut cerâ, atque ita conditos ſervârint. Capite ſequ. quartô, Sect. 3. ſpecialiùs dilucidabitur.

(5.) Laudatus *Eraſmus Franciſci* locô citatô, fol. 1486. hæc habet: Populus quidam Regni *Guianæ* (*Tivitivæ* vocantur) circa fluvium *Orenoque* habitans, magnô cordolio luget mortuos ſuos præcipuos & ſepelit. Dum ſuſpicatur, carnem cadaveris mediante putredine ab oſſibus eſſe ſeparatam, effodiunt illud denuò, ſceleton ſuſpendunt ejus in domo, cranium decorant plumis diverſicoloribus, brachiiſque ac cruribus annectunt laminas aureas.

(6.) Idem ibidem: Alia Natio Regni *Guianæ* (*Arvvacæ* vocantur) pulveriſat oſſa Dominorum, Dominarum, Cognatorum, &c. Pulverem hunc miſcet potui ordinario, & bibendo ita abſorbet.

(7.) Idem fol. 1488. Quidam *Braſilianorum* mortem Cognatorum inſigni luctu ac fletu dolent, deinde corpus variis coloribus pingunt, poſtea bombyce involvunt, ne à Terra, cui imponitur, ruditer tangatur.

(8.) Idem ibidem fol. 1489. Nonnulli *Braſilianorum*, (quæ *Tuppin Imbæ* audiunt) defunctos immittunt foveæ, non quidem oblongæ, ſed rotundæ ac profundæ, ut ita erectus inibi ſtans locetur.

(9.) Id. ibid. f. 1490. Horum *Tuppim Imbarum* inimici jurati, *Tappuyi* dicti, horrendô modô defunctis ſuis vivum concedunt, & exhibent ſepulchrum; Cùm enim ſpes reconvaleſcentiæ apud ægrotum quendam decollet, communi omnium conſilio illum clavâ occidunt, poſtquam eidem priùs de obitu imitante fuerint gratulati; Siquidem & ipſe mortis candidatus ob finem Vitæ tam generoſum ſecum gaudeat, ac inter medios clavarum ictûs triumphet. Evolante poſtea animâ Clericus cadaver in multas partes diſſecat; quas aniculæ nonnullæ prope ignem aſſant vociferationes lugubres & fletum non exiguum interea miſcentes. Fœminæ devorant carnes, vix relictis ſolidioribus oſſium partibus. Oſſa proximo Feſto reſervata in pulverem comminuunt, ac aquæ miſta deglutiunt. Hæc autem ita peragunt non inimicitiâ, vindictà, aut fame irritati; ſed in peculiare fidelitatis ac Amoris ſignum.

(10.) Idem fol. 149. dum inter *Cannibales* moritur præcipuus quidam, cadaver imponitur currui, admoto igne leniore & remotiore, ut ſic ſucceſſiva aſſatione humiditas extillet omnis ſola cute & oſſibus reſiduis, quæ poſtea ſervantur, tanquam res ſacra.

[11.] Id. ibid. fol. 1502. In Regnô *Tranziane* mortui lavantur, Cor & inteſtina mediantibus lignis aromaticis ſuaveolentibus comburuntur in honorem Deaſtri *Dumæ*. Cineres in ventrem reponuntur, ne in futurâ Reſurrectione aliquid deficiat.

[12.] Id. ibid. fol. 1509. Sæpè accidit apud *Sinenſes*, ut Liberi Parentum mortuorum cadavera tribus vel quatuor annis ſervent domi inſepulta, in τεκμήριον devoti amoris ac cultûs; cùm rimas Loculi tam arctè pice Judaica glutinare nôrint, ut ne minimus quidem moleſtus putredinis ſenſus, nares feriens, exhalare poſſit.

[13.] Id. ibid. f. 1514. in Inſulâ *Formoſâ*, referente *Georgio Candidio*, cadaver ponitur in elevatô quôdam locô, admovetur per dies novem ignis è longinquô, uſquedum cadaver exſiccetur, neglectô interea nimiô ob atomos putridas prodeuntes fœtore. Corpus dicto novendiô exſiccatum, tribus annis ſic ſervatur, poſtea demum Terræ mandatur. (Tali modô inſtitutam cadaveris exſiccationem vix poſſibilem credent Rerum Phyſicarum periti, niſi humiditas corpori forſitan extillet per modum aſſationis, ceu ſuperiùs de *Cannibalibus* dictum.)

[14.] Id. ibid. f. 1516. *Tartari Occidentales* mortuos comburunt; illos maximô jubilô & ſaltationibus acervo adportantes; concomitantibus defuncti Cognatis & Amicis.

[15.] Id ibidem. Alii illos ſuſpendunt ex arboribus trienniô ibidem relinquentes, uſquedum exſiccentur, tunc removentur & comburuntur.

[16.] *Adamus Olearius*, Itinerario Moſcovvitico Perſico lib. 6. cap. 20. fol. m. 744. refert, *Tartaros Cyrcaſſenſes*, licet verè ſint barbari, ac in viliſſimis tuguriolis habitent, nihilominùs ſuos vitâ functos honorare ſolennitatibus exequialibus, & extructo ſuper ſepulchra domô è ligneis aſſeribus variegatè pictis.

[17.] Teſte *Cicerone Hyrcani, Parthi, Caſpii & Bactriani* mortuos ſuos devorandos præbuerunt canibus domi ad id officium educatis, vulturibus item aliiſque Beſtiis. Audiamus ipſa ejuſdem verba Lib. 1. Tuſculan. quæſtion. ad finem: *Magorum mos eſt, non humare ſuorum corpora, niſi à feris anteà ſint laniata. In Hircaniâ Plebs publicos alit canes, optimates domeſticos; nobile autem genus illud ſcimus eſſe, quod pro ſua quiſque Familia parat, à quibus lanietur.*

(18.) *Rhodiginus* li. 9. b. Antiq. Lect. cap. 43. refert, *Magorum* morem fuiſſe, non humare ſuorum cadavera, niſi anteà fuiſſent à feris laniata; vel, uti *Herodotus* Lib. 1. Hiſtoria 1. qui *Clio* inſcribitur, p. m. 94. loquitur, quod horum cadavera non humentur niſi priùs ab alite, vel cane trahantur.

(19.) Sic *Chii* & *Romanorum* veterum quidam defunctorum comburere, oſſa in mortariô contuſa, & in pulverem tenuem per cribrum reſoluta ventorum flatibus diſpergenda exponere ſolebant.

(20.) *Scythæ*, *Maſſagetæ* & *Derbici* ſenio confectos Parentes mactabant, coquebant, & tanquam ad convivium

vium solenne congredientes devorabant.

(21.) *Essedones* Parentum funeribus cantilenis prosecutis, & mox cœtibus Propinquorum advocatis, vescebantur, ipsis cadaveribus carni ovillæ mistis.

(22.) *Plinius* lib. 4. cap. 12. narrat, morem fuisse apud *Hyperboreos* Populos, propè *montes Riphæos* degentes in aquis sepelire funera.

(23.) Sic quidam in *Scythia* olim Parentum cadavera inter nives & glaciem truncis affixa detinebant.

(24.) *Romani* antiqui aliquando virgines, aliosque defunctos præter cæteros honores sepulchrales pingebant quoque in facie. Unde nonnunquam eveniebat, ut Mortui pulchriores apparerent, ac fuerant, dum vivebant.

(25.) Barbarum verè *Scytharum* Reges mortuos honorandi ritum proponit *Herodotus* lib. 4. *Melpomene* dictô, p m. 388. sequ. *Cùm Rex eorum discessit, ingentem scrobem effodiunt forma quadrata. Hanc ubi præparârunt, accipiunt mortuum corpore inceratô, alvo evulsa & expurgata, quam silere contuso, & thymiamate, apiique & anisi semine cùm expleverunt, resuunt rursus, impositumque plaustro cadaver ad aliam gentem fuerunt. Quod qui excipiunt, eadem agunt, quæ regii Scythæ, aurum decidunt, crinem circumtondunt, brachia circumcidunt, frontem, nasumque consauciant, sinistram manum sagittis trajiciunt.*

Postmodùm Regis cadaver carpento ferunt ad aliam gentem, cui imperitant, quæ ipsos comitetur ad eos, unde primùm venerunt. Ubi jam mortuum circumferentes ad singulas Gentes, quibus imperavit, apud eos deponunt, qui in extremis Gerrhis habitant, ubi Regum sunt sepulchra, & sepeliunt, &c. Plura vide apud Autorem.

(26.) *Diogenes Cynicus*, Homo ille præposterus apud *Stobæum*, satis quidem cynicè, id est, inhonestè ac impiè, non adeò ingratam vel turpem æstimavit locô sepulturæ lacerationem cadaveris à canibus, vel devorationem à vulturis factam; si verò nullum planè animal accederet, pulcherrimam sibi fore sepulturam, dixit, si corpus à Sole vel Pluvia, rebus utpote pretiosissimis (fortasse in patibulô, rotâ, &c.) consumeretur.

(27.) Hæreo sanè, an hisce adnumerare debeam verè barbaram, tyrannicam, ac impiam colendi denatos consuetudinem; dum non modò apud nonnullas Veterum; sed etiam adhuc hodiè apud varias Indorum Gentes, moriente maritô simul enecentur, comburantur, & sepeliantur Uxores & pellices, adeo, ut apud Reges, aliosque Magnates sæpè earundem non invitæ quidem, sed voluntariæ morti simul destinatarum numerus centenarium, imò millenarium, & quod excurrit, superet. (Quæcunque autem Uxor aut Pellex vitæ suæ prolongatione hujus mortis generi præponit, communi omnium ignominiæ ac summæ infamiæ sese exponit.)

Hasce insequuntur apud Reges, Regnorumque Proceres cœtu numerosiore ministri secretiores audici, Camerarii, aliique Famuli, ut mortuo eidem in alterâ vita, quorsum cesserat, sint à servitiis. Quibus Ministris voluntariè obeuntibus non raro tamen associantur, pro numerô Famulorum aulicorum augendo, multi captivorum hostium.

In *Japonia* jam dictæ Personæ consueta ibidem trucidationis methodô (dum nimirum ventrem cultrô acutissimô oblongô sibi ipsis dissecant) aliis sese enecandi occasionem subitò præripiunt; ac per autochiriam generosè, ceu ethnice & impie credunt, frequentissime intereunt.

Modò descripta spontanea (ut obiter hæc addam) moriendi genera, scilicet ut moriantur, antequam ægrotent, plane displicent *Europæis* nostris Populis, (vel hi potiùs severis Christianismi Legibus inde prohibentur) veluti jucundum & fere ridiculum, notabile tamen exemplum proponit supra laudatus *Erasmus Francisci*, locô citatô pag. 1484. *Lusitanus* quidam in Præliô à *Peruvianis* capitur, & cuidam è Regni præcipuis occiso destinatur pro sepulchrali sociô ac ministrô. Hic *Lusitanus* per sagittæ violentiam dicto in prælio amiserat oculum infortunio sibi admodùm fortunato. Percipiens enim, quod jamjam sibi magnum pugnæ periculum vix superanti sit moriendum, innatum diutiùs vivendi desiderium, ubi subitaneum, ita argutum suggerebat stratagema: Proponebat enim suis occisoribus, Ducem illum honori ac autoritati suæ in altera vita remoram non exiguam esse injecturum, aliorumque Magnatum sese vilipendio expositurum, si uteretur servitio monoculi; proinde multò honestiùs & commodiùs fore, si sui in vicem substitueretur alius, ambobus instructus oculis, Consilio huic applaudebant simplices isti Ethnici, eoque dimisso alterum binoculum mori simul jubebant, & cum aliis mactabant.

Camerarius, cent. 1. Horar. subcisiv. p. 86. 87. rata profert ex *Ortelio* sequentia; (modò veritatis simplicitas per successivam relationum varietatem non fuerit sophisticata. *Mirum est, quod Ortelius in Theatro Orbis*, Tabul. 10. *de Hyberniâ è Gyraldo notavit, in Artanicis Insulis Hominum cadavera non putrescere, ideoque non humari; sed dio exposita permanere incorrupta. Sic Homines, avos, atavos, tritavos longamque stirpis suæ seriem admiratione magna cognoscere. Idem mos est quibusdam Indis Occidentalibus in Comagra, uti Petrus Martyr refert. Reguli hujus, inquit, penetrale ingressi Hispani, cameram reperiunt pensilibus refertam cadaveribus. Interrogati quid sibi vellet ita superstitio? Parentum esse, avorum, atavorumque Comagri Reguli cadavera, inquiunt; de quibus servandis maximam apud eos curam esse, & pro religione eam pietatem haberi censent. Pro cujusque gradu indumenta cadaveribus imposita sunt auro gemmisque intermixta.*

Soli *Nabathei*, quæ *Arabum* fuit Natio, apud Posteros male audiunt ob inhonestam Mortuorum suorum tractationem. Teste enim *Strabone*, Lib. 16. p. 539. Hominum cadavera abjectiora stercoribus habebant; ideòque non modò Plebeios; sed & Reges ipsos in sterquiliniis sepeliebant.

Curiosæ indagationis gratia subnectam raram Historiam, quam tradit celeberr. *Adamus Olearius*, in Itineris Moscovv. Persici Libro 4. cap. 1. f. m. 335. *Prope primum pagum, inquit fluvius Ocea protrudebat cadaver Humanum nudum, quod, quia forte longo tempore aquæ innataverat, à Sole plane nigrum & exsiccatum conspiciebatur. Credebatur illum à Cosacis, & mancipiis profugis ibi latitantibus fuisse occisum.* Verùm, quod Pace viri clarissimi dixero, non video, quomodo talis exsiccatio mediante Sole facta statui possit, cùm tantum absit, ut aquæ humiditas radiis solaribus exsiccationem permiserit, ut potiùs corruptioni totius corporis fermentatoriæ ansam dederit. Proinde aut accidit, quædam fallacia visus, aut alia latuit causa; quam ulterius indagare non est hujus loci.

Specialiora de Pollinctura Ægyptiorum atque Judæorum exhibentur.

Prælibatis ac præmissis miris hisce amori defunctorum testando modis, pergimus ad ipsam Balsamationem, cujus exercitium quidem in pluribus Mundi partibus ac regionibus fuit receptum, atque ita antiquissimum. Natales autem communi tantum non suffragio debet *Ægypiiis*, tam juxta Scriptores antiquos, *Herodotum*, *Diod. Siculum*, *Dioscoridem*, *Plinium*, *Strabonem*, *Platonem*, *Ciceronem*, *Pompon. Melam*, *Mylepsum*, &c. quam juxta Neotericos, *Athanas. Kircherum*, & plures alios.

Nullam enim Gentem in Historicorum monumentis reperire ullibi licet, quæ majori labore, elegantiâ & accuratiore diligentiâ defunctorum suorum corpora tàm à putrescente interitu præservare, quàm artificiosa cura, ac sumtuosô ornatu sepulchris destinare studuerit ac fuerint *Ægyptii*. Lubet heic inserere verba Megalandri

nostri,

nostri, *Lutheri*, in Tomô Operum nonô, edit. Altenburg. in Explic. Cap. 50. Geneseos, f. m. 1553. inquientis *Cùm Augustinus venisset in Ægyptum, ostenderunt. Et corpus Alexandri Magni & Ptolomæi qui multis annis fuerant in sepulchris reconditi, quod vehementer miratus est, ita servari ea posse, ut extarent adhuc cutis & omnia membra. Propterea patet, pretiosis & efficacibus Ægyptum pollere aromatibus, tàm longo tempore corruptioni resistentibus*:

Hoc autem illis factu, & Nobis creditu est eò facilius, quòd ii, ut in genere rei literariæ culturâ populis omnibus palmam facilè præripuerint, ideóque *Ægyptus* non immeritò veteris sapientiæ sacrarium sit nominandum, ita in specie rerum physicarum, & quæ his sunt affines, studium copiosissimè excoluerint; Quam quidem scientiam eò felicius faciliusque excolere licuit, cùm dicta regio ad hanc præ aliis Terris omnibus fuerit accommodatissima, ob extraordinariam specierum aromaticarum & medicamentosarum ad condituras decenter perficiendas necessariarum feracitatem ac abundantiam.

Quod defunctorum corporibus tàm splendidam conditurâ, exhibuerint reverentiam, magis ardua quoque adhuc subest causa, nimirum, ut ita illis æternitatem quasi aliquam, & à putredine certò aliàs imminente immunitatem conciliarent. Credebant enim Sapientes *Ægyptii*, fundamentis Philosophiæ stoicæ inhærentes, Animam tamdiu vivere & superesse, quamdiu corpus residuum durаret. Sic enim *Servius*, in Schol. ad Libr. 3. Æneid. *Ægyptii periti condita diutius reservant corpora, scilicet, ut Anima multò tempore perduret, & corpori sit obnoxia, ne citò ad aliud transiret.*

Alii putabant, Animas post longissimos annos redire in sua corpora, metempsychosi quadam Pythagoricâ; eas tamen intrare tunc non posse corpora corruptione putrefactâ, aut in cineres redacta, aut aliis modis mutilata, aut deturpata.

Nonnulli *Ægyptiorum* valdè delectabantur cadaveribus Majorum suorum magnô sumtu ita conditis, ideòque multis annis domi servabant. Alii convivas & compotatores quasi faciebant cadavera siccata, teste *Diodoro Siculo, Herodoto, Luciano*. Hinc & *Silius Italicus canit*,

Ægyptia Tellus
Claudit odorato post funus stantia Saxo
Corpora & à mensis exanguem haud separat umbram.

Quidam & hinc Pollincturæ Ægyptiacæ causam addunt; cùm Natio hæc orbis eruditi testimonio, superstitiosæ Idololatriæ fuerit deditissima, inter alias absurdas opiniones, ignem quoque credebant *Deastram* & Belluam animatam, omnia quæcunque obtinere posset, devorantem; tandem verò devorando expletam & saturatam unà cum rebus comestis seipsam consumere & mori. Ideoque sectæ Stoicorum superius notatæ faventes, igni, utpote fictitiæ huic belluæ, cadavera juxta morem pluribus Populis communem, non tradebant; sed potiùs pro securiore interitûs præservatione, & à vermium comestione arcendâ balsamando condiebant. Quâ de re consuli poterunt *Athanas. Kircherus* Oedipi Ægyptiaci Tom. 3. Syntagm. 13. cap. 2. p. m. 392. & *Christophor. Arnoldus*, in selectis additamentis ad *Abraham. Rogeri* apertam Januam ad occultum Ethnicismum cap. 33. p. 909. aliique varii. *Johannes Jacobus Chiffletius*, Crisi Historicâ de Linteis Christi sepulchralibus, cap. 2. f. m. 10. refert, *Cassianum*, Coll. 15. cap. 3. conditurâm *Ægyptiorum* non tam tribuere vanitati & superstitioni, quam necessitati, propter frequentem Nili inundationem; hinc corpora mortuorum in editioribus cellulis recondiderunt.

Consuetudo ac Methodus condiendi cadavera ab *Ægyptiis* ad diversas alias postea traducta est Gentes. Ut à sanctô Dei populô exordiar, *Judæi* illam secum transportabant in Terram Canaan. Sic enim loquuntur sacræ Literæ, Genes. 50. v. 1. 2. Josephus, Ægypti Pro-Rex, mandabat ministris suis, Medicis, ut ungerent Patrem suum, Patriarcham Jacobum, & inungebant eum spatiô, 40. dierum. Ibid. v. 26. legere est, sic moriebatur Josephus, & ejusdem Fratres ipsum ungebant, imponebantque cistæ in Ægypto. Idem testatum eunt sanctissimi Historici & Evangelistæ *Marcus*, cap. 16. v. 1. atque *Johannes*, cap. 19. v. 39. *De Nicodemo & Josepho Arimathiensi*, qui Honorem illum ab innumeris Ecclesiæ membris frustra desideratum, (ut videre licuerit Sosandrum incarnatum;) redhostiebant balsamando corpus Salvatoris Mundi sepulturæ destinatum, qui nos inæstimabili sanguinis sui pretiosissimi Balsamô ab æternâ corruptione & putredine præservavit.

Idem ultimi honoris officium Salvatori exhibere intendebant piissimæ Maria Magdalena, Maria Jacobi & Salome, dum aromata emerant, ut venientes ungerent eum, juxta Marcum cap. 16. v. 1. & *Lucam* cap. 13. vers. ultimo. Modus autem pollingendi *Ebræorum* ab *Ægyptiaco* valde differt; siquidem horum conditura 30. 40. imò aliquando 70. diebus demum, & quidem rebus balsamantibus cavitati corporis immissis, exemtisque visceribus ac partibus interiùs hærentibus perficiebatur; insuper quotidiè nova aromata, modò hæc, modo illa certis ritibus adhibendo, ut conditura vis ad omnes corporis partes penetraret, veluti è *Tremellio*, observavit magnus J. M. *Dilherrus* in Disputat. Philologicis. *Ebræi* autem hoc absolvebant unica, eaque brevi unctione, partibus externis saltem applicando species aromaticas, & balsamica unguenta, non insimul instituta *Ægyptiis* usuali & in similibus conditutis necessaria evisceratione. Postea linteis easdem involventes ad sepulchrum statim deferri curabant.

Morem sepeliendi Judaicum fusè describit Rabbi *Moyses Maimonides*, Tract. de luctu, cap. 4. his verbis: *Mos est in Israële circa mortuos & eorum sepulturam, ut, cùm quis mortuus est ejus oculos occludant, & si os habuerit apertum claudatur fasciâ maxillis circumligata, ne iterum aperiatur. obturatur etiam locus per quem excrementa ejiciuntur; sed hoc postquam corpus fuerit lotum. Unguentis deinde ex diversis aromatum generibus confectis ungitur, & deronsô capite, convolvitur corpus albis vestibus lineis ad hoc ipsum paratis, & quæ non sunt magni pretii, ut possit æqualitas servari inter divites & pauperes. Tegitur quoque facies mortui, priusquam imponatur feretro, sudariolo, cujus pretium non excedat quartam partem Sicli, &c. Johannes Jacobus Chiffletius*, Crisi Historica de Linteis Christi sepulchralibus cap. 4. f. m. 16. è *Baroniô* refert; modum curandi cadavera *Judæis Palestinam* incolentibus familiarem minoris fuisse sumtûs, & à priori Patriarchis, *Jacobo*, *Josepho*, &c. exhibitam multum diversum & Præceptô *Gamalielis* senioris.

Is cùm vidisset (referente Rabbi *Jacob* in Thurim Jora Degha, cap. 352. excrevisse tantum apud *Ebræos* impensam funerum, ut ejus magnitudine cognati perterriti, relictô cadavere aliquando sesubducerent, ejus sententiâ factum est, ut non nisi lineis linteaminibus, iisque non magni pretii, corpora defunctorum obvolverentur; in quô nullam voluit haberi rationem cujusvis ordinis aut dignitatis.

Proinde videtur mihi non absurdum, statuere, Balsamationem hancce magis venerandi mortuos gratiâ quàm ad putredinem diuturnam præcavendam fuisse adhibitam; & hoc quidem ideò, cùm viscera interiùs relicta, ut & sanguis in vasis, mucus in intestinis, mesenterii glandulis, &c. corruptioni maximè obnoxia, hanc facilè concipiant, sensimque serpendo & fermentando universum corporis habitum contra eandem non sufficienter præmunitum inficiant. Illa enim balsamica tunc applicari usitata, si exteriùs saltem adhibeantur; ob agentis balsamici & patientis pu-

trefactionem minantis, ac foventis distantiam, & actualis in suum contrarium operationis vel pugnæ absentiam ad omnem corporis humiditatem absorbendam, ejusque invicem justam siccitatem inducendam neutiquam sufficiunt. Quemadmodum ignis in interiore domûs parte furens ad exteriora successivè quoque transit, licet aqua copiosissimè tecto saltem, externisque parietibus adspergatur, nisi insimul in flammæ incunabula ac latibula, ad eadem suffocanda infundatur.

Positò autem, quod *Ebræi* conditturis suis majorem, quam mortuis saltem ultimum cultus & amoris signum testificandi (nimirum corpora simul diu à putredine vindicandi) scopum intenderint; hunc tamen eosdem vix, ac ne vix quidem attingere valuisse; incredulum me reddunt propriis manibus, propriòque Marte sæpiùs instituta experimenta. Si enim cadaver quoddam majus remediis penetrantibus ac methodo capite penultimô declarandâ per aliquot septimanas, vel potiùs menses tractatum ita penitùs non potest cogi, ne crudidates corruptibiles in interioribus latitantes partibus, imò viscera ipsa adhuc in putredinalem fermentationem inclinent, atque serpente contagiô totum corpus in consensu nac interitum trahant; nisi post exemtionem instanti ruinæ aliis adhuc enchirisibus obex ponatur, ac obviam eatur; sanè non video, quomodo res aliæ, licèt insigni virtute balsamica dotatæ, fixiores tamen, & penetrabili efficaçia carentes huic operi feliciter absolvendo sufficere valeant.

Hinc devotissimi *Nicodemus & Josephus Arimathiensis* Sanctissimum *Christi* corpus balsamaturi, vel solum dictum honorem ex consuetudine Nationis suæ huic exhibere voluerunt, vel si plus ultra putrefactionis antidotum Christianâ & laudabili ex ignorantia, Resurrectionis instantis inscii, intendissent, laterem tamen lavissent, etiamsi plures centenas condimentorum pretiosissimorum externè applicuissent libras, Terramque Deus fuisset dignatus (contra promissum in Sacrâ Scriptura suis sanctis factum) inæstimabile *Salvatoris* corpus diutiùs mortuum servare. Non minùs *Maria* sanctissima, Sanctissimorum Evangelistarum testimoniô, communem Mundi *Sosandrum*, mortis & sepulchri candidatum, ungebat Balsamo pretiosô nardinô. Quam actionem ipse *Redemptor* æstimavit pro unctione corporis sui sepulchrali per anticipationem facta; veluti propria ejusdem verba surdastras stupidorum Apostolorum increpant Aures.

Sic quoque nullum est dubium *Lazarum*, utpote divitem quendam, & non infimæ sortis *Judæum* fuisse balsamatum, si Textum Biblicum Joh. 11. v. 39. sequu. & superiùs adducta verba Rabbi *Moysis*, ponderamus, affirmativamque *Chifflitii*, *Dilherri*, ac aliorum addimus: Nihilominus Sancta *Marthæ* veretur, ut jamdum fœteat, cùm quatriduô decesserit.

Ex his propositis non mihi videtur absurdus, qui statuit, balsamandi Artificium, quod *Judæorum* Majores ab *Ægyptiis* didicerant, temporum diuturnitate & injuria (siquidem ipsis ex sacris, & variis aliis Historicis abundè constat, apud *Ebræos*, uti non rarò per tempus Legis ita quoque multò magis extra dubium artes liberales inter Bella & ferrea secula siluisse) successivè exolevisse, & aliqualem quasi situm contraxisse; eosque sui Posteris hujus scientiam saltem confusam reliquisse. Quæ sententia confirmatur, quod Israëlitæ multorum Regum sepulturas saltem decoraverint accensione suffumigiorum suaveolentium (magni tamen æstimata) ceu superiùs adductum est de *Saulô* Rege, ejusque Filiis è 1. Samuel. cap. 16. v. 12. Item de Rege *Asâ*, è 2. *Chronic.* cap. 16. v. 14. Et de Rege *Zedekiâ*, è *Jerem.* cap. 34. v. 5. ut & de impio Rege *Joram*, è 2. *Chronicor.* cap. 21. v. 19.

Aliorum Veterum condiendi ritus describuntur.

Similes honorum sepulcralium reliquias restitare adhuc apud modernos *Persas*, ipsorumque vicinos *Muscovvitas*, (cum injuria temporum pravorum methodum pleniorem & adcuratiorem consumserit) hariolor. Sic enim *Adamus Olearius*, in Itinerario Muscovvitico Persico, lib. 5. cap. 42. p. m. 686. inquit: Magnatum corpora apud Persas post lotionem elevantur, superfunditurque capiti aqua Camphoræ, adeò, ut totum corpus ea humectetur (Camphoræ autem virtutem balsamicam mihi nemo negabit;) Idem ibidem, l. 3. c. 31. p. m. 314. Muscovvitæ mortuum loculo impositum immittunt templo, ibi tempore Hyemali per 8. dies relinquentes, præcipuè si fuerit dives. Interea Sacerdos illum adspergit aqua sacrata, & fumigat Myrrha.

Non minùs illæ, quæ aliis Ethnicis longis abhinc annis fuere familiares conditurarum species, erant saltem superficiariæ, vel ad summum absolvebantur unâ, alterave operatione, aut enchirisi simplici, quam Natura magis, quam ars ipsos docuerat; vel si ex abundanti quidquam de pollincturis, verè & legitimè instituendis illi noverant, hoc, utplurimùm ab *Ægyptiis* didicerunt; methodô imperfecta in suis mortuis postea exercuerunt. Ita constat diversorum Historicorum, v. g. *Herodoti* in Melpomene, *Strabonis* lib. 16. &c. testimoniô, apud Persas, Scythas, Arabes veteres, &c. similes & analogas fuisse in usu.

Producam solummodò nonnulla exempla ex *Erasmo Francisci*, qui libro superiùs allegatô p. 1483. hæc habet: Peruviani, ut demortuos Reges, Ingas dictos, à fœtore & corruptione liberent, laborabant; quod etiam præstabant per tempus ducentos annos superans, cadavere figuram viventis retinente dum certa quadam resina hoc illinebant. Quænam aut qualis hæc fuerit resina, non certò constat; suspicatur autem fuisse Balsamum ex arbore *Copaibæ* extillans, cujus vires balsamicas & vulnerarias insignes describit laudatus Autor, Horti Orientalis & Occidentalis Indiæ ac Sinæ parte prima, fol. m. 572. Id. ibid. p. 1490. inquit: Incolæ Chilenses involvebant cadavera herbis & aromatibus contra putredinem, per aliquot menses ita relinquentes, postea demum adhibitis aliis ceremoniis sepeliunt.

Idem ibidem p. 1502. In Regno Tranziane cœmeteria habent prope montem Culmam, qui corruptionem cadaverum non permittit, ob vim ventorum exsiccantium, ut & Species aromaticas corpori inclusas.

Idem ibidem p. 1517. Dum sub magni Mogolis Imperio moritur Bramannus, corpus balsamatur, & utplurimum elapso octiduo comburitur pompa solemni, si fuerit dives. Si itaque genuina fuerit instituta conditura, nimirum, ut per hanc corpus à putredine conservari potuerit, absurdissimum sanè foret, illud elapso saltem octiduô comburere; Ac credibile, est condituram hanc fuisse saltem institutam pro honorificô cultu exhibendo cadaveri, & pro conciliandâ huic suaveolentiâ per applicita pretiosa unguenta.

Huc quadrant, quæ *Herodotus* lib. 3. de *Æthiopibus* narrat, quod non modo *Ægyptiorum* more suos mortuos arefecerint; sed totos gypsô obductos, & pictura, quoad possibile esset, ad effigiem ipsorum repræsentandam exornatas ita vitro indiderunt, ut nihil ingrati odoris aut fœditatis inde manaret, sed omnia sibi similia haberent. Hos quotannis passim in Urbe conspicandos proponebant, ipsis rerum primitias & hostias offerentes.

E quibus patescit, modos hosce omnes neutiquam esse comparandos Ægyptiacis, quippe qui tàm artificiosa laboriosæ operationis sedulitate, quam quod omnium optimè scopum balsamandi tetigerint, nimirum, ut cadavera longis annis à fœtore ac putredine servetur libera, præ aliis omnibus sese mirum-quantum commendant, veluti mumiæ, toti Orbi hodie adhuc cõmunicatæ, manifestum exhibent testimoniũ, præcipue *Isidis* aliorumque Idolorum *Ægyptiis* olim Ethnicis familiarium figuræ (ex argilla subviridi *Isidis* imagunculam invenit *Gryphius*,

Tractat.

Tractat. de Mumiis Wratislaviensibus p.52.) ventri mumiarum involutæ aut inclusæ harum longævitatem manifeste demonstrant. Testaturque *Francisc. Baco*, Baro de *Verulamio*, in Sylva sylvar. cent. 8. Thes. 771. f. m. 913. quòd credatur, nonnullas mumias perdurasse tria annorum millia, & quasi lapidescere.

Quemadmodum *Romani* veteres ab *Ægyptiis* plurimum hauserunt sapientiæ, plurimarumque scientiarum elegantiorem culturam, ita quoque in variis rebus honores sepulchrales concernentibus eorum fuere æmuli perpetui, non tamen in hôc illis pares, multo minus superiores. Exemplis hìc adducendis immorari propositum meum non concedit. Unicum tamen extra-ordinaria raritate sese Lectori commendans, sub finem capitis annectam, quod ibidem sæpe laudatus *Erasmus Francisci* p, 1531. è *Pflaumero*, *Pancirollo*, &c. producit: Sub regimine Papæ, Pauli Tertii, in viâ Appia, ubi multi à præcipuis Ethnicorum olim fuere reconditi, apertum fuit sepulchrum, inibique repertum adhùc integrum corpus Virginis pulcherrimæ, mirabili succô innatans, & per hunc à putredine conservatum; adeò quidem, ut facies ne quidem depressa, sed decora & vivæ similis videretur. Capilli erant flavi, artificiosa ligatura collecti, atque circulo vel annulo aureo connexi. Sub pedibus ardebat lucerna vel lampas, cujus flamma tamen, aperto sepulchro, evanescebat. E nonnullis insculptis signis innotescebat, ante 1500. annos hoc cadaver inibi fuisse sepultum. Cujus autem fuerit, non constitit; quamvis multi fuerint suspicati, illud fuisse corpus Tulliæ, Ciceronis Filiæ.

Paulò aliter hæc tradit *Cœlius Rhodiginus*, Antiquar. Lect. Lib. 3. cap. 24. inquiens: Dignum scitu: Cùm Pontifex Sixtus, ejus nominis quartus, Reipubl. Christianæ præsideret, compertum Romæ in via Appia è regione Ciceronis conditorii muliebre cadaver, quod ex inscriptione conjectatum est, fuisse Tulliolæ.

Id erat aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non sentiret. In eo visebantur capilli aureo implicíti reticulo, summa omnium admiratione, reperiri aliquid, in quod anni mille quingenti fere nil evaluissent. Cæterùm cadaver in urbem delatum tridui mora computruit, medicamine amotô aut vitiatô.

Num hoc cadaver fuerit *Tulliæ*, me Medica tractantem non ferit. D. *Casp. Sagittarius*, Historicus in Academiâ Salana celeberrimus, dum in Historia vitæ ac mortis *Tulliæ* allegat dicta *Rhodigini* verba, subjungit dubius: *Sed quis credat, Tulliæ cadaver non fuisse crematum?*

Ab *Ebræis* Balsamatio ad *Christianos* transiit, ubi aliquando Magnates condire, facta corporum apertione, viscerum extractione, rerumque balsamicarum immissione, hactenus fuit solitum; Licet hi modi *Ebræorum & Christianorum* sint satis differentes, de quibus in sequentibus.

Materia & Modus Condiendi Veterum mediante exenteratione factus exponitur.

Herodoti relatio traditur & examinatur.

De inventa adcuratiore mumisandi ratione gloriam meritò assignari *Ægyptiis*, caput præcedens docuit; Cùm eadem venerabili antiquitate, pretiosa operosaque elegantia, ac diuturniore sine putredine conservatione aliorum methodos multis parasangis superet; atque dictæ methodi ab *Ægyptiis* maximam præcipuamque partem successive fuerint traductæ, aut hi illorum in similibus operationibus quasi sint simiæ. Proinde *Ægyptii* hìc quoque primum jure occupant locum in materiæ, modique Veteribus usitati tractatione.

Præmittam verba *Herodoti*, lib. 2. Histor. *Euterpe* insignitô, p. m. 190. sequu. *Ægyptiorum* conditurasam-pliorіbus, ac alii, circumstantiis proponentis, atque ita differentis: His actis mortuum demum ac condiendum portant; sunt autem certi ad hoc ipsam constituti, qui hoc artificium factitant; qui, cum ad ipsos cadaver portatum est, ostendunt his, qui portaverant exemplaria mortuorum lignea pingendo assimilata. Et eorum unum accuratissimè fabrefactum esse aiunt. Alterum illo inferius ac vilioris pretii; Tertium vilissimi. Ea dicentes, sciscitantur ab his, ad quod Exemplum velint effingi, mortuum suum. Isti convento de pretio illinc abeunt. At hi, qui relinquuntur in ædibus, hunc in modum diligentissimè condiunt corpus.

Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes, ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc acutissimo lapide Æthiopico circa Ilia conscindunt, atque illac omnem alvum protrahunt; quam ubi repurgarunt, ac vino Phœnicio expleverunt, rursus aromatibus contusis refarciunt; tum omenta complentes contusa myrrha pura, & Cassia, & cæteris (excepto thure) odoribus, iterum consuunt. Ubi hæc fecere saliunt intrò abditum septuaginta dies; nam diutiùs salire non licet.

Exactis septuaginta diebus, cadaver ubi abluerunt, sindone byssina totum incisis loris involvunt, gummi illinentes, quo Ægyptii glutinis loco plerunque utuntur. Eo denique recepto, Propinqui ligneam Hominis effigiem faciunt, in qua mox inserunt mortuum, inclusumque ita thesaurizant, id est, reponunt.

Hi autem, qui mediocria volunt, nimium fugientes sumtum, ita comparant: Clysterem unguine, quod è cedro gignitur, complent. Deinde ex hac alvum mortui ipsam neque scindentes, neque extrahentes; sed per secessum, prehenso viæ posterioris hiatu infarciunt, & tot, quod dixi, diebus sale condiunt, quorum dierum ultimo cedrinum unguen, quod prius ingesserant, ex alvo egerunt, quod tantam habet vim, ut unà secum alvum & intestina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis & ossa relinquuntur. Ubi ista fecerunt, ex quo sic tradidere mortuum, nil amplius negotii suscipiunt.

Tertia conditura hæc est adornandi eorum mortuum: Qui tenuioris sunt Fortunæ, dilutionibus ventrem abstergunt; arefaciuntque sale septuaginta per dies; deinde tradunt reportandum. Et paulò post:

Quisquis autem vel ipsorum Ægyptiorum, vel hospitum compertus sit mortuus, sive à Crocodilo raptus, sive ab ipso flumine, necessarium prorsus est ei Civitati, ad quam ejectus est, condire, & quam honestissimo funere sepelire, sacris monumentis, quem ne contingere quidem fas est alteri aut Proximorum, aut Amicorum, nisi ipsis Nili Sacerdotibus, utpote majus quiddam, quam Hominem mortuum tractantibus ad sepeliendum.

Inter adducta *Herodoti* verba nonnulla fidem adeò simpliciter non merentur. Dicit enim 1. *ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt.* Quæ relatio ignoscenda est viro historico, rerum anatomicarum extra dubium imperito. Cui enim è fundamentis anatomicis structura cranii, situsque cerebri cognita sunt, fateri cogitur, dictam cerebri per nares extractionem sine læsione partium cartilaginosarum in naribus, & carnosarum, cutanearumque in facie, ita sine hujus deturpatione non esse adeò commodam & possibilem. Veritati verò magis consentaneum judicamus cum *Gryphio*, Tract. de Mum. Wratislav. p. 45. Cerebrum ab iisdem fuisse commodiùs extractum per foramen magnum Occipitis propè superiores colli vertebras. Deinde dicit: *dum alvum omnem repurgârunt, ac vino Phœnicio expleverunt, rursus aromatibus contusis refarciunt.* Ubi rationi Physicæ magis conforme erit, statuere, ut loco expletionis vino Phœnicio factæ corpus hôc eluatur & lavetur,

2. Primam quam describit pollingendi methodum per applicata & corporibus immissa balsamica pretiosa, (quæ juxta nonnullos Talenti pretiô constabant) utpote fundamentis medicis concordantem aliorumque testimoniis confirmatam suô in honore relinquimus. Quæ verò de secundi generis conditurâ refert, quod sine apertione ventris, sola salis vel nitri adspersione, ac immissione olei cedrini in alvum per clysterem applicatum, quod oleum postea reductum simul reducat intestina tabefacta, mihi ut hoc credam, persuadere nondum valeo; sed statuo, Autorem non-Medicum quædam adhuc necessariò præstandarum esse oblitum. Quamvis enim huic liquori balsamico per Siphonem in intestina immisso sua efficacia omninò concedatur, tamen quia notum est Medicis, pharmaca per clysterem intrusa lethaliter decumbentibus, pedemque in cymbâ *Charontis* habentibus, statim alvô rursus effluere, partibus nervosis hæc alias retinentibus, sed ob stuporem, Spirituumque defectum non ampliùs operantibus, non video, quomodò hôc stante, in corporibus mortuis cohiberi, & operari postea possit. Vel si fortean vi intruderetur, ad minimum tàm citò ad superiora penetrare non adeò aptus est; Et si eò penetraret, sanè antequam per tabefacta (uti loquitur) intestina quoque transiret ad mesenterium, stomachum, imò hepar, lienem, ipsaque in Thorace contenta adscenderet, eadem sanè putredine corrumperentur; præprimis, & quod quasi cardo rei est, cùm illi exteriùs præter solam salituram nullum corruptioni resistens succurrat.

Salituram autem aliqualem, non adeò magnam tamen & constantem conferre operam huic operi, docebit Historia paulò inferiùs è *Kircheri* Oedipô Ægyptiacô adducta; imò quotidiana id evincit Experientia, cùm omnibus Patribus familias & Oeconomis constet, sale aut muria conditas carnes, ut & pisces, lucios, haleces, & similes, exenteratas tamen, non facilè aliquot menses vel unicum annum sine fœtoris ac interitûs successû durabiles esse. Ut nihil dicam de hôc, quod unum alterumve horum viscerum ante obitum è statu morbosô tabô ulcerosô jamdum correpta esse potuerint.

Propria enim eaque frequenti testari possum experientia, quanta-quanta vis fermentatoria insit cadaveri vitali balsamô orbatô, vitali flamma extinctâ. Cùm cruditates & indigesta in primis viis stagnantia per atomos putridas ebullientia ventrem elevent, eundem perforent, & quà data porta ruant, ac impetuosè effluant, neutiquam quæsita angustiore, aliàs solita gutturis inferioris via & exitu.

3. Quibus stantibus, genus tertium, vilissimum ipsi dictum, eô quo describit modo (dum nimirum corpora non exenterata aut dissecta præparantur saltem admota externè salis vel nitri conditura) multò minùs erit possibile, eique experimenta quotidiana manifestissimè contradicunt; Atque ita hæc erunt condonanda Historico rei Medico-Pharmaceuticæ ignaro, relata referenti, & fortasse nimis credulo, aut nonnullarum aliarum specierum, aut operationum addendarum obliviscenti.

Cum etiam ad Nos quæ transportantur Mumiæ, non omnes sint Magnatum, ceu paulò post declarabitur, sed etiam sæpiùs Plebeiorum, qui vilioribus modis mumisantur; autopsia autem doceat, præter memoratam salis & nitri administrationem alia ingredientia fuisse applicita & immissa, v. g. Gummata, species bituminosas resolutas, &c. allatum Autoris testimonium sua sponte collabascit. Nisi fortè quidam statuere velit, mumias solâ cedria, & salis conditura præparatas in aliis Regionibus, ceu reliquæ mumiæ gummatibus imbutæ, nunquam Nobis fuisse communicatas; vel modos illos, viliores dictos, demum ab obitu *Herodoti* ortum duxisse, & increbuisse; positô quidem, non tamen ideò concessô, dictam pollingendi methodum fuisse genuinam & possibilem; vel effectum respondisse proposito.

Cùm *Herodotus* unguentum cedrinum laudaverit, operæ erit pretium, de hôc quædam inserere. *Pedacius Dioscorides*, lib. 1. de Mat. Med. c. 89. p. m. 85. Ita effatur: *Cedrus arbor est magna, è quâ picem colligunt, quæ Cedria vocatur; cui ea vi inest, ut defuncta corpora, conservet, & viventia corrumpat, qua ex causa mortuorum vitam aliqui eam appellavere, ob eximiam calefaciendi & exsiccandi dotem.* Et *Matthiolus* in Commentario ibid. p. 84. addit: *Cedrea* (ita vocatur *Cedri* oleum) *exsiccat, simulque à corruptione tuetur corpora demortua, utpote humiditates superfluas eorum depascens.*

Aliorum opiniones traduntur ac ventilantur.

Dum autem æqua mentis lance pondero ac confero adducta *Herodoti* verba cum aliis qui nonnulla quoque, brevioribus tamen Historiis ac circumstantiis hac de re Orbi literato scripta reliquerunt, v. g, cum *Strabone*, Lib. 16. *Alexand. ab Alexandro*, Lib. 3. dier. gen. cap. 1. *Diodor. Siculô*, Lib. 2. cap. 5. *Plinio*, in Histor. natur. *Scaligero* in Exercitationibus. *Melch. Sebizio*, disputat. de conditura Cadaver: *Athanasio Kirchero*, in Oedipô Ægyptiacô, *Johann. Nardii* Opiniones proponente, *Christiano Arnoldo*, in additam: select. ad *Abrah. Rogeri* apertam januam occulti Ethnicismi, *And. Gryphii* Tract. de Mum. Wratislav. aliisque pluribus, videntur eorum testimonia, ut & mumiæ ipsæ in Europam transportatæ, atque à curiosis Physicis hactenus accuratius dissectæ ac inspectæ, in hoc maximam partem concordare, quod *Ægyptii* præcipuè, & qui horum vestigia in mumisatione præ aliis sunt secuti, quidam ex *Arabibus*, *Assyriis*, *Persisque* veteribus corpora medicata servarint (veluti *Plinius* loquitur) vel balsamando præparârint dupliciter, partim methodô adcuratiore & sumtuosiore, pro Magnatibus ac divitibus, partim viliore pro plebeiis ac pauperibus.

In priore, eaque pretiosiore adhibebantur tàm externâ pro inunctione ac involucrorum lineorum cum iis imbibitione, quàm in singulos tres ventres immissione species diversæ aromaticæ, virtute sua innata balsamicâ, amaritie item, ac oleosa sulphurea vel salis volatilis penetrabilitate putredini resistentes; grataque suaveolentia fœtorem, odoresque molestos præcaventes; quales sunt *opobalsamum*, *oleum cedri*, *aloë*, *myrrha*, *crocus*, *cinnamomum*, *cassia*, &c.

Dum multi Scriptorum, imò ipsa *Scriptura Sacra* inter species balsamantes reponunt *Aloën*, omissa specialiore significatione vocis, controvertitur, an intelligendus sit succus ille ex *Aloës*, stirpe, & foliis expressus, an verò aromaticum illud *Aloës* arboris lignum? D. *Heinr. Mullerus*, Theologus Rostochiensis, de Ecclesiâ quondam benè meritus, in Tractatu Jesus patiens insignitô, cap. 91. p. m. 234. cum *Isidorô* statuit, Autores indigitare *Aloen* aromaticam vel *Agallochum*, quod arbor est instar *Oleæ* in *Sina*, pluribusque Provinciis Orientalibus crescens; & cùm gustum aromaticum & subamarum præ se ferat, ideò non videri absurdum, illud fuisse adhibitum inter alias materias condituris perficiendis accommodatas.

Verumenimverò, quod pace Viri magni dictum sit, si magis Medicè sentire velimus, nec obstante hoc, notatum *aloes* lignum quoque pollere nonnullis qualitatibus balsamicis, judicarem, intelligi succum illum è stirpe aut foliis crassis *Aloes* expressum, ob extraordinariam & incomparabilem amaritie manifestissima sese prodentem putredini resistendi efficaciam. Quæ opinio habebit Autores Medicos, materiam hanc publicè tractantes vel in aliis scriptis conditurasobiter tangentes, tantum non omnes faventes atque consentientes.

Qui statueret, utrumque fuisse applicitum, non magnum fortè committeret errorem. Quæ de *Aloe metallicâ Hierosolymitana Plinii* more suô, id est nervosè & eleganter

disserit

differit & collegit curiosiss. Noster *Georg. Hieron. Veschius*, Hecatost. 1. observat. Physico-Medic. 63. p. m. 84. ibidem poterunt.

Hæc de modo sumtuosiore dicta sint. In altera verò, eaque viliore methodô pro plebeiis & pauperibus applicare solebant *asphaltum* vel *pissasphaltum* factitium.

Pro meliore rei hujus declaratione monendum censeo Lectorem, à nonnullis confundi *pissasphaltum* & *asphaltum*, imò ipsius *Mumiæ* vocabulum; cum illud sit vel nativum vel factitium. *Pissasphaltum* nativum juxta *Pedac. Dioscoridem*, Lib. 1. de Mat. Med. f. m. 78. nascitur in *Apollonia Epirotarum* agrô circa *Epidaurum*, ubi *Ceraunijs* montibus devolutum impetu fluminis rapitur, æstuque in litus ejicitur; illic in glebas coactum mistam bitumini picem redolet; Videturque nihil aliud esse, quam *asphaltum* verum, cujus præcipua species est *bitumen Iudaicum*, maris mortui (*Asphaltitis* propriè dicti) genitura, nostratibus *Iuden-Pech*, de quo consulatur *Galenus*, de Medicam. simplic. Facultatibus, Lib. 11. thes. de Asphalto, f. m. 312. & juxta *Schrôderum*, Pharmacop. chym. Lib. 3. cap. 32. p. m. 514. & Lib. 4. class. 2. thes. 396. p. m. 208 Consuli item poterit *Frider. Hofmannus*, Clavis Pharmaceutic. Schrôder. lib. 3. cap. 32. p. m. 387. Quia verò rarissimum est, utplurimum ejus loco in usum venit *Pissasphaltum* factitium. Hoc autem est mixtura ex pice & bitumine, ceu proprio nomine, veluti sorex, sese prodit, & communiter usurpatur pro balsamandis pauperibus & Plebe *Ægyptiorum*.

Plura de *asphalto* & *pissasphalto* adderem, nisi prolixitatem proposito meo contrariam nausearem. Proinde uberiora desiderans consulat Andr. *Libavii* singularia, Partis tertiæ Librô septimô, in capitibus quatuordecim prioribus.

Ipsam denique *Mumiam* quod attinet, eadem non minùs in duplici apud nonnullos est consideratione, vel enim est nativa, cum *mumiæ* vocabulum ortû sit Arabicum, atque juxta *Rhasen* ac *Avicennam* idem, quod *Pissasphaltum* denotet; (Quamvis *Kircherus* in Oedipo Ægyptiaco, Tom. 3. Syntagm. 13. cap. 2 f. m. 396. vocem *Persicam* esse, idemque notare dicat, quod cadaver exsiccatum, certa ratione conditum, corruptionis expers) Vel est factitia, quæ itidem est duplex; una Magnatum & Divitum cadaveribus inserviens, parata è superiùs dictis *aloë, myrrha, croco, balsamo, cinamomo, &c.* Altera verò est idem quod *Pissasphaltum*, seu mixtura è pice & bitumine, uti modò traditum.

De ipso quoque Veterum condiendi modo ac ritu proponere nonnulla necessarium videtur; quantum quidem ex antiquorum Historicorum, ut plurimum non Medicorum relatione, ut & ex corporum mumisatorum (*mumias* quas vocant) inspectione à *Petrô de Valle. Ioh. Nardio*, *Andr. Gryphio*, &c. Exactè hactenus facta constat. Ubi Lectorem latere nolo, de Methodo *Ægyptiacâ*, utpote perfectiore ac adcuratiore præcipuè sermonem esse.

Consistebat autem Pollinctura in hoc, ut, juxta regulam ac normam quidem sumtuosiorem species superiùs enumeratas aromaticas, pulveres, resinas, olea, balsama, &c. atque his analogas optime mixtas calore actuali liquarent, liquefacta in massam balsami-aut unguenti-formem cogerent, ventribus omnibus infunderent, partibusque singulis largissime illinerent, imò involucra exterius admota abunde iisdem humectarent; vel potiùs corpora in dictis mixturis bituminosis aut balsamicis macerarent, & hoc plus vice simplici, usquedum cadavera hasce sufficienter imbibisse, conjicerent.

Modo verò viliore, quem vulgus experiebatur, tantum-non similiter, veluti jam descriptum, procedebatur, solis rebus balsamantibus differentibus; dum huic nimirum solummodo *Pissasphaltum* vel *pix*, atque *bitumen* sufficere debebat, ut sic cadavera hisce quasi picarentur vel obducerentur. Hisce dictis adde verba *Herodoti*, capite præcedente & superius adducta, cùm heic ea repetere, supervacaneum.

Prætereunda tamen non est salitura, vel externa salis aut nitri inunctio ex *Herodoto* supra adducta, dum nimirum integro tempore condituris destinato, 70. dierum spatio simul hæc administrabatur pro fine suo eo certiùs obtinendo. Controvertunt Autores an sal, vel nitrum intelligi hac in operatione debeat. Quamvis controversiam eam proprie non meam facere velim, cùm utrumque quodammodo hic suam conferre operam, ob notam vim balsamicam & exsiccantem ipsis innatam, valeat. Videtur tamen nonnullis virtus salina in similibus magis commendabilis, ac nitrosa, licet Græcus *Herodoti* textus hoc innuat, ceu caput sequens plura & clariora docebit. Immortalis quidem *Kircherus*, in loco modo citato Oedipi Ægyptiaci fol. m. 398. saliture in mumisandis cadaveribus non favet, dum statuit. *Corpora incorruptionis donum non consequi, ceu multi putent, ob salem conditur is adjunctum, cum salita corpora facilè diffluant.* Et pag. sequ nt. dicit: *Tametsi certo tempore hæc corruptioni resistant, longo tamen temporis spatio defluere.* Adducit pro hujus opinionis confirmatione è *Baronij* Annalibus historiam, quam adnectere hic libet, propter rei raritatem, & cùm tam *Baronius*, quam *Kircheri* Oedipus non in omnium versetur manibus. Dum Salisburgi in montibus sale fossili prægnantibus fossores inciderent in antris subterraneis infossam aquâ salina repletam & satis profundam, aquamque in usum salis coquendi derivarent, contingit, ut inter evacuandum in ea corpus Humanum detegerent, prorsus integrum incorruptumque; cutis colore prorsus niveo candebat, oculi ipsam vitam spirabant aperti, capilli, pilique ab omni corruptione immunes; cæterum totum corpus rigidum ad instar saxi. Stupefactis ad tam inusitatum Naturæ prodigium fossoribus, res ad Bavariæ Ducem delata, qui & ipse rei novitate attonitus, portentique videndi desiderio percitus, illud propediem ad se deferri præcepit. Quod ubi factum, & jam triduo hoc salis figmentum oculis omnium fuisset expositum; ecce! id tandem aëris veluti impatiens intra paucos dies in aquam resolutum suoque elemento restitutum prorsus defluxit. Ex quâ Historia satis liquet, corpora salita, tametsi certo tempore corruptioni resistant, longo tamen tempore defluere.

Quæ sententia *Kircheriana* certô respectu suam meretur laudem ac Experientiæ Physico-Oeconomicæ respondet; siquidem Lanionibus, imò Patribus familias ac ancillis nostris constat, carnes Brutorum salis muriâ maceratas paucos saltem menses esse durabiles. Tamen sal, & quæ huic analoga, in cadaveribus per res alias balsamicas ad condiendum jamdum præparatis aliqualem quoque opellam conferre, nec eadem ab hoc ad diffluxum disponi, neutiquam potest negari, veluti rationes & experientia in sequentibus capitibus testabuntur.

Quæ de conditurîs peractis, earumque methodo jam fuere, proposita, fundamentis Physico-Medicis verè innituntur, genuinusque sapientiæ *Ægyptiorum*, vel etiam *Arabum* antiquæ sunt effectus ac specimen. Siquidem tactæ materiæ medicamentosæ putredinem arcent virtute suâ aromatica ac balsamica, olei vel Salis volatilis penetrabili efficaciâ, quædam item actuali amaritie cruditates cadaverum acescentes in subjecti ruinam fermentantes suffocant, qualitate item exsiccante hu-

miditates putrescibiles absorbent; partim quoque glutinositate sua ac adstrictione diffluxum ac resolutionem cadaveris prohibent.

Asphaltus verò, vel *pix* & *bitumen* tenuioris fortunæ Hominibus, quæ balsamationis in vicem sufficere debent, id præprimis præstant vi sua adstringente & exsiccante humidumque in corruptionem luxurians coërcente, atque ita non minùs balsamica; (qua de re plura paulò inferius) sua insimul viscositate impediunt, ne atomi aëreæ fluidæ in cadaveris interna penetrando, huic interitui fenestram aperiant. Reliqua, quæ testando in defunctos suos (pro statûs tamen cujuslibet ac vitæ generis diversitate) adfectu tractabantur; quomodò eos Byssô, aliisque linteis pretiosis vestiebant, pingebant, inaurabant, fasciis variis involvebant, &c. videatur apud laudatum *Andr. Gryphium*, adcuratè talia enodantem & depingentem, *Athanas. Kircherum*, Oedipi Ægyptiac. Tom. 3. Syntagmat. 13. cap. 2. f. m. 397. *Ioh. Nardii* Comment. in Lucret. p. 635. de his multa producentem, *Pet. Gassendum*, Lib. 4. de vita *Peireskii* p. m. 153. frustra naulum in ore *Mumiæ Ægyptiacæ* bene alias ornatæ quærentem. Item Dn. *Radzivilii*, Polonici Principis, adcuratas relationes in autopsia fundatas; Atque his similes *Ioh. Veslingij*, observationes anatomicas observat 39. p. m. 151. & 2. *Ioh Iacob. Chiffletium*, crisi Historica, de Linteis Christi sepulchralibus, cap. 3. p. 10. sequent. aliosque; cum scopus meus non sit, ex aliis ampla hic transponere; sed Medico-Pharmaceuticam saltem balsamandi tractationem communicare.

Mentio quoque hîc meritò facienda, quòd aliquando conditu ram perficere curaverint *Ægyptij*, non tam à Medicis propriè consideratis, quam *Taricheutis* huic operi in specie destinatis. Pro me loquatur magnus *Conringius*, de Medicina Hermetica, Lib. 1. cap. 10. p. m. 92. *Corporum sectioni*, inquit, *non videntur ipsi Medici præfuisse; sed Taricheutæ; Etsi enim Iacobi Patriarchæ ævo iidem fuerint & Medici & Pollinctores, quod liquet ex sacra nostra historia, tamen id sequ. seculis mutavit, quemadmodum hodiè apud nos distincta sunt munera medentium & pharmaca præparantium; secùs quàm fuit olim; aut hodie etiam in Asia & Africa usu venit.*

Conditura in Melle & cerâ olim facta, ut & mumiæ in Lybiæ arenâ siccatæ, aliaque chymicè sic vocatæ explanantur.

Modis hisce condiendi jam enarratis subjungo succedaneam aliquam methodum, sepulturam nimirum cadaverum in melle aut cerâ aliquando à nonnullis populis institutam. Posteritati enim reliquit *Strabo*, Lib. 16. *Babylonios* sepelire mortuos suos in melle, cera obducentes. Et *Herodotus*, Lib. 1. Historiar. quem *Clio* inscribit, scribit, *Persas* mortuum cerâ involventes in terram condere. Idem lib. 4. *Melpomene* insignito, p. m. 388 inquit *Scytharum* Regum sepulchra sunt apud *Gerrhos*, ubi *Boristhenes* jam navigabilis est. Ibi cum Rex eorum decessit, ingentem scrobem effodiunt, quadratâ formâ. Hunc ubi præpararunt, accipiunt mortuum corpore inceratô, alvô evoluta, atque expurgata, quam silere contusô, thymiamate, apijque semine, & anisi cum expleverunt, resuunt rursus. Quod similiter nonnunquam *Syris*, *Arabibus*, eorumque vicinis in usu fuisse, alij quoque, licet quodammodo saltem, ac ὡς ἐν παρόδῳ testatum eunt Autores.

Multum lucis afferunt huic relationi verba *Thom. Dempsteri*, qui in notis ad *Ioh. Rosini* Antiq. Roman. cap. 4. vel ultim. p. m. 64. seq. sic loquitur: Quod si aliquis peregrè ob jsset, cadaver melle perungebant, donec domum referri posset. *C. Plinius* lib. 22. c. 24. inquit. Mellis quidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, jucundô sapore, atque non asperô, aliâ, quam talis, naturâ. Quod in consuetudine fuisse Græcis, discimus ex Historiâ *Agesilai*, *Lacedæmonior.* Regis, qui febri mortuus apud *Xenophontem*, Histor. Græcar. Lib. 5. p. 564. melle oblitus domum deportatur, ac regiam sepulturam consequitur. Et paulò post: Nec modò melle, sed & cerâ cadavera oblinere receptum. *M. Tullius* Lib. 1. Tusculan. Quæstion. ad finem inquit: Condiunt Ægyptij, & eos domi reservant. *Persæ* etiam cera circumlitos condiunt, ut quam maxime diuturna permaneant corpora, &c. Sed suspicor locum ceræ tantùm relictum ad perungenda defunctorum corpora, quando mel non suppetebat.

Huc quadrant, quæ *Iul. Cæs. Baricellus*, Horti Genialis p. m. 284. proponit. *Alexandri Magni* corpus inter alia ad incorruptibilitatem facientia quoque fuisse melle obitum, testatur *Statius Papinius* in sylvis, citante *Andr. Rivino*, Disputatione de Pollinct. quæst. 3. *Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger Urbis conditor Hyblæo perfusus nectare durat.*

Rationem Physicam hujus Pollincturæ si ventilamus; eadem procul dubio quærenda in hoc, quod tam mel, quam cerâ virtute sua exsiccante putredini obviam eat, simul tamen insita sibi viscididate ac lentore prohibeat, ne atomi internæ calidæ cadaveris incorruptibilem suum interitum secuta morte, omnibus consueta ruentes, & fermentantes egredi; econtra atomi aëris exteriùs irrumpentis humidæ eundem quoque maturantes ingredi valeant. An autem effectus intentioni diuturnè ac plenariè respondeat, habeo, quod dubitem. Siquidem pro indaganda hujus rei veritate, atque ut satisfaciam manuum mearum in rebus similibus oculatarum desideriô, & melli & ceræ liquefactis seorsim immisi mures, aliaque Bruta minora suffocata saltem, non exenterata; reliqui ita in locis frigidioribus reposita, atque incrassata unô, alterore mense.

Quæ melli fuere tradita, statim tertio aut quartô die præ se ferebant strias cruentas, non levi argumentô, partem cadaveris jamjam in putrefactionem ebuliisse, ac per melleam substantiam non adeò solidam ac tenacem esse dispersam. Cùm autem fœtor ingens non succederet, per aliquot septimanas ita ulterius subsistere volui;

Quæ verò ceræ fuerant concredita, neque oculis strias cruentas, neque odorem cadaverosum, naribus communicabant, quia viscidius tenaciusque cereum corpus talia procul dubio prohibebat. Nihilominùs totidem quoque septimanas in locô frigido reposui. Postea verò utrumque leni calore resolutum ac liquefactum atque exemtum inspiciens, reperi & medium & infimum ventres latè apertos, ac interiùs contenta in tabum resoluta, penitus dispersa fuisse, neque reliquas etiam partes tam constantem duritiem ac durabilitatem ostendisse.

Ut proinde sic argumentarer: si condimentorum horum energia balsamica non est tanta, ut in corpusculis tàm minutis integritatem stabilire valeat, quid de illis erit sperandum in substantijs majoribus, ubi cruditates putredinales largiore alveô exitum, diffluxum, atque ruinam minantur? Nec crediderim, licèt corpora, præcipuè magna, statim die emortuali exenterata in efficaci ac ludicrô hocce condiendi fucô ac muco subjicerentur, quenquam sibi suisque quidpiam constantis & perfecti veluti ab alijs quidem speciebus balsamantibus, promittere posse.

Postquam tamen aliquot adhuc mensibus ita reliqueram, observavi nihilominus, partes externas firmiores, osseas nimirum, & musculosas (interioribus, veluti dictum, dilapsis & effluxis) præprimis

mis quidem in illis subjectis, quæ ceræ, utpote substantiæ ob densitatem majorem aëris colliquantis ingressum magis impedienti, fuerant inclusa, quodammodò & quoad bonam sui partem perdurâsse, ut inter solitas hactenus balsamandi species admitti debeat; quamvis blattæ, alijque vermiculi successivè inde orti iisdem pro pabulô fuerint usi.

Paucis abhinc paginis dictum est, *Mumiæ* vocem natales debere linguæ Arabicæ, atque idem denotare ac *Pissasphaltum*. Longævâ autem postea consuetudine evenit, ut eôdem vocabulô indigitetur cadaver Humanum integrum, hôc vel illô modô artificiosè speciebus balsamicis conditum, ut ita ab interitu suô putridô longum tempus præservari, vel usu Medicô alijs præstare opem Hominibus valeat.

Non minus successivè factum est, ut eôdem verbô diversa huic analoga significentur; v. g. Corpora Humana in *Arabiâ* arenæ turbinibus obruta, postea Solis æstu siccata; Item *Mumia Paracelsi*, item *Mumia* recentiorum, cujus *Schroderus* meminit; Alij non minùs ob analogiam effectus Medici diversâ eadem denominatione insigniunt medicamenta singularia, Extracta, Essentias, &c. Alijs ipsum calidum innatum nostrum vocitare *mumiam* placet, ob operationem balsamicam *Mumiis* confinem.

Propterea non immeritò mentio heic facienda cadaverum Solis æstu sub arenâ torrefactorum, quæ latè & impropriè sumtâ vocis *mumiæ* significatione, eadem indigitantur. Originem autem talia corpora non Arti debent, ac laboriosæ cujusdam curiositati, veluti illa cadavera ab *Ægyptiis*, *Arabibus*, alijsque singulari dexteritate condita ac præparata, communi nomine quoque audiunt *Mumiæ*; Sed illis vivis accidit ista invita ac inopina *Pollinctura*; dum nimirum in ingenti *Lybiæ* desertô, vel transnilana *Africæ* regione (ut utar verbis *Athanas. Kircheri*, locô supra aliquoties citatô, fol. m. 396.) sabuli ac cumuli arenæ, quibus in immensum hoc desertum exporrectum est, ventis australibus agitatæ tàm sævas subinde tempestates movent, ut arenis in clivos aggestis, turbinum violentiâ, & jumenta & viatores cum mercibus suis vivos sepeliant, nullâ evadendi spe relictâ. Veluti ita, *Herodotô* teste, totus ferè *Cambysis* Regis exercitus æstuantis arenæ impetu absorptus dicitur. Talia corpora ita, antequam moriantur, sepulta, postmodum partim à flagrante Solis æstu, partim ab insigni arenæ summè calefactæ vi exsiccante torrefiunt & siccescunt. Proinde cum nemine litigabo, qui latè acceptô *Mumiæ* vocabulô corpora modô dictô siccata *Mumias* nominare amet. *Mumiis* autem nostris medicinalibus, vel usui medicamentoso destinatis adnumerari neutiquam poterunt, cùm in hisce non tàm caro Humana, quàm species condientes desiderentur ac considerentur.

Theoph. Paracelsus, Tomo 9. Operum, Tract. 3. Philosophiæ, f. m. 400. sequ. Loco *Mumiæ* usualis commendat cadavera violentâ morte occisorum, præcipuè eorum, qui in patibulô vel rotâ fuere exsiccata. Meminit quoque f. m. 401. *Mumiæ* cujusdam *magneticæ* è carne vivorum Hominum parabilis, tam contra morbos contumaciores, quàm pro alijs usibus adhibendæ. Verùm hâc de re multa heic philosophari extra meum est propositum, imò planè tacere, magis consultum judico.

De dictâ hâc *Mumiâ transplantatoriâ* peculiarem conscripsit Tractatum *And. Tenzelius*, quem Medicina Diastatica appellitat, cujus mentem ibidem videre, cuicunque liber, licet. *Joh. Schröderus*, Pharmacop. Medico-chym. Lib. 5. class. 1. cap. de *Homine*, p. m. 294. meminit *Mumiæ* recentiorum, dum cadaver Humanum violentâ morte peremtum, myrrhâ, aloë, &c. præparat, & in *Mumiam* exsiccat. Depromsit autem hæc è *Crollij* Basilicâ Chymicâ, qui p. m. 257. hanc descripsit sub titulô *Theriacæ de Mumiâ. Petrus Poterius*, Cent. 3. observat. Med. 80. p. m. 296. & alibi medicamentum quoddam externum contra ulcera maligna inveterata, &c. nominat *mumiam mineralem*, ejusque præparandi rationem tradit in Appendice ad Pharmacop. Spagyric, p. m. 638. è *plumbi* parte 1. & *Mercurij* partibus 2.

In usum Mumiæ Medicum inquiritur.

Hâc occasione non possum non, quin mentionem faciam controversiæ illius, an illæ Veterum *Mumiæ* tanti sint æstimandæ, ideòque in usum medicum trahendæ, quanti hucusque à nonnullis fuerunt judicatæ, an verò potiùs Christiano indigna sit harum applicatio Medica, veluti itidem non pauci rigorosam hactenus foverunt, & adhuc fovent sententiam?

Affirmativam amplectentes, in specie dum loquuntur de cadaveribus pretiosiore modô pollinctis, mirum-quantum deprædicant laude omni, invidiæque livore majorem eorum efficaciam, rerum summè aromaticarum v. g. Myrrhæ, aloës, opobalsami, cinamomi, &c. artificiosè admixtarum, ac in massam durabilem coactarum applicationem; præprimis cùm hæ pleræque recentes, natalibusque locis vicinæ, ideoque virtute innatâ adhuc fortiori ac unita turgidæ, nec diuturnitate transportationum, temporis, diversi aëris, ac climatis mutatione, myropolarum adulteratione, &c. corruptæ adhiberi possint, veluti nostris quidem in Regionibus horum usu contenti esse cogimur.

Non minùs optimè sentiunt de corporibus viliore saltem methodo mumisatis; cùm specierum balsamantium (modo etiam nobiliores non fuerint ac *asphaltum* & *pissasphaltum*,) effectus tàm laudabiliter de sua causa testetur; producuntque non solùm pro stabilienda sua assertione magnam variorum Medicinæ Procerum autoritatem, v. g. *Galeni*, de simpl. Medic. facult. Lib. 11. cap. de *Asphalto*, p. m. 312. & *Avicennæ*, Lib. 2. Canon. Tractat. 2. cap 17. f. m. 111. ut taceam mille aliorum, quà Veterum, quà Neotericorum, quæ adduci possent, testimonia; sed etiam concatenatâ tot seculorum confidunt experientiâ, quippe quâ indubie constat, mumiale hoc medicamentum, etiam levioris quod saltem est pretij, tam adfectibus varijs externis, quàm internis (non multis, sed) plurimis per Orbem, ubi-ubi Medicina viget, felici ut plurimum effectu exhiberi. Hinc Bellonij quoque verba, Lib. 2. observation. cap. 47. testantur, tantum *mumiarum* usum atque æstimationem fuisse in *Gallia*, ut Rex *Franciscus I.* Literarum ille restitutor nusquam proficisceretur, quin penui ejus Præfecti illam semper cum Rhabarbaro deferrent, atque etiam ipsemet gestare, solitus esset.

Qui verò negativam defendunt, Medicas *mumiarum* vires neutiquam tanti esse ponderis statuunt, ceu vulgò creditur. Cum 1. aromatibus, & quæ ad hæc pertinent similibus sumptuosis & efficacibus saltem conditi fuerint Magnates; hi verò serventur in sepulchris bene munitis ac clausis, nec tradantur Mercatoribus, ut turpiter eas vendant, juxta *Mathiolum*, Commentar. in *Dioscoridem*, Lib. 1. cap. 85. f. m. 89. imò eas surripere, sit capitale, teste *Jul. Cæs. Scaligero*, exercitat. de subtilitate 104. num. 9. p. m. 388.

Econtra ad Exteros transportentur saltem viliores, eamque minus virtuosam expertæ condituram.

2. Quia vires, ipsis quæ tribuuntur, non tàm à carne aut ossibus humanis dependeant, quam à remedijs condientibus. Quo stante, multò magis erit conducibile hæc sola & recentia, nec cadaverosa corruptione alterata ac adulterata usurpare; præcipuè,

cipue, quod neutiquam similium materierum balsamicarum raritate ac caritate ad hoc compellamur; sed easdem non modiô aut trimodiô; sed toto quasi horreo, ceu dicitur, hunc usque in diem *Europæ* Nostræ admetiantur impigri Mercatores, 3. Quoniam omne extra dubium conditura non modò aliquid mali contraxit à cadaverum tabo ac sanie; verum etiam in specubus subterraneis eadem asservantibus vagentur perpetui halitus cadaverosi, aërisque adsit torpor, ac pigrities, à quibus sanè balsamico-aromatica cadaveribus infarcta reddi meliora atque efficaciora vix erit credibile. 4. Dum quoque mul i pollinctorum Peste, febre maligna, Phthisi, Hydrope, Lepra, alijsq; morbis abominabilibus sunt extincti, *Mumia* autem nihil aliud sit, quam succus expressus cadaveris, proinde rationi neutiquam contentaneum videtur, à *Mumiis* sepulchralibus effectum laude dignum, ac proficuum esse sperandum.

5. Adhæc stultum, barbarumque omninò esset, vilissimæ *Ægyptiorum* plebeculæ, ac facinorosorum cadaverum putrescentes carnes devorare, quasi Divina Ars Medica, Ars illa servandorum Hominum, non noverit alia, quam horrenda hac insitione Homines suos conservare. Veluti uberiora legi poterunt, præter varios alios apud *Ambros. Paræum*, Oper. Chirurg. Lib. 11. cap. 7. f. m. 366. *Melch. Sebizium*, in accuratissima Disputatione de Conditura cadaverum, *Joh. Brunonem*, Disputat. de Medicamentis ex Homine petitis, *Paul. Ammannum*, in manuduct. ad materiam Medic. sect. 4. cap. 1. thes. 5. p. m. 156. aliosque; In specie consuli poterit *Andr. Libavius*, singularium Parte tertia, Lib. 7. præcipuè cap. 16. 17. 18. 19. 20. p. m. 914. sequ. ubi affirmantium & negantium argumenta multis ambagibus ventilantur.

Ut tenuem quoque hisce dissentientibus (Pace tamen tantorum virorum) meam subnectam opinionem, videntur nimis duriuscule sentire negativam asserentes. Nam (1.) quamvis concedatur, Magnates pretiosis aromatibus conditos præteritis seculis non fuisse sepulcris exemtos, venditos, & ad Nostrates missos, *Ægyptiis*, *Assyriis* ac *Babyloniis* suo adhuc jure ac autoritate, sub proprio Regis imperiô fruentibus. Jam verò iisdem modò à *Persâ*, modo à *Turca* subjugatis, tantum abest, ut sepulchra divitum ac Procerum, ex devictorum Regnis residuorum postea semper tam reverenter fuerint habita, ut potius inter tot ac tot tumultus bellicos invasionumque hostilium alternationes lucrum è re qualibet quæri, militibus, & qui sese hisce associarunt, fuerit concessum. Quam opinionem confirmant ipsæ apud nos conspicuæ *Mumiæ*, dum multæ sese oculis offerunt, non nudæ, aut leviter saltem vestitæ; sed syndone, bysso, similibusque linteis rara textura, & pretiositate sese commendantibus, artificiosè obvolutæ, item inauratæ, multifariamque decoratæ, imò coronas partim gestantes; de quibus largum exhibent testimonium *Gryphius*, alijque superius adducti curiosi scrutatores ac Historici. An igitur hæc sint signa & insignia plebis & rusticorum; non verò Magnatum, judicent alij.

Positô autem & concessô bonam talium corporum nobis communicatorum partem, viliore saltem modo esse conditam, si deficerent rationes pro stabilienda harum virtute, & efficacia, à posteriori vel ab effectu argumentando, more in Medicina Practica communi, sola sufficeret Experientia, magna illa rerum omnium magistra, quippe quæ singulis diebus undiquaque egregia hujus rei producit testimonia contra diversos morbos, fortem quoque sæpius Herculeam clavam poscentes; qua de re clariora & ampliora trader cap. 7. vel ultimum, sub titulo *Essentiæ purificantis*.

Non deficiunt tamen quoque rationes; *Pissasphaltum* enim *Ægyptiorum*, hoc est, mixtura è pice & bitumine innata qualitate longius antecellit picem & resinas nostri climatis, ideò quòd majorem ab illustrioribus & ditioribus solaribus irradiationibus hauserit efficaciam.

Adhæc credibile est, illam picem esse confectam è *Terebinthô*, *Cedrô*, similibusque arboribus insigni balsamica virtute pollentibus. Veluti quidem manifestum de *Cedrô* testimonium in promptu est *Ped. Dioscoridis*, Lib. 1. de Mat. Med. cap. 89. f. m. 83. Cedrus arbor est magna, è quâ picem colligunt, &c. ampliora verba videantur paulò superius, ubi de unguentô cedrinô balsamicô *Herodoti* tractavimus.

Licèt Nostræ itidem tàm abjectæ pici sua laus non deroganda, ipsique & similibus rebus vilibus adhuc major deberetur, modò in rerum naturalium penetralia majori fervore intrare studerent Hygieæ Filii. Siquidem præter illud, quòd chirurgi eandem varijs externis non sine fructu applicent affectibus, aliquot Amicorum, imò propriâ mihi constat experientiâ, è pice communi per spiritum vini, sale alcali fixô quôdam, quale hoc sit, extrahi posse essentiam contra Scorbutum, aliosque morbos putridos multa valentem. Retulit mihi insuper Amicus, chymicarum rerum notitiâ celeberrimus, è Pice parari posse oleum, cujus gutta unica in Peste ac morbis malignis mirabilem præ se ferat efficaciam. Fieri autem hoc, dicit, dum pici pulverisatæ superfundatur lixivij e cineribus clavellatis, vel simili alcali quantum sufficit; stet ita aliquot mensibus in digestione, pòst tempore Hyemali in glaciem coaguletur, ac tandem destilletur inde oleum.

Deinde facilè quidem concedi poterit, operationem Medicam mumialem non esse adscribendam carni, aut ossibus Humanis; nihilominùs imperfecta, est consequentia, ergo hoc vel illud dictorum ingredientium balsamantium feliciori effectu solum & recens exhiberi poterit.

Ut enim taceam de hôc, quod denuò ad experientiam contrarium testantem provocare liceat, (cùm opem à *Mumia* allatam hujus simplicia aromatica solùm & separatim propinata certè non præstabunt) v. g. Constat magni cujusdam Archiatri, proprioque experimentô, *mumiam* in Partu difficili raram & optatam conferre opem; an idem sit sperandum de dictis speciebus seorsim sumtis, judicent Praxeos Medicæ gnari. Dico saltem, longam omninò intercedere differentiam inter compositionem quandam medicamentosam in regione calida *Orientali* ipsi natali artificiosè mixtam, atque ita optime munitam ad Nos transvectam, & inter hujus compositi ingredientia separatim nobis communicata. Nam hujus vel illius simplicis virtus minimè una eademque est cum totius mixturæ compositæ virtute. Adhæc modicum illud halituum noxiorum, quod fortasse inferrent *Mumiis* extraordinariè tamen, & superflue quasi contra injurias omnes externas munitis accusatæ cryptæ sepulchrales, neutiquam æquiparandum est jacturæ virium, cui exposita sunt singula specialia remedia tam diversa climata, tamque diversas aëris mutationes transeundo experiri coacta. Accedit, quòd de horum adulteratione à mercatoribus aliquando tentata non securi esse possimus.

Expende, sis, sequentem instantiam: Magnus Lipsiensium Chymiater, *D. Joh. Michaëlis*, τῶν ἐν ἁγίοις, Anno 1659. curabat parari Balsamum suum apoplecticum ex ambra, moscho, Zibethô, oleis cinamomi & caryophillorum stillatitijs, & pro massâ oleô nucis moschatæ expressô ingredientibus consueta dosi mixtis. Verùm Zibethi graveolentia, qualis nota est rei Pharmaceuticæ peritis, dum in quantitate & magna dosi nari-

naribus offerebatur, tantam singulis pariebat indignationem, suffocando suaves reliquorum odores, ut Jovem juràsses lapidem, alia modò notata non fuisse admixta: nec poterat ingratus odor Zibethicus supprimi, usquedum reliquæ dictæ species in duplâ dosi, juxta solitam proportionem, omissâ solâ ulteriori Zibethi additione priori mixturæ unirentur. Causam hujus rei miratus laudatissimus Chymicus, tandem hanc inveniebat: Paulò antea donò acceperat ab Amicô Batavo, Societatis Indicæ Orientalis, quam dicunt, Membro, vasculum Zibetho plenum, quod ipsum in Bataviâ nova erat repletum, neque unquam, nisi tunc Lipsiæ apertum.

Num igitur Zibethum, quod ordinariè venditur, tàm magnam patiatur virium suarum ruinam, ob repetitam vasorum continentium in emtione & venditione apertionem, & atomorum evaporationem, an verò ob adjuncta nonnulla suppositiția; an ab utrâque causâ, judicent alij.

De simili suppositione adnectam aliud notatu dignum exemplum: Dn. *Joh. Langermannus*, mercaturæ frequentia & candore celebris Myropola *Hamburgensis*, monstrâbat mihi Anno 1660. non unam alteramve drachmam aut unciam; sed plures libras *Lapidum Bezoar* spuriorum, fraudulentæ manûs beneficiô confectorum à *Judæis Lusitanis* successivè inter alios genuinos ipsi communicatorum. Indicabat quoque simul, adulterinos istos à veris nullo, nisi hôc unicô dignosci posse signô; chartæ albæ affricetur creta, & huic aliquoties lapis Bezoar; genuinus tingit chartam cretatam colore è nigro flavescente; iste verò è gypso, &c. paratus non item. Quantum sumtuum inde fuerit perpessus dispendium, cùm falsos alijs non venderet pro nota sua ingenuitate dictus *Largermannus*, non difficilè est hariolari.

Ex quibus (ut obiter hæc addam) patescit, quàm dubius sit *Lapidum Bezoar* usus Medicus; nam quod omnes mercatores & Pharmacopæi dicto modo veros à falsis discernere noverint, & si noverint, quoq; discernant, nec indifferenter eos venditent, & propinent ob nummorum suorum jacturam, vix affirmare auderem.

Quod denique attinet tertium & quartum negantium argumentum, quasi tabum ac sanies, præcipuè illorum, qui morbis malignis, item Phthisi, hydrope, lepra, ac similibus putredini sanguinis natales debentibus ad plures sunt missi, pravitate noxiâ corrumpant ac inficiant remedia condientia, superfluum non minus metum inculcare videtur, ideò, quod viscera (sive tabida & corrupta fuerint, sive non) juxta relationem historicam variorum Autorum in præcedentibus adductam, eximantur, sanguis exprimatur, ventresque omnes optime vino Phœnicio eluantur, antequam dictæ species pollingentes applicentur & intrudantur, ut ita nihil residuum maneat præter cutem & ossa exsiccata, juxta clara Herodoti Verba.

Quod quintò tandem de comestione *carnis Humanæ* objicitur, non opponam illis, quòd Neoterici è pluribus corporis Humani partibus, v.g. è *Sanguine, cerebro, cranio, ossibus, pinguedine, urina, &c.* Medicamenta diversa laudabili effectu in quotidianô habeant usu; sed statuam, quòd veritati consentaneum videatur, esum huncce simpliciter consideratum barbariem olere, si eadem devoretur. Sed quomodo in *Mumiis* id fiat, non video, quippe quod historicorum plurium, imo ipsius autopsiæ testimonio, ceu modò dictum, sola hic restent cutis & ossa humana siccata. Hinc, cum in *Mumiâ* ad usûs medicos dispensatione removeantur involucra externa, ossa, &c. nemo tunc *carnem humanam* devorare, etiam si vellet, poterit. Proinde corpora hæc mumisata aliter fere æstimare non valeo, quam pro thecis & capsulis mixturarum balsamicarum egregiarum in locis suis natalibus curiose compositarum transportatorijs. Quòd autem *Ægyptij*, alijque sua cadavera nobis ad similia officia exhibeant, sibi habeant.

Materia & modus Condiendi Recentiorum exenteratione factus declaratur.

Formulæ nonnullæ condiendi latiores enarrantur.

Propositâ nunc Veterum materiâ, ac condiendi methodô, operæ erit pretium ulteriùs progredi, quidnam hâc in re prioribus seculis tanti æstimata (& hoc quidem non immerito, cum extremum in mortuos honorem ac cultum concernat, singulique hæredes de suis defunctis benè mereri studeant) præstare placuerit; & adhuc placeat Nostrorum temporum Medicis.

Cùm autem tempora mutentur, Nos & mutemur in ipsis, ita quoque evenit, ut ritus cadavera condiendi quibusvis tantum non *Mundi* plagis successivè apud plurimos evanuerit & cessaverit. Econtra aliæ, aliæque pro exhibenda in demortuos decente reverentia ortæ, ac introductæ sunt consuetudines, & eæ non minùs pomposæ quàm pretiosæ. Hinc *And. Gryphius*, Tract. de *Mumiis Wratisl.* p. m. 81. inquit: *Eviluit illud decus mortuis quæsitum per lanienam & eviscerationes, quas exigit Pollinctor, habitumque est immane, & insigni de honestamentô Pietatis famam affectantibus, Popæ alicujus aut victimarij instar sævire in cadavera. Solenne econtra honorare defunctos quavis cura potius, & ingenti vel odorum, unguentorumque apparatu credere sepulchris, sed non discissos.*

Nihilominus mos ille mortuos pollingendi nondum penitus desiit seculis hisce ultimis; sed aliquando inter alias sepulturarum solennitates atque luxûs in *Mundi* Proceribus vitâ functis exerceri solitos adduc dum viget, diversis tamen maximam partem, ac apud antiquas Gentes, *Ebræos, Ethnicos, &c.* fieri consueverat, circumstantiis.

Antequam autem proponam, qualem è varijs Scriptoribus hauserim hac de re notitiam, in meliorem ac majorem Lectoris notitiam lubet præmittere unum alterumvè modum integrum, eumque adcuratiorem mihi visum inter illos, quos moderni pro condiendis Magnatum corporibus applicare hactenus soliti fuerunt.

Primus itaque in scenam prodeat *Ambrosius Paræus*, qui in fine operum suorum Chirurgicorum brevem, elegantem tamen, de cadaverum embammatibus Tractatum posteritati reliquit. Ea quæ magis ad rem nostram pertinent, f. m. 883. 884. descripta sunt ab Autore, quæ contractiùs paulò hic sum relaturus, ita autem loquitur: Cæterum aromatibus ad æternitatem condiendum corpus ante omnia exenterari debet; Corde seorsim habitô, ut per se consanguineorum pro arbitrio condiri possit. Cerebrum quoque, cranio serra diviso, avellendum est. Hinc profundis plagis secundùm brachiorum, femorum, crurum & dorsi, lumborum ac natium longitudinem diducendum est; præsertim quâ parte majores venæ & arteriæ excurrunt, primum quidem ut sic exprimatur sanguis, qui alioquin corrumperetur, ac putredinis initium, ac occasionem reliquo corpori præberet; deinde, ut pulvisculis aromaticis inspergendis sit locus, unde totum corpus lavandum est spongia imbuta aquæ vitæ, & acri acetô, in quo incocta sint absynthium, aloë, colocynthis, sal commune & alumen. Postea illæ plagæ, corporisque ductus & hiatus omnes, atque tres ventres infarciendi erunt aromatibus sequen-

sequentibus crassiuscule pulverisatis: Recipe pulv. rosarum, chamomillæ, meliloti, balsami, menthæ, salviæ, lavendulæ, rorismarini, majoranæ, thymi, absynthij, cyperi, calami aromatici, gentianæ, ireos Florentinæ, assæ odoratæ, caryophyllorum, nucis moschatæ, cinamomi, styracis calamitæ, benzoës, myrrhæ, aloës, santalorum omnium, quod sufficit. Consuantur plagæ, ac hiatus, ne quid excidat. Mox totum inungatur terebinthina liquefactâ cum oleo chamæmelino, & rosaceo, additis, si videbitur oleis aromaticis, per essentiam extractis; iterumque aspergatur pulvere commemorato. Inde sindone involvatur, hinc telâ inceratâ. Denique capsa plumbea fideliter ferruminata componatur, herbis siccis odoratis plena. Quod si non adsit copia commemoratorum aromatum, uti fere contigit in oppidis obsessis, pulvere erit contentus Chirurgus è calce extincta, cinere communi, uti querno conflata. Sic enim cadaver insuper forti acetô aut lixivio lotum in multum tempus asservabitur; modò calor ingens & colliquans non vigeat, aut non reponatur in loco calido & humido. Atque isthæc temporis & loci conditio in causa est, cur Principum & Regum cadavera, multa quantumvis arte & impensis condita in sex aut septem dies, quibus post condituram Populo spectanda servantur, antequam inhumentur, adeò gravem odorem spirent, ut eum nemo ferre possit, sic ut necesse habeant, plumbeo feretro recondi. Præsertim hoc fit, cum rerum aromaticarum liquore non antea imbuantur, & macerentur, quemadmodum Ægyptijs olim in more fuisse, dum in Salsilagine per septuaginta dies continebantur, veluti antea ex *Herodoto* prodidimus. Hâc ego ratione admonitus, soleo, quò conditura ad æternitatem melior fit, cadavera eviscerata & stylis acutis, quò altius in ipsa subeat liquor putredinem arcens, compuncta in cupam ligneam forti aceto decoctionis rerum aromaticarum, & amararum, uti aloës, rutæ, absynthij, colocynthidis plenam demergere, ibique ad viginti dies, affusis aquæ vitæ undecim vel duodecim libris continete mox exempta, & in pedes erecta loco sudo & sicco asservare, &c. Hucusque *Paræus*.

Paræo succedat *Balthasar Timæus* à *Guldenklee*, Vir in conditurâ cadaverum percelebris; Hic lib. 6. Epistol. Medicinal. Epistol. 10. p. m. 413. Filio suo, Dn. D. *Joh. Eduardo Timæo*, Amico olim meo Academico, sequentia scribit: Modus condiendi funera, quem ex me scire desideras, varius est, & pro arbitrio Parentum seu Cognatorum instituitur. Interdum totum cadaver, omnesque ejus ventres & artus artificiosè condiuntur, sæpe medius & infimus, nonnunquàm tantùm infimus venter exenteratur, remediisque convenientibus à putredine & corruptione præservatur; quæ & ipsa varia sunt & diversi generis. Alij sola aloë & Myrrha, alij Spiritu Vini, alij acetô & sale, alij lixivio & calce viva, alij pulveribus compositis, oleis destillatis, unguentis & balsamis utuntur.

Ego Illustrium quorundam conditurам sequenti modo adornavi, cui etiam nunc inhæreo: Primò de instrumentis, aliisque rebus ad hanc operationem pertinentibus prospicio, quales sunt cultelli, novaculæ, forfices, volsellæ, styli, acus, filum, uncinus, habenæ, fasciæ, serra, spongiæ, stuppæ, linteola, acetum, aqua vitæ, aqua salsa, tela cerata, olea, balsama, pulvis magistralis infra descriptus, &c. His omnibus rectè dispositis cadaver Vino calente à sordibus externis benè detersum & mundatum locô congruô collocari jubeo, ventremque infimum decussatim secundùm longitudinem & latitudinem incido, & intestina cum Mesenteriô, stomachum, renes, lienem, vesicam, uterum eruô, & ministrante Chirurgô exprimo. Mox & medium ventrem, sive Thoracem aperio, & pulmones cum corde, venis, arterijs, diaphragmate, Oesophago, ad epiglottida usque exscindo; vasaque omnia diligenter exprimo. Deinde totam illam ventris & thoracis cavitatem primò aqua frigidâ eluo, spongiisque probè detergo; hinc acetô acerrimô, & tandem aquâ vitæ vel Spiritu Salomonis, qui ad arcendam putredinem & corruptionem efficacissimus est. His præmissis pulverem infra descriptum partibus omnibus inspergo, & fortius infrico, ac deinde faldellas è stuppa vel gossypiô aquæ vitæ immersas undique applico, inspergoque denuò pulvere totam & ventris & thoracis cavitatem adimpleo, ac demum cutem, quæ scissa est, consuo.

Capitis conditurам sic instituo; Cranium serrâ acutissima circulariter separo, vel à vertice tantùm versus occiput aperio; mox Cerebrum eximo, & cavitatem eôdem modô, quô ventrem, primô aquâ frigidâ, deinde acetô, tandem aquâ vitæ vel spiritu Salomonis probè eluo, spongiisque abstergo, & pulvere, stuppisque repleo. Fauces per syringam probè repurgatas pulvere caryophyllorum & cinamomi infarcio, Faciem Balsamô *Peruviano* vel Spiritu Salomonis largiter & repetitim illino.

Tandem partes musculosas & carnosas profundis incisionibus, potissimum circa nates, femora, suras & brachia divido, diligenterque lotas & expressas pulvere infra descriptô conspergo. Postremò omnium cadaver linteo incerato adhuc calente involvo, & pice navali, vel resina pini & styrace liquida ad ignem fusis illino. Si in longius tempus cadaver asservandum est, partes carnosæ submoveri, & unà cum interioribus sepeliri debent. Si cor ex Amicorum placi ô vel sedi suæ restituendum, vel in capsula seorsim custodiendum est, abluatur primo aqua nostra balsamica ex aloë & myrrha, postmodùm Spiritu Salomonis, & tandem Balsamo Peruviano illinatur.

Cœterùm & hæc observanda: 1. conditurам à morte defuncti maturandam, nec ultra diem naturalem, præsertim æstuante cœlo, differendam. 2. Cadaver etiam loco frigidô, nec radiis Solaribus exposito asservandum. 3. Nec cistæ ligneæ, sed plumbeæ & supra hanc stanneæ vel argenteæ includendum. Lignum enim facilè teredinem vel cariem contrahit, & in locis subterraneis & humidis protuberat, cistasque seu stanneas, seu argenteas, qua parte ferruminatæ sunt, dissolvit. 4. Omnia circa conditurам fideliter & summo studio peragenda sunt, ne putridum quid postea exhalet, & fœtore suo vel Amicos, aut quibus custodia aut funeris cura demandata est, offendat; id quod non sine ignominia magni cujusdam Medici factum, memini. 5. Tandem & ipsi, qui circa operationem hanc occupantur, sibi caveant, ne quid damni ab effluviis & vaporibus à putrida viscerum corruptorum labe exhalantibus, capiant; præsertim cùm eorum corpora, quæ morbo aliquo contagioso, aut Phthisi; vel empyemate interiere, sunt condienda.

Æstate fiat hæc operatio in conclavi ventis pervio, & quâ *Boream* spectat, fenestris apertis, *Hyeme* lucente caminô, accensis lignis fraxineis, vel quercinis, aut juniperinis, minimè verò in Hypocausto. Aggressurus hunc laborem assumat aliquid ex alexipharmacis, quibus cor & cerebrum adversus exhalationes noxias præmuniat.

Nares etiam Balsamo aliquo inungat, vel spongiam aceto bezoardico imprægnatam admoveat, in ore trochiscos de Zedoaria, de corticibus citri, vel alios præservantes detineat. Vel si nihil horum ad manus fit, saltem aliquid cibi, vel buccellam panis vinô intinctam capiat. Commodiùs puto sectionem à ven-

ventre infimo, quam à medio exordiri; & à calce vivâ, alijsque corpora non asservantur, sed consumuntur;

Pulvis pro implendis cavitatibus calvariæ, thoracis, abdominis: Recipe Myrrhæ electæ libras 4. Croci sylv. lib. 2. styrac. calamitæ lib. 2. cinamomi acutissimi, lib. caryophyllor lib. 2. aloes caball. l. 5. rorismarini siccat. lib. 2. Thuris lib. 1. fol. lauri arid. rosarum rubr. ana lib. semis, incidenda incidantur, fiatque pulvis grossus. Sparadrapus pro involvendo corpore, interiusque obducendo capulo: Recipe Ceræ flavæ lib. 25. Terebint. Venet. Colophoniæ, resinæ ana libras tres, Picis navalis libras duas semis, viridis æris libram unam, Thuris, styracis liquid. ana libras duas, olei spicæ libram semis; Liquefactis & mixtis adde sevi libras duas, vel quantum sufficit, mixturæ huic immergantur telæ lineæ, & fiant sparadrapi. Pulvis sparadrapis inspergendus: Recipe Absynthij vulgaris, abrotani, lavendulæ, rorismar. fol. lauri ana manipulos sex, salviæ, majoranæ, ocymi, origani, thymi, saturejæ, hyssopi, flor. chamomill. ana manipul. tres, radic. ireos Florentinæ, libras quatuor, calami aromatici, angelicæ, cyperi, cortic. aurantiorum, citri ana libram unam, ligni rhodij libras tres, Juniperi, sassafras ana libram unam semis, santali citrini, ligni aloës ana libram semis, cinamomi, caryophyllorum ana libram unam, florum rosarum rubrarum libras duas, Aloës, myrrhæ, thuris, styracis, benzoes optimi ana libras duas, salis libras quatuor, misceatur, fiat Pulvis qui irroretur olei spicæ librâ semis. Recipe olei roris marini, ligni rhodij ana uncias tres, caryophyllorum unciam unam; misce exactissimè pro Balsamo. Recipe styracis liquidæ uncias sex, Balsami Peruviani uncias duas, olei macis unciam semis, ligni rhodij unciam unam semis, M. F. Balsamus.

Tertius ordine nunc prodeat *Melchior Sebizius* verus ille, si à *Daniele Sennerto*, communi illo Præceptore discesseris, Germanus *Hippocrates*. Hic in adcuratè elaborata disputatione de conditura cadaverum Humanorum varia è varijs Autoribus antiquis recentioribus hanc rem concernentia curiose collegit, quæ quidem partim è duobus modò præmissis Medicis jamdum adducta sunt, atque è meis supra hinc inde allegatis patescunt; partim verò heic subjungam; præcipuis tamen saltem propositis, ne inutili ac tædiosa repetitione molesta pariatur nausea Lectori.

Dividemus autem è laudato *Sebizio* producenda in materiam & modum condiendi. Materiam dicit esse quintuplicis generis; primò enim pertinet ad cadaveris macerationem seu infusionem, 2. ad ejusdam ablutionem, 3. ad impletionem & infarctum, 4. ad illinitionem externam, 5. ad fragrantiam & odoris suavitatem comparandam.

I. Macerationis materiam, quæ ideò requiritur, ut diutiùs à corruptione corpus præservetur, dicit esse variam, nimirum muriam, vel salsaginem, hoc est, liquorem è sale resoluto, lixivium forte, acetum acerrimum, item Spiritum Vini fortem. II. Materia pro cadaveris ablutione tàm externa, quam interna itidem est aqua frigida, aqua salsa, lixivium, acetum acre, in quô parum aluminis vel salis dissolutum est, & aqua vitæ. III. Materia pro infarctu & balsamatione, ut & pro illinitione atque odoris suavitate conciliandâ, iterum varia est, & multiplex, stuppæ scilicet cannabinæ, atque gossypium, quæ Spiritu Vini imbuuntur, exprimuntur, ijsque cavitates cadaveris replentur, ubi prius pulvis putredinem inhibens inspersus est, & fortiter infrictus.

Petitur verò materia hæc à pluribus speciebus medicamentosis, nimirum ex aromatibus, præcipuè cinamomô, cassia lignea, caryophyllis, nuce moschatâ, macis, cubebis, cardamomo utrôque, galanga, piperibus, *Zingibere*, crocô, &c. item è l[illegible] s & gummatibus, mastiche, thure, myrrha, styrace, calamita, benzoë, camphora, pice; item è succis inspissatis aloës succotrinæ, acaciæ; item è radicibus, ubi præ alijs valent radix gentianæ, aristolochiæ rotundæ & longæ, pimpinellæ, dictamni Cretici, Iridis Florentinæ, cyperi rotundi, helenij, cardui benedicti, caryophyllatæ, angelicæ, imperatoriæ, mei, calami aromatici, *Zedoariæ*, tormentillæ, bistortæ, galangæ, pyrethri, peucedani. Item ex herbis, scordio, absynthio, matricariæ, botryos, carduô benedictô, abrotano, artemisiâ, marrubio, chamædryos, chamæpy hios, rutâ, salviâ. Item è floribus rosarum, lavendulæ, spicæ, nardi celticæ, chamomillæ, meliloti, caryophyllorum, roris marini, stœchados arabicæ, stœchados citrinæ, tanaceti, cheiri, summit. anethi, fœniculi, item è fructibus, baccis lauri, juniperi, myrthi, nucis cupressi, colocynthide, gallâ; item è seminibus anisi, fœniculi, ammeos, apij, carvi, coriandri, cumini, amomi, sileris montani, nigellæ, lupini; item è corticibus citri, aurantiorum, limoniorum, citriorum, granatorum; item è Lignis, santalo rubro, citrino, albo, Xyloaloë, guajaco, sassafras, rhodio, cupressi, cedri, ebeni, buxi, juniperi; item è fossilibus & mineralibus corporibus, calce, sulphure, sale gemmæ, gypso, succino; Item è succis concretis, sale, alumine, nitro, tartaro; item è resinis, abietinâ, laricea, cedriâ, si haberi potest. Simplicia, quæ odoris gratiâ in feretrum conjiciuntur, sunt tum multa è jam dictis, tum etiam rosmarinus, lavendula, spica, thymus, origanum, calamintha, satureia, hyssopus, melissa, mentha, menthastrum, nepetha, basilicum vulgare, caryophyllatum, & citratum, pulegium, polium, serpillum, folia lauri & myrri, Olea destillata, & inde parata balsama, fragrantiæ causa illinuntur, oleum lavendulæ, spicæ, majoranæ, salviæ, nucis moschat, rosarum, rorismarini, cinamomi, caryophyllorum, anisi, fœniculi, benzoini, storacis, carvi, corticis aurantiorum, citri. Ex oleis coctis vilioribus eligi poterunt odoratiora, ut oleum anethi, majoranæ, menthæ, salviæ, nardi, ijsque tum terebintina, tùm olea destillata, & balsama misceri.

Cadaver maceratum, infarctum & illinitum immediate tegit atque involvit linteamen. Mediatè verò idem operit tela cerata & loculus è cupro, stanno vel plumbo facta, quæ includenda alij feretro ligneo, probè undiquaque obturato, aut pice lutato.

Ipsum verò condiendi modum quod concernit, balsamatio administretur à Medico aut Chirurgo ejusmodi actui assueto, & materiei ad condituram necessariæ gnaro, instrumentisque sufficienter instructo. Imperitus enim & minus exercitatus condiet ita cadaver, ut brevi tempore putreat, cum dedecore & ignominiâ propria, Hæredum indignatione, specierumque aromaticarum jacturâ.

Ad præcautionem, ne ab atomis putridis inficiantur Balsamator, ministri & adstantes, quinque præsidijs sese muniant, nimirum esculentis, potulentis, sublingualibus, odoramentis, & suffitu. Esculenta sunt confectio alchermes, confectio de hyacintho, Theriaca, Mithridatium, antidotum Mathioli, Diascordium Fracastorij, cortices citri conditi, aurantiorum, nux moschata, calamus aromaticus, nux juglans, radix helenij, pimpinellæ, scorzoneræ, omnia condita; Conserva rosarum, violarum vitriolatæ, acetosæ, citri, flor. citri, florum aurantiorum; Potulenta sunt Vinum creticum, Vinum Hippocraticum, Spiritus vini, Spiritus anisi, fœniculi, aqua theriacalis cum aceto, aqua theriacalis cum vino, Syrupus acetositatis citri, corticis citri, limonum, granatorum. Sublingualia, & quæ in ore detinentur sunt trochisci sublinguales, radic. angelicæ, helenij, imperatoriæ, petasitidis;

dis, *Zedoariæ*, cortices citri, aurantiorum, calamus aromaticus, acorum verum, cinamomum, caryophylli. Odoramenta naribus illinenda sunt Balsamus apoplecticus, citri, succini, rutæ, angelicæ, corticum aurantiorum, citri, anisi, fœniculi, salviæ, rorismarini, pulegij, menthæ, majoranæ, lavendulæ; Acetum rutæ, rosarum, calendulæ, Bezoardicum.

Naribus sæpè applicentur Fasciculi ex herbâ melissæ, rutæ, menthæ crispæ, menthæ rubræ, basilici, pulegij, serpilli, thymi, majoranæ, rorismarini, lavendulæ, saturejæ, hyssopi, fl. rosarum, violarum, citri, aurantiorum; Suffitus parentur è succinô, thure, storace, benzoë, lignô Juniperinô. Accendantur candelæ pro fumô officinales, Trochisci pro fumô Regis Hispaniæ. Tandem tela cerata sic paretur: Recipe ceræ novæ libras quatuor, resinæ pini, terebintinæ anâ libras duas, gummi arabici uncias octo, liquentur unà, & linteamen immergatur.

Quæ hactenus proposuimus de conditurâ, præsupponit laudatus Sebizius, eam esse defuncti conditionem, easque facultates, ut nihil desiderari possit eorum, quæ ad sumtuosiorem operosioremque modum requiruntur, Cùm pauperum pollinctura seculis ultimis desierit, de hâc nihil hîc differendum ampliùs, sed ad præcedentia benevolum Lectorem remitto capita.

Addit verò *Sebizius* Noster, in Urbium obsessionibus aliquando requiri conditurам Ducum Belli; Cùm autem tunc ut plurimùm deficiat odoramentorum & aromatum copia; Ideòque contenti esse tenemur pulvere ex calce extinctâ, & cineribus quercinis, utpote præ alijs magis exsiccantibus. Cadaver tamen priùs forti acetô, aut lixiviô lavandum, & conditum in locô frigidô asservandum. Sufficere item posse, inquit, salituram illam quâ mactatorum pecorum corpora saliri solent, ut putredo arceatur.

Gregorius Horstius, Sen. Lib. 3. observation. Medicinal. in appendice ad observ. 9. f. m. 130. talem describit mumisandi rationem: Cum Nobil. à *Lehrbach*, Mareschalli *Darmstadini* corpus ad sepulturam esset condiendum, modò sequenti sumtibus non admodum operosis id ipsum fuit peractum: Recipe Vini sublimati mensuras 2. pro abluenda post exenterationem tota cavitate interiore pectoris & abdominis, quæ statim post factam ablutionem terebinthina undiquaque adspergatur, ut pulveres & herbæ injiciendæ meliùs adhærent, & sequentibus impleatur: Recipe fol. rorismarin, lauri, hyssopi, absynthij, mentæ, rutæ, salviæ, serpilli, pulegij, origani, scordij, flor. rorismar. rosarum, lavendulæ, chamæmeli, stœchados, Spicæ ana M. 2. semin. carvi, fœniculi, ana libram semis, radic. gentianæ, caryophyllat. angelicæ, valerianæ, ana libram unam, incidantur crassiusculè. Tunc recipe Aloës lotæ libras duas, myrrhæ, libram semis, mastichis, thuris ana uncias duas, benzoës, styracis, calamitæ, ladani, cinamomi, caryophyllorum, macis nucis moschatæ, Croci ana unciam unam, mumiæ uncias duas semis, grosso modo contusa misce, & cum præcedentibus hæc omnia capacitati injiciantur, corpusque suturis occludatur, ac sequentibus oleis totum inungatur: Recipe olei absynthij, rutæ, spicæ, chamomillæ ana uncias quatuor, juniperi, laurini ana uncias duas, petroselini unciam unam semis, terebintini unciam unam. Ad incerationem indusij, quô corpus post inunctionem induatur, Recipe Terebinthinæ libras tres, ceræ libras quindecim, dissolvantur cum oleô pro cerato. Pro replenda capacitate narium ac aurium, Recipe olei nucis moschatæ, expressi unciam semis, stillatitij caryophyllorum unciam unam semis, misce.

Wolffgang. Hœferus, Hercul. Medici lib. 5. c. 2. p. m. 248. hæc Posteritati reliquit: Sequentem Balsamationis methodum vidi *Ingolstadij*, cum in prælio *Nordlingensi* egregius Heros, *Montecuculi*, occubuit; cujus cadaver à Parente meo pro itinere in *Italiam*, & ulteriore etiam duratione sic fuit præparatum: Primò exemta viscera omnia, cum corde, pulmonibus, cerebrô, oculis; tota cavitas vino lota, deinde adspersa terebintina cocta; Pulveres erant compositi è myrrhâ, aloë, thure, mastiche, succino, mumia, benzoë, ladano, croco, & reliquis aromatibus, quibus omnibus crasso modo contusis, & manipulatim inspersis superadditæ fuerint herbæ siccæ, & crassiuscule incisæ, ut universa cavitas, postea consuenda, impleretur. (Herbas antea nominatas hic non repetimus) Caro autem musculosa per longitudinem incisa pari modo Spiritu Vini lota, oleis inuncta, terebintina adspersa, & supradictis pulveribus, tamen sine herbis, repleta est. Totum denique corpus fascijs inceratis obductum, servatis artuum figuris, statuæ cereæ similitudinem repræsentavit. Cavitates verò oculorum, narium, aurium & oris pretioso balsamo ex oleo nucis moschatæ, caryophyllorum, cinamomi, succini, rutæ, Balsamo *Peruviano*, moscho & ambrâ implevimus & obturavimus. Possunt etiam similibus oleis, addito oleo spicæ, terebintinæ, & similibus cavitates & incisuræ musculorum priùs inungi loco terebint. coctæ, antequam pulveres & herbæ inspergantur.

Hieronymus Reusnerus. in Observat. & curat. Medicis, Observat. 200. p. m. 105. (quas edidit, de re Medica optime meritus *Georg*, *Hieron. Velschius*, Collega noster honorandus, b. m.) proponit methodum, quà *Joh. Stœkelius*, Professor in Academiâ Julia cadaver Sereniss. *Principis Brunsvicensis Sophiæ* condiverat; additque aliam, qua ipse in multis Nobilibus usus est. Cum autem ab hactenus dictis non adeò multum differant, speciatim omnia enumerare supersedeo; saltem hoc addens, laudatum Dn. *Velschium* meminisse, quod servet singularem Tractatum manuscriptum de conditura cadaverum à *Reusnero* nondum editum, cui, si fortè expeteretur, plurima alia exempla, quà Veterum Mumias & Taricheumata, quà etiam recentiorum, nostrique seculi consuetudines, cum necessarijs quibusdam animadversionibus addere posset. Verùm Fati inclementia factum est, ut immaturum incomparabili *Velschij*, Academici curiosi primarij, obitum dolore cogamur, eô tempore, quò sperabamus fore, ut Collegio Nostro, totique Reipublicæ literariæ de tot ac tot promissis ipsis scriptis lucernam olentibus tandem editis gratulari porrò potuissemus!

Rolfincius, Lib. de Purgantibus vegetabilibus, Sect. 1. Artic. 2. cap. 44. p. m. 68. elegantem mediocris impensæ proponit modum, & præcipuè simul quoàd cultum externum nonnulla nondum proposita. Ne autem in allegandis Autorum exemplis nimiùm sim largus, & tædiosus, Lectorem ad Autorem ipsum ablegatum volo, cum dictus Tractatus in plurium versetur manibus.

Philippus Guibertus, in Medicô suo officioso, p. m. 702. sequ. docet non minùs methodum condiendi cadavera adcuratam, rarosque Balsamorum, & acetorum adplicandorum describit modos quæ omnia cùm sint nimis copiosa & ampla, hic describere non consultum videtur; sed ad Autorem ipsum Lectorem benevolum itidem remitto, Peraguntur tamen omnia per solitas, easque frequentissimas incisiones, non modò partium ex ventribus singulis extractione; sed etiam sanguinis, ubicunque latuerit, expressione. Quamvis mirari satis nequeam, cur tam laboriosus sit in tradendis regulis balsamatorijs per incisiones dictas & exenterationes perficiendis, cùm tamen p. m. 708. sequentibus utatur verbis. *Domi-*

nus Guillemeau, Chirurgus Regius ordinarius, Tractatu de modo corpora mortua condiendi rationem conditura describit citra incisionem & evisceratio-nem, ut integra serventur, quam se observasse tradit in *Belgio*, in cujusdam illustris viri corpore, cujus affines expetebant, ut integrum in *Hispaniam* veheretur. Modus id præstandi, inibi patet; quò Lectorem ablego. Quamvis autem diversa hujus Autoris scripta laude digna vel ipse possideam, vel apud Amicos viderim, v. g. *De la Grossesse & accouchement des femmes*; item *Traicté des abus, qui se commettent sur les procedures de l'impuissance des hommes, & des femmes*; item *Aphorismes de chirurgie, tirés d'Hippocrate, avec les commentaires*; Item, *Question Cardinale*. Tractatum tamen à *Guiberto* citatum nullo modo alicubi, imò nec in adcuratissimô *Lindenij* de scriptis Medicis Librô offendere licuit, nec ulli Amicorum de hoc quiquam constat.

Joh. Jessenius à Jessen, in appendice Institutionum chirurgicarum p. m. 105. describit duas condiendi methodos, quarum una secundæ illi *Ægyptiorum* ex *Herodoto*, Capite præcedente adductæ bonam partem conformis est; Breviter tamen & sine necessarijs enchirisibus rem pertractat verbis sequentibus: Duplex est condiendorum cadaverum modus, unus, ut clysteribus acribus è colocynthide & borrace, capite declivi collocatô, injectis; dein in pedes conversô cadavere, ejusque ventre compresso, excrementa protrudantur; mox aliô clystere ex aloë, myrrha, acaciâ, gallia moschata, nuce cupressi, santalis, ligno aloës, sale, alumine, aceto dissolutis injectô anus stylo & stuppis eôdem medicamento imbutis obturandus, fasciaque obligandus; Naribus verò, auribus & ori argentum vivum instillandum. Postea sparadrapô è pice nigra, resina, colophonia, thure, mastiche, styrace, gummi arabico, tragacantho, alijsque putredini resistentibus pulveribus totum corpus involvendum. Et primò quidem quodlibet crus separatim ab nates usque & dein brachium singulum usque adhumeros, postmodum universum corpus vinctis secundum longitudinem pedibus, & lateribus adactis brachijs ad caput usque colligandum, suatur autem diligenter sparadrapus, sututæque pix illinatur; poteritque pluribus hujusmodi sparadrapis corpus circumdari; postremo fortissimis fascijs deligari, sindoneque involvi. Demum feretro stanneo aut æneo, odoriferis herbis referto excipiendum cadaver. Et hic modus est primus. Alter vero sic peragitur: Per apertum ventrem viscera omnia extrahuntur, aromatibus locus expletur. In syncipite quoque cranium perforatur, cerebrumque omne eximitur, oculis incisis humores effunduntur. Ultimò brachiorum & crurum ea loca, ubi vasa grandiora, vulnerantur, reliquumque sanguinis exprimitur.

Prior ratio macilentis & hyberno tempore convenientior; alter verò in æstate & ventricosis. Sed ut istud etiam obiter hoc loco admoneam; evenit quibusdam cadaveribus adeò inflari ventrem, ut contineri loculô nequeat, qui ut subsideat, acuto stylo aliquoties compungendus. (Hâc de re caput sequens meam mentem deteget.)

Varia adhuc de Condituris, breviora tamen, enumerantur.

Quæ largioribus verbis & prolixis ferè ambagibus è *Paræo, Timæo, Sebizio, Horstio, Reusnero, Rolfinccio, Guiberto, Hœfero, Iessenio*, jam protuli, non forte fortunâ, sed datâ operâ factum est, & quidem partim ideò, ne curiosum Lectorem lateat, quibusnam vijs ac modis posteriorum seculorũ Medici cadaverum condituras exercuerint, cum varia, eaq; specialia satis de antiquâ *Ægyptiorum, Arabum, Ebræorum*, diversarum-que aliarum Gentium pollincturâ ruminando declaraverim. Partim verò, ut inde elucescat, quàm speciosô sumtu, quamq; laboriosâ industria, pro testando submissô in Magnates cultu, hac in operatione Antecessoribus voluerint esse pares, si non superiores; præcipuè cum unusquisque citatorum Autorum ad minimum nonnulla peculiaria, & ab alijs diversa producat.

Quamvis, si scapham scapham nominare velim, moderna in Mundi Proceribus, alijsq; cadaveribus facta conditura cum *Ægyptiacâ* veteri neutiquam sit comparanda. Præter id enim, quod & in vetustâ, & in recentiore interiora removeantur, in reliquis magna adest disparitas, tùm quoad species cõdientes, tum quoad modum adhibendi, ut & reliquum apparatum, utpote quæ in recentiorum balsamatione sunt insufficientes ad plenariam corporis humiditatem absorbendam, duramq; siccitatem inducendam; unde posteà in hac quoq; veteribus solita tàm longa perennitas minime est speranda atque expectanda.

Nunc quoque subnectam quædam è nonnullis Neotericis; quæ ex eorum scriptis ad rem conditoriam spectantia sparsim collegi. Hæc vel congruunt, aut collimant ad methodos modò propositas, vel alios ad modos ijsdem analogos quadrant.

De mumijs integris, vel earum partibus asservatis varia demonstrat exempla Catalogus Theatri anatomici publici *Lugduni Batavorum*, item vitrum materiam balsamantem continens; quæ ibidem poterunt videri.

Franc. Baco, Baro de Verulamio, in sylva Sylvarum, vel Hist. Naturalis centur. 8. experiment. 771. fol. m. 913. sequent: nervose & vere Physice philosophatur, quomodo Putredo diutiùs prohibenda & cadaver longius incorruptum servandum, dum inter alia inquit: Si tria putrefactionem causari solita prohibeantur, penitus arceri poterit corruptio: Primum est, ut excludatur aër, qui corpus tacitè subruit, & cum ejus spiritu in dissolutionem quasi conjurat. Secundum, ne corpus quod in ambitu est, aut adjacet, ejusdem sit materiæ, sed heterogeneum plane, quoad corpus conservandum. Sic enim alterum nihil recipere, ex altero nihil progredi potest. Unde statuitur, corpora in *ambra splendente, Mercurio, balsamo, succino, cerâ, melle, gummatibus, & forte nivium* conditorijs diu servari. Tertium est, ut corpus conservandum, non sit ea mole, ut sponte diffluere possit in corruptionem etiam nihilô egrediente in adsitum corpus. Ideò illud tenue potiùs, & parvum sit oportet, quàm vastum. Datur & quartum adjumentum, nimirum, ut corpus continens sit præditum facultate attrahendi & exsiccandi humidum corporis contenti, ne putredo interiùs inchoata invalescat.

Georg. Hornius, Histor. natural. & civil. Lib. 1. cap. 9. p. m. 29. statuit, corpora Humana altiùs sub Terra defossa non putrescere; producitque testimonium *Felicis Plateri*, Centur. posthum. Quæstion. 9. *Falsam Magnatum persuasionem hic videre licet, qui naturali hâc corporum à putredine vindicandi ratione neglecta, artificiali per balsama utuntur.* Hæc uberiùs explanata vide apud *Ioh. de Mey*, Physiolog. Sacræ Loc. 30. super *Genesios* cap. 50. p. m. 86.

Morhofius, in Epistola ad *Langelottum* de metallorum transmutatione p.m. 49. 50. rarissimæ ac jucundissimæ infantium cadavera condiendi meminit methodi, ita loquens: *Cùm Amstelodami viverem, vidi apud Theod. Kerkringium insigne artificium solo ignis ministerio, nec ulla re alia addita, solvendi succinum. Nam ostendit mihi cadavera infantum succino obducta, ut omnia membra transparerent; monstravit etiam Phiolam tali succino soluto, iterumque coagulato impletam. Quam splendidè* (addit) *jam Magnatum cadavera condiri, ac à putredine præservari possent! Nam citra ullam eviscerationem corporum contra*

tra omnem injuriam aeris & humorum nova hac è succino tunica quasi cataphracti jacerent.

Paracelsus, Tom. 7. Oper. Tract. de sale communi, p. m. 82. 83. non modò laudat *salis communis* efficaciam pro corruptibilitate variarum rerum arcenda aut suffla minanda; sed & præcipue raras *salis sui enixi* vires evehit; dum in hæc erumpit verba: Sal crudum multum præstat; si verò sal enixum conficitur, tunc conservat res omnes tempore incredibiliter longo. In hoc quoque lignum lapidescit, limus petrescit; folia arborum viriditatem non amittunt; & quicquid sale enixo adspergitur, mutationis est expers. In conservatione æquippollet balsamo, imo illum superat; omnia enim successu temporis coagulat in formam lapideam. Quamvis etiam sal enixum exsiccetur, abeat, evanescat; tamen res adeò est coagulata & firma reddita, ut in terrâ, aqua, & Aëre sit durabilis.

Ioh. Rudolph. Glauberus, Oper. Chymic. Tom. 1. Tract. de *natura salium*, p. m. 490. sequu. hæc habet: (verbis tamen magis contractis eadem proponam, cùm brevitas nauseæ legentium sit antidotum) *Paracelsus* dicit, *sal enixum* suum præservare omnia, quæcunque ipsi immittuntur, ab interitu longissimo tempore, tandemque eadem in lapides convertere, quod meum *sal mirabile* itidem præstat, & adhuc plus decies majora. Antequam autem virtutes *Salis* hujus *mirabilis* enarrem, commodum erit priùs significare, quod similia *salia* hinc inde in *Mundo* à Natura sub Terra præparentur, atque per aquaticos rivos nobis adducantur. Similes fontes in *Germania* nostra dantur non pauci, de quibus consulendi *Georg. Agricola*, *Casius*, &c. si modò illi curioso observarentur. Talis fons reperitur in *Helvetia*, qui ligna certo temporis spatio ipsi imposita in durissimos mutat lapides. Ego huncce fontem quidem non vidi; vidi tamen *Basileæ* infantem apud Dn. *D. Exium* quem à patruo ipsius, seniore. *D. Exio* b. m. acceperat; dictus infans in vitro capaci sellulæ insidens, ac peculiari aliquo liquore superfuso ad hanc ipsam horam usque incorruptus mihi monstrabatur. Perhibebatur, eundem esse putrefrctum; quod tàm certè asseverare nequeo; Hoc tamen vidi, quod dicto modo infans sedeat, corpore bene disposito, quasi recens natus. Viginti jamdum transiere anni, cum huncce ita conspexerim. Eo autem tempore 10. ad 15. annos sic liquori illi insederat; ac non ita pridem intellexi, jamjam eundem hoc modo adhuc esse conspicuum. Quânam autem aqua dictus *D. Exius* senior infantem humectaverit, an hauserit è fonte vi lapidificâ pollente; an verò artificiose composuerit, nemini plane constat.

Ut ad ipsum *sal mirabile Glauberianum* redeam, notum est, illum, seu secretum maximum aliorum cognitioni illud subtraxisse; Proinde Lectori non ingratum fore censeo, si ejusdem præparationem, qualis mihi per D. *Matth. Zittemannum*, Chymicum *Lipsiensem* solertem, aliisque innotuit, fideliter communicem, ea autem est talis: *Salis communis libra una solvatur in aqua in cucurbitâ terreâ, misceatur olei Vitrioli libra una; imposito alembico optimè lutato destilletur è capella in arena igne primum leni, deinde fortiter aucto, & descendit tibi Spiritus salis in cucurbitæ fundo remanens caput mortuum solvatur, filtretur, coaguletur, purificetur, ceu norunt Artis filij, & obtinebis dictum sal mirabile.*

Olaus Borrichius, in Centur. 3. Epist. Medicinal. *Th. Bartholini*, Epist. 89. p. m. 385. tale fert judicium de *Sale mirabili Glauberiano* sal illi *mirabilis Glauberi* supra communem salium purgatorum sortem non multum videtur eminere, quantumcunque ultimis scriptis ampulletur. Embryonem tamen humanum in eo, sed aqua dissoluto conservat clariss. *Sylvius*; Et glandulas aliquot in cartilaginis æmulam substantiam convertit hîc *Gottvaldus*, Dantiscanus. Sed speraverim hæc ab alijs etiam salibus, legitimo item Spiritu vini alcoholisato aut æque prompte, aut forsan feliciùs posse præstari.

Frigus quoque intensum & nivem copiosam à cadaveroso interitu præservare per tempus, certum est; audiamus verba Viri de re Medica summè meriti *Thom. Bartholini* Observ. de *nivis* usu Med. c. 12. p. m. 79. eque ita differentis: Hoc nivium tumolo sepulti in *Helvetia* ad tempus Æstatis delitescunt, qua soluta non nihil nive decidua, corpora mortua inviolata patent, si ab amicis vel transeuntibus quærantur. Vidimus ipsi triste hoc spectaculum; & *Nicol Monardus* de nive observavit, corpora Humana & animantium congelata sub nive reperta, ut videantur condita.

Qui *Spizbergâ*, *Groenlandiæ* parte, ad Nos redeunt Mercatores *Haffnienses*, testantur, nihil ibi ob frigus intensum putrescere aut corrumpi, ut etiam sepulta cadavera per 30. annos inviolata & integra sine putredine conserventur. Et pag. 81. cur congelata non putrescant, si quæras, prompte nonnulli ad siccitatem, calorisque defectum provocant. Durum est ex *Aristotele*, quod congelatum est, quod autem concretum est, siccum est. Nix quoque instar arenarum *Ægypti* cadavera siccando à putredine defendit. Et pag. 82 frigori tamen potiores deferendæ sunt partes, cum siccitate. Hinc etiam sine nive animalium corpora à frigore perennant.

Joh. Joach. Becherus; Physic subterran. lib. 1. Sect. 5. cap. 1 accuratè philosophatur, quomodo aer calidus-humidus maximè ad putrefactionem faciat; contra aer frigidus-siccus, & calidus-siccus eandem impediat; ubi varia de putredine corporum occurrunt lectu digna; qui poterit consuli, cum allegatorum necessariorum numerus jamdum hîc excreverit & excrescat.

Philippus Camerarius, Horat. subcisivar. Cent. 1. c. 14 p. m. 8. sequu. narrt, se vidisse *Venetiis*, apud Nobilem *Lauredanum* nonnullas imagunculas æreas, quæ reperiuntur in conditis *Ægyptiorum* defunctorum cadaveribus; statuitque, easdem non tàm ex superstitione, veluti idola, esse immissas; sed alia peculiari ratione corporibus esse inlutas. Nimirum asserit, *Ægyptios* experientia fuisse edoctos, æs non tantùm seipsum à putredine & ærugine quam diutissimè conservare; sed etiam adversus putrescentia peculiarem quandam vim habere, istasque æreas incunculas cadaveribus insuisse, ut diutius à putredine asservarentur; cum præsertim ob hanc rem etiam acutos mucrones æreos cadaveribus fuisse infixos, testetur *Pierius* in Hieroglyphicis. Num dictæ æreæ icones cadaveribus ab *Ægyptiis* inserræ putredinis inhibendæ gratia fuerint immissæ, & an illud præstare valuerint, vix credent viro de Orbe literatô aliàs optimè merito rerum physico-Medicarum gnari; Siquidem ipse egomet è propriorum experimentorum hactenus hoc in opere institutorum fundamentis statuere cogerer, talis illud præstare neutiquam sufficere, etiamsi harum centum, imo mille ventribus immitterentur, vel corpori applicarentur. De rationibus in contrarium simul valentibus, jam nihil dicam. Majorem meretur fidem, ejusmodi idola fuisse inclusa ex superstione; præcipuè, cum horum plura *Isidis*, Deastræ illius *Ægyptiacæ* figuram, Autorum testimonio, præ se ferant.

Sed audiamus hac de re differentem *Ioh. Iacob. Chifletium*, Criteos historicæ de linteis *Christi* sepulchral. cap. 3. fol. m. 11. In corporum conditorum truncis frequenter latent icunculæ quædam sphæricæ, ac etiam minores, quæ corpus *Ægyptio* more conditum & linteis involutum egregie referunt. *Thevetus*, Colm.

Cosm. Orient. cap. 42. imagunculas illas vult esse signa Numinum, quæ quis defunctus in vitâ coluisset; A cujus sententiâ non multum abijt *Bellonius*, de Fun. med. cap. 4. *Goropius Becanus*, 7. Hieroglyphic. *Canopi* confert esse simulacra; *Guichardus*, lib. 3. Fun. c. 10. verò *Isidis* vel *Osiridis*. Ego in tanto discrimine quid affirmem? Verum forsitan, si dixero, imagines illas esse cadaverum conditorum Exemplaria. Favet Princeps *Radzivilus*, in peregrinatione sua *Jerosolymitana*, scrutatus ipsemet diligenter sepulchra *Ægyptiaca*: Idola illa, inquit, sunt ex argilla, cœrulei vel violacei coloris, ad unius digiti longitudinem; quædam etiam minora, formam infantuli fascijs circumligati, adjectis multis *Ægyptiorum* characteribus exprimentia. Qualia autem sunt idola, tali modô & ipsa corpora lineis sunt involuta, quæ ob antiquitatem adeo sunt marcida, ut papyrum combustam, quæ nigrescit, & facillimè diffluit, imitentur.

Alij mixturâ è calce vivâ & arenâ factâ putredinem coërceri, & sic corpora exsiccari, & suô modô condiri posse promittunt.

Oldenburgius, in Actis Philosoph. *Anglicanis*, Anni 1666. Thesi 1. p. m. 71. proponit celeberrimi *Rob. Boylæi*, modum præservandi à corruptione aves ovis exemtas, aliosque parvos Fœtûs; dum nimirum animalcula condituræ destinata aliquandiu detinet in communi spiritu vini ad abluendas solutiores sordes, quæ adhærent pullo ex ovô exemtô; postea aviculam injicit spiritui vini fortiori, admistô modicô spiritûs salis armoniaci ope calcis vivæ confecti.

Johan. Adamus Weberus, in Discurs. curios. & fructuosis, discursu 14. observ. 21. p. m. 225. hæc habet: Volens serpentes (idem est de lacertis, alijsque similibus reptilibus,) servare incorruptos, injiciat eos vivos in vas vitreum, amplùm & forte, vino adustô vel acetô fortissimô repletum, obturetque vas, ne elabatur; Mortui apparebunt vivi; & manebunt perpetuò incorrupti. Num promissus hic effectus tàm rarus, tamque egregius à dictis liquoribus sit tam constanter & diuturnè sperandus, licet per tempus sint ita duratura, similia corpuscula, judicandum relinquo sagacioribus; Ego pro mea tenuitate dubitarem.

Transmittit è *Batavia* magnus amicus, impiger naturalium scrutator, loco magni arcani processum aliquem Chymicum, hieroglyphicis & occultatis verbis descriptum; (cujus cap. 1. mentio facta) cùm autem prolixitatem odio prosequar, ijsque obscuri loquendi formulis nauseam Lectori excitem, placuit brevibus verbis saltem declarare eorum summam; ideoque dico, dictum arcanum consistere in hoc, quod Urina pueri decennis colligatur, Lunâ decrescente, & quidem sub signo virginis, vel in principio arietis, reponatur per mensem in fermentatione, postea methodicè destilletur, & optimè rectificetur; Servetur in cucurbita munita. Huic si injicitur quodcunque libuerit insectorum, Brutorumque minorum, inibique relinquatur, pristinum formæ innatæ vigorem longissimo tempore obtinebit.

Jul. Cæs. Baricellus, in Hortulô Geniali, p. m. 282. refert, miram esse saccari virtutem, in conservandis à corruptelâ adipibus. Cùm enim Hyeme quadam gallinarum adipes saccaro albo benè obvolutas in vasculo reposuisset, ejusdem Filia, Æstate subsequente illud reperit oleô semiplenum, adeò pellucidô, ac colore, odoreque eodem, quo recentes fuerunt clausæ. Insimul addit, se ab Amico Chirurgo intellexisse, adipem Humanam sacchario convolutam per longissima tempora à carie & rancore præservari, putatque in omnibus animantium adipibus id evenire. Quare concludit, & credit, Magnatum cadavera condienda meliùs saccharo impleta, quam aromatibus posse conservari, & quidem eò magis, quia hoc præsidio corpora in proprio colore consisterent.

Idem ferè statuit *Joh. Joach. Becherus*, in adcuratâ suâ *Physicâ Subterraneâ*, lib. 1. Sect. 5. c. 1. p. m. 318. inquiens: Saccharum multò meliùs à putredine præservare varia corpora, quam Sal. Cum enim Saccharum in suis partibus temperatum existat, nullam in corporibus reactionem, alterationem, aut intrinsecam mixtionem facit, veluti sal commune; sed eâ tantum præservat humiditati influenti resistendo & internum Balsamum confortando. Sed ampliora videantur apud Autorem ipsum.

Quomodo alaudæ, aliæque aves pluribus septimanis pro linguis delicatis inclusæ avenæ, vel milio, possint incorruptæ servari, imò hinc inde transportari per multa milliaria, norunt non pauci Patres familias.

Huc quadrant, quæ *Joh. Bapt. Porta* in Magiæ natural. lib. 2. cap. 3. p. m. 75. sequu. adducit, quomodo fructûs, flores, &c. per plures menses à corruptione, & consueto aliàs interitu vindicari possint. Inter diversa talia ibi notata præcipuum & singulorum quasi basis est prohibitus aëris externi ingressus, quippe qui, imprimis verò calidus & humidus, tonum naturalem turbat, atomosque exeuntes in tumultûs fermentatorios irritat. Aëris autem ingressus prohibetur vel fructuum pediculos pice liquatâ obducendo, posteaque melli imponendo, & sic in vase optimè clausô servando. Vel si malis fructus diuturniori durationi destinari obducantur gypso aut Terrâ figulinâ, aut vitro pulverisato obruantur, ac in vase picato Terræ concredantur. Soli quoque flores aut fructus sine dicti vitri pulvere in vas pice obductum inclusi injiciantur in aquam fluvialem vel fontem.

Quomodo frumenta in granarijs conservanda, ne conferbescant, aut humiditate tangantur, & inde tam putredo, quam Situs, imò marcor, cariesque & bestiolæ, curculiones, cossi, blattæ, papiliunculi exitio sint, atque generentur, docet è Strabone aliisque *Th. Reinesius*, lib. 3. variar. Lection. cap. 5. p. m. 418. Consule item *Fr. Baconem*, Baronem *de Verulamiô*, ut & Acta Philosophica Anglica, & in peculiari Tractatu, de curculionibus insignito *Cunradum Tiburtium Rangonem*.

Conditura Bilsiana nova offertur.

Hactenus proposita tantùm-non omnia concernunt conditurani cadaverum Humanorum eviscератione simul peractâ institutam. Nunc operæ erit pretium, nonnulla quoque subnectere, quæ ad *Balsamationem Bilsianam*, ac aliorum modernorum summè differentem atque servatis simul mediante virtute balsamica partibus interioribus factam spectant; & quæ alij Autores de illâ, utpote huc usque occultatâ, subolfacere ac divinare, atque indè aut benè aut malè sentire voluerint, potuerint.

Ludovicus de Bils, Dominus de *Coppensdamme*, *Boonen*, &c. Civitatis & Territorij *Aerdenburgici in Flandria* Prætor, quatuor abhinc Lustris oculos curiosorum, & præcipuè anatomicorum omnium in se figebat; & quidem non immeritò, quippe qui novas haud vulgares opiniones disseminabat, de vasis lymphaticis, lacteis, Thoracicis, ductu suo rorifero, & similibus tunc temporis recens-inventis; contradicens anatomicis primicerijs, literatorum singulorum adplausu fruentibus, *Bartholino*, *Sylvio*, *Hornio*, alijsque, cum quibus frequentissimè & acerrimè controversiarum trahebat serram. Invenerat etiam methodum corpora anatomicè secandi sine omni sanguinis effusione aut cruentatione, more novo & inaudito, & quidem cum omnium par-

tium, ac vasculorum etiam capillis minorum adcuratâ separatione, atque manifestâ demonstratione. Præcipuè verò noverat modum condiendi cadavera, aperta aut dissecta quidem, novum & elegantem, repositis in locum naturalem interiùs balsamice conditis visceribus, v. g. cerebrô in craniô, in abdomine intestinis, insimul quoque nihil specierum Balsamantium corporis partibus adhærente. Dicta hæc nova, dicta hæc arcana in sui quoque admirationem rapiebant *Hispaniæ* Monarcham, ut per *Brabantiæ* Gubernatorem, Marchionem *de Caracena* vigesies mille imperiales ipsit solvi jusserit, ea quidem Lege, ut tribus *Brabantiæ* Ordinibus juramento præstito, atque ingenue aperiat laudata artificia; ac ipse tanquam Professor honorarius in Academia *Lovaniensi* studium Anatomicum publicè profitendo doceat juxta suas enchirises pro annuo stipendio bis mille imperialibus soluto; insimulque modo notatam peculiarem suam methodum detegat perito cuidam anatomico, ut post suum quoque obitum sine interitu & corruptione in Publici ac Philiatrorum commodum rarissima hæc ars vireat, duretque immortalis. Quamvis autem *Bilsius* accepta tantâ pecuniæ summa, ut promissa præstet, *Lovanium* adierit; Academia tamen *Lovaniensis* in societatem Professoriam eundem recipere nisu audaci recusavit, & quidem ideo, quod illa, *Bilsio Religioni Reformatorum* addicto, excommunicationi à *Romano-Catholica Ecclesia*, juxta statuta sic sese subjiceret.

Magnæ hinc natæ disceptationes, plura orta litigia, usquedum *Bilsius*, stipatus suis nummis *Lovanio* valedixerit, ac suum *Belgium* fœderatum repetierit, reservatis sibi soli superius enarratis enchirisibus arcanis, atque permiserit, ut hæc ipsa ars ad arcendam putredinem instituta (quantum quidem mihi cum pluribus post diligentem quoque inquisitionem constat) cum suô inventore sepulchro ac oblivioni fuerit tradita.

Quæ durante hæc lite variè fuerint controversa ac tractata, amplis circumstantijs sunt comprehensa ac publicata in dicti *Ludovici de Bils* responsione ad *Tob. Andreæ*, Professoris tunc *Duysburgensis* Epistola. Cum itaque, veluti dictum, *Bilsius* partim Anatomicorum Principibus, & αὐτὸς ἔφα tunc existentibus in rebus bonam partem autopsia demonstratis contradicendo, partim vero curiosissimam & laude dignam condiendi normam inveniendo tam Medicum, quam universum *Orbem* literatum commoverit, ipse autem has balsamandi regulas modis omnibus occultarit, factum est, ut varij, rei raritate ac novitate impulsi, varia hariolari ac concipere fuerint ausi; quorum præcipuos publicè inde aut benè aut malè sentientes avidis oculis producere libet.

Joh. Heinric. Pauli, in Anatomiæ *Bilsianæ* Anatome, cap. 7. p. m. 14. in hæc erumpit verba: *Inter experimenta Bilsiana, quæ novitatis fama ubivis inclaruere, familiam merito ducit conditura cadaverum, quam nec quisquam hactenus adæquare, multò minus superare, nec inimici ipsius quidem criminari potuerunt. Ausus est interim periculum Dn. Joh. von Horne in brachio Humano, exacta nitidaque musculorum separatione imprimis conspicua, cujus oculatus sum testis. Ut non sit dubium, si modum præparandi universum corpus eâdem methodô consequatur, quin artificium habebit, encomio omni majus.*

Antonius Deusingius, veluti in varijs Scriptis parvis, quæ tribus ac quatuor abhinc lustris ob acerrimas sibi cum *Lugdunensibus*, alijsque intercedentes disceptationes edebat, honeste sentit de *Pollinctura Bilsiana*, ita in vindicijs Fætûs extra uterum geniti, sect. 6. p. m. 122. quoque adducit verba *Joh. von. Horne*, Anatomici *Lugdunensis*, antequam tantum huic cum *Bilsiô* interveniebat diffidium) inquientis: Fidem superat omnem, exsiccatum Hominis cadaver recenter mortuum diceres, tantô theatrô dignissimum opus. At verò singula penitiùs inspicienti & consideranti attentiùs, quanto cum pecuniæ & temporis dispendiô, addo & molestijs comparata sint; & quam belle exornata hæc omnia non jam admirationem, sed stuporem pariunt.

Olaus Borrichius, *in Thom. Bartholini* Cent. 3. Epist. medicinal. Epistola 89. p. m. 344. huic sequentia è *Batavia* transcribit nova: Artificium *Bilsij* sine sanguine secanti, quantum hactenus licuit colligere, in eô consistit, quòd in quamcunque corporis partem libuerit, triplum sanguinis, aut plus triplo, quam ordinaria lege capiunt vasa, premendo impellat, atque ligaturis, ne regurgitatio fiat, viam recurrenti intercipiat. Distentis ita supra modum vasis, videtur partim digitis, partim cultris osseis secundùm ductum vasorum musculos lentè & cautè dividere, ita ut nullum vas sanguineum lædatur. Ut autem mumiam conficiat, si benè observavi, in capaci ahenô corpus jam artificiose sectum decoquit, & quicquid aquosum, quicquid oleosum est nimis, despumando & evaporando aufert; reliquum *Pissasphalto*, alijsque putredini adversis incoquit. Hæc videbar mihi partim ex ipsius ore, partim ex propiore inspectione colligere. Et pag. sequent. 386. ut taceam subjecta beneficiô *salis mirabilis Glauberiani* à putredine vindicanda liquori huic salso innatare debere; id quod *Bilsianis Mumiis* non contingit, in quibus nihil salinum; sed omnia molestô balsami odore plena.

Anton. Deusingius in nuper citatis vindicijs Fœtûs extra uterum geniti, sect. 6. p. m. 130. allegat ex Antagonistæ sui (sub fictô *Bernhardi* à *Doma* nomine) Tractatu, mihi nuspiam visô, sequentia: Odor balsamicus, inquis, adeò est in conclavi, ubi asservantur corpora *Bilsiana* condita, ut non omnes sine capitis gravedine eundem ferre possint. Et pag. 136. *Bilsianas*, inquis, *mumias* ne hisce quidem annis à mucore sese defendere posse, nisi curiosè aliquando abstergantur. Quomodo ergo in secula sint duraturæ? Incusat autem notatus Autor *anti-Deusingius* summam & diuturnam tunc temporis in primordio veris ingruentem aëris humiditatem, mumijs dictis summè inimicam.

Celeberrimus *Thom. Bartholinus*, Dissert. de Hepate defuncto ad *Deusingium*, p. m. 551. contra *Bilsianam* condituram sic insurgit: An miraculorum magnitudo oculos tuos perstrinxit; quæ *Orbi* promittuntur? Certè jam ea vilescunt & evanescunt. Multos artificium illius in stuporem rapuit, quo præparata corpora à putredine, veluti Balsamo condita fertur conservare. Sed speciosa promissa eventus destituit. Scripsit enim nuper Amicus ad me, balsamica ejus corpora nunc valdè madere, nunc justo Siccïora, veluti pulverulenta videri. Quamdiu igitur sint duratura, judicent *salis* & *aluminis* naturæ gnari, quorum quoque beneficio brevi artificium illud publice prostabit, quod magno pretio Principi cuidam *Germano* divendidit Mercator nobilis, ut spes sit, ad plures secreti hujus notitiam dimanaturam.

Idem, Actor. Medicor. & Philosophicor. *Haffniens.* Volum. 3. & 4. observat. 5. p. m. 9. 10. ita effatur: Cùm Magnus Prosector Noster, D. *Nicol. Stenonius*, Studiosorum commodis invigilaturus, corpora Humana & Brutorum diutissime mumia (credo legendum esse muria) condita conservaret, & curiosis artis data occasione demonstraret *Haffniæ*, etiam vertente anno sine omni putredinis labe, continere me non potuit, quin *Stenonianam* artem

tem & industriam *Bilsianæ* præterrem.

Quod cùm *Bilsianæ* factionis fautori veteri, viro eruditissimo, D. *Tobiæ Andreæ*, per literas amicas significarem, hoc responsum tuli, quod meretur publice legi: Ex Epistola D. *Tobiæ Andreæ* Scripta *Bremæ*, 21. Junij, 1674 Quantum jam ad clarissimi Doctoris *Stenonij* conservationem cadaverum per muriam, illam nullo modo ... d, quod *Bilsij* ff. cturam, ratio mihi à priori tam manifeste dictat, ut, si *D. Stenonius* illius experientiam capiat, meam sententiam sit approbaturus. Et postquam quinque rationes speciosas ibidem conspiciendas adduxerat. *D. Andreæ*, concludit ita: Hæc generaliora sunt, quæ si conservatio talis per muriam præstaret, simplici hâc methodo contenti cur non essemus? sed nullus dubito, quin contrarium experientia sit edoctura. Quibus *D. Andreæ* verbis Dn. *D. Bartholinus* suam mentem subnectit: *Magnifica Bilsianæ mumiæ encomia pro veris non facilè crederem, si præter Tobiam Andreæ, Virum fidei plenum, alius pronunciaret. Semper enim, nec immerito, major mihi Orbique visus est Stenonius, quàm Bilsius; quamquam etiam interdum, quæ tu non noris, fortassis norit Osellus.*

Succedat nunc, qualis ipse *Bilsio* fuerim venator auritis & ocularibus plagis, ut *Terentianis* utar verbis; Dum Anno 1660. *Lugduni Batavorum* viverem cum studiorum & itineris Sociô, Dn. D. *Friderici*, Professore postea *Jenensi*, Affine & Compatre honorandô, gliscebat bellum anatomicum inter incomparabiles ibidem Professores *Sylvium & Hornium*, contra *Bilsium, Roterodami* tunc degentem, adeô quidem, ut hic Philiatris *Lugdunô* venientibus aditum & alloquium præter Humanitatis suæ consuetudinem denegaret. Cùm autem Famâ multiloquâ curiosis omnibus persuadente, & rerum novitate allecti inhiaremus discursibus ejusdem audiendis, corporibusque balsamatis conspiciendis, nihilominus ipsum accedebamus, Nos venditantes pro Studiosis Politices *Groningæ* commorantibus. Ille lecto affixus querebatur de dispositione phthisicâ, obtussi, asthmate, atrophia, ob Pulmones putridis cadaverum, Brutorum præcipuè, copiosissimè sectorum evaporationibus debilitatos; Ferebatur enim plus ducentos canes dissecuisse. Proinde civilitate jubente, eum sibi ipsi quasi indignantem discursibus eruditis & anatomicis turbare, noluimus; & hoc eò magis, quod & Nos latitare, vel incogniti esse, consultum judicaverimus.

Hinc absolutô brevi colloquio generali, de speciosis suis novis inventis, & de lite, quam cum *Lugdunensibus* alebat, mandabat Amanuensi, ut monstraret cadavera; Soluto itaque Imperiali, veluti solitum erat omnibus Spectaturis, & conclave ingressi oculis sese offerebant quatuor corpora Humana virilia, ac unus Embryo duorum fortè mensium, & quidem eleganti omnino & rara figura sese commendantia. Embryo non erat dissectus; concinnè tamen præparatus. In illis vero quatuor majoribus partes internæ omnes, ut & externæ, musculi, arteriæ, venæ, nervi, erant exemtæ, ac seorsim artificiose præparatæ, postea loco illi, quem Natura cuilibet assignavit, redditæ; Integra corpora naturalem præ se ferebant faciem, exsiccatis similia, colore tamen cutis existente subobscuro & fusco. Odorem balsamicum nullum, multo minus gravedinem inde ortam, de quâ alij scripsere, in camera Nos percepimus, ut proinde hactenus in mentem mihi venerit conjectura, odorem accusatum per suffumigium penetrans à *Bilsio* fuisse excitatum, quotiescunque admittendi fuerint anatomici, noti, alijque curiosi perspicaces, ut ita eos in invenienda condiendi materia eò faciliùs seduceret & confunderet. Nos tenebriones autem, aut Studiosos Politices, aut levioris saltim armaturæ milites in anatomicorũ castris tali suffimento indignos procul dubio æstimabat.

Tetigi quoque aliquoties corpora dicta, digito clanculum madefacto, cùm tàm apertè non concederetur inquirere, & nullum alium præter salinum haurire potui saporem; ut proinde condituram dictam per salina nonnulla perfici, nullus quasi dubitem, præcipuè, cum partium neutri quicquam rei balsamantis adhæreat. Alia expiscari tunc temporis non licuit, præterquam, quod fassus fuerit dictus famulus; hoc ad opus pollinctorium decenter absolvendum requiri nonaginta dies, vel tres menses. Retulit non ita pridem Dn. D. *Wedelius*, Medicus Ducalis *Saxonicus*, Professor *Jenensis* extraordinario Philiatrorum commodô natus, Collega honorandus, Discipulus *Drelincurtij*, Professoris nuper *Lugdunensis* dignissimi suspicionem fovisse, *Bilsium* hoc opus quoque è principio salino tentasse ac instituisse.

Non prætereunda sunt, quæ Johann. *Schvvammerdamius*, de Uteri muliebris fabricâ, cap. 2. p. m. 35 sequu. scripta reliquit; quæ pro evitanda prolixitate breviùs tradam; Naturæ opera corruptioni sunt obnoxia, quod non solùm plantæ & vegetabilia; sed ipsa quoque sensibilia experiuntur. Quare ab omni ævo actum est, ut commodis remedijs huic corruptioni obviam iretur, & partes illæ, quæ Nos in sui admirationem rapiunt, per annos aliquot integræ servari possent. In hâc arte conservandi corpora, horumque partes nostro tempore præ alijs eminet. D. *von Horne*, beatæ memoriæ, nec temere quenquam invenias, qui visâ ejusdem curiosissimâ intestinorum præparatione ingenium tanti viri non suspexerit. Proximum ab hôc locum Dn. de *Bils* occupavit, qui musculos totius corporis exsiccando, & balsamo inficiendo industriam suam probavit. Sed præter hæc fortè plura promisit, quam præstare posset; id quod ob prægnantes non modò rationes; sed vel maximè ob ea, quæ ipse mihi ore propriô, & *Gvetshofius* retulere, me optimô jure suspicari arbitror. Hunc D. *Stalpert van der Wiel* excepit, Discipulus D. *von Horne*; sed utrâque major; qui rara simul arte corpora balsamô inficere & conservare; nec non venas è carne, pinguedine & parenchymate purgare, cavitates corporis aëre implere, & quod omnium curiosissimum, & nulli quod sciam, hactenus datum est, ipsa etiam humentia corpora in aëre exsiccare novit.

Sequitur ordine D. *Ruyschius*, chirurgiæ apud *Amstelodamenses* Prælector, ijsdem ferè artibus dotatus, cujus res adcurate confectas, quivis inspicere potest. Hic addit propriam Methodum, quâ medianre qualescunque corporis partes, (viscera, venas arterias, & similes præcipuè intelligit) citra apparentem aperturam, aëris beneficiô expleri, exsiccari & conservari possint, ut per mediæ Æstatis tempora quinque vel sex septimanarum spatio perdurent. Hujus autem rei producit specimen, quasi commune, dum vasa omnia, ipsique etiam rami capillares in Uterô muliebri ita præparantur, ut non modò in conspectum prodeant; Sed & archetypi locô esse possint, designandæ veræ & infallibili figuræ. Sic autem proceditur: Recipe ceræ albæ quantum vis, eam liquefactam rubrô, flavô, viridi, vel aliô colore tinge, & siphone, qui cochleâ adstrictum tubulum habeat, properanter excipe, & in ramum venæ vel arteriæ uteri majorem injice; cavendo, ne intercedens aër progressum ceræ impediat; ac ne quid impedimento sit, sanguinem antea, quam Operi te accingas, ex venis, quantum quidem fieri potest, exprime. Utut rami, majores alias facillimè distenduntur, & perinde est, sive per arteriam spermaticam, vel hypogastrinam cera injiciatur; idemque in venis obtinet, tantum, ut valvulæ obtusô stylô pertundantur, quô factô, unâ injectione venæ uteri omnes, eorumque partes, vel ab

unô latere impleri possunt; Idemque in arterijs fieri potest. Si tamen visibiles earundem anastomoses satis magnæ sint, nec aër progressum ceræ impediat. Plura videantur apud Autorem.

Methodus condiendi sine omni exenteratione, & discissione absolvenda communicatur.

Postquam in capitibus præcedentibus non modò varia curiosa & scitu digna rem conditoriam aut propriè concernentia, aut huic analoga fuerint tractata; sed etiam illis discursibus generalioribus subjunctæ formulæ ac regulæ, quomodò tàm *Ægyptij Arabes*, aliæque veteres Gentes, quàm ultimorum seculorum Medici Balsamationes suas aggressi fuerint, ac absolverint.

Restat nunc, ut progrediamur ad illud, quod primarius, quomodo corpora Humana, imo alia majora omnia (si fortassis Manui cuidam naturalia scrutaturæ luberet in ijsdem illud tentare, animumque exercere) sic possint præparari ac disponi remedijs virtute pollentibus; ne opus sit, veluti hucusque tantum-non semper in condituris conficiendis opus fuit, è supremô, mediô ac infimo Ventre eximere viscera & reliqua contenta extracta seorsim sepelire, partes musculosas totius corporis conscindere, exprimere singulas residuas sanguinis guttulas, oculos effodere, & quæ ulteriùs fuerant consueta peragenda, cui quidem capita præmissa sufficienter docuere. Sed ut corpus integrum & illæsum, postquam præcipua ejus pars, Anima evolavit, brevissimorum dierum successu aliàs interitui putredinali infallibiliter obnoxium, in eôdem statu per longum tempus durabile corruptioni sit subtrahendum; Præcipuè cum multis, & quidem non immeritò, quasi indecens & barbariem olens videatur ritus iste balsamandi cadavera hactenus in *Europâ* Nostra consuetus, & tanti constans; cum scilicet Primates *Orbis* alijque divites, testaturi, quòd post obitum quoque de suis defunctis benè mereri studeant, eadem aliquando balsamare jusserint. Medicis autem tunc temporis, & hucusque viventibus, aliàs ex parte supra omnem laudem positis, ac honore memoriâque dignissimis (veluti eorum de varijs rebus scripta publicè edita abundè testatum eunt) alia præter methodum per evìscerationem faciendam, à multis seculis ad ipsos, licet successivè immutatam, non erat adeò cognita, vel consueta, nec possibilis credebatur.

Sanctissimè tamen protestor, me dicta hæc neutiquam velle intelligi, ut vel in levissimum cedant opprobrium Medicis tam supra allegatis (partim meis olim Præceptoribus non sine laude mihi nominandis) quam alijs omnibus mediante exenteratione condientibus, cùm hoc non eorundem imperitiæ aut ignaviæ, sed illius seculi hôc in passu infelicitati debeatur. Non aliter ac inventum *Circulationis sanguinis, venarum lactearum, lymphaticarum, thoracicarum* & mille aliorum justum ruborem minime injicit Medicis nostrâ ætate prioribus, quoad alia innumera prudentiam & solertiam suam *Mundo* literato abundè commendantibus. Plura enim latuerunt Antecessores nostros; plura, & fortè rariora majoreque admiratione digna Nos latent, quæ dies successu temporis, Deô gratiose dirigente ac jubente, aut Nobis aut Posteris communicabit. Nôrunt enim *Orbis* eriditi Cives, quod à *Mundi* creatione placuerit imperscrutabili ac Majestatico decreto Divino, uti quibusvis Provincijs ac Terris peculiaria admetiri dona ac regalia, ita quoque singulis seculis singularem sapientiam reservare, atque moderatam diversarum rerum ac scientiarum cognitionem suppeditare, atque ita juxta notum dicterium, *sua bona labore multô, multis meditationibus vendere Hominibus*. Sed cum hâc de re uberiùs, diversisque in locis egerim in dissertatione meâ de *Tinctura Universali* præterito Annô editâ, benevolum lectorem eo ablegatum volo, ne alibi jamdum dicta toties-totiesque producantur.

Quamvis autem à nemine cordatorum Antiquitati debitus derogatur honor ac gloria; nihilominus tamen minime tenemur jurare in horum Magistrorum verba, veluti, & ij ipsi idem fecerunt.

Dum itaque perlegeram elegans *Andr. Gryphij* de *Mumiis Wratislaviensibus* scriptum, ibique offenderam, p. m. 81. verba sequentia: *Evıluit illud decus mortui, quæsitum per lanienam & eviscerationes, quas exigit Pollinctor, habitumque immane & insigni dehonestamento Pietatis famam affectantibus, Popæ alicujus aut victimarij instar sævire in cadavera; solenne econtra, honorare defunctos quavis cura potiùs, & ingenti vel odorum unguentorumque apparatu credere sepulchris, sed non discissos.* Atque simul æqua animi lance ponderaveram, (veluti nonnulla in primô Tractatûs capite tetigi,) extra omne dubium multò magis honestum esse, multò magis arridere Magnatibus, multoque majorem rei anatomico-pharmaceutico-Medicæ esse accessuram autoritatem, si corpora à dictis Proceribus conditúræ destinata (utpote, dum vivebant, delicatè ac molliusculè tractata) superatis tumultibus & alterationibus mundanis tam in statu valetudinis, quam politicô, & per obitum ad requiem constantem perductis, tali artificiô possint ab irruente corruptione defendi per annorum variorum seriem, ut integrum corpus, ejusque partes ita amicè adhuc unitæ, ceu Natura, & Natura naturans, Deus, eadem conjunxit, & totô Vitæ curriculô conjunctas servavit, Terræ, omnium Matri, à quâ primum ortæ, modestè quoque reddi, & sic supersedere possint superiùs dicta corporis dissectione, viscerum extractione, & similibus opellis.

Verumenimvero, dum tales cogitationes menti occurrunt, dumque meditor, quibus medijs, quibusque vijs opus hoc difficillimum, opus hoc principijs ac fundamentis physicis (quô scilicet Viscera interna, sanguinis massa balsamo vitali nutriente orbata, mucus intestinorum excrementitius, & similia aliàs primò statim, vel ad summum secundò die per putredinem resoluta & diffluxa, unà cum partibus externis omnibus ita possint incrassari, balsamicè exsiccari, instansque eorum interitus ad tempus differri) tantum-non simpliciter contradicens, sit aggrediendum, plurimæ nascuntur remoræ, plurima obviam eunt impedimenta.

Considerans enim, & examini subjiciens, (ut brevimissimis in capite præcedente dicta ventilando repetam;) specierum medicamentosarum ab *Ægyptiis* alijsque veteribus pro mumisatione conficienda exhibitarum, statum, sive respiciam ad illam pretiosiorem methodum per *opobalsamum*, *cinamomum*, *myrrham*, *aloën*, vel saltem ad viliorem, per *pissasphaltum*, & similia factam, ut earum efficacia balsamica ipsas etiam invidiæ contradictiones superet; nihilominus easdem meæ intentioni obtinendæ reperio insufficientes, cùm dictæ qualitates bonam partem careant penetrabilitate extraordinaria hîc præ alijs omnibus necessaria, & violento salis volatilis adminiculô.

Non enim nunc in dubium vocabo, imò sponte concedam, illas valere à partibus corporis externis, item à sanguine in vasis, imo à Visceribus, Corde, Pulmonibus, Hepate, Liene, Cerebro, putrefactionis periculum avertere, (qualem virtutem tamen nullus antecedentium Balsamatorum sibi ab ijsdem promisit) Ad minimum tamen nullô modo sufficientes sunt, pro avertendis tumultibus fermentatorijs mesenterium, contentumque in intestinis mucum excrementitium in subitaneam corruptionem præcipitantibus;

bus; Vel si potior etiam horum pars à virtute balsamica vinceretur ac domaretur, tamen si vel in unica glandulâ, vel latibulo mesenterij hæsitet modicum materiæ mucosæ vim medicamentosam eludentis illud sane solum tantæ erit efficaciæ, ut per inimicum fermentationis contagium vicinas particulas, & sic ulterius serpendo reliquas omnes nondum penitus exsiccatas iterum in consensum trahat, per putredinem resolvat, atque secum pessundet.

Quod attinet modum *Ægyptiorum* pollingendi secundum, vel mediocrem, superiùs nominatum, quem *Herodotus* dicit sine exenteratione fieri, & peragi, injecto per clysterem in guttur inferiùs *oleo cedrino*, & corpore exteriùs nitro vel sale conspersò: Quamvis debitum honorem neutiquam derogare velim penetrabili *oleô cedrino*, mihi tamen persuadere non possum, ut credam ab eo, velut dictam, immisso felicem hanc operationem expectari posse. Sed cōdonandam relationem hanc esse *Herodoto* rerum medicarum imperito, & relata referenti, nec circumstantias physicas necessarias indaganti. In corpore enim mortuo partes nervosæ à spirituum & caloris nativi influxu desertæ operari cessant & feriantur, nec ampliùs retinet intrusa; vel si violento conatu impellerentur, vereor, ne mucus intestinorum apud defunctos in flatûs copiosos ebulliens (veluti mortuorum elevati ventris quotidianâ autopsiâ docent) dictum oleum repellat, vel ad minimum intrudendi copiam summè necessariam non admittat.

Num quoque intestini Coli valvula copiosis dictis flatibus motu violento sursum protrusa adscensum olei simul impediat, pluribus adeò non controvertam: cum rationi consonum videatur. Quibus stantibus tantum abest, ut dictum *oleum cedrinum* ad reliqua Viscera, imò Thoracem ac ipsum remotum, ossibusque undiquaque præclusum Cerebrum penetrare atque progredi valeat, ut potiùs fermentatoria corruptio antiquum jus suum in corpus exanime exerceat, atque desideratæ mumiæ durabilitati insidias struat, vel potiùs ruinam afferat totalem.

Effectum autem optatum eò minus esse sperandum, confirmatur ideò, quòd *oleo cedrino* sic injecto præter solam aliqualem salis aut nitri adspersionem, remedia alia incorruptibilitatem promoventia, ceu summè necessarium, externè non succurrant. Quam leve autem remedium abdomini non exenterato recens mortui corporis adferat aspersio salis aut nitri, repetitis experimentis egò testari possum.

Condituras in melle & cerâ olim factas proposito meo nullam facem accendere, è capite antecedente patet. Si enim hæc etiam sine evisceratione Bruta minima conservare diutiùs apta nata non sunt, quid inde solatij mihi promittere possum in corporibus Humanis & majoribus?

Progrediens ad balsamationis normam ac formam ultimis seculis usitatam, idem sanè experior fatum. Dum nimirum *Paræus*, alijque expressis verbis moneat, ante omnia instituendam esse sectionem, reliqui verò superius adducti singuli, licet fuerint magni suo tempore *Hygiéæ* Sacerdotes, non minus eâdem suam pollincturam exordiantur.

Jessenius, supra allegatus, meminit diversorum pollingendi processuum, interque hos unius sine exenteratione, quem fieri dicit, dum clystere è colocyntide & borrace injecto mucus intestinorum exturbatur, postea alio clystere ex *aloe, myrrha*, &c. partes interitum minantes vegetantur. Verùm, Virum huncce, alias de Republica Medica optime meritum, potius ex aliorum relatione, quam propriorum experimentorum fide testari, rationi consonum videtur, atque ita assensum vix obtinebit. Nam præter rationes superiùs de mediocri *Herod.* condiendi methodo dictas contra irritam ferè clysteris operationem in cadaveribus, seipsum quasi refutat, dicens, Ventrem in quibusdam cadaveribus intumuisse, ut sandapila (rectiùs fortè loculus hic intelligitur) ideò claudi non potuerit; sed necesse, ventris aliquot punctiones facere, ut nimirum cruditates ibidem flatuosè fermentantes habuerint, unde exierint. Cadaver autem ita tumidè ebulliens omnino aliter adhuc est tractandum, antequam de balsamica præparatione & exsiccatione gloriari valeamus, idemque ceu perfectum sandapilæ aut loculò tradi curemus; veluti proprio damno, & quidem plus vice simplici sum expertus; Et si loculus *Jessenianus* post, 3. vel 4. dies denuò fuisset apertus, cadaver contentum loco mumiæ balsamicè adornatæ oculis omnium certè sese obtulisset, vermium copiosissimorum stapulam, escam & ludibrium.

Nicol. Guibertus itidem breviter mentionem facit pollincturæ sine exenteratione peragendæ; eam tamen non describit; econtra ipse aliam normam commendat ac docet viâ communi & juxta singulos frequentiore instituendam.

Franciscus Baco, Baro de Verulamio communicat nonnullas rationes vere philosophicas in præcavenda cadaverum putrefactione observatu necessarias; admiscet tamen illis aliquam, quæ monet, ad hoc opus perficiendum magis apta esse & requiri corpora minora, quam magna v. g. Hominum, Brutorumque magnorum.

Georg. Hornius, statuit corpora altius in Terram defossa non putrescere. *Thom. Bartholinus* testatur in *Grœnlandia* per 30. & plures annos cadavera corruptionem non sentire, ob vehemens frigus, congelatione eandem arcens. *Kerkringius*, citante Morhofio, infantem succino obduxit, atque ita instanti putredini eripuit. *Schvvamendamius* infundit vasis ceram liquatam, & ita integras, inque statu naturali per tempus durabiles exhibet spectatoribus.

Camerarius arbitratur, icones vel imagunculas ex ære confectas ab *Ægyptiis* mumisando corpori pro hoc scopo fuisse immissas.

Joh. And. Weberus insecta diu servari vegeta, & vivis simillima dicit, si immitantur aceto vel Spiritu vini. Acta philosophica *Anglica* pullos ovis exclusos in Spiritu vini Spiritu salis armoniaci acuato eodem modo sustentant. Amicus *Batavus* idem præstat spiritu urinæ rectificato. Alij cadaverum condituram promittunt per mixturam ex arenâ & calce vivâ. *Jul. Cæsar Baricellus* fructus, etiam majores, si saccharo optimè muniantur, plusquam annuo spatio non putrisse, propriâ fidem facit experientiâ. Cui opinioni quoque favet *Joh. Jacobus Becherus*, addens, saccharum ad has operationes longè præferendum esse sali & salsamentis. *Joh. Baptist. Porta* fructuum pediculos pice liquatâ obstruit, eundemque effectum promittit. *Paracelsus* miracula adscribit *sali suo enixo*, pro longiùs inhibenda in cadaveribus putredine. Majores autem laudes hoc in passu mereri *sal suum mirabile* è spiritu vitroli & sale compositum, gloriatur *Joh. Rudolph. Glauberus*. Hasce tamen ampliùs rejicit *Borrichius*, credens, ab alijs quoque salibus & spiritu eandem operationem fortè fore sperandam.

Tandem meditationibus meis consilium præsensque auxilium seperabam è methodo *Bilsiana* maximè famigerabili, auresque ac oculos omnium in se figente, & hoc quidem non immeritò; sed nullum planè hucusque inde experiri mihi licuit. Ipse enim opus hoc omnibus, quantum possibile, modis, occultavit, pluribusque ambagibus & mutationibus seduxit, & dubios reddidit indagatores curiosos, unde factum, ut varij varia de eodem fuerint suspicati, artificiumque detecturi illud obscurius quasi reddiderint, sic v. g. celeberrimi *Bartholinus, Silvius, Borrichius*, & alij te-

testantur corpora ejusdem condita nimis forti odore balsamico conclave ita replevisse, ut multorum capita illius gravedinem tolerare non valuerint; atque ita credunt, procul dubio, pollincturam ab eo fieri per fortiora balsamica. Ego verò cum *D. Friderici* præsens tunc nullum planè odorem balsamicum persensi. Cadavera autem digito humectato à me tacta aliqualem saporem salsum præ se ferebant. *Borrichius* refert *Bartholino*, sese ex *Bilsij* ore & oculari inspectione tantum colligere potuisse, quod pinguiores & humidiores partes eorum per factam in aheno coctionem separatæ, residuumque *Pissasphalto*, alijsque balsamicis præparatum; de quo tamen modo condiendi è propriæ experientiæ fundamentis & rationibus habeo, cur valdè dubitem.

Alij Amici suspicabantur *Bilsium* pro hisce laboribus suis uti peculiaris fornacis adminiculo. Cl. *Thom. Bartholinus* aliquando hariolatur, eos absolvi mediante sale & alumine. Econtrè *Kircherus*, inconstantem salsamentorum in mumisatione perficienda energiam & effectum speciosa ac amplissima Historia infringere conatur. Modo laudatus *Thom. Bartholinus*, statuit, *D. Stenonium* servare Anatomiæ destinata per *muriam* ità elaborata; Ejusdemque artificium longè superare *Bilsianum* affirmat, cui tamen fortiter contradicit *D.Tob. Andreæ*, cujus fidem attestantem tamen ipse *Bartholinus* magni æstimat loco cit.

Quantæ turbæ animo meo fuerint ortæ, quantaque impedimenta natà è tantis dubijs, è tam diversis suspicionibus infirmis, sibique invicem contradicentibus; quidnam item consilij sanioris & fortioris haurire potuerim è modis condiendi tàm disparibus, meoque scopo insufficientibus, judicatu non erit difficile.

Nihilominùs, cum fixum sederit, immotumque meæ menti, aggredi hanc *Augiæ* stabuli expurgationem, sententiam non mutavi, & quidem ob finem, uti spero, non adeò culpandum, partim, quia sic sum demonstraturus, quam miraculosa sint Dei O. M. opera, meditationes nostras dirigentia; dum scilicet circa honorificum mortuorum cultum videor occupari; præter illud negotium insimul emergant plura, quoad usum Medicum viventibus proficua; veluti caput sequens docebit; partim, ut corruptivum interitum à tàm nobili ac specioso *Animæ immortalis* domicilio ad tempus suspendamus; Nobisque ità summum ac delectbaile, imô desideratissimum illud *Resurrectionis* Mysterium in memoriam revocemus. (Plures causas impulsivas vide sis, in principio primi capitis.)

Quis enim nescit, Hominem, qui erat *Microcosmus*, ad *Dei* imaginem conditus, structura summâ admiratione dignâ & miraculô plenissima, structurâ, cujus dotes pulcherrimæ, rarissimæ, & imperscrutabiles ob hæreditariam, eamque justam *Dei* in Humanum Genus incandescentiam paucis statim ab obitu diebus transire (si ejusdem particulam Divinæ Auræ exceperis) in ens cadaverosum, fœtidum, omnibus intolerabile, imò in ipsos vermes abominabiles immutari. Quamprimùm enim evolavit Animula vagula, blandula, gratissimus ille suæ sedis Hospes & Custos, subitanea succedit putredo, & hoc ideò, quia tunc calor innatus, humidum radicale, seu spiritus vitalis balsamicus, (quomodocunque id vocitaveris) feriatur, ac operari cessat; hinc eo in massam sanguineam non amplius influente, perit ejusdem pars oleosa & sulphurea, quâ tamen, ceu præcipua basi innititur, ut ità à denegato motu circulatorio sanguis viscidus reddatur, crassescat, vappescat, atque acescat, & magis magisque in plenariam putrefactionem fermentet.

Ad hanc igitur infringendam confugi ad antiquam illam Consiliariorum Medicorum bigam, *Rationem & Experientiam*, atque tam per rationes è physica speculativa, quam è physica per ignem & practica vel experimentali depromptas ventilavi adcuratè singula plurium Autorum in præcedentibus allegata, ut alia menti succurrentia, quæcunque aliquid saltem ad hanc rem conferre posse videbantur. Postea quoque in minoribus subjectis sæpius experimenta institui, diversis quidem medicamentis, & adhuc magis diversis modis; Verum quotquot horum tentavi, inveni pro scopo meo obtinendo aut minùs convenientia, aut minùs sufficientia, & hoc quidem præprimis ideò, quod mihi non adeo considerandum, imo vilipendendum quasi fuerit imminens putredinis periculum, in partibus totius licèt corporis externis, (quod quidem fere solum requiritur in condituris reliquorum Medicorum supra memoratis) habitô respectu erga Viscera, mucum intestinalem, mesenterium, aliaque interius latitantia, nec exenteratione separata; Usquedum post varios casus, post tot discrimina rerum, post superatas plurimas meditationes, lucubrationes, labores tædiosos, fœtores, impensas, aliaque incommoda per toties repetita in minoribus, postea etiam magnis corporibus tentamina (quorum quidem unoplura irrito instituebantur effectu) Deo benedicente, tandem ad desideratum illud *Ptolomæi* εὕρηκα pervenire mihi licuit, & quidem per salia volatilia sulphurea, penetrabilitate sua efficaci, præ alijs omnibus mirum-quantum hoc in negotio necessaria, sese commendantia.

Sequenti autem methodo conditoriâ præparavi non pauca corpora, quæ cuivis curioso, quandocunque libuerit, demonstrare valeo, imò demonstravi hactenus non paucis, v. g. vitulum, capram, porcum, gallos, gallinas, carpiones, ranas, mures, aves minores; Viscera item, corda, hepata, pulmones, renes vituli, canis, agni, &c.

Propositurus autem sum priùs processum ipsum priorem per se consideratum sine ambagibus; postea verò subjungam varias enchirises certis numeris insignitas pro rei dilucidatione, ut & modum breviorem, in gratiam inexercitatorum, & ut alij eo citius ad scopum quoque pertingere valeant, imo insimul ad penitiorem hujus arcani illustrationem quærendam irritentur, summè necessarias.

Propterea quoque Corpus balsamationi destinatum postquam à morte vel naturaliter, vel per suffocationem aut strangulationem inducta 18. sive ad summum 24. horis ità recubuerit, imponatur vasi è ligno querno, vel simili duriore, oblongo vel quodammodo juxta subjecti proportionem confecto. (1.) Tunc in promptu sit Spiritus salis armoniaci balsamans extemporaneo modo insequente præparatus. [2.] Recipe cinerum clavellatorum, libr. 1. (*Boodasche* Lingua vernacula audit mercatoribus) superfunde aquæ communis lib. 6. stet per horam unam, & aliquoties agitetur pro meliore dissolutione. Huic solutioni injice salis armoniaci pulverisati libram semis, vel paulò plus, agitetur itidem aliquando pro plenaria specierum in aqua diffluxu, & quidem in vase obturato, ne partes volatiles evaporent; Postea filtretur per chartam emporeticam.

(3.) Corpori sic in vase locato affundatur Spiritus hujus secundùm dictam proportionem parati tantum, quantum sufficit, scilicet, ut hic super illud ad unius ulnæ quadrantem supereemineat. Cùm autem dictus spiritus, utpote sale alcalico tam large saturatus impositum corpus, ob cruditates abdomen tympanitice ac flatuose distentendes, & porosum redden-

dentes, statim elevet, nec submergi, præcipuè primis diebus vel septimanis, concedat; in parte eminente autem, quem liquor non tegit, metuenda sit corruptio, ideoque vas vel quotidiè agitatione moderata moveatur, ut ità à liquore perfundente & humectante etiam, veluti partes submersæ, balsamicè imbuantur, atque imminens & plus ultra tendens interitus præcaveatur. Vel, quod melius, una alteraque ligneæ laminæ particula arctè super cadaver cogatur in vase, quo suppressum humiditate superfluente continuò irrigetur. Vas continens postea accuratissimè occludatur, juncturis glutine farinaceô papyro illitô optime munitis; partim ideò, ne spiritus volatiles evaporent; sed eò fortius in substantiam contrariam agere, eamque vincere ac edomare valeant; partim, ne aer externus, præcipuè humidus, suâ penetrabilitate illam, alias in putredinem flecti ceream, eò magis magisque disponat ac irritet.

Dictô modô compositum ita relinquatur, corpus majus quidem per 3. menses; minora verò per duas saltem vel sex septimanas, imò quædam per unicum solùm mensem, ubi discernendum Tibi erit, num carnes corporis tractandi fuerint duriores an molliores; sic præcipue caro piscium si diutius ac duas vel tres septimanas ibidem asservatur, in tabum mucosum facile resolvitur, nec postea diu durat. Viscera item animalium si seorsim, exemta suis corporibus, condiuntur, paucarum septimanarum vel mensium tantummodò condituram desiderat.

(4.) Asserventur autem, si possibile est, in locis magis frigidis, quàm calidis ac humidis; quod observandum præcipue mensibus æstivis subjecta putredini obedientia facilè colliquantibus; si tunc forte cuidam libuerit similem operationem instituere, vel si mortis necessitate sic jubente, in corpore Humanô fuerit tunc peragenda.

(5.) Elapso jam notato bi-vel trimestri spatio vas aperiatur, liquor modestè decantetur, vel exhauriatur. (*6.*) Corpus tunc exemtum molliusculè & tenellis manibus tractetur. (*7.*) *Receptaculo* extractum ita requiescat per 18. vel 24. horas. Cùm autem humidi actualiter præsentis ab ebullitionibus corrupti vis residui moderata requiratur exsiccatio, & negotium hoc soli Naturæ non esse committendum, noxius & insperatus me aliquoties docuerit exitus.

(8.) Propterea per unam alteramque diem aut septimanam (prout subjectum citiùs vel tardiùs indurescere, atque desideratam siccitatem assumsisse videbis) repone in hypocaustô mediocriter calefacto, vel aliquando supra fornacem; nonnunquam simul abdomini imponendo lateres calefactos; vel immitte illud involutum (ne conspurcetur) duabus vel tribus vicibus in die, arenæ calefactæ, vel hanc adsperge corpori, præprimis verò contumaci ad obsequium ventri inferiori. Tempore æstivo re ita per aliquot dies tractatâ, poterit exponi radijs Solaribus fortibus. (9.) Monendum quoque est, singulis diebus in alteram partem vertendum esse corpus, ut humiditas hinc inde hærens à calore externô eo melius ubique absorberi possit. (10.) Tandem abluatur spongia pro removendis, si quædam fortassis adessent, sordibus.

In antecedentibus monui, scopum meum primùm esse hisce meditationibus, ut corpora Humana balsamice possint præparari, & per tempus à corruptionis aliàs certo statim insequentis carie vindicari. Cùm autem methodus modo dicta tres menses, & quod fere excurrit, ad hoc opus exposcat, quæ mora sane longior non adeo commoda videtur ob ceremonias funerales, ac sepulturam non tamdiu semper suspendendam. Propterea, post superius memorata tam tædiosa & laboriosa, totiesque repetita tentamina, non cessavi alijs alijsque indagationibus huic artificio insudare, annon possibile foret, spatium perfectionis concentrare ac compendifacere; Et tandem mihi licuit esse tam felici, Deô operi annuente, ut arctiore tempore id absolvere via sequente valuerim.

Pagellæ proximiores docuere, fermentum putredinale præcipue insidias struere partibus interius, & in specie in abdomine contentis, quod postea, (veluti scintilla sub cineribus latitans ventô agitata cornua sumit, in maximam sæpe flammam excrescit, ac vasta domuum, imò pagorum, atque urbium corpora consumit) ulterius serpendo aliàs quoque rursus inficit.

Proinde ratiocinia posteriora experientiæ innixa dictitarunt, ut ante omnia principijs hisce obviam eatur; quod commodius ità præstandum judicavi, & quoque præstiti: Corpori condiendo (de majore sermonem esse, sciat Lector, cùm in minoribus non opus sit,) aliquot statim ab obitu horis, non facilè post duodecimam, infundantur per os in Oesophagum Spiritus balsamantis antea descripti nonnullæ unciæ; corpus erectum servetur, ut lente delabatur in stomachum, ac annexa; postea fauces bombyce claudantur; varia enim pericula me cautum fecere, quod corpore postea reclinato, vel in declivi locato, rursus ex ore effluat. (11.) Non minus fiat levissima incisio cultello acuto sub utraque ala, & in utroque inguine, punctura hîc in abdominis cavitatem adscendente, ac intrudantur canaliculi è pennis anserinis, vel rectiùs lignei aut eburnei paulò incurvati; aliàs enim prolabuntur, ut hoc medio liquori spirituoso balsamice imperanti & aptior ac liberior pateat introitus, pro cruditatibus mesenterij, pro sanguine, ipsisque Visceribus interne latitantibus in putredinem propensis, eò felicius faciliusque subigendis & exsiccandis. (12.) Post factam siphunculorum incisionem cadaveri superfundatur liquor solitus, idque tractetur eô, quô paulo antea notatum, modo, nisi quod post 6. vel octo septimanas spiritus possit decantari; quia hôc infusionis adminiculô opus citiùs desiderato potiri fine, observaverim.

Ut etiam Spiritus salini, præcipuè volatiles, in cadavere exsiccatô, eò firmius intra hæreant, ac delitescant, nec evaporandi ansam arripiant; sed cutis, ejusque pori illorum retentione quodammodò constringantur, congruam quoque hanc inveni enchirisin: Postquam subjectum sex vel octo septimanis saltem ità remanserit, in liquore condiente, & hic jam fuerit decantatus, vel modestè remotus; illudque 18. ad 24. horis ita fuerit per se relictum, tunc superfundatur aqua, in qua decens portio nitri vel aluminis soluta, usque ad aquæ super corpus eminentiam. Stet ita itidem duobus aut tribus diebus; hinc aquâ denuo separatâ & effusâ, cadaver tractetur leni hypocausti, arenæ vel Solis calore; veluti paucissimis abhinc paginis manuductio ad hancce condituram clarissimis fuit descripta verbis.

Nunc sequentur promissæ, eaque Operatori summe necessariæ enchirises, numeris modò injectis concordantes. (1.) Lignum eligendum est durum; molliora enim, v. g. abietis, pini, & similia ob substantiam suam laxam & porosam absorbent largissimam spiritûs volatilis penetrantis quantitatem, adeò quidem, ut postea non penitùs tegatur eidem immissum cadaver, & ita in parte non tecta aut humectata putredini insidianti fenestra aperiatur; veluti quidem damnô meô aliquoties sum expertus.

(2.) Utor voce spiritus in lata significatione, ob virtutem nimirum penetrabilem spiritibus destilla-

latione elicitus alias competentem; cum hic meus spiritus potius stricte sumto vocabulo mixtura vel liquor sit appellandus.

(3.) Posui hic saltem proportionem ingredientium; judicabit autem facilè laborem aggressurus, in qua quantitate ad condituram suam, sive majorem, sive minorem, hujus indigebit.

(4.) Dixi carnes molliores, in specie verò piscium, à diuturniore [nimirum tempore aliquot annis durante,] in liquore morâ dilabi, & in tabum resolvi, quod quidem potissimum intellectum velim, si speciebus condientibus fuerint postea exemtæ, vel post harum extractionem; Siquidem pluribus mensibus innatantes spiritui sine noxa servari pisces, insecta, varia item Viscera; quæ ita seorsim condita poterunt pluribus annis in vitris arctissimè tamen munitis jucundo spectaculo reservari, vel etiam, si lubet, aliundè mitti in principio conditura; Postea verò motus absentia diuturnitatem promovet. Jam dicta de incolumitate diuturna in spiritu balsamante, & quod succedente tandem extractione corpora subito quasi delabantur & pereant, confirmat Tullia Romana, cujus Historiam amplam satis in antecedentibus communicavi, è Cœlio Rhodigino, ut & Historia è Kircheri Oedipô Ægypt. superius cap. 2. Sect. 2. adducta.

(5.) Angustiori temporis spatio opus hoc, præprimis in majoribus, absolvi non posse, contrarius effectus me plus vice simplici docuit. Liquor abjiciatur tanquam inutilis, cum virtus ejusdem in edomandis contrarijs contumacibus sit deperdita, & in eo nihil restet, quam vappa, ut sic loquar.

(6.) Ob diutinam enim in liquore, præprimis vi suâ efficaci & volatili omnia penetrante detentionem singulæ partes valde sunt emollitæ & quasi flexiles redditæ. In specie vero abdomen (ob contenta varia & copiosa in corruptionem proclivia, flatuose fermentantia, & spiritui suum officium facienti non nisi invite obedientia) valde elevatur, & intumescit, ut jamjam rumpi & lacerari videatur.

Non minùs mephitim insignem ac odorem cadaverosum & molestum de se spargit, ut proinde inexperti totalem putrefactionem præstò esse, metuant; sed bono animo eos esse jubeo; cum certò mihi constet, singula balsamatione à me præparata ante absolutionem fœtorem similem naribus obtrusisse. Dum prima experimenta faciebam in minoribus subjectis in vitris pellucidis, vidi sæpius inter spem & metum ante debitum exemtionis tempus horum ventres summè tumidos ita vacillare ac tremere, quasi jamjam penitus sint diffluxura, quod tamen in neutro horum accidit.

(7.) Sperabam quidem in una & altera operatione prima vice instituta successuram lentam, eamque plenariam exsiccationem; sed eventus contrarium monstrabat; Siquidem modo dicta in inferiore Ventre hærentia, remoto liquore imperante cornua denuo sumebant, atomi residuæ putrescibiles partes modo edomitas, adhuc teneras & molliores in consensum trahebant, ventrem nuper quasi tympaniticum, & moderato successu reliquas quoque totius partes contagio emortuali in tabum putridum & mucosum resolvebant.

(8.) Tempore æstivo postquam methodo jam notata paucis diebus cadaver hypocausti calore fuerit tractatum, pro obtinenda perfecta duritie & siccitate poterit, si lubet, quoque per aliquot dierum seriem exponi radijs Solaribus. Quamvis quidem singula muscarum genera mortuo huic insultent; præcipuè quoque majores illæ, *die Schmeiß-Fliegen* Nostratibus dictæ, semen suum super hoc emittant, unde in alijs cadaveribus vel carnibus statim instat cum putredine vermium generatio; veluti quidem singulis opera culinaria & œconomica vel levissimè callentibus notissimum est. In substantijs tamen hisce balsamico antidotô munitis consuetum huncce in alijs effectum nuspiam succedere vidi, jucundô & rarô in physicis rebus spectaculô. Verùm, ut primis quoque diebus præsente adhuc largiore humiditate, ita exponatur Soli ardenti, nulli tam facilè autor essem, in specie in cadaveribus majoribus, cum in dicto humido copioso, partibusque mollibus restet aliquid fermenti putredinalis; ut ita accedente muscarum semine ansa detur putredini verminosæ. Cùm etiam plerumque post integram exsiccationem, restare soleat graveolens ab atomis putridis odor, non ineptum aut innoxium est, pro plenaria hujus suppressione continuare calorem vel hypocausti vel Solis moderatum, præcipue in subjectis, quæ curiosæ demonstrationis gratia sic conficiuntur.

(9.) Verebar in primis experimentis, ne calor hypocausti, arenæ & Solis externus evocaret & dissiparet spiritum salis armoniaci, & per consequens sparatam durabilitatem infringeret. Sed odor quodammodo mephiticus & cadaverosus, non verò volatilitate nares adeò feriens, ceu aliàs solet *Spiritus salis armoniaci*, in pluribus exemplis à me repertus, testatur, præter humidum corruptivum nihil vel modicum solummodo Spiritus adeò evaporare; sed huncce per *sal alcali cinerum clavellatorum* ità potiùs esse fixatum & coagulatum, ut de hujus exspiratione supervacaneus maximam partem sit metus. Adhæc potior ac subtilior ejus virtus cum suppressis & edomitis particulis putrescibilibus simul occubuit.

(10.) Dixi, liquorem faucibus infundendum esse paucis ab obitu horis. Dixi autem hæc propria edoctus experientia; nisi enim infusio ista propediem peragatur, postea calore innato & spiritibus vitalibus non amplius operantibus, tunicæ œsophagi collabentes, vix ac ne vix quidem aditum concedunt liquori ingressuro, Observavi quoque etiamsi cadaver aliquot horis erectè fuerit locatum, postea verò declive positum, infusa tamen refluxisse, nisi fauces fuerint benè obturatæ. Si itaque tàm difficilis per stomachum plerunque vacuum obtingit ingressus, non video, quomodo clyster *Jessenij*, capite præcedente memoratus per anum injiciendus in necessaria (quæ ob penetrantiam ad superiora extra dubium deberet esse copiosa) quantitate posset intrudi intestinis mucô ac flatibus fere semper repletis; & quamvis commoda cadaveris locatione, atque arcta podicis obturatione retineretur, quomodo infusum decenter ascendere, ac inde aut evacuatoria aut balsamatoria totius operatio expectari posset?

(11.) Posset quidem in ipso Thorace aut Ventre inferiore manifesta fieri incisio, pro intrudendis canaliculis; ne autem dedecus per hanc lacerationem emergat corpori condito, commodæ satis & sufficientes erunt factæ sub alis, & in inguinibus puncturæ.

Post modò dictas notas ipsam methodum concernentes, restant adhuc aliæ generaliores, operationi non minus multum lucis afferentes, scituque necessariæ.

Quamdiu duratura sint corpora juxta instructionem hactenus declaratam condita tam accuratè definire non audeo; Siquidem hâc de re non nisi per conjecturas loqui licet, & omnino multorum annorum series speranda, siquidem in varijs corporibus exsiccationem petrificationi quasi analogam vidi. Me quidem non latet, à nonnullis, qui tamen vel relata referunt, vel minora saltem hôc in artificio experimenta fecerunt, nimis hyperbolica jactari, & promitti horum quasi æternam (& quod ferè excurrit) durabilitatem. Me quoque non latet, quamdiu Corpora *Ægyptiorum* mumisata plura corrumptionem elu-

eluserint, & adhuc inde eludant. Nec incognitum mihi est, corpus *Tulliæ*, aliquando fuisse *Romæ* repertum per mille & quingentos annos liquori cuidam innatans, corruptionis expers. Nihilominùs paulò modestius hâc de re sentire, magis consultum, & Christianæ rationi consonum videtur. Siquidem notum est Pharmacopæis, Myropolis, &c. *Mumias Ægyptiacas* Pyramidibus, & cryptis sepulcralibus exemtas aëris injuriosas mutationes tàm impune non tolerare, sed artificiosè ab hisce defendi debere. Quamvis è superiùs dictis pateat, in hisce præter cutem & ossa fere nihil restare; ut sic magis species balsamantes, quam corpus considerari debeat. *Tulliæ Romanæ* autem pollincturam quod attinet, longissimè differre conservationem actualem cadaveris in liquore balsamicô ab illâ, quæ fit in liberâ aëris, qualis qualis etiam illa sit, expositione, testem habemus experientiam, rerum omnium magistram, Singulæ enim creaturæ, juxta severum *Sacri Codicis* Præceptum, tandem ad suam ruinam inclinant; imò ipsa remedia alijs corruptionem suspendentia ab hâc non sunt immunia, veluti amara, aloë, myrrha, aliáque plura testatum eunt.

Ego similia cadavera varia servo (cum huic artificiosæ Curiositati diutiùs non incubuerim) per 6. 9. 12. 15. 18. menses, & quidem pleraque sine alterationis putridæ labe, alijsque corruptionem minantibus indicijs; nullus dubitans, quin longum adhuc per tempus jam præsenti nativa facie & formâ superbire possint, præprimis si legitima eorum cura geratur; ac in aëris temperie tàm ipsis, quàm simul speciebus balsamantibus conveniente adcuratiùs, quam hactenus à me factum, foveantur.

Fundamentum enim talis conservationis & durabilitatis bonam partem consistit in defensione ab aëris mutationibus, & in specie ab ipsius humiditate, substantiam salinam colliquante & resolvente, de qua re plura paulo inferius.

Quamvis autem ipsa mea cadavera tàm molliter non tractaverim, sed quibuslibet aëris alterationibus liberè, exposuerim; imò horum varia ad Excellentissimum ac Generossimum Dn. Carolum, L. Baronem à Friesen, Sereniss. Saxoniæ Electoris Consiliarium intimum, Camerarium & superioris Consistorij Præsidem, communem & primicerium rei literariæ Patronum, illius Curiositati satisfacturus in prædium ejus Rotham aliquot abhinc milliaribus situm transportari curaverim. Et hôc quidem datâ opera, ut eò certius experirer, quidnam harum injuriarum ferre queant, quid ferre recusent. Nullam tamen ferè in his singulis immutationem persensi, nisi quod cadavera integra, priore saltem modo (sine immissione in nitratam aquam) parata, in abdominis parte inferna & teneriore, ob salinam qualitatem quodammodò quasi liquatam, parum mollescere viderim; viscera autem separatim balsamata, & præcipuè Pulmonum aspera arteria, & Hepati inhærens vesicula fellea vermiculorum quorundam, quasi blattarum aliquando, præprimis & ferè solùm mense Junio, fuerint experta insidias; singulis verò hisce corporibus tempore æstivo, sine damnô tamen illato, sese associaverit vermium domesticorum, à frumento plerunque oriundorum genus quoddam.

Sic quoque subjecta & viscera quædam planè nuda, non involuta, aût munita imposui cellæ, exploraturus, quomodo ejusdem humiditatem sint toleratura; Cùm notum sit, salina ibidem alias citò in liquorem resolvi, atque in illis per aliquot septimanas ibi relictis observavi, guttas paucas inhærere, vel alicualem madorem, quod quidem accidere solet rebus singulis cellæ impositis. Neutiquam autem majorem colliquationem aut resolutionem, siquidem hæc cum reliquis adhuc in eodem vigore oculo cuilibet curioso ostendere, si libet, licet.

Nihilominùs pro diuturniore, elegantiore & firmiore durabilitate concilianda secundum fundamenta physica securior erit via, ut cadaver ab aëris alterationibus, & in specie ab ejusdem humiditatis injurioso tactu defendatur. Proinde locentur vel in loco calido & sicco, vel frigido & sicco, qui posterior eligendus vel commodior erit, aut arte potius ità comparandus corporibus Humanis in cryptas quodammodo humidas plerunque recondendis. Hinc talia possent involvi linteo, optime cerato, è cerâ & terebinthina composito, quale è capite præcedenti in formulis condiendi cum exenteratione tradidi, peti poterit.

Tunc circumdetur linteo, aut sacculo nitro repleto, imponaturque loculis ligneo & stanneo, vel plumbeo, pro infrigenda aëris liquefacientis aut cujuscunque lascivientis violentia.

Si enim corpora *succinô*, *cerâ* & similibus, item fructûs saccarô obducti, anteà, autem balsamicè minimè condita ob solum aëris injuriosi accessum prohibitum aliquandiu durare potuerunt, cur non majora & durabiliora nobis promittere poterimus in hisce artificiosô cultu & cautelis providis large elaboratis & compositis?

Diversitatem climatis atque aëris multa posse in cadavera, docet *Camerarius*, Centur. 1. Horar. subcisiv. p. m. 85, *Magna est*, inquit, *differentia cadaverum Europæorum & Orientalium. Hi enim ob sicciorem constitutionem putredini non ità obnoxij sunt, quàm illi. Idque constat ex Ammianô Marcellino, cadavera Romanorum, à Persis cæsorum in prælio discerni potuisse; Cùm Romanorum cæsorum cadavera citò fatiscant, & diffluant, adeò ut nullius mortui facies post quatriduum cognoscatur. Interfectorum verò Persarum corpora inarescunt in modum stipitum ut nec liquentibus membris, nec sanie perfusâ madescant. Quod vita parcior facit, & ubi nascuntur exustæ caloribus Terræ.*

Vigori horum, quæ cryptis non ità includuntur, servando, aut restaurando quoque vidi conducere, si tempore æstivô aliquoties exponantur radijs Solaribus fortiter ardentibus, vel aliquoties & successive, aëre humidô prædominante, hypocausto calefacto immittantur, pro humidi subreptitij exsiccatione. Defensio tamen ab aëre per telam inceratam, & immissionem in nitrum vel arenam præ alijs est commendabilis. Quamvis confidam, me cum Deo & die inventurum esse enchirises similes aëris injurias eludentes.

Suam quoque pro diuturniore durabilitate extra dubium conferet operam, si cadavera vel viscera aliquot septimanis semel leniter saltem abstergantur, vel tangantur spongiâ spiritu balsamante consuetô aut aquâ nitratâ humectatâ, ut sic atomi putrescibiles cuti adhærentes in tempore dissipentur; quamvis eâ Ego enchirisi non fuerim usus.

Ex hactenus traditis innotuit benevolo Lectori, quanam via condituram meam fuerim aggressus & absolverim, & quomodo spiritus balsamans citò sit parabilis. Quamvis autem penetrabilem suam efficaciam & virtutem mihi abunde commendaverit; nihilominùs magis conducibile reperi, si recens spiritus transactis duabus septimanis adfunderetur, priore per modestam decantationem remoto; quia hic per contrarias partium in putrefactionem ruentium qualitates supprimendas fatigatus, atque vi sua innata spirituosa depauperatus est. Quod post idem temporis spatium eôdem modo erit repetendum. Sæpius tamen hæc repetita affusio Spiritus recentis non est instituenda, quia à nimia ejusdem pe-

penetrabilitate tibi alias Abdominis erosio metuenda; quod itidem proprio damno sum aliquoties expertus.

Si quidam libuerit adhuc subtiliorem operi admovere spiritum, ille quidem prima vice affundat liquorem solitum, ob extemporaneum suum auxilium, veluti hic quidem necessitas exigit, laude rara conspicuum; postea modis modo dictis semel vel bis affundatur per destillationem factus ejusdem generis, & quidem in copia, facilè & sine magnis impensis itidem obtinendus, qui elaborandi modus quibusdam Chymiatris jamdum innotuit; sic autem conficitur: Recipe *Ciner. Clavellator.* libras duas, *salis armoniaci* pulverisati libram unam, superaffundantur aquæ communis libræ sex, destillenturque per alembicum in arena, observatis ignis gradibus, veluti notum Artis Filijs.

Atque ita non erit dubitandum, quin methodus mea balsamatoria, accedente & hac enchirisi tempore adhuc multò angustiore sit absolvenda, quod ego quidem in duobus saltem cadaveribus, dum hæc scribo, tentavi, & eô, quem optabam eventu, Deo benedicente, absolvi.

Si fortè quidam vereretur, ne *sal cinerum clavellatorum* (præcipuè in cryptis humido aere prægnantibus,) successu temporis resolutionem liquidam sit experturum, quod ego tamen non adeò metuerem, si juxta monita superius tradita tam in loculis, quam alibi cautè munirentur, ipse etiam in meis satis superficiariè licèt habitis & repositis corporibus hactenus simile offendere non valuerim, ille poterit, postquam liquor juxta nuper edoctas regulas extemporaneè confectus ab usu nonnullorum dierum fuerit remotus, adhibere spiritum *salis armoniaci*, communiore, at pretiosiore modo, sine admistione *cinerum clavellatorum*, vel similium destillatum.

Si quoque liquoribus hisce lixiviosis ac spirituosis aliquis admiscere velit extractum, vel succum *absynthii*, vel alia amara, *myrrham, aloen*, &c. energiam balsamicam magis augeret, quàm imminueret.

Si offerret se condiendum corpus, in quo vel affectu hæmoptoico, vel aliâ causa violenta, vulnerationibus, & similibus à vase læso aut rupto sanguis extravasatus largus offenderetur, tunc statim post paucos dies novus affundatur spiritus; quia sanguis exterius, & sui juris existens non tam subitò à spirituum virtute potest superari & edomari, ac ille incrassatur & figitur, qui est intra sua receptacula reclusus; sed putrefactivâ sua petulantia adeo enervem & exanimem reddit liquorem, ut quasi evictus citò vappescat, nec posteà sufficiat perfectè superandæ putredini reliquis partibus inhærenti; veluti hoc quidem specierum condientium, & temporis jacturâ sum edoctus in molosso Anglico raræ magnitudinis, artem meam eludente, ille enim inter strangulandum summè contranitens rumpebat vas in pulmonibus; hinc copiosa orta hæmorrhagia.

Subjecta pinguiora difficiliùs & tardiùs experiuntur condituram, cùm pinguedinis crassities resistat conatibus Spirituum penetrantium; ideoque talia paulò diutius sunt retinenda. Ubi simul monendum, hisce nimis fortem ab eorum exemtione arenæ aut hypocausti calorem non esse admovendum, cum hic pinguedinem nondum penitus exsiccatam & edomitam liquefaceret.

Econtra non adeo multum referet, an subjecta fuerint senilia, morbosa, aut pulmones, aliaq; Viscera ulcerosa & corrupta; Cùm aliquoties viderim in diversorum Brutorum adexsiccationem paulo citius exemtorum vel me à negotijs Practicis peregrè avocato speciminibus, ventres disruptos vermibus millenis scaturijsse; nihilominus à spiritu denuo affuso hos fuisse suffocatos, corpore postea, licèt non tam concinnè, uti aliàs exsiccatô.

Si quoque cuidam fortè libuerit, condituram instituere methodo hùc usque à me declarata extractis intestinis, alijsque infimi vel etiam medij ventris contentis, atque ità per exenterationem antiquis receptam, dicto modo multo angustioris temporis spatio scopum suum attinget, præprimis si viscera seorsim condita reponeret.

Singulis quoque pollincturam ità aggressuris aut tentaturis autor essem, ut primos conatus experiantur in subjectis nonnullis minoribus, antequàm ad Humana & alia majora progrediantur, ut sic pedetentim adsuescant observare necessarias enchirises.

Hæc sunt, quæ hâc vice Orbi literato de negotiô balsamatoriô communicare volui, vel rectiùs, potui; Confidens, eadem eâdem animi dexteritate, quà scripta sunt, acceptum iri. Siquidem ad meam Ego provoco conscientiam, me cuncta possibili, & Medicum ingenuum, imò Christianum decente perspicuitate ac fidelitate proposuisse. Si fortasse quibusdam nonnulla obscuriora viderentur, vel operatio inchoata è voto non succederet, ijdem sibi ipsis eventum contrarium adscribant, velim; quia scilicet vel inexercitati unius, alteriusve enchiriseos fuerint obliti, vel materiæ spiritum balsamicum constituentes caruerint debitô qualitatum suarum vigore. & sufficiente penetrabilitate, quod tamen in hoc negotiô plurimum confert. Ego autem insuper vere promitto cuilibet indagatori illud postulanti mentem ac operam pro virili meâ auxiliatricem, si nonnulla illius ingenio obscuriora viderentur proposita.

Clariora divulgare experimenta primô hôc conatu certè non licuit, quoniam in re difficultatibus plenissimâ, & quasi novâ nullius vestigia certò legere potuerim; Accedit, quòd omnia inter concatenatas negotiorum practicorum turbas tractare fuerim coactus. Assensum merentur verba dictata à *Rob. Boyle*, Experim. Physico-mechan. in procemio, p. m. 3. *Rarissimè contingit, inventa primô conatu sic perfici, ut neque defectu aliquô sordescant, qui remedium deposcat. nec ulteriore alias indigeat complementô.*

Sanctâ enim fide attestor, mihi ne gry quidem aut minimam notitiam constitisse, qualem se gesserit in condiendis corporibus suis Humanis *Bilsius*, *Belga.* aut post eundem ipsius æmuli, in præparandis præcipue subjectis minoribus atque visceribus animalium sive materiam sive modum eorum consideres. Quæcunque inde, ut & ex alijs Autoribus superiore in capite adductis hariolari, aut divinare licuit, me sanè magis confusum, & dubium reddiderunt, ob summum opinionum dissensum,

Siquidem inter illos alium de re aliqua condiente tam splendidis conjecturis sentire, alium penitus de re alia plane certi quiddam definire offenderim, quæ tamen, postquam examini experimentali subjecerim, fidem suam mihi liberare, aut promissis stare non valuerunt; Cùm opus aut planè ità non successerit, aut ad minimum durabile non fuerit.

Hîc sæpius non parum admiratus sum quam infirma & incerta sit experimentorum per scripta publica concreditorum relatio historica; ubi non simul accesserit manuum propriarum, utpote oculatarum, testimonium.

Quamvis quidem jucunda sit malorum præteritorum & superatorum recordatio; Lectori tamen molestus esse nolo, in enumerandis similibus rebus ac modis diversis, in quibus specimina infaustô eventu tentaverim; Ut tamen è pluribus saltem hoc memorem; Novi, quosdam statuere, mediante solâ exsiccatione Bruta minora posse ab interitu vindicari; quod probavi in columbis, muribus, &c. atque aliquando

sub

sub cautô ignis regimine veritatem rei quidem inveni, sed paucis post septimanis cesserunt in blattarum, aliorumque vermium escam & ludubrium, cujus rei ratio reddenda quidem non erit adeò difficilis; dum scilicet talibus defuit quiddam balsamicum, quod resistere potuerit æri in corpora quælibet anima sua orbata injuriose & corruptivè agenti.

Non minùs quidam superiùs allegatus, Vir aliàs ob scripta edita laude dignus tradit in Libro publice prostante, Bruta minora, & insecta, in vitrô acetô fortissimo repletô servata perpetuò manere incorrupta. Pro veritate hujus indaganda ego immisi aliquot pisces vitro acetum continente; verùm paucis abhinc diebus reperi eosdem à corrodente aceti acrimonia in particulas divisas vitro innatantes. Tentavi idem in gallo satis grandi & veteri; sed diebus 10. ad 12. elapsis bona non minùs pars exterior jamdum ab aceto in succum erat redacta tabidum.

Quam multa ego tulerim, fecerim, sudârim & alserim in inquirendo, hoc artificiô curiosô, ipse optime novi. Maximi autem labores, fœtores, sumptûs, aliaque incommoda mihi præprimis sunt suborta, antequam didicerim legitimum Balsamationi perfectæ necessarium tempus; & quod illud toties-totiesque contrahere, abbreviare, & compendifacere ausus fuerim.

Inter tædiosas tamen hasce operationes non mediocre mihi occurrebat solatium ac levamen, quod Uxor mea dulcissima, supra Sexus sequioris, rerum anatomicarum, & quæ his analogæ, ingratas operationes aliàs summè nauseantis consuetudinem, molestias hasce mephiticas mecum dividerit, manumque operatricem fidelissimè simul admoverit; cùm solis subjectis majoribus elevandis, invertendis, varieque tractandis non sufficerim. (Peregrinos autem & amanuenses adjungere talibus occultis & dubij adhuc eventûs tentaminibus, non fuisset consultum;) usquedum meus è Fratre Nepos dilectus, *Frid. Wilh. Clauderus*, Medicinæ Candidatus, ex Academijs redux suam quoque subministrabat opellam.

Constitueram quidem suspendere aliquamdiu hujus Tractatus publicationem, & adhuc adcuratius invigilare per crebriores indagationes huic arti magis illustrandæ; Verùm à curiosis rerum naturalium scrutatoribus, quà Medicis, qua alijs editioni inhiantibus, sæpius stimulatus ac monitus invidere illum diutius Orbi literario nolui. Præcipuè cùm vires quodammodo recolligere à meditationibus ac laboribus per tanta tædia, per tantos sumptus proprio semper ære factos, & per meæ valetudinis dispendium coëmtos, atque ità sanitatem ac crumenam meam aliquo modo solari, rationi consonum judicaverim.

Quantas autem Ego hîc fecerim expensas, rerum chymicarum gnari discant inde, quod ad cadaver quoddam magnum (quorum varia successivè partim irrito, partim optato effectu balsamando tractavi) condiendum mihi fuerint comparandæ 50. ad 60. non unciæ sed libræ spiritûs balsamici, ad singula recentem adhibendo.

Neutiquam tamen planè desistam ab hac arte meliùs excolenda, non modo quidem rogantibus amicis, consilio assistendo; sed & ipse porro mentem manumque operi applicando, eidemque majorem lucem accendendo, vitam quidem atque sanitatem Deo gratiose concedente.

Hactenus Clauderus in Tractatu de Balsamatione. Videamus jam elucidationes quasdam ejusdem Autoris in eôdem argumentô è Miscellaneis Curiosis petitas.

De Balsamatione Cadaverum, etiam majorum, sine evisceratione nonnulla.

In recenti habebit memoria Orbis eruditus, me undecim ab hinc annis Publico communicasse Methodum balsamandi corpora sine prævia evisceratione; quem laborem antequam varijs experimentis absolveram, mihi summè tædiosum, postea pluribus fuisse gratum, constat. Quamvis autem diversa cadavera ante illud tempus condita adhuc integra, nec putredine corrupta singulis curiosis demonstrare valeam quot horis libuerit; placuit tamen pro candore virum honestum decente hæc jam addere: Notum est curiosis è dicto Tractatu, me opus hoc conficere mediante liquore spirituoso penetrante è sale armoniaco, & cineribus clavellatis. Cùm autem negandum non sit, cineres clavellatos in aëre humidiore, citiùs liquefieri, ac alia alcalia, & per consequens inde parata injuriam pati; ideo, cum inventis facile sit addere, postea operi loco cinerum clavellatorum substitui calcem vivam, cum alcali hujus contumacia uniuscujusque aëris injurias eludat. Notum non minus est, Dn. *Kerckringuim*, Virum de Medicina nostra optimè meritum ostendisse curiosis fœtum humanum succino mollificato obductum; spectaculo sane oculos mirum-quantum pascente; quam curiositatem meritò veneror & commendo, præprimis cùm succini mollificatio hactenus multis innotuerit, magnis sumptibus olim quæsita & redempta. Licebit tamen mihi, mentionem facere, me viâ satis brevi diversa cadavera, plumis & crinibus carentia; sed nudam cutem, vel squamas suas præ se ferentia, meâ methodo tamen priùs parata, jucundè non minùs visui offerre posse, si illinantur vernice aliquo, à pictoribus & similibus facilè discendo; Ego talem paro è terebinthinæ puræ parte una, & olei pini vel terebinth. partibus tribus; Poterit quoque gummi mastichis vel succini in oleo pini vel terebinthinæ aut juniperi resolutum ità pro vernice illiniri. Magis adhuc tamen oculos recreat, si corpora dicta vernice planè albo obducantur.

Cæterum, quæ aliquot huc usque annis eleganti curiositate tractârunt nonnulli, dum aves, serpentes, & similia corpora minora exsucca & solidioris substantiæ, mediante spiritu vini & terebinthinæ aut simili, oleo item juniperi, à putredine non minus vindicant, jucundum quoque non minus, ac laude suâ conspicuum est. Corpora autem majora humidiora, nec eviscerata horum spirituum efficaciæ neutiquam obedire, expientiâ discitur. *G. Clauder. Miscell. Curiosor. Decur. ij. Ann. viij.*

Clariss. Clauderum excipiat jam Clar. Blancardus, qui in hac Balsamandi Arte apud Batavos, populares suos, à Bilsii temporibus tantopere exculta, non parum lucis præbet, dum sic scribit.

Conservatio cadaverum duplex esse potest; nempe mediante liquore, aut sicca balsamatione. Ea quæ fit mediante humido, fit cum cadavera eorumve partes ab una regione in aliam, absque ulla corruptione aut decoloratione transmitti debent: fiat igitur muria vel lixivium fortissimum ex marino sale & alumine an. quantum sufficit; cadaveri in capulo picato jacenti superfundatur hic liquor, adeo ut bene immergatur: atque hoc modo ex longinquis regionibus in alias, sine ullo fœtore aut corruptionis indicio transferri possunt; imò se-

sectioni anatomicæ, non inepta erunt quia inter dissecandum minimè fœtent. Aliquando, quod mirum, infantes eo modo conditos accepi, qui vivum adhuc colorem retinuerant; non secus ac si in cunis dormiverant. Optimè hæc methodus instituitur, cùm aliud negotium sit, & cum occasio dissecandi tibi commoda non fuerit, in aliud tempus differatur. Alter conservandi modus est, quo cadavera in oleo terebinthinæ condiuntur; atque hoc modo per aliquot annos in pristinum statim perseverant. Affusione spiritus vini conservari possunt, imò si more veterum incedas melle condiantur. Verum in melle, aloë, myrrha, similibusque Balsamis cadavera deformia fiunt, in spiritu verò vini sensim consumuntur. Optimum ideoque est, ut cadavera mediante spiritu vini primò tincturam suam evomant. Spiritus iste iterum rectificatus reaffunderur, tincturamque de novo extrahas, qui rursum destillatus iterumque reaffusus, tamdiu rectificari potest, donec nullam ampliùs tincturam imbibat. Accipe tunc spiritum vini rectificatum, cui admisce spiritus salis armoniaci cum calce viva destillati partem quartam aut quintam: hanc mixturam cadaveri superfunde: atque hoc ritu diutissime conservantur. Ità generationes ex ovo, quæ singulis diebus conspiciuntur, conservantur; quæ omni anni tempore repræsentari curiosis possunt. Imò si hac methodo incedas, semper & singulis diebus discipulis instructionem dare potes, absque ulla Anatomica ἐγχειρήσει. Elutriata omni tinctura sæpe affudi spiritum ex myrrha, olibano, mastiche, succino & spiritu vini destillatum, quem ob eximium in Medicina usum, spiritum matricalem voco. In hoc spiritu optimè dephlegmato conservantur pulli, angues, lacertæ, limaces marinæ & ejusmodi alia, sine ulla coloris deperditione. Si tibi contingat integrum cadaver à corruptione præcavere, per os & œsophagum aqua calida siphone immittenda, ut nimirum materia, aliàs facilè corruptura, ex ventriculo & intestinis foras per anum emandetur: idque tamdiu continuandum, donec aqua pura & limpida exeat. Postea spiritus vini magna quantitate immittatur, ut nempe hoc modo omni aquositas relicta, absorberetur. Porrò arteriæ quoque & venæ majores aperiendæ, iisque aqua quoque calida tamdiu injicienda, donec omnis sanguinis rubedo exire desinat, & aqua tantùm clara prodeat: deinde, ut supra, spiritus vini immittendus, ut particulæ aquosæ ab hoc spiritu elutrientur. Operatione hac prævia multùm spiritus parcitur, aliàs ingenti spiritus copia opus fuisset, quod mediante aqua jam fieri potest *Sandapila plumbea* aut *Stannea*, ne spiritus exhalet ad id opus requiritur, si integrum conservari, debeat cadaver: verùm si partes quænam conservandæ sint, vitra omnis generis requiruntur, quæ vesicis firmiter satis obturari possunt.

Post Balsamandi modum in humido, alter sequitur siccus; Quando contingat ut totum cadaver Balsamationi siccæ exponetur, potissimum ad faciem & manus advertendum, ne colorem vivum perdant. Aqua igitur calida & vino adusto, ut supra expositum cadaver eluendum; postea limpidus terebinthinæ spiritus cui pigmentum aliquod album admixtum fuit, de novo immittendum ut præcaveatur, ne cadaver siccum flavedine tingatur. Hujus liquoris, immissio in singulis ferè membris ubi arteriæ aut venæ manifestæ sunt institui debet. Cadaver hoc modo præparatum, altioribus domi partibus exponatur, situque debito membra disponantur: replendæ tunc omnes arteriæ & venæ cera parùm miniata, ut corpus nempe vividum acquirat colorem: Hæc ceræ injectio fit, ne corpus siccatum aridum fiat, verùm ut membra debitam expansionem servent. His peractis sensim siccetur cadaver ventis expositum, singulis diebus tamen adeundum, ne quid mali accidat. Facies interim & manus cosmetica vernice obliniendæ, ne flavescant minis. Oculorum orbitæ, vitreis oculis, ejusdem coloris ac vivus habuit, replendæ, quamvis cilia claudi possunt, & tunc mortuum, quasi dormiendem conspicies. Genæ, labia, similesque partes rubore vivo pingendæ: vivus enim color, quoad possumus, imitandus est.

Exsiccatum cadaver, ità ut nihil humidi in se contineat, ab omni parte vernice illinendum est, ut nempe ab aëris injurijs præcaveatur. Fiat igitur mixtio ex aloë, terebinthina & mastiche, quibus simul colliquatis nonnihil cerussæ admisce, ne color fiat flavus. Hisce ità peractis: arcæ ligneæ, ad præservationem comparatæ, mumia imponatur, ne ab omni aëris immunditie lædatur. Quamvis hoc ritu cadavera præservari possint, melius tamen erit, ut viscera, facilè corruptibilia, eximantur: exempli gratiâ, si capitis cutis cruciali modo incidatur calvariaque serra elevetur, cerebrum facilè corrupturum, eximetur: cavitas, post debitam exsiccationem eadem vernice obducatur: replenda interim cavitas Aromatis, gummisque bene olentibus: imponatur deinde calvaria, cutisque jam resiccata filo serico consuatur. Porrò ipsum & cerebrum condiri potest, ut postea dicemus & cavitati loco aromatum imponi. Simili modo & Thoracis & abdominis contenta eximi possunt, & balsamo indurari, ut nimirum postea suo loco locentur: verùm si licitum sit intestina sepeliri, cavitates aromatis replendæ, & cutis dissecta resuenda.

Si quis solummodo musculos condire studeat, cutis decorticanda. Omnes musculi arte anatomica à membranis solvendi, ut discipulis omnes totius corporis musculos exhibere possis. Solutis omnibus musculis, tamdiu aqua calida eluantur, donec nihil cruenti amplius appareat, postea spiritu vini irrorandi, ut omnis nempe aquositas imbibatur. Postea cadaver ante foramen modicè calidum ponatur, ut pedetentim exsiccetur, deinde oleo terebinthinæ quotidie musculi inungendi, donec omnes partes penetraverit. Hæc olei penetratio fit, ut partes ab omni corruptione præserventur. Exsiccato postea oleo, musculi aliquoties ab invicem separandi sunt, ne mutuò adhæreant. Interim erigatur corpus hoc modo ut erat in vivis, ità nimirum ut musculi posteriores & anteriores facilè conspiciantur. Induratis jam pro siccitate musculis, illitio rursum fit vernice ex oleo terebinthinæ & mastiche facta, ne externæ aëris injuriæ quippiam lædant: Si enim omnia providè peracta fuerint, hoc modo cadavera in aliquot centenos annos conservari possunt.

Minorum infantium cadavera ad siccitatem usque concinne Balsamo indurari, vitrisque crystallinis includi possunt, ut, post mille annos ità conspiciantur, ac si recens essent conditi. Hoc igitur incede modo: infantis aut embrionis corpusculum per octo aut plures dies vini spiritui immergatur; sed recens spiritus singulis diebus affundendus. Infanti majori autem intestina siphonibus purga, eique terebinthinæ oleum superaffunde. Interim vernix ex oleo terebinthinæ, mastiche, succino, copal. &c. præparanda: eaque fit ità spissa, ut, si ab igne movetur, in rigidum ferè vernicem rigescat. Hæc, calida in vitrum amplum, ad ma-

magnitudinem fœtus accommodatum, infunditur. Tepidæ huic vernici embryon balsamandum immergitur ut in medio vernicis spatio obrigescat, vernixq; instar succini diaphani apparebit. Mirum sane, quod magnatum maximi hoc modo non condiantur, cùm id paucis sumptibus & brevi tempore fieri possit.

Locuti jam sumus de modo, quo integra cadavera Balsamo condiantur, nunc de viscerum Balsamatione particulatim agemus. Ventriculus, intestina, imò vesica urinaria, uretheres, Cystis fellea, omniaque ea quæ fistulosa aut membranacea sunt eadem methodo præparantur: nempe, primo aquâ à sordibus purgantur, deinde spiritus vini ad aliquot digitorum eminentiam superfunditur, perque dies nonnullos infunduntur, ut omnis nempe aquositas extrahatur. Hisce peractis vento distendi debent, & quemadmodum vulgares vesicæ exsiccari. Postea fenestricula in stomacho vel in estinis fiat, partem nempe cultello fenestellæ in modum conscindendo, ut interiores parietes oculis pateant, tunc omnes æqualitates, & inæqualitates, ut sunt valvulæ miliares ob oculum sistuntur. Posthac eadem vernice intus & extus oblinantur, ne acari & teredines partes corrodant.

Lieni illæso aqua tepida per arteriam lienarem immittenda donec per venæ portæ ramos nihil cruenti redeat, tunc lien, ob sanguinis penuriam, plane albus apparebit. Injiciatur tunc sæpe vinum adustum eique per aliquot dies immergatur, ut suprà. Lien deinde inflandus ut spiritus exeat, iterumque terebinthinæ oleo imbuatur. Omni jam liquido liene efflato, vena portæ vinculis constringenda, & arteria insuffletur, & ligetur. Lien hoc modo ad siccitatem induratus, vernice eodem modo ab omni corruptione custodiendus est. Post exsiccationem membrana quæ lienem investit, scalpello acutissimo facile abscinditur, ut interior substantia, arteriæque distributio cominus conspiciantur.

In Balsamando jecore, immittenda per portæ venam aqua tepida, necnon per arteriam hepaticam; tunc omne sanguinolentum per venam cavam exhibet: deinde spiritus vini & postea oleum terebinthinæ injiciatur, ut supra. Interim quoque fellea cystis purgetur, insufflètur & exsiccetur ut ante de ventriculo & intestinis dictum. Sic quoque insufflandum est jecur per vasa sua, iisque extimè ligatis, exsiccationi exponantur, vernice que obducantur. Eodem modo & renes condiri possunt. Oculis inamœnum non est, venas esse cera nigra & arterias rubra repletas, ut nempe earum ramificatio eo distinctius conspiciatur.

Omentum exsiccatum, byssum aut carbasum, refert, quibus se mulierculæ ornant. Primo per aliquot dies spiritui vini immergatur, leviterque siccetur. Verùm quia multi ductus adiposi per illud excurrunt, idem amyli farinæ aut furfuribus immergendum, tum ab omni pinguedine liberabitur.

Pulmonum Balsamatio haud ità facilè fit, quia difficile vento replentur, insufflatis enim pulmonibus, omnis aër elabitur. Si enim pulmones eximantur è corpore plurimi meatus, post vasculorum lymphaticorum abruptionem relinquuntur, per quos aër & mercurius exeunt. Præparatio per aquam calidam, pulmonum arteriæ inj. ctum, deinde per spiritum vini, oleumque terebinthinæ, eodem modo ut suprà fit. Postea, ligatis omnibus vasis sanguineis, pulmones vitro largioris colli immittantur. Trachea tunc hoc modo in vesicæ alicujus medio ità accommodatur, ut flatus tamen in asperam arteriam immitti possit: vesica hæc ex cujus medio trachea dependet, supra vitri os ita expanditur & circumligatur, ne aëris momentum intrare vel exire queat. Verùm antequam vesica ligetur, alius quidam pulmones inflare oportet, ne scilicet post constrictionem iterum subsideant. Omnibus jam optime ligatis inflatisque arctè trachea est constringenda; tunc nullus, nec per tracheam, nec per vesicam, aëri aditus & reditus patebit. Deinde exsiccationi exponantur, & vernice obliniantur, sicque pulmones expansi manebunt.

Cerebrum cum immissione humidorum non ad votum penetratur, immergendum tantum est spiritui vini, & eousque renovandum, donec nulla tinctura aut aquositas extrahatur. Superfunditur deinde oleum aut spiritus terebinthinæ, donec penetraverit oleum; postea vernici fervidæ aliquoties immergatur, & papyro oleo olivarum madidæ, ut exsiccetur, cerebrum imponendum.

Mirum in modum, vasa sanguinea capillaria per omnes corporis partes excurrentia videbis, modo ea cera miniata aut alius coloris impleas exempli gratia, si quis vascula pulmonum tenella conspicere cupiat. Primo, ut in præcedentibus dictum, pulmones ab omni sanguine liberandi sunt, & postquam omnem humiditatem expresseris, arteria cera liquida, eaque miniata, mediante siphone repleatur, verùm nigra cera implenda est vena, viridi arteria bronchialis, alba vero Trachea. Putrefiant deinde omnes membranæ & vesiculæ, ex quibus pulmonum Substantia contexta fit & aqua frigida tandiu eluantur; idque singulis diebus, donec omnis materia putrida sit elota. Tunc apparebunt omnes arteriarum venarumque, necnon Tracheæ ramusculi instar arbusculi.

Jam quoad ossa, nulla fere arte opus est, cum duritie sua seipsa satis præservare possunt. Verùm in hoc versatur totius cardo ut ab omni carne, membranis, tendinibus, & præsertim pinguedine liberentur, nitoremque eburneum acquirant atque hoc fit sola coctione, tunc non tantùm multum medullæ extrahitur, sed & externa cultello facile deraduntur: postea per aliquot dies calcis aquæ imponenda, deinde supra eminentias arenosas circa maris littus insolentur, tunc post aliquot tempus eboris nitorem acquirent. Postea terebra versatili, seu verticillo circa articulationes perterebrantur, & invicem filis æneis junguntur, ut sensim in sceleton erigantur. Os sacrum porrò, omnesque vertebræ ut in vivis erant virgæ ferreæ vel cupreæ accommodantur, quibus caput, cum cranio, pro virgæ transitu, perforata, imponitur, atque sic omnia cochleari instrumento firmentur. Inferior virgæ pars tripes esse debet, ut totum sceletum virili magnitudine erigatur, & substentetur. Quæ ulterius ad sceleti erectionem pertinent, melius quis conspiciet si Anatomias publicas & privatas consulat. Atque hoc modo corpus integrum, ejusque partes Balsamo præservatæ privatim & singulis momentis curiosorum, discipulorùmque oculis sisti possunt: nam cadavera recens denata ubique præsto non sunt. Inque anatomijs publicis specialiora ità quoque non repræsentantur, quin prius fœtorem contrahant. Atque hæc de Balsamandi Methodo, qui plura desiderat, me adeat rogo. *Steph. Blancard. in fine suæ Anatomiæ.*

Plures alias condiendorum cadaverum methodos, ac medicamentorum in id adhibendorum formulas, commode hic rursus adjicere possemus, dum scilicet & Celeberrimus D. Lanzoni Medicinæ in Gymnasio Ferrariensi Professor, ac amicus singularis, eo de Balsama-

matione tractatu quem nobis honorifice inscriptum magna sua laude atque eruditionis fama vulgavit, illas abundè è varijs collegit Autoribus, & alij multi, quod in hac materia tradatur non parca manu sufficiunt. Verùm ne diutius in hisce exstispicijs, ac mortualibus immorari videamur, ijs quæ hactenus attulimus contenti, subjungemus tantum, quòd pluribus annis antequam aliquid de artificijs à Celeberrimo Claudero ut & Clariss. Blancardo descriptis audivissemus, non semel balsamationes per injectiones tentavimus, ac propterea post elotiones ex aqua in arterias infusa, & per venas recurrente, peractas eaq; quando ità necessarium videbatur pro sanguine grumoso fundendo, pauco sale tartari imprægnata; spiritum vini armoniacatum, postque eum oleum terebinthinæ æthereum pluribus balsamicis & aromaticis saturatum, non tantùm in eadem intrudebamus vasa, sed etiam per tempus ijs colligatis successivè detinebamus, ut medicamentorum vi carnes intimiùs imbuerentur, quod sanè non mediocrem successum nobis præbuit: At operationem illam aliquando in hâc, aliquando in alia parte adhibuimus, nunquam totum aliquod corpus sic conditum asservavimus, ut facili negotio, si in distractionibus perpetuis, ità licuisset, potuissemus: Non sic tamen illam conditurae perfectionem polliceri nobis dabatur de quâ nunquam satis laudandus Famigeratissimus D. Rhuyschius in suis ad nos Amstelodamo amicè exaratis literis decimo Aprilis Ann. 1696 verba facit. A tribus, inquit, circiter annis novam corporum humanorum balsamationem suscepi, quod tam feliciter evenit ut absque omni ostentatione dicere ausim inter homines viventes & cadavera nostra ne minima quidem intercedat diversitas: Cadavera hujus artificij ope, excepto motu, redduntur quasi in statu hominum viventium, ità ut ne minimæ particulæ visum effugiant. Addit præterea vir Clarissimus quod ad illum conscripserint nonnulli viri curiosi quibus responsum quoque dederit, adjectis figuris aliquot novis, quòdque hæc omnia primâ occasione data ad vos transmissurus sit. Ac revera accepimus in sequētibus quod promiserat vir Clarissimus, admiratique sumus quòd artificio suo, non tantum corpora integra per annos conservarit visceribus minimè remotis, eaq; publicè, tempore æstivo, ipsisq; diebus canicularibus sine ulla fœtoris molestia. dissecuerit, sed etiam sic minutissima vasa, oculis aliàs nullatenus obvia, qualia sunt quæ super periostijs, tympani membrana, alijsq; locis exanguibus veteribus creditis, repunt, sensibilia ac manifesta faciat, unde ductus omnis generis reserantur, nihilque prope in corpore tam reconditum est quod non patescat ac anatomes studiosis facile se non offerat. Utinam tam nobile artificium vulgasset Vir Clarissimus, sic ampla nobis ad totâ œconomiam animalem, functionesque viscerum perquam commode indagandas, aperiretur via; verum quandoquidem æquum non est hoc ab eo exposcamus, & quod magnis sudoribus conquisitum possidet, nobis gratis fruendum exhibeat expostulemus. Donec proprius labor aliquid detexerit quo avidum in hisce animum explere aliquatenus queamus; ijs quæ præmemoratus Clar. Rhuyschius sic curiosè admodum scrutatus est quæq; publico commodo hactenus dilucidè explicare non recusāvit, & in posterum explicare rursus paratus est contenti; hic jam nimium longæ, per varios quos attulimus Auctores, de Balsamationibus dissertationi finem facimus, verbulumque non ampliùs addimus.

BALSAMINA.

Balsamina dicitur quod ex pomis ipsius immaturis, oleo injectis insolatione oleum Balsamum, ut Chirurgi vocant, ad vulnera consolidanda præstantissimum conficiatur.

Nomina. Balsamina rotundifolia repens seu mas *C. B.* Balsamina cucumeraria *I. B.* Balsamina mas *Ger. Park.* Cucumis puniceus *Cord.*

Ex *radice* parvâ fibratâ, semestri pronascuntur viticulæ unius aut duorum cubitorum, tenues, striatæ, angulosæ, quæ clavicularum ope, quas ad singula folia emittit, perticis se circumvolvit. *Folia* bryoniæ potius vitis folijs similia, minora, concinnius, divisa, hilari virore nitent, penitus glabra, pediculô unciam aut sescunciam circiter longô, amarore quôdam & acrimoniâ levi prædita. E foliorum alis *flores* prodeunt, ex quinq; foliolis acuminatis compositi, colore ex albidô lutei, *Staminibus* etiam luteis, quod excipiunt *fructus* sublongi, qui maturi, rubent; vel (ut ait Lobelius) superficie carneq; nitentis purpuræ phæniceæ, turbinati, cumeris formâ, eodemq; modô tuberculis horridis bullati: *Semine* citrulli vulgô dicti, copiosô, fuscô, longiore quàm latiore, modice acuminatô, compressoque & aspero *Joh. Bauhin.*

Non provenit nisi sata. Melius & felicius in Italia, calidisq; regionibus proficit quàm in Germaniâ aut Angliâ, ubi Augusto plerumque floret, & nunquam; aut raro ac tarde fructus maturescit.

Vires. Vulnera recentia conglutinare folia imposita feruntur, cum vino verò assumpta, coli intestinorumq; dolores sopire, & ruptis convulsisq; utiliter exhiberi. Oleum in quo fructus exempto semine, vel insolatus, vel in calentis aquæ balneo decoctus, vel in fimo equino maceratus, vulnerum inflammationes arcet: eadem facile ac cito unit ac persanat. Doloribus ac ulceribus mamillarum auxiliatur; uteri exulcerationes ac inflammationes injectum curare posse existimatur; punctis ac vulneratis nervis utiliter adhibetur; adversus combustionem ex aqua oleóve fervente, ferro ignito vel igne multùm confert: cicatrices extenuat, ramices quoq; hujus inunctione sanescunt, si foliorum pulvis aliquot diebus interea exhibeantur. Steriles quoque hoc reddi fœcundas affirmatur, si post balnei convenientis usum, partes circa pubem ac uterum isto inungantur, ac demum mulier viro misceatur. *J. Rajus.*

Oleum ex infusione ac decoctione fructus in olivô paratum, specificum est pro vesicæ ulceribus, si in illam per instrumenta apta intrudatur.

BALSAMITA.

Hujus *notæ genericæ* sunt flores lutei nudi in umbellam aggesti, folia integra, lata, in ambitu crenata, odor validus.

Nomina. Mentha Corymbifera sive Costus hortensis *I. B.* Ment. hortensis Corymbifera *C. B.* Costus hortorum major *Park.* Balsamita mas *Ger.*

Vires. Sanat cruditates stomachi, ructus, vomitus, fœtores oris, tormina, cardialgias ex stomacho, dolores capitis ex eodem: Quin ex propria capitis affectione, siquidem frigida sit, *conserva* non infeliciter usurpatur. Idem dico de morbis uterinis à mensium mora. Idem de calculo *Hoffman.*

In viscerum obstructionibus non esse instrenuum remedium persuadeo mihi ob partium tenuitatem: ob amarorem vermes necat & succus & semen foris. *Parkinsonus* seminis & florum in vino alb. infusionem ad ℥. ii. unâ vice pueris verminantibus propinat. Peculiari vi Opij aliorumq; venenorum malignitatem retundere creditur. In vulneribus citissimam operam præstat, unde *Balsamitæ* nomen inditum.

Mulieres Germanicæ pastâ farinaceâ obducta folia frigunt in oleo butyróve, & mensis secundis apponūt.

Balsamum ex eo cum Ophioglosso in oleo olivarum decocto, additis inde ad dandam consistentiam cerâ & resinâ, paratur, ad ulcera inveterata utilissimum.

Mulierculæ Danicæ Balsamitam siccam sibi magnâ copiâ quotannis servare solent, ut mensibus, parce, vel omnino non fluentibus balneum vaporosum ex ea sibi con-

confiriant, quô omnibus pediluvijs menagogis longe ocyùs moveri sibi menses persentiscunt, si vapor in locos per infundibulum exhalet, quàm si solùm hiante sinu, supparo undique vanno circumdato super ea consideant. *Rajus ex Sim. Pauli.*

Si succo & herba Balsamitæ succosa inguen & alarum hircus probè perfricentur, certo experimento neci dabuntur pediculi qui inguinales appellantur. *R. ex Eod.*

BALSAMUM.

Balsamum vel *Balsamus* denotat genus quoddam odoramenti crassiusculi instar unguenti.

Dividitur in *Naturale* & *Artificiale.*

Balsamum Naturale.

Balsamum dicitur ἀπὸ τȣ̃ βαλȣ̃ ἢ ἀμᾶσθαι, quod cœlestem divinamque messem reddat. *Hesychius* βαλὸν ἄδον ἢ ὀρανόν; *Solum, Cœlum.* Rectiùs Balsamum est vox Orientalis, q. *Belsamin* quod in Orientalibus linguis Principem aromatum significat; imò pura puta vox Hebraica esse videtur βάλσαμον, *Bal* enim seu *Baal* Dominum significat, *Samen* pinguedo, oleum, unguentem, quasi unguentorum Princeps seu Dominus.

Balsamum verum.

Nomina, Balsamum verum *I. B.* genuinum Antiquorum *Park.* Syriacum Rutæ folio. *C. B.* Balsamum Alpini *Ger. emac.*

Arbuscula est viticosa, quæ excrescit ad altitudinem *Elhanne* seu Ligustri vel Cytisi, *folia* paucissima gerens, Rutę proxima, non tam ijs candidiora, ut *Diosc.* Sed potiùs Lentisci folijs similia, sc. colore viridi-subalbido, perpetuóque virentia. Ejus lignum gummosum lenéque apparet, colore exteriùs subrubro, cujus ramuli eodem colore conspicui sunt, longi, recti, graciles, paucis foliolis ordinatim referti, foliáque simul terna aut quina aut septena alæ adnata, aliquo pacto Lentisci foliorum æmula. Sunt autem ramuli odorati, gummosi, digitisque contrectati eis tenaciter adhærentes. *Flores* fert parvos, albos, Acaciæ floribus proximos, ternos singulis alis appensos, quasi in Umbellæ forma, summè odoratos (odor paululo temporis resolvitur) à quibus *semina* promanant flava, folliculis nigris subrubescentibus contenta, valdè odorata, intusque humorem flavum, melli persimilem habentia, sapore subamaro parumque acri linguam ferientia, Opobalsamumque redolentia, Terebinthi fructuum figuræ, magnitudinis æmula, extrema aculeata & medium crassum obtinentia.

Opobalsamum, cum primùm eductum, colore, ut audio est albo, qui paulò post in viridem, tertiò in aureum, & demum in melleum mutatur [longo tempore;] Ejus succi etiam substantia imprimis turbida crassáque ut oleum statim ab Olivis expressum cernitur, postea tenuissima atq; clarissima, demum Terebinthum redolens cum suaviore odoris fragrantia cernitur, saporeq; amaro, acri & adstringente. Levissimum est in primis diebus, atque usque adeò validi & acuti odoris, ut aliquibus inter odorandum sanguis è naribus eruperit, & præ multa ejus levitate in aquam stillatum non desidet, sed ex alto in eam projectum parumper in ipsa mergitur, fereq; continuo assurgens supra totam aquæ superficiem totum expanditur, eique miscetur, & citissimè in ea dissolvitur, ut ab aqua maxima cum difficultate separetur: in qua paulò post concrescit atque coagulatur, coagulatumque totum stylo ab aqua eximitur, quod tunc colore lactescit, seu album quale lac visitur. Quò hic succus annosior est, eò fit inodoratior, atque ad motum segnior, & senior confectus crassus velut Terebinthina evadit.

Bellonius ubicunque nascantur hi frutices duorum aut trium cubitorum altitudinem eos non superare scribit, & pedali altitudine cùm sint, in multos graciles ramulos, anserinæ pennæ caule haud crassiores findi. *Alpinus* in Arabiæ solo ad Lycij, Terebinthi & Pyrachantæ magnitudinem, & majorem etiam excrescere audivit.

Bellonius folium accuratiùs describit, Folia utrinq; in nervo nata, ut in Rosarum, vel Fraxini, vel Juglandis folijs videre est; Ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedebat, sicque constructa erat ipsorum series, ut postremum folium extremam illam occupans imparem numerum efficeret; eratque reliquis majus; facto enim ab illo progressu aliqua sensim minutiora fiunt.

Quod ad locum Balsami attinet scribit *Plinius* Balsamum uni terrarum Judææ concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque Regio. *Theophr.* pariter in valle Syriæ gigni scribit, in duobus tantum, uti ferunt, hortis. His etiam consentanea scribit *Justinus.*

Dioscorid. non solùm in convalle quadam Judææ sed & in Ægypto nasci testatur, alijque in eadem sententia sunt.

Strabo, Pausanias alijque non in Syria tantum, sed & in Arabia quoque Sabæorum tractu maritimo provenire tradunt. *Petrus Bellonius* & *Prosper Alpinus* Arabiam felicem locum patrium semper fuisse, nunquam Ægyptum aut Judæam contendunt: quod semper tum in Judæa, tùm in Ægypto planta hæc in hortis culta fuit. Non solent autem spontaneæ plantæ tantâ diligentiâ coli; neque enim eâ indigent: quodque in Judæa dudum perijt & evanuit; inque Ægypto sæpius, novis plantis denuo ex Arabia advectis. *Josephus* etiam *Balsami plantam*, inquit, *cujus hodie ferax nostra regio est, Reginam Saba in Judæam attulisse ajunt.* Quo cum Strabone consentit, Sic rem expedit *Bellonius*, quamquam putarit *Theophrastus* Balsamum nusquam sylvestre repiriri, constanter tamen affirmare audemus, & olim, & etiam nunc in Arabia felice existere, unde & lignum & fructus ab omni antiquitate cum alijs mercibus Arabicis deferri solita, quod ex Mithridatica Antidoto, ex *Dioscor. Diodor. Siculo*, *Pausania*, *Strabone*, *Corn. Tacito* facile esset probare, adeóque institores Cayrini de Balsamo interrogati responderunt quicquid Xylobalsami aut Carpobalsami unquam vendiderunt, cum alijs medicamentis Mechâ Arabiæ delatum, ubi crescunt in monte quodam arenoso prope urbem: arbusculas autem quæ Matereæ Ægypti visebantur magnis sumptibus hinc transvectas.

Liquor hic preciosus incisione factâ è virgis emanat Julio & Augusto mensib.s, tradente *Alpino.* Incisura autem, ut vult *Theophrastus*, unguibus ferreis facienda, quocum consentit *Dioscorides.* At *Plinius*, inciditur, inquit, vitro, lapide, osseisve cultellis, ferro lædi vitalia odit: Quod & *Solinus* confirmat. Ego cum recentioribus perinde esse existimo, sive ferro, sive aliâ re quâvis incisio fiat, modò, ut *Plinius*, incidentis manus libretur artifici temperamento nè quid ultra corticem violent. *Alpinus* partim sponte, partim stipite ferro scarificato Opobalsamum destillare & in vitrea vasa recipi scribit.

Folia, ut tradunt *Pena* & *Lobelius* exuit Decembri, quibus non nisi mense Martio nova sufficiantur: Quod si verum, jam corruit tam priscorum, quàm neotericorum recepta opinio esse perpetuifolium. Et sanè inter notas à veteribus proditas, quibus Balsamum dignosci possit, una est ut perpetuò vireat.

Vires. Opobalsamum, ad vulnera sananda omni ævo celeberrimum tantæque efficaciæ habitum, ut alijs unguentis oleisque vulnerarijs pretiosissimis nomen suum

suum communicavit; ideóque Empirici & Agyrtæ ut medicamenta sua commendatoria apud vulgus redderent eâ Balsamorum appellatione honestârunt. Nec desunt exempla vulnerum etiam periculosorum brevi temporis spatio Balsami liquore persanatorum. Quin & sordida ulcera expurgat, ut post *Dioscor. Alpinus* scripsit: cujus de viribus & usu Balsami hodierno apud Ægyptios verba adferemus. In venenatis & demorsis à serpentibus atque ictis à scorpionibus tum epotum, tum illitum maximè juvat, quod & veteres *Dioscor.* & *Plin.* testantur. In peste ut ab ejus contagio deffendantur, nihil majus habent quo utilius, & tutiùs utantur, singulis diebus ejus semidrachmam deglutientes. Multásque etiam putridas febres eo epoto illi sanant, largiore ab ipso erumpente sudore. In Chronicis febribus à crudis frigidisque humoribus obstructionibusque viscerum nihil utiliùs & præstantius experiuntur quàm Opobasami hujus binos scrupulos vel drachmam per os quotidie exhibere. Oculis visum deperditum, atque auribus auditum instillatum restituit, auriumque dolorem aufert. Modestiùs *Plinius* oculorum claritati plurimum conferre, caliginem discutere, & auribus perquam utile esse scribit. Præterea ad convulsos ex humiditate aut frigiditate, ad vertiginosos, epilepticos, resolutos, trementes, ad tussimque ex frigido humore, orthopnæam, & omnem spirandi difficultatem, pulmonum fluxiones, humiditates & dolores, ad stomachi frigiditatem, cruditates atque ad omnes flatuum molestias, ad uteri frigidam humidamque intemperiem, ad præfocationes, dolores, sterilitatem, albos fluores, ad interceptam urinam ex frigiditate, flatu vel lapidibus, ad calculosque in renibus valenter frangendos ac abstergendos usus Opobalsami est apud omnes illos populos notissimus, & ad hæc omnia mala præstantissimum illi auxilium experiuntur. Mulieres verò Ægyptiæ steriles eo tum supposito, tum epoto, tum suffito feliciore successu sæpe ad removendam sterilitatem utuntur.

Pro Cosmetico etiam insigni à mulieribus habetur. In Gonorrhæa datur præmissis præmittendis.

Carpobalsami nomine in officinis habentur semina Terebinthi acinorum oblongâ formâ & magnitudine, pediculo brevi donata, cortice rugoso fusco, quatuor costis in totidem quadrantes distincto, cui subest tenerum putamen album, sæpe cassum, interdum nucleo pingui, dulci, nisi vetustate nimia rancescat, gravidum: alioqui sapor effœtis, cujusmodi in officinis asservari solent grana, nullus odor. *Alpinus* duplex genus distinguit, jam descriptum, & alterum oblongius, & ex medietate folliculo tectum, odoratum & aromaticum.

Xylobalsami nomine venditantur exoleti ramuli, qui nec saporem, nec odorem ullum evidentem sensibus ingerere solent, contorti, digitali crassitie, duplici cortice intecti, exteriore tenuiore, rugoso, cinereo crassiore, fusco, texturâ satis compactâ: nodosi sunt admodum & multis tenuibus ramulis brachiati. Hos, ut & fructus prædictos, pro falsis, adulterinis & supposititijs habent plerique Botanici. Verùm *Prosp. Alpinus*, qui omnium optimè novit, verum esse Antiquorũ tum Xylobalsamum, tum Carpobalsamum affirmat. Virgæ autem parvo tempore omni odore ac sapore destituuntur. Tanta est enim (inquit) illius humidæ substantiæ, in qua odor saporq; fundatur tenuitas, ut citò exsolvatur, simulque cum ea sapor atq; odor evanescat. Cæterum semina & lignum Balsami ijsdem facultatibus donata sunt quibus succus: verùm efficacissimam vim habet liquor, proximam huic fructus, minimam verò lignum. *Diosc. Alpin.* Ad robur stomacho conciliandum horum pulverum cum decocto spicæ Nardi ad drachmas duas exhibent, idem præstat decoctum, utuntur & eo in spirandi difficultate & tussi frigida: usum etiam frequentissimum habent pulvis & decoctum ad humiditatem uteri exsiccandam, ejusque calorem fovendam. Suffitum ex his frequentant ad omnes uteri morbos à causa frigida concitatos. Hæc *Alpinus* de Ægyptijs.

Apud antiquos Balsamum ob odorem præcipuè expetitum ad unguenta, *Plinius* omnibus odoribus prælatum affirmat: unde & liquor iste interdum duplo rependebatur argento.

Lobelius Opobalsami cujusdam crassi seu concreti à se asservari meminit, Terebinthinæ Cypriæ veteris, sive vietæ aut Resinaceorum liquorum instar densati, glebæ Benzoini ferè concretione, sapore acri & colore fulvo, masticanti, ut Mastiche lentescente.

Huic fortè idem Opobalsamum solidum *J. B.* à *Paludano* ad Ducem Wirttemberg. missum, quod ità solidâ est subantiâ ut flexioni interim non resistat, pellucidâ, & digitis ductili, non friabili ut Colophonia, quam colore rutilo egregiè refert, uniformi; odore suavi Benjoini, quem fragrantiorem cùm adoletur adspirat naribus, nec segniter flammam concipit. Sub dentibus lentescit atque ijs inhærescit.

Balsamiferæ Arbores Americanæ ad hoc genus non pertinent; quin & ipsæ inter se genere differe videntur: aliæ enim siliquosæ sunt, aliæ potiùs nuciferæ. Verùm quoniam omnes Balsamiferarum titulo superbiunt, non separandas duximus.

Balsamum Peruvianum.

Nomina. Balsamum ex Peru *J. B.* An Cabureiba sive Balsamum Peruvianum *Pisoni ?* Cabui Iba *Margrav.* Fortè differentia sola est in loco natali.

Folio est exiguo instar Myrti, cortice cinereo, digitum crasso, tenui membranâ miniati colori exteriùs cooperto, sub qua flavus liquor, quo totus cortex turgere solet, latitat, qui vetus gratiorem spirat odorem quàm si recens sit, sitque consistentiæ crassioris & coloris punicei: Cortex contusus & in massam redactus suavissimos efficit globulos & alia multa. Lignum illius singularem usum præbet in ædificijs.

Revirescente arbore circa Februarium & Martium Lunâ plenâ, ex læso cortice destillans pendulis vasculis excipitur Balsamum hoc fragrantissimum *Cabureieica* dictum.

Ædes non solùm, sed lucos integros gratissimo odore, Peruviano perquam simili, inficit. Substantiâ est compactâ & tenaci, sed calefactum sequaci & ductili.

Circa fluvium potissimum *Jeneiro*, in districtibus D. Vincentij & Spir. Sancti quàm in Parnambucensi crebriùs reperitur.

Vires. Ad internos & externos affectus non inferiore gaudet qualitate, quàm *Copaiba*, calidum est & siccum, dissolvit, confortat. Aliquot illius guttulæ per os jejunis exhibitæ Asthmati prosunt, intemperiem quoque ventriculi, viscerum languores inveteratos corrigit: tepidum pectori & hypochondrijs illitum eorum oppillationes & frigiditates tollit. Irrigatione & frictione capitis & cerebri ex panno rubro corroborat cerebrum & præservat à Spasmo & Paralysi, imò debilitatum omne nervorum genus in pristinum vigorem restituisse sæpissimè sumus experti. In nervorum puncturis acrimoniam saniei, unde tot dolores & convulsiones oriri solent retundit. Cæterùm Lusitani æque ac Brasiliani adversus vulnera & morsus venenatorum animalium inesse illi virtutem quandam singularem testantur: ad quam animalia in-

stinctu solo naturali confugientia, corticemque deterentia parti læsæ præsentissimum inveniunt remedium.

Alia est species hujus arboris, rubentis coloris, odoreq; Cedro Cedro Brasiliensi, quæ incolis *Acaia catinga* dicitur, non dissimilis. *Hæc omnia Piso.*

Frans. Hernandez Arborem Balsami Indici, Mexicentibus *Hoitziloxiti* dictam, id est, resinâ affluentem, sic describit.

Mali Medicæ magnitudine est, folijs Amygdali, majoribus tamen, rotundioribus & magis acuminatis, floribus in extremis ramorum flagellis luteis, initio loculorum oblongorum formâ, sed procedente tempore quorundam veluti foliorum cæteris longiorum & latiorum, in quorum extremitatis cavitate *semina* inclusa continentur, candicantia, & in quendam pallorem inclinantia, oblonga & paulisper contorta seminibus Mali Medicæ similia, aut veriùs his quæ Haytini vocant *Manies*, & saccaharo incrustare solent.

Inciso hujus arboris cortice stipitéve quovis anni tempore, sed præcipue exactis jam imbribus, liquor ille nobilis destillat.

Regionibus provenit calidis, qualis est Pannucina.

Hæc arbor esse videtur quam describit *Monardes* c. 9. sub finem, ejque duplicem tribuit corticem, unum crassum Suberis modo, alterum verò tenuem; fructum Ciceris aut Pisi grano non majorem in extremâ siliqua, angustâ, digitum longâ, albâ, tenuitate regalis simplicis.

Balsami duo genera sunt, alterum quod ex incisa arbore ejusve cortice extillat, tenax, albidius quod præstantius; alterum coctione, modo Indis usitatissimo, elicitur, ex rubro ad fuscum vergens, quod vilius. Balsamum ex Peru (Scilicet quod per coctionem ramusculorum & folio rum elicitur) *J. B.* sic describit, Liquor est ponderosus, melleæ consistentiæ, densus, lentoris resinacei: color ex ruffo ad nigrum vergens: odor fragarantissimus Styracis, ad Benzoini suavitatem nonnihil accedens, & qui suâ fragrantiâ totum adeò conclave perfundat, diuque perseveret, sapor subacris, linguam mordicans. Dentibus attritus, nec illico separabilis adhærescit. Flamam facilè concipit igni aemotus, suaviterque olentem similiter fumum spargit. Aquæ injectus mox fundum petit, in qua existens si vel statim digitis atteratur albescit; nec ideò lentorem deponit, sed instar Resinæ digitis etiam magis quàm dentibus adhæret.

Monardes eumque secuti *C. Bauhinus* aliique Botanici duplex Balsami Indici genus distinguunt, quæ fortè non aliter quàm eliciendi modo differunt.

1. Balsamum Indicum ex arbore Punica malo majore, *Xylo* dicta, folijs Urticæ *C. B.* Balsamum Peruvianum *Park.*

Pro hujus arboris fructu depingit *Parkinsonus* siliquam longam angustam, colore pullo, qui Balsamum Peruanum aut Benzoinum odore adeò referebat, ut sibi planè persuaserit ejusdem arboris fructum esse.

Clusius eandem hanc Siliquam lib. 3. Exot. c. 8. Lobi oblongi aromatici titulo describit, & in *Cur. post.* ejus iconem à *Joan. Pona* ad se missam scribit pro effigie fructus Balsami Peruani.

2. Balsamum purius *Monard.* Bals. album *Park.* Americanum *C. B.* Goaconez Oviedo alijs.

Sunt (inquit Monard.) eæ arbores ex quibus hoc genus elicitur in Americæ continente, vastæ magnitudinis & ad radicem usque ramosæ, duplici septæ cortice, altero crasso Suberini modo, altero tenui interno, materiem arboris complectente. Ex eo quod inter utrumque corticem ex spatio incisione Balsamum educitur, alba limpidissimâque lacryma, suavissimi odoris, quod insignes facultates statim prodit. Et certum est illius guttulam potiorem esse alterius quod decoctione extrahitur arrova seu 25. libris, tametsi miraculosos ejus viderimus effectus. Fructus hujus Pisi magnitudine, amarâ, qui albâ siliquâ digitum longâ includitur simplicis Regalis Hispanici tenuitate.

C. Bauhinus huc refert Lobum oblongum aromat. *Clus.* male nostro judicio, si modo hujus arbor à præcedente distincta est, quod non constat.

Balsami Peruani fructus *Clus. J. B.*

Item. Balsami Peruani fructus metæ formâ *J. B.* fructus minor 3. Paludani *Clus.*

Item. Avellana Indica pro Balsami fructu missa, ejusque species alia minor *J. B.*

Item. Nux sive officulum *Cypoie* similis Nuci Balsami Peruviani *J. B. Clus.*

Ex his autem alijsque superiùs allatis descriptionibus constat Balsami Peruviani arborem siliquosam esse.

Vires. Cæterùm de Balsami Peruviani viribus eadem habent *Monardes* & *Hernandez*, quæ *Piso* & multo adhuc plura, nam intus sumptum ad urinam educendam commendant, ad juvenilem vigorem diutiùs conservandum, quod exemplo confirmat *Monardes*, ad colorem emendandum: in pessulos efformatum ac vulvæ obditum, secundas & fœtum mortuum trahere, & sterilitatem è frigida causa profligare affirmant.

Balsamum Tolutanum.

Nomina. Balsamum de Tolu *J. B. Park.* Tolutanum, folijs Ceratæ similibus. quod candidum est *C. B.*

Arbores è quibus colligitur hoc Balsamum pumilis Pinis sunt similes, plurimos ramos quaquaversum spargentes, foliaque Ceratiæ similia obtinentes, semper virentia. Inciditur tenuis & tenellus cortex ferventissimo Sole (nã nocte ob frigiditatem nihil effluit liquor effluens cochlearibus è cera nigra factis excipitur: colore est rubro ad aureum tendente, mediæ inter densum & liquidum consistentiæ glutinosus admodum & ubicunque reponatur firmiter inhærens, sapore dulci & grato, nec si sumatur nauseam movente, quemadmodum reliqua Balsama, odore excellentissimo, & Limonum fragrantiam quodammodo referente,

Earundum ferè virium est cum Balsamo Peruviano, quas prolixè describit *Monardes*: eas paucis complectitur *Schroderus.*

Advehitur ex continentis quadam provincia inter *Cartagena & Nombre de Dios* urbes sita Tolu ab Indis dicta.

Vires. Antecellere videtur facultatibus ei quod è nova Hispania adfertur (Peruviani nomine) efficaxque est ad omnia ad quæ Balsamum Arabicum. Calf. & sicc. attenuat, resolvit, vulnerarium est, pectus expurgat, &c. Usus præcip. in Asthmate & Phthisi, in ventriculi cruditate & dolore. Extrinsecus doloribus à causa frigida quibuscunque, inprimis capitis, Arthriticis & Nephritico: in defluxionibus ad oculos cohibendis, in paralysi, in ventriculi imbecillitate, in tumoribus dolore, inflatione (inunctum cum oleo Nardino) in lienis imbecillitate, in tumoribus quibuscunque ac œdematibus, in contractura; parotides insuper seu scrophulas cæsas curat. Imprimis autem celebratur in vulneribus consolidandis, defendendis, præsertim si ossa quoque sint confracta (quippe fragmenta expellit,) in vulneribus articulorum, sectionibus nervorum, puncturis, contusionibus, &c.

Balsamum Copaibæ.

Nomina. Copaiba *Pison. Maregrav.* Arbor Balsamifera Brasiliensis fructu monospermo Balsamum certarum quarundam plantarum quas Copaibas vocant (Brasiliani) *J. B.* è Maffeo An. Fr. min. *Clus.*

Arbor

Arbor est satis procera, cui lignum rubrum, quasi minio vulgari saturè tinctum, duritie Fagino æquale, ex quo asseres lati fiunt ad varios usus. *Folia* fert obrotunda, aut etiam ovalia, quatuor aut quinque digitos longa, duos aut duos & semis lata ubi latissima, in pediculis digitum longis, crassis uti sunt & nervi, postica parte maxime eminentes. *Florem* fert mediocrem quinque folijs obrotundis constantem. *Fructus* est siliqua obrotunda, magnitudine unius digiti, fusca, quæ si digito præmatur facilè aperitur, continens nucleum Avellanæ nucis magnitudine & figurâ, cuticulâ nigrâ membranaceâ tectum, quæ ad medietatem vestitur paucâ pulpâ, luteâ, molli, odoris instar Pisorum contusorum: ipse nucleus constat carne lentâ, instar cornu emolliti, cedente dentibus, saporis haud manifesti, coloris aquei, qui comeditur. Siliquæ maturæ decidunt. Simiæ has siliquas depopulari amant.

In densis nemoribus mediterraneis reperitur; in insula *Meranhou* valdè luxuriat.

Oleum seu Balsamum dat limpidissimum, consistentiâ & odore olei Terebinthini destillati. Ab inciso cortice ad medullam usque, Lunâ plenâ, tantâ quantitate destillat, ut spatio trium horarum ad duodecim libras olei effundat. Si nihil fortè profluat, statim vulnus cerâ aut argillâ obturandum est, nè quid effluere possit, & duabus post hebdomadis cum fœnore moram compensâsse videbis.

Vires. Non solùm mirificâ pollet vi mundificandi & consolidandi; & ad quævis vulnera, (inprimis nervorum) restituenda, morsusque serpentum curandos & cicatrices tollendas, sed & internè exhibitum insignem præbet utilitatem; quippe tres vel quatuor guttulæ in ovo sorbili bis vel ter mane sumptæ dysenteriam vel alios ventris fluxus sistunt, fluxiones etiam muliebres & gonorrhæam.

Ejus salutares vires in circumcisione experiuntur Judæi, sanguinem ex crudeli illo vulnere, antea non paucis exitiali, profluentem eo coercentes.

Plerique Americani, adnotante *G. Pisone*, communi nomine omnes Resinas odoratas & gummi vocant *Copal*; variasque illarum species peculiaribus distinguunt nominibus. Ità Brasiliani arborem hanc, resiniferam facilè principem, *Copaliba* vel *Copaiba* nominant.

Hæ plantæ, *Maffeo* perhibente, cernuntur affrictu animalium attritæ, quæ à serpentibus venenatis aut à feris icta ad remedium illud naturæ instinctu se conferunt. Idem tradit *Guil. Piso* de Cabureiba.

Balsamum Maripendam.

Nomina. Balsamum fructu racemoso ex Hispaniola *C. S.* novum fructu racemoso *J. B.* Maripendam *de Laet.*

Ad duorum hominum proceritatem interdum assurgit, caulibus cinereis, *foliis* viridibus, superiore parte magis quàm inferiore, grandibus, costâ crassiore & elatiore per medium divisis, pediculis non virentibus, sed rubescentibus. *Fructus* est racemosus, longus instar manûs digitatæ; acini ejus rari, virentes, & quandoque rubescentes, qui maturescendo magis ac magis rubescunt.

Vires. Succum ex eo hoc modo extrahunt, Cymas & asparagos teneros colligunt, alij racemos addunt, & ex his succum exprimunt, quem in aqua coquunt ad dimidias, deinde magis ac magis ad Sapæ aut Mellis crassitudinem. Residere sinunt & ad usum reponunt. Vulneribus & ulceribus mirificè medetur, ea extergens & sanguinem reprimens. Ex ejus summitatibus destillatur aqua, præstantior aquæ vitæ, vulneribus utilissima, & morbis omnibus qui à frigore ortum habent, uti dolori ventriculi aut partis alterius, si aliquot diebus bibatur. Folijs Æthiopes loco fistularum ad hauriendum fumum *yett* utuntur.

Maripendam seu Balsamiferam arborem III. *Fr. Hernandez* sic describit.

Frutex est stipites ferens viginti ferè dodrantum altitudinem habentes, ramosque fuscos, ac folia hastarum mucronibus paria, crassa lataque, sed superna parte virentiora, & sparsim purpurascentia è rubeo, & appensa pediculis in coccineum colorem inclinantibus; fructu racematim dependente, & octo pænè uncias longo, concinnato acinis uvarum ferè similibus, sed tamen rarioribus, initio virentibus, deinde rubescentibus & tandem è purpureo nigricantibus.

Opobalsami notæ & succedaneum.

Theriaces & *Mithridatii* dispensationi in officinis urbis nostræ nuperrimè officij ratione adfuimus. Natæ mihi exinde sub manibus dissertationes duæ de Theriaca Danica, in quibus aggressus sum rem arduam, ut sc. demonstrem succedanea omnia, & omnes species, quæ pomposas compositiones conficiunt, ex patria terra desumi posse, nec opus Orientem adorare. De *Opobalsami* vicario sollicitus, varia experimenta tentavi in Balsamis, quæ ex India Occidentali ad nos deferuntur, ut certiùs constaret, quodnam ex istis proximè ad Opobalsamum Syriacum accederet, ejusque notis à *Dioscoride*, *Plinio*, *Avicenna*, *Ruellio* alijsque signatis responderet. Exposui illa experimenta in publicis dissertationibus, nec præter rem fecero, si exinde hîc repetam ea, quæ ad augenda *Vestra Miscellanea Curiosa*, quæ experimentis illustrantur, facere possunt. *In nigro Balsamo Peruviano*, quo pro Opobalsamo in Theriaca substituimus, præter notas in Receptario Florentino signatas, observavi, quod in lacte tepido fundum statim petat, ubi nigra gutta conglobata permanens enatare non potest. In aqua calida eodem modo se gerit, & in lanea veste rubra maculam relinquit. Ferro inunctum flammam non concipit, ut crassiorum esse partium videatur. Alijs signis Balsamum hoc pro vero, nulloque adulterio vitiato nobis commendavit Pharmacopœus urbis nostræ *Heerfordius*, cum ad Theriacam admitteretur. Nec enim posse ullo alio oleo adulterari, quia misceri non se patitur cum oleis aut alijs pinguibus, nisi in frigida consistentia, præsentibus in officina ad oculum nobis id monstravit.

Manûs vola agitatum, nec oleo, nec aquæ conjungitur. Solum oleum Betulæ admittit, cum quo facilè commiscetur, ut si impostoribus placitum sit, adulterari ità possit, sed odore, & gravi & fœtido se prodit, quem non rarò in nigro Balsamo Peruviano advertas. Cum sacchato quoque jungitur soluto, sed in aqua frigida Balsamum separatur. Idem super carbones evaporans, relinquit in vasis fundo crassamentum quoddam instar Colophoniæ, nigrum tamen ex nigro Balsamo, rufum instar talci aurei ex albo Balsamo. *Album* verò *Balsamum* sive *Tolutanum* sit *Monardi*, sive arboris Jetaibæ *Pisonis* & *Maregravii*, omnibus ferè notis veterum verúmque Opobalsamum exprimere observavi. Odore nigro Peruviano suavius, nec tam potenti sensu nares feriens. Guttæ hujus in aqua calente se amplissimè diffundunt in superficie, ad fundum non merguntur, re-

refrigeratæ per spatulam nullo negotio junctis particulis glutinosis extrahuntur. In lacte tepido eadem ratione se dilatant, lacque coagulant, & separatæ inde eximuntur. Ferro inunctus hic Balsami albi succus, claram flammam cito concipit, sicut oleum Terebinthinæ, In panno coccineo statim imbibitur, sed facilè eraditur. Præstantior igitur est nigró, adeò ut, si copia hujus nobis esset, libentiùs pro verò Opobalsamo in Theriaca supponeremus. Particulam *veri Opobalsami* nobis in Theriaces dispensatione obtulit *Beckerus* Pharmacopæus noster, sed quæ albo priori dignitate cedit. Odor gratus illi, non validus. In aqua calida per guttas immissum, petit fundum, ibique velut clavo affixum manet, aliquæ tamen particulæ supernatant, olei instar. Sapor est amariusculus, caryophyllis similis, color inter flavum candidumque medius, substantiâ lævis. In lacte mergitur, sed singulis guttis in fundo residentibus, totidem guttæ supernatantes respondent, flavæ, pellucidæ, nonnihil dilatatæ, sine lactis coagulatione. In petia lanea coccinea adhæret, & lentè eximitur, maculâ relictâ, His alijsque experimentis varia Balsamorum genera ex Indijs allata examinavimus, sed per omnia veterum notis non respondent. Hinc quia veri Opobalsami copia haberi non potest, & reliqua Balsama Occidentalis Indiæ vel Mangonio corrumpuntur, vel Opobalsamo vero non respondent, existimavi Europæorum Opobalsamum seu *Oleum Succini* rectificatum vices omnium supplere posse. Rationibus varijs eruditè id probavit olim Doringius. Ego per experimenta demonstravi in officinis nostris, quantâ affinitate ad Balsami Orientalis vel Tolutani naturam accederet. aqua tepida immissum oleum Succini nostri, instar Opobalsami & Balsami albi Occidentalis fundum non petit, sed supernatat in superficie, amplo spatio se diffundens. In lacte quoque lactescit, sive ità unitur, ut colore ab illo discerni nequeat, per superficiem latè dilatatum, ipsumque lac coagulat. In uno deficit, quod colligi iterum & integrum extrahi non possit, cùm refrixerit aqua vel lac. *D. Th. Barthol. Misc. Cur. Dec.* I. *Ann.* I.

Modus præparandi Balsamum artificiale Peruvianum Dn. Pomet.

℞. Terebinth. Venet. resinæ ana ℔. I. *ol. Balanini seu Been, oliban. labdan. gum. elem. ana* ℥. *vi. Flor. lavend. macis ana* ℥. *iv. Spicæ, lign. Aloës ana ana* ℥. *ii. myrrh. aloës; sanguin. dracon. ana* ℥. *iß. valer. min. ireos, cyper. long. acori ver. asari, mac. benzoin. storac. ana* ʒ. I. *Zedoar. galang. min. caryophyll. cinnam. castor. mastich. ana* ʒ. *vi. Pulveranda pulverisentur grosso modo, cum Terebinth. resin. gum. elem. & ol. Balanino prius liquefactis, fiat pasta, quæ indatur cucurbitæ vitreæ, juncturisque bene loricatis, fiat destillatio ex arena, igne lento, primo prodibit Aqua limpida, deinde Oleum aureum & tandem Balsamum colore nigro-rubente, quod sub nomine Balsami Peruviani venit.*

Vires. Aqua commendatur in Epilepsia, Convulsionibus, debilitate stomachi, flatibus, in vehiculo convenientis assumpta. *Oleum* in Paralysi, nervis sauciatis, si pars affecta eo illinitur. *Balsamum* verò qualitatibus, ad Balsamum Peruanum accedit. *Pom. Hist. General. Aromat.*

Balsama Artificialia varia in varios usus, ac Ratio ipsa componendi.

Balsama sunt liquores crassi ex oleis destillatis cùm corpore oleoso artificiosâ mixturâ confecti. *Balsamælea* rectius appellata. Et distinguuntur in interna & externa. Interna interno usui, externa externo, inserviunt, Hæc sunt odorifera & unguentaria, illa quædam destillata.

Corpora quibus olea incorporantur sunt. I. Cera alba depurata, 2. Oleum nucis Moschatæ expressum tùm per se, id est, non depuratum, tùm depuratum. 3. Medulla vituli lota. 4. Manna depurata. *Quercetanus* ceram depuratam in *Pharmacop. Reg.* quam inibi per mannam cœlestem indigitat, commendat, licet alij Saccharum clarificatum & inspissatum, alij etiam mannæ depuratissimam partem per illam interpretantur. Verùm *Schroderus* ex *Quercetani* scriptis parallelis suspicatur, ceram intelligi. Hanc autem ut & medullam vituli cum sevo agnino *Cl. Zuvelferus* rejicit, eò quòd facilè rancescant ejusmodi *Balsama* cum hisce parata, & tractu temporis exiguo tenacissima fiant, hæc de cera, illa autem de medulla intelligenda veniunt. Nec inepta est censura, *Balsama* enim cum ejusmodi medulla vel sevo parata brevi temporis spatio tepido calori commissa corrumpuntur, & ità rancorem contrahunt, quod quilibet experiri potest, qui ejusmodi *Balsama* secum in marsupio gerit, nec tenacitatem ceræ impedit ejusque conglomerationem in illitu debita oleorum debitorum quantitas, dum non ità arctissimè cera cum oleis destillatis uniri potest, atque fit cum illorum symbolico nucis Moscatæ, quod *Zuvelferus* commendat secundâ vice vel ultimò expressum, atque odore suo per extractionem cum spiritu vini & edulcorationem cum aqua rosarum privatum; atque hoc optimum corpus est, *Frider. Hoffman,*

Depuratio ceræ & olei Nucistæ fit per Spir. vini, inprimis Tartarisatum ejus beneficio color & odor s. a. extrahitur, relicto corpore albo, hujus loci idoneo. *Schrod.*

Alij ℞. Ceræ albæ part. vi. Olei Amygdal. dulc. recent. part. I. Spir. vini ad eminentiam digiti unius, digerunt dies 3. hinc abstractâ humiditate in MB. corpus reliquum in Balsamis conficiendis adhibent.

Ut ut autem cera præparetur, tenacitatem ejus, quæ ex conglomeratione balsamorum illitorum ex hac paratorum se se manifestat, non immutabis.

Quod attinet proportionem oleorum cum cera admiscendorum, illa ità instituatur ut totum corpus fiat instar linimenti; quod tingatur colore idoneo. Elegantis etenim artificij est quodlibet balsamum nativo suo tingere colore, rosarum scilicet; rubro, vel incarnato, citri flavo, succini flavescente cum albedine intermixto, majoranæ viridi &c. id quod facilè peragitur herbarum, aut florum magisterijs, quæ non tam pro balsamorum virtute augenda, quàm ut oculis blandiamur commodè adduntur. De magisterijs plantarum ipsarum consulto verba fecimus, quia cavendum ne quæ balsamis pro colore conciliando adduntur, virtutem illorum minuant conglomerationem corporis & oleorum dissolvant, pretiositati detrahant, aut noceant. Modus sequens præstans erit. ℞. olei nucistæ depurati, aut alterius corporis apti q. v. adde extractum, seu magisterium rei cujus balsamus expetitur in s. q. ad colorem conciliandum hinc admisce quoque oleum; proportio autem inter extractum & oleum, est extracti pars I. olei part. iij.

Se-

Sequuntur jam variæ Balsamorum Præparationes.

Balsamum Angelicæ Sennerti, è Ph. Aug.

℞. *Extracti Angel.* ℥. *i. mannæ select.* ʒ. *ij. Misce super igne lento, adde Olei Angel.* ʒ. *iß. F. Balsamum.*

Vires. habet cordiales & alexipharmacas, aliásque Angelicæ communiter adscriptas.

Balsamum Apoplecticum Augustanorum.

℞. *Olei Nucistæ expr.* ℥. *i. rorism. gutt. vi. succin. alb. gutt. iv. zibethi opt.* ℈. ß. *mosc. Orient. gris. gr. ix. granor. Styracis select. gr. xx. F. l. a. Balsamum, oleo nucis Moschatæ, leni calore emollito, grana Styracis, tum ambram cum oleis destillatis tritam, zibethum & moschum cum spiritus Rosar. particula dilutum commiscendo.*

Vires. sunt cephalicæ, & præcipuè, ut nomen indicat, apoplecticæ.

Balsamum Apoplecticum Crollij secundum F.F.

℞. *Ol. Nucistæ express.* ℥. *ii. ambr. nigr.* ʒ. *iiß. mosch. opt.* ʒ. *iß. zibeth.* ʒ. *iiß. ol. Cinnam.* ℈. ß. *majoran. lavend. ana* ʒ. ß. *Caryophll. gutt. vi. succin.* ℈. ß. *Cum Balsamo Indico q. s. F. Balsamum.*

Balsamum Apoplecticum Dn. D. J. Michaëlis.

℞. *Ol. destill. Cinnam.* ℥. *ii. Caryohyll.* ʒ. *iij. rosar.* ʒ. *i. balsami Peruviani* ℥. ß. *mosc.* ʒ. ß. *ambr.* ʒ. *i. ol. expr. nuc. Moschat.* ℥. *ij. M. F. Balsamum Apoplecticum.*

Balsamum Apoplecticum Noribergensium.

℞. *Ol. Nucist.* ℥. *ii. cinnam.* ℈. *ij. lavend.* ʒ. ß. *caryophyll.* ℈. *i. lign. Rhodij, majoran. ana gr. xv. Balsam. Indici* ʒ. *i. ambr. gris.* ℈. ß. *mosch.* ℈. *ij. zibethi,* ℥. ß. *Misce.*

Balsamum Apoplecticum P. Kircheri.

℞. *Olei nucis mosch. expressi* ℥*j. balsam. Indic. veri, ambr. grys. ãã* ʒ*ij. moschi optimi* ℈*j. olei still. salv. lil. conv. ãã* ℈. ß. *cinnam.* ℈ß. *gtt. ij. mastich. gtt. xv. caryophylorum gtt. xij. succini gtt. vj. gummi tacamahacæ q. s. M. F. s. a. Balsamum.*

Balsamum. Arcæ Bruxellens.

℞. *Terebinth. venet. gummi elemi ãã* ℥*iß. sevi castrati* ℥*ij. axungiæ porci veteris non salitæ* ℥*j. M. F. Balsam. hunc in modum.*

Liquefiat gummi elemi minutim incisum igne leni tum addantur reliqua, ac omnia tunc liquata colentur per telam novam ad separationem sordium, præsertim gummi elemi, & serventur.

Usitatissimum est hoc Balsamum in Belgio ad ulcera & vulnera carne replenda, ad ossium luxationes, contusiones, fracturas &c.

Balsamum Balsaminæ Dn. Charraz.

℞. *Flor fol. & fruct. Balsaminæ, ana* ℥. *iv. Rad. consolid. maj. ophyogloss. aristoloch. rot. valerian. major. ana* ℥. *ij. Visci in folliculis Ulmi reperti, succi Cancror. fluviatil. Fol. pervincæ, sanicul. Summitat. floridar. hyperici, & galij lutei, ana* ℥. *iß. Olei olivar.* ℔. *iv. Contundenda contundantur, omniaque vase vitreo cooperto excepta, Soli æstivo per* 12. *dies exponantur, deinde in ferventi B. ad humiditatis consumptionem decoquantur, postea colentur & exprimantur, oleoque depurato permisceatur, olei vernicis stillatitij* ℔. ß. *& factum erit Balsamum.*

Vires Sanat omnia, sed præcipuè partium nervosarum vulnera, ut & ambusta. Sedat dolores hæmorrhoidales, medetur fissuris mammarum, addito Caphuræ pauxillo, cutis cicatrices obliterat, oleo ovorum admixtum.

Balsamum Benedictum, vid. sub Titulo *Oleum.*

Balsamum Benzoinum fragrantissimum Tenzelij, è Ph. Aug.

℞. *Styracis Calamitæ selecti* ℥. *iv. Benzoi seu Asæ dulc.* ℥. *ij. Tritis superfunde Spiritum vini rectificatum ad quatuor vel sex digitorum eminentiam. Macera in* MB. *per dies aliquot, postea filtra, & Spiritum per Balneum destillando iterum abstrahe.*

Vires. Asthmaticis, catarrhosis & lienosis utiliter exhibetur, urinásque promovet.

Balsamum Bezoarticum Pestilentiale Schroderi.

℞. *Ol. rut. still. citri, angelic. ana* ℈. ß. *succin rectific. gutt. v. camph.* ℥ *iij. ol. nuc. Moschat. expr.* ℥. ß. *M.*

N. Oleum nuc. Moschat. lavetur aquâ rutæ, angelicæ, citri, donec fiat album.

Balsamum Carminativum Noribergensium.

℞. *Pingued. Castorei* ʒ. *i. sperm. Ceti rec. balsam. Aurant. ana* ℈. *i. zibethi gr. viij. ol. still. Carvi gutt. xij. menth. chamæm. ana gutt. xv. Nucist. expr.* ʒ*iij M. f. l. a. Balsamũ.*

Balsamum Caryophyllorum Augustanorum.

℞. *Ol. Caryophyll.* ʒ. *i. Nucistæ per Spiritum vini odore suo spoliati q. s. Fiat Balsamum justæ consistentiæ; quod tingatur cum Tinctura Caryophyll. inspissata, vel eorundem pulvere.*

Idem modus est parandi sequentia Balsama; utpote; Cinnamomi, Citri, Lavendulæ, Majoranæ, Nucis Moschatæ, Roris marini, Rosarum, Rutæ, Succini, quæ singula pro lubitu pulveribus adcommodatis, quomodo sint tingenda, Pharmacopœum peritũ latere nequit.

Balsamum Cordiale Sennerti è Ph. Aug.

℞. *Olei Citri, caryophyll. cinnam. rorism, ana* ℈. ß. *ambr. mosch. ana gr. vi. Extracti croci gr. vij. vij. confection. Alkermes* ℈. ß. *ol. nuc. Mosch. expr. q. s. F. Bals. Extractum croci & mosch. cum Spir. rosar. tantillo diluta, oleo Nucistæ, unà cum reliquis s. a permiscendo.*

Balsamum dolorem levans Nicol. Lemery.

℞. *Fol. urticæ urent, plantag mercurial. majoran. ãã mj. olei nucis jugland. expressi* ℔. *iij.* ℥*iv. vini alb. generosi* ℥*viij. Herbæ contusæ vase fictili vitreato exceptæ cum oleo & vino cooperto vase, super cineres calidos horis* 24. *macerentur, postea igne lento coquantur ad vini consumptionem deinde colentur & exprimantur, defæcatumque balsamum ad usus servatur.*

Valet in humoribus mitigandis ac doloribus sedandis. Melius autem oleum diceretur quam Balsamum.

℞. *Terebinth.* ℔. *j. tegular. bene coctar. & recent.* ℥*viij. olei veter.* ℔. ß. *laurini* ℥*iv. cinnanamom. spicæ nardi ãã* ℥*ij. Tritis terendis, omnia per retortam destilla.*

Urinam ciet, calculum pellit, vermes necat, nervos corroborat. Adhibetur in paralysi & doloribus articulorum, illud partibus affectis inungendo. Intus etiam pro calculo propinari potest à gutt. ij ad gutt. vij.

Balsamum Galbanetum Uterinum Sennerti, è Ph. Aug.

℞. *Galbani* ℔. ß. *ol. Terebinth.* ℔. *iij. Digerantur in cucurbita vitrea lento calore per* 14. *dies, postea destillentur, additâque olei Lavendulæ unciâ unâ, iterum destillentur, vel saltem aliquandiu digerantur. Si Balsamum hoc cum Spir. vini circulaveris, penetrantissimum efficietur.*

Balsamum Guidonis, vid. infra in *Balsamis Vulnerariis*.

Balsamum Hispaniæ ex Schroderô.

℞. *Ol. vetustiss.* ℥ *iv. hyperici*, ℥ *ij. Terebinth. puræ*, ℥ *viij. frumenti integri* ℥ *i* ß. *Rad. card. bened. valerian.* ana ʒ. *j. Thuris pulverisat.* ℥ *ij. Radices & herbæ crasso modo contusæ, ponantur in olla, infundaturque vini alb. gener. q. s. ut omnia in vino mergant, per dies 2. ad hinc adjiciantur oleum & frumentum, coquanturque omnia ad vini consumptionem. Mox factâ forti expressione, addatur Terebinth. & Thus, iterum parum ebulliant, serventurque in vase vitreo.*

Vires. Sanat vulnera partium etiam nervosarum, spatio, ut aiunt, 24. horarum.

Modus utendi. Abluto priùs vulnere vino albo frigido, statim inungitur totum vulnus oleo prædicto calente: quod si hoc fieri nequeat, per syphonem intra vulnus immittitur, & confertim labra vulneris ad mutuum contactum adducuntur, ligaturâ aut suturâ aut glutine, deinde partes circumstantes prædicto oleo similiter inunguntur. Supra verò vulneris labia jam reducta, linteum imponitur, prædicto oleo madens, & supra hoc aliud vino nigro expressum, mox alia lintea sicca: deinde fascia superligatur. *Ph. Schrod.*

Balsamum Heurnij.

℞. *olei terebinth. albuminum ovorum induratorum* ana *lib. j. gummi elemi unc. ij. resinæ* ʒ*vj F. Destillatio per arenam ex retorta s. a.*

Corroborat nervos colores, in vulneribus ortos mitigat, eademque vulnera consolidat.

Balsamum Hyperici Magistrale Schroderi.

℞. *Ol. oliv. lib. j. vini rubr. odorat. lib.* ß. *lumbricor. sale comm. aspersorum unc. iv. terebinth. Venet. unc. ij. granor. maturor. Matrisylv. Septembri collect. m. ij. flor. hyperic. p. iv. Insolentur per æquinoctium æstivum aut paulò post, colato liquori adde spiritus terebinth. in quo salis Saturni quantum capere poterit solutum sit, unc. ij. ol. myrrh. unc. j. M.*

Vires. Per se vulnera curat.

Balsamum Hypnoticum D. Charraz.

℞. *Olei nuc. Mosch. expr. ung. Populei, ana unc. j. medull. Cerv. ol. rosat. nymph. ana* ʒ. *iij. oleor. expressor. sem. hyosciam. papaver. alb. extract. opii & croci ana* ʒ. *ij. ambr. gris. mosch. zibeth. & olei stillat. lign. Rhod. ana gran. viij. F. e. a. Balsamum.*

Vires. Sedat dolores capitis, quos adjunctos habent febres continuæ & interdum intermittentes, propterea intruditur in nares & in aures atque eo inunguntur tempora, carpi manuum ut & plantæ pedum, potest etiam admisceri medicamentis siccis aut humidis pro frontalibus adhibitis, aut eo leniter inungi linteolum applicandum.

Balsamum Jacobi de Pinto.

℞. *Olibani, myrrhæ, mastich. aloës, sarcocoll. storac. calamit. benzoini*, ana *unc. j. olei hyperici lib. iij. ceræ citr. lib.* ß. *colophon. terebinth. Venet.* ana *unc. ij. axung. human. olei petræ* ana ℥*i*ß. *olei spicæ* ℥*j. baccar. juniperi* ʒ. *ij. f. M. F. Balsamum.*

Valet in hæmorrhoidibus tum externis, tum internis, ut & in ani fistula, ac ulceribus. Mundificat gangrænæ resistit, ac humorum acrimoniam compescit.

Balsamum ad incantationes apud Juncken in Corpore Pharmaceutico est mera-farrago, superstitionem potiùs quàm accurationem aliquam redolens, propterea consulto hic omittitur.

Balsamum Italicum, è Collect. Chym. Leydens.

℞. *Oliban. myrrh. aloës, mastich. sarcocoll. ana unc. ij. colophon. terebinth. Venet. ana unc. j. axung. porcin. styrac. calamit. benzoin. ana* ʒ. *ij. ol. hyperic. lib. i* ß. *spir. vini unc. j. olei Petr.* ʒ. *vj. spicæ unc.* ß. *axung. human.* ʒ. *v. ceræ flavæ unc. iv. M. F. s. a. Balsamum.*

Quod si rubro colore tinctum velis, hac methodo procedito. Balsamum tuum liquefacito, eique successive misceto ligni santali rubri, in tenuem pulverem redacti, quò usque in colore arrideat.

Praxis verò componendi hæc esto. Sumito cucurbitam cum annulo plumbeo, ut moris est, eam collocato in MB. *huic primò committito oleum hyperici, ignemque augeto, quò usque ebulliat Balneum. Tunc addito terebinthinam cum colophon. axungia porcin. & humana. Quibus liquefactis misceto oliban. myrrh. aloen, mastich. sarcocoll. styrac. calamit. benzoen, & spatulâ ligneâ continuò agitato, quousque pulveres resolutos, quantum fieri potest, animadvertas. Tunc addito ceram flavam. Quâ liquefactâ, omnia trajicito per linteum in ollam convenientem, cùm verò refrigeratum est hoc Balsamum, & spissum evasit, ei commisce oleum Petræ, & oleum Spicæ. Talique modo obtinebis Balsamum vulnerarium maximarum virium feliciter vulnera recentia curans.*

Vires. Interiùs adhibetur optimo cum successu in hæmorrhoidibus cæcis exulceratis, quantum sc. cuspide cultri contineri potest. Quo in casu secretum est.

Balsamum Lœmicum Henisianum, è Ph. Aug.

℞. *Oleor. camph. succin. citri, debitè præparatorum ana quantum libet. Misceantur & digerantur aliquandiu in lenissimo Balnei calore, donec perfectissimè inter se unita sint.*

Vires. Hoc Balsamum in variis Germaniæ & Italiæ locis, grassantibus atrocissimæ pestis contagiis feliciissimè usurpatum, & tricennali Authoris experientia comprobatum est. *Ph. August.*

Balsamum Lucatelli, vid. sub titulo *Oleum*.

Balsamum Egregium pro manibus Dn. Charraz.

℞. *Saponis Venet. in succo limon. diluti lib.* ß. *mellis virginei alb. unc. ij. talci Veneti, sacchar. candi & rad. ireos subtiliss. pulverator. ana unc.* ß. *sal. Tartari, borrac. & spermat. Ceti recent ana* ʒ*ij. balsam. Peruviani* ʒ*j. ol. lign. Rhodii, cinnam. caryophyll. ana* ℈ß. *mosch. Orient. ambr. gris. ana gr. xij. F. Mixtura ad formam Balsami.*

Ad pulverandum talcum necesse est flammæ admoveatur ut calefiat & postea in mortarium aneum calidissimum immittatur, ut calidè uratur.

Vires. Balsamum hoc cutem dealbat, repurgat lævemque efficit, magis quàm ulla pasta aut Myrolinum; eo perfricantur manus, nec postea lavantur.

Balsamum Mirabile seu Compositum S. Closs. ex Scroderô.

℞. *Balsam. Momordicæ seu Balsamin. unc. iv. Sulphur. per spir. terebinth. extracti unc. i* ß. *ol. hyperic. Magistral. un. ij. tinctur. Martis Magnet. alb. pulver. ana unc.* ß. *Digerantur per mensem.*

Usus. Instillentur guttulæ aliquot in vulnus calidè, apposito desuper Emplastro diaSulph. Rulandi.

Balsamo artificiale del Napolitano per ferite è Thesauro Pharmaceut. Italico Donzell.

℞. *Lign. aloes, caryophyllor. juniper. gumm. hederæ, dictamn alb. zedoar. cardamom. galang. nuc. mosch. consolid. min. baccar. laur.* ana ℥. *j. cinnam. benzoin. consolid. maj. dictamn. Cretic. ophioglossi* ana *unc. ij. galban. thuris, hyperic. card. bened. myrrh.* ana *unc. ij. gumm. arab. olei laurin. millefol. vernic. liquid. resin. pini* ana *unc. vj. terebinth. lib. j. croci* ʒ. *iij. granor. Kermes* ʒ. *iv. ambræ & moschi* ana ʒ. *ij. Aqu. vitæ subtiliss. lib. vj. infund. in vase vitreo per dies viij. aut ix. post destillentur igne lento. Primò prodibit spir. qui efficacissimus, postea, olea duo, prius clarum, alterum paulò obscurius, quod minorum est virtutum & ab aliquibus mater balsami dicitur.*

Adhibetur hoc medicamentum in capitis vulneribus, ac præcipuè aqua 1. prolecta illius scil. duas aut tres guttas instillando, plus aut minus, prout vulnus fuerit parvum aut grandius, superimponendo pulvillos ac lintea carpta eôdem remedio madida, postque ea emplastrum diapalma, de betonica, de cerussa &c. ungendoque circumcirca cum oleo. Si inflammatio jam adsit, aut fuerit in procinctu ad illam, curandam, au præcavendam præcipue in capite, è re omnino erit admiscere aliquid olei balsaminæ, vel hyperici, vel mastichis, vel vesicarum ulmi.

Balsamum aliud ad idem ex eôdem.

℞. *Aq. vitæ subtiliss. ℔vj. terebinth. ℔ij. ℥ viij. album. ovor. indur. num. xxiv. picis græcæ ℥viij. myrrhæ ℥iv. sarcocoll. vitr. Rom. thuris picis naval. resin. pini, aloës, sang. dracon. veri sal. nitr. ā ā ℥ j. croci ℥iij. digerantur omnia & destillentur ut prius dictum.*

Prævalet hoc ultimum medicamentum ubi calor intensior est.

Balsamum Samaritanum.

℞. *Olei comm. vini rubr. generos. ā ā q. v. coquantur simul igne lento in vase fictili vitreato ad vini consumptionem & servetur Balsamum.*

Mundificat ac consolidat vulnera, nervos corroborat, catharrosque discutit.

Balsamum Saturni.

℞. *Sal. saturn. pulver. ℔ ß. Digeratur in matratio cum spir. terebinth. ad eminentiam 4. digitorum affuso per 24. horas aut donec spiritus evadat rubicundus, tunc decanta, & novum spir. terebinth. affunde super residentiam, digere & decanta ut antea, deinde misce tincturas & media parte spiritus destillatione extracta, servetur Balsamum.*

Mundificat ac cicatrisat ulcera etiam cancrosa, resistit gangrænæ si parum camphoræ dissolvatur.

Balsamum pro Puerulis dentientibus Dn. Charraz.

℞. *Butyr. Mayal. non saliti ℥iij. pingued. gallin. & anat. ana ʒij. succ. cancr. fluviat. contus. cum aq. Flor. cyani extracti, & mucilag. rad. alth. ana ℥ij. Coquantur igne lento in vase fictili vitreato, ad humidi consumptionem; colaturæ adde, sacch. cand. subtiliter pulverati ℥iv. vitellum unum ovi, mosch. & ambr. gris. ana ʒvi. F. e. a. Balsamum.*

Vires. Emollit gingivas Puerulorum dentientium, si eo sæpiùs inungantur, quod facillimum quoniam gratum est gustui, nec nocivum est deglutitum.

Balsamum anti-Pestilentiale Rolfinkij.

℞. *Rad. angel. helen. gentian. bistort. vincetoxic. succis. valerian. petasitid. major. tormentill. zedoar. contrayerv. scorzoner. ana ℔ $\frac{1}{4}$. concis. contus. misceantur & destillentur cum terebint. Venet. ℔. ß spir. vini rectific. q. s. Liquor primæ destillationis seorsim servetur: secunda etiam seorsim. Linteo inclusa suspendantur in ea mosch. ℈j. ambr. ℈ ß.*

Vires. Cordiales sunt & alexipharmacæ. Dosis ℈. ß. ad ℈. j. in liquore convenienti.

Balsamum Polychrestum, vid. sub titulo, *Oleum.*

Balsamum Stomachicum Noribergensium.

℞. *Ol. nucistæ ℥iiß. menth. crisp. ℥ß. aurant. caryophyll. macis, ana ʒj. rorism. lavend. absinth. carvi, aneth. ana ʒß. ceræ alb. q. s. M. & F. Mixtura.*

Balsamum Stomachicum Regium Zvvelferi.

℞. *Ol. nuc. mosch. expr. ℥iiß. pulv. gum. mastich. elect. ℥ß. tacamahac. animæ ana ʒiij. His omnibus lenissimo in calore liquefactis, & simul colatis, superadde olei still. menth. major. caryophyll. ana ʒj. cinnam. absinth. calam. aromat. carvi, ana ʒß. & cum omnia veluti refrixerint, Balsami Indici de Peru ʒ vj. admisceantur item extract. croci ʒj. vel ʒiß. F. Balsamum nobile stomachicum, cum interno, tum externo usui destinatum, & accommodandum.*

Vires. Est verè Regium Stomachale Balsamum. Robora insuper cor, & vitalem facultatem: non solùm externâ sui inunctione, sed & intra corpus sumptum, cum ovo sorbili, egregiam præstabit operam.

Balsamum Sulphuris, vid. tum infra sub titulo *Balsamum vulnerarium sulphuris*, tum etiam sub titulo *Sulphur.*

Balsamum Tabaci, vid. infrà, *in Collectione Bierlingii.*

Balsamum Tranquillum Abbatis Rousseau.

℞. *Fol. solan. racemosi & furiosi hyosciami, solani vulgaris, tabaci, capit. papaver. alb. ā ā m. iv. folior. rorismar. salviæ. rutæ, absinth. hyssopi, lavendul. thymi, tanaceti, hyperici, persicariæ, flor. sambuci aut ebuli ā ā m. j. Omnia probè concisa, trita ac commista, immittantur manipulatim in lebetem oleo olivarum fervido plenam, sicque coquantur usque dum quàm maximè friabilia evadant. Tum extrahantur oleumque ab iis stillans excipiatur, nec ejus ulla portio deperdatur. Aliæ rursus immittantur herbæ ea quantitate quam oleum contegere valeat, coquantur rursus & extrahantur, idemque labor ad quartam usque coctionem iteretur. Si meliùs expetatur oleum pro quaque ejus libra ℞. bufonem grandiorem, illumque ut priùs de herbis diximus usquedum friabilis evadat ipsi incoque, & depuratum oleum usui reserva.*

Valet hoc Balsamum in anginis, si fauces eo calidè illinantur. Solum adhibetur in morbo incipiente, cum verò abscessus jam enatus est, illi admiscendus est spir. sal. armoniac. ad partes æquales, unde fit medicamentum ad instar unguenti consistens quô frigide utendum. Idem balsamum calidè pectori inunctum fluxiones discutit, imò inflammationes arcet: potestque interiùs adhiberi ad cochleare dimidium symptomatis malignioris metu. In colicis, ac intestinorum inflammationibus adhibetur intus tum per os ea dosi quam jam diximus, tum in clysteriis ad cochlear. ij. vel iij. In ambustis, si eo pars continuo inungatur statim lavatur, nec aliquid doloris ampliùs persentitur. In vulneribus contusis, cum laceratione etiam ac fractura inflammationem omnem præcavet. Nec minorum est virium pro menstruis provocandis, partu facilitando, uterique inflammatione compescenda, si muliebribus inungatur. An in hisce omnibus elogijs sincerus sit Autor, aut potius an per experimenta iterata eorum veritatem satis comprobatam habuerit videbunt Practici, si ita ipsis libuerit.

Balsamum Uterinum Dn. Charraz.

℞. *Sevi hircin. ℥ ij. lacrymar. galban. & assæ fœtid. pingued. in cystide castor. contentæ ana ʒiß. oleor. still. succin. gagat. rutæ & sabinæ ana ʒ ij. F. e. a. balsamum.*

Vires. Balsamum hoc calidè umbilico inunctum excellens est remedium pro vaporibus uteri, cujus etiam dolores sedat; possunt etiam eo nares inungi ut & gulæ pars exterior. Provocat præterea menstrua.

Balsamum Vulnerarium Dn. Præfecti Pernæ.

℞. *Bals. sicc. ℥j. lacrim. storac. benzoin. ana ℥iiß. aloës cicotrin. myrrh. elect. lacrym. oliban. rad. angel. flor. hyper. ana ℥ ß. Omnia contusa inde lagena vitreæ & affunde spir. vini ℔. ij. Vas probè obturatum exponatur Soli, diebus canicularibus. Postea per linteum trajice & ad usum reserva.*

Vires. Qualecunque vulnus, modo non letale, octo diebus, certò & tutò curat, sive pennâ illitum, sive gossipio exceptum & appositum, primâ vice quâ vulneri imponitur, magnos excitat dolores, sed non *Ave Maria*, durabiliores.

In colica nullum habet secundum, si æger quatuor aut quinque guttas ex cochleari vini tenuis assumat.

Salutare est remedium in Podagra, parte dolenti illitum. In Odontalgia plurimùm commendatur, cotone exceptum & applicitum. Ulcera etiamsi cancrosa sanat. In morsibus venenatorum, doloribus hæmorrhoi-

rhoidum valde opitulatur. In variolis & morbillis hujus quinque aut ſex guttæ ex juſculo feliciter exhibentur.

Hoc Balſamum ſemper frigide eſt adhibendum.

Menſes mulieribus provocat, quin etiam hæmorrhagias ſiſtit. Fiſtulas quamvis inveteratas ad cicatricem perducit. In diarrhæis & dyſenterijs, ſi cum febre ex juſculo; ſi ſine febre ex vino epotum valdè conducit. *Pomet. in Hiſt. Gener. Aromat.*

Balſamum viride Metenſium.

℞. Olei ſem. lini expreſſi, olivarum ana lib. j. laurini ℥ j. terebinthinæ Venetæ ℥ ij. Simul igne lento liqua, refrigeratiſque permiſce, olei ſtill. baccar. juniper. ℥ ß. virid. æris ʒiij. aloës ſuccotrinæ ʒ ij. vitriol. alb. ʒiß. olei caryophyllor. ʒj. F. Balſamum ſ. a.

Mundificat vulnera ac ulcera, eaque ad cicatriſationem perducit. Valet item in animalium venenatorum morſibus, & propterea calidum inungitur ac inſtillatur ſuperimponendo emplaſtrum ſtyӕticum.

Balſamum viride Noſtratium.

Fit per inſolationem longam fol. lauri, lavendulæ, thymi, major. aliarumque herbarum aromaticarum debito tempore collectarum in olivo factam, exprimendo tandem & reponendo ad uſum. Iiſdemque virtutibus pollet in doloribus &c. ac unguentum martiatum.

Balſamum vulnerarium Zvvelferi.

℞. Olei terebinth. flavi, & rubicundi, videlicet, quod per retortam, [ſpiritu oleoſo albicante priùs, deſtillando, prolecto] dextrè deſtillatum eſt, lib. j. huic immerge pulv. gummi animæ, elemi, maſtichis, olibani, myrrhæ ana ʒ. vj. hederæ ℥ß. Balſam. Indici Peruviani ℥ j. oculorum Populi arbor. recent. ℥iß decocti inſpiſſati, ex ſummitatibus hyperic. recent. & florent. parati, ſucci millefol. inſpiſſati, ana ℥ß. Digerantur in calore leni, vitro probè clauſo ad diſſolutionem, pro majori parte, gummatum ſæpius commovendo. Poſtea colentur calidè per linum & qualum, atque ad uſum aſſerventur; quibus, ſi lubet, nonnihil de camphora adjiciatur.

Vires. Vulnerarium eſt præſtantiſſimum, cùm in recentibus, modò inflictis, tùm in antiquis vulneribus; præſertim in partibus nervoſis, ubi unctuoſa, ex oleis expreſſis, locum non habent. Singulare eſt remedium, filamentis in eo madefactis impoſitum.

Balſamum Vulnerarium Martiale ejuſdem.

℞. Ol. terebinth. flavi, per retortam, uti ſuprà, deſtillati, ol. Abietis odoriferi & clari deſtillati, ana ℥ vj. His mixtis oleis adde, immergendo oculor. Populi arboris recent. & conquaſſat. temp. vernali ℥iij. vel ℥iv. Factâ maceratione, duobus circiter diebus, in calore leni, vitro benè clauſo, eóque altò, fiat poſt colatura, cum forti expreſſione. Huic oleo expreſſo iterum in vitrum altum, ſive alembicum capacem infuſo, ulterius immerge limaturæ Chalybis puri, & accuratè limati, ℥iij. vel ℥iv. & deſuper guttatim, pedetentim & per vices, inſtillentur ſpiritus nitri opt. vel loco hujus, Spiritus vitrioli ℥ ij. vel plus; ita tamen, ut ſpatio duodecim horarum circiter, totus ſpiritus guttatim affuſus fuerit, ſpatulâ ligneâ ſæpiùs limaturam hinc inde movendo ne fundo vaſis adhæreat & indureſcat. Sic enim ſolvitur limatura ferri, & ſuam eſſentiam, ſeu animum, affuſo oleo communicat, idque imbuit, & rubicundiſſimo colore tingit. Solutione hac peractâ, digerantur ſimul in vitro largo, & probè clauſo, per duos circiter dies. Tandem ſeparetur Oleum, ſive Balſamum rubicundiſſimum, ſanguinis inſtar, à limatura & omni humiditate: quod uſui aſſervandum.

Vires. Non minoris, quin imò majoris efficaciæ exiſtimem hoc fore Balſamum, quàm illud ſuperiùs, non ſolùm externè vulneribus impoſitum, ſed & ad intra aſſumptum: quia nullo modo corroſivum eſt. Spiritus enim nitri, vel vitrioli corroſivus non in Oleum, ſed in Chalybem limatum agit, & vim ſuam exercet, illumque ſolvit, & ipſe ſolvendo in aliud ens veluti tranſmutatur & edulcoratur.

Balſamum Vulnerarium ex Sulphure ejuſdem.

℞. Sulphur. crud. & boni ℥ vj. Hoc liqueſiat in olla, ſeu patella terrea vitreata, ſuper leni igne, ne accendatur illud, aut flammam concipiat. Liquefacto ſulphuri immiſceantur probè, adhuc ſuper igne, ſalis tartari puri ℥iij. vel ℥iv. Factâ hac mixturâ, ſpatulâ bene commotâ, auferantur ab igne; & fiet hepar ſulphuris dictum, quod in pulverem redactum, immittatur alembico parvo, cui ſuperaffundantur olei terebint. flavi, Abietis recent. deſtillati, ana ℥ vj. vel ℥ iv. vel plus. Digerantur in leniſſimo calore, ſine ullâ coctione aut ebullitione: & protinus extrahetur tinctura rubicundiſſima, ſanguinis æmula. Separetur hoc Balſamum, ſive Oleum rubicundiſſimum, per decantationem, ſive filtrum, & cuſtodiatur in vitro, externo & interno uſui deſtinatum.

Vires. Summè proficuum eſt in ulcerationibus Pectoris & Pulmonum, viribus Balſamum Sulphuris vulgare, ſine dubio, ſuperans.

Balſamum D. Meſ. falsò Guidoni tributum, ex Renodæô.

℞. Myrrh. elect. aloës hepat. ſpicæ Nard. ſang. dracon. thur. mumiæ, opoponac. bdell. carpobalſami, ammon. ſarcocol. croc. maſtich. gum. arab. ſtyrac. liq. ana ʒ ij. ladan. caſtor. ana ʒ ii ß. moſch. ʒß. terebinth ad pondus omnium. Arida terantur, vino macerentur & percolentur: tum ſimul omnia terebinthinæ commiſceantur. Tota mixtura in Alembico ponatur, ex qua vi ignis ſubſtructi calefacta exibit primùm liquor tenuis, deinde craſſus & ex rubro flaveſcens, qui Balſamum optimum eſt.

Vires. Potiſſimum celebrantur ad nervoſum genus roborandum, intemperiem frigidam tollendam, nativum partis calorem excitandum & fovendum, & robur membris conciliandum. Eo dum illinitur dorſi ſpina, mira celeritati ſtupori & paralyſi ſuccurrit. In his affectibus, qui conjunctam habent loquendi impotentiam, ſi parum in aures & nares immittatur, aut aliquot guttæ ſub infirmi lingua contineantur, mirificè juvant. Vocatur hoc Balſamum à *Petro Apponenſi*, medicamentum omnium medicamentorum, in celeri cordis roboratione, & virium reſtitutione.

Balſamum D. Hollerij, ex eôdem.

℞. Thur. albiſſ. maſtich. ana ℥ ij. lign. aloës ℥ j. caryophyll. galang. cinnam. zedoar. nuc. moſchat. cubeb. ana ʒvj. myrrh. aloës, ladani, ſarcocoll. caſtor. ana ℥ß. Bacc. laur. nucleor. pini, ana ʒvj. ireos, ariſtoloch. rotund. dictamn. conſol. maj. ana ℥j. reſinæ elemi, opopon. benzoin. ana ℥ij. ſucc. chamæpith. ſucc. herb. paralyſis ana ℥ij. terebinth. ad pondus omnium. Omnia concorporabis & deſtillabis ex alembico. Extillabit primùm aqua; deinde veluti oleoſum quid, poſtremò quaſi mel.

Vires. Commendatur Balſamum hoc ab illius Authore *Hollerio* ad nervorum debilitatem, ſtuporem & reſolutionem. Valet quoque ad omnem intemperiem frigidam & nativum calorem excitandum.

Balſamum Vulnerarium Renodæi.

℞. Terebinth. Venet. & Abietin. ana ℥ iij. reſin. elem. thur. alb. ana ℥ij. aloës hepatic. myrrh. maſtich benzoin. bol. Armenæ ſang. dracon. ana ℥ß. aq. vitæ ℥ iv. Ex his confusè mixtis, & ſimul retortæ incluſis Balſamum extilletur.

Vires. Nulli medicamento cedit hoc Balſamum ad vulnera implenda carne & agglutinanda. Nervos quoque roborat calorem partis inſitum fovet, cicatricem minimè nodoſam facit, & intemperiem emen dat.

Balſamum Vulnerarium Fallopij.

℞. Terebinth. claræ lib. ij. ol. lini lib. j. reſin. Pini ℥vj. thuris, myrrh. aloës, maſtich. ſarcocoll. ana ℥ ij. macis, croci, lign. aloës ana ʒ ij. Ponantur omnia in retorta, & moderato calore, primùm educes aquam claram, dein illo aucto, habebis oleum rubicundum. Utrumque ſeorſim ſervabis, & optima medicamenta vulneraria habebis.

Balsamum Medicorum Florentinorum.

℞. Terebinth. ℔j. & veter. ℥vj. laurin. ℥iv. cinnam. spicæ Nard. ana ℥ ij. tegular. bene coctar. & recentium ℥viij. Tritis terendis per alembicum destilla.

Vires. Urinam movet, calculos atterit, lumbricos enecat, aurium sibilo, paralysi, spasmo, arthritidi & omnibus juncturarum doloribus prodest, vel po um, vel inunctum: sed parva ejus portio aquæ, affectioni accommodatæ mixta bibatur.

Balsamum D. Evonimi Vulnerarium.

℞. Terebint. ℥ß. oliban. ℥vj. aloës socrotrin. mastich. galang. cinnam. croci, nuc. mosch. caryophyll. cubeb. ana ℥j. gumm. hederæ ℥ij. Pulverisentur & misceantur cum tereb. nthina. Exponantur in alembico vitreo addanturque caphur. ambr. gr. ana ʒiß. Destillentur lento igne; prima aqua alba est & clara, & vinum Balsami, secunda flava & vocatur Oleum, tertia crocea, & est Balsamum certissimum.

Vires, Ob virium præstantiam, ad multos usus commendatur hoc Balsamum. Vulneribus enim præsentissimum est *collesticum*, ulceribus cavis *sarcoticum*, singulis tumoribus *epuloticum*: paralysi & nervorum imbecillitati securum auxilium.

Balsamum Vulgare Renodæi.

℞. Terebinth. Venet. ℔j. resin. elem. ℥v. resin. communis ℥iij. Liquefiant simul deinde addito pulv. aristoloch. long. ℥ij. sang. dracon. ʒiij. repone in vase idoneo & servato.

Vires. Nulli secundum est hoc Balsamum ulceribus & recentibus, & antiquis ad sanitatem perducendis. M ximè verò capitis ægritudinibus externis benefacit. Paratu facillimum est.

Balsamum Vulnerarium mirabile Renodæi.

℞. Fol. & flor. vel gran. Androsæmi, fol. & flor. vel summit. hyperici, summit. botryos utriusque fol. heder. terrestr. ana m. ß. salv. utriusque chamæpith. ana m. ß. In vase fictili macerantur per duos dies in vini alb. generos. ℔ ij. Add. ol. veter. ℔ iiß. Bulliant lento igne ad vini dissipationem. In colatura permisce Terebinth. ℔j. mannæ thuris ℥ iv. myrrh. ℥iij. mastich. sang dracon. ana ℥ij. styrac. calamit. ℥j. Fervefiant parum ac lento igne; deinde reponantur dies 7. in Sole, & serventur in vase fictili aut vitreo ad usum.

Vires. Non immeritò hoc Balsamum mirabile vocatur, multos enim affectus qui aliorum præsidiorum vim neglexerunt, ipsius adju u, quasi miraculo fuerunt sanati. Vulnera quævis ut & ulcera non inveterata citò percurat: antiqua etiam dysepulotica sanat, nervorum debilitati, tremori & paralysi efficacissimè prodest, capitis omnibus morbis externis præsertim frigidis confert, calorem nativum reficit, dolores frigidos aufert & partes roborat.

Balsamum Vulnerarium insigne Dn. Charraz.

℞. Ol. Terebint. Venet. ℥ij. ol. hyperic. & ol. ceræ stillat. ana ℥ß. virid. æris & vitrioli virid. ana gr. vj. Simul permixta & phiala vitrea rectè obturata excepta, Soli æstivo diebus aliquot exponantur, & servetur balsamum ad usus.

Vires. Citissimè curat vulnera omnia curabilia, ejus autem guttæ aliquot in vulnus instillantur, in illud tepidum immerguntur linamenta vulneri imponenda.

Balsamum aliud Vulnerarium ejusdem.

℞. Ol. hyperic. ℔ß. ol. laur. & terebint. Venet. ana ℥ij. ol. baccar. junip. stillat ℥ß. Pulver. aloës elect. ℥ij. virid. æris & olei caryophyll. ana ʒj. Simul permisceantur & per aliqu t dies insolentur, servetur que balsamum.

Vires. Commendatur hoc Balsamum pro sanandis omnigen s vulneribus,

Balsamun. vulnerarium, Crollii, ex Schroderò.

℞. Flor. hy ric. ℔ j.

N. Col igantu cum Solis ortu, balsamico tempore, in exaltatione; vid licet circa Festum Johannis ante novilunium.

Flor. cheiri. centaur. min. chelidon. prunell. chamæmill. rad. aristoloch. consolidæ mediæ vel majoris ana ℥iß. ros. rubr. ℥iiß. mumiæ transmar. myrr. thur. an. ℥ß. mastic. ℥j. storac. liquid. ℥ ij. Incisis incidendis & tritis terendis F. infusio in ▽ boni, ℔viij. ♂. aliquot, hinc decantetur cum forti expressione. Spiritui huic tincto, (nisi velis majoris efficaciæ ergo reiterare infusionem florum,) addatur olei olivarum recentis, quod supra ramenta pinguia abietina per octo dies, in digestione stetit, ℔ v. Terebinth. claræ commun. & resinæ laricea. lota in ▽ hyperic. ℔ i ß. Iteram per ♂ 14. omnia digerantur: ultimo abstrahatur ▽ in MB. tunc balsamum manebit in fundo rubeum, instar sa guinis.

Vires. Balsamum est ad vulnera & punctiones sanandas efficacissimum. Confert & in omnibus tumoribus, inflammationibus, contactu & contusis membris, ruptis ossibus.

Balsamus vulnerarius, ex eôdem.

℞. Galbani. ammoniac. bdell. ana ℥ß. Macerentur in acet. per ♂ 3. hinc colentur & inspissentur ad consistentiam mellis. Postea. ℞. Myrrh. rubr. mastich. el. an. ℥ß. oliban. ℥j. Pulverisata solve coquendo igne lento in ol. olivar. ℔j. oleum scil. per vices affundendo, semperque agitando, donec posteriora hæc bene fuerint eliquata. Tandem gummata illa priora inspissa (uti dictum,) admisce simili modo agitando, & dein recens oleum olivarum per vices affundendo, donec & altera quoque ℔. olei adjecta fuerit, & balsamus aliquid flavedinis contraxerit.

Vulnera recens punctim & cæsim facta, citissimè curat.

Usus idem est qui præcedentium.

F. *Fortior erit in mundificatione vulneris, si æruginis ℥j. addideris, & per mensem insolaveris, qua ratione fæces subsidentes rejici queunt. Hartm. in praxi.*

Alius Balsamus vulnerarius, ex eôdem.

℞. Ol. olivar. ℥iv. terebint. ʒvj. mastich. ʒv. thur. ℥j myrrh. ʒvj. Galban. ℥j. ærugin. ʒiij. camphor. ʒj. acet. opt. ℥iiß. Spir. vini ℥ß. Coq. ad consumptionem aceti. Colatura servetur pro usu.

Balsamus Vulnerarius Metensium, ex eôdem,

℞. Ol. oliv. sem. lini purif. lib. ß laur. ℥j. ℘ baccar. junip. still. ℥ ß. caryophyll. ʒj. al ës succotr. ʒij. tereb. venet. ℥ij. virid. æris ʒiij. ⊕ alb. ʒiß. Pulverisanda pulverisentur & coquantur simul △ lento dum virorem acquirat oleum. F. bals.

Lavetur vulnus recens sive cæsim, sive globulo sclopetico inflictum vino tepente, deinde balsamus ex tomento lineo, quantum fieri potest calidè instilletur & Empl. stictico Croll. obtegatur pars vulnerata. Brevi admodum tempore curat, symptomata vulnerum, imprimis vero Synoviam arcet, morsuum venenatorum malitiam corrigit.

Balsamus vulnerarius Samaritanus, ex eôdem.

℞. Ol. oliv. vel hyperic. vini alb. generos. vel rubri. an. Coquantur ad ignem ad consumptionem vini.

Vires. Insignis est ad vulnera recentia mundificanda, & consolidanda.

Balsamus Plumbi, ex eôdem.

Solve Sal ♄ i in ✱, ut optimè eo impraegnetur, hinc abstrahe aliquantulum ✱, misceque hujus ℥viij. cum olei rosat. ℥ iv. vj. &c. agitaque ut f. Linimentum.

Vires. Confert inflammationibus, & ambustis illitum.

[*Sequuntur rursus Balsama destillata, alia quædam ex Schroderô ab Hoffmannô adnotatô.*

Hofman. De balsamis destillatis.) Hi nihil aliud sunt, quàm ejusmodi medicamenta, quæ vel constant ex destillatis Spiritibus super alkalia rectificatis & postmodum oleis destillatis vel ex resinis, gummatis aut aromatibus confectis impraegnatis, vel quæ ex folis componuntur oleis destillatis rectificatissimis supra Sulphure crudo, vel ejus floribus, aut aliis resinis in digestione positis,

Bal-

Balsamus simplicissimus est spiritus albus thereb. in corpus viscidum rediens dum veterascit, ex plumaceolis admotus, vel ol. caryophyll. inspissatus (℈ ß) cum gr. IV. salis Saturni itidem vulneri instillatus. Magis compositus sic fiat.

℞. Sulph. flavi ℔j. resolvatur in tantundem ol. oliv. tamdiu bulliendo spatulâque ligneâ agitando, donec sanguinis colore tingatur, tum remove ab igne & adde cer. alb. ℥ij. & cum refrigerari incipit, adjice pedetentim, tincturæ rad. aristol. rot. ℔ ß. tincturæ ♂ (ut est cap. de ♂) ℥j. Olei myrrh. ℥ ß.

Agitentur extra ignem ad consist. Unguenti rubentissimi, quod perlitũ vulnera tã simplicia quã comp. persanat.

Tinctur. arist. rot. *℞. rad. arist. rot. in pulv. redact. ℥ij. Terræ foliat. Sal. nit.* (ut est in cap. de Sal. nit.) ℥j. *Spir. vini ℔j. Digere super Ciner. calidos, filtra & serv.*

Balsamus, Vitæ.

℞. Myrrh. el. Aloës epat. Oliban. Balsam. Indic. Bdell. Ammon. Sarcoc. Mastic. Gum. arab. Stor. Ladan. Baccar. laur. Axun. Castor ana ʒvj. Croc. ʒiß. Nucist. Cinam. Caryophyl. Gumm. animæ. Zedoar. Galang. Spic. Cardamom. Cubebar. ana ʒ ij. Pulverisata & mixta infundantur in Spir. vini rectific. ad eminent. digiti I. digeranturque aliquamdiu. Hinc destillentur per retortam (vitream) in cineribus. Igne lentissimo lampadis rectificentur, Dein adde Ol. Anthos. Major. Chamom. Puleg. Hyßop. Salv. Rut. Spic. Lavendul. ana ʒj. Thymi. Saturejæ. Cubeb. Zedoar. Nucist. expr. ana ʒß. cinam. carioph rosar. citri. ara itior. fœnic. anis. carvi ana ʒij. M. F. Balsamus digerendo aliquandiu.

Vires. Cordiale est insigne balsamumque nostrum mirabiliter recreat, putredinem arcet, sopitos spiritus vitales & animales excitat, cerebrum humidum ac debile confortat, flatus discutit, adeoque commendatur in Apoplexia, uterinis affectibus, lypothymia, &c. Quinimo adeo celebre hisce in auris audit, ut instar Panaceæ in omnibus ferè morbis magnatibus expetatur; usus ejus tam internus, quàm externus est.

Dosis gut. iij. iiij. & plur.

Aliter.

℞. Serpilli M. iij. santali alb. citrin. ana. ℥ß. fl sulph. ℥j. benjoi ʒij. cort. aurant. citri. ana. ℥ß. ambr. ʒij. Mosch. ʒß. CC. ℥vj. Pulverisata ind. retort. affus. spir. vin. rectificat. ℔. viij. Diger. per 14. dies, postea adde Opobalsam. myrrh. aloës epat. olibani. bdell. ammon. sarcocol styr. liquid. Mastic. opt. gum: arab. Ladan. Tacamah galb. ana ℥ß bacc. laur. axun. castor. ana ℥j. croci ℥iij. nuc. M. cinam. caryoph. gum. animæ zedoar. galang. spic. or. card cubeb. ana ʒiß. Spir. Terebint. in quo per mensem macerat. fint ℥iij. troch. de viperâ. Hæc mixta cum superioribus digerantur per 8. dies, destillentur, Spiritus separetur, oleo vero adde ol. stillat. junip succin. ceræ ana ℥j. anisi. fœnic. cumini rosm. major. thymi. satureiæ spic cam. rom. cubeb. zedoar. ana ℥ß. cin. caryoph. cort. aur. rosar angel puleg. salv. rut. lavend. serpill. ana ʒiß. camph. ʒj. jasmin. ℥ß. adde ℔vij. spir. vini rectific. spir. separetur, oleum constituit Balsam. vitæ.

HOFMAN. *Balsamus vitæ uterque.*] copiosa ingredientium farrago totum obscurat compositum, dum unum vel alterum balsamicum fragrantissimum ex aromatibus & resinosis gummatis satis esset sufficiens, qualia Cinnamom. caryophyll. Zedoar. Nux. moschat. Cardamom. spic. roman. Balsam. indic. seu opobalsam. Myrrh. el. Oliban. Mastix. Ladanum. Styrax liquid. &c. cum ol. destill. anthos. majoran. chamæmel. lavend. zedoar. cinnamom. &c. In altero etiam quid sibi velit fl. Sulphuris, CC. trochisc. de viperâ &c. additio, non video; & nisi etiam reliqua ingredientia per retortam ex Aren. cum Ig. moderamine adhibito destillentur, nihil etiam olei balsamici ex resinosis elicies, sed potissima pars remanebit in fundo. Loco CC. & trochisc. viperin. rectius in fine illorum salia volatilia addűtur.

Balsamus nervinus.

℞. Ol. Therebint. ℔i. Lauri ℥ij. Misce Hinc adde gum. galban. Elem. ana ℥vj heder. Oliban. ana ʒij. mastich ℥j. myrrh. aloës epat. laudan. castor. ana ℥ ij. Pulverisata admisce oleis, stentque & aliquot (3.) Dein,

℞. Galang caryoph. cinam. ana ℥ß. nucist. zedoar. cubeb. ana ℥ß. dictamn. alb. consol. maj. ana ʒiij. Pulverisata infunde in ℔iß. vel q. s. Spir. vini. Hinc misce cum prioribus, ac destilla per alemb. vel Retort. vitream in Aren. primò prodibit Spiritus, dein oleum flavum, ultimò nigricans, collige simul oleum flavum ac spiritum pro balsamo.

Vires. Calefacit, confortat nervos, Paralysin & Contracturam sanat extrinsecus illitus.

HOFMAN. *Balsamus nervinus.*) Hujus ingredientia si non per Alemb. sed per retortam ex Aren. præmissâ digestione non per ♂ ♀ tres, sed aliquot septimanas destillentur, & rectificentur singula, hic balsamus nervinus in nervosi generis affectibus, ut paralysi, spasmo &c. maximè ob vires egregias sese commendabit.

Balsamus Anti-arthriticus.

℞. Mumiæ. Mastich. thur. myrrh. ana ℥ ij. G. ammon. bdellii. opopanac. tartari. ana. ℥iß. mellis. vitrioli roman. ana ℔ ij. spir. vini ℔ vj. Destillentur per alembicum in receptaculum amplum, cum quintuplici cohobatione.

Corroborat articulos, eorumque defluxiones exiccat, dolores arthriticos lenit.

HOFMAN. *Balsamus anti-arthriticus.*) Hujus compositio inanis & inepta est, nam à Tartaro, Vitriolo, & Melle non solùm nequicquam, sed & à reliquis resinosis gummatis nihil super alembicum preter phlegma aliquali odore ingredientium delibutum elevatur, licèt quintuplicem cohobationem admiseris. Paulò aliter habet *Weickardus Thesaur. Pharmaceutic*, Lib. 6.

Balsamus anti-arthriticus alius ex D. D. DE BERNITZ. in Miscellaneis Curiosis Germanorum.

℞. Calami Aromatici ℥j Cortic. Citri & Arantior. ana ℥iß. herbar. Absinthii, Abrotani, Gentianæ, ana ℥ j. Rad. Enulæ Campanæ, Consolidæ maj flor. Lavendulæ, Serpilli, ana ʒij. vini albi optimi ℥ vj. Olei veteris ℔iß. Coquantur omnia ad consumptionem humiditatis, in fine adde Resinæ alb. Olei spicæ, ana ℥ j. M. & F. Balsamum.

Sedat dolores podagricos, quòd expertus est Uladislaus IV. Rex Poloniæ, qui omnibus aliis remediis pro podagrâ in cassum adhibitis, tandem hoc usus est sibi à muliere quapiam exhibito, statim verò ac Pharmacopæus per mediæ horæ intervalla, leniter cum pennâ anserina eo partes dolentes illinivit, mirum in modum sedati sunt dolores, ita ut Rex spatio aliquot dierum, somno ante per octiduum privatus, dormire ac quiescere cæperit, & brevi medicaminis hujus auxilio convaluerit.

Balsamus Anti-paralyticus S. Clossæi.

℞. Blepharum sive Taxonem tempore vindemiarum præpinguem, eviscеretur & impleatur sequentibus:

℞. Galban. ammon. sagap. opopanac. an. ℥j. laud. benzoës styrac. olib. myrrh. bdel. an. ℥ß. gum. caran. tacamah. elem. an. ℥ij. gran. jun. laur. heder. arbor. cardam. maj. ã. ℥j. herb. chamædr. chamæpit. beton. salv. absint. majo. origan. ormin. thym. spicæ nard. Ivæ arth. puleg. regal. ment. hyssop. ã. Mß. flor. beton. chamæm. aneth. lavend. hyper. an. p. ij. sem. anis. fœnic. dauc. carvi. ammeos. apii. bardan. maj. a. p. j. axung. ursi. vulp. anat. an. ℥ij. medull. crur. vitul. & bubuli an. ℥ij. sal. communis Mj.

Concidantur, tundantur & spir. vini irrorentur, adde Thereb. Ven. Cer. nov. ana quart. I.

Consuantur fortiter & lento igne in veru assentur, & liquor inde stillans supra carnem rejiciatur idque tamdiu, donec caro tota torrida sit, substillatus liquor vel adeps recondatur, cujus partibus duabus admisceatur Balsami Sulph. Rulandi pars una.

Vires. Mira præstat in morbis frigidis & Ischiadicis.

HOFMAN. *Balsamus antiparalyticus S. Closs.*) Hic suo in pretio relinquendus. Mira præstat in dolore Ischiadico & spasmo vid. & Thesaur. Pharmaceutic. annex. Sect. IV. n. V.

Balsamus mneme-cephalicus.

℞. *Succ. fol. Meliss. flor. myric. lilior. primul. ver. rorismarin. lavendul. borrag. genist. ana ℥ij. aq. vit. nymph. rosar. violar. an. ℥j. cubebar. cardamom. gran. paradis. santal. citrin. carpobalsam. ireos. croc. or. satureiæ. pœoniæ. thym. an. ℥ß. styrac. liq. calamit. opopanac. bdellij Galbani. Gum. heber. ladan. an. ʒvi. rad. aristoloch. long. pœon. ol. terebinth. nardin. costin. juniper. laurin. mastichin. de been. de spica an. ʒv.*

Pulverisentur & misceantur omnia. Destillentur per Alemb. s. gradus. Ign. aq. & oleum separetur.

Vires: Tantæ efficaciæ esse scribunt, ut perpetuam rerum memoriam pariat.

Usum ejus hunc esse ferunt, ut primis 2. mensibus nares, & aurium meatus quotidie, magnitudine pisi illinantur: sequentibus 2. mensibus tertio quoque die, alijs 2. mensibus bis in septimana semel. Hinc 14. diebus semel, ut ita annus compleatur; tandem annis sequentibus, singulis semestribus semel.

Aqua in capitis affectibus frigidis ac catarrhosis utilissima est, uti & balsamus.

N. Ferunt Carolum Ducem Burgundiæ à Doctore quodam Anglo decem millibus floren. emisse. Vid. Sennert. pract. lib. 1. part. 2. c. 5.

HOFMAN. *Balsamus mneme-cephalicus.*) nec hic sapit accuratam compositionem, ob chaoticam nimiorum ingredientium commixtionem & ineptam quorundam dosin.

Liquor seu Balsamus Saponis.

℞. *Saponem Venetum incisum, affunde Spiritum Vini, atque semel ac iterum destilla; affunde denuò eundem, & relinque in loco calido, postea per chartam filtra, est instar olei brunnei, seu spadicei coloris.*

Vires. Sublevat podagricos dolores si locus affectus eo illinatur.

8. *Oleum saponis alio modo.*

℞. *Saponis Veneti aut Hispan. scabendo probè imminuti & argillæ communis ana partes æquales, formentur globuli instar nuc. mosch. & conjiciantur in Retort. magno Recip. instructam, pelle in Reverb. clauso primo lento Igne, postea validiori ad totalem usque Spirituum expulsionem, tandem Oleum fuscum prasinum ab acutissimo spiritu separa, quod per rectificationem in citrinum mutabitur.*

Vires. Deterget & resolvit potentissimè, ratione ingredientis lixivij, dolores juncturarum à causâ frigidâ compescit, coacta digerit, contusa dissipat, urinam præpeditam movet, colicam flatuosam solo Umbilici litu resolvit. Ex communicatione S. Closs.)

HOFMAN. *Oleum Saponis alio modo.*) Pro argillâ communi rectiùs calx viva seu silices friabiles substitui possunt librarum duarum ad Saponis libram unam, & retortæ vitreæ loricatæ indantur. Oleum destillatum empyreuma spirans ex aliâ retortâ cineribus permixtum rectificari potest. Præstans est oleum ad defluxiones & in primis contrà podagram externè artubus dolentibus in paroxysmo illitum, compescit dolorem, nec repellit, sed potius vi suâ anodynâ mitigat & resolvit, balsamicâ suâ salsedine materiam acidam morbificam imbibendo.

Balsama nonnulla Jac. le Mort Chymia Medico-Physica.

Balsamum Mortuorum.

℞. *Aloes lucid. ℥vj. Myrrh. elect. ℥viij. Benzoes storac. calam. an. ℥j. sp. sal. cois rect. ℥iiij. vin. rect. lib. iiij.* M.

Digerantur simul in MB. per 2. vel 3. dies, materiam sæpius agitando, donec saturo colore tinctus liquor appareat, quo decantato utere.

N. 1. Sp. Salis additur, ut *salis volatilis motus & fuga, è quibus putrefactio, cohibeantur*; Storax & Benzoin, præter alios usus, *odorem exhibendi* gratia addita sunt.

2. Cum Sp. Salis & Vini extrahi possunt *& alia resinosa*, quæ *cadaveris colorem* non mutant, cui deinde *vernix conveniens ad aërem arcendum* superinungi potest.

Vires. Cadaveribus condiendis & præservandis à putredine inservit, quo undique illiniuntur, unde dicitur pollinctura: ipsa autem cadavera hac mixturâ imbuta & exiccata, mumiæ appellantur. Præter usum dictum interne etiam exhiberi potest in morbis chronicis, vermibus, putredine &c. Dos. ad ℈ij.

Balsamum Nephriticum.

℞. *Ol. Amygdal. dulc. recent. expr. ℥iiij. papav. alb. rec. expr. lini rec. expr. an. ℥ij. nucist. expr. ℥ß. Petræ. ʒv. bals. Copayv. ʒvj. de peru ʒij. ol. junip. ℈iiij. anis. ʒj. vitriol. ℥j. camphor.* M.

Agitentur simul, donec insigniter calefiant, & nigrum acquirant colorem, cessante calore digerantur in M.B. per 2. dies, sæpius materiam agitando, dein ad usum repone.

N. 1. *Calor & Color* ab olei Vitrioli admixtione procreantur, quod impetum faciens in particulas *spirituosas*, *in ramosis* delitescentes, eas *rigidiores* reddit, ubi *meatus* interstitiaque occupaverit: unde *solidius* corpus redditur *& crassius*, à plurima *transpositione irregulari particularum terrestrium opaca* & magis colorata fit *mixtura*, unde *intensa rubedo*.

2. Quo *recentiora Olea* assumuntur, eo *viribus* proprijs essentialibus *magis dotatum Balsamum* acquiritur: nam eorum partes *spirituosæ* non raro *immutantur intestino motu*, vel *pereunt exhalando*.

3. Oleum Vitrioli debet esse *rectificatissimum*, alias vix cætera olea aggreditur, unde *nulla debita mixtura, nec consistentia* obtinetur: idemidem inservit *spirituoso nimio motui compescendo* cæterorum *Oleorum*, qui non semper *tam vehemens in hoc morbo curandò* desideratur, sed potius, *ut leniat & blande pellat*. Nec est, quod de *corrosiva aciditate olei Vitrioli* nobis metuamus, cum *illius ferocia planè mitigata*, *imo sublata* appareat in *ramosis crassis* particulis & *salibus spirituosis* incarcerata, ut patet in sulphure &c.

4. Absque *digestione* etiam in usum adhiberi poterit post plenariam refrigerationem.

5. Præstat Olea mixta *parum calefacere* in M. B. *donec unita* sint, dein *guttatim tepenti oleo* infunde acidum Vitrioli, *donec omnia mixta*.

Vires. Temperatum est medicamentum, in renum doloribus, ut & flatibus summi usus, urinam & calculum pellit, anodynum est, pectoris vitiis succurrit. Dosis à gtt. x. ad ʒj.

Balsamum Odoriferum.

℞. *Olei Nucis Moschatæ, ad albedinem mediante spiritu vini redacti ʒij. Olei jasmini odoratissimi gutt. x. cinnamomi, garyophillorum ana gutt. ij. ligni rhodij gutt. vj. zibeth. gr. iij. moschi gr. iv. ambræ gryseæ gr. vj.* Misceantur exactè, & tingantur cum parva quantitate Laccæ Florentin., ad usum in pixide reservetur.

N. 1. Dosis Oleorum potest *augeri*, *modò ne nimis liquida* fiat massa.

2. Ingredientia *Olea quæcunque* assumi poterunt, secundum intentionem Medici, ita ut *vilius vel pretiosius* præparetur.

3. Se-

3. Sequenti methodo *cetera* etiam facilè *Balsama* fieri queunt, si respectus *primo* habeatur *colorum*, e. g. si *ex herbis viridibus olea*, è quibus *Balsama* conflantur, extracta fuerint, etiam magisteria herbarum viridium adhibeantur; si è *corticibus* vel *fruct.bus* hujus vel illius *coloris*, è quibus *magisteria* non tam aptè fieri queunt, conficienda sint *Balsama*, recipiantur *colores propius accedentes*: e. g. è *cinnamomo* confecto *Balsamo* adde unam partem *boli Armenæ*, tres *magisterij curcumæ*, si è *garyophillis* conficiatur, adde ipsos *garyophillos* subtilissimè pulverisatos. *Secundò* attendendum est summopere ad *olea addenda*, an *magis vel minus fortia* existant, unde etiam *quantitas oleorum augenda vel minuenda*. *Tertiò & ultimò alia* etiam *corpora Balsamo constituendo crassiora* adhiberi queunt, ut sunt *cera*, *axungia lota*, &c. Verum, quoniam facile *rancida* evadunt, *avolante* nempe *subtiliori oleo fragrante*, præponimus illa *Olea*, vel *seva duriora*, è quibus omnis *odor & sapor* menstruo spirituoso *extracti* fuerint, postea unum idemque erit, *quod corpus* assumatur: non, quoniam magis olea retinent, sed, quia *oleis deficientibus illa corpora inodora* existunt, adeoque *rancida evadere nequeunt* &c.

Vires. Plerumque odoris gratia illinuntur huic vel illi parti ad cerebrum & spiritus refocillandos.

Balsama varia è Pharmacopœâ Bateanâ.

Balsamum Anodynum.

♃. *Sapon. Castil.* ℥j. *opij* ℥ß. *Camphor.* ʒvj. *croc.* ʒj. *Pyræni* ℥xviij. *Digere in* ∴ (☌☍ 10.) *& f. colat. Linteola in isto intincta dolentibus locis adhibeantur, renovando 4ta quaque hora donec cessent omnes cruciatus: Arthriticos enim dolores mirificè sopit. Dentur internè gt.* 30. 40. 50. *in* Vino.

Balsamum Apoplecticum.

♃. ☍ *stil. cinnam. caryoph. lavend. limon. majoran. menth. rutæ, rorism. salv. rhod. absinth. ana gt.* xij. *succin. gt.* vj. *Bitum. Judaic. pulverisat.* ʒij. ☍ *nuc. m. expres.* ℥j. *Bals. Peruan. q. s. m. Confortat caput, frigidosque humores discutit, adeoque in Apoplexia, Syncope, Paralysi, convenit, naribus indutum, vel quoquo modo applicatum. Internè etiam exhiberi potest à gr.* iij. *ad* vj. *&c. cum Electuar. aliquo cephalico.*

Balsam. Fœminarum.

♃. *Flor. minimorum Geranij moschati* ℥iv. ☍ *Amygd. dulc. recentis. lib.* iß. *insolentur* ☌ 40. *f. expres. adde fl. nenu. har. lilior. alb. rec. ana* ℥iv. *insol.* ☌ 20. *& f. expres. cui adde* ☍ *Jasmin.* ℥iv. *zibet* ʒj. *m. s. a. ut f. Bals. pro perinæo, inguinibus, & lumbis, ἐν τῇ δυσοχίᾳ inungendis.*

Balsam. Lucatelli.

♃. ☍ *olivar. opt. lib.* iij. *V. Hispan. lib.* j. *Tereb. Venet. in* ▽ *Rof. lotæ*, ℥viij. *ceræ lib.* j. *coq. s. a. addendo santal. rub. pulverisat.* ℥ij. *Bals. Peruan. unc.* j. *m. Extrinsecus valet ad ambusta, Inflammationes, ulcera, vulnera, &c. Intrinsecus detur ad* ʒj. *vel* ʒij. *in vino, ad Contusiones internas, ulcera renum, calculos renum ac vesicæ cum difficultate urinæ.*

Balsam. Magistrale.

♃. *Tereb. Ven. unc.* viij. *Styrac. liquid. unc.* iv. ☍ *olivar. opt lib.* iß. ☍ *Hyperic. unc.* iß. *Laurin. spicæ, Petræ, ana unc.* j. *carann. pulverisant. rub. ana unc.* j. *Benz. sang. dracon. ā unc* ß. *ceræ unc* ivß. *Bulliant per horam, dein addendo* ☍ *stil. Bacc. junip. unc.* j. ☍ *cinnam. unc.* ß. *caryoph.* ʒj. *m. s. a. Ad vulnera interna & externa recentia sananda efficacissimum; necnon ad omnes combustiones & contusiones. Dolores in ossibus nervisque mitigat. Naribus & Temporibus illitum succurrit cephalalgiæ. Calidis cum pannis lateri adhibitum confert ad flatus ejusdem & dolores. Colicis, & calculo laborantibus auxiliatur in vino tepido sumptum ad* ʒiij. *Tubercula tollit pedum callosa, resecata prius ad vivum ferè, calidè inunctum. Narium sistit Hæmorrhagiam, & aliarum partium. Coctionem juvat ventriculo inunctum horâ decubitus. Vermes necat internè aut externè adhibitum.*

Balsam. Martiale.

♃. *Chalib. lim. mundat.* ℥iv. *affund.* ☍ *terebinth.* ℥v. *post guttatim immitte sp.* ⊕ j. ℥iij. *Digere leni calore* ☌ *aliqt. deinde decanta purum s. a. Summum est vulnerarium.*

Balsam. Momordicæ.

F. ex fructu ejus ☍ *insolato per long. tempus. Valet optimè in vulneribus, ulceribus, maximè hæmorrhoidibus, matricis ulceribus, rupturis, &c.*

Balsam. Nucistæ.

♃. *Nuc. m. contus.* ℔j. *V. Hispan.* ℔ß. *Butyr. opt. insuls.* ℔ij. *Insolentur (Vase opt. clauso) ad* ☌ 5. *Tum coq. leniter ad Vini consumpt. & f. colat. Usus est tam internè quàm externè. Expellit fœtum mortuum, secundinas, &c. Exhibitum in vino ad* ℥ß. *confert etiam ad dolorem splenis, capitis, &c. Inunctum valet ad omnes dolores frigidos.*

Balsam. Paralyticum.

♃. *Tereb. Ven.* ℔iv. *olib. aloës, castor. myrrh. xyloal. fl. hyperic. ā ā* ℥j. *gum. elem. labdan. ana* ℥iij. *styrac. liq.* ℥ij. *Balsam. Peruvian.* ℥iv. *calam. arom. caryoph. galang. ana* ʒvj. *cinam.* ℥iß. *Fl. rorism. salv. ana* ʒx. *omnia ritè præp. misc. cum terebinthina, addendo sp. V.* ℔iv. *Digere tepidè per* ☌ vj. *dein* ... *a per* ⊂ *capacem: primò lentis.* △ *e Cinerum per hor.* 48. *ut saltem tepescat* ⊂: *deinde fortiori aliquantum, tandem fortissimo. excipiatur prima Aqua per se quamdiu effluit instar* ▽ *æ: 2da per se instar olei flavijsculi tenuis substantiæ: tertia est crassa. Vocetur* 1. Mater Balsami: 2. Balsam. Paralyticum: 3. Oleum Balsami. *Confortat mirabiliter nervos: Paralysin & contracturam sanat, extrinsecus illitum, & intrinsecus exhibitum.*

Balsam. Podagricum, v. *Bals. Anodynum.*

Balsam. Saturninum.

F. ex ⊖ ♄ *ni* ℥iv. *sp. Tereb.* ℥xij. *digestis s. a. Egregij usus in Chirurgia: Convenit ulceribus inveteratis, necnon tumoribus. Curat vulnera, eademque ab accidenti præservat, præcipuè si addatur camphora: Succurrit etiam Fistulis, Cancro, Morphæis, &c.*

Balsam. Sclopetarium.

♃. ☍ *lini, terebinth. ā ā* ℔j ⊕ ß *coq. parùm s. a. Pro ulceribus veteribus & vulneribus sclopetariis nulli secundum.*

Balsam. Spinale.

♃. *Axung. human. unc.* iv. *Ax. anser. Taxi, ana* ℥iij. ☍ *laurin. unc.* ij. *Fol. salv. majoran. ebul. sambuc. calaminth. origan. lavend. ana mi. coq. ad succor. consumpt. f. expres. adde Balsam. Succini unc.* j. *Butyr. Macis, unc.* ß. *Petrol.* ☍ *spicæ, ā ā* ʒij. *m. s. a. pro Spina dorsi inungenda, in Rachitide. Utatur manè, & paulò ante ingressum lecti, supposita lana succida linteo duplici assuta.*

Balsam. Succini.

♃. *Succin. alb. subt. pulverisat.* ℥ij. ☍ *tereb.* ℥vj. *Tamdiu insolentur, donec perfectè solvatur Succinum. Cerebrum & sensus roborat. Omnibus nervorum affectibus, convulsibus, Epilepsiæ, passioni hystericæ, &c. auxiliatur. Diureticum est insigne.*

Balsam. Spleneticum.

℞. Fol. Rutæ, hederæ, Chamæmel. thymi, āā mi contus. adde Fel bovinum, & Ol. ex pedibus bovinis ℔j. ▽ *vitæ* ℥j. *coq. per horam f. colat. Mira præstat in Splenis doloribus, omnibusque frigidis doloribus.*

Bals. Sulph. Antimonij.

℞. 🜍ris ℥ij *combustibilis, Salis Tartari ana* ℥j. *sp. tereb.* ℥iv. *Digere simul s. a. Ad ulcera sordida, fistulas, &c. Dos. ad gut.* x.

Bals. Sulph. Anisatum.

℞. Fl. 🜍 *p.* 1. *℅ Anisi p.* 4. *Digere donec solvatur* 🜍. *ut f. Balsam. rubicundum. In Catarrhis pectoralibus, Tussi, Asthmate, Phthisi, Pleuritide, Colica, Peste, Epilepsia, Apostematibus omnibus, putrefactionibus corporis, &c. valde proficuum. Dos. ad* ℈j.

Bals. Sulph. Bateanum.

℞. Fl. 🜍 ℥j. *℅ olivar. opt.* ℥v. *coq. l.* △ *(continuò agitando) ad consist. Balsami. Ad ulcera omnia tum interna, tum externa, efficacissimum. Dos. ad gut.* 20. *& ultra.*

Bals. Sulph. Benzoïnatum.

F. ex Fl. 🜍. *& ℅ Benz. ut Anisatum. Pulmonicum, ac Asthmaticum insigne est: & ad Catarrhos exiccandos maximè valet.*

Bals. Sulph. Knœphelij.

F. ex Hepat. 🜍 *pulverisat. p.* 4. *℅ lini rec. p.* 3. *ad crassitiem coctis, & cautè ex* ☊ *destillatis; miscendo oleum (ab* ▽ *prius separatum) cum dimid. quantit. colcothar.* ⊖*li supra* △*em, & post refrigerationem destillando ex* ☊ *vitrea. Oleum quod extillat misc. cum quant. dimid. ℅ Anisi, & Digere s. a. ut f. Balsam. Balsamum est pulmonum præstantissimum consumens & exiccans. Catarrhis, Asthmati, Tussi, Phthisi, Colicæ, &c. subvenit. Promovet expectorationem, intercipit defluxiones ad articulos, ventositates præcavet ac discutit. Dos. à gt.* 4. *ad* 12.

Bals. Sulph. Minerale.

℞. ℅ Lini ℥x. 🜍 *pulverisat.* ℥ij. *coq. leniter; continuò agitando, donec in mellis consist. devenerint. Applicetur locis dolentibus & debilibus Podagræ super alutam vel linteum, renovando tertio vel quarto quoque die.*

Bals. Sulph. Rulandi.

℞. Fl. 🜍 ℥j. *℅ nucum vel rapar.* ℥vj. *V. generos.* ℥ij. *macer.* ♂ 8. *aliquoties agitando, & coq. leniter ad Vini consumptionem.*

Vires. Anodynum est insigne, maturativum ac digestivum in vulneribus partium nervosarum. Auribus inditum dolores earumd. tollit.

Balsamum Sulphuris Succinatum.

Fit ex floribus Sulphuris cum oleo Succini.
Vires. Valet in colica.

Balsamum Tartari.

℞. Ol. Tartar. per deliquium unc. ix. *cremor. Tartar. pulv. unc.* viii. *Digere ac evapora ad siccitatem, affunde Spir. vini, vel aceti destil. extrahe inde Tincturam, filtra & ad mellis consistentiam abstrahe s. a.*

Vires. Præstantissimum est adversus Arthritidem & Calculum; laxatque alvum. *Dosis ad* ʒß. externè inungantur partes dolentes. Confert præterea in omnibus morbis chronicis.

Balsamum Veneris.

Fit ex laminibus Cupri cum Spir. terebinth. digestis s. a. ut F. Balsamum viride.

Vires. Ad ulcera, vulnera, fistulas, &c. mundificanda apprimè conducit, mixtum cum convenientibus.

Balsamum Verum.

Fit ex Limacibus cum testis diu multúmque contusis cum ana sacchari candi, ut fiat Balsamum.
Vires. Ad foveas Variolarum.

Balsama duo è Goddardô.

Balsamus magis compositus Goddardi.

℞. Balsam. de Tolu, Copaivæ, mirrh. croc. nuc. Mosc. ana ʒii. *mastich. guajac. ammoniac. tacamahac. carann. ana* ʒi. *terebinth. è Chio unc.* i. *ol. hyper. unc.* vi. *aq. rosar. rubr. unc.* ix. *Liquentur primò cera cum oleo, dein addantur Tinctur. & exhaletur Spir. vini, tandem adde aq. rosar. quæ post refrigerationem, pertuso foramine, liquefiat & in aliud vas commodum effundatur, & usui servetur.*

Balsamus Ejusd. minùs compositus.

℞. Terebinth. è Chio ℥ii. *ol. hyperic.* ℥iv. *ceræ flav.* ʒvi. *aq. rosar. rubr.* ℥vi. *F. Balsamum eodem modo quo superius.*

Balsama ex Hoffmanni Thesaurô.

Balsamus Vitæ Hoffman.

℞. Gummi bdellij, sarcocoll. ammoniac. thur. mastich. aloes hepat. myrrh. styrac. liquid. ladan. castor. baccar. junip. balsam. indic. ana ʒiß. *spicæ indic. zedoar. galang. cubeb. cardam. caryophyll. cinam. elect. croc. orient. nuc. mosch. ana* ʒß. *Hisce pulverisat. affund. Spir. vini rectificat. ad* 4 *digit. eminent. transvers. digere in vase clauso per* 4. *septimanas, demum destilla per retortam vitream ex arena; sic una cum spir. vini ascendent essentia & virtus prædictor. ingredientium. Hunc spir. aliquoties cohoba super species remanentes; postea admisce. Oleo destill. macis, caryophyll. rosar. nuc. mosch. cinnam. cortic. citr. aurantior. cymin. anis. fœnic. zedoar. satureiæ, thym. cubeb. lavend. salv. rutæ, puleg. spicæ, hyssop. majoran. chamæm. rom. rorism. ana* ʒii. *Digere iterum ut perfectè uniantur. Demum divide in partes duas æquales. Unam per se serva, Alteri verò adde ambræ gris. & moschi opt. ana* ʒii. *& serva pro usu.*

Vires. Balsami Vitæ cum ambra & moscho. Internè in syncope, apoplexia, paralysi, vertigine, dolore capitis, cerebri imbecillitate, ventriculi dolore, cochexia, colica. In calculo 7. guttæ cum decocto radic. petrosel. restæ bovis vel cum vino Malvatico, ol. amygdal. dulc. express. In tussi extra phthisim in decocto glycyrrh. In febrib. quotidianis, & quartanis in decocto cichor. centaur. min. Nocet interiùs calidis & siccis, prodest frigidis, & senioribus.

Usus externus Balsami Vitæ, illitus vertici, temporib. narib. roborat memoriam, judicium, dissipat catharros, sedat cephalalgiam, vertiginem; cum bombace inditus auribus, sedat tinnitum, dentib. impositus odontalgiam, in syncope plantis pedum, &c. tollit dolorem gravativum dorsi, pungitivum artuum, cum florib. *salis armoniac.* in podagra, corrigit contracta membra. Prodest ventriculi dolorib. apepsiæ, vomitib. singultui, dolorib. colicis, obstructionibus lienis, hepatis, in ictero, hydrope, calculo renum, ubivis in locis convenientibus illitus. In apoplexia, paralysi spinæ dorsi, capiti, in suffocatione uteri plantis pedum. In febre alba virginum hypochondrijs illitus, Ad maculas faciei. Ad vulnera recentia, fistulas, serpentia ulcera. Corrigit fœtorem

fœtorem oris, gingivam cruentam. In ophthalmia misc. cum *aq. rosar.* & applica. In febre quotidiana, quartana ad spinam dorsi. In omnibus imbecillitatibus pulsui. In epilepsia plantis pedum, vertici. Ad uteri imbecillitatem infrà umbilicum.

Balsamus Vitæ pretiosus D. W. S.

℞. Ol. destill. meliss. majoran. salv. lavend. thymi, carvi, fœnic. anisi, citri, aurantior. calam. aromat. absinth. juniper. rutæ, aneth. rorism. cinam. caryophyll. cubeb. mac. cardamom. sassafras, menth. crisp. satureia, puleg. zedoar. angelic. succin. mastich. dauci ana ʒiß. Funde super aq. majoran. in cucurbita usque ad palmam unam replet. pone in MB. destilla ad ℥iv. separa ab aq. oleum purissimum. Infunde nova cucurbitæ & adde spir. vin. rectific. ℔iii. destilla terno cohobio, lento calore B. sic olea se cum spir. vini inseparabiliter unient.

Hoc spir. vini sulphure seu balsamo vegetabili imprægnato extrahe ambræ gris. mosch. opt. ana ʒiß. zibeth. ʒß. gr. kerm. ℥ii. Decanta & serva in vitro benè clauso.

N. Oleorum primas reliquias impasta cum corpore albo olei expressi nuc. mosch. addito pauxillo ambr. & mosch. habebis Balsam. opt.

Dosis balsami istius pretiosi est à gutt. ii. iii. & plus in quovis vehiculo estque nobile confortans.

Balsama Externa.

Balsamum Apoplecticum D. D. B.

℞. Ol. express. Nuc. Moschat. ʒj. d. lavendul. succini albiss. ana ℈j. ambræ grys. gr. iv. zibeth. Moschi ana gr. vj. M. f. Balsamum.

Aliud D. D. J. M.

℞. Ol. d. Cinamom. ʒij. caryophyll. ℥iij. ligni Rhod. ʒij. Balsami Peruviani ℥ß. Moschi ℥j. ambræ grys. ʒj. ol. express. Nuc. Moschat. ℥ij. M. f. Balsamum.

Balsamum Epilepticum. D. F. H.

℞. Extract. rutæ. ℈ij. castorei. ℈j ol. d. succini. ℈ß. juniperi gutt. vj. Theriac. A. ℥ij. Camphor. gr. v. M.

Vires & Usus. In paroxysmo epileptico cum hoc nares & vertex capitis inungendi bis vel ter in die.

Balsamum contra Catarrhos.

℞. Ol. d. majoran. ʒj. succini ℥ij. rutæ ℥ß. Express. Nuc. Moschat. ʒj. M.

Balsamum Dorsale seu Anti-paralyticum D. D. B. O.

℞. Babc. Lauri gran. juniperi. castorei, euphor. ana ʒij. Caryophyllor. macis. ana ʒiij. mastich. myrrh. styrac. liquid ana ℥ß. succini alb. gummi elemi galbani ana ʒiij. Incis. & contus. dentur in cucurbit. vitream quibus adde Lumbricor. terr. viv. num. xv. superinfunde Terebinth. Cypr. ℔j. sp. vini opt. ℔iv. destilla.

Usus. Ejus in paralysi & contracturis partium mira præstat Spinæ dorsi inuncti manè & vesperi tepidè.

Balsamum Matricale P. H. D.

℞. Galbani puriss. serapin. ana ʒvj. assæ fœtid. ℥ß. ammoniac. ʒj. dissolve in oleo ♌lato juniperi & terebinthin. s. q. adde ol. d. Lauri. ℈ß. succini ʒß. M.

Balsamum Anti-Podagricum D. A. G.

℞. Mumiæ ℥ß. Myrrh. rubr. mastich. olibani. bdellij. opopanac. ammoniac. ana ℥j. ⊖oli calcinat. ℥ix. mellis ℔ij. Sal. Tartari ℥iij. sp. vini optimi ℔iv. Misce.

N. ⊖olo & Tartaro affunde sp. vini, digere leni △ne per ☍ unum, posteà destilla per retortam, donec sp. vini omnem iterum habueris, & simul aliquid de sp. ⊖oli & Tartari transierit. Posteà funde super Mel, & abstrahe etiam sp. vini ultimo △ne fortiori, à gummatibus etiam abstrahe, tunc provenit Balsamum instar olei innatans sp. vini, separa per tritorium. Denique,

℞. ⊖li cum ⊖le Tartari, melle & gummatibus, misce exactissimè, prius tamen sp. vini iterum affunde, à quo balsamum fuit separatum, destilla adhuc semel, tunc accipies adhuc alium balsamum, qui sp. vini appellatur Aqua balsamica antipodagrica.

*℞. Balsami hujus ℥iij. sp. * ℥ß. M. & utere.*

Vires & Usus. In doloribus arthriticis, item scorbuticis brachiorum & pedum mira præstat dolorem leniendo, si pennâ illinitur partibus dolentibus.

Aliud D. D. I. Z.

*℞. ⊖ Tartari * sufficienter impregnati ℔j. calc. viv. ℔j. affunde sp. vini rectificat. & aliquoties ab his abstrahatur, postmodum.*

℞. Silicum ℔j. ignianitur, & cum ⊖ Tartari calcinentur, item ⊖ ▣næ volatil. ℥iv. Camphor. ℥ij. Misce omnia, ut fiat massa sicca, sin minus, sufficiat calx viv. adde Silicum pulverisatorum tantum, quantum satis est, & immittantur omnia simul retortæ loricatæ, & per gradus △ne aperto destill. instar. sp. ⊖oli vel ⊖lis. Liquor & Spiritus, qui prodeunt sunt verus Balsamus Anti-podagricus tam pro interno quàm externo usu.

Dosis internè est à ℈ß. & ʒß. Externè illinendus sæpissimè partibus dolentibus.

Aliud D. D. R.

℞. Tartar. Ligni Guajaci. ana q. s. destilla per retortam oleum, quod quater rectifica; ex ⊛ fac sal; post ℞. saponis veneti ℔j. digere cum spiritu vini per aliquot ☍, adde camphoræ ℥ß. Destilla per retortam, & rectifica usque dum oleum odoratum adscendat. Hoc oleum cum oleo guajaci ana misce, addendo parum ⊖ ut f. Balsamum.

Usus. Prius sumat Patiens Spirit. Ligni Guajaci gutt. XX. per 3. ☍ sudorem movendo; Pòst locum affectum hoc balsamo inunge horâ unâ antè prandium & cœnam.

Balsamum Veneris.

*℞. ⊕ extrahe cum * evapora in MB. quod remanet, in humido resolve, prodibit oleum p d. smaragdini coloris. Circula cum spiritu vini & abstrahe, ut acredinem amittat.*

Vires. Valet ad ulcera phagædenica, chronica-cacoëthica, omnia putrida, maligna, fistulas, caruncu- culas vesicæ & carnis, omnes excrescentias, si cum Emplastro aliquo permisceatur, & cum tenui cerato imponatur.

Balsamum D. W. T.

℞. Spirit. Terebinthin. ℔ij. Thuris. ℥j. Cinamomi caryophyllor. croci mastich. Aloës Epatic. ana ℥ß. gummi heder. ʒij. Pulv. misce & infunde per tres aut plures ☍. Posteà ♌la in MB. Usus. Prior liquor ad aliquot interiores morbos, ut est Hepatis obstructio, & Renum, colica passio, cruditas ventriculi, suffocatio matricis, si eo umbilicus inungatur, magnam vim habet. Postea ✕✕ obducatur luto, & per ∴ residuum ♌la, donec fæces aridissima. Quod primum per ∴ adscendit, luteum est, & grati odoris, ad vulnera & ulcera communia utile Ultimus verò Liquor niger & gravis odoris ad omnia ulcera mala.

Balsama varia è collectione Bierlingij.

Balsam. Vulnerarium Comitis à Solms.

℞. Fol. plantag. maj. & min. auriculæ mur. consolid. betæ sylvestr. pulicar. agrim. centaur. millefol. saniculæ nicotian. alchymil. mors. gallin. ana M. i. Rad. consolid. regal. ℥i. Omnia debito tempore colligantur decrescente Lunâ contundantur at gossypij ℔ß. includantur, ultimo addantur lumbricis. 50. omnibus collectis fient per

mens

mensem loco sicco, deinde coquantur in olla vitreata, donec nulla humiditas in herbis appareat, ad ℔i, addatur terebinth. Venetæ ℥i. Fit Balsamum coloris viridis sanans vulnera omnia, si etiam adhibeatur empl. sequens.

℞. *Ceræ virgin. alb. ana ℥iv. resin. ℔i. axung. cervin. ℥ii. Liquefiant, addatur de prædicto balsamo q. s. detrahantur & admisce pulv. mastich. thur. tragacanth. sarcocoll. ana ℥i. ultimo adde terebinth. Venet. ℥iv. F. l. a. Empl.*

Balsamum ad ambusta.

℞. *Calc. viv. recent. q. v. projice in aq. ut 4. vel 5. digit. emineat aq. & ubi efferbuerit per se, affund. ol. rosar. & subitò gelascet in modum butyri, quod ad ambustiones & vulnera præstantissimum est.*

Balsamum Mercurij.

℞. *Mercurij vivi qui cum butyro antimonij prodit, ℥ii. olei juniper. ℥iii. digere 24. horas, tingetur priùs cœruleo, postea viridi colore.*

Vires. In lue Venerea prodest.

Balsamum Tabaci.

℞. *Spiritus juniper. & terebinth. ana ℔i. Fol. nicotian. Indic. ℥vi. Infunde, circula per octo dies, exprime prelo.*

Vires. Sanat omnem plagam intra 24. horas, ubi nulla intervenerit ruptura.

Balsamum Alexicacum Reynesij.

℞. *Theriac. Andromach. Mithridat. Damocrat. ana ℥ß. styr. calamit. benzoës ana ʒiß. pulv. angel. valerian. camomill. Roman. ana ℈ii. ol. Nucist. expr. ℈iv. angel. rut. succin. spicæ ana ℈ß. juniper. ʒß. Cum sevi agnini s. q. fiat l. a. linimentum, addito oleo Amygd. dulc. modico.*

Balsamum ad Vertiginem. D. Schalleri.

℞. *Olei nuc. Moschat. mac. expr. ℥iß. succin. rectific. ʒi. nuc. Moschat. destill. ʒß. majoran. ℈i. M.*

Balsama varia ex Hadriani à Mynsicht Armamentario Medico-Chymico.

Balsamum Polychrestum.

℞. *Olei olivar. ℔j. hyperici, lauri ana ℥j. succini alb. destill. bac. juniperi, petræ ana ℥ß. spicæ ʒij. nuc. moschatæ Aurantiorum, Rorismarin. ana ʒj. chomomillæ Rom. cymini ana ʒß.*

Mixtis adde Sp. Vini optimè rect. (in quo prius per octo dies Thus, Mastix, Bentzoin, styrax cal. Mumia, Gran. tinct. Flor. Centaur. min. & Consolid. major. Rosæ, Violæ; nec non rad. Anchusæ infusa fuerint) Lib j. Terebinthiæ Cypriæ in aqu. Rosarum diligenter lotæ ℔ß. bals. Sulphuris anisat. ʒvj. Ingeniosè denuo misce, & stent in digestione retrò fornacem vel ad solem sæpius in die agitando per 14. Dies: postea Sp. vini in MB. lentissimo igne abstrahatur, tunc in fundo manebit Balsamum rubicundum ad usum publicum meritò reservandum.

Vires, Usus, Dosis. Balsamum hoc nobilissimum, tam pro externo illitu, quam pro interno usu efficacissimum, tenuis est substantiæ, propter vim penetrandi, qua omnia membra reficit calefacit, tenuat, aperit, discutit atque exsiccat. Omnibus destillationibus capitis frigidis mirè confert. Apoplexiæ, Epilepsiæ, Vertigini, & oblivioni, præcipuè auxiliatur, si sutura coronalis extremitates narium, tempora, occiput, vextex, &c. frequentius inungantur. In aurium tinnitu, à flatu crasso, sibilo & hebetiore sensu ex frigiditate contracto tepidum feliciter adhibetur. Cerebri, Pectoris, Hepatis, Lienis, Uteri, Nervorum, Articulorum omnium, aliarumque partium nervosarum puncturis & doloribus frigidis mirum in modum medetur. Hypochondriorum tensionibus valdè utile: nec non durities seu tumores duros & scirrhosos dissipat, & colorem bonum conciliat. In Paralysi, Spasmo, Ischiade, contracturis &c. secretum est. Pulmones quoque ab humoribus crassis & viscidis purgat. Stomacho & orificio ventriculi inunctum, mirificè eum roborat. Anhelitum commendat. Flatus internos potenter dissipat. Arcanum est in Colicâ, si umbilicus eô iungatur, introque sumatur Sanguinem coagulatum dissolvit ex vino, exspectato sudore, potum, locoque affecto inunctum. Aquæ Petroselini vel alio convenienti liquori immixtum atque assumptum simulque regioni Renum & Vesicæ illitum, calculos, & alias superfluitates meatuum urinalium pellit, Venerisque tentiginem excitat. Uteri quoque strangulatui prodest, naturalibusque illitum fœtum evocat. Quod si tepefactum in quartana aliisque febribus quam plurimis, ante paroxysmum, spinæ dorsi à nuchâ colli usque ad nates fortiter juxta ignem seu retrò fornacem inunxeris, rigores insigniter sublevat, mitigat, febresque profligat. Omnia denique conservat, & tuetur à putrefactione, nec non ab omni veneno & aëre pestilenti præservat. Dosis internè à ℈. j. ad ʒß. & ʒj. in vehiculis appropriatis & specificis.

Balsamum Apoplecticum.

℞. *Ol. Nucis Moschat. ʒj. Succini alb. rect. ʒß. Rosarum ver. cinamomi ana ℈j. lavendulæ Majoranæ ana Gran. xv. assæ dulcis, rutæ ana ℈ß. caryophyllorum citri ana gr. iiij Diligenter & optimè mixtis adde: Ambræ griseæ ʒjß. Zibethæ non fals. ℈iiij. moschi laudatiss. ʒj. Misc. fideliter & fiat secundum artem justæ consistentiæ Balsamum.*

Vires & Usus. In totâ Repub. Medicâ vix, invenitur Balsamum Apoplecticum, quod famâ illustrius, virtute nobilius, honore dignius, auxilio promptius, & odore fragantius, quam hoc præsens: Narium enim extremitatibus saltem, necnon (exigente tamen necessitate) vertici atque pulsibus modicè inunctum vitales, animales, & naturales spiritus miraculosè suscitat atque suavissimè recreat.

Balsamum Hypnoticum.

℞. *Ol. nucis moschat. exp. ʒv. rosar. vulgar, violarum, nymphææ ana ʒij. sem. hyoscyami exp papav. albi exp. de lateribus, bentzoin. ana ʒj. Misc. fideliter, & postea adde sequentia: ung. populeon. ℥j. medul. cervinæ ʒiij. opij in sp. vini diss. ext. croci orient. ana ʒj. ambræ & moschi ol. rosarum veri ana ℈j. Misce & fiat juxta artem Balsamum.*

Vires & usus. Naribus & pulsibus temporum & brachiorum, necnon, si opus, auribus & pedum plantis inunctum, somnum suaviter conciliat, & dolores capitis mitigat.

Balsamum Memoriæ.

℞. *Ol. nuc. moschat. exp. ℥ß. de lateribus, de castoreo ana ʒiij. myrrhæ rub. thuris ana ʒj. rorismarini lavendulæ majoranæ rutæ ana ℈j. caryophyllorum succini alb. cinamomi, bentzoini ana ℈ß. Misc. & cum cap. mortuo, ol. nuc. moschat. exp. fiat justæ consistentiæ Balsamum, cui adde: Galliæ Moschat. veræ ℈ij. Denuò misc. & ad usum repone.*

Vires & usus. Ad amissam memoriam, illamque tam confortandam quam conservandum, secretum est: Sed in mulieribus hystericis affectionibus obnoxijs. Gallia Moschata omittatur, vel ad supprimendum odorem pondus ol. Succini alb. augeatur. Usus ejus est, ut manè & vesperi occiput hoc Balsamo bene illinatur.

Bal-

Balsamum Odontalgicum.

℞. *Ol. origani cretici, caryophyllorum, camphoræ ana ℨij. opii spagyricè præp. flor. nitri ana ℨj. spec. diambræ, santali rub. ana ℨß. Misc. & cum cap. mort. ol. nuc. moschat. exp. vel in hujus defectu cum cera alb. ℥ß. fiat l. a. Balsamum.*

Vires & usus. Efficax est in dolore dentium à quacunque ferè causâ, præsertim autem frigidâ; Gossipio enim exceptum & dentium cavernis impositum, subitò medetur: Vermiculos insuper necat, humoresque affluentes per os copiosè educit.

Balsamum puerorum Dentientium.

℞. *Butyri majal. non saliti ℥iij. ping. gallinarum anatis ana ℨij. flor. papav. errat. ℨj. Coquantur in suc. è cancris vivis contus. & cum aq. cyani ext. Rad. altheæ an. ℥ij. Ad succorum Consumptionem; Postea expressis adde: Sacchari cand. alb. ℥iiij. Galliæ Moschat. veræ ℈j. vitel. ovorum No j. Misc. & fiat juxta artem Balsamum.*

Vires, & usus. In dentitione infantium, ob gingivarum densitatem & duritiem sæpè de vitâ periclitantium, maximos inde dolores gingivas rarefaciendo ac emolliendo, sistit, & facilius dentire facit, si eo gingivæ frequentius inungantur.

Balsamum Paralyticum.

℞. *Ol. galbani cum sp. Terebinthinæ destillat. succin. rectif. ana ℨj. rorismarini Angelicæ ana ℨj. chamomillæ Rom. caryophyllorum salviæ ana ℨß. lavendulæ ana ℈j. Misc. & cum ol. nuc. moschat. exp. s. q. fiat justæ consistentiæ Balsamum seu linimentum molle, cui pro ditioribus saltem add. Trochisc. Galliæ Moschat. ℈j.*

Vires & usus. Nuchæ & cerebro tanquam origini nervorum, necnon membris paralyticis inunctum, mirabiliter juvat & multum facit in paralysi: Quia omnes nervos penetrat ac roborat, quod in hoc morbo maximè requiritur.

Balsamum Spasmodicum.

℞. *Ping. Anguillæ ℥j. ol. galbani cum sp. Terebinth. destillat. ℥ß. lumbricor. ter. lilior. albor. ana ℨiij. succini alb. rect. rorismarini angelicæ ana ℨjß. bac. juniperi chamomillæ, origani cret. laurini an. ℨj. caryophyllorum, lavendulæ, salviæ rutæ an. ℈j. Misc. & cum ol. nuc. moschat. exp. & ceræ alb. an. s. q. f. l. a. Balsamum.*

Vires, & usus. In convulsione, quæ ab humore frigido nervos replente fieri solet, præmissis tamen universalibus & Corpus debitè evacuantibus, hoc Balsamum principatum obtinet: Membra enim convulsa & tremore infestata, omnes nervos penetrando, curat, necnon convulsivos motus sistit. Fiat autem inunctio non solum in loco affecto, verum etiam à collo usque ad ultimam vertebram bis seu ter in die. Æger interim caveat sibi ab aëre frigido, nec membra spasmodica aqua frigidâ humectet, cibos quoque flatulentos, crapulam, cruditatem, & nimiam Venerem fugiat.

Balsamum Stomachicum.

℞. *Ol. nucis moschat. exp. ℥ijß. mentæ crisp. ℥ß. aurantiorum, caryophyllor. macis an. ℨj. rorismarini, lavendulæ, absinthij, cymini, anethi an. ℨß. Misc. & fiat mixtura, cui, si placet ad temperandum caliditatem adde parum ol. rosar. rub. vulgar. & cum cera alb. s. q. fiat l. a. Balsamum.*

Vires & usus. Valet ad frigidum Ventriculum tardius concoquentem & flatibus multis obnoxium: item, acidum ructum & nauseam corrigit. Vomitum phlegmaticum sistit. Flatus intestina distendentes discutit. Ungendus autem Ventriculus est quotidiè bis, manè scilicet & vesperi, finitâ concoctione.

Balsamum Aromaticum.

℞. *Ol. absinthii vulgar. nardini comp. mentæ crisp. mastichis an. ℥ij. nuc. moschat. exp. ℨvj. ol. stil. caryophyllor. calami aromat. an. ℨj. rorismarini, lavendulæ, aurantiorum, bentzoini, cymini an. ℈j. Diligenter & fideliter mixtis adde: spec. diatrion. piper. gum. tacamahac an. ℨ ℨij. galliæ moschat. veræ ℈ß. Denuò misc. & cum s. q cap. mort. ol. nuc. moschat. exp. f. l. a. Balsamum.*

Vires & usus. Insigniter calefacit frigidum Ventriculum, Concoctionem juvat & ventositates dissipat. Dosis pro una vice, nuc. avellanæ quantitas, & post inunctionem linteum calidum duplex superponatur.

Balsamum Absinthiacum.

℞. *Ol. Nuc. Moschat. express. ℥ij. Absinthij vulgar. nardini comp. ana ℨj. mastichis ℨß. Stil. Absinthij ℨj. menthæ crispæ thymi an. ℨß. caryophyllorum macis an. ℨj. Misc. & f. l. a. Balsamum justæ consistentiæ.*

Vires & usus. Ventriculo inunctum ejus frigiditati, coctricem ac retentricem vim roborando, cibi aviditatem excitando, flatus conceptos dissipando mirificè conducit: Nec non ad cœliacos, Stomachicos, Colicos, & Dysentericos cruciatus valdè utile. Cerebri quoque & nervorum frigidis affectibus opitulatur.

Balsamum Sulphuris Anisatum.

℞. *Ol. Anisi ℥vj. flor. sulphuris ℥j. Misc. & in vitro digerantur & circulentur tamdiu, donec ol. Anisi tincturam Sulphuris perfectissime extraxerit: postea aufer Oleum rubicundissimum per inclinationem, filtra & ad Usum reserva.*

Vires, Usus, Dosis. Est Balsamum perfectissimum calefaciens, siccans & à putredine conservans, in quo sunt omnes virtutes naturalis Balsami, & vis conservativa maxima. In Catarrhis pectoralibus, tussi, Asthmate, phthisi, pleuritide, Colicâ, Peste, Febribus, morbis Epidemicis, Epilepsiâ, lue venerea, necnon in omnibus Apostematibus & putrefactionibus Corporis &c. miranda præstat. Dosis à gut. iij. ad v. & vj. in vehiculis appropriatis & specificis.

Balsamum Zibethæ.

℞. *Ol. nuc. moschat. exp. ℥j. zibethæ non falsat. ℨß. Invicem prius bene & fideliter mixtis adde ol. stil. saponis rect. carminativ. nost. ceræ rectif. an. ℨj. caryophyllorum macis an. ℨß. ambræ & moschi ana ℈j. Denuò misc. & fiat l. a. Balsamum.*

Vires & Usus. Umbilicus hoc Balsamo inungitur: Intolerabiles cruciatus & dolores Colicos non solum sedat; Sed & discutit & resolvit malignos, crudos, nitrosos atque vitiosos humores. In coitu etiam mulieribus magnum affert solatium, si penis glans eò inungatur. Item; si in suffocatione matricis maritus dicto modo sese inungat, & cum uxore coeat, præsentissimum est remedium: Matrix enim subitò descendit; Ad nares autem illarum, eo tempore, fœtida adhibeantur; qualia sunt Castoreum, Assa fœtida &c.

Balsamum Terebinthinæ.

℞. *Rubini translucentis ex ol. terebinthinæ per evaporationem fact. q. v. pulverisa & opt. sp. vini secundum artem tincturam extrahe, spiritum tinctum per 14. dies digere; postea in lento balnei calore ad medietatem seu oleitatem iterum abstrahe, & post filtrationem debitam ad Usum repone.*

Vires & Usus. Renum & Vesicæ calculos expellendi, eorumque dolores sistendi, Gonorrhœam curandi, potentissimam vim habet. Dosis à gut. v. ad

ad vij. & ℈ß. in vehiculo convenienti. Externè etiam regionibus dictorum membrorum inunctum cruciatus nephriticos egregiè sopit.

Balsamum Medicamentosum.

℞. Tinctura Rosarum cum aq. lap. Medicamentos. extract. mellis virginei ana ℥iij. aluminis usti ℥j. terræ vitrioli dulc. gum. laccæ ana ʒiij. coq. ad consistentiam Balsami; Postea adde: corallor. rub. præp. sang. draconis ana ʒij. sarcocollæ myrrhæ rub. mastichis an. ʒj. ol. lig. rhodini nuc. moschat. salviæ an. ℈j. Misc. & f. l. a. justa consistentia Balsamum.

Vires & Usus. Ad gingivarum putridam, tumidam, superincarnatam & denigratam carnem valet; Illam enim à putredine præservat & curat. Insuper dentes confirmat, illosque nova carne obducit, & cætera oris vitia, utpote Cancrum, Noli me tangere, Scorbutum, Apostemata, Ulcera, Alcolam, Corrosionem, &c. Perfectè & subitò sanat, & quamcunque affectionem gingivarum tollit. Manè autem & sero vel aliquoties in die caro maligna fricetur atque os eluatur aq. Salviæ vel alio appropriato liquore.

Balsamum Stipticum.

℞. Empl. stiptici nost. ℥iiij. ol. vitell. ovorum q. s. Fiat l. a. Balsamum, cui adde ol. caryophyllorum nuc. moschat. salviæ ana ℈j. Misce & ad usum repone.

Vires & Usus. Ventriculum firmat & ventrem inferiorem, totum, si eo inungatur, roborat, Concoctionem juvat; ob hæc Vomitum, Choleram morbum, Lienteriam, Diarrhœam & dysenteriam hepaticam curat. Præterea ad firmandum Uterum, Mensium abundantiam cohibendum; Abortum prohibendum, Renesque laxatos stringendum, valet.

Balsamum Venereum.

℞. Rad. Pyrethri, euphorbij ana ℥j. cantharid. ℥ß. Coq. in vini Malvatici lib. ij. ad consumptionem medietatis & colaturæ adde: ol. olivarum ℥iiij. Denuo coq. donec absumatur humiditas; postea huic oleo adde: ol. nuc. moschat. exp. ℥j. formicarum nost. ℥ß. de nuc. indica castorei ana ʒjß. moschatellini, caryophyllorum, macis, spicæ ana ʒj. zibethæ non falsat. moschi opt. ana scr. j. misc. & cum cap. mort. ol. nuc. moschat. exp. vel in hujus defectu cum cera alb. s. q. fiat l. a. in justa consistentia Balsamum.

Vires Usus. Si hoc Balsamo veretrum & partes circumstantes, videlicet regio inter anum & testes, ubi penis corpora latent, necnon pollex dextri pedis ungantur, egregie juvant ad coitum: Est enim insigne illectamentum Matricis, atque Venerem stimulando mirabilem erectionem facit & indesinenter fere operatur, nec quiescet sæpe erectio; quando autem volueris, quod cesset, lavabis loca inuncta.

Balsamum Uterinum.

℞. Butyri majal. insulsi ℥j. ol. jovis anglici, succini citrin. terebinthin. ana ʒjß. gum. tacamahacæ, assæ fœtidæ, galbani, sabinæ ana ʒj. castorei, veri ʒß. sevi hircini q. s. ut fiat l. a. justa consistentia Balsamum.

Vires & Usus. Umbilico calide inunctum, superponendo corticem juglandis, ascensum seu recursum uteri ad superiora subitò in locum suum reducendo quasi præcipitat & dolores mitigat: sed abstineat ab odoriferis Hysterica, interimque aliquot guttulæ ol. succini alb. & Castorei narium extremitatibus & pectoris fossulis illinantur.

Balsamum Podagricum.

℞. Suc. Semper vivi domest. rorismarini, cucurbitæ, nicotianæ, hyosciami, chamædrios, verbenæ ana ℥vj. vitrioli ad flaved. calc. tartari albi, salis marin. calc. ana ℥iij. ping. cati sylvest. anseris, vulpis, medullæ cervinæ ana ℥iß. ol. terebinthinæ, laterini, juniperi, saponis ana ℥j. mandib. inf. equor. saturni, spicæ ana ʒj. gum. ammoniaci, opopanac. sagapeni, mastichis, olibani, mumiæ transmarin. ana ℥ß. Mixta coq. secundum artem ad consumptionem humiditatis, postea pinguedinem omnem ad Usum reserva.

Vires, & Usus. Hoc Balsamo partes dolentes calidè oblinantur mane & vesperi linteis desuper impositis, mirum in modum ad podagram & dolores alios quàm plurimos sedandos valet: Citò enim alterando & penetrando tartareas & tophaceas concretiones resolvit, ac simul fere omnes podagricos & spasmaticos cruciatus è frigidâ causâ ortos tollit.

Balsamum Saponis.

℞. Saponis venet. in succo limonum dissolut. ℔j. mellis virgin. alb. ℥iiij. cosmetici mercurial. sacchari candi alb. rad. ireos flor. ana ℥j. sal. tartari alb. spermat. ceti albiss. aluminis saccharini, borracis venet. ana ℥ß. balsami peruviani odorif. ʒij. galliæ moschat. veræ ʒj. ol. lig. rhodini, cinamomi, caryophyll. lavendulæ ana ℈j. misc. & f. l. a. mixtura ad formam Balsami.

Vires & Usus. Utere in lavando fricandoque manus; Quia nivis instar dealbat, cutimque nitidam atque mollem reddit.

Baptisecula, vid. *Flos Frumenti.*

BARBA CAPRÆ.

Nomina. Barba capræ floribus oblongis *C. B.* Ulmaria major sive altera. *Park.* Barbacapri. *J. B. Ger.*

Planta hæc Ulmariæ non multum dissimilis est. *Radicem* habet mediocriter crassam, fibrosam, cortice crassiusculo ad ruffedinem declinante intectam, cui subest lignosa substantia cum copiosa medulla alba fatua. *Caules* duos tresve cubitos alti & majores, multis alis concavi, læves, teretes, medullosi, arcto tubulo (qui in aliis nullus est) perforati. *Folia* castaneæ oblonga, acuminata, serrata, plura ad costam adligata, nullis intercedentibus minoribus foliolis ut in ulmaria; à qua & *flores* hujus plurimum differunt, in ligulis videlicet racematim collocati, perpusilli, candidi. Plantæ hujus folia bicomposita, seu triangulata sunt & umbellatarum modo divisa, rugosa, circa margines pulchre dentata: uniquique & flori plures succedunt theculæ disjunctæ.

Vires. Sudorifera, adstringens, vulneraria, veneno resistens; fluxibus *alvi ac hæmorrhagiis medetur, &c.*

Datur & hujus alia species distincta, cujus *folia* sunt minora, frequentius sinuata, *caules* pares, *siliquæ* crassiores, & *semina* grandiora, minùs fusca & quasi subalbescentia: etiam planta est perennis, & à præcedente prædictis notis quàm facillimè distinguitur. Hujus flos conspicitur in hortis plenus.

BARBAREA.

Nomina. Barbarea *J. B.* flore simplici *Park.* Eruca lutea latifolia sive Barbarea *C. B.* Nasturtium hybernum *Thal.*

Radice alba donata est, crassâ & oblongâ, perenni, sapore acriore. *Caules* cubitales, striati, firmi, medulla farcti, multis alis concavi, in quibus *folia* Raphani minora, laciniâ extremâ Nasturtii folium extremum æmulante, atro virore splendentia, sapore minus vegeto quàm radix. Ex alis foliorum versùs summos caules ramuli creberrimi exeunt, in quibus, ut &, in summo caule, flores in spicas longas excurrentes parvi, lutei, tetrapetali, quibus succedunt *siliquæ* tenues, teretes, unciam circiter longæ, caulibus appressæ, in quibus *semen* exiguum & colore ruffum.

ruffum. Tota planta glabra est. Flosculi pediculis brevibus insident.

Vires. Nasturtio ut sapore, ità & facultate affinis est, acris & calida. Acetarijs additur, hyeme præsertim, cum Nasturtij copia non est, unde Nasturtium hybernum dicitur, medetur verò eadem & Scorbuto non minùs quā Nasturtium. Unguentis admiscetur succus, ad sordida & impura ulcera expurganda & siccanda.

Semen acre est, diureticum & lithontripticum: Herba quoque autore *Lobelio*, urinam ciet, calculus & farctum vesicæ decocto aut cibo expellit.

Inexplicabili cum ægrotantium juvamento apud *Francisc.* India de Gatta vomitorium medicamentum paratur cum aqua stillatitia Aranciorum immaturorum tepida, & sufficienti quantitate pulveris Scopæ regiæ (quo nomine quid intelligat nisi Barbareā velit, nescit J. Bauhinus) podagricis, gonagricis & ischiadicis affectibus præcipuè præsentaneo & maximo juvamento. *J. Raius, ex J. B.*

BARBA JOVIS, vid. *Semper Vivum*.

BARBULA HIRCI, seu TRAGOPOGON.

Tragopogon nomen accepit à pappo cano grandiori, qui è summo ejus vertice, nascitur & hirci barbam imitatur. *Theophr. Dioscor.* Posset autem non ineptè dici Tragopogon hæc herba à figura floris nondum aperti, quæ barbam hircinam proximè refert.

Cæterū Tragopogon à Scorzonera, ad quā aliàs accedit, in eo distinguitur, quòd calycis radij florū petala lōgitudine excedut, & floris circūferentia calycis radijs excedentibus stellata efficitur, majoreq; ambitu protenditur. Calyx quoque Tragopogi minimè squamosus est, sed omnes ejus radij seu folia æquali ferè longitudine extenduntur, contra quàm in Scorzoneris.

Nomina. Tragopogon luteum *Ger. Park. parad.* flore luteo *J. B.* pratense luteum majus *C. B.*

Vires. Radices in delicijs habentur tum coctæ, tum etiam crudæ in acetarijs, lancinationibus æstuantibus ventriculo ac thoraci auxilio sunt.

Valdè nutriūt, undè tabidis & macilentis conducūt. Vitijs pectoris, tussi & respirationi difficili, nec non pleurisi mederi dicuntur; quod quomodo efficere possint siquidem dulces sint, non videt *C. Hoffman.* Urinæ quoq; stillicidio subvenire & calculum expellere creduntur; unde *Sassifica* seu *Sassifrica* quasi Saxifragæ Italis dictæ sunt. Sed & vulneribus utiliter imponuntur.

Eadem præstat tum succus radicis expressus, tum aqua ejus destillata. *J. Raius.*

BARBUS.

Barbus, [à cyrris qui ex utroq; ipsius labro dependent; & ob eadem rationem *Mystacatus*, τέλγλη *Arist.* μυσὸς, μυσακὸς. Barbatulus *Ciceroni*. Barbatus *Varroni*. Est capite parvo, acutiusculo. *Color* dorsi fuscus, latera ex fusco flavēt, ventre candidus. *Pinnas* habet senas, singulas in dorso & ad podicem; in ventre medio, & ad brāchias duplices, ex rubro liventes, maculis nigris coloratas *Oculi* cētrum nigro-cæruleum, iris angusta aureo micat fulgore. Appēdices oris lividæ. *Jecur* est pallidè rubeus inhærente vesicula fellis rotanda cærulæa. *Splen* exiguus, sanguinei coloris. *Cor* triangulare, latiusculum. Muscis, vermibus, muco & pane vescitur. *Ova* venenata creduntur, adeo ut si largius comedātur, eos qui hauserunt, in magnum vitæ periculum adducant. *Charleton. ex Rondeletio.*

Vires. Officinis in usu non est, ova tamen à rusticolis nonnullis assumuntur ad ciendum vomitum & alvum, quod sat violenter perficiunt. *Schrod.*

BARDANA.

Duplex est *Major* scilicet & *Minor*.

Bardana Major.

Lappa dici potest, vel ἀπὸ τῦ λαβεῖν prehendere, vel ἀπὸ τῦ λαπτεῖν, i. e. lambere, quòd prætereuntium vestibus adhæreat *Personata* autem dicitur, quod folia ejus prægrandia, veluti larvæ aut personæ vice obtendi solita essent. Veteribus Arction, aut Arcion dicta creditur, verùm ratio nominis ignoratur.

Notæ ejus *genericæ* sunt capitula lappacea ob squamarū mucrones hamatos vestibus adhærētia, folia amplissima.

Nomina. Bardana major *Ger.* Vulgaris major *Park.* Personata sive Lappa major aut Bardana *J. B.* Lappa major, Arcium Dioscoridis. *C. B.*

Bardana Minor.

Xanthium Græcis dicitur ἀπὸ τῦ ξανθὰς ποιεῖν τὰς τρίχας, quòd flavos reddat capillos: Lappa minor Botanicis, ob aliqualem florum & fructuum vestibus adhærentium similitudinē. Vocatur etiā hæc plāta in officinis *Bardana*, voce vel Gallicâ vel Hispanica, inquit *C. Hoffman.*

Xanthi notæ characteristicæ sunt flores staminei, inutiles, nec fructui contigui, fructus durus, echinatus binis intus cellulis bina semina, h. e. in singulis singul cotinēs.

Nomina. Xantium sive Lappa minor *J. B.* Lappa minor, Xanthium Dioscoridis *C. B* Bardana minor *Ger.*

Vires Bardanæ majoris. Radix præcipuè in usu est. Siccat, est pulmonica, diuretica, diaphoretica, extergens, subastringens. Hinc convenit in Asthmate, calculo, expuitione sanguinis, in vulneribus inveteratis, tumore lienis aliarumque partium; in arthriticis morbis quibus peculiari proprietate conferre statuitur *Schrod.*

Extrinsecùs imponuntur folia vulneribus inveteratis, articulis luxatis, ambustis, &c.

Semen insigne lithontripticum censetur. Propinăt autē in pulverem cōmin. tū in Cerevisia tenui aut zythogalo, Luna plenâ *Hoffman.* præfert radicē saccharo conditam. *Apuleius* pulverem seminis per 40. dies dat, & ischiadicos mirabiliter sanat. Rationem addunt, quod multum salis nitrosi possideat hæc herba.

Caules antequā lappæ gignantur deraso cortice, crudi coctiq; ex oleo & aceto mandi primis mensis cœpere. *Petrus Laurembergius* validam vim frangendi calculum, augendi semen, excitandi venerem eis attribuit.

Febrem quartanā in Henrico III. Galliarū Rege decocto Bardana seu Lappę majoris à *Petro Pena* deletā fuisse testantur *S. Formius* Obs. 4. & *G Hieronym. Velschius* Obs. 4. Empyricū Parisiensem plurimos quartanarios decoct. radicis hujus herbæ ex vino albo magno successu curare solitum accepimus inter Observationes celeberrimi viri *Pauli Marquarii Slegii* Poliatri Hāburgens. *D. Tancr. Robin.*

De vi & efficacia hujus plantæ in Arthritide & Lue Venerea consule *S. Pauli* Quadripart. Botan. cap. 3. p. 362. 363. Eandem vim obtinet quam Sarsaparilla.

Lappa major incensa deflagrat in modū Salis petræ, & pari ratione spuit ignem. Ephem Germ. Ann. 3. Obs. 222.

In nephritide sem. vel rad. in aq. Chærephylli aut Petroselini plurimùm commendatur. *S. Pauli,*

In Lethargo in clystere prodest rad. Lappæ majoris. *J. Raius* ex *Dolæo.*

Vires Bardanæ minoris. Gustu est subamaro & acri unde calfacere & siccare colligitur. Usus præcip. (secundùm *Matthiolum*) in minera lepræ educenda (cū Rhabarbaro exhibitur radix) in lipothymia: extrinsecùs in struma & tumoribus discutiendis epithema, in capillis luteo colore tingendis; in quem usum Veteres fructum colligendum præscribunt antequam perfectè siccescat, deinde fusum fictili vase recondi; cumque usus exigit ejus sextarij semissem aquâ tepidâ dilui, moxque eo caput nitro ante perfrictum illini

BASILICUM.

Ocymum à Græco ὠκὺς seu ὠκέως nomen accepisse scribit *Varro*, quòd citò proveniat. *Theophrastus* testatur tertio à satione die provenire, lib. 7. cap. 1. Doctiores tamen Botanici (inquit Jo. Bodæus à Stapel) hoc etymon Ocymo pabulo convenire scribunt: Hortense verò ἀπὸ τῦ ὄζειν *redolere, odoratum esse* derivant. Est enim herbula eximiè odorata, quæ & cerebrum odore suo ferit, & sternutamenta excitat. Significantiùs quoque ὤζιμον per ζ scribendum existimant.

Differt (inquit idem) Ocymum ab Ocimo. Ocymum

pabuli genus est. *Plin.* lib. 7. cap. 24. *Ocymum quod in vinea seri jubent, Antiqui appellabant pabulum umbræ patiens, quod celeriter proveniat.* Ocimum autem planta odorata. Ocymum pabulum Veteres per υ scribunt ὤκυμον, herbam per ι, ὤκιμον. Verùm hoc non perpetuum & constans est apud ipsos.

Basilicum Recentioribus dicta est hæc herba ob dignitatem suam, quod ob insignem & fragrantem odorem, Regia domo, & Regijs manibus gestari dignum sit.

Basilici *Notæ* sunt Folia Amarici, odor suavis Citri vel Caryophylli, flores in spicas laxas e verticillis rarioribus compositas digesti.

Plures ocymi sunt species, majus scil. minus, minimum &c. quibus in describendis nullatenus opus est hic immoremur, quandoquidem generalia sufficiunt.

Vires hujus plantæ sic breviter perstringit *Schröd.* Calf. & humect. digerit & resolvit, expurgat pulmones, menses movet, ideoque usurpari poterit usu interno & externo.

Hollerius lib. 1. de morb. intern. cap. 1. observat Scorpionem natum fuisse in cerebro cujusdam Itali ex frequenti odoratu Basilici seu Ocimi. *Camerarius* etiam sæpissimè Venetijs observavit scorpiones sub fictilibus in quibus Basilicum colitur libenter stabulari. Et *D. Reymondus* Anglus in *Mercurio suo Italico* asserit sibi experientiâ compertum herbam hanc humido in loco sub lapide repositam intra biduum Scorpionem producere: quod interim dum Senis commorabatur ratum & memorabile accidens inprimis confirmabat. Generosus quidam Senensis odore Basilici vehementer captus & delectatus, herbæ exiccatæ pulverem naribus frequenter attrahere solebat: verum brevi phreneticus moriebatur cranioque ejus à Chirurgo aperto, scorpionum nidus in cerebro repertus est.

Nos cum præstantissimis hujus ævi Philosophis generationem æquivocam aut spontaneam in animalibus dari neutiquam concedimus, adeoque neq; Basilicum ex se scorpionem producere; interim tamen non negamus bestiolas illas herbæ odore delectatas ad eum libenter arrepere, aut sub illa stabulari, fortè etiam eâ vesci inque folijs aut gemmis ejus ova ponere, unde accidere potuit generosum prædictum unà cum pulvere foliorum Scorpionum ova naribus attraxisse, quæ capitis calore fota ibidem scorpiones excluderent. *J. Raius.*

BASILICUM MESUÆI, vid. *Unguenta*

BATIS & BATICULA, vid. *Crithamum.*

BATITURA ÆRIS, vid. *Æs, itid. Metallica.*

BATRACHITIS, vid. *Bufonitis.*

BATRACHIUM, vid. *Ranunculus.*

BATRACHUS, vid. *Rana.*

BDELLIUM.

Bdellii veri nomine (inquit *Jo. Balchinus*) magnas habeo glebas, Taurino glutini, ut habet *Dioscorides*, aliquatenus similes, colore ex fusco nonnihil ruffescente, concretioneque, quamquam hac molli & tenaci, ad gummi magis accedente: sapore subamaro est, multùm tamen à Myrrha relinquitur. Odorem non insuavem spirat flammamque concipit, & quidem pertinacem, licet cum crepitu. In superficie granula exsudantis glebæ hinc inde apparent. In glebarum medio subinde digitalis crassitudinis bacilli reperiantur, spinosi. Exterior facies glebarum aliquando Myrrham vulgarem refert, coloris ferruginei, sed non tam intensi amaroris.

Aliæ glebæ pro Bdellio adulterino exhibitæ, nigricantes, micis si scindatur pellucentibus, alioqui visûs aciem nequaquam admittentes, consistentiâ & sapore gummi, cujus modo tenaciter dentibus hærent, concipiunt tamen flammam, relicto interim crassamento copioso.

Bdellifera arbor, describente *Plinio*, nigra est, magnitudine Oleæ, folio Roboris, fructu Caprifici naturâque. Alij arbori Myrrhiferæ eam valde similem faciunt. *Lobelius* & *Pena* inter alias merces se multos hujus ligni surculos expiscatos tradût, solidâ substantiâ, cortice duro nigricante, spinis multis rigidis & crassiusculis horrentes, quibus multa copia Bdellij erat aggesta, intus fuscisque valdè amari.

Matthiolus Bdellium, si suo tempore in Italiam importaretur, adeo rarum esse scribit, ut ad ostentationem tantùm asservetur vel ad adulterini & reprobati normam. *Lob.* & *Pena* quod Bdellium putatur, Myrrhæ speciem esse existimant.

Probatur gustu amarum, translucidum cùm frangitur, pingue cùm fricatur, odoratum, facilè mollescens, sincerum (Parthicum nominant.) Reprobatur sordidum, nigrum, in offas convolutum, quod Adrobalon nuncupatur.

Sunt qui gum. Animé verùm Antiquorum Bdellium esse putant ob multas notas communes.

Unde autem Bdellij tot differentiæ, Indici, Arabici, Mechij seu Petræi, Judaici, Siculi, Scythici? Omne Bdellium est ex India, sed prout huc vel illuc mari defertur, inde accipit nomen. *Casp. Hoffmann.*

Bdellium *Galeno* vim habet emolliendi, & eam quidem potentiorem dum recens est: insigniter etiam discutit, aperit atque abstergit, sed aliâ atque aliâ ætate, si discutere velis mediæ ætatis sumendum est; si discutere & abstergere tantùm quò vetustius eò melius. Usus præcip. intern. in tussi ac pulmonum apostemate, calculo atterendo, urina cienda, mensibus immodicè fluentibus ut & in fluore uterino sistendo, fœtu expellendo. Extrinsecùs discutit hernias, mollit duritiés ac nervorum nodos, adeoq; creberrimi usûs est in emplastris sticticis. Contusum solvitur affuso vino, aquâ calidâ aut aceto *J. Raius* ex *Schröd.*

N. Bdellium adulteratur cerâ, sed fr... odore ac gustu innotescit, id enim nec tam odorum est, nec tam amarum. *Ph. August.*

BECABUNGA.

Nomina. Anagallis rectiùs Veronica aquatica minor folio subrotundo *C. B.* aq. flore cæruleo, folio rotundiore minor *J. B.* vulgaris aq. sive Becabunga *Park.* aq. sive Becabunga *Ger.*

Radicibus nititur albis fibrosis, quas ex geniculis subinde demittit. *Caules* rubentes, rotundi, fungosi, in terram reclinati, quam ubi attigerint, fibris enatis radicantur denuo. *Folia* ex adverso bina singulis geniculis, longiusculis pediculis hærentia, adnascuntur, pinguiuscula, atro-virentia, ad uncias duas longa subrotunda, crenata: è quorum sinu ramulus prodiens flores sustinet spicatos, cæruleos, ex quatuor foliolis compositos, [veriùs unifolios in quatuor lacinias totidem folia mentientes divisos] striato umbilico albo, apicibus dilutissimè cæruleis, ternis; ex *calicibus* quos quaterna folia viridia componunt. *Semen* capsulis supervenientibus didymis clauditur copiosum. Sapor plantæ nullus manifestus.

Viribus Becabunga cum Nasturtio aquatico convenit, nisi quòd imbecillior sit. Calfacit & humectat moderatè. Usus præcip. in Scorbuto. Calculum renum & vesicæ insigniter expellit: menses ciet: fœtum mortuum ejicit. Extrinsecùs opitulatur phlegmoni & erysipelati *Schrod.*

Rustici certo experimenta vulnera recentia consolidare norunt Becabunga recenti, si ei modicum salis & telæ aranearum misceant, atque ita duplicato linteo instar cataplasmatis obducant ac vulneri applicent.

Muliebri experientiâ doctus sum fotûs formâ miracula edere in condylomatis & hæmorrhoidum cæcarum doloribus. Retulit mihi honestissima matrona, cùm nullis anodynis sibi mitigari hæmorrhoidum cæcarum dolores potuissent, cessasse eos illico dummodo per horæ quadrantem Becabungam in aqua coctam cataplasmatis formâ hæmorrhoidibus applicuisset. Et testatur *Fabricius* in

notis

notis Crollianis se scire solâ Becabungâ coctâ in Cerevisia, & bis quotidie appositâ satis magnum ulcus, universam ferè tibiam occupans, & ad os ferè profundû feliciter in scorbutico quodam sublatum fuisse. *J. Raius ex S. Pauli.*

Becchium, vid. *Tussilago.*

Bechica, vid. *Pectoralia.*

Bedegar, vid. *Spina Alba.*

BEHEN ALBUM, BEHEN RUBRUM.

Binæ in officinis monstrantur radices nomine Behen sive Ben; una Behen album appellatur, altera rubrum. De utraq; controvertitur cujus sint speciei. Arabibus, (ut *Serapioni*) sunt Behen radices, Pastinacæ radicibus similes. Hinc scribit *Haly Abbas.* Behen & Pastinacæ sylvestris radices nullum inter se discrimen habere. E modernis Ben albû aliqui Polymonij, sive Lychnidis sylvestris speciem esse autumant, quam *Tabern.* vocat herbam articularem: Behen rubrum, alij Limonij maritimi, alij Valerianæ rubræ, alij Bistortæ speciem esse autumant: aliqui verò, *Garziâ* & monente & reprehendente, Zerumbeth esse statuunt. Hinc est, quod aliqui in descriptionibus Arabû substituunt Eryngium, alij Tormentillam, alij Pastinacam sylvestrem, alij Angelicam, alij deniq; Caryophyllatam. *Auctuarius* aut *Myrepsus* Behen Hermodactylos esse volunt, forsan Avellanas purgatrices, de quibus vid. Balanus Myrepsica. *Schrod.*

Dominicus Chabræus in Icon. stirp. p. 448. describit Behen album officinarum, quod *folia* habeat Lichnidis formâ, sed glabra, subacria & obscurè amara. *Flores* ex calycibus prominentes, albos vel ex albo-purpurascentes, ex quinque bifidis foliolis compositos. *Caules* cubitales & sesquicubitales tenues, teretes, læves, geniculatos; calices pericarpia continentes Lichnidis similibus plena.

Ad radices montis Libani hoc Behen albû provenire statuit *Rauwolffius*, & dicit esse verum Behen album.

Vires. Quamvis Behen albi facultates incompertas *Dodonæus* statuerit. Hoc tamen *Tragus* cômendat ad fomenta sudatoria, ad nervos induratos emolliendos. Succus ophthalmiam calidam tollit, & dolores oculorum demulcet. Semen pituitam purgat, & Epilepticis datur, atque ægris nescientibus suppositum crisin moliri creditur. *Hoffman. in Clavi Schroder.*

Bella Dona, vid. *Solanum.*

Belemnites, vid. *Lyngurium,* sub titulo *Lapis.*

BELLIS.

Bellis Latinis à bello seu pulchro colore florum dicta creditur; Græcis veteribus indicta; quod mirum, si modo in Græcia adeò frequens sit ac apud alias gentes.

Ejus *notæ* sunt. Flos radiatus barbulis seu folijs marginalibus diversi à medio disco coloris: Caulis tam folijs nudus, quàm non ramosus.

Duplex est *Major* & *Minor.*

Bellis Major.

Nomina. Bellis major *J. B.* major vulgaris sive sylvestris *Park.* major sylv. caule folioso *C. B.* Buphthalmum majus *Lon.* Consolida media vulneratiorum *Lob.*

Radix ei fibrosa, reptans, sapore acri; *caules* emittens plures drodantales & altiores, pentagonos, solidos, ramosos, folijs multis vestitos, oblongis, pinguibus, serratis mucronibus obtusis. *Flores* Bupthalmi aut Pyrethri, radiati, petalis in ambitu albis, disco medio luteo, amplo, ex plurimis flosculis luteis in quinque segmenta divisis composito, cum stylo in medio uniuscujusque. *Folia* calicum habent fimbriam nigricantem. Cum flore pleno in hortis invenitur. *J. Raius.*

Bellis Minor.

Nom. Bellis sylvatica *J. B.* media sylvestris *Ger.* sylv. media caule carês *C. B.* rectiùs nudicaulis, non ramosa. *J. R.*

Vires Bellidis majoris. Hanc Patavij comedunt mense Februario in acetarijs, *Lobelio* si credimus.

Herba integra, caules, folia & flores in Zythogalo decocta & pota adversùs asthma, phthisin, orthopnæam singulare remedium censetur.

Utilis admodum est in vulneribus & rupturis in potu bibita, vel emplastri modo applicata.

Decoctum herbæ sanat omnes morbos ortos ab intempestivo haustu potûs frigidi cum corpus sit calidum. *Cardiluc. Minderer. Tancr. Raius.*

Vires Bellidis minoris. De temperamento hujus plantæ quoad qualitates primas non consentiunt Botanici. Alij calidam & siccam, alij frigidam & humidam eam faciunt. Verùm acetosus sapor frigiditatem arguit, & effecta siccare ostendunt. Vulneraria est insignis: exteriùs in emplastris & fomentis adhibetur, interiùs succus ejus vulnerarijs potionibus admiscetur: unde & Consolida minor Officinis dicitur.

Mulierculis usitatum est herbam cum floribus ad alvum laxandum exhibere. *Schrod.*

Hujus radices exteriùs usurpantur ad scrophulas & strumas. *D. Needam.*

Extractum vel essentia hujus herbæ intro assumptum innatâ quadam proprietate, omnem sanguinem coagulatum sive in vasis, sive extra resolvere & transpirare facere affirmat *S. Pauli* Quadrip. Botan. *J. Raius.*

Belzoinum, vid. *Benzoinum.*

BEN.

Nomin. Glâs unguêtaria *C. B.* Nux Ben sive Glâs unguêtaria *Park.* Balanus myreptica *Ger.* Nux unguentaria. *J. B.*

Nuces unguêtariæ dictę oblongę sûr, nuclei avellanę magnitudine, aut etiâ nuclei cû suo putamine sed minoris, figurâ triquetrâ: putamine teguntur albicante, mediocriter crasso, fragili, cui nucleus subest, crassiusculâ fungosâ pelliculâ, nivei coloris obductus, albidus, Avellanæ nuclei aut Amygdalæ consistêtiâ, pinguis, quiq; nobis jam in nucibus ante 30. annos repositis nô rancesceret, sapore tantum amaro præditus. Hujus generis nuculæ aliæ sessiles, aliæ oblongæ, majores; minores; effigies triquetra, sed rotunda & glandis æmula huic nomen generis aptavit.

Nascitur autem in siliqua admodû elegâti, palmâ lôgâ, carinula bifori côflata, tereti, gracili, binisq; loculis ventricosa, nêpe ima mediaq; ui parte qua protuberat, glâdê singulâ singulo claudêt, sûma verò acuto stylo rostri instar, vel Rhododêdri, vel Pleriplocæ repentis, acutû mucronê protêdit: intus sub ruffo colore, foris, pullo, cinereove & secûdû lôgitudinê strijs rugisq; exarata: coriacea tota, flexilis & corticosa, insipida, subastringens & sicca.

Veteres in descriptione arboris inter se non côveniunt: *Theophrastus* folia Myrti ei attribuit, *Plinius* Heliotropij, *Dioscorides* Myricæ. Ast dicendum, Myrti & Heliotropij folia, quod ad figurâ attinet non multû inter se differunt, & quoniâ μυρρίνης & μυρίκης voces quoad elementorum quibus scribuntur formâ affines & similes sunt, facilè à librarijs hæc pro illa in Dioscoridis textu poni potuit: vel dicendum *Dioscoridem* inter ipsas arbores, non inter earum folia comparationem instituisse.

Petrus Castellus arbusculam in horto Farnesiano è semine natâ accuratè describit. Folijs erat bicompositis seu ramosis. Nâ nervus seu costa media totalis plus surculos seu nervos hinc inde emittit junctis non majores, quibus ad intervalla longiora bina conjugatim adnascuntur foliola, nullo impari alam terminante, sed nervulo medio in tenuem setam exeunte. Foliola in surculis ima rotundiore cuspide sunt, Heliotropij foliorum instar media acutiora & Myrtinis similiora, summa minora & angustiora, ad Polygoni folia accedentia. Omnia hyeme decidua cum surculis etiam & costa media.

Lacuna duas Nucis unguentariæ species facit, *Majorem,* magnitudinis Avellanæ, cortice fragili, triplici costa, medullâ albâ, tenera, oleaginosa, acri cum levi amarore: *Minorem,* Ciceris magnitudine, cortice ad nigrum accedente, medulla ingrata, quam perniciosam existimari ait; Majorem solam esse in usu. Fortè in hoc *Mesuem* secutus est. In magnitudine differentiam agnoscimus, at species diversas dari non concedimus, nec tamen præfractè negamus.

In Arabia propè *Pharagou* in itinere à Cayro ad montem Sinai nascitur, autore *Bellonio.* Affertur verò ex Syria &

& Ægypto in Europam, atq; illuc putat *Matthiolus* ex Arabia advehi, & fortè etiam adhuc ex Æthiopia, ubi ait Dioscorides nasci. *I.B.* In India non nasci opinatur *I. Bauhinus* quia neq; Veteres neq; *Garcias* inter Indicas plantas eam recensent, aut in India nasci tradunt.

Vires. Dioscorides aliiq; è Veteribus multas ei vires adscribunt. Purgat supernè & infernè, educitque bilem ac pituitam.

Mesue. Glans ipsa humiditatem habet excrementosam & acrem, quâ ventriculum subvertit, nauseam excitat & viscera conturbat. Pituitam crassam & lentam vomitu ac dejectione purgat: quare confert colico affectui pituitoso sumpta, balano clystere injecta, cataplasmate ex ipsius medulla, hordei farina & melle apposita, & calore suo nervorum frigidis affectibus, spasmo, tetano, contractioni. Tumores quoque duros, strumas, nodos resolvit cum melle: Hepati aut Lieni obstructo & indurato cum farina Lupinorum & spica confert imposita. *Dioscorides* tritam & ex poscha drachm. pondere potam lienem absumere scribit. Oleum auri infusum tinnitui, sibilo, surditati auxiliatur: Cicatrices fœdas, lentigines, alphos, & cætera cutis vitia emendat. Parvus autem fructus ad omnia est valentior, molestè purgat, vires dejicit sudoremque frigidum movet. Magnus nè ventriculo noceat facit assatio. Ea enim humiditatem excrementosam & acrem, horum symptomatum causam coquit & resolvit, tuncq; solùm dejectione purgat. Adduntur præterea ipsi, præsertim coquendo semen Anisi & Fœniculi. Hinc etiam *Mesue*, & rectè, Ben antiquam recenti præfert in usu medico, quia in prædicta, humiditas aquea evaporando consumpta est. Eandem in modum Asari etiam folia & radices violenter purgant per superiora & inferiora ubi virent, propter tale aliquod serum acre; si exiccentur amittunt vim illam malignam & vehementem. Quod idem evenit quoq; Iridi, quæ virens urit & pungit violenter, exiccata non item *I. B.* Idem etiam observavit *D. Grevius* de radice Ari, quæ exiccando acrimoniam suam amittit.

Unguentarij oleo utuntur pro conficiendis odoratissimis unguentis, in quæ & moschum, ambram & zibethum addunt pro chirothecis & manicis, aliisq; suffitu perfundendis aut illinendis. Porro præ omnibus alijs oleis hoc potissimùm celebrant unguentarij, non quòd aliqua odoris præstantiâ cómendetur, sed quod solum nunquam vetustate rancorem contrahat. *I. B.* Alij tamen ejus loco addunt oleum expressum è nucleis Cerasorum, in quo solvunt Benzoinum. *I. Raius.*

Ben Judæum, vid. *Benzoinum.*

Benedicta Laxativa, vid. *Electuaria.*

BENZOINUM.

Nomina. Belzoinum Officinarum *C.B.* Benzoin *Park.* Benjoinum cujus arbor folio Citri *I.B.*

Resina isthæc nobilissima magnis constat glebis inæqualibus puris, nec ulla ferè sorde utplurimum infectis: colore sunt massæ aliàs rutilante, aliàs magis ad albedinem vergente, & creberrimis ceu unguibus aut Amygdalarum friaturâ mixtæ: verum in rutilis illis massis obscuriùs lucent ungues, in alijs candidi admodum, sed non ita pellucidi: substantia omnibus satis compacta, sed vel attritu digitorum in pulverem friari potis, nec quæ sub dentibus lentescat, saporis ferè expers, verùm odor suavissimus, qui accenso vegetior. Eidem interdum adhærescens invenitur cortex, qui magnæ satis arboris suspicionem injicit, foris rugosus, ad cinereum inclinans, substantia compacta, colore intrinsecùs ruffo seu Panellæ, qui gustanti nihil præter siccitatem quandam offerre videtur.

Arbor Benivifera (inquit *Garcias*) procera est, vasta, pulchra, magnam spargens umbram ob ramorum frequentiam, quos pulcherrimo ordine digestos & in aërem elatos habet. Ejus folia partim aceto condita, partim adhuc adhærentia accepi: Minora sunt ea aliquantum Citri sive limonij folijs, non tamen adeò virentia, sed parte adversa candicantia; quæ verò in ipsis majoribus ramis nascuntur ad folia. Salviæ magis accedere videntur, latiora tamen sunt, sed minùs longa. Vulnerantur arbores ut gummi emittant.

Benivi plura sunt genera, 1. *Amygdaloides* è præstantissimis, sic dictum quòd ungues seu maculas candidas admixtas habeat Amygdalarum instar, in Sian & ejus contermina Mirtaban proveniens, 2. Nigrius in Jaoa & Sumatra inventum, quod vilioris est pretij. 3. Nigrum in Sumatræ provincia Bayrros è novellis arboribus profluens, quod ab odore grato Benivi *de Boninas* vocant; superiore decuplo charius. Quia candidum est elegantius, nigrum verò & novellum odoratius utrumque permiscere solent, ut fragrantiæ elegantiam concilient.

Benjoinum veteribus Græcis & Arabibus ignotũ fuisse ostendit *Garcias:* At neq; Assam dulcem seu Laser esse, ut multi opinati sunt, cùm magnæ arboris gummi sit, non herbæ lacryma; ut testantur fragmenta æmulorum ligneorũ admista, & Ludovici Romani aliorumq; historiæ.

Benzoinum Myrrham non esse patet quia amaritudinis omnis expers est.

Fieri potest, inquit *Garcias*, ut *Ruellius* (in eo quòd *Benivi* Ben Judæum vocat) lapsus fuerit nominũ affinitate; debuitque potiùs nuncupare Benjaoy, id est filium de *Jaoa* ubi plurimùm nascitur. At *Garciam* lapsum esse ostendit *Scaliger* quòd Ben filium interpretatus sit, cùm ea vox Arabibus etiam lacrymam significet.

Vires. Usus Benzoini internus in medicina rarus aut nullus; *Schrod.* tamen in affectibus pulmonum catharrosis, tussi, asthmate intrinsecùs sumptum præcipuè utilem esse scribit. Extrinsecùs in cerebro per sternutationem expurgando, in odontalgia masticando, in tuberculis ac rubore faciei extergendo, in emplastris, scutis, cucuphis, &c. Ob suavem halitum sæpissimè suffumigijs admiscetur. Notat tamen *Schroderus*, si suffitus ex solo Benzoino paretur tussim excitari.

Præcipuus ejus usus est ad odoramenta & suffumigia: Solvitur in oleis & spiritu vini rectificatissimo, ut & in aëre humido ad liquescendum expositum.

Habetur ejus oleum, 1. Ex recenti in India expressum quod præstantius. 2. Destillatum, multo ignavius.

Ad nos scripsit *D. Tancred. Robinson* Arborem resiniferam odoratam folijs citrinis prædictæ haud absimilem transmissam fuisse è Virginia à *D. Banister*, ad illustrissimum Præsulem *D. Henr. Compton.* in cujus instructissimo horto culta est à *D. Georgio London.* viro admodum honesto, & in re Hortensi peritissimo. Arbor ista Virginiana Citri vel Limonij folijs Benzoinum fundens, in Horto Reverendiss. Episcopi culta habet folia Citri minora aliquantulùm, non tamen adeò virentia, sed adversa parte candicantia, & per margines æqualia. *J. Raius.*

Delectus. Probatur durum, compactum, translucens, albis distinctum unguibus aut glebulis, unde & Amigdaloides dicitur, quòd quasi Amygdalas delibratas in se contineat, rubescens, odore grato fragrantique Xylaloës quodammodo odorem referente præditum, nec heterogeneis alijs inquinatum. Adulteratur resinâ, thure masculo ac styrace simul mixtis, ast odor in spurio hoc longè est dissimilis, & color maculis non est variegatus. *Ph. August.*

Præparata ex Schroderò ab Hoffmann. adnotatò.

1, Magisterium. ♃. *Benzoin. solve in* 🜄 *rectificatissimo. (NB. nisi* 🜄 *fuerit omnu phlegmatis expers nihil effeceris) solutioni affunde* ▽ *& præcipitabitur lactescens Benzoin. lava* ▽ *rosar. ac exicca.*

N. 1. *Unius horæ spatio solutio hæc absolvi potest, calore* MB *saltem adhibito.*

N. 2. *Poteris itidem* 🜄 *abstrahere sine affusione* ▽*æ.*

N, 3. *Magisterium hoc non est nisi depuratum Benzoin.*

N. 4. *Solutio, quam Tincturam nonnulli vocant, manus abstergit, candidasque reddit.*

2. Flores. ♃. *Benzoin. trit. q. v. inde olla vitreata desuper ponendo pyramidem ex charta duplici formatam, admoveque paulatim ignem lenem carbonum vel cinerum: sic*

fic sublimabuntur flores, chartæque adhærescent, quos sæpius exime, ne rursum decidant.

Dosis à gr. iij. ad ℈ß.

N. *Sunt qui flores in ∀ rectificatiss. solvunt, solutionemque pro Tinctura venditant.*

(Tinctura florum Benzoini pro mundificando sanguine adhibetur, & potionibus vulnerariis miscetur.)

Florum Benzoin perfectior modus.

♃. *Benzoin. pulv. lib.j. spir. vini, opt. unc. ix.* ℈*la per* 🝭 *in arena.* ∀ *seorsim. primò exprime.*

Butyri partem primam & albidiorem solve in ▽ fervente & citissimè per chartam cola, & mox sub ipsis manibus flores coagulari videbis, cum nigriori butyri parte eodem modo procedes, sed flores non adeo elegantes habebis. Aquam residuam aquæ frigidæ in suo vase impone, & sensim descendet hoc album, ejusdem cum floribus virtutis.

Post butyrum superius pelle ulterius & habebis oleum Benzoin cum cineribus vel calce viva rectificandum.

Ex communicatione Cl. Dn. D. Joh. Caspari Fausii, Archiatr. Palatin. Amici mei colendi.

3. *Liquor.* Fit in albumine ovi cocti ut supra, Abstergit maculas, stigmataque è lue venerea contracta.

4. Oleum. ♃. *Benzoin. pulv. lib.j. spir. vini lib. iij. (vel iiij) digere* ♂ (4.5.6.) *dein adde sabulum purum vel scoriarum* ♂. ℥iv. *destilla per Retortam ex arena vel cinere igne gradativo: hinc separa oleum à spiritu.* Panth. hygiast. Deodat.

N. *Spir. vini leniter abstracto, ascendit materia gummea, candida, solida, quam vocant Mannam Benzoin. Hæc albificat cuprum.*

Alii.

♃. *Benzoin pulv. lib. ij. affundunt* ✠ *rosf. in olla benè clausa, committuntque igni ut fluant (odore id cognosces.) Hinc affundunt novum* ✠ *fluereque sinunt continuò agitando; tandem inspissari paulatim permittunt, immiscendo pro libitu flores Rorismar. Lavend. Rof. Spic. Ind. ut & sant. citr. in fine superfundunt* ∀ *rectis. ac destillant ex arena vel cinere.* Med. destill.

Alius modus optimus.

♃. *Benzoin pulv. q. v. misce cum sabulo ac imple Retortam ad medietatem: destilla gradatim ex arena & nancisceris liquorem ac oleum crassum instar butyri.* ♃. *hujus (à liquore separati) p. j.* ▽ *pluv. xij. destilla in cinere per* XX, *& extillabit oleum clarum & flavum ad fundum subinde secedens. Postquam pars media* ▽ *extillarit, extinguatur* △, *effundaturque materia in cucurbita relicta, in lebetem æneum, calefiatque optimè super* △, *affuso subinde* ▽ *æ calidæ quadruplo: hinc filtretur per pannum, reponaturq; filtratura ad crystallisandum. Crystallos collectos exicca lento* △ *calore.*

N. 1. *Oleum illud rectificari poterit semel ac iterum ex* XX *cum* ∀ *Tartarisato & evadet odore, saporeque gratius.*

N. 2. ℔j. *Benz. præbet ol.* (℥iß.) *cryftall seu florum,* [℥j.]

Modum hunc cum aliis non paucis acceptum refero viro solertissimo Joh. Casp. Sparre, Pharmacopæo hujus Reip. Seniori, affini meo colendo.

N. *Sunt qui Benivinum solvunt in ol. nucl. cerasor. express. solutionique admiscent ambram, muscum & Zibettum, & exprimunt ad perfumandas, ut aiunt, chirothecas.*

Oleum Sam. Closs.

Ego (*Sam. Closs.*) Oleum Benzoin. paro ad modum Deodat. in Pantheo materia gummea, quæ post destillationem ∀ ascendit, est flos sive crystalli Benzoini, qui collum 🝭 opplent, ac proinde bacillo removendi veniunt, ne 🝭 frangatur, post flores exit materia butyracea, inde acetum & phlegma Benzoini, sequitur oleum hyacinthinum boni odoris, sed paucum, tandem Balsamum spissum igne adducto. Ex floribus sive crystallis & materia gummosa cum ∀ tincturam citrinam elicies, remanente gummate albo in fundo cucurb.

Vires. Crystalli sudores movent summa cum utilitate in lue ♀ ea, si decocto Guajacino permisceantur. Oleum vulnerariū est, balsamus vice Peruviani falsò divenditur.

5. *Trochisci Benzoini, vid. Trochisci.*

HOFMAN. Præpar. 1. *Magisterium.*] Hoc si conficere velis, sp. vini habeas necesse est rectificatissimum ab omni phlegmate liberatum, aliàs Benzoi non solvetur, multò minus aquâ affusâ præcipitabitur. Deinde calorem MB. ad solutionem adhibeas. Potes etiam sp. vini ai strahere per dictum MB. absque ▽æ affusione, v. g. Rec. resin. benzoin. q. v. affunde sp. vini rectificatiss. & in MB. & alio leni calore extrahe tincturam, huic affunde ▽æ rosar. s. q. & fiet liquor lacteus & aloicans, applica faciei & manibus, abstergit, & elegantissimum cosmeticum est.

2. *Flores &c.*] Horum de criptio rectè sese habet; prout & ea, quam *D. Autor* subjungit, mihi arridet, scilicet destillando per retortam ejus butyrum, ex quo aquæ ferventis beneficio majores & præstantiores eliciuntur flores.

4. *Oleum.*) Hoc vel cum sp. vini vel absque eo destillatur per retortam additâ arenâ, cinere vel calc. viv. &c. ignis ope per gradus aucti: Et acquires oleum cum liquore instar butyri, quod per alembicum cum ▽â rectificandum est. Ex floribus in collum retortæ elevatis cum sp. vini Tincturam elicitur, cujus usus cum decoctis vulnerariis in massæ sanguineæ impuritate est admirandæ energiæ.

N. Ad perfumandas Chirothecas confert oleum benzoin rectificatiss. cum ambrâ, moscho & Zibettâ s. q. solutum & mistum.

BERBERIS.

Nomina. Berberis dumetorum *C. B.* Berberis *Park.* Berberis vulgò, quæ & Oxyacantha putata *I. B.* Spina acida sive Oxyacantha *Ger.*

Inter arbores & frutices ambigit, modò humilior, densè fruticans, modò procerior caudice satis crasso donata: tota tamen perquam minacibus spinis est armata, duabus tribusve utplurimum ex eodem puncto emicantibus: quò loci & *folia* prodeunt ad Pruni Sylv. quodammodo accedentia, sed ex angusto principio latescentia spinulis in toto ambitu mollioribus donata, sapore acido sed quæ primâ germinatione sinuosa videas, & pungentibus spinis horrida. *Flores* in ligulis racemosi, senis foliolis constant, quibus totidem concoloria stamina respondent, pistillo viridanti, odore gravi: quibus *baccæ* succedunt cylindraceæ, tenues, per maturitatem pulchrè rubentes, sapore acido & astringente. Extimo cortici rimoso & subcinereo aut albicante subest liber ex viridi flavescens, & huic materia albida, satis fragilis, cui medulla ampla. *Radix* multifida, non crassa, nec altè descendens, in terræ summo se continet egregiè flava sub primo cortice.

Vires. Baccæ refrigerant & astringunt, appetentiam excitant, ventriculum roborant. Proinde cum sacchato conditæ usus sunt frequentissimi in morbis ubi refrigeratione & adstrictione opus est, ut in Febribus, Diarrhæa, Dysenteria, &c.

Quod ex acinis exprimitur vinum austerius acidiusque est quàm quod ex Mali Punici succo fit: utile autem est ventris fluxionibus à calore ortis sistendis: unde cæliacis, cibum rejicientibus & dysenteriis exhibetur. In febribus sitim extinguit, & appetitum languentem recreat excitatque.

Scimus baccatum succum quemadmodum & corticis decoctum item & foliorum contusorum succum cum aceto plurimùm profuisse in calidis doloribus dentium à fluxione biliosa vel serosa obortis *I. B.* In doloribus capitis à causa calida fronti applicata multùm possunt.

Maturi acini vel per se, vel cum ramis decerpti in umbra siccari solent, & ad intinctus, ad patinarum margines exornandos, & ad usus medicos prædictos reservari.

E foliis viridibus tenellis Maio mense fiunt intinctus haud secus ac ex Oxalide ad appetentiam excitandam, ad refrigerandum, febricitantibus & temperamentis calidis utilissimi.

Cortex lixivio maceratus flavo colore tingit. Radicum

cortex medicamentis adversus icterum admiscetur non sine successu. Cortex interior flavus tam ramorum quàm radicum, vel in cerevisia aliòve liquore decoctus, vel potiùs in vino albo vel Hispanico infusus & potus experientiâ nostrâ in ictero præstantissimum est remedium.

Vinum album tenue, in quo medianus ille cortex Berberis, qui inter extimum & ligno adhærentem est, lineo panno involutus per trium horarum spatium maceratus fuerit, mirificè si bibatur purgare *Clusio* pro secreto communicatum est.

C. Bauhinus Berberin sine nucleo pro distincta specie ponit, quam nos pro accidentali varietate habemus.

Sim. Pauli elegans encheiresis parandi Tartarum è succo Berberum; Quadripart. Botan. Class. 2. p. 105.

℞. Succ. Berberum ℔ II. *succ. Limon.* ℥ II. *misce, digere per biduum in arena calida, deinde filtra, postea evapora ad dimidium, sed cave ne plus justo incalescat, colatum hunc succum ubi per aliquot dies in loco subterraneo recondideris, cernes Tartaro suo vitri fundum & latera incrustare: separa succum per vasis inclinationem, & iterum exhalare fac ad dimidium, ut residuum in eo Tartari compares; quem ac priorem vasi vitreo inditum blandissimo calore exicca & usui serva.*

Ori & ventriculo gratum saporem conciliat, corruptioni humorum & æstibus febrilibus, insigniter resistit.

Berberis vox est Arabica Averroi & Officinis usitata. Spinosus est frutex, fructu in racemos congesto, oblongo & cylindraceo rubente, acido. *J. Rajus.*

BERUNGI, vid. *Burungi.*

BERYLLUS, vid. sub Titulô *Lapis.*

BESTIA MAGNA, sive *Equicervus*, vid. *Alce.*

BETA.

Beta à figura literæ βῆτα, quam h bet cùm turget semine, dicta putatur: Nam summitatem reflexam obtinet.

Columella.

Nomine tum Graio, ceu litera proxima primæ
Pangitur in cera docti mucrone magistri:
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur folio viridi, pede candida Beta.

Græcis τεῦτλον & σεῦτλον ab impulsu; quòd facilè excrescat.

Beta fructu verrucoso osseo cui flos insidet, à reliquis hujus classis generibus distinguitur.

Sicla officinis dicta est omnis Beta, contractè à Sicula, quo cognomento Betam dumtaxat candidam olim donatam fuisse *Plinius* & *Theophrastus* memoriæ prodiderunt.

Triplex est Beta *alba*, *rubra* & *nigra.*

Vires. Beta estur ut olus; eâque nihil in culinis ùsitatius. *Martialis* fatuitatem ei exprobrat hoc Disticho,

Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ,
O quàm sæpè petet vina piperque coquus.

Calfacit & siccat, laxat alvum ob nitrositatem: errhinum est, præcipuè radix: nam succus ejus naribus exceptus sternutamenta proritat, humores pituitosos è cerebro magnâ copiâ elicit, adeòque Cephalalgiam quantumvis inveteratam compescit. Hoc medicamentum à nonnullis pro secreto habetur. At *Olaus Borrichius* ab experientia edoctus scribit succum Betæ esse errhinum periculosum & valde noxium *Tancr. Robins.*

Radix Betæ raso honnihil cortice, ano glandis modo indita, infantium alvum ad excrementorum expulsionem invitat, præsertim exiguo sale conspersa. *J. Rajus.*

BETELLE sive *Betre.*

Nomina. Betre sive Betelle *I. B.* Betre sive Tembul. *C. B.* Betre, Betle, Betele sive Bethle *Park.*

Planta est anadendras, arboribus se implicans & circumvolvens easque scandens Hederæ modo. *Folium*, describente *Garcia*, simile ferè Mali medicæ folio, oblongius tamen & per extremum arctius, venas sive costas per longitudinem excurrentes habens, amarum. *Fab. Columna*, notis in res medicas novæ Hispaniæ, Piperis & Betelæ differentiam foliorum ostendit. Horum folia, inquit, quanquam inter se magnitudine vix differant, similique modo sarmentis arbores scandentibus hæreant, effigie atque alijs non parùm disjungi videntur. Piperis enim folia, quæ non tribus tantùm, sed quinque nervis per longum folij ferè Plantagineis distinguuntur, carnosiora & solidiora sunt folijs *Betle*, magísque ad ovalem figuram accedentia, & inde in acutum desinentia. *Betle* verò iisdem nervis tenuioribus molliora & delicatiora sunt admodum, & circa petiolum latiora, atque in summo sinuosa, ut ipsius coni potiùs quàm ullam ovi efficiem exprimere videantur.

Folia quæ pro Betle folijs describit *J. Bauhinus*, circumscriptione & magnitudine cum Filiaceis possent conferri, rotunda, nisi in mucronem non sensim, sed mox desinerent, glabra, atrovirentia, tenuia, Potamogitonis modo, nervis quinque aut septem, partim rectis, partim sinuatis, ad mucronem usque excurrentibus, pediculo unciali appensa, sapore aromatico, tenui; mansu nescio quid arenosi sub dentibus esse videtur. Considerandum annon pro Betelæ folijs Piperis folia describat: nam quod ad figuram eorum, tum descriptioni accuratæ Columnæ, tum figuræ Clusianæ contrarius est.

Folium optimum censetur bene maturum calore fulvescente. Corrumpitur si recens à planta collectum diutiùs manibus tractetur.

Fert Betre in Maluccis insulis fructum quendam contortum, Lacertæ caudæ similem, quem isthic edunt quòd bene illis sapiat. *Bontius* fructum ferre scribit Piperi albo & oblongo similem seu mavis caudam Gliris referentem, quem Malaij *Sirii Boa* vocant, estque propter raritatem, in longè majori existimatione quàm ipsum folium *Betele.* Seritur vitis modo, adduntur que stipites & pedamenta, perque repens se sustineat: Quidam majoris questûs gratiâ Arecæ arboribus id maritant, atque ità pulcherrima umbracula conficiunt. In omnibus Indiæ provincijs crescit, sed locis maritimis, non mediterraneis & à mari procul remotis, nisi ex illis in hæc transferatur humanâ industriâ.

Vetustiores Botanici plerique Betle cum Malabathro seu Folio Indo confundunt, quæ tamen plantæ sunt diversissimæ; una enim arbor est surrecta, teste *Garcia*, altera scandens & adminiculis egens.

Matutino tempore, pomeridiano, vespertino, imò etiam nocturno Betelam manducant, eámque continuò gestant Indi. Sed nec simpliciter Betela utuntur: nam masticata amara deprehenditur. Ergo ad mitigandam hanc ejus amaritudinem Arecam admiscent & calcis momentum, (Arecam & calcem Betelæ folio involventes) sicque præparatum suavissimi esse saporis affirmant. Alij Betelæ Lycium admiscent, ditiores & potentiores Caphuram de Borneo: Alij lignum Aloës, Moschum & Ambarum cinericeum, sic autem paratum adeò suavis est saporis,

ris, orísque halitum adeò commendat suâ fragrantiâ, ut perpetuò ferè illud masticent opulentiores, tum etiam alij pro facultatum ratione, tametsi non desunt qui Arecam cum Cinnamomo aut Caryophyllis masticent. Hæc *Garcias*; verùm alij qui in Indiam peregrinati sunt & itineraria conscripserunt, Indos tam opulentiores quàm pauperiores Arecam solam confractam cum tantillo calcis Betelæ folio involutam in os injicientes perpetuò manducare scribunt, quod adeò suavem halitum expirat, ut totum conclave odore suo repleat. Priorem illum succum expuentes (quod tamen nonnulli non faciunt) qui cruentus videtur, color ille Arecæ debetur non Betelæ, deinde alia atque alia folia simili modo præparata subsequenter sumunt. Hoc ni facerent Indi eorum oris halitus malè oleret. At *Bontius* asserit, quod si quis sine modo (quod sæpe fit) his utatur, corrodunt dentes, imò eos excidere faciant: novi ego hîc juvenes qui 25. annum nondum excessere tamen planè edentuli erant ab usu hujus folij frequentiori.

Solent aliquem dimissuri, aut ipsi ab adstantibus discedentes his folijs præparatis plenâ bursulâ sericeâ abeuntem honorare. Nemo autem discedere sustinet, donec *Betre* sit donatus. Illud enim dimissionis indicium est.

Cæterùm opulentiores aliquos adituri hoc *Betre* masticare pro more habent, ut odore oris animam commendent. Si quidem apud eos summæ incivilitatis est odoratum non habere anhelitum, ita ut si tenuioris fortunæ aliquem cum potentiori sermones conferre necesse sit, manu ori appositâ loquatur, nè teter aliquis odor alterius nares feriat. Sic etiam mulieres cum viris congressuræ, *Betre* mandunt antequam colloquantur, existimantque ad lasciviam summam esse illecebram. Inde in visitationibus & mutuis salutationibus *Betela* ipsis in manu est, & summâ benevolentiæ significatione, ubique ea offertur cum calce & Areca in catino ligneo quem ad eum usum servant. Post prandium præcipuè mandunt ad avertendum ciborum fastidium.

Abstinere autem solent ab ejus usu interdum in funere sanguine junctorum, & in quibusdam jejunio destinatis diebus, &c.

Vires. Gingivas confirmat, cor & ventriculum roborat, flatus discutit, cerebrum & stomachum purgat cum Cardamomo manè & à jejunis præmansum, orísque halitum, uti diximus, emendat, dentes tamen denigrat, imò, teste *Bontio*, corrodit & decidere facit.

Lusitanorum mulieres Indos imitatæ eundem *Betelæ* mandendæ morem habent, cùm sine ea vitam vix sibi constare posse arbitrentur. *J. Raius.*

BETONICA.

Betonica, alijs Vetonica, Vettonica ratione originis: Vettones enim sive Vectones populos fuisse Hispaniæ constat. Vettones in Hispania invenerunt eam quæ Vettonica dicitur in Gallia. *Plin.*

Betonicæ *notæ characteristicæ* sunt, *flores* in spicas habitiores digesti; *caules* non ramosi, *folia* crenata.

Nomina. Betonica *Ger.* purpurea *C. B.* vulgaris purpurea *I. B.* vulgarior flore purpureo *Park.*

De Betonicarum genere est

Betonica Fruticescens Bontij.

Maculas fert in folijs suis, quales in Pulmonaria videmus: *Flores* tamen seu spicæ ejus eam de Betonicæ genere esse arguunt: colore sunt *flosculi*, qui mille ferè in una spica existunt, ex pallido cyanei, quales sunt flores Rorismarini.

Vires Betonicæ vulgaris. Quamplurimæ huic herbæ virtutes attribuuntur quoquo modo sumptæ. Sic breviter *Schroderus*; acris est & amara: discutit, atten. aperit, & abstergit. Inprimis cephalica est, epatica, splenetica, thoracica, uterina necnon & vulneraria, & demum diuretica. Hinc usu externo & interno creberrimè venit, præcipuè in morbis capitis.

Foliorum exsiccatorum & concisorum vel seorsim, vel cum Tabaco mixtorum & tubis infertorum fumum ore haurire & reddere solent nonnulli in capitis affectibus.

Cæterùm in hac herba id observandum radicum facultates longè dispares à foliorum & florum viribus, utpote quæ multùm stomacho orique ingratæ, nauseam, rugitus, vomitumque cieant, folia è contra odora, aromatica & grato sapore, nonnihil roborante, cibo & medicamento naturæ amica.

Pseudo-thea, è Betonicæ, Scorodoniæ & Chamæpityos foliis exsiccatis parata, edulcorata & calida pota in podagrâ, cephalalgia & nervorum affectibus, admirandæ efficaciæ medicamentum est. *D. Botole.*

N. Plantarum omnium succi expressi, postquam aliquandiu steterint, & fæcibus subsidentibus clari evaserint, aliqua ruboris tinctura perfusi apparent, alij dilutiori, alij saturatiore.

Observavi multos Arthriticos curatos fuisse quotidiano usu Betonicæ florum foliorumque in jusculis, acetarijs, potu & balneis, sed exquisitam observabant victûs rationem, corpus per intervalla expurgabant & fonticulos aliquot gestabant. *I. Raius ex Fabr. Hildan.*

Vires Betonicæ Bontii. Pulmonibus hujus decoctum utile esse fertur, sputo sanguinis, phthisi, asthmati, denique conducit ad id quod *Sakit-hatii* Indi vocant, seu morbos cordis; Cordis autem nomine non tantùm Cor ipsum, sed Hepar, Pulmonem, Lienem denique insigniunt.

Indæ porro mulieres succum hujus plantæ expressum ac viridem excellens Antidotum dicunt esse adversùs morsus Serpentum, Scorpionum, Scolopendrarum, & cæteros venenatos ictus. *I. Raius.*

BETULA.

Betula (*Theophrasto* σημύδα) quibusdam sic dicta videtur, quòd bitumine scateat. *Plinius* Gallias ex ea bitumen excoquere tradit. Alij à *batuere* i. e. cædere dictam malunt, quasi *Batula*, quòd ejus viminibus cæduntur pueri.

Fructu squamoso semina continente ad coniferum arborum genus pertinere se prodit: folio deciduo ad populneum accedente à reliquis speciebus distinguitur.

Nomina. Hæc arbor omnibus ferè *Botanicis* Betula dicitur, nec plures ejus species hactenus observatæ fuere.

Vires. Folia calf. sicc. atten. abstergunt, resolvunt, aperiunt, amara sunt, hinc usûs non minimi in hydrope, scabie, &c. intus & extus adhibita. Cortex quoque quia bituminosus calfac. & emollit, adhibeturque in suffitibus aëri corrigendo dicatis. Fungus ejus vi pollet adstrictoriâ, unde ramenta ejus hæmorrhoidibus inspersa ad miraculum fluxum cohibent. *Schrôd.*

Hæc arbor Veris initiis, antequam folia prodiere, in trunco aut ramis vulnerata, dulcem & potulentum succum copiosè effundit, quem siti pressi pastores in sylvis sæpe numero potare solent: quemadmodum & nos (inquit *Tragus*) non semel eo liquore recreati sumus cùm herbarum causâ vastas peragraremus sylvas. Hujus liquoris vim & efficaciam in calcu-

calculo renum & vesicæ, inque stranguria & urina cruenta non immeritò celebrant *Tragus*, *Helmontius*, *Charletonus & alii.*

Hæc arbor interdum circa medium Februarij, cùm scil. tempestas clementior fuerit, succo ascendente percussa lacrymare incipit, interdum non ante initium Martij. *Tragus* ad morbum Regium hunc liquorem commendat, alij faciem eâ abluunt ad maculas delendas & cuti nitorem conciliandum.

D. Gualter. Needham Medicus insignis hoc succo partim mero, partim cum melle mixto Phthisim Scorbuticam non semel curavit.

Jonthis faciei certo experimento medetur succus Betulæ, interdiu, & præsertim manè & vesperi, si facies eo lavetur, atque sinat eum sponte sua non detersum siccescere. *J. Raius ex S. Pauli.*

BEZOAR.

De Animali unde colligitur vid. sub Titulô *Capra, ubi de Gazella &c.*

Bezoar Lapis.

Lapis Bezoar; *Persis* Pa-Zahar, ex Pa & Zaphar, quorum prius significat contrà, & alterum denotat venenum, quasi latino etymo Antidotum dixeris. Lapis Bezahar. *Indigenis* Pazan dicitur.

Bezoardici lapidis ex cervicapris utplurimum, aut etiam simiis nonnullis, qui præstantior censetur, desumpti, duo in Officinis genera prostant; unum Orientale, quod ex Ægypto, Persia, India, China, & vicinis regionibus adfertur: alterum Occidentale, quod ex Americæ regno Peruviano adportatur. Præferuntur Orientales Occidentalibus, qui etiam duplo majori precio veneunt, & in minori dosi exhiberi possunt. Probantur ex Orientalibus ij maximè, qui è nigro virescunt, & quorum pulvis subviridis est; deinde qui superiore crustâ ablatâ inferiorem splendentem habent, ac in meditullio concavi sunt, aut arenulam lapidi substantiâ similem &c. continent. Si calci vivæ madefactæ lapis adfricetur, indeque paulò post flavus color emergat, legitimum lapidem esse creditur; ut & si lapis chartæ, quæ cretâ confricata priùs fuerit, similiter adfricetur, & frictionis linea viridis adpareat. Occidentales subcinereum habent colorem, & longè graviores sunt, neque ut Orientales splendent, superficie scabri sunt, crustas etiam habent crassiores & gypseas, quæ fractæ minutas quasdam strias artificioso naturæ opificio sese mutuo complectentes obtinent; cùm è contrà adulterini, qui ex pasta quadam effecti sunt, radios eos haudquaquam contineant. *Ph. August.*

Ex Bezoarditis lapidibus nonnulli quandoque reperiuntur paleis aureis interspersi, qui cæteris præferri debent. *Pomet.*

Lapides Bezoardici, & quidem omnium præstantissimi ex Simijs desumuntur majoribus, sive Bavianis & Borneæ, referente *D. Grimmio. D. Tavernier* ex Simiis talibus desumi ait, quæ per insulam Macassar vagantur; tanta autem virtutis esse ut gr. II. superent b. gr. lapidis è capris desumpti. De præstantia etiam consentit *Bontius.* At *Phil. Baldæus* pretiô longè viliori venire in sua Malabaricæ & Cormandelij regionis descriptione refert.

Bontius in ventriculis Simiarum nasci rectè asserit: in capite oriri, ut Bandæ incolæ Baldæo affirmarunt, nimium facilis est qui credit. Rotundæ figuræ hos esse tradit *D. Tavernier*, dum qui ex capris exempti sunt variis se prodant formis: Autores reliqui de figura non consentiunt. *J. Raius in Synops. Method. Animal. Quadruped.*

Animal illud in cujus ventriculo invenitur pila *Lapis Bezoarticus Occidentalis* dicta Cervi speciem esse, Brasiliensibus *Cuguacu &c. & Cuguacu apara* dictam, ut nos docet *Guilhelmus Piso*, *Francisc Hernandez* in varijs animalium generibus inveniri tradit; nimirum in ovibus illis *Peruinis* cornuum expertibus quas *Bicuinas* vocant: præterea in *Teuhtlalmazane*, quæ caprarum mediocrium, paulóve majori constant magnitudine: pilo teguntur cano & qui facilè avellatur fulvóque, sed ventre & lateribus candentibus, unde *Berrendos* indigenæ Hispani vocare solent. Cornua gestant juxta exortum lata, ac in paucos parvósque teretes ac præacutos ramos divisa, & sub eis oculos. Deinde in quodam Damarum genere quas *Macatt. chilchiltic*, aut *Tamamazame* appellant, brevissimis cornibus acutissimisque, coloris fulvi, fusci & infernè albi, &c. *Idem.*

Inter complura ex Indijs secum allata, verè rariora, quibus museum meum exornare voluit *Nobilliss. & Excellentiss. Dn. D. Grimmius*, enitescit Bezoar Orientalis, ex Simiis majoribus sive Bavianis Borneæ exemptus. Ejus color extrinsecus castaneâ lucidior, forma inæqualis rotunditatis, nucem ferè juglandem adæquat; pondus drachmas sex refert: æstimio cæteros ex capris Bezoarticis longè anteit, ut talis 50. vel 60. Imperialibus vendatur. Usum similem, quem cæteri tales Bezoartici orientales lapides præstat, in affectibus præcipuè ex acido ortis circa cor, in cholera & alijs, qui acidæ sunt effervescentiæ soboles. Etenim similes eorundem cum cæteris terræ lapidibus generatio, ex alcali & acido procedit, subtiliori tamen hi sunt terrâ prædit. *D. J. Georg. Volckamerus, Misc. Cur. Dec. II. Ann. II.*

Clar. Antonij à Leeuvvenoek Experimenta circa Lapidem Bezoarticum.

Post observationes meas circa calculos vesicæ humanos, animum attendi ad lapidem Besoar: cepi ergo lapidem Besoar Orientalem 16. parvi pondo partes æquantem, atque eum ignis ope tractavi, ac carbo ejus, sive Caput mortuum æquavit sex partes; adeò ut decem partes tam salis volatilis, quam olei ignis ope ab hoc lapide essent deductæ.

Alio tempore ejusdem lapidis cepi 15. pondo partes, ac carbo sex partes æquabat. Rursus alio tempore cepi frustum hujus lapidis octo partium, ac carbo tres æquabat partes.

Oleum ab hoc lapide Besoar deductum croceum habebat colorem, ac ubi id microscopio objicerem, vidi in eo particulas salinas oblongas: etiam inter alias vidi particulam supra modum oblongam, & cæteris crassitie eminentem; huic adhærebant multæ aliæ particulæ oblongæ, repræsentantes plumam calami.

Vidi etiam in oleo esse coagulatas multas exiguas particulas salinas, quarum ob exilitatem figura dignosci non poterat; hæ partes itâ juxta se invicem erant positæ, ut arborum ramulos repræsentarent.

Oleo huic & sali aquam puram fluviatilem infudi, ut particulæ salis volatilis, quæ vitro adhærebant, liquefierent, ac cum aqua quasi conjungerentur.

Aqua hæc ab hoc flavo oleo præter expectationem flavum contrahebat colorem. Ac ubi eam aëri exponerem, ut tenuis liquor ex parte exhalaretur, atque ego hoc pacto eo faciliùs particulas salinas detegerem, salinæ tamen particulæ tam irregulariter coagulabantur, ut, ob olei copiam, ac crassam membranam, quæ in aquæ superficie concrescebat, ut etiam quia multæ exiguæ erant particulæ non pellucidæ; nullius particulæ salina figuram, notatu dignam, detegere possem. Ubi porro omnem liquorem exhalari siveram, dicta membrana ac oleum tam durè erant exsiccata, ut multis in

in locis rimæ fierent; ac paucæ admodum particulæ salinæ, quas adhuc videre dabatur, erant bis terve longiores quam latæ, ac etiam valde tenues.

In duobus distinctis vitris dictum oleum, sal ac aquam commiscui, ac ità in musæo meo per aliquot dies deposui, & quotidie observavi, ac vidi sensim plures longas brevésque particulas salinas confici, quæ videbantur planæ, ac quarum aliæ alias crassitie superabant.

Hæ particulæ salinæ admodum erant rigidæ, nam cœlo admodum humido coagulabantur.

Oleum hocce etiam cum sanguine meo commiscui, ac vidi sanguinis globulos statim tanta vi coagulari, quanta nunquam fieri videram; ac quantumvis iis adderem motum, globuli tamen immutati sibi invicem adhærebant, licet per totam noctem fuissent depositæ.

Carboni etiam lapidis Besoar (antea in minutias contuso) aquam puram pluviatilem infudi, ac postquam per aliquod horas ità steterat, aquam claram pro viribus ab eo exemi, ac eam aëri exposui, ut ex parte exhalaretur, ac tum in ea vidi paucas particulas salinas, quales in oleo sale volatili ac aqua commixtis esse dixi. Hæ particulæ salinæ admodum erant rigidæ; nam varijs locis liquore aqueo quasi circumdabantur, nec tamen in eum mutabantur. Al æ particulæ salinæ admodum multæ tam irregularibus partibus erant coagulatæ, ut figuram in iis nullo modo dignoscere possem.

Aliquantulum etiam ex hac aqua novæ indidi lagunculæ, ac postquam per aliquot dies in ea fuerat, aquæ innatantes vidi, ac etiam fundum versus descendentes oblongas ac tenues particulas salinas.

Cœpi materiam humidam, ex aqua, oleo ac sale volatili constantem, eamque cum sanguine meo miscui, ac vidi ubi parum erat sanguinis, pleraque sanguinis globulos irregulares sortiri figuras: sex enim globuli, ex quibus sanguinis globulus constat, quasi disrumpebantur; ita tamen ut superficiebus sibi invicem adhærerent; ac si essent glutino juncti, & hi quidem denuo alijs globulis; ac licet mixtum hunc sanguinem plus quam septem horas deposuissem, nullam tamen mutationem adnimadvertebam; sed ubi multum sanguinis, ac parum ejus liquoris commiscerem, videbam sanguinis globulos sensim imminui, ac aquam rubrum acquirere colorem; imò quidem globuli unius minuti spatio ita minuebantur, ut visum quasi effugerent, & plerique brevi adeò dissolvebantur, ut non nisi minutissimi sanguinis globuli, ab alijs quasi divisi, possent dignosci. Sed pauci quidam sanguinis globuli integri æquæ innatantes manebant.

Porrò de novo cepi quindecim ponderis partes lapidis Besoar, eas chartæ indidi, atque ita in incude in minutias sive pulverem contudi, ne ulla alia materia commisceretur, pulverem hunc novo indidi vitro, ac tum aquam pluviatilem ei infudi, atque ità vitrum hoc in aqua ferventi sensim incalescere feci, ut caloris ope salinæ aliæque particulæ ex lapide Besoar ad aquam transirent.

Ubi hæc aqua per aliquot horas ita manserat, eam à lapide Besoar quam clarissimam deduxi. Ex hac aqua variis temporibus aliquid aëri exposui, ac ex ea partem, imò & aliquando omnem liquorem aqueum exhalare sivi, atque hoc agens cum admiratione vidi incredibilem minutissimarum particularum copiam, quæ à lapide ad aquam transierant, & quarum multas esse particulas salinas existimabam; sed adeò erant exiguæ, ut in plerisque figura dignosci non posset, quæ autem aliquanto erant majores, earum basis videbatur oblonga. Omnes verò hæ particulæ salinæ supra modum erant crassæ, ut & maximis suam figuram accuratè designare non possem; idque eò magis, quia hæ partes adhuc ex minoribus particulis erant coagulatæ, & alijs particulis, ut opinor, non salinis, erant obsitæ, & agglutinatæ. Sed ubi postea hanc aquam latè dissiparem, atque ita exhalari sinerem, vidi plurimas minutissimas particulas salinas in utraque extremitate cuspide instructas.

Porrò cepi hanc aquam, eámque sanguini meo immiscui, ac vidi statim globulos ita dissolvi, ut etiam illæ partes, ex quibus sanguinis globuli fuerant conflati, non nisi attento fuerint conspicuæ; exceptis paucis quibusdam globulis, quorum partes, ex quibus constabant, ita tamen dissolvebantur, ut apertissimè eas dignoscerem.

Posthæc denuo aquam puram pluviatilem infudi lapidi Besoar contuso, ac vitrum aquæ coquenti intuli, ut salinæ aliæque particulæ de novo caloris vi ad aquam transirent; ubi verò hanc aquam maxima ex parte exhalari siveram; iterum vidi magnam particularum salinarum copiam ad aquam transiisse. Animadverti etiam duum tantum generum particulas salis, volatilis nempe & fixi, ex lapide Besoar huic aquæ inesse; ac etiam oleum ex eo ad aquam transisse. *Hac Ant. à Leeuvvenoek. in Arcan. Naturæ Detect.*

Vires. Lapis Besoar corroborat, sudores ciet, alexipharmacus est, ideóque utilis in vertigine, epilepsia, lipothymia, palpitatione cordis, ictero, colica, dysenteria, vermicatione, calculo, mensibus obstructis, partu difficili, melancholia, præcipuè autem in peste febribusque malignis, venenis assumptis. Quin & extrinsecus adhiberi poterit in scrophulis apertis, cancro ulcerato & simil. *Dosis à gr.* III. *ad* XII. *Ph. Schrod.*

Lapis Bezoar factitius. D. I. le Mort.

*℞. Corn. Cervi, rasur. eboris an. q. v. Coq. in s. q. aq. comm. per aliquot horas, donec gelatinam deponant, in gelatina hac immisce magisterium ex herbis antidotalibus confectum, salv. rut. scord. & similibus, inde fiat primò minuta pilula & exsiccetur, exsiccata denuo immergatur tepidæ gelatinæ, hæc mixtura sic continuo accrescit, & superinducitur cortex cortici, ut in la*pide Bezoar naturali *conspicitur: eodem ferè modo, ut* Calculus humanus *à parva, vel nimis angusta meatuum constructione, è minimis depositis & retentis* Calculi *minutiis, continuo coagmentatur, & ensim ab illuvie succedentis urinæ, viscosis & crassis particulis referta in magnam satis molem agglutinatur, & pondere suo augetur. dein* Chym. Med. Phys.

BEZOARTICUM ANIMALE, Noriberg.

℞. Alcohol Serpent. ex cordib. carne, ossib. hepate, cum vino Malvatic. benè lotis ℥VI. *Typhor. Cervin. C.C. justo tempore collect. ana* ʒVI. *magist. ocul. cancri margarit. & corall. rubr. ana* ℥ß. *terræ sigill. opt.* ʒIII. *Bezoar Oriental.* ℥II. *Rad. imper. angelic. Fol. scord. ana* ℥VI. *Sal. card. bened. absinth. ana* ʒII. *Ol. cinnam. citri, angel. caryophyll. ana* ℈I. *F. l. a. pulvis subtiliss. servetur usui.*

BEZOAR GERMANICUM, vid. *Rupicapra.*

BEZOAR MINERALE, vid. *Antimonium.*

BEZOARDICA, vid. *Alexipharmaca.*

BIFOLIUM.

Notam hujus characteristicam nomen Bifolium indicat.

Nomina. Bifolium majus sive Ophrys major quibusdam

busdam *J.B.* Bifolium sylvestre vulgare *Park.* Ophrys bifolia *Ger. C. B.*

Vires. Hanc plantam Veteribus ignotam *Dodonæus* refert, ab eodem ejus usus commendatur in vulneribus & rupturis conglutinandis. *Meuve.*

BILEM ATTENUANTIA.

Inter medicamenta *bilem attenuantia* recensentur *Radix* gram. acetos. cichor. asparag. *Folia* oxalyd. capill. Vener. cichoracea quæ sunt epatica, scolopend. taraxac. trifol. acetos. *Semina* endiv. acetos. hord. 4. semina frigid. maj. *Flor.* endiv. cichor. *Mala* citr. aurant. mala punic. berber. ribes, camphora, *pulvis* diatrion. santal. *Meuve.*

BILEM INCRASSANTIA.

Medicamenta quæ *bilem incrassant* sunt. *Radix* buglosf. plantagin. *Fol.* lactuc. portul. solan. hortens. semper viv. *Semin.* lactucæ, papaver. alvi, cydon. plantag. malv. psyll. *Flor.* Nymph. violar. rosar. papav. rhæad. jujub. granat. sebesten. prun. dulc. cydon. gum. tragacanth. arabic. pulv. diatrag. frig. diamarg. frig. diapenid. *Idem.*

BILEM PRÆPARANTIA.

Bilis peccat vel nimiâ tenuitate, vel nimiâ crassitie. Prima dicitur calida & sicca, altera verò quæ particulis crassioribus & terrestribus est referta, vitellina seu æruginea vocatur. Illa remedia humectantia & refrigerantia, hæc attenuantia requirit, de quibus suprà. *Meuve.*

BILEM PURGANTIA, vid. *Cholagoga.*

BIPINELLA & BIPENNULA, vid. *Pimpinella.*

BISARIA, vid. *Dracunculus.*

BISLINGUA.

Hæc planta & Ruscus, qui genere cum ea convenit, ab omnibus alijs cujuscunque generis sint, unicâ *notâ* facilè distinguuntur, quòd in iis fructus è medio folio enascatur, unde & Græcis ἐπιφυλλόκαρποι dictæ sunt.

Hippoglossum, seu potiùs Hypoglossum & Bislingua dicitur à foliolis secundariis, ceu lingulis è medijs folijs enatis.

Nomina. Laurus Alexandrina fructu pediculo insidente *C. B.* Hippoglossum sive Bislingua *Park.* Bonifacia sive Bislingua *J. B.* Hippoglossum mas & fœmina *Ger.*

Vires. Herbam & radicem in pulverem redactam commendant ad exsiccanda manantia vulnera ac ulcera, præsertim faucium, ad collumellam prolapsam levandam.

Tradunt ex vino potam strangulatibus uteri succurrere, hernijs ab prolapsu interaneorum extuberantibus mirâ celeritate mederi. Cùm genere cum Polygonato conveniat, non dissimile veri est easdem cum illo facultates obtinere. *I. Raius.*

BISMALVA, vid. *Altea.*

BISMUTHUM.

Marcasita sive *Bismuthum* excrementum est metallicum, in generatione Metalli, ex portione aliqua, ad generationem Metalli inepta productum inque corpus minerale albicans, durum ac fragile mutatum.

Sic Schröderus de Bismutho, quibus addimus quòd sit substantia stanno facie non multum dissimilis, dura, ad instar regulorum fragilis, intus splendens ac per strias disposita, quæ è stanno impuro in Angliæ mineris reperibili extrahitur. Miscetur hæc materia cum tartari ac nitri æqualibus partibus; paulatim mistura in crucibulum candens vehementi igni impositum immittitur: illamque fusam in mortarium ferreum adipe unctum projiciunt, ac post refrigerationem scorias à regulo separant, quem probe lotum, stannum glaciatum, seu bismutum purum vocant. An huic materiæ aliquid arsenici sit admistum, ut multi credunt non pronunciabimus. Seligatur purum, splendens, strias habens largiores.

Vires. Recremento Plumbi respondet, *usus* rarissimus est & non nisi externus. *Dale è Schröd.*

Magisterium Bismuthi Cosmeticum Rolfinkij.

♃. *Marcassita plumbi, seu Bismuthi q.v. Aq. fortis, facta ex Alumi e & Nitro ana q. s. Solvatur in leni calore. Solutum quod est, depleatur. Superfunde sal Tartari in cella resolutum, sic in momento præcipitabitur in alcohol, nivis instar candidissimum. Affusâ aquâ dulci liberari debet ab omni salsedine & acredine, & exsiccari.*

Vires. Cosmeticum est insigne, faciei & manuum delens maculas.

Utendi modus. In faciei nitore curando applicatur cum aqua florum Fabarum. In manuum maculis delendis cum unguento pomato; sic tollit lichenes, impetigines, & quamcunque scabritiem. *Rolf. in Chym. ad Artis formam redactâ.*

Alij hanc præcipitationem ex aqua marina saturatione faciunt potiori forsan effectu, ut sæpius experti sumus.

BISTORTA.

Bistorta à convolutis & intortis radicibus nomen obtinuit. Notæ ejus characteristicæ, quibus à reliquis distinguitur semine triquetro donatis sunt Flores speciosi in spicis habitioribus summos caules & ramulos terminantibus. Radices intortæ & convolutæ. Speciatim à Persicaria distinguitur numero foliorum in flore quæ huic quinque, illi quatuor duntaxat sunt. Differt præterea & figura seminis quod huic exactè triquetrum est angulis omnibus acutis, illi minus concinnum, angulis inæqualibus uno valdè obtuso, reliquis duobus acutis.

Nomina. Bistorta major *Ger.* ma. vulgaris *Park.* major rugosioribus folijs *J. B.* radice minùs intorta *C. B.*

Vires. Cùm plantæ hujus (radix cujus in medicina præcipuè usus est) facultate adstrictoria valida polleat, ad omnes affectus valet in quibus adstrictione opus est, ut, v. g. urinæ incontinentiam, menses nimios, sanguinem è vulneribus manantem, biliosas vomitiones, sanguinis sputum, dysenteriam, aliásque ventris fluxiones, destillationes in dentes, gingivas, tonsillas, fauces. Ad hos usus adhibetur aqua destillata, & radicis in vino decoctio: præcipuè autem commendatur pulvis radicum cum conserva rosarum assumptus.

Abortum prohibet pulveris drachma semis cum pari Succini portione ex ovo sorbili diebus aliquot continuis usurpata.

Quin & Alexipharmaca censetur hæc radix & sudorifera: unde in pulverem redactam ac drachmæ pondere in po u sumptam veneno pestilentiæ resistere, ac illud per sudores expellere scribit *Tragus.* Ad eadem valet aqua destillata & radicis in vino decoctum.

Summa, eisdem pollet viribus quibus Tormentilla, ut rectè *Matthiolus. J. Raius.*

BITUMEN.

Bituminis nomen generaliter denotat quodcunque minerale pingue. Unde & diversas sub se species cōprehendit. Ambram sc. Succinum, Sperma ceti, tum quoque Bitumen in specie sic dictum; Naphtham & Petroleum; Carbonem petræ & Gagaten. *Schrod.*

Producit Natura in utero suo certum pinguedinis genus, quod suo non fixum sale in Bitumen excrescit; at sale suo fixum in Sulphur degenerat; cui Bitumen ita affine est, ut non incongruè *bitumen sulphur liquidum*, & sulphur bitumen fixum, coagulatumque dicere possis.

Est itaque Bitumen, Græcis ἄσφαλτος, *succus pinguis, & intensè calidus, humoris oleacei, alendo igni* ob naturam ejus facilè inflammabilem *aptissimum*; pro varietate locorum, quibus naturaliter producitur, & pro diversitate mixtorum, quibus adhæret, omnino varium, & multiplex; si enim ex saxis, uti in Mutinensi agro, extillat, tunc vocatur *Petroleum*; si verò ex adusti sulphuris liquore colore nigro, odore sulphureo, prodeat, *Pix terrestris* dicitur; Bitumen Babylonis *Naphtham* vocant, ναφθαν, sive bituminosum liquorem, qui tantas cum igne amicitias init, ut vel ad proximam ignis applicationem inflammetur, variisque in Italiæ, & Siciliæ locis reperitur, ut in Naphthia loco vicino Mineo urbi Siciliæ, ubi hujus bituminis speciem copiosè scaturientem olim me vidisse memini. Iterum si succus hic unctuosus ex fundo maris ex depuratissima sulphuris gleba scaturiens in superficiem elevetur, & fluctuum deinde impulsu ad littora dispellatur, inibi is ambientis aëris siccitate induratus in *Succinum* convertitur. Si rursus bituminosus liquor ex lacubus sulphureis in superficiem aquæ deferatur, ἄσφαλτος propriè dicitur, uti in Albula Agri Tyburtini lacu, & potissimum in lacu Palestinæ, quem inde *Asphaltiten* & mare Mortuum dicunt; hoc deinde in littus appulsum duritiem lapidosam purpureo colore induit. *Strabo:* bitumen, inquit, est terræ gleba, quæ à calore liquefacta efflatur, atque diffunditur, rursumque veluti in glaciem fortissimam ab aqua frigida immutatur, qualis est lacuum aqua, unde & sectione & incisione opus est. Si deinde cum gleba insita salis virtute figatur, nascetur bituminosa terra, quam vel *Ampelitin* vocant, eò quod vermes in vitibus enecet, vel, *Theophrasto* teste, *Pharmacitin* ob insignem in Medicina usum, appellant. Si denique exustæ carbonum ad instar glebæ sulphureæ jungitur, λιθάνθραξ, *carbo fossilis* aut *Gagates* gignitur, si argillacea gleba admiscetur, *maltha* dicitur. Iterum si atrum candido coalescat, *pissasphaltus* dicitur, id est *pici bitumen*, & variis in locis è montibus emanat, uti in Epiro, & hoc est nativum; alterum est factitium, & *mumia* dicitur, eò quod cadavera pica, & bitumine condita intra arenas Libyæ Solis æstu in bituminosum mixtum excrescant, quod mumiam vocant. *Athan. Kircher. in Mund. Subterr.*

Asphaltum ex Phœnice, Babylone, Zazyntho, Sidone ac mari Mortuo delatum, purissimum & lucidum ut sit ac splendeat oportet, præterea gravem ac validum odorem vibret, substantiâ mediocriter compactâ, levi, fragili & colore obscurè purpureo præditum. Adulteratur pice admixtâ; licet *Galenus* id fraudem haud admittere lib. 1. de Antidotis sit arbitratus; deprehenditur autem mangonium, si citiùs quàm par est liquescat, sordidum verò vitiosum est. Optimum in Judæa, non longè ab Hierico propè Jordanem, maximè verò in lacu Sodomæo, & vicina regione (quod præter *Brocardum*, in Terræ Sanct. descriptione id referentem, etiam *Petrus della Valle* observavit,) reperitur, unde etiam Bituminis Judaici nomen obtinuit. *Ph. August.*

Vires. Adhibitur Bitumen pro nigro illo perelegantî Chinensium colore conficiendo; sed præterea non ineptum est medicamentum pro putredine arcenda, pro resolvendis humoribus, corroborandis membris debilibus, mundificandis & cicatrisandis vulneribus, propereaque tum intus tum textus applicatur.

BLATTA BYZANTIA.

Nomina. Blatta Byzantina *Offic.* Byzantia *Schröd.* Byzantica sive Unguis odoratus *Park.* Conchylium *Aldrov. Jonst.*

Tegumentum est oblongum, quibusdam Testæ Turbinatæ, substantiâ corneâ, colore spadiceo, odore gravi, Aloën Barbad. æmulans.

Vires. Internè laxat alvum, splenem emollit, vitiosósque humores discutit. Externè excitat suffitu fœminas strangulatu uteri oppressas, comitialesque. In reliquis idem præstare poterit, quod aliæ concharum testæ. *Schrod.*

Testa hæc multæ inter eruditos contentionis materia fuit, *Matthiolus* Unguem odoratum & Blattam Byzantinam pro eadem re à *Serapione* & *Avicenna* aliisque è Græcis recentioribus habita fuisse affirmat. Cui opinioni *Schroderus* & *Parkinsonus* atque etiam *Paulus Ammanus* favent; ut & *Rumphius*, qui Blattam Byzantinam operculum Muricis seu Pseudopurpuræ in mari Ambonico inventæ esse tradit. His contradicit *Fuchsius*, qui Blattam Byzantinam Purpuræ operculum esse ait, & ab Onyche *Dioscoridis*, id est ungue odorato diversum: quod ab ingeniosissimo *D. Martino Listero*, M.D. literis à me datis clariùs demonstratur, cujus observationes ipsius verbis in latinum versis accipe.

Blattam Byzantinam Ungui odorato successisse, ejusque loco in Officinas illatam fuisse autumo. *Dioscorid.* temporibus, optimus videl. pallidissimus & pinguissimus à mari Rubro advectus est; nigror minorque à Babylone aut sinu Persico. Verùm ut videtur recentior ætas circa Byzantium inventis contenta est, unde Blatta Officinalis hodierna cognomen obtinuit. Blattæ nomen huic operculo (ut conjicio) inditum est à colore, ut quæ *Blatta pistrinaria* Londini frequentissimè colorem obscurè capillaceum referat, partim etiam quòd blatta hæc Scarabæi genus sit latum & tenue operculi istius instar.

Fatendum equidem est, eundem *Dioscoridem* Unguem dictum operculum fuisse πῶμα κόγχυλις affirmare Purpuræ piscis operculo simile; suo tempore usitatum intelligit, quando, ut videtur, Unguis Odoratus deperditus fuit, saltim in Europam non illatus. Verùm ex eodem *Dioscoride* apparebit Unguem verum operculum minimè fuisse, unde & operæ pretium erit errorem hunc detegere, & consequenter ostendere quantum delirârunt moderni. Turbinis marini operculum pro vero Ungue odorato substituendo.

Unguis historiam prout eam tradit *Dioscorides* accipe, in lacubus, inquit, nardiferis Indiæ reperitur, quapropter, & Conchylijs Nardum depascentibus, aromaticus evadit, seu odoramenta redolet, colligitur verò postquam æstivis caloribus lacus inaruerint. Concludit Conchylium ipsum ustum seu calcinatum eadem quæ Purpuram & Buccinum efficere. Et in capite de Nardo, Indicam Nardum propè fluvium Gangem nasci scribit, hoc est, in lacubus quibusdam quos fluminis istius inundatio efficit. Hinc apparet 1. Unguem odoratum aquarum dulcium Conchylij partem fuisse. 2. Si in lacubus Nardiferis ad fluvium Gangem colligeretur, quî fit, ut idem à mari

mari Rubro, aut Babylone adferretur? Deinde, cur testa ipsa, inutilis sarcina, tam longo itinere à *Gange* fluvio ad Græciam usque deportaretur, si solius operculi (quod decimam partem ipsius testæ pondere rarò excedit) usus esset. Quod si adferri & venundari non soleret, quorum vires ejus adjicerentur, aut quo modo earum experimentum fieri posset? Hinc conjicio Unguem odoratum verum nonnihil similem fuisse dimidiæ testæ Pectunculi istius fluviatilis in fluvio *Thamesi* frequentissimi, pollicaris unguis magnitudine & crassitie, idque ob sequentes rationes.

1. Quod Unguis odoratus pisciculus Bivalvis, seu Mytulus, aquarum dulcium alumnus esse videtur, cùm lacuum ad fluvium *Gangem* exsiccationem expectarent antequam eos colligerent. Jam verò Bivalvia arena & limo reconduntur, nec unquam in summas aquas emergunt, iisque innatant, & fluitant, ut Turbinata solent (quibus solis operculum proprium est) ideóque quovis tempore facilè capiuntur. 2. Animalculum hoc Conchylium vocat, & generali illo nomine ab alijs omnibus speciebus distinguit, quod quamvis utrique generi tàm turbinato quàm bivalvi commune sit, peculiariter tamen & maximè propriè Concham seu Bivalve denotat. 3. Onyx disertis verbis à *Plinio* inter Bivalvia recensetur. Siquidem synonyma illi sunt, *Solen, Aulos, Donax, Onyx, Dactylus*, Et expressus adhuc lib. 9. cap. 61. Concharum genera sunt Dactyli ab humanorum unguium similitudine appellati. Unde verisimillimum est Onychem odoratum à lacubus aquæ dulcis, qui ad Gangem Indiæ flumen sunt, olim advectum non absimilem fuisse vulgari Onychi maris Mediterranei, qui è Solenum genere fuit. Hæc omnia *Listerus*. Ex quibus Vir ille doctissimus rectè infert & concludit Blattam Byzantinam Officinarum Unguem Odoratum Veterum (quocum confunditur) non fuisse; quem ob difficilem ex India in Europam transitum olim deperditum & oblivioni traditum esse magna probabilitatis specie conjectatur. Illud certè nobis constat, operculo illi quod in Officinis Blatiæ Byzantinę nomine venditur è notis characteristicis Unguis odorati Veterum nullam convenire, quem medicamentum probum & efficax fuisse credibile est ab odore quem obtinuit aromatico, qui in pulveribus nostris testaceis desideratur. *Dale.*

BLATTARIA.

Blattaria, monente *Plinio* lib. 25. cap. 9. Est similis Verbasco herba, quæ sæpè fallit pro ea capta, folijs minùs candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hæc abjecta blattas in se contrahit, ideóque Romæ Blattariam vocant.

Blattaria vulgaris, ut rectè *Plinius* à Verbasco folijs minùs candidis differt; at certior distinctionis *nota* est capsula seminalis sphærica seu globosa, cùm Verbasci nonnihil turbinata sit & in acumen producta.

Plures ejus sunt species magnitudine & florum se distinguentes. Vulgaris est cujus

Nomina. Blattaria lutea *J. B.* lutea minor seu vulgaris *Park.* lutea folio oblongo laciniato *C. B.* flore luteo *Ger.*

Vires. Sapor Blattariæ amarus qualitatem ejus calidam & siccam denotat. *Menve.* Detersiva est hæc planta, & anthelmintica verum, rarò in Medicina adhibetur.

BLITUM.

Blitum Græcis Βλίτον seu Βλίτλον ut alijs scribitur, quasi Βληττὸν abjiciendum, vel propter inertiam & vilitatem; vel ob insulsum, fatuumque saporem. Hinc Comici occasionem sumpserunt jocandi in homines nullius rei, quos Bliteos vocant & Blitomammas. *Festus* à Βλὰξ pisce nullius usûs deducit.

Nos Bliti *notas characteristicas* facimus semina rotunda seu compressa, singularia seu solitaria, quibus flosculi ipsi seu mavis perianthia pro vasculis sunt, interdum arctè, interdum laxiùs conniventes.

Blitum distinguitur in *Sylvestre & Hortense.*

Blitum Sylvestre.

Inter varias Bliti Sylvestris species, ut sunt *Atriplex* &c. nulla magis officinalis quàm quæ vulgò Bonus Henricus vocatur; cujus

Nomina. Blitum Bonus Henricus dictum. Bonus Henricus *J. B. Ger.* Tota Bona Spinachiæ facie, *Lob.* Lapathum unctuosum *C. B. Park.*

Vires. Mirificè confert ad ulcera sordida purganda & glutinanda, autore *Fuchsio.* Vermes in ulceribus putridis animantium quadrupedum natos excutit certissimo experimento, si herba tusa ulceribus imponatur. *Trag. J. Bauhinus.*

Ego (inquit *S. Pauli*) non sine felici successu Bonum Henricum totam plantam cataplasmatis formâ ad mitigandos podagricos dolores adhiberi semel atque iterum apud plebeios observavi: nec quicquam periculi timendum est, cùm non repellat sed discutiat & digerat; imò insuper anodyna est; quæ qualitates rarò in uno simplici conveniunt. *T. Robinson.*

Cataplasma ad Podagram.

℞. Herbæ Boni Henrici recentis sine floribus m IV. *Fl. Sambuci, Chamomill. siccor. ana m.* II. *Contundantur grosse: Coq in s. q. aq. Sambuci ad putrilaginem. Remisce gum. Carannæ unc.* ß. *Camph. unc.* ß. *M. F. l. a.* Cataplasma. *J. Raius ex Simon. Pauli.*

Blitum Hortense multiplex est scilicet, *rubrum majus & minus*, item *album majus & minus*, ut & *Virginianum majus ac minus &c.* Sed de his tanquam minoris in Medicina momenti verba non facimus.

BOCHETUM.

Bochetum dicitur Decoctum secundarium ex ligno sancto, sarsaparill. chinâ & alijs sudoriferis paratum. *Bruno.*

℞. Residentiam præscripti decocti, aquæ fontis ℔viij. *Tepidè infunde per* 12. *horas, deinde coque ad tertiæ partis consumptionem, colaturâ utatur pro potu ordinario. Si fortius bochetum desideretur, adde salsæ* ℥j.

Præscribitur aliquando bochetum sine diæta in morbis frigidis & humidis cerebri, nervorum, pectoris, gonorrhϾ, &c.

℞. Rad. schin. in taleolas secta; vel salsæ-parillæ minutim secta ℥jß. *Infunde per* 12. *horas in* ℔x. *aqua fontis. Coque ad tertiæ partis consumptionem, colaturâ utatur pro potu ordinario.* Tenke.

BOLLERRUS CERVINUS.

Tuber seu *Boletus Cervinus* est excrescentia terræ tuberosa nucis moschatæ magnitudine, inæqualiter rotunda, crasso, duriusculo, spadiceo meditullio (quando recens est) intus fungoso ex nigro purpurascente, in pulverem per ætatem abeunte, saporis dum recens est muriatici, si verò siccus, nullius; odoris autem quando recens est spermatici, seu hircum olenti, non secus ac *Orchis.*

Nascitur frequentiùs sub ipsa terra. Ex spermate Cervo-

Cervorum nasci fingebant Veteres; contrarium experientia testatur. Forte melius ità dicendus, quia Cervi eo delectantur.

Vires. Cum saccharo, pauxillo moscho & ambra ad Venerem stimulandam adhibetur. Non admodum languida ejus vis est. *Hermann. in Mater. Medic. manuscr.*

Dosis à ʒß. ad ʒj.

BOLUS, Forma Medicamenti.

Bolus *est medicamentum internum, consistentiæ spissæ, pro unâ vice, alterandi vel purgandi fine assumendum.*

Bolum si quis dici audit, statim simul intelligit, sumendum esse *pro unâ vice*, quod differentiæ specificæ loco est, ejusdem nempe circiter magnitudinis est ac bolus alimentosus, à quo per analogiam quandam denominatur. Hinc itaq; porrò patet quantitatis ejusdem circumscriptio, quantum nempe bucca commodè & citra difficultatem capere & pro unâ vice deglutire potest, unde sunt qui etiam *buccellam* vocant.

Recentius paulò videtur hoc medicamentum, in extemporaneum usum inventum, ut sit desecta quædam portio ipsius electuarij. & commode assumi queat.

Duo verò circa id ipsum inprimis consideranda veniunt: *materiale, & formale*, seu forma interna & externa. *Materiale*, (quod h. l. forma internam absolvit & simul comprehendit) *absolvitur duobus essentialibus ingredientibus*; *basi & excipiente*, quod primo ferè loco ponitur utplurimum.

Excipiens hoc constituunt corpora medicamentosa mollia seu spissa, nominatim recensita, quibus etiam ipsi succi inspissati & extracta addi queunt; Extracta enim indifferenter & baseos vicem & excipientis sustinent, à nobis verò ad excipienda maximè sunt relata ob ingratiorem paulò saporem.

Ut ut itaq; medicus ipsam basin primò quasi habeat in intentione, attamen ut formâ hâc excipiendam illam limitat & præscribit. Hinc *quotuplicia sunt excipientia, totidem quoque sunt differentiæ bolorum.*

Excipientia verò hæc sunt vel *communia*, quæcunq; scilicet spissa, vel *appropriata*, quæ meliora. Sic boli fiunt 1. ex *conservis*, quæ quidem usitatæ sunt, v. g. rosar. beton. melissæ &c. unde medicus ἀνεζβεϑαν quandam afferat oportet; & quidem ex conservis omnium communissimè præscribuntur boli, ad ʒj. vel alteram easdem recipiendo, licet & minori quantitate subsistere possimus.

2. Ex *rob*, maximè sudoriferi, illa quippe magis sunt resolubilia, & serum reddunt fluxilius.

3. Ex *pulpis*, præcipuè ubi acrimonia humorum mitiganda est, sive in ventriculo, cujus erosioni apprimè conveniunt eædem & boli in genere, sive circa vasa genitalia, renes & vesicam, ubi pulpa tamarindorum & cassiæ convenit, leniendi & demulcendi fine, licet sint, qui cassiam in biliosis affectibus rejiciant.

4. Ex *electuariis*, usitatis quidem vario fine, maximè tamen confortantibus, quo & ipsæ confectiones molles referendæ sunt meritò, namque hæ nihil aliud sunt, quam electuarium.

5. Ex *resinis liquidis*, licet paulò rariùs, nominatim abstergendi fine, uti terebinthinati ejusmodi boli in renum & partium genitalium affectibus quandoque in usu sunt, per unum vel alterum diem repetendi, paulò tamen ingratiores.

Notabiles præter hos sunt & alij modi, quos inter 6. jam recensitus esse potest ex *extractis, spissis* scilicet, siquidem, citra additionem reliquorum jam nominatorum, his loco excipientis primarij uti quis velit, id quod medico utique quandoque licet.

7. Elegans denique modus est ex *solo pulvere cum sirupi, essentiæ, aquæ* parum, quantum nempe sufficit pro incorporatione. Uti enim ex aquâ & terrâ limus; ità ex pulvere & sirupo talis spissa consistentia, modo rem rectè geras, neq; sirupi additione excedas, emergit; v. g. Princeps quidam bolo purgante usurus, cùm illum more communi præscriptum diffusâ quantitate abhorreret, *B. Rolfincius* ex gialapio cum sirupi paucâ quantitate bolum efformatum obtulit, quem lubentissimè deglutijt, cum effectu etiam salutari, Videatur hanc in rem ipse *Tr. de purgant. veget. s. 2. art. 3. c. 11. p.* 104.

Basin verò *constituunt principaliter pulveres, adæquatè extracta, olea atq; spiritus.* Ad pulveres pertinent præparata, species, trochisci, magisteria, calces & pulveres chimici, & similia sicca. In genere enim hæc sunt vel alterantia, latiori paulò acceptione vocis pro omni eo, quod non purgat, vel purgantia, eaq; tum simplicia, tum composita. In his spes præcipua & fiducia effectûs ponenda est. Eaque omnia ad hujus formulæ modulum dirigenda, circa quam *Cautelæ* quasi quædam & monita valent.

1. *Absit amarities*; In bolo enim præcipuè ut in masticandis alijs gratia quærenda est, unde amara, austera, acerba exulent, ne ipsi gustui ingrati evadant.

2. *Quæ viscositate sunt ingrata*, in bolo quidem gratiam nanciscuntur, sed *non peccent* itidem *quantitate*, unde si quis terebinthinata vel similia bolo includere velit, cavendum est, ne faucibus adhærens gratiam omnem perdat.

3. *Copiâ non excedat*, ut ut enim vetustioribus ad ℥j. vel ij. præscriberentur boli, & apud Italos inprimis scriptores adhuc inveniantur ad ℥j. ij. ordinati, consultius tamen est in genere eosdem minori dosi administrare, unde rectè dictum est, *quò minores, eò gratiores.*

4. *Ingredientibus noc accumuletur*; cùm enim minori dosi constet, & pro unâ vice sumendus sit, decet ipsum concinna brevitas unius vel alterius ingredientis.

5. *Consistentia in bolo respicienda est*, ne fluxilis nimis fit, nec durior & in minutas particulas confringatur; illud inter alia præstare possunt fermentationem facilè subeuntia, eamq; excitantia, uti sunt salia & sulphurea, fl. 🜍ris &c. unde eadem quoq; rarius bolos ingrediuntur, idq; tum ob hanc causam, tum ob illam quoque, quòd sapori sic minus ferè velificent.

Quoad *Formale* ergò, seu formam externam & modum consistentiæ, frequentior est figura in bolis oblonga & quadrata, minùs frequens globulata; illud communiter ferè, hoc in illo genere locum obtinet, ubi ex pulvere quodam ad id apto, uti gialapium est resinosum, cum sirupo fit instar pilulæ majoris.

Ut verò forma hæc externa seu modus consistentiæ juxta monitum quintum sibi constet, duobus secundarijs opus est præsidijs, uno humido pro corrigendâ & demendâ siccitate, id quod præstant sirupi, quando enim mollia & sicca (quæ sunt elementa ferè boli per jam dicta) invicem sunt combinanda, mollities illa per siccioris conjugium perit, præcipuè si v. g. conserva sit vetustior, electuarium, theriaca, siccior; huic subvenit liquidiusculum, in specie sirupus quicunq; vel appropriatus, citra ullius quantitatis ferè determinationem, id enim in ipso actu præparationis compositi emergit & videndum est, q. s. seu quantum sufficiat, scilicet ad consistentiam, parum.

Altero porrò adhuc eget, sicco, pro corrigendâ & demendâ fluxilitate, siquidem mollius paulò sit excipiens, tum etiam ad gratiam, quale est saccharum, & in terebinthinatis pulvis glycyrrhizæ, eidem quippe scopo debitus.

Quod si denique magis & penitus tegendum sit medicamentum, uti jam ipsâ hâc formâ pulveres tecti sunt, oblatâ id fieri potest, si eadem obducatur, id quod tamen ordinariè rarum est, & magis in terebinthinatis locum habere potest, illa enim hoc egent, cum viscositate suâ magis adhæreant faucibus, & sic ingrata facilè evadant.

Jam ut hæc magis pateant, applicabimus hæc ipsa & in tabulâ seorsim proposita ad usum, ostensuri *Exemplis* modum componendi & variandi. V. g. *Bolus purgans* fieri potest ex *conservis* ℞. *conserv. ros. fl. persic. viol.* vel aliûs ℥j. *pulv. laxat. veget.* ℈j. *resin. scammon g. iij. cryst all. Tartari gr. vj. sir. rosat. sol. q. s.* M. f. l. a. Bolus, D. in chartâ S. *Bolus purgans.*

In scabie, lue venereâ, gonorrhœâ virulentâ, impetigine &c.

℞. *Conserv. fumar.* ℥j. vel ℈iv. *gialap. nigr. resin.* ℈ß. ☿ij. *dulc. gr. viij. sir. de cichor. c. rhab.* parum. M. F. Bolus. ex *pulpis* ℞. *pulp. tamarind.* vel *passul. cass. rec. extr.* ℥ij. vel *iij. spec. diagialap. M.* ℨß. *ol. anis. gt. j. sacchari* parum. M. f. l. a. Bolus.

Ex *electuariis* ℞. *elect. lenit. Burrhi, vel cathol. vel alius* ℥j. iß. ij. *rhabarb. Alexandr.* ℈j. *magist. gialap.* ℈ß. *sacch. q. s.* M. F. l. a. Bolus. Vel electuario illo recipi possunt *sp. diaturbith. c. rhab.* ℈ß. *pulv. diasen. Wier.* ℨß. *&c.*

Ex *extractis* ℞. *extr. cartham.* ℈j. vel ℨß. *resin. scammon.* ℈ß. *sacchari q. s. M. f.* Bolus.

Ex *electuariis, conservis & extractis* ℞. *cons. rosar. elect. lenit. ã.* ℈j. *extr. panchymag.* ℈ß. *resin. scammon. gr. vij. sacch. q. s. M. F.* Bolus.

Ex *pulvere* & *sirupo* ℞. *pulv. laxat. veget.* ℨß. *sir. conserv.* ℥. *jugland.* vel *ros. solut. q. s. M. F. l. a.* bolus.

Sic etiã emetici fieri possũt pro lubitu, paucis mutatis.

Bolus sudoriferus in scabie, erysipelate, hydrope ex rob fieri potest hunc in modum:

℞. *rob. ebul.* ℥j. ☿ij. *diaph.* ℈ß. *C. C. philos.* ℈j. *sacch. q. s.*

℞. *rob. sâbuc.* ℈ij. *bez.* ♂*ial. g. xv.* sac. *q. s. M. F. l. a* Bolus.

Ex electuario in febri ardente: ℞. *elect. diascord. Fracast.* ℥j. *pulv. bez. Senn. gr. xv. bez. miner. gr. viij. sir. corall.* & *sacch. q. s. M. F. l. a.* Bolus.

Anodynus ad somnum conciliandum ex electuario:

℞. *Philon. Rom.* ℨß. *pulv. bez.* ℈ß. *laud. opiat. gr. j. M.*

Ex conservis in vomitu, cholerâ, hypercatharsi, doloribus capitis, arthritide, &c. variatis variandis.

℞. *Cons. beton. ros.* ⊕*l.* vel aliûs ℥j *laud. opiat. gr. j. ij. extr. theriac. gr. vi. conf. de hyacinth.* ℈j. *M. F. l. a.* Bolus.

Adstringens in sputo sanguinis, dysenteriâ &c.

℞. *Conserv. symph.* ℥j. *pulv. stypt. Croll.* ℈j *laud. op. g. ß. M. c. sacch. F.* Bolus.

Stimulans aphrodisiacus: ℞. *elect. diasatyr.* ℥j. *rotul. stimul. Myns.* ℈j. *ambr. gr. ij. laud. op. gr. ß. sacch. q. s. M.*

Utendi modum quod attinet, ordinarie & propriè dictus bolus uno præbio adsumitur, sive per se masticando, & deglutiendo, sive accessione vehiculi cujusdam deglutitionem promoventis id fiat. Cõmodũ enim est ad dissolutionem faciliorem paulò postsuperbibere jusculum, cerevisiam vel vinum pro re natâ, quippe ad determinatum effectum magis usitati sunt. Tempus variat ipsa intentio baseos purgans manè, anodynus vesperi propinatur.

Usus verò bolorum vel *communis* est, vel *specialis*. Quoad *communem*, illa potissimum bolo præscribi debent, quorum actio unicâ dosi medicamenti potest præstari, & hinc alterantes boli, quippe morâ & continuatione magis id eget, paulò rariores sunt præterquam ante paroxysmos, febrium v. g. ubi commode etiam dari queunt; purgantes verò, anodyni, styptici, diaphoretici & solùm quasi confortantes, frequentiores. In specie verò confortantes dantur & præscribi solent postridiè medicamenti purgantis, ad roborandum ventriculum; *Vid. Morell. p. 155.* item post sudationem in febribus ex conservâ pulpæ citri &c.

Quoad *specialem usum*, κατὰ θέσιν quædam notanda, quædam καθ' ἄρσιν.

Quod illam concernit 1. *Boli facilè operantur*, medio quidẽ modo se habentes, unde humoribus medijs, nec omninò facilibus, nec prorsus immorigeris apti sunt, idque ob resolutionẽ facilem. Accedit, quod sacchari additio in purgãtibus fermentationẽ promoveat quoq;

2. *Boli demulcent & mitigant*, unde in humoribus acribus demulcendis, ubi parietes ventriculi sũt erosi, renes exulcerati, vasa seminalia malè habẽt, apprimè cõveniũt infringuntur enim inde particulę acres, salsę, spiculosę.

3. *Boli non facilè revomũtur*, & hinc est, quod in nauseabundis, in vomitu, præsertim à passione iliacâ producto, (ubi aliquando theriacam cum confectione alkermes & laudano opiato cum successu felicissimo dedimus) & calculo quoq; laudantur, quo nomine videri potest elegans locus apud *River. in prax. l. 8. c. 1.*

4. *Boli, & electuaria consequenter quoque ipsa, variationem pulverum & aliorum prabent.* Si quis renuat eosdem uti quisq; suo delectatur appetitu & more, commodè etiam sub hoc velo possunt dari; sic etiam opiata, emetica & similia hunc censum subeunt, unde si non per se, tamen ob variationem hanc sæpè expetuntur & commodi sunt, præcipuè ob gratiam, quam simul medicamento fœnerant; imò etiam quæ in pulvere commodè dari nequeunt, ut mercurialia, hoc pacto convenientius ordinantur.

Quoad hanc verò cavenda se quasi quædam offerunt: 1. enim boli deglutitione egent, unde quibuscunq; deglutitio est difficilis, sive *moniliter* per ætatem, ut in infantibus, per morbum in delirantibus, maniacis, sive *physicè & naturaliter* in faucium, laryngis, & pharyngis inflammationibus, tumore, & adeò in deglutione difficili quacunque, in specie anginosa, tonsilis inflammatis, uvulæ laxitate non æque conveniunt.

2. *Boli fermentationem quandam cient.* Si itaque vitiosa adsit fermentatio, si bilis vel humores acidi regurgitent in ventriculo & primis vijs, si ardor v. g. seu soda ventriculum vexet, & eleventur versus superiora leves, biliosæ, turgescentes particulæ; si hystericis obnoxia sit fœmina passionibus, paulò cautiùs cum bolis mercandũ, vel ijdem tunc planè consultiùs omittendi. *Georg. Wolff. Wedel.*

Boli varij ex Tenke.

Bolus aperiens in obstructionibus viscerum, cachexiâ, suppressis menstruis, morbis melancholicis.

℞. *Salis martis gr. vi. vel viij. vel x. conser. flor. cich.* ℨ. *ij. Fiat bolus*, utatur per xv. dies, intermixtis purgantibus per ptisanas, quinto quoq; die; & adhibito corporis motu, ut in opiata chalybeata, idq; post celebrata universalia evacuantia & alterantia.

Bolus refrigerans & roborans in febribus, tum & post purgationem.

℞. *Conservæ rosar.* ℨ. *ij. confect. hyacinth.* ℨ. ß. *& salis prunellæ & triasantal. an.* ℈. *j. Fiat bolus.*

Bolus adstringens in alvi fluxu.

℞. *Conser. rosar. rubr.* ℨ. ß. *trochis. de corallis, & de terra sigillata an.* ℈. *j. syrupi granator, q. s. Fiat bolus.*

In dysenteria, & omni immodico fluxu sanguinis, dolore sedando, & somno conciliando, in cholera morbo, & omni profluvio alvi à bile.

℞. *Conser rosar. rubr.* ℨ. ß. *laudani opiati gr. ij. vel iij. Fiat bolus*, detur horâ convenienti manè aut vesperè.

Præscribi potest idem bolus in phrenitide, paraphretide, mania, omnibusque morbis, in quibus adsunt symptomata paraphorica.

Bolus ad bilem clementer expurgandam in affectibus hepatis, renumque calidis, tum & in nephritidi & calculo obnoxijs.

℞. *Cassiæ rec. extract.* ℥. *i. rhabarb. pulv.* ℨ. *i. vel pul. rad. jalap. gr. xij. salis prunel.* ℨ. ß. *cum sacchar o fiat bolus, sumendus duabus horis ante jusculum.*

In Gonorrhœâ addi potest mercurius dulcis ad ℈. *j.* vel *gr. xxv.*

Vel quod prædictis affectib. tũ & gonorrhœæ post universalia atq; etiã morbis serosis à quibus tussis, hydrops pectoris nascuntur, opitulatur materiam divertendo.

℞. *Cassiæ recenter extract.* ℥. ß. *terebenth. Kio* ℨ. *iij. salis prunellæ* ℈. *j. cum saccharo fiat bolus sumendus singulo vel alterno die per sex vices.*

Se-

Secundo, Ad bilem immixtam crassioribus humoribus expurgandam, in febribus longis, intermittentibus, nephritide, &c.

♃. *Cathol. duplic. & diaphan. an.* ℥. *v. cremoris tart.* ℥. ß. *Cum saccharo fiat bolus.*

Tertiò, Ad eliciendos serosos humores in affectibus arthriticis, Rheumaticis, venereis.

♃. *Mercurii dulcis gr. xx. diagridij gran. iii. pul. rad. jalap.* ℈. ß. *cassiæ recenter extractæ* ℥. ß. *cum syr. violar. & pauco saccharo fiat bolus.*

In hydrope, aliisque affectibus in quibus exturbanda est aquarum colluvies.

♃. *Gutt. gumm. gr. iv. merc. dulc. gr. x. pulv. jalap* ℈. ß. *Cum conserva rosarum fiat bolus quarto quoq; die per 15. aut 20. dies sumendus, intersumptis jusculis alterātis brusci, radicib. ireos nostratis, agrimon. ceterach. &c.*

Si non satis purgat bolus præscriptus addenda sunt diagridij gr. iv. Pro non multùm adultis, aut senibus iisdem affectibus laborantibus.

♃. *Gutt. gum. gr. ii. merc. dulc. gr. xv. pulv. rad. jalap.* ℈. ß. *Cum pauca conserva rosar. fiat bolus; vel solus pulvis sumatur cum cochleari panatellæ.*

Boli ex Schroderô, Freder. Hoffmannô &c.

♃. *Rhabarb. pulverisat.* ℥. *i. conserv. rosar. recent.* ℥. ß. *Cum syr. rosar. solut. F. Bolus.*

♃. *Elect. lenitiv. de manna* ℥. ß. *diaphanic. diacathol. ana* ℥. *ij. Cum saccharo albo F. Bolus pro vice una.* Purgat humorem serosum ac bilem.

♃. *Conserv. rosar. antiquar.* ℥. *ii. laudan. opiat. gr. iiß. F. Bolus.* Confert in fluxu alvi & similib. dolorem sedat, somnum inducit.

♃. *Cassiæ recent. extract.* ℥. *j. sem. anisi* ℈. *j. Cum oleo Amygdal. dulc. recent.* F Bolus in Nephritide.

♃. *Prunor. damasc. n. x. sebesten. n. vij. passul. enucleat.* ℥. ß. *Coquantur cum aq. colenturque fortiter, tunc adde Pulpæ cassiæ* ℥. *ij. Coquant. denuò ad spissitudinem mellis. Tum adde pulv. senn.* ℥. *iij. Cum saccharo fiat Bolus pro duabus aut tribus vicibus.*

Bolus de Thure è Pharm. Persicâ

♃. *Gallar. virid.* ℥. *j. thuris, fructus tamaricis ana* ℥. *v. opij* ℥. *ix. Bacc. myrthi* ℥. *x. Contrita probè, ac serico cribro transfusa reducantur in Bolos duorum dungorum.* Ad diarrhæam & lienteriam.

Boli varii D. Johan. Michaelis.

Boli confortantes post purgationem.

♃. *Conserva fl. cichor.* ℥. *iß. spec. diatrion santal.* ℥. *j. syr. rosar. q. s. F. Bolus.*

♃. *Conserv. Fl. cichor,* ℥. *j. pulv. epat. rubr.* ℈. *j. syr. rosar. q. s. F. l. a Bolus.*

♃. *Conserv. rosar. vitriolat.* ℥. *j. spec. diatrion santal. ebor. sine igne ana* ℈. *j. syr. rosar. de canella ana parum. F. l. a. Bolus.*

♃. *Conserv. de Fumar.* ℥. *iß. pulv. cachect. Quercetan.* ℥. *j. confect. alker. gr. viij. C. s. q. syr. Borßdorff. F. l. a. Bolus.*

Boli Sudoriferi.

♃. *Rob. sambuc.* ℥. *j. C. C. sine igne antim. diaphoret. ana* ℈. *j. Cum spir. flor. sambuc. gr. vj. F. l. a. Bolus.*

♃. *Conserv. fumar.* ℥. *j. antim. diaphoret.* ℈. *j. Cum s. q. syr. de fumar. simpl, F. l. a. Bolus.* In Erysipelate.

In scabie & aliis affectibus ubi expulsione est opus.

♃. *Rob sambuc.* ℈. *ij. succ. fumariæ inspissati* ℈. *j. antim. diaphoret.* ℈. *j. F. l. a. Bolus.*

Bolus Secretus D. Timæi in singultu & vomitu.

♃. *Theriac. Andromach.* ℈. *ij. lign. Aloës* ℈. *j. ol. macis gutt. ij. laud. opiat. gr. i. vel ij. F. l. a. Bolus.*

Bolus Confortans in Febribus malignis.

♃. *Conserv. pulp. citri* ℥. *j. confect. alkerm.* ℈. *j. ossis de corde Cervi gr. viij. F. l. a. Bolus.*

Bolus in Hypercatharsi.

Extract. Therical. ℈. ß. *laud. opiat. gr. ij. C. s. q. sacchari F. Bolus.*

Bolus in Dysenteria.

♃. *Conserv. symphit.* ℥. *j. lapid. hæmatit. præp.* ℈. *ß. croci Martis adstring.* ℈. ß. *C. s. q. sacchari, F. l. a. Bolus.*

Boli Narcotici.

♃. *Conserv. Beton.* ℈. *ijß. laud. opiat. gr. ij. vel. iij. C. syr. de betonica F. l. a Bolus.*

In affectibus capitis vehementibus & agrypnia.

♃. *Conserv. scord.* ℈. *j. extract. ther. gr. vij. vel laudan. opiat. gr. ij. vel iij. Cum s. q. syr. citri, F. l. a. Bolus.*

In Febribus malignis ubi adest agrypnia.

♃. *Conserv. fl. hyperici* ℈. *ij. laudan. opiat. gr. iij. F. l. a. Bolus. Præcipuè in Mania.*

In Catarrhis salsis.

♃. *Conserv. tussilagin.* ℥. *j. laud. opiat. gr. ij. vel iij. F. l. a. Bolus.*

Bolus Terra, *vid.* sub Titulô *Terra.*

Bombax, vid. *Gossypium.*

BOMBYX.

Doctissimus Pater *Athanasius Kircherus* libro duodecimo Mundi subterranei scribit, morum è semine cujuscunque animalculi, in illius interiora penetrantis, gravidam, Bombyces generare: quod ipsum in causa est, cur ego, aliique meo rogatu quicquid circa Florentiam, pluresque alias Thusciæ civitates mororum est, accuratissima diligentia observaverimus; sed nullum ibidem nati, aut signum nascituri bombycis unquam invenire potuimus.

Quod si, generationem bombycum in moro perspicere non potui, tanto minùs confido, fore, ut eandem in putrefactis carnibus juvenci, per 20. dies foliis mororum pasti, animadvertam.

Poeta nobilissimus *Hieronymus Vida* ad imitationem Virgiliani carminis eleganter hanc fabulam decantat.

Quod si spes generis defecerit omnis ubique,
Seminàque aruerint Jovis implacabilis irâ,
Sicut apes teneri reparantur cæde juvenci.
Hic superaccedit tantum labor ante Juvencus
Bis denósque dies, bis denásque ordine noctes
Graminis arcendus pastu, prohibendus ab undis.
Interea in stabulis tantum illi pinguia mori
Sufficiunt folia, & lactenti cortice ramus.
Viscera ubi cæsi fuerint liquefacta, videbis
Bombycem fractis condensum erumpere costis,
Atque globos toto tinearum effervere tergo,
Et veluti putres passim concrescere fungos.

Id quod duobus magnis & jure celeberrimis nostri sæculi Philosophis *Petro Gassendo.* & *P. Honorato Fabro* post *Ulyssem Aldrovandum* veritati consentaneum visum est. Quid dicam nescio: periculum ejus rei nullum feci, nec facere animus est. Certè scio, ex carnibus hædi, per dies 20. folijs mori saturatis nihil præter vermes, in muscas majores transformatos prodijsse: & contrà ex ejusdem hædi carnibus seclusis prorsus nihil natum esse. Scio etiam super moris calfactis & putrefactis vermes nasci, qui suo tempore in muscas majores, & ordinarias mutentur: & in fracidis mori folijs eadem ratione muscas ordinarias, nec non quatuor vel quinque culicum minutorum species, haud secus atque in alijs omnibus herbis nasci; ita tamen ut muscæ ordinariæ, & culices semen antea suum eo depostârint, quo deficiente, neque ex herbis, neque ex carnibus putrefactis, vel qualicunque alia re, non vivente, quicquam nascetur. E contrario, quicquid vivit, & verè animatum est, intra se vermiculum producere poterit, eadem qua Cerasa, pyra, pruna, gallæ, & echinati calices quercuum, æsculorum, cerri, ilicis, & fagi ratione, in quibus vermes illi nascuntur, qui in muscas, papiliones, & illius generis animalcula volantia transmutantur. *Francisc. Redi de Insectis.*

Bombyx, quem *Serem*, seu vermem *Indum*, vel lanificium, vel mavis, erucam Bombycivoram dixêre, notissimum præcipuè apud Nostrates insectum est; in quo tam miræ Metamorphoses succedunt, & Naturæ opificium ità elucescit, ut necesse sit singula ejus vitæ momenta perpendere.

Ab *Ovo*, communiori viventium principio, originem ducit. Hoc per annum conservatum, incalescentis in vere Aëris tepore, vel triduo fœminarum sinu fotum, *Bombicem* promit. Dum incubantur ova, Cœrulea ex Violaceis, mox Sulphurea redduntur, & tandem Cinerea; quæ successiva Colorum varietas à genito resolutóque intus verme, per corticem veluti per diaphanum cornu erumpente producitur. Aperitur autem Cortex, seu Testa, dum Vermis, fortasse percitus fame, ovi acumen perforat, dentibusque ipsum erodendo, brevi quadrantis horæ spatio viam sibi facit. Exit hic capite erumpens, interdum etiam oppositâ corporis extremitate. Nulla supersunt membranea involucra; totum enim putamen mundum remanet.

Nati mox *Bombycis* color fuliginosus est; circa primum annulum & superiores pedes; modicum cinerei emergit. Insigni pollet capite, si reliquo corporis comparetur, hocque coracino. In dorso, & continuatis lateribus protuberantias habet, quarum extrema oblongis pilis, & Ziziphinis horrent, ita ut vera videatur Eruca, quæ à Nostratibus *Pinus* dicitur, & ab *Aldrovando* nostro describitur, à cujus dorso miro ordine tuberculæ quædam, seu papillæ numero septuaginta octo, assurgunt, quarum extremitas, quasi *cyrneo* ornatur, unde spinæ pilorum loco quandoque 7. interdum 10. exeunt, quæ in longum productæ ovali quodam capitulo terminantur.

Statim ac luce fruitur *Bombyx*, tenella *Mori* folia voraciter edit, excitatis exiguis foraminulis; & sericos plexus in ipso vitæ limine, eructato stamine, promit, quod interdum tota corporis moles suspenditur. Indies autem auctus sensim novum induit colorem; nam subalbus ille seu cinereus color, in primo tantùm annulo deprehensus, in quinto etiam emergit, & sensim in contiguos extenditur: intermedij autem annuli, à quibus anteriora erumpunt crura, Ziziphina redduntur, sicut & reliquum corporis ultra quintam incisuram, quo delitescente colore, cinereus redditur habitus, hærentibus tamen minimis quibusdam Ziziphinis stigmatibus, ex quibus, & subviridi devorato alimento, cutis inficitur, non parum ad hoc etiam conferentibus exaratis protuberantijs, pilorum serie conspersis & fuliginosum adhuc servantibus colorem. Propè tamen primum somnum, capitis & crurum color ità remittitur, ut de toto *perlatus* evadat; quod etiam accidit tuberculis, indeque exortis pilis, quæ cum proportionale incrementum non subeant, parùm obscurantur. Exarata hæc dierum circiter decem curriculo peraguntur; Bombyces enim, quos mense Majo educavi, undecim dies ante primum somnum insumpsere; reliqui, qui ter in anno folliculi fabricam edunt, sub fine Junij enati, decem vigiliæ diebus contenti vixere, & postremo, decedente Augusti mense suborti, nonum tantùm diem insomnes attigere; quæ tamen temporum mensura, ex varia tempestatum locorumque natura, & cibandi norma, non parùm immutatur.

Jam in promptu Quies occurrit, quæ ultra diem quandoque extenditur; quâ cessante excutitur Senium, quod jam decisum, inter subjecta mori folia conspicitur, cùm ratio, ob Vermis exiguitatem, adhuc delitescat.

Bombycis *magnitudo*, post excussam primam senectam, ea est, quæ hic describitur: novus corporis habitus albidus candido veluti furfure aspergitur, præcipuè in superioribus annulis, extremitas autem fuliginosis quibusdam maculis inficitur, & cauda, pedes, anique appendices Ziziphinæ redduntur. Novum cranium, tripla portione auctum cinereum colorem, cum modica flavi mixtura, illico refert; transactis tamen tribus horis obscurius fit, velut Cydoniorum carni accidit. Immobilis hæret *Bombyx* extremo præcipuè corporis, solumque dimovet caput, nec appositum per diem devorat folium; voraciter tandem cibum captat, terque in die nutritur.

Bombycum alimentum *Morum* fuisse, longâ temporum traditione constat. Duplex autem est, Nigra sc. & Alba; *illa* rotundis folijs & in acumen desinentibus constat, quæ solidâ pollent substantiâ; *hæc* verò delicatior est, & citius adolescit, folia angustiora & oblonga magis habet, hæcque teneriora. Peregrina quondam fuit *Morus* in *Italia*; observant enim, apud priscos *Latij* authores nil de ea traditum inveniri. In nostris finitimisque regionis *alba Morus* pro Bombycum alimonia usurpatur (nec nisi in summa inopia *nigra* offeruntur folia, adulto etiam Bombyci;) unde ex teneritudine serico stamen molle gignitur. In *Sicilia* & in nostris quibusdam montibus *nigra* Morus ex usu est, indeque solidius filum eruitur. Ut autem diversis rebus alimoniam compararem, mollia *Lauri* folia, *Vitis*, quin *Ulmi* & *Rusci*, pluries exhibui; transacto autem altero die convulsi interiere. Scio *Lactucæ* folia, primis diebus exhibita, alimentum tenellis adhuc Bombicibus apud quosdam extitisse, sicut & tenera Rusci folia.

Continuata igitur *Bombycis* nutritione, cranij color saturatior redditur, ut coracinus iterum reddatur. In dorso tuberculà erumpunt, ipsorumque extrema brevibus stipantur pilis; superior corporis portio argentea, reliquum verò spiralibus fuliginosisque maculis, annulorum latitudinem excurrentibus, condecoratur.

Ut plurimum quatuor dies cum dimidio ante novam quietem insumuntur; mense autem *Julij*, quartus non attingitur dies: imminente otio, à cibo abstinere incipit, illudque durat per diem integrum cum dimidio, & novum excitatum cranium *Achatis* colorem conservat. Recens corporis co-

color subalbidus zic phinis maculis, hisque saturatioribus aspergitur, in quinto pariter & octavo annulo; in medio dorsi bina erumpunt stigmata inversos semicirculos repræsentantia. Auctâ insuper nutritione oblongius redditur corpus, coriumque quasi diaphanum, ita ut subjectus foliorum color emergat. Transacto triduo, si *Julij* mense nutriantur, iterum tertio in somnum prolabuntur, Autumno autem, & Vere in longius protrahitur hoc spatium, cùm in hoc quinque insumantur dies. Imminentis somni prodroma signa emergunt, quæ in antecedentibus ob sui exiguitatem, non ita facile in oculos intuentium occurrebant. Toti itaque corpori & præcipuè superioribus annulis diaphaneitas quædam cum aliquali luciditate ex subjecto forte icore supervenit: Corpus in dorso ad secundum, tertium & quartum annulum impense surgit, ut ipsorum, alioquin conspicuæ, rugæ delitescant. In membraneo interstitio, inter cervicem & primum annulum locato, triangularis quædam maculæ cinerei coloris cum levi flavedinis mixtura erumpit: hæc basi supra cranium firmata, opposito angulo, dorsi medium designante, secundum attingit annulum; nec diu durat hæc figura, sed sensim productis lateribus, veluti Zona extenditur, quæ parùm ulterius progressa saturatiore inficitur colore. Diu hæsitavi, quidnam esset hoc phænomenon, videbaturque arridere, solam esse portionem elongati extensique corij, quæ aliàs continuata cranio, sub primo annulo revoluta obscurari solebat; cùm tamen in quiescente Bombyce rudem quandam diaphaneitatem in cranio observarem, inde credidi, enascentis capitis & sub primi annuli corio latitantis verax esse signum, cùm antiquum caput, novo comparatum, longè minùs sit; non enim quartam ipsius æquat portionem: nec me fefellit opinio; disrupto etenim quiescentis Bombycis corio, antiquum cranium jam vacuum valde ab erumpente distare comperij, unde sub primo latitans annulo, exteriorem hunc producebat colorem.

Futuram insuper quietem indicant, abstinentia à cibo, capitis elatio, quæ quasi stolidos arguit, corporisque moles, brevior & contractior reddita; his enim apparentibus, vermis perquirit recessum, ut quietius ibidem lateat, quo conquisito immobilis hæret, inclinato versus humum capite, quod interdum ad superiora attollitur, vel ad latera curvatur. Diei unius spatio cum dimidio ita cubat, quo transacto excitatur, hinc inde jactatur, totus convellitur brevior redditus, & externum ipsius corium in rugas & plicas, & præcipuè annulorum interstitia circumvolvuntur, latera etiam celeri contractione corrugantur, tantusque est labor & angor, quibuscum, antequam excutiat senium, luctatur, ut immutato ex subalbo in coccinum corporis habitu supinus decumbat per aliquod tempus, & tandem sejunctum à recenti corium, longa pedum jactatione, excutere incipiat, facta circa cranium separatione, & deductis per latera nigris quibusdam quasi lineis quæ excorationis progressum exhibent. Ut postremò senectam ex toto abjiciat, extremum corporis cohibet, sursumque viscera abigit, ita ut propulsa superius corporis pars vi prementium inferiorum, per excitatam paulò ante cicatricem erumpat, quæ dum tensa permanet, suo tempore in rugas contractum & complicatum antiquum corium in infernas necessariò repellit partes; quod successivè in singulorum annulorum tractu peragitur, donec ad extremum corporis convolutum protrudatur, quo postea, confricatione circa adjacentium angulos repetitâ, tandem excutitur. In hoc supersunt ungues, pedum vestigia, appensæ in lateribus lineæ, quas ligamenta seu umbilicalia vasa indongue crediderunt nonnulli.

Quis tamen tam laboriosam Metamorphosin, renovato capite, dentibus corio, pilis, & fortè quibusdam musculis, Somnum appellet? Ego mallem soporem, vel veternum, vel vigilandi saltem impotentiam dicere, cùm necessariò tot morborum clades & labores, qui Senij excussioni præire solent, accedant. Nec novum in natura existit, ex solâ dentium eruptione febres & sopores excitari, ut passim in pueris experimur, in quibus, ultra convulsiones, ita turbatur corporis Oeconomia, ut diu absque cibo interdum semi-mortui jaceant infantes. Quare, ut probabiliter reor, *Bombyces* singulis suæ vitæ diebus somni & vigiliæ vicissitudine gaudent; etenim utplurimum à cibo, dive lerato diu ad latera capite, deinde ad superiora erecto, immobiliter hærent per horam & alteram, & interdum dejecto capite cubant, quod bis in die repetitum vidi; quin & percussi licet excitentur, iterum tamen in pristinum relabuntur somnum, reliquum verò diei jactatione & motu progressivo insumunt.

Exarato deffessus jam labore *Bombyx*, donec novis dentibus utatur, quiescit, & transactis horis apposita olefacit folia, quorum extremos fines tenellis, adhuc dentibus degustare tentat; sed excitato forte dolore abstinet, iterumque decumbit per diem absque cibo, quo transacto demum renutritur.

Vermis color, margaritæ, absque luciditate tamen, ferè similis est. Prope caput, in primo annulo fuliginosa quædam, sed brevis, linea in dorso erumpit: Pili, humiliorem annulorum partem ornantes, oblongi, diaphanique emergunt: Cranium pilis hirtum, *Achatis* colorem fere refert; Cauda ziziphina erecta manet: eundemque colorem possident pedes & ani appendices: copiosæ per transversum plicæ in motu erumpunt, ut jam novum animal, excussa *Erucæ* formâ videatur. Tota tamen novitatis ratio, quæ *Bombycem* à priori *Erucæ* statu diversum efficit, in eo tantum consistit, ut fuliginosæ illæ priores maculæ dissipentur, pili, tuberculi jam conspicua dorsumque ornantia, parum delitescant. Scio tamen, prope etiam ultimum Senium primæva tubercula, quæ *Erucæ* naturam indicare credebantur, adhuc Microscopio detegi, pilorum copiâ conspersa; minora autem jam redduntur, ut censeo, ex animalis subsequenti indies augmento, cùm laxatis externis tegumentis fuliginosæ particulæ, quibus corium inficiebatur, laxius diductæ, non atrum amplius reddunt corium; eadem etiam de causa, quoniam aliò rapitur cutis laxitas, tumores, & tubercula in primordijs luxuriantia penè delitescunt.

Quatuor vel quinque dierum termino, juxta Aëris temperiem, abunde nutritus, emergentibus futuri & postremi Senij nuntijs, per duos cum dimidio dies torquetur, postremamq; exerit senectam, ejusque moles hæc est. Firmatis interea mox emersis partibus, totus cibationi se tradit, unde brevi nova moles longè major redditur, & quasi ad consistentem ætatem provectus, suarum partium perfectam absolutamq; copiam habere videtur; & quoniam opificium, metamorphoses, aliaque ab eodem mire edita, inferius rimanda veniunt, ideo minimarum mirabiliumque *Bombicis* partium historiam, rudi licet stylo exaratam, addere placuit, ut singula, prout permittitur, pateant.

Bombycis primò occurrens externa configuratio oblonga est, Vermium more, undecim compaginatur Annulis, seu Incisuris, quarum extremis, Caput &

& Anus, cum Appendicibus, aptatur. Primus annulus capiti contiguus, quia analogam cum cervice servat extensionem, si cæteris comparetur, minor est. Ab hoc bina in humiliori & prona sui parte exigua crura erumpunt. Subsequuntur bini annuli, qui longè majores, quin & interdum maximi, si cum cæteris conferantur, censendi veniunt. Horum superior portio, quæ dorsi tuber æmulari videtur, conspicuis insignibusque rugis asperatur; hæ, ante folliculi fabricam, violaceo, cum modico xerampelini coloris, suffunduntur. Subsequens quartus annulus, servatâ priorum proportione, parùm decrescit, & præcipue extremitate illâ, quâ quinto nectitur; qui & ipse angustior redditus, corporis hanc regionem parùm cogit. Subsequuntur quintus, sextus, septimus & octavus, quorum tres anteriores, paulò auctiores redditi, ventris aliqualem formam referunt; ultimus tamen sensim imminuitur; reliqui extremi bini annuli, proportionali ordine imminuti, alvi extremum gracile reddunt; postremæ autem incisuræ tria appenduntur corpora.

Annulorum *figura*, ubi crura non erumpunt, rotunda est, in humiliori autem ventris parte pedibus intersepta rectitudinem acquirit, ità ut totus annulus arcum chordâ retractum æmuletur: dorsi enim & laterum partes curvantur, reliquæ diriguntur; turgente tamen insigniter ventre, & ipsæ tument.

Quælibet Annulorum pars non eandem sortitur magnitudinem, ità ut ex ipsorum contiguitate linea per dorsum ducta rectitudinem servet, sed ut plurimum è singulis annulis media quælibet portio elatior assurgit; cæteræ, hinc inde locatæ, humiliores parùm subsident, ità ut ex harum serie fiat *Ellipsis*.

Annulorum substantia membranea est, & valida, nondum tamen Cartilaginea: hæc, cùm non ubique similis sit, in singulo quoque annulo duplicem videtur sortiri naturam, ob geminam partem, quæ in ipso observatur; altera enim annulli portio superior est, quæ majorem duritiem & soliditatem nancisci videtur, & perpaucis rugis asperatur, quamvis validâ succedente contractione bini sulci excitentur, quibusdam punctis, à quibus erumpunt pili descripti: subsequens annuli pars eandem ferè latitudinem & extensionem sortita, tota in plicas ad animalis libitum adducitur. Hæ rugæ utplurimum in grandioribus annulis quatuordecim & quandoque plures sunt, & per longum annuli ductæ non totum explent circulum, sed ab occurrentibus similibus parùm deviæ delitescunt. Harum quidem fines in recurvatas inferiùs positas rugas absumuntur. In grandiori Eruca, superius citata, quilibet annulus octo compaginatur minoribus annullis, qui invicem contigui latitudinem annularis digiti æquanti hi, abbreviato animalis corpore, in arcum singulum attolluntur, & ità tota annuli latitudo arctior redditur.

Bombycis *color* ex enarratis jam patet; ea enim annulorum portio, quæ rugis exaratur, ob sui tenuitatem subjectorum refert colorem, & in se ipsa revoluta *Achatis* colorem exhibet: reliquum corporis subalbum, & ferè argenteum est, præter maculas quasdam in quinto & octavo annulo excitatas, quæ duplici describuntur linea, quarum interior cærulea est, exterior verò parùm fuliginosa: in quibusdam verò Bombycibus fuscæ quædam copiosæ maculæ totum ferè replent habitum, ut parùm argentei emergat.

Extremis lateribus hinc inde nigra quædam stigmata per longum infixa observantur: hæc eadem & octo sunt; singuli enim annuli bina habent, præter secundum & tertium. Sub his copiosæ rugæ per longum ductæ, insignes & recurvæ erumpunt, pilisque oblongis & diaphanis ornantur; versus extremum corporis in ultimo annulo è medio dorsi cauda erigitur instar styli, qui in implantatione latior, sensim gracilescit, ultra tamen medietatem arctior redditus in Conum desinit.

Extremo Annulo tria appenduntur corpora, quæ ad libitum diducuntur, & simul coeuntia corporis ultimum claudunt terminum. Nam à medio dorsi deorsum inclinata pendet carnea quædam portio quæ ani foramen tegit, & in egestionibus sursum attollitur: huic bina adstant corpora consimili conflata substantia, quæ oblonga & angulari ipsorum portione versus medium producta, reliquum extremi corporis muniunt, eique fulcimen & motum præbent: hæc in grandiori Eruca solidioris substantiæ sunt, & quasi cartilagineæ, miniéque colorantur.

Remanet exponenda capitis exterior constitutio. Cranium primo annullo appenditur, seu magis ab ipso eruum emergit. Corpus est subrotundum, parum tamen depressum, in superiori præcipuè parte; binis semisphærulis ovalibus compaginatur, unde angularis quædam portio intercipitur, quæ Lambdoidalem æmulatur figuram; ab hac rugosa quædam pendet quasi carnea zona rugis excavata, quæ pro animalis libitu in se ipsam retracta, sub Cranio non parùm delitescit, & frequenter exeritur, secumque retrahit labium, ni linguam dicere velitis, quæ supra *Os* pendet. Sub his, oris cavitas aperitur ampla, & ab osseis hinc inde locatis mandibulis clauditur. Inferiorem oris partem pendula & parùm acuminata occupat substantia, *Menti* instar, cujus humiliorem partem parùm acuminatus tenet stylus. Hinc inde in humiliori loco maxillares bini processus solidi locantur, qui unà cum Mento, ad libitum animalis, sursum & intro parumper etiam rapiuntur. In anteriori parte, ad latera tamen, globuli quidam, numero sex, diaphani protuberant, qui *Oculi* censentur. Ab his parum distant bini processus quasi Mamillares, descriptis majores, à quorum finibus bini exeunt pili.

Totus corporis habitus pilis conspergitur una cum capite: hi miro ordine implantantur, colore pollent *Ziziphino*: qui verò circa crura, & rugas insignes, mox delineatas, locantur, lucidi & argentei sunt, moléque suâ cæteros, per dorsum & ventrem disseminatos, superant. In dorso, ubi pili implantantur, cærulea quædam stigmata non rarò deprehenduntur, quibus pilorum radices ambiuntur.

Bombycis corpus multiplicibus fulcitur cruribus, hisque diversis; versus enim corporis medium à sexto, septimo, octavo, & nono annulo, quatuor crurum paria hinc inde in humiliori parte erumpunt: Eorum figura rotunda est, & latiori sui parte cavitas interdum excitatur, ut retractum crus intus cum appenso pede obscuretur; reliquum cruris binis ulterius articulationibus flectitur, & tandem in pedem desinit, qui recurvis unguibus mirè munitur.

Talis est appensi pedis structura: Ab extremo cruris, ubi in parte exteriori semicirculus subniger, & quasi osseus describitur, & in citata superiùs Eruca, nigra quædam *Zona*, quasi ex villuto seu villoso serpit, pes carneus erumpit, qui semisphæræ parùm compressæ formam habet. Ambi-

bitur tr autem ejus protuberans pars à bino unguium ordine, qui, cinguli instar vel semicirculi, juxta longitudinem corporis deducti, parùm versus interiora declinat; unde ex hoc segmento licebit pedis partes discriminare: pars porrò, quæ ultra ungues exteriùs seu foris locatur, *Sylvestris* appellabitur, opposita scil. *Volæ*; quæ verò ultra segmenta interiora versus exporriguntur, *Vola* nominabitur, quæ tamen minoris latitudinis est ac sit opposita.

Vola & *Sylvestris* portio, ad animalis placitum, diversæ suæ indigentiæ temporibus gracilescunt, moxque protuberant; nam interdum pars *Sylvestris* turget, totáque eruitur à cruris profundo; interdum, ut in *polyporum* acetabulis seu cirramentis intro retracta delitescit, quod in *Vola* etiam proportionaliter observatur. Ex quibus motibus, qui frequenter & celerrimè contingunt, varius pedum & unguium situs, & robur, oriuntur. Tres tamen ipsorum præcipuas positiones pro faciliori intelligentia collegi, exponereque tentavi.

Primò *Bombyx*, quod frequentissimè agit, deductam pedum Volam versus interiora tegit, pars verò Sylvestris, extrà tota erumpens, turget, recurvata versus interiora; unde ungues apicibus versus ventrem diriguntur, & ità constitutus pes ineptus redditur ad apprehendendum. Mox deductis unguibus ad medium, & ad oppositam ferè partem, tota quasi *Sylvestris* portio intra cruris cavum rapitur, & parùm eminet Vola, & ungues curvo apice versus aspicientium oculos eriguntur; unde hoc etiam situ inefficax est pes. Deductis tandem ad extra unguibus, parumque Sylvestri parte, quæ crispa redditur & gracilis, Vola versus interiora erumpens supra apprehensi corporis superficiem turget, & unguium recurvi apices objecto ità applicantur, ut fortiter detineant, tantàque fiat adhæsio, ut Animalis moles tuto suspendatur.

Unguium substantia ossea est, solida & quasi fulva. Numero plures sunt ungues, utplurimum in singulo pede quadraginta, Disparem magnitudinem sortiuntur, & duplici sub ordine æque distanti locantur. Grandiores à Volæ confinio, i. e. ab interiore parte orti, supra ipsam inclinati, versus exteriora deducuntur, & tandem elevati in recurvos apices desinunt; minores verò ab eodem orti termino, inter priores eodem ritu serpentes, æquali perpetuò servatâ distantiâ, cùm non eadem polleant longitudine, non eundem sortiuntur finem, sed paulò infra terminantur recurvato apice, ità ut per acuminatas unguium extremitates protractæ lineæ parallelas referant, pedis ambitum secantes. Hinc inde ab ano extremæ jam exaratæ appendicis, crurum munus explent, binosque pedes promunt, jam descriptis consimiles.

Prope caput in primo, secundo, & tertio annulo, tria crurum vel brachiorum paria situantur, non inæqualis in totum magnitudinis. Eorum figura Conum æmulatur. Implantantur in his annulis latiori principio, quod à copiosissimis rugis excipitur, unà retracta etiam obscurantur: tribus gaudere videntur internodijs, quibus ad interiora præcipuè flectuntur: Horum extremitas unco, versus interiora, armatur, cui ex diametro ossei styli opponuntur, in cæteris autem articulationibus, bini pariter styli recti implantantur *Malpighius*.

Partes Officinales.

1. *Bombyces integri*, 2. *Sericum. i. e. textura bombycina*, 3. *Folliculi sericei.*

Vires. 1. *Bombyces* exiccati & pulverisati inspergantur vertici capitis, ad arcendam vertiginem & convulsionem.

2. *Bombycina textura*, est caliditate & frigiditate temperata, alterat, calfac. sicc. corroborat, spiritus vitales, animales & naturales reficit.

3. *Folliculorum* fumus in suffocatione ab Utero utilis.

Præparata.

Textura bombycina utitur quãdoq; quo siccior reddita lævigetur, quandoq; decoctis admiscetur. Verùm præstat crudam & solummodo incisam adhibere.

Sunt & usualia quorum compositionem subit, ut Confect. Alkerm. Diamosch. &c.

Infertur & in usum Medicum Sericum filum Kermesinum, id est Cocco seu granis Kermes tinctum, adhibeturque sanguini sistendo, vulneribusq; obligandis, exiccandis, consuendis. Quin & à Plebeis ad Erysipelas adhibetur circumligatum.

Folliculi sericei, Bombycia, ijsdem viribus cum textura præditi sunt.

Bombycina textura per se vim cordialem habere nequit, nisi succo granorum Kermes priùs fuerit imprægnata. *Hoffmann.*

N. Caveatur à folliculis alvi spurcitie fœdatis, vel in quibus adhuc *Neeydalus* latitat mortuus, & vermibus exesus. *Schrod.*

BONIFACIA, vid. *Bislingua.*

BOONA, vid. *Faba.*

BONUS HENRICUS, vid. *Blitum.*

BORAX NATIVA *vid.* sub titulô *Sal*, *Hic tantum unô verbô.*

Borax nativa seu naturalis, Veteribus Chrysocolla ? est Sal minerale, Sal Gemmæ figurâ æmulans quod in pluribus Persiæ locis sub terræ visceribus & in imo cujusdam torrentis qui è montibus Purbeth in regione Radziaribron defluit ad Tartariam albam attingit, invenitur. Hoc minerale terrâ effossum aëri exponitur ut crassitiem quandam rubescentem pinguedinis ad instar induat, quæ illud ab aëris injurijs vindicat. Boracem hoc modo paratam transvehunt Persæ ad urbem Amadabat, unde ab Anglis & Batavis in Europam defertur, & hæc est Borax quæ nativa seu crassa communiter dicitur, quâque utuntur Artifices nonnulli loco Boracis purificatæ.

Est & alia Boracis species grisei coloris, quæ à prima tantum differt in eo quòd aëri diutiùs exposita crassitiem suam seu pinguedinem requisitam deperdit, vitrioloque Anglico similis evadit. Quoniam autem binæ hæ Boracis species nonnihil inter se differunt, pura lapidibus præsertim non referta, alteri præferri debet. Veneti & Batavi Boracem purificant & ad nos sub nomine Boracis defæcatæ transmittunt. *Pomet. in Histor. general. Aromat. &c.*

BORRAGO.

Borrago dicta videtur à Corago, unâ literâ variatâ. *Corago* autem Lucanis apud *Apuleium* hæc herba dicitur, quod cordis affectibus q. am maximè opituletur. Hinc tritus ille versiculus.

Dicit Borrago, gaudia semper ago.

*Etymon hoc improbat *C. Hoffmann.* nec tamen melius ejus loco substituit.

Hujus *notæ* sunt semina rugosa, flores stellatis lacinijs acutis, apicibus in umbonem acutum coeuntibus, præditi.

Nomina. Borrago floribus cæruleis & albis *J. B.* Buglossum latifolium, Borago *C. B.* Borago hortensis *Ger.* Borago. *Prak.*

Vires. Cordialis est è præcipuis. Flores inter quatuor cordiales famosos recensentur. Aquæ destillatæ, necnon conservæ ex floribus tribuunt vim roboran-

di cor, lipopſychiam removendi, lætitiam melancholicis excitandi, ac ſanguinem depurandi. Hinc non deſunt qui Boraginem Homericam Nepenthen eſſe ſtatuant, cujus ſc. ſucco *Homerus* vino immiſſo triſtitiam diſcuti, & malorum omnium oblivionem induci ſcriptum reliquit *J. B.*

Tragus laudat aquam in inflammationibus oculorum, repellentis ſc. loco. Mihi aqua deſtillata probatur in omnibus febribus, ut & flores ſaccaro condiri *J. B.*

C. Hoffmannus receptæ ſententiæ adverſatur, & flores Borraginis, ſyrupos, conſervas, radices conditas in affectibus cordis bilioſis, ad cor muniendum in febribus peſtilentibus, inque ictu ſerpentum aliiſque venenis fruſtra adhiberi ſe noviſſe affirmat.

In ſuppreſſione menſium nonnullis Arcanum eſt conſerva Borraginis in vino albo tenui ſoluta. *J. Rai. ex D. Soame.*

BOS.

In Bovino genere ſunt.

1. *Bos domeſticus*, Βοῦς Græcis, mas *Taurus*, dicitur, fœmina *Vacca*, fœtus *Vitulus.* Bos ſeu Taurus caſtratus, à reliquis hujus generis differt magnitudine cornibus æqualibus & minimè rugoſis, paleari ſub collo dependente, papillis quatuor ſibi mutuo proximis ſub imo ventre.

Boum Sylveſtrium quatuor præcipue ſpecies ſunt reliquis notiores & nominibus diſtinctis donatæ,

2. *Urus*, Germanis *Urochs* ſeu *Aurochs*: *Ut* enim vel ſylveſtrem, vel magnum, vaſtum & maximarum virium Germanis antiquis ſignificabat. *Cæſar de Bello Gallico Commentar. l. b. c.* 5. Qui Uri appellantur magnitudine ſunt paulò infra Elephantes; ſpecie, & colore, & figura Tauri. Magna vis eſt eorum, & magna velocitas. Amplitudo cornuum, & figura, & ſpecies multùm à noſtrorum boum cornibus differt. *Menzelius Ephem. German. Dec.* 2. *An.* 2. *Obſerv.* 7. Urus vaſtum, prægrande & aſpectu horridum ſylveſtrium boum genus, Boruſſiæ, Livoniæ, &c. incola, non infrequens pugnantium cum Urſis, Apris, &c. Regiomonti Boruſſorum exhibitum ſpectaculum Cùm occiditur cerebrum *ejus craniumque moſchum penitus redolet.*

Optandum ſanè eſſet, ut eruditus aliquis *Academiæ Germanicæ Naturæ curioſorum* Collega accuratiorem viſendi hujus Animalis tum formæ externæ deſcriptionem & iconem, tum partium internarum anatomen, reliquámque hiſtoriam publico exhiberet.

2. *Biſon*, à Germanico *Wiſent* dictus, à reliquis ſylveſtribus bubus differt collo ad armos uſque jubis horrido, dorſo in gibbum aſſurgente. Hujuſmodi bovem aliquando vidimus in vivario Regio *Weſtmonaſterienſi*, unde allatum neſcio; ni fortè, ex Florida regione Americana; ubi habentur Tauri, indigenis *Butrones* dicti, referente *Ambroſio Pareo*, cornua gerentes pedalia, & gibbum in dorſo, Camelino ſimilem, *&c.* Magnitudine, quantum memini, bovem domeſticum non ſuperabat. Hujus Animalis etiam Thevetus meminit; Geſnerus *Bovem Camelitam* appellat.

4. *Bonaſus*, *Ariſt. Hiſt.* 9. cap. 45. deſcriptus, Tauri eſt magnitudine, corpore tumidiore, cervice armorum tenus jubata, equi in modum; cornibus ſpithamiæis, aduncis & in ſe flexis, & pugnæ inutilibus, *&c.* Tuetur ſe calcibus & ſtercore, quod ab ſe quaternis paſſibus; (orgyis) ejaculatur, quod ſæpe comburit adeò ut deglabrentur canes. Perturbato verò atque perterrefacto poteſt hoc efficere ſtercus; pacato non comburit. Eadem habet & *Plinius*. Gignitur in terra Pæonia, monte Meſſapo,

Hiſtoria hæc de ſtercore ægrè à me fidem impetrâſſet ni ſimile quid legiſſem de Animali quodam Peruviano à *Matthiolo* accuratè deſcripto *Lib.* 5. *Epiſtol.* ad *Joan. Odoricum*, & ἐλαφοκάμηλος dicto; quod alijs inter oves recenſetur, cujuſque in Peruvia ad onera portanda frequentiſſimus & neceſſarius uſus eſt. *Cicur & manſuetum eſt Animal* (inquit Matthiolus) *neminem offendit, ſed miro admodum ingenio ab illata ſe vindicat injuria. Nam ſi aliquis illud vexet, aut circa clunes opprimat, non calcibus vel morſibus ſe defendit, ſed vomitu vel cibi, vel humoris in vexantem retrorſum cum impetu ejaculato, ob protenſam colli longitudinem.* Hiſpani in Peruvia Animal hoc *Glama* ſeu *Lhama* vocant:

5. *Bubalus*, Italis *Bufalo*, in ſtatu *Eccleſiaſtico* & Regno *Neapolitano* frequens. Lactis præcipuè cauſa è quo caſeos optimos *Caballinos* (*caſei di cavallo*) conficiunt, nutritur. Vidimus etiam ſæpius in plauſtris junctos ad onera trahenda. Ferreus aut annulus per nares eis trajicitur, cui alligato fune aut habena ducuntur & reguntur; nam quantumvis manſuefacti innatæ feritatis aliquid retinent. Cæterùm Bubalus Bove domeſtico major eſt, corpore craſſiore, cute duriſſima, cornibus magnis ſeu craſſis, intortis & nigris, ex quibus optimi & ampliſſimi pectines Romæ fiunt. Veterum *Bubalum* eſſe hoc Animal Hiſtoriæ. Quadrupedum conditores negant; ſed potiùs Bovem illum ſylveſtrem Indicum *Ariſtoteli* ſine nomine deſcriptum & *Arachotis* adſcriptum, *Hiſt.* 2. *cap.* 1. Nobis tamen veriſimile videtur *Bubali* nomen unà cum Animali ipſo in Italiam migrâſſe: proinde loco ſuo natali qui (ut puto) India eſt, aut Aſia, *Bubalem* fuiſſe dictum. *Bellonius* Bufalos adeò frequentes eſſe ſcribit non tantùm per Italiam, ſed etiam Græciam & Aſiam, ut nullum Animal magis ſit obvium.

His addi poteſt 6. *Bos Affricanus* Bellonij Obſerv. lib. 2. cap. 50. quem pro Bubalo Veterum habet. Hic licèt ætate grandis corpore minor erat Cervo, ſed habitiore & majore quàm Caprea. Breviter, inquit, ſi quis imaginetur ſe conſpicere puſillum bovem, quadrato corpore, pilo fulvo & ſplendente, cornibuſque lunatis, ſurrectis & in ſe recurvis, Bubali ideam habebit.

De Thuro ſeu Thurone Mazovitico conſule *Geſnerum.* Mihi incerta & ſuſpecta ſunt quæ de illo traduntur. *Rajus in Syn. Hiſt. Quadr.*

Partes Officinales Bovis Domeſtici ex Schrodero ab Hoffmanno adnotato.

1. *Cornu.* 2. *Fel.* 3. *Jecur.* 4. *Splen.* 5. *Sanguis.* 6. *Medulla.* 7. *Serum.* 8. *Axungia.* 9. *Ungulæ.* 10. *Urina.* 11. *Stercus.* 12. *Lapilli.* 13. *Lac.* 14. *Butyrum.* 15. *Caſeus.* 16. *Priapus.* 17. *Oſſa.*

Vires. 1. *Cornu* rari uſus eſt: vidi tamen ſcobem exhiberi contra Epilepſiam, adhibetur quoque in ſuffitu, ad aerem contagioſum corrigendum.

2. *Fel* bubulum ſeu taurinum præſtat ferè omnium quadrupedum fellibus: ſpecificè aurium medetur ſuſurro, ulceri, ac dolori (mixtum cum lacte muliebri aut caprino, & cum cottone impoſitum, alvum movet in Clyſteribus & hæmorroides.)

3. *Jecur*, rari uſus eſt, ejuſque loco vituli epar, pro hepate ſcil. corroborando, in decoctis adhiberi ferè ſolet.

4. *Splen*, inſervit potiſſimum decoctioni ac extractioni pro arcenda ſplenis duritie, menſiumque ſuppreſſione. Sunt & qui extrinſecus ſpleni illinunt.

5. *Sanguis*, intrinſecus ſingularem opem fert dyſentericis, menſium fluxui, & alijs hæmorrhagijs, Extrinſecus diſcutit & emollit tumores, maculas faciei extergit, (*illitus*) [verrucas tollit.]

6. *Me-*

6. *Medulla*, post cervinam & vitulinam proximum bonitatis locum habet; præter vires generales (*cum vino illita*,) trementia membra reficit, nervis induratis confert.

7. *Sevum seu Adeps*, præter vires generales, usurpatur specialiter ad mordicationem intestinorum, & tenesmum, ut & ad ulcera & rimas labiorum, podagricis & Scirrhosis affectib. medetur.

N. *Præfertur qui à Renib. colligitur.*

8. *Axungia ex ungulis*, usitata vulgo est in molliendis tumoribus, leniendis doloribus, luxationeque articulorum.

9. *Ungulæ*, in cinerem combustæ copiam lactis præbent (*assumptæ*,) adhiberi item solent ad arcendum aerem malignum, (*in suffumigio*.)

N. *Ungularum suffitu fugantur mures.*

10. *Urina*, aurium dolores lenit, *si cum Myrrha instilletur.*

11. *Stercus Vaccinum*, refrigerat, siccatque moderatè, discutit, dolores insigniter mitigat. Hinc feliciter adhibetur, adustionibus, inflammationibus, arthritidi, apum ac vesparum morsib. suffitu reprimit uterum prolapsum. Hydropicis in forma Cataplasmatis imponitur, (Ganglion curat.)

N. *Plebeij febri ardente, vel colico dolore correptis in potu suspendunt, aut succum expressum felice cum successu propinant.*

(Loco musci siccatum sole, omni odore exutum Aqua Rosarum alijsque odoratis impraegnatum, pro Pulvere cyprio sumunt.)

12. *Lapillus*, ex ventriculo (Martio Mense,) vel & Lapillus è fellis vesica (Majo) exsectus medetur Ictéritiæ, specificè comminuit ac consumit calculum, *si cum vino propinetur*: idem præstat, si vino, quod potui datur quotidiè imponatur, donec penitus consumptus sit. *Querc.*

Lapillus fellis in pulverem redactus errhinum exhibet egregium.

13. *Lac Vaccinum*, crassum est, nutrit benè, inflat, Renum & Vesicæ dolori convenit, diarrheæ, dysenteriæ, tenesmo, erosionique intestinorum succurrit (*potum*.)

N. 1. *Nocet Lac Spleneticis, Epaticis, Comitialibus, Vertiginosis, Febricitantibus & Capite dolentibus, quod de lacte in genere notandum.*

N. 2. *Lac coagulatum cum camomilla, nastur. aq. & bac. Junip. In lacte coctis, ad dolores scorbuticos mitigandos maximè prodest (catapl.)*

(Aqua lactis destillata seri facultatibus pollet.)

(Lacte sublimato Tartari & Arabes delectantur, quod multum valet ad inebriandum.)

14. *Butyrum*, (majale) calfac. moderatè emollit, digerit, lenit, resolvit, laxat, oculorum hebetudini prodest (*inditum*,) &c.

15. *Caseus* recens mollis podagricorum dolores lenit, Epatis æstum mitigat. Exomphalo infantum succurrit (*impositus*.)

16. *Priapus* Tauri (*rubri*) dysentericis prodest (*tritus & exhibitus*.

N. 1. *Mulieribus fastidium Coitus parere creditur.*

N. 2. *Vasa spermatica cum didymo combusta, sanguinis hæmorrhagiam sistunt.*

N. 3. *Hoc Judæorum medicamen in circumcis. Forest. in Chirurg.*

17. *Ossa*, ad corroboranda viscera, & ad arcendam Epilepsiam à nonnullis adhibentur.

(Ubera Vaccæ juvenculæ cocta, indurata, pulverisata, cum alijs lac provocantibus miscentur.)

Præparata.

Aqua omnium florum sive lætaminis dicta, destillatur MB, vel ex Cinere, Verno seu Majali tempore, ex stercore recenti vaccæ herbas depascentis, prodit & hinc oleum.

Vires. Refrigerat, discutit, adhibetur internè in dolore colico, nephritico, urina suppressa, febribus &c.

Externè imponitur locis dolentibus, *ut supra*. Commendatur & ad Ulcera cancrosa.

Aqua sanguinis fit (Majali tempore) MB.

Vires. Summè mitigat podagram.

N. Crollius,

℞. *Splenem bovis junioris castrati, scindit in laminas tenues, macerat per aliquot ♂♀ in 🜄 cum myrrha essentificato, dein exiccat in aëre postea cum 🜄 s. a. Essentiam extrahit, abstrahit, majoris efficaciæ ergo addit aliquot guttulas Olei Angelicæ stillat.*

Vires. Lienis obstructiones expedit, menses provocat.

Dosis ℈j. in ▽ appropriata.

N. *In clibano commodè exiccari poterit.*

6. *Tinctura fellis* Tauri.

℞. *Fella Taurorum sensim in ☉ exiccata, cum 🜄.*

Vires. Cosmeticum est insigne ad miraculum usque albedinem gratissimam concilians. Illinitur scil. linquiturque illita per triduum, quatriduumve, ita tamen, ne aëri libero sese exponant, post eluatur aliquoties ▽ flor. fabarum, nenuphar. polygonati & simil. *Hartm. in Croll.*

Hoffm. *Cornu* Epilepsiæ medetur. *Fel* imprimis taurinum maximè commendatur in hydrope ascite adhuc calidum, prout ex tauro occiso sumitur, propinatum, operatur per alvum & urinam. In Clysteribus alvum proritat segnem.

Splen taurinus adhuc tepidus Lienis regiori impositus per 12. horas levamen affert splenеticis, & non sine summo fœtore deponitur.

Ungulæ fragmenta frixa & sumpta si bestia non sit lasciva, sanant dysenteriam, si autem lasciviat, tunc ejus ungula est dysentericis lethalis.

Urina sanat epilepsiam, sic rusticus quidam apud *Libavium* de ol. & Aq. destill. filiam epilepticam lotio vaccino curavit. *D. Laurent. Hoffmannus de vero usu & fero abusu Medic. chimic.* p. 46. Ex hoc in Sole siccato suffumigium factum ad pudenda mane & vesperi præservat prægnantes sæpe fœtum mortuum enitentes ne aborriant, aut fœtum mortuum excludant, hujus autem usus per mensem continuandus est.

Stercus vaccinum Majale ganglion curat calidè impositum; *Et ex hoc etiam in Majo Aqua omnium florum* destillatur in calculo & torminibus infantum miræ efficaciæ. Externè prodest etiam hæc aqua tanquam Cosmeticum. Hoc *stercus* interdum refert Moschi odorem.

Lapillus ex ventriculo &c.) Lapis in provincia Xantung. ex vaccarum ventriculo educitur lutei coloris, ovum anserinum magnitudine æquat, soliditate bezoardico cedit, levioris substantiæ, & illo præstantioris virtutis à Medicis judicatur. Minimè ex terrestri substantiâ compositus est, sed ex minutissimis fibris herbarum, quæ indigestam hanc molem consumpto succo in stomacho boum convolutam in globum superinducta subfuscâ pelle, efformant; idem est cum Lapide fellis. *China illustrata* p. 206.

Butyrum Majale scil. dolores etiam artuum lenit corio canino illinitum & impositum. Ejus usus prægnantibus & hystericis noxius est. *P. Borellus centur. 3. obs.* 82.

N. *Ex hoc* cum herbis vulnerarijs recent. in Majo collectis *unguentum viride potabile* conficitur.

N. *Hepar Bovis in Nyctalopia.* Pro lectione publica aliquando Dn. *Gothofredus Mabius* P. P. Jenensis: hæc verba faciebat: Nyctalopia facilè curatur, si Hepar Bovinum coquatur, post in tres par-

partes dividatur, & quælibet tertia detur mane jejuno ventriculo Nyctalopi comedenda. Hoc modo famulum meum Nyctalopiâ curavi. Hæcce do prout à laudati Viri ore excepta in chartam conjeci. Pro confirmatione autem hujus experimenti afferre possum, quod mihi in praxi obtigit. Pastorem Ecclesiæ novi, qui ante triennium post Solis occasum quotidie cæcus reddebatur, quod ipsum non tantùm permolestum, sed & rei familiari summè noxium erat. Curatus tamen fuit hoc, de quo dixi, remedio per sex dies continuato. *D. Alard. Hermam. Cummen. Misc. Cur. Dec.* I. *Ann.* III.

BOTRYS.

Nomina. Botrys *Ger.* vulgaris *Park.* Ambrosioides vulgaris *C.B.* Botrys plerisque Botanicis. *J.B.*

Radice nititur parva, alba rectà descendente, paucis fibrillis donata. *Caulis* ei dodrantalis, aut pedalis pro ratione soli, teres, rigidus, rectus, hirsutus, crebris folijs alternatim positis vestitus, ab imo statim ramosus. *Flosculi* in summis caulibus & ramulis numerosissimi, longâ serie velut in spicas laxas digesti. Ex uniuscujusque autem folioli sinu duo exeunt surculi & velut racemuli flosculis & seminibus onusti. Hi surculi divisionibus suis dichotomiam observant, & in unoquoque divaricationum angulo flosculus sedet nullo pediculo, itemque in ipsis foliorum alis inter pediculos surculorum modò dictorum. *Flosculi* sessiles, staminei & herbacei vitium botros æmulantur: singulis singula succedunt *semina* Sinapeos similia, sed minora multo. *Folia* quernorum æmulâ divisurâ, venis majoribus rubris insignia, pediculis insident; cùm primò emergunt rubra sunt, postea pallescunt. Florum racemuli ex viridi pallescunt, suntque ad tactum glutinosi. Odor totius plantæ suavis est & aromaticus. Botrys annua est planta, æstate florens & semen perficiens; Bliti speciebus accensenda.

Vires. Botrys herba in pulverem redacta, melleque in Electuarij forma excepta præstat contra pulmonum vomicas, quo remedio multos ego curavi qui pus screabant *Matth.* Valere dicitur ad dolores uteri, ad menses ciendos & emortuos fœtus ejiciendos.

Nonnulli inter vestes Botryn reponunt ad tineas abigendas & odoris suavitatem communicandam.

Cæterum Botrys dicta est hæc herba à semine racematim caulibus adnascente.

Fr. Hernandez. Epazotl. seu Atriplicem suam odoratam Mexicanam (quam pro Ambrosia Mexiocana *C. B.* habemus) crudam coctamve adjectam condimentis corroborare scribit, pectori, asthmaticis & obstructis conferre, & gratam alimoniam præbere. Jus decocti radicum dysenterias coercere, dissipare inflammationes & noxia venenis pellere animalia. *J. Rajus.*

BOUCHETUM, vid. *Bochetum.*

BRACULA CUCULI, vid. *Primula Veris.*

BRANCA LEONIS, vid. *Alchimilla.*

BRANCA URSINA, vid. *Acanthus.*

BRASSICA.

Brassica, Catonis panacea, *Festo* seu *Verrio* dicta videtur à præsecando. Dura sane Etymologia, sed melior videbitur, si duo sciamus; unum est composita à seco in compositione *e* solere mutare in *i*, unde disseco, subseco, aliáque de quibus fuse *Aldus* in Orthographia; Alterum est B in multis olim sonuisse ut P, qua de re videatur *Lipsium* de Pronunciat. L. L. cap. 12. Quibusdam placet Brassicam dici quasi Passicam quod ex scapo præsecetur & passa fiat; imò hanc Etymologiam *Varroni* ipsi tribuunt *Grapaldus, Raderus* & alij. Sed *Varro* idem scripsit quod *Festus*. Sic enim ille lib. 4. de LL. Brassica ut præsica, quod ex scapo præsecetur. Sic enim locus is legitur, non solùm in nuperis editionibus, sed etiam Aldina anni 1513. & Mediolanensi Anni 1500. Tertia eorum sententia est, qui deducunt à *βρέσσω* i. e. voro, quia avide eâ Veteres vesci solebant. Quartum est Etymon *Jos. Scaligeri.* Docet is in conjectaneis Brassicam dici à Græco πρασική, utpote hortulanum olus. Nam πρασιαὶ notat areolas hortenses, unde & pratum nomen accepit. Hoc Etymon inprimis placeret, nisi esset Brassica vox à majori Græcia, quæ pro ea dicit *βρέσκη Helychius, βρέσκη, κράμβη* Ἰταλιῶται, ubi Ἰταλιῶται non sunt Latini, sed Tarentini & alij. *Hæc omnia in Etymolog.*

Notæ Brassicæ *characteristæ* sunt folia in hoc genere maxima, glauca seu subcœrulea, carnosa, semina rotunda, minùs acria.

Varias sunt Brassicæ species quæ in hortis excoluntur; illæ autem quandoquidem omnibus sunt notissima frustrà describerentur.

Vires. Scribit *Galenus* Brassicam habere contrarias vires solvendi & astringendi alvum. Si enim, ait, illud voles, aut leviter coctum cum suo jure dabis, aut jus ipsum: si hoc, effuso jure primo, affundes aliam aquam calidam (hoc enim peculiariter monet) eâque post coctionem iterum effusâ, edendam dabis ipsam Brassicam. Quod tanto melius fiet quo sæpiùs effusa fuerit aqua, & repetita coctio. Hinc illud Sholæ Salernitanæ.

Jus caulis solvit, cujus substantia stringit.

Brassica in cibis ex sententia *Galeni* & omnium fere Medicorum, quocunque modo præparetur facit in corpore χυλὸν μοχθηρὸν καὶ δυσώδη, succum crassum & melancholicum; quod facilè quivis in se ipso colligere potest, & ructibus fœtidis & ingratis quos excitat.

Ipse vidi verrucas illitas succo Brassicæ ingenti miraculo spatio 14. dierum evanuisse in ancilla quadam, cui manus obsitæ erant verrucis, quas sinebat sponte exsiccare sua citra detersionem ullam. *S. Pauli.*

Julius Alexandrinus testatur se scire in longum sinuosum vulnus protensum ab humero prope ad nates usque ipsas, qua in parte extrema ejus ora plurimum semper remitteret saniosæ materiæ cujusdam, nec profundum tamen, nec ultra carnosam membranam valde adactum, cùm remedijs alijs non posset, ex foliorum Brassicæ vino nigro & austero incoctorum applicatione resiccatum coaluisse intra paucos dies.

Camerarius dicit folia in ulceribus & lepra vino incocta admodum utiliter adhiberi. *Tragus* tantæ Brassicam esse efficaciæ ait, ut urina eorum qui vescuntur Brassicâ, Fistulis, Cancro, Serpigini & similibus vitijs mederi queat. *S. Pauli.*

Noto ex Platero, quod in principio inflammationis faucium, ubi refrigerare & repellere simul studemus, aqua ex acido liquore in quo Brassicam capitatam condire & asservare solemus extillata, vulgò magno successu usurpetur.

Cùm quidam Scorbuto tam miserè laboraret, ut maculis toto pectore & cruribus diffusis, membrisque rigentibus vix incedere posset, jussus est potu quotidiano uti ex Vini ℔. *iii.* in quibus Brassicæ rubræ concisæ m. IV. cum zinzibër. ℥. ß. Cinnamom. ℥. *ii.* im-

immaceratæ fuerant. *Otto. Heurn. Prof. Lugd. Batav.*

Ad lateris dolorem, ℞. fol. Brassicæ; Butyro illinatur frustulum, & pulvere Cymini aspersum, calidè imponatur. *Hartman.*

Brassicam ad arcendam ebrietatem valere Veteres unanimi consensu tradunt. Confirmant etiam Recentiores. *I. Rajus.*

Brassica Canina, vid. *Cynocrambe.*

Brassica Marina, vid. *Soldanella.*

BRITANNICA.

Nomina. Lapathum longifolium nigrum palustre, sive Britannica Antiquorum vera, vel Hydrolapathum nigrum *Muntingij.*

E radice crassa, rotunda, lata ac spongiosa (annosa dum sit) & succulenta, manûs circiter longitudine, in varias partes crassiusculas, non adeò longas, inferiùs divisâ, & radiculis fibrosis cinctâ, colore recens effosa in loco natali, exteriùs nigro, intus candido: qui mox in luteo-rubescentem qualis est Rhabarbari veri mutatur, per siccitatem plane fusca, *folia* protrudit haud multa, Lapathorum omnium longissima, juxta se posita, non tamen arctè juncta, sed separatim, sursum semper vergentia, sesquipedem aut duos pedes longa, tres aut quatuor digitos lata, in medio latissima, & in mucronem acutum tandem desinentia, colore superius saturo-viridi, vel è cœruleo atro-virente, subtus pallidiore venulis pallide viridibus, substantiâ crassiusculâ, tactu duriuscula, densa, constipata & firma, marginulis interdum, præsertim in cauli adnascentibus, parùm crispis, pediculo modicè longo & crasso, prope terram interdum rubente, adstringentia & ex parte acida, sub Augusti finem evanescentia. *Caulis* unicus aut etiam plures pro ætate & magnitudine plantæ, duos, tres, & quatuor interdum pedes longus, rectus, teres, viridis, cavus, foliis minoribus hinc inde adnexis ornatus, tam sursum quàm deorsum paulumper vergentibus, è quorum sinubus ramuli rariùs dispositi exeunt, flosculis pallidis, sub Julij initium se aperientibus, rarò non tamen verticillatim ad articulos dispositis, & brevibus & teneris petiolis pendulis onusti. Foliola tria floris exteriora duabus, ab utraque parte è pallido colore albidis hirsutis gemmulis, in nulla Lapathi specie præterquam Virginiana Britannica visendis exornantur. *Semen* parvum, spadiceum.

Hanc plantam veram & genuinam Antiquorum Britannicam esse contendit *Abrahamus Muntingius*: Siquidem descriptionibus ejus quæ apud Veteres extant, tum facie, tum viribus per omnia respondeat. Quin & nomen Britannicæ Frisicæ originis esse probare nititur; neque enim à Britannia insula cui ut propinquæ eam dicavêre Frisij denominationem sumpsisse (ut conjectatur *Plinius*) verisimile est. *Brit*, Frisijs consolidare, firmare, compingere, significat: *Tan* verò Dens est: porro *Ica* vel *Hica* idem quod ejectio valet: unde Britannica dicitur, herba quæ firmat & consolidat dentes vacillantes: vel medetur morbo dentes excutienti.

Vires. Omnes hujus herbæ partes, caules, folia, flores, semina, sed præcipuè radices validè astringunt, indurant & conglutinant. Hinc omnia putrescentia, ut Erysipelata tam ulcerata, quàm integra, Herpetes, Phagedenica, Gangrænas, &c, inhibet & sanat. Undecunque manentem sanguinem, Hæmorrhoides simul & menses sistit, uno verbo ad omnia valet ad quæ reliqua adstringentia frigida.

Nervis, eorumque incommodis, ruptis, vulsis, contractis, tremulis, spasmo, paralysi, febrilibus æstibus, nec non rigoribus medetur. Venena ac serpentes adigit, & ictus eorum sanat: quare jure inter Alexipharmaca numeratur. Omnes Anginæ species, uvulæ relaxationem, paristhmia, similiaque oris, faucium ac ventriculi mala, astrictione egentia, ac apostemata, tumores & ulcera probè depellit, variáque rheumata aufert.

Tandem latentium causarum morbos Stomacacen sc. Scelotyrben, cruráque ulcerata antipathiâ suâ curat.

Folia imponuntur ulceratis partibus per horas 12. viridia, renovanturque alia: Succus quoque caniculari sole induratus, aut igne inspissatus inungitur.

Varios hujus herbæ ejusque radicum ad usum præparandi morbos, itemque varias compositiones & mixtiones cum alijs quæ operationem ejus promovent medicamentis videsis apud Autorem nostrum prædictum cap. 16.

Quoniam autem (inquit) Scorbutus altas adeò in quibusdam egit radices, ut ex solius Britannicæ decocto parum commodi sentiant, hanc ob causam confectum medicamentum, à nemine mortalium hactenus (quod scio) scriptis publicatum apponere volui, ut omnes notitiam illius haurire, sibique facili negotio parare possint. Est enim auro pretiosius, ac domi adversùs omnem morbi Scorbuti suspicionem, inæstimabilis instar thesauri habendum.

℞. *Croci* ℨ. *ij. macis, glycyrrhizæ, cinnam. opt. piperis nigr. radic. gentianæ, ana* ℨ. *iij. Britannicæ* ℨ. *vi. Omnia grosso modo pulverisata, immisceantur vini Hispanici spurij* ℔. *xvi. aut pintis Hollandicis* 4½ *Aceti Sambucini vel alterius fortissimi* ℔. *iv. Ovorum recentium vitella tria. Macerentur simul in vase lapideo vitreato, probè obturato per horas 72. in cinere calido, fimo equino, vel arena calida, eo tamen modo, ultra caliditatem tepidam non procedatur Reponatur deinde & usui servetur.*

Hujus decocti tres, quatuor vel sex etiam uncias pro natura subjecti sumat æger manè jejuno stomacho per dies 14. vel 20. vel plures. Bibat etiam quotidie ad sitim extinguendam vinum Rhenanum optimum: vel si Cerivisiæ sit assuetus, sumat non recentem sed defœcatam beneque coctam; ac quoties illam æger bibit, toties ipsi cochlearia tria hujus vini exhiberi necesse est.

Notandum tamen, quod si in hujusmodi ægro siccitas quædam, tussis vehemens, vel Tabis suspicio adsit, Piperis loco sumat Glycyrrh. ℨ. vi. Vino usu fere consumpto reliquijs adhuc semel vel bis tantum vini addi permittitur.

Hoc vino non solùm brevi temporis spatio inveteratus Scorbutus præsertim si absque febre vel inflammatione sit, verùm etiam reliqua Scorbuti genera omnia, inveteratæ Herniæ, Paralytici atque Gallico morbo infecti felicissimo successu curantur. *Hæc omnia I. Rajus ex Muntingio.* qui de hac herba tractatum non parum amplum ac curiosum confecit.

Brodium, vid. *Jusculum.*

BROMUS.

Bromus est planta Avenæ Sylvestri, caule & *foliis* similis, ejus tamen spicæ sunt nonnihil asperiores

res & longiores, *Radix* est ipsi admodum tenuis & in longum protensa.

Vires. Dioscorides virtutem calfacientem ipsi tribuit. Herba cum radice in aqua decoquitur, & colaturæ mel additur iterumque ad mellis consistentiam decoquitur. Convenit in polypo linteo excepta & naribus indita. Cum successu in oris fætore adhibetur cum rosis rubris in vino austero cocta. *Meuve.*

Decoctum hujus herbæ detersivum reputatur, desiccans ac vulnerarium; propterea non tantum in polypis, sed etiam in ozæna, ulceribusque varijs adhibetur, tum injectum, tum eo partem fovendo.

BRUCIA, vid. *Pix.*

BRUCHUS, vid. *Eruca.*

BRUNELLA, vid. *Prunella.*

BRUSCUS, vid. *Ruscus.*

BRYON, vid. *Muscus.*

BRYONIA.

Bryonia à βρύω pullulo, germino, dicta putatur, quia pullulat & spargit se, & luxuriat vehementer. Alij à βελάω extollo, exalto, deducunt, eò quòd in propinquos frutices scandens se extollat; verùm cum υ scribitur quod huic Etymo repugnat. Vitis alba dicta est, non solum quod folijs & viticulis vitem sativam referat, verùm etiam quòd fructum in exiguæ uvæ similitudinem, acinis licet raris, conformatum producat. Melothron appellari videtur à colorum concennatione: nam Græci μήλωτρα vocant βάμματα & χαλλωπίσματα, id est colorum infectiones & concinnationes, quòd corijs fortè & Bryoniæ fructu accedebant, ut conjectatur *J. R.*

Bryonia est *alba* vel *nigra.*

Bryoniæ albæ *nota* sunt capreoli, *caules* non spinosi, *folia* vitiginea, *vis* cathartica vehementior.

Nomina. Bryonia alba *Ger.* alba vulgaris *Park.* aspera, sive alba baccis rubris *C. B.* Vitis alba sive Bryonia *J. B.*

Bryoniæ nigræ *characteres generici* sunt *caules* volubiles, *folia* convolvuli majoris.

Nomina. Bryonia nigra Dioscoridis *Park.* nigra *Ger.*

Vires albæ. Radix Bryoniæ purgat validè serosos & pituitosos humores: splenetica, uterina & jecoraria est, utpote quorum obstructiones aperit. Hydropicorum aquas per vomitum ac secessum educit, menses ciet, fœtum ejicit, suffocationes uteri arcet, asthmata sanat, podagricis convenit intus & extus. *Schrod.*

Platerus, referente Hoffmanno, accipit radicem antequam germinet, & detracto cortice in taleolas sectam filo trajicit, modico calore siccat, sive is solis sit, sive ignis. Mox infundit in vino generoso & iterum exsiccat. Hoc repetit aliquoties. Ità præparata, ajebat, purgat sine molestia.

Idem troch. parat hoc modo, Bryoniam ità correctam in pulverem redigit, & vino Malvatico, in quo Zingiber maduerit, irroratam cogit in pastillos tenuissimos: quos siccatos tenuiter pulverisat, & utitur in infusionibus. Ità purgat instar Agarici trochiscati. *Hoffmann.*

Conserva radicum magnitudine Nucistæ bis in die sumpta, usu ejus per longum tempus continuato, Epilepsiam vel etiam hystericam passionem persæpe profligat & sanat. Idem præstat radicis frustulum poculo quo æger ad bibendum utitur, perpetuò inditum *D. Bovvle.*

Hujus asparagis, qui primâ germinatione exeunt solebant Veteres vesci, ut docet *Columella.* Ab omnibus pro more per Ver edi tradit *Galenus*, eduliumque esse propter adstrictionem stomacho gratum. De ijs etiam *Paulus* hoc modo scribit, Bryoniæ asparagi stomacho quidem accommodati sunt, & urinam cient, parùm tamen nutriunt, etsi cum coquantur olerum asparagis in nutriendo efficaciores sunt. Quæ de Vitis sylvestris, sive Tami quidem, sed nequaquam de hujus germinibus veritatem habent, inquit *Dodonæus*, nam hujus asparagi nequaquam astringunt, sed alvum vehementiùs commovent, stomachoque gravem molestiam inferunt,

Circulatores & Agyrtæ nonnulli ex hujus radice mira quædam monstra effingunt, quæ cum aliquot dies siccæ arenæ mandaverint, pro Mandragoris postea distrahunt. *Trag.*

Bryoniæ radix commendatur in hydrope, internè & externè applicata regioni renum *S. Grembs.*

Dolorem ischiadicum radix recens tusa, cum Lini oleo mixta & tepidè applicata mirum in modum pacat. Renovandus est labor donec tota materia mortifica transudetur. *Tachenius* de morborum principe.

Helmontius de vi & efficacia hujus radicis in contusionibus lividis sanandis sæpiùs agit; cui memorabile experimentum in quodam erudito amico nostro factum suffragabatur, inquit *D. Boylius.*

Ad lateris dolorem, ℞. Taleolam radicis Bryoniæ, tosta calidè lateri applicetur. *Chesneau.*

Ad scrophulas tam apertas quàm non apertas, ℞. *Rad. Bryoniæ quæ sit magna & benè nutrita* ℔. ß. *in taleolas minutiss. sectam frige in sartagine quousque contabescant, cola, adde terebinth. abietis* ℔. ß. *ceræ* ℥. *v. F. unguentum, materiâ ab igne remotâ.* De hoc ungento, quod est valdè viscidum, supra strumas cum panno lineo appones manè & vesperi; vel enim strumas resolvit, vel ad suppurationem deducit, tandemque sanat ulcera. Nunquam fallit, ait *Zacutus* cum juramento *D. Edu. Hulsius.*

Lunâ crescente, tempore verno Radicem Bryoniæ terræ adhuc immersam excava, semper imponendo operculum ex superiore radicis parte abscissum, & omni mane duo vel tria exudantia cochlearia habebis. Succum hunc singulis matutinis horis à cochlear. i. ad 2. vel 3. Hydropico exhibe; quo solo vili medicamine plures curavit, Deo juvante *D. Soame. J. Rajus.*

Vires Bryoniæ nigræ. De viribus hujus plantæ non convenit inter Botanicos. Compertum est, inquit *Lobelius*; vel mulierculis, vehementiùs urinam renumque sabulum, mensiumque saburram impellere potu. Incidit & attenuat lentam pituitam, præsertim in thoracis affectibus.

De vi purgatrice nihil dum comperi, inquit *C. Hoffmann. D. Martin. Lister* nobis affirmavit se quamvis tum radicem ipsam in substantia, ut vocant, tum ejus extractum, largâ dosi sæpiùs exhibuerit, nunquam tamen observare potuisse eam vel per vomitum, vel per secessum, vel alio quovis modo sensibili operari.

Pulvis radicum cum aceto & stercore vaccino ad formam cataplasmatis redactus podagricos dolores lenit.

De hujus asparagis accipit *Dodoneus* quæ Veteres de Bryoniæ asparagis ferunt, esui sc. aptos esse: nam hos *Matthiolus* verno tempore cùm primum erumpunt Asparagorum more decoctos mandi prodit. Sunt etiam, qui asserunt in Hispania Bætica in cibaria recipi. *J. Rajus.*

Duas

Duas Bryoniæ albæ præparationes habet J. H. Junck, in suo Lexico Pharmaceutico, quas hic rursus trademus.

♃. Bryon. rec. q. s. contundat. & exprimatur succus & exsiccetur, siccatus hic succus pulverisetur & ad singulam unciam adde ol. caryophyll. gut. iij. & aceti destill. ℥ß. M. & exinde formentur pilulæ, quæ à gr. v. ad ℈ j. datæ præbent nobile purgans in Cachexia & uteri obstructionibus. Si in succo infunduntur Folia senn. tunc & succus expressus inspissatur, vis purgans efficacior erit. J. H. J. Lex. Pharm.

Nectar succosum S. Coss.

Fit ex ℥j. succ. Bryon. alb. per expressionem facti, & ℨ. ol. Vitriol. vel Sulphur.

Vires. Purgat per vomitum, alvum & urinam. Dos. ℨ.j. in vino albo.

BUBALUS, super ejus descriptione, vid. sub titulô *Bos.*

Bubali partes Officinales.

1. *Cornua & Ungulæ.* 2. *Sevum.* 3. *Stercus. &c.*

Vires. 1. Cornua & Ungulæ medentur spasmo, annulus exinde factus gestatur digitis manûs, vel pedis.

2. Sevum, stercus &c. in vulnerum tumoribus, Ischiadica.

Coagulum pulli contra potum cicutæ. Urinæ ad dolores articulares.

Vulva moschi odore siccata unguentarijs servit.

PRÆPARATA.

Extractum hepatis Bubali, fit eodem modo, quo Extractum Splenis Bovis.

Præstantius habetur, si Sal proprium ex capite mortuo extractum admixtum fuerit.

Vires. Usus ejusdem est, cujus extractum splenis Bovis, sed promtioris efficaciæ. *Schrod.*

BUBONIUM, vid. *Aster Atticus.*

BUCRANIUM, vid. *Antirrhinum.*

BUFO.

Bufo seu Rubeta, magnitudine Ranam superat. Corpore est crasso, dorso lato, ventre turgido & inflato, unde ob gravitatem saltare vix potest; cute (ut aiunt) densissima & tuberculis, inæquali. Colore luido & nigricante, & in ventre maculoso, naturæ quodam instinctu horrorem aspicientibus incutit: ipsoque vultu & incessu, & locis in quibus stabulatur, opacis, concavis, squalidis & putridis malignum & noxium se esse fatetur. Quamvis enim signaturas seu notas virium indices à natura plantis impressas negem, plantæ tamen malignæ & venenatæ non diffiteor colore plerunque tum foliorum tum florum & fructuum tristi, melancholico & funesto tales se esse produnt: Et quod Animalia attinet, existimo naturam nobis venenatorum & nocivorum metum ingenerasse. Quis enim ad Serpentis etiam primùm visi aspectum non totus cohorrescit, & se subducit?

Eodem victu utitur quo Ranæ, nimirum insectis, lumbricis & cochleis terrestribus; aiunt & humore terreo vesci: quod non est dissimile veri. Bufones enim in medijs arborum truncis, imò in petris dissectis inventos esse certâ fide nobis constat, ubi non aliud illis alimentum suppetabat quàm humor ipsius petræ, & tamen per multos annos ibidem incarceratos durâsse necessarium; nec enim sponte ibi genitos fuisse libens concesserim. *J. R. Syn. Met. Anim. Quadr.*

Partes Officinales ex Schrodero ab Hoffmanno adnotatô.

1. *Ipsi Bufones, & 2. Lapis bufonites.* [3. *Sperma.*]

1. Bufones siccantur in aere, transfossi per caput, collumve; siccati asservantur pro usu.

Vires.

Etsi animal sit deterrimum, venenosum ac abominabile, attamen non effugit usum Medicum, eumque tum internum, tum externum.

Internè pulvere ejus hydropicorum aquas per urinam educi, desperatus quidam expertus est hydropicus, qui præter spem attentatæ necis sanitatem illô acquisivit. *Petræus in Nosolog. p. 1. disput. de Hydrope, Wierus in observ. de Hydrope, ut & de præstig. dæmon. l. 3.*

Dosis ℨß.

(N. *Mallem ego minorem.*)

Extrinsecus imponitur bufo, parte qua venter est, anthracib. (*in aceto parum maceratus,*) ad eliciendum scilicet venenum, (*quod adeo feliciter præstat, ut attracto veneno intumescat,*) ingreditur itidem amuleta aeri contagioso arcendo dicata, hæmorrhagiam narium certo experimento sistit (*si vel pone aures per se applicetur, vel pugno includatur, ut calescat, vel axillis subligetur vel & collo appendatur.*) Idem & cinis s. pulvis præstare perhibetur *loco affecto inspersus. Renibus impositus* aquam intercutem per urinam pellere dicitur. *Umbilico alligatus,* fluxus hystericos retrahit & inhibet. *Plantis pedum appositus* capitis cordisque morbis phrenetidi febribusque succurrere statuit.

2. Lapis Bufonites, Chelonites, Battrachites, Borax. Gemma est bullæ instar, altera parte cava, altera convexa, coloris ex fusco pallentis aliquantum fusci, interdum nigri, albi, [*qui melior*] Viridis, Versicoloris.

N. *Reperiuntur in agris affirmant tamen alii eos in annosiorum, ac qui diu in arundinetis, inter rubos sentesque delituerint, bufonum capitibus generari, cui ut fidem adhibeam, dissuadet quorundam magnitudo.*

Vires.

Commendatur ad pestem & venena ceu remedium præstantissimum (*exhibitus:*) Imò sunt qui asserant, illum gestantes à venenis tutos esse, blandoque attritu inflationes à venenatis bestiis discutere, ac virus omne elicere. *Casp. Bauhin. de Lapide Bezoar. cap. 3.*

N. *Præsente poculo venenato fertur hic lapis colorem mutare ac sudare.*

(3. *Sperma Tympaniticis applicatur.*)

PRÆPARATA.
Ex Bufone.

1. *Amuleta* variarum descriptionum.

Cinis Bufonis (Bufo combustus) *incontinentiam Urinæ ex lacerato vesicæ collo ortam sanat. De collo suspensus, Observ. Henr. ab Heer.* 18.

2. *Pulvis* fit sola tritura, qua bufones optimè exsiccati in pulverem rediguntur.

N. *Mallem equidem bufones incineratos.*

3. *Sal* elici potest ex calcinatis bufonibus pulverique illi in hydrope substitui.

Dosis ad gr. iij. &c.

4. *Oleum.*

♃. Bufon. viv. N. iij. vel iv. per horam in Ol. Olivar. lib. ij. Coque, colatumque serva.

Vires.

Maximè commendant in maculis faciei, morphæa, aliisque affectibus seu ulceribus inveteratis abstergendis, (signatura sua maculata bufo ad maculas prodesse judicatur,) singulis diebus illinitur semel. *Hartm. Parac. t. 1. p. 1091. b.*

N. *Præferrem equidem ranas maculatas.*

5. *Ol. bufonum compositum.*

℞. *Ol. pedis vervec. q. v. bulliat cum sulphur. pulverisato, usque dum rubicundum ol. evadat. Hoc facto separetur Sulphur ab ol. in quod adhuc calens immergantur & suffocentur bufones, post expressionem destillentur.*

Vires. Præstantissimum est in digerendis tumoribus & hydrope.

Ex communicat. Dn. R. Joh. Kieferi.

[*Cabal Animal Indicum cujus ossis maxima vis in retinendo sanguine.*]

HOFMAN. *Bufo.*) Ex eorum est genere, quæ ex putrido terræ mucore generantur, animal plenum veneno, ut non immeritò terrestris toxici & contagiosæ virulentiæ bursa magnetica dici mereatur; tardissimum est ad reptandum, unde Saturni se sobolem esse demonstrat: tumidâ ac tuberosâ pelle veneni, quod continet, virulentiam signat: fœtore lethifero & halitu suo abominabili plantas & animalia inficit. Tanto in hominem odio est, ut suspensus & vellicatus ab homine præ nimiâ in illum rabie moriatur.

N. *Maxima fovetur antipathia inter bufones & araneas* &c.] Ab his icti *bufones* plantagine admorsâ sibi medentur. Sicuti lacerta à viperâ saucia subinde novas acquirit vires galegæ herbæ esu. Veneno etiam *bufonis* antidotus est aranea apposita.

Etsi animal sit venenosum, non effugit tamen usum Medicum, eumque tùm internum, tùm externum, &c.) Usu probatum est, *bufones exsiccatos* saltem in aëre & tritos innoxiè in morbis gravissimis quibusdam intrà corpus sumi posse. Unde *Marcellus Donatus in histor. Medic. Lib.7. c. 7.* bufonum adustorum pulverem in hydrope desperatâ commendat. In Peste Anglicâ Londinensi Ann. 1665. pulverem bufonum exsiccatorum ad ʒß exhibitum summè proficuum experti sunt Medici sæpius repetitum sudore semper injuncto. Celebris est historia *apud Wierum Libr. 3. de præstig. dæmonum cap. 3.* cujusdam hydropici, cui cum pulvis bufonis in ollâ usti ab uxore malâ offerretur, copioso reddito lotio & ventre ab aquâ exonerato per vesicam convaluit: unde diureticum audit, vid. *Solenander Sect. V. consil. XV.* Sal, quod nonnulli ex bufonibus combustis extrahere tentant, spem omnem illorum elidit. Nullum enim sal fixum ex animalibus combustis parari potest, sed salia volatilia per destillationem summâ △nis violentiâ saltem inde evocari possunt. Ideoque quæ de sale bufonum afferri solent, de illorum pulvere exsiccato venit intelligendum. *vid. Athanas. Kircher. in Scrutin. Pestis P. Joh. Faber Lib. V. Panchymic. & Cl. Helmont. in tr. de Peste.*

Extrinsecus imponitur Bufo &c.) *Nobiliss. Helmont. l. c.* fateri cogitur, se bufones applicuisse bubonibus & escharis, tam in viris, quàm mulieribus, ac ubique non sine prompto juvamine. Addit verò, se nunquam vidisse applicatum bufonem tantillum intumuisse: neque id possibile esse putat, cùm tumescentia sit actio vitalis Archei, qui in mortuo & siccato bufone evanuit. Verùm longè alia ratio hæc est, non enim idem accidit hîc bufoni exsiccato, quod vivo ab araneâ icto & confestim intumescenti: aut quod alij animali toxico assumpto, contingit. Illa enim intumescentia vera proprietas Archei vitalis est, assurgentis mediante fermentatione omni nisu ad exoticum illum hospitem ex corpore exterminandum. Sed præsens actio est sympathetica & magnetica quâ virus pestilentiale ut simile extrahitur. Neque ad tumescentiam hanc requiritur ipse archeus vitalis bufonis, sed accidit illa, quatenus porosa & bufonis substantia exsiccata, & instar spongiæ humores istos venenatos attrahit.

Ingreditur itidem amuleta aëri contagioso arcendo dicata.) Cùm hujusmodi remedium ipsâ morte sit horribilius, vel ut ab hominibus delicatioribus admittatur, Medici per experientiam edocti elegantiorem & efficaciorem Eos præparandi modum invenerunt *Buclerus* Hybernus Chirurgus, ut *Cl. Helmontius* refert, primus hujus antidoti inventor, Londini aliquot millia hominum peste curaverat hoc pacto.

Bufones Magnos Mense Junio post meridiem captos cruribus suspendi propè focum aut carbones succensos illisque patinam ex cerâ flavâ confectam substerni jusserat; tandem à triduo suspensionis bufonem invenit mucosam quandam materiam unà cum nonnullis insectis, videlicet muscis nitentibus alis subviridi colore veluti deauratis evomuisse. A vomitu verò *Bufo* veluti jam animata sobole privatus mox obiit, quamvis dicta insecta, licet pronus penderet, ante triduum non evomuerit. Has sordes vomitu rejectas & exsiccatum bufonis cadaver seorsim in pulverem tundi jussit & cum tragacantho seu gummi Arabico trochiscis formatis fœliciter tam ad præservationem pestis, quàm ejusdem curationem usus fuit. Hujus veram & probatam experientiam attestatur *Ath. Kirch. l. c. & Cl. Zwelferus in Pharm. Reg. p. 140.*

Renibus impositus aquam intercutem per Urin. expellere dicitur.) Observatione dignum est, quod sibi experientiâ compertum esse testantur supra citatus *Wierus & Varignana* bufonem sylvestrem, qui in nemoribus reperitur per ventrem sectum & renibus alligatum aquas hydropicorum per Urin. educere, & cùm amplius evacuare volumus, applicationem esse renovandam. Inducitur, inquit *Cl. Helmontius*, idea metus renibus, quâ indignationem amittunt. *in tr. ignotus Hydrops §. 36. River. in praxi p. m. 207.*

Sequens ceratum ex bufone paratum etiam utile.

℞. *Bufonum lib. j. olei oliv. lib. ß. ceræ ℥iiij bulliant in ollâ ad medietat. Col. & f. ceratum, quod extend. super alut. regioni renum & lienis applica.*

N. Ad Urinæ incontinentiam valet etiam sacculus collo appensus, in quo est pulvis bufonum in novâ ollâ ustorum *Heinric. ab Heer. Libr. 1. observ. 14.* Contrà scrophulas coquit etiam *P. Borellus C. 4. observ. 38.* in oleo olivarum & applicat. Pulvis bufonum exsiccatus & sacculo cordi appensus omnem sistit hæmorrhagiam; in narium hæmorrhagiâ cervici in uteri, podicis venæ alicui imponitur. Sequens Emplastrum attrahens *Cl. Knefœlii* ex bufonibus summè prædicatur.

℞. *Succini opt. pulverif. ℥ß. bufon. exsicc. & pulverisat. ℥j. M. & huic in Alemb. tantum sp. vini adde, ut transversum digitum emineat, in MB abstrahe hunc spiritum usque ad consistentiam magmatis, ter affuso semper novo. Cujus quantitas præsens commiscetur & optimè subigitur cum Empl. de meliloto in Emplastri consistentiam. Hoc in singulo, ubi opus est, emunctorio applicatum proficuum est etiam in anginis illis spuriis ad collum gestatum.*

Lapis Bufonites.) Quod vulgus de *Lapide Aranearum* perhibet, illas prægrandes lapillo fœtas conspici, eumque ceu arcanum incantamenti omnes sistere hæmorrhagias, quem quoque nonnulli aiunt Araneam emovere, si telæ, quam texuit. & in quâ media habitat, subduxeris valerianæ radicem, hoc ut fabulas & meras sapit nugas, idem istud & de *Lapide Bufonum* dici meretur. Hic Lapis vocatur *bufonites*, sive *crapaudina*, *chelonites*, *batrachites*, hunc *Saracenus de Peste* cap. 7. in bufonibus annosioribus tantùm reperiri scribit, & quidem in capite. Alij in cerebro, quidam à viscositate spumæ, quam bufones vere congregati eructent in caput alicujus eximij quasi *Regis bufonis*. *Encelius de Metall. Libr. III. c. 37.* Affirmat eundem ex *bufonibus* productum *Levinus Lemnius de occult. Natur. Miracul. Lib. 2. c. 30.* & statuit habere eandem virtutem, quâ bestia imbuta est, ut verus eliciat, *Libavius Libr. II. Batrach. cap 22. schol. 416.* tubercula, quæ bufones in capite gestant, ut videantur cornuti, quæq; pressa humorem lacteum fundunt, istud lac in senibus bufonibus in locis calidioribus in nodos concrescere lapideos. *Bauhin. de lapid. Bezoar. c. 3.* Verũ *Boëtius de Gemmis hunc ex bufonibus* oriri negat. *Lib. II. c. 149.* & potius *ad Lapides stellares* in agro reducit *Olaus Wormius Lib.*

2. *Musei cap* 18. putat instar fungi nasci, saltem in saxis & petris.

3. *Sal elici potest ex bufonibus calcinatis* &c.) falsum hos est. Nullum alkali ex animalium combustorum reliquiis est expectandum, sed omnia volatilia sunt per retortam △ue aperto elicienda & postmodum rectificanda.

De Usu Bufonum medico
Hæc rursus habeto.

Die 8. Saturn. Maij An. 1686. Quidam generosissimus Dn. *Von Thinen*, consilio meo adversus morbum ut uteretur suum, rus in aulam accersivit: inter alia discursus de Bufonibus incidit. Narravit mihi prælaudati Domini Von Thinen perillustris Conjux de quodam concionatore, qui homini furibundo in vertice capitis bufonem exsiccatum imposuit, quo facto illico furoris æstus sedatus, homoque sanatus est: proinde optimè *Petrus Johannes Faber cap. XXIV. Myrothecii lib. 7.* dicit: ubi posuit natura mortem, ibi etiam vitam collocavit, ut morti mederetur. Ex bufonibus salem prædictus *Faber* multis morbis curandis utilem parat. Revera in natura nihil tam abjectum, quod non eximiarum virtutum in genus humanum promptuarium est, & ex quo non divinæ bonitatis character emittat. Idem *Faber. lib. 5. c. 8. p. 631. panchymia* pulchrè explicat, quomodo suo veneno bufo mustellam ad se attrahat. Etiam erudita sunt quæ de bufone Excellens Avicenna in *suo regno Animali* curioso opere discurrit. Bufo in terra gradiens aquilæ in aëre volitanti alligatus, est materia Lapidis Philosophorum. *Michael Majerus in Symbolis aureæ mensæ l. 5. p. 195. Avicennæ* tale Symbolum assignat: Aquila volans per aërem, & bufo gradiens per terram ipse *Michael Majerus* inter sua insignia hoc Symbolum in imagine delineatum repræsentat. Forsan indultu Rudolphi Imperatoris, cui fuit à consilijs, & eo denotatur quod fuerit adeptus. Cæterùm hac nostra Holsatia oriundus. *D. Joh. Ludov. Hannem. Misc. Cur. Dec. 2, Ann. 5.*

Mictus sanguinis bufone exsiccato sublatus.

Mira fuit historia in conjuge cujusdam Nobilis Marchici de Sidovv. observata à *D. Scharlachio*; huic scil. post partum & etiam aliàs sanguis copiosissimè per urinas sæpiùs etiam in grumos concretus effundebatur: omnibus frustrà adhibitis cum planè debilitata esset, alligatus fuit bufo siccatus humero dextro petiæ ex sindone duplicatâ inclusus; post triduum convaluit. *D. Gothofr. Samuel Polis. Misc. Cur. Dec. 2. Ann. 4.*

BUFONITIS, vid. *Bufo*, item sub Titulo *Lapis*.

BUGLOSSUM.

Buglossum à similitudine foliorum dictum est, quæ tum figurâ suâ, tum scabritie linguam bubulam repræsentant.

Ejus *Notæ* sunt semina rugosa, flores in quinque segmenta obtusa seu orbiculata expansi.

Nomina. Buglossum vulgare *J. B. Park.* angusti folium majus *C. B.* Buglossa vulgaris *Ger.*

Vires. Easdem obtinet vires quas Borrago. Flores sc. insignem habent usum in Melancholicis & Hypochondriacis affectibus. *S. Pauli.* Sunt è numero quatuor Florum cordialium.

Epilepsiam desperatam curabat quidam (lingua & ore illito) potu continuo vini & florum buglossæ per semestre integrum mandato. *J. Raius. ex D. Soame.*

BUGLOSSUM SYLVESTRE, vid. *Echium.*

BUGULA.

Bugula Gallicæ originis vox est; Gallis enim *Bugle* dicitur hæc herba.

Notæ ejus sunt, præter communem huic generi, nimirum *florem* galeâ carere, sunt caules duum generum alij repentes & teretes, alij quadrati, erecti, flores sustinentes, in spicam laxam dispositos.

Nomina. Bugula *Dod. Ger.* vulgaris flore cæruleo *Park.* Consolida media pratensis cærulea *C. B.* Consolida media quibusdam Bugula *J. B.*

Alia etiam datur Bugula quæ sylvestris villosa, ac Consolida media Genevensis dicitur, quæ apud nos non parum familiaris est, villositate sua ab alia se præcipuè distinguens.

Viribus cum Prunella convenit. Vulneraria est tam intrinsecus quam extrinsecùs adhibita. Confert & ictero, hepatis obstructioni, urinæ retentioni, &c.

Gallis vulgo dicitur illum Chirurgi operâ non indigere qui Bugulam & Saniculam habuerit

Commendatur Bugula ad disrupta, fracta, convulsa cæsaque idcirco & potionibus vulnerarijs additur, in quibus tanta ejus vis esse dicitur, ut sanguinem concretum resolvere ac discutere valeat.

Præsens remedium dicitur aphtis & ulceribus in ore serpentibus.

Unguentum è folijs Bugulæ, Scabiosæ & Saniculæ tusis & in axungia bullitis ad siccitatem usque, & deinde expressis ad omne genus ulcera, contusiones & vulnera sananda plurimùm valere scribit *Parkinsonus*, qui ejus usum nobilibus matronis commendat. *J. Raius.*

BULBOCASTANUM.

Bulbocastanum sic dictum *Tralliano* tentur, quòd figurâ radicis bulbos, sapore gustuque Castaneas scitè exprimat.

Radice autem tuberosâ, folijs tenuiùs incisis, semine longiusculo, glabro. Umbellâ minimè clausâ ab alijs Umbellatarum generibus facilè distinguitur.

Nomina. Bulbocastaneum *J. B.* majus & minus *Ger.* minus folio Apij *C. B.* Nucula terrestris major *Park.*

Vires. Radix nostratibus effoditur, & cruda estur: Verùm excorticata, & cum modico pipere in jure carnium cocta, suavis admodum cibus est, multùm nutriens & Venerem stimulans. Medicamentis addita cruenta mingentibus & etiam spuentibus auxiliatur, *Tralliano* id attestante.

In pascuis, non tamen pinguibus, sed glareosis copiosissimè proveniunt. *J. Raius.*

BULBUS.

Bulbus est radix subrotunda vel pluribus tunicis in orbem se amplexantibus, vel pluribus squamis imbricatim ferè dispositis coagmentata, fibras plurimas ex ima sede seu basi emittens.

Interdùm latiùs accipitur pro radice quavis uno tubere constante etiam solidâ & substantiâ continuâ, nec divisa in squamas aut tunicarum involucra, fibras ex ima sede aut basi emittente. Sic Croci & Colchici radices bulbosæ censentur. *J. Raius.*

BULBUS ESCULENTUS, vid. *Ascalonium.*

BUNIAS.

Nomina. Napus *J. B.* Napus sativa *C. B.* Bunias *Ger.*

Caule assurgit cubitali & altiore, multis alis concavo: *folia* parte infima pinnis caulem ramosque amplectuntur pediculis destituta, aut ijs membraneis hærentia, & inferiora quidem sinuata, superiora non item, in acumen desinunt: (*Lobelio* folia minùs scabra quàm Rapo.) *Flores* lutei, Brassicæ *semen* quoque simile aliquatenus in *siliquis* longis; at *radix* Rapitia est, minùs tamen in ventrem extuberans, altiusque demissa, sapore carnis compactioris candidæ acriusculo, (suaviore quàm Rapi longi cibisque delicatiore *Lob.*) Color radicis plerunque candidus, iterdum luteus aut croceus.

Locus. In hortis ſeritur. Monſpelii copioſè provenit, non tamen ſponte.

Vires. Radices ſunt Rapi candidiores, iiſdem tamen viribus pollent. Semen potum venenorum vires hebetat, ob id & antidotis admiſcetur, ut Theriacæ.

Napi Grotlandici vires in Scorbuto ab experimentis deprædicat *Th. Bartolin. Act. Med. An.* 176. *J. Raius.*

Bunium Falsum, vid. *Pſeudobunium.*

Buphtalmum, vid. *Oculus Bovis.*

BUPLEURUS.

Auricula leporis à foliorum ſimilitudine dicta herba à Botanicis nonnullis Antiquorum *Bupleurum* exiſtimatur, an rectè, non diſputabimus: quin ſive rectè ſive ſeciùs, quod uſurpavit nomen per me licet retineat. *J. Raius.*

Nomina. Bupleurus folio ſubrotundo ſive vulgatiſſimus *C.B.* Auricula leporis. Umbellâ luteâ *J.B.* An Bupleurum anguſtifolium *Park?*

Vires. Quoad ejus qualitates. Bupleurus calidus eſt, ſiccus & lythontripticus. *Meuve.* Semen intus exhibitum efficax ab aliquibus reputatur contra ſerpentum morſus.

Burga spina, ſive Spina Cervina, vid. *Rhamnus.*

BURSA PASTORIS.

Nomina. Burſa paſtoris *J.B.* major vulgaris *Ger.* major folio ſinuato *C.B.* Thlaſpi fatuum Burſa paſtoris dictum *Park.*

Nonnunquam palmaris, pedalis interdum & cubitalis aut etiam ſeſquicubitalis eſt planta. *Radice* nutritur exili, rectâ, albâ, fibroſâ, ſapore ſubdulci & nauſcoſo; è qua prodeunt *folia* oblonga, modò integra, plerunque tamen profundè utrinque laciniata, laciniis in acutas cuſpides deſinentibus, Dentis leonis ferè in modum, nonnihil hirſuta, pediculis uncialibus potiùs ex anguſto principio ſenſim dilatata, cùm ſuperiora quæ in caulibus ſunt latâ baſi, abſque pediculis iis adnaſcantur, laciniâ ſeu auriculâ utrinque productâ eos velut amplectentia, nec omnino laciniata ſint. E foliorum medio *caulis* unus, duo, tres, quatuorve vel plures exſurgunt, in ramulos alternatim poſitos diviſi, medius ab imo ſtatim. Summi caules & ramuli in longas veluti ſpicas excurrunt floſculorum pediculis tenuibus ſemuncialibus inſidentium. Sunt autem *floſculi* parvi, albi, quatuor petalis ſubrotundis minimè bifidis compoſiti, cum *ſtaminulis* aliquot apices luteos geſtantibus. Floſculis delapſis, pediculi in uncialem longitudinem excreſcunt, & ſeminum receptacula ſuſtinent, ex acuto principio in latiuſculam bifidam crumenulam deſinentia, à caule extantes, & rectos cum eo angulos efficientes, aut etiam deorſum nonnihil reflexi. *Semina* in ſingulis vaſculis continentur multa minutiſſima, per maturitatem fulva aut ſubruffa.

Vires. Aſtringit & conſtipat, hinc valet in hæmorrhagia narium (ſi peſſum è cottone factum & ejus ſucco intinctum naribus indatur *Brunſ.*) diarrhæa, dyſenteria, lienteria, vino rubro vel aqua fluviali in qua chalybs candens extinctus fuerit decocta ac pota, vel ejus ſuccus expreſſus, in mixtione cruenta & gonorrhæa (ſucci expreſſi ℥. j. epotâ aut herbæ ſiccatæ juris duplo *Matth.*) menſtruorum fluxu nimio. Externè vulneribus ſolidandis à plebeis adhibetur, nec ſine ſucceſſu. Quinimo additur ſæpius cataplaſmatis febrifugis quæ carpi imponuntur.

Burſa paſtoris non tantùm hæmoptoicis opitulatur, ſed etiam certè medetur gonorrhœæ; quam ſingularem obſervationem poſt *Tabernamontanum* celeberrimo *Seberio* practico inſigni debemus. *J. Raius, ex S. Pauli.*

BURUNGI.

Quid per Burungi *Meſue*, dum hoc verbo, in confectione Anacardina utitur ſignificatum voluerit, Autores plurimùm inter ſe diſſentiunt. Alii cubebas, alii ſemen Erucæ, alii melanthium, alii tandem meliſſam per hoc intellexiſſe illum volunt. At *Bauderonus* hanc litem dirimit, dicendo perinde eſſe Pharmacopolæ utrumcunque ex iis adhibeat, quoniam ingredientia hæc quatuor calida ſunt quarto gradu optiméque conveniunt non modò in frigidis affectibus abdominis, ſed & in morbis cerebri. *Meuve.*

BUTYRUM.

Quoad ejus proprietates attinet, ab omni humiditate deſtitutum & aëri expoſitum mediocriter induteſcit, iterumque caloris operâ facilè liqueſcit.

Vires. Butyrum recens parum calfacit, non multùm nutrit, emollit, lenit, pectorale eſt & nephriticum. Butyrum liquefactum calidè epotum vomitum ciet. *Meuve.*

Plura vid. ſub titulô Lac; jam adferamus aliquot butyrorum compoſitorum Præparationes.

Butyrum rubrum potabile.

℞. Butyr. Majal. lib. iij. Rad. anchuſæ ʒ. iv. rubiæ tintor. tormentill. ana ℥. ij. ſpermat. ceti ℥. ß. vini generoſ. q.ſ. Coq. ad conſumptionem vini, & butyrum ſerva.

Butyrum viride potabile, Pharm. Norib.

℞. Herb. ſalv. hyſſop. marrub. menth. beton. ſcolopendr. ſcabioſ. cichor. fœnic. meliſſ. veron. matriſylv aquileg. rut. petroſel. millefol. cent. min. agrimon. ariſtoloch. rot. plantag. cum toto ana m. ij. butyr. majal. lib. viij. Infunde herbas omnes recentes ſuo quamlibet collectionis tempore in butyro, ſtentque donec omnes collegeris & infuderis, poſtea exprime, expreſſum coque ad conſumptionem aquoſitatis & butyrum ſerva.

Vires. Sunt ſatis notæ in contuſionibus internis à caſu ab alto, ſanguine reſolvendo, &c.

Butyrum viride potabile aliud. è J. H. Junck.

℞. Rad. conſolid. major. ariſtoloch. rot. ſymphiti, ana ℥. j. Fol. ſalv. hyſſop. heder. terreſtr. millefol. ſanicul. veron. auricul. muris min. fragar. prunell. plantag. utriuſque cum rad. ana m. ij. Infunde herbas omnes recentes in butyr. Majal. lib. viij. & dum omnia collecta ſunt adde cancr. fluviatill. contuſ. n. xx. coq. omnia leni igne, donec herbæ quaſi frixæ apparent, tunc cola & adde ſpermat. Ceti ℥. iv. miſce & ad uſum repone.

Vires ſunt inſignes in læſionibus internis à caſu contuſionibus, conquaſſationibus, &c. ſumendo cochlear unum cum juſculo calido. *J. H. J. Lex. Pharm.*

BUXUS.

Buxus à Græco πύξος, folijs perpetuis parvis, odore gravi materie ſolida ponderoſa flavicante, fructu tricuſpide & tricapſulari cum ſex intus ſeminibus lucidis ſpadiceis, ab alia quacunque arbore facilè diſtinguitur.

Buxus duplex eſt *major & minor*, ſeu *vulgaris & humilis*, de priore hic.

Buxus vulgaris.

Nomina. Buxus *J. B. Ger.* arboreſcens *C.B.* arbor vulgaris *Park.*

Vires. Quidam (ut *Amatus*) erroneè Buxum cum Guajaco eandem eſſe arborem putârunt: in lue venerea idem præſtare decoctum ligni ejus cum decocto Guajaci aſſerunt *Amatus, Prævotius* & alij. *Lobelius* quoque virgulta, lignum & folia decocta Guajaci modò ſudores elicere ſcribit, hujuſque decocto famulam pauperculam Anglam à lue venerea vindicatam. At ditioribus propter ingratum & tetrum odorem rejicitur. Nunc dierum tam à pauperibus quàm à ditioribus repudiatur, nec in uſum medicum venit. *Fernelius* folia Buxi inter purgantia recenſet, verùm hodiè ea nemo præſcribit.

Ali



Alij ligni scobem astringere atq; exiccare aiunt, unde decoctam in aqua alvi profluvia sanare tradunt, & cum vino rubro prodesse in doloribus dentium à frigidis fluxionibus.

Decoctum Buxi in lixivio pilos mirificè generare ab experientia confirmatur, *Ephem. Germ. An. 12. Observ. 155.*

Infusio foliorum teneriorum Buxi in vino albo, calidè colata & propinata citò sanat colicam flatulentam. *Blegny.*

Sunt qui oleum è ligno Buxi destillant summè narcoticum, idque magnopere commendant in Epilepsia, Odontalgia, dentibusque corrosis. *Quercetani Pharm.*

Hodie pectinum dote commendatur Buxi materies ex qua laudatissimi fiunt: imò & olim fiebant. *J. B.* Fiunt & pyxides, nomine etiam communicato, cochlearia, cultrorum manubria, latrunculi, doliorum fistulæ, nucifrangibula, radij textorij, cochleæ, trochi, radij Mathematici, amusses, regulæ, Quadrantes aliaque instrumenta Mathematica & utensilia innumera. *J. Raius.*

LIBER III.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

C.

CACABUS, vid. *Instrumenta Pharmaceutica.*

CACALIA.

Nomina. Cacalia incano folio *Ger.* folio rotundo incano *Park.* folijs crassis hirsutis *C. B.* Cacalia quibusdam *J. B.*

Datur & alia Cacaliæ species, quæ *Casp. Bauh.* Cacalia folijs cutaneis acutioribus & glabris dicitur.

Hoc genus multis præditum est *foliis*, Tussilaginis vulgaris folijs penè similibus, majoribus tamen, mediæque inter illius & alterius majoris, Petasitis vulgò creditæ, folia quodammodo magnitudinis, circinatæ ferè rotunditatis in ambitu serratis, supernè dilutiùs virentibus, infernè incanis, angulosis, in quibus multæ apparent venæ sive nervi, gustûs ingrati, amariusculi & calidi; innituntur autem purpurascentibus & striatis pediculis. *Caulis* illi bicubitalis interdum, striatus, purpurascens, non secus ac foliorum pediculi, hirsutus, medullosus; cui per intervalla innascuntur alia folia, oblongis pediculis prædita, supradictis minora, magis angulosa, etiam in ambitu serrata. Supremus caulis extremique ramuli purpurascentium capitulorum congeriem instar umbellarum ferunt, in quibus terni plerunque *flosculi*, quaternis foliolis bifidoque stylo constantes, purpurascentis coloris, odorisque valdè tenuis non tamen ingrati, qui in pappum seu lanuginem abeunt (perinde ferè ut Eupatorij aquatici flores) in qua oblongum semen latet. *Radix* in multa capita extuberat, frequentibus, candidis, longis, fibris donata est, singulis annis novos caules ad latera proferens. *J. Raius.* Vide ejus figuram hic adjectam quæ facit hujus Operis Tab. 3.

Vires. Radix in vino infusa, masticata, aut in formam Electuarij redacta tussi inveteratæ fauciumq; asperitatibus non minùs quàm gum. tragacanth. mucilagines, opitulatur. Grana quæ floribus succedunt contusa & cuti illita ejus rugositates tollunt *Dioscorides.* Idem confirmat *Galenus* dum de Cacalia sub nomine Cancanonis verba habet. *Meuve.* Valet præterea hæc planta ad emolliendum, ac cicatrices inducendas; item ac serum acrius in fauces illabens inspissandum.

CACAVI. De eo vid. sub titulo *Yuca.*

CACAO,

Nomina. Cacao *Ger.* Cacao sive Cacavate *Park.* Cacao Americæ sive Avellanæ Mexicanæ *J. B.* Amygdalæ similis Guatimalensis *C. B.*

Quatuor hujus arboris species habentur, (nonnulli quintam addunt) magnitudine inter se differentes. Omnes locis riguis, pingui & uliginoso solo gaudent: In nova *Hispania, Guatimala, Nicaragua, Hispaniola, Cuba, Jamayca,* &c. tum sponte proveniunt, tum magno studio coluntur. Omnium fructus ejusdem ferè sunt facultatis, minorum tamen potionibus magis inserviunt, majorum nummis atque commercijs. Omnes Solarium radiorum ardoris, nocturni frigoris & ventorum tempestatum, adeò impatientes, ut spontaneæ non nisi in vallibus umbrosis appareant, cultæ patulam quandam & umbrosam arborem juxta plantari requirant [*Cacao quanathli,* sive matrem Cacaviferæ appellant,] ut à cœli injuriis ejus veluti sub umbone tutiores sint. Omnes facilè circurari se patiuntur, Hispani certè integra ex ipsis arboreta & plantant & colunt, non secus atque in Europa vineta & oliveta. A secundo ætatis anno (*Huges* verò à septimo) fructificant, & quolibet anno bis: vindemiantur enim primùm & uberiore fructu circa Junium, iterum circa Januarium. Ab anno vigesimo devigescunt & sterilescunt.

Cacava quahuithl.

Omnium maxima, arbor ut mediocris, trunco Pruni nostratis crassitie, non tamen usq; adeò procera, cortice glabro undique cincta, egregiè frondosa, ramis quaquaversum extentis Cerasum fructu cordiformi perbellè refert: eâ tamen cùm penitus adolevit, aliquanto magis in circuitu patula, & tantillo elatior est. In folijs etiam non magna est discrepantia; hujus enim pariter acuminata sunt, verùm circa margines æqualiora, obscuriùs viridia, & Aurantiæ folijs similia, sed angustiora & longiora, nullo ferè pediculo cauli adnatæ, nervo unico & recto prædita, ex quo multæ obliquæ venulæ sursum emergunt. *Flos* ei magnus, & colore & flavo albescens instar Croci: quo deciduo remanent tenuia, viridia, oblonga & lanuginosa filamenta. Ex his deinde proveniunt fructus turbinati, quos *Cacauatentli* vocant, ramis & surculis, nullo interveniente pediculo, proximè adhærentes. Hi cùm maturuere Melonibus magnitudine, crassitie, pondere non cedunt, coloreque sunt croceo ex luteo albidi, incisuris per longum varijs: nuclei viceni, sæpè triceni, qui racemi instar medio stipiti adhærent, Pistacijs aut Ricini majoris semini similes, paulò tamen grandiores, & pelliculâ fulvâ vestiti, quâ sublatâ videntur non absimiles reni vaccino secundùm incisuras quibus sunt divisi. Substantia eorum intus est tenuis, & spadicei ferè coloris, in dispares divisa particulas, sed quæ arctè inter se hæreant, adeoq; fit pinguis, ut sponte humor, quantum vis sit lentus, aliquando stillet; imò oleum ex ea abundantiùs quam ex Amygdalis exprimi possit. Pulpa hæc subamari, non ingrati tamen saporis, multi nutrimenti, temperamēti subfrigidi atq; humidi. *Hughesius* nostras fructum accuratiùs describit, est is initio viridis, qui prout magnitudine augetur, ità figurâ & colore variat ad perfectam usq; maturitatem. Nonnulli subrotundi sunt Pomorum instar, alij oblongi Cucumerū forma, verum pleriq; ovati. Melonibus non absimiles, magnitudine varij, à Mali sylvestris ad Pyri maximi aut Melonis mediocris molem; ejusmodi etiam cortice duro, minùs tamen quàm in Melone crasso, tecti: quo vel leviter inciso nuclei statim apparet. Præterea exterior pars fructûs seu crustæ tuberculis quibusdam inæqualis est, secus quam in Melone, velut ornatûs causâ à natura factis, protuberantijs ijs quæ in Pomis vulgaribus non rarò cernuntur similibus obtusis, extremi digiti magnitudine. Color fructūū pro maturitatis ratione variat, ad quā quò propiùs accedunt, eo colore rubente seu incarnato, ut vocant, magis sunt tincti, & striati,

præcipuè ex parte Soli obversa ad modum Pomorum vulgarium; unde & maturitas cognoscitur.

Nuclei *Cacao* dicti membranulis singuli singulis includuntur, gelatinam quandam lacteam includentibus, quæ in ore illico liquescit. Nucleorum numerus pro fructuum magnitudine variat, à duodenario ad tricenarium & ultra. Magnitudine sunt Amygdalarum vulgarium, non tamen adeò compressi, membranâ tenuissimâ seu cuticulâ cincti, ante maturitatem albentes, cùm plenè maturuere obscurius rubent: exsiccati & *Chocolatæ* conficiendæ idonei nigricant, magis, & ad calorem renis bovilli accedunt, quem & incisuris suis imitantur: in primis autem hisce subfissuris pinguis quidam & oleosus humor invenitur.

Cùm fructus colligerint corticem exteriorem (qui nullius ferè usûs est) incidunt, & incidunt, & nucleis exemptis abjiciunt. Hos pelliculis exutos & à mucilagine adhærente detersos, super storeis aut linteaminibus expansos Soli exponunt, donec humore omni evocato, perfectè exsiccentur.

Nuclei probè (ut loqui amant) curati gustu, ut diximus, subamari sunt & pingues seu oleosi, calore temperati, ut nonnullis videtur sicci & adstringentes, quod non probat *Hughesius*; uti nec *Piso*, qui substantiam *Cacao* ex crassioribus simul & tenuioribus partibus compositam tribuit. Nam in pulverem, inquit, redigitur primùm, & solâ mox, ersi frequenti tusione, pinsitur, & in massam cogitur: Quod cùm fiat sine ullius rei admistione ratio arguit aliquid ei inesse tenacis & bituminosi humoris. Multa insuper eidem, quibuscum suaptè naturâ immiscetur insunt ignea, quæ necessariò incidere & reserare debent corporis meatus, non verò præcludere, ut quidam volunt, nisi hoc intelligatur de crudo, vel tosto, vel Sacchar o condito, quo mulieres in Indiis nimium vesci amant, unde uteri, alvi & hypochondriorum obstructiones incurrunt difficillimas. Verùm totum hoc oritur, quòd interior ejus substantia dentium incisione non exactè comminuitur, nec perfectè commiscetur: requiritur enim artificiosa molæ versatilis contritio, atque tunc demum si quid noxiæ supersit frigiditatis aliorum calidorum commistione temperatur. *Hughesius* negat ullam, mulieribus Indicis ex horum esu, noxam accedere; seque sæpiùs esitasse crudos magno numero tum in Jamayca, tum inter navigandum, nec tamen ullum indè nocumentum sensisse affirmat. Electione tamen utendum, nec esitandas mucidas, cariosas, aut ullo modo corruptas seu vitiosas: verùm integras, pingues, bene asservatas & sapidas. Asserit tamen nuces hasce quantumvis diligenter curatas, exsiccatas & reconditas à marina tamen aura inter vehendum, aërisque mutatione & humore nimio affici, situm contrahere & paulatim corrumpi, ut multæ antequam huc appulerint, cariosæ, mucidæ aut alio modo vitiosæ inveniantur. Restat enim etiam in optimè asservatis unctuositas quædam, quæ eas cœlo humidiore ad mucorem & corruptionem disponit. Hinc massa Chocolatæ quæ in America conficitur longè præstare creditur ei quæ ex nucleis huc transvectis in Europa paratur. Asserit autem tum Hispanos, tum etiam Anglos arborum harum magna Pomaria instituere, in quibus eo ordine eâque distantiâ, plantas disponunt quo nostrates solent Cerasos in Cerasetis. Solum autem initio lævigant, & ab inutilibus herbis expurgant, quas etiam deinceps curiosè evellunt, nè arbores eis suffocentur, aut detrimentum capiant.

DE CHOCOLATA.

Chocolata Hispanis reliquisque Europæis *Chocolatl* Mexicensibus, accipitur vel pro Massa ipsa è nucleis *Cacao* vel solis, vel cum alijs fructibus aut aromatis mixtis, confecta, vel pro potione inde facta. Simplicia alimentaria & aromatica quæ Chocolatæ compositionem ingrediuntur hæc recensent *Piso & Hughesius*.

1. *Atolli*, i. e. Mayzij sive Frumenti Indici farina, in aqua ad modum pulticulæ soluta.

2. *Achiote* seu *Achiotl*, i. e. grana rubra fructuum *Urucu* è quibus pastillos faciunt ad tingendum utiles, quos & Chocolatæ admiscent ad gratum simul saporem & colorem conciliandum.

3. *Chilli* seu *Chille*, i. e. Capsicum seu Piper Indicum: quoniam valdè calidum est paucâ quantitate ad orexin excitandam Chocolatæ admiscendum est, non tanta ut sanguinem inflammet.

4. *Mecaxochitl*. Mexicanis, quam sic describit *Fr. Hern.* volubilis est herba, binos dodrantes longa, per terram repens, folia ferens magna, pinguia, obrotunda, odora & acris saporis, *caules* teretes, contortos, & præterquam undè pediculi oriuntur læves, per terram repentes ac circa singulos foliorum exortus *radices* oriuntur fibratæ, capillisve pares. *Fructus* Piperi longo persimilis est.

Loc. Nascitur humectis locis regionum ferventium, qualis est *Quauhnahuacensis* & *Hoctiacocothensis*.

Vires. Calida est & sicca, ad Piperis longi species attinens. Bibitur cum Chocolata, cui gratum saporem conciliat, corroborat, ventriculum calefacit, oris halitum emendat; crassos lentosque humores attenuat, adversatur venenis, iliacis & colicis confert, urinam evocat, menstrua ac partus emortuos trahit cum Tlilxochitl, vivosque accelerat, obstructa reserat, frigora & ex iis ortos dolores tollit, rigoribus febrium opitulatur.

5. *Xochinacatlis* seu Flos auriculæ, *Orejuelas Hughes.* Oregioella *Clus.*

Hujus florem solum Chocolatæ immiscent, (olim immiscere solebant) ad odorem & saporem suavem ei addendum.

6. *Vaynillus* seu *Banillus*, i. e. Tlilxochitl *Hernandez.* de quo nos sub proprio nomine.

7. Piper Tavasci sive Xoconochitl *Hernand.* Piper odoratum Jamaycense nostratibus, Carpobalsam. Off. *Hughesius* inter simplicia Chocolatam ingredientia recenset, de quo alibi diximus.

8. His addit *Piso* liquorem quendam resinosum, πολύχρηστον, quem Indi *Holli*, Hispani *Ulli* nominârunt, destillantem ex arbore *Holquahuytl*, dicta, seu Chilli, quæ stipite est lævi, &c. Hic rariùs admiscetur Chocolatæ, tunc potissimùm cùm Diarrhœæ aut Dysenteriæ mederi volunt, nucleisque quatuor *Cacao* uncia unica *Holli* miscetur. Verùm *Cacao* nuclei ob pinguedinem, & gummi *Holli* ob tenacissimum gluten primùm debent torreri, nè viscera obstruant & cachexias producant.

Hæc aliáque vegetabilia, inquit *Piso*, Novæ Hispaniæ patria, non idcirco putavi recensenda, quòd omnis potio Chocolata simul ea recipere debet, sed ut ex iis quisque sibi maximè conveniens eligat. Indi ante Hispanorum adventum simplici Cacao farinâ contenti à compositionibus abstinebant, sanitatis potiùs tuendæ soliciti, quàm palato gratificandi.

In Jamayca Cacao nucleo crassè contriti in panes seu massas librales aut bilibres trilibresve efformantur absque ulla mixtura. Hanc pastam antequam pro potu utuntur radulâ in scobem seu pulverem tenuissimum comminuunt. Atque hanc massam à mercatoribus & nautis in Europam sæpe allatam, ex optimis esse pastis quæ Chocolatæ haberi possunt affirmat *Hughesius*. Nec enim convenit, inquit, ut nuclei in tenuissimas particulas comminuantur, hinc enim

enim aëris impressionibus magis obnoxia evadit massa, & spiritus soluti faciliùs evolant, relictâ pastâ fatuâ & insipidâ.

Varios Chocolatam parandi & componendi modos describunt *Piso* & *Hughesius*.

1. *Cacao* nucleos probè curatos, & in Sole, vel supra lentum ignem in vase convenienti siccatos, detractis cuticulis in mortario marmoreo tundunt & comminuunt in particulas tenuissimas, pastam indè efficientes quæ vel seorsim, vel addito ovo & farinæ Mayzij tantillo; in rotulas, pilas, trochiscos aliasve massas formari potest, vel in pyxides immitti; quæ super asseres seu tabulas æquales supposito folio aliquo aut chartâ mundâ in umbra siccanda, in Sole liquescunt, adeóque brevi indurescit pasta, & ad hebdomadam, mensem, anni dimidium, aut etiam integrum annum pro usu quotidiano servari potest.

Si nucleos in sartagine supra ignem exsiccas, cavendum tibi est nè adurantur. Nuclei non nimis tundendi sunt, nè plus æquo oleosi evadant. Panes & rotulæ Chocolatæ curiosè compingi & lævigari debent, ne rimis aut fissuris hient, adeóque aëre se insinuante mucidi brevi fiant, nec diu durent.

2. Nonnulli supra lapidem amplum æqualem, lævem & perpolitum commolunt nucleos in tenuissimam farinam. Supra alium deinde quem in promptu habent lapidem aut laminam ferream farinam extendunt, & supposito lento igne quantus sufficiat ad impediendum nè laminæ adhærescat manibus subigunt & efformant in qualcunque placuerit figuras, vel seorsim, vel cum tantillo *Notty*, quæ cardiaca est, atque hæc, inquit, optima est Chocolatæ pasta, utpote simplicissima, quâque Indi olim ante Hispanorum adventum usi sunt. Tantùm enim abest (ex Autoris nostri sententia) ut mixturæ illæ & varia ingredientia Chocolatam meliorem reddiderint, ut eam potiùs depravarint & planè corruperint.

3. Hispani nostrates eos imitati nucleorum Cacao pastæ adjiciunt vel *Chille* vel *Achiote*, vel aliud quodvis à supradictis ingredientibus, vel plura eorum simul, quæ haberi possunt, pro gustu conficientis, vel pro utentium constitutione, vel medentis scopo additâ tandem Sacchari q. s. Singula autem quæ massæ admiscenda sunt seorsim debent comminui & in pulverem subtilem redigi. Methodum conficiendi massam Chocholatæ compositam hanc tradit *Guil. Piso*.

Cacacius cæteráque ad mixturam hanc pertinentia pinsuntur lapide quodam *Metatis* nomine dicto, ad hujusmodi usum excavato: Animadvertendum autem est 1. Ut omnia quo meliùs frangi possint ante torreantur ingredientia, præter *Achiotem*. 2. Ut diligentia adhibeatur nè adurantur nigrumque contrahant colorem, aut nimio admota calori insitam suam exhalent virtutem, amarumque acquirant saporem. Præcedunt in comminutione Cinnamomum & *Chille*, quæ simul cum Aniso moluntur; postremo autem loco *Cacacius* ipse, qui paulatim confringendus restat; singulis quippe vicibus quoties quid de eo molæ subjicitur circumagatur lapis ut facilius dissiliat, meliusque conteratur: deinde in ahenum post Cacacii comminuti ingredientium pulveres injiciuntur, qui ligneâ quâdam spatulâ eidem permiscentur. Coacta in unum massa lapidi rursus subdita, cui subjectæ candentes fuerint prunæ, perquàm optimè diluitur. Cavendum tamen est, nè vehementior supponatur ignis, ut butyrosus nimio calore effervescens humor effundatur. Achiotem velim Cacacio admisceas, ut cum eo molatur, coloremque meliùs acquirat; cœteri pulveres cribro antequam confundantur secerni debent. Quòd si sufficiens facta fuerit contritio (quod videbitur cùm nulla ampliùs putamina aparuerint) spatulâ massæ pars eximitur, quæ statim funditur in orbem, atque in arculas tunc reponitur; cumque congelascit, dura consistit.

De modo exsiccandi arborum frontibus, aut chartâ mundâ supposita eadem habet quæ supra ex *Hughesio* retulimus.

E nucleis Cacao oleum exprimi potest quemadmodum ex Amygdalis, & ad eadem utile ad quæ Amygdalinum, atque etiam efficacius.

Iisdem etiam nucleis Mexicani olim aliæque nationes Americanæ pro nummis usæ sunt, atque etiamnum utuntur; eósque imitati Hispani eos pro mercibus permutant. Modus quo ex massa Chocolatæ potus paratur *Gul. Pisoni* duplex traditur. Primo quidem modo diluitur Chocolata cum aqua frigida, spumeusque ejus humor cuidam infunditur pollubro, id verò quod remanet igni admovetur unà cum Saccharo. Hoc postquam incaluit cum spumea illa à qua sejuncta fuit iterum confunditur atque ità ebibitur. Alter autem modus vult calefieri aquam, & in vase repositam Chocolatam quantum satis est haberi, superque illam parum aquæ fundi, ac versatili dispergi mola; tunc statim atque bene diluta est reliquum calidæ cum Saccharo in eadem Chocolata misceri & hauriri. Si placuerit frigidam potare Chocolatam, dilues Chocolatam in aqua, molæque versatilis subsidio spumam elicies, quæ magis augebitur quo diutiùs Cacatius ipse comminuitur: effusam in aquali spumam paulùm sepones; id quod remansit miscebis cum Saccharo, supraque spumam immittes frigidamque potabis. Verùm non convenit omnibus temperamentis hujusmodi potio ob nimiam frigiditatem.

Usitatissimus hujus potionis præparandi modus pro vulgo, agricolis & servis in Jamayca aliisque insulis nostræ ditionis hic est, referente *Hughesio*.

Rotulas vel massas Chocolatæ penitus exsiccatas & aridas: (nam duas ferè septimanas à prima compositione requirit, ut probè fermentetur & eiui apta evadat) radulâ stanneâ in scobem subtilem deterunt quantitate sufficienti. Deinde aqua frigida clara quantâ opus est (quam in hunc usum paratam habent) panis Cassavæ dictæ æqualem aut paulò minorem quantitatem quàm sit pulveris Chocolatæ infundunt; qui in frig da facilè liquescit & dissolvitur. Soluta Cassava aquam illam vasi idoneo infusam supra ignem suspendunt, & cùm bullire incipit Chocolatam derasam infundunt, & ad horæ penè quadrantem decoquunt, sæpe interim liquorem versando. Decoctum in pelvim aut catinum effundunt, & pauxillo Saccharo edulcoratum, cyathis hauriunt & calidum ebibunt. Atque hoc continuum est jentaculum servorum & operariorum, sine quo labores suos improbos & ærumnosos tolerare nequirent.

Sunt qui pro aqua Chocolatam cum lacte temperant, aut lactis & aquæ æquis partibus. Verùm melius nostro palato sapit, minusque obstruit qui paratur ex aqua simplici edulcorata, Chocolata comminuta, & ovo uno aut altero: Ova enim efficiunt ut aqua & Chocolata uniantur, & in unum corpus quasi coalescant. Alij *Atolle* seu farinam Mayzij & & Cassavam contritam admiscent.

Cæterùm potus hic moderatè admodum sumendus est, quoniam obstruentis naturæ esse videtur. Quinque vel sex unciæ manè tutissimè sorbentur omni ferè anni tempore.

Post sumptam potionem semihoræ aut horæ integræ spatio quiescere oportet & à labore cessare, nè concoctio impediatur aut turbetur: à cibo etiam aliquandiu abstinere convenit. Cæterùm Chocolata stomachum corroborat, ciborum concoctionem promovet, tussi & asthmati conducit, sitim mirum in

modum restinguit, continuato usu corpus pinguefacit; diaphoretica etiam est & sudorifera, vaporibus blandis ad caput elevatis somnum inducit placidum & tranquillum, adeò copiosè nutrit & vires reficit ut commodè satis absque ullo alio alimento eo bis in die hausto vivi possit. Labore immoderato defessos & exhaustos mirificè recreat, & vires instaurat. Cuicunque constitutioni & corporis temperamento convenit, & sine periculo sumi potest, à quovis sexu, ætate, conditione, etiam non observatâ exactâ dosi, modò ad satietatem sumpta non nimium gravet ventriculum. Ut verbo absolvam cardiaca est, & analeptica egregia, potio hæc verè nectarea, multi & optimi nutrimenti pabulum, inquit *Hughes*, & supra aliud quodvis alimentum, præsertim intra limites Zonæ torridæ, corpus reficiens & pinguefaciens. Quin & summè commendatur (inquit *Schrod.*) ad roborandum vitæ balsamum, & Venerem proritandam. Reverà omnium qui aliquandiu in America vixere unanimi consensu & testimonio saluberrimus est iis regionibus Chocolatæ potus, adeoque necessarius incolis & advenis, ut ægrè sine eo vitam tolerare, nedum labores suos obire possent.

Medici ad varios morbos Chocolatam accommodant, medicamentis scopo suo convenientibus admixtis, v. g. ad ventriculum roborandum Croco, ad fluxus alvi sistendos Cinnamomo, nuce Moschata, aut limaturæ chalybis tantillo, ad tussim & raucedinem Amygdalis earumque oleo, Saccharo aut Saccharo cando, &c.

D. *Quatremain* M.D. Hæmorrhoidas seu ficos ani in se ipso curavit, partes affectas butyro nucis Cacao inungendo.

Phthisicus ferè deploratus robori suo & sanitati restitutus erat præter omnem spem à quotidiano usu nucum Cacao, seu potionis Chocolatæ. *D. Mundy.*

Nucleorum *Cacao* non decorticatorum unciæ octo in pulverem comminutæ & Retortæ inditæ, substantiæ adeò fixæ & difficulter resolubilis se esse prodiderunt ut modica ignis vi nihil redderent præter album quendam liquorem aquæ instar clarum & pellucidum, idque paucâ quantitate, quem pro phlegmate habuerunt: Aucto igne ad eum usque gradum qui spiritui vitrioli eliciendo sufficit septendecim horarum spatio elevatus est spiritus vaporum specie lactei candoris, qui præter aliorum spirituum morem in phlegmate subsidit ad fundum vasis recipientis; tandem adhibito igne vehementissimo reverberij in vegetabilium destillationibus minùs usitato, ascendit oleum intensè rubicundum & velut sanguineum, verùm pellucidum valdè, quod refrigeratum crassescit instar olei seu butyri ceræ. Destillatione peractâ Caput mortuum ℥ii. & ʒvii. pendere deprehendebatur; Spiritus ℥i. Oleum ℥iiß. reliqua materia in operatione abrupta. Spiritus non admodum fervidus erat, sed penetrantissimus, nec gustui, nec olfactui ingratus; quemadmodum esse solent è sanguine aut carnibus eliciti. Oleum pariter mirificè pungit & penetrat, sale volatili cujus magnam quantitatem continet nondum separato, estque valdè aromaticum & cardiacum. Spiritus brevi acescit, quo se acetum copiosum continere prodit. *J. Rains.*

Chocolata Augustanorum.

℞. Fructus Peruviani, Cacacii sive Cacao dicti ℔i. *Leniter torreatur & cortice separato, in minutissimum pollinem teratur, qui cum Sacchari albi* ℔ß. *probè subactus in pastam redigatur, leni calore exsiccandam.*

Vires Depredicantur, confortantes, impinguantes, & aphrodisiacæ, stomachum inprimis roborantes ejusque digestionem promoventes.

De præparatione & mixtione simplicium Chocolatæ compositionem ingredientium, ut & de qualitatibus ex hac mixtione resultantibus, ac de affectibus quibus conveniat: Hæc rursus habeto è Caroli Sponii de iis Tractatu, cum notulis quibusdam à nobis adjectis.

Præparatio & mixtio simplicium ad Chocolatæ compositionem, tum & bibendi modus.

Cacao & alia quæ Chocolatam componunt, inquit *Colmenero*, contundi & teri debent in mortario, aut super lapide lato & polito, quem in Indiis Occidentalibus *Metatl*, vel *Metate* vocant, huic usui destinatum. Sed antequam terantur probè siccari & torrefieri ad ignem opus est, ut faciliùs pistentur, Achiotâ excepta: Sed curandum est ut continuò in torrefactione moveantur, ne adurantur, nigrescant & amarescant, quò vis eorum periret. Cinnamomum & piper Americanum, si addere velis, primò teri debent, simulque cum pipere anisum, & ultimò, sed sensim, *Cacao* per duos aut tres dies ejus trituram iterando super lapide. Singula autem sigillatim terenda; dein omnia pulverata cum *Cacao* in vase cochlearis ope miscenda, parandáque massa quæ teritur iterum super prædicta lapidea tabula *Aletata* dictâ, levi supposito igne, ubi mixtio probè facta, vitando nimium calorem ne butyrosæ partes resolvantur ac dissipentur. Observandum etiam simul cum *Cacao* addendam in trituratione *Achiotam*, ut faciliùs color concilietur. Pulveres omnes excepto *Cacao* setaceo trajiciendi sunt: Sique Cacao cortex eximatur delicatior & gratior erit confectio. Tritis & incorporatis omnibus, cochleari massa illa ferè liquefacta extrahetur, formabunturque tabellæ pyxidibus includendæ, quæ ubi simul ac refrigerabuntur indurescent. Priùs tamen chartæ aut magnis quibusdam arboris foliis, veluti Platani Americanæ, affundenda massa, & tabellæ formandæ atque ad umbram siccandæ, postea eximendæ & in pixidibus ligneis reservandæ. [a]

N. *a.* Nos aliquando Chocolatam præparari curavimus, quod facilè conficiebatur trito probe fructu Cacao in mortario æneo excalfacto; sic enim per se humescebat, saccharoque excipiendo quàm maximè accommodus fiebat. Saccharum ad lubitum, ut & alia ingredientia admiscebantur, sed non omittebamus Vanillam, cujus virtutes ut & sapor sunt peregrgiæ.

Verùm ne in *Chocolatæ* seu *Succoladæ* compositione hîc Lector aliquid desiderare possit, tres alias illius methodos subjungemus.

℞. *Fructus, seu nucleor. cacao* ℔xx. *sacchar.* ℔x. *cinnamom.* ℥iv. *Vanilias num.* l. *Aliqui addunt piperis Indici, sive rubri* ℥ß. *moschi* ʒj.

Fructus Cacao in mortario calido conterantur donec in pultem abeant; tum addito saccharo & alijs ingredientibus, omnia probè commista dentur formis aptis, vel in rotulas ac tabellas conformentur.

Vel

℞. *Fructus Cacao* ℔xx. *sacchari totidem, vanilias unam & semis pro unaquaque fructus cacao libra, piperis rubri* ʒvj. *vel* vij. *cinnam.* ℥x. *vel* vij. *moschi* ʒj. *M. E. A.*

Vel

℞. *Fructus cacao* ℔x. *vanilias num.* l. *cinnamomi* ℥vj. *piperis rubr.* ʒij. *sacchar.* ℔xij. *moschi & ambræ gryseæ ana gr.* xx. *M. E. A.*

Non minor est diversitas in potu Chocolatæ parando.

rando. Mexicani eum parare solent cum *Atolla*, quæ est Frumenti Indici farina in aqua diluta & cocta, antiquissimus eorum potus. Varios Atollæ præparandi modos à *de Laet* descriptos l. 7. c. 8. hîc recensere supersedeo, cùm in istis regionibus potus sit ignoratus, flatuosus ac malè sanus.

'Sunt alij Chocolatæ bibendæ modi, *inquit Thomas Gage*, primò enim dissolvitur in aqua frigida, & ligno denticulato agitatur; spuma elevata in alio reponitur vase, reliquum cum sufficienti quantitate sacchari igni apponitur, & ubi adhuc calidum est spumæ priùs separatæ affunditur, totumque epotatur. Sed vulgatissimus parandi modus hic est. Aqua bulliens infunditur crateri quem ebibere cupis ad medietatem, inde Chocolatæ tabella una aut altera dissolvitur, donec inspissata satis appareat, mox probè ligno denticulato agitatur & in spumam vertitur, tandem reliqua crateris medietas aquâ calidâ cum saccharo repletur, propinaturque, comedendo priùs aliquid conservæ aut massepanis Chocolata intincti. Alius adhuc est modus in Insula præcipuè S. Domingo usurpatus. Chocolata simul cum aqua & saccharo in vase coquitur, donec unctuosa supernatet spuma, tuncque calidè hauritur.

'Americani in festis & conviviis refrigerii gratiâ frigidam Chocolatam potant, hócque parant modo. Eam aqua frigidâ diluunt, ligno agitant, spumam eximunt enatantem, quam in lance reponunt; mox saccharum aquæ in qua dissoluta est Chocolata admiscent, & ex alto spumæ affundunt, sicque frigidè assumunt. Ast ita refrigerat hic potus, ut eo pauci uti queant; stomachi enim dolores, præsertim in mulieribus, aliaque incommoda causatur.

'Est tandem alius, inquit *Colmenero*, parandi modus, iis usitatus qui negotiis districti longiori præparationi attendere nequeunt: isque sanitati non adversus. Dum calefit aqua, ei derasa Chocolatæ cum sacchari sufficienti quantitate tabella admiscetur, dissolvitur & ligno agitatur, nec dum separata spumâ propinatur.

Liburni & in aliis *Italiæ locis* ubi omnes ferè potiones glacie aut nive refrigerare solent, in subsidium adversus aëris æstum, sæpe Chocolatam glacie refrigeratam bibunt, quæ quidem palato potiùs quàm valetudini conveniens est; in eòque differt à Café aut Thé potu, qui frigidè haustus nullo modo gratus est. Sic tandem in Gallia parare solemus. In cucumam ad ignem, totidem aquæ crateres, quot sunt qui potare cupiunt, immittuntur; & ubi bullire incipit Chocolatæ uncia una & quadrans pro singulis crateribus in pulverem detusa injicitur cum uncia sacchari: subitóque ligno agitatur & super igne, & ab igne exemptâ cucumâ, donec probè spumescat. Spuma crateri immittitur, & agitatur denuò decoctum donec ferè totum in spumam illam abeat, calidissimè sorbetur.

Sunt qui ante ejus haustum aquæ frigidæ haustum sumunt, aut biscoctorum par intingunt in Chocolata & comedunt, sed istud quod magis est succulentum absorbet, ita ut meliùs agant ni fallor, qui solitariam ex cucuma extractam Chocolatam epotant. Hæc verò si præstantissima non fuerit, dosi augeri debet, saccharúmve pro lubitu minui aut augeri. Qui voluptati potiùs quàm sanitati consulunt: guttas aliquot ambari grisei, aut pupillatum ambaro perfusarum aliquid in cratere superaddunt, quod gustui gratissimum est. Sunt & qui saccharo Ægyptiacum sorbetum aut aquæ lac cum vitello ovi substituunt palati potiùs irritamenta, quàm sanitatis solatia.

Quod ad bonæ Chocolatæ electionem, plus in hoc experientiæ, quàm verbis dandum. Forma pastillorum nihil huc confert; parantur enim longi, rotundi, quadrati, majoribus aut minoribus frustis ne quis putet hîc nodum in scirpo quærere. At non exigui est momenti observare ne mucidum oleat, néve sit vetustior, quod dignoscitur sæpe ubi à vermiculis perforata cernitur; Masticando nihil displicens habere debet, quódque aromaticas species nimis sapiat. Hæc si potum degustare nequeas, observanda; verùm id si liceat, dignoscere non erit difficile, præcipuè si optimam aliàs solitus sis potare.

Ad crateres verò quibus ad huncce potum utuntur, Americani & Curiosi Europæi, eos usurpant qui ex nuce Cocos sunt fabricati; non tantùm quia forma & magnitudo commodæ, sed quia margines non ita incalescunt ut labia adurere queant, sicut argentum aut stannum. Hi crateres indigenâ Americanorum linguâ *Tecometes* vocantur. Alios quoque parant ex fructu Hispanis *Higuero* dicto. Magna est arbor cujus folia Mori magnitudine & formâ similia sunt, fructúsque instar citrullos ferens. De palmis Cociferis nihil dicam, cùm à multis Autoribus jàm descripta fuerint. Id duntaxat notandum Cocos duobus tegi corticibus, hispidô & fibrosô unô funibus parandis aptô, interiori alterô, politô & solidô, hisce crateribus elaborandis aptissimô. Vulgaris est opinio adversus apoplexiam valere, quod in Chocolatæ potu eos commendavit. Horum defectu crateribus porcellanijs aut Faentinis uti licet. Formâ solidâ Chocolata usurpari potest: Ex ea enim fiunt tragemata saccharata, biscocta, Massepanes, aliæque cupediæ, si non sanitati admodum utiles saltem æquè ferè ac in liquore pergratæ palato.

Si Chocolata sanitatis gratiâ duntaxat bibatur, sufficiat ad duas vices singulis diebus ad summum, & potiùs horis matutinis quàm pomeridianis. Biliosi loco aquæ communis cum aqua Endivij præcipuè æstate sumere possunt, sicque hepatis intemperiei calidæ non erit contemnendum præsidium: obstructionibus verò & frigidâ hepatis intemperie affecti cum rhabarbari tinctura. Usque ad mensem Majum extendi potest ejus usus, temperato præsertim aëre. Eum improbat diebus canicularibus, sæpius laudatus *Colmenero*: nisi iis qui ita huic potui assueti sunt, ut nullam inde noxam percipere queant. Si inquit, 'Chocolatâ quis opus habeat diebus Canicularibus, sitque temperamento calido, paret cum aqua Endivij singulis quatuor diebus, si præsertim stomachi laboret debilitate. Quanquam verò in Americâ omni tempore assumatur, fierique id in Hispania possit, respondeo dandum primò id consuetudini, secundò illius regionis calori extremo quo cum excedente humiditate conjuncto pori aperiuntur, magnaque fit substantiæ corporis dissipatio, ita ut non solùm manè, sed quâvis horâ & tempestate, tutò queat usurpari. Quia verò à caloris extremi excessu naturalis corporis calor dissipatur ac exhalat, stomachi verò & aliorum viscerum calor ad circumferentiam corporis fertur, Ventriculus admodum debilitatur, ita ut non solum ex Chocolata quæ, ut diximus, moderatè calefacit, sed etiam ex vino puto utilitatem experiantur ac stomachum roborent isti Americæ incolæ. Si verò æstibus perdurantibus aquam epotent, non parvam ex ea noxam persentiunt, minuta aut depravata alimentorum coctione, aliisque exinde accersitis morbis: Notandum etiam terrestriorem Cacao substantiam crateris fundum petere, ubi ejus potus paratur, aliquosque existimantes id maximè alimentosum esse, eam simul haurire, Quod non sine præjudicio & noxa fieri potest, cùm pars hæc crassa, terrestris & obstruens melancholicum generet succum, aliaque pariat incommoda

,da. Eamque igitur vitet qui sanitatis suæ curam vo-,luerit, reliquâ parte succulentâ contentus.

De Qualitatibus ex Chocolatæ ingredientium mixtione resultantibus.

Examinavimus suprà singulorum Chocolatæ ingredientium qualitates. Sed hoc non sufficit. Dubium enim esse potest quænam ex eorum mixtione resultet ac prædominetur, quò hujusce compositionis usus ad sanitatem nobis proponendus non ignoretur. 'Calida quidem esse, *inquit Colmenero*, omnia ferè ejus 'ingredientia observantur, unde totam calidam esse 'quis putabit. Sed animadvertendum Cacao, alio-'rum omnium quantitatem in ea superare, cujus cùm 'summè frigidus sit, alia concomitantia ingredien-'tia frigidas terrestresque partes duntaxat corrigunt. 'Sicut igitur duo medicamenta contrariæ qualitatis 'suâ mixtione temperatam compositionem efficiunt 'ita actione & reactione frigidarum Cacao particu-'larum & aliorum calidorum ingredientium, Choco-'lata temperatam qualitatem à medio parùm dissitam 'obtinet. Asseri ergo potest, si præcipuè piper & 'Cariophylli eximantur, merè temperatum esse, ut 'experientia & ratione probari potest. Experientia 'enim supponendo cum Galeno omne temperatum 'medicamentum frigida excalefacere, & calida re-'frigerare, ut aqua tepida frigidam calefacit, cali-'dam refrigerat, patet & constat qua ratione Cho-'colata, ut fertur, stomachum frigidum calefaciat, 'frigidumque refrigeret. Id in se ipso expertum esse testatur idem Autor: ubi enim ex ægrorum visitatione excalefactus redibat, indigenarum persuasione Chocolatæ craterem hauriebat, quo sitim temperari, & refrigerari se persentiscebat. E contra verò ubi manè chyli reliquiæ crudæ indigestæque debilitabant & infrigidabant, ab eodem potu manifesto stomachum roboratum & incalefactum sentiebat. Sic experientiâ constat ab illius usu omnis sexus, ac ætatis temperamentique oppositi plurimos bene se habere: indicio qualitates in ijs prædominantes non augeri, quod Hippocrate teste, morborum est scaturigo. Observo etiam hunc potum, neque caput tentare, neque sitim provocare, imò eô sumptô mihi in sequenti pastu bibendi minorem fuisse necessitatem, neque etiam arteriarum pulsum agitare, quæ omnia caloris sunt effectus, ut cum vino, vini spiritu, aliisque calefacientibus liquoribus, si paulò nimia assumantur copiâ, accidit. E contrà oppositos effectus non producere, veluti somnum, stomachi debilitatem, pulsûs tarditatem, corporisve gravitatem, quæ frigiditatis effectus sunt, ut in oleribus, leguminibus, lacticiniis, & aqua observatur. Unde, ut diximus, inferendum hanc compositionem temperatam esse.

Tandem ut experientiæ ratio in subsidium veniat, notandum omnes Cacao partes non esse frigidas, sed non paucas butyrosas, sulfureas ac inflammabiles: consequenterque calidas, frigidis vix mediam partem constituentibus, unde accidit ut utrarumque & aliorum calidorum secundo & tertio gradu ingredientium permixtione, compositum conflari in primis qualitatibus temperatum: veluti calida manus frigidâ admissâ & tractatâ, temperata utraque evadit, aut athletæ duo viribus omnibus dimicantes, tandem debilitantur & quiescunt; Omne quippe agens, teste Aristotele, æque ac patiens patitur, ferrum secans secando obtunditur, res calefaciens calefaciendo refrigeratur, pellensque pellendo repellitur. Ita idem hoc in usu evenit. Inde concludo, subdit Col-'menero, melius esse, si Chocolata utamur, aliquo 'postquam confecta est tempore, post unum verbi 'gratia mensem, quàm recenter parata. Videtur enim 'hoc tempus necessarium esse, ut debilitentur ingredientium qualitates, ac mediam obtineant tempe-'riem. Sic Galenus Philonio uti ante sex menses ve-'rebatur, quòd ex opio, pipere, aliisve oppositis con-'cinnabatur. Et quidem experti sunt non pauci Cho-'colata recenti malè se habere & stomachum laxari, 'eò quòd Cacao pingues & butyrosæ partes à terre-'stribus nondum victæ & correctæ essent. Et ratio sua-'det. Si enim butyrosum solum bibatur, etsi jam Chocolata vetusta sit, stomachum relaxat, non secus ac si recens adhuc esset.

Fatendum ergo est Chocolatam non ita frigidam esse ac Cacao, nec ita calidam ut alia ingredientia: Sed actione & reactione moderatam ipsi temperiem conciliari, stomacho calido & frigido æque commodam, modo mediocri quantitate & ætatis menstruæ sumatur; inde fit ut omnes ferè qui ea utuntur tum in Indiis Occidentalibus, tum in Hispania, quasi sibi utilem laudare soleant. Male igitur ille Marchenensis Medicus qui de ea scripsit, Chocolatam existimavit obstructiones parere: obstructis enim visceribus corpus tabesceret, cũ tamen è contra pinguia soleat reddere corpora.

Quibus Affectibus Chocolata conveniat.

Quamplurimi Chocolata utuntur potiùs in consuetudinem & delicias, quàm morbi curandi aut præcavendi causâ. Iis quidem, si bene habent, uti liceat. Sed quia Medicina varia esculenta & potulenta pro varijs affectibus seligere solet, ita quibus apta est Chocolata non est silendum. Brevior tamen ero, quia cùm hic potus non multum apud nos vigeat, pauca nobis suppetunt experimenta, quibus ejus vis fulciatur.

Primò quia hujus compositionis præcipua ingredientia sunt stomachica, ut supra notavi: sequitur necessariò hanc ipsi inesse qualitatem. Ergo qui stomachum colica, diarrhœa, flatibus aut superpurgatione exhaustum habet, utilem sibi hunc potum experietur. Ideo frequentiùs in America quàm in Europa usurpatur, quòd illic stomachi debilitas sit frequentior.

Quod ad me attinet, *inquit Thomas Gage*, per duo-'decim annos integros continuò Chocolata usus sum, 'summô mane cyathum unum hauriens, alterum ho-'râ nonâ aut decimâ, tertium horâ unâ aut altera post 'prandium, ultimum quar â aut quintâ pomeridianâ. 'Sed cùm vespertinis horis studio incumbere vole-'bam, alium septimâ aut octavâ sumebam quo facilè 'studium ad horam noctis duodecimam prorogabam. 'Si verò prædictis horis casu aut negligentiâ propi-'nare omitterem, tunc stomachi debilitate & quasi 'cardialgiâ tentabar. Ita ut hoc pacto per annos illos 'duodecim firma valetudine gauderem, obstructioni-'bus, febri, omnique alio affectu immunis. Aliis ta-'men nolim eandem quam mihi normam præscribe-'re, nec Medici partes agens, potus hujusce dosim ac 'tempus præscribere, multò minus temperamenta, 'morbosque quibus conveniat definire. Observavi 'tantùm ab eo malè habuisse quosdam, vel quia sac-'chari nimium admiscebant, quod stomachum rela-'xat, vel quia nimiâ copiâ propinare solebant. At sa-'nè non soli id Chocolatæ accidit, sed alijs omnibus 'liquoribus, qui si nimis potentur, quamvis aliàs op-'timi, noxii penitus evadant. Ergo si ab ejus usu ob-'structiones natæ sunt, id ab ejus assumpta copia eve-'nit, sicuti namque cùm vinum plùs nimio potatur, 'non ampliùs roborat & calefacit, sed frigidos mor-'bos generat, naturâ illud vincere, aut copiam hanc 'in probum alimentum vertere non valente: ita si 'Chocolatæ nimiæ quis indulgeat, pingues ac buty-'rosæ partes quibus abundat non ritè ubique per cor-'pus distribuuntur, & necessariò in capillaribus he-'patis venis restitant, ubi infarctus & obstructiones 'gignunt.'

At nè vanâ curationis spe deludantur, sciendum has stomachi

ſtomachi debilitates quibus convenit hic potus intelligi quæ ab inanitione procedunt, ſive parum nutrientia qualia in America, alimenta ſint, ſive corpus & ſtomachum vacuatio aliqua exhauſerit, ſive aër nimium ſubtilis aſſumpta alimenta juſto citiùs diſſipaverit, ut in regionibus frigidis ac montanis in quibus ſemper viget appetitus, accidere ſolet. Verùm ſi hæc debilitas ortum ducat à chylo corrupto, crudis indigeſtiſque humoribus in ſtomacho repugnantibus, qui quidem non ſolùm appetitum minuendo functionem ejus debilitant, ſed etiam exitum quærentes quâ datâ portâ per diarrhœam & vomitum excluduntur, aut cardialgiam, & vomituritionem excitant, in hoc, inquam, caſu peſſimum eſt remedium Chocolata: cùm enim glutinoſa & butyroſa ſit hiſce viſcidis humoribus permixta fermenti ſtomachi aculeos magis adhuc obtundit, ejuſque ſymptomata auget. Ægrotum in ſimili ſtatu verſantem audivi, ſe cùm amici cujuſdam ſuaſu binos Chocolatæ crateres hauſiſſet, in pejus iviſſe, donec intra decem aut duodecim dies ſupervenieute bilioſoſum & viſcoſorum humorum vomitu, tandem veluti calcem quandam Chocolatam olentem evomuerit, quæ in ventriculi fundo indigeſta totidem dies reſtiterat. Eôdem modô ſi colicus dolor, ex ſubtilibus, bilioſis, acribus inteſtináque erodentibus humoribus oriatur. Chocolatæ aliquot cyathi, eos temperare & obtundere poterunt. Verùm ſi à pituita vitrea inteſtinorum parietibus agglutinata originem ducat, aliud omnino quàm Chocolata uſurpandum videtur præſidium, Omnes fermè Concionatores ab ejus uſu ſive ante, ſive poſt Concionem optime ſe habent. Ante Concionem pectoris & vocis vires diutiùs quàm juſculum ſuſtinet: poſt verò, exhauſtas corporis vires reparat. Convenit & iter facientibus: ideo in Americæ itinerarijs familiarem illius uſum à peregrinatoribus adoptatum legimus, manè antequam itineri ſe commitant, & veſperi abſoluto diei penſo.

Chocolatam quicunque bibunt, eam multùm nutrimenti corpori ſuppeditare fatentur, ita ut juſculum ex carne nec tamdiu nec tam fortiter nutriat viréſque ſuſtentet. Multi qui ſanitatis gratiâ ad ejus uſum devenere, tribus per integrum diem crateribus fuere contenti, nec inde vires minutæ, Amicus quidam meus vulgaria alimenta ob morbum ferre non valens, Pariſiis Lugdunum rhedâ vectus per undecim dies tres duntaxat cyathos quotidie hauriebat, ac bene ſe habebat. Hauſtus matutinus facilem reddit prandii expectationem.

Hæc Chocolatæ nutriendi facultas ab omnibus conceſſa *Calderam* Medicum Hiſpanum movit, ut in Tractatu cui titulus *Tribunal Medicomagicum*, eam ſtatuerit jejunium frangere: donec Cardinalis Brancacij rationibus convictus ſententiam mutaverit. Is enim diſſertationem hac de re in lucem emiſit, cujus mentionem faciunt Ephemerides Gallorum anni 1666. his verbis, quæ referre hic non piget, cùm forte à multis non fuerint lecta.

Sicut in Europa vini defectu cereviſiâ utimur, ita in America Chocolatam uſurpant. Potus hic ex quâdam paſtâ confectus eſt, cujus baſis eſt arboris fructus *Cacao* dictus, quorum cinnamomi, piperis & vanillæ fœniculum redolentis parum admiſcetur. Paſtæ hujus uncia ſumitur cum ſacchari ſemuncia ut palato gratior reddatur. Americani hunc depereunt potum, tantâque copiâ in novâ Hiſpaniâ potant, ut ſingulis annis duodecim librarum pondo Milliones ſacchari in eum impendantur. Eoque habent pretiô, non tantùm quia guſtui pergratus, ſed quia mirâ ad ſanitatem conſervandam pollet facultate. Ajunt enim digeſtionem juvare, frigidos nimis ſtomachos calefacere, calidiores verò refrigerare, aliiſque quas Hiſpani Medici extollunt viribus donatum eſſe.

Allatâ ex America in Europam Chocolatâ, uſus ipſius in Hiſpaniâ ita invaluit, ut eâ carere extrema putetur miſeria. Et in Italiâ quamplurimi cujuſvis conditionis, imò & Religioſi, quotidie huic indulgere potui aſſueverunt. At jejunantium natus ſcrupulus celebri quæſtioni locum dedit, quæ Caſuiſtas diviſit, utrùm ſcilicet Chocolatæ potus die jejunij Eccleſiæ præceptum non frangat.

Difficultatis nodus in eo verſatur quòd vulgaris poſt D. Thomam Theologorum opinio ſit, cibum duntaxat, non verò potum jejunium rumpere. At Chocolata potus quidem vulgò cenſetur, verùm à quibuſdam inter cibos annumeratur, cùm ſolidum præbeat alimentum, ita ut *Stubbe* Medicus Anglus qui de Chocolata tractatum edidit, expertus ſit plus unctuoſi & nutrientis humoris ex Cacao uncia, quàm ex bovinæ aut vervecinæ carnis integra libra elici, Editâ tamen diſſertatione aſſerit Cardinalis Brancacius nullô pactô Chocolatam jejuniũ frangere.

Ejus præcipua ratio eſt quòd ſit potus, taliſque audiat in America, ut apud nos vinum & Cereviſia: unde concludit ſi vini & Cereviſiæ potus jejunium non frangant, æque licitum eſſe Chocolatam bibere: præcipuè cum in ſingulis crateribus unica ſit uncia, quam nec pars media Cacao ſubingreditur. Ad id verò quod objiciunt multæ eſſe alimoniæ, reſpondet idem adverſus vinum dici poſſe, cùm ex Galeno ſint quædam vina æque nutrientia ac porcina caro, quæ ſolidiſſimum putabatur alimentum, ideòque Athletis exhibebatur; itemque adverſus cereviſiam quæ ex frumento & hordeo alimentis polytrophis paratur; nec tamen inter eſculenta cenſetur, ſed inter potulenta quæ juxta communem Theologorum ſententiam jejunium non rumpunt.

Prudenter verò idem Cardinalis monet, etſi Chocolata, ſicuti nec vinum jejunium frangat, id tamen prætextui eſſe non debere eâ abutendi & majori copiâ bibendi. Tunc enim peccatum non eſſet contra legem Eccleſiaſticam jejunium imperantem, ſed contra legem naturæ temperantiam jubentem. Et quamvis immoderatè fieret, ut Eccleſiæ lex violaretur, prava eſſet intentio, quamvis per ſe actio crimine foret libera: & punitio infligi mereretur non ob violatam legem, ſed ob violationis intentionem.

Eædem Eruditorum Ephemerides hæc habent ſequentibus paginis. Quidam, inquiunt, id reprehenderunt quod diximus Chocolatam ſtomachos refrigerare. Sed nemo Medicinæ gnarus id mirabitur. Docet enim univerſa poſt Galenum ſchola, eandem cauſam in natura effectus contrarios in variis ſubjectis ſæpe producere, quod rerum temperatarum eſt privilegium. Sic manus moderatè calida, illi qui nimium calidus eſt frigida, ei verò qui frigidus calida apparet: & ſicut calidum refrigerat, ita frigidum calefacit. Æqualiter enim res temperatæ contrariarum qualitatum ſunt participes. Unde omne temperatum caloris ac frigiditatis pares poſſidens gradus, in calidum frigoris gradibus, in frigidum caloris gradibus agit.

Idem in Morali Philoſophia accidit. Sicut enim in medio virtus ſtat, ita utrumque extremum paribus oppugnat viribus. Sic fortitudo quæ timidos in prœlio incitat, eadem temerarios retinet. Ne cui ergo mirum videatur ſi medici Hiſpani Chocolatam temperatam eſſe cenſentes, ipſi contrarios effectus pro varia utentium diſpoſitione affigant.

Cæterum non ſolùm nutrit optimè, ſed etiam impinguat Chocolata. Teſtem non abdicandum profero Thomam Gage, Ait enim ſe audiiſſe à Medicis Americanis, vidiſſeque in permultis, etſi in ſeipſo non expertus ſit, eos qui huic potui indulgent, quadratos & pin-

& pingues fieri, quod creditu difficile, cùm ingredientia omnia Cacao excepto emaciare potiùs deberent, quia calida & sicca in tertio gradu, & frigidum & siccum in Cacao prædominans nutriendæ & augendæ corporis substantiæ videatur ineptum. Verùm cum eo responderi potest, Cacao partes nutrientes eas esse propriè quæ butyrosæ sunt, quibus alia calida ingredientia vehiculi instar sunt, ut ad hepar, viscera & partes carnosas ritè distribuantur: ibique in carnem & pinguedinem facessant.

Hic tamen effectus non secus ac alij, universalis non est. Eos enim quibus obstructiones pariet, præpeditâ alimento viâ, potiùs emaciabit defraudato scilicet nutritiis succis universo corpore. Et sanè Chocolata non solùm in iis qui nimium potant obstructiones generat, sed etiam in quibusvis jam ad obstructiones dispositis, vasaque lactea exilia, depressa aut infarcta viscido ac gypseo humore habentibus, in quibus terrestres ejus partes restitant & obstructionem augent. Itaque ab ea abstinere debent juvenculæ chlorosi laborantes, alijque omnes obstructionibus affecti. Ultimis hisce annis in hac urbe apertum est cadaver cujusdam viri qui nimium Chocolatæ indulgebat, in quo reperti sunt in fellis cystide viginti saltem calculi, quos non immerito hujusce liberalioris potus soboles esse putarunt. Nihil hæc ipsi derogant. Moderatum usum, ut Hispanus Doctor *Marradon* Chocolatæ minimè amicus, improbare nolemus. Imo detrimentum quod aliquando affert, probat invictè ejus emolumentum, ubi corpus in statu versatur opposito. Sic quia viscidis, ac gypseis existentibus humoribus non convenit, meritò concludendum ubi nimium fluidus & acris est sanguis utilem fore ipsius scilicet incrassatione & temperatione. Proindeque tussi importunæ, febri hecticæ, diarrhϾ, similibusque morbis curandis non imparem. *a*.

CACUMINA sunt idem quod *Summitates*.

CADMIA.

Cadmia seu Cobaltum minerale terreum est, colore ferè nigrum, Antimonio haud absimile, æris vel argenti particeps. Foditur copiosè haud procul Gosaria.

Vires. Vi causticâ & erodendi pollet tantâ, ut fossorum manus & pedes exulceret: adeóque inter Venena recensetur, quippe intus haustum Animalia quæque perimit. Flores dicti *Zafferi* ex hoc Minerali sublimantur, pro tingendo cæruleo colore. *Dale*.

CÆCILIA. vid. sub titulo *Serpens*.

CÆMENTATIO, vid. *Cementatio*.

CÆPA, vid. *Cepa*.

CÆRULEUM, vid. *Lapis Lazuli*.

CAFE sive *Coffee*.

Nomina. Bon vel Ban arbor *J. B.* item Buna, Bunnu & Bunchos Arabum *ejusdem*. Bon arbor cum fructu suo Buna *Park*. Evonimo similis Ægyptiaca fructu baccis Lauri simili *C. B.* malè Ægyptiaca, neque enim spontanea, neque culta in Ægypto invenitur, sed in Arabia felice tantùm. Bunnu *Rauvvolf*. Buna ex qua in Alexandria fit potio. *Clus*.

Arbor hæc (inquit Alpinus) cujus semina ex Arabia felice asportantur, Evonimo similis est, folijs crassioribus, duriorijs, viridioribus perpetuoque virentibus. Nec flores, nec fructus describit. Vidisse se ait in viridario *Halybei* Turcæ. *Veslingius* cùm in Ægypto peregrinaretur in viridariis quæ ibi accedere licuit arborem hanc non amplius conspexit.

D. *Du Four* Mercator Lugdunensis qui tractatum de potu Coffæ edidit, omnium qui de eo scripti extant optimum, arborem sic imperfectè & breviter describit. Cerasos nostrates minores proximè refert, tum ramis & folijs, tum magnitudine, siquidem Arbusculæ modum non excedit. Rami ejus tenues admodum sunt, folia parva, solida seu compacta, spissa, viridia quæ subitò decidunt, unde fructus in arbore nudi & Soli expositi ad perfectam maturitatem restant. Qualem ferat florem à nemine traditum invenio.

Fructum sic describit *J. Bauhinus*, magnitudine æquat aut certè parum superat Ricini nostratis semen, olivari figurâ, unâ parte sulcatus, vel utraque, cortice exteriore crassiore, nigricante, interiore tenuiore, & quâ nucleum spectat rutilo, alterâ facie cinereâ. Utroque cortice detracto nucleum comperimus durum, Dactyli ossiculi effigie, lacunâ secundùm longitudinem sulcatum, pallentis cinerei coloris, saporis amaricantis & ingrati. Ab umbilico ad oppositum mucronem ostendit gemina grana.

Rauvvolfius fructum hunc in duobus locellis totidem grana flavescentia continere ait. Verùm falsus est, non enim binis locellis distinctus est hic fructus, nec bina grana aut semina continet, sed unum & simplex granum seu nucleum in binas valvas seu lobos, exteriore parte gibba, interiore quâ committuntur plana, & in medio per longitudinem sulcatos, sulci seu fossulæ labris marginibusve introrsum convolutis, ut singuli lobi seorsim concham Veneream perbellè referant.

Ex his nucleis tostis, in pulverem redactis & aquâ decoctis tum Arabes, tum Ægyptij quin & Turcæ omnes per vastum illud imperium potionem parant *Coava* seu Coffee dictum, colore nigrum, non tamen, ut vult *Rauvvolfius*, atramenti instar nigerrimum, quem pitissando sorbillant ex testis & porcellanis quàm possunt calidissimum, sive, inquit *Veslingius*, otij sui oblectamentum, sive bonæ valetudinis firmamentum quærant. Vendíturque hic potus in publicis tabernis, quarum aliquot mille, eodem teste, in una urbe Cayro habentur.

Utuntur autem hoc decocto, *Alpino* autore, ad roborandum ventriculum frigidiorem, adjuvandamque concoctionem, & non minùs ad auferendas à visceribus obstructiones, inque tumoribus hepatis & lienis frigidis, & antiquis obstructionibus. Uterum etiam excalfacit & ab obstructione liberat; unde in familiari usu est apud omnes Ægyptias Arabasque mulieres; ut semper dum fluant menses, ipsorum vacuationem, hujus decocti ferventis multum paulatim sorbillantes adjuvent: ad promovendos etiam in quibus suppressi sunt usus hujus decocti, purgato corpore, multis diebus utilis est.

Potus *Coffee* celebratur maximè vi antihypnotica, ut nemo ferè sit ex ejus potatoribus qui virtutem ejus in somno abigendo satis efficacem in se ipso non sit expertus. Hujus phænomeni ætiologiam quam reddit clarissimus *Willisius*, quoniam non usquequaque mihi satisfacit, apud ipsum requirendum omitto. Quæ de ejus usu observavit & percepit adscribam. Hic potus communissimo licet in usu, ac

N. a. *Chocolata senibus ac decrepitis quam maximè proficua est. Sic novimus octuagenarium, constitutionis naturâ debilioris, qui pro omni alimento per tres integros annos, chocolatâ cum ovi vitellô in aliquot jusculi carnium cochlearibus dissolutâ, utebatur; eâque, in totali aliorum ciborum aversatione, & vitam, & vires quas maxima caducitas sperare permittebat, prorogavit. Sic & hodie alium adhuc superstitem habemus nonagenarium, qui Chocolatæ usui firmam satis valetudinem, quamvis cum memoriæ integrâ prope deperditione præcipuè debet.*

ac in quibusdam casibus apprimè utilis & valdè medicus sit, in aliis tamen forsan noxius aut minùs salutaris existit. Nam ex vulgari observatione *coffee* potatores nimii macilenti sæpenumero, item paralysi & Veneris impotentiæ obnoxii evadant. Prior effectus ità frequens & passim notus est, ut pluribus *Coffee* potum ideò tantum interdixerim quòd ad macilentiam disponat. Quoad cerebri autem & nervosi generis affectus, existimo me ad eos interdum curandos hunc potum adeò frequenter præscribere, ut non alius quispiam magis.

Profectò in ægritudinibus & morbis plerisque cephalicis, viz. Cephalalgia, Vertigine, Lethargo, Catarrho, &c. ubi cum pleno corporis habitu & temperamento frigido aut minùs calido atque sanguine aquoso adsunt cerebrum humidius, & spirituum animalium segnities ac torpor, potus *Coffee* sæpe cum fructu sumitur: nam assiduè haustus utramque animæ partem mirè clarificat & illustrat, atque functionum omnium nebulas dispellit: verùm è contrà qui graciles & temperamenti biliosi aut melancholici sanguinem acrem & retorridum, cerebrum calidius, & spiritus animales nimis incitatos & irrequietos habent, à potu isto prorsus abstinere debent: utpote qui tum spiritus, tum humores magis pervertit, & functionibus quibusque obeundis inhabiles prorsus simulque impares reddit. Observavi enim multos spirituum copiâ haud satis uberi præditos, ac insuper cephalalgiæ, vertigini, palpitationi cordis obnoxios, artuumque tremori aut stupori, à potu *coffee* illicò deteriùs habuisse quoad istos affectus, & statim in toto corpore languorem insolitum persensisse.

D. *Dufour* jam dictus in tractatu suo supra laudato de viribus & usu potûs *coffee* magno cum judicio disserit, observationes & theorias experimentis inædificans aut confirmans. Utilem præcipuè esse ostendit in digestione ciborum prava, appetitu languido, aliisque viscerum affectibus, quo in casu memorabilem inprimis historiam narrat de ejus effectu in Marchione de Crillon, à quodam Professore Monspeliensi sibi communicatam: præterea in Arthritide vaga scorbutica, in calculo & arenulis (*cui populi Orientales idcircò minùs obnoxii sunt*) in *fluxibus* quibuscunque, tussi, phthisi, febribus intermittentibus, cephalalgiis, &c. & in singulis istis affectibus curationum exempla producit à multis è celeberrimis Europæ medicis ad se transmissa, addit insuper testimonia & suffragia concordia D. *Spon*, D. *Thevenot*, D. *Chardin*, D. *Bernier*, qui in Oriente longè latèque peregrinati sunt. Tandem recenset constitutiones corporis quibus minùs utilis aut etiam noxius sit hic potus.

Cæterùm bonitas *Caovæ* præcipuè dependet à curiosa & exquisita tostione. D. *Bernier* affirmat duos tantùm homines in urbe Cayro fuisse qui Caovæ ritè præparandæ artem & mysterium callere reputabantur. Justum torrefactionis modum gradumve pauci nôrunt; si vel nimium vel parùm torreatur corrumpitur. D. *Dufour* totum processum describit. Adulteratur crustis panis adustis, fabis tostis & similibus. Ad coffeam decoquendam vasis cupreis aut stanneis passim utuntur. Opinamur commodiora huic usui fore figulina; quod metalla non rarò liquorem suis qualitatibus imbuere verisimile sit. Observat idem *Dufour* mundæ & probæ Coavæ libram unam Lugduni, cautâ in vasis diligenter occlusis destillatione ℥ iv ß. phlegmatis cum pauco volatili spiritu seu potiùs sale admixto reddidisse: ℥. ij. & ℥. v. crassi & nigricantis olei, quod rectificando flavum evasit: Caput mortuum quatuor circiter uncias pendebat: adeò ut quarta ferè pars inter destillandum absumpta evanuerit, quantumvis vasa exactè commissa & cæmento, ut vocant, inducto clausa essent, argumento non inefficaci Caovam multas particulas egregiè volatiles & penetrativas in se continere, quibus, ut verisimile est somnum arcet. Caput mortuum salis fixi drachmam suppeditabat. Ex D. *Dufour*.

Muis in Podalirio redivivo p. 57. 58. hæc adfert. Quid sentiendum de potu *Coffee* & *Tee*? Ego cum Lugduni Batavorum studiis operam darem, per totum annum Cephalæa miserè laboravi; & postquam potui copiosè *Tee* & præcipuè quidem *Coffee* quotidie sumendo assuevi, semper communis ab ea vixi, non tantùm sed & ab omni alio incommodo, quamvis antea ità vixerim, ut mortis haberet vices lenta quæ trahebatur mihi vita gementi, qui per totum quinquennium cum longa morborum serie acriter conflictavi.

Idem potum *Coffee* multùm valere ait in Arthritide fixa.

Idem nonnullos, inquit, novi meorum familiarium antea haud parùm à nephritide cruciatos, qui nullum ampliùs inde incommodum persenserunt, postquam potum Coffæ satis magnâ copiâ quotidie assumpsere.

Complures hodiernarum puellarum ad nitorem dentibus conciliandum fricant eosdem pulvere Coffæ tostæ.

Quidam correptus est cholerâ atrocissimâ, convulsionibus valde dolorificis cruris utriusque stipatâ, ac ab interna causâ exorta, quem brevissimè ac felicissimè sanavi solo potu calido Coffæ copiosè assumpto, qui retinebatur in ventriculo; tinctura opii, aquâ menthæ, sero lactis, Cerevisiâ, vino per vomitum rursùs ejectis ac frustrà usurpatis.

Qualitatum, inquit *Veslingius*, quas manifestas vocant in hoc fructu harmonia dispar est. Cortex enim frigidi particeps cum exsuperante tamen siccitate, nucleus verò moderatè calidus. Ille levi quadam aciditate, hic evidenti amaritudine linguæ sensum haud inclementer afficit. Corticis decoctum inter æstivos ardores rectiùs febricitantibus exhibetur. Nostrates cortices exemptos antequam nuclei torreantur rejiciunt, nec ullius eis usus sunt.

Arbuscula hæc in ea duntaxat Arabiæ felicis parte quæ intra Tropicos sita est, provenire dicitur: Arabes autem in vegetativa seminis vi destruenda seu coctione seu ustione id fiat, nè alibi sc. satum germinet, admodum diligentes sunt. Nec ab re sane; siquidem immensæ opes ex unica hac merce Regionis Caoviferæ incolis accrescunt; cùm in eam ex hujus proventu & venditione aut permutatione totius ferè orbis divitiæ confluant. Unde hæc saltem Arabiæ felicis pars verè φερώνυμος est, imò felicissimæ nomen meretur. Nemo facilè dixerit, & certè fidem omnem superaret si dici posset, quot hujus fructûs millena modiorum millia quotannis divendantur & in exteras regiones exportentur. Per universas Imperii Turcici provincias frequentissimus ejus usus est, adeò ut, teste eruditiss. *Veslingio*, mille aliquot tabernis decoctum ejus in una urbe Cayro divendatur. Nec minùs frequentatur ejus potus in Barbaria magnaque parte Africæ. Quin & Europam non ita pridem invasit, & in extremum usque Septentrionem penetravit.

Mirum interim tantum thesaurum unius gentis peculium esse, tamque lucrosæ stirpis plantaria intra unius provinciæ angustias coerceri. Mirum vicinas nationes extimulante invidiâ aut avaritiâ ea jampridem non vel vi depopulatos esse, vel semina aut vivi radices dolo surripuisse. Mirum quem vigilem Draconem Caoveris suis tuendis præficiant indigenæ, qui omnes insidiantium technas & conatus frustretur aut eludat. Nec enim dubito quin in eodem climate eadem soli constitutione & temperie cœli gaudente sata, & feliciter adolescere & ad frugem pervenire possint. Mirum denique unius regionis messes totius Orbis expensis sufficere. Oportet utique ut & terra fertilissima sit, & lati-

fundia arbusculis consita spatiosissima. *J. Raius.*

Nescimus an admitti aliquatenus possit quod de Arbore fructum *Cafe* ferente, habet Curiosissimus D. Dale in sua ad Materiam Medicam Introductione, siquidem nihil prorsus tale apud alios omnes qui de hac planta scripserunt reperiatur; quòd scilicet sit arbor prægrandis instar tiliæ, quòd flosculos habeat pentapetalos, & fructus baccis lauri similes.

CALAMANDRINA, vid. *Chamædrys.*

CALAMENTUM.

Calamentum sive Calamintha quasi bona & utilis Mentha dicta putatur: nidore enim suo (ut habet *Arist.*) serpentes vel accensa, vel substrata fugare solet. *C. Hoffmanno* καλὸς dicitur medium esse vocabulum, quale σεμνὸς, &c. ut Calamintha sit Mentha horrida, incana & ingrati odoris. Calaminthanı enim nihil aliud esse quàm Mentastrum *Galeni* authoritate inductus sibi persuadet. Dicitur ergo Calamintha κατὰ εὐφημισμόν. At nobis Calamintha alia res est, & genere à Mentha diversa, cujus notæ sunt flores galeati tubo oblongo, pediculis longiusculis è foliorum sinubus egressis insidentes. Folia & odor Menthæ.

Nomina. Calamintha vulgaris *Park.* vulgaris Offic. *Ger.* vulgaris vel Officinar. Germaniæ *C. B.* flore magno vulgaris *J. B.*

Vires. Calamintha calidior est & acrior quàm Mentha, partium tenuium stomachica & uterina & inprimis: menses ciet, urinam movet, hepar reserat, tussi medetur. *Schrod.*

Folia *Dioscoridi* potu aut illitu demersis à serpente opitulantur: ruptis, convulsis, orthopnœæ, torminibus, choleris, horroribusque auxiliantur, regium morbum expurgant: præsumpta in vino venenis resistunt; tineas cæteraq; interaneorum animalia cum sale & melle pota enecant: nec secus cocta crudave si terantur. Elephantiacos elitata adjuvant, si postea serum lactis ebibant. *J. Raius.*

CALAMINARIS LAPIS, vid. sub titulo *Lapis.*

CALAMINTHA, vid. *Calamentum.*

CALAMUS AROMATICUS VETERUM.

Calamus Aromaticus Veterum est planta Ægyptiaca *Alpino* in plantis exoticis *Castabel Dareira* dicta, *cauliculus* tenuis, geniculatus, foris pallidè flavescens, intus candidus, includens medullam fungosam, levem, similem aranearum telis in se collapsis & convolutis, saporis acris, suavissimè amaricantis, odoris suavis, aromatici, fragrantissimi, constans particulis salinis, volatilibus, oleosis, cum paucis fixis.

Planta tetrapetala, siliquulis oblongis, acuminatis in basi caliculatis, seminibus nigris minutissimis refertis. *Hermann. in Mater Med. manuscriptâ.*

CALAMUS AROMATICUS OFFICINARUM, vid. *Acorus Verus.*

CALAMUS SACCHARINUS, vid. *Arundo.*

CALCANTHUM, vid. *Vitriolum.*

CALCATREPOLA, vid. *Calcitrapa*, seu potiùs *Carduus Stellatus.*

CALCATRIPPA, sub titulô *Carduus.*

Calcatrippam sive Consolidam regalem Veteres inter flores coronarios reposuere, Hyacinthum nominantes, cujus *Dioscorides* l. 3. c. 85. in Delphinio altero, quod & Hyacinthum vocitetur meminit. Siquidem Plinius l. 21. c. 11. scribit discurrentes notas inesse, ut Græcarum literarum figura A I inscripta legatur: quod in Consolida regali hortensi observatur, cùm in floribus folium sit implicatum, quod in albo characteres habet occultatos ex virgulis cæruleis duas literas A I aut tres A I A exprimentes.

Delphinum duplex est *Dioscoridi*, cujus altera species Romanis buccinum dicitur. Quare si apud *Dioscoridem* vox δελφινοειδὲ ad flores referatur, tum Consolida regalis hortensis Delphinum erit, at Consolida regalis segetum alterum ejusdem Delphinum. *C. B. Pin.*

Ob floris figuram Delphinum imitantem Dioscoridis Delphinum credita est hæc planta. Consolida regalis à consolidandis vulneribus dicitur.

Characteres hujus generici sunt folia in tenuissimas lacinias dissecta, flores unico corniculo retrorsum extenso seu calcari donati, semina nigra triquetra.

Nomina. Delphinum elatius flore simplici diversorum colorum *Park. parad.* item Delphinum elat. flor. pleno diversorum colorum *ejusdem* Consolida regalis erectior, purpureo sive violaceo flore majore *J. R.* item Consolida regalis erectior flor. purpureo sive violaceo pleno *ejusdem* Consolida regalis sativa *Ger.*

Vires. Visum acuit & roborat, tum succus florum expressus, tum eorundem aqua destillata, imò vel continuus, ut aiunt, intuitus, unde nonnulli eorundem fasciculos in conclavibus suspendunt.

Herba in potionibus vulnerariis utilis esse perhibetur, consolidat enim & glutinat, unde & Consolidæ nomen adepta est. In pulverem redacta cum ejusdem aqua stillatitia pota confert cardialgiæ, calorem præter naturam extinguit, bilem exæstuantem reprimit, necnon tussim & stillicidium, adversatur venenis. Succus expressus recentia vulnera sanat. *Mat.*

Conserva florum commendatur ad tormina ventris infantium, & ad ardorem stomachi. *Schrod.*

Attendat Lector censuram *C. Hoffmann.* In facultatibus vix aliud reperio quàm superstitiones, & nullo fundamento nixas medelas.

Decocto florum Consolidæ regalis & croci ℥. j. in vino ex suppressione menstruorum convaluit mater & filia ejus. *Achill. Gasserus.*

CALCEOLUS MARIÆ.

Est Ellebotines quædam species, à floris figura, calceolum non male referente denominata. Ab illius autem pleniori descriptione meritò abstinemus, quia nihil hæc planta ad usus medicos facit: quamvis vim detersivam vulnerariam extùs aliqui ipsi concedant.

CALCIFRAGA, vid. *Empetrum.*

CALCITRAPA, vid. *Carduus Stellatus.*

CALCINATIO.

Eleganti emblemate Phœnix notat ignem, uti enim fingitur ex cineribus suis reviviscere, ita Chimici igne consumunt corpora, ut aliud inde eruant, & post mortem quasi vivat, quod combustum est. Destruit ignis, sed non omnimodè, destruit mixturam, quin ne hanc quidem in omnibus, exemplo auri, & producit nova entia.

[1.] *Calcinatio ipsa in calcem reducit, vel pulverem*; illa scilicet, quæ igni committuntur, ut solutâ penitus compage in minutissimas qu si atomos fatiscat corpus igni subjectum, cui resistere nullum quasi quoad hoc potest, quod ipsa omnia domet, & potentissimè dirumpat.

(2.) *Calcinatio fit vel quoad totum, vel quoad partem & secundum quid.* Corporaturam enim aggreditur ignis & materiam, alia itaque perfecta est, alia imperfecta: hinc calces metallorum fusionem magis sustinentium iterum reduci queunt in metallum; hinc quædam solùm superficietenus calcinantur & quasi efflorescunt exemplo croci martis saccharini & similium. Sic calcinatio Philosophica, de quâ mox plura, saltim est quoad partem. Alia ergò major est, alia minor, est enim & hic modus in rebus, sunt certi denique fines.

[3.] *Calcinatio fit vel igne actuali vel potentiali.* Illum absolvit vel flamma aperta, seu carbonum, seu lignorum, vel clausa, & quovis modo fomentata, actuque se exerens, & illa quidem propriè magis dicuntur calcinari, quæ hoc modo in calcem rediguntur; Hunc erosio solutioque, unde calx auri, lunæ, non tam dicitur igne aperto facta, quàm aquarum stygiarum. Notabile enim est calcinationem potentialem per menstrua solventia fieri acidissimis solùm liquoribus, seu illa tantummodo dicuntur calcinari potentialiter, quæ soluta menstruis acidis præcipitantur, adeoque idem sunt, quod præcipitata. Utriusque hujus calcinationis finis unus idemque est, nempe redigere in pulverem destructum ad sensum corpus. Hinc magisteria hoc modo seu menstruis acidis facta, non resinosa, reverà quoque sunt calces.

(4.) *Ignis non est acidus; qui tamen acidum secum conjunctum habet, potentius calcinat.* Non est acidus, quia nihil magis igni contrarium est, quàm acor, unde etiam vulgò acetum potentissimè ignem extinguere rectè asseritur. Non est acidus, quia acidum non est φλογιςὸν, quicquid itaque non ardet, non est ignis, quicquid non est de natura ignis, nec ardet, illud de igne prædicari nequit, unde σιδηρόξυλον est acidus ignis, sive contradictio in adjecto. Si igitur acidum non est de essentia ignis, sed accidentariò eidem cohæret, & ab eo propellitur, non possum dicere: ignis est acidus, possum tamen ob conjunctum quandoque acorem dicere acidum ignis, sive acorem quem ignis secum habet, quem propellit. Exempli gratia, lignum quernum, vel Guajaci (quod maximè est resinosum & inflammabile) si destillatur, tunc exhibet primò phlegma (quod ipsum tamen quoque non ardet) secundò spiritum acidum, unde ut non possum dicere aqua ardens, seu ignis aqueus, ita nec acidum ardens sive acidum ignem; porrò oleum φλογιςὸν, quod propriè est anima ignis, & denique caput mortuum sive scobes siccas terreas, itidem ob sulphur adhuc remixtum concremabiles. Quod verò ignis qui acorem secum conjunctum habet, potentiùs calcinet, vel unico exemplo sulphuris patet, de quo paulò post plura.

[5.] *Pondus in calcinatis quibusdam auctum debetur particulis combustis tum dispersis, tum immutatis.* Dicitur calcinata augeri in pondere, hinc libra una Saturni calcinatione circiter uncijs duabus pondere augetur, ut v. c. ℔j. & ℥ij. minij, ex ℔j. Saturni emergant; par ratio est in calcinatione stanni & aliorum metallorum imperfectorum. Dicitur porrò hoc fieri tum à dispersione, tum immutatione particularum. Dum enim quæ compactissima antea cohærebant, jam in infinitas disperguntur atomos, graviora fiunt, non tam eâ ratione, quâ pulverisata, raspata, vel limata alia in minimas particulas disperguntur & fatiscunt, ea enim non graviora fiunt, (nisi forsan quædam per accidens) quin ut porosiora, ita potius leviora; sed quia hic simul insignis accedit particularum immutatio. Verior itaque ratio est, quod calcinata hæc induant naturam alcalinam, & hinc terra ætherea in porosiora illa, & sitibunda quasi corpuscula depressû suo irruens ipsis atomos aqueas imprimit, quæ gravitatem illam postmodum præstant, idque vulgato more & vocabulo attrahere dicimus, quod attrahant & imbibant humidum, unde in rei experimentum calcis vivæ, recens è furno sumptæ & adhuc quasi calentis, libra una aëri hinc exposita sensim ac sensim recipit penetrantis intimiùs aëris & aquearum unà particularum atomos, adeoque & gravior fit collapsu seipsâ, neque hinc ab affusâ aquâ effervescentiam patitur. Patet etiam id à posteriori, quodcunque enim agunt, v. g. minium, & reliquæ calces, sic paratæ, agunt absorbendo & virtute alcalinâ. Mittimus hoc loco illos, qui cur ♀, ♄, & calcinata graviora evadant, quæsiti, respondent, id fieri levibus ablatis sulphuribus, aut concrematis, corpus hinc gravius reddi, haud aliter, quàm constet, eundem hominem esse longè graviorem mortuum, se ipso vivo, nempe spiritibus aëreis & igneis, qui librabant corpus vivum, in cadavere amissis. Vide *Majerum de 7. montibus Planetarum p. 122.* Lusus scilicet hic est terminorum, auditur vox, sed animum non satiat.

[6.] *Calcinatio actualis fit vel igne immediato vel mediato.* De illâ jam diximus, seu aperta flamma lambat objectas res calcinandas, sive conclusa fit. Sic sal tartari parari potest, vel tartarum calcinando in tegulâ furno figulino, carbonum lignorumque igne, vel destillando in retorta & caput mortuum elixiviando. Mediatè verò ignis adhibetur accessu aquæ, seu uno verbo, coctione, quæ dicitur calcinatio immersiva, item philosophica, v. g. cornu cervi ustum fit igne aperto, cornu cervi philosophicè calcinatum coctione in aquâ simplici vel cordiali, quò omnes similes alij modi referri debent, uti v. g. suspenditur idem C.C. in alembico, vel aliunde vapore aquæ calidæ mollescit, & hoc potissimum locum habet in ossibus, & ad ea referendis dentibus. Sic Philosophicè calcinatur ebur, seu cornu elephantis, dens apri, cranium humanum &c. Minus verò commodè, quod nonnulli faciunt, [nisi accedente acido] testacea, conchæ, mater perlarum & similia. Ratio operationis est, non tam, quod cornua mollescere prodidit *Philosophus l. 4. meteor. c. 7.* ex quo jocatur *Billichius lib. 1. cap. 3. paradox.* esse dictam calcinationem philosophicam; sed quod hoc modo gelatina, seu τὸ γλισχρὸν ossium, quod ipsorum compagem firmat & constituit, maximam partem elicitur, unde hinc pulverisari queunt.

(7.) *Calcinatio potentialis est vel vaporosa, vel immersiva.* Uno verbo est corrosio, sive jam immediato contactu, sive mediato illud fiat, ut acrimonia corrosivorum per minima penetret & compagem dissolvat. Utraque potissimum fit per acida, acetum, 🜄, spir. ⊖li &c. Illa paulò rarior est, usitata tamen in confectione cerussæ, quando vapore acidorum laminæ plumbeæ sensim efflorescunt, & cerussam seu calcem ♄ni parturiunt, item in præparatione viridis æris cum vinaceis. Immersiva altera in solutionibus & præcipitationibus visenda est. Pertinet huc & illinitio liquorum acidorum, v. c. ad crocum martis saccharinum parandum, illinitur spiritus ⊖li laminis martis, acetum ad æruginem ex ♀e proliciendam &c.

(8.) *Calcinatio variat ratione subjectorum; unde affinia sunt incineratio, calcinatio, combustio.* Incineratio magis dicitur de vegetabilibus, quæ calcinantur pro salibus lixivis parandis, v. g. si parandum sit ⊖ absinthij, primùm sufficiens quantitas absinthij prius est accendenda, & in cinerem redigenda; inde superfusâ aqua fit lixivium, hoc verò porrò evaporato sal. Calcinatio de metallis & mineralibus magis prædicatur, ut calx auri, stanni, plumbi, antimonij, concharum, &c. Combustio medium nomen, quod singulis regnis & inprimis animali competit, in vegetabilibus ferè notat calcinationem imperfectam. Sic C. C. ustum, ossa microcosmi usta, lepus, turtur usta, æs ustum dicitur.

(9.) *Calcinatio partes volatiles abigit, aqueas, mercuriales, sulphureas; quòd verò destrui igne nequit, calcinatione relinquitur.* Hæ enim ignem fugiunt coque absumuntur, in quantum aufugere ipsis est licitum, si enim acido interveniente vel implicatione particularum detineantur fortius, ægrius etiam abeunt. Hinc calcinata, quæ sulphur habent magis volatile, primò nigrescunt, hinc albescunt, v. g. C. C. ustum, ebur ustum imperfectè, nigricat, & pictoribus ad colores nigros inservit. Quæ fixius, alio colore videnda se sistunt, ut in metallis, item vitriolo, quod rubet &c. Hinc calcinatio respectivè est fixorum, sive omnia calcinata sunt fixa, saltim secundum quid. Quæ enim remanent, occultantur sub terreis, salinis, fixis &c. Hinc lixivia colorata & aurea, partes sulphureas magis admixtas notant.

(10.) *Calcinatio vel solo igne fit sibi relicto, vel cum additamentis pro vario fine variis.* Adduntur verò potissimum

mum duplicis generis alia, v. g. vel quæ ignem intendunt, & consequenter calcinationem; sic vegetabilium cineribus additur ab *Hartmanno* & quibusdam alijs sulphur, ut eò melius partes sulphureæ & volatiles abigantur de quo inferius. Sic ♂ & ♀ cum sulphure calcinantur, ut vitriolescant. Reverà enim spiritus acidi sulphuris se concorporant cum salibus vegetabilium, & fit sal mixtum; & saturant se in corpore metallico, unde vitriolescunt. Qui tamen modus compendiosior hodiè fit per spiritus acidos, seu vitriolum martis commodius paratur per spiritum 🜍is vel 🜔li; quà calcinatione tædiosâ cum sulphure. Sic & sal, nitrum & alia adduntur quædam, quæ nempe corrosivitate suâ eò magis aggrediantur corpus calcinandum, tale enim additum tali reddit illud magis tale. Sic antimonium diaphoreticum nihil aliud est, quàm calx fixa antimonij. Vel adduntur, quæ eandem secundum quid imminuunt, quatenus fluxum impediunt, & abitum partium sulphurearum remorantur. Sic solent calcinari corallia cum pumicibus stratificata, pro elicienda tincturâ; sic aurum limatum cum C. C. usto calcinatum, seu reverberatum colorem incarnatum acquirit, quod medicamentum ut paratu facile, sic viribus multum efficax commendat *Finckius Enchir. dogmat. c. 18. p. 90.* Sic antimonium cum C. C. ustum in dysenteriâ malignâ commendatur. Sic arcani loco quidam antimonium cum cretâ vel simili corpore calcinant pro tincturâ eliciendâ.

(II.) *Calcinata acriora fiunt, terrea alcalinam naturam induunt, lixiva colorem produnt.* Acriora fiunt pleraque, quia reliquis separatis & difflatis partes salinæ prædominantur, inprimis verò terrea & ossea alcalica fiunt, & sale quodam pollent, hinc in genere absorbent tum internè, tum externè. Sic lixivium calcis vivæ ulcerum fœdorum est domitor; sic conchæ calcinatæ inspersæ ulceribus hypersarcosin eliminant. Sic omnia testacea calcinata febrifugam habent virtutem, præcipitandi absorbendique facultate admodum instructa. Sic ipsa etiam salina quævis calcinatione acriora evadunt, lixiva quævis, v. g. 🜕 tartari calcinatum, causticas quasi & igneas particulas hinc acquirunt; Alumen ustum, 🜔lum ustum, æs ustum exedunt. Lixiva verò salia sive alcalia inprimis calcinantur pro eliciendâ tincturâ, partim quia proprium sulphur, quod abscondebant secum, produnt, hinc cineres absinthij, v. g. calcinati fortius exhibuerunt nobis lixivium cæruleum; hinc sal tartari calcinatum varios induit colores, inprimis cæruleum, & pro tinctura acquirenda eo usque calcinandum est, donec hunc acquirat. Hinc, quod obiter addimus, patet, quævis alcalia adhuc secum abscondere & in sinu gestare sulphur, quod etiam separari artificiosè potest. Hinc sulphur talis modi in ipso nitro latitat maritatum, licet sint, qui attrahi id ipsum ab aëre malint. Partim, quia acutis suis porulis dilatatis intenso calore sulphur spiritus vini, pro extrahendo affundendi, exaltant, ut eo promptiùs tingatur, ex quo patet, tincturam tartari v. g. tincturam suam non mutuari omnem & solùm ex spiritu vini, sed maximam partem à sale calcinato & recluso. *Wedelius.*

CALCITIS, vid. *Chalcitis.*

CALCULUS HUMANUS, vid. sub Titulô *Homo.*

CALEFACTIO.

Calefactio est medicamentorum tam simplicium quam compositorum præparationis quidam modus, quô ea ipsa non quidem coquuntur aut uruntur, sed moderatè calfiunt, vel in sole, vel igne, vel rerum putridarum calore, ut commodiùs percolentur, vel malaxentur, vel misceantur, vel faciliùs vel feliciùs exhibeantur. Sic medicamentum infusum, antequam percoletur, calefit, ut illius qualitas non modo tota in liquorem transmittatur, sed ut liquor promptius permeet, & totus eliciatur.

Clysteres colicô dolore laborantibus præscripti, solent feliciter à Pharmacopœis paulò calidiores injici, modò non sit à bile: febrientibus verò tepidiores, nè fervor magis incandescat, sed mitescat: Et vomiturientibus aqua tepida bibenda datur, ut naturæ motum adjuvet, humorisque fiat sursum per os facilior exclusio. Cùm vix quidpiam actu frigidum debeat exhiberi, sive topicum sit remedium, vel intrò sumendum, ut & balnea, & ipsa linteamina, priusquam ægrotis inserviant, debent modicè calefieri. Multa quoque medicamenta calefactione indigent, ut faciliùs terantur, misceantur, dissolvantur & percolentur. *Renodaus.*

CALENDULA.

Calendula aut Caltha dicitur non, ut aiunt, à forma, qua calathum seu calicem refert, sed à Græco κάλχα, quod apud *Nicandrum* & *Hesychium.* Siculi commutant θ in χ ut ὄρνιθες ὄρνιχες. κάλχα κάλθα. *Woss. Etymolog.*

Vulgò *Calendulam* appellant, quod corruptum ex *Calthula,* unde *Caldula,* & *e* insertò *Caledula,* posteaque *n* additô *Calendula. Idem.*

A reliquis Chrysanthemis seminibus curvis differt.

Nomina. Calendula sativa. Caltha *J. B.* Caltha vulgaris *C. B.*

Vires. Calendulæ flores cardiaci censentur, hinc & hepatici & alexipharmaci, sudores movent, variolas expellunt, ictero medentur, menses cient, partum promovent (fumus subditus parturienti) Aqua destillata, oculis instillata, aut linteis in ea madefactis impositis eorum rubori & inflammationi medetur.

Decoctum florum Calendulæ in Zythogalo, seu liquore posseti Anglis dicto, vulgo propinatur ad variolas expellendas; ejusque usus à longo tempore ferè inter omnes increbuit.

Ad pestem præservativum. Accipe flor. Calendulæ vulgar. manduca, vel cum oleo & aceto fac acetarium. *Curio de Briqueville.* Curativum; Succus flor. Calendulæ potus jejunè sortitur sudando. *Idem.* In metu Carbunculi pestiferi detur succus Calendulæ manè ab ℥. j. ad ℥. ij. mirabiliter etiam purgat venenum pestiferum, per sudorem illud mira virtute evocans. *J. Raius* ex *S. Soame.*

CALIGA, vid. *Instrumenta Pharmaceutica.*

CALIN.

Est plumbi quædam species apud Japonenses ac Cochinchinos usitata, de qua non opus est ut ulterius verba faciamus.

CALIX.

Calix. Folliculus seu involucrum floris priusquam dehiscat, præcipuè Rosæ: interdum flos ipse Rosæ conniveris & nondum expansus. At nunc frequentissimè accipitur pro folliculo, quo flos primùm deinde semen herbarum & fructus arborum cooperitur. *J. Raius.*

CALLITRICHUM, vid. *Capillares.*

CALLUM OBDUCENTIA, vid. *Catagmatica.*

CALOR, vid. *Ignis.*

CALTHA, vid. *Calendula.*

CALX.

Calx varijs significationibus gaudet, denotat enim vel materiam illam candidam quæ paratur ex lapide

Cal-

Calcario; vel illam quæ fit ex ossibus magnorum pisciam ut & testis buccinorum & ostrearum crematis. In Chymica significatione *Calx* dicitur pulvis quilibet per ablationem superfluæ humiditatis in partes tenuissimas, & veluti impalpabiles comminutus. Huc pertinent Calces omnis generis Metallorum & Mineralium, *Calx viva Philosophorum* vocatur, quæ ex argento vivo paratur diciturque *Minera Alchemica*. *Calx Saturni* nihil aliud est quàm Cerussa cum aceto destillato calcinata. *Calx* quoque *Paracelso* dicitur excrementum urinæ, quia spiritum calcis habet. *Calces terræ* eidem quoque sunt Terræ bolares vel argillaceæ; ut Creta, &c. *Lex. Med. Castello-Brunonianum*.

CALX VIVA, vid. sub Titulô *Lapis*.

Hic tantùm,

Experimenta cum calce viva facta.

Forsitan haut fuerit incommodum, si quæ aliquando sub qualicunque potiorum calcis vivæ ipsiusque saxi partium perquisitione observaverimus, breviter hic, & num abstrusiori adhucdum exæstuationis negotio explicando conferre queant aliquid, recenseamus. Principiò proin cum curiosorum circa rem istam facilè primus *Helmontius*, in primo editis libellis 3. *lithias*. & 9. *feb*. alteram excandescentiæ causæ partem in residuo concremati sulphuris sale, ipsumque saxum ob sulphur phlogiston calcinabile esse velit; aula insuper ab usti in proximo fortalitio fœtore sæpius offenderetur, in sulphurearum (copiam hinc non exiguam præ se ferentium) particularum aliqualem pervestigationem delati deprehendimus, vel minerarum ustulatarum accensive modicum in conclavi fili sulphurati exemplo, quod nihilominus qualitas hic atque pollentia mole (conjunctim ante hujuscemodi dispersionem æstimata,) profectò major sit; ceu in odoratorum quoque nonnullorum effluviis, inque gustu similiter, florum ammoniacalium martialium nigrorum tantillo, extrema faucium constrictione tantùm non penitus suffocante sentimus.

Facta enim 1. pollinis saxi cum oleo tartari saturatissimo digestione & hinc decoctione satis forti, (siquidem liquatio cum ipso sale nimium de materia lapidea absorbere, haut parum verò sulphuris sub actione ipsa dissipare videbatur:) instituta cum acidis præcipitatione, non sulphur aliquod aut eo saturatius quidpiam, sed lapidosum solum magma subsedit, si prunis inspergeretur haut ardens, ut antimoniale lac sulphuris etiam cum lixivio calcis paratæ; verum sulphur aliquantum saltem olens.

Nec 2. sublimari aliquid, intenso quoque per decem horas igne (tantùm in collo retortæ) voluit, cum (alio quidem fine) libram unam (quo magis penetrari posset,) grossè pulveratam Vulcano suspiceremus; prodeunte interea quidem ab initio drachma una scrupulisve quatuor aquositatis à communi haut multùm differentis: dum tàmen è pari silicum etiam alborum pondere, postquam eadem quantitate extillasset liquor aciduli ferè quidpiam præ se ferens, & nobis olim pro menstruo insipido solari commendatur, (paratâ verò copiâ attenuatiora Saturnina haud adeò attingere visus,) sulphureitatis odoratui haut adversæ quidpiam, est ut vix ponderabile illuc adscenderet.

Ita nec 3. digestione cum Spir. vini dephlegmatissimo instituta, instillatoque filtraturæ Vitrioli spiritu aliquid præter nubeculam extra filtrum non colligendam, eo verò combusto demum aliquousque ferè perceptibilem habuimus.

Tandem 4. nec detonatio expectata per nitri tam simplum quàm triplum nisi coactissimè & ubi circumactam prunam immedi tè tangeret, succedit; [suborto saltem lapidis molaris attriti odore sulphureo:] dum tamen Martis limatura, stannum, lapis Calam. &c. intimiori quoque vel immaturiori sulphure constantia tale quid, quodvis interim pro suo modulo, facilius patiuntur.

Ut proin supra laudatus *Helmontius* haut incommode post modo (*tr. tria prima chim.*) conclusivè videatur; id quod saxo calcario inter urendum decedit, cum nihil tunc ut in pruna [quam paulo ante lapidi isti contulerat,] accendatur, salis esse potius quàm sulphuris: de separabiliori manifestioriquæ procul dubio loquutus: siquidem præter supra recensita, alia etiam quam à solo ligno apparere videtur in ustionis progressu flammæ facies, eaque ab avolantibus particulis salinis vix solitariè profecta.

Maculas instar croci cujusdam metallici ochreas, aut rubiginosas calci nonnunquam interspersas tantisper huc trahere nolumus. Speciem tamen tunc præ se ferunt reliquiarum aut scoriarum micæ interspersæ seu substantiæ sulphuris cujusdam forsan haut expertis, aut ad semimetallicum quidpiam simul inclinantis: ceu superfuso calci vivæ aceto, (quod hydromel nobis loco vini sufficientissimum suppeditat,) postquam fundo prius quasi ammoniacaliter aliquandiu refrigerato, effervescere tandem incipit, odor exactè solutiones Saturninas aceto factas referens exsurgit. Sed hæc plane conjecturaliter.

Id constat, quod dum candicans calcis rec. portio urentissimo sapore linguam impetit, rubiginosa hæc seorsim exculpta aliquanto mitior cum amaritie quasi adstrictoria copulata sentiatur. Atque hæc de sulphureis referre possumus; ob olei tartari frustrationem studio præterita digestione cum spiritu nitri composito, abstractioneque spiritûs vitrioli, tanquam magè sulphureis convenientioribus.

Quod autem salinas attinet observavimus. 1. è saxo crudo, licet mica interspersa & alius quam spathi, silicis, &c. levigatorum sapor spondere queat quidpiam, vix tamen (negotio quoque per fortissimam decoctionem & filtraturæ in vap. balneo exhalationem, consimilium marinorumque exemplo tentato,) separari posse evidentius aliquid, quod præter calcis, (ut in vinis nonnullibi) vestigiæ candicantia, à fontana vel maximam saltem partem remansisse dici nequeat: siquidem (ceu plurimas olim alio quidem fine Serenissimi jussu hoc quoque modo tentavimus,) salsum quidpiam subamaricans quasi centrale aut seminitrosum, floccosum ferè aut foliatum, plerunque tamen griseum, cum sulphureitatis interdum cujusdam nota [vix ultra 2. grana è libris 16.] similiter relinquunt, si puræ simplicesque nec extraneis nonnunquam complicatæ fuerint, v. g. [præter frequentiorem materiam illam tophaceam aut calciformem,] ochreæ cuidam simulacri & sulphureæ, ut in strumiferis quibusdam superioris Franconiæ prope vineta, citra metallorum (quæ sibi innotuerint,) commercium scatrientibus, aut uliginosæ amaricanti; ut in stygijs quasi nonnullis, gustui in se non adversis, jumentis tamen indè largiùs potatis exitialibus ipsive sali communi; ceu non fine jucunditate in Hassiæ hic confinijs fontes salsularum venam seu tractum (cis & postmodum trans Werram fluvium) comitantes aliterve tangentes, ejus plura grana, alicubi ultra scrupulum in supra notato pondere continere per duorum ferè milliarium Germ. ductum deprehendimus, liberis utrinque reliquis. Sed & incidenter.

De cætero si quid in ea exiguitate ac miscellæ suspicione, ex ipsa etiam calce est salinum, (ut esse potest,) nitrositati cuidam videtur fore tum (per diversarum observationum applicationes) propinquius.

Cùm autem 2. & per gradus manifestius hic quidpiam quæ-

quæreremus, & ipse lapis per perfectam ustionem facilè dimidio inveniretur levior, (etiam post aliqualem asservationem, dubio procul ab initio quoque exhaustis ac sitibundis poris ex atmosphæra aliquid in augmentum ponderis admittentem:) probè quidem gnari *Helmontiani* illius l. c. quod ejus generis saxo idem ac carboni eveniat; nisi ambo aperto igne crementur, in calcem aut cinerem mutentur nunquam. Instituimus nihilominus experimentum supradictum vase clauso, seu in retorta igne satis valido, exploraturi num particula saltem ejus quod in calcinatione aufugit, & idem author non sulphureum, sed salinum esse voluit, ascenderet, eaque vel purè talis, vel sulphureitati cuidam permixta, aut simul (quod Illustris *Boyle* in Parisiensi gypso observavit, nostro circa fornacis tantummodo fundum interdum liquescere incipiente,) ex parte vaporosa.

At quid & quantum hinc exierit, paulo ante notavimus. Nec adeo evidentius quidpiam è residuo seu capite mortuo colligere potuimus, nisi quod (in ulteriorem conjecturam aut collationem, affusa ad exiguam solum extantiam aqua seu post exiguum stridorem, nullam verò incalescentiam, filtratura (aliquid insuper præ fontana ferè sapiens,) instillato tartari oleo, (nam è vitrioli spiritu nil;) sedimenti quid instar nubeculæ ostenderet: dum evidentiori particularum acidularum indicio, supradictum silicum residuum similiter elutriatum, aquam quasi semistipticam, & per oleum tartari pulveris albicantis quidpiam instar magisterii præcipitatum, vitrioli verò spiritu similiter nil, (apparens quidem) reddit.

Atque eadem gypsi usti ac calciformis lapidis, crustuosi dicti, (si quidem laminis lap. scissili crassioribus pavimentisque paratis constat,) ratione stridoris citra effervescentiam, & præcipitati per alcalinum pulvisculi, cum silicibus est ratio. Ut inter prænotatam è saxo parcitatem *Helmontius* denuo haut incommodè dixisse videatur (*tr. tria prima chimicorũ.*) Lapides calcinabiles salis naturam & calcis acrimoniam induere transmutatione in novam generationem ab igne promotam, non verò contenti extractione vel separatione.

Proin in calce ipsa ritè perusta 1. sal manifestatum ostendit (præter laboriosiora alia, ipsiusque lixivii saporem,) coagulum saltem simplicissimum, quod ex hujus evaporatione in vap. balneo, (unde candidissimus *Sala* aperto forsan igne diutiùs reposito lixivio usus induci ad qualemcunque negativam potuit,) in bullis lamellisque suis, (ni imber exhalationem per vices cum Excellentissimo *Willisio* eximantur,) calcariæ materiæ permixtis ad drachmam semis ferè è saturatiori libra restat, & aquæ s. q. denuo solutum idem lixivium reddit.

Quod 2. naturam ejus (an simplex vel compositum, fixum an volatile faciliusque præ aliis alcalisatis volatilisandum sit,) una cum origine attinet: uti quoad primum *Helmontius* allegato loco 3. *lithias.* & 9. *febb.* duo inibi posuit alcalisata salia, gustu quoque distinguibilia, lixiviale unum, alterum acidum à sulphure concremato residuum, nec separabile à toto &c. quæ porro aspersione aquæ soluta invicem agant, accendantur, &, dum se mutuo sic demoliuntur, simul coagulentur &c. exemplo tartari vitriol. thermarum &c. adducto: ita sane in urentissimo simulque quasi stringente calcis vivæ Crecentis & integrę,) dum verò concidit pseudosaccharinis aluminis Saturnique aliqualiter accedente, ipsiusque lixivij (ab alcalino per stipticum ad similem dulcorem tendente) sapore attentior gustus non invenit, quod in sale tartari perfectè vel denuo cum particula calcis vivæ calcinato, in oleo tartari & liquore silicum Gl. aliisque exquisitioribus alcalinis, simplicibus aut materiæ lapideæ; (si simplici hujus solitarioque commercio forsan supra notatus sapor imputari velit,) complicatis sentitur; conceptu autem facilius vel manifestius, licet non sine quadam collationis latitudine existit in alcalinis fixis aut volatilibus per acetosa aliquousque infractis aut fixatis; in ipsa urina evaporatæque coagulo; dissolutione hepatis antim. antimonioque diaphoretico non edulcato, in lixivio capitis mortui spiritûs calcis vivæ cum spir. salis parati &c. lapidosæ quoque vel analogæ substantiæ quidpiam adsociatum habentibus.

Ut autem præter gustûs hanc æstimationem distinctius appareat illa salium dualitas, urinosum quidem aut lixiviale haut difficulter forsan demonstraverit 1. Spiritus ac subsequum sal, quæ è lixivij saturatioris cum vitrioli spiritu moderatè, quo amaricans quasi quidpiam, percipiatur,) affuso fixati coagulo, lentè super fornacem parato proveniunt, si cum ana salis tartari subitò misceatur, & quod igne arenæ vaporum specie brevi per phialam aut cucurbitulam conjunctim ad drachmas fortè tres ex utriusque uncijs duabus surgit, colligatur: capite mortuo ob prævalens sal tartari adhuc dum lixiviosissimo, affusa aqua incalescente, prius autem calciforme aliquid intermixtum urentissimum ostendente; an quia denuo hic alcalino perfusum est? cum calx sale suo semel quovis modo exuta postliminio ad pristinum vix redeat.

2. Spiritus urinosissimus, quem ex ana calcis ac spiritûs salis per cucurbitam curtam at capaciorem, aptato probe prius cum recipiente alembico, ad uncias quinque pro singulorum libra una colligi posse, etiam non subito (qui tamen postmodo potest,) igne alibi notavimus: residuo finita destillatione post horas demum aliquot concidente, si elixietur & filtratura evaporetur, unciam unam semis salis foliati salsi simulque stiptici, (ceu solutiones lapideorum cum spiritu salis solent,) dante: fundamentum scilicet liquoris nephritici quondam hîc locorum usualis, & ob calcis jam sane inversas exutasque particulas (æque ac lac sulphuris) innoxij.

3. Parabilior adhuc calcis spiritus, qui ingestâ aluminis pulverati librâ supra libram unam semi grossè contusæ calcis vivæ, per capacioris colli retortam, capaci similiter recipiente, trium vel quatuor horarum spatio conjunctim, igne arenæ ad uncias sex vel septem provenit; liberioribus ità factis (post terrestriores ab acido aluminis similiter, ceu residuum ostendit, abreptas,) salinis istius particulis; licet equidem ex urina, inter hujus excoctionem pro præcipitatione necessariâ quædam pro rata accedant.

4. Spiritus vini satis indè alcalisatus, si per se prius probè dephlegmatus calci in cucurbita seu alembico ad aliqualem eminentiam affundatur, & postquam citra notabiliorem extus incalescentiam, (quæ in aperto vase vel patella post horas 3. vel 4. satis cum haut ingrato spiritus avolantis odore, valida est,) octava præter propter pars sponte in frigido striatim diei spatio, (sensim concidente calce) prodierit, residuum lento cinerum calore totaliter propellatur, sapore tartarisati, vel à cineribus abstracti spiritûs instar, evidenter urinoso.

Forsan etiam 5. coagulum nitrosum quasi murarium; aut ni copioso calcis lixivio superaddito probè saturetur, saltem mucaginosum; quod moderatâ quantitate (ita ut post exæstuationem sicca adhuc permaneat,) calci affuso nitri spiritu vel aqua forti, post debitam elixiviationem & exhalationem provenit, arreptam in lucta calcis partem, æque ac croci metallorum antimonijque diaphoretici dilutum sub evaporatione deponit, & promptè ignem etiam

empo-

emporetica imbibitum concipit; sub exæstuatione tamen, æque ac ipsa saxi calcarij cum spiritu nitri facti-tuta solutio, nil rubrum, sed albos tantùm, forsan in intimioris coagulationis indicium vapores spargit.

Atque 5. huc adduci quoque posset similis urinosus odor, qui primò percipitur, antequam ex affusa aqua (obortâ exæstuatione) unciæ duæ vel tres è mediocri cucurbitâ sponte surgant, simplici similes, saltem aliquantillum quasi stipticæ; dum perfusa spir. vitrioli calce latex, qui per alembicum stillat odore saporéque phlegma vitrioli, è nitri spiritu vel aq. forti terreum quid seminitrosum; è vitrioli philosophico dilutiori (qualis ad usus medicos tamen sufficientissimus, assumptis pro novem butyri uncijs ad præcipitationem & edulcorationem aquæ simpl. libris sex facilè habetur,) primo terram quasi sigillatam, hinc urinosum, (quod concentratior statim exhibet,) sapit, cum odore quasi butyri antimonialis.

De spiritu volatili, qui sp. salis perfusa calce cum subitanea (ceu in prædictis etiam) exæstuatione surgit, supra diximus; quemadmodum quoque de aceti, dum loco aquæ s. ad elixiviationem assumptum fuerit odore singulari. Hoc autem per horam & amplius moratur, antequam invicem excandescant: & diutiùs plerumque urina, ac citra quendam tunc tumultum: sponte post dies aliquot absorptis calcis particulis subsidentibus in utroque horum lixivio; quod hic quidem postmodum denuò urinam sapit, uti illud pristinum ferè acetum.

Suffecerint autem fortassis hactenus recensita pro partis lixivæ aliàs comprehensu facilioris qualicunque demonstratione: sive de cætero 3. ipsius saxi præ alijs huc dispositi, èque reliquijs *Helmontianæ* salsedinis sub ustione abeuntis fuerit; sive ab igne quasi fuligineum, in spatiolis lapidis (peculiariter præ reliquis; etiam conchilijs apti (post calcinationem restitans; (quo pondus post repetitam ignitionem aliquantulum auctum ex Illustri *Boyleo* referre quis posset; sive ab utroque: quod in ulteriora experimenta nunc quidem seponimus.

Interim tamen 4. ni penitus aut maximam partem volatile, saltem præ alijs alcalinis promptius ulteriusve volatilisatu facilè haberi similiter vel è prædictis posset, cum spir. vitrioli facto per sal tartari tale sensibiliter, & aliorum pariter fixatorum ac postmodo resuscitatorum more in alembicum levetur; & ex affuso calci vivæ salis spiritu urinosissimus quasi sponte surgat: ut alcalisatum hinc vini spiritum & eum, qui cum alumine colligitur, quandoquidem utrumque etiam cum sale tart. fixo procedit, haut adeò hic allegemus: quemadmodum nec tractu temporis, cum cremone chirurgorum, fatiscens tandem inter calcarij coaguli secessionem lixivium. Quod autem volatiliora quoque salia, etiam sola, vehementiorem quandoque ignem sustinere queant, sal supra vini feces sublimatum ostendit; facilius verò retinaculo competenti mixta; salis ammoniaci comm. aut è subtilioribus reproducti exemplo.

Sequuntur nunc 5. acidæ *Helmontii* particulæ, è concremato sulphure superstites, & consequenter hinc vitriolicæ naturæ aut saltem originis: siquidem vel acidorum vegetiorum calci inspersorum, aut C.C. V. coralliorumque vitriolatorum *Salæ* exemplo, forsitan plus tunc (seu ab ipso igne, seu acido lignorum spiritu, propriave in saxum actione ac reactione) patiuntur, quàm in simplici postmodum lixivio, haut semper tamen eas solùm obnubente; ut in utralibet lucta nihilominus aliquantum ferè infringi vel saltem tum, aut ab arrepta materia saxea alterari videantur; ni forsan alterius generis aut quasi compositum quidpiam (ipsis mineralibus aliquando evidentius interspersum, aliquando intimius permixtum) hic quoque complicatum fuerit, quod cujas cujas tandem sit, oblato lixivio copulatum quasi armoniacale aliquid constituat, & sub copula ista lapidosam substantiam absorptam, quasi aluminiformiter, aliquandiu retineat.

Fortassis autem amplius, respectu lixivarum istarum, (non solùm in simplici, sed acidis etiam, prædicto modo aliquantum imbibitæ calcis lixivio prævalentium, & inde pro sufficienti fixatione acidi vitriolici vel salini copiam haut exiguam exigentium) pauciores quoque sunt; ceu ipsum saxi sulphur parcius est; & post communis etiam sulphuris, teneriores quoque extractiones salis parum deprehenditur. Non tamen proin effœtæ aut desides; uti sanè *Helmontius* ipse eas inter alcalisatas refert; & supra recensitus, (tertius ex utrisque) sapor, ejusque per modicum spiritus acidi calci instillatum intensio, item (mitioris alcali remissiorisve unitionis,) vitrorum non quidem evidens quasi per salis vitriolive spiritum corrosio, aut tacita ceu per concentratiorem nitri fixi liquorem attenuatio, sed lenta solùm quædam vitiatio ostendere videtur.

Verum præter hæc eas inibi apertius comprobare poterit præcipitatoria unionis cum lixivis detentáque calcari materia (vel partialis saltem) dissolutio aut infractio, quotidianis quidem observationibus primo intuitu haud adeò ferè consona, sub ulteriore tamen perquisitione satis sibi constans nec irregularis; ut scilicet è lixivio tam communi, quàm è calce (acido vitriolico, salino, acetosove aliquantum prius imbibita) elutriato, utrobique interim (hîc forsan absorpta in residuo aciditatis parte,) sapore urinoso nihileminus supereminente, per spiritum tamen vitrioli moderatè priori lixivio instillatum planè nihil, per excessivum autem, tantùm salini coaguli quidpiam, (affusa aqua s. statim dissolubile) præcipitari; è posteriori verò non nisi post dies aliquot salsi calcarij cremoris aliquid secedere, (salso plerumque, qui prius satis vitriolicus erat, tunc superstante liquore;) per tartari autem oleum protinus (& quasi indifferenter) è priori lixivio candicantem pulverem, è posteriori verò similiter, sed salinis quibusdam particulis utplurimum [præsertim ex imbibitione vitriolica,] plus minus comitatum, instar tartari cujusdam vitriolati salinative pessum dari, [alcalino in residuo liquore sapore eminente,] nihil fit insolentius: siquidem oleum hoc tartari in acidum, [urinosas calcis partes una cum lapidosa substantia intra se detinens] pro more irruere, ac per ejus abreptionem coërcitorum sic copulam solvere putaverimus: in dilutiori residuo liquore, restitante [vel pro parte tantùm; nam abire vel etiam fortassis immutari qualitercunque aliquid, odor inter instillationem quasi clyssi tartarei surgens, isque per superinstillationem spiritus vitrioli adhuc manifestior arguit,] calcaria urinositate, secedente verò [vel inter acidarum comitatum] prædicto magisteriali quasi sedimento.

Dum ex adverso vitrioli spiritus [aliàs purè alcalinorum contenta, uti in liquore silicum &c. satis separans] hic sibi similes aut congeneres vel eò modificatas, (uti in calce per spiritum salis, aut philosophicum aliquantum humectata concipere quis posset) particulas auget aut intendit, pro intimiori lixivi calcarij & quod ei, (ante evaporationem penitius) adhæret retentione, aut suppressione.

Hæc ulterius illustrari quoque forsan possent imitamentis quibusdam solutionum calciformium olim tentatis. Miscuimus enim (gnari interea, quod volatilibus etiam, tam primogeneis, quam resuscitatis

su i sit Respublica) spiritui ammoniaci tantum spiritus vitrioli, ut post manifestam incalescentiam oborto tertio amaricante sapore ebullitio fere cessaret: (is enim in ejuscemodi mixturis atque fixationibus videtur terminus, & coagula alias nimis acescunt:) injectis cancri oculis tanquam solubilioribus liquor inde sufficienter saturabatur cum sapore semiurinoso ferè stiptico; & instillato post residentiam debitam oleo tartari, pulvis quasi magisterialis (odore pro talium conjunctorum merè confutaneo clissiformi, at demum urinosissimo subsequo,) præceps ibat; per spiritum verò vitrioli præter ebullitiones nihil: interea tamen de oculis quidpiam tam indissolutum, quam sub ipsa solutione præcipitatum in fundo observabamus; ut enixis quoque nonnullis, (ceu non incommodè hodiè vel distinctionis gratia vocantur,) idem contingere hinc vel aliquandiu saltem, (siquidem procedente tempore totum è liquore, quasi denuo aliquali calcis vivæ imitatione secedit ac subsidet,) constet, quod spiritui vitrioli s. ejusque affinibus berberum citrique succis, atque liquori, qui post præcipitationem magisteriorum ex acetoso vel destillato cum dicto spiritu factam superest, & pariter marina ostracoderma &c, injecta partim post dissolutionem retinet, partim iterum dimittit.

Idem verò cum spiritu quoque antepileptico *Hartman.* tanquam eorumdem ingredientium penitioris unitionis habito liquore contingebat; sive solutionem oculorum cancrorum spectemus; nisi quod remissius eos adoriatur, (& ipse prædicta mixtura remissior, & inter destillationem amplius forsan alteratus;) sive præcipitationem per oleum tart. sat evidentem, per spir. vitrioli verò nullam; sive demum residuũ magisteriale quasi, inter intactas adhuc particulas.

Nec aliter semet exhibebat supradictæ conformis, spiritu salis communis & ammom. eadem proportione parata mixtura, in ista præcipitationum ratione, & post tempus demum aliquod subsequâ urinosi eruptione; nisi quod solutio oculorum cancr. hîc foret durabilior, spontanea verò arreptorum præcipitatio fortè nulla. Ipsum acetum spiritus istis longè remissius, extinguendæ calci adhibitum; decantato hinc liquore perquam similiter urinoso, per spiritum tamen vitrioli longè tardius ostendebat quidpiam concrementi salini; dum instillato oleo tart. pulvis statim decideret, residuo acetum in vappam declinans referente.

Atque hæc de præsupositorum *Helmontii* qualicunque perquisitione, & complicatione acidi; quòd aliàs *l.c.* à toto non separabile constituit; felicioribus verò ac diligentioribus ulterius demonstrandum hîc committimus.

Nec enim 6. pro simplicitate salis solùm (in calce) alcalinâ adeò facere videtur vis scharotica; cùm non tantùm in lixivis, v. g. fraxini cinere eoque recenti, (unde quoq; forsitan lapis corrosivus semel diffluens, nil aut parùm postmodum potest) sed etiam in acidis concentratioribus, (oleo vitrioli, salis, butyro antimon. sublimato &c.) solitarijs, aut cum urinosis insuper complicatis (salis ammoniaco ejusque in vitrioli nitrive spiritu solutione &c.) imò planè indifferentibus nonnullis v.g. magnete, arsen. *Sala* pariter (quia ex alio capite) reperiatur: & sinapi, allium &c. non solitaria saltem, sed aceto quoque remixta vesicent. Quemadmodum amplius nec ipsa sulphuris comm. pro lacte ejus, antimonijque pro quadam sulphuris specie, cum calce viva per decoctionem facta solutio. Quippe hic quidem (ut in plerisque aliis) haut pura est sulphureitas, sed super antimonium (una solutum) tantùm aliqualiter & aliquandiu (citra diuturniorem asservationem) magis extravasata.

Nec impurius solummodo ejus sulphur in dilutis haut pure alcalinis, post detonationem, verum etim purissimum (post tantum acidi ad præcipitationem insuper instillati) nihilominus inibi durat & subsistit: ut additum nonnullibi lixivio tartari sal commune ustum; & in solitario isto, (si per tumultuariam detonationem cum nitro patetur,) aciditatem hinc incarceratam haut paucam; item affine, quod per aquas regias ammoniacales quoque diversimode provenit, prætereamus.

Quod autem commune sulphur attinet; etiam supradicta spiritus ammon. cum acido modificata mixtura, quamvis in actione sua æstuantis hic simul corrosivæ, calcis vehementiæ singulariorique inibi lixivio in universum non conferenda, quidpiam tamen de digesto inibi sulphure arripit, quod instillato oleo tartari statim, (ac post momenta demum aliquot subsequa urinositatis ammoniacalis eruptione) deponit, incenso post exiccationem filtro satis perceptibile.

An spiritus vitrioli per similem instillationem evidenter nil deponens, occulat tantillum illud (uti superius,) inter urinosum hærens ulteriorem experimentorum defectu nunc vel tædio inpræsentiarum haut determinaverimus. Si verò urinam ipsam, sub unione sua calcis lixivio quadantenus affinem; etiam per supradictum solutionis modum putaverimus, licet pro salina, per alterius interventum segregata parte sulphuris cum calce factam solutionem præcipitet quidem at mage flavum & (respectu adhibiti huc acidi) longè parcius lac exhibendo; altera tamen volatili, (vel uti in complicatione utrarumque est,) diuturniori decoctione imbibere sulphuris aliquid similiter instillatione olei tartari, filtrorumque deflagratione deprehenditur; dum per vitrioli spiritum plerunque austerior tantùm provenit liquor.

Sed his 7. ita quidem se habentibus quæri nunc amplius, & quidem in ea experimentorum ambiguitate vel defectu facilius, quàm explicari posset, num revera præsupposita duo illa salia sub ipso calcinationis actu ac turbulento tot taliumque particularum inter se transitu (subactione vel complicatione quadam) jam mixta fuerint: uti terram foliatam tartari, ammoniacum ejusque subtiliora quoque genera fortiorem quoque ignem sustinere cernimus: an verò demum, quasi seorsim servata, sub aquæ diluentis accessu & inter luctam suam misceantur? Siquidem & ipsa calx linguæ sed perfunctoriè saltem, (nè urens oriatur) admota, supradictum ferè saporem exhibere videtur: aut si tantillum eo, ipso quasi restingui censeamus, aqua cui sufficiens recensque frustum immersum est, postquam prævio stridore bullulas suas ejecit, eundem circa peripheriam magis magisque induit, antequam intimè (quod necessum est,) humectata vel saturata calce per oborientem exæstuationem undiquaque perfectiusque saturetur.

Interea certum est, quod sulphuris vel antimonij solutio cum ipsâ in substantia facta longè præcellat digestiones aut decocta cum istius etiam saturatissimo lixivio, (citra quoque participationis calcariæ extensionem; quam alius simplici figentique nimis præcipitationi vel ex parte saltem adscribere posset:) & hinc ex antimonij v. g. ℥iv. per hoc vix duæ tresve drachmæ sulphuris ità dicti, (instillato solutioni spiritu vitrioli, ut albentis,) habeantur, dum cum ipsius calcis libra ferè duodecim, minimumque decem proveniant: similiterque se habet cum comm. sulphure, nî lixivium saponario tartareóve perquam in proventum quendam fortificetur; dum per calcis libram è sex istius uncijs facilè quatuor, satisque si prunis injiciantur deflagrantes exeant.

De cætero si 8. prior sub ustione unio sibi quadantenus constiterit, quod tamen nostrum nunc non faciemus; haut parum hinc dubia fieret exæstuatio soli dissolutorum per affusam aquam (aut æquivalens,) & invicem

invicem congredientium salium luctæ assignata: ut (quo V. C. D. *Kergerum* etiam inclinare videmus) ipse quoque solutionis actus quasi menstrualis hîc associandus foret: ceu sane residua massa ampliata, instar magisterij cujusdam corrosi & simul præcipitati restat. Interea uti disparata sunt fermentare, incalescere, exæstuare penitusque incendi: ita diversa quoque sunt talium exempla singula suis classibus accensenda; nota passim, ut referre supervacaneum esset, præcipuè cum phænomeni per causas explicatio nonnulli existat adhucdum difficilior.

Incalescit citra probabilioris contrarietatis notam [quæ ex acidi cum alcalibus diversorumque inter se spirituum concursu, aut sulphureorum oleosorum aut urinosorum associatione, vel metallicarum particularum combinatione, lucta, aut solutione vehementiore evidentius deduci in cap. mortuis vitriolicis vel ammoniacalibus, oleo vitrioli, solutionibus ac præcipitationibus nitrosis aut mercurialibus &c. potest,] simplex tartari extremè destillati cap. mortuum, salis oleum nitrosius concentratiores spiritus, etiam aqua tantùm infusa: sique huc [præ C.C. philosophicè calcinato spiritu vitrioli insuccato convenientius] adduci queat ipsa [quod curiosissimus *F. J. Burrhi* superioribus annis annotavit] Martis limatura, sub quadrupla etiam ad assignatum pondus; sive si libræ duæ cum dimidia ℥iv. aquæ simplic. probè confrictæ in conservali vitro angustiori reponantur, calor mediocris ab infernis evidenter sursum, cum odore ferrugineo quasi vergens, per octo ferè horas durat, friabiliori hinc successu temporis & quasi exeso, nil tamen vitriolici sapiente Marte.

Sed enim calx ferè quidpiam his amplius pati videtur; quod tamen ad fermentationem hoc in genere referre fortè durius; an verò ignearum particularum hîc alibique in liquidis quoque sine notabiliori perceptione conclusarum fuga, [ceu à superiori seculo hucusque per multis Viris eruditissimis placuit,] simpliciorive lucta, aut modificata quadam nutritione, quò Excellentissimus *Conringius* olim in notis ad *D. Billichii*, Chimiatri suo tempore clarissimi, *fermentationis Anatomen* inclinavit, aliáve elementi primi congregatione, huic aliisque contingat, determinatu profectò æque adhuc dum deprehenditur difficile: nec restitantes hinc inde obscuritates satis determinari posse videntur, donec etiam de penitiori ignis natura pleniùs atque planius constiterit aut convenerit.

De cætero si tentaminibus vel experimentis hisce caussæ suæ minùs appositè applicatæ fuerint, aut lixivum calcis ac salis tartari negligentius in comparatione habitum inveniatur, conjecturaliter saltem & dum *Helmontiana* hic aliquousque persequimur, seu aliud agendo posita sunto. *D. Daniel Ludovic. Misc. Cur. Dur. 1. Ann. 6.*

CAMELINA, vid. *Myagrum.*

CAMELOPARDALIS.

Camelopardalis, aliàs *Ovis fera*, *Giraffa*, *Anabula*, *Nabis*, animal est de Camelo ac Pardo participans, ad instar cameli propè magnum, ad utrumque capitis latus cornu brevius, ac in medio fronte tuberculum gerens. Collum habet, longum crinibus productioribus onustum. Pede est ad instar bovis bifido. Lingua est rotunda, coloris subobscuro violacei, duos pedes longa. Herbis vescitur, imò arborum ramusculis tenerioribus, quos facilè, præ colli longitudine, attingere valet. Reperitur in Africa apud Trogloditas, ut & Æthiopes. *Plura vide sub titulo Cervus.*

Non difficulter cicuratur, ejusque cornua ac ungulæ in Epilepsia quàm maximè conferunt, ut & in alvi fluxibus ac venenis; si modò pulverisata in vehiculo apto exhibeantur.

CAMOMILLA.

Chamæmelum dicitur hæc planta quasi Malum terrestre aut pumilum, quod Mali [intellige Cydonij *Hoffm.*] odorem habeat. Dicitur & *Anthemis* à florum abundantia.

Notæ ejus characteristicæ sunt, Folia tenuissimè dissecta; flores sparsi, satis grandes, folijs marginalibus albis discum flavum cingentibus.

Nomina. Chamæmelum odoratissimum repens flore simplici *J.B.* nobile seu odoratius *C.B.* Romanū *Ger.*

Vires. Digerit, laxat, mollit, mitigat dolorem; menses & urinam ciet. Eapropter usus insignis est in dolore colico decoctum in vino, ex jusculo, in cruciatibus spasmi flatulenti & convulsionibus. *Matth.*

In pleuritide mirum dictu quantopere aqua illius destillata partium suarum tenuitate valeat discutienda *S. Pauli.*

Extrinsecùs ejus usus est in paregoricis, emollientibus, maturātibus cataplasmatis, clysteribus, &c. *Schrod.*

In clysteribus ad dolores intestinorum placandos, quâcunque tandem de causâ procedant, magnopere conducit.

Inter omnes plantas quotquot in balnea contra calculum recipiuntur nihil floribus Chamæmeli efficacius. *Matth.*

Oleum Chamæmelinum tumores duros emollit & dissipat, dolores sedat, lassitudinem spontaneam tollit.

Hæc de Chamæmelo vulgari præcipuè intelligenda sunt. Nobile potentiùs calefacit ac attenuat, digerit etiam & rarefacit: remissiùs verò emollit ac dolores mitigat; ut rectè *Dodonæus & J. Bauhinus.*

Nonnulli adversus calculum ejus decoctum propinant: Quidam nephriticus, qui post multa remedia in cassum adhibita, morbum in dies exacerbari sensit, ex sequenti remedio insigne levamen percepit. ℞. florum Chamæm. vulgaris m. II. quibus affundebam vini Rhenani ℔II. pond. civilis; Sinebam illa digeri in cineribus calidis per duas horas. Postea fortiter exprimebam infusum colandum, & alijs novis manipulis Chamæmeli affundendum, & unà iterum per duas horas digerendum, itemq; tertia vice eandem encheiresin esse iterandam. At infusum non diutiùs tandem esse coquendum percipiebam, antequam ultimò colaretur, quam Asparagos aut Pisces coquimus. Observandum hoc ipsum decoctum adeò reddi salsum à tale suo volatili, ut juvare quis ausit pugillos aliquot salis culinarij in eo esse liquefactos. Hujus ergo decocti duo vel tria cochlearia remiscebam haustulo vini calidi, & illi propinabam. A cujus medicamenti simplicissimi usu, Deo benedicente non solùm gravissima recensita symptomata mitigabantur, sed quoque laxatis sensim eo ureteribus, circa insignem molestiam aliquot calculi ex renibus in vesicam detrusi excernebantur. Post in aliquammultis probavi, qui insigne levamen senserunt, præcipuè si in balneo sederent. *S. Paulus.* Notatu dignum est quod scribit de insigni salsedine quam aqua ex iterata hujus herbæ infusione contraxit.

Succi Chamæmeli expressi cochlearia duo vel tria cum guttulis aliquot spiritus vitrioli in jusculo exhibita in febre quacunque intermittente paulò ante accessum, instantem paroxysmum plerumque avertunt, & febrem ipsam curant. Veteres etiam Chamæmelum adversùs febres, præsertim biliosas & hypochondriacas commendant. Inter Ægyptios olim magni usus erat contra omnes febres, notante *Borrichio* è *Galeno.*

In cardialgia specificum est Chamomilla tam vulgaris, quàm præstantiori cum effectu Romana. Hinc decoctum ejus egregium experimentum ad Cardialgiam, aut etiam essentia ejus ex floribus vel cum proprio spiritu, vel spir. carminativo vegetabili parata à ʒß. ad

ʒß. ad ʒI. *D. Hulse ex Ethmulleri praxi.* Ejus etiam oleum destillatum saphyrinum cōmendatissimum est.

Dn. *Strachey* M. D. hujus herbæ decoctum felici successu ad scrophulas propinare solet.

Forestus decocto florum Chamæmeli cum lacte bubulo se senem dysuriâ l. borantem curasse testatur.

Filiæ meæ tertianâ nothâ conflictatæ post quartum paroxysmum sequentem potiunculam exhibui. ♃. pulver. flor. & herbar. Chamæmeli absque stipitibus. Aq. Chamæmeli, plantagin. ana ʒI. misce detur initio horroris. Quater exhibita optimè cessit. *D. Soame.*

Sacerdos quidam spasmo Cynico laborans, præmissis universalibus, sudatione in Vaporario ex decocto Chamæmeli, & applicatis postea emplastris & unguentis convenientibus convaluit. Chamæmelum nervosis partibus singulari proprietate amicissimum, discutiendi simul atque roborandi facultate commendatur ab Ebnsina. *J. Raius.*

Clariss. meus Collega, isque Vir integerrimus, atque Medicus expertissimus D. D. *Elisha Coysh*, jam μακαρίτης, sæpius sincerô animô mihi asseruit, se se vires florum *chamameli*, subtilissimè pulverisatorum, in vehiculô convenienti exhibitorum, atque post debita intervalla repetitorum, æquè felices ac certas in febribus intermittentibus debellandis expertum fuisse, ac ipsius Corticis Peruviani. Penes Autorem fides sit; Me quod attinet, ego nusquam efficaciam hujus simplicis remedij tentando exploravi, verùm eôdem medicamentô cum alijs commixtô, filium D. *Bernard*, Jurisperiti Londinensis febre hemitritæâ laborantem, quem cortice Peruvianô diu & copiosè adhibitô ne quidem ab unô paroxysmô liberare potui, spatiô bidui perfectè in sanitatem restitui. Nec non Dominam *Gumley* vetulam febre tertianâ decumbentem (postquam diu & ad nauseam usque vires corticis Peruviani irritas experta esset) ope ejusdem arcani, post debita intervalla exhibiti, spatiô etiam bidui sanavi. Itidemque uxorem vetulam Domini *Royston* Bibliopolæ Regis ferè septuagenariam, postquam ad biennium febre intermittente, nunc tertianâ, nunc quartanâ, vel hemitritæâ laborâsset, spatiô duorum dierum eôdem remediô; perfectè & absque recidivatione curavi. Formula pulveris est quæ sequitur. ♃. flor. chamæmeli subtiliss. pulverat. [plùs minùs pro ætate] ℈j. antimon. diaphoretic. sal. absinth. ana ℈ß. M. f. pulvis sumendus in haustu possetalæ, vel cujuscunque julapij temperati. Aut in formam boli cum syr. caryophyllor. vel in formam pilular. cum mucilag. gumm. tragacanth. redactus, sextâ quâque horâ per biduum vel triduum repetendus. *Mortonus tractatu de Febribus.*

De Chamamelô sic Elsholtius in suâ Destillatoriâ Curiosâ.

Experim. 1. *Flores Chamameli vulgaris recentes aqua simpl. affatim irriga & conquassa. Postquam steterint aliquot dies, in vesicam cupream stanno bene obductam conjice, & aptato capitello exstilla. Aqua prolecta videbis oleum, etsi in exigua quantitate, supernatare prorsus caruleum.*

Experim. 2. *Cum floribus siccis idem tentavimus, pari successu: infusio tamen per quatuordecim dies, ad procurandam majorem extractionem steterat.*

Experim. 3. *Quòd si Manipul. unum vel alterum Sal. commun. aut tantundem Tartari admiscueris, Oleum caruleum in majori copia transibit.*

Experim. 4. *Substituimus etiam flores Chamameli Rom. Sed oleum accepimus flavescens, non sapphirinum. Quid in cateris Chamameli speciebus futurum sit, nobis nondum est exploratum.*

Experim. 5. *Carulescentia illa Chamamelo ingenita tanti est contagij, ut inficere etiam res alias, & sibi similes reddere valeat. Exempli causa, cape summitates tenellas Pini aut Abjetis, frustulatim sectas in vesicam conjice, addendo bonam florum chamamelinorum copiam. Propelle per se, & oleum transibit compositum, quod nominare* Oleum Pini cæruleum *liceret.*

Experim. 6. *Pari ratione poteris componere* Oleum Juniperi sapphirinum, *commiscendo baccis juniperi debitam illorum florum portionem: non sine communicatione virium medicarum, quibus aliàs juniperus pollet.*

Experim. 7. *Eodem modo ex Segmentis Arboris vita, cum floribus Chamameli remistis, conficies oleum carulescens: quod quamvis per se bene sit odoratum, adjecto tamen Oleo ligni rhodii adhuc odoratius reddi potest.*

Experim. 8. *Immo ejus indolis videntur esse isti flores ut cuicunque propemodum materia resinosa permisti, Oleum reddant sapphirinum: Argumentum speculatione dignum, an hac methodo componi plura olea contra morbos specifica ex simplicibus resinos. eidem specificis possint.*

Experim. 9. *Decompositum oleum est quod proponit Anselmus Boëtius* lib. 2. de Gemm. & lapid. cap. 43. *Floribus, inquiens, Chamameli adjungunt impostores oleum album seu spiritum terebinthina ac satis magnam portionem salis armoniaci factitij. Hanc misturam vesica anea indunt, huicque aquam communem addunt; deinde exstillant aquam & oleum prorsus vulgari & communi modo. Aqua exstillata oleum in superficie sua sapphiro simile colore continet: id oleum terebinthina est oleo chamomelino junctum, nam herba ipsa aut flores herba aliquid olei prabent: sed color à sale armoniaco est, qui ex are exsugens colorem illum oleo indidit. Ætate, si diu servetur oleum, coloris perit, ac postea manifeste odor ipsius terebinthina deprehenditur. Quia multi hac ratione decipiuntur, & aliqui chymici tam imperiti sunt, ut putent colorem à* Chamæmelo *proficisci: placuit hic imposturam & fucum, vel errorem Chymicorum detegere.*

Hactenus Boëtius, qui tamen frustrà hic fraudem subesse suspicatur: siquidem, uti suprà Experim. 1. ac 2. *ostendimus, etiam absque omni sale, sive communi, sive armoniaco, oleum carulescens ex floribus Chamameli vulgaris educi potest. Porro neque à cupro vesica color is resultabit, cùm aliàs in aliis stirpibus per vesicam stillatis idem fieri oporteret: id quod tamen à vero quàm maximè abest. Manet igitur, in ejusmodi operationibus carulescentiam ab ipsis floribus omnino proficisci. Qua tamen de caruleo colore per salem armoniacum ex cupro elicito Boëtius affert, non ibo inficias. Est enim artificium vel tonsoribus hodie notissimum.*

Experim. 10. *Ad durationem quod attinet adest nobis oleum ex floribus Chamameli absque additione salis aut tartari, tertio ab hinc anno extractum, cujus color sapphirinus adeò constans apparet, ut si non perpetuò, plures certè annos adhuc duraturus videatur. Interea non negaverim, quod de suo Oleo sapphiri fucato Boëtius l. c. asserit,* colorem cæruleum ætate perire, & Olei terebinthinæ additi albescentiam emergere.

CAMMARUS. vid. *Cancer.*

CAMPANA, vid. sub Titulo *Instrumenta Pharmaceutica.*

CAMPANELLA, vid. *Volubulis.*

CAMPANULA, vid. *Trachelium.*

CAMPHORA.

De Camphora origine & natura.

Ut plurima alia, antiquis seculis incognita plane, in scholas & usus medicos introduxere Arabes, quibus auxerunt tria regna ipsosque naturæ thesauros

ros, & ditarunt artem medicam; ita & camphoram, quam & caphuram vocant, cujus accessione plurimum momenti fœneratum fuit.

Hinc nomen ipsum hocce sine omni dubio patriæ suæ incolis debetur, à quibus cum re ipsa id mutuati Arabes, & ab his Græci posteriores, sua quilibet dialecto, expressere. Illis enim *camfor* vel cum articulo *alcamfor* quibusdam, his καφȣρα dicitur. Instar omnium sint, qui singularibus capitibus camphoram descripsere, *Ebnsina l. 2. tr. 2. c.134.* & *Simeon Sethi l. de alimentis lit. K. cap. 21. p. m.* 59. Inde quælibet natio suum fecit nomen, pro genio linguæ immutatum. Germanis *Kampfer* audit.

Hic vero ulterius notabile occurrit non unum, etiam circa nominis philologiam. Tribuitur enim camphoræ nomen & ipsi arbori camphoriferæ, quam Capur, vel Caphur vocant quoque, & inde petitæ resinæ huic nostræ, κατ' ἐξοχὴν, adæquate & ex aliis analogis paratæ.

Spectant huc quoque herbæ quædam, quæ propter odorem à camphora cognomen accepere, inferius inter analoga recensendæ.

Mirum vero est, *Manardum comm. in Mes. l. 1. diff. 8. p.* 152. scribere, a Simeone Sethi ambar vocari camphoram, eamque multis locis emanare à quibusdam veluti fontibus, sicut asphaltum & sulphur; non inspecto scilicet autore, vel obiter solum, qui distinctis capitibus de ambra & camphora agit, quæ sic confusa sunt manifesto. Fallor, an hic error occasionem dedit, de bituminis natura cogitandi, quod Simeoni nunquam in mentem venit. Ipse potius & arborem nominat, & lignum ξύλον καὶ ναρδινῶδες, *fungosum & odoratum*, vocat.

Camphora quoque audit quibusdam resina aquarum bituminosa, seu genus quoddam bituminis, quod duplex apud autores deprehendimus. *Joh. Mathesius Sarepta conc. 5. p.* 223. describit tanquam fluidum, quod è terra emanat, & *pag.* 224 addit, quod exinde fiat succinum nigrum. *Tabernæmontanus* autem libro, quem inscripsit: *Neu vvasser-Schatz, cap.* 42. bitumen siccum sic vocat, ac genus quoddam succini esse dicit, Germanice *Berg-Kampfer*. Forsan hic id camphoram nominavit, quod ille succinum nigrum, quæ tamen species nullo modo cum hac, de qua nobis sermo est, confundendæ. Differentiam eleganter inculcant *Joh. Matthes. l. a. p.* 225. ille autem *loc. citat.*, qui latius hac de re videri possunt. Sine dubio id analogia camphoræ huc applicarunt, & ex hypothesi, quod camphora sit bituminosa, quo sensu etiam *Averrhoes* ambram unam è speciebus camphoræ esse dicit, quæ oriatur in fontibus maris.

Ad Homonymiam Germanicæ vocis referri poterit chirurgis usitatus terminus, quem in vulneribus renunciandis adhibent: *Kampfer-Wunde*, ubi vox *Kampfer* mensuræ genus est. Dicitur enim tale vulnus, quod habet profunditatem unguis & longitudinem longissimi articuli, quo de vid. *Ammanni Medic. critic. Discurs.* 17. *p.* 118.

Ut autem felicius procedamus, describemus camphoram sequentem in modum: Camphora est resina candida, arboris exoticæ cognominis, sublimando arte depurata, summe activa, sulphure volatili specifico gaudens, polychresta.

GENUS quod attinet, resina est, adeoque gummatibus, gummi-resinis & bitumini contradistincta. Non *gummi* est, uti *Simeon* vult, ἔστι δὲ inquit *l. c.* δένδρȣ κόμμι, ἤτοι δάκρυον, φυομένȣ ἐν ἰνδίᾳ, *nihil vero aliud est, quam gummi vel lachryma arboris, quæ in India crescit*; si quidem gummi nomen proprie & strictius accipiamus. Multo minus gummi Arabum, ut *Sylvius interpret. vocum in Mesue antidotar.* vocat, à gummi enim, & nominatim Arabico, toto cœlo differt, neque aqua ullo modo solvitur.

Non est *gummi-resina*, ut *C. Bauhinus in pinace lib. 12. s. 6. part.* 500. *Pometus Hist. gener. simpl. lib. 7. cap. 2. par.* 246. & alij nominant, nisi itidem latiori sensu & improprie. Neque enim ambigit inter gummi & resinas, quod gummi-resinis proprium est, neque promiscue cum myrrha trita & mixta in liquamen abit, quod phænomenon alias notavit *le Mort, pharmac. med. phys. cap. 4. par.* 16. nec auscultat hinc menstruis pluribus, aqueis v. g. vinosis & acidis, ut opium facere assolet.

Multo minus *bitumen* est, vel fossile aliquod, uti fuere, qui fontibus non inspectis autorum classicorum dictorum, ob inflammabilitatem, & ratiunculas quasdam alias id statuere, bitumen odoratum vocantes, ut *Kentmannus*, quos pluribus recenset *Laur. Eichstadius Disquisit. succinct. de camphora*, qui secutus *G. Agricolam l. 4. de natur. fossil. p. m.* 594. distinctione præmissa, inter nativam & factitiam camphoram, illam concedit esse gummi arboris candidum & pellucidum, in insulis Sumatra, Borneo & aliis ex rimis arboris patulæ stillantem, hanc vero, ex China longe lateque in Europam & Germaniam importari & distrahi solitam, esse naturæ non vegetabilis sed bituminosæ, nihilque aliud, quam portionem bituminis Indici oleosam & pinguem, ex salsiformi & ignea natura conflatam, & artificio sublimationis in figuram rotundam, panis orbicularis æmulam, redactam.

Bitumina fixa sunt magis, exemplo petrolei, succini, asphalti, & alias habent affectiones, aliam originem, alia menstrua. Sane hoc γελοῖον esset hodie, & sensum dimittere, si quis huic hypothesi amplius insistere vellet, nec autopsiæ fidere, ac unanimi consensu id affirmantibus, qui idem oculis usurparunt, antiquis primis illis autoribus, & recentioribus. Videri pluribus hanc in rem meretur *Libavius part. 3. singular. cap. 21, p. m.* 605. *seq.* ubi argumenta in utramque partem recenset, & bitumen esse recte negat, & alia habet lectu digna.

Nec *succus* est, ut quidam volunt, nisi remotius genus statuere velis itidem, & ἀκύρως magis loqui. Et ne sine autore id laudare videamur, statuit id *Schurzius p. 7. in enucleatione materialium*, qui decem succis, quos vocat, etiam camphoram annumerat, ut & *Platearius l. de simpl. p. m.* 192. qui absurdius succum herbæ esse arbitratur, expressum, desiccatum, & hinc in substantiam camphoræ reductum.

Imo sunt, qui *sal volatile* vocant, & esse volunt, seu ob albedinem, seu evolandi promptitudinem, seu aliis inducti. Et verum est, sal volatile tam odore ac sapore, quam exhalatione se prodere, quippe tota camphora successu temporis in auras evolat, ob λεπτομερείαν, & sulphur pansissimum, unde libertate ætheris concessa, subinde aliquid defricatur, seu difflatur & exhalat, donec plane diffluat in auras, nec sui vestigium post se relinquat. Ast à sale volatili stricte & proprie sic dicto differt, tum aliis rationibus, tum quia non solvitur aqueis, nec salinis ipsis miscetur, quod manifesto, alterius classis esse camphoram, quam salini generis. Neque etiam cum sale volatili succini adeo convenit, ut *Eichstadius* vult *l. c.* §. 10. qui plane differt, ne *Cardani* commentum laudemus, qui odorem consimilem camphoræ in succino agnoscit.

Reliquum ergo est, ut resina sit, eaque sui generis, tum propter alia phænomena, tum quia spiritu

vini

vini solvitur, qui genuinum est menstruum resinosorum. Gummata enim proprie dicta aqueis tantum, non autem spirituosis menstruis obedire notum est; quod resinosa habent proprium, gummiresinæ commune.

Arbor, ex qua camphora elicitur, est exotica ejusdem nominis, cujus notas in genere sequentes posuit *Jac. Breynius prodromo suo* 2. nempe (1.) baccas nuciformes calyculatas, nucleo bifido calloso, duro, ac pingui, cortice & putamine integro fragili, calyce concavo: (2) flores ex foliorum sede provenientes; (3) folia alterna semper virentia.

Natale solum ejus deprehendimus solam Indiam orientalem, quantum adhuc nosse datur; & quidem, cum latissime pateat, geminam arboris hujus speciem foventia loca.

Prima est arbor camphorifera Japonica, primo loco nominanda, quod primario & copiosissime tradat camphoram usualem, visenda hodie & in Europa, Parisiis, Lugduni Batavorum, & alibi. In Japonia enim ac potissimum ejus regno Satsuma dicto deprehenduntur arbores camphoriferæ maxima copia, ex quibus conficitur camphora Japonensis dicta, quæ etiam alias Chinensis apud autores audit, forsan, quia proxime regno, China dicto, adjacet Japonia, & per illam advehi solet. Arbor hæc magna & procera, secundum *Breyn. l. c.* habet folia laurina, fructum parvum globosum, calyce brevissimo.

Altera est arbor camphorifera Sumatrana, seu Borneensis, neque enim specie videntur probatis autoribus distinctæ, in insula Borneo & Sumatra dicta, reperiunda. Per utramque in India Orientali extra Gangem æquator circulus transit. Hisce in insulis reperiuntur arbores, quæ camphoram præbent statim suam, si latius ita vocare fas est, seu nativam. Notæ harum ab eodem *Breyn. l. c.* describuntur: folia caryophylli aromatici longius mucronata, fructu majore oblongo, calyce amplissimo, tulipæ figuram quodammodo repræsentante.

Japones, ut camphoram eliciant, autumnali tempore, ut *Wilh. ten Rhyne in epist. ad Breyn. hujus prodromo* 1. *juncta*, commemorat, præcidunt arbores camphoriferas ac radices evellunt, quibus concisis grosso modo, fit lege artis sublimatio camphoræ, quæ deinde iterum rectificatur.

Modus vero, quomodo Borneenses aut Sumatrani colligant hanc resinam ex arboribus suis, *Breyn. cent.* 1. *plant. exotic.* ex Boccone refert, quod tamen accuratius tradit *Wilhelmus ten Rhyne in epist. citat.* Nimirum vetustæ arboris corticem exsecant, & olfaciunt, ac truncum pulsitant insulani, atque ita ex colore, odore & sono fiunt gnari, num illa infarciatur camphora, nec ne; si bene ominentur, integram arborem radicetenus detruncant, corticem avellunt, lignum findunt, ac in interstitijs fibrarum reperiunt camphoræ teneras atque exiguas lamellas. Prolixius de hoc legi possunt autores laudati, item *Grimmius Dec. II. Ann.* 1. *Ephem. Germ. obs.* 153. ubi & depicta arbor habetur, *Rajus Hist. Plant. l.* 30. *c.* 9. *p.* 1679. *Dale Pharmacologia Part.* 2. *c.* 6. *p.* 430.

Sive itaque nesciant Sumatrani & Borneo insulæ incolæ chimicam hanc separandi artem, ut *Grimmius* recte adnotat, sive minori copia & proceritate arbores hæ prostent apud eosdem, sive aliæ subsint rationes, omnium optima quidem & alteri præferenda camphora hæc habetur; attamen ex Japonia potius in insulam Javam à Belgis repetitur, cum è propinquiori vicinia habere alioquin possent. Ex Japonia vero & Atschyn quoque in Persiam, Gusurattam, Malabariam, Arabiam, Siam & Europam hanc nostram inferunt suas merces & camphoram, summo proventu. Borneensem vero ipsi Japones & Sinenses ab iisdem coëmere non dedignantur.

Pretium quoque hujus multum Japonicam superat, cujus rationem nondum satis se expiscari potuisse dicit *Rhyne epist. citat.* Quid vero in causa sit exinde constare potest, quod, autoribus laudatis testibus, camphoræ Borneensis in una arbore tantum ʒj. ʒij. inveniantur, atque ideo in parva quantitate prostet in India ipsa. Mirum itaque non est, quod 125. libræ Japonicæ non pluris constent, quam libra $1\frac{1}{3}$ Sumatranæ vel Borneanæ, dum in Japonia copiosissime arbores camphoriferæ crescunt, adeo, ut fere planè negligant suam camphoram incolæ. Cæterum Japonensis camphora facilius avolat, quam Borneensis, unde sale volatili magis pollere colligitur.

Ad nos ergo consequenter defertur Japonensis tantum, cum reliquæ species cariores sint, ac minori prostent copia, quam ad nos pervenire possint. Idem confirmat *Breyn. prodrom.* 1. *p.* 12. ubi, nostrates, *ait*, Belgæ, cæteræque in Europa nationes sola Japonica utuntur.

De proventu ergo ac separatione camphoræ ita argumentari liceat, quod sit resina sui generis, partim in poris arboris ipsius sponte sua separabilis, non aliter ac in ligno aloes quoque non raro hinc illinc resina ejusdem velut in loculis quibusdam invenitur, partim per artem elicienda. Separatur vero, promovetur ac invitatur rudius paulo ipsa cæsura. Quemadmodum enim δάκρυον seu lachryma exudans, intus vel extus, vel utroque modo duplicis generis in arboribus observatur, (1.) ὅσα πιότητά τινα ἔχει ἢ λίπος, ἅπαντα δὲ ταῦτα σχεδὸν εὔοσμα, *quæcunque aliqua pinguedine constant, & hæc fere omnia odorata esse notantur*, resinosa uno verbo: (2.) ὅσα δ' ἀλιπῆ, ταῦτα δ' ἄοσμα, *quæ contra pinguedine carent, inodora*, ut gummi; ita alia αὐτομάτως *sponte*, consistunt, alia ἀπ' ἀνατομῆς, *incisura*, alia utroque modo, siquidem utilia sint, & operæ pretium exolvant. Incisio vero modo in caule fit, modo circa radicem, quæ longe præstantior, singulis suo tempore observandis, quæ & alia plura huc, & in camphora colligenda, facientia, dudum notavit *Theophrastus Hist. Plantar. l.* 8. *c.* 1. & 2.

Seminali quippe & fermentifica virtute supposita, ex communi omnium elemento aqueo-terreo succus camphoræ alimentarius, resinosus, odoratus consurgit, calore solis digeritur, evocatur sursum, & cogitur, ut sapore ac odore se specifico prodat, quo & lignum, & ex eo parata pollent, & ob virtutem usumque ad obtinendam resinam invitat, albam illam, diaphanam, perquam elegantem & nobilissimam.

Concurrit itaque natura & ars, illa generat & suggerit, hæc obstetricatur, ars chimica inquam, cujus antiquitas & usus etiam hoc exemplo elucet. Enimvero, præter eam, quæ parcius & velut in granis sua sponte consudat, producitur via humida & sicca. Via humida rudius id peragi potest, è folijs prius concisis camphoræ exprimendo succum, ad radios solis siccandum, qualis Constantinopoli fieri scribitur à *Schurzio loco citato.* Sed, si verum id est, non nisi secundaria fuerit, apportata forsan illuc potius, quam ibi confecta; quorsum referri etiam potest caphura viva *Matthiolo* memorata, Selectius vero & juxta artis leges ipsa destillatione, latius sumta.

Sublimatum ex ligno vocat *Ebnsina loc. citat.* perquam accurate, sive sublimationem siccam intelligas, sive

vsie humidam, seu destillationem. Locum hæc habet à priori, ut ita loquar, ex ipso ligno, ad parandam camphoram: locum à posteriori, ad refinandam & depurandam. Sublimari enim potest rudis illa, quam *camphre brute* vocant Galli, per se. & simul sic rectificari, vasis debitis excepta, uti *Pometus* optime fecit, lege artis puta, ad instar aliorum sublimatorum; & addita calce viva, quæ sordes absorbet & retinet, unde Chinensis, vel Japonica potius, usitato prostans in tabernis, in placentis & globis affertur, figura ab arte impressa.

Quod si notas & phænomena camphoræ lustremus, substantia est oleaginea, & velut crystallina, sincera, homogenea, consistentia frangibilis, æmulans externa facie particularum non tam nitrum, quam apprime potius sal ammoniacum, si diffringatur purum, vel ipsum mercurium dulcem, cum splendore, minus tamen per se est pulverabilis, sed eget potius ad hoc oleositate quapiam dissociante, ut oleo de been, amygdalorum dulcium, vel alio.

Color est albicans, instar nivis quasi, nitidus, purus, & limpidus una, ut pelluceat & transpareat cum splendore laudato. Odore est penetrantissima & subtilissima, adeoque aromatica, uti & *Ebnsina* vocat *t. 2. de med. cordial.* Non est graveolens, non viroso odore prædita, sed inter acute olentia militat, quæ sale volatili cum sulphure tenuiori, puro, & specifico spiritus excitant & roborant. Penetrat poros cerebri ab extra quoque, & interius pervadit universam massam sanguineam & œconomiam totius corporis.

Sapore & contactu subtiliori examinata, masticata lentorem cedentem offert, & acris est, piperis saporem gerens, ut *Helmontij* & aliorum verbis utamur, subamaricans tamen simul. Caphura dentibus attrita & lingua sapit zedoariam, fere eundem imprimit affectum cum aliquantulo amarore, eoque satis notabili. Habet & simile quid cum lancinatione cubebarum, & costo dulci, autore *Libavio l. c. p. 617.*

φλογιςὴ est, seu summe inflammabilis, adeo quidem, ut semel incensa aquæ vim extinguendi ignem eludat, in ipsa enim natans, utpote asymbolica, nec miscibilis, flammam suam integram servat; imo & post se parum vel nihil cinerum relinquit, sed tota deflagrat, si quidem pura fit.

Nullo prædita est, vel minimo, acido, figente & coagulante alias magis, unde & hujus defectui volatilitas debetur, sed sulphure, terra & sale volatilibus, inimitabili artificio mixtis, unde æthereæ & mercurialis est naturæ simul, ob prædominans sulphur tota deflagrare apta. Neque enim acidum de essentia vel sulphuris est, vel ignem refugit, extinguit, & ab eodem propulsatur, imo tanto magis in flammam abeunt hæc illa, quanto minus acido pollent remorante, sulphur enim est primum φλογιςὸν, acidum φλογιςῷ contrarium.

Conservari jubetur, ne avolet in auras, in thecis marmoreis vel plumbeis, adjecto quoque semine lini, vel piperis. His enim prohibetur exhalatio, quæ non adeo facile in frigido loco fieri potest; seminibus autem obruitur, ut undique impediatur aeris accessus liberior. Hisce tamen non opus esse, experimentum, à *D. Erasmo Bartholino* factum, demonstrat. Inclusit nempe vitris duobus camphoram, visurus quantum decedat substantiæ. Unum sigillo Hermeris munivit, alterum cera tantum obturavit, ac nullam per totum triennium potuit advertere vel mutationem substantiæ, vel defectum. Vid. *Act. Haunienf Vol. 1. obs. 53.*

Optime ergo non tantum in vitris cera bene clausis, absque ullo semine addito, satis tuto servari potest, sine detrimento; verum etiam cum vel sine hisce chartæ involuta, & in scatulis ab aere probe defensa. Sunt, qui vesicæ bubulæ, vel suillæ, simul involutam & munitam asservant, eodem privilegio, quatenus effluvia poros tranare nequeunt, nec æther libere perflari, quod ut liberum est facere, ita fere superfluum.

Veram camphoram à supposititia distinguunt autores, quod illa pani calido triticeo dissecto imposita tota solvatur; hæc autem exsiccetur. Sed vix opus est illo, vel signo, vel suspicione, sufficit illam esse genuinam, & veram camphoram, quæ signa & affectiones laudatas possidet, flavescentem vero v. g. impuram, minus odoratam, qualis tamen vix occurrit, minus bonam. Optima est hinc fina, vel finissima potius, finem per sublimationem & refinationem indepta. Unde, quæ *Anazarbæus* prædicat de resinis aridis alijs *l. 1. c. 93.* apprime quadrant & camphoræ: ἐκλέγε δὲ inquit πασῶν τὴν εὐωδεςάτην, καὶ διαυγῆ, καὶ μὴ κάπυρον, μὴ δὲ κάθυγρον, κηρώδη δὲ ἢ εὔθρυπτον, *eligito vero omnium odoratissimam & translucentem, non retorridam, neque dilutam, cerosam vero & friabilem.*

Qualitates camphoræ, è miscela constituentium principiorum resultantes, recensendæ jam veniunt. In passivis qualitatibus siccam esse, ad unum omnes consentiunt, & veteres & recentiores, si *Rhasen* exceperimus, qui frigidam & humidam statuit *l. 3. de re med. c. 22.* Sed repugnat natura & textura, nullum humidum assignari potest sine primo humido, quo absente siccitas non tantum resultat per se, sed & consectaria est per activa principia. Minima enim, vel ad sensum nulla, gaudet quantitate aquæ, secus ac in succino, bituminoso quidem judicato, in terebinthina, mastiche & alijs observatur, habendo elementari per ignem phlegmate.

Utut igitur frigidum asserant eandem quoque plerique veterum, præeunte *Ebnsina, Serapione, Simeone Sethi*; superiori tamen jam seculo non pauci caliditatem velut manu palparunt. Frustra vero fuit *Jacchinus*, qui eo, quod veteres frigidam statuerint, nostra vero, quocunque modo examinetur, calida inveniatur, hanc non esse eandem cum illa scribit, *comm. in l. 9. Rhas. p. 66.* Recte vero probat calidam esse, quia odor acris est & penetrans, sapor admodum acris, fere piperi æqualis, vel ocissime ignibilis, & vigilias inducit. Per accidens vero, æquivoce & ἐνεργητικῶς, seu effective frigida dici potest, quia difflat ac calorem humani corporis subinde dissipat. Calida est secundo gradu, mansione tertia, sicca gradu tertio.

Affinia camphoræ, ratione totius substantiæ, sunt resinæ similes, ex alijs vegetabilibus depromptæ, quæ etiam propter hanc similitudinem nomen camphoræ accepere ab autoribus. Inprimis arboris canelliferæ Zeilanicæ, ut & Malabaricæ, radices camphoram ejusmodi præbere præstantissimam, ac ex illis cum calce viva sublimari, ex *cent. 1. plantar. exoticar. p. 17. Miscell. Cur. ann. 4. observ. 130.* & *Hort. Malabar. part. 1. p. 108.* notum est. Confirmat idem *Baldæus descript. Malabar. c. 51. p. 420.* è radice cinamomi non solum aquam odoratam instar camphoræ, sed etiam optimam camphoram prodire scribens. Processum *Grimmius compend.. Medicina chim. p. 290.* addit: ℞. corticem radicis cinamomi, conscinde ac contunde minutim, atque per vesicam more communi destilla, ita accipies oleum & camphoram. Imo & celeberrimus *Hermannus MSS. de simplicibus* asserit, quod eodem quoque modo ex radice Zedoariæ camphora paretur ab artificibus, quamvis nos frustra id tentaverimus.

Simile tale quid occurit ex destillatione ligni aloes, unde acquiritur albidum resinosum concrescens oleum elegantissimum.

Respectu consistentiæ ac volatilitatis æmulantur nostram camphoram flores benzoes, ex resina cognomine elevati, sed minus pansi & volatiles; flores item salis ammoniaci, additione spiritus vini non rectificati, & cinerum clavellatorum, consurgentes, itidem summe volatiles; salia volatilia ipsa evecta & promte avolantia in auras, ne alia laudemus.

Ratione odoris vel saporis inter analoga laudari meretur ex herbis abrotanum mas angustifolium majus, camphoratum vulgo dictum, quam & recentiores Græci καμφοράν seu camphoratam vocarunt, ut *Myrepsus* hujus herbæ camphoræ, Gr. καμφορᾶ βοτάνης meminit, *sect.* 3. *ung.* 46. Camphoræ enim quodammodo spirat odorem, quo de videatur *Fuchsius comm. in Myreps. l. c. edit. Stephani*, p. 480. quamvis in *oper. Fuchsii p. 2. l. 2. p.* 246. videatur hic ad abrotanum fœminam inclinare, quam absinthium ponticum esse vult ibidem minus recte.

Ejusdem commatis est hornium luteum unctuosum, ageratum, camphorata Monspeliensum, tanacetum, tum vulgare, tum Anglicum crispum & maxime minus album, odore camphoræ, rosmarinus, hyssopus, ipsa zedoaria laudata, inprimis *Zeilanica* camphoram redolens, *Hermann. Hort. Lugd. Batav.* cubebæ, & quædam alia.

De Usu Camphoræ interno & externo.

Cum principiis activis tam fœta sit camphora, usum indubie fœnerat humano corpori summum, sive juxta hæc sua elementa æstumetur, sive ab effectibus præsentaneis, quibus conspicuam se reddit.

Enimvero camphora *calefacit*, ut consuetis utamur terminis, & methodo, seu ad corpus relata, seu ad spiritus & massam sanguineam; non deprimit particulas volatiles, sed auget, rarefacit, exaltat, unde velut balsamum siccum est, & omnibus illis casibus prodest, ubi spiritus deficiunt, ubi motus horum & sanguinis promovendus. Tale enim additum tali reddit illud magis tale, ceteris tamen paribus. Quis à sulphure tam puro, delicato, inflammabili aliud expectet, quam balsami φλογιςȣ sanguinis homogeneum, & congruum huic & sali volatili ejusdem incentivum? Quis dubitet, in cachexia ab hac causa, in chlorosi, virium debilitate, frigore ipso febrili & alias, camphoram cum successu propinari posse?

Camphora etiam *siccat*, seu lympham ipsam non auget, sed coercet, & consecutione quadam, & per se. Omnia gradu sufficienti calida etiam simul siccant. Camphora vero sulphureæ volatilis naturæ id eximie possidet. Nec homogenea est lymphæ, nec aqueum in se habet, præterquam sulphureum & oleagineum, & ad sensum nulla arte aliter facile demonstrandum. Hinc in ichorescentia lymphæ quacunque corrigenda non parum confert.

Non minus vero camphora *attenuat*, *incidit*, *resolvit*, *difflat & discutit.* Particulis suis activis, salino sulphureis, volatilibus seu mercurialibus motum promovet, pituitæ viscidæ, lentæ, ςάσει omni & vappescentiæ, acidoque est contraria. Et hæc quoque ratio est, quod inter *refrigerantia* militat, ad instar aliorum similium, calidorum puta. Sane methodus medendi genuina non tam qualitatibus primis eminentibus opponere jubet contraria actu talia, ut calidum frigido oppugnemus, frigidum calido, velut superficiariè & nudis frontibus, sed in radice & centraliter.

Hinc ut spiritus vini ipse calidis productis morbosis contrarius est, febribus intermittentibus succurrit, & quod mirum est, maniæ ipsi, quam inferre alias potest, edulcando & obtundendo acidum biliosum; ut inflammationibus medetur idem, ut anginæ, vel gargarismate; ut piper, oleum caryophyllorum aliaque eidem fini velificantur: ita longe magis camphora, in se calida, effectum edit frigidum, corrigendo causam morbificam, difflando συςροφὴν fortiorem, modo rite omnia explicentur, quod supra jam tetigimus. Camphora est spirituosa, & tamen edit actiones frigidi, refrigerat per accidens tantum, nempe tenuitate sua, absque acrimonia, juvando perspirationem in inflammationibus; verba sunt *Verulamij*, *Histor. Vit. & mort. p. m.* 528. Proficua est in inflammationibus internis, ut hepatis, renum, pulmonum, cerebri, & externis.

Camphora *sudorem movet.* Halituosa enim est & rarefacit quam quæ maxime, unde lymphæ halituositatem conciliat, & inter sudorifera volatilia sulphurea primas tenet. Nec ipsi *prima citanda* deficit, motu lymphæ promoto, pro inclinatione naturæ aurigantis, κατ' ἐξοχὴν vero & primario diaphoretica est, modo lymphæ vehiculum sit sufficiens, nec deficiat.

Camphora vim habet *paregoricam & anodynam.* Quando enim difflat ςάσιν humorum, efferatos sedat fluctus, discutit, obtundit & annihilat fermenta biliosa, acida morbosa, (quibus ipsa est contraria,) tonumque & elaterem partium, spiritus & calorem roborat, etiam suo loco in frigidis in primis, hinc & in biliosis exhalationibus compescendis non ultimum obtinet locum.

Condit porro camphora balsamica sua virtute humores, massam sanguineam, & putrilagini summe est contraria. Hinc grumis sanguinis, corruptelæ cuicunque febrili, scorbuticæ, vulnerum, ulcerumque, fœtori, promtissime succurrit, tanto magis omnia hactenus laudata expediens, quanto magis intimæ admissionis est, summe penetrat, poros, centrum & medullam quasi ipsam, nihil inaccessum quasi habet, diffusa per omnes partes virtute.

Atque adeo inter *bezoardica*, quæ periculosissimis & communissimis hostibus generis humani opponuntur, principem locum sibi vendicat camphora. Sulphure enim suo balsamico volatili fermenta peregrina excludit, ac putredini simul resistit. Commendatur propterea ab omnibus fere autoribus in peste, ubi venenum ac fermentum seminale destruendum est, ne succumbere cogatur archeus.

Nec minus periculum in alijs febribus continuis, acutis, malignis summo cum successu camphorata abigunt, eandem ob causam. In variolis, morbillis, exanthematibus expellendis, & liberandis spiritibus ab onerosa saburra venenosa divinum est ἴαμα. Est theriaca, inquit *Ebnsina*, & proprie contra venena calida, *Tr.* 2. *de med. cord. p. m.* 1051. imo ausim dicere, nullum esse ex omnibus simplicibus alexipharmacis camphora nobilius & efficacius.

Non solum contrariatur veneno fermentifico animalium quorumcunque, verum & vaporoso vegetabili, hyoscyamo, napello, opio, aconito, cicutæ opposita est antidotus. Ausim addere & minerali corrosivo contrariari, siquidem inflammationem, ςάσιν & νέκρωσιν inferat partibus. Ut sulphur cicurat arsenicum, ita non minus sulphur hoc vegetabile eximium. Mirandum hinc, nondum publica autoritate in compositionem solennem theriacæ Andromachi recipi resinam hanc aromaticam & bezoardicam; quod merito optandum.

Non

Non autem bezoardica tantum, sed diaphoretica & alterante volatili laudata virtute simul conspicua est, & ideo magis commendanda. Hanc ob causam & in febribus intermittentibus pulveribus febrifugis & oleo febrifugo convenienter additur, bono cum successu. Verbo, ubicunque diaphoretico sulphureo volatili opus est, camphora suum officium facit omnibus alijs contra.

Sic & *Cephalicorum* classi inseritur merito, spiritus enim torpidiores excitat agilioresque reddit. Affectibus soporosis auxilium fert singulare, ubi spiritus supprimuntur. Difflando superfluum humidum, vel quodcunque sit spiritus ligans, narcoticum, liberiores reddit, suoque sale volatili in motum citat. Licet enim alias, quæ sulphur copiosum habent, poros cerebri repleant, sicque soporem potius inducant, uti in opio alijsque narcoticis videmus; sciendum tamen est, quod illa, ubi sal volatile abundat præ sulphure, & sulphur resolubile non est, vigilias potius inducant; vid. *D. Parentis Opiolog. l.* 1. *s.* 1. *c.* 12. *p.* 44. Propterea corrigitur opium camphora, si nimiam inducat narcosin spirituum.

Mirum prima fronte videri posset, quod in mania camphora commendetur, in qua spiritus jamdum exagitati ac feroces conspiciuntur; *Paracelsus* tamen *de morb. ament. tr.* 2. *c.* 2. in mania tanquam præsentissimum remedium commendat, tum alijs modis adhibitam, tum ex ol. camph. & moschi ana ℥j. paratum, idque non sine ratione. Sicuti enim torpidos spiritus excitat, sic efferatos dissipat ac ad frugem reducere potest; taceo quod acidum efferativum & hoc loco absorbeat, ac difflet biliosum.

In delirijs item alijs, tum incipientibus, tum confirmatis, mirabiles præstare effectus camphoram, practicorum experientia confirmat, modo lymphæ habeatur simul ratio. Et interne enim & externe prodest. Interius, mixta inprimis inter alia cum nitrosis, ut arcano duplicato, turbatos & efferatos vel depressos quoque spiritus placat, & ad ideas peregrinas delendas facit, alterando bilem & massam sanguineam. Exterius vero, si epithematibus ad aliquot grana addatur, penetrandi, dissipandi, vel repellendi quoque intentione. Quid in apoplexia, & epilepsia valeat, ex ejusdem volatili salino-sulphurea patet natura. Diffundit se hinc facile in lympham, nervorum tubulos, cerebri poros, obstructiones reserat, quietum, remorans, vel vapore peregrino inficiens μίασμα dispellit, & sic cœlum microcosmicum pacat, serenatque. Agnoscit hinc & in camphora sulphur mitigativum *Quercetanus in tetrade c. affect. c.* 16. *p.* 213. mitigando, sedando, extinguendoque tanto fulminis ardori, in cerebri nostri cœlo furenti, & insultus epilepsiæ fulgureos jaculanti, aptissimum.

Nobilissimum fere sensuum organon est *oculus*, quod lusum non pati in proverbio est. Hujus morbis subvenit quoque camphora, provide adhibita, ut in ophthalmia, pruritu suffusionis metu, albugine, & alijs. Tantillum etiam remiscetur aquæ chelidonij ad arcendam putrefactionem, quæ aqua, *Burrhi* experimento *in epist. ad Bartholin*, humores oculorum restituit. In alijs item collyrijs ac unguentis ophthalmicis additur, quando humores subsistentes ibi in motum citandi sunt, ac à putredine defendendi.

Cordiale est summum, confortat spiritus & luce sua serenat ac reficit. Acquirit ab ea spiritus (loquimur cum *Ebnsina loco cit.*) subtilitatem & luminositatem vehementem, & propterea lætificat & confortat, usum habet in lipothymijs, palpitatione cordis, & alijs casibus subitaneis. Sic etiam externe solum gestatam supra cor, frustra adhibitis alijs, liberasse scribit quendam à palpitatione cordis *Andernacus Tom.* 2. *comment. p. m.* 181.

Fluxibus alvi & *vomitibus* malignis succurrit camphora, dysenteriæ præservandæ & curandæ apta nata; inprimis vero fluxum ventris cholericum constringere prædicatur, ab *Ebnsina* & alijs, ob vim scilicet theriacalem. Refert & exemplum *B. Ettmuller Schrœder. dilucid. p. m.* 118 de cholera laborante, cui in forma epithematis cum spiritu vini soluta & applicata in momento auxilium tulit.

Ad obstructiones hypochondriorum, unde tot mala oriuntur, commendatur à *Zobelio in Tartarologia*, ubi *cap.* 19. in oleum spleneticum recipit, & *c.* 26. in emplastrum spleneticum, quod utrumque egregij usus est resolvendi ac aperiendi vi, præcipue, si internis succurratur convenientibus remedijs.

Sub *uterinis* quoque militat nostra, dum sulphure suo ac sale volatili, rarefaciendo massam sanguineam, menses pellit egregie. Peregrinum una fermentum massam sanguineam inquinans, & nervosum genus irritans, etiam hoc foco corrigit ac destruit. Unde hystericis alijsque uteri affectibus similibus summe proficua, sulphure suo blando cum sale volatili remixto discutiens, ac nervinum nobilissimum. Commode hinc elixir uterinum ingreditur *D. Parentis*, descriptum *Amœn. mat. med. l.* 1. *sect.* 3. *cap.* 10. *p.* 198. Prodest eodem fine tinctura bezoardica camphorata Michaelis, quæ in succulentis extraordinarie menses movit non raro.

Vermibus, in latitudine sua sumptis, multis nominibus contraria est, tam intra corpus, quam extra. Putredinis enim est antidotus singularis; quæcunque vero putredini resistunt, ipsos quoque tollunt. Licet enim non ex putredine ortum suum ducant, aut generatione æquivoca, uti vocant; focus tamen & nidus vermium est putredo, hac itaque destructa ipsi pereunt. Oleosa quæcunque vermibus sunt adversa, pori enim illorum si oblinantur, ut transpiratio, in qua vita illorum consistit, impediatur, mori necesse est. Habet autem camphora in se oleosam talem substantiam volatilem, quæ exhalatione etiam sola ipsis adversa est, eosque necat. Sal volatile propter acrimoniam suam illorum nutrimentum perdit, ipsosque partim vellicando, partim nutrimentum demendo, destruit. Externe ad pediculos abigendos, vel sola, vel cum mercurio vivo & alijs, adhibetur toto die.

Antaphrodisiacum an sit, nec ne, experimenta contraria, quodnam credendum sit difficile reddunt. Verum si rem ipsam attendamus, facile hoc dubium dirimi potest. Calida est, & sic omnino irritandi ac stimulandi vim habet, quale exemplum profert *Breynius cent.* 1. *plant. exot.* ubi dicit, se scire, quendam, qui camphora contra venerem usus sit, quem ita stimulavit, ut desistere ab ejus usu fuerit coactus. Falsum hinc esse confirmat *P. I. Faber*, quod sterilitatem inducat, propria eaque frequenti experientia, *Panchym. l.* 3. *cap.* 12. *par.* 411.

Dissipat autem vicissim & consistentiæ ὀργασμώδει siccitate sua est contraria, unde antivenereum est, & dicitur, non inepte Quamobrem distinctione res expediri potest. Enimvero in genere non implicat contradictionem, calidum esse, & semen extinguere, illud enim exemplo rutæ, menthæ, viticis & aliorum abunde liquet. Deinde variant temperamenta, in frigidis ipsa

hæc tantum abest, ut seminali ὀργασμῷ sint contraria, ut potius non raro stimulum addant; secus fit in calidioribus. Neque satis est, calida esse, ergo aphrodisiaca, seu seminis proventui velificari; quæ enim lympham succidunt & depopulantur, etiamsi calida, minus veneri favent, siccantia & discutientia. Notati sunt tabaci fumo largiter delectati omnino steriles, & seminis defectu laborantes, quod in ipsis maniacis alias occurrit quoque, utpote siccioribus. Semen vero essentiale est veneris requisitum. Vid. *Sim. Pauli Quadrip. bot. cl.* 3. *p.* 189.

Adde, quod ex dictis facile fluit, largiorem camphoræ usum minus quadrare, & seminis quantitati derogare, minorem vel stimulum addere posse, vel non nocere saltim. Non aliter ac spiritus vini stomacho amicus est, decenti & debito usu, præsente cruditate acida, vel pituitosa, flatibusque & doloribus inde oriundis. Sin excedas, appetitum abolet & noxius evadit primæ culinæ, imo toti corpori. Exemplum manifestum notatur apud *Serapionem*: quidam, *inquit*, sumpsit ex camphora aureos sex in tribus vicibus, & destruxit adeo stomachum, quod non poterat cibum digerere, & abscidit ei sperma. Unde fallit omnino illud vulgatum ad literam acceptum:

Camphora per nares castrat odore mares.

Imo & in gonorrhoea virulenta non tam seminis extinguendi gratia, quam propter bezoardicam virtutem ac balsamicam adhibetur, ad corrigendam ichorescentiam æque ac malignitatem. Malignitas enim semper se in illa exerit, & facile massam sanguineam, nisi contra eatur, inquinari, experientia docet. Ita, ne alios laudemus, *Cheneau l.* 5. *obs.* 38. *p.* 537. recte terebinthinatæ compositioni addit camphoram, *B. Michaelis* spiritui terebinthinæ, & saccharo saturni.

Repellentibus, seu potius *discutientibus* & alterantibus externis quoque adnumeratur. Propter insignem virtutem difflativam, quam possidet, in omnibus fere tumoribus externis, alijsque vitijs, quæ discuti debent, summa cum efficacia adhibetur. In erysipelate omni, ac præcipue ubi metus quasi gangrænæ est, summo cum successu alijs pulveribus admixta externe adhibetur. In gangræna ipsa commendatissimus esse debet spiritus vini camphoratus, qui eam mirifice arcet.

Nec alio nomine *cosmeticam* egregiam virtutem possidet, dum transpirationem cutis in facie promovet, & maculas illas discutit, ac abstergit sordes, quæ deformem alias reddunt. Sic spiritus vini camphoratus cum aqua appropriata tanquam expertissimum remedium commendatur in gutta rosacea ac varis. Hinc & *Mynsicht.* in aquam suam cosmeticam recipit *Armam. sect.* 19. *p.* 329.

Eodem pacto commendatur in doloribus capitis, podagricis & arthriticis alijsque, item à contusione factis, ubi egregie dissipat, ac nervos simul roborat. Dentium dolores sedat, illorum cavernis indita, ut & oleum odontalgicum camphoratum, ligni sancti & caryophyllorum, cum bombace, vel essentia odontalgica lignorumue hujus accessione roborata, & applicata.

In *hæmorrhagiis* varij generis interne & externe probati quoque est usus camphoræ. Enimvero circulum sanguinis in ordinem redigit, alterat, acrimoniam acidam obtundit. Notum etiam est, calida alia & balsamica commendari hunc in finem, ut in sperniola Crollij myrrha & crocus ipse. Tacemus epithemata & alia topica ischæma, camphoræ additione varianda.

Reliqua ubi in usum venit camphora, facile ad dicta referri poterunt. Dosin vero camphoræ quod attinet, cum activa sit maxime, cum volatilis & penetrans, minori præbio saltim assumitur, ad gr. III. IIII. V. VI. ad ℈ß. cum alijs, quibus pondus addit.

De Præparationibus Camphoræ, & utendi modis variis.

Satis jam liquet ex hactenus adductis, camphoram esse sublimatam resinam, adeoque jam omni modo præparatam ad usum, ut actum videantur agere, vel nodum in scirpo quærere, qui ad instar simplicis alterius tractare eandem sustinent.

Operæ pretium hinc fuerit, paucis lustrare Præparationem non unam, & Formam, qua in usum venit, diversam. Si enim fateri volumus, quod res est, camphora magis compositionem & societatem subit aliorum, unde breviter, secundum formam triplicem, concipi & dividi possunt medicamenta camphorata.

In Forma sicca mentio fieri potest florum camphoræ, quos describit *Boyleus chimist. scept. p.* 20. Immitte camphoram q. v. vitreo vasi, & leni igni expone; deprehendes eam, (ne unico quidem, quantum æstimare licet, grano post se relicto,) ad vasis summitatem in flores sublimari, qui, albedine, odore & alijs non videbuntur à caphura ipsa differre. Nimirum, quod jam sunt, exhibent & manent, sublimatum, inde non opus est, nisi curiositatis gratia camphoram purissimam jam denuo sublimare.

Idem fit, si additis alijs sublimatio tentetur, uti, in processu vulgari ad parandum oleum camphoræ, cum bolo. Ibi enim per terrei corporis campum eluctatur, & tota in retorta coit iterum, nisi quod tincturam aliquam flavescentem assumit, non aliter ac idem in sale ammoniaco, eodem modo tractato, nostris experimentis, contingit. Imo & in forma humida, si soluta in spiritu vel oleo fuerit, eodem modo se gerit fere.

Inter composita vero sicca, ut in pulveres & species, paulo rarius recipitur, præterquam extemporaneos, ne destituat socios & avolet, si longius cum ijsdem morari cogatur. Magis etiam idem valet de externis, quam internis, frequentius enim fere liquida forma interius in usum vocatur.

Si autem pulverisanda sit, vel cum alijs pulveribus simul subigenda est, vel addito tantillo olei amygdalorum dulcium in minutiores particulas redigi potest alias, propter cohæsionem illius, more aliarum resinarum, qua mortario & pistillo adhæret, vel discontinuari renuit, non procedit pulverisatio. Pro externo vero usu frequentissime recipitur in pulveres contra erysipelas, ipsamque arthritidem, hoc nomine occultatam, inprimis, si ad fuscedinem magis tendat color, cum *fl. samb. ceruss. myrrh. sperniol. Croll. farin. fabar.* vel *secalina* &c. Ita enim in pulverem subtilem minori quantitate trita & mixta solatur brevi partem affectam, etiam in facie ipsa.

Idem valet de *pulveribus ad pulsus*, seu epicarpijs, ut & sacculis ad cor. Euporisti maxime exemplum est, si cum zedoaria & corticibus citri remixta, & in sacculos recondita, applicetur, imbuendos cum aqua carfunculi aurea, fl. aurant. acet. rosac. & alijs. Idem dictum puta, si cum spec. cordialib. temperatis remisceatur & in usum vocetur. Imo solenne est & per se sacculo insutam appendere collo, in æstu febrili infantum, aliorumque, unde transpiratio facilitatur, & alteratur lympha æque ac demulcetur.

In usu tamen est quoque *trochiscatio*, seu trochisci

sci de camphora, à *Mesue* jam descripti, & in *Pharmacopœia Persica* quoque reperiundi; ubi camphoræ exhalabilitas invitcantibus quasi sigillatur vel coërcetur, ut in extemporaneos tamen usus præscribi queant. Sic & in *pilulis* bezoardicis, diaphoreticis & discutientibus, consulto maritari potest, quibus actuandis non parum inservit, ad granum unum alterumque saltim addita, ut theriacæ cœlesti, & extractis consimilibus.

Quin imo & ad *suffitus* forma hac sicca commode inservit, tum alijs pro ulibus, tum pro præservatione à peste, grassante lue publica. Exempli loco esse potest *suffimentum præservativum Wedelianum*, descriptum *consil. de peste*.

Nec in *Molli Forma* inconcinne aptatur usui camphora. Exemplum præbeat therica camphorata, vel accessione extemporanea talis reddita, facta prius in menstruo apto solutione. Idem dictum esto quoque de diascordio. Ejusdem commatis est fermentum bezoardicum, *Dissertatione de fermentis chimicis*, à nobis descriptum, insignissimi usus. Celebratur eodem nomine electuarium de ovo, electuarium camphoratum Kegleri, ne alia laudemus. Ita vero intime dissociata & confermentata pondus addit reliquis omnibus.

Idem valet & de externis non paucis. Utilissime recipitur in *balsama* polychresta, antilœmica, anthysterica, bezoardica, ut si cum ol. rutæ, lavendulæ, citri, veris, ne plura laudemus, cum oleo nucistæ vel macis expresso jungatur camphora, non tam in oleo jam soluta, sed facile his dictis solvenda, minori etiam quantitate, ut consistentia unguinosa maneat integra, nec immutetur, fit optimum balsamum ad pulsus, tempora, carpos imo & internum usum ipsum.

Decorat *unguenta & linimenta*, addita oleo polychresto, splenetico, stomachico. Seorsim in collyrijs mollibus, unguento ophthalmico Mynf., Plateri, Penoti, aliorumque, modo nec in his excedat dosis. Conciliat ijsdem virtutem, conditu- ram, odorem. Sic notissimum est unguentum & emplastrum album camphoratum, cerotum sandalinum, unguentum de minio camphoratum, de spermate ranarum, ad lactis discussionem, antiarthriticum; unde & alijs emplastris pro ventriculo, hepate, renibus alterandis, ad febres ipsas, & alia plura remisceri potest. Neque enim opus est, huc consarcinare formulas apud autores maxima farragine extantes varie ad usum & exigentiam à perito artifice ex tempore præscribendas.

Denique & frequentissime in *Liquida forma* aptatur ad usum. Primo loco hic memorabimus extinctionem in aqua. Ardet quidem in aqua quoque, ardet cum nive & stirijs glacialibus mixta, sed extinguitur tamen quoque, obruta coruscante & albida flamma, unaque alterat aquam, & quædam effluvia in fumum per ignem resoluta sic in eam immergit, in quam alias non aditus datur mutuus & receptio. Et habet usum hæc aqua extinctionis camphoræ bezoardicum & alterantem, euporista in febribus. Novit *D. Parens* Serenissimam Principem, quæ hanc ipsam erogavit non raro cum alijs pro pauperibus, opem ejusdem efflagitantibus, cum successu. Tacemus esse, qui eandem in affectibus hystericis commendant.

Aquas vero ipsas quoque bezoardicas ingreditur, beneficio particularum ramosarum additarum ingredientium aliorum, si non soluta intime, ex parte tamen communicans cum ijsdem suam virtutem. Exempli loco sit aqua bezoardica Rulandi, aqua bezoardica Londinensis, & aliæ ejusdem commatis non minimum proficuæ.

Notissimus vero est spiritus vini camphoratus; quem tinctum elixir camphoræ sunt qui vocant, pro interno quidem usu rarius, ut ille exterius magis impenditur. Ast spiritus theriacalis camphoratus magis frequentatur & usitatissimus est, sive addatur destillandis statim ingredientibus, sive potius peracta abstractione pro lubitu vel addatur, vel omittatur. Neque tamen supernatat camphora, quod nonnulli scribunt, spiritui vini, sed intime miscetur, striatas & ramosas particulas sensim mediante motu diffundens per totum liquorum, quocum miscetur.

Fit tamen experimentum seu phænomenon hoc, ut supernatet, si spiritus nitri affundatur camphoræ, ubi successive non tam solvitur, quam liquatur, ut in duas distinctas sphæras fiat separatio liquoris utriusque, ita tamen, ut concedant nitrosæ acidæ quoque in alteram superiorem. Hinc non temere sequendi sunt, qui liquorem hunc camphoratum cariei ossium applicare jubent, cum corrosivitatem aliquam obtineat.

Idem phænomenon apparet, si in spiritu vitrioli vel aqua forti quoque solvatur. Curiosam solutionem cum oleo vitrioli *Boyle* proponit *l. de origine format. sect.* 2. *exper.* 1. ubi varia phænomena hujus solutionis recensentur.

Simpson. Zymolog. physic. p. 32. refert, spiritum vini solvere camphoram, ut & aquam fortem, si tamen hæc conjungatur cum illo, camphoram non amplius solvere. Experimentum fecimus, miscuimus hæc bina menstrua varia proportione, semper tamen solutionem obtinuimus.

Olea quæcunq; eam solvunt, expressa juvante calore ignis, ut oleum amygdalorum dulcium, & promptius longe destillata, ut juniperi, succini, & his æquipollens petroleum &c. Utque in spiritu salis ammoniaci vinoso, rectificato, sic prompte solvitur, ac in oleis, per dicta: ita ab oleo tartari per deliquium, & spiritu salis ammoniaci communi solvi renuit.

Oleum camphoræ verum plane non dari à plurimis, nec sine omni ratione, negatur. Ipse *B. Ludovici pharmaciæ modern. dissertat.* 1. *de diaphoret. p.* 191. camphora, *inquit*, varie torta est pro eliciendo oleo, quod tamen notorie hinc vel plane non, aut parcissime, debilius, compositum, aut in camphoram naturalem postliminio rediens prodibat. Et verum omnino est, quod plerique processus, qui inveniuntur, pro parando hoc oleo, frustranei sint, ac vel mixtum vel nullum oleum prodire, experientia loquatur. Latius hac de re legi potest *Dethardingij Chimischer Probier-Ofen tract. de Vitriolo p.* 302. & *tract. de Saturno. p.* 226. ubi ostendit, nullum adhuc inventum esse artificium, quo ex camphora elici possit oleum.

Varij processus recensentur apud *Mœbium in anatomia camphoræ*, quos repetere supersedeo. Omnes tamen, quos videre licuit, nullum obtulere oleum, quod non in substantiam camphoræ redigi queat. Unde recte monuit *Hœferus Herc. Med. l.* 8. *c.* 4. quod oleum camphoræ ab aceto non tantum, sed & ab aqua simplici coaguletur & in sui substantiam redeat. Atque sic patet, meram tantum fuisse solutionem, olea enim nullo modo substantiam totam, ex qua deprompta sunt, per se constituere possunt.

Præcipitationem vero ipsam hanc quod attinet v. g. cum ∽u ⊕ facti, aqua simplici æque fit ac aceto; nam illa destruit vinculum salinum, quod conjungebat solvens & solutum, seu potius in se recipit, ut ita dividantur unina prius: hoc vero, tanquam minus acidum, illud diluit, ut non amplius aptum sit, solutum retinere, sicque itidem facit,

ut ex sinu suo dimittat. Uterque liquor resinositati est asymbolicus, adeoque illam diffusam coagulat.

Quamvis autem non invenire potuerimus, verum oleum ex camphora quomodo separare queamus: datur tamen oleum camphoræ verum à priori, quod simul cum ea elicitur. Præparationem enim si legamus apud autores, & oleum & resinam hanc simul separari, & utrumque seorsim extare, deprehendimus. Ex arboribus, ex quibus Borneensis & Sumatrensis camphora colligitur, cum sponte effluat. Vid. *ten Rhyne epist. supr. cit.* Qui etiam miratur, quod nunc vilescat hoc oleum in Europa, cum paucis abhinc annis ibi magni æstimatum fuerit.

Nec fere opus videbatur, tam anxie quærere, quomodo oleum ex resina hac elici queat. Efficax satis est in alio oleo soluta, vel spiritu vini quoque, aut alijs spirituosis, vel pulveribus addita. Sin magis placeat in olei forma, ipsum quod ex trunco vel cum destillatione camphoræ acquiritur, satisfacere desiderio omnino potest.

Sic ab Excell. *Ettmullero* laudatur Medici Veronensis Henisij oleum pestilentiale, compositum ex oleo destillato succini, citri & camphora, ac stupendarum virium dicitur, tantaque præstitisse inventorem in peste Veronensi hoc oleo, ut ipsi columna triumphalis fuerit erecta.

Oleum bezoardicum *D. Parentis Pharm. acroam. l. 2. s. 3. c. 8. §. 15.* descriptum eximie medetur anxietatibus præcordialibus & febrilibus, ipsique ardori & viribus debilibus, in febribus malignis, pleuritide, dysenteria, sive sibi relictum, seu accessione olei citri viri guttula roboratum. Commode etiam hoc fine tincturis bezoardicis additur camphora, unde quoque tincturam bezoardicam Michaelis, uti & *D. Parentis* tincturam bezoardicam essentificatam ingreditur. Redduntur sic magis balsamicæ ac penetrantiores, visque malignitati resistendæ multum augetur. Pulveribus itidem v. g. antimon. diaph. cinab. nat. sal. vol. C. C. arcano duplicato, & alijs facile tantillum addi potest.

Rarius paulo infusa alia ingreditur, ut cum Zedoaria sunt qui commendant pro præservativo, cum vino infusam, in peste, neque enim nisi imperfecte saltem sic solvi potest. Idem quoque dixerimus de gargarismatibus, & clysteribus ipsis, quibus pro usu hysterico etiam camphoram nonnulli addere leguntur. Ast in mistura simplici, & inde oriunda tinctura bezoardica veluti baseos titulum subit, ut in tinctura bezoardica utraque jam dicta, Michaelis & Wedeliana. Non reticendum vero & hoc est, in mixtura simplici rectificata, alba & dulci, successu temporis prius solutam inibi camphoram in filamenta fatiscere, & pristinam solidam florum quasi consistentiam affectare.

Summatim, addit reliquis colophonem, quod dudum ipsi Japones agnovere, qui velut ducem venerantur camphoram, cui substant reliqua ingredientia, quibuscum jungitur, uti ductore præfecto milites ad destinatum locum feruntur. Adeoque addi: omnibus & singulis sua accessione penetrationem & momentum non minimum.

Tacemus usum mechanicum, in quem excurrere jam extra oleas nostras est. Mechanici enim camphoram ad ignes artificiales, qui in aqua durare debent, adhibere soliti sunt toto die; item si ignem flamma albicante spectatoribus exhibere volunt. Ad animalia etiam minora ac rariora conservanda, ut formam suam naturalem servent, utuntur spiritu vini camphorato.

Unicum illud addimus adhuc, commode substitui quandoque uno alteroque experimento camphoram sulphuri, ut in lapide prunellæ conficiendo, quamvis non promiscue id liceat extendere; neque enim cum eodem nisi inflammabilitate hac cita convenit.

De noxis & abusu Camphoræ.

Ubi virus, ibi virtus, vulgata est parœmia, Liceat nobis illam invertere: ubi virtus: ibi virus, quippe omne nimium vertitur in vitium. Non tantum, quas virtutes possideat medicamentum, sciendum est, sed & quas noxas, saltim ex accidente, & errore adhibentis.

Si nimia quantitate adhibeatur camphora, nimia excitatur rarefactio, unde vires debilitantur spiritusque difflantur, seu potius in motum citantur indebitum, sanguis & lympha partibus & actionibus suis obeundis redduntur inæquales. Cavendum itaque est, ne, si juvare velimus, damnum potius afferamus ægrotis, & hocce remedio.

Non promiscue in mensibus movendis locum habet, nec ubi aperientia potius adhibenda erant, hæc substituitur sine damno. Rarefactiva est, sicque pellendo potissimum agit, vijs autem non liberis frustra pelles, potius augebis malum ac obstructiones. Martialibus vero alijsque lenioribus aperientibus præmissis omnino in usum cedere potest, ut & alia volatilia oleosa.

Gravidis quoque non convenit æque, nisi admodum caute ea utamur, dum sanguis facillime in ὀργασμὸν ruit, menses pelluntur, abortus ac vitæ periculum sequitur. Et sane abortum inde concitatum, videri potest apud *Borellum, cent. 2. observ. 98. p. 192.* Mulier quædam, *inquit*, cum sæpe camphoræ pyxidi insedisset, abortum passa est; camphora enim miram habet, ad matricis quasi vomitum, (si ita loqui liceat,) excitandum.

Nec sine discrimine in hysterica passione laborantibus ægris adhibenda est camphora. Dantur quædam fœminæ, quæ, ut castoreum, suavissimum alias sexui sequiori medicamentum, sic quoque camphoram ferre nullo modo possunt, quin exasperentur potius symptomata, quam sedentur, propter idiosyncrasiam quarundam. Cavendum hinc est sedulo, ne, si putemus, nos depellere hostem, illum potius irritemus ac validiorem reddamus.

Nocet & illis, qui tenerioris sunt texturæ, ut infantibus, alijsque, quorum sanguis laxioris est compaginis, ut facile efferari nimis possit, ut & quibus caput est debile & spiritus teneriores. Ita qui ad dolorem capitis dispositi sunt, camphoram bene tolerare vix queunt, quod & *Mindererus* notavit *med. milit. p. 107.* & *Crato epist. 130.* camphoram in illis qui valde nauseant, vel quibus caput infirmum est, non adhibendam fassus. Ferit enim spiritus, ferit membranas seu fibrillas nerveas subtili sua acrimonia, quando pacari potius exposcunt. Neque illis, qui vigilijs immodicis vexantur, propinari debet, illas enim auget, sicque vires facile atterit magis. Notarunt id *Ebnsina*, *Rhases*, & alij. Qui ejus odore multum usus fuerit, inquit *Rhases l. c.*, vigiliarum sentiet detrimentum.

In genere, quibuscunque volatilia minus conveniunt, quique magis sic egent freno, quam stimulo, bonam partem etiam à camphora lædi queunt. Videas sic scorbuto calido laborantes facile ab eadem offendi, saltim dosi paulo majori; imo id valet

let hac sub conditione de ipsis febribus. Ubivis proportione debita opus est. Et hæc causa est, quod tincturam bezoardicam plus justo camphoratam non æque omnes ferant, & præstet in medio subsistere.

Ex eadem ratione & fluores sanguinis camphoram aliquandó contraindicant, propter eundem rarefactionem, quam citat, ut hæmorrhagiæ narium, uteri, ac quæcunque aliæ. Negari nequit, ut è superius dictis claret, & camphoram hæmorrhagijs sedandis conducere, sed ex alia id præstat ratione. Interius quidem circulum sanguinis in ordinem redigendo, exterius diflando & alterando, imo & coagulando quasi, ut ita loquar, non aliter ac ipse spiritus vini occursu suo idem præstat, sed minori præbio, & non fine cautela.

Olfactum lædere camphoram, *Th. Bartholinus* observavit in quodam pharmacopœo *cent. 4. hist. 91. p.* 413. quia nimio camphoræ usu in officinis præparato & contrectato olfactum prorsus amisit. Valet enim & hic illud receptum, omne sensile excellens lædit sensus, quam copiosum vero ac fortem odorem camphora spiret, nemini non notum est. Itaque continuato usu facilis fiere potuit læsio, ut, consuetus forti hoc odoramento, tandem non amplius ipsum hoc, nec minus odorata, sentire valuerit. Accedit, quod nervi olfactorij sint delicatioris texturæ, ac facile alterari ac munere suo privari queant.

Est, ubi & acrimonia sua tactum ferit delicatum. Prodest oculis, per dicta superius, decenter remixta alijs & temperata, oculis integris, nec in unitate læsis. Posita vero hac, tantum abest, ut demulceant, ut potius irritent magis tristemque sensum inferant camphorata.

Fœmina, fissura ligni altero oculo læsa, accipit à chirurgo collyrium fortiter camphoratum, inde dolere oculus magis irritari, & perdi cœpit, effusis humoribus. Scilicet ibi demulcentia mucilaginosa magis profuerint, neque parti afflictæ addenda est afflictio.

Idem de intertrigine valet, ubi terrea, ἄποια, è γλισχρῶ lymphæ cuticulam, camphora minus jungi & inspergi amat, nisi putrilago id jusserit, quo nomine in ulceribus sordidis, uliginosis, ipsius etiam oris prodest. Idem de ambustis valet. Prodest sane & in his, sed primo saltim gradu talibus, more aliorum calidorum, non in erosis & exulceratis, quæ si confundantur, non potest non error committi manifestus, & noxa loco remedij in ægrum redundare. Exemplum triste præbuit superiori anno b lneator empiricus. Cum enim cerevisiæ coctor incidisset in fervens decoctum, cute misere deglubita & inflammata, memor ille, quod muria ambusta soletur, hanc è brassica muria applicat, unde dolorum facibus majoribus accensis misere æger perijt.

Duo sunt adhuc, quibus inculpatur camphora ab Arabibus, quod accelerare faciat canitiem usus ejus, & generet calculum renum & vesicæ. Sed quicquid horum fecerit forte, vel contribuat aliquid præter suam culpam, siccitati illatæ tribuendum fuerit, & abusui, quo nomine & *Crato* humido radicali inimicam esse scribit, *conf. 75. p.* 203.

Hæc sunt, quæ inpræsentiarum proponere animus fuit, inposterum pluribus forsan experimentis ornanda. Quæ etiam deesse videbuntur concise dictis, apud *Moebeium Anat. camphora, & Laur. Eichstadium disquis. succincta Dantisci* 1650. *excusa*, aliosque videri & huc referri possunt. Quod vero nonnulli scribunt, *Aetium* quoque camphoræ meminisse, id videntur non inspecto autore affirmare. Nobis saltim hunc in diem non licuit id reperire vel in Græco primæ partis Codice, vel in Latina editione.

Hæc M. Joh. Adolphus Wedelius Celeberr. Georg. Wolffgangi Wedelij Filius in Dissertatione Medica Inaugurali; quibus sanè non opus est aliquid subjungamus.

CAMPHORATA.

Nomina. Camphorata hirsuta *C.B.* Camph. Monspeliensium *J.B.* major Monspeliensium *Park.* Monspeliensium an Chamæpeuce Plinij Lob.

Radicem habet pollicaris ferè crassitudinis multorũ capitum; *caules* emittentem lignosos, crassiusculos, cubitales aut breviores, ramosos, subhirsutos, albicantes; per quos visuntur nodi, alternatim positi, è quorum singulis confertissima prodeunt *foliola*, trientem unciæ non excedentia, pilosa, mediocriter rigida, odore aromatico, sapore aliquantum acri. Augusto & Septembri florens (inquit D. *Magnol*) herbaceum producit vasculum, ex quo quatuor parva stamina prodeunt, quorum quodlibet apicem rubrum, vel potiùs roseum, in medio sulcatum sustinet. Succedit flori *Semen* nigrum, oblongum.

Locus. Circa Monspelium, Nemausum, Avenionem & alibi in Gallia Narbonensi spontaneum observatur.

Camphorata dicitur quòd herba digitis confricata odorem Camphoræ nonnihil referat *J. Rajus* ex *C. B.*

Quidam Selaginem Plinij l. 24. c. 11. Quidam Chamæpemen ejusdem l. 24. c. 15. Quidam autem Cneoron nigrum existimant, de quorum virtutibus vid. apud citatum Autorem.

CANAPUS, vid. *Cannabis.*

CANCAMUM.

Cancamum Dioscoridi est Lacryma Arabicæ arboris (folia Myrti habentis Amato) Myrrham quadantenus referens, virosi gustûs, quâ tanquam thymiamate *i. e.* suffimento utuntur: Vestes eo additis Myrrhâ & Styrace suffiunt ur: datur lienosis, comitialibus & suspiriosis: menses cum aqua mulsa pellit: oculorum cicatrices confestim emendat, ac vino madefactum eorum medetur hebetudinibus, adversus gingivas humore prægnantes, non aliud præstantius remedium, ut & ad dolores dentium, ac per pluculos dies ternûm obolorum pondera ex aqua aut aceto mulso bibitum obesos extenuat.

Quid sit hodiè ignoratur. Alij Laccam esse volunt, sed perperam, cùm vires non conveniant: alij Benjoinem, nonnulli gummi Anime, ut Amatus & Garcias.

CANCANON, vid. *Cacalia.*

CANCER.

Astacus marinus (quasi ἀστάκτος non destillans, sed abundè fluens; quòd tubercula plurima, tum alba, tum purpurea, guttarum sive lacrymarum specie, forcipibus inspersa habeat) quibus *Gammarus* marinus, sed *Rondeletij* judicio impropriè, nam Gammarus *Squillarum* species erat veteribus Romanis.

Nomina. A Gallis & Normannis Homar; *à Romanis hodiernis* Gammara, vel Cambro di mare; *Venetis* Astase; *à Genuensibus* Lumbardo; ab *Occitanis*, Langrout vel Ecrevice de mer; *à Danis* Hummer; ab *Anglis* Lobster nominatur.

Crustaceum est Animal, *colore*, dum vivit *nigricante* & ad cœruleum tendente; dum coquitur, in *rubicundissimum* transit, sed paulatim ubi exsiccatur, ad albedinem vergit; *pedibus* præditum octonis, quos exci-

cipiunt *Chelæ* seu forcipes majores, utrinque unus dentatus. Pedum autem quidam bifurcantur in extremitatibus, quatuor nempe superiores caput versûs, reliqui in acutum desinunt. *Cornua* seu flagella ante oculos duo tenuia, longa, sectionibus multis distincta, quibus viam prætentat, super quæ alia minora, oculos parvos, prominentes, duriusculos defendentia. E media fronte existit aliud parvum, utrinque serratum, tam ad propulsandas, quàm ad ferendas injurias idoneum. *Cauda* ut in *Locusta*, ex lenis tabellis contexta, in quinque pinnas desinit, sed duriores. *Dentes* duos habet ad oris latera sitos; carunculam pro *lingua*, quam sequitur *gula* brevissima. Hanc *ventriculus* membraneus excipit, cujus ostio infixi sunt denticuli, duo adversi, reliquus infra. Piscis hic crustaceus (ut & alij affines) uti *retronatatilis* est, ita & viscera ferè omnia, aliorum respectu animalium, aut *inversa* habet, aut præpostera. Nam ejus ossa carne non teguntur, sed contra ossibus carnes. Pedum nempe, brachiorum, capitis, dorsi, caudæ, aliarúmque partium Musculi ferè omnes, (exceptis tantùm Temporalibus) integumentis undique crustaceis includuntur: fortè ut Animal inter Scopulos & aspera saxa degens, armaturâ suâ protegatur. Porro nè munimentum illud crustaceum, partes subjectas duritie aut compressione lædat; concavum ejus ubique *muco* crasso, purpureo; tanquam panno subdititio, obducitur.

Ad hujus generis differentias pertinent

1. *Astacus major*, à quô non multùm discrepat.

2. *Astacus fluviatilis, Gammarus*, Athenæo Κάμμαρος, Gallis *Ecrevice*. Mediâ æstate *crustâ* exuuntur, quemadmodum Angues senectute: quod consultò à naturâ factum est. Crusta enim densior ætate reddita motum impedit. Quô tempore crustam deponunt, in capite duos gerunt *lapillos*, albos rotundosque, lenticulari figuræ, singulari naturæ providentiâ, ad crustæ substitutionem; qui dein, exutô integumentô veteri, rursus paulatim absumuntur, & in crustam abeunt. Exemti, riteque servati ad usus medicos, *oculi Cancrorum* appellantur.

3. *Astacus medius*, seu mediæ magnitudinis *Aldrovandi*, Literatus *Wormio* dictus: quòd in crustis caudam tegentibus literarum quarumdam grandium, & quasi Hieroglyphicarum notas ostentet de quô Olaus Wormius in Musæo *Gualterus Charletonus.*

Partes Cancri Officinales.

1. *Cancer seu Astacus Fluviatilis integer*, id est *substantia edulis*. 2. *oculi*, seu *lapides in capite positi*, 3. *Putamen.*

1. Refrigerant Cancri, humectant, dolorem sedant, ferocientes spiritus figunt.

Hinc usus præcipui in æstu, ac dolore capitis ac renum, (*contusi ac cataplasmati,*) (*in oris ulceribus.*) In Angina (*fit gargarismus ex succo cancrorum, imò & internè succus exhiberi poterit*) In Atrophia (*exhibetur internè succus cum ▽, vel succo Chelidoniæ*) (*vel cum butyro coctus*) *externè fieri potest Emplast. ex cancris tusis, Epate vitulino, atque Ol. Olivar. laurinoque* tela ac spicula è corporibus extrahunt, (*triti & impositi.*) *Valent & in igne persico ac ambustis.*

(In doloribus scorbuticis, fistulis.)

2. *Oculi Cancri* (Cancri) refrigerant, siccant, abstergunt, discutiunt, calculum atterunt, tartarum & sanguinem coagulatum resolvunt.

Hinc usus magni in Nephritide, Pleuritide, Asthmate, dolore colico, &c. sive crudi, tritique assumantur, sive usti & præparati, inserviunt itidem dentibus abstergentis.

3. *Putamen* (testa) easdem cum oculis dictis vires obtinet. Insuper scabiem puerorum ex salsis humoribus sanat, (*oleo rosaceo permixtum & illitum,*) febrium intermittentium paroxysmos arcet.

N. *Præstat putamen novellum tenuius, quo induuntur, postquam crassius deposuerint annuatim.*

Præparata.

1. Cinis cancrorum (*i. e. Cancri combusti.*) exiccatorius est, proprietate pollet adversus morbum canis rabidi; (*assumptus cum radic. Gentian.*) Rimas pedum ac sedis verrucas & carcinomata cum melle lenit. Sunt & qui cancros combustos propinant in dysenteriâ.

N. *Galenus hoc medicamenti genus, quod ab Æschrione Empirico didicisse confitetur, maximoperè ad morsum rabidi canis commendat, Æschrionemque cancros vivos in patella ærea ussisse ait, donec in lævorem facilè redigi poterant, idemque per ortum canis, ☉le transeunte in ♌.*

Dosis cochlear parvum ad 40. continuatim.

(Præferuntur Cancris nostratibus Granches Hetruscis dicti.)

2. *Oculi cancri præparati.* F. l. c. lævigando, cum ▽, v. gr. fœniculi.

3. *Mag. oculor.* ♋. fit cum sp. virid. ær. vel succo Citri.

4. ▽ *cancror.* fit è cancris MB vel Cinere destillatis.

Vires. Urinam pellit, calculum atterit, sitim extinguit.

N. *Quercetanus macerat cancros cum ▽ sempervivi majoris per ♂m. hinc ▽at, ter cohobando, adhibetque inflammationibus, combustis carcinomatis, quibus maximè prodesse ait, inprimis si sale ex remanentia elixiviato imbuatur. Pharm. Rest. c. 7.*

5. *Oleum seu Liquor Ocul.* ♋. fit l. com. per deliq.

N. *Aliter.*

℞. *Pulv. oc.* ♋. ℥. *v.* ♁ *i tart. p. d.* ℥*vi. dig. in F. Eq.* (♂ *15.*) *hinc coagula & extrahe* ♀. *Tandem abstrahe & remanet* ♁.

Dosis gr. 4. ad 6. *Hartm. in pract.*

6. *Spiritus in vulneribus pectoris utilis.*) *Schroderus.*

Oculi cancrorum ineptè sic dicuntur, non enim oculorum funguntur munere nec extra eminent, nec toto durant anno. Diversæ sunt magnitudinis, ut plurimum pisi majoris partem dimidiam æquantes, albicantes, duri, scabri, ea parte, qua corpus Gammari tegunt, compressi & sinuati, qua crustam rotundi seu hemisphærici non circa oculos, qui extrà illorum corpus protuberant, sed in capitis summitate siti, utrinque unus, nec quovis tempore in ijs inveniuntur, sed cum exuvias deponunt & novam crustam acquirunt, crescunt & decrescunt. Plenilunio crescunt, præsertim in fœminis.

N. *Oculi cancri*, qui in usum medicum vocandi, ex vivis sunt desumendi, qui adhuc ad cæruleum vergunt colorem, post coctionem enim statim ex rubro dilutè pallescunt, ob mutationem ab aqua salita factam texturæ partium.

Joh. Hennemannus in tr. de Peste seu Ideâ Loimo, oculos cancri Lapidi bezoardico præfert. Et talis est inter eos differentia, quod Lapis Bezoar in ventre capræ cujusdam reperiatur, oculi verò cancri in ventriculo cancri. Majorem tamen vim in cancro Lapis cancri, exserit, quàm Lapis bezoar in caprâ, quia in cancro generat nova putamina cutanea veteribus exutis, unde Medicina renovationis appellari potest, dum generat nova membra, quod in Capra bezoar præstare nequit

Cl. Helmont. de Lithiasi cap. 7. rarissimum ex hoc cancrorum lapide dicit colligi vulnerarium ac febrifugum, quatenus occultum alkali continet, quod omnem aciditatem, quam attingit, perimat. Unde nihil est vulneratis vel puerperis aptius remedium, quàm horum Lapillorum, si cum vino prius ebulliti potentur, dum alkali seu occultum falsum hujus lapidis corrigit acetositatem, quæ in membris extimis accensa & accendi parata est. Neque enim à stomacho transit vis alkali per venas usque in digitos pedum, sed in stomacho digestionum fonte vitæque archivo aciditatem vetat, & corrigit, ejusque translationem ad longinqua impedit.

N. Gemini oculorum orbes in cancris rotundi illi cornei nigri, quibus ad videndum utuntur, pulverisati ad drachmam unam vel ℈ij. in vino tepenti cerevisiæ haustu remedium purgans præbent, *teste Deodato Libr.* 1. *Panth. hyg. c.* 44.

Nihil hîc refert, utrum *gammaros* nostros seu *cancros* latè sumptos recipias, an verò *cancros* strictè ita dictos, in primis cum posteriorum in Germaniæ fluvijs nulla detur copia, & quicquid in rabie præstant, fit totius substantiæ ratione.

N. Cineri cancrorum combustorum sic dicto ego præfero testarum vel oculorum ♋ pulverem subtilissimum contra rabiem. *Hoffmannus.*

CANDELA.

Candela, λύχνος, κηρὸς, quid significet etiam pueris notum est, nimirum fila per oblongum compacta cerâ vel sevo liquefacto obducta, ut accensa conclavia illuminent, quamvis & aliquando inter Chirurgica instrumenta referantur. Ità ceras candelas exhibet depictas ad carunculas in meatu urinario *Scultetus.* Arm. Chir. Part. I. Tab. XVII. fig. 12. & candelam uterinam Tab. XXII. fig. 4. *Lex. Med. Castello, Brunonianum.*

Candelæ ad Verrucas seu Carunculas in meatu urinario, Pharm. August.

℞. *Ceræ alb.* ℔. *j. terebinth. Venet.* ℥. *j. liquescat cera, tunc addatur terebinth. & in his liquatis intingantur ellychnia, fiantque Candelæ, justa crassitiei. Candelæ hujus q. s. inungatur in loco quodam, unguento, ex Mercur. præcipitati* ʒ. *ij. & unguent. de ceruss.* ℥. ß. *vel anodin. tantundem, additis aliquot guttis Olei Vitrioli aut butyri Antimonij facto, ac virga immittatur.*

Candelæ pro Suffitu, vid. *Suffitus.*

Canella, vid. *Cinnamomum.*

CANELLA ALBA.

Folijs laurinis, *floribus* pentapetalis coccineis vel purpureis, *baccis* calyculatis tetrapyrenis à reliquis differt.

Nomina. Canella alba *Park.* alba quorundam *J. B.* Cinnamomum sive Canella tubis minoribus alba *C. B.* Cassia lignea Jamaicensis, cortice acri candicante *P. P.* Arbor baccifera, laurifolia, aromatica, fructu viridi, calyculato ramoso *Philosoph. Transf.*

Locus. In insula Jamaicensi & alibi.

Usus. Cortex in oblongos tubulos convolvitur, ab exteriori cortice purgatos tam extus, quàm intus exalbidus. Cinnamomo crassior & lentior, sapore acri, aromatico, odore fragranti. In Officinis pro Cortice Winterano non infrequens venditur, cui viribus respondet, & pro succedaneo ejus non immerito usurpari potest. *Dale.*

Canirubus, vid *Cynosbatos.*

CANIS.

Caninum Genus.

Hoc genus Animalia non tantùm rostro productiore ab alijs differunt, sed, quod plus est, Dentium numero & situ, Sex enim primores habent seu incisorios in utravis maxilla, exertos duos caninos dictos, molares in utralibet maxilla utroque latere sex; summâ quadraginta. Claviculis insuper carent; & officulum in pene habent; quæ notæ ad distinctionem sufficiunt, ut plures adferre non sit opus.

LUPUS, Græcis Λύκος, Hujus generis Animal maximum est & ferocissimum Cani persimile. Didici (inquit *Jo. Faber* sæpiùs laudatus) Lupi dentes, pedesque tam anteriores quàm posteriores cum Cane adeò convenire, ut nisi capitis aliquanti per figurâ differret, ipsissimum fuisse canem jurâssem. Trux enim erat in hac (Lupâ quam vivam vidit & examinavit) capitis universi, oculorum nempe torvitas, dentium & pilorum circa rostrum aspectus, & oris rictus; unguium etiam situs diversus, quibus retractis incedit, nè audiatur. Color canis nigricansque quamvis in Septentrionalibus regionibus, *Norvegia, Muscovia, Lituania,* non secus ac Lepores, Vulpes, & Ursi, candidissimi reperiantur.

Collum facillimè huc illuc flectere, & quaquaversum volutare potest, teste αὐτόπτῃ *Jo. Fab.* ut hac in parte vel ipso Cane agilior videretur; tantum abest, ut unico & perpetuo osse rigeret, quod veteres alijque secure nimis Aristotelem secuti prodiderunt.

Inediam diutissimè tolerat Lupus, ut & alia omnia carnivora, quamvis voracissima; magnâ utique naturæ providentiâ, quoniam esca non semper in promptu est, animalibus quorum præda vivunt vel latitantibus, vel aufugientibus.

Lupus voce à cane differt, quæ huic latratus, illi ululatus est: Intestina Lupi ad 19 aut 20. pedes accedere asserit *Joan. Faber.* Auribus arrectis, & caudâ crassâ pilosâ vulpem imitatur.

Lupus aureus, *The Jackcall. Squilachi* Græcis modernis, autore *Bellonio*, appellatur. Elegantis flavi coloris est, Lupo minor. Semper catervatim incedit, ut interdum ducenti simul conveniant, nihilque illo frequentius per *Ciliciam*, ubi alternatim Canum more *hau hau* experimentes, & singulis noctibus latrantes audiebamus. Adeò furax est, ut non vereatur noctu adire eos qui dormiunt, & quicquid invenit rapere, pilos, ocreas, calceos, fræna, vel alia ejusmodi. *Bellon. Obs. l.* 2. *c.* 108.

Canis, Græcis Κύων, Animal Domesticum & familiare, Hominis servitio & delicijs natum, ingeniosum, docile, memoriâ pollens; Domini comes & assecla assiduus, & fide in eum mira, eodem præsente fortis & audax; solus timidus, nec sibimet fidens, erga domesticos blandus & mansuetus, erga alios ferus & immitis, noctu vigil, nare sagacissima, omnibus terris, omnibus seculis notissimus, descriptione non indiget.

Cani proprium, quod evomuit illico resorbere; in lapidem projectum omisso projiciente sævire; caudam huc illuc motitantem adblandire. Pili longitudinis ubique ferè ejusdem sunt nisi quod in dorso paulò longiores.

Cerebrum à cerebello non menynx solùm crassa sed & sepimentum osseum separat, ut cerebellum capsulæ quasi cuidam osseæ inclusum reperiatur; quod tamen non Cani peculiare, sed plerisque Quadrupedibus commune est.

Columellam in imo palato inter narium foramina non

non habet. Circa podicis extremitatem utrinque foramen exile occurrit per quod è Vesica seu folliculo in exteriori parte intestini se exhibente, Sphincteri quasi immersa, nucis moschatæ magnitudinem ubi inflata habente, materia exprimitur alba, femini similis. *Blasius.* Vesicæ hæ sunt receptacula liquoris fœtidi, glandulis quibusdam adjacentibus à sanguine secreti, & odore animalis peculiari dotati, qui (ut probabile est) Sphincteris constrictione exprimitur. Husmodi folliculos obtinent, quantum hactenus novimus, Animalia omnia carnivora. Huic autem liquori inhæret odor ille vehemens, & in plerisque ingratus, quem spirant, ut vel inde patet, quòd vesiculis excisis & abjectis cadavera inodora remaneant.

Intestina quatuor. *Primum* s. *crassum* $2\frac{1}{2}$ ulnas longum, unciam propemodum latum: *Secundum* s. *tenue* $1\frac{3}{4}$ ulnæ longùm, unciàm paulo plus latum; *Tertium* s. *cœcum*, unciam ferè latum ubi latissimum, semipedem longum, triplici flexura; *rectum* productum esse videtur, cumque tenui intestino acutum angulum facit. *Quartum* s. *Rectum* sesquipedale, propè *Cœcum* digitum transversum latum, propè Anum digit. $1\frac{3}{4}$ *D. Grevv.*

Vesica in pelvi osseâ collocata, minimè tamen peritonæi intercedentis ope à reliquis in imo ventre contentis, ut in homine, separatur.

Ligamentum umbilicale ab Hepate productum in Canibus deest.

Connexi Pulmonis cum plura ordinariè nulla. *Blas.* Placenta uterina in cingulum formatur, & medium fœtum ambit. *Needham.*

Canum multæ species, seu potiùs varietates ubique aluntur.

1. Mastivus, nonnullis Mastinus, omnium maximus, animosus & pugnax.

2. Canis venaticus Grajus seu Græcus, nonnullis Scoticus, qui aspectu feras venatur, cursu velocissimus, forma corporis & incessu decorus.

3. Canis Grajus Hibernicus, Canis omnium quos hactenus vidimus maximus, molossum ipsum magnitudine superans: quod ad formam corporis & mores attinet Cani Græco vulgari per omnia similis. Horum usus est ad Lupos capiendos.

4. Canis venaticus sagax, ferarum indagator & sectator, qui duplex est, major & minor. His aures latæ pendulæ, rostra obtusa, ora magna, latratus gravis & profundus. Horum multæ sunt differentiæ, in quibus præcipuè notabiles, *Sanguinarius* seu furum deprehensor, & *Agasæus* qui aspectu feras insequitur.

Canis venaticus aviarius, seu Hispanicus duplex est.

5. Canis aviarius seu Hispanicus campestris, quo Falconarij seu Accipitrarij ad Perdicum seu Phasianorum ferè aucupium utuntur. Hi è minoribus sunt, pilo promissiore & splendente, maculati ferè.

6. Canis Aviarius aquaticus. Major est plerunque præcedente pilo promisso & crispo per totum corpus.

7. Vertagus, qui lusu quodam cuniculos venatur. E minoribus est, & alterum oculum altero majorem habere dicitur.

8. Canis οἰκουρὸς domesticus seu socius, Hybrida, Variæ magnitudinis & formæ est.

9. Catulus Melitæus, omnium minimus, mulieribus in pretio & delicijs, qui ob voluptatem & lusum alitur.

10. Canis Getulus seu Islandicus.

Canes præcedentes non tantùm institutione & officijs differunt, sed magnitudine, forma corporis, pilo, voce, moribus, in tantum ut diversæ species videantur.

VULPES, ἀλώπηξ, Ob astutiam celebris, Cani affinis, à quo differt pilis longis, densis, mollibus, præcipuè circa caudam, quæ idcirco nomen suum plantis nonnullis cum spica crassa, lanuginosa, molli, communicat: odore peculiari, vehementi, minus grato; colore rufescente, quamvis & albi & nigri inveniantur: quodque caveam sibi seu latibulum in terra unguibus fodiat; nec facilè mansuescat aut ferinam naturam exuat.

Partibus internis cum cane convenit: verùm observante *D. Grevio* Intestinum primum seu crassum multò brevius est quam in Cane, ut quod pedem dimidium longitudine non excedebat: Cœcum etiam majus & longius, spiraliter convolutum.

Animal Zibethicum, Quamvis *Catus Zibethicus* & *Felis Zibethica* à nonnullis appellatur, non tamen pertinet ad Felinum genus, sed ad Caninum: Nam capitis & rostri figurâ, dentiumque figurâ & numero cum Lupo, Cane, Vulpe planè convenit.

Color ei (describente *F. Columna* apud *Joan. Fabrum*) varius est, plerumque tamen cinereus, subnigricantibus distinctus virgis, quamvis in fœmina albidior erat, ad flavum tendens, & pluribus nigrioribus majusculis Cati Pardi maculis notatus. Effigies ad Caninam aut potiùs Vulpinam propriùs quàm ad Felinam figuram accedit; quod rostrum non harum obtusum, sed illorum formâ acutum habeat. Aures ipsi sunt parvæ ac rotundiusculæ; pili quales in *Taxo*, sed nec molles, nec asperi admodum. Corpus porcinum fermè apparet, & à dorso ad imum ventrem palmaris diameter est. Pedes potiùs parvi quàm magni; crura valdè brevia. Utriculi Zibethici inter anum & pudendum medij prominent, tam in mare quàm in fœmina; in mare tamen duplo grandiores apparent; interna sui parte, ubi pili curti hærent, capacem satis cavitatem obtinent, in quam ingressus patet exiguus & cartilagineus. Modum colligendi Zibethum videsis sub Titulo Zibetum. Aversa coeunt hæc Animalia.

Color in ventre & sub gutture niger est, cum in reliquo corpore griseus sit præter normam aliorum Animalium, quorum color in prona corporis parte plerunque dilutior est & albidior quàm in supina, *h. e.* in ventre quàm in dorso & lateribus. Taxus tamen in hac proprietate convenit. Liquor odoratus, quantum conjicere potuerunt Parisienses, è glandulis exit, quæ magno numero tunicas duas utriculos componentes interjicebant.

Accuratam descriptionem partium omnium tam internarum quàm externarum horum Animalium vide apud Academicos Parisienses.

Vulpi affinis Americana; *COATI* Brasiliensibus *Marcgrav.* Castoris est magnitudine aut minor, (Felis Marcgravio) corpore brevi, crasso, Taxi aut Castoris figura. Pedes etiam Fibrinis similes, breves pro corporis magnitudine. Pili vulpini, densi & longi, molles, summa parte nigri, reliquâ brunei quem vocant, seu innominati inter viridem & flavum medij (Marcgravius, qui duas species facit, alteri obscurum ochræ colorem tribuit, alteri (quam nos descripsimus) ex brunno nigricantem, seu exterius nigricantem interiùs flavum) *D. Willughby* color in dorso griseus, sub ventre albicans. Figura capitis vulpinæ persimilis, auriculis duntaxat brevioribus & rotundioribus nudis. In facie areola transversa nigra per oculos ducta. Oculi magni, iridibus ex flavo rubescentibus. Rostrum nigrum & canini instar extremo subrotundum. Dentes canini; sex incisores, & deinde duo exerti in utralibet maxilla. Cauda teres, toto corpore longior, Felinæ instar annulatim variegata (cum umbra & ochra Marcgr.) Pedes in 5. digitos longos, gra-

graciles, unguibus acutis munitos profundè divisi, quibus cercopithecorum instar arbores velociter conscendit, ad extremos usque ramos currit: ijsque velut manibus, cibum ori admovet; exquisito etiam sensu prædìti videntur, namque micas panis aut carnis frustula in aquam projecta facilè ijs palpando exquirit; imo quicquid comedit aquæ, si modò adfuerit, priùs intingit & lavat: super calcibus tamen incedit ut ursus. Victitat fructibus (inquit Marcgr.) sed lubentissimè ovis & gallinis. Invenitur non tantùm in Brasilia sed etiam in Virginia. Haud difficulter cicuratur & mansuescit.

Caudam propriam, teste *Jo. De Laet*, ut Cercopitheci nonnulli prærodit: quod Animali à nobis, & sequenti (ut puto) à Parisiensibus descripto contigit.

Animal hoc Levvisiæ Sussexiæ oppido primario in ædibus *D. Middleton*, vidimus & descripsimus.

COATI MONTI Marcgrav. Animal isthoc Parisienses sic describunt. Longum erat à summo rostro ad extremam caudam 35½ dig. nimirum ad occiput 6½, inde ad caudæ initium 16. cauda 13. dig. æquabat. A summis humeris ad imos pedes primores 10 erant digiti. Rostrum prælongum, & ut porcinum mobile, motu evidentiore, facilè enim sursum elevabatur; quinetiam proportione angustius erat & longius. Ungues longi erant nigri, incurvi, & concavi seu intus carinati ut Castoris. Pedum anteriorum digiti quàm posteriorum paulò longiores. Plantæ horum Ursinis similes præterquam quod pilis nudæ essent, quibus ursinorum calcaneum tegitur. Pedum omnium plantæ molli & tenera cute vestiebantur ut in simia; quacum tamen nulla ferè alia in re convenit. Ad extremum calcanei posteriorum pedum squamæ variæ observantur, lineam unam latæ, quinque aut sex longæ. Pili breves admodum, asperi & nodosi; in Dorso nigricant, ut & alicubi in capite, in rostro & pedibus; in reliquo corpore è rubro & nigro mixti, ità tamen ut in moventre & gutture locis nonnullis rubor prævaleat. Cauda pilorum nigrorum & ex albo & nigro mixtorum annulis alternis integebatur.

Lingua varijs fissuris incisa, ut arboris folium extremo dissectum repræsentaret.

Aures parvæ & murinarum instar rotundæ, summa parte pilis densis tectæ interius longioribus & albidioribus.

Dentes ut in præcedente, quorum accurationem & pleniorem descriptionem apud Autores nostros vide.

Gula ampla & ut in Porco fissa; inferior maxilla superiore ut in illo multò brevior.

Penis osse instructus erat, eóque multo longiore pro Animalis proportione quàm in alijs in quibus invenitur.

Hoc Animal à præcedente seu *Rattoon* plurimum differt.

YZQUIEPATL, seu Vulpecula quæ Maizium torrefactum colore æmulatur *Hernandez*. Vulpeculæ nostrati similis est & congener, duos pæne dodrantes longa, humilisque, tenui rostro, parvis auriculis, piloso & nigro corpore, ac præcipuè juxta caudam, quæ longa est, & nigro candidóque pilo, velut universum corpus vestita; brevibus, nigrisque & uncis unguibus. Vivit in antris inter saxa, ubi prolem educat. Vescitur scarabæis atque vermiculis, cohortales jugulat, solaque eorum devorat capita. Cùm quis eam insectatur, fundit cum ventris crepitu halitum fœtidissimum: quin ipsa tota teterrimum exhalat odorem, & urina stercusque est fœtidissimum, atque adeò pestilens, ut nihil sit reperire in nostro orbe, cui in hac re possit comparari: quo fit, ut in periculo constituta, urinam & fæces ad 8. plurimumve passuum intervallum ejiciat, hoc modo se ab omnibus vindicans injurijs, ac vestes inficiens maculis luteis indelebilibus, & nunquam satis perspirante putore: aliàs innoxium Animal eduléque, hac sola ratione horrendissimum.

Quod ad excrementorum ejaculationem, eorumque naturam de Bonaso Bovis sylvestris specie similia tradit Aristoteles. Vide Bonasum.

Sunt & alia duo (inquit Hernandez) hujus Vulpeculæ genera; quorum alterum *Yzquiepatl* pariter vocatum, fascijs multis candentibus distinguitur; alterum verò *Conepatl*, seu Vulpecula puerilis; unicâ tantum utrinque ductâ, perque caudam ipsam eodem modo delatâ.

A præcedente Animali (Coati quoad magnitudinem & figuram corporis non multum differt: verùm excrementorum fœtore, & vindictæ causâ ea insectantes ejaculandi, eósque conspurcandi qualitate plurimum.

Maritacaca Pison. Barigoy Lerij. Ropoza Lusitanis CARIGUEYA Brasiliensibus Jupatijma nonnullis *Marggrav. Tlaquatzin* Hernandez, Lerio *Sarigoy. Semivulpa.* Gesnero *The Possum.* Animal est catuli seu mediocris felis magnitudine (& forma, duos dodrantes longum *Hernand.*) capite vulpino, ore acuminato, maxilla superiore productiore: Dentibus vulpinis, incisoribus parvulis, in inferiore mandibula 8. in superiore 10; nam duos majusculos in medio habet more Leporis: hinc succedunt quatuor canini longi, superioribus tamen longioribus; deinde in utralibet maxilla sex alij, & tandem molares 16. summa 50. Oculi pulchri, parvi, rotundi, vividi & & erecti: Auriculæ longæ, latæ, glabræ mollissimæ, tenuissimæ & transfucidæ, vulpinarum instar erectæ. Barba Felina, setis nigris, cujusmodi & in genis & supra oculos habentur. Caput 3. paulo plus digitos longum; Auriculæ 2. Collum 1: reliquum corpus ad caudam 7: Cauda rotunda pedem unum longa quâ arborum ramis circumvolutâ Simiæ more se suspendit; ab exortu ad 4. digitos pilosa, reliqua parte nuda & colubrinæ simili, cute ad 4. digitos nigra, reliquo albicante, fusco intermixto. Crura anteriora brevia, sci. 3. dig. longa, posteriora plus 4. Pedes omnes 5. digitis instar manûs constant, unguibus albis curvis; posteriores ut in Cercopithecis longiores. Pilis vestitur longis, in capite, collo, infimo ventre & cruribus brevioribus; in capite, collo inferius, imo ventre & cauda subtus flavis: secundùm longitudinem capitis per oculos & medias genas tendit ampla nigra stria, ut in Taxo, quem & corpore & pedibus refert, ut annotat *Hernandez*. Per totum autem dorsum latera & caudam superius propè exortum maximam partem nigra est, sed lucophæis pilis admixtis. *Hernandez* pilo longo & candido, sed circa extrema fusco aut nigro esse ait. Hujusmodi pilos Marcgravius *TAIBI* animali Brasiliensi adscribit; Totum, inquiens, corpus vestitur pilis albis splendentibus, qui in extremitatibus nigricant quod fortasse non aliud est quàm hujus generis mas, nam in descriptione Taijbi, crura, inquit, pedes & digitos habet, ut fœmella non descripta, uti & caudam.

Sequitur jam singulare illud admirabile, quo Animal isthoc ab alijs omnibus cujuscunque generis sunt distinguitur, nimirum marsupium illud seu uterus in quem fœtus postquam editi sunt recipit, quem Marcgravius sic describit.

In infimo ventre propè crura posteriora pellis (Animalis) dupla est, & exterior rimâ scissa 2½ digit. longa, quod orificium est bursæ, *Tombeto* Brasiliensibus dictæ, aurantij majoris capacis intus pilosæ mammas intus ad ventrem continentis cum papillis 8. Arcte clauditur, nec sine vi aperitur digitis distensa.

Hæc

Hæc bursa ipse uterus est Animalis, nam alium non habet, ut ex sectione illius comperi: in hac semen excipitur & catuli formantur: & hæc ipsa quam describo bestia sex catulos vivos & omnibus membris absolutos in hac bursa habebat, qui etiam hinc inde in ea movebantur, quilibet a. catulus duos digitos erat longus. In ea tandiu retinentur donec ipsi sibi victum quærere possunt: interea tamen interdum progrediuntur foras, & iterum ingrediuntur. Testes sub ano habebat interius jacentes.

Fœtet Animal instar Vulpis aut Martis; mordax est, vescitur libenter gallinis, quas rapit ut vulpes, & arbores scandendo Avibus insidiatur: Vescitur quoque sacchari cannis.

TAI-IBI Brasiliensibus, Lusitanis *Cachorro do mato*: Belgis *een Boschratte. Marcgrav.* Corpore est tereti & oblongo, ab occipitio ad caudæ initium 14. digitorum, in ambitu 10. Capite vulpino, ore acuto, barbâ felinâ; oculis nigris prominentibus; auriculis subrotundis, mollibus, teneris, albis. Cauda ad 5. ob exortu digitos pilis albis in extremitate nigricantibus vestitur; reliqua pars major ad finem usque cincta est corio tenui squamoso albicanti instar exuviarum serpentis. Pili inserti sunt tenui cuticulæ, quæ detrahi potest salvo manente corio crassiore.

Hoc Animal esse videtur quod describit *Hernandez* nomine *Tlaquatzin*: an specie an sexu tantùm à præcedenti diversum.

Horum Animalium si nobis copia facta foret, de processu generationis in viviparis è crebra uteri inspectione certius aliquid disceremus: Siquidem, si *Marcgravio* fides; in his uterus non intra corporis truncum reductus, sed extorsum situs & visui expositus est.

TAXUS sive *Meles*, Angel. *The Badger, Brock, or Gray.* Septentrionalibus, *The Pate.* Græcum hujus Animalis nomen nullum novimus, nisi sit veterum *Hyæna.* Duas species constituunt Historiæ Animalium Scriptores, nimirum *Caninum* & *Porcinum* seu Suillum Taxum. Nos *Porcinum* nondum vidimus, & an detur ejusmodi dubitamus; *Caninum*, qui in Anglia frequens est, sæpius, eúmque hunc in modum descripsimus.

Animalis hujusce corpus crassum & breviusculum: Cervix brevissima; pili rigidi & oblongi, ad suillos accedentes, quorum in dorso color ad radicem pallidè luteus, in medio fuscus seu niger, summa parte itidem luteus, ut Animal ex nigro canescere videatur, unde nostratibus *a Gray* q. Animal griseum appellatur. Ad latera & sub ventre pili integri ex luteo pallent: in humeris & cruribus tam anterioribus quam posterioribus, ut & sub gutture penitus nigricant. A summo capite ad extremum rostrum linea seu ductus albus, duos circiter digitos latus protenditur: infra eam utrinque à naribus per oculos ductus seu areola, pyramidalis nigra ultra aures producitur: deinde iterum inferius adhuc in utraque maxilla pili albescunt: ità ut caput vario colore insigne fit. Cauda breviuscula, crassa, rigidis & oblongis pilis obsita. Auriculæ breves, subrotundæ, muris majoris domestici æmulæ. Oculi parvi pro corporis ratione. Rostrum canino simile; Dentes etiam Canini: Lingua mediocris. Crura brevia. Pedes anteriores prælongis unguibus armantur. Quibus cuniculos sibi in terra effodit. Capitis figura ad Vulpinum accedit, namque à latiori velut base in acutum rostrum terminatur, ut triangula facies videatur. Maxillæ seu genæ tumidæ apparent, ob crassitiem musculorum, unde morsu acerrimo esse perhibetur. Scarabæis alijsque insectis ut plurimum victitat; siquidem ventriculum (qui ei amplissimus fuit) dissectum ejusmodi animalculis refertum inveni admixtis nonnullis Graminis, ut conjectabar radicibus. Ajunt tamen eos & pomis & uvis vesci, cuniculorum etiam carne delectari, tum anseribus pullis & alijs avibus; ast nobis hoc incompertum. Crassa intestina non habet. At nec cæcum ullum, nobis saltem visibile. Renes satis ampli, glandulæ renales parvæ. Corpus uteri nullum, nam cornua ad ipsum proximè uteri orificium interius extendebantur: quæ tamen unico tantum sigillo claudebantur. Huic Animali peculiare est, quo cum Hyæna convenit, meatum seu orificium habere largum statim sub cauda, supra excrementorum exitum, quod in folliculum aperitur non admodum profundum, bursæ seu sacculi figurâ, intus pilosum; in quem exsudat substantia quædam alba, colore & consistentiâ ferè cerebri vitulini conquassati, parva quantitate, in qua nullum insignem odorem sensimus. Verùm brumali tempore Animal dissecuimus. Exterior hujus marsupij superficies glandulis conglomeratis undique obducitur. Præter hanc cavitatem adnascuntur etiam ano glandulæ duæ majusculæ, ampla intus cavitate, graveolenti quodam velut butyro repletæ, quæ duobus manifestis foraminibus in intestinum se exonerant. Hepar non simplex sed in lobos divisum. Cystis fellea longa, in cujus meatum Porus bilarius non unico communi ductu, sed tribus truncis distinctis depletur *h.e.* tres dantur pori bilarij cum meatu cystico concurrentes. Nervi utrinque complures à medio dorso ad mammas tendunt inque eas sparguntur.

Cuniculos sibi in terra effodit, non tantùm ad securitatem & tutelam, sed victûs causa; siquidem insectis subterraneis & radicibus plantarum vescitur.

In Anglia invenitur non tamen valde frequens. Vidimus in Essexia, Sussexia & Warvvicensi comitatu.

LUTRA, Ἐνυδρίς. Castore minor est, corpore etiam graciliore & longiore. In Lutra quam mensi sunt *Parisienses* Longitudo totius corporis à summo rostro ad extremam caudam 3. erat pedum & 2. unc. cauda multò longior quàm in castore, & pilis undique vestita. Caput à naribus ad occipitium $4\frac{1}{2}$ digitos non excedebat. Crura proportione corporis vulpinis multò breviora. Pedes anteriores à cubito ad extremos digitos quincuncialis; posteriores à digitis extr. ad calcaneum $3\frac{1}{2}$.

Pedes tam anteriores quàm posteriores in 5. digitos nonnihil expansos, & Anserinorum instar membranis intercedentibus junctos divisi. Digiti omnes æquales inter se, æquis spatijs separabiles, ut nullus pollicem referret.

Forma rostri, oculorum, totius capitis Castorem æmulabatur: Dentes tamen canini. Auriculæ parvæ ut in Castore, infra oculos & inferiori maxillæ propiùs sitæ.

Pili dimidio breviores quàm in Castore; color castaneus ad Castoris accedit, magis tamen canescit, præsertim prona parte, i. e. sub gutture & in ventre. Cauda brevioribus pilis quàm reliquum corpus exceptis pedibus vestita.

Nymphæ & Clitoris ut in mulieribus. Renes ut in Urso ex pluribus renulis compositi, numero tamen paucioribus renulis compositi, numero tamen paucioribus v. g. decem tantùm. Foramen ovale clausum, nec ullum ejus vestigium apparuit; ut Animal sub aquis diu durare nequeat; verùm in urinando subinde emergere, & exertis naribus per intervalla aerem haurire ei opus sit nè suffocetur. Aquas frequentat & piscibus plerunque victitat.

Ex observatione *D.*Georgij Segeri*, Intestina ubiq; sibi æqualia, cœcóq; destituta, quo cum genere vermineo nobis dicto convenit. Idem renes è decem glandulis conglomeratos esse cum Parisiensibus consentit.

* *Ephem. German. An. 3. Ob. 95.*

Lutra Brasiliensis, *JITA*, & *Curigueibeju* Brasiliensibus *Margrav.* Animal est amphibium, magnitudine mediocris canis; capite subrotundo & quasi felino, ore tamen acutiore; naso etiam & dentibus felinis: oculis nigris rotundis; auribus subrotundis, inferiùs positis. Pilos aliquot habet pro barba. Pedes omnes in quinque digitos, unguibus fuscis acutis armatos divisi, quorum interior reliquis brevior. Cauda ejusdem longitudinis cum pede. Pili molles, haud longi, atri omnes, exceptis qui in capite sunt, hi etenim obscurè fusci & sub gutture macula flava. Clamorem edit ferè ut catellus junior. Gammaris & piscibus quos capit victitat.

Capitis figurâ, aurium etiam figurâ & situ, quin & totius corporis & caudæ formâ à Lutra non multùm differt; unde non immeritò Lusitanis *Loutra* appellatur. Dentes curiosiùs observandi sunt, ab ijs enim Animalium distinctio præcipuè petitur; & an digiti pedum membranis connexi.

PHOCA, seu *Vitulus Marinus*, Collo erat oblongo, quem descripserunt Parisienses, pectore lato ac omoplatas antrorsum sitas; à summis naribus ad imos s. extremos pedes viginti-octo duntaxat uncias longus: verùm multò majores inveniuntur. Pedes posteriores retrorsùm extensi & invicem connexi sunt, quo caudam piscis quadantenus referunt, colymborum avium situ, qui idcirco erecti incedunt. Digiti in omnibus tam anterioribus quàm posterioribus pedibus membranis intermedijs juncti, & unguibus muniti. Brachium & cubitus sub cute pectus tegente clausa latitant, pedes soli exseruntur & extrorsum apparent; ut difficulter incedat hoc animal. Rostrum satis productum ut vitulinum referat. Oculi ampli, non ut in Vitulo extantes, sed in orbitas profundiùs demersi, periophthalmijs instructi. Ad nares utrinque, non supra oculos setæ, quadratæ & compressæ, nodis subinde distinctæ & invicem vicinæ. Pro auriculis externis, quibus solâ è quadrupedibus viviparis caret, foramina avium instar habet. Tota cutis pilis brevibus integitur, vitulinæ in modum, colore inter incanum (griseum vocant) & luteum medio, prope ventrem dilutiore, in dorso maculis obscurè rubentibus distincto; dura admodum & crassa. Dentes lupini: non enim Animal est mite ut Vitulus, verùm callidum, audax, animosum, prædâ & rapinâ victitans. Lingua Vitulina, extremo bifida: epiglottis amplior quam in alijs Quadrupedibus, ad dimidium digitum ultra glottidem extensa. Cystin felleam in hepate obtinet. Renes vitulinis quàm Lutrinis similiores.

Foramen ovale apertum, ut in aliorum Animalium fœtibus, ad urinandum & diuturniorem sub aquis moram.

Cerebrum & cerebellum osseo interscepimento dividuntur, ut in cane alijsque animalibus rapacibus. Cerebellum majorem ad cerebrum habet proportionem quàm in Vitulo; contra piscium morem. Humor oculi crystallinus propemodum Sphæricus, ut in Piscibus; anteriore parte magis convexa, præter normam aliorum Quadrupedum. Nervus opticus in ipso axe oculi situs.

In mari nostro ad extremum Cornubiæ promontorium, *the Lands End* dictum inveniuntur plurimæ: quas dum in rupibus dormiunt vel tacitè appropinquantes & perticis ligneis rostra transversim ferientes occidunt; vel globis plumbeis è bombardis explosis trajiciunt. Ad Juvenci bimi magnitudinem interdum excrescere, & diversorum colorum esse loci istius incolæ nobis retulerunt: Mares occisos illico demergi & fundum petere, fœminas in summis aquis fluitare asseverârunt, ast nobis minimè fidem fecerunt. Lapidibus retrorsùm in persequentes jactis se defendere vulgò feruntur, quod & Cornubienses confirmant. Rondeletius duas species facit, nimirum mediterranei maris incolam, & Oceanicam, quarum hæc corpore est productiore & minùs crasso, illa crassiore & habitiore.

Cornubienses inter *Sieles* seu *Seels* dictas & *Soiles* distinguunt, *the Siele* Piscem multò minorem esse, nec in nostris oris, maritimis [?] ci capi aiunt.

Phocæ alia duo Animalia amphibia subjungam; ob convenientiam in pedum structurâ, loco ubi degunt, natatu & incessu; quamvis ratione victus, dentium & capitis, partiumque [ut verisimile est] internarum conformatione non minùs differant quàm Lutra & Castor, sintque valde anomala & exotica.

EQUUS MARINUS & *Hippopotamus* falsò dictus, Anglis *MORS* à Russis mutuato nomine, Belgis *Walrus*, Danis & Islandis *Rosmarus*.

Monstrosum est Animal & amphibium (inquit *Jo. de Laet*) bobus nostratibus, ubi adolevit, interdum majus, cute cani marino, bucca vaccæ simili, [unde vaccæ marinæ nomen apud quosdam meruit] nisi quod duos dentes prominentes, & ante recurvos habeat, cubiti longitudine, quorum usus & pretium ebori comparatur, ex quibus varia conficiunt, ut annulos ad spasmum, manubria gladiorum & cultrorum; *&c.* Fœtum supra unum aut alterum vix enititur: Robustum & ferox inprimis animal, adeóque difficulter capitur, & sæpiùs in terra, rarissimè in mari.

Catulum *Vorstius* ità descripsit, Magnitudo vituli aut canis Britannici majoris; Phocæ non dissimilis erat, capite rotundo, oculis bovillis, naribus depressis ac patulis, quas modo contrahebat, modò diducebat; Aurium loco utrinque foramina; rictu oris rotundo, nec ità vasto, superiore parte aut labro mystaca gestabat setis cartilagineis crassis ac rigidis constantem. Inferior maxilla trigona erat, lingua crassa brevisque, atque os interius dentibus planis utrinque munitum, Pedibus anterioribus posterioribusque latis, atque extrema corporis parte Phocam nostratem planè referebat. Pedes anteriores antrorsùm, posteriores retrorsùm spectabant cùm ingrederetur. Digiti 5. membrana interscepiente distincti eaque crassâ. Posterioribus digitis ungues impositi non prioribus. Caudâ planè carebat. Postica parte repebat magis quàm incedebat. Cute crassa, coriacea, pilisque brevibus ac tenuibus obsita vestiebatur, colore cinereo. Grunnitum apri instar edebat, seu crocitabat voce gravi & valida. Repebat per aream extra aquam: quotidie per semihoram & ampliùs dolio aqua pleno immittebant, ut se ibi oblectaret. Catulus erat, ut ferebant qui attulerant ex *Nova Zembla*, 10. hebdomadum, dentes seu cornua exerta nondum habens, tubercula tamen in superiore labro percipiebantur, unde brevi prodituta facile apparebat. Ferum & validum Animal calebat ad tactum, validéque per nares spirabat. Pulmentarium ex Avena Milióve comedebat lentè & suctu magis quàm deglutiendo; herumque gestantem cibum ac offerentem magno nisu ac grunnitu accedebat, sequebaturque, nidore ejus allectus. Lardum ejus gustantibus haud insuave visum est.

Conspiciebantur hîc, inquit idem *Laetius*, duo majorum capita, dentibus duobus exertis, Elephantorum instar, longis ac crassis & albicantibus munita, qui deorsum versùs pectus spectabant. Eorum coria 400. aut 500. pondo pendere ferebant Angli qui attulerant. Hisce dentibus rupes ascendere seque sustinere aiebant: & prodeunt in continentem seu terram ut ibi somnum capiant. Pabulum aiebant illis esse folia

folia oblonga ac magna herbæ cujusdam in fundo maris nascentis, nec piscibus vivere aut carnivorum esse. Vidi etiam penem ejusdem Animalis osseum rotundum, cubitum & ampliùs longum, crassum, ponderosum ac solidum, in fine propè glandem longè crassiorem & rotundiorem. Hujus pulvere ad pellendum calculum Moscovitæ utuntur. *Dentes hi nostratibus Equi marini dentes* Sea-horses Teeth *appellantur. Cæterùm* Ligonus *noster in Descriptione Insulæ Barbados Testudinis marinæ, quàm viridem vocat, penem lento igne exsiccatum & in pulverem redactum, in vino albo Gallico potum modica quantitate adversus calculum renum & vesicæ maximopere commendat*, & omnibus alijs remedijs præfert.

MANATI, seu Vacca marina,

Hujus corium integrum stramine suffarcinatum vidit Cl. Clusius, & ita descripsit. Valdè fœdum & turpe Animal fuisse videbatur; capite vitulino, sed paulò strictiore; oculis ferè caninis; valdè crassa & dura, brevibusque & raris pilis ex cineraceo fusci coloris obsita cute præditum. Exuvij longitudo 16½. pedum erat, ambitus corporis 7½. Bina crura ad humeros habebat non longa; latos pedes, brevibus unguibus præditos, nullos in posteriore corporis parte, sed caudam quodammodo informem & latam, cujus non celeriter natâsse ferebatur: ab umbilico a. ad caudam sensim gracilescebat; deinde cauda paulò latior fiebat. Lapides in capite inveniuntur ad calculum utiles.

Oculis est admodum exiguis pro corporis mole. Auricularum loco exigua foramina habet, ut *Phoca*. Fœminæ duo sunt ubera in pectore, nam binos catulos parit & lactat. Adversa flumina subit, & secundùm ripas quas apprehendere potest herbas depascitur. Pedes unguibus instar Elephantinorum præditi esse dicuntur. *Hernandez* ungues humanis similes ei attribuit, & pedes pinnarum formam referentes; & unicum duntaxat fœtum generare scribit; more humano coire, penem equinum habere, viscera taurinis respondentia; nullo nocuum esse morsu, verùm herbis litoralibus & fucis marinis vesci; *quibus à Phoca, quæ rapax est, & piscibus præcipuè victitat differt; ingenio tamen & intellectu cum ea convenit, siquidem mira de ejus sagacitate feruntur, de quibus consule Clusium in Exoticis.* Cæterùm *Manati* Hispanis (qui pedes Animalium anteriores manus vocant) dicitur, quòd posterioribus pedibus careat.

Si Animal isthoc Diogeni cognitum fuisset, ad Platonis definitionem irridendam quod sc. *Homo Animal implume bipes esset*, non opus fuisset ut Gallum deplumaret. *Manati* enim natura Animal implume bipes est. *Raius in Synops* 1. *Anim. Quadrup.*

Canis in specie sic dict.

Partes officinales.

1. *Canis integer.* 2. *Caput.* 3. *Axungia.* 4. *Fel.* 5. *Sanguis.* 6. *Stercus.* 7. *Urina.* 8. *Dens.* 9. *Pellis.* 10. *Pilus.*

Vires. 1. *Integer*, scil. vivus catulus, *ventri impositus* dolores colicos mitigat. Paretica membra confortat (balneario in decocto hoc collecta.)

2. *Caput s. calvaria* incinerata desiccat ulcera, curat vitia sedis, rhagades & testiculorum tumores.

Intrinsf. Icterum sanat.

(Cerebrum internè Maniacorum curâ celebratur.)

3. *Axungia* canina reliquis calidior est, adhibeturque internè in vulneribus & exulcerationibus abstergendis, consolidandis, adeoque & in Phthisi, & cruore ex casu dissolvendo.

Externè in podagricis, auriumque doloribus leniendis, lendibus capitis arcendis, auditu difficili reparando, scabie & pruritu corrigendo.

4. *Fel* catuli nigri, Epilepsiam mirè curat, *recens cum ✠ potum, vel in pulvere exhibitum.*

Extrinsf. abstergit maculas faciei, (*cum stercore Vitulino inunctum.*) oculorum albugini medetur (*cum melle linitum.*)

5. *Sanguis* contra Veneficarum venenum commendatur, bibique cum successu dicitur contra morsum rabiosæ Bestiæ ac Toxicum.

[Lac infantibus Epilepticis præbetur.)

6. *Stercus* (*album Græcum Officinis*) siccat, abstergit, discutit, aperit, apostemata rumpit, exulcerationes abstergit, hinc utile est in Dysenteria, [quin etiam in Epilepsia] dolore colico & simil.

Extrinsecus medetur anginæ, (*gutturi insufflatum*) ulceribus malignis (*inspersum*) tumores duros emollit (*emplast.*) aquas trahit hydropicas, (*ventri illitum*;) verrucas abigit, (*cinis per se vel cum Ol. rosar. impositus.*]

N. *Commendatur præ reliquis, quod Julio fuit collectum ex cane ossibus nutrito, candidum, purum, minimè fœtens.*

7. *Urina* verrucas abigit, ulcera capitis manantia, furfuresque abstergit.

8. *Dentium cinis* (*cum melle vel butyro illitus mandibulis,*) infantium dentitionem facilitat, [*gargarismis inditus*] odontalgiam sedat.

9. *Pellis parata* manuum lenit pruritum, nervosque emollit contractos (*chirothecæ scil. indutæ.*)

10. *Pilus* morsibus canis medetur (*impositus.*)

PRÆPARATA.

[*Aqua ex catellis membra Podagrica demulcet, linteolis applicata.*]

Balsamus è Catulis compositus.

Fit ex integris catulis vino albo suffocatis coctisque cum herbis nervinis, oleis & resina in balsam. quod membra contracta sanat, ischiadicos & arthriticos dolores compescit. *Schrod.*

1. *Canis Integer.*) Ex catellis quinque vel sex dies natis adhuc vivis destillando elicitur aqua insipida nec odore vel sapore ingrato imbuta ad instar aquæ fontanæ, quæ quantis viribus sit prædita, inde liquet, quod si Membris dolore podagrico vehementissimo obsessis pennâ illinatur vel linteolo in eâ madido applicetur, in instanti levamen percipiatur, doloribus sedatis.

2. *Caput.*) Cerebrum etiam non omittendum est, quod ex cane unius coloris sumptum coctum & maniacis exhibitum intrà triduum Maniam curat. Unde *D. D. Johannes Michaëlis* p. m. relatum accepit à Pastore quodam in suo pago intra triduum sanatum fuisse Maniacum exhibito canis cerebro cocto, & affirmavit prætereà sibi alios tres adhuc esse notos, qui eodem sint sanati remedio.

3. *Axungia*] vel potius pinguedo, hæc ob Sal volatile in eâ delitescens interdum levamen affert in phthisicis pulmonum exulceratione laborantibus, nonnunquam etiam ob acidum occultum nocet, quia magis putridum ac sordidum reddit ulcus. Omnes enim pinguedines nihil aliud sunt quàm salia volatilia concentrata ab occulto acido Sale unctuoso suppressa.

4. *Fel*] Catelli lactantis nigri strangulati in Epilepsiâ pro singulari arcano habetur cum liquore appropriato exhibitum. Hujus beneficio *Ducis Buckengami* filius est sanatus. In Angliâ hoc est usitatissimum. Si scil. primarius Affectus Epilepsia fuerit.

5. *Sanguis.*] Hic commendatur contrà veneficia haustus & contrà rabiosæ bestiæ morsum.

6. *Stercus*] *Album Græcum* Officinis dictum commendatur cùm canicula ascendit. Et album ex albo Cane præferendum, quia Canes isti melioris sunt constitutionis & in albo stercore sal abstergens, discutiens, aperiens, resolvens volatile continetur, quod in diebus canicularibus, cùm canum Natura exaltatur, pene-

tran-

stantius & subtilius evadit, hinc utile est in dysenteria & Colica, *vid. Zacut. Lusitan. ingreditur* etiam per omnem *vulnerariam decantatissimam Lipsiæ Schleinitiorum.* Externè medetur anginæ gutturi insufflatum, tumores illos emollit, pro emplastro adhibitum. *Hoffmann.*

CANNABIS.

Cannabis nonnullis à *Canna* nomen habere putatur (est autem Canna, ut Calamo major, ita Arundine minor) Cannabis enim propter Cannam seu Culmum præcipuè expetitur. Sunt autem Græcis κάναβοι fonticuli spurcæq; scaturigines, quibus locis cum Cannabis sponte & sata luxuriet, videtur *Lobelio* id nominis indepta.

Cannabis *notæ* characteristicæ sunt folia digitata; corticum filamenta valida & tenacia, ad funes & linteamina texenda idonea.

Nomina. Cannabis sativa *C. B.* mas & fœmina *J. B.* sativa mas & fœmina *Park.* 1. seu mas & 2. seu fœmina *Ger. emac.*

Vires & Usus. Semin Cannabis lacte decoctum tussi opitulari dicitur. Sunt qui eo frixo cum alijs tragematis utuntur. Tragemata autem voco ea quibus post cœnam voluptatis inter bibendum excitandæ gratiâ utuntur. *Galen.* apud *J. B.* In Francia Orientali, referente *Trago*, alijsque nonnullis regionibus semen Cannabis quotidie inter cæteros cibos decoquitur, non aliter quàm Hordeum: at caput vaporibus replet & immodicè si estur delirium facit, ut Coriandrum. *Sethi.* Quin & *F. de le Boe Sylvius* à solo Cannabis semine in lacte bubulo pingui ad crepaturam circiter cocto & colato, atque bis terve in die ad ℥. v. aut vj. sumpto plures curavit ictericos. *Sylvius de le Boe prax. l.* 1.

Emulsio seminis ictero prodesse dicitur, si quando ex sola obstructione & citra febrim exoritur. *Lugd.*

Herbæ succus necnon seminis, è viridi expressus instillatus aurium dolores ab obstructione natos sanare traditur: est insuper hic succus certa pernicies insectis interaneis & vulnerum putridorum alumnis. Hinc (ut tradit *Matthiolus*) Cannabis recentis decoctum, expressâ validè herbâ, terrestrium lumbricorum cavernulis inspersum statim eos enecat, eodem modo quo foliorum Persicæ aut Juglandium putaminum succamentum decoctumve.

Semen insuper Gallinas ovorum feraciores reddere experientia se se comperisse scribit idem *Matthiolus*, adeò ut Cannabis semine pastæ, etiam hyeme sæviente, quo tempore aliàs rariùs parere solent, ova frequentiùs multo ponant: Verùm easdem (ut scribit *Lobelius*) ob alimenti copiam quam suggerit, postea steriles & quasi pinguedinis mole obrutas reddit. Aviculis etiam cibus est ac tantum saginæ adfert (eodem referente) ut aut enecet, aut cantilandi adimat alacritatem aut facultatem, ut *Carduelibus, Rubicillis, Linotis, &c.* Nos quidem comperimus Aviculas canoras non alio semine libentiùs vesci quàm Cannabis, nec si modicè præbeatur, & alijs seminibus, Rapæ v. g. aut Napi permixtum, ullum eis damnum aut nocumentum inferre observavimus.

Quod semen hujus plantæ genituram extinguat, inter Botanicos convenit. Verùm experientia melior magistra concordibus eorum suffragijs refragatur. Persæ enim nunc dierum ad Venerem stimulandam semen Cannabis frixum & cum sale commixtum in secundis mensis efitant: quin & herbæ nondum planè maturæ folia, in umbra siccata, & in pulverem redacta, deinde in pilulas ovi Columbini magnitudine formata ad eundem usum vorare solent, ut refert *Olearius* in *Itinerario.* Chirurgus Ducis Lotharingiæ laudabat unicè *D. Heubergero* secretum suum ad ambusta, plurimorum salute expertum, oleum expressum è semine Cannabis in quo Ceræ aliquid dissolutum sit, applicetur: Sedat dolorem & calorem extrahit. Succus ex eo recente expressus aurium doloribus adhibetur apud *Dioscoridem.* D. *Turquetus* (id est D. *Theodorus* Mayerne) apud *Petrum Assellineum* referebat, Elizabetham Angliæ Reginam doctam illam & mirâ regendi prudentiâ, Sexûs impotentiam supergressam, contractas variolarum suppuratione maculas in se se ipsa delevisse emulsione lactea ex semine Cannabino, separatis corticibus, cum aqua Rosarum parata, & cum Gossipio admota, D. B. Soame.

Cunctis populis (*Lobelio* teste) penuriam Lanæ, Lini Xyliq; resarcit Cannabis, ad vestium stragula, Vela, Papyrum, quamlibet deniq; supellectilem. Mas robustior (hæc nobis fœmina dicitur quia prolifica) rudentibus & capistris torquendis nata habetur, mulierculis adagio jocantibus dicentibusque esse *Fœminam potiorem mari.*

Lacunis & scrobibus aquâ plenis immerguntur utriusque sexûs fasces & manipuli, ubi macerantur eluunturque multùm & diu: deinde siccantur in Sole ut tundantur, ac demum cortices staminei tundendo idonei fiunt ut pectine separentur à crassioribus quisquilijs & fungosâ caulium substantiâ, ut Lino fit, ad filum & telas. Sed lacustris aqua cui intabuerit tantopere viru nocet, ut epota præsentissimo fit sitientibus exitio, cuique antidotis præstantissimis & tempestivè etiam datis occurri vix possit. Hinc legibus Angliæ sub gravi mulcta cautum est, nè Cannabis aut Linum in flumine aliquo aut aqua currente, néve in fonte, stagno, aliove conceptaculo aquarum, publico aut communi, ubi pecudum greges & armenta solent adaquari, maceretur.

Galenus Cannabem Urticæ similem facit non solùm figurâ sed & facultatibus; & revera Urtica cum Cannale in multis convenit, nimirum flosculis stamineis, sexûs differentiâ, flosculorum & seminum racemulis ad nodos cruciatim dispositis, caulium denique, corticibus & nervis ad linteamina efficienda idoneis. *J. Raius.*

CANTHARIDES.

Cantharis *Dioscorid.* Insectum est Coleopteron, oblongius ex aureo fulgore virescens, quod frumenta arrodit. Nascuntur ex *vermiculis* erucis similibus; qui proveniunt ex humore folijs fraxini, populi, tritici inhærente. Et quamvis coeant & generent, non tamen sui generis animal, sed vermiculos procreant. Probantur in usus medicos *versicolores* & quæ luteas in alis transversas lineas habent, corpore promisso, crassæ ac blattarum more pingues, recentes. Inutiles ac inertes, quæ unius coloris sunt, & virescentes, judicantur: nam facilè cariem sentiunt. Enecantur per linteolum vapore aceti, & reponuntur ad usum. *Ureticis* à quibusdam miscentur, & quæ lepras, ferasque lichenas, & carcinomata sanant. Earum variæ sunt *species*, quæ tamen omnes reducuntur ad *Majores*, & *Minores, Gualt. Charlet. De Insect.*

Vires. Calidæ sunt & siccæ sat validè, adeóque corrosivæ seu vesicatoriæ, diureticæ, emmenagogæ. Hinc usus creberrimi in vesicatorijs. Internus earum usus rarissimus est, quippe inter venena vulgò recensentur: vesicæ nimirum urinariæ adeò infensæ sunt, ut vel extrinsecus cuti alligatæ eam exulcerent. Sunt nihilominus audasculi, qui diureticis eas admiscent. Sunt & improba scorta, quæ fœtum tenellum ijs perimunt & exturbant.

Recentiores, alas, pedes & capita resecant, solo corpore servato, verùm frustranea hæc cautela est.

N. *Vis interim vesicans in illis extremitatibus non residet, sed in ipso trunco ac præcipuè abdomine.*

Galenus alas & pedes exhibet pro antidoto veneni proprij.

Oleum Cantharidum elicitur per spiritum vini, prodestque ad calculum. *Schrod.*

Hippocrates ex ijs potionem hydropicis propinat.

Th. Bartholinus sequentem infusionem commendat in gonorhœa virulenta, lotij suppressione & calculo. ℞. Canthariḋ. pulv. ℈. j. infunde in vini Rhenani ℥iij. vel Spir. vini, stentq; in infusione per aliquot dies, deinde per

chartam bibulam filtrentur. Ex colato liquore cochl. j. septem alijs cochlearibus seu vini seu cerevisiæ admisce. Ex hoc mixto primo die unum, altero duo cochlearia, & sic deinceps propinetur.

Ex his *Magisterium* etiam cum spiritu nitri & oleo tartari præcipitandum conficitur quod ad mucilagines tartareas & urinæ promotionem non parùm prodest, sed cum fideli circumspectione & cautella adhiberi debet.

Si pollex pedis dextri ex oleo ungatur, in quo Cantharides sunt dissolutę, mirabilem facit erectionem Verulamij.

Cauteria ex his etiam fiunt in formâ Emplastri in plurimis affectibus, doloribus à serosa colluvie ortis præstantissima ad evulsionem ac derivationem. *Hoffman.*

CANTHARUS, vid. *Scarabæus.*

CAPER, vid. *Capra.*

CAPHE, vid. *Cafe.*

CAPHURA, vid. *Camphora.*

CAPILLAMENTA.

Capillamenta sunt filamenta illa tenuia; in florum medietate surgentia, apicibus plerunque donata. 4. *Raius.*

CAPILLARES.

Capillarium quinque species à Recentioribus nominantur. Adianthum nigrum sc. sive Capillus Veneris Officinarum. Adianthum album, Salvia vitæ, nonnullis Ruta muraria, alijs verò Saxifraga dicta. Polytricum aureum seu Trichomanes vel Gallitricum quod est Polytrichum Officinarum, & Asplenium sive Scolopendrium vulgò Ceterach Officinarum.

Capillaribus folia tantùm eorum pedunculis adnexa in usus medicos veniunt.

Locus. In rupium clivis locisque fragosis & lapidosis, absque flore & semine, utplurimùm reperiuntur.

N. *Quòd semina & flores per microscopium in folii capillarium tergo commodè deprehendantur.*

Vires. Quoad eorum qualitates, calfaciunt & deficcant moderatè, pectus abstergunt, hepar & lienem deoppilant sanguinem purificant, attenuant, urinam cient, sudores movent, affectibus hystericis medentur, candorem capillis conciliant, undè *Capilli Veneris* dicuntur. *Meuve.* Vid. Capillares quasque sub proprio nomine.

CAPILLUS VENERIS, vid. *Adianthum.*

CAPILLUS TERRÆ, vid. *Adianthum.*

CAPITA.

Capita in Phytologia sunt rotunda illa seminum receptacula, quæ capita referunt. *Dale.*

CAPITATÆ.

Capitatæ plantæ dicuntur, quarum flores ex flosculis, etiam marginalibus, fistulosis componuntur, quoniam calyx eorum squamosus in ventrem plerunque extumescit grandiusculum & subrotundum: cujusmodi sunt, Carduus, Centaurium majus, Bardana, &c. *Dale.*

CAPITELLUM, vid. *Alembicum.*

CAPITULUM.

Capitulum est quod constat ex pluribus floribus & staminibus arctè in globosam aut circularem sive disci figuram congestis, ut in Cyano, Scabiosa, Jacea, Carduis, &c. *J. Raius.*

CAPNITIS, vid. *Fumaria.*

CAPO, vid. *Gallina.*

CAPPARIS.

Capparis Bodæo à *Stapel* dicitur non quòd in campis proveniat, ut vult *Phavorinus*, verùm quòd furori & melancholiæ medeatur, παρὰ τὸ καταπαύειν ὀργήν.

Capparis est vel *spinosa*, vel *non spinosa.*

Capparis spinosa.

Nomina. Capparis spinosa folio rotundo *Park* rotundiore folio. *Ger.* spinosa, fructu minore, folio rotundo *C. B.* spinosa *J. B.*

Capparis non spinosa.

Nomina. Capparis non spinosa fructu majore *C. B. Park.*

Vires & Usus spinosæ. Gemmas florum adultas, antequam tamen explicentur colligunt, & per trium quatuorve horarum spatium in umbra sparsas relinquunt, donec flaccescere incipiant, ad impediendum ne se aperiant. Tum vasi immittunt, & acetum superaffundunt, asserculo imposito vas contegentes, adeóque contectas octiduum restare sinunt. Deinde exemptas leniter premunt, & recenti aceto infundunt per alterum octiduum. Eandem operationem iterum repetunt, expressis gemmis & novo aceto tertium affuso. Quo peracto eas in dolia cum aceto recondunt. Nonnulli salem aceto admiscent, quod genus muriæ præstantius habetur & Cappares ad triennium integras & incorruptas servat, nec colore, nec sapore à recentibus discernendas.

Gemmæ hoc modo conditæ in frequenti usu sunt ad intinctus pro carnibus assis & elixis, nec minùs pro piscibus: appetitum augent & concoctionem promovent, hepati & lieni conferunt obstructiones eorum reserando.

Lobelius in Adverf. majores Cappares quamvis pretio viliores præ minoribus, quæ cariores sunt, commendat, quòd minùs combibant muriam majores, &c. Quas vocat majores nescimus, fortè intelligit fructus, qui interdum condiri solent, & Capparum longarum nomine advehi, teste *Parkinsono.* At nunc dierum rarus vel nullus earum usus est, proinde & importari desierunt. Quantumvis autem *Lobelius* alijve in Capparum conditarum usum declamitent, nobis non minùs ventriculo commodæ, quàm palato gratæ videntur, nec ullum unquam in quotidiano earum usu nocumentum percepimus, aut alios percepisse audivimus.

Memorabile est (si modo verum) quod scribit *Plinius.* Ferunt (inquit) eos qui quotidie Capparin Italicam edunt Paralysi non periclitari, nec Lienis doloribus. *Dioscorides* Cappareos fructus splenem liquare asserit, si duarum drachmarum pondere cum vino bibantur ad dies 40. Coxendicum quoque morbo & resolutioni opitulantur, ruptis autem ac convulsis. Ducunt & menses, & pituitam de capite detrahunt. Dentium item dolorem sedant cum aceto cocti & colluti.

Eadem omnia, auctoribus *Dioscoride* & *Galeno*, præstat cortex, radicis inprimis, lienes sc. induratos si quid aliud juvat, tum intus assumptus, tum foris impositus, menses educit, ulcera exterget & desiccat: ad dolorem ischiadicum valere dicitur & affectus arthriticos. Vitiligines etiam cum aceto discutit, & chæradas, strumas, & duros tumores digerit, idoneis ad ea medicamentis mistus. *J. Raius.*

Vires non spinosæ. Scribit *Alpinus* Cappares Alexandriæ majores quàm alibi inveniantur provenire, quos *Cappar* quoque appellant, ex quibus cortices radicum in usu habent frequentissimo ad vermes necandos, ad movendos menses, atque ad quoscunque tumores duros, præsertimque lienis sanandos, pro quo indurato membro exhibent decoctum per os multis diebus, exterius ex corticis pulvere & aceto facto emplastro. In Arabia arborescit & hyeme folia retinet. *J. Raius.*

CAPRA & CAPER.

Caprinum Genus.

In hoc genere fœmina *Capra* dicitur, Mas *Hircus*, castratus *Caper.* Fœtus *Hœdus.*

1. *Capra Domestica.*

Ab Ove differt, Quod pilis non lanâ vestiatur; cornua rectiora nec adeò contorta obtineat; barba s. arunco sub mento dependente Hircus ornetur, & odorem gravem spiret.

Loca ardua, edita & ferè inaccessa caprarum greges conscendunt, inque montium cacuminibus rupibusque præruptis versantur & inter præcipitia huc illuc celerrimè non fallente vestigio discurrunt, & *Dumosa pendere procul de rupe videntur* Quamvis pedes ad id minimè comparatos, imò prorsus ineptos judicares.

2. *Ibex*, summarum Alpium incola, *Pernicitatis mirandæ* (inquit *Plinius*) *quanquam onerato capite vastis cornibus gladiorumque vaginis* (Bellonius quaternos cubitos longa vidit) *in hæc se librant, ut tormento aliquo rotati in petras, potissimum è monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recussu pernicius quo libuerit exsultantes.* Cornua in dorsum reclinantur, suntque torosa & nodosa, singulis annis accrescente nodo. Cruribus gracilibus capite parvo Cervum exprimit hoc animal, verùm minus est. Mas prolixam nigricantem barbam gestat. *Glaronæ* in Helvetia hujus cornua vidimus; verùm incolæ in pagi Glaronensis montibus non inveniri Ibicem nobis retulerunt, verùm in Vallesia & Archiepiscopatu Saltzburgensi.

3. *Rupicapra*, Gallis *Chamois*, in Alpibus Helveticis, sed Rhœticis præcipuè, frequens, ubi in diversorijs plurima earum cornua postibus affixa vidimus. Quod ad formam corporis, hoc Animal ad cervinam nobis accedere visum est.

Colorem quod attinet, Venter, frons, interiora aurium, & gulæ initium albent, supra oculos utrinque ductus flavicans. Reliquum corpus ubique coloris erat sordidi & nigricantis. Cauda magis nigricat, & quidem utrinque, nec subtus alba est ut in Damis. *D. Willughby.*

Cornua uterque sexus habet sesquipalmum longa, ima parte rugosa, ruga scil. ut in alijs plerisque hoc genus cornigeris, nova quotannis accedente, aliquousque recta, summa parte in uncum acutum reflexa & hamata, (in dorsum adunca Plinio) nigra, non prorsus lævia sed secundum longitudinem striata strijs parvis, cavitate interiore osse solido, è cranio enascente repleta. A Bellonio describitur *Observa. lib. 1. cap. 54.*

Animali huic post cornua duo adesse foraminula patentia affirmat Academiæ Naturæ curiosorum Pæon *Ephemer. German. Ann. II. Append.* quæ ei in respirandi usum à natura concessa volunt nonnulli Oppianum poetam aliosque veteres secuti: quod mihi minimè videtur verisimile, cum sub foramine statim cranium delituerit ductusque patentes alios invenire non licuerit, ipso Pæone observante: nec *Oppiani* autoritatem moror, fabulosas narrationes licentiâ Poeticâ sectanti.

Rimentur ergo ulterius, prout oportere ait, foraminum horum terminationem, quoties ansam vel *Pæon* prædictus, vel alij nacti fuerint. Nec minus fabulam sapiunt quæ traduntur de tergi scalpturitione, quâ cornuum mucrones eousque in corium adigant ut retrahi nequeant; deque corporis totius è rupibus suspensione, cornuum ope, quæ extremis in uncum recurvis, vel rupium prominentijs, vel fruticum ramis apprehendendis, & corpori sustinendo satis apta sunt. De Ægagropilis, earumque generatione & usibus consulatur *Velschius.*

4. Gazella Africana, Strepsiceros *Plinii* quem Addacem Africa appellat, *cui cornua erecta, rugarumque ambitu contorta, & in leve fastigium exacuta, ut Lyras diceres.* Dorcas Libyca Æliani ex sententia Academicorum Parisiensium. Cornibus teretibus & erectis à Capra vulgari differt. Sunt autem cornua nigra, transversim radiata, & velut in spiras torta, (annuli tamen qui spirales esse videntur reverà circulares sunt) non exactè recta, sed circa mediam partem extrorsum flexa, deinde introrsum iterum incurvata, ut Lyram veterum figurâ suâ imitentur.

5. Gazella Indica cornibus rectis longissimis nigris, propè caput tantùm annulatis. Cornua tres propemodum pedes longa, recta, propè imum seu basin tantùm circulis seu annulis eminentibus cincta, reliquâ parte tota glabra & nigricantia. Animal ipsum ad Cervi platycerotis, *Damæ* vulgò dicti, magnitudinem recedit, pilo cinereo, caudâ pedem circiter longâ, pilis longis innascentibus hirtâ. Hæc D. *Tancred. Robinson* è pelle Animalis suffulta, in *Regiæ Societatis* museo suspensâ. Cæterum hujus Animalis cornua pluries vidimus in museis curiosorum.

Icon cornuum Animalis Bezoartici Orientalis, *Ephem. German. Ann. 1677.* à *Dan. Majore* exhibita per omnia respondet cornibus Gazellæ in Museo *Regiæ Societatis* suspensæ. Sunt enim longa, recta, nigra, lævia, propè imum duntaxat intorta seu rugosa, ut à D. *Tancred. Robinson* certior factus sum. Capra autem Bezoartica à Bontio sic describitur. *Capræ istæ non valdè dissimiles sunt Capris Europæis, nisi quòd habeant erecta & longiora cornua; ac quædam ex eis versicolore sint pelle, ut Tigrides, pulchro aspectu: quales duas hic in arce Bataviæ quotidie videmus.*

Præstans Alexipharmacum lapides seu pilæ, vulgo Bezoar nominatæ, in earum ventribus motu & pilorum herbarumque implicatione, propemodum ut in Rupicapris nostratibus concrescentes luculento ruminationem argumento confirmant. *Peyerus Merycol. lib. 1. cap. 5.*

6. Gazella Africana cornibus brevioribus, ab imo ad summum ferè annulatis, & circa medium inflexis. Hæc, ni fallor, species est, quam D. *Willughby* in vivario Regio *Westmonasteriensi* enutritam vidit & descripsit. Damâ dimidio minor erat, verùm colore similis, arenaceo scil. ventre albo; in lateribus ubi colores hi concurrebant obscurior. Cauda longior quà in Damis, nigrior, & minùs pilosa, subtus alba. Cornua è frontis medio inter oculos oriebantur, longa satis, extremum versùs acutiora, transversim striata seu sulcata, sursum nonnihil recurva. Aures majores, pedes tenuiores. Ab oculis ad nasum linea alba extendebatur. Iisdem quibus ovis vescitur.

7. Capra Sylvestris Africana Grimmij: *Ephem. German. An. 14. Obs. 57.* Colore est obscurè cinereo, in medio capite fasciculum pilosum erectum gerens; in utroque latere nasum inter & oculos, duas cavitates exhibet, quæ pinguem vel oleosum flavum liquorem continent, qui in nigram materiam coagulatur, odoreque inter Castoreum & Moschum medio pollet: quâ ablatâ nova mox iterum effluit, iterumque ab aere coagulatur. Cavitates hæ nullam cum oculis habent communionem, sed separatæ ab ijs existunt, ita ut à lachrimis Cervi aliorumve Animalium omnino differat. Icon cornua non exhibet, quo cum Animali Moschifero convenit.

8. *Capra Mambrina seu Syriaca* Gesneri, auribus ad terram ferè demissis, à *Mambre* Syriæ monte prope Hebronem, ubi hoc Animal præcipuè degit, dicta. Hujusmodi capras circa *Halepum* Syriæ urbem frequentes esse scribit Celeberr. Vir *Leonardus Rauvvolfius* in suo *Hodœporico*, Indigenas autem alteram illis aurem abscindere, nè in pabulando impedimento sit. Cornua ejus quæ in Regiæ Societatis museo asservantur, non ultra duos & semis digitos longa sunt, & retrorsum nonnihil incurvata. Apud *Gesnerum* in *Paralipom.* describitur & depingitur.

Hujus generis Animal *An. 1668.* in vico *The Strand.* picto vidi. Capræ figura corporis simile erat, sed majus, colore

colore vulpino, cornibus nigris, nec magnis, nec ramosis, semel tantùm intortis: Auribus longis, pendulis, velut canis venatici quem Angli è *Hound* vocamus. Sub gutture lobulos binos seu Appendices dependentes habuit, cujusmodi in porcis persæpe observantur. Familiare admodum & mansuetum fuit, Fœnum & hordeum comedens vidi.

9. *Buselaphus* Jo. Caij apud Gesnerum, seu Moschelaphus, *i. e.* Bucula cervina; Magnitudine Cervæ, formâ inter Cervam & juvencam; capite & aure longa atque tenui, tibia & ungula gracili; cauda pedali ut cervæ, sed vaccæ formâ, superiore parte russa & leni, ima nigra & hirta: Pilo undique fulvo seu ruffo, corpore æquato: Cornibus nigris, in summo lenibus, cætera rugosis, *&c.* Ubera habet bina. Placidissimum est Animal, tractabile, & ludibundum, saltu ac cursu valens. Gazellæ species esse videtur, & quartæ nostræ, ni major esset eandem judicarem, ut ex descriptione cornuum (quam apud Gesnerum vide) colligo.

10. *Tragelophus* Caij apud Gesnerum, è montibus Mauritaniæ allatus. Magnitudine inter Cervum & Platycerotem; corpore, colore, & pilo Cervi, latere promissiori, crure breviore & crassiore; trunco Capri: Collo per totam longitudinem subtus villo longo, & ad genua ferè pendulo, supra jubâ setosâ obscuriore quàm reliquum corpus ornato; genubus longo & denso pilo ad posteriora reflexo contectis; ungulis quotannis deciduis; Cornibus Arietis aut potius Caprinis, nigris, in aversum reflexis: Aure breviore: Oculo, pudendo, testiculo, & caudâ Cervi. Mire est Animal, petulans & lascivum, præruptis editisque locis atque tectis gaudens & insultans. Cætera apud Gesnerum vide.

Tragelaphus Bellonij. Simili pilo præditus est quo Gallorum *Bouc estain*, sed barbâ caret. Ejus etiam cornua non decidua similia sunt Capræ cornibus, quæ interdum contorquentur ut in Ariete. Os, anteriorem frontis partem, & aures Arietinis pares habet; præterea etiam scrotum, quod amplum & propendens est. Quatuor crura illis etiam similia. Coxæ sub cauda albæ sunt; cauda nigra. Colli superior & inferior pars atque pectus adeò longis pilis obdita sunt, ut barbatus videatur. Villi autem in scapulis & pectore oblongi, nigri. Utrinque in lateribus maculam cinerei coloris habet, nares nigras, os album, ut & totam inferiorem alvi partem.

Bubalum *Plinii* lib. 8. cap. 15. descriptum, vituli cervíve quadam similitudine, ego ad Bovinum potiùs quàm ad Cervinum genus retulerim, cùmque Affricanum animal sit idemmet prorsus judico cum *Bellonii* Bubalo.

Dama Veterum cornibus in adversum aduncis *Plin. lib. 2. cap. 37.* quodnam Animal sit, & an detur ejusmodi in rerum natura, meritò dubitatur. *J. Raius Syn. Anim. Quadr.*

Capræ in specie sic dictæ
Partes Officinales.

1. *Cornu.* 2. *Sanguis.* 3. *Lien.* 4. *Medulla.* 5. *Sevum.* 6. *Lac.* 7. *Lapilli.* 8. *Stercus.* 9. *Urina* 10. *Vesica.* 11. *Omentum.* 12. *Pellis.* 13. *Fel.*

Vires. 1. Cornu ut & pilis utimur & suffumigijs, pestis tempore, ut & Veternosos & Epilepticos excitandos.

2. *Sanguis* hircinus habetur alexipharmacus, obstruit, dysentericis convenit, sanguinem concretum resolvit, siccatus & exhibitus calculum atterit.

N. Hircum mediocris ætatis (quadrimum) domi per mensem alunt, nihil aliud dando, præter plantas lithontripticas, hinc Æstatis principio cum Sol in cancrum ingressus est, mactant, sanguinemque arteriosum, abjectis partibus ichorosis, concretum in furno siccant, & ad usus reservant. *Ph. August.*

Præparata ex Capra ac Hirco.

Ex sanguine hircino non minus, ac ex alijs sanguinis generibus fieri possunt; *Spiritus*, *Oleum*, (*quod summe in calculo commendatur*,) *&* *Sal.* Attamen præ alijs famosus est, *Balsamus antipodagricus* ex sanguine, qui ut modo fiendi, ita & viribus convenit cum balsamo è sanguine cervino. *Vide suo loco.*

N. *Sunt qui exinde Tincturam conficiunt ad calculum, sanguinemque coagulatum celeberrimum.*

3. *Lien.* Lienem Capræ deligant per diem, super lienem infirmi, die sequenti ad furnum, vel solem suspendunt, quantum ibi exiccabitur, tantum quoque lienem patientis diminui aiunt. *Thesaur. pauperum Petr. Hispan.*

4. *Medulla* hircina acrior est ac siccior reliquis, ideoque & efficacior.

5. *Sevum* hircinum validissimè discutit, podagricis auxiliatur, stranguriam tollit, (*umbilico immissum*) hæmorrhoidum dolores lenit (*suppositorium.*) (dysentericis proficuum.)

6. *Lac* Caprinum nutrit, abstergit, febri hecticâ laborantibus & Phthisicis, consumptisque ac emaciatis optimè convenit.

Serum ejus præstat reliquis seris, aperit, abstergit, incidit, laxat, hinc frequenti usu ad infusiones purgandæ Melancholiæ recipitur.

7. *Lapilli* in ventriculis & felle reperti commendantur, vi diaphoretica & resolutiva.

8. *Stercus* calefacit, siccat, abstergit, digerit, aperit, acrisque est facultatis.

Hinc *Usus* præcipui in duris tumoribus Lienis & aliarum partium, in parotidibus ac bubonibus, in ulceribus desperatis consolidandis (cum vino veteri expressum & appositum) hydrope, (*imponitur ventri*) in coxendicum dolore, ustum tenuioris est substantiæ, congruitque ad omnia vitia, quæ extergi volunt, ut ad alopecias, lichenes, &c.

Intrinsecus convenit Spleneticis, exhibetur itidem in Ictero, menstruis retentis, & morbis similibus.

9. *Urina* (*hirci*) commendatur præ reliquis omnibus urinis ad calculi attritionem, urinæ expulsionem, (*calidè ut ex hirco egeritur epota.*)

Hinc convenit & in Hydrope, &c. (*destillata.*)

10. *Vesica Urinaria* exiccata ac pulverisata urinæ incontinentiam peculiare curare dicitur.

Dosis ʒ j. exhibita.

11. *Omentum* mitigat feroces & ebullientes spiritus, (*calidè impositum*) hinc prodest in doloribus colicis, in Mania, &c. Præterea urinam obstructam pellit; *ventri impositum.*

12. *Pellis* sedat diarrhæam, (*decoctum ejus bibitum*) sistit Hæmorrhagias, præcipuè narium, (*Cinis pilorum inspersus.*)

N. *Hœdus est pullus caprinus, seu tenellus caper, infra menses sex constitutus, eapropter ut natura cum capris convenit, ita & viribus, quas tamen ratione juventutis teneriores & imbecilliores obtinet.*

13. *Fel* febrim quotidianam curat, (cum pane an. & ovi albumine, addito oleo laurino in cataplasma redactum, & ventri impositum.) Petr. Hispan. *Schrod.*

Sanguis exsiccatus & exhibitus calculum atterit, unde & adamantem ab hoc resolvi, Veteres statuerunt. Verùm hoc ita simpliciter fieri nequit, nisi hircus lithontripticis herbis fuerit pastus, ut *D. Autor* innuit: Hoc fuit Arcanum *D. D. Osvvaldi* Archiatri Archiducal. Oenipontani, qui per quadraginta dies hirci solâ rutâ murariâ pasti (à potu eum prohibendo, nisi ut sub noctem decidentem pluviam lamberet) interfecti cruorem leniter exsiccatum ægris comminuendi calculi gratiâ cum fœlicissimo successu propinavit. *P. Borellus Centur. 2. Obs. 68. Athanas. Kircher. Lib. 3. de Magnet. Kyperus in institut. Physic. Libr. V. cap. 2. S. p.*

N. Cl.

N. *Cl. Helmontius in tr. Pleura Furens* §. 32. commendat etiam in Pleuritide & Peripneumoniâ, non quidem vulgarem & venalem, sed hoc modo collectum & præparatum. Hircum suspendit cornibus & alligatis pedibus postremis ad cornua resectis testibus castrat. Cruorem inde emanantem usque ad ejus mortem excipit & siccat. Hic à venali cruore dignoscitur, quod venalis facilè teratur, ejusque pulvis fit puniceus. Hircinus autem verus difficillimè pulverisetur, fitque picei coloris pulvis ejus. In Pleuritide hunc cruorem ita præparatum summæ efficaciæ expertus fuit, Archéo sedando inservit, causam Morbi immediatam acorem unà tollit, & ad diaphoresin disponit, cruorem & dolorem pacat.

Infusum seri caprini, in quo beccabunga & cochlearia fuerit infusum, medicamentum quidem est vulgare, sed revera in morbis scorbuticis, melancholicis & tumoribus, in quibus metuitur affluxus materiæ atrabilariæ non parum prodest. Incidit enim & attenuat crassissimum illum sanguinem, sicque expulsioni facit idoneum, hinc utile hoc in scorbuto, leucophlegmatiâ, ictero nigro &c. Interim tamen diligenti operâ vel per tamarindorum pulpam, vel citri succum, vel alumen à caseosâ parte & butyrosa separandum est, & tunc egregiam intemperiem calidam alterandi vim acquirit. In primis serum aluminosum ardentibus subvenit febribus, sitim sedat, urinam promovet, interdum etiam sudores, gustui gratum est, nec ab alumine quod in caseosâ remanet substantiâ, ingrato imbuitur sapore. Scabiosos etiam juvat, non quia hepatis refrigerativum est, sed quia vim abstersivam obtinet, unde etiam sanguinem detersivum illius salis pruritivi reddit, id quod coadjuvant fumaria, acetosa, fl. enulæ &c. Fel capræ exterius peni illitum stimulat venerem, juxta Q. Serenum: Ac super illinitur fœcundæ felle capellæ.

N. Hædi, seu pulli caprini coagulum in dysenteria est summum arcanum. *Hoffmann.*

CAPRA ALPINA, vid. *Rupicapra.*

CAPRA MOSCHIFERA, vid. *Moschus.*

CAPREOLUS, ejus descriptio vid. sub Titulô *Cervus.*

Hic tantùm

Capreoli Partes Officinales.

1. Caro. 2. Coagulum. 3. Jecur. 4. Fel. 5. Lien. 6. Stercus.

Vires. 1. *Caro* in cibo convenit Diarrhææ & Dysenteriæ.

2. *Coagulum*, iisdem affectibus convenit in vino potum.

3. *Jecur*, oculorum aciem reficere creditur, comestum, potum, extusque suffimigatum, instillatum, &c. sanguinis hæmorrhagiam & præcipuè narium sistit cinis insufflatus.

4. *Fel* maculas faciei abstergit, illitum, oculorum albugines & nubeculas, aliosque affectus curat, cum melle inditum, aurium tinnitus reprimit, cum oleo rosarum instillatum, odontalgiam mitigat, simili modo.

5. *Stercus* Icterum solvit potum.

N. In reliquarum partium viribus cum capris convenit, fortiores tamen easdem obtinet. *Schrod.*

CAPREOLUS, in *Phythologia.*

Capreolus, est pars quædam auxiliaris, filamenti aut funiculi æmulus, cincinni in modum contortus, quâ planta quævis vicinis stirpibus aliisve stipitibus se implicans, in altum enititur. Hujusmodi cernuntur in Vite & Leguminibus.

CAPRICERVA, vid. *Bezoar.*

CAPRIFOLIUM, vid. *Periclymenum.*

CAPRUNCULA, vid. *Capra.*

CAPSICUM, vid. *Piper Indicum.*

CAPSULA, vid. *Bursa Pastoris.*

CAPUS, vid. *Gallina.*

CAPUT MONACHI, vid. *Taraxacum.*

CAPUT MORTUUM.

Caput mortuum dicitur residua illa materia crassa & sicca, quæ in destillationibus, præcipuè mineralium, remanet. *Lex. Med. Med. Castello-Brunonianum.*

CAPUT PURGANTIA, vid. *Errhina, Masticatoria.*

CARABE, vid. *Succinum.*

CARAGNA, sive *Caranna.*

Nomina. Caranna *C. B. Park.* & *aliorum.* Tlahuelilocа Quahuitl. *i. e.* Arbor insaniæ *Fr. Hernand.*

Ex continentis Americani parte interiore per Carthaginem & *Nomen Dei* defertur resina colore Tacamahacæ, sed splendidior, liquidior & densior, (folijs involvi solita, nè frusta sibi mutuo adhærescerent, est enim valdè glutinosa) lingua Indica *Caranna* dicta, quod nomen etiam apud Hispanos retinuit, odore Tacamahacæ, sed graviore. Pinguis est & oleaginosa, ideóque tenax sine multa adglutinatione & colliquatione.

Eâ utuntur Indi in tumoribus & omnis generis doloribus. Ad eosdem morbos laudatur quos Tacamahaca curare solet, & minore temporis spatio vires suas exerit; sic ut quos Tacamahaca non curarit Caranna sanet.

Sed ex eadem Carthagine allata ad nos est Caranna quædam purior, & Crystalli modo limpida, superiore multò præstantior, utilior & odoratior.

Præparatur indè Emplastrum antipodagricum insigne.

Fr. Hernandez sic arborem describit, Arbor est magna, fulvos stipites fundens, leves, nitidos, & odoros: *Folia* oleaginea, in crucis formam composita, orbicularia. Odora arbor est, gustûs acris & nonnihil astringens. *J. Raius.*

Americani Balsamum ex hoc gummi parant quo, cum felici successu utuntur in vulneribus & Hæmorrhoidibus sanandis, *modo sequenti.*

♃. Terebinth. Venet. ℥ß. *liquidambr.* ℥iii. *Balsam. Copaib. tacamahac. carann. ana unc.* ii. *mastich. myrrh. aloës, thur. sang. Dracon. sarcocoll. ana* ʒiß. *Liquatis Gum. & Resin. adde pulveres & f. l. a Balsamum.* Pomet.

CARBO PETRÆ & *Gagates*, *ei affinis materia.*

Carbo Petræ, carbo fossilis, Bituminis terreni genus est fossile, lapideum, friabile, nigrum.

Dicitur Carbo, quòd nonnullis populis, ut Belgis, Anglis & Germanis fomitem ignis præbeat. Aliis terra ampelitis audit, ast malè.

Gagates est genus terræ nigræ, lapideæ, crustosæ, adeò bitumine prægnans, ut bitumen redoleat, & accensum picis ferè modo flagret, nigerrimumque emittat fumum.

Dicitur, Gagates à Gaga fluvio Ciciliæ, in cujus faucibus olim solùm inveniebatur. Hodierno autem tempore in Britannia & Germania frequenter eruitur. Differt à carbonibus fossilibus; quòd hi nec flammam

emittant nisi follibus excitentur, nec bituminis odorem spirent. Gagates verò igni admotus flagrat, odoremque bituminis exhibet.

Sunt qui Succinum nigrum vocant, sed materiâ discrepant, licet cognatio quædam ac affinitas sit in hoc, quod attrahant paleas: Nam & succinum & gagas calfactus motu paleas, fila, chartam, &c. attrahit. Deinde uterque igne accensus flagrat, sed succinum non ardet aquis, licet oleo quodammodo ardeat. Gagates verò quia ex bitumine fiunt, eò magis in aqua ardent & aquâ accenduntur propter vim bituminis. Gagates crustosus est lapideus, succinum leve.

Vires. Fugat nidore serpentes, passioni hystericæ seu suffocationi hypochondriacæ suffitu medetur, contrà autem Epilepsiam suffiendo in epilepticis concitat. *Zacut. Lusitan.* Habet etiam vim emolliendi & discutiendi, unde Colicæ resistere dicitur in pulverem redactus ad ℈j. septem diebus continuis in appropriato vehiculo propinatus. Gagates olim fuerunt gestamina virginum ac matronarum, quibus gratiam sibi conciliabant, prout moderno tempore perlis ac corallis rubris. Ornabantur his etiam galeæ, scuta & gladii. Est in Arce ad ostium Tangeræ templum fundatum, varijs gemmis à *Carolo IV. Imperatore* ornatum, cujus fenestræ ex Gagate miro invento sunt compositæ. In quo templo est etiam pugio ipsius Caroli cujus capulus ex Gagate lapide integro miro artificio est compositus, teste *Christoph. Encelio de Lapid. & Gemm.*

Præparata.

Oleum in cinere ex retorta vitrea paratur ad modum olei succini vehementiorem tamen ignis gradum requirit. Oleum hoc si libet, poterit rectificari, addita aquâ simplici.

Vires. Commendatur Epilepticis, Maniacis, Paralyticis, Spasmicis, Tetanicis, Arthriticis, ab utero suffocatis, naribus illitum. *Schröd. & Hoffmann.*

CARBON, seu STERCUS HUMANUM, vid. sub Titulo *Homo.*

CARBUNCULUS, vid. sub Titulô *Lapis.*

CARCARIAS.

Canis Carcarias, Oppiano Ἀρπακτὴρ, quia carne & potissimùm humanâ delectatur, Gallis *Requiem* dictus, est de piscium pelagiorum cartilagineorum classe, magnitudine Galeos omnes excedens. Inventus in quodam loricatus homo est. Alter currui impositus vix à duobus equis trahi potuit. Hujus piscis caput accuratissimè dissecuit Clar. *Nicol. Steno*, & admiranda in eo quamplurima descripsit, quæ quandoquidem ad rem nostram hîc nullatenus faciunt consultò omittemus: contenti ea quæ de glossopetrarum origine ex hujus animalis dente verisimiliter admodum traduntur è solertissimi Anatomici tractatulo paucis excerpere.

Glossopetras, inquit, esse canis Carcariæ dentes illarum figura suadet, cùm plana planis, latera lateribus, basis basi quam simillima sint. Si credimus historiis addit idem, è medio mari novæ subsiluere insulæ; & quis Melitæ prima incunabula novit? forsitan mari olim suppositâ ea terra canum marinorum latibulum fuit, quorum dentes cænoso fundo olim insepulti, mutato fundi situ per subterraneorum halituum præceps incendium, modo in media insula reperiuntur. Nec frequens glossopetrarum numerus, quæ ex illa insula afferuntur, difficultatem parit. In eôdem pisce ducenti dentes & ampliùs numerantur, quibus in dies novi alij succrescunt. Cùm itaque animalium partibus similia corpora quæ è terris eruuntur, pro animalium partibus haberi poterint; cùm glossopetrarum figura canis carcariæ dentibus, ut ovum ovo, similis sit; cùm nec earum numerus, nec terræ situs contrarium suadeant, à vero non multum recedere mihi videntur qui glossopetras majores canis carcarias dentes pronunciant. Atque sic concludit Clar. Autor conjecturas suas super origine glossopetrarum: priùs autem probabile admodum fecerat ejusmodi dentes cum suo pisce ab aquis diluvij universalis, super ipsos etiam montes deportatos fuisse, lapideamque naturam per succorum terrestrium ac lapidificorum insinuationem conquisivisse, non secùs ac videmus ligna in multis fontibus eâdem de causâ lapidescere.

Canis Carcarias cerebrum desiccatum ac pulveratum, facultatis aperientis ac in calculo non parum conducibilis, creditur. Dos à ℈ß. ad ʒj. in vino albo. Dentes itidem in alchool super porphyrite pulverati, sunt virtutis alcalicæ & aperientis, in calculô, diarrhæis & hæmorrhagiis utiles. Dos. à ℈ß. ad ℈ij. imò ʒj. Glossopetræ sunt virtutis magis alcalicæ & non ita volatilis, ac propterea ipsis dentibus recentibus forsan minùs aperitivæ, sed in alijs omnibus multò magis proficuæ, quamvis de earum facultatibus per experientiam nihil certi constet.

CARDAMINDUM, vid. *Nasturtium Indicum.*

CARDAMINE.

Cardamine indè dicta est quòd gustu Cardamum, i. e. Nasturtium repræsentet. Cardamines autem nomine nobis censetur plantæ flore tetrapetalo albo, siliquis angustis seu tenuibus valvulis per maturitatem revolutis dissilientibus & semina cum impetu ejaculantibus, folijs in plerisque speciebus pinnatis.

Nasturtij aquatici siliquæ (quantum meminimus) non dissiliunt, quo à reliquis hujus generis differt.

Nomina. Nasturtium aquaticum amarum *Park.* aquat. 2. sive majus & amarum, item 3. sive aquat. erectum folio longiore *C. B.* Sium Matthioli & Italorum *Ger.* Sisymbrium Cardamine, sive Nasturtium aquat. flore majore elatius *J. B.*

Vires. In acetariis utuntur, & juscula ad sanguinem purgandum verno tempore ex eo conficiunt nonnulli.

Nasturtium aquaticum specificum contra Scorbutum medicamentum censetur: ad calculum etiam valere creditur: urinam ciet, menses educit, hydropicos juvat.

Septentrionales (ut verè *Lobelius*) in quadrageno veris jejunio multum in acetarijs vorant ad sanguinem purgandum; ac potionibus ad calculum admiscent, nec malè cedit; jusculis etiam incoquunt.

Viribus cum Nasturtio hortensi convenit.

Hoc modo *Sennertus* spiritum Nasturtij aquatici comparavit.

℞. *Magnam copiam Nasturt. aquat. contunde in mortario marmoreo: exprime manibus succum, in quo portio aliqua fermenti solvatur ut succus consistentiam sapæ dilutioris acquirat. ex hoc succo & Nasturtio manibus expresso, seu glebis aut pilis Nasturtii fiat quasi S S S. Pinsentur omnia fortiter manibus aut pistillo, reponantur in convenientem locum per octiduum: deinde l. a. per B. destilletur spiritus.* Dosis cochlear I. aut II. *J. Raius.*

CARDAMOMUM.

Cardamomum minus.

Nomina. Cardamomum minus *Bontii.* Cardamomum simpliciter in Officinis dictum *C. B.* Cardamomum cum siliquis sive thecis, longis & brevibus *J. B.* minus vulgare *Ger. Park.*

Caulem habet Arundinis modò internodijs distinctum & certè *folia* non dissimilia Arundinis folijs; & eôdem quoque modò catervatim crescit; primúmque intuenti vix differentia inter duas has stirpes videbitur, nisi quòd Cardamomum vix ultra duos, aut ad summum tres pedes in altitudinem assurgat; folia quoque contrita suavissimum odorem à se reddunt. Dum florentem eam primùm conspexi *Garciæ* errorem animadverti, &c. Nam circa radices primùm emittit *spicam*, qualis in Spica Nardi conspicitur, verùm longè crassiorem, cujus calycibus supernascuntur *flores* pallidi potiùs in peripheria quàm albi, in calyce verò flavum colorem ostendunt, suntque admodum similes floribus Mali aurei. Flosculis hisce decidentibus *siliquæ* eorum loco succedunt, semen fragrans Cardamomi continentes, quale in Officinis conspicitur: sed colore sunt flavo semina intus conclusa, quæ ariditate & tractu temporis ex puniceo atrum, quem in exsiccato Cardamomo colorem videmus contrahunt. *Bont.*

Gloriatur autem *Bontius* se primum esse qui Cardamomum exactè descripsit, & ad vivum delineatum exhibuit.

Vires. Calorem habet blandum, naturæ nostræ amicissimum, nullum empyreuma in visceribus relinquens, adeóque etiam solùm absque alio cibo masticari & comedi possit secus ac Piper, Zingiber & reliqua aromata. Urinas porro commodè ciet, menstrua fœminarum blandè movet, anhelitum commendat, tum obstructionibus hepatis, lienis, & præsertim mesenterij ad miraculum usque conducit, etiam in jusculis gallinarûm, carnis hædinæ & vitulorum.

In cibis porro condiendis, præsertim carnibus & piscibus elixis, apud Malaios in summo usu est, & certè fragrantem gustum ijs addit, concoctionique adjuvandæ summè conducit. *I. Raius.*

Cardamomum majus.

Nomina. Cardamomum majus *Bontij*, majus vulgare *Ger. Park.* majus Officinarum *C. B.*

Copiosè crescit in sylvis Javanis flore Hyacinthi modo fasciculato. Differt à minori specie. Primò quòd ultra humanam altitudinem assurgat; quòd *folia* quoque longè habeat ampliora, quòd caule non sit geniculato aut Arundinis instar nodoso, sed qui Ceparum more foliatim à se invicem separetur: præterea *flores* non in spicis è radicibus, sed Hyacinthi modo in fastigio gerit. *Semen* denique ejus vel siliquæ longiores sunt, digitali aliquando longitudine. Folia tamen odore conveniunt, ut & flores; nisi quòd folia majoris Cardamomi, præterquam quòd sint majora citra comparationem, etiam aversa parte, instar Verbasci sunt mollia. Tota planta pulcherrimo est aspectu, gratô virore floribusque albis cum purpureô limbô nitet.

Viribus cum minori speciè convenit.

C. Bauhinus in Pinace Cardamomi præter Meleguetam seu Grani paradisi tres species, Cardamomum habet medium, *Cordo* in hist. mediocre dictum, figurâ oblongum, triquetrum, utrinque acuminatum, colore in candido fuscum, quantitate grandi Avellanæ nuci æquale, majore Cardamomo minus, minore verò majus, ideóque mediocre nominatum, intus densè in se farctis majorique Cardamomo similibus granis repletum, cortice constans venoso, sed multò tenuiore quàm majoris, in tribus suis angulis quibus maturum dehiscit, singulas commissuras habens. Gustu Cardamomo majori grana ejus respondent.

Item, Cardamomum minimum; de quo etiam *J. Bauhinus*; quod sola magnitudine videtur à minore differre, est enim siliqua omnium minima, cæterum quid differat præterea non video.

Cardamomum Officinarum an idem sit cum Cardomomo Veterum Græcorum ambigitur, alijs id affirmantibus, aliis negantibus; nobis verisimilius videtur idem esse.

Meleguetam, Grana Paradisi Officinis dictam, non esse Cardamomi speciem, sed fructum plantæ genere diversæ affirmat *Garcias. Cordus* quoque errare eos ait qui dicunt Melegetam majus Cardamomum esse. Cardamomis enim tenuis miniméque fervens, sed gratus ac jucundus est sapor, Melegetæ verò Piperis instar acerrimus.

Abrahamus Muntingius in Historia plantarum Belgica duas scribit & depingit Cardamomi arborescentis species, *primam* vocat,

Cardamomum arborescens majus Africanum.

Secundam Cardamomum arborescens minus Africanum. *J. Raius.*

Selectus. Probatur utrumque angulosum, frangenti contumax, mundum non pulverulentum, siccum, acri sapore linguam vellicans, ac odorum, illud colore puniceum, hoc subrubrum; rejectis granulis nigris, rugosis & exsuccis. *Ph. August.*

CARDIAGA MEDICAMENTA.

Speciosum nomen est Cor Confortantium, quæ *Cordialia, Cardiaca* & juxta Willisium *Vitalia* propriè dicuntur, unde & *κατ' ἐξοχὴν Confortantia* audiunt, quasi inter hæc præcipua & principalia.

Cùm itaque cordialia sint, quæ cordi laboranti opitulantur, notabimus in antecessum, 1. quod *cor & sanguis sint causæ sociæ*, neque ergo sejungendæ, ut faciunt quidam, unde Willisius in Pharmac. rat. s. 6. c. 1. p. 238. censuram meretur, qui scribit, cor non viscus nobile & princeps esse usque adeò, uti perhibetur; sed merum musculū, carne tantùm & tendinibus more cæterorum constantem, sanguini circumpellendo inservientem.

Hi sanè à corde mortuo ad vivum videntur concludere; cùm tamen à morte speculari saltem liceat, quo in hospitio anima commorata fuerit, non item principiū vitale, primum mobile; sufficit scilicet, cor esse radicalem animæ sedem, & in concreto tùm alias, tùm h. l. esse considerandum, unde cadunt reliqua à Willisio dicta, cordialia nempe cor non afficere, atq; haud magis ad cor ipsum quàm ad manus aut pedes aut ad musculum quemvis alium pertingere. Aliàs satis eleganter de modo agendi cardiacorum disseruit idem.

2. *Sanguinem constare duabus partibus, calido*, seu sanguine *κατ' ἐξοχὴν*, & *humido*, seu sero, in quibus duobus humoribus alimentaribus vita nostra & salus consistit, neque aliud calidum innatum, neque humidum radicale datur, quàm hæc vigore suo & fermento vitali instructa.

Nos 3. dicemus *cordialia quæ sanguinem & calorem*, (quorum cor fons est) *dispensant, consistentiamque ferè & motum ac vigorem utriusque disponunt.*

Sunt itaque 1. vel rarefacientia sanguinem, quando in ἐκλάμψει suâ deficere videtur, & debilis est, particulæ sulphureæ & volatiles mercuriales & spirituosæ vel obtusæ, vel non sufficienti quantitate vigoratæ; qualia conveniunt in languoribus cordis, lassitudine cum malignitate, seniô, pallore, vigore, cachexiâ, paroxysmis febrium intermittentium, virium debilitate, anxietatibus quando cordis motus quasi fatiscit; ut in febribus malignis sæpè, recursu malignitatis ad cor, expulsione variolarum & morbillorum, &c. qualia sunt volatilia.

1. *Sulphurea*, & quidem vel *spirituosa*, ut ▽ rosar. ∾ rosar. ▽ apopl. carfunc. aurea virtut. Q. E. Matthioli. ▽. Anhalt. vinum, 🜄 &c.

Vel *oleosa*, sulphure volatili oleosô roscidô pollentia, quæ unô verbô dici consueverunt *balsamica*, ut lignum aloes, camphora, myrrha, odorata omnia, quæ immediatum cum spiritibus habere commercium, *Helmontiana* est assertio, *aromata*, cinnamomum, cardamomum,

mum, oleum cinnamomi, moschus, ambra, horum essentiæ, Ræ &c. item theriaca, mithridatium, &c.

2. *Salina lixiva*, ut ⊖ absinth. scord. card. bened. & similia, quæ simul præcipitandi & insigni certè vi pollent sanguinem rarefaciendi & in ordinem redigendi, unde egregia sunt febrifuga & sudorifera.

Vel *salina volatilia urinosa*, quæ ferè omnium sunt potentissima, ut ∽ C. C. salis *ci fulig. viper. sang. cerv. hum. ebor. seu quoque hæc ipsa cum oleosis mixta, ut ⊖ia volatilia oleosa reddita, id eminenter præstat.

Pertinent huc quoque *fœtida*, tùm *sulphurea* magis, tùm *urinosa*, quæ in syncope, suffocatione hystericâ & alijs conveniunt.

Nota: rarefactio sanguinis duo notat; 1. spirituum deficientium restaurationem, quod maximè fit per balsamica, sulphurea; 2. motum & fluxilitatem in primis seri vigorantia, quod magis fit per salina.

Vel II. *rarefactionem impedientia*, quæ, uti jam dicta sulphureas balsamicas & mercuriales volatiles particulas in corde & sanguine restaurant: ita hæc easdem nimis efferatas deprimunt obtundunt, præcipitant. Suntque.

Vel *aquea*, diluentia, & serum restaurantia, cujus defectus rarefactionem inter alia reddit majorem, ut ∇æ cordiales temperatæ, endiv. acetosæ, cord. H. S. frig. serum quoque lactis, &c. quæ dispergentia magis partes volatiles enervant. Ex quo patet, julapia, potumque ipsum largiorem in febribus concedi debere, nec ægros cogendos adeò strictè ad sitim.

Vel *acida*, quæ inter hæc præcipuè eminent, unde instar regulæ esse potest: *Acidum obtundit sulphur*, ut succus citri, granat. acid. acetosa, acetosella, ∽ minerales acidi, ⊖, ⊖-li, trium mineralium, seu clyssus ♁ij ♃ratus, phlegma ⊖-li, & cum his parata, tinctura viol. rosar. 4. flor. cord. &c.

Vel *nitrosa*, quæ itidem sulphur infringunt, debilitant, exhalationem ejus promovent, & egregiè attemperant, serumque ipsum vigorant, & sibi restituunt, ut lapis prunellæ, ⦶ ♉iat. perlat. &c.

Vel *terrea, absorbentia* & *præcipitantia*, ut coralia, perlæ, lap. 5. pretiosi, lapis bezoar, conchæ imò ipsæ, unicornu, &c.

Et hæc in omni febrium genere locum suum tuentur, & ebullitionibus biliosis alijs, (*bilis* enim *maximè sanguinem rarefacit*) unde in affectibus ab irâ, in maniâ, deliriis, phrenitide, febribus ardentibus, Hungaricis, &c. eximiè prosunt.

Vel respiciunt consistentiam sanguinis, & sunt III. *resolutionem impedientia*, & *fatiscentem σύςασιν conservantia*;

Seu sulphur *concentrando*, ut *acida*, unde potissimum hæc externè in resolutionibus spirituum impediendis omnium sunt nobilissima, & conveniunt in syncope, lipothymiâ, sudoribus colliquativis & ichorescente sanguine, cum madore, &c. qualia jam suprà recensita, in primis vero ✠ simplex & rutaceum, bezoardicum, rubi idæi, &c. item *frigida* actu externè, ∇ frigida, rosarum.

Seu *serum attemperando*, ut *aquea*, in primis *emulsiones*, quæ aliquid mucilaginosi secum habent, unde horum usus in febribus malignis, præsertim, ubi *ἀγρυπνία* & delirium urget, est nobilissimus.

Seu *vinculum utriusque*, seri & sanguinis, *firmando* quasi, *concentrando* leniter, & *colligendo*, ut *mucilaginosa* & *terrea adstringentia*, item *balsamica* temperata, v. gr. C. C. philos. ebur sine igne præp. gelat. C. C. os cord. cervi, bol. Arm. Terra sigill. balaust. & ex calidis cinnamomum, ⊖-tis, quæ terreâ simul gaudent qualitate.

Pertinent huc etiam ipsa *opiata*, compertum enim est experientiâ practicorum, in spirituum vitalium & sanguinis resolutione convenientissimè dari laudanum opiatum; sed parcâ & refractâ dosi, ut hoc modo ulterior spirituum dissolutio impediatur. Unde hoc casu laudatissimus est *pulvis* noster *absorbens*, descriptus *in opiologiâ*, additâ guttulâ unâ vel alterâ olei caryophyllorum. Effectus inde vidimus admirandos in syncopticis, hystericis & alijs, de quo alibi latius. Misceri possunt hæc opiata, vel cum *spirituosis analepticis*, ut conf. alkerm. ut hoc modo & dissolutio prohibeatur, & materia suppeditetur spiritibus: vel cum *terreis absorbentibus* & *resolventibus*, ut & hoc modo consistentia sanguinis respiciatur.

Vel IV. sunt *resolventia*, quæ sanguinis grumescentiam & veluti coagulationem respiciunt, unde in motu suo quasi subsistit, resolvunt & dissipant, incoctionemque seri impediunt, adeóque quædam & impedimenta removendo mediate rarefactionem adjuvant Suntque tùm *balsamica* jam tacta, tùm *putredini resistentia* quælibet, ut & *diluentia aquea*, tùm præcipuè *terrea*, quæ aliàs ad casum ab alto, pleuritidem, &c. proficua sunt, ex coraliis, lapid. ♋, ♉ diaph. & jam tacta alia. Hinc quoq; *acida*. Acida enim hæc, ut suo loco jam anteà diximus, medió quasi loco sunt, quæ scilicet & sanguinem resolutū coagulant, & coagulatum resolvunt. Ex utroq; enim casu grumescit quasi sanguis, tùm nimia resolutione, tùm nimiâ coagulatione. Hinc notādum, *acida bezoardicis juncta ob penetrantem suam vim virtutem bezoardicam & sudoriferam intendere*, exemplo misturæ simplicis, ubi nec-∽us theriacalis, nec-∽us Tartari adeò sudorem movet, multò minus ∽us ⊖-li; hæc verò juncta optimè id efficiunt, quæ jam de primâ classe rarefacientium dicta sunt. Conveniunt verò hæc itidem in palpitatione cordis, syncope, febribus malignis, &c.

Et quæ hæc eminenter præstant, quæ scilicet spirituum & sanguinis σύςασιν tuentur & conservant, ut neque ad fusionis, resolutionis, ac ichorescentiæ statum, nec coagulationis, declinet, propriè sunt & dicuntur *bezoardica*, de quibus inferius seorsim plura. Præstant id quoque diaphoretica omnia, & inprimis alexipharmaca.

Neque obstat, hæcce, præcipuè verò temperata, non immediatè ad cor ferri, satis est, quòd operationes suas statim è ventriculo in sanguinem vibrent, cujus hinc crasis mutatur, ac energia, & effectus ad cor resultat, imò sæpe talia cordialia causam saltim antecedentem respiciunt & tollunt; finem tamen horum operatio in corde consequitur.

Quoad legitimum *Administrandi & Applicandi Modum* notetur.

1. *Alterationem excessivam in utramque partem cordi non convenire*, hinc à refrigerantibus nimis, aut calefacientibus excessivè cavendum est: illa enim motum spirituum præpediunt; hæc eosdem dissipant.

2. *Ubi debilitas virium, non statim ad confortantia cordialia, nec ad illa quidem sola, confugiendum*; sed causæ sunt removendæ, sive plethora suffocans spiritus, sive cacochymia inquinans: unde sæpe vel V. S. vel purgatio rem sustulerit. Error hic vulgi est.

3. *Volatilia quælibet intra mediocritatis terminos consistant*, tùm in diæteticis, tùm pharmaceuticis præsidiis, idque & in sulphureis & urinosis. Sic qui in juventute vini vel ∇i potui nimis indulgent, hinc succedente ætate robur ventriculi perdunt quatenùs calor decrescens fortius hinc postulat calefaciens. Sic & camphorata & olea ♎lata sæpiùs lædunt. Hinc.

4. *Nunquam ita est rarefaciendum, quin simul attendamus sanguinis consistentiam*, ut in statum naturalem asseratur; *nec ita resolventibus utendum, quin tonum sanguinis & rarefactionem debitam observemus*. Unde peccant, qui v. gr. in febribus malignis solis volatilibus, & perpetuis sudoribus ægros exhauriunt, cùm tamen discutere quidem & rarefactionem conservare, nimiam verò temperare deberent. Sic qui resolventibus

bus incautiùs utuntur, facilè sanguinis compagem laxam nimis reddunt, ut quasi dispereant & diffluant spiritus, quod in specie de cinnabarinis notandum, ea enim maximè resolvunt sanguinem; sed, ne quid nimis, & ubivis, præmissis universalibus, interponenda tonica, modicè adstringentia.

5. *Penetrantia sint cordialia*, tùm externa præcipuè, tùm interna, quæ spirituum restaurationi & grumescentiæ majori debentur, unde in epithematis additur commodè acetum, camphora, &c.

6. *Cordialia confortantia probè sunt distinguenda*, unde, ubi serum v. gr. magis deficit, vix aliud meliùs profuerit, quàm actu humida, aquea, non omissis acidis, nitrosisve, & contrà, ne unum pro altero demus, vel confundamus eadem.

7. *Moschatis*, quæ maximè rarefaciunt sanguinem, *non nimis est tribuendum*; dum enim nimis exaltant & intendunt particulas mercuriales, loco confortationis facilè naturam lædunt, prosuntque ferè magis externè, quàm internè, vel saltim non nisi justo tempore. Habent suum usum, sed rectè usurpata. *Wedelius*.

Cardiaca sunt, quæ cor roborant, spiritus reficiunt, & malignam qualitatem expellunt. Debile fit cor à causa frigida vel calida, cum vel sine malignitate ob id remedia quæ conveniunt, alia sunt calida, alia frigida, alia alexipharmaca.

In causa frigida sanguine coagulato, cujus causâ deficit fermentatio & circulatio, ut in affectibus à veneno frigido sumpto, vel intùs genito, morsu à cane rabido peste, & similibus, modò non adsit febris, aut non sit valdè intensa.

℞. *Radic. tormentillæ, zedoar. gentianæ an. ℥ß. fol. meliss. scab. card. bened. scordij ana M. ß. corticum citrij sicci ʒij. semin. card. bened. citrij an. ʒiß. rasuræ eboris ʒj. flor. bugl. utriusque, an p. j. Fiat decoctio ad* ℔jß. *pro iij. dosibus: Adde cuique syr. capill. vener. ℥j. Capiat vesperè & manè.*

Vel in forma julepi.

℞. *Aquar. meliss. card. bened. an. ℥ijß. naphæ ℥ß. aquæ cinnam. cochlear. ß. syr. de pomis unc. j. Fiat julepus.*

Potest dissolvi in prædicto apozemate, vel in aqua scabios. aut vino unum aut alterum ex sequentibus Galenicis & chymicis.

Confectio alkerm. à ʒß. ad ʒj. Theriaca à ʒß. ad ʒj.
Aqua theriacalis Bauderonii ad cochlear. j.
Aqua theriacalis camphorata ad ℥ß.
Sal volatilis viperinus à gr. x. ad xv.
Elixir proprietatis Paracelsi à gutt. viij. ad xij.
Extractum bezoardicum Quercetani à ℈ß. ad ℈j.
Magisterium ambræ griseæ à gr. iij. ad iiij.
Essentia ambræ griseæ à gutt. vj. ad viij.

In casu præcipiti viribus evanescentibus quando tempus non datur parandi aliud remedium.

℞. *Confect. alkerm. vel theriacæ vet. ʒj. cum aquæ cinnam. vel vini optimi cochlear. Misce & propina.*

Sæpè etiam prædictæ essentiæ exhibentur simpliciter, cum aqua appropriata vel vino, ut,

℞. *Salis volatilis viperarum gr. x. aquæ scorzoneræ, vel cardui benedicti ℥jß. Misce, capiat longè post, & ante jusculum.*

Vel

℞. *Magisterij ambræ gris. gr. ij. aquæ theriacalis camphoratæ ℥ß. Misce & capiat.*

Cave, ne iis utaris dum calida sunt viscera, aut febris est intensa: proindè non debent esse in usu, nisi in causa frigida ut sanguis volatilior fiat, & dissipatis quæ ipsum cogebant particulis, motum recuperet; aut quando tanta est malignitas cum virium imbecillitate, ut febris non sit vel saltem exigua.

In causa calida, ut febribus malignis purpuratis, variolis, & cæteris pestilentibus affectibus cum febre, in quibus æstus temperandus, obstructiones reserandæ, putredo & maligna qualitas coërcenda, & diaphoresis promovenda.

℞. *Rad. cich. brusci, tormen. ana ℥j. fol. cich. scabiosæ, capill. ven. pimpin. acetosæ ana M. j. semin. melon. cucurb. citrij, rasuræ eboris ana ʒj. summit. scordii, & florum cordalium ana p. j. Fiat decoct. pro 3. dos. Adde cuique sal. prunel. ʒß. spiritus sulphuris, aut vitrioli gutt. iv. syr. limon. ℥ß. Capiat vesp. & manè.*

Potest addi ex Galenicis & Chymicis,
Confectio hyacinthorum à ʒß. ad ʒj.

In mulieribus obnoxiis suffocationi hystericæ pulvis confectionis hyacinth. sine moscho & ambara ad ℈j. vel ʒß.

Pulvis viperinus ad ℈ß.
Sal cardui bened. vel scab. ad ℈ß. vel ad ℈j.
Bezoardicum joviale, vel minerale ad ℈ß.
Antimonium diaphoreticum à ℈ß. ad ℈j.
Spiritus nitri ad gutt. x.
Spiritus vel crystalli salis communis dulces ad ℈j.
Lapis bezoardicus verus ad gr. iv. vel vj.
Aqua theriacalis refrigerans ad cochlear j.
Aqua theriacalis camphorata ad cochlear semis, vel unum.
Sal volatilis viperatum ad gr. x.

Mixtura spiritalis ad ʒß. vel ʒj. Paratur ex aquæ theriacalis camphor. ℥j. spiritu tart., & vitrioli an. ʒj.

Possunt hæc alexipharmaca, & diaphoretica dissolvi in aqua cordiali refrigerante, vel in julepo, &c.

Nota, quòd si adsint vermes, aut materia verminosa addi debeat pulvis contra vermes ad ℈j. in qualibet dosi, & si motus convulsivi quoque adsint, pulvis contra spasmum ad ℈ß.

Ut in forma julepi.

℞. *Aquar. scab. portul. scorzon. an. q. s. syr. limon. ℥j. confect. hyacinth. ℈j. pulver. viperini, & contra vermes an. ℈ß. salis prunel. ʒß. Fiat julepus.*

Cave à theriacalibus, sale viperino, cæterisque calidioribus diaphoreticis quando adest inflammatio interna, aut febris admodum intensa.

Quandoque etiam exhibentur cardiaca sub forma pulveris cum aquâ cordiali, vel cum jusculo, ut,

℞. *Bezoardici animalis, salis prunellæ, & magisterij perlarum ana ʒß. Misce, capiat ℈j. cum alterno jusculo, vel cum aqua scorzoneræ, aut scab. bis aut ter in die.*

Vel

℞. *Bezoardici mineralis ʒij. jovialis ʒß. salis prunel. ʒjß. Misce, fiat pulvis, dosis est ad ℈j.*

CARDIACA PLANTA.

Cardiaca dicitur quoniam peculiari proprietate cardię infantium seu cardialgiæ dictę morbo medetur.

Folijs circũscriptione subrotundis & profundè laciniatis ab omnibus aliis Verticillatarũ generibus differt.

Nomina. Cardiaca J.B. Park. Marrubium Cardiaca dictum, fortè primum Theophrasti *C.B. Germa.*

Caule exurgit bicubitali aut altiore, rigido, firmo, quadrato, inani, non admodum ramoso, foliis cincto ad intervalla longiora binis appositis. *folia* autem ima circumscriptione ferè subrotunda sunt, pallidiùs virentia, in tres insigniores lacinias profundè divisa, laciniis circa margines dentatis, venosa admodum & rugusa, brevi adeò lanugine utrinque obsita, ut nihilominus glabra videantur: quæ in caulibus sunt obscurius virent, sensim angustiora sunt, & integra ferè, in longam cuspidem desinunt, ad latera utrinque unico dente incisa. *Flores* in verticillis densis ad caulium nodos, parvi, purpurascentes, galeati galeâ integrâ, exteriùs lanugine alba densa hirsuti, labello parvo propendente,

cum

cum duabus ad latera velut auriculis. Flosculorum singulorum calices sessiles, nullis pediculis, ex alis foliorum orti, patuli, breves, marginibus in quinque spinulas longiusculas divisis. Plurimi autem caliculi densè stipati ex singulis foliorum alis oriuntur, seorsim unusquisque, non plures in eodem communi pediculo.

Folia tam quæ è radice exeunt, quàm quæ caules occupant longis insident pediculis, quod notatu dignum est. Radice est vivaci.

Incultis, ruderatis & asperis locis gaudet.

Vires. Ad cordis affectus à nonnullis commendatur, & tantùm valere existimatur, ut ab effectu nomen invenisse putetur. Verùm Schröderus peculiariter inquit medetur distensioni hypochondriorum & *cardia* infantium (quem *affectum cardiacum* seu *cardialgiam* appellant.)

Urinam & menses ciet, pectus à pituita detergit, & lumbricos necat. In pulverem contrita, & cochlearis mensurâ ex vino hausta difficilè parientibus mirum in modum opitulatur. *Matth.* Quoniam uterinis affectibus conducit nostratibus Matricis herba nuncupatur.

Decoctum Cardiacæ, ejusve siccatæ pulvis cum Saccharo mixtus & exhibitus in palpitatione cordis, lienis morbis & affectibus hystericis admirandæ virtutis & efficaciæ medicamentum est. *D. Bovvle.*

A veterinariis & mulo-medicis ad boum & equorum morbos usurpatur cum successu. *J. Raius.*

CARDIOBOTANUM. vid. *Cardiaca Planta.*

CARDUUS.

Carduus sic vocatur à *carere*, quia aptus carendæ lanæ; quod de Carduo fullonum dicto seu Diplaco verum est. Alii autem cardui ob convenientiam quandam cum Diplaco in spinis ita dicti sunt.

Nullum nomen græcum invenimus quod Latinorum Carduo respondeat. Ἄκανθα enim latius est & spinam significat; Ἄκανος angustius, quod tamen Casp. Hofmannus latè & in genere sumptum ad omnem plantam aculeatam, quæ in caput assurgat asperum, significandam extendi affirmat.

Nos hoc nomine comprehendimus plantas omnes capitatas dictas, flore ex flosculis fistularibus composito, foliis spinosis seu aculeatis.

Species Cardui, usuales quæ genericum nomen retinent, sunt.

1. *Carduus Benedictus.*

Nomina. Carduus benedictus. *J.B. Ger. Park.* Cicicus Sylvestris hirsutior sive Carduus benedictus *aliis.*

Radice nititur albâ, multifidâ, succosâ. *Folia* ei laciniata, Sonchi aut Dentis leonis fere divisurâ, spinulis brevibus armata, sine pediculis caulibus adnascentia, alternatim posita, hirsuta, colore quem in Boraginis foliis cernere est. *Caulis* ab eadem radice singularis, multis alis concavus, & ab imo statim plures emittens ramos, supinus partim, partim erectus, subpurpureus, striatus, villosus. *Flores* parvi, lutei, multis flosculis quinque partitis compositi, stylo trifido in uniuscujusque medio extante, quem quinque staminula apicibus longis, fuscis, sibi invicem adnatis, & velut tubulum quemdam efformantibus donata amplectuntur. Floribus subsunt *capitula* squamata, squamis majoribus splendentibus, quarum singulæ in spinas longas, erectas, utrinque itidem spinulis dentatas, florem obvallantes exeunt. Singula autem capitula sex septemve folia erecta, è lata basi in acutum mucronem paulatim desinentia calicis in modum circumambiunt. Tum folia hæc, tum spinulas modo dictas lanugo multa intercedit & connectit. Capitulis multo pappo stipatis *semen* inest oblongum, striatum, subluteum, floccis rigidiusculis radiatis appensum.

Tota planta amarore insigni prædita est, radice excepta quæ nobis gustantibus vix leviter amaricare videbatur.

Experientiâ didici (quod ante nos observavit *F. Columna*) capitula hujus Cardui antequam flores pandantur, & florida mense Maio (apud nos Junio Julioque) recisa succum sanguineum paucum fundere. *J. Bod. à Stapel.*

Carduus hic, ab immensis *viribus* quas habere creditur *benedictus* & *Sanctus* denominatus, ad Fridericum 3. Imperatorem ex India missus fertur. Quod ut non nego (inquit C. Hofmannus) ita compertum fuit postea in Europa etiam spontaneum esse. Nam & in Lemno insula nascitur, Autore Bellonio; *Qui à nostris vulgò Carduus benedictus appellatur, sponte in agris nascitur, nec aliquâ culturâ indiget. Græci nomine corrupto Gaideracantha, hoc est asininam spinam nuncupant*: atque etiam in Gallia, nimirum in arduis alpibus Galloprovinciæ prope Monasterias, *Marignols* vocatis, ubi effodiuntur crystallinæ, irides, & varij coloris alij lapides: Crescit in summo montis rigidior & aliquanto minor hortensi.

Hujus *vires* ab aliis fusè traditas sic paucis complectitur *C. Hofmannus*: plurimum potest in decocto, præsertim in vino cum febris abest; minùs in pulvere; iterùm minùs in aqua destillata. Laudatur in pituitosis capitis affectibus, hemicrania, surditate, vertigine, epilepsia; destillationibus ad pectus; quin in hydrope, quartana, omnibus febribus longis, quippe ab obstructionibus pendentibus.

Laudatur in colicis, nephriticis, ischiadicis, partim discutiendo, partim ad vias urinarias deducendo.

Præcipua ejus laus est in peste foràs & intus: intus pro præservatione & curatione, sudoribus ciendis; foris pro ruptorio bubonum. Ideo in alijs etiam apostematis usurpatur.

N. Si sub initium Junij collectus fuerit vulnera recentia mirabiliter sanat, sin alio tempore nunquam id præstabit.

Nostrates in Zythogalâ seu liquore Posseticô dicto herbam exsiccatam decoquunt, eóque utuntur minore dosi ad sudorem provocandum, in larga quantitate ad vomitum ciendum, & ventriculum expurgandum.

Vinum tempore Autumnali cum eo factum paulò minùs quam panacea est apud vulgus Germanicum. *Hoffman.*

Pervelim Medicinæ candidatos observasse (inquit Simon Paulus) vix huic secundam aliquam repertum iri herbam in consolidandis putridis & contumacibus ulceribus & in Cancro ipso. Testantur nonnulli mulierem quandam, cujus mammæ cancro ad costas usq; consumptæ fuerant aquâ destillatâ, pulvere foliorum insper mundatam ac sanatam fuisse. Putrida & cava ulcera cujusdam viri, cui erosa fuerat ad ossa usq; caro omnis tibiarum, quiq; bona omnia in curatione frustrà expenderat Arnoldus Villanovanus vidisse se refert hâc tandem ratione sanata. Recentia Cardui benedicti folia contusa cum vino generoso decoquebat, additâque postea liquefacta porci axungiâ ebullire sinebat, tandem injectâ farinâ Triticeâ continuè spathulâ agitabat, quoad omnia in Emplastri consistentiam coalescerent, quod calidum bis quotidie ulceribus imponebat. J.B.

Memorant alij Paviæ olim quandam puellam incautè toxicatum pomum esitantem, cum mox urgeretur enormibus symptomatis, quæ neque Theriacâ, neque Alexipharmacis mitigari potuerunt, solius aquæ

Cardui benedicti haustu esse servatam. J. B. Hæc quidem apud me fidem non inveniunt.

In Scorbuto Carduum Benedictum mire laudabat nostro tempore Jo. Jacobus Hortigius Med. Venetus Hieron Velschius obs. 15. *Hæc ex collectione Joh. Raij.*

2. *Carduus Vulgatissimus.*

Nomina. Carduus vulgatissimus viarum *Ger.* ceanothos, sive viarum & vinearum repens *Park.* vinearum repens folio Sonchi *C. B.* serpens lævicaulis *J. B.*

Radice albente, fibras obiter emittente sub terra reptat, & immensum se propagat, *caules* subinde emittens cubitales & sesquicubitales, teretes, striatos prope terram hirsutos, & Spinulis nonnullis præditos, non tamen, ut in præcedenti, membranis spinosis per totam longitudinem alatos, medullâ farctos, crebris folijs vestitos, *folia* autem laciniata sunt, & per margines sinuata seu undulata, & spinosa, supernè obscuriùs viridia & splendentia, infernè pallidiora. Summos caules, & ramulos terminant *capitula squamosa*, squamvis appressis & arctè incumbentibus, in spinulas brevissimas desinentibus, purpurascentia, parva, cardui palustris similia, sed tantillo majora. *Flores* à flosculis densè stipatis, pallide purpurascentibus compositi. *Semina* parva, fusca aut obscurè olivacea. Floris color in hac specie non rarò variat. Caulis pars superior in corpus quoddam crassum ovalis ferè figuræ, excrescit, nonnunquam insecti cujusdam matricem.

Carduus hic in arvis nimis frequens, nec inrarus in incultis & secus vias; profundè sub terra repit unde & difficulter admodum extirpatur.

Hanc speciem C. B. bis terve ponit sub diversis titulis; 1. sub titulo superiùs posito; 2. sub titulo Cardui in avena provenientis, ut ex synonimis patet; 3. sub tit. Cardui spinosissimi capit. parùm aculeatus.

Usus. Cineres omnium optimi & firmissimi pro vitris conflandis sunt quæ è Carduo viarum vulgatissimo fiunt (in Anglia intellige) quamvis & alij Cardui quicunque huic usui satis commodè inserviunt: Carduis bonitate proximi sunt Lupulorum cauliculi tortiles floribus decerptis. Horum duorum utilitas noviter inventa & observata est. Videntur autem plantæ spinosæ & aculeatæ optimum & copiosissimum in suo genere omnium salem præbere. D. Merret observat. in Anton. Neri de Arte Vitraria. *J. Rajus.*

3. *Carduus Tomentosus.*

Nomina. Carduus tomentosus, corona fratrum dictus *Park.* ejusdemque Carduus tomentosus Anglicus. Card. capite tomentoso *J. B.* Card. cariocephalus *Ger. emac.* ejusdemque Carduus tomentosus capitulo majore.

Tomentoso, striato *caule*, crebrisque ramis stipato ad duos aut tres quatuórve cubitos assurgit, qui licet non sit spinosus, vix manu potest attingi propter foliorum aculeos. *Folia* cubitum longa, tomento villoso inferiùs incana, superiùs atrovirentia & Echij modo aspera, ex pluribus folijs minoribus, quæ ex certis intervallis quaterna, utrinque sc. bina alterô antrorsum, alterô retrorsum positô conflata, spinis longis, rigidis, acutis minacia. *Caput* pugillari lapidi æquale, latum, squamis parvis, longis & spinis parùm mordacibus densissima lanugine intextextis. *Flos* ex ejus summo emicat, constans multis staminibus, & diversis coloribus, qualibus hyacinthus Fuchsij maximus, violaceus, & cœruleus: apices involvuntur vaginula alba, quæ sua albedine pulchre hunc florem ornat; hanc vaginulam alia circumdat purpurea in quinque apices (rectius lacinias) divisa. Sub floribus caro alba grati & aromatici saporis. *Semen* lubricum, cineraceum striatum, oblongum, modicè compressum, dulce, tomento implicitum. Radix crassa, gustu non ingrato, sed aromatico, quali etiam caulis & foliorum, si excipias medullam albam siccam & insipidam. Ubi capita excinduntur apparet lacteus succus.

In montosis & interdum etiam campestribus sed rariùs occurrit: ut v. g. propè *Madingley* vicum Cantabrigiâ non longè, itemque circa *Childerley, Kingston*, &c. in eodem Cantabrigiæ comitatu.

Lobelius duplici icone & titulo hujus plantæ in *Icon. Plant.* propositis alterâ malâ *Adv.* titulo *Cardui tomentosi Adversariorum*, alterâ meliore, titulo, *cardui tomentosi, corona fratrum herbariorum*, Botanicos nostros decipit, ità ut ex una planta duas facerent, Mala icon *Adversariorum* poterat omitti (inquit J. Bauhinus) imo debebat.

Usus. Hujus capitula antequam flores erumpunt aquâ decoquunt nonnulli, cumque butyro & pipere condita Cinararum in modum mensis secundis adjiciunt & in delicijs habent. *J. Rajus.*

4. *Carduus Mariæ.*

Nomina: Carduus Mariæ *Ger.* Mariæ vulgaris *Park.* Marianus, sive lacteis maculis notatus *J. B.* Card. albis maculis notatus vulgaris *Park.*

Undulato macularum lactearum virescentiumque discursu variata *folia*, lata longaque conspiciuntur, sinuata & sævis aculeis horrentia, nitida, glabra. *Caulis* digitalis, striatus lanugine villosa incanus, duos aut tres cubitos altus, in ramos dividitur plures. *Echini* intractabiles, rigidissimis acutissimisque spinis armati, Scolymi medioeris magnitudine, callosa squamarum cartilagine, dulci, vescâ, *florum* purpurascentium stamina explicant, quibus semen succedit carthami. *Radix* longa & crassa, esculenta.

Ad agrorum margines, & in aggeribus fossarum non rarò occurrit.

Vires. Eisdem viribus dotatus esse creditur quibus carduus benedictus. Nobis culinaris potiùs quàm medicinalis videtur. Decoctum ejus datur utiliter ad jecinoris & viscerum infarctus & remorantes urinas: quare confert hydropicis, ictericis & nephriticis. *Matth.*

Aqua è folijs destillata laterum morbo medetur. *Trag.* extrinsecus præcipui usus est in phagedænis, nomis, & ulceribus erodentibus, si linteamina probè humectentur aquâ illâ, & ulceribus imponantur.

Semen in emulsionibus crebri est usus. *Schrod.*

Semen moderatè calidum esse & tenujum partium citra omne dubium pronunciamus; cujus insignis est usus in pleuritide & laterum punctionibus: remiscetur autem plerumque alijs seminibus ex quibus emulsiones fiunt folia tenera demptis aculeis non incommodò oleribus adduntur. Apud nos in Anglia frequenter in hortis seritur ad acetaria & usus culinæ. *J. Rajus.*

5. *Carduus Stellatus.*

Nomina. Carduus stellatus *Ger. Dod.* Stellatus sive Calcitrapa *J. B.* Stellatus folijs Papaveris erratici *C. B.* Stellatus sive calcitrapa vulgaris *Park.*

Cubitum & sesquicubitum altus est *caulis* angulosus, subhirsutus, alis multis concavus. *Folia* satis mol-

mollia, pedem aliquando longa, aliquantum incana, profundè in lacinias inconditas diffecta, *Capitula* extremis hærent ramulis, glabra, Cyani capitulis æqualia, fingulis fquamis in unciales & fefcunciales, rigidas, mordaces, rectà foras minantes fpinas definentibus, ut radiatam ftellam imitari videantur. *Florum* ftamina purpurea, rariùs alba. *Semen* lubricum, parvum, oblongum. *Radix* digitum vel magis craffa, mollis, fuccofa, nervum habens, ut aliæ radices, duriufculum, colore albefcens, longa pedem, Raphano fimilis *Columnæ*.

Juxta vias publicas, circa oppida & pagos, inque incultis & fterilioribus non in Anglia tantùm fed & exteris regionibus frequens eft.

Apud nos non affurgit in altitudinem, fed frequentibus ramis in latitudinem diffunditur.

In aqua hujus ftillatitia albas rofas vel fungum Sambucinum, vel contra flores calcitrapæ in aqua rofarum albarum macerare, & applicare palpebris cataplafmatis inftar fum folitus, & quidem optimo cum fucceffu. *Rajus ex Sim. Pauli.*

Carduus Centiceps, vid. *Eryngium.*

Caricæ. vid. *Ficus.*

CARLINA.

Planta hæc à Carolo magno, primo hujus nominis Imperatore fic dicta eft, quia exercitus ejus Angeli monitu ufu radicis hujus à pefte liberatus fertur.

Mafticatio ejus in pefte prodeffe dicitur.

Nomina. Carlina humilis *Park.* Carlina five Chamæleon albus Diofcoridis *Ger.* carlina acaulos magno flore *C. B.* caulifera & acaulis *I. B.*

Alia præterea Carlinæ fpecies recenfetur, quæ caulem emittit, & in hoc tantum propriè à priori differt.

Carlinæ *radix*, cujus præcipua eft commendatio, longè lateque vagatur, profundéque intra terram agitur, craffitudine pollicari plus minùs, fuperficie veluti corrofa & foraminulenta, colore foris ruffô, intus candidô, fapore aromaticô, nonnihil gravi: antequam verò è terra emergat, in capita aliquot ut plurimum faceffit, ex quorum fingulis feparatim *folia* in orbem fupina oriuntur, palmum aut duos longa, unciam unam aut alteram lata, profundis ad coftam ufque incifuris divifa & veluti crifpa, aculeis minacibus horrida, nonnihil tomentofa, viridantia, exceptâ pediculi infima parte atrorubente: in horum medio feffilis hæret *echinus*, orbiculatus, fpinofiffimis folijs undique oblitus, è cujus umbilico *flores* emicant staminei, purpurafcentes, vallo foliorum argenteorum cincti. *Semen* pappofô tomentô involvitur, oblongum, hirfutum.

Aliàs è fingulis capitibus caulis furgit, pedem altus, atrorubens, lanugine quadam donatus, non fine folijs alternatim pofitis, in cujus fummo echinus nafcitur floridus, ut jam dictum, folijs qualia in caule & circa radicem confpiciuntur circumcirca ftipatus. Carlina, inquit Camerarius, hort. plerunque fi eò annô floruerit quo in hortum transfertur fine caule permanet, fin minùs, multo lætior altero anno furgit & cauligera fit. Alij quoque plerique Botanici Carlinam acaulon & cauligeram eandem fpecie plantam cenfent, & rectè meô judiciô. Verùm *F. Columna cauligeram* non eandem acauli fed congenerem exiftimat. Nam quæ caulem habet (inquit) nunquam humilis eft florida, ut vulgaris; & genere diverfa *folia* profert, anguftiora, virentia, magifque fpinofa *floremque* è minoribus barbulis ijfque candicantibus, umbone intus flofculis purpureo rubentibus compofito, quamvis antequam expandantur, lutei confpiciantur. Plura capita profert, nimirum in fingulis caulibus fingula. Alij diligentiùs rem examinent.

In Germaniæ pafcuis fterilioribus frequens oritur, nec minùs in Italia, Gallia Narbonenfi & circa Genevam in montofis.

Refert *Gefnerus* hujus floris calycem tum recentem tum etiam ficcum noctu claudi, ad folem verò aperiri. Germanis dicitur, Apri herba, quia nimirum Apri ejus radices appetunt, non (ut vult *Fulchfius*) quòd fues fi in polenta exhibeatur perimat; hoc enim experientiæ repugnat.

Hujus capitula carnofa, calyce, floribus ac femine refectis ex aqua cocta cum butyro, fale & pipere Cinararum more fuave edulium præbent. *Gefn. Helmontius* magni facit radices Carlinæ, quas fympatheticè, perindè ac earum fuccus & extractum arcere fomnum ftatuit, multò magis fomnos præternaturales.

Carlina alexipharmaca eft & fudorifera, Peftis contagia arcet curatque fi tempeftivè propinetur. Diuretica quoque eft & emmenagoga; hydropicis confert, tineas ventris necat. *Schrod.*

Philippus Melancthon cùm hypochondriacis doloribus conflictaretur, ufu herbæ Chamæleontis eos mitigavit: & hujus remedij efficaciam eum deprædicâffe teftatur Camerarius. *Rajus ex Sim. Pauli.*

CARMINATIVA MEDICAMENTA.

Si è pathologicis in memoriam vocamus & repetimus huc, quòd flatuum pater eft calor refpectivè debilis, mater humor aqueus, acidufve, frigidus & vifcidus, feu pituita, in vapores acta: fi quoque refpicimus materiam ipfam *Carminativorum* penitùs, facilè erit, modum eorundem agendi inveftigare.

Dicuntur *carminativa* ufitatò, quod vapores quafi carminent, & difcutiant, item, φυσαγωγά. Conveniunt enim eatenùs multum admodùm cum diaphoreticis, quòd difcutiant & refolvant: unde plurima funt diaphoretica, quæ & carminativa exfiftunt, ut carlina, zedoaria, ♉ diaphoreticum, &c. tantò excellentiora hinc, quod & refolvant, & per fudorem vel diaphorefin difpellant.

Suntque vel *halituofa rarefacientia*, quæ λεπτομερείᾳ fuâ, & attenuandi fubtili ac volatili virtute pituitam, five infipidam, five inprimis acidam, calefaciunt, & corrigunt, qualia inprimis funt tùm *volatilia oleofa*, feu fulphure balfamico, fubtili; cum fale volatili maritato, pollentia, quæ & calorem debilitatum fibi reftituunt, & halituosâ fuâ virtute undique penetrant, ac vaporofitate hâc fuâ fubtili & volatili explofionem generatorum vaporum craffiorum adjuvant, v. gr. fem. 4. carminativa, aromatica quævis, inprimis radix Zedoriæ & galangæ, & olea illorum ♌lata, oleum carmin. *Mynfichti*; tùm *volatilia acida*, ut ⌒ ⊕, ⌒ ⊖ dulcis, quem dolores colicos inftar incantamenti fuftuliffe, ex præfcripto *Crollii* obfervavimus aliquoties.

Hæc ipfa verò oleofa volatilia, feu fulphure volatili oleofo confpicua etiam funt paregorica, nervina & demulcentia: unde partium membranofarum doloribus & tenfionibus à flatibus oriundis apprimè unà fatisfaciunt.

Et hæc conveniunt egregiè tùm internè, tum externè, in quamplurimis affectibus, colicâ, vertigine, torminibus hyftericis, & poft partum; ubi fpeciatim radix Zedoariæ & galangæ profunt: flatibus uterinis, herniâ; ubi, experimento *Helmontij* & noftro, femina quatuor calida majora carminativa laudatiffima funt: tinnitu aurium, &c.

Vel

Vel *absorbentia & temperantia*, quæ non solùm acidum exsuperans saturant, humores ipsos desiccant, & inde exsurgentes vapores præcipitant; verùm etiam, si bilis rarefacta unà concurrat, eandem domant, & uno verbo, δυνάμεις has infringunt, & seminale flatuum fermentum ac gas silvestre exhalans coërcent; & imò, si calor junctus sit excessivus, adeoque φλογώσις viscerum, ut in hypochondriacis, conjuncta sit, eandem quoque respiciunt. Talia sunt tum *præcipitantia terrea, & diaphoretica*, uti inprimis ☿ium diaphoreticum, conchæ præparatæ, lapides ♋ &c. tum inprimis *salina, nitrosa, & alcalina* etiam, ⦶ ☿iatum, arcanum duplicatum, tartarus ⊕latus, ☉ fulminans; Tinctura tartari, &c. imò referenda huc sunt ipsa *acidula*, de quibus sub priore classe diximus, ut clyssus ☿ij &c.

Conveniunt hæc inprimis in colicâ biliosâ, flatibus hypochondriacis, tympanitide, febribus, palpitatione cordis, vertigine & similibus.

Notabile verò est, hæc quoque mista posse dari, ubi & præcipitandum, & dolores sistendi, ut in cardialgiâ inprimis, ubi sæpiùs maximo cum successu, oleum caryophyllorum cum conchis præparatis, in formâ siccâ, cum essentiâ carminativâ & castorei in liquidâ &c. exhibuimus.

Vel *coctionem, & calorem, ac menstruum ventriculi corruptum roborantia*, tùm *præcipitantia & incidentia*, ex radice ari, zingibere &c. tùm *aromatica* & balsamica alia, ad quemcunque excessum aptanda, de quibus jam suo loco seorsim actum fuit. Uti enim semper in flatibus ventriculus est respiciendus, ijdemque ex ejusdem frustratâ actione solenniter oriuntur: ita hæc ipsa stomachica etiam inter carminativa meritò recensentur. Prosuntque hæc in specie in ructibus, singultibus, cardialgiâ, inflationibus post cibum, & alijs.

Quod ad *Modum Applicandi* carminativa hæc, seu, quæ propriè flatibus debentur, spectat,

1. *Non in quibusvis flatulentiis tenuissima & potestate calida volatiliora opponenda*, inprimis in hypochondriacis, seu, qui affectu φυσώδει, id est, flatulento laborant, quibus sæpè & ut plurimùm temperatiora conveniunt, quæ φλόγωσιν viscerum à salinis & nitrosulphureis particulis totam temperant: unde hoc passu ipsa temperantia & refrigerantia quasi flatuum debellationi debentur, quatenus calidum innatum & hoc modo sibi restituunt.

2. *Propertio ergo agendi, non minùs ac alias, in carminativis quoque est respicienda & attendenda*, ut non opponamus calidiora & gradu eminentiora cum ardore seu æstu conjunctis flatibus, nec viscidis, crassis, pituitosis humoribus sola temperatiora: ut in tenuibus flatibus & crassis diversitas servetur.

3. Hinc etiam *in doloribus flatulentis, v. gr. colicis, non statim ab initio ad valida discutientia æquè est confugiendum*: variant quippe gradibus, quædam valentiora sunt, quædam temperatiora. Uti enim juxta *Galenum l. 14. meth. med. c. 7.* indicatio communis omnium inflationum est, ut, quod p. n. est, evacuetur: ità proxima est, ut, quod medicamentis discuti & dissolvi potest, itidem fiat: id verò non æquè fieri semper potest, v. gr.

4. *Non conveniunt 1. si copia adest materiæ*: tunc enim adhibita carminativa cùm non possint illam discutere, attenuant potiùs crassos & frigidos humores, & in halitus elevant, unde sæpè dolores & cruciatus augentur. *Vid. Lud. Septalius lib. 7. animadvers. 66. & 76.*

5. *Non conveniunt 2. si adest siccitas intestinorum, aridaque stercora obstructionem causentur*: utrobique enim, nisi priùs evacuatio fiat materiæ, & sufficiens depletio, frustrà non solùm sunt omnia, sed etiam in longè pejorem statum æger præcipitatur. Elegantissimum hanc in rem legi potest consilium *Cratonis* 173. *p.* 486, ubi male quosdam statim in colicâ festinare rectè scribit ad flatus discutiendos, adhibitis carminativis, quæ quidem in colicâ leviori voto satisfaciunt; in vehementiori verò tantum abest, ut prosint, ut potiùs plurimum noceant, quod exemplo Doctoris Francofurtensis confirmatur ibidem, remedijs talis modi penè enecti, jamque ad extremam maciem redacti.

6. *Ut a flatibus, præcipuè tenuibus, plurimi oriuntur affectus: ita & in curatione & praxi horum discussio maximè est attendendum.* Sic pleuritis flatulenta, anxietas præcordiorum, compressiones diaphragmatis, asthma flatulentum, & alia sæpissimè à flatibus oriuntur, unde frustra fuerit, ea promiscuè curare, ut alias ab humoribus oriunda symptomata.

7. *Flatus discutientia tùm alijs formis, tùm inprimis quoque clysteribus commode applicantur*, quibus ipsis unâ quasi fideliâ duo dealbantur parietes & fecibus emollitis ac eductis, & flatibus discussis. Hinc etiam olea destillata, moderatè ijsdem remista & cautè, optimè faciunt officiunt.

8. *Ut variant causæ flatuum productivæ, ita etiam curatio*, sive ab internâ causâ & facultate læsâ, ut vocant, sive ab errore externo oriantur. Sic, ut leguminosa, oleracea, humido excrementitio abundantia, poma, pira, cerasa, melones, dulcia, pinguia, seu crassa & lenta, feculenta, &c. flatus progenerant: ita etiam cruditatibus obviam eundo, id est, præcipitando acidulis, aromaticis, &c. pro re datâ medelam fieri oportet. *Wedelius.*

CARO in PHYTHOLOGIA.

Caro in Phythologia substantiam illam molliorem fructuum succulentorum notat, quam alias pulpam vocamus, ut pulpa seu caro Cassiæ, caro prunorum &c. *Schrod.*

CAROLINA, vid. *Carlina.*

CAROTÆ, vid. *Pastinaca.*

CARPENTARIA, vid. *Millefolium.*

CARPESIUM.

Tot opiniones de hujus nominis significatione sunt, ut *Mathiolus* ignorare quid hoc sit fateatur, & præsertim postquam viderit Galenum de illo sic ratiocinantem. *Carpesium* est simile huic quod *Phu* vocatur non tantùm gustu, sed etiam virtute atque proprietate; attamen natura Carpesij tenuior est, quæ propter mundificat melius, intestinorumque obstructiones aperit, urinam ciet, calculo renes exonerat. Attamen non adeo tenuis est ut utendum sit cinnamomô deficiente, secundum Quinti morem. Carpesium Ponti melius est quàm illud Laërtæ, interim ad cinnamomi vires non accedit, contrà, multum à bono cinnamomo distat. Hæ duæ Carpesij species nomen suum obtinuerunt è quibusdam montibus Pamphiliæ ubi crescunt: In Suria magni æstimant. Iterum in primo libro antidotorum, sic pergit. Quintus, deficiente cinnamomô, in compositionibus Theriacæ utebatur carpesiô quasi viribus simili bono cinnamomo, quapropter cùm ab oriente redierim multam magnitudinem mecum habui, & hactenus eandem quantitatem tute continuè servavi, itaut si non eundem odorem afflet, atque idem sapiat, sicut antea, attamen non ab illis omninò difficere certum sum. Carpesium autem Phû similis est herba, majorem nihilominus habet virtutem, atque vehementiorem odorem afflat. In urbe Pamphiliæ nomine Sida, vis illius est maxima; & minimi pretij ibidem est; quapropter si aliquis vestrûm hanc regionem petat, secum multam Carpesij copiam libenter habeat, nam certe diuturnum est. Sunt parvula sarmenta cinnamomi virgulis similia. Carpesij duæ dan-

dantur species, quarum altera dicitur Carpesium Laërticum, alteraque Carpesium Ponticum, Ambæ Carpesij species è montibus ubi crescunt nomina obtinent, tamen Carpesium Ponticum melius est, quia autem mihi erat ejus copia, in multis medicamentis, ubi Phû desideratur, illo carpesio usus sum; Carpesium enim est illi simile, majorem tamen habet virtutem (ut jam dictum est) quemdam mihi ignotum odoratu, gustuque odorem afflat. En quod dictum à *Galeno*.

Hermolaüs, *Ruell. Fuchsius*, alijque (ait *Matthiolus*) freti authoritate Avicennæ, Serapionis, & Actuarij, confidenter dicunt Semen rubeum (quod produxit Agrifolium) simile piperi vulgo à Pharmacopolis dicto *Cubebas*, esse proprium Carpesium; quod enim Carpesium *Galenus* nominat, *Cubeba* à Serapione dicitur. Avicenna etiam in eadem fere sententia est, quoniam juxta Arabes, in quadam compositione cubebas Carpesium nominat. Quicquid sit, quoniam in suis compositionibus Carpesium dixerunt *Græci*; sicuti *Arabes* dixerunt Cubebas, ubi illud nomen in certa præscriptione legetur, utendum est magnâ Valerianâ, quæ Carpesio est omninò similis (quemadmodum ait Galenus) aut cinnamomô potiùsquam Cubebis. Hæc satis confuse D. *Meuve* in suô Dictionario Pharmaceutico.

CARPIO.

Carpio, qui piscis sit, apud veteres ignoratur: Moderni quidam in Solo *Benaco* lacu reperiri, & à carpendo auro dici ajunt. *Lacustri* potissimum Truttæ congener statuitur ab *Aldrovando*, de Piscibus, lib. 5. cap. 50.

Nomina, Carpio *Offic.* vel Carpo *Schrod.* Cyprinus *Aldrov. Rondel. Gesn. Jonf. Bellon.* Carpa *Cassiod.* In lacubus & fluvijs; limo, & muco vivens.

Partes officinales.

Fel, Axungia, Ossa in faucibus, Lapides carpionum, in Officinis dicta.

Vires. *Fel* oculorum hebetudini & nubeculæ subvenit. *Axungia* nervorum affectibus calidis auxilio est. *Os triangulare* colicis doloribus calculosis comitialibusque conferre statuitur, & ad Epilepsiam commendatur. *Schrod.*

Lapis palati ægris in gravi febris æstu allevamentum aliquod afferre traditur, quod sitim sedet & refrigeret; sanguinisque è naribus fluxiones cohibere si ore contineatur, sunt qui affirment. *R. Icthy. p.* 246. Ex Cyprinorum ovis Caviarium rubeum fieri solere Judæis dicatum scribit *Bellonius*.

Carpionis *lapillus triangularis* in pleuritide & calculo renum mira præstat. Externe etiam in narium hæmorrhagiâ pulverisatus cum lanugine, quæ in malis cydonijs reperitur, naribus inseratur. *Hoffmann.*

Lapilli duo prope oculi superficiem existentes semilunares sunt & duriores. Ad apoplexiam, epilepsiam & sanguinis fluxum sistendum mirè commendantur.

CARPOBALSAMUM.

Quamvis, de *Carpobalsamo* jam supra egerimus ubi de *Balsamo*; non inutile tamen fuerit hic rursus addere quod carpobalsamum sit Balsami Ægyptiaci *Prosper. Alpin.* fructus oblongo-rotundus, rugosus, pisô minor, spaceo-fuscus, in parvum aculeum desinens, quatuor, ut plurimum, quasi costis notatus, includens aliquando, dum maturescit, medullam exsuguam balsamicam, oleosam, albicantem, odoris grati, aliquando nullam, sed putamen tenerum cassum.

Locô *Carpobalsami* prostant aliquando fructus lentisci: nam quid sit veterum Carpobalsamum nemo novit; rarò huc transfertur. Turcæ ejus transportationem prohibent. *D. Hermannus in Materiâ Medicâ manuscripta.*

Fructus qui in officinis venditur pro Carpobalsamo, non est Carpobalsanum, sed potius fructus Malabathri.

CARTHAMUS.

Nomina. Carthamus sive Cnicus *J. B. Ger. emac.* Cnicus sive Carthamus sativus *Park.* Cnicus sativus sive Carthamum Officinarum. *C. B.*

Tereti surgit *Caule* singularique, qui superius in ramos dividitur. *Folia* per caulem in ramos indigesta, nervosa, brevibus pinulis per ambitum donata, sescunciam aut uncias duas longa, unciam ferè lata, in acumen desinentia, angustâ cervice ramis adhærent. Ramulorum extremis insident *Capita* inter folia squamata, è quibus *flores* explicantur staminei, saturo croci rubore tincti. *Semen* pappo adhæret oblongum, album, medullâ dulci, albâ.

Seritur in hortis, & agris etiam, circa Argentinam Germaniæ urbem. Locus ejus natalis videtur esse Ægyptus: scribit enim *Plinius* lib. 25. cap. 15. Italiam Vespasiani principatu hanc ignorasse, & in sola Ægypto celebrem.

Floret Julio & Augusto; semen interea perficitur; & eodem seritur anno exinde inarescit.

Carthami semen, quod homini catharticum est, Psittaci, referente Matthiolo, non solùm innoxie esitant, sed & commode nutriuntur eo & pinguescunt.

Cæterùm accuratam omnium hujus plantæ partium descriptionem si desideras eam tibi exhibebit *Jo. Bodæus à Stapel Commentar. in Theophrast. hist. lib.* 6. *cap.* 3. *pag.* 605.

Vires. Semen pituitam viscosam ac aquas vomitu ac dejectione purgat: confert maxime pectori: calf. & sicc. 1. Stomacho adversatur, ideoque corrigitur Stomachicis anis. galang. zinzib. &c.

Dosis in substantia à ℥i. ad ℥iiß. (sed raro ita exhibetur ob viscositatem) in infuso ab ℥iij. ad vi. vel ultra.

Præparata.

1. Extract. Diacartham. s. Cnicopharmacum. Dosis à ℥ß. ad vi. (Loch. de Carthamo etiam paratur) 2. Syrupus de Carthamo. dosis ab ℥i. ad ℥ij. 3. Electuar. Diacartham. dosis ℥i. 4. Species diacartham. dosis ℥i.

Semen *Carthami* seligatur recens, crassum, integrum ac medullosum. Continet multum olei pauco sali volatili admisti.

CARVI, sive CARUM.

Plinius lib. 19. cap. 8. *Carum* à Caria appellatum dicit. *Peregrinum & Careum gentis suæ nomine appellatum, culinis principale.*

Folijs pinnatis, pinnis in multas lacinias dissectis, seminibus oblongis, striatis; radice dulci esculenta, ab alijs Umbelliferis distinguitur.

Nomina. Carum sive Careum *Ger.* Carum vulgare *Park.* Cars *J. B.* Cuminum pratense, Carvi officinarum *C. B.*

Ex *radice* singulari longâ, crassitudine pollicari & majore, rugosâ, adnatis quibusdam & fibris auctâ, albâ, sapore aromatico & acriusculo ut Pastinacæ, *caules* profert multos, cubitum & sesquicubitum altos, striatos, solidos, glabros, geniculatos, in ramos subinde divisos: *folia* longo carinato pediculo, sed angusto, partim à radice, partim ex ramulorum alis enata, Staphylini folijs similia, sed per longiora intervalla alas pro-

proferentia, & tenuius, incisa, glabra: in ramulorum extremis umbellæ non ingrato odore; *flores* singulares parvi, rotundi, albidi aut rubescentes petalis cordatis nonnihilque ad fissuram crispis, omnibus in ambitu æqualibus compositi, è quorum umbilico virenti Stamina tenuissima exeunt albicantia, apicibus virentibus. *Semen* succedit oblongum, striatum, sapore acri & aromatico.

In pinguibus & lætis campis herbosis & pratis, quæ subinde rigantur apud Germanos Bohemosque frequens nascitur *J. B.* In palustribus Lincolnienfibus inque pascuis depressis & pinguibus propè Hullam oppidum in Eboracensi provincia copiosè oritur, & alibi etiam apud nos in pratis.

Vires. Semen stomachicum est ac diureticum, siquidem flatus discutit, concoctionem promovet, urinam ciet, cerebrum corroborat, lactis abundantiam præbet. Hinc usus ejus insignis est in colica, vertigine, epilepsia præcavenda, &c.

Semen hoc passim in Germania (& Anglia) usitatissimum est: nam & panibus, quos biscoctos vocant, compinsitur, & caseis adjicitur (in Germania) jusculis & placentis, artomelis, alijsque ferculis incoquitur, & in officinis saccharo obducitur.

Radix dum adhuc tenera est non minus efficax habetur quàm semen: estque caro ejus in cibis ipsa etiam Pastinaca jucundior & delicatior, teste. *Parkinsono.*

Multum olei reddit destillatum semen; quod multò acrius est quàm oleum Anisi, experimento *J. Bauhini.*

Thonerus in Obs. p. 126. dolorem totius abdominis clamosum per quinque guttas olei destillati Carvi curavit: & solo hoc oleo à sævo ventriculi dolore curavit etiam alium. *J. Rajus.*

CARYOCOSTINUM. vid. *Electuarium.*

CARYOPHYLLATA.

Caryophyllata ab odore radicis dicta est, quòd vernali tempore eruta Caryophyllum aromaticum odore referat: vulgò Herba Benedicta & Sanamunda ab insigni quâ pollet facultate & efficacia.

Seminibus caudatis, folijs pinnatis, radice aromatica à congeneribus differt.

Nomina. Caryophyllata *Ger.* vulgaris *Parkins. C.B.* vulgaris flore parvo luteo *J. R.*

Vires. Radix Caryophyllum aromaticum olet, sed neque in omnibus locis, neque omni tempore, inquit Gasp. Hofman. Vino decocta ac calida pota dolorem ventriculi & intestinorum à frigiditate aut flatubus ortum sedat, purgat & mundat omnia vulnera: Schroderus cephalicam & cardiacam esse ait, & venenis adversari. Usum ejus præcipuum esse in catarrhis exsiccandis, sanguine coagulato resolvendo &c. Vinum in quo infunditur radix optimo & jucundissimo odore & sapore commendatur; eóque cor exhilarari & obstructiones jecoris aperiri, necnon frigiditate & crassis humoribus affectum stomachum juvari multi testantur. *Fragus.*

Cum manifeste adstrictionis particeps sit, verisimile est epotam prodesse cœliacis, dysentericis, fœminarum profluvijs, & cruenta expuentibus.

Radix infusa Cerevisiæ summum tenet in roborandis articulis & visceribus. *D. Hulse.*

Radicis ℥ii. aut herbæ integræ manipulus j. in Aq: fontan. aut Zytogali ℔. ii. decocta ad ¼ consumptionem, ad febres intermittentes, præsertim tertianas, duabus horis ante paroxysmum, vel etiam in ipso paroxysmo optimo cum successu propinari solet. *D. Hulse.*

Menstruorum suppressio certis experimentis *Simonis Lazij, Med. Vienn.* præceptoris mei sublata est haud semel dec. rad. Caryophyllatæ in vino. *Achilles Gasserus* in obser. à Velschio editis. *Joh. Rajus.*

Alia etiam datur *Caryophyllata* quæ in montibus crescit, & propterea *Alpina* dicitur, *flore* est subpurpureo ac nutante, *radice* minimè aromatica, sed non parum adstringente, ac forsan in alvi profluvijs non mediocris utilitatis. Verùm quandoquidem hac in re experimenta hactenùs nobis desunt, nec apud alios videmus unde nostra confirmetur conjectura; de ea plura non afferemus, subjungemusque hic quæ in Miscellaneis Curiosis habentur,

DE RADICIS ET HERBÆ CARYOPHYLLATÆ VI OPHTHALMICA.

Quod *Dn. Auda in secret. libell. citante Celeberr. & Excell. Dn. Lucc, Schrœkio in decad.* 1. *Ann.* 1. *Miscell. cur. p.* 119. in se ipso expertus est de radice Caryophyllatæ montanæ majoris rotundifoliæ, eam verno tempore collectam & amuleti instar appensam, egregiè valere in hæmorrhagijs, maximè hæmorroidibus nimium fluentibus sistendis, id quoque dicere possumus de Caryophyllatâ vulgari eam manè antè ortum solis collectam in nodulo ligatam appensam mirè valere in ophtalmiâ ad robur oculorum & rubedinem, fluxumque acrem arcendum, quatenus effluvia inde emanantia particulis balsamicis & salinis sanguinem serosiorem & acriorem inspiratione & insensibili ingressu alterant & corrigunt ut massa sanguineâ inde nitidiore redditâ & fibris oculorum roboratis, incommoda ejusmodi certe abigant, ut non semel in hominibus sed & Equis sæpius hoc expertum vidimus. Amuletorum vim etsi rideant multi cum recentissimo quodam scriptore, tamen hoc illo de Asperula murali minima Celeberr. Hoffmanni Profess. Altorfini exemplo, in Miscell. Cur. Dec. 2. Ann. 9. p. m. 409. ut taceam alia, eludetur; refert scilicet cit. Exc. Dn. D. Hoffmann. illam amuleti loco appensam certò Odontalgiam sistere, idque ob effluvia narcotica impulsum spirituum elasticum sistentia. *Miscell. Curos. Dec. A.* 1. *p.* 244.

CARYOPHYLLUS AROMATICUS.

Nomina. Caryophyllus aromaticus fructu oblongo *C. B.* Caryophylli *Park.* Caryoph. Indici. *J. B.* Caryoph. veri Clusij *Ger.*

Caryophylli vox *Nucis folium* significat, verùm cur id huic aromati nomen impositum, aut quid sibi velit, me nescire fateor. Nostratibus *cloves*, Gallis etiam *clou*, & Hispanis *clavo*, à Latino *Clavus*, quia clavi in modum capitatus est. Belgis etiam *Naghel.* eôdem significatu & eâdem de causâ dictus est.

Arbori magnitudo nostratis cerasi (*C. Bauhinus* magnitudinem Pyri aut Mali ei attribuit, *Garcias* Lauri formam & magnitudinem (*Caudici* crassitudo quanta pœne humano corpori. *Cortex* oleæ: *Folium* Pyri nostratis (cum *Pisone* consentit *C. Bauhinus* & *Bodæus à Stapel. Linschotanus, Maffeus, Clusius,* alijque folia Lauri ei ascribunt, nervo singula folia per mediam longitudinem secante, & nervulis inde multis ad latera utrinque excurrentibus) Folio petiolus est longiusculus. *Rami* plures & multum fruticantes, quorum plurimi desinunt in tenues valdè surculos.

Surculos. *J. Bauhinus* sic describit fructiferos. Ejus (inquit) ramuli aut surculi sive pediculi quos observavimus coloris sunt fuliginosi, longitudinis duarũ circiter unciarũ, cortice satis crasso, gustuq; nõnihil aroma-

ticos. His adhærent sæpe Caryophylli aliquot: partes inferiores, quæ crassiores, quadrangulæ apparent. Ex prædictis ramulis (quorum adversus situs) ceu præpilati clavi rugosi affiguntur, singulares, semunciâ longiores, externè fuliginosi coloris, infernè dilutiores paulò, qui quatuor denticellis radiatis decussatim coronantur, quorum medio capitulum Pili parvi magnitudine insidet, è foliolis squammatim implicatis contextum; quibus patentibus fibræ comparent plurimæ rufescentes, & inter has ex cavitate quadrangula stylus rectior, ejusdem coloris: atque hic nihil aliud est quam flos nondum explicitus, quaternis folijs constans, initio albicans, deinde virescens, postremo rufescens (tradente *Garcia*) fragrantiâ ligni omnes flores superans. (*Clusius* ab ἀυλοπλαις intellexit, formâ non dissimiles esse floribus Cerasorum, non tamen candidos, sed elegantis cœrulei coloris, quorum singulorum petala tribus candidis radijs seu venis essent distincta; Staminula verò medium florem occupantia purpurei coloris.) Sapor recentium (Caryophyllorum) fervidus non sine amarore, valdè tamen gratus & aromaticus (cordo astringens quoque) & nescio quid stuporis linguæ imprimens. Succo oleaginoso & rubente. Flore autem excusso cauda clavi in ventrem turgescit, longa tamen semper remanens, inque corticem degenerans; nucleum ventre concipit, alias simplicem, aliàs geminum, ut duriorem dentibusque difficulter fragilem; ità parum illius gratiæ aromaticæ fervidæ retinentem, nigrum, in duas partes εἰς ἔνυχα commissas, fissilem. Maturus ille seu tumidus Caryophyllus tam Medicis quàm Pharmacopolis *Antophyllus* appellatur. Hic in arbore remanens insequente anno sponte cadit, isque languescente licet vi aromatica in pretio habetur, & loco seminis plantationi dicatur, Matrem fructuum appellant. Horum aliqui ab agricolis neglecti, delapsi & terræ gremio excepti, sponte germinant, atque octo intra vel novem annos, justæ interea arbores factæ fructum juxta cæteras ferunt. Felicius tamen quotquot altero tertiove anno frutices transplantantur.

Ramulus quem Clusius cubitalem nactus est in ramulos alternatim ex adverso nascentes dividebatur: infima parte cinerecei coloris cortice tectus erat, graciliores tenellique ramuli eum candidum habebant, præter extremas festucas ipsum fructum sustinentes, quæ fusci coloris erant, & ternæ plerunque junctæ ramulos terminabant.

Hinc apparet errâsse *Acostam*, *Matthiolum* aliosque eorum sequaces, qui fructus sparsim ramis inhærentes Myrtinorum modo describunt & depingunt.

Caryophylli in Moluccis insulis sponte proveniunt. Moluccæ autem juxta Æquatorem sunt sitæ, ut se à Borea in Austrum exporrigant, à se invicem non amplius vicenis leucis dissitæ. Earum maxima ultra senas leucas in ambitu non habet. Omnibus solum est adeò aridum & siticulosum, ut non solùm cœlo lapsos imbres momento imbibat, verùm etiam à montibus descendentes aquas absorbeat antequam colligere se in flumen aliquod, atque ita in mare delabi queant. Quin aliquot locis è terra sponte ignes & magno strepitu eructantur. Unde cœterà quidem sterile solos Caryophyllos profert, certe quæ ad victum necessaria, ea incolæ coguntur omnia petere à vicinis insulis. Porro ex insulis quæ Moluccæ dicuntur sub unius Reguli imperio sunt *Ternate*, *Makian & Mutier*. Quarta quæ *Baciam* alium sibi Regulum habet. Hæ quatuor olim abundare Caryophyllis solebant, nunc penitus ijs destitutæ, culpâ non novercantis naturæ; sed largissinæ & benignissimæ matri invidentis fortunæ, imo Batavorum avaritiæ, à quibus reguli aliquot millenis imperialibus excæcati ex pacto omnes ibi Caryophylliferas arbores eradicarunt. Batavi enim, ipso *Pisone* fatente, ut uni lucro student, suâ interesse putârant, nè tam nobile Aroma vilesceret copiâ & fertilitate divinâ. Ita Avaritia lege, modo, ratione carens audet ipsi naturæ Auctori, omnisque boni largitori tantum non suam exprobrare benignitatem & liberalitatem. Moluccensium interea cæteræ *Tidor & Marigeron*, quas sui juris Hispanus fecit, Caryophyllos satis abundanter ferunt: Quemadmodum & Amboina, quæ Batavorum commercio patet: eorundem arboribus & arte consita est; & naturæ beneficio frequentibus locis dotata. Hactenus Piso.

Tempestate sicca admirabili luxurie sæpe fructus quam folia numerosiores. Neque tamen per annos constante tempestate omnibus par ubertas: nam altero, tertiove anno, aliquando septimo minor hæc.

Leguntur semel duntaxat in anno ab Octobri ad Februarium. Pars manibus leguntur; pars Arundine longa aut è funiculis flagello discutiuntur. Ab his periculum tamen est, nè non satis aut provida aut experta manus surculorum extrema quasset, cum certa in sequentem annum vindemiæ etiam speratæ jactura. *Mirum nobis videtur Caryophyllos, cùm fructus rudimentum sint, & proculdubio virgis tenacissimè adhæreant, ulla quantumvis violenta flagellatione decuti posse.* Cùm vindemiandum est, universum sub arbore solum exherbatur, quo facilius legantur decussa Caryophylla. (alij tegetes aut lintea arboribus substerni ajunt) Recens lecti rufi sunt & leviter nigricantes. Qui ut prorsus evadant nigri & siccantur & infumantur, atque nè teredo invadat marinâ tepidâ aliquantum macerantur, iterumque siccantur: itaque præparati per universum orbem distrahuntur. Quò appellunt ibi plerumque purgari à petiolis consueverunt, & hi seorsim vendi; qui *Lusitanis Baston*, vulgò *fusti*, dicuntur, & hodie in quamplurimis locis, potissimum Genuæ & Lugduni Sacchαro incrustantur. Gustu & odore paulò quam ipsi Caryophylli remissiore sunt, sed tamen jucundissimo ac suavissimo, quæque nullam mordicando palato tristitiam inferunt. Folia quia etiam ac cortex non tanta odoris gratiâ fragrant ac ipsum Caryophyllum, non tamen prorsus odore destituuntur, sed Caryophyllos nonnihil redolent, atque etiam eorum saporem referunt.

Caryophyllum deliges nigrius, solidius, ponderosius, & copiosiorem liquorem divulsum ungue, vel acu punctum exsudans, odoratum, frangi contumax ac lentum, recens linguam masticanti unà cum faucibus pœne adurens, acre & aromaticum. Annos quinque servari posse ait Sylvius locô temperatô.

Vires. Caryophylli calefaciunt & exsiccant. Et sanè, calor tam est huic Aromati essentialis & genuinus ut cum in India emundatur, si vas aliquod cum aqua aliove liquore adstet (teste Linschot.) id omne intra duos dies, etiam aliquatenus dissitum, ingenti siccitate Caryophyllorum exhauriatur, ut sæpe numero experimentis comprobatum ait. Hoc nobis quidem minus verisimile videtur: confirmat *Guil. Piso* his verbis, Indi vendituri aut vendita (Caryophylla) traditurì biduo ante solent in horreis sive Caryophyllorum conditorijs apponere magnum & satis capax vas, atque hoc replere aquâ. Quæ omnis brevi exhalans subit in Caryophylla, & ponderosiora reddit, certô lucrô: Quin invenitur ferè Caryophyllon in tantum pondus auctum, quantum fuit aquæ appositæ. Cujus experimenti nostratium aliqui haud ignari, adulterium hoc facile & lucrosum, non semel imitati sunt. Hæc aquæ è vase fuga seu evaporatio, si solito celerior fit, calidis fortasse ἀναθυμιά-

σεσι

ὄζει Caryophyllorum debetur: attractionem ullam proprie dictam dari non concedimus.

Caryophylli oris halitum commendant, ideò mulieres Indorum frequenter manducant in eundem finem, aliæque aliarum gentium. Ad oculi aciem conferre, & nubeculas exterere dicuntur: Ventriculo robur addunt & hepati; vomitum compescunt & nauseæ adversantur. Veneris incentivum sunt *Serapioni*. Conducunt porro contra morbos Cerebri frigidos, Apoplexiam, spasmum, paralysin, lethargum, stuporem.

Iidem sive suffimento, sive esu faciunt contra aerem pestiferum.

Præcipuus autem Caryophyllorum usus est culinaris ad condimenta & embammata: adeò autem expetuntur & placent ut sine Caryophyllis dapes ferè despiciantur. Nec eorum tantum pulvis omnibus propemodum ferculis & intinctibus admiscetur, sed & gallinæ, capones, galli Indici, bubulæ linguæ, vaccarum ubera, aliaque ejusmodi Caryophyllis transfixa assantur: quin & ijs fructus transfigi & conituræ, ut Mala, Pyra, Colonea à mulierculis consueverunt. Usurpant item ad olfactoriola & vestium odores: in quem usum Mala Aurantia Caryophyllis infixis siccare solent.

Quidam Cerevisiæ aut vino Caryophyllis in coctis, aut eorum pulvere nodulô inclusô & in vase suspenso, odorem & saporem jucundum conciliant.

Usus est etiam in ventriculo dicatis scutis & sacculis tum ad vomitum, tum ad ventriculi dolores à causa frigida.

Quidam pulvere Caryophyllorum caput spargunt contra capitis dolores ac gravedines.

Caryophylla viridia aceto & sale apud Moluccanos condiuntur, teste *Garcia*, sed his teneriora saccharo asservantur in magnam palati amœnitatem. Nostri quoque (inquit J. B.) Caryophylla saccharo incrustare solent, non inconcinno ad placendum paratu, & calefaciendum frigidum stomachum invento.

E Caryophyllis quoque destillatur Oleum, quod quidam pollere Balsami facultatibus asserunt tam interno, quam externo usu. Est tamen proculbio calidius multo.

E Floribus & Caryophillis adhuc viridibus Indæ pariter ac Lusitanæ fœminæ destillando eliciunt aquam vel spiritum, mira odoris suavitate fragrantem, & cordis & cerebri affectibus singulari potestate convenientem, inprimis autem Paralyseos illi speciei *Beribery* dictæ.

Magnates insuper acetum ex infusione Caryophyllorum viridium parant, durabile valde, & cibis condiendis ac ventriculo roborando atque concoctioni promovendæ aptissimum: *Ashar* id appellant.

Annotat Garcia crassiora illa & annotina Caryophylla in *Java* insula expeti, tum ad obsonia condienda, tum ad medicamenta.

Arbor hæc gummi quoddam seu potius resinam fundit crocei coloris (ex atro rufescentem *Clus.*) fragilem admodum & siccam, nullum gustanti saporem offerentem (nisi fortè id vetustate accidit) odore tamen ubi adoletur suavi, Caryophyllorum: facile ardet, claraque incendia dat. De hujus viribus nihil certi traditur, si sit eadem de qua Avicenna prodidit, quod suspicatur *Clusius*, Terebinthinæ facultate respondet. *J. Rajus.*

Caryophylli eligantur suave fragrantes, non admodum strigosi & exsucci, sed oleosam humiditatem in sinu plurimam gerentes. Illis ob vetustatem inodoris redditis fragrantia restituitur, si vino, in quo optimi Caryophylli per tempus macerati fuerint, conspergantur rursusque exsiccentur. Verùm hi foris tantum, necquidem diu Caryophyllos olent adquisititio hoc odore brevi temporis spatio pereunte.

CARYOPHYLLUS HORTENSIS.

Caryophyllus ab odore Caryophyllum aromaticum referente dicta est hæc planta, fortè etiam ab aliqua similitudine, quam habet flos expansus cum suo calice cum Caryophyllo dicto. Nonnulli veterum Vettonicam seu Betonicam à Vettonibus Hispaniæ populo dictam esse arbitrantur. Officinis Tunica à Betonica per aphæresin denominatur.

Ego Veteribus incognitum fuisse credo. Si enim flos tam eximiæ pulchritudinis & fragrantiæ quam est Caryophyllus altilis & hortensis, eis innotuisset, procul dubio non minoribus eum encomijs celebrassent quam Rosam, ipsam cui odore quidem æquiparanda est, venustate & durabilitate etiam præferenda.

Caryophylli *notæ characteristicæ* sunt, calix floris oblongus, cylindraceus, lævis, integer, in margine duntaxat summo dentatus, vasculum itidem continens oblongum, cylindraceum; Petala margine extremo incisa aut laciniata, semina compressa, rugosa, per maturitatem nigra.

Duplex est 1. Angustifolius folio gramineo, glauco: 2. Latifolius, calyce foliolis oblongis cincto, Armeria dictus.

Vires. Innumeros (Deo benedicente) sola decocto florum Caryophyllorum vindicavi à febribus malignis; & hoc omnibus Medicinæ studiosis juratô veluti affirmo, vel potenter sudores movent, vel urinas pellunt citra magnos naturæ motus, simulque cor corroborant, sitimque sedant. *S. Paul Quadrip. Botan. p.* 242.

Flores Caryophyllei cephalici sunt ac cordiales; unde usus eorum præcipuus est in Capitis malis, Vertigine, Apoplexia, Epilepsia, Paralysi, alijsque nervorum affectibus; in syncope, palpitatione cordis, &c. in ventriculi imbecillitate, cardialgia, &c. in febribus pestilentibus, dato vel succo expresso totius herbæ ad ℥ß. vel pulvere radicis ad ℨß. Eodem tempore nares contingere oportet aceto caryophyllato, gestare linteola eôdem madefacta. Fugant lumbricos, partum facilitant. Extrinsecus adhibentur in vulneribus capitis, extrahunt ossa cranij fissa, leniunt cephalalgiam & odontalgiam. In usu sunt succus inspissatus, essentia dictus. *Schord.* 2. Conserva ex floribus. 3. Aqua stillatitia ex floribus. 4. Syrupus ex infusione florum. 5. Acetum ex infusione florum.

In facultatibus (inquit C. Hofmannus) compone florem nostrum cum rosa. Quemadmodum enim illa inæstimabilem odoris gratiam habet, ita etiam flos noster, estque pariter gustu amarus, sine tamen ungue suo. Quemadmodum in Rosa odor & sapor in superficie est, peritque in sicca; ita in flore nostro. Quare quemadmodum Rosæ sunt cordiales, reparatis spiritibus animalibus ob benignas è ventriculo ad caput evaporationes; ita heic. Veruntamen hac affirmo ut Rosa temperata vix est, ita Caryophylli superant temperiem. *Rajus*,

CARYOPHYLLUS REGIUS.

Est fructus quidam minutus arboris Indicæ, caryophyllo vulgari virtutibus ut credunt paulo superior, sed nostræ Europæ prorsus ignotus, ac propterea hîc multis minimè describendus.

CARYOTA. vid. *Dactylus*.

CASEUS. *vid.* sub Titulo *Lac.*

CASSAMUM. vid. *Carpobalsamum.*

CASSIA FISTULA NIGRA.

Nomina, Cassia fistula Alexandrina *C.B.* fistula *Ger.* purgatrix *J. B.* solutiva vulgaris *Park.* Canna *H. M.*

Arbor est procera (Juglandi trunco, ramis, folijsque proxima *Alpin.*) *Radix* cortice est fusco, ramos tranversos spargens. *Caudex* ambitu unius hominis amplexum excedit, cortice cinereo, ut & rami majores, obductus, surculi novelli virides sunt. Cortex adstringit & subamarus est. *Folia* è quinque pinnatum paribus impari costam finiente composita, seu folijs mediocriter crassis, glabris, supernè saturatiore virore nitentia, subtus pallidiora, sapore subdulci & subamaro. Flores longis tenuibus, viridibus surculis seu pediculis hærent è foliorum alis exeuntibus, plures juncti velut racematim, eo modo quo flores Laburni, singuli petiolis triuncialibus hinc inde appensi, flavi quinque petalis oblongo rotundis nonnihil crispatis, angustis inferius unguibus, ex vena media latiore venis obliquis striatis, compositi. Medium florem *Stamina* occupant decem, tria majora flava cum grandibus apicibus flavo-fuscis,&c.septem minora flava cum grandibus pariter apicibus, seu semibifidis flavo fuscis linguis: Ex medio longum siliquarum viride germen prodit, verùm non ex omnibus floribus. *Calix* quinque cuspidatis folijs constat. Siliquæ floribus succedentes ad duûm cubitorum paulatim longitudinem excrescunt, forma cylindraceâ, diametro unciali, colore per maturitatem nigricante, cortice lignoso, seu potius cartilagineo duro constantes, interiùs distinctæ in loculamenta per diaphragmata seu orbiculos cartilaginosos, transversos ac parallelos, cui cortici interiori affixi, & in medio rectâ fissurâ, ad eandem corticis partem striati: Orbiculi hi pulpa subdulci, quæ primùm albicat, dein flavescit post ex rubro nigricat obducti sunt. In pulpa fabæ involutæ sunt, oblongo-rotundæ, orbiculis adiacentes inferiore parte, & cum suâ longitudine respondentes longitudini fissuræ; teneræ cortice albicante sunt, pulpa intus viridi subacida, quæ carne pellucida & nervosa circundata est, sapore nullo; cùm maturæ & siccæ sunt cortice duro, rubro-fusco obducuntur.

In regionibus calidis, ut Ægypto, & omnibus ferè Indiæ Orientalis provincijs, oritur.

Vires & Usus. Ægyptij diluculo per Cassiarum loca deambulare sæpius odoris causâ consueverunt: quippe aurâ à Cassijs, eximium ac gratissimum, oriente præsertim Sole, odorem spirantibus, ad ipsos delatâ oblectantur.

Quod ad electionem attinet, ea est vel Fistulæ, vel succi nigri & dulcis.

Fistulæ bonitatis notæ sunt. 1. Ut sit recens, h. e. ut non diu reposita fuerit. Ægyptij autem non utuntur recentissimis, sed saltem post quartum mensem, quandoque juniores recentioresque inutiles neque à noxa immunes observantur.

2. Qui fistulam quò majorem eò meliorem pronunciant falluntur & fallunt. *Alp.* Eadem nigredinis ratio est. Verus color est cum rubedine nigrescere.

3. *Alpinus*, Quod aliqui cannas optimas manibus concussas sonum non edere ajunt, falsum pronunciant. At eruditissimus *Veslingius* crepitantes à concussu optimas esse mendaces quosdam Ægyptios *Alpino* persuasisse dicit; cautiores enim mercatores crepitacula illa à solidiore fructu secernere se vidisse, & siqua fistulæ parte se distinctiùs offerant eatenus obrumpere: Arida enim intra septum semina continent, & pulpamento melleo distituta, humore tenui quo redundabant discusso.

Pulpa ipsa 3. notas haber, præ nigredine splendens & pinguis fit: dulcis ferè ut Pruna, sed cum aromatica quadam acredine. Quæ enim vel acerba ob immaturitatem, vel acida ob vetustatem in vitio est. Summa; Quæcumque Cassia cum dulcedine quodam æqualiter afficit fauces, nullomodo mordicans, illa est bona, qualiscunque sit fistula *C. Hofman.* & paulo post, quamdiu dulcis est tamdiu securus est ejus usus.

At *Fallopius* maturitatem Cassiæ ex aciditate dijudicandam esse ait: si enim mordicet valdè fauces, indicare quòd sit matura. Nos cum *C. Hofmanno* sentimus. Collectas siliquas Ægyptij continuo in opportuna loca sic claudunt, ut nullus aër ingrediatur, cum ex minimo aëris contactu Cassiæ corrumpantur. *Alpin.*

Pulpa Cassiæ purgat bilem & serosos humores, & convenit in ardoribus tum externis, tum internis, sanguinem contemperans & puriorem reddens. Affectibus pectoris à destillatione acutorum humorum concitatis mirè subvenit. Pulpâ hâc cum saccharo cando & liquiritia pro secreto uti solent Ægyptij ad renum vesicæque vitia. Proindeque ejus frequenti usu se à calculo præservant. *Monardes* & cum eo *Matthiolus* pro infallibili præservativo habent ℥ß. quotidie tribus horis ante prandium.

Tamen monet Fallopius, intutum esse usum ipsius in ardore urinæ, quòd ducat ad locum affectum & morbum augeat. Idem observavit *Fabric. Hildanus Epist.* 35.

Habet Cassia hæc duo mala, humiditate enim sua dissolvit tonum ventriculi, & flatus gignit: unde nec humidis ventriculis, nec hypochondriacis & flatulentis, nisi carminativis & stomachicis, (v. g. Cinnam. Mastich. sem. Anisi) correcta convenit. *Schrod.* Præstat tamen (inquit C. Hofmannus) abstinere ab illa in hypochondriacis ob intestinorum debilitatem.

Cassia etiam utuntur (verba sunt Alpini) ad tussim antiquam, dyspœam, asthma, & orthopnœam cum Agarico: pro calidis articulorum doloribus, maximèque in podagra, dolentibus partibus emplastri modo ipsam adhibent.

Saxoniam pro lectione dixisse miminit C. Hofmannus, Capitis dolores post cibum non curari felicius quam Cassia post cibum: quod postea invenit apud Helidæum; qui curasse se ait hoc modo pertinacissimam ophthalmiam.

Omnia lenientia & inter ea Cassia sumi debere ajunt modico ante cibum tempore, quod alij bihorio, alij unâ horâ, alij semihora definiunt. *Vid. C. Hofman.*

Errare eos scribit *Camerarius*, qui existimant semina Cassiæ purgare, cùm potiùs astringant: cujus contrarium se expertum affirmat *Fallopius*, *Garcias* etiam *Monardi* idem asserenti contradicit,

Cortices siliquarum movere menses & pellere secundinas quamvis *Ambrosius Paræus*, *Sepulveda* & alij affirmant, maxima tamen pars medicorum negat.

Siliquas Cassiarum, perinde ac *Phaseoli*, virides, in aquâ priùs parum bullitas,& mox in umbra ab humiditate siccatas Saccharo vel melle condiunt, atque ad usum servant puerorum delicatarumque mulierum. Exhibent verò ad summum eas ad ℥4. atque ad ℥1. pueris, ad supradictos affectus. *Rajus.*

Cassia fistularis, fructus arboris, probatur communiter Alexandrina, licèt in utraque etiam India proveniat, amplis siliquis gravis ac ponderosa, quæ concussa granis intus perstrepentibus sonum non edat, cortice levi ac purpurascente, pulpâ intus pingui, splen-

ſpendente, ſucculentâ, non ſitu obductâ, multò minus putri, ſapore prunorum delicato, prædita. *Pharm: August.*

Præparata.

1. *Caſſia flos ſ. pulpa Caſſiæ, Caſſia extracta.* Fit trajectione medullæ exemptæ per cribrum.

N. *Vapor aquæ cribro ſubditur, ut medulla in cribro agitata eò faciliùs transeat: debet autem fieri extractio actutum quando uſus poſtulaverit, aceſcit quippe pulpa cum tempore.*

Doſis. Infantibus ad ℥ß. in clyſteribus ad ℥2.

2. *Caſſia extracta, ſeu Caſſia extracta communis ſive pro clyſteribus.* Fit pulpa cum decocto herb. mollientium & melle ad conſiſtentiam Electuarij coquendo.

3. *Elect. diacaſſia cum Manna.* hoc paratur ex pulp. Caſſiæ, p. 6. Tamarind. 1. Mannæ 2. Sacchar. Cand. 1. Penid. 1. Sacchar. violat. 4. quæ ſuſcipiuntur decocto prunor. & ſyrupo violar.

4. *Caſſia extracta ſine foliis ſena.* Electuarium eſt ex pulpæ Caſſ. ℔ 2. Tamar. ℥i. ſacchar. ℔2. ſuſceptis decocto expreſſ. polypod. ſem. cartha. herb. pectoral.

5. *Caſſia Extracta cum foliis ſena.* Fit ex prioris Electuarij p. 12. pulv. ſen. p. 1.

6. *Extractum Caſſiæ.* Vide Quercet. in Diæt. & Ph. Reſt. doſis ad ℥iß.

7. *Aqua Caſſiæ.* Fit ex pulpa additis limon. parvis & ſer. lact. q. ſ. Extrahitur aq. per. B. M. dantur ℥6. in nephrit. & inflammatione Renum.

8. *Syrupus de caſſ.* Deſcribitur. à *Renod.*

CASSIA CARIOPHYLLATA.

Eſt Myrthi Americanæ *Caninghæ* cortex cinnamomô tenuior, ex ruffô ferrugineus, à pelliculis ſuis exterioribus deraſus & in modum tubuli convolutus à ſapore acri, ſuaviter pungente, aromaticô; odore fragrante ad caryophyllos aromaticos accedente.

Eſt Arbor Baccifera, baccis rotundis, umbilicatis, acinos geminos claudentibus.

Vires. Sunt aromaticæ. & ſubſtitui poſſunt locô caryophyllorum. Poteſt exhiberi infuſum, & oleum ſupernatabit, ex caryophyllis verò fundum petit: Unde poſſunt diſtingui. *Hermannus in Materiâ Medicâ manuſcriptâ.*

CASSIA LIGNEA ſeu AROMATICA. vid. ſub titulo *Cinamomum.*

CASSIDA.

Eſt planta quædam de Lamiorum genere à Fabio Columma ſic dicta quod flores Caſſidis, ſeu Galeæ militaris figuram æmulantes proferat. Detergens, vulneraria, aperiens & deſiccans creditur; verùm de hiſce virtutibus non ſatis hactenus conſtat.

CASSITA. vid. *Alauda.*

CASSONADA. vid. *Saccharum.*

CASSUTA. vid. *Cuſcuta.*

CASTANEA.

Caſtanea, *Theophraſto* Διὸς βάλανος, non à caſtitate dicta eſt, ut quidam opinantur, ut à Plinio jejunijs ferè dicatas dicente innui volunt: ſed à Caſtanide terra nomen habet. Nicand. in Alexipharm.

τὸ Κασανὶς ἔτρεφεν αἶα.

Plures autem fuerunt hujus nominis urbes, ut videre eſt apud *Bodæum* à *Stapel.* in cap. lib. 3. Theophr. hiſt. A quanam harum dicta ſit Caſtanea non multum intereſt, propoſito noſtro ſufficit quod ab aliqua. Nuces etiam Ἄμοτα & λόπιμα Græcis dictæ ſunt, & (ut nonnullis placet) Euboicæ. At Theophraſtus di..ctis in locis κάρυα εὐβοϊκά, & Διὸς βάλανον nominat.

Caſtanea cortico ſeu coriaceo putamine cum glande convenit, echinato calyce, totam nucem tegente, ab eadem differt.

Vires & uſus. Materias arboris ædificijs, atq; alijs domeſticis utenſilibus admodum apta eſt: ſiquidem ex ea non modò trabes, tigna, aſſeres & pedamenta, ſed & cadorum coſtæ, & eorum cinctus fiunt; verùm igniarijs inepta, teſtibus Matthicolo & Lacuna. Apud nos ſpondæ, cathedræ, menſæ, ciſtæ, aliaque ſupellectilia è caſtanea fiunt.

Caſtaneæ in cibos veniunt: aliquibus in locis ubi abundant molitarum farinâ ad panificium & ad pultes utuntur, ut Bononiæ in Italia obſervavimus. Verùm ejuſmodi pultes palato noſtro non ſapiunt: & rectè Plinius, præſtant jejunis quandam imaginem panis, potiùs quàm panem.

Integræ vel in aqua coquuntur, vel igne torrentur, idq; duobus modis, vel in ſartagine aut perforatâ patinâ ad ignis flammam, vel ſub prunis & cineribus candentibus. Priùs tamen quàm cineribus aut igni credantur, cultello obiter vulnerari debent, ut è plagæ hiatu flatus igne citatus evadat; alioqui ubi flagrantes incaluerint, cōcepto intus ſpiritu magno cum crepitu proſilient, non ſine adſtantium periculo: conſumitur etiam meliùs flatuoſa illa humiditas quæ ijs ineſſe putatur, & æqualiter torrentur. Præfertur poſterior coquendi modus: nam in ſartagine toſtæ vel patella ferrea, ut in cauponis fieri conſuevit, partim comburuntur, aut certè aliquid fuliginoſi empyreumatis contrahunt.

In Italia urbani & lautiores Caſtaneas ſub cineribus toſtas & decorticatas cum ſucco Arantiorum aut Limonum & tantillo Sacchari menſis ſecundis inferunt, & ſic præparatas *Piſtacias Italicas* vocitant. Pro plebeijs vidimus aliquoties in plateis urbiū publicè, in ſartagine fornaculæ portatili ſuperimpoſita frixas venales. Verū quomodocunq; paratæ flatulentæ ſunt, ventriculo & capiti inimicæ, viſcerum infarctibus oportunæ, colico dolori obnoxijs, & ijs qui ad calculum proclives ſunt minùs commodæ, imò noxiæ.

Caſtaneæ glandes aſtringunt ſimileſque præbent effectus cum cæteris glandibus, ſiſtunt utiq; vehementer ſtomachi & ventris fluxiones & ſanguinem excreantibus proſunt. Coctæ quibus diximus modis & cū melle jejunis datæ tuſſientibus prodeſſe dicuntur: ut & Electuarium cum earum farina, ex melle paratum.

Interior membrana rubens quæ corticem & fructum diſcernit præcipuè commendatur ad omnes alvi fluores & ſanguinis rejectiones ſeu in aqua ad tertias decocta & pota; ſeu in vino auſtero ℥. 2. pondere ramentorum eboris alba fœminarum profluvia cohibet ex aqua albæ Nymphææ hauſta. *Dod.*

Emulſio Caſtanearum cum decocto Glycyrrhizæ extracta, addito pauxillo ſeminum Papaveris, confert ijs qui ardore urinæ laborant. Camerario communicavit Crato. *Rajus.*

CASTONADA. vid. *Saccharum.*

CASTOR & CASTOREUM.

Super deſcriptione, Caſtoris vide Leporinum genus, ſub titulo *LEPUS.*

Hic tantum de partibus animalis officinalibus, quæ ſunt,

1. *Axungia.* 2. *Teſticuli,* qui *Caſtorium* vocantur. 3. *Renes.* 4. *Pellis.*

1. *Axun-*

1. *Axungia*, peculiariter nervoso generi ac utero convenit, adeóque morbo comitiali, membris resolutis, convulsis, apoplexiæ, &c.

2. Κασόρειον, Castorium, testiculi Castoris. *Of a Castor* or *Beaver. Bevergheel.* Hi excisi beneque purgati in sese exiccantur, siccatique in loco umbroso suspensi asservantur. Durant citra corruptionem ad septennium.

N. *Adulteratur per Gummi Ammoniacum, quod cum Castoris sanguine Castorioque subactum in vesiculam conjicitur, exiccaturque.*

3. *Renes Castoris vesicæ induuntur ac siccantur:* Fraudis autem hujus cognoscendæ gratiâ notentur distinctionis notæ.

1. Testiculi genuini ambo ex uno oriuntur principio.

2. Adulterini Testiculi majores ut plurimum existunt.

3. Genuini sunt gravis & ingrati odoris, validi, acris, mordacis & amari saporis, substantiæ fragilis. Fugiendum porro nigrum & rancidum castorium.

Vires. Calf. 3. sicc. 2. attenuat, aperit, flatus discutit, nervos nervosasque partes, adeóque caput roborat, spir. animales torpidos excitat, venenis resistit, sternutationem ciet, anodynum est, menses promovet. Hinc proficuum est in Lethargo, Apoplexia, Epilepsia, Paralysi, Vertigine, artuum tremore, defluxionibus ad articulos, strangulatu uteri, dolore colico: idque usu tum externo, tùm interno. Insuper tinnitus aurium ac difficultatem audiendi corrigit (*auri inditum*) dentiumque dolori succurrit.

N. 1. *In strangulatu uteri variis modis adhibetur, admovetur naribus, subligatur axillis, inditur umbilico.*

N. 2. *Opii virulentiam corrigit. (unde Guainerio Opii Bezoar dicitur.)*

4. *Pellis* opem fert Podagricis & Paralyticis (*parata & induta.*)

Præparata.

1. *Oleum* Castorei infusum. *Vide Dispens. Aug. & Norimberg.*

2. *Ol. stillat.*

℞. *Castorei q. v. dissolve in* ✝, *aut macera in vino, ejusve spiritu, destilla l. ign. per* ☊*m vitream.*

N. 1. *Rectificatum aceto.*

N. 2. *Procedi itidem potest, ut in destillatione Olei Philosophici, lateres sed ignitos axungiâ imbibendo & destillando.*

3. *Electuarium Diacastorium, vide Dispens.*

4. *Extractum* fit l. c. cum 🜄 rectificato.

N. *Alii extrahunt cum Acet. destillat. quo rursum abstracto reiterant* 🜄. *Quercetanus adhibet aquam destillatam convenientem, v. gr. Melissæ, Calendulæ, Pæoniæ, aut similes Antepilepticas & Cephalicas, maceratque in* MB. (♂ 4. *aut* 5.) *Pharmacop. Rest. cap.* 25.

Dosis à gr. v. ad. xij.

[Paratur etiam Essentia liquida, Tinctura.] *Schrod.*

1. Κασόρειον, *Castoreum, testiculi Castoris &c.*) Hîc *D. Autor* cum aliis communem errans errorem, Castorium habet pro ipsis Castoris testiculis, cùm tamen ex ejus constet anatome, ejus testiculos tam esse parvos, ut gallorum gallinaceorum ferè vix superent, spinæ dorsi adeò adhærentes, ut sine vitæ dispendio animali eximi nequeant, id quod & suo seculo jamdum statuit *Sextius Medicus Plinio fatente Libr.* 32. *cap.* 3. *in tr. de Medicam. ex Animalibus.* Cui subscribit *Dioscor.* ii. *c.* 26. adeò ut illud, quod à Castorio expetitur, non sint testiculi, sed potius tumores seu crumenæ inguinis vestitæ pellicula satis crassa, quibus parva semper annex est impleta liquore oleaginoso & cineroso; qui in illis reperitur crassus est, & seipsum potest exsiccare ad pulverisandum, sed alter in alligata crumenula semper liquidus manet. Alii tumores inguinis aut vesicas vocant, ovi anserini magnitudine, inter quas demum genitalia absconduntur, quæ in hunc usum non trahenda, odorem enim habent fœtidum. *Fœl. Platerus Tom.* 1. *Prax. p.* 646. *Olaus Wormius in Musæo Lib.* 3. *c.* 23. *Th. Bartholinus in Epistol. Medicinal.* 9. *centur.* 1.

Vires. Calefac. sicc. attenuat, aperit &c.) Nervos nervosasque partes roborat, unde & in convulsionibus externè adhibitum mira præstat. Sic in spasmo sequens spinæ dorsi inunctum medentem non deserit.

℞. *Vini adusti opt.* ℔ß. *in hoc infunde castorei incisi* ℥ß. *serva pro usu.*

N. 1. *In Strangulatu Uteri.*) Cl. Zvvelferus in Pharmacopœâ Reg. p. 65. Castorium externe adhibitum & odoretenus hystericis magis prodesse statuit, quàm intra corpus sumptum, ubi magis sit nocumento. Et quemadmodum odoretenus matricem deprimit, ita intro propinatum vi loco movendi matricem præditum. Verum huic experientiæ contradixit, quâ constat, in suffocatione communiter dictâ hystericâ, seu potius hypochondriacâ Castorei usu tam interno, quam externo nihil esse præstantius, prout & Medicamenta inde parata idem evincunt. *Ex hoc præparatur oleum Castorei infusum, Essentia, Elixir uterinum &c.* Vide Aquas Hystericas ex Thes. Pharm. Sect. 1. D. G. R. Et extractum cephalicum & nervinum ex hoc paratum l. c. Sect. 13. *Hoffmannus.*

In mox allatis super Castore ac Castoreô jam subsisteremus ni singularia multa de hujusce historiâ ac viribus à Clariss. Ioh. Mariô 1. *conscripta, ac postea à Celeberrimô Ioh. Franco amplo illustrata commentariô, dum videremus, inde præcipua quædam rursus excerpere è re omnino esse arbitrati essemus. Sic itaque* 1.

Johann. Marius.

Infra posteriores pedes duæ crumenæ vel folliculi conspiciuntur ac prominent, quorum unus alteri major, ex quibus nonnunquam facta vena ruptione liquor melleus emanat ac effluit, quem castor *ipse lambit, talesque folliculi in maribus pariter ac fæminis conspiciuntur, uno loco insiti, ovi anserini magnitudinem referentes, & hi castoreum, & abusive testes sive testiculi vocantur.*

Licet enim in maribus penis & fæminis vulva infra duas has crumenas reperiantur ac pendeant, nihilominus hæ crumenæ nullum meatum in pudenda habent, qui alias omnibus in animalibus extet. Cæterum in mari testiculi intus in spina rectissime animadvertuntur ac conspiciuntur, teste ipso cultro meo anatomico.

Additamentum Franci.

Ab antiquitate communiter pro testibus veris, & pro re nulla amplius investigatione scrutanda habiti fuerunt; post-positis quæ per se legi possunt, paucula ex loculis meis adferam.

D. *Adamus Zvvikerus* Medicus Memming. in Mspto de *Amphibiis* dicit, *fiber est animal callidum vivens in terra & in aqua cujus testes sibimetipsi amputat, urgente venatore ejusque canibus qui deinde in usum medicum asservantur.*

Joannes Harderus Practicus Geislingensis, *testiculos*, inquit, *castoris tussim sedare nulla experientia apud me est, sed pituitam viscidam bronchiis pulmonis inclusa; suspirium causantem tollere certum est. Idem* alibi dicit: *ita quædam cephalica in non assuetis*

suetis dolores causant; ut spica, majorana, ruta & testiculi castoris ipsi, quia fumidum odorem exhalant & caput petunt.

Joannes Schapplerus Medicus Ulmanus dicit: *Leniunt dolores* [in Arthritide] *pinguedines suillæ, anseris, humana, oleum anethinum, amygd. dulc. chamamel. lumbricor. succus fœnuar. si vis ut magis dolorem leniat, adde testes castoris, si ne sic quidem dolor leniatur, adde caphuram.*

Alii fibro nostro testiculos quatuor affingunt, è quibus nomino Patricium Ulmensem D. *Christophorum Ehingerum* Loimiatrum sic dicentem: *Post evacuationem uterus agræ præmuniendus, ne redeat,* [præfocatio] *maximo autem studio id persequendum, ut non permittatur locus vaporibus ascendentibus, qui corriguntur maxime talium vaporum depressoriis, qualia sunt ruta, cyminum, coriandrum, salvia nepeta, &c. omnium autem optime corriguntur testibus visibilibus castoris animalis, qui se produnt odore valido, cæteri qui latent non in medicina usurpantur.*

Huic perantiquus *Sextius* Medicus adversabatur, quem cum paucis aliis *Dioscorides* secutus, donec inter Recentiores huic sententiæ sese summis viribus opposuit *Guilielmus Rondeletius* Montispeliensis, & antiquitatem graviter errasse curioso suo cultro demonstravit, nempe castoreum testes minime esse, sed peculiares sacculos & folliculos inguinales, idque firmissimis & necessariis rationibus verificat, cujus in sententiam dein multi Celeberrimi viri discesserunt, vett. hypothesin totaliter dissolventes, hanc ceu rem de qua non amplius dubitandum confirmarunt. Hinc animus non est, ne prolixus fiem, ut hodie propugnantium argumenta recenseam, sed saltim scopo præfixo satisfaciens verisimiliter statuo.

I. *Fibros mares tam, quam fœminas castoreum habere*, idque mentiri scrotum, esse autem hoc stricte sumtum sacculum rugis & anfractibus variis præditum, qui recens post separationem cutis satis crassæ, materiam subflavam, cerosam, odoris fortissimi & penetrantissimi, siccatus vero resinosam & pulverisandam intus continet. His alios adjunctos minores tamen sacculos esse, plenos materiæ oleaginosæ, cinerosæ & fætidæ semperque fluidæ, quorum singulus, major tam quam minor sacculus præter cutim communem exteriorem crassam propria membrana vestitus studiosissime conspici potest: & talismodi sacculis gaudent etiam *lepores, hyæna odorifera* aliaque pauca animalia, de quibus legantur Auctores.

II. *Fibros mares præter castoreum testiculos habere.* esse autem substrictos & parvos vilissimi ponderis gallorum testes æquantes, absque odore & sapore, attestante modo nominato *Doctore Ehingero*, intra ventris capacitatem ad spinam dorsi locatos, qui sua vasa ad mentulam semen ferentia ritissime habent & adimi citra vitam animalis non possunt.

III. *Castoreum non esse testiculos*, licet tota Antiquitas credat, nam ceu hodierna Anatomia demonstrat, nullum commercium cum testiculis neque pene habet, meatum enim omnium sacculorum non in penem, ceu necessitas urgeret, sed per meatum proprium, in rimam exteriorem communem tendit, immo per hoc orificium totus ille liquor, quod meis usurpavi oculis, exprimi potest, id quod de testiculis veris nullus anatomicus ceu convolutionibus vasorum spermaticorum dicet. Præeuntem heic sequor *Virum exasciati judicii Jo. Jacobum Wepferum.*

Johan. Marius.

Pellis *castoris igitur utilitatem præbet in* dolore colico, *in* matrice dolorosa, *in* mania, *ubi calide applicatur ac imponitur, quod ipse in praxi mea expertus fui quodam in homine, in Wurtenbergia, postquam enim castor excoriatus, ægro caput rasum & pellis recens imposita esset, sensim sensimque DEI gratia ac auxilio convaluit. Etiam proficuum est in* spasmo *præcipuè gravidam cincto ventre ubi dolorem lenit. Usurpavi ac imposui* stomacho debili *magna cum virtute; non minus etiam infantibus in* Atrophia, *ac aliis ægrotis dum* exulcerantur jacendo, *uti hoc Vir spectabilis quidam Decanus approbat atque laudat. Haud pridem Judæus quidam me adiit, quem non ignorabam, ad visendum, & cum ex me audivisset in animo habere atque occupatum esse de castore aliquid conscribere, dixit se aliquod artificiosi me edocturum esse, quod à suis Majoribus & originaliter pro certo à* Rege Salomone *promanasset; si quis nempe ex* castoris pelle *pileum factum gestet in capite, atque quolibet mense caput una cum spina* oleo castoris *inungat, & quotannis bis de* castoreo ad pondus aurei *assumat, tam excellentem* memoriam *sit consequuturus, ut omnia retinere valeat, quicquid semel tantum lecturus sit, quod ego, quia quammaxime materiæ convenit ac huc quadrat, apponere non dubitavi, interim tamen liberum cuilibet judicium ac probationem relinquo.*

Additamentum Franci.

Pellis castoris in omnibus frigidis affectibus externe imposita valde utilis; idque confirmat modo dictus *Ehingerus* his verbis: *cum pelle castoris indubitato curabis hanc ægritudinem* [præfocationem matricis] *si umbilico applicetur & continuo feratur.*

Et *colica* à flatibus orta injecto bis in die enemate ex carminativis & applicata ventri *pelle castoris* cum forti ligatura, curata ab *eodem.* Utrum vero pellis an ventris compressio magis affectum compescuerit, quemlibet suo sensu abundare patiar.

Hujus usus in *Arthritide*, & *Podagrâ* probatus observatur, exempli loco sit *Johannes Bericht* Myropola Noricus, qui pedibus manibusque dolorosis ex pelle castoris confectas manicas & caligas summo cum fructu applicavit, consilio *Jo. Sagittarii* Medici Norici.

Patet hic *usus mechanicus* dum ex pelle hac pellionum arte prius propterea pilis abrasis æstivo tempore, vel non demtis hiberno tempore chirotecæ pelle vulpina subductæ conficiuntur divitumque ornant manus. Et licet denique usus partium castoris in Medicina eximius sit, ast cum *memoriam* taliter augendi veritatis fidem excedat, nec ab experientia & fide digno proveniat, Judæo Apellæ credendum merito relinquam. Alias *cuspides fusi vel ferri* extraxisse pellem circumligatam pro certo affirmat *Georgius Geigerus* Medicus Ulmanus.

Johan. Marius.

Non minus commodi in se continet pinguedo *Fibri, namsi externe calide applicatur, in omnibus affectibus, qui à nervis procedunt validum ac salutare remedium existit. Prodest in* Epilepsia, Apoplexiam *sufflaminat ac impedit*, Lethargum *inhibet, avertit* spasmum *&*

motus

motus convulsivos, *roborat & emollit* nervos immobiles, *removet* uterinos dolores, *mirifice prodest in* vertigine, odontalgia, asthmate, vomitu, nausea, colica, *adhibetur etiam in* tenasmo & dysenteria, doloribus renum; *præprimis salutare ac efficacissimum remedium ab ista pinguedine expertus fui in* articulorum doloribus, *uti Vitriarius Ulmensis qui lapsu aliquo infelici magnos dolores sinistro in latere die nocteque habuit, atque multa inutiliter applicata medicamina usurpavit, adhibuit & assumsit, hac* pinguedine *vi DEI auxiliatrice pristinæ sanitati restitutus est.*

Additamentum Franci.

Heic intelligitur unctuosa pars folliculorum minorum, quam statim ne corrumpatur eximendam censeo; differt ab *adipe* inter pellem & carnem ☿ æ lactis butyrosæ respondenti, ast ab Auctoribus non ita attenditur, quamvis unctuosa pars illa penetrantior sit, & distingui possit inter *pinguedinem* & *adipem* ratione particularum volatilium ⊕earum, hinc attenuat, emollit, absumit, & vim insignem penetrandi habet, ob id in nervosis partibus roborandis mira præstat, & magis pro externo usu commendatur, variisque affectibus, quos B. Auctor recenset, solamen promittit. Videbimus aliquot exempla virorum Clarissimorum è tenebris eruta.

Anno 1573. die 4. Januarii *Dieterici Schertelii* Archigrammatei vidua inter laborandum apoplexia correpta concidit, vocatus ego [D. *Fridericus Fuchsius*] ex pulsu vitæ remanentiam deprehendi, ideo forti clystirio præmisso curavi ut phlebotometur vena cephalica deinde abraso capite sequens cerotum applicavi.

℞. *Sem. sinap. fumar.* āā ℈ij. ⊕*is viv.* ʒj. *rad. pyreth. euphorb.* āā ʒiß. *nuc. mosch.* ℥ß *mastic.* ℈iv. *gum. juniper. pip. rot.* āā ℈j. *caryophyl. aromat. cubeb.* āā ℈ß. *sagapen.* ʒiß. *croc.* ℈ß. *pulverisata singula subtiliter commisce & cum s. q.* axung. castor. *cera & pice incorporentur simul & f. cerotum.*

℞. *MPill. fœtid. scr. j.* castor. pulveris. *gr. vj. diacryd. gr. ij. formentur. pilulæ numero XIX. cum oxymel. simpl. & assumantur in medio noctis, postea facto cauterio & theriaca med. at. imposita linguæ iterum restituta.*

Marcus Wolfartus Med. Memmingensis annotavit, se *lethargiam* quæ à frigiditate juncta cum humiditate, ortum duxerat in *Balthasaro Funcken Cos.* cum consueta consilia non profecissent, sequentis unguenti beneficio curavisse.

℞. Axung. castor. ☿*i majoran.* āā ℥j. *de pyreth. sesamin.* āā ℥ß. *pulv. caryoph.* ʒj. *ceræ alb. q. s. f. Linimentum quo capillis prius derasis capite sæpius uncto excitatus est.*

D. Joannes Stokerus Medicus Ulmensis experientissimus contra *dolorem extremitatum manuum* sequens unguentum composuit in Praxi Msta quæ ἐὰν ὁ κυέλος θελήσῃ ϗ ζήσωμε expectanda erit.

℞. *Ping. canis, vitul. de* castor. āā ℔ß. *olei laurin.* ℥iij. *pulv. bacc. laur. oliban. ana* ℥iij. *masticis.* ℥ij *arg. viv extinct. in aqua vit. M. f. unguentum cum quo inungantur loca dolorosa ante cubitum, & si adderetur oleum de vitell. ovor. esset majoris efficaciæ, ego potius dimitterem arg. vivum.*

Idem *Stokerus* in Tract. Msto *de Ægritudinibus infantum*, tussim depellit sequentibus: exhibet cassiæ in can. ℥ij. aut extractum ejusdem ʒvj. vel secundum ætatem & dispositionem. Deinde fecit inungi pectus sequenti unctione.

℞. *Olei violar. amygdal. dulc. ana* ℥j. *butyr. rec. s.* ⊖e ping. castor. *ana* ℥iß. *croc. gij. ceræ parum M. f. unguentum molle pro pectore.*

Anno 1567. colica in *Samuele Faulhaber* à Doctore *Carolo Ekboldo* sequenti enemate curata die 6. Septembr.

℞. *Menth. m. iij. origan. flor. chamom.* āā *m. iß. coq. in s. q. aqua com.*

℞. *Colat.* ℥x. & *adde* axung. castor. ℥j. *M. pro Enemate.*

Anno 1647. die 30. Jan. *Catharina Besingerin* doloribus uterinis à corruptis vaporibus vexata cum interna non admitteret, emplastrum sequens infra umbilicum applicari curavit *D. Augustinus Thonnerus* Medicus felicissimus in Praxi Msta.

℞. *Salban. el. gum. tacamah. ana* ʒvj. *axung. castor.* ʒij. *M. extende alutæ, quo brevi dolore placato persuasa fuit, ne recidiva succedat, vino medicato utatur, quæ tandem bono genio instigata mihique sæpius in via publica gratias egit maximas.*

Pinguedine item castoris optimo effectu utimur in *aurium affectibus*, imprimis si dolor urgeat:

℞. *Lact. mulier. san.* ℥j. *opii thebaic. gr. v.* ping. castor. *scr. ß. facta debita dissolutione percola, & liquor servetur in vitro, de quo aliquot guttulæ tepide auribus instillentur.*

In tinnitu aurium *D. Jo. Michaelis* in Comment. Msto ad *Jonston.* praxin. commendat sequentem mixturam.

℞. *Axung. vip. scr. j.* castor ʒj. *M. S.* (äusserl. Sälblein zu den Ohren.)

Idem ad ♀em augendam & stimulandam sequentem balsamum suadet.

℞. *Olei formic. comp.* ʒij. *dest. caryophyll. piper.* āā *gutt. vj.* ping. castor. ʒß. *cum s. q. ceræ & corporis pro balsamo f. l. a. Balsamus. S. Allamodi* Balsam.

Idem sequentem balsamum in *Epilepsia puerorum* deprædicat valde.

℞. *Balsami rut. succin. ana* ʒß. ping. castor. *scr. j. M. S.* (äusserl. Balsam.)

Clarissimus *Wedelius* pinguedinem hanc unguentis in *fœtu mortuo pellendo* umbilico applicandis immiscet, eandem etiam *in affectibus nervorum* commendat, cujus *unguentum paralyticum* eximium ex Collegio Msto de formulis heic habeo.

℞. *Unguenti nervin.* ℥j. pingued. castor. ʒj. *olei laurin.* ʒvj. *d. succin. piper. spic. ana gutt. vj. M. f. unguentum.*

Hoc, ut mea admisceam, præterito anno militem *Johannem Laupheimerum* paralyticum, præmisso diaphoretico ex aqua sambuci Antimonio diaph. Cinnab. min. rit. præparat. & roob juniperino brevi per DEI gratiam restitui.

Huc facit quoque *unguentum paralyticum D. Jo. Michaelis* quod

℞. *Balsam. paralyt. M.* ℈ij. ping. castor. ʒj. *M.*

Sequens quoque unguentum multis suffocatione laborantibus *ast non omnibus* fæmellis salutare fuit.

℞. *Olei laurin.* ʒij. *d. menth. meliss. ana* ʒß. *succin. gutt. xxij.* axung. castoris *q. s. cui pro lubitu balsam. de peru* ʒiß. *addi potest. Studio dico* non omnibus, *aliquoties enim observavi, non quidem meo damno, castorina imprimis externa, licet commendentur ad suffocationem uterinam, facile tamen nonnullas mulieres odore illius offendi, & præsertim illas, quæ rarenter huic malo obnoxiæ sunt, hinc non promiscue hæc talia graveolentia præscribere soleo.*

A *distensione fœtus* majoris venter mulieris ordinariè præsertim in delicatulis corrugatur, hinc ut iterum lævigetur, sequens modo laudatus *Wedelius* sparadrapum applicat,

℞. Olei

℞. *Olei lil. albor. violar. chamom. lini. an. unc. iii. o'vor. unc. iv. ceræ unc. ii. l. iii. sperm. cet.* axung. castor. *an. unc. ſs. M. quod etiam in* doloribus post partum *applicat cum ſucceſſu.*

Ad *procidentiam uteri Idem* cum alijs laudat.

Rec. Olei momor. lil. alb. an. unc. i. ping. castor. ℨi. *M. quo calide uterus inungatur & ſic lubricatus uterum reponi poteſt.*

Expertum etiam est medicamentum in *doloribus odontalgicis* gravissimis & fere incurabilibus probatum. *Dardanarii cujuſdam Filia* præ doloris atrocitate dentium nuper tres dentes, ast sine commodo, sibi extrahi curabat, ad me tandem opis gratia confugit, cui ut sequens applicetur, felici auspicio suasi.

Rec. Emplaſtr. de melil. ℥vi. *gum. juniper.* ℨii. *tacamach. maſtich. an.* ℥ſs. ping. castor. *q. ſ. M. fiat emplaſtrum dolenti maxillæ applicandum.* Vitriarius *cujus mentionem fecit B. Auctor non ſola pinguedine, ſed mixta cum aliis fuit curatus, teſtante Praxi ejuſdem Mſta.*

Rec. Ung. de cynogloſſ. pingued. castor. *an. unc. i. olei laurin. unc. ſs. d. juniper.* ℨii. *ceræ parum ut fiat unguentum.*

Joh. Marius.

Sanguis *perhibetur contra* Epilepsiam *ſelectiſſimum remedium, rei ex veritate ſcribo, forte ante tres ſeptimanas expiſcandæ veritatis gratia, de* sanguine fibri *cuidam* puero mendico *duodecim annorum propinavi, ac exinde morbus ipſum ſex dies deſeruit ac ceſſavit, quum tamen quotidie ab ipſo vexaretur, dum vero ei adhuc ſemel propinaretur, puer emanſit, ac nonnunquam mihi in conſpectum venit. Alias experientia exploratum habeo in* casu ab alto, *uti etiam in* mammarum duritie.

Additamentum Franci.

Quamvis varia ex *ſanguine caſtoris* medicamenta præparari possint, tamen cum non omnia usitata, & meliora ad manus, ne præter necessitatem ea multiplicentur, supersedemus sequentibus.

Ex *ſanguine ſiccato* beneficio Retortæ & fortioris △is propellitur ♒*us, oleum* & ⊖ *volatile,* qui seorsim reservantur ad usum, vel separato artis lege *oleo,* ♒*us* cum ⊖*e volatili* jungitur, & fortior evadit, atque in affectibus *capitis, partiumque nervoſarum* adhiberi potest. Vel si ♒*us ſanguinis, exiccato ſanguini* superfunditur, nobilissima provenit Tinctura multis parasangis matre præstantior, quæ in affectibus adnotatis egregie se gerit.

Beatus noster *Auctor* loco ♒*us ſanguinis* adfundit ♒*um caſtorei,* quod nisi me fallo unum & idem, cum *caſtoreum* nil aliud sit quam sanguis in vesiculis circa sacculos conspicuis purificatus ex particulis oleosis, balsamicis & volatilibus constans.

Sanguis etiam pulverisatus ad institutum acutissimi *Helmontii* parari potest, & in varijs affectibus celebratur, ceu ex sequentibus liquet.

Anno 1645. *Johannes Kneer* textor blabyranus de casu, à curru, gravissimo conquestus, ut respirare, forsan à *ſanguine cruentato,* non potuerit, dixi mox se sensurum auxilium, & factum est, post assumtionem enim sequentis medicamenti à me dati, gratias & *DEO* & *mihi* maximas egit & sanatus fuit.

Rec. Lapp. ♋*rum ppt.* sang. castoris *an.* ℈*ii.* ▽*a chærefol.* ℥iiſs. *oxymel. ſimpl. q. ſ. M. f. hauſtus, hoc ex Pr. MSS. Auctoris.*

Hoc *ſanguine* in ✝to vini dissoluto & propinato *Elias Waldnerus* Medicus Memmingensis punctionem lateris à sanguine cruento in *Georgio Hirſchio* anno 1600. curavit.

Joh. Marius.

Pili castoris *non ſolum in uſum* pileorum pretiosorum *adhibentur, quo de ſuum nomen nacti fuerunt, ſed etiam uſurpantur in nimia* hæmorrhagia narium *&* vulnerum, *uti quondam Chirurgus medicamento ſuo ſtiptico minime præſtare valuit, quod ego pauciſſimis* castoris pilis *effeci.*

Additamentum Franci.

Pili caſtoris ceu supra dictum fuit instar gossypij apparent, frequentissimi, spississimi, & mutuo per totam longitudinem quasi sese contingentes, & in suis initijs invicem conglobati.

Firmum habent fundamentum, ita ut non nisi violentia avellantur. Ortum trahunt à vapore sicco à substantia subjectarum partium vi caloris defluente & exterius evaporante, ac in suis radicibus augmentum per partem post partem assumente.

Non tam tutelæ gratia sunt, ut corpus à calore & frigore alijsque injurijs muniant, sed & se ex fluvijs & domicilijs suis emergant, quia *cavi* existunt, quos etiam priusquam aquis se immerserint, ne natatio impediatur, liquore ex folliculis exsucto inungunt, hinc propter porositatem *ſanguinem* imbibunt, & ob innatam frigiditatem vulneris astringunt, sanguinemque coagulant, quemadmodum experientia comprobat.

Joh. Marius.

Dentes Fibri *infantibus collo contra* dentitionem *appenduntur, alias puriſſimus* pulvis *earum dentium in* Pleuritide *quam ſaluberrime propinatur. Tenerrimus ac recens natus infantibus in pulmento primo datus, impedit* Epilepsiam puerorum.

Additamentum Franci.

Dentes caſtoris adversus varios morbos miram quoque & insignem obtinent efficaciam. Sic *dentitionem* in infantibus facilitant portati, ut carnem tangant, quemadmodum Noster vult, ast majoris, ut puto, efficaciæ censentur, si in linimenti forma apparent, v. g.

Rec. Mell. virg. cerebr. leporis an. ℨii. *Pulv.* dent. castor. ℈i. *hæc invicem rite mixta dolores gingivarum infantum cum admirando ſucceſſu mitigant, teſte experientia.*

D. Barthol. Wolfartus Medicus Ulm sequens gargarisma inter arcana ad dolores quosvis dentium sibi reservavit, quod ex ejusdem Ms. heic manifestum faciam:

Rec. Salv. Mj. hyſſop. Mß. pyrethri ℨ *ii.* dent. castoris *pulv. ſubtil.* ℥ß. *decoquantur in aceto potenti juſtæ quantitatis ad tertias, tunc recipiatur huius aceti calidi* ℔i. *ſir. fol. querc.* ℥i. *Miſceantur, de quo aliqua quantitas detineatur iuxta dentem dolentem, principio catarrhum magis irritabit, ſed poſtea bonum iuvamentum tibi dabit,* Epilepsiam puerorum *terribilem dextra felici ſæpe dentes hi, quemadmodum & cæterorum animalium, quia ea fere ſemper ab* odaxysmo *provenire conſuevit, propellunt, hinc ut eo melius accipi poſſint. D.* Wedelius Magisterium *eorum ſuadet, cuius virtutes etiam in* angina *&* pleuritide, *D.* Michaelis, *ut & in* ictero, *bile abundante, deprædicat.*

Joh. Marius.

Sacculi *vel* Tumores *infra poſteriores pedes,* castoreum *dictum, multos ad morbos utiles ac ſalutares, ac à vetuſtiſſimis temporibus magno in pretio habiti, ac probati reperti fuerunt.*

Eſt autem castoreum *calidum in fine tertii ad quartum gradum, exinde etiam* absumit, attenuat, exsiccat, attrahit, *atque materias frigidas & ventoſas vehementiſſime* resolvit, *pro quibus autem morbis in ſpecie à DEO nobis mortalibus datum ſit,* recto ordine *ac quidem* alphabetico *recenſebo.*

Additamentum Franci.

Jam ad hujus animalis nobilissimam & utilissimam partem pervenimus, nempe *caſtoreum* strictissime sumtum, scilicet illam partem, quæ, particulis serosis ab △e consumtis & dispersis, friabilis se offert, cui multæ heterogeneitates adjunctæ sunt, hinc *color* illius variat, modo enim subflavus apparet, modo illa flavedo in rubedinem vergit, interdum obsure rubicundus cum venulis & striis albicantibus cernitur, mox illa rubedo in nigredinem particulis splendentibus intermistis inclinat, quod pro præstan-

præstantissimo haberi potest: hinc quidam ex his coloribus temperiem calidam colligunt, ast cum merum accidens sit, & infirmum præbeat documentum, ad aliud ceu firmius cognoscendi principium est fugiendum.

Gustus prodit saporem, linguæ enim admotum, solutis particulis gummeis, mox acuminatæ porulis ejus se insinuabunt, hinc quantum acrimoniæ, tantum caliditatis inesse perhibetur, amaritudo autem extra dubium siccat, ratione ⊖inarum tam, quam ⊽striarum particularum.

Odor hcic non superficietenus tantum, sed per totum dispersus inhæret, cum vero odor à particulis 🜍eis, & volatilibus, subito organum olfactus tangentibus, dependeat, 🜍 quoq; calidum esse nemo sanę mentis neget, hinc optime concludendum *castoreum* nostrum *calidum* esse.

Et quæso quis de caliditate dubitabit, cum substantia tota id dictitet, igni enim admotum flammam concipit, nullum autem φλόγισον est frigidę naturæ, adhæc ob partium tenuitatem in coctione non admodum durabile, sed post eam admiscendum est alijs.

Effectus ipse, quos 🜍 sanguinis nostri intendendo, flatus dissipando, menses movendo, fœtum mortuum expellendo &c. producit, caliditatem castorij comprobat: dicimus igitur *castoreum* nostrum *calidum & siccum* esse.

De *gradu* assignando Auctores dissentiunt: Beatus noster defendit *Ibnsinæ* sententiam, quæ meo, si quod est, judicio, veritati absimilis, licet enim cuti admotum ruborem inducat, ast vesica non expectatur, hinc quid si in re, quæ exacte quidem non, pro vesicatorio autem minime determinari potest, diceremus, *calidum & siccum* esse in fine *secundi*, qui correspondet principio *tertii gradus*.

Positis his fundamentis in proclivi est, castoreum nostrum ob particulas gummi-resinosas, 🜍eas, balsamicas, volatiles, & ⊽stres *aperire, subtiliare, dissipare & roborare*.

Hinc ob 🜍 illud volatile imprimis totum *genus nervosum* solatur, *morbos uterinos*, particulas silvestres corrigendo & inordinatos *archei* motus sistendo, lympham in coagulum abientem liquando, depellit, *capitis doloribus* subvenit, *vertiginosis, epilepticis & apoplecticis* benefacit, *colicorum* tormina *vagas arthritides, dentium* aliarumque *nervosarum partium dolores* evidenter lenit & tollit: sed à nostro instituto consensum *Antiquitatis* audire non erit alienum.

D. Neufartus famigeratissimas illius vires taliter describit: *Testes castoris desiccant abundantiam humorum, & ob proprietatem morbos, qui ab origine nervorum oriuntur, curat.*

D. Geigerus eadem chorda cecinit dicendo: *Castoreum aptum natum est ad affectiones nervosas, præprimis si post purgantia datur; ceterum notandum, quod à Doctore Martino Præceptore meo inaudivi, majores vires habere tempore plenilunii.* An hoc verum sit nescio, nisi intelligatur de exsectione.

D. Zvvikerus ait, *hi* (sc. testes castoris) *ad aliquot annos durabiles, pretiosi sunt, & præprimis affectibus nervorum inserviunt.*

D. Petrus Hænerus *Practicus olim Wormaciensis* ita loquitur: *Usus illius fumo præparati est in eructatione stomachi, dolore dentium præsertim ob insignem siccandi vim, qua pollet, contra passiones matricis, morbum caducum, attonitum, paralysin, & uno verbo omnibus partibus nervosis læsis gratissimum est.*

Omnia paucissimis complexus Fr. *Erhardus, Hr. Hansz* vulgo dictus. *Monachus Ulm.* hisce verbis: *castoreum cœlum petit*, scilicet *microcosmicum*. Sed usum specialem medicum videbimus.

Joh. Marius.

Castoreum *probatissima Medicina est contra* aurium morbos; *penitus removet ac tollit omnes* dolores earum; *item* sonitum, strepitum & sibilum, tinnitumque, *non minus etiam* surditatem, *modo non sit inveterata atque exorta ab humoribus superfluis, aut nervorum obstructionibus.*

Externe impositum vel applicatum apostemata *resolvere* lippis & tonsoribus *perspectum atq; cognitum est, quare magna cum utilitate inter* unguenta resolventia *miscetur.*

In Arthritide & doloribus podagricis *nullum nobilius excellentiusve remedium exortum ac inventum quam castoreum, si legitimo & recto usu adhibetur, quamobrem* DEO T. O. *M. quotidie pro dono tam benignissimo & pretiosissimo quam maximas gratias persolvere tenemur.*

Verum enimvero utut nullum remedium sub ☉*e reperitur, quod universalem bonitatem in se habeat ac possideat, ac nulli hominum noxium esset, sic etiam hoc* castoreum *non omnibus æque ac pari modo suum auxilium, virtutem & efficaciam promittit, usus enim in mulieribus gravidis magno cum periculo conjunctus est, ac citissime promovet* abortum, *uti egomet compertum habeo ex quadam muliere, quæ* uteri suffocatione *laborabat, multa autem de* castoreo *interne propinata, & externe applicata vel inuncta, mox abortivit, & fructum immaturum tredecim hebdomadum in lucem edidit.*

Additamentum Franci.

Tinnitus aurium hiemalis plerunque est morbus, in quo aures soni sunt plenæ, ita ut externus difficulter audiatur, dependet à vaporibus tympanum intus ferientibus, quibus *nostrum* aperiendo, resolvendo, & dissipando ob λεπτομερείαν aversatur, quod ex nov-antiquis probatis Auctoribus manifestabo.

In specie autem intus nobilissimum est medicamentum, & in morbis *aurium* variè ordinatum valet egregie.

Johannes Michelius Medicus Austriacus, testante ejusdem Msto, sequentem mixturam ad præsens accommodatam olim multis profuisse observavit.

℞. Castor. ʒß. *oliban. myrrh.* ā ℈ß. *rad. asar.* ʒj. *f. pulv. grossus ebulliant in vino q. s. facta expressione, coletur, de quo una l. altera gutta calida auri instillanda & licinio claudenda.*

In eodem affectu *D. Joannes Michaelis* PP. Lipsiensis in Msto Comment. ad Jonstoni Praxin talem mixturam describit.

℞. ▽*æ picar.* cum castor. ʒiij. *essentiæ absinth.* ʒj. *M S. Mixtur.* zu den Ohren.

Idem Auctor ad eundem affectum sequentem mistionem concinnat.

℞. *Essent. absinth.* castor. *C. B.* ā ʒj. *M. S.* vermischte Essenz zu den Ohren.

Alias peculiare ☍um *Idem* tradit Auctor castoreo dotatum quod

℞. ☍i *amygd. amar. formicar. lumbricor.* ⊽*str. an.* ʒj. ☍i *costin. absinth.* castor. *an.* ℥ß. *stillat. laur.* ℈j. *major.* ℈ß. *M.* äusserl. Oel.

Georgio Weben sonitu aurium cum dolore capitis laboranti sequens anno 1621. die 5. Aprilis cum optimo successu præscripsit *D. Joannes Schapplerus*:

℞. *MPill.* ☉*ar. cochiar. extract. rhab. an.* ℈j. castor. ℈ß. *cum* ☍i *still. rorismar. f. Pill. Med.*

Similem virtutem *D. Joannes Sebastianus Blossius* anno 1645. die 8. Dec. in Domino *Vito Marchtalero* vidit sequ.

℞. *Extract. cathol. troch. alb. diagrid.* ā *gr.* vj. ☍i *stillat. major. guttij.* cum essent. castor. *f. pill. xxj.*

In hoc affectu Dom. *Jacobus Zeemannus* Dom. *Joanni Jacobi Seuteri* Mercatoris primarij Uxori cum summo & felicissimo successu anno 1646. præscripsit sequens.

℞. *Herb. origan. serpill. major. an. pij. flos anthos. pj. pulp. coloquint.* ℈iß. castor. ℈ ij. *storac. calam.* ℈iß. *succ. rut. rec. express.* ▽i *an.* ℥iß. ☍i de castor. *amygd amar. an.* ʒ vj. *coque lento* △*e ad* ▽ *& succi consumtionem, colaturæ adde* ☍i *petræ* ℈ i ß. *M. ad vitrum S.* Oel ins Ohr.

D. *Joannes Regulus Villingerus* ad pulsationem auris dextræ filioli Domini *Georgii Zechii* Senioris profligandam seq. exhibuit.

℞. ☍i

℞. *Olei amygd. amar.* de castor. *an.* ℥j. *maioran.* ʒß. *succi cepar.* ʒ j. *M. S.* Oel ins Ohr.

Idem in dolore capitis intensissimo cum atroci dolore aurium Generosæ Baronissæ *von Stadion* præscripsit:

℞. *MPill. de hier. cum agaric.* ℈iß. *mastich.* castor. *magist. rad. mech. nigr. gr. vij. cum* ∇*a fœnic. formentur pill. com. S.* Monatliche Pilulen.

℞. *Costin* castor. *an.* ʒij. *succi cepar.* ʒß. *M. S.* Oel ins Ohr.

Cum filia mea, *inquit D. Joannes Vogtius*, Brigitta valde pituitosa tinnitu aurium laboraret, sequentibus cum optimo successu subveni, præmissa præparatione.

℞. *MPill.* ⊙*ar. cochiar. aggreg. an.* ℈j *diagrid. gr. iij. schænanch.* castor. *an. gr. ij. M. f. Pilul. n. xj.* ℞. *olei sinap. unc.* ß. castor. *gr. iij. musci gr. ij M. guttatim infundatur in aurem.*

In *surditate* ab humoribus crassis & frigidis *D. Bartol. Wolfartus* anno 1571. viduæ Domini Thomæ Lebzelteri inter alia medicamenta duo seq. præbuit, quæ ipsi maximè profuerunt.

℞. *Pill. coch. agaric. troch.* castor. *an.* ʒß. *M. cum oxymel. f. pill. n. x.* de quibus sumat sing. die ante lucem duas.

℞. *solutionis aceti* castor. ʒ ij. *olei juniperi* ℥j. *succi rutæ q. pl. bene incorporentur quod cum ellychnio calide auri indatur.*

Non inutilem experti sumus simili in casu mixturam sequ.

℞. *Olei* castor. ʒß. *d. hyssop. major. an. gttvj. ligni sassafr. gttiij. M. S.* Schmerzen stillendes Ohren-Oel aussérlich zu gebrauchen. *labascentes enim* ~*us recreat & obstructiones promte removet.*

D. Christophorus Ebingerus surditatem per 4. septimanas in Dom. Joannis Habfasti Ehingeri filia Crescentia dicta, seq. curavit.

℞. *Olei laurin. rut.* castor. *rosat. succi absinth. sabin. mell. anthos. an. unc.* ß. *helleb.* ʒj. *bulliant simul ad satietatem infundantur gttvj. calidæ hujus mixturæ in aurem affectam quando patiens vult ingredi lectum, sentiet nobile experimentum, quod factum est.*

Resolvit quoque, meatus dilatat, & maturat, censente *D. Michaele Ettmüllero* in Msto cheirurgico, externe appositum, imprimis si discutere animus est, hinc galbano & junip maritatur, quibus œdemata, inflationes hydropicæ resolvuntur & discutiuntur, talismodi tumorem mollem & indolentem *D. Neufartus* olim in Domini Licentiati *Schiltboccii* uxore sequenti emplastro curavit.

℞. *Galban. sal. amm. an. unc.* ß. castor. *myrrhæ an.* ℥ij. *oleum cannabin. q. s. f. emplastrum calide applic.*

Tale paucorum dierum spacio ex *Magdalena Mayerin* Cuprarij uxoris pede sinistro per DEI omnipotentis gratiam seq. profligavi.

℞. *emplastri diachyl. cum gum. unc. j. gum. heder.* castor. *an.* ℥j. *olei philosoph. q. s. M. f.* △*em S.* verzehrendes Pflaster.

D. Bartholomæus Wolfartus Tumoribus pestilentialibus & malignis cum alijs imponit, & tale præscribit.

℞. *fuliginis. mithridat.* castor. ⊖*is culin. sterc. columb. an. unc. j. olei scorp. unc.* ß. *mellis rosat. & ceræ q. s. f. emplastrum*

Castorei vires admiratione sane dignæ in doloribus articulorum *sunt, & licet alia dentur utique præstantia, tamen in sedandis illis hacce laudabili sua virtute longe superat; audiamus Auctorum scripta.*

D. Villingerus olim *Martinum Georgium* Lavinganum doloribus vagis articulorum correptum sequ. restituit:

℞. *olei lumbric.* ~*str. costin. vulpin. an. unc.* ß. de castor. *piper. an.* ʒij. ∇*a vitæ F.* ℥iß. *M. S.* die Nerven zu stärcken.

Idem Reverendo Patri *Sebastiano* Concionatori in cœnobio *Söflingensi*, præmissis præmittendis, in talismodi defluxione gravissima seq. suadet.

℞. ∇*a hirund.* cum castor. *unc. iß. arthrit. Aug. unc. ij. alv. unc. j. M. S.* äusserlich Wasser.

Non infimi subsellij erit sequens *mixtura antarthritica*, quam Auctor noster ad ultimum vitæ halitum subticuit, quæ pariter castoreum veneratur:

℞. ~*us juniper. lumbric.* ~*str. an.* unc. ij. *cephalicæ unc. j. camphor. unc. ß.* essent. castor. ʒ *iii. opii theb.* ∇*ë solut.* ʒß. *M. qua multos miseros arthriticos liberasse scribit.*

D. Moyses Heldius Nosodochij Ulm. Medicus ordinarius sequentem mixturam in *Barbara Glaserin* anno 1649. arthriticis doloribus maxime infestata, præmisso infuso & balneo, cum optimo successu commendavit.

℞. *olei chemæmel. rutac.* de castor. *an. unc. ß. terebinth. still.* ʒii. *M. S.* Oel nach dem Bad zu trauchen.

Johannes Oeltrichius hospes ad aureum bovem arthriticus, in atrocissimis articulorum doloribus sequens, à *D. Jo. Sebast. Blossio* præscriptum, solamen suum in ærumnis nominavit:

℞. ∇*æ hirund.* cum castor. *unc. ii. vitæ F. unc. i.* ~*us lil. convall. ceras. nigr. an.* ʒii *sang. cervin. unc. iß. M. S.* äusserlich Wasser.

Die 3. Januar. anno 1632. *Christophorus Stuberus* Præfectus cœnobij *Edelstätten*, doloribus podagricis atrocissimis correptus, hic multis incassum usurpatis, tandem in dolore suo summo levamen gemitibus desiderat: vocatus ego (*D. Jo. Melderus*) necessarijs præmissis præscripsi:

℞ *sir. de beton. stæchâd. an. unc. ii. hyssop. unc. iß pœon. unc. ß d mell. anth. unc. ii.* ∇*æ primul. ver.* ℔ß. *salv. rorism. beton. lavend. an. unc. ii* essent. castor. ℈i. ∇*æ cinnam. unc. ß. M. S. digestiv.* Track auf viij. mal

℞. *MPill. de hier. cum agar. extr. cochiar. an.* ℈ii. *troch. alh. gr. v.* essent. castor. *gtt. iii. olei fœnic. still. gttiv. sir. de stæch. q. s. M. form. Pill. xxv.* S. auf j. mal.

℞. ∇*æ lavend. salv. flor. tiliæ* ∇*æ flor. lil. convall. omnium cum vin. an. lib. ß. hirund.* cum castor. *D. Küchel. arthritica Aug. an. unc. ii.* ~*us lil. convall. unc. i. M. d. ad vitr. bene clausum* S. Glieder-Balsam in-und äusserlich zu gebrauchen.

℞. *conserv. rosar. borrag. salv. bet. rorism. an.* ℥vj. *chamæpit. lil. convall. prim. ver lavend. an. unc. ß. rad. helen condit* ʒvj. *cort. citri condit. calam. arom. cond. an. unc. ß. spec. diarrh. arom. rosæ compl. an.* ʒi. *diambr. diamosch. dulc. an.* ʒß. *succin. alb. ppt.* ʒiß. *coral. rubr. ppt.* ʒi. *smaragd. ppt.* ℈i. *pulv. visci querc.* ʒii. *sem. pœon. nucist. an.* ʒi. *cardam. cub. an.* ℈j. extract. castor. ℈ß. *sir. de cortic. citri. de succo borrag. an. unc. iii. optime invicem misceantur, fiatque Electuarium mediæ consistentiæ, addendo olei d. succini, nucistæ an. gtt x. citri gttvj. iterum Misceantur, indantur vasi capaciori* S. kräfftiger Haupt- und Nerven-Latwerg, auf j. mal einer Muscatnus groß Morgens und Abends zu gebrauchen. *Pilulas arthriticas Augustanorum tali modo immutatas saluberrime exhibuit.*

℞ *pulv. ivæ arth. flor. stæch. arab. an.* ʒiß. *beton. prim. ver. an* ʒi. *rorismar. lavend. an.* ʒß. *hermodact. mund. agaric. troch. rhab. el. turph. alb. & gum. an.* ʒii. *troch. alh. diagrid. oleo fœnic. correct. an.* ʒi. *calam. arom. cinam. nuc. mosch. an.* ʒß. *cubeb. Zing. caryophyll. an.* ℈i. *spicæ indic.* ⊖*is gem. croc.* castor. *an.* ℈ß. ⊖*is Amm. opopanac. sagapen. an.* ʒß. *aloe succor. unc. ß. extract. hell. nigr.* ʒß. *esul.* ℈i. *liquirit.* ℈iß. *succi iv. arth. cum aqua ejusdem per coct. extr. q. s. fiat massa, quæ oleo anisi oblita & alutæ obvoluta reponatur in pixide, locoque idoneo asservetur S. Pilulæ de Iva, quas deinde sequenti modo præscripsit.*

℞, *MPill. de iva d. m.* ʒii. *olei d. salv. gttiv. M. & formentur pill. xxv. involvantur pulv. spec. diamosch. d.* S. Bicht-Pillen 10. auf i. mal.

℞. *Pill. asajereth.* ʒiß. *aloephang. agarich. troch. an.* ʒi. *mastich. el.* ℈j. *spec. diambr. compl.* ℈ß. *ambr. ver. gr. iii. bals. fœnic, gr. viii.* essent. castor *gttiii. cum sir. de stæch. fiant Pilulæ ex* ʒi. *xxx. involvantur pulv. aromat. ros. compl.* ʒß. *dentur ad scat, S.* köstliche Flusz-Pillen, *quibus applicatis integrè convaluit.*

Ad civem meum Dominum *Christ Weberum* nuperrime vocatus, sævissimis pedis dextri doloribus correptum, ut ne per momentum stare, summis cum cruciatibus jacere, & vix in sella sedens obhærescere posset, offendi, qui cum ejulatu & clamore mitigationem petiit; primum seposui Barbitonsoris per bi-

duum frustra applicatum emplastrum, dein præscripsi:

♃. ▽æ dolorum ord. unc. ij arthrit. Aug. unc. j. essent. castor. gtt. xv. ♂i d. rorism sacch. impregn. gtt. iij syr. de stæchad. arab. unc. j. M. *de qua mixtura ut singulis horis cochleare unum assumat, jusseram.*

♃. ▽æ *hirund.* cum castor. *unc. ij.* ∼us *lumbr.* ♁*str. unc.* ß. ⊖is Am ʒiß M. S. äusserlich Glieder-Wasser. *His præscripto modo usurpatis altero mane benedicente DEI gratia incolumis surrexit.*

Et quidem non moderni solummodo Medici hoc nostro utuntur, sed etiam antidhac majores nostri in iisdem *articulorum affectibus* semper magni æstimarunt, hinc multas compositiones hisdem inservientes ingreditur.

Anonymus Auctor in *Experimentis Medicis* Mstis varia habet medicamina, quorum compositiones *castoreum* nostrum ingreditur, quæ in omnibus *articuloribus doloribus* calidis tam quàm frigidis laudat & secreti instar retinet; unum & alterum adducam.

♃ *unguenti* ♂ati, *Arrag.* ā unc ß. ♂ide castor. *euph. petr. junip.* ā ʒij. *pulv. euphorbii gal. pip. long.* ā ℈j. *ceræ unc.* ß. *M. f. Unguentum.* ♃. *vini* ♎ati ℔ij. *pip. long.* castor. *cocognid. sem. eruc. ver. gran. paradis. an. unc. j.* ʒij. *M. f. s. a. Unguentum pro* articulis *D. Balthasaris ab Headen Med. Norici.*

♃. *rad. sarsaparill. unc. ij. pyreth. unc. j. fol. rutæ, salv. chamæp. abrot. puleg. paralys. absinth. chamæd. hyper. spic. nard. an.* Mij. *gran. junip.* mß. *garyophyll. cinam. gal. an. unc.* ß. *coq. in brodio gallinæ pingui lib. iv. colaturæ expressæ adde.* ▽æ *vitæ. vini alb. an. lib. j.* ♂i *tartari, laurin.* de castor. *lumbric.* ♁*str. an. unc. iij. myrrh. el. aloes hepatic. olib. opopan. bdell. galb. Sal. Amm. mastic. storac. cal. liq. an. unc.* ß. *g. laud. in vino diss. terebinth. an.* ʒx. *gum. elem.* ʒiij. *heder.* ʒij *euphorb.* ʒj *ping. vulp. taxi, anseris. gal. axung. porcin. an. unc. j. bulliant ad consumtionem* ▽*sitatis. in fine adde croc.* ʒiij. *ceræ unc. iij. M. f. unguentum s. a. Nec contemnenda sequens mixtura à me valde probata.*

♃. ▽æ *magnan.* ∼us *lumbr.* ♁*str. vol. an.* ʒvj. *Sal. Amm.* ʒiij. *essent. succin.* ʒij. castor. ʒß. *pini* ʒiß. *M. d. ad vitrum.* S. äusserliche Glieder Essenz.

D. *Joannes Kellerus* dictus *Berndein Nobili Casparo Burkardo* de *Klingenstein* dolores circa artus hinc inde vagos à *cacochymia* totius corporis sentienti sequens linimentum præscripsit.

♃. *unguent. nerv. nostr. unc. j.* ♂i è castor. *hypericon. juniperi, axungiæ canis taxi, cati silv. ciconiæ an. unc.* ß. *commisce ad ollam* S. Sälblein den ganzen Ruckgrad vom Genück biss auf den Sitz Morgens und Abends vvol vvarm damit zu schmieren.

D. *Didimus* dolores articulorum vehementissimos sequenti suo arcano fugavit, ast uti ipse pergit, non nisi necessitate maxima urgente, ne sequeretur immobilitas.

♃. ♂o *chamom.* castor. *lact. mulier. an. unc. j. opii gr. vij. M. f. Linimentum.*

Alias ♂um filij Zachariæ à *Mesve* approbatum sic conficit, idque in his doloribus valde laudat

♃. *costi, euphorb. piper. an. unc. j. croc.* ʒij. castor. *unc.* ß. ♂i *chamomill. lumbric. terren. de costo an. unc. iij. f. decoctio in dupl. vase.*

D. *Balthasaro Eisengrinio* Consiliario Würtembergico *Georgius Renzius* Medicus Kirchheim. in *dolorosis artubus* factis faciendis sequentia cum fructu ordinavit:

♃. *agaric. ppt.* castor. *MP.* ⊙*arum Nicol. an.* ℈j. *M. & cum syr. de stæch. f. Pill. xv.*

♃. *ung. aragon.* ♂i *philos.* castor. *lumbr. terren. vulpin. an. unc. j. M.*

Huc referri possunt trochisci D. *Barthol. Wolfarti*, quos non in *arthritide* tam quam *suppressione mensium* valde laudat & in decocto gran. juniper. propinat.

♃. *Amyli sicci unc.* ß. *myrrh. troglot. nuc. mosch. nard. ind. mastich.* castor. *styrac.* ā ʒj. *gum. arab. croc.* ā ʒß. *cum infus. tragac. fact. in* ▽ *lavendulæ fiant* Trochisci.

♃. *Gum. tragac. arab. an.* ʒß. *thur. masc. myrrh. troglot. amyl.* castor. *croc. an.* ℈j. *opii thebaic. f. cum aq. rosarum pill. xxx. quarum dentur tres tempore noctis.* D. Wolfartus *eas nominat* Krafftianas, *quia Dn.* Lud. Krafftius *adversus podagram frequenti in usu habuit unà cum scarificatione plantarum pedum*

Castoreum *abortum* excitare D. *Joannes Widmannus* itidem affirmat, quod autem non æternæ veritatis est, novi enim mulieres gravidas quibus in *strangulatione uteri* castorina interne tam quam externe sine periculo propinata fuerunt, novi virginem pressam castoreum sæpissime drachmatim devorantem, absque, ceu in votis habebat, abortionis sequela.

Sunt, qui abortiuntur, non ob castoreum tam quam virulentis uterum repletum expirationibus; hinc statuo castoreum in dispositis ad abortum, h. e. si vasa sunt laxa & fœtus admodum debilis, exclusionem omnino expedire posse, contra vero rite adhibitum, non uteri tonum solum confortare, sed & ab omnibus invasionibus conservare, quemadmodum hystericis sine fœtus læsione fructuose sæpius propinavi.

Joh. Marius.

Castoreum utilis medicina est in morbis cephalicis, *qui exoriuntur à frigiditate humorum, hi efficacissime attenuantur ac resolvuntur.*

Exinde contra Comitialem *morbum utilitate sua non destituitur, modo è vestigio adhibeatur, & regium medicamen audit.*

Non dissimilem utilitatem percipiunt illi qui proclives sunt ad colicam *&* tortionibus ventris *laborant, uti textor qui per aliquot dies ingentes dolores usque ad desperationem passus est, castoreo, me præsente, auxilium & convalescentiam sensit.*

Adolescens *tertium & vigesimum annum agens ob* colicam *acerbissima passus est, quum autem meum consilium accepisset, ac de castoreo aliquoties assumsisset, ferme totaliter de hoc morbo curatus est.*

Sed Mulieres juniores castoreo parcissime uti debent, quoniam sæpissime conceptionem impedit ac steriles ipsas reddit.

Additamentum Franci.

Omnibus doloribus capitis, imprimis ubi acidum, austerum, acerbum, & ponticum peccat, castoreum nostrum generose, in vertendo, demulcendo & absorbendo se opponit: de encomio ejus heic audiri juvat D. *Joannes Melderus: illius, ait, utilitas in dolore capitis externa æque ac interna est valida præservando, si certis temporibus detur, & curando, si in casu necessitatis quocunque modo adhibeatur.* Hinc anno 1631. Uxori Mercatoris *Rukenbrodtii* in doloribus capitis immanibus tale linimentum præscripsit.

♃. *extract. rutæ* ℈j. castor. *olei nucum expr. an.* ℈ß. *still. rut. succin. an. gtt v. gran. juniper. majoran. an gtt ij. galb gtt j. theriac.* ʒß. *camphor. in aceto rut. solut. gr. iij. M. f. Linimentum S.* Nasen Sälblein,

D. *Joannes Scultetus* anno 1644. die 19. Octobris Dn. Abbatissæ Soflingensi dolore capitis affectæ sequentibus egregium præstitit levamen, ut postea bis in anno assumeret.

♃. *extr. agaric.* ⊙*arum.* castor. *an.* ℈j. *mag. mechoac. nigr. gr. vij. olei succin. gtt ij. cum* ∼u *matric. f. p. parv. de aur.* S. Haupt-Pillen.

D. *Joannes Schapplerus* anno 1621. die 24. Martij uxorem Jacobi *Binders* capitis doloribus diuturnis ob impeditas menstruas purgationes cruciatam seq curavit.

♃. *Pill. cochiar.* castor. *cathol. Theop. an.* ℈j. *troch. alh. gr. ij cum syr. de beton. q. s. f. Pill. mediocres.*

Virgini, *Stadlerin* dictæ in atrocissimis doloribus D. *Salomon Fischerus* cum successu optato seq pilulas præscripsit.

♃. *MPill. sine quibus.* ℈ij. *aurear.* ℈j. *troch. alh. gr. iv. diagrid. gr. iij.* extract. castor. *gr. ij. olei fœnic. still gtt iij. cum aq. fœnic. f. pill. mediocres.* S. Pillen auf j mal.

Hisdem fere consimiles sunt sequ. Pilulæ, quæ *dolores capitis ab utero* ortos, quamvis etiam viris eodem dolore vexatis ob particulas castorei balsamicas & volatiles cũ fructu

fructu adhibeantur, radicitus promovent, ab hisdem doloribus diuturnis *Patricia Ulm.* unica dosi pilularum propinata totaliter liberata fuit.

℞. *MPill. de succin. C.* castor. opt. *ā gr. vj. resin. gialap. tartari* ⊖ *lat. ā. gr. iij. troch. alh. gr. ij. M. f. cum Elix. PP. P. l. a. Pill. n. xxj.*

Sic Illustrissimum Baronem Carolum Philippum à Welden *auf Laupheim* ab immanibus capitis doloribus beneficio seq. pill. D. *Villingerus* liberavit.

℞. *MPill. aloet. Aquap.* ℈j. de castor. ℈ß. *mag. rad. mechoac. nigr. gr. xxviij.* ☍*i rorism. gr. iij. cum* ∽ *cephal. anhalt. compl. f. pill. n. xxix.* S. Haupt-Pillen auf j. mal.

Et externe applicatum non denegabit auxilium, quemadmodum D. *Blossius* anno 1646. D. *Friderici Ehingeri* filię in doloribus his fronti cum optimo levamine applicavit.

℞. ▽*æ hirund.* cum castor. ℥ß. ∽*us lil. convall. ceras. nigr. ā* ℥ ij. *M. S.* äusserlicher Uberschlag.

D. Wedelius fronti ∽*um castor.* cum ▽a Anhaltina reformatum adhibet. Anno 1678. honesta Matrona *Susanna Minsingerin* ætate quinquagenaria in sævientes capitis dolores sine ulla remissione incidit cum vertigine & omnium sensuum tarditate, multis ab alijs Medicis frustra adhibitis die 27. Augusti vocatus dedi sequentia quibus cito & jucunde, sit nomen Domini benedictum, ab his doloribus liberata.

℞. ▽*æ flor. anth.* ℥j. *salv. cum vin. meliss. cum vin. ā* ℥ß. ∽*us lil. convall. ceras. nigr. ā* ʒij. essent. castor. ʒ*ſs. sir. de stæch. arab.* ʒ*ſs. M. S.* sonderlich Haupt-Wasser Löffelweiß zu gebrauchen.

℞. Extr. castor. *salv. cinnab. min. rit. ppt. ā* ℈j. ⊖*li* ∽*tis gr. viij.* ☍*i spic. camphor. d. ā gttij. M. f. Pill. xxxiij.* S. Pillen auf iij mal.

Anno 1575. D. Nicolaus Beringerus scriba urbis circa Junium magnis doloribus capitis affligebatur, jussit D. *Ebingerus* ut capite raso sequenti linim. inungatur futuræ.

℞. ☍*i nymph. pap. ros. ā* ʒj. pulv. cast. ʒj. *croc.* ʒ*ſs. ceræ parū f. unguētū quo ter repetito præmissa purgatione leniori curatus.*

Huc pertinent Pilulæ *Nicolai* quas D. *Joannes Stokerus* tali modo immutavit.

℞. *aloes* ʒiv. *myrob. citr. Kebul. emblic. Indor. mastic. diagrid. asar. rosar. ā* ℥*ſs. croc.* ʒj. castor. ʒiij, *conficiantur cum succo caulium, dosis est à* ℥*ſs. ad* ʒi*ſs. & expertæ sunt in dolore antiquo.*

In *Apoplexia* expectatissimum præbet auxilium, quicquid enim caput male habet, id promptissime tollit, hinc poros & principium medullæ spinalis à particulis ruderosis, obstructionem eorum inducentibus liberat & resolvit, membrisque flaccidis vegetum virium statum de subito teste experientia reddit.

Sequenti mixtura D. *Wolfartus* naribus applicata apoplecticum excitavit:

℞. ☍*i* de castor. ℥ j. ⊖*li* ʒij. *M.*

Jam iterum mea attingam.

Mulier non ultra annum in conjugio vivens per tres septimanas in cerebro vapores frigidos ad latus sinistrum inclinantes sentiebat, hæc alaudas deplumans subito decidit, quæ à Marito erecta in mensa recubuit, de vertigine & tremore brachij sinistri questa, à Marito vino refocillatur, ast paulo post iterum casum repetit.

Convocatę vicinæ pro *suffocatione uterina* id aspicientes varijs ex penu necessitatis illarum, charta videlicet bibula, *castoreo, succino accenso, pennis perdicum, corio* alijsq; fœtidis Miseram diu vexabant, ast sine ullo fructu, & cum in minutas deterius haberet circa mediam noctem excitatus & vocatus, eam ab *Apoplexia paralyticam*, brachij scilicet & pedis totaliter motu privatā, & leviter balbā, nullo vero dolore nisi incontinentia ☐æ molestatam offendi.

Tactu, quod calculo notandum albo, latus illud sinistrum adeo frigidum erat, ut amoveri ceu pars mortua & non ad corpus illius pertinens volebat.

Primum ut *alium Medicum* adjungam recusavi, & avidus laudis meam operam fidelissimā pollicitus, *postpositis clysteris, V. S. cauteriis & cucurbitulis* alias ordinariè adhibitis, *infusione nervina, pilulis nervinis, & unguento singulari* aggressus magno cum levamine, ut ita spacio trium hebdomadū *digitos manuum*, unū post alterū levissime quidē movere, & intra 8. septimanas absq; labore incedere potuerit.

Casus circumstantialiter descriptus in *Praxi Clinica* prope diem edenda. Omnia sibi profuisse alijs referebat sequens unguentum præ cæteris deprædicans.

℞. *Ping. can. b. not. cati silv. ā* ℥j. *ping. hum.* castor. *lumbr.* ▽*str. ā* ℥*ſs.* ☍*i laur. euphorb. formic. ā* ʒij. *d. junip.* ʒ*ſs. spic. ital.* ʒ*ſs. salv.* ℈ j. *M.*

A Doctore *Sebastiano Stromaiero* Johannes Bucherus textor Apoplexia correptus taliter curatus;

℞. *Theriac. Andr.* ℈ij. extr. castor. ℈*ſs.* ☍*i anisi still. gtt. iiij. caryoph. gttij, M. f. Linimentum ad linguam.*

℞. *Calament. origan. major. rut. salv. ā mj. sem. carvi, sem. fœnic. ā* ʒij. *colocinth. in pet. lig.* ʒj. *helleb. alb.* ʒj. *coq. in* ▽ *com. ad duar. part. cons.*

℞. *colat.* ℔j. *adde. Elect. bened. lax. diaphœnic. diacolocinth. ā* ʒij. *mell. anacard.* ☍*i* castor. *ā* ʒj. ⊖*is* ♉*æ* ʒj. *f. clyster.*

℞. *conserv. rorisn. salv. majoran. ā* ℥j. castor. ppt. ℈j. ☍*i d. caryoph gttiiij.* ∽*us ceras. nigr.* ʒij. *mell. anthos. q. s. f. Elect. de quo sæpius sumatur ad quantitatem castan.* D. Michaelis *tale clysterium suadet:*

℞. *herb. rut. origan. rorismar. fol. asar. ā mj flor. stœch. arab. cent. min. lil. convall. ā mj. rad. aristol. rot. imperat. pyrethri ā* ℥*ſs. agaric. alb.* ʒi*ſs. sem. cartham. in pet. lig.* ʒ *vj. pulp. colocynth. in pet. lig.* ℈j. *coq. in s. q.* ▽*æ com. colat.* ℞. ℥*viij. in quibus dissol. Elect. hier. picr. cum agaric. bened. lax. ā* ℥*ſs. succi rut. inspissati* ʒ*ſs.* extr. castor. *gr. vj. f. clysma. post paroxysmum autem pilulas, quas castoreum nobilitat describit:*

℞. *extr. diacarthami.* ℈j. *troch. alh. gr. ij.* castor. *gr. iiij. cum* ☍*o d. major. f. l. a. P. S.* auf j. mal.

Heic etiam non inconveniens erit emplastrum cephalicum *Wedelianum* quod

℞. *cerot. cephal.* ℥*ſs.* castor. *styrac. liquid. ā* ʒ*ſs. thuris gum. juniper. ā* ℈j. *malax.* ☍ *rosf. q. s.* ℥. *s. A. & o. s. r.*

Neq; contemnendum illud D. *Christophori Cellarii* Villico in Degersheim Apoplexia correpto unguentum præscriptum.

℞. *ung. Areg.* ∽*ti ā* ℥j. *Agrip.* ℥*ſs* ☍ *costin. vulpin. ā* ʒ*ſs. rut. de lumbr. ā* ℥*ſs.* e castor. ʒi*ſs. pulv. salv. min rorism. bet. piper. ā* ℈j. castor. *euphorb. ā* ℈*ſs. rad. acor.* ℈ij. *ceræ opt. q. s. pro unguento.*

D. *Blossius* Apoplectico sequenti cataplasmate subvenit:

℞. *ferment. vet.* ℥i*ſs. succin. citrin.* ʒiij. *nuc. mosch. cubeb. ā* ʒ*ſs. menth. crisp. caryoph. ā* ℈j. castor. *lign. al. veri ā* ℈*ſs. M. & cum* ∽*u cephalico anhalt. &* ✝*to vini redigantur in formam cataplasmatis.*

D. *Jacobus Zaemannus* in filiolo Mercatoris primarij heic loci cataplasmate ex ▽a hirund. *cum castor.* ℥i*ſs.* cum ruta viridi contusa plantis pedum applicato convulsiones epilepticas fortissimas & creberrimas repressit & curavit, id etiam effecit D. *Michaelis* clysmate sequenti:

℞. *flor. tiliæ lil. convall. ā p. iij. rad pœon.* ʒiij. *fol. sen. s. st.* ℥ j. *coq. in s. q.* ▽ *com. colaturæ* ℞. ℥*iij. & adde Elect. hier. picr. cum agaric.* ʒiij. extr. castor. *gr. iiij. M. f. Clysma.*

Placet heic afferre mirabilem & fere ridiculam curam, quam refert D. *Jo. Stokerus* his verbis: *Si primo conficitur Episcopus, patiens facta confessione audiat primo die Missam de S. Jo. Evangelista, secunda die audiat Missam de S Jo. Baptista, tertio die audiat Missam de S. spiritibus omnibus, sic factis detur* ℥j. *de castoreo, & divid. in viiij. p. æq. & qualibet die accipiat unam partem istarum cum uno folio præsii alb. nona die erit purgatus, & est verisimile, nam S. S. dicitur diversimode revelare scientiam.* Nos mittimus ceu superstitionem Philosopho Christiano indignam.

Nobilissima & hæc est ▽a Illustr. Ducissæ Würtembergicæ, quam annotavit *Anonymus* quidam in *Exp. Medd.* ac effectum mirabilem *in Epilepsia* præstare dicit:

℞. *Hirund. n. ix.* castor. *galban. ā* ℥ j. ✝*ti vini opt lib. j.*

infunde per ℞ & adde flor. borrag. & bugloss. ā ℔ß. nucist. cinam. ā ℥ij. d. s. a.

Idem *Anonymus* sequentem pulverem in viro & duabus feminis *Epilepsia* laborantibus, universalibus rite præmissis cum optimo usurpavit successu.

℞. *Duos corvos juvenes captos mense Martio, combure in olla nova, fac ex eis pulverem, cum vino decoctionis* castorei *offeratur haustus unus atque alter ad summum tertius in hebdomade.*

Idem *Auctor* laudibus extollit in *convulsionibus epilepticis* seq. ▽am hirundinum quæ compositio *Stupani* est, & non in multis manibus.

℞. *Flor. lil. convall. ℔j. pœon. lavend. beton. tiliæ, cichor. verbasci odor. tunic. rubr. summit. meliss. omnium in umbr. exiccat. an. ℥ij. rad. pœon. enul. an. ℥iij. dictam. nostr. aristol. long. angelic. an ℥ß. eryng. cichor. an. ℥j. visci quern. ʒx. cinam. ʒvj. castor. ℥j. stæch. arab. ʒvj. rad. pyreth. cyper. alb. an. ʒv. sem. pœon. excort. ℥ij. C. B. ℥j. cubeb. pip. long. an. ℥j. f. s. a. infusio in vino malvatico deinde adde theriac. opt. vet. ℥iiij. mithrid. opt. ℥ij. troch. de viper. ʒiij. f. s. a. distilatio ex* MB. *bene contusis spiraculis.*

Alias D. *Sebastianus Blossius* apud infantes modo natos ad præcavendam *Epilepsiam* Balneum decoctionis *castorei* in frequenti usu & quidem non incongrue habuit, cui quoque addi possunt rad. pœon. ruta, beton. salv. &c. de quo autem balneo alibi plura.

Mulier nostras annorum aliquot supra xxx. complexionis calidæ & humidæ, coloris in facie semper vividi, ultra sexennium post *puerperium* affectu singulari fuit molestata: Hæc scilicet præcedente quadam alteratione in ventre, ter, quater vel quinquies interdiu etiam noctu, ablato in momento auditu & visu, absque tamen spuma oris corripitur convulsione quadam manibus jectigatis cum hac loquela, *nun dasz vvol, nun dasz vvol*, (has voces semper exprimebat) tandem paroxysmus se finiebat cum tremore capitis & [urin]æ incontinentia.

Ad hunc adfectum compescendum multi celeberrimi Medici in vanum laboraverunt, ut tandem Mulier coacta ab omnibus medicamentis desistere & divino concredere auxilio.

Cum vero multo post cognosceret, me talismodi affectibus dubijs laborantes ope divina & medica plures restituisse, in fidem meam se contulit, meque clam inscio quoque marito subsidij gratia accessit. Primum, fateor, in suspenso hærebam, quid faciendum, ne scilicet *Medicus iuvenis* ludibrio habeat, sed re diu exacteque pensitata, rem bono numine aggrediendam censui, & cum animadverterem narium pruritum ob vaporis mordacis ab inferioribus partibus adscensionem, suspicatus fortean materiam verminosam in intestinis hærentem subvectis malignis vaporibus cerebrum & cor procellentibus talismodi symptomata excitare, proinde ut materia illa evacuetur pulverem purgantem ex gialap. crem. Tartari, diacryd. ♀at. compositum astite gratia divina dedi, cum excretione *lumbrici* 2. *ulnarum*; repetito hoc pulvere iterum lumbricum expulit cum multis particulis ejus, tertia vice repetito materia quidem lactea vitiosa excreta, ast sine lumbrico, manentibus tamen symptomatis, tunc ad ea averruncanda sequentes pilulas ordinavi:

℞. *Cinnab. min. rit. ppt. extract. salv. an. ℈ß. rorismar. pœon. an. gr. xvj. lil. convall. castor. an. gr. vj. MPill. de succin. ℈ß. laud. opiat. giß. ♂oi dest. anth. succin. an. gttij. cubeb. gtt. j, M. f. cum ∽u coryl. l. a. Pilulæ.*

Spes suscepta ex voto meo successit, & symptomata majori ex parte sublata, pro residuo discutiendo præscripsi mixturam paullo post positam, qua singulo mane assumta, totaliter à tanta molestia, effectum pilularum celebrando, immunis reddita, jam suasi ut acidulas stato tempore bibitum iret.

Ad præcavendam *Epilepsiam* in filiola *Alberti Schleicheri*, Doctor *Jo. Kellerus dictus Berndein* anno 1607. die 21. Julij bono successu ordinavit.

℞. *♂oi rutæ lumbricor. laur. e castor. an. ʒiij. ▽æ vitæ parum. commisce.* S. Oel zum Ruckgrat.

Alias puer 15. annorum *Epilepticus* sequenti pulvere à *Fratre Benedicto Millero* zu Taugendorf felicissime curatus.

℞. *Oppopanac.* castor. *sanguin. drac. C. C. usti. an. gr. vij. de oss. cord. cerv. gr. iij. ung. alc. calc. gr. viij. visci querc. gr. xx. cran. anter. hni. diptamn. alb. an. gr. xx. flor. hyperic. lavend. rad. torment. an. gr. iiij. sem. & rad. pœon. an. gr. iiß. stæch. arab. marg. ppt. an. gr. xxv. auri finissimi fol. num. iij. f. pollen* S. stärckendes Pulver.

Parili modo *Jo. Fuchsii Filia* annorum 19. menses rite habens sæpius Epilepsia correpta; veniente paroxysmo dolorem stomachi sentit cum difficili respiratione, vocatus ego anno 1679. 9. Octobris præscripsi sequentia, & in hunc usque diem sit gloria & honor DEO, ne vestigium quidem hujusmodi motus sentiebat.

℞. *Cran. hni s. △. ʒj. visci corylin.* castor. *ppt. ung. alc. ppt. cinnab. miner. rit. ppt. an. ʒß. ⊕-li ∽is gr. viiij. laud. opiat. gr. ij. ♂oi major. lavend. an. gttij. M. f. pulvis.*

℞. *▽æ pœon. flor. tiliæ rut. an. ℥iß. epileps. Lang. hirund.* cum castor. *an. ℥ß. ∽us corylin. ℥ß. Sal. Amm. ℈ß. sir. de beton. ℥ß. M. S. Mixtur* zum Pulver.

Horum medicamentorum per DEI gratiam in *Cerdone* & *Sutore* quibusdam notissimis viris una cum tribus adhuc hominibus his oculis felicissimum vidi effectum, nec unus ex illis ne vestigium quidem de malo hoc ad hunc usque diem persentiebat.

Juvat & applicare unum l. alterum suppositorium acre, quale habet D. *Mezgerus*:

℞. *Elect. hier. picr. stercor. mur. an. ʒj. fell. ♉i inspiss. ʒß. mell. anthos. q. s. f. suppositorium ♂o rutæ &* castorei *inungendum.*

In *colicis doloribus* nihil castorinis præsentius juvat, imprimis clysteres mucaginem ponticam intestinis adhærentem invertere & profligare valentes; qualem D. *Michaelis* loc. cit. proponit.

℞. *Flor. chamom. rom. summit. aneth. herb. ☿ial. an. mj. bacc. laur. ʒvi. rad. Zedoar. unc. j. cort. aurant. unc. ß. sem. cumin. carvi. aneth. ana ʒiß. coq. in s. q. ▽æ s. pro ditiorib. in vino, colatura.*

℞. *Lib. j. in quo dissolv. Elect. bacc. laur. unc. iß.* castor. *ʒß. ♂o dest. rut. chamom. aneth. a gtt. iiij. f. l. a. Clysma.* D. Harderus *seq. valde laudat.*

℞. *Succi morsi gallin. ʒij.* castor. *℈ij. vini hisp. ▽æ still. menth. an. unc. ß. M.*

Anno 1571. die 18. Aug. *David Mindler* coram me (D. *Eckoldum*) de dolore stomachi, vomitu inani, dolore dorsi, & constipatione per 2. dies alvi conquestus, Tu, *dixi*, devorasti magnam quantitatem pyrorum acerborum, hæc dicitur colica, à fæcibus induratis, sequentibus utere, & sanaberis:

℞. *Alth. malv. ☿ial. melilot. chamæm. an. mß. sem. lini. fænugr. an. unc j. ficuum n. vj. flor. melil. piij. coq. in ▽æ s. q. colat. ℞. Lib j. Elect. bened. laxat. diaphœnic. ♂oi lil. alb.* castor. *an. unc. j. ⊖is fossilis parum, commixtis omnibus fiat clysma.*

℞. *♂oi chamæm. laur.* castor. *an. unc. j. juniper. ʒiij. M. quo locus dolens inungatur.*

D. *Jacobus Zæmannus* anno 1644. Ludovici *Schmid* Restionis filio *colica* laboranti ad dolorem demulcendum, & tensionem tollendam seq. dedit.

℞. *♂oi lil. albor. chamom. an. unc. j.* castor. *unc. ß. M. S.* Oel über den Leib.

Sequentem mixturam diversis personis colica labo-

laborantibus profuisse vidimus,

℞. ▽æ menth. vin. malvat. an. unc.j. essent. castor. gttxxj. ℘i anis. sacch. impraegnat. gttiiij. sir menth. unc. M.

Et seq. guttatim sumtum multos *colicos* feliciter liberavit, meque nunquam fefellit:

℞. ~us Tartari gr.xv. chamom. rom. ʒj essent. castor. ʒß. M. S. vvider die Grimmen.

℞. ▽æ ad flatus R. unc.ij. dolor. m. ord. unc.j. extract. castor. gr.iij. sir. menth. unc. ß. M. Grimmen-Tränck-lein.

In Vino pauperrimæ conditionis *colica* vexato hoc efficacissimum vidi.

℞. Extract. castor. *gr.iij. laud. opiat. gr.j. ℘i anisi gttj. M. f. pil. n.iiij. pro una dosi S.* Pillen für das Reissen im Leib.

Nuper Dn. *Michaeli Schefolto* Adfini honoratissimo dolore colico acerbissimo, quem vix sustinere poterat, torquenti, cæteris nil juvantibus præscripsi, duabus horis post dolor omnino sedatus, & hilariter prodeambulavit.

℞. *▽æ dolor. m. ord. unc.j. ℘i cumin. sacch. impraegn. gttvj.* essent. castor. *gttiij. sir. menth. unc. ß. M. S.* Grimmen-Tränckleín.

Nuper civi hinc meo ad *dolorem colicum*, qui atrox & continuus erat, demulcendum, & tensionem tollendam, pulv. hunc in vino optimo sumendum cum utilitate summa destinavi.

℞. Castor. *el. ℈ß. pulv. cortic. arant. sem. cimini an. ℈j. M.*

Alias ~um meum *physogonum* interdum admiscere soleo, qui & solus cum vino propinatus prodest.

℞. *Rad. imperat. unc.iij. Zedoar. unc.j. angelic. unc.ß. herb. menth. crisp. rut. veronic. summit. chamom. an. mviiij. sem. pimpinell. anis. cimin. sesam. cort. costin. aurant.* castor. *el. an. unc.j. cinam. acut. unc.ij. bacc. laur. unc.iß. incis. contus. g.m. infunde omnia in s.q. vini opt. per aliquot septimanas in digestione deinde dest. subtilissima pars, eamque serva ad usum.*

Quod autem *castoreum* sterilitatem inducat, tantum de nimio usu, quemadmodum in Inaugurali mea de sterilitate muliebri mentionem feci, accipiendum, nec sapor castorij tam gratus, ut mulierculæ nostræ eo delectentur, ad hæc parcissimæ sunt in dosi, *sie schaben nur ein kleines Messer-Spitzlein voll in ein Löffelein mit Fleischbreuhlein* & ægræ propinant.

Joh. Marius.

In dentium doloribus *castoreum non parum ceu probatum remedium inventum, quia materiam morbosam & viscosam catarrhalem aufert, quicunque enim hos dolores sæpius expertus est, is faciat castoreo periculum, ingentes gratias atque laudes mecum* D E O *aget.*

Additamentum Franci.

Odontalgia jure merito atrocissimis doloribus annumeranda vel præferenda, quia multos sæviendo ad desperationem & blasphemias adigit, parco mecum viventibus; frequentissimus dolor omnem invadens ætatem, etiam infantes ætatis sex mensium torquet, quin & totas familias divexat creberrime, quæ non immerito dici potest communicativa vel hæreditaria. Multis enim notum, quantum vel mas vel fæmina ad hunc dolorem producendum & propagandum conferre possit, si sc. vel ovula harum, vel contactus illorum ~osus talismodi ideis scatent. Ansam huic malo etiam influentiæ præbent astrales, quemadmodum D. *Wedelius* in *Thematologia* Msta doctissime more suo disserit.

Ad hunc affectum laudatur ▽a dentium quam D. *Schapplerus* ita parari jubet:

℞. *Rad. tarax. pyreth. an. ʒij. dict. imn. cort. raphani acac. pini. an. ʒß.* castor. *opt. mastic. an. ℈ß. caryophyll. n.iij. incis. & contus. infund. in vin. rubr. ▽æ solani an. unc.v. per noctem, stentque in calente loco, mane post unicam ebullitionem.*

℞. *Colat. unc.viiij. diamor. unc.ij. commisce & asserva in vitr. quo sæpius os calide colluatur.*

Sequentibus trochiscis atroces *dentium dolores* brevi temporis spacio liberavit Auctor *Anonymus* in *Experimentis Medicis.*

℞. *Piper. alb. sem. hyosciam. an. ʒj. opij ʒß. croc. ℈ß. spicæ gr.iij. pyrethri* castor. *an. ℈ß. cum melle despumato f. trochisci parvi.*

Sic vinum decoctionis rad. pyrethri & *castorei* dolorem dentium arcere asserit *Simpertus Linsius* Practicus Memmingensis.

D. *Didymus* sequentes Pilulas expertas habuit in doloribus dentium à cavitate ortis:

℞. *Ladan. puriss.* castor. *opt. opii an. gr.iij. minores quarum una applicetur denti cavo, nec laude sua destituitur emplastrum* ejusdem *descriptum:*

℞. *Pulv. melil. origan. an.* ʒij. castor. *ʒß. theriac. ʒv. cum Aceto acerrimo fiat pasta, & applicetur maxillæ dolenti.*

Mirabilis plane operationis est sequens *balsamum dentale*, cujus beneficio atrocissimos dolores dentium, adnuente DEI gratia, quemadmodum notum est, curavi.

℞. *℘i del scoto* ʒij. *nicot.* castor. *opij theb. an. ℈j. extract. lign. guajac. salv. an. q. s. M. f. Balsamum quo gingivæ illini debent.*

Joh. Marius.

Eminentiam *ani castoreum restituit: mulier quædam quæ alvi adstrictione diu laborabat; & hac ex causa ani egressionem causabatur, hac medicina fuit restituta. Et non ignotus Præceptor classicus in tam molestissimo morbo usu castorei meliorationem sentiebat.*

Additamentum Franci.

Diversas habet *Eminentia ani* caussas, præcipuas vero nimium conatum, intemperiem frigidam, lubricitatem, & violentum casum, huc autem castorina commendamus, quæ & adstringunt, calefaciunt, & corroborant nervos & musculos, qui post depositum stercus anum propulsum retrahere solent. Antiquitatis vestigia sequemur: D. *Wolfartus* in Simone Eilberg ovium DEI Pastore Jungingensium anno 1570. procidentiam ani madefacto prius loco ▽a decoctionis tormentillæ, sumach. & sem. plantag. sequenti pulvere insperso curavit:

℞. *Pumic. myrrh. an. ʒj.* castor. *asphalt. an. ʒß. capul. glandium ℈j. M. f. pulvis.*

Huic malo (dysenteriæ sc. ait D. *Fridericus Fuchsius*) *supervenit aliud malum, nempe procidentia ani, quæ magnum dolorem intulit, reposui tamen per manum Magistri Sebastiani Bauleri Chirurgi & sequenti linimento:*

℞. *Boli arm. unc.j. plumbi usti* castor. *myrrh. tutiæ an.* ʒij. *℘i myrtill. unc.ß. succi plantag. vini rubr. an. unc.ß. bulliant humida ad consumtionem succi & vini deinde colentur, quibus adde ceræ q. s. & reliqua in pollinem prius redacta, & fiat unguentum in mortario plumbeo reformatum.*

Alias in egressione ani nihil præstantius esse ipso castoreo, in aceto misso donec coloretur, ac eo calide cum spongia applicato testatur *Laurentius Gualtherus Kuchelius* Medicus olim experientissimus.

Mulier, de qua Noster Auctor loquitur, hoc morbo vexata, fuit *Sigismundi Bickhardi* uxor, quæ sequenti liberata absque recidiva.

℞. *℘i myrtin. unc.j. gallar. contus.* ʒij. *croc. ♂tis adstrin*

adstring. ʒj. castor. ʒß. *ceræ* ʒiß. *M.f. unguentum.*

Joh. Marius.

Et quia abortum causatur, bonum esse inveni in pellendo fœtum vivum & mortuum, nam quum Martini Scheineri *militis uxor in partus vinculis constricta fuisset, atque nec ullus vitæ halitus in infante animadverteretur, neque progressum felicem haberet, tandem DEI auxilio & castorii liberata.*

Additamentum Franci.

Heic observatis exactissime circumstantiis & partibus ad expulsionem aptis existentibus laudabiliter se gerit castoreum nostrum.

Mihi in usu est sequens mixtura in quibusdam fœminis experta.

℞. ⁓*us fuliginis, matric. Scult.* essentiæ castorij *an.* ʒß. *℔i dest. sabinæ gttv. cinam. gttij. M.S.* treibende Mixtur.

Expertum quin & arcanum singulare suum D. *Kuchelius* anno 1579 die 8. Aprilis uxoris Michaelis MürdelijLanionis per triduum difficili partu laboranti dedit, & sequenti die feliciter peperit.

♃. *Cinam.el.* ʒij. *C.C.usti.* castor. *ciner.lumbr.* ▽*str. an.* ʒß. *facch.cand.* ℥ß. *f. pulv. capiat* ʒj. *in* ▽*a chærefolij & artemisij & utatur sequenti unguento quo inferior pars ventris inungatur.*

♃. *Axung.gallin.* ℥ij. *℔i lilior. lumbric.* ▽*str. an.* ℥j. castor. *anethin. an.* ℥j. *jasmin. myrrh. an.* ʒij. *M.f. unguentum.*

Anonymus quidam in *Experimentis Mstis* suis effingit ex *castoreo* & alijs paucis ingredientibus sequentem pulverem *partum* maxime facilitantem doloresque subsequentes atrocissimos mitigantem.

♃. *Succini citrin.* ℈j. *croc.* ℈ß. *off. de cord. C. gr. iij.* castor. *gr.v. marg. ppt. gr. ij. M.f. pulv. tenuiss.*

Und wann der Frauen wehe ist, so solle man ihr ein Süpplein machen, das Pulver darein rühren gleich wann sie es essen will, je næher sie zu der Geburt hat, je besser ist es, so gebühret sie desto sænffter. Probatum est.

Sic D. *Mart. Neufartus* sequentes pilulas magnis extollit laudibus ad partum difficilem:

♃. *Bdell.* ℥j. castor. *troch. de myrrh. styrac. calam. an.* ℈j. *f. cum sir. rof. lax. Pil. ex* ʒj. *vj. dentur pro una vice, has, inquit, secuta est anno 1576. die 2. Junii in Bartholomæi Dullenkopffii Uxore partus duorum filiorum velocissimus.*

Anno 1569. die 6. Januarii vocatus (D. *Eckoldus*) ad Dn. Marci Wolfgangi Rauschnabelii uxorem, cui partus jam ante 6. dies aderat, satis debilem, ⁓um exhalantem fætidum, facies ejusdem erat pallida & prava, nihil nisi dolorem juxta umbilicum sentiebat cum frigiditate ventris; hic est, *dixi*, partus emortuus, & putrescere jam incepit, opus est, ne uterum putrefaciat & alia symptomata inducat, ut fortia præsidia ad eum extrahendum adhibeamus, accipiat ergo de sequenti Electuario instar nucis Italicæ:

♃. *Croc. myrrh.* castor. *styrac. an.* ℥ß. *macis. sabinæ. cinam. an.* ʒij. *mellis q. s. f. Electuarium;*

♃. *Hellebor. myrrh.* castor. ʒj. *excipiantur succo pulegii, deinde involvatur sindone, & fiat pessus longitudinis octo digitorum transversorum, & crassitudinis pollicis, qui in uterum demissus fætum post trihorium expulit.*

D. *Joannes Stokerus* sequens pro ultimo æstimat:

♃. Castor. ℈j. *asæ fatid.* ℈ß. *M. & detur cum* ▽ *sabinæ.*

Hæc talia etiam in Mola abigenda usurpantur.

Joh. Marius.

Castoreum magnam utilitatem mihi attulit in gonorrhæa *quo tres viros uno tempore adhibitis etiam aliis medicamentis feliciter & cito curavi.*

Quamvis in gonorrhæa *castoreum Nostro frequentiori in usu fuerit, tamen ejus apud alios Practicos vix vestigium invenio. Hinc paucis recensere animus est.*

Additamentum Franci.

D. *Wolfartus* Msto sæpius citato inquit: *Influxu seminis à frigida causa corpore existente cacochymico benigniori purganti suus relinquendus locus, & materia ex corpore evacuanda, deinde castoreum cum succo agni casti & modico Aceti cataplasmatum expedit.*

Et D. *Christophorus Cellarius* post universalia gonorrhæam in Leonhardo Munzero æditiuo Winshemiensi anno 1622. sequenti unguento curavit:

♃. *℔i mastic.* ℥ß. ʒij. *rutac.* ʒij. pulv. castor. ℈ß. *menth.* ʒj. *nuc. mosch.* ℈j. *M. f. unguentum.*

Unus ex tribus à B. *nostro Auctore* uno tempore à *gonorrhæa* liberatis erat Studiosus I. I. V. qui de amore Libris, conversationibus & saltationibus cum virginibus, & adspectu obscænarum picturarum delectabatur, sequenti vero citissime curatus:

℞. *Oc.* ♋*rum gum. arab. an.* ʒj. *sang. drac. pulv. troch. alkeking. an.* ℈j. castor. ℈ß. *℔i dest. tereb. gttiiij. M.f. pulvis.*

Loci notissimi *Parochus*, cujus homini parco, corporis gracilis, & temperamenti biliosi, quadraginta circiter annos natus, *gonorrhæa* jam per 6. septimanas laborabat, nemini se concredere ibi ausus, opem tandem meam per litteras implorabat, quem præmisso purgante convenienti sequenti curavi:

℞. *Tinctura hyperic. ex flor.* ⁓*us terebinth. an.* ℥j. essentiæ castor. ℈j. *M.*

Joh. Marius.

Hæmicrania *alias malus capitis dolor, nihilominus quam felicissime usus fui persæpe castoreo, & dolor summa cum admiratione cessavit, evanuit.*

Etiam hepatis duritiem, *si externe applicatur, emollit, uti Praxis mea medica quotidiana testatur.*

Additamentum Franci.

Heic præter sectionem venæ cephalicæ, quæ utilissima, & à D. *Friderici* in comment. Ms. ad Jonstoni Praxin laudata, castoreum commendatur vel per se, quemadmodum D. Harderus perhibet, se hemicraniam curasse solo castoreo, quotidie per duas horas ante lucem in forma pilulari dato, sive cum alijs admixtis, quorum Auctores varias habent formulas, unam & alteram lubet apponere, quibus in superiori seculo Majores nostri usi sunt.

D. *Christophorus Ebingerus* anno 1575. Sebastianum Salzmannum Præpositum Wengensem hemicrania laborantem sequenti emplastro curavit:

℞. *Galban. aceto dissol.* ʒvj. *ceræ flav.* ℥ß. *picis* ʒij. *sinap.* ʒj. *℔i* castor. *q.f. M.f. ceratum.*

Observavit hunc affectum D. *Didymus* anno 1574. in Georgio Veielio Præceptore tertiæ classis, quem sequenti restitutum refert.

℞. *℔i muscatell. cum bacc. laur. bull.* ℥j. castor. ʒij. *rutæ still. gttiiij. M. quo leviter pars affecta confricata fuit.*

Accedens uxor Samuelis Faulhaberi anno 1568. die 14. Decembris ad me (D. *Ekoldum*) de partis sinistræ capitis dolore diuturno conquesta, ad tactum solummodo dolere, ex intervallo recurrere, modo abesse, modo adesse ait: hæc est, *dixi*, Hemicrania, quæ oritur à nervis per calvariam currentibus læsis, consulo, ut hoc ℔o illinatur pars dolens:

℞. *℔i majoran.* castor. *an.* ℥ß. *rutæ* ʒij. *opij.* ℈ß.

Cum Anno 1645. Margarethæ Müntherin hemicrania infestata, vocavit medicum ordinarium, qui varia absque

absque tamen successu præscribebat, postea consilio D. Osvvaldi sed frustra usa, tandem mea requisita opera, & sit DEO laus, feliciter restituta, dedi enim de meo ⊖e vol. castorij gr.vj. in sir. de pœon. cum ἀφοεῖα: hoc ⊖ vol. in destillatione ~us castorij simul prodit, quo de D. *Barnerus*.

Durities hepatis dependet ab obstructione hepatis, & ne in scirrhum abeat, curatio non est procrastinanda, alias communiter in hydropem transit, quæ ut plurimum lethalis est. In tempore D.*Bartholomæus Wolfartus* sequens emplastrum descriptum applicavit:

℞. *Gummi *ci* ℥iss. *bdell.* ℥j. *omnia crasse incisa ponantur in Crucibulo squill.* ℥iss. *&* ☍*i mastich.* ʒvj. *per* 24. *horas facta liquefactione immisceatur sequens pulvis subtilis probe, ut fiat emplastrum justæ consistentiæ.*

℞. Castor. ʒiij. *mastich.* ʒij, *ladan.* ʒj. *M.f. pulvis.*

Alias Auctor noster sequens valdopere laudat:

℞. *Pingued.* castor. *anat. mucilag. sem. fænugr. lini an.* ʒij. ☍*i chamom.* castor. *melil. rut. medull. bovin. an.* ʒj. *M. quo ungatur calide locus.*

Joh. Marius.

Uxor Sartoris cujusdam exquisitissimos dolores ischiaticos *passa, ita ut neque ire neque stare posset, & die nocteque molestissime cubaret, qua ex causa ego abortum metuebam, sed DEUS usu castorii præsentissimum ac efficacissimum auxilium præstitit.*

Additamentum Franci.

Nostrum *dolori ischiatico* convenit, quatenus particulas silvestres vappescentes & acres, nervosas partes porosque articulorum adhærentes suis 🜔eis & balsamicis resolvit, & libertate donat, id quod ex Antiquis tam, quam Recentioribus Medicis probare haut difficile esset, ast cum hic dolor fixum locum pertinaciter occupet, & parili modo ac arthriticus curetur, posthabitis internis externa præsidia nonnulla tangemus.

Anno 1579. Danielis Wielandi Uxor prægnans in ejusmodi dolore à *D. Jo. Wolfgango Rabo* sequenti unguento curata:

℞. ☍*i lumbr.* 🜃*str.* ℥vj. *medull. pedum bov.* ℥ij. *vini malvat.* ℥iss. *flor. lavend. rorismar. salv. an.* pss. *summit. chamæpith. majoran. an.* pj. *ligni juniper.* castor. *an.* ℥j. *coquantur justo modo ad consumtionem vini, quo inungatur locus doloris.*

D. *Kuchelius* sequens sæpissime non sine usu admovit, testante id varijs in locis Msto.

℞. *Opopan. aceto dissol.* ℥j. ☍*i chamom.* castor. *ceræ an. q. s. extendatur in modum ceroti.*

Sequens emplastrum D. *Wolfartus* in dolore sciatico extollit:

℞. *Mass. emplastr. oxycroc. unc.j.* castor. *unc.ß. malaxetur oleo nardino f. emplastrum.*

Anno 1565. die 17. Julij ad Dn. Barthol. Rehmij filiam Ursulam vocatus (D. *Ekoldus*) quæ de dolore coxæ dextræ magno querebatur, eam autem neque tumidam neque rubentem esse, hic est, *dixi*, dolor sciaticus & provenit à pituita, cui permixtum est aliquid humoris biliosi, & tangit venam coxæ, opus est sequentibus diligenter uti, & procul dubio sanitas sequetur.

℞. *Pill. de hermodact. cochiar. an.* ℈j. ⊙*arum* castor. *an.* ℈ß. *f. cum sir. de beton. Pilulæ mediocres.*

℞. *Olei costini unc.j. lumbric.* castor. *an. unc.ß. ung. areg.* ⊙*ti an.* ʒij. *M. f unguentum.*

Sic D. *Jacobus Zaemannus* anno 1645. Rusticum Joannem *Bucken von Bernstatt* ditionis Ulmensis, ab hoc affectu sequenti oleo liberavit:

℞. *Olei lumbricor.* 🜃*str.* de castor. *an.* ʒvj. *irini. rutæ, an. unc.ß. M. S. Oel.*

Ipsam si consulamus experientiam curavimus anno 1679. Zimprechti Ostertagij uxorem, doloribus incredibilibus ischij dextri afflictam sequenti unguento, præmissis tamen universalibus.

℞. *Unguent. nervin. unc.j. anodyn. dialth. an.* ʒij. olei castor. *laurin. an.* ʒiij. *dest. juniper.* ʒß. *M. f. ung. S Hufft-Sälblein.*

Præteritis aliquot annis Danielis Henningij Sartoris uxor sex septimanis ante partum dolore ischiatico sævissimo, ut neque per momentum stare, miserrime autem sine motu cubare posset, cruciabatur, multis frustra adhibitis ad eam vocatus præscripsi sequentia:

℞. *Cinnab. min. rit. ppt.* castor. *opt. an. gr.*vj. *laud. opiat. gr.*iss. *M. f. Pill. cum oleo anis. n.* xj.

℞. *Emplastr. de bacc. laur. unc.*j. *gummi juniper.* ʒij. *galb. aceto diss.* ʒj. castor. ℈ß.

M. malaxando modico oleo de *castor.* & fiat massa.

Hisdem rite adhibitis dolores subito evanuerunt, vires restitutæ sunt, & tribus diebus post felicissime & citissime filium enixa.

Alias balsamus meus arthriticus §. XXVIII. descriptus, heic laudabiliter se gerit, neque nunquam fefellit.

Joh. Marius.

Verissimum dictum Viri cujusdam celeberrimi: lethargicum excitare labor est, *sed hoc medicamine, castoreo scilicet, talis morbus à me quam feliciter curatus fuit, & æger homo, licet profectæ ætatis sit, proprio testimonio id confirmabit.*

Quantas lien molestias in corpore humano creare possit, nemini latet: beneficio autem castorii periculosam sæpe lienis *duritiem & inflationes removi.*

Similiter quoque castoreum adhiberi potest, ut augeatur lac *fæminarum lactantium.*

Additamentum Franci.

Castoreum in *lethargo* est ὑπὲρ πάντα, eique vias penetrando porosque cerebri aperiendo, vel in forma magisterij, vel essentiæ, interne tam, quàm externe cunctis viribus contraxit.

Ab intra D. Michaelis commentario Msto ad Prax. Jonston. sequentia non in vanum laudat.

℞. *Pulv.* castor. ℈j. *scam.* 🜔*at.* ℈ß. *M. f. pulv. detur in vino.*

℞. *Extr.* ▽*gog.* ℈j. *solv. in s. q.* ▽*æ vitæ & adde. sir. de beton.* ʒiij. essent. castor. ʒß. *M.S. Purgier-Tranck auf j mal.*

℞. *Extr.* ▽*gog. Q.* ℈j. *troch. alb. gr.*iij. castor *gr.*vj. *cum ess.* castorij *f. l. a. Pill.* XXI. *S. Pillen auf j. mal.*

℞. *MPill. de agaric.* ℈j. extract. castor. *gr.*vj. *troch. alb. gr.*iij. *cum oxymel. squill. f. l. a. Pill.* XXI. *S. Pillen auf* 1. *mal.*

℞. *Herb. orig. rut. fol. dict. asar. an. mj. flor. convall. stæch. arab. ā. pij. sem. cartham.* ʒvj. *pulp. colocynth. in pet. lib.* ℥ij. *coq. in s. q.* ▽*æ com. colaturæ* ℞. ℔j. *in quo dissolv.* extract. castor. ℈ß. *fell.* ♉*i inspissati* ʒij. *olei dest. rut. gttvj. vitell. ovor. num.*j. *M. f. clyster.*

℞. *Spec. dia* ☾*æ M.* ʒiij. magist. castor. ℈ij. *olei dest. rutæ gttvj. M. div. in vj. p. aq. S. Sterck-Pülverlein auf* 6. *mal.*

℞. ▽*æ rutæ* ℥iiij. *oxymel. squill.* ℥ij. *aceti benedict.* ⊕*ti* ʒiij. essent. castor. ʒij. *S. Starck Tranckleìn* 2. *Læffel voll* pro dosi.

℞. *Herb. apij, piij. sem. nigell. rutæ an.* ʒj. castor. ʒiß. *f. l. a. nod. S. Püschelein* narib. admovendus.

℞. *Aceti rutac.* ʒiiß. *benedict. dest.* ℥j *succ. rut. rec.* ℥ß. essent. castor. ʒj. *M. S. äusserlicher Essig.*

℞. *Pulv. cantharid.* ℈j. *euphorb. gr.* xij. castor. ℈j *fermenti acerrimi* ℥ß. *M. S. Blasen ziheender Zug.*

Ut

Ut vapor narcoticus repellatur, & æger ad se ipsum redeat, D. *Rabus* sequens præscribit.

℞. *Rasur. ost. bubul.* ℥ß. *C. C.* ʒß. castor. ℈ij. *asæ fœtid. myrrh. sagapen. galban. ligni junip. an.* ℈j. *sacchar.* ʒij. *contunde g. m. ad magn. sem. canabin. f. pulv. pro fumo dosis* pj.

A talismodi autem suffitibus graveolentibus D. *Georgius Nœslerus* in Lectionibus publicis serio dehortatur, ne suffocatio subsequatur.

Ex consilio D. *Neufarti* foveatur pars postica capitis sequenti Epithemate:

♃. *Rad. asphod. pyreth helleb. an.* ℥ß. *chamom. serpill. origan. fol. laur. an. pj. decoq. in s. q. aquæ puleg. ad tertias, colaturæ adde pulv.* castor. ℈j. *sinapi, euphorb. an.* ℈ß *succ. sampsuch.* ℥j. *iterum bulliant parum & f. Epithema.*

Anno 1579. die 16. Octobr. Michael Frank lethargia corripitur, sequenti à D. *Kuchelio* curatus:

♃. *Iuris decoct. betæ, succi rutæ, an.* ℥v. *hier. logad.* ʒij. *olei com.* ℥ij. *mellis anthos.* ℥iß. ⊖*is* ʒj. castor. ℈j. *M. f. Enema.*

♃. *Rhab. el. & pulv. spec. dianth.* ℈j. *succ. rutæ,* ℥ß. castor. ℈j. *diaphænic.* ℥ß. *aquæ beton. q. s. f. potio purgans.*

Et sic in omnibus morbis soporiferis castorina imprimis laudantur. D. Michaelis l. c. magnificat suam essentiam.

Omnibus, inquit D. Wolfartus, *pharmacis ad affectus soporiferos semper addendum est aliquid de castoreo, quia majores nostri ejus unius usu tales ægros pristinæ sanitati restitutos annotarunt, sic enim fiunt ptarmica ex castoreo, helleb. cum pip. & galliæ moschatæ momento per calamum naribus insufflanda: item ceratum digerens ex aqua olei rutæ & ceræ portione in vasi duplici liquatis, & cum succo sampsuchi adjecto castorei modico permistis capiti applicari potest; ad materiam morbificam submovendam optima sunt parata ex scammoneo & castoreo.*

Ex mea sententia, inquit Harderus, *& experientia in comate vigili non invenitur melior medicina, quam castoreum, propter efficaciam penetrantem singularem; ita enim edoctus sum à Præceptore meo Alexandro Massaria, & nuper expertus sum in sene opulento, qui sequentibus medicamentis fuit curatus: hæc erat potio purgans castoreo insignis:*

♃. *Fol. sen.* ʒiß. *epithym. myrob. citr. an.* ʒj. *fol. beton. pj. sem. fœnic.* ʒiß. *fiat infusio s. q. in aqua serpill. deinde fiat diligens expressio, cujus.*

♃. ℥iiiß. *agaric. in pastill. form. redact. rhab. el. & pulveris. an.* ℈iß. castor. ℈ij. *spic. gvj. infundantur per noctem: post expressionem addatur Elect. in d. major.* ʒiij. *mell. anthos. solut. M. f. potio.*

Claudat singularis observatio quæ anno 1679. die 11. Augusti se mihi obtulit, in uxore *Johannis Kettingeri von Herfelsingen* ditionis Ulmensis annorum præter propter quadraginta, temperamenti cholerici, hæc respectu mensium sanissima, jam ab aliquot mensibus singulis diebus bis, imprimis circa duodecimam, ex improviso tota statuæ instar rigida stat, sedet, cubat, oculis apertis & inconniventibus & in eo permanet statu & habitu, quo à paroxysmo deprehenditur, alias nullum capitis, vel alterius partis nobilioris vel ante vel post eum sentit dolorem, petijt auxilium, ego ut amurca, archeo vincula injiciens, removeatur, & eclipsis hæc microcosmica emaneat, sequentia, quæ officio optime fungebantur, præscripsi:

♃. *Gialap. resin.* ℈j. *scam.* 🜍*at. gr. vj. troch. alb. gr. iij.* castor. *gr. ij. olei dest. spic. gttj. M. f. pulvis.*

♃. Castor. *opt.* ʒj. *cinnab. nat. rit. ppt.* ℈j. *lap.* ⊕*rum. ppt.* ʒß. *M. f. pulv.*

♃. *Unguent. nervin. axung. ca nis bon. not. an.* ℥. *olei castor. euphorb. an.* ʒj. *M. f. Linimentum.*

Et postmodum præservationis gratia ad confortationem ∽uum animalium, *ci ∽m *castoreo* impraegnatum præscripsi guttatim assumendum, quibus, DEO adnuente, feliciter curata jam superstes.

In *dolore & inflatione Lienis*, vi sua armoniaca & discussiva probatum sæpissime in Praxi Msta B. Auctoris invenio, v. g.

♃. *Emplastri de *co unguenti splenet. an.* ℥ß. *myrrhæ* ʒij. *castor. croc. an.* ʒß. *cum succo nasturtii & pauca tereb. f. emplastrum.*

Alias *inflatio Lienis* à D. *Fuchsio* in Wolfgango Stamlero Patritio & JCto anno 1571. curata sequenti unguento:

♃. *Olei rutac.* ʒvj. *irin. laurin. an.* ℥iij. *unguenti alth.* ʒij. *sebi cervin.* ʒj. *pulv.* castor. *opt. flor. calend. thymi. an.* ℈j. *ceræ q. s. M. simul perfecte absque signe & fiat unguentum.*

Pilulæ sequentes magnæ operationis sunt, omnem enim *inflationem Lienis* resolvunt, venas aperiunt, & superfluitatem removent, nuper, inquit Auctor noster (nempe anno 1645. die 6. Aprilis) Mariæ Majerin Giengensi tali morbo afflictæ cum successu commendavi:

♃. *Pill. de *o* ℈ij. *Tartarear.* ℈j. *extract. hell. nig.* ℈ß. castor. *gr. ij. diacryd. gr. iij. olei fœnic. gttiiij. cum aqua scolopendr. f. l. a. Pil.* xxxvii. *S. Milz Pilulen.*

Sequentes pilulæ domesticæ in hoc affectu non male se gerunt, & loco digestionis, & præmissa hac, purgationis esse possunt

℞. *Rad. filic. rub. tinctor. graminis, an.* ℥iß. *polypod. cort. tamarisc. a. a* ʒvj. *cappar.* ʒiij. *herb. hepat. nob. frag. bellid. cum tot. an. an. mij.* castor. *elect.* ℥ß. *sem. genistæ* ℥j. *cinam.* ʒiij. *bacc. laur. galang. an.* ʒij. *f. pulv. cui affund. q. s.* 🜄 *rect. & f. l. a. Extract.*

℞. *Extract. hujus. scam.* 🜍*at. troch. alb. an. gr. vi. olei dest. aneth. gttvii. f. cum aqua ad flatus R. l. a. Pill. n. xix.*

Ad dissolvendam Lienis inflationem hoc emplastrum præcipue juvare scribit D. *Rabus*, cujus applicatione ad Lienem facta confestim dolor & tensio evanuit.

℞. *Diachyli*, ℥j. *mucilag. rad. alth.* ʒvi. *olei de cappar,* ʒvi *galban.* **ci aceto sol. an.* ʒiii *pingued. anat. unguent. de bdell. M. an.* ℥j. *pulv.* castor. *aristol. rot.* ⊖*is gemmæ an.* ʒj. *ceræ parum M. f. emplastrum.*

Castoreum *Lac augere* utique credo, scilicet venas propter 🜍eitatem ejus patulas reddendo & sanguinem crassiorem in viis ad mammas tendentibus diffipando, ut influxus fieri possit, hinc D. *Wolfartus* castoreum cum vino propinat in hoc casu cum felici eventu.

Joh. Marius.

Quod supra de quodam Judæo memoriæ causa annotavi atque inserui, hoc adhuc probari debet; sed hoc verum quod virgo quædam post febrem malignam exantlatam, memoriam totaliter amiserit, beneficio autem castorei *illam stupenda cum admiratione, & gratiarum actione Parentum recuperaverit.*

Additamentum Franci.

Rectissime noster Auctor cum Ibnsina castoreum *in memoria confortanda* suadet, quia particulas, ∽us animales ligantes, removet, separat & exturbat, ut hac ratione subtiliores evadant, ac officium, cui apti nati, cum agilitate consueta perficere possint: hinc D. *Ebingerus* occiput illinere *oleo rosarum cum castoreo* ad raborandam memoriam jubet.

Sed si (inquit D. Fuchsius) *hæc omnia non juvarent addendum est* castoreum ∽*bus animalibus dicatum, verbi causa, sequenti linimento inungatur caput, quod sæpissi-*

sæpissime plurimum emolumenti præstitit:

℞. *Euphras.* ʒß. *verben.* ℈j. *meliss.* ʒj. *nuc. mosch.* ℈ij. *thur.* ℈j. *coriandr. ppt. drag.* ß. *cinam.* ℈ij. *Zedoar.* ℈j. *incidantur, contundantur & infundantur in olei liliorum* ℥iiij. *anethin. axung. ursi, an.* ℥ß. *aquæ beton.* ℥iv. *stent in loco calido per* iiij. *horas, post fac bullire omnia simul ad consumtionem* ∇æ *betonicæ, & post fortem expressionem adde* castorii *drach.* j. *ligni aloes pulv.* ʒß.

M. & f. cum cera si opus est Linimentum.

Imprimis B. noster heic ▣osum *castorii* ∽*um* ab ipso paratum laudat, hinc tradit Mariæ Mauchterin cum successu ad memoriam roborandam sequentes formulas præscriptas:

℞. *Pill. de* castor. *scrup.* ij. *sine quibus aloëphang. ana scr. ß. mag. gialap. gr* vi. *cum* ∇*a fœnic. f. pilulæ* xxi.

℞. ∇*æ flor. anthos.* ℥ij. *cinam. Epilept. Lang.* ∽*us* castor. *an.* ℥ß. *rot. dianth.* ʒiij. *M. d. ad vitr. S. Haubt-Wasser.*

Inquiratur exacte in intemperiem cerebri, alias medicamentum indifferenter applicatum, vel continuo, imprimis ubi caliditas superat, adhibitum, plus nocet quam prodest, hinc medio tutissimus ibis, & pro necessitate modo sicca, modo humida applicanda, quorum usus etiam externus convenit, exempli loco sit D. *Michaelis Lixivium sapientiæ:*

℞. *Rad. caryoph. pyreth. asar. an.* ℥j. *visci querc. olibani, succini, an.* ℥ß. *herb. rorismar. maior. salviæ, rutæ, meliss. origan. laur. an.* ʒij. *flor. lavend. rosar. rubr. pœon. beton. primul. ver. chamom. rom. an.* ʒj. *si lubet* castor. ʒß. *bulliant in lixivio dulci, post ad usum reponatur S. Species zur Hautp-Laugen*

D. *Villingerus* ad memoriam restaurandam sequens unguentum, quo pars posterior capitis illinatur post lotionem, præscribit:

℞ *Olei nardin. de* castor. *an.* ʒvj. *spec. dianth.* ʒß. *olei nucist. express.* ℈ij. *dest. lavend. gtt.* iiij. *caryophyll. gtt.* ij. *ceræ* ʒiij. *M. f. unguentum.*

Sunt adhuc præter enarratas etiam aliæ formulæ quibus saluti est castoreum memoria læsa laborantibus, nam in Electuaria recipitur, ut junctis viribus ∽us confortet, exemplo esse potest hæc Doctoris *Melderi*, Marco Wollaibio anno 1619. præscripta formula:

♃. *Conserv. beton.* ℥j. *anth. salv. an.* ʒiij. *myrob. embl. cond. cort. citri cond. an.* ℥ij. *cubeb. sem. ocymi, cardamom. an.* ʒß. castor. *ppt. mastich. an. scr.* j. *cum sir. beton. q. s. f. Electuarium. S. Haupt-Latwerg. für die Gedæchtnus, alle Morgen einer Welschen Nusz grosz einzunehmen.*

Et sic ex castoreo rite parato, tam præstantibus rebus mixtis, cumque iis maxime unito & intimius coalito, summum præsidium etiam adversus oblivionem fœneramur, cujus usu nemo, si rite adhibitum sit, frustrabitur.

Joh. Marius.

Castoreum auffert læsum *ac* corruptum olfactum, *qui sæpenumero post superatum morbum oritur, & quam maximas molestias creat.*

Additamentum Franci.

Quando postposita prava conformatione processus papillares à crassa materia obstruuntur, & membrana cum fibrillis ejus nasi interioris à particulis silvestribus indisposita redditur, tunc læditur & imminuitur olfactus, ut particulæ 🜍eæ, oleosæ & volatiles alicujus rei ad ventriculos cerebri anteriores neque ibi à ∽bus animalibus dignosci possint, hinc opus est causarum morbificarum celeri remotione, ne confirmetur, ad quas amoliendas varia ab Auctoribus numerantur, à Nostro autem Auctore heic loci tanquam panacæa, & quidem meo judicio non incongrue, ob tenuitatem partium vias penetrando, deobstruendo, crassitiem resolvendo & educendo, nervulos & animales ∽us ob vim balsamicam roborando, varie applicatum laudatur, assensum Auctorum eorumque experientiam colligemus.

Et propterea, (ait D. Christophorus Ehingerus) *soleo consulere solum odorem ejus* (castorij) *quippe qui sua vi potenti magnopere correptis olfactus subvenit.*

D. *Neufartus* ad olfactum imminutum, post alia caputpurgia, optimo semper cum successu sequens *errhinum* usurpasse scribit:

♃. *Succi ireos* ℥ß. *aquæ major.* ʒvj. castor. *gr.* vj. *elater. gr.* iij. *M. quo inungantur nares interiores cum digito vel penna bis in die.*

D. *Johannes Kellerus*, Jacobo Millero hospiti ad auream crucem anno 1581. sequens præscribit errhinum:

♃. *Succi betæ* ℥j. *olei rut.* ℥ß. *euphorb. gr.* vj. castor. *gr.* ij. *moschi gr.* j.

M. & applicetur cum penna alternis diebus naribus.

Et sequens loco epithematis fronti applicavit, ad resolvendam materiam viscidam:

♃. *Succi betæ* ℥j. *oxymel. squill.* ℥ß. *olei sambuc.* ʒij. *pulv. majoran.* ʒj. *myrrhæ drach* ß. castor. *scr.* j. *M.*

Joh. Marius.

Phreniticis *quam utiliter adhibetur, si modo ob graveolentiam melius atque commodius propinari posset. Et* pleuritico dolore *laborantes sentiunt subitam convalescentiam, quando de castoreo ipsis aliquid datur.*

Additamentum Franci.

Castorina, quando in *Phrenitide* applicari possunt, non ut ∽us animales accensos, una cum meningibus inflammatis, evocando foras particulas 🜍eas, refrigerent tam, quam eas resolvant, vel elatas ad caput repulsent, ut cerebri pori iterum coarctari, & somnus, qui fere optimum in hoc affectu medicamentum, induci possit, censente D. *Waldschmidio* in Horis publicis ad Hartmannum.

Hinc Auctor noster post V. S. frontis, aliaque necessaria, in nimiis vigiliis sequens præscribit:

♃. Castor. *gr.* iij. *laud. opiat. gr.* iij. *M f. cum aq. papav. alb. Pill. num* iij. *Ast frustra his adhibitis, altero die sequentes efficacissimas expertus:*

♃. Extract. castor. *spec. diamarg. frig. an. scr.* ß. *laud. opiat. gr.* iij. *M. f. cum aqua papav. alb. Pill.* xj. *S.* Rubr-Pillen.

Unicum in Phrenitide *Sympertus Linsius* Medicus Memmingensis effingit ex castoreo & paucis aliis ingredientibus epithema, quod resolvendo maxime refrigerat:

♃. *Aquæ rosar.* ℥iiij. ✝*ti rosar.* ℥iß. *olei rosarum* ℥ij. castor. *drag.* j. *M. F. Epithema.*

Sanguinis particulæ acidæ, turbatæ & extravasatæ, in ramulos venæ azygæ vel ipsos musculos intercostales delabentes, coagulantur, & *pleuritidem*, tumorem, inflammationem & dilacerationem, mutato à loco affecto nomine, appellatam, producunt.

Hic affectus idoneis promte aggrediendus medicamentis, de quibus consulendi Auctores Practici, nos solummodo, quid castoreum præparatum & debito modo administratum præsenti in affectu præstare valeat, videbimus.

Anno 1569. sequens Ulrico *Pekelhauben* in Pleuritide sinistra D. *Barth. Wolfartus* ordinavit cum successu:

℞. *Elect. diatrag.* ℥j. diacastor. ʒß. *olei amygd.* ℥j. *decoct. hordei & glycyrrh. q. s. commisce.*

D. *Joannes Harderus* anno 1600. cuidam in dolore laterali proponit.

℞. *Θis*

℞. *Θis C. B.* ℈ij. *sacch. cand. alb.* ʒj. castor. *gr. viij.* M. f. pulv. detur in decocto uvarum passarum.

Modo dictus *Wolfartus* Pleuritidem in Ulrico Schermaiero Patritio & Ædili anno 1576. observatis diætæ regulis sequenti curavit.

℞. *Diatragac. frig. sacch. violat. penid. an.* ʒiij. *succi glycyrrh. rad. ir. flor. pulv. an.* ℈iß. castor *gum. arab. an.* ʒß. *sem. bombac. malv. an.* ℈j. *contundenda tundantur & cum sir. de alth. f. Eclegma.*

Anno 1678. die 11. Septembris *Conradus Wernerus* Miles, post destructionem aggeris suburbani incalescens, avide aquam frigidam hausit, hinc Pleuritide dextra decubuit; [illegible] rubra, tussis vehemens, respiratio difficilis erat cum sputo pauco, factis faciendis, sequenti medicamento post DEUM, cui laus sit, citiorem illius sanationem tribuo, nam post tertiam diem materiam æruginosam mixtam cum nigredine copiosissime dejecit, quam sequebatur sputum sanguinolentum cum levamine & emansione febris totali:

℞. *Aqua C. M scorz. cherefol. an.* ℥iij. *cord. H. S.* ℥ij. castor. *in pet. ligat.* ʒj *sir. C. B.* ℥j *M. F. Potio. de qua singulis tribus horis continue cochlear. unum sumebat ad vomitum usque.*

Præsentaneam non dudum in fœmina nobili, Pleuritide lateris dextri una cum mensium obstructione laborante, operam præstitit sequens, una fidelia utrumque expediens affectum:

℞. ∽us *fulig.* ʒj. *essentia* castor. *scr. j.*

M. S xxxi. *Trœpflein in einem Lœffel mit Schnell-Blumen-Safft.*

Joh. Marius.

Quicquid de castorii usu & utilitate in superioribus retuli in arthritide, *id hac vice non tangam nec movebo in* Paralysi, *siquidem ego in nervorum resolutione innumerabiles utilitates à castoreo percepi, ac exinde solatium Podagrici haurire possunt. Quemadmodum spectabilis Parochus in vicinia hac de re contestari potest.*

Similiter castoreum etiam ad pectorales morbos, *uti veteres & recentiores Auctores perhibent, usurpatur.*

Additamentum Franci.

Castorij usumfructum in confortandis nervis, serosam scilicet partem superfluam aliasque heterogeneitates nervos resolventes, vellicantes & dolores atrocissimos cientes, 🜂e suo peculiariter penetrante corrigendo & absumendo toto die videmus, nec veterum Auctorum alia mens fuit, audiamus D. *Zwickerum: Hoc,* ait, *adeo apud nos notum propter vires per magnas in confortatione nervorum, ut vix à Medico pharmacum taliter ægrotantibus præscribatur, quod non castoreum contineat.*

Nec prætereundus D. *Fuchsius* dicens: *Et insigniter conducit iis quibus nervi sunt laxi & debiles, ab humoribus viscosis & lentis, quos liquefacit & abstergit & postea roborat.* Et paullo post: *Nam si experientiam consulamus, mensibus partubusque movendis & nervis roborandis, valde conveniens est, in quos usus frequenter adhibetur.*

Hisdem addo D. *Wolfarti* experientiam, cum A. 1569. 16. Junii Aurelia Doctoris Lud. Rabi filia, fluxionibus ad musculosas partes obnoxia immobilitate pedis dextri deprehenderetur, cum alias plura frustra adhiberentur, felici successu ei commendavi seqq.

℞. *M Pill.* ⊙*ar. sine quibus an.* ʒß. castor. *scr.* ß. *cum sir. de succ. fœnic. f. Pil.* xix. *qui que horis ante prandium assumendæ.*

Serpill. pj. salv. pß. ligni junip. castor. *pyreth. an.* ʒj. *mastych. scr. ij. olei costin. in quo flor. anth. sunt posit.* ℥iij. *vini opt.* ℥ij. *coque ad vini evaporationem f. unguentum cum quo ungatur per bis in die prope ignem.*

Pulvis in *Paralysi* mirabilis D. Nicolao Sockero à *Monacho* communicatus huc quoque refert, ex quo etiam patet usum cinab. medicum jam ante ducentos annos notum fuisse.

℞. Castor. *cinobrii. pœon. an. scr. musci gr. ij. M. detur in decoct. chamædr. chamap. plus valet quam multa alia, ego expertus sæpe.*

Idem ad *Paralysin*, ad nervos & ischiaticam tale emplastrum laudat.

℞. *Rad. acor. costi amar. aristol. ror. lilij cœlest. an.* ℥j. *herb. vel succi paralys.* Θ*is sicci. stæch. arab. lavend. iva. muscat. an.* ℥ß. *piper. alb. sinap. pyreth. euphorb.* castor. *an.* ʒiij. *spic. nard. squinant. mastic. nuc. ind. an.* ʒij. **ci ppt.* ℥iß. *narciss.* ℥ß. *terebinth.* ℥iß. *laudan. ceræ an.* ℥v. *M. f. a. F. Emplastrum.*

Anno 1580. die 14. Novembris ad Filiam Doctoris Wolfarti p. m. Margaretham vocatus (D. *Eckoldus*) quæ ostendebat mihi pedes ad ambulandum inidoneos cum magno dolore dorsi, & per novem septimanas, suppressione menstrui, hæc est, *dixi*, resolutio nervorum; & hoc malum ab utero dependet præscribam sequentia & cum DEO curabitur:

℞. *Pill. fœtid. scr. iß.* castor. *drag.* ß. *troch. alb. gr. iij. f. cum succo rutæ pilulæ mediocres*

℞. *Croc. drag. j. aloes* ℥ß. *myrrh. drag. ij.* castor. *cinam. an. scr. ij. sem. fœnic. petrosel. major. an. drach.* ß. *lign. aloes. caryoph. cass. lig. C. C. an. scr. j. rhab. el. & pulv. rad. bryon. epithym. an. drach. j. fol. sen. drach. iij. pulverisata omnia excipiantur cum sir. de beton. f. massa cujus drach. j prius in pilulas mediocres formata semel in septimana sumenda.*

Petrus Bitterlinus J. V. D. contractura correptus in balneo sicco fricationibus partium cum *castore*, sem. anisi, & 🜂e. à Doctore *Geigero* iterum fuit restitutus.

Anno 1581. 3. Junij Joannes *Plebst* hospes in Paradyso ex improviso immobilitate oculorum corripitur, à Doctore *Kuchelio* sequenti unguento post alia spinali medullæ calide sæpius applicato curatus.

℞. *Pingued. erinac. butyr. rec. olei rosar. rut. an.* ℥iiij. castor. *drag. j. thuris drag.* ß. *terebinth.* ℥ij. *M. F. unguentum.*

Anno 1646. D. *Heldius* uxorem Johannis Akermanni doloribus vagis pedum laborantem, præmisso infuso, sequenti unguento restituit:

♃. *Unguenti nervin.* ℥iß *sevi cervin.* ℥j. *olei chamomill. ac lil. alb. & de* castor. *an. drag. ij. M. ad ollam* S *Geäder Salblein.*

Eodem anno die 7. Augusti D. *Villingerus* externe, ad dolores brachij & nuchæ compescendos, Walpurgæ Gailbacherin conventualis in Söfling. concinnare suadet

℞. *Aqua* ⊙ *Lang.* ℥iß. *hirund. cum* castor. ℥ij. *salv. lavend. an.* ℥iß. ∽*us lil. convall. drag* vj. *M. S. ausserlich Wasser.*

♃. *Olei de* castor. *drag. vj. rutæ lumbric.* [illegible] *ana* ℥ß.

Hæc tria olea exacte mixta dolores acerbissimos pedum Militis nostratis Georgii Langii filii à D. *Jacobo Zaemanno* præscripta cum admirando successu mitigarunt.

Anno 1646. die 5. Septembris cecidit Georg. Tonner rusticus Altheimensis supinus è loco sublimiori in terram, resurgens nil nisi mitigationem doloris in brachio dextro desiderabat, ast obtemperantis barbitonsoris consuetum emplastrum immobilitatem induxit, hinc modo dictus D. *Zaemannus* vocatus ingeniose rem perpendens, sequenti unguento ut spina dorsa-

dorsalis inungeretur, consuluit, quo facto brevi post brachium absque dispendio huc illuc movere potuit:

℞. ☍i lumbric. ☍str. de castor. rut. vulpin. an. ℥j. M. S. Oehl.

Alias ad partes ad motum ineptas & debilitatas, præmissis præmittendis, sequens mixtura incomparabiliter externe adhibetur:

℞. *Bacc. juniper. mij. summit. rorismar. major. salviæ an.* castor. ℥ vj. *Infunde in* ☍*um vini rectificat.* ℥ *viij. stent in* ☉ *per tres dies, postea facta forti expressione adde* ▽*æ magnanimitatis unc. ij.* ☍*us lumbricor. unc. i ß. camphor.* ℥ *j. M. S.* äusserliche Glider *Mixtur.*

℞. *Lumbricor.* ☍*str. unc. iij. rad. lapp. major. pæon. an. unc. j. fol. chamædr. rut. verbasc. flor. lavend. an. mj. summit. majoran. m. iij. sem. urticæ* ℥ *ij bacc. laur. p.ij. junipor. lib j.* ☍i castor. *juniper. lumbricor.* ☍*str. an. q. s. digerantur per quatuordecem dies in loco calido, post forti expressioni & diligenti colaturæ adde medull. crur. bov. unc. iij. ping. human. unc. v. petrol. mastich. myrrh. an. unc.* castor. *unc. ß. M. f. artem & servetur ad usum S. Balsamus arthriticus.*

Impossibile est dignis verbis hunc balsamum extollere, quilibet experimentum faciat. Ego multos, præfiscini hoc nunc dixerim, immanibus & horribilibus articulorum doloribus vexatos, imò arthriticos plane desperatos, hoc meo balsamo, ceu summo solatio, singulari Altissimi dono, curavi, hinc omnibus commendatus sit.

In *asthmate* à flatibus orto, vel ubi convulsiones à particulis acribus nervos & membranas irritantibus eminent, tam quam ad anchoram sacram ad castoreum confugiendum est, hinc calefaciendo, alterando, discutiendo, aperiendo, roborando, vim expultricem adjuvando se egregie sistit & maximis viribus.

Sic. B. noster Auctor vetulæ cuidam asthmaticæ pilulas ex *castorii* & croci extractis & ☍o anisi formatas cum successu optimo dedit.

His fere similes sunt, quæ à Doctore *Eckoldo* anno 1575. in *tussi morbosa* Dn. M. Leonhardo Hutero præscriptæ fuerunt.

℞. *Agaric. rec. troch. in oxymel. solut.* ℥ ß. castor. *pulverisat.* ℈ ß. *mastich. gran. vj. croc. gran. viij.* ☍*i anisi arte chemica extracti gtt iij. commisceantur omnia probe & formentur pillules commues.*

Externe sequens unguentum anno 1569. D. *Martinus Neufartus*, Ottiliæ Neuthardin. *in angustia pectoris* laudat:

℞. ☍*i irini. unc.j. anethin. axungiæ gallin. an.* ℥ *ij.* ✱*ci aceto scyll. dissol.* ℥ *j. pulv.* castor. *scrup. j. ceræ paucum M. f. unguentum molle.*

Sequens sæpissime à me expertum est in *dispnœis* & *asthmate* à flatulento sanguine ex hypochondrijs per venas vel utero adscendente exorto, ast in phthisi praxis mea silet.

℞. *Emplastr. Filii Zacch. dia*♁*is R. an. q. s. malaxetur* ☍ castor. *q. s. J. s. A. & adde* ☍*i dest. anisi gtt vj. S.* Lufft-Pflaster.

Joh. Marius.

Ut etiam potest contra lentes & pediculos in capite & alibi, certe ego multa pediculorum millia castoreo *nostro enecavi, & non tam in infantibus, sed uti praxis mea ostendit matronam quandam ab istis animalculis infensissimis & molestissimis diu vexatam totaliter liberavi.*

Additamentum Franci.

De laude castorij in abigendis pediculis audiri jubat Doctor *Adamus Zvvicherus*, *nota sunt*, ait, *ansa malia, quæ ortum ducunt ex homine & in homine, hopitemque interdum dies noctesque excruciant, ut mori mallet ille quam vivere, his castoreum hoc viriliter resistit, utcunque applicetur, præprimis inspersum pulverisatum prius certissime enecat eos.*

Doctor *Neufartus* castoreum cum asa fœtida suffitus loco adhibet ad necandos pediculos, quod minime rejiciendum.

Ad idem sequens *Doctor Schapplerus* præparavit:

℞. *Saponis venet.* ℥ *iij. camphor.* castor. *oliban. an. gran. xv. Cum s. q. succi balsamitæ & vini adusti f. Linimentum.*

Doctor *Joannes Vogtius* Medicus olim loimicus *Ulmensis in phthiriasi castoreum* tanti faciebat, ut illius specificum esse diceret & pro eo haberet, hinc in praxi sæpius cum laude & successu optimo præscripsit. Unicum exemplum admiratione dignum ab eo adnotatum in medium proferam.

Novi, scribit, *ante triginta annos circiter Virum opulentum sexagenarium, ubi incepi practicare, qui adeo scatebat pediculis, ut non videre posset, & illi non ultra scapulas repebant, aures in tantum pleni erant, quod tota cavitas æqualis fuerat, alias non æger erat, ambulabat per domum cum baculo; Medicum ordinarium vocavit, qui contrariis remediis utebatur, quibus hæc animalcula sensim per universum corpus disseminarentur, ita ut primum pectus, deinde ventrem & dorsum mox crura & pedes occuparint. Interim appetitus cibandi adeo creverat, & tantum commedit quod ejus quantitas fere esset incredibilis. Tandem ego vocatus & curavi præmisso purgante, eum brevi tempore musco & castoreo undiquaque appensis.*

Unguentum quo B. noster Auctor feminam primariam cujus nomen honoris ergo silentio prætereo, à *phthiriasi* liberavit tale fuit.

℞. *axung. vet. unc. ß. terebinth.* ☍*i laurin. an.* ℥ *ij. dest. spic. absinth. an.* ℥ *j.* castor. *scrup. iv. myrrh. scrup. j. M. omnia & f. unguentum.*

Ad pediculos ulcera capitis causantes sequens unguentum maximis extollit laudibus *Doctor Melderus.*

℞. *Ungu. rosat. M.* ℥ *vj. mucilagin. sem. lini cum* ▽*a lavendul. extract. unc. ß.* ☍*i absinth. laur. an.* ℥ *ij sem. staphysagr.* castor. *an. scrup. j. ceræ alb. q. s. f. unguentum.*

Doctor *Joannes Stokerus* in Msto Practico castoreum non ad pediculos tam, quam tineam pro Juliano præscripsit.

Rec. ♁*is vivi unc. ij. ellebor. alb. & nigr. calc. viv. argent. viv. extinct.* castor. *an. unc j. lithang. unc. ij. terantur & cribellentur, & cum axungia porci incorporentur pro unguento.*

Alias magni momenti est illinitio capitis ▽a hirund. cum *castoreo* à me sæpe experta.

Joh. Marius.

In obstructionibus renum *castoreum probatissimum est remedium, dum efficacissime aperit uti Praxis mea Medica ostendit atque docet.*

Additamentum Franci.

Commendat noster Auctor castoreum quoque in *renum obstructione* experientia & Praxi comprobatum, quamvis in Msto ejus nullum internum adnotatum inveniam, sequens regioni renum illitum mirifice prodesse perhibet.

Rec. Unguent. dialth. pingued. anser. an. ℥ *iij.* ☍*i chamomill. Scorp. an.* ℥ *j. sperm. cet. scrup. i ß.* castor. *scrup. ß. M. S.* Nieren-Sälblein.

Simile præscriptum reliquit Doctor *Wolfartus*:

Rec. Ping. gallin. unc. j. castor. *pulv.* ℨi. *croc. scrup. i. bacc. junip.* ℥ß. ♂ol *sesamin.* ℨvj. *M.*

Ceterum *oleum castorino-terebinthinatum*, quod fit in momento, omnibus sine fallacia fit recommendatum, nec rejicienda est *essentia castorii* cum ~u *terebinthinato* extracta.

Aliud v. externum desideranti post insessum sequens unguentum Doctor *Geigerus.*

Rec. Olei melilot. castor. *an.* ℥ß. ⊖ii *junip.* ℨi. *M.*

Hoc unguento nuperrime puerum duodecim annorum, dolore dextri renis sævissimo cum obstructione ▣æ laborantem, præmisso balneo & potione alterante, felici cum successu, mitigatione doloris & excretione lapilli diaphani gr. vj. pendentis, me curasse, ipsus testor.

Doctor quoque Didymus pharmacum internum castoreo insignitum in obstructione renum describit, eoque Christ. Reiserum Bibliopolam usum fuisse cum successu.

Rec. Sem. milii ⊙is *terebinth. sicc. lap. mespill. an. unc. j.* diacastor. ℨi. *oc.* ♋*rum* ℨß. *coral. rubr. test. ovor. an.* ℨi. *hermodact. scrup. ii. facch. rof. rub. unc. vj. M. f. pulv. de quo capiat* ℨii. *mane & vesperi.*

Plura Penates non largiuntur, nec opus est ulteriori demonstratione cum notum sit, id nervosum genus irritatum mitigando, & serum quovis loco restitans liquando & fundendo agere.

Joh. Marius.

Est equidem bonum stomachicum remedium, *& sæpissime magnæ utilitatis fuit: removet* singultum, *& contra omnem* spasmum *utile est, non minus* Sodam antiquam *& omnimodum* stuporem *aufert.*

Per nares deductum castornum sternutationem *movet, ac exinde bonum & nobilissimum caputpurgium; lenit* subetum *& abigit, & cum castoreum accenditur,* somnum *inducit, uti multoties probavi.*

Additamentum Franci.

In *ventriculi affectibus* promtum præbet auxilium castoreum, imprimis *singultis* à particulis acribus & malignis, orificium ejus superius fibrosum & diaphragma lancinantibus & stimulantibus, ortum trahente, imo ambidextrum heic est, & ob vim balsamicam & ⊖ volatile oleosum explosionem expedit, & tensionibus satisfacit.

Hinc ab Auctoribus pro præsentissimo habetur, non nullos eorum evolvemus.

Anno 1549. *D. Simpertus Linsius* in *singulto pertinacissimo*, ægrotanti Joanni Stebenhabero noctem insomnem reddente, de hac confectione ut mane & vesperi ad juglandis quantitatem assumeret, jussit, & æger liberatus est.

Rec. Cydon. condit. enul. cond. an. ℨv. *cortic. aurant. cond. rad. pastinac. cond. an.* ℥ß. *pimpinell. condit.* ℨv. *calam. arom. condit.* ℨiii. *cortic. citri condit. scrup. ii. acac. condit. zingib.* I. *cond. an. unc. ß. conserv. rosar. menth. acor. rad. an.* ℨii. *spec. diagalang.* ℨi. castor. *pulv.* ℨß. *cinam. acer.* ℈i. *aromatis & conditis crasso modo incisis misceantur omnia simul & fiat confectio.*

Idem Anno 1554. sequens Electuarium præscripsit Ludovico Fischacher, quod in singultu officium velocissimum præstitit:

Rec. Conserv. rof. unc. iii. oxalidis borrag. an. unc. ß. castor. *opt.* ℨi. *spec. arom. rof.* ℨiß. *M.*

Et anno 1560. Domino Jacobo Schedlero Archigrammateo in *eodem affectu* sequentem bolum propinavit:

℞. *Electuar. trium santal.* ℨii. *diacor. hier. simpl, an.* ℨi. *de hiacinth.* ℈iv. *spec.* diacastor. *scrup. M. f. bolus.*

Doctor *Joannes Kellerus* anno 1582. *singultum* in Andrea Stromaiero sequenti curavit:

Rec. Sir. menth. ℨvj. *cinam.* ✝*tos. citri myv. cydon. an.* ▽*æ menth. hyssop. cynam. an. unc. ii.* castor. *opt. scrup. i. commisce.*

Externe locum ventriculi inunxit tali linimento:

Rec. Olei mastich. menth. absinth. an. unc. i. pulv. castor. *ladan. myrrh. an. drach. i. zibeth. gr. v.* ▽*æ vit. unc. ß. M. f. linimentum.*

Anno 1628. Doctor *Melderus* Joannem Ulricum Flikerum aurifabrum à *molestissimo singultu*, per sex circiter menses durante, sequentibus liberavit:

Rec. Sir. myrtin. drach. ii. menth. unc. ß. conf. alkermes scrup. ß. castor. *gr. iii.* ▽*æ vitæ Matth. unc. ß. M. f. haustus.*

Rec. Pulv. castor. *drach. ß. terebinth. drach. i. emplastr. mastich. unc. ß. olei cydon. & ceræ q. s. M. f. ceratum.*

Idem anno 1632. die 16. Augusti Sartorem Joannem Sontag, à pertinaci singultu sequentibus pilulis liberavit:

Rec. Extract. castor. *gr. vj. zibeth. gr. i. laud. opiat. gr. ii. M. f. pilula.*

Doctor *Michaelis* unice laudat in singultu *castoreum*, imprimis *extractum & essentiam* ejusdem. Et Doctor *Wedelius* singultus pertinacissimos sedatos à *castoreo in essentia dato*, observavit.

Ipsus ante annum singultum molestissimum in *Guarnero Minsinger*, à pinguedine carnis induratæ ortum ducentem, præmisso consueto emetico, *essentia castorii* cum ▽a mastich. F. mixta, auxiliante DEO, jucunde curavi.

Memorandum heic ad singultum ex castoreo *Amuletum* filo alligatum & appensum, nulla certa hora aut alijs ceremonijs, superstitionem sapientibus, observatis, qui nuper in virgine incantamento quasi cessavit. Patet hinc Amuletis etiam aliquid esse credendum.

Spasmo expugnando multum confert idem particulas ruderosas, austeras, asperas, & summatim peregrinas alterando & expellendo, quo fine olim, quod imprimis Doctore *Ekoldo* in usu fuit, non inepte cum spec, hier. picr. an. in forma pilulari datum fuit.

D. Christ. Ebingerus viduæ Domini Eberhardi Ungelteri, *spasmo frequenti* laboranti, utiliter unctionem cum oleo de *castoreo*, in quo decoctæ prius ranæ virides, suasit.

Anno 1587. Doctor *Marcus Wolfartus* Medicus Memmingensis convulsiones, ex lumbricis ortas, aqua ex hirundinibus, ruta, & *castoreo* in vino maceratis, arte chemica extillata, cum aqua stillatitia florum tiliæ, lil. convallium, & saccharo mixta, & per vices propinata curavit.

Sequentia à Doctore *Joanne Kellero* maxime commendantur pro expeditissima Medicina, quibus convulsiones ab utero in uxore Jacobi Wilhalmi Stannarij *auf dem Platz* anno 1582. adhibitis præparantibus & evacuationibus, curatæ.

Rec. Castor. *opt. drach. i. sir. stach. unc. i. decoct. salv. anth. & beton. q. s. f. haustus.*

Rec. Olei vulpin. lumbric. è castor. *an. unc. ß. ungu. dialth. de bdell. an. drach. iiß. facta solutione locus affectus inungatur bis in die.*

Domino Joanni Hartpronnero mercatori opulento, frequenti spasmo laboranti, idem *Doctor Joannes Kellerus* dictus *Berndin* sequens linimentum ordinavit:

Rec. Olei è castor. lumbricor. aā drach. ii. juniper. drach. j. vini sublimat. drach. ß. M. S. Oel für den Krampf.

Christophorus Mangius Bibliopola August. rediens ex fonte acido, qui est *zu Uberkingen* incidit in febrem vehementem, & *convulsiones spasmodicas*, adhibitis varijs & sequentibus à *Doctore Davide*

Verbezio

Verbezio sanitati restitutus integerrime, anno 1613. die 6. Septembris.

♃. *Theriac. med. at.* ʒj. *extract.* castor. ℈ß. ▽*a* C. B. ℥iij. *sir. fumar.* ßj. *M. potio sudorifera.*

♃. ꝏ*i vulpin. costin. lumbric.* ⚘*str.* ā ℥iß. *flor. anth. summit. salv. beton.* ā *p.j.* castor. *styrac. thuris* ā ʒj. ▽*a beton. vini alb. an. q. s. f. decoctio & coletur pro Linimento.*

Aliud ad spasmum, ex ꝏo lumbricor. ⚘str. *castor.* euphorb. ꝏo dst. salviæ, rorismar. & lavendulæ, reperies ap. *Muhaelem.*

D. Wedelius in spasmo prægnantium laudibus extollit ∽*um*, ꝏ*m*, *& essentiam castorii*, si juncturæ secundum ductum nervorum hoc vel illo illinantur.

Ab antiquitate castoreum inter *sternutatoria* recensetur, quia particulæ ejus acres, volatiles & inæquales tunicam narium ad irritandum aptæ deprehenduntur, ast cum ingrati nimis fiet odoris, non amplius erit hodiernæ consuetudinis, ex abundanti aliquot adjiciam; sequentem Doctor *Eckoldus* efficacem pulverem deprædicat:

♃. *Pulv. majoran. hellebor. pyreth. an.* ʒß. *piper.* castor. *nigell. an.* ℈j. *M.*

Doctor Verbezius Capitaneo urbis Ælio sequens, in defluxionibus ad fauces & pulmones, utiliter suadet.

♃. *Pulv. lil. convall. rad. ireos an.* ʒß. castor. ℈ß. *herb. nicot. piper. alb. caryophyll. an.*℈j. *mosch. g.iv. M. f. pulv. naribus insufflandus.*

Doctor *Joannes Mellerus* anno 1631. Paulo *Nagelin* Augustano in cephalæa sequens cum successu præscripsit:

♃. Castor. ℈ß. *rad. pyreth. gr. vj. cubeb. macis spic. nard. an. gr.iij. M. f. pulvis. S.* Nasen-Pülverlein.

Talis etiam est *Doctoris Christophori Cellarii*, Dom. Georg. Ludovico Eccardo in oppilatione cerebri præscriptus:

♃. *Flor. lavend. vel spic. nostr.* ʒij. *origani.* ʒj. *majoran. sem. sileris mont. pæon. an.* ʒij. *rad. helleb. alb.* ʒß. castor. od. grav. ʒj. *tusa & in pollinem redacta terebinth. & cera excipiantur, finganturque errhina, pyramidis formam referentia; d. ad scat.*

D. Joannes Michaelis sequens in affectibus capitis, & speciatim Lethargo, laudat:

♃. *Fol. nicot. majoran. lil. convall. an.* ʒj. *rad. helleb. alb.* ℈j. ꝏ*i dst. major. gtt.iv.* pulv. castor. ℈j. *M. f. pulv. S.* Niesz-Pulver.

Doctor *Rolefinccius* sequens in affectu soporifero, qui ab Ibnsina subeth dicitur, adhibet, uti patet ex formulis ejus Mstis.

♃. *Pulv. lil. convall. piij. fol. majoran. pij. rad. pyreth.* ʒß. castor. *gr. vj.* ꝏ*i dst. anisi, succin, an. gttij. M. f. pulvis. S.* Niesz-Pulver.

Tale Ptarmicum ∽us animales excitandi gratia syncopticis insufflatus naribus vel tantum odor iisdem communicatur ad restaurandas eorum vires, heterogeneitates removendas; ἀταξίας & eccentricitates tollendas, quo sui juris facti excubias antidhac solitas præstare & cordis machinam influere possint, quale noviter Filiæ civis nostratis non sine optimo successu naribus admovi:

♃. *Essent.* castor. ʒß. ∽*us* **ci, fuliginis gttviij. M.*

Somnus castoreo inquietis conciliatur, ligando scilicet & gravando ∽us, imprimis carbonibus imposito △itis, quod toto die fit apud nostrates mulierculas, cum suffocatione uterina laborantibus consulere volunt, fumo autem poruli cerebri occupantur, concidunt, intra sese subsident, nihilque quod extus est curant.

Soda vel *Sodaon* denotat dolorem capitis hujus illiusve partis diuturnum, huic affine est ovum, cum vero curatio ferme conveniat cum *Hemicramia* superius pertractata, Lectorem Benevolum, ne inutilibus repetitionibus detineatur, eo remittimus.

De *stupore* quoque, obtusa scilicet perceptione sensibilitatis, agere superfluum duco, cum eadem fere superioribus, imprimis §. de *Paralysi* consignata sint.

Joh. Marius.

Castoreum mirum in modum Mensium suppressionem *urget &* secundinam, *& potentissime* uteri suffocationem *supprimit, quod luce meridiana clarius est, nec ulla probatione indiget.*

Additamentum Franci.

Deficiente sanguinis ὀργασμῷ, vel obstructis uteri vasis à particulis silvestribus balsamicas subjugantibus & ligantibus, menstruum naturæ vectigal denegatur vel imminuitur; his castoreum, quamvis, notante etiam D. *Wedelio*, in morbis uteri, magis ubi nervosum genus laborat, quam obstructæ sunt viæ, prosit penetrando, digerendo, imprimis si debito tempore pro archei & ☾æ mutatione variante propinetur, resistit.

Hoc quoque affirmat D. Gabriel *Zwilling*, dicens: *Inter hæc quæ sanguinem densum attenuant, fundunt, calidum & acrem reddunt, & vasorum oscula relaxant sunt præcipua; castor. myrrh. rad. eryng. arystol. nepeth. artemis. puleg.*

Hinc inde itaque variæ formulæ *castoreo* honestatæ ad hunc affectum directæ reperiuntur, in quibus non postremo loco ponenda sequens potio, qua ter repetita Dominus *Marcus Wolfartus* Medic. Memming. uxorem Bartholomæi *Mozen* curavit anno 1574.

♃. *Sir. v. rad.* ℥iß. ▽*a puleg. artem. mentastr.* ā *unc.j.* castor. *opt. scrup.j. M. f. potio pro una dosi.*

Anno 1579. die decimo Novembris laborat Eustachij *Günspurgers* ancilla bonæ famæ asthmate & diminutis mensibus per quatuor-decem septimanas, cui Doctor *Joannes Wolfgangus Rabus* quatuor diebus ante tempus consueti circuitus ob conatum naturæ quæ tunc Medicinam adjuvat, dedit sequentes pilulas:

Rec. Pill. fœtid. myrrh. an. scrup ß. castor. *scrup.j. cum* ▽*a artemis. q. s. f. pill. com.*

Doctor *Stockerus castor.* acor. sem. anis. & apij an. propinat in potu cum vino lymphato; vel in forma pilulari:

Rec. De hier. picr. Gal. ʒj. *pill. fœtid.* ʒij. *agaric. coloquint. an. scrup. ß. f. pill. cum vino decoctionis agar. &* castor. *& formentur in totum xxxiv. accipiantur iij. pro vice, vel v.*

Pilulæ factæ iij. ex scrup.j. *castorii.* datæ, est res experta provocando.

Uxori Organarij Johannis Sturmij post partum suppressis menstruis laboranti D. *Bartholomæus Wolfartus* anno 1579. dedit ante tempus ordinarium sequens, quod viarum obstructionem aperuit, sanguinis qualitatem inconvenientem ab humoribus crassis ortam emendavit, & menses provocavit:

Rec. Elect. de psyll. diaturbit. cum rad. an. unc. ß. castor. *pulv.* ʒß. *decoct. flor. & fruct. cum fol. sen. q. s. commisce.*

Sequentes pilulas Doctor *Christophorus Fingerlinus* in tarditatem mensium Ancillæ Dn. Licentiati Ludovici *Pæcken* cum successu:

Rec. Gumm, sagapen. aceto scill. solut. ʒiß. *spec. diaturbit. cum rhab.* ʒß. castor. *opt. scrup. j. myrrh. ß.j. croc. scrup. ß. f. cum aqua artemis. pilulæ parvæ.*

Monialis Sôttlingensis Didica Weikmannin laborans paucitate mensium, hoc pulvere curata à *Doctore Villingero* Anno 1646.

℞. *Fol. calaminth. artemis. puleg. sabin. ana* ℈j. *sem. ammeos. levistic. petrosel. cymini an.* ℈s. *bacc. laur.* castor. *myrrhæ. cassiæ ligneæ an.* ℈is. *piper. nuc. mosch. an. scr. ij. sacch. alb.* ℥is. *f. omnium pulvis subtilissimus. S. Pülverlein auf 4. mal einzunehmen.*

In contumaci mensium obstructione *Doctoris Wedelii* Pilulas aloëticas maracostinas cum *castoreo* & arte reformatas, expertus ego commendo. v.g.

℞. *MPill. maracost.* ʒj. *croc. ♂tis aperit.* ⊖*-lati scr.* j. castor. *scr. s. M. f. cum Elix. PP. Pill. per vices assumendæ.*

Apparentibus mensibus dolorificis, *castoreum* ceu egregium carminativum se gerit, quod etiam ob particulas oleosas, balsamicas vim nervosum genus, nervosamque uteri substantiam confortandi habet. Hinc modo laudatus *Wedelius* tale suadet emplastrum:

℞. *Galb. in acet. sol. & inspiss.* ʒiij. *olei nucistæ, balsam. peruv. an. scr.* j. castor. *scr. s. olei succin. vel carm. M. gttiij.*

Nuper in suppressione mensium virgini primariæ præscripsi sequentes pilulas cum levamine.

℞. *Gumm. sagap. aceto ppt.* ʒs. *extract. dictamn. sabin. Tartari* ⊖*-lati. an. scr.* j. *myrrh. rubr.* castor. *opt. an. gr. vj. croci austr. scr. s. olei dst. anth. gttviij. f. cum* ~*u. lil. convall. l. a. pilulæ XL. d. cum fac. rad. ari. ad. pix. S. Pillen 5. auf j. mal.*

Sequentibus præparantibus, alterantibus & confortantibus habita ratione agræ, temporis & homogeneïtatis liquidi multas, teste *Praxi mea*, virgines tam quam fœminas ab hoc fœdissimo morbo liberavi.

℞. *Essent. absinth.* castor. *an.* ʒj. ~*us *ci scr. s. M. S. digestiv-Mixtur.*

℞. ~*us aperit. Penot.* ʒij. *matric. Scult.* ʒj. *extract.* castor. *gr. vij. M. S. œfnende Mixtur.*

℞. ~*us fulig. myrrh. an.* ʒj. *essent.* castor. *scr. j. M. S. œfnender Geist.*

℞. *Croc. ♂tis aperit. troch. de myrrh. an.* ʒj. castor. *opt.* ʒs. *olei sabin. dst gttiij.* M. *œfnendes* Pulver *auf etlich mal.*

℞. *Extract. panchym. C.* castor. *scam.* ♀*at. troch. alb. an. gr. vj. olei dst. sabin. gttiiij. cinam. gttij.* ~*us matricar. Scult. f. Pill. xxv. S. sonderliche Mutter Pillen auf j. mal.*

In *suffocatione* sive *strangulatione uteri* castoreum præstantissimum exhibet usum, imo infallibile præbet auxilium, quatenus miasma hoc malignum & acre ob ⊖ volatile sibi admixtum, resolvit, attenuat, & avertit, testibus heic fere opus non est, cum mulierculæ nostræ, hac passione oppressæ ad id tanquam ad sacram anchoram confugiant; hinc Doctor *Joannes Schaplerus* castoreum in omnibus fere affectibus uteri, sive vere sive auctumno propinetur, conducibile laudat.

D. *Christoph. Ebingerus* sequentes pilulas magnificit in *præfocatione uteri*,

℞. Castor. *puriss. scr. j. myrrh. as. fœtid. an. scr.* ß. *styracis scr.* j. *formentur pilulæ xxv. cum oxymel.*

Huc facit etiam *Elyxir uterinum* Doctoris *Caroli Eckoldi*, quod frigiditatem uteri corrigit, suffocationem tollit & menstrua promovet:

℞. *Meliss. artemis. an.* ℥ij. *bryon. zedoar. an.* ʒvj. *angelic. valerian. an.* ℥iij. *rhab. monach. Fuchs. diptamn. alb. bacc. laur. an.* ℥ij. *diacalaminth.* ℥iß. *cort. aurant.* ʒß. *sem. ocymi. anis. fœnic. cardamom. zingib. an. scr.* ß. castor. *olei juniper. an.* ℥j. *nuc. mosch. caryophyll. croc. an.* ʒj. *spic.* ʒß. *cont. contundantur & bene macerentur in* ∇*a vita, per aliquot* ♂ & *.

Anno 1632. die 16. Febr. Doctor *Melderus* vocatur ad Jo. Sontagii Sartoris filiam sæpissime *suffocatione uterina* affligentem; cui præscripsit extra paroxysmum sequentes pilulas, & postea nullum amplius sensit:

℞. *MPill. de hier. cum agaric. extract. an. scr. iß. pill. aromat. scr.* ß. *pulv. sir. troch. alb. an. gr. ij. olei anis. gttiij.* castor. *gr. ij. M. f. l. a. Pil. cum* ∇ *meliss.* xxxv. *S. Pillen.*

Alias pilulæ sequentes, forsan *fœtus acutissimi ingenij*, ab Hollando quodam C. Sibelio dicto acceptæ, jam in variis affectibus à me probatæ, heic loci citissime respondebunt:

℞. *Essent. opij Lang.* ℥s. *extract.* castor. *croci ana* ʒs. *cinab.* ♁*ij rit. ppt. bez.* ♃*al. an.* ℈is. *M. f. pill. ex* ʒs. xxx.

Doctor *Jo. Michaelis* varias medicamentorum in suffocatione uterina formulas, quæ *castoreum* recipiunt, posteritati quoque medicæ reliquit, quas ob effectum tum in, tum extra paroxysmum excellentissimum heic silentio non præterire licet:

℞. ∇*æ hirund.* cum castor. ℥*ij. meliss. matricar. an.* ℥*j. fœcul. bryon.* ʒj. *magist. matr. perlar. scr. ij. mag.* ♃. *scr. j. M. S. Starck-Trancklein.*

℞. *Spec. dia*♃*al. M.* ʒij. *fœcul. bryon.* ʒj. mag. castor. *scr. j. M. S. Pulver auf etlich mal. doss scr. s.* ʒs. *ad scr. ij.*

℞. *Pulv. hyster. A.* ℥ij. *fac. bryon scr. ij. bez.* ♃. *scr. j.* magist. castor. *gr. vj. M.*

℞. ∇*æ hirund.* cum castor. *carbunc. an.* ℥*ij. essent.* castor. ʒj. *M. S. äusserlich Pulsz-Wasser, potest etiam applicari naribus.*

℞. *Herb.* ☿*ial. matricar. ruta, meliss. an. mj. rad. bryon. levistic. aristol.* ⊙ *an.* ℥j. *agaric. in pet. lig.* ℥iij. *bacc. laur.* ℥ß. *coque in s. q.* ∇*æ com. colat.*

℞. ℥vj. *in quibus dissolv. Elect. hier. picr. cum agaric.* ℥j. castor. ℈j. *vitell. ovor. Nj. M. pro clystere.*

℞. *Emplastr. uterin. Aug. q. s. malaxetur* ☍ castor. *I. s. A. & o. s. r. in forma usit. S. Mutter-Pflaster.*

Tempore noctis applicari potest extra paroxysmum.

℞. *Pulv. cathol. nostr.* ℈j. *fæc. bryon. gr. vj.* ⊖*-lis hermaphrod. gr. iiij. extr.* castor. *gr. iij. M. S. Purgier-Mutter-Pülverlein auf j. mal.*

℞. *MPill. fœtid.* ℈j. *scam.* ♀*at. resin. gialap. an. gr. v. cum essent.* castor. *f. l. a. Pill. adsperg. fac. bryon. S. Pil-*

Sequens *Elix. Michaelis* sua laude non carebit:

℞. *Herb. meliss. artemis. puleg. herb. rorismar. matricar. salv.* ☿*ial. rut. majoran. ana mij. flor. cheir. mj. calend. hyperic. salv. spic. ana piij. radd. bryon. unc. iij. levistic. aristol. rot. pœon. ana unc. ij. dictamn. unc. j. rub. tinctor. angel. ana unc. iß. antophyll.* ℥iij. *bacc. laur. unc. ij. cass. lign. ver. unc. iß. croc. orient. unc.* ß. *sem. pastinac.* ℥iij. castor. ℥ij. *incis. irrorentur* ~ *hermaphrod. ex min.* ♂ & ♀. *inf.* ∇. *ex herbis uterinis abstractum, vel* ~*m meliss. & puleg.*

Wedeliana mera sunt ἄπόελσα, imprimis *Elixir* ejusdem *uterinum* ex commistione *essentiæ succini, castor. myrrh. bals.* l. *simpl.* addito momento *camphoræ*; his addi potest urgente necessitate *as. fœtida*, quo multarum in cymbula fere Charontis jacentium vitam larga DEI Altissimi clementia liberavi. Probatæ etiam virtutis est pulvis ejusdem sequens:

℞. *Magist. succini.* castor. ♃*is fæcul. bryon. an.* ℈j. *julor. nuc. jugl. as. fœt. an. gr. vj. pulv. anodyn. cephal. gr. x. M. f. Pulvis.*

Imprimis laud. opiato cum *castoreo* maritato per DEI gratiam quam plurimæ sanitati restitutæ fuerunt.

Pulvis

Pulvis sequens etiam non contemnendæ virtutis est.

♃. *Sem. pœon.* ℈i. *zedoar. gr. vj.* castor. *gr. iij. M. f. pulv. in vino malvatico assumendus.*

Anno 1644. die 17. Januarij generos. Baronissæ de Ilerdissen infestatæ *suffocatione uterina*, Doctor *Jacobus Zaemannus* felici sidere præscripsit sequens:

♃. ▽*æ hirund.* cum castor. ℥viii. *mirab. lang.* ∽*us matric. D. Scult.* ʒi. ℈ß. *laud. opiat. in M. S. dissol.* ℈ß. *M. S.* köstliches Mutter-Wasser.

Poma uterina heic loci utique sunt magni valoris, ad ∽us animales excitandos & vapores ab utero deprimendos, hinc communiter in nodulum ex serico rubro species aptæ includuntur, atque naribus admoventur, exempli loco sit *pomum matricale Zaemanni* modo dicti Matronæ nobili præscriptum:

♃. *Galban.* castor. *an.* ℈ii. *fol. meliss. citrar. an. p. ii. M. f. pomum cum s. r. S.* Mutter-Apfel.

Doctor *Berndinus* Domini Johannis Rothij patricij uxori sequentem Pilam matricalem ordinavit.

♃. Castor. *interioris*, ʒi. *asæ fætid.* ʒß. *fol. rutæ abrotan.* ā *pij. sem. rutæ.* ʒi. *pulverisentur & cum syndone. rubro f. Pila S.* Mutter-Apfel.

Doctor *Joannes Stokerus* tale in eodem casu suadet:

♃. Castor. ʒ ii. *serap. asæ fætid.* ♁*is* à ℥ß. *incorporentur simul cum vino acetoso f. pomum in sindonem involutum.*

Doctor *Joannes Melderus* olim fœminæ hystericæ talem Pilam misit.

♃. Castor. ℈iv. *asæ fætid.* ℈i. *galban.* ℈ß. *cum cera s. q. f. Pomum S.* Riech-Kugel.

Huc pertinet etiam Pila matricalis à D. *Villingero*, Dn. Matth. Faulhaberi uxori hystericæ, castoreo honestata, præscripta:

♃. *Asæ fætid.* ℈i. castor. ℈iß. *galb.* ℈ii. *fol. majoran. artemis. puleg.* ā *pßi cum sine. rubr. fiat Pila matricalis justæ magnitudinis. S.* Mutter-Aepfelein.

Idem etiam virginæ sacræ in cœnobio Söflingensi Elisabethæ Wolfstierin emplastrum uterinum *castoreo* nobilitatum cum successu optimo præscripsit:

♃. *Galban. el. gumm. tacamahac.* ā ℥ß. *pulv.* castor. *asæ fætid.* ā ℈iß. *Mixta extendantur super aluta rot. ad palmæ manus magnitudinem & obduc. sind. rubr. eleganter. S.* Mutter-Pflaster.

Doctor *Wedelius* aliud emplastrum proponit:

♃. *Emplastr. de galban.* ℥iß. ⊖*ii* ♃*is* ℥ß. *asæ fætid.* ʒi. ℴℴ*i* castor. *q. s. dst. rut. gttiv. M. f. emplastrum.*

ℴℴum umbilico *fœminæ* hystericæ inunctum creberrime magnum exhibuit levamen.

♃. ℴℴ*i* castor. *laurin. an.* ʒi. *dst. juniper.* ʒß. *succin. gtt. vj. galban. gtt. ii. M. S.* äusserlich Mutter-Oel.

Huc facit etiam sequens emplastrum D. D. *Wilhelmi Rascalionis* ab Auctore *Anonymo* adnotatum & in *suffocatione uterina* laudatum.

♃. *Picis naval. colophon.* ā ʒvj. *gumm.* ✱*ci. bdell.* ā ℥ß. *galb.* ʒvj. *myrrh.* ʒi. *storac. cal.* ℈iv. *terebinth.* ℥i. *P. savin. artemis.* ā ʒii *meliss. puleg.* ā ʒiß. castor. *rad. valer. bistort.* ā ℈ii. *sem. daut.* ℈iv. *sesel. cim. in* ā ʒi. *Elect. de bacc. laur.* ℥ß. ℴℴ*i rut.* ℥iß. *menth.* ℥i *ceræ* ℥vj. *gum. in* ✝*to dissol. f. s. a. Scutum matricale.*

In *morbis hystericis* Doctor *Johannes Kellerus* dictus *Berndin* sequentes pilulas multis verbis deprædicat:

♃. *Sem. levistic. siler. mont. dauc. cret. pœon. an.* ʒß. *rad. zedoar. calam. arom. angelic.* ā ℈iß. *asæ fætid.* ℈ß. castor. *myrrh.* ā ʒß. ⊖*is artemis. absinth.* ā ℈ß. *cum sir. è cort. citri formentur Pilulæ magnitudine pis. de*⊙*tur ad pix. S.* Mutter-Rügelein oft zu brauchen.

Huc faciunt etiam *pilulæ hystericæ* à modo dicto *Bern*-

din Virgini sacræ in cœnobio Ulmensi *Barbaræ Krafftin* præscriptæ.

℞. Castor. interior. ℈i. ℴℴ*i succin. dst. gttj.* ▽*æ hirund. q. s. f. Pilulæ ij. de*⊙*entur.*

Joh. Marius.

In Tremore *valde conducit, etiam hominem facit* vigilantem, *ita ut somnus nullam efficaciam atque virtutem habere potest.*

Debilem visum *acuit, ac aufert* virginem, *uti eo uxorem quandam curavi, quæ neque juxta neque supra se oculos movere poterat.*

Notus est etiam quidam Theologiæ studiosus, qui ob vertiginem *suggestum sacrum ascendere noluit, usu autem* castorii *& auxilio DEI restitutus est.*

Additamentum Franci.

Tremorem ad amussim febricitans explicans: impedito enim ∽bus animalibus sufficientibus legitimo per fibras nerveas transitu pars quidem elevatur, ast gravitas ob depauperatos ∽us iterum eam deprimit & quærit, qui in sanis est prodromus paralyseos, in paralyticis verò sanitatis, hinc Medici remedia contra tremorem sua ita applicant, ut semper *castoreum* simul ingrediatur. Sic ex *incomparabilis Thonneri* Praxi Ms. *Clerico* cuidam ad tremorem manuum præscriptum tale est.

℞. *Ung nervin.* ℥ii. ℴℴ castor. ʒiiß. *laurin. vulpin. nard.* ā ʒiii. *M. inungatur spina.*

Tremor capitis in Michaele *Fastnacht* à D. *Martino Neufarto* anno 1569. ita curatus:

♃. *Elect. diaphænic.* ℥i. *solv. dum* ▽ *beton. q. s. adde* castor. *gr. vj. F. Potio.*

♃. ℴℴ*i laurin.* ℥i. *rutac. verm.* ≂*en.* ā ʒi. *de* castor. ℥ß. *ceræ parum pro spinæ inunctione.*

Doctor *Michaelis essentiam* & ℴℴ*um castorii* ceu optima *antitrymica* deprædicat. Pastor in Altenmuhr tremore ex casu per sex dies laborabat, jussit *Dominus Christophorus Cellarius* applicari vinum malvaticum cum ℴℴ*o castor.* probe mixtum calide cum pannis duplicatis, & ita anno 1652. die 14. Aprilis restitutus feliciter. Quod *vigilias* inducat supra in *affectibus soporosis* sufficientissime tractatum, quomodo autem fiat in etiam suprà audiamus, hinc supervacaneum esset dicta mox dictura dicere.

Castorei usus quoque in *affectibus oculorum* illustris est, imprimis ubi nervi optici obnubilantur, quo minus radij visivi penetrare possint, idque dissipando, inhibendo, ∽us clarificando, & languentes debilesque recreando agit, si cum alijs pharmacis sequenti modo etiam permisceatur.

Anno 2569. Dn. M. Leonhardus Huterus coram me (*Doctore Eckoldo*) magnam habuit querimoniam, quod eminus objecta cernere non queat, ho, *inquam*, est imbecillitas visus, & dependet à paucitate ∽uum, necesse est, ut assumantur sequentia, quæ visum ut spero clarificabunt.

♃. *Aloes lot.* ℈i. *MPill. luc. cochiar.* ā ℈ß. castor. ℈i. *diagrid. gr. ij. f. cum sir. de stach. Pill. xxv.*

♃. *Fol. eufrag.* ʒiii. *rad. valerian.* ʒi. *sem. fœnic.* ʒii. *sileris mont.* ʒiß. castor. ʒi. *coriandr.* ℈ii. *cinam.* ʒii. *macis* ʒß. *galang.* ℈i. *M. f diligenter pulv. & mistis adde speciedianth.* ℈ii. *facch. q. s. M. f. Tragea.*

Anno 1580. Petro Kuchlin ad visum clarificandum sequentem pulverem præscripsit Domin. *Marcus Wolfartus*:

♃. *Sem. fœnic. subtiliter pulv.* ℥i. *fol. majoran. eufrag.* ā ʒii. castor. ʒß. *facch. alb. q. s. M. f. pulvis detur in vino albo mane & vesperi.*

Anno 1621. Doctor *Johann. Schapplerus* Margarethæ

Veheτin in dolore capitis & ophthalmia fructuose præscripsit:

℞. *Pill. cochiar. lucis* ☉*ar.* ā ℈j. castor. *ppt. extract. helleb.* ā ℈ ß. *cum* ▽*a fœnic. formentur Pilulæ mediocres.*

Doctoris *Salomonis Fischeri* Pilulæ anno 1646. die 29. Septembris Dn. Riedlini Filiæ præscriptæ in hoc affectu, tales sunt;

℞. *Ol. rosat.* ʒ ß. *lap. laz. ppt.* castor. *opt.* ā ℈j. *diagrid.* ℈ij. *extract. fol. sen.* ʒ j. *valerian.* ℈j. ☍*i fœnic. gr. v. M. f. pill. instar lentium dentur in scatula S.* Augen-Pillen.

Varia Pharmaca in *vertigine* à Præstantissimis Medicis interne tam, quam externè adhibenda proferuntur, quæ quidem plurimum emolumenti præstant, ast *castoreum* his commixtum maximum certo addit pondus & virtutem, cum scilicet hoc vapores à cruditate ortos per venas & arterias ventriculis cerebri communicatos dissipet, & ∿us animales turbatos aperiendo in ordinem varijs modis administratum redigat, v. g.

℞. *Euphras. subt. pulv.* ℥j. *rad. pæon. valerian. an.* ʒiß. *cum s. q. mell. anthos. f. Mixtura ad lentum* △*em, finita coctione adde sem. coriandr. ppt.* ʒij. castor. *opt.* ℈j. *cinam.* ℈ij. *M.*

Hoc condito in *vertigine* feliciter usus est anno 1677. Franciscus Loschenbrandius Magister Ærarij ex ordinatione Doctoris *Bartholomai Wolfarti.*

In *vertigine* à debilitate ventriculi magnæ semper virtutis expertus est *Auctor Anonymus* in *experim. Med.* Mstis hunc pulverem.

℞. *Spec. diagalang. diacimin. confect. anacard. rad. pimpinell. baccar. laurin. an.* ʒß. castor. ℈ß. *M. f. pulvis.*

In vertigine cum ingenti capitis gravedine, dolore ventriculi à cibo, faciei rubedine & labiorum tremore, sequentes pilulas cum optimo successu accommodavi.

℞. *MPill. de succin. C. extract. helleb. an. gxij succi cherefol. inspiss.* ℈ß ⊖*is tartari dacrid.* ♆*ar. an. gr.iij. f. cum essent.* castor. *l. a. Pill. n. xxx. obduc. fol.* ☉*is.*

Doctor *Carolus Eckoldus* anno 1570. Viduæ Bartholomæi Rhemij vertigine obnoxiæ feliciter sequentes pilulas præscripsit:

℞. *Aloes epat. valerian. cubeb. cardam. calam. arom, cinam. caryophyll. an.* ʒ ij. castor. *sem. coriandr. nucis moschat. macis an.* ℈ j. *cum succo fœnic. f. pilulæ ad formam pisi.*

D. Bart. VVolfartus Anno 1571. Thomæ Lebzelteri viduæ interna respuenti cum successu capiti imposuit sequentem sacculum.

℞. Castor. ℈ij. *rorismar. serpill. an.* ʒj. *melissæ* ʒß. *succin.* ℈ j. *spic.* ʒ j. *nuc. mosch.* ℈ß. *ambr. gr. ij. incis. g. m. & fiat sacculus lineus interpassatus.*

Nec sequens frustra applicatum quod *D. VVolfartus* Davidi Stürzelio membranario suasit anno 1578.

℞. ☍*i juniper. spicæ* ℥ß. castor. ℥ß. *mastic.* ℈j. *M. quo illinatur spina & vertex capitis.*

Paucis superioribus septimanis opifex heic loci cæparum appetentissimus placentam cum cæpis plurimis factam (nostr. *Zwibel-Platz*) desiderium levandi causa avide devorabat, ast sequebatur cum dolore capitis vehementi *vertigo*, ut de loco se movere non potuerit, multis frustra applicatis, vocatus dedi post emeticum consuetum, sequentem pulverem per triduum, cum perfecto levamine.

℞. *Cinab. min. rit. ppt.* castor. *opt. ung. alcis ppt.* ā *gr. vj. ambræ grys. gr. j.* ☍*i dist. coriandr. gttij. M. f. pulvis S.* Pülverlein in Lindenblüt-Wasser zu nehmen.

Joh. Marius.

Vesicæ meatus *aperit, & in multis aliis omnimode approbatum.*

Additamentum Franci.

Castoreum in *nephritide* non serum restitans circa communem corporis nostri dicatam sentinam liquando & fundendo tam, quam nervosum genus à talismodi peregrineitate irritatum roborando cum εὐφορίᾳ adhibetur, ut ita quasi una fidelia duo dealbentur parietes.

Hinc apposite D. *Joannes Harderus: acerbissima symptomata sunt dolor renum excruciatus & suppressio* [illegible]*æ, ad hæc lenienda varia habentur, præsertim vero & omnium maxime opium, castoreum & oleum amygd. dulc.*

Observavit hunc affectum anno 1579. die 6. Julij Dominus *Laurentius Gualtherus Kuchelius* in Petro Neubronnero fullone, quem sequenti restitutum refert:

℞. *Sem. bismalv.* ℈j. *carab. croc. myrrh.* castor. ā ℈ß. *laud. opiat. gr. iij. incorporentur simul cum vino malvatico. & pistillo calido in mortario calido diu permisceantur, ejus dentur gr. iij. aut iv.*

Anno 1578. Eustachius Gunzpurger *dolore nephritico sæviente* cum vigilijs nimijs laborabat, cui præscripsit Doctor *VVolfgangus Rabus.*

℞. Castor. *lapid. spong.* ā ℈ß. *sir. de papav.* ▽*æ flor. chamom. fragar. petrosel.* ā ℥j. *M. & f. haustus.*

Pilulas singulares castoreo claras Dom. *Marsilius* describit, quæ contra omnes dolores à calculo ortos valere asseritur.

℞. *Terebinth.* ʒv. *sem. cucum. mund. apii,* ā ʒij. *oculor.* ♋*rum.* ʒiß. castor. ʒß. *asperg. pulveris.* ▽*a alkeking. & cum succo glycyrrh. f. pilulæ ex* ʒj. *xvj.*

Jam ad finem Operis per DEI gratiam fere perventum, ast cum alij dentur affectus, quibus pariter castoreum aversatur, à B. Auctore nostro plane omissos, in transitu & quidem aliud agentes heic aliquot tangemus.

Paucis videbimus quales in *febribus intermittentibus* præstet virtutes.

Conducere ergo in his *castoreum D. Daniel Fuchsius* in *Visitat. Febricitantium* hisdem testatur verbis: *huc etiam facit aliquid, absinthium, castoreum & gentiana quæ obstructiones auferunt cum robore. D. Ettmillerus* in *Praxi MSS. medica* sequentes habet:

℞. *Myrrh.* castor. *opoponac. gentian. absinth.* ā ℈j. *cum mithrid. f. pill. n. xxv, has ego tali modo immuto:*

℞. *Extract. gentian. centaur. min.* castor. ā *gr. vj.* ☍*i dist. caryophyll. gttiij. laud. opiat. gran. iß. M. f. l. a. Pill. no. xix. abd. fol.* ☉*is, & exhibeo biliorio ante Paroxysmum, cum scilicet fermentum agitari incipiet, quibus in quamplurimis præterito vere* nostram Ulmam *infestantes febres, variis ab aliis Medicis* irrito conatu *administratis, cito, tuto & jucunde ope divina profligavi.*

In *malo hypochondriaco* ubi *suffocatio* l. *inflationes ventriculi* imminent, si præcesserit enema & potio lenitiva *castoreum* egregie se gerit, ceu nuper expertus in virgine nobili sequentibus restituta:

℞. ⊖*-li* ♂*tis gran. vij. croc.* ♂*tis aperit.* ʒ ij. *croc. austriac.* ʒj. castor. *opt.* ℈j. ☍*i dst. succin. gttiij. M. f. pulv. div. in vij. p. æq.*

℞. *Essent.* castor. ∿*us chamom. rom.* ā ʒj. ∿*ns* ✱*ci* ℈j. *M. S. XL.* Tröpflein auf j. mal.

Et in *Scorbuto*, maximam cum dicto affectu cognationem habenti adjumentum adfert salutare, imprimis si difficilis respiratio spuria quædam paralysis, articu-

articulorum contractio, vel totalis lassitudo superveniat, de quibus vero omnibus suo loco sufficientissime est actum.

Fluor albus mulierum sive earum *gonorrhœa* notha fit, si, secundum Doctorem *Ettmillerum*, latex serosus vitio digestionis primarum viarum ex massa sanguinea in uterum copiose emittitur, cui itidem totis castoreum viribus resistit. v. g.

℞. *Rad. torment. symphyt. an.* ʒij. *cassiæ lign.* ʒj. *osteocoll.* ℈j. castor. ℈ß. *f. pulvis.*

Quo anno 1569. talis fluxus præmissis vero præmittendis in Davidis Mœslini uxore à Doctore *Eckoldo* curatus.

Sequens à Doctore *Wedelio* approbatur:

℞. Castor. *ppt. ebor. succin. ppt. an.* ℈ij. *coral.* ℈j. ꝏi *cinam. gttij. M. fiat pulvis.*

In *casu ab alto* eodem nomine suum usum exhibet sæpissime, quatenus scilicet grumos sanguinis circa nervos restagnantes resolvit, incidit & roborat, hinc Doctor *Zvvikerus* dicit: *in casu bona est rubrica, bona est marga, bona rad. rub. tinct. sed omnium optimum castoreum, quod ex proprietate sanguinem concretum resolvit.*

Pastor in Altenmuhr *tremore ex casu* laborabat, jussit D. Christophorus Cellarius ut applicetur vinum malvaticum cum ꝏo castor. probe mixtum calide cum pannis duplicatis, & ita restitutus.

Anno 1625. die 17. Julii, Præfectus Heidenhaimensis, Feist dictus, ebrius de equo prope *Westheim* decidit, vocatus est laudatus Doctor *Cellarius*, & cum successu dedit sequentem potionem:

℞. *Pulv. ad casum* ʒj. *rad. pimpinell.* ℈ij. castor. odor. *grav. gr. vj.* ▽æ *cherefol. flor. tiliæ. an.* ℥j. *aceti rosf.* ℥ß. *S. Trancklein auf j. mal vvol aufgerührt einzunehmen.*

Lipothymia correptis etiam & interne & externe dari potest, v. g. excitandi causa cum aliis datum loco *sternutatorii*, de quibus superius videri licet.

Alias soleo ad ∽us agitandos naribus adhibere sequentem mixturam:

℞. Essentiæ castor. ∽*us fulig. an.* ʒß. *M. S. Für die Nasen zu halten.*

Doctor *Wedelius* magnifacit ∽um castorij obstructionem nervorum circa cor tollentem, & ∽ibus animalibus motum salvum concedentem, laborabat fœmina pia heic loci modo ex levissimo *terrore* frequenti *lipothymia*, propinato haustu vini castoreo inebriato de facto desinit ea laborare.

In *variolis* & *morbillis* nostrum tali virtute est præditum, ut venenum illud innominabile circa cor castra sua ponens ad peripheriam facillime per cutis porulos excernere possit, ubi pustulæ millenæ se ostendunt cum levamine & roboratione cordis, hinc Doctor *Ioannes Melderus* sequentem mixturam pro diversitate ætatis cochleatim in quotidiano usu habebat:

℞. ▽*æ fumar.* ℥iij. *cordial.* ℥j. *essent.* castor. ʒj. *sacch. perlat.* ℥ß. *M.*

Et *D. Ettmüllerus* in Praxi Msta nostrum ejusque Tincturam pro speciali remedio heic habet, quod quidem credo, *castoreum* admodum esse mirabile in expulsione exanthematum horum, dolorem scilicet sedando & venenositati resistendo, modo pueritia, talismodi graveolentia admittantur, & ubique persuaderi posset.

In *lumbricis* pellendis etiam convenit; quatenus ob particulas amaras putredini resistit, ob id Doctor *Eckoldus* suas pilulas experientia comprobatas laudat:

℞. *Pill. Ruf. rhab. opt. an.* ʒj. castor. ℈j. *coloquint. ppt.* ℈ß. *formentur pilulæ mediocres & dentur xij. pro dosi, si non movebunt, augeatur numerus.*

Ante annos vj. mense Junio Ursulæ *Majerin* me convenienti & querenti de dolore cordis, dorsi, lipothymia frequentiori, perpetuo dolore capitis & pruritu narium supra allegatas pilulas ☾a decrescente ita reformatas propinavi:

℞. *MPill. Ruf. gr. xv. extract.* castor. *rhab. troch. alh. an. gr. ij.* ꝏi *dst. absinth. gttiiij. M. f. l. a. pill. 21. de quibus alvus ita soluta, ut innumerus particularum vermium cum materia lactea excerneretur; motus etiam fuit fluxus menstruus, qui purgantibus pergere prohibebat, ast præterlapsis tribus diebus, sequenti pulvere urgebam:*

℞. *Rad. dictamn. gentian. contrayerv. an.* ʒj. ☩C. *ust.* ʒß. castor. *opt.* ℈j. ꝏi *dst. absinth. q. s. ut retineat formam pulveris subtilissimi, qui per vices datus* lumbricum viventem LX. ulnarum civilium *absque tensione ulla per inferiora, nuda veritas! exturbavit, hinc* convalescens curæ meæ contentissima *valedixit, adhuc incolumis ab iis.*

Castoreum ob particulas aromaticas & balsamicas *cadavera mortuorum* ab incorruptibilitate & consumtione vermium liberat, ceu ap. Auctores legere est, unicum D. *Leonem Wolfartum* adducam: *ad eam* sc. conditurarn corporum, inquit, *pertinent, quæ putredini resistunt, & carnem conservant, ubi optimum est & censetur myrrha, qua Magi Christum parvulum donarunt, huic meritò annumerantur storax, colophon. menth. absinth. aloes, nux musc. castoreum, benzoë, mastic. &c. & multa alia quemadmodum vidi ante paucos annos in conditura Friderici III. Elect. Palat.*

Joh. Marius.

Tandem vero quamvis inter venena, ab iis qui venenata animalia descripserunt, ponatur, nihilominus autem contra venenum usurpatur, idcirco est constans ingrediens Theriacæ Andromachi, uti etiam adversus Aconitum, viscum, morsum Scorpionum & aranearum, item phalangiarum puncturas, noxas opij, & pestem ipsam celebratur.

Testes ad aliquot annos durabiles, inquit D. *Zvvikerus*, verum, & si bene vasculis asservatur ligneis clausis, ad annum octavum vel nonum perdurat; licet enim partibus balsamicis, 🜍eis & volatilibus gaudeat, tamen ob adjunctas gummi-resinosas & 🜃stres particulas ligatæ quasi se explicare tam cito nequeunt; ast partibus prioribus ablatis castoreum ceu inidoneum rejicitur.

Et illa inidoneitas duplici modo fieri potest, vel extorrefactione nimiâ partibus volatilibus avolatis, & nil nisi cadaver remanet, vel paucâ, remanente humiditate, & rancorem, plurima symptomata secum ducens, contrahit.

Heic etiam moneo, ne pulverisetur in usus annuos, cum citius corruptioni evolantibus particulis dictis 🜍eis fiat obnoxium.

Interdum *renes castoris* exiccatæ pro vero ab impostoribus venduntur castoreo, interdum plane factitium est ex plurimis rebus fœtidis, *co, sagapeno, oppopanace, asa fœtida, sanguine vel pinguedine castoris mixtis, conflatum, & venundationi expositum, ast fibræ & pelliculæ, quibus legitimum est intertextum, non videre dantur, id quod infallibilis sophisticationis probatio erit; & tale non rite præparatum, vel plane adulteratum à vett. nostris inter venena numeratur.

Cæterum omni, quod nervosum genus irritat, porulos cerebri coarctat, & particulas 🜍eas & volatiles figere intendit, totis viribus, aperiendo, agilitatem inducendo, & archæum oppressum quasi excitando, contra it, & hinc antipathia *castorii* & *opii* patet ex diversitate scilicet 🜍is in ambobus.

Pestilentiæ castoreum resistere in aprico est, & veteres tam, quam recentiores unanimiter ferè consen-

consentiunt, ipsisque præsidiis quæ ob singularem energiam inter alexipharmaca primarium possident locum, Theriacæ sc. cœlestis, quæ à multis pro extremo habetur, Tincturæ bezoardicæ admiscent, quatenus scilicet ob particulas supra dictas amaras & balsamico-aromaticas putredini repugnat, & crasin sanguinis conservat, ast cum experientia mille rationes superet, de peste inexpertus magis audiam expertos, quam, his illis rationibus, quamvis perspicuis, manifestare inexperientiam meam.

Atque hactenus de Castore & Castoreo satis.

CASTRANGULA vid. *Scrofularia.*

CATAGMATICA.

Catagmaticus, κατaγματικός, dicitur de remediis ad fracturarum curationem necessariis, v. g. Deligatio Catagmatica, καταγματικὴ ἐπίδεσις, Gal. 1. de *C. M. P. G.* c. 4. Item Emplastra catagmatica, quæ in fracturis cranij specialiter dicuntur Cephalica, κεφαλικά, habentque abstergendi, digerendi & siccandi potestatem, quibus plerique & paululum ex adstringentibus admiscent, *l. 1. h. tit. c. 16.*

CATAPASMA, DIAPASMA, & EMPASMA.

Catapasmata propriè dicuntur pulveres odorati, ex pluribus compositi, qui ad fragrantiam & suavitatem vestibus insperguntur. Pulveres quoque sic dici possunt, qui partibus corporis, ut stomacho, post litum, ad illius robur adhibentur; quemadmodum & qui ex pluribus aromatis ad condimenta parantur, necnon ad usus alios, veluti sunt pulveres Sarcotici ad carnem ulceribus generandam, Catheretici, ad hypersarcosim absumendam, epulotici ad cicatricem inducendam. *Paul. cap. 13. lib. 7.* Sed quia ejusmodi pulveres jam supra attigimus, de his ne verbum quidem effluxisset, nisi Cataplasmatis paranomasia eò nos redegisset.

Similis vocum affinitas de *empasmatis* & *diapasmatis* aliquid enuntiare, & differentiam, quæ inter utrumque & cataplasma datur, aperire nobis occasionem obtulit: Empasmata sunt, *inquit Oribasius, cap. 31. lib. 10.* quæ ut immoderati sudores aut alia per halitum digestio cohibeatur, aut cutis extremitas scarificetur, aut pruritu tentetur, adhibentur. Diapasmata, quæ ad suavem odorem cuti aut toti corpori conciliandum, forma quacunque ac pulveris, aut unguenti, aut litus accommodata sunt. Cataplasmata sunt, quæ ad modum sequenti capite describendum, & ad usus dicendos conficiuntur.

Empasmata autem inserviunt, vel profusioni sudorum sistendæ, qui immoderatè fluunt, nec critici sunt, & vires exolvunt naturæ, vel hydropicis, ischiadicis, & orthopnoicis. Quæ sudorum eruptionem compescunt, parantur ex gypso, myrtho sicca lævigata, malicorio, rhoe Syriaco, Sorbis siccis, tritis galla, acacia, & similibus astringentibus. Quæ hydropicos, ischiade laborantes, & recta solum cervice spirantes juvant, fiunt ex arena, fece vini usta, nitro, sale, sulphure, sinapi, nasturtio, pipere, pyrethro, & similibus acribus, ex quibus dropaces & sinapismi, quorum eadem est cum empasmatis agendi ratio, parantur.

CATAPLASMA.

Cataplasmata sunt medicamenta præcipuè inter topica ex temporanea.

Nominantur ἀπὸ τοῦ καταπλάττειν, fingendo, oblinendo, quod generalius paulò est vocabulum, reliquis quoque conueniens, vel, ut medicis accipitur à superponendo, unde & à *Scribonio Largo* superposita medicamenta dicantur. Quod ipsum nomen licet quoque latiori significatu tribui possit epithematibus, utraque quippe applicantur vel superponuntur, unde & apud Germanos ferè communi gaudent appellatione, nihilominus tamen differunt, quoad *consistentiam*, epithemata quippe magis aquosa sunt, magis fluida, minus sine alio adhærere apta, cataplasmata verò magis densa vel spissa; verbo, illa liquidâ, hæc mediâ formâ magis gaudent. Ex quo patet, sub hanc ipsam classem quoque referri debere pultes, quod nomen, à farinis cum aqueis commixtis in pastam primitus & propriè desumtum, sæpè de omnibus quoque cataplasmatibus in genere prædicatur. Spectat etiam huc & cum his coincidit *malagma* veterum.

Definiri itaque potest cataplasma, quod sit *medicamentum molle, pultiforme, pro variis usibus particularibus huic vel illi parti exterius applicandum.*

Molle est medicamentum, ex quo patet, divisionem medicamentorum, quoad formam externam, in liquidam, mollem & solidam, tum externis, tum internis esse communem.

Pultiforme est, quo innuitur, in quonam hæc mollities consistat; licet enim electuaria, boli & similia quoque spissa sint, & mollia, tamen tum externâ formâ & materiali, tum internâ differunt. Neque obstat aliud alio esse spissius & consistentiam non tam strictè observari, satis enim est, omnia in hoc convenire, quod sint pultiformia, uti notum & extra dubium est, etiam pultes ipsas alimentarias alias viscosiores, alias fluxiliores esse.

Et hoc ipsum cataplasmati differentiam largitur specificam ab epithematis, emplastris, linimentis, & unguentis &c. Dum enim pultiformem dico, eo ipso non ad externum saltim cohæsionis momentum respicitur, sed ad ipsa etiam elementa quasi cataplasmatis, unde licet unguenta & linimenta itidem sint pultiformia, apparenter, alia tamen iis est consistentia, alia materia, de quo suo loco.

Utut vero quoad *Materiam*, latius pateat cataplasmatum fabrica, & modo non uno parentur, in genere tamen in hoc omnia convenire & resultare huc tandem omnia debent, ut *pultiformis acquiratur consistentia.* Hinc notandum est.

1. Quod *quædam per se sint cataplasmari jam magis apta, quædam in id aptanda.* Illius generis sunt quævis mollia & mucilaginosa, ut fermentum, acre, acerrimum, electuaria, theriaca, mel simplex, anacardinum, &c. Hæc & per se applicari quidem possunt, pro re natâ, & accessu aliorum maritari; quin ex sordidiori medicinâ ipsa quoq; stercora huc spectant, topicorum loco applicata. Sic & mucilaginosa & gummosa vel leviter liquida per se cataplasmari possũt, idque etiam citra aliam mixturam per præparationem.

2. *Recentia & succulenta per se contusa cataplasmata constituunt*, idque ex regno tum vegetabili, tum animali; Sic pro æstu mitigando in febribus raphanus domesticus, confrictus vel contusus, vel etiam in taleolas sectus applicatur plantis pedum, Sic telæ araneorum cum sale & micâ panis cataplasma in vulneribus constituunt domesticum. Sic sedum majus, verbena, ruta, conquassata, frontale constituunt euporiston in doloribus capitis, radix sigilli Salomonis in sugillatis, lumbrici in doloribus nervorum &c. id quod tamen genus remedii ferè medicus magis suadet, vel permittit consentiendo, quàm præscribit.

3. *Ex aqua & terræ symbolisatione cataplasmata fiunt*; ut enim ex aquæ & terræ, pinguioris inprimis, connubio fit limus, vel lutum, ita communissima elementa cataplasmatum sunt *pulveres*, sive tenuiter pulverisata, & humida appropriata. Et sic fiunt inprimis cataplasmata refrigerantia. Sic lutum ipsum commune in febri-

febribus plantis pedum consultò applicatur, sive solum, sive cum aceto mixtum, pro æstu sedando & revellendo. Et huc spectant omnia illa, quæ citra ignis vel caloris & coctionis accessionem commiscentur invicem.

4. Sic & facillimum est *mollia ipsa inter se & terrea, pulverulenta, accessione liquidorum convenientium commiscere*, uti v. g. cataplasmata vesicantia communissimè fiunt ex fermento, cantharidibus, sinapi & aceto. Par ratio est aliorum. Et inter hæc quasi media sunt olea & pinguia.

5. Frequenter vero & usitato non minus cataplasmata fiunt *mediante coctione*, positis iisdem quasi elementis, inprimis verò si ipsa illa, quæ aliàs decocta ingrediuntur & constituunt, extracti formia quasi, seu magis corporalia extracta & pastæ confiant & applicentur. Idque duplici ratione, vel, ut liquori coctione calefacto commisceantur arida & comminuta tenuiter, vel grosso modo saltim, in pultis consistentiam; vel, ut integra coquantur ad putrilaginem, id est, ad spissitudinem pultiformem, & trajiciantur per setaceum, adeoque hoc modo partes crassiores, comminutioni minus aptæ, relinquantur & remaneant; vel admiscendo hinc utrinque alia jam dicta, siquidem non adeò strictè hic miscela observatur ut in alijs, vel minus & per se ita calefacta & mixta formâ expetitâ applicando. Quem in censum tum radices, tum herbæ, tum folia, flores, fructus & mineralia appropriata veniunt, tum alia enumerata varia illa & in Tabulâ recensita, pro rei & circumstantiarum exigentiâ.

Neque verò hîc, ut in aliis, multis opus est *cautelis*, cum exterius in genere & præprimis in hisce cataplasmatibus paulò licentiosius concessum sit recipere ingredientia, sed scopo debita. Illud solum notandum est de quantitate tum totius mixti, tum partium integrantium, ne excedatur dosi. Priori quidem casu, ne ultra quam vel capit membrum affectum, vel ratio morbi &c. excedamus, hinc cataplasmata pro re natâ & subjecti varietate ad ℔ ¼. ℔ß. ℔j. extendere licet facile; sin contrarium fiat, id ægro tædiosum, & applicationi inconveniens est. Sic id ipsum vulgò ab autoribus hinc inde factitatum videmus, quos in hoc non æquè licet in singulis præsertim individuis sequi, v. gr. in cataplasmatibus ad anginam præscribendis si quis præscripta hinc inde *κατὰ πόδα* sequi intendat, ℞. v. gr. nidi hirundinum n. j. næ calumniam facilè sibi conciliare poterit ignorantiæ, imo risui se exponere, præsertim si reliqua ingredientia proportionatim non minori quantitate recipiantur. Posterioris verò exemplum præbent activiora paulò, inprimis v. gr. cantharides. Hinc ut definitus est locus & certus, cui applicari debent cataplasmata, ita nunquam extravagare & extra sphæram hanc quasi transilire consultum est, unde postmodum error non nisi cum damno ægri patefit.

Ut itaque *Forma* emergat justa & expetita cataplasmatis, quæ media ferè est inter emplastra & unguenta, in suo tamen genere, debita requiritur miscendorum proportio, aridorum & humidorum, quibus utrinque alia possunt accenseri.

Inprimis verò ipse quoque liquor variat, prout indicatio ipsa medicamentosa diversa est.

Sic hujus vicem subeunt in emollientibus & paregoricis lac & olea in roborantibus & dissipantibus vinum; in repellentibus & refrigerantibus acetum, albumen ovi, succi refrigerantes, aquæ destillatæ; in penetrantibus & resolventibus urina, lixivium &c. Quin & hic ad penetrationem adjuvandam faciunt crocus, camphora & similia, quæ singula & mixturam & scopum ac penetrationem adjuvant.

Prout verò ipsa commiscenda in consistentiâ variant, seu humidiora seu ficciora sunt, item prout vel primariâ intentione, ad scopum v. gr. vel secundariâ ad mixturam, concurrunt; ita etiam hæc ipsa proportio dispar est, communiter tamen & circiter ad p. j. pulverum, pars tertia vel dimidia liquoris aquosioris, oleosi verò pars sextupla vel octupla recipitur. Seu ad ℔j. pulverum liquoris ℔ß. ℔ ¾, pinguedinum vel oleorum ℥ij. iij. recipi consueverunt, siquidem hæc unà in consortium veniant mixtionis, & tunc quoque licet eadem imminuere.

Notabile est quoad consistentiam hanc ipsam, quod variet paulò, pro ingredientium naturâ & modò spissior & viscosior fit, modò minus, prout magis vel minus mucilaginosa vel limosa sunt ingredientia; crassior tamen ferè in emollientibus eligi solet.

Pertinet huc & illa differentia, quâ cataplasmata quædam desiccatoria sunt, Chirurgis usitata, Germ. *Dorrband*, non quod sicca sint actu secundo, sed actu primo, seu siccandi virtute prædita; quæ insigni pollent usu ad cruorem restringendum, unde à *Schrödero* cataplasmata contra cruorem ita vocantur, ad firmanda & roboranda membra, dissipandum, intercipiendum affluxum & adstringendum, unde in subluxationibus & laxioribus articulorum affectibus locum habent, quorum materiam ex exsiccantibus & glutinantibus optimè recenset *Schroderus*.

Adeoque horum consistentia magis expetitur glutinans, vel limosa, quàm mucilaginosa, quod intentioni foret contrarium, ex terrâ sigillatâ, bolo Armenâ, rubricâ fabrili, cerussâ &c.

In utrisque verò & materiâ corporeâ & liquidâ eligendâ, affectus, loci, situs & viscerum ipsius toni habendus est respectus, quæ quid ferant, quid minus, v. gr. oculi gaudent mucilaginosis, minus mordacibus, unde à camphorâ nimis magnâ quantitate applicatâ fit dolorum exacerbatio, qualia exempla aliquoties accidisse meminimus. Sic ventriculo acida & aromatica, hepati & lieni, & in universum, appropriata, penetrantia pro re natâ & selecta sunt eligenda. Turpe enim inprimis & indecens medico est, in externis illis localibus errare.

Illustrabimus hæc consuetâ methodo *Exemplis* quibusdam. Cataplasma ad uvulæ laxationem. ℞. *succin. alb ppt., mastich. an. ʒj. gum. elemi ℈j. ferment. q. s. acet. parum.* M. F. Cataplasma, applicetur suturæ coronali.

Ad dolorem capitis, ad frontem: ℞. *mic. pan. simil, nucl. persic* 🜄 *aq. rosar. per desc. parat. ā. ℥j. ol. nucist. ʒß. aq. verben. solan., sambuc. vel lactis humani* a. q. s. M.

Ad hæmorrhagiam narium: ℞. *boli armenæ, terræ sigill. sangu. dracon., spod. an. ʒij. alum gallarum, musc. cran. hum. an. ʒj. succ. vel aquæ solan. vel burs. pastor.* q. s. *album ovi* no. j. *acet. parum.* Misce.

Ad anginam: ℞. *rad. lil. alb., alth. an. ℥ß. fl. sambuc., malv., verbasc., chamæm. a. mß. sem. lini, fœn. græc. an. ʒiij. auric jud. ʒj. alb. græc ʒvj nid. hirund. ʒij. Tritis terendis coq. in s. q. succi vel aquæ sempervivi*, adde *olei scorp. Matth. amygd. d. an. ℥s. nitri* 🜍*iati ʒij. M.*

Ad singultum & vomitum: ℞. *spec. pro cataplasm. de ferment. Myns. ℥ij. castorei, xyloal. zedoariæ ā. ʒs. aceti & fermenti* q. s. M. vel *vini generosi* q. s. more *Sylvij*.

Ad ischuriam: ℞. *rad. allii, cepar. sub ciner. coct.* ā. n. j. *cerefolij, pariet. fl. chamæm. melilot. ā. ʒij. bacc. junip. sem. lini, carv. an. ʒj. ol. scorp. Matth.* q. s. M.

Emolliens in tumoribus rebellibus: ℞. *rad. alth. lil. alb an. ℥s. fl. chamæm.* mj. *melilol. malv. lil. alb. ā.* pij. *farinæ sem. lini, fœni græc. an. ʒvj. l. ℥j. ficuum* n. v. *croc.* ℈j. Coq. in s. q. lact. ad justam consistentiam.

Ut verò in alijs topicis, ità & in cataplasmatibus quoad *utendi modum* quædam sunt notanda in specie.

1. *Ratione temporis.* Cùm notum sit deberi eadem tumoribus v. gr. & materiæ, parti seu per *ῥευματισμὸν* seu *συναθροισμὸν* inhærenti, ut verò indicationes variant,

riant, secundum ipsius temporis & morbi decursum, alio repellentia, alio discutientia, alio maturantia &c. applicanda veniant; Hinc circa hanc circumstantiam temporis observandum, *ne applicentur inverso*, v. g. repellentia, ubi discutientibus, vel emollientibus, vel resolventibus opus est.

Hæc adeoque non sunt inter se confundenda, inprimis verò circa repellentia cavendum, ne temerè glandulosis partibus applicentur. Sic etiam in materiâ crassâ attenuantia sola sunt vitanda, ne magis induresсat & scirrhescat materia, sed miscenda cum emollientibus, de quibus videri potest *Heurnius*, id quod quidem ex methodo medendi magis quàm h. l. patere potest, & hoc repetendum est.

Sic etiam idem tempus & in specie jam dicta methodus cautè observanda sunt in anginâ speciatim. Si enim non tam resolventibus, vel emollientibus, pro re natâ, quæ concessa & utilia sunt, quàm repellentibus utamur, metus omninò est, ne materia ad cor deturbetur, hominemque ipsum, impactâ tam nobili parti materiâ, suffocet.

2. Notabilis est *locus applicationis*, qui vel idem est cum loco affectus ac partis affectæ, si ipsam immediatè juvare est animus, vel diversus, contrarius, aliusque, si mediatè revellendo & avertendo. Sic vesicatoria, si locus est commodus, v. gr. in femore, brachio, ipsis his dolentibus & indicatione hâc stabilitâ, possunt commodè applicari; imo nuper quidam diuturno dolore pectoris laborans vesicatorio applicato ad scapulas & costas convaluit. Par ratio est aliorum. Si bregmati applicantur cataplasmata revellentia in laxitate uvulæ, refrigerantia in hæmorrhagiâ narium, (de quo legi meretur insignis locus apud *Simon. Paul. quadripart. botan.*) collo in anginâ, nuchæ & pone aures in dolore capitis, affectibus oculorum &c. maxillis in dolore dentium, & ibi se exerentibus apostematibus. Sic & in ipsâ buccâ ficus eo casu discissa cataplasmatis vicem commodè obit; mammis, in ipsarum inflammationibus & tumoribus emolliendis; scrobiculo cordis, in ventriculo roborando; abdomini in gravidis, hydrope, doloribus, obstructionibus alvi, vermibus; dorso in crinoniis, diabete, nephritide; pubi, in ischuriâ; carpis manuum in febribus tertianis, quartanis; plantis pedum in phrenitide, deliriis &c. ut taceamus alias partes, quæ sibi eadem in proprium auxilium seorsim exposcunt.

Modus ipse *applicandi* fit cum linteo, cui sæpe instar emplastri pultiformis illinuntur & hinc applicantur, stupâ cannabinâ, petiâ, ut detineri commodè possint, & parti immorari tempore debito, idque iterum vel immediatè emolliendi, rumpendi, vesicandi v. gr. fine, vel mediatè roborandi &c. ut cum linteo duplicato in ventriculi affectibus singultu, vomitu &c.

Id ipsum verò porrò fit cataplasmate actu vel frigido vel calido tepidove. Id unicum maximè vitium habent cataplasmata, præsertim quæ ex solâ mistione cum aquosis fiunt, quod in parte, cui applicantur, facilè frigescant, id quod tamen non semper æquè consultum est.

Hinc præter id, quod cavendum sit, ne fiat, & ut melius hæc pateant, distinctione opus est: Cataplasmata emollientia, paregorica, maturativa, lenientia, discutientia, resolventia calidè applicanda, calida enim & humida hisce amica, idque reiterando, ob jam dictam causam. Cataplasmata vero defendentia, repellentia, revellentia, roborantia, frigida vel medio modo, modò ne quid obstet. Quin in hoc quoque videndum est, quid quælibet pars ferat, fronti enim in cephalalgiâ frigidâ magis conveniunt, quæ in specie tunc *frontalia* vel *anacollemata*, quasi suspendentia audiunt.

Quoad usum denique *κατ' ἄρσιν cataplasmata minus conveniunt.*

1. *Partibus in unitate læsis*, minus in ulceribus, vulneribus & fracturis ossium, ipsa enim hâc suâ naturâ coalitioni huic, ob humiditatem præsertim, sunt paulò adversa. Hinc in hoc omninò cedunt emplastris & unguentis. Sic cùm Serenissima persona ossis tibiæ fissuram pateretur, peregrinus Chirurgus eo missus cataplasma proponens risui se exposuit. Solantur quidem partes nervinas, ossa verò fracta firmare non norunt. Sin gangrænæ metus vel aliæ circumstantiæ tamen cataplasma urgeant, alius tunc est intuitus.

2. *Cataplasmata minus adstringunt*, id enim ipsum naturæ illorum pulposæ est contrarium, & licet talia ex gypso & alijs confieri possint, & recurrunt apud *Rulandum* ad hæmorrhagiam, febres, pruritum &c. id tamen magis & potius fit ob refrigerationem quàm ut laxitas parietum & villorum illis ut talibus roboretur.

3. *Cataplasmata non conveniunt, ubi pori magis hiare debent, & ubi materia subtilis dissipabilis magis est*; Hinc absurdum fuerit in erysipelate cataplasmatibus vulgaribus uti, par ratio est aliorum tumorum similium quin ipsorum etiam exanthemathum, de quibus sub epithematibus.

4. *Cataplasmata cancro minus apta*, quippe qui, ut & tumores cancrosi, ab emollientibus radices amplius spargunt & exasperantur, unde eo casu, si quid agendum, epithemata præ cataplasmatibus plus proficiunt, refrigerantia, diluentia, & domantia acrimoniam atrabilariam. Inprimis verò id quoque notandum est de cancro occulto, quem omninò sæpè, elogio ipsius *Hippocratis*, præstat non attingere, quàm ejusmodi emollientibus in apricum quasi producere.

5. *Cataplasmata repellentia anginosis noxia*; referre huc licet communissima illa emplastra ex nido hirundinum, cujus sanè elementa sunt duo, terra seu limus & stercus hirundinum, terra sanè ipsa repellit magis & intrevertere materiam, contra ductum naturæ potest. Si verò aliquod inde commodum sperandum, id à nitrositate stercoreâ arcessendum erit. Quin eo casu resolventibus potius utendum, quàm repellentibus, ne materia ad cor deturbetur, id quod etiam alio sensu *Prosper Martianus* ad gargarismata applicat, *comment. in Hipp. pag.* 389.

Contra ea cataplasmata usibus se commendant eximijs, siquidem

1. *Emolliunt*. Pollent siquidem tum actuali, quo applicantur, calore humido, qui omnino est πεπτικὸς & maturativus: tum viscositate, quâ poris leniter obstructis calor magis intenditur, ut possit emollitioni vacare. Unde & sæpè in ipsis tumoribus durioribus pestilentialibus, in bubonibus, ubi vel muliercularum experimento, farina cum melle subacta probata est, palmam vel unguentis vel emplastris adeò ipsis præripiunt. Sic in tumore mammillarum à lactis influxu & coagulatione experti sumus, ubi ad suppurationem natura vergit, cataplasma ex farinâ lini cum oleo proprio & alijs accommodis usui fuisse eximio, sic in pleuritide cataplasmata quoque locum habent.

2. *Resolvunt & discutiunt*, siquidem suppuratione non opus sit, vel natura, seu materia potius naturæ ductu, eo non inclinet. Sic in ophthalmiâ cataplasmata ex pomis & mucilaginibus resolvunt: sic in ischuriâ cataplasmata ex cepis vel allio pubi applicata archeum vesicæ cum evidenti successu solicitant. Sic in tumoribus pedum scorbuticis talia cataplasmata ex beccabungâ, geranio Robertiano locum habent, imò in hydropicis quoque similia sunt, qui cum fructu applicant. Vid. *Mynsicht*.

3. *Mitigant* & gaudent virtute paregoricâ, sicuti eo nomine jam laudavimus cataplasma ex lacte cum micâ panis similaginei & croco, quod in ipsis podagricis doloribus est euporiston. Quin hoc ipsum tum emollientia tum resolventia quoque quasi commune habent, quod

quod unà demulceant & suavem sensum inducant. Eoque casu ipsa quoque opiata commodè nonnunquam vel theriacalia &c. commiscentur, vel talia quoque constituunt.

4. *Repellunt & revellunt*; prius præcipuè magis terrea, limosa, mucilaginea & actu frigida, unde in hæmorrhagiis idipsum quoque valet; sic & ex alumine & albumine ovi tale cataplasma facilè quidem paratur, successu tamen se non minimum commendat, modò non excedatur. Revellunt verò, si v. gr. humor serosus alicubi influxerit & distensionem pariat, uti notum est in laxatione uvulæ cataplasma ex fermento & succino bregmati affigi cum successu; sic etiam, si quid aliud ullum, revellunt, dispersamque annihilant & evocant materiam serosam. Pertinent huc quoque rubefacientia & vesicantia cataplasmata ex fermento, sinapi, cantharidibus toto die confici solita.

5. *Cataplasmata roborant*, non tam adstrictione propriè dictâ, ut tonum viscerum laxiorem tollant, quàm revulsione, alteratione & penetratione, velut id exemplo cataplasmatis de fermento simpl. & compos. Mynf. &c. optimè patet, quæ si quod ullum topicum aliud, singultum, vomitum, &c. sedant, quin & dolores pleuriticos & alios levant. *Wedelius.*

Cataplasmata varia ad varios usus.

Catapl. ad Apostemata dura cum insigni cruciatu. *Weickard.*

♃. *Stercor. felini nondum indurati ad quantitatem Castan. Theriac. Andromach.* ʒß. *Mercurii præcipit.* ℈i. *Aq. fortis g.* 3. *ol. Scorpion. modicum*; misceantur apud ignem fiatque pulticula, quæ cataplasmatis modo calide applicetur, relinquatur per diem & noctem, postea aperiatur Scalpello vomica.

Catapl. Antiarthriticum, *Mollenbrock.*

♃. *Herb. Malv. Becabung. Cochlear. Serpill. m.* 1. *Flor. Chamomill. p.* 3. *coque in s. q.* ▽. *comm. expressis adde Spir. lumbric. terrestr.* ℥. 6. *Sapon. Ven.* ℥. 5. *Camphor.* ℈i. *Croci gr.* 8. *fiat. s. a. Cataplasma calidè parti affectæ applicandum.*

Catapl. in contusionibus & plagis capitis potens. *Weickard.*

℞. *Farinæ hordei, Fabar. an.* ℥ii. *Pulv. beton. chamæmel. melitot. Rosar. an.* ℥i *Majoran. calam. aromat. an.* ℥ß. *oxymell.* ℥i. *ol. rosar. Hypericon. an.* ℥ſs. *vini boni q. s. Misce ad ignem s. a. pro cataplasmate.*

Catapl. Cephalicum, in Deliriis, ex tempore parandum. *Zvvelferi.*

℞. *Nucleorum Persicorum unciam unam, cerasorum drachm. duas, Fol. recent. Nucis juglandis, Herb. recent. Majoranæ, Menthæ aquaticæ, Rorismarini, Verbenæ, ana unc. semis, Flor. Rosarum recent. vel sale condit. unciam unam, Nucum Moschat. drachmas sex, Baccar. Juniperi unciam semis, Limac. recent. è testis except. num.* 12. *Micæ Panis triticei uncias tres.* Conscindantur, & contundantur diu in mortario, ad pultis formam, additâ s. q. *Aquæ Rosarum, vel Majoranæ*; fiatque *Cataplasma Cephalicum*, fronti, temporibus, & vertici ipsi, abrasis capillis, in Deliriis, Febribus ardentibus, & Hungaricis, ut & contra Maniam, applicandum.

Cataplasma Cordiale. *Zvvelferi.*

℞. *Cortic. Citri. vel Limon. Arantiorum, ana recent. & extim. unciam semis, Herb. recent. Basilici, Majoranæ, Rorismarini. Flor. recent. Tunicæ, ana unc. semis, Rosarum, recent. vel sale condit. unciam unam, Caryophyllorum drachmas duas, Macis unciam semis, croci Aust. drachm. unam semis, Pulpæ panis triticei uncias duas.* Conscindantur, & contundantur diu multumque, in mortario, ad pultis similitudinem, additâ s. q. *Aceti flor. Arantiorum, aut Tunicæ, vel Rosarum*; fiat *Cataplasma, aut Epithema*, Cordi & pulsibus, *panno rubro* exceptum, admovendum sæpiùs. Cùm verò ad longum tempus asservari nequeat; pro quolibet infirmo tempore verno, æstivo, & autumnali, protinùs parari poterit: ad tempus verò hybernum usque *herbæ pariter*, ac *flores recentes*, *aut sale conditi*, inviolatè custodiri.

Cataplasma Febrile *Pharm. Norib.*

℞. *Pulveris Pyrij pulverisati, Salis communi fusi, ana* ℥i. *Telæ Aranearum, Nucis Moschatæ, Olibani, ana* ʒi. *Herb. Absinthii, Bursæ pastoris, urticæ minoris, Rutæ ana M.* 1. *Terebinthinæ albæ q. s. ut fiat Cataplasma.*

Catapl. ad arcendam Gangrænam. *Weichardt.*

℞. *Farin. lupin. fabar. an.* ℥iii. *Sc. in Aceto præparat. succi Rutæ* ℥iii. *Pulv. Scord. Rutæ an.* ʒi. *Oxymellis simpl.* ℥vj. *Pauxillum vitrioli Lixivij q. s.* Fiat mixtura quæ sæpius applicetur.

Catapl. ad Hernias seu Enterocelen, & alias Rupturas. *Zvvelferi.*

℞. *Rad. Consolidæ major. recent. mundat. & conscissi.* ℔i. *Herb. Saniculæ rubræ, cum Radicibus, recent.* ℔s. *Herb. recent. consolidæ Sarracen.* ℥iii. *Fol. recent. Quercûs, Perfoliatæ*, ℥ii. Incisa omnia coquantur in s. q. Aq. simplic. repetitis vicibus affusæ, quousque tota virtus & mucilago extracta sit. Colaturæ omnes unitæ ad remanentiam circiter librarum duarum, & consistentiam mucilagineam, seu Gelatinam, evaporent; cui immisce *Pulv. Rad. Tormentillæ* ℥iſs. *Aristoloch. rotundæ, Flor. Rof. rub. Balaustiorum, Sem. Perfoliatæ, Mastichis, Myrrhæ, Olibani, Sang. Draconis, Nuc. Cupressi, ana unc. unam, Sarcocoll.* ℥vj. Coquantur denuò, lento igne, parùm, continuò agitando, ad consistentiam *Cataplasmatis* mucilaginosi mollioris: quod in olla asservandum, & singulis diebus bis, & quidem calidè, linteolo raro involutum, regioni partis affectæ, seu ruptæ, applicandum est; intestinis, sive omento, priùs in situm, seu locum suum, repositis, ac impedimento cinguli, ac ligaturæ, præcauto, ne illa ampliùs prorumpant. Quamobrem Patiens quietus, & sine motione, in lecto, capite paulò supinus, recubare, & per unam alteramve septimanam in illo situ se detinere debet. Nota, *quòd quidam solâ Mucilagine, sive, Gelatinâ, ex Radicibus, & Herbis, hujus cataplasmatis coctione paratâ, superius edoctâ, contenti sint, absque aliarum rerum, vel pulverum, adjectione: quâ ipsâ Mucilagine curas Herniarum feliciter absolvunt. Quod pro meliori informatione apposui.*

Catapl. ad Hydropem, *Pharm. Norib.*

℞. *Stercoris Columbini aceto macerati.* ℔i. *Sulphuris vivi.* ℥i. *pulveris Radicum Enulæ, Baccarum Lauri, Anethi. fl. Chamæmeli. an.* ℥vj. *Nitri*, ℥ſs. *Sem. Nasturtii*, ℥ii. *decoquantur omnia in Vino ad consistentiam, & addantur Succi Iridis* ℥i. *Ebuli, Mellis, an. unc.* ii. *Terebinthinæ, Farinæ Fabarum, an. unc.* iſs. Fiat cataplasma.

Cataplasma Ischiadicum: *Pharm. Norib.*

℞. *Gummi Galbani, Sagapeni, Castorei, an. unc. ſs. dissolvantur in s. q. aceti Scyllitici, inspissentur: deinde* ℞. *Olei Lini, unc.* iii. *Fermenti acris, Stercoris Columbini, an.* ℥iii. *Scyllæ, sem. Ceparum, Lini, Sem. Erucæ, ana* ℥ii. *Euphorbii*, ℥i. *Pulverisatis iis, quæ possunt attenuari, admisceantur calidæ superiori colaturæ, & fiat cataplasma.*

Catapl.

Catapl. *De Nido Hirundinum.* Pharm. Norib.

♃. *Radicum Althaæ, Liliorum alborum, an. ʒI. dissecta coquantur ad mollitiem, contundantur, & pistentur, in mortario, deinde addantur hi pulveres:* ℞ *Pulv. albi græci, ʒIIß. sem. fœnigræci, lini, nidi hirundinum an. ʒI. Rad. iridis, ʒß. ol. chamæmeli q. s. Agitetur super ignem, ad justam consistentiam.*

Catapl. *Ad pleuritidem.* Pharm. Norib.

♃. *Radicum Althææ, ʒIII. anethi, violarum, farinæ hordei, fœnigræci, sem. lini, an. ʒII. ol. violati, chamæmelini, amygdalarum dulcium, an. ʒVIII. ceræ, butyri, an. ʒIV. fiat ex arte Cataplasma.*

Catapl. *Spleneticum.* Zvvelferi.

♃. *Tabaci infumati, ʒIII. coquantur cum vini albi* ℔III. *decoctum coletur, & ad consistentiam extracti, seu mellis, crassam evaporet: cui adde pulv. gum. ammoniaci, in superioris vini tabaci s. q. ad pulticulam soluti, ʒIß. his mixtis adde pulv. seminis nasturtii q. s. ad cataplasmatis consistentiam, sine ulteriore coctione efficiendam: item sequentia, subtilissimè saltem, & minutissimè concisa atque contusa: utpotè, herb. recent. rorismarini, verbenæ, persicariæ, an. ʒIß. Baccar. juniperi virid. ʒI. camphoræ. ʒII.* Fiat *cataplasma spleneticum*, ad febres pertinaces, quartanas, ut & duritiem, & obstructionem, lienis valdè efficax.

Catapl. *Ad Tumores œdematosos, & Duros.* Zvvelferi.

♃. *Antimonij crudi, ʒVIII. calcis vivæ, unc. 18. in pulveres redacta, misceantur: quibus superaffundantur vini rubri libræ quinque, vel sex: factâ digestione, duobus circiter diebus, aliquoties primâ saltem die commovendo, decantetur, alterâ die prætergressâ, quod clarum, per inclinationem. cum hoc liquore coquantur sequentia: ut potè, pulv. Lapid. Medicamentosi ʒIIß. sulphuris, ʒII. olibani, Myrrhæ, sang. draconis, succini, an. ʒIß. Rosar. rub. Balaustior. an. ʒI. ad consistentiam* Cataplasmatis *solidiorem, ne manibus adhæreat. Jam verò solvantur in terebinthinæ claræ unciis quinque, Gummi Tacamahacæ, elemi pulv. gum. mastichis, an. ʒI. ammoniaci, ʒIß. & ceræ flavæ novæ ʒIII.* his insimul mixtis, & liquatis, superius *Cataplasma* sensim immisceatur; fiatque sic *ceratum* seu *Cataplasma.* potens ad strumas, & tumores duros emolliendos, & dissipandos. Resolvit enim, & exsiccat humores artubus impactos.

Catapl. *Ad Tumores duros artuum.* Zvvelferi.

♃. *Pulv. lapid. n. medicamentosi, ʒIV. sulphuris Citrini, ʒII. Lapidis Calaminaris, mastichis, olibani, myrrhæ, gum. Ammoniaci, bacc. juniperi virid. an. unc. I. Rad. Aristoloch. rotundæ, Tormentillæ, herb. rorismarini, salviæ, chamæpithyos, flor. Rosarum rub. Balaust. Sambuci, an. ʒVI. Pulpæ panis tritic. unc. IV.* Coquantur cum *Aq. calcis vivæ Antimoniatæ, superius, in cerato ad Tumores duros* quoque edoctæ, ad *Cataplasmatis* sat solidi consistentiam: quod parti affectæ immediatè, bis terve, de die, applicandum.

Resolvit, discutit, extrahit & dissipat, potenterque exsiccat. Unde tumores durissimos, & strumas, sensim consumit, ac partes roborat.

Catapl. *Usitatum Noribergensium.*

♃. *Rad. Malvæ, althææ, liliorum alborum, an. unc. II. angelicæ unc. ß. zedoaric. ʒII. Herb. malvæ, althææ, parietariæ, mercurialis, brancæ ursinæ, an. m. chamomillæ, scordii, an. m. I. sem. lini, fœnigræci, malvæ, althææ, an. unc. I. m. fiat pulvis, admiscendus lactis, mellis, oleorum, vel alterius liquoris, sufficienti quantitati, cum leni decoctione.*

Cataplasma resolutivum Foresti.

♃. *Flor. Chamæmel. stœchad. sum. absinth. rut. caulium & stipitum eorum. salv. sabin. ana M. j.*

Coque omnia simul in lixivio ex cinere quercus vel sambuci, vel vitis albæ; deinde pistentur, addendo pulverem qui

♃. *Alumin. sulphur. gallar. cupress. sal. commun. an. unc. ß. aloes. baccar. laur. pyrethr. sem. caul. an. ʒij.*

In fine addatur stercus recens columbarum vel caprarum.

Vires. Resolvit crassos humores ac tumores inde ortos, ut varices, elephantiam Arabum. Forest. lib. XXIX. observat.

Cataplasma contra Cruoré effusum; vulgò, *Terband.*

♃. *Bol. armen. unc. iij. cretæ unc. j. prun. sylv. sicc. unc. j.*

Pulverisa quàm minutissimè & coque cum aceto acerrimo, hinc admisce radic. symphit. pulverisat. parum.

In fine adde Farinæ avenac. q. s. ad consistentiam cataplasmatis, subinde instillando nonnihil olei myrtillorum.

Vires. Cruorem ex casu vel contusione collectum resolvit & siccat. Felix Wirz in Chirurgia.

N. *Ejusce farinæ cataplasmata inter Chirurgos usitatissima sunt, fiuntque ex terra sigillata, bolo armena. sanguine dracon., cerusa, pice, resina, succ., lapid calamin. succo acac. & similibus adstringentibus & exiccantibus.*

Cataplasma Laxativum.

℞. *Rasuræ rad. bryon. rec. mell. comm. liquid. an.* ℔j.

Fellis taurin. ℔ß. *M. F. Catapl.* quo venter inferior vesperi in introitu lecti per noctem, emplastretur. Puerulis ad alvum bis terve movendam lumbricosque tum necandos tum excludendos sufficit In adultis v.

℞. *Succorum cucum. agrest. panis porcin. ā unc. j. lactis ricin. & tithym. ā unc. ß. pulv. hier. picr. ʒij. pulv. colocinth. Helleb. utriusq; ā ℈ij. Cass. rec. extract. unc. ij. autiij.*

Nutriantur omnia simul. F. Catapl. quod ventri admoveatur ab umbilico ad pubem, vel cum butyr. vetusti putrefacti q. s. incorporentur in Unguentum.

Cataplasma antifebrile.

℞. *Fol. urtic. maj. Solan. semperviv. ā M. j. Tel. arax. ʒij. sal. q. s.* F. Catapl. applicandum pulsib. in feb. Petr. Hisp.

Huc pertinent & *Anacollemata*, quæ nihil aliud sunt quàm Cataplasmata frontalia, intercipiendæ defluxioni consecrata; adeoque fiunt ex adstringentibus quæ ut plurimùm albumine ovi subiguntur, E.g.

Anacollema frontale.

℞. *Mastich. thur. myrrh. ā unc. ifs: bol. arm. pulv. later. ā ʒis. croci ℈j.*

Cum Album. ovi. ol. rosac. & pauxillo acet. F. Frontale.

Vires. Prodest in lippitudine aliisque affectibus oculorum fronti impositum.

Aliud.

℞. *Argillæ ustæ. farinæ volatil. boli armen. ā unc. ß. suc. acac. hypocist. ā ʒij. Cum Album. ovi & modico aceto F. Frontale.*

Vires. Convenit in Hæmorrhagia narium.

Huc referendi sunt & Sinapismi vesicatoriaque in forma Cataplasmatis.

Hæc fiunt ex sem. Sinapi, nasturtij, urticæ; radic. thapsiæ, cyclamin. bryon. scillæ, allii, Euphorb. cantharid. & similibus, susceptis pulpâ ficuum, fermento, melle, oxymelite, sapone & similibus.

E. gr.

Exempli gratia Sinapismus.

℞. *Pulpæ caricar.* [*in acet. coctar.*] ℥ ij. *sem. sinap.* ℥ j. *m. ruborem cuti inducit.*

Vesicatorium.

℞. *Cantharid. præparat.* (*i. e. alis & capitibus abscissis,*) *num. xxx. fermenti acris.* ℥ j. *cantharides pulverisatæ suscipiantur fermento, humectando si opus sit aceto acri.*

Cataplasma seu Pulticula ad Carbunculos, Diemerbroeckii.

℞. *Rad. Consol. maj. sicc. herb. scordii sicc. ana* ℥ ij *rad. althææ sicc. far. sem. lini cribr. pollin. far. tritici, ana* ℥ ß. *f. pulvis subtilis, cui affunde aq. comm. q. s. coquantur aliquant. ut mucilag. solvantur, & compositio ad pulticulæ crassioris formam deveniat, cui adde, mellis, terebinthinæ, unguenti Apostol. ana* ℥ iij. *picis liquidæ. unguenti basilici, ana* ℥ ij. *vitellum unius ovi, croci* ℈ j. *m. interdum etiam addantur theriacæ* ℥ ij. *Hanc pulticulam ob eximium commodum quod inde percepit,* Diemerbroeckius, *in frequenti usu habuit in peste Noviomagensi, & ex multis tentatis nihil invenit cum quo carbunculorum separatio & curatio citius ac melius perageretur. Illius autem aliquantum in linteo pinguius extensum, anthraci imponitur, idque bis, terve de die renovatur.*

Cataplasma pro Rabidi Canis morsu, Hannemanni in actis Hafniensibus. Bartholinianis.

℞. *Pulver. sem. card. fullon.* ℥ ij. *c. c. præparati,* ℈ ij. *lap. bezoar gr. xv. herb. Cardui bened. scordii, ana* ℥ ß. *terræ sigillatæ præparatæ gr. xx. rad. tormentillæ* ℥ i. *ocul. cancri præparat. scrup. j. magisterii Antimon. diaphoretici scrup. i ß. lep. percar. scrup. ij. cortic. citri scrup. ii ß. m. f. c. a cataplasma. Venenum rabidi canis, morsui impositum, elicit.*

Cataplasmata varia è Thesaur. Pharmac. Hoffmanni.

Cataplasma Hypnotiscum D. D. R.

℞. *Farin. hord.* ℥ ii. *pulv. alabastrini* ℥ i ß. *rad. rhodiæ* ℥ *vj. papaver. alb.* ℥ *iij. nucleor. persicor. num. xxx. spirit. vini, aq. aneth. q. s. optimè invicem contusis adde in fine philon. roman.* ℥ *vj. Requietis Nicolai* ℥ i ß. *croci* ℥ *j. ceræ liquat.* ℥ *j.*

Usus. Hoc Cataplasma plantis pedum est applicandum.

Cataplasma emolliens & discutiens D. D. R.

℞. *Rad. lil. alb. alth. mandrag. ana* ℥ *j. cepar. nu. 6. caricar. nu. 4. fal. malv. absinth. salv. flor. aneth. camæmel. ana m. ß. herb. hyssop. origan. ana m. j. coq. in aq. & aceto ana p. s. optimè pistatis adde farin. tritici lin. fœnigr. ana* ℥ *ij. adip. gallin. porc. olei coct. camamil. ana* ℥ *i ß. m.*

Cataplasma pro Carbunculis.

℞. *Lentium, gallar. ana* ℥ *i ß. rad. lil. albor. symph. ana* ℥ *ij. ferment.* ℥ *v. cepar. nu. 6. nuc. juglandi nu. 12. alliariæ, plantag. ana m. iij. coq. in aq. font. q. s. optimè contusis adde Theriac.* ℥ *ij. sal.* ℥ *i ß. sinap. sapon. stercor. columb. ana* ℥ *j. vitel. ovor. nu. 6. croci* ℥ *ij. farin. hord. lithargyr. ana* ℥ *iv. axung. porc.* ℔ ß. *mi f. Catapl.*

Cataplasma excellens in tumoribus scyrrhosis mamillarum, qui in cancerum vergunt D. D. C.

℞ *Pulp. pomor. Borsdorff. rapar. majorum ana* ℥ *j. coque in lacte caprino vel aq. malv. ad pultis consistentiam, adde medull. panis albiss.* ℥ ß. *farin. fabar. sem. fœnigr. ana* ℥ *ij fol. alth. brassic. rubr. malv. arboresc rosar. rubr. ana* ℥ *j. ficuum num. 7. croci* ℈ ß. *cum ol. ros. s. q. f. Cataplasma.*

N. *Si velis magis emollire. adde diachyl. s.* ℥ *j. rupto autem apostemate pro majori maturatione materiæ adde diachylon. comp.* ℥ *j.*

N. *Eodem cataplasmate aliquot retro annis apostema quoddam musculi recti abdominis in dextro latere* feliciffimè curatum fuit, materiâ purulentâ per umbilicum exitum quærente.

Cataplasma ad mitigandos dolores in scorbuto.

℞. *Lumbric. terr.* ℥ *i ß. radic. alth. lil. alb. ana* ℥ *vj. liquirit.* ℥ ß. *fol. malvæ, verbasc. flor. chamæmel. rosf. r. sambuci, melilot. ana m. ß. h. cochlear. rec. nasturt. rec. aquatic. ana m. j. beccabung. recen. m. 2. sem. lini fœnic. græc. psyllii, ana* ℥ *vj. farin. hordei* ℥ *3. siligin.* ℥ *i ß. bacc. juniperi* ℥ *j. subtiliss. pulveris. coq. ex lacte caprino recenti postea adde lumbric. q. s. m. f. Cataplasma.*

Cataplasma purgans.

℞. *Catapur. minor. succi tithymal. colocynth. ana* ℥ *v, cucumer. asinin. hellebor. nigr. ana* ℥ *3. terebinthin. cortic. inter. sambuc. ana* ℥ *vj. scammon.* ℥ *iij. c. s. q. mellis f. cataplasma.*

Vires. Umbilico admotum alvum movet, ventriculo vomitum, lumbis urinam movere dicitur. ex MS. D. H.

Cataplasma escharam tollens biduo, ut sponte decidat D. D. S.

℞. *Sal. comm.* ℥ ß. *piperis* ℥ *j. caricar. ping. num.* ℥ *fol. rutæ virid. m. j. ferment. veter. & aridi* ℥ *j. m. omnia diligentissimè in form. cataplasmatis, ex MS. D. H.*

Cataplasma Nobile suppurans scrophulas ex MS. H.

℞. *Fermenti panis tritic.* ℥ *i ß. panis siligin,* ℥ *j. vitell. ovi. 1. ol. commun. s. q. croci* ℥ ß. f. Cataplasma quod extendatur super folia brassicæ, donec ad ignem flavescant, orbi plumbeo tepidè imponatur, ne durum evadat.

Cataplasma antifebrile.

℞. *Urtic. min. recent. burs. pastor. rec. rutæ rec. ana m. ß. grossomodo cum* ✝ *acerrimo contusis adde lapid. prunell. salis comm. ana* ℥ ß. *tel. aranear.* ℥ *j. m. f.* Cataplasma singulis quinque horis pulsibus applicandum in febribus.

Aliud revulsorium in febribus ardentibus ad pulsus manuum.

℞. *Cortic. median. ramor. nucum jugland.* ℥ ß. *lapid. prunell.* ℥ 3. *contunde cum* ⚹ *antepestilential. & aq. rosac. s. q. f. cataplasma.*

Aliud ad plantas pedum.

℞. *Fermenti acris, saponis nigræ ana* ℥ *i ß. sinapi.* ℥ *j. lapid. prunell.* ℥ *j. aceti rutac. q. s. m. f.* Cataplasma.

Cataplasma ad ambusta ex quâcunque re,

℞. *Albumin. ovor. num. 2. olei rosac. non rancid.* ℥ *2. aq. rosar. opt.* ℥ *j.* Agitentur & misceantur exactiffime, applica cum serico vel linteo admodum raro, nec ante 14. diem removeantur; interim tamen bis vel amplius de die linteum humectetur usque ad 4. diem, post 4. diem remove albumen ovi, & ejus loco admisce vitellum ovi. Sæpius in die linteum hâc materiâ est madefaciendum. Si major adustio saccharum Saturni addi debet.

Cataplasmata varia è Pharmacopæa Bateana.

Cataplasma Apoplecticum.

℞. *Rad. bryon. rec.* ℥ *iij. sem. sinap. sapon. nigr. an.* ℥ *j. cantharid.* ʒ *vj. contus. opt. aceto opt. q. s. f. catapl. pro capite raso.*

Cataplasma Cephalicum.

℞. *Pulver. caryoph. nuc. m. ā* ʒ *ij. piper. indic.* ℥ ß. *Diasinap.* ʒ *vj. ferment. acris* ℥ *iij. spts. lavend. comp.* ℥ *i* ß. *vel q. s. ut f. catapl. pro capite raso.*

Cataplasma Cynanchicum.

℞. *Pulver. albi canis* ℥ *j. pulp. conf. ros. r.* ℥ *ij. Syr. de Mecon. q. s. m. f. Catapl. sub mento adhibendum ab aure ad aurem, post Phlebot.*

Cataplasma ad Paronychiam.

℞. *Vitell. ovi unius rec. adde resin. com. tenuissimè pulverat. q. s. balf. peruv. gut. vj. vel viij. optimè misc. donec reducantur ad formam cataplasmatis. applica loco affecto. Egregium est Medicamentum.*

Cataplasma Pestilentiale.

℞. *Stercor. columb. pulverat.* ℥ *iv. croc.* ℥ ß. *mithridat. theriac. long. Sem. sinap. ā* ℥ *j. tereb. q. s. ut f. catapl. Pro bubonibus rumpendis. Post ruptos bubones empl. adhibe ex empl. de mucilag. diach. cum gum. & stictic. ā* ℥ *i* ß. *galb.* ℥ ß.

Cataplasma Podagricum.

℞. *Melanosmegmat.* ℥ *iv. vitell. ovor. num.* 2. *croc.* ʒ *i. olei spicæ* ℥ *j. m. f. Catapl. s. a.*

Cataplasma Soleare.

℞. *Fol. rutæ rec.* ℥ *ij. rad. bryon. rec.* ℥ *iv. ferment. acerr. Salis nigr. sapon. n. ā* ℥ *i* ß. *mustardæ* ℥ *iij. contus. adde acet. q. s. pro plantis pedum, in febribus.*

Cataplasmata varia ex Ioh. Michaelis operibus Medicis.

Cataplasma ex sempervivô portulaca & ros. recent. in affectibus calidis commendatur, ut in phrenitide. Addi etiam possunt flores Nymph. ut & ol. Nymph.

Catapl. in dolore Capitis externo.

Valdè confert cataplasma ex herbâ verbenâ atque.

Catapl. in contusione itemque doloribus articulorum.

Ex radice symphiti, vel succô inspissatô symphiti.

Cataplasmata *ex fermento acerrimô & ♁ vivo*, si partibus refrigeratis applicetur, extrahit valdè dolores & frigus, estque certum experimentum.

In Affectibus Ventriculi.

Cataplasma *ex pomis cydoniorum cum vino malvaticô & pulv. nuc. mosch. cum mastich.*

In tumore pedum.

Fieri potest cataplasma ex fimô equinô, vel ex stercore caprillo.

Catapl. in affectibus oculorum.

℞. *Fermenti acerrimi* ʒ. *succini* ʒ *ij. sem. sinapi flav. contusi* ʒ *i* ß. 4. *squillitici q. s. f.* cataplasma, quod nuchæ applicetur in formâ thaleri.

Catapl. ad Catharrum.

℞. *Fermenti acerrimi* ℥ *ij. succini* ʒ *ij. gummi juniperini* ʒ*i*ß. *c. s. q. aceto rosac.* f. s. a. Cataplasma, quod capiti applicetur.

Catapl. in singultu.

℞. *Fermenti acerrimi* ℥. 4. *pulv. herb. menth. ros. ros. rubrarum. absinth. ana* ʒ *j. mastich.* ʒ. 3. *nuc. mosch. nu.* 2. *zedoariæ* ʒ*i*ß. *c. s. q. acet. ros.* f. s. a. cataplasma. Possunt etiam addi *ol. destillata mentha, zedoariæ, caryophyll.*

In vomitu adstringentia adduntur, ut Mastiche &c.

Catapl. in Anginâ.

℞. *Flor. malv. lil. alb. ana m. j. Rad. alth. lil. alb. an.* ℥ *ij. fic. ping. nu.* 8. *sem. fœnugræci, lini ana* ℥ ß. *nid. hirund. nu.* 1. *coq. in s. q. lactis ad putrilaginem trajiciantur per setaceum & addatur albi Græci* ℥ *j. nocl. comb.* ʒ *ij. c. s. q. ol. lil. albi & chamom. f. l, a.* Cataplasma.

Catapl. in Hydrope.

℞. *Flor. chamom. sambuci ana m. j. stercoris caprilli lib.* 1. *coq. in s. q.* 🜄 *Puerorum. f.* Cataplasma.

Catapl. in Tumore Scroti.

℞. *Fol. agrimon. herb. parid. nasturt. aquat. flor. chamom. ana m. j. sem. cumini, carvi ana* ℥ ß. *farin. fabar.* ℥*i*ß. *c. s. q. aceti f.* cataplasma.

Catapl. in febribus & deliriis ad Plantas pedum.

℞. *Herb. rutæ m.* 2. *raphan. nu.* 2. *vel* 3. contund. in mortariô ad consistentiam cataplasmatis, mirè extrahit.

Catapl. in Peste ad Bubones.

℞. *Fol. Parid. m.* 2. *rad. lil. alb. alth. ana* ℥ 2. *ficuum pinguium nu.* 6. *coq. in s. q. ol. lil. alb. adde fulig. splend.* ℥ *j. sapon. venet.* ʒ 6. *ol. aranearum,* ℥ *j.*

Usus ad suppurationem.

Herba Paridis hîc mira facit, utpote quæ sola etiam applicata idem præstat.

Cataplasma ex Nasturtiô aquaticô.

Vires. Singulare & certum experimentum in tumore muliebris pudendi, in gravidis ante partum, & in puerperis post partum.

Catapl. Febrifugum, *Principis Anhaltini*,

℞. *Piperis*, ⊖, *croci Orientalis ana q. s. m.* & contunde in mortariô ad formam cataplasmatis, inde nodulo

Usus. Applica in sinistrâ manu digiti articularis extremæ parti, eâdem horâ quâ impositum, ter repetitur ante paroxysmum.

Aliud.

℞. *Emplastri febrifug. Strobelb.* ℥ *j. malax. cum ol. aran.* & divide in duas partes æquales.

In vomitu.

Fiat Cataplasma *ex pane tosto cum carne cydoniorum.*

Vires. Prodest in dysenteriâ, imprimis epidemicâ; mirè prodest item cataplasma *ex theriaca* ʒ *ij: & croci* ♂ ʒ *ij.*

Cataplasma in suppressione urinæ.

Rec. Herb. parietar. m. 2. *coque in aquâ appropriatâ ad putrilaginem. Adde olei scorp. simpl.* ʒ *ij. m.*

Catapl. in dolore post phlebotomiam quando nervus aut arteria ex imperitiâ læditur.

Rec. *Herb. agrimon. cerefol. flor. chamom. ana m.* 1. *rad. symphit.* ʒ 3. *sigilli salom.* ℥ ß. *lini fœnugræci ana* ℥ ß. *coq. in s. q. aq. ad consistentiam cataplasmatis.*

Catapl. ad Anginam:

Rec. *Rad. bryon. alth. ana* ℥ 1. *fol. malv. violar. ana m.* 1 ß. *flor. chamom. m.* ß. *bulliant ad mollitiem & pistentur, quibus adde farina fabar. hord. lin. fœnugræci ana* ℥ ß. *nid. hirund. contus. & crib.* ℥ 3. *cum decoctione supradictâ affusâ f. cataplasma, cui adde olej chamom. lil. alb. lini ana q. s. m.*

Rec. *Nidi hirundinum cum totâ pulv. & cribrati* ℥ 3. *mellis optimi axung. porcin. ana q.* 1. *q. s. pro coquendo emplastro.*

Cata-

Cataplasma ad Ascitem celebre Vidii.

℞. Stercor. columb. in aceto macer. ℔ *j.* 🜂 *vivi* ℥ *j. nitri* ℥ ß. *Rad. helen. Baccarum lauri, Herb. anethi chamom. ana* ʒ *vj. sem. nasturt.* ʒ *ij. pulverisata omnia decoque ad justam spissitudinem, tum adde Mellis* ℥ *ij. Terebinth.* ℥ *i* ß. *succi ebuli* ℥ *ij. irid.* ℥ *i* ß. *soldan.* ℥ *j. Farin. fab.* ℥ *j.* F. cataplasma abdomini imponendum.

Cataplasma ex Hadriano à Mynsicht.

Cataplasma de Fermento.

℞. Fermenti veter. ℥ *i* ß. *succini citrin.* ʒ *iij. nuc. moschat. Cubebarum ana* ʒ ß. *menthæ crisp. caryophyllor. ana scr. j. castorei veri lig. aloës an. scr.* ß. *misc. & cum panxillo sp. vini simpl. & acet. vini ana, redigantur in formam Cataplasmatis.*

Vires & usus. Capitis summo vertici totum & tepidè impositum aliquoties repetendo, & interdum recens substituendo, linguæ paralyticæ causam egregiè discutit, & materiam à superioribus ita evacuat & consumit, ut semper non sine admiratione motus & sermo redeant: propterea ad loquelam recuperandum, & catarrhos exsiccandum, secretum est.

Cataplasma Febrile.

℞. Pulv. Pyrii pulverisat. Sal. commun. fusi ana ℥ *j. telæ aranear. nuc. moschat. olibani elect. ana* ʒ ß. *herb. absinthii, bursæ pastor. urticæ min. rutæ ana m. j. terebinth. alb. q. s. ut fiat Cataplasma pro pulsibus.*

Vires & usus. Comprehensum hoc duobus linteolis & super pulsus utriusque manus duabus horis ante paroxysmum positum, Febres puerorum quam plurimas, præsertim autem Tertianam notham seu spuriam curat, & mirabiliter sæpè paroxysmum sedat.

Cataplasma Scorbuticum contra tumores Pedum.

℞. Furfur. Siliginis bene triturat. ℔ ß. *farin. hordei fabar. ana* ℥ *iij. lupinorum lentium ana* ℥ *i* ß. *saponis venet.* ℥ *ij. flor. chamæmel.* ℥ *ij. malvæ ana* ℥ *j. lithargyr. argent. bol. armen. rub. ana* ℥ ß. *rad. chinæ elect. rhabarb. ana* ʒ *iij. fung sambucin. num. vij. Coq. in suc. ebuli express. ad spissitudinem ut f. Cataplasma.*

Vires & Usus. Hoc Cataplasma in Scorbuto, vesperi calidum pedibus circumligetur; ut tumor totus eô tegatur; atque ita per totam noctem retineatur, alterâ innovetur, rursusque imponatur, repetendo & continuando, usque dum tumor subsideat; qui, ex hujus cataplasmatis usu, & Dei auxilio, cessabit, & membra corroborabuntur.

Cataplasma de Cineribus.

℞. Ciner. hermodactylorum rad. asphodel. stip. fabarum lig. sambuc. ficuum sarmentor. vitis ebuli ana q. v. Misc. & cum vino albo f. lixivium.

℞. Hujus lixivii ℔ *iv. panis cibar. nigri q. s. coq. ad spissitudinem; posteà adde aceti vini acerrimi* ℔ ß. *lap. medicamentos.* ℥ *iij. pulv. sem. Cymini bac. lauri caryophyllor. ana* ℥ *j. & fiat, leniter coquendo, ut est artis, cataplasma.*

Vires & usus. In tumoribus hydropicis, facta evacuatione, extendatur super pannum lineum, superimponatur, relinquaturque per aliquot horas, postquam deinflatur, ponatur versus genua semper descendendo usque ad pedes.

Cataplasma de nido Hirundinis.

℞. Nidi Hirundinis num. 1. albi græci ℥ *i* ß. *rad. althææ lilior. alb. ana* ℥ *j. Caricar. ping. dactylor. ana num. iij. coq. in aq. com. ad remanentiam pultis; posteà adde: ol. violarum* ℥ *iij. farin. chamæmel. fœnugræc. sem. lini, tritici, cerebri cati, pulv. noctuæ comb. hirund. comb. ana* ℥ *ij. vitel. ovorum num. j. croci orient. misc. & f. s. a. cataplasma pro collo.*

Vires & Usus. In Angina desperata collo tepide sæpius applicetur: Quia secretum est. Stercus autem caninum colligatur à cane Sole existente in Leone, & canis recludatur & nutriatur ossibus vituli castrati & aliorum, deturque aqua fontis non multa, & inprimis tribus diebus stercus abjiciatur & reliqua colligantur.

Cataplasma contra Singultum.

℞. Fermenti ℥ *iij. bac. juniperi rosar. rub. menthæ crisp. an* ʒ *j. caryophyllorum, nuc. moschat. macis ana* ʒ ß. *aceti vini fortiss. q. s. f. cataplasma, cui immisce ol. cymini & carvi ana scr.* ß.

Vires & Usus. Hoc maximè in singultu calidè Stomacho duobus linteis comprehensum; & sæpius applicatum valet, & est singulare experimentum.

Pannus Linteus Crocatus.

Recipe crudum ex cannabe linteum, ablue quinquies vel sexies in Spermate Ranarum in Martio collecto & filtrato, ut grana illa sive Oculi nigri inde separentur, idemque toties in umbra per se, non in calore, sive luce solari arescere sine. Postea recipe Aceti flor. Sambuci & Croci or. sufficientem q. & f. Tinctura, in qua illud ex cannabe confectum linteum coquatur donec sublimem à croco imbibat calorem, tumque unà refrigescere sine, postea exime pannum illum crocatum, in umbra sicca & ad usum reserva.

Vires & Usus. In Podagra & Erysipelate (præmissis tamen præmittendis) experimentum est: Loco enim affecto pannus ille impositus, prius tamen sapone veneto inunctus sistit dolores, in cruciatibus arthriticis remedium planè divinum est.

CATTARIA vid. *Nepeta.*

CATECHU vid. sub titulo *Terra, quamvis improprie.*

CATHÆRETICA MEDICAMENTA.

Catharetica, aut *Sarcophaga* sunt voces græcæ significantes Medicamenta leniter & non statim rodentia consumentiaque carnem superfluam ad quam applicantur, atque ad statum naturalem eam revocantia, undè fit quod hæc medicamenta à quibusdam *Sarcophaga* dicantur, id est, carnem-rodentia. Leniora sunt Aloë, Alumen, cinis Querceus, Ficulneusque, Bryoniæ & Hellebori nigri Radix, plumbum combustum, ac antimonium exustum. Asperiora sunt calx viva, Æs exustum, chalcantum crematum, Mercurius præcipitatus, Arsenicum, Spiritusque sulphuris.

Prima sunt calida usque ad tertium gradum aut circiter, secunda vero usque ad quartum gradum. *Meuve.*

Gradu minori differunt à Causticis sive Septicis, aut Escharoticis; & per accidens cicatricem inducere dicuntur, cùm non sint ejusdem cum Epuloticis naturæ, v. gr. Asiæ petræ flos, Æs ustum; Eorum facultas consistit in salinis acrioribus, lixiviosis, & alcalicis valdè evectis particulis *Lexic. Medic. Castello-Brunon.*

CATHARSIS. vid. *Purgatio.*

CATHARTICA. vid. *Purgantia.*

CATHOLICUM. vid. *Electuaria.*

CATILLUS. vid. sub titulo *Instrumenta Pharmaceutica.*

CATINUS. vid. *Ibidem.*

CATTAGAUMA. vid. *Gummi gutta.*

CATULUS in Phythologia. vid. *Julus.*

CATUS HIC vid. *Felis.*

CATUS ZIBETHICUS. vid. sub titulo *Canis*

CANIS ZIBETICUS.

CAUCALIS.

Caucalis Lobelio à seminum effigie, quæ vascula oblonga & semisphærica imitantur, aut à strepitu quem edunt hæc semina, cùm præarida vindemiis exactis ventis concutiuntur, Καυκάλιον autem vasis genus est ita dictum à sono quem edit dum aqua confertim ingreditur aëre exeunte, & è contra.

Nomina. Caucalis albis floribus *Ger.* vulgaris albis floribus *Park.* Arensis echinata magno flore *C. B.* Lappula canaria flore pulchro magno, albo *I. B.* Echinophora πυκνόκαρπος an Gingidium Dioscoridis *Colum.*

Radix tenuis, alba, subdulcis (esui apta, acris parùm, amariuscula, aromatico odore vel Resinæ) cauliculum pedalem aut majorem interdum emittit, lævem, striatum, solidum, virentem, in ramos ab imo divisum, partim rectos, partim procumbentes, striatos, hispidos, purpurascentes, geniculatos, multisque alis concavos. Folia Pastinacæ tenuifoliæ, hirsuta, (col. lævia, quæ circa caulem latiora & majora primò erumpentibus) Ex singulis alarum geniculis longo & pedali nudo pediculo crassiore ac rectiore insunt umbellæ caulem & ramulos terminantes, florum alborum, quorum folia externa aliis duplo majora; quibus succedunt lappulæ oblongæ, sulcatæ, hispidæ. (Umbellæ uniuscujusque basin, unde radii eum constituentes exeunt, circumstant quinque foliola stellata, quorum oræ limbo albo circundantur, eorumque unicum in longius duplo degenerat. Hæc, antequam flores in umbellam expanduntur, illos veluti folliculo inclusos servant. Umbellæ secundariæ & partiales ex quibus totales componuntur ad radiorum suorum basin seu exortum habent pariter quinque foliola minora albo limbo terminata stellatim disposita.) Æstivis mensibus, Junio, Julio, August. floret & semen perficit. Inter segetes in Germania passim provenit. *Raius Hist. Pl. T.* 1.

Vires Dioscorides narrat, Caucalidem urinam ciere, & *Galenus* differens lib. 7. Medic. simpl., sic loquitur, quidam Caucalidem cognominant, Daucum, sive Pastinacam sylvestrem, quia maximam habent inter se similitudinem, quoad gustum, & quoad vires; In eodem enim gradu siccitatis atque caliditatis utraque reperitur, cietque urinam. In calculo præterea creditur proficua hæc planta, ut & in mulierum mensibus provocandis, crassioribus humoribus tenuandis, visuique confortando.

CAUDA EQUINA. vid. *Equisetum.*

CAUDA MURIS. vid. *Sempervivum.*

CAUDA TREMULA. vid. *Motacilla.*

CAUDA VULPINA sive ALOPECUROS.

Denominatio hæc generalior est & pluribus plantis convenit. Datur v. g. gramen Alopecuros, Rapunculus Alopecuros, Trifolium Alopecuros &c. de quibus propriis capitibus.

CAUDELA.

Est jusculum variæ compositionis, & quædam quasi Emulsio, cujus duplex exemplum jam adducemus.

Caudela Amygdalina.

℞. *Cerevis. opt. illupulat.* ℔. 2. *Aq. font.* ℔. *j. cinnam. acut.* ℥. *j. coq. ad consumpt. tertiæ partis. fiat colat. cui adde Amygd. d. mundat. & contus. cola per cribrum exprimendo, adde sacch. albiss. duri* ℥. *ij. f. candela. Pro puerperis Diarrhœâ laborantibus.*

Caudela Nenupharina.

℞. *Rad. Nymph.* ℥ *j. ichthyocol. c. c. ras. ebor. sant. alb. an.* ℥. *ij. bistort.* ℨß. *dactyl. num.* 4. *orizæ coch.* 2. *in cervis. illupul.* ℔ ß. *Aq. font.* ℔. *j. ad consumpt. tertiæ partis fiat colat. adde Vitellum cum album. ovi unius & sacch. q. s.*

Usus pro duabus dosibus. In abortu præcavendo, dorsi infirmitatibus, Gonorrhæa, Profluvio albo, &c. Eximii est usus. Detur bis in die.

CAUDEX.

Idem denotat in Arboribus, quod & Caulis in Herbis.

CAULIS.

Caulis, definiente *Jungio*; est pars plantæ superna in altitudinem ità exporrecta, ut anteriora à posterioribus, vel dextera à sinistris non differant. Caulis in arboribus & fruticibus *Caudex* [*Stipes, truncus*] in fistulosis *calamus*, in frumentis *culmus* dicitur.

Caulis est vel *simplex*, vel *ramosus.*

Scapus caulis est pars caulis ramosi, quæ à fundo ad cacumen summum unâ quasi lineâ extenditur, cui rami utrinque adhærent.

Caulis partes sunt *Cortex, lignum*, aut in Herbaceis pars ligno respondens, & *Medulla.* Raius.

CAULIS HERBA. vid. *Brassica.*

CAUSTICA MEDICAMENTA.

Caustica, magnam habent latitudinem, unde & varia sortiuntur nomina.

In genere caustica adhibentur vel *sanâ & integrâ cute* vel *divisâ & malè habente*: illa corrodendi & escharam inducendi fine; hæc extergendi & absumendi scopo. Commune nomen Causticum est; sed gradus eorum sunt diversi.

Indicans scilicet corrosivorum est 1. *humorum vitiosorum allectio*, ut evacuentur, deriventur, vel revellantur; 2. *solidorum p. n. excrescentium absumtio.*

Divisâ cute & male habente magis adhibenda *primo gradu* sunt, extergentia, sive citra morsum insignem exsiccantia, ex nihilo, pompholyge, conchis ustis, magisterio ♄ ni, lapide calaminari, cerussa, ☿ dulci, lacte virginis, liquore lithargyrii, calcis vivæ, &c. quæ ferè causticorum nomen non merentur, aguntque potissimùm ob vim terream & metallicam exficcantem, cum vi salinâ, aut retusâ & debiliori, & locum habent in ulceribus humidioribus, sordidis etiam, nec facilè cicatrice coëuntibus.

Secundo gradu sunt *exedentia*, sive *exedendo extergentia eminentius*: utraque vel *sicca*, vel *liquida*, vel *media*, quæ præter terreas particulas gaudent salinis acribus magis vel minùs particulis, ex *vegetabilibus* verbi gratia, pulvis sabinæ, quæ in fungo cerebri, & verrucis penis exedendis est eximia, cineres item, ut cinis tabaci, quem sæpe cum successu solent inspergere ulceribus: ex *Mineralibus*, ⊕, O ustum, vitriolum album, ♀ ⊖li. ☿ [illegible] us, & ex his parata, unguentum Ægyptiacum, fuscum Wurzii, aqua viridis Hartmanni. Inter hæc sicca absumunt etiam magis, quod superfluum est, unde & luxurianti carni conveniunt, caruncuIas penis absumunt, protuberantias alias auferunt, mollia mundificant, & gigni prohibent magis extranea; humida purificant & abstergunt.

Notandum 1. *exsiccantia & extergentia terrea & simul sulphurea in affectis nervis*, si v. gr. puncti sint, *magis prosunt*, unde insignis utilitatis pulvis hanc in rem fieri potest è *rad. aristol. euphorb. lap. calam irid. Florent.* &c. qualis videri potest apud *Scultetum in armament. chirurgico.*

2. *Eadem, ut & inprimis oleosa, acria, & ætherea ossium corruptelis & cariei conveniunt*; Sic euphorbium inspersum potentissime cariem separat. Sic oleum caryophyllo-

phyllorum, cùm aliàs oleosa ossibus maximè sint inimica, eidem scopo utiliter inservit. Utrisque verò maximè nocent pinguia & oleosa adiposa.

3. *Salina* verò *magis laxis tumoribus & putrilaginosis eximiè prosunt.* Sic lapis medicamentosus tùm aliàs in ulceribus variis egregiè se gerit, quo de usu inter alios latè agit *Crollius in basil. chim.* tùm hæc ipsa etiam in gingivarum putrilagine prosunt: uti v. gr. lapis medicamentosus in aquâ ligustri, plantaginis, tormentillæ, solutus, alumen ustum cum melle & nuce moschatâ, pulvere aquilegiæ, &c.

Integrâ & sanâ cute adhibenda caustica propriè quasi hoc nomen merentur; dicuntur enim, quòd in potentiâ vim ignis possideant, unde à calore nostro actuata escharam inducunt.

Uti enim notum est, *cauteria* esse *duplicia*: *actualia*, quæ igne fiunt, & *potentialia*, quæ medicamentis: ita hæc talia sunt potentialia, quæ aliàs dicuntur *escharotica*, quòd crustas seu escharam inducant, *corrosiva*, *erodentia*. ῥυπτικὰ seu *ruptoria*, quæ cutim & carnem penetrant.

Solent equidem hæc & divisâ & malè habente cute in certis casibus adhiberi, ut in tumoribus & ulceribus fungosis, absumendi fine; veruntamen integrâ & sanâ cute applicari consueverunt, de quibus jam dicemus quoque, alius finis gratiâ, nempe ut humores evacuemus, unde hæc ipsa materiam constituunt fonticulorum, hæc abscessus rumpunt, sicubi ferrum timetur, & pus tamen intus exitum ambit, &c.

Præsupponimus ergo denuò, quod hæc agant ob vim salinam utroque extremo excedentem, sive sint alcalina, sive acida; illâ tamen differentiâ, quod alcalina escharam nigram fabricent, & post se relinquant, acida verò, quòd sulphur simul obtundant, candicantem, actuata quippe à calore nativo, nec enim vesicatoria in cadavere vesicas excitant, nec caustica escharam producunt, ceu in animato corpore pellem crispare solent.

Resolvunt quasi in putrilaginem cutim, ubi maduerint, penè ut calx viva caseum, ut loquitur *Hamel p. 428. de corp. affect.*

Selectiora *alcalina* sunt, v. gr. *lapis corrosivus*, sive ex cineribus fraxini, quod vult *Simon Paulli*, sive potiùs è lixivio saponariorum fortiori paratus, quod *capitellum* vocant. Dicitur enim lapis impropriè, & reverà est sal alcali acerrimum, unde & obturandum est vas, in quo lapis iste servatur, tessellatim sectus, ne aëris accessu liquefiat, &, quando in usum vocatur, salivâ parum humectandus, ut eò promptiùs spicula sua infigat. Valet enim & hoc loco *salia non agere*, scilicet eo modo, eâ vi & ἐνεργείαν, *nisi soluta.*

Quæstio est non levis, *an detur cauterium indolens?* & respondetur rectè, si respectivè loquamur, *quòd sic*: quæ enim sunt majoris activitatis, & exemplò partem corrumpunt, paucum vel nullum dolorem creant. Tale cauterium præbent *crystalli* ☽næ ex argento cum 🜅 parari. Videmus quin imò id quoque in corpore, non solùm externè in gangrænâ & sphacelo, ubi mechanicè quasi & eleganter fas est ejusmodi concipere sal causticum & corrosivum; verùm etiam in dysenteriâ indolente, quando tàm subitò acrimonia summa partibus membranosis accedit, ut sensum statim omnem auferat, unde absolutè tunc lethalis est.

Ad caustica hæc etiam pertinet Arsenic. & Auripig. quæ & solâ corrosivitate sunt venena; attamen in usum non veniunt, vel cedere debent, nisi nitro bene fuerint correcta & mitigata, neque circa partes nobiliores: mitigata verò, fixata, & quasi dulcificata etiam in cancro locum habent arsenicalia.

Inter *acida* principem locum tenet *butyrum* ♁*ii*, & hinc alia quoque, ut 🜅, ∽tus ⊖*li*, *simplex* & *philosophicus*, oleum ⊖li, salis, quod spiritus concentratus est, & his imbuti globuli, &c. item Mercurius sublimatus &c. Dantur & *media* quædam corrosiva v. gr. *magnes arsenicalis* ex O-O, ♁ & 🜍 re.

Sic conveniunt hæc in bubonibus pestilentibus & venereis rumpendis & absumendis, seu in tumoribus aperiendis benignis & malignis.

Sic in gangrænosis partibus corrosiva partem corruptam à sanâ separant, uti v. gr. butyrum ♁ii commodè eo casu applicatur. Videatur *Hartmannus in praxi.*

Sic etiam in ulceribus sordidis, sinuosis, fistulosisque prosunt, ad auferendum callum, quo fine si fuerit, nulla constans curatio speranda est.

Pertinent adeò huc omnes utilitates, quas ab usu fonticulorum exspectare licet.

Sunt & quædam, quæ hæmorrhagiis sistendis opem ferunt, v. gr. acetum, ∽⊖li, quæ v. gr. in hæmorrhagiâ faucium à Venæ Sectione &c. contractâ, sistunt sanguinem. Sic & vitriolum album, & alumen hoc passu prosunt, constant enim simul vi constipante. Acribus verò solis non est fidendum, unde, si quæritur, *an caustica & corrosiva ad hæmorrhagiam sistendam sint adhibenda*, verbi grratia ☿∽, O-O, ⊛, negat sanctè *Mindererus medic. milit. p. 323.* quia irritant vulnus, 2. maxima symptomata, mortemque ipsam sæpe inducunt. Cogunt quidem initio, *addit*, venas, & adstringunt corrosivitate suâ; sed postmodum corrodunt instar ignis infernalis.

Sic in gummatibus Gallicis, verrucis, quin & nævis abigendis conveniunt, modò caute applicentur. In genere enim qui *Applicandi modus* est, 1. *Ad corrosiva non deveniendum*, præsertim fortiora, *nisi urgens adsit indicatio*, unde sæpe integrâ cute & sanâ tutiùs adhibentur, quàm in statu p. n.

2. *Minus conveniunt obesioribus & macris admodum: magis carnosis*: in *illis* enim facilè affluxum promovent; in *his* absumunt utilem humorem. Vid. *Rhodius analect. p. 618.*

3. *Minùs* ratione ætatis *conveniunt causticâ puerulis & infantibus* ob tenellum corpusculum, quod graviora minùs fert præsidia, unde & nutrimentum sæpe absumitur.

4. *Non conveniunt partibus delicatioribus*, ut oculo, *extremis*, *mollioribus*, *inflammatis*, *articulis*, *nervosis*. Cautè his applicanda & providè, ne gangræna inducatur, ne vasa etiam lædantur, ne uratur vena aut arteria insignis, nervi, aut tendines musculorum: unde fonticuli optimè fiunt in interstitiis musculorum. Sin adsint urgentia, sive pus evacuandum, sive absumendum noxium, non omitti debent. Sic ad rumpendum abscessum in mammis, item in teste ipso eodem fine adhibuimus corrosivum.

5. *Videndum est*, *ne quid minus agant*, *quam debent*, &, *ne quid nimis.* Hinc partes vicinæ sunt defendendæ: hinc ad fonticulum parandum lapis corrosivus, imposito priùs emplastro cum foramine, loco signato & definito, applicatur: hinc, si butyrum antimonii adhibetur, pennæ cavitati inditum apponitur, strictior etiam ligatura hoc fine convenit, & marginibus definitis. Sic & vesicatoria testâ nucis circumscribi & firmari solent aliquando & cauteria actualia ferreâ laminâ. Terminus itaque absumsionis metiendus est ad naturalis status leges; erosionis verò, donec ad fluxum perductum ulcus, hinc crusta non statim detrahenda; sed, quando mutari incipit, &, maturitate quasi per digestivum unguentum inductâ, excidit ac separari

ſeparari poteſt, unde hinc apertum tenendum ulcus.

6. *Magis conveniunt in frigidis affectibus*, ubi evacuandi fine id fit, *quàm calidis*, quia & tenues humores magis funduntur, & morâ opus eſt.

7. *Cauſticis ad hæmorrhoides & vitia inteſtini recti abſtinendum*, quia fluxionem magis promovent, & pars eſt delicata.

8. *Cancro exulcerato cauſtica ſunt periculoſa*, quin in omnibus tumoribus, qui cancrum occultum æmulantur, conſultius eſt, abſtinere. Cancer enim non eſt irritandus, unde oraculi inſtar habendus *aphor.* 38. *ſ.* 6. *Quibus cancri occulti naſcuntur, non curari præſtat. Curati enim ſubitò intereunt; non curati verò diutius vivunt.* Unde rectè *Heurnius in comment.* ſi illam fœditatem, *inquit*, cauſticis caſtigare volueris, ſurget alterum, quod in cancris venenum eſt corroſivum, ac vicina cuncta exuret. Vidimus hujus rei triſtia aliquot exempla, adeóque cautè hîc mercandum.

9. *Uti adhibentur cauſtica poſt alia remedia fruſtrà tentata: ita corpus ipſum* univerſalibus evacuantibus, mundificantibus ſanguinem, & victu *bene eſt præparandum.*

Sicut verò attrahentia & veſicantia ſerum ex glandulis ſubcutaneis, quæ ferè ſunt innumeræ, eliquant & ſub cuticulam cogunt, cauſtica verò poros ipſos exedunt ac aſſumunt obviam & cuticulam, & cutem ipſam; ita ab his non differre patet ipſa *ſeptica* ſeu putrefacientia impropriè dicta, niſi velimus gradibus eadem diſtinguere, quod ipſa calidum & humidum partis cui applicantur intimius deſtruant.

Contra ea faciunt huc *lævigantia*, multum cum emollientibus convenientia, ſuntque talia inprimis oleoſa, temperata, dulcia, gummoſa, mucilaginoſa, quæ complanant quaſi poros exaſperatos, acrimoniam internè & externè mitigant, & blandâ humiditate parietes divulſos demulcent. *Wedelius.*

Causticum Perpetuum, vid. *Lapis Infernalis* ſub titulo *Argentum.*

Cauterium, vid. *Pyroticum.*

CEDRIA, ſeu CEDRUS CONIFERA.

Cedrus, Κέδρος, παρὰ τὸ κέντρον, κεντρώδης γὰρ ἐστι, ἢ παρὰ τὸ καίεσθαι ῥᾳδίως, quòd facilè accendatur uraturque.

Prius Etymon minori Cedro magis convenit, poſterius majori: hæc enim facilè ardet, ob reſinam Cedriam dictam.

Cedri nomine duæ diverſorum generum arbores donantur: altera baccifera eſt folio ſpinoſo, ſeu pungente Oxycedrus inde dicta, quæ revera nihil aliud eſt, quàm juniperi ſpecies major: notandum autem, lignum quod ad nos ex America defertur Cedrini nomine, Juniperi cujuſdam ibi naſcentis, caudice craſſo & procero, lignum eſſe: Altera *Conifera*, de qua hoc in loco.

Differt autem Cedrus à Larice, (cui aliàs ſimillima eſt) trunco majore, foliis perpetuis, conis plus quintuplo majoribus.

Arborem hanc eſſe Cedrum Libani, in Sacris Literis tantopere celebratam, cujus uſus erat ad Templum Salomonis ædificandum, minimè dubium eſt.

Dicitur autem, Cedrus conifera foliis Laricis *Caſp. Bauh.* Magna, ſive Libani Conifera *Joh. Bauh.* Magna Conifera Libani. *Park.*

Arbori huic ulteriùs deſcribendæ non immorabimur, quandoquidem ejus figura à comparatione cum larice inſtituta, ſatis patet; Adnotabimus tantùm, quòd *Theophraſtus* eam Cedri trunco craſſitudinem attribuit, quam ulnæ hominum quatuor, vel etiam plures nequeant amplecti: Et *Melchior Luſſy* apud *Joh. Bauh.* Cedros montis Libani tam craſſas fuiſſe ait, ut ſex vel ſeptem homines vix poſſent amplecti truncos.

Duas profert *reſinas*, quemadmodum & *Abies*, alteram in tuberculis albam, nihil prorſus amarulentam, nec gravis odoris: alteram ſuâ ſponte exſudantem, quæ cùm retorrida ſit, naribus admota fraga redolet, odorataque guſtatu percipitur, ſed ita pertinaciter dentibus inhæret, ut non niſi cum difficultate auferatur.

Cedros 24. in monte Libani numeravit *Rauwolfius*, totidem *Melchior Luſſy*. 28. *Bellonius*. 23. tantùm *Thevenotius.*

An autem Cedrus Libani Recentioribus dicta, veteribus cognita fuerit, non levis eſt controverſia. Hinc enim, Theophraſto, Plinio, Galeno, Dioſcoride auctoribus, Cedrus etiam major baccas, cedridas dictas, fert, non conos; proinde Cedrus Libani eſſe non poteſt, quæ conifera eſt. Ex altera autem parte magnitudo inſignis quam Plinius & Theophraſtus Cedro majori attribuunt, Oxycedro (quæ revera nihil aliud eſt quàm Juniperi ſpecies) nullo modo convenit: uti nec nomen Cedrelates, quod quidam, autore Plinio, Cedro majori attribuunt. At neque ſi Bellonio credimus Cedrus minor in Syria reperitur, ubi Theophraſtus miræ magnitudinis Cedros naſci ſcribit.

Cedros autem Libani Larices non eſſe, ut Guilandinus & alii voluere, inde conſtat, quòd Larici folia decidant, Cedrus magna perpetuò vireat: Rami Laricis deorſum dependeant, Cedri magnæ ſurſum ſpectent; tandem quòd Larix in Syria non reperiatur. Magnam tamen ſimilitudinem cum Larice obtinere Cedrum non eſt diffitendum, ut merito congeneres cenſeantur arbores.

CEDRIA, ſeu CEDRI LACHRIMA.

Cedria Antiquorum eſt ipſa Cedri Lachrima ſeu Reſina & à Pice differt ut probat Bodæus à Stapel Commentar. in Theophraſti Hiſtor. l. 9. c. 1. Vult autem Bellonius non Cedrum tantùm Cedriam fundere, ſed etiam Pinum, Piceam, Laricem, Juniperum, Cupreſſum, quarum omnium Reſinas defunctorum corpora ſervare ſcribit: quem hac de cauſa Matthiolus non immerito reprehendit. Cedriæ autem vires apud veteres ſunt defuncta corpora incorrupta ſervare, viventia deſtruere, imò veſtes & pelles corrumpere. Galeno ſeptica creditur, ob caliditatem cum ſubſtantiæ tenuitatem conjunctam. Commoda eſt ad ocularia medicamenta, ut quæ illita viſum acuat, & albugines ac cicatrices deleat; cum aceto verò inſtillata, vermes aurium necat, & cum hiſſopi decocto infuſa, ſonitus ac ſibila ſedat; quamvis Plinio ob ſepticam vim in id ſuſpecta videatur. In dentis cavum indita, dentem frangit & dolorem compeſcit. In anginis illinitur, & tonſillarum inflammationibus medetur: At hæc non ſine ratione improbat Plinius; dum Phthiriaſes & Porrigines ea in aceto ſoluta inungere non dubitat. Ceraſte ſerpentis morſibus cum ſale impoſita auxiliatur, & contra marini leporis venenum in paſſo bibitur. Prodeſt & Elephantiaſi laborantibus ſi oblinatur. Purgat ulcera in pulmone, ſi ciathi menſura ſorbeatur. Vermes & Aſcaridas injecta perdit. Ulcera ſordida & excreſcentias in iis enatas, inuncta ſanat. Fit ex ea oleum Piſſelæum dictum vehementioris ad eadem omnia uſus; quod verò in ſpecie boum, aliorumque quadrupedum ſcabiem curat; ricinos deſtruit. Ex Cedro oleum naſci ſcribit Vitruvius quo libri reſve aliæ perunctæ à tineis ac carie præſervantur. *Hæc præcipuè ex Raio.*

Celopa, vide *Jalapa.*

CEMENTARE & CEMENTATIO.

Cæmentatio est duplicata calcinatio & corrosio. Uti enim ad ædificia cæsa materia, vel lapides cæmenti nomine veniunt; ita in lamellas v. g. aurum apparatum in pyxide cæmentatoriâ tum ab actuali potentique igne, pluribus vel horis, vel diebus, tùm ab adjunctis salibus calcinatur suo fine, ut jam dicemus, quatenus simul propelluntur spiritus salini, & corpus vel ipsum (reliquorum metallorum) vel admixta heterogenea aggrediuntur & destruunt.

Cæmentum naturæ salinæ & terreæ est, idque vel siccum, frequentius, vel humectatum & in pulticulam redactum. Duo nempe concurrunt: metallum calcinandum & cæmentum seu mixtura, quæ calcinationem præstat, v. g. ex vitriolo calcinato, alumine, sale communi decrepitato, calce viva, nitro, sale gemmeo, alumine plumoso, viridi æris, sulphure in ♀e & ☉ro pro destructione, sal ammoniacum, æs ustum, item farina laterum, quæ corporaturam addit & distantiam stratificationis, terraque hæc fluorem unà impediunt. Hæc vel sicca adhibentur, vel pro re natâ cum urinâ, aceto, 🜄 humectata, ut eò meliùs coëant.

Cæmentatio corrodit, depurat, exaltat. Corrodit, & in calcem redigit reliqua metalla, unde ad crocum parandum cæmentatur ♂ & ♀, item ad vitriolum eorundem parandum cum sulphure, licet minus hodiè usitatè, hinc elixiviando id ipsum. Aurum verò inprimis ac κατ' ἐξοχὴν, hinc & argentum purificandi fine cæmentatur, v. g. floreni Rhenani non purum sunt aurum, instar Ungarici, sed additamento gaudent, v. g. ex partibus duabus ☽æ (*vveiss*) & parte unâ ☉, (*roht*) uti aurei coronati *die Kronen* ex partibus duabus auri & parte unâ argenti. Si itaque aurum Ungaricum desideremus ex Rhenano vel coronato, id per cæmentum impetrare possumus, separatis tunc aliâ omni parte metallicâ, quale cæmentum, præter *Schroderum l. 3. c. 9.* describit *B. Rolfincius in chimia p. 87.* & consequenter probari possunt hoc modo floreni viâ siccâ.

In cæmentando stratificatio observatur, quod vocant s. s. s. & aliàs id apud Astrologos significat: secundum seriem signorum. Quod enim corpus cæmentandum est, communiter in tenues laminas instar papyri vel foliorum redigitur, id quod pro intentione variat; nonnunquam etiam limatura ipsa recipitur, deinde apparendum, hinc in pyxide sternitur primò pulvis cæmentatorius, supponitur lamina, iterum pulvis, iterum lamina, & sic ordine hoc continuatur ad repletionem pyxidis, desuper demum seu ultimo ponendo pulverem, & factâ lutura quoad juncturas pyxidis igni hæc committuntur.

Ex ferro fit chalybs mediante cæmentatione. Scribitur aliàs solum aurum & argentum sustinere hoc cæmentandi supplicium, citra mutationem in calcem, id verò tantum valet pro ratione additamentorum. Describitur ille modus ferri mutandi in chalybem *à P. Poterio Pharm. Spagir. l. 2. c. 18.* ferrum nempe quâcunque figurâ stratificatur in vase terreo oblongo & capaci cum partibus duabus pulveris carbonum salicis aut fagi, & parte unâ rasuræ cornu bovis. Vas luto undique probe munitur, illudque per quatuor vel sex horas, pro quantitate ipsius chalybis, in furno venti cùm ardentissimo igne excoquitur. Exacto tempore & refrigerato vase chalybs invenitur perfectissimus. Nimirum fit hoc ipsum beneficio salis volatilis, quo abundant cornua & ungulæ animalium, unde simul his commixtis sal volatile intimè penetrat substantiam ferri, & illud exaltat, firmat & verbo in chalybem mutat.

Cæmentationem variant additamenta. Sulphur enim metallis additum potentissime calcinat & in crocum redigit, reliqua salia corrodunt imperfecta metalla, salia volatilia exaltant & depurant ferrum, ut non tam in calcem versatur, quàm purius evadat. Hoc ipsum verò artificium à quibusdam in compendium redactum est. Unde illustrissima quædam Persona & alius chimicus beneficio liquoris, proculdubio consimilis, id præstat. *Wedelius.*

Cæmentationis aliquot Exempla.

Primò, ubi opus, auri bracteæ candefiunt, ut si quid sordium eis superficialiter adhæreat, id consumatur, & liberior accessus relinquatur additis cementis.

Hoc rite facto ollæ cæmentatoriæ imponitur pulvis cæmentatorius; æqualiter crassitie digiti huic superimponuntur bracteæ Auri urina irrigatæ eo ordine & modo, ut æquali situ se non contingant, neque calore aucto liquescant. Disposito primo hoc ordine, bracteæ conteguntur pulvere cæmenti digiti rursus crassitie. Tum iterum bracteæ, & vicissim pulvis, sicque fit s. s. s. usque ad ollæ marginem: ultimò imponitur operculum sine respiraculo, si pro cæmento vulgari; at si pro cæmento regali tum operculum foramen parvum habeat, & ignis admoveatur ad 24. horas itaut olla sive pyxis tota rubescat.

Finito opere, Auri bracteæ pede leporino purgantur à pulveribus, & urina lavantur & siccantur.

Cæmentum vulgare fieri solet hunc in modum.

℞. *Farinæ laterum* ℥. 8. *salis ppti* ℥. 4. *Nitri, Æruginis aa* ℥. ß. *m. fiat Pulvis.*

Cæmentum Regale quod soli Auro probatissimo parcit.

℞. *Farinæ laterum* ℥. 4. *Salis armoniaci, Salis gemmæ, communis ppt. aa.* ℥. 1. Pulverisata & commixta urinâ humectentur.

Omnium tamen perfectissimus cæmentandi modus est sequens.

Liquefiat Aurum cum duplo sui ponderis optimi cupri, reduc in lamellas tenuissimas instar papyri; quas cæmenta per 40. 50. horas igne forti faciendo stratum super stratum; cum *Farina laterum, sale communi, colcothare, viride æris, & modico armoniaco cum aceto forti* permixtis: in hoc examine totum cuprum evanescit sulphure ipsius incombustibili, & tinctura in auri substantiâ remanente.

Optima verò & philosophica Auri purgatio, fit per 6. partes ♁ fusi istaque ter reiteretur: Postea ad cæmentationem vel amalgamationem & calcinationem per mercur. & sulphur procedatur.

CEMENTUM. vid. *Cementare.*

CENCRUS, *vid.* sub Titulo *Serpens.*

CENTAURIUM.

Centaurium nomen accepit à Chirone Centaurô, qui eô curatus esse dicitur, cùm Herculis hospitiô excepti arma tractanti, sagitta excidisset in pedem: quare aliqui Chironium vocant. Plinius lib. 25. cap. 6. Est autem duplex, scilicet,

Centaurium Majus.

Nomina. Centaurium magnum *Ger.* majus vulgare. *Park.* majus juglandis folio. *J. B.* majus folio in lacinias plures diviso, *C. B.*

Centaurij majoris *Caulis* rectus hominis proceritatem assequitur, in ramos circa summitatem divisus. *Folia* amplissima in alæ formam disposita, quorum singularia spithamam ferè longa, trium aut quatuor unciarum latitudine, per ambitum serrata, nervosa, glabra, saturatè virentia: at primùm prodeun-

tia folia integra sunt, nec dissectionem agnoscunt: *Capitula* surculorum extremis insident squarrosa, è quibus emicant *flores*, staminibus purpureis contexti, in pappos evanescentes. *Semen* nitidum oblongum: *radix* rubens, crassiuscula, longa, recta.

Radix centaurij magni, quæ hodie ad nos convehitur (inquit Matthiolus) *Gargano* præclarissimo Apuliæ monte numerosa nascitur; quin & in alijs Italiæ locis, nempe in Veronensi agro, Baldo monte quem Benaci alluit unda, sed infirma si ad Apulam compares. In Officinis pro Rhapontico vendi solet.

Vires. Cum quadam adstrictione ac dulcedine acris est. Ob acrimoniam & adstrictoriam vim contrariarum qualitatum particeps est. Ob acrimoniam menses ciet & fœtum mortuum expellit: ob astringendi facultatem profluvia sistit; prodest in hernia, expuitione sanguinis, sanguine coagulato. Ad vulnera recentia & plagas conglutinandas tam efficax esse dicitur, ut carnes dum coguntur inter se committat. Epar aperit ac roborat, unde hydropicis & ictericis auxiliatur, tum vino macerata, tum in pulvere pota, Summopere laudatur à nonnullis (inquit Schroderus) in obstructione venarum mesaraicarum, & in morbis inde ortis, in febribus stomachicis, &c.

Usus. Præcipuus usus est in fluxibus sistendis & vulneribus consolidandis. Veteres commendant in ruptis, convulsis, dispnœa & inveterata tussi. *Rajus.*

Centaurium Minus.

Nota Centaurij minoris non perfoliati sunt flores è tubo oblongo in quinque segmenta acuta expansi, in summis caulibus & ramulis crebri, sapor amarus, semina minutissima. *Centaurium luteum perfoliatum* toto genere ab hoc differt, sapore duntaxat amaro & seminum aliquatenus ipsi simile.

Nomina. Centaurium minus *C. B.* minus vulgare *Park.* minus flore purpureo & albo *J. B.* parvum *Ger.*

Radix ei parva, alba, lignosa, oblique acta, surculosa, exucca & insipida. *Caulis* plerunque unicus, angulosus, dodrantalis aut pedalis, lævis, firmus. *Folia* alia in terram sparguntur, alia in caule bina ex adverso sita, Hyperici folijs majora, glabra, viridia, tribus nervis insignioribus, aversa parte maximè conspicuis, secundum longitudinem excurrentibus donata. *Flores* in summitatibus caulis & ramorum, plures simul juncti, nullis pediculis donati, & tubo longo in quinque segmenta mucronata totidem folia imitantia expansi suave-rubentes, apicibus pariter quinque luteis. *Calix* floris quinque foliolis angustis, acutis componitur. Floribus succedunt *capitula* longa strigosa, *seminibus* minutissimis arenularum similibus plena.

Sunt autem, inquit *Joh. Bauhinus*, tum flores tum folia insigni amarore prædita. Græcis Κενταύρειον μικρόν: Plinius ob summam amaritudinem Felterræ dici affirmat. Italis *Febrifuga.*

Julio mense flores, in pascuis siccioribus frequens.

Hortense solum respuit, nec hortis quamcumque adhibueris curam assuescit. *Jo. Bod. à Stapel. in Theoph. hist.* cap. 2. pag. 87. Et iterum lib. 9. cap. 9. pag. 1045. Illud experientia didici, Centaurium in hortos translatum eodem perire anno, nec unquam ex semine renasci. *Verum in horto nostro semel succrevit ex semine, viguit, floruit, & semen perfecit.*

Vires. Spleneticum est & hepaticum, amarum citra mordacitatem, unde & leviter astringens, extergens, vulnerarium. Utile est in ictero, mentibus suppressis, Scorbuto, arthritide, lumbricis, & specificè in morsu canis rabidi. Datur ejus decoctum utiliter tertianarijs, quod bilem per interna deijcere dicatur, quo factum est ut quidam hanc herbam febrigugam vocaverint.

Cæterum quod *Dioscorides*, & post eum *Galenus*, eosque secuti fere omnes *Botanici* scribant bilem & pituitosos humores per alvum educere, ischiadicisque infundi decoctum (inquit *Dodonæus*) tametsi frequenter & feliciter hoc usi, per alvum tamen expurgationem ullam facere observare non potuimus, &c.

Dodoneo. se opponit *C. Hofmannus*, licet enim (inquit) Centaurium nostrum minus purget quàm veterum, non ob id tamen non purgat. Videmus enim si debita quantitas detur quòd purget. Controversiam experientiâ determinandam relinquimus.

Herbæ comæque decoctum lentigines, varos, alphos & cæteras cutis infectiones exterit. In Hetruriâ *Biondella* nuncupatur, quoniam extergendis dealbandisque mulierum capillis ex lixivio plurimum præstat. *Matth.*

Novi hominem qui pro desperato relictus, importuno haustu Centaurij minor. in potulentis, & haustu decoctionis fortis in vino omni mane ab ictero convaluit. *D. Bates in M. S.*

Frequentissimo certissimoque est mulierculis remedio dum mensium obstructione infestantur, quos decocto Centaurij hujus proritant. *Sim Pauli.*

Sal Centaurij minoris certo experimento Tertianam fugat: & aqua ejus destillata usui est ut in eâ pulveres febrifugi, vel sal ejus dissolvantur paroxismi tempore propinandi, ut largiter sudent.

Contra furfures & crustosam capitis scabiem vix præstantius ullum decoctum reperietis quàm Centaurij min. ex pisorum isto brodio paratum quod coqui profundunt, quando ad eam usque mollitiem cocta sunt deglubanda ut pinsi queant. Illo enim decocto si lavetur caput insigniter furfures & scabiem deterget, imò unà myriades pediculorum enecat. *Idem.*

Tantæ æstimationis est hæc herba apud Germanos, ut vix vinum medicatum seu absinthites vulgus paret, cujus partem non constituat. *Schrod.*

Galenus ob insignes mirasque hujus plantæ facultates de ea & ipsius viribus integrum librum scripsit.

Ad Ischiadem, ℞. Centaurij minor. q. s. decoquatur, per clysterem infusum mirificum est auxilium: humorem enim elicit, & dolorem sedat. *Fernelius.* Rajus.

CENTINODIA.

Nomina Polygonum mas vulgare *Ger.* mas vulgare majus *Park.* latifolium *C. B.* Polygonum sive Centinodia, *J. B.*

Radix dura, lignosa, simplex, contorta, multis fibris capillata, satis crassa pro plantæ modo, terram firmiter apprehendit, ut extirpatu difficilis sit, sapore adstringente. *Caules* inde emergunt plures, interdum erecti, sæpius in terram reclinati seu resupini, cubito longiores, lenti & tenaces, tenues, teretes, solidi, glabri, glauci, folijs vestiti non admodum crebris, alternatim positis, oblongis, angustis, glaucis, glabris, in acutum exeuntibus, pediculis admodum brevibus nixis. Ex alis foliorum inferiorum ad caulium nodos exeunt ramuli, ex superiorum alis *flosculi* pediculis brevibus duo tresve simul, pentapetali, ex albo purpurascentes, *calice* nullo, *apicibus* intus subluteis. Flosculis singulis ceu vasculis singula continentur *semina*, majuscula, triquetra, colore, castaneo obscuriore. Sub finem æstatis floret, & brevi semen maturat.

Provenit in locis cultis juxta ac incultis præsertim gla-

glareosis: vias & semitas late subinde occupat, ut recte *Dodonæus*.

Polygonum 2. & Polyg. 3. *Tab.* h. e. Polygonum oblongo angustoque foliô, & Polyg. brevi angustoque folio *C. B.* pro varietatibus hujus plantæ, accidentibus quibusdam à loco natali ortis, distinctis habemus, non pro plantis specie diversis.

Vires. Polygonum omne siccat & astringit, vulnerarium est. Usus præcipuus in sistendis fluxibus quibuscunque, diarrhœâ; dysenteriâ, fluxu uterinô, vomitu, hæmorrhagia narium. Extrinsecus prodest in vulneribus, ulceribus, inflammationibus oculorum, &c. *Schrod.*

Camerarius in Nobiliss. quodam viro hujus succum pauco vino styptico propinatum contra vomitum sanguineum, alijs remedijs frustra adhibitis, maximè profuisse expertus est.

An urinam cieat, aut calculum renum pellat, dubitatur: *Dioscoride* id infirmante, *Galeno* non consentiente *Rajus.*

CENTUMCAPITA. vid. *Eryngium.*

CENTUM MORBIA. vid. *Numularia.*

CEPA & CEPULA.

CÆPA, Græcis κρόμμυον, teste *Isidoro* ita dici videtur, à capitis magnitudine: eáque causa est cur per *æ* scribitur.

Γήθυον Græcis est Cepa condimentaria, quæ opponitur capitatæ, nam *Gethyon* caput non habet, aut vix habet. Recentiores Græci Γήτιον dixere. Ac censet Salmasius Æoles pro Γήτιον dixisse Γήπιον indè esse *cæpe*: vel venire, illud ex Æolico Γῆφυ vel Γαῖφυ pro Γῆθυ:

Æoles enim η in αι convertebant, ut σκυνὴ σκαίνη unde scæna: Simile fit pro Γῆθυ Γαῖθυ, inde cæpe. *Voss.* Hæ meræ conjecturæ nobis videntur. Ego Isidori sententiam magis probo.

Cepæ *Notæ characteristicæ* sunt folia fistulola, radices magnitudine insignes non proliferæ, caulis in ventrem utrinque turbinatum intumescens.

Nomina. Cepa vulgaris *C. B.* Cepa alba, & rubra *Ger. Park.* Cæpe sive cepa rubra & alba, rotunda ac longa *J. B.*

Bulborum quantum uspiam est in naturæ ditione, notissima Cepa est, cujus *radix* acerrima, oculos mordicando lachrymas elicit, ex tunicarum involcris contexta, modò rubra, (potissimum tunicæ exteriores) modo alba, interdum orbicularis, aliàs bulbo longo, pendulis ab imo *fibris* albis. *Folia* pedalia, fistulosa, parum acrimoniâ videntur radici cedere, si recentia fuerint. *Caulis* nudus, rectus, duorum triumve cubitorum altitudine, circa medium in ventrem utrinque turbinatum turgescit glomeratum in summo fastigio gestans *florum* caput, pugni magnitudine, adeò ponderosum cum semine prægnans est, ut à caule nisi fulciatur, ægrè possit sustineri. *Semen* angulosum, atrum.

Cepa ab alijs omnibus bulbosis differt quòd ejus radix nullam omnino sobolem edat, unde & *Unio* Latinis dicta est olim, referente Columella.

Ceparum variæ habentur species seu potiùs differentiæ accidentales, v. g. 1. *cepa vulgaris alba*, & *rubra.*

2. *Cepæ oblongæ*, quæ Sancti Audomari cepæ: Cepa Hispanica oblonga, dicuntur.

3. Cepa radice candida dulci *C. B.* Hanc cepam edulem *Parkinsonus* Cepam Hispanicam vocat, tum longam, tum planam, aitque tam dulcem esse ut Pomi instar mandi possit, & à multis mandatur. Hispanis tamen ipsis in cibo non adeò familiaris est; qui cepis alijs vulgaribus vesci amant.

4. Cepa candida, tum oblonga, tum plana seu lata, quæ per maturitatem in terra jacentes lapidum cretaceorum speciem exhibent.

5. Cepa Argentinensis rubra, cujus exteriores tunicæ rubræ, interiores albæ, acres admodum & vehementes.

Vires, & *Usus*, Cepæ calidæ sunt, partium crassarum, adeoque flatulentæ, Utiles sunt ijs qui frigidis & viscidis abundant humoribus, in quibus somnum faciunt, coctionem juvant, acidos ructus sedant, alvum modo movent, modò sistunt, obstructiones expediunt, menses & urinas cient, transpirationem insensilem promovent. Contra in biliosis omnia mala inducunt, caput præcipuè valde petunt, somnia inquieta faciunt, oculis adversantur, &c. Hofman.

Olfactu ipso (inquit *Plinius*) & delacrymatione, caligini medentur, magis verò succi inunctione: & *Dioscorides* succus cum melle illitus oculorum hebetudinibus, argemis, nubeculis, & incipientibus suffusionibus auxiliatur. Cepæ tamen in cibo usurpatæ modernorum medicorum consensu oculis nocent.

Qua qualitate Cepa lacrymas eliciat quæritur: non acrimoniâ sola, cum alia acriora, ut Allium & Piper, id non faciant; sed acrimonia & lentore. *Cardanus* de varier. rerum.

Aniculæ nostræ crudam cepam conscindunt, ac in aquam fontanam injiciunt, perque noctem in ea macerant, postea eam aquam pueris & infantibus potandam exhibent ad ejiciendos ventris lumbricos sanè haud infelici successu. *J. B.* Decoctum puto melius est: Allium hoc præstat efficacius.

Cepa magna excavata theriaca deinde repleta, & tecta, ac postea in calidissimo cinere assata, demum detractis exterioribus tunicis tusa, ac cataplasmatis ritu imposita, pestes ac venenosa ulcera reliquasque collectiones malas & durities efficacissime emollit & aperit.

Ambrosius Pareus ad ambusta, modò ne epidermide pars sit spoliata vel ulcerata, mire commendat cæpas crudas cortice liberatas, & cum momento salis subitò applicatas, empyreuma enim extrahere, vesiculas prohibere. Fernelius quoque cepas cum sale contusas parti impositas ambusta miraculo sanare scribit.

Cepas contusas ad Alopecias commendant tum veteres tum Recentiores. Post fotûs, inunctiones præscribit Fernelius, ut manè & vesperi caput ijs confricetur dum prorsus rubescat, & mox melle oblinatur vice cataplasmatis. *Schol. Salern.*

Contritis cepis loca denudata capillis
Sæpe fricans poteris capitis reparare decorem.

Ad cephalæam, ℞. Cæpam albam, per medium incidatur, & in Spir. vini infusa applicetur supra partem dolentem. Valdè prodest, ut mihi nobilis mulier communicavit ad antiquos capitis dolores & hemicraniam. *Chesneau.* Pernioni Rusticorum theriaca est, & præservare creditur à peste reliquisque morbis contagiosis manè comesta.

Calor ignis in aspectum producit literas scriptas succo cepæ prius delitescentes.

Ad dolores post partum, ℞. Cæpas q. v. coctas cum vino; cum oleo postea frixæ in sartagine prius contusæ applicentur calidè supra ventrem, statim dolorem sedant, inquit *Bayrius.*

Ad pedum inflationes, applica cæpas contusas, vel succum cæparum cum adipe gallinæ mistum. *Liber Arcanor.*

Bubonis attractivum, ℞. Rad. Liliorum alborum aut

aut cepam: coque in aquæ pauco, & porcino adipe non salso, contunde cum theriach. ʒ. 2. & applica serò & manè. *Chesneau.*

Intensissimus hæmorrhoidum dolor, quæ occultæ exteriùs se non proferebant, filiam meam graviter afflixit. Appositis tamen cepis à pelliculis liberatis & contusis proritato fluxu sanata est *Achilles Gasserus observ.* 88.

Novi anum quandam, quæ plurimos curabat pleuriticos fomento ex cepa incisa & sub cineribus assata mixta cum cremore lactis. *Hieron. Reusnerus in observ. à Velschio editis.*

Doloribus calculi jam præsentis, & accelerandæ excretioni nullum præstantius in se ipso expertus est remedium Decanus capituli Augustani ad S. Mariæ ex omnibus topicis quàm cepas in vini & olei olivarum part. æqual. coctas, & tribus sacculis injectas, quorum unus dorso, alter & tertius Ilijs fortiter alligandus est. *Ex observationibus Hieron. Reusneri à Velschio editis.*

In tussi desperata & hæmoptysi concurrente *Doleus* laudat decoctum ex allio vel cepis. *Rajus.*

CEPHALICA.

Cephalica & alia alterantia particularia nomen sortita sunt à partibus affectis, etsi enim, ut loquitur *Pernumia l. 5. de curat. arte cap. 68. pag* 327. alijs quoque prosint; uni tamen magis, quàm alteri conducere dicuntur, & reverà conducunt, unde & *Hippocrates l. de arte*, morborum, ait, omnium unus & idem modus; locus verò ipse eorum differentiam facit. Neque obstat, omnes æque partes nutriri & vegetari uno eodemque sanguine, nam non æqualis omnium recipiendi modus est, unde v. gr. cephalica sunt, juxta quosdam, quæ medicamenti vim ad caput secum trahunt, sive potiùs rectiùs, quæ caput respiciunt, ejusque calorem nativum roborant.

Unde notandum: 1. sæpe promiscuè nominantur alterantia & confortantia; licèt illa magis temperiem, hæc actionem & ἐνέργειαν visceris respiciant, aliàs τονικά. 2. inprimis nomen hoc competit calidis, minus frigidis, hæc enim, scilicet alterantia frigida pleraque, non omnia, magis sunt communia.

Indicant ergo cephalica medicamenta primariò *temperies alterata*; secundariò verò etiam *conformatio*, ut in hydrocephalo, apoplexiâ, paralysi, &c. & ipsa etiam *soluta unitas*, in his temperiem vitiari certum est, unde ἀλλοίωσις hæc paullò latiùs sumitur.

Cùm verò non sufficiat credere, cephalica, aliáve similia medicamenta esse, quæ occultâ proprietate cerebrum respiciant, seu ex proprietate similitudinis cum calore nativo cerebri conveniant, paullò altiùs eorum *Agendi vis* erit repetenda.

Præmissâ itaque 1. distinctione generali, quæ in alijs omnibus valet, alia cephalica esse *volatilia*, alia *fixa*. alia *media* & ex hisce mixta, 2. regulâ itidem universali methodica, contraria contrarijs curari: Item 3 alterantia specifica propriè & primariò intelligenda esse de internis & assumendis; restrictè verò etiam de externis, ut in vulneribus v. gr. videre est; Jam quæ experientiâ teste in affectibus capitis his vel illis faciunt officium, videmus.

Cephalica itaque, ut inquiramus hæc penitiùs, vel respiciunt 1. *membranas ac nervos*, eorumque irritationem, tensionem, (quod de membranis maximè valet,) ac vellicationem, quæ conveniunt in doloribus capitis, epilepsiâ, pavoribus, & motibus convulsivis, sive sint *discutientia*, sive balsamicâ sulphureâ vi *demulcentia*, uti sunt *paregorica*, chamædrys, chamæpitys, verbena, pulegium, betonica, fl. anthos, spicæ, tiliæ, lil. convall. castorium, & exinde parata, succinum, &c. Sive *invertentia*, & *acrimoniam absorbentia*, ut præ omnibus cinnabarina: unde patet, quomodo hæc ipsa & in epilepsiâ, & doloribus capitis, quin & articulorum, pleuriticis, adeoque omnibus totius corporis conveniant. Pertinent huc ipsa etiam opiata correctiora.

Vel 2. respiciunt *humores*, in primis lympham seu serum, unáque spiritus & vapores, seu halitus tenues, & quidem, si *excedant* illi quantitate, *evacuantia* & *divertentia*, sulphure volatili oleoso pollentia, quæ prosunt in catarrhis & repletione, vertigine, incubo, epilepsiâ ipsâ quâdam, memoriæ debilitate, &c. ut pæonia, serpillum, majorana &c. Si *deficiat*, *restaurantia*, *humectantia* & *diluentia*, uti interiùs aquosa, liquida, potiones, decocta, largior potus, quæ necessaria sunt in maniâ, melancholiâ, vigilijs nimijs: si *acres*, *tenues*, salsi humores, *figentia* & *temperantia*.

Vel. 3. *spiritus*, qui *deficientes restaurantia balsamica volatilia oleosa* postulant, in specie ambram, aquas apoplecticas, virtutum, balsamum vitæ, &c. olea destill. cinnam. &c. quæ prosunt ad præservationem apoplexiæ, memoriam roborant, paralyticis conveniunt, melancholicos vigorant, catalepticos restituunt, &c.

Enormes verò & *excedentes*, æstuantesque & efferatos temperant *humectantia* & *serum restituentia*, rarefactionem inhibentia *acida*, evaporationem promoventia *nitrosa*, ligantia *opiata*, seu in furore, phrenitide, maniacis id ex usu est, unde & in vigilijs nimijs conveniunt.

Vel 4. *vapores* seu *halitus*, quos *excessivos*, *peregrinos* & *extraneos*, quatenus halituosior sanguis seu sulphure peregrino infectus, non aliter, ac videmus in ebrijs, turbulentos reddit spiritus, corrigunt tum blanda aromatica & roborantia, qualia vulgò appellantur evaporationes ad caput elevandas prohibentia & discutientia, coriandrum, pulveres peptici, quæ εὐχύλωσιν præstant, & ventriculum roborant: tum acida, quæ humores sulphureos biliosos obtundunt, ut in ebrietate.

Deficientes verò eosdem seu ἀναθυμιάσεις, vapores roscidos, (quod omne tamen sero qualitatibus hisce imburo rectiùs tribuitur,) restituunt tùm *humectantia*, unde in febribus ardentibus consultum est, epithemata vel ex solâ aquâ rosarum, item emulsiones, egregiè humectantes & refrigerantes, præscribere: tùm *halituosum sanguinem generantia*, blanda aromatica, hinc & *Sennertus* & *Simon Paulli* consulunt, & ipsa experientia inprimis testatur, vigilijs senum non tàm sola opiata, non refrigerantia; sed suavia evaporantia, sulphure oleoso pollentia, convenire, uti sunt species diambræ, diamoschi, vinum ipsum, quo novimus quosdam feliciter usos, ut nempe & serum sibi constet, & sulphure resolubili polleat, quod ex sequentibus magis fiet manifestum.

Vel enim 5. respiciunt cephalica *cerebri ipsius poros* & eos quidem vel *aperiendo nimis occlusos* & *obstructos*, vel *claudendo nimis hiantes* & *dilatatos*.

Aperiunt poros cerebri medicamenta *volatilia*, inprimis *urinosa*, sicubi ob humorum copiam, vel subsidentiam, vel compressionem, aliasque causas depressi & occlusi hæreant, nec liberum spiritibus commeatum concedant ampliùs, ut præcipuè in paralysi, apoplexiâ, aphoniâ, catarrhis crassis, ubi poros nervorum aperientia unicè prosunt, item somno immodico, & affectibus similibus, lethargo, comate somnolento, alijsque, v. gr. spiritus salis ammoniaci, quo cum spiritu lil. convallium mix-

mixto aliquot curavimus paralyticos. Addenda etiam quandoque simul discutientia.

Claudunt verò poros nimis diductos, *tùm* serum in substantiâ augentia, *tùm* blandum sulphur resolubile sanguini fœnerantia, unde prosunt & indicantur in vigilijs nimijs, ferociâ, delirijs, phrenitide alijsque intemperaturis.

Quoad *Materiam* horum ipsam, hisce applicandam regulis, cùm in genere vel ad instaurandum calidum innatum cerebri, vel temperandum faciant, edisseremus eandem sub volatilium, fixorum & mediorum titulo

Volatilia cephalica sunt 1. *sulphure oleoso, aromatico, suavi pollentia*, seu uno verbo, *balsamica*, herbæ & radices, angelicæ, caryophyllatæ, folia rorismarini, major. salv. rutæ, lignum sass. fras, &c. & horum spiritus, olea, salia volatilia oleosa. Suntque hæc simul paregorica, & membranas irritatas demulcent, & spiritus deficientes restituunt, halitus verò corrigunt, poros dilatant. 2. *urinosa volatilia, spiritus salis ammoniaci* laudatissimus, *spir. urinæ*, unde tinctura solis & lunæ ferè solum mutuantur vulgò virtutem. 3. *acida volatilia*, spir. vitriol cephalicus striatus, aqua apopl. mulierum, &c. licet hæc magis quasi fixa sint.

Annotavit ferè primus *Helmontius*, cephalica se sale volatili commendare. Sic & ex vegetabilibus conservæ, condita, & alia huc pertinent.

Fixa sunt vel *terrea*, perlæ, coralia, cinnabaris, ex compositis pulvis epilept. Marchionis specificum cephalicum Michaelis, vel *acida*, vel *nitrosa*, vel *aquea diluentia*; & hæc usum habent ad absorbendos & diluendos humores acres, irritantes membranas, spiritus efferatos ligandos, sopiendos, & demulcendos, porisque, quatenus acorem absorbent, libertatem conciliandum.

Media ex his mixta sunt varia.

Externa sunt vel *humectantia*, & serum restituentia, ut in melancholiâ, ubi v. g. decoctum fol. lactucæ in usu nobis est, vel *partium tenuium* penetrantia, vel *refrigerantia* & repellentia, ut in hæmorrhagijs, delirijs, ubi & acida prosunt, &c. vel *discutientia* & evacuantia, ut sternutatoria, apophlegmatismi, vel *anodyna*, ut unguentum alabastrinũ, populeum; vel *roborantia*, ut lixivium sapientiæ, &c. oleum persic. vid. *B. Rolf. O. & M. comment.*

Caput igitur cùm sanctius regimen secum foveat, & comprehendat, de salute ejus utique vigilandum est, unde in horum applicandi legitimo usu non minimum situm est.

Notandum scilicet in horum *Applicandi Modo.*

1. *Violenter alterantia, & post se noxam relinquentia, vel omittenda, vel parcius sumenda.* Sic.

Nimis odorata caput gravant, præcipuè ubi à vaporibus caput affectum dolet, unde styrax, crocus, myrrha etiam ipsa & coriandrum non præparatum cerebrum feriunt, & consequenter omnia nimis vaporosa, & sulphure peregrino pollentia, spiritus facilè turbant, & poros quidem claudunt, attamen cautè adhibenda: unde & opiata huc partinent, quæ incautiùs & frequentiùs data, præcipuè in infantibus caput debilitant & turbidum reddunt: quo & spectat umbra nucis juglandis, taxi, quercus, &c.

Sic *valdè frigida cavenda*: utut enim repellentia frontalia & epithemata commodè ferat cerebrum; videndum tamen in omnibus est, ne tonus ejus labefactetur, cùm frigida omnia nervis sint inimica.

Sic *nimis calefacere & siccare nunquam tutum* est, inde enim spiritus efferantur, pori nimis dilatantur, quod ijs maximè observandum est, qui *confectione anacardinâ* & alijs calidioribus continuo usurpatis memoriam sibi parare ambiunt, uti *Hofmannus* refert, quosdam hoc pacto maniacos redditos. Valet enim in excessu hoc inprimis *Horatianum* illud.

Stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt.

Respectivè tamen minus peccari solet calefacientibus, quàm refrigerantibus:

Sic, quæ regula est & cautio *Heurnii meth. ad praxin lib. 2. p.* 128. parce utendum in capite, (scilicet in topicis præsertim,) *quæ manifestè adstringunt*, unde sæpe adducuntur, ut reliqua magis penetrent.

Non alterandum ergò ultra mediocritatem; sed semper cerebri temperies conservanda, quod & ex sequentibus magis patet.

2. *Nec humectantia, nec liquantia, & calida nimia in catarrhis, &, ubi cerebrum humore repletum est, locum habent.* Hinc in catarrhis lotiones capitis, imò & balnea locum planè non habent, & visi sunt, qui inde odoratum penitus amiserunt, Sic qui calidis, v. gr. oleo *succini* tùm externè bregmati inungendo in catarrhis utuntur, materiam liquando & in vasa præcipitando sæpe febrim excitant, & alia mala graviora.

3. *Salia item tum alcalia, tum nitrosa, tum acida, minus conveniunt in catarrhalibus affectibus*; magis enim fluxile reddunt serum, unde facilè in loca nobiliora viam affectat, quod in genere etiam de alijs partibus valet.

4. *Quæ nervis debentur topica, spinali medullæ applicanda*, ibi enim exorti pro toto corpore vigorando novis radicibus erumpunt. Valet id maximè in paralysi, epilepsiâ &c. Hinc peccatur sæpe à medicis, qui topica ipsi parti affectæ applicant, cum nervorum origini debeantur: quale elegans exemplum refert alicubi *Galenus.*

5. *Acida, ubi pori repleti nimis sunt, vel humores & spiritus nimis efferati & effrenes*, uti in affectibus soporosis, maniâ, &c. *conveniunt*: *minus, ubi nervi & membranæ debiles*, ut in paralysi: minùs etiam in vigilijs, ubi vitanda.

6. *Conveniunt omnia hæc magis*, (quod & de reliquis specificis valet,) *& principaliter, capite essentialiter & per se affecto, minus, & non, nisi restrictè & secundariò, ubi per consensum.* Non enim valet absolutè regula: caput est affectum, ergo cephalica sunt adhibenda: stomachus est affectus, ergo stomachica.

7. *Vegetabilia magis specificorum titulum, & quidem calida præcipuè, mineralia & metallica universalium magis obtinent.*

8. *Ut maximus est consensus capitis, ventriculi, & uteri, ita etiam in ejusdem affectibus ad illa simul semper respiciendum*: etiam ob symbolisationem hanc, quæ cephalica sunt, sunt etiam uterina, & quæ stomachica calida, pleraque etiam cephalica. *Wedelius.*

Cerebrum ob propriam temperiem frigidam & humidam, figuram quoque, situm, sinus, & arterias insignes, per quas sanguis fervidus in ipsum propellitur, frigidis & humidis affectibus, tum & calidis siccisque obnoxium est: nonnunquam etiam mixtis ex utrisque, ut in comate vigili, lethargo, typhomaniâ, & similibus.

Propter hoc remedia cephalica vel sunt calefacientia & exsiccantia in frigidis & humidis morbis, vel refrigerantia & incrassantia in calidis & siccis, vel mixta ex utrisque.

In causa frigida, apoplexia, epilepsia, vertigine, vel mixta ex utrisque.

℞. *Rad. enul. camp. valeria. & pœon. maris decresc. lunâ collect. an.* ℥ *j. polypod. & visci querc. an.* ℥ ß. *fol. beton. chamæpyth. primulæ veris, meliss. cichor. totius, agrim. an. m. j. sem. pœon. maris, sesel. Massil. an.*

an. ʒ. ij. flor. tiliæ, lilij convall. an. p. j. Fiat decoct. ad ℔. i. ß. Fiat pro 4. dosib. non claris, sed sæpius colatis. Adde cuique syrup. capill. vener. ℥. j. Capiat manè tribus horis ante jusculum.

Accedunt ex chymicis quæ possunt addi in qualibet dosi, vel cum remedio alterius formæ propinari.

Spiritus meliss. vel angel. zedoar. ad gutt. x. vel alicujus ex his extractum ad. ℈. j.

Spiritus volat. salis armon. à gutt. x. ad xv.

Sal volat. viper. cornu cervi, cranij, aut sanguinis human. à gran. vj. ad xvj.

Sal angelicæ, vel meliss. ad ℈. j.

Extractum ambræ griseæ ad gran. ij.

Spiritus antiapoplecticus Schroderi à gutt. vj. ad x.

Quorum si necessitas occurrat semper miscenda sunt quædam refrigerantia, eâque quæ hepati & lieni prospiciunt, ne, dum calefacimus cerebrum, sanguinis & viscerum calorem intendamus.

Rarò causa est simpliciter frigida, nec nisi in temperamento frigidis & habitu crassis, in regione & tempestate, epilepsia, cæterique affectus cataphorici, catarrhoici excitantur à serosâ, acri & ichorosa colluvie in cerebrum effusâ, quam contrahit sanguis ob fervorem & nimiam fermentationem; unde obstructis, & compressis poris præcluditur via spiritibus animalibus in sensuum organa; hinc sopor, & aliquandò ob materiæ affluxum & eretismum inflammatio & motus convulsivi pullulant. Quibus in casibus prompta sunt ex Chirurgia venæ sectio in brachio, pede, jugulo, cucurbitulæ. Ex Pharmacia clyster, purgatio, vesiccantia, temperantia; & si urgeant motus convulsivi, dolor, delirium, narcotica. E diæta victus tenuis magis vel minus, prout morbus brevior aut longior futurus est.

Tremor, vertigo, paralysis, &c. sæpè à simili causa fiunt; nonnunquàm etiam sequaces sunt scorbuti, colicæ, luis venereæ, rhumatismi, quibus alterantia temperat, additis quibusdam specificis parti & morbo, quibus implicantur, cum aperientibus, ceu in causa penitus calida, ut dolore, delirio, mania, intemperie calidâ & siccâ spirituum, &c.

℞. *Hordei mund. ℥. ß. rad. acetosæ, buglos. & cichor. an. ℥. 1. folior. utriusque ʒ. 1. florum cordial. nymph. an. p. 1. Fiat. decoctio ad ℔. 1. ß. pro ʒ. dos. Adde cuique syr. viol. vel de nymph. ℥. 1. salis prunellæ ʒ. ß.*

In forma julepi, emulsionis & jusculi formulæ traditæ sunt in proprio capite. *Tencke.*

Sequuntur jam CEPHALICA varia Specifica Cnœffel. à Dom. de Bernits in Miscell. Curios. provulgata. & primò

Apoplectica.

Pulvis Apoplecticus Regius, aliàs Cephalicum *Dn. D. Podchocinski.*

℞. *Magisterij antepileptici M. Prævotij, rad. pœoniæ, pulver. Corall. rub. praparator. an. ʒ. 2. magist. succini, bezoardici lunaris, cinnab. an. ℈2. ol. in destill. aq. apoplectica collecti gt. 6. sacchari ad p. •. M. in mortario vitreo, adde pro conciliandâ gratiâ fol. auri, argenti an. num. 6.*

Pulvis commixtus reservetur usui, sign. ut supra.

Vires attribuuntur cephalicæ & antapoplecticæ insignes, inde & in omnibus morbis capitis, dosis ejus est à ℈1. ad ℈2. in aqu. cephalica apoplectica, seu flor. lavendulæ.

Magisterium antepilepticum Clariss. Prævoti tali modo componitur.

℞. *Rasuræ eboris, cervi, ungulæ alcis, cran. humani non sepulti, sed suspensi an. q. n. Inicciantur cucurbitæ, superaffundatur, pro imbuendo solum, spir. nitri q. s. stent per dies tres, postea adde ✳ q. s. pro dissolutione & denuò digestio instituatur. per dies 14. & ultra, solutionem tandem, prius filtratam, vel colatam, præcipita tum spiritu ⊖-li. (melius cum solutione salis, per liquor. tiliæ & salem appropriatum facta) vel solutiones filtratas ad siccitatem exhalare permitte; Magisterium in fundo relictum ablue & edulcora tam diu, donec ab omni acetositate & acrimonia sit liberum, tandem exsiccetur.*

Vires Ex titulo comprehenduntur. Dos. à ℈ß. ad 1ß.)

Essentia Cephalica composita.

℞. *Rad. pœoniæ, certo tempore collect. ℥2. summitat. beton. melissæ, lavendulæ, basiliconis, rutæ, origani, an m. 1. confect. an. card. theriacæ Androm. ana. ℥1. visci quercini, ligni aloës an. ℥ß. Pulverisata & grosso modo incisa, cum reliquis opt. commixta, infundantur cum ∀ juniperini ℔1ß. Sambucini lib. ß. Et in vitro benè clauso stent per octiduum in digestione colaturæ per chartam emporeticam institutæ, adde spir. ⊖-li roride compositi, seu spir. sedativi simplicis ℔ß. rasuræ cranij humani, magist. cornu alcis n. m. præparat. an. ℥1. ess. nuc. mosch. ʒ1ß. coriandri ℈2. citri ʒ2. Mixta digerantur denuò in vitro circulatorio, hermeticè clauso, per duos vel tres menses; circulatione peracta, illud quod subtile est, à crasso sedimento per inclinationem separetur, & essentia cephalica ita simpliciter & absque destillatione parata, adservetur ad usum necessarium.*

Vires, cephalicum, epilepticum & apoplecticum medicamentum est insigne. Dos. à cochl. 1. ad cochl. 2.

Aq. Magnanimitatis, in Officina Regia.

℞. *Formicarum, acidum redolentium, ollâ terreâ, melle intus inunctam, captarum. M. 6. spir. viri anthosati lib. 4. lil. convall. simpl. libr. 1. Mixta, vase prius benè perlutato, stent per dies octo in acervo magno formicarum, postea distillentur p. MB. hoc facto.*

℞. *Spiritus hujus estillati & à phlegmate separati libr. 3. confect. ana cardin. libr. ß. specier. cephalic. ℥3. Et post peracta & reiteratam digestionem 7. dierum denuò destillentur in MB. prius leni igne, in fine verò fortiori. Aqua spirituosa abstracta, adhuc aromatisetur. Ol. cinamomi, coriandri an. gtt. xv. & essent. ambræ q. v. M. Cerebrum & omnes ejus functiones mirè corroborat, & ab aliis morbis frigidis capitis præservat, insuper in venerem armat, & articulis ex paralysi debilitatis subvenit. Dos. cochl. 1. ad. 11. Inde paretur &*

Arca-

Arcanum Cephalicum.

℞. Spir. formicarum compos. seu aq. magnanimit. praced. ℥iij. flor. & bacc. sambuci an. ℥ß. ⊕li antepileptici compositi ʒj. conf. anacardin. alkermes an. ʒj. spec. diambra. diamoschi dulcis ana gr. xxv. Digerantur in phiola hermeticè sigillata, per 14. dies, postea filtrentur per chartam, & asserventur in vitro benè clauso: sign. ut supra.

In affectibus capitis excellens est remedium, inde datur cum summo commodo in apoplexia, epilepsia, paralysi, lethargo, item in syncope & palpitatione cordis. Dos. cochl. ß. ad cochl. j.

Mistura Cephalica Dn. D. Cnœff.

℞. Spir. Tartari sassafrati, & prius supra ⊕ rectificati ʒiij. sedativi simpl. ʒj. formicarum sive aqu. magnanimitatis ℥ij. elixir. proprietat. purg. liquid. n. d. ad pl. sir. antepileptici nostri ʒj. Mista digerantur adhuc per ☍ & ♇, post serventur ad usum.

Vires. Medetur apoplexiæ & alijs capitis affectibus, maximè melancholiæ hypochondriacæ. Ejus effectum & in delirio & mania vidi cum stupore.

Dosis. à ℈ß. ad gr. xv. ℈j. jejuno stomacho & tribus horis ante cibum cum aq. lil. convall. pæoniæ, vino, vel alio vehiculo idoneo; datur & in ipso paroxysmo & reiteratis vicibus, præmissis tamen universalibus & practicantium regulis & methodo observatis.

Tinctura Cephalica ambrata.

℞. Specierum diambra ℥ß. ligni aloës subtil. raspat. granor. carpobalsami an. ʒij. ambra ℈j. mosch. ʒß. facch. canar. ℥j. elixir. Matthioli, aq. carfunculi an. ℥iij spir. ardent. rosar. aq spir. cinamomi comp. an. ℥j. Bene mista, & in phiola vitrea hermeticè inclusa, stent in digestione, in MB seu vaporoso tam diu, donec omnia benè sint dissoluta & extracta. Post filtrentur, & tinctura ambrata summè odorifera ad usum servetur.

Vires. Cephalicum & cordiale est summum, convenit ijs, qui temperamenti sunt frigidioris.

Dos. à gr. iij. ad vj. xv. in vino vel alio vehiculo.

Species Cephalicæ pro suffitu Serenissimæ R. Cæciliæ Renatæ &c. p. m.

℞. Olibani ʒiij. succini albi & citrini an. ʒj. masticis ℈ij. storacis, calamita ʒß. gum. benzoi ℈ß. caryophyll. ℈j. flor. rosar. rub. lavendulæ. an. p. j. Misceantur; Fiatque ex omnibus pulvis grossus, cui adhuc admiscebis iva arthetica ℈j. Sign. Flutz- und haupt-Rauch, der Königin Cacilia.

Suffitus alius Cephalicus S. R. M. ULADISLAI IV.

℞. Asa dulcis seu benzoes ℥j. olibani ʒvj. styr. calamita, gum. anima, succini pulv. an. ℥ij. caryophyllorum ℈ij. scobis lign. seu rad. juniperi ℥ß. xyloaloes ℈ij. flor. rosar. rub. p. iij. lavendula p. ij. Incidantur & contundantur crassiusculè, & fiat in perforata pulvis grossus. Sign. Königl. Flutzrauch.

Pulvis sternutatorius Cephalicus in Officina Regia.

℞. Pulv. nicotiana ℥viij. flor. lil. convall. fol. majorana ana ℥iv. spec. diambra ℥j. mosch. ʒß. gr. iv. zibeth. ℈ß. ambra ℈j. ☍ ligni rhodij, vel rosar ver. stil. si habere potes ℈ß. Fiat s. a. pulvis subtilissimus.

Balsamum Apoplecticum Collegij Romani R. P. S. I.

Hujus descriptionem, simul cum pyxidula, hoc balsamo impleta, mihi Romæ, jam in procinctu itineris, ex singulari affectione & gratia, offerebat Rev. Pat. *Athanasius Kircherus*, Soc. Jesu, patronus & amicus meus singularis, vir alias insignis, & ferè toti orbi notus. Est autem balsami compositio talis.

℞. ☍ Nuc. mosch. express. ʒj. balsami Indici veri ʒß. ambra grysea ʒij. mosch. di Levante ℈j. ☍ stil. salvia c. lil. convall. parat. gtt. xxj. masticis gtt. xv. caryophyllorum gr. xij. succini rec. gr. vi. cinamomi ℈iß. gr. ij gummi tacamahaca q. s. M. Fiat balsamus.

Schedulam Italica lingua impressam, in qua virtutes hujus balsami describuntur, hic annectere placuit

Virtu, & uso del Balsamo Apoplettico, cioè della Goccia.

Questo Balsamo con ragione vien detto della goccia, perche à questo male principalmente è destinato; Essendo che hà un'incredibile facoltà di corroborare il cerebro, di eccitare gli spiriti animali sopiti, e di recreare gli spiriti vitali, è ancora atto à giovare all'altre affettioni della testa; perche libera dal parocismo quei, che patiscono mal caduco, conferma quei, che patiscono di vertigine, dissipa gl'humori fredi, e consuma tutti i catarri, come anco rimedia a'dolori de' denti; libera della fincope, ò svenimento, difende il cuore d'all' aere maligno, e pestifero, essendo applicato alle narici, o in qualsivoglia modo alle tempie, & alla nuca, & in caso di maggior necessità si potrà ungere con esso li palato. Di più applicato all'umbilico à modo di empiastro sottile, giova alla colica molestissima. Dalle Donne però non si può così opportunamente adoperare per la suavità dell'odore.

Balsamum Apoplecticum Cl. Dn. D. Cn.

℞. Bals. lavendulæ, ruthæ an. ʒß. succini ℈j. apoplectici Crollij ʒj. ℈j.

M. Fiat balsamum in aurata pyxidula asservandum.

Vires sunt anti-apoplecticæ, & antiepilecticæ, alijsque debilitatibus cerebri convenit; naribus temporibus, item suturæ coronali inungitur, tàm in actu præservationis quàm curationis.

Species pro pileolis S. Reg. Maj. Uladislai IV.

℞. Fol. majoran. rorismarin. meliss. citr. an. miss. flor. rosar odor. m. iij. lavendul. arantior. an. m. j. stachad. Ar. nard. celt. an. p. ij. sem. coriandr. nigell. gran. carpobals. an. ʒij. cubebar. ℈iv. rad. cyper. rot. ʒj. cinamom. nuc. moschat. an. ℥ß. caryophyll. ʒj. lign. rhod. subtil. rasp. aloes, sassafr. an. ʒij. styrac. calam. ʒiß. gumm. benzoe ʒiij. succ. ℥ß. ʒij. Incidantur & contundantur gr. m. circa finem adhuc adjice crassiusculè incisa flor. cyan. paralys. calend. cheiri, balaust. an. p. j. mosch. ambr. an. ℈j. M. F. pulvis grossus odore & colore gratus, & ad roborandum caput & materiam humidam & pituitosam exsiccandam efficacissimus. Pulvis seu species postea includantur serico rubro pro pileolo nocturno. Ex præscriptione Cl. Dn. D. Krafft, S. R. Maj. Archiatri.

Antiparalytica.

Paralysis ἀπόρρησον

℞. ♁ Camphorati ℥iij. formicarum composit. lumbricorum, aqu. apoplectica an. ℥ij. essent. trium piper. ℥j ʒij. sem. eruca ℥ß. aluminis plumosi, euphorbij an. ℈j. Misceantur in vitro bene clauso, & post peractam sufficientem digestionem filtrentur per chartam, qui-

quibus adhuc admiſceri poſſunt eſſent. cephal. odorif ℥ß. Partes affectæ prius pannis calentibus quotidiè fricentur, ſed leniter, poſtea illinantur cum præſcripta tincturâ; Uſus ſaltem ab extra eſt.

Spiritus formicarum Officinæ Regiæ.

℞. *Herb. urticæ Rom. rec. m. j. betonicæ cum florib. chamædryos ver. chamapyt. ſalviæ, roriſmarini, majoranæ an. mß. flor. lavendulæ, ſambuci primulæ veris an. mj. baſil. cum extr. foliolis, ſtæchad. arab. an. p. ij. rad. rhodiæ raſp. conf. anacard. an. ℥j. adde Tartari crudi ℥iß. Incidantur & infundantur in* 🜅 *opt. ℔ viij. ad x. poſtea deſtillentur, in ſpiritu elicito & à phlegmate prius ſeparato ſuffoca formicarum viventium, cum ovis & ramuſculis adhærentibus m. iij. adde aluminis crudi ℥j. ſtent & macerentur per 24. horas, poſtea per phialam longi colli elicitur l. a. ſpiritus, in vitro benè obturato ad uſum aſſervandus.*

Cum hac aquâ ſpirituoſa membra affecta illinantur & fricentur: Licet ejuſdem etiam cochl. j. cum aqua lavendulæ vel alterius convenientis ℥iij. exhibere.

Paralyticorum membrorum ἐνθετον.

Generoſo Dn. Butlero, & Magnifico Dn. Luberto Erbenio, anno 1647. ex præſcript. Clar. D. D. A. Cnœffel. Arch. Regij notabiliter profuêre.

Fomentatio, qua Magn. Dominus Erbenius primò fomentatus bis in die, quæ

℞. *Flor. chamomill. herb. hyperison. ſalv. ſerpill. origan. abſinth. an. m. ij. herb urtic. min. m. vj. malv. min. m. iv. rad. gramin. althææ an. ℥ij. ſem. eruc. ℥ß. lini ℥j.* 🜔*-li crudi ℔ v. Craſſe contuſa dentur ad chartam, ſign. Krauter zum beben.*

Inunctio. Poſtea à ſcapula ad cubitum uſque brachium ejus calidè inunctum eſt linimento, quod

℞. *Pinguedin. vulpis, taxi, u. g. dialth. ol. caſtorei, rutæ, chamom ll. an. ℥j. juniperi ſtill. terebinth ſt. an. ℥iij. ſpic. n. o. plumos. ceræ an. ʒij. cantharid. euphor. an. ʒj.* 🜅 *q. ſ. M. F. linimentum. ſign. Salblein zum ſchmieren.*

Emplaſtrum pro cuſtodia & loci, & unguenti, circumpoſitum & conſtanter per annum geſtatum, quod

℞. *Empl. diachyl. oxycroc. melilot. an. ℥j. G. ammoniaci ℥ß. galban. (in* ✢ *diſſoluti) ʒiij. diatr. piper. euphorb. alumin. plumoſ. an. ʒij. Omnia optimè pulveriſata M. ad ignem & F. emplaſtrum.*

Spiritus Balſamicus pro ſartore quodam.

℞. *Bacc. laur. juniper. caſtorei, euphorb. an. ʒij. caryophyll. macis an. ʒiij. maſticis, myrrhæ, ſtorac. liquid. an. ℥ß. ſuccin. alb. gumm. elem. galban. an ʒiij. Contuſa & pulveriſata infunde in ſpiritus vini ℔ iij. ſtent. in digeſtione per triduum, deinde deſtilletur per* 🝗*. ex arena.*

Indies ſemel noctu cubitum eundo, poſtquam calido linteamine juncturam carpi, cubiti & ſcapulæ optimè fricaverit, calefacta loca inungat, calefacto ſupra ignem hoc liquore, poſtea calidè ſupponat emplaſtrum antea deſcriptum.

Not. Septimanatim duobus diebus, nempè ♀ & ♄ ni curet circa veſperam ſibi parari balneum è decocto urticæ ardentis & formicis ſacco incluſis, poſtea inunctionem & applicationem emplaſtri, aliquot menſibus. donec melius habeat, continuet.

Interdùm & membrum ſtupidum & reſolutum, urticis viridibus & ardentibus, leniter percuti patiatur.

Topicum ad membra reſoluta & demortua, ex communicatione Cl. Dn. Doctoris Kepleri pro uxore Domini Doctor. Cnœffelii, paralyſi tacta.

Quamvis Cl. Domini Doct. Cnœffel. p. m., ultra centenos hominum, in ſimili morbo curaverit, nunquam tamen in uxore ſua, ſuam adhibere voluit curam, ſemper alios Medicos ſuos amicos vocans; ideò in contractura ex paralyſi, quâ conſors ejus per aliquot ſeptimanas laborabat, Dom. Doct. Kepleri conſilio uſus eſt, cujus arcanum topicum erat hoc:

℞. *Marcaſitæ* ♁*eæ pulv. ℔ß. indatur* 🝗*co, ſuperaffundatur vini optimi menſ. vi j. e. ℔xij. Stent in digeſtione per dies 30. tandem vino colato adde rad. cardopatiæ ℔iij. de novo circulentur; poſt exprimantur fortiter & deſtillentur per* ☊*am, vel quod melius filtrentur per chartam ſolùm; Hoc peracto, deſtilla relictam marcaſitam cum leontopodio per* ☊*am; deſtillatum miſce cum ſuperiore filtrata infuſione, & denuò ad dimidium uſque inſtituatur deſtillatio. Ex fæcibus priùs optimè calcinatis extrahe* ⊖*em cum vino* ♌*to, hoc conjunge etiam deſtillato, ubi adhuc tandem admiſcebis ſevi cervini* ſeu *medullæ crurum boum ℥vj. axungiæ urſi ℥ij. viperatum ℥ij.*

Miſceantur ſupra ignem. Cum hac mixtura inungantur membra reſoluta, ad dies 30. & quidem bis in die calidè. Confert omnibus membris demortuis, obſtructis & induratis, ut & nervis reſolutis.

Ex Manuſcriptis Cnœffelianis.

Epileptica.

Pulvis epilepticus ordinarius Officinæ Regiæ.

℞. *Cranij humani ſtrangulati, & cùm* 🜄 *epil. ſ.* 🜂 *in alcool. redact. corallior. rubr. præparat. viſci quercin. cert. t. collect. C. C. antepileptici an. p. æq. ſacch. albi pulv. ad pondus omnium.*

M. F. pulv. *Doſis* à ℈ß. pro infante, ad ℈j. & ʒj.

Pulvis aliud epileptices Officinæ Regiæ de ſecundina mulieris.

℞. *Secundinæ mulieris (primiparæ filium enixæ) torrefacta, cranij maſculi anterioris, (violenter mortui & non humati) raſpati ana ℥ß. unicornu foſſilis albiſſimi, C. C. ex apicibus ſuper. raſp. & in alcohol redacti an. ℥j. coralliorum rubrorum c. aq. epilep. præp. ocul.* ♋ *an. ℥ß. granorum & rad. pæoniæ, decreſcent.* ☽ *collectorum, rad. doronici, viſci quercini an. ʒiij. ſuccini ſubtiliſſ. pulv. nuc. moſchat. an. ℥ß. ambræ ʒj. Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.*

Remedium in epilepſia & alijs cerebri affectibus eſt efficax. *Doſis* eſt ℈j ad & ʒß. & ℈ij. in aq. flor. tiliæ, ſeu liquore arboris tiliæ menſe Martio ex cort. extracto. Secundinæ præparationem, *Hartmannus in praxi chim. Beckerus in microcoſm. med. lib. 1. cap. 8. &* alij deſcribunt.

Pulvis antepilepticus S. R. Maj. Uladiſlai IV.

℞. *Magiſter.* ☽*æ* ℈*iß. gr. ij. cranij humani, ſuccini pulv. an. ʒi. gr. iv. corall. rubr. præp. ſacch. alb. pulv. an. ʒv. ℈j.*

M. F. pulvis. *Doſis* à ℈iß. ad ʒj. in aq. pæoniæ.

Magiſterium Lunæ S. R. Maj.

℞. ☽*æ finiſſ. in tenues bracteolas extenſa, laminata & in orbem conflexa ʒi.* 🜂*tis ℥iij. Stent in leni digeſtione; ſolutum quod eſt, filtretur per chartam, & ſuperinfunde* [illegible] 🜔*ri q. ſ. Sic in momen.*

mento præcipitabitur in alcool, nivis instar candidissimum. Pulvis ad fundum præcipitatus, affusa aqua dulci ablui, & ab omni acredine liberari & tandem exsiccari debet. Ingrati quidem saporis est; sed majoris virtutis in epilepsia aliisque morbis capitis. Hujus magisterij beneficio Ser. Rex Vladislaus IV. in juventute à comitialis morbi insultibus feliciter curatus est.

Pulvis antepilepticus puerorum D. D. Pauli Podchocinski.

℞. C. C. raspati, & cum decoct. sem. cinæ & corallinæ sæpissimè insuccati, rhabarbari, sacchari mercurisati ana p. aq. q. v.

Fiat omnium pulvis subtilissimus qui in expellendis vermibus & lumbricis insignis est, si drachma una in lacte adhibeatur. Jam.

℞. Pulv. præscript. ℈ij. ossis triquetri raspati & in subtilem pulverem redact. ℈j. Misce, F. pulvis. In epilepsia infantium sympathica ex vermibus orta. De quibus & Forestus in lib. 10. obs. 65. Martin. Rulandus cent. 8. curat. 13. & plures alij,

Pulvis antepilepticus Dn. D. Cnœffelij.

℞. Cinnab. ♁ij, cranij humani an. gr. v. magister. corallior. ℈ß. ligni aloes, visci quercini an. gr. iv. pulv. nost. ⊙ris ♁ti gr. ij. sedativi nostri compositi citrati pro viris gr. j. Misce. F. pulvis, pro una dosi, & tales doses n. iij. dentur in tribus chartis.

Antepilepticum Solare.

℞. Cornu alcis absque △e præp. ℥j. cranij humani absque △e pulveriss. oss. cordis cervi sine △e in pulverem subtilem redacti, corallior. rub. præpar. rasuræ eboris ana ℥ß. Mixta inebrientur TRa antepileptica, & per sensè iterum exsiccentur; istaque operatio bis vel ter repetatur, species ita imbutæ, in pulverem simul terantur subtilissimum, instar alcool, cui tandem adde pulv. solaris, seu panaceæ Cnœffelianæ ʒj. ℈j. gr. xiv. ambræ q. pl. Et cum gelatina cranij humani seu cornu cervi q. s. F. Massa, quæ & tinct. seu magist. rec. granor. nostr. chermes in gratum & rubicundum colorem adhuc tingi potest.

Ex massa formentur trochisci parvi in forma terræ sigillatæ, ponderantes ℈i. vel ʒß. ad ℈ij. Quod ipsorum dosis est, & facile, tempore necessitatis, talis unus trochiscus, in liquore aliquo idoneo & epileptico dissolvi potest.

Antepilepticum Lunare.

℞. Cranij humani sine △e pulv. ʒß. unicornu fossilis, marini, succini albi, oculorum cancri an. ʒij. corallior. albor. ʒj. Mixta impastentur in mortario lapideo sedativo nostro comp. q. s. & denuò lentè & per se exsiccentur, & in pulverem subtilissimum redigantur.

Addi etiam potest seorsim (quod nos aliquando omittimus propter saporem ingratum & adstringentem.)

Magisterij lunæ S. R. Ulad. ʒj. plus minusve pro ætatis ratione. Misceantur benè. Pulvis ita concinnatus asservetur in vitro puro, vel cum gelatina cranij humani, alcis seu C. C. q. s. formentur orbiculi magni vel parvi, qui proprio signo, titulo, & charactere ponderis, notandi sunt.

Hoc medicamentum singulare est antepilepticum & apoplecticum, datur & in alijs cerebri affectibus, maximè maniacis, & delirantibus, in febribus venenosis & malignis. *Dos.* à ℈ß. ad ℈j. & ʒß. in liquore entis tiliæ vel alio vehiculo idoneo.

Præparatio cranij humani, cornu alcis, cervi, unicornu, eboris & similium.

Horum omnium vulgaris præparatio, hucusque (ante *Clarissim. Dn. D. Zvvelferum*) commendata, fermè ab omnibus Medicis rejicitur, propter sal volatile, quo animales partes gaudent, quod in illa præparatione consumitur & in auras evanescit, relicta terra damnata. Inde *Helmontius lib. de lithiasi, cap. 3. th. 29.* scribit: Ossa animalium combusta nullum sal fixum retinent, sed tantum terram insipidam. Notabilis ergò stupiditatis est, ebur, & cornu cervinum calcinari in morborum præsidia, quia mercari jubent pulverem viribus orbatum: adeoque & crumenæ & spei ægrotorum imponunt, occasionem benè agendi prætereunt, ac seipsos ridiculos faciunt.

℞. Cranij humani, (vel cornu alicujus animalis,) in minutissimam rasuram, beneficio limæ raspati, q. v.

Contundatur in mortario lapideo, cum aqua aliqua appropriata & destillata ad pultis formam; quæ pasta chartæ albæ superextensa & inclusa, iterum exsiccetur & pulverisetur, & hoc bis, ter vel pluries repetatur, donec rasura in pulverem subtilissimum redigi queat.

Not. cranium humanum hîc expetitur non humati, sed violenta morte interempti hominis, at sani, & si haberi potest suspensi, soli expositum & constellatum, hac etiam cautione, ut potiùs anteriorem, quam posteriorem ejus partem; & masculinum maribus, fœminum fœmellis exhibeantur. Clariss. *Dn. D. Cnœffelius*, solo officulo triangulari seu triquetro fuit contentus, quod in cranijs, (sed non in omnibus) circa principium suturæ lambdoidis invenitur,

Magisterium Cinnabaris Antimonij.

℞. Cinnabaris ♁ij opt. purificati & pulverif. ℥iv. ∽ ⊖-li opt. & dephlegmat. ℥vj. Mixta immittantur ⊙æ vitreæ, &, post peractam digestionem unius mensis in lenissimo calore affusus spiritus denuo abstrahatur. Tandem cinnabrium in fundo vitri relictum, aqu. flor. tiliæ sæpius lotum, & bene exsiccatum, ad usum servetur.

Not. Hoc negotium, circa abstractionem ∽ ⊖-li, si sola evaporatione instituatur, & cinnabaris interea, spatula lignea, continuò agitetur, magisterium evadet longè rubicundioris & pulchrioris coloris, ex quo cum menstruo nostro specifico, tandem extrahi potest tinctura pulcherrima.

Vires nobiles sunt in epilepsia, apoplexia, vertigine, aliisque morbis capitis; Prodest & in lue venerea alijs medicamentis specificis adjunctum. Dos. à gr. v. ad vij. & ℈ß. in aqua appropriata. Inde & componitur.

Cephalicum Cnœffelianum.

℞. Magist. cinnab. ♁ij præcedentis, bezoardici mineralis solaris an. gr. v. ambr. gryf. gr. iij. mosch. gr. j. M. F. pulvis.

Vires titulus indicat. Medicinam hanc quidam Medicus in Germania pro panacea habuit, à quo etiam Author accepit.

Pulvis purpureus Dn. D. Cnœffelij secretus; sive

Arcanum ALEMETH.

in

Epilepsia, Quartana, Hydrope, Podagra & Lue Venerea.

℞. Pulv. nostr. fix. à gr. j. ad ij. cœniotomij nost. gr. ij.

ij. ad iv. bezoardici ☿ial. ☉laris à gr. vi. ad viij. Misceantur opt. in mortario lapideo seu vitreo in pulverem purpureum, ultimam proportionem observando, pro una dosi, & tales doses n. iv. in quatuor dentur chartis; vel cum Mellaginis abstractæ anthosatæ q. s. formentur pilulæ minores argento obducendæ.

Emulsio Antepileptica Dn. D. Cnœffelij.

℞. *Granor. pœoniæ excort.* ʒß. *tiliæ, nucleor. cerasor. nigror. excortic. an.* ʒij. *sem. papaveris albi & nigri an.* ʒiß. *liquoris tiliæ, vernali tempore coll.* ℥iv. *aq. flor. tiliæ, pæoniæ, an.* ℥ij *fiat emulsio, adde gelatinæ cornu alcis, seu cervi, &, si haberi potest, cranij humani* ʒß. *manus Christi perlat.* ℥j. *sedativi citrati pro viris gr. j. ad gr. ij. nostri epileptici comp. q. s. spir. cerasor. nigror.* ʒij. *Omnia optimè mixta, dividantur in duas partes æquales. Una pars exhibeatur sub noctem, vel in ipso paroxysmo, & paulò post, recollectis sensibus; alteram partem post mediam noctem, vel circa diluculum; post exhibitum medicamentum, per tres horas, nihil aliud adhibendum est.*

Primum ENS seu liquor tiliæ, cujus sæpius in Manuscriptis Cnœffelianis fit mentio.

Est illa aqua seu succus mercurialis è tilia vulnerata, mense Februarij, ex caudice seu trunco, prope terram collectus. Modus colligendi eandem habet rationem cum succo betulæ, cujus & nos explicationem fecimus sub *cap. de medicamentis antinephriticis secretioribus D. D. Cnœffelij.* Usus hujus singularis est ad morbum comitialem. Quod *Cl. Joh. Tilemannus, in libello suo de materia medica,* affirmat, qui solo hoc liquore epilepticum integrè restituit.

Dosis ℥iij. ad *iv.* Singulis diebus ter, sc. mane, meridie & vesperi.

Liquor colligitur, ut jam dictum, mense Februario, apud nos & mense Martio, accrescente luna, cum radicem tiliæ per transversum secueris; exstillans liquor in vasculo vitreato supposito collectus, in modum succi betulæ, purificetur, & postea per se, vel adjectis floribus tiliæ, fermentetur, aut destilletur, prout Medico, qui illius usum desiderat, videbitur.

Beneficio hujus paratur & hydromel; item potus saccharatus, cujus modum (cum alijs liquoribus) extense docet *Angelus Sala in Saccharologia & Hydrelaologia.*

Si talibus arboribus (inquit *Clar. Joh. Tilemannus in libello de materia medica p.* 307.) solutio auri vel argenti implantata fuerit, nullis acidulis succus earum cedet, præsertim si quinta essentia ⊖-li participent.

Modum implantandi arboribus proprietates medicinales & specificas, docet Rev. Pat. *Athan. Kircherus in Arte magnetica l.* 3. *p.* 3. *c.* 1. & *Phil. Guibertus in suo Medico officioso c.* 9. *de fruct. laxativis.*

Succorum conservatio fit 1. beneficio olei olivarum, pharmacopœorum communi more, si vas vitreum angustioris colli, cum succo prius depurato, ad orificium usque implebis, cui superaddas oleum de been, vel loco ejus olivarum, idque ad crassitudinem unius digiti supernatet. Vel 2. per modum *Angeli Salæ*, quem tradidit in scripto vel *tractat.* cujus titulus *de variis tum Chimicorum tum Galenistarum erroribus.* Succum, exempli gratia, betulæ, tiliæ vel cujusvis alius plantæ expressum, aliquandiu bullire, probè despumari, ac ad quartam partem humiditatis superfluæ leniter exhalari finito; deinde percolato & in vas vitreum infundito, addens unicuique libræ uncias duas cum dimidia spiritus vini, sine phlegmate; vas interim ritè obturato, & ad solem, aut alium in locum calidum per aliquot dies ponito, & succus reddetur purissimus, quem per inclinationem decantabis in aliud vas quantum fieri poterit sine turbatione, relictis in fundo prioris vitri fecibus ibidem adhærentibus. Sic depuratus succus asservetur in annos citra corruptionis periculum.

Per modum *Helmontij in tract. dispensat. modern.* §. 21. Succi rerum prælo expressi, solo odore cujusdam ignis sulphurei, manent deinceps absque saccharo vel alio additamento incorrupti, cujus favore acquirunt balsamicum aliquid, haustus æthereos sibi incorruptos transferunt ad magnam entelecheian.

Quinam sit iste processus, ex eo percipe, quomodo ellychnij sulphurati suffitu vinum conservatur. Modum vero, quo vitrum angusti orificij sulphurari possit. *Dn. D. Cnœffelius* annotavit hoc sensu, quem ex ejusdem MSto Germanico huc transfero: Ego lagenâ vitreâ inversâ fili sulphurati ardentis fumum excepi, idque sponte sua extingui passus sum, mox sine mora succum (tiliæ, betulæ, berberorum, vel citri) in illam infudi & orificium ejus arctè deligavi.

Aqua Antepileptica.

℞. *Liquoris tiliæ* ℔iv. *phlegmatis* ⊖-li, *vini opt. & generosi, Hungar. seu Hispanici an.* ℔ij. *Quibus successivè immergantur flor. rec. tiliæ, lil. convall. primulæ veris, pæoniæ, anthos, cheiri, lavendulæ an.* ℥iij. *salviæ, summitat. basilic. rad. doronici an.* ℥j. *pæoniæ rec. cinnamomi an.* ℥j. ʒ. *moschath, macis, cardamom. carpobalsami an.* ℥j. *cubebar. sem. coriandri an.* ʒß. *Omnia debito tempore collecta & infusa destillentur tandem in baln. vaporoso, ad siccitatem ferè specierum; aqua prolecta servetur usui, in vitro arctè clauso, cui &, si ita placuerit, sirupi sequenti epileptici q. s. pro concilianda gratia saporis addi potest.*

Efficaciter valet in epilepticis, apoplecticis, vertiginosis, alijsque debilitatibus capitis. Epilepticos paroxysmos absumit & abrumpit, ac morbo isto percussos suscitat. In præservatione detur ejus dimidij cochlearis mensura, maximè circa mutationes lunæ. In curatione verò & in ipso insultu cochlearis integri mensura, quo tempore & in faciem ex alicujus ore vel ex manu inspergitur.

Sirupus Epilepticus Puerorum.

℞. *Flor. tiliæ odor. rec. collect.* ℔ij. *liquoris tiliæ in cella reservati & prius optimè calefacti* ℔vj. *Stent in vase terreo vitreato atque bene clauso per viginti quatuor horas; expressione facta, infusio rursus calefiat, absque tamen ebullitione, ac reassumtis totidem novis floribus, infusio reiteretur; & post sufficientem macerationem iterum exprimatur, idque tertia vice fiat. Jam.*

℞. *Hujus infusionis prius colat.* ℔iß. *sacchari albissimi libr. ij. Ac sola dissolutione ejusdem, Fiat sirupus clarus, qui in epilepsia, vertigine, hemicrania, cephalæa alijsque morbis capitis efficax est; ab* ʒß. *ad* ℥j. *per se vel in vehiculis convenientibus propinandus, maximè verò in liquore arboris tiliæ, tali processu.*

Cura Epilepsiæ per Acidulas vegetabiles.

℞. *Liquoris tiliæ purificati lib. ij. sirupi epileptici puerorum* ℥iv ~ ⊖-li *volatilis, seu viridis æris q. s. ad gratum saporem.*

Misceantur optimè. Julapium tali modo concinnatũ, vitris clausis, ne quid exspiret, in cella vel alio loco frigido asservatur: & ubi imbecillitas capitis illius usum exegerit, quotidie duodecim unciæ propinentur, ita ut manè jejuno stomacho, & tribus horis ante prandium,

dium, caliculum unum, quatuor unciarum continentem ebibat; tribus post prandium horis, itidem tot uncias; jejunando usque ad cœnam; & tribus elapsis horis post cœnam, reliquas quatuor uncias, tamdiu continuando donec juverit. Interim æger circa solstitia & æquinoctia uno vel altero medicamento solutivo specifico, (ex consilio docti Medici) purgetur, quod facilè fieri potest cum sirupo nostro helleborato, suo loco descripto.

Spiritus Antepilepticus compositus.

℞. ∽ ⊖li volatilis, virid. æris ana. p. æquales *Misce.*

Vires. cephalicæ sunt & antepilepticæ insignes.

Dosis à ℈ß. ad ℈j. in aqua appropriata.

Spiritus Vitrioli compositus, Antepilepticus.

℞. *Phlegmatis ⊖li, seu ∽⊖li roridi q. v. scil. ℥xviij. capitis mortui ⊖li rubri ℥j. cranij humani ʒiij. visci quercin ℥ß. rad. pæoniæ ℥j. cinnab. ☿ij. ʒiij. sem. pæoniæ tantundem,*

Mixta destillentur per retortulam Dos. à ℈ß. ad ℈j.

Spiritus Vitrioli Antepilepticus comp. Dn. D. Cn. Dn. Mart. Metzkero M. Doct. communicatus.

℞. *⊖li opt. dephlegmat. & calc. q. v. adde ▽ tantum quantum plegmatis ⊖lum in calcinatione perpedit, denuò ad quamvis ℔. prædicti spiritus adde cranij humani, visci quercini, sem. pæoniæ, ungulæ alcis an. ℥j. Species prius contusæ & cum spiritu opt. agitatæ, post sufficientem digestionem, destillentur per ⌒am, donec oleum prodeat. Jam.*

℞. *Hujus destillati ∞osi ʒvj. ▽ alcoolisati salviati ℥iij. Misce. Vel ℞. ∞i destillati ℥ß. ▽ ℥iij. Misce Dos. in adult. gutt. x. ad xv. & ad ℈j. pro infante gutt. v.*

Spiritus Vitrioli Volatilis Dn. D. Cn.

℞. *Phlegmatis ⊖li q. v. in hoc solve ⊖li purificat. tantum, quantum in se suscipere vult. Destillentur per phialam longi colli, capitello huic negotio apto instructam, primo quidem lento cinerum igne, & ascendit ∽ ⊖li volatilis virescens, in epilepsia, vertigine & capitis affectibus præstans, insuper ad arcendam apoplexiam & paralysin medicamentum est desideratissimum. Datur cum vino vel aquis destillatis appropriatis, à ℈ß. ad ℈j. plus minusve pro dispositione ægroti & morbi conditione.*

Spiritus viridis æris comp. D. D. C.

℞. *Viridis æris ℔iij. ♀is vivi ℔j. arenæ puræ ℔iv. Mixta & prius pulverisata* (excepta arena) *indantur ⌒æ vitreæ, & destillentur ex ∴. primo quidem lento & justo observato ignis regimine, postea fortiori. Et prodibit spiritus acidulo dulcis, gustui gratissimus:*

Vires, Cephalicus & pectoralis est, appetitum & excitat, & in asthmate est remedium sæpè probatum. Dos. à ℈ß. ad ℈j. cum aquis destillatis, sirupis, conservis, jusculi vel alijs vehiculis idoneis.

Corallia, margaritæ, & oculi ♋ phlegmate ⊖li soluta, præcipitat in magisteria butyracea. Elixir. proprietatis cum ▽ paratum eôdem ritè acidulatur. Ope etiam hujus fit curiosum spectaculum.

℞. *Corall. rubr. gr. mod. contusorum vel C. C. raspati q. v. spiritus virid. æris comp. q. s. Stent in digestione in cucurbitâ vitreâ & amplâ, quod solutum est, effundatur, & aliud menstruum affundatur. Solutiones conjunge & ad siccitatem lento calore totaliter exhalare permitte; sic in fundo relinquitur coagulum, in alio vitro mundo & spatioso affusa aqua destillata dissolvendum, & in locum tepidum reponendum. ibi, postquam humiditas absumta fuerit, assurget in speciem arbusculi coralloidis sive C. C.* (*quoad solutio ex hoc vel illo facta est*) *& quasi crescere videtur, intuentibus delectabile spectaculum.*

Ros Vitrioli sive Spiritus Vitrioli humidus.

Quandoquidem hujus phlegmatis Vitrioli sæpè & multoties hîc fit mentio, plurimis etiam compositionibus & præparationibus medicamentorum *Clar. Dn. D. A. Cnœff lij p. m.* admiscetur, ac ab eodem in præcipuis curationibus panaceæ instar, adhibitum est, opus erit copiosiorem ejus facere mentionem, jungendo illam laudem & virtutem, qua hoc medicamentum est dotatum, & quæ ab alijs Medicis illa adscribitur.

Antiquis ut & plerisque nostræ ætatis Chimicis, prima ista Vitrioli substantia incognita (*inquit Angel. Sala in tract. 1. de vitriolo c. 1.*) ideoque ab ijs inutilis ad instar phlegmatis, rejecta fuit. Quasi verò Deus & natura (quæ se in omnibus Divinæ providentiæ partibus efficaciter exerit) frustra aliquid facerent. Hermetici dicunt, esse quandam quasi hujus mundi margaritam: quam si agnovisset Galenus, procul dubio dimidiam suorum medicamentorum partem, quæ magno studio, multo labore, longis ac indefessis peregrinationibus, in Ægyptum, Palæstinam, Alexandriam, Romam, Cyprum, Lemumque susceptis, deseruisset, & soli huic medicamento fidem ac fiduciam collocasset. Et sanè (scribit *Claudius Deodat. in Pantheo Hygiastico l. 1. s. 10.*) si tota medicina non aliud ex toto Vitriolo haberet remedium, quam solum hoc phlegma, tamen id (licet solo nomine omnib. vilescat) inter cætera medicamenta ut gemma fulgeret, è cujus radijs plurima medicamenta scintillare possent. Atque hic est ros ille benedictus, quem Dominus Deus, tot virtutibus & dotibus locupletatum humano generi pro sui Sanctissimi Nominis gloria est liberaliter elargitus. Experientia constat, (ex eodem *Authore*) hoc vitrioli phlegmate lichenas, impetigines, nomas, & erysipelata tolli, ulcera maligna repurgari, putrida mundificari, carcinomata eo colluta, ut & ulcera cacoethea ejus usu purgari, ac faciliorem medelam suscipere; Insuper ejus usu cutim poliri, & à quacunque scabie repurgari, ut in cuprifabris, fabrisve ærarijs, nulla unquam scabie laborantibus videre est. Aph. his item eximiè prodest, & oris ex putredine natis exulcerationibus, quales post longas febres emergunt, vel scorbutum illum insolentem comitantur: unde utiliter eo os colluitur aqua conveniente, plantaginis, prunellæ, aut centumnodij remixto; sic partes stringit, putredinem & serpentia oris ulcera coercet ac persanat, laxis gingivis firmitudinem præstat, mucum & tartarum circa eorum radices hærentem abstergit, eademque loca purificat, gratum ori saporem inducit, linguæ fastidia tollit, quæ in ardentem pennam excurrere potuissent. Datur & hic liquor commodissimè febrientibus aqua cichorij, endiviæ, acetosæ, nymphææ, lactucæ, fragariæ, aut alia convenienti mixtum, tuta sanè ac larga dosi. Est enim remedium securissimum, quod purgato prius corpore, utpotè alterando febres fugat, quascunque viscerum obstructiones aperit, ac penetrat, oris amaritudinem tollit, & aufert, cibi fastidium adimit, appetentiam instaurat, prasinam bilem, ejusque ferociam domat, & quosvis fellis insolentes motus molestos, periculique subinde plenos compescit, ac exustis internis calore partibus solamina præbet.

In Epilepsi morbove comitiali cum aqua vel spiritu cerasorum nigrorum, aut cum stillatitio pæoniæ, aut florum tiliæ, lilij convallij, aut rorismarini vel dentariæ liquore salubertimè porrigitur, præsertim si ex consensu ventriculi & nervorum sexti paris ei im-

plantatorum conspiratione morbus originem traxerit, aut exinde dependeat.

In dyspepsia & bradypepsia ventriculi vino permixtum, utiliter exhibetur: In renum ac vesicæ obstructionibus, & urinæ suppressione, cum aq. saxifragiæ, ononidis & linariæ: at in hydrope cum aqua lumbricorum terrestrium & modico sirupi cinamomi, salubriter porrigitur: ut & in affectibus uterinis, cum aq. panacis Heraclei, Artemisiæ, melissæ &c.

Præter alias quamplurimas, quas in se hoc phlegma continet utilitates, longævitati maximè idoneas, vim quoque habet mundificandi, aperiendi, obstructiones reserandi, ac viscera purificandi, & ab infractibus liberandi. Humidum præterea radicale conservat, firmatque omnes ac singulas partes, nutricationi dicatas, sanguinis adustionibus, jecorisque exæstuationibus medetur, phlogoses reprimit, cerebri meatus aperit, internas putredines arcet, sudores movet, præsertim si cum aqu. cardui benedicti aut pimpenellæ porrigatur. Febrium pestiferarum malignitatem pessundat, ac in ipsa peste sudaturo cum aq. Stapediana porrectũ, veneni vires frangit, eaq; tam in chimia quã medicica præstat opificia; phlegma hoc etsi infirmius sit spiritu, at continuato usu, & idipsum præstat, quod spiritus, licet paulò tardius; Phlegma enim aquositate sua spiritus acrimoniam nonnihil retundit, ac ejus subtilitatem suo quodam pondere deprimit, ita ut agilitatis perfectio in phlegmate multo sit remissior, at verò etiam scrupulosis (tametsi nullus hic sit metus, nec ullius emergentis mali inexpectati formido) securior visa. Hæ sunt virtutes hujus nobilissimi medicamenti, pro quorum thesauro Domino Deo nostro Jesu Christo sit immortalis laus, honor, gloria, & gratiarum actio sempiterna.

Modus destillandi hoc phlegma sive rorem ⊖-li facilis est, & omnibus pharmacopolijs notus, & describitur ab *Angelo Sala*, *Schrœdero*, *Rolfincio*, alijsque quamplurimis Medicis, præcipuè verò à *Paracelso* (qui summum dicit arcanum pro caduco in ⊖-lo esse & non in oleo, sed volatilitate) ideò hic ejus processum recensere supersedeo. Id tam sciat B. L. quod ex una specie vitrioli, major copia roris seu phlegmatis, cum suo spiritu volatili elicitur, quam ex alia; cui & multum ad hoc negotium adjuvare solent vasa destillatoria, in quibus ratione materiæ maxima est diversitas, & multo major quantitas extrahitur ex ollis seu matracijs ferreis, si vitriolum inde destilletur, quam ex vasis terreis, lapideis, vitreis, seu vitreatis, quod ipse sæpius observavi, & *Cl. Dn. D. Cnœffelius*, in manuscripto suo laborum chimicorum sibi curiose & diligenter annotavit; placuit ergò hîc annectere tabulam, ex qua uno intuitu quasi oculis opponuntur labores circa hoc phlegma, quo diversis temporibus, ex diversæ speciei vitriolo, varijsq; vasis, à sæpè citato authore elaboratum fuit, & semper plus ex uno, quam ex alio extractum est.

[*Hîc consulatur Tabula pag. seq.*]

Crediderim vero, quod *Anthor noster* tempore praxis suæ hujus phlegmatis vitrioli plus consumserit, quam fortasse omnes reliqui Medici in Polonia spatio integri seculi; quod *ipsius observationes & curationes* contestari possent, si aliquando à consanguineis proderentur & typis excuderentur. Id vero ut fiat, sicut cordicitus opto, sic inprimis laudati toties *magni nostri Andreæ Cnœffelij* Germano ex fratre filium, *D. Andream Cnœffelium Reg. Maj. Polon. Secretarium, Medicum aulicum, & Consulem Mariaeburgensem, amicum meum singularum*, hisce paramanter invitatum volo, rogans ut hæc & alia patruelis sui MSSta, hactenus quasi sepulta, posteritati, pro hoc beneficio sine dubio perspetim gratæ, communicare velit.

Spiritus Vitrioli roridus per cohobia.

Paracelsus in solo vitrioli phlegmate destillatione ad siccitatem usque peracta non contentus ulterius progrediebatur colcothari nempe rubeo reddendo suum phlegma, idq; toties cohobando, h.e. novies aut decies reaffundendo ac destillando, dum spiritus omnes humidi & sicci evocarentur ab ipso colcothare, unde longè potentius & efficacius reddebatur remedium. Qui ergò spiritum istum desiderat, is procedat in hunc modum.

℞. Vitriol. opt. Hungar. ℔v. destill. ex phiala vitrea s. terrea XX. Liquor s. phlegma colligatur & cohobetur super caput mortuum, destillando usque ad nonum alembicum, qua phrasis Theophrasti in sensu disjuncto ita accipienda est, ut prior destillatio super caput mortuum per octo cohobia repetatur, atq; sic per nonũ alembicũ labor absolvatur.

Not. Hoc phlegma, quod post quartam cohobationem colligitur, est ille spiritus vitrioli roridus communis à Cl. Dn. D. *Rolfincio in Chimia in artis form. red. l. 3. c. 7.* descriptus, cephalicum & antepilepticum insigne, cujus dos. à ℈j. ad ℈ij. in aqua liliorum convall. s. q. & ab ipso tingitur ligno paranambuci vel torna solis in colorem rubicundissimum.

Colcothar vero post nonam cohobationem cum suo phlegmate & spiritu prorsus imbuto indatur retortæ Waldenburgicæ & recipiente admoto atq; gradibus ignis observatis in furno reverberij destillentur spiritus omnes humidi & sicci, qui tanquam thesaurus in vitro asservandi sunt.

Paracelsus imbibito hoc modo colcothari, (*per nonum sc. alembic.*) V̄i rectificati admiscebat tantum, quantum pro imbibitione sufficiebat, ut instar pastæ fieret, commixta post peractam digestionem per unum atq; alterum diem, omnia dicto modo in recipiens nudo & simplici igne gradatim adaucto destillabat: tandem theriacalis aquæ camphoratæ quarta parte adjuncta denuo destillabat. Medicamentum inde in epilepsia admirandæ virtutis, & longè potentius ac efficacius, quam phlegma antecedens, tam ad excitandum durante paroxysmo, quam ad præcavendum ac curandum morbum. Dos. ℈ß. in liquore aliquo congruo. Hic spiritus ⊖-li compositus, si rectè paratus est, solvit folia auri injecta, à Chimicis *spiritus vitrioli aurificatus Paracelsi dictus*.

Spiritus Vitrioli roridus per cohobia,
à Dn. D. Andrea Cnœffelio,
anno 1638. d. 15. Febr. & seqq. eleboratus.

Hac ipsa die Dn. D. *Bertramus* de suo vitriolo depurato ℔v. in meo laboratorio destillationi destinavit. Phlegmatis leni igne inde prolecti ℔iß. quaterno cohobio abstracta est.

Die 16. 17. 18. 19. dicti mensis, qua ultima celebrabatur cohobatio, proliciebantur tres octavæ ℔ræ, hæ die 22. capiti mortuo affusæ ℥iß. destillatione reddiderunt.

Die 15. Marti. ⊖-li ℔ vj. in curcurbita terrea cum alembico vitreo in anemium missæ circiter ℔iß. phlegmatis reddebant.

D. 16. cap. mortuum suo phlegmate iterum nutritum, reddebat in destillatione ℔*ij.* ℥*iv.*

Die 17. in secundo cohobio accepi ℔*j.*

D. 18. in tertio cohobio accepi ℔ß. cum ℥*ij.* (s. ℥*x.*)

D. 19. in quarto cohobio accepi *unc. vj.*

D. 20. in quinto cohobio accepi *unc. iijß*

D. 21. in sexto cohobio accepi *unc. iiß.*

D. 30. in septimo cohobio accepi *unc. ij.*

Talu-

Tabula Laborum Roris Vitrioli diversis temporibus & modis, variisque Instrumentis destillati.

Destillationis Annus	Dies	Species vitrioli crudi.	Pondus ⊖li	Vasa destillatoria.	Fornaces & gradus ignis	Spatium temporis destillationis.	Quantitas phlegmatis extracti
1638.	15. Febr.	Ex vitriolo Bohemico	libr. 5.	in retortâ terreâ	igne aperto in fornace probatoriâ	sex horis	℔ß.
1638.	15. Mars.	Ex vitriolo Bohemico	libr. 6.	per alembic lapideum.	in fornace acediæ dictâ	sex horis	℔ß.
1654.	13. Julij.	Ex vitriolo Silesiaco	libr. 12. libr. 12.	per ollas terreas duplicatas.	in fornace calcinatoria tectâ	hor. 12. hor. 12.	unc. 38. unc. 30.
1654.	12. Sept.	Ex vitriolo Hungarico in Poloniâ	libr. 12,	per ollas duplicatas Casimirianas.	in fornace dissolutoriâ tectâ	hor. 24.	unc. 41.
1654.	6. Nov.	Ex vitriolo Hungarico	lib. 12. lib. 12, lib. 12. lib. 12. lib. 12, lib. 12.	in sex cucurbitis ferreis	in fornace ventosâ longâ	hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24.	unc. 30. unc. 30. unc. 30. unc. 30. unc. 30. unc. 30.
1655.	16. Mart.	Ex vitriolo Hungarico à Judæo Cr. empto.	lib. 12. lib. 12. lib. 12. lib. 12. lib. 12.	in quinque cucurbitis ferreis	in fornace ventosâ longâ	hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24.	unc. 44. unc. 44. unc. 44. unc. 44. unc. 44.
1655.	18. Mart.	Ex vitriolo Suetico Dantisci empto	lib. 12. lib. 12. lib. 12. lib. 12.	1. in ollâ terr. 2. in ollâ ter 3. in cucurbi- 4. tis ferreis.	1. in fornace 2. calcinator. 3. ex arenâ 4. ex arenâ	hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24.	unc. 40. unc. 40. unc. 40. unc. 40.
1655.	12. April.	Ex vitrioli Goslariensi	lib. 12.	in cucurbitâ ferreâ	fornace ventosâ	hor. $18\frac{3}{2}$.	unc. 60.
1655.	10. Maij.	Ex vitriolo Goslariensi	lib. 12. lib. 12.	ex ollâ ferr. ex ollâ ferr.	in furno ventoso	hor. $18\frac{3}{2}$ hor. $18\frac{3}{2}$.	unc. 63. unc. 63.
1655.	25. Maij.	Ex vitriolo Goslariensi	lib. 12.	ex cucurbitâ vitreâ	in arenâ	hor. 24.	unc. 46.
1655.	7. Junij.	Ex vitriolo Goslariensi	lib. 12. lib. 12. lib. 12. lib. 12. lib. 12. lib. 12.	in sex cucurbitis ferreis	in fornace ventosâ novâ & nondum exsiccatâ	hor. 28.	unc. 68. unc. 60. unc. 60. unc. 54. unc. 52. unc. 54.
1655.	16. Julij.	Ex vitriolo Hungarico	lib. 12. lib. 12. lib. 12.	Ex vitreâ ex ferreâ ex ferreâ cucurbitâ	in fornace ventosâ	hor. 26.	unc. 52. unc. 60. unc. 53.

D. 31. In octavo cohobio accepi ℥iß. quem liquorem iterum capiti mortuo affudi.

NB. *Paracelsus* voluit novem destillationes, quibus peractis omne phlegma à capite mortuo absorbetur, ut sic decimâ destillatione meri spiritus prodeant, & hoc ipse vult per novum alembicum.

In isto labore hoc peculiare adverti, quod in quavis destillatione ⊖ ⊕ *li volatile* in ⅩⅩco sublimatur; & idem cum phlegmate elutum colcothari cum manifestâ semper ebullitione redditur.

D. 8. Aprilis, sex illas vitrioli libras, quas 15. Martii destillaveram, & postmodum septies cohobando, suo phlegmate nutriveram, mane destillare cœpi, per totam noctem urgendo opus, atque sic porro die 9. & 10. usque ad meridiem undecimæ, [toto eo tempore vapores commissuram vasorum penetrantes moschum gratissimè redolebant,] quando ignem extingui passus sum, & postmodum duodecimâ receptaculum removi; in eo spiritus densioris ac foris ex brunno flavescentis uncias sex cum semisse reperi. Puto me plus potuisse acquirere, nisi animadvertissem vas seu urceum in fundo rupisse adeoque non parum materiæ per rimas penitus rubras excidisse.

Notandum ergo in posterum, ut diligentius caveatur, ne in cohobationibus urceus in vehementi illa ebullitione rumpatur, [pedetentim itaque phlegma affundendum est, haut largiter aut confertim,] quin &, ut pro destillando cohobato colcothare recens urceus adhibeatur, eique regula latior, pro defensione vasis ab ignis nimis vehementer feriente flammâ, substernatur. Colcothar residuum ex supra dictis sex libris materiæ destillationi destinatæ, pendebat jam libram unam cum unâ quartâ.

Mixtura Antepileptica in forma solida.

Rec. *Extract. opii inspiss. granor. paoniæ inspiss. radic. mandragor. ana* ℥ß. *paon. visc. querc. ana* ℥ *ij. semin. papav. alb. & nigr. ana* ʒ*vj. mag. cran. hum. resol.* vel loco hujus *gelatina, corall. rubr. butyr. ana* ℥ *j. misc. probè in mortario vitreo, sign. ut supra. Dosis* ℈ß. *ad gr. xv. &* ℈*j.*

Mixtura Antepileptica in formâ liquidâ.

Rec. *Spir. sedativ. nostr. simpl.* ℥*iv. aq. flor. tiliæ c. propr. liquore dest. paon. ex toto, sc. c. rad. & flor. cerasor. nigr. papav. errat. ana* ℥ *ij. rad. peon. pulverisf.* ʒ *vj. visc. quercin. subtil. pulv. semin. papav. alb. & nigr. ana* ℥ß. *cortic. mandragor. cran. hum. raspat. ana* ʒ *iij. cinnab.* ♁*ii* ʒ*j.* ℈*j. camphor.* (quæ aliquando omittebatur) ʒ ij. Pulverisf. & cum liquoribus optimè prius commixta & agitata stent per quadraginta dies in leni digestione, postea colentur per linteum rarum.

Antepilepticum est excellentissimum. Dosis est à ℈ j. ad ʒ j. & aliquando ʒ ij. & maximè circa paroxysmum. Sumitur etiam vel quotidiè, sed inprimis circa novilunium & reliquas lunæ quadraturas, præmissa purgatione cum pilulis nostris antepilepticis helleboratis.

Species pro extr. sedativo generali, aliàs Specificum Antepilepticum Cnœffelianum.

Rec. *Sandal. rub. opt. pulv. opii nostri citrati ana* ℥ *iij. rad. solani, cort. mandragora, gran. paon. excort. ana* (prius pulv.) ℥ß. *sem. papav. albi & nigri ana* ʒ*vj. cranii humani pulv. coralliör. rub. opt. praparat.* seu *magist. butyr. visci quercini, rad. pœonia corstell. ana* ℥ *ij. Misceantur & fiat pulvis subtilissimus, cui adhuc adde panacea* ☉*aris gr. xx. fixati* ʒ *j.* (*pro unica dosi & aliquando gr. iij.*) *denuo misceantur in mortario lapideo. Est singulare remedium in omnibus affectibus capitis, præsertim in epilepsia, apoplexia, paraphrenitide, mania, vertigine, & memoria deperdita, aliisque morbis quamplurimis. Dosis à* ℈ ß. *ad* ℈ *j. in aqua appropriata. Inde fit.*

Mixtura Antepileptica ordinaria.

Rec. *Specificum antepilepticum tali modo concinnatum,* cui admiscebis ∽ *sedativi,* [*lil. convall. scilicet cum phlegmate vitrioli superius descripti*] ℥ *xl. factâ circulatione per spatium unius mensis, subtile à spisso decantatum, asservetur in vitro benè clauso, tandem & ultima bina ingredientia : scilicet panacea* ☉*laris cum fixato jungi possunt.*

Non solum in epilepsia & apoplexia, sed & in omni inquietudine, perturbatione mentis, vigiliis & doloribus, atque perturbationibus capitis, maximè in febribus calidis & malignis, cum deliriis, hanc Medicinam cum exoptato successu Clarissimo Author adhibere solebat.

Dosis ʒ j. ad ʒ ij. in emulsionibus consuetis.

Mixtura Topica sive localis interna, & Extractum sedativum generale Cl. Dn. D. Cnœffelii, prout anno 1654. d. 3. Mart. ☽. fuit concinnatum.

Ex diar. MS. laborum Chimicor. authoris.

1. Anno 1654. die 3. Martii, ☽, infudi localem mixturam, pro futuro usu, & processu nuperrime DEI gratia invento, totam absque defectu, (exceptis cran. human. & corall. ut in sequentibus patebit, modo tractandis) cum 🜄 bis destillato, sed tamen propter certas causas per destillationem in alcool non rectificato; hujus 🜄 pro mixtura specierum omnium prædictarum, pro prima extractione erant ℥XL.

2. Pro secunda & ulteriore infusione extrahendarum specierum prædictarum, iterum affudi ejusdem 🜄 ℥XL. stetit ab octava hujus, usque in 13. diem Martii in infusione, & sic quinque diebus; filtravi extractam, TRam, & cum præcedenti commiscui.

3. Pro tertia & ulteriore infusione harum specierum, denuo affudi 🜄 non adeò rectificati (die 13. Martii) ℥XL. stetit usque ad extractionem TRæ ad diem 19. Martii, ♃.

4. Pro quarta & ulteriore infusione specierum, die 20. Martii, ♀, iterum affudi 🜄 non adeò rectificati, ℥ XL. & iterum stetit ad extractionem TRæ, usque ad diem 27. ♀.

5. Pro quinta infusione specierum, die 27. ♀ denuo affudi 🜄 non adeò rectificati ℥xxx. stetit usque ad extractionem ad diem 6.

6. Pro sexta infusione specierum, die 4. Aprilis denuo affudi 🜄 non adeò rectificati ℥xxx. stetit usque ad sufficientem extractionem, diem nempe 14. Aprilis.

7. Pro septima infusione specierum, die 15. Aprilis denuò affudi 🜄 non adeò rectificati ℥ xxx. Stetit usque ad sufficientem extractionem, diem nempe 5. Junii.

Spiritus omnes tincti, per cucurbitam in MB. abstraxi, & in patella mea argentea tandem evaporando, ad consistentiam & spissitudinem mellis redegi.

Not. 🜄 iterum abstractus, ad alios usus, & pro spiritu sedativo simplici asservandus est.

Extracto sedativo ita parato, admisceantur adhuc *magist. corall. butyrac. gelatina cranii humani* seu *magisterii ana* ℥ *j. Fiatque massa optima consistentia. Sign. Extr. sedativum generale.*

Remedium excellens & singulare est, non solum in epilepsia, sed & in mania, delirio, & aliis adhuc infirmitatibus cerebri, in quibus cum emolumento exhibetur.

Dosis ℈ß. ad ℈ j. per se in forma pilularum, vel cum

cum liquore quodam solutum, in, ante, & post insultum.

Mixtura alia Topica sive localis interna, aliàs Sedativum generale per extracta dictum.

℞. *Extract. sandali rub. inspissati, opii citrati inspis. granor. paoniæ inspiss. rad. mandragoræ ana unc. ß. papaveris alb. & nigr.* (*per express. & digest*) ʒ *vj. visc. querc. inspiss. rad. paoniæ inspiss. magist. cranii humani butyrac.* (vel ejus loco *gelatinæ*) *coralliorum butyrac. ana unc. ij aq. cinamomi* ℥ *vj. phlegm.* 🜍*li* seu 🜄 *sedativi simpl. unc. xx. sir. entis tiliæ,* seu *paoniæ unc. vj. m. f. Mixtura in duabus lagenis. una cum camphora,* 🜄 *o sive* 🜄 *camphorato, absque sirupo, altera sine camphora.*

Pomum Epilepticum.

℞. *Rad. paoniæ constellat. visci quercini suo tempore coll. granorum paoniæ certo temp. coll. ungulæ alcis veræ, cranii humani raspati,* (*triquetri*) *coralliorum rubr. ana unc. ij. lap. smarag.* ʒ *vj.* 🜍 *l. cypr. succini pulveris. ana unc. j. Omnia prius separatim pulverisata commisceantur in mortario terreo vitreato, & cum gummi cerasorum nigrorum in aq. paoniæ seu liquore arboris tiliæ dissoluti q. s. fiat massa tenax, ex qua postea formentur duo poma manibus tenenda, ante accessum paroxysmi.*

Ex hac massa fiunt & amuleta, in forma cordis, item globuli seu corallia variis formis, quæ collo appensa & circa manus alligata, præsidium sunt optimum ad præservationem ab epilepsia.

Nota 1. Pro fœminis adjiciatur & castoreum.

2. Cum speciebus & possunt repleri sacculi ex sindone rubrâ, qui & collo suspendendi ad regionem cordis.

3. Radix pæoniæ colligenda est mense Aprili, sole existente in ♉ & ☽ in ♂ mane ante exortum solis, quam & per se collo suspensam epilepsiam arcere ipsemet *Galenus* autumat *lib. 6. simpl.* in puerulo ab epilepsia infestato, qui gestata hâc radice, inculpatè agebat, ipsâ verò decidente, protinus convulsionibus novis corripiebatur, ac demum ejusdem beneficio rursus sanitati fuit restitutus.

4. Viscum quercinum, ut & coryli nec non pyri arboris, item tiliæ & sambuci, [quæ omnia hanc mirificam virtutem habent repellendi epilepsiam, collo solum subnexa] colligitur ☽ â decrescente inter duo Mariæ festa, hoc est à die 15. August. usque ad 8. Sept. Volunt autem illud quod terram non attigerit, nobiliorque habetur illa pars, quæ quercui proprior refecta est. Testes sunt: *Matthiol. Commentar. in lib. 3. Dioscori Levin. Limnius lib. 2. occult. Philosoph. cap. 3. Bonicerus in herb. cap. de visco.* Unde & *Jodochus Harchius* de eo sic canit:

Quod legis è quercu, morbum curare caducum
Viribus occultis, creditur esse potens.

5. Grana pæoniæ colligenda quoque sunt in plenilunio, suspenduntur & à nostris mulierculis de collo & circa manus, pro arcenda epilepsia; [Sunt qui & loco illorum sibi *pisum Americanum coccineum,* aliàs abrus, eligunt;] quæ & teste *Camerario* cum aliis authoribus perhibent utiliter adhiberi, in dentitionibus, febribus & spasmis puerorum; Perelegantia sunt rotunda & nigra macula insignita, quæ corallis planè æmulantur, non modò corallinos globulos, nativi coloris elegantiâ provocant, sed etiam vincunt. Inde & propter elegantiam & duritiem è collo & brachiis gestantur. Quod nonnullas virgines nobiles interjectis parvis unionibus facere, observatur. Hispani Pharmacopolæ iis loco granorum hordei ad pondera utuntur

6. Ungula alcis & apud multos in magna est existimatione, insigni enim pollet adversus epilepsiam facultate, hystericæ item passioni & cordis affectibus opitulatur; sed non omnes ungulas hanc virtutem possidere scribunt, sed pro ætate, sexu, tempore, & ipsius jam unguis ratione, plurimum variare. Fœminæ ungulam hac facultate nequaquam pollere, verùm maris solùm, nec pulli, sed adulti, idque eo tempore, quo in venerem ferri incipit hoc animal, nempe inter festum Assumptionis Mariæ & Nativitatis ejusdem, majorem virtutem & ungulis posterioribus quam anterioribus adscribunt, & horum quidam pedi dextro, alii sinistro: alii omnes hac vi pollere, non sine ratione asserunt: sunt & qui velint, has ungulas ab animali adhuc vivente dicto tempore præscindendas esse. Ut quis ab his morbis hujus unguis beneficio præservetur, annulum ex eo confectum in annulari sinistræ manus aut particulam collo suspensam gestet, ut cordis regionem tangat. Testes sunt *Andr. Baccius de Alce. Schenckius Obs. Med. l. 1. Joh. Agricola lib. 2. med. herbar. Gesner. de quadruped. cap. de Alce. Apollonius Menabenus. Aldrovandus de quadruped. Pedemont. in lib. de secret. Severinus Gœbelius de Alce. Petrus Monavius,* & *Johan. Daniel Mylius lib. antid. cap. 6. Unzerus de epilepsia lib. 2. & plurimi alii.*

7. Cranium humanum. Cranium hîc eligitur hominis suspensi, Solis & Lunæ radiis expositi, & non humati: *Crollius* vult, ut pars anterior & non posterior, & fœminæ fœmineum, ac mari masculum accommodetur, inprimis ossiculum illud triangulare & triquetrum, quod in nonnullis (alii in epilepticis, alii in strangulatis) tantùm reperiri asserunt.

8. Corallium rubrum. Quod corallium rubrum, ad collum portatum, ex occulta quadam proprietate multis abundet virtutibus, quod & præsidium sit, ad præservationem ab epilepsiâ, testatur *Hugo Senensis in tract. de epilepsia. Sylvius in sua Practica. Nicol. Piso de med. morb. Anton. Mizaldus in cent. ex Arnoldo Villanov.* & *Claudius Deodatus, Panth. Hygiast. lib. 1. p. 116.* qui ita scribit: Corallium à sano gestatum homine elegantiùs multò rubet, & si jam à morituro, aut periculosè laboranti gestetur, pallescit, livescit, variisque maculis fœdatur. Corallium est celebre amuletum, contra manes, dæmoniacas illusiones, insomnia falsa, terriculamenta, fascinationes, incubos, incantationes, venena, epilepsiam, fulgura, fulmina, marinasque tempestates, & quævis pericula. Pisis in Italiâ, frutex elegans coralli cranio humano innatum, conspicitur, qui præ aliis epilepsiæ remedium esse potest, modo tales frequentius invenirentur.

9. Vitriolum, ad poma epileptica componenda, eligitur hîc sapphirinum, quod ☉e in ♌ existente, tempore non pluvioso, sed sereno, frustulatim, radiis solis; horis 360. exponitur, donec albescat. Vitriolum ita concinnatum, est ille pulvis sympatheticus, de quo *Papinius in dissert. Digbaus,* & alii. Cum hoc vitriolo Cyprio sapphirino adhuc crudo, experiri aliqui volunt, an æger ex morbo aliquo periculoso evasurus sit, si nempe guttula una atque altera sanguinis infirmi, ex basilica prius extracti, (sive è naribus per se stillantis) super hunc lapidem instilletur, mutatio illius coloris salutarem sive lethalem monstrabit eventum. Ex relatione Illustriss. & Excellentiss. Principis & Domini, *Dn. Lubomirski,* Mareschalli Curiæ.

10. Smaragdum, vel à collo pendulum vel annulo gestatum, amuletum esse generosum, prodesse & comitiali morbo, omnes, qui ejus mentionem fecerunt affirmant. *Clar. Ol. Wormius in Museo cap. 18.* ejus extendit. Contra epilepsiam puerorum collo suspensus

pen'us, aut digito gestatus, eam impedit, ita ut aut morbum tollat, aut frangatur. Coxæ mulieris alligatus parum accelerat, ventri appositus eum retinet, ori inditus hæmorrhagiam sistit, & plures aliæ adhuc vires smaragdo à dicto Authore attribuuntur. Pro nostra compositione pomorum epileptic. loco illius Orientalis, substituitur & Europæus, qui in Cypro, Britannia, aliisque locis invenitur.

11. Succinum, ultimum hîc ingrediens, ad conficienda poma epileptica est succinum seu chrysolectrum, cujus genera, etsi plurima numerantur, attamen non nisi duo officinis in usum veniunt; album scilicet & flavum seu citrinum. Ex succino albo in Borussia conficiuntur pentacula, cordis formam habentia, item sphærulæ & monilia, circa collum & brachia, contra capitis frigidos affectus, & catarrhos, ubi præpediunt, ne destillationes in guttur ferantur, inprimis verò defendit ab epilepsia & peste collo ejus frustum periapti vice appensum, prius tamen septem planetariis pulsibus confrictum, de quibus *Helmontius de magn. vuln. curat. mihi fol.* 480. Globuli ex succino, & ad oculorum defluxiones, miro successu auxiliari dicuntur, annexi occipitio. Pila (inquit *Sennertus in med. pract. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 2.) è succino, si manibus gestetur & versetur, & incalescat, ac subinde naribus admoveatur, sine offensione excrementitios humores in capite absumit, idque roborat. Ex succino albo crassiusculè pulverisato, sacculus interpassatus, & essentia piperis longi, cum 🜄 extractâ, madefactus calidè applicatus suturæ coronali, est specificum in doloribus capitis frigidis, quales sæpè vexare solent mulierculas. Authores sunt *Hartman. in pract. chym. de dolore capitis*, & *Clar. Johan. Ferd. HerTod. à T.* in suo aureo libello, tartaromastix Moraviæ intitulato, *part.* 31. *p.* 37.

Corallia rubra factitia contra Epilepsiam.

Quoniam amuletorum hîc fit mentio, non abs re erit inserere unam & alteram coralliorum fictorum descriptionem, diversisque coloribus, quorum usus non solum ornandi causa est, sed & in eundem finem, nempe contra morbum comitialem, aliosque morbos capitis, instituitur. Ideo

℞. Rasura cranii humani, violenta morte interempti etiam per reiteratam impastationem, ⊖li volat. q. s. in pulverem subtilissimum redactæ, fragmentor. coralliorum rub. cum succo arboris tiliæ seu pæoniæ subtil. præparatorum ana ℔ j. rad. pæoniæ constellatæ, visci quern. pulveris ana ℥ iij. succini utriusque pulv. ʒ iß. lap. carpion. semilunar. supra eorum oculos reperibilium, quando haberi possunt, cinnabarii antimonii & nativi ana q. s. ad inducendum colorem nativum.

Omnia ac singula prius separatim pulverisata, & postea probè commixta cum albumine ovorum, vel mucilagine tragacanthæ (per succ. tiliæ factâ) q. s. redigantur in massam rubicundissimam, ex qua postea, coralliorum formâ, globuli, vel tabulæ perforatæ formentur, qui tandem benè exsiccati & positi, filô (ex nervis pedis sinistri alcis) connectuntur, & collo appenduntur: possunt & inservire pro brachialibus, aut coronis precariis, vel pro pomis lusoriis, manibus ante paroxysmum tractandis.

Ex eâdem massâ & amuleta fingi possunt, cordis formâ. Sunt &, qui solùm ex puris coralliorum fragmentis (prius in subtilissimum alcool redactis) cum albumine ovorum, & cinnabrio antimonii seu nativô, q. s. ad naturæ æmulationem, globulos efformant.

Coralliorum imitationis modum docent *Johan. Bapt. Porta. Anshelm. Boetius de Boot lib.* 2. *de lap. & gemm. cap.* 115. Item *R. P. Athan. Kircher. in mundo subterraneo lib.* 12. *part.* 3. & præ aliis satis curiosè *Cl. Joh. Ludov. Gans, Med. Franc. in histor. Coralliorum. cap.* 10.

Et nobis adhuc restant modi varii ad imitanda illa arbuscula coralli rubri, nempe ad externam formam & colorem, & ita accurati, ut à veris & naturalibus vix discerni possint, quorum descriptio in alio loco suo tempore communicabitur.

Corallia contra Epilepsiam nigri coloris.

℞. Ungularum alcis in subtiliss. scobem redact. ℔ ij. lixivii cinerum fraxini, per aquam tiliæ seu pæoniæ fact. q. s. Mixta stent in digestione per 14. *dies postea coquantur tam diu, donec materiæ liquescant & in pultis crassioribus formam abeant. Separato pulmento adde cranii alcis & cornu alcis in olla nova & clausa ad nigredinem, vel tam diu, donec pulverisari possint, una ℔ j.*

Vel quod melius erit, cranium & cornu alcis limâ in subtilissimam scobem redacta in mortario lapideo, cum *aq. pæoniæ* seu *tiliæ* q. s. in massam satis crassam impastata, super chartam deinceps claudendam extensa, iterum exsiccentur, & pulverisentur; labore eo bis vel ter repetito, donec in subtilissimum pulverem redigi queant: quibus adhuc adjicitur

gum. ladani, *benzoin. an.* ℥ jß. *animæ,* *storacis an,* ʒ ß. *mosch. & ambr. ad pl.*	Pro fœminis loco horum admisceantur	*gum. animæ,* *galbani.* *myrrh. rub.* *succini an.* ʒ j. *castorei & camph. ad pl.*

& cum *mucilagine tragacanthæ* per *aquam pæoniæ* vel *tiliæ* factâ fiat massa tenax, ex qua figurentur corallia, quæ benè exsiccata adhuc torno adhibito, poliri possunt. Globuli tandem perforati, filo trajectos (ex nervis alcis, sinistri pedis scilicet) collo & brachiis coralliorum & margaritarum naturalium, inservire possunt. Ex massa formentur & in typo argenteo, amuleta cordis formâ, collo appendenda; vel poma magna, circa paroxysmum manibus tenenda, prout curiosis placebit. Tempus efformandi globulos instituitur ⊙ e existente in ♌ e, ☽â verò decrescente. Non solum epilepticis, sed & lunaticis inserviunt.

Amuletum Cœlestinum, contra vertiginem melancholiam & ipsam Epilepsiam.

℞. Cornu alcis raspat. & in subtil. pulv. redacti, cranii humani raspat. & in pulv. subtil. præp. (per reiteratam impastat. cum aqua n. epileptica) ana ℔ ß. stercoris pavonis, succini albi subtil. pulverif. lapidis lazuli, armeni, ana subtil. præp. q. s. ad inducendam colorem cœlestinum. f. cum gum. tragacanthæ [per aquam pæoniæ prius dissoluto] q. s. præstat, unde formentur placentulæ rotundæ, vel cordis formæ, vel corallia perforata, quæ in umbra prius bene exsiccata à tornario poliri possunt, ac monilium & armillarum loco gestari debent. Vel ipsa pasta includatur capsulæ argenteæ perforatæ vel zendalo rubro, & suspendatur, ut jam dictum, de collo ad regionem cordis, ut stomachum tamen contingat. Virtutes horum titulus indicat.

CORCULUM BENEDICTUM

CNOEFFELIANUM.

Sæpè à nobis præmemoratus p. m. Dn. D. *Andreas Cnœffelius*, Archiater quondam SS. RR. MMaj. Joannis Casimiri & Uladislai IV. Regum Polon. & Suec. aliam adhuc extraordinariam possidebat Medi-

Medicinam, lapidem nempe factitium, in forma cordis efformatum, hunc pro corculo suo benedicto habebat, (sic ei indiderat nomen) illud in capsula aurea perforata, formaque cordis elaborata, semper collo appensum secum portabat, rem pro magno & glorioso arcano, & thesauro singulari habens.

Usus hujus corculi benedicti erat in epilepsia, mania, delirio alijsque morbis capitis; item pectoris aliarumque partium; maximè in morbis acutis, malignis inquietudinibus, & in illis morbis, ubi aliquando tot symptomata ac symptomata symptomatum fuerunt, ut vix morbos ipse dignosci potuerit.

Modum verò sequentem. *Cl. Dn. D. Cnœfelius* in administratione illius servavit. Hoc corculum perforatum, seu capsulam auream, multis foraminulis elaboratam, cum incluso lapide immisit in liquorem aliquem, scilicet destillatam aquam, decoctum hordei, vel aliquando etiam in simplicem aquam fontanam ordinariè verò eligebat sibi emulsionem aliquam ex seminibus idoneis, vel amygdalis seu alijs nucleis, & similibus rebus extractam, quando eam habere potuit: ibidem reliquit spatium, quo oratio Dominica recitari posset præter propter, pro constitutione morbi, & symptomatum, nonnunquam iteratis vicibus ter vel quater; liquorem itaque sic Medicinâ infectum, infirmis suis postea (ut ego ipse sæpiùs observavi,) maximè delirantibus, in febribus acutis, item fœminis hystericis, pro compescendo utero propinavit, vidi & hoc, quod sumto isto potu, paulò post infirmi quiescere & ad somnum inclicare soliti sint, expergefacti, se melius habuerint, & *Dominus Cnœffelius* sic medicamenta sua specifica, sibique familiaria & morbo resistentia adhibendi opportunitatem obtinuerit.

Capsulam verò auream seu corculum benedictum, cui hic lapis inclusus occultabatur, post dictam infusionem strophiolo abstergebat, id interdum propria lingua lingens, antequam è collo regioni cordis iterum appenderet. Observavi etiam ipsum illam infusionem seu potum non facile administrasse nisi in summa necessiate.

Tandem ex quibus *corculum hoc benedictum Cnœffelianum* fuerit compositum, ne videar invidus, libenter exponam. Dico itaque compositionem hujus lapidis in nullo recedere à *lapide Butheriano*, seu *Drif. Helmontij*, & illum eandem cum hoc Medicinam fuisse, cujus explicationem & descriptionem *Dn. D. Cnœffelius* (in reditu suo ex Gallia per Belgium) ab ipsomet *Dn. Helmontio* accepit, ex libro manuscripto ejus, per me excerpto, quæ talis erat:

℞. *⊖is Philosophici ℥iij. ß. sulphuris philosophici ʒj. usneæ cranij humani gr. iij. Misc. ad mentem Helmontij tali pacto: Sali marino fuso, à fece extracto, ante omnimodam condensationem commisceatur subtriplum entis veneris; tigillum cooperiatur; dum autem refrixerint, contundatur in pulverem, cui adjungenda usnea; pulverem commixtum tandem, cum ichthyocollâ solutâ in trochiscos super lapidem compingi oportet, sic compos eris tui desiderij.*

Hîc vero notandum, pulverem prius cum grano uno atque altero medullæ panis siliginei recentis & mollioris impastandum, postea cum ichthyocolla imbuendum, & miscendum, sic tandem desideratum lapidem efformandum, quem exsiccare tandem oportet inclusum charta, in loco umbroso & temperato.

Alioquin absque pane, negotium non benè succedit, quod compendium Helmontius silendo transivit.

Paratur & *Drief Helmontii* modò in Germania à multis curiosis doctisque viris, an verò promissis hoc remedium respondeat viribus, mihi adhuc experiri non licuit.

Quæritur & hîc, *Ens veneris Helmontij* quid sit? & quomodo ita dicatur? quomodo præparetur? quo fine? quos usus præstet? quid habeat? Hic solum aliquid de ejus usu & virtute; qui plura desiderat, inspiciat. *Helmontij tract. de lithiasi*, & quidem integrum caput octavum, ubi fusius hanc materiam tractat. Hujus fixati, quod *Helmontius pag.* 347. (in quart. edit. novill.) commendat, fit & mentio *à Joann. Pharam. Rhumelio, in Antidotario suo Chym, pag.* 151. sed non satis sequestrati. *Clariss. Dominus D. Andr. Cnœffelius* in præparatione atque sublimatione illius sequentem hanc observabat proportionem & modum.

℞. *Vitrioli seil. phil. prius calcinati, p.* 2. ⊖ *✳ci p.* 1.

Terantur primo singula, post misceantur exactè & chimico more sublimentur; labor iterum iterumpue repetendus, scilicet quater vel quinquies, semper admixto proprio capite mortuo, ubi in singula elevatione copia florum minuitur. Vide plura superius in præparatione medicamentorum sedativorum, ubi explanatius & dilucidius sulphuris philosophici fit mentio.

Sal marinum philosophicum est sal illud, ex capite mortuo salis marini, post destillationem spir. extract.

De usnea cranij hominis videatur citatus Helmontius de vulnerum curatione §. 41. *usque ad* §. 62.

CERA.

De ea vid. in genere sub *Apes*. Hic tantum de *Cera ad obsignandas literas, Hispanica dicta*, *deque Cera Catholica Burrhi*, *improprie sic vocata Cera Hispanica.*

℞. *Picis Hispanic.* ℥iij. *Mastich opt. succin. ppt. cinnabar. artific. āā* ℥j. *fundantur & commisceantur omnia ad ignem lentum, post formentur in bacillos, qui si fragiliores videantur, tantillum terebinthinæ compositioni admisceri poterit.* Fælix Passera in Thes. Pharm. Italicè conscriptô.

Alius modus.

℞. *Terebinth. Veneta* ℔. ij. *gumm. Lacca* ℥ij. *cinnabar. artific.* ℥ß. *minij* ʒj. *spir. vini* ℥ij. *Bulliat primum terebinth. in aq. comm.* ℔. *xij. usque dum probè durescat; post igne lentô liquefacta, ipsi admisceatur spir. vin. cum lacca, & tandem cinnabar. ac minium minutissimè pulverata: omnibusque bene unitis, exinde formentur bacilli super marmore cum manibus aquâ vitæ madidis.* Idem ibidem.

Cera Catholica Burrhi.

℞. *Gumm. anim heder. elem. tacamah. sagapen. carann. bdell. thur. āā* ℥ij. *opopanac.* ℥j. *balsam. Indic. sive opobals. veri* ℥ij. *M. & inde formentur Pilula.*

Vires non sunt contemnendæ in contumaci diarrh. & dysenter. cum pomô assatô datur. *Mollembrock. de Arthrit. vagâ.*

CERASTES. *vid.* sub titulo *Serpens.*

CERASUM & CERASUS.

Cerasus, Κέρασος *Theophr.* 3. hist. 13. fructus κεράσια *Diosc.* l. 1. c. 157. Cerasia & Cerasa; dicta autem à Cerasunte Pontico municipio, unde Lucullus Romanorum imperator, Mithridate debellato, primum in Italiam arborem intulit, & fructum gentilitio nomine Cerasium appellavit, Athenæo l. 2. & Plinio l. 15. c. 25. auctoribus. At verò ante id tempus, imò à mundi ipsius primordijs Cerasos in Italia spontaneas fuisse, quamvis fortasse neglectas & incultas minimè dubito.

Ce-

Cerasorum multa sunt genera, seu potius varietates, quas *C. Bauhinus* in Pinace explicat, Cerasa, inquit, alia sunt sativa, alia sylvestria. Sativa fructûs forma, colore, sapore; (adde & magnitudine) variant. Sunt enim pomi *figura*, turbinatiore, longiore, rotundiore, cordis etiam *figura*; & alia pediculo longiore, alia breviore, singulis vel pluribus unà coeuntibus, ita ut ex un petiolo vel singula, vel terna. quaterna, dependeant, vel in racemi modum coacerventur. *Colore* albo sed rarius, partim rubro, partim candicante, & quædam in maturitate parùm ex candido rubent, quædam magis, quædam planè cerea, quæ Pruno insita sunt; rubro, rufescente, nonnunquam in atrum vergente, nigro etiam, quædam nigerrimo & succo sanguineo labia & manus inficiente. *Sapore* dulci, acido, austero, ex dulci & acido admixto, alia amaritudinis quid retinent, non tamen ingratæ, Amerinæ dictæ: sic alia nimia sua dulcedine fastidium pariunt, alia ob nimium acorem respuuntur, alia ob aquei succi redundantiam insipida sunt. Similiter alia carne sunt prædura, alia carne molliore & teneriore sive aquosa constant, & in quibusdam caro pertinacius moleo adhæret, qui in alijs fragilior, & nucleo non insuavi est. Sylvestria etiam variant magnitudine, figurâ, & sapore.

Nos ex sativis pro specie distinctis habemus, 1. Cerasum vulgarem fructu rotundô, acido, rubro. 2. Cerasum fructu cordato dulci. 3. Cerasum acidissimum sanguineo succo. 4. Cerasum majorem fructu nigro parvo, subdulci, nigro colore inficiente. Forte etiam & aliæ nonnullæ specie differunt. Cerasum tamen flore pleno, pro naturæ lusu varietate quâdâ accidentali habemus.

Vires. Cerasa recentia alvum laxant, sicca restringunt. Item dulcia alvum subducunt, sed minùs grata sunt stomacho. Acida & austera pituitosis excrementosisque ventriculis sunt apta, sed astringunt.

Aqua acidorum Stillatitia, & cerasa ipsa in intinctibus febrilem ardorem compescunt, sitim extingunt & cibi appetentiam conciliant. Cum Saccharo condita ventriculo grata sunt, & inter præstantissima dulciaria à matronis nostris habentur: verum ob humorem aqueum abundantem diu asservari nequeunt.

Decoctum Cerasorum acidorum & arefactorum in affectu hypochondriaco summopere valere, imò hoc unico remedio complures convaluisse liquidò asseverare non veretur *Fernelius Consil.* 43. *ad D. de Matigny.*

Cerasa dulcia in morbis capitis, Epilepsia, Apoplexia, Paralysi, peculiariter proficua censentur. *Rissius apud J. B.*

Cuidam Nobili Apoplectico, qui per tres dies loqui non poterat dedi sp. Cerasorum, & loquelam mox recuperavit. *Tho. Kester. in sua chymia*, *cap.* de fructibus.

In balbutie & alijs loquelæ vitijs lavetur os sæpissimè cum sp. Cerasorum nigrorum, sunt enim insigniter cephalici, summopere roborant musculos linguæ & spir. ejus usui destinatos. *P. Jo. Faber. l.* 3. *c.* 14.

Dulcium nigrorum recentium aquam stillatitiam à nonullis ad Epilepsiam mirificè commendari ait *I. B.* in ipso paroxysmo in os infusam *dos* ℨ. 4. aut amplius. Hæc valde celebratur, & apud matronas in frequenti usu est ad motus convulsivos, præcipuè infantium. Lego apud *J. Bauhin.*, præstans hæc habetur à quibusdam adversus puerorum convulsiones, *Aq. Ceras. nigr. & flor. Tiliæ aquas partes misce. Dos.* ℥. *i. aut.* ℥. 2. *pro ætate.*

Ex cerasis vina seu potiones varijs modis parantur, vel per destillationem, vino Cerasis Alembico immissis affuso; vel infusione sola, vel ex succo expresso cum Saccharo mixto & fermentato. In Italia ex cerasis recentibus potionem parant *Macosco* dictam, quam bibunt antequam fermentetur. Æstivo tempore venalis in tabernis extat, ad refrigerandum utilis censetur.

Oleum e nucleis Cerasorum per expressionem elicitum maculas & lentigines cutis auferre dicitur illitu; utile quoque habetur Arthritidi, nec non calculo renum & vesicæ.

Gummi Cerasorum cum vino dilutum diuturnæ tussi medetur; colorem quoque commendat, visum acuit, & appetentiam invitat. Celebratur etiam vis lithontriptica ex vino potum. *Diosc. Galen.*

Nonnullis ut minus noceant Cerasa si ad satietatem eduntur, ossicula unà deglutire jubent. Verùm nobis tentantibus id malè cessit. Nam pluribus Cerasorum unà cum pulpa ossiculis deglutitis per aliquot post dies gravitatem & dolorem sensimus in fundo ventriculi, ex ossiculis ibidem restantibus ortum, qui ægrè nec nisi plurium dierum spatio expulsis sensim tandem evanuit. Forte ij quibus ventriculi tonus robustior est & validior totidem vel etiam plura sine noxa devorare possent.

Videmus Passeres qui plurimum cerasis delectantur eo tempore quo Cerasa matura sunt longè majora habere hepata quàm alias. Unde colligitur Cerasa hepar augere & corroborare. Experimentum est *Arnoldi Villa novani*, de cujus veritate dubito: nec tamen si verum esset inde sequitur quod ille deducit. Nam forte magnitudo hepatis morbosam potius quam sanam ejus constitutionem arguit. *Rajus.*

CERATONIA.

Ceratonia arbor est cujus fructus à Gallis *Carouges*, & à Græcis *Ceratia* dicuntur. *Meuve.*

CERATUM.

Ceratum à cera dicitur; remedium est consistentiâ medium inter emplastrum & ungentum.

Fit, cùm unguentis cerâ additâ conciliamus paulò solidiorem consistentiam; vel cum emplastrum oleis additis ad molliorem consistentiam deducimus, vel fit ex oleo, pulvere, & cerâ.

Hæc est proportio ingredientium ut *si olei sit* ℥. *i. sit pulveris* ʒ. *i.* ß. *ceræ* ℥. ß. Ceratum refrigerans *Gal.* & santalinum sunt potiùs unguenta quàm cerata.

Usus 1. cùm duritiem emplastri convenientis pars ferre non potest. 2. ad emolliendum, resolvendum, adstringendum, nusquam ad refrigerandum, quia calefacit retinendo vapores.

Ad capitis vulnera, contusiones, & fracturas calvariæ.

℞. *Massæ emplastri de betonica* ℥. 2. *olei ros. q. s. Fiat ceratum pro parte affecta.*

Ad tumores lienis.

℞. *Gummi ammoniaci in aceto soluti & trajecti* ℥. *i. olei de cappar. lilior. & ceræ q. s.* Fiat ceratum admovendum parti bis in die.

In lienteria, dysenteria, &c.

℞. *Pulver. mastich. boli armen. acaciæ, sang. drac. an.* ʒ. *i.* ß. *olei cydon.* ℥. 2. *ceræ q. s.* Fiat ceratum. vel ℞ *Massæ emplastri pro stomacho* ℥. 2. *olei cydon. q. s.* Fiat ceratum, quo bis aut ter in die totus venter inferior illinatur. Hæc in genere. *Tencke.*

Sequuntur jam Cerata Varia ad varios usus.

Ceratum Album - *Pharmacopœa Bateana.*

℞. *Ceræ albiss.* ℥ 4. ☍ *amygd. amar.* ʒ. 5. *Sperm. ceti puriss.* ℥ *i. ceruss. in* ▽ *ros. lot.* ℥ *i* ß. *m. f. a. Lenit, resolvit, anodynum est. cicatrices Exanthematum illitum, replet. Cosmeticum etiam est Elegans.*

Ce-

Ceratum Alexandri *Mes.*

℞. Gumm. ammoniaci, Styr. Calamit. ana unc. ß. thuris, comar. absint. an. ℥x. spicæ nardi ℥iij. ceræ ℥iv. olei chamomill. q. s. F. s. a. Ceratum.

Corroborando valet stomacho, digestioni adjuvandæ, flatibusque discutiendis, si extùs imponatur.

Ceratum De Ammoniaco *Petri Foresti.* è Ph. Aug.

℞. Ammoniaci prepar. ℥ß. unguenti Dialthææ, Emplastri de Meliloto an. ℥ii. Furfurum frumenti optimè cribratorum ℥ß. Pulv. radic. Bryoniæ siccæ, Ireos Illyricæ an. ℥ii. Pinguedinis Anatis, anseris, gallinæ an. ℥iß. bdellii, galbani præparat. ana. ℈ii. gr. 6. olei irini ℥vi. mucilaginis sem. fœnugræci, lini ana ℥iß. ceræ ℥ii. Terebinthinæ, resinæ pini ana ℥vi. Mucilagines cum oleo & pinguedinibus coquantur ad humidi aquosi exhalationem; postea addantur ceræ & resina invicem liquata & colata, atque his ab igne remotis ac semirefrigeratis unguentum de althæa, & emplastrum de meliloto, nec non post reliquorum pulverem, ammoniacum & galbanum cum Terebinthina solutæ.

Fiat ceratum. Malacticum & plurimi usus ac emolumenti est hoc ceratum in omnibus affectibus externis, digestionem & concoctionem requirentibus, inflammationes sedat, indurata emollit, ulcera detergit, vulnera consolidat, & callum obducit.

Ceratum Andromachi.

℞. Mastiches ℥iß. Cinnamom. ℥vj. storac. ℥ß. spic. nardi, malabathri ana ℥iiiß. euphorbii ℥iij. olei balanini, id est behen. ℥viij. balsami & ceræ albæ an. ℥xv. F. s. a. Ceratum.

Corroborandis adhibetur nervis ac stomacho. In eo autem forsan minor ceræ dosis est quam pro oleorum &c. quantitate in formando Cerato, conveniat, propterea non immeritò augebitur.

Ceratum de Arnoglosso *Gal.* ex Bauderon.

℞. Foliorum Plantaginis majoris, Panis syncomisti, i. e., à furfure non omnino purgati, & lentium contusarum, singul. pares portiones, coquantur in aqua sufficienti. Deinde pistentur in mortario marmoreo, & super cribrum cernantur. Utendi tempore præparandum erit. Avic. libr. quarto, fen. 3. tractatu primo cap. 10. Addit Gallas. Serapio vero tractat. 5. cap. 22. non dissentit à Gal.

Ceratum Astringens.

℞. Lithargyrij, lapid. magnetis an. ℥iiß. thuris, myrrhæ an. ℥ij. opopanacis, bdellii, mumiæ ana ℥iß. olei rosati ℥iiß. myrtini ℥iß. ceræ, terebinth. ana. ℥ij. picis navalis ℥j. M. F. s. a. Ceratum.

Mundificat vulnera, eaque ad cicatrisationem deducit.

Ceratum Barbarum Galeni.

℞. Terebinth. ceræ. resinæ pini, resinæ frictæ, bitumin. Judaici an. ℔ß. olei ℥iiij. lithargyrij ℥v. cerusæ, ærugin. an. ℥iiß. opopanac. ℥j. F. s. a. Ceratum.

Ceratum hoc est medicamentum efficax in vulneribus recentibus, scirrhis ac arthritide; mundificat etenim, cicatrisat, emollit & resolvit.

Ceratum ex Betonica. *Ph. Aug.*

℞. Terebinthinæ, resinæ pini, ceræ flavæ ana. ℥ii. Pulveris Betonicæ ℥ß. Mastiches, Thuris an. ℥ii. Mumiæ ℥iß. Fiat, ceræ cum resina liquatæ, colatæ ac postea semirefrigeratæ addendo Terebinthinam, & reliquorum pulveres, secundùm artem ceratum.

Usus. Ad exsiccandos varios humores cerebri, cephalæam, cephalalgiam, catarrhos, aliosque capitis affectus conducit.

Ceratum ex Betonica Hyberno etiam tempore parabile. *Zvvelferi.*

℞. Resinar. Styracis calam. expr. ℥i. Ladani, per extract. cum spiritu vini parati, drach. 6. pulv. gummi tacamahacæ, animæ, ana ℥ß. terebinth. Cypriæ ℥iſs. quibus leniter liquatis adde ceræ flavæ & novæ, etiam leniter liquatæ, unc. 2. ol. nuc. Mosch. expressi unc. ſs. his omnibus mixtis inspergantur sequentes pulveres: pulv. herb. & flor. betonicæ unc. 1. majoranæ, thymi, ana ℥3. olibani, succini, an. ℥iſs. Gummi benzoës ℥ſs. sandaracæ, ligni aloës opt. rhodii, sem. coriandri, ana ℥ſs. post olei ligni rhodii ℈ii. instillentur. Fiat *Ceratum cephalicum* preciosum; cujus virtutes ex superiore liquent.

Ceratum Dia Botanum cum mercurio.

℞. Emplastrorum diabotani, de cicuta & nicotianæ ana ℔j. ceræ flavæ ℔ſs. styrac. liquid. terebinth. claræ, oleor. lauri & palmæ an. unc. iiij. Hydrargyri lib. ſs. M. F. s. a. Ceratum.

Medicamentum hoc est resolutivum efficax, valetque propterea in sanandis lupiis, nodis venereis, scrophulis, ac tumoribus omnibus ex crassiorum humorum congerie enatis.

Ceratum Capitale. *Pharm. Aug.*

℞. Sandaracæ, Thuris, mastiches, ligni aloës, santali rubri, rosarum rubrarum an. ℥i. cum ladano, ceræ, & resina ana quantum sufficit, fiat ceratum.

Usus ad capitis fluxiones sistendas conducit.

Ceratum cerine Ctesiphontis. *Ph. Aug.*

℞. Ceræ citrinæ, Terebinthinæ, olei antiqui, salis Nitri ana lib. ſs. fit simplici modo, liquando ceram, terebinthinam & oleum, tandem Nitri puri pulverem immiscendo.

Usus. Exsiccat humores omnium corporis partium, & præsertim scroti.

Ceratum Diachalciteos Galeni, vulgò Diapalmæ. *Ph. Aug.*

℞. Axungiæ porci veteris à membranis per liquationem, & colationem purgatæ lib. ij. Olei veteris, lithargyri tritæ ana lib. iij. chalcitidis ustæ unc. iv. Teneriorum palmæ ramorum manipulos quatuor. Axungia, oleum, & Palmæ rami minutim incisi, recentes vel si exsiccati fuerint, aquâ priùs macerati, coquantur ad humiditatis aqueæ consumtionem, colentur, & exprimantur; colatura cum Lithargyro ad justam consistentiam lento igne redigatur, immiscendo tandem ab igne depositopulverem chalcitidis, & radiculâ ex recenti palmæ ramo confectâ agitationem instituendo. Fiat Ceratum.

Usus. Verè polychreston est hoc Emplastrum, valet ad ulcera dysepulotica, œdemata, articulorum morbis, bubonibus, ambustis, pernionibus, ossium fracturis, contusionibus, omnibus denique affectibus quos rheumaticos vocant, prodest; Fonticulis ligandis destinatum est remedium, quos minimè sordescere aut excrescere permittit.

Ceratum seu Cataplasma majoris compositionis ad Commotionem cerebri, *Vigonis.*

℞. Far. fabar. unc. iiij. furfur. unc. iij. fol. absint. m. j. flor. chamameli & meliloti an. m. ſs. flor. anethi, betonicæ, matri sylv. an. p. ij. schænanthi, stæchad. an. p. j. cortic. granator. fol. mali granati, myrtillorum, rosar. rubr. an. unc. ſs. sem. anisi & coriandri ana. ℥iij. omnia probè trita excipiantur sapæ s. q. & vini odoriferi tantillo; bulliant usque ad spissitudinem solidam, sub finem verò coctura adde, olei anethi, chamæmelini, myrtini, rosati ã. ℥x. ceræ albæ unc. j. Bulliant iterum unica ebullitione agitando postea cum baculo, donec tepidum evaserit; tunc adde, calami aromatici optimè pulver. ℥v. croci ℈ij. gr. viij. F. Cataplasma formâ Cerati.

Tumores capitis emollit, pituitam absumit, cerebrumque corroborat.

Ceratum, seu Cataplasma minoris compositionis, Ejusdem ad idem.

♃. *Furfur.* ℥ *iv. farin. lentium* ℥ *ij. calam. aromatic.* ℥ *i ß. folior. granator. siccator. myrtillor. rosar.* āā ℥*j. flor. meliloti & chamameli* āā *m. ß Nuces cupressi num. vj. Omnibus priùs optimè pulveratis ac cribratis fiat ad ignem cum vini nigri & sapæ s. q. cataplasma solidum. Tum adde olei chamamelini & rosati* āā ℥*iij. cera alba* ℥*iß. mastich. thuris* āā ʒ*iij. myrrha* ʒ*ij. oleis cum cera liquefactis misceantur, omnia ad invicem, fiatque s. a. cataplasma cerati formâ.*

Ceratum Diadictamnum seu Sacrum Galeni. *Pharm. Aug.*

♃. *Olei veteris* ℔. 2. ß. *lithargyri* ℔ 1. ℥ß. *æruginis* ℥*j. squamæ æris.* ʒ. 6. *colophoniæ* ℥. 6. ʒ. 2. *pollinis thuris, galbani ana* ℥*iß. ammoniaci* ℥. 2. *æris usti, propoleos, aloës, ana* ℥. 1. *diphrygis, gentianæ ana* ʒ. 6. *aristolochiæ rotundæ, dictamni cretensis ana* ℥. 1. ʒ. 2. *ceræ. cera* ʒ. 25. *confice in hunc modum: Lithargyrum cum oleo mixtum coque usque dum probè coierint, continuò agitando, & additis ærugine, & squamâ æris, ferveant aliquantulum; ab igne remotis immitte colophoniam cum cera liquatam, ac tandem reliqua in pulverem redacta.*

Usus. Prodest ad vulnera recentia, nervorum præcisiones, vetera ulcera, quæ cicatricem non facilè admittunt, abscessus, strumas, furunculos, duritiès: tela, aculeos & ossa educit: nec non ad cujuslibet virulentæ bestiæ ictus efficax existit.

Ceratum de Euphorbio Galeni.

♃. *Euphorbii* ℥*j. ceræ* ℥*iij. olei olivarum* ℔*j. M. F. s. a. ceratum.*

Commendatur in Hemicrania proque discutiendis humiditatibus viscosis, ac corroborandis nervis: Eô autem inunguntur frons & articuli.

Ceratum de Galbano. *vid.* Ceratum Matricale.

Ceratum de gratia Dei Nicolai. *Ph. Aug.*

♃. *Terebinthinæ lib.* ß. *resinæ lib.* 1. *ceræ albæ* ℥. 4. *mastiches* ℥. 1. *verbenæ, betonicæ, pimpinellæ ana M.* 1. *Ceram & resinam invicem liquando, postea terebinthinam, & reliquorum pulveres immiscendo,* Fiat ceratum.

Usus. Sordida repurgat, inflammata lenit, durata emollit, vulnera consolidat, nervorum incisiones glutinat, & furunculos mitigat.

Ceratum pro Herniosis D.D. *Noribergensium.*

♃. *Pulv. mastiches, mumiæ, thuris, succini, gummi arabici, tragacanthi, aloës optimæ, balaustiorum, rosarum ana* ℥. ß. *sanguinis draconis, boli armenæ, lapidis Hæmatitæ ana* ʒ 6. *olei rosarum* ℥. 3. *myrtini mastichini ana* ℥. 1. *cum cera & resina simul liquefactis & colatis, quantum sufficit, additis oleis, & pulvere reliquorum,* Fiat ex arte ceratum.

Usus. Hoc in frequenti usu habuit Clar. Medicus & excellens Chirurgus D. Volcherus Coiter, quod & hucusque apud nos feliciter herniosis fuit adhibitum.

Ceratum Isidis ex Galeno. *Ph. Aug.*

♃. *Ceræ albæ* ʒ. 50. *squamæ æris, æruginis, aristolochiæ, thuris, salis ammoniaci, æris usti ana* ʒ. 4. *aluminis usti* ʒ. 3. *myrrhæ, aloës, galbani ana* ʒ. 6. *olei veteris* ℥. 5. *ceræ cum oleo liquatæ reliqua in pulverem trita misceantur.*

Usus. Usurpantur ad fœda ulcera & fistulas, carnem putridam absumit, ac fœdam ulcerum antiquorum, & quæ mali moris sunt, saniem exsiccat & abstergit.

Ceratum ad Hernias seu rupturas. *Zuvelferi.*

♃. *Terebinthinæ claræ* ℥. 6. *in qua liquefacito pulver. mastichis electæ* ℥. 1. *ceræ flavæ odoratæ* ℥. 4. *quibus liquatis adde succi Acaciæ, hypocistidis, ana in decocto forti glandium laricis, seu abietiis, in pultis formam solut.* ℥. 1. *pulv. myrrhæ, olibani. rad. symph. maj. ana* ℥. 1. *sanguinis draconis, aluminis crudi, parumper cum superiori decocto humectati, ana* ʒ. 6. *nucum cupressi, lapid. Hæmatit. sem. perfoliatæ, vitrioli de cypro, parum in sole, vel post fornacem, calcinati, ana* ʒ. ß. *Misceantur exactè: Fiat ceratum.*

Usus. Præsens remedium ad varias Herniæ species, parti affectæ, intestinis, vel omento priùs in locum suum repositis, pube ac scroto tonsis, appositum.

Ceratum aliud ad Hernias, *Zuvelferi.*

♃. *Lithargyrii subt. triti unc.* 2. *minii cribrati unc.* 1. *coquantur in aceti rosacei, lib.* 1. *ad siccitatem lithargyrii & Minii, & totam aceti exhalationem: huic pulveri aceto cocto porrò adde, pulv. gumm. arabici, tragacanthi, bdellii, ana* ʒ. 1. ß. *aloës hepat.* ʒ. 2. *succi acaciæ, hypocistidos, ana solut. pulv. sarcocollæ, Rad. aristol. rot. consol. maj. pulv. rad. bistortæ, tormentillæ, cort. granator. ana* ʒiß. *nuc. cupressi, gallar. turcicar. ana* ʒ. 1. *boli armenæ, sanguinis draconis, ana unc.* ß. *collæ piscium, dissol. parum* ʒ. 1. ß. *coquantur denuò cum vini rubri s. q. ad cataplasmatis solidam & duriusculam consistentiam, nec manibus adhæreat, s. a. Huic cataplasmati junge tandem terebinthinæ claræ unc.* 5. *colophoniæ unc.* 1. ß. *in quibus priùs pulv. mastich el. olibani, myrrhæ, ana* ℥. 3. *opoponacis, galbani, ana* ʒ. 2. *liquatæ & solutæ fuerint.* Fiat ceratum, ad Hernias præstans.

Ceratum de Lithargyro Galeni.

♃. *Olei veteris lib. ij.* ß. *lithargyri lib.* 1. *aceti acerrimi lib.* ß. *f. F. s. a. ceratum.* Mundificat ac desiccat ulcera.

Ceratum Matricale vel de Galbano. *Ph. Aug.*

♃. *Galbani præparati unc.* 1. ß. *asæ fœtidæ unc.* ß. *myrrhæ rubræ* ʒ. 2. *bdellii mollis,* ʒ. 1. *gummi animæ* ʒ. 3. *tacamahacæ* ʒ. 5. *matricar. pulverisat., artemisiæ ana* ʒ. ß. *seminis dauci* ℈. 1. *terebinthinæ. unc.* ß. *ceræ unc.* 4. *fiat ceratum; ceræ liquatæ, terebinthinam & galbanum invicem liquefacta, post reliquorum pulverem immiscendo.*

Usus. Uterum frigidum calefacit, ejus flatus dissipat doloresque frigidos placat.

Ceratum de Minio.

♃. *Minii lib.* 1. *olei olivar. lib.* 2. *coquantur ad cerati consistentiam.* Cicatrisat vulnera ac carnes inducit.

Ceratum de Mucaginibus.

♃. *Ceræ lib.* 2. *mucaginis radic. althææ, seminis lini, & fœnigraci* āā *lib.* ß. *terebinth. picis naval. lithargyri* āā *unc.* 4. *medull. bovis olei de lilio, facis olei lini ana unc.* 3. *styrac. calamitæ, bdellii, gummi ammoniaci, opopanac.* āā ℥*ij. F. s. a. ceratum.*

Emollit ac resolvit tumores, aut eorum suppurationem promovet.

Ceratum Oesypi Philagrij. *Ph. Aug.*

♃. *Croci* ʒ. 5. *bdellii, mastiches, ammoniaci, aloës, styracis liquidæ ana* ʒ. 7. *ceræ flavæ lib.* 1. *terebinthinæ unc.* 1. ß. *medullæ cruris Vaccæ, adipis anseris ana* ʒ. 15. *Oesypi lib.* 1. ß. *fiat, ceratum, medullam & adipem liquando, pulveres ac tandem styracem cum terebinthina immiscendo.*

Post Philagrium addiderunt nonnulli *succi scillæ unc.* 3. *sevi vitulini* ʒ. 15. *thuris unc.* 1. *ceræ unc.* 9.

Ceratum ex Pelle Arietina Arnoldi de Villa Nova. *Ph. Aug.*

♃. *Lithargyri, lapid. hæmatitæ, sanguinis draconis, boli armenæ, opii, mastiches, ammoniaci præpar. galbani præparat. mumiæ, thuris, costi, lumbricorum, ana* ʒ. ß.

Picis nigræ, colophoniæ, ceræ albæ, ana ℥. . Rad. consolidæ majoris, minoris ana ʒ. 3. Rosarum rubrarum, myrrhæ, aloës, ana gr. 18. succi Hypocistidis, gallarum immaturarum, balaustiorum, aristolochiæ rotundæ ana ʒ. 6. visci querni ʒ. 2. Terebinthinæ ℥. 2. Sanguinis humani exsiccati ℥. 9.

Confice sic: Pellem Arietinam integram coque in aqua, donec ferè dissoluta sit, in lentorem quendam, quem colabis, & ad debitam crassitiem inspissabis. Hujus sume ℔. 1. adde picem, colophoniam, & ceram invicem liquata & colata, postea Ammoniacum & Galbanum cum Terebinthina soluta, Opium & Succum Hypocistidis in modico aceto liquata, ac reliquorum ingredientium pulverem, & tandem viscum quernum. Fiat ex arte ceratum.

Usus. Ad membrorum luxationes adhibetur, præcipuè verò herniosis prodest.

Ceratum dia Pente Mes.

℞. *Ceræ flavæ, olei irini ana ℥. iij. terebinth. ℥ j. gummi hederæ ℥ ß. styrac. liquid. ʒ. ij. F. s. a. ceratum.* Emollit & gangrænæ resistit.

Ceratum Diapipereos Galeni. *Ph. Aug.*

℞. *Lithargyri argenti, cerussæ ana ℔. 1. Olei communis ℔. 2. ceræ ʒ. 6. terebinthinæ ℥. 3. thuris ℥ i ß. Aluminis ʒ. 6. Piperis ʒ. 3.* fiat in hunc modum: Lithargyrus & Cerussa levissimè trita coquuntur in Oleo, ad debitam crassitiem, deinde adduntur cera & terebinthina, & his liquatis pulvis tenuissimus thuris, aluminis, & piperis.

Usus) Omne ulcus curat, quod non facilè cicatricem admittit.

Ceratum dia Pyritis Galeni.

℞. *Olei veteris ℔ iij. ℥ iv. ceræ citrinæ ℥iiiß. terebinth. pyritis præparati āā ℥iij. ʒj. bituminis Judaici, lithargyri āā ℥iiß. aluminis ʒxv. resinæ, gummi ammoniaci āā ℥iß. galbani, aloes āā ℥j. æruginis æris, thuris āā ℈v. F. s. a. ceratum.*

Valet in ulceribus malignis ac fistulosis, mundificat, cicatrisat, emollit & discutit.

Ceratum refrigerans Galeni. ex *Renodæo.*

℞. *Ceræ albæ ℥. 1. olei rosati omphacini ℥. 4. Liquentur simul in vase duplici. Refrigeratis affundatur paulatim in mortario aquæ frigidissimæ quantum absorbere poterunt, percutiendo, & agitando: postremo addatur aceti ℥ß. fiat ceratum,*

Inter medicamenta composita, & euporista, nullum est frequentius & simplicius hoc cerato à Galeno multis in locis, *ut cap. 6. lib. 1. simpl. l. 10. meth. & lib. 6. sanit. tuend.* descripto & celebrato, quod à nonnullis modo unguentum, modo ceratum album, & aliquando ceratum refrigerans Galeni nuncupatur in officinis

Sic vero ejus suscipitur præparatio: cera in frustula divisa cum oleo rosaceo omphacino in diplomate liquatur: dein ab igne removetur, & in aliud vas transfunditur: atque ubi refrixerit, & modicè concreverit, aqua frigidissima subinde affunditur & agitatione continua subigitur: & rursus nova frigidæ affusio & agitatio iteratur, donec ipsam mixtura respuat; cui si parum aceti albi & tenuis adjiciatur, magis humectans & refrigerans unguentum parabitur. Ubi magis refrigerare consilium est, etiam Galeni authoritate, succi lactucæ, solani, sempervivi, aut similium refrigerantium nonnunquam adduntur, sed hoc rarò, nisi utendi tempore, fieri solet, atque in pharmacopolijs tantùm quod simplicius est, asservatur.

Vires. Valet ad phlegmonas, erysipelata, herpetas, carbunculos, phygethla, omnemque intemperiem calidam. Febrientibus quoque multùm conducit, si hypochondrijs superponatur.

Ceratum Santalinum. è *Pharm. Londin.*

℞. *Santali rubri, ʒ. 10. albi, citrini, ana ʒ. 6. Rosarum rubrarum, sesquiunciam. Boli Armenæ. ʒ. 7. spodii ex ebore ʒ. ß. camphoræ ʒ. 2. ceræ flavæ, ℔. 1. olei rosacei omphacini, ℥. 6. Santala simul terantur; Rosæ, bolus, ebur, & camphora seorsim. Tum cera in oleo igne blando liquescat, & ubi aliquantum refrixerint, pulveres commisceantur, & postremò camphora in oleo soluta; optiméque subigendo omnia, fiat ceratum. f. a.*

Ceratum Sparadrapum, vid. *Sparadrapum.*

Ceratum Stomachicum Galeni. è *Ph. Aug.*

℞. *Rosarum rubrarum, mastiches ana ʒ. 20. foliorum absinthii ʒ. 15. spicæ nardi ʒ. 10. olei rosacei ℔. 1. ß. ceræ mundæ quantum sufficit.*

Cera & oleum invicem liquentur, & postquam ab igne deposita fuerint, reliqua in subtilissimum pulverem trita immisceantur.

Usus. Ventriculum infirmum unà cùm hepate roborat, ac horum dolorem à frigida causa lenit, vomitiones compescit, & concoctioni opitulatur.

Ceratum de Sulphure, vid. *Emplastrum de sulphure.*

Ceraunias, seu Lapis fulminaris, vid. sub titulo *Lapis.*

Cerebrum Humanum, vid. sub titulo *Homo.*

CEREFOLIUM.

Chærephyllon dicitur quòd folijs gaudeat seu luxuriet.

Folijs ad Petroselinum accendentibus radice annua omniumque partium parvitate à Cicutaria differt.

Hæc de Chærephyllo vulgari accipienda sunt, nam Chærephyllon Canadense radice est perenni, & magnitudine Cicutariam æquat vel superat.

Nomina. Chærophyllum sativum *C. B.* Chærephyllum *J. B.* Cerefolium vulgare sativum *Ger.* Cerefolium vulgare *Park.*

Radice nititur alba, surculosa, fibrillis tenuissimis capillata, minimi digiti crassitudine, sapore subacri. *Caulis* nunc unus exurgit, nunc plures pro ratione soli, sesquicubitales & altiores, teretes, striati, glabri, inanes, geniculis longius distantibus nodosi, infra genicula in ventrem turgidulum intumescentes, ramosi, ramulis alternatim ad singula genicula ex alis foliorum exeuntibus. Summos caules & ramulos occupant umbellæ raræ, aliàs pediculis perbrevibus & fere nullis, aliàs longioribus insidentes. *Flosculi* parvi, albi, quinque petalis cordatis, totidemque staminulis albis compositi. Singulis flosculis bina succedunt *semina*, oblonga, glabra, per maturitatem nigricantia, sapore dulci, & aromatico. *Folia* teneriora & argutius secta quàm Petroselini, sapore & odore aromatico, aliàs ijs non multum dissimilia, pallidè viridia, & nonnihil subinde rubentia, pediculis sæpè rubentibus, nonnihil hirsutis. N. B. Quamvis folia caulibus alternatim adnasci diximus in summitate tamen ad umbellæ exortum bini hinc inde oriuntur, & ex eorum alis bini egrediuntur ramuli, quod & alijs pluribus umbelliferis commune est.

Maio mense floret & cum semen perfecerit brevi radicitus exarescit, semine deciduo se quotannis renovans Autumno autem oritur, & per totam hyemem viret.

Cerefolium latifolium Canadense Cornuti.

Omnes nostratis Cerefolij particulas ad unguem refert, sed plenioris incrementi *cauliculum* facit & cymam. *Flos* itaque albidus muscarij effigie summum caulem occupat, hunc sequuntur *semina* longiuscula, ex uno pedi-

pediculo plura. *Caulis* fragilis & tener, glauceque virens ultra cubitum adolescit. *Folia* sena semper in singulis pediculis prodeuntia, in ambitu incisa Petroselini modo, latitudine & longitudine quadruplo superant nostratis. Tertio à satu anno moritur: *semine* perennat tamen, quod statim atque decidit etiam non obrutum sponte terræ infigitur & germinat: nec enim nostri instar agrum lætum & stercoratum desiderat, sed in qualicunque terra, ac vel crudo, vel effœto solo, si seritur, provenit.

Sapor hic dulcis est, odorque non insuavis, ac proinde esculentum testamur, sed & aliis oleribus permixtum gratiam auget saporis.

Vires & Usus. Cerefolium vulgare partium est tenuium, diureticum, emmenagogum, & lithontripticum, sanguinem coagulatum resolvit, somnum suaviter inducit. Extrinsecus usus insignis est in dolore colicô in urinâ retentâ (imposit. in Cataplasm.) Credite mihi, cùm aliquando ex retenta pro verecundia urina vesicæ insigni distentioni Vir quidam primarius laboraret, usu Cærephylli, Parietariæ & Petroselini herbarum in butyro insulso frixarum pectinique ipsius calidè applicatarum me subduxisse una vice circiter ℔. 4. urinæ. *S. Pauli.*

Succus Chærephylli cum jusculo assumptus, aut Aq. ejus ter cohobata sæpius adhibita *Dolæi* experientiâ contra vertiginem specifica sunt. Sanguinem concretum ex contusione dissolvit tusum & emplastri modo impositum.

Tota planta dulcis est & odorata, acriusculô quôdam accedente sapore, quò fit ut alijs oleribus admixta ea gustui gratiora reddat. Estur autem cruda in acetariis cum aliis herbis, aut etiam cocta: flatulentum tamen aliquid obtinet, unde & venerem promovet.

Si butyro frigatur herba, & abdomini imponatur, certum est contra tormina remedium. *Cam.* ad quod mulierculæ ceu ad sacram anchoram confugiunt. *Raius.*

CEREVISIA, vid. *Zythum.*

CERINTHE.

Planta est cujus variæ dantur species, quæ nihil ad nos qui in usualibus propriè versamur.

CERIMEN, sive CERUMEN.

Cerimen sive sordes aurium hominis, congruenter aquâ dilutum dicitur mirum remedium colicô laborantibus, modò illud bibant. Externè applicatum, Scorpionum punctiones curat, plagas conglutinat, fissuras, & quasi cariem cutis sanat. *Meuve.*

CERONEUM, vid. *Emplastrum.*

CERUSSA, vid. *Plumbum.*

CERVUS, CERVINUM GENUS.

Cervinum genus cornibus quotannis deciduis, solidis, ramosis ab alijs Ruminantibus Cornigeris abundè distinguitur, ut alias notas conquirere non sit opus.

1. *Cervus*, Græcis ἔλαφος, nostratibus *Red Deer*; Mas *a Stagg* vel *Hart* dicitur, fœmina *a Hind.* Fætus seu Pullus *a Calf.* Magnitudine sua & cornuum figurâ à Dama recentiorum seu *Fallovv Deer* differt. Cervus Canadensis à Parisiensibus descriptus magnitudine sua & cornuum amplitudine ramorumque numero, qui interdum ad 20. ascendit, à Cervo Europæo præcipuè differre videtur.

Pilam Cervinam describit *Wedelius, Ephem. Germ. An.*11. *Obs.*159. ægagropilæ simillimam, figura fere ovali (*quæ tamen non constans est, dantur enim proculdubio rotundæ, quemadmodum & ægagropilæ*) substantiâ partim pilos, partim fibras plantarum filamentosas exhibente, cortice obductam nigricante, odore grato.

Quod ad ortum attinet, notandum pilas in ventriculis Quadrupedum repertas duplicis generis esse; 1. *Pilosas*, ex mero pilorum glomeramine confertas. 2. *Filamentosas*, quando pilis intertexta herbarum velut stamina fibrosa occurrunt. Prioris generis sunt pilæ in boum ventriculis reperiri consuetæ, plerunque rotundæ, & sæpe magnitudine insigni conspicuæ. Posterioris in Rupicapris frequentiùs & nonnunquam in cervis quoque reperiuntur. Fundamentum concretionis sine dubio extrinsecum constituunt pili cutis, lambendo ori subinde ingesti, & propelli à fibris stringentibus ventriculi nescii, vario motu agitati & conglobati. Hoc in utrisque valet: differentiam largitur victus: congenera pilis fibrosa plantarum fila misceri facilè & implicari infinitis cirris possunt, aridioribus præsertim in locis, nec potu largiori diluendo elota; è papillis glandulosis exundante sero coagulabili, hinc sensim inducto cortice crustoso. Hactenus *Wedelius.*

2. *Cervus Platyceros*, vel *Platyceros* simpliciter dictus *Plinio lib.*11. *cap.*38. Dama vulgò: Dama vulgaris sive Recentiorum *Gesn.* Fortè etiam Cervus palmatus *Capitolini.* Nam Caput depictum quod *Jo. Caius* ad *Gesnerum* misit pro capite cervi palmati, Rangiferi esse videtur. Anglicè, *Fallovv-Deer*; Mas *Buck*, fœmina *Doe*, fœtus s. pullus *Favvn* appellatur. Galli *un Daim* vocant, Germani *Damhirsch*, i. e. Dama-cervum. Cæterùm Dama Veterum non est, quæ (si modo detur ejusmodi Animal) ad caprinum potiùs genus pertinet. A *Bellonio* describitur minùs accuratè, cornibus antrorsum spectantibus, caudâ longâ ad poplites usque dependente. Animal est in Anglia frequentissimum, & in Vivarijs passim enutritum: siquidem plura hujusmodi ferarum vivaria (Parcos vocant) in *Anglia* sola habentur quam in tota præterea *Europa.*

Cervo multò minor est, à quo & cornibus palmatis differt. Hujus generis varias species in vivario Regio *Westmonasteriensi* à S. *Jacobo* denominato enutritas vidit & breviter descripsit D. *VVillughby.* Ex fuere 1. *Damæ Hispanicæ*, cervis æquales, collis tenuioribus, coloris obscurioris. His caudæ longiores sunt quàm nostratibus, nigricantes, non subtus albæ, 2. Albo, nigro & arenaceo coloribus variæ. 3. *Virginianæ*, majores, validioresque nostratibus, collis majoribus, colore cinereo potiùs quàm arenaceo: pene & testibus magnis 4. Aliæ pedum posteriorum unguibus albâ maculâ exteriùs notatis, auriculis majoribus, caudis longis, cornibus ramosis, capite inter oculos parum depresso seu cavo. Hæ pane, pomis, pyris, alijsque fructibus vescuntur. Horum unus albis maculis undique depictus erat, areolâ nigra (*a Black list*) per medium dorsum porrectâ, adjacente utrinq; ordine albarum macularum. Sunt etiam è nostratibus albis maculis pariter variegatæ, & colorum pulchritudine Junio mensæ Zebræ Africanæ minimè cedentes, ut à D. *Robinson* habeo, *Menal'd Deer* vocant.

3. *Alce* Anglis & Germanis *Elk* dicta, magnitudine reliquis antecellit. Menabenus altitudinem & crassitiem mediocris & pinguis Equi ei attribuit. Cujus pellem suffultam Florentiæ in Mag. Ducis Etruriæ museo vidimus, humana fuit altitudine, dorso lato. Color pilorum cinereus s. canescens ad Camelinum accedit, verùm Asinino propior est. Auriculæ longitudine, 9. unciarum, latitudine 4. Asininas referunt. Sunt a. pili 3. uncias longi, equinorum crassitudine, versus extremum sensim tenuiores in acutum desinentes, ad basin etiam velut in manubrium angustati, molliores scil. & flexibiliores hac parte facti, ut in cutem procumberent, qui alias, rigidi & duri cùm sint, erecti starent. Cornua non ramosa sunt cervinorum ad instar, sed brevem initio truncum habent, mox in latum palmæ modo diffunduntur, mucronibus aliquot in ambitu ceu digitis extantibus. In *Lituania, Muscovia, Scandinavia* invenitur. Hujus ungula ad Epilepsiam singulare & specificum remedium esse perhibetur.

Hujus generis est fera illa, quam in *Nova Angliæ* alijsque

que Americæ Septentrionalis regionibus *Moose* vocant, cujus cornua in museis asservata aliquoties vidimus, unum præ aliis spectabile *Lewisiæ* in Sussexia apud D. *Holney* Pharmacopœum, 25. librarum pondere, palmâ latissimâ cum octo digitis seu mucronibus in margine extantibus. Cervi figurâ esse dicitur, bovis magnitudine, non admodum velox, & tres una vice fœtus parere.

Hippelaphus Caii apud Gesnerum Alces species esse videtur cornibus Dorcadis seu Capreoli. Duplex, inquit Gesnerus, opinor Hippelaphus fuerit: Unus videlicet Alce nostra, cornibus latis: alter verò Hippelaphus Aristotelis seu Arachosius, cornibus Dorcadis, qui etiam apud Norvegos invenitur, eadem magnitudine qua Alce nostra platyceros: quamvis apud Arachotos cervo magnitudine parem esse dixit, sive deceptus, sive quòd revera minor illic nascatur: Duæ unius generis proximi species: utraque inter equum & cervum ferè ambigente natura: barba non à mento, ut cæteris, sed à larynge & gutture dependente. Vide integram Caij descriptionem apud Gesnerum.

4. *Cervus Rangifer*; *The Rain Deer*. Plinio Machlis, quam in *Scandinavia* insula notam scribit, nec unquam visam in hoc orbe; Tarandus Agricolæ & Eliotæ. In hujus descriptione mirè variant Autores. Georgius Fabricius ad Gesnerum, Tarandus (inquit) quem populi Septentrionales suâ linguâ *Rheneschier* nominant, formam cervi habet, sed corpus robustius: colorem secundùm anni tempus mutat. Pectus torosum, & villis albis prominentibus densum atque rigidum, crura pilosa, bifidæ concavæque ungulæ & mobiles; in cursu enim eas explicat. Ipse ad celeritatem expeditissimus, ità ut summas nives calcet, non impressis altè vestigijs. Cornua gestat prælalta, alba, venulisque longis distincta, quæ statim à fronte ramis duobus latis mucronantur quasi in digitos: in medio ramulus velut internodium interjectus, indè rursus in ramos latos, digitorum expansorum specie mucronatos exeunt. Differunt ab Alces cornibus altitudine, à cervi latitudine, ab utrisque colore & ramorum multitudine. Inferioribus ramis (qui frontem pœne tegunt) concreta frigoribus flumina ad potum capiendum rumpere feruntur. Sylvarum fructibus, & arborum (Piceastri quem *Forben* Germani dicunt) musco vescuntur. Septentrionales populi, Lappi & Finni, pro jumentis eis utuntur ad vehicula trahenda. Locis delectantur frigidissimis, perpetua nive & glacie horridis. Qui plura desideret de eorum natura & moribus, *Gesnerum* & *Olaum Wormium* Muf. p. 337. consulat.

Cæterùm non est hîc omittendum quod *Schefferus* novissimus Lapponum scriptor ex *Joanne Tornæo* allegat, *Rangiferis quidem ungulas esse bisulcas, sed tamen non ruminare. Profectò* (inquit *Peyerus*) *mirum videtur Animal illud tam insigniter cornutum ac præterea bisulcum, cervisque specie simillimum ruminatione destitui, ut dignum censeam argumentum altiore indagine curiosorum, quibus Rhenones fors subministrat aut Principum favor.* Hactenus *Peyerus*. Mihi certè non mirum tantum videtur, sed planè incredibile.

5. *Axis* Plinij Bellonio. Utrumque sexum vidit Cayri in Ægypto. Uterque, inquit, cornibus carebat, caudamque Platycerotis instar longam ad poplites usque propendentem habebat; unde cùm initio viderem, Platycerotem esse existimabam: sed diligentiùs deinde perpendens & cum Platycerotis notis conferens sententiam mutavi. Fæmina mare minor est, & utriusq; corium orbicularibus maculis albis rutilum ad flavum tendentem colorem distinguentibus aspersum: Venter albo colore insignis. Vocem magis argutam & sonoram habent quàm cervus, mugientes enim audivi. Ex notis hisce nec cervum nec Platycerotem esse hoc Animal patet; unde facilè inductus est Bellonius, ut illud Axis nomine vocaret.

6. *Caprea Plinii*, Capreolus vulgò. Perperam Caprea aut capreolus dicitur hoc Animal, cum à capra toto genere differat, & ad cervinum genus pertineat Anglicè *Roe-Deer*. Parvitate sua, & cornuum brevitate à præcedentibus speciebus distinguitur. Cornua non palmata aut compressa ut in Damæ speciebus, sed potius teretiformia, ergo cervulus Sylvestris Septentrionalis nostras propriè nominari potest ex *Observat.* D. *Tancred. Robinson*. Ex cornibus cultellorum manubria &c. fiunt.

7. *Cuguacu-ete & Cuguacu-apara Marcgrav.* Capreæ Brasilianæ sunt, an specie diversæ mihi non constat. Posteriorem Marcgravius cornutum facit, prioris fortasse mas est. Cornua, (inquit) tria brachia seu digitos habent, nimirum infernum brachium, quod longum, & apicem bifidum. Cornu habetur in Regiæ Societatis museo: Animal ipsum titulo Capreoli marini *Johnstono* depingitur *Tab.* 33.

8. *Capræa Grœnlandica.* Hujus cornua habentur in Museo Regiæ Societatis, ulnam longa, ramis rotundis numerosis, pilo seu vellere lanugineve holosericeâ, cinereâ, erectâ veluti in modum, semi digiti altâ undique vestita. De forma aut magnitudine Animalis nihil certi habemus. D. *Grevv* in Descript. Mus. Soc. Reg.

Lachryma cervi nil aliud esse videtur quàm materia seu massa odorifera glandulis seu vesiculis proprijs juxta oculos sitis contenta. *V. Ephem. German. de Capreâ Africanâ.*

Camelopardalis sui generis Animal esse videtur, *Giraffa* recentioribus dicta, *Zurnapa* Arabibus teste Bellonio. An ruminet necne ambigitur. Cùm ungulâ sit bisulcâ, fronte cornuta, primoribus dentibus in superiore mandibula careat; (nam *molaribus* in versione Clusiana *Bellonii Observationum* pro *primoribus*, Typographi (ut puto) errore scribitur & arborum frondibus vescatur, ruminare eam verisimilimum est.

Elegans est Animal (describente Bellonio αὐτόπτῃ) & mitis admodum præ reliquis feris naturæ, pœne instar Ovis: (imò ne fera quidem est, sed pecus; nullam enim feritatem præ se fert. *Strabo*) Cervinum fermè caput habet, excepta magnitudine, exiguis obtusisque cornibus præditum, sex digit. longis & pilosis: longiora marem à fœmina distinguunt: alioquin uterque sexus magnas aures habet, bubulis ferè pares, bubulamque linguam & nigram, dentibus molaribus (primoribus) in superiore mandibula carens, collum oblongum, (colli longitudo 7. erat pedum; à cauda ad capitis verticem octodecem pedes erant, cum caput extollit, sexdecem pedes à terra effert) rectum & gracile, jubam tenuem & in orbem inflexam; gracilia crura, anteriora oblonga, posteriora autem adeò brevia habens, ut quodammodo erecta stare videatur: Pedes bubulis similes. Cauda ad poplites promissa, orbiculata, pilis obsita, equinis triplo crassioribus, medio corpore gracili, moribusque Camelo perquam similibus. Cùm currit anteriores pedes simul glomerat, Prona jacet, collumque in pectore & femoribus tenet, Cameli instar. Stans gramen depasci nequit nisi admodum divaricatis anterioribus cruribus; nec id sine summa difficultate. Itaque credendum est eam in solitudinibus vesci duntaxat arborum folijs. Pardi varijs maculis infecta est.

Cornua pilosa cervini generis eam esse arguunt; simplicia & non ramosa diversi. *Raius.*

Atq; hæc de Cervinô genere. *Iam de* Cornu Cervi *in specie sic dicti ex* Francisci Redi Experiment. Natural.

Cervi infallibiliter quotannis cornua deponunt, idque ineunte Martio, pingues quidem & bene pasti primi omnium: tardius, & quandoque circa medium Aprilem debiles & macilenti *Gerardus Joannes Vossius* lib. 3. Idololatriæ, veris tempore hoc fieri vult; sed in Tuscia id accidit eô quô diximus tempore.

Multi credunt, & inter illos Vossius, hæc cervorum cornua

cornua; pelli tantum, non ossibus capitis affixa esse. At verò quantoperè illi decipiantur, cognoscere facile poterit, quisquis caput cervi cum cura observaverit: videbit enim, cranium duabus eminentijs in quatuor transversorum digitorum altitudinem ascendere, quibus eminentijs cornua usque adeo tenaciter affixa sunt, ut quasi impossibile sit, ea per vim divellere, ut ut tempore maturitatis sua sponte decidant.

Post octo, vel decem dies, ex quo cornua, ut ita dicam, matura deciderunt, protuberare incipiunt nova, tenera & pilosa: nec pilosa esse definunt, antea, quam satis creverint, & jam plane indurata sint, id quod trium ferè mensium spatio accidit, quo tempore cervus fricare cornua ad truncos arborum & sentium incipit, & pellem quâ teguntur, panniculamentorum instar exuit: & ut plurimum cervi omnes circa finem Junij, vel medium Julij, cornua dura, & pilis nudata obtinent. Maxima profectò admiratione dignum est, tantam molem ramorum tam brevi tempore quotannis renasci & crescere. Hinc est, quod citatus Vossius dubitat, an cervus revera quotannis cornua mutet, & in negativam inclinat: *sed si*, inquit, *anno quolibet primi sexennii aliquid accedit ramis, quomodo decidunt, & renascuntur quotannis? Si id pro comperto habent venatores, ut audio, equidem cum iis pedem struere non ausim ponamque inter naturæ maxima admiranda, breviculo adeo tempore tam solida duraque tantæ molis cornua enasci. Alioqui magis eò inclinet animus ut credam, cornua, quæ reperiuntur non sponte, & natura decidisse, sed à venatoribus vi avulsa, eoque esse conjecta: illa verò ramosa quæ in priorum locum successerint, nonnisi annorum aliquot intervallo ad eam magnitudinem & duritiem pervenisse.*

Fallitur tamen Vossius, tantoque magis fallitur, quanto minus possibile est, ut rami, nisi decidentibus quotannis cornubus succrescant: cum induratis jam cornubus, & venis & arterijs, quæ per illa, dum tenera erant, transibant, evanescentibus, sufficiente nutrimento sanguineo ad multiplicandos ramos destituantur: id quod evidenter demonstrare facile possem. Interim lectu dignum est, & huc facit, quod *Ælianus lib. 12. de anim. cap. 18. habet.*

Numerus ramorum, pro ætate & constitutione regionum variat. In Tuscia provectæ ætatis cervi sex vel septem ramos in cornubus habere solent: inveniuntur tamen quandoque qui octo vel novem gerant. In Germania, & specialiter in Bavaria, sed maximè in Saxonia, ubi cervi, multò quàm in Tuscia majores sunt, cornua videas, ramorum quatuordecim, quindecim, & quandoque plurium. Nullibi majora, vel magis longa visa sunt, quam Ambasiæ; si tamen artificialiter facta non sunt: etenim duodecim pedum Parisiensium longitudinem obtinent, & quodlibet cornu undecim ramos habet.

Cervi, depositis veterum cornuum armis, & novis nondum protuberantibus, vel adhuc valdè teneris, abdita, & quantum possunt, intima sylvarum petunt. Nonnulli ex antiquis scriptoribus pudore id fieri crediderunt, ob amissum speciosissimum corporis ornamentum: alij timore, quod solitis armis privati, minus hilares sint. Sunt, & inter illos primus Aristoteles, qui velint, ideo illos in abscondito perstare, ut tædium muscarum, illam capitis regionem, ubi cornua deciderunt, impetentium effugiant. Ego ob reverentiam maximorum horum Philosophorum id libenter crederem, nisi in medijs sylvis, æque ac patentibus campis, non muscarum modo, sed culicum etiam, & tabanorum, aliorumque importunissimorum volantium insectorum agmina habitarent.

Tenera hæc cornua mensis magnatum in delicijs sunt, & coqui inde non unum genus ferculorum, appetitui inservientium, componere norunt: quomodo ex duris, siccis, & limatis cornubus varia, & palato apprimè grata jusculа parant. An veteribus in usu fuerint hæc scitamenta nescio: at verò bene novi, tenera (ut de induratis cornubus nihil dicam) in usu medico fuisse, ut apud *Galenum* legere est, in descriptione famosi illius medicamenti colici, quod ab *Asclepiade Pacio Antiocho Philonidis Catanensis* discipulo tribuitur, & *Andromacho à Scribonio Largo* inventum esse videtur; qui quidem *Scribonius* id magno sese pretio ab Africana muliere medica comparasse fatetur. Præterea *Plinius* ejusdem mentionem facit, nec non *Marcellus Empiricus*, & *Nicolaus Alexandrinus*.

Si cervo cornua, dum tenera sunt, abscindantur, maximè circa coronam illam, quæ basin cornuum vel radicem facit, sanguis vivi fontis instar ea pertinacia prorumpit, ut animal inde frequenter moriatur. Et hic sanguis, perinde ut quivis alius ex venis & arterijs cervi prorumpens, coagulatur & concrescit: id quod (nescio ob quam causam) negatum est ab Aristotele, & qui eundem postea secutus est, Galeno, in libro, *quòd mores animi respondeant, temperamento corporis*: & ab autore (quisquis ille etiam sit) libri *de utilitate respirationis*, perperam Galeno attributi.

Joannes Crato, Epist. 2. Lib. 2. ex relatione Adami Dietrichstein refert, post paucas aliquot horas mortuum inventum esse cervum, cujus tenera cornua Imperator Rudolphus Secundus venenatâ sagittâ percusserat. Sed quod Crato postea subjungit: *Lacteum enim humorem istum germanum esse sanguini Hippocrates nos docuit*: ex eo colligitur, Cratonem credidisse, tenera cornua cervorum vasis sanguineis irrigata non esse, id quod secundum supra dicta longè falsissimum est: quin plurimi sunt canales sanguinei qui ramos suos per tenera cervorum cornua emittunt, eum in finem, ut sufficiens nutrimentum adferant, cujus beneficio cornua debitè crescant. Et hoc non parum facit pro opinione illorum eruditorum hominum, qui diversitatem substantiarum in sanguine statuunt, habilem nutriendis diversis partibus corporis animalium. Præterea non parum militat pro sententia doctissimi Hieronymi Barbati, qui rationibus & experimentis, inductus, libro *de sanguine & ejus sero*, statuit, partes spermaticas, mediante solo ductu vasorum sanguineorum nutrimentum suum accipere; idque nutrimentum non aliud esse, quam serum sanguinis. Hæc vasa sanguinis, quæ per cornua cervorum discurrunt, pro modo incrementi & exiccationis cornuum sensim exiccantur & evanescunt.

Si cervus juvenis castretur, nondum emissis cornubus, nunquam emittit: si castretur jam emissis cornubus, cornua nunquam mutat, sed quæ dum castratur habet, castratus semper retinet. Et hac in re verior est Aristotelis, Plinij, & Solini, quam Oppiani sententia, lib. 2. *de Venatione, versu* 194.

Atque hæc præcitatus Franciscus Redi *de Cervorum Cornubus. Jam ad partes hujus Animalis officinales earumque Præparationes deveniamus.*

OFFICIN.

OFFICIN. NAT. è Cervo.

1. *Cornu.* 2. *Corium.* 3. *Os de corde.* 4. *Genitale.* 5. *Testiculi.* 6. *Sanguis.* 7. *Lachrymæ.* 8. *Medulla.* 9. *Sevum.* 10. *Talus s. Astragalus.* 11. *Lapis.*

Vires.

I. *Cornu* crudum resistit putredini, malignitatem corrigit, sudorem ciet, balsamum humanum corroborat. Hinc usus ejus proficuus in variolis, morbillis, febribus putridis & malignis, alijsque morbis, ubi sudore opus est. *Incoqui potest decoctis, macerari in infusionibus, (quippe in substantia exhibitum, crudum ferè egeritur.)*

Præparata ex Cornu.

1. *C. C. ustum, v. l. 2. c.43.*

2. *C. C. præparatum*, fit ex usto quod cum ▽ cordiali l. a. lævigatur.

Vires. *Vi suâ siccante putredini resistit, fluxus alvi sedat, vermes necat, sudores ciet, Medicinaque est infantibus familiarissima.*

Dosis à ℈j. ad ʒj. & ultra.

3. *C. C. Philosophicè calcinatum vide l. 2. c.43.* Sudores ciet, morbis malignis confert.

Dosis ad ʒß.

4. *Magisterium. Cornua raspata solvuntur in acet. destill. præcipitantur per Ol. tart. vel ⊖-i, edulcoranturque ablutione cum ▽. Hinc siccata servantur.*

N. 1. *Alii solvunt cum spir. sal. nitr. quo dein rursus abstracto, Magisterium in fundo relictum edulcorant. In abstractione à spir. sal. nitr. cautione opus est, ne scilicet accensio, quæ facilè accidere alias potest, damnum pariat. Cautius ergò procedunt, qui solutionis ℥iv. affundunt ▽ fontan. mensur. 1. ac filtrant, filtratumque si opus sit instillando Ol. tart. præcipitant.*

N. 2. *Alii solvunt cum* ▽, *præcipitantque cum spiritu Vitrioli ac edulcorant.*

N. 3. *Magisterium præcipitatum cum Ol. tart. flavescit, è contra cum Oleo aliquo minerali. E.g. ⊖-i evadit candidum.*

5. *Galreda seu Gelatina. Vide l.2. cap.26.*

6. *Liquor seu spiritus. Vide l. 2. cap.70. & 81.*

(Liquorem C. C. succinatum Antiepilepticum pro infantibus habet Etmullerus in valetud. infant.)

7. *Oleum v. l.2. c.70.*

N. *Veri olei C. C. descriptionem vide in Kesler.*

8. *Sal volatile l.2. c. 70.*

Sunt qui Sal. C. C. fixi ℥ij. cum ▽ rectificati ℥j. ♂ aliquot (12.) digerunt, atque dein ▽ ad medietatem abstrahunt, residuumque servant. *Titulo Tinctura Salis C. C.*

Dosis à gr. v. ad ℈ß.

Extractum C. C. fit superfundendo segmentis cornuum cervi aq. propriam & tincturam digestione menstrua extrahendo.

9. ▽ *è Typhis cervinis.* Hirschkolben. ▽ *Water of the nevv. horns of a* Hart. Water von de ionge Hoornen van der Hert.

Rec. Cornua Cervi novella, sanguine adhuc succulenta, in frustula concide, destillaque in MB aut VB vel per se. vel cum pauco vino generoso, donec omnis liquor extillarit.

Vires. *Utilissima est in febribus ardentibus malignis.*

Dosis cochlear. s. vel per se, vel cum appropriata aliqua ▽. *Hartm. in Senn. Inst.*

[E Typhis recentibus medulla ✚ destillato extracta præstantissima in excessiva oris siccitate.)

10. *Unguentum C. C. anodynum vid. l.2.*

II. *Corium.* Ex corio fit cingulum, quo mulierculæ utuntur ad inguina stringenda, uterinasque affectiones compescendas.

[Cor confortativum cordis, ex præparatis præbet Aquam Cordis Cervi.]

III. *Os cordis* Hirsch-Kreutzlein. *The Bone of the* Harts *Heart.* Het Been van het horte van eed Hert, *est arteriarum in basi cordis concursus, qui cum ætate & inprimis turgescentiæ tempore durior fit, & in os degenerat*: peculiariter cordi convenit, idque à malignitate tuetur, custodit partum, & prægnantibus mirè conducit.

IV. *Genitale (Priapus)* diureticum est, Venerem stimulat, Pleuriticis, dysentericis, colicoque dolore correptis auxiliatur. Datur tùm tritum, tùm decocto incoctum, vel & aquam qua genitale ablutum est, exhibere convenit.

V. *Testiculi sicci è vino poti*, concubitum cum voluptate excitant. Schvvenckfeld.

VI. *Sanguis inassatus sartagine*, dysenterias & cœliacor. profluvia sistit: est & efficax, contra toxica; commendatur ad dolores coxendicis & lateris (*cum oleo decoctus.*)

Præparata è sanguine C.

Etsi ex sanguine cervino & hircino non minus ac ex sanguine humano elici queant, *Spiritus, Oleum & simil.* Inprimis tamen in usum Medicum accersitur.

Balsamus Antipodagricus paratus ad modum qui habetur de sanguine humano.

N. *E dictis animalibus si interiora viscera, videlicet pulmones, cor, atque hepar particulatim dissecta unà cum sanguine macerentur, nobiliter eorum essentia simul prolectatur.*

Vires. *In podagra maximi est solaminis, (illitus,) insignis item ejus usus est in contracturis à quacunque causa subortis, quippe vi salis magnam resolvendi vim obtinent Gluckr. in Beg.*

(Spontonus Sal volatile sanguinis Cervi Caphuram s. Cervi Balsamum radicalem naturæ, arcanum in Medicina, vocat; putrefacit cum ▽ xv. ♂ hinc destillat, vase refrigerato collo retortæ adhærens separat.)

Dosis gr. iv. ad gr. vj.

VII. *Lachryma* s. sordes quæ in oculorum angulis reperiuntur, velut cera indurata, odoris aliquantulum gravis, tandem fragrantis (*lapis vulgò dicitur*) siccant, adstringunt, corroborant, sudorem cient, ideoque adversus venena morbosque contagiosos quàm summè celebrantur, ut vel cum Lapide Bezoar viribus certare dicantur.

Quinimò (ut scribit ad me Cl. D. D. Horstius) prosunt lachrymæ quoque in difficultate partus, adeo ut earum vis nuper adhuc sit comperta in mortuo etiam fœtu expellendo.

Dosis gr. 3. 4. vide Casp. Baubin. l. de lap. Bezoar. c. 8. & 9.

N. *Lachrymarum harum aliquot frustula colore obscurè fusca. consistentiâ cereâ pilis immixtis referta, dono liberali mihi impertita est Illustrissima Saxoniæ Princeps, Sophia Eleonora, Conjux Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, Dn. Georgii Hassiæ Landgravii, &c.*

VIII. *Medulla* ferè omnium laudatissima, præstatque præ reliquis in ulceribus malignis, ut & in Tibiarum ulceribus. *Plin.*

IX. *Sevum* commendatur præ alijs in tumoribus molliendis, vulneribus astringendis: perniones persanat, dolores sedat.

Præparata Sevi C.

Ol. stillat. sevi vel axungiæ fit *l. 6. lib. 2. c. 70.*

Vires. *Emollit, lenit, summum mitigativum est in podagra, semel ac iterum de die illitum.*

X. *Talus s. Astragalus* utilis est Dysentericis.

XI. *Lapis* in corde, ventriculo, vel intestinis nonnunquam repertus, cum Lapide Bezoar viribus suis convenire dicitur. *Crato Epist. 160. Encel. de lap. l. 3. c. 47. C. Bauh. de lap. Bez. 11.* Inprimis verò lapis è vulva erutus phylacterium esse fertur prægnanti & perficere ut partum perferat.

N. 1. *Optima omnia è cervo censentur, collecta ex cervo turgescente, quod fit circiter Ægidii Festum initio Septembris.*

N. 2. *Cauda cervi venenata est.*

Hæc *Schröder*. Sequuntur jam Explicationes ac Additiones *Hoffmann.*

1. *Cornu* ad plurimos morbos curandos vim obtinet mirabilem, præsertim in malignitate per sudorem & urinam corrigendâ, unde in variolis, morbillis, febribus malignis summo cum fructu adhibetur.

2. *Præparata ex Cornu.* 1. *C.C. ustum &c.*) Hoc *Cl. Zvvelferus* ceu inutile planè rejicit, quia omni virtute Medicinali propriâ est castratum & in terram mortuam redactum. Cui *&c.* ὁμόψυχος est *Helmontius in Pharmacop. ac Dispens. modern.* §. 41. *& de Lithias.* Cap. 3. §. 29. Contra Alij C.C. ustum non solum in substantiâ assumptum diaphoreticum esse statuunt, sed etiam in decocto usurpatum quotidiano potu putredini resistere & morbo Ungarico laborantibus convenientissimum esse, *Johannes Michelius ad Gregor. Horstium in Epistolâ, quam hic Libr. 3. sect. 1. Consil. & Epistol. Medicinal. inseruit. Horstius centur. problem. Medicor. therapeutic. decad. 1. quæst.* 4. Nec contradicit *Noster Rolfinck. in Ord. & Meth. consult. Libr.* 4. *consil.* 13. Cui & Nos adstipulamur experientiâ quotidianâ edocti. C.C. ustum diaphoreticum non solùm observari, sed & ebullitionem humorum sedare, diarrhœam compescere, vermes necare &c. licet particulæ salinæ cum sulphureis videantur destructæ, tamen nihil obstat, alia enim est ignis, alia Archei stomachici est operatio cum remedij adaptatione, quam nullus intellectus humanus satis assequi potest. Nonnulli hunc effectum à sale aliquo fixo, quàm in eo superesse putant, provenire statuunt, sed autopticâ destituimur experientiâ.

Rasura etiam CC. in petiâ ligata & potui imposita diaphoretica est. C.C. usto utimur in febribus cum diarrhœâ conjunctis, rasurâ autem, ubi alvi laxatione opus cum sudore elicio.

3. *CC. Philosophicè calcinatum.*) Seu sine igne, vulgari solum coctione elaboratum omnibus palmam præripit diaphoreticis ex regno animali desumptis, in debitis indicationibus, ut temperatum, in malignis verò non tam primæ debellationi, quam reliquiarum extinctioni potius cum bezoardico ☉lari, ☽nari, Joviali, Martiali dicatum satis efficax. Licet etiam sit præparatum aliquam salis volatilis & olei jacturam, ut *Cl. Zvvelferus putat*, sustinuerit, ideo tamen hoc planè rejicere non docet, tutum enim ac jucundum in plurimis affectibus existere remedium, quotidiana Nos docet experientia.

4. *Magisterium.*) Illud quod Acet. dest. solvitur & ol. Tartari præcipitatur, nullius est valoris, prout & hoc 2. cum aq. fort. sed quod sp. Nitri solutum & copiosa ∇ s. edulcoratum est, optimum habetur. Eleganter etiam cum sp. Vitrioli post mediocrem hujus abstractionem copiosâ ∇ s. præcipitando conficitur, sed hoc magis alterat & adstringit, quàm sudores movet.

5. *Galreda seu Gelatina.*) Hæc quomodo præparanda sit, notum est mulierculis nostratibus.

6. *Liquor seu spiritus, oleum & 8. Sal. volatile.*) CC. crudum & in frusta dissectum imponitur retortæ fictili & appositè recipiente capacissimo datur ignis per gradus & quinque distinctas acquires substantias, primò phlegma, deinde liquorem spirituosum, tertiò oleum leve ac ponderosum cum volatili & deniq; Cap. mort. Per rectificationem singulæ hæ substantiæ sigillatim & seorsim haberi possunt.

N. Liquor cum sale volatili rectificatissimus penetrantissimum est remedium polychrestum, alexipharmacum, in epilepsiâ, vertigine, lethargo, cataphorâ, suffocatione hystericâ singulare specificum tam intus quàm extus, odoretenus etiam adhibitus. Ex hoc præparatur etiam CC. succinatum, Cinamomisatum, Citratum &c.

Sal CC. volatile cum arcano tartari nuptum in malo hypochondriaco scorbuto arthritide fixâ & vagâ, suppressione mensium non adeò deses.

7. *Sunt, qui sal CC. fixi* ℥.*ij. &c.*) Sal CC. volatile figitur spirit. Vitrioli, item Salis &c. verum ego majori cum fructu in praxi meâ nudo sale volatili uxor CC. albissimo instar crystallorum ad acida fermenta in visceribus corrigenda & putredinem inhibendam.

8. *Extractum CC. &c.*) Ex hoc nil nisi gelatina resultat.

9. ∇ *è Typhis cervinis.*) *Hirchkolben Wasser.* Hæc in febribus ardentibus & malignis non solùm, sed & in puerperis apud Nos magni usus est. Ob vim ejus balsamicam & moderatè refrigerantem malignitati resistit. Loco vehiculi etiam usurpari potest cum alijs efficacioribus.

2. *Corium.*) Ex corio fit cingulum, quo mulieres utuntur ad inguina stringenda & suffocationem uterinam compescendam.

3. *Os Cordis.*) *Doctissimus Vesalius Libr. 2. de Fabric.* Hum. 20. hoc os in corde cervorum reperiri fabulosum esse testatur, item *Brasavolus in examine simplic. Rondeletius in Aureâ Alexandrinâ*: qui hoc os in corde reperiri negant. Verùm magnis hisce in Arte Medicâ benè meritis erroris ansam forsan dedit, quod os cordis cervini in aëre demum duram & osseam acquirat consistentiam, in cervis autem nuper mactatis adhuc cartilagineum, molle ac sterile fit. Magnatum hoc est virium, palpitationem cordis sedat, alexiterium est, melancholiæ medetur, quare & in præstantissima ingreditur antidota, qualia *Elect. Liberans, lætificans Galeni confectio de hyacinth. Diamargarit. frigid.* Custodit etiam partum, prægnantibus & puerperis mirè conducit.

4. *Genitale* (*Priapus*) Dysenteriæ & colico dolori medetur, item in pleuritide hujus rasurâ in aqua scabiosæ nihil præstantius. In suffocatione uterinâ priapus cervi justo æstus tempore exsectus præsente paroxysmo [quantum cuspide cultelli sumi potest in aqua appropriata propinatus est singulare remedium.

5. *Testiculi sicci ex vino poti.*) Item *sperma cervorum,* quod ad Priapum in parastatis reperitur, dum cervus œstro libidinis percitus in ipso coitu globulo perfoditur ad rem veneream cum vino propinatum valdè efficax est.

6. *Sanguis inassatus sartagine* &c.) In hoc sanè egregia etiam latent arcana, quæ tamen prius erui non possunt, quàm si in spiritum & sal volatile destilletur.

7. *Lachrymæ seu sordes.*) Lapis vulgò dicitur. Hic contrà venena & venenatos morbos est antidotum, pretiosis Regum thesauris anteponendum *vid. Zacutus Lusitanus de Medic. Princip. histort. Libr.* 6. *histor.* 29. *observ.*

8. 9. *Medulla & sevum.*) *Sevum* dentium etiam dolores mitigat & vermes ex illis trahit linteo exceptum & ad ignem liquatum gingivis impositum.

10. 11. *Lapis in corde, ventriculo, vel intestinis &c.*) Lapidem in corde cervorum, prout & in ventriculo & alijs partibus inveniri, nemo facilè in dubium vocabit. De *Serpente Lapideo* in ventriculo cervi reperto nota est historia *à D. D. Johann. Dan. Mejore* pertractata in dissertat. epistolic.

N, Lapis ex corde cervino exemptus in peste & alijs venenatis morbis curandis laudem meretur, talem ut longè præferendus sit cuivis Lapidi Bezahar. *Zacut Lusitan. de Medic. Princip. histor. Libr.* 6. *h.* 23. *p. m.* 900.

N. Aquam cordialem ex corde cervi vid. in Thesaur. Pharmaceutic. annexo sect. 1. num. 24. 25.

CORNU

CORNU CERVI AURATUM,

℞. *Croci solis* ℈iv. *CC. Philos. calcin & præparati* ℥i. *misce.*

Vires prædicantur cordiales, in variolis, morbillis, febribus malignis, &c.

CERVUS FUGITIVUS, vid. *Mercurius.*

CERVUS VOLANS, sive SCARABÆUS, vid. *Scarabæus.*

CETERACH.

Asplenium Ἀσπλήνιον Græcis ab (α) privat. & σπλὴν dicitur, quia lienem absumere creditur. Eadem Scolopendrium dicitur à foliorum incisuris Scolopendræ animalculo similibus; vel, ut alij volunt, quòd contra morsus Scolopendræ & aliorum reptilium venenatorum conducat. Asplenium πτέρυγα dici Dioscorides scripsit. Nomen illud impositum quòd cum Filice aliquam habeat similitudinem: vulgò *Ceterach* vocant, quam vocem à Pteriga manâsse volunt, *P.* in *C.* mutato, ut aliàs sæpe: sic ex Pteriga Ceteryga & corruptè Ceterach. *Bodæus à Stapel. in Theoph. Hist.*

Nomina. Asplenium sive Ceterach *J.B. Ger. Park.* Asplenium sive Scolopendria, Ceterach officinarum *C. B.*

Capillaribus filamentis, nigricantibus, perennibus contexta est *radix*; ex qua *Folia* plurima, haud temerè supra digitum longa, brevibus pediculis appensa exurgunt, falcatis utrinque incisuris Polypodij, sed longè brevioribus, licet aliquanto latioribus interdum divisa, pinguiuscula, supernè viridantia, infernè lanuginosa, ruffâ farinâ aspersa. Ea (inquit Dodonæus) cùm inarescunt complicantur, & in teretem figuram contracta, forisque hirsuta Scolopendræ similia apparent. (Nobis potiùs ob foliorum segmenta utrinque Scolopendræ incisuris quibus pedes annexi sunt aliquatenus similia, Scolopendrium dictum videtur.) Saporem folia adstringentem, & aliquantulum tenuem habent.

Folia in hac plantula vix unciam lata sunt, laciniata potius quàm pinnata; siquidem incisuræ ad mediam costam vix pertingunt: laciniæ autem seu divisuræ non conjugatim, sed alternatim digestæ sunt, suntque breves & obtusæ.

Seminales efflorescentiæ in aversa foliorum parte non in punctula seu lineolas divisæ sunt, sed continuæ, tum colore tum asperitate corii densati & præparati superficiem interiorem quodammodo referentes. Hæ microscopio spectatæ ab omnibus aliis diversæ apparent, jucundissimô spectaculô oculos animumque exhilarantes: in harum enim fabrica & constructione curiosissimum & fidem pœnè omnem, nè dicam imaginationem superans, in tam contemptæ præsertim parvitatis plantulâ, naturæ artificium & ingenium elucet: siquidem hæ velut membranulæ quædam tenuissimæ quales sunt muscarum alæ, apparent, variis figuris, ut ita dicam, reticulatæ, favorum cum cellulis melle repletis & cerâ obturatis speciem exhibentes, inter quas velut in totidem cellulis vascula seminalia, qualia superius descripsimus, disponuntur. *W. C.*

In Saxorum crepidinibus, inque vetustis muris, in Occidentali Angliæ parte abundè provenit, v. g. circa *Bristolium* urbem, & in rupe. *S. Vincentii* dictâ inter Saxa.

Vires. Hujus foliorum decoctô in acetô per 40. dies potô lienem absumi aiunt. *Plin. Diosc.* Strangu iæ quoque, singultui & morbo Regio auxiliantur folia, calculosque vesicæ comminuunt: non danda fœminis quoniam sterilitatem faciunt. *Idem.* Usus præcipuus est in liene tumido, expuitione sanguinis, fluxu alvi. Extrinsecùs mundificat vulnera & ulcera. *Schrod.*

Tradit Matthiolus aureum illum pulverem, qui invenitur in aversâ foliorum parte, ad ℈i. cum albi succini farinæ ℈ß. ex succo portulacæ aut plantaginis potum gonorrhœâ laborantes mirificè juvare. *Raius.*

CETUS sive *Balena.*

Balena, φαλαίνα, (vel παρὰ τὸ βάλλειν, h. e. ejicere, emittere, nempe quia altius aliis belluis marinis undas jacit: vel à φάλον, quo vocabulo Græci meatum in galeis militaribus, cui plumas olim inferebant, indigitant.)

Cetorum quamplurima esse *genera* videntur, & ut ego cum *Ol. Wormio* existimo, omnia nobis nondum satis sunt explorata. Extat enim, inquit idem *Wormius*, *Musæi sui pag.* 279. liber manuscriptus, prisca nostra *Danica* nempe lingua exaratus, quem *speculum Regale* vocant, cujus autorem fuisse Regem *Suenonem* multi putant; in quo supra viginti species cetorum enumerantur, in mari Norvvegico observatorum. Quorum Catalogū exscripsit *Wormius.*

E notioribus autem sunt.

1. *Balæna* vulgaris. Cujus generis plurimæ circa Islandiam, Grœnlandiam, & vicina Septentrioni loca, à Biscainis, Anglis, Hollandis, circa solstitium æstivum, quo tempore sinus recessusque maris pacatiores quęrunt, capiuntur. Referunt quidam, qui harum Belluarum capturæ in mari Aquitanico interfuerant, oculos ipsarum vix esse humanis majores; gutturque angustū, ut vix potuisset capere simul duos Scombros.

2. *Physeter*, & *Physalus*, (παρὰ τὸ φυσᾷν ab efflando, quod copiosiorem aquarum eluviem præ cæteris efflare dicatur. *Furnerius* noster ingentis & ferè portentosæ magnitudinis hunc facit, & singulos se eorum tantum aquæ è fistulis, quas in capite habent, ejaculantes vidisse adjicit; ut singuli singulas naves onerarias aquarum copia in profundum submergerent.

3. *Cetus dentatus à Carolo Clusio* (Exot. lib. 6. cap. 17. descriptus, in cujus capite reperitur liquor ille pretiosus, qui vulgo *Sperma Ceti* vocatur; Talis fuit bellua illa, quæ ante annos circiter viginti, in littus nostrum; non longe à *Norvvico* in *Norfolcia*, magna maris tempestate appulit. Nam in capite ejus *Spermatis Ceti* tantum repertum fuisse audivimus, quantum dimidium dolii, in quo asservari solent Haleces saliti, repleret.

4. *Pulses* (à *secando*, quod pernicissime natet, undasque quasi secat,) quam *Carol. Clus.* (*Exotic. lib.* 6. *cap.* 19.) optime descripsisse videtur. Reperitur plerumque in Oceano Occiduo, & *Canem Carchariam Aristotelis* forma æmulatur.

5. *Orca*, (à vasis olearii aut vinarij similitudine,); nautis in mediterraneo Oceano haud infrequenter obvia. Hujusmodi belluam olim in portu *Ostiensi* visam fuisse, & oppugnatam à *Claudio* Principe, retulit *Plinius*; qui eam planè describit.

6. *Monoceros*, *unicornu Marinum*, Septentrionalibus *Narhual*; cujus dens hactenus pro vero unicornu à Magnatibus & aliis habitus fuit. In freto Davis hæc animalia haud rara esse retulerunt nautæ, qui ea ibidem viderunt. Capitur etiam interdum circa *Groenlandiam.* Ceti hujus iconem exhibet *Ol. Wormius* in Musæi pag. 182. *Charleton in Exercitationib. &c.*

OFFICIN. NAT. *è Cetô, seu Balenâ.*

Axungiâ quæ medetur scabiei, (illita.)

Alii Ambram ei acceptam referunt, sed falsò, ut videri potest in Ambræ historia & descriptione.

Manati.

Cetorum generibus annumeratur Piscis *Manati* dictus, à pedibus binis anterioribus, nimirum hos manus Hispani vocant, unde & piscem manatum, ac si diceres manibus præditum, vocaverunt. Belgæ ob similitudinem capitis, quo Vaccam mentitur, Vaccam marinam, *Le Manati, A Sea Covv* appellant. vid. *Clus. Aldrovand. Monard. Gomar.*

OFFICIN. NAT. è Pisce Manati.

Lapis *Manat.* seu de Manati, vulgò Lapis Manatin, est lapis, os seu crustaceum quid ex capite ejus exemptum, idque variforme, nonnunquam enim dentes refert, unde & nonnullis *Sea Covvs Tooth,* i. e. dens Vaccæ Marinæ audit, aliquando ossicula aurium mentitur, adeoque ossa auditus dicuntur.

Præpar. è lapide Manati.

1. Præpar. fit ex calcinato s. cremato.

N. Præstat irrotare aliqua aqua conveniente v. g. Fœniculi, &c.

Vires. Summè cõmendatur ad calculos renum & vesicę cõminuendos, dolores nephriticos, ac colicos sedandos.

Dosis ʒj. & ultrà.

N. *Sunt qui ad ʒj. ascendunt.*

2. Magist. Fieri potest solvendo cum spiritu salis vel sal. nitri, ac præcipitando cum ▽.

N. *Priapus Ceti* à paucis annis pro summo arcano dysenterico adhibitus ex Indorum Orientalium Medicinâ in Europam delato experimento, qui dum frequenter dysenteriâ corrumpuntur, sumpto priapo ceti restituuntur, quod & apud nos sæpè feliciter cessit, ob facultatem suam glutinosam oscula venarum oblinentem & anodynam vim archei furorem sedantem. *Schroder.*

DE SPERMATE CETI.

Sperma ceti est pinguedo quædam naturalis substantiæ squamosæ, albæ, teneræ, mollis, quasi ex parvis raris furfuraceis squamis conflata, nata in ventriculis cerebri aliquando etiam ex maris superficie collecta, lixivij beneficio purificatæ, saporis pinguis & piscosi. N. B. 1. Quod ad nos transfertur rarò colligitur è summo mari, potius qui Grœnlandiam navigant, colligunt ex ipsa superficie cerebelli Balænarum interfectarum & per pannum exprimunt & cùm domum veniunt lixivio forti extrahunt pinguedinem omnem superfluum, ut album reddatur. 2. In alijs piscibus præter Orcam non reperitur, inquit *Wormius.* Alij autem inter lobos Tuberonis cerebelli proprijs manibus se collegisse affirmant, alij sedem collocant in cavitate glandulosâ Maxillæ inferioris. Vid. D. Tylom. de Anatom. Phocænæ. Eligatur candidum, pingue, recens, non rancidum, neque flavum.

Vires. Humectat, resolvit, anodynum est, proin vulgaris usus in coagulati sanguinis resolutione à casu vel similiter contracti. In torminibus colicis sedandis, ut & in toorminibus ventris Infantum mitigandis. In tussi tartaroque pulmonum demulcendo: Extrinsecus sunt qui cicatricibus exanthematum illinunt, ut carne eas repleant. *Dale.*

De spermate Ceti distinctiùs. Hoffmann.

Hoc substantia quædam pinguis est, tenera, mollis, verno tempore manè mari tranquillo innatans, calore leni diffluens, aëre autem frigido iterum concrescens, colore albo squammarum minutarum sub specie se offert. Quoad saporem butyrum quasi æmulatur, nisi quod aliquid rancoris linguæ imprimat, prout recentius vel vetustius fuerit, variat. Odor nullus ferè est, nisi etiam quodammodo rancidus. Hoc ab initio sub spermatis ceti nomine Naturæ mystis venit, eò quod putarent, eandem esse ceti genituram in mare à coitu illorum effusam, cum illis in locis potissimum inveniatur, ubi cetorum vel balænarum magna est copia, & spermaticam ac viscidam repræsentet substantiam; Sed frustraneâ persuasione. Alij postmodum fuerunt, qui florem salis halosanthon Veterum putarunt, cujus substantia Salina, nitrosa, non pinguis ac oleosa fuit qualis spermatis ceti, sulphureæ potius naturæ, ut ob id ab Autore nostro & alijs ad bituminosa referatur corpora. Attamen cum & hoc nimis generale sit, adiposum quid potius ac pingue ex animalium classe videtur, & in specie marinorum, cum rancor facilis, sapor piscosus & odor ac similia hoc ipsum evincant. Ideoque modernæ observationes & experientiæ in cetorum capturâ manifestarunt, hoc sperma ceti dictum ex cetis esse, non autem quòd ex partibus eorum genitalibus oriatur, sed ex capite potius eorum proveniat, & tam ipsum sit pingue cerebrum, quàm oleosus cerebro circumfusus liquor. Varias scilicet inter cetorum species, Borealem Oceanum juxtà Islandiam Grœnlandiamque Insulas incolentes, una est singularis 25. aut 27. ad 30. ulnarum longitudinis, 10. ad 15. crassitiei, dentibus mediocribus armata, sed capitis prægrandi instructa mole, adeò ut secundum *Olaum Wormium* hoc tertiam totius piscis partem ferè adæquet, à latinis aliàs proprio nomine Orca appellatur, Belgis *Porfisch.* In hujus cranij cavitate continetur materia hæc pinguis & oleosa, quæ exinde collecta vel in mare effusa sperma ceti postmodum appellari incipit. Nec minima est hujus quantitas, reperitur enim in his cranijs tantâ copiâ, ut ex uno cranio dissecto balænæ multæ amphoræ desumptę fuerint. *vid. citatum Wormium in Musæo* cap. 14. *Bartholin.* c. 4. histor. 24. *Clusium* Lib. 6. Exotic. c. 17. Hoc autem tantùm in masculorum cranijs reperiri asserunt, fœminarum cerebrosa substantia instar liquidę pinguedinis instar olei venit in usum lucernarum; Hic dubium solum manet, quomodo à Balænis in mare effundatur? Sub spermatis ratione hoc fieri, nemo jam sibi persuadebit, sed potius cum *Olao* l. c. statuimus, reperiri hanc materiam in mari, quando aut cetus hic pugnando cum alijs occubuerit, aut quando hanc materiam certo tempore naturæ instinctu per appropriatos meatus evacuarit. In mare igitur effusa pinguis hæc materia marini salis attactu in se cogitur & spissitudinem contrahit, accedente aëre frigido. Hoc autem ignobilius fere quod mari innatat, prout prius ac nobilius, quod ex ipso cranio haurirur. *Thom. Bartholin.* C. 3. *epist.* 70. Illud quod ex mari hauritur, aquis puris calidis abluitur, incoquitur, & factâ post refrigerationem consistentiâ aufertur pinguedo, sperma ceti dictum officinarum. Hâcq; ratione præparatur illud, quod ex mari colligitur impurius. Hujus autem, quod ex Capite Balænarum sumitur, concinnior longè præparatio est, quâ utuntur Dani in preparando spermate ceti, quam à Pharmacopœo Hafniensi experto *Dn. D. Michael Ettmüllerus* amicus meus plurimum honorandus communicatam accepit, & dissertationi *de spermate ceti* inseruit, quæ cum non in omnium sit manibus, hûc apponam. Conficitur scilicet lixivium acre ex cineribus & calce vivâ, ita ut hujus sit minor quantitas, quàm cinerum. Signum autem sufficienter acuati lixivij est, si intra digitos ad tactum lubricum & quasi pinguidiusculum percipiatur, hinc per saccum laneum, ut clarum & purum evadat, percolatur. Ubi lixivium jam præparatum est, sumitur massa ex cranio Balænarum suprà dictarum, eaq; si pinguis, flava & liquamine oleoso superfluo perfusa fuerit, (*vvenn sie sehr thranicht ist*) per saccum ex pilis confectum mediocriter est exprimenda, non per pannum lineum, ut omne liquamen pingue superfluum per saccum transudet: quo facto restitans in sacco materia spermatis lixivio supra preparato immittenda & manibus in lixivio probè

probè subigenda & cum eodem permiscenda per diem ac noctem ita reponenda est. Altero die manè per saccum pilosum lixivium denuò exprimendum & separandum, & id quod restiterit, super linteum explicandum & digitis blandè diducendum est, & in aëre libero vel sub tepidiori solis radio, ne liquescat, exsiccandum & ita præparandum erit, quod posteà spermatis ceti venit nomine. Magma candidum, squamosum, friabile, promptè liquescens.

N. 1. Si materiâ ex cranio collecta pinguis ac oleosa fuerit, sed candidior & friabilis, tunc citrà expressionem per saccum pilosum statim lixivio est permiscenda, aliàs sperma hoc rufescet.

N. 2. Ipsa lixivij quantitas nec copiosa nimis sit, respectu infundendi spermatis, nec etiam acrimonia ejus nimis intensa, alias immissa spermatis materia coit cum alkalibus lixivij in saponem. Idem præparandi modus etiam obtinet, si rancidum forsan aut vetustate nonnihil fuerit corruptum. (D. *Pomet*. in sua Aromatum generali Historia gallicè conscriptâ, tantò non utitur artificiô; cerebrum enim ceti igne lentô colliquatum, in formas ad instar earum in quas saccharum projicitur reponit, donec probè frigefactum, ac omni humore oleosô, guttatim ex eô decidente, spoliatum sit. Tunc reassumit illud, colliquat rursus, eundemque etiam laborem repetit, donec optimè purificatum ac dealbatum fuerit; tumque mediante cultellô in eam operationem confectô, illud conscindit velut in squamulas in quas distinctam videmus hanc materiam.)

Vires. Humectat, resolvit, anodynum est. Undè maximè ejus usus in colicâ, suffocatione hypochondriacâ seu hystericâ passione, torminibus infantum commendatur; Lac coagulatum dissolvit, unde & *Hadrianus à Minsicht in armament. chemic.* Emplastrum de spermate ceti describit, cujus felicissimum successum *Dn. D. Johannes Michaelis* in tumoribus mammillarum sæpius fuit expertus & *Cl. Timæus à Gülden-Klee cas. Medic. Lib. 4. Cas. 36.* Sanguinis grumos resolvit, & in asthmate, catharro suffocativo, nihil præstantius. Sed rancidum non esse debet, aliàs plus nocebit, quàm proderit.

Dosis est in adultis ℈ß. ℈j. ad ʒj. infantibus gr. j. ad iv. vel ℈ß. vel per se, vel cum saccharo candido semine aquilegiæ &c. in lacte materno.

CHA, vid. THE, *scilicet ejus est species.*

CHALASTICA, sive RELAXANTIA.

Chalastica, est vox græca, latè sumpta significat medicamenta calore temperato lenientia atque partem ad quam admota sunt corroborantia: sed strictè sumpta sonat, medicamenta partem relaxantia, atque illi solatium afferentia, & hoc sine ullo qualitatis excessu, sicut pinguedo, butyrum, œsipus, &c. *Meuve.*

CHALCEDONIUS LAPIS, vid. sub titulo *Lapis.*

CHALCITIS, SORY, & MISY.

Sory, Chalcitis, & Misy. Mineralia sunt inter se origine & viribus conjunctissima. Nimirum ex Sory fit Chalcitis, ex hac Misy, videatur *Matthiolus in Dioscoridem*, qui inter recentiores primus quid illa sint demonstravit. Verùm adhucdum in officinis nostratibus ignota sunt, & in usum non veniunt, quæ Chalcitis loco Colchotar seu vitriolum calcinatum Theriacæ immiscent, cùm tamen geminum Sory, Chalcitis & Misy, monente eôdem Matthiolô in Ducatu Brunsvicensi inveniuntur.

1. Sory Offic. Est Minerale lapidosius & vehementius compactum quam Chalcitis aut Misy, sed & crassissimum, fricatum scintillas Miseos emittens.

2. Chalcitis Offic. Minerale est æri simile, friabile nec lapidosum, Sory tenuius, Misy verò crassius, tractu temporis ex Sory factum.

3. Misy Offic. Minerale est aurum colore imitans, aureisque scintillis dum frangitur, splendens, natum super Chalcitim & ex Chalciti, non secus ac ærugo nascitur super æs & ex ære, efflorescentia enim Chalcitis est.

Vires. Adurunt & escharas efficiunt, attamen & nonnihil quoque adstringunt. Differunt tamen inter se tenuitate & crassitie. *Dale.*

CHALCUS, sive ÆREOLUS.

Chalcus, est vox græca significans certum quoddam pondus granum superans olim apud Græcos quàm hodie fuit usitatius, pendit grana duo. *Meuve.*

CHALTA, vid. *Calendula.*

CHALYBS, vid. *Ferrum.*

CHAMÆACTE, vid. *Ebulus.*

CHAMÆCYPARISSUS, vid. *Abrotonum.*

CHAMÆCYSSUS, vid. *Hedera terrestris.*

CHAMÆDRYS.

Χαμαίδρυς, quasi *humilis Quercus*, quia folia habet σχίσεις τῇ δρυῒ ὁμοίας divisurâ Quercui similia, adde & figurâ: unde non alia quærenda est hujus generis nota characteristica. Parvitate sua præcipuè à Teucrio differt; cujus & nomen etiam participat, nonnullis Teucrion dicta.

Nomina. Chamædris vulgaris *Park.* vulgò vera existimata *J. B.* minor *Ger.* minor repens *C. B.*

Reptatricium classi accensenda, *radiculas* lignosas obliquè agit, fibrisque tenuissimis subinde rursum radicatur, *virgultis* donata dodrantalibus, rubentibus, lanuginosis: quibus *folia* ex intervallis nascuntur bina, Quernorum divisurâ, longitudine unciali & majore, latitudine semunciali, rigida, nervosa, hirsuta, sapore subamaro, subdulci & aromatico. *Flores* spicatim quodammodo exeunt, purpurascentes labello scutellato, alis duabus acutiusculis ad angustam cervicem appositis, supra quas surrecta ceu spicula, pro galea verò, quâ destituuntur, purpurantia *stamina* surriguntur.

In Germania, Gallia, & Italia frequens reperitur. In Anglia etiam invenimus non semel, an spontaneam ambigimus.

Alia etiam est Chamedryos species quæ Major dicitur; cujus

Nomina. Chamædris major *Park.* major latifolia *Ger. emac.* major repens *C. B.*

Præcipua nè dicam sola, inter hanc & præcedentem differentia est in statura & partium omnium magnitudine, ideoque *J. Bauhinus* hanc ab illa non separat: Nobis tamen non videtur specie diversa, non accidentibus solis quæ cœli aut soli diversitati, aut etiam culturæ debentur.

Vires. Tenuium est partium hæc herba: potenter urinam ac sudores movet. Hinc confert in febribus, scorbuto, sanguine, coagulato, & inprimis in Arthritide, Ictero, & urina suppressa. *Schröd.* Addit *Matthiolus* in pestilentia, lumbricis, capitis morbis frigidis.

Extrinsecùs adhibetur in ulceribus serpentibus, in dolore hæmorrhoidum, in auribus verminulosis, in scabie & pruritu, in catharris exsiccandis.

Scribit *Vesalius in Epist. de China*, decoctum Chamædryos fuisse commendatum à Medicis Genuentibus Carolo V. Imp. pro perpetuo Podagræ auxilio, facto decocto sive

sive ex vino, sive ex aqua stillatitia. Experiatur qui volet, inquit *Casp. Hofmannus*, qui se *Tragi* sententiam amplecti ait, Chamædryn idem posse quod Betonicam; & recte indi decoctis deobstruentibus.

Apud nostrates mulierculas in mensium suppressione decoctum ejus usus est creberrimi.

Planta ipsa in agro Cantabrigiensi à vulgo Theriaca Anglica dicitur, proculdubio quia Alexipharmaca censetur.

Quidam celebris ob Scrophularum curationem exhibebat decoctionem Chamædryos in vini albi lib. II. ad lib. I. consumptionem. Dos. coch. 6. manè & vesperi, per mensis spatium quo non proficiente exhibebat infusionem Roris marini & Linguæ cervinæ ana M. I. in vini alb. lib. IV. per horas 24. & sumebat æger Cochlearia octo bis in dies; quo decocto fovebat etiam partes tumentes, quo successu non traditur. *D. Hulse* è M. S. nondum edito.

Pulvis Chamædryos celebratur inter Ægyptios contra febres intermittentes. Alpin. de Medic. Ægyptiorum, p. 146. 147. Laudatur etiam hæc planta in febribus intermittentibus à *Montano* & *Baricello*. Multi rustici curant febres Quartanas pulvere Chamædryos sumpto in jusculis per aliquot dies. *River.* Centur. Obser. 4. obser. 84.

Com. Mediolanensis uxor dolore uteri ingenti excarnificata, decocto chamædryos cum jusculo pulli parato, solutâ alvo, magnaque bilis ac pituitæ copiâ excretâ integrè convaluit. *Raius in Hist. pl.*

Alia præter *maiorem* & *minorem*, mox descriptas, datur Chamædryos species quæ Caryophyllata Alpina Chamædrios folio *Morisono*; Chamædrys spuria montana Cisti flore *Parkins.* Alpina flore fragariæ albo *Joh. Bauh.* Alpina Cisti flore *Casp. Bauh.* Teucrium Alpinum Cisti flore *Gerard.* dicitur, quæque hic post delapsos flores iisque substitutum plumatum Pulsatillæ capitulum, depingitur. Nascitur in nostra vicinia, monte scilicet *Thuiri*. Gustu est adstringente, ac austeriusculo, sed minimè aut parum admodum amaro. Eam in febribus profluviisque ventris commendabilem credidimus, verùm hactenus opinionem nostram per experimenta frequentiùs repetita satis confirmare non licuit.

CHAMÆLEA, vid. *Mezereon.*

CHAMÆLEAGNUS.

Chamæleagnus est Arbustum habens ramusculos per ambitum frondescenses; hæc folia lata atque longiuscula sunt, Myrthi foliis similia; sunt tamen duriora longioraque. Ex intimis foliis producuntur flavi flores, quemadmodum spicæ ordinati, posthæc grana rudia formantur, quorum Apex pungit, alia aliis apposita admodum parvulorum racemorum; hæc grana sunt longa, quæ maturata succo oleoso plena. Ejus radix est dura, atque flexilis. In locis incultis, ac paludosis producitur hoc arbustum. In Britannia Belgioque multa sunt; ut & in Gallia Narbonensi (ut ajunt.) *Raius.*

Vires: Semen illius maximè calidum est, atque siccum usque ad tertium gradum. *Folia* sunt etiam sicca & calida; sed in remisso gradu. Fructus cerebro nocet. Universæ illius arbusti partes à vermiculis vestes vindicant. *Meuve.*

CHAMÆLEON ALB. vid. *Carlina.*
CHAMÆLEUCE, vid. *Tussilago.*
CHAMÆMELUM, vid. *Camomilla.*
CHAMÆMELIUM, vid. *Fraxinella.*

CHAMÆMORUS, seu *Chamærubus.*

Chamæmorus à foliorum cum Mori foliis similitudine dicitur, verùm rectiùs meâ sententiâ C. Bauhinus Chamærubum appellat, siquidem folia & fructus ad Rubum propius quàm ad Morum accedunt.

Nomina) Chamæmorus *Ger. Clus.* Anglica *Parck.* ejusdemque Chamæmorus Cambrobritannica Rubo Idæo minori affinis Chamæmorus *I.B.* Chamæmorus folio Ribes Anglica *C.B.* Vaccinia nobis *Ger.*

Dodrantalibus prædita est *viticulis*, in quibus alternatim 3. 4. rariùs 5. *folia* scabra Malvæ, vel potiùs Mori, (*novella viz. & primùm natæ, mavult tamen Clusius, & nos pariter cum Ribes vulgaris foliis conferre.*) foliis non valdè dissimilia, in quinque præcipuas partes divisa & per ambitum serrata, longis pediculis innixa, qui ex binis alis sive apophysibus caulem amplectentibus exeunt. Summum caulem exornat *flos* unicus, quinque foliolis ex nigro (fortè ex albo) purpurascentibus constans. Fructus Mori fructui (*Rubi Idæi vulgaris veriùs*) simillimus (unde nomen) sed paulò minor, primùm albicans & acerbus, postea ruber, ex acerbo dulcis. *Radix* utcunque nodosa, ex singulis nodis paucas fibras spargens, mirè se propagans, & quàm longissimè serpens, adeò ut brevi tempore maximum spatium occupet.

Vires & Usus. Ex hoc fructu (inquit *Hoierus*) Electuarium ad Scorbutum rudi Minerva conficiunt quotannis Norvvagii & Finmarchii. Baccas in fictili aut aheno per se ad mediocrem consistentiam coquunt, nullo addito liquore; cùm enim succi pleni sint & molles, alieno humore irrigari non expetunt. Quanquam in delicatioribus sunt nonnulli, qui melicrati Fionensis (quo summè delectantur Septentrionales isti) aliquid affundant. Hanc confectionem idoneis vasis exceptam, & ne corrumpatur ab ambiente aëre butyro dissoluto obductam, usui studiosissimè reservant, nobile sanè & probatissimum illis adversùs Scorbutum remedium. Etenim non facilè credas quæ miracula gens illa solâ hac medicinâ faciat quotidie, ut omninò fatendum sit, nihil ad hanc esse vel cochleariam illam tot encomiis hactenus celebratam, vel Becabungam, vel Silymbrium, Cardaminem, & id genus alia, quibus Germani se efferunt.

Nonnulli Scorbuticos, quamvis ridiculè, benè tamen atque utiliter hunc in modum curant. In vicinam aliquam insulam moris abundantem exponunt, ibidemque solos relictos domum non transferunt, priusquam sanitati sunt restituti. Tum enim illi, quasi ab omni humanitate exclusi, vitæ tamen (quod credibile est) cupidi, moris istis vesci coguntur, sive ut extremo remedio promissam sanitatem recuperare tentent, sive ut sitim, quâ ut plurimum torquentur, extinguant. Dumque hoc ad satietatem agunt, sine dubio intra paucos dies oppidò convalescunt. Hyeme verò, quando id non licet, Electuario suo non minùs feliciter utuntur sine certa dosi aut custodia. *Raius. in Hist. pl.*

CHAMÆPITYS.

Chamæpitys, i. e. humilis pinus à foliorum similitudine dicitur, vel humilis Picea, quòd folia piceam oleant. Latinis Ajuga dicitur seu Abiga, quòd fœtum abigat & abortus faciat: nonnullis Iva arthritica, quòd arthritidi medetur.

Chamæpitys foliis pinûs æmulis, & odore resinoso à reliquis sui generis differt. An ad suffrutices, an ad herbas referenda sit dubito. Ob parvitatem suam & cauliculos teneriores herbis potiùs annumerandum duximus, quamvis caules in nonnullis speciebus interdum perennent.

No-

Tab. IV. Tom. I.

pag. 552.



Explicatio maximè vulgarium caracterum Chimicorum

Acetum
Acetum Distillatum
Aër
Aes, Vid. Cuprum
Aes ustum
Alembicus
Alumen
Alumen plumeum
Amalgama
Ana ā an.
Antimonium
Annus
Aqua
Aqua fontis Font
Aqua fortis
Aqua Regia
Aqua rosarum Rosar
Aquarius
Arcitenens
Arena
Argentum luna
Argentum uiuum mercurius
Aries
Aqua Vitæ
Arsenicum
Atramentum
Auripigmentum
Aurichalcum
Aurum
Balneum
Balneum Mariæ
Balneum Vaporis
Bolus Armenia
Borax
Calcinare
Calx
Calx uiua
Camphora
Cancer
Caput Mortuum
Capricornus Signum Cœleste
Cerusa
Chalcantum, uid. Vitriol.
Chalybs, vid. Mars.
Cineres
Cineres clauellati
Cementare
Cera
Cinnabaris
Coagulare HE
Cornu Cerui CC

Crocus martis
Crocus ueneris
Crucibulum
Cuprum Aes Venus
Cristallus
Dies
Digerere
Distillare
Drachma ʒ
Farina laterum
Ferrum uid. Mars.
Filtrare
Fixare
Flores Aeris
Flores Antimonii
Gemini
Gumini
Hora
Ignis
Ignis Rotæ
Iupiter Stannum
Leo Signum Cœleste
Libra Signum Cœleste
Librapondus
Limatura Calybis
Lithargirum
Luna, Argentum
Lutum
Magnes
Magnesia
Marcasita
Mars
Massa
Mensis
Mercurius vid. Argentum vivum
Mercurius Sublimatus
Mercurius Præcipitatus
Mercurius Saturni
Minium
Nitrum
Nox
Oleum
Oppositio
Pisces Signum Cœlest.
Plumbum Saturnus

Præcipitare
Putrificare
Puluis
Purificare
Quadratus
Quinta Essentia
Realgar
Regulus Martis antimoniatus Stellatus
-lus ♂ tis ♁ tus ✱ tus.
Retorta
Sagittarius Sig. Cœleste
Sal alkali
Sal Ammoniacum
Sal Commune
Sal Gemmeum
Sal petræ vid. Nitrum
Sapo
Scorpio Sig. Coeleste
Scrupulus
Soda
Sol, vid. Aurum.
Solvere
Spiritus Sp Sp
Spiritus Vini
Stannum, Iupiter
Sublimare
Stratum Super stratum SSS fff.
Sulphur
Sulphur Vivum
Sulphur Nigrum
Sulphur Philosophorum
Talcum
Tartarum
Taurus Sig. Cœleste
Terra
Trigonus
Tutia
Venus, vid. Cuprum.
Vinum
Viride æris
Vitriolum
Vitriolum Album
Vitriolum cæruleum
Vitrum
Vncia ℥
Vrina

Nomina. Chamæpitys vulgaris *Park.* vulgaris odorata flore luteo *J. B.* lutea vulgaris, sive folio trifido *C. B.* Cham. mas *Ger.*

Plantula est palmaris, nonnunquam vix unam aut duas uncias alta, *radicula* satis longâ, simplici & durâ. *Cauliculus* teres, hirsutus, propter terram rubescens cæterâ ex herbido in luteum vergens, quemadmodum & *folia*, quæ ex brevibus intervallis ad nodos gemina opposita nascuntur, hirsuta, aviculæ digitatos pedes sive tridentem imitata, sapore & odore picis aut resinæ: ex quorum alis flores emergunt luteosi, labello latiore, bifido, superiore parte punctulis rubris guttato; galeæ verò vice stamina promunt dilute purpurascentia, *Semina* in calyculis quaterna, triquetra succedunt, ut in alijs verticillatis (Floris tubus in ventrem turgescit, & vasculi seminalis vicem præstat.)

In agris restibilibus, sed rariùs in Angliâ provenit.

Vires. Nervosum genus roborat. Pilulas contra paralysin, vide apud *Matthiolum*; incidit, aperit, diuretica est & emmenagoga: fœtum mortuum & secundinas pellit, adeoque potenter operatur, ut usus ejus in ùtero gestantibus omnino interdicatur, quoniam abortum facit. Verùm in ischiadicis & Arthriticis affectibus præcipuæ æstimationis est decocta in vino, vel in pulverem redacta & cum Hermodactylis & Terebinthina veneta in pilulas composita. Eædem pilulæ ad Hydropem valde utiles esse perhibentur usu earum per aliquod tempus continuatô. *N. I. Bauhinus* ab Hermodactylis cavendum monet. Exteriùs abstersione promovet vulnerum & ulcerum solidationem, duritierum discussionem, &c. *Rajus. hist. pl. T. I.*

CHAMÆSYCE, vid. *Peplus Minor.*

CHAMÆZILUM, vid. *Guaphalium.*

CHAMOMILLA, vid. *Camomilla.*

CHARACTERES PHARMACEUTICI, & CHYMICI.

De ijs in Tabula proximè adjectâ, quæ propterea consulenda venit.

CHEIRI; vid. *Keiri.*

CHELIDONIUM MAJUS.

Chelidonium à χελιδὼν hirundo dictum est. Chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravere vexatis pullorum oculis eâ medentes; quibusdam sic dictum quòd in hirundinum adventu floreat, & discessu marcescat. *Plin.*

Nomina. Chelidonium majus *Ger.* majus vulgare *C. B. Park.* Chelidonia *J. B.*

Radix minimo digito crassior, fibrosa, rubra rubrum croceumve succum, ut & folia caulesque fundit. Aliquot caules producit teretes, hirsutos propter radicem & genicula tuberosos, ut in ea planta quam *Noli me tangere* vocant, ruffum mordacemque & ingratum illum succum fractos remittentes. *Folia* cùm Aquilegiæ folijs similitudinem aliquam habent, utcunque tamen majora, longiora, numeroque plura, ad costam ex intervallis adnexa, plurimùm sena, septimo alam claudente, non raró tamen quaterna cum quinto in extremo impari. Singularia folia Quercinorum æmulam divisuram habent, Trago tenera, colore herbaceo, altera verò parte ex cœsio viridi. *Florum* surculi ad genicula ex adverso foliorum exeunt; ramuli ex ipsis foliorum alis: in summitate autem surculi seu pediculi communis flores quatuor aut quinque privatis suis pediculis ex ipso surculi fastigio ortis unciam aut sescunciam longis incidentes, umbellam quandam efficiunt. Flores crocei, quadrifolij, cum multis intus staminibus concoloribus. Hos calix bivalvis tegit, qui quamprimum flos aperitur defluit ut in papaveribus, è quorum genere hæc planta esse videtur. *Siliquæ* oblongæ, bivalves, minimè dissептæ, quibus *semina* utrinque adhærent parva, longiuscula, per maturitatem nigra, & splendentia.

Vires. Calidum est & siccum: Bilem per alvum & urinam educit, visum acuit. Hinc conducit in ictero (syrupus è succo cum toto) obstructione hepatis, lienis & ureterum. Radix quantum ejus manus capere potest, purgata, in sextario rosacei aceti decocta, ita ut deinceps percoletur, decoctoque adjiciatur Theriacæ ℥iß. Cyathique vulgaris mensura exhibita, à peste correptos attestante certâ experientiâ (inquit Tragus) liberabit, si postquam biberunt in lectum se composuerint & sudaverint. Aqua ejus destillata oculis indita, claritatem ijs adfert, maculas eorum rubras emendat, sicut & faciei si indè colluantur: eadem per aliquot dies pota obstructos meatus hepatis adaperit, morboque regio medetur. Herbæ pulvis ulcera & vulnera purgat sanatque inspersus.

Succus herbæ illitus Herpetem miliarem efficaciter compescit & sanat. Herbam tritam cum axungia verrucas absumere reffert *Rondeletius.* Hoc multoties expertus est *Zacutus.*

Lobelius raró intus sumendam sentit chelidoniam, sed commodiùs foris utendam ad impetiginis & psoras puerorum. Nos etiam ob acrimoniam plantæ in Lobelij sententiam propendemus. Unde nec succum, cùm acerrimus sit, ad oculorum affectus adhibendum cum *J. Bauhino* aliisque censemus, nisi iis additis quæ acrimoniam ejus retundant, cujusmodi dicitur esse lac muliebre.

Succi hujus magna quantitas ingreditur compositionem Aquæ illius ardentis, quam *Mirabilem* vocant.

Chelidonium majus in curanda tabe magnoperè celebrari nos monuit, *D. Tancredus Robinson*; esseque egregium illud specificum *D. Garenciers* de tabe Anglica; idem affirmat (inquit) *Simon Pauli Quadripart. Botan. par. 46.*

Succó chelidoniæ verrucam linguæ sublatam narrat *Zacutus Lusitanus Prax. admir. lib. 1. obser. 73.* folliculum Nattæ & Ranulæ sub lingua ejusdem usu extirpavit nostro tempore *Pet. Marchettus exp. Med. & Chir. Patavij Professor.* ut constat ex obs. Marcelli Cumani à Velschio editis.

Ulricus Gasserus Pater meus impetigines & maculas manuum volarumque, nec non scissuras ex morbo gallico relictas experimento sequenti in multis sustulit.

℞. Chelidoniæ cùm toto M. 3. coq. in lixivio tonsorio bono, & teneantur manus quotidie à jejuno in hoc fomento per duas vel tres horas, ut sudent, idque continuetur per quatuor vel quinque hebdomadas Ex observat. *Achillis Gasseri.*

Sæpius à nostris in dysenteria cum successu probatum est experimentum Cratoni adscriptum, quod sic habet, Aq. Chelidonii datur ad ℥. 3. vel 4. cum pulvere radicis ejusdem ad ℈. 2. vel ʒ. 1. Hieron. Reusnerus in obser. à Velschio editis. An de chelidonio minore hoc accipiendum?

Extractum chelidoniæ non solum in externis nubeculis, verum incipiente suffusione præstantissimum esse sæpissime expertus sum; incidit enim & attenuat crassos humores visum obfuscantes. Sed quia utcunque acre est, non ultra magnitudinem capitis aciculæ pro vice oculo imponendum est, idque fiat mane in lecto. *Rajus Hist. Pl. Tom. 1.*

Chelidonium majus Febrifugum esse, à nemine, quod ego sciam, annotatum: Præmissô nempe Emeticô, succi herbæ hujus expressi, guttæ tres, vel quatuor aliquot cochlearibus vini albi commisceantur, vel etiam portio quædam infusi radicis, ante paroxysmum, in febribus intermittentibus exhibeatur, ægerque in lectô ad sudorem se se componat, eumque promoveat, & si opus sit secundò assumat, sic in posterum à paroxysmis febrilibus immunis erit, uti multis experimentis hactenus exploratum: quandoquidem enim planta hæc sale volatili acri sit prædita, non solùm vim habet abstergendi quascuncunque sordes in ventriculô detentas; sed insuper sudores ciet, hinc malignitatem quoque febrilem per sudorem evellit. *Joh. Jac. Wagnerus Miscell. Curios. Decur. ij. Ann. ix.*

CHELIDONIUM MINUS.

Nomina. Chelidonium minus *Ger. Park.* Chelidonia rotundi folia minor *C. B.* Scrophularia minor sive Chelidonium minus vulgo dictum *I. B.*

Plantula est palmaris, alias paulo major minorve: quæ quotannis nova *radice* folijs & flore, sicut Satyriones & Aron, reviviscit. Ea (radix) nobis insipida est, partim bulbulis aliquot, modò pyriformibus, modò longis ferè teretibus aut ventricosis utrinque acutis, modò rotundis, foris pallidis, intus albis; partim fibris multis candicantibus constans: unde emergit *cauliculis*, secundum terram albicans, supernè dilutè purpurascens, imâ parte geniculo donatus ex quo oriuntur *folia* bina opposita, longis pediculis ex lato principio coloris carnei, sensim in augustum virescens desinentibus, aliquatenus hederacea, sed molliora, minora, rotundioraque, splendentia, nervosa, maculis albis interdum notata, (sicut & bina illa quæ statim è radice oriuntur) indidemq; ex alijs foliola minora, magisque angulosa, simili colore & nitore splendentia, glabra. Reliqui caulis folia profundiùs incisa Hederæ helicis repentis folijs proxima, alterno plerunque situ brevioribus pedicellis virentibus appensa. Summo fastigio ramulorum insidet *flos* unus, Ranunculi æmulus, ex octo aut novem foliolis, aureo fulgore radiantibus, unguibus chloris, compositus, *è calice* tribus brevibus & carinatis folijs constante exiens, in medio habens *staminula* multa crocea, ex tenui latescentia, aversa parte sulcata. Succedit *capitulum* Ranunculi echinatum, è viridi luteum ex seminibus congestum; floris & foliorum sapor herbaceus.

Vires. Veteres chelidonio suo minori insignem acrimoniam attribuunt, cujus nostrum particeps non est; proinde haud quaquã confert ijs morbis quibus chelidonium veterum. Hanc differentiam loco attribuunt C. Hofmannus & alij. De hòc inquit observandum fieri quod in Aro, Asphodelo, alijs, ut radix quibusdam locis valdè acris sit, quibusdam dulcis & edulis: ego specie differre suspicor chelidonium minus veterum, & Recentiorum. *Schroderus* radices hujus refrigerare & humectare scribit. Utiles esse in ictero, scorbuto, hæmorrhoidum fluore. Extrinsecùs specificè mariscos sive ficos ani curare, dentiumque putredini maximopere subvenire.

Hofmannus hoc inquit scio ex fide dignis, radices tam esse aptas hæmorrhoidibus ut appropriatæ dicantur. Ideò non tantùm abluunt decocto ex vino, ex urina propria, sed vel per pulverem aspergunt, vel emplastri modo imponunt; imò amuleti loco gestant. Audivi, qui diceret, non exteriùs tantùm extinguere dolorem, sed & interiùs, in reddendo consueto illarum fluxu.

Duplicem signaturam gerit hæc herba, alteram scorbuti, purpureas maculas in folijs: alteram ficorum ani tumentium, radicum tubera.

Radix recens imposita funditus extirpat strumas & scrophulas, unde & nonnullis scrophularia dicitur. Planta calida est & acuta, quia sale acri pollet. Nam aqua destillata est acris. *Rajus.*

Chelonitis, vid. *Bufonitis.*

Chelopa, vid. *Jalapa.*

Cherephyllum, vid. *Cerefolium.*

Chermes, vid. *Kermes.*

Chersa, vid. *Gersa.*

Cherva, vid. *Kerva.*

Chia, vid. *Terra Chia.*

Chimia, vid. *Chymia.*

CHINA.

Nomen habuit à China regione, unde in Indiam Orientalem primùm illata est, & indè in Europam.

Nomina. Chinæ radix *I. B.* China radix, & Lugd. Fragolo *C. B.* China vulgaris officinarum *Ger.* china radix officinarum *Park.* Jupicanga Brasiliensibus *Piloni.* Olcacatzan Pahuatlanica *Hernandes.*

Radices hujus plantæ (describente *J. Bauhino*, magnæ crassæque sunt (pugni interdum magnitudine Acostæ) apophysibus tuberosis inæquales, lentis fibratum fragmentis hinc indè apparentibus satis ponderosæ, modò effætæ non sint, colore foris ex fusco rubente, intus ex modica rubedine albescente, substantiâ mediocriter compactâ, nullis fibrarum pectinumve vel vestigijs apparentibus, quomodo, ferè videmus Juglandium fungos compactiores, sapore nullo manifesto, unde *ἀποίος*, i. e., qualitatis expertis, nomen apud nuperos meruit.

Figura Lugd. hist. demonstrat eam sub terram serpere, ac varijs ex locis teretes ac lignosos processus emittere, quibus nova radicum aliarum soboles adnascitur & incrementum capessit, multis & tenuibus alioqui fibris capillata.

Optima est recens, sapore insipida, quod tamen improbat C. Hofmannus, densa, solida & ponderosa, quæ neque teredinem neque cariem senserit, plena humore quodam pingui & unctuoso, qui masticando quidem satis evidens fit, in decocto autem evidentior: decoctum autem fit aromaticum, cum sapore modò acri, modò amaro cum adstrictione aliqua, cum odore etiam aliquo, modo non ab adjectis aromatis traxerit, colore inter album & nigrum medio, Radicem candidam prærubente commendat Garcias.

Planta ipsa ab Acosta his verbis describitur.

Planta est multis tenuibus, spinosisque sarmentis prædita. Smilaci asperæ non dissimilibus, quorum maxima minimum manûs digitum crassitudine non superant folijs Plantaginis latifoliæ magnitudine, (Garcias Mali Assyriæ, Linschotanus Aurantiæ folijs ea comparat.) Juxta arbores serendam esse perhibent, quoniam suo complexu hederæ modo eas scandit. *Garc.*

Huic eandem specie esse existimo, & qualitatibus tantum à loco natali ortis differre chinam Indiæ Occidentalis, quam ita describit *Guil. Piso.* Ejus *Brachia* spinis acutissimis hinc inde obsita sunt clematis instar, vicinas arbores earumque summitates sinuosis flexibus amplectuntur. *Folia* fert Plantagini haud dissimilia, ac *baccas* croceas ad aureum colorem vergentes, ac racematim provenientes.

Nec diversam quam describit & depingit Francisc. Hernandez, Herba est (inquit) *folia* ferens oblonga, acu-

acuminata, & lineis secundum longitudinem discurrentibus insignia, *caules* volubiles & tenues, *fructum* acinosum ac racematim dependentem in summis caulibus, qui cum maturuerit nigrescit: *radicem* contortam, geniculatam, fulvam, & Arundinaceæ similem, sed densam ac gravem. Arbores excelsas scandit atque complectitur.

Differt ab Orientali china, cujus radix levior est, rarior, albidior, tenera ac minus astringens, & semen eosdem, pene usus præstare periclitatum est. Cùm figura & reliqua descriptio conveniant non tanti facio has differentias, ut speciem distinctam putem.

Nascitur abundantissimè in Chinæ regno: invenitur tamen etiam in Malabar, Cochin, Cranganor, Coulan, Taner, & alijs locis. *Acosta* Quin etiam in Brasilia Americæ, inque regione Mexicana.

Quod ad facultates (verba sunt C. *Hofmanni*) conciliata fuit radici huic autoritas à mercatoribus chinensibus post annum 1535. Hi enim affirmabant, scribente *Garcia* & *Acosta*, curare illam luem veneream, sine accuratâ illa victû ratione quæ vulgo observatur, non tanto etiam tempore, nec tanto cum fastidio. Quare apud Indos cognita magno pretio fuit coempta. Hoc nomine cùm commendaretur ab Hispanis Carolo 5. Imperatori, ut est apud *Avilam*, lib. 1 Belli Germanici, & *Vesalium* in Epist. de hac radice, usus est ille propria voluntate, sine ullius Medici cubiculari consilio: ideo sine successu, cum neque servaret debitum vitæ modum, neque continuaret. Quo factum est ut, facili momento relaberetur ad Guajacum. Nihilominus negotio palam facto, non tantum Medici Principum volebant scire à Cæsarianis rationem exhibendi, sed Principes ipsi sollicitabant Cæsarem, pateretur rem innotescere. Tantùm poterat inanis spes adipiscendi sanitatem absque methodo Medendi. Quæ cùm apud plerosque omnes decollaret, cœpta fuit verti licentia temere decantata, in rigorem Guajacanum, simulque laboratum, quomodo China ad temperamentum Guajaci deduceretur. Hactenus *Hofmannus*.

De viribus & usu radicis Chinæ vide *Garciam, Acostam, Monardem, Vesalium*, qui integrum de ea librum scripsit. Extractum cum spi. vini rari usus est, adhibetur crebriùs in decoctis, sufficitque ℥. 1. vel 2. pro ℔. 9. aquæ, inquit *Schroderus*. Quoniam omnis saporis expers est china gratissima est faciendo contra luem veneream decocto, quod recipit radicis chinæ in orbiculos concisæ ℥. 2. aquæ fontanæ ℔. 6. aut 7. macerentur simul diem & noctem in fictili nodo: postea lento igne coquantur in fictili benè operculato aut in MB, ut fit decoctum Salsæ aut Guajaci, quoad satis videbitur (*Garcias* ad dimidij usque humoris consumptionem, verùm minorem Chinæ quantitatem præscribit, nimirum ℥. 1. tantum pro ℔. 7. aquæ.) Hujus decocti bibat quotidie bis quantum ægroto & Medico satis videbitur. Prodest hoc decoctum non tantum in lue venerea, sed etiam in omnibus morbis sudores postulantibus. Explicantius *Garcias* utile præterea esse scribit ad paralyses, tremores, articulorum dolores, sciaticã, podagram, tumores scirrhosos & œdematodes, tum etiam strumas extirpat. Succurrit ventriculi imbecillitati, inveterato capitis dolori, calculo & vesicæ ulceribus. Addit *Acosta* hemicraniæ, herniis humoralibus & ventosis, in colli vesicæ & penis callis eorumque ulceribus: *Monardes* addit, icterum solvere, & omnem hepatis intemperiem emendare, ad quam valdè celebratur; febribus diuturnis, quotidianis & erraticis prodesse. Venerem admodum excitare creditur.

J. Bauhinus certum esse ait chinam ritè administratam luem veneream superare, cutem mundare, dolores profligare, macies reparare, humiditatem habere oleosam, atque firmiter substantiæ adhærentem, ut hac ratione & diuturnam & multoties repetitam patiatur coctionem, si minimè cariosa fuerit, neque admodum gracilis & sicca, sed mediocriter gravis, colore inter album & ruffum medio: præscribit autem ℥. 1. tantum chinæ pro ℔. 6. aquæ

Præcipit Vesalius (atque etiam *Monardes* & *Acosta*) ut decoctum hoc calidum conservetur, vel singulis diebus recens fiat, alioqui ait acidum fieri & corrumpi. Sed experientiâ docetur oppositum, nec servatum quatuor dies acescit. *J. B.* potest 2. 3. decoqui.

Fallopius ex decocti usu homines valdè pinguescere ait. Cujus rei oculatus testis usu *Alpin.* 3. Med. Ægypti. 16. & iterum lib. 4. cap. 1. ubi testatur, vidisse se plurimos emaciatos decocti hujus usu corpus recepisse. Quin Turcas qui delectantur uxoribus bene habitis, eodem decocto crassæ facere delicias suas.

Piso tres Chinæ species reperiri scribit licet paucioribus cognitas, quæ omnes sub eodem nomine comprehenduntur ob summam quam inter se habent similitudinem; verum ille non multò notiores illas facit, sed nos in media nocte relinquit. *Raius hist. Pl. T. I.*

Radicem *China*, sic describit accuratissimus juxta ac curiosissimus *Hermannus* in suâ Materiâ Medicâ.

China est smilacis asperæ Chinensis, *Lampatan* dictæ, radix crassa, tuberosa, nodosa, ponderosa, lignosa, foris pallidè rubescens, intùs candida. Recens saporis est aliquantulum acris & subpinguis; sicca verò terrestris ac leviter adstringentis; odoris nullius. Baccifera est hæc planta, exapetala, scandens.

China Occidentalis, est Smilacis asperæ Peruanæ radix oblonga, nodosa, tuberosa, crassa, ponderosa; coloris ex flavo ruffescentis, seu crocei; in superficie circulis, quasique geniculis, notata; saporis terrestris, leviter adstringentis; odoris nullius. Hæc planta eadem est cum priori.

CHINCHINNA, vid. *Kinkinna*.

CHOCOLATA, vid. *Cacao*.

CHOLAGOGUM *Simplex* vid. *Scammonium*.

CHOLAGOGA.

Cholagoga, χολαγωγὰ, dicuntur ea Medicamenta quæ bilem evacuant, Galen. 4. apho. 2. quà simplicia quà composita. Catalogum eorum tùm apud alios, tum apud Jonston Synt. Med. part. 2. l. 4. tit. 3. ch. 2. arti. 1. punct. 3. reperire licet, quamvis multa concurrant cum veris principijs minimè concordantia. *Castell. Lexic.*

CHONDRILLA.

Chondrilla dicta ἀπὸ τῦ χόνδρε quod est grumus, mica, & ἴλλειν, quod continere significat, quasi continens grumos, quos Mastichæ similes esse ait *Dioscorides*. In multis enim hujus generis plantis in regionibus calidioribus concrescunt grumi fulvescentes in foliorum alis, inque ipsis caulibus.

Quæ autem hoc nomine ferantur plantæ, vel Lactucæ, vel Hieracij species esse videntur. Nec enim quæ succum exudant in grumos concrescentem ejusdem omnes generis sunt. Chondrilla cœrulea ad Lactucam accedit, reliquæ ad Hieracium pertinent. Trinciatella & Hyoseris mascula *Ger.* insigni nota à reliquis Hieracijs differunt, quòd extimus in flore petalorum circulus calycis quibus incumbunt folia longitudine vix excedit. *Raius Hist. Pl. T. I.*

Chopinm, vid. *Sextarius.*

CHRYSANTHEMUM.

Chryſanthemum à floribus auri fulgore rutilantibus, dictum eſſe nemo neſcit.

Chryſanthema autem dicimus herbas flore diſcoide, radiato, aureo, ſeminibus pappo deſtitutis; quâ notâ Chryſanthemum ab Aſtere differt. Atque ità latè accipiendo nomen Chryſanthemi tum flos Solis, tum Calendula, Chryſanthemi ſpecies erunt.

Verùm quoniam hoc genus plantæ inſignibus notis inter ſe differunt: ſunt enim aliæ barbulis floris diſcum ambientibus cuſpidatis, ut *Flores Solis* dictæ; aliæ caulibus alatis, ſeu membranulis foliaceis ſecundùm longitudinem extantibus auctis, aliæ ſeminibus curvis, quas *Calthas* & *Calendulas* vocant; aliæ barbulis frontatis fonte crenata, ſeminibus quadrangulis: in plura illæ capita, ſeu genera meritò dividuntur, de quarum aliquibus nos ſuis locis. *Rajus Hiſt. Pl. T. I.*

Planta quæ vulgò apud nos Chryſanthemi nomine venit eſt illa quæ in ſpecie Chryſanthemum folijs matricariæ, vel Chryſanthemum ſegetum dicitur, quæ detergens, aperitiva, ac vulneraria reputatur.

Chryselectrum, vid. *Succinum.*

CHRYSOCOLLA.

Chryſocolla, e ſuccorum concretorum quartò genere. Agric. de nat. foſſil. l. 3. c. 1.

χρυσοκόλλα, à χρυσός, aurum. & κόλλα, gluten; quaſi *auricula* vel *auri glutinum*; Avicennæ *capiſtrum auri.* l. 2. canon. tr. c. 704. *Auri ſanies* etiam vocatur, quod ſit ex humore in puteis per venam auri fluente concreta.

Nomen hoc Græci primò impoſuerunt factitiæ, quâ aurum cum auro conglutinatur, atque inde in nativam & alterius generis factitiam derivatum, propter quandam coloris ſimilitudinem, quæ his ſolet eſſe cum illâ. Agric. de nat. foſſ. l. c. 19.

Mea ſententiâ, chryſocolla nativa factitiæ nomen dedit, cum hæc ſimiliter, ut illa, aurum cum auro conglutinet, quamvis colore ſint diſſimiles.

Amphitana alio nomine appellatur chryſocolla in Indiæ parte, ubi formicæ eruunt aurum, in qua invenitur auro ſimilis quadrata figura, affirmaturque natura ejus quæ magnetis, niſi quod trahere quoque aurum traditur Plin. l. 39. c. 10.

Sunt autem formicæ ibi ad formam canis maximi, arenas aureas pedibus eruunt, quos leoninos habent. Jul. Solin. polyhiſt. c. 43.

Verùm fabula hæc poëtica de formicis allegoricè intelligenda eſt, de ſedulis nimir. metallor. foſſorib. Vide J. Mattheſ. Sarept. con. 2. p. 79. 80. 103. & ſeq.

Fortè marchaſitæ aureæ ſpecies, quæ facie quadratâ & quaſi auro tincta apparet. B. à Boodt de lap. & gemm. l. 2. c. 256. Sed videtur hic lapis fictitius, cum nunquam inventus ſit qui aurum trahat. Idem ibid. c. 303. vel ea eſt chryſocolla, quâ Heliogabalus Circi pavimentum ſtravit. Vide c. 19.

Chryſocolla eſt vel nativa, vel factitia. Tincar aliud eſt mineratè & aliud eſt artificiale. Avic. l. c.

Nativam omnium fermè doctorum ſententiâ ignotam his temporibus eſſe, ſcribit H. Solerius in ſcholijs ad Aët. tetr. 1. ſ. 2. c. 81. quæ conſcripſit anno 1549.

Veteres chryſocollam viridem habuiſſe, jam non amplius reperiri, uti etiam neminem factitiam viridem præparare poſſe, ſcribit J. B. Birell. alch. nov. l. 1. c. 115. Alex. Pedemontan. de Secretis l. 6. p. 228. Sed noſtris temporibus ſatis notam eſſe, in ſequentibus patebit.

De factitia chryſocollâ cap. 18.

Nativa, foſſilis vel metallica chryſocolla, vocatur *Viride terra, Viride montanum.*

Germanis eſt, *Berggrun, Steingrun*; & quia etiam lapidibus, imprimis fiſſili adhærens invenitur, *Schiefergrun.*

Berg Borres. J. Th. Tabernæmont. videtur differentiam conſtituere inter *Berggrün* & *Schiefergrun oder Berg. Borres*, dum Hydrotheſ. p. 2. c. 35. p. 545. agit *von dem Berggrun Waſſer*: c. 36. p. 546. *Von dem Schiefergrun oder Berg Borres Waſſer*: Cum tamen unum idemque hæc nomina ſignificent, nimir. chryſocollam: idcircò in diverſis capitibus eædem vires recenſentur.

Medici ἀκεσὶν vocarunt, (*Aceſin* Plin. l. 33. c. 5.) quaſi medicabilem, ſanabilem: ἄκος enim medicamentum eſt; & κεςὰ dicuntur ab Hippocr. τὰ ἰατά, ἰάσιμα, h. e. curabilia. J. Gorræus def. med. fol. 16. A. Foës. Occ. Hipp. fol. 16. & ἄκεσις, curatio, medela; ἀκέσθαι, ſanare. Foëſ. l. c.

Arabes *Thincar Thincar* appellerunt.

Lazacalaap, id eſt, *conſolidatura auri*, & in Arabico dicitur *cumbar.* Averr. ſimpl. c. 43.

Hebræis eſt *Borith* vel *Borris.* Vid. Mattheſ. Sarept. conc. 9. p. m. 549. 550.

Borax vel *Borrax* etiam vocatur Mauritanis.

Italis eſt *Chryſocolla.*

Hiſpānis *Atincar* & *Borrax.*

Borax ſpecies eſt bufonis, (rana rubeta, vel rubeta cornuta) in cujus capite narrant inveniri lapidem ejuſdem nominis, qui alias vocatur Crapodina, Chelonitis, batrachites, niſe, nuſe. Eſt autem hic borax vox corrupta à Græcâ βάτραχος. Vide Geſner. hiſt. anim. l. 2. f. m. 66. 67. 70. 71. 72. Ideòque nihil commune habet cum noſtro borace.

Quapropter pro differentiâ dicendum eſſet, borax mineralis & borax animalis.

Nicolaus Myrepſus *Borachium*, βοράχιον, lapidem nominat in unguento de citrijs, ad livores & lentigines faciei. Sed chryſocollam intelligit, quæ hodiè etiam vulgo ubique borras appellatur. Geſner. l. c. f. m. 72.

Vide infra cap. 17. & 18.

II. *Differt chryſocolla loco natali.* Eſt enim Armeniaca, Macedonica, Cypria. Dioſc. l. 5. c. 64. Plin l. 33. c. 5. Hiſpanica. Plin. l. c. Hungarica. Sileſiaca: Tyrolenſis: Miſnenſis. Reperitur autem in dictarum regionum metallis ærarijs, plumbarijs, aurarijs. Plin. l. 33. c. 5. A. M. Braſavol. exam. ſimpl. p. m. 800.

Naſcitur in ærarijs metallis: nam ex ære tantùm fit. Quocirca ſi argentarijs, aurarijs oritur, eorum venas certum eſt eſſe cum ære permiſtas. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19. & ex hoc J. Gorræus def. med. τῷ χ. f. 514.

Hinc in venis ſi inveniatur auri & æris eſt indicium. Agricola de re metall. l. 5. f. m. 78.

Ita ut nihil aliud ſit, quam metallum æris putrefactum. Fallop. de metall. c. 31. C. Schvvenckf. de foſſil. Sileſ. l. 3. p. 374. ex Plinio qui chryſocollam nil aliud eſſe ſcribit, quam venam putrem.

Minera ejus eſt in riperijs maris. Serap. dè temp. ſimpl. cap. 413.

III. *Differt chryſocolla nativa colore.*

Color autem cum omni nativæ ſit viridis, tamen eo multum differt. Etenim alia viret ad ſatietatem, quæ cum adhuc materiæ metallicæ adhæreſcit, ad ſmaragdi viriditatem videtur accedere, quam longè optimam eſſe cenſent. Alia habet viriditatem multùm dilutam, quam viliſſimam. Alia mediam, quæ tenet medium locum. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19. & ex hoc J. Gorræus l. c.

Quæ

Quæ saturato colore viret, (ut mea fert opinio) in ærarijs tantum metallis foditur: quæ nigricat in plumbeis: quæ albicat in argenteis: & quæ pallescit, in aureis. Unde mihi facile persuasum est, chrysocollam sibi varium colorem vendicare, pro metallorum, in quibus foditur, ratione. Matthiol. commi. in Diosc. l. 5. c. 64. Girol. Calestani nella Speciaria par. 1. p. 36.

Verùm chrysocollam omnem ex ære esse, & colorem debere viridem habere, quamvis aliam al â intensionem, jam ex Agricola dictum.

Chrysocolla artificialis colorem habet alia viridem, alia album.

IV. *Differt chrysocolla nativa consistentiâ.*

1. Reperitur vel per se plerumque arenæ similis. Agric. de nat. foss. l. 3. c. 19. J. P. Pernumia Phil. nat. l. c. 11.

Chrysocolla nativa globosa Schmalkaldica, est inter mea naturalia.

2. Vel materiæ metallicæ adhæret. J. P. Pernumia l. c.

Ut Sneebergi in Misnia lapidi metallico ærario; *Berggrün in einem Kupffer Ertz.* Agric. de nat. foss. l. 3. c. 20. Kentmann. pag. 15. B. Albin. Chron. Misn. metall. tit. 24. fol. 185.

Pyriti ærario Cuperbergi in Silesiâ: Schvvenckfelt de fossil. l. 3. pag. 374.

Lapidi ærario cornuto; *an einem Hornstein*; Cupferbergi & ad Schatzlarium: Schvvenckf. l. c.

Pyriti purpureo, spongioso, Neylensi Fichtelbergico; *einem armen Kupffer Ertz oder braunen Schälen*; qualis apud me est.

Lapidi fissili Islebiano: Kentm. p. 15. & 68.

Lapidi fissili æroso Silesiaco in Hermansseiffen sub nigro monte: *angeflogen Berggrün an einem Kupfferschiefer.* Schvvenckf. l. c.

Glebis metallicis cum cæruleo: Agric. de nat. foss. l. 3. c. 20. Vide supra cap. 2.

Spatho seu silici metallico: Schvvenckf. l. c.

Lapidi Armeno: B. à. Boodt. l. 2. 142.

Molochiti Schvvacij in alpib. Tyrolensibus: Agric. l. c.

Chrysocolla nativa ex alpibus Rhæticis cum Molochite striatim posit: *Ein schvvatzisch. Berggrün, mit einer Malachit schichtvveise vermengt.* Kentmann. p. 16.

Fluores purpurei non pellucantes, è quibus chrysocolla efflorescit. *Darinn berggrün Wæchst* Kentmann. p. 44.

Atque hinc abrasa chrysocolla similitudinem gerit ejusdem arenæ, quæ tamen interdum exigua abradi possit; Agric. de nat. fossil. l. 3. c. 19.

De amicitiâ chrysocollæ cum cæruleo, supro cap. 2. dictum.

3. Vel aquæ dictas species lambunt & chrysocollam eluunt, quæ pulveri similior subsidit Agric. de nat. foss. l. 3. c. 19. Vide cap. seq.

4. Borrax duplex est. Aliud quod pingue dicitur, quia nigrum & ad saponis mollis quasi colorem & consistentiam accedit. Aliud est album, & in formam salis vel aluminis concretum, diaphanum, quod arte tale redditur. Rondel. pharmacopolar. offic. p. 1246.

An prius est pasta chrysocolla, de qua capite 18. posterius chrysocolla factitia, imprimis Borrax Venetus?

Chrysocolla nativa *vel sponte fit, vel curâ hominum.* *Sponte*, cum aquæ jam dictas species lambunt, & chrysocollam secum rapiunt, quæ postea subsidens colligitur: quod Neusolæ vel Bistriciæ, in Carpatho, monte Daciæ vel Transylvaniæ fit. Agric. de nat. foss. l. 3. c. 19.

Ad oppidum Bistriciam, Germani Neusol m vocant, ubi fodinæ sunt æris opulentissimæ, quæ appellantur regiæ, quod in ijs impendio Regis opera fiunt, cuniculus quidam reddit aquam viridem, ex quâ ubi subsedit, chrysocolla colligitur. L. Hulsius Chronolog. c. 26. p. 24. N. Sebast. Schroeter, histor. totius orbis terrar. descript. T. 1. l. 1. c. 10. p. 779. ex Georgio Wernhero Hungaro.

Reperitur lambita ab aquis ab ipsis metallicis separata. J. P. Pernumia phil. nat. l. c. 11.

Fit vel aquâ aliove liquore acidulo fluento in venam metalli. Schvvenckf. de foss. Siles. p. 374.

Curâ hominum fiebat quondam, immissis in venam aquis leviter hyeme totâ usque in Junium mensem, dein siccatis in Junio & Julio, Plin. l. 33. c. 5. & ex hoc Agricola l. c.

Hinc insigniter errat Platearius, dum de simpl. medic. lit. B. p. m. 228. ita scribit: Est autem gummi cujusdam arboris nascentis in transmarinis partibus. In æstate effluit quædam viscositas pura, & ex actione caloris condensatur & induratur. Effluit autem inde quoddam impurum, quod aliquantulum molle est & fæculentum, & quasi terreum. Borax est eligenda, quæ alba est, & lucida, & dura, & si habeat superfluitates abjiciantur. Et crassius adhuc idem Platearius in expos. & gloss. in Antidotar. Nicolai fol. m. 226. Gummi est arboris, quæ in orientali plaga reperitur: dum autem colligitur, cum fæce quadam & impuritate colligitur: abjicienda est tamen impuritas cum ponitur in medicinis. Vel quod verius est, fæx olei, & fit in hunc modum apud Saracenos. Servatur oleum 40. ann. aut plures, in quo tamdiu servato duplex fæx invenitur, una inferius, quæ dicitur amurca, alia superius, quæ dicitur borrax, & est pejor: hæc enim solidam habet substantiam, in sacellis posita abluitur, donec impuritas removeatur & fiat alba: deinde ad solem desiccantur, & fit albissima: eligenda est purior, albior & clarior, intus conformis: si etiam lavetur & exiccata in medicinis ponatur melius est, diu servatur.

Ex quibus apparet, eum boracem naturalem, qui viridis esse debet, non agnovisse, sed factitium, quem à candore commendat, & naturalem putat: tamen & in hoc à vero aberasse.

Laudatissima censetur 1. ratione loci natalis; Armeniaca: secundum locum sibi vendicat Macedonica: & proximum Cypria: quò in genere præfertu. pura: damnatur quæ terram aut calculos collegerit. Dioscor. l. 5. c. 64. Plein. l. 33. c. 5. Hungarica jam primatum obtinet.

2. Ratione coloris: (ex quo, ut & viribus, rectius spectatur bonitas, quam ex loco, in quo nascitur, æstimatur: Agric. de nat. foss. l. 3. c. 19.) colorem porri quam simillimè reddens, qualis Armeniaca. Dioscor. l. c. Matthiol. comm. in Diosc. l. c. summa commendationis est, ut colorem herbæ segetis læte virentis quam simillimè reddat. Plin. l. 33. c. 5. quæ ad smaragdi viriditatem accedit. Agric. Agric. de nat. fossil. l. 3. c. 19. qualis fuit illa pulcherrima, Sneebergi in Misnia effossa, colore smaragdi & prasij. P. Albin. Chron. Misn. metall. l. c.

3. Ratione metallorum laudatiorem eandem in ærarijs metallis, & proximam in argentarijs fieri compertum est. Invenitur & in plumbarijs, vilior etiam auraria. Plin. l. 33. c. 5.

Ad usum medicum præparatur chrysocolla nativa lotione & ustione.

Ratio lavandi hæc est. Tusam infusâ aquâ, mortario expassâ manu ad pilam vehementer fricato: & statim quam consederit, colato. Alteram infundens aquam, rursum terito: hæc vicissim prosequere, donec pura synceraque spectetur: dein siccato in sole, & ad

ad usus recondito Diosc. l. 5. c. 64. & ex hoc Della materia medicinale l. 2. pag. 250. Girol. Calestani speciaria part. 1. prg. 164.

Quod si urere volueris, ex eâ terens quod satis esse videbitur, patinis supra carbones apponito: & alia facito, quæ supra diximus. Dioscor. l. c.

Chrysocollæ succedaneum est lapis Armenus, Diosc. l. 5. c. 65.

Chrysocolla *excalefatit*. Diosc. l. 5. c. 64. Tincar est *calidum, siccum, subtile*. Serapio simpl. c. 413. *calidum & siccum in quarto gradu*. Platear. ll. antea cc. Baurach. *calidus est & siccus*. Rhas. ad Mes. l. 3. c. 29.

Est facultate admodum *digerenti desiccante qua* Galen. 9. simpl. Schvvenkf. de fossil. Siles. l. pag. 374. *discussoriâ utiq; satis est & siccatoriâ*. Aët. tetr. 1. s. 2. c. 81.

Modicè corpus mordendo exest. Dios. l. c. Ex ijs est, quæ carnem liquant, non tamen valenter mordicat. Galen. l. c. Ex eorum numero est, quæ carnes eliquant, non tamen fortiter mordet. Aët. l. c. Ejus virtus est dissolutiva absque gravi mordicatione, & desiccat. Averr. simpl. c. 43.

Inter *putrefacientia, pyrotica vel cauteria potentialia* refertur à Fallopio de Cauterijs cap. 11. C. Bartholino syntagm. de cauterijs c. 14. M. Glandorpio, Gazophylazio polyplus. Fonticulor. c. p. 16. & 19. ex J. Fernelij meth. med. l. 6. c. 18.

Chrysocolla naturalis & artificialis eandem vim (*ulcera maligna resiccandi & adstringendi*) habent. Aët. terr. 4. s. 2. c. 41.

Idcircò aptissima *ulceribus, quæ curationi contumaciter resistunt*. Atque factitia quantò magis exiccat, minus vero mordet quam nativa, tantò magis tenues habet partes. Quod si usta fuerit, multò tenuior fit, sicut aliæ res fossiles. Agric. de nat. foss. l. c. 19. Averr. l. c. Matthiol. comm. in Diosc. l. 5. c. 64,

Purgat vulnera. Diosc. l. c. Plin. l. c. (Diosc. l. c.

Dos chrysocollæ *ad purgandas cicatrices*. Miscetur & collyrijs *ad cicatrices oculorum*. Plin. l. 33. c. 5.

Hinc *cicatrices emendat & subtiliat* in unguento citrino vel citrio Nicolai: de quo unguento cap. seq.

Miscetur viridibus emplastris *ad dolores mitigandos, & cicatrices trahendas* Plin. l. c. Emplastro fulvo Galeni *ad magna vulnera glutinanda*, apud Aët. terr. 4. s. 2. c. 44. *medicamento ad carbunculos*. Aët. tetr. 4. s. 2. cap. 58. *unguento ad ulcera crurum scorbutica*. Vide Sennert. de Scorbuto ræ. edit. p. 159.

Excrescentem carnem coërcet. Diosc. l. c.

Ad *ossa corrupta*, ea à sanis separantia numeratur etiam chrysocolla à Sennerto Pract. medic. l. 5. par. 2. cap. 13.

Confert *corrosioni dentium, & occidit vermes, qui sunt in eis*, & sedat pulsationem eorum, & habet in hoc proprietatem mirabilem. Serap. simpl. c. 413.

Adstringit chrysocolla. Diosc. l. c.

Hinc immiscetur emplastris *intestinorum hernias agglutinantibus*. Aët. tetr. 4. s. 2. c. 24.

Vomitiones concitat, Plin. l. 33. c. 5. *& necem inferre potest*. Diosc. l. c. Modica pota movet vomitiones: interficit multa. Agric. de nat. foss. l. 3. c. 19.

Alvum solvit & vehementer vomitum concitat. Intra corpus non tuto sumitur. Schvvenckf. l. c.

Baurach *vomitus provocativus existens, ventrem cum supponitur mollem reddit*. Rhas. l. c.

Datur & in *angina, orthopnœavè* miscenda cum melle. Plin. l. 33. c. 5.

Aquæ, quibus miscetur chrysocolla vel corporaliter vel spiritualiter, intra corpus non sunt sumendæ, ob vim corrosivam, & quod vomitus cieant & viscera interiora lædant. Extus autem in insessu vel balneo usurpatæ, vim habent *calefaciendi, exsiccandi, mundificandi, adstringendi, discutiendi conducunt oculis lachrymantibus & rubore suffusis, aperiunt obstructiones pulmonum, renum, vesicæ; promovent urinam; expellunt arenulas & calculos è renibus & vesica; sistunt fluorem album mulierum; rectificant uterum humidum; mitigant pruritum cutis & partium obscœnarum, tam virorum, quàm mulierum; curant impetig nem. scabiem; consolidant ulcera antiqua; discutiunt tumores vel œdemata crurum & partium genitalium; mitigant dolores coxendicis; collutione sæpius repetitâ sanant ulcera oris & gingivarum præsertim scorbutica*. J. Th. Tabernæm. Hydrothes. part. 2. c. 36. & 35.

Chrysocolla factitia. Fit hæc varijs modis. I. Fit ex chrysocollâ nativâ durâ, tinctâ herbâ luteâ, ob id *herbacea* dicta, atque ea laudatissima est, nativâque preciosior. Agric. de nat. foss. l. c. 19.

Ejus conficiendi rationem exponit Plinius: Nativa duritiâ maximè distat, luteam vocant. Et tamen illa quoque *herba, quam luteam appellant*, tingitur. Natura est, quæ lino lanævè ad succum bibendum. Tunditur in pilâ, deinde tenui cribro secernitur: postea molitur, ac deinde tennis sic (alia exemplaria habent, tenuis & sicca) cribratur. Quicquid non transmeat, repetitur in pilâ, deinde molitur. Pulvis semper in catinos digeritur, & aceto maceratur, ut omnis duritia solvatur: ac rursus tunditur, dein lavatur in conchis, siccaturque. Tunc tingitur alumine schisto, & herbâ supra dictâ, pingiturque antequam pingat. Refert, quam bibula docilisque fit. Nam nisi rapuit colo em, adduntur & *schytanum* & *turbystum*: ita vocant medicamenta sorbere cogentia. Cum tinxere pictores, *orobitin* vocant, ejusque duo genera faciunt: luteam, quæ servatur in lomentum, & liquidam globulis sudore resolutis. Hæc utraque genera in Cypro fiunt. Plinius, ut dictum, l. 33. c. 5. & ex hoc Agric. de nat. foss. l. 3. c. 19. ex Agricola J. Gorræus defin. medic. τὸ χ. fol. 514.

Videtur autem Plinius ex vulgatâ opinione loqui, cum dicat, luteam putant, à luteâ herbâ dictam. Verisimilius enim est, præparatione floridum colorem acquirere, qualis est herbæ segetis lætè virentis. Cæsalp. l. 2. c. 63.

Qui propter caritatem chrysocollâ uti non possunt, ii usurpant herbam luteam, quæ elegantem colorem viridem præbet. Vitruv. architect. l. 7. c. 14. Germanicè à G. Rivio versus. Latina verba ita citant autores: Qui non possunt chrysocollâ propter caritatem uti, herbâ, quæ Luteum appellatur, cæruleum inficiunt, & utuntur viridissimo colore. Plinius verò: Luteam putant à luteâ herbâ dictam, quam ipsam cæruleo subtritam, pro chrysocollâ inducunt, vilissimo genere atque fallacissimo, l. 33. c. 5.

Tùm demum igitur *herba Lutea* (quæ *Lutea Plinij Luteola*, *Luteum herba Vitruvij*, potius *Lutum herba Dodonæi, Pseudostruthium* & *Sterck Kraut* Camerarij in Matthiolum, vocatur) viridi colore inficit, si cæruleo colori superinducatur: sola vero per se, cum alumine decocta, luteo tantum colore pannos laneos & lineas telas tingit. Infectores colori cæruleo, quem *glastum* excitavit, superinducunt colorem luteum ex luteâ herbâ, & viridem efficiunt colorem. H. Crolach. de Isatide pag. 63.

Itaque errant, qui per Luteam Plinij vel Luteum Vitruvij, *Glastum* intelligunt, quod tamen facit Marcell. Virgilius, Victorinus, Cordus in Dioscor. Hoc enim cæruleo tantum colore tingit. Gu. Rivius comm. in Vitruvij l. c. Vid. etiam Joh. Bauhini hist. plant. univ. T. 3. l. 30. cap. 104. & T. 2. l. 21. cap. 29.

Hoc tamen luteo, quod cæruleum effecit colorem, sive Glastum fuerit, sive aliud quid, olim corpora sua infecerunt Britanni. Guil. Camden. Britanniæ p. 30. 31. ex Cæsare & Pomp. Mela.

Oro-

Orobitis, ὀροβίτης, verò dicitur, ab orobo vel ervo, cujus colorem imitabatur. Ervo autem color ad flavitiem, sive πρὸς τὸ ξανθὸν, aut ad ochræ colorem accedit. R. Dodon. hist. frumentor. legumin. c. 48.

Vel *orobitis* vocatur, quod granorum ervi instar formabatur.

Vocatur & *attrita*. Plin. l. 33. c. 5.

Hâc utebantur pictores: nos verò eâ jam caremus.

Holler. Instit. Chir. l. 2. c. 3. boracis cærulei meminit, glasto nimir. tincti.

II. Chrysocolla factitia fiebat in mortario æreo, cum urinâ pueri impubis, secundum Dioscor. l. 5. c. 52. & l. 2. c. 74. Aët. tetr. 1. s. 2. c. 81. Averr. simpl. c. 43. pistillo æreo in ardentissimis solis caloribus tamdiu subacta & ducta, donec mellis spissitudinem assequatur, vel unguenti modo crassescat. Matthiol. comm. in Diosc. l. 2. c. 74. & l. 5. 64.

De hac Galen. l. simpl. in æreo mortario pistilloque æreo, ex pueri urinâ præparatur: id quod quidam inter æruginum differentias numerant. Satius verò est ipsum præparare tempore æstivo, aut certè aëre prorsum calido, urinam in mortario terentes. Præstat autem æs, ex quo mortarium pistillumque conficias, rubrum sit. Nam quò æs tenerius fuerit, eò plus circumagendo pistillo deteritur. Vide eundem Galenum l. 10. simpl. de urinis.

Radix ejus est urina infantium, & intelligo ejus, quod est artificiale, & est gluten auri. Serapio simpl. cap. 413.

Vocatur hæc chrysocolla factitia *Santerna*, & *Ærugo aurificum*.

Estque secunda species æruginis factitiæ Dioscoridi l. c.

Aurifices hâc olim aurum conglutinabant; sed hodiè borace utuntur, seu quartæ chrysocollæ factitiæ speciebus.

III. Fiebat Cyprio ære ex Cypriâ ærugine, & pueri impubis urina, addito nitro: quæ etiam *Santeana* vocatur. Plin. l. 33. c. 5, Agric. de nat. foss. l. c. 19.

Quæ autem pulveri similiter cretâ prius ærugine tinctâ adulteratur; fiuntque ex unâ librâ multæ, Quod inventum ut fallax est, ita non contrarium naturæ, quæ etiam ipsa cretam inficit viridi colore. Quondam ex luteâ herbâ cæruleo subtritâ, chrysocollam fecerunt, sed neutra adulterina, quoniam utraque vilis est, probatur. Agric. l. c. Vide supra in l. modo chrysocollæ factitiæ.

IV. Chrysocolla factitia est *Borrax officinarum* pharmaceuticarum.

Dicitur autem *Borrax vel Borax* quasi *Baurach*, quod Arabibus est nitrum. Avic. l. 2. canon. tr. 2. c. 87.

Tincar etiam Arabicè vocatur.

Gallis, *Soudure d'or, bourax*.

Italis, *Saldadura dell' oro: Boraso: Boraxa*.

Hispanis, *la attincadura del oro: esclarimento*.

Germanis, *Burris, damit die Goldschmidt loten*.

Polonis, *Puriss*.

Multum quidem occupatus est Fallopius de metall. c. 31. in refutando Agricola, quod boracem vocarit chrysocollam, (nimir. de nat. foss. l. 3. c. 9.) cum tamen idem ferè cum tertiâ specie chrysocollæ factitiæ sit præparandi modus, quam nitrum ingreditur; ob quam causam Arabes *Baurach* (Serapio simpl. c. 411. à quo *Borrax*) vocarunt: ita ut nullum discrimen agnoscere possim, nisi quod hic non in mortario æneo præparetur.

Rondelet. aliquos mediocriter eruditos borraci arte parato, quod ferruminat aurum, chrysocollæ nomen indidisse scribit, non animadvertentes, chrysocollam antiquorum colore viridi esse, sive illa naturalis, quæ cum lapide cianeo ex fodinis emittitur, sive illa artificialis Galeno ex urinâ vel ære, quam speciem Diosc. inter species æruginis reposuit: in pharmacopolar. officinâ pag. 1246.

A. Musa Brasavol. putat boracem officinarum ad chrysocollam referri: dicente H. Solerio in schol. in Aëtij tetr. 1. s. 2. c. 81.

Si quis tamen hunc ad salia referre voluerit, cum eo equidem non litigabo.

Et concedo Rondeletio, borracem nitri speciem esse dicenti: loco jam allegato.

Tincar est ex speciebus salium. Et in sapore reperitur de sapore baurach; & habet cum hoc parum amaritudinis. Serapio de temper. simpl. c. 413. ex Isaac eben amram.

Hujus borracis variæ sunt compositiones: & J. R. salis ammoniaci p. 1. nitri p. II. tartari calcinati p. iij. in aceto acerrimo coq. ad siccitatem, ulterius in sole siccandam. J. B. Birell. Alchym. novæ l. 1. c. 119.

II. Accipe salis Ammoniaci, nitri & tartari calcicati, ana ℥j. gummi Arabici, salis comm. ana ℥ij. Mastichis, aluminis rochæ an. ℥ß. pulv. infunde urinas, & tamdiu coque, donec materia in salem concrescat. M. Untzer. de sale c. 17. J. Schroder. pharm. med. chym. l. 2. c. 79. ex Libavij Alchymiâ.

Factitiæ ex alumine rubeo, sale nitro, ac etiam alijs quibusdam admistis, copia, non deficit. Matthiol. comm. in Diosc. l. 5. c. 64.

III. R. salis ammoniaci, salis gemmæ, salis alcali, tartari, mellis despumati, ana: pulveres salium & tartari, cum melle & lacte caprino in vase ferreo misceantur, apponantur ad igniculum per dies 3. reponantur postea per mensem integrum, usque dum lapidis duritiem acquirant: fracto tandem vase optimus Borax colligatur. J. B. Birell. l. c. 124.

IV. R. Nitri, aluminis rochæ, ana p. æq. liquefiant super igne, pulverisata coq. in lacte vaccino ad crassitudinem: in vitro optimè clauso ponantur in fimum equinum per dies 30. J. B. Birell. l. c. c. 121.

V. Ex sale alcali & urina arte paratur borax, quod ferruminat aurum. Rondel. pharmac. off. p. 1246.

VI. Fit ex sale petræ & urinâ puerorum commistis invicem, coctis & coagulatis. Untzer. l. c. Schroder. l. c.

Ist macht man ihn zu Benedig ans Niter oder Salpeter mit Kinderharn abgesotten, Wie man bey uns auch gemeinen oder Hundborras ans Salmiach und gutem Alaun machen solle. Matthes. Sareptæ conc. 11. p. 550.

VII. Alij sacharo soluto addunt salem nitri, Sodam & Tartarum: & colant per filtrum diligenter, & congelascere loco frigido in tessellas sinunt. Untzer. l. c.

VIII. Fit ex Nitro Alexandrino, vel Nitro vulgari soluto aquâ minerali Vitriolata, ita ut coletur, postea coquendo ad medias, materia coagulanda in glaciem crystallinam. Untzer. l. c.

IX. Borax Venetianus ita paratur: Lactis vaccini destillati lib. 2. mellis despumati trientem, croci sesquidrachmam, salis Nitri pellucidi dulcis lib. 4. solve super prunis, adde lixivij facti ex cinere bono & calce testarum ovorum lib. 3. loca in ollâ vitreatâ in cellâ per mensem, & congelascent in lapillos. Horum libram solve in 4. libris fontanæ destillatæ super igni, despuma filtra & coagula in salem. Cæsalpinus tamen lib. 1. de Metall. cap. 20. scribit, Venetijs Borracem confici ex cremato lapide quodam candido & fissili, quem *Boracem crudum* vocant. Untzer. l. c.

Ut mihi Venetijs relatum fuit, conficitur Borax Venetus ex *Nitro nativo*, cinereo, duro, globoso: ex borace non excoctâ, quam pro fossili nitro sunt qui habent, inquit Adrian. Junius in Dictionario: cujus particulas mecum attuli.

Borracce fassi d'una pietra transparente, la quale si chiama *Borrace non risalla.* Et secundo alcuni è una specie di nitro fossile. Fr. Sansovino della mat. med. l. 2. pag. 257.

La Borace è nota nelle speciarie, fassi d'una pietra transparente, la qual si chiama *borace non risalla*, & come alcuni dicono, è una specie di nitro fossile Girol. Calestani Parmigiano dello Osservationi part. 1. pag. 26.

Das Sals Borras ist zweyerley Geschlecht, das erste Wird gegraben, so die Welschen Borrazo natural vennen, ist an der Farbe graulich, doch fest und compact, *scharff, und seufflich, so es geleutert, mird es von ihnen Borrazo finiato genant.* J. Tholden. Haligraphiæ part. 1. c. 3. pag. 20. & ex hoc Schroder. pharm. med. Chym. l. 2. c. 79.

Et hoc absque dubio illud est, quod J. B. Bitellus sal agrum vel Barach vocari, longiusculum, subtile, non adeò album, saporis acetosi, acris & penetrantis, non salsi esse, ex Cayro Babyloniæ, ubi inveniatur, Alexandriam, inde ad Saracenos deferri, qui Barach vocitent; & in Hispaniâ in quodam monte propè Pragam etiam reperiri, quod Hispani alumen agrum, cum Saracenis alumen esse putantes, nominent, scribit Alchym. novæ l. 10. c. 15.

Alex. Pedemont. dicit, superioribus annis consuevisse ex Alexandriâ advehi doliola quædam, adipe quodam plena, in medio lapides parvulos continente, quod *pastam chrysocollæ* nominant, quam Arabum scriptores quidam veteres *nitrum Alexandrinum* appellant. Secret. 6. pag. 229.

Hisce vero temporibus ex occidente quoque advehitur, nescio quâ de causâ, an scilicet ibi facta sit, vel aliunde, nempe ex Indiâ apportetur, proptereà quod magnam superioribus annis hic fuisse penuriam, intelligerent. Eo enim tempore uncia una vendebatur coronato uno, quo nunc libra haberi facilè potest. Modus autem parandi ijs in locis sic se habet. In auri & argenti atque etiam æris fodinis, aquam quandam inveniunt, quæ (quemadmodum ego ipse non solùm vidi, sed etiam expertus sum) per se ipsa est apta atque perfecta, ad consolidandum, liquandum, vel aurum, vel argentum, id quod etiam in Germaniæ quadam parte superio e comperi, ubi similis aqua invenitur, omnibus adhuc incolis incognita. Sumunt hanc aquam unà cum fæcibus, quam coquunt ad certum spacium, quæ sic colata, spatio temporis in lapides parvos, salnitro haud absimiles, cogitur. Quoniam autem hi lapides consistere sic nequeunt, sed dissolvuntur, fit ut lapidibus unà cum suis fæcibus in fundo relictis, tanquam nutrimento, axungiam porcinam, vel alterius animalis pinguedinem addunt.

Hoc facto, ad fodinas sese conferunt, ibique fossam amplam faciunt, cujus fundum eâ materiâ insternunt, & super hanc lapillos, quos diximus, collocant: deinde rursus adipis massam, mox iterum lapillos, atq; ita pergunt ad eam, quæ placet altitudinem, alterum super altero collocantes, sic tamen ut extremum stratum sit ex illâ pingui materiâ: ibi per menses aliquot apertam relinquunt, quamquam plerique hæc omnia domi in terrâ, aut in amplis vasis faciunt. Quum autem libet vendere, atque aliò mittere, dolia vel parva vel magna, ut videtur, eâ unà cum lapidibus replent, & hoc pastam chrysocollæ sive boracis appellant. Mittunt etiam ex jam dictâ pastâ, sed eo paratos modo, quo jam diximus: quoniam ejus pinguis massæ afferebatur, propterea quod Italiâ ea uti nesciebat, nec reparare aut purgare lapillos norant: itaque nullus ferè ejus erat usus, præterquam in quibusdam destillationibus, ad fucos muliebres eliciendos. Verùm tandem quidam Venetus, & mulier quædam ab ipso edocta, id refingere & conficere cœperunt, atque inde magnum quæstum facere, donec paulatim conficiendi modus & alijs cæpit innotescere: quamvis alijs magis, alijs minus, & forte pauci sint, qui ea facilitate & bonitate facere norint, quam nos hîc perfectè trademus. Sumito itaque hanc massam, eam inquam, quæ plurimos in se lapillos continet, & rancida minimè est: quoniam indicat esse veterem, & lapillos esse comminutos, atque magna ex parte consumtos: deinde in libras decem pastæ, aquæ tepidæ mediam situlam misce, & pone in vase aliquo testaceo, manibus benè pinsando & miscendo, panis in morem. Quod cum factum fuerit, coletur optimè, lapidesque in cribro relicti eximantur, ponanturque in catinum, superinfundendo oleum olivarum, ut in acetarijs conficiendis fieri solet: dein cum ad solem benè purgati & uncti manibus fuerint, ponantur in sacco, misceanturque probè, quomodo sacchari confectiones solent, & servantur in ligneis vasis, tanquam optima chrysocolla. Quod si reficere & multiplicare voles, sumito aquam illam colatam, atque ad ignem lentum coquito, ad perfectam usque confectionem, spumando tam fæces quàm spumam accurate. Coctionem autem esse perfectam, tribus modis licet cognoscere, primò, si aquæ gutta super unguem posita non diffluit: secundò, ad modum syruporum si in charta hæreat, aut quod est tertium, si funiculus in ea intinctus, & inter digitos ductus, asperitate quadam digitos tentarit: si cocta fuerit, cacabus ab igne auferatur, & operculo ad hoc aptè parato, ne quid sordium ingredi queat, operiatur: mox in furfuris cumulo sepeliatur, superque furfur crassioribus pannis, aut lodice, aut culcitra, presse admodum contegatur: posses etiam fimo calenti, per 8. vel 10. dies condere. Quod cum factum fuerit, auferatur, & invenies pinguedinem quandam, sive crustam, in superficie, quam desumptam, sepones: Invenies præterea tanquam glaciei frustula, quæ pariter exempta, inque alio vase posita, aquâ diligenter elues, & in umbra siccabis. Quo facto, illos, qui in setaceo cribro remanserant, cum his notissimis misceto: inde aluminis ex vini fæcibus albi, sed non ex eo, quod pro specimine proponi solet (nam id inutile est) sed ex optimo, ℔. *iij*, ℥*viij*. aquæ communis situlas tres, misceantur & ponantur ad ignem lentum despumando benè, donec perfectè ut prius cocta fuerint. Quo facto, auferatur ab igne, & reponatur donec optimè resideat, tum sumito hujus aquæ situlam unam cum dimidiâ, ponatur ad ignem lentum & cum fervere incipit, addito prædictæ pinguedini, vel crustæ sive cutis super o. exemptæ ℔. *viiß.* coquantur quantum satis est ut prius, tùm ab igne removebis, ponesque in ligneo vase aliquo, supraque vas duos baculos decussatim collocato, è quatuor baculor. angulis singulos funiculos alligato, sed ut funiculi tendantur, ad singula capita plumbi frustum appendito, ac sic in materiam demittito, ita tamen, ut à fundo digitos 4. absint: hoc autem fit, ut materia ad funiculos adhærescat. His rebus administratis, eo modo condes, ut aliud supra fecisti. Hoc autem in sacco, id est, in fovea non ponitur, sed, ubi eximendum erit, quod funiculis adhæsit, pennâ oleo imbuta linitur, reliquum verò cacabo adhærens, oleo erit conspergendum. Cæterum lapilli, qui eximentur, non sint minores avellanis: qui autem minores sunt relinquantur in aquâ, ac rursus coquantur, ut supra: atque sic continuando, donec omnis aqua in chrysocollam convertatur. Verùm hoc notandum videtur, ut primæ massæ in aqua tepida dissolvendæ addatur ciceris instar, coaguli leporini, quo melius reliquæ chrysocollæ partes

æs coagulentur. Idem Alex. Pedem. l. c. p. 229. 230. 231. 232. quæ verba ideò transcribenda putavi, quod multa pulchra, huc facientia, contineant.

De borrace pingui quæ scripserit Rondel. vide supra circa finem capitis 13.

Modos Boraceam ab alumine rochæ (quod pro eo venditatur, & quo Boracem impostores adulterant) discernendi, ex sapore, formâ concretionis, ignaviâ in consolidandis metallis & ustione vide apud Alex. Pedemont. Secret. l. 6. pag. 228. 229. J. B. Birellum in Alchym. nova l. 1. c. 115.

In usu autem est Borax tùm aurifabris, tùm Medicis.

Aurifabris: *ad aurum glutinandum & facienda metalla fluxilia.* Vide caput sequens.

Medicis: Veneti præcipuè usus mirè prædicatur *in partu difficili facilitando; molâque ac fœtu mortuo & secundinis expediendis; mensibusque movendis*, si exhibeatur cum aquâ cinnamomi vel pulegii, artemisiæ, savinæ &c. aut alio liquore aut succo adpropriato. Untzer. de sale l. c. Crato consf. 363. Fallop. de metall. c. 31. Varandæus de morb. l. 2. c. 6. p. 385. Helid. de Padoanis consil. pag. 197. & exinde Pharmacop. August. classf. 9. Montuus, Lobel.

Rondel. pract. l. 3. c. 67. 65. F. Platear. Prax. T. 1. l. 2. c. 9. pag. 449. Steegh. med. pract. l. 9. c. 12. Herlicii *Frauenzimer* c. 23.

Dosis autem hujus est à ℈j. ad ʒß. & ℥j.

Hinc Mynsicht. borracem Venetum assumit in pilulas de Sabinâ: Thesf. chym. med. sect. 6. aquam Dominarum: sect. 19. decoctum contra menses suppressos: sect. 25. species diaborracis: sect. 5. pag. 115. pulverem Henr. ab Heer. obs. 14. pulverem ad dystokiam: Pharm. Aug. cl. 9. Aug. Clutius in potionem de Nuce Medica in difficili partu. cap. 13. pag. 51. & cap. 12. pag. 45.

Pessario ad molam matricis, boracem & lapidem laz. addit. Paracelf. Bertheon. de apostemat. cap. 57. pag. 213.

Probatum experimentum contra difficilem partum, teratur borax & distemperata cum vino detur, vel super omnia superposita in hoc casu valet. Plat. expos. in Antidot. Nicolai f. m. 226.

Ad menstrua provocanda & fœtum mortuum & secundinam, fiat suppositum ex borace & centro galli benè decoctis in vino. Idem Platear. de simpl. med. lit. B. pag. m. 229.

Commendatur Borrax Venetus *in languidâ Venera virorum* quibus genitalia ignava sunt excitandâ, si ciceris quantitate in ovo sorbili offeratur. Untz. l. c.

Hinc Mynsicht voluit ingrediens esse specier. dia Veneris: Thesf. med. chym. sect. 5. Rotular. stimulantium: sect. 7. Morsulor. virilium: sect. 8. Confectionis pacificæ de Succoladâ Inda: ibid. confectionis Satyrii: ibid. Decocti Satyriaci: sect. 25. Augustani Electuarii magnanimitatis: Pharmacop. classf. 14.

Ad *faciem clarificandam, & pannum romovendum, maximè quod fit post partum, & etiam si fiat ex calore aëris*, pulvis ejus conficiatur cum aq. ros. & facies illiniatur. Ad faciem mundificandam & depurandam conficiunt mulieres cum melle albo despumato & mundato, & cum ung. citrino. Conficiunt etiam unguentum ex gallinaceâ axungiâ cum pulvere boracis, & facies illiniunt. Nota quod in ij. ℥. aq. rosar. possunt poni ℈iij. boracis: in 1. lib. mellis ponatur ℥j. boracis. Idem Platear. de simpl. medic. l. c.

Mulieres quædam borace utuntur ad faciem dealbandam, & cutem mollem venustamque reddendam, propterea quod neque dentibus neque cuti ullam perniciem afferat. Alex. Pedem. Secret. l. 6. pag. 227.

Mynsichtus decocto contra omnes faciei maculas & ad dealbationem cutis, cum mercurio sublimato addit Boracem Venetum: sect. 25. pag. 380. 381. balsamo saponis, ad manus nivis instar dealbandas, cutimque nitidam mollem reddenti: sect. 34. pag. 485. aquæ cosmeticæ ad faciem clarifican lam & dealbandam, omnes faciei maculas & lentigines tollendas, & ictericorum cutis fœditatem emendandam: sect. 19. p. 332. 333. Alex. Pedemont. unguento ad faciem: Secret. l. 4. pag. 169. aquæ ad faciem & alias corporis partes commendandas: idem ib. pag. 161. & 163. aliæ aquæ ad faciem cosmeticæ addit pastam chrysocollæ, de quâ agit l. 6. pag. 229. ib. l. 4. pag. 158.

Rondelet. immiscet linimento: Pract. de fucis pag. 1260. 1271. 1273. aquis cosmeticis: ibid. de fucis pag. 1258. 1264. 1260. 1271.

Aquis cosmeticis, M. Pansa pharmac. l. 2. c. 17. pag. 105. I. Fioravant. Capricei medic. l. 3. c. 90.

Nicolaus Præpositus unguento citrino vel è citriis. in Dispensario l. 2. p. m. 182. In quâ tamen compositione in pondere boracis variant descriptiones. Nicolaus l. c. Sylvius in annot. ad Mesue Antidotar. dist. 11. fol. m. 190. habent ℥ij. Pharmacop. August. classf. 17. habet ℥ij. cum priora exemplaria habuissent ℥j. Similiter ℥ij. habet Platear. in expos. Antidot. Nicolai f. m. 226. L. Joubert. Pharmac. sect. 4. f. 531. G. Rondelet. de fucis, p. 1246. J. Renodæus antidotar. l. 4. c. 25.

Intelligitur autem haud dubiè chrysocolla factitia. Veneta enim utitur Zvvelfer. animad. in ung. citr. Pharmac. Ang. classe 17.

Variis cosmeticor. formulis; *faciem & manus dealbantium, maculas rubras delentium, ruborem faciei emendantium, vitiligines, lentigines, originalesque navos* abolentium, F. Plater. borracem adde Prax. T. 3. l. 1. c. 2. pag. in 410. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 149. 150. 154. 155. 156. 157.

Chrysocolla sive borax *dentes expolit, exterit dealbatque* M. Sebiz. de dentib. disp. 4. th. 127. Hinc aquæ ad dealbandos dentes & ad *gingivar. erosiones* addit F. Bartolet. Encycloped. p. 193. Tincar confert corrosioni dentium suâ proprietate. Avic. l. 2. canon. tr. 2. c. 704.

Borax in aceto maceratus *dolori dentium medetur.* Sebiz. l. c. th. 165. in aquâ regali M. Pansæ Pharmacothec. l. 2. c. 17. pag. 111. Tincar confert dolori molaris. Avic. canon. l. c.

Empiricus quidam *calculos vesicæ* in quibusdam curabat cum Borrace mixta aquâ ardente ad crassitudinem mellis, admixto etiam trito Tartaro, aut calculo ab homine exciso, aut fæce urinæ in matulâ. Jubebat per 14. dies hoc medicamento uti, ut semper parum ejus vino bibendo etiam in prandio & cœnâ admisceretur &c. M. Untzer. Florileg. de Nephritide l. 2. pag. 117. & in aucto pag. 223. ex Gesnero. Sunt plurimi usu boracis admisto tartaro trito ex vino valetudini pristinæ restituti, H. A. Rietmakers de Nephritico dolore. pag. 68.

Et hoc ipsum absque dubio vult Jan. Damascenus dum ita: Aliud frangens lapidem. Sumantur baurach Armeni drach. 5. terantur & conficiantur cum melle, & dissolvatur cum succo raphani quantitas unc. 2. & detur ex eo in omnibus tribus diebus l. 6. cap. 21.

Nisi nitrum (quod Baurach Arabes vocant) intelligit: sicut l. 4. c. 16. habet Nitri Armeniaci &c. & Avic. l. 2. can. 2. tr. c. 87. & l. 3. Fen. 18. tr. 1. c. 19. Baurach Armenum commendat.

Chrysocollæ factitiæ secundam speciem *ad ulcera difficilia sanatu*, optimam esse, asserit Galen. l. 10. simpl. de urinis.

Commodissimum medicamentum est *ulceribus malignis*, tùm per se, tùm idoneis ad eandem rem pharmacis ammixtum. Aët. tetr. 1. s. 2. c. 81. Vid. cap. præcedens.

Pul-

Pulveri *ad antiquas nomas*, & *ad gingivas cruentas*, & *deprimendam carnem excrescentem*, additur chrysocolla f. ctitia. Aët. tetr. 4. f. 2. c. 50.

In *impetigine faciei* borace utitur Rondelet. de fucis pag. 1262.

In *alopecia* baurach utitur Val. de Tar. Phil. l. 7. c. 51.

In *serpigine* borace usto, idem Rondel. l. c. p. 1277.

Medicamentis *mammar. incrementum cohibentibus additur borax*. Platear. Prax. T. 3. l. 1. c. 1. p. 44.

Extra usum medicum. In usu est chrysocolla metallicis, pictoribus, aurificibus, Chymicis, pomposis.

Ex chrysocolla (nativâ) *conflatur optimum aurum* Goldbergæ in Silesiâ. Encel. de re metall. l. 2. c. 21. & l. 1. c. 4. Argentum rude candidum in chrysocollâ durâ, Suacii ex alpibus: *ein rein angeflogen Silber in einem harten Berggrün*; habet in arculâ ref. foss. Kentman. pag. 60.

Pictores omni chrysocollâ utuntur. Agric. de nat. foss. l. 3. c. 19. præferunt tamen Hungaricam.

Aurifices eâ solâ, quâ aurum cum auro, aut argentum cum argento agglutinatur. Agric. l. c. ad quod efficiendum jam borace Veneto utuntur; ad agglutinandum vero argentum cum argento, prædicto boraci admiscent sal fusum & fel vitri.

Utuntur & hâc (chrysocollâ) nostri *ad auri & argenti scobem liquefaciendam*, atque in unum corpus cogendam. Alex. Pedem. Secret. l. 6. pag. 227.

Purificat etiam corpora metallica.

Katzengold oder Silber. Tatchsilber fein zu machen, nim antimonium, *und zulass den vvohl in einem Tegel, und thu den Talch klein zurieben darein, und darzu Wismund und Venedisch Glass klein gerieben, auch* Boras *und Saliter.* si vis malleabile, tunc fac cum borace in tigillo. Andr. *Iessner Kunstkammer* lit. E. v. b.

Eisen mit Kupffer lôthen Nim Boras, *Rost auss dem Schorstein gleich viel, durch einander gerieben macht flüssig auf Eisen lôthen.* Idem lit. f. 2. b.

Güevvachs. Darzu vvird neben rubricâ fabrili, vitriolo, ærugine, chrysocolla minerali: (*Berckgrün*) ære usto, *auch* boras *genommen*. Idem lit G. 36.

Chymici quidam boracem addunt antimonio calcinato, indeque præparant vel vitrum rubicundissimum. Umzei. de Sole l. c. & alii ex Basilii curru triumphali ♁ii, vel vitrum album. J. Schroder. pharm. med. chym. l. 3. c. 17.

Cum eodem etiam vitrificatur mercurius vitæ. Mynsicht. thes. & arm. Chym. f. 1 p. 9.

Additur etiam compositioni salis Alebroth, apud J. B. Birell. Alchym. novæ l. 10. c. 3.

Chrysocollâ Nero princeps ad spectacula est abusus. Eâ enim arenam circi stravit, cum ipse, inquit Plinius, concolori panno aurigaturus esset. Agric, l. c. ex Plinio.

Caligula minio & chrysocollâ solum sterni mandavit. J. Rosinus antiq. Roman. l. 5. c. 4. ex Suetonio in Caligula.

Heliogabalus circum maximum columnis pulcherrimis, auróque illustravit, cujus pavimentum ex chrysocolâ fecit. Est enim chrysocola materies nascens post aurum effossum, auri quidem colorem retinens cum sit lapis J. J. Boissard. Antiq. Roman. part. 2. cap. 60. ex B. Marliani Topographiæ urbis Romæ l. 4. cap. 11. & part. 1. pag. 60. Vide supra.

Colores autem in pannis aurigantium in circo factiones distinguebant, inter quos præcipuus ferè erat prasinus vel viridis, cui maximè addictus erat Caligula. Vide J. Rosin. l. c c. 5. & Th. Dempster. addit. in Rosin. l. c. pag. 196. 197.

Tribus chrysocollam generibus distinguunt; asperam, quæ taxatur in libr as vij. mediam, quæ denariis quinis: attritam, quam & herbaceam vocant, quæ xiij. Agric. de nat. foss. l. 3. c. 19. ex Plin. l. 33. cap. 5. *Hac Iohan. Laur. Bauschius in Tractatus posthumô de Cæruleô & Chrysocollâ.*

CHRYSITES sive *Chrysocome.*

Vox hæc secundùm Plinium denotat plantam, cujus extremitas summa coloris sit aurei, adeoque Chrysanthemi nomine venire debeat. Verùm cùm hæc ex mutilâ admodùm ac prorsus imperfectâ descriptione non satis clara fiant, potius visum Pharmacopœis sub stœchadis citrinæ nomine plantam illam habere juxta explicationem *Chrysocomes* quam habet Dioscorides; vid. itaque plura sub nomine. *Stœchas Citrina.*

CHRYSOLITHUS vid. *Topazius.*

CHRYSOLAMPIS.

Lapis est pretiosus de die pallidior, noctû verò ad instar ignis splendens. Vid. sub titulo *Lapis.*

CHRYSOLOGANUM, vid. *Atriplex.*

CHRYSOMELUM, vid. *Malum Armeniacum.*

CHRYSOPOEIA.

Chrysopœia & *Argyropœia* sunt voces Græcæ, quarum illa Auri, hæc vera Argenti, imperfectioribus metallis ac mineralibus, confectionem denotat. Non eam sanè quæ in fodinis exercetur, quæ purificationis nomine propriè venire debet; sed eam quam subinde jactitant Spagirici, ope Lapidis Philosophici peragendam. In ejus autem veritate, vel impugnanda cum quibusdam, vel cum aliis asserenda hic non immoramur, quia hoc abunde alibi à nobis perficitur, in Bibliotheca licet Chemica Curiosa ad quam propterea curiosum in ejusmodi exercitationibus Lectorem meritò remittimus.

CHRYSOSPLENIUM vid. *Saxifraga aurea.*

CHYLIOFILLUM vid. *Millefolium.*

CHYMIA & CHYMISTA, ac CHYMICA MEDICAMENTA.

Chymica dicitur ἀπὸ τοῦ χέειν fundere, vel secundùm alios ἀπὸ τοῦ χυλοῦ hoc est succo, utrumque non incongruè, siquidem circà fusiones ac solutiones rerum occupata Chymiæ est, & eo ipso nobiliorem partem earum, succum veluti sanguinemque separat, succosa emulget, & quæ ex succa sunt, insuccat, dicit *Billichius*; Addito Arabico Articulo, al, Alchymia audit, quod tamen nomen communiter Arti Aurum conficiendi tribui solet, quamvis malè, ut ex sequentibus innotescet; prout enim res ipsa Artis hujus non differt à reliqua Chymiâ, itaque nomen quoque distinctum non est, nec fuit antiquitus. Eleganter alioquin derivatur Alchymia ἀπὸ τοῦ ἅλος καὶ χέειν, hoc est, sal fundare, à perpetuo salis interventu dicit *Kircherus.* In sale enim & cum sale labores Chymici fiunt ferè omnes, solutiones, præcipitationes, salia coagulant, coagulantur & ipsa; in salia abeunt sulphura, olea, spiritus, &c. saliaque eam ob causam eleganter *Naturæ & Artis Instrumenta* vocat *Tachenius.* Porrò nec minùs eleganti vocabulo Chymia etiam dicitur Spag-

Spagyrica, eò quòd σπᾶν ϰ̀ ἀγείρειν hoc eſt, ſeparare & conjungere, quæ ſumma operationum genera ſunt. *Pyrotechniæ* vocabulum apud *Helmontium* occurrit, hic dictum à πῦρ ignis, quem ille *Chymiæ Magiſtrum*, ſeque perinde ex Igne Philoſophum vocat, & τέχνη, Ars. Laudo in abjecto ſpiritu Luminum Patrem verba ejus ſunt, qui extrà aliarum profeſſionum fecem ad ſolam me Pyrotechniam vocavit. Ab *Hermete*, qui Chymiæ Inventor communiter creditur, (quis vero ille fuerit, prolixè tradit in Oepido Ægyptiaco Kircherus, confer etiam Olaum Borrichium tract. de Orig. & prog. Chymiæ) Chymici dicuntur *Hermetici*: ſpecialiter tamen ita vocari ſolent ipſius lapidis Philoſophorum primum ab Hermete in Tabula Smaragdina deſcripti poſſeſſores, qui alioquin *adepti* etiam καὶ ἐξοχὴν Philoſophi (turba hinc Philoſophorum inſcribitur liber, qui eorum tractatus de hâc arte continet) audiunt, Sectatores Philoſophiæ hujus *Artiſtæ*, diſcipuli Artiſque filii vocari ſolent. Hæc de nomine.

Definitur Chymia, *quòd ſit Ars, Ignis ope corpora, exque iis purum ab impuro ſeparandi, extrema conjungendi, & hinc medicamenta efficacia conficiendi,*

Ultima verba adduntur, habito ſpeciali aliquo reſpectu. In ſequentibus tamen dicetur, ex applicatione ad Medicinam ſolummodò habere hoc Chymiam, ut madefacta conficiat, & hic eſt ſcopus Medici, alium & primarium, de quo paulo poſt, intendit Phyſicus: Ad utrumque nos collimamus, ſic veros nos Naturæ miniſtros, quales deſiderat Hippocrates, futuros perſuaſi.

Artem verò Chymiam eſſe extra dubium eſt: Habitus utique eſt cum rectâ ratione, manibus pedibuſque ferè dixerim, effectivus: Relinquit poſt ſe opus, partes mixtorum reſolutas, genuina remedia morborum, vt *Helmontio* audiunt, unde animam quaſi quaſi Chymiæ conſtituunt ſic dictæ Enchireſes, quæ ut nonniſi manibus tradi, ita & non niſi iis & adhibendo eas, addiſci poſſunt. Illæ commonſtrant, quid tribuendum ſit Chymicis Theoreticis, quales ſe vocant nonnulli, & hoc ipſo artis cognitionem affectant, ignorantiam potius velant. Neque tamen vel operaria purè aut illiberalis dici debet Ars hæcce, ſiquidem principia habet ſcientifica, quæ Philoſophos rationales & experimentales, qualem Philoſophiam, exhibuere, illuſtris Boyle &c. à ciniflonibus & Empiricis vulgaribus diſtinguunt. Rectè ſe habet axioma Chymicum, quod Brendelio ita audit: *quantum experientia in univerſâ Chymia procedit, tantum ratio de ejus certitudine & operandi modo ſtatuere debet,*

Cauſa efficiens Chymiæ Ignis eſt, naturalis, Artificialis, vel quomodocunque ille ſeſe habeat, quomodocunque etiam agat, ſivè excitativè, dum ipſe internum cujuſque rei ignem ac calorem in actum deducit; ſive effectivè, dum vel diſſolvit mixtorum partes, vel denuò eas conjungit, ſive etiam ex partibus illis nova producit ut per incinerationem alkalia. Atque in hoc ipſo Chymiæ quoque forma conſiſtit, ſeparatione ſcilicet & compoſitione. Materiam & ſubjectum Chymiæ corpus quodcunque naturale conſiſtit, mixtumve, quod ſub impuro & originali quam ita vocamus, labe purum, rerumque craſin continet. Atque ſic quidem & Aſtra huc ſpectant, ſiquidem illa partim latione ſuâ virtutem influxus, operationibus ac præparatis Chymicis conferunt, adeòque ſecundum influentiam Antimonium præparare nos jubet *Baſilicus* [*Electrum Philoſophicum & armaturam Martiam*, quæ in miſſione elementorum metallorum ſub certo ſiderum poſitu conſiſtunt, & prodigioſos eorum, qui creduntur, effectus hîc prætereo, videri autem de illis poſſunt *Sturmius, & Staricius*, & præcipuè in *Achille Redivivo Burggrafius*] partim ipſos radios ſuos ac lumen in corpora nonnulla Artis ope tranſmittunt, quale ſibi ſecretum adſcribit Helmontius, quo ſolis radios in lapidibus pretioſis ſigillare ſe quaſi poſſe aſſerit, ut illud aliquandiu retineant reddantque, id quod & ſolâ ſaltem, & præviâ factâ calcinatione in lapide Bononienſi fieri vulgò notum eſt; poſſunt de eo videri Anglorum Philoſophic. tranſact. p. m. 12.

Præterea Aſtra & operationum nonnullarum cauſæ ſunt effectrices, ſic ope radiorum Solis digerimus, deſtillamus, &c. Luna putrefactionem adjuvat, in (*videatur Kircheri Tract. de Peſte*) materiam ſeminalem reducit, ut ex glutine Paracelſi, hoc eſt, ranis ſub Lunæ radiis intenſiſſimo frigore reſolutis patet, de quo vid. Helmontius. *Poſt Aſtra meteora locum habent pluvia, ſcil. nix. grando, ros*, qui omnes aërii ſunt fructus, ſimili albi affinitate juncti, ſicque dictum communiter, quod univerſi ſpiritum (de quo Nuſyment & Nittneri tractatus videri poſſunt. Conſiſtit autem ille in nitroſo aliquo ſale) ſubminiſtrant, idem eorum & fœcunditatis & menſtruales ſunt effectus. Porrò ſubjectum hocce & unicè quidem ſecundùm communes Auctores conſtituit triplex ſic dictum Regnum Philoſophorum. Ex Regno quidem minerali metalla rejicit, & ad ſolam theoriam damnat *Billichius*; ſed malè: Nam reverà illa nobis ſua ſulphura ac Mercurios, ſuggerunt, ſulphurum illorum nonnulla æquè abeunt in ſalia; potiſſimum verò ac tantoperè laudata eſt eorum ſolutio radicalis, quam quærunt ſapientes, difficulter inveniunt, nec tamen impoſſibilem cenſent. Sufficit autem contra Billichium, vel in crocos magis minuſque ſubtiles redigi metalla, Saturnum ſolo aceto ſubtilem reddi, detonatione cum nitro ex Jove ſeparari ſulphur: Aquam Regis, Aurum non Lunam ſolvere &c. quæ quamvis vilia ſint & obvia paſſim, tamen Chymicè tractantur, & præter ſpeculationes operationem requirunt, ſicque ad forum noſtrum ſpectant: *Conf. Lauremberg. animad. in aph. Chymic. Angeli Salæ.* Ex vegetabilibus & animalibus olea, ſalia, ſpiritus, particulæ reſinoſæ, ex quibus magis minuſve plantæ conſtant omnes, gelatinoſæ, ſalium urinoſorum receptacula &c. ſeparantur, mutantur hæc in ſe invicem, ſpiritus in ſalia &c. componuntur in eſſentiis.

Ex dictis hucuſque patet, quinam Chymiæ ſit finis primarius, quemve illa ex ſe habet, eſt mixtorum partes ſeparare, ut accuratiori demonſtrationis genere, ex quibus illa conſtent, in qua redigantur, innoteſcat. Hinc Chymia propriè ad Phyſicam ſpectat, ſiquidem compoſitionem, mixtorum partes eorum conſtitutivas, ſulphura, ſalia, diverſitatem, quam ex ſe & naturâ ſuâ ipsâ unione miſtionis habent, demonſtrat; quodque primùm illorum principium ultimatâ reductione in illud manifeſtum reddit. Adeoque & naturam illa imitatur, adjuvat eam, & progredi ulteriùs facit, quandoque ſuperat. Sic reſolvit vitriola in liquorem acidum (acidum ſulphuris embryonatum Paracelſo Helmontioque audit) ſeparat etiam metallum, quocum rodendo acidum illud ſeſe coagulaverat in vitriolum, & denuò illo ipſo acido, corrodendo metallum quodcunque, vitriola efficit, factitia dicta. Adjuvamus verò naturam, dum verbi gratia, plantas germinare citius lætiori quaſi ſegete ope liquoris alicujus ex nitro vel alkalibus (videri hâc de re poteſt elegantiſſimus Digbæi tractatus de plantarum vegetatione) facimus, ſique vera ſunt, quæ de metallorum tranſmutationibus, quorum arcanum propterea Raymundo Lullio ob aurum pluſquàm perfectum, quod naturæ facere conceſſum non eſt, debetur, habentur, nonne ab iis ſuperatur natura, adeòque hic nos pergere jubent Philoſophi ubi natura ſubſiſtit. Sic itaque potiori jure Chymia ab *Helmontio, Boyle*, aliiſque Viris magni nominis *Naturæ*

Clavis

Clavis, scientia ac τέκμαρσις, salutatur. Patet hinc, communem esse errorem (vid. ille apud Senn. de cons. & diss. c. 1.) quo Chymia ad pharmacopœam, cujus minimam ancillulam per contemptum eam vocat *Riolanus*, refertur. Hoc enim jam diximus applicatione & secundariò conferre Medicinæ Chymiam, ut & illa humanæ necessitati prospiciat, licet illud primario non intendat, dum suô ac Physicô defungitur officio, scopum tamen medicum ultrò assequitur. Atque sic quidem dicitur ab Helmontio, Physicam extra Medicinam, quàm adeòque de terra creavit Altissimus, quodam modò fine suo destitui: Exemplo ut hæc declarentur, videamus solum modò Antimonium, ex quo dum Chymici tot generis varijque coloris sulphura &c. separamus, partes ejus demonstramus, cur Basilio dicatur plurium colorum mineral, quodque habito respectu ad partem metallicam, quæ in Regulo est, metallum inchoaverit natura, à sulphuribus verò ac heterogeneis fuerit impedita. Ast dum vel ex Regulo illo conficimus globulos pro Iliacâ passione, vel sulphura illa ad excitandum vomitum propinamus, omne illud ex applicatione est.

Occasione eorum quæstiones illæ duæ vexatæ adeò inter Eruditos, quibus vim inferre Chymiæ conati sunt osores ejus, (videatur hâc da re prolixè *Libavius*) videndæ sunt: 1. est, *An chymia mixta prorsus destruat?* (ordinem elementorum, qui tamen nullus est, ut alibi probavimus, invertere ineptit Riolanus) *& partes quas separat, ceu novas per ignem producat, faciatque, quod ante non fuit? Brevibus autem respondemus, pro diversitate operationis & intentionis Chymiam, & destruere mixta, reducendo ea in aquam, quo illam principium eorum esse demonstret, & mutare partes acidas in amaras*, sulphura in salia &c. idque in gratiam Medicinæ, (probatus nobis, e. gr. spiritus tartari, si amarus Hippocraticus propterea Tachenio dictus, licet ipse tartarus sit acidus) *Denique reverà etiam ipsissima principia constitutiva, prout illa praextitere in mixtis, non mutata separat, & hac omnia pro diversitate operationis, quæ vel violenta vel non violenta est.*

Altera quæstio est: An Medicamenta chymica tutò adhiberi possint? Sic enim Misochymici indistinctè ea ceu noxia ac venena tragicâ voce accusant. Dico autem esse noxia, si minùs dextrè fuerint præparata, (Magisteria à salibus corrosivis non liberata ac edulcorata intestina corrosisse mortemque intulisse, referunt *Libavius*, *Zwelfferus*) *si debitè minus ac dosi auctiore fuerint exhibita.*

Atque sic quidem Gloriosæ Recordationis Poloniæ Rex Uladislaus Quartus dicitur morti fuisse traditus, cùm ei incautè gr. 16. vitri Antimonij in substantia fuissent propinata &c. *Si autem debitè præparentur, ac cum cautione adhibeantur, remedia hæc tuta sunt.* Pro hoc loquitur tota Germania remedijs hisce ferè assueta, loquuntur tot Cl. virorum observationes. Plusquam centeni non 16. granis in substantia, sed ℥.2. vini cum gr. 6. vel 7. vitri illius infusis debitè purgati sunt: Curati hoc sunt remedio etiam externi populi ac Indi, ut expeditione Mauritij Nassoviensis, de qua Barlæus vid. potest, &c. *Sunt porro grata remedia hæc, utpote sine sapore, quando minori dosi exhibentur, unde nec stomacho vim inferunt*, prout quidem osorum nauseabunda bupomata. *Citò agunt, siquidem efficacissimè penetrant, ceu purum ab impuro; quo virtutes eorum detinentur, alioquin separatum*, adeòque & summè necessaria sunt, verèque dicitur à *Matthiolo morbos chronicos sine remedis chymicis frustra tentari*: verè dicitur ab eo in Epist. ad Blavium, *Medici nomine indignum eum esse*, qui Chymiam ignorat. Sed de hâc controversiâ videri possunt in paradoxis Billichius & præsertim Libavius in examine Censuræ Scholæ Parisiensis.

Sic itaque & cùm non nisi ad pistrinam seu culinam Pharmaceuticam demandata fuerit Chymia, alij ex errore illo, vitio quasi primæ digestionis, exorti sunt errores, quibus scilicet illa in quatuor species communiter dividitur. Prima illarum est universalis, quæ de Medicamento universali tractat: Secunda Metallurgia dicitur, & circa Metallorum transmutationes occupata est. Tertia denique Chymiatrica dicta, medicamenta præparat, vid. Rolfinc. in Chymiâ suâ: Quartam quasi speciem addunt alij (vid. Mund. subter. Kircher.) quam etiam Metallurgiam vocant, quæ est Ars separandi metalla ex mineris suis, ad quam spectat *Dokimastica*, quæ quantum mineræ metalli contineant, instituto eorum examine inquirit.

Hæc ultima species ad Chymiam propriè non spectat, distinctas siquidem operationes habet, & distinctè ab Autoribus, Agricolâ, Lazaro *Erker*, alijsque tradita fuit. Tres verò species reliquæ, paulò ante dictæ, distinctæ non sunt. Etenim si Medicina Universalis, à quâ prima species nomen habet, ipse sic dictus Lapis Philosophorum est, hic enim præcipuè ceu catholicum medicamentum fuit celebratus, æquè ille Tinctura erit ac Medicina; Κατ' ἐξοχὴν ita eas vocant Philosophi, intelligunt autem arcanum transmutationis metallicæ & medicamentum tale universale. Medicamentum scil. vocant. quando cum auro non est fermentatus lapis iste, dum autem hoc ei additur, ut ingressum in metalla imperfectiora, quibus aloquin ob nimiam subtilitatem supernatare creditur, habeat, (Conf. Basil. Valent. Clav. 12.) Tinctura, quia tunc tingit, audit. Adeòque à Metallurgiâ universalis hæc distincta non est: & si ab eâ universalis solummodò Medicina conficitur, eccur non ad Chymiatriam spectat? imò potiori jure, quia universalis est. Si autem per Medicinam universalem intelligatur quæcunque alia, cujus tot vulgò habentur descriptiones, quot muscæ in Armenia sunt, (Asa & Phalcia tales Medicinæ universales dicuntur Basilio Valentino) illa distincti nihil habet à reliqua Chymia, tum quoad præparationem, tum quoad effectus, Medicos scil. ut ita ad Chymiatriam pari ratione referri debeant. Porrò sic dicta Metallurgia si etiam alias conficiat Tincturas, & particularia, quæ ita vocantur, quia particulariter, hoc est, non in tanta quantitate; prout ipse lapis tingant, æquè non differet illa ab universali sic dictâ: hoc enim testantur Philosophi ad unum omnes, extra universale non dari particulare, adeoque ramos ejusdem arboris illa particularia appellant: volunt scilicet ex eâdem materiâ metallicâ, ijsdem atque similibus operandi modis confici debere particularia, ex quibus ipsum conficitur universale. Pari ratione testantur omnes, illa ipsa particularia non minus efficacia esse medicamenta, ut de astris dicitur, adeòque non minùs ad Chymiatriam illa referuntur. *Concludimus ergò, unicam esse Chymiam, sive illa purum ab impuro ex metallis, seu ex quacunque re aliâ separet, sive illud etiam in usûs metallicos sive medicos convertat.* Scopo Medicinæ, quicquid etiam agat, excidere Chymia non potest, hincque factum, quòd aliud agendo ac auro potissimum intenti Artifices, ut ut spe suâ ac fine fuerint frustrati, optima tamen invenerint medicamenta.

Chrystallus, vid. *Crystallus.*

CICADA.

Cicada, quod *citò cadat*, sive evanescat; seu quasi κίκος ᾄδων, ut κίκ sit hujus animalculi sonus. Apud Græcos, pro regionum, sexus, ætatis, & magnitudinis ratio-

actione, varia obtinuit nomina. Generaliter vocatur τέττιξ, Eleis βάβακος, Sidetis σιγὺς, Ponticis βάλεαχος, Cretensibus σύμφυγγον, Suidæ popularibus ἔρση, quòd rorem exsugendo vivat. Fæmina non vocalis Æliano est κηκρώπη & καλαμαῖα: Athenæus tamen simile cicadæ animal credit. Novella κίκκος & κίλλος, parva καλαμαῖα, καλαμίδας, & κερκώπας alii dicunt. Τεττιγονίαι etiam cicadastras significant, ut apud Cælium legimus.

Vulgares ita Moufetus descripsit. Earum caput pronum, magnum videtur, & pentagonum imitatur, lateribus inæqualibus finitum. Colore est viridi nigricante: utrinque tumulos duos obtinens, ejusdem coloris, sed ovalis figuræ, & margine quâdam fuscâ circumseptos; fusca item linea tumulos secat medios, mediumque caput jota litera nigerrima dividit. Oculos habet ex fuscô non multum viridantes, prominentes quidem & magnos pro corporis ratione (*immobiles adde & lucidos*) Supinum caput sive facies, dilutô ex albô viridiusculum apparet. Inter insecta, omnino in hôc animalium genere una, ore caret: habet tamen prolixum quid, compactum, indivisumque, intus plerumque conditum, quod veluti promuscis, tum linguæ, tum oris usum supplet, densis striis transversis affabrè canaliculatum. Corpus capiti brevissimâ collô, vel potiùs nullô, annectitur. Scapulæ ex nigrô & viridi maculatæ; pectus viride magis albicat, è quô tres utrinque pedes tibiæque erumpunt prassini coloris. Venter in majoribus duos transversos digitos æquat, latitudine unum. Interna ventris pars, peltam refert in apicem desinentem, & limbô duodecim tredecemve articulis constante cingitur. Intus incisuræ aliquot apparent concolores ventri, caudamque extremam mares, id est minores, fissam habent; fæminæ contra integram. Dorsum nigricat septem vel octo lineis & incisuris virentibus, transversim ductis ornatum. Alæ pulcherrimæ argentô illitæ, nævisque fuscis & maculis cum ornatu pictæ, externæ internis duplò longiores sunt, magisque variegatæ. Membraneæ quia sunt, ideò ὑμενόπτεροι vocantur. *Hæc apud Jonstonum.*

In Italiâ, Galliâ Narbonensi, &c. vulgaris notitiæ est; in Septentrionalibus autem regionibus incognita. Insectum est Gryllis aliquantulum simile, valdè stridulum, rore vivens. In Regnô Neapolitanô Cicadæ innumeræ quotidie exugunt & depascunt Ornum, seu Fraxinum humiliorem, rotundiore foliô, ex quorum vulneribus exudat manna; sicut in Indiâ Orientali, Lacca emanat ex Zizyphi specie; formicis arborem terebrantibus. *Observante D. Tancredô Robinson M.D.*

Vires. Utimur, inquit *Schröderus*, Cicadis siccis ad Colicos affectus cum paribus numero piperis granis. Alii assas iis edendas offerunt quibus affecta vesica est. Cinis insigniter calculum conterit. *Dale.*

CICATRICES DELENTIA.

Cicatrices delentia medicamenta, sunt pinguedines ac medullæ variæ, hominis, nempe, cervi, asini, ut & axungia piscis cujusdam *Thymalus* dicti. Item olea vitellorum ovorum, camphoræ, & myrrhæ per deliquium paratum; Balsamus verus, seu Orientalis, farina faborum, succus hederæ, semen sinapi ac erucæ; borax, nitrum; Aquæ liliorum alborum, ac fabarum; è quibus omnibus conficiantur pro lubitu unguenta, ac litus. *Meuve.*

Cicatrices Inducentia, vid. *Epulotica.*

CICER.

Latini nominis ratio incerta est. Cicer à Græcis esse, ait Isidorus, lib. 17. cap. 4. sed Græcis est ἐρέβινθος. Fortasse tamen fit à Græco κίκυς, i. e. *robur*, *vires*, ob vim quam habet; Solum enim ob salsilaginem suam urit: ideóque nonnisi pridie madefactum seri debet, ut ait Plinius lib. 18. cap. 12. ab eo dicti *Cicerones*, ut à *Pisô Pisones*, à faba *Fabii*, à *lente Lentuli*, uti testatur Plinius lib 18. cap. 3. ubi ait prima hæc cognomina indè esse, ut quisque genus aliquod optimè sereret. *Voss. Etymolog.* Ἐρέβινθος Græcis dicitur, vel quod semina in vasculo quasi flatu disten'o bina ferat ad instar testiculorum, vel quòd maximè Venerem excitet. Ἐρέβινθος enim, teste *Suida* & Aristophanis Scholiaste, τὸ τοῦ ἀνδρὸς αἰδοῖον.

Nomina. Cicer sativum *C.B. Ger.* arietinum *J.B.* Sativum sive arietinum, nigrum, rubrum, vel album *Park.*

Sua vi surrigitur Cicer, *caulibus* hirsutis, durioribus, ramosis. *Folia* pinnata, hirsuta, cauliculatum expertia; quorum singularia haud male foliis Ononidis comparaveris, denticulata sive serrata: ex quorum aliis *flores* emicant singulares, colore purpurascente vel albo. *Siliqua* teretes, breves, turgidæ, ac velut flatu distentæ vesicarum instar; *semine* farctæ, Piso æquali, colore albo, ruffo aut nigro, cujus capiti appositum corniculum. Sapor ad Pisa accedit, ut & *radix.* Bina aut ad summum terna sunt *semina* in singulis siliquis.

Triplex habetur Cicer Sativum, 1. *candidum*, quod & columbinum vocatur. 2. *Rubeum*, venereum dictum. 3. *Nigrum*, cæteris minus & angulosius, quod Arietinum appellatur. *Matth.*

In Hispania, Italia, & Gallia passim in agris seritur: pullo crassóque solo gaudet. Floret Junio & Julio Mensibus, atque subinde in siliquis semen producit.

Vires. Cicera apud Veteres erant in cibario usu, ut hodiéque apud Italos, à quibus non tantùm cocta sed & cruda dum viridia adhuc sunt, esitari observavimus: præstat autem in aqua elixa mandere, & virentia adhuc ante adeptam maturitatem; ut Pisa & Fabas solemus. Est autem Cicer edulium non minùs quàm Faba flatulentum, sed valentius quàm illa. Ad venerem autem stimulat, creditumque est etiam semen generare; unde quidam equis admissariis ipsum exhibent. Attrahendi, extergendi, aperiendi, digerendi vi pollent: urinam cient & calculum frangunt: lædunt autem vesicam exulceratam & renes. Tragus & Plinius decocti jus calculum pellere scribunt, rectiùs & modestiùs quàm *Dioscorides, Galenus, Simeon Antioch.* qui evidenter lapides confringere affirmare non erubescunt. *Si* (inquit J. Bauhinus) tanta vis est cicerum, maximè Bithyniensium, ut evidenter frangant calculos, pretiosiores erunt auro & cæteris omnibus lithontripticis: nullum enim existimamus veraciter dici posse frangere calculum: nec etiam si fieret evidenter id appareret.

Cicera *Dioscoridi* εὐκοίλια sunt: Quomodo hoc (inquit C. Hofman.) cum sint πνευμάτων γεννητικὰ καὶ φυσώδη? quia propter substantiam quandam terream (potiùs nitrosam.) abstergunt & alvum movent, non secus ac Beta, Brassica, alia hujus generis. Tum verò edere oportet non sicca, sed in aqua decocta. Sicca enim, qualia etiam frixa sunt, alvum sistunt. Dicendum cum Antiocheno habere quasdam partes salsas in superficie quas in decoctione deponunt, quibus ventrem movent. quasdam dulces in centro, quibus urinam eliciunt.

Jus eorum ictericos juvat: decoctum lumbricos ejicit, menses & fœtus educit, & lac gignit. In cataplasmatis psoras, lichenas, parotidas sanant, testes inflammatos discutiunt, ulcera maligna consolidant.

Apud nos tantum ferè usurpatur Cicerum rubrorum in impeditâ urinâ: sed monent Practici nè usurpetur frequentiùs in iis, in quibus exulcerationes sunt dictarum partium (quod ex Dioscoride & Plinio habent.) Idem datur vel solum, vel cum maci, petroselino, aliis ad cienda τὰ λόχεια: imò etiam ad augendum lac, si Diis placet. At hoc è veteribus habet. Sed quomodo εὐχροίας ἐμποιητικὸν ὁ ἐρέβινθος? Abstergendo cutis vitia. *Raius in Hist. Pl.*

CICERA.

Cicera, Cicera, idem quod *Aracus* ſpecies eſt *Ciceorum* admodum ſimilis *Lathyro*, ab eóque propè tantùm differt quòd ſemine ſit minori, duriuſculo, ac in ſua ſiliqua minus compreſſo. Genus hoc Leguminis rarum reputatur, nec tanti eſt uſus ut neceſſarium ſit de eô pluribus verba facere. *Hæc ex parte Meuve.*

Cicerbita, vid. *Sonchus*.

Cicercula, vid. *Lathyrus*.

Cichorium, vid. *Cicorium*.

CICINDELA.

Cicindela (à præverbio *cis*, & *candeo*, quod tum candidum, tum ignitum eſſe ſignificat; ut à ſequor, ſequela; à candeo, candela.) *Noctiluca* (quaſi noctu lucens) *λαμπυρὶς, πυγολαμπὶς*, *Luciclunis* (à caudæ fulgore,) *Nitedula, lucio, lucula, Flammides, luciola* Italis, *Incendula*. Inſectum eſt pennatum, ex Scarabæorum genere *capitulô* parvô nigerrimô, in duo *tubercula* diſpartito. *Alvus* annuloſa, multis ſegmentis diviſa, in cujus medio guttulæ duæ candidæ, noctu ignis modo lucentes. Non deſunt ex hodiernis *Entomographis*, qui confidenter ſibi compertum eſſe affirment, *non Alatas* Cicindelas ab *Alatis* non ſpecie, ſed ſexu tantum diſcrepare: haſque mares, illas verò fœminas eſſe. Et curioſiſſimus Inſectorum indagator, *D. Johan. Ray*, conterraneus noſter, in *Peregrin. ſuarum Hiſt. p.* 409. ex *Fabio Columna* refert, Carolum quendam *Vintimilium, Palermi* in Sicilia civem, ubi multas cicindelas alis carentes aliquandiu in vitro incarceratas, ut curioſitati ſuæ gratificaretur, conſervaſſet, unam ex alatis deinde ad eas admiſiſſe: Statimque vidiſſe marem iſtum cum fæminis omnibus ſucceſſivè, Papilionum ex Bombicibus oriundorum more, coitum celebrare, eaſque adeò imprægnare, ut poſtera luce, ova excluderent. Sunt etiam qui tardè quæ credita decipiant credere ſoliti, certo ſibi conſtare aſtruant, *ignes* illos *fatuos* hactenus pro *Meteoris initis* habitos, revera aliud nil eſſe præterquam harum Noctilucarum in aëre ludentium *examina*, veluti conglobatim horſum illorſumque volitantia. Quod ſi verum eſt, non erit quod Philoſophi ingenia ſua hoc Phænomeno ultrà torqueant, anxiè diſquirentes, unde hujuſmodi nocturnæ faces accendantur; quæ alimenta flammæ in tanto circumfuſi aëri ſudore; quis ille denique error, quo nunc altius nunc demiſſius, interdū ſecundo, mox adverſo vento ferantur. *Charleton*

Cicindela Offic. *Schrod. Mouf.* Lampiris alata, *Aldrov.* In *uſu* eſt Inſectum ipſum. Sunt qui in calculo commendant. *Schrod.* Vim anodynam ei attribuit *Cardan.* De cicindela magna inter autores diſſenſio & lis eſt, aliis volantem à reptili ſexu tantum, aliis ſpecie differre affirmantibus, in quibus *Julius Scaliger*, Exercit. 191. & ingenioſiſſimus vir *D. Richardus Woller. Philoſoph. Tranſact.* N. 167. qui propriâ experientiâ Cicindelas volantes utriuſque ſexûs eſſe ſe didiciſſe aiunt, ſiquidem coeuntes viderint. De quorum fide quamvis minimè dubitem. Vide tamen quæ mox Charletonus ex Raio adduxit. *Dale.*

N. Roder. Caſtrenſ. lib. 4. meteor. microc. c. 16. cicindelæ, inquit, abſciſſis capitibus & alis, ad ſolem exponantur ferventiſſ. donec pulveriſari poſſint. Pulvis cum aqua diſſolutionis Tragac. Trochiſcetur, addendo tantillum olei amygd. Trochiſci exciccati iterum pulveriſentur, rurſuſque denuò formentur, idque quater. Valet in calculo (inunctionibus admiſcent.) Doſ. ℈ij. *Schroder.*

Cicla, vid. *Beta*.

Ciclamen, vid. *Cyclamen*.

CICORACEA.

Sub *Cicoraceorum* cenſu veniunt variæ plantæ *Taraxacum* v. g. *Chondrillæ*, *Hieracia*, &c. de quibus omnibus ſub propriô nomine.

CICORIUM *ſive* INTYBUS.

Intubus ſive *Intubum* quòd intus ſit toſus, dici nugatur Iſidorus lib. 17. cap. 10. Saltem (inquit Voſſius) cogitare debuit, quod ibidem ait, eſſe Græcum nomen *Gloſſ.* ἴντιβον, intiba.

Intubum Latini vocârunt à cavo tubæ ſpecie caule *Bod. à Stapel.* quod Etymon ejuſdem commatis eſt cum *Iſidoriano*.

Cichorium Ægyptium nomen eſſe, & indè in Græciam, poſtea in cæteras nationes commigrâſſe, verba *Plinii, lib.* 20. *cap.* 8. docere videntur. *In Ægypto*, inquit, *Cichorium vocant, quod ſylveſtre ſit, ſalivum autem ſerim.* Varie ſcribitur, Κιχόρειον cum ει diphthongo, quod ſecutus eſt Horatius in verſu illo Alcmanico.

Me Cichorea levéſque malvæ.

vel Κιχόελον cum ſimplici ι, Κιχώελον verò (quod Atticum eſt) nomen hoc habere creditur παρὰ τὸ διὰ τῶν χωρίων κίειν, τȣτ᾽ ἐστι πορεύεσθαι quod per agros prædiaque vadat ſeu ſerpat. Voſſ. Etymolog. J. Bodeo dictum videtur a κιχέω invenio, reperio, quòd frequens in campis inveniatur. Cæterum Cichoreum à reliquis planifoliis lacteſcentibus dignoſcitur floribus è lateribus caulium & ramorum exeuntibus velut ſpicatim.

Intybus autem à Cichoreo differt foliis brevioribus non laciniatis, & quòd annua planta ſit, cùm Cichoreum perennet.

Vires. Cichoreum pleriſque Botanicis frigidum cenſetur, verùm ſapor amarus caliditatem arguit.

Intybus, & Cichoreum (autore Matthiolo) ſelectiſſimum præbent medicamen immodicè calenti (aut etiam obſtructo) hepati quocunque tandem modo uſurpata, ſive foliis recentibus crudis aut coctis comeſtis, ſive ſucco, ſive aquâ ſtillatitiâ aut decocto hauſto, ſive foliorum ſiccorum pulvere aſſumpto: modicè enim refrigerant & aſtringunt, inquit, quod nobis non probatur, quin potius attenuant & abſtergunt, ut rectè Schroderus. Commendantur & in febribus. Uſum radicis Cichorei in febre hectica inſigniter laudat Crato ab experientia.

Aqua è floribus ceruleis deſtillata, inflammationibus & caligini oculorum impoſita potenter remedium affert. *Trag.*

Folia cocta ex aceto comeſta gonorrhæam reprimunt. *Matth.*

Flos hujus plantæ ad Solis ortum & occaſum ſe recludit, ſive ſudum, ſive nubilum fuerit cœlum. *Trag.*

Notat *Spigelius* podagricis Cichorii Sylv. herbam valdè conferre. In cauſa calida (inquit) nihil puto magis convenire, experientiâ edoctus quàm pulverem foliorum Cichorei ſylv. menſe Maio collectorum & in umbra exſiccatorum. Ejus datur ℥j. vel ℈ij. in jure carnis pulli non ſaliti, manè quatuor horis ante prandium, & veſperi cum vadit dormitum, vel abſque cœna, vel cum cœna pauca. *S. Paul.*

Vidi in bilioſa podagra incipientes jam fluxiones ità ceſſaſſe ut mitior paroxiſmus redierit, & breviori tempore durârit duobus vel tribus diebus continuis aſſumptô. *Spigel. de Arthritide.*

Joan. Rhodius Centur. 1. Obſerv. med. 44. teſtatur quòd Profeſſor, quidam Patavinus diu plurimis medicamentis quolibet anno ſine efficacia tantùm non confectus mutato demum conſilio juſculis Cichoraceis in prima menſa hauſtis melancholiam hypochondriacam profligaverit. *Raius.*

E succo florum Ciceri, cæruleorum pasta farinæ triticeæ inclusorum, ac in clibano coctorum, aqua destillatur quæ tanquam secretum in ophthalmiis, & aliis oculorum affectibus valde commendatur à *Donezello*, de qua vid. sub titulo *Aqua*.

CICONIA.

Ciconia duplex est *Alba* scil. & *Nigra* de quibus hic ordine.

Ciconia Alba.

Ardeâ cinereâ major est. Collum brevius & crassius quàm in Ardeis. Caput, collum & pars anterior alba. Uropygium & alarum externa facies nigra. Venter albus. Pennæ alarum remiges nigræ: cauda alba. Rostrum longum, rubescens, Ardeæ rostro simile: Pedes longi, rubentes, ad genua fere seu secundum articulum nudi. Digiti ab exortu ad primam usque juncturam membrana connectuntur colli vertebræ 14. ungues habet latos humanis similes; Quales Ibidi Ægyptiacæ albæ tribuit Herodotus; medius tamen minimè serratus est. In Anglia rariùs conspicitur, nec nisi vento aliove casu ad nos fortè delata. Hujus in ora maritima Norfolciensi captæ imaginem ad vivum depictam cum brevi ejus descriptione ad nos transmisit clarissimus vir. *D. Thomas Brovvn*; Rei Medicæ totiusque naturalis historiæ peritissimus. Unam circiter ulnam alta erat; Rostro & pedibus miniaceis; unguibus latis, humanis similibus: Pennarum alæ utriusque partes inferiores nigræ, unde alis complicatis pars dorsi inferior nigra reddita est. Cauda tamen, quæ sub alis contractis penitus occultabatur (vix enim digitum longa erat) alba. Calami pennarum alæ remigum etiam Cygneos æquabant. Rostro crepitabat crebro mandibularum ad se mutuo appulsu. Ranas & Cochleas, terrestres oblatas libenter esitabat, bufones aversabatur. In litoribus nostris rariùs cernitur.

Ciconia alba (inquit Joan. *Faber Lynceus* Annotationibus in Recchum) in Italia rarissima. Ego sane 28 his quos Romæ egi annis nonnisi semel & unicam quidem Ciconiam albam in culmine terris Comitum (*Torre de Conti*) conspexi, nescio quo vento huc perlatam. Aldrovandus quoque Italus se nondum (jam tamen senex capularis) Ciconiam (quòd ager hanc Bononiensis non alat) vidisse fatebatur. Sed mirandum prorsus, cùm certum sit Ciconias ante hyemis adventum ex germania ad loca tepidiora & calidiora migrare. Italia autem Germaniæ sit contigua & calidior, quod huc non provolent.

Novi qui autopsia didicerunt Ciconias & Pavones cùm sæpius serpentes quos deglitiverant per podicem vivi illis exiissent erecto uropygio ad parietem tandiu anum applicuisse nè invitis elaberentur, donec sensissent nempè intus serpentem demortuum fuisse.

Ciconia nigra.

Vulgari Ciconiæ æqualis est, aut eâ paulò minor. Collum, Caput, Dorsum, Alæ nigræ cum aliquo splendore aut viridis mixtura, colore ei non absimili qui in Corvis marinis cernitur. Venter, pectus alba, ut & latera.

Rostrum viride: Tibiæ quoque virides & ad genua usque nudæ. Membrana digitos connectens exteriùs ad primum articulum medii digiti pertingit, non autem ex interiore parte.

Juniores cùm cibum petunt strepitum edunt Ardeis non dissimilem.

Vidimus primo Francofurti ad Mœnum.

Avem hanc *Jo. Faber Lynceus* Annotationibus suis in *Recchum* quàm diligenter descripsit, in hunc modum.

Longitudo à rostri cuspide ad pedes usque sex cum dimidio est spithamarum; quam eandem mensuram expansæ albæ conficiunt. Rostrum solum (in quo lingua subrubens & brevis conspicitur) Romanum pedem est longum: duarum verò spithamarum cruta sunt. Capacitas gulæ tanta erat, ut ave per pedes appensa ex eadem sua sponte rana grandis excideret, & adhuc quatuor integræ in ejus ventriculo reperirentur. In Stomacho verò ex duriore carne compacto ossicula erant plurima ranarum, & exucca quædam massa fimo haud absimilis. Cervix etiam sesquispithamam erat longa. Pedes & crura macilenta. Alarum dorsique totius color subniger est usque ad ventrem imum. Hæc tamen nigredo subcæruleo purpureòque licet obscuriore est mixta, sed prædominante fuscedine in majoribus, præcipuè alarum pennis. Collum à dorsi colore jam ampliùs recedit, & gratissima quadam subcærulei purpurei rubescentis subvirescentisque miscela oculos mirè oblectat. In columbarum anatumque collo eundem repereris florentem colorem. Et quoniam nonnisi inferior ventris regio, longè sub pectore incipiens plumas habet albicantes & molliores, Avis tota nigra potiùs propterea quàm alba appellatur. Gratissimus est in oculorum orbita, in toto rostro, in cruribus pedibusque puniceus & minium Antiquorum sive Cinnabrium nostrum æmulans rubor. Quæ omnia simul juncta; hoc est magnifica totius corporis structura, & ex variis jucundisque coloribus composita symmetria avem oculis nostris exhibent elegantissimam. Non est quidem omnino palmipes ut anates, sed tres pedum digiti tenaci tamen ad medietatem usque membranâ connectuntur; calce sua retrò satis longâ, & ungue forti roboratâ. Paludibus, & maritimis ripis hæ assident aves; in has volant aquas rapinæ inhiantes, & sæpe sub has sese mergentes piscando vitam sustentant, ut ex Aucupum nostrorum mihi fide constat. Non est admodum frequens Romæ hæc Avis quæ nonnunquam tamen cum aliis maritimis alitibus venenum exponitur. Tam verò piscosum caro habet fœtoremque, ut etiam Felis nostra illam sibi projectam aversaretur, nec attingere vellet. Hanc avem Ovidii Mergum esse pluribus probare nititur, quæ apud ipsum vide. *Francisc. Willughbeius à Joan. Raio recensit.*

Officin. nat. è Ciconiâ Albâ.

1. Ciconia ipsa. 2. Stercus. 3. Ventriculus. 4. Axungia. 5. Fel.

Vires.) 1. *Ciconia* vim habet alexipharmacam insignem, adeò ut contra omnis generis venena & inprimis contra pestem præstantissima censeatur, (*comesta vel cinis ejus assumptus*,) insuper nervosis & articularibus affectibus succurrit.

2. *Stercus* si ex ▽ hauriatur comitialibus aliisque morbis capitis prodesse credunt *Crato*.

3. *Ventriculus* exciccatus ac pulverisatus pro maximo secreto habetur in venenis.

N. *Alii solam tunicam anteriorem malunt.*

4. *Axungia* podagricis & tremulis articulis utiliter illinitur.

5. *Fel* ad oculorum vitia commendatur.

Præparata.

1. ▽ *Antepileptica*, de qua in *Aquis variis* sub titulo *Aqua*.

Fit ex pullo Ciconiæ integro, i. e. deplumato, & exenterato, atque in frusta dissecto, admixtis antepilepticis aliis ex MB. destillando.

2. *Ol. Stillatitium quod sat copiosum fundit.*

3. *Sal volatile quod itidem copiosè in destillatione exhibet.*

4. *Arcanum Alexipharmacum de Ciconia*, vid. sub titulo *Electuarium*.

CICUS & CICCUM.

Cicus & Ciccum, membrana tenuis acinos in Malo Punico discriminans. Hinc proverbialis locutio Ciccũ non interduim, i. e. Non curo, perinde mihi est. *Dale.*

CICUTA.

Cicuta, teste Servio in Eclog. 2. est internodium in triticeis sive culmiferis, qualia cùm habeat hæc quoque planta indè dicta videtur. Quin potiùs cicuta est canna quævis, intus cava & vacua unde fistulas faciebant pastores.

Græcis κώνειον dicitur ἀπὸ τοῦ κωνᾶν fortè, quod περιδονεῖν, i. e. circumagere exponit Etymologus, μωραίνεσθαι *Galenus*. Stultitiam enim addit refrigerato cerebro. *C. Hofman.*

Cicuta Aquatica.

Nomina. Sium alterum Olus atrifacie *Lob. Ger. emac.* majus alterum angustifolium *Parck.* Erucæ folio. *C. B.* Cicuta aquatica Gesneri *J. B.*

Radix pollicari crassitudine sensim tenuatur, fibris compluribus capillata; vulnerata succum remittens rufescentem, gustu acri. *Caulis* cubitalis & bicubitalis, crassus, imâ parte rubescens, superiùs ex viridi pallescens, striatus, glaber, geniculatus, inanis. *Folia* longis pediculis appensa, Sileris montani divisurâ quodammodo, segmentis multò longioribus, acutioribus, per ambitum serratis. *Flores* candidi Petroselini, in umbellam latiorem digesti.

Circa paludes & in stagnorum majorum marginibus oritur sed rariùs. Nos in palude *Brereton mear* dictâ in Cestriensi comitatu; itemque in palude Lovinglandiæ in Suffolcia, in Trenta fluvio circa Bramleiam Abbatis dictam, in stagno quodam vadoso in ericeto Hounslovv, propè oppidum; inque stagno ad Thistlevvorth vicum, propè Thamesin fluvium, supra Londinum, & alibi hanc plantam observavimus.

Nonnulli plantam hanc ad Sium seu Pastinacam aquaticam referunt cum quo, nostrô judiciô, non convenit; ut neque cum Cicuta, quò nos Gesnerum sequuti, retulimus: unde de ejus loco nobis satisfactum non est. *Raius in Pl. Hist.*

De noxis *Cicutæ Aquaticæ* integrum tractatum conscripsit Clar. *Wepferus.*

Cicuta vulgaris.

Nomina. Cicuta *Lob. Ger.* major. *C. B.* vulgaris major *Park.* Cicuta veteribus & neotericis *J. B.*

Myrrhidi, atque etiam magis Cicutariæ odoratæ tam similis est, ut legentibus plerunque damnosa sit par litas, non satis accuratè eas distinguentibus: non alia enim radix est, non alius *caulis*, tricubitalis & inanis, lævis tamen, exuvii serpentini, indéque nomen indeptæ Serpentariæ caulis in modum maculosus: similis quoque est *folio*, multifariam partito, glabro, odore ingrato, sapore non ita, sed nonnihil acri: *umbella* florum illis similiter albicat: *semen* Aniso par, striatum, obscurè viret; tota denique planta viroso odore, quo ab illis maximè differt, perniciem testatur. *Radix* in horto priusquam caulem ferat, longa pedalis, junioti Pastinacæ latifoliæ Germanicæ similis, cortice tenui flavescente, carne albâ fungosâ, odoris gravis saporis subdulcis.

Circa pagos & oppida Cicuta passim abundat, locis umbrosis & pinguibus, propè fossas aggeresque agrorum. Cum floribus Julio, semine prægnantem Augusto ac seriùs videre est.

Vires. Summè frigida ac venenata censetur & Socratis suppliciô odiosa: Nihilominus frequens ejus usus Modernis est in tumore ac inflammatione lienis: Succus emplastro splenico incoctus extrinsecùs adhibetur *Schrød.* peritiores Medici nunc dierum Cicutam calidam esse affirmant & minimè frigidam. Extrinsecùs usurpata anodyna est: tumores duros & ganglia potenter discutit in cataplasmatis vel in emplastro de Cicuta cum Ammoniaco. *D. Needham.* Pulvis radicum ad grana viginti in febribus malignis vel Quartana ante paroxysmum exhibitus omnibus quæ ego unquam expertus sum diaphoreticis antecellit. *D. Bovvle.*

Ferculum ex radicibus cicutæ carnibus incoctis duobus religiosis patribus (i. e. Monachis) quam gravia & admiranda symptomata excitavit, vide apud Kircherum, *de peste sect.* 2.

Cæterum Cicuta non est omnibus animantibus exitiosa: Sturni enim, autore Galeno, innoxiè Cicutâ vescuntur. Nos quoque ventriculum Otidis seu Turdæ avis dissectum Cicutæ semine refertum invenimus, quatuor tantùm aut quinque frumenti granis intermixtis; quod etiam messis tempore avis illa pro Cicuta neglexerat; adeò delectatur Cicutâ. Lucretiûs quoque scribit.

Pinguescere sæpè Cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum.

Ad lienis scirrhum, ♃. Succi Cicutæ aut Mandragoræ q. s. cum Ammoniaco distemperetur, & F. emplastrum; quod vocatur mirabile ab Hartmann. *Raius.*

E *Cicuta vulgari*, ut in superioribus jam ex parte adnotatum, componitur eximium illud tumorum etiam in scirrhum vergentium resolutivum, *Emplastrum* de *Cicuta* de quo sub titulo *Emplastra.*

CICUTARIA.

Cicutaria dicitur à foliis cicutæ æmulis. A Cerefolio differt magnitudine quâ illud superat, foliis latioribus, radice perenni.

Nomina. Cicutaria vulgaris *J. B.* Myrrhis Sylvestris *Park.* Sylv. seminibus lævibus *C. B.* Cicutaria alba Lugdunensis *Ger.*

Radix huic crassa, longa, multis interdum adnatis donata, alba, potissimum internè, sapore acri & aromatico. *Caules* profert cubitales & non rarò bicubitales & altiores, pollicari crassitudine, inanes, hirsutos, nonnihil rubentes, cannulatos. Folia Cicutæ foliis proximâ latiora, pallidius virentia, extremis productioribus, sapore Aromatico, splendentia, brevi & vix conspicua lanugine hirsuta maximè aversa parte. *Flores* in umbella candidi, quorum singuli quinis foliis constant supremo reliquis majore. Singulis pro more bina succedunt *semina*, longa, glabra, per maturitatem nigra. Umbellarum partialium ex quibus totales componuntur bases seu radiorum exortus in orbem circumstant foliola angusta, acuta.

Ad sepes passim, inque pomariis & sub arboribus, vere primo exit & Maio mense floret.

Verno tempore dum folia adhuc tenera sunt, antequam excaulescat, gratum bobus pabulum est.

Duas familias novimus Montbelgardi (inquit *J. Bauhinus*) quæ existimantes se colligere Pastinacas Germanicas, hiemali tempore, has fortè fortuna offenderunt foliis destitutas, (hæ enim pastinacis similiores sunt quam cicutæ radices) ex quarum esu licèt pauco, inciderunt in grandia symptomata suffocationis, torporem ac vesaniam, ità ut ebrios veriùs exprimerent. Curavit hos vomitu pulvere Saxonico, &c. At nostrates asserunt Pastinacas ipsas vetustiores torporem hunc & delirium inducere, unde eas Pastinacas insanas vocant. *Raius.*

CIMEX.

Cimex (à κείμαι cubo; quòd in cubilibus nascatur,)

Κόρις

Κόρις, (acori herba, quam Latini *Cimicariam* vocant:) recentioribus Κόελξα, Gallis Punaise. *Charleton.*

Cimices { Lectularij, sunt hujus loci. Hortenses, s. Sylvestres, non item.

Κόρεις, κλινικοί, Diosc. Cimices, *Matthiol.*

Vermiculi sunt latiusculi, compressi, rubentes, fœtore abominabiles, morsibus quibus sanguinem nostrum exugunt, admodum molesti.

Vires) Utuntur recentiores quidam ad ciendam urinam vivis in penis organum immissis, (*Dioscor. mortuos & tritos imponit,*) ad fœtum & secundinam expellendam tritos (N.3.) & cum successu exhibitos vidi. Septenos cavis fabarum inclusos ante febrium accessiones devoratos quartanis auxilio esse Autor est *Dioscorid.* Vulvarum exanimationes olfactu abigit.

N. Sylvestres, qui ex herbis victum habent, lectularijs majores, colore viridi æque ac illi fœtidi, officinis adhuc incogniti sunt. *Schroderus.*

N. Succus herbæ hyoscyami lectisternijs inunctus eos necat. *Frider. Hoffmannus.*

CIMOLIA, vid. *Terra Cimolia.*

CINARA, vid. *Cynara.*

CINCINNALIS, vid. *Adianthum Nigrum.*

CINEFACERE, sive CINERARE.

Cinefactio est species *Calcinationis* quæ per ignitionem peragitur. *Cinis* hic si à metallis, vel mineralibus conficiatur *Calx* vocatur; si verò è plantis per ustionem præparetur *Cinis* simpliciter dicitur.

CINERARIA, vid. *Jacobea.*

CINERITIUM, vid. *Furnus.*

CINIS, vid. *Cinefacere.*

De varijs cinerum è pluribus plantarum generibus confectorum virtutibus ac proprietatibus, videantur quæ sub quâque plantæ specie afferuntur.

CINIS CLAVELLATUS *& ut alii dicunt* GRAVELLATUS, vid. *Gravellata.*

CINNABARIS.

Cinnabaris duorum generum Officinis in usu est, factitia scilicet & nativa, sive mineralis. Factitiam descripsimus in sublimatione Mercurij. Nativa est terra mineralis lapidescens, rubicunda, constans ex Sulph. & ☿io vivo cum terrestri materia instar lapidis compactis Germ. *Zinober.*

N. *Dioscoridi dicitur Minium quippe ex Minio Mercurium vivum elici, affirmat. Nec obstat, quod contrarium verbotenus dicat, nimirum suam Cinnabarim à Minio diversissimam esse. Etenim quid Dioscoridi Cinnabaris fuerit, nondum constat. Sunt enim qui sanguinem Draconis intelligunt alii Minium Officinarum ex plumbo factum.*

Reperitur in diversis Europæ locis, in Ungaria, Germaniæque locis varijs; Prope Alsheimium Palatinatus, &c. Modusque Mercurium inde eliciendi, vel rusticis non ignotus est. Ollam cinnabari implent, eamque ollæ alteri, interpositâ pertusâ laminâ ferreâ, ore converso imponunt, lutoque circumlito vi ignis circularis Mercurium vivum ex olla superiori in inferiorem defluere faciunt, ad modum quo destillatio per descensum dicta perficitur.

Eligenda quæ gravida Mercurio & Sulph. præstantioribus, adeoque Ungarica, utpote quæ naturæ solaris.

Vires. *Usus ejus internus, præterquam quod Antepilepticis (pulv. Cratonis) nonnunquam permixta deprehenditur, quod sciam nullus est. Extrinsecus autem adhiberi potest ad sanandam Luem veneream, scabiemque aliam in suffimentis, &c.* Schröderus.

Cinnabaris dicitur terra.) Dicitur terra mineralis lapidescens, non quod sit vera terra, sed propter analogiam. Hæc vel ita pura reperitur, ut in Armenia, Hassia propè Marpurgum &c. vel Lapidibus permista est ut in Ungariâ *Hartenstein, zum Schlegel &c.* In hâc Mercurius vivus & Sulphur exquisitè secum invicem mixta & ambo cum illa rudi materia minerali, in qua ea hospitantur, hoc corpus rubrum satis ab utroque discrepans constituunt. Hisce interdum etiam minera ☉ris ex intermixta, & ♎ata tam mercurium, quàm Sulphur ☉lare de se spargunt. Hic mercurius cocchleari argenteo illatus & super ignem ad avolandum expositus aureo cochlear tingit colore, sed ejusmodi mineræ raro & non ubivis reperiuntur.

Vires) An cinnabaris cruda adhiberi possit, quæritur? *Dn. D. Johann. Michaelis* approbavit, sed depurata esse debet, quæ enim scorias deposuit, probatior existit. Hoc autem modo optimè depuratur. Scilicet cinnabaris nativa pulverisata coquitur ▽â purissimâ in tigillo alembicato, ut fumus evanescat metallicus in auras, hæc coctio sæpius iteranda & pars subtilissima supernatans à scorijs separanda est. Posteà in vas argenteum infunde, accenso sp. vini sæpius superfuso, & usui reserva. Cinnabaris hæc ita depurata maximi ob notabilem ejus effectum, (licet *Dnus Autor* usum ejus internum, præterquàm quod antepilepticis nonnunquam permisceatur, adhuc ignoret) in desperatissimis etiam morbis cum multorum symptomatum congerie stipatis æstimanda est. Quamvis enim directè & per se non sit diaphoretica, polychrestum tamen exaltatorium & præsentissimum ac securissimum alexiterium est. Non desunt tamen, quibus tam hujus Nativæ, quàm antimonij internus suspectus est usus. Cinnabaris antimonij, inquiunt, aquâ calente dissoluta abit in pulverem niveum ejusdem generis quod est mercurius vitæ. Nativa facili negotio in mercurium currentem & sic iterum in cinnabarim convertitur. Et hinc cum utraque pristinam retineat Naturam eadem etiam excitare possunt symptomata, quæ mercurius sive crudus, sive præparatus. *Cl. Sennertus* Cap. *de epilepsiâ* ex cinnabari nativâ à *Cratone* tanquam epilepsiæ magnete laudata pulverem ant-epilepticum præscribit. At cum ipsum *Cratonem* consulimus, nuspiam hæc reperimus. In Consilijs æquè ac epistolis varia ac diversa medicamenta contrà epilepsiam recenset, sed hujus ne verbo quidem mentionem facit. Epistol. 137. De cinnabaris nativæ vi magneticâ adversus epilepsiam valdè dubitat. Epistol. 168. Pulveres ex hâc conflatos planè rejicit, & proculdubio ex mente *Erasti,* qui *Epistol. 271. ad Monavium* mercurium & alia medicamenta ex metallis præparata non temerè adhibenda suasit, quovis modo etiam fuerint præparata. Verùm enim verò hæc in contrarium adducta argumenta contrà cinnabaris tam nativæ quàm factitiæ antimonij internum usum tanti non sunt ponderis, ut nos ab ejus usu deterreant. Nam primò mechanica ista de cinnabaris antimonij per aquam calentem transmutatione in mercurium vitæ album falsa est. Et licet hoc ipsum cuivis experiri. Deindè posito, ex nativâ cinnabari facili negotio mercurium elici id quod etiam verum est, quid tum postea? Mercurius cum Sulphure antimonij ligatus in cinnabari sui non est juris, sed hujus compedibus ligatus à turbis istis gravioribus, quas vel liber, vel salibus corrosivis irretitus ciere solet, jam planè immunis existit, & illustres illas dotes obtinet, quibus etiam contagiosis, epidemijsque morbis ipsique Pesti (exterius appensus) singulari proprietate resistit. Et licet cinnabaris hæc adsumpta ventriculi digestioni minimè pareat, neque in corporis nostri œconomiam recipi possit, tamen adsumpta, quamdiu hæret in stomacho, Archeum nostrum alterando variè mireque afficit. Ab utroque (Sulphure antimonij & mercurio) vim anodynam & specificam veneni epileptici domitricem. Taceo, quod horum singula in Lue venereâ, scabieque malignâ conferunt, ab ijs conjunctis longè uberius sit expectandum, etiam in suffocationis hypochondriacæ (hystericæ) ne opia-

ne opiatis ſæpè ſedandæ & colicæ torminibus placandis, in archiatro de vagâ, phantaſiæ vitijs morbillis variolis &c. Tertiò ſi qua interdum noxa ab ejus uſu orta, certè non ipſi directè & per ſe erit adſcribenda, ſed vel minus ritè præparatæ, vel inconvenienter in uſum ductæ; atque hac ratione erit tanquam gladius in manu furioſi. Quartò, *Cratonem* quod attinet, fateor, ejus ſi evolvamus ſcripta, valdè dubium cum in cinnabaris laude deprædicandâ deprehendimus. Nam in Epiſtolis medicinalibus à *Dn. D. Laurenzio Schultzio* editis Epiſtol. 137. De vi magneticâ adverſus epilepſiam, inquit, in nativâ cinnabari valdè dubito. Et Libr. 1. Epiſtol. 7. Eam in epilepſia ab empirico quodam adhibitam damnat, & dicit, ſe iſtud non imitaturum, & ſi omnes homines ipſi Autores eſſent, cum robuſta etiam corpora vix illius uſum ferre queant. Eodem Libro conſil. 4 ait Medicamenta de cinnabari non præſcribo, cum *Joan. Fernelius* in libro ſuo de Lue venereâ tam dira ſymptomata uſum cinnabaris conſequuta referat. Statim tamen addit, mihi ne quid diſſimulem, non perſuadet, cum bono ſucceſſu me illâ uſum fuiſſe Viennæ, verè affirmare poſſim. Verùm licet *Crato* Medicus ſui temporis fuerit cæteroquin ob eximiam ac multijugam Artis medicę peritiam valdè conſpicuus, ſummus tamen iatro-chemiæ non fuit Dictator, ſed & alij poſt eum fuerunt longè celeberrimi. Nullum eſt dubium, ſi in hæc tempora incidiſſet, quin ſaniorem etiam medicinam cum alijs jam excoluerit. In hiſtoriâ, quam ex *Fernelio* adducit, dubium æquè manet, utrum pictor ex cinnabari nativâ, an verò ex alijs rebus noxijs ſuis pigmentis v. g. auripigmento &c. miſtis in dicta incurrerit ſymptomata; Deindè fateri etiam cogimur, vaporem mercurij in primis cum ♄no adulterati ſummè eſſe noxium, id quod tamen de mercurio & ſulphure invicem ligatis affirmari nequit. Tertiò etiam obſervandum eſt, quod communi cinnabari, factitiæ etiam non ſemper fidendum ſit, cum ſæpè, ut fiat rutilantior, adjecto Arſenico præparetur. Interim cinnabaris hæc nativa, ut etiam antimonij ob ſtupendam earum efficaciam in infinitis affectibus demulcendis ſummo in æſtimio habetur. Poſthabitis alijs unicum præ omnibus proſtet *Nobiliſſ. Dn. D. Joan. Michaelis Specificum Cephalicum*, cujus baſis cinnabaris eſt; quo multa millia ægrotantium adjuvit. Cujus compoſitio hæc eſt:

Recip. Cinnabaris nativæ armen. per ♎*ationem ſexies vel ultrà rectificat. vel cinnabar antimonii toties rectific.* ℥ *iij. fecul. radic. pœon.* ℥ *i* ß. *Magiſter. epileptic.* ʒ ß. *corial.* ℥ *ij. fol.* ⊙*no. j. M. f. ſpecificum cephalicum, vide & Theſaurum Pharmaceuticum annexum ſect. xvj. n. 1. 11.*

Extrinſecus autem adhiberi poteſt.) Quemadmodum in cinnabari egregia latent arcana, ut jam audivimus, contra infinitos affectus internè adhibitâ. Ità etiam extrinſecus mira præſtat corpis manuum ſaltem applicita, prout in *Illuſtriſſima* quâdam variolis laborante ſpaſmaticâ fui expertus, ſumma cum ejus euphoriâ. Sic v. g. cinnabari nativâ unguentum contrà epilepſiam & alios morbos malignos ſeq. modo componitur. Recip. *Cinnabar. nativ.* ℥ ß. *Lapid. ophitæ* ℥ *i* ß. *Magnetis* ʒ *ij. ol. d. macis. Nuc. moſchat. d. guajac. corylin. ana gutt. iij. confect. alkerm.* ℈ *iß. Unguent. alabaſtrin. q. ſ. M. f. Unguent. ad bregma, frontem tempora, &c.* Hoffmannus.

Præparata ex Cinnabari nativâ.

Præcipitatus Diaphoreticus Hartmanni.

1. Cinnabaris ſolvatur in ſua principia.
2. Principia illa purificata denuò conjungantur, reducanturque in pulverem.

Proceſſum Hartmannus ſatis prolixum exhibet, in fine Commentariorum in Croll.

Hunc brevioribus ſic habe.

Solve ſenſim Cinnabarim, (Ungaricam,) in magna quanitrate ∽ Sal. Com. ſupra ♉ ana △ fortiſſimo cohobati: (coloris hic erit rubicundiſſimi,) Solutionem à Sulphure combuſtibili ſupernatante, ut & à fæcibus reſidentibus ſeparatam deſtilla ex cucurbita in ∴, & extillabit menſtruum principijs cinnabaris in cucurbita relictis, quæ hac operatione, apta reddita ſeparationi: Abſtracto igitur menſtruo, △ que aucto, Mercurius albiſſimus aſcendens lateribus cucurbita adhæreſcet, manentibus in fundo Sulph. & Sal. com. collige Mercurium dictum ſeorſim purificaque quàm optimè; videlicet.

1. Solvetur Mercurius ebulliendo in ⚹, hinc ſolutio à fæcibus ſuis decupelata committatur deſtillationi, ut ⚹ abſtrahatur.

2. Procede eadem ratione cum Mercurio remanente, adhibeque loco ⚹ pluviam vel rorem majalem ſtillatit. idque 3. vel 4. donec nimirum ☿ planè albiſſimus remanſerit. Hunc digere cum V̄ rectificatiſſ. per menſem.

Interea ſepara reliqua principia. (Sulph. & Sal. com.) & clarifica. Nimirum Sal. com. elixivietur, ſ. a. affusâ ▽ pluviâ deſtillat. calidâ, depuratumq; digeratur cum V̄, tandem V̄ ad apparentiam cuticulæ ſupernatantis abſtracto ſinatur coagulati.

Sulph. itidem aliquoties cum ▽ ſtillatit. calida, lotum & exiccatum, ſimili modo cum V̄ digere, eundemque poſtea abſtrahe.

Poſteaquam itaque Mercurius, in V̄ ſufficienter fuerit digeſtus & ſolutus, (rubeſcit enim totum illud compoſitum eleganter,) deſtilla ex ⊂ in Excip. capaciſſ. △ aren. gradatim adhibito, eliceque primo V̄, hinc urge, & prodibit ∽ Mercurij (hinc inde ſeſe extendens & ſublimans inſtar Cryſtalli.) Peractâ deſtillatione relinque per horas viginti quatuor. Sic ſolvetur ∽ Mercurij Cryſtalliſatus in V̄. Separato tandem V̄ in MB, remanet ∽ Mercurij in fundo cinericei coloris.

Habitis his principijs, ad conjunctionem progredere.

Solve Cinnab. Ungaric. unc. vi. ∽ Sal. com. cum ♉ acuato ut ſuprà, ſequeſtratiſque fæcibus ſolutionem decantatam deſtilla ad oleoſitatem: hinc affunde recentem ∽m, viciſſimque deſtilla, idque fac 5. vel 6. vicibus. Poſtea digere in MB ♂♀ (14.) Tandem abſtrahe △ l. Aren. donec ∽ albicantes prodire inceperint, tunc mutato Excip. cape eos ſimul cum ▽, urgeque △m, uſque ad ignitionem vaſis, ▽m hanc ſerva. In hujus ▽æ ℥ vi. ſolve Sal. Com. ſuprafacti ℥ ij. ac circula aliquandiu in MB. Poſtea impraegna Sulph. unc. ß. ▽ illa, in quâ Sal. Com. ſolutum, inque per vices, (ſemper affundendo unc. i ß.) donec Sal. Com. unc. j. cum Sulphure fuerit copulata (ex pondere id cognoſcere licet,) ac ex ambobus factus ſit viſcoſus quidam liquor. Hujus unc. ß. adde unc. ij. ∽. Mercurij ſuprà præparati, inque Phiala H. cl. digere in Athanore, prudenter adhibitis △ gradibus donec omnia in pulverem rubicundum fuerint verſa, id fiet menſibus tribus vel quatuor. Pulverem hunc corrige cum V̄ & ſerva.

Vires. *Eſt Medicina univerſalis, in quolibet morbo exhiberi idonea, balſamum internum ad expellendum intrò hoſpitantem hoſtem, vel per ſudores mirificè adjuvans.*

Doſis g. 1. vel 2. Schrôderus.

Præcipitatus Diaphoreticus Hartmanni nihil aliud eſt, quàm *Aſtrum Mercurii*, quod cum ⊙le nonnulli etiam conficiunt, ſed qui cinnabarim ⊙larem poſſident, additione ⊙ in hujus præparatione ſuperſedere poſſunt. Hoc medicamentum Cinnabarinum *Principibus Haſſiæ* olim fuit in uſu, & *Filio Regis Daniæ Duci Woldemar*, illudque tanquam medicinam univerſalem reſervarunt. Verùm cum cinnabaris omnem digeſtionum ventriculi ac inteſtinorum actionem ſubterfugiat, ut in corporis noſtri œconomiam diſtribui nequeat, ſed vel odoretenus, aut nudo ſaltem adſpectu varieque miréque noſtrum

nostrum alteret archeum, non est ut per Artem spagyricam nimium à nativâ suâ obducamus indole, vel per Naturam unita & conjuncta separemus, dum acidorum abstractione tam alteratur, quàm invertitur ejus virtus. Neque Sulphurea ejus pars per alkalia digerenda, nec per principiorum suorum dissolutionem in præsens Præcipitatum Diaphoreticum redigenda. *Hoffmannus.*

Hac sanè super Cinnabari nativa *sufficerent*, *ni rursus adducendus veniret. Tractatulus à Peritissimo juxtà & Doctissimô* Gabriele Clauderô *conscriptus*, Inventum suum Cinnabarinum *continens.*

Scopus Autoris indigitatur.

Dum de *Cinnabari nativâ Hungaricâ* & publicæ utilitati, & curiosis rerum Physicarum scrutatoribus communicare nonnulla, animum induxi, neutiquam meus est scopus, de ejusdem Etymologiâ, origine, Synonymia, ac differentijs diversis, essentiâ item ac partibus constituentibus; multò minus de modis præparandi usualibus, usuque ejusdem vario medico-mechanicô, & similibus varia præmittere, ac amplis ambagibus exspatiari, ne noctuas portare *Athenas*, aut crambem ab alijs alibi coctam recoquere videar, (semper enim tales exscriptiones & repetitiones obtrudere lectori, nauseavi,) cùm de hisce Autores diversi poterint consuli, & præteritô anno eadem specialiùs pertractaverit in suâ *Cinnabriorum* triga Clariss. Godof. *Scholzius*; imò similem atque lucernam olentem dilucidationem in ultimis nundinis paschalibus erudito Orbi exhibuerit in curioso suo Scrutinio physico *Cinnabaris* mineralis laboriosus Dn. Matth. *Tillingius*: Sed propositum meum eò collimat, ut saltem peculiari quâdam methodô ac tædiosa perscrutatione non ita pridem pro talenti mei viribus inventum & confectum remedium Cinnabarinum aliquod in specie explanem atque pro miraculosis, iisque majestaticis DEI O. M. operibus ac donis magis magisque disseminandis, proximique indigentis commodo juvando, atque augendo ægrotantium solatiô innotescere concedam.

Generaliora De Medicamentis Mercurialibus *exhibentur.*

Cinnabarinum id autem est, uti dixi, medicamentum, ideoque minerale, vel è latentibus Terræ visceribus erutum, nec regno animali, aut vegetabili natales debens. Proinde quidem gratiam & applausum non adeò insignem apud multos quà Medicos, Galenicos dictos, quà viros alios eruditos mereri videbor, cùm medicamenta è mineralibus & rebus metallicis petita eorundem pluribus longâ annorum serie malè audiverint, & adhuc malè audiant. Ideoque eadem Misochymici κατ' ἐξοχὴν chymica nominant, & ut apud curiosos Chymiam non callentes eò magis suspecta reddunt ac diffament, varia tentant, v. g. dum aliquot guttas spiritus Vitrioli, aut nitri, corio vel panno instillant, & ex insequente erosione simile stomacho ac intestinis metuendum esse, ac contingere, falsò ominantur, atq; alijs persuadere conantur. Dum enim abundamus, dicunt illi insuper, è regni animalis ac vegetabilis cornu copiæ remedijs auro contra caris ac benignioribus, complexionibus nostris majore harmoniâ & propiùs conformibus, atque si operationem eorum spectes, citò-tutò-jucundè suam conferentibus operam, teste experientiâ; Quid, quæsò, opus erit, confugere ad illa metallica ac subterranea, quippe quæ copiosis impuritatibus ac sylvestribus heterogeneitatibus admixtis, imò non rarò venenata, Archæoq; nostro nimiopere, & multò magis, ac illa ex animali & vegetabili regnis depromi solita dissentiente qualitate scatent, vel ad minimum fortissimis compedibus alligata & unita, ut persæpè summè necessaria illa puri ab impurâ separatio, si non planè sit impossibilis, ad minimum tamen difficillimè procedat, captumque ingeniorum chymiurgicorum plurium superet.

In specie verò suspecta habentur à Medicorum Misochimicorum non paucis medicamenta è *Mercurio* metallicô, & quæ huic affinia (qualia quidem quoque sunt *cinnabarina*, quippe cujus essentiam *Mercurius* bonam partem constituit:) Et hoc quidem si scapham scapham nominare velim, certò respectu non adeò immeritò. Quamvis enim eadem *Mercurialia* indefessô labore ac diuturniore tempore depurata ac legitimè præparata (legitimè præparata & depurata dico) contra contumaciora & fortiorem *Herculis* clavam exposcentia morborum genera incomparabili efficaciâ operentur, alijsque remedijs pluribus palmam facilè præripiant; adeò quidem, ut uni alterique Chymiatorum, spiritus cerebri sagacioribus meditationibus exercentium, atq; impigris manibus carbones tractantium successivè licuerit esse tàm felici, conficere exinde nonnulla ad *panacearum* naturam propiùs accedentia, ac in hoc vel illo subjecto modò per diaphoresin, modò per diuresin, modò per sputum, hæmorrhagias, alvum aut vomitum, Archæo sic dirigente, materiam peccantem exturbantia, prout hanc dispositam inveniunt, qualia sunt *tinctura Mercurialis Paracelsi*, *Mercurius diaphoreticus Helmontii*, *Mercurius* præcipitatus diaphoreticus, vel *aurum vitæ Hartmanni panacea* de la *Vigne*, Medici Regij Parisiensis è *Mercurio* cum auro & lunâ præcipitatô, &c. &c. de *Mercurio* cum auro præcipitato *Heslingii azoth* ab eodem vocato, alijsque similibus, jam taceo, (cum paulò inferiùs de hoc plura,) contra morbos omnis generis desperatissimos creberrima experientiâ probata.

Sic celeberrimus Lipsiensium Chymiater, D. Joh. *Michaelis* è *Mercurio antimonii & croco auri* juxta *Basilium Valentinum*, parato peculiari labore conficiebat *Mercurium* cum auro præcipitatum, dum scilicet hæc per sesquiannum igne continuo tractabat, ut inde fuisset sperandum medicamentum rarissimæ virtutis contra plures adfectus, alijs remedijs tam facilè non obedientes; sed fata volebant, ut vitrum tantô temporis cautè tractatum ac servatum, ob ignem plus justô auctum, dissiliret, veluti in tractatu meo de *Tinct. Univers. p.* 150. 151. hac de re ampliora reperire poterit curiosus Lector.

Nihil dicam de hoc, *Mercurium* tantæ fuisse in animis diversorum Alchymicorum autoritatis, ut planè *Lapidem Philosophorum* inde elicere plus vice simplici fuerint ausi. Et licet loco quæsiti *lapidis* bona sua dilapidârint, nihilominus quidam albarum gallinarum filij mediante Mercurio, metallorum vitiorum in pretiosiora transmutationem, & quidem aliquando non sine fœnore invenerunt possibilem; Quâ de re variæ historiæ fide nostrâ dignissimæ produci possent, nisi prolixitatem nausearem, ac alibi ab alijs prolata repeterem auribus indignantibus.

Attamen dictâ remediorum similium raritate ac dulcedine allecti nonnulli levioris inter Medicos armaturæ milites, imò inertes ciniflones, illotis manibus, quod dicitur, posteà & superficiariè eadem tractando, ac ægrotantibus novitatum arcanorumque plus justò avidis obtrudendo, nec purum ab impuro, i. e. cruditates metallicas, veneno sæpiùs analogas, imò satis venenatas à genuinâ substantiâ medicamentosâ decenter separando, nec sufficiente digestione & fixatione, aut ex imperitiâ, aut intempestivâ properatione ad debitam perfectionem producendo, in causa sunt, ut post alia Mercurialia propinata in vicem desideratæ reconvalescentiæ, si non ipsa mors, tamen ad minimum periculosa frequenter succedant symptomata; qualia partim sunt, teste dolor! experientiâ, nervosum genus inprimis lædentia, v. g. motus convulsivi, apoplectici, paralytici, tremores artuum, lypothymiæ, cardialgiæ, stoma-

chicæ œconomiæ subversiones, vomitus, cruentæ alvi dejectiones, & alia.

Loco plurium sufficiat solus ille pulvis *Azoth Heslingii*, cujus superiùs mentio facta. Hic enim erat *Mercurius* cum auro præcipitatus & fixatus, ideoquè amplo ægrotantium numero laudabili primis aliquot mensibus succurrebat effectu; dùm autem in multis sui desiderium excitabat, & commendabat, eveniebat, ut dictus Autor expetitioni ægrotantium & crumenæ suæ auro inhianti satisfacturus dictum pulverem postea ante decenter absolutam digestionem & fixationem venderet; (Curiosi enim, & æmuli quidam illum diversis modis examini subjiciebant, ac in specie mediante microscopio Mercurium adhuc currentem ostendebant) hinc loco expectatæ reconvalescentiæ non paucis à Mercurio istô partim adhuc crudô & indigestô, si non ipsa mors, ad minimum varia, eaque periculosa oriebantur symptomata, veluti hâc de re Uno-plura Orbis literatus, vidit scripta. Ut hîc loci taceam brevitatis amore, graves illos adfectus, qui aurifabris, metallarijs & similibus operarijs è solo fumô Mercuriali tantum non quotidie accidant.

Ut autem clariore luce splendeant modô dicta de dubià & periculosâ Mercurialium remediorum compositione & extractione, & quam difficulter adeunda sit hæc *Corinthus*, in gratiam Philiatrorum, atque praxin medicam incipientium, ac in honorem auro contra caræ veritatis lubet adjungere sequens testimonium: Dum anno 1660. exteras regiones visitabam, sæpè eruditissimô uti licebat Colloquiô cum Chymiatro quodam seculi nostri primicerio. Hic ob literas à magno meo D. *Michaëlis* oblatas mihi inter alia de Mercurialium remediorum qualitatibus, arcanisque eadem præparandi modis sedulo sciscitanti, atque ijsdem avidissimè inhianti summô candore varia detegebat & enucleabat.

Tandem verò in hæc erumpebat verba: gloriari egomet possum, me inter Chymicos hodiè viventes extra omne dubium esse seniorem; (erat autem supra octogenarius lecto affixus, mortisque è Marasmo senili candidatus) siquidem plus quam 30. annos continuos, & quod excurrit, strenuus consumsi in chymicè perscrutandis regni animalis, vegetabilis, & præcipuè mineralis rebus physicis, & quidem omnia largis Domini mei gratiosissimi sumtibus. Diuturno hoc tempore dicto, ac numerosâ absumtâ pecuniâ multa utilia ac curiosa quæsivi & partim quoque obtinui; Frustrà tamen & irrito effectu multa etiam tentavi, oleumque & operam perdidi. In specie aliquot mille thaleros impendi in ruminando, & enucleando polymorpho isto Protheo, *Mercurio*, acquisivi quidem inde nonnulla non spernanda sed impensis factis neutiquam respondentia, & hæc quidem tam in re medicamentosâ, quam transmutatoria. Proinde seriò & eâ, quâ par est, animi ingenuitate monitum te velim ut caveas tibi ab infido & variabili isto Vertumno, cerebrum, licet subtile, manum, licet expertam & indefessam utplurimum eludente.

Autoris nausea in medicamenta purè Mercurialia *proponitur.*

Quamvis quidem antea mihi optimè constiterit & observaverim, quod ὁ πάνυ meus, & qui aliàs Operum meorum medicorum cynosura erat præcipua, si à Deo discesseram, incomparabilis ille Lipsiensium Chymiater, D. Joh. *Michaëlis*, præter alias remediorum formulas aliquando non infelici effectu propinâverit consilium suum medicum expetentibus remedia Mercurialia, v. g. utebatur Mercurio per tempus cum auro præcipitato diaphoretico, *Drieff Horizontale* dicto, ut & Mercurio sublimato dulci purgantibus alijs admixtô; non minus Mercurium vivum aquæ fl. hyperici, aut acaciæ, vel graminis infundebat, & post vehementem & repetitam agitationem hanc aquam Mercurialibus atomis gravidam exhibebat pro fugandis necandisque puerorum lumbricis; Imò ipsum *Mercurium vivum* in substantiâ contra eundem morbum propinabat, dum scilicet iste saccaro candi continuâ agitatione tamdiu miscebatur, usque dum splendore suo, suâque lubricâ volubilitate se ipsum ampliùs non prodebat; (in cochleari autem ligneo debebat assumi dictus pulvis, cùm illis quæ ex corporibus metallicis parantur cochlearibus, v. g. argenteis, stanneis, ob constans veteris amicitiæ fœdus sese amicè uniat.)

Nihilominus candidum hocce in capite antecedente dictum Magni illius Medici monitum, tanquam imperatorium aliquod αὐτὸς ἔφα in memoriam mihi sæpè revocans, ac reverenter habens cerebri mei ceræ tantas impressit contra medicamenta Mercurialia ideas nauseantes, ut ijsdem, per praxeos meæ quam viginti & quod excurrit annis nunc exercui tempus, rarissimè fuerim usus.

Et hoc quidem eò magis adeò, postquam non modò accesserint lectio variarum observationum periculosos affectûs & affectûs malè, vel saltem non adeò adcuratè præparatis Mercurialibus remedijs natales debentes exponentium; sed etiam, & quod adhuc majus est, quia *scorbutus*, maris Baltici olim saltem incola, ultimis aliquot lustris totius *Germaniæ*, imò tantum non *Europæ* cives truculenter aggredi, massam sanguineam corrumpere, aut putrefacere, & viscerum coctionis robur innatum infringere soleat, ut ita insimul nervosum genus spiritibus necessarijs, avorumque nostrorum robore carentibus majorem partem depauperatum à simili cruditate Mercuriali acidâ & indigestâ facilimè omnium lædatur, veluti exempla passim obvia abunde testatum eunt, ac simile exemplum de *azoth Heslingiano* præcedente in capite proposuit.

Contra Misochymicos pugnatur.

Dehortatio autem ista à primicerio illo chymico mihi facta, de quo capite primô, primariò feriebat ipsum *Mercurium*, metallicum illud corpus & medicamenta inde confecta. Quæ vero huic sunt analoga, vel quodammodò saltem de essentia & qualitate Mercuriali participant remedia cinnabarina, mitius experiuntur fatum, majoremque sibi per quotidianum experientiæ testimonium conciliant fiduciam, & hoc quidem non immeritò tàm *cinnabaris antimonii*, quàm *nativa*, præcipuè quidem *Hungarica*; cum materia illa Mercurialis, quæ partim constituit essentiam *cinnabaris*, non restet cruda & sola talis; sed ab admixta parte sulphurea corrigatur, alteretur, depuretur & figatur, & sic aliam quasi induat indolem.

Priorem illam, scilicet *antimonii cinnabarim*, quod attinet, Medici, Galenici in specie sic dicti, lapidem moverunt omnem, ut veluti alijs medicamentis chymicis, ita ipsi etiam debitum suffurentur honorem, chymiæ ignaris persuadentes, quòd illa componeretur è duobus venenis mineralium vehementissimis, & per consequens sine incerto & dubio, imò summè periculoso eventu neutiquàm propinari posset à cordato Medico ægrotantibus; κακῶν enim κοράκων κακὰ ᾠά; quales sunt parentes, tales filij.

Verum enim verò, quomodo à draconibus hisce venenatis tàm dispar, isque generosissimus generetur foetus, jam dudum Orbi literato splendidis ratiocinationibus declararunt pyrotechni nostri; Imo rerum omnium certissima magistra experientia vehementi, eoque quotidiano invidos suffudit rubore, Harpocraticumque illis imposuit silentium, adeò quidem, ut ista Galenicorum Misochymicorum sectæ doctrina cum Patronis suis hactenus consenuerit maximâ sui parte, ac successivè ad occultas fuerit apta umbras; E contra dogmaticorum Medicorum, id est, remedia Galenica

chymi-

chymicis amicè & rationali methodô combinantium societate magis magisque florente antagonistarum suorum famam decente prærogativâ submerserit. Vel inter vivos adhuc hinc inde hærentium bonam partem tanta præcellit confusione, ut nolentes-volentes, manuque invitâ ægris suam opem ac operam exposcentibus medicamenta chymica propinare, ac adsuescere audeant, licèt eandem componendi methodum neutiquam calleant, sed, ut saltem tales videantur, & cum Bacchi esse nequeant, thyrsigeros saltem sese exhibeant. Quamvis incerto, imò tristi ac infelici aliquando id accidat eventu, & hæc ab istis propinata remedia gladium in manu furientis æmulentur.

Unicum tale lectori in scenam producam exemplum: Similis chymiæ ignarus videns alios Chymiatros præscribere contra lumbricos aliosque adfectus, Mercurium sublimatum dulcem; ne ignorantiæ in Chymiâ argui possit, quoque præscribit Mercurium sublimatum, (NB. crudum illud venenum:) credens vocem dulcis superficiariè saltim addi; Pharmacopœus in re chymica magis versatus, ac ille præscribens, modestè monet Medicum, num aliis intentus fortè improvisò omiserit vocabulum dulcis, illumque velit intelligi Mercurium dulcem modô dictum; sed iste indignabundus præcipit, ut præparetur modô præscriptô; Pharmacopœus factâ decente protestatione jussa expedit, sed dictum factum, puer statim ab assumtô venenô crudeli post solita symptomata diem suum brevi & quidem ante diem, obire, & ad plures migrare cogitur.

In Cinnabaris antimonii exsurgitur encomia.

E contra dictæ *cinnabaris antimonii* exhibitione pluribus, iisque contumacissimis obviam ire morbis, atque hanc iis edomandis suffecisse, & adhuc sufficere, quis est inter saniores Medicos modernos, imò alios eruditos, qui ignoret? Sed quid provoco ad testimonium Medicorum, vel aliorum quoque eruditorum, cùm tantum non omnes cujuscunque conditionis homines medicamentis utentes, inscii quidem, adplausu suo beent *cinnabarina* remedia, eorumque efficaciam è fundamento experientiæ amplificent: Et cùm illiterati de hisce tàm adcuratè loqui, aut sentire nequeant, mediante colore rubro pulveres illos cinnabarinos (*die rothen Pulver*) virtute suâ commendabiles efficiunt & proclamant.

In specie gloriosam hancce laudem reportavit non modò per Saxoniam nostram; sed per totam Germaniam, & quod excurrit, ruber ille pulvis cinnabarinus, *specificum cephalicum* quem vocitant celeberrimi Lipsiensium Professoris D. Joh. *Michaëlis*.

Cùm enim hic viderit, magnum illum Chymicum, Præceptorem suum, Joh. *Hartmannum*, præparâsse, præparatumque desideratâ euphoriâ exhibuisse contra epilepsiam, cognatosque cerebri affectus pulverem è cinnabari antimonii (vel etiam aliquando nativâ Hungaricâ) magisterio perlarum & coralliorum anaticâ proportione mixtum egregio, & insigni laude dignissimo huic invento postea addidit alia adpropriata, vi cordiali, cephalicâ, nervinâ, & sanguinem purificante pollentia; dum nimirum magisterium suum cordiale & epilepticum, ut & fœculam pœoniæ miscuit dicto *cinnabari antimonii*; Cujus pulveris compositionem, quia jam dum publico ingenuè communicaverint clariss. Dn. Frid. *Hoffmannus*, Clav. Pharmaceut. Schröder. l. 2. c. 77. §. 252. fol. m. 109. & l. 3. c. 16. fol. m. 293. Dn. Godofr. *Scholzius*, in Trigâ sua cinnabriorum. c 5. §. p. m. 46. seqq. aliique, ejus descriptionem non nisi brevissimis sum propositurus; Proportio autem horum ingredientium erat talis: Resp. *Cinnabaris antimonii* libram. i. fœcul. radic. pœoniæ libram semis, magister. epileptici uncias quatuor, cordialis uncias duas, fol. Auri numerô ij. Qui ampliora de hoc desiderat consulat laudatorum Autorum bigam; cum repetere ea supervacaneum ducam; semperque nauseaverim denuò dicere, quæ prius, ac alibi, atque ab aliis sunt dicta. Hoc tamen adhuc transilire nolui, laudatum Dn. Autorem ultimis aliquot vitæ suæ lustris proportioni illi ingredientium à modò citato Dn. *D. Hoffmanno* descriptæ addidisse semper magisterij *dentis equi marini* unciam semis; quem dentem, ceu rarissimum nervinum & antepilepticum, magni æstimabat.

Tantum in hoc medicamento (*specificô cephalicô* nimirum, vel *κατ᾽ ἐξοχὴν pulvere rubro*, *dem rothen Pulver* dicto) posuit fiduciam Saxonia superior, imò tota tantùm non Germania, ut ad hoc, tanquam ad sacram anchoram confugere fuerint adsueti singuli fere illi, qui Archeum incandescentiâ, terrore, meditationibus, laboribus, & similibus fatigatum roborare ac solari, sudorem ciere, massam item sanguineam depurare, ejusque acrimoniam corrigere volebant, aut necesse habebant; non obstantibus & ab experientiâ irritis redditis linguarum invidiosarum spiculis, quibus purorum Galenicorum, utpote misochymicorum secta magnatibus Chymiæ ignaris persuadere audebant, periculosissimum hoc esse remedium, utpote è duobus venenis violentissimis constans. Nihil dicam de pluribus aliis affectibus, quibus hocce veluti Herculea quædam clava, vel *nodo Gordio Alexandri magni* gladius (aliquando etiam abusivè) opponebatur, adeò quidem, ut dictus vir magnus quotannis non aliquot uncias, sed plures ejusdem libras expetentibus vendiderit. Jam autem partim ab ipsius tunc Chymiurgo, nunc vero Lipsiensium Chymico famigerabili Dn. Matth. *Zittemanno*, aliisque nonnullis discipulis genuinâ methodo confectum, partim verò à diversis, quà Medicis quà Pharmacopœis, tum quoad ingredientia, tum quoad horum compositionem ac dosin satis adulteratum desiderantibus exhibeatur.

Præter dictum hunce *cinnabaris antimonii* in *specifico cephalico Michaëliano* usum aliis quoque modis diversisque intermixtum remediis eundem adhibere consueverunt Medicorum nostri seculi non pauci; dum v. g. celeberrimus Academiæ Jenensis Professor, D. Godofr. *Mœbius*, hospes ac præceptor quondam meus honorandus huic *cinnabari antimonii* correcti addit cornu cervi sine igne, cornu & ungulam alcis, viscum corylinum, smaragdum præpar. & alia pro conficiendo suo pulvere antepileptico.

Plura item & ampliora videre licet apud experientissimos Joh. *Quercetanum* in Tetrade Capitis affectuum, Hadrian. à *Mynsicht*, in Armamentario Medico-Chym. Dan. *Sennertum* in Instit. Medicinæ. Joh. *Hartmannum* in Prax. Chymiatr. Gverner. *Rollfincium* in Chymia in art. form. redactâ, Valent. Andr. *Mollenbroccium*, Tract. de arthritide vagâ, Fridr. *Hoffmannum*, in methodo medendi, & clave Pharm. *Schröderi*, Dav. *Ludovici* in Pharmaciâ, Georg. Wolffg. *Wedelium* in Ephemerid. Germanic. anno tertio, Godofr. *Scholzium* in Triga Cinnabrior. Matth. *Tillingium* in scrutinio cinnabaris, aliosque; Et elucescet hoc à diversis diversimodè contra eosdem, si non plures adfectus; ac paulò superius in specie de *specifico cephalico* D. *Michaëlis* proferebatur, exhiberi solere.

Incomparabiles cinnabaris nativæ *laudes extolluntur*.

Laudes quidem insignes, gloriosumque honorem nostro hoc ævo jure meritò ita sibi comparavit *cinnabaris antimonii*, uti modo dictum; Gloriam tamen mirum,

mirum quantum majorem, atque ejusdem multis parasangis superantem ultimis aliquot lustris nostris acquisivit *cinnabaris nativa*, præprimis *Hungarica* (quippe quæ ob soli nativi benignitatem sulphure auri volatili, ut plurimùm est impregnata, ac reliquis purior) testantibus meis Dn. Dan. *Ludovici*, Tract. de Pharmaciâ, dissert. 1. p. m. 345. & Dn. *Wedelio* pharmaciæ. l. 2. sect. 3. c. 4. p. m. 139. Imò ipso *Sennertô*, ante illos, in Medic. Instit. l. 5. part. 3. sect. 3. c. 17. p. m. 1440. & hoc adeò, ut à Neotericorum plurimis jam non modò epilepsiæ & motibus convulsivis desiderato eventu opponatur, veluti ab Antecessoribus nostris beatissimæ memoriæ fieri solebat; sed etiam sub certo experientiæ quotidianæ testimonio medeatur singulis illis adfectibus, [specialia eorum hic enumerare nomina amplum nimis foret) ubicunque spiritus cordis ac cerebri, nervorumque genus roborationis egent, ubi salsedo sanguinis demulcenda, ejusque acidum absorbendum, ubi pro dolore leniendo vis anodyna requiritur, ubi massa sanguinea præternaturaliter ebullit, vel tota Microcosmi œconomia rebelles patitur tumultus, ubi virtus balsamica sanguini concilianda, cruditatesque in putredinem fermentantes corrigendæ, præcipitandæ, ac sæpiendo, ubi sanguinis grumescentia resolvenda, ac incrassatio ventilanda; Ut paucis verba multa atque ampla proferam, insimulque vulgaribus Medicorum terminis loquar, statuo; *cinnabarim nativam* valere, ac methodicâ ratione adhiberi aliisque adpropriatis remedijs tutò misceri, ubicunque opus est virtute alexipharmacâ, antifebrili, diaphoreticâ, cephalicâ, ac quæ huic affinis, præcipuè nervinâ, cordiali, roborante, balsamicâ, anodynâ, absorbente ac præcipitante, & per consequens contra adfectus corporis humani plurimos, quorum nomina è modo dictis facilimè cognoscere poterunt artis Filii, utpote cum quibus mihi præcipuè res est; & quidem præservativè ac curativè dari posse; Unde accidit, ut à non paucis Neotericis ipsis vomitoriis quoque & purgantibus misceatur, non quidem eô scopô, quasi qualitatem vomitivam aut purgatricem simul immediatè obtineat, sed quod *Archæo* robur conciliando, eveniat, quò per accidens & mediatè desideratus medicamenti illius effectus eò felicius faciliusque succedat.

Exinde liquet, ac unusquisque facilè concludere potest, ad sacram hancce *cinnabaris nativæ* anchoram citò tutò, ac jucundè opitulantem esse, confugiendum, sivè supremus, sive medius, sive infimus venter, & quæ hisce inhabitant viscera, sive etiam artûs morbis premantur, & sic Medici indigeant auxilio; ac poterit pro circumstantiarum vel indicationum medicarum diversitate aliis remediis illa huic vel illi adfectui oppositis commodè misceri, cùm eorum qualitates mirè exaltare soleat.

Eidem enim opinioni, quam cum diversis Neotericis capite ultimo, Tract. de Balsamatione p. 209. 210. seq. defendi, adhuc inhæreo; scilicet, non semper opus esse specialiùs statuere de hujus vel illius remedi qualitatibus occultis aut specificis, quod hoc, v. g. valeat in specie contra tussim, asthma, sodam, hepar calidum, lienem obstructum, dysenteriam, &c. Sed quod de pluribus generalibus liceat judicare, & medicamenta applicare, prout hic vel ille affectus requirat, aut diaphoreticâ, aut diureticâ, aut confortativâ virtute dotatum auxilium. Sic v. g. remedia capitis ac nervorum affectibus medentia, magni Helmontij effato, ut plurimùm consistunt in substantiâ salinâ volatili, vel oleosâ; Veronica verò & cerefolium tussi & asthmati mucosis medentur, quia via diureticâ, & serum incrassatum resolvente ac incidente pollent. Cùm bonam partem (bonam partem dico, non totaliter) methodus medendi consistat, aut in lymphæ & massæ sanguineæ à particulis heterogeneis nimiùm incrassatæ rarefactione, aut in earum nimis rarefactarum incrassatione; & per consequens in ordinariâ ac legitimâ sanguinis & lymphæ circulatione. Quæ quidem pro Archæi, spirituumque cordis ac cerebri robore & debilitate, symptomatumque atque complexionum varietate diversimodè miscenda ac alternanda.

Prolixiora & specialiora *de cinnabarinâ* virtute qui desiderat, consulat Matth. *Tillingii* Scrutinium cinnabaris, partim in præfatione, partim in capitibus diversis latè hujus usum & virtutem deprædicantibus, & quidem ita, *ut lapidem* quoque *Philosophorum*, rerum mundanarum, desideratarum illud desideratissimum τὸ πάνυ *cinnabari* nativâ confici posse c. 38. p. m. 234. seqq. statuere non erubescat.

Diversorum Autorum opiniones examinantur, an & quomodò Cinnabaris nativa *chymicè sit tractanda.*

Cum igitur accuratâ animi lance aliquoties hactenus ventilaverim, cedro dignam virtutem, cedroque dignos effectus, quos partim *cinnabaris antimonii* in specifico cephalico *Michaëlitano*, aliisque modis propinata, partim *cinnabaris nativa* ultimis præcipuè aliquot nostræ ætatis lustris humano generi morbis obnoxio præstiterit, quomodo sylvestreitas *Mercurio* aliàs innata, ac solita à sulphure illo minerali fuerit amico connubino cicurata, ac ad meliorem frugem coacta, in specie verò *cinnabarim* illam *nativam* non nisi simplici elutriatione depuratam exhiberi solere. Non immeritò mecum tali modô sum ratiocinatus: Si *cinnabaris nativa* (quod de Hungaricâ utpote puriore, imò aurum volatile utplurimùm continente præcipuè mihi sit sermo, ex antecedentibus Lectori innotuit) tantum non cruda, nec aliter ac vili elutriatione, quam dicunt, (*schlemmen*) præparata & depurata tantis *microcosmo* morboso commendat suam qualitatem miraculis, ubi tamen partes essentialiter eandem constituentes sulphur nimirum & Mercurius, facillimam imò rusticam, uti loquitur in pharmacop. Chymicâ incomparabilis *Schröderus*, sui separationem adhuc admittunt; nec dum firmâ unitæ sunt connexione; quid inde quæso, sparandum erit efficacioris effectus, si dicta principia cinnabarina cautum ignis chymici examen experiantur, ac longiore fixatione magis magisque uniantur, atque exaltentur? Hâc enim methodo quidquid sylvestris ac metallicæ heterogeneitatis fortè restat, diuturnâ caloris violentiâ absorptum iri, Pyrotechnorum mihi promitto adsensum.

Scopo huic meo calcar insuper addebat, laude dignissimæ *chymiatriæ* consuetudo, dum *cinnabarim antimonii*, quippe quæ nativæ in multis analoga est, aliquoties sublimando rectificant, eam ob rationem, ut à sulphure antimonii præstantior, ejusque virtus magis exaltata reddatur, ceu loquitur Vir magnæ in Chymiâ experientiæ, *Zwelferus*, in Mantissa Spagyricâ, fol. m. 367. Certè enim mihi persuadebam, mineram hancce non in summâ perfectione è Terrâ erui, sed veluti reliqua ferè omnia medicamentosa depurationem & exaltationem adhuc majorem admittere.

Proinde è manuductione veteris illius axiomatis, *inventis facile est addere*, mortuos consulebam Consiliarios, hoc est, evolvebam Chymiatrorum scripta: ventilaturus, quomodò hic hâc, ille illâ metho-

methodô eandem chymicè ruminaverit, atque examinando insitas ejusdem vires exaltaverit. Sed pauca saltem reperi, eamque ab Antecessoribus rarò tractatam, aut ægrotis exhibitam. Ubi cum nonnullis aliis jure meritò non possum non mirari, quod Dn. Joh. *Schröderus* (vel ob solam Pharmacopœiam Medico-Chymicam publico communicatam memoriâ æternâ, æternâ gratiarum actione dignissimus) superficiariè saltem *cinnabaris nativæ* mentionem faciat, dictæ Pharmacop. lib. 3. c. 16. p. m. 419. Inquiens: *Usus internus cinnabaris nativæ vel mineralis, præterquam, quod epilepticis nonnunquam permixta deprehenditur, quod sciam, nullus est. Extrinsecus aut adhiberi potest ad sanandam luem veneream, scabiemque aliam in suffimentis.* Cum tamen ille aliàs rerum pharmaceuticarum, & inprimis mineralium, utpote difficiliorum, qualitates physicas laboriosè è pluribus Autoribus collegerit, atque accuratissimè probatâque experientiâ describendo Antecessoribus suis tantum non singulis in hoc passu multis parasangis præcesserit.

Unde quidem quoque patescit, quod obiter monitum voluerim, virtutem divini hujus remedii Viro huic incomparabili paucis saltim abhinc lustris demortuo, qualitates rerum medicamentosarum è cedro Lybani ad hyssopum ferè nobis cognitas, aliàs callenti ac describenti nondum adeò fuisse cognitum, Deique imperscrutabile consilium cuilibet seculo aut ætati reservare peculiares suos thesauros, sua dona gratiosa. Et cùm crescentibus peccatis nostris, magis magisque succrescant, dolor! symptomata, uti varia, ita in specie nostro in territorio scorbuticam, hisce suum quoque posuit obicem, suum antidotum, juxta dictum illud auro contra charum *Ierem.* 21. v. 20. *Nonne Ephraim est filius meus dilectus!* &c. ubi divina clementia fatetur quod cogatur ipsi misericordiam exhibere.

Lubet hic honorificam facere mentionem Joh. *Quercetani*, in Tetrade capitis affectuum, c. 33. p. m. 481. optimè de *cinnabari nativâ* loquentis; cum liber in paucorum sit manibus, producam integra ipsius verba: *Quod ad nativum & minerale cinnabarinum attinet, natura in quibusdam aurifodinis Hungariæ profert genus quoddam cinnabaris mineralis ponderosissimæ, & artificiali longè rubicundioris; Imò etiam quæ usque adeò transparens est, & dilucida, ut non minoris pretii, aut majoris etiam ipso auro æstimetur; quæ per se & citra ullam præparationem aliam, quam quæ nativ[illegible] coctionibus temperata est, remedium est nobilissimum & admirandarum virtutum contra minores epilepsias & analepsias. Sed verùm præcipuè specificum est vertiginum; tale à multis Philosophis Chymicis magis in Germania agnitum, à quibus hoc remedium, tanquam insigne arcanum magno habetur in pretio; cujusque beneficio ego cum Dei gratia 4. aut 5. viros egregios vertigine liberavi, vel unica hebdomada 4. vel 5. ad summum dosibus exhibitis, etsi malum hoc vertiginosum usque adeò exacerbaretur interdum, ut judicium omne ægris eriperet. Conficitur autem sequenti modo: ℞. Cinnabaris mineralis & lucidi unciam semis, supra marmore pulverisato, adde magisterii perlarum, coralliorum ana scrupulos duos, croci scrupul. I. folior. auri decem, vel potiùs auri flammam concipientis (id est, fulminantis) scrupuli semis; misce exactè; dosis est scrupulus semis, ad scrup. unum* &c.

In vicem itaque, quod à rogatis Autoribus cognitionem virtutis cinnabarinæ perceperim, veluti jam dictum (modò allegatum *Quercetani* testimonium si exceperim) animus in contrarium potius movebatur, ac dehortationes à diversis Artis Medicæ Antistitibus sentiebar; *Cinnabarim* scilicet *nativam* non adeò commodè ac tutò submitti operationibus pyrotechnieis, v. g. destillationibus, calcinationibus, &c. veluti quidem iisdem obediunt aliæ res medicamentosæ, præprimis quoque metallicæ; sed securiùs eandem in substantiâ saltem propinari, pulveribus aliis, præparata quæ dicuntur, mixtam. Cum aliàs metuendum sit, Mercurium in eâ contentum, amicisque sulphuris metallici compedibus ligatum, & per hoc correctum, ac depuratum, ita sibi soli fore redditurum, suisque in Sylvestribus cruditatibus reviviscentem tantum abesse, ut postea similem operam, quam in miraculoso hôc composito præstat, præstet; ut potiùs illi ipsi tristes, qui à crudis mercurialibus sæpiùs accidunt, sint expectandi effectus.

Sic plurimæ experientiæ chymicæ Vir Dn. Dan. *Ludovici*, collega, dum vivebat, dilectissimus, in Pharmaciæ suæ diss. 1. de diaphoreticis mineralibus p. m. 352. inquit: *Cinnabaris nativa per nimiam curiositatem divelli non vult, quod fit, dum sulphurea pars per alcalia fundendo & digerendo extrahitur.* Et paulò post: *Abstractione acidorum non tàm alteratur, quàm pervertitur, æquè ac materia, quæ post consuetam Mercurii separationem ibi restat, meritoque proindè, quæ natura hic conjunxit, homo ne separet, etiam curiosioribus exaltationibus volatilibus & consimilibus menstruis.* Et Frider. *Hoffmannus*, in clav. Pharmac. *Schröder.* l. 3. c. 16. §. 104. p. m. 294. statuit: *Cùm cinnabaris omnem digestionem stomachi subtergiat, ut in corporis nostri œconomiam distribui nequeat, sed vel odoretenus, aut nudo saltem aspectu variè mireque nostrum alteret Archæum, non est ut per artem Spagyricam nimiùm à nativâ suâ abalienamus indole; vel per naturam juncta & mixta separamus, dum acidorum abstractione tàm alteratur, quàm pervertitur ejus virtus. Neque sulphurea ejus pars per alcalia digerenda, nec per principiorum dissolutionem in præcipitatum diaphoreticum redigenda est.* Et ibid. c. seq. §. 166. p. m. 314. de *Cinnabari antimonii*; *Hujus virtus si manere debet integra per partium ejus 🜍 earum & mercurialium separationem, ut & per acida & alcalia factam inversionem, destrui non debet.* Nec minùs Dn. *D. Wedelius*, Collega honorandus, in Pharmacia l. 2. sect. 8. c. 8. p. m. 240. *Cinnabaris nativa, si arenosa & saxea absit, & secludatur, ubi opus est, substantia, non eget menstruo, ut extrahatur, vel solvantur partes, sed qui vires, quas possidet, utiliter impendere gestit, eô modô, quô natura illum miscuit, ubi eodem opus habet, cum nec in sulphure solo, nec admixtis partibus solaribus, vel aliis solis eædem reperiantur, sed ex utriusque mixtione resultent.* Hujus Trigæ fide notitiâ dignissimæ Testimonio adplaudunt Neoterici alii, unde etiam fit, ut moderenorum Medicorum plures suis ægrotis dictam *cinnabarim* propinent solis illis pulveribus quasi simplicibus, præparata qui dicuntur, miscendam, sine additione aliorum, aut salium alcalicorum fixorum, volatilium, aut acidorum fortiùs & magis penetranter resolventium.

Monita hæcce, solidis rationibus pyrotechnicis utpote conformia, ac innitentia, æquâ animi lance dum pondero, non potui non quidem iisdem meum addere calculum, fateri coactus, miraculosâ mixtione medicamentum hocce à naturante naturâ, Deo, compositum, atque metum esse, ne ex ejusdem per hanc vel illam resolutionem chymicam mercurium (quippe qui bonam partem cinnabarim constituit) in innatas rursus degenerare impuritates ac cruditates, & per consequens more soli-

solito, dum sibi soli relinquitur, plus aloes, quàm mellis habere, ac exhibere humano generi opem inde quærenti.

Circulationis & digestionis chymicæ utilitas in genere demonstratur.

Nihilominus deterrere me non potuerunt Viri ingeniosi & eruditissimi, quin peculiari aliquâ eâque securiori methodô scopum meum prosequi auderem. Dum enim considerabam mirabilem partium remedium hoc constituentium unionem, à naturâ factam, ansam arripiebam meditandi, num hæc ulteriore, eâque lentâ atque successivâ (per violentam enim atque nimiopere maturatam combureretur sulphur metallicum, nobile, vel separarentur partes unitæ) digestione ac diuturniore circulatione magis magisque figi, combinari, uniri, & sic ratione efficaciæ exaltari valeant, cùm naturâ sæpè à sui æmulâ arte sese juvari concedat; Deus insuper sua bona nobis vendat labore.

Quod autem vis mercurialis & sulphuris metallici nondum adeò arctis compedibus sit ligata, aut unionem experta firmiorem, & indissolubilem, patet inde, quod Viri modò allegati ex additione salium, præcipuè mineralium, aliorumque resolventium penetrabilitate pollentium dissolutionem unionis non immeritò metuant, imò experientiâ demonstraverint, veluti quidem juxta *Schrôderi* & *Zvvôlfferi* mentem facilè inde mercurius, & *Wedelij* mei manuductione ac methodo non difficulter *sulphur* inde separari possit. Ampliores descriptiones & dissertationes, hac de re legere si libet, licet, apud Joh. *Schrôderum*, Pharmacop. Medico-chym. libr. 3. c. 16. p. m. 419. Joh. *Zvvôlferum*, Mantissæ Spagyr. part. 2. c. 7. f. m. 359. Georg. Wolfg. *Wedelium* Ephemerid. German. Anni tertij observ. 105. p. m. 173.

Neutiquam enim latet Pyrotechnos, quàm magni momenti operatio sit, circulatio ac digestio, dum illa nimirum obstetricante calore externô, per prudentem & expertem artificis manum accensô in vasis clausis successivè perfectiorem rebus communicat maturitatem; sic enim pars earum adhuc fixior sese amico consortio jungit magis volatili, & hæc illi, lentâ pugnâ, pedetentim in se ipsum agendo; sic virtus latitans exaltatur, suppressa acuitur, partes impuræ & heterogeneæ, si crassioris substantiæ sunt, separantur, vel si subtiliora, moderatè ac lentè consumta annihilantur, & evanescere coguntur, relicto corpore puriore concentrato.

Exemplum subministrant illi, qui *Lapidi Philosophorum* elaborando insudant; Loco plurimorum Scriptorum allegari hîc quæ possent, sufficiant ea sola, quæ è nonnullis in dissertationis meæ de *Tinctura Universali* c. 6. adduxi, ibi apparebit, totam ferè paginam in maximo illo opere absolvi per diuturnam, & eam quidem accuratissimam digestionem.

A labore universali pergo ad hujus succedaneos analogos, ubi diversa medicamenta arcana; ac rarâ energiâ sese commendantia obviam eunt, inter quæ non infimum obtinent locum ipsa mercurialia, v. g. mercurius cum auro, ac variis alijs modis præcipitatus, ubi itidem in legitimâ, modestâ ac longinquâ circulatione potior operationis pars consistit. Plura hujus rei exempla produci possent, nisi brevitati studerem.

Descendo ab hisce ad communiores magisque usuales extractiones essentiarum atque tincturarum; quidnam hic juvet, quid operetur, vel levis saltem digestio, tincturâ contenti remedii indies indiesque auctâ, Pharmacopœorum etiam norunt pusiones.

Quid moderata, eaque cauto igne tractata possit *circulatio*, è millenis alijs unico saltem specialiùs adhuc probabo exemplo: Magnus Chymicus mihi tanquàm arcanissimum olim communicabat *Elixir proprietatis Helmontii*, mirabilemque ejusdem deprædicabat energiam contra plurimos adfectus, ita quidem parabilem: sumatur myrrhæ, aloes, croci oriental. ana uncia una, pulverisata omnia indantur vitro forti & capaci; hermeticè sigillentur, ponantur in calorem lenem, donec materia in fundo coaluerit, in parietibus verò vitri oleum rubicundum circulatum hæserit, atque rursus delapsum, & sic proprio suo *alkahesto* resolutum fuerit; super has species, destilletur postea leni igne, ac per gradus aqua cinnamomi. Inveni egomet postea hanc descriptionem, paulò tamen obscuriorem, in ipsis Joan. Bapt. *Helmontii* operibus, nimirum in fragmento illo, quod præcedit Tractatum in herbis, verbis & lapid. magna latet virtus insignitum, f. m. 458. Fateor, me sæpiùs non sine stupore ac delectatione insigni hæc vitra species digerendas continentia adspexisse, quomodo scilicet guttæ rubiniformes per vitrorum parietes oculis curiosis sese ostenderint. Elixir autem dicto modo paratum rarâ ac multò majore efficaciâ sese certe commendat contra diversos adfectûs, quibus sedandis Elixir Proprietatis communi methodô paratum datur.

Sublimatio Cinnabaris nativæ *tractatur.*

In propositô hôcce ad optatum finem perducendo, animum quoque mihi erigebat curiosa à quibusdam Chymicis cautè instituta *cinnabaris nativæ sublimatio*, quæ sanè operatio sublimatoria tantum abest, ut illas innatas cinnabarinas qualitates (veluti in alijs operibus ac tractationibus ejusdem chymicis experimenta quidem id satis testantur,) turbet, imminuat, aut infringat, ut potius mirum quantum easdem, augeat, exaltetque, ceu rerum omnium magistra hac de re itidem satis abundè loquitur experientia. Non omnis autem *cinnabaris* tàm facilè obedit huic operationi; modus insuper sublimatorius paucissimis est cognitus. Tibi, curiose Lector, non inviderem pro genij mei more hanc methodum, nisi avidiùs inhians hujus cognitioni acquirendæ Amico communicanti sanctam silentij fidem promisissem; nullus tamen dubito, quin ejusdem propalatio Tibi aliunde propediem sit expectanda, imò obtinenda; imò lapidem movebo omnem pro illô Tibi per tertium obtinendô.

Non possum non, quin hoc loco gratuler seculo nostro, quod ipsi quoque, veluti antiquis Antecessorum temporibus, non desint aliqui orbis magnates, literas colentes, & in specie quidem rerum physico-medicarum & quæ nunc potior harum pars est, Chymiæ Studio faventes, imò manus tàm illustres inprimis quoque ejusdem operibus non planè detrahentes. Ubi submisso cultu jure meritò nomino augustum rei literariæ defensorem, *Dn. Fridericum*, Saxon. Jul. Cliv. atque Montium Ducem, Patriæ Patrem gratiosissimum. Hic enim, quantumcunque temporis

poris ipsi licet suffusari curis Regimini publico dicandis, illud uti diversis Musarum sacris, ita quoque non rarò curiosis rebus physico-medicis perscrutandis litat, atque inter alia dictam *cinnabaris nativæ* sublimationem tentavit, tentatamque feliciter absolvit.

Quum elegantissimo rubore coccineo singularum oculis sese commendantem, dum contra febres cujuscunque generis, aliosque adfectus effectu laudabili exhiberi hactenus gratiosè curavit, & in hoc sese providum ac munificum subditorum Tutorem ostendit. De quâ optatâ operatione ipsum meum corpus, cùm elapso anno malignâ corripiebatur febre, devotum ac certum testimonium humillimè proferre, & vult & debet.

Dixi in paginâ antecedente, modum sublimandi *cinnabarim nativam* paucissimis esse cognitum, quod vel ideò clarescit, quod hujusce sublimationis nullus Autorum, quà veterum, quà recentiorum, quantum mihi quidem constat, modum ac methodum describant. Licet non ita pridem Dom. Dom. Godof. *Scholz.us*, & nuperrimè Dom. Dom. Math. *Tillingius* de *cinnabari* specialiores, eosque laude dignos in publicum produxerint Tractatus. Me quidem non latet, unum alterumque Autorem (ne eosdem viros eruditissimos arguere videar, nomina non addo) in publicâ *specifici cephalici Michaëlitani* descriptione proposuisse, quod B. D. *Michaëlis* ad hujus compositionem adhibuerit *cinnabarim nativam* sexies sublimatam. Verùm certè mihi constat, tàm antea quàm per integrum illud septennium, quo ipse vixi in ipsius Museô, laboribusque chymicis interfui, pulverem huncce nunquam fuisse confectum è cinnabari nativâ, nec simplice, veluti aliàs exhiberi solet, nec sexies sublimatâ, sed semper *è cinnabari antimonii*, & hac quidem 5. vel 6. vicibus sublimando depuratâ. Ex superfluo quæsivi nuper è Dom. Math. *Zittemanno*, ingenioso Lipsiensium chymico, qui pyrotechniæ Michaelitanæ usque ad ejus obitum fuit præfectus, quidnam ipsi de hoc dubio constaret, & sanctè asseveravit, quod per sedecennium suum, quô illi fuit à laboribus Chymicis, idem de hac cogatur affirmare, quod jam dixeram. Paulò ante obitum suum quidem laudatissimum Dom. Dn. *Michaëlis* nonnulla curiositatis gratiâ in perscrutanda *cinnabari nativâ* tentasse, sed successu non adeò optatô. Proinde judico, virum illum curiosum, qui primùm cephalicum specificum literis publico communicavit, adcuratam hôc in puncto hujus cognitionem non habuisse, sed pro *cinnabari antimonii cinnabarim nativam* posuisse; cujus authoritati reverenter inhærentes alij, postea suis scriptis idem inseruerunt, unde hocce erratum improvisò suam traxit originem, uti non rarò in similibus rebus fieri solet.

Postquam, curiose Lector, caput hocce, imò integrum opusculum jamjam absolveram, ac illud Typothetæ imprimendum committere intenderam; ecce! *Wedelii* mei candore accidit, ut hic statim obtineas idem, quod Tibi aliunde sperandum ac obtinendum esse; promiseram; hoc est, communicavit ille quoque mihi modum *cinnabarim sublimandi*, Quem cùm & ipse Tibi non invideat, libens lubens aperio. Sic autem in literis ad me datis loquitur: *Sublimatio instituenda est sive per retortam ex arenâ ad instar cinnabaris antimonii, igne fortissimo, sive, quod compendiosius, & mihi consultum. ita ♃. Cinnabaris nativæ puræ, q. v. v. g. Libram semis, vel amplius, pulverisata indatur cucurbita minori* (ein Scheide-Kölblein) *hæc verò reponatur in crucibulum rotundum majusculum, & in furno anemio sub igne rotæ intra paucas horas separatio succedit remanente in fundo parte terreâ albâ, vel magis cineritiâ. In regione verò mediâ flores, seu sublimatum cinnabaris eleganter splendens, circuli formâ adhærens. In summo climate, levi factâ cum luto obturatione, partes evectæ subnigricantes mercuriales & sulphureæ quædam adhærent rostro, ad instar mercurii dulcis.*

Autoris methodus circulandi cinnabarim nativam detegitur.

Post quam igitur denuò æquâ mente expenderim, quantum energiæ à diuturniore digestione ac longinquiore circulatione, sibi promittant illi, qui *Tincturæ universalis*, *vel lapidis Philosophorum* elaborationi invigilant, vel universalis illius Azoth adeptioni insidiantur; Quantam item efficaciam inde experiantur illi, qui laboribus arcanioribus huic analogis incumbunt; quantum non minus virtutis quotidiana suppeditet experientia in extractione usualium essentiarum ac tincturarum chymicarum; hypothesi confidens physicæ in cap. 8. antecedente præsuppositæ, ac inprimis Divinâ innitens ope, aggressus sum dictam hancce *cinnabaris nativæ* tractationem; modò in verbis sequentibus ingenuè, ac candore Medicum Christianum decente, & encheirisibus possibili perspicuitate detectis declarato; scilicet: *Cinnabaris nativæ* Hungaricæ, veræ elutriatione depuratæ, interno usui aptæ, veluti eandem vendere solent mercatores Viennenses, atque à parte terreâ vel arenosâ, utpote impuriore, liberæ, subtilissimè pulverisatæ uncias duas aut tres inclusi globo vitreo capacitate suâ libras duas medicas fortassis capienti, (globi autem tales facilè obtineri possunt, cùm hactenus ab aurifabris, netricibus, &c. aqua repleti tempore vespertinò candelæ opponantur pro juvandò visu) foramen in superiore globi parte operculo ligneo, papyro circumvoluto, & cerâ Hispanicâ liquatâ accuratè sigillavi; & quia manubrio instructus est globus mediante filo allegato eum suspendi in clavum ferreum tegumento scrinioli infixum;

Submisi lampadem oleo olivarum puro nutritam, filo mediocris crassitiei huic immisso. Potuisset quidem vas hoc vitreum, veluti non rarò retortæ solent, lutari; verum à vitro suspenso delapsum limi ignisque inde suffocationem metuens, aliasque ob causas, liberum ita flammæ exposui. Plus vice simplici miratus sum, quod vitrea hæc corpora per violentam caloris actualis torturam præcipuè ultimis mensibus, non fuerint disrupta; negare etiam non possum, unum alterumve horum rupturam mihi valdè minatum fuisse, exorto in vitri fundo, non exiguâ fissurâ; Licuit autem mihi semper esse tam felici, ut frequentiore ac cautiore inspectione illud prævideram, materiamque contentam alii vitro incluserim. Quâ de re curiosos operatores ingenuè per hoc volui monitos.

E superfluo tamen addo, chymiæ jam dudum cognitum fuisse, quomodo vitra pro majore firmitate ac durabilitate obtinenda, ac pro securiore materiæ contentæ adservatione, peculiari compositione possint acquiri. Similem mihi amicus communicavit, quam Lectori benevolo, uti alia, ita & hancce ingenuè detego; Sumantur cinerum è ligno vitis purissimorum libræ sex, salis communis culinarii, silicum pulverisatorum ana unciæ tres, fluant optimè mixta in fornace vitrariâ; dum verò adhuc fluit, injice pulveris borracis uncias tres; ex hac materiâ fluidâ, pro tuo lubitu poterunt formari vitra;

Hujus autem lampadis flamma primis tribus mensibus, 8. vel ad summum 9. digitis transversis à vitro distabat. Quibus elapsis per aliud trimestre ignem admovi paulò propiùs, nimirum unius & fere dimidij digiti altitudine. Sequentibus postea tribus mensibus idem præstiti, ignem mediante proximiore admotione paulò magis augendo: Ac tandem non minus ultimo anni quadrante, ignem exaltando dictô modô pergere, consultum judicavi.

Dixi quidem, ignem fuisse continuum, fateor tamen, me adeò rigorosum semper in hoc non fuisse; sed aliquando una alterave horula flammam cessare concessi, ut ita à continuo ac satis violento hoc ignis tormento materia contenta quasi quodammodo sese refocillare potuerit.

Cum metuerim, partes mercuriales contentas, utpote subtiliores, sublimiora esse petituras, ac in auras evolaturas, inutiliter, utpote à sulphureis nondum planè subjugatas & fixatas, foramen globi vitrei, uti dictum, accuratè clausi. Me autem opinionem hanc non fefellisse, vel inde patet, quod aliquoties observaverim, prioribus aliquot mensibus integros vitri parietes scatere guttis largis in pulverem subjacentem striatim relabentibus, ut & vaporosum nonnunquam fumi adscensum; in ultimis vero mensibus non item, manifestò argumento, *cinnabarim nativam* usualem nondum esse corpus planè fixum (veluti quidem quidam autumant) sed ejusdem sulphur atque mercurium vi ignis diuturna posse penitus uniri, ac tandem combinari, magisque figi. Ut autem hæc resolutio & unio eo felicius procedat, materiam vitro inclusam sæpiùs agitavi. Ubi & hoc experientiæ meæ testimonium non possum non addere, dictas modò strias non semper æque mihi successisse, sed plus minus fuisse obvias, prout partes mercuriales utpote volatiliores, sulphureas ligantes, in proportione superaverint, vel ijsdem nondum bene fuerint unitæ; Inde *cinnabaris nativæ* diversitatem etiam judicare licebit sanioribus.

Tandem benevolum Lectorem latere nolui, quod absoluto, & ad incudem ita deductô hôc opere, expenderim, *errare humanum esse*, juxta vetus dicterium; Propterea ne imponerem (quamvis inscius & invitus) orbi erudito, aut seducerem, confusosque redderem Philiatros, ac novitios Medicinæ Practicos, aut mihi soli sapere viderer, desiderabam judicium, votaque colligebam aliorum carbones chymicos tangentium inter quos merito nomino, in decus atque emolumentum Chymiæ in superiore nostra Saxonia natos Dn. Dan. *Ludovici*, & Dn. Georg. Wolfg. *Wedelium* Archiatros Saxonicos, ut & Dn. Math. *Zittemannum* Chymicum Lipsiensem, qui egregiam efficaciam medicamentosam hinc esse sperandam, unanimi calamo ominabantur, ideòque horum innitens suffragio, eo audacius rationibus meam addere experientiam audebam.

Dosis ac utendi modus demonstratur.

Declaratâ nunc, & quidem candore Christianum decente, ac possibili perspicuitate declarata præparandi methodo, necessum erit, simili ingenuitate propalare dosin ac utendi modum. Quamvis enim cuidam liceat eò felicitatis pertingere, ut possideat quoddam incomparabili pollens virtute medicamentum, nisi simul ipsi de ejusdem usu ac dosi constet, hoc abusivè, ac in quantitate aut majore aut minore, adhibitum, vel poterit esse gladius in manu furientis, vel ad minimum paucum, imo nullum inde erit sperandum ægroto solamen.

Proinde physicâ hac innitens hypothesi: Si *cinnabaris nativa* non nisi sola elutriatione depurata ac præparata, cœterùm cruda, laudabilibus effectibus sese hactenus commendavit, & adhuc commendat, dum propinatur 4. 6. 8. ad 10. granis pro dosi, inter alias tamen utplurimum res medicamentosas, ac in specie præparata quæ audiunt, mixta, me à scopo non aberraturum aut in methodi medendi regulas peccaturum censui, si *cinnabarim* hancce, dictô meo modô exaltatam, exhiberem 2. 3. aut 4. granis pro dosi. (ut autem eò certius de effectu mihi constaret, dedi uni ac alteri desperatè ægrotanti, v. g. Hydropico & paralytico 8. ad 9. grana pulveris hujus circulati, non modo sine incommodo, sed & laudabili efficacia:) Nec opinioni defuit effectus, sed scopum obtinui desideratum. Exhibui autem illam vel præservatoriæ saltem, vel curatoriæ indicationibus satisfacturus.

Ad præservationem consultum judicavi: ac sufficientem inde mihi promisi operam, si, pro complexionum quidem ac symptomatum diversitatibus, una alterave, imo tertia saltem septimana semel dosin talem propinaverim, ne Archæus generosi hujus remedij nimium adsuescat auxilio. Ubi efficaciorem quoque inveni operationem, si proximô ante Lunæ mutationes die, à cubitum ituro assumatur. (Universalia tamen, ceu loquuntur Medici dogmatici, ut & aliquando alia medicamenta simul omnino sunt præmittenda ac conjungenda,) A blandô enim *cinnabaris sulphure anodyno* mollis paritur somnus, unde Archæus hac tranquillitate mediante ansam arripit, œconomiæ suæ microcosmicæ commodum promovere. Quantum enim utilitatis conferat sartum tectum, servandæ valetudini somnus tranquillus, vel rusticorum etiam norunt pusiones. In specie autem dicto jam tempore, præservationis causa bona euphoria exhibetur in ijs, quibus à capite & nervoso genere debilibus diversa illa accidunt symptomata, v. g. cephalalgia, epilepsia, vertigo, apoplexia, arthritis, item qui catharris, uti vulgò vocantur, sunt obnoxij, nec minus illi, qui scorbuticæ ac hypochondriacæ salsæ aut acidæ impuritatis patiuntur symptomata, sentiunt hac sanguinis refocillatione fortem putredini serpenti poni obicem.

Hac occasione non possum non quasi obiter monere, (cum dixerim, me ante mutationes Lunæ felicius ea exhibere solere) quod me neutiquam lateat, Medicorum etiam modernorum nonnullos ab astrorum influxu, & præprimis Lunæ mutationibus nullam plane operationem, nullas turbas, nullam opem concedere in Microcosmum medicamentorum operationibus. Quamvis quidem eam controversiam specialiter hic non faciam meam, nihilominus tribus saltem verbis statuo, me illis ipsis ex tenui mea praxi, plusquam millena in contrarium opponere valere experimenta; ut nihil dicam de innumeris aliorum testimonijs. Ambabus tamen concedo manibus, non omnes æque homines à dictis Lunæ mutationibus quiddam molesti perpeti; sed eos præcipuè qui catharrosi vulgò audiunt, vel quibus in specie caput cerebrumque, aut hæreditariè, aut alias ob causas occasionales non adeo obtigit firmum ac vegetum.

Quando verò ad ipsam morbi cujusdam curationem propinare dictam meam *cinnabarim*, animum intendi, id pro morbi ac symptomatum conditione ac

ac violentiâ, vel prout celeriùs expetebatur auxilium modò frequentiore, modò tardiore eam dosi exhibui; sic verbi gratia, in febribus malignis ac continuis dedi singulis vel alternis saltem aliquando diebus semel, in intermittentibus verô ante paroxysmos: verâ autem fide testari possum, me tantum non semper criticum secutum affectum observasse, & quidem utplurimum mediante sudore quasi spontaneo.

In nonnullis tamen madorem lentum, criticum tamen, sequentibus demum diebus successivè, imò aliquando planè insensibiliter optatam evenisse operationem observavi. In morbis verò diuturnioribus non adeò frequenter exhibui. Non iniquum erit, heic adducere, quid in proprio meo corpore, quasi pro sui inventione gratias acturum, hocce medicamentum mihi beneficii exhibuerit. Non modò enim hoc mihi ipsi febrem malignam pleuriticam violentam duobus abhinc annis patienti aliquoties exhibitum; sed etiam hactenus successivè ad Archæum roborandum, vim balsamicam sanguini conservandam, scorbuticasque massæ sanguineæ cruditates separandas ac superandas optimè profuit, & adhuc prodest.

Celeriorem autem & adhuc certiorem mihi promitto de hocce efficaciam, si frequentius exhiberetur, quod mihi hactenus præstare non adeò licuit, cùm in majore copiâ illud nondum possederim, quod in posterum tamen haud difficulter effici posse nullus dubito.

Monendum quoque duxi, veluti in aliis pluribus quoad usum hujus me accommodaverim usui *cinnabaris nativæ* solitæ, ita & in hoc à me factum quòd eandem miscuerim quoque ferè semper uni alterive pulveri adpropriato, præparata quæ dicuntur, partim & præcipuè ne minima ista dosis cinnabaris ponderosi in dente cavô, aut faucibus hæreat, aut inter deglutiendum perdatur, partim quod per illorum pulverum analogiam eò citius in actum ducatur *cinnabaris*, eorumque posteà operationi penetrabile pondus addat sua egregia, atque ita quasi per horum virtutis scintillam fortiores *cinnabaris* radii accendantur; veluti utraque *cinnabaris* (& antimonii nimirum, & nativa) laudabilem talem effectum quotidianâ demonstrat experientiâ.

Cinnabarim autem dictâ meâ methodo præparatam, magis fixatam, atque exaltatam contra illos adfectus quoscunque, quibus eandem more communi solùm elutriatam ac pulverisatam opponere consueverunt hucusque Hygéæ proceres, propinare consultum reperi expendens, hasce ambas non nisi gradu qualitatum, hoc est, secundùm magis purum & impurum differre.

Proinde supervacaneum censeo, longis ambagibus hic repetere, quibusnam complexionibus præservativè, & symptomatibus curativè sit exhibendum, cùm partim superius è capite sexto elucescat, ac hauriri possit ejus usus ex illis, quæ de *cinnabaris nativâ* in genere ex Autoribus nonnullis fuere deprompta, partim, quod possint è superfluo, illi ipsi ibidem allegati ab iis, qui ampliora desiderant, consuli. Cùm semper nauseaverim ab aliis jam dicta & publicata denuò scribere, exscribere, describere, transcribere, rescribere, Æsopicamque me ita ostendere corniculam. Jam saltem dixisse sufficiat, quod iisdem adfectibus applicuerim, quibus communis *cinnabaris* propinatur, licet ratione doseos diverso modo id fiat veluti modò dictum.

In specie tamen hic præterire non possum, quod *cinnabaris* dicta mea methodo fixata contra ipsam quoque pestis virulentiam tàm præservando, quàm curando extraordinariam mihi exhibuerit opem. Dum enim Patriam dulcissimam ac vicina quædam oppida irati Dei Justitia eâdem puniebat, non modò generosùm hocce remedium à crudeli hâc lue me ipsum, meos, ac alios plures (inter quos præcipuè nomino Clericum quendam in vicinâ urbe degentem, qui plures ac ducentos peste infectos visitavit, & sacrâ synaxi beavit, nihil tamen mali à pestilenti isto contagio unquam est expertus;) divinâ benedictione præservavit: Sed etiam non minus contra ipsam pestem jam jam præsentem diversis illud exhiberi curavi; & quidem effectu utplurimùm laudabili ac desiderato. Modus autem propinandi est talis: Cùm ratio ac experientia, utpote solida Medicinæ fundamenta, probent (veluti alibi quidem jamjam demonstratum,) *cinnabarim* & *nativam* & *antimonii*, communi saltem modò præparatam non facilè solam sed aliis pulveribus mixtam commodius & feliciùs assumi, ideò & hîc illud observare, consultum judicavi. Propterea ad præservationem contra crudele hoc virus singulis 7. ad 10. diebus dosin hujus unam dedi; scilicet *cinnabaris* dictâ methodo fixatæ, gran. ij. ad iij. adhibui, additis cornu cervi sine igne præparati, & antimonii diaphoretici ritè præparati ana grana 8. vel 9. expectatô vel stimulatô aliquando inde sudore. Luem ipsam verò jam dum patientibus exhibui singulis 2. 3. ad 4. primis diebus dictæ meæ *cinnabaris* gran. 3. vel iij ß. miscendo cornu cervi sine igne præparati, antimonii diaphoretici rec, ana gr. 10. salis volatilis cornu cervi gr. 5. ad 6. corpore ad madorem proliciendum disposito.

Ubi curiosum Lectorem latere nolui, me tum in aliis olim morbis, tum pestilenti quoque hoc tempore non rarò observasse, sudorem non semper subitò ac rivô largô post hujus assumptionem, adparuisse, sed nonnunquam successivè demum, unô vel alterô post die, & sic lentâ ac continuâ, criticâ tamen diaphoresi fuisse conspicuum; prout Archæus massam sanguineam, ac in eâ contentas cruditates noxias reperit dispositas; Non rarò itidem planè insensibiliter & successivè suam exercuit operationem. Plus vice simplici quoque bubones jam dum apparentes ab assumto hoc remedio in locis excretoriis retrò cessisse, materiâ illâ per dictam diaphoresin criticè ac lentè, tantum non sine ægrotorum incommodo aut molestiâ manifestâ, per cutis dissipatâ, observare nobis licuit.

Partes essentiales cinnabaris nativæ, *ac inde oriens operandi modus generalius describuntur.*

Æquitas tandem medica & necessitas jubet, ut de modo operandi, vel quo modo & per quid vires suas exserat dictum medicamentum, nonnulla subjungamus, quo eò fiducia eodem utantur ægroti, illudque his propinare valeant Medici. Cùm meritò in honore sit habendum dicterium Philosophi, Medicum in consilium vocatum ita alloquentis: *Ne me tractes ut subulcum; sed explica prius causas morbi, tuasque contra hunc indicationes, & me postea habebis morigerum.* Ut igitur paulò generaliùs quædam præmittam, dico, partes essentialiter illud constituentes esse mercurium & sulphur, & vel *cinnabarim nativam* esse mineram mercurii de sulphure solari participantem, veluti quidem Philosophia per ignem, vel rationes pyrotechnicæ à fundamentis mechanicis depromtæ abunde ac sufficienter eunt testatum. Autores enim in superioribus capitibus allegati edocent, illam sine ma-

magno labore in dicta hæc sua principia reduci posse; modos reducendi apud eosdem evolvere, si libet, licet.

Medicamenta quidem è mercurio oriunda, superius capite 23. ipse quasi suspecta reddidi, ut proinde Lectori non adeò esset vitio vertendum, si in hancce nostram quoque cinnabarim, non adeò confideret. Verum enimverò, quod nulla sit regula, quæ exceptionem & distinctionem non admittat, illud & hîc locum habet ac confirmatur. Sermo enim ibidem erat de remedijs è mercurio solo, ac præprimis crudo haustis, quippe qui periculosis ac sylvestribus largè scatent cruditatibus, quæ à genuina substantia mercuriali separatu sunt difficiles, nec omni Chymiurgo præparationem audenti obediunt, ut sic tantum absit, quin desideratum acquirant effectum, ut potius symptomata augeantur, imò sæpè sæpius alii periculosissimi ac tristissimi succedant eventus. Si autem adcuratâ Chymiatri mente ac manu tractentur, ac subigantur, remedia energiæ incomparabilis, atque ad panaceæ genium accidentia inde extorqueri, ibidem monuimus. Propterea cinnabarina nostra meritò hic quoque erunt excipienda, quippe quorum pars mercurialis à Medicorum & Chymicorum Primate, Deo O. M. per admixtionem sulphuris blandi metallici miraculosè cicuratur, figitur, atque benigni moris esse jubetur. Ligaturæ enim mercurii & sulphuris puri metallici principium operationis tantæ virtutis in *cinnabari* esse adscribendum, meritò cum diversis aliis statuit meus *Wedelius*, quâ de re ampliora videre licet apud eundem, in Pharmac. l. 2. sect. 5. cap. 3. ut & ibid. sect. 6. cap. 8. alibi. Ipsam quidem *sulphuris* indolem quod concernit, notum quidem est, qualitate ejusdem nimirum quantum dolor! efficaci ac penetrabili abuti hodiè Bellonam, & qui huic affines, in interitum Humani generis, ac internecionem dum illud infelici monachi istius invento pulveris pyrii potior pars existit. Noxam tamen quam dicto modo nolens volens excitare cogitur, egregiè resarciunt medicamenta è sulphure extracta, balsamum sanguini nostro conciliando, millenisque aliis, & quod excurrit, vicibus œconomiæ microcosmicæ inserviendo; quâ de re ampliora adderem, nisi post Homerum me Iliada scribere, ac noctuas portare Athenas, haberem, quod metuerem. Quem, quæso, latet largissimis ambagibus virtuosa sulphuris encomia in plurimorum eruditorum scriptis deprædicari, imò integros de hisce innotuisse Orbi literato Tractatus?

Specialiùs edocetur, quonam modo suam absolvat operationem in corpore Cinnabaris nativa,

Generaliora hæcce de partibus *cinnabarim nativam* essentialiter constituentibus præmittere necessarium judicavimus. Quibus succedat, necesse est, specialiùs declarare, quoniam modò laudatum nostrum medicamentum suam absolvat operationem. Notum quidem est è Pathologiæ modernæ regulis, veluti cibum potumque assumtum, ita & medicamenta debere à fermento stomachico digeri, dein ad intestina ablegata mediantibus vasis lacteis, thoracicis, ac lymphaticis, massæ sanguineæ, & successivè visceribus, ac membris illis, quibus destinata est virtus ista medicamentosa lento gradu transvecta communicari, suasque ibidem desideratas efferre vires actuali, materiali ac topicâ quasi operâ. Hoc in pluribus ita succedere medicamentis, vel crassiorem ad minimum eorum portionem in corpore nostro sic tractari, ambabus concedimus manibus, cùm fundamenta & rationes ex autopsiâ anatomicâ modernâ petitæ illud evincant, ac ipsi invidiæ indignanti clarissimè propinant. Sic verbi gratia, pro acido vel salso p. n. sanguinis ac lymphæ absorbendo, pro sanguine subtiliter ebulliente temperando volatilia, Martialia, Saturnina, nitrata, aliaque præcipitantia, ac alterantia, mediante sanguinis circulo, methodo ac viâ hâc successivâ, ideoque Archeo gratissima suum laudabiliter absolvunt censum.

An autem tardus hicce operandi modus ab omnibus remediis exhibitis debeat ac velit expectari, potior Medicorum recentiorum pars jure meritò dubia hæret, imò contrariam defendere sententiam cogitur. Ut enim primò *cinnabarim nativam* (utpote de quâ nobis præcipuè jam res est) in scenam producam, negari non potest, eandem tam subitò ob ponderosam substantiæ suæ metallicæ gravitatem ac fixitatem in ventriculo neutiquam subigi, atque in actum materia materialem traduci posse, nihilominus frequentissima passim occurrunt experientiæ testimonia de efficaciâ ejusdem, uti laudabili, ita subitaneâ. Inter mille exempla jam saltem prodeat vis ejus anodyna, item antepileptica, nec non sudorifera; sæpè enim accidit, ut tantillo temporis spatio, quo grave hoc corpus vix venis lacteis totum possit communicari, si actualis digestio plenariè concurrere debeat, minimè verò per sanguinis massam transportatum in cerebro somnum excitare, aut epilepticos insultus suffocare, multò minus per poros cutis longissimè dissitos sudoris largas satis excitare valeat scaturigines: Ut nihil dicam de hoc, cinnabarinam substantiam sæpè indigestam, ac colore rubro in excrementorum alvi excretione, veluti soricem sese prodentem successu interea optato in corpore obtingente.

Audiamus expressa unius alteriusque Naturæ Mystæ de hac re arduâ & ventilatu dignissimâ verba ac mentem? Sic enim summè de publico meritus meus Dom. Dan. *Ludovici*, in Pharmaciâ moderna p. m. 340. inquit: *Cinnabaris vix in stomacho vel pulsionum observatione resolvitur, sed incomprehensibili fermè nec tum determinato contactu subitò sæpè cum consimilibus aliis, quod suum est, agit*, Frider. *Hoffmannus*, method. lib. 1. cap. 11. p. m. 42. & clavis pharmaceut. lib. 3. cap. 16. p. m. 192. ita loquitur: *Cinnabaris ventriculi digestioni minimè paret, neque in corporis œconomiam recipi potest; assumta tamen quàm diu in stomacho hæret, Archæum nostrum variè mireque afficit alterando.* Idem ibid. p. m. 294. *Cinnabaris omnem digestionem ventriculi, & intestinorum actionem subterfugit, ut in corporis nostri œconomiam distribui nequeat; sed vel odoretenus, aut nudo saltem adspectu variè mireque nostrum alteret Archæum*, &c. Matth. *Tillingius*, in Scrutinii cinnab. nat. præfatione, inter alia de operatione medicamentorum metallicorum, & in specie cinnabaris sic testatur: *In stomacho incipiunt directum virium suarum radium, virtutemque dotalem exponere, ut in corpus totum sparsâ haustâ in Archæo vi radiali irrorata sanitas inde succedens avidè suscipiatur. Metalla enim sunt specula quædam lucentiæ, quæ vim habent penetrandi & illuminandi Archæum à suis erroribus, furoribus & defectibus, quod illum restituant in nitorem tincturâ dotalis perfectionis*, &c. Plura ac magis dilucidata licet legere partim in dictâ præfatione, partim in illius Tractatus cap. 25. pag. m. 185. ut & cap. 36. pag. m. 230. specialiùs hac de re agente.

Quæ

Quæ hactenus de Cinnabari nativâ *dicta aliis rebus ulterius illustrantur.*

Eadem planè de diversis alijs rebus medicamentosis Medicinæ procerum est opinio. Statuunt enim operationis energiam absolvi peculiari planè atque arcanâ, eademque celeri methodo ac modo, dum scilicet Archæus, utpote providus Microcosmi œconomus, sæpè sæpius non possit tam diu expectare, usque dum per vasa chylum, serum ac sanguinem vehentia partibus, quibus auxilium afferendum est, advehatur, atque ibidem actuali ac materiali contractu operetur: sed cogatur ob eminens periculum viâ proximiore, sui muneris quod est, absolvere, atque ita per medicamentorum non ita pridem assumtorum, ac in stomachis ad minimum potiore sui parte adhuc hærentium insitam qualitatem, mediante spirituali quâdam irradiatione, ac ideali impressione vel magnetismo quasi, virtutem suam in corpora fundere.

Hac de re summè curiosâ acutissimè philosophatur *Helmontius*, partim diversis in locis operis illius, quod in Herb. verb. & lapidibus magna latet virtus, inscripsit, partim alijs in Tractatibus, statuendo, remedia & præcipuè metallica (utpote utplurimùm fixiora) radium suarum virtutum & virium in stomacho deponere, inde demum per totum corpus eam dispergere, imò citra sui dissolutionem solo adspectu, illuminatione ac irradiatione, aut radiorum lucidorum circulatione, postea in partibus, quas transeunt, sanationes perficere.

Sententiæ huic *Helmontianæ* plures Neotericorum suum addunt calculum, & cum prolixitatem semper nauseaverim, lubet saltem pro majore modò dictorum explanatione producere nonnulla exempla per mechanicam experientiam eadem confirmantia: Tale exhibent testimonium medicamenta contra apoplexiam, lipothymias, adfectus mulierum hystericos, & similes celerrimum clavæ Herculeæ auxilium exposcentes propinata, per hæc enim (licet non semper sint volatilia, aut substantiæ penetrantioris,) sæpius plurium pedes è Charontis cymbâ, si non in momento, tamen brevissimo temporis spatiolo retrahi, nemo negare audebit; quod, ut per vias ordinarias è stomacho, mediante chyli, lymphæ ac sanguinis motu (quamvis me non lateat, huncce paucissimis horis absolvi) fiat, sanè esset impossibile. Quomodo, & quam citò aliquando vel unicus vini generosioris haustulus refocillet, robur novum ijs addendo, morbo, mærore, terrore, laboribusque fatigatos, experti loquantur.

Truculentam, eamque aliquando satis subitaneam narcoticorum, præprimis abusivè haustorum operam, quod attinet, optandum esset, ne tristes horum effectus hinc inde obtigissent, aut obtingerent, atque ita horum qualitates penetrantes non confirmarent, eadem ad minimum bonâ sui parte lentam stomachi digestionem neutiquam expectare.

Ut ad purgantia transeam, produco è plurimis exempli loco mercurium vitæ, & vitrum antimonij, quanta inde sæpius enascantur horrenda symptomata, lipothymiæ, cordis palpitationes, convulsiones, è pulvisculo illo, pauxillo, & quidem valde fixo & brevissimum saltem post tempus assumtum, nauseam movere Lectori volo, cum de his testentur non modò illi, quibus debilia sunt viscera; sed & quadrati habituque athleticô præditi rustici.

Sic ingeniosum valdè Chymiatriæ est inventum tinctura sulphuris vitrioli dicta, quæ conficitur è terra vitrioli dulci, vel è capite mortuo spiritus vitrioli, unde sapor omnis vitriolicus est elixiviatus, de quâ postea spiritus nitri ac vini rectificatus abstrahendus; Hæc mirandos sæpe præstitit effectus magno D. *Michaëlis*, mihi, alijsque, 30. ad 40. guttis propinata contra quascunque hæmorrhagias internas, externas, narium, uteri, vulnerum, remotissimarum etiam partium, sputumque sanguinis; & illud quidem celerrimè, motu chyli ac sanguinis pro hac operatione nimis tarde impediente.

Quomodo osteocolla parvâ dosi oretenus assumta celeriter conglutinet ossa fracta, à stomacho licet remotissima, quomodo item dens apri assumtus pleuriticorum dolores mirè sublevet, hanc modò dictam sententiam defendens accuratè philosophatur Otto *Takenius* in suo morborum principe, cap. 9. p. m. 125. 126. & sequentibus.

Non possum non tangere venena, & ex horum ampla farragine jam modò nominabo arsenicum; quamvis enim hoc sit corpus fixum, grave ac ponderosum & per consequens massæ sanguineæ communicatu difficilius, nihilominus frequenti constat rerum usu, illud idem stomacho vix intrusum, malitiosâ suâ acrimoniâ tam infestum esse Archeo nostro, ut non modò horrenda inde subitò excitentur symptomata; sed & utplurimùm balsamus vitalis penitus suffocetur, ac ita morti fenestra aperiatur, remedijs penetrantibus, & multum alias valentibus, licet celeberrimè exhibitis, sæpè nil valentibus.

Quamvis autem, veluti modò dictum, deleteria ab hoc assumto insequantur subitò accidentia, vitæ nostræ interitum minantia, imò producentia, nihilominus è sectionibus anatomicis, ita enectorum oculatiores didicerunt plus vice simplici, pulverem arsenini deglutiti in stomacho adhuc fuisse conspicuum. Exemplum tam mœsti exitus ipsi meæ praxi obtigit, dum in sectô cadavere fœminæ, cui insciæ maritus perfidus in offa arsenici pulverem exhibuerat, paulò post morte secutâ, hic in stomacho adhuc hæsitans, oculis omnium sese offerebat.

Similem mediante ideali irradiatione operationem confirmant sequentia. Norunt quidam, Chymiæ periti, conficere vitrum antimonij peculiari modo, cujus vel minimam portiunculam si injiciunt una, alterâve horâ vino, hoc autem propinent, vomitorij optatum adipiscuntur finem; dicto antimonij vitrô idem pondus, eandem virtutem semper retinente, licet vel centenis vicibus usui tali fuerit accommodatum.

Eodem innititur fundamento aqua mercurialis pro enecandis tenellæ ætatis lumbricis propinata; dum scilicet mercurius vivus in aquâ fl. acaciæ, persicorum, absinthij, aut simili aliquot diebus infusus, & quandóque agitatus, sæpissime felici energiâ sese commendat, de pondere ac qualitate mercurij nihil plane decedente.

Agmen de hisce per irradiationem operantibus medicamentis claudat dictum maximi momenti, & altioris indaginis magni *Helmontij*, qui in superiùs allegato Tractatu in Herb. Verb. & lapid. magna latet virtus inscripto p. m. 460. ita effatur: *Dicam Filiis nostris, ut ex ungue leonem: Extrahe sulphur antimonij, quod vix à vulgari discrepat visu, nisi quod parum in viriditatem vergat; Fac cinnabarim*

rim hanc adhuc sexies per se sublimabis, ut sublimatio inserviat pro reverberio lilij. Accipe semiunciam tritæ hujus cinnabaris, suspende per 24. horas in vini dolio, cujus unicum cochleare per aliquot dies sumtum, miraberis effectum. Estque eadem cinnabaris sufficiens multis centenis doliis iterum æquivalens, si iterato resublimetur. Ubi obiter moneo, quendam aliàs gnavum satis naturalium scrutatorem per dictum hoc *sulphur antimonij* vel *cinnabarim Helmontianam* intelligere illam antimonij cinnabarim communi methodo sublimatam ac præparatam; An autem, effectus ipse sit responsurus, maxime dubito, (quod quidem pace viri curiosi dixero, siquidem quemlibet abundare, suo genio concedo) potiùs ei inhærens opinioni, *Helmontium*, jam citato in loco neutiquam loqui de *cinnabari antimonij* vulgari; sed loqui more suo de aliquo *sulphure antimonij*, arcanô & occultô modô parabili; veluti quidem solet non rarò res propositas aut peculiaribus nominibus definire; aut imposita nomina aliter intelligi gestit.

Rerum physicarum perscrutatio uti summè necessaria commendatur, pro labore hoc cinnabarino apud saniores meliùs defendendo.

Dum hæc scribo, audio quasi mihi oggannientes ac indignantes nonnullos morosos Medicos veteranos, qui sub specie, quod nauseent ludicra, noxia, ac ab omnibus ingenuis meritò detestandæ istius novationis studium, plus justò jurant in Magistrorum suorum verba, piaculum judicantes, si vel minimum, de illa medendi methodo, quam olim in Academijs sunt edocti, ac de rudimentis practicis primò olim usu cerebri ceræ impressis vel unicum gry decederent. Verum enim verò quæ in Tractatibus meis de Tinctura universali, atque de methodo balsamandi antea editis profiteri publice Orbi erudito, non erubui, illud idem hic repeto. Scilicet quemadmodum Antecessoribus nostris de republicâ medicâ bene meritis, aut adhuc merentibus nihil plane honoris detrahere unquam sum ausurus; sed eorum memoriam meritò ac pro virili dum spiritus hos reget artus, reverenter sum habiturus, ita quoque è contra nasutulorum istorum novatorum ab alijs olim sapienter dicta frivole carpentium genium ac mores semper sum detestatus, ac detestabor, dum vivam.

Nihilominus, cum amicus quidem Plato; Amicus Aristoteles, magis amica tamen veritas esse debeat talentum suum cœlitus concreditum otiose terræ mandare; sed eodem pro divino honore ac proximi commodo augendis laborare ac lucrari. Ita quemlibet suo abundare sensu libens - lubens concedo, liberumque ipsi relinquo, quomodo in extremo judicio de talento ita sepulto, atque somnolentâ mentis suæ socordiâ ac torpore rationem sit redditurus. Ego autem decente candore cum alijs vestigia legam Antecessorum nostrorum superioribus seculis idem egregie præstantium; hoc enim nisi per tot secula laudabili ingenuitate factum, sane tantum honoris gloriosi culmen non attigisset Hygéa nostra.

Optarem equidem, ut & mihi Deus talia otia facere vellet, quò contentus eâdem scientia, eâdemque medendi methodo, quam in Academijs, ac praxin medicam initiatus, edoctus, ac adsuetus remediorum formulis semper inhærere, atque ita amœnæ mentis tranquillitati, sine ulterioribus curis, serijsque meditationibus renovatis, ac continuò renovandis indulgere valerem! Verum conscientiæ meæ (veluti quidem mecum aliorum plurium similiter) non licet esse tam facili; sed dum expendimus, audimus, videmus, quæ & quàm multa rem nostram medicam mirificè amplificantia & ornantia in theoriâ, in praxi, in anatomicis, in chymicis, alijsque ejusdem partibus perfrequentia ac firmissimæ fidei experimenta laboriosi solertesque artis filij Mundo curioso communicarint, & in specie fertili nostro hôc seculô non modio aut trimodio; sed toto horreo admetiantur, assentiri, ac perscrutando illos æmulari, nisi impiæ ignaviæ stigmata nostris inurere velimus animis, cogimur.

Ne autem invidiosa Medicorum istorum indignatio in me solùm sua ejiciat spicula, pro me loquantur simul verba magni *Rolfincii*, quæ extant in dedicatione suar. Disputat. Chymicar. facta ad lucidum *Noribergæ* ornamentum, Dn. Joph. Georg. *Volcamerum: Ignava quædam*, inquit, *seculi depravati ingenia Chymiam quam non adsequuntur, contemnunt; illa autem in arduô positâ clarissimâ luce caligantes eorum oculos obruit, perstringitque; admiratores verò suos animat ad honestum & pingue otium in his studiis locandum eaque facienda, quæ animum caliginibus superioris ævi discussis, inscitiæ exuunt rubigine, gloriàque sunt digna æternâ*, &c.

Ut enim nihil jam dicam de hoc, quid Academiæ nostræ curiosæ leges ac symbolum (*nunquàm otiosus*) exposcant, jubeantque, dico saltem, quamvis servandorum hominum arti addictum, non diffiteri posse, si modò scapham scapham vocitare, ac sine suæ conscientiæ cauterio loqui velit, nos quot diebus invenire, quæ discenda restant. Cùm enim tempora mutentur, nos & mutemur in ipsis, laboremus, quò Dnn. Antecessorum nostrorum inventis addamus alia nova. Nova autem nostra inventa non imputemus eorum socordiæ; sed seculi infelicitati; siquidem procul dubio plura, & fortè adhuc meliora Nos latent, cum imperscrutabile Dei judicium cuilibet seculo ac ætati sua reservet, uti inquirenda, ita invenienda.

Ut autem torpida tardarum ac pigrarum istarum testudinum ingenia eò magis rubore suffundantur, appono hanc instantiam: Quinque lustra & quod excurrit, prætereere, cum apud communem quasi *Germaniæ* in rebus Medico-chymicis Præceptorem, *Lipsiensium* illum Hermetem, D. Joh. *Michaëlis* degerem, praxeos nostræ rudimenta apprehensurus. Quantò applausu, quantôque fœnore autem ille experientissimus praxin exercuerit, plurimorum adhuc inhæret memoriæ. Ex ingenuis fidelissimi hujus manuductoris consilijs integro septennio adcuratissime observavi, quæ discipulum discendi cupidum decent. Eô tempore (ut ad specialiora nonnulla progrediar, pro re penitiùs illustrandâ) Vir laudatus plus millies pro acido vitioso sanguinis hypochondriaco-scorbutici corrigendo laudabili effectu propinabat essentiæ martis succo pomorum Borsdorff.,factæ gutta 30. Item pro æstu febrili sanguinis p. e. ebullientis sopiendô exhibebat tincturæ fl. bellidis, papaver. errat. violar. &c. itidem saltem guttas 30. tam autem sanctâ fide & per conscientiam testor, (quod & mecum fateri coguntur moderni saniores Practici plures) per ultimos aliquot annos vel lustra adeò in deterius cessisse Oeconomiam Microcosmicam, vel statum massæ sanguineæ, ac viscerum successivè adeò esse immutatum, aut inversum potius, ob magis magisque auctum apud tantum non omnes pu-

putredinem scorbuticam, ut, frequenti experientiâ id evincente ac cogente, Ego cum alijs loco modò dictarum 30. guttarum ad harum 50. vel 60. & quidem addito stimulo penetrante, v. g. essentiæ martis portiunculam spiritus salis armoniaci, & tincturis alterantibus adductis arcanum duplicatum *Mynsichti*, &c. adscenderimus; minore illâ, ac olim solitâ dosi suum non amplius scopum in operatione medicamentosa attingente.

In multis ita hæc dosis medicamentorum assumendorum hodiè vult augeri ob materiæ morbosæ contumaciam, ceu modò dictum. E contra in multis circumstantijs summe molliuscule jam tractari massa sanguinea cum visceribus, ob Archæum à cruditatibus scorbuticis violentioribus mirum quantum debiliorem redditus superioribus temporibus.

Sic v. g. plurimis ideò cautissime sunt adhibenda, non tam ipsa purgantia, quam saltem laxantia; Nec minus venæ sectione cautiùs mercari cogimur, ne, cum sanguinis copia simul balsamum ejusdem jam dum parcum & impurum, imò ipsam huic inhabitantem animam quasi evacuemus. Me potissimùm autem loqui de *Saxoniâ* nostra superiore, cujus sum incola, quilibet sanus judicabit, de locis remotis sentiant Medici ipsis inquilini.

Si itaque jurassem solùm in verba ac methodum magni hujus ac candidi Præceptoris, quanta-quanta conscientiæ hactenus inussissem cauteria?

Instantiam hancce autem neutiquam in opprobrium magni mei Præceptoris ac evergetæ de me summe meriti; sed in honorem veritatis à me fuisse propositam santissime protestor; neque lingua mea, dum hîc ero, ullam, nisi honoratissimam de eodem proferet mentionem, ejusdemque præcepta ac regulæ medicæ olim inculcatæ, quantum quidem honoranda veritatis cultura, ac temporis mutationes permittent, uti antea mihi fuerunt, ita & imposterum erunt αὐτὸς ἔφα.

Tacerem hâc de re, cum semper laboraverim, ne ulli hominum, multò minus Christiano, ac in specie Medico (& huic etiam me fortassis seniori) dictis factisque meis molestiæ creentur studiumque contradicendi ac carpendi genius meus summe aversetur, nisi honestus veritatis amor aliam adhuc crenæ meæ extorqueret instantiam, quæ est talis: Quod miraculosa *Theriacæ* ac *Mithridatij* præprimis quidem alexipharmaca virtus per quot secula in sui stuporem singulos rapuerit, rusticorum etiam norunt pusiones. Hôc tamen non obstante, invicta experientiæ testimonia diversorum Medicinæ nostræ Procerum ultimis hisce aliquot annis evicerunt, tantum abfuisse, ut contra pestem modernam Germaniæ, Patriæ dulcissimæ, diversa loca dolor! misere torquentem eorum efficacia innumeris sanè viribus antea, si quid aliud se commendans millies - millenis in eandem more solito confidere solitis, porrò & huic satisfecerit, ut potius exacerbatis ab adsumtione symptomatibus mortem acceleratum viderint; Vel ad minimum modò laudatis Theriacæ ac Mithridatij alia temperata remedia admiscenda esse, ex usu didicerint. Quod quidem, salvô aliorum judicio, ingredientibus horum bonam partem calidioribus adscribendum censeo, quippe quæ à sæviente in massas nostras sanguineas tyrannide scorbutica vix & ne vix quidem nunc amplius tolerantur tali modo, ac sine temperatorum medicamentorum additione, veluti quidem Dnn. Antecessoribus nostris erat solitum & licitum.

Hæc de invento hoc meo *cinnabarino* dicto hac vice sufficiant, usque dum cum Deo & die fortasse alia & ampliora & majora insequantur. Illi, qui Medicum & medicamenta è terra creavit, eumque à Viris prudentibus non sperni pronuntiavit, faxit, ut per illud sanitas multis conservetur aut vacillans reddatur, atque ita è miraculoso hoc alijsque similibus operibus gloriosa Creatoris nostri munificentia amplificetur; atque altiora magis magisque sumat incrementa!

Hactenus Clauderus.

CINNAMI.

Est vox indeclinabilis quâ *Mesue* Cinnamomum minùs exquisitum designat, sicut & voce *Archemi* selectius ac perfectius significat. Quidam *Cinnimi* pro *Cinnâmi* habent, sed contra mentem ac intentionem Mesues, *Meuve*.

CINNAMOMUM.

Non levis est controversia inter eruditos, an cinnamomum veterum, cum Cinnamomô hodiernô seu Canella eadem res sit, an diversa, & hodie penitus ignota. Revera si cinnamomum veterum fuerit quale ab illis describitur, surculi seu virgulæ tenues fruticis non magni, in Arabia nascentis, canella nostra esse non potest, ut ex descriptione patebit.

Verum quoniam fabulosa, varia & incerta sunt quæ de cinnamomo & cassia à veteribus Græcis & Latinis traduntur, ego potius in Garciæ ab Horto, Monardis, Scaligeri & Amati sententiam propendeo, veterum scil. & Recentiorum Cinnamomum nec non cassiam eorundem unam & eandem rem esse. Dioscorides scribit, Cassiam esse virgulta crassi corticis, Piperis folijs: Cinnamomi verò descriptionem prorsus omittit. At Theophr. Cassiam & Cinnamomum magnitudine viticis, multos lignosos habere scribit. Plinius Cinnamomum dicit fruticem esse, duorum cubitorum altitudine amplissimum, palmique minimum. Galenus 1. *Antid.* arcam Romam delatam è Barbarorum regione tradit, longitudine cubitorum quatuor cum dimidio, & licet cassiam & Cinnamomum diversas arbores esse statuat, scribit tamen Cassiam sæpe in Cinnamomum transmutari: sic Cassiæ surculos cinnamomi prorsus persimiles. Quæ cùm ita sint, ego cum Garcia sentio, tam longa difficilique via olim petita fuisse hæc aromata, ut perfectam eorum notitiam consequi veteribus haud facile fuerit. Hinc factum ut innumeræ fingerentur fabulæ, quas Herodotus pro veris refert. Et quoniam ingens eorum erat pretium, majorque in hominibus lucri cupiditas, adulterabantur aromata, & hac ratione fiebat, ut diversa illis inderentur nominâ, tametsi plerunque ejusdem essent generis. Propter locorum igitur distantiam, & minus frequentatas hasce regiones à mercatoribus, probe cognita Cassiæ historia veteribus non fuit. In loco etiam ab illis erratum: Nam neque cassiam, neque cinnamomum apud Æthiopes aut Arabes nasci multis probat idem Garcias; quæ apud ipsum vide.

At inquies, Veteres latere non potuit quid ad se pro Cinnamomo adferretur, cortex ne an virgulæ; illi autem expressè affirmant virgulas fuisse: proinde cinnamomum seu canella nostra veterum cinnamomum esse non potest. Imò hoc non impedit quin idem fuerit. Nam (ut rectè Casp. Hoffmannus) Quod magnam in planta ipsa nobis affert difficultatem, (est quòd mutata sit ratio afferendi ad nos. Antiquitùs enim tota planta, cortex cum ligno afferebatur: at cùm animadversum esset lignum tantùm non inutile es-

cortex tantùm fuit allatus: & fit hodieque. Hæc quamvis nobis maximè verisimilia videantur, non est tamen reticenda opinio Jo. Bodæi à Stapel, quam à Dodonæo hausit, Magni (inquit) nominis Botanicus Dodonæus Caryophyllorum tenues ramulos cinnamomum veterum esse, Pempt. 1. *lib.* 5. *cap.* 19. *scribit. Sarmenta seu virgulta tenuia, quæ cum caryophyllis inferuntur legitimum veterum seu cinnamomum.* Hanc approbo opinionem; Omnibus enim notis veterum repræsentant cinnamomum. Sunt nigra, ex vinosoi n cinereum vergentia, colore ei quem descripsit Galenus omnino simili; sunt etiam lævia hæc virgulta, tenues ramuli, frequentibus satis nodis cincti, per quam olentia, odore Baccharis, sapore acri ac mordaci cum calefactione & salsedine quadam, neque (ut Galenus observavit) mordicando palato tristitiam inferunt, rutam etiam ubi manducantur manifestè præ se ferunt: cùm franguntur ac friantur pulverulenti quid emittunt, & nonnihil lanuginosa videntur. Quare nullum est dubium cur cinnamomum veterum esse non credam. Inferet quis, cur itaque hodiè negliguntur? Respondeo, hoc fieri, quod caryophylli ipsi in locum ramulorum successerunt, qui Galeno, Dioscoridi, Theophrasto incogniti fuerunt; & ad hos non fuere delati, vel quod in *Zeilan*, ubi suam mercaturam agebant, Moluccæ enim ipsis incognitæ fuere, (quæ plusquam 200. milliaria à *Zeilan* sitæ sunt) arbor caryophyllorum fructum non fert, vel quia temporibus veterum incognitum fuit indigenis tam aromaticum ac præstantem ferre fructum, vel quòd perpaucum tulit, quem incolæ sibi servarunt, magis probabile videtur. &c.

Verùm rationes istæ non persuadent: Cùm enim Recentiores qui judicio valent (C. Bauhino fatente) cinnamomum officinarum, vulgo *canella* dictum, legitimam antiquorum cassiam existiment. Galenus autem cinnamomum prorsus simile est optimæ Cassiæ affirmet. Et alibi, cassiam cinnamomo genere proximam usque adeò esse, ut ex ipsa cinnamomum quandoque oriatur, spectenturque interdum cassiæ arbores integræ in quibus aliqua cinnamomi virgulta è cassiæ ramis prodeant, cassiam denique in cinnamomum transmutari. Cumque Theophrastus aliique veteres corticem in cinnamomo tantùm utilem esse scribant non lignum; probabilius inde inferri existimo, cinnamomum nostrum hodiernum, cinnamomum veterum, eorundemque cassiam ligneam unam eandemque rem esse; nec aliter differre cinnamomum veterum à cassia eorundem, quam cinnamomum sive canellam officinarum nostrarum à cassia lignea ipsis dicta; quæ Garciæ sententiâ non aliter, à se invicem differunt, quàm nascendi loco & accidentibus indè ortis: siquidem Cinnamomum seu canella cortex est arboris cinnamomiferæ Zeilanicæ; Cassia lignea cortex ejusdem specie arboris in *Malabar* nascentis. Garciæ verba sunt. Verum cum mercatores eam quæ in *Zeilan* nata esset canellam ab eâ quam ex Java & *Malabar* sumpserunt differre conspicerent, diversa illis indidere nomina, cum tamen ejusdem generis essent cortices, pro soli cœlique varietate solùm differentes, ut plerunque idem fructus pro regionum & soli varietate suavior fieri aut à naturali bonitate degenerare solet.

Officinæ nostræ cassiam ligneam à cinnamomo seu canella distinctam faciunt. Cassiam enim cinnamomo crassiorem plerunque esse, colore rubicundiorem, substantiâ duriorem, solidiorem & compactiorem, gustu magis glutinoso, odore quidem & sapore cinnamomum referre, optimo tamen cinnamomo imbecilliorem & minùs vegetam esse, ex accurata observatione *Th. Iohnsoni.*

Est ergo meâ sententiâ (ut jam dixi) cassia lignea offic. canellæ Malabaricæ cortex; cinnamomum seu canella *eorundem*, Zeilanicæ. Non tamen id fidenter affirmo, cùm Jo. Bauhinus scribat cassiam ligneam saporem suum aromaticum (qui in cinnamomo seu canella paulatim evanescit) conservasse etiam post 30. annos, & Jac. Breynius utramque harum (cassiam ligneam & canellam) peculiarem arborem agnoscere se dilucidè demonstraturum promittat.

Diversas recentiorum de cinnamomo & cassia sententias omitto. Cùm enim plena & accurata cinnamomiferæ arboris descriptio & historia ab autoribus αὐτόπταις & fide dignissimis tradita sit, supervacuum planè esset iis recensendis, & vel confirmandis, vel refutandis immorari.

Cæterùm cassiam sive casiam παρὰ τὸ κάσαι dictam volunt, quasi κοσμοῦσαν διὰ τῆς εὐοσμίας τὰς αἰσθήσεις.

Vires & usus. Mira naturæ diversitas in hac arbore conspicitur. Destillatur ex radicis cortice camphora, ejusdemq; oleum. Ex trunci cortice oleum cinnamomi; ex foliis oleum caryophyllorum; ex fructib. oleum junipero simile, cum pauxillo cinnamomi ac caryophyllorum mixtum; ex his excoquitur oleum pingue, crassum instar ceræ, ad emplastra, unguenta ac candelas conficiendas commodissimum, medicamentum itidem internè & externè usurpatum summè anodynum. Oleum hoc, referente *D. Knoxio*, consistentiâ & colore sebum refert, æquè enim durum & candidum esse, odore fragranti, quo in unguentis utuntur indigenæ ad dolores leniendos, & ad lucernas, non tamen ex eo candelas conficere, quoniam nemini præter Regem licitum est candelis uti. Quinetiam folia contusa caryophyllos potiùs quàm cinnamomum redolere scribit idem.

De canellæ viribus placet adscribere quæ tradunt *Horti Malabarici Autores.*

Radicis cortex in decocto datus, vel in pulvere cum melle seu saccharo servit pro tussi & phlegmate expurgando: idem contritus & permixtus cum aqua confert in podagra, facta perunctione. Cortex stipitum in decocto datus confert quoque flatibus. Idem in pulvere datus cum aqua calida dolores ventris sedat fluxumque ex frigore obortum sistit. *Nostrates non sine successu lacti, vel zythogalo, vel cerevisiæ cinnamomum incoquunt ad diarrhœam sistendam.* Decoctum etiam cinnamomi recentis in vino rubro nimios mensium fluxus cohibet, *Ephem. German. An.* 10. *obser.* 25.

Foliorum succus cum pipere & saccharo datus pro doloribus ventris, & renum flatulenta materia serviunt. Folia in pulvere data cum saccharo conferunt in vertigine capitis, uti & *flores* in pulvere cum saccharo & aqua frigida dati.

Oleum quod ex cortice radicis, cum sale volatili *Camphora* dicto, per destillationem simul extrahitur insignium & multarum est virium optimè confert in omnibus affectibus paralyticis exteriùs in tempore applicatum: in podagra summum ac præsentaneum est remedium, vehementes partium affectarum dolores illico sedans ijs inunctum, ad quod etiam confert intus sumptum: in asthmate alijsque affectibus pulmonaribus sanandis intus sumptum: in asthmate alijsque affectibus pulmonaribus sanandis intus sumptum etiam maxime confert, uti & ad malignitatem febrium corrigendam, estque sudorem pellens, in gangræna & sphacelo, alijsque affectibus: ulceribus malignis optimè quoque prodest, juvatque etiam pro impetiginibus, doloribus artuum, ventris, oculorum, nec non tumoribus membrorum ex frigidis & pituitosis humoribus obortis; præterea in pedum contusione ut & vulneribus, sensum partium

tium stupefactum réparans; prodestque in rheumate seu fluxu capitis, ejus odore, qui illico ex titillatione sternutationem quam rheuma ciet sistit; in flatibus discutiendis quoque efficax est intus sumptum; appetitum quoque excitat ac calculosis prodest: suntque hæ vires experientiâ compertæ. *Camphora* servit in affectibus uterinis ad provocanda menstrua, sudores quoque ciet.

Oleum corticis arboris confert in affectibus ventriculi, in torminibus ventris à frigore ortis. Aqua cinnamomi, ut & florum cinnamomi destillata, cardiaca habetur oleum ex foliis prodest exterius applicatum in colica; summum remedium paralyticis. Eorum aqua conducit in affectionibus cardiacis frigidis, daturque in potionibus sudoriferis.

Quæ antiqui & recentiores habent de cinnamomi viribus, non multum differunt ab his quæ recensuimus, nimirum conducere ad putridos & serosos humores in ventriculo stagnantes; ad crassos etiam & viscidos; prodesse omnis generis obstructionibus unde laudatur in hydrope; ictero, calculo, ischuria, mensibus retentis, partusque difficultate, &c. Laudatur etiam in affectibus pectoris, tussi, asthmate, &c.

In insula Zeilan non minùs frequens est arbor cinnamomifera in sylvis & sepibus quam corylus apud nos, nec ab incolis pluris æstimatur, sed sine delectu unà cum aliis arboribus ad focum instruendum vel alium quemcunque usum cæditur. Suspicantur nonnulli cinnamomum ad nos ex Indiis delatum olei sui maxima parte ibidem spoliari antequam navibus huc deportandum imponatur, quippè quòd hic destillatum paucissimum oleum præbeat. *Raius.*

Cassia lignea & *Cinnamomum* cortices exotici in plurimis conveniunt, uterque enim eodem modo colligitur & exsiccatur, & insulam Ceylon inprimis patriam agnoscit, diversarum tamen arborum fœtus, quèm & saporis diversitas distinguit, & masticatio, quæ in Cassia lignea viscidítatem aliquam ori exhibet, ipsaque sensim in eo liquescit & consumitur, cùm cinnamomum è contra lignosum quid post se relinquat. Cæterùm odoratissima sint oportet, subrubrum colorem & aromaticam acrimoniam plurimam habentia. Adulterantur corticibus capparis ac tamarisci in aqua cinnamomi maceratis & siccatis; veruntamen dolus hic rarus & satis carus est, facileque deprehenditur. *Pharm. August.*

CIONIA, vid. *Purpura.*

CIRCULARE & CIRCULATIO.

Circulatio & *Pellicanatio* significant unum & idem, quorum illud sic dicitur à motu materiæ blandè instituto, hoc verò ab instrumento, quod pellicanum, vocant, quale depingit *Sennertus* in Institutionibus.

1. *Quod digestio est destillandorum, id circulatio destillatorum.* Admodum scilicet affines sunt operationes digestio & circulatio, differunt tamen etiam ex parte, ratione finis & modi. Magis sc. circulantur spiritus jam facti, sic spiritus salis vitrioli, nitri, cum spir. vini circulantur, ut dulcificentur.

2. *Circulatio est principaliter liquidorum & volatilium, adæquatè aliorum*, cum liquidis conjunctorum. Liquidorum, ut quasi maturescant, subtilisentur, exaltentur, unde sine liquido circulationem concipere non licet, & fit igne digestionis, calore blando.

3. *Circulatio fit vasis arte clausis seu hermetico sigillo, seu alio,* ut nempe in se ipsos agant spiritus nec libere avolare queant.

4. *Circulatio unit heterogenea, volatilisat fixa, figit volatilia,* unde non levis est operatio, sed magni admodum usus. Inprimis huc pertinent circulatum majus & minus, arcana duo *Paracelsi* menstrua, quorum loco aquam temperatam, ut vocant, id est, spiritum vini, cum spir. salis vel vitrioli maritatum usurpant. *Wedelius.*

CIRCULATORIUM vid. sub titulo, Instrumenta Pharmaceutica. Item mox *Circulare* & *Circulatio.*

CIRSIUM.

Cirsium est secundum Dioscoridem planta quæ unicum profert caulem triangularem duos cubitos altum, ad cujus angulos spinæ quædam molliores per intervalla pronascuntur. *Folia* folii buglossi non multùm sunt absimilia, eorumque inferiora admodum rosarum sunt disposita &c. Quibus addit idem Autor, quòd hæc planta, aut saltem ejus radix varicibus adplicata, earum dolores tollit. *Meuve,*

Ejus nomen est à substantivo κίρσος varicem significante, quia scilicet planta, ut mox dictum varicibus est specifica.

CIRSIUM vid. *Buglossum.*

CISSUS, vid. *Hedera.*

CISTUS GENUINUS.

Cistus, græcis κίστος & κίσθος & κίσσαρον: fortè inquit C. Bauhinus à κισσὸς hedera ob aliqualem foliorum similitudinem, quod non placet. Theophrasti exemplar olim corruptum fuisse, & Plinium pro κίστῳ κισσὸν legisse constat, nam hederam vertit. Dioscorides tamen Ægineta aliique hederam etiam κιστὸν appellant. Jo. Bodæus à Stapel accentu differre putat & cùm Cistum significat κίσον cum accentu in penultima scribendum putat, cùm Hederam κισσὸν accentu in ultima, Κίσον autem à Cisto puero nomen sumpsisse fabulantur. Fabulam vide apud Cassianum Bassum. Alii à κὶς κιὸς vermis, curculio, κισὸν dictum volunt, quia lignum hederæ est admodum porosum & aquam transmittit, ac si à curculionibus erosus & perforatus esset; quomodo & pumex κισσαρὶς ob eandem rationem dictus est.

Cisti genuini notæ characteristicæ sunt, Fruticosum esse & substantia lignea, florem habere pentapetalon amplum, & quasi roseum, caducum; capitula pentagona. Folia habere in caulibus & ramulis ex adverso bina omnibus cisti generibus commune est.

Nos Dioscoridem cum aliis plerisque Botanicis sequuti Cistum dividimus in non Ladaniferum seu cistum simpliciter dictum, & ladaniferum; non ladaniferum deinde in Marem & fœminam. Marem vocamus qui florem habet rubrum nunc saturatiorem, nunc dilutiorem: fœminam qui album, luteumve.

Vires. Vim adstringentem cisto attribuunt: unde flores in vino austero triti & bis in die poti dysenteriis & solutionibus ventris prosunt: ulceribus veteribus & ambustis cum cera: & per se oris ulceribus. *Raius.*

Cistus Montanus, seu, *Ledum Alpinum Duplex.*

Hæ plantæ genuinæ cisti speciés sunt ex flore & vasculo séminali, loco tantum differunt.

1. *Nomina.* Ledum alpinum hirsutum *C.B.* Ledum alpinum sive Rosa alpina *Park.* Nerum alpinum quibusdam, aliis Ledum hirsutum *I.B.* Cistus Ledum alpinum Clusij *Ger.*

Multis *stolonibus*, duris ac lignosis, cubitalibus aut paulò longioribus, vix unquam surrectis fruticat. Folia potissimùm per ramorum extrema conspiciuntur,

tur, & illic quidem conferta breviora quàm ledi alpini glabri, & obtusiora, Chamæciœ Italicæ foliorum æmula, utrinque virentia, sed virore saturato & splendente, inferne dilutiore, per ambitum pilis, ceu ciliorum, longis & conspicuis oblita saporis non ingrati, aromatici & nonnihil resinosi cum adstrictione quadam. Germinum extremis insidet coma *florum*, pediculis hirsutis inhærentium, deorsum inflexorum & propendentium, campanulæ modo concavorum; qui summa labia quinque divisuris secta, habentes, foris intensius rubent, & argenteis veluti guttis (cum ipsis unde dependent petiolis) conspersi sunt, interiore verò parte dilutiùs rubri, aliquot *staminulis* intra latentibus, suaviusculi odoris. Iis succedunt exigua *capitula* quinque cellulis constantia, in quibus *semen* fulvum minutissimum scobis instar. *Radix* dura, lignosa, oblonga; sed rami per terram sparsi interdum radices agunt.

In summis Sneberg, Snealben, Wechseln, Durrenstein & vicinarum Alpium jugis inter saxa ad devexa plerunque latera invenitur. Nobis in præruptis Alpium scopulis propè Pontebam oppidum, quod Venetianum & Imperiale territorium disterminat, observatum est.

Floret Junio & Julio: semen Augusto maturescit aut aliquantò seriùs.

2. *Nomina*. Ledum Alpinum foliis ferrea rubigine nigricantibus *C. B.* Nerium Alpinum quibusdam, aliis Ledum glabrum *J. B.* Chamærhododendros Alpigena *Ger.* Ledum Alpinum sive Rosa Alpina *Park*.

Rami huic contorti, digitali crassitie, cortice vestiti extimo quidem cineraceo, interiore autem nigricante; at minimi *ramuli* subinde etiam rubente cortice teguntur; per quos *folia* circa fastigium conferta, glabra, brevibus hærent pediculis, Lentisci foliis paria; nec formâ dissimili, nisi quòd crassiora, nervosiora, minimè in ambitu hirsuta superiore parte virent, inferiore ferruginei sunt coloris, saporis adstringentis & quodammodo resinosi. *Flores* habet superiori similes, sed paulò dilutiores: *capitula & semen* similia. *Radix* oblonga, lignosa, dura, subnigro cortice.

Hujus folia Clusio rariora nec ita conferta, majora, duriora, admodum venosa, longiore mucrone prædita quàm præcedentis.

Hujus porrò circulorum summitatibus *capitula* quædam increscunt squamis foliaceis congesta, oblonga, & gemmæ majoris speciem exhibentia, colore russo foris, intus flavescente, cujusmodi in Salicibus cernuntur. Foliis verò ramisque adnata aliquando reperiuntur tubercula nunc nucis Ponticæ, modo Pisi magnitudine, inæqualia, foris rutilante aut pallescente nonnunquam colore, intus fungosâ, albâ, gustuque adstringente pulpâ plena, quæ gallorum vicem præstare possint, cujusmodi pilulæ Quercuum foliis sæpissimè accrescunt. Perpetuâ fronde viret.

Juvenis Clusius in Snealben supra Neuberg: non in summis jugis montis Juræ propè Genevam: *J. Bauhinus* utrumque in montibus Rhæticis ut Burmio. Floret utrumque Junio & Julio: *Semen* sub Augusti finem aut paulò seriùs maturescit.

Vires. Utroque Ledo Alpino tinctores, qui montium *Sneberg* & aliorum vicina inhabitant ubi provenit utuntur ad lineas penulas nigro colore inficiendas. *Raius*.

Cistus Ladaniferus.

Hoc genus humore pingui, ladano dicto, quem copiosè exsudant folia à præcedentibus distinguitur.

E foliis Cisti Leden appellati exudat liquor quidam, Ladanum dictus, in massas graves ex purpura fuscas coactas, odore valido sed suavi, inflammabilis, accensaque gratum odorem halans.

Tradit Dioscorides succum hunc hircorum barbis dum fruticem depascuntur adherescere, indeq; depecti, nec barbis tantùm, sed & femoribus villosis. Quidam etiam (inquit) funiculos per frutices trahunt, & adhærentem ipsis pinguedinem derasam efformant. Qui modus eum colligendi idem ferè est quem Bellonius in Creta observavit, & accuratius ita describit. Græci colligendo Ladano peculiare instrumentum parant rastro dentium experti simile. *Ergastrij* illis dictum; huic affixæ sunt multæ ligulæ sive *Zonæ* è corio rudi nec præparato confectæ: eas leniter adfricant Ladanis fruticibus, ut inhæreat liquidus ille humor circa folia concretus, qui deinde à ligulis per summos ardores solis cultris est abradendus. Itaque Ladanum colligendi summus, imò intolerabilis, est labor, cùm totos dies ardentissimo caniculæ æstu in montibus hærere necesse sit: neque facile quisquam alius ad id colligendum operam sumit præter *Callohieros*, i. e. Monachos Græcos.

Si quis tamen in Hispanis huic colligendo operam navare vellet, multò minore (ut Clusio videtur) negotio magnam ejus longè purissimi illius sedi, quod Cistus sedem flore maculâ nigricante notato inscribitur.

Vires. Ladanum emollit, digerit, maturat, attenuat, aperit, orificia venarum reserat, inspissat. *Quòmodo autem emolliendi & aperiendi, cum spissandi & adstringendi facultate convenire potest?* Unus præcip. (inquit Schroderus) est in capite humido ac catarrhoso, inque dysenteriis. Laudant veteres in tussi à crassa pituita, in stranguria, &c. Extrinsecus usus est in emplastris emollientibus, anodynis, tussim sedantibus, in apoplexia (inunge vel coque in vino & lava) in odontalgia & cardialgia doloreque ventriculi (cum modico Bdellii pilulas faciunt dandas numero 1. vel 2. hora 1. ante pastum. *Crato*.) in suffocatione uteri (introrsum adhibitum) cicatrices curat. *Schrod.*

In suffumigiis efficax est, in pellendis secundinis & fœtibus immortuis, in scirrhis uterinis: peculiariter ad uteri vitia convenit. *Diosco. Galen. Plin.*

Maximè celebratur in ulceribus antiquis & cavis cum magno labiorum tumore & duritie.

Galenus Ladanum defluentes capillos retinere posse concedit, non tamen apoplexias aut ophthalmias sanare, utpote magis discussorias vires quàm quæ Ladano insunt poscentes. *Raius Hist. pl. T. 2.*

CITRAGO vid. *Melissa.*

CITRINELLA.

Citrinella quæ Gallice *Tarin* vocatur avicula est alaudâ multò minor, coloris subflavi, cantus debilioris non ingrati. Ejus caro epilepticis proficua creditur.

CITRIUM vid. *Mala Citria.*

CITRULLUS.

Anguria Græcorum recentiorum vocabulum est, eò primum Aëtium usum esse volunt; rationem nominis non invenio: Aliàs Citrullus à citri luteo colore dicitur.

Ejus notæ sunt semina Peponum similia, nullâ in margine elatâ lineâ, in carne mediâ seu pulpa rubente latitantia, colore nigricante; fructus magnus Peponum non dissimilis.

Nomina. Anguria citrullus dicta *C. B.* citrullus folio colocynthidis secto, semine nigro, quibusdam Anguria

guria *I.B.* Citrullus officinarum *Ger.* Anguria sive Citrullus vulgatior *Park.*

Spargit per terram *sarmenta* fragilia, hirsuta, *foliis* vestita amplis, in profundas lacinias dissectis, asperis & hirtis, è quorum sinu exeunt capreoli, nec non pediculi *flores* sustinentes luteos, quos *fructus* excipiunt magni & rotundi, quos ferè ambabus manibus ambias; cortex duriusculus sed lævis, nullis tuberculis inæqualis, atro-viridior, dilutissimè virentibus maculis perfusus: carô Cucumeris vulgaris, alba, firma, grati saporis: *Semen* fungosâ meditullium occupante substantiâ immergitur, oblongum, latum, compressum, nigrum, rugosum, duriusculo cortice præditum, sub quo medulla alba, esui grata ut cucurbitarum.

Corticis colore variat, qui aliis viret, aliis subcandidis maculis aspersus est: caro aliis rubens & dulcior, aliis candida: semina colore nigro, rubro, fulvo.

Vires. Anguriæ fructus, (inquit Matthiolus) frigidus est & humidus, siti arcendæ aptissimus. Quo fit ut Itali, ardente Sirio, ejus pulpâ internâ se refocillent. Confert ardentibus febribus & linguæ ariditati quàm maximè. (Species illa quâ Itali æstivo tempore utuntur, cujusque esum etiam febricitantibus permittunt, est Melo aquaticus dicta: Qu. an hæc, an diversa species sit quam in Ægypto in tantam excrescere magnitudinem aiunt ut unus requirat unum hominem, ad quas certis Cayri locis sedet venditor, quæ prætereuntibus ex cochleari præbet succum.

Anguriæ usus illis convenit qui tenuis & imbecilli sunt temperamenti, macri & exangues; quibus acidæ potiones non conveniunt quæ maciem magis augent.

Semen citrulli est è numero quatuor frigidorum majorum, cum quibus temperamento & viribus omnino convenit, ut eadem repetere non sit opus.

Citrullo vel Meloni Indico accedens Camolanga, *I.B.* adeò breviter & obscurè describitur ab iis qui de illo scripserunt, ut nihil certi & distincti quo innotescat indè colligere possimus. *Raius.*

CLARETA, vid. VINUM, ubi de *Vinis Hippocraticis*, aliisque *medicamentosis variis.*
Hic rursus tamen *Clareta quædam.*

CLARETUM LAXATIVUM *Zwelferi.*

℞. *Vini albi boni* ℔ 5. *cui immergantur*, *cinnamomi opt.* ℥ j. *caryoph.* ʒ 3. *nuc. moschatarum* ℥ ß. *fœniniculi* ʒ ij. destillentur ex alembico vitreo, vel per baln. n. vaporosum ad prolectionem ℔ 2. ß. aquæ prolectæ odoriferæ, & spirituosæ porro infundantur.

Rad. Mechoacæ albæ ℥ i ß. *galappæ, turbith, ana* ℥ j. *cremoris tartari* ʒ 3. *cort. arantiorum, citri ana recent. extim.* ʒ 2. facta extractione & digestione per biduum circiter loco tepido, vitro autem probè clauso, fiat colatura cum expressione, quæ filtranda, ut fiat essentia clara, ac tandem *Sacchari can. albi* ℥. 3. edulcoranda, usuique asservanda est, tanquam claretum seu vinum Hippocraticum laxativum. Cujus dosis ℥ 1. ad 2.

Pro abstemiis etiam Claretum hoc fieri potest ob saporem ac odorem gratum, non redolens purgantia, quemadmodum ejus ingredientia Cathartica prorsus inodora sunt, proindè delicatioribus Medicinam cæteroquin omnem aversantibus offerendum.

Nota: Præscripto modo ex diversis *Catharticis* Clareta confici possunt, utpotè *è rhabarbaro, foliis senæ, gummi gamandræ*, atque similibus, & quidem sine ulla coctione violenta, vel alio calore magno digestionis, quemadmodum multoties expertus sum, *Cathartica* plurima haud parum de virtutibus, vi & energiâ suâ perdere, coctionibus violentioribus commissa, fierique insuper & odore & sapore ingratâ; licet porrò *harum specierum* vis totas cathartica una tantum simili extractione vel affusione menstrui, quodcunque etiam illud fuerit, non proliciatur, possunt tamen, ne quidquam pereat, *residua à prima extractione species catharticæ* ulterioribus extractionibus aut coctionibus subjici, atque pro vilioris conditionis hominibus medicinam non aversantibus, purgantia Medicamenta ex iisdem parari.

Notetur præterea: Quod non abs re vinum destillatum ad dimidias pro extractione *harum specierum catharticarum* contulerim, sed factum est, ob resinosam earum substantiam, in quâ totâ ferè eorum vis purgatrix consistit & proin spirituosa & homogenea desiderat Menstrua pro sui extractione aut dissolutione, aquosa verò respuit. Qui verò è *vino crudo & claro*, clareta similia laxativa conficere intenderint, ii æquè minus imprudenter sibi consuluerint.

Claretum Hydragogum *Zwelferi.*

℞. *Vini albi boni Mens.* 2. *Viennenses*, *seu* ℔ 8. *cui immergantur cinnamomi acuti* ℥ i ß. *caryoph.* ℥ ß. *maceris, nuc. moschatarum, cardamomi cum suis capsulis ana* ℥ ß. *cort. arantiorum, citri ana recent. extim.* ʒ vj. *& brevi factâ maceratione abstrahantur in alembico vitreo, vel in balneo n. vaporoso* ℔ 3. *Huic vino destillato infundantur rad. mechoacæ albæ, galappæ ana* ℥ i ß. *sem. ebuli recent.* ʒ 10. *medullæ sambuci ligni* ℥ ß. *vel* 1. *gummi gamandræ in petia ligati & triti* ʒ 2. *cort. arantiorum, citri ana recent. ext.* ℥ ß. *cremoris tartari* ʒ vj. *tartari vitriolati* ℥ ß. *factâ porrò maceratione per biduum, fiat colatura cum expressione, quæ clarificanda, & additis sacchari albi can.* ℥ v. *pro edulcoratione, fiat claretum.* Quod in affectionibus hydropicis & cachecticis non sine emolumento exhibetur, educit serum superfluum ex universo corpore, obstructionesque reserat. Dosis ℥ 1. 2. ad 3.

Claretum purgans in Catharrho *ex Schrodero.*

℞. *Mechoacann. alb.* ℥ ß. *cinamom. opt.* ℥ j. *caryophyll.* ℥ ß. *zinziber. piper. galang. cardamom. cubeb. ana* ʒ j. *macis* ʒ ß. *nuc. moschat. num.* 2. *sem. anis. fœnicul. ana* ʒ ij. *h. majoran. basilic. lavendul. ana* ʒ j. *incis. grosso modo affunde spir. vini* ℔ iij. *aq. cinamom. rosat.* ℥ iv. *vini malvatic.* ℔ j. *macerentur per* 4 ☍☉ *& colentur per manicam Hippocr. rec. colatur. q. s. sacchar. mannæ ana* ℥ ij. *iterum stet in loco calido donec clarescat.*

Clareta varia ex Mynsichto.

Claretum antepilepticum laxativum.

℞. *Folior. senn. elector.* ℥ ij. *turbith albi gummosi, mechacoannæ ana* ℥ ß. *ras. cornu alcis, cranii humani, nuc. moschatæ ana* ʒ ij. *rad. & sem. pæoniæ debitè collect. visci, quercin. ana* ʒ i ß. *cardamomi min. cassiæ ligneæ, caryophyllorum ana* ʒ j. *flor. pæoniæ macis. lilior. convall. lavendulæ, tiliæ ana* ʒ ß.

Macerentur in vini rhenani ℥ xxvi. stent in infusione in loco calido per biduum; postea coquantur parum & additis sacchari albiss. ℥ iij. clarificentur per manicam Hippocratis, & f. claretum.

Vires, Usus, Dosis. Cephalicos & Comitiales omnes feliciter & sine molestia purgat, & divinum Epilepsiæ remedium est, quod morbi causam & fomitem efficaciter tollit. Interim verò Epileptici omnes

nes Clareto hoc utentes, sibi caveant ab omni terrore, ira, aqua, igne, vino, ejaculatione tormentorum; Imò omnes animi motus vehementes evitent; Nec non ebrietatem tanquam Pestem fugiant. Dosis ab ℥ i. ij. ad ℥ iv. tempore matutino.

Claretum Antapoplecticum.

℞. *Fol. senæ elect.* ℥ *ij. turbith. alb. & gum.* ℥ *j. bac. juniperi, rad. zedoariæ ana* ℥ *ß.*

℞. *Agarici alb. & levis hellebori nigri præp. ana* ʒ *ij. galangæ min. cubebarum, zingib. alb. cinamomi ana* ʒ *j. flor. lavendulæ, primulæ veris, calendulæ, lil. convall. ana* ʒ *ß.*

Infundantur in vini Rhenani ℥ xxxvi. macerentur in B. M. per biduum; postea coq. parum & additis Sacchari alb. ℥ iv. clarificentur per manicam Hippocratis & f. Claretum.

Vires, Usus, Dosis. In Apoplexia qualicunque, Paralysi, Sopore, Stupore, Caro, Veterno, Comate, Noctambulonibus, memoria amissa, cæterisque cerebri vitiis, Claretum hoc mirabile est. Dosis ab ℥ iij. ad ℥ iv. vel ℥ v. manè in aurora.

Claretum Passularum laxativum.

℞ *Passular. min. vino elotar.* ℥ *ij. fol. senæ elect. mechoacanæ ana* ℥ *j. rad. glycyrrhiz. rasæ, cinamomi acut. sem. anisi contus. ana* ℥ *ß. herb. pulmonariæ maculos. phillitidis ana* ʒ *ij. tussilaginis, marrubii ana* ʒ *i ß. flor. epaticæ alb. hyssopi, salviæ ana* ʒ *j. croci orientalis, macis ana* ʒ *ß. ficuum ping. jujuben. Sebesten. Dactylor. ana num.* 8.

Macerentur in Hydromellis opt. & antiqui aq. hordei ana ℔ iij. per 24. horas; postea coq. parum, & additis Sacchari candi alb. ℥ iv. clarificentur per manicam Hippocratis, & f. Claretum.

Vires, Usus Dosis. In orthopnœa, asthmate, peripneumonia, tussi inveterata, dolore utriusque lateris, cæterisque omnibus diuturnis pectoris angustiis, hepatis & lienis affectibus, appropriatum & laudatissimum est laxativum. Dosis ab ℥ iv, ad ℥ vi.

Claretum Absinthiacum laxativum.

℞. *Fol. senæ elect.* ℥ *ß. turbith, alb. & gum. mechoacannæ ana* ʒ *vj. absinthii pont. bacc. juniperi ana* ℥ *ß. rad. ireos nostrat. esulæ min. præp. ana* ʒ *iij. sem. fœniculi, carvi ana* ʒ *ij. calami aromatic. zingiberis alb. cinamomi acut. caryophyllorum, zedoariæ ana* ʒ *j. flor. epaticæ alb. sambuci, genistæ ana* ʒ *ß. croci oriental. epithymi ana* ℈ *j.*

Incisa & contusa infundantur in vini rhenani ℥. xxxvi. Macerentur in B. M. & post debitam digestionem, ebulliant parum & additis sacchari alb. ℥ iv. clarificentur per manicam Hippocratis, & f. claretum.

Vires, Usus, Dosis, In cachexia, hydrope, hepatis & lienis obstructionibus, febribus, colicâ, scorbuto, Scabie, &c. selectissimum & specificum est laxativum, pedentim omnes peccantes humores præparans, atque evacuans. Dosis ℥ iv.

Claretum Rhabarbaratum.

℞. *Fol. senæ elect.* ℥ *ij. rhabarb. opt.* ℥ *j. rad. scorsoneræ* ℥ *ß. herb. phyllitidis, hepaticæ ana* ʒ *iij. sem. petroselini, apii ana* ʒ *ij. galangæ min. cassiæ ligneæ zingib. alb. caryophyllorum ana* ʒ *j. flor. centaur. min. epaticæ alb. rosar. rub. cichorei ana* ʒ *ß. croci oriental. epithymi ana* ℈ *j.*

Macerentur in B. M. in vini rhenani ℥ xxxvi. per biduum; postea ebulliant parum & additis sacchari alb. ℥ iv. clarificentur per manicam Hippocratis & f. claretum.

Vires, Usus, Dosis. A ventriculo, hepate & splene, tam atram, quam flavam bilem purgat, & sanguinem, omnes obstructiones liberando & affectus inde sanando, insigniter rectificat. Hinc in hydrope, ictero, scorbuto, lienis tumore & hypochondriorum dolore, febribus quamplurimis &c. appropriatum & conveniens est laxativum. Dosis ℥ iv. addita acidi tartari ʒ j. mixtaque calidè offerantur.

Claretum Antipodagricum laxativum.

℞. *Hermodact. alb. & à cortic. superior. mandat. fol. senæ elect. ana* ℥ *ij. turbith. alb. & gum. mechoacannæ ana* ℥ *ß. herb. chamædrios, verbenæ ana* ʒ *ij. sem. fœniculi anisi ana* ʒ *i ß. cardamomi min. cinnamomi acuti macis croci oriental. ana* ʒ *j. flor. ireos nost. verbasci, violarum, anthos ana* ʒ *ß.*

Macerentur in vini alb. tenuis ℥ xxxvi. in loco calido per biduum; postea coq. parum & additis sacchari alb. ℥ iij. clarificentur per manicam Hippocratis & fiat Claretum.

Vires, Usus, Dosis. Pituitam crassam, præsertim à juncturis & membris remotioribus trahit. Ob id podagræ & aliis arthritidis differentiis articulorumque doloribus mirè confert. Dosis ℥ iv. addita cryst. tartari ʒ j. misc. & f. haustus calidè exhibendus, tempore matutino; qui si ad horam decimam forsan nihil præstiterit, præsertim in robustioribus, à prandio iterum bonus haustus sumatur, & sic iteretur per aliquot dies, donec fuerit absumptum.

Claretum Stomachicum, confortans.

℞. *Cinnamomi acut.* ℥ *j. mentæ crisp.* ℥ *ß. mastichis elect. galangæ min. caryophyllor. ana* ʒ *ij. calami aromatic. cardamon. min. zingib. alb. lig. aloës ponderos. rad. pimpinellæ zedoariæ ana* ʒ *E.*

Macerentur in vini malvatici ℥ xxxii. per aliquot dies; postea clarificentur per manicam Hippocratis & f. Claretum.

Vires, Usus, Dosis. Contra frigida stomachi vitia ferè omnia, nec non tremorem, syncopen & vomitum cordis, medicamentum est specificum: De quo patiens, manè & vesperi, vel tempore necessitatis, pro una dosi capiat cochl. j. ad duo vel tria, cum guttula una atque altera sp. vitrioli, invicem benè mixta.

Claretum Juniperinum.

℞. *Spir. vini juniperini* ℔ *iij. aq, rad. enulæ camp. tussilaginis loch. sani. ana* ℔ *j. cinnamomi acut.* ℥ *ij caryophyllor integ.* ℥ *ß.*

Infunde aliquot dies; postea per manicam Hippocratis destilla & sacchari cand. alb. ℥ xvi. edulcora, & usui reserva,

Vires, Usus, Dosis. In asthmate, tussi, cæterisque pectoris vitiis, nec non imbecillitate & inflatione ventriculi; item in dysuria, stranguria & calculo, excellens est. Dosis à coch. 1. ad 2. vel 3. aliquoties in septimana.

Claretum Anisatum.

℞. *Spir. vini anisati* ℔ *iij. aq. loch. sani, marrhubii flor. violar. ana* ℔ 1. *cassiæ ligneæ* ℥ *ij. macis minutim concis.* ℥ *ß.*

Macerentur per octiduum; postea additis sacchari candi alb. ℥. xii. clarificentur per manicam Hippocratis, & f. Claretum.

Vires, Usus. Dosis. Anhelosis & Asthmaticis, aliisque thoracis affectibus à frigidis & crassis humoribus subortis, pulmonumque bronchijs inhærentibus,

bus, & vel Tussim antiquam dyspnœam parientibus, mirè confert Dosis præcedentis, cochl. 1. ad. 2. vel 3.

Claretum Chalybeatum.

℞. *Vini malvatici opt.* ℔ iii. *chalybis cum aceto tamarindor. præp.* ℥ i. *rad. scorzoneræ, acidi tartari ana* ℥ ß. *galangæ min. Cassiæ ligneæ, caryophyllorum, ana* ʒ i.

Hæc in vas vitreum indita misceantur, digeranturque loco calido, movendo aliquoties, per biduum: Deinde coletur & per manicam Hippocratis clarificetur, & habes claretum chalybeatum.

Vires, Usus, Dosis. Omnes obstructiones, Hepatis & Lienis, venarumque meseraicarum reserat atque aperit. Cachexiam corrigit. Omnes humores pravos exterminat. Icterum nigrum curat. Menstrua movet & superflua sistit. Hydropicos omni aquâ exonerat, flatus discutit, & sal in resolutione peccans ad coagulationem promovet, terramque microcosmicam nimio madore tumentem, radiis suis Martialibus exsiccat. In usu autem hujus, qui in dictis illis affectibus longiusculus est, adhibenda subinde lenia purgantia, corpusque ab humoribus, quos ad egestionem præparat hoc vinum, per illa evacuandum & purgandum, prout alias in cæteris etiam curationibus, ubi chalybeata adhibentur medicamenta. Fert usus Dosis hujus Clareti ab ℥ j. ad 2. & 3. Uncias, manè & vesperi. In mensium defectu juvenibus offeratur quinque diebus ante novilunium, senioribus ante plenilunium, & tamdiu procedatur, donec menses appareant.

Claretum Antinephriticum.

℞. *Hordei integri, cicerum rub. ana* ℥ i ß. *rad. ononidis, eryngii ana* ℥ j. *glycyrrhizæ, petroselini, ana* ℥ ß. *bac. Iuniperi contus. gran. alkeking. ana* ʒ ij. *sem. milii Solis, oxyacanthæ, althææ, malvæ min. ana* ʒ i ß. *flor. genistæ, violarum, ana* ʒ j. *corticarum ping sebesten, ana nu.* n.

Infundantur in Vini alb. tenuis & aq. pluviâ ana ℔ 3. per 24. horas, postea coq. ad tertiæ partis consumptionem, ut remaneant ℔ IV. quibus adde Sacchari albiss. ℥ IV. & per manicam Hippocratis clarificentur & f. claretum,

Vires, Usus, Dosis. Miram utilitatem Nephriticis exhibet. Calculum enim Renum & Vesicæ cum urina meatus urinarios dilatando; Ileorum, Lumborum & Renum gravitates ac obstructiones compescendo & reserando mirè dissolvit, confringit atque impellit. Dosis omni manè, jejuno ventriculo bonus haustus vel ab ℥ *iii.* ad ℥ *iv.*

Claretum Moschatum.

℞. *Cassiæ ligneæ* ℥ ß. *caryophyllorum* ʒ *ii. nuc. moschatæ, macis, cort. citri, ana* ʒ *i. rad. ireos flor. galangæ min. ana* ʒ ß. *santali citrin. lig. aloës, ambr. grisææ, mosch. opt. ana* ℈ ß.

Pulverisatis & mixtis adde Vini Malvatici & odoriferi ℥ XX. & stent. in digestione per aliquot dies; posteà adde: Sp. Rosatum ℥ IV. & clarificentur per manicam Hippocratis & f. Claretum, quod pro delicatis sacchato candi edulcorari poterit.

Vires, Usus, Dosis. Mirabile experimentum est, præmissis tamen universalibus & facta purgatione, in fœtore oris & nasi quorum halitum emendat suavitatem accersit, & ventriculum & cor corroborat. Patiens quolibet manè Stomacho jejuno cochl. 1. vel 2. assumat.

Claretum Purgans.

℞. *Fol. senæ elect.* ℥ *i.. rad. ireos nostrat.* ℥ *i. mechoacannæ, hermodact. alb. turbith. alb.* ℥ ß. *herb. agrimoniæ, scolopendr. veronicæ, ana* ʒ *ij. sem. fœniculi, anisi, ana* ʒ i ß. *cassiæ ligneæ, caryophyllorum, zingiberis alb. cardamom. acut. ana* ʒ j. *flor. genistæ, melissæ, buglossæ, salviæ, ana* ʒ i ß.

Infunde in vini veteris s.q. macerentur per 14. horas postea coquantur, & in colatura adhuc calidâ ℥ XVI. dissolve mannæ calab. ℥ IV.

Iterum cola & adde,

Aq. cinnamomi ℥ j. *elæos. citri* ʒ j.

Denuò misce & f. l. a. Claretum laxativum.

Vires. Usus, Dosis. Pituitam & aquas educit, & à juncturis trahit: Cephalæam & Epilepsiam juvat, Veteres defluxiones sistit: ob id podagræ & aliis arthritidis differentiis confert, & articulorum, coli, & Renum doloribus utile est catharticum. Dosis ab ℥ *iii.* ad ℥ *iv.*

Vinum Antiscorbuticum.

℞. *Vini rhenani* ℔ IV. *suc. cochleariæ, nasturt. aquat. beccabungæ, acetosæ ana depurat.* ℥ IV. *rad. raphani sylv. enulæ camp. ireos nost. ana in orbiculos tenues incis.* ℥ i ß. *sem. erucæ contus.* ℥ j.

Mixta ponantur in vitro, & in loco frigido ad suos usus reservantur, addendo nuc. moschat. test. num. 2.

Vires, Usus, Dosis. Vinum hoc medicatum, præmissis tamen universalibus & corpus debitè evacuantibus, Scorbuticam colluviem, in hisce maritimis & aquiloniis regionibus, in quibus Scorbutus domesticus & vernaculus est, perfecte curat, & alias in rectificatione sanguinis infallibile est experimentum, Dosis ab unc. *iij.* ad unc. 4. manè, & vesperi horis duabus ante cœnam & medicamenti hujus usum æger continuet, donec melius se habere, animadvertat.

CLARIFICARE,

Clarificare potissimum de decoctis ac succis dicitur, quæ, cum crassis scateant excrementis, clarificatione, id est, purgatione egent. Clarificationis hujus præcipui modi sunt 1. per albumen ovi, 2. per digestionem, tum 3. per filtrationem.

Per *Albumen* hoc modo peragitur. Albumen ovi virgula agitatur donec penitus in spumam abeat; spuma hæc infunditur rebus clarificandis, coquanturque simul una ac altera ebullitione, ut crassiora albumini adhærescant. Hinc separantur despumando, colandoque, & simil.

Per *digestionem* quæ fit clarificatio, nihil peculiare habet à digestione, quâ crassiora feces ve ad fundum paulatim secedunt, unde per decantationem à liquore separari possunt.

Per *filtrationem*, vid. filtrare. *Schroderus.*

Clarificatio est sordium crassiorum à medicamentis liquidis expurgatio; sic enim gratiora palato redduntur, & facilius distribuuntur. Clarificantur autem multa per se sola, dum portio magis feculenta subsidet ut succus pomorum, arantiorum, citriorum, buglossi, acetosæ: Quædam despumatione, alia colatione, additis sæpius albuminibus ovorum; aliquando etiam sine his; ut cum succi plantarum & fructuum coquuntur ad tertiæ partis consumptionem, deinde biduum sinuntur, donec clarescant. Unde clarificatio modis quinq; fieri dicitur, quiete, colatione, dispumatione, aceti vel acidæ rei mixtione, & albuminum ovo-

rum cum re clarificanda agitatione, & coctione. Decocta enim & syrupi si acetum recipiant, per se magis ac magis aceti vi purgantur. Ovorum autem albumina scopulis agitanda sunt, donec tota spumescant, tum syrupis admiscenda vel decoctis, quæ postea recoquuntur. Et ubi coctione perfecta perfectè albuminibus spuma colligata est, artificiosè deradenda ac separanda vel trajectione communi, quæ fit per pannum quatuor angulis totidem clavis firmatum, vel colatura magis particulari, quæ fit per manicam Hippocratis. Debet verò ter aut quater iterari colatio donec aut syrupus aut decoctum planè claruerit.

Recentiores quasdam potiones forma julepi conficiunt, quæ cum consistentia valde claræ, claretæ nuncupantur. Tales verò redduntur modis superius enumeratis. *Renodæus.*

CLAVICULA, vid. *Capreolus.*

CLEMATIS.

Clematis dicitur à κλῆμα sarmentum, quoniam flagellis vitigineorum æmulis arbores conscendit.

Notæ ejus sunt flos quadrifolius seu cruciatus, cinciani seu plumulæ longæ villosæ in plerisque speciebus seminibus adnatæ, sapor fervidus.

Nomina. Clematis latifolia sive Atragene quibusdam *I. B.* Clematitis *Sylv. latifolia*, sive Viorna *Park.* Viorna *Ger.*

Sarmentis aliquatenus vitigineis luxuriat, crassis, iisque angulosis, rugosis, junioribus subhirsulis, subinde rubentibus, obsequioso flexu lentis. *Folia* quina, Dulcamaræ æmula, aliàs integra, aliàs densata & fimbriata, gustu acria, viticulæ medicæ tortili, qua capreolorum loco vicinis arbustis implicita scandit, adnectuntur. *Flores* excipiunt acini complures, cuneatim indidem orti, pinnatæ lanuginis tomento bardati. *Radix* crassiuscula, fulca, fibris donata.

Illius sarmenta (inquit Clusius) in Pannonia conspiciebam bracchiali crassitudine, nodis carentia recta, rimoso cortice vitis instar tecta, hastæ interdum longitudine sub vastis arboribus, & sale ramos spargentibus (quibus se implicaverat) crescentia. Tantam magnitudinem & staturam apud nos rarò assequitur. Ramuli ejus cinerei sunt lenti & tenaces, unde viminum aut funiculorum loco inserviunt januis aut craticulis colligandis, fasciculis vinciendis, &c.

Vires & usus. Gustus fervidus & acris calidam vim arguit. Usus ejus est ad circulos pro retinendo labente utero. Ad constringendos fasces veluti salices & alia vincula adhibetur *I. B.*

Flore, semine, cortice & radice vim urendi habet.

Species illa quæ *Flammula* dicitur, digitis trita, acerrimo odore velut fulgor momento nares ferit admota. E Flammula utraque tam recta, quàm scandente elicitur aqua, quæ spiritus vini instar fervida est. Hanc compertum est (inquit Matthiolus) efficacissimam esse in morbis frigidissimis. At certè intra corpus non decet assumi, nisi alijs aquis probè mista & temperata, nè viscera lædat.

Sunt qui hujus oleum commendant ischiadicis, articulorum iliumque doloribus, urinæ angustijs & renum calculis, in quibus morbis aut calidum illud inungunt, aut clysteribus infundunt. Id autem præparant hoc modo. Flammulæ folia tenuissimè concisa in rosaceum imponunt, quod vitreum vas exceperit, ac inde per æstatem insolant obturato vase. Datur etiam in cibis hisce morbis affectis ℥ iij. pondere. *Raius.*

CLIMIA, vid. *Cadmia.*

CLINOPODIUM.

Κλινοπόδιον dicitur quòd ἄνθη ἔχει ὡς κλίνης ποσὶν ὅμοιοι, quod orbiculato florum ambitu speciem pedum lecti præbeat, *floribus ex intervallis marrubii modo dispositis.* Plin. Foliis est majoranæ sylvestris, florum tubis quam in marrubio longioribus, calycibus in quinque spinulas terminatis.

Nomina Clinopodium majus *Park.* quorundam origani facie *I. B.* origano simile *C. B.* acinos *Ger.*

Radicem obliquè sub terra agit, fibris obiter dimersis. *Caules* cubito altiores sunt, tenues, quadrati, hirsuti. *Folia* majoranæ sylvestris, minùs odora, ad nodos opposita, utrinque hirsuta. *Flores* in verticillis magnis densè stipati, oblongi, galeati, purpurei, *è calicibus* gracilibus, oblongis, striatis in quinque spinulas desinentibus, tribus superne, duobus inferne oppositis. Florum autem *calices* non insident singulis pediculis singuli, sed plures simul in eodem communi pediculo. *Semina* singulis quatuor succedunt parve subrufla.

Ad sepes & in vepretis passim nascitur *Raius.*

Vis est adstringentis, desiccativæ, resolutivæ, viscerum corroborativæ, imò in mulieribus menses ciere creditur.

CLYMENUM, vid. *Peryclymenum.*

CLYSTER.

Usitatissima decoctorum species & exemplum sunt *Clysteres*, quorum consideratio eò attendi magis meretur, quò communior hæc ipsa remediorum est formula.

Ut enim circa hos & *in defectu* & *in excessu* peccari soleat vulgò attamen medium tenuere beati. *In defectu* peccant illi, qui *Helmontium* secuti clysteres penitus damnant, & à scholis medicis ejiciunt, seu pudore immaturo persuasi, unde pudendum medicorum subsidium vocant, sive quod intestinis sint ingrati & hostiles, & purgantia sint venena, sive quod efficaciam nullam in corpus evibrent, cum ad ileon adscendere nequeant; sive aliis, quæ apud *Helmontium* videri possunt. Secutus is in hoc quoque est *Paracelsum*, qui *l. 2. de tartaro tr. 1. c. 6. explicat. p. 422.* de clysteriis quid dicam, *ait*, turpissimum medicamen est.

Verùm cum naturâ præside hîc turpe nihil sit æstimandum, effato *Claudii*, meritò retinentur, cum eluant intestina, & remedia suo quoque genere sint universalia, quæ corpori mediatè succurrunt, uti immediatè intestinis, idque 1. à *necessario*, si quidem id vel adstrictior alvus, vel indurata sæpè scybala, & porta inferior occlusa postulet. Si necessarium est aperire alvum, media quoque hujus rei omninò erunt necessaria, jam verò sæpissimè nullo alio succurri potest quàm hoc ipso; non purgantibus, occlusis v. g. viis, vel fecibus exsiccatis nimis, vel flatibus, & aliàs distentis; non lenientibus, quæ sunt debiliora; non suppositoriis, quæ & debilius agunt, & solùm stimulant, & eadem facilitate rejici queunt, quid ergò subsidii restat? moriendumne potius quàm naturæ quovis modo suppetiæ ferendæ?

2. Ab *utili.* Plura habent commoda clysteres, quæ expectari nequeunt ab aliis alvum solicitantibus. His cito & tuto succurrimus, certa hinc salus, quoad hoc quidem, certum remedium obtinetur. Nullum evacuans certius alvum ducit mitius naturam solicitat, efficaciusque id efficit, quàm clysteres. Si ergò brevi mora, certa spe voto damnari potest æger, cur non præsentaneum hoc remedium vel ipse vel medicus arripiat? Imò locum habent clysteres, ubi purgantia alia vel non possunt, vel non debent adhiberi: sive æstimes vires, conveniunt etiam debilissimis, quicquid etiam vulgus Germanorum circa id ipsum metuat, quod moriendum sæpè putat, si clyster applicetur; sive vias occlusas neque paten-

patentes; sive alia commoda plura, unde in infantibus, calculosis, iliacis, colicis citum promittunt & exhibent levamen.

3. A *jucundo.* Nulla hîc locum habet molestia, nulla nausea, nullus metuendus corporis, nulla tormina, nulla virium debilitatio. Quodnam quæso remedium ullum aliud, quo succurri potest naturæ, citra hanc molestiam tam exprompté officium suum facit ?

Unde concludimus meritò, τό ὅτι esse certissimum, clysteres esse adhibendos, retinendos, clysteribus carere non posse medicinam, naturæ ministram, multò minus damnandos & eliminandos.

Fertur Primas quidam Russiæ obstructione contumacissima alvi laborans, cui succurri aliis nullo modo potuerit, hoc remedio cito, tuto & jucundo proposito, mori maluisse, quam illud admittere. O miserum hominem! quid non mortalia pectora cogit vana persuasio?

In excessu verò peccant, imprimis cæteri quidam vulgares medici, ut etiam in proverbium abierit eorum medendi methodus, quod in tribus illis consistat, clysteris, venæsectionis, & purgationis adhibitione, quibus non juvantibus initæ insistunt viæ, repetendo idipsum, timentes, ne è viâ hâc regiâ vel latum unguem flectentes in avia deveniant, sed de hoc usu legitimo inferius dicturi sumus,

Videbimus ergo 1. *Quid sint*, & in quibus consistat eorum formalis ratio ac quidditas. Absolvitur hæc ipsa duobus, *injectione* nempe, & *elutione.*

Generali scilicet notione Clysterum censum subeunt, quæcunque injiciuntur corpori, ut eluant, hinc ab hisce etiam nomina sortiti sunt, ab *injiciendo enemata* dicuntur, ab ἐνίημι, *injicio, immitto, infundo*, ut adeò enemata sint infusa, quæ pro elutriatione immittuntur; & quidem non simplici infusione, sed quæ compressione quasi penitius injicitur; hinc ab eluendo, lavando, quod cum sono quasi, vi vocis, parietibus cavitatis illiditur liquor, dicuntur *clysteres, clysteria, clysmata*, unde & Latinis *lavamen*, lotorium, licet non adeò usitatè, Gallis verò *lavement* dicuntur, ut taceamus hinc & instrumento secundariò, & liquori principaliter hoc nomen promiscuè seu potius in concreto sumtis tribui, neque enim vel liquor sine fistula, vel hæc citra liquorem clyster audit, sed ad unum perfectum actum utraque hæc requiruntur.

Hinc pertinent huc injectiones quæcunque aliæ eluentes & mundantes, ut injectiones per siphonem in angina, febribus, dysenteria &c. in aures, quas ὠτεγχύτοις vocant, item quæ immittuntur ulceribus sinuosis & fistulosis, quem in finem aliquando ipsum elixir proprietatis injecimus utiliter, utero, qui soli etiam clysteres, sed cum additamento uterini vel μητρεγχύτων audiunt. Hæc omnia quippe conveniunt materiali, in genere decocto vel liquore calido, & formali, ipso injiciendi modo, differunt verò tum loco, tum inprimis fine; unde.

Κατ' ἐξοχὴν & seorsim clysteres prædicantur de illis injectionibus, quæ fiunt in anum, seu os inferius, quas ἐντερεγχύτας nominare possis, ut adeò sint clysteres proprio hoc sensu intestinorum infusa & lavamina seu diluvia.

Hinc definiri potest clyster, quod sit *decoctum, pro elutriandis intestinis ano injectum.*

Decoctum est, seu liquor decoctione vel calefactione paratus; utut enim & liquor simplex citra additamentum ullum injici possit quoque intestino, verbi gratia, aqua, lac, in vermibus præsertim, serum lactis, vinum, sanguis (In dysenteriâ & hæmorrhoidum nimio fluxu, omnis enim sanguis sistit sanguinem) urina, in hydrope, oleum, jura carnium & similia; utut etiam clysteres euporisti & minoris apparatus confiteri & immitti queant verbi gratia, aqua sale acuata, (quo pacto novimus, addita fuligine, ne agnosceretur, contumacissimam obstructionem sublatam, & id ipsum *Mynsichtus* in desperato casu efferr,) lac calidum cum melle, vel saccharo & sale mistum, & quæ alia huc referri queunt plurima; Nihilominus tamen & illa coctione leni, seu calefactione egent, & præcipuè, si usum spectemus, clysteres ex decoctis parantur.

Quoad *Materiale* itaque clysterum subjectum eorundem principaliter itidem sunt vegetabilia, & quidem inter hæc communissimè & ordinariè magis emollientia, paregorica, carminativa & stimulantia, sive per se, sive mixta, iisdem usibus, quibus hæc debentur, & vel toti corpori vel ventri potissimum dicata, adæquatè & extraordinariè ac pro parte hac ipsa, intestino, inprimis etiam abstergentia, consolidantia, traumatica, quò & anthelminthica, anodyna & similia referri queunt.

Licet verò commodè tum communibus iisdem emollientibus, incidentibus & aliis uti, tum ex huic vel illi parti dicatis propria magis seligere, v. g. in affectibus capitis stimulans tale & attenuans esse potest ruta, in affectibus pectoris hyssopus, uteri matricaria &c. Utut itaque clysteres interdum etiam alterandi fine ordinentur, seu potius in iis applicandis quoque temperiem corporis attendamus, ne nimis calidis utamur in febribus, sed temperatis quoque & refrigerantibus, omnes tamen clysteres elutriant in universum quasi & ab effectu intestina, quacunque demum alia intentione iidem præscribantur, de quo post.

Ex animalibus hîc rarissima vel nulla recipiuntur ingredientia, & si qua hunc censum subeunt, ut cancri, lac, urina, mel, fel tauri, stercus murium, album græcum, vitelli ovorum, illi potiùs liquorem constituunt, vel miscenda, quàm materiale decoctionis ipsius.

Ex mineralium classe unicus ferè nominandus venit crocus metallorum, quem in apoplexiâ, ubi fortiori stimulo ob sopitam magis naturam opus est, sunt, qui commendant, id quod & ad desperatiores casus alios potest transferri, modò non excedatur in quantitate. Sal verò, quod stimulum addit, & ei homogenea alia, itidem in decoctis potius solvuntur, quàm ut decoquantur unâ.

Communia verò & addi vel omitti solita, pro re nata sunt & purgantia illis jam recensitis in subsidium non rarò venientia.

Neque tamen hîc opus est, ut, quæ decocto in genere conveniunt ratione ordinis, doseos duplicatæ, siccitatis vegetabilium &c. repetamus, sufficit, eundem modum quoad hæc servari quoque in clysteribus, ut quæ generi conveniunt, eadem quoque de specie prædicentur. Notari tamen potest. 1. *Usitatiùs & frequentius primò radices, hinc folia, tertiò flores, & sic porrò, recipi.* observato ordine coctionis, quandoque tamen vel radices planè omitti posse, vel etiam foliis postponi solere, prout majori vel minori apparatu clysteres constant, non semper quoque curiosa, ista & religiosa coagmentatione opus esse, præstat tamen eam nosse, quippe facilius in his est demere aliquid excedens, quàm addere deficiens.

2. *Purgantia leviora & fortiora solent in petiâ ligari: illa*, ut melius coctioni obtemperent, quale ferè est solum agaricum, neque enim ob vehementiam illud ita illigandum fuerit; *hæc* verò ut magis virtus extrahatur, quàm substantia ipsa intestinis acce-

accedat, ac hypercatharsin excitet. Sic colocynthis in petiâ ligatur, quæ quidem satis simul est levis: sic crocus metallorum in petiâ ligatur.

3. *Flatibus peccantibus non sola carminativa recipienda*, siquidem illa ipsa rarefaciendo nimis pituitam viscidam productionem flatuum procurant majorem, præstat ijsdem emollientia, ut tensio intestinorum auferatur, & promtius evacuatio instituatur, maritare.

4. *In vermibus enecandis & expellendis dulcia cum amaris non confundenda.* Tunc enim consuetâ ordinariâ methodo dulcia subtus, amara per os exhiberi consuevere, licet natura id sæpenumero invertat, ut nempe hac propellantur, illac verò alliciantur magis, ut descensum meditentur.

Liquorem decocti hujusce frequentius constituit aqua simplex fontana, interdum & jusculum carnis, brodium vervecis, ut in colicâ &c. ut nempe blandâ abstersione factâ emolliantur pingui ejusmodi brodio largius.

Mirum est, quod nonnulli observarunt, quosdam ab injecto vino κάτω inebriatos fuisse.

Per se verò patet, liquoris plus recipi ad coctionem, quam colationem, unde ad ℔ii. vel iii. quandoque in eâ solet adscendi, relictâ dehinc desideratâ quantitate.

Neque differt hæc ipsa ἐγχείρησις clysterum à decocto à priori, quin ipsum, ut superius, quoque hoc loco observatur; sed differunt magis à posteriori, tum fine & viribus, tum additamentis.

Notabile hoc loco est, non adeò damnoso, quandoque clysteres ore fuisse haustos, citra ullam aliam noxam, nisi quod & dosis paulò largior fuerit, & effectus idem paulò molestior.

Factâ itaque decenti, & more suprà de decoctis exposito, decoctione specierum purgantium & emollientium, quarum dosis ad ℔i. colaturæ in Tabulâ assignata est in singulis, ut

4. Ipsum *formale* ritè constituatur, addi solent.

1. *Juvantia*, tum lubricantia, tum abstergentia, quæ quidem ex oleorum, siruporum & electuariorum lenientium classe seligi solent potissimum, tum purgantia, quæ quidem non absolutè sunt necessaria, faciunt tamen ad bene esse, siquidem id alvus requirat obstructior. Neque obstat, paulò crassiorem consistentiam liquori fœnerare ingredientia, modò intrudi vel injici commodè liquor possit, unde nequid nimis cavendum.

2. *Stimulantia*, uno verbo, salina, quò & saccharum referendum est ipsum, ubi per jam dicta instar regulæ notandum, (1.) quò minor est naturæ sensus, eò majorem stimulum & diligentiam requiri, & vice versâ, quò tenerior, ut in tenesmo &c. eò etiam cautius administranda eadem. Hinc in infantibus & senibus parcius eadem induntur, & in illis eadem quoque cautio locum obtinet, ne quid nimis. Deinde (2.) ex hoc facilè patet alterum porisma, quò diutius debent retineri clysteres, ut varij dantur casus, eò minori vel nullo stimulo debere acui.

3. *Oleum* itidem & sal in anthelminthicis omittendum est, utraque quippe hæc vermibus sunt infesta, ut hinc ad exitum minus possint solicitari.

4. Sunt, qui olea quoque, mel & saccharum in febribus ardentibus & in specie phrenitide, item colicâ, excludunt, veriti, ne particulis eorummet sulphureis magis inde calor, æstus & inflammatio augeatur, & fermentatio humorum promoveatur. Verùm metus ille tanti non est, cum & levis sit mora, & alius scopus, emolliendi scilicet: præstat tamen calidiora tunc vitare & cautius procedere; quoad colicam verò, cùm lubricent olea & emolliant, res salva est.

5. In dysentiâ, si quidem clysteres parti magis debitos, intestinis crassis v. g. demulcentes, mitigantes & arrosos parietes lenientes præscribere sit intentio, tum sal nunquam ingredi debet, sed ejus loco parum sacchari, tum olea excludenda, & eis sebum potius cervinum recentius cum lacte substituendum.

De sale res per se patet, non convenire id ipsum, ubicunque irritatio in intestinis ipsis est major, unde & in hæmorrhoidum tumore omittendum est. De oleis verò, & in genere de clysteribus in dysenteriâ elegantissimus locus videri meretur apud *Minderer. med. milit. p. 246. seq.* Olea, *ait* curiose, excludenda pluribus de causis, (1.) quia consolidationem impediunt, experimento à venæsectione desumto, si enim à meridie vena iterum aperienda fuerit, pro impediendâ consolidatione phlebotomo illinitur oleum, ne statim coalescat inde factum vulnus. Idem quoque fit in cucurbitulis, & verum est sane, ulcera inde, reddi sordida, quæ moderatâ potius egent desiccatione, & teste *Galeno l. m. m. c. 2. & l. 4. c. 9.* eadem ulceribus sunt inimica, ut vinum amicissimum. (2.) Quia omne oleum, excepto lini, papaveris, cannabino, & amygdalorum quæ id minus possident, acredinem secum habet, quod demonstratur, si v. g. gutta una olei olivarum instilletur in oculum, inde enim acredo excitatur, citri & limonum succo contra molesta.

6. *Olea destillata* in clysteribus carminativis quandoque induntur, sed paulò rarius & parcâ admodum dosi, ad guttas quatuor vel quinque, ne illorum uredine intestina lædantur.

Et hæc quidem de additamentis post coctionem ordinarijs, ubi illud saltim de oleis notandum, assignatam quantitatem non facile debere transcendi, v. g. ℥ii. quia purgantium additorum vim obtundunt, præterquam eo casu, ubi sola olea liquoris vicem subeunt, ubi ad ℔ß. licet adscendere.

7. Dicendum verò adhuc est de *extraordinariis*, ubi in genere notandum, cautè circa hæc agendum esse medico, ne temerè quid immutet vel tentet, cujus eventus potest esse dubius. In specie verò quod ad opiata attinet, sunt, qui duplici fine addunt clysteribus eadem, anodynâ scilicet & narcoticâ, seu dolores sistendi & summum conciliandi intentione. Pro utroque scopo eò progreditur *Sennertus in prax. c. de phrenit.* ut generaliter asserat, opiata in summo virium lapsu tutius clysteribus quam per os infundi; verùm nos potius dicimus, opiata tutius interius, quàm in clysteribus adsumi. Certior enim inde sperari potest & tutior efficacia. Vide hanc in rem, quæ in *Opiologiâ* disseruimus. Notumque est exemplum *Salmuthi, cent. 2. observ. 97.* quendam ob opium in clysterem receptum ad ℥i. in coma incidisse.

8. Denique ad consolidantes & adstringentes clysteres hinc inde etiam commendantur tum *terrea*, ut bolus Armena, terra sigillata, lapis hæmatites, corallia; tum *gummata*, ut sagapenum, ammoniacum, sanguis draconis, sarcocolla &c. De utrisque verò tenendum est, minus tutò & commodè illud fieri, siquidem immitti quidem hæc possunt, non commodè verò emitti, sed potius affiguntur, adhærent, *legen sich an*, unde in excretione dolor & solutio continui potius augetur: unde etiam observavit *Rondeletius* à gummatibus talibus per clysterem infusis mortem insecutam, citatus *à Schenckio Tom. 1. l. 3. observ. 250.* Par quoque ratio est terebinthinæ Cypriæ, quam in calculo ad ℥ß. galbani, opopanacis, quæ in uteri suffocatione quidam injiciunt.

9. Mo-

9. Monendum eſt de *vitello ovi*, quod conſultum etiam ſit, addere vitellum ovi n. 1. vel 2. quod malè fieri putat *Bauhinus l. de compoſ. medic. c. 9. p. 54.* in clyſteribus alvum lenientibus, cum vitelli non emolliant, ſed potius ſuo lentore impediant, acrimoniam mitigent & obtundant, Verùm utroque nomine rectius retinentur, emollire enim vel ex ipſo lentore patet, corrigere verò reliquarum vim, & defendere ac roborare inteſtinum per alterum ſeu poſterius in aprico eſt. Neque tamen abſolutè opus eſt, ut ſemper addatur, quin commodè interdum omitti poſſit, unde corrigentis nomen ſuſtinere poteſt.

Subjungemus jam ex apparatu in Tabulâ conſignato pauca exempla:

Clyſter polychreſtus emolliens.

℞. *Rad. alth. lil. alb. malv. an. ℥ß. herb. 5. emoll. flor. chamom. an. m. ß. ſem. fœnigr. gr. ʒvi. prunor. dulc. ficuum an. n. v. coq. in ſ. q. aqu. ſimpl.*

℞. *Colat. ℔ j. ol. chamom. lil. alb. mell. anthoſ. ana ℥ß. elect. lenit. ℥ j. ſal. gemmei ʒ j. vitell. ov. n. 1. m. f. l. a. clyſter.*

In Colica.

℞. *Rad. alth. fœnic. ebul. an. ʒ iij. herb. rut. centaur. min. mercurial. parietar. chamom. rom. atripl. an. m. ß. ſem. fœnig. ʒ vj. aniſ. carv. an. ʒ j. baccar. laur. ℥ß. caric. pingu. n. vij. fol. ſen. ſ. ſ ℥ß. coq. in ſ. q. ▽ æ ſimpl.*

℞. *Colat. ℥x. ol. rut. aneth. an. ℥ j. elect. diacathol. hier. Log. an. ℥ſs. Ⓘ ♉iati ʒ j. vitell. ov. n. 1. m. f. l. a. clyſter.*

In calculo.

℞. *Rad. malv. glycyrrh. an ℥ j. herb. ſaxifrag. heder. ter. mercurial. violar. biſmalv. chamom. melilot. a. m ſs. bacc. junip. ʒ ij. ſem. lini ℥ſs. prun. dulc. par. 4. coq. in ſ. q. aq.*

℞. *Colat. ℔ j. ol. ſcorpion. Matthiol. lil. alb. an. ℥ j. elect. diaphœn. ʒ vj. nitr. antimon. ʒ i ſs. m. f. clyſter.*

In febribus.

℞. *Decoct. commun. pro clyſter. ℔ j. elect. diaprun. ſolut. lenit. Florenz. an. ℥ſs. mell. roſat. colat. ʒvi. nitr. ant. mon. ʒ j. vitell. ov. n. 1 m. f. l. a. Clyſter.*

Vel loco decocti.

℞. *Rad. ſcorzon. ℥ j. malv. ℥ſs. herb. malv. viol. lactuc. an. m j flor. 4. cordial. an. p. j ſem. 4. frig. maj. an. ʒ ii. prun. damaſc. n. x. hord. m ſs. coq. in ſ. q. ▽æ.*

℞. *Colat. ℔ j. ſacch. Thom. ℥ſs. vel nitr. antimon. ʒi. ol. viol. ℥i. m. f. Clyſter.*

Uno verbo, poſita ſuperiori hypotheſi variis modis variari poſſunt clyſteres, modò notemus, qui unum novit componere, omnes noverit, etiam ex una vel altera ſolum planta.

Liberum verò eſt medico, utrum herbas & flores more communi manipulis & pugillis, an verò, quod *Mynſichtus* fecit, *ſect. de enematis*, pluribus exemplis, ponderibus determinatis, licet prius illud magis ſit uſu receptum.

Quod *utendi* hinc *Modum* concernit, latiſſimus ſane is eſt; melioris verò ordinis gratia videbimus eundem ſub certis cancellis, & 1. quidem *ratione ſubjectorum*, in genere nulla ætas, nullum temperamentum, nullus corporis habitus ſexuſve excludit clyſterum uſum; & infantibus inprimis, de quibus dubium videri poſſet, commodiſſimè applicantur, etiam recens natis. Obſervavimus tum in aliis plurimis evidentiſſimum inde auxilium, tum inprimis viri primatii filiolum octo dierum, ob tormina, debilitatem, & ſugendi impotentiam fruſtrà adhibitis reliquis, jam ferè ab omnibus deſperatum, hoc remedio feliciſſimè reſtituimus.

In ſpecie verò cui applicatur clyſter, decumbere debet, quod quidem in adultis uſitatius in latus alterutrum fit, inprimis dextrum, pro commoditate & lecti poſitu, in infantibus verò prono vel magis ſupino, quippo iis vix contrarium perſuaſeris; deinde immiſſionem & retentionem clyſteris adjuvare, & id quidem comprimendo anum & anhelitum dilatando, ſeu reſpirationem paulò retrahendo, unde è contrario, ſi tuſſiat, ſternutet, loquatur, vomat, aliiſque modis abdominis muſculos verſus inferiora comprimat; metus eſt, ne admiſſus citius, quàm par eſt, emittatur. Notabilis verò eſt exceptio *Mynſichthi* quicunque *ait*, habet difficultatem anhelitûs, ad retinendum enema omninò non eſt cogendus, prædicto ſcilicet modo, id enim longè fuerit graviſſimum & maximè anxium & moleſtum.

Non opus eſt, addere hoc loco, quomodo intrudi debeant, niſi quod pauliſper fiſtula ipſa ad dorſum deflectenda, & oleo quidem imbuta, ut facilius ſubeat, hinc poſt plenariam injectionem applicato parum bombacis.

Denique quieſcere debet paulò patiens, ut actuari poſſit, non ſurgere, ambulare, vel jectigari horſum & deorſum.

Memorandum hîc, quod ſenibus, ultimi quidem gradus illis, enemata tam proſperè, ut juvenibus, cedere quidem non ſoleant, quod obſervat. *Sydenham tract. de febr.* ex ea ratione, quia nervi debiliores emollientibus facilè lædi & reſolvi poſſunt; id tamen non univerſaliter valet, modo robori nervorum ſimul ſimus intenti, neque frequentius, quam par eſt, id eis ſuadeamus.

2. Ratione *inſtrumenti* notabilis occurrit differentia. Communis quidem omnibus eſt canalis, *Clyſtier-pfeiffe*, buxea, eburnea vel metallina ſyrinx, quæ ano proximè inditur: quoad liquoris verò impulſionem, ut per eundem adigi in inteſtinum liquor poſſit, differentia eſt partim in modo immiſſionis, partim in inſtrumentis, & materiali ipſo, quæ invicem ſe variant ſimul.

Immittuntur verò vel ab alio, quod communis, vel ab ipſo ægro, & quidem vel *comprimendo*, qui mos Germanis eſt ferè familiarior, immiſſo liquore in veſicam bubulam, cujus loco alij quoque corij meminerunt, non uſitati, & manus compreſſione eodem è veſicâ in anum propulſo. Fitque illud mitius, & ſucceſſivè magis.

Vel *impellendo*, *einſprützen*, cum ſiphone ſtanneo, quod Gallis magis conſuetum eſt, & morem hunc dilaudat *Primiros. lib. 4. de vulg. error. cap. 21.* qui id habet beneficij, quod profundiùs magis penetret, & adigatur. Et hic quidem magis quoque locum habet ad propriam applicationem, vel tectam tamen.

Vel *inſufflando*. Memorabile eſt, veteres, quod apud *Hippocratem l. 3. de morb.* alioſque occurrit, folle fabrili inſufflaſſe inteſtina, & hinc clyſtere proluiſſe, in ileoſis inprimis, illud tamen non æquè frequens eſt; licet *Foëſius* & *Amatus Luſitanus* id experimentis ſuis confirment. Hodie verò, quod Britannorum inventum eſt, tabaci fumum κάτω inflant, alvum laxandi fine, luxuria magis quadam, quàm neceſſitate, ut ſcilicet & os inferius deguſtet illud nectar, quod ſuperiori, vulgi quidem opinione tam delicatum eſſe ſolet.

Hinc adeò quatuor clyſterum genera recenſeri poſſunt: 1. communes illi noſtrates; 2. quos ipſi ſibi quis applicare poteſt, inter quos memorandus eſt ex ſeculi hujus initio deſcriptus ab *Hildano cap. 1. obſerv. 77.* & *Heurnio in meth. ad prax.* ex recentioribus verò Graffianus *à Graffio* ante aliquot annos deſcriptus, & uſu ſe illo commendans, quod & ab ipſo ægro ſibi infundi, & ab alio extra lectum injici poſſit. 3. Gallorum, & 4. Britannorum ſcortei ſeu coriacei, parum à Graffiano differentes.

3. Ratione *applicationis* ipſius, clyſteres applicandi ſunt tepidi: tum reſpectu inteſtini ipſius, in genere, frigida

gida enim omnia intestinis, ut membranis & nervis aliàs, sunt inimica, eaq; facilè lædunt, cujus triste exemplum memini contigisse in infante serenissimo, cui cum pharmacopœi neglectu an culpâ clyster actu frigidus applicatus esset, brevi post convulsus obiit.

Licet verò sint, qui in morbis calidis minùs calidos præferant, unde & *Claudinus* in febri ardenti, & ubi statim iterum ejiciuntur, actu frigidos injicere suadet, attamen præstat, medium hoc quasi universaliter tenere.

Neque obstat etiam, quosdam in flatibus dissipandis calidiores requirere, (actu puta;) qui enim per Deum citra uredinem applicabuntur; qui ultrà, quàm jucundo contactu ferri potest, calent? Sunt scilicet hæ speculationes inanes.

Tum quoque ratione doloris id inprimis valet, tepida enim sunt magis paregorica, & blando suo fotu naturam doloribus infestatam sopiunt magis & demulcent.

Deinde etiam clysteres quandoque non *ἀθρόως confertim* simul & semel intrudendi, ubi nempe spatium liquori datur minus, ut in flatibus, sed magis tunc successivè id moliendum venit, secus enim si fiat, eâdem facilitate ejicitur, quâ imprimitur liquor.

4. Ratione *temporis*, minus hoc loco electio locum habet, præterquam respectu cibitionis, idem clysteribus tempus concessum est, quod balneorum, ne crudus chylus ventriculo pleno ad intestina deturbetur; aliàs interdiu & noctu potest fieri applicatio.

Si verò quæratur, quamdiu detineri debeat, non ad primum sensum emittendus est, sed ad semihoram vel paulò ampliùs, si id fieri potest, morandum est, ut eò penitiùs elutriare possit hæc latibula.

5. Ratione *operationis* porro, utroque extremo illa variare solet, aut enim iterum & justo citius rejicitur, aut post unam & alteram quoque horam, seu, non solicitat exitum. Priori succurrimus 1. *Iteratione*, ut novus superingeratur, in quo tamen non audiendi æque sunt illi, qui cum *Mynsichto* hoc casu statim aliud ordinant, & si etiam hoc subito exierit, illico tertium: non enim cogendos esse ægros, ut retineant, sed alios ordinandos. Eximium quoque strategema in eo casu est, si reliquæ species cataplasmatis abdomini applicentur, siquidem id emolliendis fecibus & stimulandæ naturæ optimè potest. Verùm, ne quid nimis. Observandum etiam eo casu quandoque est, an statim effluant à resolutione sphincteris ani, id quod in apoplexiâ non rarum est, & in paralyticis quoque per se talibus observavi injussam prodire alvum.

Alteri casui opem ferimus *stimulatione*. Ponamus enim, elapsis duabus vel tribus horis non egredi intestino, tunc, si vires permittunt, surgat & ambulet parum æger; sin minùs, comprimat tamen ipse ad expellendum. Sunt, qui clysterem alium mediocrem superaddunt, alii suppositorium, quod optimum est; ita enim & porta recluditur, & stimulus archeo additur.

6. Ratione *continuationis continua*, cavendum est, ut jam suprà diximus, ne hoc pacto effœminemus naturam, ut adsuescat huic stimulo; *discreta* vero, ut unâ die ultra duo vel tria enemata, quod itidem *Mynsichti* est præceptum, non facilè ordinentur, & quidem intercedente ad minimum quatuor horarum spatio; imo apud nos, nisi quid urgeat, raro eodem ad alterum solemus procedere.

7. Ratione *doseos* tandem, olim ad ℔ i ß. vel ℔ ij. quoque leguntur ascendisse medici, hodiè vero in adultis ultra ℔ j. præter additamenta ferè non solet adscendi, in infantibus ad ℥ iij. iv. in pueris ad ℥ v. vii. De eo vero quædam quoque addi possunt & notari v. g.

(1.) *Ubi diutius detineri debent clysteres, minori quantitate præscribendi sunt*; id quod in doloribus mitigandis inprimis locum habet, unde *Solenander* in calculo quoque illud præcipit. Idem in lenientibus in dysenteriâ valet.

(2) *Ubicunque intestina gravata, distenta, vel inflata sunt, minor quantitas locum habet:* unde in gravidis, hydropicis, colicis, debilibus, observandum est, quin calculo quoque id valet hoc titulo, ne dolor inde exasperetur: iis casibus ad ℥ viii. ix. x. injici consueverunt, imò sunt, qui ob hanc causam, ut apud *Fallop. l. de purgant. c.* 28. Ruffus, damnant in colicis ventris torminibus clysteres, quod magis distendant, & eorum loco substituunt suppositoria.

Quod denique *usum* spectat clysterum, *κατ' ἄρσιν*.

1. *Non nutriunt*. Legitur quidem hinc inde præceptum, ut præclusâ ordinariâ viâ, sive à paralysi, sive aliàs, clysteribus tentetur nutritio, ut, quantum possibile, servandæ vitæ studeamus, quæ intentio quidem bona est, sed executio difficilis. Imò eò progressi sunt quidam, etiam confectionem alkermes, de hyacintho, & alia ipsis putata confortantia immiscere jubeant. Nos breviter non negamus, communi suo usu clysteres in atrophiâ curandâ prodesse posse, & illud concedemus, siccitatem corrigere eosdem, si qua adest intestinorum; verùm si *usum* consulamus, ut verum fateamur, non usitati hoc fine sunt, neque memini, vel ipsi mihi, vel aliis, talia exempla contigisse; sin observationes & exempla scriptis consignata, vix dum se offerunt, v g. *Hildani*, qui *observ. c.* 4. 30. *f.* 311. aliorum fide refert, gravidam, à morbo per sex septimanas, ab omni ferè cibo abhorrentem, hoc modô fuisse altam. Sed, quis non videt, fallaciam esse non causæ ut causæ? Si *rationem*, evaporatio hîc in chylosas partes loco tam incommodo fieri nequit, unde liberum quidem relinquimus, si velit quis eo casu tentare ultimum quoque hoc remedium, parum tamen fidæ & perfectæ nutritionis inde sperare licet, ubi ex cloacâ facienda est culina.

2. *Veneno educendo, appetitui ciendo*, & quæ alia speciosè his similia scribuntur, *clysteribus particulatim non fidendum*, Quod ad prius enim attinet, producto jam veneno ad intestina crassa, de homine actum erit; quoad alterum, non nisi remotè id fieri potest.

3. *Non in precidentiâ ani, paralysi ejusdem*, & aliis vitiis particularibus, æquè conveniunt

Κατὰ θέσιν clysteres universali & communi usu

1. *Leniunt & purgant*. Ubicunque ergò opus est alvi apertione, clysteres id optimè præstant. Ubi tamen notandum, clysteres purgandi fine debere esse fortiores, de quo insignis locus est apud *Martianum comm. in Hippocrat, pag.* 105. Deinde clysteres quosvis etiam stimulare, licet alios magis, alios minus, omne enim ano suppositum stimulat, etiam simplex aqua, teste experientiâ.

2. *Educunt*, non solùm feces, sed & flatus unde in fecibus induratis, colicâ, ileosis, herniosis, unicè prosunt. Neque obstat authoritas *Plateri*, qui *l.* 3. *observ.* clysmata injicere in hernia non tutum pronunciat, nulla enim est ratio in contrarium, præter inanem metum, unde cum *Hildano cent.* 6. *observ,* 73, *fol.* 396. potius easdem in hernia commendamus. Ducunt quoque mediatè partum, unde in partu difficili laudatissima sunt, inprimis addito oleo momordicæ, Educunt quoque calculum, ut vix in ullo affectui quàm calculo & colica, magis deprehendantur proficui.

3. *Eluunt*, *emolliunt*, *mitigant & revollunt: prius* actuali humectatione, *alterum* tepore suo actuali ac blando, eductione ac evacuatione. Hinc in vicinis quoque, utero, vesica, renibus alterandis & demulcendis prosunt; & remotiùs licèt, in febribus, affectibus capitis, hypochondriacis unicè eos extol-

extollunt, & maximam in ijs curationis spem ponunt. Notandum verò, ubi mitigandum, non purgandum, nisi id unâ indicetur. Sic quoque graveolentia & rancida in fœminis vitanda sunt. *Wedelius.*

Clysteres variæ compositionis è *Mynsichtô.*

Enema Nutriens.

℞. *Jur. Carnis bubulæ. Caponis ana ℥. viij. Crem. Hordei, Lact. Vaccini ana ℥. iv. Vini opt. ℥. iij. Sacchari rosat. ℥. j. Panis tritic. exsic. & pulv. ℥. ß. Vitell. Ovorum No. ij. Misc. & f. l. a. Enema, quod injiciatur, ut est moris.*

Annotatio.

Maximo emolumento ad nutriendum & vires conservandum aliquando administrantur talia Enemata in Anginâ. Faucibus à tumore præclusis. Orificio ventriculi obturato, aut ejus ulceribus & tuberculis. Convulsione oris, paralysi linguæ & similibus, &c. Cum ægri alimenta per os assumere nequeunt, vel Ventriculus nihil retinere valet. Applicetur autem post rejecta excrementa, vel cum dormiunt: alioqui excrementa miscerentur, & inficeretur id, quod injicitur. Optimè ægrotos nutrit.

Enema Bilem Evacuans.

℞. *Passular. min. ℥. iij. Hordei excort. Sem. Lini ana ℥. ij. Rhabarb. ℥. j. Coq. & ℞. Colaturæ ℔. j. Ol. violacei. ℥. iij. Manna Calab. ℥ j. El. de succo Rosar. ℥. j. Misc. & f. Clyster.*

Enema Pituitam Purgans.

℞. *Rad. Enulæ camp, Pyrethri ana ℥. j. Herb. Calaminthæ, Marrubij, Pulegij ana ℥. ß. Agarici trochisc. & in panniculo ligati, Turbith. albi ana ʒ. iij. Sem. Carthami ʒ. ij, Flor. Chamomillæ Anthos ana ʒ. iß. Coq. & us. Colaturæ ℔ j. Ol. Rutæ ℥. iij. Vini Malvat. ℥. ij. Mellis scillitici ℥. j. Benedict. laxat. Diaphænicon. ana ℥. ß. Salis com. ʒ. ij. Misc. & f. Clyster.*

Enema Humores Melancholicos deturbans.

℞. *Rad. Polypodij querc. ℥. j. Petroselini, Fœniculi, Asparagi ana ʒ vj. Herb. Fumariæ, Epithymi Scolopendrij, Meliloti ana ℥. ß. Flor. Chamomillæ Borraginis Buglossæ an ʒ. ij. Sem. Fœniculi Anisi an. ʒ. j. Coq. & ℞. Colaturæ ℔. j. Ol. Anethi ℥. ij. Mellis Anthosat. ℥ j. Conf. Hamech. Diacatholicon. an. ℥. ß. Sal Gemmæ ʒ. jß. Ext. Hellebori nigri. ℈. ij. Misc. & f. Clyster.*

Enema Phlegma & Hydropicorum aquas purgans.

℞. *Rad. Graminis, Asparagi, Petroselini, Pentaphyll. an. ℥. j. Herb. Brassicæ marin. Mercurialis an. ʒ vj. Flor. Sambuci, Genistæ, Stæchados Anthos an. ℥. ß. Agarici in panno ligat, Mechaocannæ Bac. Lauri an. ʒ. iij Sem. Fœniculi, Carvi, Cymini an. ʒ. ij. Coq. & ℞. Colaturæ ℔. j. Suc. Rad. Iridis. nost. exp. ℥. iij. Cort. int. Sambuci exp. ℥. ij. Ol. Rutacei, Anethi an ℥. ß. Benedict. laxat. ʒ vj Salis com. ʒ ij. Misc. & f. Clyster.*

Enema in Cephalalgia, Vertigine, Scotomia, Phrenitide, & alijs Capitis affectibus.

℞. *Fol. Sena Alexand. ℥. j. Rad. Bryoniæ, Agarici an. ℥. ß. Herb. Majoranæ Chamomill. Centaur. min. Salviæ Origani an. ʒ. ij. Flor. Lilior. convall. Anthos an ʒ. jß. Pulp. Colocynthid. Hellebori nigri ana. ʒ. j. Misc. & coq. in s. q. aquæ pulvial. medietatem &.*

℞. *Colaturæ ℔ j. Ol. Verbenæ ℥. iij. Mellis Anthosat. ℥. jß. Sal. com. ʒ. ij. Misc. & f. Enema, quod injiciatur.*

Aliud Enema Cephalicum.

℞. *Rad. Asari rec. exsic. ℥. j. Furfur. tritic. ℥. ß. Herb. Calaminthæ, Betonicæ, Malvæ, Mercurialis, Chamomill. an. ℥. ij. Ex quibus fiat Decoctum, de quo sumatur ℔ j. & adde. Ol. Flor. Sambuci ℥. iij. Mellis rosat. ℥. ij. El. Diasenæ ℥. j. Sal. Gemmæ ʒ. jß. Misc. pro Enemate.*

Aliud Enema fortius.

℞. *Hellebori nigri ℥. ß. Sem. Colocynthid. contus ʒ. iij. Herb. Chamomill. Rom. Verbenæ, Majoranæ, Origani, Altheæ an. ʒ. ij. Sem. Fœniculi Carvi Anisi, Coq. & ℞. Colaturæ ℔ j. Ol. olivarum ℥. iij. Mellis Anthosat. ℥. jß. Sal. commum ʒ. iij. Ess. Fol. senæ. ʒ. j. Misc. & f. Enema.*

Annotatio.

De horum Enematum laxativis potest secundum sexum, complexionem, ac ætatem deponi vel addi, quod etiam in cæteris omnibus observandum.

Enema specificum in Melancholia, Mania, Tristitia, Congelatione, Quartana, Scabie, Impetigine, Morphæa, Cancro, Elephantiasi, Scirrho Lienis, & in omnibus malis ex atra bile procreatis.

℞. *Rad. polypodij querc. ℥. ij. cort. myrob. Ind. herb. fumariæ, hyperici, majoranæ, cuscutæ, lupuli, stæchados an. ℥. ß. hellebori nigri ʒ. ij. coq. & ℞. colaturæ ℔ j. ol. chamomillæ ℥. iij. hieræ logadij ℥j. tartari vitriolati, sal. gemmæ an. ʒ. jß. Misc. pro Enemate.*

Aliud Enema specificum in Melancholia, &c.

℞. *Cort. rad. buglossæ ℥. ij. fol. senæ alexand. ℥ j. herb. ostrucii, chelidon. min. anethi, chamomill. rom. fumariæ, basilic. an. ℥. ß. coq. & ℞. colaturæ ℔ j. ol. rosati ℥. iij. conf. hamech. ℥. j. sal. commun. ʒ. ij. croci orient. ℈. j. Misc. pro Enemate.*

Enema in subethet & stupore.

℞. *Rad. lilior. conval. ℥. j. herb. centaur. min. stæchados, origani, calaminth. salviæ, asari ana ℥. ß. sem. carthami, gran. colocynthid. agaric. opt. ana ʒ. iij. coq. & ℞. colaturæ ℔ j. ol. chamomillæ ℥. iij. diasenæ ℥. ß. sal. commun. ʒ. iij. ext. hellebori nigri ℈. j. Misc. pro Enemate, quod administretur plusquam tepidè*

Enema forte in epilepsia & suffocationibus.

℞. *Sem. carthami ℥. j. agarici opt. ℥. ß. pulp. colocynthidos ʒ. iij. herb. centaur. min. lavendulæ, majoranæ, hysopi, betonicæ rutæ hort. an. ʒ. ij castorei veri, flor. lilior. convall. anthos ana ʒ. jß. coq. & ℞. colaturæ ℔. j. ol. chamomillæ ℥. iij. mellis rosat. ℥. ij. acidi tartari, sal. gemmæ ana ʒ. j. Misc. pro Enemate*

Aliud specificum.

℞. *Rad. angelicæ, pæoniæ ana ℥. j. agarici optimi visci quercin. ana ℥. ß stercoris pavonis, succini citrini ana ʒ. iij herb. Lavendulæ salviæ, chamomillæ, malvæ, origani, stæchados an. ʒ. ij. sem. fœniculi, carvi, anethi coq. & ℞. colaturæ ℔. j. ol. rutæ ℥ iij. hieræ Pachij ℥. j. sal. commun. ʒ. iij. Misc. pro Enemate.*

Enema in Spasmo seu convulsione.

℞. *Rad. Pyrethri, ebuli ana ℥. j. herb. Betonicæ, salviæ, Altheæ, malvæ, serpilli ana ℥. ß. flor. malvæ, arb. hyperici, verbasci ana ʒ. ij coq. & ℞. colaturæ ℔. j. ol. chamomillæ ℥. iij. diaphœnic. ℥. j. ping. anguillæ ℥ ß. sal. gemmæ, turbith. alb. & gum. ana ʒ. jß. Misc. & enema, quod applicetur.*

Enema forte in Apoplexia & similibus, &c.

℞. *Agarici opt. ℥. ß. herb. centaur. min. origani, roris marini, stæchados, chamadr. calaminth. ana ʒ. ij. pulp. colocynthid. ʒ. iß. coq. & ℞. colaturæ ℔ j. ol. rutacei ℥. iij. benedict. laxat. ℥ j. mellis Anthosati ℥. ß. salis communis ʒ. ij. tartari vitriolat. ʒ. j. Misc. & f. Enema, quod citò & absque omni mora applicetur.*

Aliud Enema apoplecticum fortius.

℞. *Rad. Ireos nostrat. cucum. asinin. cyclaminis ana ℥. ß. agarici trochiscat. ℥. ß. herb. centaur. min.*

majoranæ, origani, lavendulæ, calaminth. ana ʒ. iij. gum. Bdellij elect. opopanac. ammoniaci ana ʒ. ij. pulp. Colocynthidos ʒ. jß. coq. & ℞. colaturæ. ℔. j. el. Benedict. laxat. hyssopi ana ʒ. vj. sal. commun. ʒ iij. ess. fol. Senæ ʒ. j. Misc. pro Enemate.

Enema in Paralysi & resolutione.

℞. *Rad. pyrethri, acori ana ℥. j. hermodactylor. alb. agarici opt. ana ℥. ß. herb. rorismarin. asari, paralyticæ, hyssopi, mentastr. ana ʒ. ij. pulp. colocynthid. coq. & ℞. colaturæ ℔. j. ol. rutacei ℥. iij. hieræ Pachij ℥ j. salis communis ℥. ß. Misc. pro Enemate.*

Aliud Enema paralyticum specificum.

℞. *Bac. juniperi rad. ebuli ana ℥ j. hermodact. alb. gran. colocynthid. ana ʒ. ij. herb. ivæ arthetic. majoranæ, stœchados, rutæ, salviæ, origani ana ʒ. ij. coq. & ℞. colaturæ ℔. j. ol. flor. primulæ veris ℥. iij. diaphænic. ℥. j. sal gemmæ ʒ jß. Misc. & f. Enema.*

Enema contra Inflationem ventriculi.

℞. *Cort. rad. sambuci ℥. j. herb. Calaminth. pulegij, rutæ hort. chamomillæ fo. lauri ana ℥. ß. Sem. Fœniculi, anisi, cymini, dauci ana ʒ ij caricar. ping. No. vij. coq. ℞. colaturæ ℔. j. ol. anethi ℥. iij. mellis desp. diacatholic. diaphœnic. ana ʒ. iij. salis com. ʒ. iß. Misc. & f. Enema tepidè injiciendum.*

Enema ad Iliacam passionem.

℞. *Rad. altheæ Malvæ cum toto ana ℥. iß. hordei excort. ℥ j. Flor. chamomillæ, sambuci ana ℥. ß. coq. & ℞. colaturæ ℔. j. ol. lini ℥. iij. cassiæ ext. ℥ j. aloes hepatic. ℥ ß. sal. nitri ʒ iß. Misc. & f. Enema.*

Enema carminativum.

℞. *Rad. Zedoar. Bac. Juniper. ana ℥. j. herb. chamomill. rom. anethi, fœniculi, mercurialis, chærefolij ana ℥. ß. sem. agn. casti, carvi, cymini, anisi, ameos ana ʒ. ij. pulp. colocynthid. ʒ. iß. coq. & ℞. colaturæ ℔. j. ol. rutacei. ℥. iij. el. de bac. lauri. ℥ j. cass. rect. extract. ℥. ß. sal. commun. ʒ. ij. castorei Misc. & f. Enema.*

Enema discutiens.

℞. *Rad. enulæ camp. cort. aurantior. ana ℥. j. herb. 4. emollient. calaminth. origani, Sem Fœniculi, anethi Anisi, cymini, carvi, sileris ana ʒ. ij. coq. & ℞. colaturæ ℔ j. ol. chamomillæ, rutæ ana ℥. iß. fl. diaphœnic. ℥. j. Mellis anthosat. sacchar. rub. ana ʒ. vj. conf. è bac. lauri ℥. ß. sal gemmæ ʒ. j. Misc. pro Enemate.*

Enema ventrem leniens in Colica.

℞. *Cort. int. frangulæ, sambuci ana ℥. j. herb. chamomillæ, meliloti, pulegij, calaminth. origani ana ℥. ß. sem fœniculi, anisi, carthami, malvæ ana Drach. ij. coq. & ℞. colaturæ ℔. j. ol. anethi ℥. iij. El. Diacartham. ℥. j. sal. commun. ʒ. ij. Misc. pro Enemate.*

Enema aliud Ventrem leniens, in Colica.

℞ *Rad. fœniculi, apij ana ℥. j. herb. Mercurialis, malvæ, parietariæ, Atriplicis ana ℥. ß. Flor. chamomillæ, sambuci, persicorum ana ʒ. ij. coq & ℞. colaturæ ℔. j. ol. sem. lini ℥. iv. sacchari Thomæ ℥. j. el. diaphœnic. ʒ. vj. sal. gemmæ ʒ. iß. Misc. pro Enemate.*

Enema Ventrem leniens in Colica ab Apostemate.

℞ *Rad. symphyti, Altheæ ana ℥ j. Herb. malvæ min. Violariæ, Meliloti ℥. ß. Flor. Malvæ arbor. acaciæ Lilior. alb. ana ʒ. ij. coq. & ℞. Colaturæ ℔. j. ol. Chamomillæ ℥. iv. el. de succo rosar. ʒ. vj. Cass. rec. extract. ℥. ß. Crem. tartari ʒ. ij. sal. Commun. ʒ. iß. Misc. pro Enemate.*

Enema in causa à Duritie fæcum.

℞. *Rad. Altheæ Malvæ ana ℥. j. Herb. Branc. ursin. Parietariæ ana ʒ. vj. Flor. Chamomillæ sem. Fœnugræci, lini ana ℥. ß. coq. & ℞. Colaturæ ℔. j. ol. Sesamini ℥. iij. Benedict. Laxat. ℥. j. sal. commun. ʒ. iij. Misc. pro Enemate.*

Enema Colicum, quod vehementer probatur.

℞. *Brodij carn. ping. ℔. j. ol. Chamomillæ, Aneth. ana ℥. ij. mellis despumat. ℥. iß. Crem. Tartari ʒ. iij. Sal. Gemmæ ℥. iß.*

Enema Dolorem Colicum sedans.

℞. *Rad. Malvæ min. Altheæ ana ℥. j. flor. Chamomillæ, Meliloti, Sambuci ana ℥. ß. sem. fœniculi, Anisi Cymini, Apij, Lini ana ʒ. ij. coq. & ℞. Colaturæ ℥. xij. Vini Malvat. ℥. iij. ol. Chamomillæ, Anethi ana ℥. ij. Benedict. laxat. Vitell. ovorum No j. Misc. & f. enema.*

Enema Anodynum.

℞. *Rad. lilior. Glycyrrhizæ, Altheæ ana ℥. j. Herb. Chamomillæ, Meliloti, Malvæ min. violariæ, sem. fœnugræc. lini, Cydoneorum ana ʒ. iij. Cort. Mandragoræ, Flor. papav. errat. an. ʒ j. coq. & ℞ Colaturæ ℔. ß. Butyri rec. non salit. ℥. iij. vitell. ovorũ No. j. extr. cor. or. Misc. & f. enema.*

Enema Refrigerans.

℞. *Herb. fragariæ. Portulacæ, Violariæ, Lactucæ ana ℥. ß. sem. 4. frigid. major. ana. ʒ. iij. prunor. Damasc. No xx. flor. Nimphææ, Verbasc. rosarum an. ʒ. j. coq. & ℞. Colaturæ ℔. j. ol. Violacei ℥. iij. mellis rosat. ℥. j. el. de succo rosar. ʒ. vj. Nitri præp. ʒ. j. Misc. & injiciantur.*

Enema Calefaciens.

℞. *Rad. Enulæ camp. pyrethri. an. ℥. j. Herb. Calaminth. Mercurialis, origani, Hyssopi an. ℥. ß. flor. chamomill. Stœchados, Anthos, Salviæ major. ana. ʒ. ij. Agarici in panno ligat. sem. cymini, Anisi, Ameos coq. ℞. Colaturæ ℔ j. ol. rutacei ℥. iij. Benedict. laxat. ℥. j. sal. marin. ʒ. iij. extr. Absinthij ℈. j. Misc. pro Enemate.*

Enema Stipticum in Fluxibus ventris.

℞. *Casei sicci præp. ℥. iß. rad. Cynoglossæ, cort. Granator. Gallar. Turc. ℥. j. coq. in vini stiptici. q. s. & ℞. Colaturæ thuris Pulverisat. ℥. iij. vitell. ovorum No. j. Misc. & f. enema, quod tepidè applicetur.*

Enema aliud Stipticum.

℞. *Ol. Hyperici ℥. vi. Mellis rosat. sevi Hircini, Ceræ novæ ana ℥. iij.*

Liquefiant omnia ad ignem & f. Enema ad restringendum alvum.

Enema Adstringens.

℞. *Rad. acori aquatici, Tormentillæ, serpentariæ ana ℥ j. herb. sanguisorbæ, Arnoglossæ, Plantaginis ana ℥. ß. sem. Oxalidis, Portulacæ, Myrthi ana ʒ. iij. flor. Verbasci citrin. rosar. rub. Balaustiar. ana ʒ. iß. coq. in lacte ustulato, vel in aq. chalybeata vel fabrorum; & ℞. colaturæ ℔. i. Amyli ℥. j. gum. Arabici, Tragacanth. ana ʒ. i. Misc. & f. enema sine oleis.*

Enema aliud Adstringens.

℞. *Rad. tapsi barbat. Plantaginis, Bistortæ, ana ℥. j. Herb. Caudæ equinæ, polygoni, Herniariæ ana ℥. ß. Balaustiarum, cort. Granat. ana ʒ. ij. rosar. rub. sumach. ana ʒ. j coq. in aq. ferrata & ℞. Colaturæ ℔. j. succi Millefolii ℥ ij. sevi Hircini ℥. iß. croci orient. ℈. j. Misc. & f. enema, quod detur post clysteres detersorios, vel purgationem excrementorum.*

Enema ad Lienteriam & diarrhœam.

℞. *Rad. Verbasci, serpentar. ana ℥. j. Tormentill. herb. Mil-*

Millefolij, hyperici, fol. rubi ana ℥. ß. nuc. cupressi, gran. myrti ana ʒ. ij. coq. & ℞. colaturæ ℔. j. mellis rosat. ℥. j. hypocistidos, acaciæ ana ʒ. ij. Ladani ʒ. Misc. & per inferiora tepidè infundantur, post aliquam detersionem per medicamentum purgans & adstringens.

Enema & Tergens & siccans.

℞. Hordei integri, ℥. ß. fol. Absinthij, myrti ana ℥. ß. Lupinorum, lentium ana ʒ. ij. flor. centaur, min. rosar. rub. ana ʒ. j. coq. in aq. pluviali & ℞. colaturæ ℔. i. mellis rosat. ℥. iij. Mixta tepidè injiciantur.

Enema Consolidans.

℞. Rad. tapsi barbati, consolid. major, herb. plantaginis, equiseti, fol. myrti ana ℥. ß. rosar, rubr. ℥. ij. fiat, decoctio in aq. ferrata & ℞. colaturæ ℔. j. sevi, caprilli ℥. ij. amyli ʒ. i. Mastichis, ʒ. ß. Misc. & f. enema, quod injiciatur.

Enema ad Bilem alterandam in Dysenteria, &c.

℞. Hordei excort, sem. lini an. ℥. ij. Passular. min. ℥. j. herb. malvæ min. Violariæ, ℥. ß. fiat decoctio in aq. de qua accipe ℔. j. ol. rosati, ℥. iij. Sacchari, rub. ℥. ißs. Vitell. ovorum, No. j. Salis parum, Misc. & per inferiora indantur.

Enema Dolores Dysentericos sedans.

℞. Lactis vaccini, ℔. ß. ol. Violacei, ℥. iij. medul. Cervin, ℥. j. amyli, ℥. ß. Trangacanth, ℥. ij. Lilij ʒ. ij. Mixta omnia alvo tepidè indantur.

Enema aliud Dolores Dysentericos sistens.

℞. Rad. Glycyrrhiz, Oryzæ ana ℥. j. rosarum rub. ℥. ij. flor. Papav. errat. ʒ. j. Croci orient, ʒ. ß. coq. in Lacte vaccin. dulc. & ℞. colaturæ ol. Lilior. alb. ℥. iij. Sevi hircini ℥. j. Amyli, ℥. ß. Olibani, ʒ. ij. Styrac. cal. ʒ. j. Misc. & f. Enema.

Enema aliud Anodynum.

℞. Hordei excort. ℥. ij. rad. Consolid, major, sem. lini, ℥. j. flor. Papav. errat, Violarum, rosarum, ana ℥. ißs. fiat decoctio in lacte & ℞. colaturæ ℔. j. Sacchari rub. ℥. j. Vitel. ovorum No. ij. ext. croci or. ℈. j. Opij spagyricè præp. ℈. ß. Misc. pro enemate.

Enema Dolorem & Ardorem leniens.

℞. Ol. Amygd. dulc. lini exp. ana ℔ ß. mucilag. sem. cydoneor, cum lacte extract. ℥. iv.

Enema aliud Dolores Dysentericos placans.

℞. Decoct. hordei, lactis ana ℔. ß. ol. rosarum, ℥. iij. suc. plantag. ℥. ij. Sacchari rub. ℥. j. Sevi hircin. ℥. ß. Philonij persici ℥. j. Misc. & f. enema.

Enema Diureticum.

℞. Rad. Glycyrrhizæ, Altheæ, Graminis, ana ℥. j. herb. Parietariæ, Saxifragiæ, malvæ ana unc. ß. passularum, Jujubarum, ana ℥. iij. i Sem. 4. frigid. major, contusor, Alkekengi, milij solis ana ʒ. ij. Flor. chamomillæ, Genistæ, Serpilli, ana ʒ. ißs. coq. & ℞. colaturæ ℔. j. ol. Amygd. amar. scorpionum, ana ℥. ißs. Salis Ononid. ʒ. ißs. Misc. & f. enema, quod injiciatur.

Enema in Calculo Renum, & vesicæ.

℞. Rad. Glycyrrhizæ, Altheæ, malvæ ana ℥. j. sem. milii solis Off. Mespilorum ana unc. ß. coq. & ℞. Colaturæ unc. x. Ol. violarum, unc. iij. cassiæ rec. ext. ʒ. x. Benedict. laxat, unc. ß. salis, com. ʒ. ißs. Misc. & f. enema.

Enema Calculum comminuens.

℞. Rad. Petroselini, Ononidis Altheæ, ana unc. j. Herb. Parietariæ, Veronicæ, Hederæ, ter. ana ℥. ß. sem. Lappæ major, malvæ minor. milij solis, Saxifragiæ, ana ʒ. ij. Bac. Juniperi, Lauri exc. gran. Alkekengi, ana ʒ. ißs. flor. Chamomillæ, Lilior. alb. malvæ arbor. ana ʒ. j. coq. & ℞. Colaturæ unc. xij. Ol. Scorpion. simpl. violacei ana unc. ij. Sal. Eryngii, Fœniculi, ana ℥. i. Misc. pro enemate.

Enema aliud in Calculo Renum & Vesicæ.

℞. Rad. Glycyrrhizæ, Altheæ, Lilior. alb. ana unc. i. herb. Parietariæ, Linariæ, Hederæ ter. Veronicæ, ana unc. ß. flor. malvæ arbor. Sambuci, chamomillæ, ana ʒ. ii. cop. & ℞. colaturæ, unc. xij. Ol. Verbasci unc. ii. mellis rosat. unc. i. Cass. rec. ext. ʒ. vi. Terebinthinæ cypriæ, Benedict. Laxativ. ana unc. ß. vitell. ovorum. No. i. salis Nitri ʒ. ß. Misc. pro enemate.

Enema aliud in eodem Casu.

℞. Rad. Altheæ, malvæ ana unc. ß. hermodact. alb. Albi græci, hederæ, ter. ana ℥. ii. sem. malvæ arbor. milii solis, Psyllii ana ʒ. ißs. Flor. hyperici, Genistæ, meliloti, linariæ, ana ʒ. i. coq. & ℞. Colaturæ unc. xii. Ol. Anodynij, septem florum unc. ii. Terebinth. Cypriæ cum vitel. ovi unius destemperat. unc. i. Benedict. laxat, unc. ß. nitri præp. ʒ. i. Misc. & f. enema, quo ipse uti soleo.

Enema mirabile in Calculo renato.

℞. Rad. malvæ min. Altheæ, ana unc. i. hermodact. alb. ʒ. vi. herb. 4. Emollientium, pedis columb. ana unc. ß. sem. Petrosolini, Anisi, hederæ, seseleos ana ʒ. iii. 4. Frigid. major, ana ʒ. ißs. flor. Chamomillæ, Genistæ, malvæ arbor. meliloti, ana ℥. i. coq. & ℞. Colaturæ. unc. xii. Ol. Scorpion, simpl. Amygd. dulc. an. unc. ißs. Sacchari, rub. unc. ii. Terebinth. Cypriæ in vino alb. lotæ, unc. i. Benedict. laxat, unc. ißs. sal. Nitri ʒ. i. Misc. & f. enema, quod magnam copiam crassissimorum humorum dejicere solet.

Enema in Dolore Calculi.

℞. Albi Græci unc. i. Ficuum, No. xv. coq. in Vino alb. & Colaturæ unc. xii. Ol. Amygd. amar. Populini ana unc. ißs. Ping. Anatis, Butyri s. sale, ana unc. ß. sal. commun. ʒ. ißs. Vitell. Ovorum No. i. Misc. pro enemate: mirè enim operatur.

Enema ad Dolorem Nephriticum.

℞. Rad. Glycyrrhizæ Altheæ, Graminis, Asparagi, an. unc. i. herb. linariæ, malvæ, meliloti, flor. malvæ, Chamomillæ, hyperici, Genistæ, an ʒ. i. sem. Petroselini, Alkekengi, milii solis, ana ʒ. ißs. fiat. decoctio & ℞. colaturæ, Ol. Liliorum, albor. Amygdalar, amar. Scorpionum an. unc. i. mellis despumati, Benedict. laxat, Terebinth. alb. an. unc. ß. sal. Gemmæ ʒ. ißs. Misc. & f. Enema.

Enema ad Scirrhum uteri.

℞. Rad. malvæ min. Altheæ, Liliorum alb. an. unc. i. herb. Mercurialis, Parietariæ, Atriplicis, an. ℥. ß. sem. Cydoneorum, Lini an. ʒ. ii. flor. Chamomillæ, melilot, Verbasci, malvæ arbor. an. ʒ. i. Fiat decoctio in aq. & decoctioni adde Butyri rec, s. sale Ol. Olivar. unc. iv. Injiciantur frequenter ℥. vi. pro unâ vice.

Ene-

Enema ad Vermes in Ventriculo.

♃. Rad. Glycyrrhizæ, hordei, mundat, ana ℥. j. ficuum ping. prunor, Damasc. ana No xx. sem. anisi ʒ. iß. coq. & ♃. colaturæ, ℔. ß. Sacchari rub. mellis opt. ana ℥. iß. Misc. & f. Enema sine oleo & sale.

Enema ad Ascarides.

♃. Rad. Aristoloch. rot. Gentianæ, ana ℥. j. herb. Absinthij, abrotani, Card. bened. ana ℥. ß. fol. persicorum, sum. centaur. min. ana ʒ. II. fol. Marrubii, ʒ. II. fiat, decoctio, & ♃. colaturæ, ℥. XII. lixivij, ℥. IV. Misc. & f. Enema, quod injiciatur, sed sensim & bis in eadem horâ.

Enema ad Evacuandum Vermes Interfectos.

♃. Rad. glycyrrhizæ, Myrrhidis, ana ℥. I. sebesten, No. xxv. fiat decoctio, & ♃. colaturæ, ℔. I. sacchari, rub. ℥. I. mellis, crudi ʒ. VI. Vitell. ovorum, No I. salis, parum, Misc. & sine oleo f. Enema: quod applicetur.

Enema in Rhagadijs, Rimis seu Scissuris ani, probatum.

♃. Ol. Violacei, ℥. v. Butyri non salit. ℥. IV. mucilag. Tragacanth sem. Psyllii, Cydoneor. ana ℥. iß. Sacchari, rub. ℥. I. Misc. & f. Enema.

Enema pro Pueris.

♃. Herb. Chamomillæ, parietariæ, ana. ℥. ß. rad. Glycyrrhiz. ʒ. II. fol. senæ, elect. ʒ. I. coq. & ♃. colaturæ, ℥. VI. Mannæ, calab. ℥. ß. ol. lilior, alb. ʒ. ij. salis, com. ℈. I. Misc. & f. Clyster.

Enema aliud pro Infantibus.

♃. Rad. altheæ, ℥. ß. herb. Meliloti ʒ. II. flor. malvæ, arbor. Verbasci, ana ʒ. I. coq. & ♃. colaturæ, ℥. II. Sacchari, rub. ℥. ß. ol. Chamomillæ, ʒ. iß. mannæ, Calab. ʒ. I. Misc. & f. Enema, quod tepidè applicandum.

CNICUS, vid. *Carthamus*.

COAGULARE, COAGULATIO.

Coagulatio est vel *calida*, vel *frigida*. Calida rei liquidæ ad solidam massam per humiditatis privationem est reductio: sicuti in extractis conspicuum. Frigida verò quando res in calidô resolutæ, in frigidô coagulantur rursus: ut quando salium lixivorum instituitur crystallisatio.

Alias in hâc operatione eleganter acidi & alkali actus & motus fit conspicuus: cùm v. g. ex pinguedine & alcalisatô lixiviô, mediante justâ coagulatione fit sapo. Hic enim duo heterogenea, inæqualium virium, sese mutuô superant, & fortius, id quod est debilius, in suam naturam transmutat.

COAGULUM.

Coagulum, Gallicè *Presure*, est substantia quædam lactea in juniorum animalium ventriculis reperibilis, quarum optima in usu medicô pro dissolvendo scilicet sanguine concretô est illa quæ è lepusculis educitur, item quæ ex equorum pullis, agnis, hædis &c.

COAGULUM EQUINUM, vid. *Hippace*.
COBALTUM, vid. *Cadmia*.
COCCI ORIENTALES, vid. *Coculæ*.
COCCONIGLIA, vid. *Cochoniglia*.

COCCOS,

Coccos seu *Coquo* nux est Indica magnitudine caput humanum adæquans figuræ triangularis, sed subrotundæ, coloris viridis subgrisei, è palmæ altioris genere enata. Hinc per suas species orientalem sc. & Occidentalem, describendæ non immoramur, quia quantumvis ejus medulla desiccata à Maldivarum insularum indigenis, in colico morbo, imò & paralysi, alijsque affectionibus, commendetur, hoc remedium apud nos usuale prorsus non est. Si tamen aliquid de ea specialius desideretur vid. sub titulô *Palma*.

COCCUM INFECTORIUM, *vid.* Coculæ sub titulô *Ilex*.

COCHLEA.

Cochleis plerisque Testæ sunt; quæ etiam *Nudæ* habentur, quôdam tamen Tegumentô in humeros superinjectô, & subter illud ossiculô, propugnaculi locô donantur.

Testarum autem alia atque alia figura est.

Terrestribus verò Cochleis universis ea turbinata est. Item inter Fluviatiles multi Turbines sunt: At hic etiam quibus illa in binas valvas diducitur; neque ibidem desunt univalves Testæ.

Quibus autem Turbinatis, sive in terrâ, sive in aquis degentibus operculum testaceum datur (quæ admodum paucæ sunt) ijs illud est quasi altera valva.

Operculum, si quod sit, ipsius animalis calci adnascitur; ut hoc postremum sit quod intus ducatur, testamque claudat.

Testarum verò turbinatarum plures circum volutiones sunt; nullis duabus pauciores; ut neque in nostris quidem ullis ampliùs decem numerare licet.

Testarum turbinatarum circumvolutiones non ex unâ parte perpetuò procedunt, ferè ex sinistrâ in dextram ad solis motum; sunt tamen & inter terrestres & inter fluviatiles, quæ contrarium motum observant.

Circumvolutionum verò frequentium in Cochleis turbinatis ea potest esse ratio; quòd hæ ferè liberæ sunt nec testis suis adfixæ (secùs quàm fit in bivalvis) hinc eorum corpus, ne excidat, multiplici gyrô intorquetur. Neque tamen ideò credibile est, quod nonnulli perhibent, eas aliquando è testis suis exire.

Vere exeunte testæ pars superior fit mollis; scil. an aliquâ parte veteris testæ deciduâ, aut tantundem annuatim auctâ, donec ad justam magnitudinem perveniat.

Ipsæ autem testæ membranulâ sive pelliculâ admodum tenui conteguntur; in quâ ferè inest ista colorum varietas, in singulis speciebus adeò notabilis; eadem verò, si lixivio forti demittantur, exeditur.

Bivalvium autem fluviatilium nostrarum utraque valva æque cava est.

Præterea in testis bivalvibus insunt quædam vitia, Margaritæ dictæ; ejusdem quidem cum illâ substantiæ, proprietatisque. Atque hæc hactenus de Testis.

Ipsa autem animalia pedibus carent: at ijs est quædam veluti planta; in ingressu eorum pedum vicem præstans. Terrestribus quidem Cochleis ejus figura & acuminata est; & quæ totum quasi ventrem occupat; ejus calx in acutum producitur. In his plantæ pars media mollior; extrema circumcirca ad marginem magis ad callum quendam accedere videtur. Fluviatilibus autem turbinatis illa paulô latior & tenuior est: scilicet natationi magis accommodata.

Item ante os in aliquibus Cochleis fluviatilibus sunt ampla quædam labra, pinnarum aliquô munus præstantia.

Univalvi verô ista planta rotunda est, instar oris cujusdam; scilicet ad commodiorem adhæsionem, quæ quôdammodô suctione fit.

Bivalvibus autem eodem duriuscula est, acuta, & in aciem longam producta; ad progressum in limô, aut arena faciendum.

Cochleis terrestribus & testaceis & nudis & fluviatilibus turbinatis, caput in ingressu conspicuum à reliquô corpore exeritur. Illud verò in bivalvibus perpetuò, quantùm observare licet, occultatur. In nulla autem Cochlea æque distinctè in conspectum venit caput, atque ea ex fluviatilibus, quam fasciatam operculo do-

donatam appellavimus cui quidem caput figura velut bubulinum est.

Cochleis terrestribus & testaceis & nudis Cornicula quatuor exeruntur è fronte: his quoque omnibus extrema cornicula velut quibusdam capitulis turgent. Ex his duo superiora, multo majora & productiora; anteriora vero, minora & breviora sunt. Item illis extremis singula exigua nigra, his non item: ut vero his iter prætentent, illis videant, credibile est.

Cochleis vero fluviatilibus turbinatis bina tantum cornicula sunt, eaque mucronata, & in aliquibus speciebus in modum pili tenuia, in alijs, quasi auriculæ, admodum latæ & tenues; in alijs velut in ramos diducta, pinnarumque vicem supplent. At hi oculi quidem non dicendi sunt.

At ijsdem insuper Cochleis fluviatibus sunt singula punctula nigra utrinque ad radices corniculorum: neque multum dubij est, quin hi rectè existimentur ocelli. In eo vero discrimen; quod ut his oculi ad radices corniculorum collocantur, miniméque è sede protruduntur; illis ijdem per ipsa cornicula penetrant, more tuborum conspicillis, accommodatorum.

Os habent dentibus armatum; hi vero in aliquibus saltem speciebus, ut Cl. Hookius noster perhibet ex unô solidôque osse constant, ad figuram tamen dentium nescio quibus discerniculis in eo impressis confectô.

Cochleis terrestribus circa imas cervices, palliolum suum reflectitur: eoque veluti pinna sive membranula quædam semicircularis est; retrò testæ aperturæ super injecta.

Turbinalis Cochleis utriusque loci, atque etiam terrestribus nudis, anus ad dextram partem cervicis aperitur: quod olim rectè observavit Aristoteles, ejusque rei rationem pluribus verbis demonstravit. *Turbinatorum*; inquit ille, *finis ad principium flectitur.* &c. Rursus, *extrema coëunt.* Alibi, *iis excrementum per meatum ori vicinum emittitur.*

At bivalvibus, ut in sanguineis animalibus, ex adverso ori ea sita est.

In illo autem foramine, quod ad dextram partem cervicis esse notavimus, non solum anus ponitur, nam ex eô excrementa certo exeunt: sed etiam spiritui ingressus patet, pulmonique inservit; nam, nisi illô apertô, progredi, aut moveri non solent; deinde fluviatilibus istud foramen amplum patet, & cùm per summam aquam natant, illud paululum extra acquam aeri hauriendo extollunt; porrò specillum setamve facilè admittit; quæ per mediam plantam permeare videtur; & in Limace nigro emergit ex ipsius caudæ apice; quæ, si non in omnibus, certè in eo animali naturaliter ibidem aperiri videtur.

Nonnulla autem conjecturaliâ de partibus Cochlearum internis subnectam.

Gulam excipit ventriculus satis amplus, à quô continuatur intestinum simplex, longum atque aliquot anfractibus revolutum.

Intestinis implicatur viscus quoddam coloris subfusci, innumeris venis lacteis interstinctum, pro magnitudine, quidem bestiolæ admodum amplis & capacibus. Hæ autem venæ lacteo quodam humore repletæ perpetuo apparent. Fortè ex his nutrimentum suppeditatur in jejunium hybernum; ut hujusmodi animalibus sint eædem venæ etiam promptuario, sive chyli asservaculo cuidam.

Præterea, ex excrementorum differentia, certum est, intestinorum figuram aliam atque aliam esse in diversis speciebus; saltem ex ijs cæcum & colon.

De partibus autem Cochlearum genitalibus illud præcipuè miramur, alterum alteri adeo simile esse, ut vix & ne vix quidem discernere licet, in quo sit sexus differentia. Penis autem earum exertus, setæ longæ crispatæ, aut in modum claviculæ vitis torquetur; altera vero ejus pars multo plenior est, vaginæque loco inservit ipsi claviculæ.

Sunt etiam in coitu aliquibus Cochleis notanda quædam veluti spicula testacea, eleganter admodùm figurata, ipsis earum cervicibus penitùs infixa; at ab utroque animali soluta: ubi autem illa ante coitum in corpore condantur, aut quo modo causave sub id tempus ejaculentur, me latet; illud extra dubium est, utrumque animal ab istis aculeis vulnerari.

Humor autem è vulneratis Cochleis ferè dilutè subcæruleus; atque alius esse videtur à saliva spontè eructatâ. At Cochleis non unicolor saliva; nam aliquibus fluviatilibus ea coccinea est.

Cochlearum vero terrestrium ingressus est quædam veluti natatio, in propriô humore; illud in primis testatur, eas non multum egredi è latebris umbrosis, nisi diebus pluvijs; quô quidem tempore bene madent intùs & extra. Huic accedit ipsius salivæ natura, quæ ferè temporis momentô in aere coagulatur; ut si non continùo illam inter eundum eructarent, propria saliva implicitæ, loco adfigerentur.

Cochleas autem ex coitu generari, nihil dubij est; quod ipsi in multis speciebus, cum terrestribus, tum fluviatilibus, sæpius observavimus.

Illis vero ova sphærica sunt; quibus scil. mollis & membranea testa sive cortex est.

Terrestrium Cochlearum ova ferè racematim inter se cohærent, imperceptibili quodam glutine. At fluviatilium ova quadam genitura limpida, instar ranarum spermatis implicantur. Hac etiam maturescunt, donec ad formam singula species propriam & perfectam pervenerint; ipsa scil. genituræ adhuc integra & non resoluta.

Cochleæ tam terrestres, quàm fluviatiles herbis vescuntur; illæ etiam quovis pipere magis mordacibus, fungis delectantur. Simili victu gaudent Musculi, etiam Patellæ; quæ licèt saxis, velut immobiles, adhærent, tamen de loco in locum moventur, victûs ratione.

Cochlearum *Usus* multiplex est: Testarum pulvis ad omnia medicamenta æquè utilis & proficuus est, atque ipsæ margaritæ, aut oculi cancrorum dicti, aut corallia.

Item ipsa animalia in delicijs olim apud Romanos fuerunt: etiam nunc dierum in Gallia & Italia in cibis sunt; eæ certè quæ Pomatiæ dicuntur, sc. ex nostris terrestribus primæ.

Universis quoque Europæis ad medicinam adversus febrem hecticam. C. Celsus eas boni succi & stomachi gratas esse ait. Petr. Arbiter earum cervices ad venerem provocandam assumtas fuisse memorat.

Item alius usus hodiernus nostrorum hominum, ad ceram scil. dealbandam. An coccineus quarumdam humor ad picturam adhiberi possit?

De Cochlearum autem saginâ, ita Varro. Quæ etiam à Pliniô & Macrobiô fidem habent.

Idoneus sub diô sumendus est Cochlearijs locus; quem totum circùm aquâ claudas, ne quas ibi posueris ad partum, non liberos earum, sed ipsas quæras. Aquâ, inquam, sunt claudendæ, ne fugitivarius sit parandus locus. Is melior est, quem & non coquit sol, & tangit ros. Qui si naturalis non est, ut ferè non sunt in apricô locô, neque habeas in opacô, ubi facias, ut sunt sub rupibus, ac montibus, quorum alluant radices lacus ac fluvij, manu facere oportet rosidum; qui fit, si adduxeris fistulam & in eam papillas imposueris tenues, quæ eructent aquam, ita ut in aliquem lapidem incidat, & latè dissipetur. Parvus his cibus opus est, & is sine administratore. Et hunc, dum serpit, non solùm

solum in areâ reperit, sed etiam, si rivus non prohibet, in parietes stantes invenit. Denique ipsæ exgruminantes ad propalam diu vitam producunt, cum ad eam rem pauca laurea folia interijciant, & aspergant furfures non multos. Itaque coquus has vivas an mortuas coquat, plerunque nescit.

Genera Cochlearum sunt plura, ut minutæ albulæ, quæ afferuntur è Reatino & maximæ quæ de Illiricô apportantur, & mediocres quæ ex Africâ afferuntur. Non quòd in his regionibus quibusdam locis, eæ magnitudinibus non sint disparîles; nam & valdè amplæ sunt quædam ex Africâ, quæ vocantur Solitanæ, ita ut earum Calices quadrantes octoginta capere possint; & sic in alijs regionibus eædem inter se collatæ, & minores sunt & majores.

Hæ in fæturâ pariunt innumerabilia; earum semen minutum, & testâ molli, diuturnitate obdurescit.

Maghis insulis in areis factis, magnum obulum deferunt æris.

Has quoque saginare solent ita, ut ollam cum foraminibus incrustent sapâ & farre, ubi pascantur, quæ foramina habeat, ut intrare aer possit. Vivax enim hæc natura. Hæc autem Varro. Jam singulas species exequar.

Chochleæ sunt vel *Terrestres* vel *Fluviatiles.* Terrestres rursus vel *Testaceæ* seu testis contectâ, vel *Turbinatæ*, vel *Nudæ*. Turbinatæ sunt vel *Breviore*, vel *Longiore figurâ*, vel *Compressæ*. Breviore figurâ testæ aperturam habent clausam, vel operculô è salivâ confectô ad hyemem tantum, vel etiam operculô testaceô. Longiore figurâ, five *Buccina*, sunt convolutâ, vel à dextrâ versùs sinistram, vel à sinistrâ versùs dextram. Nudæ, Limaces quibusdam dicuntur. Fluviatiles sunt, vel *Turbinatæ*, vel *Bivalves*, vel *Univalvis*. Turbinatæ Fluviatiles sunt, vel *Validiore Testâ* operculô testaceô clausâ; vel *Tenui Pellucidâ Testâ* semper aperta; eæque convolutæ vel à dextrâ in sinistram, vel à sinistrâ dextram versus. Item rursus ex Turbinatis Fluviatilibus, dantur quædam *Compressâ Testâ* coccum fundentes.

Bivalves Cochleæ *Musculi* quibusdam dicuntur. Univalvis, *Patella* vocatur.

Hæc Listerus. Iam specialius quid afferamus de Usibus hujus animalis.

Officina Nat.

1. Cochleæ integræ. 2. Testæ. 3. Pinguedo. 4. Mucus.

Vires. 1. Cochleæ refrigerant, incrassant, consolidant, leniunt, nervis conveniunt ac pulmonibus. Hinc usus præcipuè interne ad tussim, phthisin, secreationem sanguinolentam, aliosque pulmonum affectus; hinc ad Epatis calorem; & colicum dolorem.

Extrinsecùs maturant ac rumpunt anthraces, (*impositæ tùm solæ, tùm cum felle tauri,*) consolidant vulnera præcipuè nervorum, ulcera sanant; (*inprimis tibiar.*) inflammationes (*podagricas*) mitigant, ventrem hydropicor. hydrocelemque herniosorum detumescere faciunt (*cum testis tritæ & impositæ*) hæmorrhagiam cohibent (fronti applicatæ) spuma ex cochleis sine ▽ igni appositis fistulas domare dicitur.

2. *Testæ* tritæ exhibentur calculolis, rimas manuum siccant & consolidant.

3. *Pinguedo* (*in elixato brodio, ubi id refrixerit, supernatans,*) oculorum rubedini doloribusq; medetur, defluxiones ad oculos intercipit (*fronti cum albo ovi imposita.*)

4 *Mucus salivosus* (quem compunctæ cochleæ reddunt,) emplasticus est, ideoque glutinans, defluxionesque ad oculos intercipiens (*in anacollematis.*)

Præparata.

1. ▽ *Stillat.* è carne mense Majo vel Octobr. per MB. prolecta convenire dicitur atrophiâ laborantibus Epar nimirum corroborare statuitur.

Extrinsecùs faciem fucat.

2. *Cinis Cochlear.* Exciccat, incrassat, cutis rimas ac scabritiem exciccat, synoviam sistit.

3. *Liquor Limacum.* Rubri limaces concisi misceantur cum pari pondere Sal. communis, conjiciunturque in manicam Hipp. ut in cella defluant in liquorem, quo dolentes partes podagricæ illinuntur, & verrucę scalpello prius abrasæ facilè averruncantur. S. Claff.

(Liquor limacum ani procidentiam tollit.) *Schrod.*

Folium five *Operculum* Cochler. In primis autem expetitur quod sponte suâ vere novâ erumpentes cochleę removent; tam singularis deprædicatur virtutis diureticæ, ut in patriâ meâ Imperiali, *Goslariæ* quidam fuerit Medicaster, qui sat grandi pretiô hanc suam panaceam, nulli revelandam, in suppressione urinæ interdum cum fructus, vendidit. Pauci aliàs autores hujus rei, ejusque facultatis mentionem faciunt, præter *Güferum tabul. medic.* 25. & *Morell. de mater. medic.* quorum ille miscet cum lapidibus cancrorum, vel nucleis persicor. Memini me olim audisse à Pharmacopæô Gottingensi, D. *Joh. Ebeliô* se recordari Ulmæ Suevorum Physicum t. t. *D. Joh. Osiandrum* instar summi arcani in calculô commendasse hoc cochlearum operculum cum tantillô nitri mistum. Medicastri autem Goslariensis compositio ex amici, qui illam auro redemerat, communicatione, ex opercul. part. 11. lapil. cancr. part. 1. constabat. Alij rasuram dentis apri addidisse affirmant. Hunc pulverem etiam in usum cum alijs traxit præscriptus æger. *D. Georg. Trumphius Miscell. Curios. Dec.* 1. *A.* 9. & 19.

COCHENILIA.

Cochenilia historia admodum est obscura, nec conveniunt Autores, etiam accuratissimi, qualisnam sit illius materia, an animalis, an vero vegetabilis; non pigebit itaque quid ab utrâque parte adferatur huc adducere, quô lectori liberum faciamus è ponderatis sententiis illam quæ demùm maximè arrideat seligere.

Cocconiglia, sunt vermiculi pusilli alati cimicum instar, exsiccati, & convoluti, coloris ex cinereô-ruffescentis, nati in folijs *Tunal*, seu *opuntiæ Mexicanæ*, Recchio *Nochez nopalli* dictis; saporis subacris, subamari, sanguinis exsiccati, seu moschi instar, salivam rubicundô coccineô colore tingentes. *Dominus Hermannus in Materiâ suâ Medicâ manuscriptâ.*

Species illa Tunæ quæ vermiculos *Cochinillæ* dictos producit & alit *Nocheznopalli*, seu nopallochaztli Indis Mexicanis dicitur. *Hernandez.* Studiosè colitur & à pecorum armentorumque injurijs diligenter defenditur. Interdum sponte naturæ, interdum hominum Industriâ vermiculi hujus semina, (superioris anni) seu ova, *Tunis*, admoventur, quæ brevi animalcula excludũt; cùm adoleverint, & ab incolis exsiccata fuerint, grana perperam dicta. Hæc toti Europæ inferuntur ditissimo commercio, quinquies mille sexcentas septuaginta arrobas, anno 1587. unâ classe in Europam traductas, refert *Acosta*. Curam & culturam grani tradit *Herrera* his verbis. Est illud (granum dictum) vivum animalculum, vel potius insectum, à cimice formâ non multum abludens, cùm primum plantæ se applicat, pulice paulò minus, è semine erumpit acari magnitudine, & arborem integram, atq; adeò totum hortum implet, & semel atque iterum quotannis colligitur. Arbores certo ordine instar vitium disponunt, atque studiose colunt & repurgant à zizanijs: quò recentiores sunt plantæ, cò copiosiùs & præstantius ferunt granum: inprimis autem necessarium est ut à variorum insectorum injuriâ defendantur, nec minus à gallinis quæ granum de-

devorant. Utuntur vulpinis caudis ad plantas detergendas, nè novella insectorum seminaria lædant: ubi autem jam satis adoleverunt, magnâ curâ eximuntur, necanturque aqua frigida aspersâ, atque in umbra siccantur & conduntur fictilibus. Eadem & cinere injectô enecant, deinde abluunt, atque alijs insuper modis suffocant, frigida tamen enecta cæteris præstant. Plurimis modis granum à mercatoribus adulteratur. Optimum longè dat granum *Tlaxcallam*, cujus indigenæ præstantissimam tincturam ex illô conficiunt, hoc modo, comminuunt & macerant in decocto aluminis, &, ubi resederit, cogunt in tabellas, quas Hispani vocant *grana en pan*.

Hanc *Tunæ* speciem describunt Piso & Marggravius, *Jamaiaru* 5. nomine.

Ad nos scripsit D. *Tancredus Robinson* Insectum illud, seu vermiculum exsiccatum *Cochinill* dictum, & Ficum Indicam depascens, evadere Hexapoda, & propriè nominari posse Scarabæum Mexicanum punctatum seu maculatum; cujus elegantem iconem exhibuit ingeniosissimus Vir D. *Eduardus Tyson* M. D. in Philosoph. Transf. n. 176. *D. Raius, Hist. Plantar. T. ij.*

Tunæ quædam reperitur species super quâ videntur vermiculi, colore rubinum æmulantes, qui quàm pulchro ac splendidô colore coccineo tingunt lintea vel pannos, super quibus conteruntur. *D. Rochefort in sua Insularum Antillarum Historia Gallica.*

Ad colorem *Cocheinel* dictum, Indiæ Occidentalis, quod attinet, quid sit, an succus aliquis peculiaris, vel ipse succus vitalis (quod hic obiter pono) adhuc incertus sum. Illud quidem verissimum est, bestiolâ *Cocheiniel*, prout coloris causa siccata est, *Hexapodem vermiculum* esse; nempe ex medio scarabæorum statu, è quorum genere species est. Alios verò nostrates Scarabæos, dum forte animi causa dissecui; ovis majusculis, oblongis, eleganter coloratis *Uterum* refertum vidi; ipseque præterea succus utero contentus, vel coccineus, vel incredibilis jucunditatis croceus est; isque chartas linteaque indelebili quodam charactere inficere potis est. *D. Lister in Exercit. Anatom. altera.*

De *Cochinilla* quid sit non levis est controversia inter rei Physicæ & Medicæ Autores, alijs hoc alijs aliud affirmantibus. Nonnulli originis vegetabilis eam esse volunt; è quibus aliqui Tunæ, seu Ficus Indicæ baccam fructumve, alij ejusdem gemmam seu florem nondum explicitum faciunt: Alij, & quidem rectiùs, productum quoddam animale esse statuunt; qui quamvis in eo omnes consentiant, quòd ad regnum (ut vocant) Animale pertineat, quid tamen in specie sit, opinionibus inter se dissidentnam alij insecti cujusdam nidum esse ajunt, alij animalculum hexapos Cimici simile; Alij denique, & hi quidem nostra sententia rectissimè, Scarabæum esse affirmant &c. vid. quæ mox è *Clariss. Raiô*. Hujus autem Insecti propagandi, & ad usum parandi modus in Actis Philosoph. N. 193. describitur, ex observatione Hispani cujusdam senioris, *Jamaycæ* insulæ incolæ, qui in ea parte Indiæ Occidentalis, in qua pretiosæ istius mercis magna quotannis copia colligitur, diu vixerat, quam descriptionem in epitomen contractam hic subjiciemus.

Insectum hoc initio velut vesica quædam exigua, seu tuberculum parvum in Ficus Indicæ *Tuna* dictæ surculis, in quibus oritur, apparet, quæ postmodum calore solis in vermiculum aut termitem evadit, qui processu temporis in Scarabæum parvum mutatur.

Scarabæos hosce, cùm jam plenam maturitatem adepti sunt, occidunt fumo crasso, è materia quadam combustibili ex eâ parte unde ventus in frutices quos insecta depascuntur spirat, sita excitato; substratis priùs sub fruticibus linteis. Insecta fumo suffocata, & exanimata, levi fruticum concussione in lintea facilè decidunt; adeoque magna copia, nullo ferè negotio colliguntur. Deinde super lintea expansa in arenoso quodam aprico loco, aut pavimento saxeo, solis calori tamdiu exponunt, donec exsiccantur corpusculis contractis, quæ manibus leniter confricata in grana abeunt, alis pedibusque &c. decedentibus, quæ postea ventilatione aliôve artificio separanda sunt. Imò qui dubitat (inquit Doctissimus *Paulus Ammannus*) Cochinellam insectum esse, hæc grana putatitia indat aquæ calidæ, & statim videbit crura, post aliqualem emollitionem. Interdum etiam apud Mercatores integrum Insectum, interdum alæ instar muscarum reperiuntur. *D. Dale in Materia Medica.*

Antehac diversas circa *Cocheniliam* institui observationes, (quæ à plurimis animalculum esse judicatur) & observationibus meis iterum de novo institutis, ac perpetuò fructum cujusdam arboris esse animadverti, qui fructus in se continet, sive profert 100. aut plura exilia semina instar ovi, rotunda quorum unumquodque membranulâ adhuc obvolutum jacet; at ad hoc spectaculum sive conspectum pervenire nequimus, nisi antea Cochenilia per aliquot horas in aqua macerata sit; eademque tunc cortice suo nudata, non tantùm semina, quæ admodùm sunt mollia, detegere poterimus, sed quoque multa horum seminum membranulas (quæ ipsorum prima sunt involucra, ac quidem ipsis seminibus bis majores circum se habere; quæ membranulæ per pulchra fluida, rubicunda aqua sunt oppletæ, cùm tamen semen ipsum mustelini sit coloris.

Tali autem semine à se invicem expanso, illud intrinsecùs non nisi ex perexilibus globulis, rubro colore instructis, consistere judicamus.

Reliqua Cocheniliæ pars, quæ hæc comprehendit semina, consistit ex membranulis rubro quoque colore instructis, exceptô tamen, quòd paucissima aliqua materia in seminibus sit absque colore, quæ mihi, veluti oleum esset, occurrit; & cùm hanc formationem Cocheniliæ, prout intrinsecùs est, nobis imaginari velimus, non meliùs eandem exprimere possum, quàm si nigræ *Vva Vrsina*, cum iisdem membranulis & seminibus, comparem, (at quantitate Uvarum & seminum seposita, sive omissa) Et cùm membranas sive semina, ex quibus Cochenilia constat, mihi tam tenuem, prout fieri poterat, exhiberem sive demonstrarem, istæ tenues particulæ, ut ita dicam nullum referebant colorem.

Super hoc regerebat D. Boyle. *Se ex Præfectô quodam Jamaycæ intellexisse, Cocheniliam ex fructu arboris Fici prodire, cujus fructu putrefactô aut corrupto, vermes sive vascula oriantur, quæ in muscas transformantur; Quæ muscæ se in arbores transferant, iisdemque maneant affixæ. Quòd sub arboribus adstruatur ignis, ac præ fumo omnes decidant muscæ, illisque captis, caput, anteriorque pars corporis, ac alæ quoq; abripiantur, quodque reliquum est conservetur; adeò ut Cochenilia propriè pars posterior muscæ sive cauda sit, ac per consequens se reputare quæ ego videram reverà esse ova; æquè ac illa quæ in bombycum utulis in posteriori illarum parte inveniuntur.*

Quibus respondebam Cocheniliam omnibus præteritis meis observationibus impossibiliter potui judicare animalcula esse, nam in ea nihil animadvertitur quod similitudinem animalculi habeat, propterea fixum & firmum apud me fuisse, si animalcula forent, ut eadem à Midis comederentur. Sed cùm jam rursus de novo Cocheniliam observaverim, in unaquaque parte me satis superque certum reddere potui, unumquodq; granulum particulam esse animalculi & quòd non tantum caput & anterior pars corporis, ac quoq; alæ disrumpantur, & quod reliquum est conservetur: Sed, quod magis est, quòd omnes ungulæ & scutum, aut illa pars cui ungulæ sunt adjunctæ, sint abjectæ, adeò ut nihil nisi interna pars posterioris corporis partis conservetur. Unde mihi imaginor, quòd albæ illæ

illa materia, quam in rimis uniuscujusq; granuli conspicimus, talis sit materia quæ Cocheniliam à comestione conservandæ sit apta, ut aliàs à Midis comedentibus nullo modo possit defendi.

Hæ rimæ uniuscujusque granuli Cocheniliæ, mihi imaginor, membra vermiculi fuerunt, priusquam in volatilem creaturam transformaretur: & hoc ultimum sæpius mihi in meis occurrit observationibus, quibus jam temporis occupatus sum; & nisi anni tempus ad generationem talium animalculorum necessarium nimis longè effluxisset, nullus dubito, quin volatiles creaturas (etsi non in colore, tamen in magnitudine & formatione) invenirem, quæ cum animalculis, quorum corpora Cochenilia appellantur, convenirent.

Posthæc iterum magnam Cocheniliæ copiam exquisivi, ac in eâdem aliquot scuta animalculorum, quę nigra erant, inveni, quælibet eorum in medio rubram habebant maculam, quæ scutula eum in finem duntaxat videntur esse confecta ad alas, & supremam partẽ posterioris animalculorum partes posteriores corporis admodum sunt molles) contegendam. Et quando talia animalcula ad volandum sese componunt, primò hæc scuta in altum extollunt, & alas explicant suas, quemadmodum Scarabæi & Canthari agunt. Ac quoque in Cochenilia, quandoquidem animalcula inveni, quorum corpuscula duobus talibus scutis contecta erant, & inter hæc scuta alæ jacebant in concinno complicatæ ordine; at hæc corpuscula non erant tam magna quàm multa Cocheniliæ grana, ac quoque non tam subnigra, hæc pleraque à Midis esse comesta mihi quoque imaginabar. Præterea mecum cogitabam, hoc genus animalculorum illud esse, quorum corpora Cochenilia appellantur. Inter Cocheniliæ grana quoque aliquot particulas vasculorum aut pupularum inveni, quæ Cocheniliæ vermiculos fuisse mihi imaginabar, & ex uno eorundem particulam vermiculi extrahebã, quæ quoque à Midis consumta esse videbatur, quanquam adhuc aliqua vermiculi membra in eadem particula conspicere quibam.

Nostri pueruli ordinariè tempore vernô (cum urticæ inertes sunt in flore) quærunt aliquas exiles volantes creaturas, quæ plerunque istis in urticis sunt inveniendę, quas illi ob perpulchrum ac coruscans corpus, *Gallinaceos aureos* nominant; ac quoque animalculorum genus, quorum caput coruscans est, ac reliqua corporis superior pars subrufa, hæc ultima Belgicè nominant *Compolie*; & quoniam aciem mentis in duo ista animalcula conjiciebam, (quamquam hæc sint minora istis animalculis quorum corpus Cochenilia est) aliquibus puerulis in mandatis dedi, ut hæc animalcula mihi caperent, ea intentione, ut cùm eadem scutis suis, alis, capite & ungulis privassem, ut eadem tum cum Cocheniliæ figura convenirent.

Hæc animalcula mediante fumo sulphuris interfeci, atque exarefeci, & quando duo rubra scuta, quibus posterior pars corporis contecta est (æquè ac corpora scarabæorum, cantharorum aliorumque animalium) denudassem, sub rubris *Compolie* scutis conspiciebam rubras jacentes alas, quarum extremi fines aliquo modo duplicati jacebant, quia alæ scutis sunt longiores, ea autem sub scutis occultari nequirent. Hisce animalculis, scutis suis, alis, ungulis & capite privatis, observabam illam cavitatem qua Cocheniliæ grana sunt instructa, dorsum sive supremam animalculi partem esse, quod ex arefactione causatur, ac illud, quod veluti dorso quodam elevatum est, infimam esse ventris partem. Cùm igitur Cocheniliæ grana habemus, quorum cavitas minor est, illa animalcula fœminini sexus fuisse mihi imaginor, quarum fæmellarum corpora ovis sunt oppleta, ac hanc ob causam supremam corporum suorum partem hoc modo sese non posse incurvare.

Et quanquam Cocheniliæ partes posteriores, eum *Gallinaceorum aureorum*, ac insecti *Compolie*, partibus aliquantulum differant, me jam magis quàm antea certiorem reddere quibam, ut non tantùm animalcula, ex quibus Cochenilia conficitur, sed ut quoque hic jam antea memorata animalcula, ex vermibus provenirent. Si enim omnes volantes creaturas, quæ ex multipedis, vermibus sive acaris proveniũt, consideremus, comperiemus, ut omnibus circulis, sive circularibus membris, quibus multipedæ, vermes sive acari sunt instructi; similiter quoque volantes creaturæ, ex ijsdem prodeuntes, tot ac ijsdem membris sint instructæ. Mentis aciem saltem injiciamus in partitionem corporis acari, unde musca provenit; & si postea examini nostro muscam subjiciamus, ac caput reputemus pro uno circulo, sive pro circulari membro acari, porrò comperiemus pectus, cui sex ungulæ sunt annexæ, in tria distincta membra esse divisum, ac in posteriori parte corporis muscæ quinque membra conspiciemus. In summa muscæ corpus in novem distincta membra erit distinctum, ac tot quoque membra acarus habet. Et hæc quoque ratio est, ut omnes rugosæ partes, quas in Cocheniliæ conspicimus granis, non casu, mediante arefactione, sint confectæ, sed ea membra omnino jam in verme sic fuisse formata, ex quo creatura volans (cujus posterior pars corporis Cochenilia nominatur) prodijt. Et si Cocheniliam consideremus, in eadem decem membra, sive rugosas partes, numerabimus; anterior pars corporis, ut caput, unguli, scuta & alæ, locum quatuor membrorum occupet, sic Cocheniliæ vermis quatuordecim membris erit instructus.

Cùm postea Cocheniliæ grana viginti quatuor horas aut plures in aqua deposuissem, observabam, internam cavitatem, ex arefactione humoris causatam, tunc demùm extensam esse, ita ut illa cum posteriori corporis parte volantium creaturarum, quarum alæ & corpora scutis sunt contecta, in formatione conveniret. *D. à Leeuvvenhoek in Anatom. seu interioribus rerũ &c.*

Atque hactenus rationes eorum qui Cocheniliam insectum esse affirmant, ac proinde eam è regno Animali deducunt, Videamus jam quid magnus inter recentiores sententiæ oppositæ Patronus D. Pomet, illis quæ ab oculatis hujusce rei testibus sibi communicata fuerant innixus, in contrarium regerat: sic autem ille.

Cochenilia est semen plantæ, duos aut tres pedes altæ, folijs duos digitos crassis, coloris viridis grati, spinisque multis obsitis, instructæ. Folijs adnascuntur siliquæ cordatæ coloris viridiusculo subflavi, quibus concluduntur granula multa capitis crassioris aciculæ magnitudine, figuræ modò compressioris, modò triangularis, sed semper superficiei inæqualis ac asperæ; extùs coloris argentei, intùs verò, ad instar sanguinis bubuli, rubri.

Semen hoc è Peruvianis tractibus, alijsque novæ Hispaniæ locis ad nos defertur, tanteque apud Hispanos est æstimationis, ut si quibusdam sic asseverantibus credam, semen hoc igne vel calce ita alterent, ut germinare in nostra Gallia nequeat. Imò quod præcipuum est, si quis alius quam Hispanus in locis ubi colitur Cochenilia reperiretur, ille suspendio statim puniendus veniat.

Dum Cocheniliam semen esse assero, minimè convenio cum alijs multis ac primi nominis viris qui insectum illam esse volunt. At assertionis meæ probationem habeo penes D. *Rousseau* Leogannæ in oris insulę Sti Doming. incolam, qui ad me sic primò scripsit. *Planta Cocheniliæ duos ad tres circiter pedes est alta; cujus folia sunt quasi ad modum scoparum disposita, duos digitos crassa, spinis undique condita, coloris viridis pulchri. Ejus semen continetur in siliquis ad figuram cordis efformatis, hæ postquam maturuere coloris sunt subflavi. Semen autem exsiccatum, coriaceis, vel lineis capsellis involutum ad vos transmittitur ab Hispanis ipsis. Nos paucissi-*

paucissimam habemus Cocheniliam, itaque non est quòd de ea quatenus apud nos prognata, verba faciam. Secunda præterea vice ad me sic ille. *Vidi hic Patrem è Familia Sti Francisci Paulani, Gallo-Provincialem, qui cùm adverteret super Acaciis, ut & super Opuntiis nostris, animalcula quædam, continuò exclamavit illa Cocheniliam continere, suique deridendi materiam præbuit omnibus incolis qui plantam ipsiusque fabricam noscebant. Brevi ille profectus in Galliam ut accepi appulit, totus errore suo super Cochenilia plenus.*

Idem præterea D. Rousseau adnotat quòd super Acacijs reperiantur bestiolæ, cimicis lectularij magnitudine, sed paulò crassiores, quas inquit vocant *Vermillon*. Illæ autem, addit, nullius sunt usus quia desiccari non possunt. Hæc animalcula fuere proculdubio Cochenilia Patris præmemorati, qui non alius est quàm Rever. Pater *Plumier*.

Literæ autem D. Rousseau eò magis fidem merentur, quòd in Cochenilia, nec pedes, nec alas, nec capita, aliasque animalculorum partes ullas observare detur, quòdque illa veri & genuini seminis omnes notas præ se ferat. Sique illa non sufficiant Lectorem dimittimus ad Ximenem, atque ad Gulielmum Pisonem, quorum hic in sua Historia Brasiliana, postquam longam ficus cujusdam Indicæ *Iamacaru* ipsi dictæ, descriptionem tradidit; asserit eandem illam plantam in Nova Hispania Cocheniliam producere. *Hæc D. Pomet in Aromatum Historia generali.*

Atque hactenus attulimus præcipuas rationes quibus alij Cocheniliam insectum, alij verò semen esse contendunt. Illis autem omnibus jam perpensis, crederemus forsan errasse eos qui insectum esse pronunciarunt, eoque in errorem inductos, quòd animalcula, ipsi immista, aut saltem animalculorum partes adjunctas conspicerent, nec intereà liceret natale solum videre, præterquàm Hispanis, qui, pro more, altùm in hisce omnibus silentium, ni ultima experimenta ab accuratissimo de *Leeuvvenhoek* instituta satis superque demonstrarent in Cochenilia propriè sic dicta, seu ejusdem genuinis granis, omnes animalculorum desiccatorum partes contineri. Interea tamen non minùs Lectori per nos liberum est, ut in hujus articuli initio dicebamus, sententiam quæ maximè arriserit seligere: si modo hic pro auctario adjecerimus quæ habet in hoc argumenta *Joh. de Laet.* sua de India Occidentali Historia accuratissima. Cocheniliæ granū inquit ille ex Herrera Autore Hispano, in multis Novæ Hispaniæ locis, præcipuè soli expositis, ac ab aquilonaribus ventis semotis, provenit, super arbore *Tuna* dicta, folia gerente crassissima. Efformatur autem ex animalculo vivente seu potius insecto cimici non absimili, quod eo tempore quo primùm plantę inhęrescit, ad pulicis magnitudinem non accedit & ab ovulis perpusillis nascitur, totamque arborem, imò totum hortum in quo deplantatur arbor multitudine sua contegit. Colligitur semel aut bis anno, & arbores quibus innutritur apto disponuntur ordine ad instar vitium, coluntur que diligenter ac herbis ipsis innascentibus aut intervalla occupantibus spoliantur. Quò autem juniores sunt plantæ eò copiosius granum illudque etiam melioris notæ præbent; sed præcipuè attendendum ut ab aëris injurijs defendantur, ut & ab insectis ac gallinis granum peravidè vorantibus. In mundandis ac detergendis plantis utuntur caudis vulpinis, ne si aliud adhibeant instrumentum sic novellum insectorum semen corrumpatur. Quando animal justam magnitudinem adeptum est, magna illud cura colligitur, atque postquam frigida enectum fuit in umbra siccatur, & in terreis vasis asservatur. Enecatur itidem & animal cinere superinjecto, alijsque modis, ac postea lavatur, verùm enimverò quòd frigida suffocatur meliorem cocheniliam præbet. Adulteratur autem granum hoc à mercatoribus non una ratione; cùm enim illud quadruplicis sit generis; aliud scilicet cujus color nihili est quia sine arte & cultura in locis sylvestribus pronascitur; aliud quod nigrius est ac non bene cultum; aliud in monte *Chichimeque* progenitum, vilioris etiam conditionis; aliud tandem probè cultum ac verè utile: omnia illa invicem nō infrequenter commiscentur *Tlaxcala* autem provincia pretiosiorem alit Cocheniliam, è qua indigenę per pulchram conficiunt tincturam seu pigmentum, qua non pictores tantùm, sed etiam mulieres pro fucô utuntur: illam scilicet conterunt ac decocto arboris *Tezhuatl* addito aluminis pauxillô macerant, indeque tabellas efformant ab Hispanis *Grana en pan* dictas. *Franciscus Ximenes* scribit præterea, quòd ex eadem illa arbore è cujus succo alitur animal *Cochenilia* dictum exudat gummi renum calorem urinarumque ardorem non parum compescens, quòdque succus, aut aqua ex hac planta extractus sit remedium nobilissimum in febribus pestilentialibus & biliosis. *Hactenus Joh. de Laet.*

Cochenilia melioris notæ, debet esse ponderosa, crassa, bene nutrita, seu plena, pura, sicca, extus coloris argentei splendidi, intus rubra, ita ut si ejus granum dentibus fuerit contritum, saliva inde saturatè rubro colore inficiatur. Rejicienda autem venit quæ rugosior, impura, levior, imò advertendum ne lapilli ipsi sint admisti, ut sæpe fit præcipuè quando illa majoris est pretij.

Usus habet in Medicina satis nobiles; Cardiacum enim insigne habetur, sudorificum, alexipharmacum, & antifebrile medicamentum, febres omnes quantumvis malignas sanans, ideoque in Peste & Febribus Petechialibus sæpius exhibetur. Imò ut alibi retulimus Antepilepticum fuit insigne Amplissimi Viri D. Stephani Le Clerc Medic. Doct. & Reipubl. Genevens. Senatoris olim Dignissimi. Ille scil. præmissis universalibus, Cocheniliæ pulverisatæ grana quatuor ex aquis appropriatis per tres ultimos lunæ dies manè jejuno ventriculo exhibebat, hocque simplici medicamento plures à sævissimo morbo liberabat.

COCHINILLA, vid. *Cochenilia.*

COCHLEARIA.

Cochlearia à foliorum forma modicè cava, parvum & non valdè profundum cochlear referente Recentioribus dicta: quam aliqui Telephium, alij Britannicā *Plinii* l. 25. c. 3. volunt (licet forma & sapore Thlaspi & Nasturtijs affinis sit) eò quòd ei malo, quod Stomacacen & Scelotyrben vocant (Scorbutum esse volunt) auxilio esse Britannicam Plinius scripserit. *C. B.* Verùm Cochlearia Britannicæ descriptionibus quæ apud Veteres extant non respondet; proinde verisimilius videtur Hydrolapathum magnum Britannicam Plinij & aliorum esse, ut multis probare nititur Abrahamus Muntingius lib. de Britannicâ antiquorum verâ.

Nota Cochleariæ genericæ sunt Statura humilis, vascula modicè tumida, folia subrotunda, crassa, succulenta, semina globosa, locus maritimus.

Vires. Cochlearia acris est & calida, sale Volatili abundat, unde fixos & crassos humores spirituales ac volatiles reddit. Morbis illis medetur qui à sale fixo nimis copioso originem ducunt; inprimis verò Scorbuto, cujus peculiare aut proprium seu specificum (ut vocant) medicamentum est, unde & Germanicè & Anglicè inde nomen sumpsit. Usurpari solet à nonnullis in lacte aut vino decocta. Verùm quia partes illæ in quibus præcipua vis & utilitas hujus herbæ consistit, admodum volatiles sunt, & coctione facilè evanescunt, succus herbæ expressus, aut ejus infusum efficacius esse videtur quàm decoctum. Recens cerevisiæ infusa in vitro probè obturato brevi intra tres quatuorve dies totam suam vim antiscorbuticam seu spiritum volatilem ei communicat: Nos experientiâ edocti ejusmodi

cerevisiam pro potu ordinario Scorbuticis commendamus. Minus commoda est in qua Cochlearia diu infusa fuerit, nam diuturna infusione partes terreæ & fixiores herbæ eliciuntur & Cerevisiæ communicantur, partesque volatiles vel avolant, vel cum fixioribus complicatæ vim suam amittunt.

Scorbutus populis qui in salsis & maritimis degunt, præsertim Septentrionalibus, ferè endemius est, iisque qui piscibus sale conditis plurimum victitant. Hinc quæcunque sale volatili abundant, ut *Cochlearia, Nasturtium, Raphanus, Becabunga*, ad hujus curationem maximè valent.

Tales plantarum species in quacunque regione à Deo creantur quales hominibus & animalibus ibidem natis maximè conveniunt, imò ex plantarum nascentium frequentia se ferè animadvertere posse quibus morbis (endemijs) quælibet regio subjecta fit, scribit *Solenander*. Sic apud Danos, Frisios, Hollandos, quibus Scorbutus frequens, Cochlearia copiosè provenit.

Qui Cochleariæ succum fastidiunt iis extat tinctura seu essentia liquida, quæ passim in Germania usurpatur. ℞. Cochlear. recentis q. v. contunde in mortario marmoreo, eamque inditam vasi convenienti aquâ vix subtepidâ, vel, quod melius, proprio succo crudo irrora, in quo tantillum fermenti vel fæcis cerevisiæ solutum est. Consperge raro sale. Ubi hæc probè l. a. remista sunt, reponantur vase optimè operculato tandiu in locum subterraneum, usque dum acriorem odorem spirant, quàm cùm recens Cochlearia contusa est: quod ubi advertis destillentur per Alembicum in M. B. & obtinebis Sp. Cochleariæ. Postea ℞. Nova Cochleariæ folia, contunde & exprime torculari valido ex iis succum, eumque levi aqua in M. B. in vase aut vitro optimè lutato defœca, & per chartam bibulam filtra. Hujus hac arte depurati succi tribus partibus affunde partem 1. Sp. Cochleariæ, & parata est; quam præstantissimam & efficacissimam in scorbuticis affectibus comperi, ubi in aquis destillatis convenientibus, imò vel vino Rhenano & similibus vehiculis, una itemque altera ℥. diluitur, maximè si misturæ simplicis dictæ aut diaphoretici in peracutis aliquot guttulæ ad ℈1. pro dosi remisceantur. Atque ea hac, & Trifolii fibrini essentia invicem remista æquis partibus constat esseia liquida. *S. Paulus.*

Cochleariæ succus cum herba contusa imposita & alligata faciei maculas sex horarum spatio tollit, postea verò decocto furfuris est abluenda. *D. Palmer* è prælect. D. Hermanni.

In Epilepsia contortas partes præ reliquis spirituosis aromatis fovere cõvenit, inprimis spiritu Cochleariæ, quo sæpissimè hostem fugatum gloriari possumus. Dolæus. l. 2. c. 1 s. 19.

In excrescentia gingivarum scorbutica succus Cochleariæ cum alumine usto mistus per quam egregius est: sicuti ad hæc ipsa gingivarum vitia ex Scorbuto nulli cedit vermicularis, cujus decoctum cum alumine & melle nobile experimentum est gargarizando usurpatum. *Raius in Histor. Plant.*

Cochlear, vid. *Instrumenta Pharmaceutica.*

COCTIO.

Ut medicamenta gratiora salubriora & usui ac cõpositioni magis idonea reddantur, solent concoctione convenienti commutari: est enim coctio. *Probl. 7. sect. 12 Probl. rei concoquendæ alteratio, vel commutatio.*

Ejus autem 3. *cap. 3. lib. 4. Meteor.* constituuntur differentiæ, maturatio, elixatio, & assatio. Sed quia maturatio, πέπανσις græcis dicta, naturalis quædam est coctio, hic omittitur, quoniam de artificiali tantum agimus, ad quam elixatio, ustio, calfactio, frixio, despumatio, & quæ colore mutationem quandam acquirunt, tanquam ad genus solent referri.

Pro rerum autem coquendarum substantia & viribus, fit coctio levis, aut valida, aut mediocris. Quædam enim levem tantum coctionem sustinent, quorum scilicet virtus longiore coctione facilè resolvitur, vel quia imbecilla est, aut in superficie posita, aut quia rara substantiæ textura constant, ut semina quædam, aromata multa, & flores pene omnes.

Alia longiorem coctionem desiderant, ut quæ contrario modo affecta sunt, quorum nempe virtus non facilè resolvitur; aut quia valida est, ac firma; aut quia in substantia crassa ac densa residet; aut quia in profundo est sita: cujusmodi sunt radices, ligna, gummi, lapides, & acria, ut cepæ & allium quæ coctione mitescunt; Quædam mediocrem coctionem patiuntur, quæ inter dicta extrema media sunt, in substantia & viribus, ut santalia omnia, jujubæ, passulæ, tamarindi, molliusculi fructus & semina multa. Coctio autem quæ fit in humido à calore moderato, elixatio dicitur. At humidum illud, cui medicamenta incoquuntur, magna ex parte aqua est, eaque vel simplex, ut communis, vel medicamentosa, & composita, ad quam reducuntur lixivium, hydromel, lac, serum, vinũ, acetum, succi plantarum, aquę salsæ, vel sulphureæ, & liquor omnis, in quo medicamenta excipiuntur & incoquuntur.

Est vero multiplex elixationis usus: Primo siquidẽ humorem medicamenti excrementitium coquendo resolvit; unde colocynthis & elleborus coquuntur, ne molestè ventrem perturbent, & torminibus exerceant. Contrarium tamen accidit his medicamentis, quæ leniendo & lubricando purgant, quæque cum plena sunt, eadem meliora; ut cassia & tamarindi: coctione namque deteriora fiunt, quia humiditas illorum nativa imminuitur, & vis purgativa deperditur.

2. Elixatio flatus crassos & mordaces ad nauseam ventriculum lacessentes, ab eodem medicamento dissipat, ut in senna, polypodio, carthamo, ebulo.

3. Acrimoniam, violentiam & qualitatem ulcerantem frangit, ut de Scammonio scribit Mesue, quod illius jussu, in malo austero, ut citonio, vel succo rosarum coquitur, & præstantius redditur, ut omnia acria coctione fiunt meliora.

4. Vehementiorem medicamenti attractionem & maligniorem obtundit: proinde elleborum album, & medicamenta valentiora incoquimus, ut illorum violentia fracta maneat; sicque omnia medicamenta redduntur benigniora, dum in aqua vel succis herbarum, seminum aut fructuum coquuntur.

Denique elixatio facultates medicamentorum diversas optimè permiscet, ut ex his omnibus una resultet, veluti concreta facultas: quæ si fuerit imbecilla in planta quadam, levius coquenda est; si potentior ac validior, validius; eoque magis, quo substantia illius crassior, solidiorque fuerit. Idcirco primum ligna, dein radices, tertiò semina, postea lignorum cortices, tum fructus, postremo flores igne lento, tetri fumi experte concoquuntur, dum arida duraque mollescant, cœtera contabescant, & in aquam aut liquorem suas vires deserant.

His elixationis ordo semper tenendus in omni medicamentorum & maximè apozematum apparatu, quæ fiunt ex decocto radicum, foliorum, seminum, & florum sacchara aut syrupis quibusdam dulcorato.

Tempus autem coctionis, non una hora, aut aliquo temporis certo spatio, ut quidam arbitrantur, sed uno artificis periti judicio definitur. Quædam enim ad elixationem multum temporis, alia parum exigunt. *Joan. Renodæus.*

COCULÆ.

Nomina Cocci orientales, *J. B.* Ger. Coculus Indus *Park.* Cocculæ officinarum *C. B.*

Ciceribus paria sunt aut majora, renis fere figurâ, descri-

describente J. Bauhino, (baccarum Lauri magnitudine, sed rotundiores) fusco rugoso cortice exteriore, interiore crassiore, cinericeo, itidem rugoso, utroque lento, nucleum claudente fragilem, obsoleti coloris, Lenticulari apophysi, quam geminæ ex umbilico corticis partes emittunt, circumjectum. Cohærent autem cocci interdum bini aut terni, crusculis totidem hærentes, ut plurimum singulares. Sustinentur pediculis uncialibus, unico nodo articulatis, qui sanè lignei cùm sint arboris fructus esse haud obscurè insinuant. Sapore sunt admodum amaro. Hi sæpe racematim pediculis adhærentes (verba sunt C.B.) hæderæ corymborum modo ex Alexandria adferuntur. Quidam Solani maniaci, quidam Tithymali alicujus, quidam clematidis fructum opinantur. Nobis J. Bauhini sententia verisimilior videtur, Arboris alicujus fructum esse.

Vires. De baccarum harum loco natali nihil certi traditum invenio. Quoad vires attinet certum est earum pulverem capiti inspersum pediculos interimere. Condronchius (qui peculiarem de illis tractatum scripsit) millies expertum in puerulis tradit pulverem harum baccarum etiam in exigua quantitate cum adipe suilla vel pomo decocto & similibus permixtum & capiti appositum egregie pediculos in capite ortos interficere, & feliciùs quàm Staphidem agriam, tutiusque quàm hydrargyrum.

Usus. Verùm præcipuus earum usus est ad pisces capiendos. Compositio Cardani ad pisces capiendos experta hæc est. Baccarum Orientalium quadrans unciæ tres: Digeruntur contusa in pastillos. Solent alij Coccos Orient. miscere cum veteri caseo, melle & farina tritici, & inde pilulas formare piscibus projiciendas. Alij multo adhuc plura Cocculis admiscent. Verùm non opus est tanto apparatu, nam nostra experientiâ, simplex pasta è pulvere baccarum & farina tritici aquâ contemperatis facta paris efficaciæ est ad pisces attonitos reddendos & tandem interimendos. Nam quòd nonnulli scribunt pisces ex hujusmodi pilularum esu ad tempus duntaxat vertiginosos & stupidos reddi; plerosque autem brevi ad se redire & quasi reviviscere, nobis non probatur. Experientia enim nostra piscatorum apud Condronchium opinioni suffragatur, nimirum pisces ab isto medicamento brevi etiam temporis curriculo necari; an verò (ut illi etiam affirmârunt) nisi quamprimum capiantur facillimè putrescant & in partes dividantur nobis incompertum. Et si quis objiciat infit Condronchius, pisces per aquam discurrere & volutari assumpto pulvere, & id ratione ebrietatis aut vertiginis evenire, illis dicam ego, non harum ratione sed doloris quem percipiunt à contrario illo sic agitari & volutari, ut unumquodque animal facere & præsertim homines solent cùm dolore aliquo torquentur. Ego pisces primò velut ebrios & vertiginosos fieri ab assumptis pilulis concesserim, postea nihilominus deleteria earundem qualitate interimi. Nam pisces ab acri & amara qualitate baccarũ tantùm interfici non concesserim, quin potiùs baccas specificâ quâdam & compertâ qualitate pisces vertigine afficere & tandem enecare crediderim. An verò piscibus sic captis tuto absque ulla veneni suspicione nos vesci possimus, non facilè dixerim, puto tamen cum Condronchio siquum primùm capti sunt eviscerentur & coquantur absque periculo comedi posse. Quòd verò coccalæ hæ calidæ sint, & minimè ut Matthiolus contendit frigidæ, non obstante soporifera earundem vi, à sapore acri & amaro, necnon ab effectis manifestum est, ut luculenter demonstrat Condronchius.

Baccas hasce nullo pacto facultate deleteria vel venenosa præditas esse, neque hac ratione verùm meritò primarum qualitatum & suæ amaritiei animalia ista interficere, opinatur idem Condronchius. Verùm sententiæ suæ minùs firmam probationem affert. Mihi ex Amati experimento contrarium potiùs colligi videtur, Pædagogus quidam Cubebas poscens ex imprudentia Pharmacopolæ fructum accepit, quem piscatores vulgo Coccum vocant. Cujus cùm quatuor ad summum grana avidissimè comederet, ille in nauseam & singultum & animi angustias incidit: mox ei vomitorium exhibitum, quo vel intra horam ab eo periculo & agone liber est factus. *Raius in Hist. Plant.*

Facilè crederem grana hæc pisces sine veneno enecare non secus ac amygdala amara gallinas aliaque etiam multa animalia perimunt; verùm dum attendo quòd pediculos ad instar staphidos agriæ cocculæ hæ fugant & occidunt, aliosque effectus in alijs præterea animalibus producunt, non possum quin in illis acrimoniam verè nocivam agnoscam; unde non aliter eas quam in medicamentis externis adhiberem, quale est illud *Riverii* cataplasma in Podagrâ, è myrrhæ scilicet & coccis orientalibus æquis partibus cum aceto forti confectum & parti dolenti impositum.

Coffee, vid. *Café.*

Cohobare, vid. *Coobare.*

COLARE.

Colare, id est, per colum trajicere. Colus autem, præcipuè panneus intelligitur, nonnunquam quoque linteus. *Schrod.*

COLATORIUM.

Nec carere quoque debet officina *colatoriis* multis seraceis, lineis, cannabinis, laneis & stamineis vocatis, quorum alia rara sunt, alia inter ambo media. Et quædam nova, alia pene detrita. Illa tamen frequentiore sunt in usu, quod compressu validiore, totus succus rei colandæ, absque telæ crepatura trajiciatur. At verò pro diversa succorum consistentia modo hæc, modo illa sumuntur. Quæ ex se tenuia sunt, denso colo egent, ut quicquid inest sordium non transmeet, sed tantum succi pars tenuior. Quæ crassa sunt ac lenta, vix nisi colo raro trajici possunt. Quæ media sunt, mediocris texturæ colatorium postulant.

Tria verò postulant crassa & viscida; ut probè colentur, ut humore ampliore diluantur, ut colo rariore, ac novo trajiciantur, & ante colaturam calefiant diutius: sic enim illorum densitate magis rarefacta, multo faciliùs transmeant. Et multa vix nisi calidissima percolantur; alia facilè etiam frigida: quædam tepida tantùm; & nonnulla colatura tantùm egent unica; quædam duabus, alia pluribus, ut perfectè clarescant. Prima quidem in colo raro: secunda, in denso: tertia, in magis compacto, ut sordes omni transitu prohibeatur. Quæ consistentiam habent valde liquidam, etiam sibis, aut tèr colanda sint, eodem panno traduci queunt.

Inter colatoria numerantur lanea quædam cola oblonga, ac figura pyramidis, vel potius cuculli formata, quæ caligas vel manicas Hippocratis appellant, quibus vinum hippocraticum vulgò dictum, ter quaterque colatur, donec clarum evaserit. Inserviunt adhuc melicrate, gelatinis & decoctis pluribus percolandis ut res quædam extranea, siquæ forsan admixta sit, per istam trajectionem separetur, ac liquor tantùm syncerus remaneat, ut in nostris Institutionibus demonstravimus. *Joan. Renod.*

Colchicum, vid. *Ephemerum.*

Colchotar, sive Colcatar, vid. *Vitriolum,* sub titulo *Sal.*

COLLECTIO NATIVORUM.

Schröderus. Collectio rerum nativarum est, quâ è sua

sua productione sumuntur, i. e. quâ mineralia è suis mineris fodinisque eruuntur; Vegetabilia eradicantur, decerpuntur, &c. Animalia perimuntur.

N. *Non parùm discriminis collectio nativis infert, prout scilicet illa decenter vel indecenter peracta fuerit.*

Res colligendæ sunt solæ nativæ: In præparatis enim à cura hac excusamur, nisi forte volupe sit laboriosarum ac diuturnarum operationum finem observare, eamque simili ratione, quam de nativis habemus, metiri.

Circumstantiæ collectionis præcipuæ sunt colligendi *Tempus ac Modus*.

Tempus convenientius nativa colligendi colligitur, tum à rei colligendæ *aptitudine*, tum à constitutione *macrocosmica* aptitudinem inferente.

N. *Finem duplicem collectio respicit, videlicet asservationem & usurpationem. Prioris gratiâ res colligenda est eo temporis fluxu, quo vigent qualitates facientes ad durabilitatem, ut sunt siccitas, & caliditas, vel & moderata frigiditas, & sim. Posterioris ratione colligi vult, dum qualitates vigent, medicationi* aptiores.

Rei colligendæ *aptitudo* ab optimo suo statu dependet, sive is trutinetur *ætate*, sive *periodicâ turgescentiâ*. Exempli gratia, animalium nonnullorum. Utraque hæc siquidem tempus statum ferè obtinuit secundum 12. menses mensurabile, mensis is collectionis statuitur genuinus, in quem ætas illa, turgescentiave vigorosa inciderit.

Ætas collectioni convenientissima, censetur ætas *consistentiæ* seu maturitatis, cui succedit ætas *accrescentiæ*, præcipuè si consistentiæ appropinquas. Verum enimverò non raro spectanda quoque est rei substantia, & inde dependens aptitudo elaborandi.

Sic *è mineralibus*, optima quidem sunt metalla, quæ maturuerunt; verùm tractabiliora, id est, præparationi aptiora habentur, quæ minùs matura.

E Vegetabilibus colligendi sunt *flores* cùm expliciti pulchritudine sua luxuriant, nec tamen marcescunt, de quibus peculiariter lib. 4.

N. *Excipe paucas, quæ in gemmis colligi volunt, ut sunt Rosæ, & sim.*

2. *Herbæ seu folia*; cum odore, colore, sapore, cacumineque superbiunt, & florescentiæ appropinquant.

N. *Herbæ utplurimum cum floribus asservantur, colligendæ itaque hæ erunt, quando floribus triumphant: ut Calamentha, centaurium, chamædrys, chamæpitys, daucus, fumaria, majorana, origanum, polium, pulegium, serpillum, thymus, &c.*

3. *Semina*, cùm matura bene sint, siccarique ceperint, nec tamen exciderint.

4. *Fructus*, ad medicinam cùm benè maturuerunt, ad asservationem antequam omnino maturescant, ut neque omnino acerbi sint neque ad justam maturitatem pervenerint. Bapt. Port. in Mag.

5. *Radicum* variat collectio. Quædam quovis anni tempore excepta hyeme effodi possunt, ut radix acetosæ, althææ, angelicæ, apij, asari, buglossæ, cyclaminis, dracunculi, cichor. &c. quas tamen præstat vere colligere.

Aliæ colliguntur antequam in stolones abierint, scilicet circiter finem Martij. ut rad. acori. agrimon. alth. onon. aristoloch. ari. asparag. betonic. bistort. bryon. carlin. caryophyllat. centaur. chelidon. urt. Cyper. dictamn. alb. ellebor. nigr. eul. esul. farfar. filipend. filic. fœnic. gentian. gramin. hyosciam. imperator. ireos, lilij, mandrag. mei, nymph. orchid. pentaphyll. petasit. petrosel. maced. pimpinell. pæon. polypod. raphan. sylv. rubi, rusc. saxifrag. sigill. Salomonis, scrophular. symphyt. valerian. vincetoxic.

N. *Sunt qui præstare volunt radices cunctas autumno colligere, ubi folia deciderint, viresque in radices recesserint: alij veris initio, priusquam in caulem ac folia eruperint: alii ubi planta in vigore ac maturitate fuerit, quippe ut integra planta ita & radicem cum maturitate vigorari censent, cui consentire videtur Dioscorides, ubi radices colligere docet incipiente foliorum defluvio. Verùm præstat intueri radicum naturam, & ex hac colligendi tempus metiri. Sunt nimirum quæ maturitate lignosam adsciscunt substantiam, has præstat antequam maturuerint eradicare: sunt è contra quæ citra mutationem dictam adolescunt, eas etiam effodere licet, postquam planta bene fuerit matura, foliaque inceperint defluere.*

Hofman. In vigore ac maturitate) Varietatem collectionum varietas maturitatis parit. Rectissimè itaque singula immediatè ante statum maturitatis sunt colligenda, nam plena maturitas declinationis initium est.

Schröd. Animalium vigor ratione ætatis, est cùm ad virilitatem seu consistentiam pervenerint: sunt tamen rariora quæ puerili ætate in usum veniunt, de quibus singulis lib. 5.

Animalia quæ *periodicam turgescentiam* patiuntur, eo ipso turgescentiæ tempore vigere censetur. Exempli gratia, Cervus vigoris ratione convenientiùs perimitur circiter Ægidij festum, utpote quo turgescit. Item circiter tempus, videlicet, quod includitur duobus festis Mariæ sacris, colligi solent ova, per hyemem totam asservari apta.

De colligendi tempore secundùm constitutionem Cœli universaliorem.

Macrocosmica constitutio rerum nativarum colligendarum spectatur, partim qualitatibus *universalioribus* seu manifestioribus, partim *influentiis stellarum specialioribus seu occultioribus.*

N. *Qualitates generaliores spectant potissimum rei durabilitatem: influentiæ specialiores potissimùm vires concernunt: Adde & hoc, quod prius illud tempus universalius seu communius sit, plurimaque sublunaria, ne dicam cuncta, concernat. Posterius particularius seu specialius, respiciensque solas res familiares.*

Hofman. Non possum & hoc loco cùm *Excell. Domino Schrœdero* facere, quod communem ille sequutus errorem ad Signorum cœlestium imaginarias classes referat simplicia. Doctus & exercitatus botanicus, ut aliquod certum tempus nativa colligendi eligat, elaborat, nec in hoc improbandus est, nunquam autem cursum Lunæ per imaginarium signum cœli anxiè, sed potiùs cum propriorum astrorum, quæ habent herbæ, cognitione, unde earum maturitas est, dum ex seminali proprietate ac dotali virtute in suos vergunt balsamos herbæ, phases ad Solem & reliquos Planetas & stellas observare conatur, ac tempus balsamicum nunquam negligit. SOL accedens & recedens vivificat & mortificat vegetabilia, Terra in sinu suo fovet, reliqui puncti cœlestes suum huc etiam conferunt ἐπιβαλλον μέρος. Sed isti non sunt adstringendi domicilijs, exaltationibus, triplicitatibus, terminis, faciebus, gaudijs, horis suis, novenis suis, obsessioni &c. quæ Autor Principaliora vocat in sequ. Sed est aliud aliquid propius indagandum. Audiant modò sanioris Astrologiæ cultores istam vanitatem. SOLI attribuitur signum ♌, ratio datur, quia est signum calidum & siccum, ♌ autem talis etiam est, per consequens signum ♌nis est signum ☉lis. Egregia sanè consequentia. Porrò ☽ est alterum magnum luminare; ergò illi competit proximum signum ♍. Virgo autem non correspondet naturæ Lunæ ex præcedentibus. Prodeat igitur ♋, alterum contiguum ♌nis, quia est signum aquatile frigidum & humidum, congruens naturæ Lunæ. Videte prætoriam sententiam. Nunc si habemus domicilium per ☉ & ☽ reliqua facilè inventu sunt. Mercurius est proximus ☉, per

per consequens utrinque proxima domicilia habet ♊ & ♍. ♀ paulò remotior à ☉le conjuncta habet utrinque cum ☿ signis signa. Sequitur ♂ ut vicinus ♀neris. ♃. Martem, ♄ Jovem, ♀ nemo meliùs excogitare potuisset, si non fuisset, vel esset. Quod de exaltatione, triplicitate, terminis &c. dicitur, figmenta sunt, & in primis horæ planetariæ, gradus puteales masculini, fœminini, tenebrosi, augmentantes, ferales, vacui & id genus alia. Consideret quispiam, num punctorum cœlestium verè existentium sit vel esse possit major vis & veritas, quàm fictitiorum. Somnia hæc sunt sua via, quæ de domiciliis &c. dicta, figmentum produxerunt & producent.

Schrod. Tempus colligendi nativa, qualitatum universalium ratione, censetur aptius, moderatè *frigidum & siccum, serenumque*, hinc tempus *balsamicum lunæ decrescentis, matutinum, autumnale*, uti &, quod Planetarum situ, frigidum ac siccum arguitur.

N. Paracelf. tr. 1. Philos. pag. (mihi) 309. *De diversitate temporum, mutationibus virium (inde) crescentium, vel decrescentium philosophari, primum scire refert tempora anni esse diversa & pro diversitate temporum vires quoque rerum omnium augeri minuive, &c.* Et paulo post: *Hæc itaque cùm sine contradictione vera sint, sequitur non semper bonum esse, argillam ac lutum fodere, lignum cædere, multo minus herbas colligere, fructus decerpere, radices eradicare, balsamos ac gummata deradere, cuncta hæc paragi fas est, tempore balsamico, certis mensibus, certo aspectu lunæ ac aliorum signorum, certâque diei horâ. Ut autem constet, quænam vera illa* balsamica tempora *sint, quibus vires integræ conservari possint, immunia à putrefactione, primò inter tempora anni præstat* autumnus *& præcipuè* September *&* October; luna decrescens, *& inprimis* trini ultimi dies decrescentiæ; *tempus* matutinum, *quando lucescit. Etenim quemadmodum homo interdiu laborat, laborandóque lassatur, debilitaturque, noctu autem post labores absolutos quieti somnóque inhiat; ita quoque omnia, radices scilicet & herbæ, &c. Quippe cuncta humi nascentia operantur cum sole, quiescunt cùm luna. Porrò sicut homo post sufficientem somnum, sanus, fortis vigorosúsque exurgit: ita & fructus univers. post noctem mediam [non ante nec interdiu.] Exemplum præbent fructus arborum: Poma si tempore decerpantur balsamico, durabiliora ac minus corruptibilia sunt, secus ac aliàs: imò singuli fructus decerpti post mediam noctem, vel saltem ante solis ortum, maximè durabiles existunt. Similiter sese res habet, si id [collectio] fiat in signis terrenis Tauro ♑, ♍, ac luna decrescente, ut dictum. Nam hisce temporibus non luxuriat superflua humiditas nascentium, quæ corruptionis origo, viriumque prostratio. Et hæc experiuntur quóque rustici sine errore.*

Ut autem vera hæc esse experiaris, fac periculum: Nimirum decide ligni frustulum de arbore terræ adhuc infixa, tempore balsamico uti dictum: Cæde itidem de eadem arbore ligni fructum, ejusdem cum priori magnitudinis, tempore scilicet contrario, videlicet in signo aliquo aëreo humido (♋, ♏, aut ♓,) vel Luna crescente novellâve, interdiu, post meridiem, aut sub crepusculum vespertinum, utróque ponderato videbis frustum illud balsamico tempore decisum, multo levius esse minusque humiditatis obtinere, quàm alterum.

Eadem ratio est omnis generis lignorum. Etenim lignum quodvis tempore dicto in signis balsamicis cæsum, si adhibeatur ædificiis, vel rei alicui materiam præbeat, nec afficitur facilè teredine, nec putrescit, vermiculaturve facilè, sed durabile quàm diutissimè est.

Idem sentiendum de luto, argillâ, terrâque effodienda: quippe lutum terrâque tempore balsamico fossa, optima est, quæ in igne perduret, imò cuncta instrumenta, crucibula fictiliáve, ex hac terra confecta longævæ in igne sunt durationis. Idem de aliis quamplurimis sentiendum, quamvis mentio specialis nulla facta fuerit. Hæc Paracelsus, quæ digna judicavi, ut latino idiomate translata huc insererentur; non obstante quod rythmi vulgares contrariantur.

Lunæ cremento tua capere poma memento,
Hæc cùm decrescit, quod carpseris, omne putrescit.

Testantur & rustici, quòd fimus, si transferatur in agros tempore novilunii, mutetur facilè in vermiculos, s. cochleas, qui arrodunt radices.

Hofman. Ante Solis ortum.) Hinc minimè superstitiosam, sed maximè necessariam esse collectionem herbarum ante solis ortum asserit *Cl. Helmontius in Tr. de Formarum Ortu* §. 59. Non quidem quod Natura noctu ferietur ab opere instar serpentum, sed quod per noctem uberiùs nutritæ ante Solis ortum plenâ sint nutritione potitæ, prout fungorum & peponum familia ostendit.

De colligendi tempore, secundùm influentias particulares.

Schröder. Tempus colligendi nativa *influentiarum siderearum* ratione censetur aptius, quòd Planeta rei colligendæ familiaris in suis fuerit *fortitudinibus*, idque tanto convenientius judicatur, quanto plures fortitudines Planeta obtinuerit.

Hofman. Tempus colligendi nativa influentiarum sideratione censetur aptius.) Has & Nos concedimus, sed non eo modo, ut describit *Noster Dominus Autor.* Et sunt colligenda simplicia non secundùm imaginaria, sed vera tempora. Quâ de causâ simplicia colligimus, quando in sui vigore sunt; Semina nempè, dum propemodum sunt arida. Caules verò & folia, dum succulenta & balsamica plena cruore mandent, ut præterea hoc ipsum tempus, quod inde balsamicum vocatur, Universale sit. Radices etiam dum viribus tument, nondum generando & coquendo exantlatæ: sed mutâ jam quiete saturæ germinascere meditantur, ut tempore vernali, sic v. g. radices ari, bryoniæ, pœoniæ, polypodii, asari &c. tunc optimè colliguntur. Quod autem stato tempore sub hâc vel illa syderum phasi in vigori sint, non tempori solùm aut etiam phasibus ad solem & reliquos Planetas attribuendum venit, sed eorum saltem applicatio hîc instituitur, dum interea propria sua astra habent, superiorumque analogiam in se exprimentia & æmulantia cœlum intus gerunt in initiis vitalibus, illóque pentaculo signavit Omnipotens, quo se ad universalissimum Astrorum cœlestium influxum componunt. Unde *Ptolomæo etiam teste*, effectus stellarum quoniam varii sunt & incerti Medico & industrio Naturæ indagatori scire in primis expedit, non tam quâ ratione, quàm quo tempore planta ad influxum cœlestem recipiendum sit apta nata. Hoc opus, hic labor est.

Schrod. N. I. *Plurimi non sine causa præferunt* luminare *planetæ familiari amicum & præcipuè Lunam, utpote quæ non modò terris finitima; sed & receptaculum sit omnium cœlestium influxuum. Ipsa scilicet ceu uxor omnium stellarum fœcundissima, Solis cæterorumque planetarum & stellarum radios & influxus dicitur suscipere, eosque quasi fœtum inferiori mundo edere. Et hinc præ cæteris illam observari volunt.*

N. II. *Alii procedunt paulo secus, eliguntque tempus, quo signum Zodiaci familiare scilicet, membro humano, cui res colligenda adhiberi debet, fuerit forte, id est præsentiâ alterius luminaris fortificatum, (putà si virtus rei colligendæ intendi debeat,) Et hi colligunt Pæoniam cum ♈. signum capiti sympathicum Lunæ Solisve præsentiâ forte fuerit.*

Habetur Planeta.

		Fortis & fortunatus.		*Debilis & infortunatus.*	
Essentialiter	1	In Domo sua (haberéque dicitur fortitudines)	1	In domus oppositione vel in domo planetæ mali.	5
	2	In Exaltatione sua	4	In exaltationis opposit.	4
	3	In Triplicitate sua	3	In peregrinatione, i. e. cum nullam dignitatem possederit.	3
	4	In Terminis suis	2	In terminis malorum.	2
	5	In Facie sua	1		
	6	In Hora sua	1		
	7	In Novena sua	1		
Accidentaliter	8	N. His addunt nonnulli in die sua in	1		
		domicilio cœli 10. & 1.	5		
		7. 4. 11.	4	In domo 12. (diciturq; haberé debilitates)	5
		1. 5.	3	— — 8.	4
		9.	2	— — 6.	3
		3.	1		
	9	In gaudio	1		
	10	In cursu seu motu veloci	2		
		directo	2	In cursu tardo vel vacuo	2
		adscendente	3	— — retrogrado	4
	11	In signo ejusdem sexus id est cum planeta masculinus fuerit in signo masculino	2	— — descendente	
				In signo diversi sexus	3
	12	In gradu ejusdem sexus	3	In gradu diversi sexus	3
	13	In gradu lucido vel augmentante	5	In gradu tenebroso vel Puteali.	
	14	In aspectu ☌ cum bonis [fortunam.	5	In aspectu ☌ cum malis, vel cum retrog.	5
		☌ cum ☉ id est, in corde Solis.	3	— — combustionis cum sole.	5
		⚹ & △	3	— — ☍	3
		□ cum bonis	2	— — □ cum malis.	3
	15	In obsessione bonorum	2	In obsessione malorum.	2
	16	In apogeo	1	In hypogeo.	1
	17	In ortu sibi debito, id est, cùm Planeta gaudens esse orientalis solem sequitur	2	In ortu minus debito.	2
	18	In hæmisphærio correspondente.	2	In hæmisphærio disconveniente.	2
	19	In cap. draconis, vel in hujus vicinia	3	In cauda draconis.	3
	20			In Eclipsi.	3
	21			In via combusta.	3
	22	☾ lumine aucta	3	☾ lumine imminuta.	3
	23	In mansione bona [competit soli ☾æ.		In mansione mala.	3

Non opus est omnia semper pensitare, sed saltem principaliora videlicet. 1. Dignit. essentiales. 2. an in bono cœli loco. 3. an cursu sit directus vel velox. 4. an libera combustione. 5. an in bono aspectu ♃ vel ♀is 6. an in suo bays s. gaudio. 7. an liber à radiis solaribus. Et denique quod inprimis observandum, quamvis alii id negligant, cum quibus stellis fixis sit junctus intra distantiam, 5. grad.

1. 2. *Tabula Domuum atque Exaltationum Planetarum.*

	Boni					Mali	
Planetarum	☉	☾	♃	♀	☿	♂	♄
1. Domus	♌	♋	♐ ♓	♉ ♎	♊ ♍	♈ ♏	♑ ♒
2. Exaltatio.	♈	♉	♋	♓	♍	♑	♎

E.g. Domus ☉ in ♌.
Exaltatio ☾æ est ♉.

Domus ♂ sunt ♈ & ♏.
Exaltatio ♄i est ♎.

N. 1. *Sunt ex antiquis qui solùm certos gradus faciunt Exaltationis. Exempli gratia, Exaltationem Solis gr. 19. ♈. Lunæ gr. 3. ♉. Jovis gr. 15. ♋. Veneris gr. 27. ♓. Mercurii gr. 15. ♍. Martis gr. 28. ♑. Saturni gr. 21. ♎. Verum recentiores cum Ptolomæo integris signis Exaltationes determinant concedendo nihilominus, quòd fortior Exaltatio fiat in gradibus supradictis.*

N. 2. *Humilitas seu casus Planetarum est in signo opposito exaltationi, Detrimentum in signo opposito domui.*

N. 3. *Planetæ qui domos habent duas, alteram sibi nocturnam, alteram diurnam faciunt. Sic domus diurna ♃ est ♐, ♀, ♎, ☿, ♍, ♂, ♍, ♄, ♒, nocturna domus cuique est reliqua.*

3. *Tabula*

3. *Tabula Triplicitatum.*

					nocte,	*die,*	*communiter.*
Ignea	♈	♌	♐	*Huic triplicitati dominatur.*	♃	☉	♄
Aërea	♎	♒	♊		☿	♄	♃
Aquea	♋	♏	♓		♂	♀	☾
Terrea	♑	♉	♍		☾	♀	♂

Sic Sol peragrans Ar. dicitur esse in triplicitate sua.
Sic ♂ existens in ♓, statuitur in sua triplic. &c.

4. *Tabula Terminorum secundum Ptolomæum.*

♈	♃ 6	♀ 6	☿ 8	♂ 5	♄ 5
♉	♀ 8	☿ 6	♃ 8	♄ 5	♂ 3
♊	☿ 6	♃ 6	♀ 5	♂ 7	♄ 6
♋	♂ 7	♀ 6	☿ 6	♃ 7	♄ 4
♌	♃ 6	♀ 5	♄ 7	☿ 6	♂ 6
♍	☿ 7	♀ 10	♃ 4	♂ 7	♄ 2
♎	♄ 6	♀ 8	♃ 7	♀ 7	♂ 2
♏	♂ 7	♀ 4	☿ 8	♃ 5	♄ 6
♐	♃ 12	♀ 5	☿ 4	♄ 5	♂ 4
♑	☿ 7	♃ 7	♀ 8	♄ 4	♂ 4
♒	☿ 7	♀ 6	♃ 7	♂ 5	♄ 5
♓	♀ 12	♃ 4	☿ 3	♂ 9	♄ 2

Secundum Alkabitium.

♈	♃ 6	♀ 6	☿ 8	♂ 5	♄ 5
♉	♀ 8	♂ 3	☿ 6	♄ 8	♄ 5
♊	☿ 6	♄ 6	♃ 6	♀ 5	♂ 7
♋	♂ 6	♄ 4	♀ 6	☿ 6	♃ 7
♌	♃ 6	♂ 6	♀ 5	♄ 7	☿ 6
♍	☿ 7	♄ 2	♀ 10	♃ 4	♂ 7
♎	♄ 6	♂ 2	☿ 8	♃ 7	♀ 7
♏	♂ 7	♄ 6	♀ 4	☿ 8	♃ 5
♐	♃ 12	♂ 4	♀ 5	☿ 4	♄ 5
♑	☿ 7	♂ 4	♃ 7	♀ 8	♄ 4
♒	☿ 7	♄ 5	♀ 6	♃ 7	♂ 5
♓	♀ 12	♄ 2	♃ 4	☿ 3	♂ 9

Sic termini Jovis sunt sex gradus Arietis priores. Veneris sequentes sex scilicet ad 12. Mercurii 8. sequentes scilicet à 13. ad 20. &c.

N. 1. *Sol & Luna terminos quidem non obtinent, sed similes fortitudines dicuntur habere in duabus Zodiaci medietatibus.* ☉ *à principio* ♌ *ad finem usque* ♑, [*dicitur medietas maxima.*] ☽ *à principio* ♒ *ad finem* ♋ *usque.*

N. 2. *Ultimi gradus cujusque signi sunt mali.*

5. *Tabula Facierum.*

♈	♂ 10	☉ 10	♀ 10
♉	☿ 10	☾ 10	♄ 10
♊	♃ 10	♂ 10	☉ 10
♋	♀ 10	☿ 10	☾ 10
♌	♄ 10	♃ 10	♂ 10
♍	☉ 10	♀ 10	☿ .o
♎	☾ 10	♄ 10	♃ 10
♏	♂ 10	☉ 10	♀ 10
♐	☿ 10	☾ 10	♄ 10
♑	♃ 10	♂ 10	☉ 10
♒	♀ 10	☿ 10	☾ 10
♓	♄ 10	♃ 10	♂ 10

Sic ♄ sibi vendicat Leonis gradus 10. priores, ♃ 10. sequentes scilicet usque ad 20. ♂ sequentes ad 3. & sic consequenter per omnia signa.

Hinc si ♄ sit in 10. gradibus prioribus ♌ dicitur in facie sua esse.

Tabula

6. *Tabula Horarum Planetariarum.*

Hora diurna	H. nocturn.	Diei ♄	♃is	♂is	☉is	♀is	☿ii	☾æ
1 8	3 10	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☾
2 9	4 11	♃	♂	☉	♀	☿	☾	♄
3 10	5 12	♂	☉	♀	☿	☾	♄	♃
4 11	6	☉	♀	☿	☾	♄	♃	♂
5 12	7	♀	☿	☾	♄	♃	♂	☉
6 1	8	☿	☾	♄	♃	♂	☉	♀
7 2	9	☾	♄	♃	♂	☉	♀	☿

Numerantur horæ Planetarum diurnæ ab ortu solis ad occasum 12. totidemque nocturnæ ab occasu ad ortum, adeóque hora diurna 1. & 8. diei Saturni consecratur Saturno 2. & 9. Jovi. Nimirum in superiori columna numerantur dies, in priori descendente, horæ diurnæ, in altera descendente, horæ nocturnæ, quibus è regione correspondent planetæ illis horis hujus diei, in suprema columna, exhibiti, dominantes, exempli gratia, die Solis hora 4. diurna dominatur,

7. *De Novenis.*

Sapientes Indi diviserunt quodlibet signum in partes 9. quas vocaverunt novenas, quasi nonas partes, continet igitur quælibet novena seu nona pars gradus $3\frac{1}{3}$.


Tabula Novenarum.

	1	2	3	4	5	6	7	8	9
♈	♂	♀	☿	☾	☉	☿	♀	♂	♃
♉	♀	☿	☾	☉	☿	♀	♂	♃	♄
♊	☿	☾	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄
♋	☾	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃
♌	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂
♍	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀
♎	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿
♏	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☾
♐	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☾	☉
♑	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☾	☉	☿
♒	♄	♃	♂	♀	☿	☾	☉	☿	♀
♓	♃	♂	♀	☿	☾	☉	☿	♀	♂

Sic Ven. existens in Præcip. novena prima (id est in gradu 1. 2. 3. & quarti gradus minut. 30.) dicitur in sua novena esse.

8. *Domus*

8. *Domus seu domicilia cœlestia.*



Domuum harum erectionem aliundè & præcipuè ex Ephemeridibus addiscere oportet.

9. Gaudere dicuntur Planetæ vel ratione suæ domus, vel ratione domiciliorum cælestium seu horoscopi. Suæ domûs ratione gaudet Planeta, quando est in domo sua maximè familiari (ratione scilicet temporis diurni nocturnive.) Sic gaudium ♄i (Planetæ scilicet diurni) est in Amph. (domo ♄i diurna:) ♃ ♐, ♂ in ♏: [planetæ nocturni] in ♉ [domo ejus nocturnâ: ☿ in ♍. Reliqui [☉ & ☾] quia domum unicam habent, & in ea gaudent. Quoad domos cœlestes gaudet ♄ in domo 12. ♃ 11, ♂ 6. ☉ 9. ♀ 5. ☿ 1. ☾ 3.

N. *Sunt & alii modi gaudiorum, exempli gratia, 1. ratione triplicitatum. Sic ☉ gaudet in triplic. △ ea: sic & ♂ quia complexionis est ignea: ☾ in △: ♃ & ♀ in △: ♄ in △. 2. quando Planeta est in dignitate amici vel amicæ, tunc dicitur gaudere, &c.*

10. Cursus Planetarum est 1. velox tardusve. 2. directus vel retrogradus. 3. ascendens vel descendens: Planeta motu velox dicitur, cùm directo movetur, quippe tunc motus ejus velocior est motu medio: Tardus è contra cùm secundùm successionem signorum fertur in directi sui Epicycli circumvolutione; Retrogradus cum contra signorum successionem retrovolutione sui Epicycli. Ascendens cùm ab Ecliptica versùs septentrionem declinat; unde & eodem modo septentrionalis dicitur: Descendens cùm ad meridiem; unde meridionalis dicitur. Cujus doctrina ex Ephemeridibus sumenda.

N. *Sol, quia caret Epicyclo, ab hac consideratione alienus est. Similiter & in ☾ propter velocissimum motum, retrogressio non animadvertitur.*

11. *Natura signi.*

Signa sunt { Masculin. diurna ♈, ♊, ♌, ♎, ♐, ♒,
{ Fœminin. nocturna ♉, ♋, ♍, ♏, ♑, ♓.

Signa { Mobilia ♈, ♋, ♎, ♑,
{ Fixa ♉, ♌, ♏, ♒,
{ Commun. ♊, ♍, ♐, ♓.

12. *Natura graduum;*

1. Tabula Graduum masculinorum & fœmininorum.

♈	8. m.	1. f.	6. m.	7. f.	8. m.	
♉	5. f.	6. m.	6. f.	4. m.	3. f.	6. m.
♊	5. f.	1. m.	6. f.	4. m.	4. f.	
♋	2. m.	6. f.	2. f.	11. m.	7. f.	
♌	5. m.	3. f.	7. m.	8. f.	7. m.	
♍	8. m.	4. m.	8. f.	10. m.		
♎	5. m.	10 m.	5. m.	7. f.	3. m.	
♏	4. m.	10. f.	3. m.	8. f.	5. m.	
♐	3. m.	3. f.	7. m.	12. f	6. m.	
♑	11. m.	8. f.	11. m.			
♒	5. m.	10. f.	6. m.	4. f.	2. m.	3. f.
♓	10. m.	10. f.	3. m.	5. f.	2. m.	

E. g. gradus priores 8. ♈. sunt masculini, sequens 1. (9. sc.) est fœmininus, &c.

N. 1. Gradus masculini dicuntur, quòd Planetam masculinum in eis existentem fortiorem reddant: fœminini vice versa.

N. Alii aliter procedunt, primùmque signorum gradum masculinum faciunt, secundum fœmininum. 3. iterum masculinum, & sic deinceps. Verùm ratio prior quæ Alkabitio adscribitur, communior est.

13. Ta-

13. Tabula graduum tenebrosorum, lucidorum & vacuorum.

♈	ten. 3.	luc. 5.	ten. 8.	luc. 4.	Vac.4.	luc. 5.	Vac. 1.
♉	ten. 3.	luc. 4.	Vac. 5.	luc. 3.	Vac. 5.	luc. 8.	ten. 2.
♊	luc. 4.	ten. 3.	luc. 5.	Vac.4.	luc. 6	ten. 5.	Vac. 3.
♋	luc. 12.	ten. 2.	Vac.4.	fum.2.	luc. 8.	Vac.2.	
♌	ten.10.	fum.10	Vac.15.	luc. 5.			
♍	ten. 5.	luc. 3.	Vac.7.	luc. 6.	fum.6.	Vac. 5.	ten. 3.
♎	luc. 5.	ten. 5.	luc. 8.	ten. 3.	luc. 6.	Vac. 3.	
♏	ten. 3.	luc. 5.	Vac.6.	luc. 6.	fum.7.	Vac. 5.	ten. 3.
♐	luc. 9.	ten. 3.	luc. 7.	fum. 4	luc. 7.		
♑	ten. 7.	luc. 3.	fum. 5.	luc. 4.	ten. 3.	Vac. 3.	ten. 5.
♒	fum. 4	luc. 5.	ten. 4.	luc. 8.	Vac.4.	luc. 5.	
♓	ten. 6.	luc 6.	ten. 6.	luc. 4.	Vac. 3.	luc. 3.	ten. 2.

Exempli gratiâ, gradus priores 12. ♌ sunt tenebrosi, 10. sequentes fumosi, &c.

N. Lucidi gradus invehunt pulchritudinem ac serenitatem temporis, adeóque fortunati sunt, tenebrosi, ac fumosi è contra vacui dicuntur, quòd opera, quæ sub eis inchoantur, vacua ac irrita communiter esse solent, vel si mavis, mediocres sunt inter bonitatem & malitiam.

1. Tabula graduum putealium. Azemenων Augmentantium fortunam.

♈	6	11	19	23	29		19								
♉	5	13	18	24	25	26	3	15	27	30	6	7	8	9	10
♊	2	12	17	26	30		11	1							
♋	12	17	23	26	30		1	3	14	1	7	9	usq;	15	
♌	6	13	15	22	23	28	2	5	7	10	19	27		28	
♍	8	13	16	21	25		3	13	20	30					
♎	1	7	20	23	30		3	5	21	24					
♏	9	10	17	22	27		7	12	18	20	19	29			
♐	7	12	15	24	27	30	13	20			1	7	18	19	
♑	2	7	17	24	28		13	14	20	24	26	27	28	29	
♒	12	17	24	29			7	16	17	20	18	26			
♓	4	9	24	27	28		13	20							

Sic puteales gradus Arietis sunt sextus undecimus, &c. idem de Azemenis & Augment.

Puteales dicuntur, quòd Planeta in eis est quasi in puteo, id est, debilis influentiæ, quoad calorem & quoad alia opera utilia: atque communiter quando Planetæ superiores in iisdem existunt, frigus ac humiditas seu pluvia generatur.

Azemena, sunt gradus debilitationis corporum, &c.

14. *Aspectus Planetarum.*

Conjunctio est cùm duæ stellæ in eundem coincidunt gradum.

Esse in corde solis, id est, esse unitum cum sole intra minuta 16.

Esse in combustione solis, id est, versari in intervallo quod est ultra minuta illa 16. ad gradum usque 12. [alii ad 6.] Et hoc idem sub radiis solis esse dicunt.

15. *Obsessio.*

Obsessus Planeta dicitur cùm utrinque planetis binis clauditur, id est, cùm inter duos planetas existit; ita tamen ut neuter sit in orbe seu ambitu radiorum alterius. Ambitus autem radiorum non omnibus æqualis est. Sol spargit radios utrinque ad gr. 15. id est, antrorsum 15. & retrorsum 15. ☾ utrinque radios mittit ad gr. 12. ♄ ad 9. ♃. ad 9. ♂ ad 8. ♀ ad 6. ☿ ad 5.

16. *Apogæum & hypogæum.*

Apogæum est punctum in Epicyclis vel Eccentricis, in quo planeta collocatus, longissimè à centro terræ distat. Hypogæum econtra, quo proximè ad terram accedit.

17. Or-

17. Ortus planetarum ad Solem trutinatur; dicunturque Planetæ oriri ante solem cùm ortum solis præcedunt, post solem cùm post solis occasum apparere incipiunt: Hinc sunt

Planetæ { Orientales, id est, orientali ortu fortes ♄, ♃, ♂. Occidentales, id est, occid. ortu fortes ♀ ☿, & ☾.

N. ♄, ♃ & ♂ *sunt orientales à ☌ sua cum Sole usque ad ☍. Occidentales ab ☍ ad ☌. ♀ & ☿ sunt orientales cum vesperi apparere incipiunt. ☾ est occidentalis à ☌ ad ☍. id est, aucta lumine. orientalis ab ☍ ad ☌, id est, diminuta lumine.*

18. Hæmisphærium duplex est, diurnum, quod est supra Horizontem; nocturnum, quod est infra.

N. *Dicitur Planeta in hæmisphærio correspondere, cùm planeta diurnus est de die in hæmisphærio diurno & contra.*

Planet. { diurni ♄. ♃ ☉ ☿. nocturni ♂. ♀. ☾.

19. Caput & cauda Draconis, sunt intersectiones Eclipticæ ac orbis Lunæ, quarum loca ex Ephemeridibus citanda sunt. Caput Drac. bonum est cum bonis, malum cum malis, estque masculinum. Cauda mala cum bonis est, bonaque cum malis, estque fœmina.

20. Via combusta est inter Libr. gr. 12. ad Scorp. gr. 9.

21. Eclipsin patiuntur Sol & Luna.

22. Mansiores tribuuntur soli Lunæ, eæque numero 28. adeóque mansio quælibet determinatur vigesimâ octavâ parte totius circuli, scilicet o. 12 m. 51. sec. 25 $\frac{5}{7}$ mensuratione scilicet, inceptâ à 1. gr. Ar. & secundùm seriem signorum continuatâ. Hinc prima Lunæ mansio est ab Ar. gr. o. ad gr. 12. m. 51. sec. 25. $\frac{5}{7}$. mansio secunda, ad gr. 24. m. 42. sec. 52. &c. Ex his gradibus reputantur ut plurimum malæ esse influentiæ mans. 16. 18. & 26.

N. *Alii mensurationem instituunt [non in sphæra nona, sed] in sphæra 8. id est, asterismis signata.*

De Modo Colligendi.

Modum colligendi peculiarem in colligendis nativis nonnullis observari comperimus, eumque diversum tum ratione *collectionis sursum deorsumve*, tum quoque ratione *situs colligentis*.

Ratione *collectionis* deprehenduntur in nonnullis diversæ vires, pro diversa collectione *sursum deorsumve* facta. Sic helleborus, si colligitur, inquit Mars. Ficinus (lib. de sanit. studiosor.) sive folium deorsum trahas, sive sursum, hoc subito tactu fieri creditur, ut vel deorsum vel sursum humores ducat. Sic & sambuci radix si sursum evellatur, per superiora purgat; sin econtra deorsum per fossam subtus factam trahatur, movet alvum; ejusdem sambuci juli quoque si sursum cacumen versus decerpantur, movent vomitum; econtra, si deorsum eosdem decerpseris, alvum laxant.

Hofman. Sic helleborus.) Quod *Marsilius Ficinus* de hellebori foliis affert experimentum, hoc negat Nobiliss. *Helmontius de Magnetic. vulner. curatione.* Et solo asaro ac Sambuco adscribit exclusis aliis purgantibus, quæ quomodo libet decerptæ univocè operentur continuò. Et causam admirandi hujus effectus adscribit his plantis auscultantibus imperanti phantasiæ decerptoris, qui imprimit in plantam, hæc magneticè verò in folium absens. Verùm hæc phantasiæ somnia & figmenta sunt, quia ne quidem cogitantibus de modo decerpendi, dum modò sursum, modo deorsum decerpserunt folia asari vel turiones sambuci colligenda commisimus nobis præsentibus, & tamen ἄνω καὶ κάτω expurgarunt.

Schröd. De *situ colligentis* ait Agrippa Phil. lib. 1. cap. 48. Collecturos herbam Saturni vel ♂ jubent ad orienrem spectare, vel meridiem. Primum quia gaudent [♄ & ♂] esse orientales à Sole; alterum quia principalia eorum domicilia, scilicet, Amph. Scorp. Arcit. signa sunt meridionalia. Similiter Cap. & Pisc. Collecturi verò rem Veneream, Mercurialem vel Lunarem, spectare jubentur versus occidentem, quia gaudent esse occidentales: vel contra septentrionem, quia domicilia eorum principalia quæ sunt ♉, ♊, ♋, ♍, signa sunt septentrionalia. Sic in opere solari spectandum est contra orientem vel meridiem; quin potiùs semper ad ipsum solare corpus atque lumen.

COLLETICA.

Colletica seu *Symphyta*, voces sunt Græcæ quibus designantur Medicamenta Agglutinantia, ac Conjungentia partes ulceris aut vulneris separatas. Hæc autem Medicamenta propriarum qualitatum respectu, mediæ sunt inter Sarcotica & Epulotica naturæ. Observandum est quòd cùm *Colletica* in vulneribus recentibus, ac sanguinem fundentibus adhibentur *Enaima* & *Traumatica* vocentur; ab aliquibus etiam *Aggregativa.* Meuve.

COLLYRIUM.

Non patitur lusum, fama, fides, oculus, antiqua est parœmia; hinc oculis mederi quoque operæ pretium est, non solùm internis, ubi, juxta *Platonis* elogium, capiti & toti simul est prospiciendum, verùm quoque externis topicis & his partibus particulatim applicandis. Sive verò collyria dicantur, ἀπὸ τοῦ κωλύειν vel κωλύειν τὸν ῥοῦν à sistenda defluxione, seu quasi κολοβὴ οὐρά, cauda mutila, à figurâ, de quo jam, nobis perinde est, ita enim exprimit hæc vox ipsius notionem & ideam.

Notabile verò est, collyrii vocem apud barbaros, inprimis interpretes Arabum pro pessariis, & καὶ ἐξοχὴν pro suppositoriis accipi, à formâ collyrii veteribus usitatâ denominatione, siquidem pyramidali ferè vel trochiscorum formâ iisdem erant usitata, in præsentem usum expetita & observata.

Extemporaneum est remedium, quòd ferè non nisi in determinatum & exigentem usum præparatur. Est enim *collyrium remedium topicum, oculis proprium, quâcunque formâ, maximè verò liquidâ, roborandi & alterandi fine applicari solitum.*

Topici nomen cum aliis commune est, sortitur verò differentiam ab applicandi loco & modo. Locus sunt oculi, modus quoad formam externam generalem triplex est, vel enim collyria sunt *liquida*, omnium frequentissima, & propriè talia dicta; *vel sicca* pulverulenta, quæ insufflantur oculis, & propriè ab Arabibus sief nominantur, seu trochisci, quos vel per se integrum est applicare, subtilissimi pulveris formâ, vel in liquorem ditiditos; *vel media*, unguenti, linimenti formâ oculis indi consueta.

Hinc de MATERIA dispiciendum est, quæ apta sit, ut oculis applicata inserviat, *Liquida* communiter fiunt ex commixtione ▽rum ophthalmicarum & quandóque communis, licèt paulò rarius, v. g. chelidon. maj. verbenæ, rosar. euphrasiæ, additis iisdem vel *diluendis*, solubilibus aliis, ut saccharo Canariensi, aloe Socoterinâ, ⊖-lo albo; vel *commiscendis*, ut perlis præparatis, tutia, &c. vel *coquendis* & colandis, uti notum est egregium collyrium apud practicos, ubi crocus metallorum vel vitrum antimonii coquitur cum aquis specificis, & factâ colatura applicatur, vel *infundendis*, ut sunt liquores paulò acriores, pro ungue & cataractâ absumendis, v. g. aqua calcis vivæ, infunduntur in vase æneo, stant per noctem; vel *extrahendis*, uti exemplum tale præbet essentia fellis lucii piscis, quæ & per se in graviori casu in usum trahi potest, pertinet huc & sanguis columbarum, sub axillis vulneratarum, ad sanguinis reliquias ibi collectas, vel sugillationem tollendam.

Aridorum materiã constituunt pulveres subtilissimi vel *terrei*, vel *salinæ naturæ* quales v. g. sunt saccharum Canariense subtilissimè pulverisatum, perlę præparatę, pulvis lap. scissilis. *Media* sunt vel *mucilaginosa*, quibus insigniter delectantur oculi, ut frequentissimum est colly-

collyrium seu epithema ophthalmicum ex albumine ovi & alumine conquassatis, maximi usus in ophthalmiarum initio &c. vel *oleosa* & pinguia, uti suo loco retulimus pinguedinem viperarum esse summum arcanum ὀξυδερκικὸν, & dissipativum, omnibus aliis contrà earum.

Utráque verò paulò rarius præscribuntur, respectu priorum illorum.

Sed nec hîc sine CAUTELIS tam delicato membro medendum est, siquidem 1. *quæcunque oculum lædere, vel ipsi vim inferre possunt, cavenda sunt*; hinc nimis acria, quæ fluxum irritant, inflammationem cient & adaugent, vel omittenda, vel parce indenda. Exemplo sit opium, (quod ut plurimum frustrà collyriis inditur, errore nato ab ignorantiâ modi agendi,) camphora & vitriolum cyprium vel album præcipuè, *Galitzenstein* vocant. Hinc etiam lac muliebre oculis immittendum non nisi recens, nec diu relinquendum, cum facilè acescat. Magis scilicet convenit hoc ipsum in doloribus gravibus, magis in occlusione palpebrarum, ut in variolis, emolliendi fine, quàm alio. Hinc per se patet, alcalia acidáque omnia minus prodesse, licet nonnunquam ex corticibus citri recentibus exstillatæ expressione anatomi oculis debilibus applicari soleant.

2. Distinguendæ etiam maxime sunt *temporum circumstantiæ* & alia. Temporibus & hæc medicina valet, data tempore prosunt, & data non apto tempore vina nocent. In hoc verò maximè vulgus & mulierculæ peccant, quod uno collyrio omnibus ægritudinibus oculorum mederi volunt, & singulis quasi vitriolum album remiscent, idque non in minimâ quantitate, quod medicamentum aliàs est laudatissimum. Punctus erat mulieri oculus à fissurâ ligni, chirurgus imponit aquam ophthalmicam, quod medicamentum aliàs est laudatissimum, fortiter camphoratam, inde verò non solùm affluxus adauctus est, dolor increvit, verùm quoque per consequens humores ipsi brevi post effluebant irritato nimis hiatu non adeò grandi. Alia scilicet in principio, alia in progressu, v. g. in ophthalmiâ, alia in declinatione conveniunt.

3. *Pulveres parciores debent ingredi*, & tantùm ut alcohol lævigati, inter ea enim quæ oculis & eorum claritati infesta sunt, dantur & pulveres lævitati ipsorum & nitori contrarii. Hinc etiam dilutæ esse maximè debent aquæ, uti vulgò ad ℥ j. vel ℥iß. ʒj. pulveris recipere jubent. Hinc quóque non ineptum est quandóque transcolationem prius instituere, ut non nisi subtilius pertranseat.

Aliàs, si usus id exigat & in genere quóque, nisi pronum sit ad defluxiones corpus, acriora paulò commodè fert oculus, sed semper cave, ne quid nimis.

4. *Olea & pinguia*, præterquàm abstergentia, oculis minus conveniunt, hinc absurdum fuerit, unguentis communibus, oleis & emplastris obviscare bulbum. Unde præter unguentum nihili, & ex butyro insulso parata, pinguedinem asciæ piscis, viperarum, & olea per deliquium hepatis mustelæ piscis impropriè dicta, vix alia in usu.

Quoad FORMAM, id unicum saltim monebimus, vulgò nimis magnâ quantitate ut plurimum præscribi collyria, cur enim pro tantillo spatio ℥ij. iij. iv. præscribimus? in futuram perditionem & neglectum. Hinc vel ℥ß. solùm sæpè satis est.

℞. *Aq. chelid. maj verben. eu hras. ana ℥ß. croc. metal. edulc. gr. vj. vel ℈ß. al. socoter. gr. iij.* ⊕ *l. alb gr j. M.*

℞. ▽ *cyan. calcatripp. fumar. ana ʒvj. perl. præp. sacch. canar. ana ʒß. M.*

℞. ▽ *rosi rut. fœnic. ana ʒiij. troch. sief. alb. c. op. tut. Alex. præp. ana gr. x. M.*

Quoad APPLICANDI MODUM, præsupposità indicatione, & proportione inter agens & patiens, liquida applicantur vel oculo affecto ipsi, & quidem duplici modo, sive instillata immediatè, diductis palpebris; sive aperto eodem, & guttulis aliquot in pennam scriptoriam, obtusè præcisam, derivatis & ex hâc ad canthum oculi majorem, vel super ipsam pupillam destillatis, quod ordinariè ferè fit. Vel in formâ linimenti palpebris solùm illinuntur, quod valet tum in acrioribus, ut in pinguedinibus vetustioribus quæ & similia, etiam palpebris inunguntur, ut pingu. asciæ piscis. Vel formâ epithematis, imbuta linteamini, palpebris imponuntur, quod de liquidis aquosis valet, tum sine, tum unà cum instillatione, ut foveatur, defendatur, & demulceatur magis oculus, & hoc in praxi communiter obtinet, & nobis usitatum est.

De mediis unctuosis quidem jam diximus simul, seorsim verò merentur attendi, v. g. pinguedo asciæ piscis vel axungia viperarum, laudatissimum ophthalmicum, & expertissimum in unguibus auferendis, visu roborando, ophthalmiâ ipsâ in progressu &c. potest ex nostra observatione leniter calefacta cum pennâ optimè instillari, ubi solet ordinariè instar butyri liquidi materia hinc effluere, seu præcipitatâ pinguedine ab humoribus aqueis, seu salium commissurâ. Pinguedines recentes magis demulcent, vetustæ leniter absumunt & acriores sunt, unde pro ipsius rei exigentiâ recens vel vetustior eligenda, unguenta verò ex butyro insulso cum tutiâ, saccharo canariensi, viridi æris, qualia vid. *in app. Plater. Observ. Rolf. O. & M.* & quale est unguentum nihili quoque, pisi magnitudine circiter canthis illinuntur. *Arida*, ut perlæ præparatæ in ulceribus & exesionibus, præsertim corneæ, saccharum Canariense eodem casu & in catarractâ, leniter insufflantur. Et continuantur hæc, pro re natâ, semel vel bis die, manè & vesperi, non neglectis aliis præsidiis, venæsectione, purgatione, vesicatoriis, quinimò setaceo, quod sæpè prodesse vidimus in desperatis casibus, liquida prius agitata, reliqua per se.

Frigida repellendi, calida collyria discutiendi & demulcendi magis fine applicantur.

Notabilis hîc est & ad collyria quóque spectat ac referri is modus debet, quando oculis remedia vaporetenus applicantur. Sic v. g. communissimum & egregium remedium est, si semen fœniculi masticetur, & halitus hinc in oculum laborantem roborandum mittatur, id quod etiam operatores in depositione catarractæ ordinariè solent facere. Vapor ex decoctis ophthalmicis paulo rarior est, ut & fumus ipse, licet sint, qui ubi mordicatione leni opus est, dissipatione, hunc quoque moderatè admittunt, uti novimus quendam empiricum suffitu caryophyllorum plurimos curasse ophthalmicos.

Hæc omnia, ut oculis plurima imminent mala, ita ipsis egregiè opem fuerunt. Not. verò de his:

1. *Non conveniunt æquè vitiis internis spirituum & nervorum*, nisi remotè, v. g. in guttâ serenâ magis interna roborantia, discutientia & divertentia locum habent, quàm collyria.

2. *Aquea & unguinosa minus conveniunt in vulneribus oculorum* quæ non adeò sunt in frequentia, magis verò mucilaginosa, cum iisdem mixta, ut albumen ovi, mucilago cydoniorum, succus vesicularum ulmi recens & inspissatus.

Contrà ea prosunt in ophthalmiis infrigerantia, digerentia, magis tamen aquea ferè; in unguiculis, qui sæpè ex fibrillarum tensione, coitu & repletione vasorum fiunt, in suffusionibus, ubi acriuscula magis conveniunt; in ulceribus ubi exsiccantia; in pupillæ dilatatione, licet rarius, ubi leniter styptica prosunt. *Wedelius.*

Collyrium refrigerans de Rosis.

Valet ad ulcera oculorum, & ad palpebrarum depilationem.

℞. *Cerussæ stanni*, ʒxv. *Cadmiæ*, ʒx. *Gummi arabici*, ʒvijß. *hæmatitis abluta, cadmiæ combustæ, Amyli, Opii, ana* ʒj. *tenuissimè contrita, in usum reducantur.*

Colly-

Collyrium Insufflandum ad oculorum caliginem, & nubeculam ad lachrymam, ad scabiem palpebrarum, & ad pruritum.

℞. Lapidis hæmatitis abluti, ℨj. *sanguinis draconis, dung.* 1. *æris usti, Piperis longi, spicæ Indicæ*, *ana* ℨiijß. *Malabathri dung.* 2. *Coccolarum, sive cardamomi Majoris, Moschi, dung.* 1. *camphoræ, dung.* ß. Hæc ad lævorem pulverata, & serico fusa, ad usum reducantur. *Schrod.*

Collyrium aliud.

℞. Croc. Metallorum ℨij. *Aq. euphrag. chelidon. min. formic. ãã* ℥j. *stent in infus. per* 24. *horas, postea filtrentur.*

℞. Vitri ♉ ℈ij. *aq. fœnic. euphras. ãã* ℨvj. *infunde per* 24. *horas, postea filtra.*

℞. ▽ *ophthalm. aurei Mynſ.* ℥j. *D.*

℞. ▽ *ophthalm. ex* ♋ *Mynſ.* ℥j.

Hoc pro pretioso habuit Crollius inque oculorum vulneribus nihil præstantius intra 24. horas curare oculos asserit.

In vulneribus oculorum singulare aliàs secretum est ▽ album ovorum cum succino præparata.

Contra Suffusionem certum.

℞. Aq. ad suffus. Francof. ℥i. *D.*

Aqua sapphirina in oculorum ulceribus & maculis.

℞. Decoct calcis vivæ ℥iij. ⊖ ✻ ℈j. *Infund. in pelvim auricbalceam, post* 24. *horas filtra. Vel potest orichalcum infundi in hâc aquâ.*

℞. ▽ *stercoris anserini virid.* ℥j. *Margarit. præp. gr. vj. smaragd. præp. gr. v. sacch.* ♄ *gr. iv. D. Infunditur etiam solum vinum in pelvim æneam, quod secretum est* Helmontii.

In Inflammatione.

℞. Aq. oculorum Hartm. ℥j. *D.*

℞. ▽ *chelid. euphras. ana* ℥j. *Lap. calam. ritè præp.* ℈ij. *Tut. præp.* ℈j. *M.* Vel

℞. album ovorum N. 2. *aluminis* ℈j. *agitentur invicem & applicentur cum linteis duplicatis.*

In contusionibus oculorum ubi sanguis congrumatus.

℞. Flor. cyani calcatrippæ, summit. hyssopi ãã p. 2. *Rad. symph. major.* ℥ß. *sig. Salom.* ℨij. *coq. in s. q. vini. colat.* ℞. ℥iij. *D. S.*

Secretum D. Timæi in rubedine & Inflammatione.

℞. ▽ *plantag. torment. rosar. flor. cyani ãã* ℥ß. *Album. ovor. N.* 1. *aluminis croci ãã gr. v. conquass & agitata invicem. D.*

℞. Tormentillæ grossò modò contus. ℨj. ⊖ *gr. v.* ▽ *rosarum, plantag. ãã* ℥ß. *Stent in loco calido per* 24. *horas post filtra per chartam emporeticam.*

Ad compescendum dolorem in contusionibus & vulneribus oculorum ejusdem.

℞. Pomor. dulc. N. 3. *coq. in* ▽ *rosf. & euphragiæ q. s. ad mollitiem: trajiciantur per setaceum, adde sacchari albissimi* ℨij. *camphoræ gr. v. croci gr. v. applica cum linteis duplicatis.*

In doloribus etiam mica panis albiss. cum lacte muliebri recente applicatur. it. ▽ album. ovorum cum lacte muliebri, croco & pomis putridis aut in cineribus assatis.

Hîc etiam conveniunt ova ad duritiem cocta & per medium dissecta, demptis vitellis, quæ calidè oculis applicentur.

℞. Sach. ♄ *gr.* 3. *Sief. albi cum opiô gr.* 5. *succini albi præp. margar. præp. ãã gr.* 5. *aq. euphragiæ rosarum ãã* ℨiß. *M. S.* Collyrium.

℞. Succini alb. præp. ℨi. *sapphyr. præp.* potest insimul addi saccharum *cand. alb ad* ℨij. *perlar. præp. ãã* ℈j. ▽ *chelid. fœnic. rosar. ãã* ℥ß. *M. S.*

℞. Sacch. ♄ ℨj. *Lap. calamin.* ℨiß. *M. F. Pulv.*

℞. ▽ *sperm. ran.*

℞. Lap. calam. præp. ℨj. ⊖ *albi* ℈ß. *M. S. Joan. Michael.*

Sief. album Galeni. *è Pharm. Aug.*

℞. Tutiæ præparatæ ℥ij. *cerussæ lotæ, Amyli, Gummi Arabici, Tragacanthi ãã* ℥ß. *Opij* ℨi. excipiantur cum aqua Rosacea, & fiat Collyrium siccum; quod etiam sine opio parari potest.

Collyrium hoc à Galeno τρυφερὸν dictum, describitur ab eodem 4. de compos. med. secundùm loca cap. 7. idem ferè præstat, quod Cygnus Galeni, qui paulò aliter describitur, & succum Acaciæ recipit: præcipuè verò facit ad oculorum ustiones, pustulas, & chemoses, maximè in his, qui nullam acrimoniam aut mordacitatem ferre queunt.

Sief album cum, & sine opio, *è Ph. Aug.*

℞. Gummi Arabici, Tragacanthi, Amyli ãã ℥ß. *cerussæ loth* ℨvj. *sarcocollæ nutritæ* ℨiij. *opii* ℨj. *cum albumine ovi fiat Sief.* Paratur etiam sine opio, ut utrumque tempore necessitatis in promptu sit.

Ad oculorum rheumatismos, lippitudines subacres, & ophthalmicos dolores leniendos efficax. Idem ferè est cum Collyrio albo Rhasis 3. ad Almansorem, quod cerussæ pondus auctius habet, nimirum ad ℨx. cui & Thus addit Mesue, unde in statu magis prodest, sicut hoc initio vehementis doloris à causa calida.

Sief de Plumbo Mesuæ *è Ph. Aug.*

℞. Plumbi usti, & loti, æris usti, Antimonii, Tutiæ lotæ, Gummi Arabici, Tragacanthi ãã ℥j. *opii* ℨß. *aquæ pluvialis quantum sufficit. fiat sief.*

Vulnera & ulcera oculorum consolidat.

Sief de Rosis ejusdem *è Ph. Aug.*

℞. Foliorum rosarum ℨxv. *gummi arabici, croci ãã* ℥j. *opij, nardi Indicæ ãã* ℨij.

Ad doloris molestias, fluxum uberem ac tenuem, pustulas & prolapsus oculorum efficax.

Sief viride Antæi. *è Ph. Aug.*

℞. Cadmiæ, vel Tutiæ præpar. Croci ana ℨiij. *gummi, Myrrhæ, Opii ana* ℨß. *plumbi usti & loti* ℈j. *gr. xv. squamæ æris, Nardi Indicæ, Acaciæ ana scrupulum unum semis. cum aqua pluviali fiat collyrium.*

Celebratur ad doloris molestias, pustulas, ustiones, prolapsus & contusiones oculorum.

Sief de Thure Rasis. *è Ph. Aug.*

℞. Cadmiæ, vel Tutiæ præpar. Pompholygis, Thuris ana ℨx. *Cerussæ* ℥v. *opii, Gummi ana* ℨvj. *aquæ pluvialis quantum satis, fiat Collyrium. Tumores oculorum reprimit, eorumdemque exulcerationes sanat, ac cohibet.*

COLOCYNTHIS.

Nomina. Colocynthis *Ger. J. B.* Colocynthis vulgaris *Park.* fructu rotundo minor. *C. B.*

Notiora officinis poma hujus quàm herba, quæ per terram sparsa, striatis, asperis flagellis, *folia* per intervalla profert singularia, pediculis duarum triumve unciarum, vel etiam longioribus hærentia, aspera, incana & hirsuta, præsertim verò parte inferiore, punctis albicantibus notata, laciniata, Citrulli divisurâ, sed minore, ad quorum pediculos exeunt tortiles capreoli, & ipsi quoque hirsuti: *flores* luteoli; *poma* pugno æqualia *Lob.* subflava, virentia, virosáque: deferuntur exempto cortice flavescente: pulpa candida, fungosa, levissima, amarissima, horrendo & ingenter amaro gustu fauces, viscera, intestináque lædens, cui immersa semina (sex ordines seminum) parva, compressa, dura, polita, alba, vel rufescentis, vel ut Dod. sordentis coloris

coloris, (cucumerinorum magnitudine, verùm rotundiora, tumidiora, duriora *Park.*

Vires. Colocynthis est medicamentum virosissimum, & tantum non mors ipsa, ut Prophetarum filii clamant 2. Reg. 4. inquit *Casp. Hofman.* Non tantùm enim κακοσόμαχον est, sed abrasis intestinis dysenterias facit. Violentiam ipsius vel hoc indicat, quòd solo tactu & odore, abundè & cum magna perturbatione alvum dejicit; quod experiuntur qui eam pinsunt aut alioqui tractant. Non tantùm enim validissime concutit totius corporis habitum, sed exagitat vi sua maleficâ omnia viscera, quantumvis diligenter præparetur & corrigatur. Diligentia inprimis illa est, ne detur nisi in malis pertinacissimis, & viribus adhuc integris.

Purgat pituitam crassam & glutinosam aliosq; humores similes è profundis & remotissimis corporis partibus: ut cerebro, nervis, articulis, pulmonibus. Unde commendatur & cum fructu exhibetur in cephalalgia, hemicrania inveterata, apoplexia, epilepsia, vertigine, asthmate, tussi, dispnœa, morbis articularibus frigidis, dolore colico flatulento, hydrope, &c. ubi, inquit Hofmannus, malo nodo malus cuneus quærendus est.

In his tamen malis, pergit idem, non subitò oportet provolare ad Colocynthidis substantiam per os dandam. Quæ enim in imo ventre sunt, in iis ferè sufficit inunctio umbilici partiumque vicinarum. Ubi verò inunctio non præstat quod debet, clysteres defectum supplent. Posthæc antequam substantia detur, infusa vel decocta præstò sunt. Tandem substantia, sed benè correcta. Ea verò valdè operosa est. Prima & potissima consistit in exactissima pulverisatione. Nisi id fiat, partes quædam substantiæ intestinis hærentes, & vasorum ora arrodentes, instar hirudinis sanguinem trahunt. Altera correctio est per pinguia & lubricantia, quæ obtundunt acrimoniam ipsius, ut *tragacantha*, *mastiche*, *Bdellium*; sed nec lubricantia tantùm, verum & cordialia, & hepatica & stomachica, adhibenda sunt.

Semen Lobelio constat non tantâ violentiâ ad purgandum quam caro ipsa sive medulla. Dedimus namque (inquit) multo majorem dosin, quam medulla majore commodo, nullo aut longè minori tumultu. *Raius in hist. plant.*

Præparata Colocynth. sunt

1. *Trochisci Albandel.* Vide Disp.

2. *Infusum Trochisc. Alband.* ♁ *vitæ aureus Rulandi* (*nonnullis.*)

♃. *Trochisc. Alband.* ℥ß. 🜄 *Malvat.* ℥x. *vel* ℥xij. *Digere aliquamdiu, filtra & serva ad usum.*

Vires. Purgat per alvum absquè periculo omnes humores viscosos, bilem utramque ac serum, si tertio quoque die propinetur.

Dosis à ʒij. *ad* ℥j. *vel* ℥iß. *vel si placuerit inspissare ad consistentiam extracti, detur à* ℈ß. *ad* ℈j.

3. *Extract. Colocynth.*

♃. *Colocynth. pulpæ* (*rejectis seminibus*) *pulverisatæ, extrahe digerendo, vase clauso cum* 🜄, *aliquot septimanis* (3.) *quo temporis spatio totam acrimoniam amittit, filtra & si dulcius desideras, iterum digere, & dulcescet, Medicamentum evadens optimum, ad pituitam & alios humores crassos à remotioribus partibus attrahendos, idque sine noxa. Corrigitur oleo Mastich. Nucist. Cinam.* Weckerus ex Querc.

N. Sala ♃. *pulpæ coloc. sine semine q. pl. eamque subinde irrorando* 🜄 *plantag. incidit, dein extrahit cum* 🜄 *plantag. part. ij.* 🜄 *p. i. filtrat, defecat & inspissat ad consistentiam mellis,*

Menstruum ex 🜄 plantag. & 🜄 commiscet, ne quid ex parte resinosa viscera, quibus Colocynthidem constare ait, intactum maneat.

Dosis à gr. iv. ad x. cum corrigentibus.

N. *Præstat Extractum hoc cum aliis purgantibus miscere, ut illis stimulo sit, quàm solum exhibere.* Schroderus. *His addit Hofmannus.*

Præter vires à *D. Autore* recensitas, *colocynthis* etiam insignem menses movendi vim habet. Unde umbilicalia ex trochiscis alhandali & sabina, suffitusque crebriores ex colocynthide fluxum mensium potenter movent.

Verum & genuinum colocynthidis corrigens moderno tempore adhuc desideratur. Quæ enim *D. Autor* allegat, vera corrigentia dici nequeunt. Neque cum acidis correctio rectè expeditur. Ego statuo mediante fermentatione cum succo cydoniorum melius eam procedere posse.

Si pulpæ colocynthidos à seminibus liberatæ s. q. coq. in 🜄 s. repetitis vicibus affusa & colata omnis colatura leniter evaporet ad mellis spissitudinem & demum sp. vini extrahatur, subsidente in fundo crassitie abjecta, hæc sanè correctio nec postrema erit.

COLOPHONIA.

Colophonia officinarum, *C. B.* Pix Græca *Matth. Cord.* est substantia naturæ oleaginosæ, flavescens, arida ac friabilis, residua ex resinis abietina, strobilináque coctione dum purgantur, inspissatis ac frigore induratis.

Eligenda est pellucida, odorata, quæ Thuris fumum accensa æmulatur.

N. 1. *Dicitur Colophonia, quòd ex Colophone olim advehebatur.*

N. 2. *Friabilem illam flavamque substantiam in Resinarum singularum destillatione residuam, alii resinam frictam appellant: alii eidem colophoniæ nomen imponunt.*

Vires. Siquidem Colophonia portio est resinarum, resinarum quoque vires retinet, sed minus penetrabiles, calfacit itáque & siccat, mollit, glutinat, ususque ejus, quia pinguibus solvitur, commodissimus est in Emplastris. *Schroderus.*

Cùm Therebinthina destillatur, primùm spiritus, deinde oleum subtile & crassum elevantur, demum friabilis & flava quædam in residuo manet substantia, quæ colophoniæ nomine venit.

Hujus usus ob vim glutinandi in emplastris communissimus est, internum tamen in usum etiam revocari potest, si ex calcinata in retorta igne forti affuso sp. vini tinctura instar rubini eliciatur pellucida, quæ in scoriis tartareis per urinam educendis singularis est efficaciæ. *Hofmannus.*

COLOR.

1. Gratissimum illud naturæ phænomenon, quod *Colorem* vocamus, & in cujus propemodum infinita varietate mundi hujus adspectabilis pulcritudo potissimum consistit, à *Platone* (quem omnis & Græca & Latina vetustas Homerum & Oceanum Philosophorum jure meritóque appellavit,) in genere ita definitur, in *Menone*, χρῶμα ἢ χρόα ἐςὶν, inquit ἀπορροὴ σχημάτων ὄψει σύμμετρος ἢ αἰσθητός: *Color* est defluxio quædam de figuris rerum oculis consentanea & exposita. Et rectissimè quidem; saltem si per ἀπορροὴν σχημάτων, solius *luminis* de objecto visibili defluxio intelligatur. Non enim ex ipso corpore opaco, quod intuemur, ulla istiusmodi effluvia, quæ ipsius figuram visui repræsentent, ejaculantur; quemadmodum *Epicurus* ejusque sectatores precario statuere: sed solum *luminis* in illud incidentis & ab ejusdem superficie physica, post determinatam quandam perturbationem seu modificationem, resilientis in oculi pupillam radii, nervi optici delicatissimas fibrillas in retinæ tunicæ expansionem mire contextas; blandè atque congruenter feriendo commovendóque, sensorium afficiunt; motu illo, quem

quem sic impresserunt, per sensum nervi funiculum introrsum ad principis facultatis tribunal in cerebri meditullio erectum, continuo delato.

2. Sicut vera corpuscula illa, seu corpusculorum moleculæ, ex quibus hujus vel illius objecti visibilis superficies conflatur, sui magnitudine, figura, ordine, contextura, & nonnunquam etiam motu variant: ita pariter & in eam impingentis luminis radiorum cum refractionem tum reflexionem variari, necessum est; & per consequens æque necessarium, ut motus quoque in sensorium impressus, pro varia ipsum excitantis luminis modificatione, diversificetur.

3. Ex ista ergo luminis refractionum reflexionumque varietate, quæ superficierum in rebus visui expositis varietati semper respondet, ideoque numero incomprehensibilis est; ingens illa, quam in amœnissimo Mundi hujus theatro cernimus & admiramur, diversitas colorum videtur resultare. Hincque plura sunt (*Favorini* apud *Agellium Noct. Atticar. lib. 2. cap. 6.* loquentis verba recito) in censibus oculorum, quam in verbis vocibusque colorum discrimina: nec minus arduum videtur, varias eorum differentias & gradus ad calculos redigere, quam cum *Archimede* numerum definire arenarum Globi hujus Terraquei molem constituentium. Hinc etiam factum est, ut vel inter præstantissimos Naturæ-consultos, de colorum distinctione ac proprijs nominibus, quibus singuli in unoquoque eorum genere distinctim observati, à cæteris omnibus dignosci debeant, disputantes tanta exoriatur opinionum dissensio; ut plane ἀδύνατον sit eas ad concordiam revocare, & quis color hoc vel illo nomine demum intelligendus veniat, determinare perarduum; maxime ubi plura synonyma rebus, quoad apparentiam quidem affinibus, revera tamen (vel ipsomet sensu judice) ab invicem discrepantibus adhuc spissiorem confusionis umbram fecerint. Adhæc, adeò nobis incerti sunt uniuscujusque vel ex præcipuorum numero coloris termini seu limites; ut perpauci ex illis reperiantur, quos ita verbis liceat definire, ut vel *Apelles* ipse aut *Parrhasius*, ex descriptione data, eos vivis coloribus exprimere sciat.

4. Non est igitur, *Cordate Lector*, quod à nobis hoc in loco, aut accuratam expectes χρωματολογίαν; aut eorum qui in uniuscujusque ex palmarijs coloribus latitudine occurrunt, graduum scalam desideres. Hanc enim summa cum laude immortalis noster *Glissonius* dudum jam administravit provinciam, in opere suo docto juxta & laborioso de *Ventricul. & Intestinis cap. 9.* Et nostro equidem sufficiet instituto, si in tanta colorum immensitate, eos præcipue ad genera sua, hisque subordinatas species retulero, quos, ut cæteris conspectiores, antiqui dignos existimavere, qui distinctionis ergo proprijs nominibus insignirentur. Id quippe mihi superest negotij ad opusculi hujus complementum, ut varias colorum differentias & nomina, quorum supra, in Animalibus præsertim ac fossilibus ad ipsius naturæ veritatem describendis, fui mentionem facere coactus, Anglico idiomate aggrediar interpretari: hocque in juventutis, nostræ potissimum, harum rerum studiosæ gratiam; ne scilicet nomenclatorum & lexicographorum vulgarium erroribus implicati, uspiam de vero animi mei sensu deflectant, qui ob Latini sermonis inscitiam, ambigua & sæpe infida istorum oracula consulere adducuntur. Horum itaque in Latio peregrinitati ut, quantum par est, subsidium præstem, Ονομαστικὸν χρωματικὸν paucissimis comprehensum, appendicis loco, subjungam.

Cæterum, ut rationes quibus, velut fundamentis, genuinæ colorum *differentiæ*, quas in medium allaturi sumus, superextruuntur, facilius intelligantur; æquum est & conveniens, ut paucula ad earum & claritatem & sanctionem conducentia præmittamus.

5. Observandum igitur, colores omnes à vulgo Philosophorum haud satis rectè in *primarios* distingui, & *secundarios* ex primariorum varia commistione resultantes. Nam; ut solertissime pro more suo observat *Clariss. Glissonius*, unumquemque è *secundariis*, sive (ut ab elegantissimo *Tardino*, *de Pilis animal. cap. 3.* & alijs dicuntur) *intermediis*, pallidum scilicet, rufum, flavum, & rubrum, tam ab albedine quam à nigredine, non gradu tantum, sed etiam specie, differre certissimum est. Etenim à maxime diluta nigredine, quæ vix discerni possit ab albedine pura, possumus gradatim plus nigredinis admiscendo minusque albedinis, pertransire omnes gradus inter albedinem & nigredinem assignabiles, demumque ad ipsa confinia coloris absolute nigri pervenire; & interim non percurrere dictos intermedios colores specie distinctos: quod impossibile foret, si ij ex mera albedinis & nigredinis mistura emergerent. Supponitur enim hic, omnes gradus mixturæ simplicis albedinis cum simplici nigredine percurri; & consequenter necesse est, ut omnes intermedij colores ex illis solis conflati una percurrantur. Verum vel exinde, quod (sive sensim diluendo nigredinem, sive albedinem intendendo) ex sola mixtura istorum duorum, quos *primarios* vocant, nunquam pervenire possimus ad flavedinem, aut rubedinem, aut fortasse ad verum cæruleum colorem, manifestum est, eos ex sola albedine ac nigredine commixtis non constare; sed aliunde exoriri.

Undenam? Inquies: Indubie, medij illi colores suam quisque de proprio adferunt tincturam, quam nec albedo nec nigredo è suo penu sufficere queunt. Si amplius adhuc quæres, quid intelligi per illam *tincturam* velimus; respondemus cum *Glissonio*, modificationem quandam luminis, sed diversi plane generis ab illis modificationibus, quæ albedini & nigredini competunt. Qualis vero sit ista luminis *modificatio*, unde hujusmodi exsurgat tinctura; idem excellentissimus *Autor* disertissimis his explicuit verbis. Duobus, inquit, modis hæc modificatio fit, vel reflexione, vel infractione. Quamvis enim albedo & nigredo à corpore tantum opaco, & per viam reflexionis emanare possint; intermedij tamen colores, nempe obliqui modo memorati, non tantum ab opaco corpore reflecti, sed & per infractionem luminis à corpore diaphano produci queunt: ut coloribus iridis, prismatis, ijsque ex lumine transmisso per vitrum coloratum fortis, constat. Sed hæc ex ijs, quæ de singulorum colorum ratione ac genesi mox dicenda venient, uberiorem accipient lucem. Interim ex jam dictis luce meridiana clarius est, intermedios colores non ex varia extremorum confusione ortum suum ducere & consequenter illos ab his non tantum gradu, sed & specie discrepare.

6. Diruto hunc ad modum vulgaris colorum divisionis in primarios & secundarios fundamento: æquum est, ut magis firmum ejus loco jaciamus. Supponimus ergo, è coloribus alios esse *simplices*, alios *compositos*: & *simplicium* dari omnino quinque species; *album* scilicet, *nigrum*, *flavum*, *rubrum*, & *cæruleum*, horumque singulos, pro varijs intensionis ac *remissionis* gradibus, diversificari. Supponimus etiam, *compositorum* adeo immensum existere sylvam, ut intellectus noster ipsa eorum multitudine obruatur; tantum abest, ut assignare suum cuique nomen distinctum valeat. Quoad varios autem simplicium *gradus*; eos certis suis finibus circumscripsit, & in *scalas* quasdam ita digessit solertissimum *Glissonii* ingenium, ut ad certam significationem determinentur. Ad ipsum itaque plura de abstrusissimo hoc theoremate scire cupientem remittimus lectorem.

Jam vero hisce διδασκαλίας χάριν præmissis, ad promissum Ονομαστικȣ χρωματικȣ compendium accedimus.

7.) In simplicium colorum classe, summum sibi locum vendicat *Albus:* qui semper à lumine sine tinctura reflexo, simulque quoquoversum disperso & vigorato exoritur. Ubicunque enim hi tres reflexionis modi in cujusvis corporis superficie concurrunt, ibi lumen inde reflexum sub albi specie oculis repræsentatur. Color hic *Latinis* etiam candens, candidus, albens dicitur; *Græcis* λευκὸς, ἀργὸς, φαληρὸς; Ad hunc verò spectant.

1. Niveus, χιόνεος.
2. Lacteus, γαλακτικὸς, γαλερὸς,
3. Eburneus, Ἐλεφαντινὸς,
4. Marmoreus, alabastrinus, μαρμάρεος,
5. Argenteus, ἀργύρεος,
6. Fulgidus, fulgens, resplendens, λαμπρὸς,
7. Crystallinus, κρυςάλλινος,
8. Pallidus, remisse albus, ὠχρὸς, κλωρὸς, ἄχροος.
9. Aqueus, ὑδελνὸς,
10. Albidus, albulus, exalbidus, subalbidus, candidulus, subcandidus, ὑπόλευκος,
11. Canus, πολιὸς, λευκανθὴς, φορκὸς,

8.) Alter extremorum est *Niger*; cui ortum dat lumen ita reflexum ut coerceatur simul & hebetetur, sive (quod idem est) haud exigua ex parte in objecti superficie absorbeatur: hæ namque luminis modificationes simul contingentes nigrum colorem semper producunt. Dicitur apud populares meos . . . . ab Anglo-Sax. *blac*, atramentum. Hujus præcipuæ species sive graduales differentiæ sunt

1. Anthracinus, melaneus, μέλας & μέλαινα.
2. Piceus, πισσώδης,
3. Coracinus, (à κόραξ corvus)
4. Æthiopicus,
5. Fuligineus, fuliginosus, λιγνυώδης,
6. Nigellus, nigricans, subnigricans, ὑπομέλας,
7. Pullus (non, ut *Perotto* placuit, à *pullis* avium, qui ferè isto colore nasci vulgò quidem, sed falso perhibentur; non à *pulvere*, ut in *Actio* suo scribit *Jovianus Pontanus*; neque ut *Cæsar Scaliger in exercitat.* 325. censet, à *purus*, quia color hic αὐτοφυὴς est ac nativus, qualis plurimum color penularum, unde infima Romanorum plebs, quæ pro toga penulam gestabat, pullata dici solet: sed si *Vossium* audimus, à πελὸς sive πέλος idem quod μέλας niger; teste Suida & Etymologo.)

9.) Tertio venit loco colorum simplicium *Mediorum* primus, nempe *flavus:* qui non quoquoversum dispergit lumen, ut albus; sed oblique recedens ab albedine nigredinem versus, modice ac suaviter dilatat radios lucis, & aurea quasi illecebra oculum ad intuendum invitat. Dicitur etiam fulvus, fulvidus, silaceus, ξανθὸς, πυῤῥὸς; à quo gradatim differre censentur.

1. Luteus, χλωρὸς, ὠχρός,
2. Aureus, aureolus, χρύσειος, ἐπίχρυσος,
3. Croceus, crocinus, κροκώδης, κρόκινος,
4. Æneus, χάλκεος. χάλκειος,
5. Melinus, μέλινος,
6. Ravus (Antiquis idem quod *flavus*, sed proprie de maturi jam frumenti colore dicebatur; indeque Græcè χαροπὸς, quasi καρπὸς, fructus) qui tamen *flavo* & *cæsio* medius videtur. Gallicè *tané*, *tanné*,
7. Byssinus, βύσσινος,
8. Buxeus, πύξινος,
9. Citrinus,
10. Limoneus,
11. Xerampelinus, ξηραμπέλινος (à ξηρὸς aridus & ἀμπέλινος viteus) qualem in arefactis vitium folijs videre est; Gallicè, *feuille morte*.
12. Leoninus, λεοντεῖος, λεοντώδης.
13. Electricus, ἠλεκτρικὸς,
14. Paleus, ἄχυρος,
15. Luteolus, subflavus, ὑπόχλωρος,
16. Ex albo flavescens, Isabella,

10.) Quartus locus debetur mediorum secundo, viz. *Rubro*. Qui ex lumine pariter exsurgit, ita tamen reflexo, ut radij minus quam in flavo dispersi, & obliqua remissione quodammodo exasperati, oculum quasi alterant quidem. Sed & fulgente simul vibratione oblectent. Unde fit ut color hic, maxime ubi intensus est, nonnihil ferociæ præ se ferre videatur. Summo in gradu constitutus, & splendoris quidpiam evibrans. *Coccineus* dicitur, & *Phœniceus*, itemque *Puniceus*, à Gall. *escarlate*, Hisp. *escarlata*; Ital. *Scarlato*;

Hujusmodi fuisse veterum purpureum arbitror.

Ex remissioribus Rubri gradibus dimanare creduntur,

1. Miniaceus, Vitruvio μιλτώδης,
2. Spadix, spadiceus (ἀπὸ τῦ σπᾶν, hoc est, *avellere*; ut propriè spadix sit ramus palmæ cum fructu ab arbore avulsus, qui coloris est ad puniceum prope accedentis)
3. Rutilans πυρόεις, flammeus, (nisi fallor)
4. Purpurissus, πορφυρόεις,
5. Carneus, Σαρκικὸς, Ital. carnadino, incarnadino. Est nempè color ex rubro albescens, carnis recens excoriatæ æmulus.
6. Caryophylleus, à floribus scilicet Tunices seu Caryophylli sylvestris.
7. Roseus, aurora, &
8. Persicus,
9. Rufus, ruffus, ξανθὸς, πυῤῥὸς,
10. Rubicundus, ἐρυθραῖος, Sandyx, sandaracinus, sandarachinus (à sandaracha vel sandaraca, arsenicum rubrum, quod ab auripigmento solo colore videtur differre; quia vel colore est saturate rubro, instar cinnabaris; vel minus rufum & sublatum)
11. Sanguineus, sanguinolentus αἱματώδης,
12. Burrhus, πυῤῥὸς, Ital. *chermesi*, *chermisino*, *cremesino*; Hispan. *charmisino*: omnia ex *Chermes*, ilice coccigerâ, cujus glans κόκκος βαφικὴ seu granum infectorium inde dicitur, quod hujusmodi tincturam exhibeat. *Chermes* autem est Arabicæ originis; de quâ consule *Salmasium not. Plin. in Solin. pag.* 1214.
13. Robus, robeus, de quo legi meretur *Vossius in Etymolog. L. L. voce* robur.
14. Rubini gemmæ colorem cum splendore æmulans, qualem videre est in pomi granati cellulis recens apertis.
15. Mustelinus, γαλεώδης, γαλεοειδὴς,
16. Rubellus, subrubeus, rubicundulus, ὑπέρυθρὸς,

11.) Agmen claudit simplicium placidissimus ille color, quem Latini *Cæruleum* vocant (à cœlo, quia firmamentum hujus esse coloris, sudo aere, videtur) Græci κυάνεον (à σαπφείρῳ lapidis, qui & κυανὸς dicitur, similitudine) (à Gallic. *azur*, quod est à lapide Lazulo) Ad peramœni hujus coloris in cujuscunque corporis opaci superficie (paulo aliter enim in cæruleo prismatico se res habet) productionem requiritur, ut lumen ita modificetur, ut ejus radij ab objecti superficie reflexi, obliqua quadam seu indirecta quidem, sed minori tamen quam quæ in genesi nigredinis contingit, infractione seu remissione modice reprimantur. Hujusmodi ejus enim modificatione fit, ut pauci tantummodo radii ob objecti superficie resilientes, grato & ad nigredinem indirecte inclinante colore oculum demulceant. Huic affines sunt.

1. Scyricum (à *Scyro* insula, ubi olim is color magno in pretio fuit) color ex Sinopede ac Sandyce mistus, quo minium adulteratur; observante *Plinio lib.*35. *cap.* 6.
2. Glastinus (à glasto seu isatide, cujus succo Britannæ

tannæ mulieres totum corpus, in quibusdam sacris, obleverunt, & de quo consulendus est *Salmasius in Solinum p.* 254.

3. Luridus, μελαγχλωρος,

4. Venetus, βενετὸς (à quo Venetæ factioni in ludis Circensibus nomen, & qui Venetæ genti olim in usu erat vestibus, sed ab Alexandria primum deductus: nam de Auctore ita *Isidorus lib.* 19. *cap.* 17. Venetum colorem temperare, primum Alexandria docuit) *Callaicus*, καλλάινος (à gallorum palea quæ Græcè κάλλαιον dicitur) & γαλλάιζων, pro καλλάιζων, κ in γ converso: item Cumatilis (ἀπὸ τῶν κυμάτων à fluctibus) & *viridis marinus:*

De hac tinctura vide sis quæ *Joannes Gerh. Vossius in Cymation* dixit.

5. Turcoisinus, à Turcoisio lapide, qui prope abest à Scyrico.

6. Cæsius, γλαυκὸς,

7. Subcæruleus, lividulus, ὑποκυάνεος,

8. Indicus.

9. Violaceus, ἰάνθινος,

10. Hyacinthinus, ὑακίνθινος,

11. Lividus, πελιδνὸς, πέλιος,

12.) Venimus nunc ad alteram colorum classem, à nobis in eorum generali bipartitione præstitutam, Compositorum scilicet, qui ex varia modo dictorum quinque simplicium contemperatione, horumque diversis gradibus inter se compositis atque decompositis exsurgant, quorumque (uti jam subinnuimus) major est varietas, quam quæ hactenus fuerit à quopiam vel ex ijs qui de coloribus ex professo scripserunt, ad rationem & calculos reducta. Verum tamen minime dubitandum est, quin sit sua cuique istorum peculiaris quædam modificatio luminis, utpotè ex quo omnes & singuli exoriuntur. Quænam autem singulis competat, infinitum esset determinare; maxime cum certo certius sit, ad eundem colorem, licet ad simplicium familiam spectet, plures modos luminis coincidere in eadem superficie requiri. Et nobis equidem, pro nostri hujus instituti modulo, satis fuerit in genere indicare; utcunque variæ sint luminis modificationes, quæ ad tot distinctas colorum species efficiendum requirantur: posse tamen omnes ad tria illa, quæ supra descripsimus, genera commodè revocari. Relicta itaque *Physico-mathematicis* ista χρωματολογίας parte, ad illud nos quod reliquum est pensi nostri, absolvendum sine ulteriori circuitu accedamus.

Ex colorum *Compositorum* censu, alij *minus*, alij *magis* compositi sunt, & utrique suas quoque habent familias.

13.) In minus compositis, primatum obtinet viridis (à *vireo*, quod à *vi* seu *vigore* deflectitur: quia ut plurimum, virent plantæ, quæ nec dum aruerunt, sed in suo sunt vigore) χλωρὸς, εὐθαλὴς quem flavus & cæruleus contemperati efficiunt; quique licet dilatare radium visivum sui flavedine nitatur, per cæruleum tamen ita coercetur, ut gratissima specie objectum oculo repræsentet. Hujus præcipuæ species sive gradus sunt

1. Thalassinus, thalassius, tanto à supra memorato colore *veneto* distans, quantò color maris in litore differt ab ejusdem colore in profundo, Hic quippe, ex majore radiorum solarium refractione fundum versus, color aliquando fit obscurior: paucis tantum radijs ab aquæ superficie in oculum resilientibus, quemadmodum demonstravit Cartesius Meter. cap. 9. num. 11.

2. Prasinus, πράσινος, id est *porraceus*; est enim color viridis ad similitudinem *Porri*, quod Græcè πράσον vocant; In ludis Circencibus sæpe fit mentio prasinæ factionis, prasini agitatoris, &c. quibus quid significetur, indicat *Juvenal. Sat.* 11. & fusè *Onuphrius Panuinius de ludis Circensibus.*

3. Orobitinus (ab ὄροβος, ervum)

4. Herbeus, herbidus, gramineus, viridans,

5. Smaragdinus, Σμαράγδινος (à Smaragdo lapide pretioso qui præ cæteris omnibus hujus familiæ resplendet.

6. Psittaceus, de quo Etymo vide Skinnerum in vocibus

7. Saligneus, ὀισύινος (ab ὀσύα, salix) & ἰτέινος (ab ἰτέα, ejusdem significationis)

8. Vitreus ὑάλινος, ὑαλοειδὴς qui quâ ratione sit à colore veneto distinguendus, luculenter ex veterum monumentis ostendit *Claud. Salmasius in not. ad Æl. Lamprid. Heliogabalum.*

9. Subviridis, ὑπόχλωρος, qualem cernere est in plumis Pluvialis flavo-virescentis,

14.) *Secundum* assignamus locum Purpureo, qui in genere Græcè πορφύρεος, quique ex cæruleo & rubro potissimum videtur conflari. Non simplex est, sed vel

1. Ostrinus, Tyrius, blatteus, Quomodo color hic fiat ejusque non unum esse genus, optime omnium docuit *Vitruvius lib.* 7. *cap.* 13. Ipsum ergo adi,

2. Dibaphus,

3. Molochinus (à μολόχη, malva)

Hic mihi videtur verus Antiquorum color Phœniceus; dilutior aliquanto quam ostrinus. Vide sis *Vossium* in voce *Phœniceus.*

4. Amethystinus,

5. Livido-purpureus, Grye de Lion.

15.) *Tertio* loco poni meretur *Griseus*, cinereus, cineraceus, τεφρώδης, ἐντεφρὸς Franco-Gall. *Gris*, cui affines sunt,

1. Ferreus, σιδήρεος, qui equorum proprius est.

2. Scutulatus, maculatus, μεμολυσμένος, σπιλωτὸς, (id est variegatus, seu color unus altero interstinctus) forte ab .... quasi dicas, instar pomi curtipenduli, maculis variegatus, nam eodem sensu, eademque ratione, hic color è Gallis *pommelé* dicitur; *observante Skinnero in Etymolog. Angl.*

3. Leucophæus,

4. Columbinus,

5. Gruinus,

6. Phasianus,

7. Elbidus; color albo & nigro medius,

16.) *Quarto* succedit fuscus (ita dictus, vel quod in isto colore φῶς σκιᾶται, id est, lux inumbretur; ut *Scaliger* censet 325. *Exercitat. Sect.* 17. vel ut *Vossio* arridet, simpliciter παρὰ τὸ φώσκειν, quod *Hippocrati* est ustulare; quia quæ ustulantur, ex albis fusca redduntur (φαιὸς, Ital. Bruno; subniger, & subaquilus, haud longe à *pullo* Romanorum recedens. Hujus tribui accensentur.

1. Ferrugineus, σιδηροειδὴς (à ferrugine, id est Ferri rubigine, quæ græce ἰοσσιδήρε est)

2. Bæticus (à Bætica Hispaniæ regione. Antonius Tylesius, libello suo de *Coloribus*, ita docet colorem pullum vocari, propterea quod in Bætica coloris ejus lanæ tingantur.)

3. Hiberus, ex nigro & rubro mixtus; Anglorum hoc in re nomen derivatur vel à colore *Maurorum* obscuro: vel ut *Covarruvias* divinat, ab Hisp. *mora*; morum; quasi dicas, color mori, qui est è rubro in nigrum declinans) Gall. *morée, morel, & moreau*; Ital. *morelio*; Hisp. *morado*,

4. Castaneus,

5. Murinus,

6. Subfuscus, subaquilus,

17.) Hanc minus compositorum colorum classem terminat *Badius* (ἀπὸ τῶν βαΐων, id est à ramis palmarum, qui eo colore insigniuntur.) (à Gall. *Bay.*) Invenitur apud *Homerum* Βάλιος nomen equi Achillis; quem alij velocem, alij maculosum, nescio quam rectè exponunt. Skinn. Hujus commatis censentur.

1. Helvus, helvulus, inter album & fulvum; à Gallis *Saur*, *Saure*, & *Soret*, Ital. *Sauro* & *Sauretto*: omnia ut conjectare fas est, à Latin. *Saturo*, est enim Saturus color.

2. Gilvus, figlinus,

3. Milvinus.

8. Hæcque quidem summula est tam *simplicium* quam *minus compositorum* colorum, quos in præsentia possumus in memoriam revocare. Supersunt adhuc, qui ex multiplici *utrorumque* confusione ortum suum trahant: quique proinde sint numero propemodum infiniti. Hos autem intactos propterea relinquimus omnes; cum quod eorum perpauci proprijs dignoscantur nominibus, sive apud Latinos, sive apud populares nostros inveniendis; tum quod eosdem sigillatim per periphrasin descriptum ire, seculi opus foret; nobis præsertim, qui tam in Latij Sermone, quam in arte pingendi hospites simus & peregrini. *Charleton.*

COLORATIO.

Licet color, docente *Galeno cap. 2. lib. 1. simp. c. 30, lib. de hist. philos.* medicamenti facultatem non ostendat, quia tamen qualitas est corporis visibilis, quæ quod vel obsit, vel prosit magis aut minus expetitur: Ut enim nigredo videndi vires lædit, ut etiam albedo: Sic viridis color exhilat, ut præter experientiam Philosophus scripsit probl. 60. sect. 22. Ex medicamentis tamen nonnulla magis expetuntur alba, quædam rubra, alia nigra, vel alij coloris. Color autem illis acquiritur quatuor potissimum modis, lotione, agitatione, coctione, mixtione. Lotione candida fiunt multa, ut oleum, terebinthina, cera, quædam etiam agitatione talia evadunt, ut penidia, unguentum album Rhasis, emplastrum diachylon, & ceratum refrigerans Galeni: Ea enim omnia, quo diutius tractantur & subiguntur, eo magis albescunt. ut pilulæ albæ, Bechicæ confectiones, & sacharata omnia: Motus siquidem seu agitatio colorem expetitum medicamentis conciliat. Hoc non tantum in enumeratis cernitur; sed manifestissime in unguento crudo, quod ex lithargyro, oleo & aceto paratur: Hæc enim tamdiu in mortario agitantur, donec formam unguenti albescentis acquirant. Coctione adhuc medicamenta magis colorata fiunt, aut albiora, aut nigriora, prout concoctio validior ac diuturnior, vel imbecillior erit. Sic emplastrum ex cerussa cruda paratum candidum est, ex eadem usta rubrum, & ceratum, quod æruginem crudam recipit, viride est, quod ustam, album, ac melinum. Denique pro rerum admixtarum vario colore, varius est medicamentorum color. Quæ enim recipiunt crocum, flavescunt; quæ cinnabarim, rubent; quæ cerussam, albescunt; quæ cassiæ medullam, nigrescunt. *Joann. Renodæus.*

COLUBER, vid. *Anguis.*

COLUBRINA, vid. *Clematis Indica.*

COLUMBA.

Columbarum *notæ* omnibus speciebus communes, quibus ab alijs avium generibus distinguantur, non admodum multa sunt; viz. figura corporis peculiaris, cuculum referens, tibiæ breves; Alæ prolongæ; Volatus pernix; Vox gemebunda; bina duntaxat unica vice ova ponere, sæpius tamen in anno parere. *Aldrovandus* omnibus proprium esse scribit, quod utrâque palpebrâ conniveant. Figurâ rostri non omnes inter se conveniunt. Nonnulla enim rostra habent tenuia & longiuscula, alia brevia admodum & crassiuscula. At pedes quotquot hactenus vidimus omnium rubri seu sanguinei sunt. In columbino genere mas & fœmina laborem incubandi inter se partiuntur, vicissim scil. incubante. *Fr. Willughbeius.*

Officin. Nat. ex Columbâ.

1. *Columba tota.* 2. *Sanguis.* 3. *Tunica ventriculi.* 4. *Fimus.*

Vires.

1. *Columba viva* per medium dissecta, capitique, dum sanguine adhuc calet, imposita, feroces humores mitigat, melancholicam tristitiam discutit.

Hinc convenientissimum Medicamen est in Phrenitide, Cephalalgia, Melancholia, Podagra.

2. *Sanguis* tepens oculis instillatus, dolorem, lippitudinemque sedat, suffusiones sanguinemque discutit, vulnera recentia curat: Peculiariter cruorem è membranis cerebri erumpentem cohibet, podagricum dolorem mitigat.

N. 1. *Præfertur sanguis columbi maris, idque sub ala dextra elicitum (ob naturam ejus calidiorem.)*

N. 2. *Succus sanguinolentus ex pennarum calamis expressus sanguini substitui aptus est, præferturque è pullis columbarum.*

3. *Tunica ventriculi* exiccata & pulverisata commendatur in Dysenteria.

4. *Fimus* vehementer excalefacit, (*ob nitrosam facultatem, quâ maximè pollet,*) ideoque urit, discutit, ruborem cutis sanguinem alliciendo excitat.

Hinc usus frequentis in Cataplasmatis & Emplastris rubificantibus. Sic tritus & cribratus, cumque semine nasturtij impositus, facit ad affectus inveteratos.

Cujusmodi sunt:

Arthritides, Hemicrania, Vertigo, Cephalæa, dolores inveterati in lateribus, scapulis, cervice ac lumbis, dolores colici, affectus apoplectici, lethargici, & simil.

Sic strumas aliosque tumores discutit, (*cum hordeacea farina & ♁o mixtus & impositus*) alopeciæ succurrit (*illitus*) Colicis confert, (*in Clysteribus*) defluxiones ad genua delabentes discutit, [*cum sal. & ♋.*]

Internè calculum atterit & urinam pellit.

[Dosis ℈ j. ad ℈ ij.]

Præparata.

[Empl. de stercore columbino ad catarrhos capitis.] *Schröder.* His de Viribus Columbæ addit *Hoffmann.*

Usus columbæ sylvestris proclivitati calculosæ summè proficuus etiam deprædicatur, inde, quia ex stercore columbino ferax Nitri copia facillimo artificio elicitur, unde colligunt efficacem qualitatem in stercore ad calculum frangendum. Si enim, inquiunt, in stercore excremento vitæ nullatenus sagaci, quidni nobiliores & augustiores ex sanguine per digestionem & multiplicem circulationem ad vim vitalem specificum animalis induendam præparato potentias speremus? Præparandi rationem talem tradunt. Palumbem strangulatu exanimatum plumis & extis exutum sale & macere conspersum ollulæ vernice ex lithargy-

rio

rio & plumbo obductæ vino, cui pernoctaverit petroselini manipulus, prius infuso immitte: operculo obserato, sat elixato, & denuò carnes unà cum jusculo absumito.

COLUMBINA, vid. *Verbena.*

COLUS, vid. *Colatorium.*

COLUTEA SCORPIOIDES.

Nomina. Colutea Scorpioides *Ger. I. B.* Scorpioides major *Park.* siliquosa sive Scorpioides major *C. B. I. B. Clus.*

Suffrutex est ex *radice* se spargente, satis lentis & fractu contumacibus *ramulis*, majoribus cinereo cortice obductis, minoribus viridantibus, striatis & angulosis. *Folia* quina, septena aut novena, ad Lentis folia accedentia, rotundiora, pinguiuscula, coluteæ Vesicariæ, si magnitudinem excipias, consimilia. *Flores* inter folia ex pediculis semuncialibus, & uncialibus lutei, bini ferè, rariùs singulares aut terni, unciam circiter longi; Genistæ floribus similes, labello duplici, inferiore rotundo, integro, striato, superiore bifido, & quasi alato, duobus crusculis innixo: galea in rostri acutiem mucronata, ex luteo virescens apicum albicantium cirros occulit, quos subsequuntur *siliquæ* longæ, siliquis Telephij sive Scorpioidis *Matth.* similes, teretes, quibusdam velut articulis distinctæ, quæ oblonga, lævia, subfusci coloris & ingrati saporis, *semina* singula singulis articulis inclusa habent. *Flores* nonnihil odorati. Folia ingrati & amari admodum saporis. *Raius Hist. Plan.*

Vires. Planta est purgans, sed admodum torminosa, ac propterea nullius, aut rarissimi usus.

COLYMBADES, OLIVÆ CONDITÆ, vid. *Conditura.*

COLYMBAS, vid. *Stabe.*

COMA.

Comæ sunt plantarum summitates vel arborum frondes. *Raius Hist. Plan.*

COMA AUREA, vid. *Stœchas citrina.*

COMARUS, vid. *Arbutus.*

COMPOSITIO MEDICAMENTORUM.

Definiemus *Compositionem medicamentorum*, quod sit *mixtio artificiosa duorum vel plurium medicamentorum convenientium, ad unam eandemque formam usumque determinatum.*

Mixtio est 1. *corporalis*, ut ipsa medicamenta in unum corpus coalescant, invicem sibi addita, & ex duobus vel pluribus fiat unum, adeoque per se paret, mixtionem præsupponere materiam miscendam.

Non verò qualibet confusio mixtionis hujus titulum subire potest, unde 2. est *artificiosa*, tum respectu indicationum, ut ijs lege methodi satisfiat, tum respectu proportionis; miscentur enim interveniente certâ proportione, pondere & mensurâ. Hinc damnantur præscripta illa, quæ citra ullum judicium, uti empirici facere consueverunt, compilata sunt, absurdo & cœco ductu. Neque enim, quod itidem empiricorum seu agyrtarum potiùs est, mensurandum est compositionis artificium ex numero ingredientium, ut receptæ (species) sint trium ulnarum, quin potius, quò pauciora fuerint ingredientia, eò sæpè artificiosior & fructuosior erit compositio.

Mixtio porro est 3. *medicamentorum*, neque enim *alimenta* cum *medicamentis* æquè miscentur, nisi alterutrius refracta sit dosis, & quasi sub dominio alterius, de quo alibi actum est: medicamenta enim alterant, alimenta nutriunt, adeoque finem habent diversum.

Sed & 4. *convenientium* est mixtio & *appropriatorum*, ut non contrarijs occurrant frontibus, sed subigere se invicem queant, & naturæ hinc inservire.

Hinc mixtio est 5. *homogeneorum* propriè: heterogenea si miscentur, parere oportet & reliquis subjugari, ut ex hisce consistentia certa resultet, quæ intenditur.

Effectus est *usus determinatus*, sive loco huic vel illi debitus, sive intentioni in genere, alterandi vel purgandi, quæ omnia latiùs in sequentibus explicabuntur.

Compositio itaque unit artificiosâ mixtione, & miscet uniendo medicamina, quò ipso non tam conferuntur vel inducuntur vires medicamentis, illas enim jam possident; quàm coitione hâc easdem potissimum adauget, seligit, & in unum redigit, quo plura verò ingredientia fuerint, eò ferè incertior & magis incomperta vis inde nascitur.

Si ergo quæratur, quem in finem ac usum componenda sint medicamenta? id ipsum 1. *à necessario*, 2. *ab utili*, 3. *à jucundo*, quæ argumenta sunt commendabilia in genere, venit arcessendum, seu, ut cito, tutò & jucundè fiat operatio.

Compositio seu mixtio & unio artificiosa medicamentorum necessaria est ratione *medicamentorum* ipsorum. Leguntur quidem plurima encomia simplicium ipsorum; quale est *Scribon. Largi p. 6.* simpliciora interdum esse efficaciora, quàm ex pluribus composita medicamenta; *Cratonis consil. 5. & 7.* qui simplicium usum tutiorem, quàm compositorum commendat, & pro scelere habuit, uti compositis, quando simplicia satis adjumenti afferre possint; *Helmontii*, qui *pharm. ac dispens. mod. p. 458.* simplicia ipsa sufficientia pro sanatione omnium morborum statuit, unde *Plinius l. 22. c. 24.* officinarum, imò verius avaritiæ commenta vocat. Attamen, ut non negatur, si sint sufficientia & indicationi examussim respondentia simplicia, posse & per se in usum commodè & rectè vocari, neque etiam universale illud *Cardani* strictè sumptum valere, qui *simplicibus uti ineptum* vocat *l. de mal. med. usu cap. 13.* quin ipsa medicinæ rudimenta ut à simplicibus enata sunt: ita & simplicibus & compositis uti consultum est. Nam quod simplicia attinet, non omnia ita comparata sunt æquè, ut omni parte desideratam habeant virtutem, nihil desit, nihil supersit, sed sæpenumerò peccant ea vel in excessu, vel in defectu. Sunt quædam μοχθηρὰ, *violenta*, naturam lædentia, quæ coërcita felicem habent usum, idque non solâ præparatione, verùm etiam additione corrigentis obtinetur. Quædam inertia, pigra, quæ stimulanda, ut nempè remedium morbo fiat exactè proportionatum, nec excedat, nec deficiat.

Opus est eâdem porrò *subjecti* ratione, seu à *jucundo*, quod etiam ex jam dictis abundè resultat. Grata est varietas, delectat, & necessaria sæpè est, ut quovis modo satisfacere possimus ægro, ut pars affecta magis demulceri, ut consuetudini & idiosyncrasiæ consulatur, ut ætati satisfiat. Ita invenias qui omnes abhorrent pulveres, qui nauseant ad pilularum adsumtionem, qui potiones detestantur. Facilis omnium est mutatio & variatio, ut si pulverem purgantem assumere quis recuset, ut talem, sirupo subactum facilè recipiat. Hinc *Galenus* docuit, etiam hanc ob causam medicamentorum compositionem inven-

inventam esse, ut scilicet medicamentorum multorum, inprimis purgantium, alia essent ἡδύσματα, *condimenta*, insuavitatis mitigandæ gratiâ; quamvis non ubique & semper hæc attendi debeant; non enim semper τὰ ἥδιςα, ἀλλὰ τὰ βέλτιςα præscribenda sunt, quod *Solonem* consuluisse memorant; *vid. Hoffm. isagog. p.* 118.

Necessaria denique est ratione *morborum*, sive, quod huic rationi addimus, ab *utili*. Sic sæpè symptomata urgent; sic pars affecta attendi penitiùs desiderat; sic sæpè connexio & consensus partium mediam indicat viam, v. g. cephalica & stomachica miscenda; refractè addenda esse opiata &c. Hoc pacto unâ, quod ajunt, fideliâ duos possumus dealbare parietes, morbos implicitos respicere & tollere, exteriùs affectis emplastris, linimentis, unguentis; interiùs alijs succurrere.

De Requisitis essentialibus compositionis, materia & formâ internâ, basi, & adjuvantibus.

Subjectum sive *causa materialis* compositionis medicamentorum est *materia*, cum additamento *medica*. Æmulantur in hoc medici Mechanicos quosvis, & præcipuè architectos, quibuscum dupl cem habent ad hanc structuram considerationem, primò de *materiâ ex quâ*, deinde de *formâ* inducendâ.

Absurdus fuerit architectus, qui materiam ad structuram necessariam non norit; quæ quibus apta, quæ quo tempore ligna apparanda, aptanda, colliganda. Longè ineptior medicus, qui illotis manibus ad hanc artificiosam structuram accedit, citra præcognitionem materiæ medicæ.

Quicunque ergò feliciter in hoc studio decurrere & voto damnari cupit, *primò materiæ medicæ, & inprimis selectioris & ἀποθέτων cognitionem sibi comparet*, quæ ex vegetabili, animali & minerali regno usualia, in quem finem & usum, undè depromptæ, quomodo, quid & quantum agant, idque quoad externam & internam faciem. *Illud* oculis utendum in officinis, vel sicubi demonstrandi simplicia alia datur occasio, *hoc* memoriæ mandandum, cui rei inprimis inserviunt duo auctores, *Macasius in promptuar. mater. med.* & *Rolfincii ordo* & *methodus commendat*.

Secundò, *præparationem sciat*, sive aptationem ad usum internum & compositionem, de quâ quidem hactenus egimus.

Tertiò, *compositiones in pharmacopœiis jam usitatas norit*, siquidem non solùm simpliciora, & sibi relicta, cruda, vel præparata, v. g. iris, tragacantha, &c. verùm etiam composita hunc censum subeunt, species diaireos, diatragacanthæ &c. indeque quasi decomposita hinc fiunt, sive ex jam compositis nova mixtio, & compositio. Et hæ compositiones receptæ dicuntur *magistrales* sive *officinales*, sicuti altera illa *extemporanea*. Hinc legendæ etiam pharmacopœiæ in quem finem unam porttilem commendamus, *Pharmacopœiam Londinensem*, alteram diffusam magis & exquisitam, *Pharmacopœiam Augustanam cum notis & animadversionibus Zwelfferi*, quæ quidem non ubique locum inveniunt, nihilominus tamen philiatrum utiliter monent.

Hæc singula de duplici generali medicamentorum classe intelligenda veniunt, *purgantibus* & *alterantibus*. Duo enim hæc sunt arma medica, quibus in universam hosticam morborum turbam feliciter utimur, sive generica putemus alterantia, sive inprimis specifica, capiti, utero, pectori &c. dicata.

Huic jam materiæ *forma* est inducenda, quæ duplex est: *interna* & *externa*; illa concernit adhibitionem ipsam, quæ, qualia propinanda; *hæc* adhibendi magis modum, quomodo, quâ consistentiâ sint in usum vocanda. Ideoque adhibitionem regulatur *ipsa virtus*, unde denominatur medicamentum, quæ quasi ipsius *forma* est *intrinseca*; ut, si velim propinare purgans, cephalicum, sudoriferum. Et hæc absolutè est necessaria & principalis, altera verò externa saltim secundariò & secundum quid, quatenus forma prærequirit quidem materiam, sed modò in hac, modò in alia consistentia.

Cum verò potior sit internæ formæ habenda semper ratio, hinc etiam partes quasdam habet medicamentum constituentes, quæ vel principales sunt, vel minùs principales.

Ut fundamento opus est, cui reliqua omnia ceu basi inniti & superstrui possint in mechanicis; ita etiam hîc *basi* opus est, seu medicamento, quod maximè selegit, cui maximè fidit Medicus, quod velut columen est, & quod in compositione primipili instar potissimùm juvare potest; verbo, *basis est medicamentum præcipuum in compositione vel mixturâ*, cui quasi duci primæ debentur, sive jam uni soli medicamento hæc demandetur provincia, adeoque basis hæc sit una, simplex; sive pluribus. Illud in purgantibus respectivè; hoc in alterantibus magis attenditur.

Notandum hîc est, quod basis dicatur simplex vel composita duplici modo, vel respectu *indicationum*, quæ uni vel pluribus satisfacit, vel respectu *ingredientium*, quatenus unum vel plura huic fini destinantur.

Adsociantur verò ceu minùs principales partes huic basi alia, diverso fine; basis enim est agens primarium, seu præscribitur, ut agat, adeoque semper requiritur & necessaria est, reliqua verò, ut benè agat. Talia verò sunt.

1. *Adjuvantia*, quò spectat illud: causæ sociæ stant pro una, & tale additum tali reddit illud magis tale. Adjuvantia dicuntur tùm ratione virtutis principalis, adeoque sæpè ipsius baseos quasi sunt socij, tum facilitandi effectus gratiâ, ut penitiùs, promtiùs & facilius illum consequamur, quæ quocunque modo resolutionem & actuationem medicamenti juvant. Sic olea destillata addita purgantibus pulveribus, vel aromatica in genere, corrigunt quidem simul eadem & adjuvant tamen, unde idem sæpè est adjuvans & corrigens. Sic tartarea & salia quoque id ipsum præstant, fermentationem & actuationem promovendo. Utut verò stricto sensu diversa sint adjuvantia & stimulantia, nihilominùs cum eundem finem spectent, sub eadem classe ea comprehendimus. Adjuvantia enim virtutem determinatam in purgantibus in specie audiunt stimulantia, sive quæ loco stimuli adduntur. Sic v. g. si pulverem purgantem faciamus.

℞. *Gialap. nigr. resin.* ℈j. *cryst all. Tartari* ℈ß. *resin. scammon. gr. iij. ol. anis. gtt. j. M. F. pulvis.*

℞. *Gialap. nig. resin. fol. sen. s. s. cryst all. Tart. an.* ℈i. *dacryd.* ℈ß. M. F. Pulvis.

Alia in his baseos, juvantis, stimulantis & corrigentis vicem obeunt. *Wedelius.*

COMPRIMENTIA, vid. *Hypactica.*

CONCEPTACULUM, vid. *Alembicus.*

CONCEPTIONEM JUVANTIA, vid. *Uterum corroborantia.*

CONCHA.

Concha nomen genericum est sub se plurimas species complectens, propterea de eâ vid. quæ proprijs capitibus, præcipuè sub titulo *Musculus*, afferentur.

CONCHYLIUM, vid. *Blatta Bizantia.*

CONCHITÆ.

Conchitæ sunt lapides ad imaginem Concharum figurati. Quæritur autem an hi petrificationis vera soboles sint? seu an ex animalibus veris petrificatis originem suam ducant? Negativam tuetur Clariss. Lister; idque 1. Quia cum animalibus quæ repræsentant figura non prorsus; sed tantùm ex parte, similes sint. 2. Quia Conchitæ etiam Bivalves dantur enormis magnitudinis, quàm maximè supra modum Cochlearum in mari observatarum. 3. Quia Conchitæ in ipsis etiam submarinis rupibus, ubi potius ipsa animalia viva expectare debeamus, æquè frequenter ac in mediterraneis, unde mare recessit, inveniantur. 4. Quia Cochlitæ tam solidæ quàm testaceæ ex pura & mera lapidea materia concreti videntur; ex solidis scil. quidam, ex utriusque generis silice; ex crustaceis verò, plerosque è selenite, aut aliô quôdam simili fluore resplendente constare. 5. Quia Cochlitarum quorundam velut rudimenta & maximè imperfectas figuras passim in rupibus observare licet. Non negat interim Conchas veras admissis succis quibusdam vitriolicis, aut etiam calcarijs in lapideum quid posse trânsmutari; sed quæ facilè dignosci queant, & primæ materiæ naturam intus prorsus, conservent, aut saltem ejusdem plures præbeant characteres, quod in veris Conchitis nullatenus reperitur ut ex ipso jam adnotavimus. Qui autem de hisce, ad Historiam Naturalem potiùs quàm ad Materiam Mediam spectantibus, plura voluerit; consulat Tractatum Stenonis de solido intra solidum. D. Plott Historiam Naturalem Agri Oxoniensis. D. Raium ac D. Floid de Conchitis differentes; imò ipsum Celeberr. D. Lister. sub finem Historiæ quorundam Animalium Angliæ; item sub finem Exercitation. Anatom. 3. Conchiliorum Bivalvium utriusque aquæ, &c.

CONDENSANTIA, vid. *Pycnotica.*

CONDISI, vid. *Struthium.*

CONDITURA.

Ut salitura & fartura potius ad popinam quàm Pharmacopolium spectare videntur, sic *conditura* ad artem aromatariam. Medicamenta tamen ijsdem interdum egent: nam salitura plurimum facit ad conservationem, fartura ad saporis gratiam, conditura ad utrumque. Condiuntur enim non tantùm fructus, aut flores: sed & cauliculi, cortices, & radices tenellæ, tum ut diutius asserventur, tum ut jucundius edantur. Sic radix zinziberis tenellæ, siliquæ, cassiæ fistularis, quæ non multum adoleverunt, nuces moschatæ, myrobalani, & alij fructus exotici recentes condiuntur, ut fælicius ad nos sine magna virium jactura è longinquis regionibus advehantur. Nostrates fructus dulces subacidi aut alius saporis jucundi palato, statim atque selecti fuerunt, & à cortice nudati, si sit opus (multi enim decorticantur, ut ribes, berberis, agresta) cum saccharo aut melle vel utroque coquuntur. Amari vel acidissimi & acres tam diu in aqua macerantur donec vehementem qualitatem deposuerint.

Solent verò potissimum Pharmacopœi condituras, ut vocant, humidas parare sicut dum cum Saccharo & aqua, vel cum syrupo fructus aut radices tamdiu concoquunt, ut humiditatem omnem aqueam amittant, & cum syrupo perfectè cocto conditi ac reconditi asserventur.

Aromatarij verò non solum condituras ejusmodi conficiunt, sed etiam siccas, ut loquuntur, quæ fiunt ex fructibus vel saccharo extrinsecus coquendo saccharatis & postea insolatu exsiccatis. Fructus verò multi vel sale condiuntur solo, ut capares, vel addito aceto, ut cucumeres in frustula secti, ut portulaca, lactucæ, & multa olera, ut sine putredine ad hyemem usque possint asservari. Sal enim miram vim habet desiccandi & conservandi: unde carnes & pisces saliti in plures non tantum menses, sed annos, sine corruptela reconduntur. Ob eam rationem anima à Philosophis quibusdam dicta est sal corporis, quia quamdiu in ipso remanet, tamdiu ab omni putredine vindicat ac tuetur. Confert etiam ut medicamenta qualitatem aliam præter peculiarem nanciscantur, propterea carnes viperinæ & multorum animalium partes insperguntur sale marino, aut fossili, (sunt enim omnes ejusdem facultatis Galeno) eóque pauco, si saporis; vel copiosiore, si conditturæ gratia adhibeatur. *Ioannes Renodæus.*

CONDITA.

Conditorum constitutionem absolvunt res condiendæ ac liquor condiens, quibus pro lubitu aromatizans accedit.

Res condiri aptæ sunt, *radices, cortices, caules, fructus, nuces & flores aliquot.*

Duo in rebus condiendis præcipuè consideranda occurrunt.

1. Quia res condienda vi liquoris intus ac extus perfundi postulat, mollem illam esse nec nimis crassam oportet.

2. Quia esui condita præcipuè destinantur, haud ingrata ac gustui abominabilia ea sint, fas est. Hinc si durior & amarior res condienda fuerit, maceratur antea in Aqua frigida dies (5. 6. 7. 8. pro re nata) singulis diebus aquam deplendo, recentemque dando, vel coquatur insuper donec mollescat, amarorque quodammodo extrahatur. Cave autem ne nimiâ extractione solum cadaver condiendum relinquatur. His adde, sin crassior, major, solidior res condienda foret, secandam eam esse, pro exigentia, secundùm longitudinem, latitudinem, tessulatim, &c.

N. 1. *Loco aquæ nonnunquam lixivio macerare expedit, hinc aqua simplici dulcorare.*

N. 2. *Quod si libuerit condita aromatizare, aromata condiendis infigi poterunt.*

Liquor, quo res condiuntur est Saccharum clarificatum & syrupisatum, id est, in aqueo liquore dissolutum, & ad syrupi consistentiam inspissatum, nonnunquam mel depuratum, aliquando muria.

Sic condiuntur,

I. Radices.

♃. *Radices bene purgatas (integras si teneræ fuerint, vel sectas, sin crassiores) exemptis si opus sit lignosis partibus, redige ad mollitiem & si opus sit, ad saporem gratiorem, ut docui, hinc sicca & cum Sacchari ana (circiter,) tantilloque decocti proprii, vel aquæ, coque ad consumptionem humiditatis, consistentiamque Syrupi.*

II. Cortices.

Cortices nihil à radicibus peculiare habent.

III. Caules.

♃. *Caules (à pellicula exteriori purgatos) reduc ad mollitiem, hinc coque cum ana Sacchari in decocto solum, ad consistentiam.*

IV Fructus.

♃. *Fructus molliores (exempli gratia, cerasa, baccas, ribes, berberes, mala persica, & simil.) affunde Sacchari Syrupisati vel mellis part. dimidiam; coque*

que ad consumptionem humiditatis, aliàs situm contrahit.

Duriores, ut poma citria, cytonia, & simil. priùs ad mollitiem redigendi sunt, amariores ad saporem gratiorem. Limonia & olivæ muriæ imponuntur.

V. Nuces.

♃. *Nuces virides, perfora stylo, macera dies (9. 10.) in Aqua frigida l. 2. hinc coque ut mollescant; siccatas aromatisa, configendo cinamomo aut caryophyllis, cumque sacchari ana ac aqua q. s. coque.*

VI. Flores.

Flores condiuntur affusione Sacchari syrupisati. Sunt autem pauci qui hac ratione integri condiuntur, scilicet flores citri, arantiorum, & interdum rosarum. Ex reliquis fiunt potiùs conservæ. Capparum flores sale, genistæ, sale & acero condiuntur.

N. *Sunt qui flores albumine ovi conquassato illitos saccharo pulverisato aspergunt, solis calori exponunt, floresque hac ratione integros coloratosque conservant.*

Condita officinalia usitatiora sunt.

Condita Aurantia poma integra ac in partes dissecta. Aurantiorum flores. cortic. Berberes (sine arillis præstant) borragin. rad. calami aromat. radic. cassia. cerasa amarena. cichor. rad. citria poma integra, in taleolis. citria maxima cum carne. Citrina:. *citria sicca,* truckener citrinat. *citri cortices,* eingemachte Citron-Schalen. *flores. consolid maj. rad. corna. cydonia,* eingemachte ovitten *cynosbati baccæ,* eingemachte hanbutten. *enulæ rad. eryngii rad. lactucæ hisp. caules sicci,* truckene lactuc. *mala armeniaca præcocia,* eingemachte mœllelen, oder mammelucken. *Mespila integra.*

Myrobalani Bellirie. Chebulæ Citrinæ Emblicæ	afferuntur condita ex India.

Nuces Indica, scilicet moschatæ, cum involucris, gantze muscatnü z mit schelffen.

Nuces moschatæ, scilicet sine involucris, eingemachte muscatnüsz ohne schelffen.

Nuces juglandes. persica. pimpinellæ rad. piper. nigr. in racemis ex India affertur. pruna sylvestria, eingemachte-schlehen. *pruna citrina,* eingemachte spelling. *pyra muscatella,* eingemachte zucker bierlein, oder muscateller bieren. *rhabarbarum. ribes. satyrii rad. salv. cretic. bacc. scorzoneræ rad. sorba,* eingemachte speyerling. *zedoariæ rad. zingiber chinense. commune.*

Sunt & quæ condiuntur aceto, sale, & simil. ut

Modus condiendi est.

1. Consperge cum sale ac comprime, ut sal in exudante humiditate liquescat.

N. *Si res condienda minus succulenta fuerit, affundi poterit modicum Aquæ.*

2. Affunde Acetum stentque ut penetret, vel si nimium liquoris sit, exhalet aliquantulum.

Sic prostant. condit. cappares. citri flores cum aceto. cucumeres. fœniculi summit. oculi genistæ. limonia poma. olivæ. portulacæ summitates. Wedelius.

Sequuntur jam Conditorum variæ species.

Cerasa condita.

♃. *Cerasorum maturorum, ac selectorum, & à pediculis purgatorum ℔ij. sachari albissimi ℔j. coque igne primùm luculento, dein clementiore, spumam innatantem abjiciendo, quousque fiat ex illorum succo & sacharo syrupus optimè coctus.*

Commentarius.

Cerasorum multæ sunt varietates quorum ea tantum seliguntur ad condituram, quæ rubra sunt, acido-dulcia, succo multo turgidula, breviori pediculo inhærentia, ut & ea, quæ ex obscuro rubent, *agryota* vulgò dicta. Ut autem ritè condiantur, aqua pauca debet commisceri; sic enim sacharum liquatur facilius, & cerasa citius ac melius concoquuntur. Perfectè autem cocta judicantur, cùm syrupi gutta in marmor effusa non diffluit: Tunc siquidem ab igne removenda, & ubi parum refrixerint, in vasis idoneis reponenda & servanda.

Cerasa condita propter suavitatem & salubritatem singulis ægrotis, morbo quovis laborantibus, & quovis tempore solent exhiberi.

Ribes & Berberis condita.

♃. *Ribes, vel Berberis ℔jß. sachari ℔j. aquæ parum. Coquatur ex arte, ut simul cum his coctis fiat syrupus consistentia legitimæ.*

Commentarius.

Ex horum fructuum succo, calore Solis vel ignis inspissato fit sapa; ex eodem & sacharo simul, ut decet, coctis, syrupus. Utriusque autem vires eximiæ sunt, & medicatæ, & ægrotis sanitati restituendis perutiles, ut supra monuimus. Sed & pro bellarijs idem fructus non parum expetuntur: ob id integri condiuntur, ut etiam ad hyemem possint asservari, & ægrotis quoque exhiberi; quibus non modo sæpe arrident; sed & conducunt. Ad illorum conditurum solet parum aquæ permisceri, sed melius ejus loco; succus alterutrius commiscebitur. Sic enim conditura acidior erit; ut & dulcior, si par sachari & fructuum pondus, ut multi faciunt, adjungatur.

Pyra condita.

♃. *Pyrorum moscatellinorum, decorticatorum, sachari albissimi an. ℔ij aquæ ℔j. Coque perfectè igne luculento, donec pyra fundant syrupum, consistentia legitimum.*

Commentarius.

Eodem modo alia pyra condiuntur, ut rufula quædam suavissima. Rousseletti nomina notiora; ut & alia multa carne solidiore prædita. Nonnulli, ut palata reddant amiciora, caryophillis configunt; sic namque cum duledine aromaticum quendam odorem, saporemque nanciscuntur delectabilem. Poma, quod carnem habeant molliorem, quæ coctura facilè velut in pultem abit; integra non condiuntur, sed ex his in frusta sectis, & cum sacharo ex arte coctis fit pasta quædam, quæ in cylindros partita studiosè exsiccatur & servatur.

Nuces conditæ.

♃. *Nuces virides teneras. n. l. A cortice externo purga; Acu vel stylo utrinque perfora: infunde novem aut decem dies in aqua tepida, ea quotidie mutata: dein coque, dum mollescant. Tum singulas terge linteo, & sicca: Caryophyllis, aut cinnamomo per bacillos secto confige: postea cum pari sachari pondere & aquæ sufficienti quantitate coque perfectè: Repone in vase idoneo & servato,*

Commentarius.

Ægrè ferunt multi, quod nuces conditæ nigrescant, quem ingratum colorem ut impediant, nuces primùm coctas, dein aromatis confixas in vase recondunt,

dunt, superfundunt syrupum exactè coctum, adhucque calentem. Diebus sequentibus, si syrupus recrudescat, denuo coquunt, & adhuc superfundunt; qui si rursus fluidior appareat, recoquunt, ut tandem in legitima remaneat consistentia. Sic enim conditæ nuces albidiores manent. Commendantur ad ventriculi imbecillitatem, flatuum dissipationem, colicum dolorem & coctionem juvandam.

Pruna condita.

℞. Prunorum nondum perfectè maturorum & depellatorum, Sacchari optimi an. ℔j. aquæ limpidissimæ ℔ß. Coquantur ut cerasa eodemque modo serventur.

Commentarius.

Mira est ubique prunorum ubertas & varietas, inter quæ multum expetuntur damascena, alba, rubra, nigra, violacea: magis verò Brignolentia & Pardigonia; sed omnium maximè Imperialia dicta, quæ omnia matura esui gratissima sunt.

Ut autem serventur fructuum reliquorum more condiuntur; atque primùm exterior eorum cortex detrahitur: & ubi singula decorticata fuerunt, è vestigio in aquam projiciuntur, ne flavescant, nigrescantve. Sic enim omnia bene mundata coquuntur, quousque syrupus ex eorum succo & saccharo commixto legitimæ conficiatur consistentiæ.

Eodem modo mala persica & præcocia condiuntur.

Cortices arantiorum, limonum, citriorum, partim ob duritiem, partim ob insuavitatem ante conditutam semel atque iterum macerantur in aqua tepida, in quam nonnulli prima vice nodulum cinerum injiciunt, secunda, in aqua simplici, in qua tandem cum æquali ad cortices pondere sacchari coquuntur, ut artis est, sicque probè conservantur cum syrupo perfectè cocto.

Quibus verò nonnisi confecturæ siccæ, ut vocant, arrideant sic illis parabuntur. Cortices dicti dicto modo conditi sumendi sunt; syrupus, quo exteriùs madent, vel linteo detergendus, vel aqua leviter abluendus. Sic tersi & exsiccati cortices in aliud saccharum ad consistentiam electuarij solidi coctum immergendi, & adhuc parum coquendi: dein amovendi, & Soli, vel loco calido, ut hypocausto exsiccandi, tum asservandi. Verum hæc nimis curiosa condiendorum fructuum ars ad aromatarios, quàm pharmacopœos spectat magis.

Citonia condita.

℞. Citonia decorticata, in quatuor aut sex partes divisa, & à membranulis & seminibus purgata n. x. aut xij. Sacchari pondus æquum:

Coquantur cum aqua sufficienti, ut artis est.

Commentarius.

Citonia propter soliditatem multam cocturam patiuntur; majore propterea aquæ quantitate est opus. Tamdiu verò coqui debent, non modò ut mollescant sed ut syrupus crassior evadat, in quo sunt asservanda integra, non discepta aut in pultem redacta.

Alio modo citonia condiuntur, cocta nempe cum saccharo, & inter coquendum subinde agitata, ut forma crassiusculæ pultis acquirant. Tunc enim ab igne removenda, & in pyxidibus ligneis, ac abietinis reponenda. Si par citoniorum & sacchari pondus commisceatur, Cidoniatum hinc factum suavius est, sed minus astrictorium. Vocatur autem crassum cidoniatum.

Aliud adhuc & magis rubellum, & lucidum paratur, ex solo nempe decocto corticum, & seminis citoniorum, cui additur sacchari æqualis portio, vel paulò minor, & coquitur supra consistentiam syrupi. Atque in piceas pyxides infunditur, & servatur. Si inter coquendum pulvis cooperiatur, Cidoniatum magis rubrum efficitur, quem colorem omni cidoniato expetitum, ut habeant multi, succum citoniorum adjiciunt, vulgus cidoniatum clarum nominat: alij Aurelianense quod Aureliæ sit frequentissimum.

Paratur & Myva ex citoniis, sed modo parum dissimili: nam succus ex his raspatis elicitur, magma coquitur, & colatur: Colaturæ miscetur saccharum duplum: coquitur ad consistentiam electuarij: Commiscetur succi pondus æquum ad saccharum, sicque fit Gelatina citoniorum, colore rubella, sapore grata, viribus commendata.

Folia adianti condita.

℞. Adianti albi, selecti, & à stipulis exilibus mundati ℔j. Sacchari boni ℔ij.

Tere seorsim folia, tum saccharum: postea misce: denuo contunde, & habebis conservam:

Commentarius.

Folia rarissimè condiuntur, cùm vel ex his siccatis decocta, & syrupi conficiantur illorum viribus dotata, vel etiam sicca serventur, vix anno elapso priore exoleta: quædam tamen vires adeò habent evanidas, ut siccæ vix quicquam genuinæ qualitatis retineant: cujusmodi est capillus veneris verus, seu Monspessulanus, qui propter eximias vires, ab his, quæ eo carent, regionibus expetitur, ad quas defertur forma conservæ, modo præscripto paratæ, quo & alia quoque folia ficciora possunt condiri: humidiora verò sic:

Folia tussilaginis condita.

℞. Succi foliorum tussilaginis ℔j. Sacchari ℔ij.

Coque in consistentiam electuarii, cui adhuc calidissimo, adde tussilaginem intritam, & fiat conserva.

Commentarius.

In hujus conservæ confectura tritorum foliorum quantitas non definitur, quam alij majorem, alij minorem adjiciunt. Sat verò est tertiam, aut ad summum mediam illorum ad saccharum pondus permiscere. Debent autem conservæ sic paratæ diutius insolari; & subinde rudicula moveri, ut quoquo versum calefiant, & aquea humiditas, quæ magis in istis exuperat, dissipetur. Simili modo aliæ foliorum conditurae parantur.

Vires. Folia tussilaginis condita multum conferunt tussiculosis, pulmonicis, & quibus fit frequens delapsus humoris è cerebro ad thoracem & partes vitales.

Caules Lactucæ conditi.

℞. Caulium lactucæ crispæ à pellicula exteriore purgatorum ℔j.

Coquantur in aqua donec mollescant, deinde linteo exsiccentur. Postea sume par sacchari pondus, & cum aqua sufficienti coque, donec syrupus aliquanto crassior evadat, & repone in vase idoneo.

Si forma ficciore magis arrideant, exteriùs tergeantur & siccentur: deinde cum saccharo ad electuarij spissitudinem cocto parum fervefiant: tandem amoveantur, & loco calido exsiccentur.

Commentarius.

Pauci admodum plantarum caules condiuntur, vel

vel ob duritiem, vel insuavitatem, aut qualitates inutiles & negligendas. Qui crassitudine, dulcedine, teneritate, & virium præstantia commendantur, possunt rectè condiri, ut caules lactucæ potissimum crispæ, ut caules cinaræ, seu articaulis, quem vulgus artichocum nominat. Ex utriusque enim caulibus aromatarij solent confecturas siccas modo supra descripto facere.

Vires. Caules lactucæ conditi demulcendæ siti sunt idonei, stomacho æstuanti prosunt, & hepatis fervori.

Caules Cynaræ conditi.

℞. Caulium Cynaræ à pellicula externa, & fibris durioribus purgatorum ℔j.

Coquantur in aqua donec tenerescant: deinde linteo exsiccentur. Tum cum sacchari pari pondere, & aqua sufficienti denuò coquantur, donec syrupus fiat crassior. Repone confecturam in vase idoneo: quæ si forma siccciore magis expetatur, eodem modo paretur, quo lactucarum cauliculi.

Commentarius.

Cynaræ caules sumi debent albidi, qui scilicet nondum extra terram eruperunt: plebecula cardas appellat, quæ tota hyeme frequenti sunt in usu Lutetiæ, ubi Cynaræ uberrimè luxuriant, quibus nulla ratione multi utuntur ad stimulos veneris proritandos. Parum enim materiæ genitalis & flatulenti spiritus corpori præstant, succi verò melancholici plurimum, ex Galeni *lib.2. de alim. facult.*

Seligendi autem sunt caules Cynaræ vulgaris, non Hispanicæ & spinosæ, quæ è genere carduorum est: Imò utraque ex eorum sobole deprompta, sed illa cultu & arte lætiorem faciem, & saporem magis gratiosum sibi comparavit.

Vires. Caules Cynaræ conditi pro sanorum bellariis & comessationibus magis, quàm pro ægrorum diæta celebrantur.

Radix pœoniæ condita.

℞. Radicum pœoniæ lotarum & purgatarum ℔ij. Bulliant in aqua, donec mollescant.

Percocta super linteum extendantur in umbra diem integrum, aut biduum, ut humorem aqueum refundant: dein coque par sacchari pondus cum pauca portione hujus decoctionis ad consistentiam electuarij: Adde radices prædictas: & denuò parumper coque. Tum aufer ab igne, & repone in vase idoneo.

Commentarius.

Radicum aliæ non nisi Vere condiri debent, antequam scilicet illarum succus in thyrsos, ramos & frondes fuerit assumptus: aliæ, cùm primum plantæ suis folijs exuuntur, nempe Autumno, quo tempore vis multarum stirpium confugit ad radices: tunc enim magis est percoctus humor, quàm alio tempore: Nonnullæ & Vere, & Æstate, & Autumno rectè condiuntur, quæ scilicet perpetuò succulentæ sunt, licèt caules nondum eruperint vel adoleverint, vel aruerint. Colligendæ sunt igitur eo tempore, quo vis earum est melior, ut radix Satyrij & Ireos Vere; radix pœoniæ Augusto mense, Sylvij judicio, vel potius Martio; Enulæ, Bryoniæ & peucedani Autumno, ut *c.13. lib.1. Institut.* fusius docuimus.

Earum autem nonnullæ amaræ sunt, vel acres, & insuaves, quæ ante condituram pluries in aqua macerandæ: illæ satis gratæ, quæ ubi diem unum in aqua tepida fuerint infusæ, in eadem, aut semel mutata concoquendæ, ut radices pœoniæ, quæ juxta formulam præscriptam optimè condiuntur, vel aliam parum dissimulem, cùm scilicet super eas coctas affunditur saccharum, instar electuarij mollis coctum: quod ubi recruduerit, denuò coquendum: idque toties repetendum, quoties crudescere videbitur.

Vires. Radices pœoniæ conditæ vires magnas habent ad arcendam & curandam epilepsiam, si manè jejuno stomacho, & hora somni modicum sumatur.

Radices eryngiorum conditæ.

℞. Radicum eryngiorum frustatim incisarum, & intus à parte lignosa purgatarum ℔j.

Coquantur in aqua ad mollitudinem: exsiccentur in umbra suppositis linteis: tum misceantur sacchar o earundem decoctione soluto, & ad electuarij spissitudinem cocto: atque rursus parum concoquantur, ut aquea quædam humiditas dissipetur. Tandem in olla conveniente reponantur, & serventur. Sic radices buglossi condiuntur.

Commentarius.

Radices Ægyptiorum quod dulces sint, ante condituram semel tantùm sunt macerandæ & in eadem aqua coquendæ, donec mollescant: deinde cum saccharo condiendæ, ut dictum est. Addit Mesue aromata quædam: ut cinnamomum, & zinziber, quibus configi suadet, & coquit cum portione mellis & sacchari, vel melle solo, sed triplo. Verum consuetior & melior parandi modus is est, quem exhibemus.

Passim autem occurrit in Arabum paginis secacul, quod hucusque pro eryngio desumptum est: illius tamen descriptio ab Avicenna & Serapione tradita aliam plantam, si non viribus, saltem vultu dissimilem ostendit quæ in India colitur & conditur: Ad res venereas custoditur & datur, ut & nostrum Eryngium, quod à nonnullis, sed malè, secacul nominatur, licèt vires habeant affines: utrumque enim calidum & humidum est in fine primi, vel initio secundi recessus, & veneris ludibria movet.

Rectè igitur faciunt, qui Sylvij consilium secuti, Secacul Indici penuria, eryngium nostras substituunt, ut posthac amplius stomachari desinant, qui ægrius hanc ferunt substitutionem, donec ex Syria verum Secacul advexerint.

Est autem eryngium ex aculeatarum stirpium genere: cujus tamen folia adhuc tenella, nec spinosa nec rigida sunt, & in cibos recipiuntur. Lata verò sunt, ait Dioscorides *cap. 17. lib. 4.* & extremo ambitu aspera, gustui aromatica: & ubi adoleverint, pluribus spinis horridis aculeantur, ut & capitula in fastigio rotunda, acutissimarum spinarum ambitu circumvallata: radix longa, exterius nigricans, intus alba, tenera, gustui dulcis ac grata. Ejus autem historia fusius describitur *lib.1. de materia Medica.*

Vires. Radix eryngij condita alit, semen auget, venerem stimulat, urinam movet, & saburram renum ac vesicæ pellit.

Radices Symphiti conditæ.

℞. Radicũ symphiti majoris per taleolas concisarũ ℔i.

Macera & coque sufficienter in aqua, donec mollescant: sic percocta, & diem unum in umbra siccata injiciantur in saccharum earundem decocto solutum, & ad crassitiem electuarij coctum: atque rursus parum coquantur, usque dum aquea superfluitas absumatur tota. Sic apparatu saccharato condita in vase serventur idoneo.

Com-

Commentarius.

Rectè quidem radices symphyti juxta modum descriptum condiuntur, ut & aliæ multæ, quæ coctura facilè mollescunt. Malunt tamen multi easdem sic præparare ac condire. Radices primùm lotas & mundatas coquunt, deinde tundunt: postea cribro transmittunt: tum excipiunt duplo sacchari ad electuarij consistentiam cocto; tandem calefaciunt adhuc, & recondunt pyxidibus. Idem solet fieri de radicibus omnibus crassioribus: sic enim melius à suis fibris purgantur, & perfectius omni ex sui parte conficiuntur.

Valent primum ad sanguinem undecunque fluentem, ad delapsum humorum cohibendum, & ad vulnera partium internarum agglutinanda.

Radices Enulæ conditæ.

℞. *Radicum Enulæ campanæ lotarum, purgatarum, & in frusta sectarum* ℔ij.

Infunde in aqua tepida per quatriduum, aqua quotidie mutata, dein coquantur, quousque tenerescant. Sic cocta linteo duplicato excipiantur; in umbra exsiccentur: postea sumatur æquale sachari pondus: cui ad consistentiam electuarij cocto addantur radices prædictæ, & simul denuo parum concoquantur: tum in vase reponantur.

Commentarius.

Radices Enulæ plus vel minus macerandæ, & aquâ mutanda pro illarum insuavitate, quæ si bina, trinâve maceratione possit emendari, & amicior reddi, non diutius immergendæ, ne earum vis exolvatur, ac in aquam deponatur tota.

Helenij seu enulæ radices conditæ stomachum roborant, cor recreant, flatus discutiunt, coctionem juvant, adversus venena prosunt, & morbos pestilentes ac virulentos.

Radices Satyrij conditæ.

℞. *Radicum Satyriorum lotorum & mundatorum* ℔j. *Coquantur in aqua quousque tenerescant: dein in umbra siccentur, suppositis linteis. Exsiccatæ misceantur, cum pari portione sacchari in earum decoctione clarificata ad electuarij consistentiam cocti, & postea adhuc parum coquantur, ut humiditas aquea tota dissipetur.*

Commentarius.

Debent integræ Satyrionis radices condiri: earum enim moles non impedit, quominus totam sacchari substantiam pervadat. Nulla aromata adjecimus, ut hecticis & febrientibus securius dentur. Vires habent Diasatyrio affines, sed imbecilliores, ut videbimus postea suo loco.

Aliæ radices multæ eo modo, quo superiores condiuntur, quas brevitatis gratia omitto. Zinziber recens non habemus, sed ex *Bengala* Indiæ regione, ubi copiosissimum & laudatissimum provenit, ad nos conditum advehitur. *Renodæus.*

CONDITA COMPOSITA, vid. *In Electuariis.* *Item de* PASSULIS *Laxantibus*, vid. *sub Titulo Vvæ Passæ.*

CONFICERE.

Officinis est saccharo obducere ac incrustare. *Schrod.*

CONFECTA. vid. *Confectio.*

CONFECTIO SACCHARATA.

1. *Confectiones saccharatæ solidæ sunt res saccharo obductæ.* Confectionis quidem nomen latius patet, & electuarijs quoque & conditis tribuitur, imò omnibus quasi cum saccharo paratis, unde dicitur confectio in morsulis, rotulis &c. nam & illa saccharo obducuntur & incrustantur. Ast cum prius & hæc specialis confectio, de quâ hic agimus, sanitatis gratiâ fuerit inventa, postmodum in luxum quoque abijt, unde id ipsum rei cum seplasiarijs pharmacopœis commune est, officinæ cum culinâ, alimentis cum medicamentis. Imò hodie seorsim confectarij extant ei rei quasi unicè invigilantes artifices, ut dubiam cœnam in mensis secundis reddant potius, quàm sanitati momentum. Obducuntur verò saccharo eadem quæ condiuntur, exceptis fructibus humidioribus & majoribus, ut & floribus, quæ rarius videas confecta, præterquàm quod flores candisati quandoque extant. Eandem quoque præviam habent præparationem, quatenus dura debent coqui, leviterque exsiccari, & tum saccharo soluto & iterum inspissato ad sirupi formam incrustantur. Hinc dicuntur nobis *überzogene Sachen*, *Calmus*, *Mandeln*, *&c.* Hâc verò ratione siccâ formâ magis numisata sunt vegetabilia, unde ut condita commendat brodium & liquor conservans, ita confecta sicca & solida forma, sive ob eguntur planè saccharo, uti semina potissimum conficiuntur, sem. coriandri, anisi, carvi &c. idque vel rugosâ, crispatâ, vel lævi & planâ facie, illa simpliciter vocant *überzogen*, hæc *glatte*, *glatter Cimmet*, *glatte Mandeln. &c.* sive incrustentur superficietenus, quod in radicibus, corticibus & alijs valet.

2. *Confectio fit vel cum vel sine amylo, inspersione cum saccharo clarificato & motitatione.* Describitur conficiendi modus à *Schrödero lib. 2. cap.* 47. latius à *Zwelfero Pharmac. Reg. cl. 5.* saltim ut ne nesciat medicus etiam hæc elementa. Frequentius prius amylo res conficiendæ obducuntur, superducto hinc saccharo. Quæ verò citra accessionem hujus confiunt (confituren vocant) dicuntur fina. Opus verò est, præter hæc duo ingredientia, vegetabile conficiendum & saccharum conficiens, ipsumque amylum, instrumento commodo, pelvi cupreâ seu aheno, confect-*Kessel*, in quâ leni calore subdito sibi per vices misceantur, & jactigatione artificiosa ne conglobentur, sed singula per se subsistant. Interdum verò & solum saccharum conficitur, ut in confectione moschatâ, quàm vocant corporis sine animâ *biesem-Zucker*, *biesem*-confect, in quibus diutius immorari non opus est

3. *Alia aliis usitatius, alia aliis facilius conficiuntur.* Usitatius; saltem pro usu medico, quis enim tot conditorum, tot confectionum & varia quidem genera impendere omnia & singula ad usum medicum possit, quæ omnia gulæ potius sunt illecebræ, & saltim ferè saccharum in tot formas redactum exhibent. Sed de his jam seorsim. Notabile verò est semen cynæ, quod & santonici, Zedoariæ & sanctum vocant (unum enim & idem hæc omnia sunt) præ alijs perquàm difficulter confici, tùm quia rugosius & siccius est, tùm præcipuè quia facillimè in pulverem comminuitur, nec formam suam æque, ut alia, facilè retinet, ex quo ipso rectè infert *Dn. D. Elsholzius An. VI. Ephem. Germ. observ.* 127. semen hoc absinthii Santonici esse immaturum & prima potius stamina seminis, quàm semen ipsum, maturius deglubitum seu defricatum, *abgestreuffelt*, unde etiam, quæ nostra experientia est, præter morem aliorum seminum aromaticorum destillatione paucissimum imò ferè nullum exhibet oleum.

4. *Quæ confectiones saccharo cando fiunt, candisata audiunt.* Altera hæc species est confectorum, quæ differunt à confectionibus vulgaribus saccharatis tùm præparatione, tùm formâ. Non amyli accessio hîc locum habet, non motitatio, sed convenit maximè cum condi-

conditurâ, ut rectè inquit *Schrôderus*, quando scilicet brodii condientis saccharati, & ex canto quidem, consistentia redditur crassior, ut saccharum crystallisari super ipsas res conficiendas possit commodè, unde angularis seu crystallina forma emergit. Tot nempe ad delitias hominum epulares parantur diverticula & incentiva gulæ. Tacemus hîc sacchara insuccata, saccharum violatum, rosatum, id est, succo florum horum inebriatum & colore horum prostans exsiccatum, cujus usus ad tragemata diffusiora paulò frequentior existit, quæ ipsa ad hanc quoque classem sunt qui referunt.

5. *Confectiones ad fallendos prudenter ægros inventa sunt.* Ingrediuntur nonnunquam eædem pulveres pepticos, sed magis itidem gratiæ, quàm efficaciæ ergò; saccharum quippe largiori quantitate fermentum ventriculi obtundit. Est quoque usus suus confectionibus in delicatis & alijs, ut vehiculo hoc evibrent medicamina suas virtutes in os, caput, ventriculum, &c. uti v. g. confectio cubebarum, cardamomi &c. Præcipuè verò ad duos potissimum usus expetuntur vel inventa sunt confecta 1. *ad laxandum*, unde confectio sem. anisi laxativa, qualem adhuc magis vulgo compositam describit *Zuvelfer. l. c.* sic & confectio citri solutiva solida in usu est, at itidem paulò rarius. Utut enim purgantia cum dulcibus seu saccharatis mixta facilius & benè purgent, teste experientiâ, aptiora quippe sunt fermentationi promovendæ, attamen id non quotidiano usu valet, sed in iis saltem, qui reliqua renuunt, vel decipiendi sunt. 2. *ad vermes interimendos*, quo fine sem. cynæ confectum fieri & prædicari consuevit. Dulcia enim vermium illecebræ, ut sub hoc melle fel seu venenum hauriant promptius. Cavendum verò ubique est, ne nimiâ additione sacchari, vel nauseam creemus ægro, vel ipsam efficaciam & virtutem reddamus minorem & obtusam. Sic, ut hoc quoque addamus, pyra moschatellina condita frequenter ad hauriendum emeticum adhibentur, quatenus factâ leni perterebratione mercurius vitæ vel tartarus emeticus inditur, quod est facillimum & minimo ægri cum sensu fit. *Wedelius.*

Confectiones usitatiores Saccharatæ sunt:

Confectio amygdalarum dulcium, *überzogene süsse Mandeln.* Amygd. amarar. Anisi, *überzogen Anis Samen.* Laxativi, *Purgier anis zucker.* Calami aromatici, *überzogen Calmus.* Cardamoni minoris, *Cardamomen confect.* Carvi, id est seminis, *überzogen Rümmel.* Caryophyllorum, *überzogen Negel.* Cichorei rad. *überzogen Cichorenvv.* Cinæ Santonici sem. lumbricorum, *überzogen Wurmsamen.* Cinamomi, *Zimmet confect, überzogen zimmet.* Coriandri, *überzogen coriander.* magni, *mit grosser crispatur.* Corporis fine anima, s. confectio. Moschardina, moschata, *Bisem Z.* Cubebarum, *überzogen Cubeben.* Dauci communis, *überzogen vvild Môhrensamen.* Erucæ semin. Fœniculi. Lavendulæ florum. Macis. Majoranæ sem. pimpinellæ rad. pinearum. (Habetur etiam Rhabarbari.) Zedoariæ. Zingiberis.

Confectiones candisatæ scilicet Saccharo cando incrustatæ.

Confectio Acori, *Candisirten Calmus.* Aurantior. cort. Caryophyllorum. cinamomi. citronata, id est, cort. citri. major. Citri cort. id est, minor. macis. nucis moschat. Zingiberis. Huc.

Sacchara insuccata.

Saccharum rosaceum, violaceum, &c. *Schrôderus.*

Confectio Anisi solutiva, è *Ph. Aug.*

℞. *Sem. Anisi mundati ℥vi. Dacrydij ℥ij. & ʒvi. Mastiches electæ ℥ß. spec. de Gemmis frigid. ʒii. Diamargarit. frigid. Cinnamomi acuti, caryophyllorum, nucis moschatæ ana ʒi. sacchari albissimi* ℔. *v. & ℥iv.* fiat secundum artem confectio.

Aniso hoc solutivo plurimi adstrictâ alvo laborantes ad eam movendam ante cibum utuntur: nonnulli autem qui Medicamenta purgantia alioquin respuunt, hujus confectionis jucunditate illecti, eâ assumtâ purgantur. Veruntamen in Medicamento hoc cùm solum Dacrydium vires suas exserat, iis tantùm, quibus hoc ipsum convenit, est exhibendum.

Alia ex *Zuvelferô.*

℞. *Sacch. can. albi ℥viij. solvatur & coquatur cum aq. anisi s. q. ad consistentiam Tabulati, cui dum parumper refrixerit, adde Pulv. sem. anis. ℥ß. nuc. moschatæ ʒij. diagridij sulphurati amygdalis probè subacti ℥ß. galapp. Rad. drach. v. cremoris tartari ʒij.* fiat confectio in Morsellis vel Tabulis.

In operationibus coincidunt hæ rotulæ vel morselli cum superiore confectione anisi solutiva. Dosis sunt ʒij. ad ℥ß.

Confectio anisi solutiva emetica, *Zuvelfferi.*

℞. *Sacch. albissi.* ℔*ij. solvantur cum s. quant. aquæ rosarum fragrantis*, ad consistentiam syrupi crassiorē, interea paretur pulvis catharticus, utpote.

℞. *Pulv. rad. mechoacæ albæ ℥i. asari ʒv. cremoris tartari ℥i. cinamomi ℥ß. nuc. moschatæ ʒij. mercurii vitæ ritè & dextrè parati ʒiij. vel ℥ß.* misceantur, fiat pulvis, servetur, jam verò.

℞. *Sem. anisi selecti & à stipitibus probè liberati* ℔ß.

Immittantur aheno cupreo super igne leni collocato, suspenso, & cum supradicto saccharo humectetur, inspersoque pulvere Cathartico suprascripto iterum exsiccetur, (prout superius ad amussim omnia edocta sunt.) Et hoc (videlicet Saccharum affundendo & pulverem inspergendo totumque semper exsiccando) toties & tamdiu faciendum, donec supradictum saccharum, necnon Pulvis Catharticus & Emeticus descriptus aniso juncta, in unum corpus coaluerint. Huic porro corpori anisi cathartico, tantum sacchari liquidi rosati, repetitis vicibus affundito, & semper exsiccato, quoad confectio competentem magnitudinem & candorem acquisiverit; servetur tandem usui, cujus dosis erit ℥ß. vel ʒv, si integræ confectionis compositum in pondere 4. ℔. non excesserit.

Est Medicamentum & confectio Cathartico-Emetica, pro hominibus robustis, è quibus per Emesin saburra vitiosorum humorum exturbanda videtur, unde in Morbis Chronicis, febre quartana, Tertianis intermittentibus Melancholia Hypochondriacæ, Icteritia, ac ubicunque humor biliosus & melancholicus infixus prædominatur, auxilio est.

Confectio adversus Lumbricos, è *Ph. Aug.*

℞. *Sem. Cinæ ʒi. rad. filicis, Graminis, Dictamni ana ℈ij. cornu cervi usti, Rhabarbari ana ℈iv. sacchari diluti aqua graminis ℥vj.*

Vermes & animalia ex humorum corruptione in intestinis nata enecat, & ejicit.

℞. *Seminis sancti ℥iß. farinæ Lupinorum ℥i. dictamni albi, Cretici ana ℥ß. cornu cervi usti, (cordij veri ana ʒß. gr. vj. Sacchari albi aqua absinthij soluti quantum satis est*, fiat confectio, ut est artis.

Vermes & interaneorum animalia expellit & enecat, ac ea gigni prohibet, putredinemque humorum, (ex quibus hæc nascuntur, arcet ac emendat.

Confectio solida purgans e Zingibere è *Ph. Aug.*

℞. *Zingiberis ʒij. Cinnamomi, caryophyllorum ana ʒi. nuc. Moschatæ, Galangæ ℈i. croci gr. 14. Turbith ℈iß. dacrydij ʒiij. Sacchari ℥iv.* fiat confectio solida.

Cautè hoc medicamento utendum, præsertim cùm

cùm vulgus promiscuè eo abutatur, ad quoscunque affectus indiscriminatim ac præpostere id adhibens, bilem tamen & pituitam evacuat, verùm in febrium suspicionibus ab ejus usu cavendum, humores enim nimium fundit & liquat, unde Hypercatharsis facile metuenda foret, ac medicamenti ipsius caliditas calidos affectus magis irritat, & inflammat.

Confectio Zingiberis cocti, è *Ph. Aug.*

℞. *Cinnamomi electi ℥ij. nuc. mosch. ℥j. caryophyllorum ℈ij. macis ℈j. Incidantur omnia crassè, addendo postea zingiberis tenuissimè pulverisati ℥vj. sacchari aquâ Rosarum soluti ℥xvj.* Fiat confectio in Morsellis.

Frigidis ventriculi noxis succurrit, ejusque concoctionem languidam restaurat.

Confectio post pastum, è *Ph. Aug.*

℞. *Sem. anisi, fœniculi, carvi, coriandri, zingiberis albi āā ℥iß. calami aromatici, nucis moschatæ āā ℥j. cinnamomi electi ℥ij. sacchari albissimi ℔iß. semina maneant integra, reliqua verò diligenter incidantur, & cum sufficienti quantitate aquæ Rosarum fiant Morselli, qui aromatisentur moschi Orientalis gr. ij.*

Tardam infirmamque ventriculi coctionem promovet, & crassos ejusdem flatus dissipat, ructus quoque acidos compescit, & oris halitui gratiam conciliat.

Confectio Pectoralis, è *Ph. Aug.*

℞. *Pulv. radicum Ireos florentinæ ℥iij. liquiritiæ ℥j. Cinnamomi acuti ℥ij. nucis moschatæ ℥j. caryophillorum ℈ij. macis ℈j. specierum Diaireos simplicis, diatragacanthi frigidi āā ℥ij. pulveris zingiberis albi ℥iij. croci scrupulum semis, sacchari albi in aqua farfaræ dissoluti ℥xx.* fiant secundum artem Tabulæ aut Morselli.

Utile ad tussim ac Pectoris vitia medicamentum exsistit, unde etiam confectionis pectoralis nomen obtinuit.

Confectio de Rebecha, *ex Renodæo.*

℞. *Pulv. diaireos. diatragacanth. frigid. āā ℥ij. pulv. liquiritiæ ℥ß. sacchari candi ℥iij. cum gummi tragacantho in aqua rosarum soluto fiat pasta, ex qua formentur baccilli usui reponendi.*

Hæc licet confectio sit authoris incerti, usitatissima tamen est, sapore gratissima, & effectu commendatissima. Pulveres, quibus constat, seorsim quidem servantur, sed ubi miscentur simul, vel tragacantho aqua rosarum, vel alia conveniente soluto, vel saccharo humore quodam idoneo liquato & cocto coguntur in massam, ex qua vel tesseræ, vel pastilli, vel bacilli formantur. Inter autem pulveres bechicos annumeravimus, quòd ex iisdem constet, & ad eadem usurpetur. Quidam putant hanc confectionem dici Rebecham, quasi bechiam: est enim Bechicum insigne, quod cùm olim imperarent Medici, sicque præscriberent:

℞. *Bechi*: Ignari conjunctim dixerunt *Rebechi*, dein *Rebecha*, unde confectionis hujus nomen.

Vires. Optimè medetur tussientibus, asthmaticis, Empyicis, pleuriticis, linguæ & faucium asperitati, raucedini, & difficulter spirantibus.

Confectio de Thure, è *Ph. Norimberg.*

℞. *Sem. coriandri præparati ℥ß. nucis moschatæ, Thuris albissimi āā ℥iij. liquiritiæ, Mastichis ana ℥ii. cubebarum, cornu cervi præparati ana ℥j. conservæ Rosarum rubearum ℥j. cum sufficiente quantitate sacchari albi & succi Kermes ℥ß.* M.S.F. Confectio in Morsulis.

Confectio de Coralliis, Diacorallium dicta, è *Pharm. Norimberg.*

℞. *Coralliorum rubrorum præparatorum ℥ij. margaritarum præparatarum ℥j. boli Armeniæ ℥ß. ligni Aloës ℈j. sacchari albissimi dissoluti in aqua Rosarum & Cinamomi q. s. fiat confectio solida.*

CONFECTIONES COMPOSITÆ variæ *vid.* sub titulo *Electuaria.*

CONGELARE, vid. *Coagulare.*

CONJUNGERE, CONJUNCTIO.

Conjunctio nihil aliud hic denotat quam puri ab impurô separati mutua unio, nec alias requirit enchirises, quàm vel destillationem, vel sublimationem, vel digestionem, de quibus omnibus propriis locis.

CONQUASSARE.

Conquassari dicuntur (viridia maximè) quæ pistillo grossè tunduntur & sine pulverisatione pressantur, *Schrod.*

CONUS.

Conus in Phytologia dicitur fructus ex compactissi lignosarum squamarum strue compositus, coni figuram æmulans, hoc est, à lata & circulari basi in mucronem desinens qualis est *Pini, Abietis,* &c. *Raius.*

CONILA, vid. *Myrrhis.*

CONISTERIUM, *vid. Cineterium.*

CONOPÆUM, vid. *Papilia.*

CONSERVA.

1. *Saccharum est sal Pharmacopœorum.* Quod nempe in culinis est sal, id in officinis est saccharum. Saccharum condit, conficit, conservat. Sal est, seu conservans & quo mumisantur vegetabilia, adeóque non propter saccharum & expetuntur conservæ, quod nec in confectionibus nec conditis nisi ad bellaria locum obtinet, sed propter vigorem, ut anima cum corpore seu vigor perduret, & ad præsentaneum usum bolorum electuariorum & siquæ aliæ sunt conservarum utilitates, asservari queant. Sal est saccharum, quia hoc ipsum est de natura salis, licet acorem palliet accessio partium rotundarum & roscidarum. Præcipuè verò id valet de saccharo Canariensi, neque enim quod conservas attinet, illæ alio ferè sacchari genere quam canariensi confiunt, nisi quis velit in hoc quoque curiosus esse, & saccharum farinaceum album substituere, quod optimè locum habere potest, quandoquidem illud calcis planè expers est, quâ cùm in pyramides fingitur saccharum, unde etiam acrimoniam, ast indemnem tamen sibi adsciscit. Sin Melitæum recipere placuerit, respectu canariensis paulo impurius liberum id quoque est volenti.

2. *Mel & saccharum fluidum minus commodè, manna raro substituitur.* Mel quidem complectitur quoque ea, quæ condire vel conservare volumus integra, verùm meliùs, longè, quæ vel subtilius pulverata sunt, vel in succum redacta, quibus cum aptius longè commiscetur, quàm grossiusculè concisa, & contusa. Hinc ad electuaria officinalia diutius asservanda Mel frequentius adhibetur; hinc sirupi; ut Mel anthosatum, Mel violatum cum eodem quidam parantur. Ast saccharum succo domestico plantarum recentium, quibus cum maritatur, solvitur ipsum & species has recentes præparatas decenter asservat, ut taceamus Mel activiores obtinere & mixtis secum eo ipso imprimere qualitates, quàm saccharum. Sunt, qui saccharum fluidum, vulgò sirupum dictum, substituunt, quod quidem viliori longè cum pretio fit, verùm cum impurius illud sit & feculentum magis, præstat id vel omittere, vel

vel ad usum potius externum, quod & de melle valet, mancipare. Manna verò non nisi laxandi fine quandoque additur, uti in officina Witebergensi extat conserva rosarum mannata vel laxativa, ex florum rosarum incarnatarum vel provincialium partibus tribus, sacchari parte unâ, & mannæ partibus duabus parata, & descripta à *Sennerto in instit. major. l. 5. p.2. sect.3. cap.10. p.1399.* eo nomine commendabilis ijs, qui adstrictioris sunt alvi & juxta delicati.

[3.] *Conservas constituunt principaliter flores, adæquatè radices & folia.* Quæcunque nempe magis in se contundi & conscindi apta, & respectu palati citra fibrositatem facilius possunt fabricari, ea præcipuè conservas ingrediuntur. Commendat nempe has præcipuè teneritudo, hinc conservisanda debent esse recentia, humidula, neque enim id affusio aquæ alicujus destillatæ aut liquoris alius æquè supplet. Debent nempe cohærere ex parte, non separatis partibus seu pulveris quasi forma comparere, ea omnia vero apprimè competunt floribus, & ex parte summitatibus. Valet hoc ipsum etiam de folijs, quod diximus, ut sunt sapida, tenera, non fibrosa, ut in specie v. g. conserva cochleariæ, acetosæ, acetosellæ & herbæ costæ, ad phthisin, item scordii ex folijs in usu sunt. Adde, in quibus potior virtus est quàm ipsorummet florum, uti horum ipsorum exemplo, ut & menthæ crispæ patet. Radices verò paucissimæ huuc in censum veniunt v. g. radix symphyti pulposa ad consolidandum, & tormentillæ ad roborandum. Hanc tamen posteriorem quàm recentissimam adsumere oportet, quia siccior est. Tacemus carnes fructuum, & alia, huc referenda.

[4.] *Sacchari ad conservam tantùm addendum, quantum ad prohibendum situm vel mucorem satis est.* Alij in defectu, alij in excessu quoad pondus seu proportionem sacchari addendi peccant; illi, quando v. g. dimidiam vel anaticam proportionem, hi quando triplam promiscuè recipiunt. Variat nempe id omne ipsius plantæ diversitas. In humidioribus, contrà ac vult *Schröderus in Pharmacop.* & alij, quantitas major requiritur sacchari ob dictam rationem, in siccioribus minor. Cur enim, quæso, in his, quæ per se asservantur facilius, triplum, uti vult *Schröderus*, sacchari pondus, in humidioribus verò duplum tantùm recipiamus? situs quippe & corruptio non nisi ab excedente humiditate metuenda est, quæ verò sicca sunt, minus facilè putrescunt & corrumpuntur. Hinc perinde est, sive saccharum inter pulverisandum seu conquassandum commisceatur, sive stratum super stratum fiat, seu factâ mixturâ utriusque in superficie ad defensionem ab aëre adhuc saccharum inspergatur, & quidem v. g. circiter ad partem unam sicciorum p. j. vel i ß. sacchari, ad humidiorum p. ij. vel p. iii ß. Modò enim de conservatione & duratione securi simus, de viribus conservandis facilis est concordia & consensio, nisi præter hasce palato magis ablandiri sit intentio.

[5.] *Additamenta melius & consultiùs pro usu extemporaneo, quàm simultaneo faciunt.* Nimirum conservarum præparatio gaudet simplicitate, cum ad compositionem præcipuè hinc magis inserviant, ne tot decomposita fiant. Additamenta verò uti extraordinaria intelliguntur in genere, præter saccharum & rem conservandam conjuncta, ita potissimum sunt duo. Vel enim cumulari possunt species, & uno sacchari involucro accedente conservari, ut in pharmacopeiâ Augustanâ extat descripta conserva hederæ terrestris composita; sed hæc melius alio nomine veniunt & parantur, bolorum, vel electuariorum, nisi in specialem hunc vel illum usum placeat Medico decompositum; Vel additur liquor, in specie acidulus, ut conserva rosarum vel violarum vitriolata, seu affusione spiritus vitrioli medicata prostat. Verum quidem est, acidis saporem conciliari, saporem & acidulum, ita gratiorem; verum est magis explicari colorem, & hoc modo fieri conservam rosarum violarumve purpuream, attamen præstantius est & conducibilius asservare conservam rosarum simpliciorem, facillimè enim & majori cum gratiâ & successu ex tempore licet tunc admiscere guttulas aliquot pro rei indigentiâ, spiritus aciduli ⊕-ti, neque enim id convenit phthisicis, pneumonicis &c. ut taceamus ipsum spiritum vitrioli fundum magis petere & inæqualem inde fieri mixturam.

[6.] *Vires conservarum variat ætas & fermentatio.* Cum ex varijs & heterogeneis fermentationi perquàm aptis constent conservæ, accedente calore facillimè fermentationem subeunt; hinc quidam soli illas exponunt, ut eò citius ea absolvatur. Par ratio quoque est theriacæ, & omnium electuariorum, seu cum dulcibus commistorum, dulcia quippe fermentationi aptissima. Hinc in corpore quoque nostro idem effectus facilè consurgit. Inprimis verò hæc differentia observari consuevit in conservâ rosarum, quæ præ cæteris est usitatissima, unde dividitur in veterem & novam seu recentem. Recens magis abstergit & humectat, vetus autem magis roborat, id quod etiam in phthisicorum curatione valet pro electione. Constat enim experientiâ, multos phthisicos solâ conservâ rosarum se se curasse, sumendo eam integrum annum manè singulo quantitate nucis juglandis; Licet melius sit commiscere pulverem Haly contra phthisin recenter dispensatum, adeoque electuarij formâ propinare. *Wedelius.*

Conservæ usitatiores sunt.

Conserv. Absinthii romani e summitatibus. Acaciæ flor. Acetosæ fol. Acetosellæ fol. Anthos, id est, flor. rorismar. Betonic. flor. Borragin. flor. buglossæ flor. calendular. flor. cardui bened. summ. cichorii ex flor. citri pulpæ s. medullæ, [& florum.] Cochleariæ fol. consolidæ major. flor. Euphragiæ summit. fumariæ summit. galegæ summ. genistæ flor. heder. terrest. comp. Aug. lavendulæ flor. liliorum alb flor. liliorum convall. majoranæ summit. malv. flor. meliss. flor. menthæ, nymphææ alb. flor. papaver. errat. flor. portulacæ fol. Pæoniæ flor. persicorum flor. primulæ veris flor. prunellæ flor. pulegii summit. rosarum albar. rubrarum recens & antiqu. vitriolata, caninarum s. Sylvestr. Salviæ flor. sambuci flor. scabiosæ, scordii, tiliæ flor. tunicæ flor. id est, caryophyll. hort. tussilaginis flor. veronicæ summit. violarum martiarum. Schröderus.

Sequuntur jam Conservarum variæ species, earumque conficiendarum methodus.

Conserva violarum.

℞. Florum violar. recent. à parte herbosa purgatorum & in mortario lapideo cum pistillo ligneo tritorum ℔ j. sacchari albissimi ℔ ij. Terantur, ac subigantur simul, & fiat massa mollis, quæ vase fictili reposita, quindecim dies insoletur, & servetur.

Commentarius.

Violas præcepit siccari Mesue, sed humiditatem earum nativam retinere optimum est: In ea enim potissimum virtus posita; quæ cum evanida sit, vix violæ à calcibus & herbosa parte purgari queunt, quin plurimum illa imminuatur. Ad conservæ tamen confectionem flos tantùm mundatus assumi solet, non tam ut vires habeat præstantiores, quàm ut colorem sæpe nanciscatur magis violaceum.

Debent autem violæ diutissimè teri, ut nulla asperitas in eis percipiatur: dein saccharum duplum miscetur: tum denuò simul contunduntur, ut massa quædam fiat mollis in vase idoneo servanda. Mesue triplum saccharum commiscet, tuncque conserva palato quidem suavior redditur, sed inefficacior.

Con-

Conserva violarum bilis incendium mitigat, reliquorum humorum ardorem extinguit, sitim temperat, alvum subducit, fauces & asperam arteriam lenit & dilatat, & omnibus thoracis affectibus convenit.

Conserva Rosarum.

℞. Rosarum rubr. recent. nondum perfectè explicatarum & exunguatarum ℔ j. Tere cum pestillo ligneo in pila marmorea, donec levigentur: Adde sacchari optime ℔ iij. Tere denuò, ut exactè misceantur: Repone in vase idoneo, & insola.

Commentarius.

Saccharum rosatum vocat Mesue, quod nos aptius Conservam rosarum appellamus: Et rosas sine discrimine tam rubras, quàm albas in umbra siccatas, cum triplo sacchato sumit, ex quibus suum saccharum rosatum, ut vocat, facit, quod postea tres menses soli exponit: nos rosas tantùm prærubras, non siccatas, ac tritas cum triplo sachari pondere miscemus. Sunt, qui duplum tantùm sacharum permiscent, sicque confecturam insuaviorem quidem efficiunt, sed efficaciorem.

Saccharum autem rosatum vocamus nos sacharum aquæ rosaceæ, pari mensura solutum & coctum ad consistentiam electuarij solidi, de quo postea suo loco.

Est verò conserva nostra rosarum non uniusmodi, sed altera liquidior & mollior, quæ fit modo præscripto, ex floribus recentibus, & sacharo tritis & mistis: altera solidior, quæ fit ex pulvere rosarum siccarum cum octuplo, aut decuplo sacharo, in aqua rosacea diluto, & ad electuarij solidi consistentiam cocto, cui parum succi agrestæ, aut limonum commiscetur. Sic enim pasta prærubra efficitur, ex qua formantur velut Cylindri, vulgò morselli dicti, oblongi, utroque in extremo tenuiores, in medio crassi. Commendatur, quæ fit Agendici, quæ in Brya urbs est insignis, Provinsia vulgò nominata.

Conserva rosarum cephalica & cardiaca est. Caput enim ut reliqua viscera roborat, ipsorumque æstum mitigat, & fluxiones sistit.

Conserva Buglossi.

℞. Florum buglossi mundatorum ℔ j. Tere in mortario marmoreo cum pistillo ligneo: Adde sachari ℔ ij. Misce terendo, ut fiat massa molliuscula, quæ vase excepta idoneo insoletur.

Commentarius.

Vix probatur eorum sententia, qui flores buglossi, quorum virtus superficialis est, & citò dissipabilis, parum exsiccari volunt ante trituram, & mixtionem: Recentes enim & suæ omnis nativæ humiditatis participes meliores sunt: Nam ex se humidiores non sunt, quàm usus postulat. Adde, quod per insolatum magis aquea, & excrementitia conservæ recenter factæ portio facilè dissipatur. Si tamen rore cœli, aut imbribus aëris maduerint, tunc ante conservæ confecturam debebunt parum in umbra potius, quàm in sole exiccari.

Conserva buglossi partes vitales exhilarat, præsertimque cor recreat, melancholicis apprimè convenit, palmo laborantibus & tussiculosis,

Conserva Borraginis.

℞. Florum borraginis recent. & mundator. ℔ ß. Sachari albissimi ℔ i ß. Terantur in mortario lapideo, cum pistillo buxeo aut ex alio ligno, & fiat conserva.

Commentarius.

Terendi sunt primùm flores seorsim, donec lævigentur, dein saccharum: Tum rursus terendo miscentur, & fit massa molliuscula, quæ vase idoneo excepta insolatur; postea servatur. Arabibus dicitur zuccarum *alchilil*, hoc est, sacharum borraginatum, Medicis recentioribus Conserva florum borraginis.

Ad eosdem affectus datur, ad quos conserva buglossi, Utraque enim cor & spiritus vitales recreat, melancholicis passionibus succurrit, atque peculiari dote menses mulieribus creditur movere ex Holerio.

Conserva Nenupharis.

℞. Florum nymphea recentium, à parte herbosa purgatorum, & in umbra diem unum siccatorum ℔. ß. Tere, & fac conservam, quæ vase idoneo excepta insoletur & conservetur.

Commentarius.

Flores nenupharis, quod crassiores sint & humidiores, parum debent areferi, deinde ita contundi, ut lævigentur: pastea sacharum admiscetur, & cum floribus jam tusis teritur, subigitur, & concorporatur; tum massa probè subacta in vase fictili reponitur. Seligendi verò sunt flores nympheæ albæ, quæ multis lilium aquaticum dicitur, cujus non modo pars herbida ac virescens abjici debet, sed etiam flava, quæ in medio flore continetur. Nymphea lutea negligitur, & in hac conserva, & in syrupo superius descripto, quod alba sit præstantior; & ubique ferè reperiatur: præferenda verò, quæ in aqua minimè cœnosa, sed limpida viret.

Conserva nenupharis præcordiorum æstum contemperat, sitim extinguit, cerebrum refrigerat, somnum conciliat, febricitantibus confert.

Conserva Anthos.

℞. Florum rorismarini recentium, in mortario lapideo minutissime tritorum ℔. ß. Sacchari albissimi ℔. i.ß. Probè terantur, subigantur, ac misceantur, & fiat conserva, vase idoneo reponenda, insolanda & servanda.

Commentarius.

Anthos, seu flos rosmarini, quòd ex se sit admodum siccus non est ante trituram soli exponendus, nec exsiccandus, majoremque sachari quantitatem postulat, ut omnes flores calidiores & sicciores, non tam ad conservationem, quam ad suavitatem, minus quoque insolari postulant.

Est verò conserva anthos usus in medicina plurimi, nam ob vim, qua pollet, cephalicam & nervosam, cerebro roborando, & illius simul affectibus propugnandis conducit. Feliciter verò datur epilepticis, apoplecticis, lethargicis, paralyticis, tremori & palmo obnoxijs.

Conserva Betonicæ.

℞. Florum betonicæ recentium ac mundat. ℔. j. sachari albissimi ℔. iij. contunde flores seorsim minutissimè: adde posteà sacharum, & fiat Conserva, in vase idoneo reponenda, insolanda, servanda.

Commentarius.

Uniusmodi non est hujus conservæ præparandæ ratio: Alij enim juxta modum præscriptum conficiunt: alij sacharum coquunt in aqua betonicæ ad consistentiam electuarij solidi; deinde flores tritos miscent; sicque conservam efficiunt optimam, & sapore & viribus laudabilem, utroque autem modo confici potest.

Conserva betonicæ tam sumpta, quàm admota capiti robur conciliat, ventriculo benefacit, venena obtundit, & ad omnes affectus cerebri propugnandos commendatur.

Conserva Salviæ, melissæ, stœchados.

℞. Florum salviæ, vel melissæ, stœchados ℔. ß. sacchari albissimi ℔. j. ß. Tere primum flores tenuissime; dein saccharum, Tum omnia denuo simul tere, ac permisce, ut fiat pasta mollis, quæ vase idoneo reposita insoletur.

Commentarius.

Forum medicatorum vertebras efficit, ut ex eis Conservæ frequentius parentur; Stœchas, quod rarissima sit: Melissa, quod parvulos valde flores promat, ex eis vel raro, vel pauca conserva paratur. Salvia verò cum frequens sit, & eximijs prædita viribus, etiam Salernitano elogio, ex ea conserva fit ad usus multos commendabilis. Specialis enim dote cerebrum, & nervos roborando, tremori, stupori paralysi, & affectibus cerebri confert. Quæ ex melissa conficitur, memoriam juvat; quæ ex stœchados flosculis, jecur obstructione liberat, & cerebrum recreat.

Quædam Officinæ plures forsan conservas habent ex floribus conditas, sed multæ quoque pauciores. Si quis his non contentus, alias ex alijs floribus desideraret, est illi liberum parare, ut conservam pœoniæ, tamarisci, primulæ veris, & cichorij.

Nonnulli conservam florum malvæ parant, quam calculosis & vitijs renum mirum in modum prodesse testantur: vim namque habet leniendi, ardorem mitigandi, meatus diducendi, & saburram à partibus excernendo lotio dicatis expellendi. *Renodæus.*

CONSERVÆ COMPOSITÆ, vid. *In Electuariis.*

CONSOLIDA, vid. *Symphytum.*

CONSOLIDA REGALIS, vid. *Calcatripa.*

CONSOLIDA MEDIA, vid. *Bugula.*

CONSOLIDA SARRASENICA, vid. *Virga Aurea.*

CONSUMMATUM, vid. *Jusculum.*

CONTRAYERVA.

Nomina. Drakena radix *Ger.* Contrayerva Hispanorum sive Drakena radix Clusii *Park.* Drakena radix *J. B.* item Contrayervæ radix *ejusdem.* Cyperus longus, inodorus Peruanus *C. B.* item Cyperus longus odorus Peruanus ejusdem.

Radicem Hispanico contrayervæ nomine in Officinis notam periti Botanici Thomas Johnsonus & Joannes Parkinsonus eandem esse affirmant cum radice Drakena Clusii; siquidem radicis Drachenæ descriptio Clusiana radicibus ex Hispania ad nos allatis Contrayervæ nomine ex amussim convenit. Ea autem est hujusmodi.

Semiunciali magna ex parte erat crassitudine & prælonga; subinde in nodos & inæqualia capita extuberans, atque in summis capitibus velut è crassis squamis contexta, Dentariæ ἐννεαφύλλȣ ferè instar, foris nigricans, rugosa & dura, quia reficcata, interiore parte alba: tenues fibras hinc inde adnascentes habebat, quasdam crassiusculas & majusculas, duras & lentas, è quibus alij nodi dependebant. Nullo manifesto odore præditam esse observabam, sed saporem habere deprehendebam nonnihil adstringentem, diutiùs verò manducatam tenuem suavemque acrimoniam relinquere. Joh. Bauhinus in radicibus Drakenis diutiùs manducatis acredinem molestam sentiebat; unde non deest radicibus hisce coloris gradibus quem Clusius desiderabat, quominus esse possent radices veneno resistentes seu contrayervæ Monardi, quibuscum facultatum ratione valdè convenirent.

Monardus quidem radices hasce Iridis radicibus valdè similes esse scribit sed minores & ficulnei folij odore. At Parkinsonus nullam cum radicibus Iridis in forma convenientiam observare potuit in radicibus pro *Contrayerva* ex Hispania huc allatis, imò in multis differre ostendit. Petrus de Osma folia plantaginis quinque nerviæ plantæ attribuit. Deest etiam Aromaticus sapor in Contrayerva Officinarum cujus meminit Monardus. Quicquid autem sit de Contrayerva Monardi, officinarum Contrayervam nihil aliud esse quam Drakenam radicem Clusii certum est; qui id nominis ei indidit in gratiam D. Francisci Draci, qui ei illam donavit.

Vires. Contrayerva, quasi dicas Alexipharmacum, appellant Hispani, quoniam hujus pulvis ex albo vino sumptus adversus omne venenum, cujuscunque tandem sit generis præsentissimum est remedium, uno sublimato excepto, quod sola lactis potione extinguitur, vomitione illud rejicere faciens, aut per sudores evacuans; sed & amato ia pocula eo pulvere hausto educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. Febrium etiam quotidianæ, tertianæ & quartanæ ante accessionem sumpta paroxismum minuit, ejusque usu continuato planè tollit. *Raius, Hist. Pl. T. 2.*

CONVOLVULUS, vid. *Volubilis.*

CONYZA, sive PULICARIA.

Conyza à κώνωψ dicta putatur, quòd culices lentore suo capiat, & pulices necet. Verùm Etymon hoc non probat Jo Bodæus, est enim (inquit) inter κώνωψ & κόνυζα magna nimis differentia, Ego, salvo meliori judicio, dictum puto παρὰ τὸ κονίζειν, quòd pulvere fœdetur, pulvisque glutine quasi ac pinguedine obsitis caulibus ac folijs inhæreat, quæ idcirco obsoleti non raro videntur coloris. Vel κόνυζα nomen accepit παρὰ τὸ ✝ κυνὰ ὄζειν, quod caninum præ se ferat odorem. *Bod. à Stapel.* apud quem plura vide.

Cæterùm Conyzæ nobis dicuntur Herbæ flore composito in pappos abeunte, folijs integris, odoratæ, hirsutæ, & glutinosæ.

Vires. Frutex cum folijs substratu suffituque venenatas bestias fugat, culices abigit, ac pulices quoque necat, autore Dioscoride: quæ præterea de ejus viribus Veteres habent apud ipsos vide: Conysa enim recentioribus dicta an eadem Veterum Conyza sit incertum est.

Officinis nostris rarioris usus est. Ad profligandam scabiem unguentum ex radice ejus & folijs parant nonnulli. *Raius, Hist. Pl. T. 1.*

COOBARE, & COOBATIO.

Coobatio differt à rectificatione potissimùm, quod rectificatio partem relinquit, cohobatio verò latius paulò patet, &

[1.] *Cohobatio virtutes impregnat magis concentratque,* novas addendo & eliciendo.

[2.] *Cohobatio est destillatio iterata ex eodem subjecto, sive in individuo: sive in specie;* prout nempe hoc vel illud subjectum diversam præparationem requirit, vel intensio artificis variat. Prioris exemplum est, si aqua rosarum cohobetur super 🜔 proprio, quod tamen

tamen in aquis paulò minus usitatum est, frequentius verò in spiritibus occurrit; sic pro cephalico spiritu ⊖-li volatili obtinendo cohobatur ▽ super id ipsum vel ⊖-lum Cyprium aliquoties. Posterioris exempla plurima quoque in usu sunt. Sic cohobatur aqua rosarum sæpius aquam super recentes rosas reaffundendo & destillando. Par ratio est spirituum, v. g. ∽us antiscorbutici, apoplectici, &c. ubi etiam solet id sæpius observari, ut semel destillatum spiritum alijs virtute convenientibus affundamus, v. g. destillando primùm spiritum ex cochleariâ, deinde superfundendo hunc raphano rusticano & alijs antiscorbuticis, sedo minori, aro, nasturtio, trifolio fibrino, unde fit spiritus compositus antiscorbuticus.

[3.] *Cohobatio in eodem hoc vel illo subjecto (in individuo) volatilisandi & recludendi fine instituitur.* Ipsa enim cohobatio unius & ejusdem materiæ, quæ unâ vice exhauriri potest, minus usitata est, id quod valet in vegetabilibus; ast in alijs, præcipuè fixioribus & mineralibus id quam maximè locum habet. Sic cohobatio, ut alia taceamus, fit pro volatilisando sale tartari, ubi occasio se offert disserendi de modo parandi sal tartari volatile per repetita deliquari ejusdem cohobia. Juxta hunc enim processum recipitur lixivium salis tartari vel ⊖ hydrargyri deliquatum, destillatur ad siccitatem, relictum in retortâ vel cucurbitâ iterum deliquatur, iterum destillatur, idque repetitur tamdiu, donec urinosis guttis conspicuus prodeat liquor. Verum 1. volatilisatio per se, citra exsuscitans aliud, difficilius longè, imò vix fieri potest. 2. Volatilisatio aqueis non benè instituitur. 3. Adeoque hæc præparatio non dicam quod nullius sit momenti, minoris tamen est subsellij, & vix Artistæ votum saturat, quod enim ex aquâ natum est, aqua est. Illi verò, ut obiter hoc addamus, paulò subtilius progrediuntur, qui spiritum tartari à ♁ suo sæpius destillant, adhibitâ decennii putrefactione & digestione.

(4.) *Cohobatio in uno eodemque subjecto saturandi fixandi vel edulcandi fine quoque instituitur.* Sic adhibetur cohobatio aquæ rosarum, vel ▽i; aquæ albuminis ovorum & aliorum à chimicis pro edulcando ☿ ♎to, vel ♎to, ut figantur spiritus; & ipse mitescat. Sic arcani tartari præparatio nihil aliud est, quam cohobatio ✝ti super ⊖ tartari. Sic cohobatio trina butyri ♁ij cum spiritu ⊕ri in usu hactenus fuit, pro parando bezoardico minerali, qui spiritus ⊕ri h. m. cohobatus dicitur bezoardicus, ubi tamen obiter notandum, sufficere cohobationem unam cum sextuplâ ∽us ⊕ri affusione, aliàs tædiosus satis est processus. Deinde consultius est spiritum ⊕ri dictâ proportione affundere ipsi ☿io vitæ vel sulphuri aurato ♁ij. & ab ijsdem abstrahere, perinde enim est, utrum sumas (nam & hoc statim albescit) & postmodum edulcare sufficienter. Imò uti antimonium diaphoreticum & bezoardicum minerale à se non differunt, sed unius ejusdemque planè sunt naturæ, nisi quod illud nitro crudo, hoc paulò operosius cum spiritu ⊕ri paratum est; ita præstat pro bezoardico minerali parando ☿ium vitæ cum ⊕ri p. iij. liquare eidemque sic alas volatiles emeticas exuere, ut fiat diaphoreticus. *Wedelius.*

COPAL, sive PANCOPAL RESINA.

Resina est admodùm candida & lucida & transparens, magnis fragmentis Diacitro valde transparenti haud dissimilibus, satis odoratis, sed non perinde ac Anime. Eâ Indis in suis sacrificijs suffumgij loco utebantur, hancque ob causam sacerdotibus suis in templis frequenti in usu erat, adeò ut cùm Hispani primùm illuc appellerent, hujusmodi suffitibus naribus eorum admotis exciperentur.

Utilis est ad frigidos capitis morbos, & Thuris aut animæ vicem explet.

Cœpit annis aliquot (inquit Clusius) ex India Occidentali liquor quidam inferri Olei de *Copalyva*, appellatione, quod an ex Resina jam dicta eductum sit me latet; valdè tamen commendari & perutile esse intelligo ad vulnera recentia curanda.

Copalliferarum arborum octo species enumerat & describit *Franc. Hernandes.*

Cæterum Copal vox, monente Gul. Pisone, Indis resinas omnes arborum odoratas & gummi denotat. *Raius.*

COQUO, vid. *Coccos*, item *Palma.*

COR VEGETABILIUM.

Cor, sive *corculum* seminis est portiuncula seminis, unde tum radix, tum germen enascitur.

CORALLINA.

Nomina. Corallina *J. B.* Muscus maritimus sive Corallina Officinarum *C. B.* Muscus maritimus sive Corallina alba Officinarum *Park.* Corallina Anglica *Ger.*

Unciam unam aut alteram (imo duas tresve interdum) alta est, colore incano cinereoque (alias rubicundo, luteo, herbaceo aut candido,) ramulis numerosissimis, pyxidatim geniculatis, gracilibus, pinnulis interdum è latere excrescentibus, odore nauseoso, pisculento, sapore salso, ingrato: Sub dentibus lapillorum instar crepitat; & facilè vel attritu digitorum in pulverem fatiscit. Rupibus marinis, petris, & interdum etiam conchis aut testis accrescit ubique ferè apud nos: non tamen mollis est quamdiu sub aquis, (ut scribit Cæsalpinus) sed dura & lapidea.

Vires. In pulverem crassiusculum contrita ad intestineorum vermes necandos atque etiam expellendos non immeritò celebratur. Datur pulvis in vino, lacte aut cassia, pueris qui nondum annum ætatis 14. attigerunt ʒß. pondere, adultioribus ʒj. *Raius.*

CORALLINA ÆGINETÆ, vid. *Anagallis.*

CORALLIUM, vid. sub Titulo *Lapis.*

CORCORUS, vid. *Anagallis.*

CORDUMENI, vid. *Carvi.*

CORDIALIA.

Cordialia medicamenta, sunt ea quæ cordi affecto destinantur, quorum magnam sylvam subinde apud Autores videre est; hic tantùm nos quædam

Cordialia specifica è Fasciculo Medicamentorum singularium Cnoffelianorum à D. de Bernitz in Miscellaneis Curiosis editô.

Balsamum radicale Margaritarum.

℞. *Margaritas orientales, splendidasque*, has cùm *aceto terebinthinæ* solves, solutas, separato per evaporationem menstruo, aqua fontis destillata dulcorabis, donec sapor ablatus fuerit. Abeant deinde in cella vinaria in oleum vel liquorem, super vitrum vel marmor, collocatæ. Tum accipe ▽i *opt.* q. s. qui guttatim in liquorem hujus magisterij instillatus, ipsum in talcum quasi mirabiliter convertit; id vero coagulum per ∽am pelles & in oleum vertetur.

Hoc

Hoc ex margaritis quidem elaboratum in virtute verò est verum talci oleum, quod à Chimicis celebratur; hôc nitor margaritis restituitur, hôc mulierum facies albescunt, splendescuntque.

Cordiale est nobilissimum aurum potabile in operatione quam proxime accedens. Nam epilepsiam depellit, cardiacas passiones vincit, sanguinem rectifica in confortatione cerebri, memoriæ & cordis, conducit.

Fœtum in utero, humorem vitæ, & naturam internam in omnibus membris fortificat, putredines arcet, senectutis incommoda retardat, optimum arcanum, tutissimumque cuivis familiariter utenti Dos. à ℈ß. ad ℈j. & ℈ij. in aq. cordiali.

Crocus Solis & Panaces solaris Dn. D. A. C.

Hæc medicina, sive pulvis aureus & panacea ☉aris dicta, olim inter secretissima arcanorum scrinia ab authore more solito reservabatur, paucis tamen amicis & non nisi duabus vel tribus personis, tandem concessit, in quorum catalogo & ego hujus arcani particeps eram: quod & adhuc certis de causis, pro me asservarem; nisi jam res in aliorum scriptis ex parte esset annotata, & quidem à *Clarissimo Domino Joanne Ferdinando Hertodio à Todtenfeld, Phil. & Med. D. &c.* in aureo & curioso suo *tract. tartaro, mastige Moraviæ part. 2. pag.* 252. Ideò & hic genuinam & veram ejus præparationem, hucusque mihi reservatam diutius non reticebo, sed tandem & fasciculo huic includere non gravabor, tali processu, prout ab ipso *Domino Cnœffelio* p. m. fuit elaboratus & à me etiam postea repetitus.

Primò paratur secundum *Zvvelferum* vel ad mentem nostri authoris, tali proportione.

Crocus sive Sulphur Solis.

℞. *⦶i purissimi ℥iiß. aluminis albi ℥ij. salis gemmæ ℥j. ℨj. auri finissimi, per ♁um purgati & suvtilissimè prius foliati* ℨj. (i. e. liber unus.)

Pulverisata salia misceantur prius exactè, in porphyrite, adjiciendo sensim & per vices auri folia, & assurget odor urinosus. Postea immittantur ollæ vitreatæ & novæ, satis magnæ ac capaci, quibus superaffundatur aq. simplex ad supereminentiam quatuor vel sex digitorum: Coquantur igne prius moderato, post fortiori, ad spissitudinem pulmenti crassioris, sic aurum totaliter solvetur, & antequam materia in instituta coctione totaliter siccescere incipiat, denuò affundatur aqua simplex, quantum pro dissolutione salium sufficiens erit, & post unam atque alteram repetitam ebullitionem, solutio solis, dum adhuc calet, filtretur, & beneficio olei tartari (per deliqu. facti) statim præcipitetur: ad quod opus perficiendum copia satis magna olei tartari requiritur. Hoc peracto pulvis aureus præcipitatus, cinerei coloris, ab aqua salsa, per chartam emporeticam & filtrum iterum separandus, & affusa aqua sæpius ab omni acrimonia & salino sapore edulcorandus est; Pulvis relictus tandem supra fornacem lenissimo calore, vel sponte sua exsiccetur, & adhuc per spatium semiquadrantis, vel unius & alterius orationis Dominicæ, in crucibulo puro calcinetur: Et erit crocus solis pulcherrimus, purpureo-violacei coloris, qui postea Medicamentis alijs maximè cordialibus, & sudoriferis admisceri, vel ita per se in vino vel aq. cinamomi adhiberi potest.

Not. Cave ne diutius in igne permaneat, quam superius annui, aliàs color desideratus amittitur, quod mihi ipsimet contigit, experto crede Ruperto.

Crocum solis & ad alios labores & extractiones applicare poteris: si nempe oleum aromaticum aliquod, scil. cinamomi, caryophyllorum, citri, zinzibetis, angelicæ, juniperi, ligni sassafras, vel quodcunque horum dictorum placuerit croco Solari, ad supereminentiam duorum digitorum superaffundatur, & in leni calore, & vase vitreo benè clauso digestio instituatur, apparebit TRa auri, medicamentum balsamicum, adversus multifarias infirmitates, præstantissimum.

Dosis à gut. iij ad vij. cum alijs medicamentis & vehiculis cordialibus & morbo appropriatis.

Si etiam super solutionem auri, superius edoctam, & ad pulvis formam redactam, affundatur 🜄 opt. & rectificatiss. cinamomisatus s. q. atque in arena, lento calore fiat digestio, TRa auri elicitur elegans & citrini coloris, salibus in fundo remanentibus, quæ destillatione à spiritu superfluo ultra medietatem iterum separanda est. In fundo vitri TRa auri potabilis manebit, miscibilis cum aquis cordialibus. Cavendum tamen, ne ad siccitatem destilletur.

Dosis hujus medicamenti pretiosissimi à gr. vij. ad x. in vino, aq. cinamomi, seu alia aq. cordiali. In morbis omnibus desperatis. Jam componitur.

Pulvis solaris, seu Panacea solaris Cnœffeliana.

℞. *Croci solaris nostri, superius elaborati, & ab omni acrimonia salsa prius liberati, atque bene edulcorati q. v.* Huic croco nondum calcinato, & dulci adjungebat Cl. Author

Sulphur Antimonij fixatum:

seu

Cinabrium ℥ii. (*per reiteratam* 🜂*tionem opt. purgatum*) ana & in vitro Hermeticè clauso, seu ovo philosophico, observatoque ignis regimine, more Philosophorum, mixturam per mensem, & diutius stare permisit, donec sensim per omnium, quos videre licebit, colorum gradus, ignis examine in pulverem transierit rubicundum, in igne fixum, & in arcanum, (ad multos morbos debellandum, & ad sanitatem conservandam, atq; vitam in multos annos prolongandam) efficacissimum. Medicinam dico (*verba sunt ex ipsius Clariss. Authoris manuscripto excerpta*) quæ corporis nostri sordes & vitæ zizaniam eradicabit, tempore digesto, & non purgando sed mundificando, salvis manentibus vitæ nostræ liquoribus substantialibus, eo modo, quo metallurgos, confusum aurum heterogeneis scorijs, non projicere foras videmus, sed mundantis ℥ii potestate, vi coctionis, seu externo medio, seorsim regulum auri, seorsim verò scorias tam solares quàm martiales colligere. Quid, si sanitas nostra purissimi & sequestrati Reguli solaris, morbus verò earundem scoriarum, cum sua causa morbifica, icon sit? an non par curandi ratio obtinebit? *Hucusque Dn. D. Cnœffelius.*

Pulverem hunc compositum, seu panaceum solarem Author in parvulo eburneo ovulo, seu pyxide continuò secum portans, omnibus suis medicamentis aliquando adjecit, & quidem in minima dosi, scil. à gr. j. ad gr. iij. & v.

Astrum duplicatum Dn. D. P. P.

℞. TR*æ antimonii, coralliorum* ana p. æqu. (℥iß.) Mixta stent in digestione per 24. horas, quibus adhuc adde *essent. ambræ moschat.* ℨiß. Misc. Dosis à gtt. v. ad vij. & xv. in aqua appropriata.

Tinctura Antimonij.

℞. *⦶i. purif.* part. ij. *tartari crudi pulv.* part. j. Mixta detonentur in mortario, chimico more.

Jam ℞. ℥ii *pulv. & mixturæ præscriptæ* ana part. æqual. Misce, & iterum in crucibulo igne fortissimo liquefiant, instar aquæ. Materiam fluidam funde in conum fusorium, sebo prius illitum, idque movendo & percutiendo ad terram, ut Regulus fundum petat, quem poste-

postea à scoriis separabis & interim seorsim asservabis. Jam accipe *scoriarum hujus Reguli* ℥ii. ⊖✻*ci* ana part. æqu. q. v.

Misceantur exactè; & sublimentur per cucurbitam ex ∴a, materiam elevatam optimè edulcora cum aqua simplici calida; & iterum exsicca, quos flores ℥ii, si per se adhibere desideras, adhuc secunda & tertia vice cum admixto capite mortuo sublimare potes. Purgant blandè, aliquando & vomitum movent, sed rarò & absque molestia. Dosis à gr. iij. ad v. & vij. Porro sume *florum* ♁*is* ℥ii, *jam paratorum* ℥iij. vel iv. vel q. v. ⊖*li* ♀*is*, ad trium digitorum supereminentiam, q. s. & post sufficientem digestionem, in ∴a, extrahatur TRa repetitis vicibus, um nempè affundendo, & post sufficientem extractionem iterum separando, donec omnis TRa extracta sit.

Extractiones omnes conjunge, & spiritus superfluos iterum leni destillatione abstrahe ad remanentiam scil. liquoris crassioris, sanguinis rubicundi instar.

Ex hoc liquore crasso, seu massa in fundo vitri relicta, tandem beneficio ∇ summè rectificati, reiterata affusione, TRam extrahe elegantissimam, quæ postea à superfluitate ∇ iterum abstrahenda est.

Est medicina magnarum virium in multis quàm gravissimis morbis, maximè chronicis & diuturnis. Dosis gutt. v. vij. viij. ad x. & plures, in liquore idoneo.

Panacea solaris duplicata D. D. Cn.

℞. *Croci nostri* ☉*aris* ℥ß. cui superfunde *nostri duplicati* ℥j.

Mixta in phiala bene clausa stent tamdiu in digestione, donec materia exsiccetur, cui denuò tantundem astri admisceatur, & iterum exsiccentur. Tandem panacea in fundo vitri relicta, in mortario vitreo pulverisanda, & in pyxide eburnea asservanda est; in omnibus ferè morbis chronicis est medicina nobilissima, habet nimirum in se vim diaphoreticam, ac aperiendi, sanguinem mundificandi & viscera corroborandi, ac proinde in quartana, ac febribus aliis intermittentibus atque malignis, item in affectione hypochondriaca, scabie, lue venerea, multisque infirmitatibus habetur tanquam panacea & nobilissima & pretiosa. Dosis à gr. iij. ad v. vij. com coralliis, seu ocul. ♋. præparatis, ordinariè verò, cum mellagine anthosata; vel confectione alkermes in forma pilularum.

Panacea alia, ex Cinnabari Antimonii.

℞. *Cinnabaris* ℥ii, *per reiterat. at. rectificati, butyri* ℥ii, *semel à sua propria cinnabari rectificati, ana* ℥iiß. *auri finissimi soluti* ℥iß. ∇ *i rectificatissimi* ℔iß.

Misceantur exactè per horam, donec abeant in coagulum rubicundissimum; digerantur calore leni, in vitro opt. clauso, per mensem, donec perfectè uniantur, interim singulis tamen diebus materia bis vel ter agitanda est. Hoc facto spiritus & omnis humiditas, lenissimo calore abstrahatur; materia relicta. & ex vitro fracto collecta, atque in mortario vitreo prius pulverisata, denuo imponitur cucurbitæ vitreæ & humili. Huic pulveri porro affundatur ⊖*li rectificati* q. s. ad supereminentiam 2. vel 3. digitorum. Et post reiteratam levissimam digestionem, unius vel alterius scil: septimanæ, in arena, spiritus affusi ad siccitatem usque iterum abstrahantur.

Tandem materia in fundo vitri restans pulverisetur, & in phiala vitrea hermeticè clausa, igni philosophico admoveatur, tamdiu, donec per gradus ignis, ultimò abierit in massam lapideam, rubicundissimam, & habebis medicinam in multis morbis magnarum virium, ideóque in quibuslibet affectibus maximè chronicis, & in apoplexia, epilepsia, mania, aliisque morbis capitis, item in paralysi, febribus intermittentibus, etiam contagiosis & pestiferis, lepra, scabie, lue venerea, &c. medicina est non satis laudanda, adeóque ipsi auro potabili æquiparanda.

Dosis gr. iij. ad v. & vij. cum mellagine, conf. Alkerm. seu extracto aliquo idoneo, in forma pilul. vel cum admixtis aliis, pulveribus specificis seu convenientibus.

Arcanum Tartari solare.

Vid. supra inter medicamenta diuretica, arcanum tartari Cnœffelii & Helmontii.

Pulvis cordialis aureus.

℞. *Magisterii butyracei corallior. perlarum* ana ℥ij. *ossis cordis cervi* (*per aqu. cordial. n. m. facti*) ℥iv. *auri* ℈ij. *granor. chermes* ℈v. *sacchari canarii, cum essent. cord. nost. vel ter inebriat.*

Et in mortario vitreo, fiat pulvis aureus, cui adhuc adde *elæosacchari rosati veri* ℈a. Misce, ut exactè uniantur.

Vires. Indicat titulus; Dosis à ℈j. ad ℈ij. in vitro aquæ cinamomi, vel alia aqua cordiali.

Pulvis pretiosus Alexipharmacus & cordialis S. R. Maj. à Cl. Dn. D. Paulo Podchozinski anno 1648. præscriptus & compositus.

℞. *C. C. philosoph. calcin. fossil. alb.* ana ℥ij. *terræ* ☉*aris Siles.* (axungiæ solis *Schvvenkfeldi*) ℥j. ℈ij.

His omnibus probè mixtis admisce *essent. cort. ext. citri recenter facta* q. s. ut fiat pasta, quæ denuò per se exsiccetur, & in pulverem tenuissimum redigatur. Adde *lap. bezoardici or.* (seu *lachryma cervi*) ℥j. *croci Austriaci* ℈ij *magister. auri* ℈j. *essent. ambr. moschat.* (vel loco hujus) *ambr. & mosch.* ana ℈ß.

Fiatque in mortario vitreo pulvis omnium subtilissimus. Dosis à ℈ß. ad ℈j. in vino vel aqua cordiali.

Magisterium auri, sive aurum alcoolisatum.

℞. *Mellis seu sirupi rosacei. crassi ac densi*, vel quod adhuc melius, *gummi Arabici, in aq. simplici dissoluti magnitudinis fabæ minoris, auri purgat. finissimi & foliati*, fol. n. vj.

Et in scutella aliqua Hollandica, seu porcellana ab omni unctuositate prius benè purgata, digito tamdiu misceto, & conterito, donec folia auri abeant in pulverem subtilissimum, hoc facto denuò vj. vel x. folia admisceantur, & rursus probè cum digito conterantur & in pulverem delicatum reducantur, qui labor terendo cum novis foliis tamdiu reiterandus, donec totus liber auri, vel ad centum folia auri, & plura, ita in pulverem impalpabilem redacta sint, qui labor facile perficitur, & aliquando intra unam vel alteram horam. Interim tamen inter molendum, una atque altera guttula aquæ simplicis semper inspergenda & immiscenda est, aliàs substantia gummosa (quæ semper debet esse liquida,) exsiccescit & negotium non succedit.

Aurum alcoolisatum tandem, aqua calida pura reiteratis vicibus, & tamdiu lavandum erit, donec probè omne gummi Arabicum, seu mel, iterum extractum & ablatum fuerit. Exsiccatum aurum & in scutella vitrea, super cineres calidos positum, tamdiu sinendum erit, donec optimè calefiat, & colorem suum naturalem recipiat.

Vires magisterij auri magnæ sunt, in morbis deploratis, quod experientia quotidiana, optima rerum magistra, sæpè monstrat. Confirmatur & à multis aurum in pulverem minutum seu scobem redactum, magna præstare posse in medicina, inde & crudum aurum in folia redactum, medicamentis suis olim veneranda antiquitas admiscere solebat. Sed quid præstare possunt x. aut xx. aurifolia, cùm ducenta aut trecenta aliquando vix dimidium scrupulum constituant, & tertia pars grani extendi potest in filum 134. pedum lõgitudi-

tudine? Uncia una etiam in eam subtilitatem duci & extendi potest, ut decem terræ possit tegere jugera. Authot est *Cardanus lib. de rerum varietate*, & *Cl. Rolfincius in Dissert. chim. de Auro*, melius ergo ex opinione aliorum, in scobe seu pulvere, ubi scrupulus dimidius, vel integer propinatur & à latente stomachi fermento & acido subigitur, & actuatur, vitiosos humores nam emendat, cor tuetur, innatam ejus symmetriam præservat, melancholiam corrigit & ad lætitiam sollicitat. Plura hîc confer è *Cl. Zvvelff. in Mantissa Spagyrica part.1.c.1. pag.317. D. Francisc. Wendlerus* & *Zach. à Puteo* volunt auri folia in gallinarum ventriculis absumta fuisse; si in gallinis tanta vis est, cur denegetur homini? inest etiam huic fermentum acidum.

Præterea magisterium nostrum auri, sive aurum alcoolisatum extra usum medicum aliam adhuc habet utilitatem; nempe ad litteras & figuras aureas, cum eo in papyro seu pergameno effingendas, inservit & pictoribus, ad ornandas imagines. Paravi hoc olim Romæ in apotheca Collegij Romani, in præs. Rev. Patr. *Athanasii Kircheri*, amici mei magni & extraordinarij, qui inde & illud mundo suo subterraneo inclusit, sed modum adhibendi in literis elevatis, antiquo more non satis expressit.

Unicornu artificiale.

℞. *Unicornu fossilis*, TRâ *bezoarticâ insuccati C.C. bezoartici, propria essent. impregnati, terræ Lemniæ alb. seu Melitensis, cum decocto viperarum aliquoties inebriat*, ana ℔j. ℥xij. ℈j. gr. VIII. *corallior rub. præparator. & cum balsamo radicali margaritarum impregnatorum* ℔j. ℥v. ℈iß. gr. ij. *oss. ex corde cervi cum* ▽ *bezoartica more n. in magister. redact. oculor.* ♋ *præparator.* an. ℔j. ʒvj. ℈j. gr. IV. *antimonii fixi diaphoret.* ℔ß. ℥iiß. ℈ß. gr. vj. *essent. citri cort. ext. recent. absque igne parat. ambræ mosch.* ana ad plac. (quia addi & omitti possunt)

Pulverisata & in subtilissimum alcool redacta commisceantur exactè, & quidem in mortario lapideo, pistilloque ligneo. Postea in eodem mortario, cum *Gelatina C. C. & mucilag. tragacant. per aquas bezoart. fact.* ana q. s.

Fiat massa tenax & fortis, ex qua tandem, in typo aliquo, seu forma ex ligno seu gypso, facta, efformetur cornu, magnitudinis ad placitum, prout illud unicornu animale & naturale solet esse.

Primò hoc annotandum est, quod loco medullæ, pro sustentatione, stylus infigitur, ex ligno duro ac forti (scil. juniperi, fraxini, ligni sancti, sandali citrini, vel aliquo simili, potest & esse argenteus, bene deauratus,) aliàs enim cornu hoc artificiale facilè frangitur, & tractari se manibus non permittit.

Secundò: Exsiccatio debet fieri lentè, per se, absque ☉e & fornace, & in ipsa capsula seu forma, in qua hoc cornu efformatum & expressum fuit; ubi tamen superior pars formæ demitur; postquam superior bene exsiccata fuerit, cornu stylo ligneo invertendum est, in alteram partem, ut ibidem exsiccetur.

Ornamenta & flores, atque literæ in eo impressæ auri folijs deaurari possunt ad placitum. Res certè curiosa, & magno Principe dignissima.

Nam multo majoris virtutis & efficaciæ est hoc cornu, quàm illud naturale, quod caro pretio emptum huc usque in multorum Magnorum Principum cimeliarchis conspicitur, ac contra omnia venena, tanquam thesaurus & certissimum remedium decantatur.

Dosis à ℈ß. ad ℈j. ℈ij. & ad ʒj. usque.

Essentia Moschi ambrata Officinæ Regiæ ULADISLAI IV.

℞. *Conf. alkerm.* ℥j *spec. diambra, diamoschi dulc.* ana ℥ß. *ligni aloës* ʒij. *moschi opt.* ℈j. *ambræ* ℈iß. 🜄 *ardent. rosarum, extr. Norimbergensis* ana ℥ij ▽ *cinamomisati* ℥j. *caryophyllati* ℥ß.

Benè mista & in vitrea phiala hermeticè clausa stent in digestione per mensem, & quidem caloris lenissimi. Defusus liquor postea filtretur, & usui servetur. Vires. Cordiale & cephalicum est. Dosis gutt. v. vij. ad ℈ß. & ℈j.

Not. Remanentia in filtro chartaceo, odoris adhuc plena alijs usibus externis inservire, & suffimentis admisceri potest.

Essentia Moschi & Ambræ D. D. C.

℞. *Moschi* ℈ß. *ambræ* ℈j. *conf. alkerm.* ℥ ij. 🜄 *rosar. fragrant. liliorum convall.* ana ℥ß. ▽ *carbunculi, elix. Matthioli* ana ℥j.

Mixta circulentur per octiduum vel diutius in vitro clauso & optimè perlutato, essentia postea per chartam filtrata, odoris suavissimi, in vitro benè munito, servatur ad usum.

Confortat & reficit cor, cerebrum & spiritus animales & vitales, alijsque affectibus convenit.

Dosis à gtt. iij. ad vj. & ℈ß. In vino generoso, aqu. cinamoni, vel alio conveniente liquore.

Ambra moschata in forma sicca.

℞. *Ambræ gryseæ opt.* ℈iß. *moschi oriental.* ℈ß. gr. v. *facchar. canarii albi & subtilissimè pulv.* ℥j. ʒij.

Terantur & misceantur opt. in mortario vitreo cum ☍ *citri ex rec. exter. corticibus absque igne extr. rosar. stic. ver.* ana gtt. v. *cinamomi* gtt. ij. *caryophyll.* gtt. j.

Misceantur iterum. Fiatque essentia nobilissima in forma solida, quæ in vino vel in alijs liquoribus dissolvi atque medicamentis alijs admisceri potest.

Tinctura Coralliorum Cnœffeliana.

℞. 🜄 ⊕li, *cum suo phlegmate adhuc impregnati*, vel loco hujus, 🜄 *aceti opt dephlegmati* ℥ ix. *tartari crudi pulv.* ℥ß. ⊕ *pur. & pulv.* ʒiij.

Misceantur & destillentur ex ∴a per ☊am, calore lenissimo. Menstruum hoc, ita prius concinnatum, affunde *coralliis rubris grosso modo contusis*, ad eminentiam trium digitorum. Mixta, & in vino bene clausa, stent in leni digestione per dies aliquot, donec corallia dissolvantur; quod solutum separetur, novumque menstruum adfundatur, & post sufficientem solutionem, rursus defundatur, idque tertia vice repetatur, vel tamdiu, donec corallia omnino soluta sint. His peractis, solutiones omnes junctæ, in MB destillentur, & abstrahantur, ad siccitatem usque; Corallia sic in fundo vitri, pulveris ex flavedine rubescentis instar, interim asserventur sub titulo *coralliorum TRæ siccæ.* Jam.

℞. ▽ *rectificati* part. ij. 🜄 ⊕*li* part. j.

Destillentur per matracium ex cineribus, & quidem reiteratis scil. tribus vel quatuor vicibus & habebis aquam temperatam & menstruum, cum quo tandem TRam extrahere potes, progrediendo hac ratione; Ad *pulveris coralliorum superius asservati* ℥ iij.

adde *hujus aqu. temperatæ* ℔j. in lenta digestione stent per mensem, vel diutius donec omnis TRa ex corallijs extracta est, quæ TRa tandem à copia spiritus vini (scil. tertia parte) per abstractionem in MB liberanda, & ad usum suum asservanda est, miscibilis, cum omni liquore.

Vires & Dotes incredibiles recensentur à *Boëtio de Boodt in gemmarum & lapid. hist. l.2. c.154.* corpus redigit in temperiem cœlesti quadam vi, & propterea omnes partium affectus evellit radicitus, propter analogiam, quam habet cum spiritibus vitalibus, & innato calido, quod auget, roboratque, ut facilè contrarios morbos superare possit.

Dos. à gtt. v. usq; ad x. & xv in vehiculis convenientibus.

Tinctura Coralliorum sicca.

℞. *Coralliorum in porphirite præparat.* ℥iv. vel q. pl. TRæ *nost. coralliorum* q. s. pro insuccatione.

Misceantur in concha vitrea seu porcellana ampla, & quidem lentè & cautè; mistura postea bene & exquisitè unita,

unita, exsiccetur leni calore totaliter, qui labor cum nova insuccatione & exsiccatione ter vel quater reiterandus est. Corallia tandem propria TRa impraegnata & in mortario vitreo in alcool redacta, serventur usui in vasculo vitreo & puro.

Dos. à gr. v. ad ℈ß. & gr. xv. cum alijs solidis & liquidis vehiculis idoneis. Vires cum TRa coralliorum præcedente conveniunt.

Panacea essentificata.

℞. Pulv. nost. ☉aris, seu panaceæ solaris ʒij. cui superaffundatur TR*æ coralliorum* ʒß. in phiala seu alembico parvo, suo capitello applicato, stent in digestione per aliquot dies, donec materia iterum totaliter exsiccetur: denuo affundatur TRa corallior. & uti antea lenissimo calore iterum exsiccetur, qui labor & tertia vice reiterandus est. Pulvis tandem solaris TRa coralliorum ita impraegnatus, in mortario vitreo, reducatur in magisterium subtilissimum. Vel.

℞. Panaceæ essentificatæ part. iij. (ʒiij.) *coralliorum rub. præparator. axungiæ solaris Siles. simili modo prius cum* TR*a corallior. inebriat. ana part. vi.* (*scil.* ʒvj.) *ambræ moschatæ gr. xxx.* Misceantur omnia exactè, fiatque cum gelatina cornu cervi s. q. massa justæ consistentiæ, ex qua orbiculos ad placitum efformare poteris. Dos. gr. v. ad xv. in vino seu aquis cordialibus.

Aurum transparens Dn. D. Cn.

℞. Auri puri & laminati q. v.

Solve aurum in menstruo nostro, (quod componitur ex ☿io, ⊖-lo albo & ⊕o an. p. æqual. in ☉â, injiciendo nempe per cochlearia mixturam, & sic destillando secundùm *Glauberum*) Solutionem inde ☉æ bene lutatæ, & destilla quantum vult transire, quod seorsim asservetur. Reliquum quod in fundo retortæ remanet, edulcoretur, super illud bene edulcoratum residuum iterum affundatur menstruum, & per chartam, post sufficientem digestionem filtretur, filtratum denuo destilletur per retortam, & siccum corpus sublimabitur in parietibus retortæ instar rubini. Sapienti satis.

Coralliorum insuccatio singularis.

℞. Coralliorum rub. pptor. sive in subtiliss. alcool. redact. q. v.

Hos imbue ter vel quater cum decocto rubro granorum chermes, per succum citri & aq. rosar. facto, vel loco hujus cum *essentia seu* TR*a granorum chermes, per balsam. embryon. Augustanor. facta,* & denuo per se exsiccentur, ut in pulverem redigi queant, in fine adde *essent. cordial. n. ad pl.*

Est summum cordiale & roborativum maximè pro fœminis gravidis. Dos. à ℈ß ad ℈j. & ʒß. In defectu hujus præparationis *Cl. Dn. D. Cnœffelio* sequens placuit formula.

℞. Corall. rub. opt. præparat. ℈j. *magist. corall. butyracei* ℈ß. *essent. ros. saccharat.* ℈iß. *magist. granor cherm. gr. vij.*

Misceantur, fiatque pulvis roseus.

Tinctura granorum Chermes.

℞. Granorum chermes recent. vel loco illorum *cocci nostri Polonici* q. vis. *succi citri recenter expressi* q. suff.

Grana prius pistillo ligneo in mortario lapideo, grosso modo contusa, imbuantur quàm optimè cum succo citri, ut supereminéat, ad quantitatem palmæ; stent in digestione caloris lenissimi per tres dies, vel diutius, donec in substantiam pulmenti liquidioris abeant, postea affundatur.

Spiritus rosarum ardens, in tanta quantitate, ut materia tres quatuorve digitos supernatet, & vase opt. clauso fiat de novo digestio, tamdiu donec spiritus rosarum omnem TRam rubini instar ex baccis extraxerit, quæ postea à fæcibus per filtrum chartaceum aufertur, & absque ulteriori abstractione ad usum servatur.

Vires. Cardiaca est, spiritus vitales reficit, fœtum debilem in gravidis corroborat, atque confirmat, ac mirifica vi languentes vires maximè in febribus calidis recreat ac reficit Dos. à ℈ß. ad ℈j.

Tinctura cordialis.

℞. ▽ cordialis Saxon. rubi idæi, borag. buglost an. ℔ß. *è toto citro* ℥iv. *cons. florum tunicæ, rosar. rub.* ⊖-*lat. an.* ℥ij.

Mixta stent in vitro puro per unam atque alteram horam, postea exprimantur, & per chartam filtrentur, postea add. *sir. rubi idæi, granatorum ana* ℥j. *per campan. facti s. q. ad gratum saporem,* cui adhuc admisceatur ▽ *è typhis cervor. recent.* *at. cinamomi cordialis ana* ℥j.

Filtrentur per chartam emporeticam. Sign. TRa cordialis pro S. R. Maj. ex præscript. Dn. D. Cnœff.

Per intervalla sumenda, in debilitate virium, compressione cordis, & incalescentia interna, ex morbo podagrico.

Essentia Corallina.

℞. Magister. solubil. corallior. rub. ʒß. ℈iv. ▽ *cinamomi cordial. & spirituosæ* ℥iß. ℈iv.

Misceantur benè, & post dissolut. magisterij addantur.

TR*æ corallior. nost.* ʒij. ℈ij. *granor. kermes* ℈iv.

Misceantur benè, fiatque essentia corallata compos. nobilissima.

Vires. Ventriculum & jecur roborat, sanguinem purificat, omnem sanguinis fluxum, maximè mulierum corrigit; cor & spiritus vitales confortat, obstructiones viscerum adimit, ac proinde pesti febribusque malignis adversatur. Dos. à ℈ß. ad ℈j. & ʒj.

Mistura cordialis calida.

℞. Elixir. vitæ Matthioli ℥iij. *lil. convall.* ▽ *cinamomi cord. ana* ℥j. *conf. alkermes* ℈v. *spec. diamosch. dulc. diambr. ana* ℈iß.

Digerantur leni igne per 24. horas, benè clauso vase; Liquori filtrato addantur TR*æ corallior.* ʒv. *granor. chermes* ℈v.

Mista serventur ad usum. Sign. ut supra.

Ad omnem corporis imbecillitatem à causa frigida ortam, medicina efficax est, commendatur & ad cerebri affectus frigidos, ideò in apoplexia, paroxysmo, valdè conducit; datur & in animi deliquio, & cordis Palpitatione summo cum emolumento. Dosis à gutt. x, xv. ad xx. per se, vel cum alio vehiculo liquido & idoneo.

Mistura cordialis temperata.

℞. Aq. cordial. temperat. Hercul. Sax. ℥iij. *citratæ compositæ, melissæ c. v. cinamomi cum flor. cord. absque vino destill. ana* ℥j. *extract. Norimbergens. dict. Augustanorum* ʒvi. *essent. citri liquid.* (*ex rec. cort.*) ℥iß. seu TR*a granor. chermes, per rosar. vel bacc. rub. idæi fact.* ʒij. *sir. rub. idæi corallior. granat. an. s. q.*

Misc. In febribus malignis & pestilentialibus commendatur, spiritus vitales reficit, atque syncopi & cordis palpitationi auxiliatur. Dosis cochlear unum, per intervalla aliquoties in die.

Elæosaccharum cordiale compos.

℞. nuc. moschat. still. cinamomi ana. gtt. viij. caryophyllor. gtt. iv. super. extr. Norimb. collect. gtt. iij. elæosacc. citri. ex rec. & ext. cort. n. m. ext. ℈j. *gr. iv. moschi opt. gr. ij. saccharar. canarij q. s.*

Misceantur probè in mortario vitreo, & in vitro puro, ac duplici vesica munito, serventur ad usum. Beneficio hujus, in momento claretum & vinum odorife-

riferum parari potest, si nempe hujus elæosacchari ℈j. in scyphum vini, trium vel 4. unciarum injicitur. Inde fit

Essentia cordialis odorifera.

℞. *Eleosacchari antea præscripti* q. v. 🜄 *tartarisati, cinamomisati ad supereminentiam 4. vel 6. digitorum.*

Stent in vasculo vitreo, quàm optimè clauso, per 24. horas in digestione, ut exactè uniantur, Vires ex titulo comprehenduntur. Dosis à gtt. III. ad ℈ß. plus minusve, pro morbi indigentia & liquoris quantitate.

Essentia alia Cordialis odorifera D. D. B.

℞. 🜍 *cinamomi veri* ℈j. *caryophyllor. nuc. moschat. still. ana* ℈ß. *rosar. ver. gtt. vj. super aqua Damascena collecti gtt.* VIII. vel quantum in una destillatione haberi potest, 🜄 *tartarisati, & cum aliquot granis* ⊖*is* ✱*ci volat. impragnat.* ℥ix.

Diger. in vase opt. clauso per aliquot dies, postea adde *essent. moschi ambrata* ad pl. ex gr. gutt. VIII. ad xvj. Dosis gutt. III. ad VI. in vino vel aq. cinamomi. Admiscetur & alijs medicamentis cordialibus.

Epithema Cnœffelianum calidum.

℞. *Extr. sive aq. Norimb. secund. Ph. August. parat.* ℥III. *aq. carbunculi, Imperat. Caroli, embryon. an.* ℥I. *cinamomi* ʒVI. *rosar.* ℥II.

Misce. Dentur. ad vitrum.

Epithema aliud frigidum.

℞. 🜄 *cord. frig.* ℥III. *meliss. Imp. Caroli, rosar. an.* ℥I. *succi citri rec. expr.* ʒVI. *aceti rosacei, rubi idæi an.* ℥ß. *pulpa cort. ext. rec. citri* ℈IV. *conf. alkerm.* ℈II.

M. pro epithemate. Sig. *Eusserliches pultz- und herbtz-Wasser.*

Epithema cordiale nostrum temperatum.

℞. *Extr. seu* 🜄 *Norimberg.* ℥III. 🜄 *carbunculi* ʒß. *rosar. odor.* ʒVI. *aceti rubi idæi, rosarum ana.* ℥III.

M. pro epithemate.

Balsamum cordiale odoriferum.

℞. *Ung. rub. pomat. Ser. Reginæ Cæciliæ* ℥ß. 🜍 *nuc. mosch. express. ex cort. citri rec. s. igne extr. an.* ʒj. *flor. aurant. Rom.* ℈ij. *still. cinamomi gtt. iv. caryophyll. gtt. ij. mosch. ambr. an. gr. iv.*

M. F. balsamum.

CORIANDRUM.

Quin foliorum viridium contritorum fœtor cimicum æmulus huic plantæ κοριάννυ nomen fecerit, minimè dubium est. Seminum striatorum figurâ perfectè sphæricâ ab alijs omnibus umbelliferarum generibus distinguitur; sive singuli globuli unicuique flori succedunt, ut in Coriandro sativo; sive gemini ut in sylvestri minore: folijs primis seu infimis latis, superioribus tenuiter incisis cum aniso convenit, & ab alijs umbelliferis differt.

Nomina. Coriandrum *I. B. Ger.* Coriandrum majus *C. B.* vulgare *Park.*

Recta & simplex tenuisque est *radicula*, omnino paucis fibris donata, candida.

Caulis simplex, cubitalis aut sesquicubitalis, teres, glaber, medullâ farctus, nulla intus cavitate, gracilis, ramosus. *folia* ima lata, pinnata & circa margines duntaxat incisa, Anisi aut potiùs Petroselini similia; superiora in caule tenuissimè dissecta, ut ad chamæmelina accedant. Summo cauli & ramulis insident florum *umbellæ* albæ tantillo rubore tinctæ. *flosculi* singulares, ut in reliquis umbelliferis, quinque folijs constant, quorum extimum amplissimum, & ad unguem ferè bifidum, proximum utrinq; bisectum quoque, segmento altero amplo, altero minino; intima duo minima. Singulis flosculis in unica & rotunda striata crusta arctè juncta bina succedunt *Semina.* Odor plantæ fœtidus & ingratus cimicum; seminis verò tum odor tum sapor gratissimus & aromaticus.

Vires. Coriandrum frigidum esse scribit Dioscorides, argumento quòd Erysipelas curat; quem prolixè refutat Galenus. Galeno refragatur Avicenna, & pro Dioscoridis sententia pugnat. Jam vulgò calidum censetur.

De Coriandri facultate venenata non convenit inter Botanicos & Medicos. Dioscorides epotum raucitatem facere, atq; insaniam qualis ex vinolentia proficiscitur scribit. Simeonis Sethi. Hujus succus potus venenum est & occidit; toto verò corpore Coriandri odor se prodit. Pleriq; etiam Arabes Coriandro frigidam facultatem, narcoticam, stuporem inducentem atq; sensûs turbationem excitantem, ac exitium tribuunt. His astipulatur Matthiolus, qui proinde asserit semen in ciborum aut medicamentorum usum nunquam admitti debere, nisi priùs triduò aceto fuerit maceratum. Tragus etiam qui monet seplasiarios, ne semen cuiquam nisi priùs dicto modo præparatum, vel cum saccharo vendunt, nisi venenum loco remedij exhibere velint,

His adversantur. Lobelius & Alpinus, qui asserit herbæ etiam virentis usum in cibo esse apud omnes Ægyptios familiarissimum. Utcumque hoc medicamento propter malignam vim, quæ ei à multis dubio procul non absque experientia tribuitur, præsertim non præparato, non temerè utundum censet I. Bauhinus. Malignitatem arguit fœtor plantæ digitis comminutæ teterrimus. Et licet Hispani, autore Amato, frequentissimè illâ utúntur & pro cordiali habent; tamen experientia docuit Monachos in Mesuem propter hunc usum Hispanorum plurimos esse fatuos, ob quorum curam tam frequentia sint Hospitalia: ità (inquit C. Hofm.) in Ægypto esse potest, licet Alpinus non observârit.

Semen Stomachicum imprimis est claudit sci. ventriculum, exhalationemque supprimit, quò minùs caput gravent, ructusque producant: insuper & strumas discutere creditur.

Porro seminum saccharo incrustatorum magnus apud nos (Germanos) usus est in adiuvanda concoctione ventriculi. Habent enim aliquid adstrictionis, ob quam etiam usurpantur in hæmoptysi & ventris fluxibus. Tum autem torrefactum ferè damus, quemadmodum cùm lumbricorum interficiendorum causâ. Monendi verò sunt nimis audaces, ne frequentiùs utantur & sine præparatione. Utut enim semina minimum habent humidi illis excrementitij, habent tamen aliquid. *C. Hofman.*

Semen tritum, & recentibus carnibus aspersum prohibet nè putrescant tam citò quàm solent æstivo tempore, si Matthiolo fides. *Rajus.*

COR INDUM.

Sic vocatur *Halicacabi* cujusdam peregrini species, pisum in vesicula concludens nigrum, corculo albo albo apprimè elaborato, pictum, quod cùm nullius sit in Medicina usus, ab illius ulteriori descriptione meritò supersedendum credimus.

Corneolus, *vid.* Carneolus, sub titulo *Lapis.*

CORNIX.

Mas quem describimus pondere 10. ℥. æquabat: Longitudine à summo rostro ad ultimos pedes 18. digitos & dimidium; ad extremam caudam 19½. Latitudine seu spatio alarum extensarum 2. pedes & 2. digitos. Rostrum rectum, validum ab apice ad angulos oris seu rictûs duos digitos & dimidium ferè longum. Lingua bifida & quasi lacerata. Oculi grandes, iridibus avellaneis. Nares rotundæ, setis nigris versus rostri mucronem reflexis obtectæ. Plumago tota undique nigra fundo plumbeo seu obscurè cinereo. Pennæ alarum Regimes 20., è prima seu extima secundâ brevior, hæc tertiâ, tertia quartâ, quæ longissima est.

Ti-

Tibiæ & pedes nigri, ungues quoque nigri & validi. Extimus digitus medio à radice ultra primum articulum conjungitur.

Cauda 12. pennis integratur, æquali 7. digitorum longitudine. Hepar in 2. divisum lobos, dextro majori. Cystis fellea ampla, duplici canale in intestinum se exonerat. Ventriculus non admodum musculosus. Intestina multoties convoluta. Appendices brevissimæ, dimidium sci. vix digitum longæ. Ductûs intestinalis nec vol. nec vestigium reliquum, mihi saltem conspectum.

Avis hæc Animalium mortuorum cadaveribus vesci amat cùm jam putrescere incipiunt; nec Animalium tantùm cadaveribus vescitur, sed & vivas aves invadit & dilaniat, non secùs ac corvus, quin & fruges & vermes & quodvis insecti genus vorat, quemadmodum ille. Hoc genus in Britannia nostra abundare, ut Cardanus & Turnerus observarunt, verissimum est, quia alimentum eis abundè suppetit. In altis arboribus nidificat: Ova 4. aut 5. parit, corvinis similia sed minora.

Corvi, cornices, &c. dum dormiunt arboribus insident rostris (ut ajunt) ad Orientem solem versis.

Cornicem (inquit Aldrovandus) & ipsam vocalem & humani sermonis capacem inveniri, liquido scimus, & Plinius locupletissimus testis accedit, sic scribent. *Nunc quoque erat in urbe Roma, hac prodente me, equitis Romani cornix, è Bætica primùm colore mira admodum nigro, deinde plura contexta verba exprimens, & alia atque alia crebro addiscens.*

Quod ad gressum attinet, ijs annumeratur quæ ambulant aves non currunt aut saliunt. *Aldrov.*

Fœminæ tantùm incubant & sedulo, mares verò cibos suggerunt & incubantes pascunt, ut inquit Aristoteles. In alijs plerisque avibus quæ binæ connubio quodam copulantur, mas & fœmina vicissim incubant. Pullos quidem, ut audio (verba sunt Aldrovandi) non priùs pascunt quàm plumis vestiri incipiant; quod etiam de corvis traditur, & alijsque plerisque volacibus magis quàm pulveratricibus. Dices, quo interim alimento vivunt & augentur? Respondemus vitello ovi ab exclusione in ventre residuo, bona pars vitelli in abdomen pulli recepta & per ductum quendam intestinalem nobis dictum in intestina sensim derivata, fœtui recens edito alendo inservit. *Franc. Willughbeius.*

Vires. Cornicis fimum in vino potum, Dysenteriam sanare tradit Kyranides. *Schoder.*

CORNALINA. *vid.* sub titulo *Lapis.*

CORNUA.

Cornua sunt animalium partes de quibus singulatim, dum de ipsis animalibus agetur.

CORNU CORVI, vid. *Cervus.*

CORNUMUSA, vid. *Retorta.*

CORNUS.

Cornus. Latinis dicta videtur quòd duritie & rigiditate Cornea, vel potiùs à Græco Κρανεία per metathesin literarum. Κρανεία autem dicta est quod calvariæ instar dura sit.

Notæ ejus sunt flores luteolij fructus oblongus teres seu cylindriacus, officulo intus tereti durissimo angusta cavitate, spinis carens.

Nomina. Cornus mas *Ger. Park.* hortensis mas *C.B.* sativa seu domestica *I.B.* Arbor procera satis est cornus, & multis ramis brachiata, cortice subrubro vel cinereo, materie alba, firma, solida & dura (corticem scabrum & adstringentem valdè dicit Matth.) *flores* primùm omnium profert in ramorum surculis extremis insidentes numerosos, brevissimo pediculo appensos, è quatuor foliolis, extra vel intra purpurantibus, aliàs subluteis, intus convexis, luteolis: intra quæ alia concoloria foliola incerto numero, teneriora & minora, & quorum concursu apices attolluntur octoni, noveni, hirsuti, qui in quaterna crocea foliola explicantur, *staminula* exigua lutea continentia. Subsequuntur *fructus* oblongi, ad olivam accedentes, graciliores, primùm virides, postea rubri, sanguinei, majores manus purpurâ rutilâ inficientes contriti, formâ suâ ad Jujubas accedentes, gustu primum acerbo, at ubi maturatione remollita fuerint acidodulci & suavi cum quadam tamen adstrictione ossa continentes oblonga, teretia, qualia ferè in olivis, durissima, in quorum angustis cavitatibus nuclei latitant exigui, subdulces, graciles, quique vix integri eximi queant folia qualia virgæ sanguineæ seu corno fœminæ, glabra, venosa, per oras æqualia.

Cornum marem in hortensem & sylvestrem distinguunt: Hortensis fructûs colore variat: nam communiter ruber est & officulo longiore; aliquando ceræ colore, rariùs albet: Saturatiùs etiam rubet officulumque habet crassius & breviùs, & hoc est, inquit C. Bauhinus, Cornus maris aliud genus *Clus. Hist.* cui tamen ramulos quàm vulgaris maris longè fragiliores tribuit Clusius, folia vulgaris folijs latiora. I. Bauhinus quoque corna observavit Basileæ apud fel. Platerum magnitudine & colore discrepantia, alia alijs altero tanto & ferè triplo majora, succulentiora, saturatè colorata, & purpurâ suâ manus inficientia, gustu minoribus non minùs sapida. Sunt & colore rubro manus non inficientia.

Cornus sylvestris multis in locis invenitur, in Misnia, Austria, Pannonia. Nos in agro Pedemontano & Mediolanensi in sepibus eam observavimus, ubi solùm frutescit; sed culturâ in arborem pulchram evadit. Quod Hermolaus è Theophrasto hausisse videtur, nimirum fructus sylvestris corni maturiores suavioresque esse quàm urbanæ, & plerùmque etiam majores; ut cornus omnem cultum respuat, & negligi desideret, nobis non videtur verisimile: ideòque antequam de reipsa & experimento constiterit, de ratione ejus reddenda non erimus soliciti.

Floret primo vere antequam folia erumpunt, Martio, & in calidioribus Februario mense; pro veris constitutione & temperamento, seriùs citiúsque in eodem loco: Augusto, Septembri, interdum etiam Octobri demùm fructum maturat.

Vires. Corna refrigerant, exsiccant, adstringunt, constipant quomodocunque sumpta. Hinc conveniunt præcipuè in diarrhœa ac dysenteria; ardorem febrilem ac sitim grata sua aciditate leniunt ac restingunt.

Condiuntur muriâ ut Olivæ; fit etiam ex ijs sapa quemadmodum ex Cerasis: itemque è pulpa Electuarium ad febres, ad fluxiones biliosas, ad sitim, ad excitandam appetentiam utilia. In diarrhoea & dysenteria exhibentur fructus exsiccati & pulverisati ad ℥i.

Corna sicca contrita, & cum oleo Myrtino aut omphacio mixta in Emplastri formam, præsenti auxilio sunt ad vomitiones ventriculo imposita: contra fluxum autem alvi abdomini inducta, contra menses immodicos pectini ac coccygi applicata.

Cornum arborem caveri oportet circa alvearia; nam flore ejus degustato alvo concita moriuntur apes. Plin.

In Hetruria abstinent demorsi à cane rabido per integrum annum à quorundam lignorum, præsertim corni maris & fœminæ contactu: Siquidem (ut testantur ij qui rem experimento compertam habent) si harum virgæ tantisper manibus teneantur donec concalescant, illico demorsi rabie exagitantur. Matth. quem vide.

Folia quoque & germina gustu acerba sunt, valenterque desiccant: itaque maxima vulnera glutinare possunt.

Hujus lignum omnibus lignis durius perhibetur, ad radios & dentes rotarum utilissimum. *Rajus in Hist. Pl.*

Cornuta, vid. *Retorta*.

Corona Regia, vid. *Melilotus*.

CORONA IMPERIALIS.

Nomina Corona Imperialis *Ger. Park.* Corona Imperialis sive Tusai alijs *I. B.* Lilium sive Corona Imperialis *C. B.*

Radix bulbosa, rotunda, crassa, diversa à Liliorum forma, est enim compressa, ex magnis, crassissimis & succulentis squamis compacta, colore interdum albo, nonnunquam etiam purpurascente, sæpe pallido, odore fœtido & viroso, uti & folia Colchicum olente, Clusio verò hircum (*nobis potius vulpem*) nares etiam procul feriente, qui eruit binas & amplius libras pendentem. *Caulem* tollit singularem, bicubitalem aut etiam altiorem, digitali crassitudine, inferiore parte plusquam pollicari, firmo, intus fungoso, viridi, rotundo quidem, sed ad cubiti altitudinem striato, *foliis* magna parte stipatum numerosus, splendore viridanti nitentibus, Liliaceis modò æquali, modò confuso ordine eum ambientibus, nullo nixis pediculo, sed latiore sui parte cauli adnatis, ita ut appendices, paullum eminentes ab ijs propagati caulem reddant nonnihil ungulosum. Supra autem densius hoc foliorum agmen caulis ad pedem, nonnunquam etiam cubitum protenditur nudus, sine folijs, gracilior quàm inferius, & teres, nec striatus & viridis sed lævis & purpurascentis coloris, serpentariæ instar maculosus, qui in summo totidem pænè in angulos definit quot flores sustinebit, nempe binos, ternos, quaternos, quinos, senos aut plures, omnes vere quasi æqualiter & contrario situ nascentes, singulosque inter bina folia inferioribus longè minora & angustiora, æquali fere longitudine. Quùm flores primum erumpunt, inter folia latent, candicantesque sunt, deinde paulatim incrementum sumunt, unà etiam succrescente ea caulis quæ illos sustinet nuda parte: florum verò pediculi, qui sescunciales, in augmento deorsum inflectuntur, è quibus flores penduli sunt circumcirca, regum coronas imitati, Lilij candidi pares, flammeô colore rutilantes (Lobelio ex phœniceo rubentes) patuli, senis constant folijs latis, per extremum mucronatis, pulchra striarum saturatiorum sive purpurearum discursantium picturâ variegatis, laciniatâ cærusa subinde ludentibus ungue autem (inquit Clusius) singulorum petalorum nonnihil foris eminente, & ex nigro purpurante, quorum uniuscujusque fundum obscuriore colore pictum obsidet gemmantis liquoris margarita argentea limpidissima & dulcissima, pertinacis durationis, post multos etiam dies à resectione; (Lobelio visci grano ferè pares) Ea deinde tubercula marescentibus floribus in albas lacunas abeunt. Ex ipso penitus floris umbilico prodeunt pro foliorum numero *Stamina* candida adeò conjuncta, ut pro uno fallant obiter intuentem, apicibus majusculis in Ochram vergentibus, breviore trifido stylo inter ea latitante. Supra flores caulis denuo attollitur dodrantali plerunque aut majori amplitudine, folijs exilibus & angustis onustus: nonnunquam supra flores nullus cauliculus eminet, sed conferta duntaxat angustorum foliorum coma: interdum etiam (inquit Clusius) mihi nati sunt supra flores non unicus caulicus sive ramulus, sed bini, terni aut plures, suis etiam folijs singuli ornati.

Flori succedunt magna trigona *capita*, interdum etiam tetragona ut in Lilio puniceo, quorum singuli anguli utrinque pinnati sunt, & alati; excusso autem flore statim sursum eriguntur quæ fœcunda futura sunt, capita: *Semina* plana sunt, liliacea, paullò oblongiora, cartilaginosa, subrussa, duplici serie in singulis angulis digesta, quemadmodum in Lilij generibus, &c.

Hujus plantæ multiplex habetur varietas, nimirum.

1. Lilium sive corona Imperialis duplici corona *C. B.* Caulis enim in hac planta nonnunquam supra priorem illam florum æqualiter propendentium seriem dodrantali longitudine attollitur, aliamque florum seriem gestat, aliquando etiam tertiam, & tum demum foliorum comam supereminentem: eas verò stirpes unicùm florum ordinem subsequentibus annis plerunque ferre observavi (inquit Clusius) ut peculiare genus non sit censendum, sed Naturæ luxuriantis quidam duntaxat lusus.

2. Corona Imperialis flore luteo cum striis purpureis: qualem Clusius primo in loco describit. Variat in nonnullis plantis florum color, est enim vel medius inter utrumque genus, vel ad prioris secundive colorem quàm proximè accedit.

3. Lilium sive Corona Imperialis multiflora, latoque caule *C. B.* Caulem latescere & multos deinde flores proferre, alijs etiam aliquam multis plantis accedit.

4. Lilium, sive Corona Imperialis flore pleno.

5. Lilium sive Corona Imperialis folijs angustioribus non fœtens *clus.*

6. Lilium sive Corona Imperialis ramosa. *C. B.* Tusai δικλωνος *Clus.*

Hæ aliquæ varietates quarum meminit Lobelius accidentales nobis videntur, vel soli luxuriei, vel culturæ & mangonio deberi, nec speciei diversitatem arguere.

De corona Imperiali per omnia majore *Cat. Paris.* & corona Imp. Sinensium seu folio vario *ejusdem*, cùm mihi nondum fuerint conspectæ, quid dicam non habeo.

Constantinopoli allata est hæc planta: ex Persia verò Constantinopolim delatos illius bulbos omnino sibi persuadet Clusius, quoniam cùm accipiebat inter reliquas hæc fuit inscriptio, *Tusai sive Persiano rosso ò discolorito con la testa abasso*, hoc est, Tusai sive flos persicus ruber aut decolor nutante capite.

Floret Aprili, interdum etiam Martio si aëris temperies paulò calidior fuerit.

Vires. Coronæ Imperialis guttis, ex flore utuntur Turcæ ad vomitum excitandum; alij ad fœtum excludendum. *Rajus in hist. Pl.*

CORONOPUS.

Nomina. Coronopus vulgaris sive cornu cervinum *Park.* Coronopus hortensis *C.B.* Coronopus sive cornu cervinum vulgò spicâ Plantagineâ *I. B*, cornu cervinum. Ger.

Ut plurimum tenuis est *Radix*, adultior tamen digiti crassitudine reperitur, albavix ullo excellenti sapore exceptâ adstrictione, *folia* statim à radice crebra longa, angusta, nervosa, in lacinias aliquot laterales, ceu cervini cornu ramos, unde nomen, divisa, sapore nonnihil adstringente. Inter hæc *caules* surriguntur Plantaginis, rigiduli, tenues, teretes, hirsuti dodrantales & cubitales, thyrsulum Plantagineum sustinentes, *flores* & *semen* Plantaginis proferentem.

In hortis colitur, nec aliter à sylvestri differre videtur, quàm magnitudine alijsque accidentibus à culturâ ortis.

Qui sponte provenit folia per terram spargit numerosa in orbem, Coronopi vulgaris modo, divisuris & lacinijs crebrioribus, longioribus, rigidis pilis hirta, eòque nomine ferè incana : in umbilico ad foliorum veluti radiorum in centro concursum multa lanugo, mollis, candida. *Cauliculi* complures, palmares, & dodrantales, rigidi, asperi, hirti spicam gerunt Coronopi vulgaris spicæ similem. *Radix* singularis, fibrata, crassiuscula, mediocriter longa, lignosa matrice farcta, *C. Bauhino* Coronopus sylvestris hirsutior appellatur : non est tamen coronopus Prochytæ insulæ *Columnæ*, ut nobis videtur.

Nascitur (ut recte Dodonæus) locis incultis, aridis, præsertim arenosis & glareosis, in Anglia frequentissime. Quoniam arenosa loca amat in maritimis ubique ferè reperitur. *Rajus.*

CORPUS PRÆPARANTIA, *vel* APERIENTIA, vid. *Aperientia.*

CORRIGERE, & CORRIGENTIA

(1.) *Corrigentia respiciunt saporem*, quâ in parte cum excipientibus ferè coincidunt, quid enim operabitur medicamentum etiam virtuosum, nisi adsumi possit? At minor tamen semper habenda ratio saporis, major virtutis. Talia sunt vel *obvelantia* dulcia, mel, saccharum, sirupi &c. vel *infringentia*, in specie aromatica, quæ & flatulentias corrigunt, & ipsa palato sunt acceptiora; vel *sapidiora*, quod præter jam dicta etiam præstant acidula, quæ communiter pro gratiâ addi consueverunt.

(2.) *Corrigentia respiciunt qualitatem noxiam*, *sive lentorem* & *viscositatem*, sive *frigiditatem*, seu *narcosin*, sive *vim emeticam*, seu *vehementiam*, sive præviâ præparatione sit jam illud demptum, sive denuo id requirat mitigationem.

(3.) *Corrigentia præcipuè in purgantibus locum habent*; ut enim quæ nullâ qualitate vitiosâ sunt dotata, nullâ indigent correctione, itâ in purgantibus id observare solent auctores. Sic rhabarbaro spicam, sic helleboro flores nymphææ, sic alijs aliâ addunt, inprimis enim aromatica lenia & oleosa hunc censum subeunt. Quod enim opium & alia alterantia activa attinet, frequentiùs solâ præparatione magis, quàm additamentis corrigi possunt; hinc si fateri volumus quod res est, opium depuratum sive extractum nullo omnino eget corrigente, & aromatica illa, quæ etiam in ipsâ theriacâ & aliàs hoc fine addi solent, frustranea omnino sunt, & ex falsâ hypothesi orta.

(4.) *Corrigentia maximè respiciunt ventriculum*, hic quippe primam luit medicamenti culpam, & si qua cordialia corrigentium vicem subeunt, ea tamen proxime ventriculum afficiunt, adeoque ne lædant, sed benè ferantur, unica & principalis est intentio; hinc terreis sæpe adduntur aromatica v. g. pulveribus dysentericis nux moschata; infusis hepaticis & alijs cinnamomum, cassia lignea, costus &c. ut minus negotij facessant ventriculo. Sic liquidis aquosis, decoctis, maximè debentur, ne noceant, quæ prodesse debent.

(5.) *Corrigentium semper minor sit dosis*, ne nempe obtundant penitus vim medicamenti, hinc quando olea, v. g. cinnamomi, adduntur pulveribus purgantibus, facile vis plane adimitur, ut operationem suam seu finem non adipiscantur. Refrenent medicamentum, non castrent. Sic etiam castoreum modicâ quantitate additum opio illud corrigit, si quis itâ velit, majori penitus castrat. Par ratio est emeticorum & similium. *Wedelius.*

CORRODERE. *Vid sub titulo* CALCINATIO *ubi de Calcinatione corrosivâ.*

CORROSIVUM, vid. *Causticum.*

CORRUDA, vid. *Asparagus.*

CORTEX.

Cortex exterior arboris quasi crusta. Interior tunica ipsi ligno adhærens *liber* dicitur. *Cortex* autem à *corium* & *tego*, quia quasi corium tegit, ut Isidorus ἐτυμολογίζει. *Rajus.*

Cortices Officinis usitatiores sunt.

1. E Fructibus : cort. Aurantiorum. *Pomerantzenschalen oder Rinde.* Ecorces d'Oranges. *Orangekins* or *peels. Oranischellen.*

Castanearum, *Castanienschulffen.* Pellures de Châtaignes. *Chesnutshells*, *Kastanie schellen.*

Citri, *Citronenschalen.* Ecorces de Citrons. *Citro peels. Citronenschellen.*

Glandium, Cupulæ glandium, *Eichen hûtlein.* des Coques de glands. *Acorn-cups. Eyctelen hutten.*

Granatorum Malicorium, *Branat Appel-Rinde.* Ecorces de Grenades. *Powgranate-peels. Granaet-appelschellen.*

Juglandis viridis, *grûne Nuschalen.* Ecorces de Noyer verd, *Walnuts green husks. Groene schellen van Octernoote.*

Limonum, *Limonien-Rinde.* Ecorce de Limons. *lemon-peels. Lemoenscellen,*

2. Ex arboribus & radicibus.

Cort. Acaciæ, pruni sylvestris, *Schleedorn-Rinde.* Ecorces d'Acace. *Barks of Acacia*, or *Blackthorn. De schorsse van Acacia*, [by sommigen] *vvilde pruymkens.*

Radic. Cappar. *Capparrinde.* Ecorce la racine des Capres. *Rindes of Caper-roots. Schorffen van Cappervvortelen.*

Frangulæ, alni nigræ, *Faulbaum-Rinden.* Ecorces de frangula. *Barks of black-Alder-trec. Schorsse van Svvart Elsenhout.*

Fraxini (interiores,) *Elschern-Rinde.* Ecorces de Fraine. *The inner-barks of. Ash-tree. Innerliche schorsse van den Esschenboom.*

Guajaci, *die Rinde vom Frantzosen-Baum.* Ecorces de Guajac. *Bark of Guajacum. Schorsse van Guaiocum*, ofte *pock-houn.*

Rad. Mandragoræ.

Quercus, *Eichene Rinde.* Ecorce de Chene. *Oak-bark. Schorsse van Eycten hout.*

Sambuci, ex frutice ac radice (medij,) *mittlere holderrinde.* Ecorce de Sureau, ou Sujer. *Middlebark of Elder shrubs & roots. Demiddelste schorsse van Bliervvortelen.*

Tamarisci, *Tamarissen-Rinde.* Ecorce de Tamarisc. *Bark of Tamarisk. Schorsse van Tamarische boomen.*

Thuris.

Tiliæ (interiores,) *die Rinde vom Lindenbaum.* Ecorce de Tillot. *Inner bark of Linden* or *Teil tree. Binnenste schorssen van den Lindeboom.*

Præparata : Ut cortices substantia differunt, alij nimirum conveniunt cum fructibus, alij cum herbis, quidam cum lignis, itâ & diversis inserviunt præparatis. *Communiora tamen sunt*, conditi cortices [fructuum quorundam] item Extracta, &c. *Schroderus.*

CORTEX MACERIS, vid. *Macer.*

CORTEX BUGIÆ, vid., *Aspalatus.*

CORTEX FEBRILIS, vid., *Kinkina.*

CORTEX NUCIS MOSCHATÆ, vid. *Macis.*

CORTEX THURIS, vid., *Thymiama.*

CORTEX WINTERANUS

Nomina. Laurifolia Magellanica cortice acri *C. B.*

cortex Winteranus acris sive Canella alba *I.B.* An ligni aromatici Monardis cortex?

Willielmus Winter qui D. *Franc. Drake* ad Magellanicum usque fretum comitabatur Anno 1567. ulterius non progressus, navim cujus præfectus erat Anno insequente in Angliam reducebat atque collectum isthic corticem referebat, viliori Canellæ cum substantiâ tum colore non valde dissimilem, plerunque tamen crassiorem & cineracei coloris, vel fuscum externa parte & ulmi corticis instar scabrum, interna verò nonnunquam dissectum & multis rimulis hiantem Tiliæ corticis modo, aliquando valdè solidum & durum, odore non ingrato, sed perquam acri sapore, linguámque & fauces non levius urentem quam Piper.

Plurimum accedere videtur ad Ligni aromatici Monardis corticem quamvis singularem illam odoris fragrantiam, quam suo tribuit Monardes in hoc cortice deprehendere non potuit *Clusius*.

J. Bauhinus hunc corticem sic describit. Canulatus est crassitudine Cassiæ ligneæ fuscæ, fragilis; coloris parte gibba cinerei, convexâ fusci, per substantiam cinerei & fulvi. Saporem imprimit e vestigio luculenter acrem subamarum & aromaticum, quale haberet Zingiber multum cum Zedoaria pauca confusum. Sed cum tenuium sit partium, fervida ejus acrimonia, non ita multò post evanescit, remanente suavi sapore cum amaritudine grata.

Arboris ipsius folium è viridi albicat, Populi in modum; baccas fert racematim compactas, vel plures simul confertas Oxyacanthæ instar, cum pluribus in singulis granulis.

Corticem hunc canellam albam non esse, ut à multis falso creditum fuit, ostendit Parkinsonus. Nam canella alba dicta cortex est albus, in tubulos convolutus ad modum Cinnamomi, nec multò crassior, saporis quidem fervidi, sed neque Cinnamomum neque Piper referentis. At cortex Winteranus multò crassior est, nec in Tubulos convolvitur, sapore acriore, colore obscuriore & ad cinnamomum accedente.

Vires. Hoc cùm recens esset nautæ, partim melle condito ut acrimoniam deponeret, partim exsiccato & in pollinem trito, ut in edulijs canellæ aliorumque aromatum vicem præberet, ubi sunt; postea tamen adversus scorbutum, quo eorum nonnulli in illa navigatione affecti fuerant, optimo successu eum usurpârunt. *Rajus Hist. Pl.*

Vires. Calfacit, specificum est in Scorbuto, vomitiones reprimit, Paralysi quoque medetur.

N. B. In officinis nostris raro hic cortex invenitur, in cujus loco Pharmacopolæ nostri Canellæ albæ corticem substituunt. *Dale.*

CORVUS.

Corvus, Græcis Κόραξ.

Pondus nobis describendæ 34. ℥. erat. Longitudo ab apice Rostri ad extremitatem caudæ 25. digitorum. Alis in contrarium extensis, majorum pennarum apices 4 pedum intervallo distabant.

Rostrum robustum, acutum, aterrimum. Mandibulum superius non nihil aduncum, minus tamen quàm in Accipitrino genere; inferius rectum. Lingua lata, bifida, subtus nigricans. Pupillam oculi duplex velut circulus ambit, exterior ex cinereo albus, interior ex cinereo fuscus. Pili rigidiusculi seu setæ à capite deorsum flexæ nares tegunt. Color totius undique niger cum quodam splendore cæruleo, qui præcipuè in cauda & alis cernitur. Ventris color dilutior non nihil ad fuscum vergit. Medio dorso lanugo sola innascitur, nam dorsum scapulares pennæ longiores obtegunt.

Remiges pennæ in utravis ala 20. è quibus extima secundâ brevior est; secunda tertiâ; tertia tandem quartâ, quæ omnium est longissima. Scapi à sexta ad 18. ultra pinnulas plumosas extenduntur, & in spicula acuta desinunt.

Cauda novem digitos longa 12. pennis componitur, quarum exteriores interioribus ordine sensim breviores.

Ungues adunci, magni, præcipuè postici. Digitus anticorum extimus medio ad primum fere à divaricatione articulum adhærescit.

Hepar in duos divisum lobos. Cystis fellea ampla intestinis adhærens.

Intestina 43. digitos longa. Appendices digitales.

Gula infra rostrum in sacculum quendam dilatatur in quo cibum ad pullos defert. Ventriculus intus rugosus. Pamphagus est, nec frugibus tantùm & insectis, sed etiam quadrupedum, piscium, avium cadaveribus vescitur; quin & aves vivas rapit & dilaniat Accipitrum instar. Vidimus hujus generis unam vel alteram avem albam.

Aldrovandus diversarum meminit, dicitque in Anglia persæpe reperiri; verùm proculdubio fallus est; apud nos enim rarissimè observantur, unde & pro monstris seu spectaculis rarioribus ostendendi circumferuntur. Ego potius in montosis aut Borealibus regionibus maximam anni partem nivibus obtectis reperiri crediderim: nam & alia animalia ibi nativos suos colores in album mutant, ut v.g. Ursi vulpes, Lepores perdices, merulæ: sive id fiat vi imaginativæ ex continuo nivis intuitu; sive frigori ambientis debeatur, ut colores languescant.

Corvum cicurari & ad Aucupium institui posse ajunt.

Corvi non unâ aliquâ orbis plagâ aut regione, sed ubique terrarum abundant, quasvis etiam aëris mutationes facilè tolerant, nec frigus, nec calorem reformidant, sed ubicunq; alimenti copia suppetit degere facilè sustinent: & quamvis solitudinis amici dicantur, in medijs tamen urbibus etiam populosissimis non rarò degunt & nidificant, ut Aldrovandus tradit & experientia confirmat. Nidificant autem in excelsis arboribus aut turribus vetustis, primo vere, initio videlicet Martij apud nos in Angliâ, & nonnunquam citiùs. Ova pariunt una vice 4. 5. & interdum etiam 6; ex viridi pallidè cærulea maculis & ductibus crebris nigricantibus varia. Quæ de corvorum vivacitate feruntur; autore Hesiodo, fabulosa proculdubio sunt. At verò in genere Aves omnes longævas esse superiùs diximus & exemplis aliquot probavimus: in Avium autem genere corvos longævitate excellere non abnuimus. *Tract. Willughbejus.*

Officinalia sunt è Corvô.

1. Pulli. 2. Cerebrum. 3. Pinguedo & Sanguis. 4. Stercus, 5. Ova.

Vires. 1. *Pulli* corvorum incinerati commendantur ad Comitialem morbum. Dos. ʒj. singulis diebus bis vel ter exhibitum.

Sic & cinis corvorum ad Podagram & Alphos commendatur.

2. *Cerebrum* commendatur itidem ad Epilepsiam.

3. *Pinguedo ac Sanguis* capillos reddit nigros; id quod & de *ovis* adfirmant.

4. *Stercus* infantum tussim, doloremque dentium sedare ajunt, de collo suspensum.

5. *Ova*, sunt qui in Dysenteriâ exhibent, n. j. ij. Gabelechover. *Schröder.*

CORVUS AQUATICUS.

Hæc avis Gallicè *Cormoran*, aut *Corman* dicitur, nulliusque est in Medicina usus præter quàm quod adeps à quibusdam emollitiva ac resolvens credatur.

CORYDALUS, vid. *Alauda.*

CO-

CORYLUS.

Coryli vocis etymon non invenio, *Avellanam* ab Avellano Campaniæ oppido ubi abundat dictam putat Servius. At Plinius Avellanas antea Abellinas patrio nomine dictas scribit, *l.15. c.22.* Abella igitur oppido nomen. Ponticæ dictæ sunt hæ nuces, quoniam in Asiam Græciamq; è Ponto venere. Auctor Plinius *loco citato.* Potius, crediderim, quia in Ponto abundant; nisi de sativis seu barbatis intelligat, quibus fortè Pontus patria; nam sylvestres passim spontaneæ sunt. Theophrasto Heracleoticæ ad Heraclea Ponti urbe, cui & κάρυα simpliciter, uti probat J. Bauhinus; Alijs Prænestinæ dicuntur ab Ægro Prænestino, ubi affatim proveniunt; vel quia Prænestini olim à Pœnis obsessi ijs famem toleraverint. Hippocrati de diæta κάρυα πλατέα, teste Casp. Hofmann., dicuntur.

Nomina Corylus sativa *J. B.* item sylvestris.

Folio est alni, sed acutiore, nec eum in modum viscido, hirsuto, modicè serrato rugoso, suaviter odorato. *Flos* è gemmula erumpit coccineis filamentis compositus; simulq; Iuli longi, tenuiores quàm Nucis Juglandis qui priusquam decidant flavi fiunt. (Ego Iulos pro genuinis & legitimis floribus habeo, non filamenta illa coccinea) *fructus* simul aliquot juncti, involucris, callosis, succosis, herbaceis, barbatis, hirsutis, adstringentibus & acidis obsepti, magnitudine dimidio minores ut plurimum Juglande oblongi vel globosi, putamine umbilicato, per maturitatem flavescente aut ruffo, lævi, lignoso aut duro satis: cui subest pellicula, in domesticis quibusdam coccinea, in alijs subruffa, nucleum obvestiens albidum, firmiusculum sicut Amygdali nucleus, ejusdemq; sapore dulci, lacteum remittentem succum. In Avellanis nucibus antequam nucleus formetur aut perficiatur ambiens pulpa est candicans, fungosa, saporis acidi. Ipsi verò nuclei plurimum obnoxij sunt vermibus, qui omni intus nutrimento consumpto ipsum etiam putamen pertundunt ac prorepunt. Ipsa corylus arbor est ex radice crassa latè se diffundente, nodosa atque crispa caudices magna ex parte aliquot emittens, in multos ac robustos sub divisos stolonos, virgasq; lentas & obsequiosas quales quotannis emittit novas, nec ramosa; materie candida, molli. Caudex ubi annosus fuerit cortice obducitur incano, lævi, & & viscum nonnunquam producit.

Vires & Usus. Nuces Avellanas stomacho infestas esse & difficulter concoqui, nec non caput gravare præsertim largiùs sumptas Medicorum veterum & Recentiorum communis est sententia. At Lacuna id experientiæ & communi opinioni reclamare scribit: bonæ quippè matronæ Hispanicæ tostis vulgariter utuntur ad gratificandum stomacho, cerebrumque confortandum non sine successu. Ego cum Bruyerini matronis apud J. Bauhinum tostas insalubriores esse existimo quàm crudas. Recentes & maturitatem exactam non adeptas vestutis & siccis tum gratiores tum salubriores cum ijsdem censeo. Quòd alvum sistant & dysentericis prosint nonnulli scribunt: Alij & veriùs dysenteriæ aut diarrhœæ obesse potius quàm prodesse tradunt, ideòque in ejusmodi morbis ab ijs omninò abstinendum. Intestinis infestas esse experientiâ docere conatur Tragus. Pueri namque (infit) si Augusto mense Avellanas nuces avide devorant facilè in dysentericum morbum incidunt. Ad dysenteriam etiam pestilentialem nocuas esse vulgo persuasum est. Quòd Avellanæ Iuli, & cortices astringant & ventris fluores sistant affirmant qui de ijs scripserunt. In Plinij sententiam quòd nuces Avellanæ pinguedini corporis conferant, etiam plusquàm sit verisimile, non solùm posterior medicina, sed & vulgus ipsum manibus pedibusque descendit: Anhelosos tamen, & asthmaticos efficere ad satietatem eis vescentes vulgò persuasum est, Dioscorides tamen tritas & in aqua multa potas veteri tussi mederi tradit. Quod Dioscorides putaminibus ustis ac cum oleo tritis, glaucas in pueris oculorum pupillas denigrari prodidit, hoc illustris experimento facto aliquoties se cognovisse & verissimum esse comperisse gloriatur Cornarius. Credat qui volet.

Oleum nucum Avellanarum efficacissimum esse ad tussim veterem & destillationes scribit *Fragus.*

Cur Avellanæ tantopere obnoxiæ sint vermibus, Juglandes verò rarissimè ijs infestentur rationem duplicem reddit J. Bauhinus 1. Ob nimiam earum, præsertim cum recentes sunt, humiditatem: humor enim Aristoteli putredinis mater. 2. Quia parùm olei habent, quo Juglandes abundant. Verùm ego potiùs existimo vermes in Juglandes non penetrare, præcipuè ob amarorem corticis externi. Vermiculos enim extrinsecus irrepere non autem intus sponte nasci affirmo, cùm nec generationem ullam spontaneam è putri materia in animalibus agnosco: in nucibus autem illud patet, quoniam cortex fructûs illius in quo vermiculus latitat semper perforatur, & in putamine exteriùs vestigium aliquod seu cicatricula foraminis apparet.

Vulgus Metallicorum ad virgulam divinam seu divinatoriam (ut vocant) quâ venas metallorum inquirit, præ cœteris furcam eligit colurnam. Verùm cum ex impuris fontibus incantatorum 1. in metalla defluxerit; Metallicus (ut pote vir bonus ac naturæ peritus) eâ non utitur, sed alia naturalia venarum signa observat. *Schvvenckfeld. Agricola.* E stolonibus seu surculis hujus arboris fiunt virgæ piscatoriæ, & ad equos pigriores incitandos flagellorum vice.

Ex ligno etiam carbones parant pictores, sculptores & aurifabri ad delineationes & præludia figurarum ducenda commodos. Ex hujus etiam ligni carbonibus pyrius pulvis confici solebat, antequam alni carbones ad eum usum commodiores esse comperti fuerant.

Ex radice nodosa & undulatim crispa vasa & supellectilia varia formantur, quæ ad longos annos durant, nec facilè corrumpuntur. *Rajus in hist. plant.*

CORYMBUS.

Corymbus in genere significat quodvis summum. Nam prima notio τοῦ κορύμβου est in capite veterum Atticorum tutulus seu meta suggestûs capillorum, authore Scaligero. Verùm apud plantarum scriptores corymbi propriè Hederæ racemi appellantur. Plin. lib. 16. cap. 34. in descriptione Hederæ ponit, *Racemis in orbem circumactis qui vocantur corymbi. Rajus. hist. Pl.*

Corymbi nomen extendit Jungius ad significandam extremitatem caulis, ita subdivisam, & floribus aut fructibus onustam, ut sphærica figura inde oriatur, ut in *Sambuco aquatico, cepa, porro, &c.* Alij umbellæ synonymum faciunt. Corymbus etiam aliàs sumitur apud recentiores Botanicos pro flore composito discorde, qui in pappos non resolvitur: qualis in *Chrysanthemo, Bellide, Chrysocome,* &c. cernitur: Nam hujusmodi flores in latum extensi umbellam seu corymbum quodammodo æmulantur. *Dale.*

COSMETICA.

Cosmetica dicuntur Medicamenta ad corporis ornatum facientia, quorum varias formulas, ab alijs collectas, jam tradimus. Veniat itaque primò, *Collectio Medicamentorum ad ornatum facientium è Joh. Jacob. Wecktieri Antidotariô speciali.*

De Aquis Ornantibus, Sect. I.

De Aquis odoratis.

Aquâ odorata ad corpus & vestimentâ.

℞. Aquæ Rosarum, item nansæ, myrti, moschatæ, ana ℔j. *pulveris Ireos orientalis*, ℥j. *zibetti*, ʒj.

Misceantur, & coquantur in vase vitreo usque ad tertiæ partis consumptionem: deinde in vase vitreo optimè obturato servetur. *Isabella Cortese.*

Aqua odorata alia.

℞. Aquæ rosarum q. s. moschi ℈j. *zibetti, ambræ an. parum.*

Ponantur in vase vitreo ad ignem, donec calefiant: deinde obturetur, & servetur ad usum. *Marinellus.*

Alia, ejusdem.

℞. Aquæ rosarum ℔iv. *belzoini, styracis, caryophyllorum, caphuræ, ligni Aloes ana* ʒj. *moschi, zibetti ana* ℈j.

Misceantur in vase vitreo obturato, coquantur per horas 4. in balneo Mariæ: deinde frigidum coletur, ac in alio vase vitreo benè obturato ponatur ad Solem per dies 5. addendo Moschi Gr. xv.

Aqua Moschata, ejusdem.

℞. Aquæ rosarum opt. ℔ij. *moschi optimi* ℥jß.

Misceantur, & destillentur in balneo Mariæ, igne perquàm lento: deinde servetur in vase optimè obturato.

Alia.

℞. Aquarum rosarum ℔ xII. *aquæ lavendulæ, caryophyllorum, cinnamomi electi ana* ℥I. *macis, cardamomi, moschi, ambræ ana* ℈ß. *cort. mali citri, Sandali citrini, Ireos ana* ʒß. *Belzoini, styracis calamitæ ana* ℈I.

Misce omnia, atque in phialam posita in balneo Mariæ per 15. dies ponantur, deinde ad Solem per dies alios 15. & erit optima. *Alexius.*

Alia, ejusdem.

℞. Aquæ rosarum ℔ v. *aquæ lavendulæ* ℥vi. *aquæ flor. Jasmini* ℔ III. *moschi* ℈I.

Misceatur, deinde cum per dies decem in vase optimè reclusa fuerint, destillentur in balneo mariæ, serventurque ad usum.

Aqua odorata Italorum, quam Damascenam vocant, à Rosis Damascenis.

℞. Cinnamomi ℥I. *caryophyllorum* ℥ß. *sampsuchi, roris marini, lavendulæ, fol. lauri, pulegij, rosarum alborubentium* (Provinciales vocant) *viridium ana m.* I. *vini malvatici, aquæ rosarum ana* ℔Iß.

Incisis viridibus, ac aridis in pulverem versis, Soli exponantur sex dies: hinc distillentur in duplici vase. Addunt quidam citri corticem, Styracis calamitæ, Iridis ana ℥I. & flores Jasmini. Hac aqua vestes, lintea, manus naresque asperguntur. *Heurnius.*

Alia.

℞. Caryophyllorum ℥ß. *aquæ rosarum* ℔Iß.

Misce, & distilla. *Idem.*

Alia.

Moschi, G. xII. inde vasi angusti oris: alteri vasi inde Rosas, vel Violas: hæc vasa junge ore & Soli expone, ita ut sublimes sint Rosæ, linteo septo ora discrimentur. Quidam Rosas parum contundunt. Caryophylli & Cinnamomum loco moschi poni poterunt. *Idem.*

Alia.

Ex Rosis servatur Cucurbitæ ima pars: mox Lilia succedunt: & series quæque habeat aspersos caryophyllos, & quid moschi & Rosarum stratum, hæc iterum tegat: distilla. *Idem.*

Vel hoc modo fiat suavissima.

℞. Rosarum ℔III. *incidantur: cinnamomi, caryophyllorum ana* ℥II. *camphuræ* ʒß. *rad. Ireos* ʒß. *nucis moschatæ, macis ana* ℥II.

Vitro excipiantur, ac superfundantur.

Vini cretici, aquæ rosaceæ ac lavendulæ ana ℥III

Dies octo macerentur, ac distillentur: & moschi scrupulo imbuantur, ac sole dies 5. digerantur.

Addi potest Styrax calamita, benzoin. Idem.

Alia, ex superioribus composita.

℞. Aquæ rosarum ℔I. *aquæ damascenæ, aquæ ex corticibus citri, iridis ana* ℥I. *Styracis calamitæ* ʒj. *caryophyllorum* ℥II. *moschi, ambari, zibetti ana* ℈I.

Insolentur quindecim dies vase quotidie agitato, *Cordi, cerebro & stomacho prosunt. *Idem.*

De Aquis Maciem inducentibus.

Aqua capillos longos reddens.

℞. Caryophyllatæ, zingiberis, roris marini ana p. j.

Pulverizentur, & in vino optimo per dies octo macerentur in vase vitreo, deindè destillentur. Utatur quotidie poculum unum ante prandium. *Marinellus.*

De Aquis Capillos longos reddentibus.

Aqua capillos longos reddens.

℞. Lardi quantum satis est.

Raddendo quàm minutissimè conscindes, deinde in pila marmorea contundes, ut pastam subactam referat. Hac in alembico destillata, liquorem album colliges, quo pilos inunges. *Alexius*

Alia, capillos elongans.

℞. Mellis colati ℔ iij. *vitellorum ovorum N. xl.*

Misceantur, & destillentur: qua capilli inungantur. *Marinellus.*

Alia, ejusdem.

℞. Capill. veneris recent. contusorum m. j. mellis optimi quantum sufficit.

Misceantur ad formam pastæ, & destillentur.

De Aquis Capillos tingentibus.

Aqua capillos denigrans.

℞. Gummi Arabici ℥ iv. *myrobalanorum Chebularum, Emblicarum ana* ℔ ß.

Omnia trita, igneque suavi destillata, soli exponantur horis duabus, & capite cum lixivio loto, & exiccato, capilli denuo vino & sale madentes, cum aqua abluantur destillata, cutim tamen non attingente. *Fumanellus.*

Alia, denigrans.

℞. Alcannæ tritæ, ossium dactylorum pulverizatorum ana part. j. aquæ in qua cort. Fabarum & Gallæ fuerint incoctæ, quantam sufficit.

Misc. *Marinellus.*

Alia, ejusdem.

℞. Nucum cupressi quantum sufficit, vini rubri, aceti rubri ana par. j.

Coquantur simul, & decoctione hac capilli laventur.

Alia, ejusdem.

℞. Spumæ argenti quantum sufficit, aceti, vel succi citri, vel limonij q. s.

Co-

Coquantur simul per horam dimidiam: quo capilli laventur.

Alia.

℞. *Limatura ferri quantum sufficit.*

Ponatur in Aceto fortissimo per dies decem, deinde capilli inungantur. *Isabella Cortese.*

Aliæ, capillos nigros reddens.

℞. *Scoriæ ferri, limaturæ plumbi ana q. s.*

Coque in Aceto ad consumptionem medietatis. Cola, & unge. *Bayrus.*

Alia ejusdem.

℞. *Rad. Capparorum quantum sufficit.*

Coque in lacte asinæ usque ad tertiam partem, & unge, dimittendo per noctem.

Alia denigrans.

℞. *Mellis* ℔ *ij. gummi arabici* ℥ *ij. ebulorum, rosarum ana* ℔ ß.

Trita lento destillentur, & caput priùs cum lixivio & sale lotum, cum prædicta abluatur aqua. *Fumanellus.*

Alia ejusdem.

℞. *Salis gemmæ, squamæ æris, alcannæ ana part. 1.*

Omnia trita alembico destillato &c.

Alia ejusdem.

℞. *Salis gemmæ* ℔ *j. vitrioli romani* ℔ ß. *salis nitri* ℥ *IV. rad. chelidonii viridium* ℔ *ij.*

Contusis & tritis alembico aquam eximito: quod primò exit, abjicito: quod secundo, capillos colorat, priùs lotos, & ferventi Sole siccatos.

Alia optima.

℞. *Aquæ fortis* ℥ *ß. argenti fini* ʒ *ij.*

Misceantur, & cùm argentum dissolutum fuerit, adde aquæ rosarum ℥ *iij.* & inunge capillos. *Cardanus.*

Aqua, qua capilli flavescunt,

℞. *Melius optimi* ℔ *ij. gummi arabici* ℥ *ij.*

Suavi destillato igne, aqua quæ primò exit, faciem dealbat: quæ secundò & tertiò, flavos reddit capillos. *Fumanellus.*

Alia capillos flavos reddens.

℞. *Buxi rasi, stœchadis, citri, glycyrrhizæ, trita rad. ungulæ caballinæ, capillorum veneris ana q. s. croci parum.*

Coquantur omnia simul usque ad consumptionem tertiæ partis. *Marinellus.*

Aqua capillos rubros reddens.

℞. *Aquæ raphani, Alcannæ quantum sufficit.*

Misce, & capillos unge. *Idem.*

Aqua capillos colore afficiens croceo.

℞. *Agrimoniæ* ℥ *j. testiculorum equi exictatorum n. 1.*

In aqua fontis coque, & destilla, utereque capite priùs loto. *Fumanellus.*

Alia ejusdem ad idem.

℞. *Aceti* ℔ *ij. salis nitri* ℔ ß. Destillentur.

Aqua dealbans capillos.

℞. *Centaurii majoris* ℥ *IV. aluminis fæcis* IX. *aluminis rochæ, gummi arabic. ana* ℥ *ij. saponis albi mundi, lachrymæ ex tragacantha ana* ℥ *IV. aquæ* ℥ *VI.*

Coquantur ad dimidias, & colentur: caputque hac lotum colatura, ad Solemque siccatum, denuò abluatur lixivio. *Idem.*

De Aquis capillos augentibus.

Aqua faciens renascere pilos.

℞. *Carnium limaciarum, Vesparum, apum, sanguisugarum, salis adusti ana partes æquales.*

Pone in vase vitreato, habente in fundo parva foramina, sicut cribrum: & pone sub eo aliud vas vitreatum, quod colligat humiditatem, quæ paulatim per multas dies manabit. Colligatur, & loca depilata ex eo fricentur. *Bayrus.*

Aqua ad casum capillorum.

℞. *Mellis purioris, vini cretici, urinæ puerorum, Lactis ana* ℔ *j.*

Destillet aqua, qua abluantur loca, unde pili decidunt. *Fallopius.*

Alia efficacior.

℞. *Hyssopi montani, calaminthæ montanæ, fol. abrotani ana m. ij. vini generosi cretici, urinæ, mellis & lactis ana* ℔ *ij. sem. sinapi* ℔ ß.

Contritis quæ teri possunt, misceantur omnia, & per tres dies macerentur: mox destillet aqua: cujus usus: viventibus barbam citò educit, ac producit, & pilos qui ceciderunt, restituit. *Idem.*

De Aquis capillos prohibentibus.

Aqua capillos renasci prohibens.

℞. *Sanguinis ranarum, terræ sigillatæ, sumacis, rosarum, ana tritorum q. s. aceti, succi sempervivi ana q. s.*

Macerentur per horas 24. deinde destillentur: qua sæpius loca depilata macerentur. *Marinellus.*

Alia ejusdem ad idem.

℞. *Cornu vaccæ, aluminis rochæ, papaveris nigri ana tritorum q. s. sanguinis vaccini recentis* ℔ *j.*

Macerentur & destillentur. Utatur omni sero.

Aqua capillos crescere non permittens.

℞. *Tithymali decoctum cum aceto, calce viva, & malvis comminutum. Fumanellus.*

Aqua prohibens ortum pilorum.

℞. *Hyoscyami triti* ℔ ß. In loco humido reposito & post tempus additis ℥ *j. fol. fabæ inversæ, quæ telephium est*, destillato, & pilis evulsis partem glabram, sæpius balneato. *Idem.*

De Aquis oculorum vitia tollentibus.

Aqua ad oculorum lachrymas.

℞. *Fragorum maturorum quantum sufficit:*

Macerentur in fimo equino per dies quindecim, deinde destillentur. *Marinellus.*

Alia ejusdem ad idem.

℞. *Flor. spinæ albæ, flor. salicis, vel comarum, fol. salicis ana quantum sufficit.*

Destillentur in vase vitreo. Ad idem etiam valet aqua euphragiæ destillata.

Aqua ad rubedinem oculorum.

℞. *Chelidoniæ, verbenacæ, rutæ, fœniculi succorum ana* ℥ *iij. comarum fol. rosarum q. s. sacchari candi* ℥ *iij. tuthiæ optimæ, sanguinis draconis ana* ℥ *IV.*

Trita destillentur. *Marinellus.*

Aqua dealbans capillos.

℞. *Myrrhæ* ℥ *j. aloës* ʒ *ij. croci* ʒ *j. thuris, zingiberis, sarcocollæ, caphuræ tritæ ana parum.*

In aqua imposita ad usum servetur. *Fumanellus.*

Alia.

℞. *Fœniculi, verbenacæ, euphragiæ, endiviæ, betonicæ, rosarum rubr. capillorum veneris m. iij.*

Contusa per diem in vino macerentur albo, & destillentur. *Idem.*

Alia ejusdem, ad idem.

℞. *Fœniculi, chelidonii, Salviæ, rorismarini, verbenacæ, rutæ ana partes æquales* alembico destillentur.

Aqua ad oculorum dolores.

℞. *Aquæ rosaceæ, item euphragiæ, chelidonii ana* ℥ *j. tuthiæ præparatæ* ʒ *j.* Misce. Valet ad idem aqua vitis incisæ. *Idem.*

Aqua

Aqua ad visum instau rans.

℞. *Fœniculi chelidonii, verbenacæ, rutæ, fol. enulæ ana m. j. Virgæ pastoris, millefolii ana m.j. caphuræ* ʒ ß. Alembico destillentur. *Idem.*

Aqua ad oculorum lachrymas exiccandas.

℞. *Tuthiæ præparatæ* ℥ j. *lapidis hæmatitis* ℥ ß. *sanguinis draconis, acaciæ, antimonii ana* ʒ j. *caphuræ* ℈ ij. *terræ sigillatæ* ʒ j. *thuris, masticis, piperis albi ana* ℈ ß. *aquæ fœniculi, euphragiæ ana* ℥ j. *aquæ violarum rosarum ana* ℥ ij. *vini antiqui* ℥ iij.

Coquito omnia in duplici vase ad consumptionem medietatis, & percolato. *Fumanellus.*

Aqua ad rubedinem oculorum.

℞. *Succi uvæ immaturæ* ℥ ij. *aloës* ʒ i ß.

In panno lineo ligatæ, infusæque, in dicto succo somni tempore oculi madefiant. *Idem.*

Aqua ad rubedinem oculorum.

℞. *Tuthiæ præparatæ* ℥ iv. *omphaciæ* ℥ ß. *vel* ℥ v.

Soli diebus 15. exponito, & addita aquæ Rosaceæ ℥ ß. denuo per dies 15. alios sub Sole jaceat, & per dies 5. cum aqua Euphragiæ: post hæc tuthiam terito, & cum panno xylino, tenui, cribrato in Sole æstuante, usuique servato. *Idem.*

Aqua ad suffusionem ejusdem.

Marchesitæ frusta ignito, & in oleo communi antiquo pellucido extincta, tritaque destillato, & denuò cum fæce sua terito, destillatoque.

Alia ejusdem, ad idem.

℞. *Asæ* ℥ j. *mellis puri* ℔ ß. *aquæ fœniculi, aquæ rutæ ana* ʒ xii. *aquæ majoranæ* ℥ ß.

Alembico destillentur.

Aqua ad palpebrarum omnes, & lachrymas oculorum.

℞. *Agrimoniæ, verbenacæ, fœniculi, rosarum, chelidonii ana quantum sufficit.*

Omnia incisa, vinique albi momento conspersa destillato. *Fumanellus.*

De Aquis dentes dealbantibus.

Aqua dentes dealbans.

♃. *Salis arabici, salis gemmæ ana* ℔ ß. *aluminis zuccharini* ℥ iij.

Trita destillentur, qua fricentur dentes cum panno rubro scarlato. *Marinellus.*

Alia, ejusdem.

♃. *Aluminis rochæ, salis nitri ana* ℔ j. *aceti parum.*

Trita dissolvatur cum Aceto, & destillentur. Pro qualibet ℥ j. hujus aquæ, adde succi Limonum ℥ iv. & & fricentur dentes.

Aqua dentes albos reddens.

♃. *Albuminis rubri ana* ℥ vi. *salis communis* ℥ iij. *mastichis* ℥ j. *myrrhæ* ℥ ß. *caryophyllorum* ʒ vi.

Misce, fiat destillatio, qua fricentur dentes. *Rondeletius.*

Aqua ad dealbandos dentes.

♃. *Salis purgati & contusi* ℔ j. *aluminis glacialis* ℥ j.

Destillentur alembico. Hujus aquæ ℥ j. misce cum uncia Plantaginis, & intincta lana xylina dentes perfrica. *Alexius.*

Alia preciosissima ejusdem.

♃. *Primæ aquæ mellis destillatæ, quæ alba est,* ℔ j. *salis albi* ℥ j. *aluminis* ℔ ß. *salis nitri* ℥ j *aquæ ex foliis lentisci* ℔ j. *masticis, aceti albi, vini albi ana* ℥ ij.

Destillentur omnia in balneo Mariæ. Qua si quis uti volet abluat prius dentes: deinde cum panno aliquo siccati fuerint, fricentur, vel cum Lentisci stylo intincto, vel cum panno lineo madefacto parvo.

Aqua dealbans dentes.

♃. *Vini albi* ℥ vi. *comarum myrti, item lentisci, sorbarum, cupressi ana* ℥ iij. *Balaustii, cort. rad. nucum, pyrethri, sanguinis draconis, ossium dactyl. ustorum, rosarum rubr. nondum apertarum, cinnamomi ana* ℥ j.

Contusa destillentur lento igne, donec omnis exierit aqua. Hujus aquæ ℥ ij. misce cum ℥ j. cornu cervi usti, & ℥ j. sang. draconis, & pone ad Solem per dies 4. & frica dentes. *Isabella Cortese.*

Aqua dentes confirmans.

♃. *Nucum moschatarum num.* 3. *rad. zingiberis num.* 2. *masticis parum. Pyrethri, majoranæ, hyssopi, menthæ, rorismarini, salviæ, salis ana* ℥ ß.

Excipiantur omnia, & vino misceantur odoro, bulliantque donec pars tertia consumpta fuerit, & colo transfundantur, & frequenter percolato, utitor calido. *Fumanellus.*

Decoctum ad dentes firmandos, gingivas purgandas, & consolidandas.

♃. *Aquæ lentisci, rorismarini, Aceti destillati ana poculum dimidium, myrrhæ, masticis, boli armeni, sanguinis draconis, aluminis usti ana* ℥ j. *cinnamomi electi* ʒ ß. *aquæ pluvialis pocula tria.*

Misceantur omnia, coquantur igne admodum lento per quartam horæ partem, addendo Mellis despumati ℔ ß. Belzoini parum: & fiat decoctum, quo sæpius laventur dentes ante & post cibum, tenendo in ore aliquandiu. *Alexius.*

De Aquis faciem illustrantibus.

Aqua faciem detergens & illustrans.

♃. *Medullæ panis hordei* ℔ ij. *lactis caprini* ℔ iij. *vini albi* ℔ ß. *Quatuor sem. frig. major. contusorum ana* ℥ iij. *thuris, masticis, myrrhæ ana* ℥ j. *fabarum recentium* ℔ ij. *vel flor. fabarum p. iij. vel fabarum siccarum, & Cicerum rubrorum ana* ℔ ij. *Oryzæ* ℔ ß. *Flor. nenupharis, violarum, rosarum albarum ana p. ij. vitellorum ovorum cum albuminibus nu.* 10.

Destillentur in balneo Mariæ, Si addatur ante destillationem Terebinthina, melior erit succus & diutiùs faciem servabit. *Rondeletius.*

Alia, ejusdem.

♃ *Decocti pullis, vel decocti caponis, vel decocti gallinæ* ℔ iij. *succi limonum* ℔ j. *acet. albi* ℔ ß. *flor. fabarum, nenupharis ana p. iij. caphuræ, album ovorum ana* ʒ ij.

Misceantur, & destillentur per alembicum. Loco decocti Pulli, vel Gallinæ, lacte Capræ albæ uti licet.

Alia, ejusdem.

℞. *Furfuris ex meliori frumento cribrati, aceti fortissimi ana q. s.*

Misce, & fiat pasta: cui adde miscendo *album ovorum num.* xii. Destilla.

Aqua ad splendorem & formam faciei.

Aqua de albuminibus ovorum recentium per spongiam facta, cum æquali mensura succi Limonum destilletur, ut rosacea. Huic aquæ postea addes lixivii communis ℥ ij. vel circa: & limonem integrum contusum immittes: post octo dies exprimes ab eo succum, & miscebis cum aqua. Facies prius abluta aqua pura, & abstersa, hac aqua destillata lavetur. *Alexius.*

Aqua formam faciei concilians.

♃. *Rorismarini, tartari albi, vini ana quantum sufficit.*

Misceantur, & destillentur per alembicum. *Idem.*

Aqua

Aqua faciem pulcherrimam reddens.

℞. *Columbarum pullos num. 2. carnis vitulinæ* ℔ *ij. sem. cataputiorum à corticibus mundatorum* ℥ *IV. pinearum amygdalarum dulcium, amararum, rad. liliorum alborum, cæruleorum, Fabarum contusarum & mundatarum, Fellis bubuli, rad. Serpentariæ, fraxinellæ ana quantum sufficit. Limonem unum purgatum, & incisum, medullæ panis albi in lacte madefactæ, gummi ammoniac. in aceto liquefacti, flor. ligustri ana quantum sufficit.*

Misceantur & destillentur lento igne, ponendo aliquantulum Moschi & Belzoini circa principium colli vasis recipientis: & servetur in vase probè obstructo. *Idem.*

Aqua faciem illustrans.

℞. *Pinearum viridium, mundatarum, incisarum quantum sufficit.*

Ponantur in lacte per dies tres, quotidie addendo novum lac: deinde cum sequentibus rebus destillentur:

℞. *Vitri contriti* ℥ *IV. corallii rubri* ℥ *iij. sacchari candi* ℥ *IV. aluminis* ℥ *j.*

Misce fiat pulvis. Deinde

℞. *Argenti vivi cum salvia mortificati* ℥ *iß. ova recentia, unà cum corticibus, rupta & conquassa num. XII. Terebinthinæ novies lotæ* ℥ *IV. cochleas marinas candidas, quas vendunt suffitores* ℥ *ij. cochleas terrestres nu. I.*

Contundantur singula, & misceantur: deinde pars aliqua ponatur in cucurbitam vitream, deinde pars aliqua pulveris, post pars Terebinthinæ, demum pars cochlearum, aliud super aliud ponendo, donec cucurbita sit plena. Postremò addito

Vini albi mensuram j.

Destilla igne lento, & serva ad usum. *Alexius.*

Aliqua Melonum ad faciem illustrandam.

℞. *Melones albos à corticibus mundatos*, quot opus erit, eosque in frusta unius digiti crassitudine secato: deinde

℞. *Aluminis saccharini* ℥ *IV. aluminis usti, argenti vivi extincti ana* ℥ *j. cochlearum marinarum albarum* ℥ *ij. terebinthinæ lotæ* ℥ *j. ovorum recentium, & cum corticibus contusorum num. XII. limoniorum albor. in frusta incisorum q. v. sacchari* ℥ *IV. lactis caprini, vini albi ana mens. I.*

Hæc omnia ponantur in cucurbitam vitream, aliud super aliud, ut dictum est: deinde destillentur igne lento, donec aqua omnis exierit, demum servetur in vase vitreo, ad usum. *Alexius.*

Aqua Cucurbitæ perfecta, ejusdem.

℞. *Cucurbitas à corticibus mundatas, & in partes rotundas incisas, quot volueris. Aluminis zuccharini* ℥ *VI. aluminis scissilis* ℥ *j. myrrhæ* ʒ *j. terebinthinæ lotæ* ℥ *ß. ova recentia & contrita num. 6. cochlearum quantum volueris, Vini albi mens. j.*

In pulverem redigenda redigantur, & misceantur, faciendo ordinem primùm ex saccharo, deinde ex pulveribus, tertium ex cochleis, demum ex vino, limonis & ovis: atque sic igne lento destillentur, donec omnis aqua extracta fuerit: postea servetur in vase aliquo vitreo per dies 8. aut 15.

Aqua ad faciem commendandam.

℞. *Pedum vituli num. 2. aquæ fluvialis* ℔ 19.

Coque ad consumptionem medietatis: deinde adde *orizæ* ℔ *j. medullæ panis in lacte mollitæ num. I. butyri recentis* ℔ *ij. albuminum ovorum cum corticibus nu. 10.*

Misceantur omnia, & coquantur, deinde destillentur quousque omnis aqua exierit: cui denique adde

Caphuræ, aluminis zuccharini ana parum, & erit optima. *Alexius.*

Alia, ejusdem.

℞. *Chrysocollæ, seu boracis* ℥ *ij. aluminis rupei, scissilis, squamosi ana* ℥ *j. caphuræ* ʒ *ij.*

Redigantur in pulverem singula, deinde misceantur, ponanturque in phialam vitream, quam aqua fontana repletam diligenter obturabis. His factis ponatur ad ignem per horas duas, deinde auferatur: & cum refrixerit, ponatur in aliam phialam, addendo duo alba ovorum recentium, benè cum omphacio agitata misceantur, sintque in Sole per dies viginti: & habebis aquam perfectissimam.

Aqua ad decorandam faciem.

℞. *Ova in partes dissecta, cort. aranciorum, rad. melonum ana q. s.*

Cum bocia ampla, rostrum habente longum, studioso ac potenti igne per alembicum destillato, *Fumanellus.*

Alia.

℞. *Flor. Fabarum m. VI. aquæ limonum* ℔ *j. rad. lilii* ℥ *IX. farinæ fabarum* ℔ *j. gummi arabici, tragacanthæ ana* ℥ *j.*

Aqua faciem decorans, alia.

℞. *Fœniculi, rutæ, verbenacæ, euphragiæ, endiviæ, betonicæ, sileris montani, rosarum rubrarum, capillorum veneris ana m. VI.*

In vino albo per diem & noctem infusa alembico destillentur, *Idem.*

Alia.

℞. *Fabarum albarum à corticibus mundatarum, quantum volueris.*

Macerentur in vino albo per dies novem: deinde contundantur, & prædicto vino addantur: quibus adjunge.

Oryzæ in lacte caprino coctæ, albuminum ovorum ana q. s.

Misce omnia & destilla. *Isabella Cortese.*

Alia.

℞. *Hordei immaturi recentis, lactis caprini, album ovorum ana q. s.*

Misce, & destilla. *Isabella Cortese.*

Alia ejusdem.

℞. *Limoniorum, fabarum siccarum, & in vino maceratarum, mellis, lactis caprini, album ovorum ana quantum sufficit.*

Misce & destilla.

Aqua ad faciem decorandam.

℞. *Lactis vaccini, mense Maji* ℔ *ij. aranciorum num. iij. limonum num. 5.*

Incidantur minutim: deinde adde

Aluminis, sacchari ana ℥ *j.*

Misce omnia & destillata. *Rondeletius.*

Alia ejusdem ad splendorem.

℞. *Micæ panis albi* ℔ *ij. flor. fabarum* ℔ *j. flor. rosarum, item nymphææ, liliorum ana* ℔ *IV. lactis capræ* ℥ *VI. iridis venetorum* ℥ *j.* Destilla balneo Mariæ.

Alia, ejusdem.

℞. *Terebinthinæ, masticis albissimæ, tuthiæ præparatæ, caphuræ, aluminis ana* ℥ *IV.*

Infunde in aceto forti per dies tres. Postea destilla per alembicum.

Aqua faciem decorans.

℞. *Serpentariæ recentis* ℥ *j. rutæ m. j. Hederæ terrestris m. ij. boracis* ℥ *j. ligni aloës* ʒ *i. styracis calamitæ* ℥ *ß. moschi* ℈ *ß. unguenti* ℥ *iij caphuræ* ʒ *VI. carnis caponis* ℥ *j.*

Cort.

Cort. Limonum, cort. arranciorum ana ℔ *j.* Destilla. *Rondeletius.*

Aqua ad decorandam faciem.

℞. *Caphuræ* ʒ *iij. aluminis rubri, boracis ana* ℥ *vi. moschi* ℈ *ij.* Terantur omnia adde *tartari* ℥ *i* ß. *aquæ rosarum* ℔ *ij.*

Commiscendo semper cum spatula. Postea destilla per filtrum, & in ampulla benè clausa servetur, & manè facie benè tersa, cum panno guttam unam aquæ sumat, deinde faciem benè fricet. *Idem.*

De Aquis Tingentibus & dealbantibus faciem.

Aqua faciem dealbans, & oculos.

℞. *Aquæ campestris, fœniculi, verbenacæ rad. betonicæ, fol. rosarum, capillorum Veneris ana partes æquales.*

Macerentur per noctem in vino albo odoro, & alembico destillentur. *Fumanellus.*

Alia ejusdem.

℞. *Ari quantum sufficit.*

Partes crassiores tundito, & cum Rosarum aqua ad Solem ter quaterve siccato, & rosacea imposita utitor.

Aqua faciem dealbans.

℞. *Albuminis ovi, Boracis petrosi, Salis, aluminis rochæ ana* ℥ *j.*

Quodlibet per se tritum, albumini ovorum commixtum destillato, utitorque. *Fumanellus.*

Alia ejusdem, ad idem.

℞. *Aluminis rochæ tritæ* ℥ *iij. albuminis ovorum q. s.*

Misce & destilla.

Aqua faciem dealbans.

℞. *Flor. nenupharis, item spinæ albæ, sambuci, fabarum, violarum, capillorum veneris ana partes æquales.*

Misce & destilla. *Fumanellus.*

Alia, ejusdem.

℞. *Lithargyri contriti* ℔ ß.

In Aceti albi ℥ iij. coquito, & panno cribratam, in vitreo vase servato: deinde adde

Caphuræ, aluminis jameni, boracis, olei tartari ana part. æqual. aquæ rosar. q. s.

Misce, & destilla.

Alia experta, ejusdem.

℞. *Terebinthinæ destillatæ* ℔ *ij. thuris* ℥ *iij. mastiches, dracunculi ana* ℥ ß.

Omnia trita, & cum aqua Terebinthinæ mixta, iterum destillato: deinde

℞. *Axungiæ suillæ, recentis, liquatæ* ℔ *j caryophyllorum* ʒ *ij. nucis moschatæ num. 3. auri* ʒ *i. argenti* ʒ *ij.*

Omnia tenuissimè trita alembico destillato.

Alia faciem dealbans & mundans.

℞. *Foliorum fabarum m. x. aluminis rochæ* ℔ *i* ß. *Aluminis zuccharini* ℥ *v. aluminis scariolæ* ℥ *iv* ß. *salis nitri* ℥ *iij. aluminis fæcis* ℥ *vi. argent. vivi extincti* ℥ *iij.*

Destillentur igne lento, & quum quid stillare incipit, ignem augeto. *Fumanellus.*

Alia, ejusdem.

℞. *Aluminis jasmeni. boracis, aluminis rochæ ana tritorum* ℥ *iii. album ovorum q. s.* Destilla.

Alia ejusdem, ad idem.

℞. *Argenti electi, Argenti vivi ana* ℥ *j.*

Super porphyreum terantur lapidem, additoque argenti sublimati modico, in loco collocentur humido: & quod liquatum est alembico destilletur.

Alia, ad faciei nitorem.

℞. *Radicum lilii, item ari, dracunculi ana* ℔ ß. *aquæ flor. fabarum* ℔ *i* ß. *aquæ rosaceæ* ℥ *ix.*

Destilla: adjice moschi Carij, cinnamomi ana ʒ ij. faciem bis die abluto. *Alexius.*

Aqua faciem dealbans.

℞. *Sulphuris vivi* ℥ *j. Thuris albi* ℥ *ii. Caphuræ* ʒ *i. Aquæ rosarum* ℔ *i.*

Trita misceantur, & Soli per dies quindecim exponantur, & de ea lavetur facies in sero: manè verò abluatur cum decoctione furfuris & rosarum. *Alexius, & Bayrus.*

Aqua cutem reddens albam, Solisque adustionem auferens.

℞. *Aquæ pluviæ, Omphacij ana mens.* ß.

Coquantur simul usque ad consumptionem medietatis: deinde inter bulliendum, addito

Succi limoniorum tantum, quantum bulliendo antea evanuit.

Deinde cùm cocta satis fuerint, auferantur ab igne, addaturque

Albuminum ovorum num. 4.

Postquam deferbuerint, servetur ad usum. *Rondeletius.*

Alia, ad dealbandas faciei maculas & cicatrices.

℞. *Aquæ vitæ quartò destillatæ part. iii. summitatum flor. anthos part. ii.*

Macerentur simul per diem & noctem in vase bene cooperto, deinde destillentur. *Rondeletius.*

Aqua cujusdam mulieris nobilis.

℞. *Sublimati* ℥ *i. Caphuræ* ʒ *i.*

Pulverisentur optimè, infundatur in succo limonum, & aqua rosarum, nenupharis, cucurbitæ, & florum fabarum ana ℔ ß. Insolentur per dies quindecim, & usui servetur. *Rondeletius.*

Fucus Ducis Mediolanensis.

℞. *Lactis caprini* ℔ *iij. medullæ panis albissimæ nu. 2*

Temperentur simul per horas sex: deinde adde

Limonum à cort. extremo mundatorum, albuminum ovorum num. 12. Calcis, cort. ovorum, porcellanarum ana ℥ ß. *caphuræ aluminis, coralii rubri ana* ʒ *ii. boracis* ℥ *j. cerussæ* ℥ *iii.*

Misceantur, & cum diligentia destillentur. *Rondeletius.*

Alia ejusdem, ad idem.

℞. *Flor. fabarum, flor. nenupharis ana* ℔ *i. medullæ panis albi, farinæ oryzæ, rad. ireos, cucumeris agrestis ana* ℥ *vi, mellis* ℔ *i. vini albi, aquæ fontis ana* ℔ *iii.*

Temperentur simul, & fiat destillatio in balneo Mariæ: adde

Seminis cucurbitæ mund. ℥ *iii. thuris myrrhæ ana* ℥ *j.*

Aqua servetur usui.

Alia, ad dealbandas cicatrices.

℞. *Rad. ireos, rad. cucumeris agrestis ana* ℔ *iii. rad. althææ, rad. liliorum ana* ℔ *ii. racemorum maturorum* ℔ ß. *rad. dictamni* ℥ *iii. herbæ Fabarum, herbæ parietariæ ana m. i. flor. nenupharis, flor. malvarum ana p. j. panis hordei* ℔ *j.*

Macerentur in vino albo, vel sero caprino, & fiat destillatio. Adde.

Rapha-

raphani ℥ß. *quatuor sem. frig. major. an.* ʒj. *urinæ puellæ* ℔ß.

Insolentur, & serventur usui. *Rondeletius.*

Alia.

℞. *Sulphuris, salis ana* ℥ß. *caphuræ tuthiæ, ana* ʒj. *aquæ ros.* ʒix.

Trita misceantur. *Innominatus.*

Aqua faciem dealbans.

℞. *Succi Limoniorum* ℥j. *Porcellanarum* ℥v.

Macerentur, donec dissolvantur: deinde adde

Limoniorum incisorum num. xii. *albuminum ovorum num.* 10. *caphuræ, boracis ana* ʒi ß. *aquæ pinearum* ℔ß.

Misce & destilla. *Marinellus.*

Alia ejusdem, ad idem.

℞. *Spumæ argenti* ℔ ß. *aceti albi* ℔ iij.

Coquantur simul usque ad consumptionem tertiæ partis, & destilla: deinde aquæ destillatæ adde

Caphuræ ℥ ß. *Aluminis scariolæ, olei tartari, aluminis zuccharini an.* ℥j.

Relinquantur sic, donec dissolvantur; postea coletur, & usui servetur aqua.

Aqua ad faciem rubram.

℞. *Aristolochiæ rotundæ, been albi & rubri ana* ℥ß. *rad. ireos* ℥v. *rad. liliorum* ℥ vi. *cicerum rubrorum, lupinorum combustorum ana p.* ß. *cnuis moschatæ. cinnamomi an.* ℥ß. *amygdali amar. contus.* ℥ij. *olei tartari* ℥ iv. *aquæ pluvialis* ℔ ij. *Sanguinis leporini q. s.*

Aqua faciem dealbans.

℞. *Rosarum, albarum. flor. nymphææ, Item sambuci, liliorum alborum, an.* ℔j. *aquæ fabarum* ℔ ß. *Medullæ panis q. s. Albuminum ovorum num.* 12. *thuris* ℥ ij. *cerussæ tritæ* ℔ j.

Misce, & destilla, *Marinellus.*

Alia, ejusdem.

℞. *Lactis caprini, farinæ frumenti ana quantum sufficit.*

Misce ad formam panis, & in clibano coquatur,

Hujus panis accipe medullam, in lacte caprino maceratam:

Album ovorum num. 12.

Destillentur. Aquæ destillatæ adde

Calcis ℥j. *caphuræ, aluminis zuccharini, coralij alb. ana* ʒ ij.

Trita misceantur, & denuò destillentur. *Marinell.*

Alia, ejusdem.

℞. *Tartari albi, vini albi, flor. rorismarini an. q. s.*

Misce, & destilla.

Alia valdè bona, ejusdem.

℞ *Ovorum recentium num.* vi. *vini malvatici* ℔ß. *Columbarum juvenum, casei recentis non saliti ana num.* i. *malorum aranciorum num.* iix. *olei tartari* ℥ iij. *Cerussæ* ℥j.

Contundenda contundantur, misceantur, & destillentur.

Alia, ejusdem.

℞. *Limaciarum num.* 30. *lactis caprini* ℔ ij. *axungiæ porci* ℥ iij. *caphuræ* ʒj.

Caphura per se trituretur, deinde omnia simul contundantur & destillentur.

Alia, ejusdem.

℞. *Medullæ panis albi, in lacte capræ vel asinæ infusæ q. s.* Destilla.

Alia, ejusdem.

℞. *Myrrhæ* ℥ ij. *thuris, mastiois an.* ℥ß. *zingiberis albi* ʒ iij. *cinnamomi electi, argenti sublimati ana* ʒ ij. *Caphuræ* ʒ j. *album ovorum* ℔ j.

Trita ponantur in ventre gallinæ, addendo

Lactis caprini vel asinæ ℔ iij. Destilla.

Aqua dealbans faciem, & maculas tollens.

℞. *Boracis* ℥j. *Caphuræ* ʒ ß. *aluminis rochæ* ℥ iij. *Gummi Arabici, tragacanthæ an.* ℥ß *sarcocollæ, asæ dulcis ana* ℥ ij *cerussæ* ℥ iv. Tritis adde

Aquæ Serpentariæ, item flor. liliorum, Flor. Genistæ, Nymphææ an. ℔ ß.

Misce, & destilla. *Marinellus.*

Alia, ad idem.

℞. *Columbarum juvenum num.* iv. *butyri recentis, vel pinguedinis lactis* ℥ iv. *ovorum recent. albuminum num.* 12. *radicis sigilli Salomonis* ℥ xii. *boracis* ℥ ij. *Flor. cristalli* ℥ iij. *caphuræ, aluminis scariolæ, aluminis zuccharini an.* ℥ß. *aquæ cucurbitæ* ℥ xii. *aquæ omphacii* ℥ iij.

Terenda in pulverem redigantur, deinde misceantur, & destillentur. *Marinellus.*

Alia ejusdem, optima.

℞. *Aceti albi* ℔ ij. *aquæ rosarum* ℔ j. *aquæ ex cort. arantij, aquæ ex flor arantii an.* ℥ vi. *marrubij m.* i. *mellis* ℔ ß. *moschi gr.* 3. *caryophyllorum* ʒ iv. *aluminis zuccharini* ℥ ij. *Masticis* ℥j.

Trita destillentur.

Alia, ejusdem ad idem.

℞. *Limoniorum num.* 4 *sacchari candi* ℥ ß. *succi agrestæ* ℔ j. ℥ iv. *lactis asinæ* ℔ *albumin ovorum recent. num.* viii. *medullæ panis albi* ℥ iij. *caphuræ* ʒ i ß. *Florum Fabarum* ℔ ij.

Misce, & destilla.

Alia, ejusdem.

℞. *Succi cannæ viridis, succi gentianæ, succi sempervivi, succi limoniorum an.* ℥ ij. *lactis asinæ* ℥ vi *aquæ Florum fabarum* ℔ ij *Coralij albi* ℥ iij. *porcellanarum in succo limonum dissol.* ℥j. *boracis* ℥ ß.

Trita destillentur. *Marinellus.*

De Aquis rubificantibus faciem.

Aqua rubificans faciem.

Ad rubificandam faciem utitor prasilio raso, & aqua rosacea dissoluto, ac modica caphura. *Fumanellus.*

Aqua faciem coloratam reddens.

Sumito pullos columbinos albos: hos diebus quindecim nucibus pineis pascito: deinde eos aperito: capita, pedes, intestinaque abjicito: deinde

℞. *Panem dimidium, aluminis zuccharini q. s. Foliorum auri num.* 500. *Foliorum argenti num.* 300. *Medullas panis candidissimi, in lacte amygdal. dulcium mollitas num.* 4. *medullæ vituli, aut bubuli, aut axungiæ porcinæ* ℔ j.

Misceantur omnia, & destillentur. *Alexius.*

Rubrica ad faciem.

℞. *Sandali rubri contriti, aceti fortis bis destillati ana q. s.*

Misceantu, & coquantur igne lento, addendo parum alumi-

aluminis: & habebis rubricam perfectissimam. *Alexius.*

Aqua concilians faciei roseum colorem.

℞. *Pintam aquæ vitæ optimæ, prasilij* ℥ j. *caryophyllorum, granorum paradisi num.* 10. *cubebarum nu.* 5.

Omnia trita cribrataque cum aqua vitæ, perparum fervefacies in vase diligenter operculato, ne quid ullo modo expiret. Deinde refrigeratum destilla. *Evonymus.*

Aqua rubra ad faciem.

℞. *Albuminum ovorum ad duritiem coctorum num.* 25. *lactis ficuum poculum j.*

Misce, & destilla. Huic aquæ adde, pro qualibet mensura,

Aluminis scissilis ℥ ij. *cocci tinctorij,* ℥ ß. *cocci quo sericum tingi solet* ʒ ij.

Misceantur, & ponantur in phialam vitream benè clausam, in fimo vel in aqua calida, non fervente, per dies octo: deinde eximantur, colenturque, & exprimantur optimè. Quibus factis, addatur rursus tantundem aluminis, ut prius, coccique: & similiter in fimo, vel aqua calida, per dies octo ponantur: & rursus ut prius colentur. Quod cùm ter factum fuerit, adde gummi Arabici ℥ ß. aqua fuerit mensura una: & relinquatur per dies octo in loco calido, ut antea: deinde coletur, & servetur. *Alexius.*

Alia facilior, ac precii minoris.

℞. *Glutinis piscium, in vino albo per quinque aut sex dies liquefacti* ℥ ij. *ligni prasilij incisi q. s. aquæ fontanæ q. s.*

Misceantur, & coquantur igne admodùm lento, donec satis esse videatur: deinde addatur

Aluminis triti ℥ j. *gummi Arabici* ʒ ij.

Misceantur: deinde ablata aqua ab igne, servetur in aliquo vase optimè obturato. *Alexius.*

Alia, faciem rubram faciem.

℞. *Rad. Sigilli Salomonis* ℥ x. *rad. cyclaminis* ℥ v. *rad. Serpentariæ seu ari* ℥ j. *lardi mundi* ℥ j ß. *limonum incisorum num.* 5. *medullæ panis albi in lacte macerati q. s. sublimati, aluminis scariolæ ana* ℥ ij. *aluminis rochæ* ℥ j ß. *porcellanarum in succo limonum dissolutarum* ℥ j.

Misce & destilla. *Marinellus.*

Aqua faciem rubram reddens.

℞. *Radic. Serpentariæ major. mundatarum & contusarum q. s. aquæ fontanæ q. s.*

Misceantur, & coquantur usque ad consumptionem quartæ partis: deinde ab igne auferatur, & servetur in vase cooperto, qua facies lavetur. *Marinellus.*

Faciem quoque rubram reddunt, aqua ex rad. Serpentariæ, ex rad. Bryoniæ, ex rad. Cyclaminis destillata. *Idem.*

Aqua faciem colorans.

℞. *Rad. dracunculi seu serpentariæ, rad. liliorum alborum, lardi recentis ana* ℔ ß. *aquæ flor. fabarum* ℥ IV. *aquæ rosarum* ℥ VIII. *moschi, cinnamomi* ʒ j.

Trita destillentur. *Marinellus.*

Alia, ejusdem.

℞. *Boracis* ʒ j. *sublimati* ℥ j. *caphuræ* ʒ ß. *salis gemmæ* ℥ j. *salis alkali. aluminis rochæ, aluminis scariolæ ana* ʒ ij. *aluminis plumæ, aluminis zuccharini ana* ℥ ß. *aquæ rosarum q. s.*

Coquantur in vase vitreo, usque ad dimidiæ partis consumptionem: & servetur.

Alia faciem coloratam reddens.

℞. *Aquæ flor. fabarum aquæ rosarum an.* ℥ IV. *aquæ flor. nymphææ* ℥ VI. *tragacanthæ tritæ* ʒ j.

Misce, & ponantur ad Solem per sex vel octo dies: deinde cola, & serva. Hac facies priùs lota, lavetur. *Marinellus.*

Alia, ejusdem.

℞. *Lactis caprini mens.* 2. *panis albi calidi num.* 1. *rad. dracunculi, seu serpentariæ, rad. Sigilli Salomonis an.* ℔ ß. *caput vervecis incisum, unum, boracis, aluminis Scariolæ ana* ℥ ß. *succi limonum, porcellanarum in succo prædicto dissolut. cerussæ an.* ℥ j. *lithargyri, sublimat. ana* ℥ ß.

Terenda in pulverem redigantur, incidenda incidantur minutim: deinde misceantur, & destillentur.

Alia, ejusdem.

℞. *Cerussæ* ℥ ij. *sublimati* ℥ j. *aluminis plumæ, aluminis scariolæ an.* ℥ ß. *boracis* ʒ ij. *caphuræ* ʒ j. *sacchari candi* ℈ ij. *aluminis rochæ* ℈ j.

Trita ponantur in panno lineo ligato: adde deinde

Columbam albam juvenem, mundatam, in frusta minuta incisam.

Hæc simul coquantur in lacte capræ vel asinæ, donec caro ab ossibus separetur. Postea omnia alembico destillentur.

Alia, ejusdem.

℞. *Limaciarum, salis gemmæ, succi limonum ana q. s.*

Incisa & trita misceantur benè, & in balneo Mariæ destillentur.

Alia ejusdem.

℞. *Limonum incisorum num.* XII. *succi bryoniæ, vini albi ana q. s. aluminis ovorum num.* 3.

Misce & destilla.

De Aquis faciem denigrantibus.

Aqua faciem denigrans.

Juglandis calloso herbidoque putamine illo, quod guliocam dicunt, & gallis, Chymistarum organis clarissima eliciatur aqua: qua si facies vel manus maduerint, nigrescunt paulatim, ut Æthiopis videantur: Quod si abjicere, & pristinæ albedini restituere vis, acetum, limonis succum, & colophoniam extillabis: talisque lorura nigrum illud abjicit & propulsat. *Joan. Baptista Porta.*

De Aquis Faciem juvenilem reddentibus.

Aqua faciem juvenilem reddens.

℞. *Sulphuris vivi* ℥ j. *olibani, myrrhæ ana* ℥ ij. *ambræ* VI.

Trita misceantur addendo

Aquæ rosarum ℔ j.

Destillentur, & servetur aqua in vase obturato: qua si quis uti volet, vesperi cùm itur cubitum, hac lavet faciem, & erit venustissima. *Alexius.*

Alia ejusdem, ad idem.

℞ *Pedes vituli duos, aquæ fluvialis* ℔ XVIII.

Coque simul usque ad consumptionem medietatis. Deinde adde

Oryzæ ℔ j. *medullæ panis, in lacte mollita nu.* I. *butyri recentis* ℔ ij. *album. ovorum cum cort. num.* X.

Misceantur omnia, & coquantur: deinde destillen-

lentur, quousque omnis aqua exierit: cui denique adde

Caphuræ, Aluminis, Zuccharini ana parum, & erit optima.

Alia ejusdem, ad idem.

℞. *Aquæ vitæ ℥ ij. aquæ ex flor. fabarum, aquæ rosarum ana ℥ IV, aquæ nymphææ ℥ VI.*

Missis omnibus adjice tragacanthæ albissimæ ʒ j. Per sex dies insolatam hanc aquam colabis linteo puro. Usus ejus est manè, ita ut non abstergatur.

De Aquis faciei maculas tollentibus.

Aqua ad verrucas, & alia tubercula faciei.

℞. *Salis Ammoniaci, vitrioli romani, viridis æris ana ℥ ij. aluminis rubri ℥ ji calcis vivæ ℥ ß.*

Destillentur in alembico vitreo. Rejiciatur primus liquor: secundus efficacior erit, & servetur usui. *Rondeletius.*

Alia, ad rugas faciei.

♃. *Decoctionis bryoniæ, decoctionis ficuum ana partes æquales.*

Abluatur facies, *Rondeletius.*

Ad impetigines faciei.

♃. *Aquæ lapathi acuti ℥ IV. boracis ℥ iij. salis communis ʒ j. aceti scillitici ℥ j.*

Misce. *Rondeletius.*

Aqua ad prohibendas impetigines.

♃. *Aceti albi optimi ℥ iij. Succi lapathi acuti, succi limonum ana ʒ iij. lithargyri auri ℔ j.*

Decoquantur leviter, deinde destillentur, & ad usum serventur. *Rondeletius,*

Aqua ad dealbandas faciei maculas.

♃. *Aquæ vitæ optim. part. 3. florum anthos part. 2.*

Macerentur simul per diem & noctem: deinde destillentur. *Rondeletius.*

Aqua ad tollendum omnes molestias in facie.

Florem farinæ frumenti subigito cum sextario lactis caprini: inde panem in furno leniter coquito, & extrahito, antequam nimium coctus sit. Hujus panis medullam per minuta frusta divisam, aut friatam, & in alio recenti lacte caprino infusam per sex horas relinquito. Admiscebis *aquam in duodecim albuminibus ovorum cum spongia factam: calcis de putaminibus ovorum ℥ j. caphuræ, aluminis saccharini, coralij albi ana ℥ ij.* Omnia trita cum liquidis incorporentur, & in alembico vitreo destillentur. *Alexius.*

Aqua ad rugas faciei.

♃. *Malum granatum num. 1.*

Ab interioribus munda & evacua: infunde serum lactis cum vino ana q. s. & coque, donec vinum evanuerit: & utere. *Marinellus.*

Aqua ad maculas faciei.

♃. *Aquæ rosarum, succi limonum ana ℥ ix. sublimati ℥ ij. albuminum ovorum num. 4.*

Misce omnia diligenter: deinde pone ad Solem per dies octo, & serva ad usum. *Isabella Cortese.*

Alia, ejusdem.

♃. *Lactis Asinæ ℔ IV. vini albi ℔ j. medullæ panis recentis num. 2. ovorum cum corticibus num. 12. sacchari candi ʒ iij.* Contusa destilla.

Aqua ad delenda variolarum vestigia.

♃. *Masticis, Myrrhæ, Aloës hepaticæ, Nardi, sanguinis draconis, olibani, opopanacis, bdellij, carpobalsami, croci, gummi arabici, styracis liquid. ana ℥ ij ß.*

Terantur omnia, & cum Terebinthina ad pondus omnium, destillet vitreis organis liquor. Idem facit aqua è fabis, è pedibus vituli, arietis, porcellorum è melle, radice serpentariæ, limonibus, arantiis, floribus fabarum, corticibus ovorum, &c. *Rubeus.*

De Potionibus ornantibus corpus Sectio II.

Potio impinguans corpus.

♃. *Farinæ cicerum, item fabarum, hordei, orizæ ana part. 1. farinæ lentium, farinæ papaveris albi ana part. ß. frumenti, farinæ sesami ana part. 1. sacchari duplum.*

Coquantur in sufficienti quantitate lactis ovini: de quo sumat quotidie stomacho jejuno poculum unum, super dormiendo per horam dimidiam. *Marinellus.*

Alia, ejusdem.

♃. *Lactis aquæ fontanæ ana ℔ j.*

Coquantur simul usque ad consumptionem aquæ: deinde adde

Sacchari penidij, butyri recentis ana ℥ j. olei amygdal. dulc. recent. ℥ ß.

Coquantur iterum bullitione una: & sumatur stomacho jejuno, aliquandiu superdormiendo.

Potio maciem inducens.

♃. *Aristolochiæ rotundæ ʒ j. centaurij minoris ℈ 1. Gentianæ, polij, petroselini ana ʒ iij.*

Trita sumantur cum vino albo, stomacho jejuno. *Marinellus.*

De Balneis mundantibus corpus, Sectio III.

Balneum mundans.

℞. *Parietariæ, Malvæ cum rad. Acanthi, violariæ ana m. 1. Hordei integri p. ij. violarum, chamomillæ ana p. iij.*

Fiat decoctio in aqua pluviæ, & in ea paretur balneum, quo jejuno ventriculo lavetur. Deinde ubi sudaverit corpus in lecto, diligenter detergendum est. *Rondeletius.*

Balneum corporis sordes abstergens, ipsumque venustum reddens.

♃. *Salviæ, flor. lavendulæ, flor. rosarum ana m. iij. Salis parum.*

Coquantur in aqua, vel lixivio, q. s. fiatque lavacrum non nimis calidum, in quo totum corpus ante cibum horis duabus lavetur. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad sordes.

♃. *Aquæ rosarum, aceti, salis ana quantum sufficit.*

Fiat decoctio cum aqua fontana: de qua

♃. *Pocula duo, furfuris q. s.*

Misce, quo fricetur totum corpus: deinde mulier se abluat aqua calida, vel balneum aquæ dulcis ingrediatur.

Balneum ad cutis vitia pro biliosis.

♃. *Hordei mundati p. iij. althææ, malvæ, violariæ ana m. iij. betæ, parietariæ, buglossæ, borraginis ana m. ji sem. cucurbitæ, item Citrulli. Melonum, Cucumeris, Lini, fœnugræci ana ʒ ij. violarum, rosarum, flor. nenupharis, florum liliorum ana p. ij.*

Fiat decoctio in decoctione pedum & capitis arietis, & paretur balneum tepidum. *Rondeletius.*

Balneum ad cutis vitia, valentius.

♃. *Rad. liliorum. item Serpentariæ, bryoniæ ana ℔ j.*

borraginis, buglossæ, fumariæ, Saponariæ ana m. ij. parietariæ, adianthi, malvæ, violariæ ana m. j. hordei integri, fabarum excort. oryzæ ana ℥ iij. flor. meliloti, item chamomillæ, anthos, malvæ, violarum ana p. ij. rad. Ireos, nitri ana q. s.

Fiat decoctio pro balneo. *Rondeletius.*

Balneum odoriferum, pro nobilioribus fœminis.

℞. *Rosarum, cort. mali citri, flor. mali citri, item mali arantii, jasmini, lauri, rorismarini, lavendulæ, menthæ, pulegii, aquæ fontanæ ana q. s.*

Coquantur simul leviter, pareturque lavacrum: cui adde

Olei spicæ g. VI. *moschi g. v. Ambræ g. iij. asæ dulcis ℥ j.* Ingrediatur fœmina horis duabus ante cibum. *Marinellus.*

De Lotionibus, seu Lixiviis ornantibus Capillos, *Sectio.* IV.

De Lixiviis Capillos tingentibus flavos.

Lixivium capillos pulchriores reddens.

Si velis capillos pulchriores reddere, & redolentes, caput lixivio, à Galeno stillatitio nuncupato, abluito: confectio utique ex pauco vitis crematæ cinere, nodorum paleæ hordei, & glycyrrhizæ, mali terræ, seu cyclamini: dumque caput pectitur, capillis caryophyllorum pulverem superaspergito, rosarum, nucis moschatæ, cardamomi & galangæ cum rosacea, pectine etiam in eisdem madefacto. Redduntur & pulchri, glandium fagi decocto sæpiùs loti. *Fumanellus.*

Aliud, flavos reddens capillos.

♃. *Rubiæ tinctorum, stœchadis citrinæ, polytrichi, absinthij, lupinorum ana q. s.*

Ponantur in aqua, vel lixivio, in vase vitreo per novem dies movendo singulo die bis: & infundatur spongia in ea, cum qua laventur capilli: & post exiccationem laventur cum aqua calida & sapone. *Bayrus.*

Lixivium capillos aureo colore tingens.

♃. *Palearum hordei, cort. glycyrrhizæ, rasuræ buxi, fol. buxi, croci, cumini ana q. s. lixivij è sarmentitio cinere q. s.*

Coquantur omnia benè, & fiat lixivium: quo si sæpiùs laventur, maxime flavescent, aurique colorem imitabuntur. *Alexius.*

Lixivium capillos flavos reddens.

♃. *Lixivij sarmentorum q. s. ad lavandum semel capillos. Flor. thapsi barbati, flor. stœchados, rad. chelidoniæ ana p j.*

Coquantur simul. Ex hac decoctione caput priùs lotum lixivio communi, & siccatum rursus lavetur, & sensim siccetur linteis calidis. Italicæ mulieres bulliunt in lixivio communi flores stœchados contusos, & rasuram Sandali citrini. *Rondeletius.*

Aliud, ad idem.

♃. *Buxi rasi, stœchadis, cort. mali citri, glycyrrhizæ, tritæ, rad. ungulæ caballinæ, capillorum veneris ana q. s. croci parum.*

Coquantur in aqua usque ad consumptionem tertiæ partis; coletur: quo caput lavetur, & pecten inungatur. *Marinellus.*

Aliud, ejusdem.

♃. *Palearum hordei q. s. Flor. myrti, buxi rasi, croci, cumini, alcannæ ana ℥ iij,*

Coquantur in lixivio sarmentorum: quo caput lavetur.

Aliud ejusdem.

℞. *Lupinorum ℥ i ß. myrrhæ ℥ j. Staphidis agriæ, Tartari albi ana ℥ ß.*

Coquantur in lixivio: quo capilli tingantur.

Aliud, ad idem.

♃. *Straminis avenæ, rad. chelidoniæ, agrimoniæ, rasuræ buxi, cinerum vitium, cinerum avenæ ana q. s.*

Cum aqua calida fiat lixivium: quo caput lavetur. *Trotula.*

Lixivium capillos colore afficiens croceo.

Lixivium in quo modicum rhabarbari dissolutum fuerit, capillos croceo tingit colore. *Fumanellus.*

Aliud, capillos flavos reddens.

Fulvos reddunt capillos lupini crudi, cum aqua & nitro illiti. *Galenus.*

Aliud, ad idem.

♃. *Lupinorum tritorum, myrrhæ ana ʒ v. salis nitri, tartari albi usti ana ʒ iij. lixivij sarmentorum vitium q. s.*

Misce, & fiat lixivium: quo capilli ad Solem laventur cum spongia vel pectine. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Cort. berberorum ℥ ß. rad. glycyrrhizæ ℥ ij ß. Ceterach. polypodii ana m. j.*

Fiat decoctio in aqua vel lixivio: coletur. Ad ℔ j. adde

Mellis communis ℥ j. aquæ serpentariæ, aquæ ari ana ℥ ß,

Misce: & cum spongia vel pectine capillos unge ad Solem. *Rondeletius.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Tartari calcinati ℥ j. rad. alcannæ ℥ ij. rad. raphani ℥ iij,*

Pistentur optimè, & bulliant: fricentur capilli cum ibit cubitum. Manè autem lavetur lixivio sarmentorum.

Aliud, ad flavos crines reddendos.

℞. *Lixivii de cinere hederæ ligni decorticati.*

Lavetur sæpè caput, & evenient flavi. *Rondelet.*

Lixivium ad reddendos pilos rufos & crispos.

Bononiæ lavantur in lixivio sarmentorum, in quo sunt rasuræ buxi & corticis citri maceratæ, in Italia quoque aiunt radicem gentianæ idem præstare. *Rondeletius.*

Lixivium, capillos flavos, lucidos & longos reddens, memoriamque juvans.

℞. *Lixivii communis tantum, quantum decies eo caput lavari possit. cort. arantiorum dulcium nu.* VI. *cort. mali citri quantum voles. Flor. chamomillæ, foliorum lauri, capill. veneris ana m. j. agrimoniæ m. ß. palearum hordei incisarum m. iij. lupinorum aridorum m. i. fœnigræci m. ij. tartari usti ℔ ß. flor. Spiritu m. v.*

Misceantur, ponanturque in vas aliquod magnum, & servetur ad usum. Quum hoc uti voles, sumito parum ex vase, atque in alio vase calefacito: addeque, si lubet, aliquantulum myrrhæ, & cinnamomi; & sic erit optimum. *Alexander.*

Lotio

Lotio capillorum.

℞. Aluminis fæcum ℥ VIII. *centauriæ* ℔ *j, gummi Arabici, amyli ana* ℥ *iij. saponis albi* ℥ *j. aquæ fluvialis* ℔ *j.*

Misceantur, & coquantur usque ad consumptionem quartæ partis. Postquam caput lixivio fuerit lotum, hæc aqua cum spongia ad Solem tinguntur. *Marinellus.*

Lixivium capillos flavos reddens.

℞. Flor. Verbasci m. j. fœnigræci ℥ *ij. cineris vitium, cineris ligni hederæ ana m. j. aquæ pluviæ* ℔ x.

Coquantur simul usque ad dimidiæ partis consumptionem: coletur, addanturque

Smegmatis albissimi ℔ IV.

Misceantur & ponantur ad Solem per mensem unum: quo tingantur capilli ad Solem cum spongia vel pectine, &c. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. Lixivij, ex cineribus ligni hederæ facti quantum sufficit. Flor. Thapsi barbati, flor. perforatæ, fœnigræci an. q. s.

Coquantur, & fiat lixivium: quo capilli laventur. *Marinellus,*

Aliud ejusdem.

℞. Lixivii sarmentorum vitium, Flor. verbasci, flor. stœchados, rasuræ ligni rusci, rad. chelidoniæ ana q. s.

Coquantur: quo capilli laventur.

Lixivium capillos aureos reddens.

Stipites & radices caulium pulverizentur, & cum eis admisceantur rasura buxi vel eboris pulverizata, & ex istis pulveribus fiat lixivium, quod facit capillos *Trotula.*

Aliud, ad idem.

℞. Lixivij ex cineribus vitium q. s. croci, saponis albi ana q. s. Misce. *Marinellus.*

Alia ejusdem.

℞. Lixivij sarment. vitium, pulegij ana q. s.
Misce, & coquantur: quo capilli laventur.

Aliud, ad idem.

℞. Lixivij ex cineribus caulium facti quantum sufficit. Agrimoniæ, rad. salis an. q. s. aloës parum.
Coquantur simul: deinde adde
Croci, rhabarbari triti an. parum.
Misce, & fiat lixivium, quo caput vesperi lavetur, pannoque linteo calido involvatur: & manè flavi conspicientur, *Marinellus.*

De Lixiviis tingentibus capillos nigros.

Lixivium capillos denigrans.

℞. Succi cort. Nucis juglandis ℔ III. *lythargyri triti* ℔ *j.*

Omnibus cum lixivio mixtis capillos abluito. *Fumanellus.*

Lixivium capillos nigro colore tingens.

℞. Corticum ficus, gallarum, Elates, rubi, cupressi an. q. s.

Misceantur, & fiat lixivium, quo capilli laventur. *Joan. Baptista Porta.*

Aliud ad idem.

℞. Foliorum ficus fol. vitis nigræ, fol. mori an. ℔ *j. aquæ pluviæ q. s.*

Macerentur per diem unum: deinde coquantur, quo capilli laventur. *Marinellus.*

Lixivium capillos nigros reddens.

℞. Lixivij communis q. s. foliorum betæ m. j. salviæ m. iij. vel IV. myrrhæ, fol. lauri, Cort. nucum viridium ana q. s.

Misceantur & coquantur, quo lavetur caput: deinde in fine abluatur facies & collum lixivio simplici. *Alexius.*

Aliud ad idem.

℞. Baccarum myrti, sumach, salviæ, nucum cupressi, myrobal. citrinarum, chebularum, lixivij communis ana q. s.

Coquantur omnia simul usque ad consumptionem tertiæ partis, fiatque lixivium, quo caput lavetur *Marinellus.*

Aliud.

℞. Myrobal. Indarum, gallarum, nucum cupressi, balaustiorum, baccarum myrti ana ℥ *j. aluminis rochæ* ℥ ß. *salis gemmæ* ʒ *j.*

Trita coquantur in aqua, qua capilli laventur. *Marinellus.*

Lixivium capillos denigrans.

℞. Lixivij communis q. s. lithargyri auri ℔ *j.*
Coquantur aliquandiu simul, deinde ab igne removeantur, addaturque
Olei Tartari ℥ ß.
Misce, & capillos inunge. *Isabella Cortese.*

Aliud.

℞. Lixivij communis part. ij. cineris cerri, sal nitri ana part. I.

Misce, quo capilli laventur. *Isabella Cortese.*

Aliud, capillos & barbam nigro colore tingens.

℞. Argenti spumæ, æris combusti an. part. j. lixivij fortissimi part. 4.

Coquantur, levibus prunis, dumque in bullas erumpit, lavabis, & resiccatos calida perlues aqua. *Joan. Baptista Porta.*

Aliud.

Accipiatur aqua capitelli, in qua ponantur acus quatuor ferreæ, donec eliquentur, & auripigmentum tritum: & cum penna abluatur pecten cum dicta aqua, & pectantur capilli ad ignem, vel Solem: ita tamen, ut cutis non tangatur. *Fumanellus.*

De Lixiviis tingentibus capillos rubros.

Lixivium capillos rubros reddens.

℞. Lupinorum tritorum ʒ x. *myrrhæ* ʒ *ß. florum salicis, tartari usti ana* ʒ *iij.*

Trita ponantur in lixivio, coquanturque usque ad spissitudinem: quo tingantur capilli. *Marinellus.*

Aliud.

℞. Sumach. ℥ *ij. Gallarum* ℥ *iij. rubiæ* ℥ *ij. capill. veneris, absinthij an.* ℥ *j. lupinorum excortic. m. ij. aquæ* ℔ 10,

Macerentur per aliquot dies: quo capilli laventur *Marinellus.*

De Lixiviis tingentibus capillos albos.

Lotio.

℞. Centaurii majoris ʒ IV. *aluminis fæcis* ℥ VII. *aluminis rochæ, gummi arabici an.* ℥ *ij. saponis albi mundi, lacbrymæ ex tragacantha an.* ℥ IV. *aquæ claræ* ℥ *vj.*

Coquantur ad dimidias, & colentur: caputque hac lo um colatura, ad Solemque ficcatum, denuò abluatur lixivio. *Fumanellus.*

Aliud.

℞. *Cineris vitis* ℔j, *aquæ* ℔vj.
Confice lixivium *Fumanellus.*

De Lixiviis prolongantibus Capillos.

Lotio capillos longos reddens.

℞. *Agrimoniæ, Cort. ulmi, Verbenacæ, aquæ pluviæ ana q. s.*
Miſceantur, & coquantur uſque ad conſumptionem tertiæ partis: quo ſingulis ſeptimanis ſemel laventur capilli. *Marinellus.*

Alia, ad idem.

℞. *Corticum Salicis, abſinthij, abrotani, Roſarum ſiccarum, Aquæ ana q. ſ.*
Miſceantur, & macerentur per integrum diem Veneris: die Sabbati coquantur uſque ad tertiæ partis conſumptionem, & capilli laventur. *Marinellus.*

Alia ejuſdem ad idem.

℞. *Seri lactis caprini q. ſ. cineris cannæ, ſem. Lini ana q. ſ.*
Coquantur ſimul: coletur, & fiat lotio, qua laventur capilli.

Alia.

℞. *Capillorum Veneris, Myrobalan. Emblicorum, Acetoſæ ana q. ſ.*
Coquantur in aqua: colaturæ adde Myrrhæ q. ſ. fiatque lotio, qua laventur capilli. *Marinellus.*

De Lixiviis Augentibus capillos.

Lixivium capillos augens.

℞. *Agrimoniæ, Cort. Ulmi, rad. Salicis, abrotani, Althææ, pilularum populi albæ, cinerum, ſtipitum caulium, aquæ ana q. ſ.*
Fiat lixivium, quo capilli laventur. *Fumanellus.*

Aliud, ejuſdem.

℞. *Branchæ urſinæ, Lixivij communis ana q. ſ.*
Coquantur: quo capilli laventur.

Aliud, ad capillos ſpiſſandos.

℞. *Agrimoniæ, corticum ulmi, rad. Verbenæ, rad. Salicis, abrotani, Sem. Lini uſti, radicum cannæ ana q. ſ.*
Miſceantur omnia, & coquantur in lacte caprino vel aqua: & capilli laventur. *Alexius.*

Lotio pilos augens.

℞. *Polytrichi* ℥iij. *ladani, myrti, cucurbitæ uſtæ ana* ℥j. *aquæ* ℔x.
Trita macerentur per dies viginti, ſingulis diebus miſcendo: deinde coquantur uſque ad tertiæ partis conſumptionem, fiatque lixivium, quo caput lavetur. *Marinellus.*

Alia, ejuſdem.

℞. *Vini albi q. ſ. cineris capill. Veneris uſtorum, ſatis bonam quantitatem.*
Coquantur ſimul: quo capilli laventur.

De Lixiviis prohibentibus Capillos.

Lotio capillos creſcere non permittens.

Tithymalli decoctum, aceto, calce viva, & malvis commixtum. *Fumanellus.*

De Lixiviis Capillos criſpos reddentibus.

Lotio capillos criſpos reddens.

℞. *Radices althææ, in aqua decoctæ, percolentur, premanturque: & decocto addatur, ſeminis lini, ſem. pſyllii ana q. ſ.*
Et ex eorum colatura, poſt exactam commixtionem & compreſſionem, capilli abluantur, *Fumanellus.*

Alia, ejuſdem.

℞. *Farinæ Fœnigraci, Hyoſcyami, lithargyri auri ana part. æquales.*
Ponantur in lixivio quo capilli abluantur.

Alia ad idem.

℞. *Rad. filicis, fol. Betæ ana q. ſ.*
Coquantur ſimul uſque ad conſumptionem tertiæ partis: auferatur ab igne, addaturque.
Gummi Arabici q. ſ.
Miſce, & fiat lotio, quo capilli laventur: qui reſiccati oleo Myrtino tingantur. *Marinellus.*

De Oleis Ornantibus Faciem, Sectio. V.

De Oleis Faciem illuſtrantibus.

Oleum faciem exornans, puſtulaſque nigras delens.

Sumito tartarum ex vino albo in fruſta redactum, panno lineo aceto potenti madenti involutum, aut folijs caulium, ſtuppaque ſub cineribus calidis detentum, donec in exactum pulverem redigi valeat: quem in fictili vaſe, ac declivi, diebus quatuor, quinquéve Soli expones, & oleo quod ſtillabit, faciem aqua calida & ſapone lotam, deinde aqua ex furfuribus exiccatam linies. *Fumanellus.*

Aliud, Venetijs meretricibus conſuetum.

℞. *Tartari uſti* ℔. ß.
Pulverizetur, & reſicca, ut fit de ſale. Tunc accipe ſal illud, & pone intra albumina ovorum decocta, *Rondeletius.*

Oleum faciem illuſtrans & dealbans.

℞. *Vitellorum ovorum, ad duritiem coctorum N. xij. Olei lentiſcini poculum dimidium. Terebinthinæ lotæ duplum.*
Miſceantur, & coquantur aliquandiu ſimul: deinde ſub prælo exprimatur oleum, quo facies inungatur veſperi. *Marinellus.*

Oleum ad faciei ruborem diluendum.

℞. *Nucleorum perſicorum* ℥iv. *ſem. cucurbitarum* ℥ij.
Contundantur, & fiat oleum, quo inungatur facies, manè & veſperi. *Alexius.*

De Oleis Faciem tingentibus.

Oleum faciem colorans.

℞. *Olei communis, florum Roriſmarini ana part. j.*
Miſceantur, ponanturque in phialam vitream ſub fimo equino per tres ſeptimanas, vel per menſem: deinde coletur: ad Solem per aliquot dies ponatur, & utere. *Marinellus.*

De Oleis Rugas faciei tollentibus.

Oleum de sesamo, & decoctio granorum ejus, rugas distendunt, & molliunt, & solidant. Oleum etiam de glande est optimum. *Bayrus.*

Oleum ad faciei rugas.

Oleum tartari faciei rugas tollit: item oleum amygdalarum amarum: & oleum liliorum. *Marinellus.*

De Oleis Faciei maculas delentibus.

Oleum cicatrices delens.

Oleum dactylorum delendis vestigijs cicatricum conducit. *Rondeletius.*

Oleum ad faciei pustulas.

Nuces juglandes contere, & decoque, donec ex ipsis oleum aquæ supernatet: quo & utere. *Fumanellus.*

Oleum ad faciei maculas.

℞. *Florum rorismanini q. s.*

In vitreo vase recondito sub fimo, à pluvia tuto, diebus triginta servetur: quodque liquatum erit, Soli diebus novem exponatur, pulvere polypodij commixto, quantum tribus digitis capi potest: de quo singulo die per mensem sumatur. *Fumanellus.*

Oleum ad impetiginem faciei.

℞. *Lacertam viridem vivam*, coque in vino & oleo usque ad consumptionem vini: deinde cola, & utere. *Bayrus.*

* *Oleum Mezerei, oleum Fraxini, oleum Ovorum* omnes maculas, & lentigines faciei tollunt. *Marinellus.*

De Oleis Conservantibus & augentibus capillos.

Oleum capillos conservans, augensque.

Colocynthidem, abjectis quæ intùs sunt, *oleo laurino impleto*, additisque *hyosciyami semine*, & *auripigmento*, capillos illinito. *Fumanellus.*

Oleum capillos augens.

℞. *Sem. Bismalvæ q. s.*

Coquantur in oleo communi, quo capilli inungantur. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

Auget quoque capillos *oleum ex lumbricis terrestribus. Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Omphacij ℥ vj. Olei Lentiscini, Olei myrtini, olei ladani ana ℥ ij. capillorum veneris ℥ iv.*

Coquantur usque ad consumptionem omphacij, & oleo inungantur capilli. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Colocynthidem ab interioribus mundatam*: in cujus cavitate impone *olei lentiscini, quantum capere potest, croci parum*: coquantur simul, usque ad tertiæ partis consumptionem: & utere. *Marinellus.*

Oleum Albrotani, capillos producens.

Oleum Abrotani conficitur ut oleum rutaceum.

* Confert ad producendos pilos, & in casu pilorum cum *Ladano*, & *pinguedine ursi* illinitur. *Massa.*

De Oleis Capillos tingentibus.

Oleum capillos denigrans.

Capillos denigrat *oleum ex lacertis viridibus* confectum. *Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Alcannæ, Vitrioli, olei communis ana quantum sufficit.*

Ponantur ad ignem donec bullire incipiat: deinde servetur pro capillis inungendis. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Succi ex cort. salicis, olei communis, vel olei de costo ana q. s.*

Misce, & inunge capillos.

Oleum capillos denigrans.

℞. *Nucum viridium N. c. olei communis sextarium j. aluminis liquidi ℔ iij.*

Hæc simul in vas novum testaceum præmadefactum indito, idipsumque quàm diligentissimè oblitum in loco neque humecto nimiùm, neque calido reponito, & per menses tres sub terra situm finito, deinde auferto, oleoque utitor. *Galenus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Succi papaveris rubri, succi nucum viridium olei myrini, de costo ana part. j.*

Coquantur aliquandiu, & oleo capilli inungantur. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Myrobal. Emblicarum ℥ j. acaciæ ʒ x. gallarum, capitulorum glandium, baccarum myrti, sumach an. ʒ x. olei omphacini, olei amygdal. dulc. ana ℥ x. ladani ℥ iij. aceti parum.*

Misce, & coque usque ad aceti consumptionem serva, & utere. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

Si colocynthis, extractis seminibus, impleatur *oleo* (alij laurino) & *semine hyosciyami nigri integro*, & dimittatur sic per diem & noctem in loco calido, & ex oleo inungantur capilli, denigrat eos, tardando canitiem. *Bayrus.*

Oleum capillos flavos reddens.

℞. *Myrrhæ electæ, rad. majoris rubiæ, rad. chelidonij ana partes æquales.*

Omnia trita in oleo coquantur, in quo prius bullierint buxi scobes, ramentave & crocus. Hoc autem capilli inungantur, lori sæpiùs lixivio, è stipitibus fabarum confecto, atque hordei. *Fumanellus.*

Oleum capillos flavos longos, splendidos ut aurum reddens.

℞. *Olei sesamini mens. ℥ iij. sem. Liliorum alborum ℥ j. curcumæ ʒ ij. croci ʒ ß. cinnamomi, Belzoini, moschi, zibetti ana parum.*

Misceantur omnia, & ponantur in phialam aliquam vitream ad Solem, per æstatem integram. Hoc oleo pecten inungendum est: mox capilli ad solem pectendi, aut caput pexum calfacto velo tegendum, ita ut ne velo caput prematur, sed leniter tegatur. *Alexius.*

Oleum tingens cappillos rubros.

℞. *Tartari usti, olei masticis, resinæ pini an. quantum sufficit.*
Misce: & unge hoc oleo capillos. *Marinellus.*

De Oleis Capillos longos reddentibus.

Oleum capillos elongans.

℞. *Lacertas virides tres, olei myrtini q. s.*
Coquantur simul, donec dissolvatur caro, & inungatur pecten, &c. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Myrobal. emblicarum q. s.*
Macerentur in oleo sesamino, donec intumescant: deinde coquantur simul per quartam horæ partem.

Oleum præservans itinerantes à frigore.

Unguntur extremitates *ex oleo de euphorbio* calido, fricatis priùs extremitatibus: *& oleo de pyretro, & oleo de piperibus. Bayrus.*

De Unguentis Capillos Defluos Conservantibus, *Sectio.* VI.

Unguentum capillos conservans, augensque.

℞. *Ladani in vino austero macerati, & triti quantum sufficit. olei myrtini q. s.*
Misce, & fiat unguentum, quo pilos ante balneum subline. *Crito.*

Aliud, ejusdem.

℞. *Ladani part. ij. olei myrtini, vini an. q. s. adianthi part. j.*
Fiat unguentum.

Aliud, ad idem,

℞ *Baccarum myrti, ladani ana ℥ iij.*
Cum decocto acaciæ ad spissitudinem coque: deinde adde
Olei nardini, vel myrtini q. s.
Fiat unguentum. *Galenus ex Critone.*

Aliud, capillos conservans, ipsosque subnigros reddens.

℞. *Baccarum myrti, sem. betæ, virgultorum myrti an. sextarium j. adianthi, ladani an. sextar. ß. vini nigri sextar. vj.*
Coquito usquequò penitus dissolvantur: atque ubi tertia pars superfuerit, addito olei myrtini sextar. iii. rursusque coquito ad spissitudinem. *Crito.*

Unguentum capillos conservans.

℞. *Passi Cretici sextar. j. ladani ℥ j. corticis nucum pinearum usti sextantem. polytrichi usti ℥ i. adipis ursini ℔ j. succi betæ cyathos iij.*
Ladanum & passum, donec cogantur in unam compagem, coquito: deinde reliqua injicito, & sublata in vas plumbeum servato. *Galenus ex Critone.*

Aliud, defluos conservans, ejusdem.

℞. *Seminis apij sextantem, callitrichi sextantem, thuris sextantem, nuces juglandes N. xv. ladani sextantem, cort. nucis pineæ ℔ j.*
Omnia in novam ollam conjecta, & cum argilla probè obturata, in balnei fornace assato: deinde extracta terito, & adde
Adipis ursini ℔ j.
Subigito, & in pyxide ilicea aut cyprina reponito. Usu verò expetente, quantum satis videbitur ex pharmaco accipito, ac quocunque caput bis in die illinito.

Unguentum ad capillos defluentes.

℞. *Brassicæ aridæ q. s.*
Tere, atque cum aqua in formam unguenti redige, & impone. *Cleopatra.*

Aliud.

Ladanum in vino austero rigatum terito, & oleo myrteo ac vino vicissim affuso ad mellis spissitudinem redigito, ex eoque ante & post balneum caput illinito. *Galenus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Omphacij, vel vini immaturi ℔ j ß. ladani ℥ j. cort. pinearum usti ℥ ij. adianthi usti ℥ iij. adipis ursini vel anatis ℥ iv. succi solani ℥ i.*
Vinum & Ladanum simul coquantur, deinde reliqua addantur, & servetur. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Ladani, adianthi, olei myrtini an. ʒ j. rutæ ʒ ij. vini veteris q. s.*
Misceantur & contundantur: deinde addatur *pinguedinis ursinæ q. s. & fiat unguentum.*

Unguentum Archigenis, ad capillos defluos.

℞ *Ladani, absinthij an. part. æquales. baccarum Juniperi N. x. olei q. s.*
Misce, contunde, atque in unguenti formam redige. *Galenus.*

Aliud Archigenis, ad idem.

℞. *Adianthi nigri, myrti nigræ ana part. æqual. gallarum duplum.*
Cum oleo lentiscino vel myrtino ad mellis crassitudinem redige, & utere. *Galenus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Thuris, Misy, gallarum, adianthi ana part. æquales.*
Cum vino ad mellis spissitudinem in Sole terendo redige. Aut molliter cocta donec nigrescant, deindeque cum oleo lentiscino vel myrteo mista in usum adhibe,

Unguentum ad capillos defluos.

℞. *Absinthii, cort. Pinearum, fol. myrti, Adianthi ana q. s.*
In cinerem comburantur: quibus adde.
Ladani triti, myrrhæ an. part. æquales. olei ex sem. raphani, vini veteris ana q. s.
Fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ejusdem.

℞. *Ladani in vino macerati & triti, olei Myrtini an. part. j.*
Misce, & fiat unguentum.

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Acaciæ, ladani an. ʒ iij. olei Myrtini, vini an. ℥ ß.*
Misce, & fiat ungentum.

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Gallarum, Myrobalan. indarum, fol. myrti an. part. æquales.*
Coquantur in vino, colentur: colatura iterum ad spissitudinem coquatur: deinde addatur
Ladani, masticis an. ℥ j. olei omphacini, aquæ an. ℔ j.

Iterum coquantur ad crassitiem.

Aliud.

℞. *Ladani* ℥ III. *gallarum, myrrhæ, mastices, Thuris an.* ʒj. *caraui sylvestris*, ʒ II.

Dissolvantur omnia in oleo rosato: & utere. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Succi fol. Myrti, succi olivarum sylvestrium an.* ℥ II. *rosarum siccarum* ʒß. *Absinthij romani* ʒ II. *aceti* ℔ß.

Coquantur simul usque ad dimidij consumptionem: colentur, addanturque

Ladani ℥ II.

Quibus omnibus benè contusis, adde

Olei Myrtini, omphacij an. q. s. ad mellis crassitudinem. Adianthi triti ʒ III. *galliæ moschatæ* ʒj. *vel* ʒ II.

Fiat unguentum.

Aliud.

℞. *Baccarum myrti, cort. Arundinum ust. cort. pinearum ust. an.* ℥ß. *fol. myrti, Absinthij an.* ʒ II.

Trita misceantur cum oleo myrtino ad unguenti formam. *Marinellus.*

Alia, ad idem.

℞. *Capill. veneris ustorum, fol. myrti ustorum, cort. pini ust. an. q. s. seu part. æquales. thuris tantundem. ladani tantundem.*

Trita misceantur cum oleo ex sem. Raphani, & vino, ad formam unguenti. *Marinellus*

De Vnguentis Capillos restituentibus.

Unguentum capillos generans, Cleopatræ.

Arundinum tenellarum radices ubi contuderis, succum exprimito, muscasque ubi siccaveris, in pulticula misceto: simulque ursinum adipem, atque oleum cedrinum, ubi in unum triveris, atque unà miscueris, ad illinendum exhibeto. Quò verò odorem obtundas, vinum aut passum affundito. *Galenus,*

Aliud, capillos generans, Cleopatræ.

Lini semen siccum, unà cum lini stipula exurito, tritumque cum oleo sesamino illinito. *Galenus.*

Alia ad idem.

Apes crematas, cumque melle commixtas, capillis superponito. *Fumamellus.*

Aliud, ad pilorum regenerationem.

℞. *Olei Juniperini, olei nucum an.* ℥j. *mellis albi, succi lapathi an.* ℥ß. *sem. Apij triti, Asari triti an.* ʒ II.

Incorporentur simul, & ungatur locus. *Rondelet.*

Unguentum ad pilorum generationem.

Alcyonium, quod asperius est, ustum, ac cum oleo tritum ac lævigatum, loco illinito. Sit autem oleum maxime ex lucernis acceptum. *Galenus.*

Aliud, ad idem,

Erinaceorum marinorum testas exustas & adipe ursino subactas locis præfrictis impone. *Crito.*

Alia, ejusdem.

Arundinis radices ustas adipe ursino excipe atque impone.

Aliud, Orestini, ad alopecias inveteratas.

℞. *Muscerdæ, thuris an.* ℥ II.

Aceto acerrimo dissoluta prærasis locis illine. *Galenus.*

Aliud, ejusdem

℞. *Erinaceorum marinorum, unà cum testis exustorum, gallarum immaturarum, Amygdalarum amararum ustarum an.* ℥ II. *muscerdæ* ʒj.

Aceto dissoluta, & probè trita imponito.

Aliud, pilos generans, Orestini.

℞. *Pilorum ursi ustorum, Adianthi usti, rad. Arundinis ustarum, fol. visci ustorum, panniculi cilicij usti an. part. æquales.*

Adipe ursino & cedria excipe. *Galenus.*

Aliud, Orthonis Siculi, ad idem.

℞. *Cineris Ranarum minimarum, in olla ustarum, part. j. muscerdæ, Veratri albi, rad. Arundinis ustarum, piperis albi an. æqual. part.*

Aceto excipe, & ad præfrictum, ac prærasum locum utere. *Galenus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Cineris ungularum caprarum ustarum, succi thapsiæ Alcyonij, muscerdæ spumæ, nitri, myrrhæ, piperis albi, zingiberis an. part. æqual.*

Probe tritis felle caprino excipe. *Galenus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Succi fol. salicis, succi fol. myrti an.* ℥ß. *ladani* ℥j. *olei myrtini, quantum ad conficiendum unguentum satis est.*

Misce, & utere. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Apum ustarum, adianthi usti, olei rosati an. q. s.*

Fiat unguentum.

Unguentum pilos elephanticorum ubique renasci faciens.

℞. *Cineris talpæ, item vesparum, gallinarum an.* ʒ II. *Olei Irini* ℥ II. *ladani* ℥jß *ceræ modicum.*

Fiat linimentum. *Rondeletius.*

Unguentum pilos generans.

℞. *Corticum arundinis, spumæ nitri an.* ℥ß.

Pice liquida exceptis utere. Cæterum locum assidue radere, & cum linteolo confricare oportet: sic enim quàm celeberrimè pilos producet. *Galenus. ex Cleopatra.*

Aliud.

℞. *Murium domesticorum ustorum part. j. panniculi ampelini (aliàs linei) usti part. j. cort. arundinis part. j.*

Hæc omnia arida lævigentur, & sufficienti melle admisto ad crassitudinem mellis redigantur: indèque adeps & medulla liquefacta addantur, & in æream pyxidem reponantur: & ex eo alopecia, donec capillos producat, defricetur. *Galenus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Papaveris rubri, fol. myrti, capill. ven. lavendulæ, cyperi, sem. Apij, myrobal. Emblicarum, nucum cypressi an.* ʒj. *aquæ* ℔ III.

Co-

Coquantur omnia usque ad consumptionem duarum librarum: coletur: colaturæ adde.

Olei myrtini ℔j.

Iterum coctis ad consumptionem aquæ, adde

Cort. pinearum, ladani an. ℈j.

Misce, & fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

Erinacei terrestris caput aut corium ustum, tritum ac melle subactum illinito. *Galenus.*

Aliud, ejusdem.

Hippocampum marinum, & nitri parum coëxure, adipe anserino admisto, loco nitro præparato illine.

Aliud, ejusdem.

℞. *Calami cypr. j q. s.*

Folia olla exurito, deinde *resina pinus cineris* plurimum excipito, & præscarificatæ alopeciæ imponito, ac obligato.

Aliud Sorani, ad idem.

℞. *Adipis ursini, cineris fol. Arundinis ust. squamæ stomomatis an. part. j. aceti, olei veteris an. q. s.*

Fiat unguentum. *Galenus.*

Aliud, ejusdem.

℞. *Cineris arundinis usti, pilorum ursi, adianthi, adipis ursini, picis liquidæ, pilorum caprarum ust. cedriæ an. part. æqual.*

Liquida cum aridis committe: quæ præfrictis adhibe.

Unguentum ad alopeciam.

℞. *Fol. arundinis græcæ ustorum* ℥ß. *muscerdæ* ʒij. *erinaceorum ustorum* ʒj.

Cum aceto trita illine. *Galenus.*

Unguentum ad calvitiem.

℞. *Adipis taurinæ insolatæ* ℔j. *adarces* ℥j. *succi thapsiæ* ℥jß. *myrrhæ* ℥j. *polytrichi, callitrichi an.* ℔ß. *membri asinini, splenis asini, ladani an.* ℔j.

Ladanum in vino pauxillo macerato, adipem verò aquæ vapore liquefacito: asini membrum assatum, donec insumatur, radito: splenem verò cum callitricho & polytricho, in nova olla torrefacito: contusisque quæ contundi possunt, ac cribratis, omnia gleucino, aut sabino excipito, & ante balneum utitor, capite priùs pectinato. *Galenus.*

Unguentum ad barbam generandam, expertum.

℞. *Olei amygdal. dulcium, myrrhæ an.* ℥j. *cort. rad. arundinum ustarum, capil. vener. ust. polytrichi usti an.* ʒij. *capitum muscarum ustarum, apum contritarum in suis vacuitatibus an.* ʒß. *ladani* ʒij. *mellis* ℥j.

Pulverizentur: cum modico ceræ fiat linimentum. *Rondeletius.*

Aliud, ad idem.

℞. *Cineris Talpæ in clibano exiccatæ* ℥ij. *cineris Apum, cineris Avellanarum ustarum an.* ʒjß. *stercoris muris* ʒij. *ladani* ʒjß. *mellis optimi* ℥j. *olei nardini, ceræ an. l. q. s.*

Fiat Linimentum. Oportet manè faciem sequenti die, hac decoctione abluere:

℞. *Polytrichi, abrotani maris, rosʃ. rubrarum, fol. myrti, cort. rad. arundinis, flor. chamomillæ, rosʃ. rubrarum, fol. rumicis ana m. j. Lini guajaci* ℔ß.

Fiat decoctio: utatur, ut dixi. *Rondeletius.*

Aliud, ad idem.

℞. *Fœnigræci sextarios* IV. *seminis lini sextarios* II. *Ladani bessem, succi acaciæ sexuncem, folij malabathri sexuncem, gallas N. xx. onychis aromatici sextantem, calami syriaci sextantem &* ℥ß. *Bdellij sextantem, myrti ustæ sextarium j. musci, quem alij bryon aromaticum vocant, quadrantem. Iridis astragalitidis, alij Illyricæ, sextantem.*

Singula per se contundito, ac per cribrum arctius excutito, & deinceps misceto. *Galenus.*

Unguentum capillos generans.

℞. *Cineris cicadarum ustarum, cineris apum ustarum, olei myrti, vel axungiæ an. q. s.*

Misce, & fiat unguentum. *Marinellus.*

De Unguentis Capillos prohibentibus.

Unguentum capillos crescere non permittens.

℞. *Tithymali decoctum cum aceto, calce viva, & malvis commixtum. Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Gummi hederæ, ovorum formicar. Auripigmenti, colophoniæ an.* ℥j. *hirudinum sive sanguisugarum ustarum* ℥ß.

Trita misceantur cum ranarum sanguine, fiatque unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Sang. vespertil. succi hederæ, succi raphani, sevi caprini an. q. s.*

Misce, & fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Pinguedinis ranarum, item talpæ, Vespertilionis, gummi hederæ q. s.*

Fiat unguentum.

Aliud, ad idem.

℞. *Opij, jusquiami an. q. s.*

Trita cum aceto in unguenti formam redigantur, quotidie inungantur: & continuò frons depilata videbitur. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Castorei q. s. mellis despumati q. s. pro unguento.*

Aliud, ad idem.

℞. *Erinaceum integrum.*

Coquatur in oleo, donec caro ab ossibus separetur: cola, & prædicto oleo misce *ova formicarum*, & inunge. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Seminis cicutæ q. s.*

Trita cum sanguine Vespertilionis ad formam unguenti redigantur.

Aliud, ad idem.

℞. *Gummi hederæ* ℥j. *auripigmenti, colophoniæ, seminis cicu-*

cicutæ an. ℥ß. *castorei* ʒII. *apij* ʒj. *hyoscyami* ʒjß. *succi cicutæ, sanguinis vespertilionis an. q. s.*

Fiat unguentum, quo loca depilata inungantur. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Sanguinis vespertilionis, sanguinis humani, cassiæ recentis an. partes æquales, ovorum formicar. sem. jusquiami, sem. papaveris nigri an. part. æqual.*

Pulverizanda pulverizentur, atque cum cæteris misceantur, *Marinellus.*

Aliud ad idem.

℞. *Terræ Cimoliæ, cerussæ an. part. j. aluminis Rochæ part.* ß. *succi hyoscyami q. s.*

Fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Tartari albi triti, mellis despumati an. q. s.*

Misce, & inunge. *Marinellus.*

Aliud, ad idem,

℞. *Gummi vitis albæ, gummi hederæ, Bryoniæ.*

Trita misceantur cum oleo, in formam unguenti. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Ovorum formicarum, sanguinis ranarum, rubiginis ferri.*

Cum saliva misceantur.

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Fellis erinacei, fellis mergi, testarum marinarum ustarum, tritarum, sanguinis vespertilionis an. q. s.*

Fiat unguentum.

Aliud, ad idem.

℞. *Cineris hirundinum ustarum, lactis tithymali ana q. s.*

Fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞ *Gummi arabici, tragacanthæ, æris usti, viridis æris, arsenici, piperis longi, albi, nigri, lapidis hæmatitis, amyli, rubiæ tinctorum, squamæ æris usti an.* ʒII. *sang. draconis, acaciæ an* ʒjß. *thuris, spicæ, licij, gallarum ustarum an.* ʒj. *sarcocollæ, ammoniaci, in aqua vitæ dissoluti ana* ℥ß.

Trita cum succo citri vel limonum misceantur, fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Hyoscami, sang. draconis, gummi arabici, thuris albi an.* ʒvj. *aquæ solatri q. s.*

Trita cum coma misceantur ad formam unguenti. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Dactylorum ustorum* ʒIII. *spich* ʒII.

Trita misceantur cum melle & stercore talpæ, ad formam unguenti. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Rubiginis ferri, testarum marinarum ustarum an. q. s.*

Cum saliva hominis jejuni misceantur.

Ut pili cadant, & non renascantur.

℞. *Auripigmenti, ovorum formicarum, gummi arabici an.* ℥ß. *gummi hederæ* ℥II.

Cum sanguine vespertilionis, vel succo hyoscyami fiat unguentum. Applicetur, prius abrasis capillis. *Rondeletius.*

De Vnguentis Capillos auferentibus.

Psilothrum.

℞. *Auripigmenti auricoloris* ℈VII. *aut* ℈x. *calcis vivæ* ℈VII. *vel x. amyli sextantem, terræ Selinusiæ* ℥j.

Omnia trita, & per angustissimum cribrum excussa reponito. Usus verò tempore ex pharmaco quod sufficit acceptum, aqua conquassato: deinde illinire jubeto, ac animadverte ne exurat. *Galenus ex Critone.*

Aliud, cutem èvestigiò lævem reddens. Critonis.

℞. *Calcis vivæ part.* II. *auripigmenti part. j.*

Hæc in mortarium plumbeum conjecta, aqua aut ptisanæ succo affuso terito: atque ubi nigra reddentur, calefacta illini maximè in balneo jubeto. *Galenus.*

Aliud, Paridis saltatoris.

℞. *Sandarachæ* ʒj. *calcis vivæ sextarium j.*

Trita cum aqua diligenter coquito, atque ubi ebullire cœperint, ablatis utitor. *Galenus.*

Aliud.

℞. *Amyli, calcis vivæ, auripigmenti ana unc. j.*

Contusa & cribrata repone, uterque ut dictum est. *Galenus.*

Psilothrum Heraclidæ Tarentini, èvestigiò pilos tollens, Critonis.

℞. *Calcis vivæ, cimoliæ, pumicis usti ana sext. j. auripigmenti part. IV.*

Trita ac lævigata reponito. Usus tempore aqua dilutis, ut dictum est, utitor. *Galenus.*

Aliud pilos auferens, & cutim tenuans.

℞. *Succi fol. cucumeris agrestis, lactis amygdalarum, calcis vivæ, auripigmenti, galbani in vino macerati & percolati an. q. s.*

Invicem coctis adde

Olei rosati, masticis an. q. s. thuris, vernicis, rosarum, caryophyllorum, cumini, nucis moschatæ, cinnamomi an. parum.

Misce, & fiat unguentum. *Fumanellus.*

Aliud, ejusdem.

℞. *Cineris cerri part.* II. *auripigmenti part. j.*

Coquantur in aqua fluminis.

Aliud, ejusdem.

℞. *Saponis nigri* ℔j. *tartari* ℥jß. *auripigmenti* ℥vj. *succi cyperi* ʒxv. *calcis vivæ* ℥ß. *capitelli* ℥j.

Calx ponatur in capitello, & colata cæteris commisceatur.

Aliud.

℞. *Gummi hederæ* ℥II. *auripigmenti, ovorum formicarum, gummi Arabici an.* ʒIII.

In pollinem redacta, potenti aceto commisceantur. *Fumanellus.*

Unguentum pilos removens.

℞. *Auripigmenti* ℥III. *calcis vivæ* ʒj. *lixivij fortis q. s.*

Coquantur donec pluma immissa depiletur. *Alexius.*

Aliud

Aliud, depilans faciem.

℞. *Colophoniæ* ℥iv. *masticis*, *ammoniaci puri ana unc. j.*

Dissolve in vase terreo, benè mundo, & colabis supra aquam frigidam: collige, & malaxa simul, & solvatur parum de eo super ignem, & tepidum applicetur, superdimittendo per horas duas, deinde removeatur. *Alexius.*

Psilothrum.

℞. *Pulveris noctuæ* ℥j. *cumini, sanguinis vespertilionis an.* ℥ iii. *moschi* ℈j.

Fiat linimentum. Summoperè præstandum est, ut pars, cui debet applicari unguentum, primò lavetur lixivio cinerum sarmentorum. Quòd si post admotum medicamentum pruritus relinquatur in parte, ungatur ungento albo Rhasis, aut decocto seminis hyoscyami, aut seminis caulium. *Rondeletius.*

Aliud.

℞ *Sanguinis testudinis, item ranarum, vespertilionis, ovorum formicarum, auripigmenti rubri, gummi hederæ an. q. s.*

Misce cum aceto, & unge discretè, ne excoriet. *Bayrus.*

Alia ejusdem.

℞. *Auripigmenti*, *succi hyoscyami an. partes æquales*

Misce, & inunge.

Unguentum auferens pilos ex quacunque corporis parte.

℞. *Albuminum ovorum contusorum N.* iii. *calcis vivæ* ℥iix. *auripigmenti* ℥j. *lixivij q. s.*

Fiat unguentum, quo adhibita penna aliqua inungantur partes pilosæ. Quum autem per horæ quadrantem inunctæ fuerint, eluatur unguentum calidà aqua. *Alexius.*

Aliud.

℞. *Ovorum formicarum, succi hyoscyami, item cicutæ, sem. psyllij, sanguinis vespertilionis, sanguinis testudinis an. q. s.*

Misce, & inunge. Alij aurea bractea ignita locum impuberibus percurrunt, ut ne vestigium remaneat, nec amplius lanuginosum appareat. *Joan. Baptist. Porta.*

De Unguentis Capillos tingentibus flavos.

Unguentum capillos flavos reddens.

Flavos reddunt capillos lupini crudi, cum aqua & nitro illiti. *Galenus.*

Unguentum faciens capillos aureos.

℞. *Medianum corticem sambuci, flores genistæ, croci, vitellorum ovorum an. q. s.*

Coquantur in aqua. & quod supernataverit, colligatur, & inde capilli inungantur.

Aliud ad idem.

℞. *Tartari albi usti, olei balanini an. quantum sufficit.*

Fiat unguentum, quo capilli ad Solem inungantur pectendo. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Myrrhæ* ℥j. *salis albi* ℥ß.

Trita cum oleo balanino misceantur, ad formam unguenti.

Aliud capillos flavos reddens.

℞. *Flor. verbasci M. j. fœnigræci* ℥ ii. *cineris vitium, cineris ligni hederæ an. m. j. aquæ* ℔x.

Coquantur omnia simul usque ad consumptionem dimidiæ partis: colaturæ adde

Saponis albissimi ℔ iii. *croci* ʒii.

Relinquantur sic ad Solem, per mensem unum, miscendo singulis diebus cum baculo. Hoc unguento capilli ad Solem inungantur. *Marinellus.*

Linimentum ad clarificandos, & candidos reddendos capillos.

℞. *Stercoris hirundinem, rad. enulæ camp. sem. raphani, sulphuris, flor. capparis, thuris an.* ℥ß.

Omnia simul incorporentur cum paribus partibus fellis bovis albi: fricentur capilli priùs loti lixivio sarmentorum, & siccati. Et dum capilli erunt sua sponte siccati, à lotione in frictione rursum laventur in dicto lixivio, & siccentur paulatim panno calido. *Rondeletius.*

De Unguentis capillos nigros tingentibus.

Unguentum Capillos denigrans, Archigenis.

℞ *Spumæ argenti, cimoliæ, aluminis liquidi ana part. æquales.*

Prælotis & siccatis capillis, in noctem illinito, & betæ folijs supernè obligato. *Galenus.*

Aliud, ejusdem.

℞. *Terræ Selinusiæ*, *argenti spumæ*, *calcis an. part. æquales.*

Cum aqua ad mellis crassitudinem redige, & ubi liquido lixivio prælaveris, capillis vicissim inunge, similiterque betæ folijs impositis obligato. Manè verò excussos capillos applanato.

Aliud, barbam denigrans.

Super laridum & plumbum ustum cum betæ crudæ succo mellis spissitudine illita, sinito usque ad prandium, deinde abluito. *Galenus.*

Aliud.

℞. *Gallarum, thuris, nigellæ an.* ʒii.

Trita ponantur in malo cotoneo excavato: claudatur, & panis pasta involutum coquatur in clibano, donec comburatur: pulverizetur, cinisque cum oleo misceatur. *Marinellus*

Aliud, ejusdem.

℞. *Gallarum cum oleo communi ustarum* ℥ii. *aluminis rochæ* ʒii. *salis gemmæ* ʒj.

Cum oleo costino fiat unguentum.

Linimentum capillos canos nigros reddens.

℞. *Myrobalanorum nigrorum, emblicorum, gallarum ana P. x. ladani P. xx. fol. myrti, baccarum myrti ana P. xxx.*

Pul-

Pulverizata & cribrata infundantur in tribus libris olei per tres dies: deinde coquantur, donec inspissentur, & cum eis liniantur radices capillorum. *Bayrus.*

Aliud, ejuſdem.

℞. *Scoriæ ferri, limaturæ plumbi ana quantum sufficit.*

Coque in aceto uſque ad conſumptionem medietatis: cola, & unge. Inunctio cum plumbo combuſto, confecto cum ſucco betæ ad mellis conſiſtentiam, ungendo nigrificat barbam. *Bayrus.*

De Unguentis capillos tingentibus albos.

Unguentum dealbans capillos.

℞. *Stercoris Hirundinis, fellis tauri ana q. ſ.*

Miſce, & fiat unguentum.

Aliud, ejuſdem.

℞. *Enulæ, cort. rad. raphani, Aluminis glutinis an. part.* I.

Miſce, & unge.

Aliud.

℞. *Stercoris hirundinis, ſem. raphani, ſulphuris, Cort. rad. capparorum, Fellis vaccini, aceti optimi ana q. ſ.*

Fiat unguentum. *Marinellus.*

De Unguentis tingentibus capillos rubros.

Unguentum capillos rubros tingens.

℞. *Tartari uſti, triti, olei cucumeris ſylveſtris ana quantum ſufficit.*

Fiat linimentum, quo capilli inungantur. *Marinellus.*

De Unguentis capillos reddentibus criſpos.

Unguentum capillos criſpos reddens.

℞. *Cornu arietum q. ſ.*

Incidito, & cum oleo terito, capilloſque inungito. *Fumanellus.*

Aliud, ad criſpandos.

Radix ebuli teratur cum oleo, & inde caput ungatur, & cum foliis ejuſdem ſuperligetur caput. *Alexius.*

Aliud ad idem.

℞. *Succi betæ, ſucci myrti, olei communis ana quantum ſufficit.*

Miſce, & unge. *Marinellus.*

Aliud ad idem.

℞. *Nucleorum Pini uſtorum & tritorum, olei myrtini ana q. ſ.*

Miſce, & fiat unguentum. *Idem.*

Aliud ad idem.

℞. *Spumæ ſalis quæ bulliendo colligitur, myrrhæ ana q. ſ.*

Miſce, & fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud ad idem.

Myrrhæ, gummi Arabici, olei fœnigræci, olei hyoſcyami ana q. ſ.

Miſce, & fiat unguentum, quo capilli inungantur. *Marinellus.*

De Unguentis, ſuperciliorum vitia tollentibus.

Unguentum ad caſum ſuperciliorum.

℞. *Plumbi limati, pinguedinis Anatis ana q. ſ.*

Miſce, & fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud ejuſdem, ad idem.

℞. *Avellanarum toſtarum & tritarum, pinguedinis capræ, vel urſi ana q. ſ.*

Miſce, & fiat unguentum.

Aliud ejuſdem, ad idem.

℞. *Sem. juſquiami nigri* ʒ ij. *polytrici* ʒ j. *unguenti irini cochlearia iij.*

Trita cum unguento miſceantur ad formam unguenti.

Unguentum ſupercilia renaſci faciens.

℞. *Sem. Hyoſcyami uſti q. ſ.*

Cum aqua fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud ejuſdem, ad idem.

℞. *Apum uſtarum & tritarum q. ſ. cum oleo q. ſ.*

Fiat linimentum, quo ſupercilia inungantur.

Unguentum, ad ſuperciliorum pediculos.

℞. *Vitell. ovorum, ad duritiem coctorum num.* I. *aloes parum.*

Miſce, & inunge. *Marinellus.*

Aliud ejuſdem, ad idem.

℞. *Unguenti vivi, cum ſaliva extincti, ſtaphidis agriæ an.* ʒ ß. *butyri q. ſ.*

Fiat unguentum.

Aliud ad idem.

℞. *Pomorum coctorum & emundatorum num.* I. *argenti vivi ſaliva mortificati q. ſ.*

Miſce benè, & inunge. *Marinellus.*

Aliud ejuſdem, ad idem.

℞. *Staphidis agriæ* ʒ j. *olei abſinthii* ʒ ij. *ceræ q. ſ.*

Fiat linimentum.

Aliud, ad idem.

℞. *Aluminis ſaccharini, aloës, ſtaphidis agriæ, aceti ſcillitici ana q. ſ.*

Fiat unguentum. *Marinellus.*

De Unguentis, palpebrarum oculorumque livorem tollentibus.

℞. *Fabarum excort. tritarum q. ſ. Mellis q. ſ.*

Miſce, & fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Vitell. ovorum, ad duritiem coctorum q. ſ. mellis q. ſ.*

Contundantur ſimul ad formam unguenti, quo partes lividæ inungantur. *Marinellus.*

Aliud ejuſdem, ad idem.

℞. *Ceruſſæ, cumini, fabarum ana q. ſ.*

Trita cum ſucco coriandri fiat unguentum.

Unguentum ad caſum pilorum in palpebris.

℞. *Stibij uſti, & in lacte mulieris extincti* ʒ XIII. *aloes, Myrrhæ, ſpicæ nardi ana* ʒ ij. *hordei uſti* ʒ ß.

Aliud, ad pilos defluos in palpebris.

℞. *Medullæ pedis dextri bubuli, fuliginis ana quantum ſufficit.*

Miſce. *Marinellus.*

Ad caſum ſuperciliorum & barbæ.

℞. *Juſquiami* ʒ ij. *ſtercoris muris* ʒ j. *Polytrichi* ʒ ij *olei Irini q. ſ.*

Tere, & misce cum oleo, & præfomentando unge. *Bayrus.*

Unguentum ad oculorum lachrymas.

℞. *Myrrhæ, Cumini, Thuris, Masticis, ammoniaci, boli armeni an.* ℥ ß. *croci* ʒ ij.
Trita omnia cum albuminibus ovorum misceantur, & supra frontem & tempora ponantur. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Thuris, Masticis, gummi arabici, Tragacanthæ, boli armeni, tuthiæ, sanguinis draconis an.* ℥ ß.
Trita cum ovi albumine misceantur, & fronti temporibusque applicetur.

De Vnguentis, oculorum lachrymas sistentibus.

℞. *Chelidoniæ, Rutæ, Verbenacæ, cort. rad. fœniculi ana M. j.*
Contusa cum axungia porcina veteri fiat pasta, quæ coquatur in vino albo, usque ferè ad vini consumptionem: colaturæ expressæ adde
Ceræ albæ novæ, aloës an. ʒ *iij. viridis æris, croci an.* ʒ *j. thuris* ʒ *iij. masticis* ʒ IV. *caphuræ* ʒ *j.*
Fiat unguentum, quo oculi inungantur. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Aloës. sarcocollæ, thuris ana q. s.*
Trita cum succo fœniculi misceantur.

Unguentum ad oculorum lachrymas.

℞. *Tuthiæ præparatæ, sarcocollæ, myrrhæ, thuris, styracis, calamitæ, ambræ an.* ℈ *j. rosarum siccarum*, *sumach. sanguinis draconis an* ʒ VI.
Trita cum mucilagine tragacantæ & gummi arabici fiat unguentum, de quo parum in oculos ponatur. *Marinellus.*

Unguentum ad oculorum rubedinem.

℞. *Cumini triti q. s.*
Cum cera misceatur, & super oculos somni tempore ponatur. *Idem.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Tragacanthæ, gummi arabici, rosarum tritarum, amyli, cerussæ ana* ʒ *ij. opij* ℈ *j.*
Trita cum lacte mulieris misceantur.

De Vnguentis, cutis capitis vitia curantibus.

Unguentum ad achoras, Apollonii.

℞. *Cerussæ* ʒ VI. *spumæ argenti* ʒ ß. *sulphuris* ʒ VI. *olei rosacei, vel myrtini, ceræ an. q. s.*
Fiat unguentum. *Galenus.*

Aliud, Critonis.

℞. *Spumæ argenti* ʒ *j. fol. rutæ tenerorum* ʒ XXV. *aceti, olei rosati, vel myrtini ana q. s.*
Misce, & cum penna illinito. *Galenus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Cerussæ ustæ, rutæ, mannæ, thuris an.* ʒ C. *corticis, Pinus* ʒ L. *Olei myrtini sextarios ij acet. tantundem.*
Misce. *Galenus.*

Aliud, ejusdem.

℞. *Recrementi, plumbi, pampinorum vitis, thuris, Myrrhæ, spumæ nitri ana* ʒ L. *olei myrtini, aceti quantum sufficit.* Misce. *Galenus.*

Unguentum ad achoras, Cleopatræ reginæ.

℞. *Cerussæ frictæ, thuris ana* ʒ *ij. sulphuris* ʒ *j.*
Trita ex oleo illinito. *Galenus.*

Aliud ad achoras & furfures, ejusdem.

℞. *Nitri, atramenti sutorij an.* ʒ *j. ole. q. s.*
Trita cum oleo misceantur.

Aliud ad achoras, Cleopatræ.

℞. *Sulphuris vivi* ʒ VI. *thuris masculi, aluminis scissi, staphidis sylvestris, erucæ, spumæ nitri, atramenti sutorij an.* ʒ *j. rutæ ramulos iij. olei laurini, vel myrtini, aceti ana q. s.*
Fiat unguentum. *Galenus.*

Aliud, Sorani.

℞. *Sulphuris vivi, spumæ argenti, cerussæ ana parti æquales. Croci part. dimidiam.*
Trita cum passo Cretico illinito.

Aliud, ejusdem.

℞. *Spumæ argenti, calcis vivæ an.* ʒ XX. *aceti, vel olei heminam j.*
Trita misce. *Galenus.*

Aliud, ejusdem.

℞. *Chalcitidis* ʒ *ij. sandarachæ* ℥ ß. *spumæ argenti* ʒ *j. olei myrtini, aceti ana q. s.*
Misce, & fiat unguentum.

Aliud, ad achoras & tineam.

℞. *Succi betæ, succi chelidonij, axungiæ porci an.* ℥ *ij. ellebori albi* ℥ *j.* ʒ *ij.*
Misce, & fiat unguentum. *Fumanellus.*

Aliud, ad tineam & scabiem.

℞. *Ellebori albi, nigri, sulphuris vivi, auripigmenti, Lithargyri, calcis vivæ, vitrioli, aluminis, gallarum, fuliginis, cineris clevelati an.* ℥ ß. *argenti vivi extincti, viridis æris ana* ʒ *ij. succi fumiterræ, olei ana q. s.*
Fiat unguentum. *Fumanellus.*

Unguentum ad tineam.

℞. *Fœnigræci* ℔ *j. sanguinis draconis triti* ℥ *j. pumicis* ℔ *j. terebinthinæ* ℥ V. *mellis* ℥ *j. vitell. ovorum num.* IV. *olei rosati* ℥ *ij.*
Misce, fiat unguentum: quo capite priùs abraso, & cum infantium urina abluto, ac spongia deterso, & oleo de semine lini peruncto, utatur. *Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Chelidonij part.* 3. *pinguedinis suillæ tantundem. Ellebori albi part.* I.
Misce. *Fumanellus.*

Unguentum ad crustas puerorum in capite.

℞. *Myrrhæ, rad. Iridis, hellebori nigri, olei ovorum ana q. s.*
Trita misceantur in formam unguenti. Similiter oleum de frumento valet. *Bayrus.*

Unguentum ad furfures capitis.

℞. *Farinæ, ciceris, farinæ fœnigræci, baurach, furfuris, myrtillorum, sinapis ana* ℥ XV. *olei communis quantum sufficit, aceti, aquæ ana parum.*
Fiat unguentum, quo caput derasum & ablutum ungatur. *Fumanellus.*

Aliud

Aliud, ad furfures.

℞. *Spumæ nitri, atramenti sutorij ana partes æquales, vini quantum sufficit.*

Misce: atque ter aut quater in mense affricato. *Galenus.*

Aliud, ejusdem.

℞. *Fœcis vini, pumicis, nitri, lupinorum ana part. 1.* Misce.

Aliud.

℞. *Terræ Cimoliæ, fellis bubuli, vel suilli, aceti ana q. s.* Misce *Galenus.*

Unguentum ad pediculos.

℞. *Staphidis sylvestris part. 2. Sandarachæ, nitri ana part. 1. olei, aceti ana quantum sufficit.*

Misce, & fiat unguentum. *Galenus.*

Aliud, ejusdem,

℞. *Veratri albi, staphidis sylvestris, nitri ana part. æquales. olei quantum sufficit.*

Misce, & in balneo adhibe.

Unguentum ad pediculos & lendes,

℞. *Staphidis sylvestris, argenti vivi cum saliva extincti ana ʒ iij. olei communis ℥ iij. ceræ ℥ j.*

Fiat unguentum, quo ungatur loco saponis, quando caput lavatur. *Bayrus.*

Aliud ejusdem.

℞. *Sandarachæ, nitri ana ʒ j. staphysagriæ ʒ ij. olei, acet. ana quantum sufficit.*

Fiat unguentum.

Aliud.

℞. *Olei laurini, olei ex sem. raphani ana ʒ ij. piperis, croci ana quantum sufficit.*

Misce. *Marinellus.*

Unguentum ad faciei maculas rubentes.

℞. *Rad. lapathi, adipis suilli ana ℥ ij. ceræ albæ ℥ j.* Liquatis adde.

Argenti vivi extincti, caphuræ ana parum. Succi absinthij, Mellis ana quantum sufficit.

Fiat unguentum. *Fumanellus.*

Aliud, ad faciei ruborem.

℞. *Sulphuris vivi, auripigmenti, saponis saracenici ana ʒ ß. fuliginis ʒ ij.* Misce. *Idem.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Succi Arantiorum num. VII. succi solatri, aquæ nenupharis, aquæ limacum ana ʒ ij. ceræ albæ ℥ ß pinguedinis gallinæ, item arietis ana ℥ i ß. rad. vesicariæ viridium ʒ ij. Fiat unguentum.*

Unguentum ad rugas & lentigines faciei.

Caprinum fel cum lupinorum farina commisceto, & vesperi faciem confricato, *Fumanellus.*

Aliud ad idem.

℞. *Coraliorum alborum ℥ ß. salis gemmæ, cerussæ, caphuræ ana ʒ ij. ceræ albæ ʒ j. aquæ rosaceæ ℥ j. pinguedinis Gallinæ lotæ ℥ ij.*

Terenda terito, simulque ad usum commisceto. *Fumanellus.*

Aliud ad lentigines.

℞. *Ceræ albæ ℔ j. olei violati ℥ j. argenti vivi ℥ ß. Masticis ʒ i ß. Caphuræ parum lithargyri ℥ j.*

Fiat linimentum. *Fumanellus.*

Aliud, ad panum faciei.

℞. *Farinæ lupinorum, item Fabarum, cicerum alb. orobi ana ℥ ij. farinæ hordei. farinæ lentium ana ʒ j. Sem. raphani, tragacanthæ. amyli ana ʒ ß. sem. melonis excort. ʒ iij. croci ℈ ß.*

Trita conficiantur cum lacte mulieris, & vesper liniatur ex eo facies: manè verò lavetur cum aqua corti melonum & violarum. *Bayrus.*

Unguentum omnia vestigia, omnes tuberositates & maculas faciei auferens.

℞. *Rad. Cucumeris asinini, been albi, bryoniæ, Lupinorum ana ℥ j. cerussæ, Lithargyri, tartari ana ℥ j. rad. cannæ, serapini, stercoris columbini ana ℈ ij. olei sesamini ℥ iij. olei juniperi, olei de frumento ana ℥ ij ß. succi aranciorum ℥ IV.*

Pulverizatis pulverizandis, & subtilissimè cribratis, omnia simul lento igne usque ad succi consumptionem bulliant: deinde remove ab igne semper cum spatula agitando, donec infrigidentur: tunc adde album unius ovi recentis conquassatum & colatum, caphuræ tritæ ʒ j. deinde semper miscendo: deinde lavetur in ℔ j. aquæ expressionis cannarum quando sunt teneræ, decies in ea aqua lavando & agitando cum spatula: & est singulare. *Bayrus.*

Ad panos & cossos faciei.

℞. *Pinguedinis gallinæ, betonicæ ana quantum sufficit.*

Misceantur, & contundantur simul.

Unguentum ad dealbandas cicatrices,

℞. *Olei Tartari, sem. Psyllij ana ℥ j.*

Infundantur in mucilagine, *in oleo rosato dissoluta ℥ j. boracis vel salis gemmæ. Rondeletius.*

Linimentum ad cicatrices elatas, & rubentes.

℞. *Olei lithargyri ʒ ij. olei tartari, balsami saturnè ana ʒ j. caphuræ ℈ j. spermatis ceti ʒ j. olei ovorum ℥ ij.*

Misce, & fiat linimentum. Utere quater quotidie. Ditiores oleo Talci ad omnes maculas delendas omnium præstantissimo utentur. *Quercetanus.*

Unguentum crassitiem faciei auferens.

℞. *Butyri recentis, terebinthinæ ana ℥ j. rad. liliorum decoctorum in foliis betæ sub cineribus ℥ iij. calcis vivæ quinquies lotæ in aqua rosarum, vel succo citranguli, axungiæ porci recentis liquefactæ in aqua rosarum ana ℥ j.*

Misce, & fiat unguentum. *Rondeletius.*

Aliud, pro delicatis.

℞. *Rad. liliorum sub cineribus decoctarum ℔ ij.* Contundantur in mortario: cui adde

Sacchari candi ℥ iij,

Fiat unguentum: quod applicetur supra faciem. *Rondeletius.*

Unguentum ad varos in facie.

℞. *Mellis Attici, aceti acerrimi ana* XII.

Misceto diligenter, & varos illinito, digito affricando. *Crito.*

Aliud, ejusdem.

℞. *Spumæ argenti ℥ iij. terebinthinæ puræ, ad fabæ Ægyptiæ magnitudinem, Olei parum.*

Misce, atque ubi priùs faciem deterseris, paululùm digito excipe, deinde ambabus manibus terendo varos obline.

Aliud, ad idem.

℞. *Aluminis scissi & probè lævigati, Terebinthinæ ana quantum sufficit.* Misce. *Crito.*

Alia, ejusdem ad idem.

℞. *Costi Indici tusi & cribrati, fellis caprini ana quantum sufficit.*

Fiat unguentum, quo varos circa vesperam illine. Manè verò ubi surrexeris, lacte faciem proluere jube.

Unguentum ad impetigines faciei.

℞. *Aceti scillitici ℥ ij. aloës, succi lapathi acuti, olei tartari ana ʒ iij.*

Fiat linimentum. *Rondeletius.*

Aliud, ad idem.

℞. *Aquæ lapathi acuti destillatæ ℥ iv. boracis ʒ iij. Salis communis ʒ j. aceti scillitici ℥ j.*

Misce, & fiat unguentum. *Rondeletius.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Radicum Lapathi ℥ iij.*

Decoquantur sub cineribus, postea cum aceto scillitico fiat linimentum. Si non curetur, adde

Argenti vivi ʒ ß. vel sublimati ℈ j.

Abluatur sæpè facies aqua myrtillorum, vel peculi pedum rof. Postea etiam adde parum albuminis, ut cutis melius resistat.

Aliud, ad idem.

℞. *Tartari ʒ ij.*

Pulverizetur, & cum albumine ovorum applicetur, vel alumine usti ʒ iij. quod eodem modo adhibetur. *Rondeletius,*

Unguentum ad varos callosos.

℞. *Saponis gallici ℥ ß. Ammoniaci, thymiamatis thuris ana ʒ j.*

Aqua dissolvito, & cerati spissitudinem facito, eoque illinito, & post horæ interstitium tepida abluere jubeto. *Galenus ex Critone.*

Aliud ad idem.

℞. *Nitri rubri, hyssopi, pulegii, salis fossilis ana part. æquales.*

Tundito & cribrato, exceptisque cerato rosaceo utitor. *Galenus ex Critone.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Sem. Ocymi, nitri rubri, pulegij viridis, aluminis scissi, costi Indici ana part. æquales.*

Tusa & cribrata cum adipe anserino seu gallinaceo q. s. Misce, ad unguenti formam.

Aliud, ad idem.

℞. *Salis assati, pulegij, hyssopi, ammoniaci, rhois ana part. æquales. olei rosati quantum sufficit.*

Fiat unguentum. *Galenus ex Critone.*

Unguentum ad impetigines faciei.

℞. *Aloës ʒ ij. dissolut. in aceto scillitico, in modum linimenti.*

Liniantur serò partes affectæ.

Aliud, ad idem.

℞. *Radicum Bryoniæ quantum sufficit.*

Cum sale subacta in aceto acerrimo, admota impetigines sanat. *Idem.*

Aliud ad impetigines expertum.

℞. *Oxylapathi part. 2. gentianæ part. 1.*

Coquantur in aqua deinde exprimantur: expressa cum axungia vituli mixta rursus decoquantur lento igne usque ad unguenti consistentiam. *Idem.*

Unguentum ad Solis ustionem, labiorum scissuras, & maculas faciei.

℞. *Limacum cum putaminibus num. 20. conterantur cum testa: adde cerussæ ad pondus limacum, ceræ novæ ℥ iij. cornu cervi ℥ j.*

Fiat linimentum, postea abluat faciem. *Rondelet.*

Unguentum ad verrucas in facie.

℞. *Rad. Asari. Tempera in aqua rof. biduum: pista.* & illine. *Rondeletius.*

Aliud, ad verrucas.

℞. *Rad. Chelidoniæ quantum sufficit.*

Cum axungia trita, & admota, verrucas absumit & tollit. *Rondeletius.*

Ad ruborem faciei.

℞. *Sulphuris ℥ j. cerussæ lotæ ℥ ij. succi limonum ℥ j.*

Applica vesperi cum decoctione furfuris. *Rondeletius.*

Unguentum ad ruborem faciei à fumis & vaporibus.

℞. *Olei tartari, olei rosarum, succi oxylapathi, lauri, serpentariæ, succorum ana ℥ iv. cerussæ ℥ i ß. lithargyri auri ʒ ij. argenti vivi extincti ℥ i ß. rad. asphod. ustorum sub cineribus ℥ ij.*

Fiat linimentum in mortario plumbeo. *Rondeletius.*

Aliud ad ruborem.

℞. *Unguentum citrini ℔ ß. lithargyri ℥ iv. cerussæ lotæ ℥ ij. bombacis, aluminis, ustorum, tartar. calcinati ana ℥ i ß. succi rad. enulæ, succi oxylapathi, Item cyclaminis, limonum ana ℥ v. caphuræ ʒ iij olei rof. ℔ i ß.*

Misce. *Rondeletius.*

Aliud ad ruborem faciei.

℞. *Succi fumiterræ, item plantaginis, acetosæ ana ℥ iij. Olei rosati ℥ j. gummi tragacanthi, gummi arabici an. ʒ ß. sanguinis draconis ʒ ij. ceræ novæ quantum sufficit.*

Fiat unguentum, quo inungatur in introitu lecti: Die verò crastina ablue faciem decoctione fabarum. *Idem.*

Aliud.

℞. *Lithargyri in aceto bis vel ter infusi ℥ j.* nutriatur ex acet. albo, & semine cucurbitæ, & agitetur donec redigatur in formam unguenti. Adde caphuræ dissolutæ in aqua rof. ʒ ß. ungatur facies, & manè fabarum decocto abluatur. *Idem.*

Linimentum pro virgine, cui facies erat defœdata scabie.

℞. *Lithargyri auri ℥ i ß. cerussæ lotæ in aqua plantaginis. & caudæ equinæ ℥ ij. olei rof. ℥ iij.*

Coquatur oleum, & cum cera alba fiat linimentum. *Idem.*

Unguentum ad rubor em faciei, & tubercula.

℞. *Olei rosati, olei tartari ana ℥ iv. succi oxalydis ℥ iij. cerussæ lotæ ʒ i ß. lithargyri auri ℥ ij argenti vivi extincti ℥ i ß. rasp. asphod. usti sub cineribus.*

Fiat linimentum in mortario plumbeo. *Rondelet.*

Aliud ad tubercula faciei elephanticorum.

℞ *Spec. unguenti citrini, lithargyri auri ana ℥ I Cerussæ lotæ ℥ ij. boracis, aluminis, ustorum, tar tari calcinati*

cinati ana ℥jß. succi rad. Elenij, succi oxylapathi, item cyclaminis, limonum ana ℥v. olei rosati ℔j. argenti vivi, saliva extincti ℥iv.

Fiat unguentum. *Idem.*

Unguentum ad tubercula faciei lepræ.

℞. *Cucumeris rad. aristol. & serpentariæ, decorticatæ per dies novem in aqua fontis lotæ.* Tunc tota per cribrum transmissa, quantum voles, particulam cum aqua plantaginis vel portulacæ dissolve, ac faciem illine. *Idem.*

Unguentum ad nodos sub cute apparentes, tanquam avellanæ.

℞. *Rad. croci.* Pistetur cum lacte mulieris, & exhibeatur. *Rondeletius.*

Unguentum ad solis ustionem.

℞. *Succi plantag. succi solani ana ʒjß. lithargyri auri, item argenti ana ʒj. plumbi usti ℥ß. tuthiæ præparatæ ʒvj. caphuræ ʒß. olei rosati, ceræ an. quantum sufficit.*

Fiat unguentum. Rondeletius.

Unguentum ad impetiginem.

℞. *Misyes peregrini, thuris, myrrhæ, aluminis scissi ana ʒj. aloës, sulphuris vivi ana ℥ß.*

Excipe passo, ut strigmentitiam spissitudinem accipiant: & bis aut ter in die præfrictis, illine. *Galenus.*

Aliud.

℞. *Misyos ℥ß. acaciæ ʒij. squamæ æris ʒß. sulphuris vivi ʒvj. chalcitidis, gummi ana ℥j. aceti quantum sufficit.*

In quo ubi gummi dissolveris, reliquaque admiscueris, amurcam injice. *Galenus.*

Aliud ad idem.

℞. *Sulphuris vivi, thuris, myrrhæ, atramenti sutorij, misyos crudi ana ʒij. gummi ℥ß. aceti, olei cedrini ana quantum sufficit.*

Misce. *Galenus.*

Aliud ad idem, Diodori.

℞. *Lachrymæ oleæ Æthiopicæ ʒxx. gummi ʒxj. atramenti sutorij ʒxvj. sulphuris vivi. thuris, æruginis, acaciæ, myrrhæ amineæ ana ʒx. aceti quantum sufficit.*

Ubi dissoluta fuerint singula, ac levissima reddita, excipe amurca condensata. *Idem.*

Unguentum ad lichenas inveteratos.

℞. *Atramenti sutorij, Fœnigræci molliti, cardamomi ana ʒij. melanthij, fol. caprifici ana ʒiß. aceti acerrimi quantum sufficit.*

Lævigata ad mellis spissitudinem reducito. *Galenus.*

Unguentum ad ignis combustionem.

℞. *Olei rosati, aquæ rosarum, albuminum ovorum ana q. s.*

Misce: & per quatuor dies admove loco adusto; quinto die admove sequens emplastrum:

℞. *Olei nucum, ceræ novæ an. ℥j.*

Liquescant simul. *Rondeletius.*

Unguentum ad combusta aquæ & igne.

℞. *Mediani cort. sambuci ʒvj. olei rosati ℥j. ß. mastiches, thuris an. ʒ3. ceræ albæ ℥ij.*

Bulliant in ℔iv. aquæ ad consumptionem medietatis, donec expumatur, & refrigeretur: quod supernatat, idoneum est adustioni admovere. *Rondeletius.*

Aliud, ad adustionem.

℞. *Succi solani, succi plantag. an. ℥ij. cort. med. sambuci, olei an. ℥j.*

Coque in duplici vase ad consumptionem succorum: adde.

Cerussæ lotæ in aqua ros. lithargyri auri an. ℥jß. tuthiæ præparatæ ʒiij. corticis thuris ʒij. axungiæ porci recentis & loti in aqua ros. ʒx. ceræ albæ quantum sufficit.

Fiat linimentum. In fine adde *albumina ovorum N. ij. caphuræ ℈j. Idem.*

Unguentum ad partes igne affectas.

℞. *Calcis novæ in aqua rosarum lotæ ℔ iij. succi rosarum, succi plantag. an. ℔ij.*

Misce: fiat unguentum. *Avicenna.*

Unguentum ad ambusta.

℞. *Olei rosarum ℥ij. olei ex sem. cucurbitæ expressi ℥jß. ceræ albæ quantum sufficit.*

Fiat unguentum. *Rondeletius.*

Unguentum ad leniendam faciem post adustionem.

℞. *Unguenti pomati, olei rosati an. ℥iv. unguenti rosati ℥ij.*

Fiat linimentum. *Rondeletius.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Unguenti pomati ℥iv. olei rosati ʒiij. ungenti citrini ℥ß.*

Fiat linimentum.

Aliud, ad ustionem ignis & aquæ.

℞. *Lardum antiquum*, & ferro ignito superpone: deinde excipe guttulas ardentes, cadentes in aquam frigidam, & pinguedinem quæ supernatat excipito, & cum aqua ros. subigito, parti combustæ apponito. *Rondeletius.*

Aliud, ad combustionem aquæ.

℞. *Cerussæ lotæ in aqua rosarum ℥j. calcis lotæ in aqua rosarum ℥iij. spec. ungenti citrini ℥ß. mucilag. sem. cidoniorum, & pyrorum, extractis cum aqua rosarum ℥iij.*

Ducantur omnia in mortario, donec acquirant linimenti formam. *Idem.*

Unguentum ad delenda vestigia morbillorum in pueris.

℞. *Olei liliorum ℔j. pinguedinis ℥iv. olei rosati ℥j.*

Laventur diu cum aqua ros. & liliorum. Deinde.

℞. *Albumin. ovorum N. iv.*

In testis suis parentur, & ad ignem parum coagulentur: misce in mortario cum supradictis adde *amygdal. dulcium decort. amygdalarum amararum an. ℥j.*

Deinde incorporentur, & pistentur cum supradictis. adde

Rad. arundinis ʒij ß. sarcocollæ sem. Melonum mund. lithargyri auri, sacchari, medullæ, anisi, cretæ an. ℥j.

Omnia misce in mortario, donec formam linimenti habeant. *Rondeletius.*

De Unguentis ad scabiem.

Unguentum ad scabiem.

℞. *Sulphuris vivi ℔ß. salis tantundem, axungiæ porcinæ ℔ij. olei laurini ℔ß.*

Misce. *Fumanellus.*

Aliud potentius, ad scabiem & pituitam salsam.

℞. *Lithargyri, auripigmenti, argenti vivi, tartari, masticis, Axungiæ porcinæ vet. ℥vj. olei laurini ℥ij. aceti parum.*

Misce, & fiat unguentum. *Fumanellus.*

Aliud, omni carens nocumento.

℞. *Terebinthinæ in aqua rosarum lotæ* ℥III. *olei rosati* ℥IV. *succi mal. Aranciorum q. s. vitellorum ovorum N.* III.

Misce, & fiat ungentum. *Idem.*

Aliud.

℞. *Butyri recentis* ℥VJ. *Aluminis Jasmeni, salis communis an.* ℥II. *succi lapathi acuti, succi Fumariæ an.* ℥ß. *vitellorum ovorum N.* III. *pulveris Ireos* ℥II. *styracis liquidæ* ℥VJ.

Misce, *Fumanellus.*

Aliud, ad omnem scabiem expertum, impetiginem & serpiginem.

℞. *Lithargyri, Aluminis, Argenti vivi an.* ℥ß. *rosarum, cerussæ, sabinæ, sepiæ, cadmiæ an.* ℥j. *cineris lentisci, calaminthæ an.* ℥ß.

Cum succo menthæ exceptæ ad tertias olei incoquantur rosaceo, addita cera. *Fumanellus.*

Aliud, ad scabiem puerorum.

℞. *Terebinthinæ lotæ* ℥j. *vitellorum ovorum N j. olei lini* ℥jß.

Misce, *Fumanellus.*

Aliud.

℞. *Butyri loti* ℥II. *terebinthinæ lotæ* ℥III. *salis, vitellorum ovorum, rosacei an.* ℥j.

Misce, *Fumanellus.*

Aliud.

℞. *Butyri recentis in aqua fumiterræ loti, terebinthinæ lotæ, Salis communis an.* ℥III. *vitellorum ovorum N.* II. *succi Arancij q. s.*

Misce, *Fumanellus.*

De Unguentibus Faciem illustrantibus.

Unguentum ad reddendam faciem splendidam.

℞. *Olei tartari* ℥III. *sem. psyllij* ℥j.

Infundantur in mucilagine: misce in oleo rof. dissoluto ℥j.

Boracis, salis gemmæ an. ℥j.

Fiat linimentum. *Rondeletius.*

Fucus ad faciem.

℞. *Unguenti citrini recenter parati* ℥III. *Amygdal. dulc. optimè contusarum, Farina fabarum an.* ℥j. *ossis sepiæ, cornu cervi, farinæ hordei an.* ℥II.

Omnia incorporentur cum melle. *Rondeletius.*

Fucus alius.

℞. *Ranas sine testa.* Ponantur in vase vitreo, & aspergantur pulv. salis gemmæ, & aqua limonum cooperiantur, & tandiu in sole ponantur, donec fiant quasi unguentum. De quo facies illinatur: postea lavetur aqua florum fabarum. *Rondeletius.*

Alius, ejusdem.

℞. *Unguenti citrini* ℥IV. *pomati* ℥II.

Misce: ungatur facies sero & mane. Abluatur aqua florum fabarum.

Linimentum in modum lactis virginalis ad ornatum faciei.

℞. *Lithargyri auri* ℥II.

Bulliant in exiguo vase plumbeo, cum ℥vj. aceti albi distillati, per totum movendo semper cum baculo. Passetur per pannum lineum, servetur aqua in hanc rem tandem accipito.

Salis, vel olei tartari ℥j.

Et dissolvantur in ampulla cum ℥jv. aquæ liliorum: & pone aquarum supradictarum an. guttas tres aut quatuor in manu, & convertantur in lac virginale. Fricetur facies, & siccetur. *Rondeletius.*

Unguentum ad faciem illustrandam.

℞. *Olei medullæ cervi, olei medullæ castrati an.* ℥II. *olei sem. cucurbitæ* ℥j. *pinguedinis caprinæ, terebinthinæ ceræ novæ* ℥III.

Liquefiant ad ignem: deinde adde

Masticis, boracis usti an. ℥II.

Misce, fiat unguentum, quo vesperi facies ungatur: manè aqua furfuris abluatur. *Marinellus.*

Unguentum pro facie albanda.

℞. *Lactis virginei* ℥II. *olei tartari* ℥j.

Misce, & faciem inunge vesperi, cùm itur dormitum: manè lava faciem, & erit clara, lucida & pulchra. *Fioravantus.*

De Unguentis Manus dealbantibus.

Unguentum dealbans manus.

℞. *Lardi saliti, tusi, & in lixivio per tres dies macerati, (mutando bis quotidie lixivium) quantum sufficit, ceræ albæ parum, rad. liliorum alborum, sub cineribus coctarum & contusarum N.* II.

Liquefiant ad ignem: deinde per cribrum angustum passetur in aquam frigidam, lavetur bene, aquam quinquies vel sexies renovando: postea servetur in vase vitreo ad usum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Pinguedinis vel sevi caprini mundati, atque in aqua rosacea per duos dies macerati, & optimè loti q. s.*

Contundatur in mortario, continuò cum aqua rosacea lavando: deinde adde.

Ceræ albæ, moschi, zibetti an. q. s.

Liquefiant simul, & in aqua rosacea, vel alia odorata fundatur: deinde servetur ad usum. *Marinellus.*

Unguentum manus dealbans, & venustans.

℞. *Olei Amygdalarum amararum, in aqua rosarum vel violarum optimè loti q. s. ceræ albæ q. s.*

Misce ad ignem, & fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Sem. melonum mundat. sem. cucurbitarum mundat. pinearum mundat. sem. persicorum non excort. farinæ hordei an. part. j.*

Contundantur omnia optimè: deinde ℔ j. mellis misceantur ad formam unguenti, quo manus vesperi inungantur, manè abluantur. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Olei Amygdal. dulcium optimè loti, ceræ albæ an. q. s. caphuræ* ℥j.

Misce, & fiat unguentum. *Idem.*

Aliud.

Aliud.

℞. Rad. Ireos albi ℥j. rad. liliorum ℥iij. sacchari alunc. j.

Contundantur omnia optimè, & misceantur simul ad formam pastæ, qua manus fricentur, deinde aqua abluantur. *Idem.*

Aliud.

℞. Olei tartari, olei amygdal. dulc. ceræ albæ an. q. s.

Liquefactis ad ignem adde

Myrrhæ contritæ ℨj. masticis tusi ℨij.

Misceantur, & infundantur in aquam rosarum, laventur optimè: postea adde

Moschi, Ambræ, caphuræ an. parum.

Fiat unguentum. *Idem.*

Aliud ad idem.

℞. Sem. cucurbitarum mundat. sem. melonum excort. pinearum mundat. sem. persicorum an. ℥vj. furfuris hordei q. s.

Trita cum melle optimo misceantur. *Marinell.*

Aliud, ad idem.

℞. Pinearum mundat. & contusarum ℔j. sinapis ℥j. ficuum ℥III. caphuræ ℨII.

Contundantur omnia optimè, misceantur: fiatque pasta, qua manus fricentur. *Marinellus.*

Unguentum, manus pulchras reddens.

℞. Olei communis loti, Butyri recentis loti, pinguedinis caprinæ lotæ an. part. j.

Macerentur simul in aqua rosarum per 24. horas, deinde liquefiant ad ignem, addendo

Ceræ albæ q. s. moschi parum.

Fiat unguentum. *Marinellus,*

Aliud, manus candidas reddens.

℞. Micæ panis, oryzæ, cicerum rubrorum an. ℥III. vel IV. saponis mellis ℥j ß. mellis despumati q. s.

Fiat pasta. *Rondeletius,*

Aliud, ad idem.

℞. Succi peponis q. s. Amygdal. amarar. in sero lactis infusarum q. s. ficuum in eodem sero infusarum N. v. sinapis ℥II. rad. Iridis ℥j. fellis bovis ℨIV.

Incorporentur, & fiat pasta *Rondeletius.*

Aliud, ad dealbandas manus.

℞. Decoctionis super prunas ℨIII. in ℔. aquæ, & benè cooperiatur vas terreum plumbeatum, coquatur ad dimidium: deinde adde succi limonum ℥vj. mellis, olei Amygdal. amararum an. ℨII.

Misce, & fiat unguentum. *Idem.*

Unguentum ad manus tumidas ex frigore.

℞. Oesypi, adipis Anseris, item Anatis, mucilag. sem. cytoniorum an. ℨII. amyli ℨvj. terebinthinæ ℥jß. olei vitell. ovorum an. ℨII. ceræ citrinæ parum.

Fiat linimentum. *Rondeletius.*

Aliud, ad abluendas manus.

℞. Pinearum mundat. pul. Sinapis an. ℥II. mellis optimi ℔ß.

Misce, & fiat pasta. *Idem.*

Aliud, ad tumorem manuum ex frigore.

℞. Sem. Lini, fœnigraci, sem. Althææ an. ℨß. extractæ mucilag. cum aqua liliorum, unguenti suprà scripti, mucilag. an. ℥j. olei anethi, olei Amygdal. dulc. an. unc. ß.

Fiat linimentum pro manibus cum lana sordida, *Idem.*

Unguentum ad scissuras manuum.

℞. Unguenti ex Lithargyro, unguenti cerussæ an. ℨj.

Misce, & fiat unguentum. *Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞. Axungiæ arietinæ, amyli, lithargyri, olei an. quantum sufficit.

Fiat unguentum. *Idem.*

Aliud.

℞. Lithargyri argenti, myrrhæ, zingiberis an. partes æquales, mellis, ceræ, olei an. quantum sufficit.

Fiat unguentum. *Fumanellus.*

Unguentum ad manuum scissuras & frigus.

℞. Olei communis ℥IV. thuris albi, Ceræ mundæ an. ℥j. succi fol. sambuci ℥III. vini albi odorati ℨIV.

In vino, oleo & sambuci succo coquatur pomum unum, & post addantur thus & ceræ, & colentur. *Idem.*

Aliud, ad idem.

Radice lapathi acuti cum axungia suilla linito. *Fumanellus.*

Unguentum ad manuum scissuras.

℞. Masticis, olei rosati, ceræ albæ an. q. s.

Fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. Furfuris in cinerem usti, pilorum caudæ equi ustorum an. part. j. mellis quantum sufficit.

Fiat unguentum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. Tuthiæ, cerussæ, lithargyri an. ℨß. Arsenici sublimati G. III. minij, Aluminis an. ℈ß. Aquæ rosarum, plantag. portulacæ an. q. s. Albuminum. ovorum. N. j.

Fiat mixtura. *Fumanellus.*

Aliud.

℞. Tragacanthæ ℈j. farinæ Amyli ℥ß. succi plantaginis ℨII.

Cum syrupo rosato fiat mixtura. *Fumanellus.*

Unguentum ad ungues scabiosos, leprososque.

℞. Pinguedinis Arietis, colophoniæ an. ℥II.

Misce. *Fumanellus.*

Ceratum, ad idem.

℞. Terebinthinæ, cymini an. ℨj. Misce.

Aliud, ad panaritium.

℞. Olei Mastichini, omphacini an. ℥II. cinnamomi ℨ. cerussæ lotæ, plumbi usti an. ℨß. tuthiæ præparatæ ℨvj. ceræ albæ, resinæ lotæ cum vino an. ℥j.

Misce. *Fumanellus.*

Unguentum ad unguium contusionem.

℞. Ceræ novæ, cumini, costi an. q. s.

Trita cum cera misceantur, *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

Pinguedinis Anatis, pinguedinis ursi, Euphorbij tritæ an. q. s.

Fiat unguentum. *Fumanellus*

Unguentum ad unguium scissuras & erosiones.

℞. Diachilonis, olei Amygdalarum, olei de Been, masticis, uvarum passarum an. q. s.

Fiat emplastrum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. Seminis lini, mellis ana quantum sufficit.
Misce ad formam emplastri. *Marinellus.*

Ad ungues leprosos.

℞. Picis, ceræ ana quantum sufficit.
Liquefiant simul, & fiat tanquam unguentum. *Idem.*

Aliud, ad idem.

℞. Sevi caprini, Sandarachæ tritæ ana q. s.
Misce. *Marinellus.*

Ad ungues excorticatos.

℞. Salis, farinæ Hordei, Costi triti ana part. j. *mellis q. s.* Misce. *Marinellus.*

Unguentum post casum unguium.

℞. Seminis lini ℥j. cardamomi ʒiij. mellis quantum sufficit.
Misce, & fiat tanquam emplastrum. *Marinellus.*

Unguentum faciens cadere ungues.

℞. Unguenti rosati, Cantharidum ana q. s.
Misce, *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. Visci quercini, arsenici ana q. s.
Misce, *Marinellus.*

Unguentum ad verrucas manuum.

℞. Radicis vitis, stercoris ovini, item caprini ana part. j. Lactis ficuum, vel lactis tithymali q. s.
Fiat unguentum. *Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞. Fecis olei, Aluminis zuccharini ana ℥j. viridis æris ʒ ij. picis navalis ℥ß.
Tritis omnibus utitor. *Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞ Æruginis æris, auripigmenti, Dactylorum, calcis vivæ, spumæ maris, Tartari, vitrioli, stercoris columbini, farinæ siliginis, farinæ nigellæ ana part. æquales, fellis taurini q. s.
Fiat unguentum, quod supperponatur verrucis prius scarificatis. *Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

Cortex salicis ambustus mixtusque aceto, & superpositus. Item canis stercus cum cera. *Fumanellus.*

De Unguentis pectus ornantibus.

Unguentum mamillas parvas conservans.

℞. Aluminis rochæ triti q. s. olei rosatis q. s.
Misce, & inunge mamillas. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. Boli armeni pulverizati, gallarum viridium triturum ana part. j. mellis q. s.
Fiat unguentum. *Idem.*

Aliud, ad idem.

℞. Cerussæ, marmoris albi ana part. j. olei myrtini q. s.
Trita cum oleo myrtino misceantur. *Marinellus.*

Ut mamillæ decrescant, minorésve reddantur.

Cicutæ succus caphura mixtus, illitusque minores illas efficit. Item: Thus album cum veneris umbilico acrique aceto mamillas crescere non sinit. *Fumanellus.*

Unguentum prohibens mamillas augeri.

℞. Terræ tinctorum quantum sufficit.
Coque cum melle, fac cataplasma spissum & crassum, & appone mane usque ad vesperas: deinde superpone spongiam in aqua frigida infusam, quousque cataplasma auferatur. Et si vis efficacius, misce cum eo galarum immaturarum ℥x. facit enim mamillas rectas & tensas. *Bayrus.*

Unguentum mamillas molles & relaxatas indurans.

℞. Argillæ, Albuminis ovi, gallarum immaturarum, masticis, thuris ana q. s.
Tusa omnia calido aceto immisceantur, & illinantur mammæ: & integra nocte commorari oportet, & finito illic esse: si parum fuerit efficax, opus innovato. *Joan Bapt. Porta.*

Aliud ejusdem, ad prohibendum incrementum mamillarum.

Contundantur cicuta, ejusque magmata cum aceto, virginum uberibus imponatur, & sic coercet, ut crescere non patiatur: præcipuè hoc in virginitate: quanquam solito lac deneget tempore.

Linimentum ubera flaccida rugisque deformata expoliens.

℞. Amurcæ q. s. gummi arabici, tragacanthæ, masticis ana parum. caphuræ perparum.
Misce. *Alexius.*

Unguentum mamillas minores & duriores reddens.

℞. Menthæ viridis, rosarum siccarum, pyrorum sylvestrium, mespilorum, sorborum, prunorum sylvestrium, acaciæ, balaustiorum, malicorij, nucum pinearum immaturarum, plantaginis, flor. chamæleonis ana part. æquales.
Contusa coquantur in aceto: deinde adde *Farinæ fabarum quantum sufficit.*
Fiat emplastrum. *Marinellus.*

Aliud ad idem.

℞. Cotoneorum, Prunorum immatur. ana q. s. optimè contusis adde boli armeni, sem. Plantaginis, Anisi, fœniculi, cumini ana q. s.
Misce. *Marinellus.*

Unguentum ad mamillas pendentes.

℞. Farinæ fabarum, Thuris, masticis, succi sempervivi, Aceti calidi, albuminis ovi ana quantum sufficit.
Misce. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. Ficuum siccarum, passularum, cumini, aceti ana quantum sufficit.
Coquantur, & contundantur, ad formam emplastri. *Idem.*

Aliud, ad idem.

℞. Gallarum, masticis, thuris, albumin. ovorum, aceti calidi ana quantum sufficit.
Misce. Idem efficit furfur cum aceto coctum, & supra mamillas positum. *Marinellus.*

Unguentum ad papillarum scissuras.

℞. Olei rosacei, cort. med. sambuci ana ℥j. ceræ quantum sufficit.
Misce. *Fumanellus.*

Aliud, ad dolorem ex scissuris.

℞. Olei violacei, vel olei amygdal. dulc. thuris albi, ceræ ana ʒij.
Misce. *Fumanellus.*

Aliud,

Aliud, ad scissuras.

℞. *Pinguedinis Taxi ℥ß. unguenti martiati, item aggrippæ, althææ, anodyni ana Drach. j. olei nardini unc. j ß.*
Misce, *Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Rosacei ℥ii. ceræ novæ ℥ß. lithargyri, thuris ana ʒ j.*
Misce, & linito. *Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Tragacanthæ ℈j. farinæ amyli ℥ii. succi plantaginis ʒiii.*
Misce, & linito. *Fumanellus.*

De Unguentis, ornantibus ventrem & pedes.

Unguentum, ventris rugas à partu abstergens.

℞. *Cornu cervini combusti, lapidis Amianti, salis ammoniaci, myrrhæ. thuris, masticis an. quantum sufficit.*
Trita cum melle misceantur. *Joan. Bapt. Porta.*

Aliud, ad idem.

℞. *Sevi arietis novies in aqua frigida loti ℔j. albuminum ovorum. N. ii. butyri parum.*
Contundantur omnia optimè: deinde addantur
Masticis, olibani, ana ʒii.
Misce, & fiat unguentum, quo venter inungatur. *Marinellus.*

Aliud ejusdem, ad idem.

℞. *Cepæ marinæ ustæ, cornu cervini usti, aluminis plumæ, salis ammoniaci, myrrhæ, olibani, masticis, nigellæ, farinæ Hordei an. partes æquales.*
Trita cum melle misceantur.

Unguentum ad callos pedum.

℞. *Farinæ nigellæ, farinæ frumenti veteris, ceræ an. quantum sufficit.*
Misce, & fiat ceratum, quod supra callos ponatur. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Apomelitis, ammoniaci ana ℥j. bdellij, sagapeni an. ʒii. Terebinthinæ ʒiii. olei Irini ℥ii.*
Misce, & fiat unguentum. *Fumanellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Cineris cort. salicis, Aceti ana quantum sufficit.*
Misce, quo calli inungantur. *Marinellus.*

Aliud, ad idem

℞. *Fol. rutæ viridium, Passularum ana quantum sufficit.*
Contundantur simul, & fiat emplastrum. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Galbani ceræ an. q. s.*
Misc. *Marinellus.*

Unguentum, nobilis odoris gratia.

℞. *Moschi, ambari, zibetti an. gr. iv.*
Ex oleo amygdalino dulci in unguenti formam redigantur. *Heurnius.*

Vel.

℞. *Olei nucis myristicæ expressi ʒj. zibetti optimi ℈j. moschi electi gr. vj. olei spicæ, lavendulæ an. gut. ii. vel iii.*
Misce. Fiat unguentum, quo nares, frons & nobiles partes, roborandi gratia, illinuntur *Idem.*

De Smegmatis Ornantibus, *Sectio.* VII.

Smegma album odoratum.

℞. *Smegmatis Veneti antiqui, rasi, atque per sex dies ad solem positi. q. s.*
Contundatur probè cum aquæ rosarum optimæ ℔j. deinde cum igne lento resolutum fuerit, addantur.
Ireos triti ℥iv. amyl. ℥ vj. sandali albi ℥ii. styracis liquidæ, olei spicæ an. ℥ j.
Misceantur optimè: deinde cum refrixerit, formentur pilæ. *Alexius.*

Smegma moschatum Damascenum.

℞. *Smegmatis optimi, rasi ℔j. cinnamomi electi ℥ nucis moschatæ, styracis calamitæ an. ℥ j. ligni aloës ʒ ii. belzoini ℥ ii. caryophyllorum ℥j.*
Conterantur omnia in pulverem tenuissimum, addendo,
Pulveris cyprici ʒj. moschi, zibetti an. parum.
Mergantur in aqua rosarum: postea cum ad Solem dies xl. fuerunt relictæ, fiant pilæ, quæ servandæ sunt in vasis ligneis cum bombyce. *Alexius.*

Smegma album, odoratum, Damascenum.

℞. *Smegmatis communis antiqui, rasi, q. s.*
Siccetur benè per dies octo, aut decem: deinde contundatur, & cribretur, fiatqui pulvis: cui adde ℔ x.
Ireos ℥ iv. sandali albi ℥ iii. mahaleb ℥ii. farinæ Amyli ℥j.
Redigantur in pulverem omnia, misceantur cum prædictis x ℔. & ponantur in mortorio, unà cum ℥j. *styracis liquidæ* & pauco *oleo spicæ*: contundantur benè omnia simul: demum cum farina Amyli formentur pilæ, seu globi: siccentur in umbra, & serventur. *Alexius.*

Aliud optimum, ejusdem.

℞. *Moschi in aqua rosarum dissoluti g. vj. zibetti gr. iv.*
Misceantur cum supradicto smegmate. Verùm moschum in aqua Rosar. calidum esse oportet.

Aliud, manus dealbans.

℞. *Amygdalarum amararum, mundatarum, & contusarum ℔ j. saponis saracenici ad ovis magnitudinem. sinapis cochlearium unum.*
Trita omnia misceantur benè. *Marinellus.*

De Pulveribus Ornantibus Dentes, *Sectio.* VIII.

Pulvis dentes dealbans.

℞. *Coraliorum rubrorum, ossium dactylorum, Pumicis, ossium sepiæ, salis assi an. q. s.*
Misce, & fiat pulvis. *Bayrus.*

Alius gingivas etiam roborans, & dentes confirmans.

℞. *Coraliorum rubrorum, margaritarum, sang. draconis, boli armeni, thuris, cort. cancrorum an. part. j.*
Mi-

Misce, & fiat pulvis. *Fumänellus.*

Dentifricium optimum.

℞. *Hyssopi, origani, menthæ an.* ℥ ii. *aluminis scissilis, cornu cervi, salis communis an.* ʒj.

Excipiantur, & urantur in olla, donec in prunas reducantur: adde

Piperis, pumicis, pyrethri, masticis an. ʒß. *myrrhæ, cinnamomi an.* ℈j.

Fiat pulvis subtilissimus. *Rondeletius.*

Pulvis dentes dealbans.

℞. *Ossium sepiæ, marmoris albi usti an.* ℥j. *caryophyllorum, cinnamomi, pyrethri an.* ʒiii. *spongiæ, pumicis, salis an.* ʒj.

Misce, & fiat pulvis subtilissimus, quo fricentur dentes. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Zingiberis, cinnamomi, caryophyllorum, pumicis, ligni aloës, nucis moschatæ, macis an.* ʒß. *piperis, pyrethri, sinapis, staphisagriæ an.* ℥. iii. *spongiæ, marmoris albi an.* ℥ß. *ossium dactylorum ustorum, hellebori albi an.* ℥ ii. *panis hordei usti cum sale & melle* ℥ß. *Tegularum rubrarum, cornu cervini usti, aluminis plumæ, ossium olivarum ustorum, ossium myrobalanorum ana* ℥ iii.

Misce, & fiat pulvis subtilissimus. *Marinellus.*

De Pulveribus ornantibus manus.

Pulvis manus reddens albas.

℞. *Farinæ Fabarum, lupinorum, farinæ amyli, oryzæ, fabarum minutarum, Ireos an.* ℥vj.

Misce, & fiat pulvis, quo laventur manus cum aqua. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Pinearum mundat. contus. an.* ℥ ii. *sinapis* ℔j. *amygdal. mundat. contus. an.* ℥ii.

Fiat pulvis, qui ad Solem siccetur, quo fricentur manus cum succo limonum, deinde cum aqua. *Marinellus.*

Aliud, ad idem.

℞. *Sem. erucæ* ℥vj. *Ireos, cumini an.* ℥j. *aluminis fæcis* ℥ß. *sacchari candi, tragacanthæ an.* ℥j. *camphuræ* ℈j *pinearum mundat. amygdalarum mundat.* ℥iii. *medullæ panis albi* ℥ß. *saponis antiqui rasi unc.* ii.

Trita omnia misceantur: fiatque pulvis ad manus lavandas. *Marinellus.*

Cosmetica è Fasciculo Medicamentorum singularium Cnoffelianorum.

Magisterium Talci.

℞. *Talci veneti & albi, striis brevioribus q. s.* Suspenditur in parte interiori campanæ vitreæ, subtus in crucibulo accendatur sulphur prius igne dissolutum, (ut in præparatione spiritus sulphuris chymico more fieri solet) & vapor seu fumus spiritibus sulphuris prægnans penetrando talcum reddet friabile candidumque; postea contundatur in mortario candente pistillô ferreô, Itidem priùs calfactô, tamdiu donec nullum ampliùs splendorem scintillantem prodat. Pulvis tum trajiciatur per linteum rarum, ut subtilis & impalpabilis instar alkool evadat, qui in scatulâ mundâ & siccâ pro usu asservandus est.

Qui laborem majorem in se suscipere vult, talcum priùs per vaporem aquæ dulcis mollius reddere potest, prout in calcinatione philosophica cum cornu cervino, ebore & alijs animalium ossibus fieri solet, qui labor tertiô die aliquando absolvitur: tandem & per aliquot dies cum elevato fumo ex sulphure accenso maceretur, ut modò docuimus, & sic talcum fiet ità friabile, ut digito conteri possit.

Not. Cum talcô Muscoviticô res non succedit, sed solo Veneto.

Hic modus reducendi talcum in alkool, commodus nec vulgaris est: retinet enim suam lubricitatem & mollitiem, ita ut cùm cutis eo teritur, butyri instar enanescat, redditque cutim elegantem, subtilem ac formosam. Plurimi laborarunt ut hunc pulverem ex talcô parare possent, sed nullus unquam cum tantô effectu paravit, quantum quidem hôc nostrô modô paratus edit. Aliqui enim tale subtili limâ terebant, alij in cute balenæ, alij in solâ papyrô, sed tardissimè ubique successi:, & valdè parum obtentum. Qui verò talcum igni reverberatorio in fornace calcaria vel lateraria commiserunt & in calcum reducere voluerunt, longè minorem sunt consecuti effectum; talco enim humidum suum radicale per illam calcinationem omne fuit absumptum, & nihil acceperunt, præter calcem vulgarem sine viribus. Idem etiam accidit præparationi olei hujus talci, cujus ubique in libris fit mentio; quod quidem parare sæpius vidi & ipse etiam elaboravi; sed nihil aliud obtinui, præter liquorem salinum, qui nihil aliud præstat, quam vulgare illud oleum Tartari ex sale per deliquium factum.

Pulvis Cosmeticus compositus.

℞. *Magist. talci præced. marcasitæ, spermatis ceti albissimi an.* ℥j.

M. in mortario vitreo seu vitreato & fiat pulvis subtilissimus.

Usus. Pulvis lanugine seu gossipio exceptus, adhibeatur cuti vesperi, dum itur cubitum; sequenti die facies linteo puro & sicco iterum abstergatur.

Pulvis alius Cosmeticus.

℞. *Spermatis ceti albissimi, magisterij talci an.* ℥ii. *sacchari* ♄*ni albissimi* ʒß. M. F. Pulvis.

Eandem habet virtutem & usum cum pulvere cosmetico superiori.

Rosetta Italorum.

℞. *Magisterij concharum margaritiferarum & splendentium* (marr. perlarum) *magist. marcasitæ an.* ʒß. *laccæ Indicæ purpureæ vel Florentinæ finissimæ*, vel quod melius *magisterij carmasini, quod Galli & Itali* carmein & carmion *vocant q. s.* Usus hujus pulveris est notus.

Linteum Ceratum pro larvis seu masquis, ut vocant.

Ante omnia linteum Hollandicum subtile & crudum extendatur in quadrato: postmodum cum liquore recenti spermatis ranarum, (per saccum densum tamen prius absque igne transcolati) humectetur sæpius linteum & denuò sponte exsiccetur, scilicet sexies vel septies: posteà in patina vel patella pura super aquam bullientem dissolvatur *cera alba* ℔ß. *unguent. pomati, seu adipis ex pedibus agninis excocti* ℥j. dissolutis adhuc adde *spermatis ceti* ʒj *camphoræ* gr. vi. misceantur insimul quamoptimè.

Cum hâc mixturâ inungitur postea linteum (superius cum spermate ranarum jam paratum) & quidem penicillo magno & molli ex una parte solùm. Quibus peractis, linteum ceratum cum alio panno crudo & puro terendo poliatur.

Ex

Ex hoc linteo postea fiunt masquæ pro fœminis contra varias injurias aëris nocentes faciei.

Hanc etiam habet virtutem, quod faciem ardentem & rubentem refrigeret, atque cutim mollem, delicatam & albam reddat, & ab omni immunditie præservet. Fuit quondam secretum Sereniss. *Ludovicæ Mariæ*, p. m. Poloniæ & Sueciæ Reginæ.

Ex singulari amicitia & communicatione Magnifici Dn. N. Nolle, Cubiculari ejusdem Reginæ.

Bezetta rubra seu Torna solis bezedina.

Descriptiones hujus sunt perquam multæ, nos potiores hic recensebimus, & primò modum illum, quem olim in Aula Serenissimæ Mariæ Ludovicæ p. m. Regiæ Poloniæ & Sueciæ virgo quædam nobilis adhibuit: qui sequens est:

℞. *Baccarum spinachiæ bacciferæ recenter collectarum* ℔j. *succi acidi citri seu limonum rec. express.* ℔ß. factaque maceratione per aliquot horas, in loco frigido, succus rubicundus per colaturam & expressionem separetur; cui denuo immergantur recentes spinachiæ baccæ, & iterum fiat expressio. Post in liquore colato & per resistentiam purificato immergantur bis vel ter linteamina Armeniaca seu Turcica, ex gossypio confecta, & iterum sponte exsiccentur, inque scatula pura ad usum serventur. Pannus hic tinctus, & dicto modo tinctura rubicundissima & eleganti impraegnatus fœminis pallidis servire solet ad inducendum vivaciorem colorem genis pallescentibus. Modus adhibendi est notus, colorem communicat purpureum elegantissimum.

Vidi etiam bezetta rubicundissima solo succo baccarum solani Americani infecta & parata. Sed hic cautè agant tragematopolæ, qui saccharata, & similia ex saccharo comestibilia, his pannis tingere solent, ne talia sibi linteamina tincta eligant, quæ succo aliquo nocivo imbuta sunt, & inde sanitatem destruant.

In Hispania & Gallia paratur bezetta beneficio TRæ seu succi granorum chermes vel cocci infectoriæ. In Italia cum TRâ rubrâ, ex lana è panno scarlato detonsa, seu filis sericis, carmasini coloris, cum decocto extracta; vel cum ipsa lacca finissima Florentina, & succo acido granatorum seu citri.

In Belgio sunt contenti cum decocto verzino, cum aceto & alumine parato, quo faciem pallidam ornant. Germanæ & Polonæ fœminæ ex filis sericis aquæ simplici calidæ impositis cum pauco alumine colorem extrahunt pulcherrimum, quo simili modo, genas & labia tingunt in colorem vivacem & rubentem.

Plura his similia qui desiderat, is inspiciat *Alexandrum Pedemontanum & Weckerum de secretis. Joh. Bapt. Porta magiam naturalem lib. IX. c.* 17. & alios plures, qui hanc materiam fusius tractant.

Charta di Spania.

Huc pertinet & *charta Hispanica purpurea seu cosmetica*; cujus beneficio & genarum roseus seu eleganter incarnatus color conciliatur, qui usus modò ferè in totâ Europâ fœminis curiosis est notus. Hæc charta itidem cum TRâ seu magisterio cochinellæ seu cocci infectoriæ, per succum acidum limonum & parum aluminis extracto. Nos curiositatis caussa quondam citra ullam difficultatem rem instituimus in hunc modum:

℞. *Laccæ hispanicæ pulch. & finissimæ in granis vel loco hujus Florentinæ optimæ ex floccis scarlati paratæ,* & non ex scobe ligni factæ, ut modò in Italia plerumque fieri solet, q. v.

Hanc laccam dissolve super lapidem, vel in mortario lapideo, cum succo acido citri granatorum q. s. Mixturam liquidæ consistentiæ ita paratam extende cum penicillo in papyro pura, cum aciditate citri itidem prius insuccata, & postquam mixtura benè exsiccata fuerit, denuo aliam illine, & ad exsiccandum repone, quod etiam ac quartà vice immò sæpius iteretur, sicque charta parata erit.

Qui vero colorem rubeum papyro inductum, Hispanico more occultare vult, (quod tamen superfluum existimo & nullis utilitatis est) is purpuram nostram in aqua salis ammoniaci dissolutam, quæ etiam suo loco à nobis describetur, adhibeat.

Tincturam hac, inquit *Cl. Wormius Musei c. XI. l.* 4. ex cnici floribus, spuma maris & arena in Hispania confici dicunt; Ego eam ex ligno Brasiliano aut sandalo rubro extractam chartis his illini arbitrarer, ut exsiccari & hâc formâ circumferri queat. Hoc fuco quando utuntur, digitum saliva madefaciunt, & chartæ affricãt, qui tantum abradit TRæ, q. s. reliquũ in usus servatur.

Unam chartam seu folium pro ducatone emere quendam vidi, hic verò ejus præparatio gratis communicatur.

Aqua Cosmetica composita D. D. C. pro Principissa d. Eggenberg.

℞. ▽æ *florum fabarum, nymphææ, lil. alborum an.* ℥ii. *rad. sigilli Salom. sperm. ranar. an.* ℥iß. *rosar. albar. parum sc.* ℥ß. TRæ *cosmeticæ* q. s. pro lactescentiâ, *magisterii marcasith* ℈iv. *sacchari* ♄ni *crystallini* ʒj *camphoræ* ℈ii. ⚨i *Tartari per deliquium facti* gtt. xxiv. M. F. aqua.

Nota. Tinctura cosmetica rubra à Principissâ non admiscebatur prius, quàm eâ uti vellet, tali proportione:

℞. ▽æ *cosmeticæ* cochl. j. *mixturæ cosmeticæ* gtt. ii vel iii.

Faciem rubram refrigerat, & albedinem gratissimam conciliat, cutim etiam tenerrimam & subtilem reddit.

Tinctura Cosmetica alba.

℞. *Balsami albi & clari Ægyptiaci q. v.* 🜄 *optimè rectificati q. s.* ⚨i *veri stillatitij rosarum* gtt. aliquot, M. &, in vitro benè clauso (quod Chimici phialam vocant) sufficiente digestione peractâ, TRa alba effunditur, novus spiritus affunditur, ad totalem dissolutionem balsami usque: conjuncti postea colentur per linteum subtile & purum. Usus esto talis:

℞ ▽æ *sigilli Salom. flor. fabar. lil. albor saponariæ an.* ℥ß. TRæ *cosmeticæ albæ præcedentis* q. s. pro lactescentiâ q. s. *essentiæ odoriferæ rosarum* gtt. j. M. & fiat lac virginis.

Mixturâ istâ facies manè & vesperi abluatur; cutim abstergit & albiorem atque delicatiorem reddit.

Tinctura Cosmetica rubra.

℞ *Myrrhæ rubræ electæ, asæ dulcis, storacis calamitæ an.* ʒj. 🜄 *opt. rectif.* ℔iß. ⚕ *rosarum ardentis opt. rectif.* ℔ß.

Stent in vitro benè clauso, tamdiu in digestione, donec spiritus rubicundissimè tingatur, postea filtretur per chartam, in vitro puro servetur ad usum.

Asthmaticis prodest, uti & catarrhosis & alijs morbis pectoris. Dosis gtt. x. ad xx. in aqua veronicæ, tussilaginis vel violarum. Usus externus est cosmeticus, ad manuum & faciej lavacra, & cum TRâ cosmetica alba superius descripta convenit. In aqua florum infusa lactescentem reddit liquorem inde & lac virginum dicitur, quod strophiolo puro prius infusum, manibus & faciej adhibitum cutim reddit nitidam.

Sequens vero præstantius reperi.

℞. ▽æ *nostræ* ☿*ialis communis* (vid. Mercur. cosmet. part. j. *fontanæ limpidæ* part. vj. ⚕ *rosarum fragrantis* gtt. aliquot. (aquam rosarum, quoniam destillata est, nunquam commisceo) Misceantur & cum tinctura cosmetica rubra præcedente præcipitentur, ut liquor

ais

fiat lacteus, cui in mortario vitreo mundo admiſcui tantillum pulveris coſmetici poſterioris ſupra deſcripti, ut fieret.

Linimentum Coſmeticum.

℞. *∇æ ☿ialis noſtræ p.j. commun. fluviat. non deſtillatæ p. vj. mixturæ rubræ coſmeticæ pro lacte virginis q.ſ.* Jam

℞. *Pulveris coſmetici ſuperioris ſecundæ deſcriptionis* ℥ß. *mixturæ hujus ☿ialis lacteſcentis q.ſ.* Fiat linimentum.

Cum hâc mixturâ illine faciem ab omni immunditie prius lotam & purgatam, albedinem conciliat gratiſſimam & amabilem, ſed caute adhibendum eſt, ne oculos & dentes contingat, & raro.

Illiniri quoque poteſt linimentum hoc lineo panno, decies prius mucagine recenti imprægnato, (uti feci Regiomonti) ex quo deinde chirothecæ ac larvæ confici poſſunt nocturno tempore applicandæ.

Ex manuſcriptis Clariſſ. Dn. D. Cnœffelij.

Balſamum Coſmeticum.

℞ *Unguenti pomati* ℥ß. *⚯i jaſmini Romani recentis* ʒj. *⊖is Tartari deliquat.* ℈iij. *ſpermatis ceti* ℈v. *magiſterij marcaſitæ* ʒii. F. Balſamum.

Balſamum aliud Coſmeticum.

℞. *Spermatis ceti* ℥ß. *⚯i Tartari per deliquium facti q.ſ.* miſceantur optimè in mortario vitreo, deinde adde *⚯i jaſmini* ʒii. *ſucci acidi citri* ʒiii. *magiſterij marcaſitæ, ſacchari ♄i ana* ʒj. M. F. balſamum.

Aſperitatem cutis lenit, glabram, ſubtilem & albicantem è contra reddit.

Unguentum rubrum pomatum Ser. Reginæ CÆCILIÆ, pro tingendis labijs atque medendis fiſſuris.

℞. *Unguenti pomati albi odoriferi rec. facti* ʒii. *radicum anchuſæ q.ſ.*

Bulliant ſimul leniſſimo calore, in vaſe clauſo tamdiu, donec omnis rubedo ex radicibus extracta ſit: colato unguento adde *⚯i caryophyll. gtt.*iii. *cinamomi gtt.*iv. *citri ex corticibus recent. ſine △e extracti* ℈ß. *moſchi, ambræ an. gr.* ii. F.l.a. unguentum rubrum.

Unguentum Coſmeticum.

℞. *Album. ovor. recent. n.*ii. *benè conquaſſati & in ſpumam redacti, ſucci ſeu aciditatis citri recenter extracti tantundem;*

Mixta coquantur in ollula novâ vitreatâ lento carbonum igne tamdiu, donec tandem abeant in conſiſtentiam pomatæ albiſſimæ: materiam interim inter coquendum ſpatula lignea continua agitanda eſt, & ubi refrixerit, adhuc addi poſſunt *ſpermatis ceti* ℥ß. *⚯i jaſmini* ʒj. M. F. linimentum.

Utendi modus eſt iſte, ut cubitum itura faciem eo illinat, mane verò eandem linteo puro iterum detergat.

Linimentum defenſivum, cujus beneficio à veſtigijs variolarum plures immunes manſerunt.

℞. *Fruſtum lardi veteris.* Hoc accende ſuper patinam flore lactis plenam, pinguedinem deſtillantem & lacti ſupernatantem cochleari argenteo collige, & cum penicillo in eadem intincto, variolas jam maturas, & antequam areſcere incipiant, inungito. Sic facies immunis erit ab omnibus variolarum veſtigijs, quod non ſolùm in alijs multis perſonis, ſed & in ipſâ Sereniſſimâ Reginâ probatum eſt. Medicamentum quidem videtur eſſe ſimplex, ſed eſt magnæ virtutis & utilitatis.

Sapo Coſmeticus S. R.

℞. *Saponis albi Italici, non fœtidi* ℔j. conſcindatur aut radatur ſubtiliter, adde *biaccæ Hiſpanicæ* ʒiii. *rad. ireos Florent. ſubtil. pulveriſ.* ʒiß. *magiſt. marcaſitæ, ſpermatis ceti ana* ʒvj. ⊖ *Tartari ex* ⓥ *extracti* ℈vj. contundantur & miſceantur mortario lapideo cum *∇æ roſarum odoriferæ q.ſ.* donec omnia per minima commixta ſint, in fine adhuc adde *⚯i ligni Rhodij, vel roſarum veri* ℈j. Formentur more ſolito globuli, magnitudinis ad placitum.

Sapo Coſmeticus alius S. R. E.

℞. *Amygdalarum dulcium excortic. & ad pultis formam cum ∇â aliquâ odorif. q.ſ. redactarum* ℥viii. *vitell. ovorum recent. n.* ij. *∇æ odoriferæ roſarum* ℥ʒ.

Coq. in patellâ aliquâ argenteâ vel cupreâ, ad conſiſtentiam craſſam inſtar paſtæ, in vaſe non adhæreſcentem, continuò itaque piſtillo ligneo agitanda eſt; Deinde adde *ſaponis Veneti ſubtiliter raſi, & cum ∇â roſarum odoriferâ aliquoties loti & perfumati* ℔ii. contundantur in mortario lapideo quàm optimè, ſemper admiſcendo aliquid *⚯i Tartari per deliquium facti* e. gr. ℥ß. tandem inſpergantur ſequentes pulveres: ſcilicet *magiſterij marcaſitæ* ℥iß. *pulv. rad. ires* ℥j. *amyli, biaccæ Hiſpanicæ ana* ʒii. M. donec omnia per minima commixta ſint, tandem adhuc adde *⚯i jaſmini Romani* ʒj. *roſarum veri* ℈ß. *moſchi optimi ad* libitum.

COSTUS.

Coſtus, Κόϛος græcis, nomine, ut volent ab Arabibus mutuato, quibus *Coſt* aut *caſt* dicitur. Veteribus, ut Dioſcoridi triplex erat 1. *Arabicus*, candidus & lævis, eximio ſuavique odore præditus. 2. *Indus*, craſſus, levis ac niger ceu ferula. 3. *Syriacus*, gravis, colore buxeus, odore feriens. Arabes etiam plures ſpecies faciunt. Hinc magna diſputatio orta eſt, an Coſtus legitimus habeatur.

Seplaſiæ, Arabes ſecutæ, coſtum in dulcem & amarum diviſere, quæ tamen hactenus nihil fere habuere, quod veri legitimique coſti faciem ſine controverſia referat. Nec mirum, cùm nullæ nobis ferè ſint plantæ peregrinæ delineationes: imò tanta rerum eſt confuſio, ut is quem dulcem vocant amarus, & quem amarum nominant dulcior guſtui ſentiatur. His rationibus plerique moti coſtum legitimun nobis eſſe negârunt, & ſolùm radices vel in Hiſpania, vel in Italia ortas pro coſto legitimo in officinis oſtendi. Denique Garcias & Acoſta unum duntaxat coſti genus eſſe credunt, & recentem incorruptumq; dulce eſſe & candidius; ubi autem corrumpi incipiat vetuſtate amaritudinem contrahere fierique nigricans. Coſtus officinarum ingratus ſive Thapſiæ ſpecies *C.B.I.P.*

Radix per tranſverſum in taleolas ſecta craſſitudine plerumque manum complet, foris fuſco, intus candicante colore: cortice craſſo, ſubſtantiâ rara & levi quæ cum feritur rancidam aliquam pinguedinem olet, guſtû ſupra modum acri, nauſeoſa, rancida, ſalivam ciens, & ſtrangulationem comminans. Eſt autem Thapſiæ majoris ſpecies, in monte Gargano effoſſa, quam Agyrtæ communi nomine cum Italis *Coſtones*, quaſi coſtum amarum vocant. *Cord. in Dioſcorid.*

Vires. Coſtus Dioſcoridi vim habet excalfaciendi, (adeò ut etiam exulceret *Galen.*) urinam ciendi, menſes ducendi, & ad uteri affectiones auxiliarem, & in peſſis & in perfuſionibus ac fomentis. A viperæ morſis ſuccurrit ſemunciæ pondere potus, convulſis inflammationibuſque cum vino & Abſinthio: Sed & venerem ſtimulat & vino mulſo, Pellit etiam

etiam lumbricum latum cum aqua, ob amaritudinem quæ illi inest. Illinitur quoque cum oleo in rigoribus ante febrium accessiones itemque resolutis. Vitia cutis (ut contractas ex Sole maculas) aquâ vel melle illitus emendat. Additur etiam in malagmata & Antidotos. *Raius in Hist. Plant.*

Costus in Arabia, Syria ac multis Indiæ locis, præsertim verò in Guzarate, & circa Amadabar quæ in desertis sita est nascitur, qui non specie sed bonitatis ratione, locique in quo provenit diversitate differt, præstantior censetur Dioscoridi Arabicus, &c. Illum, qui jam Officinis ex usu est, India nobis transmittit, omnes optimi notas habentem. Radix is est, vel esse debet crassa, succulenta, non cariosa, odore aromatica, colore candicans & ferè Buxea, sapore acris & amaricans. Costum officinæ in amarum & dulcem dividere, sed revera Costus omnis amaricans ut sit oportet, nisi quis respectivè, aut collatione cum amariore seu acriore factâ, id asserere velit: Nos, si quis nostro uti dubitet, in tanta rerum diversitate, ejus loco Zedoariam vel Angelicam rectè substitui posse censemus. Officinis etiam nostris in usu est aliud simplex, Costi nomine insignitum, quem Canellam albam, quia Cinnamomum formâ refert, vocare solent; Cortex videlicet arboris cujusdam Indicæ, cineritij coloris, admodum aromaticus, sapore ad Costum verum accedens, cui etiam substitui quandoque solet. *Pharm. August.*

Costus Hortorum. vid. de eô sub titulô *Mentha.*

Cotonaria, vid. *Pilosella*, item *Pes cati* seu *Gnaphalium verum.*

Cotonea, vid. *Cydonia.*

COTULA.

Cotula duplex est Fætida & non Fætida; Hæc ultima non est propriè usualis, de primâ verò actum sub nomine *Chamomilla.*

COTURNIX.

Minima est in hoc genere quàm hic describimus figuræ latioris, nec adeò ad latera compressæ quàm Rallus. Longitudo ei à summo rostro ad extremam caudam $7\frac{1}{2}$ digitorum. Latitudo alis expansis 14.

Rostrum ab apice ad angulos oris $\frac{5}{8}$ digiti unius longum. Figura ejus magis depressa & plana est quàm in hujus generis reliquis. Mandibulum inferius nigrum, superius albido-fuscum, extremitate acutâ. Oculorum irides avellaneæ.

Membranâ nictitante donatur.

Venter & pectus ex albo sordidè lutea. Gula quandam ruffi mixturam obtinet. Sub mandibulo inferiore lata & longa area nigricans deorsum tendit: Supra oculos & per medium capitis linea albida. Caput nigrum, fimbriis tamen plumarum ruffis seu cinereis. Colli infimi & dorsi tegetum singularum medio pars areolâ seu striâ ex albo flavâ notatur, reliquum plumæ nigro & ruffo-cinereo variatur. Sub alis area longa, medio alba, exteriùs utrinque ruffa cum nigri mixtura.

Pennæ alarum remiges fuscæ, transversis lineis dilutè ruffis variæ; minores pennarum alæ ordines unius ferè & ejusdem subruffi coloris. Cauda perbrevis $1\frac{1}{8}$ digit. 12. pennis constat, colore nigricante, transversis lineis dilutè ruffis intercepta.

Pedes pallidi, cute tecti, in squamas potiùs quàm integros annulos divisâ. Plantæ pedum luteæ. Digiti exteriores ad primum usque articulum medio membranâ adnexi.

Vesiculâ felleâ donatur. Mas testes habuit ingentes pro corpusculi magnitudine. Ventriculus musculosus, & supra ventriculum Oesophagus in prolobum quendam intus glandulosum dilatatur.

Ad Coturnices capiendas hac arte utuntur. Auceps summo mane cum jam retia tetendit sub iis inter segetes sese occultat. Deindè fistulâ vocem Coturnicis imitatur. Mas fœminæ vocem esse existimans quam audit properè accurrit, cumque jam rete subierit, auceps exurgit seque ei ostendit. Avis avolatura in rete impingens capitur.

Avis est admodum salax & in venerem proclivis non minus quàm Perdix, ob obscænam libidinem infamis. Mares animosi sunt & pugnaces, ideòque Gallinaceorum more à quibusdam ad pugnam educari & institui solent, eorumque certamina olim Athenis Spectari consuevisse, tanti decoris ut ad illa effusissimo studio tanquam ad gladiatorium munus omnes convenirent; Author est *Ælianus.* In nonnullis quoque Italiæ urbibus maximè Neapoli pugnaces etiamnum alunt, ut refert *Aldrovandus.* Modum quo eos ad pugnandum incitant apud ipsum vide.

Coturnices aves sunt migratoriæ, cùmque regionum frigidiorum patientes sint, adveniente hyeme in loca tepidiora abeunt, etiam maria transvolantes. Nam cùm è Rhodo Alexandriam Ægypti (inquit Bellonius) navigaremus plurimæ Coturnices à Septentrione Meridiem versùs volantes, in navi nostra captæ sunt, undè certò persuasus sum cœlum mutare. Nam priùs etiam cum è Zacyntho insulâ in Moream seu Negropontum navigarem, verno tempore, Coturnices contraria profectione à Meridie ad Septentrionem volantes observaram, ut illic per totam æstatem degerent, quo tempore permultæ etiam in navi nostra captæ sunt Coturnices. Olim à mensis rejectæ sunt, quia veratro ali & comitiali morbo obnoxiæ creditæ, ejusmodi affectus in eatum carne vescentibus producere dicerentur. Verùm immerito, nam nunc dierum absque ullo periculo esitantur & in primis epulis habentur, ideòque apud nos maximo in pretio sunt, carne ob saporis præstantiam, & succi bonitatem vel Perdicinæ æquiparanda. Cupedinarij qui eas in caveis saginant, altum locum eis minimè permittunt, quòd salientes caput offendant. *Franc. Wil. Lughbeius.*

Officinalia è Coturnice sunt.

1. Pinguedo. 2. Excrementa.

1. *Pinguedo* oculis prodest maculas abstergendo.

2. *Excrementa* Coturnicum helleborô vescentium (quod ipsis, ut quidam scribunt, in alimentum cedit) singulari proprietate quâdam conferre Epilepsiis quidam volunt.

Cotyledon, vid. *Umbilicus Veneris.*

Cracca, vid. *Aphaca.*

CRAP.

Crap massa rubea compacta duplex ad nos fertur, una ex Silesiâ, altera ex Bataviâ, melior priori. Utuntur autem tinctores potissimùm hâc materiâ, in quorum gratiam magnâ copiâ advehitur. Præter hunc usum verò vulgus cum successu pulverem hujus *Crap* assumit ad sanguinem ictu aut casu coagulatum dissolvendum, in haustu cerevisiæ calidæ ad ℨj. aut alteram. Dicunt hâc massa quæ fit ex radicibus *rubiæ tinctorum* contusis, Hispanos Chocolatam tingere. *Schroderus.*

Crassula, vid. *Telephium.*

Crassula Minor, vid. *Semper vivum.*

Crateogon, vid. *Aquifolium.*

Crates, *vid.* sub titulô *Instrumenta Pharmaceutica & Chymica.*

Craticula, vid. *Ibidem.*

Cremor lactis. vid. *Lac.*

Cremor Tartari. vid. *Tartarus.*

Cremor Ptisanæ. sive *Ptisana colata* vid. *Ptisana.*

Crepitus Lupi, vid. *Orbicularis.*

Crescio, *vid.* *Sisymbrium*, item *Nasturtium.*

Crespinus Matthioli, vid. *Oxyacantha.*

Creta, *vid.* sub titulo *Terr*.

CRIBRARE.

Cribrare est per cribrum transmittere.

Cribrum. *vid.* sub titulo *Instrumenta Pharmaceutica.*

Crinita, vid. *Adianthum.*

Crispula, vid. *Bursa Pastoris.*

Crista Galli, vid. *Pedicularis.*

Crista Marina, vid. *Crythamum.*

Crithum, vid. *Crythamum.*

Croci in *Phytologia.*

Croci idem sunt quod Apices.

Croci è varijs Mineralibus & Metallis extracti *vid.* sub titulis Mineralium & Metallorum è quibus præparantur. Nec opus est ut hic aliquid de confectione eorum generali adferamus.

Crocodilus, *vid.* ejus descriptio sub Titulo *Lacertus.*

Crocodilus Terrestris, vid. Scincus. sub titulo *Lacertus.*

Hic tantùm verbulô adnotabimus quòd hujus animalis adeps resolvens est medicamentum ac nervale, quódque ipsius caro edulium non foret ingratum ni cocta moschum nimium redoleret.

CROCUS.

Crocus à Crocô puerô in hunc florem versô dictum fabulantur Poëtæ. Ovid. Metamorph.

Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores.

Potiùs κρόκος dicitur à κρόκις vel κρόκη trama, filum, villus, id quod stamini inseritur, cujusmodi sunt Croci stamina seu villi, qui κροκίδες appellantur, qui plerunque terni, nonnunquam etiam plures in floris medio conspiciuntur, & cùm soli in usum veniunt, per excellentiam Croci nomine donantur. Nec Croci tantùm, sed & aliorum etiam florum stamina κροκίδες appellantur, Nymphææ v. g. apud *Dioscoridem* lib. 3. cap. 131. Liliorum apud *Plinium* lib. 21. cap. 5.

Croci *nota* sunt flores nudi, erecti ab ipsa statim radice, orti absque pediculis herbaceis, folia angusta, graminea, lineâ in medio albâ secundùm longitudinem decurrente.

Nomina. Crocus Sativus *C.B.* verus sativus autumnalis *Park. J. B. Ger.*

Constat hic *Bulbô* dulci, avellanæ, (interdum etiam juglandis) magnitudine, tunicâ incanâ, seu cinereâ, in tenuia & oblonga capillamenta fissili foris obtectô, multis fibris capillatô. *Folia* quinq; aut octo, palmum aut etiam dodrantem longa, admodum Angusta, striata. *Caulis* inter hæc oritur brevis sub finē augusti, aut septembri mense *florem* sustinēs unicum Colchici flori similem, sex petalis ex purpura rubente cæruleis constantem, in quorum mediô *stamina* sex, tria erecta, *apicibus* flavis donata, inutilia, brevia, & superficie pulveraceâ sunt: reliqua tria longitudine ipsa floris folia paulùm excedunt, cùm etiam ex clauso convolutoque flore jam ex terra exeunte exertis capitibus perficiant: eadem inferius angusta, superiùs verò latiuscula existunt, & subtilissimis crenis, nonnullorum oculos subterfugientibus, incisa; color est in ruffo puniceus. (I.B. stamina hæc flammei ruboris sunt) Ea collecta celebre aroma conficiunt, omnibus Crocus seu Crocum appellatum, gustu amariusculum, odore jucundo, acri, latè spirante, oculos aliquantum mordicante, lachrymas profundere cogente, & modicè cum suavitate non ingrata caput aggravante, somnumque conciliante. Ejus tam triti quàm integri parva portio magnam aquæ aut vini quantitatem luteo aut citrino colore ad puniceū inclinante tingit. Flores unum aut alterum tantùm diē postquàm aperti fuerint durant. Cùm defloruit, vel cùm adhuc floret, folia emergunt, quę hyeme non flaccescunt, sed sub ipsa nive virent. Radix Autumno, cùm planta floret, bulbô constat singulari, sequente autem vere & ætate duplici, atque altero alteri superiùs insidente. Cùm enim veris initio folia increscunt, superior radicis pars è qua folia exeunt increscit pariter, donec ætate parentem subretentam quantitate æquet. Hâc itaque vigentem, solidam succosamque constitutionem nacta, ipsa parens languida & flaccida redditur, atque Autumno tota evanescit.

De loco natali ubi sponte oritur nihil certi traditur; seritur autem in plerisque Provincijs, ut Sicilia, Italia, Pannonia, Gallia, Germania, Anglia. De semine altum apud Botanicos est silentium. Seritur autem depositis radicum bulbis. Semen apud nos quantùm audivi nunquàm fert, nec alibi, ut puto, in frigidioribus: in locis autem ubi sponte oritur semen perficere minimè dubium est.

Croci electionem vide apud C. Hofmannum. Qui vulgò venditur ferè est corruptus cartamo, seu cnico, quem crocum Saracenicum vocant. Laudatur in croco summa partium tenuitas, & trahitur in dubium (inquit C. Hofman.) annô illa vincat omnia alia simplicia.

Præter *Crocum verum* de quo suprà datur alius *Crocus* falsus & spurius seu sylvestris, cujus nomina sunt *I.B.* Crocus vernus latifolius albo versicolore flore I. Clus. *Gerardo* Crocus vernus, *Casp. Bauh.* albicans &c.

Hujus *folia* croci sativi & legitimi folia satis referunt, nisi breviora essent: inter quæ bini aut terni prodeunt *flores*, croci albi floribus majores, petalis mucronatis, quorum terna exteriora (quæ pallidula sunt foris) tribus radiis ex atro purpurascentibus ab infima basi ad extremum folium ductis striata, internè alba sunt, ut & tota interna triapetala, *staminaque* in meditullio habent croco montano similia, sed magis pallentem *stilum*. Liberalius hæc semen prębet in triangulis capitibus rotundum, ex fusco candidans. *Radix* aliis similis, foris membrana fusca obducta, fibris infima sede donata, & intus alba.

Reperitur hujus species per omnia minor, quæ croc vern. latif albo versicolore flore II. *Clus.* Crocus vern. minor purpurascens *C. B.*

Crocus vernus latifolius albus vel cinericeus *C. B.* An crocus vernus flore cinereo striato *Ger.*

Vires & Usus Croci veri. Moderatus ejus usus cerebro prodest, sensus vegetiores reddit, somnum & torporem excutit. *Dod.* (copiosior vigilias inducit, & capitis dolorem) omnium consensu corroborat cor & lætitiam gignit; quod experimento confirmat *Amatus Lusitanus* asserens se mercatorem vidisse, qui cum in ollam in qua carnes coquebantur multum croci injecisset, post earum usum, in tam profusum risum erupit, ut parùm abfuerit quin risu nimio & cachinno è vita excesserit. Simile exemplum est apud Jul. Alex. in *Salubr.* Nos, ait, nobilem fœminam Tridenti vidimus horarum circiter trium spatio immodico risu concuti, eliciendorum fortè mensium causâ. Justo plus croco usum

usum Thoracis crudos humores ad concoctionem perducit, pulmones aperit, & ab obstructione liberat, & ad hæc tam efficax est remedium, ut subinde phthisicis in summo vitæ discrimine, & propemodum animam agentibus spiritum reducat, & vitam ad aliquot dies proroget, scrupuli dimidij, aut ad summum integri, cum Passo aut vino Pramnio vel alio dulci exhibitus; quomodo etiam datus gravissimas subitò irruentes citra febrem dyspnœas statim & momento temporis tollere non semel à nobis compertum est. Crapulam etiam arcere hoc modo sumptum Dioscorides refert. Laudatur ad hepatis & fellis obstructiones, necnon ad regium morbum; atque hinc bonum colorem Crocum efficere Dioscorides scribit. Additur eodem authore ad omnes quæ interaneorum causa temperantur potiones, sed nostra ætate ad eas quæ potissimum ad menses, fœtus & secundas educunt. Urinam cit, venerem excitat; ad Vulvæ & sedis cataplasmata additur, nec non ad Emplastra & cerata veteres tumores & dolores discutientia, inflammationes erysipelatodes mitigat; compositionibus auricularibus utiliter admiscetur: oculos ab ecthymatis & exanthematis cum lacte aut fœniculi Rosarumve liquore præservat illitus, & humorum in eos influxiones reprimit. Hæc è Dodonæo.

Nos efficaciam ejus in ictero, si tempestivè bibatur, sæpius experti sumus ad quem morbum quæ partium tenuium sunt & tingendo apta pleraque conducunt.

In partûs difficultatibus adeo visus est fortiter egisse (inquit C. Hofman.) ut totus infans apparuerit Croceus. Hoc experimentum est à Rhasi, quem Serapio laudat. Fuit mulier quædam, inquit, quæ aliquot diebus laborârat in partu & dedi illi in potu ℈ij. Croci & peperit filium. Et expertus fui hoc postea statim sæpè, & semper fuit ita. *Verisimile est librariorum errore pro ℈ii. ʒii. scriptum.*

Apud nostrates ad Variolas expellendas in frequenti usu est; item in sacculis suspenditur sub mento vel gutture, ad dissipandam scil. materiam putridam & venenatam, nè ibidem stagnans inflammationem excitet, ægrumque strangulet.

Crocus in nimia dosi noxius & lethalis censetur. Sed quæ tandem est illa dosis à qua periculum est? ʒiij. vel ut Julius Alexandrinus ℥ij.

Crocum non dilatando esse solùm gravem sed & obstruendo & strangulando *C. Hofmanno* videtur.

Idem Dodonæum erroris insimulat quod Crocum vigilias facere scribat in nimia dosi, cùm è contra somnum faciat, & caput gravet. Nec probat quòd Dioscorides & Plinius ἀκραίπαλον esse affirment; cùm Arabes & etiam experientia contrarium doceant.

Crocus paralyticis membris ac induratis nervis apprimè confert: quare Oxycroceum emplastrum ex Croco conficitur ad emolliendam nervorum duritiem accommodatissimum. *Trag.* In Apoplexia gutta una aut duæ tincturæ aspergitur linguæ. *Raius Hist. Plan.*

Crocus in Coryco Ciliciæ monte, & Austria præstantissimus nascitur, nec parvi pendendus Gallicus, quem nempe præstantem Arausionensem esse tradunt; saturatè rufus sit, odorus, & colore rutilans, qui madefactus protinus copiosè tingat. Adulteratur flore Cnici, pulvere ligni Brasiliensis, ac sapæ sublitu, sed maleficium detegit defruti odor, tum & ipsa adcuratior inspectio, quæ etiam Cnici flores facilè à genuino discernit; quin & Lithargyri, ad pondus ejus cum fraude augendum, admixtio ex pulvere insidente depræhenditur. Quidam nequissimo dolo Crocum aquâ perfundunt, & per hanc colorem ab eo extrahunt, eum postea liquorem filis, pannis ac tapetibus tingendis adhibent, crocum rursus resiccantes & in hominum fraudem divendentes. Veruntamen Crocus sic depravatus agnoscitur, cùm quia marcidus adparet, nec ita plenus, tùm quia nec odoris fragrantiâ, nec coloris eminentiâ, aut excellentiâ legitimo ac recenti respondet. *Pharm. Aug.*

CRUCIATA, vid. sub titulo *Gentiana*.

CRUCIBULUM, vid. sub titulo *Instrumenta Pharmaceutica*.

CRUSTAM INDUCENTIA, vid. *Escharotica*.

CRUX CERVI, sive OS DE CORDE CERVI, vid. *Cervus*.

CRYSTALLISARE, CRYSTALLISATIO.

Crystallisatio ita vocatur, quia eâ salia, aliarum enim rerum crystallisatio non est, in quosdam quasi crystallos nativorum æmulos rediguntur: unde salia primùm depurata esse debent, ut splendorem istum nanciscantur, & hâc ratione ex doctrinâ de Depuratione patet, ejus quasi complementum esse hanc ipsam Crystallisationem. Quatuor verò circa crystallisationem notari debent: 1. quænam sint salia capacia crystallisationis. 2. quas illa Enchirises habeant. 3. quænam sit crystallorum diversitas. 4. denique quis usus crystallisationis existat?

De singulis ordine. Quoad 1. jam diximus salia crystallisationi subjecta esse; reliquorum enim, v.g. extractorum, succorum, potiùs inspissatio est, de qua suis locis.

Crystallisantur autem omnis generis salia, volatilia, mediæ consistentiæ, fixa tàm enixa quàm alcalisata; quanquam verò de volatilibus nonnullis hoc dubium videri possit, quoniam illa evaporari non solent, evaporationem verò ad crystallisationem requiri paulò post dicetur, nihilominùs tamen & ex doctrina de fixatione volatilium, & in doctrina de salibus demonstratur suo loco, nam dicuntur salia, dum fixantur, sive illud etiam cum acidis, sive per se fiat in crystallos concrescere. Pariter & ex eâdem doctrinâ innotescit, salia essentialia ex succo acetosæ, acetosellæ, &c. simili ratione in crystallos abire. Denique & quod fixa concernit, illorum crystallisatio omnium manifestissima est, in vitriolis omnis generis, nitro, sale, mercurio sublimato, ratione scil. salium, cum quibus sublimatio facta est, saccharo Saturni, salibus Ammoniacis.

Causam Crystallisationis explicare haud difficile est, ea enim in ipsis consistit salibus, si soluta illa sint in aquâ, evaporatâ illa iterum ad pristinam consistentiam & figuram reducuntur, estque in salibus illis. 1, acidû, quod vel aliud aliquid diversum à suâ naturâ arripit, seseque juxta axioma de natura vi acidorum cum eo coagulat, & hâc ratione fiunt vitriola factitia. Sic Aurum etiam cum aquâ Regis in crystallos abit, nec alia Sacchari Saturni ratio est; vel concrescit acidum cum sale alio & alcali, ut patet ex salibus enixis, Tartaro vitriolato, quatenus scil. eorum acidum & alcali solutum anteà, evaporato phlegmate arripiendo se mutuò, coagulantur. Eadem est ratio eorum, quæ sponte crystallisantur, sensim sensimque eorum phlegmate exhalante, alterum ex potestatibus illis arripit alterum, ideóque eò magis, quo magis ac longiore morâ soluta in se agunt, sicque in crystallos abeunt. De auro namque constat dicto modo in Aquâ Regis soluto, quòd non æquè subitaneâ evaporatione sed longiore morâ in crystallos abeat. Hinc forsitan esse autumo, quòd Helmontius aurum non æquè in vitriolum posse redigi, ac reliqua metalla statuat, ut in doctrina de vitriolis dicetur. De alcalisatis fuit dubitatum, an in crystallos compingi possint, eum quippe in finem cum sulphure colliquari solent illa, aut cum proprijs etiam acidis suis jungi, ut eò meliùs Crystallisentur, uti suo loco dicetur. Nec negari potest, crystallisari facilius enixa, id enim

in ſenſus incurrit, rationem verò habet; quia in iis adhuc integrum eſt acidum, quod activum magis eſſe diximus, unde ob præpollentiam particularum ſuarum, in alcali magis agit, & rodendo cum eo ſe coagulat. Contrà in alcaliſatis acidum colliquatum eſt: Nihilominùs tamen alcaliſata etiam, modò debitè procedamus, id quod ex enchiryſibus innoteſcet, in cryſtallos redigi poſſunt. id quod non ſemel in alcaliſato tartari formâ cubicâ eleganter cryſtalliſato per ſe ſine ullâ additione ad oculum demonſtravi.

Quoad 2. & Enchiriſes Cryſtalliſationis diſtinctæ ſunt illæ, & peculiares habet cryſtalliſatio volatilium, ac fixatio. Communes ferè ſunt, quibus dictis ſalibus eſſentialibus impendimus. In genere obſervandum venit 1. Solutorum ſalium filtrationem priùs inſtitui, idque pro meliori illorum depuratione: nam ſi quæ adſint adhuc ſordes, ſimul illæ cum cryſtallis concreſcunt, imò factâ etiam aliquâ ex parte evaporatione cum ſordes & heterogenea quævis hâc ratione deponantur, repeti denuò debet filtratio, imò enixi ex ſale volatili viperarum & acido vitrioli quatuor eſſe factas filtrationes recordor. 2. & factâ eo modo filtratione ad inſpiſſationem per evaporationem pergimus, illa verò fit in vaſis vitreis; terrea enim per poros ſalia tranſmittunt, imò in vaſis illis nec Cryſtalliſatio fieri poteſt factâ jam evaporatione, ſiquidem & tunc penetrant, ut videre eſt ex floribus nitri, qui ſunt ſubtiliores ejus partes ollæ poros permeantes. Vaſa illa porrò eſſe debent amplioris orificii, ut cryſtalliſatum eximi poſſit.

3. Inter evaporandum toti ſoluto à ſale multoties cruſta inducitur, quæ pertundi adeoque debet, ut ſubjacens humiditas exhalare poſſit, idque aliquoties faciendum eſt. 4. Quo lentè magis evaporatio fit, eò elegantiores fiunt cryſtalli; niſi enim hoc obſervetur, non ſuccedunt facilè Cryſtalli, nec eleganter adeo fiunt, ſed potius inſpiſſantur. 5. Signum verò peractæ evaporationis eſt, quando ſolutionis gutta calida ungui, vel frigidæ rei inſtillatur, indeque protinùs in ſal ſuum coaleſcit; deinde in vaſis dictis paulò antè Cryſtalliſationi exponitur. Enchiriſis autem de vaſis eſt, in terreis 1. per poros ſalia penetrant, rumpuntur illa, quod præcipuè patet ex cryſtalliſatione nitri, cujus particulæ ſummoperè penetrant. Illud ſi in communibus ollis cryſtalliſetur; ſubtilior pars ejus penetrat: atque hæc eſt, quam Mynſichtus florem nitri vocat. Pari ratione Ammoniacum, & alcaliſata per poros terræ penetrant. Imò experientiâ conſtat, rumpi etiam ab illis vitra, ac per rimas ſalia effloreſcere; ſpiritum ſalis non ſemel vidi penetraſſe vitrum, & in externa ejus facie concreviſſe; cujus rei nulla ratio alia eſt, quàm quòd activæ ſalium particulæ in concentratione & cryſtalliſatione à frigore actæ ſummoperè quà data porta exire conantur, præſertim cum non habeant, quod illis cedat, terram e. gr. vitrum colliquatum, unde poros intrant, præſertim ſi diuturna actio particularum illarum acceſſerit, unde in vaſis vitreis primò acidi, v. g. ſalis ſpiritus cum ipſo vitreo, in quo agit, coagulatio fit, ſaturatione autem factâ poros adhuc pervios ſalinæ particulæ penetrant, hincque longiori tempore vitra, quæ ſpiritus acidos continent, rumpuntur.

Contra ſe res habet in vaſis ligneis, cedit quippe ipſorum ſubſtantia, incruſtatur à ſalibus, ſicque faciliùs cryſtallos fert, atque ſic videmus nitrum in ligneis iſtiuſmodi vaſis eleganter Cryſtalliſari. Alioquin inſerviunt utique inſtituto noſtro vaſa vitrea, fictitia etiam probè cocta, qualia Waldenburgenſia ſunt. Vaſa ænea non æquè inſerviunt nobis in negotio hoc, corroduntur quippè à ſalibus, præcipuè acidis, eaque ærugine inficiunt. Factâ unâ ac primâ cryſtalliſatione, reliquum liquoris denuò inſpiſſari debet evaporatione, ut reliquum ſalis, quod in iis eſt, ſimili modo in cryſtallos abeat, id quod repetitur, donec nihil reliquum ſit ſalis in liquore: valet hocce in ſalibus præcipuè, qui uniformes ſunt, in quibus heterogenea non ſunt admixta, ſic e. gr. alcaliſata in ultimum uſque ſalem Cryſtalliſari poſſunt. Nitrum autem factâ unâ vel alterâ cryſtalliſatione, relinquunt liquamen, quod non nitrum æquè, ſed ſal commune cujus cauſa etiam cryſtalliſatio inſtituitur, continet. Imò in Enixis etiam ex acido & alcali fixis diſtinctè acidum intercedente Spiritu vini, à quo ratione oleoſitatis acidum illud quaſi divertitur, 1. cryſtalliſari poſſe, ut ſeparatim majori ſaltem ex parte facta ulteriori evaporatione alcali in cryſtallos abeat, experientiâ conſtat. Ratio verò ejus dependet ex dictis in primo tractatu, ubi demonſtratum fuit, non ita acidum cum alcali conjungi, ut alterum ab altero deſtruatur. *In Enixis, quæ mediæ conſiſtentiæ ſunt, ex acido fixo & alcali volatili, cum hocce non adeo reſiſtat acidis, facilius cum iis ſeſe uniat, uniformis Cryſtalliſatio eſt.*

Notatu verò digniſſima eſt Cryſtalliſatio illa, quam ſpontaneam voco. Videmus enim ſolutiones, v. gr. Auri in Aquâ Regis ſponte ac diuturnâ temporis morâ in cryſtallos concreſcere, quod ſubitaneo igne nonniſi difficulter fieri poteſt. Videmus Saccharum Saturni ad Solem ſenſim ſenſimque exhalante humiditate elegantiſſimè Cryſtalliſari: non æquè fieri illud, factâ protinus protinùſq; evaporatione. Ratio eſt, quia Salia, quæ activa eſſe diximus, agere nunquam ceſſant, ſed vel in ſe invicem vel in ſoluta ſua agunt, ſicque longiori tempore ſeſe magis magiſque uniunt, reſiduæ hinc humiditatis evaporatio, ſive per ſe fiat, à calore utut modico, continuo tamen, qui ex actione & reactione particularum illarum oritur, ſive etiam ab externo calore Solis, præcipuè enim hic supernè incidens magis verſùs centrum agit, facitque, ut in Cryſtallos abeant ſalia, quæ anteà addita à dicta humiditate ſive liquore unita erant. Sic videmus etiam vina concentrari, ſuccos omnis generis. Patet adeòque quænam præcipuæ Cryſtalliſationis Enchiriſes ſint, ipſis ſalibus opificibus (ſpiritus autem ſecundùm Hippocratem, alter trahit, alter trudit, idem uterque facit) committi negotium debet, Sol parens rerum eos adjuvat. His Enchiriſibus duæ ſeqq. addi debent: Si vitris immittantur bacilli, cryſtalli illis ſe eleganter apponunt, & eâ de cauſâ elegantiores, ut diximus fiunt: diſcontinuantur enim, ſi parietibus ſolummodò vaſis præcipuè amplioris, quod multum liquoris continet, ſaliſque ſoluti accreſcere debent, in cruſtam abeunt, pellucidis cryſtallis ſuis non æquè diſtinctam. Vaſa, in quibus Cryſtalliſatio fit, ſtricti colli eſſe non debent, ut commodè poſſint eximi Cryſtalli, oblongiores præſertim, quales nitri ſunt.

Proximum jam erit, ut 3. locô de ſalium figuris agamus, quas illa in Cryſtalliſatione obtinent, ubi 1. quidem notari debet, certi nil quicquam de iis determinari poſſe, quodq; regulare prorſus ſit, videmus enim variis formis ludere illas, in cubicas, quadratas &c. abire. Vidi ſal aliquod Cryſtalliſatum inſtar telæ aranearum, contextu per vitrum expanſo; aliud habui ex arcano duplicato, quod inſtar flocculorum erat ſericeorum; ex eodem ſale lapillus mihi concrevit hexangularis, politus quaſi artificialiter, ac ſi pretioſæ inſtar gemmæ aureo in annulo reponi debuiſſet. Videmus tamen ſecundò ex ſalibus acida in angulos acutiores abire, tenuiores formare cryſtallos,

ſtallos, oblongaſque ſtrias. Contrà ſi illa impediantur ab alcalibus in enixis, non æque luxuriare illa, ſed in quadratam, cubicam dictam, abire figuram: alterum enim alterum tenet, & alcaliſata quidem ſi tandem cryſtalliſentur, cubicam dictam illam figuram ſervant. Diverſitas cryſtalliſationis hujus facillime patet, ſi enim pro diverſo ſalium impetu, quo in ſe mutuò agunt ac concreſcunt, auctiore ſcilicet aut debiliore, vel in breviores, vel longiores cryſtallos abeunt, & quidem oblongæ ſunt ſtriæ, in apice quidem cum cuſpide deſinunt, ibi quippe terminatur impetus ille, baſin habent in vaſis lateribus, quibus accrevere, quòd verò ſecundò acidi ſales cryſtallos forment oblongiores, tenuiores, ejus ratio in antecedentibus jam patet, acutiores enim ſunt eorum particulæ, quales alcaliſata non habent, unde illi in figuras ejuſmodi quadratas ſe induunt. Pariter ſi acida, uti in vitriolis videre eſt, detineantur vel à terrâ, vel à partibus metallicis, vel ab alcalibus, ut in enixis, non poſſunt particulæ illæ præacutæ evagari, nec tamen in aliam figuram etiam abire quàm quadratam, ſimilemque ei, qui à ſe mutuò contingunt particulæ ſalium, quæ hâc ratione figurâ cubicâ cryſtalliſantur, locus non eſt in illis, verb. gr. pro figurâ circulari, circuli dum ſe mutuò contingunt, ſpatia relinquunt intermedia, qualia hîc natura excludit, nec alcaliſata versùs ſuperiora in pyramides &c. aguntur, ſiquidem versùs centrum coguntur.

Quoad quartum & uſum cryſtalliſationis, ille jam ſatis ex antecedentibus & dictis huc uſque patet. Inſervit illa depurationi ſalium; per ea etiam ſalia fiunt, v. gr. ex acidis & alcalibus mixtis ſimul, quæ facta demum evaporatione & cryſtalliſatione enixa evadunt. Sic ſpiritus etiam in ſalia reducti in cryſtalliſatione manifeſti evadunt.

Obſervandum adhuc circa operationem hanc eſt, factâ eâ cryſtalliſatione, eximi debere cryſtallos illos, & in chartâ bibulâ ad ſolem exſiccari: alioquin ſalia extra cryſtalliſationem inſpiſſari & exiccari ſolent, id quod ſolo continuato ac intenſo fit igne. Suntque ejus duæ potiſſimùm obſervandæ encheiriſes; prima eſt, ut ſolutum ſal ſpatulâ agitetur pro meliori humiditatis evaporatione. Secunda eſt, ne in vitro aliquo meliore totalis exſiccatio fiat, rumpitur enim illud à ſalibus firmiter tandem tandemque adhærentibus, unde maxima eorum parte jam evaporatâ eximi debent, ultimumve in fragmento aliquo vini evaporari & exſiccari. *Barnerus in Chim. Philoſoph.*

CRYSTALLUS, vid. ſub Titulo *Lapis, Cryſtallus naturalis.*

CRYTHMUM.

Crithmum dicitur herba maritima, folijs quodammodò fæniculaceis, verùm ſegmentis brevioribus & latioribus multò.

Nomina Crithmi vulgaris ſunt. Crithmum marinum *Ger. Dodon.* marinum vulgare *Park.*

Succulenta admodum eſt herba, in latum diffuſa, pedem circiter alta. *Folia* latiora & breviora quàm fœniculi, craſſa, nec tam crebro inciſa, atrovirentia, ſapore ſubſalſo. *Caulis* fœniculi, ſtriatus, porracei viroris. Umbellæ luteæ: *Semina* fœniculi, ſed majora. *Radix* craſſa, longa, perennis; odore & ſapore ſuavi, acri, aromatico.

In clivis & rupibus maritimis per totum hujus inſulæ ambitum, nec minùs in tranſmarinis regionibus, in ipſis lapidum commiſſuris oritur.

Itali & Galli herbam *S. Petri* nominant, unde deductum Anglicum.

Vires. Crithmum muria conditum ventriculo benefacit, eſtque palato admodum gratum; urinam moderatè provocat, viſcera ab obſtructionibus expedit, appetentiamque ciborum excitat.

Uſus. Utimur vulgo pro condimento carnis ovillæ aſſæ, & alias in intinctibus & acetarijs. *Raius Hiſtor. Plant.*

CUBEBÆ.

Nomina. Cubebæ. *J. B. Ger. Park.* Cubebæ vulgares, nec Arabum Cubebæ, nec Galeni Carpeſium *Matth. C. B.*

Cubebæ grana ſunt Piperi ſimilia, interdum paulò majora, pediculo longo ſtili inſtar donata, cortice fuſco, rugoſo, interdum erugato extenſoque; nucleo ſubjecto exiguo, rotundo, foris nigricante, intus albo; aliquando caſſa reperiuntur æquè efficaci, vel etiam efficaciore ſapore prædita quàm nucleata, ſuavi, aromatico acri, ſed qui piperis acrimoniæ multùm cedat, pertinaci tamen.

Arbores earum Pomis noſtris haud abſimiles ſunt, racematim cohærent grana ſicut uvæ vitium, quæque tamen proprio hærent pediculo. Javæ incolæ Cubebas coquunt antequam divendant, nè & alibi locorum ſeminentur atque proveniant. Creſcunt (tradente Linſchotano) in Javæ ſylvis ſua ſponte ad ripam Sindæ. Fructus autem neque piperis genus ſunt, neque Oxymirſines, neque Carpeſium, neque viticis ſemen, ut facile eſſet oſtendere.

Vires. Cubebæ calfaciunt & exſiccant. Languentem ex pituita ventriculum vel etiam ex flatu roborant, pectus alentis craſſiſque humoribus expurgant, lienem juvant, flatus diſcutiunt, & frigidis uteri affectibus auxiliantur. Diu cum maſtiche manſæ pituitam à capite trahunt & cerebrum roborant. *Matth.*

Cubebarum, inquit *Garcias*, magnus in vino maceratarum eſt uſus, ad excitandam venerem, tum etiam in Java ad calefaciendum ventriculum.

Cubebæ ſi ore continentur claram vocem facere pronunciantibus perhibentur; quin & majorem in coitu voluptatem inde ſentiri: quaſi verò (inquit *J. B.*) non ſit in ea titillatione mens commota ſatis, niſi doceamur quemadmodum nos Venus adminiculatior & violentior tranſverſos auferat.

Cubebæ ex autoritate Avicennæ, urinæ vias emundant, arenulas extergent, calculos pellunt tam renum quàm veſicæ. *Raius.*

Cubebæ, fructus racemoſi; eligantur recentes, ponderoſæ, ſaporeque amaricante, acri & aromatico præditæ. *Pharm. Aug.*

CUCULUS.

Aucupes noſtri Bononienſes (inquit Aldrovandus) uno ore affirmant & Cuculos majores reperiri, & minores; & illos præterea duorum eſſe generum, ſed quæ ſolius coloris differentiâ inter ſe diſtinguantur. Minores verò à majoribus non alia ratione quàm magnitudine diſcrepare. Majoris utriuſque icones daturi ſumus, minorem hactenus videre non licuit.

Quæ nobis in Anglia vulgaris eſt à prima Aldrovandi differt, quòd Roſtrum turdi aut merulæ ſimilius ſit quàm Palumbi. Longitudo ejus à Roſtri apice ad extremam caudam 12. erat digitorum.

Roſtri mandibulum ſuperius nonnihil aduncum & inferiore longius plurima ſui parte ex nigro fuſcum: inferius ex albo luteum. Os intus & lingua intensè crocea. Lingua minimè bifida, extremitate duriore & pellucida. Oculorum irides avellaneæ;

neæ; contra quam in Aldrovandi secunda. Nares rotundæ, patulæ, & supra Rostri superficiem eminentes, quâ notâ ab omnibus alijs avibus mihi hactenus cognitis differt. Palpebra inferior major, cilia lutea.

Gula, Pectus, venter alba sunt lineis transversis fuscis quæ integræ & non abruptæ videntur, quo convenit cum Cuculo Aldrovando secundo loco descripto. In gula lineæ fuscæ densiores sunt & sibi invicem viciniores. Capitis plumæ fuscæ marginibus albis, macula quoque una vel altera in capite alba. Dorsi & colli medij tegetes nec non scapulares pennæ longiores, fuscæ marginibus albidis. Fusco colori aliquid etiam rufi sparsim admiscetur. Uropygium leucophæum.

Remiges pennæ majores nigriores. Marginibus à secunda exterioribus rufo maculatis. Priorum autem limbi interiores longas transversas maculas albas obtinent. Omnium apices albent. Alarum tegetes dorso concolores.

Cauda in Aldrovandi ave secundo loco descripta (nam D. *Willughby* nescio quomodo eam omisit) pennis decem constabat; utrinque ad Nervum albis notis figuram quodammodo cordis æmulantibus, atque interjecto inter singulas digiti intervallo pulcherrima serie & jucundo spectaculo respersis. Sed earundem in latere interno margines (exceptis duabus medijs) & extremus apex omnibus candidis notis insigniuntur.

Pedes & Ungues lutei. Digiti postici duo, quorum interior omnium minimus, huic magnitudine proximus anticorum interior. Ungues in medio nonnihil concavi in parte inferiore. Digiti antici ab angulo ad primum usque articulum membranâ connexi.

In dissecti ventriculo Erucas aliaque insecta invenimus.

Cuculi nutrix curruca est, nec curruca solùm sed & aliæ etiam aviculæ, ut Palumbi, Alaudæ, Fringillæ, &c. Ego ipse multis alijs testibus Motacillam Cuculi pullum pascentem conspexi. Cuculus ipse non nidificat, verùm reperto aviculæ alicujus nido: ova (si qua sunt) perdit, eorumque loco suum ponit & deserit. Avicula ei incubat exclusumque pullum pro suo studiosè nutrit fovetque donec adoleverit & ad volandum aptus fuerit. Quæ res adeo absurda est & monstri similis, ut ego sanè satis mirari nequeam in rerum natura tale exemplum dari, nec nisi oculis ipse proprijs conspexissem, unquam induci potuissem ut crederem id instinctu naturæ fieri, quæ aliàs unam eandemque legem & ordinem summa ratione & prudentiâ constitutam per omnia observare solet, ubique sui similis. Lex autem & ordo quam in hac parte observat est, ut matres nidificent, si opus sit, ova incubent, & pullos exclusos educent.

Quid fiat de cuculo hyberno tempore, num in cavas, arbores aliave latibula se abdens torpidus & semimortuus jaceat, vere autem novo expergiscatur denuò & reviviscat, an potiùs appetente hyeme frigoris impatiens in calidiores regiones migret, nobis nondum planè constat. Aldrovandus eum hyeme arborum cava intrare, aut in lapidum & terræ cavitatibus per totam hyemem latere longa observatione compertum scribit. Fabulantur (inquit) quidem apud Germanos Helvetos Basilienses Tigurinum rusticum quendam, cùm truncum fornaci calefaciendæ hyeme immisisset, Cuculi in ea vocem audivisse. Cùm enim frigoris sit impatiens, naturæ etiam, teste Aristotele, frigidæ, non mirum si hyberni frigoris evitandi gratiâ in cavernas se abdat, eò præsertim magis, quòd eo tempore deplumescat. Nos etiam novimus, qui media hyeme, tempestate præter solitum miti & tepidâ, Cuculi vocem auditam asseverârunt. Verùm cum multas avium species migratorias esse, & pro anni tempestate loca mutare certissimum sit, ut v. g. Coturnices, Scolopaces, Turdos, Ciconias, &c. Cur non & Cuculi faciant: Ego certè neminem adhuc novi, qui se cuculum in cava arbore aliove latibulo media hyeme invenisse & extraxisse asserere ausus fuerit. D. Johson literis ad nos datis scribit, novisse se Cuculum omni cura & diligentia in cavea enutritum, qui tamen seu ob victus diversitatem naturæ suæ minus convenientis, sive ob aliquam ignotam causam, ante hyemem torpidus fiebat, deinde scabie atque ulceribus per corporis superficiem erumpentibus laborans, tandem moriebatur.

Cuculi juvenis seu pulli antequam pennas mutaverint pulcherrimis maculis variè depicti sunt *Willughbeius* recensente *Raiô*.

Officin. Nat. ex Cuculo.

1. Cuculus integer. 2. Ejusdem fimus.

1. Cuculus ustus commendatur ad calculum, ventriculi dolorem & humiditatem. *Rondel.* Datur item utiliter febricitantibus paroxysmi tempore; medetur Epilepticis &c.

2. Fimus potus morbum canis rabidi curat.

Pinguedo præterea ad calvitiem ex siccitate conducit *Schröderus.*

CUCUMIS.

Cucumis vocem nonnulli à curvatura inducunt, unde Maro

tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis.

Sed veriùs Scaliger à Κικυός, quæ vetus Græcorum vox est: Κικυός autem inquit Vossius, suspicor esse ab Hebræo kika i. e. *Cucumis.*

Nota cucumeris sunt fructus tuberculis spinosis bullati, semina pulpâ humidâ copiosâ, gelatinæ æmulâ contenta.

Fructum hunc non fuisse Cucumerem Antiquorum verùm ijs incognitum multis argumentis probat *Casp. Hoffmannus.*

Ego certè, cùm in Italia peregrinarer, miratus sum Italos hunc fructum Citrullum appellare, Melonos autem aquaticos & pepones, Cucumeres.

Κίκυος nomen apud Græcos, quemadmodum Cucumeris apud Latinos generale nomen est omnium horatiorum fructuum, videlicet Peponum, Melonum, Cucumerum, Anguriarum & cæterorum ejusdem generis, ut Guilandinus quoque notavit. *C. B.*

Vires. Semen Cucumeris est è numero quatuor illorum famos. seminum frigid. maj. Abstergit, aperit, urinam ducit. Usus creberrimi est in emulsionibus antipleuriticis, antinephriticis & simil. *Schrod.*

Ejus farina cutim splendidam reddere dicitur.

Ipsa Cucumerum substantia frigida est & humida, succi excrementitij, adeòque nonnisi robustioribus ventriculis edenda. *Idem.* At nos quamvis ventriculo non admodum robusto sumus, & qui vitam sedentariam agimus, per multos annos Cucumeres copiosè injecimus, quandiu tempestivi fuerunt, & esui idonei, nec tamen ullam vel levissimam noxam aut incommodum inde sensimus, quamvis jam fere sexenarij sumus: quin & cùm Florentiæ in Italia febri laboraremus, præscribente *D. Kirtono* Medico Anglico ibidem degente, pulpam Cucumerum jusculis nostris incoctam non sine insigni solatio & levamine comedimus.

Verùm crudi cùm comeduntur; in orbiculos tenues concisos & sale aspersos duplici paroptide exceptos eousque agitare convenit; donec humor aqueus copiosus eliciatur & extillet, quo effuso, aceto, oleo & pipere

& pipere condiendi sunt, quomodo palato & ventriculo gratissimi evadunt, & certè non insalubres.

Parvi aceto, sale, pipere & anetho quoad nnis condiuntur; inseruntur etiam quandoque caryophylli, & per totum annum conservantur. Mirè præter cæteras vires, appetentiam excitando, æstuanti ventriculo conferunt. *Raius in Hist. Plant.*

De *Cucumere Ægyptio rotundifolio* cujus usus in cibo saluberrimus creditur Alpino, non opus est hîc aliquid adjiciamus: Verùm de *Cucumere Sylvestri*, seu *Asinino*, paucis jam dicendum venit.

Cucumis Sylvestris, agrestis melonis *folium* quodammodò refert: verùm minùs dissectum est, non ita angulosum, in acumen productum mollius quàm cucumeres vulgares, ijs etiam magis incanum, præsertim parte infernâ, vel cineritium, crassius & asperius longis & hirtis pediculis appensum ex flagellis ramosorum caulium teretibus, striatis & hispidis, enatum. *Flores*, sativi floribus multis numeris minores sunt, pentapetali, calathi formâ, colore ex albidô-herbaceô, tantillum in dilutiorem flavedinem declinante saturatiùs tinctis *apicibus* medium occupantibus. *Fructus* majorem glandem Cerri æquat, cui & formâ olivari respondet, superficie spinulis crebris brevibus horrente, qui maturus levissimô attactû virosum succum cum lubricô semine violenter ejaculatur. *Semen* maturum pullô est colore, vel ex cinereô-nigricans, Colocynthidis non dissimile, sed minus. *Radix* longa, crassa, alba, paucis adnatis donata, in plures annos vivax. In locis ruderatis & viarum marginibus, alijsque incultis locis in Italiâ, Siciliâ & Galliâ Narbonensi frequentissimum observavimus. Circa Autumnum fructus maturantur.

Hujus succus expressus & inspissatus *Elaterium* dicitur, cujus parandi modum ex medullâ seminis candidâ, plurimâ, (quæ minùs quàm fructus ingrata est, quæque præsertim sole exsiccata, flammis admota, tota urendo deflagrat) & paucâ ei hærente mucagine medullosâ à vulgari diversum tendit *Lobelius*. Verùm ejusmodi Elaterium è semine, se neque vidisse unquam, neque audivisse apud nos factum ait *Parkinsonus*, quamvis ipse Pharmacopæus fuerit. Se verò tum viride; tùm album Elaterium à Dioscoride & Mesue memorata fecisse affirmat. Nam quod è pulpâ, seu substantia fructus quamvis leviter pressa & per cribrum adactâ viride erit, & per multos annos humidum manebit, postquam primitùs humore evaporatô exsiccatum fuerit, ex aëre scil. humorem contrahens & mollescens; ut ad humiditatem ejus absumendam multi anni etiam requirantur: Quod verò ex liquore albicante & seroso è fructû dissectô sponte suâ extillante, absq; ullâ pressurâ fit, per siccitatem albescit, quin & album, durum, siccumque manebit, nisi vel aëri humido exponatur, vel in locô humido, ut mollescat, apertum relinquatur. Viride autem Elaterium minorum virium est, minùsque violenter sursum deorsumve purgat, quàm album. Hujus enim vel granum unum liquore aliquô solutum in corpore teneriore potenter operatur; imò nosse se ait dimidium granum medicamento cuidam cathartico inditum ad illud acuendum, ventriculum conturbasse mirum in modum, & vomitus crebros excitasse & postea per sedem violentius purgasse quàm granum integrum seorsim exhibitum credi possit.

Purgat pituitam, serosos humores, vomitu & dejectione, atque ideò è juncturis mirificè trahit. *Sylvius.*

Movet menses, fœtumque interimit, unde rarus ejus usus, præcipuè cùm nec malignitate careat. *Schroderus.*

Omnium succorum hic maximè durabilis est, adeò ut ultra centum annos efficax manere credatur. *Theophrast.* Erat Empiricus qui pilul.ij. ciceris magnitudine ex farinâ triticeâ & succô Cucum. Asinin. efformatas hydropicis exhibebat, unde copiosa purgatio, aquarum sequebatur. Mox lotione crurum ex decoctô caulium institutâ materiam deorsum traxit; iterumque pilulas dedit, & plurimas perfectè restituit. D. Soame ex Observationibus Hieronymi Reusneri à Velchiô editis. *Raius.*

CUCUPHA.

Nomen *Cucupha* barbarum est, semilatinum & semigræcum, aut etiam Italicum *Cuffia* de quô videri potest *Ferrarius* in Lexic. Italicô. Origin. *Golius* in Lexic. suô Arabicô à voce mitram sive pileolum nocturnum significante derivat.

Ex pluribus verò alijs Latinis nominibus quid rei sit, patet, siquidem pileus, sacculus cephalicus, vitta, marsupium, capitis tegmen medicum, cucullus audit. Frequentissimum tamen omnium nomen est Cucuphæ, & definiri potest

Sacculus ex speciebus cephalicis selectioribus sindone exceptis confectus & interpunctus, pro usu determinato capitis.

Facilè hinc id ipsum applicari potest sacculis, aliorum viscerum morbis qui debentur, v. g. ventriculi, qui ex stomachicis scutiformes sunt & hinc scuta dicuntur; quâ ratione etiam emplastris sindone obductis tribuitur idem nomen, seu scuti nomen, titulus & forma competit & sacculis stomachalibus & emplastris, sindone obductis, siquidem figurâ conveniunt. Sic pro corde sacculi ex speciebus cordialibus pyramidali & cordis æmulâ formâ effigiantur. Par ratio est aliorum, adeoque si unius ideam & compositionem noveris, mutatis mutandis facilis est progressus ad reliqua.

Sacculus est, siquidem marsupij ad instar recipit concisa & contusa ingredientia, secumque continet, eâ solum differentiâ, quod æquis, ut post dicemus, distribuantur singula spatijs.

Sacculus est, sed paulò delicatior, reliquis levior, tenerior, & proprius tùm ingredientibus, tùm figurâ capiti.

Sacculus est, sed siccus, pro fomento sicco, contradistinctus illis sacculis capitalibus, quorum pernecessarius & utilissimus usus est in vulneribus & contusionibus capitis, cum vino decoquendis & calido ac humido fotu applicandis.

Materia cucupharum sunt cephalica & quidem selectiora pro intentione & usu, quæ potissimum ad duo summa genera h. l. referri possunt, vel enim sunt *odorata*, tum suavi exhalatione spiritibus & archeo animali grata atque accepta, tum quoque aditum sibi promtum parantia, & principaliter quidem sicca, ex radicibus, folijs, floribus, summitatibus, seminibus, corticibus, lignis, aromatibus & resinis &c. in quo quidem, ratione inventionis scilicet, & materiæ ordine, cucuphis cum decoctorum vel infusorum elementis convenit, etiam ratione ponderis ferè. Adæquatè etiam humidula concentrata & spirituosa, pro aspersione & irroratione aliquali earundem, v. g. spiritus apoplectici, spiritus rosarum, vel olea quoque quædam, ut oleum rosarum, siquidem spiritus citius exhalant, olea immerguntur paulo penitius. Singula verò hæc ut magis penetrent, ut vis cranium trajiciat, quæ verba sunt *Heurnii meth. ad pr. p. 62.*

Vel *astringendi* vi prædita, neque id quidem sine omni penitus odore, uti notum est, plura extare cephalica in recessu simul adstrictoria leniter; id quod præcipuè dicitur ratione defluxionum catarrhalium, ut lympham moderentur & motum p. n. refrenent corrigantque. Sic flores rosarum rubrarum, balaustiorum, mastiche, myrtilli, gummi juniperi, nux cupress. &c. hunc censum subeunt.

Est tamen & hîc, quod *Monendum* occurrat, siquidem notandum est: 1. *Quæ diffusa sunt & pondus magis augent, minus ingrediantur*, id quod valet non tantum de herbis, folijs & floribus ipsis, ne majore mole recipiantur, ve-

rùm in ſpecie de ſeminibus quoque ne multâ ingrediantur, maximè leviora, v. g. in granis kermes non luxuriandum, ſed moderatos potius eſſe oportet.

2. *Odoratiora facilè caput feriunt, nec ab omnibus feruntur*, id quod non ſolùm de moſchatis per ſe valet, verùm etiam in genere de graveolentibus etiam odore grato, enormi & eminenter tali, ſiquidem hæc dolorem capitis inferunt, & ſpiritibus motum turbulentum inducunt, valet enim & hîc, omne ſenſile excellens lædere ſenſus, unde aliquoties vidimus, præſertim in initio, non potuiſſe continuato uſu geſtari tales pileolos citra καρηβαρείαν.

3. *Nec calidiora, nec nimis frigida & adſtringentia ſint ingredientia*, illa quidem ne liquent nimis, fundant & in vaſa præcipitent materiam exitum à naturâ conſuetum affectantem, uti ſuo loco exemplum tale retulimus, ubi oleo ſuccini intempeſtivè bregmati applicato febris ex catarrho periculoſiſſima orta eſt. Quod verò de calidioribus hiſce dictum eſt, illud ſuo ſenſu quoque valet de adſtringentibus, cavendum nempe eſſe, ne potenti adſtrictione cerebrum lædatur, & detineantur motus humorum.

4. *In ſacculis verò cordialibus, ſtomachicis, hepaticis, itidem media tenenda via eſt*, idque eò magis, quò minus facilis ad hæc viſcera patet aditus topicis, unde ordinariè penetrantibus, vel ſaltim non nimis craſſarum partium addi & ingredi convenit.

Inter hæc, quæ adiaphora quaſi ſunt, in quibus ſc. peccari multum poteſt, & quæ momentum medicamento ipſi addunt, numerare meritò licet camphoram, moſchum, & odorem, qui collectivè ex fragrantibus cephalicis aliis, vel cordialibus quoque emergit. Non omnes omnia ferunt, id quod in rarioris textura ſubjectis & maximè fœminis præcipuè valet.

Forma his ſacculis inducitur ab artifice apta, ſive mitræ ipſi infarciantur ex æquo diviſæ ſpecies, ſive ſacculo taliſmodi ſerico indantur: qui & per ſe & cum vittâ tali geſtari poteſt, ſeu denique, quod interdum uſu venit, utroque modo ordinari ſimul poſſunt, id quod non eſt de nihilo, ſiquidem hoc modo variare geſtanti die & noctu id eſt integrum.

Liberum enim eſt ægro, & medico, an ipſi pileoſo inſui velint ſpecies, ut licet non eadem forma, effectus tamen idem conſurgat, an ſindoni per ſe, unde ſunt, qui differentiam faciunt inter cucupham ſeu integrum pileolum, & ſemicucupham ſeu cuculum. Præſtat id commoditati & arbitrio ægri relinquere.

Materiam ipſi ſacculo miniſtrant vel linteum ſimplex, purum, vel ſericum, aut, quod frequentiſſimum, ſindon rubra, cui ingeruntur ſpecies vel ſibi relictæ, vel ſuſtentatæ leni cottone ſeu goſſypio, ne ſcilicet tam promptè conciſæ & contuſæ ſpecies aliquid de ſe dimittant, utrobique verò neceſſaria eſt interpunctio, quod interpaſſare vocant, id eſt decuſſatim, vel per transverſum conſuuntur, ne moles conglobetur in unum locum, & hinc incommoditatem in geſtando importet.

Spectat huc ipſum *pondus* compoſiti totius, in quo quidem notandum eſt in genere, *ne mole ſit gravis cucupha*, & caput oneret, unde non ad ℥iij. vel iiij. quod definit *Morellus*, extendatur, ſed juxta *Fernel. l. 4. c. 21. & Heurn.* pulveris modus eſt ℥ ij. quas non facilè ſolemus excedere, ſcuti verò ſtomachici ℥j. vel iß. ad cor ℥ß. ʒvj.

Illuſtrabimus hoc uno vel altero *Exemplo.*

Cucupha roborans: ℞. *Rad. ir. Fl. cyp. rot. rhod. fol. beton. meliſſ. roſmar. ſerpill. pol. mont.* a ʒiſs. *fl. lil. convall. anth. roſ. rubr. ſtœch. Arab.* a ʒß. *lign. rhod. benzoes, g. junip. ſuccin.* a, ℈ij *ſtorac. calam.* ℈ß. *ambr. moſch.* a. gr. ij. l. a. cucupha.

In catharrhis: ℞. *Fol. ſerpill. citr. origan. major. ſalv. myrti fl. roſ. rubr.* a. m. ß. *ſem. nigell. nuc. cupreſſ. ſaſſafr.* a. ʒj *gum. junip. ſuccin. alb.* a. ʒij. *tacamach. ſand. citr. gr. Kerm.* a. ℈ij. *nuciſt.* n. j. M.

In dolore capitis: ℞. *Rad. rhod.* ʒii. *herb. verben.* m. ij. *fl. chamam. roſ.* a. mſs. *lavend.* p. ij. *mil. torref.* ℥ſs. M.

Scutum ſtomach: ℞. *Rad. galang.* ʒij. *cyper. acor ver.* a. ʒj. *herb. abſinth. menth. major. roſ. rubr.* a. ʒiſs. *maris, cardam. caryoph. arom. cort. aurant. ſem. aniſ. cinam.* a. ʒſ. M. excepta bombace obduc. ſind. rubr. c. interpaſſ.

Sacculus cordialis: ℞. *Spec. pro epith. cord. cordial. temperat.* a. ʒj. *fl. cord.* a. p. ij. *gr. Kerm.* ℈j. *ambr. moſch.* a. g. iij. *croc.* g. vj. f. l. a. ſacculus, conſpergatur ▽â *carſ. aur.*

Utendi modus conſiſtit in geſtatione ſupra caput vel ſinciput, ſive continuâ, noctu & die, ſive diſcretâ, id quod ſi fit, præſertim in catarrhis, conſultum quoque eſt, unà adhibere ſuffitum, ut m. & v. cucupha ſuffumigetur tacamahacâ, gummi animæ, ſuccino vel pulvere pro catarrhis uſuali, *Fluſzpulver*, vel leniter etiam caleſiat ipſe ſacculus, tunc enim penetrabit magis fragrantia.

Id verò ipſum magis locum habet in adultis, & præcipuè viris, rarius verò in mulieribus, quibus etiam magis temperata conveniunt, & maximè ſi ſint hyſtericæ, quibus etiam vel ipſæ roſæ ſæpè ſunt exoſæ.

Et quidem geſtantur continuatis vicibus tamdiu, donec odor omnis quaſi exhalaverit, quando verò hic una cum virtute jam evanuit, renovari poſſunt ſpecies pro re natâ, tum ut intentionem ſuam roborandi, diſcutiendi, præſervandi naniſcantur, tum quia ſenſim atque ſenſim cum ſudore ſordes agglutinantur iiſdem.

Pertinet huc & uſus pulverum capitalium, quos, à radice cyperi, cyprios vocant, qui capillis inſperguntur immediatè, & quidem exiccandi, roborandi & abſtergendi fine, magnum uſum habentes & commendandi in illis, quibus lavare caput non conſultum eſt, v. g. qui catarrhis & coryzâ laborant, vel ulceribus aurium, δυσηκοία &c. Siquidem defluxiones hæ lotiones tunc magis cient, ut ex tinnitu & ſibilo laborantibus ſurdaſtros, ex ſurdaſtris ſurdos, hoc pacto redditos obſervaverimus. Vicem, inquam, pulveres hi cyprij obeunt lotionis, pro eluendis ſordibus, id quod etiam in memoriâ debiliori valet, ſiquidem & lotiones eo caſu minus conveniunt, aut paulò rarius.

Nihilominus & pulveres cyprij recipiuntur in cucuphas quoque, præſertim è muſco querno, qui roborandi & adſtringendi pollet virtute, paratus, commiſcendo eoſdem cum ſpeciebus pro cucupha, quæ in officinis quibuſdam jam deſcriptæ extant. Aliàs verò ad gratiam magis & voluptatem uſus horum abijt, quàm ut à medico præſcribantur. Quod itaque *Uſum* ſeorſim concernit cucupharum, minus eædem conveniunt.

1. *In doloribus*, præterquam temperatæ & diſcutiendi fine ordinatæ, quin eodem caſu magis frontalia, ſicca & humida frigida uſitata ſunt, unde ex papaveraceis quoque & hyoſcyamo, verbenâ, tales ſacculos in hemicraniâ ordinavimus cum nitro antimoniato ad frontem. Aſt in doloribus aliarum partium, præſertim membranoſarum v. g. ad hypochondria, ventrem, pleuram, ſacculi paregorici polichreſti ſunt & laudatiſſimi.

2. *Minus quoq; in calidiori intemperie*, magis quippe in ſeroſis, frigidis, chronicis, quàm calidis & bilioſis morbis locum obtinent, quos facilè ſubtili ἀναθυμιάσει exacerbant.

3. *Minus in ſubitaneis caſibus*, nec in vulneribus capitis abſurdum foret ſacculos taliſmodi ſiccos ordinare, cum majori tunc fotu opus ſit, unde in acutis omnibus & actu decumbentibus minùs præſcribuntur, magis verò in lentis & ſucceſſivè alterandi vel præſervandi etiam fine &c.

4. *Minus in capitis affectibus ſympathicis*, ſiquidem vertigo, ſpirituum debilitas, vel alia mala illud obſideant, ex hypochondriorum, ventriculi, vel aliorum viſcerum culpâ. Verbo, magis conveniunt in eſſentialibus cerebri malis.

Si quem uſum jam adferant, diſpiciamus.

1. *Alterant & roborant*; quod unâ non præſtant vice, pluribus exequuntur, hinc roborant ſpiritus animales,

les, eoque blandè recreant; hinc roborant caput totum debilius, varijs de causis, ne recipiendis defluxionibus & impuritatibus tam promtum sit; hinc roborant sensoria reliqua, in affectibus aurium, oculorum, in guttâ v. g. serenâ &c. præsertim præmissis universalibus.

2. *Discutiunt*, tum halituosas fuligines lymphæ confusas, tum exundantes humores serosos; hinc ad catarrhos dissipandos, uti inprimis sunt, qui quasi continuò iisdem affliguntur, cucuphæ sunt laudatissimæ, absumunt superfluas humiditates, memoriam roborant, vertigini, apoplexiæ, affectibus soporosis, præservandi & complementum addendi curationi fine, conducunt, à melancholicis quoque & incubo laborantibus, paralyticis & similibus à serosâ colluvie oriundis morbis afflictis, commodè gestantur.

3. *Intercipiunt*, & maximè quidem ex astringentibus constantes, non tam quod caput sit fons primus & radix omnium catarrhorum, quod tamen volebant veteres, sed saltem quod non sit penitus immune, ut volunt recentiores, hinc catarrhos depluos remorantur, hinc in poros cerebri ruituram lympham retinent, & defluxionibus omnis generis obicem ponunt. *Vedelius.*

Cucupha corrobans.

℞. *Spec. pro cucupha usit.* ℥ß *pulv. cypr.* ℥ß. *adspergi possunt ol. still. ligni rhod. guttæ aliquot. D.*

Cucupha in Dolore Capitis.

℞. *Flor. chamom. Rom. Herb. serpilli verbenæ an. M.* i. *Milii parum torrefacti* ℥i. *Rad. Rhod.* ℥ß. Incisa D. S. Species Potest etiam addi ⊖ com. vel, quod metus ⊖ appropriatum cephalicum.

In Catharrô.

℞. *Herb. serpilli flor. ros. rubr. ana M.* 1. *flor. myrtill. MB. sem. nigellæ* ʒii. *succini* ʒiii. *gummi junip.* ʒiii. *Thuris Mastichis Tacamah. ana* ʒi. *Nuc. Mosch. N.* 1. *Incis. & contus.* D. S. Species Possunt cucuphæ tempore matutinô & Vespertinô fumigari cum pulv. contra catarrhos.

Cucupha corroborans caput.

℞. *Fol. majoranæ rorismarini melissæ basilicæ ana. M. B. flor. lavend. p.* 3. *anthos salviæ paralyseos beton. stœch. Arab. ana p.* 2. *styr. calam. Benz ana* ʒi. *incis. & contus.* D. S. Species.

Pro ditioribus possunt species adspergi cum essent. ambra, lil. convall. rosarum, vel addi possunt spec. diambræ, diamoscha dulcis &c. *Joan. Michaelis.*

CUCURBITA.

Cucurbitæ nomen huic plantæ inditum existimat Scaliger à curvitate, geminatâ primâ, ut in *cacula, populus.* Mihi, (inquit Vossius) non displicet Nunnesii opinio, qui censet corruptum esse ex Colocyntha κατὰ μετάθεσιν. Notæ ejus characteristicæ sunt semen thyreoides, duobus in summitate eminentibus angulis velut cornutum, flos albus, cortex fructus durus & q. lignosus.

Amant cucurbitæ mirum in modum aquas, nam si propè in patens vasculum aqua subjiciatur à quinque vel sex digitorum intervallo ante posterum diem adrepentes cognoscentur descendisse.

Sine semine nascentur si per triduum antea spargenda semina oleo Sesamino macerentur.

Mulieres menstruæ vel solo aspectu tenellas enecant cucurbitas. Horum fides penes Autorem, nobis neutiquam probantur.

Cucurbitarum semina quæ proxima collo fuerint proceras pariunt, quæ in medio rotundas, quæ in lateribus crassas brevioresque, quæ in fundo latas, Si veteribus credimus.

Si quis in Cucurbitam crudam excavatam infusum vinum per noctem sub dio exponat, & temperatum jejunus bibat, leviter alvum mollit.

Cœterum *Zuccha* nomen Italicum quo Cucurbitam vocant, à Græco Σικύα deductum videtur.

Vires. Cucurbita sitim sedat, urinam ciet & ventrem movet, semen genitale minuit, & Veneris appetentiam extinguit.

In cibis usurpatur hoc modo præparatus. Interiorem & candidam substantiam unà cum mollibus & immaturis seminibus bulliunt, posteaque minutim concisa, cum cepa, butyro & sale coquunt. Hic cibus cum Brassica capitata conscissâ & coctâ ferè convenit, macilentisque hominibus prodest. Itali in frustra concisas, in jure decoquunt. Boni saporis, & succi laudabilis, & febricitantibus etiam convenire hoc modo paratæ nobis visæ sunt, frigefaciunt enim & emolliunt.

Cucurbita convenit viribus cum Cucumere, tam in qualitatibus carnis quàm in seminis facultatibus. Folia recentia puerperarum mammis adhibita lac imminuunt.

Semen recensetur in numero 4. frigidorum majorum.

Aqua Stillatitia è fructu immaturato fert opem omnibus inflammationibus externis, oculorum, aurium, podagricis: intrinsecùs quoque mirabiliter æstum corporis mitigat.

Ad faciei ruborem ℞. Nucleorum Persicorum ℥iv. sem. cucurbit. ℥ii. Ex his fiat oleum per expressionem, quo facies linitur. Experimento probatum. *Raius in hist. Plant.*

CUCURBITA CITRINA, vid. *Citrullus.*

CUCURBITA CHIMICA, vid. *Alembicus.*

CULCUL, vid. *Secacul.*

CULEX Animalculum volatile nihil habet quod descriptionem hic mereatur.

CULMUS.

Culmus frumenti (aut etiam graminis) calamus à radice ad spicam.

CUMINUM.

Cyminum παρὰ τὸ κύειν *prægnans esse* dicitur, est enim, teste Theophrasto, fœcundissimum.

Ab Ammi differt radice annua, foliis in lacinias minùs crebras, nec adeò tenues dissectis, omnium partium quantitate minore, semine etiam angustiore.

Nomina Cyminum, sive Cuminum sativum *I. B.* vulgare *Park.* Sativum Dioscoridis *Ger.* semine longiore. *C. B.*

Parva & umbellifera herba est, altitudine rarò pedem excedens (cæsalp. annua planta, brevior cubito) tenuibus & in plures angustas partes sectis foliis (Cæsalp. foliis paucis, raris, capillaribus, & flore candido) *semine* in umbellis (parvis & rotundis Cæs. oblongo, utrinque acuminato, angulosо, cartilagineo, in Cineraceo colore subflavo, longitudine quartam unciæ partem æquante, gustu subamaro, tenui, mediocriter acri & cum gravitate suaviter odorato. *Radice* nititur longa tenui, & cùm maturuit semen, pereunte.

In Melita insula copiosè seritur ad mercimonia; ubi *Cumino agro* i. e. *Cyminum acre* incolis dicitur: Anisum autem, quod non minori copia serunt & divendunt, *Camino dolce*, i. e. *Cyminum dulce* appellatur, unde

unde C. Bauhinus alijque Botanici decepti duas Cymini species constituerunt, nimirum, acrem, & dulcem.

Vires. Semen resolvit & flatus discutit, ideóque utile est in colica, tympanite & vertigine. Ex vino dulci sumptum difficultati & ardori urinæ auxiliatur: cum ficubus in vino coctum tussim sedat, & Thoracem expurgat. Utiliter pani incoquitur, & caseis inditur, ita enim concoctionem juvat & flatus dissipat.

Frequens & copiosus Cymini seminis usus faciem decolorat & pallorem cuti inducit. Suavem halitum spirant Cuminum, fœtidum emendat, eâque de causâ qui fœdam habet respirationem Cumino magno adjumento crebriùs utuntur. Oleum arte chymica extractum præsentissimarum est virtutum in affectibus omnibus flatulentis, præsertim uterinis. Novi Empiricum qui miracula creditur facere affusis aliquot guttis pani tosto, & umbilico imposito. *Raius in Hist. Plant.*

CUMINOIDES. Planta Cumino aliquatenus affinis nihil habet in Medicinâ commendabile.

CUNICULUS.

Circa ejus descriptionem, vid. Titulô *Lepus.*

Officinalia autem ex eô desumenda quod attinet sunt, 1. *Cuniculus integer* ustus, 2. *Axungia*, 3. *Cerebrum.*

Cuniculus totus exustus, medetur Anginæ, seu faucium inflammationibus cum costô & foliô illitus.

Axungia articulis & nervis induratis utilis est, item tumoribus scirrhosis confert.

Cerebrum venenis resistere creditur, alioquin leporino correspondens. *Schrôderus* & *Hofmannus.*

CUNILA BUBULA PLINII, vid. *Origanum.*

CUNTUR. Avis Americana cujus axungia resolutiva & nervis proficua creditur.

CUPA, vid. Sub Titulo *Instrumenta Pharmaceutica.*

CUPRESSUS.

Cupressus Græcis Κυπάρισσος, ἀπὸ τοῦ κύειν παρίσους τοὺς ἀκρέμονας à partu parilium ramorum dicitur, ut habet auctor Γεωπονικῶν Lib. 11. c. 5.

Cupressi autem notæ sunt, præter communes huic generi fructus è clavatis lignosis tuberibus per harmoniam in formam coaptatis compositi: filiola brevia acuta in squamas degenerantia.

Vires. Cupressi folia cum passo (vino Matth.) & modica Myrrha pota Vesicæ fluidæ & urinæ difficultati (involuntariæ mictioni & stranguriæ Matth.) auxiliantur, Pilulæ verò contusæ & cum vino potæ ad sanguinis rejectionem, & dysenteriam, alvi fluxionem, orthopnœam & tussim commodant. Sed & decoctum ipsarum idem facit. Molliunt etiam duritias contusæ cum ficu, & polypos narium sanant. Removent item scabros ungues cum aceto coctæ & cum Lupinis tritæ. Comprimunt & intestinorum hernias impositæ. (Sed & folia eadem faciunt) putantur etiam culices fugare cum coma suffitæ. At folia trita imposita vulnera glutinant, supprimunt & sanguinem. Cum aceto autem trita capillos tingunt. Imponuntur etiam per se & cum polenta ignibus Sacris, Herpeti proserpenti, Carbunculis, & oculorum inflammationibus. In ceratum verò ammixta si imponantur roborant stomachum.

Galenus omnibus Cupressi partibus tribuit vim resiccandi absque insigni acrimonia. Amaritudo autem insignis calidas esse arguit; quæ & lignum à tineis intactum præstat. Nescio an verum sit quod scribit Bellonius de Cupresso, nimirum hoc peculiare habere, in Cretâ quòd ab incolis succisâ ex cespite tamen regerminet, ut nepotes stolonesque è radicibus cæduæ sylvæ modo procurentur, qui tandem in maximas arbores excrescunt: siquidem Cupressum quocunque loco crescentem prope radicem etiam succisam regerminaturam suspicor.

Ad Scrophulas, ℞. Folia Cupressi nec duriora, nec teneriora; tortivo vino consperge donec in corpus coeant, & applica super Scrophulas.

Cupressum resinam fundere superiùs annotavimus. *Raius in Hist. Plant.*

CUPRESSUS HERBA, vid. *Abrotonum.*

CUPRUM, vid. *Æs.*

CURCAS. Fructus Americanus nullius in Medicinâ usus.

CUREVÆIO. Insectum volatile quod ustum ac hæmorrhagiis applicitum sanguinem sistere dicitur.

CURCUMA.

Nomina. Crocus Indicus, Arabibus Curcum, officinis Curcuma, *Bontii.* Crocus Indicus Garciæ *C. B.* Curcuma *Park.* Cyperus Indicus sive Curcuma *Ger. Folia* lata habet hæc planta, non absimilia folijs Hellebori albi, nisi quòd non tam striata, sed lævia sunt. *Radicem* habet qualem ferme Gentiana. *Flore* est pulcherrimè purpureo. *Radix* porrò colore flavo tingit non secus ac crocum, unde Garcias ei indidit nomen Croci Indici. *Fructus* hujus Curcumæ qui floribus succedunt echinati sunt instar Castanearum in Europa: aperti *semen* suum ostendunt, Pisorum formâ rotundum; quod etiam coctum in jusculo gallinarum vel carnium hœdinarum alimenti simul & medicamenti præstantissimi vicem obtinet.

Vires & Usus. Malaii radicem cum piscibus & carnibus coquunt condimenti & sanitatis gratiâ; quod & Batavos (ab iis ut credibile est edoctos) etiam factitare observavit *D. Tancredus Robinson* cùm in Belgio peregrinaretur: pisces præsertim eâ muriâ incoctâ condire, siquidem & saporem gratum eisdem communicare & colorem flavum asserunt. Cæterùm excellentissimum est remedium in obstructionibus viscerum, Pulmonis nimirum, jecoris & lienis, tum in oppilatione venarum mesaraïcarum, tum Nephriticis doloribus Calculo renum & Vesicæ efficaciter opitulatur, tum fœminis menstrua promovet, difficultatem pariendi aufert: & quod in ea caput rei est peculiare & specificum remedium est in ictero, quod multoties feliciter expertus sum. Chinenses quoque eam propter hunc usum præcipuè Sacchаro condiunt.

Hanc cum pulvere Santali & aliis floribus odoratis in marmore subigunt in unguenti consistentiam; quo universum corpus tam viri quàm fœminæ inungunt. Quod quamvis insolitis aspectu fœdum ob flavum colorem sit, tamen adversus calores febriles & solis ardores, tum molestissimos quoque Culicum morsus summum est juvamen. Summâ hæc radix inter deobstruentia medicamenta principem locum obtinet.

Nuperrimè observavi Chinenses etiam in sternutatoriis hac radice uti instar radicis Hellebori albi. *Raius in Hist. Plant.*

CUSCUTA.

Nomina Cuscuta *Park.* major *C. B.* Cuscuta sive Cassutha *Ger.* Cassutha sive Cuscuta *I. B.* Anomalis accenseri

accenseri potest, vel monopetalis flore tetrapetaloide.

Alienæ quadræ assecla nunquam non parasitatur Cassutha, ingrata hospes, quippe quæ herbas fruticesque quos semel arripuit longissimis stamineis claviculis rubentibus tam arcto nexu complectitur, ut eorum genium defraudet, subductoque alimento eos penitus enecet, nullis postquam in altum conscendit nixa *radicibus*, quibus tamen primulum erumpens haudquaquam destituitur. *Folia* ei omnino nulla. *Flores* ad intervalla glomerati, caules non ambiunt verticillatim, sed ad unam duntaxat eorum partem vergunt; singuli autem quatuor foliolis (hæc calycis foliola seu segmenta sunt) acutis crassis & succulentis constant; intus stamina totidem medium florem occupant. Ad singulos florum glomerulos apponitur foliolum minutum membranaceum, quinetiam è signis illis, ubi flores nascuntur caules ramos fundunt.

Cæterùm planta hæc prolixa & verbosa descriptione non indiget, cùm ab aliis quibuscunque abundè distinguatur in eo quòd foliis caret, & postquam succreverit etiam radice, longissimis tantùm filamentis constans, quibus plantis contiguis se circumvolvit & adhærescit, alimentum indè exugens. Semina rotunda, Papaverinis magnitudine paria.

Nomina. Epithymum sive Cuscuta minor *C.B.* Cassutha minor *Dod.* Cuscuta *Park.* qui duas species non distinguit.

An hæc specie differat à præcedente meritò ambigitur: nobis nondum constat. Certè quæ in Officinis habetur Cuscuta filamentis constat multo tenuioribus, quàm quæ apud nos passim sponte provenit; & tamen Parkinsonus affirmat eam quæ Viciæ innascitur frequentissimam esse circa Londinum, indeque Pharmocopolia nostra præcipuè suppleri. Et fortè tenuitas apparens exsiccationi debetur; potest etiam planta ipsa pro sterilitate soli, aut plantarum quibus adhæret naturâ, vel major vel minor evadere.

Cuscuta è semine in terram deciduo se quotannis renovat: cum tamen adoleverit radix penitus marcescere dicitur, plantaque ipsa ex stirpibus quibus adnascitur totum suum alimentum exsugere. Verùm ex accuratiore observatione *D. Sam. Dale*, Radices, quæ longæ sunt & fusci coloris, non ità statim intereunt, imò (ut ei videtur) non intereunt omnino, sed plantam ipsam propagant: quamvis verum sit ex Parkinsoni & nostra observatione si semen in fictili seratur emergere quidem plantulam, sed brevi radicitus perire, si non sint in propinquo stirpes quibus irrepat, unde proculdubio aliquam saltem alimenti sui partem indè exsugit. Ex ejusdem peritiss. Botanici observatione flores Cuscutæ monopetali sunt in quatuor (rariùs quinque) segmenta brevia acuta divisi, colore albo, calyce viridi succulento in quatuor pariter segmenta diviso excepti: quibus succedunt vascula seminalia rotunda singula quatuor semina oblongo-rotunda (Parkinsono Papaverinis duplo majora) continentia.

Vires. Cuscuta Linum & legumina in quibus copiosissimè sæpe numero apud nos provenit, vel strangulat penitus, & corrumpit, vel certè humi deturbat & alimento fraudat, unde non immeritò à nonnullis Orobanche dicitur. Hinc in Suffexia & alibi rustici & agricolæ eam execrantur, odiosis nominibus id est, inferni herbam, vel intestina Diaboli eam appellantes. Plantarum quibus innascitur temperamentum participare aliquatenus creditur. Sic humidior est quæ lino implicatur, quæ Genistam superat Urinas potentius movet, adstringendi facultatem admixtam habet quæ rubiæ insidet. In Occidentalibus Angliæ quæ in urtica nata est Urinis potenter eliciendis efficacem experimento suo confirmant Incolæ, adnotante Lobelio & post eum Parkinsono. Cuscuta humorem melancholicum blandè purgat. Utilis est in Scabie, Ictero nigro, obstructionibus hepatis & Lienis. In fomentis, desessionibus & balneis sudatorijs ad quasvis melancholicas affectiones Regiumque morbum inveteratum præstantissima habetur. *Raius in Hist. Plant.*

CYANUS, vid. *Flos frumenti.*

CYCLAMEN.

Cyclamen dicitur ἀπὸ τοῦ κύκλου, ab orbe seu circulo, tum ob folij circinatum ambitum, tum ob orbiculatum radicis bulbum. Vulgus panem porcinum vocat à forma radicum compressa panibus simili, quodque gratum suibus pabulum sit.

Cyclamini notæ sunt, radix orbiculata, caules præter floris pediculum nulli, flos pentapetalos, petalis reflexis & ad ungues junctis, ut revera monopetalos sit. *Raius in Hist. Plant.*

Cyclaminis radix attenuans est, aperitiva ac emetica, imò calculum emollire creditur. Tumores præterea glandulosos resolvit, secundinas pellit, obstructiones reserat, ac errhinorum vim adauget.

CYDONIA.

Arbor hæc *Cydonia* à Cydone Cretæ oppido, etiamnum habitata à quibusdam dicta putatur. Plinius lib. 15. cap. 11. Cydonia mala Græcis ex Creta insula advecta scribit. Et Serenus,

Aut quæ poma Cydon Cretæis misit ab oris.

Hoc Etymon improbat Goropius.

Cotoneum malum primus Cato, dein Plinius nominavit: quia (ut putat Lonicerus) lanugine (quæ ut ille ait Coton græcis est) tecta sint; quod Etymon Casp. Hofman. etiam adfert. Verum apud nullum hactenus probatum autorem legimus, Coton, vel cotonem, aut cotona esse lanuginem, sed barbarismo eæ voces deberi, ex Gallico & Italico mutuatæ, videntur, quibus *Coton* Gossipium est, quod nec ipsum quidem quis propriè lanam dixerit. *J. B.*

Hujus arboris fructus Aurea Hesperidum Mala tantoperè veteribus decantata fuisse multis probat *Goropius*, & post eum *Joan. Bodæus à Stapel.*

Malus cotonea pusilla arbor est, ligno contorto, intus pallente & albicante firmo satis, & æquabili cortice obtecto mediocri, non rimoso, nec valdè scabro, inferna parte subfusco, supernè subcinereo, leviore, atque glabro. *Folia* gerit Malo vulgari æqualia, nullâ in ambitu crenâ incisurâve dissecta, prona parte cana lanugine ubertim obsita, supinâ verò viridantia & lævia ferè, rariùs (& nonnisi tenellis folijs) lanuginosa, quæ lanugo facilè affrictu digiti deraditur. *Flores* non multi simul ut in malis, sed in surculis singulares, Rosis sylvestribus persimiles, quinque folijs subrotundis ac semunciâ latioribus, carneo colore præditis constantes; in quorum medio *stamina* multa purpurascentia, *apicibus* luteolis: flori autem toti subsunt quinque folia, ex viridi canescentia, villosa, quæ postmodum fructus ϛυϐμένα foliatum efficiunt. Sub illis lanuginosum quid extuberat, futuri fructûs rudimentum, quod cadentibus florum foliolis incrementum capessit, donec fructus perficiatur magnitudine mali, figurâ varius, turbinatus, & forulis eminentibus tuberosus

rosus, parvus, magnus, mediocris, densa lanugine rasili obductus, pulpa melina, odora, adstringente & subacida. Semina in ipso Pomi centro, quinque cellulis distincto continentur, cortice spadiceo, medulla alba. Pyri seminibus non multùm dissimilia, viscido quodam lentore lubrica, quem in aquam dejecta deponunt, & ipsam mucilaginosam reddunt. *Radix* copiosa, fusco cortice vestita, aliàs recta, aliàs obliquè acta, è cujus summo multi stolones virgati sese exerunt.

Seritur avulsione, insitione, viviradice, ramulis & taleis. Ipse verò fructus ex arbore pendens incurvatos trahit ramos, prohibetque crescere parentem, ut Plinius: habetque hæc arbor omnium malorum infima, & maxima. Cydoniorum hortensium duo genera describuntur, *à Joan. Bauhi.*

Vires. Mala Cydonia stomacho commoda sunt; ob adstringentem facultatem, quâ insigni pollent, utilia sunt cœliacis, dysentericis, cholericis, sanguinem exscreantibus, & in genere fluxu quocunque laborantibus. Plinius non idem posse decocta describit quoniam amittant constringentem illam vim succi. Nos cum Joan. Bauhino coctione remitti adstrictionem illam concedimus, amitti nequaquam.

N. Ante cibum sumpta alvum constipare creduntur, è contra à pastu laxare. Si deglutitio lædatur ab exsiccatione in febribus internè, mucilago semin. Cydon. cum aqua spermat. ranarum extracta est egregia. Etmuller. in cap. de deglutitione læsa communicavit. *D. Hulse.*

Celtiberi Veratri succum, quo sagittis illitis feras immedicabili vulnere conficiunt, si ubi Cydonia mala fuerint, reponatur, elanguescere & vim suam maleficam exuere usu deprehenderunt. Addit Curtius præstanti suo odore lethalium venenorum vires retundere, & eorum vehementiam hebetare, sicut venenum vendentes rem ità se habere deprehenderunt. Cydonia quamvis alvum astringunt, tamen urinam cient; proinde in ardore urinæ cum ulcere vel sine eo ab eis cavendum.

Ex Cydoniis tusis & expressis fit vinum, sed quo perduret 15. sextarijs succi unus (recentiores saccharum loco mellis adjiciunt) mellis adjungitur, alioqui in acorem degenerat. Adstringit, stomacho commodum est, dysentericis prodest, hepaticis, nephriticis, & in urinæ difficultate.

Miva Cydoniorum nihil aliud est quàm decorticatorum Cydoniorum, & ex aqua & melle vel saccharo, addita etiam parte vini ad suavitatem decocta caro atque condita. Vel ex succo fit Cydoniorum cum vino cocto, addito melle optimo & despumato.

Cydoniatum seu Marmelata Cydoniorum in usu est frequentissimo in bellarijs ad secundas mensas instruendas. Sic autem paratur, segmenta à seminibus & fungosis eorundem conceptaculis repurgata atque decorticata, diutius in aqua elixa, addita sacchari q. s. donec tabescat, deinde exempta, vel in mortario ligneo tundas, vel cochleari in vase idoneo premas & comminuas, donec in pastam seu pulpam mollem æquabilem redigantur: Comminutis liquorem iterum affundas, deinde simul denuò coquas donec debitam consistentiam acquirat, tandemque in scutulas, fictilia vitreata, aut etiam vitrea vasa effundas, & ad usum reserves.

Si Marmelatam rubram desideras Cydoniorum segmenta in vase occluso seu operculato, & diutius coquenda sunt: Operculum enim igneas particulas quæ ruborem conferunt detinet nè avolent aut evaporent. Si Cydoniatum album velis in vase aperto res peragenda, nec tandiu coquenda segmenta.

Ante cibum nucis magnitudine sumptum alvum cohibet, post cibum verò solvit. Ventriculo apprimè conducunt.

Multi Medici condita Cydonia mala gravidis commendant, statuentes non modo fœtum corroborari, sed quoque usu venire, si sæpe iis victitent gravidæ, ut scitissimi in lucem edantur liberi venusta facie vultuque ingenuo.

Paravi non semel mel acidulum, syrupum, vel potiùs mivam Cydoniorum ex solo succo ad syrupi consistentiam blandò igne decocto, cujus effectum laudabilem & sæpè valdè differentem miratus sum sæpe numero. Hujus si cochlear ss. infantibus, vel plus adultioribus exhibeatur, pituitam glutinosam incidit, & nunc tussi ex pulmonibus educit, nunc vomitu è ventriculo tenuique intestino, nunc dejectione ab iisdem partibus expellit, quodque maximi faciendum, robur simul affert ægris, adeò ut hoc uno remedio plures restituerim ægros à plerisque medicamentis abhorrentes. Pituitæ autem inprimis conducit tum evacuandæ tum corrigendæ.

Est & seminibus sua præstantia. Ea siquidem cum aqua rosacea madefacta ac mollita lento crassoque humore ambustis igni, & linguæ gulæque ardori illita medentur; ad dolorem hæmorrhoidum (in clyster) ad scissuras mammarum.

Cum Medici (inquit J. Bauhinus) Cydoniorum succum atque etiam substantiam stomacho familiarissimam adverterent, qui ferè purgantibus lædi solet, medicinas purgatrices ei adjecerunt, & Diacydonium laxativum dictum vel purgans confecerunt, cujus confectionem & usus vide apud Practicos. *Raius in Hist. Plant.*

CYGNUS.

Avis hæc palmi pedum omnium tribus anticis præditarum longè maxima est. Ætate provectior appensa viginti 16. unciarum libras æquabat: longa ab initio Rostri ad finem caudæ 55. digitos, ad ultimos pedes 57. Extremitates alarum expansarum septem pedum & 8. insuper digitorum intervallo distabant.

Totum corpus plumagine molli, delicata vestitur in ætate provectioribus niveâ, junioribus cinereâ.

Pennarum alæ majorum calami in hac specie majores sunt quàm in Cygno fero.

Rostrum in pullis & anniculis plumbeum, rotundâ apiculâ seu ungue in extremitate, & areolâ à naribus utrinque ad caput nigra. Ab oculis ad rostrum spatium triangulare nudum nigrum, cujus basis rostrum, vertex oculos spectat. Provectioribus Rostrum rubescit, extremo ungue nigricante; ad basin autem lobus carneus seu tuber grandiusculum, nigrum, insigne, antrorsum seu deorsum inflexum attollitur. Spatium sub oculis medium semper nigrum perdurat. Lingua denticulis hirta. Pedes coloris plumbei, paulò supra genua nudi; intimo digito membrana exteriùs appenditur. Ungues nigricant.

Ventriculus musculis crassis, validis instructus est, intestina octies aut sæpiùs reduplicata, grandia. Larinx in hac specie sternum non ingreditur. Proinde Aldrovandus non rectè arguit, Aristotelem alitem hanc non secuisse, quòd asperiæ arteriæ ingressum in sternum, & miram ejus figuram non memi-

meminerit. Hoc enim Cygno fero proprium est, non toti generi commune: nam in nullo ex domesticis quos dissecuimus ejusmodi tracheæ confirmationem observavimus.

Aldrovandus ergo, cùm unam tantùm Cygni speciem agnoverit, quod uni illi speciei peculiare erat, Cygno in genere convenire temerè credidit. Nos ex feris seu sylvestribus duos aperuimus, & in utroque tracheam in sterni cavitatem receptam, ibidemque reflexam, eo modo quo Aldrovandus tum verbis tum figuris expressit, observavimus; ex domesticis seu mansuetis plures dissecuimus, inque omnibus tracheam rectâ in pulmones descendentem absque ullo in sterni scrinium secessu aut diverticulo.

Vita ei longissima est, itâ ut vulgò tricentesimum annum attingere credatur quod mihi (inquit Aldrovandus) verisimile non est. At ego ut id credam facile inducor, siquidem idoneis testibus mihi constat, Anserem vel centesimum ætatis annum superare. At Cygnum Ansere magis longævum esse, si minùs experientiâ constaret, plurima sunt quæ convincunt argumenta, viz. quod in eodem genere major sit; quòd carne duriori & solidiori; quódque diutiùs ova ejus incubentur, antequam excludantur pulli: Longiora autem ijs vitæ spatia sunt quæ diutius gestantur, ut illud Plinij invertam. Gestationi verò in utero respondet incubatio; est enim ovum velut uterus quidem expositus, aut potius secundinæ cum fœtu, quæ in viviparis dictis animalibus intra corpus in utero foventur, donec fœtus perficiatur, in oviparis extra corpus exclusæ, calore parentum incubantium. Cygnus piscibus non vescitur sed vel herbis in aquis nascentibus earumque radicibus & seminibus, vel vermiculis, testaceis &c. Carnem ejus nigram & duram esse Albertus verissimè scripsit. Ut Avis ipsa Ansere longè major est, itâ caro nigrior, durior & tenacior, fibris crassioribus, ad digerendum rebellis, sicci pravi & melancholici: ob raritatem tamen magnatum mensis infertur ad pompam magis & ornatum quàm esum. Ova quinque vel sex una vice parit, & per menses ferè duos incubatum continuat, antequam pulli excludantur.

Pellibus, durioribus & rigidioribus pennis ablatis, relictâ plumâ molliore seu lanugine, præparatis utuntur ad frigus depellendum: inprimis operimenta pectoris & ventriculi ex iis confici solent. *Francisc. Willughbeius.*

Officinalia ex Cygno sunt ejus *Pulli*, *Adeps* ac *Pellis*.

Pulli Cygni in oleo cocti, additâ medullâ cervinâ, podagricis prosunt.

Adeps, emollit, lenit, attenuat, adeoque utilis est hæmorrhoidib. vulvæ duritiei; oculos præterea purgat, & cum vino lentigines cutis tollit.

Pellis plumis tenerrimis obsita colicos juvat, & stomachi vitio laborantes. *Schroderus.*

CYMA.

Cyma q. κύημα, id est, partus novellus qui prima germinatione producitur, est ipsorum caulium delicatior teneriorque cauliculus, & dicitur præcipuè de Brassica: verùm & in genere Cymæ sunt cauliculi teneriores delicatioresque scaporum, quos à prima sectione præstant: Imò Cymæ apud Botanicos adhuc latiùs sumuntur pro summitatibus quarumcunque herbarum. *Dale.*

CYMBALARIA.

Nomina. Cymbalaria *C. B.* Italica *Ger.* Italica hederacea *Park.* flosculis purpurascentibus *I. B.*

Ex parietum rimis pendulas fibras evibrat, tenues, purpurascentes, teretes, læves, longas, nervo, quem facilè stringendo linquit cortex, farctas in varias variè fibrillas facessentes; per quas *folia* est cernere longis appensa pediculis, hederacea, angulosa, supernè atrovirentia, infernè Cyclamini modo purpurascentia, tenera, succulenta, obscuro quodam amarore prædita. Ad exortum porrò pediculorum quibus hærent folia tortiles surgunt alij pediculi, quibus *flores* singuli insident, Elatines aut Antirrhimi minoris, purpurascentes, calcari brevi, rictu pallido. Succedit *capitulum* globosum, *semina* claudens parva crispa.

Basileæ observavimus in ipsius urbis muris: In Italia autem, uliginosis parietibus, maceriis & saxis nihil frequentius.

Vires. Facultatis est humidæ frigidæque cum adstrictione quadam. Iis profectò hanc plantam pollere facultatibus facto periculo constat quibus primi generis Cotyledonem. Sunt qui ea utuntur ad alba uteri profluvia, eandem recentem in acetariis propinantes, teste *Matthiolo. I. B.* Nostratibus qui acetariis rarius utuntur conservam è foliis factam potiùs commendant. *Raius in Hist. Plant.*

CYMBALUM, vid. *Umbilicus veneris.*

CYMINUM, vid. *Cuminum.*

CYNARA, meliùs scriberetur CINARA.

Cynaram nonnulli à puella ejus nominis, quæ in eam versa est, dictam fabulantur; alij à cinere quo lætatur: cui conjecturæ Columella occasionem dedisse videtur, cum scribat lib. 11. cap. 3. *Multo cinere stercorandam, id enim stercoris huic oleri videri aptissimum.*

Sed Græcam vocem esse Cinaram non Latinam ostendunt *Vossius* in Etymologico, & *Joan. Bodæus à Stapel* notis in Theophrast. Hist. lib. 6. cap. 3. ad quos lectorem remitto. Quin si à Cinere vel colore cinereo dicta esset, *Cinera* scribenda esset, non *Cinara.*

Cinara nobis dicitur Cardui genus capite maximo, conum Pineum æmulante, squamis crassioribus & majoribus, unguibus carnosis esculentis, ut & floris fundo, seu ima calycis parte cui innascuntur flosculi & semina.

Cinara vel lævis est, nullis neque in foliis neque in capite spinis seu aculeis, quo à reliquorum carduorum norma abscedit: vel aculeatus seu spinosus.

Nomina. Carduus seu Scolymus sativus spinosus & non spinosus *I. B.* Cinara hortensis folijs non aculeatis *C. B. ejusdemque* Cinara hortensis aculeata.

Ad Culinarum cupedias satus scolymus *folia* è radice promit pedem & sesquipedem longa, semipedem ferè lata, in lacinias latas sublectas divisa, incano & cinereo tomento obsidita, potissimùm parte prona, nullo aculeo minacia, interdum nulla est lacinia angulusve, qui non spinis rigidis luteisque minetur. *Caulis* pedem unum aut alterum altus, striatus, tomentosus, ramis aliquot donatus, in singulorum cacumine *caput* gerit turbinatum, squamis magnis, glaucis, carnosis, acumine obtuso, aliàs spinâ robustâ præpilato ungue infimo crassiusculo, tenero, vesco, albicante compactum, quod sensim divulsis squamis superius latescit, tandemque *floris* stamina purpurascentia explicat.

Scolymi (pergit J. Bauhinus) duo habentur genera, sativum, & sponte nascens. Sativi quidem nulla verè genera sunt, licet genera dicat esse Matthiolus. Ex ejusdem siquidem stirpis semine utérque tam spinosus quàm non spinosus enascitur. Quæ

certissima est nota identitatis seu convenientiæ (ut cum Peripateticis loquar) specificæ.

Spinosus folia gerit non spinosi magis divisa, magisque laciniata, tenuibus circundata spinis: caulem quoque non spinoso similem, subalbicantemque, in cujus summitate echinatum aculeatumque extuberat caput flore hyacinthino; semine Cnici minore. *Radice* nititur crassâ, firmâ, non insuavi. Addit insuper J. Bauhinus, descriptionem non spinosi quæ ferè eadem est descriptioni generali superiùs positæ. Caput figurâ Nucis pineæ esse scribit, ex latis squamis coagmentatum, cujus squamæ figurâ folij Laurini aut Myrtini in aculeum desinunt brevem, nunc robustum, nunc infirmum, nunc propè nullum. Semina inter candidam lanuginem contenta oblonga, lævi cortice obtecta candido vel nigro.

Si quis Cinarum hortensem aculeatam & non aculeatam inquit *Bauhinus* eandem fecerit, non repugnabimus: quia foliis est aliquando aculeatis, aliquando mitibus.

Sic caput nonnunquam in gracilescentem metam erigitur: nonnunquam in compressiorem & rotundiorem globum extuberat; laminis interdum sponte sese recludentibus, interdum arctius compactis: capitum squamæ nunc virides, nunc pallentes, nunc subrubentes, in aculeum definentes, nunc brevem, nunc robustum, nunc infirmum eumque in aliis deorsum inclinatum, nunc propè nullum. Est quædam capite maximo, quæ dicitur & pingitur sub cinara maxima Anglica *Lob.* Hactenus *C. Bauhinus.* Has omnes varietates, si ex eodem semine provenniant, vel aliquando provenerint specie convenire libenter concesserim, quemadmodum Malos & Piros omnes ejusdem esse speciei contendo ob dictam rationem; quamvis in earum ramis, foliis, & præcipuè fructibus, magna observetur accidentium diversitas & dissimilitudo. Observavi tamen tum in Anglia, tum in exteris regionibus duas Cinararum differentias, quas specificas esse suspicor alteram capitibus longioribus, squamis sese spontè recludentibus & à capite extantibus; alteram capitibus rotundis, laminis arctè compactis & sibi invicem incumbentibus, quæ etiam remotior est præcedente, & plures producit fructus simillimos iconi Cinaræ maximæ Anglicæ apud Lobelium aliosque Botanicos. Cæterùm si ex eodem semine, ut J. Bauhinus, & Lugdunensis hist. Auctor affirmant, *Cinara hortensis aculeata & non aculeata* proveniant, poterant quoque & hæ etiam varietates ab eodem semine aliquando oriri, cultuque fortasse & mangonio aliquantulum immutari.

Usus. Apponuntur capita in aqua cum tantillo sale decocta donec tenerescant, eorumque pulpa & squamarum ungues eduntur cum butyro cui modicum aceti & piperis admiscetur: nec tantùm capita nondum florescentia, sed & caules teneriores elixatos & cum butyro & aceto conditos comedunt Germani & Galli. Itali capita rarè decoquunt, sed cruda cum sale, oleo & pipere vorant.

Vires. Venerem in utroque sexu irritare dicuntur, ut quod maximè. Nil mirum igitur (in fit Bauhinus) si in tanto pretio sint, ut sine cibo hoc, nisi tempus anni neget, vix ulla opipara sit aut adjicialis cœna: imò mulieres carduum hunc adeò ambire; ut diligentiori earum culturâ effectum sit, ut non tantum echinatæ eorum pineæ, sed radices, caules & folia, per totam hyemem, qua cætera contabescunt, nobis in cibum suppetant.

Scolymus urinam ciere præcipuè traditur, quem tamen affectum in nobis non sumus experti.

Truncus Cinaræ, autore Jouberto, ex melle potiùs condiendus adversus pulmonum infarctum.

Sumi verò debent Cinaræ caules terrâ obruti, & candidiores facto saporisque mitioris.

Cinaræ sativæ folia in Zythogalo seu liquore posseti nostratibus dicto è lacte & vino albo parato, decocta ad icterum imprimis commendantur ut medicamentum nulli secundum.

Cinara stercoratam & solutam terram diligit. Columella, multo cinere stercorandam dicit: id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum.

Hyemes asperiores ægrè tolerat, ideòque hortulani nostri stamine aut fimo eam contegere solent.

Nomina. Cinara sylvestris *Ger.* sylv. latifolia *C. B.* Scolymus Dioscoridis *Park.* Carduus scolymus sylvestris *I. B.*

Sativæ persimilis est, *caule* procero, hominis altitudinem assequente: *folia* amplissima, cæsurâ sativæ, sed tomento copiosiore obducta, quorum nulla est lacinia quantumvis exigua, quam non arment spinarum mordacium flavescentium spicula, quibus & singula capitis squamarum extrema, sed majoribus multò rigidioribusque horrent; ipsa verò capita sativi capitibus magnitudine cedunt. *Flos* stamineus consimilis, purpureus. *Semen Cnici.* (Veriùs *flos*) *ex flosculis laciniatis arctè stipatis componitur.*

In Sicilia & Italia nec non in Gallia Narbonensi subinde occurrit.

Vires. Floribus ejus coaguli loco ad lac in caseum densandum rustici utuntur: ejusdem florem vulgò credunt contra fœminarum sterilitatem valere, & gravidarum partus ad justum usque tempus continere, *Raius Hist. Plant.*

CYNOCRAMBE.

Vid. de eâ sub titulô *Mercurialis.*

CYNOGLOSSUM.

Cynoglossum, Κυνόγλωσσον à foliorum forma caninas imitante linguas dictum est.

Notæ ejus sunt semina aspera & lappacea, compressa.

Nomina. Cynoglossum vulgare *I. B.* majus vulgare. *C. B. Ger. Park.*

Nigra foris radix, intus alba, tota crassa, Rapam exiguam repræsentans (Columnæ non magna) odore magis gravi quàm sapore, qui dulcedinem nonnullam fatuam linguæ offert. *Caules* circiter bicubitales, in ramos multos divisi, vetustate concavi, multa lanugine obsiti: *folia* longa & latiuscula primo anno, secundo, ubi caulem fert, stricta, acuminata, incana, mollia, lanuginosa, odore gravi flores Buglossi officinarum, colore sordidè rubente, monopetali quidem, in quinque tamen segmenta aliquo usque divisi. (Columnæ *flores* plani ferè non cavi, venis purpuro-cœruleis depicti stellas effigiantes rotundis radiis, brevi admodum tubulo insidentes) è calice hirsuto quinque partito. Succedunt, lappulæ quatuor conis suis ad stylum in medio prominulum concurrentes, nonnihil compressæ, spinulis hispidæ, quæ pertinaciter vestibus adhærescunt, cavitate unica donatæ in qua itidem tamen semen unicum. Flores & semina plerunque versus unam partem nutant, & singuli pediculis uncialibus incident, quibus nullum apponitur folium. Folia alternatim cauli adnascuntur nullis intervenientibus pediculis.

Ad vias locis incultis & ruderatis præsertim pinguioribus passim cernitur. Junio mense floret.

Vires. Cynoglossum refrigerat & siccat. Usus ejus in sistendo fluxu alvi, gonorrhœa & catarrhis exiccandis. Sanguini etiam sistendo, & ad omnis generis vulnera & ulcera conducit. Matth.

Ulcus mammarum in lotrice Tubingensi sanatum vidi

vidi facili hoc remedio: cynoglossâ in vin. & aq. ana partibus æqualibus coctâ lavetur ulcus & imponantur folia. *D. Soame* ex observ. *Jeremiæ Martis* obs. 33. unguentum ex illius succo cum melle & Terebinthina paratum ad ulcera antiqua maligna & fistulosa valdè extollit *Hieron. Tragus.* Idem & mariscis sanandis efficacissimum esse perhibet.

Verùm quia soporiferum est & narcosis virulentæ suspectum, rarissimè à practicis adhibetur, inquit Schroderus.

Immeritò suspectum esse convincunt experimenta Medicorum quorundam summæ fidei & peritiæ, qui nobis retulerunt se ad ulcera & tumores eo sæpius usos esse in cataplasmatis & emplastris magno cum successu, atque etiamnum uti: intus etiam tutò sumi posse arguunt Pilulæ de Cynoglosso.

In strumis & scrophulis Cynoglossæ radicem tum intus in decocto, tum extra in cataplasmatis formâ, summo cum successu adhiberi solitam àquodam celeberrimo hujus urbis (Londini) medico, jam fatis functo accepi. *D. Ed. Hulse.*

Ad scrophulas, Radices in taleolas dissecentur, & suspendantur circa collum, novas adhibendo tertiâ quavis septimanâ. Retulit mihi amicus quidam, se novisse radices hasce suspensas circa collum pueruli cujusdam pauperculæ, cujus caput & linteamina pediculis scatebant. Observatum pediculos quidem radicum fœtorem exosos procul aufugisse & sedes mutâsse, scrophulas obstinatè restitisse, nec quod ille audiverit iis sanandis medicamentum successisse. *Raius in Hist. plant.*

CYNORRHODOS, vid. *Rosa.*

CYNOSBATOS, vid. *Rubus.*

CYNOSORCHIS, vid. *Orchis.*

CYPARISSUS, *vid. Abrotonum.*

CYPERUS.

Nomina. Cyperus longus *Ger.* longus odoratus *Park.* odoratus radice longa, sive Cyperus officinarum *C. B.* paniculâ sparsâ speciosâ *I. B.*

Radicibus est oblongis, geniculatis, multis internodiis, sibi implicitis, ut sunt radices Arundinum, & & Graminis modo summo cespite serpentibus, fibris capillaris è puniceo nigricantibus, succulentis, carne vero in subluteo albicante, odoratis, subamaris, cùm ob nimiam locorum humiditatem amaritudo non rectè persentiatur, vel subacribus cum quadam adstrictione. Radiculæ quinetiam in Olivares portiones extuberant atque ita continuatæ sunt ut in Filipendula. *Folia* habet Arundinacea porraceis longiora, graciliora, duriora, dorso eminente & acuto, ut tanquam acies manus evellentum scindat. *Caule* est cubitali, nonnunquam etiam altiore, erecto, enodi, glabro, striato, triquetro, medullâ albâ, ut in Iunco, referto. In cujus cacumine folia minora, quadantenus stellatim disposita, comæ, quam etiam superant, subjecta.

Panicula seu juba (Junio, Julio, & Augusto subrufsa, & dum floret Agallochum ferè olens) lata laxaque ex cacumine dependet; in cujus glumis exiguum *semen* durum, cortice nigro vestitum & triangulum includitur. Quod semen (ait Fallopius) infestissimum in nostra Oriza, in nostris regionibus, & si comedatur inebriat ut Lolium.

In pratis circa Monspelium, inque Sicilia & Italia observavimus locis cultis & palustribus. D. Newton in insula *Purbeck*, dicta Dorcestriæ Angliæ eum invenit prope Sacellum quoddam, à latere Portlandiam insulam spectante.

Vires & usus. Stomachica est, & uterina hujus radix. Usus præcip. in urina & mensibus ciendis, cruditate ventriculi consumenda, hydrope inchoato præservando, colica ac vertigine discutienda, intellectu roborando: masticata oris fœtorem emendat. Cocta vel macerata in oleo, contusa & imposita renibus ac pectini calculum depellit & urinam provocat.

Si radicibus pulverisatis saccharum & mel addatur, & cum pauco vino simul coquantur, dein in talleolas dissecentur, & jusculum affundatur gingiber conditum æmulabitur.

Stipites cum radicibus sole exsiccatos & aceto conspersos frustatim tundunt, & vestibus interponunt ut suâ odoris gratiâ commendent Galli. *Ruell.*

Sic & Hispaniæ & Italiæ mulierculæ radices aceto paratas pro odoramento ac suavi suffitu recondunt; aliquæ etiam exinde pulveres conficiunt.

Radix pulverisata ad ʒ j. cum spica lavendulæ optimè fœtum expellit, ut & secundinas.

Nomina. Cyperus rotundus Orientalis major. *C. B.* Cyp. Syriaca & Cretica rotundior *I. B.* Cyp. rotundus odoratus Syriacus *Park.* rotundus Syriacus *Ger. emac.*

Radicibus est rotundis olivæ crassitie, multis, mediâ quadam fibrâ tanquam filo, filipendulæ modo, connexis, variis striis aspersis, foris subrufis, aliquando rubentibus, aliquando etiam nigris, intus albidis, aromatici odoris, & acuti saporis. *Foliis* est porraceis, longioribus tamen atque angustioribus; *caule* cubitali anguloso, in cujus cacumine folia aliquot, stellæ in modum disposita, è quibus spicæ aliquot herbacei coloris, semina continentes, prodeunt.

In Ægypto circa urbem *Bagadet* in muscosis humidis copiose *Rauwolfius* vidit: in Nilo flumine & pluribus Ægypti lacubus vel locis palustribus copiosissimè provenit Alpino monente. *Raius in Histor. Plant.*

CYPEROIDES.

Planta Cypero affinis & maximè apud nos familiaris, quæ inter gramina recensetur. Hic non describitur quia nullius propriè est usus.

CYPRINUS.

Cyprinus, Oppiano κυπρῖνος, (forte à *cypride* quod fœcundissimus sit:) aliis *carpa* & *carpio*, *Athenæo λεπιδώτης* (à squamis seu latissimis & maximis, seu ita firmiter vallatis, ut lapidis ictus ab iis facilè repellatur.) *Charleton.*

In *Cyprini* seu Carpionis capite os petrosum, latiusculum, compressum, triangulare reperitur, quod probè pulveratum ciendis urinis, comminuendo renum ac vesicæ calculo, obtundendæ humorum acrimoniæ, & sistendo alvi profluvio aptum est. Dos. à ℈ ß. ad ʒ ß. *Fel.* Cyprini oculos detergit.

CYTINUS.

Cytinus, flos mali Punicæ sativæ: sed & hic quoque Balaustium officinis dicitur, quibus Cytini appellatio incognita est.

CYTISUS.

Cytisum à Cythno Insula in quæ inventus est dictum volunt. *Plin. lib.* 13. *c.* 24. Inventus hic frutex in Cythno Insula, inde translatus est in omnes Cycladas, mox in urbes Græciæ, magno casei proventu, propter quod maxime miror rarum esse in Italia. Non enim æstuum, non grandinum, non nivis injuriam expavescit: adjicit Hyginus nè hostium quidem ob nullam gratiam ligni.

Io. Bodæo à Stapel nomen impositum, videtur ... τὸ ἴσως πιθὰς χύειν, quod mammillas lacte æqualiter distentas faciat. Lac copiosum generare cytisum docet *Columella lib. 5. c. ult.* Cytisum in agro esse quamplurimùm maximè referet, quod Gallinis, apibus, capris, bobus quoque & omni generi pecudum utilissimus sit, quod ex eo citò pinguescit, & lactis plurimùm præbet ovibus, tum etiam, quod octo mensibus viridi eo pabulo uti, & postea arido possis. Mulieres quidem si lactis inopiâ premuntur, cytisum aridum in aqua macerare oportet, & cùm tota nocte permaduerit, postero die expressi succi ternas heminas permisceri modico vino, atque ita potandum dari, sic & ipsæ valebunt, & pueri abundantia lactis confirmabuntur, eadem ferè habet Plin. loco suprà citato. *Raius in Hist. Plant.*

Cytisi flores & *semina* quibus non parum salis essentialis ac olei continetur, valent in Colicis nephriticis, ac calculo, item in lienis obstructione, hydrope, ischiaticô morbô, scrophulis, Cytisi autem flores vernô tempore prius quam expandantur colligi debent, ac acetô & sale, aut etiam spiritu vini condiri, tuncque vomitibus sistendis conferre dicuntur.

****

LIBER IV.
Continens ea quæ incipiunt à litera D.

DACTILISCUM vid. *Palma.*

DACTYLUS.

Dactylus, Palmula, Caryotis, Palmæ arboris fructus, à digiti similitudine sic dictus. *Raius in Hist. Plant.*

De arbore eum producente, vid. *Palma.*

DAMA, vid. *Rupicapra.*

DAPHNE, vid. *Laurus.*

DAPHNIDES, BACCA LAURI, vid. *Laurus.*

DAPHNOIDES, vid. *Laureola.*

DATURA, vid. *Saramonium.*

DAUCUS *officinarum.*

Nomina. Pastinaca sylvestris sive Staphylinus Græcorum *I. B.* Sylv. tenuifolia *Germ. Park.* sylv. tenuifolia Dioscoridis vel Daucus officinarom *C. B.*

In promptu est sylvestris Pastinacæ ex sativa faciem novisse: *radix* minor & acrior: *caules* altitudine pares sesquicubitales, scil. striati, hirsuti, medullâ farcti in alas divisi; *folia* minutim dissecta, atrovirentia, aversa parte hirsuta, *flores* in umbellis magnis consimiles, candidi. Flosculus umbellæ medius interdum purpurâ rubet. Umbellas autem obvallant folia in angusta, longa, acuta, segmenta divisa. Delapsis floribus succedunt *semina* brevia, striata, villosa; tum verò convoluta umbella cavitatem, ceu aviculæ nidulum, in medio deformat. In pascuis, gracili solo, ubique occurrit.

Vires. Uterina inprimis est & diuretica. Usus præcipuus est in tussi, pleuritide, stranguria, calculo. Ciet menses & molas, sedat uteri suffocationes, stimulat venerem.

Semen dauci in cerevisia leptomera infusum, & bibitum ad stranguriam & calculum renum ac vesicæ miris laudibus efferunt nonnulli. Helmontius vidit consiliarium, qui per quindenas singulas solebat decumbere, usum prædicto decocto liberum à lithiasi vixisse per annos aliquot.

Seminis ℨ ij. vino albo infusæ & potæ hystericis paroxysmis medentur.

Fragus aliique flosculum purpureum in media umbella valde prædicant pro certiss. Epilepsiæ antidoto, *Raius Hist. Plant.*

DAUCUS CRETICUS.

Nomina. Daucus Creticus semine hirsuto *I. B.* Alpinus Cretico similis *Park.* item Creticus verus Dioscoridis *Ejusdem,* Daucus Alpinus multifido longoque folio, sive montanus umbellâ candida *C. B.* item Dauc. foliis fœniculi tenuissimis *Ejusdem* Daucus Creticus, *Ger.*

Dodrantali aut altiore est *caule*, tereti, striato, hirsuto. Umbella mediocris magnitudinis summo cauli extremisque ramis insidet *florum* exiguorum, candidorum, pedicellis canescentibus hirsutisque hærentium. *Semen* longum, incanum, villosum, acre, aromaticum: *folia* lanuginosa, cinerea, minutissimè dissecta, mihi sæpè etiam penitus glabra visa, atrovirentia. *Radix* longa, digitali crassitudine, terram versùs comata, sapore Pastinacæ Germanicæ.

J. Bauhinus Casparum fratrem meritò reprehendit, quod daucum Creticum *Lob.* separet à Gesneri & Clusii Dauco Cretico; siquidem discrimen non ostendit, atque contra mentem Lobelii id facit: qui in hunc modum de eo scribit. Nec tamen id sola Creta fert; quippe Germanicæ Alpes non modò, sed etiam Genuensium colles & Genevensium circa Juram Rupes hoc Cretico abundant. Et paulò post. Huic quo minus sit Creticum si quid deest cœlum solumve erit. Sanè effigie nihil, viribus autem perparum abest. Variant quidem aliquantulum: nam qui in Baldo foliis est brevioribus compactioribus, qui verò in Helvetiorum Alpibus & monte *Wasserfall.* longioribus & rarioribus.

Nos in summis montis Juræ partibus hunc observavimus.

Daucus Tiburtinus quibusdam *I. B.* adeò parum differt à Cretico ut specie diversum non arbitremur. *Raius in Hist. Plant.*

Semen dauci officinalis in Lithiasi non parum conferre affirmat Helmontius, nosque ipsi non semel experti sumus. Incoquitur autem propterea hydromeliti, vel cuipiam ex decoctis appropriatis in tali morbo, imò etiam vel pulveratus in vino, vel sub formâ emulsionis in aliô quôcunque liquore propinatur. Dosis satis arbitraria est, quandoquidem nihil ex ejus usu largiori nasci potest incommodi.

DAULONTAS.

Frutex est Americanus ad humanæ staturæ altitudinem excrescens, cui usque flores non secus ac camomellini in cataplasmatibus, pro discutiendis & resolvendis, imo & emolliendis tumoribus adhibentur.

De-

DECANTARE.

Decantare, id est, liquorem materiæ alicui supereminentem per inclinationem effundere, Gallicè *laisser ce qui est au fonds de la liqueur, c'est ce que les Chymistes appellent verser par inclination.* Schrod.

DECOCTIO sive DECOCTUM.

Decoctum non tam à coquendo, quàm decoquendo dictum est; ex quâ vocis explicatione rei quoque facilè patet quidditas: neque enim coctio est hæcce instar culinaris, quæ debetur subjecto præparando, unde carnes coctæ verbi gratia id est, igne & aquâ ita præparatæ, ut esui inserviant, dicuntur, sed artificiosa non minus est & medica, quæ debetur subjecto extrahendo & solvendo: quod Galli eleganter vocant *bouillon*, quasi jusculum, ut *bouillon aux herbes* decoctum ejusmodi herbaceum. Patet ergò hinc differentia utriusque, utrobique adest coctio, sed diversa ratione modi & finis: coctura enim illâ culinari retinetur, coctum quod est; hîc abjicitur: adeoque decoctio idem notat h. l. quod coquendo extractio vel solutio facta.

Hinc Græcâ etiam origine audit *apozema*, à fervefaciendo, decoquendo. A subjectis & viribus varia hinc sortitur alia nomina; ubi notabilis inprimis est vox *diata*, quam per synecdochen totius pro parte vocant decoctum lignorum, *die Holtz-Cur*, sive pro lue venereâ, sive pro aliis morbis curandis, siquidem latius hæc virtus patet, de quo integrum librum scripsit usumque in variis morbis monstravit *Junkerus*, & videri potest seorsim de eo *Morellus f.* 1. *c.* 13. Comprehenditur etiam sæpenumero sub *potionum* nomine, cùm reverà quoque potio sit decoctione parata. Neque enim hîc cum obsoleverit ferè id nomen, dicemus, quòd quidam *sirupum magistralem* quoque decoctum appellaverint.

Definiri potest decoctum, *quod sit medicamentum liquidum diffusius, è specieb. & liquore accommodis mediante coctione vires nactum, pro alterandi vel purgandi usu.*

Veterum quidem simplicia illa decocta multa, cum aqua vel hydromelite facta, hodie exoleta sunt; nihilominus tamen illa, quæ adhucdum usus approbat, duplicis generis deprehenduntur; 8. *Completum*; quod longum vocant, ex omnis generis vegetabilibus, seu majoris apparatus; deinde *euporiston*, ex uno vel altero saltim ingrediente appropriato, quale minoris apparatus euporiston est decoctum laxativum ex *fol. senæ & prunis*, aliaque similia. Sic ex milio non excorticato fit decoctum & sirupus divi Ambrosij dictus; sic decoctum pini, tamarindorum, cerasorum nigrorum, lentium sunt euporista, qualia exempla alia egregia recenset *B. D. D. Michaëlis in notis ad Morellum*, qui liber, si quis alius ejusdem manuscriptorum, meretur impressionem.

Quoad *Materiale*, subjectum decoctorum sunt primariò & principaliter vegetabilia & ipsorum partes variæ: remotius & adæquatè animalia & mineralia. Quæcunque nempè coctioni, igni mediato auscultant, & quidem ita, ut in liquorem vires suas derivari patiantur, illa ingredientia constituunt decoctorum.

Cùm verò alia tenacius secum servent transfundendas vires, alia promptius easdem communicent, hinc etiam magna varietas occurrit *ordinis*, *ingredientium*, *liquoris & ignis.*

Sic huc pertinet integra quasi *vegetabilium* cohors, illa quippe compage laxiori gaudent, & aqueo menstruo magis patent, accessumq; eidem præbent & largiuntur, ita quidem, ut completum fiat & diffusius, uti jam notavimus, ubi ex radicibus, herbis, & foliis, floribus, seminibus, lignis, corticibus, fructibus, aromatibus, artificiosè seliguntur in usum præsentem accommoda, alterandi potissimum fine. Nil prohibet verò, quin seorsim hoc vel illud decoquere liceat, sive decoctum sit domesticum & culinarium, minus tamen apud nos usitatum, & magis in alimentosis & condimenti loco apponi solitis locum habens, uti ex acetosâ, pimpinella, cerefolio, betâ, petroselino & similibus jascula parantur, Gallis maximè usitata, sive in officinis consuetum, ut decoct. hordei cum C. C. decoctum flor. & fructuum &c. diluendi vel alio fine pro lubitu aptandum.

Ex *animalium* genere pauca hunc censum subeunt, & magis partes osseæ, vel exsiccatæ aliæ, quàm carneæ; decocta enim galli veteris, ubi herbæ infarciuntur ventri galli, & sic unà decoquuntur, & similia, hodie fere exoleverunt, vel saltim ad culinarum ministerium id delatum est; neque enim ab alijs differt decoctis, nisi modo, unde pro lubitu uti iisdem quis potest, si velit. Frequentissimum tale ingrediens ex animali genere est cornu cervi, mundatum quidem prius, ut gelatinam suam cum liquore communicet, & febribus quibusvis, continuis præsertim, succurrat.

Sic & decoctum priapi cervini, priapi tauri in dysenteriâ, in usu sunt, consimili ferè fine. Decoctum splenis bovis & cochlearum paulo itidem est rarius. Referri huc etiam possunt castoreum, mumia, spinæ viperarum, mandibula lucij piscis, stercus anserinum in ictero, quæ ingredi quidem decocta, sed itidem paulò rarius consueverunt.

Ex *metallorum & mineralium* genere notabile est, 1, posse nonnulla per se, nonnulla cum clave additâ nonnunquam recipi: 2. Inprimis salini generis quæ sunt, decocta ingredi queunt, si non pro interno, tamen pro externo usu.

Sic ineptè quidem inferuntur decoctis aurum & argentum, nisi quis huc referre velit extinctionem auri vel ferri, de quâ alibi, neque enim quis hodiè tam simplex fuerit, qui solvi aliquid posse de iisdem, vel coctione simplici isthâc elici crediderit; sic decoctum sulphuris & aliorum, licet hinc inde, inprimis à *Poterio*, commendetur; in usum trahi non assolet. Contra ea verò tartarus decocta, inprimis purgantia, frequentissimè ingreditur, totus enim aquâ calidissimâ solvitur, unde sæpè additur: coq. ad dissolut. tartari. Sic ⊖lum & alumen in decoctis ad gangrænam recipiuntur, aliaq; similia, cujus exemplum instar omnium esse potest *decoctum nigrum Mynsichti* & Chirurgorum, quo frequentissimè ad inhibendam gangrænam & sphacelum utuntur. Sic ex mineralibus quoque ☿ius & ♂ recipiuntur quandoque in decocti, quale est decoctum Zvvelferi ad luem veneream, quod utraque recipit ad ℔ j. Notabile verò est, mercurium prius debere esse purgatum, quod optimè fit destillatione, cum alcalinis corporibus, vel per se etiam, in aquam recipienti inditam: deinde utraque liganda sunt in petiâ.

3. Notandum, quòd antimonium hoc peculiare habeat, quòd clavi omni debeat carere, simulac enim sulphur ejus resolvens additur tartarus vel nitrum, vis emetica adest, quæ aliàs sopita quasi est, cujus contrarium observatur in limaturâ martis, hæc enim in decoctis clave eget, siquidem recipienda sit, saccharo vel tartaro, licet hoc modo magis in infusis, quàm decoctis usurpetur.

Prius verò, quàm ulterius ad excipiens seu liquorem progrediamur, *Cautela* circa hæc ingredientia quædam præmonendæ sunt:

1. *Omnia in decocto in dupla dosi*, respectu pulverum seu in substantiâ dandorum, *præscribitur*, de quo jam superius abundè dictum est; id quod præcipuè de decoctis purgantibus valet, unde helleborus scrupulis vel drachmis, vel usitatissimè rhabarbarum & folia senæ drachmis præscribuntur ad ʒij. ʒß. ʒvj. maximè folia senæ.

2. *Ordo præparationis sequitur ordinem præscriptionis*, unde, quæ diutius coqui debent, ut fixa, prima loco, quæ brevius & leviter saltim ebulliri debent, ultimo loco, & sic media, medio ordinantur: seu eo ordine præscribenda singula, quo

quo præparanda. Et hæc est ratio ordinis in tabulis nostris appositi & servati. Quodsi verò primariâ intentione ligna præscribuntur, primo loco poni consueverunt, & in genere diutius coqui debent eadem, excepto sassafras, quod aromaticum est, & magis dissipabiles habet particulas.

3. *Frequentius præscribuntur sicca vegetabilia & in usum asservata jam, rarius recentia*; si nempe humectandi major sit intentio, ut in tabidis, hecticis, phthisicis, humentes herbæ seligendæ de novo ad præsentem usum præscribi quandoque possunt, quale commendavimus sæpius ægris ex rad. glycyrrh recent. folijs tussilag. bugulæ, costæ, bellid. recent. flor. violar. recent. & alijs.

4. *Si purgandi & alterandi simul mixta sit intentio, dividere etiam ingredientium quantitatem oportet*, ita quidem, ut minori dosi, alterantia, & his proportionata etiam purgantia ordinentur, quippe hæc prævalent, seu illa magis refractè, hac magis eminenter debent recipi.

5. *Quæcunq; aqua solvere non potest, neq; per se, neq; propter additamenta, ex decoctis debent exesse.* Unde resinosa omnia, ut de metallicis nil repetamus amplius, & arctiori sulphuris vel partium terrearum compage fixata quasi & ligata inepta huic operi sunt. Verbo, nimis solida vel sulphurea, in illa enim nullum aquæ jus est. Hinc gialapium non benè in decoctis præscribitur, aqua enim non est solvens *ejusdem* homogeneum, sed Vi, vel saltim fidi minus potest sperato effectui. *Sic* lignum sanctum non extrahitur totum coctione, nihilominus ob abundantiam salis decocta ingreditur commodè, minùs verò lignum aloës.

Sic & 6. alia *viscosa, resinosa, lenta, mucilaginosa in decocta minus benè recipiuntur*, unde semen psyllij, cydoniorum & gummatosa alia huc referenda sunt; cum enim liquidum debeat esse medicamentum, consistentia inde perit, adeoque non nisi refractè ingredi debent, quod & aliquo modo de cornu cervi valet, unde dilutius id ipsum esse præstat.

7. *Quæcunque à calore dissipantur & evolant, minus benè decoquuntur*, (scilicet more vulgari & aliorum,) qualia sunt inprimis sale volatili prædita, & uno verbo antiscorbutica; unde decocta antiscorbutica ob hoc ipsum exempla quasi hujus rei à plerisque habentur: eò quod decocta substantificum magis succum in se derivare debent & solent; sin more communi coquantur tales plantæ, feces pro vino relinquuntur, vis illa omnis perit, effœtaque relinquitur planta, nullius usûs.

Limitari tamen id posse multis modis certum est; nam cùm vice versâ, *quæ minus à calore dissipantur & evolant, benè decoquantur, acida, amariuscula, fixa*, item tincturâ eminenti prædita, fructûs, &c. constat facilè, decocta antiscorbutica ex alijs plantis commodè retineri, quale in specie est decoctum summitatum pini modò itidem non diu nimis protrahatur coctura, radicis item trifolij fibrini & acetosæ.

Deinde etiam non omnia promiscuè esse ejicienda, cocturæ modus ostendit, cujus rei experimentum præbet ipse raphanus rusticanus carnibus toto die apponi solitus, qui ipse inter plantas illas, saltim radices, primum quasi locum sibi vendicat. Si levis fiat & quasi superficiaria hujus coctura, tantum abest, ut avolent partes salinæ volatiles, ut potius explicentur, & nares mirum quantum linguamque ipsam feriant; sin plus, quàm par est, seu paulò longius, lignum sapiunt, & evolâsse omnes illas particulas, evidenter est colligere, vel saltim immutatas jam penitus, unde limitanda est regula ad morem vulgarem, seu, *decocta antiscorbuticarum plantarum levi saltim & superficiariâ quasi egent ebullitione magis, quàm coctione.*

Quoad *Liquorem* ergò, qui potissimam & alteram illam decoctorum absolvit partem, varius is solet recipi pro circumstantiarum variatione. In genere verò duplici nomine attendendus; primò scilicet, qui solvere possit, vel extrahere & in se derivare virtutem decoquendorum, quo sine si fuerit, iners decoctum emergat necessum est. Cùm enim, licet rudior & diffusior, hîc quoque sit extractionis species, hîc quoque valet illud, similia similibus solvenda seu decoquenda, quod quidem jam superius sub materiâ decoctorum tetigimus ex parte; deinde, ne sit dissipabilis vel evaporabilis, volatilisq; coctione quippe omne evaporabile & volatile in auras avolat, unde, ut hoc obiter addamus, oleorum destillatorum inter alia hæc proba est, si aquæ calidæ, in cochleari gutta una vel altera, indita igne subdito, (par ratio est alembici,) promptè avolet; si enim nihil remaneat pinguedinis, bonum est signum; sin adulteratum sit pinguedine, illa in fundo subsidet visenda.

Hinc ad decocta non recipitur Vi, neq; etiam, præterquàm ad fotûs & remissiorem coctionem solùm, æquè vinum: dum enim volatilius & spirituosius quod est, promptissimè avolat, relinquitur, siquidem diutius prorogetur coctura, vappa & tartarus feculentus. Notabile hîc est, si decoctio cum vino fiat, aperto quidem vase, illud ipsum flammam concipere ob prædicto modo abeuntes spiritûs accensos, quo aliquoties observavimus.

Communissimus verò liquor ad dectorum præparationem recipi solitus est *aqua simplex fontana*, quæ & omnis alienæ qualitatis expers visitur, & omnium quasi capax est, id solùm vitij habens, quod paulò crudior sit & minus ventriculo accepta. Utimur etiam alijs huic affinibus, quale est *serum*, ubi refrigerandum, abstergendum & purgandum, magis usitatum, quod in scabiosis, melancholicis & similibus obtinet, uti euporiston tale decoctum est ex sero caprino cum fumariâ parari solitum, in scabie insignis utilitatis. Memorandum quoq; est *hydromel*, quod, licet itidem rarius, ubi attenuandum & incidendum, magis in usu est, ut in affectibus pectoris, tussi, asthmate &c. par ratio est *mulsæ*.

Cerevisia quoque, utpote alimentaris potulenta forma, crebro in usu est ad decocta domestica, uti decoctum helenij cum cerevisiâ ad scabiem & purificandum sanguinem fieri potest.

Pertinent huc quoq; *jusculа* carnium, tum aliarum, tum gallinacearum, quæ in primis locum habent, si partitis vicibus & pro extemporaneâ assumtione pars specierum decoquatur, id quod commodissimum longè est, præcipuè in chronicis & phthisi, & hoc pacto etiam minus læditur ventriculus, & simul sanguis altetatur intimius.

Aquâ & *vino* simul, ex præcepto *Riverij*, fiunt decocta in obstructionibus vasorum reserandis; aqua enim penetrare minus potest, vinum verò solum facilius dissipatur coquendo, unde factâ ex his misturâ facilius res peragitur.

Aceto verò ad externa decocta quidem suus est usus, minus ad interna, siquidem aliàs facilè ferit & lædit ventriculum, & ingratum est assumptu; ad gangrænam verò & sphacelum impediendum omninò consuevit simul recipi, ut in decocto nigro *Mynsichti*.

Visâ igitur qualitate & substantiâ ipsius liquoris decoctorum, quantitas non minus attendenda venit.

Tantum nempe est recipiendum liquoris, quantum sufficit extractioni & liquori post cocturam requisito, unde vel *q. s.* addimus recipiendum ejusdem, quo ipso eminentiam 3.4.5. digitorum intelligimus & comprehendimus, vel ad ℔j. vel II. Neque enim diffusâ nimis quantitate præparantur ob facilem corruptionem & ventriculi consequentem læsionem. Magis verò attendendum est, quantum relinqui liquoris velimus post coctionem, ac quantum ad coctionem recipi debeat. Quin nec illud opus absolutè est, ut omnis penitus vir-

virtus exhauriatur, ut in destillationibus, satis est, si potiori ex pacto id fiat, & intentioni nostræ conveniente.

Quantum itaque 4. ad *Formale* ipsum jam attinet, seu ut liquida hæc & diffusior potulenta forma emergat, considerabimus nunc concurrentia, prout vel ante præparationem, vel in administratione ipsâ, vel post eandem denique sunt observanda.

Præcedit nempe coctionem 1. *specierum concisio & contusio* in partes minutas, licet grossiores, ut melius complecti omnia liquor possit & exhaurire; licet id non æquè semper expresse præscribatur vel exprimatur.

2. *Maceratio*, ad melius esse necessaria, affuso liquore peragenda, v. g. stent per ℘ loco calido; manè altero coq. l. a. id quod præcipuè locum habet in lignis & crassioris texturæ speciebus.

In ipsâ coctionis administratione attendendum est 1. *instrumentum*; Ut nempè de virtute quàm minimum evaporet in auras, vas tectum requiritur, quo & coctio fiat melior, si quidem reciproco motu in se ipsum agat melius liquor, & cum exitus non concedatur, eò magis res decoquendas fatiget & solicitet, ut de se mittant substantificum succum ac sanguinem, virtutes puta desideratas.

Hinc apud vulgum quidem lutari solet operculum ollæ superimpositum; in pharmacopolijs verò frequentius coctio instituitur in diplomate vel MB. mediato ignis accessu, quasi in vase duplici, si quidem alterum ignis immediatè lambit, ad alterum mediatè vires suas transfundit: unde nullum hîc metuendum est empyreuma, paucior vel nulla ad sensum virium jactura.

2. *Coctionis ordo*: neque enim omnia simul ac semel igni subjicienda, sed unum post alterum, prius fixiora, quæ diuturniore coctione opus habent, hinc media; denique aromatica, quarum particulæ diu ignis fervorem sustinere nequeunt, sed promptè aufugiunt, hinc etiam eo ordine præscribenda, quo præparanda utplurimum.

3. *Coctionis tempus*, quod variat pro materiæ coquendæ & liquoris evaporandi ratione. Fixiora diutius, volatilia brevius & lenissimè saltim coquenda. Additur hinc frequentissimâ: coq. ad tertias, scilicet partes, ut partibus duabus ablatis tertia residua relinquatur; item ad dimidias. Interdum etiam, non expresso termino coctionis, definitum colaturæ pondus apponitur, inprimis in purgantibus & clysteribus; ℞. Colat. ℔j. ℔ß, ℥iv. &c.

Post coctionem jam ritè peractam ipsum jam *Formale* decocti emergit, ad quod obtinendum necessarium est, ut purum limpidumque magis, non turbidum, feculentum & crassum, & assumptu adeò ingratum reddatur decoctum. Uno verbo, requiritur 1. *depuratio*, utut enim turbidum ipsum decoctum, cui particulæ specierum substantietenus quasi sunt adhuc confusæ, videatur efficacius; attamen in rei veritate magis id afficit ventriculum, & minus gratum est assumptu, quin facilius etiam corrumpitur. Hinc usitatissima est ad hunc finem *colatura*, ut partes fibrosæ, feculentæ, crassiores remaneant & separentur; præcipuè cum & citius in usum vocandum sit, & non diu duret, adeoque fermentatione, ut segregatio hæcce fiat instar cerevisiæ, quæ itidem decoctum est alimentarium, non opus est; sive jam definiat Medicus id ipsum, ad certum pondus, colat. ℥iv. ℔ß. ut jam diximus, sive indefinite id æstimetur, si prius fuerit quasi certum pondus jam dictum, Coq. ad tertias, Colat. add. &c.

Præter colaturam etiam depurantur decocta per *subsidentiam*, præcipuè, si expressio præcesserit, ut quæ calore in unum confusa & acta fuerint, sensim atque sensim motu proprio ad fundum subsideant & hinc decantari possint.

Porro nonnunquam solemus etiam præcipere, ut *clarificatio* (quæ ipsa quoque est depuratio, ut clarior & limpidus fiat liquor) instituatur cum albumine ovi; sic enim ad illud colliguntur & inviscantur, protractâ aliquatenus coctione, partes feculentiores, quæ clarificatio, cui conjuncta & affinis est *despumatio*, aliàs pro depurando saccharo perusitata est. Videndum tamen semper, ne plus palato prospiciamus, quàm morbo & indigenti corpori. Hujus ipsius albuminis ovi non æquè semper fit mentio.

Absolvitur porrò formale decocti, præter hoc essentiale quasi requisitum dictum, depurationem, 2. *correctione*, tum saporis scilicet, tum qualitatum, ut ventriculo ferundo fiat aptius & gratius assumptu. Prospicitur huic intentioni partim aromatibus, seu paulò latiori significatione speciebus tum *aromaticis*, tum alijs, magis enim ferè huic fini adhibentur composita, quàm simplicia, quæ ipsa tamen hunc censum quoque subeunt, v. g. nux moschata, cinamomum, sandalum quibus quasi condiuntur decocta, seu aromatisantur ad tollendam & mitigandam eorum cruditatem; idq; magis extra febrim, & alterandi potius, quàm purgandi fine; si enim hæc adsit, consultius omittuntur calidiora, & temperatiora, vel solum cinnamomũ, sufficiunt, & quidem ad ℈ij. ʒi. iß. ij. seu ad ℔j. decocti ʒj. ʒiß. specierum.

Partim *dulcibus*; verum est, si unum solum assumendũ sit, utplurimum id ingratius esse, palatum verò magis afficere tum aromata, tum dulcia, tum acida. Dulcibus itaq; edulcorandum decoctum si fuerit; si præsertim dulcedo grata non insit speciebus decoctis, id præstatur utplurimum sirupis convenientibus, rarius conservis, quæ & colaturam hinc novam requirunt. Hîc verò, præterquam in affectibus pectoris, & ubi purgandi est intentio, cautior debet esse Medicus; si enim dulcia affectum præsentem non respiciant vel mitigent, sed potius augeant, humores turbent, calorem, fermentationem, bilem adaugeant, vel metus sit hæc fieri posse, parcâ admodum manu aliquid dulcedinis admiscendum, vel omittenda illa sunt omninò. Obtinuit verò mos, ut ℥ß. pro dosi, ferè æstimemus, contrà ac olim, ubi ad ℥j. ℥iß. adscenderunt: verùm & infra hanc potius licet descendere, quàm adaugere eandem, unde etiam, q. s. ad gratiam, gr. s. præscribimus; generali monito simul pharmacopœis dato, ne in edulcando, ut ferè solent, sint largiores.

Partim deniq; *acidis*, id quod in febribus & decoctis refrigerantibus seu alterantibus potissimum obtinet. Ubi notandum est, tincturas diffusas, rosarum, violarũ, 4. cordialium definito pondere posse addi ad ʒij. ℥ß. spiritûs verò ipsos, quales sunt salis, vitrioli, vitrioli philosoph. clyssum antimonij sulphuratum, vix, nisi q. s. præcipimus addi, siquidem in his præstat in defectu, quàm excessu delinquere, unde pauculæ ferè sufficiunt guttulæ, quarum pondus si excesseris, ingratum & assumptu molestum evadit apozema.

Denique 3. ad formale decocti pertinet *additio* seu solutio aliorum eidem confusorum; ubi instar regulæ esse potest: 1. quæ solvi non possunt, decoctis rarius denuo adduntur, & vice versâ, 2. in purgantibus additamenta seu solvenda frequentius, in alterantibus minus locum obtinent. Sic decoctis purgantibus addimus mannam, illa enim solvitur in calido promptissimè; sic addimus ijsdem quandoq; pulpam tamarindorum conquassatam cum colaturâ; sic & huc pertinent extracta in liquore aqueo solvi apta, extract. agarici, rhabarb. &c. 3. Notari potest in specie de tartaro, quòd si tartarus vel crystalli ejusdem ingrediuntur decoctum, coctio ad dissolutionem ejus instituenda; unde addimus: coqu. ad dissolut. tartari, Colat. &c.

Illustrabimus hæc pauculis solùm *Exemplis*, v. g. præscribi potest decoctum laxativum.

℞. *Rad. scorzon.* ℥ß. *fol. sen. s. s.* ʒiij *rhab. Alex.* ʒj. *agar. trochisc.* ℈j. *Flor. anth. p. ij. schœnanth.* ʒß. *coq. in s. q. aq. simpl.*

simpl.℞.colat.℥iij.mann.in morsul.℥ß.pulp.tamarind.conquass.℥iij. M. F. haustus.

*℞.Rhab.Alexandr ʒj fibr.helleb.nigr.ʒiß.mechoac.alb. ℈ij.fl.4.cordial.ā p.i spic. Ind ℈i.fol.sen. Alexandr.ʒij. passul.min.mss.*coq.in s.q.▽.colat.*℞.℥iij.* add.*sir.ros.solut.℥ ss. m.*

Pectorale in phthisi.

*℞.Rad.glycyrrh.simphyt.ā.℥s fol.marrub.tussilag.pulmonar.veron.cost.sanicul.agrimon.bugul.ā.m.s.scord.fl.scabios.viol.bugloss ā.p.j.sem.4.frig.maj.ā℈j.jujub.sebest.ā ʒii. passul.min.ʒvj.sandal.rubr.ʒijs.*coq.in s.q.aq. ℞.Colat. *℔s.loch de pulmon.vulp.sir.de symphyt.Fernel de jujub.ā ℥ß.*M. Antifebrile in febribus intermittentib.

*℞. Rad.plātg.cichor.ā℥iss.gentian.ʒij.herb.card.bened. acetos.acetosell.fl. cent.min.ā.mss.flor.4.cord ā.p.j. chinchinæ ʒii.*coq. in s.q. aq. ℞. colat. *℥vj.spir.* ⊖-*li* parum, M. F. potio. In scabie.

℞. Rad.chin.helen.cichor.sarsap.ā.℥ss.herb.fumar. mj. fragar.agrimon.hepatic.nobil.cuscut.ā mss.fl.acac. p. iij. sclareæ p ij. rasur. lign.sassafr.ʒiij lign. sanct. ℥ss.cinnam. ʒj. coq. in s. q. *seri lact.* colat. add.*sir.cichor.q.s.*

Refrigerans in febribus ardentibus.

℞. Rad.scorzon.acetos.ā ℥ss.herb.acetosellæ endiv.fl. ros. rubr. ā.mi. c.c.philos.vel rasp.ʒ1.hord.mund.mi.berber.siccat.ʒ1ss.ceras.acid mss.pomor.citr.n.1.cinam.ʒ1ss. coq.in s.q.aq.simpl.℞.colat.℔1.*sir.berber. acetosit.citr.* ā.q.s.ad gratiam.

Sic & in hæmoptysi.

℞. Rad.symphyt. torment.glycyrrh. ā. ℥ss. herb. veron.centinod.sanicul.millefol. alchimill.agrimon.ā.mss.fl. balaust.rosar.rubr. viol.bellid. min.ā p.ij. nuc. pinear.ʒ1. sandal.rubr. ℥ß. M.

Sic vulnerarium decoctum,quo varijs casibus,& inter eos in globo plumbeo pedi infixo usi sumus, fieri potest ex *rad. symphyt.ʒ1.rub.tinctor.fraxin.ā.℥ss.herb. mille fol. consolid. Saracen.veronic. pyrol. heder.arbor. ā. mi.fl. bellid. min. summit. virg. aur. ā.mss.lap.♋ unc.1. nuc. mosch.* ʒ11. M.

Quoad *Utendi modum* ratione individuorum,infantibus & senibus respectivè decocta minus solent dari, præterquam lenientia, juvenibus verò & adultioribus frequentius.

Præbium decoctorum olim largius dabatur ad ℥iv. vi. Hodie verò in genere quò minora sunt medicamenta, eò gratiora esse consueverunt, unde alterantia & in specie refrigerantia non tam cochleatim, quàm poculis assumuntur, ℥i.11. quantitate circiter,vel,quod strictius definivimus, ℔ ℥j. vel ss.quæ rarius est in usu, ad ʒ1s. vel ij. ad iij. procedimus, idque per se & frequentius, præterquàm refrigerandi & sitim sedandi fine,ut in febribus,calide,ita enim citius operatur, quod inprimis in purgantibus valet. Externa etiam decocta ferè calida adhibenda; & quidem vel definito tempore, manè purgantia & sudorifera; manè & vesperi alterantia traumatica; vel successivè in refrigerantibus, pro siti sedandâ, *davon zu vveilen ein Becherlein voll zu trincken.*

Cumque decocta itidem non diu durent, intra biduum vel triduum ad longissimum exhauriri debent, siquidem vix ultra durant.

Quæ verò simul & semel hauriri debent,ut purgantia Galenica, determinato haustu ferè propinantur.

Denique *usus*, licet hodiè omnibus quasi in compendium magis redactis,non ita universalis sit,& frequentius saltim in purgantibus vel domesticus obtineatur, attamen is quoque attendendus venit. Duæ nempè quasi universales hic valent statuæ.

Κατὰ θέσιν quidem decocta commodè usurpantur, ubicunq;1. *humores deficiunt, & dilutione aut fluxilitate egent*,adeoq;concoquunt quasi humores,quod *Claudinus de ingressu ad infirmos* notat, viscosos, pituitosos ad motum cient, restituunt defectum lymphæ, sitim æstumque & ardorem solantur,unde præ omnibus alijs in febribus decocta alterantia euporista, acidula & sapida sunt usitatissima, decoctum hordei, scorzoneræ &c. 2. *In siccioris alvi corporibus*, item *obstructionibus* tum in genere, tum in specie mensium. 3. *In affectibus pectoris*,asthmate, phthisi, tussi, sudore movendo & similibus, modò scilicet videas hoc modo prospici commodius ægris. 4. *ubi sitis sedanda & febris adest, actu calidis abstinendum, & frigidis potius utendum.* Purgantia verò ut citiùs actuanda; ferè actu talia præsentius agere, notat experientia.

5. *Ubi character sanguini quasi novus imprimendus*; isque penitius alterandus seu conservando, seu præservando, seu curando. Sic decocta traumatica sunt usitatissima, quæ quidem *Helmontius* & recentiores ob alkalinam naturam agere volunt: agunt verò eatenus quatenus sanguinis vigorem hâc vel balsamicâ suâ naturâ sartum testum servant & præstant, id quod ipsum quoque in phthisi, impuritatibus sanguinis, & alijs morbis chronicis locum obtinet. Sic etiam in lue venereâ decocta lignorum nobilissimi sunt usus, quod & viscidum & glutinosum sanguinem reddant fluxiliorem, & miasmata impura corrigant.

6. *Ubi fotu, defensione, dissipatione, paregoricâ vi & similibus exterius opus est.* Sic in vulneribus, ictibus,& contusionibus capitis sacculi cephalici ex plantis cephalicis decocti sunt laudatissimi, quibus inflammatio prohibetur, sanguinis affluxus dissipatur, & nervis blando tepore solamen accedit non minimum. Sic in gangrænâ, doloribus gravioribus & aliàs calida vel tepida decocta conveniunt.

Contra ea verò ab ijsdem abstinere consultum est in genere,

1. *Quando humores abundant*, unde in corporibus cacochymicis, catarrhis, hydropicis, ineptum fuerit, decoctis, præterquam alimentarijs v. g. ex folijs senæ & prunis &c. uti.

2. *Quando humores abundant*, unde in corporibus cacochymicis, catarrhis, hydropicis, ineptum fuerit, decoctis, præterquam alimentarijs v. g. ex folijs senæ & prunis &c. uti.

2. *Quando iidem humores motu magis delinquunt*, & vel ad hanc vel ad illam partem cum impetu ruunt, inprimis verò quando turgent,vel stimulo salino nimis fluxiles deprehēduntur.Hinc in coryzâ catarrhis, diarrhœâ,dysenteriâ, quicquid etiam de adstringente virtute dicant auctores,hodiernâ praxi minus usitata sunt.

3. In specie verò, *quando ventriculus est flaccidior, debilior ac humidior*, unde elegans est cautela *Solenandri s. 5. consil.penult.* usus decoctorum in imbecillitate ventriculi minus convenire:diluunt enim ejusdem fermentum, calorem facilè obtundunt, ejusque parietes magis laxant,ob heterogeneitatem medicamentosā unde facillimè ijsdem læditur,præsertim continuatis.

4. *In flatibus*; siquidem hi humiditatem aquosam pro matre, & calorem debilem pro patre quasi agnoscunt, unde in colicâ, tympanitide, vertigine, imò & cachexiâ minus conveniunt.

5. *In debilibus* quoque consultius est, partim decocta, in jusculis factâ specierum decoctione, assumere, quàm simul & semel.

6. *Minus æstate,magis hieme*,pro circumstantiarum tamen aliarum ratione, consulta sunt. Inter omnia verò Galenica maximè omnium diffusa,longa & reiteranda majora decocta sensim hodiè exolescunt, datis mitioribus & concentratioribus, melioribusque. *Vedelius.*

Sequuntur Decocta varia Usualia.

Decoctum Album D. Sydenham.

℞. Cornu cervi calcinati & micæ panis albiss āā. ʒii. Coquantur in aqua fontis ℔.ij ad ℔.ij.s. postea s. q. sacchar. albiss. edulcer.

Hoc decoctum valet in dysenteriâ,diarrhæâ,Tenesmô, sputô sanguinis, tussi sicca, ac cerebri profluvijs. Illô utuntur in potû ordinariô.

De-

Decoctum amarum.

℞. Summit. centaurii min. flor. chamameli, ana pugil. i. rad. gentiana, ℈ß. fol. ſena mundat. ſem. cardui ben. ana ʒi. coque in ſ.q. aqua font. ad ℥iv. Pharm. Lond.

Decoctum aperiens, vulgò aperitivum majus.

℞. Endiviæ, cichorij, fumiterra ana. M. i., eupatorij, boraginis, bugloſſi, cuſcuta, ſcolopendrij veri an. M. ʒ. glycyrrhiza raſa rad. fœniculi, apij, petroſelini, paſſularum ana ℥ß. ſem. aniſi, fœniculi ana ʒii. comarum thymi, Epithymi ana ʒiß. cort. tamariſci, capparum an. ʒij. foliorum ſena ℥ii. polypodij querni ℥i. agarici electi ℥i. Incidenda incidantur, & quæ contundi debent, craſſiuſcule terantur, & miſceantur omnia, ac uſui ſerventur. Pharm. Auguſt.

Decoctum Aperitivum tempore Verno.

℞. Olei tartari per deliquium facti ℔ ii. à quo deſtillando abſtrahantur. vini albi boni ℔ vj. vel ejus loco (ſi vinum ob phlogoſin viſcerum ſuſpectum foret) aquæ cherefolij ſine addit. ſtillat. tantundem, Ad totalem ſiccitatem ſalis Tartari (quod ſal tartari denuò calcinandum & ad alios uſus aptandum eſt) liquori vero prolecto immergantur.

℞. Rad. recent. Apij ℥ß. chichorij ſyl. ℥ii. Acetoſæ, fœniculi, Pimpinellæ ana ℥ß. Rubiæ tinct. ℥i. herb. recent. hepaticæ nobilis, Agrimoniæ, chamædryos, cichorij ſylveſtr. Endiviæ, ſcolopendrij, naſturtij hort. cheref. ana ℥i. ß. flor. roſarum rub. recent. ℥ii. ſem. naſturtij urticæ, fœniculi, an. ℥ß. cremoris tartari, ℥i. ſantali rubri, cinamomi opt. acuti ana ℥ß. factâ maceratione brevi, fiat in Alembico vitreo, ſuo capitello munito, (ut id, quod bulliendo tranſit, licet tantillum ſit, liquori colato reaffundi poſſit) una vel altera ebullitio, dùm refrixerint colentur, exprimanturque ſpecies fortiter; decoctum hoc colatum additis ſacchari canarij albi ℥vj. cum alb. ovorum probè clarificetur, ſuperaddendo ſpiritus vitrioli vel ſalis q. ſ. pro grato ſapore, fiatque decoctum, & potus jucundus, ad hepatis, aliorumque viſcerum obſtructorum reſerationem efficax: doſis ℥iv. vel viij. bis, terve de die ſumendæ. Zvvelferus in Pharmacop. Regiâ.

Decoctum Aperitivum tempore Hyemali.

℞. Rad. Apij ℥iß. acetoſæ ℥i. cichorij ſyl. ℥ii. fœniculi, rubiæ tinctorum, Pimpinellæ, caryoph. ana ℥iſ. aſari ʒvj. vel ℥vii. herb. Agrimoniæ, cichorij ſylveſtr. cherefolij, hederæ terreſtris, ſcolopendr. ceterach. naſturt, hort. ana ℥i. flor. roſarum rub. ℥iſ. ſantali rubri, ſem. naſturtij, fœniculi ana ʒvj. cremoris tartari, ſeu tartari albi veneti, ℥iſ. Inciſa & contuſa craſſiuſculè uſui reponantur, è quibus tempore hyberno, urgente neceſſitate decoctiones parandæ, ſaccharo edulcorandæ, nec non ſpiritibus ſalis vel vitrioli acuendæ ſunt. Vires & doſis ex ſuperiori patet. *Pharm. Regia Zvvelferi.*

Decoctum aperiens lenitivum minus.

℞. Herb. Agrimoniæ, lupuli, cichorij, cuſcutæ, Betonicæ, ceterach, endiviæ, fumiterræ ana ℥ij. rad. Apij, fœniculi, petroſelini, Acori, glycyrrhizæ, ana ℥iv. Aſari ℥ß. ſem. Aniſi, fœniculi ana ℥i. polypodij querni ℥xij. prunorum damaſcenorum, ficuum pinguium ana num. ʒij. paſſularum ℥iv. ſenæ Alexand. ℥i. flor. Boraginis, Bugloſſi, violarum, roſarum rubrarum ana ℥i. Incidantur, contundantur, ac miſceantur. *Pharm. Augus.*

Decoctum aperiens majus cum Rhabarbaro.

℞. Specierum decocti aperientis majoris & minoris ana ℥iij. Rhabarbari electi ℥ſ. cinnamomi ʒij. ſalis gemmæ ℈i. ſpicæ Indicæ ℈ij. ſpecierum diarrhodon Abbatis ℈iv. Miſceantur pro uſu.

Ad contumaces & inveteratas oppilationes adhibetur, hydropi, morbiſque frigidis, præſertim pituitoſis aut ex bile mixta natis confert. *Pharm. Augus.*

Decoctum ad calculum renalem, Foreſti, cujus ſpecies à Zvvelf. correctæ.

℞. Radic. liquiritæ ℥iß. petroſelini. fœniculi an. ℥ij. Ireos florent. ℥iß. flor. malvæ, Biſmalvæ an. ʒvj. ſemin. quatuor frigid. majorum excortic. an. ʒv. fœniculi, ſaxifragiæ an. ʒ vj. cicerum rubr. confractor. ʒ vj. ſebeſten, ficuum an. n. 30. hord. mund. & prius loti ℥iij. Inciſa & contuſa craſſiuſcule ſerventur pro uſu, ad dolores ex calculo leniendos, decocta ex ijs paranda, quæ abſtergunt, leniunt, calculumque pellunt ac urinam promovent. *Corpus pharmaceutico-chymico-Medicum Juncken.*

Decoctum Capillorum Veneris Meſuæ.

℞. Capillorum veneris ℥iß. ſummitatum fumiterræ, Lupuli, violar. ſiccat. an. ℥i. prunorum damaſcenorum n. 40. ſebeſten n. 10. Jujubarum n. 20. caſſiæ fiſtularis ʒiij. Tamarindorum ℥ij Rhabarbari optimi ʒiij. Inciſa miſceantur. Bilis flavæ ardorem compeſcit, ſanguinem purificat, ejuſdemque ardorem attemperat.

Decoctum Caponis pro conſumptis.

℞. Caponem recentem more ſolito mactatum, (non crudeliter, ne, juxta ſcripturam, creaturæ innocentes hominum crudelitatem gemebundè deteſtari neceſſum habeant: exiſtimo enim, majores virtutes ab animali innocente ſimpliciter & repente mactato ſperari poſſe, quàm in iram & odium acquaſi in rabiem prius concitato) *quem à plumis & interaneis repurgatum & eviſceratum conſcinde in fruſtula minutiſſima oſſiculis omnibus etiam conquaſſatis, cui poſtmodum adde.*

Cancros fluviatiles recent. conquaſſatos n. 20. Pulmonis vituli recenter mactati dimidiam partem, item, Perdicem etiam recenter mactatam, & in fruſtula parva diſſectam & conquaſſatam, unam.

Cuncta hæc immittantur in lagenam ſtanneam amplam, ut tertia vel dimidia pars vacua maneat. Hiſce autem carnibus dictis ſtratum veluti ſuperſtratum immiſceantur ſequentia non minus conciſa, ſcilicet.

Rad. Ireos florent. ʒvi. enulæ campanæ recentis, ſymphyti majoris recent. an. ℥iß. Maceris ʒiii. croc. opt. orient. vel Auſtr. ʒi. porro his omnibus, lagenæ immiſſis, ſuperinfundantur ſucci Tuſſilaginis recenter expreſſi & depurati ℥ viii.

Vel ſi conſultius videtur, loco *ſucci Tuſſilaginis, ſuccus ſempervivi, Hyſſopi, veronicæ, vel alius aliquis conveniens liquor:* aut *vinum Cydoniorū* ſubſtituatur; claudatur poſteà lagena proprio ſuo operculo cochleato, ac inſuper etiam veſicâ, deinde immergatur illa ultra medietatem ſui in Balneum Mariæ, vel aquam, coquendo continuò ad 6. horas; abſolutâ decoctione, aperiatur lagena, contentaq; excutiantur, ad ſacculum linteum, & prælo ſubijciantur; *expreſſus liquor ſale* nonnihil condiendus & in frigidum collocetur locum, qui *in gelatinam concretus delicatiſſimam ægrotantibus Phthiſicis ſummo cum ſucceſſu propinari poteſt, in juſculis hordaceis, Panatellis, Pulpis Amygdalinis, alijſq; ſimilibus ferculis.* Hæc *Gelatina* majores habebit virtutes, quàm *Aqua caponis,* vel etiam *Aqua ex hepate & pulmonibus vituli deſtillata,* cùm virtutes omnes illorum in reſiduo maneant, ac parum, quod operæ pretium eſſet aſſervare vaporetenus, deſtillando illa per Alembicum tranſeat. *Pharm. Reg. Zvvelferi.*

Decoctum Carminativum.

℞. Sem. Aniſi, dauci, cumini, carvi, fœniculi an. ʒij. glycyrrhizæ ℥ß. flor. chamameli manipul. ß. paſſularum ℥iß. inciſa miſceantur. Flatus potenter diſcutit, ob id colicos dolores mitigat. Inditur potiſſimùm enematibus, ubi fri-

frigida pituita, aut crassi flatus negotium facessunt. *Pharm. Aug.*

Decoctum Carminativum contra flatus.

℞. Vini albi boni ℔ vj. fervefiat in olla bene cooperta, cui quamprimum incipit bullire injiciantur cortic. Arantiorũ rec & extim. unius pomi. rad. cichor sylvestr. ℥iij. cinamomi opt. saltem incisi ʒvj facta uni à ebullitione super injiciantur etiam sacch. can. albi ℥iv. vel v. Et statim removeantur ab igne, cùm verò refrixerint, vase probè tecto & clauso, coletur vinum per linteolum aut pannum purum, alieno odore vel sapore non infectum.

Fiatque potus jucundus, cujus usus est, ut ij, qui flatibus torquentur, tum in prandio, tùm etiam in cœna primum de illo haustum accipiant: confortat nimirum ventriculum & Hepar, intestina ita roborat, ut seipsa juvare flatusq; expellere queant. *Pharm. Reg. Zuvelferi.*

Decoctum Emolliens commune pro Enemat.

℞. Fol. malvæ, bismalvæ, melius altheæ, parietariæ, violarum, mercurialis, senecionis ãã mj. flor. chamomillæ & meliloti ãã m. ß. Coquantur simul in aq. comm. ℔ vij. aut ℔ viij. ad tertiæ partis consumptionem, tunc colentur & exprimantur. Lemery in Pharmacopæâ universali.

Decoctum Detersivum pro Clysterijs.

℞. Hordei integri, furfuris macri, folior. agrimonij, centinodiæ, verbasci, plantaginis ãã m j. rosar. p. ij. sem. lini ʒij. coquantur in aq. comm. ℔ iv. ad consumptionem tertiæ partis. Idem ibidem.

Decocta hæc pro Clysteriis etiam concinniora possunt confici, verùm non est quod de illis, hic pluribus agamus, quandoquidem istud sub titulô Clyster jam peractum est.

Decoctum commune cum folijs senæ.

℞. Hordei mundi integri ℥iv. foliorum senæ ℥ii prunorum siccorum dulcium n. 12. liquiritiæ mundæ, tamarindorum enucleatorum, passularum au ℥ß. sem. anisi, fœniculi an. ʒiij. Aquæ fontanæ ℔ iv. addi post decoctionem tantillum tartari potest. Pharm. Norimb.

Decoctum contra Dysenteriam.

℞. Conserv. ros. rubr. antiquæ ℥ iij. papav. errat. ℥ ij. santali rubri, rad. tormentillæ an. ʒ ß. cort. Arantiorum rec. extim. Limonior. rec. & extim. an. ʒiij. granorum mastichis ʒ ß. His incisis quæ incidenda sunt, ac ollæ vitreatæ immissis, superaffundantur Aq. ferventis & bullientis ℔. viii. vase bene cooperto refrigerari permittito, fiat post colatura sæpius repetita pro potu. In dysenteria, diarrhœa immoderata, lienteria, fluxu hepatico & similibus affectibus sũmo cum fructu offerendo *Pharm. Reg. Zuvelferi.*

Decoctum Epithymi Mesuæ.

℞. Passularum, folliculorum senæ, sthœcadis Arabicæ, epithymi, myrobalanorum Indarum an. ℥j. chebularum, turbith albi. fumiterræ an. ℥ß. eupatorij ʒv polypodij querni ℥vj. Hellebori nigri ʒ j. Agarici ʒiß. salis Indi ʒ ß. Incidantur & misceantur. Bilem atram ac pituitam salsam vacuat, ob id affectibus melancholicis, ut cancro, elephantiasi, ac fœdæ scabiei medetur. Infundi & coqui potest cum seri caprilli ℔. *iij. Pharm. August.*

Decoctum florum & fructuum.

℞. Caricarum n. 5. prunorum damascenorum n. 15. jujubarum, sebesten an. n. 20. Tamarindorum ℥ j. flor. rosarum, boraginis, Bulglossi an. ℥i. capillorum veneris. lupuli, endiviæ an. m. s. glycyrrhizæ ʒii. incidantur, & cõtundãtur pro usu.

Moderate refrigerat, lenit & humectat: cor, jecur, & pectus recreat, humores quoque ad commodam evacuationem præparat. *Pharm. August.*

Decoctum fumariæ Mesuæ.

℞. Succ. cichor. endiviæ. lupuli, Boraginis an. ℥ iv fumiterræ ℥ viij. quibus coctis, & depuratis, adde myrobal. citrinarum, indarum an. ℥ii. passularum mundatarum ℥ i. tamarindorum ℥ iii. coque iterum modicum, cola, & serva.

Sanguinem à bile flava & adustis humoribus purgat; hepatis obstructiones aperit, ac indè natum icterum sanat. *Phar. August.*

Decoctum Hepaticum.

℞. Seri lactis caprini recenter facti & depurati ℔. iv. vel v. cui immergantur, tamarind. rec. rad. rec. cichor. sylvest. herb recent. cichor. sylvestr. endiviæ, hepaticæ nobil. an. ℥i. flor. ros. rec. ℥iß. santali rubri ʒ iij. cremoris tartari ℥ß. facta maceratione horis aliquot, ac unica saltem ebullitione (omnia tamen in vase terreo) fiat cum expressione, expressum probè clarificetur, superaddendo syrup. de papav. errat. ℥iv. spirit. vitrioli q. s. pro gratissimo sapore, essent. citri sacchar. ex recent. cortic. paratæ ʒvj. Fiat decoctum aut tinctura hepatica rubicunda & jucunda sapore ac odore: quæ insignes obtinet vires hepar calidum refrigerandi, obstructum reserandi & debilitatum confortandi, singulis matutinis ac vespertinis horis ℥iii. vel iv. sumendæ. *Pharm. Reg. Zuvelferi.*

Decoctum Hydragogum.

℞. Olei tartari per deliquium facti ℔. ij. vini albi generosi ℔ iv. abstrahatur destillando in alembico vitreo tota humiditas ad siccitatem salis tartari probofcidi alembici immissis cinamomi acuti, cortic. Arantiorum rec. an. ℥ß. huic vino jam destillato lixiviali immergantur. rad. rec. levistici in taleolos concisarum ℥ viij. cichorij sylvestris ℥ij.

Factâ maceratione in Alembico vitreo capitello suo munito per diem unum, deinde ebulliant ad horam circiter mediam, excipiendo humiditatem, quæ bulliendo transit in vitrum præpositum recipiens, ut tandem residuo colato reaffundi possit; refrigeratis postea omnibus, fiat colatura & filtratio, filtrato adde essent. Arantiorum sacchar. an. ex rec. cort. paratæ ℥ii. fiat potus gratus.

Præstantissimus in omnibus hydropis speciebus, præsertim in tympanite, dequo infirmus, præmissis tamen præmittendis, singulis diebus ter quatervè ℥ii. circiter bibat. *Phar. Reg. Zuvelferi.*

Decoctum Laxativum.

℞. Foliorum senæ elect. ʒvi. cremoris tartari. ʒij. passularum minorum, confectionis semin. coriandri an. ʒiij. incisa & contusa infundantur per 24. horas in Aquæ font. bullientis ℥xiv. postea colentur cum leni expessione, atq; in colatura solvantur mannæ calab. elect. ℥iv. & cum albumine ovi clarificentur.

Infusum hoc magnæ famæ Medicum quondam Cæsareum, D. Joan. Guil. Managettam autorem agnoscit, crebro usu & laudabili operatione, in corpore leniter evacuando, apud nos celebre. *Phar. Augus.*

Decoctum Majale.

℞. Herb. fumar. m. j. summ. lupul. cichor. Agrimon. Asplen. Absinth. pont. an. m. ß. rad. polypod. ℥ß. glycyrrhiz. ℥ß. fol. sen. ℥ iij. sem. anis. ʒ ij. omnia quæ habere possunt recentia, misce cum reliquis ac coque in seri lactis ℔. iv. ad tertias. colaturæ adhuc calidæ infunde per noctem. Rhabarb. el. ʒii. spic. indic. gr. viij. Schænanth. ℈ß. ebulliant semel ac iterum, hinc colentur.

Vires. Sanguinem purificat. Dos ℥iv. *Schroder. Pharm.*

De-

Decoctum ad Menſ. Muliebr. obſtructiones.

℞. Rad. Aſparagi, Apij, graminis, pimpinellæ an. ℥ii. calami aromat. ononidis, liquiritiæ an. ℥ i ß. petroſelini ℥ ii. raphani ſylveſtr. ℥ I. herb. roriſmarini, artemiſiæ, Meliſſæ, pulegij, ſabinæ, an. m. II. flor. malvæ hortens. rub. m. II ß. boleti cervini ℥ I. flavedinis ex liliis albis, anthoræ dictæ ʒ VI. caſſiæ lign. veræ ℥ II ß. cinamomi acuti ℥ II. maceris ℥ I. croci optimi ʒ II. Boracis Venetæ ℥ Iſ.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè reponantur pro uſu. Ex his ſpeciebus juſcula vel vina reſolventia ſolâ infuſione in vaſe benè tecto conficere præſtat; ſi verò illa per coctionem conficere animus ſit, illa in alembico vitreo ſuo capitello munito paretur, ut ea quæ bulliendo tranſit magis ſpirituoſa humiditas, relicto reaffundi poſſit. *Pharm. Reg.*

Decoctum contra Calculum Nephriticum.

℞. Ligni Nephritici ℥ ſ. rad. petroſelenirec. cum toto ℥ iij. vel IV. cicerum rubeorum parùm confractorum ℥ III. granorum Alkekengi ℥ſ. tartari albi veneti, vel cremoris tartari ℥ ſ.

Inciſa nonnihil quæ incidenda ſunt, coquantur terreo in vaſe cum aqua *ſimpl.* ℔ *VII. ad remanentiam* ℔ *VI. ſub finem decoctionis injiciendo cinamomi acuti ʒſ. ſacch. cand. albi ℥IV. ſucci limoniorum 4. pomorum recenter expreſſi, ab igne protinus remoto, cum refrixerit coletur ſæpius, fiatque potus jucundus*, In expellendo ſabulo & calculo præſtant. *Phar. Reg.*

Decoctum Pectorale.

℞. Paſſularum minorum mundatarum ℥I. ſebeſten, Jujubarum ana nu. 15. dactylorum nu. 6. caricarum pinguium nu. 4. hordeî ℥I. glycyrrizæ ℥ſ. capillorum veneris m. ſ. hyſſopi ʒ II. Incidantur, & miſceantur.

Pectoris vitijs, ut pote catarrho, tuſſi, aſthmati, pleuritidi & id genus alijs noxis pectus adficientibus utile exſiſtit; thoracem lenit, & ab humoribus eidem impactis purgat. *Pharm. Auguſt.*

Decoctum Antiphthiſicum.

℞. Rad. tormentillæ, caryophyllatæ, liquiritiæ, enulæ ana ʒ II. Aſari ʒſ. fol. ſcabioſæ, veronicæ, hepaticæ nobilis, ſtellatæ, pulmonariæ maculoſæ, quercinæ, hederæ terreſtris, lichenis petr. Muſci terreſtris, pyrolæ, vincæ pervincæ, hyſſopi, ſalviæ, menthæ an. p. ij. ſenæ ſ. ſtip. ʒ II. flor. ſambuci p. 3. nymphææ, roſarum rubrarum an. p. ij. ſem. aniſi, fœniculi an. ʒI. ſiliquarum ℥I. Jujubarum nu. 7. ficuum nu. 3. paſſularum minorum unc. III. Pharm. Norimb.

Decoctum Antiphthiſicum.

℞. Rad. recent. Cichorij ſyl. ℥ II. enulæ ℥ſ. ſymphyt. major. ℥ I. Pimpinellæ ſaniculæ an. ℥ I ſ. Ireos flor. liquirit, an. ℥ I. herb. recent. Conſolidæ ſarac. veronicæ, hederæ terreſt. Mille folij, naſturtij aquat. farfaræ, Pulmonar. macul. ana M. Iſ. flor. recent. papaveris erratic. roſ. rub. ana M. II. Inciſa coquantur in ℔ *XX. ſeri lactis Caprini, vel vaccini, recenter facti, & probe depurati injiciantur conſ. roſarum rubr. papav. errat. ana ℥ II. violar. Matial. ℥ IV. cum refrixerint, denuò colentur, addanturque Mellis puri virginei nunq. cocti* ℔. *I. ſpiritus ſulphuris ℈ſ. M. fiat potus gratus.*

In affectibus pectoris, exulcerationibus pulmonum, eorumque vulneribus & vomica, nec non in ſputo ſanguinis ſalutare remedium eſt, cujus ſingulis horis matutinis & veſpertinis ℥ VI. calidè & interdiu tantundem potandæ. *Pharm. Reg.*

Decoctum Senæ D. Gereonis.

℞. Folliculorum ſenæ ℥ I ſ. fol. ſenæ ℥ I. Zingiberis ʒI. ſeminis Aniſi, flo. boraginis, violarum, roſarum rubrarum, corticum aurantiorum, an. ʒ I I. polypodij querni ℥ſ. paſſularum purgatarum ℥ II. ſebeſten, prunorum ana nu. 12. Inciſa & trita miſceantur.

Affectibus melancholicis, quartanis, cancro, lui venereæ, & ſimilibus idoneum. *Pharm. Auguſt.*

Decoctum Spleneticum & Antiſcorbuticum.

℞. Seri lactis caprini recenter facti & probè depur. ℔ *V. cui immergantur Rad. cichorii ſylveſt. recent. unc. II. pimpinellæ recent. unc. Iſ. herb. recent. cochleariæ, naſturtii hortenſis, chærefolij ana unc. II. capparum aceto conditor. unc. IIſ. tamarindor. recent. unc. I. Cremoris Tartari ʒ II. facta digeſtione, & unicâ ebullitione fiat colatura & clarificatio, addendo ſacchari albiſſimi canarij unc. IV. ſpir. ſalis Armen. acidi chalybeati q. ſ. pro grato ſapore, fiat decoctum clarum.*

Quod in affectibus Hypochondriacis & ſcorbuticis emolumento eſt: reſerat obſtructiones lienis, & ſcorbuto medetur. *Pharm. Regia Zvvelferi.*

Decoctum contra Sputum Sanguinis.

℞. Rad. acetoſæ, bardanæ major, papav. erratici pentaphylli, plantagin. min. tormentillæ an. ℥ I. cichorij ſylveſtr. ℥ I ß. herb. hederæ terreſtris, equiſeti, plantaginis min. portulacæ, ſanguiſorbæ, virgæ aureæ ana m. I ß. flor. roſarum rubr. verbaſci an. m. I. papav. errat. m. I ß. Baccar. Myrtillorum, ℥ ß. capit. papav. alb. cum ſeminibus nu. 5. ligni ſantali rub. ʒ VI. maſtichis el. olibani an. ʒ II. inciſa & contuſa craſſiuſcule coquantur in aqua ſimpl. ſ. q. ad remanentiam ℔ *VI. colaturæ clarificatæ dum adhuc fervet injiciantur conſ. roſar. rub. ℥ III. papav. erratic. ℥ II. flor. cichorij ℥ I. ſpiritus vitrioli gutt. XV. vel XX. factaque digeſtione horis aliquot, denuo coletur, colaturæ adde ſyr. corallini noſt. ℥ II. vel III. miſceantur pro potu ſanguinem ſpuentibus & dyſenteria laborantibus.* Pharm. Reg. Zvvelferi.

Decoctum Traumaticum.

℞. Sarſæ parill. albæ & medulloſæ ſeſquunciam. Rad. chinæ ℥ I. fœniculi, bardanæ tenellæ, urticæ, Rhapontici, conſolidæ, Glycyrrhizæ, Caryophyllatæ, ana ʒ VI. ariſtolochiæ longæ ℥ ß. dictamni albi ʒ II. fol. betonicæ, hyperici, Agrimoniæ, plantaginis quinquenerviæ, hederæ terreſtris, bugulæ, pyrolæ, ſaniculæ, ana m. ſ. paſſularum exacinat. ℥ ſ. coriandri, aniſi, urticæ min. an. ʒ II. Baccarum juniperi ʒ I. raſuræ cornu cerv. eboris, an. ʒ V. coq. in ſ. q. Aquæ font. ad ℔ *II. colaturæ adde vini albi generoſi ℥ IV. mellis opt. deſpumati, ſacchari canti albi. an.* ℔. *I. m.* Pharm. Londin.

Decocta varia è Pharmacopæa Schrodero-Hoffmanniana illuſtratâ & auctâ.

Decoctum alterans.

℞. Santal. rub. ℥ſ. (alij ʒ VI.) ſucc. citri recent. ℥ Iſ. (alij ℥ I.) ſacchar. clarificat. ℥ I. aq. fontan. puriſſ. ℔ *III. ſtent in maceratione per noctem, manè coquantur ad* ℔ *I ſ. colentur, ac ſerventur pro uſu.*

N. Alij addunt & ſpir. Vitrioli ʒ I.

Ali-

Aliter.

♃. Santal rub. ℥ß. *sem. cit.* ʒßi *fl. Rosar. rub. p.* i ß. *sacchar. candi.* ʒj. *spir. vitrioli* ʒß. *Aqu. fontan.* ℔ iij. *Digerantur per noctem; hinc decoquantur ad* ℔. ij ß.

Colaturæ adde.

Rob. ribium. succ. citri. sacchar. depurat. an. ℥j.

Vires. Refrigerat, cor viresque confortat.

Hofman. Decoctum alterans) Nullâ indiget animadversione. N. Aliud pro magistratu vid. infrà.

Decoctum ♁iale Cl. D. D. Lud. ab Hornig.

♃. Rad. sassafr. ℥j. *lign. visc. querc. lencisc.* ℥vj. *fol. Beton. m j. parata pro decoctione coq. in aq. pulvialis limpida mensur. iv. bulliant per ¼ horæ, postea inde ♁. crudi* ℥j. *in petia ligati & porrò bulliant, donec mensura una & dimidia sit consumpta.*

Vires. Catarrhis medetur, scabiemque curat, impuritates tum per insensilem transpirationem, tum per alvum educens.

Usus. Manè haustus calidè assumitur.

Hofman. Decoctum ♁iale CL D. D. Lud. ab Hornig.) An à metallis & mineralibus aliqua virtus per coctionem in decoctas derivetur species, suprà discussimus. Quod sic, nobis hîc exemplo est Antimonium ad decoctionem præscriptum; Et certum est, eximias dotes & arcanas vires contra diros morbos in hoc latere, si illud crudum saltem in minutas particulas confractum ac in petiâ ligatum aquosis saltem decoctis largiter superaddatur, nequaquam verò ex vino propinetur. *CL. Zwelferus* dicit se nunquam decoctionem anti-veneream ulli propinasse, nisi prius in illâ antimonium crudum in petiâ ligatum incoctum fuisset, prout & sequens ejus decoctum in lue venereâ evincit.

Recip. ligni sancti ℥ ij *cortic. ejusd.* ℥ v. *sars. parill.* ℥ ij. *sassafras* ℥ j. *mercurij vivi in pet. ligat.* ℔ j. *Antimonij crudi in pet. ligat.* ℔ j

Incisa incidenda coq. in Aq. Mensur. xII. in ollâ ad tertias, & colentur, cooperculum ollæ foraminulum habeat.

Usus. Colaturæ dantur singulis diebus manè ℥ vi. pro potu sudorifero, sudor proliciatur vel in lecto, vel in hypocausto, residuum coquitur cùm aquâ & uvis passis, addito pauco Ligni Sancti novi, ut & corticum, & in fine aliquid cinamomi, & etiam priori addi potest pro potu ordinario. Usus hujus continuandus per 14. ☍. præcedant autem seq. Pilulæ.

Recip Extract. catholic. ʒ iij. *Arcani corallini. cinnabar. Antimonij ana* ʒ i ß. *S. pilulæ quarum dosis* 20.

Reliqua Decocta, quæ ab *Autore* proponuntur, si secundum artem & modum suprà descriptum conficiantur, nullâ opus habent animadversione; *Decoctum Epatis vituli*, item *Hystericum* & *Splenis bovis* in diplomate peragi potest.

N. vide Thesaur. Pharmaceutic. annexum sect. vi. De reliquis decoctis.

Decoctum Epaticum.

♃. Rad. aristoloch. Rot. ℥ j. *Rhabarb. opt.* ℥ß. *chamaleon. nigr.* ʒij. *Rad. petrosel. cichor. ana* ʒvi. *cardopot.* ʒ ij. *herb. endiv. scabios. betonic. acetos. an. M* ß. *sem. fænic.* ℥ j. *f. decoctio in Aquæ font.* ℔. vj. *ad consumpt. tertia partis.*

Decoctum Epatis Vituli.

♃. Epar. vitul. in frusta incisum. santal. rub. cinamom. ana ℥ß. *spic. nardi. Rosar. rub. ana p.* I. *conserv. flor. cichor.* ℥j. *trochisc. Rhabarb. eupator. ana* ʒ vj. *coque in phiala capaci bene occlusa calore balnei ferventis horas* 7. *vel* 8. *donec hepar totum ferè in liquorem redactum sit, quem ad perfectionem decoque, addendo, si velis, saccharum.*

Vires. Conducit in omnibus Epatis affectibus, & imbecillitatib. in fluxu præsertim hepatico & hydropisi.

Dosis ℥iii. iv. mane ac vesperi.

Quercet. in Pharmacop. rest. cap. 26.

N. Eodem modo fieri quoq; possunt decocta Pulmonum non solum Vulpis, sed & Vituli & Agni, addendo pectoralia affectibus pulmonum congrua. Quercetan.

Decoctum Hystericum.

♃. Herb. puleg. artemis. abrotan. matricar. meliss. verben. serpill. an. m j. Rad. pimpinell. baccar. lauri. an. ʒij. *castor.* ʒj. *sabin.* ʒij. *m. & lege. artis f. decoctum.*

Vires. Ciet menses, uterumque roborat.

Decoctum Majale.

♃. Herb. fumar. m. j. summ. lupul. cichor. agrimon. asplen. absinth. pont. an. m. ß. *Rad. polypod.* ℥ß. *glycyrrhiz.* ʒß. *fol. sen.* ℥ iv. *sem. anis.* ʒ ij. *omnia quæ haberi possunt recentia, misce cum reliquis ac coque in seri lactis* ℔ iv. *ad tertias. Colaturæ adhuc calidæ infunde per noctem, Rhabarb. el.* ʒ ij. *spic. indic. gran. viij. schænanth.* ℈ *s. ebulliant semel ac iterum, hinc colentur.*

Vires. Sanguinem purificat.

Dosis ℥iv.

Decoctum purgans pro delicatis. Quercetan.

♃. Follicul. sen. s. st. ʒvj. *Aq. pomorum redolentium aut fragorum q. s. pro una vice. macera vase clauso per horas* 24. *addendo parum succi limonum, hinc ebulliant, fortiterque exprimantur. adde succi pomorum redolentium recentis* ʒ i *ss. sacchari candi si libet, q. s. clarifica cum albumine ovi, ac aromatiza cum aqua cinamomi.*

Vires. Leniter purgat sine fastidio.

Decoctum laxativum D. Petri de Spina.

♃. Rad. sarsæparill. alth. borrag. ana ℥ *ss. glycirrhiz.* ℥ i *ss. diger. horis* 24. *in* ℔ *iv. aq. ferventis. dein. coquantur ad* ℔ *iij. postea adde Rad. polypod.* ℥ *ss. epithym.* ʒ *iij. fol. sen. el.* ℥ *ss. agaric. troch.* ʒ i *ss. mechoacan. opt.* ʒ *ij flor. borrag. bugloss. violar. ana p.* I. *tamarind.* ʒ v. *passular. min.* ℥ *ss. dactyl. recent. N. iv. sem. cartham. contus.* ʒ *ij. anis. fœnicul. ana* ℥ *ss. caryophyll. zinzib. ana.* ℈ *j. coque adhuc parum s. a. dein exprimantur & colentur pro potu.*

Vires. Blandè movet alvum, acresque humores obtundit, adeòque convenit quàm maximè in doloribus colicis.

Dosis ℥iv. manè, & si libet post meridiem.

Decoctum splenis bovis.

♃. Splenem bovis in frusta incisum, cinamom. grossè contus. unc. j. caryophyllor. ℥ *ss. croc.* ʒ *ij. vini alb. seu malvatic. q. s. inde in vitrum capax, quod bene clausum in MB. ferventissimo, hor. 24. ebulliat, donec splen in particulas minutissimas coctus & consumptus fuerit, magnaque juris exquisitissimè cocti, & fragrantissimi copia restet.*

Vires. Specificum est ad duritiem & obstructionem lienis & mensium suppressionem.

Dosis ℥ iv. continuando per quatuor aut quinque dies, cùm menses fluere soliti sunt. Quercetan. in Pharmac. Restit.

N. Po-

N. *Potest itidem redigi in formam Extracti, vide infra.*

Decoctum Vulnerarium Quercetani pro omnigenis vulneribus internis & externis.

♃. *Rad. Tormentillæ, Consolidæ maj. & min. an.* ℥ j. *herbar. limonij albi & nigri, saniculæ, pyrolæ, verbenæ, alchimillæ, persicariæ an. M j. vincæ pervincæ, herbæ roberti an. M ß. flor. verbasci, hyperici, centaurij min. an.* ʒ ij. *cancros purgat. & sicc. nu. vj. mumiæ* ℥ß. *Macerentur omnia per dies ij. in aq. veronicæ & vini albi an.* ℔ ij. *in vase vitreo circulatorio in M B. Coletur liquor per manicam hippoc. & aromatizetur cum pauxillo cinnamomi, aut coriandri præparati, cum succo cydoniorum. Dos. ab* ℥ß. *ad* ℥ ij. *manè & serò tribus horis ante pastum. Si amaror gustum minùs offendat, poterit addi rad. aristolochiæ tenuis ut & enulæ campanæ parum; & rursus edulcorari liquor cum saccharo. Usus autem continuabitur in plures dies quò magis ejus stupendi effectus percipiantur.*

Decocta varia ex Timæo.

Decoctum præparans pituitam.

♃. *Rad. Enulæ, fœnicul. ani* ℥ ß. *Ireos. pimpinell. an.* ʒ ij. *herb. hyssopi, agrimon. betonic. capill. veneris, chamædr. an. m. ß summit. lupuli absinth. an. p. 2. sem. anisi fœnicul. an.* ʒ j. *cortic. citr.* ʒ iij. *zingiberi, Cinnamom. galangæ an.* ʒ j. *Incisa & conquassata coq. ex s. q. aq. simpl.*

♃. *Colatur.* ℔ ß. *Syr. de Hyssopo, de prassio, de betonica an.* ℥ j. *oxymel. simpl.* ℥ ij. *aq cinamom* ℥ j. *mixta clarificent. c. album. ovi & filtrentur per chartam emporeticam.*

Decoctum præparans Bilem nimia adustione incrassatam.

♃. *Rad. Cichorij, taraxac. acetosæ an.* ℥ j. *herb. endiviæ, acetosell. agrimon. epaticæ an. m. 1. flor. borragin. violar. bugloss. an. m. ß. sem. 4. frigid. major. excortic. an. m. 1. flor. borragin. violar. bugloss. an. m. ß. sem. 4. frigid. major. excortic. an.* ʒiß. *coq. ex aq. simpl.*

♃. *Colatur.* ℔ ij. *syr. acetos. simpl. acetos. citri an.* ℥ ij ß. *Mixta clarificentur cum album. ovi & filtrentur per chartam emporeticam.*

Decoctum præparans Bilem tenuem.

♃. *Rad. acetos. bugloss. cichor. an.* ℥ j. *fol. endiviæ, lactucæ, portulac. acetosæ an. m. 1. sem. cucumer. melonum, lactucæ, cytonior. papav. alb. an.* ʒ ij. *flor. violar. borragin. bugloss. rosar. rubr. an. p. ij jujub. num. 21. incisa & conquassata coq. ex s. q. aq. simp.*

♃. *Colatur.* ℔ ij. *add. syr. violar. rosar. simpl. an.* ℥ 1 ß. *flor. rhead.* ℥ ij. *mixta clarificentur & filtrentur.*

Decoctum præparans humorem Melancholicum.

♃. *Rad. bugloss. oxylapath. asparagi, fœniculi, polypod. quern. enulæ an.* ℥ ß. *herb. bugloss. melissæ, fumar. agrimon. capill. veneris, Thym. an. m. ß. summit. lupuli p. 2. flor. borrag. bugloss. violar. genist. an. p. 1. sem. card. bened. cuscutæ an.* ʒ *iij. tamarisc. fraxini, rad. capp. ani* ℥ß. *Incisa & conquassata coquantur ex s. q. seri lactis caprini.*

♃. *Colatur* ℔ ij ß. *syrup. de fumaria, de pomis Borsdorff. bugloss. an.* ℥ iß. *syrup. de cynamom.* ℥ 1. Mixta clarificentur c. albumine ovi, & filtrentur per chartam emporeticam.

Decoctum laxativum.

℞. *Decoct. prun. dulc. & passul. minor.* ℔ i ß. *Infunde in hoc fol. sen. s. s.* ℥ vj. *Agaric. elect.* ℥ß. *mechoacan. alb.* ʒ v. *Gialapp gummos.* ℥ß. *flor. borragin. bugloss. an. p. 1. Cinam. acutiss.* ʒ i ß. *zingiber. elect.* ℈ i ß. *tartari albiss.* ʒ iij. *stent in loco calido per horas 6. postea ebulliant leniter & exprimantur fortissimè.*

Decoctum purgans Pituitam.

♃. *Decoct. præparant. pituitam* ℔ i ß. *agarici trochiscat.* ʒ v. *mechoacan. alb* ℥ß. *turpethi gummos.* ʒ iij. *fol. sen. s. s.* ℥ß. *zingiber. albiss.* ℈ ij. *cinam. acutiss.* ℈ iv. *stent in infusione per noctem: Mane ebulliant & exprim. fortissimè, add. syrup. de Carthamo* ℥ iv. *Misc.*

Decoctum purgans bilem.

♃. *Decoct. præpar. bilem* ℔ i ss. *rhabarb. elect.* ℥ ss. *cinam. acutiss.* ℥ iv. *stent in infusione per noctem, manè ebulliant & exprimantur fortissimè. In colatura dissolve syr. rosar. solutiv. de cichor. c. rhabarb. an.* ℥ ij. *Misc.*

Decoctum purgans humorem melancholicum.

♃. *Decoct. præpar. melancholiam* ℔ i ss. *fol. sen. s. s.* ℥ v. *gialapp. gummos.* ʒ ij. *rad. hellebor. nigr. vino probè ablut.* ʒ iij. *cort. citr. recent.* ʒ ij. *zingib. alb.* ℈ ij. *Cinam. acutiss.* ℈ iv. *stent. in infusione per noctem mane coque, & exprimantur. In colatur. dissolv. syrup. de fumar. composit. de polypodio an.* ℥ ij. *Misc.*

Decoctum Cephalicum præparans, & purgans.

♃. *Rad. Costi Ægyptiac.* ℥ ss. *Ireos florent.* ℥ iij *pœoniæ, polypod. quern. fœniculi, enulæ an.* ℥ ss. *ligni sassafras* ʒ vi. *herb. meliss. betonic. fumar. Cardi, bened. marrubii, centaur. minor. an. m. ss. flor. primul. veris, anthos, pœoniæ. lil. convall. an. p. 1. cort. tamarisc. fraxin. an.* ℥ ss. *sem. pœoniæ, anisi, fœniculi, siler. montan. an.* ʒ ij. *passular. minor.* ℥ iv. *incisis & conquassatis affund. aqu. simpl. q. s. coquantur ad remanent.* ℔ iij ss.

℞. *Istius colaturæ* ℔ i ss. *fol. sen. s. s.* ʒ vj. *Agaric albiss. Mechoacan. elect. an* ʒ ss. *turpethi gummos. gialapp. an.* ʒ ij. *Cinam. acutiss.* ℈ iv. *maceris* ℈ i ss. *galang. minor. zingib. alb. ana* ℈ ij. *mixta stent in infusione per noctem loco calido. Mane coquantur leniter & exprimantur fortissime, add. Syr. rosar. solutiv.* ℥ iij. *aq. cinamom.* ℥ 1. *misc.*

♃. *Residui decoct. prior.* ℔ ij. *syrup. de betonica, de stœchad, de hyssopo an.* ℥ j. *mixta clarificentur c. album. ovi & filtrentur.*

Decoctum Ophthalmicum.

♃. *Rad. valerianæ, fœniculi, caryophyllat. an.* ℥ ss. *pimpinell. enulæ an.* ʒ ij. *herb. euphras. c. florib. m. ij. betonic. pulegij, rutæ, chelidon. c. toto an. m. ss. ligni sassafras odorif.* ʒ j. *sem. fœnicul.* ʒ ij. *siler. mont.* ℥ ij. *flor. stœchadi arabic. salviæ, anthos. calendulæ, rosar. rubr. cyan. an. p. 1. bacc. juniper.* ʒ ss. *cubeb. cardam. an.* ʒ ij. *incisa & conquassata coq. ex s. q aq. simp.*

℞. *Colatur.* ℔ ij. *add. syr. nostr. ophthalm.* ℥ iv. *mixta clarificentur & filtrentur.*

Decoctum Euphrasiæ.

♃. *Euphras. c. florib. m iij. cinam. acutiss.* ℥ ss. *sem. lilior. montan. fænicul. an.* ʒ vj. *grosso modo incisa coq. ex aq. simp. s. q. colatur.*

♃. ℔ i ss. *adde sacchar. cand. q. s. ad gratum saporem.*

Decoctum pectorale.

♃. *Rad Ireos, enulæ, fœniculi, liquiritiæ, althææ an.* ℥ ss. *herb. hyssopi, prassii, tussilagin. capill. veneris, marrubij ana M. j. flor. salv. tussilag. ana m. ss. sem. urticæ, anisi, fœniculi ana* ʒ ij. *ficuum num. 11. jujubar. sebesten ana num. 7. passular. minor.* ℥ iij. *squill. præpar.* ʒ ij. *Incisa & conquassata coq. ex s. q. aq. simpl.*

♃. *Colatur.* ℔ ij. *syr. de prassio de hyssopo an.* ℥ ij. *oximel. Craton.* ℥ i ss. *mixta clarificentur. & filtrentur.*

Decoctum Anti-phtisicum.

℞. Rad. consolid. utriusque ana ℥ß. althaæ liquiritiæ an. ʒ iij. Ireos flor. ʒ ij. herb. veronic. sanicul. pulmonar. heder. terrestr. alchymill. scabios. tussilag. auricul. muris an. m. ß. flor. salviæ minor. borrag. bugloss. rosar. rubr. hyperic. ana p. 2. sem. cytonior. ʒ. 2. hyperic. ʒ iij. incisa & conquass. coq. ex s. q. aq. simp.

℞. colatur. ℔ ij. syrup. de symphyt. de pilosella, de althaa ana ℥ ij. mixta clarificentur.

Decoctum Antipleuriticum.

℞. Herb. scabios. card. benedic. card. mar. taraxaci ana m. ß. flor. papav. errat. p. 2. violar. p. 1. bellidis m. ß. rad. enulæ ʒ iij. liquir. ʒß. passul. minor. ℥ ij. ficuum num. 7. sem. Melon. card. bened. card. mar. ana ʒ ij. incisa coquantur ex s. q. aq. hordei.

℞. Colatur. ℔ 1 ß. syrup. de liquirit. an. ℥ 1. mixta clarificentur & filtrentur.

Decoctum contra Hæmoptysin, & omnes fluxus sanguinis.

℞ Rad. symphyt. major. ℥ j. plantagin. pimpinell. an. ℥ iij. tormentill. althaæ, liquiritiæ ana ʒ iij. herb. bursæ pastoris, cerefolij, prunell. polygon. sanicul. consolid. mediæ ana m. 1. flor. bellid. c. toto, rosar. rubr. hyperic. ʒ iij. sumach. ℥ 1 ß. sem. hyperic. ʒ iij Incisis & conquassatis affund. aq. simpl. ℔ 4. succi symphyt. ℔ 1 ß. coquantur in diplomate & refrigerata filtrentur. add. oxymel. simpl. ℥ 1 ß. syrup. nostr. ex succ. pectoralib. ℥ iij. misc. si succus symphyti haberi non potest add, syrup. de symphyto Fernel.

Decoctum Odontalgicum.

℞. Rad. bistort. pyrethri ana ʒ ij. flor. rosar. rub. m. ß. salviæ, p. 1. cort. granator. tabaci Virginei ana ℥ 1 ß. nuc. cupress. ℈ 4. gall. num. 3. Aluminis ʒ iij. mixta coq. s. q. aq. simpl. & aceti.

Decoctum Spleneticum.

℞. Rad. polypod. quern. ʒ v. rad. filicis, cichor. ana ℥ ß. apij, rub. tinctor. ana ʒ iv. herb. fumar. m. 1. scolopendr. cuscutæ, chamædr. Card. bened. Centaur. minor. ana m. ß. flor. genistæ, borragin. bugloss. ana p. 1. summit. lupuli, absinth. ana m. ß. cort. fraxin, citri, tamarisc. rad. cappar. ana ℥ß. sem. anisi, fœnicul. ana ʒ j. incisa & conquassata coq. ex s. aq. simpl.

℞. Colatur. ℔ ij syrup. de fumar. ℥ ij. ex succ. card. bened. byzantin. an. ℥ j. mixta clarificentur & filtrentur.

Decoctum Epaticum calidum.

℞. Rad. fœnicul. gramin. costi Ægyptiac. curcumæ an. ℥ ß. herb. Eupatorij, agrimoniæ, capill. veneris, veronic. centaur. minor ana m. ß. summit. lupuli absinthij ana m. ß. flor. epatic. nobil. p. 2. sem. card. bened. fœnicul. ana ʒ ij. Cinamom. acutiss. ℥ ß. passular. minor. ℥ iij. Incisa & conquassata coq. ex s. q. aq. simpl.

℞. Colatur. ℔ i ß Syrup. de absinthio, de eupatorio an. ℥ ij. oxymel. simpl. ℥ j. mixta clarificentur & filtrentur.

Decoctum Epaticum frigidum.

℞. Rad. Cichorij ℥ i ß. fragariæ, acetosæ ana ℥ ß. flor. endiviæ m. j. scariolæ m. ß. flor. cichorij, rosar. violar. nymphææ, epaticæ ana m. ss. sem. melon ℥ ß. endiviæ ʒ ij. passul. minor ℥ iij. Incisa & conquassata coq. ex s. q. aq. hordei.

℞. Colatur. ℔ i ß. syrup. ex succ. acetosæ, endiviæ, cichorij an ℥ ij. mixta clarificentur & filtrentur.

Decoctum in Scirrho Epatis.

℞. Rad. Cichorij ℥ i ss. eryngij, althaæ, asparagi, Ireos, aristoloch. rotund. apij an. ʒ ss. herb. malv. c. toto agrimon. scabios. cardui bened. marrubij ana m. ss. semin. petroselin. malvæ, endiviæ, viticis ana ʒ ij. fruct. Alkekengi num. 7. ficuum num. 9. passul. minor. ℥ iij. Incisis & conquassatis affund. aq. chalybeat. ℔ iv. acet. vin. ℥ iij. coquantur in diplomate colatur add. syrup. ex succ. Card. bened. de Cichorio, de althaa ana ℥ i ß. oxymel. squill. ℥ j. Mixta clarificentur & filtrentur.

Decoctum contra Icterum.

℞. Rad. Cichor. ʒ vi. fœnicul. petroselin. an. ℥ ß. ireos ʒ ij. fol. Card. bened. Chelidon. c. toto, fragariæ marrubij, Cuscutæ, agrimoniæ, endiviæ, rorismarin. ana m. ß. flor. epat. nobil. p. 2. Comar absinth. m. ß. Cicer. rub. ℥ ij. passul. minor. ℥ iij. sem. 4. frig. major. excortic. ana ʒ j. sem. petroselin. anisi, fœniculi ana ʒ i ß. Incisa & conquassata coqu. ex s. q. aq. simpl.

℞. Colatur. ℔ ij. Syrup. de Cichorio, absinthio, ex succ. Card. bened. an. ℥ ss. acet. sambucin, ℥ j. mixta clarificentur & filtrentur.

Aliud pro Delicatis.

℞. Fol. fragariæ m. j ss. marrubij m. ss. rad. Cichorij ℥ j. passul. minor. ℥ ij. Incisa & conquassat. coq. ex s. q. aq. simpl

℞. Colatur. ℔ j. syrup. nostr. aperitiv. ℥ ij. fragar. ℥ i ss spirit. salis gut. 13. Misc.

Decoctum Anti-hypochondriacum Scorbuticum.

℞. Rad. polypod. quern. Cichorij, fœnicul. rhapont. elect. ana ʒ vi. petroselin. fragariæ ana ℥ ss. herb. fumariæ, agrimoniæ, veronic. card. bened. chamædr. cuscutæ, centaur. minor. ana m. ss. flor. genistæ, epatic. borrag. bugloss. ana p. j. Comar. absinth. m. ss. cort. tamarisc. fraxin. rad. Cappar. ana ʒ vi. sem. anisi, fœniculi, Card. bened. Citri ana ℥ ij. passular. minor. ℥ iij. incisis & conquassatis affund. aq. simp. q. s. acet. squillit. ℥ iij. coquantur in diplomate ad remanent. ℔ iij.

℞. Colatur. ℔ ij. fol. sen. s. s. ʒ vi. Mechoacann. alb. agaric. ana ℥ ss. turpeth. elect. rhabar. opt. ana ʒ iij. Gialapp. gummos. ʒ ij ss. cassiæ ligneæ ℈ iv. Maceris, zingiber. alb. ana ʒ j. Mixta stent in infusione loco calido per noctem; mane coquantur leniter & exprim. fortiter. Colatur. add. syrup. nostr. panchym. ℥ iij. aq. Cinamom. ℥ 1. spir. citr. ℈ j. misc. pro decocto laxativo.

℞. Resid. decoct. prior. ℔. ij. succi fumar. Cichorij, absinthij, nasturt. aq. Cochlear. bekabung. ana ℥ ij. sacch. albiss. q. s. mixta digerantur in B. M, vase optimè clauso per diem & noctem, donec feces crassæ in fundo subsid. à quibus postea inclinatione vasis liquor clarus separetur & filtretur, pro decocto præparante.

Decoctum contra Calculum.

℞. Herb. heder. terrestr. m. 1. veronic. m. ss. Rad. petroselin. ℥ vi. fœnicul. ononid. Rad. althaæ, asparagi, pimpinell. an. ℥ ss. liquiritiæ ʒ iij. Cicer. rubr. ʒ ij. gran. alkekeng. ficuum ana num. 7. sem. 4. frigid. major. excort. ana ʒ 1. sem. althaæ, malvæ, mil. sol. ana ℥ ij. incisa & conquassat. coq. ex s. q. aq. hordei,

℞. Colatur. ℔ 1 ss. Syrup. acetos. citri de v. radicib. an. ℥ ij. spirit. salis gut. 21. mixta clarificentur, & filtrentur.

Decoctum Diureticum.

℞. Rad. fœnicul. petroselin. eryngij, rad. pimpinell. ononid. rubiæ tinctor. enulæ ana ʒ ß. herb. heder. terrestr.

restr. veronic. fragariæ, absinthij, saxifrag. matrisylv. ana m. ß. flor. genistæ, sambuci ana p. 2. gran. juniper. ℥ 1. cicer. rubr. ʒ ij. fruct. alkekeng. num. 7. sem. anisi, urticæ, fœniculi, dauci, seseleos, petroselin. 4. frigid. maj. excort. ana ʒ j. incisa & conquassata coq. ex s. q. aq. hordei.

℞. Colatur. ℔ 3. mellis purissimi ℥ 1. ebulliant semel atque iterum posteà c. albumine ovi clarificentur.

Decoctum contra mictionem cruentam.

℞. Rad. althææ, liquiritiæ an. ʒ vi. consolid. major. bistortæ, rad. cichorij, graminis, fœniculi ana ʒ vi. consolid. majoran. bistortæ, rad. cichorij, graminis, fœniculi ana ʒ III. herb. veronicæ, agrimon. endiviæ, capill. veneris, prunell. vulg. burs. pastoris, plantagini sanicul. ana m. ß. sem. 4. frigid. majoran. excort. an. ℥ 1 ß. flor. hyperic. rosar. rubr. salv. ana p. VII. fructi sebesten. jujubar. alkekong. ana num 7. passular. minor ʒ iij. incisa & conquassata coq. ex s. q. aq. simpl.

℞. Colatur. ℔ 2 ß. syrup. de symphyt. althæa an. ℥ 1 ß. mixta clarificentur & filtrentur.

Decoctum contra suppressionem mensium.

℞. Rad. pimpinell. fœnicul. apij, rubiæ tinctor. an. ℥ ß. herb. pulegij, arthemisiæ, herb serpilli, calaminth. montan. melissæ an. m. ß. flor. cheiri, calendulæ an. p. 1. cicer. rubr. ℥ 1 ß. baccar. lauri ℥ ß. sabinæ ʒ iij. semin. milij Solis, anisi an. ʒ iij. cinamom. acutiss. ℥ 1. incisa & conquass. coqu. ex s. q. aq. simpli.

℞. Colatur. ℔ 1 ß. syrup. de arthemisia ℥ 3. mixta clarificentur, & filtrentur, add. essent. croci gut. 31. misc.

Decoctum contra immoderatum fluxum mensium.

℞. Rad. tormentill. symphyt. major. an. ℥ s. plantagin. ʒ 3. herb. bursæ pastoris, polygoni an. m 1. plantagin. m. 1 s. portulac. sanicul. an. m. s. cort. granator. ℥ s. sem. cytonior. ℥ 2. flor. balaust. rosar. rub. an. p. 1. incisa & conquassata coq. ex s. q. aq. simpl.

℞. Colatur. ℔ 1 ß. rob. ribium ℥ 1. syrup. myrtin. mivæ cytonior. an. ℥ ß. mixta clarificentur, & filtrentur.

Decoctum contra casum.

℞. Rad. symphyt. majoran. ℥ ß. plantag. pimpinell. althææ an. ℥ ß. herb. veronicæ, sanicul. cerefol. prunell. heder. arboreæ, bellid. c. toto ana m. s. rad. liquirit. ʒ 3. ficuum num. 7. incisa coquantur ex aq. simpl. & vin. rubr. an. ℔ 1 s. colatur. clarificatæ add. syrup. de symphyto, de althæa an. ℥ 2. oxymel. simpl. ℥ 2 s. m. Decocta varia ex D. Ioh. Michaelis.

Decoctum Zvvelf. in lue Venereâ Ipsi Secretum.

℞. Lign. Sancti ℥ VI. Corticis hujus ℥ V. sarsaparillæ ℥ ij. ☿ in petiâ ℔ 1. ♁ in pet. ligati ℔ 1.

Incisa coquantur in ollâ in Mens. XII. ad tertias, cola & repone in locum frigidum, quò frigefiat: in operculo ollæ foramen esse debet: Singulis horis matutinis dantur colaturæ ℥ VI. pro potu sudorifero: Sudor prolicitur vel in lecto vel in hypocausto calido. Remanentia coquitur cum ▽ & uvis passis, addito pauco ligno sancto & cort. ejus, & in fine addatur aliquid coriandri, sumatur pro potu ordinario.

Usus hujus decocti continetur per 14. dies & ultra. Præcedant quoque sequentes pilulæ evacuantes:

℞. Extr. cathol. ℥ iij. vel ℈ iij. arcan. corall. ℈ 1 s. Cinnab. ♁ nat. præp. an. ʒ s. f. l. a. pilulæ.

D. S. *Purgierpillen auf unterchiedenmal.* Dos. ℈ j. ad ʒ s.

Decoctum contra Anasarcam in multis ægris probatum feliciter D. Christiani Beckij.

℞. Lign. sancti ℔ s. Cort. ejusd. sarsaparillæ ana ℥ IV. liquirit. ℥ 1. fol. sennæ sive stip. ℥ 1 s. rhab. electi agari trochiscati ana ℥ 1 s.

Stent per noctem in infusione (▽ scil. lib. 12.) vase benè tecto: Postea coque lento △ ad medietatem. Usus quater in die manè hora 6. cyathus unus, hora x. tantundem, horâ XI. comedat cibos assos, nihilque bibat (nisi cum vires deficere incipiunt) hora XII. pomeridianâ tertium assumat cyathum: Horâ VI. cœnet: Horâ VIII. vel paulo post ultimum cyathum assumat: Horum V. Cyathi continent lib. iij.

Decoctum Berigardij, Secretum contra Luem Venerea.

℞. Rasur. ligni sancti, Cortic. ejud. lign. sassafr. Rad. Petasit. Chinæ, filicis an. ℥ IV. angel. torment. scorzon. ana ℥ iij. sant. citrini albi ana ℥ ij. Ligni rhodij ℥ 1 s. aloes ℈ 1 s. sem. card. bened. citri ana ℥ ij. flor. hyper. quat. cord. ana m 1 fol. sennæ sine stip. ℥ IV. Ras. ung. alc. CC. ana ℥ 1 s. Cinamom. macis ana ʒ iij. Lap. bezoard. orient. præp. ℥ s. un cornu ʒ 1 s.

F. l. a. Decoctum omnium super alembicum in ▽ simpl. ℔ j. addatur q. s. sacchari ad gratum saporem.

Remanentia denuò coquatur cum ▽ simpl. lib. c. vel CC. *Dos.* ℥ IV. pro sudore: Reliquum pro potu ordinario.

In *Decocto* Zvvelfer. notetur, quòd ☿. qui ad coctionem usurpatur, debeat esse ritè depuratus, aliàs noxam infert. Multæ autem sunt ejus depurationes, omnium optima est per ⊖ tartar. Miscetur scilicet ☿ cum ⊖ tartar. & per retortam destillatur, & sic ☿ est depuratus.

Quidam loco ☿ utuntur *cinnabari artificiali* & præsertim illi, qui ☿ crudum reformidant. Cinnabaris autem nihil aliud est, quàm ☿ & sulphur.

Antimonium, quamvis crudum coquatur, non excitat vomitum, sed laxat parum. Si autem cum tartar. vel ⦶ præparatur, tunc ciet vomitum. Quatuor vicibus in decoctis potest usurpari, vis enim ejus est inexhausta.

Mercurius cum ⁓ ⦶ præcipitatus est *arcanum corallinum* Crollii.

Decoctum Berigardij quod concernit, illud non est imitandum, quia præscriptio non est justa Ligni Rhod. præs. ℥ 1 ß. de quo vid. observ. Borelli. Potius quoque rasura eboris, quàm ungula alcis sumenda. Lapis bezoar & alia lapidea & ossa frustra assumuntur, vires enim per horum coctionem non extrahuntur, & substantia. Si talia velimus adhibere, potius in pulverem redigantur & admisceatur aliquid de eo pulvere cuilibet dosi.

Decoctum Ligni Guajaci Herculis de Saxoniâ ad præservationem in Lue Venereâ.

Hoc Decocto abluuntur pudenda: Vel, ut alij volunt, linteamina in hoc madefiunt & exiccantur, hocque aliquoties repetitur: & hisce pudenda abluuntur & post congressum absterguntur: *Vid. de hoc in Dispensatorio Horstij.* Ex Fallopio desumptum est: Gloriatur ille ex mille ne unicum quidem infectum fuisse Lue ♀ea, qui illud ante coitum adhibuerit.

Prodest quoque singulariter *electuarium Megapolitanum*; it. Spiritus terebinthinæ.

♃. Raf. ligni sancti ℔ j. cort. ejus ℥ iv. chin. ℥ ij. sarsapar. an. ℥ j. santal. rubr. citrin. an. ℥ ß.

Infunde in f. q. ▽ simpl. in vitro benè clauso, deindè imponatur alembicus & bene coquatur: Postea filtra: Quod per alembicum descendit, iterum affundatur, edulcora Syrupo appropriato vel rob. passularum. Remanentia parum exsiccatur & coquitur ad dimidium c. f. q. ▽ simpl. in fine edulcoratur cum rob. passularum majorum & min. exacinat. sem. anisi fœniculi addantur, si ventriculus debilis sit, sic fit decoctum secundarium & bochetum. Loco ▽ simplicis in primo decocto in usum venire possunt ▽ appropriatæ ut fumariæ & scabiosæ in Lue Gallicâ.

♃. Decoct. pini ℥ iij. vel iv. essent. lignor. fumar. an. ʒ j. *D.S.* Schvveißtranck auf I. mal.

Decoctum in Pthisi.

♃. Rad. chin. ponderos. ℥ iij. infund. in ▽ tussilag. veron. scabios. an. ℔ j. stent. in infus. per 24. horas, postea in vitro clauso bulliant, imponatur alembicus & coquatur, edulc. syrup. tussilag. scabios. pilosell. ana q. s.

Cola per manicam Hippocratis ac filtra D. S. Sonderlich Claret gegen den Husten.

Decoctum ad Catarrheos.

♃. Raf. ligni sassafr. ℥ iij. antophyll. ʒ ij. cassiæ ligneæ veræ ℥ ß. infund. in ▽ salv. rorismar. ☿ rialis ana ℔ j. stent in infus. per noctem in vitro clauso in loco calido, coq. deinde & colentur, edulcor. syrup. de canella.

D. S. Sonderlicher Tranck Dos. ab ℥ viii. ad x.

Decoctum contra Epilepsiam.

♃. Raf. ligni sancti ℥ iij. visci quercini, tiliæ ana ℥ i. ligni rhodij, buxi, sassafras ana ℥ i. infunde in f. q. ▽ flor. tiliæ lil. convall. ceraf. nigror. adde ∽ ⊕ *epileptici parum, stent in infus. per aliquot dies, postea coque in vitro, apposito alembico, coletur & destillatum affundatur, edulcora syr. flor. pœon. q. s.*

D. S. Sonderlicher Tranck gegen die schvvehre Noht.

♃. Lign. Nephrit. &c.

Probitas cognoscitur, *vvenn man es ansiehet, siehet es gelb, hält man es aber gegen Schatten, vvird es blau.* Cœruleum quoque fit in coquendo.

Decoctum in Calculo:

♃. Lign. nephrit. S. Sant. cœrul. ℥ iv. adsperge ∽ ⊖ ʒ j. *affunde f. q. ▽ ononid. frag. saxifrag. ana Stent in infuso per dies aliquot in vitro benè clauso, posteà leniter coque & filtra.*

S. Sonderlicher Tranck. Dos. ℥ *iij.* Manè & pomeridie hora quarta.

In dysenteriâ potest fieri decoctum ex ligno lentiscino, mastiche & subere.

In Calculo & Gonorrhœâ ex ligno juniperi.

Decoctum Pectorale pro potu ordinario.

♃. Liquiritiæ rasæ, fœniculi ana ℥ ß. sem. 4. frig. min. an. ʒ ij. cydon. fœnic. ana ʒ i ß. Sebest. jujub. ana num. xii. passul. maj. & min. ana ℥ j. dactyl, caryc. ping. ana nu. v. gummi arab. tragac. ana ℥ ß. flor. cord. ana pug. i.

Pulveris. & contus. grosso modo coque in ▽ fontan. purissima lib. 4. ad 4. partis consumpt. coletur ad usum singulis horis, si necessitas urgeat.

Decoctum galli & destillatum instaurans.

Gallus sit *decrepitus*, quia senes nitrositate scatent, habetque vim laxandi, quod in junioribus non est, vid. *Ferdinandus Epiphanius in consil. de re cibar. & Claudinus de ingressu ad infirmos.*

Unicâ vice decoctum totum coquendum non est, sed pars ejus saltem quarta, quia hæc decocta paucis diebus servari possunt à corruptione, *vid. Cortesium.*

In nodulo quoque species impenduntur & simul cum carne coquuntur. In fine coctionis ea, quæ medicamentosa sunt, adduntur, verbi gratia, rad. Chin. sarsaparillæ aut in melancholiâ, ubi materia tartarea viscosa est pro referatione. Dos. ad ℥ vi.

Cortesius quidem planè rejicit decocta hæc, sed ipse se refutat, dum dicit in *Pharmacop. Messanensi fol. 206.* se duas curasse Nobiles Matronas beneficio hujus decocti. In Colicâ cum felici successu exhibuit & curavit Nobilissimam Matronam, quæ per totum mensem nullum alvi beneficium habuit. Item unam Iliacâ passione seu miserere mei laborantem, dedit partem claram decocti per superiora, per inferiora partem crassam ac fœculentam clystere.

De Destillato Instaurante.

Aqua Caponis cum Recentioribus meritò rejicitur si destilletur, quia solùm ⚵ per alembicum transcendit, optimâ remanente in fundo, quia ob gravitatem ascendere non potest, phlegma autem non restaurat; ideò melius decoctum & non destillatum sumitur. Germanicè dicitur *Krafft-Suppe.*

Conservæ quoque addi possunt hisce; *in cordis affectibus* cordialia addantur, præcipue cor cervinum & suillum, quæ prosunt quoque egregiè in cordis palpitatione.

Ex pedibus vituli optimum fit in dysenteriâ decoctum roborans.

Phthisicis, quod *ex carne testudinum* est ostrearum fit, maximè conducit.

In jusculis quoque *dissolvi possunt* magisteria solubilia, liquor corallorum, perlarum. It. Confectio alkermes. Hic melius sumuntur magisteria, quàm corpora cruda.

Eustachius peculiarem Tractatum scripsit *de Confectione alkermes.*

Paratur quoque optimè ex carne assatâ, quod etiam in nodulo liberè impenditur. Vid. *Ranchinus de affectibus senum.*

Decoctum Galli in Malo Hypochondriaco & Scorbuto.

♃. Herb. cochl. nasturt. cuscut. fumar. ana m. ß. flor. borrag. bugloss. epat. nob. genistæ, cichor. ana p. ij. cort. cappar. tamarisc, ana ʒ ij. foli senna sine stip ℥ j. rad. polypod. elleb. nigri ana ʒ vi. sem. anisi ʒ j ß. passul. major. exacinat. min. ana ℥ ß. Crem. tartar. albiss. ʒ iij.

Incisa & Contusa f. a. indantur Ventri Galli decrepiti, vel impendantur in nodulo, & coquantur ad decisionem carnis ab ossibus, jusculi exhibeantur ℥ iij. vel iv. Majoris efficaciæ ergò instill. tinctura ♂ ∽ aper. Penoti q. f. in quavis dosi.

Decoctum Galli in Affectibus Pectoris.

♃. Herb. marrubij, fol. tussilag. herb. hyssop. scabios. salviæ ana m. ß. flor. scabios. helenij ana p. ij. rad. helen. ireos florent. tussilag. ana ℥ ß i mechoacannæ albiss. ℥ j. sem. carthami ʒ vi. agar. albiss. ʒ iij. passul. minor. ℥ vi. Jujub. num. 12.

Coq,

Coq. cum Gallo decrepito & jusculum à pinguedine separetur. Convenit ubi adest pituita viscida, lenta, in affectibus pectoris.

Decocta varia è Pharmacopœâ Bateanâ.

Decoct. Amarum.

℞. *Summit. Centaur. min. Flor. chamæm. fol. agrimon. an. m ß. sem. cardui ben. citri, an.* ʒ I ß. *flor. calend. p. ij. rad. gentian.* ʒ *ij. fol. senæ,* ʒ VI. *rhab.* ʒ j. *V. alb.* 🜄 *ont. an.* ℔ *j. coq. ad dimid. f. colat. pro 3. vel 4. dosibus.*

Decoct. Amarum alterans.

Fit omittendo purgantia.

Decoct. Ambrosianum.

℞. *Sem. milij panici contus.* ℥ VIII. 🜄 *ont.* ℔ VI. *coq. ad tertiæ part. consumpt. addendo sub finem V. alb.* ℥ XII. *post refrigerationem, f. colat. trajiciendo sæpe per manic. Hipp. ad limpitudinem.* Dicitur & *Syr. Ambrosianus. Detur inter sudandum sæpe* ℔ ß. *pro vice tepidè. Diaphoreticum est nobile, utatur in hydrope, arthritide vaga, podagra, febre maligna, &c.*

Decoct. Analepticum.

℞. *Cancros fluviat. contus. num.* VII. *coq. in vin. alb. & aq. f. an.* ℥ XII. *ad med. colat. adde sacch. cand. q. s. Dentur coch.* ℥ *sæpius in die, in febribus hecticis.*

Decoct. Antimoniale.

℞. *Lign. lentiscin. visc. quercin. an.* ℥ *vi. fol. beton. m. j. ras. sassafr.* ℥ *j.* ♁ *crud. crass.* ☿ *at. in petia ligat.* ℥ *ij. coq. in* 🜄 *ont. q. s. ad* ℔ *ij. f. colat. Dos.* ℥ VI. *manè calidè ad sanguinem mundificandum, &c. Ad Catarrhos, scabiem, omnesque impuritates confert. Liberat corpus ab omnibus humoribus noxiis.*

Decoct. Antiphthisicum.

℞. *Cancros fluviat. nu.* XII. *rad. enul.* ℥ *ij. ireos Florent. consolid. major. an.* ℥ *j. glyc.* ℥ ß. *fol alchimil. hederter. millefol. plantag. min. veronic. pulmonar. macul. semperviv. maj. a. m ij. cons. ros. r.* ℥ VI. *coq. in* 🜄 *ont. q. s. ad* ℔ VI. *colat. clarif. cum album. ovor. adde Spir. sulphur. q. s.*

Decoct. Astacorum.

℞. *Astac. fluv. nu.* 20. *rad. aristoloch. rot.* ℥ ß. *symphyt. maj.* ℥ *j. fol. sanicul. alchimil. bugul. agrim. heder. ter. beton. an. m j. coq. in* 🜄 *ont.* ℔ VI. *v. alb.* ℔ *ij. ad consumpt. tertiæ part. adde Syr. limon. & sp. sulph. q. s. m. pro vulneribus pectoris, &c. Dos.* ℥ VI. *bis in die 4. horis ante pastum: & plagulis isto intinctis tege bis in die Mirum in deploratis.*

Decoctum Digitalis.

℞. *Fol. rec. Digitalis* ℥ IV. *vel m. ij. uv. corinth. mundat.* ℥ *ij. contus. adde cerevis. non-lupulat.* ℔ *ij. coq. ad dimid. f. express. fortis. Pro vomitorio in epilepsia, &c.*

Decoct. Diureticum Augenij.

℞. *Rad. apij, petroselin. an. m j. rubiæ tinctor.* ℥ *ss. spicæ, adianth. cuscut. agrim. cicer. rub. an. m. ß. rad. Asari* ℥ *j. calam. arom.* ℥ ß. *sem. anis. apij, petroselin. fœnugræc. dauci, carvi, an.* ʒ *ij. melon. cucumer. an.* ʒ *iij. coq. in* 🜄 *ont.* ℔ VI. *ad consumpt.* ℔ *ij. f. colat. adde sacch. q. s. datur in urinæ difficultate; Dos.* ℥ VII *pro vice.*

Decoctum Dysentericum.

℞. *Trium panum corticem inferiorem, coq. in aq. font.* ℔ VI. *ad* ℔ *j. in qua infunde per duas horas caryoph. contus.* ʒ *ij. colat. adde vin. claret.* ℔ *j. sacch. albis. q. s.*

Decoct. Ictericum.

℞. *Sterc. anser. ras. ebor. an.* ℥ *j. chelidon. cum toto, ling. cervin. Flor. hyperic. an.* m *ij. croc.* ʒ ß. *v. alb.* 🜄 *ont. an.* ℔ *ij. coq. ad dimid. f. colat. adde sacch. alb. q. s. & clarifica cum album. ovor. d.* ℥ V. *bis in die, præmissis præmittendis.*

Decoct. Limacum.

℞. *Limac. hort. è testis suis exempt, mundat. num.* XII. *Neogalact. vaccæ rubræ* ℔ *ij. coq. ad dimid. colat. adde* 🜂 *os.* ℥ *j. sacch. cand.* ℥ ß. *m. f. haustus, omnì manè sumendus per totum mensem Maij.*

Decoct. ad Morsum Canis rabidi.

℞. *Fol. rutæ* ℥ VI. *rad. allij, Theriac. Lond. an.* ℥ IV. *Limat.*

℞. ℥ IV. *cerevis. illupulat. veter.* ℔ IV. *coq. ad consumpt. dimid. & macera. Sumat Æger morsus de colatura coch.* VI. *bis in die per* ℘ IX. *contin. & applic. magma loco affecto.*

Decoct. Pacificum.

℞. *Sal. tartari cum nitro fact.* ℥ VIII. *Flor. pap. rhœd. rec. bacc. junip. rad. helleb. nig. an.* ℥ VIII. 🜄 *æ bened. simp.* ℔ VIII. *coq. l.* △. *(vase. opt. clauso) per horas* 24. *post refrigerationem f. colat. per manic. Hipp. Dentur. coch. 3. hora somni, & coch. 5. manè quotidie cum Leucano saccharato.*

Decoctio Polychresta.

℞. *Rad. polypod. qu.* ℥ *iij. cichor.* ℥ *ij. rhab. Monach.* ℥ VI. *Fol. senæ* ℥ *ij. sem. fœnic. d. glyc. aa.* ℥ *j. uv. pass. exacin,* ℥ IV. *coq. & infund. s. a. in* 🜄 *ont. per hor. 4. colat,* ℔ *ij ß. adde succ. cochlear. marin. depurat.* ℥ VIII. *Sacch. rub. mann. an.* ℥ *iij. clarif. cum album. ovor. D.* ℥ 4. *ad 8. sing. auroris, ad sanguinem purgandum, &c.*

Decoctum Præservatorium.

℞. *V. Malvat.* ℔ *iij rutæ m j.* ℨ*macropiper. incis. à* ʒ *ij. nuc. m* ʒ. *coq. ad consumpt tertiæ part. f. colat. adde Theriac. Androm.* ʒ *ij. Mithridat.* ℥ *j.* 🜄 *æ Angelic. fort.* ℥ IV. *m. Dos. coch. 1. ad præserv. à Peste, & coch. 3. pro vice in cura.*

Decoct. ad Rachitidem.

℞. *Rad. polypod. qu. apij fœnic. an.* ℥ *j. glyc. anis. an.* ℥ ß. *fol. linguæ cerv. capil. ven. cuscut. beton. chelidon. tamarisc. an. m j. uvar. corinthiac. cærul.* ℥ IV. *coq. in hydrocrith.* ℔ IV. *ad dimid. f. colat. Dentur coch. 2. 3. vel 4. pro vice, bis vel ter in die. interim purgando semel in septimana cum Syrup. de Cichor. cum Rhab.*

Decoct. Rubiæ Tinctorum.

℞. *Rad. Rubiæ Tinctor.* ℥ *ij. anis. glyc. an.* ℥ ß. *coq. in hydropeg.* ℔ IV. *ad dimid. f. colat. dos.* ℥ IV. *bis in die per* ℘ 20. *In faciei Rubore, Pustulis, &c. curandis præstantis. remedium.*

Decoctum Rubicundum.

℞. *C. c. c.* ℥ *j. coccinell. integr.* ʒ ß. *coq. in* 🜄 *ont. q. s. ad* ℔ *i* ß. *colat. adde aq. cinnam. hord.* ℥ *j* ß. *sacch. albis. q. s. Detur haustus frequenter in variolis, Morbillis, &c.*

Decoct. Reguli,

Fit coquendo regul. vel pocul. ♁ 11 ℔ß. (*plus minus*) *in* V. *alb.* ℔ 1ß. *ad consumpt. 3tiæ partis.* Pro vomitorio.

Decoct. Rhabarbari.

℞. *Rhab.* ʒ 2. *uv. corinth. contus.* ℥ 4. *rad. acetos.* ℥ 3. *sem. fœnic. d.* ʒ j. *coq. in* ▽ *ont.* ℔ 3. *ad* ℔ 2. *colat. adde sacch. alb.* ℥ j. *clarif. s. a.* Dol. ʒ 4. ter in die in Rheumatismo, &c.

Decoct. Scorbuticum.

℞. *Conos abietis n.* 4. *incide unumquemque in part.* 4. *adde fol. tritici virescent,* ℥ 2. *liquor. posset. cum vino albo fact.* ℔ 3. *coq. ad* ℔ 2. *colat. frigidæ adde sp. cochlear.* ℥ ß. *syr. de aurant. de pomis alter.* ā ℥ 1ß. *m. d.* ℥ 4. bis vel ter indies.

Decoct. ad Sitim.

℞. *Fol. acetos. m* 2. *coq. in* ▽ *ont. q. s. ad* ℔ j. *colat. adde succum* 12. *limonum, V. Rhen.* ℔ 2 *sacch. alb.* ℥ 4. *vel q. s. ut f. gratissimum.* Bibatur ad libitum. Empiricus quidam hujus gratiâ mirè celebris evasit.

Decoct. ad Strumas.

℞. *Geran. Robertiani, becabung.* ā *m* 3. *urticæ mort. m* vj. *glyc. anis.* ā ʒ j. *uv. pass.* ℥ 4. *fenæ* ℥ 3. *cartham.* ℥ 2. *agaric.* ʒ 6. *hydropeg.* ℔ 8. *infund. & coq. ad* ℔ 4. D. ℥ 3. vel 4. ter in die, & præterea bibat (omissi purgantibus) pro potu com. interim adhibendo locis affectis unguent. Digitalis.

Decoct. Traumaticum.

℞. *Summit. hyperic. veronic. utriusque vincæ pervencæ, agrimon.* ā *m* 2. *rad. chinæ, symphyt. santal. alb. lign. nephritic.* ā ℥ j. *dactyl. incis. num.* xxx. *glyc.* ℥ 1ß. *Infund. per hor.* 12. *in aq. calcis q. s. colat.* ℔ iv. *adde syr. de pilosell. è succo elatin.* ā ℥ 2. *servetur loco frigido.* Dos. ℥ iv. horis medicis.

Decoct. ad tussim.

℞. *Fol. cynoglos. m* 4. *hyssop. cap. ven. tussilag.* ā *mj. anis. glyc.* ā ʒ 6. *coq. in* ▽ *hord.* ℔ 6. *ad* ℔ 4. *colat. adde sacch. cand. q. s.* D. ℥ 4. ter vel 4ter in die.

Decoct. Ulmi.

℞. *Cort. interior. ulmi rec.* ℥ 4. *coq. in* ▽ *ont.* ℔ 3. *ad dimid. colaturæ rubicundæ (instar V. rubelli) adde syr. de rubro Idæo, & de moris* ā ℥ 1ß. *m. f. gargaris. Elegantiss.* Optimè valet in linguæ asperitate, apthis, omnibus oris calidis affectibus & ulceribus cujuscunque generis. Pro potu communi cum pauco leucœni liberavit ab Elephantiasi, & Lepra Græcorum. Graveolentissimos movet sudores.

Decocta varia è Frider. Hofmanni Thesauro Pharmaceuticô.

Decoctum Alterans pro Magistratû.

℞. ▽ *Fontan. puriss.* ℔ 32. *sacchari candi albiss.* ʒ 10. *bulliant. leniter & colentur.*

℞. *Hujus colatur. fervent.* ℔ 24. *adde santal. rubr.* ℥ 3. *fl. rof. r. m. j. spirit.* ⊖*ol.* ℈ 3. *succi citri.* ℥ 34. *Infunde vitro benè clauso per 6. Horas, deinde colentur & serventur pro usu. Hoc si ante lecti introitum quis uti velit,* ℞. *hujus decocti* ℥ 6 *vel* 8. *syrup. citri* ʒ 6. *berberum* ℥ j. *succi granator.* ℥ ß. *citri* ℥ 2. *spirit.* ⊖*ol.* ℈ ß. *aq. cinamom.* ℈ ß. M.

Decoctum Pectorale in tussi desperatissimâ ex hæmoptysi cum magnâ discrasiâ calidâ sanguinis. D. D. C.

℞. *Radic. liquirit.* ʒ 6. *tussilagin. cichor. polypod. ana* ß. *ireos fl.* ʒ 2. *chinæ opt.* ʒ 5. *h. scabios. capill.* ♀ *tussilagin. veronic. fl. rof. damasc. ana. m*ß. *sem.* 4. *fr. major. an.* ℥ ß. *anisi* ʒ 2. *jujub. sebest. an n.* 7. *caricar. n.* 5. *cubebar.* ℥ j. *calicum papav. s. sem. n.* 2. *hordei mundi. m. j. Infunde horis* 6. *vel ulterius cum s. q.* ▽ *comm. in loco calido coq. in diplomate ad medietatem. colentur fortiter* ℥ 9. *adde syrup. de liquirit.* ℥ 10 *Contrà Catarrhos* ℥ j. *looch. san. & expert. mell. rosac. colat. an.* ℥ ß.

M. sume horis matutinis, pomeridianis per se, & vespertinis cum Essentiâ fl. papav. Rhœad. gr. v. laudani Nostri gr. 3. ol. d. anisi gutt. j. M. formentur ex his pilulæ pro tribus dosibus, propina.

Aliud P. H. D.

℞. *Radic. liquirit. ireos. eryng. enul. an.* ʒ 2ß. *consolid. maj.* ℥ ß. *herb. veronic. tussilagin. pulmonar. capill.* ♀. *costæ. botryos. rorellæ. heder. terr. marrub. hyssop. ana m.* ß. *consolid. med. perfoliat. pilosell. sanicul. an. p.* 2. *fl. scabios. papav. erratic. hyperic. rof. r. sambuci an.* ʒ j. *passul. min.* ℥ j. *dactylor. n.* 8. *jujub. n.* 10. *ficuum n.* vj. *CC. raspat.* ʒ vj. *coq. in s. q. decoct. hordei ad* ℔ jß. *colatur. adde syrup. de prassio. portulac. capill.* ♀. *ex succo costæ consolid. an.* ℥ 1ß. *loch. de pinis, de pulmon. vulp. an.* ℥ 1ß. *coletur iterum & clarificetur cum albumine ovi & reservetur usui in vitro.*

Aliud.

℞ *H. alchimill. sanicul. pulmonar. centaur. min. veronic. auricul. muris. vinc. pervinc. fl. Epatic. an. mj. coque in cerevisiâ benè defecatâ, & de colaturâ bibe manè jejuno ventriculo ante pandium, cœnam & cubitum iturus bonum haustum.*

Aliud. D. D. B. O.

℞. *H. scabios. veronic. marrub. ana. m* 2. *fl. violar. borragin. bugloss. an. mj. Epatic. nobil. mj. radic. chinæ* ʒ vj. *sem. anisi. fœnicul. an.* ℥ ß. *glycyrrhiz. ras. passul. minor. an.* ℥ 2. *coque in brodij calidij s. q. colatur. sume mane, à meridie & vesperi bonum haustum.*

Aliud.

℞. *Radic. enul.* ʒ jß. *fl. viol. mart. papav. rh. an. p.* 3. *passul. min.* ℥ 2. *dactyl. num.* 3. *jujub. num.* 7. *radic. liquirit.* ℥ j. *h. aristoloch. rotund. cherefol. fl. tussilag. an. mj. Incis. coq. in s. q.* ▽ *fontan.* ℞. *Col.* ℥ v 3. *adde syr. de jujub.* ℥ ß. *m.*

Aliud attenuans in tussi ex crassis homeribus D. I. M.

℞. *Radic. enulæ. liquirit. an.* ℥ jß. *ligni sassafr. raspat.* ℥ j. *fol. tussilagin. marrub. an. m j. sem. anisi* ʒ 3. *fl. helenij p.* 2. *cubebar. in* V. *macerat.* ʒ j. *coq. in s. q. aq. comm.* ℞. *Colatur.* ℔ j. *adde syrup. scabios. liquirit. an.* ℥ j. *mellis despumati* ℥ 2. *clarific. in* MB. *& aromatis. cum spec. diair. s.* ʒ 3. *f. decoctum pro* 4. *vicibus.*

Aliud. D. D. I. M.

℞ *Radic. ireos fl. liquirit. aristol. rot. an.* ℥ j. *fol. tussilagin. pulmonar. an. m* 2. *fl. hyssop. tussilagin. an. p.* 2. *semin. anisi. urticæ an.* ʒ j ß. *passul. major.* ℥ j. *caric. ping. num.* 10. *coq. in s. q. aq. pulmonar.* ℞. *Colatur,* ℥ 9. *in quibus dissolve syr. de prassio* ℥ 3. *byzantin. s.* ℥ jß. *Acetum squillitic.* ℥ j. *aromatic. spec. diair.* ʒ j. *m. & iterum colentur.*

Aliud in tussi ex causâ calidâ.

℞ *Radic. plantagin. endiv. an.* ℥ 2. *fol. portulac. viol. an. m.* 3. *sem. cydon. psyllij an.* ʒ 3. *passul. min.* ℥ j. *jujub. n.* 20. *fl. pulmonar. an. p.* 2. *coq. in s. q. aq. fontan.* ℞. *Col.* ℥ 9. *adde succi portulac. syr. diacodij an.* ℥ j. *sacchar. cand. s. q. f. decoctum pro* 5. *dosibus.*

Aliud

Aliud incrassans. D. D. I. M.

℞. Radic. plantagin. ℥ii. glycyrrhiz. ℥ j. fol. portul. lac. nymph. an. m. ii. flor. ros. r. papav. rh. an. p. ii. sem. malv. ʒ j. 4. fr. major. an. ʒiii. fruct. sebesten. num. vj. passul. major. acinis mundat. ℥j. coq. in s. q. Aq. fontan. ℞. Col. ℔j. syr. de liquirit. ℥ ii. viol. unc. j. Looch. de pulmon. vulp. ʒ iii. denuo colentur M.

Aliud consolidans Ejusdem.

℞. Rad. aristol. rot. symphyt. an. ℥ß. consolid. utr. unc. j. herb. plantagin. scabios. an. m. j. sanicul. hyperic. an. m. ii. coq. in s. q. aq. Sanicul. ℞. Col. unc. ix. dissolv. succ. persicar. sanicul. an. ℥jss. edulcor. s. q. Sacchari M.

Decoctum Cephalicum D. I. M.

℞. Radic. aristol. rot. pœon. imperator. ana ℥j. cortic. visci q. corylin. an. ℥ss. fol. salv. rut. rorismar. betonic. an. m. j. fl. stœchad. A. anth. lil. convall. an. p. j. Bacc. lauri ʒ j. juniperi ʒ ii. sem. anisi, coriandri an. ʒ ii. sp. Croli ʒ j. coq. in s. q. hydromel. s. ℞. Col. ℔ j. in hac dissolve syr. de stœchad. A. fl. betonic. an. unc. ii. in clarificatione adde spec. Diambr. dianthos an. ʒ ss.

M. pro dosi 4. *mahl.*

Usus contra catarrhos frigidos.

Decoctum confortans & roborans in Malignis. D. D. C.

℞. Conserv. pomor. citri. radic. scorzonor. caryophyllat. an. ℥ ss. Aq. nuc. immatur. scordij. myrrhid. card. b. acetos. an. s. q. spec. diamargar. fr. ʒ j. Bulliant in diplomate vel cœco alembico ad tertiæ partis consumptionem. ℞. Colatur. ℥ ix. Adde Aq. bezoardic. cordial. nostr. syrup. bezoardic. an. ℥ j. liquor. tenell. CC. ess. rub. id. an. ʒ iss. confect. Alkerm. ℈ ii. Aq. cinamom. ʒ iss. M.

Aliud expellens in peste & Febribus malignis. D. D. I. M.

℞. Rad. angelic. valerian. tormentill. petasitid. an. ℥ j. h. galeg. card. b. an. m. j. sem. angelic. meliss. an. ʒ ii. citri. ʒ j. coq. in s. q. aq. comm. ℞. Col. ℥x. infunde conserv. acetos. citri. galeg. scordij an. ʒ vj. stent. per noctem, manè ebull. & col. Adde elixir pestil. Croll. ʒ j. M. pro 3. dosibus.

Aliud.

℞. Elect. de ovo. theriac. A. an. ℥ ii. Aq. scordij. galeg. gentian. card. b. an. ℥ ii. contunde in mortario marmoreo & dissolve super lentum △nem. ℞. Colatur. Adde syr. acetos. citri. scordij an. ʒ v j. mistur. s. ʒ j. M. pro 3. dosibus.

Aliud.

℞. Radic. scorzoner. ℥ ii. acetos. ℥ jß. h. card. b. scabios. galeg. scordij an. m. j. rasur. cc. ℥ jß. fl. rosar. r. m. j. borragin. tunic. an. p. ii. sem. citri ʒ j. card. b. ʒ ii. flaved. cortic. citri ʒ jß. coq. in s. q. ▽ commun. ℞. Col. ℔ jß. Adde syrup. acetos. citri corall. ☽. an. ℥ ii. confect. alkerm. ʒ j. de hyacinth. ℈ j. M.

Aliud Ejusdem.

℞. Pulp. citri à semin. liberat. num. ii. sacchar. alb. ℥ iii. coq. in ▽ s. q. ℞. Col. ℥viii. infunde roob Sambuc. ℥ iii. stent in infus. per noctem & col. Adde syr. ceras. c. fl. tunic. ℥ ii. M. *pro 3. dosibus.*

Aliud expulsivum in Variolis & Morbillis.

℞. Radic. pimpinell. tormentill. Scorzoner. Dictamn. alb. an. ℥ ii. h. fumar. Scabios. an. part. ii. fl. aquileg. part. iii. calendul. p. ij. sem. card. b. fœnicul. ana ʒ ij. ficuum num. x. coq. in s. q. ▽ fontan. ℞. Col. ℥ ix. Syrup. fl. aquileg. ℥ iii. tinctur. fl. aquileg. ʒij. m. pro 4. dosibus.

Aliud in Febribus Ardentibus.

℞. Radic. acetos. gross. incis. ℥ j. coq. ex ▽ s. ad rubedinem. ℞. Col. ℔ j ß. syr. berber. endiv. fl. papav. rh. an. ℥ j ß. succi Citri rec. ℥ ij. m. f. haustus pro aliquot vicibus.

Decoctum Hepaticum in viscerum obstructione.

℞. Radic. cichor. taraxac. asparag. ana ʒ vj. semin. 4. fr. maj. contus. excorticat. ana ℥ ij. fol. scabios. Cichor. endiv. ana m ß. radic. glycyrrhiz. ʒ ij. Incis. & contus. coq. in brodio carnis macræ.

Dosis est cyathus unus manè, à meridie & vesperi.

Aliud.

℞. Radic. cichor. taraxac. nymph. acetos. ana ℥ j. santal. rubr. ℥ß. h. acetos. cichor. Portulac. endiv. ana m jß. sem. 4. fr. maj. min. ana ʒß. papav. alb. ʒ ij. fl. nymph. epatic. nobil. bugloss. cichor. ana p. j. coq. in s. q. seri lactis ℞. Col. ℔ j. in quâ dissolv. syrup. de succo cichor. acetos. citri ana ℥ j ß. tinctur. rosar. fl. epatic. rubr. ana ℥ j. m. pro 4. dosibus.

Aliud Hepaticum temperatum. D. D. B. O.

℞. Comar. absynth. cichor. cum fl. an. m j. radic. vincetoxic. Cortic. inter. Sambuc. ana ℥ j. fl. Sambuci. cyani. ana m ß. sem. anisi, carvi ana ℥ ß. incis. coq. in brodio carnis.

Vires, in Hydrope ascite confert. Dos. cyath. j. manè, à meridie & vesperi.

Aliud ejusdem.

℞. Radic. cichor. asparag. graminis. Urtic. min. cum h. omn. rec. ana m j. petroselin. fascicul. ij. recent. incis. coq. in brodio carnis.

Vires. In obstructione venarum lactearum, unde sæpe atrophia oritur, conducit. Dos. cyath. j. manè, à meridie & vesperi.

Aliud Aperitivum D. D. I. M.

℞. Radic. 5. aperient. ℥ ij. rhabarb. monach. ℥ jß. fol. agrimon. taraxac. cichor. epatic. nobil. an. p. ij. passul. major. n. xx. coq. in s. q. seri lactis. ℞. Col. ℥ iv. syrup. de 5. radicibus ℥ iij. eupator. Mes. ℥ ij. aromatis. spec. diatrion. santal. ℥ jß.

M. pro 4 dosibus ad viscera obstructa & eorum tonum restituendum. In cachexiâ.

Aliud Aperitivum in Ictero D. D. I. M.

℞. Radic. 5. aper. ℥ ij. chelidon. maj. ℥ jß. h. Marrub. agrimon. hyperic. centaur. min. ana m j. fl. calendul. p. iij. coq. in s. q. aq. chalybeat. ℞. Col. ℥ ix. syrup. de 5. radicibus ℥ ij. de marrub. cich. c. rhab. ana ℥ j. m. pro 4. dosibus.

Aliud Aperitivum in Ictero cum caumate viscerum conjuncto. Ejusd.

℞. Radic. acetos. fragor. plantagin. cichor. an ℥ j. h. cichor. acetos. fragar. taraxac. ana m. j. fl. cichor. hy-

hyperic. rof. r. ana p. ii. sem. 4. fr. major. ana ℥iv. *fruct. cerasf. n. num. xii. coq. in s q. aq.* ℞. *Col.* ℔ i. *syrup. acetosell. ceras. ana* ℥ *ii. tinctur. viol.* ℥ *iii.* M. pro 5. dosibus.

Aliud sanguinem purificans in scabie. Ejusdem.

℞. *Radic. helenii. polypod. rhab. monach. ana* ℥ *i. fol. fumar. m ij. scabiol. agrimon. ana m i. fl. centaur. min. borragin. ana p. ii. genist. p. i. sem. 4. calid. mai. ana* ʒ*i. coq. in aq. fumar.* & 3 *part. vini helenij vase clauso.* ℞. *Col.* ℔ *i. succ. fumar. scabios. ana* ʒ *ii. sacchar.* ℥ *iv. clarific. & arom. spec. diarrhod. A.* ʒ*j.* M. pro aliquot dosibus.

Decoctum Spleneticum, aperitivum anti-Scorbuticum D. D. I. M.

℞. *Radic. polypodii* ℥ *ii. filic. caryophyllat. ana* ℥*iß. cort. rad. cappar. Tamarisc. ana* ℥ *i fol. beccabung. nasturt. lupuli, scolopendr. cochlear. ana m i. fl. genist. borrag. centaur. min. ana p. i. sem. fraxin.* ʒß. *cochlear.* ℈*ii. coq. in s. q. aq. chalybeat.* ℞. *Col.* ℔*i. succ. beccabung. cochlear. ana* ℥ *ii. edulcor. syrup. de pomis redolent.* ℥ *ii. sacchar. s. q. coq. ad dissolut. adde Tartari* ⊖*lat.* ʒ *iii. d. ad fictile pro 7. dosibus.*

Aliud Ejusdem

℞. *Radic. 5. aperitiv. in vino macerat. ana* ʒ*iii. cortic. radic. cappart. Tamarisc. ana* ℥ *i. fol. ceterach. cuscur. ana m i. baccar. juniperi num. x. cynosbator. num. xii. Affunde aq. commun.* ℔ *iij. coq. ad remanent. part. iv, vel* ℥*x. sub fine coctionis adde vinum illud de radicibus asservatum, & fac ebullire.* ℞. *Colatur. & dissolve super* △ *Conserv. cochlear. fl. genist. ana* ℥*j. Colentur denuò, & adde spirit. Cochlear. aperitiv. Penot. ana* ʒ *j.* M. por 3 dosibus

Decoctum ad Renum dolorem & exulcerationem D. D. I. M.

℞. *Radic. liquirit. malv. alth. ana. unc. lil. alb. symphyt. maj. ana* ℥*j. h. parietar. petroselin. melilot. malv. alth. ana m j. sem. fœnicul. græci. lini, lentium, an.* ʒ *ii. fl. chamæmel. num. hyperic. an. p. iij. coq. in s. q. aq. comm. rec. col.* ℔*j. in quâ dissolve, syrup. de symphyt. f.* ℥ *ij. croci* ʒß. M. pro 4. dosibus.

Aliud in Mixtione cruentâ Ejusdem.

℞. *Radic. tormentill. consolid. symphyt. an. unc. j. fol. burs. pastor. p. ij. agrimon. millefol. consolid. an. m i. fl. ros. r. hyperic. an. p. ij. coq. in s. q. aq. sacchar. rec. col.* ℔ *i. syrup. corall. de symphyt. Fernel. an. unc. ij. essent. fl. hyperic.* ʒ *ii. tinctur. corall. rec. drach. i.* M. pro 4. dosibus.

Decoctum in Mensium obstructione D. D. I. M.

℞. *Radic. aristoloch. rot. bryon. centaur. min. rub. tinctor. an.* ℥*j. cortic. citri. aurant. an. unc. ß. fol. artemis. matricar. majoran. meliss. mercurial. rorism. ana. m j. sem. petroselin. Levistic. an.* ʒ. III. *fl. lavendul. cheiri. centaur. min. an. p. ii. coq. in s. q.* ▽*æ chalybeat. rec. col.* ℔*j. adde syr. de calendul.* ℥*iv. cass. lign.* ʒ*ij. croci* ℈*j. cinamom.* ʒ*j. f.* F. Apozema clarific. pro 4 dosibus.

Aliud Ejusdem.

℞. *Radic. gramin. bryon. valerian. an.* ℥ *i ß. h. meliss. abrotan. matricar. mercurial. artemis. an. mi. fl. calendul. p. iv. centaur. min. cheir. an. p. ii. sem. levistic. rut. an.* ʒ *i coq. in s. q.* ▽ *artemis. in diplomat. rec. colatur.* ℔*i. syr. de artemis. compos. calendul. an.* ℥ *ii. essent. artemis.* ʒ *ii. aromatis. cinamom. croc. or. an.* ʒß. *iterum col. m. pro 4 dosibus.*

Aliud in Affectibus hystericis.

℞. *Caryophyllor. major.* ℥ß. *croci or. integr.* ʒß. *h. rorism. pentaphyll. matricar. meliss. convolvul. burs. pastor. an. m. j. fl. cheir. m i ß. coq. vase clauso in vini optimi mensur. ii. per semihorulæ spatium.*
Dosis est cyath. j. manè & vesperi calidè.

Decoctum Anti-arthriticum.

℞. *Herb. chamædr. chamæpyth. centaur. min. ana m ij. coq. in s. q. aq. ad dimid. part. in diplomate.*
Dosis cochl. ij. horis pomeridianis in prandij initio, ac vesperi in cœnâ cum cerevisiâ.

Aliud in Arthritide vaga Scorbuticâ.

℞. *Radic. scorzoner. unc. i. chinæ unc. ß. fl. violar. Mart. centaur. min. ros. r. anthos ana part.* I. *summit. chamædr. m. ii. passul. minor. unc. i. dactyl. num. iii. incis. & contus. coq. in s. q.* ▽ *fontan. in diplomat. ad remanent.* ℥*viij. colat. adde spirit. cochlear. Tartar. lumbricor. an.* ʒ I. *extract. centaur. min. chamædr. an.* ʒß. *sp.* ⊖ *ol. rectific. q. s. syr. card. b.* ℥*i.*
M. d. pro 4. dosibus.

Decoctum in Lue Venereâ D. I. Z.

℞. *Ligni sancti. unc. iii. cortic. ejusd. unc. v. sarsaparil. unc. ij. sassafras unc. i.* ☿*rii in pet. ligat.* ℔*i.* ♁*nii crud. in pet. ligat.* ℔ *i. Incis. & contus. coq. in Aqua mensur. xii. in ollâ ad tertias & colentur, cooperculum ollæ foraminulum habeat.*
Usus. Colaturæ dantur singulis diebus manè ℥iv. vel ℥ vj. pro potu sudorifero; sudor prolciatur vel in Lecto, vel in balneo, Laconico, aut hypocausto.
Residuum coquitur cum aquâ & uvis passis, addito pauco Ligni sancti novi & cortic. ejusdem, item cinamom. pro potu ordinario. Usus hujus continuandus per 14 dies. Cujus usum seq. Pilulæ præcedant.
℞. *Extract. catholic.* ʒ*iii. arcani corallin. cinnabar.* ♁*nii. an.* ʒ *iß. f. pilul. minimæ dos. xx.*

Decocta Purgantia.

℞. *Mann. el. unc. iv. senn. A. s. s. unc. iv. radic. polypod. q. passul. min. an.* ʒ*iii. sem. coriandr.* ʒ *ii. fœnicul. cinamom.* ʒ*iß. cryst all. Tartari* ʒ *i. Incis. & contus. superfunde aq. fontan. calid. unc. xvi stent per noctem posteà f. colatura cum express. quæ clarific. & denique per chartam bibulam filtretur.* Dos. ℥*ii. unc. iii.* ad ℥ *iv,*

Aliud.

℞. *Mann. el.* ℥ *ii. vel* ℥ *iii. tartar. optim. el.* ʒ *i. vel* ʒ*iß. solve in calore* MB. *cum aq. fontanâ acidula* ℥*iv. vel* ℥ *v. Adde parum succi citri rec. vel sp. Martis pro grato acore. Tandem cum albumine ovi clarifica & per chartam bibulam fitlra, in fine cum corticibus citri recent f. odor suavis aut eleo-sacchar. cinamom.* Dos. est à ℥*iii.* ad ℥ *iv. vel* ℥*v.*

Aliud.

℞ *Tamarindor.* ℥ *i. radic. acetos. grosso mod. incis.* ℥*iß. coq. ex Aqua f. donec rubedinem acquirat liquor. rec. colatur.* ℔ *i. adde syrup. multiplic. infus. rosar. diasereos, ana* ℥ *ii. eleosacchar. citri* ʒ*iß.*
M. pro 4 dosibus.

De Decoctis reliquis externè applicandis.

Decoctum in defluxionibus salsis ad oculos.

℞. *Ros. r. tut. præpar. Myrobalan. citrin. an* ʒ *i. pulveris. subtil. indantur in nodulum, qui decocto*

sequ.

sequ. immergatur. rec. Aqua rosar. fœnicul. an. ſ. q. in quibus ebull. roſ. r. p. iß. ſem. fœnicul. ʒ *i. fl. euphrag. part. iij. in colatur.* ʒ *iii. Infunde nodulum superiorem.*

Uſus. In defluxionibus ad oculos, quotieſcunque affliguntur, nodulus, qui cum decocto ſemper in loco ſtet calido, intingatur & oculis apponatur.

Aliud, in Gingivarum putredine.

♃. *Malicorij. ſumach. balauſt. roſ. rubr. ana* ℥ß. *paſſul. min.* ℥ *j. fol. vinc. pervinc. fl. aquileg. cymar. rubi ana m ij. myrrh. macis ana* ʒ *j. radic enul.* ʒ *ij. coq. in aq. fontan. chalybeat. ſ. q. ad part. dimid. conſumpt.* ♃ *colatur. adde mell. roſar.* ℥ *ij. ſucci cochlear.* ℥ß. *alumin. uſt.* ʒ *ij.*

M. pro oris colllutione.

Aliud ad Odontalgiam D. D. S.

♃. *Roſ. r. m. ſs. fl. ſalviæ. p. j. radic. biſtort. pyrethri ana* ʒ *ij. nicotian. cortic. granat. ana* ʒ *j. balauſt. m. ſs. nuc. cupreſſ.* ʒ *jſs. gallar. num.* IV. *crudo* ℥ *vj. contuſa coq. in dimidiâ parte* ∇*æ f. &* ✱

Aliud.

♃. *Radic. Lapath. acut.* ℥ *ſs. tormentill.* ʒ *ij. raſur. ligni buxi* ʒ *jſs. flor. roſ. r. m. j. h. verben. m. ſs. coq. in dimidiâ parte* ∇*æ &* ✱ *m. pro oris collutione.*

Aliud.

♃. *Radic. lapath. acut.* ℥ *ſs. pyrethri, hyoſciam. alb. rr. Fl. ana* ʒ *ij. ligni ſaſſafras* ʒ *jſs. fol. piloſelli m j. Fl. chamæmel. R. Serpill. erigani. roſ. r. ana p. ij. Caryophyll.* ℈ *j. coq. vel cum cereviſ. vel cum aq. commun. ad 3. partes conſumpt. fortiſſimè.* ♃. *col.* ℔ *j. adde aluminis* ℈ *ſs. vel* ℈ *j. m. pro oris collutione.*

Aliud in augmento & circâ ſtatus principium Anginæ.

♃. *Fol. ſalviæ m ij. fl. Lavendul. m j. coq. in vini. ſ. q. ad* ℥ *vj. colatur. adde Diamor.* ℥ *j. Dianucum.* ℥ *jſs. ſal. prunell.* ʒ. *Alumin. crudi* ℈ *j. m. pro oris collutione.*

Aliud in Anginæ declinatione.

♃. *H. uvular. ariſtoloch. rotund. Origan. ana m ſs. fl. tiliæ, melilot. lut. lavendul. ana m ſs. furfur. in pet. ligat.* ʒ *iij. Semin. lini, fœn. græc. ana* ʒ *jſs. coq. in aq. hord. ſ. q. ad* ℥ *vj. colatur. adde lapid. prunell.* ʒ *ſs. ſal. ammoniac.* ℈ *ſs. Syr. de hyſſop.* ℥ *ſs. de Liquirit.* ʒ *ij. m. pro oris collutione.*

Aliud ad Gangrænam & Spacelum incipientem.

♃. *Radic. ariſtoloch. rotund. hirundinar. ana* ʒ *ij. fol. quercus. abſinth. ana m j. rutæ, ſcordij, ſem. lupini, baccar. juniper. ãã m ſs. myrrh. aloës ãã* ʒ *iij. ſalt. mar. vel comm.* ʒ *j. vitrioli, tart. crudi ãã* ʒ *ſs. aq. endiv. plantag. aceti vini acerr. ãã* ℥ *viij. vini alb. vel lixivij comm. menſ. 7. Inciſa & contuſa groſſò modò coque invicem & cola; tandem colaturæ adde vini aduſti* ℥ *ij. camphor.* ʒ *j. m.* Hoc decoctô Chirurgus ſemper partem affectam eluat, poſt unguentum Ægyptiacum illinat, & tandem emplaſtrô, impoſitô decoctum in epithemate applicet.

Decocta varia ex Adriani à Mynſicht Armamentariô Medico-Chymicô.

Decoctum Catarrhale.

♃. *Aq. font. opt. & claræ* ℔. *LX. mell. opt. & deſpum.* ℔. *v. herb. ſalv. acutæ, origani, major. hyſſoci, roriſmar. ãã* ℥ *j. Coq. ad conſumt. tertiæ partis, & f. colatura, cui de novo imponantur; rad. enulæ camp. tuſſilag. ireos Florent. ãã* ʒ *vj.*

Sem. Urticæ Rom. card. bened. aniſi, fœniculi ana ℥. *s. herb. capil. veneris pulmonar. macul. ſcabioſæ marrubij ana* ʒ. *ij. Flor. cordialium, farfaræ, papav. errat. ana* ʒ *j.*

Macerentur per 24. horas & adde

Cubebar. electar. cinamomi acut. nuc. moſchat. cardamomi min. zingib. alb. galangæ min. caryophyllor. ana ʒ. *s.*

Poſtea bulliant ebullitione unicâ, reponatur in vaſe aliquo vitreo, permittatur reſidere totâ die f. l. a. Decoctum clarum.

Vires, Uſus, Doſis: In Catarrhis à Capite ad Pectus & ſubjectas partes deſcendentibus, potio valdè efficax eſt. Doſis bonus hauſtus pro unâ vice, vel patiens tantum quotidiè bibat, quantum, ratione ſitis, neceſſitas requirit.

Decoctum Coſmeticum.

♃. *Borracis venet. ſacchar. cand. alb. mercurij ſublimat. ana* ʒ. *ij.*

Pulveriſentur ſubtiliſſimè & ſeorſim in petiâ ligata Coquantur ad liquefactionem Mercurij in Roris majalis ſupra triticum collect. ℔. IV. & in colaturâ adhuc calida ſolve Camphoræ Drachmas duas; poſtea filtra & ad uſum reſerva.

Vires, Uſus, Doſis. Externè ſaltem adhibetur contra omnes faciei maculas, quas tollit, & cutim dealbando illuſtrat. Sed in applicatione cave, ne oculos vel dentes attingat.

Decoctum Arthriticum.

♃. *Paſſular. min.* ℥ *viii. raſ. ligni ſancti* ℥ *viii. rad. chinæ opt.* ℥ *i. glycyrrhiz. acori aquat. ana* ℥ *s. cinamomi acut. Galang min. ana* ʒ *i.*

Inciſa & contuſa infundantur per 24. horas in aq. Hordei lib. x. poſteà lento igne coque ad tertiæ partis conſumptionem & fiat l. a. potio clara.

Vires, Uſus, Doſis, In catarrhoſis & arthriticis hominibus, alijsque morbis à deſtillatione humorum frigidorum pendentibus, præſertim ubi ægri valdè ſitiunt feliciſſimè utor, & in Cacochymia & Hydrope pro potu quotidiano ordinare ſoleo: Nimiam enim ſuperfluitatem exſiccat & corpus corroborat. In doſi non facilè erratur; propterea ad libitum patiens bibat.

Decoctum Pectorale ſubacidum.

♃. *Aq. fontanæ* ℔ *iis. mellis virginei* ℔. *ii. aceti vini generoſi* ℔ *is.*

Coq. lento igne ad remanentiam ℔ IV. in quibus infunde:

Paſſular. min. ℥ *iii. ſem card. bened. urticæ rom. ana* ℥ *i. rad. enulæ camp Ireos florent. tuſſilaginis ana* ℥ *s. herb. capill. Veneris, polytrich ſcabioſæ, hyſſopi ana* ʒ *ii. dactylorum Jujuben, ficuum ana N viii. flor. farfaræ, violarum, bugloſſæ, borraginis ana* ʒ *i.*

Macerentur per 24. horas: poſtea lento igne coquantur ad unius partis conſumptionem, & tandem per manicam Hypocratis colentur, & pauco cinamomo aromatizentur.

Vires, Uſus, Doſis, In Phthiſi, Aſthmate, Tuſſi, &c. cæteriſque morbis pectoralibus, humores craſſos attenuat, viſcoſos incidit, duros mollit, ineptos evellit & putredini reſiſtit. Doſis ab ℥ s. ad ℥ j.

Decoctum Pectorale ſubdulce.

℞. *Paſſular. minor. ſacchari cand. alb. ana* ℥ *iv. rad. Glycyrrhizæ tuſſilaginis, Ireos flor. ana* ℥ *i. herb. pulmonar. maculos. capill. veneris, veneronicæ, marrubii, ſcolopendriæ ana* ℥ *s. Sem. myrtillorum, Aniſi, fœniculi ana* ʒ *iii. flor. chamomillæ rom. malvæ arbor. rub. bugloſſæ,*

Epa-

Epaticæ alb. Centaur. min. violarum an. ℥ *ss. Dactylorum à pellice mund. Caricar ping. Jujuben. Sebesten an. N. viii.*

Incisa & contusa infundantur per 24. horas in Hydromellis ℔ iv. Aq. ex suc. Scabiosæ destillat. ℔ ii. postea coquantur ad tertiæ partis consumptionem, & circa finem decoctionis aromatizetur secundum artem cum

Galangæ min. Cinamomi acut. Cardamom. min. zingib. alb. an. ʒ *i. Croci orient.* ʒ *s.*

Et f. per manicam Hippocratis potio clara, quæ edulcoretur parum Saccharo cand. alb.

Vires, Usus, Dosis. Asthmaticis, Epaticis, pleuriticis, & tussientibus subvenit, & Phthisici hoc decocto diu possunt foveri: Quia sputum facilitat, pectus mundificat, pulmones exulceratos sanat; nec non Hepatis & Lienis obstructiones resera. Dosis mane, meridie & vesperi ab ℥ ii. ad ℥ iii.

Decoctum rad. Chinæ pectorale.

℞. *Rad. Chinæ opt. & ponderos. per transversum in taleolas rotundas ac tenues incis.* ℥ *iii.*

Infunde in aquar. Tussilaginis, Scabiosæ, Veronicæ ana ℔ ii. Stent in infusione in loco calido per 24. horas vase vitreato, pannis benè cooperto; postea adde:

Herb. Buglossæ unc. j. rad. glycyrrhiz. rasæ, enulæ camp. ana unc. s. sem Bombacis, fœniculi ana drach. ii.

Mixta coquantur ad medias, & circa finem aromatizetur cum Cinamom. ℥. i s. pedetentim refrigescat & per manicam Hippocratis f. potio clara, pro sudorifero, quæ edulcoretur Syr. è suc. Violar. veri unc. iv.

Vires, Usus, Dosis, In Catarrho, Morbis pectoralibus, Asthmate, &c. ex hujus Decocti usu non solùm sentiunt alleviationem, sed etiam toto corpore rectissimè postea habent. Insignem quoque Phthisicorum ulcera curandi vim habet. Febris tamen ratio habenda; nam si Hectica conjungatur, ab hoc Decocto abstinendum. Exhibetur bis in die pro sudorifero, ut in curâ Ligni fieri solet; pro potu autem quotidiano in prandio & cœnâ utatur sequente Decocto passulato.

Decoctum Passulatum.

℞. *Passular. min.* ℥ *v. hordei excort.* ℥ *iii. rad. chinæ optimæ glycyrrhizæ scorzoneræ ana* ℥ *s, cinamomi* ʒ. *ii flor. violarum exsic.* ℈. *j.*

Coq. l. a. in Aq. fontan. ℔. vj. ad tertias: postea colatura clarificetur cum albumine ovorum duorum & f. potio clara.

Vires, Usus, Dosis. Hoc Decocto utatur æger in pastu pro potu ordinario; valet enim speciali quadam facultate ad Thoracis & jecoris affectus; nec non leniendo, detergendoque Pulmonis vitijs probè subvenit. Dosis bonus haustus pro una vice.

Decoctum Citri.

℞. *Malor. citriorum cum corticib. in taleolas rotundas ac tenues incis. N. iii. vel V. sacchari albiss.* ℥. *iv. aq. fontanæ* ℔. *vj.*

Coquantur ad tertias; postea colentur, & decoctum clarum instar vini, ad usum reponatur,

Vires, Usus, Dosis. Pro potu quotidiano ordinare solemus in Peste, morbis Epidemicis, Febribus æstuantib. & biliosis, inflammationibus, Variolis & Morbillis, Nepritide, Siti immodica, Cholera, &c. Quia insigniter refrigerat, & humectat Cor, Ventriculum, Epar, Splenem, Renes & cætera viscera calida & imbecilla confortat, & à putredine vindicat. Dosis bonus haustus pro una vice; pro delicatis verò præparatur sine corticibus, sic magis palato servit. Vino permixtum, ebrietati resistit, & est fucus honestus.

Decoctum Hepaticum.

℞. *Caulium Lactuc. Hispanic. condit.* ℥. *iii. rad. cichorei cond. Scorzoner cond. ana* ℥. *js. sem. melon. contus. uvarum corinth. ana* ℥. *j. epatis lupi flor. epaticæ alb. violarum cichorei nymphææ ana* ʒ. *j. spec. diarrhod. Abb. Triasantali ana in petia. ligat* ʒ. *s.*

Coquantur l. a. in aq. decoct. Hordei ℔. vj. ad consumptionem medietatis, colatura clarificetur albumine ovorum: postea adde:

Suc. granator. acidor. citri depurati ana ℥. *vi. syr. violar. cærul. optimè vitriola.* ℥. *iv. aq. cinamom.* ℥. *s.* Misc. & f. decoctum.

Vires, Usus, Dosis. Magnam vim habet calorem Cordis & Epatis temporandi: Refrigerat enim & confortat. Convenit quoque in leniendo pectore atque pulmone, humectandisque præcordijs. Dosis ab unc. iii. ad unc. iv. sive bonus haustus.

Decoctum Spleneticum.

℞. *Fol. senna elect. brassic. mar. ana unc. j. rad. capparum, fœniculi, graminis, Ireos nost. ebuli ana* ʒ. *iii. rhabarb. elect. epithymi spec. diarrhod. Abb. ana* ʒ. *iiß. herb. capil. veneris, hyssopi, scolopend. betonic. ana* ʒ. *ii. Flor. centaur. min. lupuli, epaticæ alb. ana* ʒ. *j.*

Incisa & contusa infundantur 24. horas in

Aq. cochleariæ, fumariæ, acetosæ, veronicæ, ana ℥. *viii.*

Postea coquantur ut est artis & f. decoctio clara, in quâ dissolve; Crem. Tartari ʒ. vj. & solutis adde:

Syr. de cochlearia cichorei simpl. fumariæ, Agrimoniæ ana ℥ *j. ß. salis correct.* ʒ. ʒ. Misc.

Vires, Usus, Dosis. In obstructione, tumore, duritie & Scirrho Lienis, item in Scorbuto, rectificatione sanguinis & mala dispositione ad Hydropem, decoctum est excellens. Dosis singulis diebus ab ℥. ii. ad ℥. iii.

Decoctum Antictericum,

℞. *Herb. abrotani* ℥. *ß. stercor. anserin. verno tempore collect. & in petio ligat.* ʒ. *iii. rad Chelidoniæ, curcumæ, rhabarb. opt. zedoariæ ana* ʒ *js. nuc. Moschatæ, bac. lauri exc. ana* ʒ. *j. sem. cymini, Anisi ana* ʒ. *ß. croci oriental. lilior. alb. ana* ℈. *ß. Vini alb. odorif.* ℔. *iv.*

Coq. ad tertias, & f. potio clara.

Vires, Usus, Dosis. Ictericus de hoc Decoctio per sex dies manè haustum unum calide bibat, quia Auriginosum seu Regium morbum penitus tollit. Pauperes loco vini cerevisiam optimè defecatam substituere possunt.

Decoctum Ficuum.

℞. *Ficuum ping. Num. xv. passular. unc. ii. ras. Cornu cervi, pulp. tamarind. ana* ℥. *j. rad. glycyrrhizæ, myrrhidis ana* ℥. *ß. fruct. berber.* ʒ. *ii. sem. card. benedict. fœniculi ana* ʒ. *jß.*

F. Decoctio in aq. Hordei, & colatura album. ovi clarificetur; Postea.

℞. *Syr. Acetos.* ℔. *iß. citri unc. iv.* Misc. pro usu.

Vires, Usus, Dosis. Tutò & absque ullo periculo tam morbillos quam variolos expellit, malitiam illorum compescit. Dosis sæpius in die à Cochl. j. ad ij. Si autem alvus supra modum laxior fuerit, addatur Gum. Tragacanth. loco pulp. Tamarind.

De-

Decoctum contra Mictionem sanguinis.

℞. *Rad. Glycyrrhizæ* ℥. j. *sem. papav. alb. gran. myrtillor. ana* ℥. ß. *glandium Acaciæ ana* ʒ. ij. *herb. veronicæ, capill. ven. ceterach. salviæ min. sanguisorb. ana* ʒ. jß. *Flor. rosar. rub.* ʒ. j. *papav. errat.* ℈. j.

Coq. in qu. fontan s. q. ut remaneant lib. II. quæ Syrup. è Suc. Violarum edulcorentur pro usu.

Vires, Usus, Dosis. In mictione sanguinis medicamentum est egregium: Citò enim & absque ulla molestia hunc affectum tollit, & fundamentaliter curat. Dosis mane & vesperi ab ℥. II. ad ℥. III. & ℥. IV.

Decoctum Satyriacum.

℞. *Sem. linguæ avis* ℥ j. *boleti cervini, virg. tauri, borrac. venet. ana* ℥. ſs. *rad. pyrethri, Aronis, ana* ʒ. iij. *macropiperis, castorei, zingiberis, cinamomi, ana* ʒ. ij. *caryophyllorum cardamon. min. cubebarum ana* ℈. j.

Incisa & parum comminuta ponantur in vase vitreato novo & mundo, & superfusa s. q. Vini Malvatici, s. a. bene delutato bulliant.

Vires, Usus, Dosis. Ut præsentaneum ita valentissi num: concubiturus autem de colatura hac mane & serò sumat haustulum.

Decoctum contra Herniam intestinalem.

℞. *Sem. perfoliat. cymini ana* ℥. j. *rad. Aronis rect. exsic. acori aquat. tormentillæ, consolid. maj. ana* ℥. ſs. *herb. vincæ pervinc. saniculæ, pyrolæ, virgæ aur. pilosellæ, herniariæ, crassul. maj. ana* ʒ. II. *rosar. rub. Balaustiar. galang. min. caryophyllor. an.* ʒ. j.

Incisa crassiuscule contusa coq. in vini albi generosi s. q. ad tertias, & f. l. a. decoctio clara.

Vires, Usus, Dosis. Herniam intestinalem, adhibitis simul balsamis vel unguentis externis, sine molestia curat, & est in hoc casu experimentum singulare. Dosis mane & vesperi bonus haustus.

Decoctum contra Uteri hæmorrhagiam.

℞. *Rad. Cichorei* ℥. j. *tormentillæ, caryophyllat. glycyrrhizæ, plantaginis an.* ℥. ſs. *gum. Arabici, ras. cornu cervi, Bac. Sambuci exsic. coriand. præp. an.* ʒ. iij. *herb. bursæ pastor. hepaticæ aur. sanguisorb. Acetosæ, equiseti rorismarin. an.* ʒ. ij. *gran. mastichis* ʒ. iß. *rosar. rub. exsic. nuc. moschat. an.* ʒ. j.

Fiat decoctio in aq. Millefolij & vini alb. an. s. q. ad ℥. XXIV. & in colatura clara dissolve Syr. de Suc. Cydoneor. ℥. IV. Misc.

Vires, Usus, Dosis. In mensium purgatione immodica & Uteri destillatione diuturna seu continua secretum est. Dosis mane & vesperi à Cochl. *iij.* ad Cochl. *iv.* vel haustulus.

Decoctum contra Menses suppressos.

℞. *Cinamomi acut.* ℥. iſs. *rad. artemisiæ rub. apij, Aparagi, fœniculi an. unc. ſs. borracis venet. bac. lauri excort. gran. Juniperi an.* ʒ. iij. *herb. Centaur. min. sabinæ an.* ʒ. ij. *matricariæ, capill. vener, nepetæ, pulegij calaminth. serpilli an.* ʒ. iſs. *Flor. chamomillæ, buglossæ, croci orientalis, Macis ana* ʒ. j.

Omnia præter Crocum, Macem & Cinamomum coq. in vini generosi & veteris s. q. ad tertiæ partis consumptionem, & tum demum addantur aromata, & f. l. a. decoctio clara, quæ Syr ex Suc. Artemisiæ & Capill. Veneris edulcoretur.

Vires, Usus, Dosis. Hoc decoctum crebrâ experientiâ comprobatum est: Mire enim & potenter menses suppressos aperit, retentasque secundinas & fœtum mortuum (si non rite ad exitum dispositus) sine periculo excludit. Dosis mane & vesperi, ante ingressum lecti, haustus mediocris: bibatur autem calidum, & tamdiu procede, donec menses sese ostenderint.

Decoctum contra Scabiem.

℞. *Herb. Agrimoniæ, origani, veronicæ an.* ℥ ſs. *rad. enulæ camp. scorzoneræ, hirundinar. an.* ʒ. ij. *cinamomi acut. macis an.* ʒ. j.

Coq. in cerevisiæ opt. ℔. IV. ad medias, & fiat potio clara.

Vires, Usus, Dosis. Præmissis universalibus & corpus debite evacuantibus, Scabiem fundamentaliter expellit atque curat. Dosis mane & vesperi bonus haustus, calide exhibendus.

Decoctum Vulnerarium.

℞. *Herb. Alchimillæ, betæ rub. pyrolæ, saniculæ, vincæ pervinc. virgæ aur. sem. Angelicæ an. p. æ.*

Herbæ minutim incidantur, & semen Angelicæ grosso modo contundatur; postea invicem bene misc. & recip. hujus pulveris mixti, & in petia ligat ʒ. ſs. Vini Rhenani ℔. II. coq. in diplomate, & f. decoctio clara.

Vires, Usus, Dosis. Omnia vulnera & ictus, ubicunque sunt in corpore feliciſſime curat. Ferrum, lignum, plumbum & alia quæque expellit. Consolidat & sanat in una septimana efficacius, quam aliud vulnerarium mense integro. Est & revera tale experimentum, quod meritò omnes Chirurgi ambabus quasi manibus & grato animo suscipere debeant. Pro dosi mane, meridie & vesperi Cochl. duo vel tria calide exhibentur.

Decoctum Ligni Guajaci.

℞. *Ras. lig. guajaci* ℔. j. *cort. ejusdem ligni* ℥. iv *Rad. chinæ* ℥. ij. *sarsæparill. sassafras an.* ℥. i.

Infunde l. a. in aq. fontan. opt. & clara ℔. XVI. per 24. horas, & coq. in olla nova vitrea bene cooperta ad consumptionem medietatis, pro sudorifero. Posteà iterum coq. in aq. Hordei ℔. XII. ad tertias pro potu quotidiano, & huic ultimæ decoctioni pro libitu adde uvas pass. & cum pauco cinamomo aromatizetur.

Vires, Usus. Dosis. In usu hujus decocti inest mirabilis proprietas contra morbum Gallicum, maxime in illis, qui nimis ulceribus implentur: Horrendam enim hanc luem fundamentaliter curat. Primæ decoctionis Dosis est mane bonus haustus vel cyathus unus calide assumendus, item post meridiem 2. vel 3. horas ante cœnam. De secunda autem decoctione patiens ad libitum bibat.

Alia Cura Ligni Sancti.

℞. *Lig. Sancti* ℔. j. *cort. ejusdem* ℥. iv. *sarsæ parill.* ℥ ij. *sassafras.* ℥. j.

Infund. in aq. Fumariæ ℔. XVI. & digerantur per 24. horas; postea per alembicum destillentur, & in liquore destillato coquantur.

Uvarum pass. ℥. iv. *Rad. Glycyrrhiz. chinæ ana* ℥. j. *sem. fœniculi, Anisi ana unc.* ß. *Herb. betonicæ, cichorei ana* ʒ. ij.

Colentur, ut est artis, & colatura clara reservetur usui.

Vi-

Vires, Usus, Dosis. Exficcat, attenuat, expurgat, sudorem movet, ideoque putredini & contagioni resistit. Cerebri & Capitis vitia emendat. Luem Veneream curat. Jecur confirmat, Lienem extenuat, ejusque scirrhis maximè prodest. Hydropi auxiliatur. Ulcera maligna sanat. Lepram & Elephantiasin juvat, &c. Dosis bonus haustus bis, ut sciunt Practici, in die calidè exhibendus.

Decoctum Adstringens.

℞. *Rad. tormentillæ, serpentariæ an. unc. j. Cydoneor. exsiccat.* ʒ. *vj. sem. lapathi acut. Antheræ rosarum ana* ʒ. *ij. herb. urticæ mort. cum flor. rub.* ʒ. *iß. nuc. moschatæ, cinamomi acut. galang. min. caryophyllor. ana* ʒ. *j. sebesten. n. ix.*

Coq. l. a. in aq. Plantaginis ℔. *iij.* ad tertias in colatura clara dissolve camphora ʒ. j. & ad libitum cum miva cydonor. edulcora.

Vires, Usus, Dosis. In dysenteria, cæterisque alvi fluxibus &c. Experimentum est, nec non Hæmorrhagiam variam curat. Dosis mane Stomacho jejuno bonus haustus.

Decoctum Polypodij Purgans.

℞. *Rad. polypodij querc. passular. mund. an.* ℥. *ij. sem. carthami, hordei an.* ℥. *j* ß. *glycyrrhizæ rasæ* ℥. *s. herb. hyssopi, scabiosæ, tussilag. chamæd. an.* ʒ. *j. jujuben num. xv. ficuum ping. num. vj. Dactylorum à pellice mund. num. iv.*

Coq. in s. q. seri lactis ad remanentiam ℥ xxj. & sub finem decoctionis adde:

Fol. senæ elect. ℥. *iij. Agarici trochiscat.* ʒ. *iij. sem. fœniculi, Anisi an.* ʒ *jß.*

Decoque sine ebullitione, & f. potio clara, ut est artis.

Vires, Usus, Dosis. In Phthisi, Asthmate, Pleuritide, cæterisque morbis pectoralibus, &c. felicissimè utimur. Dosis ab ℥. iv. ad ℥. v. & purgato alvo bibat decoctum pectorale nostrum subacidum vel subdulce, prout occasio est.

Decoctum Galli Antiqui farcinati.

℞. *Rad. polypodij* ℥ *j* ß. *sem. carthami* ℥. *j. cinamomi acut.* ʒ. *iij fol. senæ elect. turbith albi, cort. Aurantior. an.* ʒ. *ij. zingib. alb. Galangæ min. Macis an.* ʒ. *j. spec. diacymini, dianisi an.* ʒ. ß. *bac. lauri, num. j.*

Species mixtæ ultimo cum panniculo, cum gallus sufficienter ferè est coctus, imponantur.

Vires, Usus, Dosis. Valet in colica passione à materia crassa, flatuosa & phlegmatica.

Decoctum Sanguinem mundificans.

℞. *Cort. myrob. citrin.* ℥. *j. flor. violarum exsic. drach. j. prunorum num. xix. sebesten, jujuben. ana num. viij.*

Fiat decoctio in aqua Flor. Acaciæ ad remanentiam ℥. iii. in qua dissolve:

Scammonij potab. nost. ℈. *j. ol. cinammomi, Anisi ana gut. j.*

Misce, f. haustus pro una vice.

Vires, & Usus. Bilem utramque, nec non pituitam & alios humores purgat: Propterea sanguinem mundificat, & Febrientium ventrem laxat,

Decoctum Senæ.

℞. *Fol. senæ elect.* ʒ. *iij. Acidi tartari* ʒ. *j. Aq. fumariæ calidæ* ℥. *iv.*

Fiat infusio per noctem; manè decoquantur parum, saltem ad liquefactionem acidi Tartari, & in colatura adhuc calida dissolve:

Mannæ Calabrin. ℥. *vj.* Iterum cola & adde: *Aq. Cinamomi* ℥. *j. elæosach. citri* ℈. ß.

Misc. & f. haustus purgans, pro una dosi calidè exhibendus.

Vires, & Usus, Prodest ad universi corporis purgationem. Omnium viscerum obstructiones reserat, & sanguinem expurgat. Imprimis autem bilem tum atram, tum flavam & pituitam per inferiora educit. Roborat & mundat Cerebrum, Caput, Cor, Pulmonem, Jecur, Lienem & omnes corporis sensus, omnibusque eorum incommodis confert: Senectutem quoque retardat, juventutem auget, & hilaritatem adfert. Insuper omnibus morbis diuturnis, melancholicis & tartareis, ut Epilepsiæ, Amentiæ, Delirio, Cephalalgiæ, Podagræ, Elephantiasi, Scabiei, Pustulis, & alijs cutis vitijs &c. optima est medicina. Datur etiam commodè prægnantibus & pueris & cujuscunque ætatis hominibus: alvum enim modestissimè & sine molestia solvit. Pro junioribus autem tertia vel dimidia sufficit.

Decoctum senæ cum Rhabarbaro.

℞. *Fol. senæ elect.* ʒ. *ij. rhabarbari opt. Acidi tartari an.* ʒ *j. Aq. fumariæ calidæ* ℥. *iv.*

Infundantur per noctem; manè ebulliant parum, ut liquescat Tartarus postea, expressione facta, in colatura adhuc calida dissolve:

Mannæ calabrin. ʒ. *vj.* Iterum cola & adde: *Aq. cinamomi* ʒ. *j. elæosach. anisi* ℈. *s.*

Misc. & fiat haustus purgans pro una dosi, qui calidè assumendus.

Vires, Usus, Dosis. Pituitam & utramque bilem præcipuè à Ventriculo, Hepate, Liene &c. purgat. Sanguinem mundificat. Obstructiones omnes liberat, & affectus inde, ut Icterum, Hydropem, Splenis tumorem, Febres putridas, etiam diuturnas, dolorem Hypochondriorum punctorium &c. sanat. Nemo autem ad hanc exiguam Senæ dosin obstupescat; quatuor enim Drachmæ Senæ, infusæ in quatuor Uncias aquæ Fumariæ, non magis purgabunt, quam Drachmæ duæ in simili aquæ quantitate maceratæ; quoniam aqua extrahit tantum quantum ferendo sibi satis est, & reliquum abjicit: propterea Drachmæ duæ Senæ Uncijs quatuor aquæ & pluribus animandis sufficiunt.

Decoctum Rhabarbari.

℞. *Rhabarb. elect.* ʒ *js. rosar. rub. exsic.* ʒ. *s. Rad. glycyrrhiz. rasæ, Flor. malv. arb rub. an,* ℈. *j.*

Minutim incidantur & infundantur per noctem in aq. Plantaginis calidæ ℥. iii. mane colentur, & in colatura dissolve:

Mannæ calab. an. unc. ß. *eleosach. Nuc. moschat.* ℈. ß. *sp. vitrioli gut. iv.*

Misce, & f. haustus pro una dosi in aurora calide exhibendus.

Vires, & Usus. In omnibus alvi profluvijs valde efficax est: una enim vel duabus sedibus Dysenteriæ causam expellit.

Annotatio.

Multi utuntur Rhabarbaro usto vel torrefacto, verùm male: Quia virtus ejus consumitur, & terrestreitas manet, potius adde stiptica.

Decoctum Violatum Purgans.

℞. *Fol senæ elect. unc. ij. sem. fœniculi, Acid. tartari an. unc.* ß. *flor. violarum exsic. Rhabarbi elect. an. drach. iß. Cinamomi an.* ʒ. *j. galangæ min. caryophyllor. an.* ʒß.

Infundantur in aq. Fumariæ calidæ per noctem, manè coquantur parum, postea colentur.

℞. Co-

℞. *Colaturæ claræ Unc. x. syrup. cichor. cum rhabarb. è succ. violarum de succ. acetosæ, oxysach. simpl. ana Unc. j. Misce, & f. potus, qui dividatur in 4. æquales partes pro dosibus quatuor.*

Vires & Usus. In febribus tertianis & quotidianis &c. blandè purgat penè omnes peccantes humores, & præstans est remedium ad calculum, Arthritidem, Scorbutum, ischiaticos dolores, & plures alios affectus. Exhibetur autem quatuor auroris continuis.

Decoctum Nucis Cupressi.

℞. *Nucis cupressi, Gallar. Turci ana Unc. viij. Limatur. ferri cum aceto præparat. aluminis roch. ana Unc. iiij. lap. medicamentosi, cort. granat. ana Unc. i ß. Contusa & mixta coquantur in. s. q. Vini rubr. vel aqua Plantag. ut est artis.*

Vires & Usus. Omnem carnositatem superfluam & superabundantiam pinguedinis externè attenuat. In eâ calidâ spongia infundatur, quæ expressa posteà superligando applicetur.

Decoctum Nigrum.

℞. *Aluminis crud. ℔. j. vitrioli virid. ℔. s. Gallar. Turc. Unc. iiij. virid. æris, tartari albi ana Unc. ij. Misce, & coq. in Aceti vini ℔. 8. ad medias, ut remaneant ℔. iiij. postea adde: spir. vini rectific. ℔. j. Denuò misceantur, filtrentur, & ad usum serventur.*

Vires & Usus. Non solummodò in partibus corporis exterioribus vetera ulcera Aphrodisia, si linteum imbutum superimponatur, desiccat & sanat, aliasque defluxiones & malæ carnis excrescentias tollit, & partem affectam mundificat atque confortat, verum etiam omnia equorum vulnera & plagas antiquas perfectissimè curat.

Plura de Decoctis *vid. rursus sub titulo* Apozema.

DECREPITARE.

Decrepitare de sale communi & similibus dicitur quæ cum ad ignem sine fusione calcinantur, strepitum, seu crepitum edunt. *Schrod.*

DEFENSIVA, vid. *Intercipientia.*

DEFRUTUM, vid. *Sapa.*

DEIECTORIA, vid. *Purgantia.*

DELETERIA.

Deleteria à Græcô δηλητήριος, quod *perniciosum* ac *summè noxium* significat, venena propriè denotant, seu ea quæ nec ægris, nec sanis prosunt. Unde Galenus lib. 6. Epidem. purgantium fortiorum & electivorum naturam vocavit deleteriam, & naturæ nostræ adversam, quia scilicet venenorum propriè sic dictorum indolem non parum redolent.

DELIQUIUM.

Per *deliquium* solvere, i. e. rem solvendam in locum humidum collocare ut per se in liquorem vertatur. *Schrod.*

Deliquium est *solutio aliqua ab aëre facta.* Illud dicitur, quia salia ab aëre quasi fatiscunt, deficiuntque, aut veriùs liquantur. Circa deliquium verò observanda 3. sunt. 1. materia, quæ per illud solvi potest. 2. Modus deliquij cum Enchirisibus. 3. Causa ejus ac effectus. *Quoad primum sciendum, deliquio & aëre illud solummodò solvi posse, quod facilè solubile est; & cùm omnium maximè solubilia sint salia, illa quoque materiam deliquii præbent. Ex salibus porrò omnium facillimè in deliquium abeunt alkalisata, rationem reddit Tachenius, quia corpora vacua sunt, & hinc ab aëre saturari cupiunt.* Incineratione scilicet pars eorum spirituosa ac oleosa in auras abijt, unde sal Tartari quidem facilè per deliquium solvitur; non æque tartarus. Sic & vitrum cum ex colliquatione alkali constet, in pulverem redactum ac mixtum alkali alio, eâdem ratione deliquio solvitur. *Imò vitrum vidi Venetum repositum, ornatus gratiâ, paulatim ab aëre defluxisse. Contra hoc modo non facilè solvuntur salia, quæ nondum orbata sunt spiritibus suis; verbi gratia, Sal commune, vitriola; aut quæ saturata sunt alio acido in enixis. Nihilominùs & hæc quia sunt salia, tandem tandemque longiore scilicet tempore fatiscunt.* Hoc namque modo aliquas uncias salis communis per deliquium solutas habui. Salia volatilia eodem modo per deliquium solverentur, modò in aëre durarent, sed quia volatilia sunt, abeunt. *De spiritibus acidis observare licet, quòd longo tempore phlegmatici magis evadant, præsertim in loco humidiore.* Tantùm verò abest ipsius salis soluti in spiritu (diximus autem spiritus esse salia soluta) exhalare aliquid, ut potiùs concrescant ac crystallisentur; præsertim si corpus aliquod habeant, in quod agant. Hinc namque rumpuntur vitra nostra, quæ spiritus illos continent; hinc illi cum ipso vitro sic corroso non rarò in crystallos abeunt. *Atque sic quidem dum aërem & spiritus attrahunt, dici posset, & illos quasi quoddam deliquium pati.* Paracelsus refert, ab aëre etiam ferreos clathros fuisse solutos, absumtos scilicet paulatim; hoc ipsum uti non nego, ita hîc solummodo notari volo, fieri illud præcipuè, quando metalla in salibus huic soluta sunt. Sic aër solvit ipsa salia, ut eò meliùs agant. Hincque est, quod caput mortuum vitrioli in novum quasi vitriolum tandem tandemque efflorescat. Quoad *secundum* de deliquio, si quis vult rectè procedere, modum ac sequentes observat Enchirises; Sal primùm siccum probè redigitur in pulverem, sic enim citiùs aërem imbibit. Calidum etiam imponitur conchæ vel vitro, ut eò citiùs attrahat; in marmore citiùs fit deliquium, illud quippe aerem ob frigiditatem attrahit eò meliùs, ac repercutitur ille quasi aer, unde marmoreæ tabulæ perpetuò madent. Sic hæc exponatur aeri in cella propter humiditatem, quæ in ijs abundat, nec tamen requiritur ut cella vinaria sit; quam scriptorum nonnulli expresè exigunt, nisi credere velis, vini spiritus sese simul salibus admiscere, uti Kenelmus Digbus refert, *Parisiis cùm rosæ floruerunt, sal Tartari aliquot per deliquium solutum, roseum imbibisse odorem.* Alij cùm credant in superiori ædium parte puriorem esse aerem, salia in sacculo lineo suspendunt, ut aer transiens illa solvat, quicquid solutum est, in subjectam patinam effluit. Attendi debet, ne quod forsitan de nocte hoc modo solutum est, ab accedente sole & calore iterum exiccetur. Alii in terrâ foveam faciunt, inque eâ dictum illum sacculum suspendunt, Terra quippe naturaliter aquâ perfusa, humiditatem in fovea illâ adauget. Persuasum insuper habent illi de spiritu Terræ ipsis solutis aliquid accedere, id quod tamen perpaucum esse crediderim. *Perinde esse arbitror, quo in loco aliquid deliquio exponatur, aër enim ubique adest: humiditas ejus ad faciliorem solutionem magis minusve facit.* Quicquid solutum est, decantari debet, quod nisi fiat, reliquum

reliquum superiori soluto subjectum, vel planè non, vel difficulter solvitur, ingressus enim aëri denegatur: huic instituto inservit concha canali instructa, ut solutum semper effluere possit. Concham in superioribus descripsimus; inclinari enim illa debet pro meliori defluxione soluti, quod subjectum vas recipiet. *Memini me vidisse quempiam, qui ex ovis duris albumine solvenda excipiebat; estque in eo facilius factum deliquium, quia ipsummet humorem continet, qui ad rem facit.* Sic Saccharum candi &c. hoc modo solvitur: *Tandem quia in aëre musca, pulvisculi, &c. obvolitant, ne deliquio solutum impurum fiat, tegi potest concha chartâ foraminulis perviâ, vel tubulo appendi debet sacculus, ut per illum solutum filtretur quasi in subjectum suum vasculum.* 3. Superest tertium de deliquio, causa scilicet ejus & effectus. *Jam verò patet, causam esse aërem.* Potissimum autem controversia est de eo, an plùs ille præstet, quàm quidem aqua communis? an perinde sit sive aëre aliquid sive aquâ solvatur? *aërem salia resolvere, sed insimul alterare ea, & in alium statum deducere, non uno constat experimento.* Neque enim sine causâ factum est, quod Zvvelferus abstractam à Sale Tartari soluto per deliquium aquam tantoperè commendat in obstructionibus &c. Reverà enim aqua illa de Sale Tartari volatilisato participat. Actum autem hâc de re in capite, potissimùm de salibus, ut pote in quo modus hic volatilisationis fixorum sufficienter explicatus; & in parte quoque secundâ dicetur, reverà salia hâc ratione in aquam elementalem reduci: Atque sic quidem & consideratis experimentis illis, satis superque constat, *non esse solutionem deliquii conferendam cum communi illa, quæ cum aqua fit.* Præterea enim & ex dicto illo capite innotescet, non tam ratione aquosæ suæ partis, sed etiam nitrosi salis subtilissimi penetrantissimi, aërem solvere, ac dissolvere salia, & metalla, *hac autem omnia, ut peragat aër, copiosè Salibus accedere debet, longo tempore in illa agere,* prout de nitro exemplum habet, Zvvelpherus Pharm. Reg. *non sufficit unicum deliquium*, adeóque & dum exem. gr. alkalia salia tartari, vel ad usus Chymicos adhibentur, vel etiam medicinæ loco sunt soluta, cum tantillo aquæ idem profectò præstabunt, quàm si modico aëre liquata sint. *Barnerus.*

DELPHINIUM, vid. *Consolida Regalis.*

DENS CABALLINUS, vid. *Hyosciamus.*

DENS CANIS, vid. *Gramen.*

DENS CANINUS.

Nomina. Dens Canis latiore rotundioréque folio. *C. B.* Dens caninus *Ger.* Satyrium quorundam Erythronium bifolium flore unico radiato albo & purpureo *J. B.* Dens Caninus flore purpurascente, & Dens Caninus flore rubro *Park. parad.*

Radice est duas uncias longa, alba crassiuscula, & infima parte crassiore, superiore verò parte gracilescente. *Folia* promit bina rarò terna, inquit Clusius, opposita, primò mutuò se complectentia, & florem occulentia, per terram fusa, Lilii convallium aut allii ursini formâ, crassiora, & magis carnosa, ex angustiore principio in ventrem sextantem latum dilatata, dein sensim in mucronem desinentia, (aliquando subrotunda & latiora si, quod interdum fit, unicum habeat folium) longitudine palmari, maculis ex fusco rubentibus, vel, ut ait Clusius, ex albo purpurascentibus latis, magnis variegata: teres, inter quæ surrigitur *caliculus* unicus, lævis enodisque, ruber, palmaris, cui insidet *flos* unus, deorsum natans, & sex foliis oblongis, mucronatis, nonnunquam albis, nonnunquam purpureis cum unguibus intus albis compositus, qui ubi aëris (solis radiis excalfacti) tepore se explicat, radiato positu foliorum visendus ea sursum reflectit, Cyclaminis instar: *Stamina* in medio sena purpurea *stylum* circumstant longiorem, album, tricuspidem: nullâ odoris gratiâ (inquit Clusius) placens, sed solâ elegantiâ commendabilis. Succedit siliqua triangularis, nutans ut flos ex viridi spadicea. *Capitulum* sive siliqua, teste Clusio, continet aliquot *semina* Leucoii bulbosi præcocis alterius seminibus ferè respondentia, sed longiora, gracilioráque flavescentis coloris. Quandiu nullum florem dat hæc planta unico duntaxat exit folio.

Flos ex purpura rubet, aut candore micat, aut purpura & candore fusis pallet; qui flore rubro est maculis rubris; qui albo lacteis maculis variegatur: sic folia aliquando maculata, aliquando maculis carent. Nos flore purpureo insignem copiosum observavimus propè Augustam Taurinorum ad latera montis quem transito Pado ascendimus, eundo indè ad Altam Urbem, Aprilis initio florentem: cùm quæ flore albo est in Liguriæ montibus eundo à Novo oppidô ad Genevam, Johann. Bauhinus copiosè propè Genevam florentem Martio in colle *la Bastie*; alibi etiam in montosis invenitur non rarò.

Vires. Stiriacas mulierculas radicis exsiccatæ pollinem pultibus puerorum inspergere ad enecandas eliciendasque ventris tineas *Clusio* relatum est, ex vinô autem haustum mirificè coli dolores mitigare expertum est, insuper corporis vires reficere & nutrire, ex aquâ verò pueros epilepticos juvare.

Ad excitandam, autore *Lobelio*, venerem magnam vim habere ostendit humida & calida substantia cum acrimoniæ paululô juncta. Hinc nonnonnullis *Satyrium erythronium Dioscoridis* creditur, sed erroneè, Parkinsoni judicio, qui Tulipam pro Satyrio erythronio habet. *Raius in Hist. plant.*

DENS ELEPHANTIS, vid. *Ebur.*

DENS LEONIS, vid. *Taraxacum.*

DENTALIUM, vid. *Paulò infra extra ordinem.*

DENTARIA.

Dentaria à radicis forma & calore denominatur; quæ candidissima ex pluribus quasi dentibus componitur *C. B.*

Miror *Clusium* plerisque hujus generis plantis semina Hesperidis tribuere, h. e. crassa, teretia, & oblonga, cùm ex nostra & *J. Bauhini* observatione in Dentaria heptaphyllo, tum siliquæ tum etiam semina compressa sunt: mirum autem hanc speciem hac in parte à reliquarum omnium norma abludere. *Raius Hist. Plant.*

Quatuor sunt *Dentariæ* præcipuæ species *Enneaphyllos* scil. quæ novem folia, *Heptaphyllos* quæ septem

Dentaria pentaphyllos





tem, & *Pentaphyllos* quæ quinque tantùm habet, quibus pro quaternariô numero conficiendo *Dentariam Alabastritem* subjungimus à candore radicum sic dictam. Hæ autem omnes plantæ parvi sunt admodum in Medicinâ usus, quamvis pars earum virtutis detergentis, pulmonibus non parum proficuæ, reputetur; imò monticolæ nostri ac pastores dentariâ, enneaphyllô & heptaphyllô, in boum morbis cum successu utantur. Illis autem *pulmonaria* seu herba in morbis pulmonum, vocatur.

DENTARIA MAJOR.

Nomina Orobanche radice dentata major. *C. B.* Dentaria major Matthiolo *Ger.* Orob. radice dentata sive dentaria major Matthiolo *Park.* Anblatum Cordi sive Aphyllon *J. B.*

Ex *radice* multiplici, mira squamarum denticulatarum congerie stipata, alba, molli & succosa, *caulem* erigit minimi digiti fere crassitudine, dodrantalem aut altiorem, teretem, succulentum, fragilem; tenui membranâ vestitum, aqueâ pulpâ abundantem. Juxta quem ex longis intervallis auriculæ quædam membranaceæ, foliorum æmulæ prodeunt, adversæ quidem, sed altera tantillum eminentiore. Tertiam & supremam cauliculi partem *Flores* occupant plures, hiantes, eodemque modo nutantes & antrorsum spectantes omnes, brevi pediculo appenso, à quorum tergo pediculorum quoque exortum foliola muniunt. Floris color ex ruffo vel purpura candicans. Illis succedunt vascula avellanæ ferè magnitudine, à pediculo ad medium calice foliaceo, subhirsuto, tenello, succoso, & quadripartito vestita, lineis quibusdam ac caniculis quadripartita, *Semine* rotundo, ova piscium minima æmulante densissimè farcta, quod maturum totum nigrum est, papaverinum, sed sextuplò majus. Tota cæterùm planta gustu est aquoso, acerbiusculo, non sine aliquo amaritudinis sapore, quæ tamen in semine magis conspicua.

In umbrosis sepium aggeribus & sub arboribus solo friabili in Anglia invenitur, sed rariùs. *Raius in Hist. Plant.*

Nos hic maximè vulgarem habemus prope montem *Saleve.* Pulmonum ulceribus, colicis & hernijs dicitur hæc planta conferre D. Lemery, nosque non semel in ultimo ab ipso adnotato morbo, scilicet Hernijs utilissimam observavimus.

DENTALIUM.

Dentalia, *Tubuli* quidam candidi, teretes, striati in acutum desinentes, una aut altera linea transversa inæquali cincti. *Tellinis* adnasci solent quandoque ut *Balani* alijs Crustaceis. *Charleton.*

Dentalium *offic. Schrod.* Antales dicuntur, alii ejusdem formæ, sed minores *Bonann.* In mari Britannico capiuntur. Tubulus est oblongus, gracilis, teres, nonnihil inflexus sive arcuatus, paulatim angustior, ab imo ad summum, concavus, utraque extremitate apertus, absque ulla naturali rima aut fissura, albus, altero tamen extremo parum rubescens, exterius lævis admodum & velut politus.

Entalium *offic. Schrod.* Tubulus aut Siphunculus maris *Bonann.* præcedente longior est & crassior multò, aliàs persimilis, nisi quòd hic striatus sit, strijs profundis, seu mavis porcis elatis & coloris plerumque viridantis. Ex India Orientali transfertur.

Vires. Utrumque etsi in Medicina hactenus parum usitatum sit, attamen cum alijs testarum generibus ad similes affectus adhiberi posse verisimile est; ac propterea in alvi profluviis alijsque morbis alkalica & absorbentia exquirentibus proficuum esse, omnino credendum. Itali moderni lapides, metalla, ligna quæcunque lineis aut figuris insculpta; aut etiam cannulata *Entaglie* vocant; unde & à vocis Dentalij proximitate, Entalij nomen ortum habuisse conjectatur eruditissimus simul & ingeniosissimus vir, *D. Martinus Listerus*, M. D.

DENTELLARIA, vid. *Plumbago.*

DENTIFRICIA, vid. *Odontica.*

DEPHLEGMARE.

Dephlegmare, i. e. phlegma separare seu abstrahere, quod fit si phlegma seorsim affectetur, destillando, sin minùs, evaporando: competitque spiritibus mineralibus fixioribus, ut spirit. Sal. nit. sal. com. & sim. *Schrod.*

DEPILATORIA, vid. *Psylotra.*

DESICCARE.

Desiccari dicitur medicamentum cum ex humido, in siccum deducitur statum; imò *Desiccationis* vox etiam impropriè à Chymicis usurpatur pro calcinationibus designandis.

DESICCATIVUM RUBRUM, vid. *Unguentum.*

DESPUMARE.

Despumare, i. e. spumam demere; *écumer. Schrod.* Illius autem spumæ materia non solùm est succus quidam concretus, lentus & includens flatum; sed & simul sordes omnes leviores à calore ignis expurgatæ; imò graviores albuminibus ovorum coactæ & colligatæ.

DESTILLARE, vid. *Distillare.*

DESTILLATUM, vid. *Distillatum.*

DETERGENTIA.

Detergentia Medicamenta vocantur ea quæ mundificant ac exturbant humores omnes impuros fætidos, corruptos, ideoque etiam inter purgantia habentur. Facultate pollent humores lentos & glutinosos educendi, & componuntur propriè ex materijs amaris ac salinis. Inter hæc medicamenta sunt Centaurium minus, Absinthium, Abrotonus, Hyssopus, Nasturtium utrumque, Agrimonium, Chamædris, Iris, Sigillum Salomonis, Hordeum, Cortex Tamarisci, Radices Capparum, Squilla, Nitrum, Mel, Myrrha &c.

DETONARE.

Detonatio & fulminatio, à vehementiâ & sono, quem edunt dictæ. Est deflagratio impetuosa, de quâ notandum. 1. *Quæ facilè accenduntur & simul ac semel deflagrant, si ex parte sint ligata, igne adhibito detonationem edunt.* Sic anthera mulci terrestris clavati subitaneâ deflagratione quasi detonat. Sic inprimis detonatio observatur in præparatione antimonii diaphoretici, & clyssi antimonij sulphurati. Ad omnem scilicet detonationem opus est (α) sulphure expanso ignique obsequente, seu re facilè combustibili, (β) verò detentione quâdam & remorâ aliquali, quod inprimis præstant particulæ terreæ & salinæ fixiores. Unde (γ) accedente calo-

re sufficienti sulphur rarefactionem magnam excitat, unde compages sive mixtura potius cum violentia quadam & detonat, præcipuè si non spatium detur sufficiens pro expansione.

2. *Hinc fulminatio & detonatio tantùm gradu differunt*, illa enim majorem impetum requirit, & visitur talis fulminatio tum in siccis, tùm humidis. Sic Spiritus nitri & ▽ calore excitante & motu facilè fulminant; sic ex nitri, sulphuris & ⊖lis Tartari mixturâ fit pulvis fulminans, *Platzpulver*, ut taceamus pulverem pyrium ipsum. Inprimis verò notum est aurum fulminans, sive magisterium auri per præcipitationem paratum, quod calore accedente ipsi pulveri pyrio contra fortiter & potentissimè fulminat, cujus ratio ex jam dictis facilè eruitur.

3. *Detonatione & sulphur destragat & abigitur*; Perfectè quidem in furno anemio, igne aperto in crucibulo, additâ s. q. deflagrantium corporum, seu nitri, & justâ ignis proportione. Hinc totum artificium præparandi antimonium diaphoreticum, ut album diaphoreticumque evadat, nec vomitorium sit, in detonatione consistit. Hinc tripla proportio ⦶ri & quidem una vice melius addenda requiritur; hinc oportet ⦶ esse probè siccatum, humida enim detonationi, acida fixiora fulminationi sunt contraria, (inde aurum fulminans figitur spiritu ⦶lis). Hinc ignis dandus est proportionatus, non ingerenda est materia, crucibulo nondum candefacto, nec retortæ clyssi materia, retorta nondum ritè candente. Adeoque antimonium diaphoreticum omni sulphure debet esse orbatum, sulphur impurum & volatile esse abactum. Imperfectè verò in statu contrario, exemplo clyssi, unde etiam notari potest, quosdam antimonium diaphoreticum parare in retortâ, sed minùs ritè sic fit detonatio. Hinc etiam.

4. *Quadam detonatio fit simul & semel, quadam per vices*: simul & semel, ubi imperfecta saltim v. g. requiritur, & minus est periculum, unde crocus metallorum verus fit ex ⦶ri & ♁ij commixtione, adjecta pruna in mortario, ut accensa materia detonet, licèt longè elegantiùs etiam id fiat in crucibulo. Per vices verò frequentius id in usu est, hinc in præparatione ♁ii diaphoretici & clyssi injectione novæ materiæ expectandum est, donec prior deflagraverit. Sic etiam quando præparatur lapis prunellæ cum sulphure, fuso nitro per vices particulæ sulphuris sunt injiciendæ, nec id quidem nimia continuatione, aliàs nitrum planè orbatur acido & ab aëre liquescit; sine sulphure verò, quod curiosum magis est, id fit cum sale ammoniaco, si fuso nitro particula una post aliam injiciatur, unde statim aquæ regiæ odor prosurgit.

5. *Detonationi affinis est decrepitatio.* Illa verò propria sulphuribus, hæc salibus; illa accensione explicitâ vel implicitâ, hæc simplici explosione fit. Conveniunt scilicet utræque in rarefactione particularum, in detonatione sulphurearum, in decrepitatione aquearum magis. Adhibetur enim in sale communi, quod puro vasculo vel cochleari inditum ferreo accedente calore decrepitat. Crepitat verò tamdiu, donec partes aqueæ evanuerint, unde decrepitatur ad spiritum parandum à quibusdam, ab aliis ad flores salis ammoniaci, (fiunt enim hi additione salis communis) seu verbo ad dephlegmandum illud ipsum, seu abigendum phlegma. Verùm hæc & paulò rarior est, & sæpiùs supervacanea; pro spiritu enim salis rectius è globulis cum sale sibi relicto factis primùm lento igne, etiam citra recipientis appositionem, quem facilè rumpere, ut & phlegma ⊖li, consuevit, vel luturam propellitur phlegma, quo abacto hinc spiritus feliciter cum nebulis suis succedit; sic & flores salis ammoniaci cum sale communi simplici feliciter fiunt. *Wedelius.*

DIACALAMENTHES, vid. *Pulvis.*

DIACARTHAMI, vid. *Electuarium.*

DIACASSIA, vid. *Electuarium* aut etiam *Looch* pro Clysteribus.

DIACATHOLICUM, vid. *Electuarium.*

DIACERASUM, vid. *Diamarenatum.*

DIACHALCITEOS, vid. *Emplastrum.*

DIACHYLUM, vid. *Emplastrum.*

DIACINNAMOMI, vid. *Pulvis.*

DIACODION

Joan. Bapt. Montani, aliàs Syrupus de Siliquis. *Pharm. Aug.*

℞. *Capitum papaveris albi cum seminibus num. 2. siliquarum dulcium ℥iij. Glycyrrhizæ rasæ ℥ii. aq. font. ℔xii. eximantur è siliquis grana, postea decoquantur in aqua ad remanentiam ℔iii. exprimantur & colentur: tandem addita Sacchari cantii rubri ℔iß. decoquantur secundùm artem ad Mellis consistentiam.*

Eo utimur in tenuibus & acribus rheumatismis, pulmones & asperam arteriam fluxione tentantibus, & continua tussi vigilias excitantibus. Nobilissimum inter Arteriacas compositiones Medicamentum, & ex Linctuum genere magnopere à Montano celebratum.

Diacodium solidum. *Pharm. Aug.*

℞. *Sem. papaveris albi ℥ß. Aquæ farfaræ, rosarum ana ℥iv. fiat emulsio, in qua dissolve Sacchari albissimi ℥iv. fiat confectio in rotulis.*

Creberrimus hujus confectionis usus ad tenues, salsos & acres catarrhos inhibendos ac incrassandos: tussim sedat, faucium asperitatem lenit, & raucedinem à calidis defluxionibus obortam aufert. Cùm facilè rancescat, in majori quantitate haud paratur, sed usus tempore rectiùs recens conficitur.

Diacodium solidum aliud. *Ibidem.*

℞. *Capitum Papaveris albi, mediocri magnitudine, nec nimis viridium, neque prorsus siccorum num. 20. aquæ pluvialis aut fontanæ ℔iij. Macerentur horis 24. deinde coquantur donec contabuerint capita, & colentur: postremò addatur sacchari sufficiens quantitas, & coquatur ut est artis.*

Diacodium simplex Galeni. *Ibidem.*

℞. *Capitum papaveris albi, mediocris magnitudinis, nec nimiùm viridium, nec nimiùm maturorum num. 20. Aquæ pluvialis, aut fontanæ ℔iij. Maceris horis 24. post coque, donec capita contabuerint, cola, & adde Mellis ℔ii. coque ad justam consistentiam. Fit cum Saccharo eodem modo, item cum Sapa hac ratione.*

℞. *Decocti prædicti, sapæ ana ℔ij. Succi Glycyrrhizæ ℥ij. coquantur ad justam consistentiam.*

Usus ejus est in destillationibus tenuibus è capite in asperam arteriam, ex perpetua tussi insomnium parientibus. Quod si magna humoris copia ex capite circa pulmones constiterit, confectio ex Melle melior est, quemadmodum somno opus habentibus quæ ex Sapa constat. Est autem sapa Mustum ad Rob perfecti consistentiam decoctum.

Dia-

Diacodium Asthmaticum contra Tussim diuturnam. *Pharm. Regiæ Zvelf.*

♃. *Rad. Aronis, Helenii, Glycyrrhizæ, Ireos flor. pimpinellæ ana recent.* ℥. 1. *herb. hyssopi, hederæ terrest. veronicæ, porr. seu capar. cann. ana recent.* ℥. 1. ß. *ficus præparatæ* ʒ. vj. *Incisa coquantur in s. q. aq. simpl. repetitis viribus affusa, ad omnium virtutem prolectionem: colaturæ omnes clarificatæ ad* ℔. 1. ß. *circiter evaporent, in vase terreo vitriato, interimque asservetur.*

Jam verò ♃. *Sem. Erucæ nasturtii, urticæ ana* ʒvj. *gummi ammoniaci, animæ ana* ʒ. 1. ß. *mastichis* ʒ. 2. *camphoræ* ʒ. ß. *amygdal. dulc. amarar. ana* ʒ. vj. *contundantur probè in mortario, affusâ portiunculâ aquæ flor. Arantiorum, ad formam pultis mollioris, quæ per setaceum transmissa quantum fieri potest, interim etiam servetur.*

Porrò ♃. *Superius asservatum & abstructum decoctum, additaque sacchari cand. albi* ℔. 1. ß. *redigantur leniter coquendo in syrupi crassam seu mucilaginosam consistentiam, cui statim immittatur, asservata pulpa ex seminibus superius & gum. facta. Item addendo pulver. cardamomi min. nucis moschatæ ana* ʒ. ʒ. *macis* ʒ. 1. *sem. anisi* ℥. ß. *croci opt.* ʒ. 1. ß. *Elæo sacchar. cinamomi* ℥. ß. *fœniculi* ℥. ß. *fiatque omnibus exactè mixtis Diacodion.*

In asthmate & difficili respiratione cum successu exhibentur.

Diacodium Dysentericum. *ejusdem ibidem.*

♃. *Rad. tormentillæ* ℥. 1. *bistortæ* ℥. ß. *flor. rosar. rub. siccat.* ʒ. 6. *balaustiorum* ʒ. ß. *succi hypocistidis* ʒ. 2. *coquantur in s. q. aqu. simpl. ad librarum duarum remanentiam, decoctum colatum & probè clarificatum interim asservetur. Tum* ♃. *Semin. papaveris albi* ℥. 1. ß. *melonum, cucurbitæ, amygdal. dulc. ana decortic.* ℥. 1. *contundantur diu multumque in mortario; additâ pedetentim portiunculâ superioris asservati decocti, ad formam pulticulæ, ut per setaceum trajici possit, quæ interim asservetur. Jam verò accipe decoctum superius asservatum, & additâ sacchar. cand. albi* ℔. 1. ß. *percoquantur ad consistentiam ferè tabulati, cui ab igne remota addantur emulsio superius facta & asservata deinde reliqui subsequentes pulveres, utpotè, croci Austriaci* ʒ. 1. ß. *Oculorum cancror. præparat. corall. rubr. præparat. Rad. liquiritiæ rosæ, Ireos florent. nucum moschat. ana* ʒß. *M. fiat Diacodium.*

In Dysenterijs & Diarrhæis, exulcerationibus intestinorum & mesenterij utiliter exhibetur.

Diacodion contra Sputum sanguinis. *Ex eôdem ibidem.*

♃. *Rad. recent. acetosæ* ℥. 1. *Cichorii sylv.* ℥. 1. ß. *lapathi acuti, papaveris erratici, pentaphylli, plantag. min. tormentillæ ana* ℥. 1. *herb. recent. auriculæ muris, bursæ pastoris, Cichorii Sylvestris, equis & Plantag. min. virgæ aureæ, vincæ pervincæ, ana M.* 2. *flor. recent. Rosarum rub.* ℥. 2. *papaveris erratici* ℥. 1. ß. *santali rubri* ʒ. 6. *Incisa coquantur in s. q. aqu. simpl. repetitis vicibus affusa, quoad tota eorum virtus extracta sit, colaturæ omnes album. ovorum clarificatæ ad* ℔. 1. *circiter evaporent, &, additis succis sequentibus, utpotè succor. Cichorii Sylvestris, millefolii, plantag. min. sempervivi majoris, ana depurator.* ℥. 6. *Interim asserventur.*

Tum ♃. *Semin. papaveris albi, Melonum excort. ana* ℥. 1. *pœoniæ excort. portulacæ ana* ℥. ß. *contundantur minutissimè in mortario ad formam pulticulæ, additâ portiunculâ superioris decocti, vel aqu. rosarum & per setaceum transmittantur adinstar pulpæ, quâ interim etiam servata accipe decoctum superius cum succis expressis, asservatum, ac cum sacchar. can. albi* ℔. 2. *ad syrupi consistentiam, paulò tamen crassiorem, percoque, cui syrupo tandem immisce, pulpam seminum, superius asservatam, item pulveris boli armeni præparat. corall. rub. præparat. lapid. hæmatit. sanguin. Draconis, Olibani ana* ℥. ß. *pulver. lapid. corneol. præparat.* ʒ. 2. *croci opt. austriaci* ʒ. 1. ß. *Elæosacch. nuc. moschat. cum ol. expr. facti* ℥. 2. *fiat omnibus probe mixtis s. a. Diacodion. Præstans in sputo sanguinis à quacunque causa ortum duxerit, abstergit, conglutinat, & oscula venarum claudit. Dosis* ʒ. 2. *ad* ℥. ß.

DIACROCON. vid. *Pulvis.*

DIACUMINUM, vid. *Pulvis.*

DIACYDONITES, vid. *Pulvis.*

DIACYDONIUM.

Diacydonites Simplex. *Ph. Aug.*

♃. *Pulpæ cydoniorum cum succo cydon. depurato paratæ, sacchari albissi. despumati & ad spissitudinem instar cocti ana* ℔. 8. *coquantur ad debitam consistentiam, ut possint infundi scatulis, vel fiant in forma Electuarii spissi.*

Eodem modo fiunt alia electuaria ex prunis, pyris, pomis, persicis, Cerasis, Ribibus, Berberibus, &c.

Diacydonites Aromaticum. *Ibidem.*

♃. *Diacydonii simplicis ad justam consistentiam cocti* ℔. 1. *Specierum Imperatoris sine Moscho, incisarum* ℥. ß. *Seminis Coriandri* ʒ. 1. *Corticis Citri exterioris recentis minutim incisi drachm.* 5. *misceantur & fundantur in scatulas.*

Diacydonium Solutivum pellucidum.

♃. *Magisterii Jalapæ unc.* 4. *solvatur in pauco spiritu vini optimè rectificato, & permisceatur diligentissimè agitando, cum gelatinæ cydoniatæ ad perfectam consistentiam coctæ libris* ʒ. ß. *Indatur scatulis.*

Bilem & pituitam satis potenter educit; pro delicatis & ijs qui pharmaca cætera aversantur ac respuunt, concinnatum.

In Diacydonio hoc solutivo pellucido, ad hominum tam saporem delectandum, quàm medicamenti intentionem promovendam, plurimi hucusque & Medici & Pharmacopœi laborârunt, quorum cuilibet pro suo invento sua quoque rependitur gratia. Nobis autem suprascriptus compositionis nostræ modus omnium commodissimus, & securissimus esse videtur, quia resina Jalapæ perfectè dissoluta, continuâ agitatione universæ massæ cydoniatæ æqualiter communicatur & permiscetur.

Diacydonium Solutivum.

♃. *Foliorum senæ elect. unc.* 2. ß. *rhabarbari electi, cinnamom. acuti ana drachm.* 6. *seminis anisi drachm.* 3. *Zingib. albi unc.* 1. *vini malvatici libris* 2. *succi limonum* ℥. 8. *Coquantur ad medias, postea colentur, & additis pulpæ cydoniorum* ℔. 2. ß. *sacch. clarif.* ℔. 1ß. *continue agitando ad justam consistentiam, coquendo deducantur, tandem etiam*

etiam, ubi refrigerari incipit, Dacrydii ℥ß. *in spiritu vini soluti & filtratione depurati. Fiat Diacydonium in scatulis.*

Medicamenti hujus usus, cùm neque pelluciditate admodum se commendat, neque palato gratum existat, jamdudum apud nos eviluit; & fortè nec alibi amplius in usum trahitur; unde, contractiori tantùm parandi illud modo adposito, emendationi ejus prolixiori studere haud opus fuit. Nonnulli Antimonij infusum olim addidêre; Verùm ventrem turbandi multæ sunt artes; attamen electivè purgantibus, in primis similibus antimoniatis, neque in hoc, neque in alio medicamenti genere, non temerè abutendum, præsertim verò in delicatulis ac infantibus. Cavendum etiam, ne vulgus, nomine Diacydonij deceptum, Dacrydiatum hoc promiscuo ac inconsiderato usu quibusvis id temerè exhibendo, in sui noxam porrigat.

Diacydonium Pharm. Londin.

℞. Sacchari albi, ℔. 6. *aquæ fontan.* ℔. 4. *clarificentur cum albumine ovi, & diligenter despumentur: inde ℞. Cydoniorum maturorum à corticibus exterioribus, & seminibus expurgatorum, & in quaternas partes incisorum,* ℔. 8. *Coquantur in syrupo prædicto, donec carnes teneræ fuerint, deinde per pannum laneum coletur succus sive syrupus. Iterum coquantur ad gelatinæ consistentiam, cum aceti vini albi* ℥. 4. *sub finem additis. Syrupo ab igne remoto, dum adhuc calescit, inspergæ species sequentes crassiusculè incisas, Zingiberis,* ℥. 1. *piperis albi, cinnamomi, nucis moschatæ, ana* ʒ. 2. *In pixidibus diversis servetur.*

Diacydonium purgativum è Pharm. Persicâ.

Ventriculo robur suppeditat; appetentiam cibi commovet; colicam dissipat.

Mala cotonea à cortice, ac seminibus ritè mundata in aceto, ac vino decoquito, ad perfectam coctionem; tum cribro rariori trajicito; adde mellis despumati min. 1. *& iterum decoque ad justam consistentiam; demum supra spargantur Zingiberis, Piperis longi, Cardamomi majoris, Cinamomi, Croci, ana dr.* 3. *Mastiches, dr.* 5. *Turpethi albi, dr.* 30. *Scammonii, dr.* 10.

Dosis m. 5. ad m. 7. cum aqua calida ad colicam passionem.

Diacydonium stypticum, ex eâdem Pharm.

Alvum obstruit; stomachum roborat; vomitum compescit; colorem vivificat; appetentiam excitat.

Cotoneorum Aspahenensium à cortice, ac granis mundatorum min. s. in aceto decoque ad perfectam coctionem; inde bene contrita iterum cum mellis minâ semis commisceantur, decoquantur ad debitam formam, tandem Zingiberis, Piperis, longi piperis pulveratorum, ana drachm. 4. *Seminis petroselin. Macedon. Melanthii, Croci, item pulveratorum, ana drachm.* 2. *inspergantur: conficiatur massa cujus drachm.* 4. *ad justam dosin devorentur.*

Diacynorrhodon, vid. sub titulô *Conserva*; item *Cynorrhodon*.

DIÆTA.

Diæta vel est alterans & sudorifica, de qua cap. de Diaphoreticis, vel simul & Cathartica de qua hîc.

Estque decoctum exsiccans, sudores movens, & per alvum evacuans.

Paratur ex sudorificis ut suprà eadem dosi, purgantia in pauca copiâ & dosi præscribenda, ex quarta parte minori, quàm in apozemate, quia vires ferre non possent evacuationem insignem per habitum & secessum eodem tempore.

Tempus sumendi est manè horâ sextâ per decem aut quindecim dies, si vires ferant & morbus exigat. Alioquin per quinque vel octo dies primos hæc diæta purgans, posteà verò detractis purgantibus sudorifica continuatur.

Usus est in corporibus cacochymis, & robustis, in morbis frigidis & humidis cerebri, nervorum, ad apoplexiæ reliquias auferendas, ad arthritidem, asthma à causa frigida, luem veneream, &c.

℞. Radic. schinæ salsæ-parillæ, ana ℥. i. ß. *aquæ fontis* ℔. *iij. infunde per viginti-quatuor horas, deinde fiat decoctio ad mediæ partis consumptionem, addendo sub finem polypodii quercini & fol. sennæ ana* ℥. j. *turb. hermodact. & agaric. recent. trochisc. an.* ʒ. *ij. semin. fœnic.* ʒ. *j. cinnam.* ʒ. ß. *de colatur. capiat* ℔. j. ß. *singulo mane, &c.*

Nota, non esse sudores vi excitandos, sed corpus relinquendum solitis stragulis coopertum, ut pro libitu transudet aut expiret.

Per totum diætæ tempus utendum sequenti bochete.

℞. Salsæ parill. ℥. *ij. aquæ fontis* ℔. *viij. Infunde & decoque ut artis est, colaturâ utatur pro bocheto.*

Ante usum cujuslibet diætæ præmittenda sunt alterantia & evacuantia, ne materia fusa effervescat, aut in partes debiliores feratur.

Ad reliquias apoplexiæ auferendas, aut paralysim ipsi succedentem, utimur prædictâ diætâ purgante. Cui etiam incoqui debet folior. betonicæ, melissæ, ivæ arthriticæ & primulæ veris an. M. j. Vide tamen, ne calor viscerum repugnet, & sint à causa calida, tunc enim temperatiora conveniunt. *Etm*ü*ller*.

Diagalangæ, vid. *Pulvis.*

Diagrydium, vid. *Scammonium.*

Dyahyssopi, vid. *Pulvis.*

Diaireos, vid. *Pulvis.*

Dialaccæ, vid. *Pulvis.*

Dialthæa, vid. *Unguentum*

DIAMARENATUM.

Diamarenatum, vel *Diacerasum*, nihil aliud est quàm pulpa cerasorum acidorum per cribrum trajecta, cujus tres libræ, sacchari libris duabus commiscentur. Atque hæc est simplicis Diamarenati præparatio, compositum etenim quod attinet, pro eô conficiendô aliquid aromatum simplici adjicitur &c.

Diamargaritum, vid. *Pulvis.*

Diambræ, vid. *Pulvis.*

DIAMORUM.

Diamorum Simplex. *Pharm. August.*

℞. Succi mororum domesticorum depurati ℔. 5. *In quibus solvatur sacchari* ℔. 1. *clarificetur cum album. ovi, & fiat coctio ad justam consistentiam.*

Phlegmonarum principijs salubre: cujus vires augentur additis repellentibus & adstringentibus, qualia sunt Alumen, Omphacium, Thus, Rosæ, Balaustia, Malicorium, Cytinus, Gallæ immaturæ, aut Hypocistidis succus.

Delicatior nostrorum gustus, repudiato Melle, quondam huic compositioni destinato, saccharum substituere nos jubet.

Diamo-

Diamorum Compositum Galeni, *ex eâdem Pharmac.*

Præparetur, Diamoro simplici addendo Myrrhæ, Croci ana ℥i ß. Omphacii seu Agrestæ ℥i. Coquatur Omphacium cum succo Mororum & Melle: Myrrha verò & crocus sub finem adjiciantur, cùm scilicet ab igne remotum fuerit Medicamentum.

Phlegmonis ad statum provectis, quibus concoquentia & digerentia medicamenta adhibere convenit, maximè prodest.

Diamorum usitatum Nicolai, *ex eâdem Pharmac.*

℞. Succi mororum batinorum, i. e. rubi, ℔. i. mororum Celsi ℔. ß. mellis ℔. i. sapæ ℥. 3. succos mororum priùs depuratos cum melle & sapa in vase lapideo lentè decoque: coctum percola & serva.

Ad faucium ardores, serpentia oris ulcera, gulæ, columellæ, & tonsillarum inflammationes, anginæque principia efficax exsistit.

DIAMOSCHI, vid. *Pulvis.*

DIAMYGDALATUM, vid. *Martius Panis.*

DIANISI, vid. *Pulvis.*

DIANTHOS, vid. *Pulvis.*

DIANUCUM, *Pharm. August.*

℞. Succi corticum viridium Juglandium diebus canicularibus extracti ℔. 4. Mellis ℔. 2. coquantur, ut est artis.

Stomaticum est medicamentum, admodum efficax ad oris phlegmonas & synanchas, destillationes tenues in fauces, & alias præfocantes, pueris, mulieribus, naturisque humidis magnoperè commodum: Mesue ex Gal. lib. 6. κατὰ τόπους cap. 2. phlegmonarum initijs adstringentium aliquid vult miscendum; ut rosas, balaustia: in statu Crocum, & Myrrham: in declinatione nitrum, sal ammoniacum, & similia.

DIAPASMA. vid. *Cataplasma.*

DIAPENIDII, vid. *Pulvis.*

DIAPENSIA, vid. *Sanicula.*

DIAPHÆNICUM, vid. *Electuarium.*

DIAPHORETICA.

Magna certè est vis transpirationis ad vitæ tutelam, quam statico trutinio diligens Sanctorius deprehendit pleniorem esse omnibus alijs evacuationibus sensibilibus sinul sumptis. Quod si tantùm potest, ut per poros partium & arterias insignem copiam volatilium crassarumque sordium in totius habitum transferat, susceptumque sanguinem, unà cum transsumpto aëre, in circulationis opus & refrigerium per venas referat ad interiora; quantum ab ἀδιαπνευσίᾳ timendum est, quæ calidos halitus in vasis coercens, & flabellum aëris impediens, tam sæpè fervorem atque putredinem in humoribus producit; neque ulla ferè fit febris, quæ desæviat aut penitùs cesset sine sudore absque libera διαπνοῇ.

Neque mirùm, cùm ea quæ per diaphoresim seu sponte naturæ, seu artis beneficio fiat evacuatio, non solùm proximè ab habitu corporis, sed & à vasis & visceribus, necnon ab intima corporis regione quodcumque acidum volatile, cæterasque resolubiles humorum particulas per vasa pneumatica, ipsaque interiorum partium & cutis spiracula in aquæ aut vaporis formâ, dissolvat.

Medicamenta quæ id promovent dicuntur diaphoretica, quorum δυνάμεις & modum agendi ex eo deprehendimus, quod facilè transpirent sudentque, quibus sanguis tenuis, solutus, serosus, promptè circulans, porique totius habitus aperti sunt, quales sunt sanguinei, biliosi, præsertim æstate; sic quæ diaphoretica sunt debent pollere vi attenuandi, fundendi, & proinde majorem in sanguine fermentationem & circulationem excitandi, partesque humorum volatiles segregatas rapiendi in cutis spiracula, quæ rarefaciendo aperiunt: ideóque

Diaphoretica sunt medicamenta, quæ cutis poros reserant, humores à centro ad circumferentiam evocant, & insensibiliter vel sensibiliter expurgant.

Quæ sensibiliter movent sudores vocantur hydrotica, seu sudorifica, de quibus suprà cap. 12. sect. 2. part. 1.

Quæ insensibiliter id agunt, dicuntur Diaphoretica simpliciter, quæ naturam sudores molientem, aut in eos pronam adjuvant, vel poros aperiendo, subtiles humorum partes excludunt. Quorum

Usus est,

Primò, In febribus malignis, pestilentibus, variolis, morbillis, cæterisque in quibus promovenda diaphoresis, maximè si natura hûc moveat per exanthemata, sudores, &c. quorum exempla tradita sunt in forma julepi, Emulsionis cap. 1. & 2. sect. 1. partis 1.

In forma decocti cap. 4. sect. 2. part. 1. De cardiacis in causa calida.

Secundò, In omnibus febribus, & alijs casibus in quibus adest cutis obstructio, ad circumferentiam, diebus criticis, dum videmus naturam ad sudores paratam; vel ad ipsam juvandam, dum languidè eos movet.

℞. Aq. cardui bened. scabiof. papaver. rhœad. an. q. s. salis cardui bened. vel scabiof. & confect. hyacinth. an. ℈. j. syrup. capill. venet. ℥. ß. Fiat julep.

Vel

℞. Aq. cardui bened. ℥. vj spirit. nitri & bezoard. mineral. an. ℈. ß. syrup. limon. ℥ß. Fiat julep.

Substitui possunt ex chymicis,

Spiritus Tartari ad ℈ß.

Lapis Bezoardicus vetus ad gran. iv. vel v.

Pulvis Bezoardicus animalis ad ℈ß. vel gr. xv.

Mixtura spiritalis, cæteraque, de quibus in prædictis locis de Julepo, & de cardiacis dictum est.

Tertiò, In Scorbuto, affectibus hypochondr. &c.

℞. Aquar. cardui bened. & fumar. an. ℥.ii. ß. salis cochlear. ʒſs. Fiat julep.

Substitui possunt

Sal. cerefol. scabiof. melissæ, fumariæ, nasturtij aquat, becabungæ ad ʒſs.

Sal fixus eorumdem, vel Tartari ad ℈j.

Nota primò, priùs esse corporis plenitudinem demendam evacuantibus, venæ sectione, purgatione, prout & quantùm expedire videbitur. Quod insinuat Gal. 11. *Meth. c. 9.* ne humores fusi & tenuati penitiùs deferantur, obstructiones augeant, aut nimiâ copiâ in corporis habitum rapiantur, vel difficiliùs perflati computrescant.

Nota secundò, ut diaphoretica eligantur proportionata; nec semel, sed quoties opus videbitur repetantur, ne potiùs agitetur materia, quàm evacuetur.

Nota tertiò, ne calidiora adhibeantur, quandò calor in febribus insignis est, absque omnis malignitas.

Nota quartò, Tempus adhibendi opportunius esse, quandò materia mobilis est, & natura prona, in his præ-

præſertim qui facilè, & copioſè naturaliter tranſpirant, in continuis febribus depletâ per evacuantia majori ex parte humorum ſarcinâ, ut liberiùs corpus perſpiret, & ad ſudorem diſponatur; præſertim quando ſubeſt malignitas, cujus miaſmata ſponte in corporis ambitum feruntur, dum ſeroſæ & ichoroſæ ſanguinis partes per ἐκχύμωσιν, & τῶν φλεβῶν ναυτιάσιας, in cutem natura protrudit. In intermittentibus incipiente aut declinante paroxyſmo, quo tempore materia mobilis eſt: in principio quidem invita contrario motu è foco expellitur; in fine verò, quò ſponte vergit ultrò fugatur.

Nota quintò, Cavendum eſt, ne nimius ſit diaphoreticorum uſus, quando nimia eſt ſanguinis tenuitas, putredo, & diſſolutio: quod ſæpè contingit in febribus malignis, purpuratis, variolis, affectibus ſcorbuticis & ſimilibus. Tunc enim diaphoretica, ſanguinem fundendo, ulteriùs volatiliſant, & corrumpunt. Quin potiùs tunc utendum leviter detergentibus, refrigerantibus, iiſque quæ alkalibus abundent. Non alia forſan ratione antiqui præſcribebant pulveres, potiones, confectiones cardiacas, quæ terram ſigillatam, bolum armenicum, corallia, gummata, & ſimilia recipiunt, quibus imbibuntur acida, tenuia incraſſantur & nimia impeditur fermentatio. *Tencke.*

Diaphoretica ſub alexipharmacis plurima jam delibata ſunt, unde & breviores de ijs erimus, attamen paulò latiùs patent, & merentur etiam ſeorſim paulò conſiderari.

Differunt inter ſe diaphoretica & ſudorifera gradibus, adeoque plurima ſunt diaphoretica, quæ ſcilicet per ἄδηλον διαπνοῇ ſaltim diſcutiunt halituoſa excrementa, eandemque tranſpirationem promovent, & ſanguinem ventilant. Sudorifera verò, quæ & hoc ipſum præſtant, non tamen in eodem acquieſcunt; verùm etiam roſcido ſudore conſpicuum magis effectum relinquunt.

Quoad agendi modum, operantur eadem, quatenùs fundunt ſanguinem, ac ſeri à ſanguine ſeceſſum procurant, aut halituum ſpecie per cutis poros expelli poſſit.

Tùm 1. *abſorbendo, & quod ſerum ligat & fixius reddit, reſolvendi,* uti ſunt *alcalinæ naturæ fixioni, terrea,* v. gr. ♁ diaphoretic. conchæ, C. C. uſtum, lapis bezoar, bolus Armena, bezoardicum minerale, ♂ale, &c. Hæc inſigniter fermentationem humorum præcipitant, διαχώρησιν prohibent, & inſenſibilem tranſpirationem liberam ſuique juris reddunt.

Tùm 2. *fluxile illud reddendo, ſive rarefaciendo, & fermentationem ſanguini novam inducendo*: ſic 1. *ſalia lixiva & nitroſa*, ⊖ abſinthij, cardiac. bened. cent. min. quæ & abſorbent, & ſimul fluxilitatem ſero fœnerant: ſic 2. *volatilia* quoque, ∽ C. C. viperarum, eboris, potentiſſimè ſudorem pellunt; ſive *halituoſum vehiculum & volatilitatem præbendo*, uti ſunt 1. *aquea*, ut ▽ ♌tæ variæ, & inprimis ſimul volatilitate quâdam gaudentia decocta, item 2. *ob aquoſam & gummoſam ſubſtantiam facilè reſolubilia*, ut rob. ebuli, ſambuci, &c. præcipuè verò 3. *ſale volatili cum ſulphure penitiùs commixto pollentia, amaricantia, reſinoſa*, &c. ſic carduus benedictus, opium, camphora, lignum guajacum, & è compoſitis theriaca, Mithridatium, & reliqua ſuperiùs *claſſe primâ* recenſita, optima ſunt ſudorifera. Hæc torpidum ſeri motum promovent & naturam hortantur, ut ſuperfluum diſcutiat, pori aperiantur, ac vigoretur maſſa ſanguinea.

Et hæc apprimè locum habent in ῥευματισμῷ ſeu influxu ſanguinis & ſeri quocunque, v. gr. in inflammationibus pleuræ, fluxionibus articulorum &c. unde conveniunt in pleuritide, quæ ſæpe uno quaſi eminentiori ſudorifero jugulatur ſtatim in principio; arthritide, quæ omnium maximè juvatur iiſdem ſudoribus; tumoribus inguinum, tonſillarum, axillarum & ſimilium, lipothymiâ, ſyncope, tùm ſolitariâ, tùm hyſtericâ, variolarum & aliorum exanthematum propulſione ceſſante. &c.

Tùm 3. *in coagulum abiens ſerum incidendo, & hoc ipſo quoque ſanguinis fermentationem promovendo.* Præſtant illud inprimis *acida*, & ſuo modo, diverſo ſcilicet reſpectu, *alcalinæ quoque.* Hinc *acetum* inter ſudorifera quoque, non minùs ac acida alia, referuntur meritò: obſervatio enim eſt non vilipendenda, acidorum acceſſione ſulphurea medicamenta longè præſentiùs agere, & ſudorem ciere magis, quàm ſibi relicta: exemplo ſit vel ſola *mixtura ſimplex*, nec enim ∽us theriacalis per ſe, nec ∽us tartari tàm promptè ſudorem movent, quám hiſce maritatus ⊕-li ∽us utriuſque activitatem mirum quantum juvat & promovet. Sic etiam *tinctura bezoardicæ* citra ∽us ⊖is vel alius acidi acceſſum minùs ſudoribus movendis aptæ ſunt.

Abiens verò in coagulum ſanguis, groſſus magis, viſcidus, craſſus & glutinoſus evadit, unde acida incoctionem hanc remorantur, ſulphurque domando, & rarefactionem, quantum in ipſis, impediendo, ſecretionem tunc humoris ſeroſi & ejuſdem halituoſitatem hoc ipſo promovent.

Unde conveniunt *hæc & primæ claſſis diaporetica*; pro diverſitate indicantium ſeligenda, in ipſis quoque febribus variis & omnis generis, intermittentibus & continuis: inprimis etiam in lue Venereâ, ſcorbuto, elephantiaſi, & ſimilibus, ubi ſanguis glutinoſior longè gravitatem membrorum & dolorem importat neceſſariò. Maximam quoque hæc ipſâ hâc claſſe contenta vim habent grumoſitatem ſanguinis tollendi: unde & *mixtura ſimplex* ipſa in palpitatione cordis non contemnendum habet uſum: item in ſcabie, & alijs plurimis malis. Uno verbo: in quibuſvis maſſæ ſanguineæ vitijs, à qualitate & motu vitioſis oriundis, exceſſibus, ebullitionibus, deſpumationibus, &c. diaphoretica ſunt inſtar omnium, fermentum reſtaurant & deprimunt.

Quoad *applicandi modum*, ut ut plurima ex alibi dictis huc applicari queant & debeant; attamen, ut eò meliùs patent omnia, ſeorſim quoque illis addemus quædam.

1. *Impellentia interna ſudorifera opus habent impellentibus externis*, unde non ſatis eſt aſſumere diaphoreticum medicamentum quodcunque; ſed opus eſt ad minimum calore ambientis aucl ioti, & tecto corpore ut & pori dilatentur magis, & humores fundantur. Hæc ipſa verò ſecundaria quaſi potiùs ſunt, internorum ἐνέργειαν in actum deducentia, unde

2. *Solis externis nunquam res abſolvitur*, niſi, ubi in ſpatijs intercutaneis materia magis hæret: eo enim caſu externa impellentia meliùs proficiunt. Sic etiam ubi tumor particularis membrum aliquod exercet & defatigat, eadem ex uſu ſunt. Pertinent huc termæ, Laconicum, & alia balnea vaporaria, univerſalia, ſeu totius, & particularia, huic vel illi parti, v. gr. brachio, pedi, debita.

3. *Ubi expulſione opus, optima ſunt ſudorifera.* Ea enim non tantùm in abundantiâ & repletione humorum, ac ſanguinis impuritatibus valent; verùm etiam torpidos & quieſcentes humores agiles reddunt magis & vividos: inprimis verò ſeroſis humoribus reſolvendis, attenuandis & evacuandis per poros apta ſunt.

4. Unde, quod ſub alexipharmacis jam dictum fuit, *fixitas vel volatilitas medicamentorum, & ſtatus ſanguinis diverſus variat eorundem uſum.* Sunt, qui ſolo ♁io diaphoretico utuntur ſemper, ſunt, qui ſpiritum C. C. ad cœlum uſque evehunt, ſunt, qui Tincturâ bezoardicâ maximè camphoratâ ad quævis tantùm

non

non abutuntur. Singuli hi peccant; inprimis verò posteriores, nec enim camphorata omnes æquè ferrè possunt, saltim in tanta dosi, unde sanguis maximè rarefit. Camphora locum eximium habet in motus sanguinis vigoratione promovendâ, non item, ubi nimis rarefactus est, & ebullit, unde vigiliæ, sitis, calor major: unde præstat minùs camphoratâ uti Terrâ bezoardicâ, vel saltim aliam quoque ad manum habere mitiorem.

5. *Ubicunque ergò resolutio virium timetur, & freno potiùs eget sanguis, quàm stimulo, temperatiora omne absolvunt punctum, ac præferenda sunt, & contrà.* Sic inprimis *Hoffmannus* observat, *lib. de febb.* in febre quadam epidemiâ cum sudore colliquativo conjunctâ bolum Armenam & terram sigillatam unicè profuisse. Si verò quis eandem ad motum & fermentationem sanguinis ciendam velit solam usurpare, næ turpiter se dederit quàm maximè.

6. *Ubi præcipitatione magis opus, quàm discussione, minùs cogendi sunt ad sudorem ægrotantes: imò sudor coactus nimis minùs prodest, etiam in continuis.* Hinc peccant illi enormiter in praxi, qui in tertianis, vel quartanis, vel intermittentibus uno verbo, dato pulvere febrifugo ante paroxysmum ægrum continuò ad sudandum impellunt, & tantùm non cogunt, unde phthiseos metum & alia symptomata non levia aliquoties orta observavimus. Hinc in expellendis variolis, in febribus quoque malignis nunquam consultum est, ad sudandum ægros fortiùs impellere: ibi enim seri proportio nimis absumitur, sanguis ipse ad ebullitionem magis cietur, & naturæ benè agentis conatus intempestivè præcipitatur; adeoque præstat diaphoresin continuare, & naturæ tempus concedere, quàm eandem pessundare cogendo; præstat eandem sequi, ducere, non pellere. Quod non præstat sudor, id præstat tenuis udor.

7. *Ubicunque serum deficit, minùs conveniunt; sin nimis excedit, itidem minùs locum habent sudorifera.* Uti enim deficiens illud magis exhauriunt, ita superfluum sola superare & evacuare nequeunt. Hinc v. gr. in maniacis & alijs etiam cholericis maximè valet regula jam data; hinc vel temperatiora eo casu solùm seligenda, vel non sine aqueis vehiculis, serum substantialiter augentibus, propinanda. Quod ipsum de siccioribus etiam valet in genere. Hinc in hydropipecis magis prosunt diuretica & purgantia, quàm diaphoretica.

8. *In morbis pituitosis, & ubi primæ viæ humoribus vitiosis abundant, iique quasi impacti sunt, minus locum habent.* Hinc magis universalia quasi sunt purgantia & vomitoria, quibus præmissis & partibus potioribus ablatis crassioribus & viscosis, à diaphoreticis hinc tenuius restitans commodiùs evacuatur. Hinc in febribus quidem omnibus eximiè prosunt diaphoretica; attamen in intermittentibus id sedulò est observandum, præcipuè in quotidianâ. Hinc in scabie ipsâ quoque id notandum & in cachexiâ inprimis stant post principia, ne pituitam, seu serum coagulatum & crassius magis coagulent, humores turbent, & impuritates sanguinis, quas tollere debent, augeant magis. *Wedelius.*

Diaphoretica varia ex Cnöffeliô retensente Bernhardô à Bernits.

Antimonium diaphoreticum solare.

℞. 🜄tis ℥i acuetur cum ⊖lis ✳︎ci ℥i.

Menstruo jam parato & prius filtrato injice auri fini & laminati ʒi. stent in leni cinerum calore, donec absorbeatur aurum. In hac solutione solis imbuantur & intingantur linteamina pura, ut nihil de eâ remaneat, & postquam libero aëre benè exiccata fuerint, comburenda sunt in crucibulo puro tamdiu, donec in pulverem redigi possint; cautè tamen hîc procedendum, ne crucibulum excandescat, & aurum cum sine ammoniaco avolet. Jam.

℞. *Calcis hujus auri* e. g. ʒi. ♁ii *subtil. pulv.* ℥ii. ⦶ *albiss.* & simili modo in pulverem subtilissimum prius redacti ℥viij.

Misceantur in mortario lapideo quàm optimè, postea immittitur pulvis, sensim & per intervalla, in crucibulum prius candefactum, & statim cum impetu incipiet ardere, haud secus, quam pulvis sclopetarius madidus. Detonatione peracta calcinatio continuetur adhuc per spatium quadrantis horæ, materiam interim filo ferreo continuè agitando; tandem tota massa hinc residua & adhuc ignita, per partes injicitur in ollam novam vitreatam & aqua pura calida impletam, finitur per ☌ & ☍ quiescere, & ubi materia subsederit, inclinando ollam, removetur aqua nitrosa: qui labor, affusa tepida aqua, sæpius repetendus est, donec nullus salsedinis sapor plus percipiatur, pulvis purpureus tandem & elegans, in filtro chartaceo relictus, studiosè exsiccetur & asservetur, tanquam sudoriferum & alexipharmacum insigne, & in peste febribusque malignis præstans. Corruptioni resistit, sanguinem mundificat, scabiem & luem veneream curat, & in quibuscunque cordis infirmitatibus, variisque viscerum morbis prodest; auxiliatur iis sudorem pellendo. Dos. à ℈ß. ad gr. xv. & ℈i. in convenientibus aquis seu conservis reiteratis vicibus, omnibus, omni tempore & hora, secundum necessitatem morbi, id postulantis.

Usus Mechanicus. Pulvis aureus simplex absque antimonio, & superius in crucibulo calcinatus, curiosum adhuc alium habet usum, nempè quod omne argentum sola affrictione deaurare solet, quod secretum causa curiositatis olim, à Serenissima Ludovica Maria p. m. Regina Pol. sæpè fuit tentatum & probatum.

Ex *pulvere aureo* p. j. & *pulvere split.* p. xx.

Invicem commixtis fit & ille summè purpureus & Regius color, in igne semper constans & durabilis, (Germ. *das Gold Purpur*) quem, in ornando & pingendo auro, Aurifabri adhibere solent. Secretum in Gallia jam multis notum. Sed melius succedit hoc, si loco pulveris hujus aurei, crocus solis Cnœffelianus pulveri split admisceatur; quod & ipsemet vidi.

Bezoarticum minerale per detonationem.

℞. *Butyri* ♁ii *rec.* q. v. affunde guttatim 🜄 *font. simplicis & puræ* q. s. infusum præcipitabitur in pulverem album, mercurium vitæ dictum, qui studio exsiccandus est.

Jam ℞. ⦶i *alb. & pur.* q. v. ex gr. partes iv. Cui & in crucibulo, super △nem liquato, sæpius reiteratis vicibus injiciatur.

☿ii *albi, vitæ dicti & superius reservati* p. j.

Fluant simul per horæ quadrantis spatium, vel diutius, Massam refrigeratam, ex crucibulo separatam, & prius pulverisatam, aqua simplici affusa repetitis vicibus ablue, & ab omni nitrosa salsedine edulcora; pulvis tandem bezoarticus albus & lactescens, in filtro papyraceo relictus, bene exsiccetur, & in vitro bene clauso, studiosè asservetur, qui nihil aliud est, quam mercurius vitæ correctus, & longe differt à bezoartico minerali, consueto modo parato.

Vires conveniunt cum cerussa antimoniali, ex Regulô parata.

Dosis est à gr. v. ad ℈ß. & gr. xv. in bolo parato ex conserva aliqua, vel cum alijs pulveribus, superbibendo, vinum, jusculum, vel aliquid aliud conveniens.

Pulvis diaphoreticus diurnus.

℞. *Flor.* 🜍*ris*, ♁*ij. fix. diaphoret.* ana ʒxij. *baccar. lauri pulveriſ.* ʒvj. M.F. pulvis, ſignetur ut ſupra.

Pulvis diaphoreticus nocturnus.

℞. *Pulv. diaphoret. diurn.* ℈iſs. *extract. noſtr. ſedativi* gr. ij.

M. F. pulvis, dividatur in ij. part. æquales ad ij. chartas.

Signetur ut ſupra.

Diaphoreticum hoc in forma pulveris magnarum eſt virium, ſanguinem enim mundificat, luem veneream & ſcabiem curat, & in febribus malignis & morbis contagioſis eſt medicina ad expellendum intrò hoſpitantem hoſtem per ſudores mirificè adjuvans.

Diaprassii, vid. *Pulvis.*

Diaprunum, vid. *Electuarium.*

Diarrhodon, vid. *Pulvis.*

Diascordium, vid. *Electuarium.*

Diasebesten, vid. *Electuarium.*

Diasenna, vid. *Electuarium.*

Diatessaron, vid. *Theriaca*, *Electuarium.*

Diathamaron, vid. *Diacomeron.*

Diatragacanthi, vid. *Pulvis.*

Diatriasantali, vid. *Pulvis.*

Diatrium Pipereon, vid. *Pulvis.*

Diaxilaloes, vid. *Pulvis.*

DICTAMNUS.

Dictamnus nomen accepiſſe dicitur ἀπὸ τοῦ τίκτειν à pariendo, eò quòd ut Dioſcor. & Theophr. ὀξυτόκιον ἐςὶ partus acceleret, cùm non modo potum, ſed appoſitum quoque partus defunctos ejiciat.

Folijs valdè tomentoſis & incanis, atque capitulorum ſquamis majoribus à Majorana & Origano differt.

Nomina Dictamnus Creticus *C. B. Park.* Dictam. Cretica ſive vera *J. B.* Dictamnum creticum *Ger.*

Caulibus eſt hirſutis, nonnihil purpuraſcentibus ex quorum geniculis adverſi oriuntur rami, & ex his eodem ordine alij: *foliorum* circumſcriptio ferè circinata, interdum oblongior, uncialis, ſubſtantiâ caneſcente tomento undique obductâ, odoris validi, ſaporis acris. *Capitula* ramulorum extremis incidentia, ſpicam mentiuntur longiuſculam, è folijs Majoranæ majoribus, exterius purpuraſcentibus, ſquammatim incumbentibus compacta, quorum è ſinu promuntur *Flores* purpuraſcentes, tubuli patuli formâ, prominentibus ex hiatu ſtaminulis, calici inſidentes ſtriato.

Tenella eſt planta, frigoris impatiens & hyemes noſtras ægrè tolerans. Obſervante J. Bauhino, niſi pangantur plantæ, rarò etiam diligenter aſſervatæ per hyemem durant. Satius igitur eſt ut ſurculis propagetur, qui in alterum annum florem producunt.

Vires. Præſtat omnia quæ Sativum Pulegium, ſed efficacius multò. Nam non potum modò ſed & appoſitum ac ſuffitum partus mortuos ejicit. Aiunt & in Creta capras tela quibus ictæ ſunt, hujus herbæ paſtu excutere. Porrò purgandi vim habet illitus, aut cum polenta affrictus. Impoſita verò herba plantæ pedum reliquoque corpori impactos aculeos refigit extrahitque. Eſt & efficax ad lienis dolorem, ſiquidem ipſum imminuit. Radix guſtu excalfacit, necnon & partum accelerat. Sed & ſuccus cum vino potus contra venenatorum morſus auxilio eſt. Herbæ verò tanta vis eſt, ut ictu venenato ſævientes beſtias & olfactu abigat, & contactu perimat. Cæterùm expreſſus ex ea ſuccus vulneribus ferro illatis, aut venenatis morſibus inſtillatus præſentaneo eſt remedio, ſi prætereà in potu aſſumatur. *Hæc Dioſcorides.*

Hippocrates, referente Galeno, ad ſecundas remorantes inter præſtantes quas novit medicinas ponit Dictamnum: & ſi propinetur ex vino ad molam expellendam. Autore Plinio menſes ciet; partus mortuos vel tranſverſos ejicit. Nec potu tantùm, ſed & illitu & ſuffitu valet. Adeò ad hæc efficax eſt, ut ne in cubiculum quidem prægnantium inferatur. Quis hæc credat?

Thadæus Dunus, ut è J. Bauhino habeo, mulieri quam morituram omnes arbitrabantur ex fœtu mortuo poſt alia medicamenta in balneo ſedenti dedit pulveris foliorum dictamni cretici obolum ex aqua fontana: quibus peractis ſperavit ille, ut ait, rem ex voto ſucceſſuram: Omnia enim ad imum ventrem vergere videbantur. Eâ nocte ſatis commodè habuit, ſed non dormivit. Antè diluculum mortuum fœtum feliciter expulit. Et facilè quidem dictamnum ſumitur, cùm alia quæ fœtus mortuos expellunt vel nimis amara, vel fœtentia, vel nimis acra, vel ſtomacho inimica ſunt, & nocere poſſunt. *Raius in Hiſt. Plan.*

DIGERERE.

Digerere, i. e. blando calore fovere. *Schrod.*

Per digeſtionem intelligimus propriè operationem, quæ à continuato calore eſt, qua vel ſolvenda vel extrahenda quaſi foventur. *Hac ſcilicet digeſtione intenditur, ut vel cum vel ſine menſtruo ac per ſe quadam extrahantur, præter illud verò etiam illorum digeſtio inſtitui ſolet*, quanquam ejus anteà dictus primarius ſit uſus, illarum rerum, quæ conjungendæ ſunt, e. gr. ſpiritum vini cum ſpiritibus vini. Imò latiùs extenditur, operationis hujus uſus, & fixationibus etiam applicatur: Ita dum v. gr. Sulphur Antimonii lento ac continuo igne fovetur, ut vim vomitoriam amittat, fixatio quidem hæc eorum dicitur; ſed fit tamen etiam digeſtione; Et hi præcipuè ſunt fines, propter quos digeſtiones inſtituimus.

Cauſas jam innuimus, quæ digeſtioni poſſunt adſeribi, ſuntque externus præcipuè Ignis vulgaris, vel quicunque alius in locum ejus ſuccedens, de quo in cap. de inſtrumentis fuit actum. Dictum ibi eſt, externum calorem intrinſecum cujuſcunque rei, quæ digeritur, excitare, idque ita intelligendum: *ſi digeſtio cum menſtruo fit, id ipſum à calore compellitur quaſi, ut particulis ſuis ſalinis oleoſis eò magis corpora permeet ad res ſolvendas, ſi verò menſtruum non accedit, ipſius mixti, quod in digeſtione eſt, partes intrinſecè oleoſæ, ſalinæ, &c. excitantur, ut clauſtra corporum ſuorum liberent ipſa, inque conſpectum veniant, præſertim ſi blanda ac diuturna caloris actio accedat.* Nec mirum proindè, v. g. lumbricos, inſectalia, digeſtione tandemque in liquorem abire, ut in doctrina de ſpiritibus dicetur: eſt enim ſal volatile eorum urinoſum, & tenuiſſimæ & membranaceæ ſunt partes facilè ſolubiles, à quibus ſal illud continetur. Imò mineras biſmuthi &c. Tandem tandemque fatiſcere quaſi hac digeſtione in aquam abire experientia conſtat; (vid. elegantiſſimus tractatus Dr. Hauptmanni de centum miraculis alicujus metallici ſubjecti in aquam reſoluti) nam mineris illius partes itidem ſunt ſalino mercuriales, utut intimis abſconditæ clauſtris, quod omnes, ut obiter hoc addam, difficultates (Lap. Philoſ.) in negotio Phi-

philosophico parit. *Non autem credendum est, omni in solutione ac digestione externum necessario requiri calorem*, videmus enim, si menstruum in subsidium vocatur, extra etiam ignem suum exserere effectum, qui digestionis alioquin est. Oleosi & salini liquores menstruales descripti in antecedentibus protinus ex. g. resinosa solvunt, extrahunt; spiritus Ammoniaci sine igne tincturam veneris cœruleam extrahit, sed melius, si externus accedat calor, operatio procedit & difficulter cum illa agitur, si solutio aliqua per se fieri debeat. *In conjunctione spirituum calor digestionis non minus in causa est ut alterum alterum ex particulis salinis quantum quidem eorum natura hoc permittit, arripiat, sibique uniat. Denique in digestionibus, quas fixationes esse diximus, sensim sensimque noxium sulfur expirat*, idque ex doctrina de fixatione sulphurum pluribus innotescet.

Visis *digestionum* causis ad ipsam jam operationem & Enchirises ejus progredimur. Phiola seu cucurbita, quæ materiam digerendam continet ventris amplioris esse debet, ut tertia solummodò pars ejus adimpleatur; sic enim eò melius spirituosus præcipuè liquor menstrui defungitur munere retinebitur, alias rupturæ periculum imminet. Observandum hoc quoque est in illis digestionibus, quæ solam sine menstruo materiam fovent. Hoc enim frequentissimè evenire solet, ut dum intensior accedit calor, spirituosa vis acta eo nimium, vitrum deficiat omne frangatque, quod tribus vicibus in circulatione specierum Elixiris proprietatis per se facta contigisse mihi memini. Accedit hæc ratio, si materiæ digerendæ nimium vitro inclusum sit, facit illud, quominus rite rectéque separatio fiat. In digestione urinosorum cum spiritibus vini, sæpe sal volatile collum petit ipsius vasis, & ulteriore actum calore idem damnum affert. Tutò procedimus, si digestiones sub Alembico vase recipiente instructo instituamus: sic enim si quid spirituosi ascendat sine noxâ recipienti excipitur, illud verò denuo defundi materiæ debet. Communiter actores alembicum cœcum ad digestionum usus commendant, sed hoc habet incommodi, ut si quid spirituosi in eum sublimatum fuerit, iterum descendere nequeat, sed non clausis præcipuè probè juncturis, per illas expiret. In Phiolis si aliquid digeratur, possunt illæ hermeticè sigillari quod ipsum dum fit, & minutissimum illud foramen, quod à colliquatione aptum remanet, sic relinquantur, tutò possumus procedere aëri quippè accessus patet liber quadantenus, nec tamen tantum liquoris expirat, quantum quidem jacturam aliquam facere posset. Quæ in digestione sunt cum menstruis, pro meliori extractione & solutione subinde agitari debent, præsertim cum in quibusdam extrahenda materia fundum nimium petat, isque eò conglobetur. Matraciis potissimum utimur, ut in latiore eorum fundo solvenda per se materia ob dictas paulò antè rationes exporrigi possit ac dispergi. Siquid spirituosi, vel, ut paulò ante innuimus salis volatilis superiora vasorum, quæ digestioni inserviunt, petat, elui id debet, ac materiæ suæ restitui. Cucurbitæ ampliores supernus operculo ligneo, vel vitreo, ac Hispanica cerâ benè lutatæ sufficiunt digestionibus omnibus, dummodo salis accurata habeatur ratio, nec scilicet superior vitri pars ac collum incalescat. Furnum verò digestionis ac Balneum, quod instituto huic inservit, suprà descripsimus. Ex his, quæ de digestione dicta sunt, innotescit, quid extractio sit, quidve de ea observandum veniet. *Extractio fit cum digestione ac separatim nobilioris ab ignobiliore parte intendit*, ut in croco videre est, qui iteratò extractus sine odore & sapore, instar filiorum tandem remanet. Quæ extrahi debeant, diximus suo loco, hic solum modo notandum, ratione liquoris extrahentis attendi debere axioma cap. 3. & affusionem novi menstrui repetendam esse, donec nihil amplius extrahatur; cujus signum est, quando colorem ipsum menstruum non amplius mutat ac tingitur.

Species digestionis circulatio est, quam sic vocamus, quia in eo liquor ascendendo & descendendo quasi quosdam circulos conficit, ut in antecedentibus jam monuimus. *Duas scilicet ob causas circulationem instituimus potissimum: prima est, ut conjungendi spiritus ac liquores sic acti invicem ac reacti eo melius se uniant. 2. ut solvenda aliqua materia ab essentia & liquore suo eò melius ac citius recludatur.* Eum in finem adhibemus instrumenta circulatoria propterea dicta, qualia supra citato loco omnis generis à veteribus excogitata esse diximus Pelicanum &c. sed varios illos gyros & anfractus aut rarò periculum rupturæ inferre non minus monuimus siquidem spiritus coarctati in iis, impetum faciunt.

In antecedentibus descripsimus aliquod circulatorium, quod instituto omni ex parte satisfaciat; *alioquin & in ejus locum Phiola Hermeticè sigillata substitui potest, jam dictum est. Species aliqua circulationis est media via, quam Helmontius ita vocat, intellige in omnes extractiones cum spiritu vini ac liquore alkabest.* Hæc verò potissimum procedit in resinosis & aromatibus, quæ ex parte oleosa existunt v. g. ita conficitur Elixir proprietatis album. Aromata, scilicet crocus, Aloë, Myrrha, sola sine effusione alicujus menstrui Phiolæ includuntur ac digeruntur, sic dicta illa pars oleosa à calore acta, ascendendo, & descendendo in istiusmodi Elixir abit. Hæc Elixiria, ut jam diximus, & oleosa potissimum parte consistunt; reliquum quippè partes fixiores ac resinosas adhuc continet, & licet diuturno calore (durat enim per aliquot septimanas circulatio hæc) ipsæ species conglobentur quasi ac nigræ evadant; nihilominus tamen ex iis separata etiam cum spiritu vini, communis extractio fieri potest; dummodò non violentia sulphuris accedat, an empyreumatis causa; sanè essentiæ illæ maximæ sunt virtutis, deque odore & sapore mixtorum suorum participant, quia ex oleis suis consistunt, in quibus, ut alibi diximus concentrata Crasis est. Ex commiseratione modum hunc mediæ viæ tradidisse se contendit Helmontius: non tamen ei tantum tribui debet, modo non ipsemet commiserationem mereatur: tantillum quippè olei est, quod recluditur ac separatur quale forsitam destillatione æquè commodè separari posset, *in aromatibus præcipuè. Sic enim factæ essentiæ mediâ scilicet viâ ab oleis non differunt; mixtæ enim cum aquis lactescunt, pingues in circulatione agunt strias.* Facile autem non separantur, si mixta humidiora non sint, in croco, recenti potissimum, humiditas est, quæ ad dissolutionem facit, illáque jugi circulatione parti oleosæ se admiscet. Hocque unicum est beneficium circulationis hujus. *Incommodum autem in hac operatione affert, 1. quod facilè sic dicta nobis mixta adurantur & conglobentur*, qua de causa omnis essentia eorum separari nequit, estque exiguus sanè proventus ejus. 2. *Quod aridiora utut illa ex parte oleosa constent, antequam suam essentiam amittant, (ut modo diximus) adurantur; unde ex instituto*

est

est liquore aliquo convenienti oleoso ea conspergere, ut eo melius separatio succedat. Potest etiam menstruum aliquod addi salinum ac solubile, quod solvendo partes mixtorum, ad meliorem separationem facit; sed & hic attendendum, ne alienus ac ingratus sapor, vel odor à menstruis essentiis illis accedat; hoc enim contigit mihi cum dicto illo Elixiri albo, cum speciebus ejus arcanum tartari addidissem, spiritus enim acetosus ex eo ob oleum suum, quod continet, non gratus adeò cum essentia odorata alioquin ab balsamica sese conjunxerat. 3. *Ultimo de mediâ hâc viâ notandum, in viâ eam permanere, nec evagari adeo, solvendu, ut diximus, aromatibus & resinis, quæ partes oleosas continent, inservit; in mineralia nil quicquam juris habet, nec compactas animalium partes attingit.* Horum enim ut ex antecedentibus patet, mera, ac totius corporis solutio est, difficilis ac longi temporis in metallicis, non æquè in animalibus ut de lumbricis, secundina, dicetur in sequentibus. *Jacob. Barner.*

DIGESTIVA.

Digestiva medicamenta ea dicuntur quæ vel calorem ventriculi naturalem excitando, fermentaque ejusdem exacuendo, alimentorum concoctionem promovent, vel quæ humores præparando & disponendo ad separationem ac segregationem inutilium ab utilibus, ante purgantium usum sunt usitatissima.

Cacochymia duo indicat, non sola alterantia, quæ ad frugem reducant eandem, sed & purgantia, quæ educant. 2. ad purgationem requiri tria: humores ad purgandum indicantes & aptos, vias liberas, & naturam seu archeum excretioni illi præsidentem. Inde enim receptâ in scholis medicis sententiâ lenientia vijs debentur, digestiva humoribus, purgantia ipsi naturæ stimulandæ ad evacuandum.

Dicuntur *Præparantia*, quæcunque apparant & velut præparant humores, ut excerni possint, prodromi purgantium. Dicuntur *Digestiva*, quasi πεπασμὸν præstantia humoribus crudis indispositis; non aliter ac digestione chimicâ sulphura immatura corriguntur, & secretio utilis ab inutili promovetur; non aliter ac digestiva chirurgis audiunt suppurationem promoventia. *Digestif.* i. e. *eyter-machend Sälblein.*

Sunt ergò præparantia seu digestiva, quæ alterando vitiosas humorum qualitates illos apparant & præparant eductioni. Indicans primarium est cacochymia, seu humores vitiosi, tum in M. S. contenti, tum in primis vijs scatentes, tum denique medio modo se habentes. Adeoque competunt morbis humoralibus, quorum minera & fomes non solùm alterari, sed & evacuari desiderat. Laboret v. g. quis febri intermittente tertianâ, vel quartanâ, inprimis intimius hærente μιάσματι, ut non solo purgante vel vomitorio expediri multò minus præcipitantibus subigi possit, opus est præparantibus quæ aptent peregrinam illam qualitatem humoris. Sic & in arthriticis, hypochondriacis, ictericis, alijsque id valet. Neque etiam in infimo ventre tantum consistentibus morbis debentur, sed & in supremo & medio, licet paulò remotius & mediatè ibi magis agant, fomitem nihilominus generalem sustinente infimo isto. Quin nec hoc loco consistentes humores æquè obsecundant medicamentis, incidendi & corrigendi, licet facilius tunc succedat effectus, modò non fermentum glandulis mesentericis & intestinalibus altius inhæreat.

Testatur verò experientia id necessarium esse omninò, cum (1.) non promiscuè prosint purgantia, vel exhibenda sint. Accidit id non solum empiricis, non solùm vulgò, sed & medicis ipsis, ut generosa quoque emetica & purgantia non tollant morbum, vel saltim non tam benè, imò toto die, ut non purgent omninò. Hinc quæ longo tempore sunt congesta, non tam promptè brevi morâ expediri amant, ut τὸ per ἐπίκρασιν purgare non solùm partitas vices notet medicamenti sæpè, verùm quoque partitas cum alterantibus, ut v. g. in hydrope, consultum est per aliquot dies uti præparantibus seu aperientibus, hinc purgante, hinc iterum illis, ut quod apertum & digestum aptumve ad exeundum redditum, educatur, quod verò educi omne non potuit, ulterius corrigatur & alteretur.

Testatur eadem (2.) non omnes humores æquè facilè purgari, alios esse viscidos, alias fixos, acetosos, immorigeros & rebelles, unde tantò magis archeo resistunt. Qui ergò stimulo egent, monentur hoc ipso, & tolluntur impedimenta, ut excuti queant; qui freno, alterari & ipsi quandoque gestiunt. Hoc cum mirum videri possit, præparantia quoque esse incrassantia aliquando, tenendum est, innui aptitudinem præstandam & respiciendam naturæ. Fieri enim non rarò potest, ut intempestivo stimulo præbito non, οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, educantur, nec cum εὐφορίᾳ hinc eveniat purgatio.

Non differunt præparantia ab alterantibus, sed sunt ipsissima illa, solùm modificata, quod alterent non tam absolutè, ut actionem suam absolvant solâ alteratione, quàm respectivè relata ad purgantia, quibus viam apparant. Hoc si noverimus, clavem habebimus genuinam veræ doctrinæ & variæ præparantium. Et patet hinc ex dictis, evacuantia & alterantia mutuas sibi præstare operas, & esse velut relata quædam medica in morbis, ut non alteremus solum, nisi purgata fuerit materia morbifica, nec purgemus solùm, citra præparantia & alterantia, evacuandam, seu quæ post purgationem eo adhuc eget, donec edometur.

Fundamentum & ratio agendi eorundem consistit in contrarietate. Ut enim quicunque humor non est, aptus ad fluendum, ille neque aptus est ad purgandum; sic ut aptus fiat contrarijs perficiendum est, quod exemplo specialium præparantium clarius erit. Neque ipsi chimici præparandi has regulas aspernantur, nisi quod universalia præparantia in medium adduxerint, quibus tanquam breviori methodo satisfieri indicationibus possit; cum contrà ea Galenici in excessu ferè peccaverint, & seorsim quasi ab ipsis alterantibus præparantia stabiliverint, quod medici superibus seculis apprimè fecerunt, & hodiernum quoque faciunt nonnulli,

Et illa tamen ratio subministravit occasionem cogitandi nobis, an locum habere possit divisio inter præparantia universalia & particularia. Posuêre, ut diximus, chimici tria *universalia* digestiva, singula, si ortum spectes & basin, Tartarea; Tartarum ⊖-latum, cremorem seu crystallos tartari & misturam simplicem. Contrà ea insurgunt alij, assertum negantes, eò, quod ut corporum constitutio & materia peccans variet in substantiâ & qualitatibus, ita etiam diversa requirat præparantia. Et in specie Tartarum ⊖-latum, adde nec reliqua convenire siccis intemperiebus, cum ibi potius sit humectandum. Optimum fuerit, nec hyperbolicis illis laudibus chimicorum moveri æquè, neque tamen dimittere & negligere naturam rerum. Hinc universalia digestiva asserimus & concedimus dari latiori paulò sensu, quæ motui humorum promovendo conveniunt, quæ polychresta sunt, & maximè infimi ventris cruditatibus debita, aperientia & in ordinem redigentis humores.

Particularia verò seu specifica audiunt, quæ huic illi visceri debentur, ut in affectibus soporosis, melancholiâ, vertigine, cephalica in mensium obstructione martialia, (quæ ipsa quoque suo modo universalibus adnumerati possunt,) & uterina, in inappetentia, stomachica, in febribus intermittentibus bili detergendæ & alterandæ apta. Imò ex hypothesi concessa præparantia esse alterantia, hoc ipsum liquet; siquidem & alterantia alia sunt communia, alia specifica.

Finis præparantium secundarius est vias simul respicere,

cere, ut primarius humores, adeoque duplex, vias & humores simul respicere. Optima hinc sunt detersiva, aperientia, unde cum purgantibus præmittantur, etiam illud addi potest, esse eadem vel majoris vel minoris apparatus; majoris, quæ morbo avertendo, minoris, quæ purgando saltim debentur, citra morbi intuitum.

Cumque hoc præstent, facilè efficitur illa cumprimis esse præparantia, quæ aperiendo humectant, & fluxiles reddunt humores, humida, aquea, diluentia. Ita v. g. præparantia febrifuga diebus intermedijs danda optima sunt infusa & tincturæ liquidæ, eamque solemus observare methodum, ut in tempus extra & ante paroxysmum curationem dividamus, extra paroxysmum optima sunt dicta, repetendo etiam ipsa purgantia hinc, donec bilis satis fuerit domita. Idem & de mensium obstructione & alijs valet considerari tamen etiam simul morbi & subjecta par est. In humidioribus, cachecticis, hydropicis, etiam ficciora conveniunt, non tamen sine vehiculo sufficienti; in ficcioribus humida.

Licet verò communiter duplicem hanc formam digestivorum elegerint practici, siruporum & aquarum, de quo verba *Hasfurti l.c.* sunt hæc: Exhibentur digestivæ medicinæ duplici formâ, scilicet siruporum & aquarum, unde & plura talia exempla hinc inde occurrunt; illud tamen non tam universale vel perpetuum est; imò nec necessarium, sed præstat efficaciora chimica simul miscere.

Usus itaque præparantium est adiaphorus, seu indifferens, modò locum habent absolutè, modò necessaria sunt secundum quid, modò omitti possunt. Absolutè necessarius est in morbis lentis, chronicis, asthmate, v. g. & febribus intermittentibus, maximè quartanis; non in febribus acutis & malignis. Non quod non alterandum sit in illâ notoriâ intemperie, sed quod non alteranda materia, quæ expurgari debet. Verbo, in intemperie cum materia, cruda, indigesta, sensu debito, expurgenda.

Specialia præparantia, pro ratione humorum dividi solita, si attendamus, non alia quidem sunt quoad materiam, quàm hactenus exposita, nominanda tamen quoad applicationem & usum specialius. Quoad bilem itaque utut quatenus crassitie & tenuitate peccat, sua quoque postulet remedia, modò incrassantia, modò attenuantia; illa tamen potissimum dicuntur bilem, seu cacochymiam biliosam præparare, quæ sulphur alcalinum ejusdem, adeoque acre, mobile, fervidum domant & fermentativum, unde tàm in quantitate, cui debentur cholagoga, quàm consistentia quoque eadem hinc melius corrigi potest.

Dicuntur illa & sunt ab effectu refrigerantia & temperantia, singula suo modulo agendi, aquea v. g. diluendo & humectando; acidula obtundendo, subamaricantia reserando & abstergendo; unde potissimum huc spectant hepatica frigida, inprimis simul subadstringendo roborantia.

Conveniunt in quovis bilis dicto excessu, febribus intermittentibus & continuis seorsim, ut &, suo respectu, ictero, siti immodica, ardore ventriculi, φλογώσει, gutta rosacea, vigilijs, scabie & similibus.

Sin viscidine, glutinositate, tenacitate & concretione chylus serumve peccet, huic vitio debentur fluxilitatem ipsis fœnerantia, aperientia salsa, aquea, incidentia acida, amara, acria, aromatica, mixta, & concretionem impedientia; utrobique respiciendo simul ad prædominium salis adjuncti, acidi vel salsi. Prosunt in cachexia, cruditatibus, febribus quotidianis, epilepsia, catarrhis, asthmate, lue venerea, fluore albo.

Sin denique acidum fixum, ponticum, acerbum & austerum, vel cum bile confermentatum corrigendum sit, præstant id acido, quieti & fixitati contraria, v. g. invertentia volatilia, quæ sale volatili aromatico vel urinoso pollent, ut antiscorbutica; Deinde & saturantia fixa, inprimis martialia. Tertiò aperientia splenetica & hepatica alia, cumprimis aquea, humores adustos diluentia, salina, aliaque.

Prosunt hæc in affectu hypochondriaco, scorbuto, obstructionibus, delirijs, mania, melancholia simplici & hypochondriaca, cancro, elephantiasi, scabie sicca, ferina & ejus farinæ reliquis.

Communia biliosis ἐργασμὸν patientibus & acidis melancholicis præsidia sunt opiata, & acrimoniam pro re nata refrenantia alia.

Quod serum spectat, verum quidem est, educi purgantibus posse sola quantitate peccans, id ipsum tamen potissimum valet de infimo ventre & cœteris paribus; habet verò itidem exceptionem, in specie in affectibus pectoris. Si serum peccans tussim, catarrhosque excitet, non facilè purgans dare solemus, prius, quàm cocta & maturata probè fuerit materia. Par ratio est affectuum oculorum, ophthalmiæ, imminentis suffusionis & similium. *Wedelius.*

Digestiva, Medicamenta duo Cnöffeliana pro ventriculô, recensente Dom. de Bernits.

Pulvis Puniceus simplex.

℞. *Acidi Tartari* ℥ij ℈ij. *Tart. vitr.* ℈j. *sandali rub* ℈.ß *spir.* ⊖*oli, seu ol.* 🜍*ris, per camp. fact.* gt. xv.

Pulverisatis vitreoque vasi inditis, paulatim spir. ⊖oli, seu ol. 🜍ris affunde, & cum penna anserina continuò miscendo, super cineribus calidis exsicca, & in pulverem tenuissimum, punicei coloris, tere, eumque in vitro puro ad usum necessarium reserva.

Vires & Dosis. In omni obstructione, scil. hepatis, lienis, mesenterij, renum, aliorumque viscerum, maximè in affectu hypochondriaco, medicina est salutaris ac tuta. Est & hic pulvis digestivum quasi universale, quod catharticis præmitti solet, & insuper excitamentum appetitus excellens. Not. Phthisici, hæmoptoici & catarrhosi, salsis & acribus fluxionibus ad pectus delabentibus, abstineant tamen ab ejus usu.

Dosis ordinaria, à ℈j. ad ij. Exhibetur utplurimum jejuno stomacho in brodio carnis seu brancæ ursinæ vel alio conveniente liquore, sæpius dosin reiterando.

Pulvis Digestivus ordinarius
S. R. M. Uladislao IV.

à Dn. D. Cnœffelio præscriptus.

℞. *Acidi Tartari albissimi* ℥ß. *Tartari* ⊖*ti* ℥ij. ⊖*is essentialis, (acetosellæ)* ⤳ ⊖*li coagulati*, ana ℨj. TRæ *sandali rub.* q. s.

Misce in mortario vitreo, postea adde,

Sacch. citrat. ℥ij. *essent. citri excort. citri recent. extract.* gr.

Misce iterum divide in 10. partes æquales, ad 10 chartas.

Easdem habet hic pulvis virtutes cum superiore Puniceo simplici in morbis nempe chronicis, arthriticis & tartareis contumacibus & digestione egentibus Usum hujus pulveris S. R. Maj. aliquando ad 14. dies continuavit.

DIGITALIS.

Digitalis à flore Digitale seu Dactylothecam referente dicta est, nec alio opus habet *Charactere* generico quàm hujusmodi flore concavo, labiato, pendulo, cum vasculo bivalvi.

Vires. Digitalis herba emetica est. Somerseti Angliæ rustica turba hujus, decocto febricitantibus purgationes & interdum super purgationes & vomitiones humidioribus alvo molitur. *Lob. obs.*

Parkinsonus efficacem esse contra Epilepsiam affirmat, si duo ejus manipuli cum ℥iv. Polypodii quercini in cerevisia decoquatur, & decoctum propinetur. Qui enim 26. annos continuos eo morbo laborarant ita ut singulis mensibus bis, terve caderent, hujus decocti usu penitus liberati sunt, saltem per integros sedecim menses nè unum quidem paroxysmum senserunt. *Verùm medicamentum hoc robustioribus tantùm convenit, siquidem violenter admodum purgat & vomitiones immanes excitat.*

Strumosis conducere tritam & impositam succumve ejus in unguento experientiâ compertum est. *Park.* Novi plures (inquit D Batesius in M S. nondum edito) qui in strumosis tumoribus digitalis floribus valdè confidunt, quos quidam in butyro Majali, quot possunt immittentes curant insolando per æstatem. Alii cum adipe porcino miscent, & sub terra defodiunt per quadraginta dies, utrique flores cum unguento reservant, una linteis inducunt & tumoribus applicant: hosce tumoribus discutiendis vel maturandis, ulceribus detergendis vel explendis sufficere ferunt se expertos. Quinto & sexto quoque die Diacarthamo purgant, interim continuè decoctum herbæ Robertianæ præbent: pars ulceris rubens parte unguenti tenuiore illinatur: pars autem crassior unguenti linteamini imponatur, quod nunquam mutetur. Sunt qui novella & primò erumpentia plantæ germina accipiunt, eorumque succum expressum in butyro coquunt ad succi consumptionem, atque hoc novo succo addito bis terve repetunt.

N. 1. Oportet ut paretur sufficiens quantitas unguenti eo anni tempore quo flores haberi possunt, cùm nonnunquam integer annus aut eo amplius ad curam perficiendam requiratur.

N. 2. Quamvis ulcera 1°. majora fiant nè metuas, siquidem unguentum postquam humores omnes absumpserit & exsiccaverit, ea demum sanabit & cute obducet.

N. 3. Unguentum hoc in Scrophulis humidis & purè manantibus præcipuè utile est, in siccis parum valet; sed ad Basilicon & præcipitatum confugiendum. Habui ex relatione viri amicissimi, tum rei Herbariæ tum totius Medicinæ peritissimi *D. E. Hulse.*

Proverbium est Italicum *Aralda tute le piaghe salda.* i. e. digitalis sanat omnia vulnera. *Raius in Hist. Plant.*

DIGITATUS.

Digitatum folium nobis cum Jungio dicitur, in quo plures laciniæ seu plura simplicia folia quasi ad unum petioli punctum sive terminum aptata sunt, ut in *Pentaphyllo, Lupino, Cannabe, vitice, Trifoliis, fragaria,* &c. *Raius in Hist. Plant.*

DIONYSIA.

Dionysia, sive *Dionysias* Plinii est species quædam lapidis preciosi, duri, nigri, maculis rubris variegati. Credunt hunc lapidem subtilissimè tritum ac aquæ infusum huic vini saporem conciliare, ac ea propter illum *Dionysiam* à Patre Dionysiô, seu Bacchô denominant.

DIPHRYGES.

Diphryges est fæx quædam metallica quæ sub ære fusô ac aquâ aspersô reperitur. Siccatur hæc materia ad ignem & in usum reponitur. Saporis est acris, viriumque est detersivarum ac adstringentium. Adhibetur in mundificandis & desiccandis veteribus ulceribus: verùm quia rarior est materia, illi tuthia commodè substituitur.

DIPLOMA, vid. *Ignis.*

DIPSACUS, vid. *Virga Pastoris.*

DIPSAS, vid. *Serpens.*

DIPTAMUM, vid. *Dictamnus.*

DISCUS.

Discus est media pars floris compositi ex compressis & confertis flosculis ita ut unam quasi apparentem superficiem constituat, ut in Caltha, flore Solis, &c. à similitudine *disci* cujus figura plana erat ac rotunda, ut ex veteri statua apparet. Hinc Sol græcis discus appellatur. Erat autem discus moles aliqua è plumbo alióve metallo quam jacientes athletæ inter se decertabant. *Raius Hist. Pl.*

DISCUTIENTIA, vid. *Resolventia.*

DISPENSARE.

Dispensari dicitur compositum, dum simplicia, quæ compositum ingrediuntur, seliguntur, & pro composito inde parando adaptantur. *Schrod.*

DISPENSATORIUM, vid. *Antidotarium.*

DISSOLVERE & DISSOLUTIO.

De simplici Dissolutione non opus est ut hic pluribus agamus, ad aliam quæ apud Chymicos in usu est transeuntes.

Utut Chymiæ usus modò physicus, modo pharmaceuticus, modo alchymisticus, modo mechanicus magis finem hujus artis ultimum, seu externum, aut secundarium, variè determinet; ita ut nunc mixtorum naturalium principia, affectiones harumque æthiologiam Philosophus per illam scrutetur, nunc medicaminum confectionem Medicus pro scopo laborum suorum Chymicorum habeat, nunc metallorum exaltationem atque transmutationem Alchymista quærat, nunc opifex malthæ confectionem, cerevisiæ coctionem, vitrorum conflationem, mineralium depurationem & probationem, tincturarum præparationem ac inductionem &c. intendat: Medium tamen, seu internum, aut primarium, i. e. in quo, tanquam in opere perfecto, operatio Chymici, ut talis, cessat, duplicem saltem observamus; quatenus scilicet hæc nulla finium secundarum habitâ ratione, primariam sibi præfigit metam, aut quo corporum naturalium partes disjungat, aut concreta ipsa vel horum partes cum aliis, pariter simplicioribus aut compositis, combinet.

§. 2. Addit equidem binis his (operationibus chymicis generalioribus vulgò dictis) *Sennertus in Institut. & de Consens. & Dissens.* tertium quoddam, nempe Immutationem, seu novi substantiæ modi aut qualitatum aliarum introductionem, quasi scilicet hæc sine solutione & coagulatione contingeret; ejusque species (vel, ex hypothesi nostra, instrumenta remotiora) pronunciat solidi in fluidum & fluidi in solidum redactionem, fixationem atque volatilisationem, ac vitrificationem, quibus tamen in Institutis adhuc plura addit. Sed profectò præter necessitatem entia multiplicat, cùm nullam alterationem absque particularum concreti motu & translocatione, hinc secretione ac adaptione, concipere liceat, prout per exemplorum examen constabit.

§. 3. Quippe primò nullum corpus in fluorem abire potest, nisi ejus partes discontinuentur, harumque spatiolis corpus mobile, seu potiùs actu in motu existens, interjiciatur & adaptetur; sive hoc ignis, sive aër, sive menstruum fluidum quodvis, existat. E contra ex Mercurio v. g fluido præcipitatus aut sublimatus solidior parari nequit, nisi per salium admixtorum vinculum; quod atomos Mercurii currentis non tam immutat, quam sibi combinat: Ita quidem, ut accuratioribus munitis microscopiis in turpetho minerali, Mercurio dulci &c. ipsius Mercurii vivi minima appareant. Deinde

Fixa-

Fixationis atque volatilisationis formale in mera corpusculorum concretione atque solutione consistere videtur: quatenus per hanc mixtum in minima levissima redigitur, horumque aut invicem, aut cum crassiore substantia cohæsio arctior labefactatur, ita ut vel igni soli, vel alijs additamentis combinata, cedant; per illam verò corporum partes sibi aut alijs intimius & firmiùs adaptantur, earumque magis activæ removentur. Tertio in vitrificatione res manifestior est, utpote in qua alcalicæ & terreæ particulæ per ignis violentiam commotæ ita se invicem attenuant, usque dum minimę sibi unitæ pellucidum illud, quod desideramus, vitri corpus constituant.

§. 4. De Diacrisi E. quoniam in præsentiarum mihi dicendum est, advertere me decet ante omnia Lectorē, sermonem mihi haud fore de illa Solutione tantùm, qua corpora ex firmitudinis statu ad fluiditatis statum reducuntur, quamvis hæc inter media dissolutioni nostræ ministrantia non postremum locum obtineat: Sed de compagis mixtorum analysi tali & omni, qua, quod erat unum atque continuum, in partes minimas, modò homogeneas, modò heterogeneas, dividitur, sive per viam humidam (ut technicè loquuntur) sive siccam, hoc contingat.

§. 5. Proin, ut omnem mox vocabuli ambiguitatem declinem, liceat mihi dissolutioni discontinuationis, tanquam synonymi, notionem substituere, aut saltem ambabus his indifferenter uti, quo eò magis pateat, subjectam hujus dissertationis illam mixtorum analysin esse, qua horum continuitas, atomorum vero, illorum texturam constituentium, contiguitas, destruitur; i.e. partes à partibus divelluntur, nulla habita ratione fluiditatis aut soliditatis conditionis, prout inferiùs dicetur.

§. 6. Sc. Objectum dissolutionis concreta sunt, animali, vegetabili & minerali regno inclusa. An elementa quoque ipsi pareant, nemini movebo litem, cùm eorum essentia in Democriti puteo satis adhuc abscondita lateat: nihilominus, non ostante τῷ αὐτὸς ἔφα unius aut alterius Chymiatri, negare per saniorem philosophiam non dubito, elemēta ideo, quod corpora simplicia sint, objectum diacriseos haud esse. Quippe eo ipso, dum corporeitatem, hinc extensionem, ipsis cujuscunq; ordinis philosophi decernunt, divisibilitatem in partes ijsdem non possunt derogare; sub quocunque demum substantiæ modo eadem existere, sibi persuadeant. Sed hæc inter corporum simplicium & mixtorum Dissolutionem admittenda erit disparitas, quod horum partes post sui discontinuationem nonnunquam homogeneæ, nonnunquam heterogeneæ sint; illorum autem minima nunquam, nisi sub conceptum homogeneitatis venire valeant: Sicut autem ab omnibus hactenus, mechanicis æque ac philosophis; aurum v. g. per aquam regis in minima redigi creditum fuit, etsi hujus particulæ eandem cum tota naturam & formam retineant; ita neminem facile simplex corpus, quamvis hujus partes ratione formæ aut texturæ invicem & cum toto conveniant, pro indissolubili venditaturum, confido.

§. 7. Non nego tamen, mixta imprimis esse, quorum discontinuationem Chymicus expetit; quod vel in elementorum horum aut illorum existentia, multò magis essentia, determinanda frustra desudarint per cuncta secula philosophi; vel nullius usus foret ille dissolvendi labor aut conatus: Mixtionis siquidem, seu generationis mixtorum gratia, tantum illa elementorum in minima discerptio contingere debebat, quam Chymicus nunquam intendit, aut intendere potest.

§. 8. Observantur autem hæc contra vel solida, vel fluida, quorum utrumque genus anatomiæ spagyricæ subjicitur, saltem sub hoc discrimine: quod hæc solutioni faciliùs cedant, seu in minima se discerpi patiantur, cum illa majorem apparatum & potiores conatus pro sui discontinuatione exigant, sicut elucescet, si operationes huic scopo inservientes perlustrabimus.

§. 9. Non referam nunc triturationis, contusionis, conquassationis, rasionis, limationis, laminationis, granulationis, calcinationis, dissolutionis & liquationis molimina, quæ sibi peculiaria experiri coguntur solidiora concreta, non autem ferunt vel indigent ad sui dissolutionem sub fluoris conditione existentia: quippe de illis saltem, quæ utrisque sunt communes, dicere nunc sufficiet operationibus, in quarum nihilominùs adaptione de pluribus encheirisibus sollicitos nos esse convenit, antequam ijs pareant solidiora, dum contra leviorem saltem præparationem, molliorem ignem, temporis spatium exilius omnesque circumstantias mitiores postulant fluida. Digestio & fermentatio firmiorum Concretorum aliquot sæpè septimanas, imò menses, exigit, antequam horum particulæ à se invicem secedant, aut menstruo addito combinentur; fluida nec opus habent menstruo, nec tanta temporis tractu, unde nec ignis aut caloris tanto impetu: ita ut succi vegetabilium v.g. expressi faciliùs longè fermententur, quam fructus ipsi, aut aliæ illorum partes, utut conquassatæ; ut taceam nunc, mineralia atque metalla, ratione firmitudinis suæ, nullo modo (nisi forsan per analogiam saltem aliquam & menstruis potentioribus affusis,) subjectum fermentationis aut putrefactionis dici posse. Pariter per evaporationem longè facilius discontinuantur fluida præ solidis, quatenus illorum destillationi primus & mitissimus ignis calor, balnei maris v.g. satis proportionatus est; hæc ignem arenæ intensiorem, aut non rarò reverberij, postulant, i. e. ut tota deflagrent, antequam in particulas homogeneas, aut heterogeneas secedant.

§. 10. Et si forsan contingat, ut in urinæ v. g. fluidæ perfecta fermentatione seu putrefactione plus temporis, i.e. sex vel septem septimanarum consumamus cum vegetabilium quorumcunque, v. g. rosarum, melissæ &c. compages spissior intra octiduum & exile, quod excurrit, sufficienter fermentetur aut putrefiat: hoc peculiari urinæ, similiumque forsan liquorum, texturæ tribuendum venit, quatenus hæc parum admodum acidi, & ejus quidem adeò intimè volatili juncti, involvit, quod ad fermentationem fovendam & exercendam vix sufficiens, ad absolvendam verò, nonnisi tardiùs, adæquatum est. Præterea quamvis observentur aut dari possint corpora quædam solida, quæ levior & brevior ignis impetus discerpit aut solvit ac in sublime rapit, v.g. sulphur, dum in flores sublimatur; contra fluida præsto sint, v.g. oleum vitrioli, quæ non, nisi maxima ignis vi & peculiari insuper encheirisi, per retortam feruntur: Nec hoc tamen antecedanei paragraphi tenorem concutit. Ponderositas siquidem illa singularis, quam olei hujus substantia salina à metallici ipsi annexis & intertextis particulis contraxit, obstaculo est, cur hæc difficulter sublime conscendat: cum sulphuris textura laxior & substantia metallica levior per ignearum particularum motum facilius exagitata fluidæ exhalationis formam mox induant, simulque ad superiora pellatur.

§. 11. Æthiologiam interim hujus disparitatis formalis differentia, quæ solida & fluida intercedit, suggerit. Sc. cùm hæc per illum tantum particularum suarum contactum, quem congregationem quidam ex philosophis perspicacissimis appellant, cohæreant, i.e. eorum minima à materia heterogenea, spatiolis illorum interjecta agitentur, adeoque non, nisi in puncto saltem quodam; se contingant; solidorum vero atomi in plano s. per unionem sibi contiguæ sint & quietæ maneant: fieri aliter nequit, quam ut istorum jamdum per naturam suam in motu exi-

stentes & maximam partem à se divulsæ particulæ tenerum tandem, quod sibi restat, vinculum rumpant, agitatæ sc. à motore quodam externo, hinc à se invicem secedant; horum autem minima quiescentia & contiguitate latiore gaudentia non ab omnibus æquè plagis motorem atque dilaceratorem sui admittant, adeoque non, nisi fortiore impetu, discerpantur, i.e. dissolvantur. Uno verbo sicut quò minor in corpore aliquo resistentia ad divisionem est, eò plus à motoris virtute hoc superatur, quo major, eo minus hujus potentiæ illud paret: Ita, fluidi ratio cùm sit, minùs de resistentiâ ad divisionem habere, solidum vero divisioni & pluralitati propter arctiorem particularum implicationem magis resistat; necessario sequitur, illud ad solutionem majorem, hoc minorem aptitudinem habere. Ut taceam, quamlibet virtutem motivam, qualem in dissolvente supponere jubemur, idem mobile per spatium rarius, hujusq; poros dilatabiles magis, aquam v.g. aut aërem, velocius movere, quam per spatium densius, i.e. reliquam mixti dissolvendi compagem firmiorem, seu hujus poros arctiores, minusque extensibiles.

§. 12. Sed hæc nunc potissima hujus loci erit quæstio; An solutio chymica generationi physicæ ita opponatur, ut quemadmodum hæc prima miscibilia componit & corpus determinatum format, ita illa mixtionem s. texturam hanc dissolvendo ista componentia seorsim denuo oculis exponat, adeoque merè naturalis diei debeat? i. e. An in principia seu elementa sua per artem mixta resolvantur? Hanc equidem quamvis plurimi Chymici triviales asseruerint, adeoque artem spagyricam verum & adæquatum concretorum naturalium in principia sua analystam, & corruptioni physicæ parem, crediderint: præcipites tamen mox in ipso limine se dedisse videntur, dum entis incerti certas affectiones determinare conantur; hoc est, in elementa prima mixtum resolvi affirmant, elementorum suorum existentiam atq; essentiam non tam comprobantes, quam per levè satis credulitatem tantùm supponentes. Investigari enim ante omnia ab ipsis debebat, an ejusmodi principia hypostatica dentur, & vel sub quatuor elementorum peripatheticorum, vel principiorum chymicorum (cujuscunque demum numeri) conceptibus existant, aut unquam extiterint? quod quâ diu sub ambiguitate manet, determinare vix licebit, an mixta in sua elementa prima per chymiam redigantur; cum in quid redigi debeant, seu terminum ad quem motus hujus resolutorij, ignoremus.

§. 13. De cætero nec ullus unquam Chymicorum ejusmodi solutionis productum exhibuit, quod elementarem & simplicem habent naturam: Concedam ipsis Mercurium, sulphur &c. auri, antimonij &c. manebit, tamen quæstio an hæc sint corpora simplicia & mineralium horum prima principia? quod vel ideò nego, quia v. g. sulphur antimonij inflammabile est, hinc æquè ac sulphur commune præter substantiam bituminosam salinam sibi intertextam possidet, dum inter deflagrandum acidû eructat. Sulphuris auri examen sicut mihi nunquam concessum fuit, ita tantùm in præsentiarum allegabo, quæ *Celeberrimus Borrichius* ex communicatione *Paynckii* item ex *Pravot. Hortul. medicin.* de *Rutgeri Timpleri* solutione auri refert, auri sc. folia per plures dies attrita in massam nigram abire, sulphuris odorem omnium naribus adferentem: Verum eò ipso dum sulphur commune hoc redolet, non poterit sulphur elementare dici, seu pro principio auri simplici haberi, quia æquè salinas ac unctuosas partes videtur complecti. Pariter quos metallorum Mercurios nonnulli sibi fingunt, nonnulli forsan possident, (nemini enim de experientia sua litem movebo) illos nec hoc nomine inter principia rerum admittere possum, quod eandem cum Mercurio faciem dicantur præ se ferre; quem tamen corpus mixtum esse, omnes fatentur, licet propter singularem texturam non adeò facile in partes heterogeneas secedat. Salium mineralium verorum & simplicium eductionem equidem non adeò simpliciter admitto, non tamen per ἀπειρίαν meã planè nego: Sed hoc iridem precarium satis mihi videtur, sal hoc principij simplicitate gaudere; cùm eo ipso, quod sub salis forma crystallina observetur, præter simplicius sal terreas particulas sibi combinatas gerere, necesse sit, ut illas taceam, à quibus differentiam, v.g. sal auri à sale ferri &c. recipit conditiones.

§. 14. De vegetabilium nomine principiorum secretis partibus, eadem est dubitandi ratio, quam per bina tamen duntaxat experimenta demonstrabo. Sal vegetabilibus inesse, fateri cogor, nego tamen, hoc sal simplicitatem seu homogeneitatẽ principij habere: quippe eo ipso, dum sub corporeitate aliqua nobis hoc se sistit, aliquid terreæ substantiæ involvit, atque hujus quidem plus, vel minus, prout modo de fixitate, modo volatilitate, magis participat, ut oleaginosæ substantiæ mentionem haud faciam, quam alcalisata sibi intertextam habere, certo constat. Accedit, quod pro solutionis seu secretionis modorum diversitate aliam atque aliam larvam salia hæc præ se ferant, i.e. per coctionem educantur salsa, nitrosa & tartari æmula, per putrefactionem urinosa & volatilia, per distillationem simplicem acida, per incinerationem lixiviosa, quę tandem cuncta vel ita absumit vel involvit fermentatio, ut spiritus, interveniente hac, destillati, sulphurei communiter dicti, non omnem quidem salis subinexistentiam diffiteantur, illud tamen singulari ratione modificatum testentûr, quatenus ad urinosa & acida pleraque, ad tartaros, sal commune & salia alcalisata indifferenter se habent, hinc omnium naturam simul, vel neutrius, involvere, probabile reddunt.

§. 15. Nec major terræ vegetabilium damnatæ inest simplicitas, ratione cujus elementi nomen sibi arrogare posset: recordor siquidem, terream illam substantiam, quæ post salis tartari calcinationem sufficientem, dum hoc per deliquium fluit, remanet & à sale secernitur plane insipida, spiritui vini Tincturam satis intensam induxisse; sine dubiò, quod per calcinationem vehementiorem terreæ atomi cum salinis aliquomodo vitrificatæ, per aeris verò contactum denuo separatæ has spiritui vini concesserint.

§. 16. Inter illa, quæ ex animalibus producit chymia, brevitatis causa nunc salia tantum evolvere placet, & qua superstitione, dicam, an levitate, hæc principiorum cultu venerati fuerint, disquiram: cum mox idem, quod de vegetabilibus, hic pariter exoriatur dubium, qualenam genus salis animalia possideant, nempe, an acidum, an urinosum &c? Dantur siquidem primo animalia, quorum humores manifestè satis acidi existunt, formicæ sc. quatenus harum cumuli hoc non saltem notabiliter spirant, & florum cichorii, borraginis sibi immersorum colorem cœruleũ cum rubro immutant, i.e. his idem exhalatione suâ præstant, quod fumus sulphuris, vitrioli &c. acidus; Sed, prout *Transactiones Philosophicæ Anglorum* perhibent, vel per se, vel cum aqua animalcula hæc destillata spiritum stagmatis viridis æris æmulum, & plumbum atque ferrum rodentem, fundunt. Imo similem aciditatem alijs insectis, præprimis favificis, gregarijs & aculeis munitis, familiarem esse, *Listeri* in allegatis *Transactionibus* annotata experientia suadet, & suspicari jubet, quod de apum & vesparum corrosivo liquore *Hook microgr. obs.* 34. docet. Deinde quamvis per putrefactionem & destillationem ex animalibus salia volatilia seu urinosa eliciantur, quia tamen horum inexistentiam nec in sanguine eorum recentissimo & adhuc calido, nec in eorum, vivorum etiam dissectorum, partibus ullis, nec gustu, nec olfactu deprehendimus: ambigit non immeritò adhuc mens nostra, an sal ejusmodi per chy-

chymiam non tam de novo formetur, quam educatur & separetur. Prius siquidem ut credamus, præter illa, quæ nunc dixi, modò memoratæ formicæ jubent, in quibus acidum sal abundat, & simplici destillatione inde inducitur: Eædem tamen, si putrefactioni prius committantur, spiritum planè urinosum exhibent.

§. 17. Eludunt equidem Chymici nostri, per ignem Philosophi, Peripateticorum experimentum, quo quaternarium elementorum suorum numerum comprobare sategerunt, quasi hoc minùs philosophicum foret, ignem mystorum analystam adæquatum intempestivè supponeret, & pro elementis elementata, aut decomposita potiùs, exhiberet: Quos nihilominus cum per chymiam è concretis producta mox corpora simplicissima & elementa pronuntiant, eidem cum illis immergi luto, *Billichius observ. & paradox. chym. l. 1. cap. 1. & 2. Helmontius tria chymic. princip. & Illustrissimus Philosophus Angliæ, Boyle* in diversis suis scriptis, ex professo autem in *Chymista Scept.* evicerunt. Nolo horum Scriptorum argumenta prolixius enarrare, cum illorum edita omnium volvantur manibus: in præsentiarum siquidem bina sufficiant, quæ per chymiam eductis principiorum naturalium titulum satis dubium reddunt.

§. 18. Scil. *primò* ignis, tanquam potissimi & universalis magis instrumenti chymici, quocunque modo adaptati, incoercibilis observatur impetus, ratione cujus moderatissimus quoque illius gradus satis potens videtur, qui partes quasdam mixtorum, quàm quæ sensus incurrunt, subtiliores destruat atque abigat, nullis vasis, quamvis hermeticè sigillatis, continendas: de quarum quidem existentia alicui nec somniare, multò minus asserere licet, substantias illas binas vel trinas, in quas per artem concretum secedere videmus esse ejus cuncta elementa, horumque mixto non infuisse plura.

§. 19. Ejusmodi verò minima in rerum natura dari, hæc suo concursu & agglomeratione in corpora satis vasta concrescere, ac ab ijsdem pariter exhalare, quamvis omnem sensuum nostrorum aciem fugiant, plurimæ suadent, v. g. illa, quæ modò nominatus *Nobilissimus Boyle de athmosphæris & effluv. ac de porositate vitri pro particulis flammæ ponderab. admi. tend.* tradidit. Neutiquam enim corporis naturam amittit, quod in minima redigitur talia, quæ sensus nostri assequi non valent, cum minimum quoque substantia adhuc extensa & ulterius divisibilis sit: præprimis cum hactenus microscopij auxilio conspicere licuerit corpuscula, propter summam suam exiguitatem olim minus cognita, ac de quibus nullus superiorum seculorum physicus unquam cogitaverat; quæ nihilominus sub illa exiguitate & determinata figura olim & ante microscopiorum inventionem extitisse, sana ratio suadet. V. G. vermiculi illi exilissimi aceto innatantes, vegetabile illud, caulibus folijs & floribus munitum, mucorem constituens, squammæ teredinis dorsum munientes, hujus pedes, cor pulsans pediculi, & ejusmodi generis plura minima, quorum stupenda ferè recenset *Povver in his experimental Philosophie* lib. 1. & *Hook in Micrographia*, ex quibus insuper probabiliter satis inferre, cogimur, dicta corpuscula alijs adhuc partibus longè minoribus, v. g. musculis, vasis, fibris &c. gaudere, quæ nostros sensus, quocunque parastata munitos, imò phantasiam ferè eludunt.

§. 20. Possem pro minimis illis insensibilibus astruendis plura adferre, v. g ramenta illa antimonij, vel mercurij, quæ illius crocus & vitrum, hujus verò substantia integra, liquoribus, cum quibus macerantur, concedunt, quæque à posteriore saltem, sc. per virtutem emeticam & vermes necantem, concludere, oculis minimè usurpare, libet: verùm potiùs nunc *secundo*, attendere conveniet; annon idem ignis, dum partes concretorum in ipso solutionis seu secretionis opere exagitat, has simul in minores, quamvis, primo intuitu, homogeneas, discerpat, & per consequens harum figuram & situm ita immutet, & sub alia specie tecti, hæc nobis appareant, ac revera sunt? id quod à posteriore hoc videtur confirmare, dum plurium corporum per chymiam separatæ partes, si denuo commisceantur & quocunque artificio combinentur, minimè tamen ita sibi connubant, ut compositum inde emergens priori mixto simile prodeat, multò minus idem cum illo evadat; v. g. quamvis vini aut tartari partes studiosè satis colligas, commisceas, conjungere labores &c. nunquam tamen idem, quod olim hæc constituebant, conficies vinum aut tartarum; Ita ut recens hinc ambiguitas emergat, an nimirum illæ secretæ & disjunctæ substantiæ concreto integro actualiter inextiterint, adeoque saltem separentur, an potius per ignem simul velut commutentur & per colliquationis alicujus modum quasi nova pareantur. Quam ambiguitatem non in cerebro saltem meo fictam esse, ut aliam nunc prætercam, salia urinosa seu volatilia, & alcalisata seu fixa docent, quorum neutra sub forma sibi propria, vel sub proprietatibus suis in concretis ullo modo deprehendere valemus, etsi principium salinum his inhærere, & ab ijsdem sine igne quoque evocari posse, notissimum sit: ita ut concludere conveniat, sal quidem his ac illis concretis subesse, aliter tamen hoc modificari, alijsque substantijs diversimodè combinari, per diversas, quibus elicitur encheirises, prout superius jamdum innui. Quibus tamen, tamquam exemplum, unicum equidem, sed manifestum, adjicere placet tartarum, corpus, si terreas impuritates demas, in aqua totum dissolubile, adeoque sine dubio salinum, & quidem acidum, cum nihil aliud, quam acetum coagulatum videatur. Ast huic retortâ excepto ignem suppone, eructabit liquoris acido-salsi mediocrem, olei notabilem quantitatem, remanente sale lixiviali cum terra copiosissima: quæritur ergo, unde ex simplici sale acido, spiritus urinosus, oleum & sal lixiviosum? cum actu hæc inextitisse sensibus refragetur, per ignem sane producta fuisse, suspicari, ratio jubet.

§. 21. Supponens proin cum accuratioris genij Philosophis minima duplicia, prima sc. & secunda quotum illa primæ totius universi materiæ particulæ sunt, quæ utut, quia materiales determinata sua figura gaudeant, propter exiguitatem nihilominus summam sensibus nostris haud patescunt; hæc vero corpuscula seu prima mixta ex præcedentis coagmentata, quæ separatim existentis pariter sensoria nostra fugiunt, combinatæ verò in corporibus magis concretis, v. g. in Terra, Aqua, Sale, Sulphure &c. sub diverso schemate eadem afficiunt: dicursum hunc ita contraho, quod sicut minima, prima nemo, nisi natura, attingit, ita artis potentiam minima secunda, seu prima mixta, terminentur, hac tamen disparitate, ut citra eadem non raro hæc subsistat, ulterius nunquam progrediatur. Quibus si adaptare liceret terminos Billichianos, & duplicem corporum analysin, confusaneam sc. & distinctam, concipere, istam dicerem, quæ concreta in particulas magis compositas, quamvis diversas, redigi, v. g. in decoctis, spiritibus ardentibus, salibus, sulphuribus, oleis &c. interdum tamen eadem vix, nisi in partes integrales tantum frangit, v. g. in metallorum calcibus, quæ quocunque modo paratæ ab igne intensiore proprias denuò formas recuperant: Hanc verò, quæ minimis secundis propiùs accedit, i. e. sulphur v. g. commune aut antimonij in partem bituminosam, salinam & terream, salia & vitriola in substantiam sapidam seu absolutè salinam & terream seu metallicam resolvit.

§. 22. Sed quò tandem ad formalitatem solutionis me recipiam, eam mox sub principium hujus sectionis, binis saltem verbis, in hoc consistere indigitavi ut vinculum mixtorum à motore quodam dissolvatur, & quod antea unum corpus, in plura minora corpuscula redigatur, sc. concretorum analysis spagyrica motus localis quædam species est, quæ locatum à loci, in quo prius erat, lateribus separat, horumq; alijs contiguum reddit; seu quæ vinculum concretionis solvendo particulas à

particulis ipsis contiguis avellit, hasque transponit, ita ut ex uno corpore molis majoris plura & infinita minima prodeant, quod solus motor externus (juxta axioma, omne quod movetur, ab alio movetur) præstat, nomine solventis ideò veniens.

§. 23. Externum dum appello motorem hunc, non illud profectò intendo, nec intendere possum, quasi hic semper extra ipsum concretum constitutus sit, illudque ambiat, v. g. ignis metallum liquans, Aqua Regis aurum solvens; quippe hujus etiam terminis ille non rarò circumscriptus seu inclusus tenetur, quietus equidem hactenus, sed data occasione in motum se exerens. Ita fermentativa seu putrefactiva corporum solutio principaliter à motore intrinseco, particulis sc. eorum magis activis, emanat: quatenus hæ à reliquis se evolvere gestientes totam mixti compagem distendunt ac dissolvunt, donec sibi de novo implicitæ aut exhalantes residuum quietem denuò relinquant. Pari ratione qui Vitriolum per se in liquorem solvere norunt, (qui singularis, hoc concretum à metallica sua terra liberandi, modus est) solvens intrinsecam aquositatem, à calore ambiente saltèm exagitatam, esse observabunt: eo, quod non tantùm nulla ab extra superaffundatur aut superveniat humiditas, sed quod insuper nulla nec Vitrioli, nec aliorum salium, fieri possit crystallisatio, nisi salina seu vitriolica illa substantia ab aqua proportionatè satis diluatur, adeoque hæc ipsi quasi concoaguletur; quibus accedit, quod Vitriolum calcinatum, i. e. à quo humiditas illa, phlegmatis nomine, evocata fuit, haud amplius, ut ut eodem modo tractatur, deliquescat, sed, ut ut fluorem ejus redigantur particulæ, vehementiore ignis reverberij impulsu opus habeat. Nihilominus principium quoque hoc, intuitu mixti internum equidem respectu particularum movendarum, quas interjacet atque appellit, extrinsecum vocare decebit, dum v.g. pars Vitrioli aquea non se ipsam, sed ejus substantiam salinam, discontinuat atque in motum ciet; in corporum fermentatione principium salinum intrinsecum partes illorum minùs mobiles, v. g. oleosas aut terreas, distrahit, harumque aut cum sibi homogeneis, aut heterogeneis, continuitatem solvit: quamvis & hic motor proximus alium, tanquam remotiorem, planè extra concreti limites constitutum, magisque universalem, non rarò pro moderatore agnoscat.

§. 24. Deprehenduntur siquidem solventia concretorum modò per se in motu existere, i.e. motu perpetuo & sibi quasi concreato gaudere, sc. menstrua fluida quævis, it. Ignis & Aër; modò ab alijs suscitari & actuari, v. g. salia Mercurium solventia & cum hoc in sublimatum abeuntia, Mercurius sulphur comminuens sibique in Cinabari combinans, quæ ignis in motum ciet. Cujus etiam generis sunt alcalia, quæ quamvis in aurum aliàs nullum dominium habeant, nihilominus optimè purificata & in igne fusa illud cum tantillo sulphuris sibi immersum dissolvunt, in motum sc. velocissimum & penetrantissimum ab illius virtute vindicata. Alia solventia intrinseca aër ambiens hujusque appulsus actuat, v. g. sulphur, quod mineræ Martis Solaris inexistens torpidum latitat, aeris verò vi excitatum metallicam hujus substantiam discontinuat; ut nihil addam de concursu aeris & caloris in excitandis & perpetuandis fermentationis vegetabilium adeò manifesto, ut sine hoc illæ vel planè supprimantur, aut lento satis gradu progrediantur. Imo tandem ex hoc fundamento illud axioma Physico-Chymicum Helmontij fluit, *Nulla salia saliunt vel agunt quamdiu sicca, i. e. nisi resolvantur*, seu, quod idem est, nisi ex similitudinis & quietis statu in fluiditatis & motus statum ab alio motore potentiore devehantur: sive hoc, quod Autor hujus theorematis respicere videtur, interveniente fluido aqueo, sive etiam igneo, prout de salibus mercurium rodentibus, mercurio sulphur discontinuante & alcali tartari aurum per ignis impetum solvente modò dictum fuit.

§. 25. De cætero illa ipsa menstrua, quæ alias motu proprio aut aliquid, aut multum in corpora agunt, ab alijs commota potentiora longè evadunt; ita ut v. gr. Aqua regis, spiritus nitri bezoardicus &c. aurum equidem tardiùs & leviter corrodant, ignis autem colore exagitata brevius & efficacius in illud operentur. Olea destillata, alcalibus fixis haud adeo facilè connubilia, per frequentiorem agitationem ac athmosphæræ pressuram horum poris profundiùs impelluntur, ita ut firmius demum adhærescentia & per minima juncta ijs suam volatilitatem communem faciant. Et ne de agitationibus illis, quæ manibus, baculis, vasorum commotione &c fiunt, aliquid nunc proferam, utpote quarum vim pro dissolvendis commodius concretis nec vulgares mechanicos latet: præsto sint macerationes & extractiones, quas aqua, vino, lacte similibusque liquoribus, parum, vel mediocriter saltem, activis adornamus; has siquidem motus ebullitionis à colore externo impressus in tantùm juvat, ut ex cornu Cervi, unicornu vero, ebore &c. concretis sanè firmioris compagis, gelatinam mediante illo exprimere liceat. Inter decoquendam virtutem quandam sanguinis depuratoriam & sudoriferam antimonij corpus aut aquæ saltem simplici, aut particulis salinis aliquantum acuatæ, per macerationem & coctionem concedere, satis innotescit: Sed totum illud per coctionem continuatam cum aqua sale certo impragnata dissolvere atque ita disponere, aut in liquore quovis solubile evadat, phænomenon uti majoris admirationis, sic certissimæ fidei, est, præprimis tamen à motu ebullitionis diutiùs continuato emergens. Oleum anisi, profectò inter olea vegetabilium destillata blandissimum, fragmenta corallorum, propria textura integra ferè manente, in mucilaginem rubicundam haud redegisset, nisi observante *Chymiatro Excellentissimo, Domino Langelotto*, hæc diuturniori exposita digestioni, adeoque olei particulæ à colore furni frequentius & varijs modis in corallia fibratæ fuissent.

§. 26. Et sicut aut propter densiorem magisque compactam texturam, aut propter corticale saltem corporis hujus ac illius involucrum, modò menstruorum particularium, modò ignis, aeris & aquæ, tanquam motorum generaliorum, vis inter solvendum hebescit; ita pro utroque obice subtrahendo non parum facit concretorum attenuatio, comminutio & conquassatio: quatenus his præmissis illorum resistentia minor fit, per consequens solventium motus tantum, quantum illi decedit, intenditur. Possem equidem hoc assertum per experientiam, & quidem juxta enarratas, operationum ministrantium species, confirmare sed nec chymiæ tyronem, nec antistitem, ejusmodi testimonia à me desideratum, vel ideò auguror, quod utriusque hujus oculis & manus idem non valeant non testari: è re præsente potius erit, monere coctionem atque calcinationem, per quas alias immediatè magis corpora plurima dissolvuntur, pariter ut ministras & præcedaneas saltem encheirises ad alia dissolvenda concurrere. Hujus exemplum plumbum sistit, de quo equidem in gratiam *Billichii* asserere nolo, illud, nisi calcinatum haud solvi, felicius nihilominus acetum v. g. in hoc, si potiùs in calcem rubicundam fuerit redactum, agere, fateri omnes cogimur: Illius verò exempla sunt cornu Cervi, ebur &c. quæ commodè menstruis acidis solvere haud licet: nisi per coctionem eorum glutinosa substantia, sub gelatinæ forma, fuerit remota. Sc. biga hæc antecedanearum & præparantium operationum cœmentum illud, quod minima corporum sub una communi forma constrictas tenet, tollit: ita ut hac remota remora menstrui solventis vis, si non augeatur, certè non imminuatur.

§. 27. Soluti tandem post solutionem faciem quod concernit, vix unius generis, sed quadruplex, hæc observatur.

vatur. Nimirum illa corpora, quæ poſt ſui diſcontinuationem ſolventi per ſe mobili juncta manent, ſub fluoris forma exiſtunt, v. g. reſinæ quævis à ſpiritu vini ſolutæ, metalla per ignem fuſa, ſalia ab aqua vel aere liquata. A quibus verò hoc poſt ſolutionem peractam recedit aut removetur iſta *vel* denuo in compagem ſuam priſtinam coaleſcunt, v. g. ſi idem Spiritus vini à reſinis & aqua à ſale abſtrahatur, atque ignis impulſus ceſſet, hinc reſinæ ſalia & metalla compactiora denuo evadunt corpora. Quo ſpectant olea deſtillata diutius aſſervata, quæ temporis tractu in reſinas, tanquam materiam ſuam primigeniam, redeunt, quatenus fluidioribus & mobilibus eorum particulis exhalantibus, reliquis vero ramoſis ſibi denuo implicatis, priſtinam conſiſtentiam recuperant; ita ut oleum terebinthinæ per aliquot menſes in vaſe non ſufficienter obturato obſervatum eandem, quam antea habebat, terebinthinæ formam induat. *Vel* ſolutum vinculo ſuo penitus ablato diſcontinuatum equidem, non tamen ſub fluoris conditione, relinquitur, v. g. ſolutio oculorum cancrorum, coralliorum &c. aceto evaporato ſub pulveris impalpabilis form. Quod ſi vero ſolvens non niſi ab alio, aqua ſc. igne aut aere agitatum, vim ſuam exerat, primo hoc motore recedente quamvis ſolvens ſoluto combinatum maneat, fluiditatem tamen hoc nullam ab iſto, tanquam per ſe immobili, obtinet, ſed ſoliditatem aut primam, aut novam, & cum hac faciem interdum longe aliam, acquirit, Prius docere poterat illa vitrioli ſolutio, cujus ſuperius mentio facta fuit: quippe hæc ſubtracto motore externo ſc. igne, mox priſtinam faciem recuperat, & cryſtalliformis denuo evadit; cum internus & proximus motor ſibi ſoli relictus inſufficiens pro fluore perpetuando exiſtat. Poſterioris autem phænomeni exempla frequentiora ſunt v. g. Sulphur antimonij cum alcali extractum, Mercurius cum ſalibus ſublimatus aut cum horum ſtagmatis præcipitatus, minium cum aceto ſolutum & in cryſtallos ſaccharinos coactum: Sulphuri ſiquidem quamvis firmiùs adhæreſcat alcali, hoc tamen, dum ſuam ab igne mutuatam fluiditatem hoc extincto, perdit, eandem ſulphuri quoq; derogat, quod de Mercurio ſublimato pariter dicendum; Præcipitatus vero & ſaccharum Saturni propter aqueam menſtruorum humiditatem avocatam ſalinis horum particulis, quibus arctius combinata, coagulantur. *Bohnius in Diſſertationibus Chymico-Phyſicis.*

DISTILLARE & DISTILLATIO.

Diſtillationis vox præſupponit propriè humorem, nil enim deſtillari poteſt, quod non ſit humidum. Aſt ratione inſtrumentorum, modique adminiſtrandi plura dicenda veniunt.

(1.) *Alia deſtillatio eſt humida & propriè dicta; alia ſicca & impropriè talis,* quâ de poſt. *Humida* verò iterum valdoperè variat; *alia* enim *eſt* 1. *roſcida,* ubi inſtar roris guttatim alembico adhærent liquidæ particulæ, & hinc concidentes proſtillant; & ſic omnes aquæ ſibi relictæ; non ſpirituoſæ, deſtillant, roratim ſcilicet guttatimque, *daſz es ſich Tropffen vveiſz anhängt.* 2. *alia ſtriata,* ubi in alembico ſtrias pingit liquor, ob partes oleoſas reſolutas, adeoque ſibi adhuc cohærentes magis, quàm partes aqueæ, & ſic omnes ſpiritus φλογιςοὶ prodeunt ſtriatim, V, cochleariæ, juniperi &c. ex parte etiam olea ætherea, ut oleum terebinthinæ Cypriæ veræ. Sic etiam ſpiritus acidi quidam volatiles ſtriatim alembicum tranſeunt, ut ſpiritus ſalis rectificatus & ſpiritus ⊖-li ſtriatus, licet hic (ex ſpiritu ⊖-li philoſophico præparatus) ipſiſſimus ferè ſit ſpiritus ſalis. 3. *alia vapida, nebuloſa,* ſenſim atque ſenſim ipſis nebulis in atomos aqueas reſolutis & nihilominus ſtillantibus, qualia ex mineralibus & ſiccioribus paulò, non tamen humiditate omni, licet ad ſenſum carentibus, v. g. tartaro, ſale, ⊖-lo &c. prodeunt.

(2.) *Quæcunque evaporant, deſtillari queunt, ſive humidæ ſint magis, ſive diſperſa ſit humiditas, & nulla quaſi apparens.* Hinc quò volatiliora & ſpirituoſiora ſubjecta, eò citius in altum evehuntur. Sic deſtillantur volatilia magis & rarefieri apta, minus fixa; ſit ſalia alcalia per ſe inepta ſunt, ut deſtillentur, niſi aliud quid accedat, quod ἀναθυμίασιν promoveat. Sic humida aquoſa tardè, acida tardius, ſpirituoſa citius, ſicciora fortiori clavo debellantur.

(3.) *Fermentata facilius, infermentata difficilius propelluntur;* illa quippe præparata ſunt & liberata à compage. Quæ verò fermentatione mediante deſtillationi ſubjiciuntur, ſpirituoſos fundunt liquores; quæ ſine eâ, aquoſos magis, ſi nempe per ſpiritum ſimul φλογιςὸν intelligamus.

(4.) *Viſcoſa, acida, ſtyptica, deſtillationi minus commoda;* minus enim ſunt evaporabilia, ſed compagibus cohærent firmis & intimiùs viſcida omnia. Omne viſcidum & terreum in fundo remanet, acidum verò propellitur quidem, ſed ſubtilius ſolùm vel aquoſius, niſi interventu particularum terrearum in fluorem adigatur. Hinc

(5.) *Quæ deſtillantur, vel per ſe igni ſubjiciuntur, vel cum additamento,* ut nempè promoveatur evaporatio. Sic quæ per ſe ebulliunt, & in ſpumam abeunt oraſque tranſcendunt, diſpergi debent, ut diſunitæ quaſi particulæ magis & promptius propelli poſſint, ut cera, mel, manna, & ſimilia, quæ reſpectivè anatica, duplâ, triplâ vel ampliori additione arenæ, cinerum, cilicum calcinatorum &c. detinentur quaſi & expanduntur, ut evaporare poſſint, & conſequenter deſtillari: maximè enim hæc dulcia & roſcida cohærent, & in ſpumas & bullas aguntur. Nobis hoc fine in uſu maximè ſunt globuli à deſtillatione ſpiritus ſalis reſidui, qui v. g. cum manna ana ℔j. miſti citra illum metum placidè ſpiritum propelli faciunt, polychreſtum, ſudoriferum & menſtruum egregium præbentem.

(6.) *Quæ funduntur facilè, non facilè verò fluorem ad deſtillationem ſeu fuſionem particularum minimarum ſubeunt, externo egent additamento,* quod nempe illud ipſum impediat. Sic nullum ſal ſibi relictum deſtillationi ſubjici poteſt, non tantùm, quia non evaporat, quod jam dicebamus, ſed etiam quia funditur. Omnis verò fuſio deſtillationi eſt inepta. Hinc ad ſpiritum ſalis tripla proportio boli additur, factâ formatione in globulos & decenti exſiccatione. Phlegma enim copioſum impedit & protrahit ſpirituum egreſſum; idem valet de ſpiritu nitri, niſi quod citra globulorum efformationem magis fieri conſuevit. Ipſum verò ⊖-lum, cum ochram ſuâ naturâ penes ſe quaſi remixtam habeat, ſolùm ferè non eget externo adjutorio, modò phlegmate ablato accedat ignis ſufficiens tortura.

(7.) *Quæ ligata liberari poſſunt, additamenta & adminiſtrationem quoque aliam deſiderant & expoſcunt.* Sic propellitur ſpiritus ſalis ✻ci & ſimilium lixivi acceſſione cujuſvis ſpiritus prodit, ſive ſal tartari, ad ſpiritum antiquartium dictum, ſeu cineres cribellati communiſſimi, ſeu denique paucis ſumptibus cinerum clavellatorum dupla vel tripla proportio ſubdatur, de quo alibi latius.

(8.) *Primum movens in deſtillatione eſt calor;* Adeoque deſtillatio fit igne artificioſè adminiſtrato. Ignis eſt inſtrumentum generale ad omnes operationes pharmaceuticas, rarefacit & ſolvit, eſtque quaſi menſtruum univerſale, dum vincula ſingulorum reſerat, & omne evaporabile ſucceſſivè è mixtis propellit, & quidem quâ data porta, ſurſum, deorſum, ad latus, unde & tot deſtillationum differentiæ emergunt.

(9.) *Tria ad deſtillationem requiruntur, propulſio, deſtillatio & receptio.* Hinc ad ſingula hæc requiruntur furni ignem foventes, benè aptati, & vaſa. Hinc ut in calcinatione, ita & *in deſtillatione gradus ignis diverſi ſunt obſervandi.* Gradus hi varijs modis diſtingui & præſtari queunt, id quod tamen, præſuppoſitâ majori

vel minori carbonum strue, ad duo quasi summa genera redigi potest.

(10.) *Quò magis admittitur aër, eò gradus intenditur magis; & vice versâ inclusione quasi & defensione calor remittit.* Aer enim ventilat ignem & hospitium ipsi præbet. Hinc flamma aperta, ut in fumo reverberij alias, omnium vehementissima. Hinc ventilabris & operculis calor intenditur vel remittitur, aperiendo vel claudendo.

(11.) *Quò proximius ignis attingit res destillandas, eò gradus est intensior; quò remotius, eò remissior*, quod jam per ipsa instrumenta & modos latius patebit. Reliquæ verò omnes mensuræ graduum vel ad hæc duo referri possunt, vel à posteriori magis & materiæ ipsius diversitate dependent, unde ijs non immorabimur. Hinc.

(12.) *Primus gradus* (respectu ad se invicem habito, & ad destillationem, circa quam versamur) *in balneo, quod Mariæ vocant, secundus in arenâ, tertius in vesicâ, quartus in retorta observatur.* Balneum per analogiam audit, quando nempe alembicus vitreus vel stanneus in aquam calentem ponitur, sive in catino sive alijs modis asservatam, cum corollâ stramineâ &c. & calore hujus aquæ propelluntur & destillantur partes evaporabiles. Hinc balnei inter alia usus primus est ad destillandas aquas vegetabilium, præcipuè ex succis, & animalibus, quæ viva immerguntur liquoribus, mineralia verò balnei imperio non subjiciuntur. Secundus usus ad evaporandum & abstrahendum, v. g. V, qui menstrui vice functus fuit, item ad extracta paranda & inspissationem succorum, *vvegrauchen*, quod sæpè commodè satis fit in vesicis cupreis, quibus fornaces in hypocaustis nostris sunt instructæ, citra ullos sumptus. Tertius communis ferè his usus est, quod balneum empyreuma non conciliat, adeoque: *Quæ facilius evaporant, ut succi, & magis humida sunt, statim quasi sua, magis per balneum destillari possunt.* Pertinent huc etiam alij usus MB. qui citra destillationis intentionem consurgunt, sic decocta parantur ex minus fixis, coquendo in diplomate, vase duplici, seu MB. Sic cornu cervi solâ tali decoctione, ut & dens apri, hippopotami, philosophicè, ut vocant, præparantur, de quo sectione sequenti dicetur.

(13.) *Spiritus vegetabiles per arenam & alembicum magis; aquæ destillatæ communes, spiritus non rectificati, olea magis per vesicam; quæ minus ascendere possunt & sicciora per retortam magis destillantur.* Hinc patet, vegetabilia per alembicum, vesicam, balneum; mineralia magis per retortam destillari. Hinc etiam patet ignem vesicæ, ceu magis immediatum, fortiorem esse igne arenæ, & plura alia. In specie igni arenæ committuntur tum cucurbitæ & alembici, tum retortæ ipsæ, qui modus mansionem quasi quandam gradus constituit; seu, quæ per retortam destillantur, vel immediatè igni committuntur, vel igni arenæ mediatè, ut nempe & partes evaporabiles, volatiles si sint, successivè magis propellantur, & minus empyreuma fiat; (Empyreuma inprimis valet de oleis, minus de terreis & acidis, & frequentissimè fit in retortâ præcipuè immediatè igni commissis;) quod sæpe locum habet. Ut enim spiritus mineralium, ⊖lis, ⊕li & alij, item C. C. solent igne aperto magis destillari: ita quidam (qui volatiliores sunt) satius per arenam destillantur. Sic spiritum tartari & eboris soleo lubentius per retortam in arenâ propellere, longè meliori cum successu, & spiritus etiam majori proventu. Quidam loco arenæ cineres, alij limaturam ferri quandoque recipiunt, ad intendendum vel remittendum gradum, sed eo non opus est, unde ferè exolescere solet hodiè id ipsum.

(14.) *Ut inter agens & patiens in genere, ita inter materiam destillandam, vasa & ignem certa debet esse proportio.* Hinc in genere vasa asservantia cucurbitæ, vesicæ, retortæ, non debent penitus repleri, sed pars circiter altera, tertia vel quarta (pro varietate materiæ) varia relinqui, pro expansionis modulo. Par ratio est ducentium & recipientium vasorum. Magna enim cura esse debet, ne rumpantur vasa & perdatur opera, unde & loricare retortas, præsertim vitreas olim solebant, *mit Leim beschlagen*; quod tamen hodiè itidem ferè exolevit, modò vitra ipsa sint probæ notæ, immediato enim ignis magis terreæ exponuntur. Præcipuè verò in destillationibus per retortam, cum nebularum & vaporum impetuosorum specie destillentur seu propellantur igni commissa, receptaculo opus est benè proportionato & satis capaci.

(15.) *Quæ accendi & detonari apta, per retortam tubulatam destillantur; quæ graviora potissimum, nonnunquam per descensum.* Illa destillatio dicitur *clyssiformis*, & sic destillatur juxta quosdam spiritus nitri, addito subinde sulphure vel sale ammoniaco; inprimis verò clyssus ♉ij uterque, sulphuratus ex ⊕o, ♉io & 🜍e, qui κατ᾽ ἐξοχὴν ita audit, & est medicamentum longe utilissimum, & tartareus ex ⊕o, ♉io & tartaro. Et hoc ipsum consultius est, partitim detonari materiam, quàm sine igne subdito accendere materiam inditam prunâ vel ferro ignito. Modò enim cautè agatur, satis feliciter res procedit. Utut verò destillatio per retortam suo modo quoque fit & dici possit per descensum, attamen & seorsim prædicatur de eâ, quando vas recipiens v. g. olla defigitur in terram, vas verò adservans intermediâ laminâ foraminibus pertusâ igne circulari incalescit, ut hoc pacto descendat evaporabile. Solent hâc ratione nostræ mulierculæ conficere aquam rosarum in mortario, à quo tamen facilè partes æneas combibit. Alij ita parant oleum heraclinum. Frequentius verò in usu est hæc destillatio ad mercurium ex minera suâ proliciendum, quod postmodum ad mercurium corporum seu metallorum applicant alij.

(16.) *Sicciora corpora minorem quantitatem liquoris fundunt; Nebulæ verò si liquido suscipi queant, majori proventu idem provenit.* Certum enim est, nebulas facilius auras quærere, præcipue paulò impetuosiores, ut in spiritu Tartari, & se invicem quasi remorari, ne concentratæ liquorem possint constituere. Hinc utrique huic, ut non avolent, sed colligi queant, & ut promptius resolvantur, prospicitur, liquore in recipientem locato. Sic in spiritu Salis phlegma prodiens primò excipiendis ijsdem inservit, in clyssi destillatione aqua simplex; in spiritus verò Tartari confectione spiritus ipse unâ destillatione collectus, alteri obstetricans. Hinc si ex ♄. iij. v. g. Tartari destillatus fuerit spiritus, in eundemque recipientem, relicto priori stagmate repetatur idem, in majori copiâ spiritum adipiscimur ex ♄vj. circiter ♄j.

(17.) *Destillatio una, licet perfecta, non in omnibus omnes exhaurit spiritus.* Unicum hîc memorabimus ∼um ⊕li, qui ut inexhaustus quasi habetur, ac longiori reliquis torturâ propelli assolet, ita & aeri à quibusdam exponitur, ut regeneretur. Cum verò de hâc regeneratione jam *Anno V. Ephemer. German.* egerimus, id solum addimus, domi habere ⊕lum, licet jam destillatum, quod ab aere petitur, neque enim præter phlegma, fluori vehiculum exhibens, aliud inde accedit. *Wedelius.*

DESTILLATUM, vid. *Aqua Carnis*, sive, *Aqua analeptica*.

DIURETICA.

Diuretica sunt, quæ aquosos humores per urinas, vi peculiari expurgant.

Partes, quibus expurgandis conveniunt, sunt viscera, renes, uterus, vesica, vasorumque genus omne.

Diuretica alia propriè, alia impropriè dicuntur. Propriè vocantur quæ calida & sicca in tertio gradu cùm

cùm sint tenuis substantiæ, in vasa facilè penetrant, humores liquant, sanguinem fundunt; sícque serum separant; quò fit ut facilè deinde renes præterfluat, & cum urinis excernatur.

Impropriè dicuntur diuretica quæ levi quâ pollent vi aperiendi, attenuandi & detergendi urinas simpliciter movent ex Gal. cap. 4. & 5. simpl. súntque moderatè frigida, vel leviter calida.

Usus moderatè refrigerantium est in febribus continuis, intermittentibus, obstructionibus viscerum, & vasorum, cum intemperie calidâ, morbis hypochondriacis, cæterísque melancholicis affectibus; tenum quoque, vesicæ, uteri, &c.

Si Chymiam consulimus, inest iis quæ veræ diuretica sunt sal volatilis, aut acidum volatile, quo serum sanguini, aliísque humoribus immixtum, & à partibus crassis irretitum, dissolvunt: eo penitùs modo, quo lac fervidum in serum solvi deprehendimus liquore acido superaffuso. Neque solum serum sejungitur, sed & partes sanguinis excrementitiæ salinæ, crassæ, terrestres & fæculentæ, quæ simul cum sero convehuntur. Constat ea urinas citare, quæ sale atque etiam acido volatili abundant, ex acidulis mineralibus, spiritibus, tincturis, & salibus tartari, terebinthinæ, nitri, armoniaci, &c seu proximè agant in sanguinem dissolvendo, seu etiam restituant, augeant & exaltent fermentum acidum & lixiviale renibus inhospitans, quo serum à sanguine solvitur & præcipitatur per tubulos in pelvim.

Quæcumque laxant renum substantiam, meatus Lymphaticos, & Bellini ductus patentiores reddunt, urinas sollicitant, ac proindè diuretica, quamvis minùs propriè, dici debent; miscendáque sunt propriè diureticis, ut simul sanguis liquescat in serum, & ductus, quibus excipiatur, patuli existant. Quod in diabete, diathesi nempè contrariâ, contrario modo fit, cui refrigerantia, incrassantia, & modicè adstringentia conveniunt, ut laxiorem sanguinis, & partium urinæ dicatarum compagem, in debitum tonum reducamus.

Prædictis affectibus competunt diuretica magis temperata, de quibus vide caput de emulsione, decocto, jusculis aperientibus temperatis, & de nephriticis, in quibus dissolvi possunt ex chymicis, ea quæ dictis in locis descripta sunt, inter quæ sequentia sunt magis appropriata.

Spiritus salis, vel vitrioli, vel sulphuris ad gutt. x. Cremor tartari chalybeatus ad ʒß. Spiritus tartari à ℈j. ad ℈ij. Spiritus tartari vitriolatus ad ʒß. Tinctura seu acidum tartari ad ʒß. Tinctura salis nitri ad ℈j. Crystalli salis nitri ad ℈j. Spiritus urinosus salis armoniaci ad gutt. vij. vel x. Spiritus vitrioli dulci ad ℈ij. Spiritus Terebinthinæ ad gutt. vj. viij. vel x. Sal stipitum fabarum, succini, Terebinthinæ, scorpionum ad gr. vj. vel ℈ß.

Quorum pleráque licèt sint calida, attamen per accidens refrigerant, quia materiam calidam educunt, frigidorum aperientium sunt vehicula.

Sequens remedium refrigerat, purgátque per urinas & secessum in morbis calidis & obstructionibus viscerum, tum & in urinæ ab iisdem causis suppressione, vel etiam à mucosis & tartareis renum & vesicæ recrementis. Tùm & in iis qui purgatione indigent & horrent alia medicamenta.

℞. Aq. fontis ℔ij. affunde cremor. & salis tartar. pul. ãã ʒij. statim fiet lucta, quâ sedatâ aquam transfunde à vase in vas, totum sume intra horam & singulâ vice unum & alterum cyathum.

Accedunt aquæ minerales, nitrosæ, vitriolatæ, chalybeatæ, quarum usus post universalia evacuantia & alterantia sufficienter adhibita mira præstat ad calidas viscerum discrasias corrigendas, reserandas obstructiones, & humores crassos & viscidos attenuandos, detergendos, & per urinas evacuandos.

Diuretica calida conveniunt morbis à causa frigida productis.

Componuntur in forma decocti, ut suprà capite de nephriticis aperientibus, addendo aliquid ex chymicis, quæ eodem in loco descripta sunt.

In forma julepi, quando in promptu parari debet in urinæ suppressionibus, modò non proveniat ab inflammatione.

℞. Aquar. grami. ceref. an. ℥iij. spirit. salis nitri ℈ß. salis succini, stipitum fabarum, vel Terebinthinæ gr. v. syrupi capill. vener ℥j. Fiat julep. Vel

℞. Decoct. vel aq. parietar. ℥viij. succi limon. & olei amygd. dulc. recenter sine igne extracti ãã ℥jß. Misce capiat in haustu.

Prodest calculosis, nephritidi à crassis humoribus, suppressioni urinæ ab iisdem causis, &c. Vel

℞. Aquarum stipitis fabar. & flor. malvæ ãã ℥ijß. spir. Terebinth. gutt. iv. vel spirit. volatilis salis armoniaci gutt. x. Fiat julep. In defectu hujusmodi aquarum adhiberi potest aqua, vel decoct. malv. pariet. graminis, &c.

Abstinendum diureticis in tabidis, macie confectis, instrumentis urinæ exulceratis, aut inflammatis; pudendis, utero affectis, repletâ vesicâ, viarum obstructione, dum multa est adhuc materia, aut scatent sordibus ventriculus, & intestina; ne penitiùs in partes obstructas humores à diureticis fusi ducantur, & obstructiones augeant, ideóque priùs ritè corpus purgantibus & alterantibus præparandum. *Tencke.*

De Diureticis, seu quæ per urinam evacuant; dicturis commodum videtur, breviter præmittere, quæ urinam absolvant, quantum quidem hujus est loci; ita enim quæ eandem promoveant, faciliùs patebit. Supponemus nempè (1.) urinam non esse privatum renum excrementum, sed universale seu massæ sanguineæ, seu speciatim potiùs seri universi.

Adeóque (2.) diuretica non solùum ut particulare remedium, vasis urinariis debitum, sed universale esse & generale, non minùs ac purgantia & diaphoretica.

(3.) Posse tamen & fine illo publico adhiberi, sicubi circa hæc se remora offerat.

(4.) Urinam constituere duo elementa essentialia, aquam, seu phlegma potiùs, & sal, eáque

(5.) Variè inter se proportionata; à cibo & potu magis aqueum, tempore verò remotiori magis salsum prædominari.

(6.) Factâ horum improportione, imprimis excessu salis & sulphuris, moderatissimum quod esse debet, urinam esse morbosam, adeóque vitia corrigenda, quæ supponit in corpore præsentia.

(7.) Sal esse primum diureticum, aquam verò seu humidum sereum primum fluxile materiatum. Sal primum est diureticum, quia fluxiliatem aqueam conservat, incidit & attenuat, quia poros aperit & aditum parat illuc, quò humor sibi relictus non tranare tam promptè posset, quia partes membraneas vasculorum lymphaticorum & glandularum renalium blandè stimulat & ad exitum solicitat promovendum. Hinc ut salsedo maris motus ejusdem intestini est concausa, eáque non ultima, ita quoque salsedo seri ad motum ejusdem facit. Aqua primum est fluxile, quia, quæcunque fluida sunt, propter aquam sunt talia, variis licet characteribus alteratam.

(8.) Sal esse interpretem amicitiæ seu sociationis terræ & aquæ, aquæ item & sulphuris. Unde hujus mediatione cœnum sabulosum, sulphur biliosum cœnosum unà cum urinâ educuntur.

(9.) Calorem dilatare poros, frigus constringere, adeóque calorem & salium activitatem conjunctam esse potentiorem.

Hinc

Hinc de Diureticis colligimus in genere: *Quæcunque elementa urinæ essentialia & mediantibus his secundaria ad exitum promovent, illa sunt diuretica.* Adsunt & hic movendi humores, naturę ductu continuò per destillationem per descensum educendi. Adest motor, archeus faber, materia, calor, sal. Quæcunque ergò, ut diximus, in motum eandem citant, illa sunt diuretica. Ex quo & latitudo patet horundem medicaminum, & clavis ad explicanda omnia & singula diuretica in specie.

Quæcunque ergò I. *fluxile reddunt serum particulis aqueis, non admodum crudis, & sale fœtis, illa sunt diuretica.* Duplici nomine *aquea* sunt diuretica, (1.) mole suâ, quâ potissimùm pollent, unde ut omnis potus ad urinam ciet ordinariè, ita etiam hæc aquea, seu potulenta, seu inprimis medicamentosa, ex necessitate quasi materiæ; (2.) qualitate salinâ, licet magis vel minùs diffusâ. Cùm enim sal sit primùm diureticum, per dicta, secundarium vehiculum liquor quicunque, inprimis aqueus, in genere diuretica sunt, quæ his principiis pollent; ita ut, quæcunque seu terrea seu aquea magis salino charactere sunt embryonata, magis sint talia, & vice versâ. Et utroque hoc modo stimulat, seu exitum sibi promovet & urget urina, mole, etiam aquosa penitus, & virtute, sale manifesto prædita.

Si itaque specialius hæc pensitemus, diuretica sunt (1.) *Salino-aquosa*, seu quæ substantiam aqueam habent, non penitus sale in recessu diffuso orbam, uti ex simplicibus seu per se prostantibus vinum, ob aqueum acidum sulphureum principium, aquosum inprimis, & album, ὀλιγοφόρον, largius haustum, serum, ob aqueo-nitrosum, thermæ, ab aqueo-alcalinum, acidulæ ob aqueo-acidum. Ex præparatis & compositis aquæ, decocta, infusa; v. g. ex *aquis* aqua asparagi, bardanæ, alkekengi, apii, graminis, ononidis, rusci, vincetoxici, cerefolii, hederæ terrestris, urticæ, genistæ, petroselini, virgæ aureæ, saxifragiæ; decoctum & infusum respectivè ex radice asparagi, quæ urinam nigram & fœtentem reddit, bardanæ, ononidis, glycyrrhizæ, 5. aper. maj. & min. aliorumque nominatorum, inprimis ligni nephritici, betulæ, cicer. rubr. decoctum chinæ. Taceo succum betulæ aliáque.

Diuretica sunt (2.) *aquea-salino-mucilaginosa*, seu quæ in mucilaginem temperantem & emollientem concreta sunt magis, sive in pulvere ipso exhibeantur, ut radix althææ, glycyrrhizæ, ipsumque rhabarbarum, & plantæ emollientes, in mucilagine & sale nitroso virtutem suam obtinentes, externè in unguentis, balneis & clysteribus summè utiles pro urinâ ciendâ. Adeóque sal his omnibus quasi animam tribuit & confert.

Diuretica sunt (3.) *aquea-salino-oleosa*, ut inprimis semina 4. frigida conjunctim vel seorsim, violarum, quod probatissimum est in ischuriâ, alkek. nuclei persicorum, avellanæ, & ex his cum aquis paratæ emulsiones, non omissis convenientibus aliis.

Hæc ut melius pateant, prius, quàm provehamur ulteriùs ad reliqua, tenendum est, diuretica dividi communiter in *propriè* & *impropriè* dicta. Impropriè dicta, aliàs uretica quoque vocant, quæ magis urinam, quàm per urinam pellunt, seu quæ uberem copiosamque aquosam materiam suppeditant, seu aliis modis, uno verbo, quæ sunt frigida, non calida; propriè verò talia, quæ sunt calida. Hinc, autore *Galeno l. 5. de simpl. cap.* 13. διερητικὸν seu urinam ciens, per urinam pellens, est calidum & siccum, & vi incidendi præditum: Sanguinem enim extenuare debet, fundere, & quod in eo aqueum est, tenue & serosum, secernere. Esse autem hoc remedii genus calidum *Galenus* duobus modis probare videtur; uno, quod ex acrium est genere. Atqui acria omnia sunt calida. Altero, quia diureticum sanguinem primùm debet fundere, id est, dissolvere & extenuare, deinde ab eo serum segregare, quò facilius renes ad se, quod tenue aqueumque in sanguine est, attrahere valeant. At neque fusio neque segregatio absque calore peragi potest. Verùm ex his colligimus quidem modum agendi diureticorum, nempe serum, latius sumptum, aqueum & potulentum & sanguinis fundendi & educendi, ast non tam intuitu primarum qualitatum id fit, quàm potiùs ob principium salinum. Hinc cum videamus à temperatis quoque ob hoc ipsum fortiter satis pelli urinam, minùs usum habet hæc ipsa distinctio, sed altera potiùs in temperata & calida, fortiora & debiliora. Neque ipsa aqua, sibi relicta & cruda, i. e. vegeto activo principio destituta, est diuretica, hinc etiam alia potulenta minùs sunt talia, sed inflativa, *vvollen nicht fort.*

Satis est, hæc ipsa omnia fluxile magis & mobile reddere serum, pro misturæ modulo variantia, quod cum præstent aquea quoque instructa salino stimulo, & terrea, imò illa longè optimè, nil impedit, quò minùs inter propriè dicta suo sensu referri possint.

II. *Quæcunque serum reddunt fluxile resolvendo & stimulando magis, sunt diuretica.* Resolvunt, quatenus separationem partium serosarum à sanguineis facilitant, velut præcipitando, unde solet huc referri exemplum lactis. Acida separant à lacte serum; eodem pacto etiam in corpore secerni volunt aqueum à sanguine. Sed si paulò penitiùs hoc experimentum contemplemur, nil est nisi simile, quod illustrat, non demonstrat. Neque enim hoc valet de omnibus diureticis, non separant serum lactis alcalia, potentissima tamen diuretica, non alia. Ideóque præstat in genere nosse, salia quidem omnia esse diuretica, verùm non eodem modo. Alia reddunt serum fluxile per se, quæ expandunt unà sulphur, ut alcalia & nitrosa, unde citiùs in vasis suis decurrens, ob additum hunc stimulum, faciliùs etiam separatur, maximè accedente altero requisito dicto. Alia verò idem fundunt & fluxile reddunt secundariò, si viscidius sit, in coagulum vergens, pituitosum, mucosum, sabulosum, incisoriâ & attenuante suâ virtute, ut acida.

Stimulant, quatenus particulis suis inæqualibus & hispidis partim sero & consequenter renum archeo stimulum efficacem addunt, ut promptius ibidem fiat fermento proprio immutatio & secretio; partim poros eorundem intimius subeunt, & sic in pelvim penetrant magis; seu deducunt partes aqueas. Stimulant itaque, citra molestiam tamen, si proportio servetur, partes membranosas; stimulant glandosas & porosas. Dum ren cessat, ac penè obliviscitur sui muneris atque destinationis, & velut indignatus exorbitansque laticem aliò deponit, id furorem archei vocat *Helmontius tract. ign. hydr. p.* 415. *t.* 31. sed minùs propriè, torpor potius est & desidia, unde non tàm placandus, quod idem vult, quàm excitandus.

Ut itaque maximè naturalis & universalis & urinæ eductio, quò serositas superflua, excrementitia, & alendo corpori inconveniens, quò etiam salia consistentiam massæ sanguineæ alioquin turbatura secernantur; ita motum illum seri & salium impeditum ad renes & vias urinarias promovent tum primæ classis aquea, tum eximiè secundæ hujus salina.

Illustrari potest diureticorum hæc actuatio, (imò & reliquorum ad horum instar medicamentorum,) si consideremus sal esse primum solubile. Hinc diuretica effectum hunc suum edunt, sive eadem in ventriculo characterem suum communicent cum evolutis partibus chylosis, ut alcalina, sive ulterius evecta salinam acrimoniam ad renes & vias urinarias evibrent.

Commodè verò hæc ipsa quoque in suos gradus partiri

partiri licet. *Resolvunt & stimulant* debilius seu minori gradu *alcalina*, seu terrea, ubi particulæ salinæ terreis prædominantibus sunt immersæ, seu quæ sale pollent magis implicito; v. g. oculi cancrorum præparati, diureticum laudatissimum, quorum vis alcalina ebullitione cum vino quoque elicitur, eorumque magisterium, aselli præparati, quorum vis alcalina-nitrosa resolvens insignis est, testæ ovorum præparatæ, cochinilia, in ischuriâ hinc laudatissima, lapides lithontriptici, nephriticus, lyncis, pisolithus, item arilli & nuclei cynosbati, &c. Imò ex plantis quoque huc spectant tùm insipidæ plures, ut radix chinæ, ononidis, tùm amaricantes & acriusculæ, rad. 5. aperientes, bardanæ, apii, pimpinellæ; rubiæ tinctor. rusci, graminis, vincetoxici. Ex herbis virga aurea, hedera terrestris, capillus veneris &c. flores genistæ, semen fraxini, saxifragiæ, impropriè ita dictum, milium solis, baccæ & trochisci de alkekengi. Hinc in hydrope euporiston est & commodissimum infusum ex absinthio, centaurio minori & baccis juniperi.

Resolvunt & stimulant, quæcunque sale explicito & magis panso gaudent. Sic diuretica sunt *alcalia* omnia fixa, ut sal ononidis, genistæ, juniperi & alia, quorsum & thermas referre integrum est, item lixivium benedictum Mynsichti, vel ex simplicibus quoque paratum, uti ex lixivio dipsaci, imò & aliis, leguntur quandóque curati hydropici. De sale vel cineribus bufonum memorabilis observatio exstat apud *Wierum in obs. p. m.* 8. meminit nempe Romæ marito ascite diutiùs excruciato, pulverem bufonis usti, ut veneno tolleretur, sumptuum pertæsam uxorem exhibuisse, unde copiosum hic lotium reddidit. Hinc ipsa denuò eundem propinat pulverem, ut citiùs ærumnosam sumptuosamque vitam cum subitâ commutaret morte: qui ab uberiore aquâ confertim per vesicam exoneratus præter conjugis expectationem convaluit. Tacemus commendare quoque, citante *Helmontio l. c.* autores aliquot bufones vivos utrinque renibus alligatos, pro solvendo hydrope per lotium. Sic & tinctura tartari simplex & composita, ♁ii, silicum Glauberi huc faciunt.

Volatilia verò alcalia omninò etiam sunt diuretica, unde cochlearia & nasturtium urinam pellunt quoque, item ⊖ succini volatile, spiritus salis tartari urinosus, in hydrope egregius, ⊖is ammoniaci. Pertinent huc allium & cæpæ, non solùm internè, sed & externè archeum sphincteris vesicæ egregiè excitantia, unde soliti sumus his sub cineribus coctis uti, addito pro re natâ cerefolio, baccis juniperi, sem. lini &c.

Diuretica quoque sunt *salia acida*, ut spiritus salis, aperitivus *Penoti*, *Ludovici*, ex tartaro & vitriolo, tartari, vitrioli, clyssus antimonii ♁ratus & tartareus, tinctura aperitiva Mœb. ex fortioribus spiritus salis compositus, mixtura antihydropica ex spiritu cochleariæ, tartari & nitri, item summè laudanda nitrosa omnia, arcanum duplicatum, viâ siccâ & humidâ paratum, summum in hydrope & urinæ ac seri σωσ(arcanum, & huic congener nitrum vitriolatum Mynſ. nitrum antimoniatum, ammoniacale, lapis prunellæ.

Diuretica sunt *salia media*, tartarus vitriolatus, arcanum tartari s. & martiale, & mixta alia.

III. *Quæcunque & fundunt sanguinem & dilatant excitato calore poros, sunt diuretica.* Id verò præstant salia miritata & immersa sulphuri, ut acria, oleosa, aerea, Sic rorismarinus est diureticum egregium, inter infusa anthydropica hinc referendum omninò. Sic chamomilla Romana ejusque decoctum triplicatum, ad ductum *Sim. Pauli*, baccæ juniperi, semen dauci, hinc inter lithontriptica & anthydropica militant. Sic semen lycopodii expertissimum est remedium in urinâ restitante in infantibus, quod sæpiùs experti sumus. Sic succinum album præparatum potenter pellit urinam. Meminimus quendam insignem virum, cum per aliquot dies manè sumsisset ℥ß. & ampliùs succini, inde copiosè excrevisse urinam, ut timens diabeten desistere coactus sit.

Sic inter temperatoria etiam referenda rob juniperi & alkekengi, quod cùm successu dedimus in dysuriâ juvenis studiosi, habitus humidioris & pituitosioris. Quicunque enim sunt calidioris tum in genere, tum quoad renes, citius emittunt urinam, Quicunque verò phlegmatici magis & segnes, obesi, tardiùs & minùs, viri præ fœminis. Indéque paratum malvaticum juniperinum, spiritus juniperi fragorum, nephriticus noster, descriptus *tractatu de Cynosbato Hagendornii.* Sic potenter urinam pellunt terebinthinata omnia, ut in bolo, colostro, emulsione, pilulis, seu M^P. de terebinthinâ, ♒us & ℅ terebinthinæ, ℅ scorpionum internè quibusdam vulgo, & præcipuè externè, simplex & compositum ℅ succini, anisi, juniperi, macis, terebinthinæ, pro interno & externo usu, item balsamum sulphuris omne, à cujus usu aliquando diabeten in studioso observavimus.

Potentissimè omnium urinam pellunt cantharides, ob sal volatile copiosum erodens & stimulans, unde ad salinorum sive secundam classem pertinent, & sulphur volatile, quod per destillationem patet, Neque enim tam propter hispidas aculeatas partes agunt, quod nonnulli pro ratione allegant, nam tritu & mixtione cum aliis viscidis, rotundis, oleosis, pereunte illâ figurâ nihilominus potenter id præstant; sed caute iis est utendum, ac dosi refractâ.

Sulphurea nimirum cum aqueo principio mixta mitigant & laxant magis vias, cum salino stimulant, & calore suo dilatant poros, motumque promovent. Medio modo se gerunt cum terreo, unde glandes quercus insigne aliquando in stranguriâ remedium notavimus, & ossa dactylorum huc spectant.

IV. *Quæcunque humores in motum cient & fundunt, etiam pro aliâ primariâ intentione, sunt diuretica.* Non dicemus latiùs de *diaphoreticis*, quorum actio cum diureticis sororiatur, & sæpè v. g. ab ♂ diaph. magis urina quàm sudor cietur, quatenus tum hoc tum alia consimilia humores in motum cient & fundunt. Præstant id inprimis *purgantia*, quæ omnia & singula sunt diuretica, tùm à priori, quatenus fundunt humores, & fusione hâc suâ ad urinaria vasa magis dispensant serum; tum à posteriori, quatenus per consensum alvi necessariò quoque ad excernendum sollicitatur vesica, quod experimur quotidiè, licet è contrario id non valeat. Commune id est omnibus purgantibus, non soli cassiæ vel rhabarbaro, quæ in specie nonnulli in censum diureticorum vocant, sed omnibus adeò aliis, neque enim ferè exolvi potest alvus, nisi productâ operâ simultaneâ & omni quasi exhaustâ urinâ, quod in dysentericis cum ipsorum molestiâ insigni vidimus sæpius. Præstant idem quoque *aperientia* mediatè, quatenus his in glandulis intestinalibus & mesentericis humores restitantes promoventur, fermentis partium non neglectis, sed restitutis potius simul.

His de materiâ diureticorum dictis, de usu quoque jam ulterius dicendum est. Hic vel universalis est, vel particularis & specialis. *Diuretica* nempe (1) *pellunt urinam*, ut quandocunque restitet, præstò sint hæc præsidia, adeóque intentione primariâ locum habent in urinæ vitiis, imprimis in defectu, dysuriâ, ischuriâ, aliisque specialibus mox recensendis.

(2.) *Diuretica sunt seriduca & seri correctoria.* Usum hunc ipsius itidem urinæ consideratio suggerere & illustrare potest. Educunt non tantùm aqueum superfluum à potulentis, sed & aqueum sereum superfluum; Educunt salia superflua, acida & alcalia; educunt

educunt partes terreas, tartareas, singula massam sanguineam & speciatim serum inquinantia. Quod quantum sit, vix dici potest, cum ex hac separatione denegata innumera scaturiant vitia morbosa. Sed videamus hæc paulò distinctiùs & specialiùs.

(α) *Diuretica* scilicet *unicè corrigunt aqueum superfluum, seu serum excessu, seu quantitate & motu peccans*, quod nempe non tam in glandulis subcutaneis hæret, per sudorem magis dissipandum, quàm in vasis & glandulis corporis internis. Hinc prosunt in cachexia, hydrope omni, anasarca, tympanitide, quippe & in his serum excedit, præcipuè verò in ascite, quando vel aliorum viscerum vel renum vitio cumulatur lympha, & ex vasis suis excidit, collectum in poris partium infimarum, pedum, & cavitate abdominis, ipsiusque scroti.

(β) *Diuretica corrigunt serum in qualitate peccans, seu sit oleosius, seu pituitosius, seu ichorescens, seu tartaro fœtum.* Serum oleosius parit obesitatem, cum torpore quodam, & corporis caloris quiete. Diuretica verò unica sunt specifica obesitatis nimiæ, v. g. species diaspolitici Galeni, ob nitrum, hepaticum rubrum, arcanum duplicatum & alia. Audiamus *Helmontium l. asthm. & tuss. t.* 44. *p.* 306. ut atrophiam, *inquit*, vidi occasionaliter è latice sustentatam, ita & pinguedo seu obesitas, me spectante, unico bimestri per potum diureticum, loco cerevisiæ, sumptum abacta est, quod confirmat *l. jus duumv. p.* 249. Sic & Chiappinus Vitellius, Cetonæ Marchio obesissimus, cum vino sibi sponte interdicto acetum bibere ad vitæ usque finem instituisset, 87. pondo decrevisse compertus est, teste *Famiano Strada de Bell. Belg. dec.* 1. *lib.* 8. Et Sanctio Crasso, Legionensi Regi, Cordubenses Medici certa herba corporis arvinam extenuarunt. Nomen autem herbæ, sine dubio diureticæ & unius ex recensitis, non addit, qui id refert *Johannes Mariana Rerum Hispan. lib.* 8. *cap.* 7.

Pituitosi exemplum præbet cachexia, & calculus pituitosus, (nam præter sabulosum & saxeum etiam pituitosus datur,) imò & affectus hypochondriacus. Vidimus in scorbuticis aliquando inprimis in quæstore quodam vicino, urinam adeò lentam & spissam, ut exprimi magis & trahi, quàm fluere posset. Adde & hinc concretos tumores & affectus varios.

Ichorescens serum occurrit in gonorrhœa simplici & virulenta, item in fluore albo, ibi verò diuretica ichorescentiam seri hanc auferentia sunt specifica & optima. Sunt verò hæc speciatim & præ alijs, quæ partes oleosas roborant, serosas abstergunt & mitigant, ut nominatim succinata & terebinthinata. Curavimus plures tales affectus felicissimè essentia succini, tum simplici, tum cum Terra bez. & anod. mixta. Vix dici potest, quàm egregiè successivè ichorescentia hæc desierit. Imò & succinum in substantia album cum castoreo & ebore in fluore albo facit officium. Hinc *Schwalbius* rectè; uterus albo fœtens fluore diuresi mirificè mundificatur. *disq. therap. f.* 5. *p.* 97. Imò dudum diuretica pro specificis commendavit in hoc affectu *Hippocrates l.* 2. *de morb. mul. c.* 9. *t.* 23. Ichorescentia verò obiter est, quando serum balsamicum sulphureum amittit vigorem, salia verò extravertuntur magis, unde in glandulis stagnat, non revehitur, & velut fonticulum parit.

Tartaro fœtum magis est serum inprimis in calculo & arthritide, famosissimis affectibus, adde & affectu hypochondriaco & scorbuto. Hinc diuretica & horum sunt genuina remedia. Hinc quamdiu urina probè fluit & sudor, vix paroxysmus arthriticus respectivè, vel nephriticus ingruit. Hinc videmus urinas arthriticorum copioso pollere sabulo, quod ipsum etiam in ictero valet, ubi ipsa quoque insignissimè pollent.

(γ) *Diuretica pro varia dispositione humorum & sua textura varia sortiuntur munia*, v. g. *abstergunt, aperiunt, educunt, diluunt, temperant, pellunt, resolvunt.* Hinc reciprocè hæc prædicantur rectè de diureticis: Quæcunque abstergunt, stimulant seu fundunt & aperiunt resolvuntque, sunt diuretica, & contrà. Aquea & liquida abstergunt, diluunt, temperant & mundant magis, inprimis simul mucilaginosa & temperata. Salina & terrea magis stimulant & resolvunt, sabulum expellunt, incidunt, aperiunt, præcipitant, præcipuè simul sulphure fœta, ut terebinthinata, quæ intensius id præstant; hæc ipsa tamen & mundant simul. Valent hæc itidem, quoad usum particularem, in renibus laborantibus, & generalem totius reliqui corporis. Hinc distinctio interpellentia & resolventia nephritica laudatissima est. Hinc vincetoxicum specificum est hydropicum, quod aperiendo educat. Hinc etiam quod pellant, diuretica etiam partum facilitant, & memini medicum satis clarum præscripsisse eo casu emulsionem seminis milij solis & violarum, cum successu; imò borax ipsa, præcipuum specificum, una insigne est diureticum, salinæ quippe prosapiæ.

Nec obstat videri hæc sibi contraria, quod acida v. g. stranguriam faciant, & tamen eadem, ut spiritus salis, stranguriam senilem, molestissimam sanè, ut in alijs vigiliæ, in alijs pruritus est, tollunt. Dudum id notavit *Cous l. de loc. in hom. c.* 51. *t.* 12. stranguriam, *ait*, idem facit, si non sit, & si sit, idem sedat, non tam per similitudinem, quod ibidem innuere videtur, quàm per contrarietatem, correcto hoc modo sero, correcto fermento ventriculi.

(δ) *Diuretica naturæ conatus juvant.* Crisis per urinam præ reliquis tutior ferè & melior esse consuevit, siquidem natura huic excretioni perpetuò vacat, perpetuò stillante urina & in recipiens vas suum lata. Quando ergò in febribus & morbis alijs reliquias & mineras morborum per ductus urinarios expellere satagit, optimè se gerunt hæc ipsa, selecta pro affectus modulo. Aptissima hæc est via & maximè naturalis, per alvum enim solùm scybala crassiora & bilis iners, per sudorem serum tenuius, difflabile, unctuosum, salinum tenuius; Per urinam conjunctim M. S. recrementa educuntur. Idque tantò magis, quando stagnat, nec movetur, uti par est.

Restant cautelæ, circa usum horum observandæ. 1. *Inter universalia, post principia stant diuretica*; non ratione nobilitatis, vel prærogativæ minoris, sed ratione ordinis. Advertendum hinc in praxi, posse quidem aperientia diuretica varijs in morbis etiam primo loco propinari, ut in hydrope & calculo ipso; sed quando reliqua indicantur simul, semper priùs purgandum, vel sudor movendus est, quàm diuresis procuranda. Crassiori enim expedito, & materia imminuta morbifica, melius hinc operari possunt hæc ipsa. Hinc hoc sensu in progressu magis, quàm principio morbi statim danda sunt, cum scilicet natura vel arte materia nonnihil est diminuta. In principio enim plerumque copiosa est, & utiliter per ductus urinarios evacuari nequit, eò quod metuendum, partim ne frustra futura sit eorum actio, non subigenda copiosiori materia seu humore, partim ne copia sua, dum ad angustas vias ruit, eas obstruat, & sibi & alijs transitum intercludat. Valet hoc in arthriticis quoque, ictericis & alijs dictis. Qui arthriticos v. g. curare præsumunt methodo Helmontiana, sine venæ sectione, sine purgatione, solis diureticis vel diaphoreticis, frustra sunt, & longius macerant ægros, & sæpe ex vaga fixam, ex fixa nodosam arthritidem reportant.

2. *In adhibendis diureticis perpetua esse debet proportio seri*, ut non deficiat, sed vel subsistat, vel superfluum, vel

vel sufficiens sit. Nisi enim hoc observetur, varia solent evenire incommoda, hinc inde apud practicos occurrentia. Valet id utroque statu, & præsenti, frustra enim ex pumice aquam elicueris, seu non dato sero illud è corpore non licet pellere, & futuro, ne quid nimis, ne eductâ tenuiori, fluxili, salia diluente & temperante materiâ, reliqua concrescat, inspissetur & coaguletur magis. Hinc pertinet huc illud *Cratonis* monitum non negligendum: Diureticis calculus inducitur & ischias augetur, *Consf.* 154. Intellige, non legitimè usurpatis. Hinc consultò in febribus potui indimus clyssum Antimonij. Hinc in calidis & siccis affectibus minùs prosunt diuretica, præterquam aquea & temperantia, ut potiones, emulsiones, ut in febribus hecticis, phthisicis & ardentibus, alias enim suâ caliditate & siccitate malum augerent. Imò hæc ipsa commoda sunt ideò, quod & vehiculum & stimulum secum vehunt. Esse etiam hîc motus in rebus debet, ne ultra quàm par est stimulemus, non ultrà εὐφορίαν, alias furibundum reddemus archeum renum, unde etiam hujus rei index est sitis conjuncta cum diabete. Sitis appetitus est humidi, manifesto indicio illud deficere, unde instar regulæ esse potest: ubicunque adest sitis, diuretica non nisi temperatiora locum habent, pellentia fortiora proprie talia dicta non item. Alias plus periculi erit facile à remedio, quàm ipso morbo. Adeoque cavendum, ne mera pellentia, in defectu inprimis seri, intempestive adhibeamus, neque sanguis nimiâ fusione de tono suo dejiciatur.

(3.) *Diureticorum cum cibis minus commodum est connubium.* Cautela hæc est itidem *Cratonis Consil.* 143. non miscenda esse, *inquientis*, cum cibis, sed longè ante pastum assumenda; quia nempe citiùs, quam par est, in vasa præcipitant chylum, seu evolutionem, evaporationem immoderatius accelerant. Quod ergò de alijs medicamentis in genere hoc passu valet, id κατ' ἐξοχὴν de his ipsis est intelligendum.

4. *Ipsis vasis & visceribus, urinæ excretioni velificantibus, affectis, cautius danda diuretica.* Sicubi scilicet vel inflammatione vel exulceratione laborent, non oneranda sunt nimis vel affligenda. Præstat tunc uti terreis & alkekengi, ocul. ♋. item exterius saltim, quo nomine oleum terebinthinæ, utpote traumaticum, in mictu cruento exterius illini lumborum climati potest commode. Sic etiam cavendum, ne ijsdem calculus præcipitetur in vasa, cum lethali sæpe ischuriâ. Sic & ischuriâ præsenti non tam pellendum, quam resolvendum, quod de nephriticis diximus quoque.

5. *In Diureticorum usu attendenda etiam est convenientia seu consensus viscerum*, tum pro generali, tum pro particulari eorum usu. Sic *Galenus l. 5. simpl. c.* 13. monet, diuretica ad expectorationem puris promovendam inepta esse, eò quod natura illorum sit calefactoria & exsiccatoria, tum & concoctoria & secretoria; seu pulmones per vias urinarias minus commodè expurgantur. Hinc ab eodem commendatur evacuatio per urinam in affectibus hepatis, gibbas seu convexas illius partes magis obsidentibus, tanquam magis convenientibus cum vijs urinæ, *lib.* 13. *M. M. cap.* 15. & 7. *M. M. cap.* 13. ut, si in parte concavâ sit vitium, per intestina, quo proximiora fiat evacuatio. Sic splenetici commodissime ferunt diuretica, quin præ catharcticis felicius sæpe his curantur, teste experientiâ & *Sanctorio comm. in* 1. *a.* 21. *par.* 226. Sic *lib.* 2. *epid. t.* 27. Bion per urinæ profluvium liberatus est à lienis tumore. Consensus verò lienis cum renibus, præter alia, est per lienis arterias, quæ arterijs emulgentibus inseruntur; adeoque convenientia locorum & hîc attendenda, *Wedelius.*

Diuretica quædam Cnoffeliana recensente D. de Bernitz.

Pulvis Diureticus Ordinarius

℞. ⊖lis Tartari cryst all. anodyni mineralis an. ℥ii. *M. F.* pulvis.

Dos. à ʒ *ß.* ad ℈ ii. & ʒi. *in aq. petroselini*, ter in die repetenda.

Vel. ℞. *Tartari* ⊕*trati, seu* ⊕ *Tartarisati* ʒvi. *oculorum* ♋ *præparat.* ʒii.

M. F. pulv. Dosis & usus idem qui supra.

Item ℞. *Tartari albiss. pulv.* ʒiii. *Tartari* ⊖*lati* ʒii. *spir.* ⊖*li cum nitro coagul. gr. xxxv. M. F. Pulvis.*

Exhibeatur eodem modo.

Pulvis diureticus pro S. R. Maj. in ardore urinæ.

℞. ⊕ ☿niati *cryst all.* ʒi. *sacch. cant. succi glycyrrh.* inspissat. & pulv. an. ʒ *ß.* M. F. Pulvis subtilissimus.

Post ℞. *Pulv. diuret. jam præscripti* ℈ii. *extr. granorum quietis gr.* i.

M. F. Pulvis, bis in die sumendus.

Item ℞. ☿ij *fix. diaph.* (spiritu salis *aliquoties imbuti & iterum exsiccati,*) *ocul.* ♋ (*cum* ♋ *Tartari per deliqu. an. p. æq. in lapidis duritiem coagul.*) *an.* ʒiii. *magist. petroselin. rec. facti* q. s. pro tincturâ. M. F. pulvis.

Dos ℈j. ad ℈ii. in aqua appropriata, bis vel ter die.

Arcanum Tartari Cl. Dn. D. Cnœffelij & Helmontij.

℞. ⊖*lis Tartari albissimi* ℔ *ß.* ~~ *Tartari bis per cineres rectific.* ∇ *opt. an. q. s.* (*pro infusione* ⊖ *Tartari, ad eminentiam sc. iv. digitorum.*)

Digerantur aliquamdiu in loco calido, post abstrahe spirit. ad siccitatem usque, affunde novum spir. tartari & spir. vini, & iterum destilla. Idque toties repetatur, (scil. sexies vel septies) & ultimò quidem per phiolam altam, donec ⊖ Tartari in lateribus vitri instar crystalli seu camphoræ appareat, quod in vitro puro & cera vel subere benè clauso, ad usum internum reservetur. Si quis hoc arcanum augmentare velit, is adjiciat arcano Tartari ∇ opt. rectificatum, & alcoolisatum, ad eminentiam duor. vel trium digitorum, & in vase optimè perlutato misceantur & digerantur, tam diu, donec cuncta benè unita sint, & de materia seu arcano Tartari nihil amplius appareat.

Hac finita dissolutione, vitrum repone in locum frigidum, & rursus crystallisentur; & sic augebitur arcanum Tartari in infinitum.

In morbis quibuscumque deploratissimis, & ex obstructione ortis, maximè in febribus intermittentibus, est medicamentum non satis laudandum. *Dosis* gr. v. ad ℈ß. & ℈i. in jusculo carnis coctæ, vino, seu alio vehiculo idoneo.

[Sunt & qui beneficio hujus arcani ex auro & reliquis metallis & mineralibus extrahi volunt animam.]

DOKIMASTICE.

De Docimastice Metallica, sic Clariss. Olaus Borrichius.

1. *Docimastice Metallica* (artificibus *probierkunst.*) ars est, quæ modum tradit explorandi corpora præcipue fossilia, ut cognoscatur, quantum vel metalli, vel mineralis in ijsdem delitescat. Quod si metalla omnino pura tellus produceret, arte istâ haud quaquam indigeremus; verum quia plerumque impura, & sibi, & terrestribus partibus permista eruuntur, arte magistrâ opus est, quâ separentur à se invicem, purgenturque. Versati autem sunt in hac palæstrâ *Plinius*, *Geber*

ber, Alb. Magnus, Gesnerus, Cæsalpinus, Kentmannus; plenius tamen *G. Agricola, Modestinus Fachsius, Lazarus Ercher, Andr. Libavius, G. Engelh. Lohneisius, Alonsus Barba, alij.*

2. Et quidem potissimùm explorantur fossilia, mineræ, & metallica corpora; sed tamen ad idem sæpe veniunt examen silices & saxa quævis, quæ vel pondere, vel scintillis, vel alio indicio spem lucri excitant, item arenæ coloratiores, & argillæ etiam sub Dio jacentes, lapides scissiles, lutum palustre, colorata & ponderosa littorum saxa, immò nonnunquam aquæ turbidiores è montanis defluentes.

3. Studij genus dignum, quod nec Academicis ignoretur, præsertim nostris; ut qui apud nos ad hæc sacra præformati, non in campestris tantùm Daniæ (quamquàm in his parciùs,) sed & inter montosa Scaniæ, Norvegiæ, Islandiæ, Feroensium Insularum, Gothlandiæ, Borringiæ; quique istuc ibant, inter saltus Trangebaris & D. Thomæ fructum ejus uberem, si sedulam huc curam verterint, degustabunt.

4. Accedit, quòd hac arte instructus de numismatum, fabriliumque ex auro & argento operum præstantiâ nervis illis rerum gerendarum, accuratè judicare queat, & ubivis gentium, si invitet necessitas, vel lucrum, vel certè amicitias invenire. Utque isthæc omnia seponantur, Philosophi erit illustris illa naturæ phænomena, quæ in hac arte plurima eminent, intueri propiùs, causasque eventuum sollicitè investigare.

5. Primos inventores artis hujus, si à Tubalcaino, sive Vulcano recesserimus, credibile est fuisse Ægyptios, hominum solertissimos, & experimentis oppidò deditos, quos constat, ex *Diodoro Siculo*, & *Agatharchide Cnidio* apud *Photium*, in vicinis Ægypti, Arabiæ & Æthiopiæ aurarias coluisse fodinas, sed non sine ingenti operarum labore nobile metallum inde eruisse. Rationem operis & methodum omnem fusè percenset *Diodorus*. Secuti Ægyptios Colchi, teste *Plinio*, alijque exercuere demum artem eandem ubivis ferè terrarum; & hujus quidem ministerio Tantalus & Pelopidæ immensas quondam divitias hausere è Phrygiæ arrugijs & Sipylo, Gadmus è Thraciâ & Pangæo monte Bermio, Gyges, Alyattes, & Crecesus è fodinis Lydiæ, quemadmodum luculentus auctor est *Strabo*. Annibal in Pyrenæis montibus, & præsertim in monte Bebelo ex fodinis argenti locupletissimum colligit thesaurum, de quo *Plinius*. Philippus Macedo plurimum argenti eruit è rupibus Macedonicis. Hispani hodie ex Peruvianâ regione & monte Potasi ditescunt. Germani quondam ex valle Joachimicâ & Saxoniæ fodinis, præsertim Snebergo. Nec sterilem esse hac parte Norvegiam experimur, quæ & ipsa tamen fœcundior haud dubiè foret, si exactior accederet quærentium industria.

6. Expenduntur autem in hac arte duo, 1. Operis vestibulum, 2. Opus ipsum. Vestibulum consistit potissimùm in præparatione vasorum & instrumentorum, quibus indigemus ad opus accuratè & expeditè instituendum. Quanquam autem delicatioribus videri queat sordidius quiddam & Philosopho indignum in illis præparationibus delitescere, sacra tamen hæc non aliter constant; nec nisi oculatis manibus hic temerè fidendum, cùm levis error ab artifice rem perfunctorie administrante commissus totum sæpe negotium frustretur. Licebit tamen artifici à confectioné vasorum abstinendum modo vel scientibus & fidis utatur ministris, vel ipse operantes sedulus inspiciat, erroresque, si qui obvij fuerint, voce emendet. Sunt autem vasa & instrumenta exploratoris metallici hæc præcipua: *Furnus docimasticus* cum suâ *testudine* & testudinis *pavimento*; *catini cinerei* rotundi cum formis suis (*monacho* & *nonnâ* dictis) *pollen osseum*; *catini argillacei rotundi*; *catini argillacei triquetri*; *luta*; *camenta*; *pulvis fusorius saturninus*; *pulvis fusorius communis*; *aqua fortes* & *Regia*; *plumbum in granula discerptum*; *acus exploratoria*; *lances celeres cum suis ponduscúlis*; *quibus accedunt fistula sufflatoria*; *lapis lydius*; *magnes*; *dioptra ænea*; *trulla lignea*; *catinus coniformis orichalceus vel ferreus*; *cucurbita vitrea*; *tripus* ferreus minutus; circuli ferrei, &c.

7. Furni exploratorij dimensiones & fabricam cùm satis ex disciplinâ *Fachsius* descripserit, & post eum *Erckerus*, inter supervacua censemus in eadem delineandâ hîc diutiùs hærere. Accedit, quòd apud monetarum fabros oculis passim queat usurpari. Paratur autem commodissimè ex laminis ferreis argillâ probè loricatis. Argilla isthæc ut exstantibus intus uncis adhæreat firmius, & vim ignis validiorem sustineat, vitro trito, scorijs ferri, & pilis bubulis admistis jam antè subigatur, maceretúrque in aquâ, in quâ fimus equinus pernoctavit.

8. Testudo, artificibus...... appellata, est argillaceum in media furni tegmen catinorum, dimidium cylindri tegmentum referens, concavum, & parte inferiori hinc inde varie excisum, ut flammam eò liberiorem admittat; inter cujus margines & latera furni interiora intervallum fit digitorum duorum & ultra, ut carbones eò luculentiùs ardeant, & minutiæ eorumdem citiùs agantur in fundum. Altitudo ejus sit digitorum quatuor; alitor non sat ministrat caloris; humilior officit valorum regimini. Testudo quò largiùs fenestrata est, hoc plus incalescunt vasa, sed unà incommodum aliquod accedit, quòd carbones facilè eadem viâ irrepant ad catinos. Testudini substernitur pavimentum argillaceum, cujus crassitudo (qualis & testudini convenit) medij digiti erit, amplitudo tanta, ut furni interiora latera ad duos & paulò ampliùs digitos à marginibus ejus ubique distent, nisi anticâ parte, quâ Januæ furni proximè committitur. Utrique vasi parando non inutilis est figlina argilla, præstat tamen Hassiaca illa gleba, quæ materiam tigillis seu crucibulis ministrat, vel denique terra Coloniensis.

9. Catini cinerei inter præcipua Docimastarum vascula numerandi sollicitissimâ curâ parantor. Igitur cineres fagini per cribrum pollinarium affusâ aquâ primùm traijciantur, rejectis carbonum, argillæ, lapidumque, siquæ adfuerint in cribro, reliquijs; ex his cineribus in aquâ fontanâ sæpè diuque maceratis curiosissimè eliciendum erit, quicquid in ijs salsum deprehenditur, & modicâ vasis inclinatione reijciendum ad usus alios, iteratâ frequenter recentis aquæ affusione, &, si necesse est, coctura, donec ad linguæ fidem aqua reddatur insulsissima. Quæ agitata & hôc ipsô turbidior reddita in aliud vas effundatur, atque à crassamento graviori statim subsidente, eôque abijciendô libera, cùm post moram convenientem inclaruit, depleatur; restitans in fundo subsiccus cinis comprimatur in globulos manu, qui ad aërem & ventos satis exsiccati in figlinâ iterum fornace concrementur, ut carbonum minutiæ omnes, quæ adhærescere adhuc cineribus illis

illis videbuntur, ustulentur planissimè, nè in examine postea operam artificis eludant. Perusti iterum, ut ex carbonum reliquijs sal omnis exsugatur, aquæ fontanæ immergantur triduo, effusôque demum illo humore, in recenti aquâ fontanâ relinquantur ad tres minimùm hebdomadas. Tandem quassato vase post brevem moram effundatur in concham vel patinam terream, quod turbidum est; & hoc ipsum subsidendô, deplendôque siccatum in vitro grandiori, vel vase fictili clauso ad accuratissima monetarum examina seponatur; quod subsedit promptiùs, minerarum probationi deserviet. Causa autem cur insipidus hic cinis sorbeat metalla viliora intactis nobilioribus, hæc videtur: ignobilia metalla constant ex sulphure impuro præter mercurialem substantiam; hoc ipsum sulphur, quantum quidem ejus non abit in fumos, dum ab igne cruciatur, poros cineris à sale illo sulphureo lixivo relictos, ut sibi opportunos & quasi homogeneos ingreditur; eoque secum violenter raptat particulas mercuriales. Sed metallum purius penetrare in eosdem poros non potest, obstante particularum suarum texturâ aliter figuratâ & magis cohærente atque tenaci. Quòd si prædentur nonnunquam cupellæ metalli nobilioris aliquid, ut fit, vel cineres non probè elutos fuisse oportet, vel artifices ignem justô validiùs intendisse, in quo casu non mirum est poros cineris ampliatos perfractosque relinqui, & aliena glutire.

10. Non est quidem omnibus Docimastis usitata tam laboriosa præparandi cineris methodus; sed quia levis error errorem hic proseminat, præstat ad ἀκρίβειαν usque rem persequi. Eluti ita cineres, soli quidem cupellis parandis sufficiunt, sed ut eò in igne cohæreant firmiùs, ossa adjici solent in calcem concremata, & siquis velit, argillæ subcœruleæ atque mundæ portiuncula. Ossa illa solidiora sint ex tibijs bubulis aut equinis, aut ex asellorum piscium mandibulis & spinâ, &c. quæ in luculento foco ad alborem usque perusta in pulvisculum redigantur adeò subtilem, ut levi incussione per linteum transeant. Mox incoquantur aquæ fontanæ, ut sal omnis secedat, & siccata crementur, coquanturque rursus, donec pinguedinem omnem & salsilaginem deposuerint. Siccata reponantur ad usus in vase fictili vesicâ bubulâ clauso. Itaque ut cupellæ jam formentur Rec. Cineris fagini, quemadmodum superiùs docuimus, purgati libr. 1. pond. civil. ossium calcinatorum insipidissimorum uncias 6. argillæ puræ subcœruleæ drachmas 18. misceantur probè, irrorenturque aquâ fontanâ, ut pressa manibus cohæreant. Massa hæc ingeratur modiolo orichalceo cavo, *nonnam* vocant; donec ad supremum usque marginem impleatur, additô levi manus pressi ut firmetur, cohæreatque stabiliùs; hinc terno; sed æquali pistilli orichalcei, *monachum* vocant, impulsu formetur alveolus, polline osseô subtilissimô mox perspergendus. Sunt, qui ad formandos catinos, loco aquæ, jam cerevisiam pinguiorem adhibent, jam aquam glutine mixtam, jam ovorum albumina, eò potissimùm institutô, ut tenaciùs cohæreant, nec in igne præter opinionem dissolvantur. Cæterùm si ossa & argilla adijciantur, inanis sanè erit fragilitatis metus. Accedit etiam à reliquis incommodum, quippe cerevisia non planè caret sale & pinguedine, utrisque hîc noxijs; gluten & albumina perusta hinc inde incatinis laxiores poros formabunt, adeoque sensim aliquid purioris metalli prædabuntur. Cupellæ ex solis ossibus confectæ ad fastidium usque tardè examen absolvunt. Siquis tamen uti ijs desideret, irroretur primum pulvisculus osseus aquâ salsâ communi ad subitos usus. Quæ ossa si coërceas circulo ferreo, vel libram impurioris argenti in isto alveolo unâ vice purgaveris.

11. Ut autem eò molliùs decumbat in catino exploranda massa, nec ille rimas usquam agat, insternitur alveolo pollen osseum, & sesquiplaga à pistillo incussa cineri apprimitur. Paratur autem alkohol illud potissimùm ex anterioribus cranij vitulini segmentis, vel ex maxillis luciorum, vel spinis piscium subtilioribus, vel denique ex cornu cervi probè concremato, quæ incocta aquæ, ut pinguedo omnis abscedat, & mox ad alborem exquisitissimum ustulata atque recocta, ut facessat acrimonia omnis, eò usque sive in marmore sive vitreo mortario arteruntur, donec in delicatissimam farinam desinant; & hæc ipsa farina, siquæ adhuc subsit acrimoniæ suspicio, recoquatur, tandemque remoto omni sale, affusa recenti fontana agitetur, & per linteum supra vitrum amplioris orificij moderatè extensum coletur; quod percolatum est, sidit post brevem moram, siccaturque, & ad usum reconditur.

12. Catini argillacei rotundi inserviunt conjungendæ cum plumbo mineræ, & secernendis ejusdem purgamentis, antequam cupellæ committatur. Forma oculis patet, materiam ministrat gleba Hassiaca, vel trita aurifabrorum, sed nondum usurpata crucibula; vel denique argilla figularis selecta tantillo vitri & silicum exquisitè tritorum permista; sunt autem crucibula catini illi triangulares ex Hassia ad nos devecti, quorum usus apud argentarios fabros in fundendis auro, argentoque familiarissimus esse solet.

13. Luta partim adhibentur ad loricanda vasa, prohibendumque metallorum fusorum per latera exitum, partim ad claudendas vasorum & vitrorum fractorum commissuras. Primi generis fiunt ex argillæ siccæ & macilentæ partibus 6. tomenti, arenæ crassioris, sed minutim contritæ ana partibus tribus; squamarum ferri parte una & semisse; fimi equini purioris parte media; quæ subigantur ferreo bacillo, addita aqua; in qua fimus equinus maceratus sit, donec evadat massa ductilis & sequax, quam apprime tum furni docimastici interioribus lateribus, tum crucibulorum & retortarum superficiei extimæ, possunt & hinc fieri catini firmissimi & foci fusorij. Loricæ exsiccatæ ex calce viva & arena trita cum albumine ovi remistis tectorium apprimatur. Secundi generis hoc est: Rec. Cretæ vulgaris, farinæ triticeæ, vitri veneti ana unc. farinæ lateritiæ unc. sem. tomenti bombycini parum; misce cum albumine ovi, & probè mista citò applica. Nè autem vasa vitrea in igne valido dissiliant, profuerit inungere eadem priùs aquâ, in quâ copiosum alumen dissolutum, atque ubi exsiccata fuerint, mox crassamento, quod sequitur, incrustare. Rec. Vitri Veneti optimè triti libr. sem. cerussæ tantumdem; collæ piscium in aquâ ad mucilaginem dissolutæ qu. sat. M. f. massa liquidior, quâ vasa ad crassitudinem medij digiti obducenda erunt.

14. Cæmenta Exploratorum, pulvisculi sunt qui laminis auri impuri, aut alijs metallis permisti, alternis vicibus insperguntur, & crucibulo ad moderatum ignem commissi paulatim exedunt, corroduntque impuritatem omnem, atque ita aurum in lamellas attenuatum non tantùm bonitate, sed & colore nobilitant. Spondent & nonnulli ex cæmentis augmentum metalli nobilioris, sed hactenus infra exspectatio-

nem vulgò stetit conatus. Cæmentorum materia varia est, farina laterum ruberrimorum, crocus martis, crocus veneris, alumen plumosum, vitriolum, sal, hæmatites, alia. Nobis isthæc sufficit mixtura: Rec. Laterum tritor. unc. 2. Vitrioli veneris ad ruborem calcinati, & salis marini fusi an. unc. 1. nitri puri unc. sem. salis armoniaci drach. 2. hæc mixta & in pulvisculum contrita ad usus seponantur. Hæmatitem, crocum Martis & Veneris, atque alumen plumosum ideo exclusimus, quia ut sunt in eo statu cadavera potiùs, quàm subtiliter ingredientia corpuscula, glomerare eadem cum certo pecuniarum dispendio & fructu nullo supervacuum est; salem armoniacum hîc adhibemus, tanquam reliquorum aurigam, quia negotium accelerat; nitrum autem ideo additur, ut suspendat tantillum impetum salis armoniaci nè agat impetuosiùs.

15. Pulvis fusorius saturninus ita paratur: Rec. Silicum alborum ustarum partem unam, lithargyrij auri, argentivè, aut minij partes tres; trita commisce, & in crucibulo capaci ad tertias pleno superfunde salis marini tosti tantum, ut ad crassitudinem digiti pulverem cooperiat. Mox admoto igne valido, & operculo argillaceo imposito materiam eliqua, ut ad instar butyri fluat. Tandem refrigerato atque diffracto vase, quin etiam rejecto plumbo, quod in imo subsidit, vitrum, quod vides, contere in pulvisculum, & ad usum reserva. Adijciunt nonnulli loco salis nitrum, nonnulli etiam vitrum hoc in novo crucibulo iterum eliquant, ut evadat purius; sed neutrum placet, quippe nitrum & multum lithargyrij in plumbum reducit, & refusio debilitat. Usus hujus vitri est ad mineras refractarias commodiùs frenandas. Pulvis fusorius communis ita fit: Rec. Tartari Rhenani lib. 2. pond. civil. nitri puti lib. 1. trita & probè mixta in olla non incrustata vitro accendantur vel carbone vivo, vel stylo ferreo candente, operculô perfunctoriè additò, nè nimio strepitu incensa materia extra oras vasis sese evolvat. Tandem massa sponte ad frigus nativum rediens teratur, & abjectô titione in vitro probè clauso, loco sicco, nè liquescat, seponatur ad usus. In pulvere fusorio communi aculei salium adiuvant vim ignis ad metalla expeditè liquanda; in pulvere fusorio Saturnino lentor fumos rebelles coërcet.

16. Aquæ Stygiæ, sive, ut vulgò nominantur, aquæ fortes, varijs modis parari solent; ex convenientioribus hæc via est: Rec. Vitrioli Goslarici, nitri puri ana qu. plac. trita & mista ex retorta argillacea robusta destillent aptato recipiente vitreo amplissimo; ignis ad horas octo lenis fit, ut phlegma exspiret, inde paulatim intendendus calor, donec in vitro fumos & nebulas rubentes oberrare conspexeris; in quo gradu continuandus calor ad horas 5. tandem adhibeatur ignis violentus, donec in vitro fumos excipiente nullum ampliùs calorem deprehendas. Durat tota operatio horas circiter 20. quanquam alij horis 12. rem absolvant. Sic hi vitriolum plerumqne calcinatum, donec flavescat, usurpant, hinc massæ ita flaventis duplum capiunt, & nitri simplum, exiguntque aquam ex cacabo ferreo, impositô primùm collô argillaceô, & deinde pileô vitreô, commissuris argillâ sanguine bubulô subactâ probè occlusis. Quòd si ex vitriolo calcin. eam parare libet, recipienti aquæ fontanæ tantum infundendum erit, quantum ponderis inter calcinandum vitriolo decessit. Paratæ aquæ forti ad lib. 4. pond. Civil. additur laminæ argenteæ drachm. 1. & dissoluta omnia permiscentur, turbanturque; post brevem autem moram subsidentibus planè fæcibus effunditur aqua fortis jam defæcata, & in vitro, loco frigido ad usus reconditur. Parata dissolvit argentum, æs, aurichalcum, ferrum, Mercurium, bismuthum, pyriten, sed ægrè plumbum, nisi aquæ fontanæ aliquid affundas, ægriùs autem stannum. Ratio cur tam segniter stannum dissolvat, in eo residere videtur, quòd particulæ aqueæ in illâ pugnâ confestim vaporos specie evanescant, salinæ autem hîc nisi aqueis remistæ vel nihil, vel languidè operentur. Aqua Regia ita paratur: Rec. Aquæ fortis lib. 1. pond. civil. cui per vices ingere salis armoniaci unc. 2. sem. interea dum sal hic per vices infunditur, constituatur vitrum aquam fortem continens in fenestrâ, donec videris omnem salem in fundo dissolutum esse. Quòd si ad ignem id tentaveris, ludes operam, nimio particularum fervore omnia turbante. Si loco salis armoniaci adhibeatur sal communis, solet idem effectus consequi, quanquam illa prior aqua Regia agat aliquantò subtiliùs. Aqua Regia dissolvit promptè aurum, æs, ferrum, ægrè Mercurium, plumbum, stannum, argentum autem nullo modo. Causa, cur metalla alia ab aquâ forti dissolvantur, alia ab aquâ Regia, in particularum diversitate & mobilitate potissimùm quærenda est. Cur autem hi liquores adeò prompte dissolvant laminas tenuiores metallorum, etiam non advocato ignis ministerio, accersanda ratio erit ab elatere aëris, vel pressu athmosphæræ, vel, si mavis, à materiâ cœlesti Cartesianâ inferiora omnia premente.

17. Plumbum in granula comminuitur, si languidè priùs liquefactum in patinâ ligneâ cretâ illita hinc inde agitaveris, & subinde jactaveris in sublime, quemadmodum agricolæ in purganda avena versari solent. Vel capiatur eliquatum plumbum, infundaturque labro ligneo aqua pleno & scopis jam ante farcto. Posteriori modo etiam in grana abeunt quævis impuriora metalla cum argento permista, quæ Docimastis *pagamenta* vocari solent. Ad Docimasiam præstat plumbum vel Villacense, vel Goslaricum ut ab argenti ramentis liberetur. Nonnulli fusum plumbum, quin & pagamentum per tabulam ferream crebris foraminibus pertusam liquefacta transmittunt, atque ita in grana æqualia facilè partiuntur. Instituta hæc comminutio plumbi est, ut grana ejus cum particulis mineræ eò convenientiùs misceantur. Plumbum autem ad hoc opus eligitur, quia est tanquam mater metallorum, & reliqua in sese metalla facilè sorbet atque combibit, quemadmodum mater filios sinu complectitur. Quia enim metalla omnia originis sunt Mercurialis, rectiùs ad plumbum tanquam plurimo Mercurio fœtum sese transferunt, itura citiùs ad Mercurium ipsum, ut matrem propiorem, si eidem constantia in igne adesset.

18. Acus exploratoriæ sunt exiles sed latiusculæ virgulæ metallicæ, quæ lapidi Lydio affrictæ de puritate metallorum & monetarum testantur, comparatis inter se utriusque metalli lineis. Hæ ab alijs aliter distribuntur: vulgò in usu sunt tres misturarum ordines, quarum primus complectitur acus 24. ceratia, ad probandam auri misturam: harum acuum prima constat 24. Ceratijs, hoc est, fabricata est ex auro puro puto, secunda ex 23. Auri ceratijs & ceratio uno argenti, tertia ex 22. Auri ceratijs, & argenti ceratijs duobus, atque ita, sen-

sensim progrediendo ad acum 24. quæ ex 23. ceratijs argenti constat & uno tantùm auri. Secundus ordo est acuum ad argenti ære permisti examina usitatarum, in hoc ascenditur ad 12. denarios, quos nostri appellant, ita ut duodecima acus contineat æris denarios 11. & argenti unum, prima verò ex argento purissimo confecta sit, secunda ex argenti denarijs 11. & uno æris, & sic consequenter. Tertius ordo est semunciarum, sive, ut vernaculô appellamus vocabulô..... in besse, sive selibrâ, sive, ut nostri linguâ suâ pronuntiant...pro mistura præcipuè argenti & æris, in quo 16. acus numerantur, ex quibus prima acus est ex puro puto argento, vocaturque illud argentum, quod huic simile est.....secunda 15. partes perfecti argenti continet, & partem unam æris, vocaturque artificibus....&c. Advehuntur autem ejusmodi acus hodie Noriberga ad usus fabrorum argentariorum & aurariorum, serviuntque deprehendendo sine magno apparatu valori metallorum, & quartationibus, quas vocant, ritè tuendis. Nè tamen ijs fidamus solis, efficit fraudulenta adulteratorum solertia, quæ æri mendacem sæpè auri colorem inducit; itaque ut fraus internoscatur, linea à suspecto metallo in Lapide lydio ducta inungatur aqua forti beneficiô plumulæ; quòd si mendax est metallum, linea affrictu perit, si probum, durat illæsa. Si æs colore argenteo tinctum affricatur lapidi Lydio, dignoscitur fraus affrictu aquæ Regiæ, quæ reliqua metalla exedit, argentum autem intactum relinquit.

19. Libra exploratoria cum lancibus celerrimè cuilibet etiam minutissima ponderi cedentibus, Noriberga vel Colonia advehi solet, & capsula lignea claudi hinc inde vitris distincta, nè pulvisculis clam sese insinuans decipiat exploratorem. Dum in eo est explorator, ut massulas suas ponderet, continebit tantillùm spiritum, aut aliò avertet, nè tremulum motum anhelitu suo lancibus inducat. Distributiones libræ variæ sunt, de quibus commodiùs agitur, quando res ipsæ in medium afferuntur. Cætera exploratorum instrumenta, quia vulgo propemodum perspecta sunt, hîc non intuebimur. De Marmore Lydio illud adjungendum, quò nigrius hoc est, hòc accuratiùs reddi colores. Mundatur autem, quoties opus, affrictu calcis stanneæ & lixivio salis tartari, tandemque pannô abstergitur. Et hæc hactenus de vestibulo operis nostri Docimastici.

20. Tandem, ut operi ipsi accingamur, inter mineras prima nobis expendenda venit argentifera vena, tum quia ex illius examine tanquam ex scaturigine reliquæ vel profluunt, vel judicantur, tum quòd in his regionibus raro auri venæ in conspectum veniant, crebrò argenti. Sunt autem argentiferæ venæ, colore, substantia, & nobilitate diversæ. Dividuntur in mites & refractarias. Mites in catino fusorio percalefacto facilè subeunt plumbum, refractariæ non sine labore & artificio. Ex mitibus & ditioribus est prima *minera vitrea*, plumbi colore æmula; secunda *minera alba nobilis*: tertia *cornea*, quæ ad instar cornu propemodum pellucet; quarta *rubra nobilis*, colore cinnabarin nativam saturatiorem imitatur. Sunt & aliæ plures, de quibus prolixè *Alonsius Barba Hispanus*; nos quidem non omnes attingimus, nec enim necesse est, quippè de præstantia atque natura earum judex longè justior est ignis, quàm solus obtutus. Ex refractarijs sunt, quæ vehunt *pyriten*, *marcasitam*, *cretam*, *talcum*, *Stannum*, *cadmiam*, *antimonium*, *bismuthum*, *crassum*, *coboltum*, vel alia corpora, præcipuè sulphurea, in igne pertinacia.

21. Quòd si ante examen constet venam oblatam ex mitioribus esse, Rec. ejusdem drachmam unam pond. civil. hoc est, centum pondio unûm minus (quippè certâ proportione respondet centumpondio majori in magnis illis metallorum excoctionibus) eamque in laminâ ferreâ placidò mallei ferrei attritu confrre in pulverem tenuissimum. Vel ut expeditiùs progrediaris, Rec. venæ ejusdem, sive mineræ, qu. plac. & in pulvisculum subtilem redige, quem in trullâ ligneâ minusculâ quidem, sed oblongâ, admistâ aquâ hinc inde agita, succutiendo identidem partem trullæ posticam, & post levem moram iterum iterumque aquam turbidam cum terrestrioribus venæ particulis, ut metallo levioribus, effunde, reliquas utpote graviores ad usum exsicca (opus hoc Metallurgis vocatur, redigere in *Schlichtum*) hujus pulvisculi jam exsiccati & nonnihil tosti, ut feritas secedat, Rec. Centumpondium unum minus, admistisque plumbi in granula comminuti drachmis 6. in catino argillaceo rotundo sub testudine, in furno Docimastico jam antè probè calfacto relinque, atque carbonem unum grandiusculum sed duriorem, sive duos mediocres corticibus suis exutos orificio f rni superiori antico impone, remoto supremo furni operculo, apertisque ostiolis lateralibus atque antico inferiori; mox admotâ dioptrâ æneâ notabis liquescere plumbum, sorberi mineram, imò misturam totam veluti fructus agere; & scorijs ad latera circumdari; insiste ministrando ignem sic satis validum, donec plumbum totum propemodum integatur scorijs; immissaque subinde hastula ferreâ candenti & recurvâ siquid vel fundo catini, vel lateribus; mineræ nondum satis subactæ adhæserit, in medium vasis protrude hinc post brevem moram convenienti forcipe exime catinum, massamque liquidam in alveolum dioptræ totam inverge; quæ ubi refrixit, scoriæ omnes malleo sollicitè excutiantur, & plumbum superstes cum nobiliori venæ parte, quam sinu complectitur, in globulum quodammodo mallei ope rotundetur, nè exstantes ejus anguli cupellæ officiant. Et hæc est prima examinis pars, quæ mineram in plumbum recipit, duratque, si benè calculum ponas, horam circiter dimidiam. Solent accuratiores magistri centumpondium illud minus, quod explorare instituunt, in duas æquales partes dividere, & in duobus catinis; atque postea duabus etiam cupellis examinare eodem tempore, ut ex æqualitate grani utrinque prodeuntis de operis sui perfectione judicent.

22. Dum autem operatio illa prima instituitur, reliquendi sunt una in postica furni parte, sub testudine, catini cineritij duo, quos cupellas appellamus, primum quidem inversi, ut fundum eorum incalescat efficaciùs, hinc erecti, qui ubi semihoræ illius curriculo satis incaluerit, eorum alter explorandam massam levi manu excipiat, alter drachmas 7. plumbi in granula attenuati. Intendatur tum ignis validè, apertis ubique spiramentis, donec liquefactum plumbum in fluctus veluti crispetur; quô visô remittendus nonnihil contractis tantillùm ostiolis calor, ut quietiùs fluctuet, & nihil ab ignis violentia cedat in prædam; in quo statu regendus ignis, donec omne plumbum post varios in superficie colores, tandem etiam iridem exhibentes, partim in fumum secesserit, partim in poros ca-

catini sese insinuaverit, recto in alveolo catini argenteo, quod in minerâ vehebatur, granulo quieto, quod jam ad fulmen excoctum, ut vocant, & calens adhuc forcipe delicatiori eximatur, & in lance celeri ponderetur accuratissimè; ut colligas, quantum lucri centumpondium majus in ignibus excoctorum ex illius venæ culturâ polliceatur. Alterum etiam minutissimum argenti granum, quod in secundo catino ex solo examine plumbi prodijt, vocetur quoque ad trutinam libræ, ut quantum ponderis huic adhæret, tantum grano ex minerâ producto inter numerandum decedat. Quòd si jam ante constiterit de granulo puri, quod plumbum sinu complectitur, licebit in utroque catino venam metalli partitâ operâ explorare, ut ex utriusque æquali vel inæquali grano examinis justitia æstimari queat. Immò verò, si accuratissimum desideras examen, plura simul ejusdem massæ specimina capere oportet, & explorare, utrum grana ex catino æqualia proveniant; quòd si minus, iterandum examen erit, donec utrinque pondus idem observetur. A fumo inter operandum experimentum petitur regiminis, si ille rectà assurgit, satis calet furnus; si reflectitur, & circa ima catinorum oberrat, frigidior justò est furnus, si assurgit ultra latum pollicem à cupellæ plumbo, ignis violentior est, si non evolvitur supra cupellæ superficiem, frigidior.

23. Quemadmodum aurum ex fumo capitur indicium de excoctione secundâ & vero regimine caloris, ita in primâ excoctione si scoriæ oppidò lentescunt ad instar picis, calor justò remissior est; oportet enim liquidas has scorias mellis liquidioris consistentiam imitari, & tandem more vitri politi resplendescere. Quòd si scoriæ diutius lentæ & crassiusculæ perdurent, licebit ijs tantillum pollinis carbonarij aut aquæ fortis admiscere. Sumitur & indicium bene administrati coloris cupellarum ex catinorum calore; si enim catini inter operandum flammeo colore semper exhibentur, calor justo auctior est, si ad fuscum inclinant, justior caloris modus. Sed & circumstantiæ quædam hîc non obliviscendæ: 1. Tempore pluvio examen minùs convenienter instituitur, quòd furnus tunc nequeat satis incalescere. 2. Collocetur furnus exploratorius sub camino fumum commodè transmittente, ut flamma luculentiùs ardeat, & halitus noxij in auras liberiùs evadant. 3. Stet furnus locô tenebricoso, nec ventis, nec luci, nec soli obvio, lumen enim nimium judicio exploratoris obest, venti afflatus impedit caloris æqualitatem; Sol etiam radijs suis incidens vim ignis exploratorij vel impendit, vel suffocat, & propter hanc etiam causam in vicino ne ardeant ignes alij, quòd opus hoc retardent, & obturbent. 4. Carbones sint fagini, duriusculi, probè cocti, non ex semiustulatis titionibus, aut putridis lignis, aut ramusculis, aut denique corticibus male consarcinati; magnitudo illa ijs opportuna, quæ ovis gallinaceis convenit. 5. Ut constet autem, antequam massa exploranda immittatur cupellæ, utrum juste incalescat, granulis aliquot plumbi in ejus alveolum infusis id periclitabere; Si enim ex his jam eliquatis quiddam mox in altum subsultat, frigidior est cupella, quàm decet, ideoque ampliùs adhuc ante examen calfacienda est. Causa hæc fortasse fuerit: dum aquæ partes adhuc in cupellâ commorantes confertim eluctantur in auras, obvij metalli particulas secum in altum proripiunt, ut nubem assurgens tempestas pellit huc illuc pro arbitrio. Si plumbum cum massâ, quam gremiô complectitur, quietos agit fluctus, nec subsultat usquam, signum est probè attemperati caloris; in eo ergo statu regenda omnia sunt propemodum usque ad finem operis; nam sub ipsum finem calor iterum gradu uno auctior esto, ne reliquiæ quædam plumbeæ grano puro adhærescant.

24. Quòd si refractaria est vena, ut solent pleræque, redige eandem in pulvisculum, & leniter in catino argillaceo sub testudine primùm horæ circiter unius spatio, aut paullò ultra torre, ut in summum secedat, quicquid contumax erit, & plumbo alioquin non obtemperabit. Sed antequam teratur in minutum pulvisculum, frustillatim primùm torrenda est, ut ramenta auri vel argenti, quæ aliquando vel volatilia vehit, vel tenuiora, quàm ut in aquis sidant, hôc modô promptiùs colligantur ante trituram, adeoque compactiora jam reddita, postea nec cum aquis facile abluantur, nec evolent in auras; hinc centumpondio ejus minori uni adde novem centumpondia granulorum plumbi, & de cætero eâdem progredere viâ, quam in explorandâ venâ miti instituisti. *Si ante opus torrere venam non libet, sed stat aperto Marte cum hoste refractario statim confligere*, hæc ratio ineunda. Rec. *mineræ refractariæ* centumpondium unum minus, huic in catino argillaceo 14. centumpondia granorum plumbum, & in fluctuum speciem subinde attollatur; quô factô è vestigio ignis esto remissior, occlusis inferioribus furni spiramentis, patente solô supremô ejus ostiô; ita obstinata illa & intractabilis minera, quæ in superficie plumbi immota quiescit, paulatim torrebitur, depositâque tandem fumandô priori ferociâ scorias agere & splendorem suum amittere incipiet. Evanescente jam fumô & splendore metallico, iterum luculentè incandescat furnus, apertisque janujs inferioribus, illa sola, quæ ad testudinem ducit, atque superior est, carbone vino animanda erit, insistendumque calore ita incitatô, donec minera omnis plumbum subierit, & scoria æqualis atque fusilis totam propemodum plumbi faciem obvelârit, oculô tamen unô in medio vase adhuc conspicuô. Quô factô nil restat, nisi ut procedatur ad fulmen eâdem viâ, quæ in venâ miti signata est. Quòd si autem minera præter spem diutius & contumaciùs plumbo supernaret, aliquid vitri Saturnini in pulverem contriti affundendum erit, cujus beneficio feritas illa citiùs reprimatur. In hac palæstrâ desudans tyro primùm sese exerceat in plumbo candido, quod stannum hodie vocant, edomando; quod ubi aptè scierit plumbo sub testudine immergere, jam patens ipsi via est ad cæteras venas etiam pertinacissimas in obsequium redigendas. Non deest tamen & alia methodus ad frenandam stanni feritatem opportuna; nimirum Rec. Stanni qu. plac. & alborem usque perure, perusti drachmæ uni adde granorum plumbi drachmas octo, urge in catino argillaceo, donec fluctus agi notaveris, postea adhuc adde granor. plumbi drachmas octo, & vitri saturnini drachmam unam, procede ut in venâ miti, & prodibunt scoriæ laudabiles, atque stannum mox in cupellâ: si quod vehit, metalli puri granum, oculis tuis subijciet.

25. Ex mixturis minimè plumbo morigeris est æs Campanum, sive massa illa, unde nolæ hodie conficiuntur, sed & illa tandem obsequitur plumbo, si centum pondio ejus uni addantur 14. Granorum plumbi centum pondia, & satisdiu, leniterque post primos illos undulatos motus torren-

torrentur, stylô ferreo subinde agitando massam, & grumos, siqui coaluerint, eximendo, terendoque iterum, antequam catino reddantur; sed in torrendo persistendum, addendo subinde aliquid vitri saturnini, donec scoriæ æquales, fluidæ, & nitentes evadant. Sed quia id venis quibusdam nè torrendi quidem assiduitas sufficit expellendo arsenicali sulphuri, in hac difficultate confugiendum erit; ad elimatum ferrum, cujus portiuncula superfusa refractariæ mineræ excipit impetum sulphuris, atque infrigit, ut postea faciliùs in scorias abeat. Aliquando usque adeo effera est vena, ut postquam visa fuit deposuisse scorias omnes in catino, nihilominùs, ubi ad cupellam ventum fuerit, novas ostendat scorias, atque obscuretur. Quòd si contigerit, reddenda erit massa eadem catino, ut pleniùs sese ab excrementis ante cupellam intratam repurget. Granum purum, quod post excoctionem refractariæ venæ prodijt, ita ponderandum erit, ut ratio pondusculorum plumbi & vitri saturnini adjectorum (si quid in ijs puri hæreat) in subducendo calculo non negligatur.

26. Venæ steriliores, quæ parùm metalli puri vehunt, ante examen ope trullæ ligneæ in *Sclichtum*, quod dicitur, redigantur; aut si id non placet, addatur mineræ sterili quinta circiter pars pyritæ, liquenturque simul, ità quod purum fuit in centum pondium minùs & examinandum. Æs crudum, si in eo quæratur argentum, ad examen suum deposcit 16. partes granulorum plumbi: ferrum, si experiri libet, an ferax sit argenti, Rec. elimatæ scobis ejus centumpond. unum, misce colliquescant simul in catino leniter, ut sulphur scobem ubique penetret, quô factô deflagret, & mox scobi residuæ addantur vitri saturnini drachmæ duæ, & granulorum plumbi centumpondia 12. exerceantur in catino, ut alia minera rebellis, & tandem ad cupellam provocetur. Sed & hic rarum phænomenon attingendum: stupent ferè Metallurgi, cum deprehendunt cupellam ab æris examine graviorem reddi & reipsâ, & æris plumbique infusi pondere, cùm interea etiam oculi doceant plurimum metalli in fumos abjisse. Sed ratio hinc petenda, quod partim aër, qui ante inclusus moderabatur pondus, nunc propter soliditatem cupellæ ingredi eandem ampliùs nequeat, partim quòd igneæ quædam particulæ, sive mavis fuliginis, insinuantes sese in poros cuppellæ adhuc calentis, tandem ibi fractis cuspidibus terreæ evadant; atque ita pondus aggravent.

27. Argentum impurius ita commodè à recrementis suis liberantur: Erigitur sub camino furnulus altitudine pedis cum semisse ex lateribus coctis perfunctoriâ tantum operâ, nullâ argillâ intermistâ; pavimentum ejusdem insternitur ad altitudinem digitorum duorum sive arenâ, sive cinere, in cujus medio mergitur, adusque labra suprema catinus cineritius sive cupella major (testam vocant Artifices,) & plurium librarum metalli capax, atque circulo ferreo circumdata, nè fatiscant cineres. Ab utroque latere furnuli ostiolum patet, à fronte etiam unum, quorum beneficio ignis commodè queat gubernari. Testæ superimponitur testudo ampla & conveniens. Tandem admoto igne ubi testa probè incaluit, excipiat plumbum pro ratione impuritatis argenti jam plus, jam minus, eique liquido & undanti argentum, quod nisi è vestigio colliquescat, advocanda etiam follis manualis opera. Interea dum exercetur massa, uncô ferreô calente subinde versanda est ad latera atque fundum, ut si quid usquam lithargyrij glomeretur, permisceatur liquidô metallô. Ubi transierit jam per suos colores, & itidem sparserit massa, in catino cineritio quieta, atque splendida recumbens, affusô aquæ tantillô refrigeranda est, & mox forcipe eximenda. Ut plumbi autem admiscendi pondera internoscantur, si argentea massa impurior tertiam partem æris vehit, sub octuplum plumbi ad excoctionem requiritur; si aliquanto minus, subsextuplum. Non est autem omne plumbum unâ vice ingerendum testæ, sed ubi languidiùs fluctuat massa, de novo affusô plumbo excitetur, ut cursum suum alacriùs continuet.

28. Testæ ex ijsdem componuntur cineribus, ex quibus cupellæ, nisi quòd in confectione testarum tantillum varietur; monachum enim, sive pistillum hîc non adhibemus, sed succedit illi globus ligneus, quô hinc inde versatô superna cinerum facies in alveolum compingitur. Non dissimulan dum quidem in hoc opere tantillum argenti à testis unà sorberi, sed ut minima à prætore, ità in hoc negotio (sc. in excoctionibus majoribus) ab artifice non ità curantur. Si tamen testæ plures acerventur, ut ad fodinas metallicas fieri solet, licebit easdem de novo contritas affusô, quod satis erit, plumbo in alijs vasis recoquere; & tandem in capacissimis testis ad fulmen promovere. Ita, quod argentum capaces testæ prædatæ sunt; in capacioribus reperietur. Nonnulli argentum impurius crassiusculas ductum in laminas crucibulo majori committunt additâ nitri portione convenienti; crucibulo illi aliud crucibulum inversum imponunt, sed fundi pertusi, ut accensum jam ab igne nitrum liberiùs exhalet, & exhalando fæces secum auferat, in quo quidem negotio multum impuri peruritur, quod ex flammâ cœruleâ inde eluctante liquidum evadit, accuratè tamen ab omnibus purgamentis argentum ità nequit liberari. Reguli in alveolis testarum majorum post examen inventi, ut supremum puritatis gradum attingant, chrysocollâ sive borace additô ad follem ulteriùs afflatu purgandi sunt, ut saccus plumbeus, quem vocant, plenissimè tollatur. Non est enim argentum fulminatum purum putum adhuc, sed libræ ejus uni drachma circiter una adhuc plumbi solet adhærescere, quæ demum afflatûs & boracis ministerio secernitur.

29. *Saxa colorata, ponderosa, littoralia, arenæ coloratæ, silices, lapides sciffiles*, præsertim Andegavenses triti eluuntur in trullâ, ut leviora separentur. Quæ subsidunt, vocantur ad examen more refractariarum venarum. Quod idem deluta paludoso, & argillâ graviori atque coloratiori judicium esto; nisi adeo tenuia in ijs hæreant metalli ramenta, ut sidere in aquis nesciant; enimvero in hoc articulo tota massa, postquam frustillatim tosta est, sine ablutionis ministerio examini subjicienda erit. Aquæ coloratæ, aut subturbidæ è montanis profluentes decoquantur ad siccum; crassamentum restans ad exemplum venæ refractariæ exploretur. Ubi factô experimento constiterit adesse in his, similibusve massis puri metalli aliquid, mox subductô calculô intuendum, an in excoctione integrorum centumpondiorum ratio commodi expensas superet. Quô animadversô excoctio illa, quæ in ignibus expediri solet, operarijs metallicorum, ùt solenne, committenda, quorum est, tantum ex centum pondijs singulis ad libram majorem, auri, argentive elicere, quantum ex pondusculo suo Magister massæ inesse deprehendit.

30. In Indiâ occidentali ad Potosianas Argenti venas, quæ orbis terrarum ditissimæ sunt (ut quæ jam diu ultra quingenta millia milionum nummorum uncialium, ex calculo *Alonsi Barbæ*, profudere,) minera argenti purgatur ope hydrargyri; in quâ methodo hæc nobis observanda: Minera argenti coloris rubri, quæ nullo modo scintillat, promptè obedit Mercurio; sed illa, quæ vel tantillum vitrioli vehit, neutiquam paret, ideoque de-

coctione in aquâ fontanâ amoliendum omne vitiosum est, ut minera à mercurio commodè queat sorberi.

Nulla minera Mercurio addenda erit, antequam tostione scintillas suas perdiderit. Omnis minera redigenda est in verum alkohol, antequam admoveatur Mercurio. Fieri autem id potest ope circumacti saxei catilli erecti & stantis supra metam moralem, denique beneficio cribri minutissimi & tostionis, si necesse fuerit. Juverit etiam lavare pulvisculum tritum, & subtiliora tantùm ejus ad usum primum vocare, reliquiis molæ iterum commendatis; huic pulvisculo subtili si tantillum arenæ permisceatur, promptiùs Mercurio paret, quia particulæ ejus ab arenâ magis dividuntur, & nonnihil intumescunt. Vitriolum hostis Mercurij sæpè ante tostionem non apparet, sed pòst inter coquendum præsentiam suam indicat, itaque talis minera post tostionem non est cum Mercurio conjungenda, antequam seorsum aquæ puræ incoquatur, in quam postquam omne suum vitriolum deposuit, jam Mercurio obsequitur. Sed de toto hoc purgandi modo, qui beneficio Mercurij instituitur, consulatur *Alvarus Alonsus Barba* libro de arte metallicâ, qui fusè & eruditè, ut oculatus Potosianarum fodinarum inspector, argumentum hoc persequitur.

31. Hactenus in mineris quæsitum est argentum, eadem propemodum viâ ad aurum grassari oportet. Frequenter quidem in venis argentum nascitur, oculis mox obvium, rarò aurum purum, ut quod plerumque occultiùs in saxis & harenis delitescit. Nascitur autem aurum jam in saxo albo, jam in flavo, jam cœruleo, jam scissili, aliquando in pyrite, atque aliis, ita sæpe clam, ut nulla ejus vestigia oculis notari queant, nisi post examen. Nos de harenis primùm auriferis. Vehunt autem tales Tagus in Hispaniâ, Padus in Italiâ, Hebrus in Thraciâ, in Indiâ Ganges, in Asiâ Pactolus, in Germaniâ Rhenus, ut plura alia flumina prætereamus. Consulendæ & in montanis, & ad littora, & in fortuitis nonnunquam terræ hiatibus harenæ vel propter Ovidianum illud,

Quò minimè credis, gurgite piscis erit.

Has ipsas harenas manu exceptas artifex à sole aversus primùm inspiciet; quòd si tum quiddam in iis luculenter micare deprehenderit, nullo à sole accersitô lumine, spes est auriferas illas, vel certè argentiferas esse. Id ut pateat evidentiùs advocatâ trullulâ, affusaque aquâ variè movebit quassabitque materiam, & tandem levioribus modicâ inclinatione vasis effusis graviorem harenam cum Mercurio junget, teret, subigetque, ut ab eo, quicquid purum est, combibatur. Si recuset connubium, ut fit quandoque propter admista sulphurea, aut spuria alia, incoquatur harena prius aceto & alumini mixtis, & post cocturam horariam per triduum in loco frigido mixtura illa commoretur, tandemque aceto effuso reliquiæ aquâ calente dulci ab omni acrimoniâ liberatæ siccentur, & in mortario ligneo vel saxeo, addito pistillo ligneo agitentur cum Mercurio, donec in amalgamatis tenuioris speciem coëant; quo facto exprimendus per corium agninum supervacuus Mercurius, & quod in pelle duriusculum remansit, ad ignem in crucibulo explorandum; si quid post abitum Mercurij reliquum fuerit in crucibulo, cum borace fundendum est, ut appareat quantum puri metalli adsit, atque utrum operæ pretium videatur istic Chrysoplysio insistere. Mercurius is, qui per corium transiit, solet, etiam aliquid subtilioris auri secum transportare, quod ut deponat, per retortam ferream, cui collum exemptile, agatur in recipiens vitreum aquâ ad medias plenum, & transilit vacuus relicto in retortâ omni, quod sorbuit, auro. Præstiterit tamen, ut accuratiùs procedatur, retorta vitrea argillâ probè loricata, quòd rimis & hiatibus ferri aliquid auri non rarò agglutinetur. Nonnunquam vexata hoc modo harena nihil puri sibi exprimi patitur, & tamen aurifera est; tum verò veniendum ad tostionem in minerâ refractariâ edomanda solennem, & post illam ad ablutionem, atque tandem ad juncturam cum Mercurio. Solet autem aurum ex Chrysoplysio enatum pallescere, quemadmodum in Rhenano observamus, idque ob levem misturam argenti, sed pallor ille, vel cæmento, vel quartatione facilè aboletur, adeo ut in Arabici, seu obryzi transeat puritatem. Quomodo autem per compendium plurimum harenæ auriferæ uno die purgari queat, & quod purum est, inde secerni consuletur *Erckerus & Lohneisius.*

32. Quin & omnis minera auri purior in subtilem pulvisculum redacta, & aquæ oppidò salsæ incocta cum Mercurio in mortario ferreo, vel saxeo, vel in cupâ ligneâ mortarium imitante (cujus pavimentum vel saxeum sit, vel ferreum, pistillum item ex ferro in crucem diviso formatum, quod genus aurarij fabri ad colligenda ramenta metallorum puriorum in officinâ suâ temerè dispersa adhibent, molamque appellant) subigi potest, & more in harenis designato procedi. Si autem sterilior vena est, aut impurior, methodus istæc non sufficit impensis Mercurio præcipuè sumptus aggravante. Quâ curâ ut levetur artifex, deficiente argento vivo, reliquias pulvisculi auriferi granulis plumbi, vel lithargyrio, vel vitro Saturnino remisceat, addito capitis mortui, quod appellant, & fellis vitri momento; infundenda hæc omnia crucibulo, & insperso sale communi ad follem, in Regulum cogenda testâ purgandum. Quia verò ex attritu venæ hujus sive in mortario ferreo, sive in molâ ramenta quædam ferri, utut tenuia permiscentur massæ, illa admoto magnete ex pulvisculo primùm elicienda sunt. Si quid πυρηνώδες mineræ adhæserit, præmittenda trituræ exactiori tostio est. Testæ ad cocturam hanc utiles parantur ex cineribus faginis omni sale lixivio cassis, additis eodem pondere cineribus ossium vitulinorum itidem insipidissimorum, & portiunculâ argillæ figlinæ; inspergatur præparatis pollen vitulini cranij albissimum, eoque firmiter sinui testæ appresso, fontanâ irroretur vas totum, ut partes ejus solidiùs coëant.

33. Si eluta aurifera sive harena sive minera trita prægnans auro, & locuples deprehenditur, Rec. ejus partem unam, pulveris fusorij communis in vestibulo operis præscripti partes duas, misceantur, inque crucibulo eliquentur in regulum, tecta priùs levi ex sale marino fuso cortice, Mox subtriplo plumbi adjecto regulus in testâ ad fulmen excoquatur. Non frustra pulveri fusorio hîc addiderimus aliquid fellis vitri, & tartari crudi, ut tanto excitatiùs pulvis ministerio suo defungatur. Alioquin eâdem viâ, quâ in argentiferis venis, in auriferis etiam proceditur, nisi quòd granum, quod hîc post fulmen prodit, non semper purum sit, sed argenti portione non rarò imbutum, ideoque aqua separans, quam fortem vocant, advocanda; quæ si languidiùs granum admordeat subduplum argenti puri eidem illique factum efficiat, ut massa promptè dissolvatur, & aurum subsidens ab libram queat expendi. Hodie curiosi quidam, ut compendio ex harenis, silicibus, saxisque auriferis latens metallum exsculpant, iisdem tritis spiritum salis affundunt, certi ope ejus extractum iri, quicquid auri ibidem delitescit; & moliuntur quidem hæc aliquando eventu non infructuoso, sæpè tamen non sine detrimento, ob caritatem spiritus salis: neque compendia *Glauberi* in parando eodem spiritu susti-

sustinent exspectationem. Opportunus tamen hic modus est in mineris aureis delicatis & propemodum volatilibus quæ propter fugacitatem amittunt in igne divitias suas; quibus si spiritus ejusmodi affundantur, sine dispendio ab iis aurum se sistit artifici.

34. Sæpè non mineræ quidem, sed monetæ aureæ varij generis, & alia ex auro opera fabrilia ad examen vocantur, tum ut constet, quantum puri puti vehant, tum ut depositis sordibus & mixturis alienigenis in obryzum demigrent; cui instituto ut fiat satis recipiuntur monetæ, monilia, armillæ, annuli, torques, & quicquid cujuscunque valoris ex hoc genere ad manum est, quo per fusionem probè misto drachma una ex massâ hac utrinque exsculpitur, quæ affricta lapidi Lydio, beneficio acuum probatoriarum unà affrictarum, ostendit circiter, quantum auri, quantum reliquorum metallorum portio isthæc immò massa integra vehat; & quantum argenti adjiciendum sit, ut aqua fortis secretionem solidam possit moliri. Idque ut liqueat efficaciùs, additur huic drachmæ subtriplum argenti, confusumque in tenues ducitur laminas, quæ in aquâ forti separatæ documento sunt, quantum auri tota massa complectatur; quô cognito tantum affundendum est integræ massæ, ut aurum purum ibi delitescens triplâ proportione vincat; tantum enim ad minimum argenti requirit massa, priùs quàm aquæ forti commodè velit obtemperare. Quo facto tota aliquando commista sive in laminas tenuatur, sive, quod promptiùs transigitur, in grana excutitur supra scopas betulinas aquæ in cupâ immersas; tandem admissâ, quantum res postulat, aquâ forti secernitur à reliquâ massa aurum subsidens. Unum hîc monendum, si grana crassiuscula sint, plus aquæ fortis ad dissolutionem requiri, quàm si laminæ dissolvendæ. Ubi jam subsedit in aquâ forti aurum omne, effusâ illâ, quæ jam defuncta est munere suo, aqua alia iterum, iterumque affundendâ, sed valida, & coctione dimidiam horam institutâ eliciendum, si quid adhuc ramentorum ignobilioris metalli subsidenti auro se admiscuerit. Et hæc coctio si sollicitè instituatur, nihil metalli impurioris durare ampliùs potest in aureâ illâ calce, sed tota pura puta est, & ceratiorum 24. ut necesse non sit ad stibium tanquam accuratius examen provocare. Novissimè effusâ ultimâ aquâ forti fontanæ incoquenda calx est; & quidem eò usque repetitâ effusione, donec aqua & limpida, prorsus insipida inde defluat. Calx aurea leniter exsiccanda primùm, hinc eò usque, ut incandescat, tandem addita Chrysocolla, quam boracem vocant, eliquanda, ut transeat in figuram, quam artifex desiderabit. Hoc opus *quartationem* vocant Metallici, quia ad illud absolvendum tres partes argenti, & una auri requiritur. Quòd si animi gratiâ massam ex simplo auri, & triplo argenti constantem ita dissolvere libet, ut soluto argento, aurea, quæ ibi hæret, portio solida maneat, & laminæ prioris adhuc, quamvis, ut oportet, longè minutioris referat speciem, affunde primùm laminæ integræ aquam fortem minùs acrem, quæ laminam ipsam discerpere non possit, & validè coq; mox effusâ illa aquâ forti aliam affundea criorem, & tandem acerrimam, ita aurum non in frustilla, aut calcem abibit, sed sub laminæ pulcherrimæ specie sese spectatoribus ostendet. Si massa tota ante separationem in testa ad fulmen excocta fuerit, & saccus plumbeus follium afflatu postea abactus, non tantùm aurum inde productum erit omnium purissimum, ita ut nequeat ferè usquam in rerum natura dari purius, sed & argentum defœcatissimum, quod.....appellant, quo nec magis purum potest ostendi. Utrumque hoc nobile metallum ita repurgatum æstimatur artificibus nonnullis adhuc tantillum heterogenei continere, sed quod inde nullo artificio separari queat; nos autem, si sollicitissimè curentur ea, quæ admonuimus, nodum ab iis in scirpo quæri arbitramur.

35. Aurarij fabri ad aurum perfectè ab omnibus recrementis purgandum hâc incedunt viâ, quam insistat, qui volet: Rec. Auri Rhenani, vel Coronarij, vel alterius impurioris, quod tamen sit ceratiorum minimum 16. huic eliquato jam in crucibulo, antimonij optimi subtriplum frustillatim injice, ut probè fundantur simul, quæ ubi fusa convenienter fuerint, post brevissimam moram effundantur in catinum aurichalceum coniformem, & sebo prius illitum; inter effundendum margines bacillo ligneo crebro percutiantur, ut puriora, eoque graviora promptiùs in fundum subsidant. Ubi refrixit vasculum, decutiatur regulus, sepositisque fæcibus cum eadem portione novi antimonij iteretur labor, idem, immò tertia quoque vice eodem modo instituatur. Tandem fæces, quia prædantur semper aliquid nobilioris metalli: in novo crucibulo fundantur iterum in formam liquidissimam aquæ, quo facto labris crucibulum mergatur in aqua fontana ad oras usque, ut eò citiùs refrigescat. Mox seposito, qui inde emersit, regulo minuto, reliquiæ iterum eliquandæ, & quamdiu vel tantillum reguli auriferi inde emergit, omnes eodem modo exercendæ. Novissimè reguli omnes in crucibulo mundo eliquati horam integram alacriter folle afflentur, donec cessantibus fumis aurum ipsum quietè follem patiatur, colore viridans, interea in latus nonnihil inclinet crucibulum parte etiam marginis superioris detruncata; tum ut fumis liberior concedatur abitus, tum ut pateat in massam eliquatam conspectus. Ad ultimum, massa hæc in aqua frigida restincta in novo crucibulo iterum colliquescat, addito per intervalla Chrysocollæ tantillo, & afflatu rursus follis purgetur ulteriùs, donec colore iridis invitet oculos, & tum quidem in canalem ferreum cera vel sebo illitum, & charta abstersum effundatur, coalescat, ponderetur. Hoc autem æstimatur ceratiorum 24. ultra quod ascendi nequit; cum eodem tamen haud dubiè de munditie certat illud quod ex aqua forti, modo superius tradito profectum est.

36. Sed ad argentum illud regrediamur, quod ex quartatione in aquam fortem concessit. Illud ut purum maneat destillando evocanda inde erit aqua fortis ad plenam usque siccitatem; restanti massæ affundenda copiosè fontana, & laminæ aliquot ferreæ, simulque Mercurij vivi tantum, quantum ad amalgationem satis est; ita acrimonia salium adhuc superstes ferrum aggreditur, argentum verò leniter quassando in Mercurium immigrabit, ad usus postea quoscunque vocandum, & præstantia certabit cum illo quod purgatissimum usquam invenitur. Solent quidem metallici, ut expeditiùs defungantur opere, aquam fortem, in qua argentum delicuit, affusa copiosè fontana, injectisque laminis æreis præcipitando ab argento separare, & mox in affusione acris illius, atque affusione recentis fontanæ tamdiu persistere, donec ab omni salsugine calx argentea vindicetur; sed hoc argentum exsorbet ex laminis æris nonnihil impuri, eoque purissimum æstimari nequit, ad opera tamen fabrilia expetitur. Licebit & solutum in aqua forti argentum, detracto, quicquid subsedit, auro præcipitare in calcem albissimam per affusionem fontanæ aquæ, in qua sal culinarius delicuit, sed ita argento, nisi sollicitè caveatur, non parum in fundendo decedit, quòd calx illa argentea, si ad ignem eliquetur, in corneam veluti massam transeat, ægrè sine jactura in ductile metallum redituram.

37. Laudamus deprehensum ingenio *Archimedis* in

in Hieronis coronâ aureâ ignis ministerio furtum, per immersionem in aquam, nec improbamus collatam ab alijs operam ad eadem tentamenta subtiliùs instituenda, sed id duntaxat adjicimus, in variis misturis artificium titubare, & si ad minutias descendatur, hærere ijs aquam qui aquam ponderant; ut taceam, non omnibus aquis etiam fontanis idem constare pondus. Certiori experimento fila rem definiunt, quæ ex duobus nobilissimis, sed itidem purissimis metallis conflata, si per idem ferrei cribri foramen validè ducantur, & mox ad eandem præcisè secentur longitudinem, accuratum ponderis utriusque metalli ostendent discrimen. A quo pondere cùm variè permista fila per idem traducta foramen declinent, ex diversitate, illâ ad calculum vocatâ divinabitur, quantum in filo ex auro, argentoque misto, auri; quantum argenti delitescat. Ita annulum torquis, ita monetam ex auro Coronario, Rhenano, Hungarico, Arabico sine igne, si filum inde ducatur, & cum filo alio obryzo ejusdem longitudinis comparetur, explorabis non inutili experimento; in ijs præsertim massis, monetisque, in quibus nihil impurioris metalli continetur. Nam alioquin propter inconstantiam ponderis metallorum ignobiliorum (quæ è diversis petuntur fodinis) in æquali massâ, experimentum in misturis variis, item in ære, stanno, plumbo non perinde voto respondet.

38. Ut aurum, quod in argento sæpe sparsum deprehenditur, sed parcè (quod per acus exploratorias, & aquam fortem æstimare licet) in arctum, ceu vocant, cogatur, hoc est, in unum locum confluat, atque adeo inutili aquæ fortis profusioni obviam iri queat, methodum instituit *Erckerus* non pœnitendi compendij quam alij superare conantur hac viâ. Recipiunt arsenici, & sulphuris ana, quant. plac. terendo permiscent, & mox eliquatæ argenti selibræ pulvisculi hujus semunciam affundunt, ignemque intendunt alacriter, ut mista probè confluant, & graviora subsidant. Novissimè, in exempti, frigentisque crucibuli fundo Regulum inveniunt auro fertilem, & levi operâ repurgandum.

39. Sed ut ad cæmenta Docimastorum paulatim veniatur, locum duntaxat illa habent in massâ, quæ ultra dimidias purum aurum vehit; si infra bonitate descendit, separationes aliæ meritò præferendæ. Varia autem solet esse cæmentorum mistura, pro captu & instituto artificis; nos ex efficacissimis unam adduximus in operis vestibulo, quæ ut ad usum vocetur, fiunt alterni ex impuriori auro in laminas ducto, & pulvere hoc lecti (sive strata appellare mavis) in pyxide firmâ argillaceâ; probè operculatâ; mox admovetur ignis, qui paullo remissior fusorio ad horas 24. eduret. Postea exemptæ; aquisque calentibus elutæ laminæ ad ceratia 23. puritate solent ascendere, exesis propemodum mordaci illo cœmento metallorum cæterorum additamentis omnibus. Quod si de novo repetatur labor idem, adjecto recenti cæmento, ad 24. cæratia proximè deducentur. Purgatæ ita lamellæ addito boracis momento eliquentur; dumque fusum metallum in vaginam ferream cerâ illitam, calentemque invergitur, chartulâ sebo & cerâ peruncta supra vaginam incendatur, ut aurum tandem effusum, frigidumque grato nitore splendescat. Pulvis qui à cœmento rediit, asservandus, quod argentum massæ inhærens hauserit; immò si mordacior fuerit, multisque salis armoniaci spiculis armatus, etiam auri tantillum populari solet, eoque, ubi usus feret, cum alijs generosioris metalli reliquijs purgari meretur.

40. Unum frequenter auro vitium adhærescit, fabrorumque diu exercet patientiam, fragilitas invisa, non quidem illa auro domestica, sed ob misturam Orichalci, cadmiæ, aliorumque heterogeneorum nimis familiaris; emendatur tamen eadem, si eliquato vel nitrum sæpe inspergatur, vel sublimatus Mercurius. Quòd si è cupellæ supplicio fragile exeat, id quod rarius compertum, medebimur huic malo, si eodem jam fulminato quidem, sed nondum durescente, labra catini forcipe identidem concutiamus, ut intremiscant; efficiunt enim vibrantes illi motus, ut ab alienigenis corpusculis plenè expediatur. Cupellas nobilissimas ex spatho fieri si solutione vitrioli irroretur, tradit Cl. *Cardalucius*, item, ex ossibus solutione nitri imbutis, de quo ulteriùs consulenda experientia. Nemo à me hic exspectet, ut virgulæ metallicæ, in explorandis metallorum latibulis vires commendam, ut cujus usum hactenus ambiguum reddidit inconstantia utentium, & comes plerumque superstitio.

41. Nunc ad æris cunabula. Et quidem venæ, sive mineræ æris variæ sunt, eædemque frequenter pulcherrimis expictæ coloribus, 1. ex cinereo subcærulea, ... artificibus, 2. cyanea, sive azurina, ex cæruleo hinc inde subviridis, ... appellata, 3. subfusca, 4. subflava, 5. innata lapidi scissili Mansfeldico, 6. variorum colorum, sed à pyrite, antimonio, & arsenici misturis libera. Et hæ quidem omnes in numero venarum mitium censentur; sed quæ pyriten, sulphur, talcum, arsenicum (ad summam, quæcunque orichalci more nitent, scintillantque) vehunt, in numero rebellium. Vena mitis sic exploranda: Rec. ejusdem tritæ drachmam unam, pulveris fusorij communis duplum, aut, si pulvis ignavior est, subtriplum, mista ingerantur crucibulo Hassiaco triquetro (rectiùs tamen argillaceo alij fundi angustissimi) tegantur que sale marino leviter appresso, ad crassitudinem medij digiti, ita accuratè operculata commissuris argillâ firmatis exerceantur in fornace anemiâ modesto sub initium, & æquali igne, flabello primùm ex anserinis pennis ventulum undiquaque faciendo; deinde urgeatur opus flammâ incitatissimâ ad medium quadrantis horæ, ut æs quod in venâ delitescit, grani specie in fundum descendat. Hinc exemptum mox forcipe crucibulum in laterculo æquali statuatur, ut ad nativum frigus paulatim redeat, malleolum identidem incutiendo oris vasculi, ut gravior massa versus fundum agatur. Tandem diffracto catino ponderetur, quod elicitum fuit, æris granum, & ex centum pondij minoris fœcunditate æstimetur magni, si eidem insistatur, emolumentum. Providendum autem in hoc examine sollicitâ curâ, nè æris illud granum liquefactum jam, & tenerum diutius in igne hæreat, adeoque à fusorio pulvisculo arrosum vel tantillum legitimi amittat ponderis, vel, quod ἐγχειρήσεως imperitis accidere solet, in inania totum agatur recrementa: Scoriæ quæ inde prodeunt, æquales, & coloris subfusci argumento sunt justè gubernatum fuisse calorem; rubicundulæ autem erosam æris portionem nunciant, eoque iterandum examen. Nè ergo decipiantur in explorando artifices, duos simul catinos æquali modo temperatos eodem igne exercere solent, ut ex utriusque grani ab examine redeuntis æqualitate operationis justitia censeatur. Præstat autem hîc fundi angustioris vasculum, ut in granum unum massa coëat, namque in crucibulis vulgati usus propter fundi amplitudinem particulæ quædam æreæ vagantur, & in plura divisæ granula Magistri sæpe sollicitudinem eludunt.

42. Quòd si rebellis minera est, tunditur in grana magnitudine seminis cannabini, & ante examen, primùm quidam leniter, hinc validiùs sub testudine ad quas circiter horas torretur, ut sub finem obscurè incan-

candeſcat, bacillo ferreo maſſam ſubinde agitando, nè vel coaleſcat, vel inæqualitates aduratur. Mitior vena labore eo non indiget; quia tamen paucæ ita miteſcunt, ut nihil uſquam feritatis retineant, præſtat omnem æris mineram, etiam illam, quæ oculis minutiſſima æſtimatur, horario calore ante examen leniter torrere. Grana illa inter torrendum igni ſubinde eximenda, ut novâ triturâ in paullo minutiora abeant fragmenta, tandemque, ubi omne ſulphur noxium exſpiravit, in farinæ ſpeciem redigenda. Venam convenienter toſtam eſſe & viſus docet, neque enim ſumat amplius, & olfactus, quia nec ultrà ſulphur redolet. Defunctus hoc labore Artifex, nè clam adhuc rapacitatis quicquam in venâ ſuperſit, adjicit explorandæ farinæ ſextam partem fellis vitrei cum boracis momento & pulveris fuſorij triplo, atque in excoquendo eadem procedit viâ, quâ in venâ miti, niſi quod hîc ignem paullò validiùs intendat.

43. Nonnullæ pertinacium venarum exuunt magnam feritatis partem ablutionibus per trullam inſtitutis, & hac methodo ſatis opportunè in arctum, quod vocant, rediguntur; pyrites tamen aquæ non auſcultat, quòd ramenta æris in eo latentia corpuſculis pyritæ leviora ſint, eoque lavando citiùs recedant. Sunt & ex ſubtilibus lapidibus ære. Fœtis, qui aquis non obtemperant, ſed igni fuſorio, quo in genere cenſetur Mansfeldicus ille, apud nos etiam celebris, qui luculentâ flammâ eliquatus æs omne, quod vehit, in fundum catini præcipitat. Quod ſi æris vena ſaxo adeo rigido & pertinaci immixta eſt, ut nec eliquari commodè nec ablui trita queat, torrenda erit, & toſtæ, calentique aqua frigida copioſiùs inſpergenda, ut ſparſum tenuiùs metallum, eoque levius, in granula coëat, & poſtea ſeſe lavari patiatur. Deæris nigri in promercale cocturâ, atque adeò deæris, beneficio illique factæ cadmiæ, in orichalcum tranſitione conſulatur *Ercherus*.

44. Venæ plumbi nigri (Galenam alij vocant, quidam molybdænam) ſi præſtantior eſt, invitat ſtatim oculos colore plumbeo, fragilis tamen; habeturque ea duplex, alia enim lucet majoribus veluti ſegmentis,.....appellant, minutioribus alia, quàm...... Invenitur & alba, flava, rubicunda, atque hæ omnes in mitium cenſum veniunt; ſed quæ vel unà pyriten, vel talcum ſinu abſcondunt, inter refractarias numerantur, quòd ablutioni ægrè pareant, & in igne, niſi ſollicitè regantur, facilè aliquid nativæ bonitatis amittunt. Vena mitis & locuples, ad aliquot libras, ſi ita viſum, capitur, & poſtquam in fruſta avellanis magnitudine reſpondentia tundendo abijt, in latiori catino leniter torretur iterum, ut ſulphur alienum omne deflagret; mox igne alacri in maſſam plumbeam uſui accommodatam demigrat. Vel ſi accuratius experimentum placet, exploratur minera plumbi mitis eadem ratione, quâ æris minera, niſi quod hîc ſufficiat pulveris fuſorij duplum. Additur & tantillum fellis vitrei, ignisque poſt brevem moram ſubitò intenditur, & remittitur ſubitò, ut granum plumbi eliquetur quidem, ſed non tamen peruratur. Non alienum fuerit momentum ſcobis ferreæ adjeciſſe ad frangendam Antimonij, quod plerumque venæ plumbi ſe ingerit, ferociam. Galena refractaria teratur in fruſtilla ſemini cannabino æqua; hinc torreatur uſque adeo leniter, ut nullâ ratione liqueſcat, & mox ut vena mitis excoquatur, niſi quòd ſcobem hîc ferream adjicere ſupervacuum, ob præſentiam adhuc duorum ſulphurum adverſorum, quæ mutuis ſe ictibus confodiunt. Sterilior Galena per trullam more ſolenni elota facilè exploratur: ſi ablutioni non paret, fruſtillatim torrenda erit priùs, ut rapacitas emigret. Sed & ramenta venæ tenuiora, eoque leviora recrementis ipſis, ubi incaluerint probè, aquis ſpargenda, ut minutiæ velut ex antiperiſtaſi colligant ſeſe, & in granula coëuntes hôc procliviùs loturæ obediant.

45. Eſt & plumbi genus, antiquis, ut apparet, incognitum, *biſmuthum* vocant, noſtri..... quod fragilitas nonniſi inter ſemi metalla locat, vulgus tamen plumbum appellat cinereum; hujus vena, quæ alba eſt, gravis, & oppidò fuſilis, exploratur ad exemplum venæ plumbi mitiſſimæ, ſed citiùs abſolvitur negotium ob promptiſſimam venæ fuſionem, ſine ſcobis ferreæ, & fellis vitrei adjumento. Minera hæc ſi in cortice fodinarum reperiatur, præſagire ſolet non longè abeſſe venam argenti; eoque rectum argenti nuncupant Metallici, & fœtum ejuſdem immaturum, neque adhuc ſatis à naturâ percoctam; quemadmodum *coboltam* exiſtimant argenti jam, poſt diuturnam maturitatem, iterum in ſcorias fatiſcentis eſſe progeniem. Ad plumbi ingenium nonnihil accedit *Zinchum*, quod & quibuſdam *conterfeth*, alijs *ſpiauter* appellatur quod & ipſum in ſemimetallis cenſendum, quod ductile non ſit, nec diu malleis obſequatur. Defertur ad nos ex Indis orientalibus, ſed & Rammelsbergicis Brunſvicenſium fodinis innaſcitur; da natalibus conſulatur *Lohneiſius*.

Servit ferruminationibus, & æri colore auri illuſtrando.

46. Vena plumbi candidi (ſtannum hodie vocant artificibus.....) colore nigricans plerumque eſt, & gravis pondere, anguliſq; frequentibus politula; aliquando tamen & flava reperitur. Explorari ſolet more plumbi nigri, ſed citiori flammâ, ob naturam magis fluxam. Alij mineram toſtam, vivis injiciunt carbonibus, admiſtâ portione certâ induratæ picis, aguntque per deſcenſum, & in cinerum ſuppoſitorum alveolo maſſam fuſam excipiunt. Quidam centumpondio minori venæ toſtæ addunt carbonis triti grana novem, boracis drachmam dimidiam, inque tigillo ad quadrantem circiter horæ admoto igne exercent, affundentes miſturæ jam candenti dimidiam adhuc drachmæ partem. Stannum quo levius, hoc æſtimatur præſtantius: igitur miſtura alienigena deprehenditur, ſi ex puriſſimo ſtanno globulum fingas, & in eodem alveolo, ex eo, quod ſuſpectæ puritatis habetur, formes alium, reſectis utrinque appendicibus, libra indicabit miſturam.

47. Vena ferri jam ſubfuſca eſt, & coloris ferruginei, jam ſubcœrulea, cujus bonitas exploratur, ſi magnetem in trito ejus pulviſculo, &, ſi res poſtulat, toſto hinc inde verſes, & quicquid adhæſerit, lagopede identidem abſtergas, tandemque ad libram voces. Vena chalybis, frequentiùs flaveſcit, magneti rarò paret, niſi toſta. Immò nec ſemper obtemperat vena ferri, ob miſturam ſulphuris, & recrementa alia, ut proinde conſilium ſit, ad hanc viam deflectere: Rec. mineræ ferri centum pondium minus unum, vitri Saturni drachmas quatuor, pulveris fuſorij drachmas duas (ſed hic pulvis excipiat tres partes tartari, unam nitri, dimidiam carbonis coturni) micta & cortice ſalino tecta eliquentur in fornace anemiâ, ut æris vena ſolet. Ex mineris ferri magnes quoque eſt, cujus uſus non in re nauticâ duntaxat elucet, ſed & in geometriâ ſubterraneâ, ut cujus miniſterio Pyracmones illi montani in imis terræ hiatibus, ſcaptenſuliſque curſus venarum metallicarum, & anfractus varios admirabili ſagacitate reſtigant, quâ de re videndus *Sebaſtianus Spanius*.

48. Vena Antimonij, ſeu ſtibij galenæ non admodum diſſimilis eſt, niſi quòd ſtrijs plerumque longioribus radiet. Ejus fœcunditatem ita periclitabere: Contundatur in fruſta ad avellanas magnitudine accedentia, mox inter duas ollulas labris probè argillâ conjunctas, in laminâ ferreâ crebris foraminibus pertuſâ reponatur, & ſuperiori ollæ admoveatur ignis, paullatim validior, inferiori in pavimento furni ad oras uſque ſepultâ: ita per foramina defluet in vaſculum inferius, quicquid in illâ venâ puri deprehenditur. Hæc ign-

ipsa via opportuna est explorandæ argenti vivi, seu Mercurij venæ, quæ antiquis jam cinnabaris nativa, jam minium appellabatur. Nec enim minium hodiernum seplasiariorum, aliud est quàm plumbum nigrum, in ruborem usque perustum, de quo altum apud veteres silentium. Alij hanc venam tritam per retortam ferream exigunt in excipulum amplum aquâ ad tertias plenum, igne gradatim adaucto; Prorumpit enim fumi specie Mercurius, & in aquâ fluidas suas, currentesque particulas rectius colligit. Quòd si nè sic quidem obsequatur, tantillum ferreæ scobis & boli armenæ immiscendum, antequam igni committatur.

40. Vitrioli frequenter vena pyrites est, sive marcasita, aliquando lapis scissilis; nonnunquam ex aquis fodinarum, ad quas pyritarum ubertas, levi evaporatione nascitur, ut Gossariæ, ad Issypagum, in agro Parisiensi, alibi. Sæpius torrentur pyritæ, aquisq; mox incoquantur, liquor ad definitam mensuram igne cogitur in vapores, reliquiæ frigore spontaneo in vitriolum addensantur. In ærariis fodinis cœrulei vitrioli affatim suppeditabitur, si vena æris primo igne tosta, nocte duntaxat unâ aquæ immadeat, & postridie supervacuus humor decoquendo magnam partem exhalet. Eodem modo plumbi nigri vena vitriolum album producit, etiam non cremata. Ad primum à Spadanis fontibus lapidem, ut presens notavi, ita vitriolum pyriti exprimunt: Venam hanc ex puteo in profundum acto erutam in furno cremant, ostiolis hinc inde, præsertim in posticâ furni parte, apertis, ad quæ sulphur copiosè inde exhalans vasculis excipitur, reliquum in pyramidem quodammodo fastigiatum sub Dio aliquandiu relinquunt, ut aërem combibat tandem aquæ incoquunt, & ex eâ exhalando recedente copiosum atque nobile vitriolum exsculpunt; si à primâ statim crematione coctioni insisterent, parum collecturi, modò verbis eorum, qui huic magisterio præerant, fides debeatur.

50 Mineræ aluminis diversæ naturæ sunt; in Andrarumensi Scaniæ fodinâ lapis scissilis in cumulos acuminatus torretur, atque mox in aquam coquendo & alumen & vitriolum deponit. Satura utrisque aqua ubi satis in alienis plumbeis visa fuit subdito igne exhalasse, versus fundum præcipitatur alumen; quæ supernatat aqua virens, in aliud vas depletur, & præviâ evaporatione secundâ in vitriolum coalescit. Nonnulli separationi huic urinam adhibent, sed quæ in magnis ex coctionibus eâ ubertate colligi non potest, ut operi amplo sufficiat. Aliquando vena aluminis exempta, nec statim torrenda est, nec tosta subitò incoquenda aquæ, sed dandum aëri tempus, ut massam in acervos erectam subeat, unde sponte demum incalescit, & farinario sudore maturam se excoctioni novissimè fatetur. Sulphur frequenter per retortas, vel aliquatenus similes retortis fornaces pyriti extorquetur, non rarò invenitur sponte suâ, quale est nativum illud, quod ad Heclam Irlandiæ, ad Puteolos in campis Plelegræis, & passim alibi coacervatur. Vehunt & aquæ nonnunquam sulphur, quemadmodum ad thermas passim videre est; deprehendi illud non modò ad Aquis granenses balneas, ad Aponenses, ad Baias, sed & ubertim ad urbem Romam in superficie Ma is fluvij, ut videamus constantiam naturæ, quippe jam olim ita Æneid. 7. Maro;

Sulphureâ Nar albus aquâ --

Nec minus in Bathonensibus Angliæ; in quibus lutum etiam sulphure fœtum argenteos nummos levi affrictu inaurat, sed fugaci, ut solet, colore. Ut autem præcisè definiatur, quantum sulphuris sive in terreâ aliquâ massâ, sive lapide scissili, sive pyrite occultetur, libram ejus unam, contritam priùs ex retortâ propelle, supposito excipulo vitreo aquâ ad tertias pleno, ita ascendens in retortæ nasum sulphur, &c, si quid præterea aquæ innatat, ponderetur, atq; si necesse fuerit, novâ sublimatione purgetur iterum, lanx solvet dubium. Nitrum, cui nomen salis petræ indidere, ut inquiratur, ovilia, fragmenta murorum antiquorum, (quod Parisiis, & Salmurij frequens pavimenta agricolarum non instrata latere, clivi sæpe montium Austro obversi &c. consulendi sunt; excipitur glebæ illius portio, affunditur tantum fontanæ, ut quatuor digitis emineat; decoquitur, si opus, per trihorium; ubi subsidentibus purgamentis inclaruit liquor, leni evaporatione, & mox frigore nativo cellæ in crystallos spissatur. Lingua, anguli stiriarum, & carbo vivus fidem facient de ejus præstantiâ. Sed de his supervacuum est pluribus agere, ut artificio in vulgus jam notissimo. Nec ignotum, exhaustam frequenti coctione nitri glebam, si in loco à ventorum & pluviæ injurijs libero asservetur, sensim iterum novo nitro fœcundari, de causâ tamen iteratæ fertilitatis non perinde constat, plerisque aërem incursu suo novum fomitem suggerere existimantibus, quod ut indubitatum agnoscimus, ita nitrum verum in aëre frustrà quæri arbitramur, sed oleum & salem nitro dissimilem copiosè. De quo fortassis aliàs disertiùs. Nec minùs hodie increbuit passim excoctio salis communis; tum illius, qui ex aquis marinis, puteisq; mediterraneis hauritur, tum qui in montanis impurus cæditur; cùm pelagiam illam aquam in vadosa littorum admissam, intercepto regressu, in salem cogat æstivus sol, quemadmodum solenne est ad *S. Yves, & Gades* in Hispaniâ, in Gallis ad *Brouage, & Aigues mortes*: puteorum autem salsinaginem, rupiumque salem inquinatiorem in muriam solutum, sidentibus fœcibus, ahena coctione perficiunt, quod *Hallis* in Inthal, & ad *Luneburgensium* salinas frequentatur. Sal gemmæ, qui in agri Cracoviensis salinis exuberat, coctura non indiget, ut qui sponte, crystallinâ puritate oculis blandiatur. *Sed manum de hâc Tabulâ.*

Hactenus de Dokimastice Metallica Borrichius.

DOLICHUS, vid. *Phaseolus.*

DOLOREM LENIENTIA, vid. *Anodyna.*

DORONICUM.

Doronicum vocabulum factum est ex Arabico *Doronigi* vel *Dorungi*, quorum illud Serapionis est *simplic.* c. 325. hoc Avicennæ 212. c. 210. Horum verba si afferam nihil agam: tam enim non conveniunt cum Doronico quàm non conveniet album cum nigro. *C. Hoffm.*

Doronici notæ caracteristicæ sunt flores aurei speciosi, sparsi, in summis caulibus & ramulis, in longos pediculos excurrentibus singulares: semina in plerisque parva nigricantia; folia itidem lata & subrotunda, radices tuberosæ aut crassæ, qualitate venenata & deleteria præditæ.

Huc etiam ob florum similitudinem in figura & situ refero nonnullas quæ folijs sunt oblongis, radicibus fibrosis, nec quod sciam deleterijs.

Possent fortasse certiores hujus generis notæ à seminum figura alisque accidentibus sumi. Verùm quoniam nobis paucas admodum Doronici species videre contigit, nec multa quod sciam in hortis à nostratibus coluntur, ea observare & inter se conferre nondum licuit, necdùm licet. *Raius in Hist. Plant.*

Pro Doronico Galangam cum corticum Citri parte nonnulli substituunt, eò quod auctorum quorundam diversa opinio veneni suspicione id apud plerosque infame reddiderit; id enim ab aliquibus inter Aconita repositum, ac toxicis adnumeratum, proque deleterio passim habitum & proclamatum, à Medicamentorum compositionibus aliquantisper exulare coactum fuit. Veruntamen doctissimorum, & in re Medica versatissimorum Virorum gravia testimonia, quinimò & usus ipse Doronici nostri vulgaris, innocentiam detexit: quo argumento Collegium nostrum permotum, quod pro eo Zedoariam quondam substituebat, Doronicum hoc tanquam postliminio revocatum, in Medicum usum

read-

readsumpsit. Nobis autem hoc loco nec de Arabum Doronico, quoniam eo caremus, nec de Aconito Pardalianches sermo est: sed de Germanico illo ac vulgari Doronico nostratibus hoc nomine cognito. Radicula est prædulcis, acrimoniâ carens, rotundiuscula, interdum quoque oblonga, geniculatis propaginibus sibi cohærens, folio ferè Cucumeris, verùm minori ac molliori, florem gerens citrinum, Chrysanthemi flori haud absimilem. Affertur ad nos ex vicinis Alpibus, in quibus copiosè provenit: radices ipsæ scorpij figuram nonnunquam repræsentant. *Pharm. Aug.*

Doronicum radice scorpij de quo *Bauh.* in *Pinace* est planta cujus radiculæ sunt oblongæ, rotundæ, tuberosæ, nodosæ, digiti minimi crassitie, ex viridi pallescentes, plures ex uno capite tenuibus quasi filis dependentes, saporis subacris & subdulcis, ad glycyrrhysam accedentis, odoris nullius.

Planta est discoidea, radiata, pappescens, nascitur plerumque in altissimis montibus, colligitur primo vere, quando flores primùm apparent.

Dicunt rupicapras ex Doronico comesto interfici, sed falsum hoc est; imò à vertigine eas præservat, dum altas scandunt rupes.

Quoad *vires* planta hæc est temperata; adhibetur in capitis affectibus, vertigine, emollit etiam & lenit obturatos pulmones, (si modò in decocto exhibeatur) non secùs ac glycyrrh. cui in temperamento proximè accedit, feliciter etiam usurpatur in sanguine coagulato dissolvendo, & urinâ pellendâ. Præparata ejus nulla exstant in officinis. *Hartmannus in Materiâ Medicâ Manuscriptâ.*

DORYCNIUM.

Dorychnium Monspeliensium seu Trifolium album angusti folium floribus velut in capitulum congestis. Planta est pauci in Medicinâ usus; quamvis ab aliquibus credatur vim possidere detersivam & adstringentem.

DOSIS MEDICAMENTORUM.

Dosis Medicamentorum est vel *absoluta*, vel *respectiva*, quorum hæc illam præsupponit, neque enim misceri possunt medicamenta lege artis, nisi quâ dosi singula oporteat ordinari, accuratè noverimus. De eâ itaque notandum in genere.

1. *Dosis est proportio ingredientium miscendorum vel assumendorum*, quæ ipsa tamen non est arithmetica præcisè & exquisitè talis, quæ non gaudeat quâdam latitudine, sed ita tamen comparata, ut convenienti naturæ symmetriâ singula conveniant, & conjunctim mixtum vel compositum constituant usui debitum; unde sæpe ex æquo & bono solent recipi.

2. *Dosis quæcunque in genere definitur respectu habito ad adultum, & pro uno præbio*, ut hinc intendi & remitti queat, & hæc ceu regula Lesbia est, ad quam judicandum de dosibus infantum, puerorum, & qui bis pueri sunt, etiam quoad hanc proportionem, senum; unde in his sæpè galapium ad ℈ ß. gr. xv. sufficit. Et hinc etiam *pondera pro dosibus multiplicanda vel minuenda.*

3. *Veniat dosis ratione virtutis, & quantitatis seu molis & loci applicandi*; illud principaliter, hoc adæquatè; hinc

4. *Quæ δραστικὰ magis & activiora, cautiùs & minori ordinariè dosi præscribuntur*, v. g. emetica, purgantia, opiata, antimoniata, mercurialia, imò omnia quasi chimica, præ Galenicis; alterantia verò majori respectivè, idque in quacunque formâ, solidâ, liquidâ, mediâ.

5. *Diffusa accessione magis activorum licet acuere, activiora pro re natâ diffundere*, idque *tum ratione ponderis*, unde levissima gravibus commode miscentur, ut v.g. anthera coryli, musci terrestris, in specie hoc vitium habet, ut non benè subigatur in vehiculo; contra ea graviora, uti martialia & cinnabarina ob gravitatem facillimè subsident, fundumque petunt, nec disperguntur itidem in liquorem, unde utraque & levissima & gravissima per se minùs commodè, commodiùs alijs commixta propinantur, quod ipsum etiam utilitatem novam ratione medicamentorum compositionis importat; *tum rationis virtutis*. Sic emetica possunt alijs misceri, v.g. cum cremore tartari, ut diffusiora fiant, opiata cum pulveribus alijs, spiritus vitrioli, salis, cum aquis frequentissimè & utilissimè disperguntur, *aufsgetheilet*, ad majorem gratiam assumendi congruum magis modum, & alios scopos.

6. *Quæ magis dephlegmata, concentrata & activiora, ea minori dosi præscribenda, & vice versâ.* Hinc magisteria minori dosi præ pulveribus, spiritus acidi rectificati præ phlegmaticis, extracta præ electuarijs, præscribuntur. Hinc quæ in substantiâ (pulvere) in simplo: in infuso, clysteribus, decoctis, balneis, in duplâ vel triplâ dosi: in essentiâ, extracto, tincturâ, elixirio in dimidiatâ exhibentur.

7. *Externo pro usu quæ præscribuntur, majori, quàm pro interno, ordinantur dosi, & quò diffusiori spatio debentur, eò majori itidem præbio; & contrà.* Ibi enim & minus errari potest, &, ut penetratio fiat intimior, eo opus est. *Sic* aquæ pro epithemate majori quàm pro potiunculâ proportione respectivè recipiuntur. Est tamen in his quoque observandum, quod modò dictum est, unde olea destillata præ expressis vel coctis balsama item præ unguentis minori quantitate ordinantur.

8. *Contraria contrariis non miscenda, nisi in aliquibus dosi refractâ.* Sic non simul præscribenda aluminosa cum lixiviosis, v.g. in pulvere febrili non sal absinthij vel aliud cum magisterio aluminis, statim enim urinositas se prodit; non volatilia urinosa cum acidis, non ipsa hæc cum alcalibus fixis, & si id tamen placeat medico, v.g. ad medium genus salinum producendum, qualis est mixtura febrifuga Crollij satis egregia; prius componi debent & quiescere tumultus inde excitati. Inprimis verò id in magis compositis observandum, v.g. tincturæ bezoardicæ ordinariè non remiscetur spiritus cornu cervi, nisi exiguâ admodum quantitate ad aliquot guttulas. elixirio proprietatis acido non spiritus salis ammoniaci, nisi minori pondere. Sic ⊕ ♂ cum arcano duplicato, vel in genere ⊕-lata cum nitrosis pro usu interno non miscenda, statim enim aquæ fortis odor emergit. Neque verò facilè talia noverit, nisi dispensationis ignarus, sive suâ manu eadem miscuerit, seu misceri viderit.

Tacemus hîc alia, quæ ratione ætatis medicamentorum simplicium & compositorum, prout sunt recentia vel vetustiora magis prout item virtus explorata jam vel dubia, ac juxta alias circumstantias & exceptiones regulantur, quod prudentiæ medici committendum est.

In specie jam 1. Aceta *majori dosi adduntur in decoctis & epithematibus majoribus*, pro inflammationibus restinguendis, repulsione, &c. Sic si acetum decoquatur cum lithargyrio, egregius fit liquor in sedandis inflammationibus, tum alijs, tum scorbuticis, ubi pinguia inprimis locum non habent.

2. *Acetum menstrui vice fungens majori, corrigentis minori quantitate præscribitur, vel adhibetur.* Uti enim prius per se patet, ita posterioris exemplum præbet semen coriandri, aceto præparatum, fibræ hellebori nigri, radix ari &c.

3. *Præscribitur aliàs prædictâ dosi internè quandoque in peste*, acida enim alijs sudoriferis addita ipsorum virtutem intendunt & promovent, uti v. g. acetum bezoardicum cum aquis & electuario diascordij Fracastorij ordinatur. Sic etiam in casu ab alto vel vulgi experimento acetum cum sanguine hirci assumitur.

4. *Aceta commodè cum aquis miscentur & temperantur, tum pro interno, tum externo usu*, in epithematibus, epicarpijs, ubi minori dosi adduntur, v.g. quando cum *aquâ carfunculi aurea, rosarum an.℥j. acet. bezoard.℥ß.* miscetur, Sic & ad odorandum in peste, lipothymiâ, debilitate virium, in scorbuticis &c. adhibetur.

5. Sic *applicatur* quoque *acetum ad frontem, in epithematibus* ad collum in hæmorrhagiâ narium, ad testes in eâdem & ebrietate, *ad cataplasmata* pro ventriculo vomente, in primis in singultu, item ad *vesicatoria* & aliàs cum fermento impastatum evocat humores, digerit, refrigerat, unde etiam in pleuritide non rarò hoc modo usurpatur, cautius tamen tunc paulò.

6. *Siruporum, succorum, acetorum, eadem ferè dosis, imò eadem ferè conditio*, miscentur enim itidem cum aquis, & quidem ordinariè ferè pro unâ dosi sirupi ʒß. licet hodierni rariùs & hoc præbio præscribant eosdem, sed potius aliquanto latius distribuant vires, uti in potionibus pectoralibus v.g. ad ℥iv. aquarum recipitur sirupi ℥ß. vel oxymel squilliticum additur. Et si quidem per se dandi fuerint, ad hanc quantitatem dari possunt, unde etiam, quod obiter addimus, doses hæ potentiam quandam seu licentiam important, quod possint dari ad hoc vel illud pondus. Sic in specie v.g. in purgantibus sirupis, ut de cichorio cum rhabarbaro, id solet observari, si per se detur, ut ad ℥j. detur; nam adscendere ulterius more veterum, ad ℥ *ij. iij.* hodie exolevit, & stomacho magis hoc modo consulimus.

7. *Aceti sæpè, ut in spiritibus quoque acidis, vitrioli, sulphuris, salis, præscribitur parum*, ut ad vesicatoria, quantum scilicet vel ad penetrationem, vel correctionem, vel mixturam ipsam massæ sufficit, si enim plus addatur, figuntur particulæ volatiles acres penitius.

Aquarum *præparatio variat dosin*, prout vel *aquosæ*, vel *spirituosæ* sunt sive hæ cum spiritu vini seu cum vino saltim destillentur.

Pro unâ dosi, siquidem ita adhibere placeat, communiter ad cochlear unum vel duo exhibentur, v.g. ad partum facilitandum aqua pulegij ita datur; spirituosæ etiam, ut aqua carfunculi aurea, apoplectica, hysterica &c. Non verò ita præscribuntur, sed pondere determinato. Alia quippe *dosis* est *adhibendorum*, alia *præscribendorum*, quæ non debent confundi.

Pro vehiculo verò aliorum medicamentorum ad aliquot uncias non tamen pro unâ dosi (quod de potionibus valet quoque,) ultra ℥iij. ad summum hodie adscendimus, neque infra ℥ß. facilè præscribuntur.

Quod si enim ad collyriâ, errhina, otica, recipiantur, minori quantitate par est easdem addere, unde illi errant, qui ad ℥iij. v.g. errhina vel collyria extendunt, cum guttatim solùm instillentur vel applicentur, neque illis partes obruere liceat.

Aquæ aquosæ non præscribuntur facilè drachmis; sed magis uncijs; spirituosæ magis drachmis, quàm uncijs, ob agendi vim & energiam scilicet in illis levem & diffusam, in his concentratam.

Sin ad postessentialem usum præscribantur aquæ, ad reformandas pilulas v.g. *quantum sufficit* solùm additur vel *parum*. In genere enim, quod superioribus addendum venit.

Ingredientia essentialia majori ferè pondere, ordinariè, postessentialia minori præscribuntur, quod de oleis sirupis, saccharo, & aliis in genere valet, uti in sequentibus patebit.

Condita & *Conserva* per se ad cuspidem cultelli, quantum eodem capi potest, vel quantitate nucis juglandis, castaneæ, assumuntur; in electuarijs ad ʒ *ij.* ℥ß. ℥*j.* in bolis, cum non primarium constituant agens, sed excipiens & juvans etiam ad ʒ*ii ij.* vulgò. Conservæ verò acidulatæ cum spiritu vitrioli minori quantitate magis, condita aromatica itidem minori magis assumuntur. In morsulis id ipsum quoque valet, ubi tamen minus luxuriamus. Quod si numero quandoque condita fructuum, e. g. nucis moschatæ, juglandis &c. præscribuntur, pondus tamen, quod implicitè secum gerunt, attendendum.

Confectorum verò mentionem fieri vix omninò opus est, quippe rarioris admodum sunt usus, si tamen determinanda fuerit horum quantitas, non facilè ultra ʒ j. vel ʒ *ij.* illa ordinabitur, medicamentoso scilicet fine potius, quàm ad gulam & palati delicias directo.

Corticum exemplum præbeat chinæ, medicamentum ex recentioribus inventis non infimæ notæ, ad febres tertianas & quartanas; hæc in pulvere si detur per se, ad ʒß. vel ʒ j. solet adscendi, licet lubentius eam misceamus cum pulveribus febrilibus, sale absinthij & alijs, propinando unam vel alteram horam ante paroxysmum, in infuso verò an ʒ *ij.* pro unâ, vel ℥ *ß.* pro duabus dosibus cum vino infusa propinatur.

Electuaria alia re, alia nomine & re simul talia sunt, ad eandem tamen classem utraque referenda. Prima classis horum est tum alterantium & confortantium, tum bezoardicorum, quæ & antidota aliàs audiunt, sic mithridatium, theriaca, philonium Romanum, requies Nicolai, Orvietanum, ad ℈j. ʒ j. vel ij. ad summum dantur, sic & electuarium diascordij Fracastorij, electuarium de ovo, confectio aurea Alexandr. &c. Et præcipuè in his attendendum est, quod ingrediens principale sit opium, & quod reliqua unà addita, excepto electuario diascordij Fracastorij, quod est temperatius, sint calidiora; sive jam in potione, sive bolo, sive per se dentur. Par ratio est confectionum aliarum, ut alkermes, de hyacyntho, & similium, item electuarij diasatyr. de baccis lauci &c. Altera classis est lenientium & purgantium, quæ saltim gradu distincta sunt, & hæc quidem pro interno usu, apud Germanos quidem maximam partem exoleverunt, & paulò rariùs in usu sunt, excepto electuario lenitivo Burrhi, quod sine molestiâ obstructam alvum expedit. Reliqua verò, ut electuarium benedictum laxativum, diacatholicum, diapruni solutivum, confectio hamech (quam interius in bolis quoque quandoque sunt qui recipiunt) &c. magis in clysteribus præscribuntur ad ʒ vi. ℥ j. nisi quædam placeat quandoque alijs juncta in bolum fingere.

Liquida spirituosa, spiritus vegetabiles, essentiæ, elixiria, mixturæ, extincta liquida & Tincturæ ad drachmas per se quidem *ferè præscribuntur*, à ʒ *ß.* ad ʒ *j. ij.* interdum & pro usu continuando ad ℥ *ß.* v. g. elixir pectorale, cephalicum, proprietatis, antiscorbuticum, uterinum, tincturæ martis, extractum absinthij, mixtura simplex; cum alijs verò, in potionibus v. g. pro re natâ intra eosdem quasi terminos, paulo tamen restrictos, seu minori aliquantum dosi ordinantur ad ℈ *j.* ʒ *ß.* ʒ *j.* subintelligendo semper, quod & de aliis valet, posse & hæc talia aliquando inter se misceri & ana, vel alia proportione sibi jungi, ut tamen *collectivè* hæc dosis emergat. *Distributivè* verò seu pro assumptione & usu guttatim id magis definitur ad guttas xv. xx xxx. xl.

Patiuntur vero quandam exceptionem hæc ipsa vel à *virtute* tum *concentrata*, uti in liquoribus non promiscuè solemus eo adscendere, sed subsistere quasi gradu quodam magis, ad ℈ j. ʒ *ß.* ʒ *j.* (siquidem non diffusus sit,) tum *per se activiori*, uti de opiatis id notum est, unde tincturæ vel essentiæ anodynæ ultra ℈ *ß.* vel guttas xii. non facilè propinantur, si saturatæ sunt. Vel *à virtute & pretio simul*, unde essẽtia ambræ, tinctura lunæ,

lunæ, tinctura auri, seu aurum potabile ad guttas. xxx. vel ℈ſs. ℈ j. in præscriptione ordinari consueverunt.

Extracta spissa in pilulis & bolis communius recipiuntur, in quibus, alterantibus quidem, non facilè transcendimus ʒ j. pro exhibitione vero ℈ ſs. ℈ j. ferè contenti sumus.

De *purgantibus* notandum, *extracta quædam paulò esse pigriora, adeoque stimulanda*, colocynthidis quidem saltim ferè loco stimuli ad gr. v. vi. ut & aloë ritè depurata eadem dosi, reliqua ad ℈ß. vel ℈j. ad ʒ ß. dantur, ut in extracto panchymagogo Crollij utroque, catholico Andernaci, Augustano &c. videre est. Anodyna denique retinent suam dosin gr. I. 2. 3.

Fecularum dosis magisteria vel pulveres sequitur; sic pro digestivo pulvere fecula seu radix ari tincta cum crystallis tartari commodè ana ℈j. præscribitur.

Flores & summitates pugillis, si minori; folia ac herbæ manipulis, si majori, præscribuntur quantitate, & vice versâ, v. g. ℞. Fl. 4. cord. an. p. j. &c. Sic flores quandoque etiam ad m. ß. vel j. præscribuntur, præsertim si in copiâ prostent, & ad decocta. Sic quando plures herbæ v. g. pro infuso polychresto ex agrimoniâ, cochleariâ, hepaticâ nobili, & pluribus humilibus recipiuntur, tunc ad pugillos quoque licitum est eos ordinare, siquidem plures pugilli manipulo æquipollent.

Deinde etiam pondus florum pro pondere herbarum modificatur, ad m j. herbarum p. j. vel ij. florum recipiendo, quod licet non sit perpetuum, utplurimùm tamen locum obtinet.

Flores benzoes & mercurium dulcem præstat minori pondere exhibere & præscribere. Illi enim, si quantitate excedant paulo, asperitatem arteriæ inducunt & tussim potius promovent, unde non facilè solemus gr. iij. vel v. pro unâ dosi excedere. Hic verò tutò quidem dari posset ad gr. xv. ℈ j. cum tamen utplurimùm paulò soleant continuari exhibitio, ut in gonorrhœâ virulentâ, lue venerea, consultius est mitiori viâ incedere, & propinare ad gr. vi. vii. ℈ß. pro dosi. Deinde solet etiam quandoque natura inde intempestivè stimulum acquirere. Denique pigrior est pro purgando, unde alijs eget additamentis; pro alterando verò præstat minori præbio consistere.

Folia senæ pondus definitum magis expetunt, ad ℥ß. vel ʒvi. etiam, imò ad ʒj. j ß. ij. satis commodam præbent purgationem, cum crystallis tartari, floribus anthos, bugloss. passulis minoribus, &c. in pulvere verò non ultra ℈ j. cum stimulo, potest etiam misceri cum pulvere gialapij quandoque commodè.

Folia majora, ut folium Indum, paulò rarius numero præscribuntur.

Folia & herbæ pro usu interno quantitate non majori, pro externo non minori præscribantur, utroque enim modo facilius delinquitur, v. g. si quis ad pulveres unciatim, ad balnea verò saltim pro uno alteroque manipulo ea ordinet.

Fructus & semina præscribuntur additâ vel subintellectâ præparatione, quâ agent, necessariâ, & in singulis epitheta convenientia non omittenda, v. g. in clysteribus pruna Ungarica vel Damascena, caricæ pingues, quod aliàs quoque in genere valet, unde opium Thebaicum, senam, rhabarbarum Alexandrinum, myrrham finam, saccharum Thomæum &c. præscribimus, quod notitiam simplicium de Medico præsupponit, sed hæc obiter. Sic quando amygdala præscribuntur vel semina alia majora in emulsionibus, semper intelligenda excorticata; sic passulæ exacinatæ præscribuntur, ne adstrictione suâ activitatem desideratam amittant.

Fructus verò hi porro pro decoctis & clysteribus magis; pro infusis minus usitato præscribuntur, & quidem majores, ut pruna, ficus & similes numero potissimum, vel paribus, ut n. vi. viii. paria iij. iv. minores pondere, ut passulæ minores ad ℥ß. ℥j. m j. medij, ut jujubæ, sebesten, medio modo.

Semina aromatica & activa, ut pulveres ad ℈ j. ʒ ß. ʒ j. diffusa & mucilaginosa, ad ʒß. & amplius, ut sem. fœnigr. lini &c.

Gelatinæ magis præscribuntur per se pro usu solitario. quàm cum alijs, recentes scilicet & bonæ notæ: exsiccatæ enim & pulverisatæ, viscosæ, piceæ quasi minus bonæ, unde non facilè in usum trahendæ, lædunt enim ventriculum.

Pulverisandæ *herbæ* ad trageas, & quidem non nisi selectiores saltem, mensurâ & pondere definito præscribuntur; valet id quoque in essentiis, ubi v. g. summitates absinthij, centaur. minor. &c. ad ℥ß. j. præscribuntur.

Lapides pretiosi confortandi fine in pulveribus cordialibus & cephalicis præscribuntur, ut fragmenta lapidum quinque pretiosorum ana ad gr. iv. v. &c.

In genere tamen omnibus illis assertis autorum, quæ de virtutibus gemmarum integro plaustro decantant minus est fidendum, hæ ipsæ enim fabulæ tertiam ferè partem falsorum in medicinâ absolvunt. Reliqui, nephritico præsertim pro usu pulverum dosin sequuntur.

Ligna si sola præscribantur, majori, si cum alijs, minori dosi ordinanda; exemplo decocti lignorum in lue venereâ & aliàs; sæpè enim ligna hæc ad decocta cephalica, pectoralia, hepatica recipiuntur cum plantis appropriatis.

Ligna vero *aromatica* quandoque in species & pulveres induntur, inprimis xyloaloe, quæ ipsa quoque per se commodè pulverisari potest.

Liquores concentrati minori dosi, diffusi majori propinantur & compositionem ingrediuntur.

Lixivia pro interno usu magis diffusa solùm locum locum habent in hydrope, habitâ semper ratione ventriculi, cujus fermentum facilè iisdem pessundatur; tale est lixivium benedictum Mynsichti.

Loob in compositione & præscriptione unciatim, in assumtione pitissando ordinantur assumenda.

Magisteria ob levitatem & subtilitatem, ut vires non attendamus, minori dosi præscribuntur, ad gr. v. ℈ß. ℈ j. in compositione, ut magisterium cornu cervi cum spiritu nitri paratum &c.

Magisterij anodyni dosis ex pondere opij ingredientis magis definienda, quam pulvis excipientis, prout v. g. ad ℈ ß. gr. I. opij, seu pars subdecupla, vel subtripla, subdupla recipitur.

Magisteria purgantia, licet pigriora paulò sint, non tamen æquè majori dosi per se dantur, ne obviscent ventriculum & lædant, ac tormina immania producant. Hinc nec scammonium, nec ejus resinam ad ℈ j. quod hinc inde præcipitur, facilè exhibemus.

Massæ pilularum inertes, inprimis purgantes, omittendæ; activæ autem solùm seligendæ, unde massas illas pilularum, sine quibus, lucis, assajereth, cochias, paulò rarius præscribimus, & illarum quorundam extractum, ut extractum pilularum cochiarum, seligimus, tum quia moles earum est major, tum quia virtus diffusa, & in singulis ferè aloë absolvit maximam partem, unde doses harum & similium etiam majores quando definivimus, id ex circumstantiis & ingredientibus alijs est arbitrandum medico. Par ratio est alterantium, ad ʒ j. enim vel amplius hodie non adscendimus.

Mixturæ duplices potissimum sunt, (concentratæ scilicet & liquidæ, nam aliàs in omnibus compositis occurrit mixtura) *spirituum, & essentiarum*, adeoque earundem dosin sequuntur. Talis mixtura simplex ad ʒß. ʒ j. propinari solita; posterioris, si elixir proprietatis cum tincturâ martis verbi gratia commisceamus.

Olea viliora pro illitu non largiùs præscribenda, & magis cum destillatis acuenda, ita enim minori dosi, majori verò cum gratiâ & effectu res procedet. *Destillata* parcius administranda, & guttulis fere solum.

Elæosacchara ad oleorum ingredientium dosin dispensanda, saccharum enim & hîc solum est excipiens.

Quod ad sicca & pulveres attinet in genere licebit de ijs asserere sequens:

Pulveres præparata, species salia, terræ, flores, trochisci, non adeò activi, ferè & utplurimum dantur ad ℈ j, vel ʒß, tum alterantes, tum purgantes. Magis activi & selectiores, inprimis minerales & metallici, ad ℈ß. gr. xv. stimuli loco, emetici, anodyni ad gr. 3, vel 4. circiter. De omnibus verò valet in genere: medio tutissimus ibis, & si noveris, quomodo per se sumantur, facile colligere est, quomodo cum alijs. Hinc ad ʒ j. ij. collectivè præscribi possunt, sed non pro unâ dosi; hinc species alterantes dosis diffusioris alijs possunt acui concentratioribus; id quod in genere etiam valet de omnibus alijs. Neque enim natura ferre potest tantum pondus, ʒ j, i ß, ij. quo olim propinarunt pulveres, sed inde læditur ventriculus, à læsione verò hujus effectus optatus tantum abest ut sequatur, ut potius contrarius & noxius.

Par ratio est *resinarum & gummatum*, v, g. benzoes, gummi ammoniaci, quod in asthmate ad ℈ j, ʒß. alijs dissolutum quandoque propinamus.

Rob, ut sambuci, ebuli, cùm extracta sint diffusiora, in majori quantitate assumuntur.

Radices in infusis cum lignis coincidunt.

Salia fixa, nitrosa, alcalia, & media sive enixa & coagulata æmulantur pulveres, hinc sal absinthij, centaurij minoris in febribus ad ℈ j. ordinariè potest dari, sic arcanum duplicatum Mynsicti, nitrum antimoniatum, ut & tartarus vitriolatus eodem modo commodè assumitur, ad ℈ j. scilicet, vel ʒß. ad summum. Præstat enim in genere in his dosin minorem eligere tum respectu ventriculi, tum quia activa sunt hæc salia, & majori quantitate assumpta præcipuè ubi intestina debilia, pulmonesque ad phthisin dispositionem habent, & in genere in defluxionibus catarrhalibus, tussi, minus conveniunt; tum quia facile alvum laxant, & alia quieta & sopita exagitant. Hinc peccant illi, qui tartarum vitriolatum sub titulo salis purgantis balsamici ad ℥ß. propinant, primò ʒ ij. seu partem dimidiam, & post reliquam exactâ horâ exhibendo; quod quidem in crassis, fortioribus, seu robustis succedit, alvusq; unâ vel alterâ vice movetur, nemini verò ego autor fuerim, ut hoc promiscuè imitetur, novi enim Serenissimam personam serosiorem paulò inde in lipothymiam incidisse, magno cum detrimento famæ propinantis medici.

Salia verò impropriè dicta coraliorum, gemmarum, seu magisteria per coagulationem seu evaporationem parata, de virtutibus ipsorum parum participant, plus verò de menstruo, v.g. aceto, unde consultius excesse jubentur. Nec obstat, hodiernum adhuc quosdam in hâc præparatione laureolam quærere, ☻ perlarum & similium magno pretio venditantes, cum, si fateri volumus, quod res est, nil de virtute perlarum participet.

In *volatilibus* minor dosis eligenda, fixata verò polychresta possunt eodem modo exhiberi.

Sapa ut sirupi, de quibus suprà.

Spiritus vegetabiles & alij φλογιστοὶ vel cum vino destillati ad ʒ ij. ℥ß. urinosi ad gut. v. x. xx. ℈ j. *acidi rectificati* ad gtt. iv. vi. x; tutior verò est dosis hæc in spiritu salis, cujus dosis etiam extendi potest: in spiritu vitrioli & nitri cautiores esse debemus: ne facile hanc dosin transgrediamur. *Aciduli* verò spiritus, tartari, mannæ ad ʒß. ʒ j. Quò magis activum medicamentum, eò cautius mercandum. Neque semper exemplis magis, quàm regulis, nec semper magis regulis, quàm exemplis est judicandum; sed exempla tamen ordinaria & supra tacto modo potiora semper habenda.

Terræ, exemplum est terra Lemnia, sigillata, lac Lunæ pro lacte augendo ad ℈ j.

Tincturæ dilutiores, violarum, rosarum, variant in dosi pro acidulatione majori vel minori, assumuntur commodè ad cochl. ß. vel j. præscribuntur ad ʒ ij. ℥ß.

Trochisci alhandal tum ob amarorem summum, tum ob δραστικὴν virtutem cautè, ut omnia colocynthiaca, ordinanda. Trochisci narcotici Plateri adopiatorum regulam dantur. num. 1, 2. prout ipsa sacchari quantitas se habet. *Wedelius.*

DRABA,

Drabæ notam genericam faciam capsulas tumidas & subrotundas, flores albos.

Nomina. Draba vulgaris *Park.* Dioscoridis *Ger.* multis flore albo *I. B.* Draba umbellata, vel Draba major capitulis donata *C. B.*

Vix cubitum superat Draba, *caule* tenui rotundo, striato, firmo, ex *radice* lignosa surgens, candicante, tenui, longè latèque serpente & quibusdam fibris præditâ, quem *folia* alternatim basi amplectuntur oblonga, unciam & sescunciam lata, sinuata ex viridi cineracea. Caulium fastigia in creberrimos abeunt surculos, & ipsos quoque foliosos: quibus umbellatim insident *flosculi* candidi; quibus delapsis *capsulæ* suboriuntur, corculum imitatæ, ex cono Stylum exiguum promentes, quæ binis suis loculis totidem *semina* parva, russa continent.

In agrorum marginibus, in Germaniâ, Italiâ, Galliâ non infrequens est. Nulli ferè agrorum margines circa Viennam, totâque adeò inferiore Austria hâc plantâ non sunt obsiti (inquit Clusius) quæ subinde in ipsa etiam arva latè irrepit. Floret Maio & Junij initio. Semen sub finem Junij maturum est. *Raius in Hist. Plant.*

Carminativa, incisiva & aperitiva creditur hæc planta.

DRACHMA, vid. *Pondera.*

DRACO MARINUS.

Draco marinus, sive Viva, Gallicè *Vive* piscis est marinus in Piscarijs. Foris, quàm maximè notus, cujus duæ sunt species, maior una, minor altera, quarum descriptioni non insistimus quia potiùs edulis, quàm medicinæ faciunt; quamvis cerebrum incineratum, aut exsiccatum contra omnis generis venena proficuum quibusdam credatur.

DRACONTIUM.

Dracontium sive serpentaria à caule serpentinæ pellis instar maculoso nomen traxit. Folijs multifidis seu in plures lacinias divisis, caule maculato, seu membranaceo folliculo maculosè inferiùs vestito, ab aro distinguitur. *Raius in Hist. Plant.*

Radix Dracontis purgans humores crassos, glutinosos ac serosos evacuans; siccata autem & pulverata assumetur à ℈ j. ad ʒ j. Folia creduntur detergentia & vulneraria; imo venenis ac serpentum morsibus conducere. Pulvis radicis, caulis, & foliorum cancris prodest.

Gerra, seu *Cerussa serpentaria*, seu Dracontij ex radicibus serpentariæ majoris ab extimo cortice nigro mundatis, ac in lapidea pila tusis, succus exprimitur. qui in vitro vel vitreato catino probè tectus in Sole vel leni calore siccetur. *Pharm. August.*

Cosmeticum est elegans & in cancro ac ulceribus malignis non parum proficuum.

DRACUNCULUS HORTENSIS.

Fruticosa promit duorum cubitorum & ampliora *virgulta*, dura, gracilia, nonnihil angulosa, inconditis ramis divisa: folijs 1: orientibus divisis, ubi verò adolevit folijs onusta Lini folia æquantibus, aut Hyssopi Arabum, atrovirentibus, splendidis, omnis divisionis ignaris, sapore acri, aromatico,

cum quadam dulcedine grata, Anisum conditum æmulante. Corymbi eo ordine. *Radix* perennis novam singulis annis stolonum sobolem emittit. *Rajus Hist. Plan.*

Cordialis hæc est planta, stomachalis, incisiva, urinam ciens, appetitum provocans, ac in affectibus scorbuticis non inutilis.

DRAGACANTHUM, vid. *Tragacanthum.*

DRAKENA, vid. *Serpentaria Virginiana*, seu *Viperina Virginana.*

DROPAX.

Dropax est emplastrum ex pice confectum, fit quoque interdum instar malagmatis.

Modus faciendi hic est. Liqua picem, adde parum olei, cui si ita expedit immisceri possunt piper, euphorbium, castoreum, sulphur, cinis sarmentorum, salpetræ, &c.

Admovetur calefactus derasis capillis, & avellitur priusquam refrigescat, iterumque calefit & applicatur donec pars rubescat.

Usus. 1. ad humores ex alto educendos, & discutiendos. ℞. *Picis naval. vel Burgund.* ℥. j. ß. *pyreth. & semin. nasturt. an.* ℨ ij. *olei comm.* ℥. iij. Liquentur, extende supra alutam & fiat dropax cuti derasæ admovendus, & antequam frigescat detrahendus, idque tandiu agendum, donec pars leviter intumescat.

2. Ad corrigendam intemperiem frigidam, utque calor revocetur in partem refrigeratam.

℞. *Picis resinæ, gummi ammoniac. aquâ vitæ soluti an.* ℥j *pip. & sulphur. vivi an.* ℨj. *olei petros. unc.* ß. fiat dropax.

3. Ad maciem brachij, vel cruris corrigendam.

℞. *Picis naval.* ℥.ivi *olei* ℨ. *vj.* liqua & fiat dropax.

Interdum vices vesicatorij supplet pix Burgundica extensa super alutam, & colli vertebris vel interscapulio admovetur. Allicit serosos humores à capite, & à partibus intimis. *Tencke.*

Dropax Simplex, *ex Weickard.*

℞. *Picis navalis* ℔. ß. *ol. chamomill.* ℥. *iij.* liquentur simul fiatque dropax, qui extendatur supra linteum, & membro læso adhuc calescens imponatur.

Dropax compositus, *ex Weickard.*

℞. *Picis, ceræ, colophoniæ an.* ℥ *iij. Bitumin. ol. cyperin.* ℥. j. *dissolvantur omnia & adde nitri* ℨj. ß. *sulphur. vivi* ℨß. *Piperis, euphorbij Andarcæ, an.* ℨij. *cantharidum* ℨj. *vel* ß. confice secundum artem, diuturnis vitijs convenit, & ante sinapismum corpus præparat. Nonnulli in dispensando dropace, æqualem ol. & picis mensuram observant, pulv. vero proportio juxta nonnullos sit dupla, quadrupla, qua in re unicuique liberum judicium permittendum. E. g.

℞. *Picis* ℥ v. *ol. Mastich. spicæ an.* ℥. ijß. Liquefiant lento igne & inspergantur pulver. *flor. chamom. roman. Rorismarin an.* ℥. ß. *piperis, Zingiber. Caryophyll. an.* ℨij. Misce & incorporentur probe, fiatq; dropax, qui ducatur supra alutam, & capiti prius capillis abrasis applicetur, antequam autem penitus refrigescat, avellatur, rursusque calefactus ad ignem admoveatur. Valet in dispositione apoplectica, quia calefacit & humectat, nec non sanguinem ad partes capitis exteriores attrahit, reficitque.

Dropaces ex Joh. Michaelis.

℞. *Picis part. iv. Spirin. p. j. simul liquatis & in alutâ extensis F. Dropax, qui pro diversitate partis in majori & minori formâ paratur.*

℞. *Sinapi fluv. stercoris columbini an.* ℥ß. *Piperis* ℨs. *Picis & Terebinthinæ q. s.* F. l. a. Dropax.

℞. *Rad. pyrethri* ℨiß. *piperis* ℈ij. *euphorbij, spicis navalis Solini & chamom. q. s.* F. l. a. Dropax.

℞. *Mellis anacardini* ℨij. *pulv. pyrethri* ℨs. *Stercoris columb.* ℈ j. *Fermenti acerrimi* ℥ ij. *aceti scillit. q. s.*

Potest applicari cum linteô. Si lubet, adde Pulpam ficuum. Vel etiam fieri potest cataplasma ex stercore columbino, sem. nasturtij, urtic. sinapi &c.

Spiritus Rubificans.

℞. ∼ *formicarum optimi* ℥ijß. *nasturt.* ℨij.

S. *Eusserlicher* ∼ *mit einer Feder oder Zuchlein anzustreichen.*

In Dolore ischiadico ex stercore caprillo & herb. piperitidis vel ejus succo potest etiam fieri cataplasma pro dropace, quod pro certissimô experimentum quidam Medicus habet.

Fiunt etam cataplasmata talia ex solis herbis, ut ex plantagine aquaticâ, in hydrope ex ranunculo &c.

It. ex radicibus, ut Bryonia, cyclamine cum axungiâ; vel oleis ut euphorbus quod vehementer attrahit.

Radices verò & herbæ ut recentes sint oportet: Siccæ enim id non præstant. Quod si igitur vis ut rubificent, tantùm in minori dosi sumendæ sunt & in majori, si pustulas excitare debent.

Exempla vesicatoriorum.

℞. *Canthariad. ablat. alis & c. n. vj. fermenti acerrimi* ℨij. *pulp. ficuum* ℨj. F. l. a. Cataplasma.

S. *Blasen ziehendes pflaster auf* 2. *mal.*

℞. *Canthariad ablat. alis & c.* ℨij. *Mis. pānis* ℥j. *aceti squillitici q. s.* F. l. a. Pasta.

S. *Fusserlich aufziehendes pflaster.*

℞. *Empl. vesicator.* ℥j. *Malaxetur Spirino. D. S.*

De Cantharidibus notandum, quòd benè debeant teri, aliàs vehementer nimis attrahunt.

℞. *Mellis anacardini* ℨij. *pulp. ficuum* ℨj. M.

Vid. alia sub titulô *Attrahentia*, item *Rubefacientia*.

DRYOPTERIS.

Dryopteris Discoridi est filix quercui innata, seu potius musco iisdem arboribus insidenti quasi commixta. Illa autem vires depilatorias habere dicitur præmemorato Dioscoridi; ac propterea vult ea applicetur 1. pro sudore ciendo, ac sudore detersô nova applicetur dryopteris contusa, quæ pilos avellat; quod probat itidem, Galenus.

DULCAMARA.

Videatur *Solanum Scandens* sub titulô *Solanum.*

DRYINUS. *vid.* sub titulô *Serpens.*

DULCIS RADIX, vid. *Liquiritia*

DULCIS SAPOR. *vid.* sub titulô *Sapor.*

DULCORARE.

Dulcorare, edulcorare. Dulcorari dicuntur 1. calcinata sale gravida, dum aq. (ut plurimum calida) abluuntur, quâ ablutione sal inibi contentum aquæ immiscetur. 2. dicuntur dulcorari Potiones, addito saccharo, vel sirupo convenienti. *Schrod.*

DURIO.

Durio Arbor est Indica procera cujus lignum solidius cortice contegitur crassô, coloris cinerei. Crescit in *Malacea*, & ejus fructus, aperitivus, carminativus, sudorificus, diureticus, ac maturandis pectoris phlegmatibus conducibilis creditur.

DURUM, vid. *Qualitates Tactiles.*

DYSENTERICA MEDICAMENTA.

Dysenterica Medicamenta, sunt remedia contra fluxum alvi cruentum ac torminosum facientia; quorum subsequuntur formulæ variæ, è Cnoffelij Medicamentorum singularium Fasciculo à D. de Bernitz vulgatô.

Pulvis Dysentericus Castrensis.

♃. *Terræ coct. vulg. ex clibano, & cum spermate ranar. rec. aliquoties impregnatæ,* & iterum exsiccatæ & pulverisatæ, *rad. tormentill. opt. pulv. nuc. moschat. ā. part. æqual. q. pl.* M. fiat pulvis subtilissimus sign. Pulvis dysentericus sine opio. Jam.

♃. *Hujus pulv. dysenterici simpl.* ℈ *ii ss. masticis pulv.* ℈ *ss. sedativ. nostri simpl. gr.* I. M. f. pulvis, pro dosi. In aq. appropriata ante pastum sumendus, reiteratis vicibus, in omnibus profluvijs alvi.

Specificum Dysentericum.

♃. *Boli, seu terræ sigill. albæ Hungar. (vel incarnatæ) cornu fossilis. ocul. cancri, corall. rub. præpar. an. q. v.*

Mixta & opt. pulverisata irrorentur sæpius cum decocto rad. tormentill. & serpentar. per aquam seu liquorem crud. sperm. ranar. facto; & iterum exsiccentur & pulverisentur, sexies vel septies, qui labor & postea bis vel ter cum TRâ *baccarum myrtillor.* (ab que fit. & sacch. fact.) instituendus est.

Pulveris hujus tandem junge unicæ cuilibet. *Nuc. moschat. opt. pulv. rad. tormentill. pulv. an.* ʒ *i. sedativi simpl. gr. vi.* & cum *gelatina cornu, cervi, per aq. sperm. ranar.* fact. q. s. fiat pasta, ex quâ tandem formentur orbiculi ʒ j. ponderantes, vel etiam in triplo majori forma, quæ tamen proprio charactere ponderis, & titulo, beneficio typi alicujus ferrei, (huic negotio prius parat.) assignandi sunt.

Dosis ℥ I. in vehiculo aliquo, in quo injectus statim dissolvitur. Omnia profluvia ventris, seu alvi, item menstruorum, hæmorrhoidum & narium sistit. Iter facientibus & militibus medicina commoda.

Tinctura Myrtillorum.

♃. ▽ *spermatis ranarum* ℔. *j. juglandium immatur. tormentill. è succo bacc. myrtill. an.* ℥ *iv. magisterii aluminis in forma liquida A. Salæ* ℥ *ss.* ʒ *ii. galred. simpl. baccar. myrtillor. (n. m. absque igne ex p.* I. *succi & p.* 2. *sacch. pulveris. fact.)* ℥ *viii. bacc. myrtill. lente exsiccat.* (prius tamen parum contus.)

Mixta stent per noctem in loco temperato, posteà filtrentur per chartam, post adde *sirupi è succo baccar. earundem & florum papaveris* 🜄*-lat. pro grato sapore q. s. essent. aromat. nucist. odor.* ℥ *ii.*

Misceantur & TRa rubicundissima in loco frigido asservetur, in dysenteria epidemica; alijsque fluxibus ventris periculosioribus eximium est remedium. Dosis est à cochl. I. ad 3. & 4. per se.

Bolus in Dysenteria.

Pro S.R.Mai. Joh. Casim. &c. sub Zborrovvic in castris.

♃. *Conf. rosarum antiq.* ʒ *i ss. theriac. pulv. Pannon. ana* ℈ *i. laudani opiati gr.* I. *m. f. bolus.*

Semel Regia Majestas hunc bolum sumpsit, & statim melius habuit.

Electuarium Dysentericum.

♃. *Succi acac. sive prunor. silv. inspissati* ℔ *iii* ℥ *iii. conf. rosar. antiq. flor. papav. errat. cond. cydon. an.* ℥ *iv. mellis ad spissitudinem coct.* ℔ *ss. rad. tormentill. subtill. pulv. glandium immatur, subtil. pulv. nuc moschat. an.* ℥ *iii. cum myva cydoniata q. s. f. s. a. elect. mediæ consistentiæ.*

In dysenteria, diarrhœa, lienteria, alijsque fluxibus desperatis potenter adstringendo, remedium est infallibile. Dosis à ʒ I ʒ. I. superbibendo haustum aq. spermatis ranar. destill. formula pro bolo.

♃. *Elect. dysent.* ʒ *i. laudani opiati gr.* I. Misce.

Electuarium aliud Dysenter. Castrense.

♃. *Bacca. myrtillor. in clibano lente exsiccatar.* ℥ *i ss. panis dulciarij aromatisati Thoruniensis. rad. tormentis. pulv. an.* ℥ *ss.* ʒ *ii. nuc. Moschat. pulve. ther. Andromachi antiq. an.* ʒ *ii. cum elix. Matthioli q. s. f. Elect. spissum ac densum.*

In morbis desperatis, ut potè profluv. ventris, est secretum excellens, Anno 1649. dum ad castra iremus sæpe probatum. Dosis à ʒ. ad ii. seu magnitudinem nucis juglandis. præmissis tamen ijs quæ præmittenda sunt.

Cl. & sæpè nominatus Dn. D. Cn. in curanda dysenteria hanc etiam observabat regulam. Cum in ea ferè semper aliquid venenati subesse existimaret, eam non tam purgantibus, quàm bezoarticis curabat. Inde & statim electuarijs & pulveribus suis, theriacam, rad. contrayervæ, tormentill. pulv. bezoart pannonicum & similia cum correcto sedativo admiscebat.

In dysenteria etiam & alijs profluvijs intestini recti, si purgatione opus est, nullum præstantius pharmacum *rhabarbaro* excogitari potest, quoniam fluxum sistit, partem roborat, & ulcus sua adstrictione & moderata siccitate curat cum solo rhabarbaro, & pulvere rad. tormentill. quinquies vel sexies sumpto, atque reiteratis enematibus domesticis, curata fuit anno 1673. Serenissima Regia Eleonora, Dna. Dna. mea Clementissima.

LIBER V.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

E.

EBENUS

Hujus duo genera describit *J. Bauhinus*, Verum seu genuinum, & sylvestre.

Verum dictum sylvestri ponderosius est, nigrum, alicubi interdum colore nucis Juglandis, aut etiam pallidius; quam coloris varietatem in bonitatis notis habent: passim ceu minutis quibusdam segmentis scarificatum longè frequentibus, alijs splendicantibus nec impressis refertum. Schickardus Architectus aliquando sed rariùs hominis crassitudine truncos se vidisse testatur, sed nullum unquam quod non putredinis aliqua labe alicubi fuerit infectum; quale & nos aliud habemus (inquit J. Bauhinus) ac Suberis quodammodo fungosâ substantiâ in parte quadam; quod ætati & corruptelæ tribuissemus, ni is monuisset aliter.

Sylvestre Vocatum prædicto nigredine ac pondere cedit, sed vix elegantia ac splendore: passim quoque hi-

lineis, ceu ſcatificationis quibusdam veſtigijs, verum non ut in priori profundis aut inciſis, nihilominus tamen ſplendentibus, conſpicuum. Veri portio adoleſcens flamma non injucundum ſpirat odorem, ut nobis quidem videtur, non tamen ſine odoris quadam gravitate peculiari. Utrumque aquæ injectum protinus ſidit, & vix aliud è lignis invenias ponderoſius. Videtur tamen ſylveſtris nonnihil pinguior & aleaginoſior eſſe.

C. Bauhinus etiam duo genera habet, ea ſunt;

1. Ebenus Theveto in Indiæ inſula Palmobotere præſtantiſſima & nigra. Val. Cordus ſcribit quoſdam Guajacum lignum Ebenum eſſe contendere, & Pena cenſet officinarum Ebenum ſpeciem Guajaci eſſe. Verùm meminerimus (inquit J. Bauhinus) ab Autoribus prodi frondes Ebeni Buxo ſimiles; at Guajacinas allatas vidimus Comari Laurivè facie. Præterea Guajacum neque nigra materie eſt, & venas pectinum modo diſcurrentes habet. 2. Lignum pice ferè nigrius & polito ebore lævius: arbor craſſo cortice veſtita: in cujus intimis Ebenus clauditur. Ejuſdem generis ligna rubentia, & ceræ modo flaventia reperiuntur in inſula Mauritiana.

Theophraſtus Ebenum Indiæ peculiarem eſſe ſcribit, cujus 2. genera, alterum præſtanti pulchroque ligno, alterum vile ac ignobile; ipſa arbor fruticola eſt velut Cytiſus. Virgilius quoque, *Sola India nigrum fert ebenum*, inquit. Verum obſervante Plinio, Herodotus eam Æthiopiæ intelligit maluit, & in tributi vicem regibus Perſidis è materia ejus centenas phalangas tertio quoque anno penſitâſſe Æthiopas cum auro & ebore. Et Dioſcorides, qui duplicem Ebenum deſcribit, alteram eamque optimam Æthiopicam facit; alteram bonitate inferiorem Indicam.

Plinius 2. genera ita diſtinguit, 1. rarum id quod melius, arboreum, trunco enodi, materie nitri ſplendoris, ac vel ſine arte protinus jucundi; 2. alterum fructicoſum Cytiſi modo, & tota India diſperſum.

Ebenum foſſile & lapideum, quod Georg. Agricola deſcribit ad 7. libri de nat. foſſilium fere calcem, alia longe res eſt ob Ebeno vulgaris hodie uſus & notitiæ.

Vulgare non eſſe Æthiopicum Dioſcoridis vel his argumentis probatur, quod guſtu non ſit mordax, nullam dum manducatur, oſtendat acrimoniam, nullum igni injectum emittat odorem, nec ullam pinguedinem; ſi accendatur, fundat. *Ja. Bad.*

Theophraſtus ebenum coloris gratiam reconditam & aſſervatam non acquirere ſcribit, ſed naturâ ſtatim Verùm *De Tavernier* inſignis peregrinator, de Mauritij inſula agens affirmat Ebeni arborem quam primum cæſa eſt in aſſeres ſerra diſſecandam eſſe, aſſeres autem illos per biennium, & interdum etiam triennium ſi lignum denſius ſit, ad ſeptem aut octo pedum altitudinem in terram humidiorem demorſos ſepeliendos eſſe, antequam materia tractabilis & operibus fabrilibus idonea evadat, inque aſſulas fiſſilis, & politura capax fiat: addit inſuper Ebenum diſcindendi & ad uſum præparandi opus valde difficile & laborioſum eſſe, etiam præ remigatione in triremibus ideoque ſolis ſervis & mancipijs à Belgis deputari. Alia etiam ligna hoc modo in terra defoſſa diuturnitate temporis & colorem nigrum & duritiem ebeno parem contrahunt, ut Ebenum genuinum mentiantur.

Vires & Uſus. Ebenus conſentiente veterum teſtimonio oculis utilis eſt. Scobem ejus oculis unice mederi dicunt lignoque ad cotem trito cum paſſo caliginem diſcuti. *Plin.*

Hodie varia opera ex ea fiunt, thecæ, arculæ, abaci, capſellæ, ſpeculorum thecæ, pectines, tragematothecæ, ſellæ plicatiles, imagines, & alia propemdoum infinita, eaque vel per ſe pura, vel auro, argento aut ebore vario artificio adornata, qualia Venetijs & Auguſtæ Vindelicorum videre licet. *J. B.*

Anglus quidam ex brevibus intervallis convulſione flatulenta premebatur, poſt varia auxilia quæ mucoſum vacuarent humorem, & roborarent nervos ſolo Ebeni decocto ad 40. dies, cujus uſu copioſus ſudor proliciebatur, convaluit. *Rajus in Hiſt. Plant.*

Ebiscus, vid. *Althæa.*

EBULLITIO.

Ebullitio ut plurimum poſt finitas infuſiones neceſſaria eſt, ſed præcipuè quando infuſa clarificanda ſunt. Pro varietate autem rerum ebulliendarum, variat earundem ebullitio.

EBULUS.

Nomina. Sambucus humilis ſive Ebulus *C. B.* Ebulus ſive ſambucus humilis *Ger. Park.* Ebulus ſive ſambucus herbacea. *J. B.*

Arbor non eſt, at neque frutex, ſed verius herba; adeo tamen Sambuci æmula, ut illius nomen, pumilæ adjectione, apud Græcos, ſub voce χαμαιάκτη, promeruerit. Raro hominis ſtaturam aſſequitur, magna ex parte ſeſquicubito non altior, caule herbaceo, ſtriato, ſambuci ritu medulloſo, hibernis menſibus contabeſcente: ad quam accedunt & *folia* ordinatius diſpoſita, è tribus quatuorve conjugationibus ad rachim annexis, imparique extremo folio compoſita, odore graviore; quorum ſingularia ſambucinis longiora, acutiora: pares tamen umbellæ albæ floſculorum quinque partitorum, odoratorum, & neſcio quid nucleorum Perſicorum magmatis ſpirantium, ſed eſu vix ferendorum, ferrugineis *apicibus* quos *ſtamina* ſuſtinent candida: quibus fatiſcentibus acini ſuccedunt, per maturitatem nigri & torulis multis anguloſi ante maturitatem, & pœne trianguli, poſt verò magis rotundantur, ſucco ſuo manus rutilâ quadam purpurâ inficientes, *ſemina* continentes terna, altera parte gibba, altera anguloſa. *Radix* longa, digitalis craſſitudinis, non lignoſa, late ſparſa. Ad vias publicas inque agrorum limitibus & cœmeterijs non rarò occurrit. Floret Junio & Julio: baccas Auguſto & Septembri maturat.

Vires. Eaſdem dicitur obtinere vires quas Sambucus eaſque efficaciores. Cortices & ſeminula vim habent educendi aquam. Conferunt igitur in hydrope, arthritide, cæteriſque morbis à ſero ortis. Ad hydropicorum aquas educendas ab omnibus fere botanicis celebratur radicis & ſeminum decoctum. Verùm quoniam vehementiùs purgat; corrigi debet.

Infuſum cort. rad. Ebuli valde violentum eſt, decoctum minus. Cocturâ, auctore Fernelio, vis ejus purgandi perit & exſolvitur. Poſt radicem (inquit Caſp. Hofmannus) ſunt acini & ſemen Ebuli. Puto aſparagos & folia etiam mitiora eſſe.

Ebuli non minùs quam Sambuci contuſa folia & impoſita ambuſtæ parti eam perſanant.

Ad podagricos dolores leniendos valent & folia in lixivio cocta, atque exteriùs applicata in fomentis, ut nos etiam in parte experti ſumus. Idem ſed efficaciùs præſtat oleum ſeminis per expreſſionem.

Acini ejus, ut & Sambuci tingunt capillum.

Ad Lienis affectus, ℞. aq. ſtillat. radic. Ebuli, cape circiter ℥iv. per x. aut xii. dies manè jejuno ventriculo. Eſt experiment. *D. du Val D. Medici* in doloribus, inflationibus & obſtructionibus Lienis. *Cheſneau.*

C. B. Habet Ebulum fol. laciniatis, quam *Pona* Ital. ex horto Nobil. Contareni ad eum miſit. *Rajus in Hiſt. Plant.*

♃. *Baccarum ebuli quantitatem magnam; exprime succum quem in extractum redigere poteris; Acinulos restantes à siliquis separa aliquoties lavando, semperque quod supernatat rejiciendo, donec solos acinulos, eosque puros, nactus fueris. Hos sicca ac serva pro usu. Diuretici etenim sunt, imò si probè contusi ex vini & aquæ partibus æqualibus ad ℥ j. aut ʒiss. imò ʒij. exhibeantur hydropicorum urinis ac etiam alvo ciendæ non parum contulisse sæpius experti sumus.*

Ex hôc præterea semine oleum exprimitur quod ventri inunctum alvum laxare dicitur.

Arcanum chamæactes S. Closs.

Semina Ebuli contusa pone in cucurb. affunde aq. limpidam, agita materiam in calore remisso, donec in pultem tenuem evadat, digere per 3. ♂ dein cola torculari fortiter. Oleum mixtum erit cum aq. Digere & quod supernatabit serva, in fundo habebis ejusdem sem. unguentum.

Vires. Oleum hoc intus sumptum purgat egregiè pituitam, si ejus ʒss. cum far. amyli incorporetur, vel in jusculo exhibeatur. Extus podagræ materiam influentem abigit, ingressum discutit, durescentem emollit, in omnibus doloribus salutare est.

EBUR, vid. *Elephas.*

ECCOPROTICA.

Eccoprotica Medicamenta sunt ea quæ alvi excretionem promovent; sed mitius, scilicet stercus tantum, ac alia quæ in spatijs intestinorum, primæque regionis vijs, continentur, dejiciendo.

ECHINOMELACTOS.

Carduus est Indicus, cujus decoctum pectorale, demulcens ac aperitivum creditur; sed nullis apud nos est usus.

ECHINOPUS.

Cardui itidem alia est species cujus virtutes dicuntur sudoriferæ, lithontriphicæ, autipleurcticæ &c.

ECHINUS *in Phitologia.*

Echinus, asperum & spinosum castaneæ operculum, & in genere quidquid numerosa congerie aculeorum stipatur, sive tegmen, sive caput, sive cacumen fuerit, à similitudine Echini animalis. *Rajus in Hist. Plant.*

ECHINUS *Animal.*

Echinus, *s. Erinaceus terrestris, The urchin or Hedgehog.* Longitudo nobis descripti à summo rostro ad ultimos pedes extensos 8. erat digitorum. Quamvis caput cum rostro suillum referebat, extremum tamen rostrum & nares caninis similiora. Auriculæ latæ & murinis proximæ, pariter & oculi parvi, rotundi, extantes. Crura canina. Quinque in singulis pedibus digiti, unguibus muniti, pollex reliquis brevior.

Dentes in superiore maxilla molares utrinque tres præter ultimum, incisores 6. è quibus 2. anteriores reliquis majores longioresque; canini nulli. Murattus incisores longos pro caninis habet. Supina parte tota (capite, dorso, lateribus) spinis obtegitur; prona pars, (rostrum, guttur, venter, pedes) pilis albis vestita est.

Cute detracta in conspectum se dedit musculus carnosus ab ossibus innominatis, secundùm spinam dorsi, non tamen ei affixus, ad auras & nasum extensus, cujus ope capite ad caudam adducto totum corpus in globum colligit. *Parisiens.* Blasius musculum hunc non distinguit à panniculo carnoso; quem si placet consule.

In partibus internis nihil ferè singulare occurrit. Hepar amplum in 7. lobos divisum, cystis fellea grandis, rotunda. Intestinorum tenuium & crassiorum distinctio nulla conspicua, cœcum nullum, ut neque colon in cellas divisum. Testes intra abdominis cavitatem reducti latitant, (venientibus tantum in conspectum exteriùs duobus foraminibus angustis *Act. Dan.* q. in quem usum.)

Processus mammillares nervorum olfactoriorum amplissimi.

In Echino à se dissecto observavit *D. Willughby* juxta testes glandulas duas albas aliasque duas lutescentes ij minores; in fœmina testiculos ovarijs simillimos, & in utrovis 5. aut 6. ova majora, innumera minora (Mense Majo 1672.) Ventriculum rugosum, gramine repletum; vesicam urinariam magnam; felleam ingentem, felle intus cærulescente. Claviculis donatur. Ejulatum vagitui similem edit. Si pedes premantur vel lædantur, ejulat statim.

Aqua vel igne facile compellitur ut se explicet.

In vivo dissecto *è Schrodero* sanguis è vulneratis vasis effluens frigidus, aquosus & pallidus erat.

Duo genera statuunt *Suillum* & *Caninum*: Nobis descriptus caninus erat, nec alia species in Anglia invenitur; dubito an alibi.

Quod cubilis ostiola pro ratione ventorum spirantium claudit & recludit; quòd cùm capitur urinam emittit, cujus contactu spinæ decidere solent, proditum invenio: vera ea esse non affirmo. Pelle cum spinis detracta ad vestes purgandas veteres uti solebant. *Raj.*

Echini terrestris partes officinales sunt.

1. *Echinus ipse.* 2. *Jecur*, 3. *Axungia.* 4. *Ventriculus.*

Vires. 1. *Subvenit* (*coctus vel incineratus & potus*) involuntariè mingentibus, stomacho gratus est, alvumque & urinam movet *Forest. l.* 21. 15.

Extrinsecus illitus alopeciæ subvenit.

2. *Jecur* vel & corpus exiccatum atque cum Oxymelite sumptum, renum vitijs auxilio est, medetur Cachexiæ, Hydropi, convulsionibus & Elephantiæ; viscerum fluxiones exiccat. *Dioscor.*

3. *Axungia* felicissimè hernijs medetur. *Hartm.*

4. *Ventriculi* tunicam interiorem commendant ad dolores colicos (*assumpt.*)

ECHINUS MARINUS.

Piscis est pelle durâ ad instar parthæ pergamenæ contectus spirisq; rigidis & pungentibus horridus. Ejus una species globosior caput humanum figura & magnitudine suâ non parum refert; altera longior est & ovalis figuræ. Animal hoc multum continet salis volatilis ac olei, & propterea aperitivum, detersivum, resolutivum, ulcerumque mundificativum creditur.

ECHIUM.

Echium ἔχιον à figurâ seminis capiti viperino similis proculdubio dictum est, Hinc conjecturam capiunt ad viperarum aliorumque serpentum ictus valere.

Flore corniculato, seu incurvo, & ex angustô principiô in latum expansô, superiore parte longiùs excurrente; inferiore breviore à reliquis *Asperifoliis* distinguitur.

Nomina. Echium vulgare eôdem apud omnes Autores insignitur nomine.

Vires. De hujus viribus nihil certi traditum invenio. *Wirtemb.* ad Epilepsiam & fervorem Echij radicem sumendam præcipit, siccandam & in pulverem redigendam, pulveremque ʒss. pondere cum vinô aut cerevisiâ propinandum *Rajus.*

Echium Scorpioides seu *Myosotis* nullius est in Medicinâ usus, ac propterea hîc omittitur.

ECLEGMA.

De hujus compositione vid. sub titulô *Looch*: hîc itaque tantùm quædam præparationes è Joh. Michael. ac Pharmac. Bateanâ

E Joh.

E. Ioh. Michaelis.

℞. *Loch. ad asthma usitat. seu de squillâ compos.* ℥ij *Pulv. rad. Aron. cum vinô præp.* ʒiij. *c. s. q. Syrup. de marrrub.* F. l. a. Loch.

S. *Dicker Safft gegen den kurtzen Athem.*

Radix ari & fœcula ejus mirè commendatur in asthmate, *vid. Horstij Observat.*

℞. *Loch ad asthma* ℥ij. *fœcul. Aronis* ʒij. *ireos, mag. benz. an.* ʒiß. *c. s. q. syr. de marrubiô.* F. Loch.

S. *Dicker Safft gegen die Engbrustigkeit.*

℞. *Loch de caulibus* ℥ij. *syr. contra raucedinem seu de erysimo Lobelij* ℥iß. *succi liquiritiæ* ʒj.

S. *Dicker Safft gegen die Heiserkeit.*

Prosunt hæc omnia in asthmate & affectibus Pulmonum.

℞. *Loch san. & expert. de pino, pulm. vulp. an.* ℥j *pulv. haly contr. phthis. rec. dissi* ʒiij. *syr. de hed. terrestr. q. s.*

S. *Dicker Safft. gegen. die Schvvinde sucht.*

℞. *Electuar. resumptiv. loch de pino an* ℥j. *pulm. vulp. sa. & Expert. an* ℥ß. *cōserv. botryos* ℥vj. *c. s. q. syrup. de tussilag.* F. Loch.

S. *Brustsafft gegen die Schvvindigkeit.*

D. cum baculô liquiritiæ.

℞. *Loch de farfara* ℥ij. *Fæc. Aronis* ʒiß. *pul. pectoralis D. Mich.* ʒij. *c. s. q. syr. de hyssopo & fars. an. M.*

S. *Safft. gegen den Husten*, in phthisi.

℞. *Loch. de portulacâ* ℥ij. *pulv. contra hæmoptysin Heurnij (qui habetur in commentariô ad Hippocratis Aphorismos)* ʒiij. *c. s. q. Syr. de portulacâ & simph. Fernel.* F. l. a. Loch.

S. *Safft. gegen das Blutausvverffen.*

℞. *Loch. de papav.* ℥iij. *succin. præp. Boli Armen. præp. an.* ʒij. *c. s. q. Syr. de papav. simpl.* F. l. a. Loch.

S. *Safft gegen das Blutausvverffen.*

℞. *Loch. de papav.* ℥iij. *succin. præp. Boli Armen. præp. an.* ʒij. *c. s. q. syr. de papav. simpl.* F. l. a. Loch.

S. *Safft gegen die saltzige Flusse.*

Omnia hæc egregiè conducunt in phthisi.

E Pharmacopæa Bateanâ.

Linctus benedictus.

℞. *Saponis veneti, vini benedicti ãã* ℥ij *lohoch. sani* ℥ij. *syr. jujubini, tussilagin. capill. vener. ãã* ℥j. M.S.A. Dicitur & Linctus potentialis; Detur Cochleare j. quartâ quaque hora. Potenter expectorationem promovet.

Linctus Expectorans.

℞. *Smegmat. Castil.* ʒijß. *Oleum Amygd. d. Syr. viol. ã* ℥ *ijß. sacch. alb. q. s. m. f. a. vel,* ℞. *Lohoch Domest.* ℥iij. *smegm. castil.* ʒj. *m.* Idem facit cum supradicto.

Linctus Hæmoptoïcus.

℞. *Lap. Hæmatit. gum. Arab. succin. alb. ã.* ℈ij. *amyl.* ℥ß. *glyc.* ℈j. *albumin. ovor. q. s. m. f. linctus; subinde lingendus cum bacillo liquirit.*

Linctus Synanchicus.

℞. *Pulp. conf. rof. r.* ℥ij. *Rob granor. Acles* ℥j. *Rhodomel.* ℥ijß. *cynocopri* ℥*at.* ʒvj. *m. f. a.* Detur coch. j. sæpæ in Angina, &c.

ECPHRACTICA.

Ecphragetica Medicamenta Emplasticis opponuntur, & idem sunt quod *Eccathartica*, quæ per poros cutis purgant, ac cum *Diaphoreticis* propterea coincidunt.

Ecpyptica, vid. *Pepastica.*

ECRISOTICA, sive ERADICANTIA.

Ecrysotica Medicamenta, seu *Eradicantia* ac *Electiva* sunt purgantia quorum vis non tantùm in intestinis ac imô ventre, sed etiam in alijs vasis & visceribus, unde humores glutinosos educunt, exeritur. Et eapropter *Eccoproticis* suô locô descriptis, opponuntur.

Edulcorare. vid. *Dulcorare.*

EFFERVESCENTIA.

Effervescentia, à fervore propriè ita dicta, à calore scilicet & motu subitaneis. Hæc cùm minus pateat, operæ pretium est, ut phænomena quædam lustremus quæ deducant hinc sciendi avidum animum in viam veritatis. Considerabimus igitur.

(1.) Observari *effervescentiam naturalem* tum in æstu maris reciproco, tum præcipuè in thermis, quas alibi fieri diximus ob concursum seu viciniam pyrophylacij & hydrophylacij, igne subterraneo calcinante saxea loca, aquâ verò accedente, tum ab igne ipso, tum solutione illâ calcis quasi vivæ exæstuante.

(2.) *Effervescentiam artificialem* occurrere in mixturâ pulverum terreorum cum aquâ, exemplo cretæ pulverisatæ, si aquam admisceas; in calce vivâ recenti, cum aqua mixtâ, in ⊕ & ⊖-li mixturâ pro aquâ forti, in acidorum cum alcalibus, vel alcalinis concursu seu confusione, exemplo Tartari ⊖-lati, arcan. Tartari, magisterij parandi ocul. ♋. aceti & cretæ; in butyri ♁ij fixatione cum spir. ⊕, phlegmatis spir. 🜍ris cum spir. proprio commistione; in oleorum destillatorum cum spiritibus acidis concentratioribus mixtione &c. quæ alibi recensuimus latiùs; in affusione aquæ vel cujuscunque liquoris consimilis in laterem candentem.

(3.) In omni effervescentiâ requiri & adesse humidum. Utut enim & quædam respectivè sicca detur, ubi minùs humidum obvium est sensibus, attamen & ibidem intima mixtio & consequens commotio præsens est, exemplo ⊕i & ⊖-li, ⊖ Tartari & ☉nis usti &c.

(4.) In effervescentiâ agitari humorem in spumam, seu bullulas infinitas, idque ex conjunctione duorum corporum, humidi cum humido, humidi cum sicco, sicci cum sicco per exempla laudata.

(5.) Effervescentiam aliam esse cum calore, aliam sine illo, saltim manifesto, adeoque aliam frigidam, aliam calidam. Frigidæ exemplum præbet Tartarus ⊖-latus, arcanum Tartari, calidæ aqua & calx viva confusa, præparatio ⊖-li ♂tis, bezoardici mineralis &c. ità uti ignis calorem æmuletur, licet prior illa eundem omninò producat, sed longè minorem.

(6.) Effervescentiam aliam esse propriè dictam, aliam impropriè dictam. De propriè dictâ hoc loco agimus, ubi nempe est pugna & contrarietas vera; non de impropriâ, ubi saltim apparens, quod de ebullitione dictorum aquarum cum terreis, quatenùs pori impetuosiùs paulò implentur, valet.

Hinc colligimus 1. *effervescentiam esse motum humidi extraneum & impetuosum.* Motus est, quod sensus testantur; fit enim agitatio in spumam, seu bullulas infinitas, cum violentiâ; fit ὀργασμός, ut partes priùs quietæ cieantur, ita ut in altum tollantur, & non contentæ spatio pristino amplius affectent. Motus est ob calorem, quem vel remissum, ve lintensum offert & causatur. Ubi calor, ibi motus. Motus est humidi, humidum scilicet est subjectum effervescentiæ; humida intimè tum se subeunt, tum alijs patent activis. Humidum solum aptum est, quod rarefiat, aërescat & spumescat, siccis id non item competit. Motus est extraneus, seu ab extrà inductus, ad differentiam fer-

mentationis; non verò est motus à conquassatione solâ, licet & hæc ad effervescentiam multùm conferre possit, exemplo spiritus ⊕i, tum solius, tum cum Vi mixti. Motus est non blandus & successivus, paulatinus, sed impetuosus, magis tamen & minus recipiens, ut quando acetum conchis affunditur, & resistentiam offendit.

2. *Effervescentiam esse motum à contrarietate duorum immediatè concurrentium.* Similia se invicem tolerant, amplectuntur, subeunt amicabiliter, & acuunt quoque. Contraria verò confligunt & infringunt se. Hinc patet contrarietatem hanc non esse in humido ipso, quâ tali, simile enim non agit in simile, siquidem spir. ⊖li & lixivium ⊖lis Tartari, par ratio est aliorum prævià pugnâ illâ & coitione acerrimâ se invicem omninò amplectuntur & unita manent, concordantq; Sed illa ipsa aliunde accedit & inducitur humido; prout vel instar vehiculi diversis imbuitur sibiq; è diametro oppositis, unde dum mediatoris vice fungitur, seu potius committit duo è diametro opposita ac summè activa, ipsum unà quàm maximè patitur & in actionem abripitur, vel immediate hostem suum petit, peliturq, Si verò quæramus, quænam sint illa contraria, & velut pugiles, qui ubicunq; se offendunt, pugnam ineunt, not.

3. *Effervescentiam oriri à concursu vel ignis & aquæ, vel acidi & alcali.* Tetractys hæc est bellatorum, qui in alterius internecionem conspirant. Ignis perpetuò agit in aquam, acidum perpetuò in alcali & contrà, modò æqualibus frontibus concurrere liceat ipsis. Contraria sibi sunt hæc ab extra, quatenus aqua poros ab igne expansos opplet, & quidè cum violentiâ, ignis propellit aquam. Contraria ab intra, quoad particulas, atomos & harum figuras penitùs obversas. Aqua rotundis gaudet, quod guttæ demonstrant, ignis hamatis & acuminatis, unde & in pyramidem fastigiatur. Acida poris gaudent concavis, salia pyramidalibus, utraq; oblongis, sed sibi contrarijs. Quod si itaq; velimus exhaurire effervescentium classem, ipsamq; horum naturam, omninò non possumus universaliter & solùm effervescentiam acceptam ferre acido & alcali. Nam propter quod unumquodq; tale est, illud magis est tale; jam non tam propter acidum & alcali fit effervescentia, sed propter contrarietatem, & ubi hinc cõtrarietas illa est, cum effectu simili, ibi omninòetiam est effervescētia. Adeoq; cum & igni & aqua competat idem genus, idem subjectum, eadem differentia specifica, eadem concurrens causa, meritò & his provinciam concertandi simul demandamus; idq; eò magis, quòd etiam in ipsius acidi & alcali concursu, ex motu illo citatiori, ipse quoq; unà excitetur & concurrat, ubi ignis est sine igne quasi. Si tamen sermo sit de eo, quod fit ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, facilè in hoc aliquid chimicis largiri possumus.

4. *Quò pori ignis magis sunt patuli, sulphur magis attenuatum, acidum & alcali magis nuda, ibi major fit effervescentia, & contrà.* Patuli enim pori faciliorem ingressum, & consequenter majorem impetum efficiunt, collapsi verò retusum. Exemplo sit calx viva recentior, quę affusâ aquâ insigniter effervescit, cum fumo ac calore. Notabile est hanc in rem (1.) sulphur, quod consistentiam mixtis præbet, in calce vivæ plurimum esse absumptum, igne illo intenso, reliquum summè attenuatum & in terreas alcalinas partes insinuatum ac diditum. (2.) lapides calcarios illos plurimo gaudere alcali, tum volatili, ab igne propulso in calcinatione; tum fixo intimè in terreis particulis unito; acido verò pauciori, sub sulphuris vinculo ordinario unitis. Hinc (3.) affusa aqua poros intrans & compagem facilè solvens facit, ut sulphur reliquum laxius concidat, quod cum mediatoris vice fungi amplius nequeat, alcali exuperantis & reliqui acidi concursu immediato fit effervescentia; & quidem ob sulphur in motum subitaneum simul citatum, cum calore. Parum verò (4.) contulerit acidum lignorum, utpote transitorium & propulsum magis, quàm restans, vel fuerit & cedens alcali exuperanti, confirmato & sic magis asserto nostro ; sitque idem defensâ ab acido illo materiâ, in vitreis vasis, exemplo Tartari. (5) Calcem vivam, si diutiùs paulò asservetur in aëre, sponte dehiscere, & collabi hinc poros, *loscht sich selber*, ab insinuante se sensim humido aere; quæ verò sensim fiunt, magis quietè & sine tumultu peraguntur: unde si hinc affundatur aqua, non excitat effervescentiam nisi secundi generis, seu frigidam & ferè impropriè dictam, non aliter ac si lateres pro apparandis furnis in aquam intrusi, ipsam imbibendo, effervescentiam pariunt quoque. (6.) Hinc si calci vivæ, loco aquæ, affundatur oleum, longè magis licet inflammabile, tantum abest, ut effervescentiam excitet, ut potiùs occlusis poris, motum prohibeat & hinc calorem quoque.

Hinc not. (5.) *Ubicunque sulphur in conflictum venit, effervescentia fit calida, ubi minus, frigida.* Venit verò in conflictum, ubi tum attenuatum est, tum pori laxiores. Exemplo sit mars, qui sulphure quidem pollet plurimo, unde etiam ob viscedinem illam metallicam est malleabilis, non minùs ac alia; sed cùm hoc ipsum sit ochreis seu terreis particulis non paucis intimè immersum, hinc ab affusso acido fortiori summè effervescit, maximo cum fervore, quod in alijs metallis sibi relictis non item fit ob viscedinem majorem. Par ratio est calcis vivæ dictæ. Esse enim in hâc sulphur satis probat odor ædificiorum calce incrustatorum; imò quidam lapides calcinati, ad instar Bononiensis illius luciferi, odore suo sulphur auratum antimonij resolutum manifestè exprimunt, atque ideò phosphori etiam sunt, ob attenuatum sulphur, quo sensim exspirante, vis etiam illa luminosa perit, nisi aeris accessu luminosi denuo quasi reviviscant, quod etiam in phosphoro Balduini valet. Ut taceamus vim narcoticam, quod damno suo non pauci sunt experti. Idem fit in ⊕-∽-ûs Tartari, si à destillatione aqua affundatur, ubi vitrum insigniter incalescit.

6. *Effervescentia solvendo & præcipitando immutat.* Solvit in calce vivâ ab igne exustâ sal alcali, illudque manifestat, sicubi inest, in alijs, ut cornu cervi usto, alcalinum aliquod reportat saltim liquor. Præcipitat ab acidis soluta, quæ utraque cum impetu fiunt, ut jam satis deduximus. Essentiale verò ipsius est immutatio, ut aliud & novum quasi ens emergat & gignatur, quod consequens est unitionis. Dum enim unit eadem duo contraria, necessum est, ut utrumque mutetur & remittat de illâ pristinâ contrarietate; unde solvendo generat vitriolum martis, recorporificando spiritum acidum; præcipitando generat sal enixum, exemplo tartari vitriolati, arcani tartari, & salia media iterum immutat, resuscitando volatilia, exemplo salium volatilium fixatorum. Nam

7. *Effervescentia figit volatilia per acida, resuscitat per alcalia.* Hinc ⊖ ✳cum, imò ipsum sal communē ex parte, & alia acida sunt nihil aliud, quàm salia volatilia ab acido excedente vel laxius vel intimius fixata. Hinc salia quæcunque volatilia, v. g. ∽us ⊖lis ✳li, per acida, spiritum salis v. g. degenerant in sal commune vel ammoniacale, prout variatur fixatio. Hinc inter arcana est recentiorum, ex dictis salibus acidis spiritus urinosos separare & demonstrare. Hinc nitrum regeneratur per alcali ex aquâ forti, vel etiam ex spiritu nitri, per nitrum fixum, seu alcali nitri, & ipsum tamen immutatum est, unde in pulverem sclopetarium receptum non detonat, si fides habenda autori Medullæ Chimiæ.

8. *Effer-*

8. *Effervescentia cum fermentatione non confundenda.* Videntur omninò primo intuitu inter se convenire, sed intimius illa comparamus, differunt essentialiter & specie. Differunt enim (1.) medijs; in fermentatione plura heterogenea concurrunt, hîc duo contraria è diametro & quidem immediate. (2.) Differentiâ specificâ: motus hîc est ab extra, in fermentatione ab intra, quæcunque verò differentiâ specificâ differunt & genere, ut plura non laudemus, ea specie differunt. (3.) Efficiente; in effervescentiâ ignis & aqua, acidum & alcali concurrunt cum pugnâ principaliter; in fermentatione eadem quidem, sed mediatè magis. (4.) Genere; in fermentatione motus est blandus, in effervescentiâ impetuosus. (5.) Inprimis effectu; Fermentatio magis est suscitativa, effervescentia magis respectivè destructiva, (per accidens enim magis suscitat volatilia) prævio contrarijs quasi frontibus concursu. Effervescentia motu quietem, fermentatio quiete motum intendit & excitat. Et hæc quidem strictè loquendo ità sese habent; latius verò accepta aliquando sibi subalternantur, vel altera pro alterâ nominatur, etiam in explicandis in corpore phænomenis. *Wedelius.*

ELÆOSACCHARUM, vid. *Eleosaccharum,* quamvis malè.

ELAPHOBOSCUM.

Planta est quæ Dioscoridi fœniculo non absimilis dicitur: verùm quæ hodie satis nobis forsan nota non est.

ELAPHOSELINUM, vid *Oreoselinum.*

ELATE, vid. *Abies.*

ELATERIUM, vid. *Cucumer Silvestr.*

ELATINE.

Nomina. Elatine folio subrotundo *C. B. Park.* mas folio subrotundo *J. B.* Veronica fœmina Fuchsij sive Elatine *Ger.*

Radix alba, simplex, tenuis, paucis fibris donata, rectâ in terram descendit.

Caulis tenuis, rotundus, vix palmum altus, verùm flagella quæ ad latus supra terram spargit, longitudine non rarò spithamam excedunt *Folia* quam Alsines mediæ majora, rotundiora, pallidè viridia & canescentia, hirsuta & ad tactum mollia, circa margines plerunque æqualia, interdum tamen obiter dentata, pediculis brevissimis fulta, situ alterno. Ex alis foliorum emergunt pediculi singulares longi, tenues, singulos flores sustinentes Linariæ similes, parvos, cum calcare tenui incurvo, rictu amplo; labello ex herbido flavescente, superiore adversâ lacinâ bifidâ, pullâ, *Calix* floris pentaphyllos, floribus succedunt *vascula seminalia* turgidula, è binis loculamentis composita semina continentia.

In orvis sponte & copiosissime provenit. Seriùs post mediam æstatem floret.

Vires. Succus herbæ expressus ejusve aqua destillata, tum intus sumpta, tum exterius applicata ulcera sordida & cancrosa cohibere & perfecte sanare dicitur.

Nasum qui decreverant abscindere perdocti Medici complures, præceperantque ejusdem sententiæ chirurgis valde exercitatis id faciendum, quidam misellus Barbitonsor, qui de quopiam suo hero eximio Medico didicisset dissuasit: hujus litu & potu effecit, ut nec nasus abscindendus foret, & ut reliquo corpori in lepram prono optime esset: Amaricant folia adstringuntque siccitate non exasperante *Rajus.*

ELETICA, vid. *Epispastica.*

ELEAGNON, vid. *Agnus Castus.*

ELECTARIUM, vid. *Electuarium.*

ELECTRUM, vid. *Succinum.*

ELECTUARIUM.

Electuarium, sive nomen à Græco ἐκλεικτὸν paulò corrupta voce dicatur, sive quod *electa* recipiat remedia, vetustissima & apud veteres frequentissima fuit remediorum formula; hinc etiam vix ullum aliud pluribus æquè nominibus gaudet. Dicitur enim sæpè 1. *antidotus*, quod antidota illa, theriaca, mithridatium, & alia hac forma visenda prostarent. 2. *Conditum*, recentius quod est nomen, etiam frequenter audit, licet *Morellus* alijque speciatim id ad electuaria hodiè magis usitata restringant. Sunt qui & 3. *mixturam* vocant, pulverum nempe cum conservis, & inprimis quoque dicuntur 4. *opiatæ*, tum quod primitus, in antiqua illa, (quale vestigium etiam apud ipsum *Hippocratem* existit) communissimè & tantum non semper reciperetur opium, si non ut basis, tamen ut adjuvans præcipuum, tum quod consequentibus temporibus, simili, theriacali v. g. consistentia gauderent. Imò hæc ipsa medicamenta in tantum invaluerunt, & 5. nomen *amiserint penitus*, & καθ' ἐξοχὴν vel per ὑπόνοιαν, si mavis, dicatur v. g. theriaca, scilicet antidotus, mithridatium, philonium Romanum, requies Nicolai, & ex recentioribus diascordium Fracastorij, Orvietanum, & similia. Celebre quoque nomen est 6. *confectio*, forsan quod confectione & præparatione accuratiori egerent hæc talia, dicta, id quod potissimum de confortantibus prædicatur, & cordialibus, ut confectio alkermes, confectio de hyacintho, quæ nihil aliud sunt, quam electuaria.

Definiri potest eodem ferè modo ac bolus, quod sit *medicamentum internum, consistentiæ mediæ, pro pluribus vicibus, alterandi & confortandi potissimum usu conspicuum.*

Ratio nempe ordinis est ipsa affinitas, quod multum conveniant electuaria cum ipso bolo, differunt verò potissimum tripl ci ratione 1. *apparatu*, qui in bolo minor, in electuarijs major visendus est, seu occurrit, ut adeò bolus sit quasi electuarium pro una dosi definitum, electuarium verò in plures dispersum, seu boli plures conjunctim spectandi & efformandi. 2. quod hujus confectarium est, *dosi*, in plures enim dispensanda veniunt eadem, adeoq; proprie & stricte loquendo, electuarium pro una dosi non facile præscribitur. 3. *formali ipso*, quoad gradum quidem, bolus enim paulò siccior est, in unam dosin commode efformatus, electuarium spissum quidem, sed magis dispensabile & divisibile.

Notabile etiam est, apud veteres duplici consistentia electuarium prædicari, tum *liquidâ* (respective quidem & latius sumendo vocabulum) seu ipsa hac, quæ præ manibus est, forma, tum *solidâ*, per quam morsulos, quos electuarium solidum vocarunt, intelligunt.

Materiale itaque quod concernit electuarium, constant illa itidem *basi*, sive unâ, sive pluribus, juvante etiam sæpius, & *excipiente*; Seu, ut pressius hæc dicamus, ex pulveribus, vel forma sicca, in spissam mediamq; adscitis & redactis mediantibus excipientibus.

Excipiens itaque sunt, tum *spissa corpora* quævis, non aliter ac in bolo secum unientia pulveres, & sicca hoc nomine comprehensa alia; tum spissitudinem, ceu vinculum mixtionis, fœnerantia alia, decocta, sirupi, de quibus inferius, unde de *Differentiis* quoq; horum seu quot modis fiant, dicendum venit. Variant enim hæc ipsa quoq; pro excipientium & exceptorum varietate.

Et

Et quidem communissima electuaria vel antidotos parandi methodus olim fuit 1. *ex pulveribus & melle*, excipiendo species quascunque, appropriatas tamen, siccas, cum melle despumato & clarificato tripla vel quadrupla aliave proportione addito, commiscendoq; exacte omnia, ad justam usq; consistentiam. Et hoc pacto hodienum officinalia conflunt & dispensantur, electuaria in theriacæ Andromachi, proprie sic dictæ & veræ, tum etiam ipsius diatessaron, mithridatij, orvietani &c. confectione, sive simpliciter fiat mixtio componendorum, sive aptandorum decoctio, inspissatio, depuratio accedat &c. Hujus rei instar omnium esse potest theriacæ dispensatio, *wen der Theride aufgeleget wird*; Par ratio est in alijs cum sirupis commiscendis, præcipue si gummosa ingrediantur, cohærentia invicem melius. Eadem quoque ratione empirici communissime suam theriacam conficiunt, subigendo pulveres, radicum inprimis herbarumque & aliorum, cum melle, alijsque.

Hinc 2. electuarium genus statuemus, quando cum vel sine conservis & extractis *species excipiuntur succo quodam inspissato*, uti sunt rob ebuli, sambuci, juniperi, qualia exempla occurrunt apud *Mynsichtum*, inter alia in theriaca mulierum & Saxonica. Et sic etiam cum rob juniperi mixtæ species vel quasi theriacales constituere solent electuaria apud empiricos, quas pro theriaca vulgò vendunt.

3. Speciatim verò huc trahi quoq; possent *marmeladæ compositæ*, quæ parum differunt ab electuarijs, ubi species appropriatæ variæ commiscentur cum diacydonio simplici, seu gelatina cydoniorum, hanc enim in specie marmeladā vocant, vide iterū exempla apud *Mynsicht.*

4. Referri huc possunt *extractiformia illa electuaria*, quæ describit *Mœbius epit. instit. p.* 705. quando fructus semina, vel radices infunduntur & coquuntur in vino, vel aqua ad pulvis formam, cum trajectione per setaceum, & additione sacchari vel mellis, coctione facta ad mellis consistentiam; quæ ipsa uti rob composita sunt, ita etiam electuariorum consistentiam obtinent,

Sed ut verum fateamur, hæc ipsa tria præcedentia genera, secundum, tertium, & quartum, rariora sunt, si præscriptionem & praxin hodiernam respiciamus. Quod ad primum verò attinet mixtionis genus, licet medicus pro re nata ejusmodi electuaria ad præsentem usus exigentiam quoq; possit conficere vel ordinare, uti ad dysenteriam v.g. vel febres epidemias, ex radicibus angelicæ, petasitidos, scorzoneræ, contrayervæ, tormentillæ, opioq; ut alia taceamus, cum melle excipiendo & miscendo exactè; attamen & illud non nisi certis quasi casibus usitatum est. Sufficit ergò medico futuro, nosse generalem hanc differentiam electuarium esse præcipuam, quod composita & officinalia illa ex tali mixtione specierum cum melle constent, & pro dispensatione theriacæ directio ipsi demandatur vel inspectio, quæ quibus & quo ordine meliùs misceantur; uti hunc in finem jam certas quasi classes miscendorum in pharmacopolijs sunt definitæ; hunc, inquam, modum noverit & impendat, alterum verò exerceat magis.

5. Enim *electuarium excipiens usitatius & principale quasi*, quod necessarium diximus, *hodie constituunt ordinariè conservæ*, ad unam vel alteram unciam, sive solæ, sive cum condi is & electuarijs, confectionibus officinalibus, rob, extractisq; præscribendæ, & cum pulveribus in unam quasi & homogeneam redigendæ massā.

Basin verò, quò & juvantia hanc spectant, constituunt principaliter pulveres, itidem in suâ latitudine spectati, quatenus species cephalicas, cordiales, sudoriferas & aromaticas usitatas, quæ inprimis frequenter recipiuntur, præparata, & uno verbo sicca alia sub se comprehendunt, ut hæc ipsa quidem præcipuè intentioni debeantur medici, conjunctim verò hinc illam optimè exequantur.

Secundariò autem & refractè liquida, ut elixir cephalicum, cordiale, tinctura ambræ, ☉lis, ☽næ, oleum item conveniens, vel spiritus ad unam vel alteram guttam, seu minori dosi.

Quibus Cautelis verò id ipsum fieri debeat, jam spectabimus quoque.

1. Ergò *in electuariis fermentatio excessiva absit & præcaveatur*, cum enim ob heterogeneitatem particularum & commixtionē dulcium facillimè fermentescant eadem, præcipue motu vel calore accedente: hinc non debent ijsdem immisceri talia, quæ nimis eandem promovent & excitant, inprimis flores sulphuris & lac, salia lixiva & media, & inprimis volatilia, similesq; spiritus, ut salis ammoniaci, cornu cervi &c. hæc enim & consistentiam vitiant, quatenus hoc modo facile degenerant in eclegmata, & spatium amplius occupant, unde exitū è pyxide affectant, oraq; vasorum transcendunt; Quamobrē etiam, ut hoc obiter addamus, non replendæ sūt pyxides ad summā usq; oram, sed aliquod vacuum relinquendum est spatium, præcipuè si aliò mittendæ.

2. *Gratia quidē venanda in electuariis, attamen non mera dulcia ipsa constituūt*. Ne nempe hæc ipsa intentioni medici fiāt cōtraria, vel palato ingrata, hinc & hîc amara, acria & acida minis, ac excessivis qualitatib. alijs prædita, vel non, vel saltim refractè recipiēda & miscenda.

3. *Proportio specierum ad conservas ferè octupla observ. reliqua quasi accessoria vel infra excipiētis respectivè, vel infra specierum seu baseos dosin ingrediuntur*. Hinc prævalere debet conservatū pondus ipsis conditis, rob, electuarijs alijs, par ratio est in siccis excipiendis. Gaudent tamen hæc quadam latitudine, unde ad ℥ß. &c, etiam solemus species quandoq; addere, siquidem sirupi additamentum majus id iterum hinc complet.

Quoad *Formale* ergò seu formam externam & consistentiam, *electuaria citra figuram quandam definitam spissa consistentiâ componuntur*, ut in pyxidem spatulâ possint indi, & hinc ad usum iterum eximi.

Duo verò potissimùm formam hanc externam absolvunt, unum necessarium & ad *consistentiam*, alterum pro lubitu ad *splendorem & gratiam* faciens.

Illud sunt *sirupi appropriati*, rariùs mel, (cujus contrarium observatur in officinalibus,) sufficienti quantitate addendi, ad hanc ipsam scilicet consistentiam. Ut adeò absolvatur electuarium primo loco conservis, & his affinibus vel subordinatis conditis &c. 2. pulveribus, tum simplicibus, tum compositis frequentius fere, (uti officinalia magis ex simplicibus) qui quidem probe debent esse cribellati, ne ori vel masticationi sese offerant & mixturam non ritè factam prodant; & denique 3. sirupis q. s. prioribus addendis.

Notandum h.l. quod nonnunquam etiam pro formâ seu consistentiâ electuariorum complendâ præscribi soleant brodia conditorum, v. g. brodium nucum juglandium pyrorum moschatellinorum, zingiberis conditi, (quod in aphrodisiacis maxime usitatum est;) hæc ipsa verò brodia, licet, non nomine, tamen revera & in effectu sunt sirupi.

Hoc vero præstant *folia auri* vel *argenti*, quibus obtegitur superficies, idque potissimum eo casu, ubi vel pretiosioribus ingredientibus constat medicamentum, vel pro ditioribus præscribitur.

Neque vero facilè hic ordo invertendus est, quod aliquando factitatum vidimus, nempe primo loco præscriptos sirupos determinato pondere, ultimo conservas quantitate sufficienti addendas, ordine inverso. Hoc licet certo respectu aliquando possit concedi, ad formam medicamento largiendam, præstat tamen tritas insistere viæ, neque novitatis talismodi notā risum movere pharmacophœis.

Facile jam erit, id ipsum exemplis illustrare varijs.

Electuarium *Purgans*.

℞. *Conserv. rosar. mannat* ℥j. *pulv. laxat. veget.* ℥ß *diasen. Wier.* ʒß. *sir. rosar. solut.* q. s. M. f. l. a. Elect.

Alte-

Alterans *in ſcabie.*

℞. Conſerv fumar. ℥ii. *roſar.* ℥ſs. *condit. rad. helen.* ʒvi. *bezoar. d. mal* ʒj *ſpec. diatr. ſandal hepat. rubr. ā.* ℈iv. *ext. fum.* ʒß. *ſir. de cichor.* q. ſ. M. f. Elect.

Cephalicum in *Melancholiâ.*

℞. Conſ. fl. anthos, ſtœch. Arab. bugloſſ nymph. ā ℥ß. *myrobal. condit.* ʒvj *conf alkerm.* ℈iv *ſpec. lætif. Rhas. de gemm. frig. ā* ʒj *elix. cephal.* ʒß. *ſir. coral. Qu.* q. ſ. M. f. Elect.

In vertigine & metu apoplexiæ.

℞. Conſ. fl. anth primul. ver. lil. convall. ā. ℥j *ſpec. diamb. diamoſch. dulc. ā* ʒj. *nuc. Ind. condit.* ʒii. *conſ. de hyacinth.* ʒ[illegible] *ſpecif. cephal.* ʒß. *ſmaragd. præpt.* [illegible]j. *olei cephal.* ℈ii. *ſir. de ſtœch.* q. ſ. M. F. Electuarium.

Antiphthiſicum.

℞ Conſ. roſ. ant q. herb. coſtæ, botryos ā. ʒ vj. *pulv. Haly contr. phthiſ. rec. diſp.* ʒii. *antihect. Poter.* ʒß. *balſ. ſulphuris aniſ. gt.* iii. *ſir. de ſymph. Fern.* q. ſ. M.

Ad hæmoptyſin.

℞. Conſ. roſ. rub. ſymphyt. ā. ℥j. *pulv ſtypt. Heurn.* ℈ii. *lap. hæmat. ppt.* ℈j. *ſir. de roſ. ſicc. de piloſell. ā.* q. ſ. m. f. Elect.

Stomachale confortans:

℞. Conſ. roſ. vitriol. ℥j. *menth. abſinth. ā.* ℥ß. *nuc. moſch. in Ind. condit. zingib. acori ver. condit ā.* ʒii. *ſpec. diaxyloaloes, trag. ſtomach. Qu. an.* ʒj. *elix vitriol. miyns.* ℈j. *brod. conſerv. zingib.* q. ſ. m. f. l. a. Elect.

Hepaticum.

℞. Conſ. cichor. roſar. cochlear ā. ℥j. *ſpec. diatr. nuc. Indic.* ʒii *ſir. capill. Veneris.* q. ſ. m. f. l. a. Elect.

Aphrodiſiacum.

℞. Elect. diaſatyr ℥ii. *côdit. zingib. rad. eryng. ā* ℥ſs. *ſuccolad. Ind.* ʒvj *rot. ſimul. Mynſ.* ʒii. *ſpec. diam. d. diamb. c. a. & m. ā.* ʒj. *ſir. conſ. zingib.* q. ſ. m. f. Electuar.

Utendi modus electuarium eſt, ut aſſumantur 1. per vices fere, niſi purgandi fortean ſcopo vel pro uno præbio, vel definitâ ſpecialiùs quantitate ordinentur, ut mox dicemus. 2. magnitudine caſtaneæ, vel nucis juglandis, cuſpidis cultelli. 3. per ſe, commode enim deglutiuntur, & cum gratiâ quidem, adeoq; vehiculo non æque opus habent, præterquam intentione certâ, ut in calefacientibus, (ſunt enim alterantia vel frigida vel calida,) hauſtus vini, vel vini Hiſpanici ſuperingeratur quod in aphrodiſiacis etiam conſultum eſt. 4. vel promiſcuo tempore & uſu, vel definito, prout vel alterandi vel purgandi, vel ſpecialis deſideratus uſus variat. Ita electuaria deſiderata ad venerem ciendam noctu, cephalica & alia mane & veſperi conducunt. Obſervandum enim in ſpecie eſt, ne cum alimentis confundantur, ſed tempus itidem, ut in alijs actioni naturæ relinquatur.

Notabile verò eſt de doſi 5. quod doſis electuariorum in purgantibus & opiatis accurate ſit noſcenda & definienda, alias enim error contingit facilis, & ob hoc ipſum quoq; rarius purgantia vel opiata de novo præſcribuntur, ſed officinalibus fere conſultiùs utimur, illis quidem à ʒii. circiter ad ℥ſs. vel ℥j. ad ſummum, de quo videatur catalogus apud *Morellum*; his verò à ℈j ad ʒii. ad ſummum.

6. In ijs electuarijs, quæ graviora pondere ingredientia recipiunt, prærequiritur ante uſum motitatio, ſubſidet enim eadem, unde quod ſuperiori loco recubat, parum de ingrediente participat, inferius verò ſubſidens improportionatum itidem eſt & intentioni ac uſui minus accomodatum. Sic in electuario chalybeato id valet, quippe mars ſenſim ſubſidet; ſic etiam in confectione alkermes, & ubi alias folia auri largius commixta ſunt, id ipſum toto die viſitur. Notabile quoque eſt, quoſdam confectionem alkermes quaſi ſirupiformem aſſervare, conſultius verò eſt primum.

Uſus denique Electuariorum officinalium eſt univerſalis magis, ad quoſcunq; caſus quaſi aptus, non minori reliquis formulis latitudine, reliquorum ſecundum quid, & reſtrictus paululum, unde itidem καλῶς θέσιν & καὶ ἄρσιν quædam circa ea ſunt obſervanda.

1. *Electuaria confortant*, unde confortandi & roborandi fine magis præſcribuntur, ubi ſucceſſivâ magis alteratione eſt opus, ſive ad refrigerationem æſtuantium viſcerum, humorum acrium attemperationem, incraſſationem & mitigationem, ſive ad inſtaurandum calidum innatum debilitatum, fermentationem & motum ſanguinis promovendum, & ſic conſequenter; hinc in morbis chronicis, in ſtatu quaſi neutro & magis valetudinarijs quaſi, vel alias ſanis, ut ad venerem, quàm clinicis præſcribi ſolent.

2. *Electuaria commodè præſervant*, ſeu magis præſervandi & roborandi fine præſcribuntur, quam curandi. Habent enim aſſumendi commoditatem, & deglutiendi facilitatem.

3. *Magis intentione ſecundariâ, quam primariâ.* Præbent electuaria quaſi quoddam bellarium, ſeu quoddam interſcenium; interim regiâ viâ proceditur & methodo ordinariâ.

4. *Electuaria inæqualitatem tollunt humorum, aſperam arteriam inſ. ſtantium.* Paulatinâ quippe deglutitione delabentem materiam ſeroſam excipiunt, cumque dulcia pulmoni apprimè grata exiſtant, hinc in ejuſdem affectibus quoque laudem apprimè merentur. Hinc leguntur quidam ſolâ conſervâ roſarum à phthiſi curati, qui quidem non cum deſtillationibus acribus ſalſis bilioſiores ſunt, ſiquidem abſtergunt & demulcent archeum, leniuntque depaſcentem ulcerum acrimoniâ.

5. *Electuaria pro re natâ etiam externis uſibus aptari queunt*, maximè opiata, dolores & vigilias ſedandi potiſſimum gratia: hinc theriaca in dyſenteria commode emplaſtratur ventri, item in cholera, vomitu &c. hinc & eadem temporibus & pone aures, illita linteamini, applicata arcet vigilias; ut taceamus epithemata, quibus inferri etiam apte ſolet. Sic commode hanc in rem præſcribere ſolemus philonium Romanum, de quo inferiùs ſub linimentis.

Contra ea verò obſervandæ quoque ſunt regulæ circa uſum & vires electuariorum.

1. *Ubicunq; fermentatio eſt in corpore, ibi electuaria minus conveniunt*; hæc nempe potiſſimum extemporanea. Omnis enim fermentatio heterogeneitatem particularem habet conjunctâ, quæ cum corpore communicata, ubi tale additur tali, fermenteſcibilia humorum orgaſmo, facile noxam eidem poteſt conciliare; Hinc etiam electuaria infantibus, fœminis, & alvi fluxibus laborantibus tutiùs non dantur: hinc dyſenteribus fermentata ſaltim officinalia conveniunt.

2. *Officinalia etiam fermentata meliora, præterquam opiata.* Hinc poſt aliquot demum fere menſes ſolet repoſita priùs theriaca in uſum cedere, probè peracta fermentatione, hoc enim pacto in homogeneam & uniformem maſſam omnia rediguntur, ut effectum deſideratum hinc conſequi poſſint. In opiatis verò id ſecundum quid paulò aliter ſe habet, in non fermentatis enim opij virtus adhuc prædominatur, & valentiùs hinc operatur, adeoque hoc fine ſolet in vigilijs, vomitu, cholera, hypercatharſi eligi theriaca paulò recentior; ſic etiam in reliquis aliquo modo id valet. Licet ſint ex veterioribus paulò, qui, falſa hypotheſi circa noxas opiatorum inducti, planè nec laudano opiato uti velint, niſi planè vetuſto, ſed horum ignorantia & metus intempeſtivus non terrere debet medicum.

3. *Acidis & bilioſis abundantibus humoribus minus conveniunt electuaria*: ob dulcia ingredientia. Notum quippe eſt, & aceſcere & bileſcere facile eadem, unde facili in hoc eſt error, ſi ſcorbuticis, quartanarijs, hypochondriacis, bilioſiſque al js, largius eadem indulgeamus; vel quod bellarij quaſi loco inſervire debebat, primariâ intentione propinetur.

4. *Ambram & moschum non nisi jussi tum electuariis, tum aliis medicamentis addant pharmacopœi.* Hinc in confect one alkermes e. g. id probè est observandum, & à Medico definiendum, an completam c. a. & m. an incompletam intelligat. Notandum enim, quòd, licet odorata spiritus reficiant; unde juxta Platonicos, (quod ad Medicos facilè applicare licet,) quatuor sunt alimenta spirituum, odor, cantus, sonus & lumen; licet, rarefactionem sanguinis intendant; attamen si confortandi sint promiscuè ea ordinemus, sæpissimè plus nocemus, quàm prosumus, motum enim humorum etiam vitiosorum & quietorum turbant, adeoque favillas sopitas excitant. *Wedellius.*

Atque hæc de Electuariis in genere, sequuntur jam eorundem in varios usus, variæ ac innumeræ Compositiones.

Ac Primò

Electuaria Purgantia.

Electuarium Amarum Magistrale Majus, *ex Ph. Lond.*

♃ *Agarici albissimi, turpeti. electi. spec. Hieræ. simp. Rhabarbari optimi, an.* ʒ j. *Aloës electæ*, ʒ II. *Zingiberis, crystallor. Tartari, ana* ℈ II. *Iridis florentinæ, farinæ sem. fœniculi dulcis, an.* ℈ j. *syr. rosarum solutivi q. s. fiat electuarium s. a.*

Electuarium Amarum Minus. *ex Ph. Lond.*

♃. *Epithymi* ℥ *ss. Rad. Angelicæ,* ʒ II. *gentianæ, Zedoariæ, Acori, an.* ʒ II. *Cinnamomi, sesquidrachmam, Caryophyllorum, Macis, Nucis moschatæ, croci, an.* ʒ j. *Aloës, unc.* VI. *cum syrupi fumariæ, Scabiosæ, sacchari, an. q. s. fiat electuarium malle.*

Antimoron Nicolai, *ex Weckero.*

♃. *Aloës* ʒ v *ss. & gr.* VI. *Cassiæ fit.* ʒ j. *gr.* VI. *ss. marathri, Masticis an.* ℈ II. *gr.* V. *Croci* ℥ *ss. Asari* ℈ II. *gr.* V. *xylobalsami* ℈ II. *gr.* II. *ss. Cinnamomi* ℈ II. *gr.* V. *Ireos* ʒ I. *Aronis, dragonteæ an.* ℈ I. *gr.* II. *ss. Agarici, Colocynthidis, nitri, euphorbij, castorei an.* ℈ II. *gr.* V. *apij Macedonici, petroselini an.* ℈ II. *gr.* V. *ellebori nigr.* ʒ *ss. Diagridij, Coccognidij an.* ℈ II. *gr.* V. *Mellis quantum sufficit.*

Datur ad modum castaneæ, in sero, cum aqua calida confert cephalalgicis, lethargicis, stomachicis, ischiadicis, podagricis, & de matrice laborantibus, discoloratis, & omnibus, qui de tenui aut viscoso phlegmate affliguntur, & his, qui cibos non digerunt phlegma & choleram purgat, & aquosos humores cum ventositate.

Diasarum Fernelij.

♃. *Syrup. menth. violar. ana* ℥. VIII. *Coquantur in mellis crassitiem, sub finem subducto igne insperge, Radicis peponis arefactæ. Seminum raphani & urticæ maceratorum in Aq. rosarum, arefactorum, & tritorum an.* ℥. I. *Rad. asar. contritæ & cretæ* ℥ II. *Cinamom. sem. fœnic. an.* ʒ III. *Confice in electuarium liquidum.*

Vires. Omnis generis humores circa ventriculum & præcordia exuberantes, vomitione educit, non continuato, sed ex intervallis facto impetu, leni atque prægnanti tutum ac facile.

Dosis ʒ III. vel unc. ss. ex aqua hordei vel ex mulsa.

Diabalzemer, seu Electuarium sennatum Renodæi. *ex Ph. Aug.*

♃. *Rad. Cichorij, Buglossi, Polypodij querni, Cord. rad. Capparum, Graminis, Glycyrrhizæ an.* ℥ *ss. passularum Corinthiacarum* ʒ VI. *Adianti, hernionitidis, ceterach. cuscutæ, Artemisiæ, fumariæ, Agrimoniæ, Betonicæ, Melissæ, florum Genistæ, violarum, an. M. ß. foliorum senæ* ℥ IV. *Hellebori nigri præparati, Turbith optimi an.* ʒ I. *ss. Caryophyllorum* ℥ II. *sem. Dauci, coriandri an.* ʒ j. *ss. coquantur in* ℔. VI. *aq. ad mediæ partis consumptionem, in colatura solvatur Sacchari* ℔. I. *ss. coquantur ad debitam consistentiam, ut cum sequenti pulvere fiat electuarium.*

♃. *Rhabarbari* ℥ *ss. senæ pulverisatæ* ℥ II. *Lapidis lazuli præparati cinnamomi an.* ℥ ß. *sassafras* ℥ I. *Rad. Pœoniæ, Cort. Tamarisci, med. fraxini. epithymi, spicæ Indicæ, Caryophyllorum, sem. Agni casti, Nigellæ Romanæ an.* ʒ II. *dauci, Coriandri, an.* ʒ I ß. *Anthos, Stœchados an.* ʒ I. *Misceat.*

Convenit lienosis, melancholicis, hypochondriacis, maniacis, epilepticis sine febre delirantibus, passionibus hystericis, fœdis viduarum coloribus, elephanticis, scabiosis, & indicâ lue inveteratâ laborantibus.

Benedicta Solutiva Nicolai, *ex Ph. Aug.*

♃. *Turbith. electi, sacchari an.* ℥ *x. dacrydij, esulæ præparatæ, Hermodactylorum, rosarum an.* ʒ V. *Caryophyllorum, spicæ Indicæ, Zingiberis, Croci, Saxifragiæ veræ, piperis longi, amomi veri, cardamomi minoris, sem. Apij, petroselini, Milij solis, fœniculi, Asparagi, carvi, Rusci, salis Gemmæ, Galangæ, Macis an.* ʒ I. *Mellis despumati optimi* ℔. I. ß. *Electuarium, ut est artis.*

Humores pituitosos ad articulos potissimùm decumbentes elicit, colicis prodest, ad quorum enemata plurimùm expetitur, à renibus quoque & vesica purgat, sed in calida causa ab ejus usu desistendum.

Electuarium Diabryonias Democriti. *ex Weckero.*

♃. *Rad. Bryoniæ purgat. & tritarum* ℔. ß. *sapæ sive Mellis passularum* ℔. IV. *scillæ assatæ, Pinearum mundat: an.* ℥ I ß. *nucis moschatæ Cardamomi, Macis, Zingiberis ana* ʒ II. *Caryophyllorum, piperis longi, stœchados ana* ʒ I ß. *seseleos, salis Gemmæ, Galliæ ana* ʒ j. *agarici* ʒ III. *datur post tres menses à* ʒ II. *ad* ß. Cerebrum & nervos purgat excrementis: ob id epilepsiæ, paralysi, vertigini, & alijs cerebri & nervorum frigidis affectibus medetur.

Electuarium Caryocostinum, *ex Ph. Aug.*

♃. *Costi amari, semin. Cymini, Zingib. albi, Caryophyllor. ana* ʒ j. *Dacrydij, Hermodactylorum alborum superiore cortice mundatorum an.* ʒ II. *Mellis despumati & sufficienter inspissati, vini odoriferi ana* ℥ III. *fiat lege artis electuarium.*

Bilem utramque evacuat, cachexiæ, & ex illa provenientibus morbis varijs conducit, obstructiones viscerum reserat, eorundemque duritiem attenuat & emollit.

Diacarthamum Arnoldi de Villa nova, *ex Ph. Aug.*

♃. *Specierum Diatragacanthi frigidi unc.* ß. *pulpæ Cydoniorum conditæ unc. j. Medullæ Carthami unc.* ß. *Zingiberis* ʒ II. *Dacrydij* ʒ III. *Turbith albi* ʒ VI. *Mannæ* ʒ II. *Mellis Rosati colati, sacchar. Can-*

cantij an. ℥ j. hermodactylorum ℥ ſs. ſacchari albi in aqua Boraginis diſſoluti ℥ x. ſs. fiat Electuarium liquidum.

Flavæ bili ac pituitæ educendæ prodeſt, & ad omnes affectus è mixta cum bile pituita provenientes efficax eſt, mixtis itidem podagris, hemitritæo, paralyſi, ac cephalalgiæ ſuccurrit.

Cydoniorum Pulpa ſaccharo condiri debet, in cujus uſum Cydoniatum noſtrum rectè ſuccedit, & cum Manna ac Melle Roſato ſolutum colatur per ſtamen: quæ omnia Saccharo poſtea paulò ultra, quàm Electuario convenit, cocto, ſimul trita & colata cum pulveribus adduntur. Dacrydium tamen per ſe terendum.

Diacarthamum ſolidum, *ex Ph. Aug.*

Species ingredientes Electuar. Diacarthamum Arnoldi cum ſaccharo ipſi deſtinato conficiantur, omittendo Pulpam Cydoniorum, Mel, & Mannam; quamvis, ſi cui liberet, neque recenſita illa compoſitionem hanc ingredi refugiant.

Iiſdem viribus quibus liquidum pollet, & jucundiùs, quàm illud, aſſumitur.

Diacaſſia cum Manna incerti Autoris *è Pharm. Aug.*

℞. *Prunor. damaſcen. ℥ ij. flor. violar. m. iſs. aq. puræ ℥ xviij. Bulliant, ad medietat. conſumption. Colentur & in colat. diſſolv. mann. optim. ℥ ij. ſyr. violati ℥ iv. ſacch. canti & penidiati, ana ℥ j. Coquantur ad juſtam conſiſtentiam & addantur, pulpæ Caſſiæ ℨ vj. tamarindor. ℨ j. conſervæ violar. ℥ iv.* M.

Medicamentum hoc leniens, mite ac ſuave, confert iis qui duriore ſunt alvô; hanc enim & citra moleſtiam ſubducit, ac flavam bilem ejicit, febreſque inde natas levat.

Debet autem in minori doſi parari, quia periculum eſt ne Caſſia pulpæ tamarindorum commiſta diuturnitate temporis aceſcat.

Electuarium ſeu conſerva de Caſſia *D. D. Donzelli.*

℞. *Liquiritiæ ℥ ij. ſem. malvæ, melon. citrulli, cucumer. anguriæ an. ℥ j. capillor. vener. m. j. f. decoctio in ℔. vj. aq. malvæ ſtillatitiæ. Colaturam coque cum ſacch. albi ℔ iij. illique circiter perfectè coctæ immiſce, pulpæ caſſiæ ℔ ij pulpæ tamarindor. ℥ vj. coquantur in formam electuarij, aromatizandi cinnamomi acuti pulverati ℥ j.*

Confert hoc Electuarium in repurgandis renibus ab omnibus impuritatibus ibi aggeſtis; confert itidem in ardore urinæ ut & gonorrhœa. Doſ. ℥ j. manè per plures dies continuos, ſuperbibendo aquæ capillor. vener. vel anguriæ parum.

Electuarium Diacatholicon, ſeu Antidotus Catholica Nicolai Præpoſiti, *ex Ph. Aug.*

℞. *Polypodij querni ℔ ß. decoquatur in aqua communis menſuris noſtratibus 4. ad medietatis conſumtionem: In quo decocto colato diſſolvantur ſacchari albi ℔ iv. coquantur ad ſyrupi conſiſtentiam: ubi paulum refrixerit addantur pulpæ caſſiæ, tamarindorum an. ℥ iv. probè agitando, poſtremò ſubſequentes pulveres paulatim inſpergantur.*

℞. *Senæ ℥ iv. Rhabarbari, violarum, polypodij, Aniſi an. ℨ ij. glycyrrhizæ ℨ ij. ſem. iv. frigid. major. an. ℥ ſs.* Miſceantur, ut artis eſt.

Electuarium ſuave ac mite quod acutis & peracutis morbis confert, emollit, & alterat, robur addit jecinoroſis, lienoſis, & arthriticis, tertianis, quartanis, & quotidianis febribus adverſatur: doloribus item capitis auxilio eſt, univerſos denique corporis humores blande ac innoxie educit, multiplici nobis uſu familiare.

Electuarium de Citro ſolutivum, *ex Ph. Aug.*

℞. *Cortic. citrij, pomi condit. conſer. Boragin. bugloſſi, violarum an. ℨ v. ſpecies. Diatragacanthi frigidi, dacrydij an. ℥ ſs. Turbith. optimi ℨ vj ſacchari albi in aquarum cordialium ſufficiente quantitate diſſoluti ℔ j.* fiat electuarium.

Electuarium hoc è Guidonis de Cauliaco Tractatu ſeptimo de purgatione deſumptum bilem ac pituitam evacuat, idem fermè præſtans, quod Diacarthamum Arnoldi, niſi quòd gratius ſit. Addit verò Guido foliorum ſenæ ℨ v. ac inde tabellas conficit.

Electuarium Epiſcopi, quod Eleſcoph adpellatur, Meſuæ, *Ph. Aug.*

℞. *Dacrydij, Turbith an. ℨ vj. caryophyllorum, cinnamomi, Zingiberis, Myrobalanorum Emblicarum, nucis Moſchatæ, Polypodij an. ℨ ij. ſs. ſacchari ℥ vj. mellis deſpumati triplum, j. e. ℥ x. & ℨ j.*

Flavam bilem, ac pituitam elicit, flatus & excrementa è toto corpore educit, ob id doloribus articulorum & hypochondriorum prodeſt, colicis item cruciatibus auxiliatur, ac humores ad renes, & veſicam decumbentes expurgat. Pulvis tamen eſt potiùs in uſu aut confectio ſolida, quorum utrumque ſi efficacius habere, ac ut in minore doſi eodem effectu exhiberi queat, efficere volueris, pro Sacchari ℥ vi. cum Cordo & Coudenbergio, ſacchari ℨ. tantummodo *vj.* legito, aut illud potius omnino omittito.

Electuarium Epiſcopi, ſeu Eleſcoph ſolidum. *ex Ph. Aug.*

Fiat juxta deſcriptionem Meſuæ, ſpeciebus addendo ℥ loco ℥ vj. ſacchari ℔. j.

Eaſdem vires præſtat, quas vel ſpecies, vel liquidum Electuarium poſſides. Rariſſimus eſt hujus apud nos hoc tempore uſus, & penè nullus; ipſæ tamen ſpecies paulò frequentius adhibentur; quas itaque ſolàs in promptu habere Pharmacopœus tenetur, ex iis neceſſitate poſtulante, facile cum ſaccharo electuarium ſolidum paraturus.

Confectio Hamech major Meſuæ, *ex Ph. Aug.*

℞. *Myrobalanorum citrinarum ℥ iv. chebularum Indarum, Rhabarbari electi an. ℥ ij. Agarici, colocynthidis, Polydij an. ℨ xviij. abſinthij, Thymi, ſenæ an. unc. j. violarum ℨ xv epithymi unc. ij. ſeminum aniſi, fœniculi, roſarum rubr. an. ℨ vj. prunorum num. 60. paſſularum enucleatarum unc. vj. macerentur omnia in ſucci fumiterræ ℔. j. ſeri lactis caprini ℔. xij. in vaſe vitreato, in loco tepido, per 24. horas; poſtea ferveant unâ vel alterâ ebullitione, & colentur. In colatura ſolvatur ſacchari albi ℔. j. ſs. & ad debitam conſiſtentiam coquatur, addendo in fine Pulpæ caſſiæ unc. iv. Tamarindorum unc. v. & ubi ab igne remota fuerit, ſequentes pulveres paulatim inſpergendo: Scammonij præparati, ſeorſim in pulverem redacti unc. j. ſs. Myrobalanorum citrinarum, chebularum, Indarum an. unc. ſs. belliricarum, emblicarum, Rhabarbari, ſem. fumiterræ an. ℨ iij. aniſi, ſpicæ Indicæ an. ℨ ij.* fiat Electuarium, ut eſt artis.

Utramque bilem & pituitam ſalſam purgat, ob id morbis indè natis, impetigini, ſcabiej, elephantiæ, cancro exedenti, & ſimilibus morbis confert, unde omni fœditati à bilioſis & adultis humoribus procreatæ quàm maximè conducit; in morbis melancholicis quibuſdam magnoperè laudatur; in quartanis feliciter datur cum Hellebori decocto, vel infuſo, quorum utriuſque deſcriptionem ſubjunximus.

Electuarium Hydragogum eximium, *ex Renodæo.*

℞. *Radicum ireos nostratis, ebuli, graminis, cortic. radic. capparis, asari, carvi an.* ʒ vj. *pimpinellæ, polytrichi, agrimonij, ceterach, artemisiæ an. M. I.* Coquantur in aq. sufficienti. in colatura infunde & coque parum *foliorum sennæ* ℥ II. *seminis dauci* ʒ II. In colatura ad ℔. I. adde *succi rosarum pallidarum* ℔. ß. *sacchari* ℔. ß. *mellis in decocto* ℥ II. *radicis ireos cœlestis despum.* ℥ x. Coquantur in syrupum cui permisce *mannæ calabriensis* ℥ II. *turbith. radicis esulæ præparatæ an.* ℥ I. ß. *Zinziberis* ʒ I. *acori, calami aromatici an.* ʒ I. *mechoacanæ* ʒ II. *sem. ebuli* ℥. ß. *seminis brassicæ marinæ* ʒ III. *cinnamomi* ʒ II. fiat electuarium.

Electuarium hydragogum primum, ex ebulo, *ex Phar. Reg. Zwelferi.*

℞. *Rad. recent. Levistici* ℥ III. *Apij, Cichorij sylv. chelidoniæ, cucumeris asinini, petroselini, pimpinellæ an.* ℥. II. *ebuli.* ℥ III. *Asari* ℥ I. *cort. recent. Med. Sambuci* ℥ I. ß. *Medullæ ligni sambuci* ℥ I. *herb. gratiolæ, soldanelæ, hepat. nob. an.* ℥ I. ß. *rosarum rub. recent.* ℥ II. *sem. ebuli* ℥ I. ß. *nasturtij, urticæ an.* ʒ VI. *cremoris tartari* ℥ I. *ol. tartari per deliq. facti* ʒ. II.

Incisa & contusa coquantur in suffic. quantitate aq. simplicis, repetitis vicibus, quoad virtutes omnes extractæ sint; colaturæ omnes junctim alb. ovorum clarificentur, & ad remanentiam ℔ circiter j. leniter evaporent, cui residuo adde *succi baccarum Ebuli recenter expressi* ℔. II. ß. *Sacchari cand. alb.* ℔. II. Denuò leni coctione redigantur ad consistentiam Rob seu electuarij, addendo dum adhuc parum calet *Magist. Gialap.* ʒ VI. *prius cum amygd. dulc. decort.* ℥ß. *probè subacti essent. citri saccharinæ n.* ℥ I. *Elæosacch. Caryoph.* ʒ VI. fiat electuarium.

Præstat in Cachexia & hydrope, ubi evacuatione humoris aquosi & pituitosi opus est, quos feliciter tùm per inferiora, tum etiam per vias urinarias educit: dandum ab ℥ß. ad ʒ VI.

Electuarium Hydragogum secundum, de Spina cervina, *ex Ph. Reg. Zwelferi.*

℞. *Rad. recent. Levistici* ℥ III. *apij, cichor sylv. chelidoniæ, Pimpinellæ, Petroselini an.* ℥ II. *Asari* ℥ I. ß. *ebuli* ℥ III. *Mechoacæ albæ, Hermodactyl. an.* ℥ j. *herb. recent. gratiolæ, Hepaticæ nobil. an.* ℥ II. ß. *flor rosar. recent. rub. unc.* II. *sem. ebuli* ℥ I. ß. *nasturtij, urticæ an.* ʒ vj. *cort. recent. Arantior. unc.* ß. *cremoris tartari* ʒ vj. *Ol. tartari per deliquium facti* ʒ II.

Incisis & contusis superaffunde ℔. IV. vini albi, seu quod melius, musti vini clari; factaque maceratione per diem, ac unâ vel alterâ ebullitione prægressâ, fiat colatura cum expressione. species expressæ porrò cum s. q. aquæ simpl. repetitâ vice coquantur; colaturæ tandem omnes alb. ovor. probe clarificatæ ad remanentiam ℔. I. leniter in vase terreo exhalent: cui residuo liquori denuò adde *Succi de spina cervina recenter expressi* ℔. III. *Sacchari canarij albi* ℔. II. & ad consistentiam Electuarij seu Rob leni coctione redigantur, addendo sub finem, dum adhuc parùm calent *Magist. Gialapp.* ʒ v. *prius cum amygd. dulc. decortic. unc.* ß. *probè subacti, elæo sacchari anisi* ℥ II. fiat electuarium.

In virtutibus & dosi cum priori simile.

Electuarium Cholagogum sive Diaprunum D. D. Francisci de le Boe Sylvij.

℞. *Pulpæ prunor. acido dulc.* ℥ x. *cremor. tartari, scammon. opt. an.* ℥ ij. *Rhabarbari electi* ʒ x. *cinnam. acuti* ℥ ß. *santali citrini* ʒ ij. *sacch. clarificati* ℥ xvj *M. F. s. a. electuarium Dos. à* ʒ iij. *ad* ℥ß. *Dissolvi potest quantitate sufficiente, aq. convenientis, atque sic exhiberi.*

Electuarium Hydragogum ejusdem.

℞. *Baccar. juniperi in aq. coctarum. expressarum & ad pulpæ consistentiam redactarum, pulpæ tamarindor. an.* ℥ iv. *rad. jalappæ* ℥ iß. *Scammonij electi* ℥ j. *cinnamomi acuti, sem. fænic. dulc. an.* ʒ j. *sacch. clarificati* ℥ x. *M. F. s. a. Electuarium.*

Hujus dos. in adultis à ʒ III. ad ℥ ß. blandum, efficax nec ingratum existit medicamentum. Potest aq. conveniente, petroselini, fæniculi, aliave dissolvi & potionis formâ exhiberi, aut per se assumi ac deglutiri.

Electuarium lenitivum Florenzolæ, *ex Ph. Aug.*

℞. *Passularum majorum ab arillis liberatarum* ℥ ij. *capillorum veneris, seu Adianti nigri, violarum recentium, Hordei mundi an. m. j. jujubarum, sebesten an. nu.* 20. *Glycyrrhizæ* ℥ ß. *prunorum enucleatarum, tamarindorum an.* ʒ VI. *foliorum senæ, polypodij an.* ℥ ij. *Mercurialis m.* I. ß. *decoquantur, ut artis est, in sufficiente aqua ad consumtionem* 2. *tertiarum, postmodum colentur, & in colato dissolvantur Sacchari albis.* ℥ vj. *coquantur ad debitam consistentiam, ut additis pulpar. Cassiæ, tamarindorum. prunorum. conservæ violarum an.* ℥ vj. *pulveris senæ* ℥ III. ß. fiat electuarium.

Bilem, pituitamque, nec non his humoribus admixtum succum melancholicum blande, ac sine noxa, vel molestia educit; febrium humoralium sive putridarum materiam subtrahit, intestina lenit & emollit: pleuritidi quoque, nec non alijs pectoris ac renum, morbis præsertim à calore natis, confert.

Electuarium lenitivum ex Tamarindis, *ex Ph. Aug.*

℞. *Folior senæ mundatorum* ℥ iij *s. cinnamomi electi* ʒ I. *spicæ Indicæ* ℈ II. *vini Pucini vel Rheinfalini mensuram* I. *fiat per noctem maceratio in loco calido, manè una atque altera ebullitio; exprime fortiter, & in ea dissolve pulpæ tamarindorum* ℥ III. *passularum majorum* ʒ II. *mannæ calabrinæ* ℥ IIIs. *misce, sub finem addendo aquæ cinnamomi* ʒ I. fiat electuarium.

Blandissimum hoc medicamentum delicatis & teneræ ætatis feliciter propinatur, facile assumitur, facilius retinetur, & facillimè operatur.

Electuarium lenitivum de Manna Nicolai Alexandrini, *ex Ph. Aug.*

℞. *Prunorum damascen. num.* 20. *violarum* ℥ j. *capillorum veneris, ceterach. lichenis, seu hepaticæ an.* ʒ iij. *sem. iv. frigid. maj. an.* ℥ j. *coquantur in aqua sufficiente, ad medietatis consumtionem, exprimantur & colentur: in colato dissolvantur mannæ optimæ & purissimæ* ℥ j. *sacchari albissimi* ℔. *iv. coquantur ad Mellis consistentiam: & in fine subsequentes pulveres paulatim inspergantur: sem. iv. frigid. major. excorticator. flor. violarum, nymphææ, semin. lactucæ, scariosæ, portulacæ, rhabarbari electi, foliorum senæ an.* ℥ j. *addatur etiam conservæ violarum, pulpæ cassiæ an.* ℥ j. fiat electuarium.

Ad purgandam sanguinem, flavam & atram bilem reprimendam, jecur cale factum nonnihil refrigerandum, & universi corporis purgationem adcommodatum exsistit.

Ele-

Electuarium Lenitivum suavissimum, *ex Le Mort Pharm.*

℞. Fol. sennæ mund. ℥ iv. agaric. alb. & leu ℥ iij extrahantur cum triplici infusione Rosarum pallidarum fervente, donec omnes deposuerint : dein evaporent ad consistentiam mellis : hisce adde extractum albescens è scammon. ℥ j. factum cum vino. pulpæ cassiæ recenter paratæ. Tamarindorum an. ℥ iv. sacch. albissim. ℔ j. misc. fiat s. a. electuarium, cui ad consistentiam redacto infunde. Ol. cinamomi gtt. viij. macis. ligni. sassafras an. gtt. iv. sp. rosarum fragrantiss. ℈ j. Misc.

Leniter humores præcipue biliosos temperat & evacuat. Dosis à ʒ j. ad ℥ ß.

Electuarium Lenitivum *Pharm. Parisiensis.*

℞. Hordei excorticati radic. polypod querni contus. passular. exacinatar. tamarindor, ãã ℥ j. jujub. prun. sebest. ãã n. xx. sem. violar. liquiritiæ rasæ & contusæ ãã ℥ i. folior. mercurialis m. ij adianthi m. j. f. Decoctio in aq. ℔ xij ad ℔ viij. addendo sub finem, vel seorsim infundendo & coquendo, fol. senn. mundat. ℥ ij. sem. fænic. dulcis ℥ ij. colaturæ ℔ iv. adde sacchar. optim. ℔ iij. Coquantur in syrupum, in quô dissolve, pulpâ prunorum cum parte una decoctionis residuæ coctorum, tamarindorum & cassiæ cum reliquô decoctionis trajectorum ãã ℔ ß. pulver. sennæ ℥ v. sem. anisi ʒ iiß. m. f. s. a. Electuarium Dos. ab ℥ ß. ad ℥ iß.

Hiera Picra Galeni, quam Simplicem vocant, *ex Pharm. Aug.*

℞. Cinnamomi, xylobalsami, aut ejus loco ligni aloes, vel cubebarum, Asari, spicæ indicæ, Mastiches Chiæ, croci ana ʒ vj. aloës non lotæ ℥ xij. ß. Mellis despumati ℔ iv. ℥ iij. fiat electuarium.

Medicamentum hoc famosum, cujus Galenus auctor existit, describitur ab eodem 7. Methodi Med. cap. 9. & lib. 2. de tuenda valetudine cap. 10. quod quàm maximè prodest vitiosis succis, qui in ventriculi tunicis hærent ; utiliter exhibetur ijs, qui suffusorum imagines, & alia symptomata ex stomachi vitio patiuntur, & præterea ijs qui alvo sunt adstrictâ, ut & mulieribus quæ non probè purgantur ut plurimum autem ejus usus hodie in clysteribus tantùm esse solet.

Advertant Pharmacopœi, ne species Melli despumato priùs injiciant, quàm id ipsum ab igne fuerit remotum, ac ferè refrigeratum ; alioquin enim Aloë rursus conglobatur, & picis instar indurata coit ; id quod etiam de alijs pulveribus resinosis, inprimis verò dacrydio in sequentibus observandum erit.

Hiera cum Agatico, *ex Ph. Aug.*

℞. Specierum Hieræ simplicis sine Aloë, Agarici trochiscati ana ℥ ß. Aloës non lotæ ℥ i. mellis despumati ℥ vi. Misc. fiat electuarium.

Bilem & pituitam citra molestiam educit.

Hiera Composita Nicolai, *ex Ph. Aug.*

℞. Cinnamomi, spicæ indicæ, croci, schœnanthi, asari, xylocassiæ, aut cinnamomi exquisitissimi, xylobalsami, carpobalsami, violarum, absinthij, epithymi, agarici, Rosarum, Turbith, Colocynthidos, Mastiches ana ʒ j. scrupulum 1. Aloës non lotæ quantum reliquorum omnium, i. e. ℥ ij. ʒ v. ℈ j. Mellis despumati ℔ i. ß. misce fiat electuarium.

Hiera hæc, quæ & magna est Hiera ex sedecim rebus dicitur, (mel enim & Aloë in compositionibus hisce non numerantur) enematum usui inservit : pituitam enim lentam, crassam & frigidam intestinis adhærentem eluit, jecoris obstructiones liberat, lienis duritiem emollit, renibus & vesicæ humoris deturbatione proficit, uteri intemperiem emendat ; capitis etiam affectus, oculorum & aurium gravedines à magno pituitæ lentore ortas juvat, ventriculo demum benefacit.

Hiera Logadij Nicolai Myrepsi. *ex Ph. Aug.*

℞. Pulpæ colocynthidos, polypodij ana ʒ ij. euphorbij, polij minoris, sem. thymelææ, vel coccognidij ana ʒ i. ß. gr. vj. absinthij, myrrhæ an. ʒ j. gr. xij. centaurij minoris, agarici, ammoniaci, folij, vel ejus loco Macis, spicæ Indicæ, scillæ præparatæ, dacrydii ana ʒ i. Aloës, comarum thymi, chamædryos, cassiæ ligneæ, Bdellij, marrubij an. ℈ i. gr. xiv. cinnamomi, opopanacis, castorei, Aristolochiæ longæ, trium piperum, croci, sagapeni, petroselini Macedonici an. ʒ ß. hellebori nigri, albi an. gr. vj. mellis despumati ℥ x. Misce fiat electuarium.

Malis melancholicis diuturnis medetur, adpetitum instaurat, lethargicis, epilepticis, vertiginosis, & convulsis auxilio est, biliolis ac elephantiacis inter initia convenit, feris item impetiginibus, jecinorosis, & ijs qui venena lethalia hauserunt, utilis est, ac menses potenter movet, ischiadicis & lumborum dolore vexatis admodum competere creditur, diuturnis morbis à vitiosis humoribus obortis plurimum conferens. Expetitur potissimùm in enemata, ubi viscosos, crassos, lentos & tenaces humores evocare necesse est, & rarò supernè exhibetur. Pro pulpa Colocynthidis non in hac solum modò compositione, sed in omnibus alijs Trochiscos Alhandali substituimus.

Hiera Pachij ex Nicolao Alexandrino, quæ & Diacolocynthidos, *ex Ph. Aug.*

℞. Stœchadis, marrubij, chamædryos, agarici, colocynthidos ana ʒ x. Opopanacis, sagapeni, petroselini, radicis aristolochiæ rotundæ, piperis albi an. ʒ v. cinnamomi, spicæ nardi, polij, croci ana ʒ iv. Mellis despumati triplum, i. e. ℔ ij. ℥ ix. & ʒ v.

Scribonius Largus de Composit. Med. cap. 97. Hieram hanc ad Pachium autorem refert, & miris laudibus in cœlum effert. Sanat morbo comitiali correptos, furiosos, vertigine laborantes, ac diuturno capitis dolore infestatos ; facit item ad lateris dolores, asthmaticos juvat, vocem amissam restituit, subitas præfocationes, incubum, convulsionem cynicam, seu caninam dictam aufert. Datur ijs qui ex alto lapsi, aut nervorum tensiones resolutionesque passi sunt. Prodest itidem articulari morbo, spinæ ac lumborum doloribus, item podagræ : durities dolorificas in mulierum mammis levat, & interdum ex integro sanat, stomachicis mirum in modum confert, remedio est ijs, quibus cibus in ventriculo acescit, quique nauseâ assiduè infestantur, ac salivâ abundant ; melancholicis autem præcipuè benefacit, carcinomata & cacoëthe curat.

Electuarium Indum Majus Mesuæ, *ex Ph. Aug.*

℞. Cinnamomi, caryophyllorum, spicæ Indicæ, Rosarum, Cassiæ ligneæ veræ, Macis, cyperi rotundi an. ℥ ß. Sandali citrini ʒ ij. ß. turbith. opt. ℥ vj. ʒ ij ligni aloës, nucis moschat. an. ʒ ij. sacchari albi, penidij an. ℥ xx. galangæ, cardamomi majoris, minoris, asari, Mastiches an. ℥ i. ß. dacrydii ℥ i. ß. omnia terantur, & cum subsequenti syrupo conficiantur. ℞. Succorum depuratorum apij, fœniculi, Cydoniorum, granatorum, an. ℔ ß. Mellis despumati apt. ℔ iv. ß. decoquantur succi cum melle ad spissitudinem justam, ut est artis : deinde misceantur species.

Putridorum humorum, maximè verò pituitosorum excrementa è ventriculo, & alijs partibus nutritioni servientibus educit, ac crassos in ijs

ijs flatus discutit, unde etiam vitia hinc nata, inflationem nempè ventriculi, coli, renum, & aliorum viscerum persanat.

Diaphœnicon Mesuæ ex Pharm. Aug.

℞. *Pulpam dactylorum citrinorum, ex eorundem enucleatorum ℥. vi. & ʒ ij. post triduanam in aceto macerationem, paratam, pinearum ℥ iij. & ʒ j. amygdalo. dulc. ʒ xv. turbith electi ʒ xvij. ß. dacrydij ʒ vj. Zingiberis, piperis longi, foliorum rutæ siccorum, Cinnamomi, macis, ligni aloës, anisi, fœniculi, dauci, galangæ ana ℈ iv. Mellis despumati ℔. iij. ℥ ii. & ʒ v.* fiat electuarium.

Electuarium hoc, quod (ut Mesue refert) descripsit filius Zezar, febribus compositis & diuturnis auxiliatur: bilem namque flavam & pituitam sine molestia educit, ventriculi item doloribus, & id genus vitijs ex crudis humoribus ortis confert, ventris inflationes tollit, nec non obstructiones expedit.

Diaphœnicon Fernelij, ex Pharm. Aug.

℞. *Pulpæ palmularum mundatarum ex hydromelite coctarum per cribum setaceum trajectæ, pinearum recentium ana ℔. ß. amygdal. expurg. ℥ iij ß. contusis & permixtis omnibus adde Mellis despumati ℔. ij. paulum coquantur, ac deinde inspergantur, Zingiberis, piperis, macis, cinnamomi, foliorum rutæ siccorum, sem. fœniculi, dauci ana ʒ ij. turbith. tenuissimè triti ℥ iv. dacrydij ℥ i ß.* fiat Electuarium.

Compositionem Electuarij diaphœnici Mesues, ob dactylos in aceto infusos alioquin parum gratam, doctissimus, & ob præstita in rempubl. Medicam beneficia non sine magna laudis præfatione nominandus Vir. D.D. Fernelius in hanc formam transtulit, ac non modo ob palmulas in hydromelite coctas jucundiorem, sed etiam ob auctam immò ferè duplicatam turbith ac dacrydij quantitatem priore efficaciorem reddidit, undè & minori dosi exhibita, priore potentiùs alvum solvit. Quæ quoniam Medicis nostris usitata existit, huic pharmacopœiæ inserendam esse censuimus.

Diaphœnicon solidum, ex Pharm. Aug.

℞. *Dactylorum per triduum aceto maceratorum nu. 6. Cardamomi ʒ ij. pinearum, amygdalorum dulc. ana ʒ xv. turbith ʒ xij. dacrydij ʒ ij. piperis longi, zingiberis, foliorum Rutæ siccatorum, cinnamomi, Macis, sem fœniculi. anisi, dauci, galangæ, ligni aloës ana ʒ j. sacchari ℔. j. ℥ ij. fiat confectio solida, ut est artis, æqualiter pulveres miscendo.*

Viribus affine est liquido.

Electuarium Passulatum ex Pharm. Lond.

℞. *Radic. recentium polypodij quercini, ℥ ij. fol. senæ, radicum althææ recent. ana ℥ ij. sem. anisi, ʒ ij. omnia infundantur in aqua fontana q. s. in vase vitreato & coquantur s. a. deinde fiat expressio; colaturæ adde pulpæ passularum, per setaceum transmissarum. ℔. ß. sacchari albi, mannæ, ana ℥ iv. coquantur rursus ad Cydoniati crassitudinem & quater in anno renovetur.*

Electuarium Panchymagogum. ex Pharm. Reg. Zvvelferi.

℞. *Rad. Hellebor. nigr. ℥ iß. polypodij ℥ iij. rhabarbari optimi, asari, turbith, ana ℥ iß. fol. senæ electæ sine stipitibus ℥ ij. ß. cremoris tartari ℥ j. cort Arant. recent. ext. ℥ ß. incisa* & contusa coquantur in s. q. aqu. simpl. repetitis vicibus affusæ & colatæ usquedum omnis sit extracta virtus. Decoctionis colatæ conjunctim album ovorum probè clarificentur, & in diplomate leniter ad remanentiam unius circiter ℔. evaporent. Huic liquori vel extracto liquido adde *succi pomorum dulc. recent. expressi ℔. j. sacchari albiss. ℔. iij.* coquantur denuò ad consistentiam gelatinæ seu electuarij, cui parum refrigerato adde. *Magist. s. resina galapp. scammon. ana ℥ j. prius cum amygd. dulc. decort. ℥ j. ß. probè subactorum, Elæosacch. anisi vel Cinamomi ℥ j. ß.* fiat Electuarium.

Quod omnia ea præstabit quæ cuncta Holagoga, panchymagoga, cholagoga, &c. qualibuscunque etiam alijs & quibus ingredientibus sint ornata, & quod pretiosus unquam gemmis atque lapidibus; Moscho item & ambra ditata sint. Dosis ʒ ij. *ad iij. & ℥ ß.*

Electuarium Podagricum *S. Clossæ.*

℞. *Resin. scammon. jalap. an. ℥ j. hermodact. ʒ vj. sagapen. sem. anis. fœnic. carvi. milij solis. Caryophyll. mari. costi arab. zenzib. mastich. ana ℈ ß. liquetur sagap. in aceto scyllit. coletur per setaceum commiscendo pulv. præscriptos, & in mortario marmoreo adjiciendo per pugillos sacch. pulverisatum & irroranda aq. ivæ Arthrit. f. electuar. ut Opiata, addendo essentiæ antr. gut. x.*

Dos. à ʒ ii. ad ℥ ß. ad præcautiocem doloris arthritici singulis mensibus in occasu lunæ.

Electuarium de Prunis lenitivum, ex Pharm. Aug.

℞. *Succi glycyrrhizæ ʒ ij. violarum ℥ ß. in aqua sufficiente quantitate bulliant, & colentur; in colaturæ solvantur sacchari ℔. ij. coquantur ad debitam consistentiam, tandem addantur pulpæ prunor. ℔. j. cassiæ, tamarindorum ana ℥ j. pulv. sandali albi, rubri, spodij de ebore, rhabarbari, cinnamomi ana ʒ iij. rosarum, violarum, semin. portulacæ, scariolæ, berberis, tragacanthi ana ʒ ij. sem. quat. frigid. major. ana ʒ j.* commisc. ut est artis, commendatur ad febres acutas, ardentes, tertianas, continuas, hecticas marasmodes, lipyrias, causum & synochum, & ad omnem febrilem affectum in principio, augmento, & statu ægritudinis. Solutivum verò, inferiùs describendum, in ejusmodi morbis cavendum, ob scammonium præparatum seu dacrydium, à quo in febribus continuis periti ores Medici merito abstinent.

Electuarium de Prunis Solutivum Nicolai. *ex Ph. Aug.*

℞. *Diaprunis Lenitivi recentis & nonnihil adhuc calentis ℔. iv. scammonij præparati, seu dacrydij ℥ ij.* misce.

Confert morbis à bile genitis, in febribus tamen, maximè verò continuis, ab ejus usu cavendum.

Electuarium Cholagogum, seu Dia Prunum Sylvij, *vid. supra cum ejusdem Electuario Hydragogo.*

Electuarium de Psyllio Montagnanæ, *ex Ph. Aug.*

℞. *Polypodij recentis ℔. j. senæ, prunorum, tamarindorum, passularum ana ℥ iij. semin. psyllij ℥ iij. aq. font. ℔. x. macerentur horis 24. postea decoquantur ad medietatem, colentur, exprimantur, & cum Sacchari ℔. iv. decoquantur ad debitam consistentiam, addendo pulpæ cassiæ, tamarindorum ana ℔. ß. dacrydij ℥ iv. spodij de ebore, rhabarbari, Sandali albi, rubri, rosar. rubr. violar. sem. papaver. alb. quat. frigid. minor. fœniculi, anisi, berberum, fumiterræ, tragacanthi, amyli, gummi arabici, rasuræ eboris, glycyrrhizæ ana ʒ iij. myrobalanorum Indarum, Emblicarum ana ʒ v. ß. Misce, fiat electuarium.*

Flavam bilem educit, ejus fervorem temperat, & febribus ardentibus auxiliatur: dolori capitis & vertigi-

tigini à biliosorum humorum evaporationibus procreatæ, morbo regio, ac jecori supra modum calefacto succurrit.

Electuarium è succo Rosarum Nicolaj, *ex Pharum Aug.*

℞. Succi Rosar. rub. sacchari albi ana ℥xvi. scammonij præparati ℥iß. sandali rubri, albi, citrini an. ʒ vi. spodij de ebore ʒ iij. succus rosarum cum saccharo ad justam consistentiam coquantur, deinde sandala cum spodio, ac tandem dacrydium, adjiciantur.

Commendatur ad omnes affectus, in quibus bilis flava redundat, aut biliosi ichores peccant; convalescentes ex ægritudine, quotidianarios & tertianarios sine molestia purgat, malignorumque humorum reliquias potenter educit, tertianæ simplici, febribus biliosis, malisque omnibus à calore natis prodest.

Camphoram, cujus ℈i. quondam huic electuario destinatus fuerat, odore non omnibus placentem, omittere hucusque consuevimus; qui tamen addere voluerit, eandem cum nucl. pini terendo in pollinem prius redigat.

Electuarium è succo Rosarum solidum, *ex. Ph. Aug,*

℞. Specierum ingredientium electuarium de succo rosarum Nicolai, quantum jam describitur, cum sacchari ℥ xvi. fiat confectio in solido, recipiendo tantum succi rosarum ℔. j.

Idem præstat quod liquidum, & quidem paulò potentiùs: minor enim & hic succi rosar. quàm in liquido quantitas.

Electuarium rosatum Mesuæ. *ex Ph. Aug.*

℞. Succi Rosar. rub. depurati ℔. iv. Sacchari optimi ℔. i. ß. coquantur lento igne ad Mellis consistentiam, addendo in fine mannæ electæ succo rosar. dilutæ ℥ vi. & tandem dacrydij ℥ i ß. trochiscorum de spodio ℥ i. berberibus ℥ ß. galiæ moschatæ veræ, croci ana ʒij. fiat electuarium, ut est artis

Cholagogum hoc salubre est biliosis affectibus, arthritidi calidæ, cephalalgiæ, vertigini, oculorum dolori, ictero.

Parari etiam medicamentum hoc poterit sine galia, partem pro pauperibus, partim pro ijs qui galiæ odorem non ferunt,

Electuarium Diasebesten Bartholomæi Montagnanæ *ex Pharm. Aug.*

℞. Sebesten sine nucleis, prunorum siccorum enucleatorum, tamarindorum ana ℥ v. succi anguriæ ana ℥ vj. mercurialis depurati ℥ iv. pulpæ prunorum ℔. j. ß. saccari penidij ℥ viij. sem. iv. frigid. major. excorticatorum ana ℥ ij. dacrydij ʒ iij. coquantur tamarindi, sebesten, & pruna in aqua simpl. ℥ xviij. & per cribum setaceum transmittatur, dein addantur succi & pulpa prunorum cum sacchàro penidio, quo dissoluto, tandem dacrydium & reliqua commisceantur, ac fiat electuarium.

Confert febribus biliosis interpolatis, ac continuis exquisitis, quarum vehementiam sedat, sitim extinguit, vigilias arcet, & acres humores per urinam educit.

Electuarium de Sena Nicolai, *ex Ph. Aug.*

℞. Senæ ℥iij. avellanarum tostarum n. 50. serici tosti ℥ij. lapidis Armenij loti ʒi. lazuli loti ʒij. sacchari ℥vi. cinnamomi ℥i. caryophyllorum galangæ, piperis, spicæ indicæ, seminis ocimi, folij, cardamomi, croci, zingiberis, zedoariæ, florum rorismarini, piperis longi ana ʒij. Mellis despumati ℔. ij, Mis. fiat Electuarium.

Melancholicis, maniacis, tristitiâ ac mœrore affectis, lienosis, scabie, elephantiasi, & quartanâ laborantibus, atque insuper omnibus noxis ex altra bile natis medetur. Eligendus est lapis Lazuli aureis maculis distinctus, seu in cujus radiantes quædam ac splendentes aureæ stellæ scintillant, unde à Mesue lapis stellatus vocari meruit: cujus, prout & serici præparatio, infrà & suo loco tradetur.

Electuarium de Sena cum Ambra, *ex Ph. Norimb.*

℞. Liquiritiæ ra. ana ʒ vj. polypodij quercini ℥iß. seminis Carthami contusi ℥i. anisi, folliculorum senæ ana ℥ iij. ficuum pinguium n. 14. foliorum senæ mundat. ℥i. aq. font. quantum satis. fiat lege artis decoctio, cum quâ extrahantur. pulpæ passularum ℥iv. prunor. damascen. ℥ ij. quibus addantur pulveris rhabarbari interioris optimi, cum olei cinamomi gt. xv. irrorati. senæ sine stipite ana ʒvj. cassiæ recenter extractæ ℥ij. syrupi de pomis solutivi ℥ivß. violati solutivi q. s. lapidis lazuli præparati ʒij. ambræ gryseæ ℈ß Mis. f. l. a. Electuarium molle.

Electuarium de Tamarindis, *D. D. Georg. Horst.*

℞. Fol. sen. s. s. ℥v. cinamom. opt. ʒvi. sem. fœniculi ʒi. vini malvat. opt. ℔. iij. semel ebulliant. postea in loco calido per 24. digerantur vase clauso. f. deinde colatura cum expressione, qua extrahatur pulpa passul. min. & major. ana ℥iv. ß. Extractæ massæ per setaceum adde pulpæ Tamarind. elect. diaprun. f. lenitivi an. ℥iij. crem. tart. ʒij. ol. nucis mosch. still. ℈j. anisi ℈ß. m. f. electuarium.

Vires. Purgat leniter serosos biliososque humores Dosis ℥j. circiter.

Triphera Persica Mesuæ. *ex Ph. Aug.*

℞. Succ. endiviæ veræ ℔. iij. apij, lupulorum an. ℔. ij. solani ℥ ix. berberum ℥ iij. epithymi ℥v. cuscutæ ℥s. spicæ Indicæ ʒiij violarum recentium ℥ iij. ʒ iij. rosar. ʒ iij. folliculorum senæ ℥ ij. agarici ℥ i. prunorum damascenorum num. 50. Myrobalanorum citrinarum, chebularum, Indarum ana ℥ ii. tamarindorum ℥ iii. secundùm artem lento igne, ad remanentiam circiter ℔. ij. bulliant, colentur, & cum aceti ℔. i. sacchari albissimi ℔. iij. & ℥ viij. coquantur ad justam consistentiam, & addantur mannæ ℥ i s. pulpæ cassiæ ℥ iv. pulv. rhabarbari optimi ℥ ii. Myrobalanor. Citrinarum an. ℥ s. sem. fumiterræ, trochisc. diarrhodon, Macis, Mastiches, cubebarum, spodij de ebore, sandali citrini an. ʒ ij. sem. 4. frigid. major. an. ʒiis. anisi ℥s. spicæ Indicæ ʒ ij. fiat electuarium.

Valet adversus acutas febres, calidam ventriculi & jecoris intemperiem, & morbos omnes ex humorum ustione natos, sitim restinguit, icterum calidum ex obstructione sanat, suffusionem à vaporibus biliosis visui incommodantem discutit, sanguinem purgat, unde in febribus pestilentibus, & ipsa peste magnoperè à Georgio Agricola, & alijs commendatur.

Triphera Saracenica Mesuæ. *ex Ph. Aug.*

℞. Quinque generum Myrobalanor. an. ʒ v. cinnamomi, triumpiperum, eryngij, folij, spicæ indicæ. cardamomi utriusque, cassiæ ligneæ, Lepidii, cyperi, apii, sem. fraxini, caryophyllorum, been utriusque, Zingiberis an. ʒ ii. nucis moschatæ, macis, sesami excort. an. ʒ iii. amygdal. utrumque an. ʒv. ligni aloës, Rhabarbari, rutæ, sem. fœniculi, Mastiches an. ʒ ii. ocimi, caryophyllati, Menthæ siccæ, origani cretici an. ʒ i s. fricentur Myrobalani tritæ cum butyro vaccino recente non salito, reliquæ verò species oleo amygdalorum dulcium & cum triplo mellis despumati, fiat electuarium.

Coctionem ventriculi & hepatis suo calore juvat, ob id flatus dissipat, humores in ventriculo & alijs visceribus putres absumit, lassitudinem tollit, oris ac corporis reliqui odorem & colorem commendat.

Diaturbith cum rhabarbaro Barthol. Montagnanæ, *ex Pharm. August.*

℞. Rhabarbari ʒ x. turbith. albi & gummosi, hermodactylorum an. ℥ j. dacrydij ℥ ß. zingiberis, sandali, albi, rubri, violarum an. ʒ 1 ß. mastiches, anisi, cinnamomi, croci an. ʒ ß. sacchari albi ℔ 1. ℥ ij. ʒ ij.

Flavam bilem, & pituitam educit atque aquâ inter cutem laborantibus mirificè confert, ad vermes etiam efficacissimum est medicamentum & valdè idoneum: nam Rheum vermes maximè enecat, & turbith pituitam ipsam, vermium verum fomitem ejicit.

Electuaria Antidotalia, Narcotica, aliaque similia.

Electuarium de Acoro, *ex Pharm. August.*

℞. Conservæ radicum acori ℔ 1 ß. mellis despumat. ℔ 1. amygdalarum dulcium incisorum ℔ ſs. piperis nigri, nucis moschatæ, zingiberis albi an. ℥ 1. misce, fiat decoctum.

Ventriculum frigidum & humidum confortat, flatus crassos dissipat, & concoctionem promovet.

Radices acori vulgaris seu palustris mundatæ & in taleolas tenuissimè incisæ, decoquantur ad mollitiem in vino rubro: postea contusæ & trajectæ coquantur iterum cum dupla quantitate sacchari, ad formam conservæ, sicuti reliquæ.

Diacorum Mesuæ, *ex Pharm. August.*

℞. Rad. Eryngij, calami aromatici, pinearum an. ℔ 1 ſs. radices Eryngij mundatæ & incisæ coquantur in aqua clara, donec aqua consumatur. Postea optimè pistentur, & in minutissimas partes conterantur, ad pultis consistentiam: deinde adfundendo mellis optimè despumati ℔ 10. coquantur lento igne, donec tota aqua, quam radices imbiberunt, in vaporem resoluta sit, diligenter agitando, ne radices adurantur, cùm autem justæ spissitudinis consistentiam adquisiverit, ab igne deponatur, & radices acori tenuissimè tritæ, ac pineæ minutissimè incisæ, cum subsequenti pulvere optimè mixtæ, addantur.

℞. Piperis nigri ℥ 1. longi, caryophyllorum, zingiberis, rosarum, macis an. ℥ ſs. nucis moschatæ, galangæ, cardamomi an. ʒ iij.

Nervorum ægritudinibus mirificè confert, acuit omnes sensus & ingenium, sedat dolores capitis; est peculiare remedium frigidarum ægritudinum, senum, & maximè catarrhi, ac hydropicos juvat.

Elect. Pseudoacori stomachicum, *è Pharm. Schroderiana.*

℞. Rad. Pseudoacor. à cortice exteriore mundat. ℔ j. minutissimè incisæ & conquassatæ infundantur in vino rubr. ♂♀ (3. 4.) Hinc coque ad consumptionem vini, mollitiemque radicum.

Postmodum adde mellis depurat. ℔ ij. vel ij ſs. iterum parùm coctis addantur zinzib. optimi minutim incis. ℥ iij. vel 4. misceantur optimè l. Ign. ad consistentiam; hinc remove ab Ign. & immisce pul. cinamom. acer. ℥ ſs. piper. long. ʒ ij. galang. nucist. macis. cubebar. cardamom, an. ʒ i ſs. gran. paradis. piper. nigr. an. ʒ j. plus minus, f. elect.

N. *Alij admiscent amygdal. dulc. & pineas excort.*

Vires. *Confortat stomachum & caput frigidum excrementa incidendo, exiccando, &c.*

Dosis ad magnitud. avellanæ vel juglandis; manè ac vesperi.

Observ, Hofman. Hoc Electuar. longè esset efficacius, si radix pseudoacori non conquassata coqueretur, sed saltem grosso modo concisa adderetur; Et bonum est medicamentum, stomachi debilitati à dyscrasiâ frigidâ dicatum. Aliàs juxta Domini Autoris præscriptum concinnari potest.

Electuarium Alexipharmacum. *Cl. Dn. D. Petri de Sp. F. F.*

℞. Rad. dictamn. caryophyllat. cyper. rot. an. ℥ 1 ſs. asari ʒ vj. Ireos flor. ʒ iij. fol. rut. flor. rosar. rubr. an. ℥ 1 ſs. dictamn. cret. ʒ iij. spic. indic. ℥ i ſs. cinamomi croc. or. an. ℥ j. baccar. junip. laur. an. ʒ vj. mastich. ℥ i ſs. Agar. tr. myrr. el. an. ʒ ij. bol. arm. præp. spec. liberant. ana ℥ vi. Contundantur subtilissimè & cribrentur. Postea

℞. Nuc. jugland. ℥ iij. fic. pingu. ℥ ix. Conquassentur simul, additoque modico vini trajiciantur per cribrum ad pultis consistentiam. Deinde.

℞. Sacchar. opt. ℔ ij ſs ℥ iij. dissolve cum aquæ q. s. Ign. lento. Postea adde mellis despumat. ℔ iij. Coque ad aquæ consumptionem. Deinde adde pulticulam illam ficuum & nucum. Theriac. andr. ℥ ix. conserv. ros. rubr. ℔ i ſs. succ. absinth. inspiss.

Misce optimè cum spatula lignea, dein removeantur ab igne, & agitentur continuò donec refrixerint, postea adde pulveres, misceanturque perfectissimè, in fine adde Ambræ gris. ʒ 1. mosch. ℈ 1. f. electuar.

Vires. *Usus ejus creberrimus fuit in sævissima illa nuperâ peste, in quâ tam præservando, quàm curando profuisse compertum est.*

Observatio Hoffman. *Super Electuario Alexipharmaco Cl. Dn. D. Petri de Sp. F. F.* Hujus usum creberrimum fuisse testatur *Dominus Autor* in peste, tam præservando, quam curando. Nec dubito de veritate. Interim tamen admodum confusa & temeraria mihi videtur hujus Electuarij compositio tam ob multorum simplicium farraginem, quàm quorundam, quorum nulla ratio reddi potest, frustraneam admixtionem, quid sibi volunt radic. cyper. rot. asari, ireos Fl. fl. ros. r. Agaric. trochisc. Spec. liberant. Theriac. A. &c. quæ composita per se pro alexiterio satis sufficientia forent,

Electuar. Alexipharmacum de Ciconia; Arcanum Alexipharmacum.

℞. 1. Recentem ciconiæ sanguinem, destilla per MB. remanentem in cucurbita sanguinem exicca & pulverisa. Hinc,

2. Extrahe Sal ex ventriculo ciconiæ incinerato, beneficio aquæ illius ex sanguine destillatæ, idque pulverisatæ illi sanguinis remanentiæ admisce.

Hisce 3. addantur in vitro satis capaci. Succin. alb. el. ℥ 1. corall. rubr. Baccar. matur. uvæ inversæ. Essent. Mumiæ, rad. Author. an. ʒ i ſs. Lap. Bez. or. ℥ iij. Theriac. opt. ℥ 1 ſs.

Hoc cum oleo pini (ex nucl. express.) incorpora, deinceps tantum olei superaddendo, ut digitos 3. vel 4. latos emineat. Tandem insolentur aliquamdiu orificio vasis diligenter obstructo, quo enim vetustius eò melius.

Vires.) Efficacissimum est contra omnia venena, metallica, animalia & vegetabilia, quæ tum vomitu, tum secessu, tum sudore expellit. Dos. ℥ ſs. cum haustu aquæ, vini, vel lactis tepidi. *Crollius.*

Electuarium Alchermes ex *Pharm. August.*

℞. Succi pomorum dulcium, sacchari albissimi ana ℔ i ſs. coquantur ad crassam consistentiam; posteæ addatur succi granorum Kermes Monspelio allati spissioris ℔ 1 ſs. ab igne depositis & adhuc calentibus misceantur, ambræ in particula succi solutæ ʒ ij. ligni aloës, cinnamomi an. vj. lapidis lazuli, margaritarum orient. an. ʒ ij. foliorum auri, moschi in spiritu rosarum soluti ana ʒ 1.

fiat

fiat] *Electuarium.*

Cor ac vitales vires validè roborat, ob id syncopen, & cordis palpitationes pellit, cerebro quoque ac animali facultati languidæ eximie succurrit; nec non ab apoplexia præservat. Datur melancholicis, meticulosis ac tristibus, animum quippe hilarem reddit ac reficit.

Electuarium Alkermes Mesuæ. ex *Pharm. August.*

♃. *Serici succo granorum tinctorum recenter tincti ℔ ſs. ſucci pomorum dulcium, aquæ roſar. ſacchari albi ℥ IX. ambræ griſeæ ʒ iij. ligni aloës optimi, Cinnamomi electi ana ʒ iij. lapid. Cyrnei loti & præparati, margaritarum albarum an. ʒ ij. foliorum auri ʒ ſs. moſchi laudatiſſimi ℈ ſs.*

Sericum in aqua & ſucco maceretur 24. horis, deinde pauliſper his incoquatur, donec liquores illi rubeſcant, quos, expreſſo & abjecto Serico, coque cum ſaccharo ad mellis conſiſtentiam. Ab igne depoſitis & adhuc calentibus miſce Ambram, in particula ſucci calentis ſolutam, Moſchum aquâ roſarum dilutum, pulverem ligni aloës; Cinnamomi, lapidis Cyanei, & Margaritarum, ac tandem, folia auri.

Electuarium ſ. Mixtura de Allio.

♃. *Digitor. allij, num. 4. frixis & contuſis cum melle & mithridatij ʒ ij ſs. adde ſperm. ceti. granor. juniper. an. ℈ j. Caſtorei ℈ ij. pulv. parietar. ℈ j. oxymell. ſquillit. q. ſ. f. F. Elect.*

Vires. *Inſignium virium eſt contra colicam.*

Obſerv. Hofman. ſuper Electuario ſeu mixtura de Allio. Allium non frixum, ſed crudum cum Mithridatio contuſum præfertur, additis reliquis ingredienti bus, quæ Autor ſubjungit. Pro Plebe ſatis commendabile.

Ambroſia Archibij ex *Weckero.*

♃. *Aniſi, ſem. apij an. ʒ IV. myrrhæ, opopanacis an. ʒ j. cinamomi ſem. loti amari, caſſiæ, ſpicæ indicæ an. ʒ ij. croci ʒ ij ſs piperis ʒ ſs. opij ʒ IV. mellis deſpumati quantum ſatis eſt.*

Confice ſecundum artem. Ad omnes internas affectiones utilis eſt pota: ad inteſtinorum tormina quidem ex myrtini, & aquæ quarta heminæ parte: ad hepar autem ex aquæ mulſæ homine dimidia. Item ad vigilias, ophtalmiam, & lateris morbum ex aqua mulſa: ad ſtomachi demum vitia, ex vini granatorum Cyathis duobus, & aquæ totidem.

Confectio Anacardina Meſuæ. *ex Pharm. Aug.*

♃. *Myrobalanorum, chebularum emblicarum, belliricarum, Indarum, piperis nigri longi, Caſtorei ana ʒ ij.. coſti, anacardiorum præparatorum, ſacchari albi, ſem. nigellæ aut erucæ, baccarum laur. an. ʒ VI.. cyperi ʒ IV. cum melle deſpumato.* Fiat electuarium.

Valet ad ventris totius inferioris & cerebri affectus frigidos, ſanguinem puriorem reddit, ac inde ſpiritu animali priore tenuioreque effecto ſenſus omnes juvat; unde cum Meſue confectionem ſapientum eſſe dixit, Cautè tamen hoc medicamento eſt utendum, & ab ejus abſumtione à labore, ira, coïtu ac ebrietate cavendum.

Electuarium Mitigativum, ſeu anodynum. *ex Pharm. Aug.*

♃. *Sem. IV. frigid. major. excort. an. ʒ VI. papav. albi ℥ I ſs. citri excort. ℥ ſs. contundantur probè in mortario, addita, per vices, aquæ papav. errat. ſine addit. ſtillatæ particulâ, ad formam pulpæ, ut ferè totaliter per cribrum ſetaceum cogi queant, quibus addito*

Eſſent. citri ſacch. ſuperius edoctæ, ℥ IV. conſ. roſar. rubr. flor. papav. errat. an. ℥ iij. pulv. croci auſtriaci, opij n. m. parati & extracti, an. ʒ ij. ol. nuc. moſchat. expreſſi ʒ ij ſs. prius cum ſacch. roſati, vel citrati n. ℥ I. permiſti: ſyr. de papav. rhæad. ℥ iij. vel q. ſ. pro debita Electuarij conſiſtentiâ

Miſceantur exactè, ſervetur uſui. Mitigat & lenit dolores quoſcunque, valet in dyſenteriâ, diarrhæa, fluxu hepatico, colica paſſione. Doſis ʒ ij. ad ℥ ſs.

Antidotus Matthioli. *ex Pharm. Aug.*

♃. *Rhabarbari, rapontici, rad. phu. calami aromatici, cyperi, quinque folij, tormentillæ, ariſtolochiæ rotundæ, pæoniæ, helenij, coſti, Ireos. Illyricæ chamæleontis albi an. ℥ iij. galangæ, imperatoriæ, dictamni albi, angelicæ, filipendulæ, zedoariæ, zingiberis an. ℥ ij. agarici ʒ iij. gentianæ, morſus Diaboli an. ℥ ij ſs. ſem. citri, viticis, cocci infectoriæ fraxini, oxalidis, paſtinacæ ſylveſtris, napi, nigellæ, pæoniæ, ocymi, Irionis, thlaſpios, fœniculi, ammeos an. ʒ ij. baccarum lauri, juniperi, hederæ, ſmilacis aſperæ, cubebarum an. ʒ I ſs. foliorum ſcordij, chamædryos, chamæpityos, centaurij minoris, ſtœchadis arabicæ, nardi celticæ, calaminthæ, rutæ, menthæ, betonicæ, verbenacæ, ſcabioſæ, cardui benedicti, meliſſophylli ana ʒ I ſs. millefolij, libanotidis maris, dictamni cretici an. ʒ iij. ſampſuc., hyperici, junci odorati, marrubij, galegæ, ſabinæ, pimpinellæ an. ʒ ij. caricarum, nucum juglandium, piſtaciorum an. ℥ iij. myrobalanorum emblicarum ʒ VI. florum bugloſſi utriuſque, roſarum, lavendulæ, ſalviæ, roriſmarini an. ʒ IV. croci ℥ iij. caſſiæ ligneæ veræ ʒ 10. caryophyllorum, nucis moſchatæ, macis an. ʒ ij ſs. piperis nigri, longi, ſandalorum omnium, agalloch. ana ʒ I ſs. cornu cervi ℥ ſs. unicornu ʒ j. oſſis de corde cervi, rumentorum eboris, virgæ cervinæ, caſtorei ana ℔ IV. terræ lemniæ ʒ iij. opij ʒ I ſs. margaritarum orient. fragmentorum ſmaragdi, hyacinthi, corallij rubri an. ʒ I ſs. camphoræ ʒ ij. Maſtiches, thuris, ſtyracis, myrrhæ, gummi arabici reſinæ terebinthinæ, ſagapeni, opopanacis, laſerpitij an. ʒ ij ſs. moſchi odorati, ambræ an. ʒ j. olei vitrioli ℥ ſs ſpecierum cord. temperatarum, diamargariti frigidi diamoſchi dulcis, diambræ, de gemmis frigid. trochiſcorum de camphora, ſcilliticorum an. ʒ ij ſs. de vipera ℥ ij, ſucci oxalidis ſonchi, ſcordij, echij, bugloſſi, meliſſophylli an. ℔ ſs. hypociſtidis ℥ ij. theriacæ electæ, mithridatij optimi an. ℥ VI. vini veteris albi odorati ℔ iij. mellis optimi ℔ VIII. & ℥ VI.*

Fiat ſecundum artem electuarium eo modo, quo Theriaca aut Mithridatium conficiuntur.

Deſcribitur à Petro Andrea Matthiolo in commentar. ad lib. 6. Dioſcoridis. Facit autem adverſus pleraque venena, quæ per os ingeruntur, item adverſus ea, quæ morſu, vel ictu inferuntur. Peſti plurimùm adverſatur, morboſque malignos præcavet & expellit, ac theriacæ, aut mithridatij vires æmulatur.

Conditum pro familia antidotale Stapedij. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Granorum juniperi ℥ VI. caricarum pinguium nu. 12. nucleorum nucum juglandium ℥ VIII. conſervæ florum boraginis, bugloſſi an. ℥ IV. theriacæ veteris, Mithridatij optimi an. ℥ ij. radicum tormentillæ gentianæ, pimpinellæ, angelicæ, zedoariæ an. ʒ I. cum ſyrupo de limonibus fiat conditum.* Vires ex inſcriptione patent.

Eſdræ Antidotus. ex *Weckero.*

♃. *Amomi ℈ XII. ſquinanthi ʒ IX pyrethri ℈ VI. croci ℈ 36. cinnamomi ℈ VI. myrrhæ troglodyticæ ℈ XII. ſtyracis calamitæ ℈ XIX. petroſelini ſem. dauci an. ℈ iij. tragacanthæ ℈ VI. ſucci Hypociſtidis ℈ IX. ireos, abrotan. ana ℈ 15. ſem. fœniculi ℈ VI. bdellij ℈ IX. thuris ʒ I. ſulphuris vivi ℈ VI. ſem. hyoſcyami albi ℈ 27. caſſiæ ligneæ ℈ IX. ſem. papav. ℈ 30. ſpicæ nardi, ℈ XII. ſem. rutæ, ſem. ocymi an. ʒ I. rhois culinarij ℈ IV. ſem. anethi ℈ ij. aſari ʒ j. cardamomi ℈ VI. opij ℈ 37. euphorbij ℈ VI. piperis nigri ℈ 30. roſ. ſicc. ℈ IX. pſyllij ℈ XII. opobalſami ſeu ol. caryophyllorum ℈ 24. ventris mergi, ℈ VI. laccæ, lycij indici, caryo-*

caryophyllorum an. ℈ XII. *stercoris reperti in alvo mergi* ℈ VI. *flor. nerij* ℈ IVß. *rhabarbari* ℈ XII. *mei athamantici* ℈ IV. *terra cimolia* ℈ XII. *succi arthemisiæ* ℈ XX. *fol. cichoreæ* ℈ IX. *spica celtica* ℈ XII. *castorei* ʒ j. *costi*, *gentianæ* ℈ XII. *confect. hedychroi* ℈ IX. *anisi* ℈ VI. *Sisonis* ℈ XVIII. *thymiamatis hammoniaci, fol. citri an.* ℈ XII. *vini veteris odorati q. s. fuerit succis & liquoribus resolvendis mellis despumati optimi* ℔ V. *aut* VI.

Arida omnia minutissimè contundito. Opium verò & myrrham, hypocistidem, bdellium, lycium, hammoniacum in vino dissolvito: tragacantham seorsim deinde per se affuso vino dissolvito. Deinde omnia simul misceto, addendo etiam despumatum arthemisiæ succum. In universum hanc confectionem eodem modo conficias, quo theriacam, & eodem modo demittenda est ut effervescat, non omninò repleto vase, per septem annos melior judicatur. Mirificè contra lethalia venena prodest: aliosque usus multos habet, quos apud Aëtium lib. 13. cap. 101. Paulum lib. 7. c. 11. actuarium in lib. de compos. medicament. reperias.

Esdræ Antidotus aliter, *ex Weckero.*

♃. *Mameræ* ℥ I. *amomi* ℥ ij *squinanthi* ℥ ß. *pyrethri* ℈ IX. *croci* ℥ j. *myrrhæ* ʒ IV. *styracis* ℥ ß. & ℈ j. *petroselini* ℈ IX. *tragacanthæ* ℥ j. *succi hypocistidis* ʒ IV. *ireos* ʒ ß. ℈ ij. *sem. fœniculi* ℥ j. *folij* ℥ iij. *rhabarbari, rosar. sicc. glycyrrhizæ, flor. sylvestris punicæ, cinnamomi an.* ʒ iij. *nardi celticæ* ℥ j. *mellis despumati* ℔ VI. ℥ IX. ʒ VII.

Myrrham, & hypocistidem in vino dissolve modico; tragacantcham verò per se etiam dissolve, & confice secundum artem. *Actuarius.*

Mameræ loco sume Doronicum Romanum. *Cordus.*

Antidotus analeptica, *ex Pharm. Londin.*

♃. *Rosarum rubr. glycyrrhizæ, an.* ʒ ij. & *gr. s. gum. arabici tragacanthæ, an.* ʒ ij. & ℈ ij. *santali albi, rubri, an.* ℈ IV. *succi glycyrrhizæ, amyli, sem. papav. albi, portulacæ, lactucæ, endiviæ, ana* ʒ ij. *quat. sem. frigid. maj. excorticatorum, sem. cydoniorum, malvæ, bombacis, violarum, nuclearum pini, pistaciorum recentiun., amygdalarum dulcium, styracis calamitæ, pulpæ sebesten, an.* ʒ ij. *Caryophyllorum, scobis eboris, Cinnamomi, ana* ʒ I. *croci, gr. V. penidiorum,* ℥ ß. trita omnia excipiantur triplo syrupi violati, ut fiat electuarium molle.

Antidotum asyncriticum D. Actuar.
ex Renodæo.

♃. *Myrrhæ* ʒ ij. & ℈ ij. *opij* ʒ VI. *piperis nigri, sem. petroselin. an.* ʒ V, *apij, sinapeos an.* ℥ ß. *junci odorati* ʒ ß. *amomi, styracis calamit. an.* ʒ ij. *hedychroi magnatis* ʒ j. & ℈ ij. *cassiæ ligneæ, seu canellæ, piperis albi, seseleos an. an.* ʒ j. & ℈ j. *mellis despumati q. s.*

Hoc antidotum veteres capitis dolores sedat, inquit, Actuarius, vertiginosos & comitiales affectus mitigat, pervigilias sopit, & furorem ac desipientiam constringit, magnum oculorum dolorem mulcet defluxioni, dentium dolori, difficultati respirationis, & omni causæ suspirij auxiliatur; veterem tussim sedat, pulmonis laterisque inflammationi, & siccæ & humidæ medetur, omnem pulmonis humiditatem exhaurit. Sputa tenuia densas, excretuque faciliora reddit.

Stomacho præsenti ex auxilio hujus siquidem humidam laxitatem astringit, cibi fastidia levat, singultum tollit, non retentos cibos ob vomitionum impetus sistit, omnem stomachi & ventris inflationem in ructus solvit, ictero prodest, melancholiæ morbo convenit, & ejus tristia ærumnosaque symptomata levat, lienis gravitatem submovet, arenulas deturbat, uteri calamitatibus & colico dolori medetur atque alijs pluribus affectionibus, si modo verum sit quod clarissimus. Vir Actuarius, literis, de hoc Opiata, mandavit.

Vocatur hoc antidotum ab Actuario, Asynoritum, h. e. incomparabile, quod virium præstantia nulli cedat; aut postponendum veniat. Ut ex mente Authoris rectè paretur, Opium in sapa dulci macerandum, donec mellis consistentiam habuerit: styrax melle diducendus: dein aliqua arida pulverata commiscenda pro cassia Ægyptia, quam ponit author, cassiam ligneam, seu canellam vulgarem optima ratione, & doctorum consensu posuimus, non fistulam ac purgatoriam, quam passim Actuarius nigram apellat, nulla in re Antidoto præscripto convenientem, & accommodatam.

Antidotum Hæmagogum, *ex Pharm. Londin.*

♃. *Lupinorum excorticatorum*, ʒ ij. *piperis nigri,* ℈ *v.* & *gr.* VI. *glycyrrhizæ,* ℈ IV. *aristolochiæ longæ, artemisiæ, cassiæ ligneæ, sem. petroselini macedonici, pyrethri, sem. rutæ, spicæ nardi, myrrhæ, pulegij, an.* ℈ ij & *gr.* XIV. *sem. apij, sabinæ an.* ℈ ij & *gr.* XIII. *centaurij majoris dauci cretici, nigellæ, carvi, anisi, caryophyllorum, aluminis rupei seorsim pulverati, an.* ℈ ij. *fol. auri* ℈ I ß. & *gr.* III. *Xyloaloës,* ℈ I. & *gr.* XIV. *schœnanthi,* ℈ I. & *gr.* XIII. *asari, calami aromatic. vulgaris, amomi, centaurij minoris, sem. atriplicis. pœoniæ, fœniculi, an.* ℈ I. & *gr.* VI. *cyperi, helenij, zingiberis, cortic. rad. capparum, sem. cymini, orobi an.* ℈ j.

Trita omnia in tenuissimum pulverem, excipiantur Mellis despumati quadruplo, & conficiatur electuarium ex arte; quod, ante usum, per unius mensis spatium fermentari sinatur.

Confectio Archigenis *ex Pharm. Aug.*

♃. *Castorei, piperis longi, nigri, styracis, spicæ, costi, galbani, opij, an.* ℥ ß. *croci* ℥ ij. *cum mellis despumati sufficiente quantitate.* fiat electuarium.

Efficax est ad sputum sanguinis, & tussim diuturnam ex materia correpta saniosa, vel ab ulcere ac phthisi, mundificat enim & abstergit materiam crassam ac putridam; uteri præfocationi, paralysi, vesicæ vitiis, fluxui ventris, febrilibus paroxysmis ac venenis resistit.

Confectio aurea Alexandrina Nicolai.
ex Pharm, August.

♃. *Asari, Carpobalsami an.* ʒ ij ß. *Caryopohyllorum, opij thebaici, myrrhæ, Cyperi rotundi an.* ʒ ij. *sem. hyoscyami albi* ʒ ij ß. *seseleos, sinapis, saxifragiæ, anethi, anisi, Cardamomi minoris, folij, salviæ, opobalsami, Cinnamomi, Cassiæ ligneæ veræ, costi veri, mei, zedoariæ, zingiberis, euphorbij præparati, tragacanthi, thuris masculi, styracis calamitæ, Coralli an.* ℥ j. *aliptæ Moschatæ, rhabarbari, aut rhapontici veri, galangæ, spicæ indicæ, rad. Pæoniæ, eryngij, acori veri, aristolochiæ longæ, gentianæ, phu, Cortic. radic. mandragoræ, sem. ligustici, rutæ, sinoni, seu amomi vulgaris officinarum, Carvi. amomi veri, petroselini macedonici, ammeos, dauci cretici, anacardij præparati, baccarum lauri, piperis longi albi, rosarum rubr. thymi, pulegij, Chamædryos, lign. aloës, xylobalsami, vel sandali Citrini, Castorei, opopanacis, mastiches, sulphuris vivi, margaritarum albarum, blattæ byzantiæ, ossis de corde cerv. an.* ʒ ß. *gr.* III. *folior. auri nu.* XXV. *argenti, num.* XII. *l. maturæ eboris, calami aromatici, pyrethri an. g.* IX. *mellis triplum.*

Compositio hæc ab auro, quod ad ejus constitutionem expetitur, vel potiùs à virium præstantia sic dici creditur, & paulo aliter à Fuchsio, ut & Actuario describitur. Efficax esse perhibetur contra capitis defluxiones à frigore conceptos, cum dolorem confestim mitiget, oculorum lachrymas sistat, dentium dolores sanet, & omnem noxam capitis à frigido & humido non modò epota, sed & imposita, & fronti illita propellat; comitialibus, vertiginosis, paralyticis, apoplecticis utilis, furiosorum incompositos motus compescit

pescit, tabidis, tussiculosis, asthmaticis, sanguinis rejectionibus, cardiacis, ischiadicis, colicis, nephriticis, dysuriæ, stranguriæ, ischuriæ, præsenti est auxilio, calculos renum & vesicæ comminuit, quotidianis ac tertianis febribus circa accessionis initium cum decocto stœchadis eximiè medetur.

Athanasia Magna Nicolai *ex Pharm. Aug.*

℞. Cinnam. Cassiæ lign. an. ℥ iij. gr. VII. croci schœnanthi, styracis calamitæ, opij, phu. betonic. sem hyoscyami, seseleos, apij, dauci, anisi, an. ℥ i ß. gr. 3. spic. Indicæ, symphyti, helenij, acori, asari, mei, cortic. rad. mandragoræ, folij, polij, baccar. lauri, piperis alb. & longi, castorei, myrrhæ, mumiæ, sanguin. dracon. boli armenæ, charab. Corall. rubr. lapid. hæmatit. an. ℥ ß. sem. oxyacanthæ ℥ ij. succi hypocystidis, acaciæ, oxyacanthæ an. ℥ ij. mellis triplum.

Dysenteriâ laborantibus & Cæliacis confert, ac fluxum muliebrem excedentem restringit. Facit ad profluvium sanguinis narium, aliarumque partium; & eos qui cibum in ventriculo non retinent, juvat.

Electuarium Bezoardicum de 7. radicib. & 7. herbis Georgij Morali Medici Veneti è *Theatr. Pharm. Antonij de Sgobbis.*

℞ Rad. angel. odorat. torment. enul camp. imperator. anthoræ, zedoariæ, contraiervæ aa. ℥ j. fol. rutæ, hortens. scord. cond. bened. centaur. min. rorismar. dictamn. Cretici, absinthij an. ℨ v. mellis puri & albi in quo tribus vicibus per totam noctem sint infus. meliss. recent. non conquassatæ, flor. calendul. cuticulæ citr. recent. an. m. j. postea que colati & ad consistentiam, convenientem cocti ℔. ij ß. M. & f. s. a. Electuarium.

Electuarium è Baccis lauri Rhasis *ex Pharm. Aug.*

℞. Foliorum rutæ ℨ x. sem. ammeos, cumini, nigellæ, ligustri, carvi, dauci, calami aromatici, origani, amygdalorum amar. piperis nigri, longi, mentastri, baccarum lauri, castorei an. ℨ ij. sagapeni, ℥ ß. opopanacis ℨ iij. mellis triplum, i. e. ℔ 1. ℨ IV. ℨ VII. Tritis diligenter, quæ terenda sunt, fiat electuarium, additis circa finem lachrymis vino dilutis.

Commendatur ad colicam & iliacam passionem; ac doloribus intestinorum ex causa frigida vel flatuosa opitulatur. Unde adhibetur utiliter enematibus, flatus vel evocantibus, vel discutientibus.

Electuarium Camphoratum *Kegleri.*

℞. Rad. dictamn. alb. tormentill. an. ℨ ij. zinz. alb. ℥ ij. (rectius ℥ ß.) sacchar. cand. ℥ ij. margarit. præparat. ℥ ß. nuc. vomic. os de c. c. an. ℨ ij. camphor. ℥ I. theriac. andr. ℥ IV. sacchari alb. in aq. acetos. solut. q. s. F. Electuarium.

Vires. *Alexipharmacum ac sudoriferum est, maximique usus in morbis malignis. Dosis ℨ j. ad ij. &c. Paulo aliter.*

℞. Rad. dictamn. tormentill. zedoar. an. ℥ ß. zinzib. ℥ ij. herb. card. benedict. ℥ ß. turb. alb. & gumm. nuc. vomic. an. ℥ ß. rhabarb. os. de c. c. oc. Canc. an. ℨ i. Camphor. ℥ I. sacchar. cand. ℥ I. theriac. Androm. ℥ VI. m. f. Electuarium.

Observatio *Hofman. super Electuario Camphorato Kegleri.* Hoc suâ non est defraudandum laude, utpote in morbis malignis sæpè experientiâ probatum. Loco margarit. præparat. & oss. de Corde Cervi, addi, potest, Terra sigillata, Antimonium diaphor. Unicornu verum. Et in altero correcto Purgantia, ut Turbith. alb. & gumm. Rhabar. &c. omitti possunt.

Diacapparis *ex Pharm. Lond.*

℞. Corticum radicum Capparum, ℥ IV. rad. Agrimoniæ sem. nigellæ Romanæ, scillæ, asari, centaurij, pyrethri piperis nigri, apij, thymi, an. ℥ j. Mellis triplum. Fiat electuarium secundùm artem.

Electuarium Cardiacum, *ex Pharm. Le Mort.*

℞. Cinamom acutiss. ℨ ij. cort. pomor. Chinens. ℨ VI. Citrior. ℨ iij. ligni aloës ℥ ß. rad. contrayerv. recentior. ℥ VI maceris. nucis mosch. an. ℨ I ß. Caryophyllor. ℈ ij. Croc. ℨ ß. mosci gr. 2. ambr. gr. 4. sirup. sacch. canti duplum. m. f. s. a. electuarium spissius, cui adde.

Q. E. Meliss, ℨ. ij. lavend. ℈ I. cort. pom Chine. ℨ ß. sp. fragant. rosar. ℈ ij. ol. Cinam. gut. 3. tinct. granor. Chermes q. s. m.

Vires. gratissimum, & fragantissimum existit electuarium, lentiori spirituum motui succurrens, viresque prostratas reficiens &c. dosis a. ℈ j. ad ij. Inde etiam aqua vitæ aromatica & cardiaca solâ infusione in sp. vini parari poterit.

Diacastorium Nicolai *ex Weckero.*

℞. Castorei, myrobalanorum citrinorum an. ℨ. iij. aloës ℨ I ß folij, pyrethri, glycyrrhizæ, calami aromatici, nitri, galbani, spicæ indicæ, schœnanthi, opopanacis, cassiæ ligneæ, leucopiperis, macropiperis, melanopiperis, xylobalsami, carpobalsami, colocynthidis, sagapeni, rheupontici, styracis calamitæ, zingiberis, Cinnamomi an. ℨ I. gr. 2. asæ fœtidæ, myrrhæ, euphorbij an. ℨ j. gr. 17. staphisagriæ, dauci, phæniculi, petroselini, apij, sileris, montani, baccarum lauri, petrolei sem. sinonis styracis calamitæ rubeæ, sanguinis draconis, cardamomi, thuris, agarici, masticis, salis ammoniaci, zedoariæ, anisi, an. ℈ gr. 2. thymbræ, hyssopi, pulegij, chamædryos, origani, balsamitæ, ocymi, rad. branchæ ursinæ, dictamni cretensis. sem. rutæ, aristolochiæ longæ rotundæ, mabathematicon, azari, salviæ, minor. Rosar. bdellij, an. gr. 17. epithymi. polypodij quercini, opobalsami (loco ejus oleum caryophyllorum) an. gr. 14. alpiados, rad. capparorum an. gr. II. peucedani absinthij an. gr. 7. anacardij, sabinæ, gentianæ, cort. mandragoræ an. gr. II. ireos gr. 37. mellis despumati triplum.

Fiat electuarium in vase vitrato servandum. Detur in modum avellanæ in passionibus capitis. Confert cephalalgicis, epilepticis, vertiginosis, hemicranicis, paralysi omnium membrorum, & omnibus frigidis ægritudinibus, tempore frigido nocentibus confert. *Nicolaus.*

Electuarium Chalybeatum, *ex Pharm. Aug.*

℞. Limaturæ Chalybis prep ℥ VII. Cinnamomi acuti, nucis moschatæ an. ℥ VI. rhabarbari electi ℥ VI. specierum aromat. rosati ℨ VI. mellis optimi despumati sacchari albissimi an. ℥ XIII. misce ad lentum ignem, & fiat electuarium.

Hujus electuarij inventor exstitit Fabricius Barzonius Professor Bononiensis, fuitque ejus usus in jecoris diuturna obstructione, & albo virginum ictero. Erat id quondam familiarissimum Clarissimis Viris D. D. Cratoni, Philippo Menzelio, ac Thomæ Meermanno, quo muliebrem præsertim cachexiam pellebant.

Electuarium Chalybeatum Horatij Augenij. *ex Schrodero.*

℞. Piper. zinzib. an. ℥ ß. Cardamom. Caryophyllor. doronic. aut Angelic. Croci an. ℨ ij. tamarisci ℥ ß. sem. basilic. anis. an. ℥ ß. limatur. chalyb. ℔ ß. mellis despumat. ℔ iij. F. Electuarium.

Vires. *Confert in temperie frigida mulierum.*

Observ. *Hofman. super electuario chalybeato Horat. Augen.* In hoc pro limaturâ chalybis præparat. substituendum est Vitriolum Martis,

Aliud Elect. Chalybis Arcularij. *ex Eodem.*

℞. Scob. Chalyb. ℥ iij. succ. recent. pomorum borsdorff. putrific. ℥ VI. macera 24. hor. effunde per inclinationem Succus novus affundatur, tribus vicibus id repetatur. Succi tandem inspissentur ad formam Electuarij. Dosis à ℨ ij. ad ℥ ß.

Observ. *Hofman. super Elect. Chalybis Arcularij.* Hoc laudem meretur. Et ex hoc essentia Martis cum succo pomorum Borsdorff. *D. D. Johan. Michaelis* præparari potest, si extrahatur cum Spiritu vini Malvatici.

Electua-

Electuarium de cineribus. *ex Pharm. August.*

℞. Cinerum vitri, ſcorpionum, rad. braſſicæ, leporis, putaminum ovorum (è quibus pullus exemptus ſit) lapidis ſpongiæ, ſanguinis hirci præparati, lapidis judaici, gummi juglandis, acori ana drachm. I. *petroſelini, dauci, pulegij, gummi arabic. ſem. Althææ, piperis nigri ana drachm.* I ß. *mellis quantum ſufficit.* fiat Electuarium, Avicennæ.

Diacinnamomum. *ex Pharm. Londini.*

℞. Cinnamomi electi, drachm. XV. *caſſiæ ligneæ, rad. helenij, ana unc. ſem. galangæ drachm.* VII. *caryophyllorum, piperis longi, cardamomi utriuſque, zingiberis, macis, nucis moſchatæ, xyloaloës, ana drachm. iij. croci drachm. j. ſacchari cryſtallini albiſſimi* ℥ V. *moſchi* ℈ *ij. ex præſcripto Medici addendo, excepta mellis deſpumati* ℔ *ij.* ℥ VIII. *coque; & fiat electuarium ſecundum artem.*

Electuarium de Citro ſtomachicum Meſuæ è *Pharm. Univerſ. D. Lemeri.*

℞. Corticis citri recens ſiccati ℥ *iijß. caryophyllor. ligni aloës, cinnamomi, macis, galangæ an.* ʒ *ij. cardamomi, zingiberis, an.* ʒ *j. moſchi* ʒ ß. *mellis deſpumati* ℥ XV. *F. Electuarium ſ. a.*

Moſchus cum ſaccharo cantho, in pulverem redactus cum alijs pulveribus ſimul contritis, commiſcebitur, illaque omnia melli deſpumato, & ad majorem conſiſtentiam cocto incorporabuntur.

Stomachum corroborat, digeſtioni confert, appetentiam excitat, fœtorem oris corrigit, ſemenque provocat. Doſ. à ʒ ſs. ad ʒ j.

Electuarium corroborans ſpecificum ſ. Medicamentum ſpecificum omnium ſeptem membrorum principalium, *Crollij.*

℞. Olei ſuccini ter vel quater (per Aquam Majoranæ vel ſimil.) rectificati drachm. ij. Spirit. Vitrioli veri. Salis cranij human, (vel magiſterij) ana unc. ſem. Tincturæ croc. or. Granor. alkerm. ana dragm. ij. Sal. margarit. Corallor. ana unc. j. Ol. Cinamom. Macer. ana drachm. ſs. Lact. Sulphuris, unc. j. Extr. Spodij unc. j ſs. Antimon. diaphoret. unc. ſem. Magiſt. Tart. unc. j. id eſt, Tartari Vitriolati. Tinctur. croc. Mart. Extr. chelidon. Rhabarb. ana unc. ſem. Liquor. cryſtall. Calcul. microcoſmic. ana unc. j.

Cum extracta & inſpiſſata Theriacæ eſſentia, melle juniperino, conſerva roſarum, addendo pro libitu ſaccharum roſac. fiat Electuarium, addita Moſchi & ambræ, ana ʒ *j.*

N. Propter ventriculi ſympathiam cum reliquis membris addantur Spirit. Vitrioli veneris drachm. ij. atque ol. nuciſt. ſtillat. drachm. ſem. Doſis à gran. V. VI. VII. uſque ad XX. &c.

Diacorallion. *ex Pharm. Londin.*

℞. Corallij albi, rubri, boli armenæ veræ, ſanguinis draconis, ana drachm. j. Margaritarum drachm. ſem. xyloaloës, roſar. rubr. gummi tragacanthæ, cinnamomi, ana ſcrup. ij. ſantali albi, rubri, ana ſcrup. j. ſacchari in aqua Cinnamomi tenuiori ſoluti quadruplum, miſce, & fiat electuarium ſecundum artem.

Confectio cordialis Regia. *ex Pharm. Reg. Zwelferi.*

℞. Cort. citri recent. & extimorum, radula comminut. unc. VIII. *arant. recent. & ext. radulâ etiam comminut. unc.* IV. *nuc. indic. Moſchi condit. unc.* VI. *florum arant. recent. unc. j. ſem. ſeu quod melius, fructuum Arant. immaturorum & minutiſſimorum, adhuc viridium, ſummâ fragrantiâ & virtute eminentium unc. ij. nuc. moſchat. unc.* I. *eſſentiæ citri ſaccharinæ n. ſupra edoctæ, ſacchari roſati n. ſupra edoctæ ana unc.* IV. *contundantur ſimul juncta debitè ac diù in mortario lapideo, ad pultis ſubtiliſſimam formam, ut per ſetaceum tranſmitti poſſint: adde poſt pulv. Croci Auſtriaci ſubtiliſſ. triti unc. ſem. ligni aloes gum. unc. j. ſem. ambræ griſeæ drachm. iij. prius cum ſem. Citri excort. drachm. ij. probè ſubactæ, moſchi orientalis drachm. ij ſoluti in ſ. q. aqua flor. Arant. ad pulticulam. Magiſt. n. ſolub. Corallior. rub. perlar. oriental. ana unc. j. gr. Chermes, humidi adhuc, paulò ſupra edocti, unc. iij. ol. ſtill. cinnamomi drachm. ij. caryophyllorum drachm.* I. *roſarum veri drachm. ſemis, priùs cum ſacchari n. roſati, ſuperiùs edocti, unc.* V. *in elæoſacc. converſis, ſyr. de corticibus citri, ſuperiùs, in claſſe primâ, deſcripti, q. ſ. Electuarij juſtam conſiſtentiam,*

Miſceantur omnia exactè in vaſe terreo, vel mortario lapideo, & ſerventur in vitro benè clauſo, tanquam Regia confectio; quæ ſanè longiſſimè confectionem Alkermes antevertit, ſuis proindè digna encomiis in epilepſiâ, apoplexiâ, lipothimiâ, ſyncope, ſenio atterente, peſte, & quidquid è malignis pullulat: ſpirituoſo generi amica, ad quos reſtaurante & conſervante actione influit, multum expetibilis. Doſis ʒ ß. vel, ad lubitum, quantum mucrone cultri apprehenderis; ſæpè aſſumendo.

Diacrocumà. *ex Pharm. Londin.*

℞. Croci rad. aſari, ſem. petroſelini, Dauci, aniſi, apij, ana unc. ſem. rhabarbari, radicis Mei Athamantici, ſpicæ indicæ, ana drach. VI. *caſiæ lignea veræ, coſti, myrrhæ, ſchœnantos, cubebarum, rad. rubiæ, ſucci Abſinthij, & agerati inſpiſſatorum, opobalſami, ſeu olei nucis moſch. ana. drachm. ij. Cinnamomi, Calami aromatici, ana drachm. j. ſem. ſcordij, ceterach, ſucci Glycyrrhizæ, ana drach. ſem. tragacanthæ, drach. j. cum octuplo ſacchari albi, in aq. endiviæ ſoluti & clarificati,* fiat Electuarium ſ. a.

Electuarium diaphoreticum Plateri. *ex Schrod.*

℞. Syrup. de papav. alb ʒ VI, *rob. ſambuc. ebul. ana* ʒ *j. ſpir. juniper.* ʒ VI. M. F. Electuarium.

Vires. Somnum conciliat, dolores ſopit, atque ſudorem ciet, adeoque convenit hydrope.

Contra dyſenteriam D. D. Philippi Hœchſtetteri *ex Pharm. Aug.*

℞. Conſervæ roſarum rubr. antiquæ vitriolatæ ℥ *iij ß. pimpinellæ ſanguiſorbæ* ʒ X. *theriacæ andromach. recent.* ℥ ß. *trochiſcorum de ſpodio cum ſemine acetoſæ* ʒ *ij. radic.*

radic. consolidæ majoris ʒvj. crassulæ, seu telephii tragi ℥ß. pulveris nucis mosch. ℈iv. specierum Diarrhodon Abbatis ℈ij. croci Martis ℥iß. Rob. prunorum sylvestrium ℥iij. syrupi ex rosis siccis, Myrtillorum ana ℥j.

Misce, fiat Electuarium cum trochisci Ramich & de terra sigillata, quondam huic compositioni destinati, ampliùs in usu nobis haud sint, eorumque vices trochisci de spodio facilè supplere valeant, horum dosin, omissis prioribus illis, auctiorem ponere placuit.

Electuarium contra Dysenteriam, *ex Pharmacop. Reg. Zwelfer.*

♃. *Rad. scorzoneræ, torment. ana ℥jß. bistortæ ℥j. herb. equiseti, scordii nostr. millefolii ana ℥j. flor. rosf. rub. ℥ß. papaver. errat. tunicæ, ana sicc. ℥j. balaust. ℥ß.*

Incisa & conquassata coquantur in s. q. aquæ simpl. frequentiùs recentem affundendo, & decoctiones exprimendo, quousque tota vis sit extracta: decoctiones expressæ & colatæ, conjunctim cum alb. ovorum optimè clarificentur, & additis.

Sacchari Canar. albiss. ℔ij. redigantur, coquendo, ad consistentiam syrupi, *consuetâ paulò spissiorem; cui sequentia lege artis immitte: videlicet*

Pulv. ex typhis cervi ritè parati ℥iß. terræ sigillatæ silesicæ ℥ij. flor. ferri præp. ocul. cancror. præpar. corall. rub. præp. ana ℥iß. nuc. Mosch. ℥ß. vel ij. pulv. Rosar. rub. ℥j. balaustiorum ℥ß. olibani in granis ʒvj. sem. 4. frigid. mai. excort. ana ʒj. papav. albi ℥ß. citri excort. ʒij. amygd. dulc. decort. ℥ij. quæ semina & amygdalæ cum s. q. superioris ad id asservandi, decocti ad pulpæ contundendo redigantur, & per cribrum setaceum angustum transmittantur.

Opii præpar. seu correcti & extracti, ʒ ij.

Fiat, lege artis, Electuarium præstans in Dysenteriâ, diarrhæâ, lienteriâ, fluxu hepatico, & hæmorrhagiâ uteri. Dosis ʒij. ad ℥ß.

Electuarium Antepidemicum *Goddardi.*

♃. *Rad. contrayerv. ℥ ij. Valerian. Imperator. Zedoar. ana ℥iß. sem. angel. excort. dictamn. cret. myrrh. ana ℥j. rad. serpentar. virg. ℥ß. croc. ʒiij. opii ʒij. (vel ut ℥j. contineat gr. ij. opii) pulp. bacc. junip. vino Hispan. extract. ℥xvj. vin. Hispan. q. s. ad solvend. myrrh. & opium syr. antepidemic. q. s. f. electuarium.*

Electuarium Antifebrile, *ex Pharmac. Domini le Mort.*

♃. *Lign. colubrin. tenuissime rasi ʒij. rad. gentian. Imperator. ana ʒj. cortic. peruv. ʒiij. extract. card. bened. cort fraxin. ana ℈j. lign. sassaf. ʒß. camphor. gr. 15. sal. amon. ℈iij. ol. cort. Aurant. genuin. ℈j. caryoph. gutt. 12. Mellis duplum.* M. f. s. a. Electuarium.

Vires. Omnibus febribus conducit, & morbis per sudorem curabilibus, ventriculum roborat, vermes necat. Dosis à ʒj. ad ij. in vehiculo convenienti, vel sub forma boli.

Conserva hederæ terrestris composita, *ex Pharm. August.*

♃. *Folior. hederæ terrestris, rutæ ana ℥iß. raphani ℥j. rad. angelicæ, levistici ana ʒvj. sacchari albi ℔j. ℥ivß.*

Ex incisis & contusis fiat conserva, quæ si aridior evaserit, succo citri aut limonum adjecto q. s. redigatur ad debitam consistentiam.

Ejus in peste usus est, ad eliciendum sudorem, quâ olim felicissimo successu clarissimus D. D. Leonardus Rauwolffius, reipub. quondam nostræ Medicus eximius, infectionis tempore utebatur.

Electuarium seu confectio de Hyacintho, *vid.* sub titulo Pulvis; scilicet,

Species pro confectione de Hyacintho.
Excipitur autem pulvis syrupô de succo citri pro confectione.

Electuarium seu Confectio de Hyacinthô correcta *Domini Lemery.*

♃. *Lapidum hyacinthor. præparat. ℥iß. corall. rubr. præpar. terræ sigill. sant. citr. ãã ℥j. rasuræ C. C. ʒvj. ossis è corde cervi, rad. tormentill. & dictamni, fol. dictamni Cretici, croci, myrrh, rosar, rubr. sem. acetos. citri & portulacæ ãã ʒiij. ocul. cancr. præparat. cortic. exter. citri & arantior. amarorum siccatorum ãã ℈iv. mosch. oriental. & ambræ griseæ ãã gran. x. syrupi Kermesini ℥j. syr. flor. tunicæ ℔iij. F. Confectio s. a.*

Electuarium diahyssopum *Nicolai ex Weckero.*

♃. *Hyssopi, Ireos, Thymi, melanopiperis ãã ʒxxx. pulegii, thymbræ (ejus loco sume Satureiam) rutæ, cumini ãã ʒxx. carnium dactylorum tragacanthæ, glycyrrhizæ, caricarum pinguium, passularum enucleatarum, fœniculi ãã ʒx. zingiberis, sem. anisi, carvi, sem. ligustici ana ʒijß. mellis vel sacchari q. s.*

Fiat electuarium, in vase fictili vitrato conservandum. Hoc accommodatum est ad capitis querelam ex frigido: uvam exciccat, arterias purgat, tussim compescit, omnes frigiditates pectoris & stomachi emendat, digestionem procurat, pleuriticis & empyicis mirabiliter opitulatur.

Electuarium hystericum seu laudanum facile, *ex Schrodero.*

♃. *Fragment. lapid. pretiosorum. Saphyr. Hyacinth. Topas. Smaragd. ãã ʒj. Corall. alb. & rubr. Margar. præp. ãã ℈iv. Rad. Galang. rhabarb. ãã ʒiij. Gumm. arab. Opopan. galban. Thur. F. Laudanum s. a. instar. Opiatæ. Mastich. ana ℥ij. bdell. sarcocoll. ana ℈ij. euphorb. ℥ß. camphor. ℥iß. Sem. coriandr. fœnic. cardamom. salis communis. Opii Thebaic. ana ℥ß. Cinam. ℥ij. Spiritus thereb. ℥j. Mell. despumat. ℔ß. Spiritus Vini & aq. Imperial. ana q. s.*

Dosis iv. gran. superbibendo parum vini, & os frequenter Oxycr. colluendo ad præcavendum faucium & gutturis ardorem propter euphorb.

Suffocatis ab utero, hemicranicis, convulsis à causâ frigidâ magno solatio est.

Observatio Hoffman. super Electuario hysterico seu Laudano facilè. Miror *Dominum Nostrum Autorem* hoc & similis farinæ alia ausum fuisse huic capiti inserere, cùm tam ineptis, noxiis, frustraneis & sibi invicem adversantibus etiam constent ingredientibus, quem in finem tanta lapidum pretiosorum congeries hûc transfertur? cur in tantâ copiâ resinosa hûc afferuntur gummata? quid sibi vult euphorbium? Dignum hoc est, ut planè excludatur, cùm meliora hoc eundem effectum præstantia prostent remedia.

Electuarium magnanimitatis. *ex Pharm. Aug.*

♃. *Electuar. diasatyrii ℥iß. diacori Mesuæ ʒiij. nucis indicæ conditæ, radicis satyrii conditæ, specier. diatrion piperum, confectionis anacardinæ ana ʒij. pistaciorum mundatorum, pinearum mundatarum*

ana ℥ß. sem. erucæ, urticæ, pastinacæ ana ʒß. priapi tauri, cervi, testiculor. equi ana ʒiß. carnis scincorum ʒij. cardamomi minoris, boracis veneti ana ʒß. cantharidum ablatis alis & capitibus num. 12. moschi gr. v. ambræ gr. 3. cum brodio nucis Moschatæ Indicæ. fiat Electuarium.

Electuarium Micleta Nicolai Myrepsi. *ex Pharmac. August.*

℞. *Quinque generum myrobalanorum parum tostarum ana ʒijß. sem. nasturtii, cumini, anisi, fœniculi, ammeos, carvi ana ʒiß. omnia cruda terantur, & macerentur in modico aceto vini, horis 24. exsiccentur subinde adsperso aceto, ac torrefiant leniter super prunas, deinde addantur sequentia.*

Spodii de ebore, balaustiorum, pulpæ rhois, i. e. sumach, mastiches, gummi arabici ana ℨj. gr. xv. omnia cum oleo rosaceo fricentur & commisceantur cum syrupi Myrtini triplo, i. e. ℥x. ʒiij ℨ$\frac{1}{4}$.

Utilis est dysenteriæ, intestinorum lævitate laborantibus, inflationibus intestinorum: ad omnes insuper cœliacos affectus atque hæmorrhoides fluentes efficax. Cæterùm qui hac uti velit, pro lubitu eam ipse emendet, cùm emendationem non uno modo admittat.

Mithridatium Damocratis *ex Pharm. Aug.*

℞. *Myrrhæ troglodyticæ, croci agarici, zingiberis, cinnamomi, spicæ nardi, thuris, thlaspios ana ʒx. seseleos, opobalsami, vel olei nucis moschatæ, schœnanthi, stœchadis, costi veri aromatici, aut zedoariæ, galbani, terebinthinæ, piperis longi, Castorei, succi hypocistidis, styracis rubri, opopanacis, folia ana ℨj. cassiæ ligneæ, polii, piperis albi, scordii, sem. Dauci cretici, Carpobalsami, trochiscorum cypheos, bdellii ana ʒvij. nardi celticæ, sem. petroselini, gummi arabici, opii, cardamomi, sem. fœniculi, gentianæ, flor. rof. rub. dictamni cretici ana ʒv. anisi, aristolochiæ rotundæ, calami aromatici, Phu, sagapeni ana ʒiij. mei athamantici, succi acaciæ, carnis scinci veri, summitatum hyperici ana ʒijß. vini quantum satis est, mellis despumati triplum, i. e. ℔xi. ℥viij. ʒij.*

Modus confectionis hic esse solet, ut ingredientia ad compositionem hujus tam famosi medicaminis in sex classes divisa, in tenuem pulverem redigantur, classium porrò series hæc est.

1. Classis.

℞. *Sem. anisi ʒiij. zingiberis ʒx. macis, caryophyllorum ana ℥ß. gentianæ ʒv.*

Pendit hæc classis in universum ℥iij. ʒij.

2. Classis.

℞. *Scordii cretici ʒvij. nardi celticæ, sem. petroselini macedonici ana ʒv. piperis longi ℨj.*

Pendit hæc classis in universum ℥iij. ℨj.

3. Classis.

℞. *Polii montani ʒvij. sem. fœniculi ʒv. phu pontici ʒiij.*

Pendit hæc classis in universum ℥j. ʒvij.

4. Classis.

℞. *Cinnamomi ʒvij. Zedoariæ, seseleos ana ℨj. rof. ʒv.*

Pendit hæc classis universum ℥iij. ʒv.

5. Classis.

℞. *Dictamni cretici ʒv. cassiæ ligneæ, cubebarum, piperis albi ana ʒvij. sem. thlaspios ʒx.*

Pendit hæc classis in universum ℥ivß.

6. Classis.

℞. *Sem. dauci ʒvij. cardamomi ʒv. Calami aromatici, aristolochiæ rotundæ ana ʒiij. angelicæ, hyperici ana ʒijß.*

Pendit hæc classis in universum ℥ij. ʒvij.

Sequentia porrò per se terantur, nempè *myrrhæ, thuris, agarici, croci, ana ʒx. Castorei ℨj. bdellii ʒvij. Carnis scinci marini, in minutissimas partes incisæ ʒijß.* Insuper: *spicæ indicæ, schœnanthi ana ʒx. Stœchadis ℨj.* minutim incisa, mucilagine tragacanthi imbuta, & denuo exsiccata, in pulverem redigantur.

Trochiscorum cypheos, utpote cæteroquin apud nos minus jam usualium, ingredientia, itidem in pulverem contusa, sufficientem eorum recipiendo dosin, insuper addantur, pulpa verò ex uvis passis educta, & vino cretico diluta in ipsa Mithridatii missione infundatur.

Hoc peracto, gummia & succi vino cretico solvantur, ac eo planè modo, qui in Theriaca præscriptus est, cùm terebinthina, melle & pulveribus 6. classium uniantur, adjiciendo sub finem crocum vino cretico dilutum, itemque styracem oleo nucis moschatæ & eodem vino liquatum, atque sic sedulâ strenuâque agitatione compositio hæc suam perfectionem acquirat, quæ identidem in vase mundo & satis amplo, ut fermentare queat, reponenda atque ut theriaca sæpius commovenda, donec in annum adoleverit.

Mithridatica antidotus celebertima ad lethales & venenosos morsus à Mithridate, Ponti, & Bithyniæ Rege famam & nomen accepit. Valet ad capitis, aurium, oculorum, dentium, pulmonum, ventriculi & intestinorum affectus frigidos seu pituitosos & melancholicos, ad stuporem, paralysin, apoplexiam, epilepsiam, spasmum, tetanum, cephalæam, hemicraniam, maniam, melancholiam, gravem auditum, oculos lachrymantes, odontalgiam, cynanchen, asthma, sputum sanguinis, peripneumoniam, ventris inflationem, cœliacam, lienteriam, dysenteriam, sive sumatur, sive admoveatur. Præterea ad frangendos calculos, difficultatem urinæ emendandam, menses ciendos, fœtum mortuum ejiciendum, omnia uteri vitia, scirrhos, podagras, morsus & ictus venenatos, morsum canis rabidi, febres quotidianas & quartanas initio accessionum, coctâ jam materiâ, avellanæ quantitate cum vino vel aqua, cui salvia, vel mentha fit incocta, in aliis autem vesperè sumta vel admota efficax existit, bonum corporis colorem conciliat, ex morbo languidos reficit, præsumta non permittit lædi à lethalibus pharmacis, omnibus tandem in profundo corporis factis exulcerationibus & abscessibus medetur.

Mithridatium Damocratis resolutum, *ex Pharmac. August.*

℞. *Castorei electi ℨj. ventris scinci veri ʒijß. radic. zingiberis albi ʒx. gentianæ ʒv. acori, asari, phu pontici ana ʒiij. mei athamant. ʒijß. calami aromatici gr. xxxv. cyperi purg. gr. xij. fol. schœnanthi ℨj. gr. xxxxvj. malabathri ℨj. polii ʒvij. scordii, dictamni cretici, nardi celticæ ana ʒv. flor. spicæ nardi ʒx. gr. xij. stœchadis arabic. ℨj. rof. rubr. finiss. ʒv hyperici ʒijß. sem. thlaspi ʒx. seseli ℨj. dauci cretici ʒvij. fœnili, petroselini ana ʒv. anisi ʒiij. carpobalsami ʒv j. pulpæ cibebarum ʒiß. bacci juniperi gr. xij.* cina-

cinamomi acuti ℨx. *gr. xvi. croci orientalis* ℨx. *gr. iv. costi aromatici, piperis longi* ãã ℥j. *cassiæ ligneæ* ℨvij. *gr. xij. piperis albi* ℨvij. *cardamomi minoris* ℨv. *succi hypocistidis, opobalsami* ãã ℥j. *opii thebaici* ℨv. *Acaciæ* ℨijß. *myrrhæ electæ* ℨx. *gr. xxxxvj. thuris electi* ℨx. *galbani, opoponacis, styracis calamitæ* ãã ℥j. *terebinthinæ Cypriæ coctæ* ℨix. ß. *bdellii* ℨvij. *gr. xij. gummi arabici* ℨv. *sagapeni* ℨij. *aspalathi gr. x. agarici albissimi* ℨx. *vini quantum sufficit, Mellis triplum.*

Musa ænea sive Zazenea, seu Egetea, *ex Pharm. Bauderoni.*

℞. *Castorei, myrrhæ, opii, piperis longi, & nigri, galbani, costi, cinnamomi, radicum phu, i. e. valerianæ majoris, meu vel succedanei ejus seminis siseleos, dauci Cretici, asari, & croci, sing.* ℨß. *fiat pulvis Melle despumato, vel sapa excipiendus in opiatam.*

Intemperiem ventriculi frigidam corrigit, flatus discutit, ac dolores mitigat, urinæ difficultati medetur, fœcunditati fœminarum confert, tum extus, tum intus adhibit.

Pro dosi videndum quid opii contineat scrupulus, aut alia electuarii quantitas, ut Medicus videat quomodo eô uti debeat.

Electuar. Nucum. *ex Schrod.*

℞. *Nuc. Jugland. num. xx. ficuum ping. num. xv. Rut.* ℥j. *Sal. commun.* ℈ß. *Mellis,* ℥ij. *M. F. Electuarium.*

Vires. Alexipharmacum est.

Opiata Salomonis D. Juberti. *ex Pharm. Renod.*

℞. *Cortic. citri conditi* ℔ß. *conservæ rosar. veteris, acetosæ* ãã ℥iß. *helenii, buglos. mitridatii* ãã ℨvj. *conservæ anthos* ℥ß. *sem. contra vermes, sem. citri mund.* ãã ℨiij. *cinnamomi* ℨij. *caryophyllorum* ℨj. *radic. dictamni albi, cardui benedicti, cortic. citri sicc.* ãã ℨj. *& gr. xv. ligni aloes optimi* ℨj. *cardamomi, macis* ãã ℈ij. *& gr. xv. radic. gentianæ* ℨß. *ossa è corde cervorum num. iv. grana juniperi in aceto scillitico per noctem infusa numer. xxv. sacchari solidi* ℔ß. *Syrupi acetositatis citri quantum est satis*, fiat opiata.

Illius Opiatæ incertus est Author, parandi modus facilis est. Xyloaloes penuriâ santalum citrinum sumi poterit, & pro radicibus cardui & dictamni, hujus folia & illius semina, reliqua, nec rara, nec inventu difficilia.

Vires. Morbis medetur pestilentibus & contagiosis, partes, quæ principatum tenent, roborat, putredinem arcet, vermes enecat, vomiturientibus confert, & quavis ex causa languidis & imbecillis auxiliatur.

Electuarium Orvietanum. *ex Schrod.*

℞. *Rad. carlin. seu chamæleont. alb. tormentill. pistoloch. aristol. rot. scorzon. Hisp. calam. arom. Angelic. Mell. Hispan. cocti pondus triplum F. Electuar. Imperator. anthor. Sem. Santon. & Fol. ejusdem. Dictamn. alb. bol. arm. Terr. sigillat.* ãã ℥j. *theriac. veter.* ℥iij.

Vires & dosis eædem quæ Theriacæ Androm.

Observ. Hofman. super Electuario Orvietano. An hæc descriptio genuina sit valde dubitatur. Sequentem ab amico quodam natione Italo pro verâ ac genuina communicatam accepi, hæc utrum talis sit, an secus non disputabo; interim tamen nec exiguæ virtutis eam tùm in febribus malignis, tùm in sumptis venenis in convulsiones usque ferocientibus compescendis expertus fui:

℞. *Radic. Vincetoxic. zedoar. carlin. angelic. petasit. valerian. dictamn. alb. enul. campan. chelidon.* ãã ℥ij. *fol. Dictamn. Cr. Scordu. Rutæ* ãã *M. iij Myrrhæ el.* ℥j. *Galbani* ℥iß. *Croci Or.* ℥j. ℨvj. *Cinamom. caryophyll.* ãã ℥ß. *Opii correct.* ℨj. *O.. d succini. citri* ãã ℨiß. *Sulphur. elect. terræ sigillat.* ãã ℥j. *Salis viperarum volatil.* ℨvj. *Pulv. viperarum* ℥ij. *Mellis juniperi q. s. M. pone ad fermentationem vase clauso per aliquot menses.*

Orvietanum *ex Pharm. Bateana.*

℞. *Rad. fraxinel. bistort. tormentil. imperator. gentian. carlinæ, aristoloch. utriusque, pentaphyl. zedoar. valerian. major. contrayerv. angelic. Enulæ, serpentar. virgin. fol. cardui bened. succis. ulmar. rutæ, sabin. puleg. scord. hyperic. cort. citri, aurant. cinnam. bacc. lauri, junip. carnis bufonum, à* ℥ij *carn. viperar.* ℥vj. *croc. opt.* ℥ß. *f. omnium* ☿. *cui adde extract. bacc. junip. vini alba facti, ad mellaginem evaporati, q. s. ut f confectio. huic adde eleo sacchararum rutæ, succini caryoph. junip. à* ℈ij. *m. f. a. dein adde unicuique* ℔. *hujus confectionis Theriac. Androm. & Mithridat. à* ℥j. *m. hoc mihi communicavit Rob. talbor, eq. aurat.* In peste & omnibus febribus malignis præstantissimum remedium. Dos. ℨß. ad ℨij.

Electuarium Orvietanum verum *ex Anton. de Sgobbis Theatr. Pharm.*

℞. *Rad. anthor. scorsoner. rhapontic. carlin. gentian. dictamn. aristoloch. rotund. & long. eupator. tormentill.* ãã ℥vj. *vincetoxici, valerianæ, caryophyllat. meu, angelic. calam. aromat.* ãã ℥iij. *imperator. contrahyerv. ana* ℥iß. *fol. chamædryos, scordii, hyssopi, rutæ, cardui bened. ana* ℥j. ℥j *sem. citri, echii, baccar. lauri, juniperi, sem. brassicæ nigr. acetos. fraxini, hyperic. ana* ℥vj. *Mellis despumati q. s. ut f. Electuarium cujus cuique libræ adde Theriacæ Andromachi, vel Mithridatii Damocratis* ℥j.

Dominus *Charraz* & Dominus *Lemery* & alii in suis Pharmacopæis alias rursus habent descriptiones, quæ parum tamen à mox allatâ distant; scilicet Dominus Charras in eô tantùm propè differt quòd viperarum pulverem addat; Dominus verò Lemery quòd cinnamonum, caryophyllos, & macerem aliis ingredientibus subjungat, alii in minimis disconveniunt. Nos itaque hic subsistimus.

Electuarium de ovo Maxim. Imperat. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Ovum gallinæ recens, & educto per apicem albumine, id quod vacuum est, croco orientali non pulverisato imple, vitellum non auferendo: postea cum alio putamine iterum occlude, ne quid transpiret, & lento igne, tamdiu assa in ollula, donec tota ovi testa nigrescere incipiat, diligenter cavendo, ne crocus comburatur. Exemta è testa materia exsiccetur, ut in mortario exquisitissimè contundi, & in pulverem redigi queat, addendo pulveris sinapis albi quantum prædicta omnia ponderant, postea,*

℞. *Pulv. dictamni albi, tormentillæ ana* ℨij. *myrrhæ, cornu cervi, angelicæ, pimpinellæ, granorum juniperi, zedoariæ, camphoræ ana* ℥ß.

Misce omnia simul in mortario, & tandem adjice theriacæ optimæ ad pondus omnium, ac iterum pistillo fortiter contunde & commisce, per 3. horas agitando, fiat electuarium ut est artis.

Præcipuus ejus usus est in peste & præservatione à venenis deleteriis: sudores potenter movet, & venenatos ichores à centro ad circumferentiam eximie propellit, cor à tetris fuliginibus tuetur, ac pestilentis luis noxas disjicit.

Electuarium Pectorale, *ex Pharm. Cond.*

℞. *Succi Glycyrrhizæ, amygdalarum dulcium, ana ℥ß. pinearum, ℥j. hyssopi, capillorum veneris, Ireos, sem. urticæ, aristolochiæ rotundæ, ana ʒ℥. piperis nigri, sem. nasturtij, radicum enulæ, ana ʒß. mellis, ℥xiv.*

Fiat Electuarium secundum artem.

Confectio, seu Conditum pectorale.

Antiphthisicum, *ex Pharm. Regia Zuvelferi.*

℞. *Rad. recent. enulæ camp. cichorii sylv. ana ℥v. pimpinellæ ℥iij. rad. omnes mundatæ, & cichorij, & pimpinellæ, à callosa & dura interna parte separatæ, coquantur in succi hederæ terrestris, millefolij, plantag. min. veronicæ, infusionis fortis flor. papav. errat. ana opt. depurat. ℔j. donec emollescant, ac si condiri deberent, quibus sufficienter coctis, & à succis residuis separatis, addantur rad. symphyti majoris recent. separatim ad mollitiem in aqua simplici coctarum, ℥v.*

Incidantur & contundantur in mortario lapideo, ad formam pultis, qua interim asservata pulpa, accipito succos à coctione radicum residuos &, addità.

Sacchari Canar. albi ℔j. coquantur ad consistentiam satis crassam, immittendo ultimò superiores coctas & incisas radices; ac denuò adhuc parum ebulliant ad syrupi consistentiam; quibus porrò adde.

Mellis purissimi virginei, nunquam cocti, sed legitimè n. m. extracti ℔j. conf. rosar. rub. pallid. ana n. m. cum aqua port. sacch. & flor. parat. ℥vj. viol. Mart. hederæ terrestr. veronicæ, papav. rhaad. ana n. m. uti supra, parat. ℥iv. pulv. croci optimi unc. ß. olibani unc. j. nuc. moschat. flor. sulph. ana ℥iß. sacch. saturni resolubilis, ex Minio, vel ipso plumbo, facti ʒiij. spiritus sulphuris, per camp. stillati, ℈j. vel ʒß.

Misceantur debitè in conditum: quod internis exulcerationibus, maximè pulmonum, apprimè medetur, iteratò exhibitum. Dosis sit ℥ß. plus minus, quoties libuerit.

Electuarium Guidonis contra pestem, quod alij Electuarium Papæ vocant, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Granorum juniperi ʒijß. caryophyllorum, macis, nucis mosch. Zingiberis albi, Zedoariæ ana ʒij. radic. gentianæ, tormentillæ, dictamni albi, aristolochiæ rotundæ, longæ, ana ℥ijß. doronici ʒß. herbæ tunicæ, vel cardui benedicti ʒij. salviæ, rutæ, balsamitæ, menthæ crispæ ana ʒj. baccarum lauri, croci Orientalis, sem. acetosæ, citri, ocimi, ligni aloës, sandali citrini, rubei, albi, mastiches, thuris, boli armenæ, terræ lemniæ, spodii præparati, ossis de corde cervi, rasuræ eboris, marg. prap. Corall. rub. fragmentor. Sapphiri, smaragdi ana ʒß. conf. ros. buglossi, nymphææ, theriacæ Andromachi ana unc. j. sacch. opt. ℔iij. dissolvatur saccharum cum aqua Scabiosæ & Ros. addendo camphoræ ℈j.*

Misceantur omnia, ut est artis.

Febrium malignarum & contagiosarum impetus frangit, ac pestilentis luis seminaria disjicit, venenatam materiam sudore excludens, & tam in præservatione quàm in curatione magnas vires obtinet.

Philonium Romanum Nicolai Myrepsi, quod aliàs etiam Majus dicitur, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Piperis albi ʒv. opij ʒijß. Cassiæ ligneæ veræ ʒiß. sem. hyoscyami albi ʒv. apij ℥j. petroselini Macedonici, fœniculi, dauci Cretici ana ℈ij. gr. v. Croci ℈j. Nardi Indicæ, pyrethri, Zedoariæ ana gr. xv. Cinnamomi ʒjß. euphorbij, myrrhæ, castorei, ana ʒj. mellis opt. triplum, i. e. ℥viij. ʒivß.*

Colicos affectus, cæterarumque partium graves dolores, ventris, hypochondriorum, ventriculi, uteri, hepatis, lienis, renum, ab intemperie frigida, flatibus crassis aut crudis humoribus excitatos cedat, tusses intensissimas suffocationis periculum minantes ex cordis, aut pulmonis incendio, singultum etiam vehementem, necnon urinæ difficultatem tollit, sanguinis ejectionibus tabidis, suspiriosis pleuriticis confert, hæmorrhagiam sistit, somnum conciliat & ita vires reficit, doloresque omnes abigit. Sed in colicis præcipuam habet dignitatem, eique affectui adhibet. Doloris magnitudo sæpè totam in se curationem intendit, & in miseram vitæ desperationem multis conjicit.

Philonium Mesuæ. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Piperis albi, Sem. hyoscyami albi ana ʒxx. opij ʒx. croci ʒv. spicæ indicæ, pyrethri, Castorei ana ʒj. Mellis despumati quadruplum.*

Mitigat dolores ventriculi, uteri, laterum, totius ventris, & colicam cum decocto chamæmeli, vel rutæ. Somnum provocat cum aqua lactucæ, seu syrupo papaveris. Tollit dolorem capitis cum decocto Stœchadis; prohibet catarrhum cum decocto thuris aut spicæ. Ad convulsionem & resolutionem bibitur cum decocto nucis moschatæ; facilitat anhelitum cum decocto baccarum lauri, vel hyssopi, tussim sedat cum aqua mellis; provocat urinam cum decocto saxifragiæ, vel aqua apij; compescit vomitum, & fluxum sanguinis ex ore cum succo plantaginis, vel decocto mastiches; sedat præfocationes ac uteri vitia, & singultus.

Philonium Persicum Mesuæ. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Piperis albi, hyoscyami albi ana ʒx. opii, terræ lemniæ ana ʒv. lapidis hæmatitæ, croci ana ʒiiß. castorei, spicæ indicæ, euphorbii, pyrethri, margarit. Charabe, zedoariæ, doronici, trochiscor. ramich. ana ʒß. camph. ℈ß. mellis triplum.*

Ejus usus est ad uteri hæmorrhagias, procidentiam, hæmorrhoides, & cruentas excretiones per inferna, sanguinis sputum compescit; & fœtum in utero retinet.

Philonium Tarsense Galeni. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Croci ʒv. pyrethri, euphorbii, nardi indicæ ana ʒi. piperis albi, sem. hyoscyami ana ʒxx. opii ʒx. mellis triplum.* Confice secundum artem.

Expertissimum ad sedandos vehementes, & lethales, ventriculi, coli hypochondriorum, hepatis, lienis, renum, uteri, dolores excitatos à crudis humoribus, aut flatu crasso, aut intemperie frigida. Valet etiam ad suffocationis periculum, singultum vehementem, & urinæ difficultatem.

Philonium Magistrale. *ex Pharm. Londin.*

℞. *Opii præparati, ℥iv. benzoini, myrrhæ, mumiæ, ãã ℥ß. spiritus vini q. s. ut fiat opiatum.*

Electuarium contra Phthisin. *ex Schrodero.*

℞. *Conserv. Rosar. ver. ℥ij. loch. de pulm. vulp. papav. pino ana ℥ß. sem. 4. frig. maj. excort. lactuc. Cydonior. an. ℈j. Amygd. dulc. pinear. pistac. ana ℥ß. mastich. terr. sigillat. bol. armen. ana ℥ß. gum. Arab. amyl. ãã ℈j. special. diatragac. fr. ʒiß. Diapenid. ʒß. Sem. Papav. alb. Portulac. ãã ℈j. Pulmon. vulpis exic. ʒß. Cancr.*

cancr. fluviatil. ust. trochisc. de carab. tragacanth. ana ℈j. *Cum syrupo de papav. & glycyrrh. F. Mixtura.*

Vires. Acrimoniam mitigat, tenuitatem incrassat.

Observ. Hoffman. super Electuario contra Phthisin. Hoc multis etiam frustraneis & inutilibus onustum est ingredientibus, qualia Cancri fluviatiles usti, loch de pulmone vulpis, cùm jamdum pulmones vulpis exsiccati sint denominati, trochisc. de carabe, &c. si ex paucioribus constaret, laudem mereretur.

Electuarium pro Phthisi incipiente D. D. WINCLERI è Miscellan. Curiosis German.

℞. *Rad. symph. maj. tussilag. enulæ mundat. ana* ℥iiij. *Coque de aq. simpl. q. s. ad mollitiem, tunde & trajice per setaceum.* ℞. *passular. maj. min. ana* ℔ ß. *coque in brodio reliquo à radicibus & extrahatur pulpa eodem modo.* ℞. *salv. acutæ, betonicæ, hyssopi, veronicæ, hæderæ terrestris, pulmonariæ maculatæ ana M. j. coque ad mollitiem in brodio à passulis relicto.* ℞. *Decocti colati, sacchari canarini ana* ℔ *j. coque ad consistentiam: adde pulpæ radic. & passular. amygdalar. dulc. excortic. pinear. recent. probe pistarum ana* ℥. *iij. cinnamomi* ʒ. *ij. croci* ℈. *j. Misce fiat s. a. Electuarium.*

De eo habet author, quòd quædam mulier post hæmoptysim sæpius molestam, cùm in phthisin incideret adjuncta hectica, tussiendo expueret purulenta cruore tinctæ atque adesset sudor colliquativus respiratioque valde difficilis: unico hoc medicamento evaserit. Addit eodem medicamento proprium filium 3. annorum. cui post petechias superatus, vomicæ quatuor vicibus in pulmonibus collectæ & ruptæ, itaut puls in magna copia expectoraret, macie valde confectum & calore hectico consumptum: feliciter restitutum esse.

Electuarium Regum, *ex Schrödero.*

℞. *Pinear.* ℥iß. *rosar. rubr.* ℥ *ij. amygd. dulc.* ℥ß. *santal. citrini.* ℈ij. *ambr. gris.* ℈ ß. *Moschi, gran. iij. sacchari albiss. in aq. rosar. fragrantiss. solut.* ℔. *j.*

Vires. Refrigerat, exiccat, nutrit, corroborat, &c.

Observ. Hofman super Electuario Regum. Huic momentum conservæ rosarum ℥. addi potest, & elegantior inde fiet compositio.

Electuarium Scorbuticum, *ex eôdem.*

℞. *Conserv. cochlear.* ℥iiß. *chamædr. meliss rosar. incarnat. acetos. citri ana* ʒ *vj. condit. calam. arom. ZZib. rad. pimpinell. cort. citri ana.* ʒ *iij. extr. absinth. juniper. sem. sinap. eruc. ana.* ʒ. *ij. cardamom. cinamom. ana.* ℥j. *tart. vitriolati.* ʒiß. *ol. anis.* ℈j. *cinam.* ℈ß. *cum syrupo de cinam. & de cochlear. an. q. s. F. Mixtura.*

Vires. Reserat obstructiones mesenterij, lienisque tenorem corroborat, ideoque in scorbutico affectu virium est insignium.

Dosis magnitudine juglandis parvæ manè jejuno stomacho assumpta.

Observ. Hofman. super Electuario Scorbutico. Hoc etiam transeat, sequenti tamen modo meliùs videtur:

℞. *Conserv. cochlear* ℥ *ii* ß. *chamædr. rosar. incarnat. inter. citri ana* ʒ*vj. cortic. citri condit. incis. radic. zinzib. indic. condit. incis. ana* ʒ ß. *spirit. cochlear.* ʒ *ij. vitrioli Martis rectific. mistur. s. ana* ʒß. *cum syrup. acetos. citri s. q. s. Mixtura.*

N. In *Autoris* compositione totum *Electuarium* extract. absinth. Tartarus Vitriolat. & olea destillata gustu reddunt abominabile.

Requies Nicolai, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Rof. rub. violarum ana* ʒ. ℥. *opii sem. hyoscyami, papaveris albi, scariolæ, lactucæ, portulacæ, psyllii, cort. rad. mandragoræ, nucis moschatæ, cinnamomi, zinziberis ana* ℥.ι.ß. *sacchari cantii* ʒ. ι. *sandali albi, rubri, spodii, tragacanthi* ℈. *2. gr. 5. sacchari* ℥. *10. cum aqua rosarum modica mis.*

Sic appellata ab effectu, quòd dolorem obtundat ac mitiget, caloremque febrium mitiorem reddat, & ijs qui hunc sumunt requiem adferat. Est etiam utilis temporibus, & pulsibus manuum inuncta, cordis dolorem lenit, somnumque conciliat.

Electuarium è Sassaphras, *ex Pharm. Londin.*

℞. *Ligni sassaphras odoratissimi,* ℥. *2. aquæ communis* ℔. *3. coque ad tertiæ partis consumptionem: addendo sub finem, cinnamomi fracti,* ʒ. ß. *colatura, cum sacchari albissimi* ℔. *2. coquatur in syrupi crassioris consistentiam, superinjiciendo pulv. ris cinnamomi,* ʒ. *1. pul. nuc. moschatæ,* ℈. ß. *moschi, gr. 3. ambræ grisæ, gr. 32. fol. auri num. 10. spiritus vitrioli gut. 4. & fiat electuarium s. a.*

Diasatyrium Nicolai. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Radicum satyrii recentium succulentarum, pastinacæ sativæ recentium, eryngii recentium, nucis indicæ, pinearum, pistaciorum ana* ℥. ß. *caryophyllorum, zingiberis albi, sem. fraxini, anisi, erucæ ana* ʒ. 5. *urticæ, cinnamomi, carnis scinci veri ana* ʒ. *2.* ß, *moschi gr. 7. mellis despumati opt.* ℔. *3. Radices satyrii pastinacæ, & Eryngii seorsim bene tritæ, melli imponantur ac subigantur, paululumque lento igne fervescant, deinde pistacia & nuces pineæ mundatæ ac tusæ adjiciantur: ubi cum melle aliquantulum bullierint, sublata ab igne lebete, tusæ & cribratæ species ac postremò moschus cum pauca rosarum aqua solutus addatur, omniaque probè permisceantur.*

Analepticum est medicamentum, consumtos & emaciatos reficiens, semen augens, & venerem languidam concitans, contra renum & vesicæ imbecillitatem valet, remorantem urinam propellit.

Nota, Satyrij & pastinacæ radices melle, aut sacchato conditas, ad hujus compositionis structuram adservari posse, tamdiu donec pastinacæ sativæ ad maturitatem pervenerint; unde mellis ℔. 3. sufficere poterunt.

Diascordium Hieronymi Fracastorij. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Scordii* ℥. ι. *cinnamomi, cassiæ ligneæ, dictamni cretici, tormentillæ, bistortæ, galbani, gentianæ, gummi arabici ana* ℥. ß. *seminis acetosæ, opii ana* ʒ. ι. ß. *styracis calamitæ* ʒ *boli armenæ* ℥. ι. ß. *terræ lemniæ* ℥. ß. *piperis longi, zingiberis ana* ʒ. 2. *mellis clar.* ℔. *2.* ß. *conf. rof.* ℔. *. fiat electuarium.*

Egregium est sudoriferum, in morbis malignis admodum proficuum; conducit etiam in diarrhœa, dysenteria &c. describitur ab Hieronymo Fracastorio, in peste correptis ac extremè desperatis commendat hoc modo.

℞. *Succi lujulæ* ℥. *2. citri* ℥. *1. diascordii* ʒ. *1. specierum cord. è gemmis* ℈. *2. aceti* ℥. *1. omnia misceto, pro una dosi.*

Diascordium Sylvij, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Radicum gentianæ* ℥. ß. *angelicæ* ʒ. *2. foliorum siccorum scordii* ℥. *2. cardui benedicti, dictamni cret. ana* ℥. ß. *croci optimi* ʒ. *2. acaciæ veræ* ʒ. ι. ß. *cum sufficiente quantitate spiritûs vini fiat extractio, quæ ad extracti liquidi consistentiam inspissetur. Cui addantur extracti mollioris opii cum aceto destillato facti* ʒ. *3. gummi arabici purissimi in* ℥. ι. ß. *aquæ fœniculi soluti* ℥. ß. *boli armenæ præpar.* ℥. ι. ß. *pulv. radicum Imperatoriæ* ℥. ι. *cassiæ ligneæ, cinnamomi optimi ana* ℥. ß. *nucis moschatæ,* ʒ. *3. Misceantur.*

Vires cum præcedente eædem; quas in minori tamen dosi largitur.

Electuarium de Scoria ferri Rhasis, *ex Pharm, Aug.*

℞. *Myrobalarum indarum, belliricarum, emblicarum ana ℥. j. spica indica, schœnanthi, cyperi, Zingiberis, piperis, ammeos, thuris ana ℥ß. scoriæ ferri infusæ aceto per dies septem; postea torrefactæ ʒ. III. mellis decocti cum apozemate emblicarum ℥. XVI. misce fiat electuarium.*

Compositio hæc est antidotalis, & earumdem prope virium ac Conditum Antidotale Stapedij supra allatum.

Sotirella parva, *ex Ph. Aug.*

℞. *Olei nucis mosch. expressi ʒ. j. opij thebaici, specier. diambræ incompl. ana ʒß. camphoræ, extracti croci ana gr. vj. ol. caryophyllorum destill. guttas xv. redigantur in formam opiatæ spissioris.*

Cavernis dentium indita dolores eorundem sopit ac placat, ad quorum auxilium præcipue expetitur, Raymundo Minderero collegæ quondam nostro adscripta.

Electuarium sive conserva Spagirica, *ex Ph. Aug.*

℞. *Salium crystallisat. absinthij ℥. II. melissæ, urticæ an. ℥. j. tartari vitriolati ℥. ß. arcani duplicati Mynsichti ℥. II. misceantur, & fiat pulvis, cui adfundantur spiritus sulphuris campanati ℥. II. postquam deferbuerint, addantur conservæ flor. ros. rub. tunicæ ana ℔. j. olei cinnamomi ʒ. v. corticum citri, sem. anisi ana ʒ. j. fœniculi, menthæ ana ʒ. ß. misceantur. paratur etiam hæc completa confectio, si addantur ambræ griseæ, gr. xv. in spiritu ros. soluto.*

Medicamentum hoc celebratur ut spleneticum & nephriticum eximium, dum obstructiones solvit, humores crassos attenuat, viscidos incidit, flatus dispellit, spiritus reficit, & calculum expellit. Cujus descriptionem debemus Exc. nostro collegæ, D. D. Georgio Tobiæ Durrio. coll. Med. Vicario; quam etiam, ab hac tamen nonnihil diversam, chimiæ suæ experimentali curiosæ sect. 6. c. 16. clar. D. Jo. Helfer. Juncken inservit.

Electuarium Diaspermaton, *ex Ph. Lond.*

℞. 4. *Sem. frigid. mai. & minor. sem. asparagi: pimpinellæ, ocimi, petroselini, granorum halicacabi, ana ʒ. II. milij solis, succi glycyrrhizæ, ana ʒ. III. cinnamomi, macis, ana C. j. sacchari albi, aq. althææ soluti, octuplum.* fiat electuarium s. a.

Electuarium Stomachicum Stromayeti, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Zingiberis albi crassiuscule incisi ℥. j. caryophyllorum minutim incisorum ℥. ß. acori conditi ℥. III. conservæ menthæ. melissæ ana ℥. II. ros. rub. ℥. IV. sacchari albi ℥. vj. cum sufficiente quantitate aquæ rosarum soluti.* fiat electuarium.

Vires ejus in confortando stomacho multiplici apud nos usus commendatur.

Electuarium, seu Confectio de Styrace *Mesuæ.*

℞. *Styrac. Calamit. extract. opij, sem. hyosciam. alb. castor. croci, myrrhæ, olibani āā ℥j. mellis despumati ℥xxi. F. Opiata. s. a.*

Profluvia alvi ac hæmorrhagias sistit, tenesmo confert, somnum provocat, vapores discutit. Dos. à ℔. j. in quâ semper attendendum ad opij contenti quantitatem.

Electuarium Terebinthinatum, *D. Lemery.*

℞. *Terebinth. claræ ℔. j. rad. altheæ, gramin. ononid. brusci, liquirit. āā ℥j. gummi Arabici, tragacanthi, oculor. cancri ppt. nitri purificati, sal. sulphur. millepedarum ppt. āā ʒIII. sal. volat. succini, aquilæ albæ āā ʒII. M. F. electuarium.*

Calculo renum ac vesicæ, ut & gonorrhæis confert, item pro uteri ulceribus detergendis. Dos. à ʒ ß ad ʒ ß.

Electuarium Diasulphur Mesuæ, *ex Weckero.*

℞. *Piperis albi & longi ana ʒ. IV. sulphuris flavi, thuris, mei, hyosiyami albi, myrrhæ, styracis, cardamomi, rutæ, costi ana ℥. I. cassiæ ʒ. v. opij, mandragoræ. ana ʒ. III. croci ʒ. II. ß. melle despumato excipe,* post sex menses utere.

Confert febribus diuturnis, ut melancholicis, phlegmaticis, thoracem & pulmones purgat pituita crassa lenta, pure: ob id tussim antiquam, & difficultatem spirandi inde natam levat. Splenis duritiem minuit, & inde natum hydropem: urinas movet: calculum frangit: morsibus venenatis, & poto jam veneno prodest. *Mesues.*

Theriaca Andromachi senioris ex Galenô. *ex Ph. Aug.*

℞. *Trochiscorum scillinorum ℥. VI. de vipera, piperis longi, opii cum aceto depurati, trochiscorum hedychroi ana ℥. III. rosi. rub. exsiccatarum, Ireos illyricæ, aut florentinæ, succi glycyrrhizæ, Seminis buniadis dulcis, seu napi sativæ, comarum scordij cretici, opobalsami, vel olei ex nuce mosch. expressi, cinnamomi, agarici ana ℥. I. ß. myrrhæ, costi odorati, vel Zedoariæ, croci orientalis, cassiæ ligneæ veræ, nardi indicæ, schœnanthi, thuris masculi pellucidi, piperis nigri, albi, fol. dictamni cretici, comarum marrubij, rhabarbari, stœcadis arabicæ, sem. petroselini macedonici, calaminthæ montanæ odoratæ, terebinthinæ cypriæ, Zingiberis, rad. pentaphylli ana ʒ. VI. polij cretici, chamæpityos, Styracis calamitæ, mei, vel angelicæ, amomi racemosi, aut sem. citri & hyperici ana part. æquales, calami aromatici, nardi celticæ, lemniæ veræ, phu, pontici, aut valerianæ nostræ, comarum chamædryos creticæ, fol. malabatri, aut ejus loco macis & caryophyllorum ana partes æquales, chalcitidis tostæ, radicis gentianæ, anisi, succi hypocistidis, carpobalsami, gummi arabici splendidi sem. fœniculi cretici, cardamomi minoris, seseleos Massil. succi acaciæ, thlaspios, comarum hyperici, ammeos, sagapeni ana ʒ. IV. castorei, aristolochiæ longæ, sem. dauci cretici, bituminis Judaici, opopanacis. comarum centaurij minoris, galbani ana ʒ. II. Mellis despumati triplum, i. e. ℔. XIV. ℥. V. & ʒ. II.*

Nobilissima hæc antidotus, à Galeno I. de antidotis, & lib. de theriaca, ad Pisonem descripta, quæ ante à tranquillitate, quam ægris præstat, Γαλήνη, dicta est, cùm varie à varijs parare soleat, cuilibet per nos methodo sibi consuetâ uti, & suo abundundare sensu licebit; qua in re nec nostris Pharmacopœis, in miscendis ingredientibus non unum ordinem observantibus, hactenus, ad certum eos adstringendo modum, nimis rigorosos aut superciliosos nos præbuimus, certi, modò exacta omnium instituatur unio, idem medicamentum enatum iri: unde ordinem saltem antiquitus observatum, in paucissimis tantùm immutatum, & misturam satis laudabilem daturum, hîc repetere animus est.

Simplicia igitur ad theriacæ constitutionem expetita, eaque omnium selectissima, quæ conteri possunt, in sex classes dividantur, harumque singulæ seorsim in subtilem pulverem redigantur; non eâ quidem intentione, ac si omnia illa, si jungantur, conteri simul nequeant. Sed ne tanta moles (cùm in magna ut plurimum quantitate conficiatur,) trituram difficiliorem rèddat; quamvis non omnino negare velimus, aliquid hîc potiùs opinioni, & consuetudini imò & pompæ, si non apud vulgum proficuæ, saltem non damnosæ, dari, liberum interea alijs relinquendo, simplicia ista vel juncta, vel in partes pro lubitu divisa, in pulverem redigere.

Præfatæ autem classes hoc modo se habent.

I. Clas-

I. Classis.

℞. Ireos Illyricæ, scordij Cretici, seminis buniadis ana ℥. I. ß. anisi, seseleos, polij cretini ana ℥. ß. Zedoariæ electæ ʒ. VI.

Pendit hæc classis in universum. ℔. ß. ʒ. VI.

II. Classis.

℞. Gentianæ, chamædryos, fœniculi cretici. amomi ana ℥. ß. pentaphylli, marrubij, Calaminthæ montanæ an. ʒVI.

Pendit hæc classis in universum. ℥. IV. ℥. II.

III. Classis.

℞. Radicis Mei, seu angelicæ, Phu pontici, Nardi celticæ, chamæpityos, seminis thlaspios ana ℥. ß. aristolochiæ longæ ʒ. II. dictamni cretici ʒ. VI.

Pendit hæc classis in universum. ℥. III. ß.

IV. Classis.

℞. Rof. rubr. ℥. I. ß. flo. hyperici ℥. ß. centaurij minoris, seminis dauci ana ʒ. II. petroselini macedonic. ʒVI. trochiscorum de vipera ℥. III. de scillæ ℥. VI.

Pendit hæc classis in universum ℥. XII. ʒ. II.

V. Classis.

℞. Sem. ammeos, calami aromatici ana ℥. ß. cinnamomi optimi ℥. I. ß. cassiæ ligneæ, rhabarbari ana ʒ. VI. piperis longi ℥. III.

Pendit hæc classis in universum. ℥. VII.

VI. Classis.

℞. Zingiberis albi, piperis nigri, albi, ana ʒ. VI. folij, cubebarum, cardamomi, ana ℥. ß.

Pendit hæc classis in universum ℥. III. ʒ. VI.

Sequentia autem singula per se terantur, ut pote *Myrrhæ, thuris albi, croci orientalis ana ʒ. VI. agarici trochiscati ℥. I. ß. castorei, bituminis judaici ana ℥. II. terræ lemniæ veræ, chalcitidis tostæ ana ℥. ß.*

Porrò.

Schœnanthi, spicæ Indicæ, stœchadis arabicæ an. ʒ. VI.

Forfice minutim incidantur, mucilagine tragacanthi imbuantur, iterumque exsiccatæ in pulverem conterantur.

Trochiscorum hedychroi ingredientia, postquam eorum usus, præter eum, theriaca quem postulat, ampliùs apud nos haud superest, nunquam in illam orbicularem formam redacta, sed debito tantum in pondere, inque pollinem redacta (oleum caryophyllorum pro mixtura ad finem jam deductæ servando) huc accersere, ceu supra jam monuimus, hactenus consuevimus.

Nunc verò gummia & Resinæ, terebinthinâ cypriâ & Styrace exceptis, ut pote sagapeni unc. ß. opopanacis ʒ. II. galbani ʒ. II. gummi arabici unc. ß. per se vino cretico dissoluta ac eliquata per setaceum tenuis pulticulæ formâ exprimantur; hoc facto ad permixtionem sic accedes: 1. 6. classes medicamentorum in tenuem pollinem redactas, unà cum ijs quæ per se terenda monuimus, nec non speciebus trochiscorum hedychroi, (terrâ lemnia, croco & calcitide exceptis) commiscebis, diligenter pulveres agitando, ut adcurate & per minima permixti, paulatim post modum melli & reliquis liquidioribus misceri queant, eo planè modo, quem jam tradituri sumus.

His igitur ita ritè dispositis, in cacabum magnum sex circiter mellis despumati ac modicè calentis unc. infundendæ, eæque pistillo magno ligneo ita hinc inde diducendæ, ut cacabi jam dicti fundus & parietes aliquousque melle hoc tenuissimè obducta, & quasi peruncta videantur. Tunc omnium 1. terebinthina cypria supra prunas leni calore liquata, addito pauco melle & vino cretico, eidem aheno indenda, quam mox gummium expressus quasi cremor identidem vino cretico modicè dilutus, & leniter calefactus subsequatur. Abhinc succi & liquores concreti, nempe succus acaciæ, glycyrrhizæ, hypocistidis, ipsumque opium compositioni jungantur, quæ omnia ac singula vino cretico dissoluta ac colata, unà cum prioribus aheno inditis, continuâ ac indesinenti agitatione probè permisceantur. Hoc facto, Mellis despumati mediocriter calentis libræ aliquot immittantur, atque factâ iterum diligenti omnium jam dictorum unione pulveres 6. classium per cribrum angustum paulatim inspergantur, continuaque agitatione sic adcuratè permisceantur, ne quid grumescat, sed compositio ipsa evadat æqualis ac tenera, atque sic alternis vicibus modò mellis portio aliqua adfundenda, modò pulveres inspergendi, donec omnis pulverum quantitas melli unita fuerit. Tunc verò terra lemnia, & post eam chalcitis, utraque priùs vino cretico diluta, adjiciendo; abhinc styrax calamita addito modico vino cretico super prunas liquefiat, ac oleo nucis moschatæ addito artificiosè, ne grumescat, dissolvatur, compositionique addatur. Quæ ubi probè unà cum cæteris omnibus mixta fuerint, crocus eodem vino cretico dilutus, theriacam intret, & postremo oleum caryophyllorum, quod à trochiscis hedychroi, in quorum structura opobalsami vices supplere debebat, huc accedit, Medicamentumque diu ac strenuè agitandum, ut omnium eò perfectior fiat mixtio, idque in vase mundo reponendum, cujus tertia vel ad minimum quarta pars vacua supersit, ut theriaca fermentando in ampliorem molem accrescens & insurgens commodè per dies aliquot in eo agitari queat. Est enim ad dies minimùm octo continuos quotidie commovenda, deindè verò singulis hebdomadibus, ac tandem singulis mensibus agitanda, donec anni ætatem unius attigerit, semper eam diligenter contegendo, & ab externis injurijs muniendo; eritque sic theriaca omnibus suis numeris absoluta.

Theriacæ vires, ex Galeni aliorumque testimonio, celebrantur inprimis Alexiteriæ. Unde exhibetur in venenatorum plagis; hydrophobiam, crebriùs data sæpè sustulit; in pestilentibus constitutionibus præservando & curando conducit; non tam animositatem aliquam, opij propter accessum inspirans, quàm potiùs non exiexiguâ selectissimorum alexipharmacorum copiâ venenatum miasma oppugnans. Capitis dolores diuturnos, vertigines, au itus graves, hebetudines oculorum, gustûs instrumentum debilitatum, comitialem morbum, orthopnoicos cum mulsa potum sanat, incidens, attenuans, & eductu faciles reddens humores succurrit etiam recenti & veteri tussi, & ijs quibus thorax dolet. Convenit sanguinem exspuentibus, sive is à thorace, sive à pulmone excernatur. Stomachi vitia, difficilem concoctionem & imbecillitatem emendat, inflationes stomachi, & intestinorum cruciatus sedat, colicos & iliacos placat. Valet etiam in cardiacis, & ijs qui animo linquuntur, & cholericis. Lumbricorum omne genus expellit; hepaticos affectus, morbo regio laborantes, & induratos lienes curat. In calculo renum, difficili mictione, & vesicæ exulceratione prodest. Præbetur in omnis generis rigoribus diuturnis, maximè verò quartanis, si quis eâ post inclinationem utatur; in biliosis verò febribus vitare oportet. Datur etiam hydropicis cum asari decocto, & similibus malis, potissimùm verò ijs, qui anasarca laborat. Elephantia quoq; correptis, & partium corporis resolutionibus auxiliatur. Menses movet, & mortuos fœtus ejicit. Podagrâ adflictis & arthriticis conducit, post inclinationem multoties pond. ʒj. pota, pro viribus & ægri têperamêto; opitulatur dolôribus etiam imposita. Insuper animo malè affecto medetur, ex atra enim bile natas diversas

imaginationes sedat. Hyemis tempore iter facientibus consulimus, ut ex ipsa parum sumant, viscera enim calefacit & roborat. Dare oportet hoc medicamentum vacuo stomacho. In æstate parcior sit ejus usus, nec non in vigore ætatis exsistentibus, ut qui plurimùm habent caloris; senioribus verò pituitosis, nauseabundis & cruditate ac stomachi inflatione laborantibus, sæpius & plurimùm exhibere convenit.

Theriaca Andromachi correcta, sine opio, *ex Pharm. Reg. Zvvelf.*

♃. Trochisc. de viperis n. m. dextrè paratorum, vel, eorum loco, pulv. viper. ℥. 12. i. e. ratione prioris ponderis, antiquæ compositionis, ℥. 3. loco Troschisc. de Scilla, ℥. 6. & loco piperis longi, ℥. 3. tanquam basin hujus antidoti.

Rosarum rubearum exsiccat. ℥. 1. sem. napi agrestis ℥. 3. i. e. ratione prior. pond. antiq. compositionis ℥. 1. ß. & loco agarici, ℥. 1. ß.

Comarum scordii cretici, vel nostrat. ℥. 5. i. e. Ratione prioris ponderis, antiquæ compositionis, ℥. 1. ß. loco opii, ℥. 3. & loco rosar. rub. ℥. ß. quia ponderi rosar. etiam ℥. ß. detracta est.

Opobalsami veri Orientalis, seu, ejus loco, ol. nucum moschat. expressi, ℥. 3. i. e. ratione prior. pond. antiq. compositionis ℥. 1. ß. & loco succi glycyrrhizæ, ℥. 1. ß.

Cinnamomi acuti ℥. 1. ß. myrrhæ translucidæ ℥. 4. i. e. ratione prioris pond. antiq. compositionis ℥. 1. & loco trochiscorum hedychroi. ℥. 3.

Costi odor. seu potius zedoar. ℥. 3. i. e. ratione prioris ponderis antiq. composit. ʒ *6. loco rad. iridis ℥. 1. ß. & loco piperis nigri,* ʒ. 6.

Croci Austriaci optimi unc. 1. ß. i. e. ratione prioris ponderis antiquæ compositionis drachm. 6. & loco piperis albi. ʒ. 6.

Cassiæ ligneæ veræ, nardi indicæ, schænanthi, thuris albi, fol. dictamni cretici, stæchad. arab. semin. petrosel. maced. nepethæ, seu calam. mont. terebinth. chiæ, rad. pentaphylli, ana ʒ. 6. de his 10. ingredientibus, in pondere non mutatis, sub finem hujus compositionis, singularis annexa est nota, quam L. B. consulat.

Resinæ styracis cal. unc. 1. ß. i. e. ratione prioris ponderis antiq. composit. ℥. ß. & loco Marrubii, ʒ. 6.

Meu, seu angelicæ, ℥. 2. i. e. ratione prioris ponderis antiquæ compositionis ℥. ß. loco rhabarbari, & zingiberis, ano ʒ. 6.

Amomi, seu potius seminis citri excorticati, unc. 2. i. e. ratione prioris ponderis antiquæ compositionis unc. ß. & loco chalcitidis, gummi Arabici & Nardi celticæ, ana unc. ß.

Terræ Lemniæ veræ ℥. 2. i. e. ratione prioris ponderis antiq. composit. ℥. ß. & loco comarum hyperici, succi hypocist, & succi acaciæ, ana ℥ ß.

Phu Pontici, seu Valerianæ, unc. 1. i. e. ratione prioris ponderis antiquæ compositionis unc. ß. & loco chamædr. unc. ß.

Macis, & caryoph. ana ℥. ß. i. e. ratione prioris ponderis antiquæ compositionis ℥. ß. & loco malobatri, & polii cretici, ana ʒ. 2i

Rad. gentianæ ℥. 1. i. e. ratione prior. pond. antiq. compositionis ℥. ß. & loco semin. seseleos ℥. ß.

Anisi, cebebarum, fœniculi, cardamomi min. Thlaspios, ammeos, sagapeni, ana ℥. ß. transeant & hæc 7. simplicia in suo antiquo pondere, majore eorum parte pro aromatisatione, & odoris grati gratiâ, relictâ.

Castorei recent. ℥. ß. i. e. ratione prior. pond. antiq. composit. ʒ. 2. *& loco semin. dauci* ʒ. 2.

Aristoloch. longæ ℥. ß. i. e. ratione prioris ponderis antiqu. compositionis drachm. 2. & loco bituminis Judaici, drachm. 2.

Comarum centaurii min. drachm. 6. i. e. ratione prioris pond. antiq. composit. ʒ. *2. & loco opoponacis, & galbani, ana* ʒ. 2.

Mellis purissimi juxta n. descriptionem, & informat. sine violento calore, à suis rebus heterogeneis separati ℔. 15. seu 14. tantum, & ℥. 6.

Paretur Antidotus, uti paulò post sequetur.

Ne error contingat, in dispensanda correcta hac compositione, propter ingredientium, eorumque ponderum, commutationem & circumscriptionem itaque, juxta ordinem ponderum, structura hujus compositionis talis esto.

♃. Trochisc. de viperis ritè parat. juxta n. descriptionem: vel pulv. viper. unc. 12. comarum scordii nostr. unc. 5. myrrhæ translucidæ unc. 4. semin. napi agrestis, opobalsami veri, costi odorati, seu, zedoar. ana unc. 3. meu, seu angelicæ, amomi, seu, sem. citri excort. terræ lemniæ, ana unc. 2. cinamomi acuti, croci austriaci, resinæ styracis calam. ana unc. 1. ß. rof. rub. phu pontici seu valerianæ, rad. gentianæ, ana unc. 1. cassiæ ligneæ veræ, nardi indicæ, schænanthi, thuris masculi. fol. dictamni cretici, stœchad. arabicæ, sem. petroselini maced. nepethæ, seu calam. mont. terebinth. chiæ, rad. penthaphylli, centaurii minoris, ana ʒ. *6. macis, caryophyllorum, anisi, cubebarum, sem. fœniculi, cardamom. min. sem. thlaspios, ammeos, sagapeni, castorei, aristoloch. longæ, ana ℥. ß. Mellis purissimi legitimè extracti, & nunquam cocti, triplum seu ℔. 4. & ℥. 6.*

His simplicibus speciebus, seu ingredientibus, probè selectis, & in ordinem redactis, terantur in pulverem, quæ aptitudinem habent ad terendum; oleosa tamen semper sicciotis indolis ingredientibus adjungendo: utpote, *semen citri excorticatum* teratur cum *cinamomo, rosis rubris, scordio, cassiâ ligneâ, & foliis dictamni cretici. Semen* verò *napi cum costo, seu zedoariâ, stœchad. arabica, calamintha mont. & rad. pentaphylli: sem. anisi, fœniculi, ammeos, thlaspios, & cubebæ, cum cardamomo, & calamo aromatico: macis, caryophylli, & semen petroselini, cum valeriana angelica, castoreo, aristolochia longa. & centaurio minore.* Quædam verò per se, sola, sine aliorum aggregatione, in pulverem terantur: utpotè, *trochisci de viperis, myrrha, crocus, thus, & terra lemnia, nardus indica, & schænanthus,* difficillimæ triturationis sunt; uti in præmissis animadversionibus innui. Idcircò, ut hæc duo simplicia (quæ parum emolumenti conferent, ac ijs *radices contrayervæ* aptè subordinari possent) in pulverem subtilem redigi queant, necesse est, illa priùs mucilagine quadam imbuere & humectare, denuoque resiccaret. Verùm consultum magis foret, meo judicio, si illa *aquæ corticum citri, per balneum n. vaporosum, sine ulla additione destillatæ,* aliquamdiu immergerentur, & in illa macerarentur, pro virium eorum extractione; quibus sufficienter extractis, & à dicta aqua separatis, *impragnata hac aqua citri,* diluendo *croco* ad formam pulticulæ tenuioris, & *terrâ etiam lemniâ,* præstò esse potest, tanquam præstantissima aqua cardiaca, virtute alexipharmacâ dotata; quæ & ipsa huic antidoto, seu theriacæ, non leves virtutes alexiterias, & adversus deleterios insultûs prærogativas, communicabit. *Myrrha* verò, & *Sagapenum*, diluantur & veluti solvantur, in *vini malvatici* competenti quantitate, ad pultis formam; *cui autem vino* priùs (in pulveris viperarum, aut trochiscorum eorum præparatione, quando scilicet viperæ aut serpentes recenter mactantur) *corda viperarum recentia,* ad quinquaginta circiter, viva adhuc excerpta, & immersa, cumque eo aliquamdiu digesta, ac denuò ab eo segregata fuerint: (quam essentiam viperarum *in animadversionibus classis 12.* super trochiscos de viperis, edocui) *à qua essentia, aut essentificato,* magnæ notæ virtutes alexipharmacæ in theriacam redundabunt. Quò sanè elogio meritò hanc antidotum condecoro.

His

His ita dextrè apparatis ac discriminatis, nimirum *pulveribus unitis*, *croco*, *& terra lemnia*, *dilutis* cum *aqua Criti*, *in qua nardus indica*, *& Schænanthus*, *macerata fuerint*: *myrrhâ item*, *& Sagapeno*, *solutis in vino essentificato & viperino*: *Opobalsamo*, *resina styracis calamitæ*, *& terebinthina*, *una liquatis & commissis benigno calore*, in determinata ad id propria sartagine; subsequatur mixtura omnium ingredientium facillima hac methodo:

1. Adsit *ahenum capax & largum*, pro quantitate Theriacæ dispensandæ proportionatum, cui infundatur, ℔i. *vel* 1.ʒ. *aut etiam* 2. *plus minusque*, *Mellis*, ad theriacam apparandam destinati, super ligno lenissimo modicum incalescant; *huic Melli* illicò instilletur nonnihil de *Opobalsamo vero*, *resina Styracis*, *& terebinthina*, jam priùs simul commissis, & leni calore, in propria sartagine, dispositis & liquatis, subsequatur mox de pulveribus adunitis aliquot cochlearia, per cribrum setaceum inspergenda, continuò pistillo ligneo agitando; porrò de *gummis solutis*, *myrrhâ*, *& Sagapeno*, nonnihil adjungatur, succedant *iterum pulveres* inspergendi; uti & his *Opobalsamum*, *cum reliquis*, *resina scil. styr. & terebinthina*: Mel etiam successivè & pedetentim instilletur, cum continua agitatione ac leni calore, donec omnia in unum commissa & unita fuerint; quibus etiam *crocus & terra lemnia* successivè incorporentur.

Quibus omnibus debitè administratis, suam adepta est perfectionem nobilis hæc antidotus; & Regia confectio, cujus virtutes, eximiæque dotes, in morbis malignantis naturæ vel maximè resplendescent, cum curativè, tùm præservativè concurrendo. Ut proindè genuinum sit pharmacum antipestilentiale, Cardiacum, & alexiterium, citraque figuram, aut hyperbolem, Theriaca dici promereatur, cui se prostrati, & malignis morbis tentati, ægri, hisque subveniens Medicus, securissimè possit concredere fidissimum inde habituri subsidium, quod in Theriaca, ritu & instituto veterum dispensata, nequaquam ausim compromittere, utpotè quæ plurima involvat noxia, inconvenientia, curationem remorantia, & quod maximum est, manus & artem Medici eludentia, quò minùs debita dosi & quantitate, prout præsens calamitas & pestilens contagium exigit, deploratis mortalibus liceat propinare. Cùm interim hæc, quam feliciter construximus, circa noxam aucta dosi possit exhiberi, etiam ad ℥j. ascendendo; si sic indomita veneni rabies, & morbi genus, postulet: quamquam, si quis periculum facere, ac experiri voluerit, verum fit, quod ʒj. dictæ antidoti plus in se roboris & energiæ malignis relegandis qualitatibus, & adversandi contineat, quam ℥. completa Theriacæ veterum; prout ex præmissis hanc formare sequelam, omnibus est pronum, cùm proindè, in tractando hocce argumento, prolixior esse nolim, hoc solum subjungo; quòd si Theriaca veterum magnarum virium hactenus fuit, in coërcendis morbis malignis, sanè hæc nostra Antidotus, & castigata theriaca, decuplò plus operabitur, & præstabit, plurimisque gradibus priorem antecellet, quod cuique desumere pronum erit, dum ipse conticesco. Dosis hujus Antidoti à ʒj. drachmis 2. ad ℥ß. quæ etiam pro circumstantia ægrorum, & affectus augeri poterit.

Nota: si quis in locum *Chalcitidis*, *spiritus vitrioli*, *præsertim vitrioli Martis*, ʒß. *circiter*, *vel* ʒj. Huic Antidoto addere voluerit, is *crocum dilutum aquâ Citri*, veluti supra dictum; item *pulv. rос. rub. separatim tritarum*, *eadem etiam aquâ citri dilutum*, illo *spiritu* irrorare poterit, & Theriacam, quoad colorem rubeum, in fuscum tendentem, magis intendere.

Quæ de *trochiscis hedychroi*, in *præmissis animadversionibus*, præfati sumus, ea B. L. huc inferat, ut ei ratio & motivum nostrum constet, ob quod nulla penitus eorum memoria ac mentio facta in præsentiarum; utpotè quorum locum succedaneum præstantius occupat, quod illis surrogavimus.

Notandum cæterùm; quòd *nonnulla adhuc ingredientia veteris theriacæ* descriptionis, priorem stationem & pondus suum obtinuerunt, factum est ideò quod in eis ratio alicujus nocivæ aut malignæ qualitatis deprehensa non fuerit, neque illa vires reliquorum ingredientium evertant, & morentur; licet, si de rigore loqui velimus, *inutilia etiam theriaces pondera*, *& molestissimæ sint appendices*, numerum & molem, non verò virtutes, antidoti multiplicaturæ; quorsum proindè respiciendum, cùm etiam illorum causa, & *mellis triplum* addi necessum sit: ex quo doses ejusdem (Theriacæ) augendæ veniunt, si effectum debitum & proportionatum morbo & malignitati præstolari velis, sudores elicere, & pestilens contagium evertere. Ea autem, de quibus nunc sermo est, sunt, in specie, sequentia, ut pote *cassia lignea*, *nardus indica*, *Schœnanthum*, *folia dictamni cret.* *Stœchas Arabica*, *sem. petroselini Macedon. Calamintha montana*, *terebinthina*, *rad. pentaphylli*; quæ ipsa etiam digna æstimo, quæ à compositione hac eliminentur & proscribantur; eorum verò loco, præstantiora alexiteria, qualia sunt, *radices contraiervæ*, *anthoræ*, *& Imperatoriæ*, aut illa in compositione jam notata obvia alexipharmaca (*uti zedoaria*, *myrrha*, *crocus*, *angelica*, *sem. citri*, *terra lemnia*) adaucto pondere substituantur. Hac ratione enim futurum, ut Antidotus, & compositio, ad unitatem magis redacta, fiat homogenea, talibus constans partibus, quæ, univocum producere effectum, nata & apta sunt. Quod si tamen & illæ *novarum rerum*, *aut radicum supradictarum*, additiones, & variationes ingredientium, in locum minùs utilium & efficacium, aut *ponderis ante dictorum alexiteriorum*, *theriacam aliàs consistentium adauctio*, non arriderent; author sum, ut, *nulla rerum aliarum additione*, *aut ponderis reliquorum alexiteriorum immutatione*, illa superiùs recensita superflua & *inutilia ingredientia*, è compositione, una cum *tripla sua quantitate mellis* nimirum ℥iiß. quod est triplum mellis, respectu ℥vijß. quæ sunt pondus specierum inutilium simul computatarum, penitus eradicentur, quo præstito, intensæ magis alexiteriæ virtutes composito accedent, adeò, ut, quæcumque ex tribus illis conditionibus deligatur, quælibet dosis hujus antidoti, (computando tantùm ʒij. pro 1. dosi) gr. circiter 8. è censu realium & efficacissimorum cordialium, & alexipharmacorum, præter alia, intensior fit, quod summè necessarium & desiderabile esse, quivis in arte excellenter professus Medicus judicabit, cui tædiosum non fuerit, computare, quantum ʒj. *pro dosi assignatis*, *vel etiam* ℥ß. *specierum realium alexipharmacarum insit*, &, in particulari, *quot grana*, *de quovis ingredientium individuo*, huic dosi accedant. Deprehendet enim, quòd quamvis pondus *multorum præstantiorum alexipharmacorum* multum auxerim, quamplurima, citra propositum annexa, eliminando, hoc tamen non obstante, ℥ß. *hujus antidoti*, *saltem gr. xiij. trochiscorum de viperis*, *gr. v. scordij*, *gr. iij. cum* ½ *gran. seminis napi*, *totidem quoque opobalsami*, *gr. ivß. myrrhæ*, *gr. 3. cum* ½ *gr. Zedoariæ*, *gr. iß. & paulò plus croci*, *gr. ijß. sem. citri*, *totidem angelicæ*, *& terræ lemniæ totidem*, adeoque horum alexipharmacorum principum, in universum computatorum, *gr.* XLI. continet; quippè quæ *primaria sunt constitutiva alexipharmaca* hujus antidoti: & tamen vix ac ne vix quidem ejus erunt

effi-

efficaciæ, ut in deleterijs, & pestiferis affectibus, hac etiam multum aucta dosi, sudorem prolicere possent.

Hæc à nobis sic tradita & demonstrata, an non amplissimum lumen & theoriam dictabunt exercitatis Medicis, cujus indolis, valoris, ac pretij, sit veterum theriaca, quæ omnes ferè antiquitatis scriptores Panegyricos & Encomiastes habuit? Cui igitur non dissonum, & minùs rationabile videbitur, cùm *triplum pondus mellis*, respectu *aliarum specierum ingredientium omnium*, Theriaca, pro corpore & fundamento, quasi, materia prima, habet, ac, per consequens ℥. ejus, ß. (Theriacæ) non plus tam *de ingredientibus speciebus & pulveribus, cùm congruis, tùm pro majori inutilibus, & non congruis, imò planè noxiis, atque contrariantibus*, obtinuit, quam ʒj. (nonnunquam vix ℈ij. ob quadruplum pondus mellis, fraudulenter quandoque adjectum) quid, inquam, ʒj. *ejusdem theriacæ veterum, quæ 15. vel 12. tantùm gr. cùm utilium, tùm, pro majori parte, inutilium, & planè oppositarum specierum & pulverum* in se habet, quos effectus, quæ portenta inde videbimus, in morbis à tota substantia deleterijs, quales pestis & febres Pannoniam infestantes, purpuratæ & Colliquantes? an non id, quod fortè ʒj. Theriacæ antiquæ effecerit, potiori parte ab *opio*, dementando, compescendoque dolores, ac sudorem per accidens excitando, *tegumentorum ope*, præstitum fuerit? Qua de re tam exilis & parva dosis, ʒj. *videlicet*, neque in hac reformata Theriaca multum operari posset, nisi longè exactior harmonia & concordantia *rerum ingredientium*, cùm in pondere, tùm quoad virtutes eorum trutinandas, observata, & ordinata foret; cùm singula sic in unum effectum jam conspirent, ut hac ratione nullum etiam obstet ingrediens, (veluti in antiqua Theriaca, *Opium*, *Chalcitis*, *rhenbarbarum*, *Agaricus*, *piper*, *&c.* maximè refragabantur) quo minus hæc theriaca nostra reformata in dosi adaugeri, & vel ad ℥j. sic postulante morborum feritate, & nocua causarum syndrome, extendi possit. Veruntamen illam (theriacam antiquitus edoctam) ultra ʒι. aut ij. excessivè nefas erit, propinare ratione opij, & nonnullorum aliorum superiùs iteratò recensitorum, ac à nobis *repudiatorum ingredientium*: in qua autem tam minuta dosi modicum etiam continetur, quod deleterijs qualitatibus adversetur (gr. scil. 5. in universum, prout accuratè calculavimus) eoque minus, quod & *illa paucula grana*, præsente quasi fascino, *ab Opio & reliquis*, in operando avocentur & ligentur. Quare circumspecti deinceps vivamus, & quænam, quamque selecta, tela in pharetra nostra circumferamus, in dies prælio accincti, indagemus, neque speciosis irretiti titulis, & ementito grammate delusi, magniloquis hisce veterum inventis subscribamus, quibus cum ægros immolamus, famæ, & fortunarum naufragi.

Tandem ut me convertam, unde desij, ad Theriaces nimirum concinniorem structuram, tutam magis & verè alexiteriam, relictis supradictis minùs congruis ingredientibus; ejusdem verò dexteram compositionem ac descriptionem tradendam; multiplicabo saltem consueta ingredientia alexipharmaca, vices inutilium jam dictorum agentia, adjiciendo scilicet, in pondere, *Trochiscis de viperis*, *seu pulv. ejusdem*, ℥ij. *Zedoariæ & terræ lemniæ āā* ℥iß. *angelicæ*, *& sem.* citri ana ʒvi. Eritque compositio talis, juxta seriem ponderum quidem instituta.

Theriaca Andromachi magis restricta & correcta. *ex Pharm. Reg.* Zvvelf.

♃. *Trochisc. de viperis ritè parat. vel, horum loco, pulv. viper, n. m. parati*, ℥xiv. *comar. Scordij nostri* ℥v. *Zedoariæ seu costi veri* ℥ivß. *myrrhæ translucidæ* ℥iv. *meu*, *seu angelicæ* ℥iv. ʒij. *terræ lemniæ* ℥. ʒß. *amomi*, *seu sem. citri excort.* ℥ij. *&* ʒij. *sem. napi sylvestris*, *Opobalsami veri*, *āā* ℥iii. *cinamomi opt. croci austriaci*, *resinæ styracis calam. āā* ℥iß. *rad. gentianæ*, *valerianæ*, *seu phu pont. ros. rub. siccat. acori*, *seu calami aromat. centaurii minoris āā* ℥i. *macis*, *caryophyllorum*, *anisi*, *cubebarum*, *fœniculi*, *cardamomi minthlalpios*, *ammeos*, *sagapeni*, *castorei*, *aristoloch. longæ*, *āā* ℥ß. *Mellis puri ritè extracti*, *& nunquam cocti*, *triplum*, *i. e.* ℔xiv. *&* ℥vj. *vel xv.*

Instituatur mixtura secundum artem, planè, ad modum, in præmissa compositione indigitatum, contundendo *Oleoginosa simul cum natura sua siccioribus*, separatim *autem*, *quæ per se teri se sinunt*, & cum *aqua citri & essentia viperina*, dissolvenda & diluenda veniunt; omnia superiùs edocta. Fiatque sic *Antidotus*, seu *theriaca*, debitæ consistentiæ, viribus alexipharmacis præstantissima; quod ipsum palam facient ij, quibus naturæ arcana, vires, & effectus, scrutari, desuper est indultum.

Cæterum, cùm nec antiquorum theriaca, cum *opio* parata, suis careat virtutibus, idcircò, ut adversus superiùs descriptos morbos, putò *Diarrhœam*, *dysenterias malignas*, *immoderatum fluxum muliebrem*, *hæmorrhagiam uteri*, *& assumpta violenta cathartica*, valida sit antidotus, consultum forè duxi, specialiter, pro *his affectibus*, Theriacam, cum *Opio*, *aliisque potioribus ingredientibus*, *sed congruis antiquæ descriptioni*, mutatis tamen mutandis, dispensare; quæ sanè, *in præfatis infirmitatibus & his affinibus febribus diuturnis*, magnam navabit operam.

Theriaca simplex, *ex Pharm. Reg. Zvvelferi.*

♃. *Rad. angelicæ*, *Imperatoriæ*, *morsus diaboli*, *Scorzoneræ*, *āā* ℥iv. *enulæ*, *valerianæ*, *āā* ℥ij. *herb. scordij nostrat. recent.* ℥vj. *rutæ hort. recent.* ℥iij. *bacc. juniperi* ℥iv.

Incisa & contusa coquantur in s. q. *aquæ simpl.* repetitis vicibus, quousque tota eorum vis extracta sit. Decoctiones omnes, & expressiones, junctim, cum *album. ovor.* clarificentur, &, in *terreo vase*, ad extracti, seu mellis spissitudinem evaporent; cui *extracto*, seu *decocto inspissato*, adde

Mellis purissimi virginei, *clari nunquam cocti*, ℔viij.

His mixtis porrò *pulveres subsequentes*, minutissimè triti, sub continua agitatione, leni in calore, inspergantur, & quidem per *cribrum setaceum angustum*, ut potè:

Pulv. rad. zedoariæ ℥iij. *angelicæ*, *succisæ seu morsus Diaboli*, *āā* ℥ij. *gentianæ*, *dictamni albi*, *āā* ℥iß. *herb. scordij nostr.* ℥iij. *sem. citri excort. rutæ hortensis*, *napi sylvestris*, *bacc. Juniperi*, *lauri*, *āā* ℥jß. *croci opt.* ℥i. *cum vino citrato*, *ad pultis formam*, *diluti*, *myrrhæ electæ*, *cum eodem vino citrato*, *ad formam pultis solutæ*, ℥ij. *Cinamomi opt. acuti*, *nuc. mosch. āā* ℥i. *ultimò verò inspergantur*, *ol. still. juniperi* ʒii. *rutæ* ʒiß.

Misceantur exactè: fiatque *electuarium* justæ consistentiæ, præstans alexipharmacum contra morbos contagiosos & pestilentiales, febres malignas, quartanas, ad diaphoresin & sudores eliciendos, theriacâ andromachi neutiquam inferius Dosis ʒ. i. ii. iii. ad ℥ß. in vehiculo appropriato.

Antidotus Theriacalis, *ex Pharm. Reg. Zvvelferi.*

♃ *Rad. Angelicæ*, *imperatoriæ*, *pimpinellæ*, *contrayervæ*, *enulæ campanæ*, *succisæ*, *valerianæ*, *āā* ℥iij. *gentianæ* ℥ij. *herb. scordij nost. recent.* ℥vj. *rutæ recent.* ℥iv. *cort. limon. recent. & extim.* ℥ii. *arantior. recent. & extim.* ℥ß. *bacc. lauri* ℥i.

Hæc

Hæc cuncta recentia, si fieri possit; aut ad minimum recenter siccata, incidantur & contundantur crassiusculè & cum s. q. aquæ simpl. repetitis vicibus affusa, coquantur ad totalem virtutem extractionem. Decoctiones album. ovorum clarificatæ, ad consistentiam extracti, seu Mellis, in vase terreo vitreato leniter evaporent, cui inspissato decocto adde Mellis purissimi legitimè juxta n. informationem extracti, lib. vj. rob. juniperi, dextrè ac diligenter parati, ℔ iß.

Huic melli affatim alexipharmacâ virtute jam imprægnato porrò adde, & pedetentim per cribum angustum sub continuâ agitatione & leni in colore, insperge pulv. sequentes utpotè.

Pulv. viperarum, vel serpentum, salubriorum n. m. parati, ℥vj. *ex typhis cervinis, in animadversionibus n. edocti,* ℥iii. *pulv. rad. contrayervæ,* ℥ii. *anthoræ* ℥i. *Zedoariæ* ℥iii. *croci austriaci* ℥i. *diluti priùs ad pulticulam, cum succo ex corticibus limon. recentibus expresso, vel cum vino in quod cortices limonum larga quantitate infusi fuerint. Myrrhæ translucidæ* ℥ij. *eodem modo, cum s. q. vini citrati ad pulticulam soluti, cinamomi acuti* ℥i. *sem. citri excortic. napi sylvestris, rutæ hortensis, ana* ℥iß. *nuc. mosch.* ℥i. *ultimò instillando ol. still. rutæ* ʒi. *juniperi* ʒij.

Fiat omnibus sic exactè mixtis, *Antidotus* sive *electuarium*, justæ consistentiæ; in omnibus ac singulis morbis contagiosis, pestilentibus, & deleteriis, præstantissimum. Cujus dosis ʒi. ad ʒ. & ℥ß.

Nota: cùm non temerè huic Antidoto tam celebre inscribam elogium ac titulum, lege, quæ ad me litteris suis expressit Vir Doctiss. & Celeb. Medic. Dn. Joan. Chrys. Irmbel, his formalibus: *Huic Electuario addidi pulveris sulphuris vivi, solâ liquatione in fictili tripode, leni igne, à terrestreitate separati,* ℥ii. *& exhibui* ʒi. *&* ʒii. *cum aceto alexipharmaco; & aqua alexipharmacâ; &, inter composita ordinaria, nullum, pro peste infectis, efficacius reperi. Dedi etiam, à sumpto veneno, mirabili convulsione à lecto ad trabes usque, subitò distentis, tanquam per fenestram evolaturis, eodem modo; & benè profecit, sine ordinatione aliorum.*

Antidotus Theriacalis secunda: Dysenteriis Malignis accommodata, *ex Pharm. Reg. Zuvelferi.*

℞. *Rad. acori, petasitidis, Scorzoneræ, succisæ, tormentillæ, ana* ℥iv. *Cichorij sylvestris, pimpinellæ, ana* ℥iij. *herb. scordij nostr. millefolij, plantag. min. equiseti pyrolæ, ana recent.* ℥iij. *flor. calendulæ, papav. errat. ana* ℥iß. *rosarum rub.* ℥iiß.

Incisa & contusa coquantur cum s. q. aquæ simpl. reiteratâ affusione, colatura, & expressione, quousque tota eorum vis & efficacia extracta fit: decoctiones & expressiones junctim album. ovor. probè clarificatæ ad spissitudinem *extracti*, vel *Mellis*, in vase terreo vitreato, leniter coquendo, evaporent: cui decocto inspissato addantur.

Mellis opt. puri n. m. legitimè extracti ℔x. jam verò huic *melli*, rerum dictarum virtutibus imprægnato, sequentia, subtilissimè trita, lege artis, incorporentur, ad normam superius, in præparatione theriaces, edoctam: nempe.

Pulv. ex typhis cervi, seu bezoardici cervini simpl. in animadv. n. ad Mantissam, p. 467. *edocti,* ℥iv. *rad. acori, seu gladioli lutei, angelicæ, contrayervæ, ana* ℥iß. *dictamni albi, tormentillæ, Zedoariæ, ana* ℥ij. *bistortæ, calami aromatici, doronici veri, ana* ℥i. *herb. scordij nostr.* ℥iß. *flor. rosar. rub.* ℥ij. *croci opt. austriaci, baccarum lauri, sem. Napi agrestis, citri excort. rutæ hortensis ana* ℥i. *nuc. Mosch.* ℥iß. *terræ sigill. siles.* ℥ij. *myrrhæ translucidæ, olibani in granis, cort. citri, seu limon. extim. arant. recent. & extim. siccat. ana* ℥iß. *resinæ styracis calam. terebinthinæ de Cypro, ana* ℥iß. *ol. nuc. Moschat. expressi* ʒi. *opij correcti, cum spiritu vini extracti, ac ad justam mellis consistentiam redacti,* ℥ii.

Conficiatur ex omnibus, lege artis commixtis, ad normam theriaces correctæ, *electuarium*, seu *antidotus*, diluendo *Crocum* ad formam pultis, cum s. q. *vini citrati, in quo nimirum cortices citri recentes infusi fuerint*, pariter & *myrrham*, *eodem vino citrato*, ad formam pulticulæ dissolvendo.

Præstat hæc antidotus in dysenteriis, ac Diarrhæis malignis contagiosis, sputo sanguinis, lienteria, fluxu hepatico & colica passione: hæmorragias sistit, & quidquid ab assumpto violento pharmaco, irritata facultate expultrice, profusas & symptomaticas evacuationes minitatur, compescit. Do[si]s est à ʒi. ad ℥ß.

Theriaca communis Augustanorum, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Rad. Enulæ* ℔ß. ℥v. ʒvij. *aristolochiæ rotundæ veræ* ℔ß. ℥iß. *longæ,* ℥iß. ʒij. *gentianæ, dictamni albi, tormentillæ, spicæ romanæ, calami aromatici ana* ℥ß. *mei, phu. pimpinellæ ana* ʒvj. *Zedoariæ* ℥ij. ʒvj. *zingiberis* ʒiii. *fol. scordij, chamædryos, chamæpityos, ana* ℥iij. ʒvj *scabiosæ, sabinæ ana* ℥i. ʒvj. *betonicæ, salviæ domesticæ, prassij ana* ℥iß. *melissæ hortensis, menthæ rubræ ana* ʒvj. *absinthij, calaminthæ montanæ ana* ʒiii. *comarum hyperici* ℥i. ʒvj. *corticum citri siccorum* ℥iij. ʒi. *sem. rutæ* ℥i. ʒvj. *ammeos, carvi ana* ʒvj. *baccarum lauri* ℥iß. *granorum Juniperi* ℥iij. ʒvj. *nuc. juglandium n.* LX. *Sandali rubri, succini citrini, macis ana* ʒvj. *piperis nigri, castorei ana* ʒiij. *vitrioli præparati* ℥iß. *boli armenæ Orientalis præparatæ,* ℔ß. *Opij Thebaici, sulphuris vivi præparati ana* ℥iij. ʒj. *cornu cervi præparati* ℥iß. ʒß. *olei juniperi è laceis* ℥iij. *oxymelitis scillini* ℔i. *succi corticum fraxini* ℥ij. *vini cretici* ℔i. *mellis optimi despumati triplum.*

Simplicibus singulis suo tempore collecti, & artificiosè præparatis, fiat Theriaca in bona forma.

Theriaca hac vulgus ad subitas morborum invasiones, ubi contagij alicujus suspicio subest, commodè quondam utebatur: sudores enim potenter prolicit, humorum putredini adversatur, eorumque corruptionem emendat; colicos insuper, inflatos, ex ventre, vesica, stomacho, aut utero dolentes adjuvat, venenis resistit, malignarum febrium primos insultus reprimit, cordis noxas è putridorum succorum halitu ortum ducentes discutit, coctionem adjuvat, frigidam viscerum intemperiem corrigit, ac contra venenati aut contaminati aëris noxas salubriter adsumitur.

Theriaca Londinensis, *ex Pharm. Lond.*

℞. *Cornu cervini limâ derasi,* ℥ii. *sem. citri, oxalidis, pœoniæ, ocimi, ana* ℥i. *scordij corallinæ, ana* ʒvj. *rad. angelicæ, tormentillæ, pœoniæ, fol. dictamni, baccarum juniperi, lauri, ana* ℥ſs. *flor. calendulæ, caryophyllorum, anthos, summitatum hyperici, nucis mosch. croci, ana* ʒii. *rad. gentianæ, zedoariæ, zingiberis, macis, myrrhæ, fol. scabiosæ, succisæ, cardui benedicti, ana* ʒii. *caryophyllorum, opii, ana* ʒi. *vini canarini generosi q. s. mellis despumati triplum.* Misce secundum artem.

Theriaca resoluta, *ex Pharm. Norimb.*

℞. *Alcohol viperarum,* ℥ii. ʒiij. *gr.* xxi. *castorei electi,* ʒii. *pulpæ scyllæ,* ℥iiſs. *gran.* 48. *radicum Iridis Illyricæ,* ℥iſs. *quinque fol j, rhapontici veri, zingiberis, ana* ʒvi. *phu pontici,* ʒv. *acori, gentianæ, mei, ana* ʒiſs. *aristolochiæ longæ,* ʒii. *calami aromatici* ʒi. *asari* ℈ii. *fol. & summit. scordij,* ℥iſs. *nardi indicæ,* ℥i, *schœnanthi,* ʒvii. *calaminthæ montanæ, dictamni cretici, malabathri, marrubii, ana* ʒvi. *chamædryos, nardi celticæ*

celticæ, polij montani ana ℥ß. mari veri, majoranæ, āā ℈ii. flor. rosf. finiss. ℥ſs. stœchadis arabicæ, ʒvj. hyperici ℥ſs. centaurii minoris ʒii. seminum napi, ℥iß. amomi racemosi ℥i. petroselini, ʒvi. ammi, anisi, fœniculi, seseli massiliensis, thlaspi ana ℥ſs. dauci cretici, ʒii. carpobalsami ℥ſs. piperis longi ℥iij. Cinamomi electi, ʒxiij. cassiæ ligneæ, Croci Orientalis, ana ℥i. costi veri, ʒvij. piperis albi, nigri ana ʒvi. cardamomi minoris, ℥ſs. ligni Aloës ʒi. santali citrini ℈ii. Succi opii thebaici el. ℥iij. Opobalsami veri, ʒxiii liquiritiæ ℥iſs. acaciæ, hypocistidis ana ℥ſs. myrrhæ rubræ ℥i. terebinthinæ Cypriæ, thuris electi ana ʒvi. gummi arabici, storacis calamitæ ana ℥ſs. bituminis judaici, galbani, opopanacis, sagapeni, ana ʒii. mastich. elect. ℈i. agarici albiss. ℥iſs. terræ lemniæ, Chalcitidis āā ℥ſs. vini, quantum pro dissolvendis liquoribus & succis sufficit. Mellis optimi despumati triplum. Fiat secundum artem.

Theriaca contracta, *ex Pharm. Le Mort.*

℞. *Opii præpar. ℥ii. pulpæ recent. Scilli, piper. long. āā ℥iii. cinamom. scordii, olei nuc. moscat. ℥iß. rad. costi odorat. pentaphylli, spicæ nardi indicæ, zingiberis, cassiæ ligneæ, croci britannici, piperis albi, nigri, myrrhæ, terebinthinæ Cypriæ āā ʒvi. calami aromatici, gentianæ, valerianæ, spicæ celticæ, fol. lauri, baccar. juniperi recent. cardamom. minoris, Caryophyll. plinii, ana ℥ß. Chalcitidis tostæ ʒiii. flor. centaurij minoris, castorei ana ʒii. mellis optimè* despumati triplum.

Electuario s. a præparato adde vini generiosioris q. s. ut repetitis agitationibus in modum intestinum reducatur, dein usui reponatur.

Vires. Cum Theriacæ vulgaris Andromachi viribus convenit, sudores movet, venenis resistit, febribus malignis conducit. Dosis à ℈i. ad iv.

Alia contractior Theriaca, *ex Pharm. Le Mort.*

℞. *Angelicæ, valerian. Imperator. bacc. juniperi, lauri ana ℥ß. nuc. Mosc. croci, rad. gentianæ, zedoariæ, macis āā ℥ii. myrrhæ, fol. Lauri, card. benedict. Caryophyll. ana ʒiii. Opii debito modo parati ʒi. mellis triplum. Vini generosi q. s. M. f. s. a.* electuarium, tingendum vitrioli Martis leviter calcinati s. q.

Vires. Viribus præcedenti & vulgariter paratæ Theriacæ non cedit. Dosis à ℈i. ad ℈iv.

Theriaca Smaragdina, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Smaragdi præpa.* ℥iij. *hyacinthi præp. radicum pœoniæ, seminum ejusdem, visci querni, Cinnamomi, zedoariæ ana ʒij. croci ʒſs. dictamni Cretici, sem. citri, ana ʒiij. Coralliorum rub præp. ana ʒiſs. rasuræ unicornu, eboris ana ʒij. syrupi è succo limonum, mellis despumati ana q. s. fiat Electuarium molle.*

Epilepticis, vertiginosis, & uterinis affectibus maximè est proficua.

Theriaca Diatessaron, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Gentianæ, baccarum lauri, myrrhæ, aristolochiæ rotundæ ana ℥ij. Mellis despumati* ℔ j.

Ad venenatos morsus & potus efficax, omnesque cerebri frigidos affectus, convulsiones, resolutionem, morbum comitialem, ventriculi inflationem, ac coctionis tarditatem.

Theriaca hæc licet jumentis communiter exhibeatur, hominibus tamen identidem salutaris existit. Valebit autem plurimùm contra pestilentis luis infectionem, aliorumque morborum malignorum contagia, si ei terram lemniam, aut bolum armenam dictamnum album, tormentillam, Scordium, carlinam, zedoariam vel angelicam aucto mellis pondere junxeris. Notabis autem vulgares illas radices pro aristolochiæ radicibus nonnunquam venundari solitas, pistolochiæ radices esse. Aristolochia verò vera radix est longè major, & tuberosa, intus solida, colore buxi flavo, odorem, & saporem aristolochiæ longè nostratis referens.

Tryphera magna Nicolai, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Opij ʒi. cinnamomi, caryophyllorum, galangæ, spicæ indicæ, zedoariæ, zingiberis, costi, styracis calamitæ, Cyperi, calami aromatici, rad. ireos illyricæ, peucedani, acori, aut galangæ majoris, cort. mandragoræ, rosf. rubr. nardi celticæ, piperis, anisi, apij, petroselini, fœniculi, dauci, sinoni, hyoscyami, hyssopi, sem. Ocimi ana ʒi. mellis despumati triplum, seu ℥xß.*

Putredines humorum emendat, & bonum corporis habitum restituit, porrò ad omnia muliebria vitia à frigiditate nata, efficax est; inditur etiam utero cum oleo Moschato.

Tryphera minor Phæonis Mesuæ, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Myrobal. chebularum, belliricarum, indarum, emblicarum, nucis moschatæ, ana ʒv sem. nasturtij, asari, origani cretici, piperis, thuris, ammeos, zingiberis, folior. tamaricis, nardi indicæ, Schœnanthi, cyperi ana ʒiv scoriæ ferri, aut chalybis v. diebus aceto macerati ℥xx. Myrobalani cum butyro recente non salito modicùm assentur, reliqua oleo amygdalorum dulcium imbuantur: deinde adde moschi ʒi. mellis despumati triplum, i. e. ℔. ii. ℥ix. ʒvi.* Fiat Electuarium.

Ventriculum, hepar, renes, vesicam roborat, ob id fluorem alvi, hæmorrhoidum & mensium immodicum cohibet, sanguinis corruptionem, nec non cruditates, ac in ventriculo putredines humorum emendat, bonumque colorem reddit.

Electuaria Venerem Stimulantia.
ex Weckeri Antidotario.

Electuarium ad Venerem.

℞. *Conservæ rad. Eryngij, zingiberis conditi ana ℥i: testiculorum gallor. decoct. in lacte ℥ß. pinearum mundatarum, & in lacte maceratarum ℥i. amygdalarum dulcium, avellanarum maceratarum in melle per diem ana ℥ß. sem. bulbi ʒi. cum syrupo conservæ cortic. citri fiat electuarium, de quo sumatur ante pastum.*

Aliud.

℞. *Conservæ satyrionis ʒii. cort. citri conditi ℥ß. avellanarum in melle maceratarum n.* 10 *pinearum, pistaciorum in butyro breviter frixorum āā ʒi. carnis testudinis decoctæ cum eruca ℥ii. cinnamomi ʒß. cum syrupo conservationis Eryngij: fiat Electuarium. Sumat ad quantitatem nucis.*

Electuarium pro ijs, quibus semen est acre,
ex Weckeri Antidotario.

℞. *Pinearum conditarum cum saccharo ℥ii. rad. pastinacæ agrestis ℥i. caulium, lactucæ, carnium cucurbitæ conditæ cum saccharo ana ℥iß. carnis testudinis coctæ cum oryza ℥iii. cum syrupo conservationis Satyrionis:* Fiat Electuarium. Sumat ad nucis quantitatem tribus horis ante pastum.

Electuarium ad Venerem, Avicennæ,
ex Weckeri Antidotario.

℞. *Caudæ scinci ℥iß. sem. napi, banciæ, allest. cepæ albæ, urticæ, Erucæ āā ℥i. melanopiperis, leucopiperis, macropiperis āā ʒv. cepæ muris assæ ℥ß. pinearum ℥iß. linguæ avis ʒvj. cerebellorum passerum ℥ß. testiculorum galli ℥i.*

Tere, & confice cùm butyro vaccino & melle, & sit butyri tertia, & mellis tertiæ duæ, & repone in vase. Dosis ejus est ʒß. cum vino dulci post cibum. Sperma auget; & convenit Regibus.

Electuarium ad libidinem augmentandam. *ex Weck. Antidotario.*

℞. Sem. seseleos, erucæ, anisi, lini, piperis, pyrethri, sesami purgati, farinæ cicerum ana ʒ. 2.

Tere & confice cum oleo sesamino recenti: adde penidiorum ad pondus omnium, mellis quantum sufficit. Fiat Electuarium.

Electuarium ad coitum augmentandum. *ex Wecker. Antidotario.*

℞. Sileris montani, cymini, sem. urticæ ana ʒ.10. *zingiberis* ʒ.15. *satyrionis* ʒ.5. *pinearum mundat.* ʒ.20. *anisi* ʒ.6.

Tere, & frica cum butyro: tempera cum melle despumato. Dosis unc. ß. in introitu lecti.

Electuarium ad libidinem augendam. *ex Weckeri Antidotario.*

℞. Uvam passam, daucum domesticum, & abjice interiora, tere diutissimè cortices & adjunge, gummi arabici ℔.1. *pone in frixorium stanneum, & superadde olei esamini unc. 1. frica & pone mellis* ℔. 3. *dimitte usquequò condensentur: admisce vitellos ovi, num. 5. ab igne remove, & adde galangæ* ʒ. 2. *sem. urticæ, piperis longi, cinnamomi, caryophillorum, sem. rapæ, ceparum, dauci ana* ʒ. 2. *commisce diligenter. Si volueris tingere, adde croci* ʒ. 2. postea reconde in vase vitreo; & usui reserva.

Aliud Venerem excitans.

℞. Sem. asparagi, satyrionis ana unc. 1. bedeguar. been albi & rubri, zingiberis ana ʒ.3. *sem. erucæ, sem. dauci, sem. ceparum, sem. urticæ ana* ʒ.2. *linguæ avis* ʒ.1. *facch. quart. 1. tere, & per tempora dabis unc. ß. cum lacte, vel mulsa, sero & mane.*

Aliud ad idem, pro ijs, qui non possunt coïre ex frigiditate.

℞. Spec. diagalang. ʒ.1. *cinnamomi, caryophyllorum, satyrionis ana unc. 1. pyrethri, piperis, sem. urticæ, sem. dauci, sem. lini, sem. carvi, sem. sileris montani ana* ʒ ß. *penidiorum* ℥.2.

Tere & tempera cum melle, & repone. Dosis ad modum avellanæ ante prandium, & post cœnam.

Electuarium Venerem minuens. *ex Weckeri Antidotario.*

℞. Conservæ nymphææ unc. 2. caulium lactucæ ʒ.1. *coral. rubri, crystalli ana* ʒ. 3. *caphuræ* ʒ. ß. *sem. agni casti unc. ß. cum syrupo myrtillorum.* Fiat Electuarium.

Electuarium Vitæ Arnoldi de Villa Nova. *ex Ph. Aug.*

℞. Recipe uvarum passarum ℔.1. *glycyrrhizæ rasæ, unc. ß. myrobal. chebularum, citrinarum, indarum ana unc. 1. emblicarum, belliricarum ana* ʒ. 1. *decoquantur cum aqua fontana sufficiente quantitate,* postea colentur & exprimantur, In colatura solvatur *facchari* ℔. ß. *coctis ad formam syrupi addatur cinnamomi electi, caryophyllorum, galangæ, nucis moschatæ ana* ʒ.1. *sem. anisi, fœniculi ana unc. ß.* misceantur, ut est artis. Ventriculum roborat, simulque leniter evacuat.

Electuaria varia purgantia, & alia. ex Timæo.

Electuarium emolliens in alvi constipatione.

℞. Prunor. dulc. unc. 3. tamarind. passular. min. ana unc. 2. flor. violar. recent. M. 1. f. coq. ex aq. malvæ & trajiciantur per setaceum f. pulpa, cui add. cassiæ recent. extract. unc. 2. ß. conserv. violar. recent. unc. 1. facch. cand. alb. q. s. f. s. a. Electuarium.

Electuarium Terebinthinatum laxativum.

℞. Terebinth. cypriæ, c. aq. malv. ad duritiem coct. & in pulv. redact. unc. ß. pulv. rhabarb. elect. ʒ. 3. *fol. sen. mundat.* ʒ. 2. *resin. gialapp.* ʒ. 1. *gr. 4. liquirit.* ʒ. 1. M. c. syrupo rosar. solutiv. f. Electuarium.

Pruna laxativa.

℞. Prunor. damasc. enucl. ℔. ß. *coqu. ex s. q. aqu. simpl.*

℞. Colatur. ferventiss. ℔. 1. ß. *fol. sen. s. s.* ℥. 1. *cremor. tartari* ʒ. 2. ß. *cinam. acutiss.* ʒ. 2.

Stent in infusione per horas 4. loco calido, postea ebulliant semel atque iterum, exprimantur & colentur. Colatura affundatur prunis. Serventur in vase vitreo vel fictili.

Passulæ laxativæ.

℞. Passul. minor. benè mundat. ℔. ß. *vin. rhenan. opt.* ℔. 1. *stent in infusione per noctem, manè adde facch. albiss.* ℥. 9.

Coquantur ad consumptionem vini, postea insperg. *resin. gialapp. subtiliss. pulv.* ℈. 4. misceantur exactissimè.

Electuarium Cephalicum.

℞. Fol. recent. betonic. primul. veris, majoran. meliss. salviæ, basilic. rorismar. euphras. ana m. 1. flor. lavendul. lil. convall. rosar. tunicis ana m. ß. incisa & contusa cum s. q. facchari redigantur in formam Electuarij.

Electuarium Antiepilepticum.

℞. Pulv. nostr. epilept. ℥. ß. *medul. nucis indic. condit.* ʒ. 6. *confect. alkerm. de hyacynth. ana* ʒ. 2. *magister. Lun.* ʒ. 2. *spir. lil. convall. flor. tiliæ rosar. ana* ℈. 1. *essent. ambræ* ʒ. 2. *syrup. de pæonia* q. s. M. f. Electuarium.

Aliud.

℞. Theriac. Andromachi ℥. ß. *pulv. castorei* ℈. 4. *sal. succin. volatil.* ℈. 2. *ol. stillat. rutæ, rorismarin. succin. alb. ana gr.* 5. Misc. c. syrupo de stæchade capitali Zwölferi q. s. f. Electuarium.

Electuarium Ophthalmicum.

℞. Succ. euphrasiæ ℥. 4. *fœniculi* ℥. 2. *chelidoniæ, rutæ, calendul. rosar. ana* ℥. 1. *mell. despumat.* ℔. 1. ß. coquantur ad consistentiam syrupi, *postea adde pulv. euphras. recent. siccat.* ℥. 2. *sem. fœniculi* ℥. ß. *montan.* ʒ. 3. *maceris* ʒ. 1. ß. *cubebar.* ʒ. 3. *cinam. acutiss.* ʒ. 2. *caryophyllor.* ʒ. 1. M. f. Electuarium.

Electuarium Antiphthisicum.

℞. Conserv. rosar. rubr. ℔. ß. *heder. terrestr. symphyt. ana* ℥. 3. *pulv. haly Abbat.* ℥. 1. *fung. salicis* ʒ. 2. *extract. liquirit.* ʒ. 3. *tussilagin.* ʒ. 2. Misc. c. syrupo nostr. pectorali ex succis fiat Electuarium.

Electuarium Cordiale.

℞. Conserv. rosar. rubr. ⊕lat. unc. 8. pulp. citr. condit. unc. 4. conserv. cort. citr. unc. 4. flor. citr. condit. unc. 2. magister. perlar. corallor. ana ʒ. 1. ß. *confect. alkerm. de hyacynth. ana unc. 1. velleris aurei Weidn.* ʒ. 1. *syrup. perlar. oriental. & granat. dulc.* q. s. M. f. Electuarium molle.

Electuarium Stomachale calidum.

℞. Spec. diacinamom. aromat. rosat. ana ʒ. 6. *caryophyllor.* ʒ. 3. *condit. zingiber. chinens. unc. 3. calam. aromat. unc. 2. cort. aurant. unc. 1. ß. conserv. rorismar. unc. 3. flor. tunic. unc. 2. cubebar. unc. ß. cardamom.* ʒ. 3. *syrup. de cinamom.* q. s. M. f. Electuarium.

Electuarium Stomachale frigidum.

℞. Conserv. rosar. ⊕lat. ℔. ß. *rad. cichorii unc. 3. spec. diarrhod. abb.* ʒ 3. *diamargar. frigid.* ʒ. 1. ß. *condit. lactuc. hispan. unc. 1. ß. rob. ribium unc. 4.* M. f. Electuarium.

Electuarium epaticum calidum.

℞. Conserv. rorismar. unc. 6. absinth. betonic. ana ℥. 2

spec. diaxyloaloës, diacinamom. ana ℥. ß. *condit. acori veri* ℥. 2. *scorzoneræ, cortic. citri ana* ℥. 1. *M. c. syrupo de Eupatorio* q. s. f. Electuarium.

Electuarium Epaticum frigidum.

♃. *Conserv. rad. cichorii* ℔ ß. *rosar.* ⊖ *lat.* ℥. 4. *spec diarrhod. Abbat. diatr. santal. ana* ℥. ß. *syrup. fragor.* q. s. M. f. Electuarium.

Electuarium Spleneticum.

♃. *Limatur. chalyb. subtiliss.* ℥. 2. ß. *spirit.* ⊖ *li* ♂ ʒ 1 ß. *M. exactiss. postea add. pulp. passul. corinthiac. conserv. fumar. ana* ℔. ß. *rad. cichorii* ℥. 4. *cubebar.* ʒ. 6. *M. c. syrup. de scolopend. Fernel.* q. s. f. Electuarium.

Electuarium Antiscorbuticum.

♃. *Pomor. citr. recent. n. 4. incidantur minutissimè unà cum cortic. add. nasturtii, M. 4. cochlear. M. 3. bekabung. M. 2. rad. cichorii omnium recent.* ℥. 3. contundantur in mortario lapideo & c. s. q. sacchar. clarificat. f. Electuarium.

Electuarium in exulceratione renum, vesicæ, &c.

♃. *Conservæ malvæ, rosar. rubr. ana* ℔. ß. *nymphaæ,* ℥. 5. *pulv. sem. hyperic.* ℥. 1. ß. *spec. diatrag. frigid.* ℥. ß. M. c. syrupo de althæa. f. Elect.

Diakermes Solutivum.

♃. *Resin. gialapp.* ʒ. 1. *gr. 6. sem. melon. excort.* ℈ 2. ß. *spirit. rosar.* ℈. 1. misc. in mortario marmoreo exactissimè postea add. *confect. alkermes* ℥. 1. M. f. Electuarium.

Electuarium Hypnoticum.

♃. *Syrup. papaveris alb.* ℥. 1. *dissolve in h. laudan. opiat. optimè correct.* ℈. 2. *add. conserv. violar.* ℥. 2. ß. *tinctur.* ☾. *gran. 36. spirit. rosarum gt. 21.* M. f. Electuarium.

Electuarium Cephalicum.

♃. *Sacchari anthosat. tabulat.* ℥. 6. *ol. stillat. succini albi, nucis moschat. rorismarin, lavendul. rosar. ana gt. 13. ambrægrys. gr. 11. moschi Alexandri. gr. 7. aq. apoplect. Heinii,* q. s. M. f. Electuarium.

Electuarium Cordiale.

♃. *Confect. alkermes* ℥. 1. ß. *de hyacynth.* ℥. ß. *ol. stillat. cinam. gt. 11. citri rosar. ana gt. 9. maceris gt. 7. syrup. corallin.* q. s. M. f. Electuarium.

Electuarium Stomachale.

♃. *Sacchar. rosat. tabulat.* ℥. 6. *ol. still. bacchar. lauri gt. 13. cinamom. gt. 11. nucis moschat. gt. 9. caryophyllor. gt. 7. maceris gt. 9. aqu. nostr. stomachal.* q. s. M. f. Electuarium.

Electuarium Carminativum.

♃. *Sacch. rosat. tabulat.* ℥. 6. *ol. still. bacc. lauri gt. 13. cort. aurant. anisi, fœniculi, carvi, cumin. ana gt. 11. syrup. de corticibus aurant.* q. s. M. f. Electuarium.

Electuaria varia ex Pharm. Bateanâ.

Electuarium Album.

♃. *Cerus.* ℥ ij. ℥ iv. *facch. albiss.* ℥ xij. *m. f. pulv. cui adde syr. de radic. eryngii* ℥ iv. *vel q. s. ut f. Elect. albissimum. Dos.* ʒ j. *vel iij. bis in die, augendo quantitatem quotidie gradatim ad* ʒ vj. *pro vice. Sanguinem purificat. Datur in Cachexia, Hydrope, Ictero, Scorbuto, Lue* ♀, *&c.*

Electuarium Asthmaticum.

♃. *Flor.* 🜍 ℥ iij. *cinnam.* ʒ j. *z. z.* ʒ iv. *croc.* ʒ ij. *mosch. gr. vj. mell. despumat.* ℥ vj. *vel q. s. m. f. Electuar. D.* ʒ iij. *bis in die.*

Electuarium Caryophyllatum.

♃. *Conf. caryoph. hort.* ℥ iv. *conf. rof. r.* ℥ vj. *syrup. de cort. citri* ℥ ij. *contus. opt. trajic. per setac. & adde arom. rosat.* ʒ iij. *caryoph. indic. incis.* ʒ iij. *ambr. gris.* ℈ ß. *m. f. Elect. Usus est egregii in Anorexia, ventriculi dolore, &c. Dos.* ʒ j. *ad ij. &c.*

Electuarium Castitatis.

♃. *Sem. vitic. hyoscyam. ā* ʒ j. *camph.* ʒ ij. *glyc.* ℈ iv. *m. f. pulv. adde conf. fl. nymph.* ℥ iij. *syr. de nymph. q. s. f. Elect. D.* ʒ ij. *vel iij. bis in dies, superbibendo serum chalybeat. & inungendo interim Renes, ac testes oleo sem. hyosc. express.*

Electuarium Chalybeatum.

♃. ♂ *prep.* ℥ j. ♂ *mandat.* ℥ ß. *pulp. passular. minor.* ℥ xij. *ol. cinnam vel caryoph. gt. 40. m. f. a. Datur utiliter in Chlorosi, Hydrope, &c.*

Electuarium Diarrhodi.

♃. *Spec. diarrhod. Abbat.* ℈ iv. *mivæ Berber.* ℥ iij. *facchar. alb. in* ▽ *fragor. solut.* ℥ iij. *m. f. Electuarium. Dos.* ʒ iij. *bis in die, superbibendo haustum seri de sedo.*

Electuarium Ducis Sabaudiæ.

♃. *Sarsaparil.* ℥ iij, *semin. ebuli* ℥ v. *sem. hyperic. fol. chamædr. chamæpit. ā* ℥ iij. *rad. angelic.* ʒ iij. *aristol. rot.* ʒ vj. *cinnamom.* ʒ ii ß. *caryophyllor.* ℈ iv. *croci* ℈ ij. *m. f. pulv. subtil. & cum melle despumato triplo f. Elect. D.* ʒ ij. *per annum totum quotidie. Ad Arthritidem curandam optimum remedium.*

Electuarium Epilepticum.

♃. *Sterc. albiss. pavon. siccat. rad. pæon. mar. ā* ℥ ij. *rad. Valerian.* ℥ j. *sem. pæon. excort.* ℥ iij. *carvi* ℥ ß. *m. f. pulv. cui adde mel. anthosat. q. s. m. Dos.* ʒ ij. *&c.*

Electuarium Juniperinum.

♃. *Bacc. junip. succulent. contus.* ℔ j. *infund. in* ▽ *font.* ℔ ij. *per* ⚹ 3. *f. colat. adde facch. opt.* ℔ j. *coq. ad syr crassior. consistentiam. Tum adde Elect. è Sass. fr.* ℥ iv. *calam. arom. pulverisat.* ʒ i ß. *macis* ʒ j. *croc.* ʒ ij. *m. f. a. Diureticum, Stomachicum, &c.*

Electuarium Lithontripticum.

♃. *Tereb. Ven.* ℥ ij. *vitell. ovor. num. 2. exactis. mixtis adde pulveris sem. bardan. milii* ☉ *ū ā* ℥ j. *alkekeng.* ʒ iij. *lap. Judaic.* ʒ vj. *syr. de alth. q. s. m. Dos.* ʒ ii. *bis in die, (præmissis præmittendis) superbibendo aq. Senel. comp.* ℥ iv. *cum syr. de alth.* ℥ i.

Electuarium Macis.

♃. *Macis in oxyrrhodino per 24. horas infus. & exiccat.* ℥ i. *sem. citri, cardui, lign. vitæ, ā.* ʒ i ß. *fiat omnium pulv. subtiliss. cui adde spec. liberant.* ʒ i. *cort. citri condit.* ℥ i. *theriac. androm.* ʒ iii. *conf. borag. & lujul. ā.* ℥ ii. *syr. lujul. q. s. f. Elect.* Usus est in peste, ac morbis malignis.

Electuarium Oxydorsicum.

♃. *Succ. rutæ & chelidon. depurat. ana* ℥ iv. *mell. opt.* ℔ i. *coq. despumando ad debit. consist. deinde adde pulveris summit. euphrag. (nigris surculis)* ℥ ii. *sem. fœnic. D.* ʒ vj. *cinnam. cubeb. caryoph. macis, macropiper. ana* ʒ i. *m. f. Elect. s. a.* Ad visum acuendum insigne est remedium. Dosis ʒ iij. bis in die.

Electuarium Paralyticum.

♃. *Sem. sinap. siccat. & pul.* ℥ v. *sem. nasturt* ℥ ii. *syr. de succo salviæ* ℔. i. *vel q. s. f. Elect.* Dosis ℥ ß. quotidie per menses aliquot optimum remedium.

Electuarium Pectorale.

♃. *Pulp. uv. passar. exacin. pulp. conf. rof. r. syr. capill. ven. ana* ℥ iv. *facchar. cand. pulverisat.* ℥ iij. *spec. diatrag. frig.* ʒ v. *spir.* 🜍 *gut. xxv.* m. f. Electuarium.

Electua-

Electuarium Piperinum.

℞. *Piper. l. minutiss. incis.* ℥iß. *pulv. fol. rutæ* ʒß. & ʒv. *ther. Januens.* ℥xii. *m.* In colica, ventriculi dolore, &c. (post varia incassum usurpata) ad miraculum hoc præstitit.

Electuarium Vermifugum.

℞. *Fol. helleboraſtri pulv.* ℥j. *Anaphromel.* ℥vj. *m. f. a.* ad lumbricos necandos & educendos certissimum est remedium; Dos. à ℈iv. ad ʒij.

Electuaria varia ex Hoffmann. Thesaur. Pharmaceuticô.

Electuarium Cephalicum confortans D.D.B.O.

℞. *Conserv. citri. Menth. rorismarin. lil. convall. borrag. ana* ʒvj. *spec. pleiris Archont. rosar. novell. āā* ʒß. *diarrhod. a.* ℈j. *cortic. citri condit. radic. cichor. eryng. zinzib. chin. omn. condit. ana* ℥ß. *confect. alkerm.* ʒj. *cum syr. fl. tunic. s. q. f. Electuarium.*

Dosis ad magnitud. Nucis jugland. pro lubitu.

Aliud.

In malo hypochondriaco-Scorbutico cum dolore capitis conjuncto.

℞. *Conserv. rosar. r.* ℥jß. *fl. borragin. bugloss. betonic. fol. cochlear. ana* ℥ß. *radic. cichor. condit.* ʒvj. *cortic. citri condit.* ʒiij. *mithridat. opt.* ʒjß. *confect. alkerm.* ʒß. *Magister. perlar. corallor. ana* ʒj. *cum syrup. ceras. cum fl. tunic. s. q. f. Electuarium.*

Dosis à ʒij. ad ℥ß.

Aliud ad visum recuperandum mirabile.

℞. *Semin. fœnicul. meliss. chelidon. fl. bryon āā p. iv. Cinamomi. fl. anthos. euphragiæ. anethi. pulegij. croci. gran. juniperi. hyssopi an.* ʒij. *fl. sileris. montani. Salviæ. menthæ betonic. chamædr. radic. chelidon. cumini. anisi. petroselini. artemis. ana* ʒj. *rutæ, cardamom. liquirit. majoran. verben. an. m. j. m. & pulverisa, adde pulverisatis* ℔xij. *mellis depurati albi f. Electuarium.*

N. Hoc rudi minerva præscriptum ex mss. D. D. Johannis Michaelis ab alio ipsi communicatum hîc sisto. Verùm sequenti modo ingredientia melius ordine disponi & collocari poterunt.

℞. *Radic. chelidon. major.* ℥ij. *liquirit. bryoniæ. ana* ℥j *semin. fœnicul.* ℥ß. *sileris, montan. petroselini. cymini. an.* ʒij. *anisi. cardamom. an.* ʒiß. *cinamom.* ʒiij. *croci* ʒj. *bacc. juniperi* ʒß. *fol. meliss. chelidon. euphrag. anethi. pulegii. hyssopi ana m. ij. salviæ. menth. betonic. chamædr. artemis. rutæ. majoran. ana mj. pulverisat. adde mellis depurat.* ℔xii. *m. f. Electuarium.*

Usus. De hoc sume ter aut quater per septimanam mane ℥j. Vir quidam 60. annorum crebriori hujus usu visum recepit.

Electuarium ant-Epilepticum singulare *M. Ducis Hetruriæ.*

℞. *Cranii humani* ℥viij. *radic. pyrethri. aristol. rot. an.* ℥j. *sem. pœon. rutæ. sileris. montan. an.* ℥ß. *fol. hyssop. spic. nardi. epithym. fl. chamæmel. r. stœchad. ana m. j. cubeb. galang. gran. paradys. ana* ℥ß. *cinamom.* ℥j. *nuc. moschat. num. iij. caryophyll.* ʒij. *agaric. trochiscat. lapid. lazul. ana.* ℥ß. *m. f. pulvis subtiliss. cujus singulis* ℥ij. *additur* ℔j. *mellis despumati f. Electuarium.*

Usus. Corpore purgato, serò cubitum ituro ægroto, & mane à lecto surgenti exhibeatur quantitas castaneæ per 15 dies.

Nota. Quod si ab hujus usu nimis commoverentur humores, poterunt per 3. vel 4. dies loco hujus Electuarij adsumi aut species diamoschi dulcis & amari, vel Theriaca, aut Diacastor.

Aliud Stomachicum.

℞. *Pseudoacor. condit. & minutim incis.* ℥ij. *amygdal. dulc. excortic. incis.* ℥j. *pinear. crassiuscul. incis.* ℥ß. *cinamom. elect.* ʒij. *galang.* ʒß. *nuc. moschat.* ʒj *cubeb. cardamom. ana* ʒiß. *piper. nigri* ʒß. *omnibus contusis non nimis subtiliter adde zinziber. indic. condit. incis.* ℥ß. *cum sacchar. clarific. s. q. f. Electuarium.*

Usus. In stomachi debilitate à dyscrasiâ frigidâ ortâ. Dosis ad magnitud. Nucis castaneæ post prandium & cœnam.

Aliud Diacorum Altenburgensium.

℞. *Radic. acori in vino coct.* ℔j. *amygdal. dulc.* ℔ß. *pinear.* ℥ij. *zinziber condit. incis.* ℥iij. *calam. aromatic. condit.* ʒx. *cinamomi* ℥j. *galang. nucist. caryophyll. ana* ʒvj. *cardamom. utriusque macis ana* ℥ß. *coriandr.* ʒiij. *santal. rubr. in* ♈ *macerat.* ℥ß. *sacchar. clarific.* ℔iv. ℥vß. *f. Electuarium.*

Aliud Stomachicum D. C.

℞. *Granor. juniperi rec. & ping. crasso modo cont.* ℥x. *Coque in vase duplici cum cœco alembico, spatio duarum horarum in s. q. aq. card. b. trajiciantur per setaceum & exprime.*

Expresso adde sacchari albiss. clarificat. ℔ß. *coque iterum ad Electuarii solidi consistentiam. In fine adde zinzib. elect.* ʒiij. *calam. arom* ʒiiß. *macis* ℈ij. *cubebar.* ʒj. *Misce f. Electuarium.*

Aliud contra Asthma & Orthopnœam P. C.

℞. *Conserv. radic. alth.* ℔ß. *enul. campan.* ℥iv. *ireos flor.* ℥ij *morsul. ex extract. liquirit. & sacchar. fact.* ℥iv *fl.* 🜍*ris cum sacchar. cand* ℥ß. *benzoin* ℈ij. *sacchar. penid.* ℥iij. *syrup. de alth. s. q. f. Electuarium.*

Aliud Antiphthisicum F.

℞. *Semin. papav. alb.* ℥ij. *liquirit. passul. min. ana* ℥ß. *b. scordii* ℥ij. *f. decoctio in aqua farfar. vase clauso. adde colatur. sacchari penid.* ℥ij. *amyli* ℥ij. *tragacanth. gummi arabic. ana* ℈j. *boli armen.* ʒß. *& cum dicta decoctione f. Electuarium.*

Aliud Cordiale D. D. K.

℞. *Conserv. inter. citri* ℥iij. *rosar. rubr.* ℥ij. *cortic. citri condit. incis.* ℥ß. ʒij. *confect. alkerm.* ʒiij. *ol. d. cinamom. gutt. viij. citri rec. gutt. vij. m. cum syrup. acetos. citri s. q. f. Electuarium. Dosis quantum cuspide cultri sumi potest.*

Aliud Bezoardicum, Ejusdem.

℞. *Theriac. aq.* ℥iv, *ol. d. zedoar. cinamom. ana gutt. vj. fœnicul. angelic. cortic. aurant. ana* ℈ß. *m. f. Electuarium.*

Usus in Colica, diarrhœa, dysenteria, febribus malignis, ventriculi debilitate. Dosis, quantum cuspide cultelli sumitur.

Aliud Bezoardicum.

℞. *Radic. enulæ. Levistici. dictamn. alb. pimpinell. Gentian. Valerian. nuc. vomicæ aristoloch. rotund. Tormentill. bistort. angelic. ari. zinziber.*

Sem. chinæ. fol. rutæ. salviæ. veronic. scabios. cardi b. ana ℥ß. *bacc. lauri.* ʒiij. *cinamom. zedoar. ana* ʒiiß. *croci* ʒiß. *m. f. pulvis subtiliss. cui adde pulver. castorei. bacc. jun peri ana* ℥ß. *Hisce in sigillo mixtis adde aceti vini* ℥ß. *salis* ⊡*æ volatil.* ʒiß. *sacchar. candi* ℥iv. *mithridat. unc. j. theriac. aq. unc. ij. Misce exquisitissimè cum mellis mensura una vel q. s.*

Dosis est à ʒß. ad ʒij. vel ʒiij.

Aliud Alexiterium camphoratum D. D. R.

℞. *Radic. angelic. zedoar. tormentill. aristoloch. utr. valerian. gentian. succis. levistic. pimpin. olsenich myrrh. baccar. laur. āā* ℈v. *boli armeni* ℥iß. *semin. acetos. citri*

citri ana ʒij. terræ sigillat. boleti cervini ana ℥ß. spec. el. de gemm. frigid. diamargarit. calid. diatr. santal. ana ℈ij. liberant. ℈iv. croci ʒj. oss. de corde cervi ℈ij. theriac. a. ʒvj. aceti pestil. ℥iv. mithridat. ℥iß. diascord. Fracastor. ℥ij. camphor. ʒvj. syrup. citri ℥iij. m. f. Electuarium.

Aliud ex Bolo Armeno ejusd.

℞. Nuc. jugland. num. 30. radic. Olsenich. carlinæ ana ℥i. Scorzoner. ℥ii. zedoar. enucl. nymph. cortic. citri ana ℥ß. macis ʒii. bacc. lauri ʒvi. CC. ppt. coral. r. ppt. ana ʒii. boli armeni ℥ii. h. scabios. meliss. ana ℥iß. card. b. scord. cretic. verbe . sem. acetos. ana ʒvi. nucistæ ℥ß. f. c. succ. calendul. & mell. s. q. electuarium.

Aliud de Nucibus in peste. D. D. R.

℞. Nucum jugland. ℥iiß ficuum recent ℥ii. macerentur prius in ✠ fol. rut. recent. ʒvi. absinth. ʒii. rad. zedoar. ost ut. dictamn. alb. ana ʒ . pimpin. Valerian. gentian. ãã ʒi. roob juniperi ℥ii. terræ sigillat. ʒiij. boli armen. ʒiiß. theriac. ℥iß. fol. card. b. veronic. ãã ʒi. salis juniperi. angelic. ana ℥ß. M. s. a. f. Electuarium.

Aliud contra Pestem D. R.

℞. Radic. angelic. ʒii. gentian. ʒiii. aristol. utr. pimpinell. valerian. ostrutii. tormentill. dictamn. alb. ãã ʒi. cortic. citri ʒ . ligni aloës santal. citrin. semen. acetos. c tri bacc. lauri ana ʒ . ex incis. & contus. cum spirit. juniperi extrahe essentiam, postea spiritum separa ad mellis crassitudinem cui adde asur. eboris, sapphir. præpar. ãã ʒiij hyacinth. præpar. margarit. præpar ãã ℥iß. oss. de corde cervi ℈iv. unicornu ʒi. camphor. ʒiß. theriac. a ℥ii. M. f. Electuar.

Dosis in præservatione à ℈ . ℈iis. ad ʒi. vel ʒij. In curatione à ʒß. ad ʒij. vel ultra.

Aliud Anti-dysentericum pro Nosocomio Argentoratensi D. D. S.

℞. Conser. rosar. veter. Diacydon. s. ãã ℥vi. roob. cynosbat. pomor. sylvestr. ãã ℥ij. de cornis ℥vi. conserv. symphyt. major. ℥iv. nuc. moschat. ℥ß. radic. tormentill. ℥vß. bistort. ℥ii. sang. dracon. ʒ iß. boli armeni præpar. ℥ß. lapid. hæmatit. præp. ℥ii. croc. martis adstring. ʒiij. succi cydonior. ℥ij. syrup. myrobolan. de ros. sicc. ãã s. q. f. electuarium.

Dosis ʒijs. ad summum.

N. Mirum hujus effectum vidit D. D. Eringius in lienteriâ, dysenteriâ, aliisque alvi fluxibus in nosocomio Argentoratensi.

Aliud in fluxu hæmorrhoidum nimio.

℞. Conserv. ros. r. ⊖ lat. ℥is. cymar. quercus. ℥s. cortic. aurant. cydon. ãã ℥i. corall. r. ppt. ʒij. extract. fol. quercus. cortic. aurant. ãã ℈ . croci martis adstr. lapid. hæmat. sang. dracon. ãã ʒs spec. diarrhod. abb. ʒs. c. syrup. Myrtillor. s. q. f. Electuarium.

Aliud ad Coitum.

℞ Amygdal. dulc. pinear. pistac. ana ʒvi. piperis galang. cubebar. semin. eruc. u tic. past. nac. ãã ʒi. stinci marini num. 3. boleti cervin. priapi. cervi. ãã ℈ii. confect. alkermes. ʒij. diasatyrion. radic. lapath. mai. condit. eryng. condit. ana ℥i. Satyrii condit. ãã ʒi. nuc. indic. condit. zinziber. chin. condit. ana ℥s. moschi. ambræ. zibeth. ana gr. iij c. syr. satyrion. s. q. f. Electuarium.

Aliud ad Coitum.

℞. Succolad. indic ℥ii. nuc. indic. condit. num. 1. c. syrup. ceras. c. flor. tunic. s. q. f. Electuarium; adde confect. alkerm. c. M. & a. ℥ß. ol. de cinamom. ℈i. ambræ moschat. margarit. trochiscat. ana ℥ß. M.

Electuaria varia è Pharmacopœâ Persicâ.

ARESTOUM.

Electuarium Aristotelicum.

Confert phthisi, ventris dolori, febri irregulari, atque quartanæ, colicæ, uteri tormentis, & corporis infrigidationi.

℞. Opii Ægyptii, dr. 4. acaciæ, piperis, ana dr. x. pyrethri, dr. iij amomi, ʒxx. cassiæ ℥v. croci, ʒij. croci, dr. 3. sulphuris flavi, ʒx. euphorbii ʒiij. spicæ indicæ, ʒx. mellis, q. s.

Tùm medicamentis contritis, ac probè cribratis, fiat massa ex arte ad electuarium, dosis; m. 1.

AMBROUSIA.

Ambrosia.

Hepatis ac splenis passionibus succurrit, & ipsorum obstructiones aperit; urinam cit, calculum è renibus & ex vesicâ pellit, necnon incipienti hydropi obviat.

℞. Cumini nigri, dauci, xylobalsami, cassiæ, cardamomi, florum schœnanti, sive junci odorati, seminis apij, ãã ʒi. costi, piperis, piperis longi, ãã ʒ. s. Myrrhæ el. ʒiij. baccarum lauri, nu. 10 acori, croci, ana ʒii.

Triturentur, cribrentur, & melle excipiantur; dosis, ad quantitatem nucis avellanæ in aquâ calidâ.

ATHANASIA KEBIR.

Athanasia magna.

Confert in doloribus hepatis, splenis, & stomachi; in diarrhœâ item phlegmaticâ, in tussi vetere, in vomitibus cruentis & in stupore; ac tandem in dolore renum, vesicæ, dorsi, hæmorrhoidum; flatus insuper ac tormina discutit.

℞. Myrrhæ, opii, croci, castorei, sem. jusquiami, costi, cardamomi, sem. papaveris, agrimoniæ, cornu dextr. capri montani combusti, hepatis lup. desiccati, ãã q. u.

Trituratis triturandis, solutisque in vino solvendis, fiat massa ex melle, q. s. dosis. m. s. ad ʒi. cum succo pomorum.

ATRIFEL DIDOUN.

Tryphera ad Lumbricos.

Vermes longos, ac latos, tineasque omnes enecat & educit.

℞. Hedysari chebuli præp. ʒx. turbit. baccarum solani, halicacabi, costi amari, ana ʒv. cambil. lupinorum ægyptiorum. absinthii, seminis sancti, Epithymi, salis gemmæ, sinapi, pulpæ colocynthidis, cyperi, dragunti, ãã ʒij.

Pulverata omnia ac setaceo trajecta cum triplo mellis subigantur. Dosis. m. 2. ad 4. juxta temperamentum subjecti, atque vires.

ATRIFEL GOUDDI.

Tryphera ad Strumas.

Ad anginam quippe, & ad strumas remedium probatum.

℞. Myrobal. indar. ʒxv embl c. & belleric. turbit albi. strumarum coll arietis desiccatarum, ana ʒv. zurumbati, Agarici, salis ammoniaci, ana ʒij. asi, mastiches, cardamomi, epithym, ʒx. polypodii quercini, stœchados, senæ Mekkensis, ana ʒvii. lepidii indici, caryophyllorum, nucis moschatæ, spicæ indicæ, casæ, ana ʒii.

Tum confusa probè, & incerniculo excussa melle excipiantur. dosis. ʒv.

AK-TSI-

AK-TSIRIN.

Collyrium Subtilissimum.

Ad palpebrarum scabiem; & defluvium.

℞. Cerussæ plumbeæ, d. 8. cadmiæ argenti, gummi arabici, ana dr. 4. spodij adusti dr. 1. Amyli, opij, ana dr. 2

Tenuissime contrita, & pollinatio cribro trajecta serventur ad Collyrium.

AB QOMEH.

Aqua acidula in testaceo vase.

Ventriculum roborat, pituitam pellit, & cibi appetentiam supra modum accersit,

Panem recentem, & calidum in vase fictili, ac novo recondе, donec virescat, deinceps aceto redigatur in massam, & exponatur soli; tum acetum infunde per dies decem & itidem per totidem dies mustum infunde; dein aromatum pulverem supra spargito; si autem acutiorem desideras, ex massa illâ ℔. 6. Sume & ℔. 18. aceti veteris suprafunde, ac simul sacculum aromatibus ruditer contusis plenum projice; tum per dies quadraginta insoletur; & experimento mandetur: aromatum porrò dosis hac esto;

℞ Anisi, cumini caramanici, cardamomi majoris, caryophyllorum, melanthii, seminis apii, ana dr. 2. zingiberis, piperis longi, cinamomi, dr. 10.

Sacculo include, & in vase repone.

BENADOUQ EL BEZOUR.

Bolus ex seminibus,

Utilis est ad urinæ æstum; ad ulcera renum, & vesicæ, & ad dysuriam, & ad urinæ retentionem.

℞. Medullæ seminum peponis, dr. 10. utriusque cucumeris, dr. ß. cucurbitæ, hyoscyami albi, portulacæ, bismalvæ, medullæ amygdalarum mundatarum, gummi tragacanthæ, amyli, succi liquiritiæ, papaveris albi, boli armenæ, seminis opij, ana drag. 2.

Conterantur & fiat bolus, dosis dr. 3. cum Syrupo papaveris.

BENADOUQ KONDORI.

Bolus ex Thure.

Ad diarrhœam, & lienteriam.

℞. Gallarum viridium, dr. 1. thuris, fructus tamaricis, ana dr. 5. opij, dr. 9. baccarum myrrhi, dr. 10.

Contrita probè, ac serico cribro transfusa reducantur in bolos duorum dungorum.

BEZERGELI.

Compositio napelli ad lepram.

℞. Mirobal. ind. emblic. & belleric, lepidij ana dr. 4. nucis myristicæ, cardamomi majoris, xylocassiæ, piperis, longi piperis, pæoniæ, struthij, succi scillæ, malabathri, ana m. 8. napelli albi, m. 4.

His probè tritis fiat electuarium cum penidio, dosis, m. 1.

BEROUD VERDI.

Collyrium refrigerans de rosis.

Valet ad ulcera oculorum, & ad palpebrarum depilationem.

℞. Cerussæ stanni dr. 15. cadmiæ, dr. 10. gummi arabici, dr. 7. ß. hæmatitis ablutæ, cadmiæ combustæ, amyli, opij, ana drag. 1.

Tenuissime contrita, in usum reducantur.

BENEFTECHI.

Collyrium insuflandum.

Ad oculorum caliginem, & nubeculam, ad lachrymam, ad scabiem palpebrarum, & ad pruritum.

℞. Lapidis hæmathitis abluti, dr. 2. sanguinis draconis, dung. 1. Æris usti, piperis longi, spic. indic. ana dr. 3. ß. malabathri dung. 2. coccolarum, sive cardamomi majoris, moschi, dung. 1, camphor. dung. ß.

Hæc ad lævorem pulverata, & serico fusa, ad usum reducantur.

BENEFTECHI.

Fumigatio seu suffitus.

Catarrhum & Corysam compescens.

℞. Thuris, storacis, macis, myrrhæ, costi, sandaracis gummi.

Contrita, ac cribrata formentur in globulos, aut tesseras; quibus prunis appositis caput dimittito.

BOUC-HOURI.

Suffitus secundinam, puerumque mortuum educens.

℞. Myrrh. galbani, opopanacis, sulphuris, ana.

Contrita, ac cribrata, felle bovino excipiantur, & in globulos efformentur; dein sub vase perforato, sive infundibulo fiat suffitus utero supponendus.

POC-HTEH GIOUSCH.

PULMENTUM

Contra frigiditatem stomachi, & hepatis; item ad dolorem dorsi, & artuum; ad colicam, torturam, & oblivionem, & contra dolorem renum; colorem etiam vivificat, orisque suaveolentiam conciliat, licium cit, & flatus discutit.

℞. Succi botrorum minas 100. carnis agniculi pinguis semicoctæ, minas 20. agallochi recentis, dr. 10. nucis myristicæ, zaffarani, mastiches, galang. ana dr. 5. xylocinamomi, dr. 1. cardamomi, cubebarum, zurumbati, caryophyllorum, cyperi, macis, ana dr. 3. zingiberis, cinamomi, spic. pyrethri, ana dr. 1. mellis ℔. 10.

Carnem in expresso succo botrorum ad perfectionem decoquito; medicamenta verò sacculo inclusa, leviterque & laxè circa os colligata, decoctioni addito, & identidem manu confricato; tum libr. 1. aquæ rosaceæ superaddito, & colo trajicito; colaturam autem vase testaceo includito, quâ post sex menses uti valeas; si lubet; pullum gallinaceum, aut columbinum, coturnicem, aut similia, portioni carnis agniculi substituito.

TERIAQ FAROUQ.

THERIACA SELECTA.

Nocumentum morsus viperæ, scorpionis, tarentulæ; & reliquorum animalium virulentorum reparat; & ad omnia lethalia, remedium præsens est; valet etiam contra lepram corrodentem; contra paralysim, epilepsiam, apoplexiam, torturam, tremorem, melancholiam; item ad asthma, ad faucium dolorem, sive melancholicum, sive pituitosum; ad hydropisim, ad morbum Regium, ad vertiginem, & cephalalgiam, ad colicam pituitosam, & ad renum & vesicæ dolorem; calculum è renibus, & ex vesica pellit; obstructiones hepatis, ac splenis aperit; menses provocat, nec non hæmorrhoides purgat & flatus contumaces in visceribus contentos discutit; tumores & oppilationes jecoris, & lienis mollificat; tineas latas expellit, fami caninæ, ac fallaci medetur; febres pituitosas, ac melancholicas, & quascunque passiones in phlegmate, & atra bile fundatas dissipat, calorem nativum tuetur, spiritus confortat & robur addit, dosis in tussi veteri, in dolore pectoris, ac lateris à flatu crasso procedente cum prædominio phlegmatis, quantitas lupin

lupini cum hydromelite: ad morsus viperæ, canis rabidi, & ad ictus serpentum, & phalangiorum ac tarentulæ m. 1. cum vino, ad ictum vero vesparum aceto diluta applicetur: at contra nocumentum medicamentorum lethalium, ut sunt opium, cicuta euphorbium, aconitum, ac similia in vino sumatur; ad icterum ab obstructione provenientem quantitas lupini in decocto asari exhibeatur; ad hydropem quantitas avellanæ; in aceto diluta porrigatur; ad paralysim vero, ad tortu am, & ad tremorem, in aqua ptysana; & ad lepram corrodentem in sero casei propinetur; ad latas ventris tineas in pulmento gelatinæ diluatur; in febribus tum phlegmaticis, tum atrabilaribus quantitas lupini cum aqua calidâ, aut cum vino convenit; in colicâ, in tumore ventriculi, in dolore pungitivo à flatibus procedente, item ad dejectam appetentiam, ad dispnœam, ad raucedinem, & ad lepram quantitas lupini in melicrato, aut in vino diluta consentanea: in asthmate misceatur cum syrupo acetoso scillitico; in Epilepsiâ, & cephalalgia, & hemicrania quantitas lupini sumatur cum aqua calida; ad indigestionem cum nauseâ dungi duo sufficiunt cum pomorum sapa; sed ad uteri profluvia & ad educendum fœtum mortuum porrigatur in decocto sabinæ, cum dictamno aut ruta, & in omnibus morbis dosis minima calculus unus, maxima vero m. 1.

℞. *Trochiscorum scilliticorum, m. 48. trochiscorum viperinorum, trochisc. hedychroi magmatis, piperis nigri, opii, cinamomi, ana m. 24. seminis napi silvestris, allii agrestis, ireos, agarici, succi glycyrrizæ, opobalsami, ana m. 12. myrrhæ mecthensis, zaffarani, zingiberis, rheibarbari Chinæ, sanguinis draconis, aut seminis lactucæ, origani, prasii, petroselini, costi, piperis albi, stæchados, piperis longi, dictamni cretensis, thuris, florum schœnanti, terebinthinæ, xylocassiæ, spicæ, polii, ana m. 6. styracis, apii, seseleos, nasturtii, chamædrios, chamæpityos, ammeos, succi hypocistidis, nardi, folii indici, dauci, galbani, bdellii, seu bituminis Judaïci, gentianæ, fœniculi, terræ sigillatæ, chalcitidis tostæ, vel aluminis tosti, amomi, acori, carpobalsami, hyperici, gummi Arabici, cardamomi, anisi, acaciæ, ana m. castorei, dauci, galbani, bdellii, seu bituminis Judaïci, opoponacis, centaurii minoris, aristolochiæ rotundæ, sagapeni, ana m. 2. mellis ex floribus Thymi confecti, lib. 2. vini malvatici, vel apiani, vel basilicati, lib. 8.*

Pondere nimirum Babilonico, in quo libra una mescalis 90. æquivalet: tum gummis, succis, ac trochiscis in vino solutis mel superfunde; & per diem integrum, ac noctem, ibidem maneant; medicamenta verò in pulverem redacta, ac setaceo cribro fusa, cum oleo balsami obiter torreantur, & formentur in massam; & post quatuor menses, imo post sex menses adhibeantur ad usum: placuit quibusdam citra quinquennium usum non convenire; alij duodecim annos ad tutum usum, alij cautiores triginta annos assignarunt: porro ad sexaginta usque annos virtutem ejus permanere autumant, imò post annos sexaginta electuarijs maximis ad omnia supradictarum infirmitatum genera æquivalere compertum est, prælerquam ad venena & ad animalium ictus.

TERIAQ TAMANIEH.

Theriaca de Octo.

Cujus compositio successit theriacæ diatessaron, seu de quatuor; & ipsâ utilior ac præstantior est.

℞. *Aristolochiæ longæ, rheibarbari Chinensis, corticis radicis capparis, baccarum lauri, myrrhæ pellucidæ, costi amari, gentianæ, terremeritæ, seu curcumæ, ana.*

Hæc pulverata, & incerniculo trajecta melle despumato excipiantur, & fiat Electuarium, dosis, m. 1.

TERIAQ SARTOUN.

Theriaca de Cancris.

Ad morsum canis efficax.

℞. *Cancrorum adustorum drac. 10. thuris, gentianæ, ana dr. 5.*

In pulverem redacta, & incerniculo purgata melle excipiantur: dosis: m. 1.

TERIAQ DIGHER.

Theriaca alia.

Ad deleteria item valet: maximè ad scorpionis ictum.

℞. *Seminis rutæ, aristolochiæ longæ, baccarum lauri, gentianæ, corticis radicis capparum, absinthij, terræ meritæ, seu curcumæ, radicis collocynthidis, vitis albæ, ana.*

Tusa, ac cribrata, misceantur ad electuarium melle addito.

TERIAQ DIGHER.

Theriaca alia.

Contra nocumentum opij, & hyosciami.

℞. *Assæ fœtidæ, castorei, gallarum cyparissi, piperis, ana.*

Hæc tusa, & per cribrum trajecta in electuarium ex melle convertantur, dosis quantitas avellanæ.

DOVA EL KEBRIT.

Electuarium de Sulphure.

Ad effectus phlegmaticos, & atrabilares; ad febres inveteratas; ad asthma, ad tussim pituitosam, ad marcorem è thorace emergentem; ad hydropem, & dolorem splenis; ad urinæ difficultatem conferet; calculum è renibus, & vesica propellet; nocumento à medicamentis lethalibus, ut sunt opium & cicuta causato antidotum, ac remedium suppeditabit; tandem phalangiorum, & scorpionum ictus reparabit.

℞. *Sulphuris flavi, seminis hyosciami albi, styracis liquidæ, myrrhæ, ana dr. 8. rutæ, costi amari, ana dr. 10. opii, croci, ana dr. 2. cassiæ ligneæ dr. 12. piperis albi, dr. 20.*

Adhibeantur pistillum, & succerniculum, tùm in electuarium redigantur: dosis m. 1.

Electuaria varia è Pharm. Indica Herm. Nic. Grimom.

Theriaca Ceylonica.

℞. *Mell. despumat.* ℔ 4. *pulv. viperin. præpar.* ℥. 4. *spin. viperin. calcinat. terr. sigillat. ceylonic. ana* ℥ 2. *rad. zerumbeth, zedoariæ ana* ℥. 4. *calam. aromat. galang. ana* ℥. 2. *cortic. rad. cinnamom. cinnamom. sylvestr. ana* ℥ 1 ß. *aristoloch. long. citri, aurant. ana* ℥. 1. *pulv. fol. cinnamom.* ℥. 2. *sal. volat. oleos. zerumbeth. rad. cinnam. sylv. camphor. ex rad. cinnamom. ana* ʒ. 2. *sulphuris philosoph. prap.* ℥. 2. *ol. rad. cinnamom.* ʒ. 3. Misc. f. Electuarium. Dos. ℈j. ad ʒ. 2.

Theriaca pauperum.

℞. *Rob. juniperi, sambuci ana* ℔. 1. *extract. angelic. zedoar. ana* ℥. ß. *gentian. enul. calam. aromatic. ana* ʒ. 3. *croci* ʒ. 2. *solution, myrrhæ cum tinct. tartari* ℥. ß. *mag. succin.* ʒ. 3. *sulph philosophice præp.* ℥. ß. *terr. lemniæ,* C. C. *philosoph. præp. ana* ℥. 1. *pulv. viperin. præp.* ℥. 2. *sal. sulphurei* ℥. ß. M. f. Electuarium. Dosis ʒ. 2. ad ℥. ß.

Electuarium Diacinnamomum seu antidysentericum.

℞. *Extr. rad. cinnamom.* ℔. 4. *cinnamom. sylv.* ℥. 6. *opii cum tinct. tartari præp.* ℥. 1. *carn. nuc. mosch.* ℔. ß. C. C. *spag.*

spag. præp. ult. & præp. off. Elephant. calcinat. & præpar. ana ℥. 2. matr. perlar. præpar. ℥. 1. terr. sigillat. ceylonic. seu Javanic. croc. martis ana ℥. 1. ß. cinnamom. fol. cinnamom. cort. rad. cinnamomi, cinnamom. sylvest. ana ℥. 1. ol. st. fol. marmellæ, bolang. ana ʒ. 2. express. nuc. moschat. ℥. 1. Misc. f. s. a. Electuarium, Dosis ʒ. 1. ad ʒ. 2.

Electuarium Lenitivum.

℞. *Pulp. tamarindorum, cassiæ, prunor. ana* ℔ ß. *conf. flor. tamarind. cassiæ, ana ℥. 2. extr. sennæ tartarisati ℥. 3.* M f. Elect. Dos. ℥. ß. ad ℥. 1.

Confectio Cordialis.

℞. *Syr. cinnamom.* ℔. 1. *fol. cinnam.* ℥. 4. *nuc. mosch.* ℥. 3. *conserv. flor. cinnam. cardamom. sylv. citri, aurant. ana ℥. 2. pulv. cinnamom. ligni aloës ana ℥. ß. santal. rubr. ℥. 1. margarit. præpar. ℥. 1. ß. spagyr. præp. ℥. 2. mosch. amb. gryseæ ana ʒ. 1. ol. cinnamom. gt. 20. fol. auri n. 20.* M. f. l. a. confectio.

Electuaria varia ex Joh. *Michaëlis.*

In nimiâ caliditate hepatis ac omnibus ejus obstructionibus:

℞. *Conserv. flor. cich. ℥ iß. rad. cichor. ℥j. spec. diatrion. santal. ʒiij. pulv. epat. rub. ʒij. c. s. q. syr. de cich.* F. l. a. Electuarium. S. *Eröffnende Leber-Lattwerg.*

In *affectibus melancholicis*, ubi humectatione, apertione & corroboratione est opus:

℞. *Conserv. flor. borrag. bugloss. meliss. ana ℥j. enul. ʒß. croc. ♂. aperit. cum ⊖libus ℥ß. pulv. cach. Quercet. ʒij. cum syrup. flor. borrag.* F. l. a. Electuarium. S. *Eröffnende Lattwerg.*

Flores & radices enulæ mirè extolluntur à Sennertô pro cordiali: Sanguinem quoque purificant, aperiunt, pulmonibus conducunt.

In scorbutô.

℞. *Conserv. cochl. nasturt. ana ℥j. pulp. citri ℥ß. calami aromat. ʒiij. croci ♂ cum ⊖ ℥ß. pulv. cach. Quercet. ʒ ij. c. s. q. syrup. de scelotyrb. Foresti* F. l. a. Electuarium. S. *Lattwerg.*

Ad hunc modum in alijs affectibus parari quoque possunt opiata, v. g. *in Morbô virgineô* ex conservâ melissæ, flor. cheiri cum crocô ♂ uterino:

℞. *Pulv. cathol. purg. ʒij. conserv. flor. borrag. buglos. violarum, rosarum ⊖-latar. ana ʒij. conf. alkerm. ʒj. c. s. q. syrup. ros.* F. l. a. Electuarium. adde ∽ *ros.* ℈j. S. *Laxierlattwerg auf etlichmal.*

℞. *Conserv flor. borrag. bugl. ana ʒij. pulp. citri ʒiß. pulv. diajal. Mynf. ʒij. cort. citri condit. in s. ʒj. c. q. s. syr. cort.* F. l. a. Electuarium. S. *Purgierlattwerg auf. 3. oder 4. mal.*

Purgans in affectibus melancholicis, ubi humectatione opus est.

℞. *Rob. passularum ℥iß. pomor. Borsd. ʒvj. pulv. sennæ D. Sennerti ℥ß. c. s. q. syr. de pom. laxat.* F. l. Electuarium. S. *Purgierlattwerg.*

Ad præservationem & curationem Arthritidis singulare.

℞. *Conserv. chamædr. chamæp. ana ℥ß. pulv. antipod. Paracelsi vel Crollii ʒiij. mag. gummi de Peru ℈j. c. s. q. syrup. de beton.* F. l. a. Electuarium. S. *Purgierende Glieder Lattwerg.*

Purificans Sanguinem.

℞. *Conserv. fumar. ℥. ij. flor. helen. ℥. j. rad. helen. condit. drach. vj. succi fumar. inspissat. ℥ß. ♁ diaphoretic. ʒ ij. c. s. q. syrup. de fumar. simpl.* F. l. a. Electuarium. S. *Butreinigende Lattwerg.*

Prodest in scabie & omnibus impuritatibus sanguinis. Sic etiam potest usurpari in lue ♀reâ, si addatur extractum lignorum.

Electuarium lætificans cor.

℞. *Conserva borrag. buglossæ ana ℥j. spec. lætific, Galeni rhas. ana ʒj. ∽ melissæ ℈ i ß. c. s. q. syrup. flor. tunic. vel borrag.* F. Electuarium. Prodest in affectibus melancholicis.

Electuarium confortans caput & memoriam.

℞. *Conserv. florum beton. ℥ i ß. anthos, lavendul. salviæ ana ℥ß. myrobalan. condit. ℥ß. nuc. ind. condit. ʒ iij. confect. alkerm. ʒ i ß. ∽ lil. convall. ceras. nigr. ana ʒj. syr. de beton. q. s.* S. *Hauptstärckende Lattwerg.*

In sputô sanguinis.

℞. *Conserv. symphiti ℥ij. lap. hæmat. præpar. ʒij. sem. pap. alb. ʒß. c. s. q. syrup. de symph. Fernel.* F. l. a. Electuarium. S. *Blutreinigende Lattwerg.*

Electuarium in Phthisi.

℞. *Conserv. ros. antiq. ʒiß. hed. terr. botryos, costi ana ʒvj. pulv. contra phthisin rec. ℥ij. cin. ♋ ʒiß. c. s. q. syrup. de symph. Fernel. aut hed. terr.* F. l. a. Electuarium. S. *Lungen Lattwerg.*

Electuarium Stomachale confortans.

℞. *Conserv. ment. ℥. i. ß. rad. calamit. aromat. condit. ʒvj. zingiber. condit. ʒiij. pulver. rad. Aron. cum vino præpar. ʒiiß. ∽ menth. ʒ ß. c. s. q. syrup. conservativi rad. calam. arom.* F. l. a. Electuarium. S. *Magenerwarmende und stärckende Lattwerg.*

Electuaria seu Confectiones variæ ex Hadriani à Mynsicht Armamentariô Chymico-Medicô.

Confectio Cephalica.

℞. *Spec. Dialunæ nost. ℥iß. rad. diptamni alb. sem. citri excort. ana ℥ß. gran. tinctorum, sem. acetosæ, ext. lilior. conval. ana ʒij. smarag. præp. sal. cranii hum. succini alb. præp. ana ʒiß. ess. margarit. orient. corallor. rub. ana ℈ iv. croci orient. præp. galang. min. cubebarum ana ʒj. off. de corde Cervi, hyacintæ. præp. ana ℈ij. conf. flor. pæoniæ vitriolat. anthos, sacchari candi alb. in aq. apoplect. diss. syrup. acetosit. citri ana ℥viij.* Misc. f. l. a. Electuarium.

Vires, Usus, Dosis. Valet ad omnes vel saltem periculosissimos capitis affectus, quos tollit & feliciter curat. Suffocatis, Vertiginosis, Apoplecticis, Epilepticis, seu Lunaticis, medicamentum est admodum conveniens; & propriè ad exsiccandum humiditates cerebri inventum est. Dosis à ʒj. ad ʒ. s. Plus minusve, per se vel in vehiculis appropriatis.

Confectio Opiata.

℞. *Opii spagiricè præp. & extract. ℥. s. spec. diamosch. dulc. diambræ ana ʒ. j. mag. perlarum orient. corallorum rub. ana ʒ. s. ext. flor. papav. errat. croci orient. mumiæ transmarin. ana ℈. j. galliæ moschat. veræ, lap. bezoart. orient. off. de corde Cervi, unicorn. animal. ana ℈ s. Et cum Conf. Alkermes. f. Electuarium, ut est artis, cui immisce, Ol. Cinamomi, Nuc. Moschat. Majoranæ, Salviæ, Succini alb. Caryophyllor. ana Gut. iv.*

Vires, Usus, Dosis. Huic Confectioni nomen imposuimus, quo nuncupatur Opiata, siv. Electuarium Laudani; Quia Laudanum opiatum difficulter solvitur & semper liquoribus stillatitijs resistere solet; ejus loco pro haustibus & bolis parandis, hoc Electuarium, commodè ordinari & substitui poterit; quod æquè efficax & cujus idem est usus. Datur à Gran. v. ad 6. 7. & Scr. s. in appropriato liquore, vel in aq. Hypnotica nostra, Cinamomi, &c. vel alijs convenientibus & affectum propri. respicientibus.

Confectio Narcotica.

℞ *Nuc. moschat. unc. ſ. boli armen. praparat. opij spagyricè ext. ana drach. iij. extr. flor. papaver. errat. croci orient. troch. ramich ana drach. ij. croci martis per reverb. fact. ℥iſ. rad. tormentill. bistortæ, zedoariæ, ana drach. j. mag. corallor. rub. succini alb. præpar. cornu Cervi usti, caryophyllor. ana drach. ſ. camphor. gran. v. Misc. & cum syrup. de papav. simpl. & de jujubis ana unc. iiij. fiat Electuarium ut est artis pro usu.*

Vires, Usus, Dosis. Mirum in modum omnes dolores mitigat, præcipuè, Capitis, Pectoris, Stomachi, Matricis & totius Ventris: Somnum eleganter provocat & potenter inducit: Hæmoptoicis, Cœliacis, Dysentericis, Pleuriticis, Iliosis, Colicis, & Nephriticis medetur & auxilio est. Provocationes, singultus & tussim sedat. Anhelitum facilitat. Exuberantiam menstruorum & hæmorrhoidum sistit; nec non Gonorrhœam & Satyriasin emendat. Dosis à Drach. s. ad Drach. j. eundo cubitum.

Confectio pretiosa.

℞. *Eleosach. citri drach. vj. tinct. corallorum vera, mag. perlar. or. ana drach. ij. gran. tinctorum, corn. alcis ana spagyricè calc. drach. jſ. mastichis elect. lig. aloes, galang. min. ana drach. nuc. moschat. in Indiâ condit. Nro j. lap. 5. pretiosor. præp. ambr. ext. croci orient. ana scr. ij. moschi alexand. oſſ. de corde Cervi ana scrup. j. auri potab. noſt. unc. ſ. ol. cinamomi, macis, ana scr. j. caryophyllor. rosarum veris ana scr. ſ. conſ. flor. tunicæ rub. rosar. rub. ana vitriolatar. unc. viij. Misc. & cum syrup. Gran. Chermes f. Electuarium ut est artis.*

Vires, Usus, Dosis. Cordiale est nobilissimum contra tremorem & pulsationem cordis; Item animi deliquia medicamentum mirabilius, præstantius & efficacius in tota Republica Medicâ non habetur: Datur magno juvamine senibus, debilibus & ægris convalescentibus. Quia Spiritus vitales, animales & naturales in omnibus membris recreat atque fortificat: Humidum radicale renovat: Voluptatem parit: Vertiginis, Epilepsiæ, Apoplexiæ, Lepræ, Podagræ, Scorbuti & Hydropis, &c. verum prophylacticon Dosis à drach. s. ad drach. j. Per se, vel in vehiculis appropriatis.

Confectio Pectoralis.

℞. *Spec. diasulph. noſt. drach. xix. diarrhod. Abb. drach. xj. syrup. pectoral. noſt. simpl. ℔. j. conſ. rosar. rub. cum Elix. sulph. noſt. tinct. ℔. ij. ol. cinamomi drach. j Misc. & fiat Electuarium secundum artem.*

Vires, Usus, Dosis. Visu, gustu, atque olfactu medicamentum est valdè delectabile. In Asthmate, Dispnœâ, Orthopnœâ, Phthisi, Hecticâ, & thoracis affectibus ordinare soleo, & præ cæteris miram ejus efficaciam expertus sum; Propterea id etiam alijs utendum communicare volui. Quotidiè autem per intervalla dandum & paulatim degluttiendum, non subitò: Nam si subitò devoratur, solummodò venit ad ventriculum, & non ad locum affectum. Dosis alternis horis quantitas nuc. Avellanæ vel Moschatæ. Plus minusve pro affectuum & personarum varietate.

Confectio zingiberis Indi.

℞. *Zingib. virid. in India condit. unc. xiv. spec. aromat. cariophill. diagalang. diarrhod. abb. ana ℥j. diacidonii simpl. ℥viij. ol. cinamomi ʒj. conſ. rosarum rub. vitriolat. ℔j. Misce & cum sirup. conserv. supradicti zingiberis f. l. a. Electuarium.*

Vires, Usus, Dosis. Ad Ventriculum & Cor confortandum, concoctionem juvandum, nauseam & vomitum sedandum, organa nutritionis calefaciendum, putrefactionem & corruptionem auferendum, ventositates & flatus dissolvendum & carminandum, nativum calorem suscitandum, & redivivum recreandum, omnem pectoris noxam & tussim à frigore contractam repellendum & sanandum, actionem jecoris, lienis, renum, aliorumque membrorum à frigiditate impeditam robustionem reddendum &c. Confectio hæc magnifica & valde illustris est: Propterea magnatibus & ditioribus ordinare soleo. Dosis quantitas nuc. moschat. mane & vesperi vel tempore necessitatis plus minusve ratione complexionis & sexus.

Zingiber Rosatum.

℞. *Conſ. rosar. rubr. vitriolat. ℔. xij. zingiber. de Bengalâ cond. ℥viij. ol. cinamomi ℈j. caryophyllor. ℈ß. Misce & cum Sir. è Suc. violar. vitriolat. ſ. q. fiat Electuarium.*

Vires, Usus, Dosis. Cor & Ventriculum confortat. Cōcoctionem juvat. Appetitum excitat. Nauseam & vomitum sedat. Nativum calorem suscitat. Spiritus recreat. Putredinem aufert. Flatus dissipat; nec non in omnibus morbis frigidis experimentum famosissimum & præsentissimum est. Dosis Castaneæ quantitas.

Confectio Citri.

℞. *Conſ. rosar. rub. vitriolat. ℔. iß. rub. de berberis de ribes, ana ℔. j. sirup. acetositat. citri, oxysacchari, de agrestâ, ana ℔ ß. pulp. citri condit. Conſ. cort. citri spec. diarrhod. abb. spir. vitrioli irrorat. ana ℥. vj. nitri præp. ʒ. xiij. Misc. & cum modico aq. cinamomi f. Electuarium: intelligas autem libras civiles & non Medicas; quod in omnibus compositionibus per totum librum observandum, & hic semel dixisse sufficiat.*

Vires, Usus, Dosis. Refrigerando & humectando æstuantium febrium incendium virtuosissimè extinguit, & ignei caloris vehementiam componit ac mitigat. Choleræ, Dysenteriæ, & contagiosis morbis medetur. Veneri & ebrietati resistit. Membra nobiliora, nimirum, Cor, Ventriculum, Epar, Splenem, Renes & alia viscera, ab intemperie calidâ, imbecilla firmat, roborat, & à putredine vindicat. Vomitum biliosum reprimit. Hæmorrhagiam curat & exanthemata sanat. Dosis à Drach. j. ad Drach. ij. vel Unc. ſ. aliquoties in die.

Confectio Theriacalis.

℞. *Rad. tormentill. diptam. alb. camphora opt. ana ʒ. ij. corn. cervi & alcis ana spagiricè calcinator. drach. iß. succini alb. boli rub. orient. hyacynth. smaragd. ana præp. dr. . sal. absinthii scordii, card. bened. ana drach. ſ. mag. Perlar. or. corallor. rub. ana scr. j. Pulverisentur subtilissimè seorsim; tandem commisceantur & aspergantur quoties ſp. juniperi, in quo radic. petasit. herb. veronicæ & zingib. maduerint; posteà adde: Theriac. andromach. mithridat. Dam. ana unc. ij. extr. rad. enul. camp., angelic. ana unc. ß. suc. inspissat. fumar. bac. ebuli ana drach. iij flor. sulphuris drach. ij. ol. stil. rut. hortenſ. zedoar. cinamomi, myrrh. cayrophyllor. citri rectiſ. ana ℈. ſ. Misce & cum rob. bac. sambuci f. Electuarium.*

Vires, Usus, Dosis. In operatione & virtute, hæc compositio, ipsam Theriacam & Mithridatium longè vincit; Hinc vires ejus æquus Lector ipse facilè colligere poterit. In hydrope, Erisipelate, Icteritia, scabie, lue venereâ &c. experimentum est contra pestem & quævis alia venena, quæ omnia per sudorem à corde totum

pene-

penetrando corpus, ad circumferentiam & superficiem virtuosissimè expellit, celeberrimum est Alexiterium: Expulso autem veneno, patiens confortantibus refici debet. Dosis à ℈ß. ad ℨj. plus minusve, pro morbi vehementiâ, viribus, ætate, anni tempore, &c. in vehiculis appropriatis & specificis. In Hydrope, &c. exhibetur singulis noctibus cum aq. vel Sp. Sambuci, &c. horis 4. vel 5. post cœnam eundo cubitum; unde versus diluculum vehementer sudare incipiunt.

Confectio Magnanimitatis.

℞. Essent. Satyrii ext ℥ij. nuc. indic. rec, pinear. mundat. ana ℥jß. Pistat. virid. nucl. Avellanar. amygdal. dulc. ana ℥j. Piperis alb. calami arom. zingib. alb. galang. min. cardam ana ℨß. borrac. Venet. Auri potab nost. ana ℨiij. Sem. erucæ ling. avis, urticæ ana ℨij. mag. perl. or. corall. rub. sal Passerum ana ℈ v. Boleti cervini, priap. tauri, cervi test. taxi exsic. carn. scinc. marin. ana ℨjß. moschi laudatiss. ambr. gris. ol. macis ℈j. nuc. mosch. Cinamomi, caryophyllor. ana ℈j. Misc. & cum Syrup. rad. Satyrii condit. f. Electuarium ut est artis.

Vires, Usus, Dosis. In confortanda Venere secretum est. Datur maleficiatis & iis, qui sunt invalidi femoris. Senibus & natura frigidis mirificè opem præstat. Virilitatem amissam potenter restituit. Venerem desuetam concitat. Partes genitales frigidas & quasi emortuas erigit. Semen utriusque sexus auget & corrigit. Dosis à ℨj. ad ℥j. vel iij. in vino Malvatico vel Muschatellino dulci eundo cubitum; vel exhibeatur tempore necessitatis, quantitatis Nuc. Moschat. superbibendo haustum vini veteris boni odoriferi. Verùm si impotentia à nativitate, non recipit curam: quia lapsus naturalis difficulter restituitur.

Confectio Pacifica, de Succulata Inda.

℞. Succulatæ Indæ ℥iv. satyrii testiculor. condit. ℥ij. Testic. Gallor. in lact. coct. rad. eryngii condit. castanear. in vino Malvat. coct. ana ℥j. amygdal. dulc pinear. mundat. pistat. virid. nucl. nucis Indic. ana ℥ʃs. cassiæ ligneæ, boleti cervini ana ℨiij. sem. fraxini, borracis Venet. ana ℨij. spec. diamosc. dulc. diambræ ana ℨʃs. ligni aloës elect. fol. majoranæ, croci orient. nuc. mosch. ana ℨj. caryophyll. galangæ min. zingib. albi, cardam. min. piper. long. ana ℈j. ol cinamomi, macis ana ℈j. Misc. & cum Syrup. Conservat. nuc. mosch condit. s. q fiat Electuarium.

Vires, Usus, Dosis. In coeundi impotentiâ magnum est Arcanum, pro solis Amicis mihi hactenus reservatum: Læsam enim & amissam virilitatem restituendo. Venerem desuetam concitando, refrigerationem testium & vasorum seminalium tollendo, semen utriusque sexus augendo, impotentes senesque debiles, brevi temporis spacio, ad pristinam voluptatem reducit. Dosis quotidiè evacuato corpore Castaneæ quantitas, plus minusve pro ratione ætatis, temporis, anni, consuetudinis, &c. superbibendo vini generosi bonum haustum.

Confectio Satyrii.

℞. Satyrii testic. condit. ℥iv. conf flor. Tunicæ, zingib. de Bengala condit. ana ℥ij. sem. linguæ avis, borrac. Venet. ana ℥ʃs. spec. diathamar. ℨiij. nuc. mosch. in Ind. cond. n. j. Testic. cervi exsic. ana ℨj. ʃs. taxi exsic. ana ℥j. ʃc. boleti cervini ℨij. cinamomi acut. piper. long. ana ℨj. mag. perl. or. corallor. rub. ana ℨʃs. Galliæ moschat. veræ, Ol. caryoph. ana ℈j. fol. Auri puri numer. xv. Misc. & cum Syrup. zingib. de Beng. condit. s. q. fiat l. a. Electuarium.

Vires, Usus, Dosis. Maximam ad stimulandum coitum vim habet, & libidinis desiderium in utroque sexu egregiè excitat, sperma multiplicat; nec non consumptos & emaciatos singulariter reficit. Dosis manè vel vesperi cum vino veteri aut Malvatico à ℨij. ad ℨiij.

Confectio Stiptica.

℞. Tinct. croci martis, chelidon. rhabarb. corall. siccæ ana ℥j. tormentill. Zedoar. gum. Arab. caryophyll. zingib. alb. nuc. mosch. test. ana ℨvj. terræ sigillat. Succini alb. præp. calami aromat. galang. min. cardam. utriusq. cinam. acut. ana ℥ʃs. test. cancror. fluviatil. in aceto coct. sem. sanguinariæ, plantaginis, papav. nigri, cort. aurantior. ana ℨiij. fol. salviæ acut. sanguisorbæ, mentæ crisp. ana ℨij. priapi tauri, coriand. præp. acatiæ ana ℨj. ʃs. nuc. Cupressi, ranar. combust. talci calcinat. ana ℨj. Omnia subtilissimè pulv. misc. & cum mivâ cydoneor. fiat l. a. Electuarium, cui adde: Ol. carminativ. nost. ℨ ij. Et reserva ad usum.

Vires, Usus, Dosis. In omnibus alvi profluviis: Dysenteriâ nempè, Diarrhœâ, Lienteria, fluxu Hepatico, Hæmorrhagia narium, mensibus superfluis, sanguinisque rupturis etiam desperatissimis experimentum est mirabile: Confortat enim intestina, & membra interiora constipando, naturam reficit. Dosis à ℨj. ad ℥ʃs. ex vino Malvatico vel alio generoso, horis aliquot longe à pastu, vel manè Stomacho jejuno.

Confectio Terebinthinata.

℞. Terebinth. Cypriæ in vino Rhenano lotæ ℥ij. sacchari candi alb. ℥jß. pul. rad. glycyrrhiz. rasæ ℨvj. spec. diarrhod. Abb. ℥j. sem. 4. frig. major. ana ℨj. Nitri præp. ℈j. Misce & fiat cum Syrupo violarum, mixtura.

Vires, usus, Dosis. Tussi ac Tabi convenit. Vitia pectoris expurgat. Urinam ciet. Stranguriam solvit. Renes deterget & illorum dolores levat. Cruda concoquit. Ventrem emollit & alvum subducit. Dosis à ℨj. ad. ℨj. ʃs. & ℨ j.

Theriaca Mulierum.

℞. Theriacæ Androm. ℥ij. bezoart. Jovial. ℥ß. Corn. alcis & cervi ana Spagyricè calc. ℨjß. Ext. Rad. angelicæ, Enulæ camp. ana ℨj. ess. castorei ℨʃs. mag. matris perlarum, corallor. rub. ana ℈j. ol. succini alb. ℈ʃs. Misc. cum Rob. Bac. Sambuci f. Electuarium.

Vires, Usus, Dosis. Per sudorem ferè omnes mulierum, tam calidas, quam frigidas infirmitates occulta quadam proprietate curat; Et pro sexu feminino vix præstantius & nobilius diaphoreticum datur. Dosis à ℈j. ad ℨj. in aq. appropriatis, morbum propriè respicientibes, in causa autem calida in vehiculis frigidis offerre solemus.

Theriaca Saxonica.

℞. Rob. bac. sambuci, chamæactes ana ℥ij. corn. cervi Spagyricè calc. ℥j. Suc. inspissat. fumariæ, syr. de papav. simpl. sp. Juniperi ana ℥ʃs. boli rub. or. ℨij ol. sem. Angelicæ, Zedoariæ ana ℨj. Misce flamma imbecilli in formam opiatæ.

Vires, Usus, Dosis. Est Antidotus nobilissima, per sudorem & insensilem transpirationem efficacissimè operans servat & liberat homines à quàm plurimis & gravissimis morbis. In profligandis & extinguendis omnis generis Febribus, sive sint intermittentes, sive continuæ aut malignæ: Item in Hydrope, Igne sacro, Scorbuto, Icteritia, Peste, Suffocatione Matricis, aliisque uterinis affectibus, Lue Venerea, Scabie, Pruritu, Lepra, &c. suam adeò promeretur laudem, ut à nullo satis ejus virtutes deprædicari possint. Dosis nucis Moschatæ quantitatis; plus minusve pro sumentium ætate, sexu, & constitutione, proque affectus ipsius exigentiâ & cum liquore aliquo idoneo & congruo, atque morbo præsertim cujus medendi gratia adhibetur, appropriato. Ego in multis affectibus, purgatâ prius alvo, vesperi horis 4. vel 5. post cœnam eundo cubitum, cum s. q. aq. de Corn. Cervi. nost. exhibeo; Unde versus diluculum vehementer sudare solent.

Theria-

Theriaca Febrilis.

℞. Spec. febrifug. nost. ℥iij. conf. absinthii Pontic. card. bened. flor. centaur. min. āā ℥ij. theriac. Androm. ℥ß. corn. cervi sine igne calc. diapho. etic. min. zingiberis alb. ana ʒ ij. spec. diamoschi dulc. diambræ ana ʒiß. camphoræ in spir. Angelicæ diss. ʒß. Misc. & cum Rob. sambuci fiat Electuarium.

Vires, Usus, Dosis. Curat ferè omnes Febres, & in ipsa Peste etiam valdè utilis est. Dosis à ʒj. ad ʒij. cum aq. febrifug. nost. vel cum aq. Card. bened. vel Scabiosæ, vel Calendulæ, &c. bibat horis duabus ante accessionem, cooperiatur & in lecto maneat & sudet; hoc enim pacto multas Febres præcipitat.

Electuarium Opticum.

℞. Rad. elenii condit. myrob. chebul. cond. ana ℥ij. piperis longi, caryophyllor. ana ℥j. macis galang min. zingib. alb. cubebarum ana ℥ß. fabar. marin in præp. Oc. Luciorum, euphrasiæ, pulegii, chamædryos flor. Tunicæ, anthos āā ʒiij. sem. sileris montan. fœniculi āā ʒij. anisi, petroselini, apii, anethi, saxifragiæ alb. ana ʒjß. Omnia pulverisata misc. cum Sacchari alb. ℥xxiv. in Sp. Juniperi & Succor. depurator. Salviæ, Rutæ, Chelidoniæ, Hyssopi ana s. q. diss. & ad justam consistentiam coct. f. Electuarium, cui adde: Ol. cinamomi, nuc. mosch. āā ʒj. Denuò misc. & ad usum reserva.

Vires, Usus, Dosis. Stomachum confortat, superfluos humores consumit, Renes mundificat, & ad omnem ventositatem expellendam valet. Maximè autem lumen debile restaurat & in visus imbecillitate undecunque etiam proveniente, & suffusionibus, Experimentum est mirabile. Dosis continuè, mane Stomacho jejuno & vesperi eundo cubitum, quantitas nuc. castaneæ: Quia sic utentes, claro & libero visu, sine ocularìis, parvas etiam literas usque ad finem vitæ perfectè legere solent.

Electuarium Stomachicum.

℞. Amygdalar. dulc. ana ℥viij. calami aromat. zingib. alb. gran. Paradis. ana ℥j ment. crispæ, Zedoariæ, gran. juniperi, rad. pimpinellæ, ana ʒvj. acori aquat. caryophyllatæ, Tormentillæ, enulæ camp. ana ℥ß. galang. min. nuc. mosch. mastich. elect. caryophyllor. macis, piper longi, Cinamomi. Sem. Ameos ana ʒij. Terantur, misc. & cum Sacchari s. q. in aq. Stomachali nost. dissolut. fiat Electuarium; cui adde: Elix. Vitrioli nost. q. s. ad gratam acetositatem, vel, utere per se.

Vires, Usus, Dosis. Ventriculum calefaciendo mirè roborat. Ejus mollitien corrigit. Imbecillitatem firmat. Concoctionem juvat. Appetentiam dejectam suscitat. Ventrem inferiorem totum & nutritionis instrumenta confortat. Et est propemodum omnium frigidarum ægritudinum peculiare remedium; Propriè tamen ad exsiccandum humiditates Ventriculi inventum est. Dosis per se, manè meridie & vesperi, quantitas nuc. moschat. superbibendo vini malvatici 3. vel 4. Cochlear. vel ℥j. aq. nost. Stomachalis.

Electuarium Absinthiacum.

℞. Conf. absinthii Pont. ℥iij. card. bened. fumariæ, cochleariæ ana ℥j. flor. centaur. min. cichorei sambuc. ana ℥ß. cort. Aurantiorum condit. nuc Indic. condit. ana ʒvj. spec. Diacurcumæ, diacubebæ, dialaccæ ana ʒiij. tinct. corallor. rub. mag. croci martis ana ʒj. stercoris Anserini verno tempore collect. Rhabarbari opt. & elect. ana ʒjß. Sal. absinthii ʒj. ol. salis rectif. ℈j. Misc. & cum Syrup. de Scolopendria & Capil. Veneris ana s. q. Electuarium.

Vires Usus, Dosis. Jecinoris, Lienis & Vesicæ felleæ obstructiones etiam contumacissimas & desperatissimas apellit atque tollit. Propterea in Icteritia utraque, Hydrope, &c. Experimentum est nobilissimum. Dosis manè ante cibum per tres horas & vesperi eundo cubitum, quantitas Castaneæ plus minusve.

Electuarium de Scorzonera.

℞. Rad. Scorzoneræ condit. ℥iv. conf. Rosar rub. vitriolat. ℥vj. spec. Diarrhod. Abbat diacubebæ ana ℥j. hepatis Lupi præp. nitri præp. ʒj. sem. Acetosæ, melon. excort. ana ℈vj. tinct. Corallar. rub. sal Absinthii ana ʒß. Misce & cum Rob. de Berberis & Ribes ana s. q fiat Electuarium. Cui adde Sp. Sulphuris q. s. ad gratiam.

Vires, Usus, Dosis. Generaliter cuilibet complexioni calidæ confert: Principaliter autem in debilitate, obstructione & dolore Hepatis valet. Bilis flavæ, febriumque ardentium æstum ac fervorem mitigat, jecurque inflatum præcipue refrigerat, alterat atque confortat. Dosis a ʒj. ad ℥ß.

Electuarium de Nitro.

℞. Rad. Eryngii condit. ℥iv. spec. lithontribon. ℥ij. man. Christi simpl. ℥iß. nitri cum Sp. Vitrioli præp. Sal absinthii ana ʒvj. ol. Succini alb. rect. anisi ana ʒß. Misc. & cum Syrup Zingib. de Bengulâ condit s. q. fiat Electuarium.

Vires, Usus, Dosis. Virtuosissime & potentissime calculum Renum & Vesicæ frangit, & per urinam expellit. Insuper in Colicâ, suffocatione Matricis, obstructione Hepatis & Lienis, debilitato Ventriculo, Febribusque quamplurimis, secretum est. Dosis ʒj. ad ʒij. vel tres mane, meridie & vesperi longe post pastum.

Electuarium Dysentericum.

℞ Conf. flor. Papav. errat. rosar. antiq. ana ℥iij. conf. Narcoticæ nost. theriac. Venet. rec. tinct. corallor. rub. lap. hæmetit. ess. croci martis ana ʒij. troch de carabe, de Terrâ sigil de spodio, ol. nuc. moschatæ, caryophyllorum ana ℈j. Misc. & cum Diacodio nostro Crocato f. Electuarium ut est artis.

Vires, Usus, Dosis. Ad omnia dolorifica ventris profluvia sistendum, sanguinem undecunque fluentem, menstrua, sputum fluxumque sanguinem & hæmorrhoidalem restringendum, somnum conciliandum, ulcera Pectoris, Pulmonis & Vesicæ consolidandum, medicamentum est specificum. Dosis à ℥j. ad dr. ij. vel tres vesperi eundo cubitum, horis aliquot post longè à pastu, vel jejuno ventriculo manè in vehiculis appropriatis locum affectum proprie respicientibus, vel per se, &c.

Diascordium Rosarium.

℞. Conf. rosar. rub. vitriolat ℥vj. Boli armen. præp. dr. iij. scordii veri dr. ij. diptam. cretici rad. Tormentill. bistortæ, gentianæ, terræ lemniæ, cinamomi, casiæ ligneæ gum. arabici, galbani, Styrac. calam. ana dr. j. Piperis longi Zingib. alb. ana dr. ß. Opii spagyricè præp. & in vino aromat. diss. Sem. Acetosæ. ana gran. xxiij. Et cum Syr. Acetos. citri misce in formam Electuarii crassi.

Vires, Usus, Dosis. Utimur secundum mentem Hieronymi Francastorii feliciter in iis, in quibus Theriaca locum non habet, ut pueris & gravidis. In peste, & morbis Epidemicis correptis, & extremè desperatis, sequenti modo exhibere & propinare solemus.

℞. Suc. citri exp. ℥ j. aceti flor. Sambuc. syr. è suc. Acetosell. ana ℥ß. diascordii rosat. dr. jß. Pul. bezoart. nost. ℈ß. Misce & fiat haustus, qui mirabiliter operatur, & omnia venenosa virtuosissimè per sudorem expellit.

Catharticum Cæsareum.

℞. Zingiberis de chinâ condit. ℥j mag scammonii ℥ß. conf. Alkermes dr. jß. spec. Diarrhod. abb. sp. vitrioli irrotat. cryst. tartari dr. j. Galliæ Moschat. veræ ℈j. Ol. cinamomi ℈ß. Syrup supra dicti zingib. cond. q. s. Misce in formam boli pro usu.

Vires,

Vires, Usus, Dosis. In omnibus frigidis affectibus, jucundum est catharticum; quod Principibus & Magnatibus ordinare solemus: Corpus enim humanum magnificè & sine omni læsione, perpurgat. Animum recreat. Appetitum excitat. Omnia membra principalia roborat. Fœtorem oris & nasi emendat. Sanguinem rectifiat. Flatus dissipat & Colicis cruciatibus mirè confert. Dosis à ℨj. ad ℈iiij.

Catharticum Regium.

℞. *Conf. Alkermes vitriolat. ʒx. mag. Scammonii ℥ſs. Pulv. rosar. rub. sp. vitrioli irrorat. acidi Tartari an. ℨj. nitri præparat.* ℈j. Misce in formam boli pro usu.

Vires. Usus, Dosis. Confectionem hanc Alkermes solutivam pro delicatis inveni; & est in febribus malignis, effectibus omnibus calidis, biliosis, & ex materia mixtâ enatis saluberrimum catharticum; quo Reges & Principes utuntur: Utramque enim bilem, sine nausea & molestiâ purgat, malorumque humorum reliquias, nec non ad articulos, renes & vesicam decumbentes humores tartareos, cor refrigerando, sanguinem mundificando membrisque principalibus robur addendo, suaviter & blandè educit. Dosis à ℨj. ad ℈iiij.

Annotatio.

Pro tenuioris fortunæ hominibus loco Conf. Alkermes, Conf. Violar. vitriolat. substituitur, & æque efficax est compositio.

Catharticum Rosarum.

℞. *Conf. rosar. rub. vitriolat.* ℥vij. *scammonii rosat.* ℨx. *spec. diarrhod. abb. sp. vitrioli irrorat. unc. j. nitri præp.* ℨiſs. *ol. cinamomi* ℈j. Et cum modico syrup. rosat. solut. vitriolat. misce in formam boli.

Vires, Usus, Dosis. Expellit flavam bilem citra molestiam, & Hepar calidum alterando & confortando expurgat. Ad morbos articulorum ex biliosis & calidis humoribus natos, & ad Febres tertianas mirè confert. Boni insuper & grati saporis est, oris ventriculo & visceribus gratum; propterea nauseabundis, picrocholis, delicatulis virginibus, pueris & senibus, catharticum conveniens & appropriatum est, qui inde non exiguum fructum percipiunt. Dosis à ℨij. ad ℨiij. magno emolumento & nullâ ægrotantium molestia exhiberi potest.

Catharticum Violarum.

℞. *Conf. violar. rec. vitriolat.* ℨiiij. *Hermodact. veror. & à cort. mund.* ℥iij. *mag. scammonij* ℨx. *tartari vitriolat.* ℨvj. *cinamomi acut. caryophyllor. zingib. alb. ana* ℨi. *ol. cymini* ℈j. Et cum syrup. è suc. violar. vitriolat. misce in formam boli.

Vires, Usus, Dosis. Hæc de Hermodactylis confectio, est admirandæ virtutis & facultatis in Arthritide, Schiatica & similibus juncturarum doloribus; purgat enim securè & leniter omnes defluxiones podagricas: vidimus etiam multos podagricos perpetuò cruciatu languentes, & in lectulo miserè jacentes, hoc cathartico aliquoties usos, adhibitis simul inunctionibus externis, adeò revaluisse, ut expeditiores, quam antea, ad solita negotia redierint. Verùm non duntaxat præsente jam morbo, sed quolibet anno bis, vere scilicet & autumno præservationis gratia prudenter utendum. Dosis à Drach. ij. ad Drach. iij.

Catharticum Caryophyllatum.

℞. *Conf. flor. Tunicæ vitriolat.* ℥vij. *turbith. alb. & gum.* ℥ij. *scammonii rosat.* ℨx. *caryophyllor. elect. unc. j. cryst. tartari* ℨvj. *cinamomi acut. macis ana* ℨß. *ol. aurantiorum* ℈j. Et cum Syrup. Cort. Citri Moschat. misce in formam boli.

Vires, Usus, Dosis. Excrementa humorum frigidorum, maximè pituitosorum ac putridorum, capiti, pectori, Ventriculo, Articulis, intestinis, aliisque membris principalibus & nutritionis instrumentis inhærentia, suaviter & copiosè educit. Febribus compositis & diuturnis auxiliatur. Colicis cruciatibus à causa frigida; immò cæteris morbis omnibus ex crudo & frigido humore ortis, mirabiliter prodest. Tum quoque remedio est iis; quibus cibus in ventriculo acescit, quique nauseâ assiduè infestantur & salivâ abundant. Dosis à Drach. jſs. ad Drach. ij. & Drach. iij. præsertim in robustioribus, plus minusve; pro ratione ætatis, temporis & sumentis viribus.

Zingiber Purgans.

℞. *Conf. Anthos.* ℥iiij. *zingib. de Bingala condit.* ℥iij. *scammonij rosat.* ℨx. *spec. Diarrhod. abb.* ℥ß *galang. min. macis ana* ℨj. *cardamomi min. caryophyllor. an.* ℈ii. *Flav. cort. aurantior. citri an.* ℨß. *galliæ mosch. veræ* ℈j.

Et cum Syrup. supradicti Zingib. condit. misce in formam boli.

Vires, Usus, Dosis. Corpus universum à phlegmate, cholera, cæterisque vitiosis humoribus omnibus incolumiter purgat. Ex stomacho utramque bilem deducit, & os jucundè olens reddit. Intestina frigida confortat, frigiditatemque removet. Flatus crassos dissolvit & sanguinem clarificat. Non est ingrati saporis & odoris, sed valde salubris in febribus quam plurimis omnibusque morbis à causa frigida ortis; nec non in Colica, Inflatione & dolore Ventriculi, Cordis, Jecinoris, Splenis, Renum, & dorsi. Dosis à Drach. ij. ad Drach. iij. in aurora maturina.

Cinamomum Laxativum.

℞. *Sacchari albiss. in aq. Cinamomi diss.* ℥iv. *Scammonii rosat.* ℨvj. *spec. diacinamomi* ℥ß. *ol. cinamomi* ℈j. Misce in formam boli, pro usu.

Vires, Usus, Dosis. Bilem utramque & pituitam ex capite, thorace, ventriculo, hepate, juncturis, &c. & sine molestiâ elicit. Et hæc compositio potest etiam fieri in formâ solidâ. Dosis à ℨij. ad ℨiij.

Catharticum Cholagogum.

℞. *Suc. rosar. rub. express. sacchari albiss. ana* ℥viij. *spec. diarrhod. abbat. vitriolat. ana* ℨjv *mag. scammonii* ℥j. *spodii* ℥jß. *Galliæ moschat.* ℈j. Saccharum cum suc. Rosarum ad consistentiam coquantur, deinde tritæ species adjiciantur, ut f. Elect. de suc. Rosarum nostrum.

Vires, Usus, Dosis. Ad purgandum materiam calidam & biliosam in omnibus morbis calidis & biliosis affectibus, felicissime utor. Dosis à ℨij. ad ℨiij.

Catharticum Vitæ.

℞. *Theriac. Venet.* ℥iij. *spec. diaesulæ nost.* ℥jß. *Mercur. vitæ* ℨj. Misce & cum Syrup. pectoral. nost. f. Electuarium crassum.

Vires, Usus, Dosis. In Peste, Capitis morbis, Lue Venerea, Lepra, Cacochymia, Hydrope, Ulceribus fœtidis, &c. medicamentum est præstantissimum, & in Quartana secretum: Quia in toto corpore humano nihil impuri relinquit. Dosis à ℨj. ad ℨjß. & ℨij. Et non detur ante cibum, sed à pastu: nam ita promptius ægrotantes evomunt.

Diaturbith minerale.

℞. *Mithridat. Dam.* ℥iv. *turbith. mineral. veri, spec. diarrhod. Abb. ana* ℥ß. *spec. vitriolat. nost. ol. carminat. nost. ana* ℈j. Misce cum Syrup. de Jujubis in formam Electuarii crassi.

Vires, Usus, Dosis. In morbis desperatis, utpote, Hydrope, Lue, Venerea, Podagra, Icteritia, &c.

Cathar-

Catharticum est excellens; habet enim vim expellendi. In fistulis, ulceribus malignis, Peste, Febribus multis, &c. nil. præstantius aut nobilius. Dosis à ʒ. j. ad ʒ. js. superbibendo parum vini al. i.

Confectio Passulata.

℞. *Senæ f. stip.* ℥ *iv. rad. polypodii querc.* ℥*ij. Scorzoneræ, buglossæ ana* ℥*.j. cichorei, glycyrrhizæ* ℥*.f. vini malvatici* ℔*. iv. Incisa & contusa ebulliant & in Colaturâ expressa iterum infunde per noctem: Flor. malvæ arbor. rub. persicorum, violarum, rosarum, acatiæ ana p. ij. zingib. alb. cinamomi, galang. min. ana* ʒ*j. Deinde colentur cum forti expressione & in Colatura denuò infunde: Passular. Corinthi repurgatar. & vino albo elotar.* ℥*vj. sem. carthami excort.* ʒ *iij. jujuben, sebesten, prunor. parvor. exossat. ana num. xxj. Coq. & extrahantur per cribrum mundum, addendo. Man. Christi anisat. ana* ℥ *iv. pulp tamarindor. mannæ elect. ana* ℥*if. crem. tartari* ℥*j. Misc. & inspissentur ad formam Electuarii mollis.*

Vires, Usus, Dosis. Suavissimum & mitissimum est medicamentum, leniens, & confert ijs, qui semper dura sunt alvo: Hanc enim sine molestia & innoxiè subducit; nec non tam flavam quam atram bilem leniter educit. Sanguinem insuper mundificat & ejus acrimoniam compescit. Renum quoque & Vesicæ vitijs prodest, & à calculi generatione prohibet. Dosis à ʒiij. ad ℥. s. plus minusvè.

Catharticum Passulatum.

℞. *Conf. passulatæ nost.* ℥*ij. rad. gialappæ gummos.* ℥*j. ol. anisi* ℈*j. Et cum Syrup. Cinamomi misce in formam boli pro usu.*

Vires, Usus, Dosis. Pituitam, utramq; bilem & aquam evacuat, cæterosque humores & peccantes materias omnes educit. Flatus expellit. Obstructiones reserat. Sanguinem puriorem reddit. Articulorum, Coli & Renum doloribus utile est. Asthmati, Tussi veteri, & Lue Venerea vexatis convenit. Molesta etiam non est hujus Cathartici sumptio: quia nullius mali saporis est particeps: Ideoque omnibus, qui vetera medicamenta respuunt, amicissimum est. Dosis à ʒ.ij. ad ʒ.iij.

Catharticum Peruvianum, liquidum.

℞. *Elect. diacori* ℥*vj. ext. gum. de Peru rosat.* ℥*j. speci diarrhod. abb.* ℥*.f. ext. granor. Chermes* ʒ*iij. galliæ moschat. veræ* ʒß*. ol. macis* ℈*j. & cum pauxillo syrup. cortic. citri condit. f. Electuarium crassum.*

Vires, Usus, Dosis. In valentissimis & contumacibus morbis quam plurimis, serosa excrementa, seu aquas in abdomine collectas, & pituitam tam crudam quam crassam ex partibus etiam remotissimis, potentissimè evacuat: Ob id Arthritidi & articularijs morbis convenit; nec non Hydropem, Ascitem & Anasarcam juvat. Dosis à ʒij, ad ʒij.

Catharticum Peruvianum Solidum pretiosum.

℞. *Ext. gum. de Peru rosat.* ℥*. s. spec. diarrhod. abb.* ʒ*ij. conf. alkermes* ʒ*j. galliæ moschat. veræ* ℈*j. ol. cinamomi* ℈*f. Misc. & cum sacchari albiss. in aq. Rosar. diss.* ℥*.iv. fiat l. a. Confectio in Morsulis.*

Catharticum Peruvianum Solidum commune; pro tenuioris fortunæ hominibus.

℞. *Ext. gum. de Peru rosat.* ℥*.f. cort. citri cond. auran. cond. ana* ʒ*.j. cassiæ ligneæ, caryophyllorum, zingiberis albi. macis, ana* ℈*. j. ol. anisi* ℈*. f. Misc. & cum sacchari albiss. in aqu. Fœniculi diss. unc. iv. fiat l. a. Confectio in Morsulis.*

Vires, Usus, Dosis. Ad expurgandum crassos, serosos & tartareos humores in Hydrope, Podagra, Ictericiâ, Scabie, morbo Gallico & similibus existentes, secretum est. Dosis à ʒis. ad ʒij.

Passulæ Laxativæ.

℞. *Fol. senæ f. stip.* ℥*. iij. rad. turbich. alb. & gumm. gialappæ ana unc. j. Mag. scammonii, rhabarbar. elect. ana unc. f. sem. fœniculi, anisi ana* ʒ*. iij. flor. cordial. ana p. j. Misc. & infunde in f. q. Spir. Vini rectificat. stent infusa, quoad perfecte tingantur, sapore atque virtute ingredientium bene imbuatur: Postea tinctum spiritum aufer per inclinationem & illum Passulis Corinth. unc. ix. suffunde, digerantur; donec passulæ spiritum sufficienter imbibant. Et tunc demum Passulis exemptis adde: Cinamomi acut. caryophyllorum ana* ʒ*. ij. piperis longi, galang. min. zingiberis albi, ana drac. i. f. spicæ indic. galliæ moschat. ana scrup. f. & cum Syrup. Rosat. solutivo f. q. fiat l. a. conditum.*

Vires, Usus, Dosis. Melancholicos & adustos humores purgant. Serosam aquarum colluviem exhauriunt & pituitam salsam deturbant. Inde Lepram, cutis fœditatem & scabiem elegantissimè eluunt. In Arthritide, angustia pectoris, calculo, catarrhis, dolore & tumore utriusque lateris remedium est excellens. Dosis ab unc. s. ad ʒ. vj. plus minusve pro ratione complexionis & sexus.

Catharticum Terebinthinatum.

℞. *Terebinth. alb. in suc. limonum aliquoties lotæ unc. iij. spec. lithontribon. unc. j. mag. scammonii* ʒ*. vij. cassiæ, rec. extract. medul. sem. carthami ana unc. s. turbith. alb. & gum. tartari vitriolat. ana* ʒ*. ij. ol. cinamomi* ℈*. f. chamomill. rom. anisi ana* ℈*. f. Misce cum Syrup. rosar. solut, f. q. in formam boli vel Electuarii crassi.*

Vires, Usus, Dosis. Catharticum hoc Terebinthinatum, à Renibus potissimum & Vesica decumbentes humores phlegmaticos, pituitosos, crassos & tartareos purgat, coagulatum tartarum dissolvit, & in omnibus calculorum generibus, in quibuscunque etiam sint corporis partibus, purgans est stupendum & mirabile. Dosis à Drach. js. ad Drach. ij. plus minusve in vino odorifero & bono.

Terebinthina laxativa.

℞. *Terebinthin. in aqua rosarum lota* ʒ*. ij. tartar. vitriol. drach. f. sal. succin. alb. rhabarb. elect. āā scrup. f. M. & cum sacchard & pulveri glycyrrhizæ f. bolus pro una dosi.*

Terebinthina purgans.

℞. *Terebinth. in aquâ violar. lota* ʒ*ij. acidi tartar.* ℈*. magister. lapid. percarum, oculor. cancri, scammonii āā* ℈*. f. M. & cum sacchard ac pulvere cinnamom. f. Bolus pro unâ dosi.*

Vires, Usus, Dosis. In Gonorrhœâ, calculô renum & vesicæ dolore dorsi, secretum: Detur autem horâ unâ ante cœnam, vel manè in aurorâ, involvendo in nebulâ madefactâ in vinô. Et cùm aliàs alvus in officiô non est, assumi poterit.

Electuaria varia ex Collectione Clariss. Casp. Theophili Bierlingij.

Electuarium de Soldanellâ Hydropicum.

℞. *Fol. senn. tart. alb. rad. polypod. ireos Florent. āā* ʒ*iij. turbith. elect. unc. f. soldanellæ* ʒ *vj. granor. juniper. rhabarbar. āā* ʒ*. iij. spic. indic.* ʒ*. f. diagrid. lign. aloës, cinnamomi, zingiberis āā* ʒ*. j. sacchar. q. f. f. e. a. Electuarium.*

Electuarium Orvietanum parum à supra allatis abludens.

℞. *Rad. gentian. tormentill. bistort. aristoloch. rotund. carlinæ,*

carlinæ, dictamn. alb. anthor. echii, herb. card. bened. sem. anchusæ, angel. citri āā partes æquales. Omnibus subtilissimè pulverisatis & cribratis, adde rad. scorsoner. subtiliss. pulver. ad pondus omnium præcedentium. Postea adde mellis despumati triplum cum paucô vinô malvaticô: Ad ignem misce & ebull. leniter; ebullienti melli & vino immisce pulveres præparatos, & inter coquendum continuò agitentur, donec incorporentur; ab igne removeantur & admixtio fiat debita theriacæ optimæ partis decima totius ponderis, iterum cum spatulâ, vel baculô ligneô ad incorporationem misceantur & refrigeretur pro opiatô ad usum.

Electuarium Anti-Scorbuticum *D. H.*

℞. Conserv. cochlear. ℥iij. fumar. ℥iß. absinth. Pontic. ℥ß. Elixyr. proprietat. ℈ß. zingiber. condit. cortic citri cond. āā ʒvj. aq. cinnam. opt. cochleare j. olei fænic. gutt. iij. syr. conserv. aurantior. q. s. f. l. a. Electuarium. Dos. quantitas juglandis.

Electuarium *Domini Beyeri*, quod ille Gargocostinum appellat.

℞. Hermodactylor. à superiori cortice purgat. ʒij. Diagryd. costi, cymin. zingib. cariophyll. āā ʒj. Trita & cribellata conf. cum syrupo facto ex vino albo & melle simul coctis, dum syrupi consistentiam acquirant, f. l. a. Electuarium, dos. est. à ʒij. ad ℥ß. in vino robusto, præcedente humorum præparatione usque ad ʒv.

Electuarium confortativum & bezoardicum *Papæ Leonis*, à Nobili *Ranzovio* ex Italia allatum, vocatur *Itzehöer* Mithridat.

℞. Cinamom. ʒj. *Zedoar.* ʒij. *bol. armen. præparat.* ʒvj. *sem. citri excort. acetos. cort. citri āā ʒiij. C. C. ust. Rad. diptamn. tormentill. pimpinell. ana ℥j. Rasur. ebor. oss. de cord. cerv. ana ʒij. auri pur. argent. ana ℈j. Lap. Bezoard. ver. ʒij. camphor. gr. xvj. ambr. grys. ℈ij. sacchar. ℥xvj. excoq. s. a. aq. endiv. cui tamen adde: conserv. rosar. acetos. borragin. ana ℥j. f. l. a. Electuarium.*

Electuarium collapsas vires restaurans J. H.

℞. Cons. flor. citri ℥iß. rosar. borag. acetos. ana ʒvj. Mag. hyacinth. perlar. ana ℈ij. C. C. philos. præpar. confect. alkerm. ana ʒß. spec. diamosch. dulc. ʒß. syrup. acetos. citr. q. s. spir. 🜍. q. s. F. l. a. Electuarium, dosis ad magnitudinem juglandis, superbibatur haustus aq. card. bened.

Electuarium dysentericum pro Nosocomiis Argentin. *D. Segleri.*

℞. Conserv. rosar. antiqu. ℥vj symphyt. major. ℥iv. diacydon. simpl. ℥vj. rob cynosbat. prunor. sylvestr. ana ℥iij. nuc. mosch. ℥ß. rad. tormentill. ℥iß. bistort. ʒij. sangu. dracon. ʒiß. boli armen. præpar. ℥ß. Lap. hæmat. præp. ℥ij. croc. ♂t. ʒij. succi cydon. ℥iß. syrup. myrtillor. de ros sicc. ana q. s. F. l. a. Electuarium. Dos. ℥iß. ad summum. Mirum hujus effectum vidit D. Ehring *in lienteria, dysenteria, aliisque alvi profluviis.*

Electuarium contra luem veneream, quod dicitur Electuarium pittaretia Veneti, pro secreto habitum.

℞. Pulv. sarsaparill. ℥j. lign. sanct. ℥ij. hermodact. ʒvj. turbith. ʒiij. sennæ, ʒx. helleb. nigr. ʒij. zingib. semin. dauc. anis. āā ℈ij. Diagryd. 🜂r. ʒj. passul. ℔ij. Passul. infund. in syrup. ros. solut. deinde bulliant, cola per setaceum pulpam, admisce reliqua & f. Electuar. Dos. ℥ß. Prodest. etiam feliciter in doloribus articularibus & præsertim ischii.

Electuarium contra morbum gallicum *Marchetti.*

℞. Lign. sanct. cortic. ejusdem, sarsaparill. ana ℥iß. Turbith. elect. ℥ij. fol. sennæ, ℥iij. cinamom. ℥ß. Diagryd. ʒiij. F. omnium pulvis, qui excipiatur triplo mellis despumat. & f. Electuar. Dos. ℥j. ad ʒx.

Electuarium pretiosum Reg. Franciæ.

℞. Radic. gentianæ, diptamni albi, imperator. valerian. paon. aristol. long. meu, bistort. scorzoner. tormentill. carlin. āā ℔j. angelic. Bohem. nostrat. ana ℔ß. Folior. rhapont. scordii, vincetox. chamædr. Semin. card. sancti ana ℔j. siler. montan. Bacc. laur. ana ℔ß. agaric. sal. gemm. rhabarb. terr. sigillat. 🝆. junip. ana ℥iv. Theriac. fin. mithridat. an ℥ß. Primò pistentur radices, post pro ℥iv. pulveris sume ℔j. mellis Hisp. pone in vase apto ut super igne bulliat & despumetur. Tum adde Theriac. & mithrid. ana ℥ß. reponantur in eôdem vase miscendo per spatium quod uni Credo pronunciando sufficiat. Post amove ab igne, & sensim misce pulver. præscript ℥iv. donec omnia sint incorporata, refrigeratisque omnibus compositio asservetur in vase vitreô ad usum. Si desiccetur electuarium adde mell. aliquid. Si pulveris totali quantitati corall. rubr. & alb. item margarit. præpar. ana ℥j. & benzoin. q. v. admiscuer. tanto majoris erit efficaciæ.

Electuarium Pulmoniacum *Domini Coci.*

℞. Carnis perdicum bene assæ, non salitæ nec aromatisatæ ℥j. cochlear. mund. & coctæ in aq. endiviæ, scabios. beconicæ ℥iij. cancror. in serô lactis coctor. ℥iijß. vulpeculæ coctæ & in fine bene assæ, absque ullâ pinguedine & brodiô ℔j. amygdalar. dulc. ex cortic. ℥iß. pinear. pistaciar. tribus aquat. in aquæ rosar. ablut. & præparat. ana ʒvj. sem. 4. frig maj ex cortic. ana ℥iij. cortic. citr. cond. ℥ß. rad. symphyt. maj. exsiccatæ ℥v. cichor. enulæ camp. exsiccat. ana ℥iij. gummi Arabic. tragacanth. ana ʒiß. amyli ℈iij. pulver. liquirit. ppt. ʒiij. specier. electuar. restaur. ʒiiß. specier. ireos, diatragacanth. frig. diapenidii ana ʒiij. flor. sulphur. cum aquâ appropriat. humect. & ppt. ℥iß. ʒij. fol. auri finissim. n. xxv. cum mell. despum. & sacch. alb. āā ℔iiß. f. s. a. electuarium.

ELEMI GUMMI.

Nomina. Gummi Elemi *Park.* G. Elemi officinarum *C. B.* Elemi resina *J. B.*

In massas cylindraceas cogitur quas pollice & medio digito complectaris, duarum palmarum circiter longitudine. Substantia verò est ferè uniformi, ceræ flavæ colore & consistentia simili, facilè flammam concipiens; color aliàs intensior, substantia resinacea: sub dentibus facillimè lentescit dealbaturque, sapore non ingrato, nonnihil acri & subamaro, odore fere fœniculi. Obvolvuntur autem glebæ quæ ad nos importantur pulchro folio, è cujus nervo medio parallelæ obliquè crebérrimæ in margines feruntur venæ, quod Cannæ Indicæ videtur esse. Funiculis præterea xylinis omnia constringuntur.

Multa habet communia cum resina Gummi Molle arboris à Paludano missa *J. B.* Impropriè Gummi dicitur cùm resina sit, ut quæ flammam facilè concipiat, & oleaginosis diluatur.

Oleæ Æthiopicæ gummi esse multi volunt, siquidem Elemi vox ab Eleæ corrupta videtur. Ast Elemi officinarum Dioscoridei notas non habet, nimirum flavum esse & Scammonio utcunq; simile & mordax. Negat Matthiolus Oleæ Æthiopicæ lacrymam esse. Verum C. Bauhinus Oleas & Oleastros similem ferè lacrymam fundere ait. Et apud Casp. Hofmannum invenio locum ex Andreæ Baccij autoris gravissimi lib. 5. de *Vinis Apulis* adductum, quem huc transcribam, quia hanc rem illustrat valdè, & gummi Elemi originem declarat. Olearum ibi (in Apulia) mira vetustas & magnitudo, Quercuum instar procerrimæ, &

quod fœcunditatis earum argumentum eſt, (quod in Tiburtinis non video, nec in Sabinis oleis) ob aſſiduos, ut reor, in Apulia calores, gummi hic Oleæ exſudans optimum, quod chirurgi gummi Elemi appellant. Gleba eſt pinguis, ac Myrrhæ inſtar fragranti odore, ut non ſolùm in unguento probandam exiſtimem, utique applicata ſimpliciter cerati inſtar, tumores diſcutiat, emundet ſordida ulcera, ac carnem inducat ad cicatricem: verum etiam prunis aſpera ſuffimentum balſami in cameris edit gratioſum, ſuperans thuris & ſtactæ Myrrhæ fragrantiam, quod Reverendiſſ. Adriæ Epiſcopo Lucæ Ant. Reſti Barolitano acceptum refero hæc ille. Cujus (inquit Caſp. Hofmann.) graviſſ. Viri teſtimonio fiſus Gummi olearum noſtrarum in poſſeſſionem nominis *Elemi* immitto: Et materialiſtas noſtros jubeo, non ex India alterutra petere, ſed ex Apulia regni Neapolitani.

De loco ejus natali nihil adhuc certi accepimus. *J. B.*

Teſtantur plerique qui de eo ſcripſerunt admirabiles ejus vires eſſe in vulneribus capitis. Practicis ergo in Calvariæ fracturis & vulneribus nunquam id in ſuis emplaſtris ac unguentis omittunt, mirabilem ejus uſum continuo experimento edocti: qua de cauſa ex eo & unguentum & ceratum à pharmacopolis diligentioribus concinnatum habetur. *Raius in Hiſt. Plan.*

Elemi ſive Elemni odoratiſſima eſt reſina, inſtar Anethi recenter contuſi; cujus verò arboris ſit lachryma, hactenus incertum eſt, dum cedri vel oleæ Æthiopicæ, aut etiam alterius alicujus arboris eſſe, creditum fuit, quam tamen in India Orientali provenire, atque ex ſingulari arbore ſtillare, nunc certiùs conſtat, & hanc Kakuna Ghaka dici, ex labor. Ceylon. D. D. Herm. Nic. Grimmii conſtat. Eligatur ex citrino palleſcens, perquàm odora, pura, pellucida, & à pulverum admixtione aliena. Adulteratur reſinâ, ſed fraus odore fit manifeſta. *Pharm. Aug.*

ELENIUM, vid. *Enula Campana.*

ELEOSACCARUM.

(1.) *Olea deſtillata cum ſaccharo incorporata dicuntur elæoſacchara.* Ut conſerventur olea, curandum eſt, ne in aëra exſpirent, vel lenteſcant. In uſum hinc internum, ceu numine tutelari cum ſaccharo miſcentur, & fiunt elæoſacchara, medicamenti genus extemporaneum, & variis uſibus aptum, quo ipſo in momento quaſi miſceri queunt hinc cum aqueis, vino, interprete ſaccharo ſcilicet, ceu ſale quodam eſſentiali ſui generis. Id ſolùm obſervandum eſt, ut ſint olea recentia, non rancore deturpata, vel adulterata, unde ingratus ſpirat odor, neque nimiâ quantitate excedant, ne ſolidiuſcula pereat forma, unde ad ℥j. ſacchari olei ℈ß. vel ℈j. circiter ſufficit. Pertinent huc & balſamoſacchara recentiorum, quæ minus ſunt uſitata. Ut verò huic ſcopo inſerviant, ut omnia alia volatilia, probè ab aëre munienda olea, quod minus commodè fieri cerâ certum eſt. Sunt enim hæc corpora homogenea, unde oleum agit in ceram, eamque diſſolvit, ipſumque tùm ranceſcit hinc facilius, tùm corrumpitur, unde ceu corollarii loco repetimus, commodè obturari olea ſubere veſtito veſicâ ſuillâ & chartâ.

(2.) *Olea pinguibus & aliis adulterantur, adeòque dignoſcenda probe.* Utut lucri ſacra fames plura adulterationum genera in pharmaciam introduxerit, caligantibus medicis vel in mediâ luce, præ reliquis tamen infamis & noxia illa fraudulentia in oleis & ſpiritibus hodiè viget; ut vel eo nomine non indecorum ſit, manu propriâ præparaſſe talia & præparata diſpenſare, vel ſaltim diſpenſanda falſata dignoſcere. Non docebimus has technas, ſed delibabimus ſaltim. Adulterantur olea per additionem pinguium unctuoſorum & oleorum, v. g. amygdalorum, unde vires non obtinent, quas promittunt, facilius item ranceſcunt, licet quædam ut oleum de been diutius durent. Frequentiſſimum quoque eſt olei terebinthinæ acceſſione fucare eadem. Et hæc quidem mangonia vel in deſtillatione ipſâ ſupponuntur, vel poſt deſtillationem, fine univerſali, ut copiâ majori divendi poſſint. Tolerabilius inter ea eſſet coloris fucus, uti oleum chamæmeli ſmaragdinum cum ſcobe piceæ vel pini parari ſolet, niſi oleoſæ parti pondus hinc accreſceret maximum. Dignoſcuntur verò hæ additorum fraudes partim evaporatione & deſtillatione, ſi enim aquæ calidæ commiſſa olea v. g. cinnamomi evaporent promptè, bonum eſt ſignum, & contra, relicto in fundo pingui magmate, partim aliis experimentis, ut ſi injiciantur cochleari aquæ vitæ, ubi quicquid ſupernataverit, eſt de oleo eſſentiali, reliquum verò amygdalinum, aliudve, quod *Helmontius* notat *l. de febr. c.* 15. §. 3. ſed præcipuè qualitates ipſæ domeſticæ, odor, ſapor, vireſque de eodem teſtantur. *Wedelius.*

Elæoſaccharorum Exempla aliquot ex Pharmacop. Bateana.

Elæoſaccharum Cardiacum.

℞. ℴℴ chym. nuc. m. ʒiij. ℴℴ cinnam. ℈j. ſacch. opt. ℥xviij. m. fiat. ℈ ſ. a. Ad edulcoranda Julapia, &c.

Elæoſaccharum Carminativum.

F. ex ℴℴ chym. chamæm. gt. xxiv. ſacch. albiſſ. ℥xij. m.

Elæoſacharum Fœniculi.

F. ex ℴℴ ſtil. Sem fœnic. d. gt. 40. Sacch. albiſ. ℥xij. m.

Elæoſaccharum Nuciſtæ.

F. ex ℴℴ ſt. nuc. m ℈j. ſacch. albiſ. ℥xij. m. Detur ℈j. ℈j. ſæpe urgente ventris inflatione.

Elæoſaccharum Saſſafras.

F. ex ℴℴ ſt. Saſſafr. ℈ij. ſacch. albiſ. ℥vj. m.

ELEOSELINUM, vid. *Apium Paluſtre.*

ELEPHAS.

Quadrupeda vivipara unguiculata ſunt vel digitis non diviſis ſeu ſeparatis, ſed ſibi invicem cohærentibus & communi cute tectis, eorum tantùm extremis in margine pedis extantibus, & unguibus obtuſis munitis: cujus generis ſolus eſt *Elephas*; vel digitis aliquouſque ſaltem à ſe invicem diviſis, quorum diviſionem non opus eſt hic tradamus.

Unguium reſpectu Elephas anomalus eſſe videtur, & ambigere quodammodo inter ungulata & unguiculata Animalia; ſiquidem ungues, ni picturæ nos fallant, extremos Digitos tegunt, quo cum Ungulis conveniunt, ſuper eis tamen Animal non incedit, quo ab iiſdem differunt.

Elephas, un Elephant. Magnitudine ſola, quâ eis antecellit, ab aliis omnibus Animalibus ſatis diſtinguitur; Ad quindecim pedes ſeu 5 ulnas noſtræ menſuræ altitudine interdum accedit. Sunt tamen aliæ præterea notæ inſignes characteriſticæ & diſcretivæ, quæ hoc Animal ab aliis quibuſcunque non ſpecie tantùm ſed & genere differre demonſtrant. Nimirum proboſcis longiſſima, quâ velut manu utitur ad cibos tam ſiccos quàm humidos colligendos & ori admovendos. 2. Dentes bini, è maxilla ſuperiore egreſſi, quos nonnulli Cornua eſſe volunt ob magnitudinem, longi-

longitudinémque & pondus, (ut puto) admirabile. Vidit Vartomannus in Sumatra duos, qui appensi libras 336 pendebant: & Terzagus in museo Septaliano unius meminit, qui duas ulnas longus erat, 160 librarum pondere. Claviculas non habet; verum primum costarum par, quod eorum vicem supplet, antrorsum latum est, extremitatibus per harmoniam junctis. Costarum notharum & legitimarum simul 20 paria, quot nothæ essent, quot legitimæ discernere non potui, quia sternum & cartilagines in sceleto quod Florentiæ vidi desiderabantur. Ossa ilium, pubis & coxæ nulla re admodum notabili ab humanis differunt. Cranium reliqui corporis respectu magnum: postica ejus pars in duos prægrandes sinus seu lobos ità dividitur, ut clunes humanos referre videatur; neque ut in aliis multis Quadrupedibus cerebello excipiendo cavitatem seu alveum productum, extrorsum conspicuum habet sed potiùs cranii humani figuram imitatur. *Os* pro mole Beluæ parvum; 4 in utraque maxilla dentibus molaribus seu potiùs dentium molarium massis instructum. Siquidem plurimi dentes in os solidum & durum ità infixi sunt, ut cum eo & inter se unum & continuum corpus efficiant. Dentes hi lineas parallelas undulatas 8 vel novem in superficie massæ efficiunt, suntque reliquo osse candidiores. Massæ integræ dentium singularium modo per gomphosin maxillis inseruntur: anterior tamen in superiore maxilla, extremitate altera in maxillam infigitur, deinde palato oris parallelas antrorsum producta, in acutum tandem mucronem desinit, qui in sinu ad id facto in extremitate maxillæ excipitur. Incisoribus omnino caret. Radius ad cubitum anteriore parte transversim situs, cúmque processu exteriore brachii articulatur, interiore carpi; qui modus peculiaris est in hoc Animali & insitatus; & ad robur addendum factus videtur.

Cutis non prorsus nuda (ut nonnulli prodidere) sed Pilis rarioribus, crassis & satis longis obsita. Cuticula, describente D. *Moulins* (ut puto) in Tractatu Anatomico de *Elephante*, tuberculis quibusdam crustaceis, verrucis inveteratis & profundè fissis, aut fibris carnis Bovinæ diu elixæ & transversum sectæ similibus, undique integebatur, coloris sordidè rubentis [*tavvney*] aut citrini. Verrucæ istæ (si ità liceat appellare) tum fissæ tum transversim sectæ particulas seu segmenta brevia corneæ illius substantiæ, quam *Balenæ* ossa appellare solemus, referebat. Adeò firmiter cuticulæ adhærebant, ut nec integræ, nec earum particulæ (quamvis multùm divisæ fuerint) absque laceratione abinde avelli potuerint; & tamen cuticula crassior & tenacior erat, quàm alterius cujuscunque Animalis mihi hactenus visa. Altitudo harum verrucarum alicubi $\frac{1}{3}$ aut $\frac{1}{4}$ unciæ partem æquabat, alibi $\frac{1}{10}$ aut $\frac{1}{12}$ non superabat: cujus diversitatis ratio esse videtur, quod hæ frequentiore affrictu tritæ & consumptæ essent, illæ non item.

Extra hanc crustam seu verrucas Pilos paucissimos invenire potui, intra eam eique æquales plurimos. Beluæ pruritus & exinde orta inclinatio cutem suam ad quodcunque obvium affricandi impediebat nè Pili illi in longum supra crustæ superficiem excrescerent. Crustæ durities pilorum radices fixas & immobiles tenendo, ad faciliorem eorum qua parte eminebant attritionem plurimum contulit; quà vero latebant ad conservationem & tutelam. Longitudo pilorum verrucarum plerunque altitudinem æquabat.

Pili in cute cuticulâ denudata numerosi erant, eorúmque multi crassiores & rigidiores setis porcinis, colore nigri, & quotquot in cuticula separata inveniebantur, tenuibus membranis manifestè tecti, ab extremis eorum radicibus ad cuticulam usque extensis, quæ pororum seu ductuum parietes esse videntur. Cùm enim tam circa radices pilorum, quàm in poris è quibus Pili non exeunt, mox post detersum sudorem ros quidam egrediens possit discerni, mihi sanè verisimile videtur duo pororum genera in animalium cute inveniri; aliud minus ad evacuandos vapores & liquores illos qui insensibili perspiratione aut sudore separantur, & à sanguine decedunt; alterum ad Pilos continendos & enutriendos; siquidem ad imum aut initium horum ductuum, ad extremas usque pilorum radices divisa cute, nudo etiam oculo apparebant glandulæ minutæ, quas accuratissimorum Anatomicorum D. D. *Malpighii* & *Stenonis miliares* dictas esse autumo. Has excrementitiam quandam materiam Pilis nutriendis idoneam à massa sanguinea separare verisimile est, quódque superest & in eum usum non erogatur, inter Pilos & prædictas tenues membranas excerni conjicio; quæ idcirco *Lymphæ ductus* non impropriè appellari possint.

Exterior cutis cuticulâ denudatæ superficies admodum erat inæqualis; ob ingentem numerum papillarum pyramidalium, magnitudine granorum milii aut minorum, quarum singulis adaptatæ erant in cuticula cavitates. Papillæ hæ pori esse videbantur, cùm tuberculis illis aut moleculis quas frigus in cute humana excitare solet similes fuerint, & vapori, qui in Brutis non minùs quàm hominibus insensibiliter expirat, evacuando & emittendo inservire.

Cutis incisa ad pilorum usque radices Aprugnæ callo [*the horny part of Bravvn*] similis erat; pars interna admodum glandulosa cum tantillo adipis interperso; antequam exsiccaretur alicubi digitum $1\frac{1}{4}$ crassa, alibi vix digitum integrum, (transversum intellige.)

Panniculum carnosum inveni nullum, quamvis sedulo quæsiverim; ut neque membranam adiposam. Nec enim usquam sive externè sive internè per totum corpus, pinguedinis aliquid, excepto circa perineum tantillo, apparuit. Verum membranarum duarum prædictarum loco, aponeurosis sive membrana nervosa validissima à spina dorsi ad sternum & lineam abdominis albam (in quam terminari videtur) obliquè descendens totum corporis truncum succingebat. Admodum lenta & dura erat hæc membrana, nec facilè Sectionem transversam admittebat: secundùm spinam dorsi $\frac{1}{6}$ circiter digiti partem crassa erat, verùm quo extremitati proprior eò tenuior. Nervi fibrosi è quibus componebatur valdè erant conspicui, & per totam suam longitudinem facilè separabiles. Usus ejus est ad peritonæum & musculos abdominis roborandos, ne nimium distendantur: adeóque ad viscera & intestina continenda, nè pondere suo nimium propendeant. *Ejusmodi aponeurosin in Equo observavi.*

Ligamentum vulgò *Praxvvax* dictum à capite cui adnascebatur, ad 13 circiter Dorsi vertebram pertingebat, eratque duplex; ad utrumvis Spinæ vertebrarum colli & dorsi latus, unum; valdè crassum, latum, proinde & robustum; cujus usus est ad colli musculos adjuvandos in sustinendo & elevando tam enormis magnitudinis & ponderis capite. *Verùm non Elephante proprium hoc est artificium, sed omnibus ferè Quadrupedibus* com-

communè, quibus ad eundem usum concessa sunt ejusmodi ligamenta. In Homine, erectus cum sit, nec iis indigeat, desunt.

De Musculis nihil aliud observavi, quàm quòd crassissimi essent, & fibris multò crassioribus constarent quàm bovini.

Ex situ Musculorum penis ipsiúsque curvitate, & deorsum versùs inflexione Elephantem Animal retromingens esse, & ut verisimile est retrocoiens colligitur; quod custodum hujus Bestiæ testimonio confirmabatur, qui pene evaginato retrorsum flexo inter crura posteriora mingentem observarant.

Vagina Penis ad aperturam suam cornea erat, adeóque arctè clausa, ut vix digitum minimum admitteret. Penis in vagina reconditus minusculus, nec tanto Animali proportionatus videbatur: verùm vaginâ discissâ expositus & liber equino major erat, non tamen longior. Urethra ampla, ut stylum digito humano parem exciperet.

Peritonæum, membrana erat crassa, tenax, alba, valde rugosa, ut in plures lamellas dividi posset.

Omentum nihil aliud erat quàm membrana tenuis, duplex, vasis sanguineis exilibus velut reticulatim intertexta.

Ventriculus 4 pedes & 3 insuper uncias longus erat, ambitu $3\frac{1}{2}$ pedum. Oesophagus non ut in *homine, cane*, &c. in extremum ejus seu mavis principium inserebatur, sed ad pedis circiter abinde distantiam versus mediam partem, ut in *Equo, Lepore, &c.* Lapillos aliquot in eo inveni, ut videbatur non ita pridem deglutitos. Nihil prætereа singulare in ejus figura, tunicis, fibris, &c. occurrebat.

Intestina tenuia, *ileum & jejunum* dicta, non valdè ampla seu larga erant, verùm 52 pedes longa; *Duodenum* $4\frac{1}{2}$ circiter: *Cœcum* valdè amplum & extrementis duris farctum: tunicæ ejus crassiores, & fibræ robustiores quàm Ventriculi: longitudo 20, circiter unciarum, ambitus $2\frac{1}{2}$ pedum.

Colon ingens, nam alicubi $3\frac{1}{2}$ pedes in ambitu superabat, alibi paulò minor, vix trium pedum erat: Longitudo tantum non quindecim pedum. Valvula coli, quamvis diligenter eam quæsiverim, nulla comparuit.

Rectum, seu quod à colo supererat intestinorum crassorum, 4 circiter pedes longitudine æquabat: adeò ut intestinorum omnium tota longitudo 75 pedum esset seu 25 ulnarum.

Intestinorum fibræ tum rectæ, tum spirales (ejusmodi enim potiùs quam circulares esse videbantur) robustissimæ erant & crassissimæ.

Venæ multæ, amplæ, per intestina sparsæ: inter tertiam tunicam & intimam plexum retiformem vasorum sanguineorum elegantem observavi.

Mesenterium crassum valdè & robustum erat, absque ulla pinguedinis particulâ adnascente, seu adhærente.

Vena mesaraicæ peramplæ, cavam Molossi canis magnitudine vel æquantes vel excedentes.

Hepar amplum, in duos duntaxat lobos divisum, longos rotundos aliquantulum planos, seu compressos. Fissura lobos efficiens ad $\frac{2}{3}$ partes longitudinis visceris extendebatur.

Bilis ad exitum Duodeni (impropriè in hoc Animali dicti) ad $4\frac{1}{2}$ pedes infra pylorum intestino infundebatur. Vesiculam felleam non inveni, quamvis sedulo quæsiverim, ejus autem loco porum biliarium eodem modo quo ductus hepaticus solet è jecore exeuntem. Observavi insuper bilem in poro inventam tum colore, tum consistentia differre, ab ea quam ductus Hepaticus devehebat. Hæc enim flavo claro pallidiore tingebatur, consistentiâ ferè gelatinæ: illa vero viridi obscuro colore erat, & fluidior paulò quàm fel Taurinum. *Eandem bilis differentiam in aliis etiam Animalibus observavit Autor noster, quod notatu dignum.*

Pancreas prælongum & amplum, nam à medio circiter ventriculo ad jejunum usque extendebatur, pedum non minus $6\frac{1}{2}$ spatio: ejus autem ductus adeò latus erat, ut minimum digitum facilè admitteret. Eodem cum ductu felleo loco intestinum penetrabat. Succum in eo inveni non limpidum ut in aliis plerisque Animalibus, sed obscurè viridem, nihilominus tamen valdè fluidum.

Lien tres quatuórve digitos latus, quatuor plus pedes longus, in quo nihil singulare observavi.

Renes succenturiati seu glandulæ renales pollicem crassi, eodem quo in aliis Animalibus situ, longitudine (quæ 3 circiter unciarum erat) differebant. Cavi erant, & sanguinem decolorem atrum continebant.

Renes in cavitate lumbis insculpta, iis excipiendis destinata & exactè apta delitescebant, ut ægrè possent discerni, quamvis eorum quilibet infantis capite paulò minor esset. Figurâ erant ovali membrana validâ inclusi, quâ detractâ utervis 6 lobis constare deprehendebatur. Cavitas pelvis dicta in hoc Animali deerat. Ureter in sex ramos dividebatur, pro singulis lobis singulos, quorum unusquisque (quantum discernere potui) æqualis erat diametri cum Uretere ipso; qui non amplior bovino. *Caruncula papillares* nullæ.

Vesica urinaria Bovinæ par, fibris tamen crassioribus & robustioribus constabat.

Vasorum seminalium & partium generationi inservientium, quamvis multa continet memorabilia, descriptionem omitto, quia in iis Autor noster sibimetipsi non satisfecit.

Diaphragma ex fibris carneis & nervis validis componebatur. Thoracis cavitas pulmonibus & corde repleta erat. *Pulmones* enim, contra quàm in aliis Quadrupedibus quotquot unquam dissecueram observavi, pleuræ in utroque latere ad cartilagines usque costarum adnascebantur; ut nullibi separari existerent; quo respectu pulmones avium referebant; aliis in rebus cum quadrupedum reliquorum pulmonibus conveniebant.

Pericardium valida erat membrana, serum continens satis copiosum.

Cor figurâ & situ ut in aliis Quadrupedibus, Peponis mediocris magnitudine; cui & vasa proportione respondebant; nam *Arteria aorta* 8 unciarum ambitu erat, & Vena cava tanto Arteriâ amplior quanto in aliis animalibus esse solet. *Auricula, ventriculi, valvula* cordis magnitudini analoga. *Valvularum* a. numero & figurâ cum aliis Quadrupedibus conveniebat.

Arteria carotides peramplæ erant in hoc Animali, ut pollicem facilè exciperent.

Oesophagus more consueto exteriùs musculosus erat, interius membraneus. Fibræ autem musculares solitò crassiores erant.

Maxilla inferior Porcinam præcipuè referebat.

Lingua bubulâ nonnihil major, situ usitato, illud peculiare habuit, quòd ductus ad ventriculum tendens eam prope radicem, media parte perforabat. Oesophagi ergo initium, secus quàm in aliis Quadrupedibus, cum ductu ad pulmones non communicabat; siquidem membrana pituitaria anterior ad ipsam linguæ radicem infra œsophagum extendebatur, adeóque omnem aeris transitum in os intercludebat: unde colligitur

colligitur Elephantem nullam omnino per os vocem edere posse, at nec magnam per proboscidem.

Membrana pituitaria anterior multos habuit meatus pro Saliva, quæ ibi ordinariè secernitur, evacuanda.

Proboscis nihil aliud erat quàm Nasus productus: in ea igne ustulata tres fibrarum ordines clarè & distinctè discernere potui; unum obliquarum & spiraliter descendentium; alterum spiraliter sed transversim descendentium; tertium rectarum. Plerique Proboscidis motus prædictarum trium seriërum ope præstari possunt, nimirum sursum deorsum, dextrorsum sinistrorsum, & contractionis. Verùm quibus mediis Proboscidem pro libitu extendere & protrudere seu ejaculari possit, à pedali ad 5 pedum longitudinem, idque magno impetu, nondum clarè perspicio. [Motum hunc circularium fibrarum canalem coarctantium ope præstari putat Autor, siquidem muscularis omnis motus fibrarum contractione peragi videtur. Modum apud ipsum vide.]

Aspera Arteria ampla & epiglottide destituta, siquidem periculum non erat, nè quid inter edendum aut bibendum in eam incideret, cùm ab œsophago, ut diximus, penitus disclusa esset. Hinc rationem reddit cur Elephas murem metuat, nè scilicet per proboscidem in pulmones irrepat, via patente, nec Epiglottide obstructâ eúmque suffocet. Ad quod periculum præcavendum Animal hoc inter dormiendum extremam proboscidem terræ appressam perpetuò tenebat, ut nihil præter aërem subintrare posset.

Aspera arteria aliorum Quadrupedum similis.

Oculi non alia in re quàm parvitate sua, tantæ molis corpori minimè respondente, (Ovinos enim magnitudine non multùm superabant) notabiles erant.

Aures externæ amplissimæ, & circumcirca dentatæ, pendulæ nisi cùm Bestia irritabatur, tunc enim crumenæ in modum contrahebantur, & quodammodo arrectæ antrorsum extabant; quo tempore proboscidem etiam contraxit, ut parata esset ad hominem aliúdve Animal à quo ad iram commovebatur valida evibratione feriendum, aut illatam injuriam ulciscendam.

Plantæ pedum planæ, non corneâ aliquâ substantiâ seu ungulâ tectæ, verùm Camelinorum instar cute duntaxat, tenui potius quàm crassa, ejus utique quâ corpus tegitur crassitie vix subdupla, aliquanto quidem duriore, cultello tamen haud difficulter scissili. Exteriùs in circuitu quinque parva tubercula eminebant, quinque digitis respondentia. Sub cute externa substantia pinguis copiosa in membranis tenacibus continebatur, cellulis parvis excepta, ad digitorum attritionem præcavendam.

Dentes illi maximi, pro cornibus à nonnullis habiti intus concavi erant, & quadam velut medulla verùm compactiore quæque glandularum aliquam mixturam habere videbatur, repleti.

Ex observatione autem D. *Leeuwenhoeck* Dens Elephantinus ex conjunctis iísque admodum exilibus tubulis consistit, ex intima parte seu cavitate dentis originem trahentibus, & ad circumferentiam ejusdem (Dentis) terminatis; nec ullos unquam tubulos detegere potuit secundùm longitudinem dentis decurrentes.

Quod hæc prolixiùs quàm pro instituti mei ratione exsequutus sum, veniam saltem Lectoris merebor, si non & gratias. Cùm enim descriptio anatomica hujus Animalis nulla hactenus (quod sciam) lingua eruditis communi extet, quòd hanc plenam & accuratam à Doctissimo Autore *Anglico* sermone editam Latinam facere, non paucis tamen brevitatis causâ omissis, & toti Orbi literato legendam proponere voluerim, quamvis Synopseos titulo non conveniat tanta prolixitas, nemo, ut opinor, non iniquus admodum Lector, mihi vitio vertet. *Rayus in Synopsi Quadrupedum.*

Officin. nat. ex Elephante.

Soli dentes, Ebur vulgò dicti.

Vires. Ebur refrigerat & siccat moderatè, adstringit incidit, viscera roborat, albas mulierum fluxiones sistit. Ictero convenit, lumbricos fugat, diuturnis obstructionibus confert, stomachi dolores & imbecillitatem abigit. Epilepsiæ medetur, melancholiam arcet, putredini ac venenis resistit. Adhibetur ejus Limatura in infusionibus, quin & pulvis in substantia exhibetur. Dosis ℥ß.

Præparata.

1. *Ebur ustum [Spodium vocant,] & ad differentiam spodii mineralis, spodium ex Ebore.*
2. *Trochisci de spodio*, vid. *Dispensat.*

N. *Sunt qui Ebur ad fœcunditatem commendant, verùm cum sit animal paucæ prolis, tardè pariens, (biennium scilicet gravidum, potius ad sterilitatem fœtusque retentionem facere conjecturatur, quàm ad conceptionem promovendam.* Schroder.

Soli Elephantis hujus *dentes*, *Ebur* vulgò dicti, in usu sunt, de horum viribus vide partim *D. Autorem*, partim *Zacut. Lusitan. de Medicor. Princip. hist. Lib. 1. histor. 24. p. 41.*

Ebur *ustum.*) Albissimum evadit, si in aperto igne, nigerrimum verò, si in vase clauso calcinaveris, dum in illâ calcinatione totum exhalavit Sulphur, in hâc verò quasi compressum & suffocatum fuit in talem nigredinem degenerans, ad quem effectum non parum etiam præstat liberior aëris accessus. Idem etiam cum C. C. usto & aliis evenit. Habetur etiam sine igne præparatum, & gelatina ex hoc præparata egregium confortans est, unà stomachicum, epaticum & uterinum. Nec minus sal volatile & oleum subtile ac crassius exinde paratur. In substantiâ vel maximè commendatur contra catarrhos tenues & salsos tùm ustum tum s. △ præparatum. *Si misceatur cum corall. r. ppt. & Oss. de corde inservit pro confortatione fœtus ad præservandum abortum in gravidis. Hofmann.*

ELICHRYSON.

Elichrysum seu *Stœchas Citrina* Amaranthorum, ut quibusdam videtur, species, descriptionem particularem hic propriè non meretur, quia nihil aut parum admodum ad Medicinam facit, quamvis Dominus Lemery hanc plantam multum salis essentialis ac olei continere asserat, ac propterea eam incisivam, aperitivam, vulnerariam, deobstructivam, emmenagogam, antelmenticam, ac sanguinis grumosi dissolutivam forsan paulò liberaliùs pronunciet.

ELIXATIO.

Elixatio ἕψησις species est coctionis notissima in re culinariâ, quâ massa quædam solida per liquidum affusum vi caloris externi fervefactum dissolvitur, coquitur & emollitur, aut liquescit.

ELIXYR.

(1.) *Elixyria sunt essentiæ compositæ.* Tanti est hoc nomen, ut ipsi Philosophi adepti id de arcano illo lapide prædicent, quem elixyr Arabicum vocant, & usu recepto vel solo nomine à reliquis concentratis liquoribus discriminatur, utilitatemque spondet maximam. Non occupabimur latius hoc loco in

in evolvendâ nominis etymologiâ, sufficiet nobis derivatio *Thurnheuseri*, qui in *onomastico p.* 25. scribit, nomen Arabicum ælissir notare fermentum, quo cum conferri potest *Dornaeus in Lexico Paracelſ.* ut adeò notet essentiam digestione paratam, confermentatam, quæ omnem quasi virtutem rei exhauserit. Non differunt scilicet essentiæ, tincturæ & elixiria extractione generali, sub quâ omnes hæ species comprehenduntur, differunt verò compositione magis, quàm præparatione. Verbo, elixiria sunt essentiæ compositæ, magis saturatæ, ut adeò sub unâ eâdemque classe commodè possint retineri & proponi.

(2.) *Ingredientia elixiriorum essentialia sunt duo subjectum extrahendum & menstruum.* Hoc ipso quoque cum essentiis penitus coincidunt; subjectum verò elixiriorum propriè dictorum magis sunt vegetabilia, aromatica, ex animalibus enim & metallis ferè propriè magis audiunt essentiæ, unde elixir crystalli &c. paulò latiùs dicitur. Licet in pharmaceuticis hæc nomina pro lubitu sæpè imponantur & confundantur. Hoc ipso verò patet, quæcunque non possunt extrahi commodè, illa elixiria ingredi non debere. Hinc radices viscosæ, symphyti, palmæ Christi, raluræ ossium & similia frustrà iisdem miscentur.

(3.) *Menstruum principale & spirituosum; secundarium & stimulans acidum.* Instar omnium est spiritus vini rectificatus, tartarisatus vel alius; sin elixiria extrahantur spiritibus appropriatis, longè nobiliora fiunt, v. g. elixir proprietatis-antiscorbuticum redditur extractione cum spiritu cochleariæ; cephalicum cum spiritu salviæ, rutæ, vitrioli cephalico; stomachicum cum ∽u menthæ, & sic porrò. Quod si verò acuetur cum spiritu sulphuris, vitrioli, salis, vel vitrioli philosophico, virtus eò melius concentratur & intentioni efficacius redditur. Utut verò alia quoque menstrua possint adhiberi, uti elixir proprietatis correctum Schonii celebre est, cum aqua terebinthinatâ, item elixir proprietatis sine acidorum accessione cum alcalinis, nominatim ⊖lis Tartari diluto factum, quod cum aqueis vel vino misceri promptius solet, id quod alicubi pro arcano habetur non levi, facilè tamen vel gustu deprehendo; attamen frequentior & usitatior modus est per spiritum vini. Notandum verò est errare insigniter illos, qui eidemque elixirio extrahendo jungunt sal tartari & spiritum vitrioli, unde necessariò consurgit effervescentia, & neutrum extrahendo aptatur, nequé etiam necessarium est sirupos iisdem jungere. Inprimis curiosi sunt Autores in extractione elixirii proprietatis, quod medicamentum quidem vulgatissimum, ast polychrestum tamen & eximium est, modò non aloe, crocus, & myrrha anaticâ proportione, ut fieri consuetum est, recipiantur. Consultius enim ad p. j. reliquorum, croci p. ß. solemus addere, alias quippe ingrata ferè flavedo exoritur, & stomacho minus gratum redditur. Tacemus elixir Helmontii album, & quod Paracelsus, inventor elixir proprietatis, quatenus massam pilularum de tribus Ruffi seu pestilentialium hoc modo in essentiam redegit, menstruum suum tacuerit, unde de hoc ipso processu legi potest elegans disputatio de elixir proprietatis *Langii*, quæ miscellaneis ejusdem curiosis annexa est: Tacemus etiam elixir proprietatis cum vino malvatico Sennerti. Cognitis enim his fundamentis variatio facilè dignosci potest.

(4.) *Secundario ad extractionem elixiriorum notanda proportio & digestio.* Proportio quidem, uti alias, circiter sextupla vel octupla menstrui ad partem unam extrahendi recipitur, quam alii ad eminentiam aliquot digitorum metiuntur; v. g. in elixirio proprietatis ad ℥iij. specierum ℥xviij. vel libra una circiter spiritus vini jungenda. Præstat verò extractio una completa duabus vel pluribus repetitis, quatenus quidam decantare jubent tinctum quod est, & denuò affundere menstruum. Digestio verò ipsa seu calor quavis est extrinsecus accedens, quæ referat magis centra mixtorum; unde elixiria simplici infusione minus commoda & tincta redduntur, sed ipsâ digestione leni longè saturatiora & nobiliora fiunt. Et ob hoc ipsum quoque spiritus vini rectificatus requiritur, ut si quæ partes avolent, non feces acidæ relinquantur, & tunc ipsum extractum seu elixir sensim sensimque ad fundum, subsidat, menstruo debiliori, quàm ut servare secum possit, quod semel extraxit.

(5.) *Affundendi spiritus vini & acidorum ordo non confundendus.* Si enim spiritus sulphuris vel vitrioli primitus affundatur v. g. aloë, croco, & myrrhæ, materia quasi tota in nigredinem comburitur, quod observavit cautelæ loco *Crollius.* Reverà enim spiritus acidi in se considerati non extrahunt, sed potius sulphur obtundunt, sub dominio verò spiritus vini illum acuunt, ut felicius munere suo fungatur. Hinc soleo lubentius & consultius, tùm in hoc, tùm aliis elixiriis primò spiritum vini præbæ notæ solùm affundere, hinc cùm per aliquod tempus stetit & extraxit, demum spiritum acidum instillare, unde res longè feliciſſimè absolvitur. Notandum item, acidorum proportionem non nimis magnam esse oportere, sed vel ad gratum saporem, ut leniter aciduletur medicamentum, vel ad ℔j. circiter spiritus vini ℥ß. vel ℥j. spiritus vitrioli recipiatur.

(6.) *Usus elixiriorum magis est roborans & aperiens.* Cum enim aromaticâ & blandâ suâ balsamicâ vi calidum innatum roborent, hinc partibus eo indigentibus apprimè succurrere norunt. Hinc elixiria cephalica, pectoralia, anthypochondriaca, uterina, stomachica potissimum deprædicantur, & commune quasi propriumque singulis elixir proprietatis Paracelsi, quod *à Bartholeto in encyclopæd. p.* 210. dicitur elixir vitæ, tanquam fermentum vitæ. Hoc ipsum quidem per se quoque, inprimis majori quantitate, laxat, attamen laxativum accessione rhabarbari &c. reddi magis potest, nihilominus verò elixiria purgantia paullò sunt rariora. Gaudent enim viscera balsamicis tonicisque, & nihil aliud sunt, quàm compendium & quasi quinta essentia plantarum cuivis parti addictarum, ut uterinum ex selectissimis uterinis, cephalicum ex nobilioribus cephalicis, unde hinc latum usum habent. Sunt, qui aperiendi fine v. g. elixirio proprietatis vel alio in digestione posito bacillum ferreum adhibent pro agitatione, ut simul mars ex parte recludatur. Melius verò fuerit, eidem essentiam martis ⊖latam vel aliam combinare. *Wedelius.*

Elixyria varia.

Elixyr Alliatum Antipestilentiale, *ex Phar. Reg. Zuvelferi.*

℞. Allii recent. ℥ij. cinamomi optimi ℥iß. nuc. mosch ℥j. spirit. Juniperi ex baccis ℔v. destillentur ex baln. n. vaporoso ad siccitatem, rostro capitelli immissis, succin. albi ʒij. camphoræ ʒ? spiritus egressus dulcoretur cum syr. de cort. citri, vel de scordiô nost. ℥viij.

Servetur ad usum futurum, tanquam aqua vitæ, pro plebe, tempore pestis ad præservationem offerenda.

Elixyr Balsamicum, *P. Emmer.* correct. à *J. Helffr. Jungken in Lexic. Pharm.*

℞. Rad. angel. Imperator. ana ℥j. zedoar. ℥j. cinamom. ℥ß. caryophyl ʒij. cubebar. ʒiij. croci ʒiß. Myrrha, thuris, Mastich. ana ʒvj. camphor. ʒj. benzoi, styr. calam.

calam. ana ℥ß. concis. & contusis affunde, tinctur. sulfuris mens. ℔. & fiat s. a. Elixyr.

Elixyr Aperitivum, *Clauderi, è Lex. Pharm. Dom. Jungken.*

℞. ⊖. Ciner. clavell. depur. superfunde ▽. fluv. Sambuc. nasturt. Cochle. flor. acut. āā q. s. ad eminent. 4. vel 5. digitor. postea filtrentur; tunc verò recipe Aloës Myrrhæ āā ℥i. croci ℥ß. grosse pulverisatis affundè liquorem filtratum, & statim colorabitur, ac fiet Elixyr, quod filtratum servetur.

Elixyr Cephalicum, *Wedelii.*

℞. Rad pœon. mar. ℥i. galang. Valerian. doron. fol. rosmar. Mari veri salv. ana ℥ß flor. anthos. lavend. lilior. Convall pœon. Stœchad. ar Bethon. ana ʒii. cubebar. succin. ana ʒvj. visci Coryl. lign. al. Ladani ana ʒiii. costi veri, anacard. ana ʒi. concisa extrahe cum sp. ⊕. Cephalico & fiat, s. a. Elixyr.

Elixyr Camphoræ, s. Spir. Vini, Camphoratus, Aq. pestilentialis *Hartmanni.*

℞. Spir. Vini opt. ℔j. Camphor. select. (tempore Æstivo) ʒvij. ℈j. (Hyemali) ʒx. ʒij. M. incisa prius camphora; & statim solvetur sine Igne, appende in nodulo croc. or ℈ß. fiet Spir. Vini aurei coloris. Serva in vitro benè clauso.

Vires. Utilissimus est in peste, tam præservando, quàm curando.

N. *Poterit itidem adhuc semel destillari. Hartman. in pract. loc. de peste.*

Elixyr Cephalicum ex *D. D. Rolfincio.*

℞. Rad. pœoniæ non decortic. angelicæ, palmæ Christi, valerianæ, acori veri, tormentillæ, doronici, ligni sancti, rhodij, buxi ana ℥j. folior. rorismar. majoranæ, salviæ, ana m. ss. flor. tilior. convall. primulæ veris, pæoniæ ana m. rosar. rubr. m ¼. succini, rasuræ cranij humani, visci querni ana ℥j. rasuræ cornu alcis, C. C. ana ℥jß. sem. pœoniæ, fœniculi, ocimi basil. ana ℥j. anacard. No. vj. spir. vini ad eminentiam spithamæ unius, vitrioli super cinnabarin Antimonii rectificati ʒiij. Sal. com. Tartari albi ℥ß. Stent in digestione per octiduum Colaturæ expressæ adde syr. flor. pæoniæ ℔¼. Stent iterum in digestione bene permista in vitro. F. Elixir.

Cerebri affectibus à frigida causa exortis singulariter prodest. Dos. ℈j. ʒß. gr. x. xij. in liquore conveniente.

Elixyr Cinamomi, *ex Pharm. Norimb.*

℞. Aquæ Cinamomi ℥vj. spiritus vini rectificati ℥iv. Elæosacchari cinamomi ℥i. M. digerantur per aliquot dies, & filtrentur.

Elixyr Citri, *ex Pharm. Norimb.*

℞. Corticum citri recent. ab albicante medulla separatorum ℔iij. spiritus vini non rectificati ℔xii.

Macerentur aliquandiu; deinde destillentur per vesicam, cum refrigeratorio, donec phlegma stillare incipiat: huic spiritui, cum tantillo croci tincto, addatur ad edulcorationem syrup. acetositat. citri q. s. postea filtrentur, & asserventur usui.

Elixyr hystericum & antepilepticum, *ex Schrôder.*

℞. Rad. pœon. acor. ver. visc. querc. ana ℥j. sem. pœon. ℥ß santal. rubr. ℥ij. flor. nymph. alb. Lavend. ros. rubr. papav. errat. ana Mß. camph. ℈ij. extracti opii puriss. ʒij. castor. per spir. Vini ʒj. spiritus sang. human. vel cervini ℥xii. Vitrioli volatilis ℥j.

Igne menstruo digerantur in diplomate, coletur liquor per chartam serveturque.

Dos. junioribus à gutt. vj. ad ℈ß. adultis ad ℈j. in vino, jusculis, aq. stillat. tam in paroxysmo quam diebus aliquot ante Novilunium. Idem Elixyr valet adversus hemicraniam, Cephalæam, vertiginem per aliquot dies continuos sumptu, purgato tamen antea corpore.

Observ. Hofman. Super Elixyr. Hysterico & antepileptico. Hoc suo etiam non caret encomio, ex Spiritu enim sanguinis humani vel cervini optimè rectificato vel etiam Urina, salibus suis volatilibus urinosis impraegnatis, alias cum Sp. Vitrioli volatili mixtus & combinatus egregius Spiritus antepilepticus conficitur, qui ab Autore allatis speciebus per digestionem in diplomate exaltatus majores acquirit vires in dictis affectibus. Compendiosiori tamen via hoc modo elaborari potest.

℞. Spir. ant-epileptic. CL. Hartmann. ℔j. Extract. radic. pœon. ℥ij. acori veri visc. q. ana ʒiii. opii correct. ʒij. ess. castor ℥iij. ol. camphor. ʒß. lavendul. ℈j. M. stent in digestione f. Elixyr.

Elixyr Epilepticum D. D. *Freyen.* ex *Schrôd.*

℞. Spirit. Corall. tart. ana ℥ß. ʒij. sal. com. crani human. volat. sang. human. volat. Succin. volatil. ana. ʒj. M. stent in digestione, & (14.) servetur in vitro benè clauso.

Dosis guttulæ aliquot.

Observ. Hofman. Super Elixyr. Epileptico D. D. Freyen Spiritus corallorum, ut non Ens omitti, & ejus vicem supplere potest Spiritus Salis Tartari volatilis cum reliquis Salibus volatilibus.

Elixyr. Epilepticum *Crollij, ex Schrôd.*

℞. Vitriolum ad flavedinem calcinatum; imbibe spir. vini ut f. massa.

℞. Hujus massæ ℔ß. rasur. cranij human. visc. quercin. ungul. alcis. granor. pœon. ana ℥j omnia scindantur & tundantur, postea mixta destillentur per retort. gradatim.

Hujus egressi liquoris ℔j. rectificetur in MB. supra Castorei. spec. diamosc. dulc. ana ℥ß. anacardin. (fruct.) ℥vi. Postea adde Vini ℔iv. sal. pœon. ʒj. liquor. salis perlar. liquor. salis corall. ana ʒj. ol. anis. succin. ana ℈ij. m. & digere in MB. per mensem.

Dosis cochl. s. vel integrum in aqua pœon. & simili, continuando dies (9.)

Observ. Hofman. Super Elixyr. Epileptico Crollii. Hoc non sapit accuratam compositionem Medico chymico dignam; cur enim Spiritus vini ante rectificationem in MB. supra prædictas species egresso liquori addi possit? Sal pœoniæ, liquor salis perlarum, salis corallorum, aniles fabulæ sunt, hisce exclusis sal succini volatile cum ejus oleo rectificato melius surrogantur.

Elixyr antepilepticum *Cratonis, ex Schrôd.*

℞. Ciner. cornic. ex nido extract. Turtur. Cran. human. calc. ana ℥ij. gran. tiliæ autumno collect. ℥ij sterc. leon. ℥ß.

Affunde spir. Vini ad eminent. digit. 3. extrahe s. a. ex fæcibus calcinatis elixivia sal; addeque extractionibus. Postea adde vini malvatici tantundem (cum spir. Vini) sacchar. candi ℥iv.

Dosis cochl. s. ad 1.

Observ. Hofman. super Elixyr. Ant-Epileptico Cratonis. Bonus *Crato* hîc excusandus est, ut qui parum in chymicis laboribus versatus sit, ex cineribus cornicum, cranio humano calcinato nihil salis fixi extrahi potest, quid ergo virtutis ant-epilepticæ ab hisce erit expectandum? Hisce melius substituitur Spiritus stercoris leonis sale suo volatili satis dives tanquam fortissimus hujus morbi Hercules paucis Medicis adhuc cognitus.

Elixyr pestilentiale, ex Schrôd.

℞. 1. Flor. sulph. ℥iij. ol. junip. (bacc.) rectificat an. ℥viij. succin. rectific. Digerantur ut fiat solutio florum.

℞. 1. Theriacæ Androm. ℔j. f. extractio cum spir. Vini optimo, abstrahe spir. vini.

℞. 3. Rad. enul. c. angelic. baccar. junip. ana ℥ij. Extrahatur Tinctura cū eodem spiritu, abstrahaturque ite-

iterum spir. Vini. Misce jam extractum hoc cum extracto Theriacæ, ac affunde olea illa essentificata, prius tamen filtrata, circula omnia simul lentissimo calore.

Vires. Secretum est, quod in peste & morbis epidemiis ad miraculum operari solet, tam præservando quàm per sudorem contagium expellendo.

Dosis in præservatione guttulæ aliquot, in curatione à ℈j. ad ℈ij. in vino aceto-rosaceo, aqua scordij, vel aliquo liquore appropriato. Croll.

Observ. Hofman. Super Elixir. Pestilentiali. Hoc prout hîc discribitur, minus concinnum est, extracta enim & olea non facile se invicem uniunt, unde præcipitantur; Et ipse Crollius in Laudani præparatione fatetur, quia olea, inquiens, destillata difficulter extracto miscentur, & semper supernatare solent, omnibus oleis in vitro prius mixtis aliquot guttæ spiritus vini affundi solent & diligenter commisceri, ita invicem uniuntur, & postea facile permiscentur toti compositioni. Sequenti autem modo melius procedit.

℞. *Spiritus juniperi alkoholisati q. v. impragna ol. d. succini. & ol. d. juniperin. rectificatiss. quantum imbibere velit, prius suprà fl. Sulphuris digestis.*

Essentia ex speciebus Theriacalibus extract. ol. destill. succini. Citri &c. q. s. impragnatis. M. & circula omnia lentissimo calore.

Elixir antihypochondriacum, spleneticum, hepaticum, & antiscorbuticum, ex D. D. *Rolfincio.*

℞. *Folior agerati corymbiferi cum floribus flavis, chamædryos agrimoniæ, hepaticæ cæruleæ, albæ, ceterach veri, linguæ cervinæ, spichanthos fumariæ, cochleariæ, nasturtij aquatici, sedi muralis āā man. j. rad. dictamni albi, rhabarbari monachor. acori veri, filicis, scorzonerh, polipodij, sarsaparillæ āā ℥j. cortic. rad. capparum, tamarisci, medians fraxini ana. ℥j. sem. genistæ, anisi, fœniculi āā ℥j. flor. genistæ, hepaticæ ceruleæ & albæ, centaurij min. āā. p. x. hyperici, sambuci āā m. ß. ligni sancti raspati ℥ iij. Concisis, contusis & sale Tartari cum radicibus rhabarbari bene tritis accuratè misto, adfundatur spir. vini q. s. Stent in digestione, Tinctus spir. effundatur. Novus reaffundatur. Conjuncti omnes exhalent leniter, residuum servetur ad usum. Exaltari potest additis, Sp. Vitrioli, Tartari camphorato, theriacali āā q. v.*

Visceribus languentibus in dictis affectibus medetur. Dos. ℈j. ʒß. in jusculo, cerevisia, vino, vel aqua alia adpropriata.

Elixyr Nephriticum, *ex Schrod.*

℞. *Baccar. myrtillor. Heder. alkekeng. juniper. ana ℈ij. herb. adianthi. veronic. rusc. ana p. I. rad. cyper. pimpinell. ononid. ana ʒß. succ. limon. ʒij. Fl. Genist. bugloss. sem. melon. cucurbit. ana ʒj. nucl. avellanar. c. pellib. n. IV. spir. vini rect fic. q. s. f. infusio in cella subterranea.*

Vires. Prodest nephriticis ac calculosis, calculum atterendo & expellendo.

Dos. coch. s. vel I.

Observ. Hofman. Super Elixyr. Nephritico. Ab hoc parum solaminis nephritici & calculosi habebunt expectandum, licet enim aliquid ex bacc. myrtillorum, heder. alkekeng. juniper. & reliquis lithontripticis per nudam infusionem extrahatur, tamen hæc non sufficit, & quid ex Semin. Melon. cucurbit. Nucl. avellan. utpote oleosis elici poterit, succo in primis etiam limonum spiritus vini vim extrahentem obtundente. Ideoque Emulsio facta ex dictis seminibus & nucleis cum aq. vel spirit. heder. alkekeng. juniper. veronic. ononid. &c. melius respondebit voto.

Elixir aliud Nephriticum ex D. D. *Rolfincio.*

℞. *Baccar. juniperi ℥iij. hederæ arboreæ ℥j. alkekengi seu solani vesicarij ℥jß. sem. cynosbati, lithospermi ana ℥j. rad. saxifragiæ albæ tuberosæ, pimpinellæ, ononidis, raphani rusticani ana ℥j. fragorum matutor. seminib turgentium ℥ij. ligni nephritici veri quod aquam cæruleo colore inficit unc. i. folior. hederæ terrestris, veronicæ, virgæ aureæ, ana m. ij. flor. meliloti, camameli ana m. ß. spir. è fecibus vini q. s. spir. salis unc. ij. In digestione stent per dies & noctes iij. tinctus & essentia impragnatus spir. servatur ad usum, exaltari potest spir. salis com. Vitrioli.*

Viribus pollet arenulas renum, seu tartarum fecalem fluidum & coagulatum resolvendi, in actu præservationis sumptum. Dos. ℈ß. ℈j. ʒß. in liquore conveniente.

Elixyr Juniperinum, *ex Pharm. Norimb.*

℞. *Baccarum Juniperi matur. & electarum q. v. destillentur cum spiritus juniperini sufficiente quantitate. Destillato affundatur Rob. juniperi & Cynosbati ana: cum sacchare albo edulcoretur, filtretur.*

Elixyr Panchymagogum, *Crollij ex Phar. Aug.*

℞. *Rhabarbari electi ℥iß. spicæ indicæ ℈ß. santalorum omnium āā ʒI. Infunde in spiritus baccarum juniperi ℥viij. digere & filtra.* Deinde:

℞. *Agarici electi, cinnamomi ana ℥I. zingiberis ℈ij. Infunde in spiritus fœni. ul. ℥vi. Juniperi ℥iv.* Misce, digere, filtra. Ultimò:

℞. *Mechoacanæ albæ ℥ij. nigræ ʒx. turbith albi & gummosi ℥iß. hermodactylorum mundatorum ℥I. rad polypodii querni, ari praparati, alari ana ʒiij. hellebori nigri praparati ʒvj. cortic. rad. Esulæ praparat. ʒvi. aurant. citri ana ℥ s. florum violarum, boraginis, genistæ ana p. I. foliorum senæ sine stipitibus, semin. Carthami excorticati ana ℥iß. Ebuli contusi ℥iij. Macis ʒI. Incisis omnibus & contusis adfunde spiritus anisi ℔iv. Digerantur aliquandiu & colentur. Tandem omnes hos tres liquores commisce, & serva in vase vitreo optimè clauso ad usum.*

Pro libitu dulcorari potest Julepo rosarum, aut sambucino & similibus.

Elixyris hujus cathartici, cacochymiæ universali evacuandæ quondam adcommodati, usus jam dudum apud nôs eviluit; si quis tamen eodem, non mutatis ingredientibus, uti vellet, species omnes cum spiritibus præscriptis simul infundendo, digerendo, & filtrando, laborem absolvere posset.

Elixyr Pectorale, *Wedelij. ex Lex. Pharm. D. Jungken.*

℞. *Rad. helen. ℥I. herb. rorell. ℥Iß. benzoi ʒvi. myrrh. liquirit. ana ʒß. gummi ammon. ʒII. sem. anisi ℥ß. croci ʒiij. Irid. flor. santal. rubri ana ℥I. m. & superfuso spir. vini rectif. fiat Elixir.*

In asthmate, tussi, raucedine, &c. est egregij effectus, dosi gutt. xx. ad xxx. & ultra cum gutt. I. balsam. 🜍.anis & in febr. catarrhal. cum Tinctura bez. & Anodina.

Elixyr pestilentiale Crollij, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Florum Sulphuris ℥III. adfunde: Olei Juniperi è baccis destillati ad eminentiam 3. vel 4. digitorum, succini ab odoris vehementia liberati ¼ ad Oleum juniperi: Stent in arena sæpius movendo, ut flores lentè sine adustione solvantur. Postea:*

℞. *Theriacæ electæ ℔I. extrahe cum Spiritu vini optimo tincturam, quam à spiritu vini separatam seorsim serva: radicum helenii, Angelicæ, baccarum Juniperi contusarum ana ℥III.*

Cum eodem spiritu vini extrahe tincturam, quam misce cum tinctura theriacali, atque adfunde oleum, juniperinum & succini floribus sulphuris impragnatum, & per chartam bibulam prius filtratum, omniaque circula lentissimo calore per dies 14.

Præ

Præsentaneum est in peste præservativum, & curativum, si cum liquore adpropriato maturè exhibeatur, morbis eodem modo epidemijs alijs certissimum præstat auxilium.

In Elixyrio hoc, pro meliori extractorum cum oleis unione, in spiritus abstracti particula, quantum ejus opus fuerit, olea cum floribus sulphuris digesta solvi, ac demum filtrari possunt.

Elixyr proprietatis paracelsi: *ex Pharm. Aug.*

♃. Aloës, myrrhæ ana ℥ii. croci ℥i. omnia cum spiritu vini rectificato, (Myrrham tamen priùs spiritu sulphuris irrigando, ut fiat quasi pasta,) *ad supereminentiam 3. transversim positorum digitorum adfuso, digerantur per octiduum, spiritus tinctus decantetur, & novo spiritu vini speciebus addito, iterum fiat digestio, tandem liquores tincti jungantur, filtrentur, & ad usum serventur.*

Hoc medicamentum nihil ferè aliud est, quàm pilulæ pestilentiales seu communes vocatæ, secundùm descriptionem Arabum, in nobiliorem tantum modo essentiam redactæ; quarum usus à multis retrò seculis adversus grassantis pestiferæ luis contagia, internas putredines, cruditates ventriculi, & plures alios affectus commendatissimus exsistit.

Elixyr proprietatis correctum. *ex Pharm. Aug.*

℞. Spiritus juniperini, roris majalis à terebinthina abstracti, & ab oleo separati ana quantum libuerit, spiritus vitrioli q. s. pro dictorum acidulo sapore misceantur Postea.

♃. Aloës, myrrhæ ana ℥iß. croci ℥ß. pulverisatis adfundatur menstruum modò descriptum, ad eminentiam 3. digitorum, & post octiduanam digestionem liquor tinctus filtretur.

Præter vires Elixyri antecedenti adscriptas, inprimis etiam diureticas & nephriticas possidet.

Elixyr proprietatis Dulce, *ex Pharm. Aug.*

♃. Aloës, myrrhæ ana ℥ii. croci ℥ß. Expulverisatis, & cum liquore nitri fixi, ad eminentiam 4. digitorum adfuso, digestis tinctura extrahatur; cui filtratæ addantur spiritus vini probè rectific. ℥x. sic leni digestione & facta aliquando agitatione, tinctura in spiritum Vini transit, qui à liquore nitroso per tritorium vel inclinationem separetur.

Viribus cum Elixyri proprietatis paracelsi ferè convenit, & ob saporem minùs amarum faciliùs adsumitur.

Elixyr Propr. Rhabarbarin. *ex Lex. Phar. D. Jungken.*

♃. Aloës, Myrrhæ, ana ℥ij. croci ℥ß. rhabarb. el. ℥iij. ⊖ Tartar. ʒiv. Pulverisatis affunde vini malvat. ℔ij. Stent in digestione per tempus, tunc colentur & serv. Datur à ʒij. ad ℥ß.

Elixyr Rorellæ, *ex Pharm. Norimb.*

♃. Rorellæ q. s. pro extractione, cum spiritu Cerasorum, & edulcoretur.

Elixyr Syncopticum *S. Cl. ex Schröder.*

♃. Aq. florum trium cordial. calend. lilii convall. roris solis an. ℥iv. succi limon. depurat. ℔i. aq. rosf. quart. tres. meliss. ℔ß. Florum tunic. ℥iii. m. in matracio magno & inde in nodulis Antidoti orvietanæ ℥ß. confectio de hyacinth. alkerm. diambr. an. ʒij. croci oriental. ʒvi. camph. ʒß. cort. citr. cond. raspat. ℔ß. sacch. cand. in aceto rosf. solut. ℥iv.

Omnia in matracio sigillentur luto tenaci, stent in ventre equino per 15. ♂, deinde in MB. *destillentur admiscendo sub finem ℈iv. pulv. diambr.*

Hoc remedium mira præstat adversus febres syncopales, Apoplexiam morbosque subitaneos. Dos. cochl. ij. paulò ante pastum, sed præmissis generalioribus ad plethoram vacuandam.

Observ. Hofman. Super Elixyr. Syncopticô S. CL. In hoc non opus esset tanta ingredientium supervacaneorum ac inutilium congerie, quæ extractionem ex confect. &c. addito succo limonum potius impediunt, quàm accelerant; Nec minus inconveniens etiam destillatio in MB. licet digestio præcesserit, videtur, dum multum virtutis in remanentibus fecibus relinquitur. Ideoque sola infusio sufficeret cum paucioribus speciebus, ut Ambra, Moscho, Cortic. Citri. Croco, camphoræ pauxillo, in spirit. lil. convall. rosar. Meliss. Fl. tunic. facta, addito in fine sacchar. cand. in acet. rosar. s. q. solut.

Elixyr Uterinum, *ex eodem.*

♃. Castor. ℔ß. croc. ℥ii. Extrahe tincturas scilicet cujusque seorsim cum spir. vini, abstrahe ad remanentiam extractorum, quibus mixtis adde, extr. artemis. ℥vi. sal. matr. perlar. ℥i. ol. stillat. angelic. & ij. succin. ana ʒij. Digerantur mixta omnia per ♂ 8.

Dosis hujus Elixyris ℈j. vel ℈ij ingruente paroxysmo qualicunque hysterico, tunc illico sanantur, provocato sudore. Quod si singulis mensibus appetentibus menstruis aquali dosi utantur, non revertetur morbus. Croll.

Observ. Hofman. super. Elixyr uterinô. Hoc si juxtà præscriptum modum præparetur, admodum spissum & ad internum usum inhabile fiet, imò & virtus castorei per spiritus vini abstractionem admodum exhaurietur; Ideoque præstabit seq. modo juxta *CL. Zvvelferi* ductum in Elixyr liquidum redigere.

♃. Castorei ℥iij. croci or. ℥j. spiritus vini alkohol. ℔j. stent in digestione vase clauso per ♂♀ aliquot: postea in MB. *destillando spiritus evocetur, cui statim junge. ol. de angelic. succini ana ʒiß. quo facto mixtura seorsim servetur. Deindè ex residuo castoreo & croco fiat cum spiritu vini extractum crassum, quod de novo unciis tribus spiritibus vini rectificatissimi unà cum unciis duabus extracti artemisiæ nonnihil dilutum superiori Spiritui oleis permixto addatur. Quæ artificiosè ita mixta stent in digestione per 7. ♂♀, tandem colentur filtrentur. N. alia Elixyria uterina vid. in thesauro pharmaceutico sect. ix. n. xiii. seq.*

Elixyr vitæ majus *Quercetan. ex Schröd.*

♃ Rad. zedoar. angelic. gentian. valerian. tormentill. scorzoner. galang. lign. aloës. santal. citr. ana ℥iij. fol. meliss. menth. rubr. majoran. basilic. hyssop. thym. fol. chamæpit. chamædr. ana m. ß. gran. laur. juniper. cort. limon. arantior. sicc. sem. pæon. sesel. aneth. fœnic. anis. citri. card. bened. ana ℥ij. caryophyllor. cinamom. macis. zingib. cubebar. cardamom. piper. long. rot. spic. nard. ana ℥ij. benzoini. myrrh. oliban. succin. mastich. ana ʒvi. fl. rorismari. salv. pæon. stœchad. calendul. lavendul. hyperic. centaur. min. betonic. lil. convall. tiliæ ana p. ij. cichor. rosar. rubr. buglossf. ana p. 1. mellis optimi. sacchar. alb. ana ℔. aquæ vitæ optimè rectificatæ ℔x

Digerantur s. a. ♂ (8. 10.) vase Hermet. clauso. Hinc f. expressio quæ destilletur, (ponendo in rostrum mosch. ʒß. ambr. gris. croc. ana ʒj.) igne initio gradus 1. & extillabit aq. clara, quam collige seorsim; dein auge Ign. ad gr. 2. & prodibunt spiritus nebulosi. Tandem Ign. adhibe fortiorem ut extillet oleum, & maneat in fundo materia sicca, nec tamen perfectè arida,

arida, ne empyreuma extillatum sapiat. Ex hac residua materia extrahe tincturam s. a. cum Aq. illa priori clarissima & effunde. Demum misce tres illos liquores, ac destilla denuò per gradus ut prius, singulis seorsim susceptis. Ex materia in utraque destillatione residua, postquam incinerata fuerit, elice Sal. com. beneficio Aq. illius clariss. primo extillata: eamque Aquam sale imbutam misce cum spiritu & oleo, ac circula.

Vires. Hujus Elixyris ineffabiles sunt virtutes ad curandas & præcavendas Vertigines, Epilepsias, Apoplexias, Paralyses, Manias, Melancholias, Asthmata, Syncopes, Lypothymias stomachi, & aliarum partium debilitates, cachexias, hystericas passiones, & alia id genus summa & deploranda symptomata.

Dosis, guttulæ aliquot in Aqua vel decocto conveniente.

Elixyr vitæ minus *ejusdem Quercet.*

♃. Rad. Gentian. centaur. min. āā ℥iij. galang. cinamom. macis. caryophyllor. ana ℥j. flor. salv. rorismar. āā p. ij. Vini albi generos. ℔vj. Macerentur in MB. (8.) dein exprimantur fortiter. Expressio destilletur per Alemb. in cinere ad siccitatem. Residuæ materiæ extrahe tincturam cum Aqua illa destillata, s. a. Postmodum incinera materias relictas & elice sal cum Aq. card. benedict. vel simili (vel & fontana) sal inspissatum & purificatum adde tincturæ superiori & circula.

Vires. Specificum est remedium ad omnes cachexias stomachi, capitisque imbecillitates.

Dosis cochlear. ¼.

Observ. Hofman. super Elixyr, Vitæ majore & minore Quercetani. Prioris ob tot & tantarum rerum inter se pugnantium inutilem ridiculam congestionem & ineptam compositionem, vide chymiatri celeberrimi Friderici Vinisten correctionem, Quercetano Redivivo insertam. Posterius seu Minus transeat.

Elixyr vitæ Cephalicum & stomachicum, *ex Pharm. Reg. Zwelfer.*

♃. Spirit. vini optimè rectif. ℔xij. his immergantur successivè incis. & contus. rad. rec. calami arom. ℥iß. cyperi rotundi, doronici veri galangæ ana ℥j. herb. flor. recent. arantiorum, betonicæ, tunicæ, ana ℥jß rosar. ℥v. lavendulæ ℥j. sem. anisi, carvi, coriandri ana ℥j cinamomi optimi acuti ℥iv. nucum mosch. ℥iß. caryophyllorum, macis, cardamomi min. baccar. lauri, ana ℥j. cubebarum ʒvj. cort. seu flaved. arantiorum, citri, ana recent. & extim. ℥j. ligni aloës raspati opt. ℥ß. rhodii raspati optimi ℥j.

Facta brevi maceratione, postquam successivè collecta sunt, destillentur ex balneo n. vaporoso, ad siccitatem ferè specierum, rostro alembici immissis.

Ambræ grys. ℈j. vel ʒß. moschi optimi Orient. ℈j. & si lubet, asæ dulcis, seu benzoës, & styrac. calam. ana ʒjß. cunctis invicem in petia ligatis.

Spiritus prolectus (cui ea, quæ rostro alembici imposita fuere, aliquandiu, pro meliori extractione, immergi possunt) *dulcoretur cum libra j. & ß. & julapij rosar. vel julapii ex vino n. m. parat.*

Eritque Elixyr præstans in omnibus affectibus frigidis cerebri, & ventriculi; Epilepticis & apoplecticis auxilio est: internè cum syrupo vel Julapiis; de foris autem, sine his, effectui datum.

Elixyr Antipestilentialis, *ex Pharmacop. Reg. Zwelferi.*

♃. Rad. angelicæ recent. enulæ recent. Imperatoriæ, Zedoariæ, herb. recent. Scordii nostr. rutæ hortens. ana ℥ij. flor. recent. calendulæ, arantiorum, & citri, si haberi possint, sambuci, tunicæ, ana ʒiß. granorum Juniperi ℥iij. cort. arantior. recent. & extim. cinamomi optimi, ana ℥iß. sem. anisi, coriandri Myrrhæ rubræ, caryophyllorum, nuc. mosch. āā ℥j. spirit. vini rectificati ℔xiv. facta maceratione, donec omnia successivè collecta sint, destillentur ex Baln. n. vaporoso, rostro capitelli immissis, succini ʒj. croci opt. ʒjß. camphoræ ʒß. vel ʒi. aqua vitæ elicita dulcoretur cum syr. de cort. citr. n. ℔j. vel jß. servetur usui, Est aqua vitæ, peste grassante, præservativè assumenda.

Elixyr Vitrioli, *ex Pharm. Norimb.*

♃. Galangæ min. ℥ß. calami aromatici ℥j. menthæ crispæ, salviæ acutæ, ana ℥ß. cinnamomi electi, caryophyllorum, zingiberis albi, ana ʒiij. nuc. mosch. cubebarum ana ʒij. ligni aloës ponderosi, cort. citri ana ʒj.

Misce fiat pulvis, cui adde sacchari candi albi ℥iij. postea humectetur opt. spirit. vini, ut fiat mixtura mellis instar; mitte illam in vitrum; atque Ol. vitrioli veneris, sive martis, aut, in horum defectu, spiritus vitrioli aliquoties rectificati, ad 4. digitorum eminentiam affunde, & 3. aut 4. septimanas digere: tandem tincturam per inclinationem aufer, & filtra; super relictam autem in fundo materiam spir. vini suffunde, & ulterius essentiam extrahe; postea tincturæ extractiones mixtas, majoris efficaciæ ergò, per 14. dies adhuc in MB. circula, & ad usus reserva.

Elixyr uterinum Crollii, *ex Pharm. Aug.*

♃. Castorei ℔ß. croci ℥ij. extrahe tincturam cum spiritu vini, & separa spiritum ad remanentiam extracti, cui adde Extracti artemisiæ ℥iv. salis martis perlarum, ℥j. ol. destill. anisi, angelicæ, succini ana ʒij. olea destillata in sufficiente quantitate spiritus vini superius abstracti soluta, & cum reliquis mixta per 8. dies digerantur, postea filtrentur.

Ad varios uteri morbos, suffocationem minitantes, præbet remedium, etiam sanguinis menstrui vitia corrigit.

Elixyr Uterinum, *ex D. D. Rolfincio.*

♃. Folior. calamenthi, artemisiæ πολυκλώνυ, matricariæ, pulegii ana m. j. rad. bryoniæ, rubiæ tinctor. Zedoariæ, dictamni albi, ireos florentinæ āā ℥j. cinnamomi, anthophyllor. nucis moschatæ, zinziberis, cardamomi, baccar. lauri ana ℥j. cortic. citri, aurantior. ana ʒvj. granor. paradisi ʒß. sem. anisi ʒß. ocimi garyophyllati ʒiij. Incisis, contusis, gr. modo infunde in spir. vini q. s. adde sal. Tartari ʒj. stent in digestione coletur liquor servetur ad usum.

Intemperies frigidas uteri & partium genitalium emendat; moræ patientes menses admonet officii & matricis suffocationem corrigit. Dos. ℈j. ʒj. in vehiculo convenıente.

Elixyr Uterin. *D. Michael. ex Pharm. D. Jungken.*

♃. Rad. Angel. bryon. ana ℥jß. herb. puleg. arthem. Meliss mercurial. rutæ, matricar. ana M. ij. V. q. s. digere & destilla.

♃. Hujus spiritus ℔ij. castor. ℥iij. extrahe, & adde spir. ⊕. ♂. q. s. ac spir. vini cohobando bis abstrahe ad medietatem, & iterum affunde & extrahe ac serva.

Dos. ℈j. ad ʒß.

Elixyr Uterin. Wedel. *ex Lexic. Pharm. ejusdem.*

♃. Rad. pœon. Mar. succini flav myrrhæ el. castor. ana ℥j. rad. Zedoar. galang. diptam. cret. ana ℥ß. bacc. lauri, antophyll. ana ʒij. croci, camph. ana ʒi.

Con-

Contusa & concisa gr. mod. extrahantur cum spir. vini s. vel rorismarini q. s. & fiat s. a. Elix.

Elixyria varia apud Le Mort.

Elixyr Camphoræ.

♃. Camphoræ ℥ij. Alcohol Vini è Frumento parati ℥xx. Misceantur simul, & destillentur per retortam in M. B. spiritum destillatum cohoba quater vel quinquies super eandem Camphoram, donec Camphora volatilisari incipiat, & spiritus ea maximè impregnatus existat, huic spiritui adde Croci ℥ß. Opii ʒj. macis nucis moschatæ ana ʒij. Digerantur simul in fimo equino per 6. vel 7. dies, dein fœcibus separatis spiritus tinctus asservetur sub nomine Elixyris.

Nota.

1. Ad facilitandam *volatilisationem Camphoræ digestio* præcedens adhibeatur *in fimo equino*, & dein fiant cohobationes.

2. Si quis *magis temperatum Elixyr* petat, addat Alcoholi Vini præcedentis unciam unam vel alteram *Spiritus Nitri* rectificatissimi, cujus consortium *Camphora* non plane respuit, sed mediante eo in *oleiformem liquorem* reducitur sola *affusione*, & levi *maceratione* sequenti modo:

♃. Camphoræ ʒj Spiritus Nitri fortissimi ʒij. vel iij. Stent in levi calore per horam semis, sic omnis Camphora degenerat in oleaginosum liquorem & Spiritui Nitri supernatat, qui deinde separatur; hic autem liquor Spiritu Nitroso orbatus, in Camphoram *iterato degenerat.*

3. Repetitæ fiunt *cohobationes super Camphoram*, ut *particulis volatilioribus Camphoræ* Spiritus optimè imprægnetur, &, ne tam *ingrato sapore mixturas inficiat*, ac si *Camphora in substantia* ibidem tantum fuisset *dissoluta*; quibus autem visum fuerit, illam *in substantia cum cæteris simplicibus digestioni* committere, iis liberum esto arbitrium: hac tamen cum observatione, ut *media* respectu *præcedentis per destillationem exaltandæ*, ad summum *tantum* recipiatur *Camphoræ quantitas*; *sequenti* autem modo etiam optimum inde fit *Elixyr*:

♃. Camphoræ, myrrhæ, croci ana ℥ß. contrajervæ garyophillorum ana ʒj. opij ʒij. alcohol vini super lignum sassafras destillati ℥xx. Misce, Digerantur simul in fimo equino per sex septemve dies, dein supernatans liquor, à sedimento separatus, usibus dicendis reservetur.

4. Vis anodyna augetur in hoc *Elixyre* addito *Opio*; cui autem volupe fuerit *ad externum usum* præparare, sufficit *solam Camphoram volatilem mediante sp. frumenti* reddidisse, ut statim *poros obstructos* subeat, & aperiat.

5. Anodyna *Camphoræ vis in* sola ejus *volatilitate* consistit, quæ juncta particulis *levissimis ramosis acida involvunt*, & *aciem* eorundem hoc modo *mitigant*. Ejus *vis non tam magna, nec diutina, qualis in opio* conspicitur, quoniam *hæc duo ad modum salis volatilis & salis fixioris* operantur; sic *Camphora tenuibus* suis particulis *citissime in motum* reducitur, & avolat, *Opium* instar salis fixioris *cito quidem motum init, sed* illum *diutius* etiam *conservat* ob particulas crassiores: videantur ea, quæ *alibi de fermentatione* variorum corporum magis vel minus fluidorum & tenuium diximus.

Vires. *Egregiè anodynum utrumque est medicamentum, & sudoriferum, in morbis pestilentialibus & contagiosis summi levaminis, venenis resistunt & putredini, dolores sopiunt. Dosis à guttis ij. ad xx.*

Elixyr Citri.

♃. Corticum Citri exteriorum ℥xx. pomorum chinæ ℥viij. spiritus vini optimi ℔viij. Destillentur post macerationem quatuor dierum, spiritui destillato adde corticum pomorum chinæ recentium ana ℥ij. citri ℥iij. croci ℈j. ad tingendum, ambræ gryseæ gr. ij. syrupi è recenti succo horum citriorum parat. ℥vj. vel viij. Macerentur simul, donec limpida fiat mixtura flavescens, quæ seorsim asservetur.

Nota.

1. Possunt & *alia aromata in destillatione & extractione* addi, ut inter cætera *præcipuè cinnamomum*, hac tamen cum cautela, ut semper Corticum citri *sapor & odor prævaleat*; sic sequens fit compositio:

♃. Corticum citri ℥x. pomorum chinæ ℥iij. cinnamomi ℥j. Seminis coriandri ʒj. benzoës storacis calamitæ ana ʒß. spiritus Vini ℔v. M. fiat destillatio s. a. In extractione autem si Cinnamomum *addatur, non opus est addere* Crocum, *ut & absque* Croco *superius* Elixyr *fieri potest; cinnamomi vero dosis extrahendi tantum tertia vel quarta pars, respectu superioris dosis in destillatione esse debet, quoniam gustus ejus nimis præpollet.*

2. Quibus *Crocus* non arridet, *coccum vel santalum rubrum* recipere possunt.

3. Syrupus si *fortissimo acido succo* imbutus expetatur, *recens expressus* succus *in M. B. evaporetur ad medias* partes, & exinde *Syrupus* conficiatur: illud enim sedulò *notandum*, *nullos tales succos acidos igne nudo vel in arena esse evaporandos: amaricantem* enim & *empyreumaticum* recipiunt *odorem* & *saporem*.

4. Qui *gratiorem* & *minus acrem* è *corticibus citri* expetit *spiritum*, prius *cum aqua communi* destillet, vel coquat, dein exempti Cortices *in spiritu vini macerentur*, & postea *destillentur*.

Vires. Cardiacum temperatum est medicamentum in lipothymia, omnibusque cordis affectibus conveniens, ventriculum corroborat, & spiritus vitales refocillat. Dosis à ℈j. ad ʒij.

Elixyria varia ex Timæo.

Elixyr Cephalicum.

♃. Spec. diambr. ℥j. diamosch. dulc. dianthos ana ℥ß. nuc. mosch. ʒiij. cubebar. cardamom. ʒij. caryophyllor. ʒj. flor lavendul. rosar. rorismar. lil. conval. salviæ ana M. B. grosso modo incisis & conquassat. affund. spirit. vin. malvatic. ad eminent. 4. digitor.

Digerantur lento calore B. M. per triduum postea filtrentur. Spiritus vini abstrahatur ad medietatem, reliquum servetur pro usu.

Elixyr Stomachale.

♃. Spec. aromat. rosat. ℥j. diacinamom. diaxyloaloës ana ℥ß. diagalang ʒj. diatr. piper. ℈iv. affund. aq. calam. aromat. c. spirit. vin. destillat. ad eminent. 4. digitor. transvers. Macerentur per dies 3. postea liquor per inclinationem separetur & filtretur.

Elixyr Spleneticum.

♃. Fol. Scolopendr. chamadr. meliss. card. bened. centaur. minor. ana ℥ß. aristoloch. rotund. gentianæ ana ʒiij. spec. trochisc. de capparib. ℥j. aloës succo citrin. ℥ß. myrrh. elect. ʒiij. croci orient. ʒij. fœcul. aronis bryon. ana ℈iv. sal. absinthij, fraxin. tamarisc. ana ℈j. affund. spirit. vin. Rhen. ad eminent. 4. digitor. digerantur in B. M. per dies 3. postea colentur, menstruum abstrahatur ad medietatem, reliquum servetur pro usu.

Elixyr

Elixyr Uterinum.

℞. *Flor. bellid. c. toto M. B. apic. flaved. lil. alb. p. 2. fol. arthemisiæ, fol. calaminth. sabinæ, pulegij ana M. B. bacc. lauri* ʒvj. *cass. ligneæ* ℥i. *sem. dauc. anisi ana* ʒiii. *mixta redigantur in pulverem, cui affund. Aq. vitæ mulier. hyster. Mynsicht. ana q. s. stent in infusione loco calido per triduum: In colatur. infund. spec. trochisc. de Myrrha aloes puriss. ana* ℥ß. *croci integri, castorei ana* ʒii. *digerantur in B. M. per biduum, postea menstruum abstrahatur ad medietatem.*

Elixyr Epilepticum.

℞. *Rad. pæon. sole in ♈ existente & ☾ in sagittario collect.* ℥i. *doronici, dictamni, dentariæ ana* ℥ß. *flor. pæon.* ʒvi. *lil. convall. lavendull. stæch. arab. ic. primul. veris, cheiri tunic. Anthos, tiliæ ana* ℥ß. *sem. pæoniæ, visci querni ana* ʒv. *nuc. mosch.* ʒiij. *Incisis & conquassatis affund. spirit. cer. sor. n. gror ad eminent. 4. digitor. stent in digestione B. M. per triduum, postea exprim. fortissime & colentur. spiritus abstrahatur ad dimid. resid. infund. Ther. Andromach.* ℥iß. *Mithrid.* ℥i. *castorei conquass.* ʒii. *sal. succin. volat.* ℈iv.

Digerantur denuo per triduum, postea filtrentur per chartam Emporeticam adde tinctur. Lunæ ℥ß. *Misc.*

Elixyr Cordiale.

℞. *Flor. borragin. bugloss. rosarum, calendul. scabiosæ, tunicæ, meliss. violar. ana* ℥ß. *sem. citri, card. bened. aurantior, Ocymi, caryophyll. ana* ℥iii. *cinam. acutiss.* ℥ii. *maceris* ℥ß. *incisis & conquassatis affund. vini Frontignani vel si haberi nequit malvatici ad eminentiam 4. digitorum digerantur in B. M per triduum postea exprim. & colentur.*

In colaturâ ad medietatem abstracta infund. confect. alkermes ℥i. *de hyacintho* ℥ß. *digerantur in B M. postea filtrentur per chartam emporet. add. tinct. Corallior. veræ* ℥ß. *Misc.*

Elixyr Hypochondriacum.

℞. *Limatur. chalyb. subtiliss.* ℔ß. *irroretur. spirit. ⊖li ex ♂ e. q. s. affund. vini Rhenan. optim.* ℔iv.

Digerantur lento B. M. calore per dies 7. agitentur quotidie bis vel ter colaturæ *add. spec. trochisc. de cappari d.* ʒvj. *de rosis, de rhabarb. de eupatoria ana* ℥ß. *diarrhod. abbat. diatr. santal. ana* ʒiii. *myrrhæ. elect.* ℥ß. *croci oriental.* ʒii. *sal. absinthii fraxin. tamarisc. veronic. card. ben. ana* ℈i.

Digerantur in B. M. per dies 5. postea filtrentur, menstruoque ad medietatem abstracto residuum servetur pro usu.

Elixyr Stomachale.

℞. *Rad. calam. aromat.* ℥ii. *galang. zedoariæ ana* ℥i. *cassiæ ligneæ* ℥iß. *zingib. albi* ʒvi. *piperis longi* ʒii. *nuc. Mosch. maceris ana* ʒiiß. *caryophyll.* ʒiß. *sem. anisi, fœnicul. ana* ℥ß.

In pulverem redacta extrahantur spirit. vin. tinctum spiritum sepa a & recent. affund. tam diu donec omnis tinctura extracta sit; tandem s. v. in B. M. ad medietatem abstrahe & remanentem spiritum una cum tinctura per chartam emporeticam filtra & in vase vitreo ad usum serva.

Elixyr Antipodagricum.

℞ *Rad. arthemisiæ* ℥ii. *rhapontici elect. aristoloch. rotund. ana* ℥i. *sem. petroselin. maced.* ʒvi. *com. chamædryos, centaur. minor. hyperici ana* ʒv. *pulverisata & mixta extrahantur. Spiritu vini tartarisato. Spiritum vini tinctum aufer per inclinationem & ad medietatem abstrahe reliquum servetur pro usu.*

Elixyr Venereum.

℞. *Confect. pacificæ mynsicht.* ℥ii. *magnanimitatis, satyrij, alkermes ana* ℥i. *succulad. indor.* ℥ii. *affund. spirit. vini malvatici ad eminentiam 4. digitorum. Digerantur in B. M. per dies 7. postea filtrentur per chartam emporeticam add. essent. Satyrion unc. iij. ambræ gr. xiij. moschi gr. ix. misce & serva pro usu.*

Elixyr Propriet. Dulce, Fit ex myrrh. aloës, croc. ana ℥j. Alcoh. v. ℥viij. *maceratis filtratisque s. a. Usus est proficui in morbis malignis, hypochondriacis, uterinis; stomachi cruditate, & inde appetitu imminuto. Extrinsecus ulceribus sordidis mundificandis inservit.*

Elix. Prop. pestilentiale, F. ex myrrh. aloës, croc. ana ℥ß. Sp. c. c. ℥ij. unitis cum Alcoh. v. ℥iv. digestis & filtratis s. a.

Elix. Prop. Tartarisatum, F. ex myrrh. aloës, croc. ana ℥j. Tinctur. ⊖is Tartari ℥xij. digerendo filtrandoque s. a.

Elix. Salutis. ℞. Fol. Senæ ℥iv. Lign. sanct. rad. enul. sicc. sem. anis. carvi, coriand. glyc. ana ℥ij. uv. pass. exacin. ℥viij. ▽ Vitæ ℔vj. macer. in frig. per ♂ 4. dein. f. colat. per manic. Hipp. Sunt qui addunt sal. Tartari, Rhab. Scammon. &c. *Dos. c. i. 2. h. somni & 3. 4. manè.*

Elixyr Vitæ.

℞. *Nuc. m. macis, cinnam. opt. ana* ℥i. *caryoph.* ℥ß. *flaved. cort. aurant. & citri, ana* ʒiij. *croc. opt.* ℥i. *pyroeni* ℔iij. Digere ac filtra s. a.

Elixyr Vitrioli.

℞. *Cinnam. z. z. caryoph. ana* ʒiij. *calam. arom.* ℥i. *galang.* ℥iß. *fol. salv. menth. crisp. ana* ℥ß. *cubeb. nuc. m. ana* ʒii. *xyloal. citri, ana* ʒi. *f pulvis, adde sacch. cand. alb.* ℥iii. *sp. v.* ℔ß. ☍ *⊖li* ℔i. *extrahe tincturam digerendo per ♂ 20. s. a. deinde filtra ad usum.* Stomachum ac intestina maximè confortat, & appetitum excitat. Ab Epilepsia & Apoplexia præservat. Cerebrum purgat. Caput, totumque corpus multis phlegmaticis catarrhis repletum exsiccat, illudque à dolore mirè tuetur. Dos. ℈ß. ad ℈i.

Elixyria ex Hofmann. Thesauro Pharmaceuticô.

Elixyr Cephalicum D. D. G. M.

℞. *Extract. radic. pæon. valerian. castorei ana* ℥j. *ligni aloës, santal. citrin. ana* ℥ß. *fl. anthos. salviæ. betonic. ana m. j. macis. cubebar. ana* ℥j. *m. f. cum p. lil. convall. & sp. ⊖ol. phil. s. q. Elixyr.*

Usus. *In catarrhis frigidis, coryzâ, vertigine, in præservatione ab apoplexiâ. Dos. gutt. x. vel xij. aut xxx. in vehiculo appropriato manè & vesperi.*

Aliud Cephalicum.

℞. *Radic. acori pæon. visci querni. ligni aloës, baccar. juniper. ana* ℥ß. *sem. pæon.* ʒiij. *cinamom. caryophyll. macis cardamom. fruct. anacardin.* ʒj. ℈j. *fl. anthos. salv. primul. ver. pæon. calendal. betonic. lavendul. stœch. Aq. lil. convall. euphrag. tiliæ ana p. j. affunde sp. vini optim. s. q. digere per vj. ☍ ad Essentiam extrahendam, postmodum fiat destillatio, destillato adde ol. d. lavendul. quantum imbibere velit, salis juniperi cum sp. ⊖ol. phil. impragnat.* ʒj. *extract. ligni aloës* ℥ß. *reliquum in fundo adde & m. f. Elixyr.*

Elixyr

Elixir Epilepticum & Hystericum.

♃. Radic. pœon. unc. j. visci corylin. sem. pœon. ana unc. ſs. lib. nymph. lavendul. roſar. rubr. papav. err. ana MB. *camphor.* ℈. *IV. ſantal. rubr. dragm.* II. *ſp. vini rectific.* ℔ *j. ſtent in digeſtione per menſem vitro probè obturato: poſt modum fiat colatura; cui adde liquoris volatilis ſanguin. humani rectificatiſſ.* ℔. *ſs. eſſent. Caſtor.* ℥ *j. anodynæ* ℥ *ij. M.*

Doſis gut. x. ad xx. vel xxx. xl. in liquore convenienti ante inſultum epilepticum vel hyſtericum.

Elixir Pectorale D. D. I. M.

♃. Herb. pulmonar Italic. gnaphal. montan. praſſij, rorellæ ſcabioſ. fol. tuſſilagin. veronic. ſummitat. praſip. ana m j. fl. helen. ſcabioſ. ana m IV. *radic. enul. tuſſilagin. ana* ℥ *j. ariſtoloch. rot. ireos fl. ana.* ℥ *ſs. myrrh. rubr. el. maſtich. croci Or. ſucci glycyrrhiz. an.* ℥ *j. cardamom. el. cinamom. ana* ʒ *ſs. benzoes el.* ℥ *j. ſtyrac.* ℥ *ſs. alypt. moſchat.* ʒ III. *ſemin. urtic.* ʒ III. *naſturt.* ʒ II. *ſacchar. candi* ℥ IV. *irrorentur ſp.* 🜂 *ris ſ. q. infunde poſteà ſpirit. hyſſopi ſ. q. f. ſ. a. Elixir.*

Elixir Stomachale D. D. I. M.

♃. Herb. meliſſ. menth, puleg. ana m. III. *ſalviæ. m.* II. *radic. pimpinell. zedoar. galang. ana* ℥ *iſs. calam. aromatic.* ℥ *j. granor. maſtich.* ℥ *iſs. cubebar. nuc. Moſchar. an.* ℥ *ſs. macis. cortic. citri, aurant. an.* ℥ *j. cinamom. el. caryophyll. zinziber. ana.* ℥ *ſs. coriandr.* ℥ *j. inciſ. & contuſ. infunde guttatim ſp.* ⊕ *-ol. philoſ. ſ. q. ad imbibitionem & macerationem, extrahe poſt modum cum ſpiritu cortic. citri in loco calido.*

Doſis eſt à gutt. 20. ad ʒ ſs. in pane bis cocto.

Elixir vitæ Pectorale *Duc. Saxon.*

♃. Radic. enul. tuſſilagin. ana ℥ *ſs. ireos. fl. liquirit. ana* ʒ III. *ſcyllæ* ℥ *ſs. ficuum* ℥ *j. bacc. lauri. juniperi. alkekeng. dactyl. pinear. amygdal. dulc. jujub. ſebeſten. prun. dulc. ana* ʒ III. *pulmon. vulp.* ℥ *ſs. h. ſalviæ. praſſij. majoran. hyſſop. ana m j. zinziber. alb. caryophyll. cinnamom. cardamom. ana* ʒ II. *mell. deſpumat.* ℥ III. *ſp. vini optim. vel aniſat.* ℔ IV. *vini malvatic. aut. Hiſpanic.* ℔. *v. Stent in infuſione per diem, deinde deſtilla in* MB. *deſtillato adde julep. roſar.* ℥ IX. *moſchi opt. in pet. ligat.* ℈ *ſs. m. ſervetur ad uſum. Doſ. cochl. j. ij. &c.*

N. Poteſt. etiam omiſſis fructibus & pulmone vulpis deſtillari, etiam abſque Melle, cùm nihil virium deſtillato largiantur.

Elixir Vitæ rubeum D. D. R.

♃. Santal. rubr. ℥ *ſs. cinamom.* ℥ II. *zinziber. caryophyll. ana* ʒ *vj. nuc. moſchat. num.* VI. *cardamom. rubebar. macro piper. ana* ʒ III. *macis. galang. ſemin. carvi pæon. ana* ʒ II. *ſpec. diambr. pleres Archont. cordial. temperat. lætific. rhas. ana* ʒ *j. baſilic. pulegij. fl. lil. convall. lavendul. ana m j. baccar. juniperi* ℥ *j. inciſ. & contuſ. infunde in ſp. vini* ℔. IV. *aq. roſar. ceraſ. n. ana* ℔ *ſs. cinamom. cydoniat. caryophyll. ana* ℥ *j. vini malvatic.* ℥ XX. *ſtent. in infuſ. per x* ☍. *expreſſo & colato adde ſacchari albiſſ.* ℔ *j. ut ſolvatur, tum iterum aliquoties cola, ut clareſcat.*

Elixir Proprietatis D. D. G. M.

♃. Aloës ſocoterin. myrrh. alex. croci Or. integr. an. q. v. infunde ſpirit. Cinamom. compoſit. ex caſſiâ ligneâ, & coſto aromatico parat. & ſpirit. ⊕ *-ol. phil. ad eminent. duorum tranſverſ. digit. Digere per. 14* ☍.

Uſus ejus eſt in imbecillitate ventriculi & malo hypochondriaco.

Doſ. gutt. x. ad xx. . &c.

N. Contra Scorbutum loco ſp. 🜂 ris vel ⊕-oli, ſumi poteſt ſp. ⊖ & ſp. cochleariæ, Conſuetum quoque eſt Elixir proprietatis cum tincturâ bezoardicâ miſcere anaticâ proportione, & ſic elegantiſſimum præbet alexipharmacum tam in præſervatione, quàm in ipſa curatione in uſum trahendum. Quemadmodum etiam illud omni reſiſtit putredini, & corpus à contagio munit, ita hoc expellit, quod à miaſmate contagioſo fortè contractum eſt.

Aliud.

♃. Myrrh. el. aloës epatic. ana ℥ IV. *croci or.* ℥ II. *Affunde ſpiritum vini non rectificat. q. ſ. ad 4 digitor. eminentiam, ſtent in digeſtione, poſteà affunde tantundem ſpirit.* 🜂 *quantum ſp. vini fuit, iterum digere, clarum ſepara & ab hoc abſtrahe ſpiritum vini, phlegma ſeorſim collige, uſque dum guttæ acidæ decidant, tunc deſine; ſp. vini deſtillatum reaffunde, pone in digeſtionem per aliquod tempus, filtra poſtmodum & pro uſu reſerva.*

Aliud. D. F. F.

♃. Myrrh. el. aloës epatic. croci or. ana q. v. contere & miſce optimè; huic ſuperfunde ſpiritum ⊖ *lis ad 4 digitorum eminentiam in Pelicano, luto optimè munito & pone in* MB *per 2 Menſes, poſteà cum ſp. vini ana miſce & circula per menſem, effunde, cola, rurſuſque inde pelicano in* MB *pone per 14* ☍. *poſteà pro uſu reſerva.*

N. Nonnulli ſolvunt prius aloën in aquâ. Myrrham in ⚹ & Spiritum 🜂 ris vel ⊖ lis circulant cum ſpiritu vini.

Aliud Elixir Proprietatis A. S.

♃. Rec. ſp. Terebinthin. lentè per veſicam deſtillat. ℥ VIII. *aloes ſocoterin. myrrh. el. ana* ℥ II. *croci or.* ℥ *j. ol. d. cinamom. caryophyllor. ana* ʒ *j. infunde omnia in vas vitreum & benè clauſa digerantur in fimo equino, per menſem, poſt ſepara ſubtile à ſpiſſo, ſerva pro uſu.*

Vires. Eſt inſigne medicamentum ad calculum.

Doſ. à gutt. v. ad ℈ j.

Elixir Anti-Scorbuticum D. F. H.

♃. Elixir. vitæ balſamic. eſſ. fl. hyperic. ſummit. chamædr. ana ℔ *ſs. martis mei aperitiv. ſp.* ⊖ *Tartar. volatil. cochlear. ana* ℥ II.

M. ſtent in digeſtione per aliquot ☍. Doſ. à gut. xx. ad LX.

Elixir Uterinum D. G. M.

♃. Aloës ſocoterin. Myrrh. ana ℥ *vj. croci or.* ℥ *j. extract. radic. bryon. angelic. zedoar. caſtorei. meliſſ. matricar. ana* ℥ *j. irrora cum ſpiritu uterino benè rectificato, adde ſpirit.* ⊕ *-ol. phil. ſ. q. digere ad tres ſeptimanas.*

Uſus, in menſium obſtructione, intemperie uteri frigidâ, ſuffocatione uteri & flatibus, Lochiorum ſuppreſſione. Doſ. IX. vel. X. XV. gutt. in vehiculo convenienti.

Aliud D. I. M.

♃. Spirit. vini rectificat. ſ. q. ſuper radic. angelic. bryoniæ. ana unc. iſs. h. pulegij. artemiſ. meliſſ. Mercurial. rutæ matricar. a. m j. hunc. Spiritum ſuperfunde Caſtor. unc. III. *Croci or.* ʒ III. *Extrahe, filtra, adde ſp.* ⊕ *-ol.* ♂ *tis q. ſ. ad acetoſit. ſp. vini bis cohobando abſtrahe ad medietatem, iterum ſuperfunde & extrahe. N. loco ſp. vini ſ. poteſt ſumi ſpirit. baccar. Ebuli vel ſambuci.*

Doſis eſt ℈ j. ad ʒ ſs

Aliud D. F. H.

℞. Juniperi opt. balsamic. ℔ iß. croci. Austr. ℥ß. castorei ʒ ii. fermenti anodyni ʒ ii. eleosacchar. succini ℥s. Mixta stent in digestione aliquandiu & filtrentur.

Dos. est à gutt. v. ad unc. ss. in vehiculo appropriato.

Elixir Antifebrile D. I. M.

℞. Summit. absinth. Centaur. min. fol. card. b. rut. hortens. pentaph. an. m. ii. semin. hyperic. unc. ss. radic. gentian. filicis. aristol. rot. imperator. calam. arom. Ari ana ℥j. Caryophyll. Nuc. moschat. zinziber. alb. piper. long. ana ℥j. cum sp. vini extrahe. f. Elixir.

Elixir Arthriticum.

℞. Radic. pæon. ℥ss. pyrethri. cyperi. rotund. irid. illyric. ana ʒ i ss. cardamom. cubeb. ana ʒj. caryophyll. cinamom. ana ʒ ii. Nuc. moschat. unc. ss. myrrh. el. unc. i ss. fol. puleg. majoran. ana unc. j. salv. chamædr. chamæpit. ana unc. ii. fl. chamæmel. n. lavendul. anthos ana unc. iii. infunde in sp. vini rectific. ℔ iv. stent in infus. per 14. ☍. Destilla in MB. *Destillato adde extractum cum sale.*

Elixir Alexipharmacum.

℞. Spirit. baccar. sambuc. per fermentat. parat. & optimè rectificat. ℔. ss. extrahe cum hoc essentiam ex speciebus theriacal. addendo croci ʒ ii. myrrh. el. ʒ iii. Rec. Colaturam, in hâc dissolve Balsami ♁ris cum ol. juniper. & succini nostro more parati q. v. sal. succini volatil. ʒ i. ss. cruor. cervi volatil. ʒ j. camphor. ℈ iv. m. f. elixir.

Vires. Est remedium balsamicum tàm præservativum quàm Curativum in febribus malignis & ipsa peste. In præservatione dosis est à gutt. v. ad x. In curatione à ℈ ss. ad ℈ j. in convenienti vehiculo.

Elixyria è Ph. Indicâ Herm. Nic. Grimm.

Elixyr Balsamicum.

℞. Aloen, myrrham, & crocum ana q. v. & omnem humiditatem, ex his, in retortâ per arenam destilla, adde pro destillati quantitate cinnamomi paucum, affunde spir. vini, & aliquoties cohobando destilla.

Elixyr Carminativum.

℞. Rad. Angelic. calam. aromatic. ana unc. ss. bacc. lauri, Juniperi, cortic. citri, aurant. ana ʒ. ii. sem. dauci, levistici, anisi, carvi, fœniculi ana ℥. j. succini unc. spirit. vini ℔. ii. stent in digestione per 8. dies, destilla per alembicum in arenâ, destillato liquori adde succini albi pulverisati unc. ii. cortic. citri, aurant. ana. unc. j. digerantur per 14. dies in arenâ calidâ, effunde & asserva.

Elixir Panis.

℞. Farin. Tritici depsitæ ℔. j. huic immisce croci, myrrhæ, aloës ana unc. j. excoquantur simul in furno; panem excoctum, statim cum furno exit, in frusta frange, & in Phiolâ spir. vini tartarisatum & menthæ an. affunde & extrahe tincturam.

Elixyr Pectorale.

℞. Ol. dest. Benzoini unc. ss. spir. vini tartarisati unc. iv. Cohoba aliquoties, usque dum subtilissima pars spiritui sese conjunxerit, deinde.

℞. Flor. sulphuris antimonij, benzoini ana unc. ss. extr. liquiritiæ ʒ. ii. Indatur hoc Phiolæ, & coq. leni △ e in arenâ ad solutionem, & fiat elixyr.

Elixir Pestilentiale.

℞. Sp. vini Camphorati ℔. j. C. C. sulphurei ʒ. ii. tinct. succini ℥. j. rad. Angelic. calam. Aromatic. zedoar. an. ℥. ß. gentian. helen. zingiberis an. ʒ. ii. bacc. lauri juniperi cort. citr. aurant. an. ʒ. j. Myrrhæ ʒ. iii. croc. orient. ʒ. ii. pulv. viperin. præp. ℥. j. rasur. tenellor. cervi ℥. ß. Stent in digestione per 8. dies, deinde spir. destilla, & reaffunde, rursusque per 8. dies digere, postea tinctum spiritum limpidum effunde, & ad usum serva, liquor ex restanti materia expressus ad eundem usum potest adhiberi.

Elixyria varia ex Theophili Bierlingij Collectione.

Species ad Elixir Uterinum D. M.

℞. Herb. meliss. m. iii. mercurial. salv. pulegi rorismar. an. m j. flor. cheiri m j. calend. hyper. salv. spic. an. p iii. rad. levist. aristol. rot. rubiæ tinctor. angelic. an. ℥ i ß. Bacc. laur. ℥ ii. Cass. ling. veræ unc. i ß. semin. levistic. nasturt. eruc. leucoi. meliss. an. ℥ij. croc. optim. unc. i ß. Antophyll. ℥j. f. l. a. species, quæ extrahantur spiritu melissæ.

Ad Elixir Arthriticum *Ejusdem.*

℞. Herb. chamædr. chamæpyth. an. m ii. summ. centaur. minor. flor. hyperic. an. m i ß, salv. beton. prim. veris, lavendul. stœchad. Arabic. anagall. an. p iii. rad. filic. rhapontic. vincetoxic. caryophyll. bardan. aristol. rot. gentian. an. unc. j. scrophular. unc. ii ß. sem. hyper. unc. j. petrosel. Macedon. ʒ iii. f. l. a. species, quæ extrahantur spiritu nasturtij.

Ad Elixir Febrile *Ejusdem.*

℞. Summ. centaur. minor. m iii. Herb. auric. muris, fol. asari an. m ii. pentaphyll. marrub. card. bened. scord. an. mj. Rad. chelidon. major. taraxac. angelic. zedoariæ, gentianæ, imperatoriæ, diptamni, morsus Diaboli an. unc. ii. f. l. a. species, quæ extrahantur spir. centaur. minoris.

Ad Elixir Ophthalmicum *Ejusdem.*

℞. Summ. fumar. m iv. fol. chelidon. major. verben. rutæ an. mj. flor. euphras. m ii. beton. chelidon. major. calendul. an. p ii. radic. valerian. anis. fœnic. chelidon. major. caryophyl. an. unc. i ß. sem. rap. receot. unc. ß. raphan. ʒ iii. fœnic. unc. j. rutæ ʒ i ß. sileris montan. ʒ j. nucis moschat. macis, caryophyll. cardamom. cubebar. an. ʒj. f. l. a. species, quæ extrahantur spiritu fœniculi.

Ad Elixir Cephalicum *Ejusdem.*

℞. Herb. beton. rorismar. major. salv. origani, ivæ arthetic. verben. an. mj. flor. beton. primul. ver. stœchad. Arabic. tiliæ. lilior. convall. meliss. pæon. salv. lavend. anthos. an. p ii. rad. aristol. rot. pæon. irid. florent. angelic. caryophyllat. diptamn. acori, pyrethr. an. unc. j. cyper. costi an. unc. ß. fruct. anacard. ʒ vj. Nuc. moschat. Caryophyll. cubeb. carpobalsam. cardamom. an. unc. ss. f. l. a. species, quæ extrahantur spiritu liliorum convallium.

Elixir Propietatis *D. Herbstij.*

℞. Myrrh. elect. unc. iv. subtiliss. terantur, & imbibantur cum spirit. ⊕-l. phil. stent in tepido calore per 2. aut tres dies & noctes, postea affunde spiritum ardentem vegetabilem, vel de baccis juniperi, vel fœcibus vini ad eminentiam quatuor digitorum, & serventur per septimanam unam, quotidiè tamen

tamen agitentur partes, quando satis sint extractæ, filtretur & servetur. ♃. *aloes* ℥ II. *extrah. cum spir. vini vel alio.* ♃. *Croc. opt.* ℥ II. *extrah. cum spir. vini vel roris majalis, conjunge extractiones ab omnibus fœcibus separatas, circulentur per septimanam unam aut alteram, sicque præparata erit.*

Elixir Proprietatis purgans.

♃. *Rhabarb. elect. Aloes succotrin. p. II. Myrrh. p. I ß. scammom. p. j. croci p. ß. cum succo rosar. pallidar. & ☍ ⊕l. ♂t. ad aciditatem bonam, f. l. a. extractio. Dos.* ℈ j. Et communicatione *D. Danielis Weberi.*

Elixir Proprietatis dulce *Friderici Fischeri.*

♃. *Myrrh. optim. Alexandr. Aloes epat. croc. orient. ã. q. v. contere & misce optime, huis pulveri superfunde spir.* ⊖. *ad supereminentiam. 4. digitorum in pelicano lato optimè munito, & pone in* MB. *vaporosum per 2. menses, postmodum misce cum* ▽. *ã. rursus, circulari permitte 4. septim. Quibus finitis exime & transcola per chartam, & rursus inde pelicano in* △. *B. V. ponendo per dies 14. & erit pellucidum instar rubini, dulce gustu, & ad arcendos omnis morbos medicamen convenientissimum.*

Elixir purgans elegantissimum *D. Joh. Michaelis.*

♃. *Scammon.* ℥ IV. *succ. rosar. cydon. ã.* ℥ j. *M. loco calido reponantur & agitentur, donec mediocriter indurata conspiciatur massa, de qua formentur pastilli, ac leniter exsiccentur, quibus spiritus rosarum stillatim superaffundatur, qui spiritus consummata digestione lucidius quodammodo appareat. Solvendo insignium est virtutum, & excellentis usus in variis etiam morbis. Hoc modo scammonium correctum, licet alias immite satis, nec ventriculum labefactat, nec nauseam excitat, sed optime cicuitur, ac illa, quæ adhuc subest acrimonia, excretricem facultatem blandè stimulat.* Dosis cochlear unum, potest addi ▽. cinnamomi parum.

Elixir Nephriticum *Arnisæi.*

♃. *Spir. sambuc. è baccis, juniper. è bacc. q. v. in quibus confundantur nucleor. cerasor. mespil. ossicul. cynosbat. q. s. sem. milij solis, paliur. cucurb. baccar. alkekeng. fragor. myrtill. q. v. decantato priori spiritu reaffundatur novus, donec omnis virtus sit extracta, spiritus decantati & imprægati destillentur per serpentinam, ut eliciatur spiritus, qui edulcoratus ad modum aquæ vitæ, transcoletur per manicam Hippocratis & fiat Elixir.*

Elixir Antiscorbuticum, *D. Michaelis.*

♃. *Rad. filicis, polypod. angelic. ã.* ℨ j. *rhabarb. elect.* ʒ ß. *ari* ℈ j. *Herb. ceterach. cochlear. scolopendr. scord. agerat. nasturt. ã. m ß. Cort. rad. cappar. tamarisc. fraxin. ã.* ʒ ß. *citri* ʒ j. *Flor. genist. spic. ã. gr. ij. violar. buglos. tunic. ã. p. III. sem. anis. coriandr. Dauci Cretic. ã.* ℈ j. *spir.* ⊕l. ʒ j. *Concisa & contusa l. a. infunde in spir. vin.* ℔ j. *per occiduum, postea filtretur, in fine adde spir. nasturt. fragor. cynosbat. petroselin. ã.* ℥ ß. *servetur usui.*

Elixir Citri purgans *Ejusdem.*

♃. *Rad. jalapp.* ℔ I ß. *sem. cartham.* ℔ j. *Gumm. de Peru, scammon. rosat. ã.* ℥ ß. *superfund. spirit. cont. citr. q. s. adde spiritus cinamom. aliquid, stent in digestione, filtrentur. Dos.* ʒ II.

Elixir Antimoniale purgans, *D. Sachsij.*

℞. *Scammon. unc II. XX.* ♁ *ij.* ʒ II. *spir. vini anis.* ℔ ß. *Digere & cola.* Dos. ʒ II. in julep. borrag. vel sirup. de canell.

Elixir Bezoardicum.

♃. *Rad. angelic. tormentil. bistort. contrayerv ã* ℥ II. *dictamn. alb. Lign. aloes ver. santal. citr. rubr. Cort. citri ã.* ℥ j. *Galang. zedoar. Granor. kermes. ã.* ℥ ß. *cardamom. cinamom. caryophyll. nuc. moschat. macis, spic. Indic. ã* ʒ I. *been albi & rubri ã.* ʒ II. *camphor.* ʒ j. *theriac. Andromach.* ℥ IV. *ambr. grys. mosch. orient. opt. ã.* ℈ ß. *Omnibus conquassatis fiat c. s. q. spiritus juniperi infusio, extrahatur essentia informa elixirij, exprimatur fortiter & servetur pro usu.*

Elixir Proprietatis compositum.

♃. *Aloes succotr. succ. cichor. rhabarb. elect. ã.* ℥ I ß. *myrrhæ* ℔ s. *flor. rosar. rub. violar, borrag. betonic. calend. centaur. minor. herb. agrimon. fumar. veronic. summ. sambuc. ã.* ʒ IV. *superfunde sp. cochlear. q. s. & per digestionem tepidam depurato.*

Elixir purgans Herbipolensium.

♃. *Rad. jalappi, mechoacan. bryon. ã.* ʒ VJ. *hellebor. nigr. ppt. albi asar. ã.* ℥ s. *esul. ppt.* ʒ II. *cinam. unc. s. caryophyll.* ʒ s. *croc. orient. gr. XV. spir. vini optim.* ℔ s. *anis. unc. ij Stent multis diebus in infusione, colentur per chartam emporeticam,* Dos. ana unc. s. ad unc. II.

Elixir vitæ Bononiense.

♃. *Aq. ardent. rectif. 4. vicib.* ℔ XVIII. *Flor. salv. rorismar. sambuc. rosar. rub. commun. an.* ℥ s. *artemis. stœchad. ana* ʒ j. *herb. menth. albæ, betonic. ocym. agrimon. major. puleg. ã.* ℥ s. *calaminth. montan. spicæ nardi, chamæd. chamæpyth. schœnanth. ã.* ʒ j. *sem. Apij, amnij, ã.* ʒ j. *rad. gentian. tormentill. bistort. carlin. aristol. long. ebuli, dictamn. alb. an. unc. s. calami aromat. doronici an.* ʒ j. *Bacc. juniper. Granor. Paradis. Gumm. ammoniac. opopanac. Bdellij, serapin. caryophyll. zedoar. Galang. Piper. alb. long. cubebar. cardamom. major. cinamom. elect. mastic. spodij, myrrh. camphor. thuris, Aloes succotr. rasur. ebor. margarit. Granator. corall. rubror. Galliæ moschat. theriac. veter. croc. Ligni aloes an.* ʒ j. *Passular. Pinear. mund. Carn. dactyl. cortic. citr. an.* ℥ s. *Amb. grys.* ℈ j. *mosch* ℈ ij. *fol. Sol. n. L. mellis alb.* ℥ VI. *sacch. fin.* ℥ vij. *infunde omnia in aq. ardente dicta, præter ambram & moschum, macera in vitro, post destilla in M. B. s. a.*

Si da anco nell'estremita della vita nostra, che si è veduto molte volte alcun haver perso ogni sentimento, & dopo haver preso un cocchiaro di questo Elixir, vivere due hore, è poter parlare, è fare testamento.

Elixyria varia ex Hadriani à Mynsicht Armamentario Chymico-Medicô.

Elixir Vitrioli.

♃. *Galangæ min.* ℥ *i s. calami aromat. unc. j. Menthæ crispæ, salviæ acut. ana unc. s. Cinnamomi elect. Caryophyllorum, Zingib. alb. ana Drach. iij. Nuc. Moschatæ, Cubebarum ana* ʒ. *ij. Lig. Aloes pond. cort. Citri. ana* ʒ. *j.*

Misc. & fiat pulvis, cui adde Sacchari candi alb. unc. IV. postea humectetur opt. sp. Vini, ut fiat mixtura mellis instar: mitte illam in vitrum, atque ol. vitrioli Veneris seu Martis, aut in horum defectu Sp. Vitrioli aliquoties rectif. ad 4. digitorum eminentiam affunde, & tres aut quatuor septimanas digere; tandem tincturam per inclinationem aufer & filtra. Super relictam autem in fundo materiam Sp. Vini suffunde & ulterius f. a. spagyricam, essentiam extrahe: Postea tincturæ extractiones mixtas, majoris efficaciæ ergo per 14. dies adhuc in B. M. circula, & ad usum reserva.

Vires, Usus, Dosis. Nobilius & efficacius Stomachicum in tota Repub. Medica nondum inventum esse, experientiam ipsam attestor. Idcirco breviter & quasi in transcursu dicam, quod in Ventriculi affectione qualicunque, ingens incomparabileque sit secretum. Datur autem cum aq. nostra Stomachali, vel Menthæ crisp. vel alijs appropriatis, &c. Supra modum Stomachum & intestina confortat & simul omnia principalia membra refrigerata calefacit, & appetitum quam bellè excitat. Insuper ab Epilepsiâ & Apoplexiâ præservat. Cerebrum purgat. Caput totumque corpus multis phlegmaticis catarrhis repletum exsiccat, illudque à dolore mire tuetur. In Epilepsia exhibetur cum aq. Pæoniæ, Lil. conval. &c. In Capitis doloribus sæpe ab impuritatibus Ventriculi Cerebrum lancinantibus offertur in aq. betonicæ, &c. In omnibus Febribus propinatur cum aq. Centaur. min. Card. benedict. &c. Dosis à ℈. ß. ad ℈. j.

Elixir Sulphuris.

♃. Croci oriental. myrrhæ rub. ana ℥. j. ß. mastichis elect. cardamom. min. cinamomi suc. Glycyrrhiz. ext. conf. Alkermes Rad. Enulæ camp. ana ʒ. vj. Aliptæ Noschat. ʒ. j.

Misc. & f. pulvis, cui adde: Sacchari candi alb. unc. II. & humectetur Sp. Vini rect. ut fiat quasi pasta; Postea Sp. Sulphuris optimè rect. ad eminentiam 4. digitorum affunde, digerantur & circulentur per mensem. Tandem quod tinctum & extractum fuerit, per inclinationem separa; materiam in fundo restantem Sp. Vini extrahe, separa ac priori liquori colorato immisce, & ad usum repone.

Vires, Usus, Dosis. In affectibus thoracis & pulmonis miranda præstat. Pectus ab impuritatibus & catharris mundificat. Tussim tam inveteratam quam recentem tollit; Phthisicis, Melancholicis, supra rationem mœstis, Cardiacis, &c. in genere subvenit, lætitiam adfert. Valet quoque ad Coarctationem anhelitus antiquam & Asthma chronicum. Insuper Cor confortat & à putredine præservat. Vitam prolongat & canitiem retardat: Nec est, quod hic acredinem tussim provocantem metuamus, illa enim ad solutionem necessaria, moxque alleviatio sequitur. Dosis seu modus exhibitionis, est saporis in acidum mutatio, & per se nullus ejus fit usus; sed semper cum vehiculo appropriato sumatur. In aq. vel syrupis nostris pectoralibus commodissime offertur.

Elixir Pæoniæ.

♃. Rad. palmæ Christi, angelicæ, pyrethri ana unc. j. Visci quercini, sem. fœniculi an. ʒ. vj. flor. Rorismarini stæchad. Arab. Lavendulæ ana ʒ. III. ras. cornu alcis, cranij hum. castorei veri ana ʒ. jß. Majoranæ siccæ. m. j. sp. vini optimè rectif. ℔. II.

Incisa & contusa infundantur in vase vitreo bene tecto, in loco tepido per 14. dies, postea per alembicum destill. & liquori destillato adde:

Rad. flor. & sem. Pæoniæ debite collect. ana ℥. j. spec. Diamoschi dulc. diaxyloaloes. an. ℥. ß.

Misc. & digerantur in leni calore per mensem sæpius agitando: postea Vini Spiritum tinctum aufer per inclinationem, & ad medietatem saltem abstrahe, reliquum maneat cum essentia extracta, cujus recipe ℥. XII.

Sp. Vitrioli diligenter rectif. & à cinnabari nativa prius Spagyricè impregnat. ℥. IV. sal. pæoniæ. ʒjß.

Sicque simul mixtum per octiduum circulabis & digeres.

Vires, Usus, Dosis. Specificum Epilepticum meritò vocari potest; propter vires ejus nimirum admirandas & arcanas: In Epilepsia enim curanda, sua facultate, omnia alia remedia superat. Insigniter etiam periculosos Capitis morbos timentibus prodest, qualis est Apoplexia, Paralysis, Vertigo, Scotomia, &c. Insuper in Cerebri stupore, & exficcatione catarrhi, suffocatione Matricis, Colica &c. admodum excellit. Dosis & modus exhibitionis, est saporis in acidum mutatio; datur in vehiculis appropriatis, puta aq. Epileptic. nost. vel in aq. flor. pæoniæ, Lavendulæ, Tiliæ, Lilior. convall. &c. novem dies continuando; post exhibitum medicamentum autem æger per tres ad minimum horas maneat jejunus.

Elixir Febrile.

♃. Spec. Febrifug. nost. ℥. IV. piperis longi, caryophyllor. nucis mosch. āā. ʒj. herbar. centaur. min. cardui bened. absinth. an. m. VI. quinquefol. rutæ an. m. III. Pulverisata & mixta extrahantur optimô spiritû vini, Tinctum spiritum aufer, & recentem affunde tamdiu donec omnis tinctura & essentia extracta sit. Ultimò spir. unà cum essentiâ per chartam emporeticam filtra, & in vase vitreô bene clausô ad usum reserva.

Vires, Usus, Dosis. Præservat, curat & abigit, post evacuatum corpus, omnes febres. Dosis, instante paroxysmô, vel paulò ante, ut simul cum paroxysmô operetur, à ʒj. ad ʒII. & ℥ß. in aquâ centaur. min. absinth. aut card. bened. vel in haustû cerevis. calidæ. Robustiori autem datur ab ℥ß. ad ʒvj. Præterea Cacochymici & Hydropici magnô juvamine potui quotidiano immiscere possunt; suâ enim amaritudine putredinem omnem arcet; partium verò tenuitate obstructiones pellit.

ELLEBORUS, vid. *Helleborus.*

EMBROCATIO.

Per Embrochationem oleum, vel alius liquor; ut decoctum affectioni curandæ accommodatum, instar pluviæ, super partem aliquam delabitur, sicque dicitur à Græca dictione βρέχω, id est, pluo, seu irrigo, unde embrochatio, quasi à pluvia descendente irrigatio. Hoc medicamentum in usum venit, ait Aëtius *cap. 172. ser. tertio. tetr. primo* ubi ob aliquam circunstantiam balneum adhiberi pohibetur. Et in vigilijs, & in febribus, & in

& in delirantibus valde convenit, velut est decoctum papaveris & chamæmeli. Archigenes præceptorem suum Agathinum ex vigilijs delirantem, confestim à delirio & vigilijs liberavit, capite ejus multo oleo calido irrigato.

Ejusmod. irrigationes à fotu tantùm dissentire videntur, quod illæ supra partem ex alto delabantur, hic verò admoveatur cum spongijs, aut pannis, & aliquando sacculis.

Jam verò irrigamus, inquit Oribasius *cap. 23. lib. 9.* ubi inflammatio resolvenda, aut abscessus suppurandus. Aspersione verò utimur ad faciem, atque in febribus ardentibus: æstivo tempore, aqua frigida, hyberno, ea ipsa calidiore. Verum in simplicioribus febribus, & in stomachi subversione etiam poscam aspergimus. Utimur adhuc aspersionibus in oculis fluxione infestatis, ocymi decoctum velut efficacissimum adhibentes, sed subjicienda mento spongia sicca, ne defluat aqua ad pectus.

Componitur autem embroche, seu irrigatio ex simplicibus, vino, aqua, lixivio, aut oleo coctis, ut ad lethargum, hoc modo:

℞. Cyperi, calami aromatici, iridis, ligni lauri ana unc. ß. salviæ, rorismarini, pulegij, sampsuci, calamenti, stœchados utriusque ana m. ß. schœnanti, seminis coriandri, cumini an. ʒ. II. fiat decoctio in libris tribus aquæ ad tertiæ partis consumptionem. Colaturæ adde aquæ vitæ unc. III. fiat embroche capitis.

Ad somnum verò conciliandum, ex simplicibus contrariam facultatem habentibus parabitur irrigatio ad hunc modum.

℞. Lactucarum m. II. florum nymphea, rosarum albarum an. m. j. florum papaveris, betonicæ an. m. ß. fiat decoctio, cujus colatura pro embroche capitis esto.

Ad irrigationem referri potest aquarum medicatarum, ut Borbonensium stillicidum, seu gutturnium, *Renodæus.*

Variæ Embrocarum formulæ ex Donzellò.

Embrocatio pro dolore capitis, cum vigilijs & delirió.

℞. Cortic. rad. mandragor. ʒj. capit. papar. alb. N. xv fol. lactucæ, violar. anethi serpill. rosar. rubr. āā. m. j ß. sem. lactuc. ʒj. santalor. omnium āā ℥j. F. Embrocatio soporifera.

Embrocatio contra morbos frigidos capitis.

℞. Rad. calam. aromat. pæon. cyper. āā ℥j. folior. beton. ivæ, polij salv. origan. dictamn. Cretic. āā p. j. stæchadis Arabic. rorismar. āā m j. sem. coriandr. pæoniæ, seseleos, granor. Kermes āā ʒ ij. aq. q. s. coq. s. a. & pro unâ quâque librâ adde aquæ vitæ quartam partem.

Embrocatio pro Stomachô debili.

℞. Vini Malvat. ℔. j. olei nardin. & mastichini āā ℥III. nucis moschatæ, spicæ nardi āā unc. II. M. s. a.

Embrocatio pro Podagrâ.

℞. Lact. vaccin. ℔. II. muccagin. sem. psillij ℥ III. camphor. ʒj. vini alb. ℥VIII. M.

EMETICA.

Emeticum ceu vomitorium est medicamentum, quod quæ ventriculo molesta sunt, per os expurgat.

Neque intelligas vim, quam vocabimus specificam, quâ pharmacum emeticum humores sursum abigit, constitutam esse in proprietate quadâm, quâ succum peculiarem, vel omnes simul ab superiora provocet; id enim præstat sale volatili acri admodum, quo plurimùm fibras ventriculi irritat, tonum ipsius conturbat, & cogit ut contractæ simul fibræ à fundo ad superius orificium per viam vicinam & brevem, quod molestat exonerent. Contractionis modum ostendit hyrudo sale superjecto. Secundò quia humores commovet, dum simul congrediuntur particulæ heterogeneæ, quarum tenues & magis volatiles sæpè crassioribus immixta sursum feruntur; fitque aliquandò simul per secessum evacuatio, dum in tali fermentatione crassiora præcipitantur.

Vomitu promovetur non solùm particularis, sed & universalis purgatio; si enim leve est vomitorium ventriculus, si mediocre etiam partes vicinæ, si vehemens totum corpus, expurgantur.

Ad triplicem scopum instituitur. Primò, Ad evacuationem. Secundò, ad revulsionem. Tertiò ad derivationem.

Usus est in omnibus affectibus, qui à ventriculi & præcordiorum sordibus oriuntur. Prodest inappetentiæ, nauseæ, ictero, cachexiæ, dolori capitis, vertigini sympathicæ, febribus intermittentibus initio accessionis ob tunc commotam materiam, ulceribus renum, vesicæ, &c.

Tempus exhibendi commodum est cùm æger nauseat, & ad vomitum impellitur, nec sufficit.

Nota quod, si sit symptomatica irritatio ad vomitum ob insignem humorum copiam, æstum, orgasmum, humor non est ad superiora, sed ad inferiora trahendus; ne major fiat humorum commotio, & febris; maxime si instet crileos tempus, quo tempore motus naturæ non est perturbandus.

Sæpe etiam contingit in febribus continuis, intermittentibus malignis, vomitu, cholerâ, &c. ut maxima fit ventriculi irritatio ad vomitum ab humoribus serosis, salsis, acribus, qui in ipsum ob insignem in vasis fermentationem eructantur. Ne cogita tunc de emetico, sed potiùs de venæ sectione, quâ fervorem sanguinis compescas, quam semel ac iterum celebratam, tempestatem vel sedare, vel imminuere experientia rationi consentiens ostendit.

Prodest facile vomentibus, gracilibus, nocet ijs qui imbecilli sunt pectore & angusto, obnoxijs tussi, phthisi: nocet quoque melancholicis, vertigini, suffusioni idiopathicæ, & hystericis.

Quæ vomitum excitant, differunt modo operandi; alia enim ad agunt solâ copia, plenus enim ultra modum ventriculus à vicinis partibus moleste comprimitur distentionem patiuntur fibræ, laxantur superiores, contrahuntur quæ in fundo & circa pylorum, qui tunc constringitur.

Motum ad superiora citat impulsus quem molitur musculorum abdominis compressio instinctu, vel arte producta. Alia molesta qualitate, seu totius substantiæ vi specifica; unde aliud est vomitorium leve; aliud medioere, aliud

aliud vehemens, leve est illud quod molliendo, & prò majori vel minori vi agendi, laxando orificium superius, ipsius tonum & firmitatem dissolvit, ut pinguia omnia; vel suâ mole & pondere, ut aquæ & alimentorum copiâ; vel relaxando & irritando, ut oleum commune ad ℥. vi vel unc. viii. vel mixto modo, ut

℞. *Aquæ tepidæ unc.* vj. *vel unc. viij. vel* x. (*pro ætate, & ventriculi robore*) *olei vel butyri* ℥. *ij.* Misce capiat uno haustu, & circa horæ quadrantem provocet vomitum, digitis, vel pennâ oleo illitâ in os immissis, & umbilico manu compresso,

Idem præstat hydromel, aqua hordei tepida, jusculum valdè pingue, & similia in magnâ copiâ sumpta.

Vel

℞. *Rad. raphani unc. j. semin. atriplicis* ʒ. *iij. fol. gentianæ, anethi an. p. j. Fiat decoct. in aquâ hordei vel hydromel. Colatur. ad unc.* viij. *vel* x. *dissol. olei comm. unc. ij. vel iij. Fiat vomitorium, &c.*

Mediocre vomitorium fit ex ijs, quæ mordaci qualitate ventriculum irritant, & humores detergendo, vel incidendo ad excretionem parant, ut.

℞. *Rad. asari* ʒ. *iij. agarici albi* ʒ. *j. sem. urticæ* ʒ. *ij. flor. genistæ p. j. Fiat decoct. in aquâ hordei. Colat. ad unc. viij. vel x. fiat vomitorium, &c.*

Vehemens componitur ex his quæ molestâ vi ventriculum insigniter conturbant, & subvertunt, ut.

℞. *Rad. helleb. albi* ʒ. *j.* ß. *liquirit. contus. unc.* ß. *semi ebuli* ʒ. *j.* ß. *cinnam.* ℈. *j. Fiat decoct. in hydræleo colatur.* ℥. *viij. capiat, &c.*

Vel

℞. *Vitrioli albi præp.* ʒ. ß. *dissol. in aqua communi, vel hordei unc. viij.*

Vel ex chymicis.

℞. *Salis vitrioli* ℈. ß. *dissolve in aqua, vel jusculo ad* ℥. *iij. capiat.*

Datur etiam pueris innoxiè. Potest augeri dosis in adultis ad gr. xv, vel. ℈ j.

Vitriolum album vomitivum idem præstat à ℈. j. ad ʒ. j. exhibetur cum vino, jusculo, aut alio liquore, leniter operatur & feliciter in febribus, ut & in omni ventriculi sorde, lumbricis, &c.

℞. *Vini Emetici unc. ij. capiat, &c. per se, vel miscendo cum aqua hordei. vel jusculo.*

Vel

Mercurij vitæ gr. iv. conserv. rosar. ʒ *ij.* Misce capiat.

Idem præstat antimonium rubrum fixum ad gr. iv.

Flores reguli Antimonij à gr. iv. ad vj. Oleum seu butyrum Antimonij ad ℈. ß. *vel* ℈ *j. per se, vel in jusculo, aut aquâ hordei ad* ℥. *ij.*

Prodest tertianis chronicis, & quartanis, parato ritè corpore, & initio accessionis.

Infusum vitri Antimonij cum vino à ℈. j. ad iv.

Cave, ne imprudenter utaris Antimoniacis, nec nisi in contumacibus affectibus convenit, & naturis admodum obustis.

Priusquam præscribatur, præcedere debent vacuantia & alterantia, quantum sufficit, ad imminuendam humorum copiam, & reddendos humores fluidos; tùm etiam ne crassiores, qui per secessum expurgari exigunt, ad superiora cum dysporiâ impellantur. *Tencke.*

Utut *vomitoria* sæpè saltim κάτω operentur, sæpè ἄνω & κάτω simul, purgantia verò saltim κάτω frequenter, sæpè etiam ἄνω & κάτω; attamen, cum ordinariè illa per os, hæc per alvum, vel saltim magis operentur, & frequentiùs, ad usum practicum omninò etiam illa inter se sunt distincta, ut alia sint & dicantur vomitoria, alia purgantia.

Conveniunt scilicet inter se purgantia & emetica, *fine generali*, qui est, irritare naturam ad excretionem, humores vitiosos exturbandi, &, uno verbo, evacuandi: differunt *speciali*, qui est, quòd proximiùs quasi vomitoria statim operationem suam exsequantur sursum; illa verò, seu purgantia, deorsum.

Adeoque partim *in se* habent differentiam, partim eam sortiuntur à *subjecto.*

In se quidem id fit, tùm ob gradum diversum, quatenus non differunt, nisi gradu. Urget hoc inprimis *Walæus meth. med. p.* 12. itaque majori dosi vomitum cieri, minori alvum duci, correctione etiam id limitari.

Ast, ut verum fateamur, differentiam purgantium & vomitoriorum non exhaurit vel limitatio quantitatis, vel additio corrigentis. Nam sic v. gr. scammonij ℈j. fortius est pharmacum, quam asari ℈j. quàm seminis atriplicis ℈j. & tamen purgat potiùs: imò purgantia plurima fortiora hypercatharsin potiùs κάτω, quam vomitum excitant, ut adeò propinquior quædam & magis specifica differentia sit investiganda. Et ponamus, purgantia fortiora fieri & reddi emetica, nondum tamen in hoc solo acquiescendum est.

Hinc si consulamus rationem & experientiam, vomitoria magis operantur ἄνω *propter acrimoniam salino-sulphuream volatiorem*, quæ in purgantibus magis est fixa. Vomitoria, inquam, magis ob acrimoniam salinam volatilem stimulantem, vel explicitam, vel implicitam, ventriculum subvertunt. Ita *asarum*, *sedum minimum*, *raphanus rusticanus*, & similia, sunt emetica. Sic *tabaci fumus haustus*, ejusdemque *infusum* idem enormiter præstant: imò novimus ab *illinitione* solâ *infusi tabaci* in scabiosis copiosos fuisse natos vomitus.

Par aliorum est ratio, neque enim v. gr. quis objecerit ♁-lum, nam & hoc ipsum sale & sulphure volatili omninò gaudet, sicut notum est, ♁-lum ꝯtis ad gr. ij. iv. si dispositio ad vomitum adsit, vomitum ciere. Non transibimus ad ipsa antimoniata, de quibus paullò post, quæ volatilitatem similiter, siqua alia, obtinent, igne facilè & alijs modis demonstrabilem. Volatilitas nempe medicamenti irritantis in stomacho citiùs actuatur, unde fibræ & villi stomachi irritantur præsentius, & ad expulsionem solicitantur.

In *subjecto* hoc vel illo varietas itidem observanda est, prout humores ipsi, qui evacuandi, variant: si volatiles nempe & biliosi sint, ἄνω faciliùs educuntur à naturâ, quò verò illa aurigatur, illuc nolentibus volentibus nobis dirigenda est.

Non itaque agunt *qualitate specifica*, seu peculiari quâdam proprietate aliâ, quam diximus, non *aversione & nauseâ*, & quòd os ventriculi superius laxent, quod de pinguibus & pulposis quibusdam verum est; sed irritatione ob acrimoniam salinosulphuream volatiliorem: *non sola fortiori irritatione* & stimulo; sed ob majorem volatilitatem.

For-

Fortiùs verò, seu majori cum virtute & evidentiori ac majori violentiâ operantur & agunt quia magis est contra naturam vomitus, quàm purgatio, nec id unquam citra irritationem talis modi contingit, unde quibus crustæ villosæ magis teneræ, & nudatæ quasi, lixioresque, faciliùs irritantur atque commoventur.

Magis scilicet sunt catholica emetica, & quasi vectibus extrudunt è ventriculo & corpore ipso consecutione quâdam materiam vitiosam, penitius evellunt etiam id, quod purgantia relinquunt intactum, unde in heroicis morbis & quasi Herculeis opem apprimè ferre observantur.

Evacuant verò tum saburram in ventriculo restagnantem, quæ sæpe quasi incrustatur ejus tunicis, tum contenta alia quæcunque reperiunt, ejecta hoc modo à ventriculo, tum inprimis bilem & serùm, illam etiam & succum pancreaticum, paullò fortiora præsertim, in ventriculum vocant, unde licet ipsa jam fuerint ejecta, *à bile* novas irritandi vires acquirunt, ut sæpe hypercatharsis hâc de causa oriatur.

Hinc videmus, v. g. ab emeticis antimoniatis, ferè uniformem communiter ejici materiam, quæ an à medicamento ita fuerit corrupta, an verè in corpore ita genita, dubium est apud practicos non leve: cui dirimendo dicimus, medicamentum ipsum quidem irritare fibras, turbare, fundere & liquare humores; ast id potissimùm & quasi unicè à bile arcessendum est, quæ, uti sulphure pollet copioso, unde, si exsiccetur, & absumatur, phlegmatica humiditas, ardet, & φλογισὴ evadit: ita varias & quasi infinitas mutationes subire, & id omne præstare potest. Unde medicamentum quidem tale naturæ non est amicum; sed peregrinum, unde etiam non assumitur, non assimilatur; attamen venenosâ propriè qualitate non gaudet.

Habent tamen & illa suos gradus: unde in *mitia* & *fortia* dividuntur, &, ☿iata inprimis, dosi majori exhibita fortiùs, minori debilius & mitiùs operantur.

Notamus tamen, lenia illa, vulgò adducta movere, non promovere, & ad naturam reliquorum adjuvandam potiùs posse usurpari, quàm per se; seu, propriè hæc planè non sunt vomitoria, sed juscula pinguia vehiculi loco esse queunt omninò. Unde & in his differemus, quænam sint non usitata, quæ raro, quæ verè selecta.

Non Usitata. sunt

1. *Aqua tepida ἀμυσὶ* hausta, utut enim tepida debeant esse emeticorum vehicula, utpote quæ nauseam creant; attamen ex his medicamentum ipsum velle exspectare frustra est: unde multò minus aqua tepida è vesicâ furnariâ hausta hunc in censum venit.

2. *Hydrelæum*, 3. *hydromel* nunquam hodiè pro hoc fine præscribuntur.

3. *Radix & 4. semen atriplicis*, 5. *melonum*, 6. *peponum*, 7. *cucumerum*, 8. *betonicæ*, & 9. *bulbi narcissi* exoleta sunt; licet semen atriplicis in decoctis quidam adhuc velint usurpare. 10. Ficus recentes comestæ, aqua tepida desuper hausta, Æsopicum sunt vomitorium, in usum verò hodie non trahitur. 11. *Raphanus* quoad *succum*, *semen* & *corticem* nauseam quidem & ructus movet, ast nemo illa hodie præscribit. 12. *Juglandis arbor, cortex & radix* vitriolatam quidem possident virtutem, & stimulantem, unde radix juglandis loco pessi ad fœtum mortuum educendum commendatur à *Fontana*; ast nôsse solum id expedit, non usurpare. Nec juli nucum juglandium amplius æstimantur hodie, quos ad suffocationem uterinam *Muffetus*, (ut ⊖-lata omnia conveniunt,) alij ad choleram commendant. 13. *Succus corticis sambuci* nunquam usurpatur, neque *radicis*; si is quem *Mindererus* ipso antimonio vehementiorem asserit. 14. *Summitates sambuci recentes* vulgo relinquendum sunt acetarium, solent enim primo vere turiones hos cum aceto & oleo apparare & comedere, fortiterque inde purgari; imò sunt & ex medicis, qui putant, prout decerpantur hi ipsi turiones, ita etiam purgare, si ἄνω, versus cœlum evellantur, per vomitum; sin κάτω, terram versus, per alvum. Ast, ut, quid de hoc ipso sentiam, dicam, certum est, sambucum gaudere sulphure quodam nauseabundo, vitriolico, ingrato, unde tùm purgat, tùm vomitum movet, quo d succum & alia: ast, quod modo ἄνω, modò κάτω operetur, id sanè non tàm modo decerpendi, quàm dispositioni subjecti & humorum adscribendum esse puto, præcipue cum sæpiùs viderim, à dato emetico ☿iato nullum vomitum, plurimas verò sedes secutas. 15. *Oleum ebuli & sambuci* acinorum viride licet ad philtra plures commendent, hodiè tamen magis inter traumatica, & v. gr. ad balsamum ♁ris sambucinum ad extra, quam emetica, usurpatur. Dosis etiam ad ℥ß. nimis est exigua. Par est ratio 16. *foliorum & florum ebuli*. 17. *Cataputia* quoad *semen & radicem*, ut & 18. *helleborus albus* exulant omnino ex usu practico emeticorum. 19. *Decoctum hyssopi*. 20. *folia gratiolæ* numerum potiùs augent, quam virtutem, adeoque cum alijs deturbanda ex sede. 21. *Flores genistæ, & semen*, sunt qui in emulsiones recipiunt, ast & eo carere possumus commodè. 22. Sic & *anagyris*, 23. *coccognidium*, 24. *ricinus*, 25. *eruca* hunc centum subeunt. 26. *Cyclamen* nunquam quis etiam ad vomitum ciendum hodie præscripserit, neque enim vires has commode exsequitur. Nec 27. *Nicotiana* vomendi gratiâ assumitur, nisi quod risui exponat, qui fumum intra corpus hauriunt. Nec sirupus de peto tanti est, ut eo carere non possimus, licet in quibusdam officinis adhuc adservetur. 29. *Ungues, humanos* ab *Heerio* commendatos quis vomitorij loco adhibuerit? & puto magis nauseâ, quam peculiari vomendi qualitate ramenta eorum effectum hunc consecuta. Nec 29. *nux vomica*, nec 30. *coagulum casei* classem hanc ingredi merentur, nec 31. *bryonia*, licet, præsertim recens, satis virosum ac nauseabundum saporem de se exhibeat.

Cumque vomitoria alia sint *Galenica*, alia *chimica* nec inter hæc omnia æque usitata sunt, verbi gr. *☿ialia* ut *flores ☿rij argentei*, *azoth*. *☿-♁-tus*, *turpethum minerale*, aliaque similia, quæ usum quidem suum habent non vilipendendum; attamen vomendi scopo desiere fere hodie propinari. Nec *aurum vitæ Kegleri* ad philtra tantopere dilaudatum gloriâ suâ pollet ampliùs.

Quin in genere omnia illa minus sunt usitata, neque temere propinanda, quæ vel 1. *valdè laxant & debilitant ventriculum*, ut olea & pinguia amystide sumta; modice verò adhibita non nocent, & vehiculi loco inservire queunt; 2. *quæ majorem vehementiam important*, quam pro ratione vomitoriorum requiritur, ut helleborata & alia recensita. 3. *Quæ vomitum quidem movent*; *attamen vomitoria non sunt*, & corpori, nervosoque generi minus sunt amica, ut ☿ alia & similia.

Vomitoria *Media*, quæ *Rariùs Usitata*, sunt 1. *asarum*, (1.) magis in infuso, unde mitiùs evadit; in decocto verò vis illa volatilis magis corrigitur & abigitur, unde vomitorium magis esse desinit, & alterans evadit, nisi levis illa sit decoctio.

 (2.) Ma-

(2.) Magis in radice, quàm folijs datur, illam quippe mitiorem deprehendimus, hæc verò paullò vehementiora sunt, unde rustica est medicina. Moriebatur hypercatharsi ante paucos annos hîc loci civis robustus aliàs, qui cochlear unum foliorum asari pulverisatorum assumpserat frustra à medico datis antidotis.

(3.) Coagulum asari, seu extractum, mitius est, neque illi soli tuto fidi potest, ut effectum optatum præstet, unde ad ℈ss. dari potest per se, vel in pilulis excipientis vice fungi.

(4.) Electuarium diasari Fernelij ad ℈ii. vel ℥ss. in bolo commodè sumi potest. Asarina verò hæc emetica omnia præcipuè conveniunt, ubi cruditas pituitosa in ventriculo, primis vijs & vasis penitiùs inhædit, ut quartanâ, quotidianâ, &c.

2. *Gummi gutta* ad g. IV. vel V. illo casu potissimùm in usum cedit, ubi præter purgandi scopum unum vel alterum vomitum movere est intentio. Exempla compositorum ex hoc vomitoriorum vide apud *Lotichium I. de febribus*.

3. *Oxymel squilliticum simplex, helleboratum*, &c. in affectibus asthmaticis, & uti incisione suâ ac attenuatione pituitosos humores incidendo reliquorum actionem juvet, commodè usurpari potest, v. gr. in potionibus vomitorijs: per se verò minus censum hunc subit.

Par ratio est 4. *Oxysacchari emetici Ang. Salæ*, quod quidem, si eo modo ut *Dn. Ludovici* noster tradit, præparetur, eximiè convenit; attamen rariùs paullò in usu est.

5. 🜖-*lum* mira experitur fata, laudatur ab his, culpatur ab illis. Nos de eo jam, quantum in praxi obtinet, & experientiâ comprobatum tenemus, dicturi sumus.

(1.) In substantiâ 🜖-lum non datur, præterquam 🜖-lum ♂tis, quod inter lenissima vomitoria numerari potest, & observavi sæpissimè, in lipothymijs præcordialibus, & ubi natura ipsa vel resolvere, vel ejicere materiam peccantem potest, optimè munus hoc suum exsequi, saltim ad g. j. vel II. propinatum. Certo certius est, si pronitas ad vomendum se offerat, in anxietate ejusmodi, pallore, & debilitate, omnium optimè prodesse, qualis est *pulvis noster absorbens.* Sin minùs, edulcando tamen humores & resolvendo prodest, quod in ventriculi doloribus vel centies experti sumus.

Hinc & valdè apud me dubium est, an juxta *Waleum* ☿jus vitæ cum crystallis his, seu 🜖-lo, propinatus tantùm per inferiora purget, cùm ipsum quoque per se vomitum cieat, neque enim id experientiâ deprehendere licuit; quin datum hoc modo à nobis mixtum emeticum, suo more, id est, ἄνω, fortiter operatum fuit.

(2.) *Gilla* 🜖-*li*, seu 🜖-*lum album depuratum*, in usum vocari ferè desijt, & inter 🜖-lata ferè minùs ampliùs usitata est.

(3.) 🜔 🜖-*li*, mannæ vomitoriorum titulum, ob mitem agendi operationem, indeptum. ab *Ang. Salâ* mirum quantum laudatur, qui inter chimicos mentiri juxta *Conringium* desijt, item à *B. Langio Lipsiensi* emeticorum manna & alpha vocatur, qui in peculiari quasi capite in laudes ejusdem abunde provehitur, & continuò se in facciperio id gestâsse scribit, *miscell. cur. med. pag.* 13. Duo hi sint instar omnium, & ut nostram interponamus experientiam, 🜔 ipsum 🜖-li rectè præparatum tam violentum remedium non est. Notandum verò de eodem, primô, quod vitriolata quidem emetica sapore ingrato venereo, fauces quasi constringente, polleant, quod vel solo nomine, præsertim cùm diffusioris paulò sint ponderis, minorem obtinere possunt gratiam.

Deinde potissimùm tamen eo casu, ubi ventriculi parietes laxiores sunt; apprimè conveniunt.

Porrò in affectibus quoque capitis: ob sulphur anodynum blandum, eò evibratum, commendantur, de quo inprimis *Langius* ipse l. c. videri potest.

Denique in ventriculo sal 🜖-li iterùm vitriolescere & recorporefieri posse, non crediderim. Utut enim, quod experimentum apud *Willisium* occurrit, si omnia à 🜖-lo destillata & per ignem prolecta, phlegma roridum, spiritus, oleum & ☿ sibi reddantur & conjungantur, id manifeste fiat; attamen in ventriculo hæc restitutio in integrum, ob præviam immutationem, vix speranda est. Neque obstat, quod objici solet, attrahere 🜔 🜖-li ab aere iterum spiritum & vitriolescere, nam neque aer in ventriculum fertur, nisi cum cibis, neque, qui illuc fertur, tantum potestatis habet; neque 🜔 ipsum 🜖-li attrahit spiritum, & hunc quasi regeneratum exhibet; sed colcothar 🜖-li, idque longe aliâ ratione, ut experimentis abunde demonstrari potest. Si enim noverimus, igne mediante concidere & concentrari vitriolatas salinas partes, si noverimus, spiritum 🜖-li nihil aliud esse, quam sal acidum fluorem adeptum, mediante phlegmate quantillo etiam protrusum, & tamdiu spiritum prodire, quamdiu vel atomus humoris, tanquàm vehiculum, in eo exstat, ut tandem etiam oleum acerrimum prodeat, facile est colligere, spiritum 🜖-li regeneratum non aliunde esse arcessendum ex aere; sed ipsum in ipsissimo ☿ latitâsse, aerem verò laxiores solùm poros reddere, & atomis aqueis junctis & communicatis, ipsas partes salinas, quæ cum terreis intime sunt compactæ, aptas denuò reddere, ut igne subdito, quod reliquum est, possit sub formâ spiritus elici.

Ut hæc itaque concludamus, certum est, mannam seu 🜔 🜖-li tuto usurpari, ast partim, quia paullò ingratius est antimoniatis, partim, quia non tam promte vim suam exsequitur, nec cum tantâ ἐνεργείᾳ, minùs præ illis hodie æstimari, præterquam in certis casibus, modò ipsum hoc probe sit præparatum, in quo chimici magisterium non inepte ponunt.

6. *🜍ur ♁nij & 7. ejusd. flores* huc quoque referemus, quorum illud debilius, & incerto cum effectu; hi vehementiùs operantur, unde inter selecta referri minùs merentur: sed de his jam.

Restant *Usitata & Selecta*, plura quidem, si variationem spectemus; omnia tamen ex unico saltim fonte pro pullulantia, nempe ♁iata.

Antimonium crudum in substantiâ, cum expansæ in eo non sint partes sulphureæ & salinæ, ad vomitum movendum, ut modò dictum, non usurpatur; simul ac verò sive per se, solo igne, sive accessu salium explicetur, vehementissimum evadit emeticum.

Distinguemus nos *♁iata vomitoria*, in *crudiora & correctiora*; illa sunt tam mitiora jam memorata, *sulphur, & flores*, tùm vehementissima, *vitrum & crocus*.

In substantiâ & per se hæc exhibere nunquam usitatum est, & religio debet esse medico, ob summam violentiam & periculum, quo ad mortem usque purgare consueverunt: adeoque, licet exempla talia seu formulæ apud *B. Rolfincium, ord. & meth. comment. Willisium pharmaceut. rat.* &c. occurrant, omitti consultius est. Neque ipsum *vitrum ♁ii 🜖-latum*, quod quidam cum ⁓u 🜖-li desuper fuso aliquoties & exsiccato corrigunt, prostantibus melioribus, has laudes subit.

Corriguntur ergo & mitiora redduntur

1. *Infusione*, inexhaustæ enim sunt virtutis, idque tùm in aqueis, quæ debiliter saltim extrahunt, tum cum acidulis, ut vino, quod melius, unde in usu est.

▽be-

▽ *benedicta Rulandi*, cujus variæ circumferuntur descriptiones, alijs ex vitro, alijs ex croco factam asserentibus. Optima verò ipsius autoris *cent. 5. observ. 95.* Recipit enim crocum metallorum à lentis magnitudine ad pisi quantitatem, aquæ, vini, cerevisiæ, mulsæ vel liquoris morbo convenientis q. s. maceratur per noctem, vel urgente necessitate ebulliat. Dosis colaturæ ab ℥ß, ad ij.

Notandum verò hoc loco. (1.) *crocum metallorum*, (quod & de alijs omnibus emeticis antimonialibus intellectum volumus: ita enim adhiberi etiam potest eum in finem vitrum, & quidem per se factum citra borracem,) hîc non sumendum eum, qui cum tartari additione fit; sed solo cum ⏀o ana, sive simultaneâ in mortario, additâ prunâ, sive successivâ detonatione, qui cum vitro ♁ij coincidit, imo plurimi ita, cum additione punicei, vocant, unde & eum in finem vitrum ♁ij per se factum adhiberi potest: alter verò pigrior est, & ad hos usus minus; ad collyria vero magis usitatus.

(2.) Non præscribenda est aqua benedicta à medico, nisi norit, quomodo in officinâ suâ præparetur, & composita sit.

(3.) Infusa omnia priùs sunt filtranda ad evitandam noxam.

Ad hæc præparatio & correctio simplicior adhuc & paullo crudior est; unde porro hæc peragitur.

2. *Præcipitatione cum salibus*, qualis est ☿*ius vitæ*, vulgo ita dictus, cum tamen nil planè de ☿io resipiat, commodum satis vomitorium, estque nihil aliud, quam flores seu ⚗tatum potiùs ♁ij, solutum cum salibus & devoratum, hinc aquâ simplici liberatum & edulcatum.

Notandum solùm dosi non excedendum esse, neque enim ultra gr. iij. nisi urgente necessitate, dandus.

Pertinet huc ☿ *vitæ tinctus*, seu *rosa vitæ mineralis*. Videatur *B. Rolf. in chimiâ.*

3. *Impregnatione cum tartaro*, quæ correctio omnium est optima & tutissima, quatenus nempe citra ⊖ absinthij ritè paratus crocus metallorum, vel loco ejus etiam flores, item vitrum ♁ij, cum crystallis tartari coquuntur, filtrantur, & crystalli inde emergentes propinantur ad gran. 1. 2. 3. & hoc apud selectiores practicos & chimicos hodie optimum & usitatum est vomitorium, quod nunquam nos fefellit, modo rectè præparetur, in quo artificium non leve hæret. Sic enim accipitur quasi vehementia, & virtus saltim reclusa & cum tartaro conjuncta obtinetur quasi in compendio, unde & infantibus eundem tutissime sæpe adhibuimus.

Ex hoc deinde omnis generis alia confieri & confici queunt, pilulæ, pulveres, & nihil non.

Referendum huc quoque *oxysaccharum emeticum A. Salæ*, de quo supra.

Coronidis loco notamus tàm de emeticis, quàm purgantibus: 1. Non danda minori dosi, turpe enim, non operari; nec majori, 2. noxa n. vomitoriorum uti non timenda, ita nec negligenda.

De adhibendi verò modo purgantium & vomitoriorum cum suo loco pluribus dixerimus, illa aliunde huc referre licebit, ut enim illa *Scherbij* huc mutuemur, parum refert, seu in cellâ subterraneâ, seu in supremâ contignatione sit panis, modo sciat promus, unde illum accipere debeat. *Wedelius.*

Vomitoriorum formulæ, & quorundam ex iis quoad præparationes, & Analyses chymicas, Ætiologiæ, ex Willisio.

℞. *Oximelitis scillitici* ℥ i ß. *vini scillitici* ℥ ij. *misc. f. vomitorium.*

℞. *Folior. Asari recentium numero 6. ad 9. contusis affunde vini albi* ℥ iij, *f. expressio, quæ sumatur cum regimine.*

℞. *Pul. rad. Asari* ʒ j. *ad* ℈ iv. *oxymelitis scillitici* ℥ i ß, *misce, sumatur in haustu liquoris possetici.*

℞. *Salis vitrioli* ℈ j. *ad* ℈ ij. *vel* ʒ j. *sumatur in haustu liquoris possetici.*

℞. *Infusionis croci metallor.* ℥ ß. *ad* ℥ j. *vel* ℥ i ß. *sumatur in haustu liquoris possetici cum regimine*

℞. *Infusionis croci metallor.* ʒ vj. *vini scillitici* ℥ i ß. *syrup. acetosi simp.* ℥ ß. *misc. f. vomitorium.*

℞. *Sulphuris Antimonij gr. vj. ad viij. cremoris tartari* ℈ j. *misce detur in pulpa pomi aut pruni cocti, vel in cochl. 1. panatellæ.*

℞. *Mercurij vitæ gr. iij. ad vj. sumatur eodem modo. Flores Antimonij Aurum, vitæ, sive Præcipitatum solare, & Turbith minerale sumantur similiter.*

Emetica, quæ præcipuæ notæ sunt, chymica parari solent primò ex Vitriolo, secundò ex Antimonio, tertiò ex Mercurio.

Sal Vitrioli.

Sal vitrioli varijs modis præscribitur, sc. ex colcothare elixiviato, ex vitriolo cæruleo calcinato & elixiviato, juxta Angelum Salam, & ex Vitriolo albo crebris solutionibus, & coagulationibus purificato; quod medicamentum Gilla Theophrasti vulgò appellatur, estque omnium tutissimum & paratu facillimum; attamen duo pharmaca priora insigniter styptica, & quatenus ignem passa, nonnihil corrosiva existunt, posterius autem satis benignum, stomachi fibras leniter convellit, & nonnihil corrugari facit, proinde ut, quod molesti est excutiendi gratia, illæ demum spasmos & vomendi nixus ineant; qui tamen citò pertranseunt, & ventriculi perturbatio statim compescitur.

Sal vitrioli ideo pluris æstimatur, quòd rarò ultra stomachum commoveat, nec uti stibiata viscerum spasmos & sanguinis inordinationes, aut spirituum deliquia inducit; illi tamen vitio vertitur, quòd segnius, & interdum vix omnino operatur; quare à vitriolo assumto, & liquore possetico copiose epoto sæpe opus est Vomitionem penna gutturi indita provocare, aut possetum carduatum, vel oximel scilliticum propinare.

2. Antimonium crudum, mixtione integra manente neque per Vomitum, nec per sedem operatur; cujus ratio est quòd particulæ sulphureæ, & salinæ, à quibus virtus emetica procedit, in eo ligatæ, aliisque obvolutæ sese exerere nequeant, attamen concreto hoc præparatione quadam reserato, & nonnihil soluto; particulæ istæ satis liberæ & ad agendum promptæ redduntur. Quod si inquiratur utrùm facultas Vomitiva à corpusculis sulphureis, an à salinis dependeat; videtur quòd à neutris singulatim, sed ab utrisque simul combinatis fiat: Quippe cum illæ seorsim ab his, prout in tinctura Antimonij, aut hæ ab illis, prout in cerussa ejus exhibentur, Vomitio minimè succedit. Alibi notavimus particulas merè sulphureas aut salinas gustum & olfactum vix movere, sed utrasque simul conjunctas sensoria ista valdé afficere: Pariter habere putamus, circa peculiarem Ventriculi sensum; eum nempe potissimum è sulphureo-salinis jucunditatem, & molestiam accipere, & ejusmodi compositionibus gratis aut infestis tum Cardiaca tum Vomitoria constare. Stibium, quo in medicamentum satis activum cedat, parari solet vel per se, quomodo vitrum, & flores Antimonij efficiuntur; vel cum salibus, adeoque vel cum sale nitroso, uti crocus ejus; vel cum sale fixo, uti sulphur ejus, vel cum sale acido, uti butyrum ejus, & qui ex eo efficitur Mercurius vitæ. Extant plures aliæ

Stibij

Stibij præparationes emeticæ, prædictæ autem maximè notæ, & communissimi sunt usus. Quo medicamina tum ista tum alia quæque rite præparentur, imprimis danda erit opera, ut Antimonium purum, & plumbo impermixtum eligatur. Circa hoc præter splendorem, & striarum elegantiam, certissima probationis via est, ut frustulum massæ emendæ cum æquali nitri parte calcinetur, bonitatis signum est, si totum in hepar, & scorias abibit, nam secus portio ejus in merum plumbum interdum liquescit. Hoc ritu quondam ex Antimonij ℔ j. Saturni ℥ij. elicui.

1. Vitrum Antimonij.

℞. Antimonij electi pul. q. s. calcinetur in vase terreo, agitando donec fumare desinens, colorem cinereum sive griseum acquirat; materies exemta & in crucibulo satis fusa, in Tabulam aut pelvim effundatur; frigescens in vitrum pellucidum & hyacinthinum abibit. Dosis hujus pulveris gr. iv. ad vj. infusionis in vino factæ dosis ʒ vj. ad x. fortiter operari solet.

Prædicti apparatus ratio (ut opinor) hæc est. Antimonium inter calcinandum diu agitatur, ut dum particulæ sulphureæ copiosè evaporant, salinæ ad vitrificandum aptæ densius agglomerentur, quæ postea, dum massa ab igne intenso funditur, terrestres etiam attenuatas prehendentes facilè in vitrum concrescunt: quod insuper ob particulas quasdam sulphureas adhuc relictas rubescit, emeticum existit. Enim vero Stibium sulphure suo magnâ ex parte aut omnino spoliatum in vitrum disponi, hac instantia manifesto liquet, in quantum scilicet calx sive caput mortuum à destillatione Butyri Antimonij relictum fusione in vitrum liquescit, quod tamen album & virtutis emeticæ expers est, in quantum particulæ omnes sulphureæ ascendentes, massam penitus destituerant.

2. Flores Antimonij.

℞. Antimonij selecti & pulv. q. v. in cucurbita cum alembico aut in vasis terreis in hoc opus adaptatis sublimetur igne moderato, aut per se, aut cum arena, vel pulvere laterum, vel tartaro calcinato admixtis: flores ascendunt flavi, citrini, & albi, quorum qui albissimi sunt colligantur, & usui reserventur.

In hac præparatione Antimonij particulæ salinæ & sulphureæ, aquosis & terrestribus excussis ascendunt, ac unà combinantur; quapropter, cum & corpus minerale plurimum referetur, & corpuscula maximè activa (hebetioribus, quæ hæc obtundunt, depositis) simul conjungantur, medicamentum hoc atrociter Vomitivum, & non facilè tutum evadit. Dosis *gr. ij. iij. iv.*

3. Crocus Metallorum.

℞. Antimonij electi, & nitri purissimi ana ℥ iv. singulatim trita, & probè mista, mortario æneo indantur, carbone vivo injecto igniantur; cum intonatione quadam efflagrabunt: residua demum massa, subrubra (quæ ob colorem hepar Antimonij vulgo dicitur) à scoriis partim nigris, partim albidis circumcirca jacentibus separetur, & usui servetur: hepar in substantia exhibetur ad gr. iij. iv. vel v. vinum infusionis ejus, ab ℥ ß. ad ℥j. vel ℥i ß. Hoc satis benigne operatur, & emeticum maximè usitatum est.

Processus hujus ratio est, quod Nitrum cum Antimonio pariter ac cum sulphure commune tritum ac commixtum habet: utraque scilicet mixtura à levissimo incendiculo ignitur, in quantum utræque particulæ, sc. nitrosæ ac sulphureæ ad quamcunque accensionem requisitæ copiose ac intime convenerunt. A deflagratione hac corpus minerale satis aperitur, ejusque particulæ ab invicem laxantur, & quamvis sulphuris portio quædam avolavit, fat tamen relinquitur, quod sale combinatum & colorem croceum & virtutem emeticam producat. In præparatione hac, si nitro in majore proportione admisto Antimonium plus solito calcinetur, massa ab efflagratione residua, pauciori nunc sulphure imbuta, non amplius rubra, sed flava sive citrina, atque minùs vomitiva evadit.

4. Sulphur Antimonij.

℞. Salis Tartari, vel Absynthij ℥ viii. crucibulo inditum in fornace Anemij fundatur, dein cochleatim injice Antimonij crudi pulverisati ℥ vi. fluere sinatur per horæ quadrantem, dein effundatur in vas argenteum aut æneum, massa crocei coloris edulcoretur crebris ablutionibus. Dosis gr. v. ad x. longe mitius ac benignius operatur, quàm quodvis præterea Antimonij præparatum.

In hoc præparato sal fixus & ab igne fusus Antimonij corpus ex sulphure potissimum & sale acido compositum referat; dum enim sales adeo combinantur, particulæ sulphureæ magis solutæ, atque spiculis salinis minus aculeatæ evadunt; quapropter summè licèt rubescat, stomachum haud valdè, aut violenter irritat. Porro ob sulphur plus solutum, & salem magis liberum, hujus pulvis spiritus vini tincturam facilè impertit; quæ, cum particulis salinis prorsus destituatur, vi emeticâ privata insigne confortativum evadit.

Quod verò Antimonium, & sulphur commune, forsan & multa alia ejusdem farinæ, ex sale acido & sulphure unà combinatis constant, pluribus experimentis facilè evincitur: Præterquam enim quod ejusmodi concreta à sale fixo facillimè referantur, insuper si quando à menstruo sulphureo, uti oleo Terebinthinæ, Juniperi, aut Lini dissolvuntur, particulis sulphureis, à solvente imbibitis, salinæ relictæ in crystallos (quæ destillatæ in stagma acidum abeunt) facilè concrescunt: Hoc in præparatione balsami sulphuris evidentissimè liquet. Cæterum si stagma acidum, scilicet Aqua fortis, aut Regia, pulverato Antimonio affundatur, & destillatio igne forti, urgeatur, sulphur citrinum à vulgari haud discernendum in magna copia sublimabitur; indicio certe manifesto sulphur commune potissimum constare ex corpusculis sulphureis cum sale acido compactis. Ex sulphure Antimonij, prout suprà describitur, parato, liquorem oleiformem conficio, qui, purum Antimonij sulphur, argentum primo illitu deaurabit, atque in medicina egregij usus est.

5. Mercurius Vitæ.

℞. Antimonij electi, & Mercurij sublimati ana ℥vi. simul trita, & probè mista destillentur in retorta vitrea calore arenæ; ascendet liquor gummosus glaciei instar valde corrosivus, qui collo retortæ adhærens; carbone vivo admoto liquescet, inque vas recipiens decidet. Hic rectificatione depuratus, aqua fontana desuper infusa mox in pulverem albissimum præcipitabitur; lympha interim saporem acidum instar Vitrioli spiritus acquirente, pulvis iste edulcoratus, & exsiccatus vulgo dicitur Mercurius vitæ, sed minus rectè cum nihil omnino Mercurij ni se contineat, & in caute exhibeatur, sæpius mortis, quàm vitæ autor esse solet. Dosis gr. iij. ad vi.

In hac operatione spiritus acidi vitrioli, & nitri, prius cum Mercurio inter sublimandum combinati cum denuo ab igne laxantur, hospitem istum primum deserentes, Antimonij corpuscula magis amica amplectuntur, cumque ipsis vi caloris elevati in substantiam glacieiformem concrescunt; quæ nimirum constat ex Sulphure toto Antimonij, cum aliquanto ejus sale, nec non ex nitri, & vitrioli stagmate

mate acido; ob particulas salinas instar glaciei obrigescit, & propter sulphureas ab igne liquatur. Materies hæc aqua infusa præcipitatur in pulverem album, qui sc. corpusculis mere stibiatis constat floribus Antimonij analogis: interim sales acidi in menstruo soluti, eum quasi vitrioli spiritum acescere faciunt. Attamen pulverem istum nihil Mercurij in se continere, inde constat, quoniam hic salibus congelativis privatus, pristinam Argenti vivi speciem resumit, inque retorta totus colligitur. Revera sales isti à Mercurio facile avocantur, ipsumque, quoties corpus aliud magis amicum reperiunt sponte deserunt: hinc si sublimatum cum laminis ferreis in aqua communi coxeris salibus non mox ferrum amplectentibus, Mercurius revivisćet. Pulvis iste nimis atrociter vomitivus, si cum sale marino calcinato teratur, & crebra ablutione edulcoretur, longè mitior, & satis tutus evadit, in quantum sc. medicaminis aculei salini à salibus alterius indolis atteruntur; aut subiguntur. Porro si iste nitro in crucibulo fuso indatur, particulis sulphureis in totum ablatis vim emeticam prorsus amittit, atque Antimonium diaphoreticum purum putum evadit.

Hæc de Vomitorijs Antimonialibus, quorum particulæ in Stomachodis solutæ, tincturam sulphureo-salinam constituunt, quam fibræ ejus imbibentes insigniter adeo vellicantur, ut spasmus ibidem excitatus quaquaversus in totam ejus cavitatem, nec non viscera juxta consita, nempe duodenum, porum choledochum, ductum pancreatis protensis, eorum omnium contenta exprimi, ac in Ventriculum exantlari, quinimo ex arteriarum osculis humores serosos emulgeri faciat; adeo ut vomitus atroces, & diu infestantes, succedant. Cæterum probabile est; tincturæ istius emeticæ aliquantulum à venis etiam excipi, quæ in massam sanguineam delata ob salium occursus, & colluctationes ac combinationes, materiæ cujusdam præcipitationes, & excretiones inducat: quapropter affectus partium longè dissitarum, sc. morbi cutanei, leprosi, ac arthritici à medicamentis stibiatis nonnunquam sanantur.

Attamen hoc multo efficacius medicamenta Mercurialia (de quibus jam proxime dicemus) efficiunt utpote quæ non tantum in stomacho vellicationes, & excretiones vomitivas cient, at insuper per particulas suas magis activas communicatas diversimodas ejus fluxiones, atque seri aliorumque humorum fusiones, præcipitationes, & secretiones faciunt, unde præter vomitum & purgationem, diuresis, aut diaphoresis, ac interdum salivatio inducantur: Quapropter in morbis inveteratis, & contumacibus ad harum usum quasi ultimum refugium recurritur.

Mercurius sive Argentum vivum si per se & simplex assumitur, pariter ac Antimonium, nec per vomitum nec secessum operatur, nullamque ferè in corpore humano perturbationem ciet. Sin verò mistione soluta, ejusque particulis activis id libertatem solutis, in pulverem redigatur, & medicamentum summè elaterium evadit. Cum plures sint modi versatilem & fugitivum hunc Protea figendi, ac in usum medicinalem præparandi potissimum his duobus insistitur; nempè vel sublimatur vel in Præcipitatum reducitur. Prioris generis præparata ejus, Emeticorum classi haud propriè accensentur, posterioris vero ferè singula huc referri debent. Attamen in rem nostram satis erit, illorum pauca, que præcipuæ notæ sint, hic breviter perstringere. Itaque imprimis advertimus Mercurium præcipitari vel per se, vel cum metallis solis, vel cum salibus solis, vel cum metallis & salibus simul.

1. Mercurius Præcipitatus.

℞. Mercurij optime purificati ℥iij. indatur vitro ad hoc opus adaptato (quod sc. nonnihil ad clepsydræ formam accidens duplici constet fundo turbinato, sitque in utroque latum, & planum, ac in medio angustum, habeatque rostrum angustissimi orificij, à fundo uno in ventrem usque productum:) hinc vasi in furno arenæ ad Æquilibrium collocato subdatur ignis primo lentus, dein fortior, donec pars Mercurij in pulverem griseum, atque altera in fundum superiorem elevata sub forma argenti vivi hæreat; dein vase inverso fundus superior arenæ immergatur, ac ita vitrum aliquoties invertatur donec Mercurius omnis in pulverem abeat, qui vitro effracto colligendus, & aquâ dulci abluendus: dosis gr. IV. ad v. vel VI. Vomitum fere semper movet, ac minimè per salivationem operatur.

Processus hujus ratio videtur esse, quod ignis perennis effluvia, Mercurij concretionem primo laxant, ejusque particulas paulatim dissolvunt, & deinde ab invicem distrahunt, ita ut aliæ ab alijs secedant, & quasi in minutias fractæ distinctæ permaneant; hinc corpuscula maximè activa, salina potissimum ac sulphurea, sui juris facta, in corpore humano, & fibras vellicando, & cum salibus effervescendo, perturbationes ingentes cient: attamen Præcipitatum hoc in saltem sanguini insitos minus operatur quàm Mercurius cum salibus tantum præcipitatus, quoniam salivatio ab hoc facillime, & nequaquam ab isto concitatur. Quemadmodum Mercurius, ita quædam alia corpora mineralia, sc. plumbum, stannum, Antimonium, & ferrum, constanti ignis obsidione, in pulverem sivè crocum calcinari solent.

2. Mercurius præcipitatus Solaris.

℞. Auri cum Antimonio purgati, & subtiliter limati ℥j. argenti vivi optimè depurati, sive ex cinnabare & sublimato elicit. ℥viij. f. amalgama in crucibulo, Aurum candefactum in Mercurium actu calidum projiciendo, hoc sale & aceto probè locum expressum, in tali vitro, ac simili apparatu ac Mercurius præcipitatus per se, in arena digeratur, donec in pulverem rubrum redigatur, cum aquis cordialibus edulcoretur. Dosis gran. iij. ad vj. per vomitum ferè tantum operatur, nec uti præcipitatus salina salivationem movet. Eodem planè ritu Lunare Præcipitatum, item Ioviale parari possint.

Hujus processus ratio eadem est ac superioris, nimirum ignis corpuscula, quasi totidem pistilla corpus minerale in particulas minutas contundunt, easque ad tempus ita frangunt, ut non facilè cohæreant & una concrescant. Porro amalgama hoc, ob Mercurij & Solis corpora prius à se invicem reserata, multo facilius quam Mercurius per se in præcipitatum abibit.

3. Mercurius Præcipitatus communis.

℞. Mercurij optime purgati ℥j. Aq. fortis ℥j. fiat solutio, quæ vasi terreo vitreato indita primo leni calore evaporet, ad humiditatis adsumptionem, inde igne aucto usque ad vasis incandescentiam calcinetur, agitando cum stylo ferreo, donec colorem rubicundum acquirat Materies exemta, & pulverata primo crebris ablutionibus cum aqua dulci, deinde iterata accensione spiritus vini eidem affusi edulcoretur, ac usui servitur. Dosis gr. iij. ad v. vel vj. operatur per vomitum sat violenter, & certius quam aliud quodvis Mercurij præparatum, salivationem ciet.

Ἐπιχειρήσεως hujusce chymicæ si ratio inquiratur, dicimus Mercurium ab aqua forti dissolvi, quatenus particulæ salinæ menstrui, salibus metalli occurrentes, eos sibi statim arripiunt, proindeque mistionis vinculo soluto cæteræ omnes particulæ manumissæ, & quaquaversus expansæ intra poros menstrui delitescunt, dein postea humiditate absumtâ, particulæ salinæ reli-

ctæ, & in conspectum datæ Mercuriales inclusas, ubique permistas prorsus obtundunt. Quod autem Mercurius hoc modo cum aqua forti, aut Regia præcipitatus rubescat, secus ac cum oleo sulphuris aut spiritu vitrioli paratus: ratio est partim ex nitro colorem flammeum semper præbente, quod menstruum illud, & non hæc ingreditur, partimque ex ipso Mercurio, cujus soluti particulæ, dummodo liberæ & non ab alijs occultatæ, ex sua natura rubescunt, prout cernitur in Mercurio præcipitato per se, & in solutione ejus, quæ ab oleo Tartari infuso pulverem rubicundum, sc. mercurialem deponit.

Medicamentum hoc salibus valde corrosivis, æque ac particulis Mercurialibus solutis constant in quantum Ventriculis fibras summè irritat. Vomitionem atrocissimam ciet, ita ut in hunc usum, solitarium raro exhibeatur. Siquando autem assumitur, atque Ventriculo & primis vijs demum superatis, in massam sanguineam defertur, quatenus hujus sales insiti exinde plurimum fermentantur, cumque ipsis particulæ Mercuriales ubertim infusæ, ac intimè commistæ, inviscantur adeo, ut nulla via commodiùs quàm per ductus salivales (prout alibi ostendimus) rursus eliminari possint, id propter hoc pharmacum præ alijs plerisque sputationem movet.

4. Turbith Minerale.

℞. Argenti vivi purificati, olei Vitrioli (vel sulphuris per campanam) dephlegmati ana partes æquales retorta vitrea indita destillentur, igne per gradus aucto, donec humiditas omnis abstrahatur, restante in fundo massa alba, quæ ab aqua fontana affusa illico flavescit, hæc crebra ablutione & spiritus vini accensione edulcorata, & exsiccata detur à gr. IV. *ad* VI. *vel* VII. *Per vomitum operatur paulo mitius quàm præcipitatum commune quandoque item salivationem inducit.*

Processus hujus quoad Mercurij præcipitationem ratio eadem est ac prioris; calx autem residua non uti prior rubescit, partim ob nitri absentiam, & partim quia Mercurius minus subactus, calcinationem non adeo intensam patitur, ut salibus magna ex parte difflatis ipsa proprium, nempe coccineum, colorem ostentet; quippe si hujus gratia igne violento urgebitur, prorsus avolabit; itaque à salibus qui Mercurij particulis adhærent, easque occultant, color albidus procedit: quibus postea aliquatenus ablatis flavedo succedit. Porro in quantum particulæ mercuriales salibus non strictè adeò combinantur, proindeque haud tam uberi copia ab ijs in massam sanguineam introducuntur, salivatio non ita promtè ac certè, ab hoc pharmaco excitatur.

Medicamentum hoc compendio quodam, & non minus efficax ad hunc modum parari potest.

℞ Argenti vivi depurati olei vitrioli, vel sulphuris a. ℥ij. crucibulo indita, igne primum lento humiditas omnis evaporet, dein fortiori urgeantur, ut materia calcinata melius figatur.

5. Aurum vitæ.

℞. Mercurij purificati ℥ v. Solis optime purgati ℥ ß, singulatim solvantur propriis menstruis, solutiones conjungantur & destillatione in retorta humiditas omnis avocetur, calx residua calcinetur super laminam ferream ignitam, ut sales magna ex parte abigantur, materia relicta edulcoretur, ablutione cum aq. dulci, & ascensione spiritus vini.

6. Hercules Bovij.

Medicamentum hoc meliùs parabitur, si utrumque corpus metallicum eodem menstruo solvatur, quod ex præscriptione Thomasi Bovij ad hunc modum conficitur.

℞. Vitrioli calcinati, & nitri an. ℔ j. destillentur in furno reverberij, liquor exstillatus affundatur salis marini calcinati ℔ j. in retorta vitrea & avocetur, lini calore arenæ: nam facillime ascendit: Hujus portio una Mercurium, & alia dissolvat Aurum: dein utraque solutiones conjunctæ avocentur, & crebris cohobiis addendo singulâ vice ejusdem menstrui partem subtriplam destillatio repetatur donec materies satis figatur, quæ edulcorata prædicto modo usui servetur. Dosis gr. iiji ad VI. *vel* VII. *(vel)*

℞. Mercurij purgati ℥ IV. *Auri limati ℥ ß. f. amalgama ut supra ostenditur; cui loto & retortæ indito affunde prædictum menstruum Bovij, avocetur in furno arenæ, & cum crebris cohobiis, addendo ejusdem menstrui quaque vice partem subtriplam destillatio repetatur, donec materia satis figatur, quæ super lamina ferrea candente calcinetur, & crebris ablutionibus & accensione spiritus vini edulcoretur. Dosis gr. iij. ad* VI. *Per vomitum operatur non admodum violenter: &, quatenus ultra viscera in massam sanguineam operatur, in magnis sæpe morbis juvamen confert.*

Quod verò ad processus istius chymici Ætiologiam spectat, dicimus dum bini pugiles simul litigantes se mutuo comprehendunt, ac invicem conterunt, tertius, (ac interdum quartus) superveniens iis vincula, quibus paulo arctius complicentur, & minutius confringantur, injicit. Enim vero tum Aurum à Mercurio, tum utrumque à menstruis dissolvuntur, inque minutias dirimuntur; dein humiditate abstracta Metallorum particulæ salinæ cum menstrui salibus combinantur, reliquis interea corpusculis, metallicis interjectis, ac intra salium poros occlusis. Attamen hæc combinatio non adeo stricta est, ac cum metalla inter se, aut alterutrum cum proprio menstruo solutione in Præcipitatum redigitur. Quippe in præcipitato isto composito, cum particulæ metallicæ, tum salinæ menstruales totidem, ac tam diversæ fuerint, istæ omnes penitus aduniri non possunt: quapropter materies ista (prout sæpius observavi) non nisi ægrè admodum figi, inque calcem medicinæ idoneam reduci solet, nam si pro menstruo avocando calor nimis intensus adhibetur, Mercurius ascendet, Aurumque relictum propriam speciem resumet, sin ignis debito remissior fuerit, salium cum particulis metallicis combinatio non satis arcta succedet, quin merâ ablutione tollitur; ita ut aqua communis Præcipitato affusa ipsum penitus dissolvat, totamque materiam in se absorbeat, hinc ut pro medicamento conficiendo labor ferè totus reiterari debeat.

Pharmaci hujus basis Mercurius est, cujus gratiâ expectatur, particulas ejus corporis humani succos omnes fermentare, & heterogenei cujusque tum in visceribus, tum in vasis aggesti secretiones promovere. Aurum videtur addi, propter Mercurium cicurandum, ejusque particulas nimis efferas, ac indomitas nonnihil refringendas. Porrò menstrui sales utrumque corpus in minutias frangunt, easque in massam sanguineam & penitiores quosque recessus promtpiùs manuducunt.

In destillatione istius menstrui Epicœni à Bovio descripti (à quo sc. utrumque metallum dissolvitur,) salium congressus, & quasi pro aris focisque decertationes notabiles occurrunt: quippe cum Aqua fortis sali marino præparato affunditur, terram ejus occupat, & proprij velut soli possessionem capit, exinde spiritum salis velut emancipatum abigens. Hoc clariùs liquet, si quando spiritus vitrioli, sali marino calcinato affusus, ad destillandum committitur; quippe à levissimo Balnei Arenæ calore spiritus salis purus putus quasi exul ascendet, stagmate vitriolico domicilium ejus invadente. Revera hi sales nimis congeneres sunt, quàm uti simul combinentur; quare intra habitaculum nimis angustum commissi, cum nec uniri, nec cohabita-

habitare possint, potentior, dominium usurpans, imbecilliorem foras expellit.

EMMENAGOGA.

Ut aliàs universalia sunt, quæ per sudorem, alvum, os, urinam evacuant, in utroque sexu, ita in fœminis speciatim ea hunc censum subire merentur, quæ menses ducunt, quibus altera sanitatis fœminarum pars absolvitur.

Cùm verò duo omninò circa hos sint observanda summa genera, *humor ipse*, qui excidit, seu sanguis, & *via, per quas*, juncto & non neglecto ipso archeo, qui cœlorum rhythmum per lunare hoc tributum explicat: hinc etiam ipsa hæc menses ducentia medicamenta specialius paullo præter superiora hoc loco lustranda.

Respiciunt vel *vias*, quas utique liberas esse decet in totâ republicâ microcosmicâ, qualia sunt tùm *aperientia* omnia; largo modio superius recensita, exceptis acidis & nitrosis, quæ scilicet intentioni alteri sunt contraria, nisi eadem ita dirigantur; ut sub aliorum dominio actionem eorundem juvent. Unde huc etiam pertinent è spleneticis omnia *incidentia & resecantia*, tùm inprimis verò *infusa, decocta, potiones,* ad fluxiles magis reddendos humores. Maximè ergo huc spectant radices 5. aper. decoctum aperitivum, & alia *emollientia*, inprimis etiam externa, ipsa *balnea*, quæ & calore blando, & insigni humectandi energeiâ vias quàm optimè expediunt, &, quod λεπτομέρεια seu particularum tenuitas internè, id hæc externè eminenter præstant. Sic etiam *suffimenta* poros laxantia, & mucum detrahentia alia huc pertinent, & locum habent in sterilitate, mensium defectu, decoloratione, restagnatione, & exinde productis symptomatibus aliis, uti v. gr. non sine fructu commendat suffumigium è pomo colocynthidos utero per infundibulum exceptum *Timæus in consiliis*, quod successisse in quâdam fœminâ scribit: & ipsi hoc remedio commodè post balnea cum fructu sumus usi. Adeoque emmenagoga ipsa nihil aliud notant, quàm aperientia uterina specificata.

Vel respiciunt *sanguinem ipsum*, cujus uti statum menses unicè denuntiant: ita ijdem illius omnino conditionem sequuntur, ut plus quàm Apollinis oraculum verum sit; *qualis sanguis, tales menses, talis sanitas.* Uti verò ad mensium eruptionem requiritur sanguinis quidam ὀργασμός, sive repletio, sive fermentatio, unde sibi viam quærit, & stato tempore exsolvitur: etiam emmenagoga illa sunt eximia, quæ sanguinis statum ad hoc ipsum munus indispositum respiciunt, quod in genere quidem fit, motum ejusdem promovendo; in specie verò potissimum duplici fit ratione.

Vel enim 1. *Impedimenta sanguinem quasi figentia & coagulantia auferunt,* illa verò impedimenta sunt duo: *humores acidi & pituitosi.* seu serum coagulatum. Inter illa sunt v. gr. *martialia,* crocus aperitivus ♁tus, cum ⊖ibus, pulvis cachecticus Quercetani, pulvis stomachalis ejusdem: imo sunt, qui crudam limaturam ♂is vel ☉is eâdem intentione propinant, ut aciditatem constringentem absorbeant & reprimant. Præcipuè verò conveniunt martialia huic fini ea; quæ humectandi potestate unà pollent: ut tinctura ♂ pomata, & cydoniata, quæ insignem contra hunc morbum obtinet virtutem: ut tinctura ♂ tartarea, & similia, ut unà & siccitas respiciatur, & fermentatio sanguinis deficiens promoveatur; aliaque, quæ serum in coagulum abiens, seu pituitam, liquant, fundunt, resolvunt & attenuant, amaricantia, & quæ partium tenuium sunt alia, ut dictamnus, levisticum, artemisia, cerefolium, matricaria, &c. è jam dictis aperientibus.

Vel 2. *Ejusdem rarefactionem promovent & stimulant*, ut excitatis ac exaltatis particulis sulphureis & salinis volatilibus activior fiat, & lentore suo torpido exsuto amplius affectet spatium qualitate & motu; quo pertinent omnia *balsamica volatilia & media*, tàm *sulphurea*, verbi gratia, crocus, myrrha, baccæ lauri, sabina, quæ menses potentissimè pellit: item ℴℴa destillata, sabinæ, cinnamomi, melissæ, croci, &c. quàm *salina*, ⊖ia fixa, & volat. terra tartari, borax, ⊖ artemisiæ s. & ⊕latum, &c. ∽us ✱ci, cujus etiam externum usum peculiari instrumento ad uterum derivandum maximè commendat *Glauberus*: ∽us C. C. ⊖ succini volat. terra bez. Mich. quæ volatilitate suâ sæpe pellit menses. Unde regula practica est, utrique intentioni appropriata: *Quæ urinam cient, plerumque etiam promovent menses.*

Vel 3. *stimulant & utrumque expediunt.* Pertinent huc ipsa quoque purgantia, quatenùs non solùm causam antecedentem, humores viscidos, lentos, attenuant & educunt, adeoque aperiunt & vias respiciunt, verùm etiam sanguinis rarefactionem & fermentationem apprimè juvant, ut sæpe ipso die, quo assumta fuere, redeat fluxus: & inter alia quoque aloe huc facit, unde *Hoffmannus* refert, habuisse se ancillam, cui nullâ aliâ ratione promoveri potuerint menses, quàm usu pilularum pestilentialium Rufi seu de tribus, aloe, croco, myrrhâ. Sic idem de *Helideo* refert, quòd in pertinacissimis mensium obstructionibus elect. hieræ ℥ j. cum ℈ j. croci usus fuerit feliciter. Hæc, inquam, utrique indicationi quam optime satisfaciunt, & hinc infusa aperientia cum laxantibus perquam commodè miscentur.

Vel 4. *Ipsum sanguinem restaurant, reficiunt, adeoque fluxilem reddunt,* qualia sunt inprimis analeptica, & victus commodus ac paullo plenior. Absurdum enim fuerit, si quantitate deficiat, motum ejusdem promovere. Hinc uti fœminæ serosiori & fluxiliori gaudent sanguine, ad turgescentiam scilicet aptiori, & hoc ipso plethoram seu abundantiam serosam acquirunt, quam certo tempore pro naturæ nutu depleri sentiunt: sic huic quoque omninò prospiciendum est, uti jam quoque dicemus.

Quoad *Applicandi* enim *Modum*, si ullibi aliàs, multa veniunt observanda notatu digna.

1. *Ubicunque non adest menses movendi indicatio, ibi frustrà emmenagoga adhibentur*: cessante enim indicante, cessat remedium, quod indicationi debetur. Non indicantur verò tùm ratione ætatis, unde frustrà fuerint, qui puellis 10, 11, 12, annorum eadem adhibere audeant: tùm ratione ἰδιοσυγκρασίας, quandoq; enim nulla adest per naturam inclinatio ad hoc tributum lunare; licet id rariùs visatur, observavi tamen idipsum in aliquibus, quæ & conjugium, licet sterile, contraxerunt: tum præcipuè ratione abundantiæ deficientis, unde tum aliàs, tùm à morbis chronicis convalescentibus, virginibus & fœminis non adhibenda, nisi analeptica.

2. *Gravidis non danda emmenagoga*, quod quidem duplici de causâ potissimum valet: non danda scilicet sunt meretriculis, & semper cautè danda, quæ scilicet prætendunt obstructionem mensium, & gravidæ existentes intendunt fœtus deturbationem; licet enim, nisi dispositio adsit ad abortum, frustra sæpe decoctum sabinæ ac purgantiaque hauriant; attamen id contra conscientiam est, neque in casu dubio ultra martialia & aperientia moderata adscendendum est. Non danda item gravidis nimis calida, sanguinis rarefactionem urgentia: uti enim gravidæ tali rarefactione & fermentatione præternaturali, seu febribus ardentibus correptæ, utplurimum menses præternaturales & consequenter abortum, pati solent: ita longè minùs id medicamentis est

est intendendum: quæ ipsa quoque est ratio, quòd ipsis purgantia minus conveniant.

2. *Menses moventia nisi justo tempore adhibeantur, nil juvant.* Alia scilicet in hoc ratio est eorundem, quàm purgantium, emeticorum, & diaphoreticorum; nam præter vias & sanguinem ipsa natura seu archeus fluxum hunc principaliter efficit & dirigit: hinc sequendus est in promotione eorum hujus ductus: adjuvanda est, impedimenta removenda. Hoc in casu, quoad tempus, duo notanda in praxi: aut enim jam fluxerunt, aut nondum: si *hoc*, tempus eligi solet & debet conjunctionis ☉is & ☽æ: utut enim experientiæ non respondeat vulgatum illud:

Luna vetus vetulas: juvenes nova luna repurgat;

attamen ex eo non sequitur, lunam nihil conferre, cùm conferat utique quàm maximum, & uti humorum est dominatrix quadris suis, inprimis novilunio oceani microcosmici æstum excitat: de hoc tempore inter alios legi potest *Rulandus pract. empir. cap. 1. pag. 152.* Sin *illud*, quærere debet medicus quo tempore alioqui fluere naturaliter consueverint: valet enim, ut aliàs in medicinâ, ita & hoc loco: *In tempore dare medicamenta, optimum.*

4. *Non sola aperientia, non sola pellentia ex usu sunt promiscuè.* Vidimus aliquoties enormiter in hoc peccasse mulierculas & medicos, qui decocta emmenagoga, imò olea destillata juniperi, sabinæ, spiritum salis ammoniaci & similia toto die & indifferenter propinant, specifica hæc putantes, quæ ab autoribus pro probatis venditantur; cùm tamen illa maximè pro talibus sint habenda, quæ huic vel illi indicationi specialiori satisfaciunt.

5. *Optimum ergo est, præmittere aperientia, subjungere pellentia, tùm interna, tùm externa.* Sic egregio strategemate ante consuetum & ordinarium tempus per unam vel alteram septimanam propinantur aperientia, humectantia, digestiva, præparantia. Imò ipsa purgantia, & V S. in quibus cardo rei vertitur, alio tempore non instituenda: quod si fiat, frustranea & inefficax omnis erit curatio.

6. *Quæ menses movent, eadem & fœtum promovent,* & adeò talia non tam audiunt aperientia generalia, quàm specialia & rarefacientia. Inprimis verò operantur, ut seorsim quædam de ijs addamus, quatenus vel *confortant* naturam, unde vini, vini Malvatici haustus prodest, & cordialia paullò volatiliora, aromata omnia: vel *stimulant*, & motum citatiorem reddunt, eaque tùm *aquea*, volatilitatis non omninò expertia, qualis est ▽ pulegij: vel *emollientia*, ut ▽ lil. alb. vel *diuretica*, unde emulsio seminis li hospermi, violarum, cum aquis appropriatis huc spectat: tùm *oleosa*, ut ☍ succini, succinum quoque ipsum: tùm *salina*, quorum agmen ducit borax Veneta, unde Lucina titulo secreto quibusdam audit: vel *mitigant* & *nervosum genus solantur*, cujus irritatio dolorifica sæpe difficiliorem partum reddit: unde huc eximiè spectant cinnabarina, & notabilis de specifico cephalico exstat historia apud *B. Langium misc. cur. tit. 32. pag. 97.*

7. *Partum facilitantia propriè dicta non nisi instante fœtu, & naturâ juvaminis indigâ propinanda:* ad quod pertinet non solum 1. tempus novem mensium, seu dierum 280. legitimè elapsum; verùm etiam 2. dolores partus veri, 3. quod omnium palmarium est, partus instans ipse, qui nisi approximet portæ, & apertura seu hiatus jam se panderit magis, frustra est, non agentem naturam irritare ac solicitare, unde scilicet ipsa benè hactenus agens pervertitur, ut sæpè intempestivè fœtum ejicere tentans, stimulo scilicet hoc addito vitiosam ipsi figuram conciliet, & partum præter naturam difficilem inducat: uti aliàs quoque ipsæ obstetrices in hoc plurimum delinquunt, dum citiùs, quàm par est, hortantur, stimulant, pellunt, & in sellam parturientes collocant.

8. *Fœtus mortuus & secundina retenta fortiora stimulantia ferunt*, qualia inprimis sunt sulphure acri fœtido pollentia, quo nec ipsi testes equi carent, licet non æquè promtum sæpenumerò auxilium ferre observentur. Externa verò partum promoventia nisi prædictis intentionibus sint conformia, vel adstrictione abdominis ad exclusionem solicitent musculos, iisque hoc pacto robur quasi concilient, plurima sunt superstitiosa. Notandum verò est.

9. Quòd *eodem casu utroque, præter alia præsidia chirurgica, putredini tunc maximè obviam eundum sit*, quatenus miasma illud putridum ab ijs exhalans cor ferit, & febrim excitat satis periculosam, & tantùm non lethalem, unde conveniunt tunc balsamica putredini maximè resistentia, myrrhata inprimis, unde essentia myrrhæ cum ♎u tartari, item elixir proprietatis eo nomine satis sunt celebria: nec ipsa bezoardica sunt excludenda.

10. *Menses cientia lac non augent*; sunt enim & indicationes contrariæ & motus oppositi, de quibus videatur *Langius t. cit. tit. 19. pag. 46.* qui negativam hanc latius tuetur & exemplis ac rationibus propugnat. Utut verò in contrarium adduci possit, experientiâ teste, simul stare possint mensium fluxus, & lactis præsentia, & quædam communi quasi consensu medicorum, exemplo fœniculi utrumque expediant; nihilominus tamen si thesis intelligatur de propriè dictis, penetrantioribus & pellentibus fortioribus, vera est & fundamentum in re habet. *Wedelius.*

EMOLLIENTIA.

Considerabimus facultates medicamentorum *emollientium*, & quidem præfixo hoc ad praxin usu, ut dicamus præcipuè 1. de *modo agendi*, 2. de *materiâ medicâ* ipsâ, *de modo adhibendi* eadem utiliter.

Quoad agendi igitur modum dicendum est, *quænam sint & dicantur emollientia?*

Dicuntur μαλακτικὰ seu *emollientia* à *fine* & *usu*, quæ id, quod vel durum est, vel tensum, siccum & concretum, emolliunt, laxant, fluxileque reddunt, adeoque licet eximiè prosint illi, quod concretum est; attamen latius patent.

Unde affinia sunt emollientibus, & sub eodem titulo non injustè memoranda, *maturantia*, seu *suppurantia*, & *digerentia*, ac *laxantia*, quæ quasi sunt species emollitionis ipsius.

Indicans emollitionis ergò per jam dicta sunt in genere latè sumtâ voce, I. *dura*, in specie *sicca*, id est, quæ ab humore deficiente talia evasere, quod autores communiter vocant *durum ex siccitate*, ut calli clavi, feces alvi induratæ, in colicâ, passione iliacâ, partes squalidæ & atrophiâ laborantes,

Notandum verò, intelligenda hoc loco propriè sicca 1, *Moderatè talia*, sive sint cum concretione, sive sine illâ: Sic os & calculi propriè loquendo non dicuntur emolliri, licet in gibbi principio emollientia sæpe utiliter adhibeantur.

2. Debetur hæc siccitas tùm viis, tùm poris, tum ipsi materiato, substantiæ humidæ vel solidæ, ut ex sequentibus magis patebit.

Hinc conveniunt emollientia in dictis casibus, v. gr. clavi pedum optimè tolluntur emollientibus: obstructio alvi & consequentia tormina optimè cedunt iisdem: partus facilitatur balneis, & si difficilis fit, ob vias squalidas, optimè juvatur lubricantibus; calculi exitus balneis etiam & unguentis commodè promo-

promovetur. Cutis melancholicorum dura seu squalida, & atrophiâ laborantium, laxatur feliciter balneis, &c.

Porrò II. emollitionem exposcunt *tensa*, quando fibræ partium tensæ laxari desiderant, quod occurrit v. g. in inflammationibus, ut furunculis, tumoribus, potissimum sanguineis, doloribus, hernijs, apostematibus, quod vocant autores *durum ex repletione* seu *plenitudine*.

Hinc emollientia locum habent in tumoribus per ῥευματισμὸν *& affluxum* humorum subitaneum, præcipuè à sero & sanguine oriundis, v. gr. glandularum & apostematum: hinc adhibentur in tumore tonsillarum, glandularum in inguine, ponè aures, &c. sive, ut ablatâ tensione in vasa remeet & discedat materia, adeoque tumor dissipetur, quo casu, verbis *Galeni l. 5. de simpl. med. fac. c. 7.* quod congelatum est, fundunt, & sensim per halitum digerunt: Sive, ut, quæ impacta fortiùs est, suppuretur. Sic tumor etiam mammarum à lactis distendentis copiâ optimè cedit emollientibus, v. gr. emplastro diachylon, de spermate ceti Mynf. &c. quin si cedere nolit, nec discuti iisdem paullò auctis & mutatis ad suppurationem deduci tumor potest, v. g. si farina sem. lini cum melle oleoque subacta & emplastrata imponatur: quod ipsum etiam remedium vulgatissimum est in tumore inguinum & alijs.

Sic in doloribus nephriticis, pleuriticis, imò ipsis etiam podagricis conveniunt emollientia; adhibitâ tantùm distinctione, quæ quibus applicari vel possint, vel debeant, quæ verò minùs; blandâ enim suâ vi poros demulcent, & sensum tristem mitigant, usumque in doloribus à distensione sedandis habent nobilissimum, unde & apud *Hippocratem* τὰ ἀλγήματα μαλάσσεσθαι *dolores emolliri*, pro remittere, dicuntur.

Sic & in dentitione faciliorem eruptionem dentium conveniunt. Sic in hernijs prolapsa in scrotum intestina fotibus & linimentis optimè in locum pristinum, abdomen, redigi queunt, quâ ratione aliquoties hernias jamjam incarceratas ferè, & ileum minantes, restituimus.

Sic in abscessibus rumpendis unicâ prosunt emollientia, quæ aucto paullò caloris gradu per emplastica, seu poros obviscantia, suppurantia magis audiunt.

Denique III. indicant emollientia talismodi etiam *tartarea*, *coagulata*, quod autores, v. gr. *Fernelius*, *Pernumia*, *Heurnius*, &c. vocant *durum ex concretione*, seu congelatione vel coagulatione, quæ scilicet ex pituitosis & crassis lentisque humoribus prognati sunt, non item ab humore atrabilario, ut cancrosa,

Hujus rei exemplum præbent scirrhi, v. gr. lienis vel hepatis, item tophi podagricorum, & tumores per συναθροισμὸν collecti, ut atheromata, melicerides, scrophulæ etiam ipsæ ac strumæ.

Juxta hæc itaque indicantia moderandum etiam est indicatum, quod sunt simplicia & composita medicamenta omnis generis, & quidem in genere moderatè *Calida & humida*. *Humida* quidem, ne dissipetur per poros; sed corrigatur siccitas, laxetur tensum, diluatur concretum. *Calida* verò, ut contemperetur una materia, & quasi coquatur, vel saltim roboretur calor nativus, & ut humor eò melius penetret. Uti enim frigus indurat, ita calor auctior discutit. Idque primo potissimum & secundo gradu.

Notabimus hîc, ut modô quoque monuimus, non differre ab his emollientibus *suppurantia* ratione *efficientis proximi*, quod utrobique est calor nativus, neque ratione *adjuvantis* quod sunt medicamenta, quæ omninò conveniunt, ut ovum ovo: sed potissimum ratione *materiæ* ipsius & *subjecti*: quæ enim à siccitate indicant emollientia, quæ item à tartareâ concretione, non facilè ad suppurationem perducuntur, id quod saltim in paucissimis valet & rarissimè; sed, quæ à tensione dura sunt, ad utrumque sunt disposita, & inter hæc potissimum quædam, v. gr. inflammationes ad suppurationem & abscessum perduci gestiunt.

Utut verò *Galenus lib. 5. 5. de simpl. med. facult. cap.* 8. emollientia in hoc à pus moventibus differre scribat, quod emollientia sint calidiora & ficciora; hæc verò calorem quidem corporibus similem fœnerent, humiditatem tamen in eis exsistentem servent; attamen id universaliter non concludit, sed, uti diximus, id omne à materiæ dispositione & sequacitate dependet.

Suppurantia hinc magis sunt emplastica, quando scilicet digeri & difflari materia renuit, ut aucto hoc modo calore coquatur, seu πεπασμὸν acquirat, statum naturali quidem non similem tamen convenientiorem.

Idem valet & de digestivis, quod enim suppurantia sunt ante maturationem aliquam & aperturam abscessus, id sunt digestiva post illa ipsa, quæ nempe suppurationem continuant, in ulceribus & vulneribus promovent, adeoque unâ, quod ajunt, fideliâ duos dealbabimus parietes, seu hæc sub illis comprehendemus. Neque enim opus fuerit, illa divellere, & seorsim tractare, quæ in praxi ad unum eundemque scopum collimant.

Hinc in genere certum est, & ex his afficitur, 1. Emollientia, maturantiâ & digestiva adjuvare naturam, corrigendo vi contrariorum excessum vel defectum. 2. Uti verò universaliter medicamenta debent esse proportionata calori naturali partis affectæ, tùm internè, tùm externè, ita etiam idem valet de emollientibus maturantibusque, quæ gradibus & agendi modo determinato discriminantur, quod ex ipsorum consideratione magis patebit.

Sunt enim emollientia 1. *Tepida*, illa enim blando calore & humore apprimè gaudent, unde etiam quoad applicationem ipsorummet præstat adhibere calida humida actu, vel tepida, i. e. in quibus calor & humor sunt moderata, hic vero illum præcellit; ita emolliunt ipsa aqua calida, balnea, clysteres, fotus, inprimis ex lacte, &c.

2. *Mucilaginosa*, radix althææ, tragacantha, farina lini, fœnigræci, emplastrum diachylon simplex & compositum, seu è mucilaginibus: illa enim, ut suprà innuimus, sunt eminentiùs humida, seu cum majori ἐνεργείᾳ illam efficaciam partibus conciliant, & calorem simul humiditati huic quasi immergunt, ut fortiùs agere possit.

3. *Emplastica*, ut mel chamæmelum, terebinthina, cera, &c. quod in emplastris omnibus huic fini debitis valet, ut in empl. de meliloto. &c. quæ ipsa suppurationem non promovent, nisi apta ad id sit & inclinet materia.

4. *Pinguia & oleosa*, tùm *magis humida*, ut lac, oleum lini, amygd. dulc. chamæm. Rom. lumbrici hyoscyami; tùm *minus*, ut butyrum, adeps item omnis, præsertim recens, & pinguedo gallinæ, leporis. Habent hoc chirurgi pro arcano in abscessu rumpendo & aperiendo, ut axungiam hanc, si signum adsit suppurationis, bono cum affectu applicent: item *sulphurea mitiora*, ut crocus.

His omnibus stimulum quasi addunt 5. *salina*, aqueis vel pinguibus immersa, unde plantæ emollientes ferè omnes gaudent partibus nitrosis, abstergentibus, eoque ipso magis sê commendant.

Omnia adeò hæc, quâ emollientia, gaudent humore quodam magis vel minùs implicito.

Verùm gradibus differunt omninò: cùm enim diversa

diversa sint indicantia, variare etiam oportet indicata. Ut enim hâc in parte sequamur *Fernelium, lib. 6. meth. med. cap. 6.* ubi elegantissimè de emollientibus hisce agit: In quibus præpollet humiditas præ caliditate, illa mitissimè, & quasi primo gradu emolliunt, & debentur duris ex siccitate, ut herbæ emollientes, oleum simplex.

In quibus verò calor moderatè superat humiditatem, sive quæ paullò calidiora sunt & tenuia, magis jam emolliunt, & quasi secundo gradu, quin rarefaciunt simul. Sunt enim hæc similia caloris partis temperato, & hæc καθ' ἐξοχὴν dicuntur & propriè, *pus moventia.* Vocat ea aliàs *Galenus* χαλαστικὰ, seu *relaxantia*, sicca primo, vel etiam principio secundi gradus, v. gr. chamæmelum, caricæ, adeps suillus, lilium, &c. Et hæc debentur tensioni, & pleraque simul sunt paregorica, quæ ipsa quoque sub hâc classe contineri queunt.

Quæ verò adhuc calidiora & tenuiora sunt, secundo v. gr. vel tertio gradu, sicciora, quàm humida, illa & emolliunt & resolvunt simul. Tertia enim classis tumorum durorum, frigidorum, uno verbo, concretorum, ubi siccitas est gravior, requirit non solùm emollientia, (quippe debiliora,) sed & resolventia, acida, acria, quasi stimuli loco, & incidentia simul, quæ addenda vel interpolanda sunt emollientibus, inde enim fortius operantur. qualia v. gr. sunt gummata, ut gummi Ammoniacum, styrax, galbanum, bdellium, præcipuè recentiora, quæ in scirrhis &c. conveniunt.

Notandum etiam, *tumores* alios esse *calidos*, qui indicant modicè calefacientia, & humectantia primi vel secundi ordinis: alios *frigidos*, qui & tardiùs maturantur, si maturari possint, & sæpe non tam in pus ipsum laudabile, quàm materiam puri analogam mutari queunt, & hi indicant medicamenta calidiora.

Patet hinc, *usum* emollientium esse vel *internum*, vel *externum*: *internus* ubi abstergendum est, minus, *externus* magis usualis. Quæ enim pro interno simili effectu adhibentur, magis lenientia, lubricantia; vel resolventia audiunt. Neque etiam pro internis abscessibus tàm sola emollientia dare licet æquè, quam resolventia. Sic olei amygdalorum dulcium virtus in varijs apostematibus, in pleuritide, in colicis & nephriticis doloribus & aliàs laudatissima est. Externus verò vel emolliendi, vel suppurandi, vel digerendi, vel resolvendi & emolliendi fine simul frequens est.

Quoad *modum adhibendi* & *formam remediorum* externam, quâ emollientia adhibentur, potissima sunt *cataplasmata, linimenta, unguenta, emplastra, fotus* cum lacte v. gr. *balnea*, &c.

Pertinent huc quoque clysteres, quorum materia quasi prima & communis sunt emollientia, & speciatim ubi feces sunt induratæ, cum vel sine alijs carminativis, digerentibus, paregoricis, de quo suo loco.

Inprimis verò emplastra & cataplasmata emollientia conveniunt; in rebellibus tamen ferè plus efficimus emplastris, quàm cataplasmatibus, quæ facile frigescunt, & hinc materiam sæpè repellunt. Et hæc magis ferè præ reliquis ad maturationem, reliqua magis ad discussionem materiæ adhibentur. Cataplasma tale facilè fieri potest, ex radicibus *althææ, lilior. albor. herbis 5. emollientibus, floribus malvæ arbor. chamæm. melil. farinâ sem. lini, fœnigræci, caric. pingu.* &c. in s. q. *lact.* ad putrilag. coctis & applicatis calidè bis vel ter de die.

Restat, ut, ubi minùs conveniant emollientia, seu laxantia, cautelas addamus.

Gavendum 1. in genere est, in molliendo, ne exsiccando induremus; sed proportionata addamus singulis indicantibus indicata seu medicamenta.

2. Emollientia & suppurantia quidem ipsi parti affectæ debentur, non negligendum tamen simul est totum, sive purgationem efflagitet, sive per sudorifera aliaque media alterationem.

3. In specie non conveniunt emollientia tumoribus atrabilarijs, qui acrimoniâ gaudent salinâ, instar ☿-ri, unde aureum monitum est *Galeni l. c. de simpl. med. facult. cap. 9. cancrum & cancrosos tumores ab emollientibus medicinis exasperari*, magis enim hoc modo dilatantur pori, ut & affluxus humorum procuretur, & acrimonia corrosiva latiùs expandatur, cùm neque coqui, seu ad πεπασμὸν deduci, adeoque tunc putredinis auctrix est & parens mollificatio. Elegans hanc in rem, sed triste, exemplum videri potest apud *Wierum in obs. p. 95. seq.* & alia videas non rarò tumorum genera, quæ occulta, seu non aperta leviora erant, ab adhibitis verò emollientibus pinguibus exacerbantur mirum quantum, & occultum virus in apricum hinc eructant.

4. In mammillarum fissuris vitanda esse emollientia & laxantia, ut summè noxia, annotat *Rhodius analect. p. 6. 7.* humidiores enim papillæ sunt naturâ, ideoque leniter potiùs exsiccantia requirunt fissæ.

5. In pulmonum affectibus externè etiam cautiùs mercandum est cum emollientibus, ne tonum laxemus, & aptiores eosdem reddamus, ad recipiendam fluxionem.

6. Ubi materia tenuis est, subtilis, & difflari apta, ibi emollientia, potissimùm emplastica, poros occludentia non conducunt, ut in erysipelate. *Wedelius.*

EMPASMA, vid. *Cataplasma.*

EMPETRUM.

Empetrum planta est saxis increscens cujus duæ sunt species, quarum, una sub ericarum genere à Casp. Bauh. Clusio & cæteris reponitur; alia verò *Anagalis* Dioscoridis Amato reputatur. Utriusque fructus febricitantium siti sedandæ aptus creditur.

EMPHRACTICA,

Emphracticum, obstruens, infarciens; idem quod ἐμπλαστικὸν, est viscosæ vel terrenæ naturæ, mordacitatis expers, & corpori applicatum tenaciter adhærens.

EMPLASTICA.

Emplasticum, idem est quod ἐμφρακτικὸν, de quo mox.

EMPLASTRUM.

Ut ad emplastra duæ potissimum occasiones fuerunt invenienda (1.) *commoditas gestationis*, quod citra aliam quasi curam commodè applicentur; (2.) *asservationis*, neque enim facilè, quod eorum naturæ repugnat, antiquitate corrumpi solent, præter siccitatem, facilè corrigendam; ita quoque præ alijs topicis eorum notio ad se nos vocat.

Nomen habent ἔμπλαστρα ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν, *à fingendo*, ut plura alia topica & interna ab utendi modo seu τρόπῳ τῆς χρήσεως nuncupata fuerunt.

Cum verò hic ipse paulò latius pateat, hinc & à varietate tum ingredientium, tum consistentiæ, tum alijs, nomina plura enata sunt, quæ sub eodem titulo meritò comprehenduntur.

Quid enim aliud sunt *cerota*, vel *cerata*, vel *ceronea*, quàm emplastra molliora & ceram pro excipienre potissimo agnoscentia; ut adeò ceu porisma hinc pateat, alia

alia emplastra esse molliora, alia duriora, seu alia spissa magis, alia minus, alia firmius, alia debilius adhærere, quæ speciem non variare in confesso est, unde nec opus est, seorsim de ijs disquirere.

Quid aliud *dropaces & picationes*, quàm emplastra picata, tum alijs usibus, tum attrahendi & resolvendi, inprimis, in emaciatis & resolutis seu paralyticis membris, fine adhibita, licet ipsa paulò rariora?

Quid *tela emplastica* seu *cerata*, quàm emplastris liquidis mediante calore compendiosè imbuta linteamina, *Durchzuge, Wachstucher*, seu roborandi, seu exiccandi & detergendi fine adhibita? Notabilis aliàs est horum appellatio, quod *sparadrapum, sparatrapum*, *vel spanadrapum* quoque audiant. Usitatius tamen est prius illud, quod juxta nonnullos exindè nomen traxit, quod pauperes, qui his ferè utantur, parcant sumtibus, quos alioquin facerent in coëmendos pannos, alterâ tantum sui parte oblitos, idipsum tamen non tam ob pauperes, quàm ob utendi commoditatem est inventū.

Definiri potest emplastrum *medicamentum topicum spissum, corio vel linteamini inductum, pro firmiori adhæsu & variis usibus corpori applicandum.*

Spissum quidem est, seu *viscidum, glutinosum, balsamicum*, unde adhærendi vi pollet, in quo ipsi cum unguentis & cataplasmatibus ex parte convenit, ast differentiam specificam in eo sortitur, quod cohæsio hæc particularum longe sit arctior, ut hinc diduci, extendi & dispergi queat in linteamen, idque citra humiditatem unguinosam vel aquosam, quod porrò ex materiâ patebit.

Constituunt enim principaliter horum *Materiam emplastica seu resinosa & gummosa*, adæquate alia cum his in unam massam coaptanda & conformanda aquea, terrea & alia post dicenda, quippe quæ inviscari itidem, licet quâdam difflatione prævia, ut aquea, cum illis facilè possunt, ut hinc instar regulæ hic valeat, quæcunque in unguenta compingi queunt, eadem & in emplastra aptare licet, idque facili admodum negotio. Si enim unguentis dupla circiter proportio ceræ addatur, fiunt cerata, si terebinthina, resinæ &c. simul, perfectum emplastrum, atque adeò horum invicem pro ceræ vel similium aliorum additione facilis admodum est permutatio.

Operæ hîc pretium fuerit lustrare diversitatem hanc & variationem paulò penitius. Sic enim emplastrantur tum

1. Ipsæ *resinæ & gummata tum sola*, uti v. g. resina tacamahacæ in defluxionibus catarrhalibus, dolore capitis, dentium &c. liquidiuscula, vel in mortario calido contusa & aliquatenus liquata, temporibus linteamine excepta applicatur, firmissime adhærens. Sic gummi galbanum etiam solum in tumoribus varij generis, in affectibus hystericis, in varis, in clavis, resolvendi & emolliendi fine emplastri formam constituit, ut alia taceamus. *Tum inter se mixta*, ut v. g. ex cerâ & terebinthinâ leni calore confluentibus particulis, emplastri forma facillimâ ἐγχειρήσει potest demonstrari. Novimus, qui in fonticulis tractandis parcendorum sumtuum causâ, solo hoc commodè utuntur emplastro. Et hæc duo, cera & terebinthina, quasi anima sunt emplastrorum vulgarium & excipiens communissimum.

2. Fiunt & emplastra ex *resinis & pulveribus*, uti v. g. ex pice & sulphure communi emplastrum factum in dolore ischiatico & alijs similibus profundis profuisse novimus. Par ferè ratio fuerit, si resinis talibus puris vel terebinthinam & ceram, vel emplastra adeò ipsa jam efficta, substituamus, de quo post. Sic ex cantharidibus cum cerâ & terebinthinâ simplici modo, ast insigni cum utilitate, conflunt emplastra vesicatoria. Sic etiam ceram ceritem rubram vel viridem emplastri formâ quandoque in clavis applicant quidam.

3. *Ex resinis, pulveribus & liquidis aliis*, v. g. vel succis expressis, vel mucilaginibus, vel oleis & pinguedinibus quæ singula calore mediante uniri gestiunt, ex quorum genere inprimis emplastra composita & officinalia plurima sunt.

4. Olea quasi media sunt, unde non solum *ex oleis solis*, coctione inspissatis consurgunt emplastra, uti vernix illa communiter dicta hoc pacto constat, & sunt, qui hoc pro arcano tenent: verum etiam *ex oleis & cerâ* fiunt cerota, qualis ipsa est decantata illa *cera catholica Burrhi*, ubi olea destillata plura cum cerâ albâ & alijs commiscentur, licet id itidem non æquè frequenter occurrat. Item frequentissimè *ex oleis & pulveribus*, præcipue qui mucilaginem & cohæsionem quandam latentem & hinc explicandam secum continent, quo loco maxime laudanda veniunt saturnina, i. e. ex lithargyrio, minio, cerussâ constantia, illa quippe vel solâ oleorum mixtura l. a. instituta in emplastra fatiscunt, uti v. g. ut taceamus laudatissima id genus alia, ex solo lithargyrio, præsertim cum aceto insuccato, cum oleo v. g. lini vel rosato fit emplastrum elegantissimum & insignis utilitatis.

5. *Electuaria* quoque *opiata*, licet aliquantò improprie, si quis id urgeat, emplastra constituunt. Sic quid communius est, quam in agrypnijs theriacam recentem, vel Philonium Romanum linteamini commodo serico nigro inunctum temporibus & pone aures applicari? Sic in dysenteria & torminibus ipsa vel sola emplastrata theriaca, vel, ex præcepto aliorum, cum croco ♂tis astringente, terra, sigillata, remixta, vel juxta nostram praxin, cum oleis carminativis, egregie, crebriori nostra experientia, prodest. Quo loco meminisse lubet nonnunquam loco ceræ recipi mel, eadem circiter proportione.

6. Usitatissime præscribuntur *emplastra jam in officinis usitata* & extantia, cuique parti, affectui & intentioni appropriata, tum seorsim, tum conjunctim, eaque vel sola accessione olei alicujus commodi malaxanda, vel quoque pro re nata novi ingredientis unius vel plurium additione augenda; & id quidem tantò facilius, quò plura jam apparata dantur in omnes quasi casus, unde & decomposita emplastra frequentiora sunt de novo componendis & præparandis.

Adeoque rei eò redit summa, quod emplastra fiant vel ex homogeneis meris, vel heterogeneis coadunendis, utrobique præsupposita emplastica viscedine, quæ reliqua secum incorporet, sive simplicia, sive composita. Homogenea primariò, heterogenea secundariò & refractè magis ingrediuntur, & id quidem non sine *Cautelis*, siquidem.

1. *Homogeneitas maximè in emplastris laudatur*, non solùm quoad liquanda invicem; verùm etiam incorporanda. Hinc pulveres immiscendi subtilissime debent per setaceum esse creti, ne sui vestigium relinquant, vel inæqualitatem quandam emplastro concilient. Hinc

2. *Gummata*, ut ammoniacum, sagapenum, opopanax, galbanum, *aceto solvenda prius sunt*, ut & depurentur, & sordibus, quibus scatent, ablatis, magis uniantur, non minus quoque ab aceto penetrationem acquirant. Aliàs quippe, simul commixtis omnibus, facilè consurgit inæqualitas. Omnia quippe heterogenea, quæ minus possunt in unum coalescere, minus recipienda, quia cohæsionem impediunt. Sin pura sint jam per se, licet & benè pulverata illa sensim addere.

3. *Salia minus emplastris addenda*, quippe particularum volubilitati, viscedini & homogeneitati paulò magis sunt contraria, intellige alcalia potissimum. Alcalina verò absorbentia, in specie mineralia & metallica, præ omnibus emplastris jungi amant, ut lapis calaminaris, cerussa, &c. quæ ipsa hinc sunt laudatissima & optima, partis quippe temperiei, & absorbendis ac demulcendis humoribus unicè accommoda.

4. *Quò magis concentrari possunt ingredientia emplastrorum, eò melius est.* Sunt enim maxime diffusiva sui, unde si parum virtutis obtineant, minus quoque se commendant. Hinc pulveres vegetabiles foliorum, plantarum, seminum, lignorum, ceu magis corporeorum, & minus subigendorum in homogeneam massam, non tam sunt usitati, sed frequentius & usitatius succis suis expressis hunc censum ingrediuntur, quàm substantiâ, vel saltim, in quibus id non licet, ut ut non omnia viridia haberi queunt, vel non benè exprimi, prius decoctione extrahenda & inspissatum hinc χύλισμα miscendum. Radices verò & farinæ magis per se recipi consueverunt, utpote intentioni aptiores.

Ut ergò *Forma* emergat concinna & σύςασις duriuscula, adhærere & illini apta, præsuppositis jam dictis ingredientibus, maximè attendendum est, ut quæ corporaturam largiuntur, ubi ceram & terebinthinam diximus sæpius concurrere, tum inter se invicem, tum respectu immiscendorum benè sint proportionata.

Hinc in genere 1. *quò minus olei recipitur, eò plus ceræ, & quò minus ceræ, eò plus olei.*

2. *Quò minus tenacia ingredientia seu explicitè, seu implicitè, eò magis utraque oleum & cera recipienda sunt.*

3. Porrò, inprimis si simpliciter arida sunt excipienda, *excipientium ceræ & terebinthinæ semp r debet prævollere quantitas,* si non pondere & mole, tamen extensione & virtute, aliàs quippe non cohærebunt.

4. *Quæ incoqui possunt,* ut olea, succi, pinguedines *medio modo se habent*, & in ijs addendis minus respectivè errari potest. Quæ verò per se liquata emplastri formam acquirunt, alio excipiente non opus habent, unde frustrà fuerit, gummatibus ceram & terebinthinam præterquam in subsidium quasi jungere.

5. Neque enim excedendum in hisce est excipientibus, siquidem corpus quidem largiuntur, sed virtutem, ceu animam dispersam sistunt, adeoque minus sunt efficacia, unde culpandus est mos ille, qui vulgò apud nonnullos inoluit, ubi ab ℥j. aridorum jubent mediorum, olei, pinguedinis vel mellis ℥III. ceræ ℔I. resinæ ℥VIII. recipere, quæ sanè proportio planè est inconveniens, sufficit enim, prout consistentia expetitur magis vel minus dura, ad ℥ß. seu partem unam pulveris ceræ duplum, vel paulò amplius, olei duplum, vel plus minus circiter recipere. Quin cum terebinthina sit mollior, parcius etiam addenda est, unde cum hoc admodum variet, & maximâ gaudeat latitudine, usitatius addi solet, ceræ & terebinthinæ q. s. Neque enim, præterquam in valentioribus & δεϱστικοῖς, dosin seu pondus tam accuratè in externis, ut in internis, attendi opus est. Emplastra emollientia aceti additionem respuunt.

Notabilis verò est hîc fiendi *modus & ordo.* Quoad illum, fiunt emplastra vel *cum igne*, qui liquat & unit commiscenda, vel *sine igne*, simplici inceratione, *einbeern* vocant, seu malaxatione, idque pro ingredientium molliorum vel spissiorum aliorumque diversitate, ut v. g. cantharides pro empl. vesic. facilè alij emplastro jungi possunt. Præstat tamen semper in priori modo ignem lenius moderari, neque diutius quàm par est liquatam & confusam jam massam in eodem detinere, siquidem non solùm in volatilioribus quibusdam, ut camphorâ, v. g. cantharidibus, &c. vis expirare potest; verùm etiam, quod vitium frequenter accidit, coctione nimis indurantur, ut illinitioni hinc penitus inepta evadant, & fragilia sint potius, licet additione olei, vel ceræ novâ id ex parte aliquando corrigi possit.

Hinc & circa hanc ἐγχείρησιν opus est, ut ordo observetur in emplastris extemporaneis seu noviter miscendis, qui consistit in tribus, antecedenti, operatione ipsâ, & consequentibus. Præsupposito igitur necessario apparatu, *liquida primum evaporanda sunt,* siquidem unà recipiantur, ut acetum, vinum, succi, quo & ipsa inspissatio oleorum referri potest, ita enim concorporari possunt commodè, & hinc coctione tunc longiori paulò opus est.

Deinde *liquabilia sunt fundenda,* cera, terebinthina, gummata, resinæ, pix &c. *& non liquabilia,* sicca *immiscenda*, leni accedente motione, ut per minima undique & undique fiat mistio.

Factis his duo in consequenti possunt observari, alterum magis necessarium, alterum secundum quid. Hoc nempe est *colatio,* quæ locum habet egregiè, si soli succi cum oleo, & resinis in emplastrum coëant, seu si ex meris constet liquabilibus, tunc enim ad splendorem & puritatem maximè facit si liquata omnia colentur per linteamen, ut feces secernantur, quale exemplum præbet empl. de hyoscyamo, Illud est *in magdaleones formatio*, siquidem effusâ jam materiâ, addito pro re natâ aqueo liquore, ut magis firmetur, & hinc parum olei in cylindricos glomos efformantur, quos magdaleones vocant, *zapfen, rollen,* Germanis, in præsentem & exigentem usum asservandos.

Posterior modus, ubi sine igne fit incorporatio, magis locum habet in emplastris jam compositis, ubi si nulla alia, vel saltim non multa, non arida &c. ingredientia, adduntur nova, contenti sumus solâ malaxatione, id est, emollitione, siquidem successu temporis exarent, & exsiccata non bene adhærent, cui occurritur additione olei inprimis, ut pars necessaria humiditatis balsamicæ restituatur, licet & aquâ calidâ vel ad calorem lenem id quandoque præstare liceat. ♃. empl. appropr. malax. cum oleo &c, Sin minus id possit fieri, consultum est, lenem calorem in subsidium vocare, prout vel simplex emollitio, vel penitior mixtura requiritur. Et utroque hinc modo apparata emplastra asservantur communiter in vesicâ & chartâ, vel chartâ inceratâ.

Emplastrum catarrhale in dolore Dentium.

♃. *succin. tacamah. vernicis, mastich. ladan. storac. calamit. an.* ʒj. *balsami Peruv.* ℈j. *ol. ros.* s. M. f. empl. ad tempora.

Cephalicum.

♃. *Empl. de beton.* ℥ß. malax. *ol. momord.* q. s. M.

Somniferum.

♃. *Philon. Rom. requ. Nicol. an.* ʒj. D. in pyx.

Pectorale.

♃. *Empl. diasulph. Ruland. de meliloto an.* ℥ß. *ungu. dialth.* q. s. M. f. empl. extendatur super alutam & obduc sindone rubrâ.

Stomachale.

♃. *Empl. diaphœn. cerat. stomach. Galen. an.* ʒvj. *ol. nucist.* ʒß. *mastichin.* q. s. M.

Ad Vomitum.

♃. *Empl. de crust. panis* ℥j. *ol. nucist.* ʒj. *menth. Ωt. anis. carv. an.* gt. III. M. f. l. a. Emplastrum.

Ad Lienem tumidum.

♃. *Empl. de cicut. de hyoscyamo an.* ʒIII. *magnet. A. S.* ʒII. *ol. carm. Mynf.* ʒß. *appar.* q. s. M.

He-

Hepaticum.

℞. *Cerat. sandal.* ℥j. *spec. diagalang. diatrion. sandal. an.* ʒj. *olei Tartari fœt. rectif.* ℈ſs. *absinth.* q. ſ. M.

Matricale.

℞. *Empl. de galban.* ℥j. ⊖℞is ʒ ſs. *ol. carm. Mynsicht.* ℈ſs. *succin. gt.* II. *castor.* ℈j. *ol. castor.* q. ſ. M.

Arthriticum.

℞. *Empl. diapalm.* ℥j. D. in ch. & vesic.

Ad Parotides.

℞. *Empl. magnet. A. Sal. diachyl. an.* ℥ſs. *ol. scorpion.* q. ſ. *camph.* g. III. *M.*

Ad Perniones, Ulcera antiqua, Ambusta.

℞. *Empl. de sperm. ran. de lap. calam. an.* ℥j. *ol. rosſ.* q. ſ. M.

Ad ulcera antiqua egregium describit, idque saturninum emplastrum *Bauhinus l. de comp. med. cap.* 47. *pag.* 247.

Ad Herniam.

℞. *Empl. contr. ruptur.* ℥j. *sem. perfoliatæ, pulv. herniar. stypt. Croll. an.* ʒſs. *ol. momord.* q. ſ. M.

Sparadrapi exemplum est emplastrum de spermate ceti *Mynſ.* magni usus in lactis discussione, & rugis ventris post partum.

Quoad *Utendi modum* & applicationem præstat itidem selectum instituere v. g. 1. quoad *dosin* seu pondus totius compositi præscribendi, ubi nor. medium tenendum esse, ut in alijs quoque, utut enim quidam definiant id ipsum, & emplastra capitalia ad ℥j. stomachica, splenetica & uterina ad ℥II. hepatica ad ℥III. ad summum determinent, id quod ad exprimendum quantitatis gradum optime facit; nihilominus tamen sufficit, quantum opus est, saltim ordinare. Non tamen facilè infra ℥ſs. nec facilè supra ℥II. vel III. ascendimus, intellige ad præsentem usum. Alia verò res est emplastri usualis, ubi prò rei exigentiâ variationem licet instituere, prout vel pro usu officinæ, vel pro usu individuali fit ordinatio.

2. *Ratione affectuum*, externis principaliter, internis in subsidium ea præscribuntur, ita ut in illis primipili locum tueantur utplurimum, in his post principia fere stent. Præcipue verò in illis internis possunt præscribi, ubi morâ in applicando opus est, & parciori repetitione.

3. Quod enim hanc concernit, *alia aliis citius, alia tardius repetuntur, alia per vices.* Sic ex *Cornarij* consilio, emplastra stomachalia sub cibationis tempus commodius removentur, ut natura sibi vacare possit. Sic ulceribus vel vulneribus debita variant, pro puris majori vel minori quantitate, unde pro re natâ semel vel bis de die removentur, ut mundato ulcere consolidationi melius struatur fundamentum. Sic quæ fracturis ossium circumponuntur, quæ tenaciora & fortius adhærentia esse oportet, ordinariè non nisi post aliquot dies 3. 4. 5. removere, consultum est, quandoquidem fortius adhærent, & crebriori motu membri positum pervertere queunt. Notabile est, quod ordinariè emplastra in sanis partibus diutius gestata pustulas sensim excitant, cum levi pruritu, quod roridum sudorem & cum eo acorem remorentur, & cuticulam laxent. Vesicatoria operatione perfectâ, intra 5. 6. horas circiter removenda. Continuatur hic usus ad perfectam finis consecutionem, & quidem.

4. Applicantur emplastra vel *immediatè* vel *mediatè*. *Immediatè*, si spatulâ obducta linteamini ipsi loco affecto affigantur, quo in partibus vulneratis vel in unitate solutis absolutè opus est, in reliquis restrictè, prout vel magis penetrare debent, vel firmius revellere, vesicas excitare & alijs circumstantijs satisfacere. *Mediatè* verò in delicatis, & ubi odoretenus penetrare debent ac possunt magis, quod in affectibus stomachi, ubi scuta peculiariter audiunt, hepatis, lienis & aliorum viscerum valet. Obducuntur nempe sindone rubrâ, ut nitidam pellem nihilominus suaviter afficiant, tum cerota, tum etiam emplastra quandoque, levis enim est differentia.

5. *Locus applicandi* variat. Ubi enim dolor v. g. ibi morbus, & consequenter, illic emplastrorum locus est. Neque hic adeò variat à jam supra sub unguentis à nobis citatis latius. Sic defensiva emplastra circumcirca, & quidem magis ferè versus cor, apponuntur, in doloribus dentium, temporibus: in podagrâ, licet non æque feliciter semper, modo supra, modo infra partem dolentem affiguntur, febrifuga carpis, quale est *Strobergeri*, ab ipsomet discriptum *l. de febb. p.* 50. In capitis affectibus abraduntur prius pili, ut affigi & penetrare magis possint. Vesicatoria pone aures affiguntur; ut taceamus alia loca, jam suprà expressa.

6. Quin quoad ipsam *figuram* emplastrorum curiosi esse medici non sine ratione deprehenduntur. De quâ in genere tenendum, ipsam appropriari deberi membri ipsius commoditati; eliguntur hinc nonnunquam rotundiuscula, apta huic fini, nonnunquam magis quadrata, semiquadrata. In affectibus splenis oblonga instar splenis ipsius, vel plantæ pedis applicantur. Quæ mammis applicantur, in medio, ut papillis exitus pateat, debent foramine esse prædita. Commodam etiam experti sumus emplastrorum figuram quasi ovalem, præsertim in hypochondrijs applicandorum.

Circumcirca etiam vel inteum aluta discriminatur interpolatis scissuris, ut adhærere undique & hinc eo facilius auferri possit, citra magnam membri molestiam. Id quod etiam in medio locum habet, ut exitus puri pateat subtus collecto.

Denique 7. *ratione ætatis & virium* quoque notandum est, in infantibus & mollioris texturæ ægris quælibet mitiora & temperatiora requiri, uti v. gr. exemplum præbent emplastra contra fracturam, quæ non omninò ac universaliter tam firma, tam tenacia & adhæsiva debent esse in infantibus, fœminis &c. ac alias, uti eo nomine emplastrum contra fracturam *Würzij*, ex radice ulmariæ laudatissimum est.

Cavendum verò in his ipsis fortioribus, ne vel ipsa vel unà superaddita vincula nimis stringant membrum fractum, & adeò gangrænam inevitabiliter post se trahant, quod aliquoties observavimus. Hinc & in deligationibus harum fracturarum chirurgi accuratiores monent, ut spatium aliquod liberum relinquatur, *Lufft lassen*, vid. *Fel. Wirz. chir. l.* 2. *c.* 18. ratio est, ut vasa, venæ, arteriæ & nervi, quæ in hâc contusione non potuerunt non contorqueri, unà non constringantur, & hinc interclusâ spiritibus & sanguini viâ ad internecionem partis, seu νέκρωσιν, quæ ipse est sphacelus, conspirare cogantur.

Quod *usum* denique concernit emplastrorum, latissimus ille occurrit, præ omnibus ferè alijs topicis laudandus; κατ' ἄρσιν tamen

1. *Emplastra non purgant.* Inviscatur quippe acrimonia salino-sulphurea, ut minus penetrare possit, & si vis intendatur per euphorbiata, helleborina, colocynthiaca, non nisi refractè tamen cum intestinis vel massâ sanguineâ communicatur;

Hinc emplastra purgantia non dantur; quin in emollitione talismodi sæpè unguentis & linimentis cedunt.

2. *Emplastra minus refrigerant, seu refrigerandi fine rarius ordinantur*, cum enim inhæreant cuti tenaciter & diu, eamque foveant, & calorem subtus colligant, hinc tantum abest, ut qui ibi hæret, excludant, ut potius pororum occlusione adaugeant. Hinc emplastrum de spermate ranarum & album coctum unica quasi ex refrigerantibus sunt, quæ ipsa tamen magis respective id præstant, usúmque in pernionibus & intemperie partium aliâ obtinent. Hinc & in erysipelate emplastra minus in usu.

3. *Emplastra non agunt ultra sphæram activitatis suæ.* Hinc non ipsis solis, nec tutò semper fidendum. Hinc arthritidem non æque profligant, & in quo quidem chirurgi multum peccant, qui sæpè non ultra emplastra sapiunt, si dolor adest, si tumor, si defluxio, emplastrum statim applicant, cum tamen levi sudorifero vel alio modo potuisset displodi, quod p. n. collectum est.

Contrà ea vero usus emplastrorum est nobilissimus, unde & pro varijs viribus varia sortiuntur nomina, ut emplastra epulotica, catagmatica, vesicatoria, capitalia &c. Adeoque emplastra particularem habent usum, ut topica omnia alia, eumque definitum & determinatum, pro exigentiâ partis, affectûs & tumorum variorum. In specie.

1. Sunt *traumatica*, vulnerum & ulcerum præsidium, balsamicâ suâ virtute archeum, sanitatis præsidem, adjuvant, ut vacare consolidationi, & mucilaginem alimentarem & balsamum vitale partibus divisis apponere possit, id enim ejus opus est, non emplastrorum. Defendunt eadem emplastra ab aëre, corruptore ulcerum & vulnerum, & huic fini sunt accommodatissima. Vulneribus medentur, quocunque modo inflictis, tum in partibus mollibus carnosis, tum osseis, seu fracturis, & rupturis quoque, hinc herniosi, repositione factâ, ab his quoque sperant remedium. Ulceribus absorbendo, demulcendo, exsiccando. Utrisque verò præcipuè, ubi parietes possunt contingi undique, quod si minus fiat, balsama & linimenta, quin & pulveres ipsi in subsidium sunt adsciscenda. Neque enim si putrilago sit major, si ichor gravior, vel pulveres, vel alia detrectant in consortium recipere, quæ in hoc non rarò potiora sunt, imò in quibusdam casibus tutundæ ex ipsis emplastris commodissime ulceribus induntur, præsertim tenerioribus, quæ liquari sunt apta magis & dispergi. Et hùc adeò pertinent usus privati homogenei alij, consolidandi, mundificandi, glutinandi. Quin hæc ipsa præsidia, sicubi labia magis hient & diducta sint, suturam, siccam licet & incruentam, longè tamen alteri, si fieri possit, nobiliorem præstant, si utriusque lateribus seu terminis affigantur, quos dum firmiter detinent, hiatum in medio conjungunt, *hefftpflaster*; sive in lineâ rectâ per transversum id fiat, sive decussatim.

2. *Emplastra discutiunt & emolliunt*, seu non solùm humorem in parte stabulantem & impactum digerunt, pro re natâ dissipant vel in vasa remeare faciunt, ac in ordinem redigunt, siquidem sequax adhuc sit; verùm etiam si minùs, si contumacius hæreat, ipsi archeo partis, vel toti non amplius auscultet causa illa occasionalis, mediata, concoquunt, emolliunt, & ad illam frugem reducunt, ac viam, quæ convenientior est, verbo, in pus mutant, ut hinc sive rumpi sivè aperiri possit tumor, excerni illud, & suus parti tonus hinc restitui. Emollitio verò hæc fit blando fotu, pororum occlusione & roboratione archei. Hinc emplastra in abscessibus etiam internis, v. g. pleuritide prosunt. Hinc emplastra sudorifera, reserantia & exhalationem procurantia quale est emplastrum diaphoreticum *Mynsichti*, item sparadrapa ipsa lævigantia ex spermate ceti usum egregium habent. Hinc sicubi humor rebellis non æquè obsecundet & in pus abeat, arcanum est chirurgorum, ut emplastrum tenacius quale est contra fracturam, cum alijs commixtum applicent, & fine suo feliciter potiantur.

3. *Emplastra roborant.* Roborant defendendo, unde emplastra defensiva affluxum humorum remorantur, & partis archeum tuentur, ac quasi muniunt contra hosticam manum. Roborant villos, fibras & nervos partium, non solùm odoretenus, penetranti, suavi, balsamicâ, sulphureâ qualitate, quam calori nativo adspirant, verùm etiam laxitatem corrigendo, hinc vel hâc ratione fracturis unicò medentur, & cataplasmata, unguenta & alia topica longè post se relinquunt. Roborant archeum, ut displodere, subigere, excernere ac devincere possit imperio non obsecundantes humores, ut minuantur & absumantur tumores, luxata firmentur, protuberantia & prolapsa restituantur, laxata callum obducant, & machinæ ipsius compages firmis circummoveri grallis possit. Roborant desiccando, cui rei præter alia telæ emplasticæ quoque apprimè inserviunt, maximè in ulcerosis tibiarum fluxionibus, ubi laudem eximiam merentur.

4. *Emplastra attrahunt, & repellunt.* Attrahunt humores bonos, spiritus & sanguinem in atrophiâ, quod dropacibus inprimis competit. Attrahunt depressa, v. g. cranium in siriasi & aliâs. Attrahunt humores vitiosos vesicatoria & rubefacientia, ut educeantur ex climate corporis; idque subtilibus spiculis, sale volatili, igne occulto, quem tum cuti insigunt ipsi, tum consecutione quâdam partibus reliquis. Repellunt humores tenus, fluxiles, roborando, firmando ac absorbendo, inprimis metallica, desiccantia, adstringentia. Quod reliquos usus spectat, facilè ex ingredientium materiâ & aliunde, vel per se patent. *Wedelius.*

Hactenùs de Emplastris in genere, sequuntur jam Emplastrorum variæ compositiones ad varios usus.

Emplastrum Abbatis de Grace è *Pharm. Universali D. Lemery.*

℞. Olei rosati ℥xvj. succi rosar. pallid. depurati, lithargyrij auri an. ℥viii. cerusæ venetæ ppt. ℥ii. coquantis ex a. in Emplastri consistentiam, deinde addantur ceræ flavæ ℥iv. f. empl s. a.

Valet in ulceribus ac vulneribus desiccandis, ex eôque sparadrapa pro cauterijs conficiuntur.

Emplastrum de Absinthio, *ex eadem Pharmacopæa.*

℞. Fol. siccor. absinth vulgaris ℥ß. menthæ, majoran. an. ℥iii. rosar. rubr. zingiber. nucis moschatæ, caryophyllor. cinnamomi, thuris, aloes, benzoini ana ℥ii. sem. iv. calidor. maj. an. ʒj. olei de absinth. ℥v. ceræ flavæ ℔.ß. f. emplastr. s. a.

Proficuum est hoc emplastrum in debilitatibus ac cruditatibus ventriculi, ac præterea profligandis alvi flatibus & utero corroborando aptum.

Emplastrum Album coctum *ex Pharm. Aug.*

℞. Olei ℔. ii. cerussæ ℔. i. ß. ceræ albæ ℥. iv. cerussam cum oleo, leni igne ad debitam consistentiam coquendo, & tandem ceram in eo liquefaciendo, fiat emplastrum.

Dicitur & Emplastrum de cerussa, & solâ coctione ac consistentiâ ab unguento albo differt. Intertriginibus quâcunque ex causâ succurrit, ac leves cutis exulcerationes sanat.

Qui-

Quidam aquæ aliquid addunt, ut eò facilius albedo Emplastri in coctione servetur.

Emplastrum de Allio *Alexandri, ex Mesue. à D. Lemery correctum.*

℞. Ceræ flav. ℔. j. axung. porcin. recent. adip. anser. an. ℥.v. terebinth. ℥iv. spicar. allij mundatar. ℥ iiiß. styrac. bdell. aloës an. ℥iii. euphorb. ℥iß. croci ℥ß. mastiches, thuris an. ʒiß. f. Emplastrum. s. t.

Valet hoc Emplastrum pro corroborando ventriculô & intestinis, pituitâ crassâ rarefaciendâ & hydropis incipientis progressû cohibendô.

℞. Ceræ flav. ℔. j. rad. althææ pulver. ℔. ß. mass. emplastri diachylonis cum gummi ℥iii. oleorum chamomil. lilior. anethi an. ℥ij. rosati, pinguedin. an. ℥j. M. f. Emplastrum s. a.

Emollit & resolvit tumores, imò pectoris dolores mitigat.

Emplastrum de Ammoniaco. *ex Ph. Norimb.*

℞. Mucilaginis sem. lini, fœnigræci, ana ℥. i. ß. olei Irini ʒ. iv. unguenti dialthææ ℥. ii. pinguedinis anatis, anseris, gallinæ ana ʒ. i. ß. coquantur ad humiditatis absumptionem, quibus addantur, ut colliquescant, *ceræ flavæ odoriferæ ℥. ii. resinæ pini ʒ. vi.* Liquatis & ab igne remotis, adjunge *Terebinthinæ ℥. i. in quâ ammoniaci pulverisati ℥. ß. & galbani puri ʒ. j.* solutæ vel liquefactæ sint; tandem adde *furfurum frumenti cribati ℥. ß. pulv. radicum bryoniæ, iridis Illyricæ ana ʒ. ii. bdellij cum aceto Rutaceo in pulpam redacti ʒ. i. emplastri de meliloto ʒ. ii.* fiat Emplastrum.

Emplastrum Antipodagricum. *D. Sachsij* in Miscell. Curios. quod à *Barone Kopffe* habuit.

℞. Esulæ, bryon. ellebori nigr. herb. verben. rad. aristoloch. rotund. herb. & rad. ranunculi, herb. & rad. chelidon. sal. commum. ana Hæc omnia commiscenda sunt cum stercore vaccinô pro emplastrô, quod calidè manè & vesperi plantis pedum applicandum.

Hoc dicitur eam vim habere attractricem, ut intra aliquot dies, prævio tamen insigni dolore, plantas pedum fissuris aperiat, & per eas materiam podagricam extraheт, Impositionem autem hujus emplastri tamdiu continuandum censent, donec plantæ pedum rursus sanentur.

Cataplasmatibus potius referendum veniret hoc medicamentum quam Emplastris.

Emplastrum Apostolicon Nicolai Alexandrini *ex Ph. Aug.*

℞. Lithargyri ℥. vi. Ceræ citrinæ, Colophoniæ ana ℥. ij. propoleos, visci querni, glutinis ana ℥. j. gummi ammoniaci præpar. lapidis Calaminaris, thuris ana ʒ. vi. Mastiches, mumiæ ana ℥. j. ß. terebinthinæ, galbani præpar. bdellij, Myrrhæ, æris usti, sarcocollæ, squamæ æris, dictamni cretici, aristolochiæ, viridis æris ana ℥. j. olei veteris q. s.

Ceræ cum Colophonia liquatæ & colatæ, gummi ammoniacum, glabanum & terebinthina simul soluta, post reliqua in pulverem redacta, & tandem gluten visci querni secundum artem misceantur.

Epispasticum dici poterat, nam calamos, surculos, & spicula corpori altùm infixa & omnia venenata extrahit, ad strumas recentes, frigidos ac diuturnos abscessus, viscerum tumores, præcisos & punctos nervos, recentia vulnera, phygetla, carcinomata, & cervicis, ex frigida causa, dolores facit; strumas aperit, abcessus rumpit, purgat & glutinat, ac cicatrices extenuat, splenis duritiem emendat, articulorum ac genuum ex influxu dolores sedat, ad mammarum collectiones, erysipelata & fistulas iniectum efficax; impositum etiam morsibus venenatis, aut rabidorum animalium medetur. Usurpatur insuper ad hæmorrhoidas, sedis vitia, condylomata, rimas ani, carbunculos, impetigines, intestinorum ramices, pudendorum depascentia ulcera, cum rosaceo iniectum, cum etiam muliebribus malis pesso suppositum confert.

Squama æris sumenda hic est non crassa, sed rufa ac tenuis.

Emplastrum Arthriticum F. F. *ex Schrodero.*

℞. Emplastr. diachyli. magn. ℥. vi. oxycroc. diapalm. ana ℥. ij. medull. cervin. axung. ursin. ana ℥ i ß. tacamahac. in vino dissolut. ℥ ij. M. f. s. a. emplastrum, quod oleo vulpino malaxetur.

Vires. Doloribus arthriticis maximè proficuum est, lenit, discutit, resolvit.

Observ. Hofman. super emplastro arthritico F.F. Si vice Diachyli M gni, quod alias elisione ex Dispensatorijs dignum judicatur, emplastrum de minio Vigonis ritè præparatum substitueretur, majoris præstantiæ hoc emplastrum arthriticum foret in adsignato symptomate leniendo.

Emplastrum Arthriticum Serenissimi Johannis Casimiri Poloniæ & Sueciæ Regis, *ex D. D. Schultzio;* in Miscellan. curios. Germanorum.

℞. Olei olivar. ℔. j. lithargyrij subtiliss. pulverati ℔ß. decoque in patella ad nigredinem in forma ceroti admodum tractivi, adde pulver. rad consol. maj. unc. iij. super lento igne mista ebulliant. dein ℞. Boli arm. subtilit. pulv. ceræ, resinæ an. unc. iij. liquefac iterum in patella & adde farinæ fabar. unc. ij. mumiæ tragac. pulv. an. unc. ß. agitentur bene baculo, quoad frigescat & f. emplastrum s. a.

Emplastrum aliud Arthriticum Serenissimi cujusdam Regis Daniæ, ex eodem, ibidem.

℞. Picis navalis ʒvj. resinæ vulgar. colophoniæ an. unc. ß. ceræ citrinæ unc. v. olei scorpion. unc. iß. terebinthinæ venetæ unc. ij. pulver. succini, myrrhæ, mastiches an. unc. ß. sulpuris unc. iß. m. f. s. a. emplastrum.

Emplastrum aliud ad idem ex eodem.

℞ Olei comm. unc iv. smegmat. Veneti ʒv. minij. cerussæ an. unc. ij. camphoræ ℈j. aluminis ℈ß. m. coq. s. a. & f. massa pro emplastro.

Emplastrum Carminat *DD. Francisci de le Bœ Sylvij.*

℞. Gummi galbani, bdellij, ammoniaci an. unc. ß. thuris masculi, myrrhæ rubeæ an. ʒij. opij thebaici ʒj. dissolve in aceto squillino iterumque inspissatis, adde ceræ citrinæ, colophoniæ an. ʒiij balsami peruviani, olei philosophor. an. ʒj. olei terræ ʒß. cervi stillat. ℈ß. terebinth. venetæ q. s. m. f. s. a. Emplastrum.

Hoc Emplastrum extendendum super alutam, eamque formatam priùs secundum tumoris amplitudinem & figuram charta ei imposita & dissecta observandam.

Emplastrum Cæsaris è Phar. Colleg. Londinensis.

℞. Rosar. rub. unc. iß. rad. bistortæ, nucum cupressi, santalor. omnium. menthæ, sem. coriandri an. ʒiij. mastiches unc. ß. hypocistidos, acaciæ, sanguin. draconis, terræ sigillatæ, boli veræ, corallij rubri ac. ʒij. terebinthinæ aqua plantag. lotæ unc. iv. olei rosac. unc. iii. ceræ albæ unc. xii. resinæ pini unc. x. picis unc. vi. succor. plantag. sempervivi, telephij an. unc. j. ceræ, resinæ pici simul liquat. adde terebinthinam & oleum, deinde hypocisti. & acaciam in dictis succis dissolutas, & tandem pulveres, ut fiat emplastrum s. a.

Emplastrum Catagmaticum ex eadem Phar.

*℞. Olei rosacci unc. iv. lithargyrij auri unc. iij. coquantur ad emplastri consistentiam. Remotis ab igne inijce ceræ flavæ recentis ℔j. terebinthinæ unc. iij. olei mastichini unc. ij. picis navalis unc. iß. colophoniæ ʒvj. mixta & liquata simul seorsim serventur. ℞. Rad. symphyti maj. althææ, ligni visci quercini folior. plantaginis. chamæpithyos, hyperici an. mj. Additis vini rubri & aquæ fabrorum aquis par-

partibus, fiat decoctum mucilaginosum ad ℔ iss. cui insuper adde mucilaginis sem. cydonior. extracta cum decocto omasorum unc. iij. pulver. balaustior. rosar. rubr. myrtillor. an. ℥ss. mumiæ, sem. hyperi an. ʒvi. boli armenæ, farinæ volatilis an. ℥iss. sangu. drac. pulver. ij. succi acaciæ in decocto aristoloch. rot. soluti ℥ss. Coq; igne lento continuè agitando ad cataplasmatis spissioris consistentiam. Tum adjice superius mixtum emplasmatum atq; etiam pulv. mastiches, thuris an. ℥iss. succini præpar. ʒvi. factaq; adhuc una vel altera ebullitione & jugi agitatione f. s. a. emplastrum.

Emplastrum Cephalicum. *F. F. ex Schrod.*

℞. Resin. pin. ℥ij. ladan. myrrh. mastich. ʒvi. gum. tacamahac. galban. opopan. an. ℥ss. visci Tiliæ ʒv. ℈ij. sem. pœon. mar. ʒij. ℈ii. Cubebar. ℈iv. ol. succin. nucist. an. ℥ss. gummatis in aceto dissolutis f. s. a. emplastrum, addendo Terebint. ℥iss. m.

Vires. Capitis catharros exiccat, idemque corroborat, pro ut confert in Apoplexia, Epilepsia, & simililib.

Observ. Hofman. super emplastrô cephalicô F. F. Hoc quoad compositionem & præparationem rejici nequit; Vires etiam hujus sunt egregiæ in capitis defluxionibus. In nuchâ commodè gestari potest, dum vaporum impedit adscensum & vellicantes humores à nervorum principio absumit. Ad aliquot hebdomadas gestari debet, deinde aquâ calidâ locus abluendus, & aliud applicandum.

Emplastrum de Cinnabari *è Pharma. Colleg. Reg. Londinensis.*

℞. Cinnabaris ℥iss. euphorbij, auripigmenti an. ʒiiss. pulverentur subtiliss. & uniantur cum galbani colati, picis burgundiæ an. ℥iiss. emplastri è mucilaginibus ℥iii. unguenti ægyptiaci ℥ss. f. emplastrum sine coctione.

Emplastrum è Creta *ex eadem Pharm.*

℞. Cerussæ ℥iv. cretæ ℥iss. axungiæ suillæ ℥i. m. f. emplastrum sine coctione.

Emplastrum è Cymino *ex eadem Pharm.*

℞. Sem. Cymini. baccar. lauri, ceræ citrinæ an. ℔ j. resinæ pini ℔ ii. communis ℔ iij. olei anethini ℔ ss. m. f. emplastrum.

Emplastrum Diaphoreticum. *ex Schroderô.*

℞. Ceræ. citrin. ℥xvi. bdell. pulver. ℥v. Colophon. pic. naval. an. ℥iv. succin. citrin. ℥iii. g. Ammoniac. ℥ii. f. emplastrum. s. a. malaxando cum ol. ovorum.

Vires. Discutit, serosam humiditatem elicit & absumit.

Usus est præcipui in Ischiatica, intumescentia pedum, & simil.

Observ. Hofman. super emplastrô Diaphoreticô. Hoc in defluxionibus etiam ad musculosas partes summè utile expertus fui; potest etiam commodius solum ex cera, succino & gumm. Ammoniaco præparari.

Emplastrum Anglis Flos unguentorum dictum *è Pharm. Colleg. Reg. Londinensis.*

℞. Resinæ, resinæ pini, ceræ citrinæ, sevi ovilli, an. ℔ ss. olibani ℥iv. terebinthinæ ℥iiss. myrrhæ, mastiches an. ℥j. Camphoræ ʒii. vini albi ℔ ss. Coque in emplastrum.

Emplastrum Antipodagricum, Tackenij *ex Lex. Ph. D. D. Jungken.*

℞. Olei rosati ℔ j. calefacto adde sapon. alb. ras. unc. iv. liquefacto sapone adde *Ceruss. min. an. unc. iv. coque leni igne continuè pistillo ligneo movendo, donec acquirat consistentiam empl. duriorem ne in aëre rursus liquescat. tandem ab igne remoto & parum refriger. sub continua agitatione adde camp. sp. vini sol. unc. j. castor. pulv. unc. ß. mi. c. fiat emplastrum.*

Emplastrum de Baccis lauri. *ex Ph. Aug.*

℞. Thuris. mastiches, myrrhæ an. unc. i. baccarum lauri unc. ii. Cyperi. costian. unc. i. olei laurini, terebinthinæ & ceræ invicem liquatis, post factam ab igne depositionem. cætera immiscendo.

Ventriculi, intestinorum, jecoris, renum, vesicæ, uteri & partium aliarum dolorem à flatibus, aut frigida intemperie ortum sanat. Si verò stercus capræ, aut vaccæ siccum, pondere omnium, adijcias, & aucto mellis pondere, ad hypropem, ascitem, ac tympanitem conducit.

Emplastrum Barbarum Magnum. *ex Ph. Lond.*

℞. Picis siccæ ℔ viii. ceræ citrinæ ℔ vi. & unc. viii. resinæ pini ℔ v. & ℥iv. bituminis judaici, vel mumiæ ℔ iv. olei ℔ i. ß. æruginis æris, litargyri, cerussæ an. unc. iii. thuris ℔ ß. aluminis liquidi, vel rupei, usti, ℥ iv. opopanacis, squamæ æris, galbani an. ℥xii. alois, opij, myrrhæ, an. unc. ß. terebinthinæ, ℔ ii. succi mandragoræ. vel cort. rad. sicc. ʒ vi. aceti ℔ 5.

Lithargyrus, cerussa oleum coquantur ad mellis spissitudinem. pix liquefacta cum pulvere bituminis incorporetur: tum addantur & coquantur alia s. a. donec acetum consumatur, addendo, sub finem, terebinthinam.

Emplastrum Basilicon majus Mesuæ, *ex Ph. Aug.*

℞. Ceræ albæ, resinæ pineæ, sevi vaccini, picis græcæ, nigræ, terebinthinæ, thuris, myrrhæ, olei communis an. unc. i. fiat secundum artem emplastrum, sevum, ceram, resinam & picem invicem liquata & colata cum oleo, terebinthina, ac reliquorum pulvere miscendo.

Vulneribus recentibus remedio est, eaque probè glutinat.

Emplastrum Basilicon minus Mesuæ. *ex Ph. Aug.*

℞. Ceræ flavæ, resinæ, pineæ picis græcæ an. ℔ j. olei communis q. s. fiat emplastrum, ceræ cum resina, & pice liquatæ colatæque oleum commiscendo.

Ulcera phlegmones expertia partium maximè nervosarum tergit, ac carne implet.

Alij terebinthinam addunt: alij verò eandem picis loco ponunt.

Emplastrum Basilicum & Vulnerarium. *ex Ph. Regia Zwelfferi.*

℞. Terebinthinæ claræ & odoratæ unc. ii. in qua liquefac. pulv. mastichis elect. sagapeni, an. unc. i. colophoniæ translucidæ unc. iv. his liquatis paulatim adde pulv. myrrhæ transpar. olibani albiss. succini albi præpar. an. unc. j. croci optimi unc. ß fiat emplastrum, aliquandiu in calore, leniter saltem liquatum, & agitandum, ut ingredientia se invicem exactè amplectantur.

Hoc præstans est in omnibus vulneribus recentibus & antiquis, nervorum, ossium, capitis, &c. Membris etiam & nervis conquassatis opitulatur.

Emplastrum de Betonica. *ex Ph. Norimb.*

℞. Terebinthinæ claræ unc. ii. pulv. thuris, mumiæ an. ʒ ii. pini, ceræ flavæ an. unc. ii. pulv. betonicæ unc. ß. fiat

In qua leni calore liquefiant *Mastichis elect.* quibus unitis, & leniter liquatis, addantur *resinæ* seorsim liquatæ, & per linum colatæ: ultimo demum *pulv. betonicæ ℥ß.* fiat Emplastrum, S. Ceratum capitale.

Emplastrum è Lapide Calaminari. *ex Ph. Aug.*

℞. Lapidis Calaminaris tutiæ præparatæ an. unc. ii. terebinthinæ unc i. ß. ceræ citrinæ, resinæ an. unc. i. lithargyri unc. ß. olibani, mastiches, tragacanthi an. ʒ. i. olei rosati, myrtini ana unc. ii. fiat s. a. emplastrum.

Ulcera manantia deficcat & cicatrice claudit, atque idem ferè præstat, quod griseum.

Emplastrum pro callis pedum. *è Ph. Italicâ Antonij de Sgobbis.*

℞. Emplastr. diachil. cum gummi unc. i ß. gumm. ammoniac. in acetô soluti ac inspiss. unc. ß cantharid. pulverat, vitrioli ad rubedinem calcin. virid. æris āā ʒiß. ferment.

ment, panis acerrim desiccat, & pulver. ℈ii. sapon. nigr. ʒß. terebinth. q. s. M. & f. s. a. emplastrum mediocris consistentiæ.

Emplastrum aliud ad idem *ex eôdem.*

℞. Gumm. elemi galbani ãã unc. ii. terebinth. unc. iii. calcis lotæ, mercurij præcipit. virid. æris ãã ʒii. mellis concremati, & alum. usti ãã ℈ii. ceræ q. s. M. f. s. a. Emplastrũ.

Emplastum aliud ad idem *ex eôdem.*

℞. Gumm. tacamahacæ unc. i alum plumei unc. ſs. euphorb. ʒii. virid. æris ʒv. olei euphor. ceræ flavæ ãã q. s. M. F. s. a. emplastrum.

Emplastra hæc omnia super callis pedum applicantur, postquam illi ad vivum usque excisi fuerint, non tamen ad sanguinis extractionem. Emplastrum tertiô quôque die commutandum venit.

Emplastrum ad Cancrum *Joh. Vigerij*

℞. Galban. opopanac. Sagapeni ãã. unc. iv. Ammoniaci, bdell. ãã unc. viii. in acetô destillatô solvantur, exprimantur & ad aceti consumptionem evaporentur & ad emplast. consist. coquant. postea ℥. olei chamæm. ℔. ij. ol. hyper. ℔. i. olei laurini unc. iv. ol. terebinth. unc. j. petrol. ℔. j. ceræ novæ ℔ ii. ponantur simul cum prædictis gumm & coquant. perfectè igne lentô, postea adde lithargyr. ℔. ij. aristoloch. utriusque, olibani, mastiche, myrrhæ electæ, corall. rub. & alb. ãã unc. iv. lapid. calaminar. unc j. Karab. unc. j. flor. antimon. ℥iv. sal. vitriol. mumiæ, camphoræ ãã ℥ii. pulverãda pulverentur, & cum supradictis lentô igne misceantur, continuè movendo, dum fiat massa emplastri, de quâ formentur duo emplastra debitæ magnitudinis, unum cancro manè impones, alterum vesperi, mundando quâlibet vice ulcus, & abstergendo cum panno lineô molli & infra paucos dies curabitur.

Hoc Emplastrum omnibus ulceribus, etiam scrophulosis, medetur, absque ullô alio medicamentô, neque inveniri potest ullum præstantius in curatione cancri.

Emplastrum ad auferendam Carunculam, seu Carnositatem Virgæ *ex D. Lemery*

℞. Mass. emplast. diachalciteos ℔ß virid. æris, auripigmenti, alumin. usti, mercur. præcip. rubri ãã ʒiii. M. F. Emplast. s. a.

Hoc emplastrô liniuntur candelulæ cereæ, seu filicerâ incrustati; item specilla ex plumbô parata, sicq; remedium in virgam ad usque locum ubi residet carnositas, protruditur. Eô utem prædictâ carnositas abluмítur ac eroditur. Dum verò vel intendere, vel remittere vim medicamenti, animus est, pulveres majori, vel majori quantitate massæ admiscentur. Postquam specillum cereum, vel plumbeum medicamento oblinitum aliquandiu in virgâ substitit, extrahendus venit, in ejusque locum inducendum aliud ceratô Galeni vel unguento rosatô imbutum.

Emplastrum Catagmaticum. *ex Ph. Aug.*

℞. Radicum symphyti majoris, althææ, visci querni ãã ℥. ii. plantaginis, chamæpyteos, hyperici ãã m. i. fiat decoctio in æquis partibus vini rubri, & aquæ fabrorum ad medias. Colaturæ adde *Mucilaginis seminis Cydoniorum cum decocto aristolochiæ rotundæ extracta, olei mastichini, rosarum ãã ℥. iv. ceræ virgineæ ℔. i. lithargyri auri ℥. ij. terebinthinæ ℥. iij. balaustiorum,* rosarum, *myrtillorum acacia an. ℥. ß. mumiæ, seminis hyperici, Colophoniæ, mastiches, succini an. ʒvi. picis navalis, boli armenæ, farinæ volatilis; thuris an. ℥. i. ß. sanguinis drac ℥ii. fiat lege artis emplastrum, decoctum superius & mucilaginem cum oleo rosarum ad humiditatis aqueæ consumtionem coquendo, dein Ceram cum colophonia & pice liquatam atque Colatam, terebinthinam & oleum mastichinum, nec non reliqua in pulverem redacta permiscendo.*

Emplastrum hoc catagmaticum vires habet insignes ad fracturas ossium sanandas: eorũ enim coalitum juvat & accelerat, callũ, quo simul agglutinãtur, auget, calorem partis nativum fovet, & humorum fluxiones sistit.

Emplastrum Cephalicum regium *ex Ph. Reg. Zwelfferi.*

℞. Resinæ styracis, per expressionem factæ ℥. ij. ladani per extract. paratæ ℥ j. ol. nuc. mosch. expressi ℥. iij In his liquatis lenissimo calore solvantur sequentia, ut pote *pulv. gum tacamahacæ, animæ, ãã ʒ x. olibani in granis ℥. j.* quibus porrò instillentur *ol. still ligni rhodij ʒ ij. majoranæ, lavendulæ an. ʒ. j. coriandri ʒ. ß his probè unitis, & interim asservatis, immisceantur, in cessu temporis, sequentes herbæ, & flores recentes, subtilissimè incis. ac contus. adpultis formã; necnon pulveres, qui infrà sequuntur, herb. rec. betonicæ, cum floribus, majoranæ, rorismarini, cum flor. gemmar. populi arbor. rec. an. ℥. i flor. rec. Keiri, tunicæ, arantiorũ, an. ℥ß. pulv. succini albi præpar. ʒ. vi. ligni aloës gummosi ℥ß. croci opt. orient. ʒ. ij. nucleorum persicorum excorticat. cerasor. excorticat. an. ℥. s. contusorum omnium ad pultis formam, cum aqua rosar. fragr. s. q. & per setaceum transmissorum. misceantur exactè, in diplomate, calore leni fiatq; emplastrum justæ consistentiæ.*

Præstat ad Capitis fluxiones sistendas, & exsiccandos humores varios cerebri; cephalæam, cephalalgiam, aliasque capitis affectiones præter naturam juvat. Estque Emplastrum verè Regium.

Emplastrum Ceroneum Nicolai. *ex Ph. Aug.*

℞. Picis navalis, ceræ an. unc. ii. ʒ. iii. sagapeni unc. ii. ammoniaci præp. terebinthinæ, colophoniæ; croci an. unc. j. ʒ. ii. aloes, Thuris, myrrhæ an. unc. j opopanacis præpar. styracis calamitæ præp. galbani præpar. mastiches, aluminis, fœnugræci, an. ʒiv. styracis liquidi, bdellij an ʒ iii. lithargyri ℥. i. ß. Ceræ cum pice & colophonia liquatæ atque colatæ additur styrax calam. cum styrace liq; & terebinthina liquefactus, ut & sagapenum, galbanum, opopanax & ammoniacum, cum pauxillo aceto distemperata, ac cætera in pulverem redacta.

Valet ad dolorem scapularum, & thoracis à frigore ortum ducentem, lienis duritiem emollit, aquam intercutem à frigida jecoris intemperie natam sanat, ac uteri vitijs ex simili causa ortis prodest, lumborum pudendorum, vesicæ ac renum frigus vi suâ calefaciente dissipat, ossium fracturis & luxationibus prodest, concoquit, mollit, carnesque procreat,

Emplastrum de Calcitide, sive de Palma. *ex Ph. Norib.*

℞. Palmæ (aut, in hujus defectu, Quercus) teneriorum ramorum recentium, m. iv. axungiæ porci veteris purg. ℔. ii. olei veteris ℔. iii. Coquantur ad humiditatis consumptionem: Colato cum expressione adde lithargyrij subtilissimè triti ℔. iii. chalcitidis ustæ, seu vitrioli ad flavedinem calcinati unc. iv. de coctum ramorum superius coquatur porrò, cum alijs ad consistentiam debitam.

Emplastrum Diapalma *ex Ph. Reg. Zwelferi.*

℞. Axungiæ porcinæ recentis ℔. iii. huic impastentur ramorum palmæ minutim incisorum rec. ℔. i. (vel si hi desint foliorum quercus rec. unc. x. hederæ arbor. rec. unc. iv.) facta maceratione per aliquot dies, coquantur parum, additâ aceti sambucini ℔. ß. circiter: fiat post colatura, cum forti expressione ramorum, aut, foliorum. Expressæ verò axungiæ adde lithargyrij subtiliss triti ℔. ii. ß. vitrioli albi purificati unc. iv. vel. v. soluti priùs in aceti sambucini rosacei, ãã ℔. ß. Coquantur lenissimo igne in sartagine sufficienter amplâ; spatulâ ligneâ, ex ramo palmæ vel quercus, recenter confecta, continuò agitandò, ad emplastri consistentiam, addendoque ultimo, si libet, cum parum refrixerit camphoræ in olei sambuci particulâ solutæ ad pulticulam, ʒ. vi. item olibani subtiliss. triti unc. i. s.

Fiat Emplastrum, efficax in doloribus articulorum: Extrahit enim & resolvit, atque calorem contemperat.

Diachylon Simplex, sive album Mesuæ. *ex Ph. Aug.*

℞. Mucilag. fœnugræci, seminis lini, rad. althææ an. ℔. j. olei clari ℔. iii. lythargyri ℔. j. s. Coquantur omnia leni igne,

igne, continuè agitando, usque ad humiditatis aquosæ consumptionem, vel justam consistentiam.

Ad partium quarumcumque durities resolvendas & digerendas efficax, hepatis, lienis, ventriculi, & furunculi reliquias emollit ac dissipat; strumas quoq; & inveteratos abscessus dissolvit, recentia vulnera ut & ulcera ab inflammatione vindicat, divisa glutinat, superficialia ulcera sanat solutum rosaceo vel myrtino, liquatum chamæmelino nervorum phlegmonem prohibet, podagricis, quovis tempore opitulatur, ad diuturnas ac recentes uteri phlegmonas pessario inditum admovetur.

Diachylon ireatum. *ex Ph. Lond.*

Adde pulveris Ireos unc. j. singulis libris diachyli simplicis, & erit ireatum.

Diachylon compositum, seu Emplastrum de mucilaginibus dictum. *ex Ph. Aug.*

℞. Decocti mucilaginosi rad. althææ, sem. lini, medij cortic. ulmi, fœnugræci an. unc. IV. ß. olei chamæmelini, liliorum, anethi an. unc. I. ß. ammoniaci, galbani, opopanacis, sagapeni an. præparat. unc. ß. ceræ novæ unc. XX. croci ʒ. II. terebinthinæ unc. II. fiat emplastrum s. a. mucilaginem cum oleis sufficienter coquendo, gummiaque cum terebinthina soluta, ceram & crocũ pulverisatum addendo.

Maximarum in emolliendo est virium phlegmonas sanat, & saniem ruptorum apostematum abstergit.

Nota, in defectu mediani corticis ulmi, fœnugræci pondus duplicari posse.

Diachylon Magnum Mesuæ. *ex Pharm. Aug.*

℞. Lithargyri ℔. I. olei chamæmelini, Irini, anethini an. unc. VII. mucilaginis sem. leni, fœnugræci, althææ, decocti ficuum pinguium, uvarum passarum, Ireos, scillæ, ichthyocollæ, oesypi an. ʒ. XII. terebinthini unc. III. resinæ pini, ceræ flavæ av. unc. II. fiat s. a. Emplastrum.

Inflammata & dura sedando, emolliendo, ac digerendo magis est efficax sequenti, ideoque magnum dicitur, Vigonis tamen ad omnia ista efficacius.

Diachylon Parvum, Mesuæ. *ex Ph. Aug.*

℞. Lithargyri unc. VI. olei veteris clari ℔. I. decocti seminis hyoscyami unc. j. ß. lini, mucilaginis rad. althææ an. unc. II. psyllij unc. IV. fiat ex arte emplastrum.

Usus ejus in inflammationibus ac tumoribus calidis, eos namque digerit & maturat.

Diachylon cum Gum. Vigonis. *ex Ph. Aug.*

℞. Radicum althææ ℔. ß. sem. leni, fœnugræci an. unc. j. malvæ, althææ, cydoniorum an. unc. ß. psyllij ʒ. II. succi Glycyrrhizæ ʒ. X. cum aqua fontana coquantur & exprimantur. Mucilagini expressæ adde olei chamæmelini, anethini, liliorum, lini, irini an. unc. III. amygdalorum dulcium, lithargyri auri an. ʒ. X. Coquantur ad humoris aquei consumtionem; postea ab igne removeantur, & cum pinguedinis gallinæ, anatis, anseris an. unc. I I. Oesypi ʒ. X. sevi vitulini ℔. ß. pulv. rad. ireos unc. II. flor. violar. unc. ß. bdellij ʒ. III. terebinthinæ unc. j. ß. ammoniaci præparati ʒ. V. sagapeni, opopanacis, galban. an. præpar. ʒ. III. gummi hæc cum terebinthina liquando, fiat emplastrum s. a.

Magnarum in emolliando est virium, concoquit, maturat, digerit ac resolvit.

Emplastrum de Cicuta Schroderi. *ex Ph. Aug.*

℞. Cicutæ cum toto incisæ, & exsiccatæ unc. IX. succi ejusdem unc. IV. olei capparum unc. XVIII. irini unc. VI. ceræ novæ unc. IV. ß. In oleis cum succo sufficienter coctis liquetur cera, postea ab igne depositis addendo pulverem cicutæ & ammoniaci; fiat Emplastrum.

Præstantissimum est in tumoribus duris & Scirrhosis, in primis verò lienem obstructum aperit, roborat, ejusque duritiem emollit.

Emplastrum Citrinum Vulgare. *ex Ph. Aug.*

℞. Resinæ ℔. j. ceræ citrinæ ℔. ß. sevi cervini unc. IV. terebinthinæ unc. II. fiat emplastrum, omnia invicem liquando & colando.

Vulneribus recentibus medetur, ac ea cicatrice claudit. Quod si id ulceribus repurgandis magis idoneum reddere volueris, in singulas libras emplastri, adjicito æruginis mundatæ ʒ. II. atque sic emplastrum viride efficies, id quod communiter à plebeis expetitur.

Emplastrum ad Clavos pedum. Le Mort. *ex Corp. ph. &c.*

℞. Gummi ammon. in aceto squillitico solut. & inspissati ʒ. II. resinæ pini ʒ. j. vitrioli cyprini ℈. j. vel ʒ. ß. ☿ præcipitati & opt. edulcorati ℈. II. fiat emplastrum; convenit ulceribus durioribus, ut & bubonibus venereis.

Emplastrum de Crusta panis Montagnanæ. *ex Pharm. Aug.*

℞. Mastiches, menthæ an. ʒ j. crustæ panis tostæ & maceratæ in aceto per horam mediam unc. II. olei de mastiche, cydoniorum, terebinthinæ, ceræ an. unc. I. farinæ hordei q. s. fiat emplastrum, oleis ceram cum terebinthina liquefactam & cætera permiscendo.

Confert ad vomitum puerorum, ac ijs qui cibum retinere nequeunt.

Emplastrum Defensivum. *ex Ph. Reg. Zwelff.*

℞. Lithargyr. subtiliss. pulv. cerussæ pulv. an. unc. XVI. ol. sambucini ex flor. de spermate ranarum, an. ℔. j. unguenti popul. unc. IV. vel VI. aceti sambucini, rosacei, an. unc. VIII. succi plantaginis depur. unc. X. Coquantur in Sartagine amplâ igne lenissimo ad emplastri consistentiam molliorem, spatulâ, sive rudiculâ, continuo agitando: cui, ab igne remoto. adde ceræ flavæ & novæ odor. unc. IV. pulv. olibani unc. II. mastichis, rosar. rub. lapid. calamin. cum succo plantag. parati & exsicc. rad. ireos flor. an. unc. j. ß. liquiritiæ, myrrhæ, an. j. croci opt. unc. ß.

Fiat, omnibus probè mixtis, in calore, Emplastrum nobile defensivum; quod omnia symptomata irruentia, ac vulnera concomitantia, inflammationes & defluxiones ad partes affectas, præcavet, partesque roborat.

Diadictamnum Galeni, *vid.* Emplastrum sacrum.

Emplastrum Diaphoreticum. *ex Ph. Reg. Zwelff.*

℞. Gummi ammoniaci unc. II. elemi. unc. j. ß. Sagapeni ℥. j. solvantur in s. q. aceti ad pultis formam: cui adde pedetentim, & quasi guttatim, ceræ flavæ odoratæ. j. terebinthinæ claræ ℥. III. colophoniæ, seu picis græcæ, ℥. IV. liquata invicem leni igne, in sartagine, separatim, & non nimis calidè, superioribus gummatibus sensim, & alternatim, uti dictum, sub continuâ agitatione, infusa; hinc alternatim etiam inspergantur successivè hi pulveres: ut potè, pulv. gummi bdellii ℥ IV. succini citrini ℥. III. olibani, mastichis, an. ℥. j. sandaracæ ʒ. VII post agitentur, donec omnia commixta, atque dextrè unita sint, per horam integram, in diplomate, vase scilicet duplici, calore leni: fiatque emplastrum, tumoribus oedematosis, fracturis ossium, luxationibus, & contusionibus, maximè conducens. Est ex Mynsichtio depromptum, correctum, & in artis formam, seu ordinem, redactum.

Emplastrum Divinum. *ex Ph. Lond.*

℞. Magnetis ℥. IV. ammoniaci ℥. III. & ʒ. II. bdellij ℥. II. galbani, myrrhæ, an. ʒ. X. lithargyrij, auri olei communis, an. ℔. j. ß. ceræ novæ, ℥. VIII.

Li-

Lithargyrus tenuissimè pulveratus cum oleo nutriendus, & leni igne coquendus ad mellis spissitudinem: tum cera addatur; eaque liquatâ, ab igne auferatur, & adjiciantur gummi in vino, vel aceto dissoluta, & colata; dein pulvis myrrhæ, mastiches, thuris, aristolochiæ, & magnetis; postremò æruginis, & F. Emplastrum s. a.

Emplastrum ad Dolores Dentium è *Pharm. Univers. D. Lemery.*

♃. Gumm. tacamahac. elemi, mastiches āā unc. II. *opij* ℨII. *M. F. Emplastr. s. a.*

Hoc emplastrum dolores dentium mitigat, fluxiones sistit, ac hæmicranijs prodest; applicatur autem temporibus super arteriâ.

Emplastrum aliud ad Idem *ex Eôdem.*

♃. Nucum cupress. rosar. rubr. mastiches, terræ sigill. sem. nasturtij torrefacti āā ℨIII. *Macerentur per* 24. *horas in acetô postea siccentur & f. omnium pulvis cum opij. pulver. unc. j. qui excipiatur & misceatur cum ceræ flav. unc.* IV. ß. *terebinth. unc.* ß. *colophon. picis naval. āā* ℨII. *oleor. papaver. alb. & hyosciami āā unc. j. F. Emplast. s. a.*

Usus istius emplastri idem est ac prioris.

Emplastrum Antepilepticum, Doct. Michael. *ex Lex. Ph. D. Jungken.*

♃. Succini alb. thuris, mastich. āā. ℥. *j.* ß. *galban. opoponac. āā* ℈. *j. visci quercini.* ℥. II. *sem. pœon. Mar.* ℥. *j. ladan.* ℥. *j. s. ol. n. mosch.* ℈. *j. amb. grys. gr.* VI. *moschi gr.* III. *misc. fiat Emplast. quod aspergatur pulvere cubebar. extendaturq; in aluta latitudine* 8. *& longitudine* 15. *circiter digitorū.*

Emplastrum Epispasticum. *ex Ph. Lond.*

♃. Emplastri de meliloto simpl. unc. II. *terebinthinæ venet. Cantharidum integrarum, āā* ℥. *j. picis burgundicæ,* ℥. III. M. F. Emplastrum s. a.

Emplastrum Febrifugum Strobelbergeri. *ex Ph. Aug.*

♃. Terebinthinæ puræ unc. j. ß. *leni igne liquefactæ injice, aranearum vivarum in locis mundis captarum n.* 15. Misceantur & agitentur cum pistillo ligneo, usq; dum nihil amplius de araneis conspiciatur, postea addatur *telarum mundarum, quantum prædictæ aranea texerunt, pulveris asphalti, salis ammoniaci purissimi āā unc j. s. Terantur usq; dum refrigescat materia, & justam emplastri consistentiam adquirat; quod cum oleo scorpionum simplici malaxetur.*

Usus ejus est in febrib. tertianis & quartanis multis experimentis cōprobatus, si carpis manuū adplicetur.

Emplastrum ad Fontanellas. ff. *ex Schrod. Ph.*

♃. Cerus. lithargyr. āā. ℥. VI. *ol. rosar.* ℔. *j. aq. rosar. unc.* VIII. *coq; l. ign. in fine adde ceræ alb. unc.* III. *f. l. a. emplastr.*

Arcet inflammationem.

Emplastrum de Fuligine. *ex Pharm. Aug.*

♃. Theriacæ andromachi, mithridatij, āā. unc. s. fermenti, terebinthinæ āā unc. II. *mellis rosati simplicis unc. j. s. butyri recentis unc.* II. *salis communis unc. j. fuliginis camini unc. j. s. saponis veneti unc.* IV. *croci* ℥. III. *vitellorum ovorum n.* 4. *fiat lege artis emplastrum.*

Emplastro hoc Augustani Loemiatri ad maturandos bubones ac anthraces pestilentes, extrahendum venenum, atque mitigandos ex inflammationibus subortos dolores felicissimè quondam utebantur.

Emplastrum ad Ganglia *ex D. Charras.*

♃. Rad. & folior. rec. bardanæ, cicutæ, levistici, angelicæ, cucumeris agrestis, scrofulariæ, filipendulæ, illecebræ, gratiolæ, chelidonij maj. āā unc. js. Purgata & diligenter contusa omnia, in succorum cicutæ & chelidonij maj. āā. ℔. *ii. s. lento igne coquantur ad tertiæ partis consumptionem, deinde colentur & fortiter exprimantur; expressio vero cum* ℔. IV. *& lythargyri auri* ℔. *ii. ex arte coquatur, assiduè movendo spatula lignea, ad emplastri spissitatem; in illis deinde liquefiant, ceræ citrinæ, picis albæ āā* ℔. *j. terebinthinæ, styracis liquidæ āā* ℔. ß. *ab igne remotis permisceantur, galbani, ammoniaci, bdellii, opopanacis, sagapeni, aceto scillitico solutorum, trajectorum, spissatorum & portione emplastri seorsim prius exceptorum an. unc. ii. deinde addantur pulveres sequentes permixti.*

♃. Rad. ireos florent. sigilli beatæ Mariæ, cyclaminis, coronæ imperialis & serpetariæ, sem. angelicæ, pæoniæ mar. nasturtij. Euphorbij, olibani, mastiches, tacamahacæ odoratæ, sulphuris vivi an. unc. js. caphuræ unc. s. F. e. a. Emplastr.

Vix emplastrum aliquod reperiatur quod magis conferat in digerendis & resolvendis omnigenis materiebus sub cutem præter naturam aggestis, præcipuè frigidis vixque resolubilibus: quales sunt, Pani, Scrofulæ, Nodi, Ulcera callosa.

Emplastrum aliud ad idem *ex Eodem.*

♃. Gummi ammoniaci, galbani, opopanacis, sagapeni aceto solutor. colatorum & spissatorum, myrrhæ electæ subtiliter pulveratæ an. unc. iij. olei laurini, spir. vini an unc. i. sulphuris vivi. salis armoniaci, vitrioli romani ana unc. ß. euphorbij ℥. *ii. F. e. a. emplastrum.*

Etiamsi hoc Emplastrum è multò paucioribus componatur quàm quod præcessit, attamen admodum efficax est in eijsdem effectibus producendis.

Emplastrum Gratia Dei. *ex Ph. Lond.*

♃. Terebinthinæ, selibram. resinæ, ℔. *i. ceræ citrinæ, unc. iv. mastiches, unc. j. fol. rec. betonicæ, verbenæ, pimpinellæ, ana M. i.*

Tusæ herbæ in vino rubello macerentur diem integrum, dein coquantur ad mediæ partis vini consumtionem: in liquore expresso solvatur cera, assiduè spathâ agitando ad liquoris exhalationem; tum resina addatur, ut liquescat. Ab igne sublatis Terebinthina permisceantur; & postremò, ubi refrixerint, mastiche in pulverem redacta; fiatque ex arte Emplastrum.

Emplastrum Griseum seu de Lapide Galaminari. *ex Ph. Aug*

℞. Lapidis calaminaris præparati unc. j. lithargyri unc. ii cerussæ unc. s. tutiæ ℥. *j. terebinthinæ unc. j. s. ceræ albæ* ℥. *iii. sevi cervini unc.* IV. *thuris electi* ℥. V. *mastiches* ℥. *iii. myrrhæ* ℥. *ii camphoræ* ℥. *i. s. confice s. a. sevo terebinthinâ & ceræ liquatis, post aliqualem refrigerationem, reliquorum pulverem immiscendo.*

Emplastrum Gummatum Paracelsi. *ex Schrod. Ph.*

♃. Gum. serapin. bdell. opopanac. galban. an. unc. i. solve in acet. cola, colaturæ adde Mastic. thur. masc. an. ℥. *iij. ceræ alb. ad pondus omnium, fiat emplastrum. mundificat vulnera & consolidat, discutit tumores.*

Emplastrum de Gummi Elemi. *ex Ph. Lond.*

♃. Gum. elemi, unc. IV. *resinæ pini, ceræ puræ, ammoniaci, āā unc. ii. terebinth.* ℥. *iii. s. vini malvatici q. s. coquantur ad absumptionem vini, tum ammoniacum aceto solutum adijciatur.*

Emplastrum Hepaticum. *ex Ph. Reg. Zwelfferi.*

♃. Terebinthinæ claræ & odor. unc. VI. *in qualique fiant pulv. gumm. ammoniaci, myrrhæ subtiliss. pulv. āā unc.* I. *s. elemi, sagapeni, āā unc. i.* his liquatis adde *ceræ flavæ notæ & odoratæ unc.* IV. *& dum adhuc liquata in diplomate hærent, super inijciantur sequentes radices, & herbæ, subtilissimo modo incisæ atque contusæ ad pultis formam: ut potè, Rad. recent. apij, enulæ, pimpinellæ, cichorij sylv. āā unc. i. herb. recent. agrimoniæ absinthij, nasturtii hort. ana unc. i. ß. flor. rosar. rubr recent*

recent. unc. ii. camphoræ ʒ. IV. *soluta in olei sem. Nasturtij expressi unc. j. item super inspergantur pulv. santali rubri, baccarum lauri, olibani ana unc. j. succi absinthij, chamædryos, ana inspissat. ad formam extracti*, ʒ. VI.

Fiat emplastrum debitæ consistentiæ. Efficax est, in hepate & liene obstructo; cujus duritiem emollit, resolvit, & egregie roborat.

Emplastrum Hepaticum. *ex Ph. Reg. Zwelferi.*

℞. *Pulv. rosar. rubr. unc. ſs. santali rubri* ʒ. II. *ſs. baccar. lauri* ʒ. II. *pulv. rasuræ eboris, olibani, sem. nasturtij, ana* ʒ. *j. ſs. coquantur in s. q. decocti fortis radic. pimpinell. & herb. absinthij ad cataplasmatis solidiorem consistentiam, ne cuti adhæreat, quod interim asservetur. Jam verò accipe terebinthin. claræ unc. i. ſs. in qua liquefac pulv. gumm. elemi, sagapeni, ana* ʒ. *iii. myrrhæ, rub.* ʒ. *ii. ſs. his liquatis superadde ceræ odor. nov. flav. unc. i. ſs. gummi ammoniaci pulv. & ad pultis spissioris formam, in s. q. vini albi soluti, unc. ſs. succi inspissati absinthij crassi* ʒ. *i. ſs. Item sequentia, minutissimè incisa, & ad pultis formam, in mortario, contusa adiiciantur: ut pote, rad. recent. cichor. sylv. pimpinellæ, ana* ʒ. *ii. ſs. apij, enulæ ana* ʒ. *ij. herb. recent. absinthii. chichorii syl. an.* ʒ. *ii. ſs. ultimo tandem immisceatur superius asservatum cataplasma & camphoræ* ʒ. *j. ol. ligni rhodii* ʒ. *i. ſs.*

Fiat Emplastrum hepaticum; cujus unc. II. ſs. circiter extendantur super alutam, & obducatur syndone rubro.

Emplastrum de Hermodactylis.

℞. *Massæ empl. diachalciteos, unc.* VIII. *picis burgundicæ liquatæ, & per canapatium trajectæ, unc.* IV. *saponis veneti albi, ceræ flavæ novellæ, ana unc. iii. butyri aurantiorum, unc. ſs. cumini, hermodactylorum, ana unc. ſs. fol. absinthij siccat. flor. chamæmili, ireos flor. ana unc. ſs.*

Pulveranda subtilissimè pulverentur. Fiatque ex arte Emplastrum.

Emplastrum ad quamvis herniam exceptâ Hydrocele, *ex Schroderô.*

℞. *Exuvias anguillarum non salitas & in aq. calcis lotas, coque in lixivio donec crassescant & F. instar glutinis, quod effunde super marmor.*

℞. *Hujus glutinis trajecti unc.* IV. *adde lapidis hæmatit. sacchari saturni. jov. usti an.* ʒ. III. *gumm. ammon. in Acet. acerr. solut. & cum ol. myrrh. confusi unc. M. Omnia in fictili super ciner. lentos, ut coëant in massam empl. tenuis, extendatur super alutam. Hoc gluten adeo tenax est ad hernias glutinandas, imò, ad solutum peritonæum, ut omne aliud impar sit, superponendo levissimum subligaculum & diætam congruam observando.*

Emplastrum contra Herniam carnosam *ex D. D. Donzello.*

℞. *Olei philosophorum unc.* VI. *opopanacis, galbani, bdellii an.* ʒIII. *liquescant omnia super igne lento, dein adde farinæ fabarum* ʒIII. *pulp. ficuum sicc. no.* IV. *camphoræ, rutæ an.* ʒj. *F. e. a. emplastrum.*

Hoc emplastrum maturat aut resolvit herniam carnosam & impedit quò minus recidivam patiatur ea affectus, atque in tota operatione sua dolores minimè creat.

Emplastrum pro Herniosis. *ex Ph. Norimb.*

℞. *Pulv. mastichis, mumiæ, thuris, succini, gummi arabici, tragacanthæ, aloës optimæ, balaustiorum, rosarum fin. ana unc. ſs. sanguinis dracon. boli armenæ, croci martis reverberati, lapidis hæmatitis an.* ʒ. VI. *ol. rosar. unc.* III. *myrtini, mastichini an. unc.* I. cum cera & resina q. s. M. fiat Emplastrum.

Emplastrum ad Herniam. *ex Ph. Lond.*

℞. *Gallarum, nucum Cupressi, malicorii, balaustiorum, acaciæ, sem. plantaginis, psyllij, nasturtii, cupularum glandium, fabarum torrefactarum, aristolochiæ longæ, & rotundæ. Myrtillorum, ana* ℥. *ſs. hæc omnia pulverentur, & in aceto rosaceo macerentur per quatriduum; deinde torrefiant, & exiccentur: tum.*

℞. *Consolidæ majoris & minoris, caudæ equinæ, glastij, ceterach. rad. osmundæ regalis, filicis, ana* ℥. *i. thuris, myrrhæ. aloës, mastiches, mumiæ, ana* ℥. *ii. boli armenæ in aceto lotæ, lapid. calaminaris præparati, lithargyri auri, sang. dracon. ana* ℥. *ii. picis navalis,* ℔. *ii. terebinthinæ,* ℥. *vi. vel q. s.* ut fiat Emplastrum s. a.

Emplastrum ad Rupturas, seu Hernias. *ex Ph. Reg. Zwelferi.*

℞. *Pulv. rad. cyperi rotundi, tormentillæ, bistortæ, saniculæ, ana* ℥. *ſs. symphyti mai.* ℥. *i. ſs. herb. recent. perfoliatæ. pyrolæ. hyperici floresc. consolidæ sarracen. fol. recent. quercûs ana subtilissimè consciss. & contusorum ad pultis formam.* ℥. *j. ſs. pulv. flor. rosar. rubr. balaustiorum. sem. perfoliatæ, nuc. cupressi, calicum gland. quercus, olibani, sarcocollæ, sanguinis draconis, alum. usti, ana* ℥. *ſs. lapid. hæmatit.* ʒ. *vi. Coquantur cum s. q. decocti fortissimi glandium arboris laricis, sive abietis cum vino rubro facti. ad cataplasmatis sat solidam consistentiam, ne manibus adhæreat, cui, ab igne remoto, adde sequentia invicem jam tum liquefacta: ut pote, ceræ novæ odoratæ* ℥. *xv. terebinthinæ claræ* ℥. *IV. gummi mastichis* ℥. *iii. elemi tacamahacæ, ana* ℥. *ii. balsamin. martialis vulnerarij, cum ol. terebinth. rubro parati, & superius, in classe de oleis coctis, edocti,* ℥. *j. ſs.*

Fiat emplastrum mollioris nonnihil consistentiæ, ad instar cataplasmatis durioris, vesicæ inclusum asservandum.

Præstans Emplastrum ad hernias sanandas, sive Enterocele, sive bubonocele sit, singulis diebus recenter applicandum; repositis priùs intestinis, & cingulo apto, ligaturâ, factâ, ne intestina prolabi possint.

Emplastrum ad Hydropem. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Stercoris columbini aceto macerati* ℔. *i. succi ebuli* ℥. *ii. mellis* ℔. *ſs. sulphuris vivi* ℥. *j. nitri* ℥ *ſs. coquantur ad spissitudinem; postea addantur. pulv. rad. ireos* ℥. *i. enulæ, baccarum lauri, anethi. flor. chamæmeli ana* ʒ. *vi. sem. nasturtij* ʒ. *ii. farinæ fabarum* ℥. *i. ſs. sevi cervini* ℔. *ſs. terebinthinæ* ℥. *iv. ſs.*

Fiat emplastrum. Eo quondam crebrò usi sunt celeberrimi Medici Patavini, Joannes Baptista Montanus & Aloisius Bellacattus, tanquam experto ac valdè probato ad hydropem remedio, nec nos inefficax deprehendimus.

Emplastrum Hydroticum. *ex Ph. Norimb.*

℞. *Nitri depurati* ℔. *ſs. solvatur in aquæ comm. q. s. coquatur deindè leniter in vase amplo, cum ceræ citrinæ, terebinthinæ. olei antiqui ana* ℔. *ſs.* ad justam cerati, vel emplastri, consistentiam.

Emplastrum de Hyosciamo, Ludovici. *ex Lex. Ph. D. D. Jungkem.*

℞. *Ol. sem. hyosciami expressi. succi hyosciami an. q. s. coq. ad consumptionem succi, tunc adde ceræ & tereb. q. s. ut fiat s. a. empl. hoc resolventibus aliis omnibus præfert Ludov. in sua pharmacia.*

Emplastrum Hystericum, sive Matricale. *ex Phar. Norimb.*

℞. *Galbani in aceti q. s. ad formam pultis soluti* ℥. *i. s. terebinthinæ claræ* ℥. *ii. in qua pulv. gummi tacamahacæ* ʒ. *v. assæ fœtidæ* ℥. *s. animæ* ʒ. *iii. dissoluta & liquefactæ sunt, & alternatim etiam de pulvere sequenti adijciatur porti unc ula*

℞. *Pulv.*

℞. Pulv. myrrhæ unc. ß. matricariæ, an. ℨ. II. sem. dauci ℨ j ß. bdellij in aceto soluti ℨ. j. fiat ceratum.

Emplastrum Hystericum. *ex Ph. Lond.*

℞. Rad. bistortæ, ℔. j. lig. aloës, santali citrini, nucis moschatæ, acinorum berberorum, antheræ, an. unc. j. cinnamomi, caryophyllorum, Schœnanthus, flor. chamæmeli, an. unc. ß. thuris, mastiches, aliptæ moschatæ, galliæ moschatæ, styracis calamitæ colati, an. ℨ. j. moschi optimi, ℨ ß. ceræ citrinæ, ℔. j. ß. terebinthinæ ℔. ß. moschelini, unc. IV. labdani ℔. IV. picis navalis, ℔. III. Ceræ cum pice in oleo liquatâ, labdanum & terebinthina addantur, dein styrax. Omnibus unitis & refrigeratis permisceantur pulveres (sub finem addendo aliptam & galliam moschatas, ultimoque moschum vino aromatico solutum) & spathâ diligenter agitentur, & subigantur, ut fiat emplastrum s. a.

Emplastrum de Janua, sive de Betonica simplicius. *ex Ph. Lond.*

℞. Succi betonicæ plantaginis, apij, an. ℔. j. ceræ, picis navalis, resinæ, terebinthinæ, an. ℔. ß. In succis non defœcatis coque ceram minutim concisam, continuè movendo; tum picem & resinam adijciendo, coque porrò ad humidi superstitis absumptionem: demum in Colatura dissolve terebinthinam, spathulâ ligneâ accuratè agitando, ut fiat Emplastrum, s. a.

Emplastrum Ischiadicum. *ex Ph. Aug.*

℞. Gummi galbani, Sagapeni, castorei an. unc. ß. Euphorbij ß. j. seminis lini, ceparum, erucæ an. ℨ. II. pulpam scillæ, stercoris columbini an. ℨ. III. fermenti acris, olei lini an. q. s.

Pulpam Scillæ cum stercore col. fermentando, & oleo lini coquendo ad partium aquosarum exhalationem, postea his ab igne remotis reliquorum pulveres addendo, fiat emplastrum.

Commendatur illius virtus ad humores à cerebro & partibus superioribus ad coxam destillantes, exsiccandos, vel attractos è profundioribus istis locis discutiendos, atque ità dolores ischiadicos placandos & auferendos.

Emplastrum de Linamento D. Rambaudi. *ex Ph. Bauderon.*

℞. Linamenti minutim incisi, ℔. ß. ol. comm. ℔. II. cerusæ ℔. j. ceræ citrinæ, ℔. ß. olibani subtiliss. triti, unc. IV. fiat Emplastrum usui in Magdalias condendum.

Emplastum Magneticum Angeli Salæ *ex Ph. Aug.*

℞. Gummi sagapeni, ammoniaci, ana præp. unc. III. terebinthinæ laric. ceræ an. unc. IV. ß. magnetis arsenicalis unc. III. terræ vitrioli lotæ sive colcotharis edulcati, unc. I. olei succini, unc. II. Gummia cum terebinthina & cera liquescant, addendo dein pulverem magnetis, arsenicalis & colcotharis, & tandem oleum succini, fiat Emplastrum.

Præparatio Arsenicalis magnetis hæc est.

℞. Antimonij crudi, sulphuris flavi, arsenici crystallini an. unc. ij.

Pulverisentur omnia subtiliter & in vase vitreo in arenam calentem imponantur, & tamdiu in illa reliquantur, donec materia illa omnis colliquescat, studiose à fumo sibi cavendo, id quod inde cognoveris, si materia ferreo stylo tacta illi adhæserit, & terebinthinæ instar duci possit.

Emplastrum hoc anthracibus pestilentibus dextrè adplicatum, eos maturat, rumpit, & venenum attrahit, longè alijs emplastris huic usui destinatis meritò anteferendum vide nostrum Mindererum de chalcantho cap. 7. D. D. Frider. Hoffmannum in methodo med. pag. 427. & clave pharm. Schrod. pag. 72. ut & Godofr. Schulzij appendicem scrutinij cinnabar.

Emplastrum Malacticum cum gummibus. *ex Ph. Aug.*

℞. Ceræ citrinæ unc. II. ℨ. VI. terebinthinæ ℨ. x. sevi cervini, resinæ an. unc. j. gummi ammoniaci, galb. ana præpar. unc. ß. pulv. curcumæ, fœnugræci, lini ana unc. ß. althææ ℨ. II. farinæ fabarum, tritici an. ℨ. III.

Ceræ, sevo, & resinæ liquefactis, colatis, postea ab igne depositis & semirefrigeratis pulveres ac gummia cum terebinthina liquata immiscendo, fiat Emplastrum.

Emplastrum Malacticum sine Gummibus. *ex Ph. Aug.*

℞. Ceræ citrinæ unc. VIII. terebinthinæ unc. IV. colophoniæ unc. III. olibani unc. II. tartari albi. ℨ. ij. myrrhæ; seminis fœnugræci, lini an. unc. j. radicum althææ, Curcumæ, farinæ fabarum ana ℨ. II. olei lini ℨ. III.

Cera cum colophonia liquetur, coletur & oleo ac terebinthinæ invicem liquefactis, ut & reliquorum pulvis ex arte permisceatur.

Vires utriusque Emplastri nomini respondent, & cum viribus Emplastri de meliloto conveniunt.

Emplastrum de Marcassita *D. D. Donzelli.*

℞. Gummi ammoniaci unc. iij. galbani, opopanacis, sagapeni an. unc. j. lapidis marcassitæ præparati unc. III. diachyli major, unc. VI. olei chamæmelini unc. ij. m. f. s. a. Emplastrum.

Hoc Emplastrum resolvit & maturat omnes tumores duros etiam schirrosos, cum eventu minimè fallaci.

Emplastrum de Mastiche. *ex Ph. Lond.*

℞. Mastiches, unc. III. boli armenæ, in vino rubro lotæ, unc. j. ß. rof. rub. ℨ. VI. scobis eboris, bacc. Myrtillorum, ana unc. ß. terebinthinæ, colophoniæ, tacamahacæ, labdan, an. unc. II. ceræ flavæ, ℔. ß. olei myrtillorum, unc. IV. pulveranda seorsim terantur. Dein cera in oleo liquescat: liquatæ & igni subductæ adde terebinthinam: postea bolus, rosæ & ebur in tenuissimum pulverem redacta permisceantur: tandem mastiche accuratè subigatur, omniaque in mortario parùm calido gnaviter versando, f. s. a. emplastrum.

Emplastrum pro Matrice *D. Præpos. Renod. Ph.*

℞. Radicis bistortæ ℔. ß. ligni aloës, santali moschatellini, nucis mosch. berberis, antheræ an. unc. ß. cinnamomi, caryophyllorum, schœnanthi, florum chamæmeli, an. ℨ. II. thuris, mastiches, aliptæ moschatæ, galliæ mosch. styracis rubei an. ℨ. ß. moschi, gr. XV. ceræ citrinæ ℨ IX. terebinthinæ unc. III. ladani ℔. II. picis navalis ℔. i. ß. olei moschatellini unc. II.

Emplastrum de Meliloto Mesuæ. *ex Ph. Aug.*

℞. Meliloti unc. VI. flor. chamæmeli, fœnugræci, baccarum lauri, rad. althææ, absinthij ana ℨ. III. sem. apij, cardamomi, Ireos, cyperi, spicæ nardi indicæ, cassiæ ligneæ, ammeos ana ℨ. j. ß. majoranæ ℨ. III. ammoniaci præpar. ℨ. x. styracis calamitæ præpar. bdellij an. ℨ. V. terebinthinæ unc. j. ß. ficuum pinguium nu. 12. sevi hircini, resinæ an. unc. II. ß. ceræ unc. VI. ol. sampsuchini, nardini an. unc. III.

Cera cum resina & sevo liquata ac colata misceatur oleis, postea ab igne depositis & semirefrigeratis pulveres, ac tandem styrax & ammoniacum, in terebinthina liquata, ut & ficus in pulpam crassam redacti addantur. Fiat Emplastrum.

Malacticum celebre ad inveteratas durities jecoris, lienis, ventriculi, viscerum, & reliquarum partium emolliendas, hypochondriorum tensionem laxandam, flatus resolvendos, bubones discutiendos, ac dolorem à frigido sedandum.

Emplastrum de Meliloto simplex. *ex Ph. Lond.*

℞. *Resinæ purissimæ,* ℔. *viij. ceræ citrinæ,* ℔. *iv. sevi ovilli,* ℔. *ij. hisce liquatis adde meliloti viridis, minutim concis.* ℔. v. fiat ex arte emplastrum.

Emplastrum de Mucaginibus simplex *à D. Lemery* correctum.

℞. *Mucagin. rad. althææ, sem. lini, fænugræci, & ficuum an.* ℥*iv. terebinth.* ℥*iij. resinæ pini, medullæ cruris vituli aut bovis, butyri recentis an.* ℥*ij. ceræ citr.* ℥*xx. coq. simul ad consumpt. mucilaginum, colentur & f. e. a. emplastrum.*

Vires sunt emollientes ac resolventes; imò suppurationem tumorum hoc emplastrum promovet.

Emplastrum de Mucaginibus Gummat. *Textoris.*

℞. *Emplast. de mucagin. simpl.* ℔. *ijss. gummi ammoniaci* ℥*j. galbani, opopanacis, sagapeni an.* ℥*s. croci subtiliter pulver.* ʒ*ij. M. f. s. a. emplastrum.*

Præstat gummia pulverisare quàm dissolvere quia sic partium volatilium minor fit dissipatio.

Vires sunt eædem quæ prioris; sed hôc emplastrô facilè carere possumus dum in officinis prostat emplastrum diachylon cum gummi.

Emplastrum Μηλεϑωτικόν. *ex Ph. Lond.*

℞. *Mastiches,* ℥*.j.s. galbani purioris, in vino rubro soluti & colati,* ʒ*. vi. terebinthinæ cypriæ,* ʒ *ij. nuc. cupress. gallarum, an.* ℥*.j.s. olei nucis moschatæ per expressionem,* ʒ *j. moschi gr. ij.s. picis, ex navibus vetustis derasæ* ʒ*. ij.s.*

Contundantur leviter galbanum, pix, terebinthina, & Mastiche cum pistillo & mortario calidis, sub finem miscendo oleum nucis moschatæ; tum demum paulatim adjiciantur pulveres & moschus super marmore, cum modico olei mastich. dissolutus, & post exactam mistionem, fiat Emplastrum.

Emplastrum de Minio Vigonis. *ex Ph. Aug.*

℞. *Olei rosati* ℔*.j.s. myrtini, unguenti populei an.* ℥*.iv. pinguedinis gallinæ* ℥*.ij. porcinæ* ℥*.vij. sevi castrati, vaccini an.* ℔*.s. lithargyri auri, argenti an* ℥*.iij.s. minij* ℥*.iij. cerussæ, terebinthinæ an.* ℥*.iv. ceræ quantum sufficit.*

Fiat emplastrum s. a. olea cum lithargyro, cerussa & Minio leniter coquendo, & cætera deinde in eis liquefaciendo & permiscendo. Vulnera & ulcera antiqua atque maligna curat.

Emplastrum de Minio Nicolai Massæ. *ex Ph. Aug.*

℞. *Minij* ℔*. ij. olei rof.* ℥*. xx. picis navalis* ℥*. iv. terebinthinæ* ℥*. ij.*

Fiat emplastrum, oleum cum minio ad debitam consistentiam coquendo, & picem cum terebinthina liquatam & colatam ei permiscendo.

Commendatur ad vulnera pectoris penetrantia & ad ulcera antiqua, ac difficilis consolidationis. Massa parte 2. fol. 96.

Emplastrum de Minio compositum. *ex Ph. Lond.*

℞. *Olei rof.* ℔*.j.s. myrtini, ung. populei, an.* ℥*.iv. pingued. gallinæ* ℥*.ij. porcinæ* ℥*.vij. lithargyri auri, argenti an.* ℥*. vj. cerussæ* ℥*. ix.*

Coquantur lentô igne, continuè agitando (addendoque identidem aceti acerrimi aliquantum, ne nigrescat) ad consistentiam Emplastri durioris; *cui adde sevi vervecini, bubuli. an.* ℔*. ss. terebinthinæ, minij, an.* ℥*. iv. ceræ flavæ parùm.*

Bulliant iterum tantillùm, fiatque s. a. emplastrum.

Emplastrum de Minio simplicius. *ex Ph. Lond.*

℞. *Minij,* ℥*. ix. olei rof. rub.* ℔*.j.s. aceti vini albi* ℥*. vj.* coquantur in perfectam Emplastri consistentiam paratur etiam sine aceto. sic,

℞. *Minij* ℔*.j. olei rosacei* ℔*. j. ss. ceræ* ℔*. ss.* fiat emplastrum s. a. potest etiam cera commodè omitti.

Emplastrum miraculosum ex *D. D. Schultzio* in Miscell. curios. German.

℞. *Cerussæ opt.* ℔*. ij. camphoræ* ʒ*ij. lithargyrij.* ℔*. ss. baccar. lauri* ℥*s. olei olivar. recentiss.* ℔*. iv. min.* ℔*. s. saponis veneti* ℥*iv. omnia pulverisata & commixta decoque cum oleo olivar. ad densitatem, & effunde super aquam fontanam frigidam, f. s. a. magdaleones in loco opaco asservandi.*

Hoc emplastrum temperatissimum ad varia ulcera & vulnera optimum est, & sine omni sorditie ubivis applicari potest. Addit DD. Schultzius se novisse qui ad erysipelata eo feliciter sunt usi, imprimis autem ejus usum expertum in varijs tumoribus, arthritide, podagra atque fonticulis.

Emplastrum mundificativum. *ex Schrod.*

℞. *Ceræ* ℔*.j. resin. alb.* ℥*iv. terebinth. laric.* ℥*j. ol. bufonum. scorpion. an.* ℥ *ij. styrac. liquid.* ʒ *vj. suc. chelidon. expr.* ℥*iv. aristoloch. rot. unc. s. gumm. ammoniac. in acet. solut. & inspissat. unc. ij. myrrh. sarcocoll. an.* ʒ*j. F. s. a. emplastrum.*

Vires. Mundificat vulnera venenata ac fistulosa. Hartman. in Pract.

Emplastrum Nervinum Vigonis. *ex Ph. Aug.*

℞. *Olei chamæmelini, rosar. an. unc. ij. mastichini, terebinthinæ, lini an. unc. j. s. terebinthinæ claræ unc. iv. sevi vitulini, hircini an. unc. ij. ss. herb. rorismarini, betonicæ, caudæ equinæ, centaurij an. m. j. vermium terrestrium lotorum unc. iij. rad. rubiæ tinctorum* ʒ*. x. hyperici fol. & sem. ejus an. m. j. mastiches pulverisatæ, gummi elemi an.* ʒ*. x. picis navalis, resinæ an. unc. j. s. sagapeni, galbani, ammoniaci an. prapar.* ʒ*. iij. lithargyri auri, argenti an. unc. ij. s. minij unc. ij. ceræ q. s.*

Oleum chamæmelinum, rosarum, mastichinum & lini cum lithargyro & minio coquantur ad debitam consistentiam, postea addantur pix, resina, sevum cum cera invicem liquata & colata, atque cum ab igne deposita & semirefrigerata fuerint, post reliqua in pulverem redacta, gummi elemi, sagapenum, galbanum, ammoniacum cum terebinthina liquefacta, ac tandem oleum terebinthinæ.

Emplastrum Nicotianæ, D. Joan. Neandri, *ex Ph. Bauderon.*

℞. *Succi nicotianæ majoris* ℔*.s. absinthij, pontici majoris unc. iv. oleum hyperici, & Irini, vel sambuci, an. unc. j. s. folior. absinth. pontici, prunellæ, vel symphyti minoris, Scrophulariæ minoris, Matthioli, an. m. j. vini albi unc. j. s.* bulliant omnia simul ad vini, & succorum fermè consumptionem, in vase æneo, semper movendo cum spatula lignea, ne urantur: deinde torculari exprimantur, tum liqua *ceræ flavæ,* ℥*. iv. adipis hirci & terebinthinæ, an.* ℥*. ij. pulv. thuris, mastiches & Myrrhæ an. unc. j.*

Fiat emplastrum in magdalias reponendum. Strumas, & quosvis tumores duros ab humore frigido potenter remollit, ac resolvit.

Emplastrum Nigrum. *ex Ph. Aub.*

℞. *Colophoniæ, resinæ, picis navalis, ceræ albæ, vitrioli romani, cerussæ, olibani, myrrhæ an.* ℥*. viij mastiches, terræ sigillatæ, sanguinis draconis, lumbricorum præparatorum, camphoræ an.* ℥*. j. mumiæ, lapidis magnetis præparati, vitrioli albi, corallij rubri an.* ℥*. ij. axungiæ ardeæ* ℥*. j. thymalli unc. iij. olei ovorum unc. ij. de spica unc. i. Juniperi ex granis unc. iij. rosarum unc. vij.*

Fiat emplastrum secundum artem, Colophoniam resinam, picem & ceram invicem liquando ac colando, dein olea & axungias, ut & reliqua pulverisata immiscendo.

Em-

Emplastrum Opodeltoch. D. D. Mindereri. *ex Pharm. Aug.*

℞. Ceræ novæ mundissimæ ℔. I. *terebinthinæ Venetæ claræ* ℔. ß. *olei hyperici, myrtini an.* ℥. I. ß. *gummi elemi* ℥. III. *ammoniaci, galbani, opopanacis an præpar.* ʒ. III. *colophoniæ* ʒ 6. *mumiæ selectæ. succini albi an.* ʒ I. *olibani, mastiches, sanguinis draconis, sarcocollæ à recrementis purgatæ an.* ʒ. I. ß. *aloës hepaticæ* ʒ ß. *myrrhæ* ʒ. I. *lapidis magnetis præparati* ʒ. VI. *croci martis ex arte sine corrosivo concinnati, tutiæ præparatæ an.* ʒ. I. *lapidis calaminaris præparati* ℥. V. *lithargyri auri* ℥. I. *colcotharis indulcati, seu terræ vitrioli mortuæ ac dulcificatæ* ℥. II. *succi alchymillæ. symphyti, veronicæ, pyrolæ, saniculæ, consolidæ mediæ, vel saracenicæ, telephij, nicitianæ, numulariæ, aut fol. quercus an.* ℥. I.

Olea cum succis coquantur ad humiditatis aqueæ consumptionem; posteà additis cerâ & colophoniâ invicem liquatis ac colatis, ut & post factam ab igne remotionem & aliqualem refrigerationem, gummibus cum terebinthina solutis, atque reliquis in pulverem redactis, fiat lege artis Emplastrum.

Emplastrum hoc magnæ efficaciæ est ad vulnera recentia sananda, spicula, tela, cuspides, dummodo ossibus fixi non hæreant, itemque pilos, aut quæ vulneri inciderint, extrahit, symptomata vulneribus infensa ac periculosa, si citò adplicetur, præcavet, tumores, adfluxusque humorum qui offensæ parti incumbere solent, reprimit.

Qui mollius habere hoc emplastrum voluerit, terebinthinæ ac oleorum supradictorum quantitatem nonnihil augendo, facile id obtinere poterit,

Emplastrum Opodeltoch. *ex Ph. Norimb.*

℞. Ammoniaci. VI. *bdellij, an.* ℥. II. *galbani, opopanacis ana* ℥. I.

In aceto dissoluta, ut purificata coquantur ad justam consistentiam: deinde

℞. Olei olivarum ℔ II. *cerá novæ* ℔. ß. colliquescant paulatim, & inspergatur *lithargyri auri* ℔ j. ß.

Coquantur ad colorem brunum; mox gummi liquefacta & condensata frustillatim indantur, cavendo, ne nimio calore effervescentia effluant: tandem

Pulv. aristolochiæ rotundæ veræ, longæ veræ, lapidis calaminaris albi, thuris albi, myrrhæ, mastichis, ol. laurini ana ℥. I. *terebinthinæ claræ* ℥. IV.

Admisceantur, agitando continuè, donec justam acquirat consistentiam; quod demùm cum oleo rosarum, & chamomillæ malaxetur.

Emplastrum pro Ossibus fractis *Vigonis*, ex Theatrô Italicô *Antonij de Sgobbis.*

℞. Radic. & foli fraxini, ac consolidæ, fructuum & foliorum myrti ac salicis ãã m. j. conterantur, & humectentur cum vinô nigrô. post bulliant cum oleor. mirti, rosarum, & omphacini ãã. ℔. ß. *ad absolutam consumptionem humiditatis. Colentur, exprimantur ac recoquantur lentè igne continue agitando ac sensin admiscendo mucaginis rad. alth.* ℔. *ij lithargyr. auri & argenti ãã.* ℥ *iij. donec omnia probè sint incorporata, & humidum evaporatum. Tunc adde sevi hircini* ℔. ß. *terebinth.* ℥ II. *& antequam massa sit prorsus refrigerata, boli armen. terræ sigill. ãã.* ℥ II. *minij* ʒ x. *mastiches* ℥ I. *myrrh. electæ, olibani ãã.* ʒ ß. *M. & f. s. a. Emplastrum.*

Vires sunt in fracturis ossium, imò in doloribus ac debilitatibus membrorum.

Emplastrum Oxycroceum commune ex Nicolao. *ex Ph. Aug.*

℞. Ceræ, picis, colophoniæ ana ℔. I. *croci, terebinthinæ, galb. præpar. ammoniaci præpar. myrrhæ, olibani, mastiches ana* ℥ IV.

Ceræ, pix, & colophonia invicem liquentur & colentur, quibus dein ab igne depositis & semi refrigeratis galbanum & ammoniacum in terebinthina soluta, post reliqua in pulverem tenuissimum redacta, jungantur, fiatque secundum artem emplastrum.

Ad contusa, ossium fracturas, nervorum dolores, & abscessuum inveteratorum duritiem emolliendam idoneum, emplasticum quoq; & gignendo callo habile.

Emplastrum oxycroceum Vigonis, *vid.* Emplastrum pro Ossibus.

Emplastrum Diaphœnicon calidum *Mesuæ. ex Ph. Aug.*

℞. Ceræ ℥. II. *olei rosati, nardini ana* ℥. IV. simul liquentur; deinde

℞. Dactylorum siccorum n. 40. *panis biscocti, carnis cydoniorum ana* ℥. j.

Coquantur in vino odorato, & redigantur in pulpam, quæ ad debitam consistentiam perducta misceantur superioribus; addendo denique sequentia pulverata.

Mastiches, thuris, absinthij romani, ana ʒ II. *ß. ligni aloës, macis, myrrhæ, aloes lotæ, spicæ nardi, acaciæ, galiæ moschatæ. trochiscorum ramich, calami aromatici an.* ʒ. *j. ladani* ℥. II. m. f. Emplastrum.

Ventriculum & hepar firmat, ob id lienteriam & dysenteriam hepaticam juvat. Id verò quod frigidum dicitur, ventrem totum inferiorem, ne aliarum partium recrementa suscipiat, roborat, coctionemque adjuvat; ob hæc vomitum, choleram morbum, lienteriam ac fluxum hepaticum coërcet.

Emplastrum Diaphœnicon Frigidum *ejusdem ex Pharm. Aug.*

℞. Dactylorum maturitati proximorum ℥. V. *panis bis cocti* ℥. I. *carnis cydoniorum* ℥. I. *ß.*

Coquantur cum vino austero, & redigantur in pulpam, quæ debitè inspissata permisceatur cum sequentibus.

℞. Pulv. styracis calamitæ, mastiches, ladani, florum acaciarum, rosar. rubr. sandali citrini, trochiscor. ramich. myrrhæ, ligni aloës ana ʒ. IV. *ceræ* ℥. IV. *olei rosacei* ℥. XV. fiat ex arte emplastrum.

Emplastrum Nervinum Antipodagricum *ex Ph. Reg. Zvvelferi.*

℞. Terebinthinæ claræ ℥. VI. in qua liquefato, *gummi carannæ puriss.* ℥ *j. pulv. gummi ammoniaci, elemi, tacamahacæ, animæ, ana* ℥. I. ß. quibus exactè unitis adde sequentia, inter se invicem leni calore liquata: *ceræ flavæ novæ & odoratæ* ℥. IV. *saponis veneti* ℥. IV. *colophoniæ claræ* ℥. III. ultimò denique sequentes pulveres & olea inspergantur: utpotè *pulv. olibani albi, mastichis, pulv. sandaracæ, succini ana* ℥ I. *ß. ulneæ fruticis acaciæ* ℥. I. *croci opt.* ʒ VI. *diluti ad pultis formam cum succo chelidoniæ, camphoræ* ℥. *ß. solutæ in olei saponis veneti, cum silicibus still.* ℥. VI. *vel* ℥. *j. salis tartari* ℥. *j. ß.*

Misceantur exactè omnia, & erit emplastrum excellens nervinum, atque arthriticum: roborat artûs, extrahit & allicit humores acres, dissipat acidum fermentum; adeoque in podagricis affectibus efficax.

Emplastrum Dia-Pompholigos.

℞. Olei solani, ceræ. alb. ãã. ℔. *ij. ceruss. plumbi usti, pompholigos ana* ℥ IX. *olibani unc.* IV. *F. s. a. Emplastrum.*

Pompholix, seu tuthia super prophyrite in alkohol conteretur, aliaque omnia probè pulverabuntur ut e. a. cum aquâ necessaria alijs incoqui possint ingredientibus.

Vires. Sunt desiccativæ ac eædem quæ unguenti Pompholigos.

Emplastrum ad punctionem equini pedis D. *Charraz.*

℞. *Ceræ citrinæ* ℥. VIII. *picis albæ*, *gummi elemi*, *terebinthinæ venetæ ana* ℥. IV. *cinnabaris vulgaris subtilissimè pulveratæ*, *sanguinis draconis*, *aristolochiæ longæ & rotundæ ana* ℥. *ſs.* fiat ex arte emplastrum.

Hoc emplastrum tutum & exploratum est remedium pro equino pedi clavo inflicta punctione, dummodo recens sit. Usus autem hic est. Retegitur foramen punctione effectum in illudque calide infunditur tantillum emplastri descripti, super igne lento in cochleari ferreo liquefacti, rursusque equo solea inducitur quo eandem præstet operam quam minimè punctus præstitisset.

Emplastrum de Ranis cum Mercurio Vigonis. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Ol. chamæmelini*, *anethini*, *liliorum ana* ℥. II. *de croco* ℥. *j. pingued. vituli* ℔. *ſs. ranarum n.* VI. *lumbricorum elotorum* ℥. III. *ſs. decocti radicum ebuli*, *enulæ ana* ℥. II.

Coquantur ad consumptionem humiditatis aqueæ, & post colaturam, cum *lithargyri* ℔. *j.* bulliant ad debitam consistentiam postea addantur.

Ceræ flavæ ℥. VI. & ab igne remotis *pulm. euphorbij* ʒ. *v. thuris* ʒ. *x. Schœnanthi*, *stœcadis*, *matricariæ ana* ℥. *ſs. terebinthinæ claræ* ℥. II. *styracis liquidi* ℥. *j. ſs. argenti vivi cum dicta terebinthina & styrace probe permixti* ℥. IV. *axungiæ viperinæ* ℥. II. *ſs. olei spicæ* ℥. II. fiat Emplastrum.

Debet etiam prostare sine mercurio paratum.

Valet in dissipandis doloribus artuum, omoplatarum, coxendicumque à lue venerea inveterata obortis, partibus robur conciliat, & virulentiam luis sub madoris specie extrahit, quod sine mercurio paratur, doloribus ex frigida causa obortis confert.

Emplastrum de Rhabarbaro Joan. Manardi. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Rhabarbari electi* ℥. *ſs. aloës hepaticæ* ℥. *j. lixivij fortis* ℔. *j. saponis veneti* ℔. *ſs. ceræ* ℥. II.

Decoque s. a. ad justam consistentiam.

Commendatur ad duros tumores, & tophos præsertim in morbo gallico.

Emplastrum Sacrum, sive Diadictamnum Galeni. *ex Ph. Lond.*

℞. *Olei veteris*, ℔. II. *ſs. lythargyri* ℔. I. & ℥. *ſs. æruginis* ℥. I. *squamæ æris*, ʒ VI. *colophoniæ* ℥. VI. & ʒ. II. *pollinis thuris* ℥. I. *ſs. ammoniaci* ℥. II. *æris usti*, ℥. I. *diphrygis. rad. gentianæ*, *ana* ʒ. VI. *propoleos*, *aloës ana* ℥. I. *galbani* ℥. I. *ſs. aristolochiæ rot. dictamni cretici*, *ana* ʒ. *x. ceræ* ℥. III.

Lithargyrum cum oleo coque tantisper, donec probè coïerint, continuè agitando: additisque ærugine & squamâ æris, ferveant aliquantulum. Exemptis ab igne, dum adhuc bulliunt, immitte resinam & ammoniacum in aceto solutum. Agita, donec deferbuerint. Tum adde ceram & æs ustum, Rursus coquantur; & cum non inquinant manus, amove ab igne, & adde reliqua tenuissimè trita; diligenter agitando, ut f. s. a. Emplastrum.

Emplastrum Sandalinum, olim incognitum dictum *ex Pharm. Aug.*

℞. *Ceræ novæ* ℥. IV. *resinæ* ℥. *v. ſs. sandali rubri* ℥. I. *ſs. croci* ʒ. II. *olibani*, *Mastiches*, *myrrhæ*. *aluminis ana* ʒ. I. *ſs.*

Fiat s. a. Emplastrum, ceræ cum resina liquefactæ & colatæ, iterumque semirefrigeratæ sandalum & crocum cum vini spiritu diluta, nec non reliqua in pulverem redacta immiscendo.

Hepar roborat, obstructiones ejus referat, hec non indurationes ejus emollit, infarctosque humores peccantes resolvit, & sanguinem mundificat.

Emplastrum de Sandyce. *ex Ph. Lond.*

℞. *Olei ex pedibus vervecinis*, *aut bubulis*, *lini*, *ana* ℔. I. *plumbi albi*, *minij ana* ℥. VIII. *resinæ*, *ceræ flavæ ana* ℥. IV. *camphoræ*, ℥. *ſs.* M. f. Emplastrum secundum artem.

Emplastrum de Sapone. *ex Ph. Lond.*

℞. *Olei communis* ℔. II. *minij*, ℔. I.

Foco imposita diu seduloque agitentur, donec optimè commixta fuerint.

Tum demtis ab igne & etiamnum calentibus immisce saponis veneti, in tenues lamellas incisi, ℔. ſs. f. s. a. emplastrum.

Emplastrum Saturninum. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Plumbi usti & lati* ℥. II. *sevi hircini*, *ceræ albæ ana* ℥. *j. ſs. terebinthinæ* ʒ. VI. *lapidis calaminaris*, *cerussæ lotæ ana* ℥. *ſs. pompholygos*, *tutiæ præparatæ ana* ʒ. II. *myrrhæ*, *mastiches. olibani ana* ʒ. *j. aloes hepaticæ*, *camphoræ*, *nitri depurati ana* ʒ. *ſs.*

Ceræ cum sevo hircino & terebinthina liquatæ, postquam ab igne remota fuerint, reliqua in pulverem redacta s. a. permisceantur.

Valet contra omnis generis ambusta, inflammationes, tumores, vulnera & ulcera maligna, fœtida, & corrodentia.

Emplastrum ad Scirrhos *S. Clossæi. ex Ph. Schrod.*

℞. *Gumm. carann. tacamahac. ana* ℥. *j. ammon. galban. ana* ℥. II. Liquentur in aceto & per linteum colentur, deinde admisce. *Ol. liliorum alb.* ℔. *ſs. axung. taxi* ℥. II. M. & adde *cinnab. mineral. vel aquilæ alb. dulcificat.* ʒ. II. redige ad formam emplastri & adjunge.

Litharg. subtilitèr pulveris. ℥. II. *rad. elleb. nigr. bryon. ana* ʒ. II. M.

Hoc emplastrum omnes tumores contumacissimos & crudos vel suppurat in partibus suppurabilibus, vel ex toto resolvit, si flatus prædominentur.

Emplastrum Sicyonium. *ex Ph. Lond.*

℞. *Cucumeris asinini*, ℥. III. *sulphuris vivi*, *sem. cymini*, *ana* ℥. II. *Euphor. bij* ℥. *j. ſs.*

Fiat omnium pulvis subtilissimus qui leni igne incorporetur cum picis Burgund. unc. XXVIII. spathâ jugiter agitando: sub finem adde unguenti de artanita unc. III. fiat emplastrum s. a.

Emplastrum sine pari *ex Ph. Lond.*

℞. *Olibani*, *bdellij*, *styracis gummosæ*, *ana* ʒ. III. *ammoniaci*, *galbani*, *ana* ʒ. *j. ſs. picis navalis*, ʒ VI. *medullæ cervinæ*, *adipis gallinæ*, *anseris ana* ʒ. II. *sulphuris vivi*, *lacte loti*, *hermodactylorum pulv. ana* ʒ. *j. ſs.*

Solvantur gummi in vino albo tenui, & cum olei rosati completi partibus duabus, olei ovorum parte una, atque olei terebinthinæ modico, f. emplastrum s. a.

Emplastrum è Spermate ceti. *ex Ph. Aug.*

℞. *Ceræ albæ* ℥. IV. *spermatis ceti* ℥. II. *gummi albani* ℥. *j.*

Ceræ eliquatæ commisceatur sperma ceti, & tandem gummi galbanum tritum fiat emplastrum.

Mammis puerperarum post partum non lactantium impositum, & per aliquot dies gestatum, omnibus ex lacte doloribus & tumoribus, etiam duris, imo scrofulis & strumis medetur.

Emplastrum è Spermate ranarum. *ex Ph. Aug.*

℞. *Spermatis ranarum depurati*, *olei olivarum an.* ℔. III. *ceruſ-*

cerussæ venetæ ℔. IV. *ß. ceræ albæ* ℔. *j. aluminis crudi* ℥. IV. *terebinthinæ* ʒ. II. *camphoræ* ℥. *j.*

Oleum cum ſpermate ranarum uſque ad humiditatis aquoſæ conſumtionem coquatur, poſtea cera & terebinthina, ut & reliqua pulveriſata ex arte immiſceantur.

In inflammationibus & doloribus coërcendis, nec non ad ulcera contumacia & antiqua curanda utiliter adhibetur.

Emplaſtrum Spleneticum Hieronymi Fabricij ab Aquapendente. *ex Ph. Aug.*

℞. *Gummi ammoniaci præpar.* ℥. *j. ſucci tabaci* ℥. *ß. ebuli, reſinæ pini, terebinthinæ ana.* ʒ. II. *olei de capparibus* ℥. *ß. ceræ* ʒ. *j. ß.*

Fiat emplaſtrum, ſuccos cum oleo ſufficienter coquendo, dein ceram cum reſina liquatam & colatam, ac tandem ammoniacum cum terebinthina ſolutum jungendo. Hujus emplaſtri virtus eſt in reſolvendo ſucco melancholico, ſplenem occupante, priuſquam in ſcirrhum abeat, vel ſi diuturnitate temporis jam ſeſe exſerat, in eodem emolliendo & reſolvendo.

Emplaſtrum Spleneticum. *ex Ph. Reg. Zwelferi.*

℞. *Terebinthinæ liquidæ* ℥. VI. *in qua liquefacito, pulv. gumm. ammoniaci, elemi, ſagapeni an.* ℥. *j. ß. maſtichis.* ℥. *j.* his, leniter in diplomate liquatis, adde ceræ flavæ odorat. unc. VIII. ol. ſem. naſturtij expreſſi unc. j. ß. ſuccini ſtill. unc. ß. & cum liquata adhuc in diplomate calent, inſuper ſequentia, ſubtiliſſimè inciſa & contuſa ad pultis formam, adjiciuntur poſtè *herb. rec. Naſturtij, perſicariæ, roriſmarini, verbenæ an.* ℥. III. item *ſucci verbenæ, ſucci vel decocti ſcolopendrij, an. inſpiſſator. ad formam extracti,* ℥. *ß. extracti tabaci infumati* ℥. *v.* tandem ſuper inſpergantur ſubſequentia: *pulv. Olibani, myrrhæ. an.* ℥. *j. ß. tabaci infumati, ſeu nicotian. ſem. naſturtij, an.* ʒ. *vj. camphoræ* ℥. *j. ſolutæ cum ol. ſuccini ſtill.* ʒ. *ij. majoran. ſtill.* ℥. *j. coriandri* ʒ. *ß.* in mortario ſubigendo, fiat, omnibus exactè mixtis, emplaſtrum ſpleneticum excellens.

Valet ad obſtructiones & duritiem lienis ſimul atque hepatis. Igitur in febre quartanâ, cachexiâ, & melancholiâ hypochondriaca cum emolumẽto adhibetur.

Emplaſtrum Στεφανίαιον. *ex Ph. Lond.*

℞. *Labdani* ℥. *ß. ſtyracis calamitæ colati, gum. juniperi an.* ʒ. II. *ſuccini, terebinth. Cypriæ an.* ʒ. *j. Corallij rubri maſtiches, an.* ʒ. *ß. florum ſalviæ, roſar. rub. rad. iridis florent an.* ℈. *j. reſinæ aq. roſacea lotæ unc. ß.*

Reſina, labdanum, gum. Juniperi, & terebinthina in mortario calido leviter contundantur ſ. a. cum piſtillo calido (vini rubri guttas aliquot adſpergendo) donec coaluiſſe videantur: tum demum pulveres viciſſim immittantur, ut diligenti agitatione continuè factâ, ex omnibus exactè miſtis. fiat emplaſtrum.

Emplaſtrum de Stercore columbino. *ex Ph. Norib.*

℞. *Gummi ammoniaci unc. j. ß. ſandarachæ ſ. gummi juniperini,* ʒ. VI. *ſtercoris columbini ſubtiliter pulveriſati,* ʒ. *iij. maſtichis* ʒ. *j.*

Incorporentur omnia cum piſtillo calido, in mortario, aſperſo ſubinde aceto & F. emplaſtrum.

Emplaſtrum Stricticum Crollij. *ex Ph. Aug.*

℞. *Minij, calaminaris an.* ℔. *ß. lithargyri auri, argenti an. unc. iij. olei lini, olivarum an.* ℔. *j. ß. laurini* ℔. *ß. ceræ, colophoniæ an.* ℔. *j. vernicis, terebinthinæ an.* ℔. *ß. opopanacis præpar. galbani præpar. ſagapeni præpar. ammoniaci præpar. bdellij an. unc. iij. ſuccini citrini, olibani, myrrhæ alexandrinæ, aloës hepaticæ, ariſtolochiæ, rotundæ an. unc. j. mumiæ tranſmarinæ, magnetis. hæmatitæ an. unc. j. ß. coralliorum alborum, rubrorum, matris perlarum, ſanguinis draconis, terræ medicatæ ſtrigenſis, vitrioli albi ana unc. j. florum antimonij, croci martis ana.* ℥. *iij. camphoræ unc. j.* Modus parandi talis eſto.

Oleum lini & olivarum cum Lithargyro auro & argenti aliquandiu coquantur, hinc addatur calaminaris, & paulò poſt minium, quæ omnia agitando coquantur ad ſufficientiam; tandem etiam addatur circa finem vernix, oleum laurinum, cera, colophonia, invicem liquefacta & colata; ab igne depoſitis & ſemirefrigeratis immiſceantur Opopanax, galbanum, ſagapenum & Ammoniacum cum terebinthina ſoluta; ut & camphora, ac reliqua in ſubtilem pulverem redacta.

Vires. Hujus emplaſtri percelebres ſunt. Vulnera ſiquidem recentia & ictus celeriter conſolidat, ſymptomata & fluxiones ſupervenire ſolitas præcavet, ferrum, lignum, plumbum, aliaque profundiùs membris infixa ſine dolore extrahit, antiqua etiam ulcera ſiccat, & mundificat.

Emplaſtrum Stomachicum Magiſtrale. *ex Pharm. Cond.*

℞. *Menthæ, abſinthij, ſthœcados, fol. lauri an.* ʒ. *j. majoranæ, roſ. rub. ſantali citrini an,* ʒ. *ij. calami aromatici, ligni aloës, flor. lavendulæ nucis mochatæ, cubebarum, galangæ, piperis longi, macis, an.* ʒ. *j. maſtiches* ʒ. *iij. Caryophyllorum,* ʒ. *ii. ß. olei menthæ, unc. j. ß. nardini, unc. j. ſpicæ,* ʒ. *j. reſinæ, ceræ, an. unc.* IV. *labdani, unc. iij. ſtyracis colati, unc. ß.* F. emplaſtrum ſ. a.

Emplaſtrum Stomachicum. *ex Ph. Reg. Zwelf.*

℞. *Gum. Tacamahacæ unc. j. animæ, benzoës, ana unc. ß. maſtichis, unc. ii. terebinthinæ claræ unc. iij. reſinæ ſtyr. expreſſ. unc. j.* his invicem, vel ſimul diſſolutis, leniſſimo calore, &c, ſi opus eſt, perlinum & qualum colatis, ſuper adde. *Olei nucum moſchat. expreſſi, pulv. olibani, myrrhæ, nuc. moſch. baccar. lauri, an. unc. j. Caryophyll.* ʒ. VI. quibus ultimò quaſi refrigerato emplaſtro, adde *balſami indici peruviani unc. ß. vel* ʒ. VI.

F. emplaſtrum nobile, ad ſtomachum confortandum maximè faciens: quem admodum ex ipſâ inſpectione rerum ingredientium manifeſtum eſt.

Emplaſtrum Stomachicum. *ex eadem Pharm. Reg.*

℞. *Gum. tacamahacæ, ladani opt. an. unc. j. ß. gum. ſtyracis calam. unc. ij. maſticis unc. iii.* hæc juncta liquefiant leniter in *terebinthinæ bonæ, vel cypriacæ, unc. viii.* quibus mixtis & liquatis in diplomate, colatiſque per linum & qualum ſicuti neceſſitas poſtulaverit, ſuper adde, dum adhuc calent. ſequentia, ſubtiliſſimè inciſa & contuſa ad pultis formam: videlicet. *herb. recent. abſinthij, menthæ, majoranæ, roriſmarini, ana unc. iii.* item *ceræ flavæ odoratæ unc.* IV. *ol. nucum moſchat. expreſſi unc. j. maſtichis num. unc. ii. liquata invicem; nec non pulv. baccar. lauri unc. j. ß. olibani unc. j. myrrhæ* ʒ. VI. *calami aromatici, Caryophyllorum, ana unc. ß. croci optim.* ʒ. *ii.* atque ultimò, cum parum refrixerint, porrò, ſub continuâ agitatione, inſpergantur balſami Indici de Peru ʒ. XI. vel unc. *j.*

Miſceantur exactè, fiatque emplaſtrum ſtomachale efficaciſſimum.

Emplaſtrum Stomachicum de Tacamahaca, *ex Schrodero.*

℞. *Tacamahac. unc. iii. ſtorac. unc. i. ambari momentum. F. emplaſtr. cum oleo aliquo appropriato, v. g. maſtich. &c.*

Vires. Emplaſtrum eſt ſtomacho longe utiliſſimum, ſiquidem roborat, & appetitum ciet, concoctionem juvat, & ſtatus diſcutit. Monard.

Emplastrum Stomachicum Regium, *ex Ph. Regia Zvvelferi.*

℞. Resinæ styracis calamitæ, ol. nuc. mosch. expressi ; ana ℥. j. ß. ol. still. caryophyll. ʒ. j. *menth. majoranæ, cinamomi. absinthij, ana* ʒ. ß. his mixtis impastentur sequentia, leni calore agitando: *herb. recent. majoranæ, rorismarini, thymi, ana subtilissimè incis. & ad pultis formam contus.* ℥. j. *pulv. benzoës opt. olibani, baccar. lauri, ana* ℥. ß. *vel* ʒ. vj. ac cum nonnihil refrixerint, superadde *balsami Indici de Peru* ℥. ß. *vel* ʒ. vj.

Fiat Emplastrum, ad stomachum roborandum validissimum, verè Regium.

Emplastrum Diasulphur. *Rulandi, ex Ph. Schrod.*

℞. Balsam, sulph. Ruland. ℥. III. *ceræ,* ℥. ß. *colophon.* ʒ. III. *myrrhæ ad pondus omnium.*

Omnibus præter myrrham liquefactis & benè commixtis inspergatur myrrha subtilissimè trita, lentoque ign. coquantur, (¼ horæ) semper agitando. hinc ab igne remove, agitaque donec refrigescant.

Vires. Curat omnis generis ulcera.

Emplastrum de Symphyto, *ex Ph. Norimb.*

℞. Ol. chamæmel. Ros. ana ℥. IX. *minij pulverisati* ℥. VIII. *lithargyrij* ℥. IV. *decocti mucilaginosi ex unc.* IV. *rad. symphyti majoris facti unc.* X. post levem *cocturam addantur ceræ flavæ odoratæ unc.* vj. *resinæ claræ, unc.* VIII. colatis post liquefactionem, & parùm refrigeratis add. *camphoræ cum ol. Ovorum express unc. solutæ, unc.* j. *pulv. boli armen. fabarum ana unc.* IV. *masti̇chis, thuris, myrrhæ, tragacanthæ ana unc. ij. sanguinis draconis, muniæ ana unc. j. ß. croci martis, lap. hæmatit. ana unc. j. rad. symphyt. unc.* II. *ß.* M. fiatque Emplastrum.

Emplastrum de Symphyto ad Hernias. *ex Ph. Reg. Zvvelferi.*

℞. Ceræ flavæ & odoratæ, resinæ pini, ana unc. IV. *balsami n. vulnerarij martiatis suprà edocti, unc.* III. his, leni calore mixtis, adde sequentia subtilissimè & minutissimè incisa, & contusa ad formam pultis: ut potè, *rad. symphyti major. recent. unc.* IV. *vel* V. *herb. perfoliatæ, pyrolæ, flor. hyperici, ana recent. unc. j. ß.* ultimò sequentes pulveres inspergantur: *pulv. draconis sang. lapid. hæmatit. olibani, ana unc. ß.*

Fiat Emplastrum, ad Hernias sanandas efficax.

Emplastrum Tetrapharmacon Galeni. *ex Ph. Augst.*

℞. Picis nigræ, resinæ, ceræ, adipis viccini ana unc. ij. omnia misceantur, liquescant, & colentur.

Dicitur Mesuæ basilicon minus, & à Galeni compositione non differt, nisi quòd oleum pro adipe vaccino Mesue substituit; usus ejus est ad pus movendum, inflammationem leniendam, molliendum, tergendum, & glutinandum, ob id recentibus capitis & nervosarum partium vulneribus ac ulceribus est aptissimum.

Emplastrum Tonsoris. *ex Ph. Lond.*

℞. Picis siccæ, ℔. *ij. resinæ pini,* ℔. *ß. farinæ fœnugræci, pollinis rad. chamæleontis nigri, vel bryeniæ, ana unc.* IV. *sem. Cumini tenuissimè triti, unc.* II.

Fiat Emplastrum s. a.

Emplastrum ad tophos & gummata venerea *S. Closs. ex Ph. Schrod.*

℞. Empl. opodeldoch. Penoti aut Croll. rec. cinnab. vulgar. aut antim. ana part. æquales malaxentur simul cum pauxillo gumm. guajac. & ex alutâ nodis admoveantur.

Emplastrum triapharmacon *Mesuæ ex Ph. Aug.*

℞. Lithargyri, aceti fortis. olei communis an. unc. iij.

Lithargyrus levissimè tritus, moveatur continuò ad ignem, paulatim adfusis oleo & aceto; vel etiam omnia simul permixta lege artis coquantur. Dicitur & Emplastrum de lithargyro nutrito Mesuæ. Siccat potentissimè ulcera difficilia, & fistulas, quæ nondum callum contraxerint, curat; eoque parotidas criticas, quæ jam fistulas contrahebant, in pueris, adolescentibus, ac mulieribus Galenus percuravit.

Emplastrum vesicatorium. *ex Ph. Aug.*

℞. Cantharidum ʒ. *ij. terebinthinæ* ʒ. *j. olibani. myrrhæ, mastiches, camphoræ ana grana* XV. *olei ros.* ℥. *j. cæ. flavæ* ʒ. *iij.*

Fiat emplastrum, liquando ceram & terebinthinam in oleo, postea semi refrigeratis camphoram cum aliquot guttulis spiritus vini tritam, & reliqua in pulverem redacta addendo.

Hoc insigne præsidiorum genus, varias corpori humano utilitates præstat, humores enim, qui à capite ad oculos, dentes & genas descendunt, potenter revellit, in bubonibus & carbonibus pestilentialibus venenum ad exteriora evocat.

Emplastrum vesicatorium *ex Ph. Reg. Zvvelf.*

℞. Pulv. cantharidum ʒ. v. *myrrhæ, mastichis, ana* ʒ. *j. ß. camphoræ* ʒ. *ß. fermenti acerrimi Pistor solidi, non nimium mollis, unc. ij. terebinthinæ claræ, ceræ flavæ, ana insimul liquatorum unc. j. ß. pulpæ scillæ recentis unc. ß. aceti scillitici fortis* ʒ. *ij. vel unc. ß.* fiat Emplastrum, cujus vires notæ sunt.

Emplastrum D. D. Ulmensium. *ex Ph. Aug.*

℞. Cerussæ subtilissimè tritæ, ceræ citrinæ, olei olivarum ana q. libet. Coquantur s. a. ut fiat Emplastrum cineritij ferè coloris.

Ejusdem cum emplastro albo facultatis existit, & solâ cocturâ, quæ in præsenti validior esse debet, ab eodem differt.

Emplastrum Vulnerarium, D. Paracelsi. *ex Ph. Bauderon.*

℞. Olei communis, ℔ *ij. lithargyri auri,* ℔. *j. ceri flavæ,* ℔. *ß. terebinthinæ, unc.* IV. *gumm. ammoniacæ & elemi, ana unc. ij. olei laurini, unc. j. ß. gumm. vj. bdellij, opopanacis & galbani, pulverum rad. aristolochiæ rotundæ, lapid. calaminaris, mastiches, myrrhæ, thuris, & Aloës, an. unc. j.* fiat Emplastrum.

Emplastrum Vulnerarium, & Pectorale, *ex Pharm. Regia Zvvelferi.*

℞. Terebinthinæ claræ unc. viij. in quâ solvantur & liquefiant *gummi tacamahacæ unc. j. ß. elemi unc. iij.* his solutis, atque per linum & qualum colatis, adde *ceræ flavæ & odorat. virgin. unc.* XII. *axungiæ anseris, caponis, ana unc. ij.* his probè conjunctis immisceantur ulterius sequentia, subtilissimo modo incisa & contusa, ad formam pultis: utpotè

Rad. symphyti mai. recent. unc. ij. enulæ, althææ, an. recent. mille folij, hederæ terrestr. flor. chamameli recent. an. unc. j. ß. oculor populi arb. recent. unc. ij. tandem sequentes inspergantur pulveres: uti sunt *pulv. olibani, solutæ in olei still. anisi s. q. ad pulculam.*

Fiat ex omnibus, l. a. Emplastrum, in diplomate, vase nimirùm duplici, leni calore agitandum. In vulneribus pectoris internis, Empyematibus, alijsque ulceribus ac Apostematibus, excellens, toti pectori externè applicandum.

Em-

Emplastrum vulnerarium ad Renes exulceratos. *ex Pharm. Reg. Zuvelfer.*

℞. *Gumm. animæ, elemi, an.* ℥ *i ß. hæc liquefiant in terebinthina clara* ℥ IV. quibus porro adde *ceræ flavæ odoratæ* ℥ VI. *balsami n. sulphuris non fœtidi, cum oleo terebinth. flavo vel rubro, parati.* ℥ *i ß.*

His exactè mistis impastentur sequentia, subtilissimè incisa & contusa quæ sunt, *Rad. sigilli Salomon. recent.* ℥ *ji symphyti maj. recent.* ℥ *iß. herb. plantaginis min. millefolij, solani, consol. sarracen. flor. hyperici, rosar. an. recent.* ℥ *j. oculor. populi arbor. recentium* ℥ *i ß.* ultimo addantur *pulv. croci opt.* ʒ *ij. olibani* ʒ VI. *camphoræ* ℥ *iij. solutæ in particula ung. rosati, ad pulticulam.*

Fiatque diu multumque agitando, intra lenissimum calorem, in diplomate, Emplastrum, regioni renum applicandum.

Emplastrum Vulnerarium verum. *ex eadem Pharm. Reg.*

℞. *Pulv. gum. elemi, opopanacis, sagapeni, mastichis, olibani, myrrhæ, an.* ℥ *i ß.* hæc omnia liquefiant, beneficio caloris lenissimi, in *terebinthina clara* ℥ VIII. *balsami n. vulnerarij martialis, n. sulphuris vulnerarij, an. superius, in classe olearum coctorum, edoct.* ℥ *ij. &*, dùm in diplomate liquefacta adhuc calent, superaddantur sequentia subtilissimè incisa, & minutissimè contusa utpotè

Rad. symphyti maj. recent. ℥ *i ß. herb. alchimillæ, consolid. sarracen. millefolij, plantag. min. acuti folij, pyrolæ. an. retent.* ℥ *j. flor. hyperici recent.* ʒ X. *gemmar. populi arbor. rec.* ℥ *ij. summit. laricis, seu abietis, lanugine ear. separat.* ℥ *i ß. nec non pulv. sang. dracon. lapid. calamin. cum succo plantaginis parati, osteocollæ, identid. cum succo plantag. parati, an.* ℥ I ß. *sarcocollæ* ℥ *ß. croci martis, ex vitriolo martis per calcinationem parati,* ℥ *i ß.*

Ultimo tandem, quando quasi refrixerunt, admisceatur *balsami indici de Peru.* ℥ *i ß.* fiat, omnibus exactè inter se invicem copulatis, emplastrum, vulneribus in universum omnibus, antiquis æquè, ac recentibus, applicabile: præservans, & ab omnibus symptomatibus defendens vulnera; quæ persanat, & conglutinat.

Emplastrum filij Zachariæ, i. e. Rhasis ex Mesuæ *ex Pharm. Aug.*

℞. *Ceræ flavæ, medullæ cruris vaccæ, adipis anatis, gallinæ, mucilaginis sem. lini an.* ℔ I. *olei lini quantum satis est.*

Fiat, coquendo sufficienter mucilaginem cum oleo & postea cum cera, medulla & adipe permiscendo, Emplastrum.

Juncturarum tophos ac nodos duros emollit, dissolvit, & crassa lentaque pulmonis ac thoracis excrementa ad ejectionem per sputum magis habilia reddit.

Si valentius facere volueris adde *mucilaginis althææ, fœnugræci partes æquales, olei leucoij (pro oleo lini)* q. s. adhuc valentius reddetur, si addatur Oesypi, Ischthyocollæ ana q. s.

Emplastra varia ex Pharm. Dni. Le Mort.

Emplastrum Cephalicum.

℞. *Gumm. tacamahac. elemi an.* ℥ *ij. oliban. mastich. an.* ʒ *j. resin. pini* ℥ VI. *opij pulverf.* ℈ *j. camphor.* ℈ *ij. ol. terræ* M. f. Emplastrum.

I. Lento igne liquefiat resina, dein admisceatur gumm. elemi, postea pulveres cœterorum gummatum & opij ultimo caphura in oleo terræ dissoluta. Malaxando f. Emplastrum, cui, si libet, parum olei Origani & Caryophyllorum admisceri poterit.

Vires. Capitis dolori & dentium confert temporibus applicatum.

Emplastrum Stomachicum.

℞. *Gum. elem. resin. pini an.* ℥ *ß. caryophyll. enul. campan. calam. aromat. cardamom. an.* ℈ *ij, ol. petræ, terræ an.* ʒ *i ß. cymin. stillatit.* ℈ *j. caphuræ* ℈ *ij. M.*

Resina, & gum. elemi simul lento igne liquefiant, dein ab igne remotis adde ol. terr. & ol. petræ, ultimo pulveres & ol. cymini, in quo camphora dissoluta sit. Extendatur super aluta, vel linteo, & applicetur parti affectæ.

Vires ad dolores colicos & flatulentos, pleuritidem notham, & aposthemata interna confert.

Emplastrum ad Clavos pedum.

℞. *Gumm. Ammon. aceto scyllitico solut. & inspissat.* ʒ *ij. resinæ pini* ℥ *j. vitrioli veneris (vulgò de cypro dicti)* ʒ *ß. vel (qui mitius vult)* ℈ *j.*

Mercur. præcipit. optimè edulcorat. ℈ ij. M. f. s. a. Emplastrum.

Vires convenit insimul ulceribus durioribus, ut & bubonibus venereis.

Emplastrum de Gratia Dei.

℞. *Ceræ novæ, resinæ, sevi hircini, an.* ℥ IV. *terebinthinæ* ℥ *ij. mastiches, olibani an.* ʒ *iij.*

Cera, sevum, & resina sensim liquefiant, spatula agitando, ne resina fundo adhæreat, liquatis & ferè tepefactis adde terebinthinam, in qua mastiche & olibanum soluta sunt, dein cum pistillo materia contundatur, & malaxetur postea massa in magdaleones reducenda.

Vires. Recentibus vulneribus conducit, cicatrisat, &c. si magis mundificans expetatur, æruginis ʒ iij. addi possunt.

Emplastrum Mucilaginum.

℞. *Olei olivarum* ℥ VI. *gummi ammoniaci, sagapeni, galbani, opopanacis an.* ℥ *ß. croci* ʒ *ij. ceræ citrinæ* ℥ XXII. *terebinthinæ* ℥ *ij.*

Gummata solvantur vel depurentur potius cum vino percolando solutionem, quæ ad consistentiam redacta misceatur cum mucilaginis spissioris, è convenientibus seminibus & radicibus extractæ, ℥ j. & terebinthina & croco; hæc dein simul oleo & ceræ liquatis, ut superius, incorporentur, contundendo, & malaxando.

Vires. Lenit, coagulum humorum dissolvit, frigidis affectibus convenit, &c.

Emplastrum Carminans B Sylvij.

℞. *Gumm. galbani, bdellij, ammon. an.* ℥ *ß. thuris masculi, myrrhæ rubræ, an.* ʒ *ij, opij thebaici* ʒ *j.*

Dissolve in aceto Scillitico, iterumque inspissatis adde *ceræ citrinæ, colophoniæ an.* ʒ *iij. balf. peruviani, ol. philosophor. an.* ʒ *j. terræ,* ʒ *ß, carvi stillat.* ℈ *ß. terebinth, venet, q. s.* M. f. s. a. Emplastrum.

Vires. summâ penetrandi vi insignitum est hoc emplastrum, flatus discutit, tumores resolvit, &c.

Emplastrum Griseum.

℞. *Lapid. calaminaris præpar.* ℥ *j. lithargyri* ℥ *ij. cerussæ* ℥ *ß. tutiæ* ʒ *j. terebinthinæ* ʒ VI. *ceræ albæ.* ℥ *i ß. sevi cervini* ℥ *ij. thuris el.* ℥ V. *mastiches* ʒ *iij. myrrhæ* ʒ *ij. camphoræ* ʒ *i ß.*

Liquentur simul terebinthina, cera & sevum, mox injiciantur pulveres thuris, mastiches & myrrhæ, iisq; probè mixtis addantur pulv. lap. calamin. tutiæ, litharg. & cerussæ. Ultimo calenti adhuc Emplastro adjice camphoram in oleo conven. solutam. M. fiat Emplastrum.

Vires, Potenter acidum infringit, ut & salsos humores, cicatrice obducit ulcera scorbutica, &c.

Emplastrum ad Herniam.

℞. *Nuc. gallarum, cupressi, malicorij, balaustiorum, acatiæ, sem. plantaginis, psyllij, nasturtij cupularum glandium*

dium, fabarum torrefactarum, aristolochiæ longæ & rotundæ, myrtillorum an. ʒ ß. *consolidæ majoris & minoris, caudæ equinæ, glossi, ceterach, rad. osmundæ regalis, filicis an.* ℥ I.

Ex hisce in subtilem pulverem redactis fiat cataplasma cum vino rubro ad consistentiam Emplastri reducendum, cui adde,

Thuris, myrrhæ, aloës, mastiches, mumiæ, boli armenæ, lad. calaminar. præp. Lithargyr. auri, sanguin. draconis an. ℥ *iij. picis navalis* ℔ *ij. terebinthinæ q. s.* ut fiat s. a. Emplastrum.

Vires. Valide adstringit & consolidat, &c.

Emplastrum Sticticum.

℞. *Olei olivar.* ℥ VIII. *litharg. aur.* ℥ IV ß. coquantur simul ad Emplastri consistentiam, hisce adde ab igne remotis, *ceræ flavæ* ℥ *iß. terebinthi* ʒ *j. gum. ammoniaci, bdellij an.* ℥ *ß. opopanacis, galbani, ol. laurini, lap. calaminaris, aristolochiæ utriusque, myrrhæ, thuris an.* ʒ *ij.* M. f. s. a. Emplastrum.

Vires. Antiquis & recentibus vulneribus & ulceribus convenit, mundificat & cicatrice obducit.

Emplastrum Febrifugum.

℞. *Sem. zedoariæ* ʒ *ij. fuliginis lignorum splendentis* ℈ IV. *cinnabaris vulgaris* ℈ *ij. camphoræ* ʒ I. *terebinthinæ Venetæ* ℥ I ß. M.

Vires. Febribus intermittentibus conducit, penetranti & tenui suo habitu sanguinis acredinem corrigens, & exæstuationem humorum febrilem sedans, pulsibus applicatur. De hoc medendi genere, & quomodo medicamenta externè applicata agant in humores nostri corporis, & in massam sanguinis, plurima dicenda essent, nisi me intra terminos pharmaciæ continere, quantum possibile est, studerem.

Emplastrum Manus Dei.

℞. *Galbani* ℥ *ij,* ʒ *ij. ammoniaci* ℥ *iij* ʒ *iij. opopanacis* ℥ I. *olei olivarum veteris* ℔ *ii ß. lithargyrij aurei* ℔ I. ℥ IV. *myrrhæ* ℥ I. *rad. aristolochiæ longæ, thuris optimi an.* ℥ *ij. mastichis olibani, bdellij an.* ℥ I.

Lythargyrium cum oleo ad consistentiam coquatur Emplastri, dein adde æruginem, postea ceram, mox gummata in aceto soluta & depurata, ultimo pulveres M. f. s. a. Emplastrum.

Vires. Magnarum est virium in visceribus, à scorbutico acri & acido humore continuè incidente, phagædænicis & cacoëthicis dictis, mundificat & sanat vulnera quæcunque recentia & inveterata.

Emplastrum Stomachale.

℞. *Gummi guajaci* ℥ I. *mastichis electæ, storacis calamitæ, tacamahacæ an.* ℥ *ij. myrrhæ, thuris an.* ʒ VI. *ol. nucist. expr.* ℥ I. *camphoræ* ʒ I ß. *cyperi rotundi* ℥ ß. *zedoariæ, bacc. lauri ana.* ʒ V. *balsam. peru.* ʒ VI. *terebinth. venet.* ℥ X. *ol. still. menthæ, caryophyll. cortic. aurant. an.* ℈ *ij.* M. f. s. a. Emplastrum, quod, si mollius sit, cum cerâ durius reddi potest.

Vires. Concoctionem adjuvat, putredini resistit, appetitum ciet, arthritidi vagæ succurrit, morbis frigidis, & è pituitâ viscida oriundis conducit.

Emplastra è Pharm. Bateanâ.

Emplastrum Adhæsivum.

℞. *Diachyl. simp. diapalm. an.* ℔ I. *pic. Burgund. & sarcocell. an.* ℥ IV. *tereb.* ℥ VI. *vel q. s. m. f. a.* Pro Fontanellis apertis servandis, & tutandis ab inflammatione.

Empl. Burgundium.

℞. *Pic. burgund.* ℔ *j. pulv. caryoph.* ℥ X. *ol. stil. piper.* ʒ *iij. m. f. a. in Cephalalgia, Ophthalmia, Catarrhis, Vaporibus, &c. humeris & nuchæ applicatum usus est insignis.*

Empl. Camphoratum.

℞. *Camphor.* ℥ *iß. balf. de Tolu,* ℥ I. *galb. colat.* ℥ VI. *m. Usus est in uteri suffocatione, vertigine, &c. umbilico adhibitum. vires & habet Empl. Diagalb.*

Empl. Catarrhale.

℞. *Taccamah. carann. an.* ℥ I ß. *empl. de beton.* ℥ *iij. pulv. succin.* ℥ *j. caryoph.* ℥ ß. *cort. sassafr. & Winter. an.* ʒ *ij. balf. Peruv. q. s. m. f. massa. Pro capite raso.*

Empl. Diagalbani.

℞. *Galb. aceto præp.* ℥ XII. *ceræ* ℥ VIII. *tereb.* ℥ V. *m. f. a. Tophos, nodos, scrophulas, ac tumores duros, digerit, emollit, resolvit, eorumque dolores sedat. Verrucas & clavos pedum tollit. Nervos ac uterum roborat.*

Empl. Epispasticum.

℞. *Pic. Burgund.* ℥ XVIII. *ol. olivar.* ℥ ß. *liquatis cantharid. subt. pul.* ʒ IV. *sem. ammeos pul.* ʒ *ij. f. massa, admodum adhæsivum.*

Empl. Febrifugum.

℞ *Pulv. gum. lentisc.* ʒ VI. *aloës* ʒ *ij.* AB. ℥ *iij. euphorb. staphisagr. bacc. lauri, fœnugræc. hyali Venet. an.* ʒ *ij. fuliginis ex ligno contract.* ⊖ *is nigr. an.* ʒ Iß. *tereb* ℥ *iij. vel q. s. m. f. empl massa s. a. Carpis adhibitum horis 3. vel 4. ante accessionem paroxysmi, sæpe curat tertianas, aliquando etiam quartanas.*

Empl. Hæmorrhoidale.

℞. *Litharg.* ☽ *æ* ℔ *j. axung.* ʒ *j. vel q. s. contund. opt. ut f. massa convenienter dura, pro empl. fieri etiam potest at præp. Suppositoria ex eadem massa s. a.*

Empl. Laterale.

℞. *Fl.* 🜍 ℥ V. *rad. irid. flor. caryoph.* ℥ ß. *pulverisatis adde picis naval. & burgund. an.* ℥ IV. *tereb.* ℥ *iij.* ℥ *st. carvi, rhod. j, an.* ℈ IV. *m. s. a. In doloribus pleuriticis multum facit, præmissâ phlebotomiâ.*

Empl. Mammillare.

℞. *Sperm. ceti* ℥ *j. ceræ alb* ℥ *ij. galb. aceto præp.* ℥ ß. *ol. samb. q. s. In omnibus mammarum tumoribus, imò scrophulosis, lacte concreto, œdemate, &c. nil huic æquale.*

Empl. Nuchale.

℞. *Gum. elem. tereb. an.* ℥ ß. *olib. mastich. gum. tragac. an.* ʒ *iij.* AB ʒ Iß. *sem. psyll. myrti. bal. ust. an.* ʒ *j. euphorb.* ℈ *j. succin.* ʒ *ij. pic. Burg.* ℥ VIII. *carann* ℥ X. *ol. caryoph. Balf. Peruan. an. gt.* VI. *m. f. massa s. a. Ad Odontalgiam tollendam pone Aures applica. Ad defluxiones in oculos, Ophthalmiam, &c. nuchæ adhibe.*

Empl. Opiatum.

℞. *Diachyl. magn.* ℥ IV. ☿ *viv.* ℥ *ij. opij* ℥ *j. m. f. a. Ad dolores arthriticos & venereos mitigandos eximiè conducit.*

Empl. Paralyticum.

℞. *Pulv. lumbricor* ℥ IV. *calam. arom.* ℥ I ß. *galang.* ʒ VI. *mellis q. s. f. empl. pro membris affectis, nulli secundum.*

Empl. Podagricum.

℞. *Opij, Sapon. Ven. an.* ℥ ß. *emp. diachalcit.* ℥ *ij. m. f. a.*

Empl. Saturninum.

℞. ♄ *ni alb.* ℥ IV. *cretæ alb.* ℥ ß. *myrrh.* ʒ *ij an. (ex p. ij.* ☿, *& p. I,* ♄ *ni)* ʒ VI. *Axung. veter. q. s. ad formand. empl. in mort. calido duræ consistentiæ. Ulcera callosa & maligna, imò pessima unâ solâ admotione curat, abluendo ea primò (si sordida sint,) aqua solutionis lap. Salutis, mox empl. in alutam sat spissè extensum admoveatur ulceri, & (& si opus sit) Emplastro diacalciteos contineatur, superinducta fascia linea satis stricta, neque removeatur ante 15. dies.*

Empl. Scorbuticum.

℞. *Fl. hyperic, fol. pilosell veronic. mar. cochlear, marin. an. m ij. absinth. com. mi. coq. in ol. rof.* ℥ VI. *ad herb. putrilag. expressioni adde sevi cervin. ceræ, rhodomel. an.* ℥ *ii ß. fl. tritici* ℥ *j. m. s. a. Confert ulceribus & tuberculis Scorbuticis*

Empl. Smecticum.

℞. ♄ *ni rub.* ℔ *iß. ol.* ℔ *ij. sapon. alb* ℥ IV. *ceræ* ℥ *ij. coq. s. a. Detergit ac resolvit. Dolores dorsi & juncturarum compescit. contusiones dissipat. Dolores sublevat podagricos. Abortum præcavet feliciter dorso & umbilico adhibitum, & continuo gestatum.*

Empl. Soleare.

℞. *Sevi ovill.* ℥ IV. *pic. naval. resin. an.* ℥ VIII. *thuris.*

℥ XII. *pulv.*

℥XII. pulv. croc. ℥ß. caryoph. mac. an. ʒVI. cumin. ℥iß. labdan. ʒVI. m. f. a.

Emplastrum Spasmicum,

℞. Picis naval. ℥ IV. castor. ol. costin. an. ℥I. m. f. massa
Titulus vires indicat.

Empl. ad Strumas,

℞. Emp. è cicuta cum ammon. ℥IV. gum. elem. ℥ß. ☿ sublim. corrosiv. ʒX. m. scrophulis & strumis medetur.

Empl. Synanchicum.

℞. Alb. canis ☿ at. ℥ VI. mellis crud. ℥ VIII. fl. tritici, ℥ iiß. ceræ ℥IV. ol. rof. ℥VI. vel q. s. ut f. empl. f. a. Adhibeatur jugulo & colli partibus post aures ubi dolor.

Emplastrum Tibiale.

℞. ☿ ℥ ij. solve in 🜂 ℥ ij. adde axung. porcin. ℥ iv. coq. in vase fictili, continuo agitando rudicula ferri ad consist. Empl. mollioris, & exhalationem humiditatis. Tum adde ceræ fl. ℥ j. ☿is mastich. & oliban. an. ʒ iij. m. f. massa f. a. Ad nodos &c. in lue ♀.

Empl. Vermifugum.

℞. ☿ aloës ℥ j. colocynth. myrrh. an. ʒ iij. fol. sabin. rutæ, absinth. tanacet. jugland. rad. bryon. an. ℥ij. ceræ, resin. an. ℥IV. ol. rutac. ℥ ij. m. f. massa f. a. Pro umbilico. Vermes enecat ac educit.

Emplastra ex Godoardo.

Emplastrum de Minio com.

℞. Minij ℔ ß. el. oliv. ℔ I. coq. ad nigred. continenter agitando, adde colophon. ℔ ß. fit etiam cum ol. lini.

Emplastrum. de Minio comp.

℞. Minij ℥ iij. ol. oliv. ʒ VI. coctis adde cinnabar. ℥ I. m.

Emplastra ex Hoffmann. Thesaur.

Emplastrum ad quasvis febres, etiam Quartanam. D. E.

℞. Gallarum. Salis commun. pulver. tormentarij. Camphoræ an. q. s. pulverisa, & cum terebinthina f. f. a. massa, ex quâ formentur Emplastra ad magnitudinem quadrantis taleri, pulsibus manuum applicanda, quando & quâ horâ quis velit, eâdem horâ quotidianarius, post 5. tertianarius, post 7. quartanarius, post 9. dies iterum ea removeat & in fluvium projiciat.

Aliud in malignis & alijs febribus summo cum successu sæpè expertum.

℞. Terebinthin. Venet. ℥ j. liquefactæ in aheno cupreo, adde aranearum vivarum magnarum num. XX. *agita spatulâ ligneâ, donec araneæ albæ vel gryseæ appareant, vel ferè non amplius conspiciantur; adde posteà pulverem carnis bufonum siccat, rubet. siccat an. ℥ß. Tartari crudi ℥ I, sabinæ ʒ ij. ol. Scorpion. Matthiol. q. s. ad justam consistentiam omnia agitando spatulâ ligneâ* (cave ne manibus nudis tangas) *donec in justam massam Emplastri abeat.*

N. Hoc Emplastrum eò efficacius fuerit, si bufones juxta Bucleri Hyberni inventum ab Helmontio patefactum in tumul. Pestis & ab Athanaf. Kirchero in Scrutinio Pestis repetitum p. 350. in antidotum redigantur. vid. de hoc P. Johann. Faber. in sui Panchymici Lib. 5.

Emplastrum Anti-Quartium I. B. v. H.

℞. Tabaci q. v. affunde vini f. q. coq. ad ebullitionem per dimidium horæ spatium, postea coletur, colaturæ adde mellis comm. ceræ & ol. de capparib. f. q. f. empl. applica tepidè lieni.

Emplastrum Anti-Arthriticum.

℞. Gummi galbani. ammoniac. an. ℥ j. carann. ℥ ß. solve in aceti & trajice per linteum. Mucilagin. sem. psyllij, cydon. radic. alth. consolid. maj. cum 🜄 parat. ℥IV. coq. in humidit. consumpt. & justam consistentiam adde ol. laurin. ℥VI. expr. nuc. moschat. ʒ iij. d. juniperi ʒ ij. cumini ℈ j. balsam. 🜍 cum ol. terebinthin. ʒ iß pulv. rad. ireos fl. ℥ iij. ʒ j. zedoar. aristoloch. cav. an. ℥ j. myrrhâ, oliban. mastich. an. ʒ iij. succini ℥ß. croci or. ʒ iij. c. ceræ, pice. coloph. terebinth. f. q. f. Empl. servetur pro usu.

Aliud Antipodagricum. N. à S.

℞. Oliv. optim. ℔ j. contusis in mortario affunde ol. oliv. ℔ ß. infunde in vitrum imminente novilunio, interdiu, expone soli, noctu vero B. hoc continues per mensem; postea exprime, & Rec. ceruss. ℔ j. extrahe ejus animam donec nulla remaneat albedo, abjice fæces & Rec. magnetem. Terebinth. an. ℥ IV. ceræ ℔ ß. liquefac super 🜂, adde oleum cupressum, m. porro adde olibani ℥ I ß. myrrh. ℥ß. hæc omnia super 🜂 liquefacta cùm fuerint, adde magnetis calcinat. camphor. an. ʒ ij. ebulliant semihorulæ spatio, refrigefactis adde animam ♄turni, vel ejus oleum.

Aliud ad Nodos Podagricos vel ♀nereos.

℞. Picis navalis ℔ ij. colophon. ceræ citrin. an. ℔ v. sem. nasturt. bacc. lauri, 🜍ris vivi, sem. cymini. anisi, croci, absinth. pulegij, mastich. cinamom. zinzib. caryophyllor, an. ℥ I. ex pulverif. f. f. a. Empl.

N. Sequens tamen oleum antè Emplastri usum est usurpandum.

℞. Ol. ceræ, lil. alb. anethi an. ℥ I. m.

Aliud ad Tophos Podagricos.

℞. Pulv. radic. hermodactyl. aronis, succini lapid. calaminar. an. ʒ ij. magnetis ℥ I. ☿ ij 🜍 ti ⊕ ol. ad rubed. calcinat. ♁tri an. ʒ VI. gummi carannæ ℥ j galbani, bdellij, ammoniac. opopanac. tacamahac. serapini an. ℥ß. saponis Veneti ʒ iij. ol. d. benzoin. d. ♀. d. terebinthin. d. ligni sancti balsam. 🜍ris an. ʒ iij. ceræ & tereb. an. f. q. f. Empl.

Emplastrum ad Tophos ♀nereos dissolvendos.

℞. Gummi ✻ci in acet. solut. ℥ XII. pulv. radic. bryon. alth. an. ℥ ij. turpeti mineral. ℥ I ß. ceræ albæ ℥ ij. m. f. Emplastrum.

Emplastrum ad Tophos Venereos non ulceratos.

℞. Tetrapharmac. ℥ I. lithargyrij ʒ iij. colocynth. ʒ Iß. pulv. olibani alb. ☿ rij 🜍 tati an. ʒ I. argenti vivi, ol. abietin. ligni sanct. an. ʒ ij. acet. squillitic. ol. viperarum an. ℥ I. f. f. a. Empl.

Emplastrum ad Cancrosos tumores, prohibens ne ulcera latius serpant.

℞. Ung. diapompholig. ℥ iij. empl. de mucilagin. ℥ I radic. scrophular. ari, an. ʒ ij. C. C. ust. & præparat. Cinerum gammaror. & ranarum an. ℥ ß. misce in mortario calido, adde olei vitell. ovorum recenter extracti q. f. ut consistentiam cerati acquirant.

N. Ulcus si sordidum esse videbitur, blandè tractetur necesse est, ne dolor excitetur: ideoque sequens medicamentum filamentis in eo madefactis ulceri tepidè imponendum.

℞. 🜄 ranarum, gammaror. plantagin. card. b. an. ℥ Iß. semin. cydon. subtiliss. pulverisat. ℈ ij. C C. ust. & præp. tutiæ, plumbi squammosi loti & præparati, cinerum ranar. & gammaror. an. ʒ I. Theriac. ℈ IV. M. in mortario & tepidè cum filamentis bis in die impone.

Emplastrum in scrophulosis, scirrhosis & nodosis tumoribus planè irresolubilibus D. D. C.

℞. Fol. hyoscyam. alb. rec. Mandragor. cicutæ. nicotian. ver. an. ℥ j. radic. mandragor. alth. an. ℥ iß. lil. alb. ℥ j. incis. & contus. coq. in vase fictili cum vini rhenan. aq. pluvial. an. q. s. ad debitam mollitiem, pistentur ac cribrentur

brentur per setaceum. Cribratura adde capitum alliorum & capar. sub ciner. coct. an. ℥ j. pingued. porcin. anserin. an. ℥ j. ol. lil. alb. ℥ 1.

Iterum ad △nem blandum coque, continuo spatula agitando & admisce farin. hordei vel tritici sem. fœn. græc. an. ℥ ij. pulv. radic. aristol. long. ireos fl. an. ℥ 1 ß. resin. abietis ℥ j. ceræ q. s. f. empl. mediæ consistentiæ.

Aliud ad Scrophulas D. Jos. M.

℞. Galbani ammoniac. in ▽ vit. dissoluti an. ℥ 1ß. terebinth. Venet. ʒ vi. aluminis crudi ʒ iij. ol. spicæ ℥ ß. Ceræ novæ ℥ 1. M. f. Empl.

Emplastrum contra Herniam C. G.

℞. Gallarum. nuc. cupress. balaustior. sem. plantagin. psyllij. nasturtij, cupul. glandium. fabar. aristoloch. long. & rotund. myrtill. an. ℥ ß. pulveris. & in acet. rosac. macer. per 4. ☍. Deinde rarefiant & exsiccentur; adde consolid. major. & minor. caudæ equin. scolopendr. myrrh. aloes, mastich. mumiæ, an. ℥ ij. boli armen. lapid. calaminar. lithargyr. aur. sang. draconis, an. ℥ iij. picis navalis ℔ ij. terebinth. s. q. f. Emplastrum.

Aliud contra Herniam D. K.

℞. ♁. Terebinthin. an. ℥ j. ol. coct. mastich. ℥ ß. croci martis adstr. ℥ ij. terræ sigillat. ʒ vi. terræ ⊖ol. dulc. ℥ ß. corall. r. præp. magnet. præp. an. ʒ ij. extract. consolid maj. aristol. rot. an. ℥ j. ʒ ij. m. f. massa extend. super alut.

Aliud ad Herniam. D. C.

℞. Picis naval. ℥ iß. lithargyrij ℥ 1. ceræ r. & virid. an. ℥ 1ß. gummi ✱ci. mumiæ an. ℥ 1. opopanacis galbani an. ℥ 1. visci q. ℥ i j. aloes ℥ iß mastich ℥ 1. ✱ ℥ iß gypsi ℥ iij. radic. ari. aristoloch. long. rotund. an. ℥ ij. myrrh. olibani an. ℥ 1ß. terebinth. ℥ 1. radic. anagallid. utriusque an. ℥ ß. sanguin. humani ℥ x. m. f. s. a. Empl.

Emplastrum Noribergense S. I.

℞. Ol. olivarum, vel quod melius, ol. hyperic. ℔ 1/4 camphor. ʒ iß. minij opt. ℥ j. cerussæ venet. ℔

N. Camphora cum oleo misceatur & per pannum coletur, deinde olea seorsim cum minio ac cerussâ super carbones agitando sæpius miscenda, tandem adde camphoram dicto modo solutam cum oleis & picem liquidam q. s. ad consistentiam.

Emplastrum Vulnerarium.

℈. Ol. de palmâ indicâ flavescent. non albi ℔ j. ol. lini rectific. ℥ iij. lithargyrij ℥ viii. si vis habere cum camphorâ, adde ℥ ß. f. s. a. Empl.

N. Lithargyrium in oleo lini per coctionem prius solvitur. Sin ex aquâ & oleo præparari debet affunde aquam lythargyrio, coque & filtra, adde posteà oleum palmæ indicum flavum (cui, si vis, admiscere poteris aliquid olei camphoræ) *& coque ad consistentiam Emplastri, decoctum lithargyrij successivè semper affundendo.*

Emplastrum ad extrahendos globulos & sagittas.

℞. Ceræ albæ ℔ j. Colophon. terebinthin. an. ℥ vi. liquefactis super ignem adde gummi ammoniaci ʒ i. bdellij ℥ j. magnetis contusi ʒ v. succini lutei ℥ iij. m. pro Emplastro.

Emplastrum fluxus attractivum ad fonticulos & vesicatoria D. D. M.

℞. Resin. abiet. picis nigr. terebinthin. an. ℥ ß. mumiæ ʒ ß. tut. præp. ⊖ol. alb. an. ʒ ij. pulv. magnet. ʒ j. camphor. ℈ j. ol. d. succini ℈ ij. m. f. Emplastrum.

Arcanum ad Cancros persanandos, modo ferro aperti non fuerint, infallibile remedium D. Pr.

℞. Radic. serpentariæ major. effos. mense Julio & ad umbram exsiccat. Arsenici crystallini an. pulveris. subtilissimè seorsim. postea in capaci vitro maneant in fermentatione per tres menses, & hunc pulverem pro magno arcano serva.

Modus administrandi talis est.

Abluantur prius labia cancri & scrophularum malignarum cum aquâ Nympheæ, postea inspergatur dicti pulveris nonnihil, & relinquatur super labia usque ad diem xv. & transactis hisce diebus escharæ cadent. Residuum deinde cancri & scrophularum seq. Emplastro sanabitur.

℞. Gummi ammoniaci bdellij, an. ℥ 1. galbani, sagapeni, opopanacis, an. ℥ ß.

In ✱ solutorum, soluta exprimantur & ad aceti consumptionem evaporent.

℞. Ol. chamomill. ℥ iij. petrolei, hyperic. an. ℥ 1 ß. laurini ℥ ß. terebinth. ʒ j. ceræ novæ ʒ iij.

Ponantur simul cum prædictis gummatibus super lentum △nem & seq. pulvis injiciatur.

℞. Lithargyrij aurei ℥ iv. lapid. calaminar. ʒ vi. aristoloch. long. & rot. olibani, mastich. myrrh. el. corall. r. & a. præp. fl. ♁ nij an. ℥ ß. carabe ʒ j. mumiæ, camphor. sal ⊖oli. an. ʒ ij.

M. pulveris. & cum supra dictis lento △ne misce continuo movendo donec f. empl. Quorum unum manè Cancro imponendum, alterum verò vesperi qualibet semper vice mutando. ex M. s. B.

Emplastra è Ph. Indicâ Herm. Nic. Grimm.

Emplastrum Cephalicum.

℞. Ceræ ex bacc. cinnamom. citrin. an. ℔ 1. gum. elemi ℥ iv. ol. coct. bacc. cinnamom. fol. cinnamom. an. ʒ ij. m. f. Emplastrum.

Emplastrum Stomachicum.

℞. Ceræ ex bacc. cinnamom. citrin. an. ℔ 1. ol. dest. calaminth. ʒ ij. fol. cinnamom. ℥ 1. bacc. cinnamom. ʒ ij. pulv. fol. cinnamom. an. ℥. m. f. Emplastr.

Emplastrum Nervinum.

℞. Ceræ ex bacc. cinnamom. citrin. an. ℔ 1. gum. elemi ℥ iv. ol. coct. bacc. cinnamom. ℥ iv. dest. gum. elemi ℥ 1. fol. cinnamom. ʒ ij. rad. cinnamom ℥ ß oss. elephant. ℥ 1. pulv. fol. cinnamom. q. s. m. f. Emplastrum.

Emplastrum Album frigidum.

℞. Ceræ ex bacc. cinnamom. citrin. an. ℔ 1. ol. nymph. ranarum an. ℥ ij. sal. saturn. ℥ ij. ceruss. ℥ iv. m. f. Empl.

Empl. Diasulphuris camphorat.

℞. Ceræ ex bacc. cinnamom. citrin. an. ℔ 1. myrrhæ elect. ℥ iv. balsam. sulphuris camphorat. ℥ ij. m. f. Emplastrum.

Emplastra ex Ioh. Michaëlis.

Emplastrum ad tempora in dolore dentium.

Præparatur vel ex solâ tacamahacâ cum pistillo calido in mortario calido & ducitur super alutam in forma haleri: vel præparatur etiam ex tacamahaca & gummi juniperi vel elemi. In maniâ & alijs affectibus capitis pro arcano habet Medicus. Quidam Emplastrum ex gummi carannæ cum gummi animæ & Tacamahacæ.

Emplastrum expertum in Procidentiâ ani certissimum.

Ex gummi, sagapeno & opopanace, contundantur in mortario & inducuntur alutæ sub forma quadrata circa os coccygis applicanda.

Emplastrum pro sistendis catharrhis & roborando capite.

Emplastrum ita fit:

℞. Cerot. cephal. tacamahac. gumm, junip. an. q. s.

Malaxentur ☍ mastichis, indue super alutam & obduc syndone rubro. D.

In Vigilijs.

℞. Empl. hypnotici Myns. q. s.

Malaxetur ☍ papav. vel ung. somnifero, induc super alutam in formâ num. 2.

S. *Schaff-Pflaster.*

In

In Dolore Capitis.

Egregium emplastrum describit Platerus in suis Observat. Lib. 2. Part. 344. Convenit hîc etiam emplastrum de Ranis Vigonis & de betonicâ, cum unguento de alabastro malaxatum: Si emplastra iterum detrahenda sunt, commodius nullo modo potest, quàm si emplastrum applicatum oleo quodam, inprimis appropriato illinatur, & sic facilè pars ab emplastro liberari potest.

♃. *Empl. Vigonis cum ☿. de beton cerat. cephal. ana quantum satis.* Malaxetur ☍ mastich. vel Balsamo de Peru. D. S. *Eusserlich Haupt-Pflaster.*

Emplastrum Pectorale.

♃. *Emplastri Filii Zacchar. quantum satis.* Malaxetur ☍ amygdalarum dulcium vel irino, ducatur super alutam & obducatur syndone rubr. sicque interpassetur.

Emplastrum Stomachale.

♃. *Cerot. stomachici ex ladano Cratonis, Tacamahac. ana quantum satis.* Malaxetur ☍ stomachicum Cratonis vel Balsamo Peruviano; Induc super alutam & obduc syndone rubra. Adspergi potest ☍ stillatitiæ mentho, caryophillorum, macis.

Emplastrum contra Vomitum.

♃. *Emplastr. de crustâ panis Partes ij. styptic. Mynsicht partes j.* Malaxetur ☍ cydoniorum, induc super alutam & obduc syndone rubra.

Emplastrum ad Mammas contra tumorem.

♃. *Spermat. ceti non rancidi ℥j. gummi galbani ʒij. cum satis quantum ceræ*, fiat lege artis Cerotum. S. *Pflaster zur Burst.*

Egregium est & expertum emplastrum, quod discutit tumorem mammarum & impedit concretionem lactis.

Contra Cancrorum Mammillarum.

♃. *Emplastri contra cancrum Penoti ℥ij. oculorum cancrorum combustorum ʒij. bubon. calcinat. ʒß.* Malaxetur ☍ ranarum. D. S. *Sonderlich Pflaster zur Burst.*

Emplastrum Epaticum.

♃. *Ceroti santalini quantum satis, extracti radicis cichorei ʒj. ☍ rosarum quantum satis. Induc super alutam.* S. *Leber-Pflaster.*

In Scirrho lienis.

♃. *Emplastri de cicutâ quantum satis.* Malaxetur ☍ destillato gummi ammon. Induc super alutam & obduc syndone rubrâ. S. *Sonderliches Miltz-Pflaster.*

Potest etiam usurpari in duritie mammarum, si inprimis addatur unguentum de cicutâ Fabritii Hildani.

In Dysenteriâ & fluxibus alvi.

♃. *Emplastr. diaphœnic. calid. Mesuæ styptic. Mynsicht ana quantum satis.* Malaxetur ☍ mastich. & induc super alutam. S. *Anhaltend Pflaster.*

Contra Hydropem.

♃. *Emplastri contra hydropem Aug. quantum satis.* Malaxetur ☍ sambuci per express. ex acinis. q. s. induc super alutam S.

Ratione flatuum potest abstergi ☍ stillatitio carvi, cumini, &c.

Contra Herniam Umbilicalem.

♃. *Emplastr. contra herniam usitat. q. s.* Malaxetur cum ol. ovorum, induc super alutam & in medio fiat globulus.

Ad Ani procidentiam.

♃. *Opoponacis & sagapeni ana q. s.* Contunde in mortario calido cum pistillo calido, induc super alutam in forma transmissa.

Emplastrum in Peste.

♃. *Emplastri ex Magnete Augustini Salæ ℥j.* Malaxetur ol. aranearum & scorpionum ana quant. satis. D. S. *Eusserlich Plaster.* Bubonibus applicatur.

♃. *Empl. diachyl. magn. ℥j.* Malax. ol. stillat. fuligin. vel aranearum. D.

♃. *Empl. de fulig. usit. ℥j.* Malaxetur ol. stillat. fulig. vel ol. aranearum.

Emplastrum contra Veneficia.

♃. *Empl. contra veneficia Mynsicht ℥ij.* Malaxetur ol. hyperici. D. Hoc emplastrum singulare est arcanum loco dolenti applicatur.

Pro certo quoque experimento habetur, si excrementa propria calidè parti applicentur.

Ad Tophos & Dolores in Lue Venereâ.

♃. *Empl. de ranis cum ☿ ℥ij.* Malaxetur ol. stillat. ligni sancti, induc super linteum densum (*Barchet*) & applicetur partibus dolentibus.

Contra Arthritidem.

♃. *Empl. arthet. Mynf. ℥ii.* Malaxetur ol. nervinô & induc super alutam. S. *Eusserlich Pflaster.*

Emplastrum Filii Zachariæ lenit quoque dolores podagricos nervorumque tensionem prohibet.

Ceratum diachalcitidis seu diapalma Galeni commendatur singulariter ad fronticulos, quos in optimô statu conservat & excrescentias carnis prohibet próque arcanô meritò habetur.

Emplastrum Matricale.

♃. *Cerot. matrical. usitat. q. s.* Malaxetur ol. de castor. induc super alutam & obduc syndone rubra.

Emplastrum Diaphoreticum Hartmanni, ut & Mynsichti egregiè prosunt in pluribus affectibus: Extrahunt & discutiunt valdè: Necessum verò est, ut interdum abstergantur.

Emplastrum Vulnerarium.

♃. *Emplastr. vulner. crollii, vel etiam Paracelsi Ianini ana ℥j.* Malax. ol. Nicot. & Balsam. 🜂 S.

Ad Clavos Pedum.

♃. *Emplastr. de galb. Mynf. ʒij. lapid. medicamentos. ℈ij. M. cum ol. Nicot.* D. Loco lap. medicamentosi etiam sumi potest ⊖ ✱.

Emplastrum ad frontem.

♃. *Sevi hircini, vel etiam, cervini, ceræ albæ & terebinthinæ parum,* F. l. a. Sparadrap. *Addi potest ol. rosarum parum.*

Sparadrap. pro Gravidis.

♃. *Mastich. thuris ana ℥j. nuc. mosch. ʒiij. caryoph. ʒiß. c. s. q. ol. mast. & ung. comitiss. ceræ albæ & sevi hircini*

 F. l. a.

F. l. a. Sparadrap. in quâ infundatur linteum.

Ex *emplastrô Filii Zachariæ* cum ol. appropr. vel ol. lumbricorum potest etiam fieri sparadrap. in affectibus nervorum.

℞. *Empl. diaphœnic. calid.* ℥ß. *theriac.* ʒß. ℴ *stillat. ceræ, mastich. ana gutt. iv.* M. S. *Pflaster.*

℞. *Cerat. splenet. de ammoniaco* ℥iß. *Empl. de mellilato* ℥ß. ✱ ʒß. S. *Miltz-Pflaster.*

℞. *Empl. de crusta Panis* ʒij. *de bacc. lauri* ʒj. *mastich. elect.* ℥ß. *ol. mastich. q. s.* Illinatur corio, & tegatur syndone. S. *Magen-Pflaster.*

Emplastrum contra Verrucas expertum Timæi.

℞. *Galbani aceto squillitico solut.* ℥j. *sal. ammon.* ℥i. *Picis navalis* ℥ß. *Empl. diachyl. magn.* ʒiij. M. F. Magdaleon.

Commendatur quoque contra clavos, si remissius agit, dosis ✱ augenda.

Emplastra varia ex Collectione Theophili Bierlingij.

Emplastrum ad ulcera maligna.

℞. *Resin.* ℔j. *ceræ virgin. thur. sevi cervin. vel arietin. āā* ¼ ℔. *mastich.* ℥j. Terenda tere omnia, deinde ad lentum ign. coq. & cola in vasculum, in quo vini albi ℔vj. iterum coq. materiam unà cum vino, coctam remove, & cum refrixit, ut sit adhuc instar sanguinis calida, adde terebinth. ʒij. semper agitando, postea etiam tantundem camphoræ in ℴ hyperic. vel etiam commun. ℴ olivar. dissolutæ, agitentur omnia continuo, ut probe uniantur, tandem in magdaliones effinge, & ad usum serva in aluta munda.

Emplastr. nigrum dictum contra fracturas & contusiones corporis ex profundo lapsu, *Chirurgi Anglici.*

℞. *Sevi cervin. vel arietin.* ℔j. *ceræ, picis nigr. duræ āā* ℥xij. *resin.* ℔ß. *mastich.* ℥iß. *tur.* ℥j. Omnia subtiliter tere in mortario lapideo, liquentur ad ignem valdè lentum, semper agitando (nam facilimè effluit & effervescit) cola per linteum recens, cum refrigescit paulum, adde ℥j. camphor. in oleo oliv. vel spir. vin. solutæ, item terebinth. ℥iß. tandem minii ℔ß. semper agitetur massa, ut exactè misceantur, magdaleones in aluta repone.

Emplastrum pleuriticum D. J. M.

℞. *Pic. naval.* ℥ß. ♀*r.* ℥ß. *ceræ flav.* ʒvj. *terebinth. clar.* ℥ß. ℴ *chamomill. q. s. F. l. a. Emplastrum.*

Emplastrum antipodagricum D. G.

℞. *Lythargyr. solaris, lunaris āā* ℥ij. *ceruss. Venet.* ℥iß *magnet. ppt.* ℥j. *Terebinth.* ℥ij. ℴ *olivar.* ℥ij. *ceræ* ℥iij. *M. F. Emplastr.*

Emplastrum ad dolores ischiadicos.

℞. *Adipis colubrin. taxi, pici pinguiss. āā* ℥ij. *ceræ virgin.* ℥iij. Liquentur omnia simul & trajiciantur per linteum, semel ebulliant, extendatur super alutam pro magnitudine loci dolentis, prius vero confricandus & ℴ ceræ inungendus, quo ℴ penetret, tandem emplastrum quam calidissimè imponendum, in recenti ischiade dolor intra horas 24. cedet.

Emplastrum singulare spleneticum.

℞. *Pulv. rad. filic. bryon āā* ℥ß. *Flor.* ♀*r.* ʒij. ⊖*l.* ex ♂*t.* ʒiij. impregna s. q. spir. rad. filic. v. gr. ℥j. adde gummi bdellii, ammoniaci āā ʒij. in ✱ ♄nini s. q. solut. ceræ ℥iv. ℴ terebinth. ℥j. philosophor. ℥ß. F. l. a. Emplastr. Ex Lit. L. *Pflugens* ad D. *Ausfelden.*

Emplastrum ad inflammationem Testium.

℞. *Fol. plantag. flor. malv. violar. rosar. chamomill. āā M. ij.* Coq. in aq. communi, deinde pistentur, leniter pressis adde pulpæ passul. flor. cass. recent. āā ℥ß. farin. hord. cribrat. ʒiij. c. s. q. ℴ rosac. F. l. a. Emplastrum.

Emplastrum contra Verrucas J. A.

⊖*l. Goslariens* ʒß. *Ærug. æris, aluminis, salis nitri ana* ℈j. *ceræ virid. q. s. M. F. Emplastrum.*

Emplastrum contra Clavos *Ejusdem.*

℞. *Gumm. ammoniac. galban. æris virid. ana* ʒj. ℴ *cheirin.* ʒij. *ceræ virid.* ℥ß. Gummata in ✱ squillitic. dissolv. F. Emplastrum.

Emplastrum ad Scrophulas D. M.

℞. *Galban. ammoniac. dissol. in aq. vit. ana* ℥iß. *terebinth. Venet.* ʒiij. ⊕. *usti* ʒv. *non usti* ʒiij. ℴ *spic.* ℥ß. *ceræ novæ* ℥iß. F. Emplastrum.

Emplastrum ad Rupturam.

℞. *Sanicul. perfoliat. chamomill. recent. ana M. j. butyr. coq. simul ad consistentiam, cola per linteum, adde ceræ novæ* ℥iij. M. F. Emplastrum.

Emplastrum Antipleuriticum *Canonici Romani.*

℞. *Butyr. vetust. ung. alth. pulv. torment. ana* ℥vj. *cymin. pulveris. sem. eruc. ana* ℥j. *succ. urtic. commun* ℥v. Coq. in succ. urtic. butyr. & ungu. althææ ad consumtionem succi, deinde infundantur pulveres, ultimo loco adde pulverem tormentarium, F. lento ign. unguent. in cujus applicatione ita procedatur; Pars dolens aq. vitæ manu instillata fricetur tepidè, unguentum verò quantitate nucis castaneæ brassicæ folio imponatur, & fascia ad majorem securitatem, ne decidat, alligetur.

Emplastrum pro Fonticulis *Dn. Andr. Stegmanni.*

℞. *Ceruss. Venet.* ℴ *olivar. ana* ℔j. *alumin. usti* ʒj. *ceræ nova* ℔ß. M. F. Emplastrum.

Emplastrum nobile pro fonticulis.

℞ ℴ *veter.* ℔ij. *lytharg. aur. ceruss. ana* ℔ß. *colophon. resin. pic. naval. ana* ℥ij. *ceræ alb. oliban. myrrh. ana* ℥v. *mumiæ,* ⊖*l. alb. corall. rubr. lapid. magnet. ppt. ana* ℥ij. *mastich.* ℥j. *lintei detriti* ℔ß. M. F. emplastrum, quod continuum fluxum excitat & mundificat.

Emplastrum ad omnes nodos & dolores venereos, breviter hos emolliens & perfectè sanans.

℞. *Emplast. diachyl. compos.* ℔ß. *triapharmac* ℥iv. ℴ *de laterib. spicæ ana* ℥j. *Aq. vitæ optim. theriac. Andromach. ana* ℥j. *myrrh, aloës, gummi ammoniac. bdellii, serapin. galban. ladan. ana* ℥ß. *rad. ireos Florent. aristol. rot. hermodact. ana* ʒiij. ☿. *vivi cum succo limonum extincti* ℥viij. *cinabar.* ℥ij. ☿. *sublimat.* ℥ß. *ceræ q. s.* F. emplastrum.

Emplastrum in catarrhis suffocativis & abortu *Rhumelii.*

℞. *Ladani puriss.* ʒvj. *styrac. liquid.* ʒj. ℴℴ. *mastich.* ℈j. *caryophyll. rorismar. macer. ana* ℈ß. *pulv. succ. optim.* ʒß. *lapid. magnet.* ʒij. cum ℴℴ. mastich. & cer. s. q. f. l. a. Emplastrum, quod non solum catarrhum suffocativum derasis primo capillis curat, verum etiam lumbis appositum revocat.

Emplastrum contra vermes infantum.

℞. *Pulv, aloes succotrin.* ʒj. *theriac.* Androm. ʒiß. *spir. absinth. q. s.* F. emplastr. obducatur super corium & inungatur balsamo mastichis vel ol. absinth. vel rut.

Emplastrum spleneticum *D. Pauli Jenischii.*

℞. *Ral. lilior. albor. althææ, bryoniæ, cyclaminis, cort. rad. cappar. tamarisc ana* ʒiß. *fol. nicot. sem. lini, carvi, fœni græci ana* ʒj. *Pulverisata coque in* ℴℴ. *cappar. tamarisci, lilior. albor. amygdal. amar. ana* ℥j. *vini albi* ℔ß. *Exprimantur fortiter, addendo, succ. bryon. iridis, cyclaminis ana* ʒvj. *Bulliant iterum & exprimantur, adde: gumm. ammoniac. acet. scillit. solut.* ℥j. *axung. anser. anat. ana* ℥ß. *empl. de melilot. unguent. dialth. ana* ʒiij. *myrrhæ, bdellii ana* ʒß. *fol. nicotian. rad. irid. ana* ʒj. *pulverisentur subtilissimè & cum, ceræ citrinæ* ℥iij. *resin.* ℥j. *terebinth.* ʒij. F. s. a. Emplastrum.

Emplastri Norinbergens. vera descriptio ex autoris *Erensingeri* manuscripto.

℞. *Ceræ citrin. minii ana* ½ ℔. *camphor.* ʒiij. ℴℴ *rosar. coct.* ℥viij. *Aq. fontan.* ℥vj. *sev. cervin.* ʒiij.

Erstlich das Wasser und Rosen-Oel in ein Keßlein zusammen gegossen, und das Wachs zerschnitten darein gethan, über ein Kohl-Feuer gesetzet, und so lange sieden lassen, biß das Wachs zerschmoltzen, aber man muß sich vorsehen, daß man nicht zu starck Feuer gebe, denn es sonsten ziemlich spritzet, wenn das geschehen, alsdenn vom Feuer gehoben, die Menning darein gethan, und wieder auffgesetzt, dann immerzu, wenn es siedet, umbgerühret, und das so lange gethan, biß es von sich selbst auffhöret zuwallen, und stille wird, da es denn beginnet schwartz zuwerden, welches man, ob es genung, auff einen Papier probiren kan, elsdenn vom Feuer genommen, und das Hirschen Unschlit darunter gerühret, alsdenn wenn es besser erkaltet, der Campfer, welcher vorher zerschnitten, darunter gerühret, so ist es fertig, und kan hernach in die Schachtel gegossen werden.

Emplastrum contra bubones pestilentiales *Domin. Dœreri.*

℞. *Gumm. serapin.* ℥iij. *bdell.* ℥ij. *opopanac. thuris ana* ℥iß. *Galban.* ʒvj. *Gummata dissolve & coq. in* ✳ *rutac. probe colentur, adde post, pulv. bufonis exsic.* 🜂*r. vivi ana* ʒvj. *camphor.* ʒj. *coque demum in formam emplastri.*

Emplastrum contra Bubones pestilentiales tractivum *Ejusdem.*

℞. *Emol. diachyl. compos.* ℥ij. *gumm. ammoniac. galban.* ✳ *ros. diss. ana* ℥ß. *camphoræ in* ℴℴ *scorp. diss.* ʒj. *ceræ novæ q. s. F. l. a. Emplastrum.*

Emplastrum contra Rupturam *Ejusdem.*

℞. *Bol. armen. ppt.* ℥ij. *aloës ep at.* ℥j. *lytharg.* ℥ß. *nuc. & flor. cupress. visc. quercin. tragacanth. ana* ʒij. *tutiæ ppt.* ʒvj. *colophon. picis navalis. ceræ citrin. ana* ℔ß. *M. F. l. a. Emplastrum.*

Emplastrum Spleneticum cum succo nicotianæ *D. Landgravii.*

℞. *Decoct. rad. alth. lilior. albor. ana* ℔ß. *succ. nicot. recent. express.* ℔j. *gumm. ammoniac. bdellii, galban. ana* ℥j. ℴℴ *amygd. dulc. amar.* ℥ß. *cappar.* ℥ij. *terebinth. colophon. ceræ ana q. s. F. emplastrum.*

Emplastrum stomachale *D. Kestii.*

℞. *Menth. sicc. rosar. rub. absinth. exsicc. lign. aloes. mastich. cinamom. spic. cyper. calam. aromat. thur. aloes. myrrhæ, corall. rubr. ana* ʒj. *zedoar. bacc. myrt. ana* ʒij. *caryoph. aromat. nuc. moschat. galang. macis, zingiber. gall. moschat. rosʃ. ana* ʒiß. *terr. sigill. abrotan. santon. centaur. maj. ana* ʒiß. *ladan. pur.* ℥viij. *cer. citrin.* ℔ij. *terebinth.* ℥viij. *tacamah.* ℥iv. ℴℴ. *mastich. stillat. menth. absinth. ana* ʒj. *cinamom. caryophyll. ana* ʒß. Terebinth. cera & ladan. liquatis & dissolutis adde pulver. reliq. & F. l. a. Empl.

Aliud *D. Laurentii.*

℞. *Gummi ladan.* ℥j. *carann. tacamahac. ana* ℥ß. *mastich.* ʒvj. *lign. aloes* ʒj. *nuc. moschat. macis ana* ʒij. *Menth. sicc.* ℥ß. ℴℴ. *nuc. mosch. per express.* ʒij. *absinth. destill.* ʒj. *mastich. stomach.* Craton. *āā* ℥j. *balsam. Indic.* ʒiij. *trochisc. alipt. galliæ moschat. ana* ʒjß. *ceræ, terebinth. ana q. s. F. l. a. Emplastrum.*

Emplastra varia ex Hadrian. à Mynsicht. Armam. Chymico-Medicô.

Emplastrum epilepticum.

℞. *Ol. de castoreo, rutacei, irini ana* ℥j. *rad. & sem. Pœoniæ, pirethri ana* ʒj. *Visci quercini, squillæ præp. cornu alcis, cran. human. ana spagyrici calcinator.* ℈ij. *thuris elect. mastichis, ladani, galbani, opopanac, ana* ʒß. *flor. lavendulæ, stæch. arab. spicæ Indic. ana P. j. ol. stil. rorismar. hyssopi, nuc. moschat. exp. ana* ℈j. *resinæ & ceræ ana q. s.* Ut fiat Emplastrum, ut est artis.

Vires & Usus. In Epilepsia & aliis periculosis capitis affectibus, Suturæ coronali applicatum, præclarum præstat auxilium & specifica vi contra illam virtuosissimè pugnat.

Emplastrum Hypnoticum.

℞. *Ung. populeo n. ceræ citrin. āā* ʒiij. *opii. spagyricè præp. ol. nuc. mosch. exp. ana* ʒjß. *tacamahac. mastichis, sandaracæ ana* ʒj. *styrac. cal. mit. oliban. elect. resinæ, ana* ʒß. *Galiæ mosch. veræ. Ext. croci or. ana* ℈j *ol. stil. rosar. veri* ℈ß. Misce & f. Emplastrum, ut est artis, ad justam consistentiam.

Vires & Usus. Temporibus, fronti & pulsibus impositum somnum jucundissimum producit, præsertim si vesperi ante ingressum lecti illud usurpetur. Insuper ad fluxiones capitis sistendas, omnesque dolores sedandos, præstantissimum & accuratissimum est: Sed pro hystericis Gallia moschata ommittenda.

Emplastrum Stomachicum.

℞. *Gum. tacamahacæ* ℥iv. *laudani puri, bentzoin. ana* ℥ij. *colophoniæ, ceræ citrin. ana* ℥j. *bals. absinthiaci nostri, peruviani odorif. ana* ℥ß. *Ol. stil. origani Cretici, serpilli, Zedoariæ, rorismarin. ana* ℈j. *terebinth. alb. q. s.* Et fiat l. a. Emplastrum justæ consistentiæ.

Vires & Usus. Ventriculum à nimia cruditate & flatibus liberat ejusque imbecillitati & distentioni opitulatur; Quia calefacit, & concoctionem mirè juvat; nec non nauseam & Vomitum reprimit; si stomacho impositum gestetur.

Emplastrum Spleneticum.

℞. *Ol. capparum, chamæmeel. ana* ℥iv. *succor. scolopendriæ, absinthii, rorismarin. agrimoniæ ana* ℥iv. Coq. in diplomate ad succorum consumptionem; postea adde:

℞. *Gum. galbani in aceto diss. ammoniac. bdellii ana ℥j. Empl. de Meliloto, diachylon. simpl. ãã ʒvj. ol. st. l. Juniperi suc. inspiss. rad. filicis utriusque ana ℥ß. sem. agni casti, rutæ hort. genistæ ana ʒjß. resinæ & ceræ ana q. s.* Misc. & fiat s. artem justæ consistentiæ Emplastrum.

Vires & Usus. Hujus Emplastri portio extendatur super alutam rubeam, & obducatur sindone rub. s. a. cui inspergatur Ol. Rorismarini q. s. & regioni splenis applicetur; Cujus duritiem & tumorem emollit, resolvit, splenemque aperit atque confortat.

Emplastrum Matricale.

℞. *Gum. Galbani in aceto diss. tacamahac. ana ℥j. terebinthin. alb. ceræ citrin. ana ʒvj. asæ fœtidæ, myrrhæ rub. castorei veri ana ʒiij. mag. jovis Anglici, ol. succini citrin. ana ʒjß.* Misc. & fiat Emplastrum, ut est artis.

Vires & usus. Valdè prodest in Matricis elevatione vel ascensu: Umbilico enim impositum uterum mirè reficit & quam ocyssimè in propriem sedem reducit; Immò, in hoc atrocissimo affectu suprà omnia alia Emplastra Uterina excellens, celebre & probatum est.

Emplastrum Carminativum.

℞. *Ol. bac. juniperi, laurini ana ℥iv. suc. inspiss. sambuci, rutæ hort. ebuli ana ℥iij. sterc. columbar. & caprar. in aceto maceratar. picis navalis ana ℥ij. flor. chamæmel. ana ℥jß. myrrhæ rub. sandaracæ, mastichis, olibani ana ℥j. rad. Angelicæ hort. enulæ camp. costi dulc. cyperi rot. Zedoariæ ana ℥ß.* Terebinth. alb. quantum ad cogendum satis est, circa finem adde: *Ol. stil. Cymini, carvi ana* ʒvj. Et fiat secundum artem Emplastrum.

Vires & Usus. Ad Hydropem & inflationes discutiendas efficacissimè adhibetur: Præterea Ventriculi, intestinorum, Hepatis, Renum, Vesicæ, Uteri. Ac partium aliarum à flatibus, aut intemperie frigidâ ortum dolorem placat. In Hydrope extendatur super petiam lineam crassam, & toto ventri calidum applicetur, vitatâ tamen regione Epatis.

Emplastrum Stipticum.

℞. *Colophoniæ, terebinth. ceræ citrin. ana ℥vj. crustæ panis tost. & in aceto macerat. ℥iv. ol nuc. moschat. exp. ℥iij. mastichis, sandarac. olibani ana ℥ij. terræ sigillatæ, bol. armen. rub. menthæ crispæ. absinthii ana ℥j. calami aromat. caryophyllor. ana ℥ß. balaustiar. rosar. rub. nuc. cupress. cort. granator. gallar. Turc. sang. Draconis ana ʒij.* Misc. & cum s. q. Ol cydoneor. confice s. a. Emplastrum.

Vires & usus. In Dysenteriâ Lienteriâ, Diarrhœâ, morbo Cholerâ, vomitu puerorum, & qui cibum retinere non possunt, experimentum est egregium: ponitur super ventrem inferiorem in fluxibus ejus: sed in Stomachi subversionibus, ipsi Ventriculo æqualiter super corium clypei instar deductum & pannis lineis vel sindone rubra coopertum, decenter applicetur.

Emplastrum Stipticum seu puncturale,

℞. *Terebinthinæ Cypriæ ℥iv. gum. Elemi ℥ij. ceræ citrinæ, colophoniæ ana ℥j. minii tenuiss. triti, sang. draconis ana ʒvj. styrac. calamit. magnetis ana ℥ß. Rad. aristolocæ. rot. mumiæ transmarin. ana ʒij. aloë epatic. aluminis ust. ana ʒj.* Misc. & cum Balsam. Vulnerario f. Emplastrum ut est artis.

Vires & Usus. Valdè efficax est ad puncturas & Vulnera recentia, ubicunque sunt in Corpore humano, etiam in capite quæ omnia siccat, mundificat, consolidat, sanat, malæque carnis corruptionem & excrescentiam impedit. Insuper ferrum, plumbum, calamos, surculos & spicula corporis altè infixa; nec non alia quæque de vulneribus extrahit, dolores mitigat, & venenosorum animalium morsus ictusque curat.

Emplastrum Diaphoreticum.

℞. *Ceræ flavæ ℥xj. colophoniæ, bdellii ana ℥iv. Succini citrin. ℥iij. gum. ammoniac. in aceto diss. terebinth. alb. ana ℥ij. galbani in aceto diss. sandaricæ ana ℥j. mastichis, thuris elect. ana ℥ß.* Misc. & fiat, l. a. Emplastrum.

Vires & Usus. Pituitam ac serosam humiditatem absumit, discutit & extrahit, sicut post ejus usum sæpè guttulæ appareant aqueæ in Emplastro & loco affecto: Hinc prodest specificè in Ischiatico dolore, intumescentia pedum, parotidibus & tumoribus Gallicis pituitosis, ubi suppurationi incumbere nolumus. In duritie crurum & nervorum scorbutica, ossium fracturis, juncturarum doloribus, luxatione, casu, & contusione, humiditates ad partem affectam tendentes consumit, doloremque legitimè tollit. Alii ingeniosissimi & felicissimi practici sequente utuntur, magnarumque est virium, & cujus idem est usus.

℞. *Ceræ citrinæ ℥xvj. bdellii pulv. ℥v. colophoniæ, Picis naval. ana ℥iv. succini citrin. ℥iij. gum. ammoniaci ℥ij.* Misc. & f. Emplastrum, quod malaxetur Ol. ovorum.

Emplastrum de Pice, ejusdem fere operationis, pro tenuioris fortunæ hominibus.

℞. *Picis navalis ℔j. ceræ citrin. ℥iv. terebinth. alb. ℥ij. succini flavi ℥jß. thuris elect. ℥j. mellis despumati, vernicis liquid. ana cochl. ij.* Misc. & fiat Emplastrum.

Emplastrum de Galbano crocatum.

℞. *Gum. galbani in aceto diss. ℥vj. empl. de Meliloto, Diachyl. simpl. ana ℥ij. ceræ citrinæ ℥ij. terebinth. alb. ℥j. croci orient. ʒvj.* Misc. & fiat l. a. justæ consistentiæ Emplastrum.

Vires & Usus. Expertissimum usuque celeberrimum est, ad emolliendos & resolvendos tumores duros & scirrhosos; nec non ad sedandos & mitigandos vehementes & lethales partium dolores Pectoris, Scapularum, Mammarum, Hypochondriorum, Laterum; Ventriculi, Hepatis, Lienis. Renum ac Uteri, &c. sive à crudis humoribus, vel à flatu crasso, aut aliâ intemperie membrorum frigidâ excitatos Insuper omnes strumas, tam recentes, quam inveteratas emollit, lenit, concoquit, digerit; incidit atque dissolvit. Præterea in convulsione & singultu felicissimè utimur.

Emplastrum de Galbano.

℞. *Galbani in aceto diss ℥j. picis navalis ℥ß. empl. diachyl. simpl. sal. armoniac. ℈j.* Misce & fiat Emplastrum.

Vires, & Usus. Cum panno super verrucas & clavos in pedibus dolorem & impedimentum in incessu adferentes (Germanicè *Elster-oder Kreyen-Augen*,) ponatur, tertio aut quarto die semper mutato, & est expertum.

Emplastrum mitigativum emolliens, sedans.

℞. *Empl. oxycrocei ℥ij. diachyl. simpl compos. de meliloto ana ℥j.* Misc. & cum Ol. Chamomil. f. Emplastrum.

Vires, Usus, Dosis. In Hypochondriis, pectore, Ventriculo, jecinore, Liene, & aliis partibus, omnem duritiem, & scirrhosos tumores emollit, resolvit, discutit, extrahit, maturat, & dolores varios mitigat vehementerque sedat.

Minium Coctum.

℞. *Ol. olivarum ℥xj. cerusæ pulverisat. ℥ij.* Coquantur ad mediocrem consistentiam Emplastri; posteà adde:

℞. *Minii tenuissimè triti ℥iv. sevi Hircini ℔jß. sandali rub. ʒvj. ceræ citrinæ. aluminis usti ana ℥iij. pulv. rosar. rub. ʒj.* Misceantur f. Emplastrum ut est artis.

Vires & Usus. Refrigerat; & siccat Ideòque ignibus sacris

sacris magna fiducia & felicissimè adhibetur. Vulnera & Ulcera antiqua, maligna, & exedentia, quæ humorum acrimonia serpunt & sunt difficilis consolidationis, potenter curat, omnesque cutis exulcerationes, calores, ustiones & excoriationes, ex quacunque causa, sanat.

Galbanum Coctum.

℞. *Gum. galb. in aceto diss. ceræ citrin. ana ℥vj. tereb. alb. ℥iv.* Misc. & fiat justæ consistentiæ Emplastrum.

Vires & Usus. Magnarum in emolliendo & resolvendo est virium. Quia articulorum & membrorum principalium tophos, nodos, scrofulas ac tumores duros, digerit, emollit, resolvit, eorumque dolores ex influxu frigido sedat. Verrucas etiam & clavos in pedibus pedetentim tollit. Hemicraniam, loco affecto applicatum emendat. Nervos ac Uterum roborat. Morsibus ac ictibus tabidorum animalculorum venenatis, Scorpionum nempe, cricetorum, mustelarum &c. impositum medetur.

Emplastrum Saturni.

℞. *Saturni usti & loti ℥ii. sevi hircini, ceræ albæ, ana ℥iß. terebinthinæ ʒvj. lap. calaminaris præp. cerussæ lotæ ℥ß. pompholygis, tutiæ præp. ana ʒii. myrrhæ rub. mastichis, olibani ana ʒi. aloes epat. camphoræ, nitri præp. ana ʒß.* Misc. & f. Emplastrum justæ consistentiæ.

Vires & Usus. Nobile hoc de Saturno Emplastrum, auxilium quasi divinum & nuper ita à me inventum, valet secundum meam experientiam contra omnis generis Ambusta, inflammationes, Tumores, Ignem Persicum &c. Nec non ad vulnera & ulcera quævis maligna, fœtida, insanabilia ac corrodentia, nimirum: Fistulas, Lupum, Cancrum, Polypum, Noli me tangere, &c. & similia Saturnina, etiam deploratissima, intra paucos dies carne implenda. Et hæc nostra est vera & sincera Emplastri Saturnini descriptio; cæteræ verò, quæ passim circumferuntur, omnes falsæ sunt.

Emplastrum Arthriticum.

℞. *Ol. Olivarum recent. ℔.i. minii tenuiss. triti ℥ii. Coquantur mixta ad consistentiam mediocrem Emplastri, Posteà adde: Ceræ citrinæ ℔.i. sem. hyosciami subtilissimè pulverisati, colophoniæ, terebinth. alb. ana ℥iv.* Misc. & fiat justæ consistentiæ Emplastrum.

Vires & Usus. Anodynum est: propterea, præmissis prius universalibus, Arthriticis, Podagricis; nec non aliis cruciatibus quovis tempore utilissimum: Quia omnes ferè dolorum injurias mirè sedat atque placat.

Emplastrum Narcoticum.

℞. *Succor. sempervivi domest. ℥vj. hyosciami, cicutæ, rorismarin. verbenæ, solatri ana ℥iii. ol. lilior. alb. camphoræ, flor. verbasc. chamæmel. ana ℥iß. medullæ cervinæ ℥.i. Coquantur l. a. in diplomate ad succorum consumptionem; posteà adde. Ceræ virgin. colophoniæ ana ℥ii. cerusæ ana ℥iß. opii spagyricè extract. flor. papav. errat. ana ʒiii. ol. saturnini mumiæ transmar. ana ʒii.* Misc. & f. Emplastrum, ut est artis.

Vires & Usus. Refrigerat & mirabiliter dolores & cruciatus Podagricos placat. Phlegmonas, Erysipelata, Herpetas sedat, cæterasque intemperaturas omnes calidas, imò incandescentes inflammationum fervores potentissimè extinguit. Insuper ad capitis dolorem expedit, nec non temporibus ac pulsibus applicatum somnum conciliat.

Emplastrum Fœtidum.

℞. *Assæ fœtidæ ℥.iii. gran. antirrhini q. sceleton. repræsentant. num. vij. fol. quercin. num. iii. corallor. rub. pulv. magnetis ana ʒiß.* Misc. & fiat cum Ol. Hyperici Emplastrum.

Vires & Usus. Ad quævis maleficia experimentum est stupendum & quasi cœlitus demissum: Super centrum enim, ubi cruciatus persequendo, positum, non duntaxat maleficium ipsum; verum etiam omnia phantasmata & incantationes; sine superstitione, confestim fugat, propulsat atque debellat. Patiens autem bibat interim de sequente decocto.

℞. *Herb. Anthirrini cum semine hyperici, pyrolæ ana q. v.* Coquantur in Cerevisia vel vino ad tertias. Dosis manè & vesperi bonus haustus.

Emplastrum de Carne bubula.

℞. *Carnis bubulæ bene infumatæ & pulverisat. ol. tartari, ceræ flavæ ana ℥ii. terebinth. alb. lap. calaminar. pumicis, boli rub. & alb. lithargyri, mastichis, aluminis usti, ol. ovorum ana ℥ß. myrrhæ rub. olibani, champhoræ ana ʒii.* Misc. & cum Aceti vini acerrimi. ℥ij. fiat l. c. Emplastrum.

Vires & Usus. Vulnera & Ulcera antiqua, maligna, corrodentia, cancrosa, Saturnina; quæ omnia difficilis consolidationis sunt, explet, siccat, & cicatrice claudit. Fistulas, quæ nondum callum contraxerint, jungit. Confert quoque ad omnes putredines, Hæmorrhoidas, Condolymata, Sedis vitia, rimas & ficus ani, aliaque mammarum & pudendorum depascentia ulcera.

Emplastrum Talpinum.

℞. *Butyri majal. s. sale ℔.ß. herb. rutæ virid. rad. sigil. Salomon. rec. ana ℥ß. Coq. donec Butyrum viride appareat: postea colentur, exprimantur, & expresso butyro addantur, Ceræ citrinæ ℔ß. picis navalis ℥iv. ol. Saturnini ℥i. talpæ vivæ combust. num. i. mellis virginei cochl. ii. avenæ alb. & siliginis in sartagine ferreâ ad nigred. tost. & pulverisat. ana m. i.*

Vires & Usus. Ad vulnera & ulcera antiqua & fœtentia, peculiariter congruit; quæ omnia deliccat, sanat, optimâ carne replet, cicatrizat, & ab eis sordidos humores seu putredines intimè immersas liberaliter educit.

Emplastrum contra Herniam.

℞. *Resinæ ℥.i. terebinth. ℥ iii. ol. ovorum, sang. draconis ana ℥. i. rad. consolid. major. sandali rub. ana ʒß. croci Martis per reverberat. fact. ʒ ii. aluminis usti ʒ. i.*

Resina & Terebinthina liquefiant & ab igne remotis pulveres inspergantur, & oleum addatur, beneque misceantur, & fiat Emplastrum, quod beneficio aquæ ferventis extendatur.

Vires & Usus. Præsentissimum est remedium ad varias Herniæ species: Imprimis verò Herniam intestinalem & Umbilicalem curat. Itaque Emplastrum hoc parti affectæ, intestino, vel omento, prius sensim in locum suum repositis, pube ac scroto abrasis imponatur & ligamentis idoneis vel subligaculo, ne exire possit, retineatur, illudque ad perfectam sanationem continuetur. Patiens interim in molli lecto jaceat & sit in quiete; Immò Diætæ rectam rationem observet, aëris intemperiem frigidam, ventum, clamorem, vociferationem, cantum, risum, fletum, ponderum gravium elevationem, & omnem motum nimium vitet. A cibis quoque flatulentis abstineat, & alimentis crassis, viscidis & constringentibus utatur. Quantitas autem parva esse debet, inedia enim maximè confert.

Emplastrum Diachylon anodynum.

℞. *Ol. Anodyni, septem florib. parat. ℥xxiv. lithargyri optimè*

optime trit ℥xij. *mucilag. sem. hyoscyami, psyllii, cydon. lini, medtani cort. ulm, rad. althææ cum aq. solani ext.* ℥iv.

Lithargyrum subtilissimè pulverisat. & præpar. cum oleo anodyno subigatur, postea lento igne coquatur, semper agitando, usque dum propè m xta sint. Ab igne deposita paulatim rigescat, & tunc mucilagines affundantur, invicem bene misceantur & ad justam consistentiam redigantur.

Vires, & Usus. Emollit dolores sistit, abscessus dissolvit, duras inflammationes & tumores calidos digerit atque maturat: immò omnia, quæ inflammantur, curat. Insuper podagricis auxiliatur; nec non ad intemperiem calidam emulcendam præstantissimum est.

Emplastrum de Spermate Ceti.

℞. *Cer. alb.* ℥iv. *sperm. ceti* ℥ii. *gumm. galb. in acet. sol.* ℥i. *M. F. Emplastrum.*

Vires, & Usus. Doloribus & tumoribus duris mammarum post partum medetur.

EMULSIO.

Emulsio est remedium formâ liquidum, ex medulla fructuum & seminum quorumdam contusa, affuso liquore idoneo instar lactis emulsi.

Componitur ex fructibus qui sunt vel amygdalæ, vel pinei, ex seminibus, nempè quatuor frigidis majoribus, lactucæ, papaveris albi, & cæteris pro ratione morbi, humoris, & intentionis curativæ. Pro liquore sumuntur aquæ stillatitiæ, vel aqua hordei, vel decoctum ex refrigerantibus, &c.

Usus plurimi sunt. Primò, Ad sitim extinguendam, & æstum temperandum, in febribus, cæterisque calidis affectibus pulmonum, capitis, &c.

℞ *Amygdalarum dulcium infusar. in aqua rosarum paria iv. quatuor seminum frigid. maj. mundat. an.* ʒ j. *seminis lactucæ, & papaveris albi an.* ℈. j. *contunde in mortario marmoreo sensim affundendo decocti hordei, vel aquarum portulac. & papaveris rhœad. q. s. Fiat emulsio pro duabus dosibus. Adde cuique salis prunell. drach. s. syrupi violati, vel de nymphæa unc. j. capiat vesperè & manè.*

Nota non esse præscribendam emulsionem pro multis dosibus, præsertim æstate, quia vel corrumpitur, vel acescit, vel vim alterandi remissiorem habet; ideóque solùm pro una dosi, vel pro duabus præscribenda est. Quantitas fructuum & seminum juxta dictam formulam augeatur, vel minuatur, prout unam aut plures doses volueris: quantitas liquoris modò major, modò minor est, prout crassior vel dilutior emulsio expetitur: relinquitur arbitrio, Pharmacopœi dum dicitur q. s.

Cave, ne acida commisceas, quippe substantiam lactescentem facilè præcipitant; ideóque spiritus acidi vitrioli, sulphuris, succus limonum & similes non sunt addendi.

Secundò, In pecto is affectibus calidis, pleuritide, peripneumonia, tussi, siccitate pulmonum, febre hectica, &c.

℞. *Amygdalarum dulcium præpar. paria iv. 4. semin. frigid. maj. an.* ʒ. i. *semin. lactucæ & papaveris albi ana* ʒ. s. *Contunde in mortario marmoreo sensim affundendo aquar. papaver. rhœad. q. s. Fiat emulsio pro duabus dosibus. Adde cuique syrup. viol. vel capill. ven.* ℥. i. *salis prunellæ* ʒ s.

Tertiò, Ad humoris & urinæ acrimoniam demulcendam, in renum ardoribus, dysuria, gonorrhœa.

℞. *Amygdalarum dulcium præpar. in aqua rosac. infusar.* ℥. ii. *4. seminum frigid. maj. plantag. & portul. ana* ʒ. i. *semin. althææ & papaveris albi ana* ℈. i. *Contunde ut artis est, & affunde decocti hordei & liquiritiæ, q. s. Fiat emulsio pro duabus dosib. Adde cuique syrupi violati, vel de nymphæa* ℥. i. *sal. prunel.* ʒ. ß.

Quartò, In febribus malignis, variolis, & in quibus diaphoresis juvanda, æstus caloris temperandus, acrimonia humorum demulcenda, & vires roborandæ.

℞. *Amygdalarum dulcium excortic.* ℥. i. *semin. melo cucurb. napi, card. bened. an.* ʒ. i. *Contunde in mortario marmoreo sensim affundendo aquar. scab papav. rhœad. q. s. Fiat emulsio pro duabus dosibus adde cuique syrupi limon.* ℥. ß. *salis prunellæ* ʒ. ß. *pul. viper.* ℈. ß. *Capiat vesperè & manè*

Quintò, in vigiliis immodicis ad spirituum siccitatem corrigendam, somnumque conciliandum.

℞. *Amygdalarum dulcium excort. infusar. in aqua rosac. n. vj. 4. seminum. frigid. maj.* ʒ. iii. *semin. lactucæ & papaveris albi an.* ℈ i. *Contunde ut artis est, & sensim affunde aquæ papaveris rhœad. vel nymph. unc. viij. Fiat emulsio pro una dosi. Adde syrupi de papav.* ʒ. ij. *vel nymph. unc. j. salis prunellæ* ʒß.

In debilibus, adde confect. hyacinth ℈j. vel ʒ. ß. ad frangendam vim narcoticorum cordi inimicam.

In prædictis emulsionibus addi potest aquæ rosar. unc. ß. & si adsit alvi fluxus ad unc. ij. *Tencke.*

Emulsionis nomen ab *emulgendo* dictum est, ut enim lac emulgetur pro alimento ex animalium genere, per naturam in mammis collectum; ita emulsio lac artificiale est, pro medicamento ex vegetabilium genere certo extractum,

Emulsio definitur,

Medicamentum liquidum diffusius, coloris albicantis seu lactei, ex seminibus & nucleis certis accessu humoris liquatis & expressis, pro usu potissimùm interno.

Genus est medicamentum liquidum, fluxile enim est & potabile, in quo cum aliis v. g. decoctis, infusis &c. quidem convenit, differt verò tùm consistentiâ, non enim limpida est aquosa penitus est, tum, quæ differentia est specifica, colore lacteo, & consequenter apparatu & processu, seu ἐγχειρήσει. Lactei porrò est coloris, ex quo undè, fiat, paulò penitius spectandum est. Quæcunque enim lactei talismodi coloris sunt, videntur quidem ad sensum homogenea, attamen in rei veritate non sunt, sed notant 2. 1. liquidum, aqueum imprimis; 2. immixtum aliud quod liquorem tingit.

Mixtio verò hæc ipsa, quæ lacteum colorem producit, à particulis intimius admixtis vel confusis, alia est *intimior*, alia magis superficiaria & *confusanea.* Priori modo lactescit aqua cinamomi, cujus hæc bonitatis quasi nota est; sic lactescunt spiritus vegetabiles alii, si cum aquis confundantur, indicio manifesto liquatæ in ipsis penitius resinæ; sic essentiæ resinosæ quoque affusis liquidis aliis non homogeneis seu aqueis lactescunt, v. g. essentia benzoës affusâ aquâ rosarum, essentia myrrhæ, affusâ aquâ cinamomi, quod emulsionem nostram cordialem, confortantem & balsamicam, constituit; ut adeò per horum & aliorum similium exemplorum, adde & ipsius lactis, instructionem concludere liceat, 1. *partes oleosas aqueis diditas & confusas lacteum colorem inferre*, unde conclusimus & alibi, chylum ipsum nihil aliud esse, quàm partes oleosas balsamicas confusas & mixtas cum aqueis; Tacemus hîc unguentum de lithargyrio, oleum olivarum cum lixivio, cum albumine ovi conquassatum in varios usus, præcipuè verò ad ardores ignis & alios extinguendos. 2. *Commixtionem hancce & inde exorientem colorem lactescentem vel leni salis domestici quasi interventu fieri,* uti id in sero lactis existere, item in oleo cinamomi, in quo non rarò observata sunt concreta salina spicula, est extra controversiam. 3. *Vel interventu par-*

tū partium terrearum, *in quibus dispersæ sint particulæ sulphureæ*, ut intercessione earundem alias non commiscibiles particulæ magis coeant & socientur. Et tale quid inprimis contingit in emulsionum hoc, de quo agimus inpræsentiarum; genere, siquidem ob hanc causam semina hæc lactescentia, seu albicantia, colorem lacteum præbent, atque in & cum hisce cum aqueis maritantur oleosæ particulæ, quæ expressæ ex eodem ipso semine & coeuntes hanc mixturam aspernantur. 4. *Mixturam hanc ipsam quidem non diu constantem esse, ad tempus tamen perdurare*, præsertim, ut mox dicemus, si nihil interveniat aliud, quod separationem particularum inungat & post se trahat.

Contrarium verò hujus videre est in altero genere mixtionis, quam *superficiariam* & *confusaneam* dicebamus, quæ contingit citra additionem sulphurearum à sola conquassatione terrarum quarumvis albicantium particularum cum aqueis, ubi color idem seu emulsio emergit, sed momentanea ferè, à mixtione seu confusione potius per intima utrorumque factâ, statim tamen iterum subsident, uti verb. grat. perlæ vel harum magisterium multò levius cum aquâ cinamomi borraginis vel buglossi. f. q. mixtum talem emulsionem præbent. Sic lac lunæ pro lacte augendo, sic magisterium ♃ni pro inflammatione oculorum seu ophthalmiâ cum aquis appropriatis misceri queunt; & hæc est altera species emulsionum, scil. impropriè dictarum, quæ non fiunt ex seminibus, sed saltim confusione & commixtione tali, quæ eget conquassatione.

Quod itaque attinet τὸ *Materiale* emulsionum, *Basin* constituunt, & primum locum nuclei ac semina, & quidem.

1. *Albicantia.* Quæcunque itaque semina vel nuclei non albicant, seu liquori nequeunt conquassatione alborem conciliare, illa ordinariè non debent ingredi; tales sunt in specie pistacia, quippe succo viridescente prædita, item radix saxifragiæ albæ granulata, quæ communiter seminis nomine in officinis venit, nec albescentem æquè colorem infert. Hæc & similia ingrediuntur quidem, sed refractè sub velo & prædominio aliorum.

2. *Non mucilaginosa*, licet albicantia, ut verb. gr. in specie semina cydoniorum, item hyoscyami, psyllii, quæ ad mucilagines quidem, non item ad emulsiones, adhibentur.

3. *Non rancida*, *vetusta*, *acria*, illa enim ingratum saporem addunt, & viribus debilis gaudere nequeunt, quin saporem alium habeant, & calorem medicamento concilient. Eliguntur enim selectissima, recentia, optima, unde præscribuntur amygdala dulcia, ambrosina &c.

4. *Excorticata*, quod de majoribus valet, unde amygdala, semina cucurbitæ, cucumeris, nuces pineæ, nuclei persicorum debent excorticari, ut citra recrementum furfuraceum pelliculosum ullum emulgeri queant; in minoribus verò id non valet vel locum habet.

5. *Non calida & aromatica*; hinc semen anisi, fœniculi, & calida alia omnia, ut inprimis semen nasturtij, excesse debent, neque planè in hunc censum veniunt; addi verò possunt semen cannabis, saponariæ, hordeum, tribuli aquatici, nuclei armeniac. &c.

Eliguntur verò hæc vel in usum communem, ut frigida, frigida enim alterantia in genere quoque magis sunt communia, vel appropriata, siquidem hæc vel illa determinatum magis usum exerunt.

In impropriè verò dictis emulsionibus basin constituunt terrea levia, albicantia, subtilia, facilè in liquorem dispergibilia.

Excipiens præbent *liquida aquea* seu decocta, aqua enim simplex crudior paulò est, & rarius hinc recipitur, ut decoctum hordei cum C. C. glycyrrhizæ, cicerum, ficuum, licet itidem non adeò frequenter, communissimè verò destillatæ, ut aquæ intentioni Medici & seminis qualitatibus convenientes.

Recipiuntur ergo 1. *semina vel nuclei*, (pro lubitu præponenda vel postponenda sibi invicem, perinde enim id fuerit,) ad aliquot drachmas, vel unam atque alteram unciam; ubi notandum, semina ordinariè magis ad unc. ß. ʒvj. vel unc. j. conjunctim; (siquidem plura simul præscripta sint, quod ferè fit;) nucleos per se ad unc. ß. ʒvj. vel unc. j. ad ij. ferè recipi. 2. *Aqua*, una, duæ, tres vel plures, vel anaticâ, definitâ, vel indefinitâ, inæquali dosi: anaticâ in similibus; inæquali magis in ijs, quæ ad gratiam vel correctionem quasi adduntur, ut aqua cinamomi; definitâ; proportione respectivâ expressâ, ubi circiter ad ℥j. seminum, vel ʒi. nucleorum, (plus enim ferè respectu horum recipitur) unc. j. aquæ ordinariè recipitur: indefinitâ, si pharmacopœi id relinquatur prudentiæ.

Ex his itaque mixtis, tritisque & emulsis consurgit ipsum *Formale*, nempe liquor consistentiâ & colore lac æmulans, viribusque ipsorum seminum imprægnatus: M. f. l. a. Emulsio. Ast illum tamen non sine quibusdam cautelis.

1. *Quæcunque tincturam alienam actu inferunt, exulent*, seu liquida, seu solida, seu media, tàm quoad materiale, tàm ad formale respectu habito, hinc cinnabarina recipi in emulsiones non consueverunt, hinc sirupi non nisi albicantes ingrediuntur, rubicundi verò, excessivè inprimis, ut sirupus coralliorum, papaveris rhœados, exulent. Hinc confectioni alkermes in propriè dictis emulsionibus strictè loquendo locus non est.

2. *Quæcunque præcipitant partes unitas & mixtas, absint*, unde acida omnia, sirupi, spiritus acidi, spirituosi, urinosi, tincturæ, hîc locum non habent. Ut enim acida omnia lac præcipitant, ut caseosæ partes emergant & separentur, ita etiam hoc loco in emulsionibus.

3. *Quæcunque intentioni, mixtioni & consistentiæ sunt contraria, non ingrediuntur*; quod tum ex præcedentibus patet, tum exemplo oleorum, imò omnium quasi calidorum clarum est, nullum enim oleum destillatum, nullum elæosaccharum, nec pulveres in genere calidi hîc recipiuntur: aquæ cum vino non nisi parcius & magis definitâ dosi. Sic etiam nitrosa, salina quævis hîc exesse debent.

4. *Nec parvâ nimis quantitate, nec nimis largâ præscribendæ emulsiones*; minus tamen in largiori, quàm parciori quantitate delinquitur. Intentio enim cùm sit alterandi, diluendique, ut in sequentibus dicetur, paulò proportionatâ id fieri oportet dosi. Hinc in infantibus & pueris ad unc.ij. vel iij. in adultis ad unc.vj. viij. vel x. quantitas ferè præscribi solet & debet. In parvâ igitur nimis dos finem non assequimur, in largiori facilius corrumpuntur, hinc

5. *Emulsiones in præsentem & continuandum usum saltim præscribantur*: non facilè durant ultra ☍☍, præsertim æstate, vel diem unum & alterum hiemali tempore, unde successivè ijs potionandus æger, ne acescant morâ & corrumpantur.

Quoad *Formale* igitur ex dictis fluit, colorem, consistentiam, quin & saporem ex parte æmulari debere lac nativum. Notandum tamen circa hoc, emulsiones vel *dilutiores* vel *saturatiores* posse fieri pro majori vel minori liquoris aquei affusione, præstat tamen tenere medium: illæ enim, ut non adeò respectivè palato arrident, ita hæ facile usui ineptæ evadunt. Notabile enim est, duobus fere modis destrui & corrumpi posse emulsiones, uno, de quo jam diximus, factâ

præcipitatione, sive spontaneâ, acescente mixturâ, quod facilè contingit, sive accessoriâ, ob additamenta &c. quando grumescit compages, ut seorsim liquor, seorsim pars quasi caseosa extent; altero, quando mucescunt & concrescunt, cohærentibus intimè partibus, ut fluxilitas pereat, id quod contingit varijs de causis, v. g. à fortiori expressione, quando hoc ipso magis comminuuntur particulæ & explicantur gummosæ & mucosæ, talésve evadunt hoc ipso. 2. à nimiâ pulverum, inprimis viscidorum in recessu additione; hinc species diatragacanthæ & trochisci alij parcè vel non indendi, imò in genere in addendis pulveribus, præparatis, magisteriis, cauto opus est, ne excedant, unde ultra ʒj. circiter non facilè adduntur pulveres, præcipuè, cum hinc conquassatione egeant seu agitatione; imo sæpe plane omittuntur. Nam 3. inprimis id ipsum fit à conquassatione nimiâ, unde de hoc & monendi sunt ægri, & pharmacopœi in eo delinquere non debent in præparatione. 4. Conferre etiam ad id potest, si in priorem ampullam, in quâ jam fuit emulsio, recens parata denuò indatur; ob relictum à priori quasi fermentum; quæ, cùm in praxi non rarò occurrant, ut rationem sciat Medicus, monenda duximus; neque enim tunc facilè ipsa liquoris de novo facta additio errorem vel consistentiam corrigit.

Saporem denique quod attinet, dulcibus modicè & indefinitè magis additis ejus obtinetur gratia, sive sirupis albicantibus propter jam dicta, seu saccharo simplici rotulato, cum & sine perlis, julepo rosarum &c. cùm enim per se grata sint & ἄσποια quasi semina, eò facilius etiam id obtinetur, & parciori manu.

Id ipsum jam exemplis quibusdam, methodo inceptâ, illustrabimus, v. g.

Emulsio Antiepileptica.

℞. *Sem. pæon.* ℥ß. *cucum. melon.* ā. ʒj. *amygdal. d.* ʒ *vj. aqu. flor. til. ceras. nigr. epilept. Lang. cichor. scabios. pæon. cordial. H. S. fr.* ā. ℥j. *rosar.* ℥ß. M. f. l. a. Emulsio. Colat. add. *pulv. epilept. March.* ʒj. *sacchar. perlat. parum.* M. D. in fictili. S. *Stärckende Hauptmilch.*

Not. quidam etiam addunt semen saponariæ, quod commodè fieri potest. Exemplum feliciter adhibitæ in epilepsiâ emulsionis seminum pæoniæ habet *Hildesheim. in spicileg. 7. de affect. cap. p.* 598. Variari queunt facilè aquæ pro subjectorum varietate & foci.

Emulsio purgans.

℞. *Sem. cartham.* ʒij. 4. *frig. maj.* a. ʒß. *resin. scammon. gr. xij.* ▽ *acac. fumar. rosar.* ā. ℥j. M. F. l. a. Emulsio, add. sacch. perlat. parum.

Antipleuritica.

℞. *Sem. card. bened. Mariæ* ā. ʒij. *papaver. alb.* ʒiß. *amygdalar. dulc.* ʒiij. *vel* ℥ß. *aqu. papaver. rhœad. card. bened. Mariæ lactei, scorzon. scabios.* ā q. s. M. F. l. a. Emulsio. Colat. add. *magister. C. C.* ♁ *diaph.* ā ℈ß. *sir. de card. bened.* parum.

Expellens in variolis.

℞. *Sem. aquileg. napi, citr.* ā. ʒij. *pæon.* ʒi. ▽ *fumar. card. bened. galeg. scorzon.* ā. ℥i. *cord. H. S. frig.* ℥vj. M. F. l. a. Emulsio. Colat. add. C. C. *philos.* ʒi. ♁ *diaph.* ℈s. *sacch. perlat.* parum.

Diuretica & Nephritica.

℞. *Sem. 4. frig. maj.* ā. ʒß. *milii* ☉. *genist.* ā ʒi. *violar.* ʒiv. ▽ *petrosel. ononid. saxifrag. chærefol.* ā. q. l. *rosar.* ℥ß. M. F. l. a. Emulsio. adde *magister. lap.* ♋ ʒß. *sir. dialth. Fern.* q. s. M.

Hypnotica in febb. ardent.

℞. *Amygd. d. ambros.* ℥i. *sem. 4. frig. maj.* ā. ʒi *pap. alb.* ℥ß. ▽ *hypnot. Dorncreil.* ℥iv. *cord. H S. fr. acac. sambuc. scorzon.* ā. ℥i. *ros.* ℥ß. M. F. l. a. Emulsio. add. *magister. anod.* ℈ß. *pulv. bezoard. alb.* ℈i. *sirup. papaver. simpl.* q. s. M.

Ad Gonorrhœam.

℞. *Sem. cannab.* ℥ i. 4. *frig. maj.* ā. ℥i. ▽ *nymph. lactuc. portul. endiv* ā. q. s. M. f. l. a. Emulsio, Colat. add. *magist. oss. sepiæ* ʒi. *sir. nymph.* q. s. M.

Perlata impropriè dicta.

℞. ▽ *cord. H. S. fr. cinam. s. v. borrag. bugloss.* ā. ℥i. *rosar.* ℥ß. *perlar. præp. vel magister. perlar.* ʒi. (*vel magist. matr. perl.* ʒi. *perl. præp* ʒß.) *juleb. rosar.* q. s. M. Facilè etiam addi possunt amygdala dulcia.

Externa in dolore capitis.

℞. *Nucl. persicor.* ʒ *vj. papav. alb.* ℥ß. *sem. 4. frig. maj.* ā ʒi. ▽ *verben.* ℥ii. *puleg. beton pol. montan. fl. tiliæ, sambuc. rosar.* ā q. s. M. f. l. a. Emulsio. D. in fict. S. *Eusserliche Hauptmilch.*

Neque opus est hoc loco seorsim de amygdalato, *Mandelmilch*, agere, cum ejus ratio ex dictis hactenus abundè pateat.

Quod *utendi modum* concernit emulsionum, cùm alterandi ferè fine propinentur, præstat easdem etiam paulò largius, seu una, seu partitis magis vicibus, sumi, ut intentionem suam commodè consequantur, unde vel cochleatim illud fit, vel ut poculum parvum unciæ unius vel alterius capax hauriatur.

Et alterantes quidem promiscuo ferè & indefinito tempore sumuntur per vices: ad determinatos verò usus præscriptæ suo quælibet tempore. Sic purgantes, ut alia huic scopo debita, manè sumuntur, hypnoticæ consultò dividuntur, ut pars vesperi, pars sub lecti ingressum, cum vel sine opiato, pars post mediam noctem assumatur, siquidem somnus ex voto non successerit.

Impropriè dictæ agitatione prævià hauriuntur, ut & aliæ, quæ pulveres recipiunt. Externæ linteaminibus mediantibus applicantur fronti, instar epithematum.

Notatu hîc dignum est, asservari debere emulsiones loco frigidiori & extra caloris clima, ne tàm facilè præcipitentur & corrumpantur: extra hypocaustum scilicet. Allaborandum quippe est, ut quovis etiam modo averruncemus citam corruptionem.

Usus denique ipse emulsionum latè patet, de quo seorsim etiam meritò agendum venit.

In genere, *quod lac præstat ex alimentis, id emulsio ex medicamentorum classe.*

Hinc emulsiones 1. *refrigerant & alterant*, utque universaliter quasi refrigerantia magis sunt generalia alterantia, calida magis specifica; ita etiam emulsiones, ut pluribus æquè conveniant, præcipuè ex seminibus frigidis majoribus, tum quoque minoribus: & hoc quidem non eô sensu, quod principaliter calori febrili debeantur per se, sed quatenus ipsos hujus ardores mitigant, ut jam pluribus dicemus. Nam

2. *Demulcent acrimoniam*, unde sunt, qui, quòd affectûs demulceant, dictas putant; hinc sitim sedant, ventriculi erosionem & siccitatem solantur. Hinc purgantium commodum præbent vehiculum, quatenus eorundem particulas acres demulcent, ut minori cum vehementiâ stimulent, minusque lædant. Mitigant & domant acrimoniam

moniam quoque & corrosivam vim cantharidum assumptarum: harum enim antidotus genuina sunt, uti aliàs lac ipsum. Novimus quendam pro stimulandâ venere usum infuso cantharidum & succoladæ, indeque insignem dysuriam passum, summumque ardorem & dolorem membri; à solo verò potu lactis recentis paulò largiori unicè convalescebat. Sic tale exemplum quoque huic parallelum de adolescente quodam recenset *Langius n epistol. l. 1. epist.* 47. *p.* 231. *seq.* qui eundem in finem haustis cantharidibus curatus fuit emulsione sem. 4. frig. maj. & balneo aquæ dulcis. Hinc in hæmorrhagiis quoque prosunt, item in gonorrhœâ, & pollutione nocturnâ, ubi sæpissimè cum fructu emulsionibus usi sumus. Hinc in catharris quoque commendantur, modò ne quid nimis, quòd & in genere valet.

3. *Serum restituunt*, adeoque substantificè & cum quadam energia humectant: hinc in mania, melancholia, phrenitide & similibus defectibus seri auxilio sunt. Imò ob hoc ipsum inter impropriè dicta diuretica principatum tenent eædem; quod & actualem humiditatem apportent, & blanda abstersione renes demulceant: præcipuè verò phthisicorum, tabidorum & hecticorum sunt solatium, roscidum defectum restituendo & demulcendo.

4. *Vigilias sedant*, restituto defectu lymphæ, unde aquam suam hypnoticam cum seminibus 4. frigid. & papavere in emulsionem redactam maximi æstimat & deprædicat *Dornkreilius*. Et hic quidem modus somnum accersendi est quàm commodissimus, quippe defectum seri supplet, qualitatem ejus, obstructioni pororum inconvenientem corrigit, adeoque huic defectui sic apprimè succurritur.

5. *Dolores mitigant*, vi paregorica demulcente & diluente: Hinc in hanc rem eximius atque elegans extat locus apud *Langium in Miscell. curiosis p.* 26. ubi emulsiones podagricorum suave & humectans refrigerium deprædicat, & ceu arcanum somnum inducendi doloresque abigendi remedium. Ut aliàs hodiè cura lactis ad podagram curandam non infrequens est, singulis diebus solo quasi lacte nutriendo ægros, adscendendo, sicut in acidulis & thermis, & descendendo; sic promtè id suo loco exequuntur etiam emulsiones, consentiente ventriculi tono. Hinc etiam externè id quàm abundè adimplent, frontalia constituentes, in doloribus capitis, hemicrania, phrenitide.

6. *Emulsiones analepticæ sunt*: suaviter reficiunt vires, restaurando serum, & succum præbendo etiam alimentosum, siquidem ex amygdalis dulc. ambrosinis, pineis, pistaceis, tribulo aquatico componantur; imò in genere quasi inter analepticâ locum habent, seu confortandi fine simul præscribuntur; quod enim aliàs in potionibus sunt julepi, grato colore, odore & sapore se commendantes, id h. l. in altero quasi genere sunt emulsiones & gratia certantes & effectu.

Contra ea verò non promiscuè hæc prædicta efficiant, quibus etiam addi queunt definitæ virtutes aliæ, expellendi, purgandi &c. ubi vehiculum præbent præcipuè, nihilominus tamen tunc quoque aliquid conferunt utilitatis, siquidem illa ipsa heterogeneitas particularum fermentationi humorum & resolutioni medicamenti purgantis admodum velificatur.

Cùm ergò refrigerent & alterent calorem p. n. hinc facilè è contrario patet.

1. *Emulsiones, quà tales, calorem intendendi fine non præscribi.* Hinc siquis æger egeat restitutione partium balsamicarum magis in sanguine, superfluis serosis, quales sunt cachectici, læditur omninò potius ab emulsionibus. Hinc etiam locum quidem habent emulsiones diaphoreticæ & expulsivæ, sed quando intentio saltim est uti temperatis; ut serum reddatur fluxile, mobile, & additamenta temperata subsidium ferunt.

Cùm demulceant acrimoniam humorum, & inprimis seri, biliosa salina acrimonia pinitius tincti, notabile est, *minus convenire easdem humoribus acidis*, seu in ventriculo, seu primis vijs in genere congestis; acida enim ut lacti, ita & emulsionibus sunt contraria. Hinc neque in cruditate acida & pituitosa conveniunt, sed pondus potius viscedini illi addunt, & turbulentias edunt, unde etiam sæpè eo casu revomuntur.

3. *In omni emulsionum usu robur ventriculi respiciendum est*, ne abundantibus humoribus & consequenti laxitate, neque flatulentijs ordinentur. Quando enim calor non est robustus, quando humores abundant in genere; in specie acidi, biliosi, pituitosi, in & circa ventriculum, facillimè flatus producuntur; seu, *flatulentæ sunt emulsiones.* Hinc in inflatione ventriculi, appetitu debili, (per essentiale vitium potissimum, nam in febribus alia res est,) colica, hydrope, diarrhœa & alijs fluxibus alvi non æquè commendantur, facilè enim acescunt, facilè corrumpuntur in ventriculo. Ex quo Helmontiani admodum vilipendunt easdem, quòd acorem peregrinum inducant. Hinc etiam facilè patet eas in doloribus quibuscunque à vitiata chylificatione, flatibusque in infimo ventre, vel obstructionibus ibidem oriundis itidem non prodesse. Hinc observavimus, quendam maligna febre laborantem, cùm largius uteretur emulsione præscripta, eandemque sæpius quasi ἀπνευστί repeteret, incidisse in singultum; alij ructationem inde experti sunt.

4. *Ad adstringendum non fidendum emulsionibus.* Vulgus in hoc maximè peccat, quòd in diarrhœis & alijs ventris laxitatibus promiscuè sæpè utatur emulsionibus ex amygdalis, roborare, adstringere easdem, persuasum. Verùm cùm in omnibus ejusmodi affectibus ventriculi tonus sit laxior, & humores acres corrumpentes copiosi, cautè mercari debet Medicus. Par ratio est vomitus; hinc in dysentericis quoque cavendum est, ne, dum speciose juvare his volumus, lædamus.

5. *Cavendum est, ne fermentationem humorum emulsionibus promoveamus*, & consequenter, ne, dum siti, debilitati virium & alijs mederi volumus, plus noceamus: unde in genere, quandocunque ὀργασμὸς humorum in infimo est ventre, consultius ab ijsdem abstinetur: τὰ ἀνόμοια γὰρ στασιάζει, teste, *Hippocrate, inæqualia fermentescunt.* Hinc in hystericis quoque, ubi sopire magis interest symptomata, item in hypochondriacis non possunt commodè locum invenire. In pectoris & pulmonum inflammationibus rarius præscribi emulsiones, notat *Bauhinus lib. 2. de compos. medic. c.* 39. *p.* 197.

6. *Solis emulsionibus loco alimenti vel potulenti uti non convenit.* Novimus binos infantes hoc modo mortuos, quod loco potus ipsis roborandi & nutriendi fine emulsiones totis quasi diebus semper & unicè datæ fuerint. Hinc in genere etiam infantibus non facilè, vel non affatim largiusve solemus præscribere emulsiones, gaudent enim humiditate copiosa, stomacho debiliori, fermentescibilibus & biliosis sæpè à lacte vel cibo corrupto humoribus. Sic quoque si ægri solis emulsionibus, uti, & sitim sedare præsumant, facilè in alterum extremum incidunt. Nam universaliter valet, alimenta cum medicamentis non esse confundenda.

Emul-

Emulsiones è Pharmac. Bateana.

Emulsio de Avellanis.

℞. *Nucl. Avellan. n. 40. sem. cannab. pepon. & melon. ãã ℥j. portulac. ʒvj. amygd. d. decort. n. 8. contus. adde ▽. lact. simpl. ℔ jß. ▽Ros. rub. ℥iv. sacch. cand. ℥ij. f. expressio.* Dos. ℔ß. bis in die cum priapi cervi ʒj. ad ardorem urinæ gonorrhæam, &c.

Emulsio Cathartica.

℞. *Sem. cartam. ℥j. mann. opt. ℥iij. amygd. d. decortic. ℥ij. ▽æ horbei, vel, vel Ebsham. ℔ij. f. Emulsio s. a.* Dosis major aut minor erit prout facilius expurgabitur ille cui exhibebitur.

Emulsio Expulsiva.

℞. *Sem. citri decort. ℥ß. contus. adde ▽arum citri, cardui, Ulmar. scordii comp. ãã ℥iij. sacch. alb ℥i. f. Emuls. s. a.* Dentur coch. 3 secunda quaque hora, ad malignitatem variolarum, &c. expellendam.

Emulsio Cretacea.

℞. *Cret. alb. ☿at. ℥iij. ▽ Hord. ℔iij. coq. ad ℔ij. adde frigefactis sem. iv. frig. major. ãã ʒij. amygd. d. num. viij carvi ℈ß. f. Emulsio, adde cret. subt. ☿at. ʒiij. Sacch. Perlat. ℥j. vel Diacod. ℥jß.* pro re natâ.

Emulsio Dactylorum.

℞. *Dactyl. (ossibus exemptis) num. 15. coq. in cerev. illupulat. ℔iiß. contund. Dactyl. cum amygdal. d. nu. 24. f. expressio cum cerev. dictâ: adde sacch. cand. & nuc. m. q. s.* Dos. ℔ß. ter in die per dies 40. vel 50, in Abortu, Infirmitatibus dorsi, Gonorrhœa, Tabe, Tussi, Macilentia, &c.

Emulsio Pœoniata.

℞. *Sem. pæon. decort. ℥j. contus. adde ▽arum Rutæ, Ceras. n. Pæon. comp. ãã ℥vj. f. emuls. adde sacch. perlat. ℥ß.* Dentur coch. 3 manè, & hora somni, præmisso Electuar. conveniente. In Epilepsia, Vertigine, Hemicrania, &c.

Adde hic Emulsionem terebinthinatam *Anton. de Sgobbis.*

℞. *Emulsionis amygdalar. dulc. ℥vij. Emulsionis sem. 4. frig. maj. ℥v. terebinth. puriss. ℥iß. vitell. ovi n. j. mell. despum. & bene cocti ℥j. syr. violac. & nenupharini ana ʒvj. F. s. a. Emulsio.*

Emulsiones variæ è Frideric. Hoffmanni Thesaurô Pharmaceuticô.

Emulsio confortans in febribus ardentibus.

℞. *Aq. acetos. Semperviv. Plantagin. fl. borragin. ãã ℥iß. semin. melonum non rancid. excorticat. ℥j. f. Emulsio, adde, Manus Christi perlat. syrup. de canellâ, myv. cydon. ana ʒß. spirit. rub. id. rosar. cydon. ãã ℈j.* M. S. *Köstliche Stärckmilch.*

Alia.

℞. *Amygd. dulc. excorticat. ℥j. pinear. mundat. ℥ß. ▽ rosar. fr. ceras. n. ãã ℥iij. f. Emulsio, adde, aq. cinamom. opt. ʒiij. spirit. rosar. ʒj. aq. carbuncul. ʒß. magister. perlar. ʒj. corall. ʒß. Manus Christi perlat. ʒij. fol. ☉ num. iij. M. d. ad vitrum.* S. *Köstliche Stärckmilch.*

Emulsio in defluxione salsâ & tenui.

℞. *Aqua nucis moschat. ℥j. Looch. san. ℥ij. scabios. ℥iß. sem. melon. ʒj. papav. alb ʒvj. f. Emulsio, adde, syrup. de papav. s. ℥j.* M. S. *Linderungs-Milch.*

Emulsio in Febri ardente.

℞. *Amygdal. dulc. ʒvj. amar. num. iij. pistac. ʒiij. sem. papav. alb. ʒiß. 4. fr. maj. ana ʒß. aq. cichor. ros. r. acetos. ana ℥ij. f. Emulsio, adde, julep. ros ℥ß. Manus Christi perlat. ʒvj. magister. cordial. ʒiß. aq. cinamom. spirit. rosar. ana ʒj.* Sign. *Kühlende Stärck-Milch.*

Emulsio Hypnotica.

℞. *Semin. papav. alb. ʒiij. melonum ℥j. aq. Nymph. lactuc. verben. ana ℥ij. hypnotic. compos. ℥j. f. Emulsio, adde magister. cordial. nostr. ʒj. M. pro aliquot dosibus.*

Emulsio Steghotica.

℞. *Sem. 4. fr. maj. ana ʒij. papap. alb. ʒiij. amygdal. dulc. ℥j aq. cydon. ex succ. fol. querc. plantagin. ana ℥ij. f. Emulsio, adde, Aq. cinamom. cum vino cydon. ℥j. Myv. cydon. ℥ß.* M. S. *Anhaltende Stärck-Milch.* pro 4 dosibus.

Emulsio contra Lumbricos.

℞. *Semin. cinnabis ℥ß. citri ʒj. aq. fl. persic. ℥iv. f. Emulsio. adde corallinæ, C. C. ust. ana ʒß. sp. citri gutt. x. M. pro 2 vel 3. dosibus.*

Emulsio Cathartica.

℞. *Semin. melon. excorticat. ʒj. Resin. gialapp. gr. vij. vel iv. Contunde & misce in mortario marmoreo sensim affundendo ▽Rsar. optim. ℥j. cinamom. ʒij. rotul. Manus Christi ʒß. spir. rosar. gutt. iij. M. pro j. dosi.*

Emulsio externè applicanda in febribus.

℞. *Aq. verbenæ. fol. persicor. ros. r. lactuc. ãã ℥ij. nucl. persic. ʒj. Sem papav. alb. ʒij. f. Emulsio, adde spirit. rosar. ʒij.* M. S. *Umschlag umb das Haupt.*

Alia in Hemicraniâ.

℞. *Aq. rosar. lactuc. ana ℥iij. spir. vini opt. ℥ij. nucl. persicor. ʒiiß. sem. papav. alb ℈ij. Myrrh. rub. subtil. pulveris. ʒj. M. f. Emulsio.* S. M. *Umschlag umb das Haupt.*

Alia.

℞. *Nucl. persicor. amygdal. amar. ãã ʒvj. sem. anethi papav. alb. ana ʒiij. aq. verben. fl. sambuc. ana ʒiiß. f. Emulsio, adde Lapid. prunell. ʒiiß.*

N. Lintea hâc emulsione madefacta & leviter expressa tepidè fronti applicentur ac temporibus, sæpiusque repetantur in agrypniâ & cephalalgiâ symtomaticâ in febribus.

Emulsiones ex Ioh. Michaëlis.

Emulsiones fiunt cum vel sine seminibus; parantur autem ex seminibus excorticatis, vel non excorticatis.

Semina 4. frigida majora, *si pro Diureticis adhibentur,* non sunt excorticanda, vis enim pellendi urinam consistit maximè in corticibus. Melius quoque cum corticibus propinata abstergunt.

Si nutritione & humectatione simul opus, fieri debent ex medullis seminum, non corticibus.

Dantur quoque Emulsiones, quæ simul purgant & *Nephro-Catharticæ* dicuntur. Hæ faciunt similiter ad ⊡ expulsionem, quatenus scilicet vesica ab exeuntibus comprimitur.

Ex frigidis minoribus non fiunt emulsiones.

Ex pistaceis quoque non benè fieri possunt emulsiones, ob viridem eorum colorem.

Ubi malignitas adest, loco liquoris sumi potest decoctum CC.

In affectibus pectoris & ubi metus adest obstructionum alvi, decoctum passularum jujubarum vel dactylorum. Item decoctum hordei cum amygdalis prodest.

In

In affectibus renum Decoctum liquiritiæ. Pro dosi sufficiunt ab ℥ij. ad iv.

Adservantur in loco frigido, neque in magna copia præscribendæ sunt, facilè enim corrumpuntur. Sufficit lib. j. præscripta.

Abstinendum in hisce *ab acidis*, quia vim præcipitandi habent. Hinc magisteria non facilè præscribuntur, nisi sint ritè præparata, aliàs quoque præcipitant.

▽ & ⌒ rosarum admiscentur pro conciliando grato sapore.

Emulsiones quæ *ad sedandam sitim* adhibentur, liquidiores debent esse & dilutiores.

Amygdalata differunt ab his ratione majoris spissitudinis. Parantur vel per se, vel cum aquis aut seminibus alijs.

Parantur quoque hæc in dysenteria, quo acredo mitigetur: Abstergunt & adstringunt.

Emulsiones cum Seminibus.

Emulsio D. Hartmanni purgans illi maximè secreta.

℞. *Sem. viol. purg.* ℨiij. *ad* ℥ß. *vel* ℨvj. *c. s. q.* ▽ *flor. acaciæ* F. l. a. Emulsio. *Edulcoretur rot. manus Christi perlatis.* D. S. *Laxiermilch auf einmal.*

Est portiuncula Nephrocathartica Semen viol. est singulare secretum in suppressione ⊡, quod clarius describit *Crato in Epistolis.* Nota autem, quod in majori dosi exhibitum semen violariæ purget, in minori diureticum solùm sit.

℞. *Sem. violar.* ℨiij *ad* ℥ß. *vel* ℨvj. *c. s. q.* ▽ *flor. acac. vel persicorum* F. l. a. Emulsio. adde *Mechoacannæ albiss.* ℨß. *Edulcoretur rot. manus Christi perlatis vel julepo rosarum.* S. *Laxirende Milch auf einmal.*

℞. *Sem. Pœoniæ excort.* ℨii. *c. s. q.* ▽ *florum tiliæ & Pœoniæ* F. l. a. Emulsio. *Edulcoretur rot. manus Christi perlatis.* M. S. *Sonderliche Milch gegen die bœse Kranckheit vvol umzurütteln.*

Notetur, quod emulsio Sem. Pœoniæ habeat quoque vim singularem conciliandi somnum.

℞. *Sem. Pœoniæ* ℨiij. *papav. albi* ℨi. *cum s. q.* ▽ *l. l. convallium & flor. tiliæ* F. l. a. Emulsio. adde ▽ *epilept. Langij* ℨiij. *Mag. cran. hum.* ℈ii. *Edulcoretur rot. manus Christi perlatis.* S. *Starck Milch gegen die schvvehre Noht.*

℞. *Sem. cardui Mariæ, bened. ana* ℨij. *cum s. q.* ▽ *card. bened. Mariæ vel flor. pap. rhœad.* F. l. a. Emulsio. adde *Dent. apr. præp. Mandib. lucij pisc. præp. ana* ℈iv. *Edulcora rot. manus Christi perlat.* S. *Milch gegen das Seitenstechen.*

Pro Ditioribus potest addi aliquid de magisterio pleuritico.

℞. *Sem. napi, aquileg. ana* ℨii. *c. s. q.* ▽ *fumar. scabios. card. bened.* F. l. a. Emulsio. adde *C C. sine* ▽ *præp.* ℨi. ♁ *diaphor.* ℈i. *Edulcoretur rot. manus Christi perlatis.* S. *Austreibende Milch.*

In variolis & morbillis, ut & febribus Petechialibus.

℞. *Sem. 4. frigid. majora* ℨii. *cum s. q.* ▽ *Portulacæ* F. l. a. Emulsio. adde *ocul.* ♋ *præp.* ℨi. *Edulcora rot. manus Christi perlatis.* S. *Kühlmilch umzurütteln.* In ardore ventriculi.

Emulsio hypnotica.

℞. *Sem. 4. frigid. maj. ana* ℨii. *papav. albi* ℨiij. *c. s. q.* ▽ *lactucæ & endiv.* F. l. a. Emulsio. *Edulcoretur syrup. de papav. simp. parum.* D. S. *Ruhbringende milch auf etlichmal.*

℞. *Sem. 4. frigid. maj. excort. ana* ℨij. *amygd. dulc.* ℨvj. *c. s. q. Decoct. cicerum* F. l. a. Emulsio. *Edulcora rot. manus Christi.* S. *Sonderliche Nieren-Milch,* in inflammatione & exulceratione Renum.

℞. *Sem. cannab.* ℥iß. *c. s. q.* ▽ *Nymph.* F. l. a. Emulsio. *Edulcoranda syr. flor. papav. vel qui hic melior flor. Nymph.* Addatur *Mag. ossis sepiæ* ℨi. *succini alb. præp.* ℨi. M.

In defectu magisterii ossa sepiæ pulverisata admisceri possunt.

D. S. *Sonderliche milch.*

Prodest in gonorrhœâ.

Emulsio Hypnotica Dorncrellij.

℞. ▽ *Hypnot. Dorncr. lib. j. sem. pap. albi* ℨiij. *melonum excort.* ℨij. *Manus Christi perlat.* ℨi. S. *Schlaffbringende milch.* Dos. ℥ß. ad ℥ij. vel ℥iij.

℞. *Amygd. dulc. Ambros.* ℥ß. *sem. papav. alb.* ℨiß. *c. s. q.* ▽ *hypnot. Dorncr.* F. l. a. Emulsio. *Edulc. syr de Nymph.* D. S. *Abendmilch auf 2mal.*

Quidam volunt emulsionem purgantem conficere ex sem. genistæ. Commendantur in calculo. Nonnulli illam venditant pro præservatione in Podagra.

℞. *Sem. pap. albi* ℨiij. *lactucæ, endiviæ ana* ℨi. *cum s. q.* ▽ *Nymph.* F. l. a. Emulsio. *Edulcora parùm cum syr. de papav. simpl. ad somnum conciliandum.*

℞. *Sem. papav. albi* ℥iij. *c. s. q.* ▽ *hypnot. Dorncr.* F. l. a. Emulsio ad ℥iß. *Edulcora parum syr. de papav. simpl.* S. *Schlaffmilch auf 1. mal.*

℞. *Sem. violar. purpur.* ℨvj. *cum s. q.* ▽ *fragar.* F. l. a. Emulsio. Adde *syr. fragor.* ℨj. S. *Purgier- und Harntreibende milch.*

Contra Dolorem Capitis.

℞. *Nucl. Persicor.* ℨiij. *sem. pap. alb.* ℨij. *cum s. q.* △ *flor. Persic. & verbenæ* F. l. a. Emulsio. S. *Umschlag zum Haupt.*

Loco aquarum potest sumi Decoctum rad. Rhodiæ.

Ad expellendum Variolas.

℞. *Sem. raparum* ℨiij. *Cum* ▽ *veron. fumar. ana* ℥iß. F. Emulsio. Propinetur & expectetur sudor.

Ad dolorem capitis.

℞. *Sem. papav. albi* ℨij. *nucl. persic.* ℥ß. *terræ sigill.* ℨi. *cum* ▽ *rosarum* F. l. a. Emulsio. S. *Umschlag zum Haupt.*

℞. *Sem. melon.* ℨij. *aquileg.* ℨß. *napi* ℈j. ▽ *fumar. flor. tiliæ ana* ℥i. *acetos.* ℥ß. *rosarum* ℥j. F. Emulsio. Adde *Bezoar orient. gr. iij. marg. præp.* ℈ß. *man. Christi per l. 3.* M. S. *Perlen-milch.*

℞. *Sem. melonum* ℨiiß. *pœoniæ* ℨi. *papav.* ▽ *flor. tiliæ* ℥ß. *pœoniæ* ℨiij. *rosarum* ℨi. F. Emulsio.

℞. *Sem. melon.* ℨj. *aquileg. pœon. excort. ana* ℨiß. *nap.* ℨi. *amygd. dulc.* ℥ß. *aqua tussilag. flor. tiliæ violar. ana* ℥iiß. F. l. a. Emulsio. Adde *manus Christi perlat.* ℥iiß. S. *Krafftige mandelmilch.*

Emulsiones sine seminibus.

Hæ *Emulsiones*, quæ fiunt *sine seminibus*, dicuntur Germanis *Perlen-milch.*

℞. *Aqua rosarum* ℥v. *mag. matr. perlarum* ℨiß. *marg. præp.* ℈ij. *Edulcor. man. Christi perlat.* S. *Perlenmilch auf etlichmal.*

Emulsio confortans.

℞. *Aqua flor. borrag. bugloss. meliss. ana* ℥iß. *margar. præp.* ℨi. *oss. de cord. cervi* ℈i. *Edulc. rot. man Christi perlat. vel julepo ros.* D. S. *Perlenmilch vvol umzurütteln.* In affectibus cordis pro præservatione & corroboratione.

℞. *Matr. perlar. præp.* ℨij. *marg. præp.* ℨi. *oss. de cord. cervi* ℈i. *aqua flor. borrag. bugloss. ana* ℥ij. *cinam.* *borra-*

borragin. ℥ſs. *manus Chriſti perlat.* ʒiij. D. S. *Hertz-ſtærckende milch.*

℞. *Margar. præp. C.C. fine igne* ♉ *diaphor. ana* ʒi. *aquæ ſcorzon. galeg. ana unc. iij. Edulcor. Julepo roſarum. S. Stærck milch vvol umzurüttelu auf etlichmal* in febribus malignis.

De Amygdalatis.

℞. *Amygdal. Ambroſ. unc iſs. c. ſ. q Decoct. paſſul.* F. l. a. Emulſio. D. S. *Bruſtmilch.*

℞. *Amygd. dulc. Ambroſ. unc. i. ſem. papav. alb.* ʒiij. *Cum ſ. q. aqua portul.* F. l. a. Emulſio. *Edulcoretur rot. man. Chriſti ſimpl.* D. S. *Sonderl. che milch.*

In Catarrhis ſalſis & agrypniis mirificè conducit, quemadmodum & ſuperius propoſita, quæ propter paſſulas non opus habet edulcoratione.

Amygdalatum Stypticum.

℞. *Amygd. dulc. Ambroſ. unc. ii. ſem. papav. alb.* ʒiii. *c. ſ. q. aq. plantag. & fol quercus.* F. l. a. Emulſio. Addatur *Cryſt. præp.* ʒij. *mag. coralliorum* ℈ii. *Edulcor. man. Chriſti perlat. addatur aq. cinamomi cydon. unc. i. S. Kræfftige ſtærck und anhaltende milch.*

In Dyſenteria loco aquarum deſtillatarum omnium optimè præſcribitur Decoctum Priapi ceti & cervi.

Ad inducendum ſomnum & mitigandum dolorem, addatur ſemen papav. albi.

℞. *Amygd. dulc. Ambroſ. unc. ii. nucl. pin. unc. i. c. ſ. q. aq. teſtud. & ſang. ſuill.* F. l. a. Emulſio. adde *antih. Poter.* ʒi. Valet in phthiſi & alijs affectibus pectoris.

Si calor ingens adeſt, amygdalatum poteſt præparari ex ſem. 4. frigid. maj. cum ſ. q. aq. ſemperviv. Nymph. & lactuc. & miſceri hoc cum reliquis.

Spiſſiora debent eſſe *amygdalata* emulſionibus.

℞. *Amygd. dulc. ambroſ.* ℥vi. *ſem. q. frig. major.* ℈i. *c. ſ. q. aq. roſarum.* f. l. a. Emulſio.

Ad *lib. i. edulcora rot.* man. Chriſti perlat. ſive julepo roſarum.

Emulſiones ex Hadriani à Mynſicht Armamentario Chymico-Medico.

Emulſio Roſata.

℞. *Amygdalar. dulc.* ℥i. *ſem. papaveris alb.* ʒii. *quat. frig major. ana* ʒi. *aq. roſarum fragrantiſſ.* ℥viij. *f. agrorum, verbenæ, ana* ℥iv.

Fiat Emulſio, quæ edulcoretur Julep. Roſarum ſ. q. ad gratiam.

Vires, Uſus, Doſis. Utor in Capitis intemperie calida, incendio Ventriculi, Thoracis, Pectoris, Cordis, totiuſque ventris inferioris feliciſſime. Doſis ab unc. iſs. ad unc. ij. & unc. iij.

Emulſio Violata.

℞. *Amygdalar. dulc.* ℥i. *ſem. violarum* ʒii. *papav. albi,* ℥i. *aq. violarum,* ℥viii. *lactucæ, nymphææ, an.* ℥iv.

Fiat emulſio, quæ edulcoretur Julep. Violarum ſ. q. ad gratiam.

Vires, Uſus, Doſis. Valet ad intemperiem totius corporis calidam & ſiccam. Refrigerando & humectando, ſitim extinguit. Somnum conciliat. Pectoris vitijs ſuccurrit; biliſque acrimoniam retundit. Doſis hauſtus mediocris.

Emulſio Somnifera.

℞. *Amygdalar. dulc.* ℥ij. *ſem. papav. alb.* ʒi. *melonum,* ʒß. *lactucæ,* ℈ß. *aq. violarum, nymphææ, ana unc. iſs. hypnotic. noſt.* ʒj.

Fiat Emulſio, quæ edulcoretur Sacch. candi alb. ſ. q. adde: *mag. perlar. vel corallor. rub. ana Gran. iij.* Miſce pro una Doſi: bibe veſperi eundo cubitum & dormies bene.

Emulſio Pleuritica.

℞. *Sem. cardui mariæ* ℥j. *card. benedict.* ℥ſs. *papav. alb.* ʒj. *aq. card. mariæ* ℥vj *card. bened ct. flor. papav. errat. chamæmel. ſcabioſæ ana* ℥iv.

Fiat l. a. Emulſio, quæ poſteà edulcoretur Saccharo cand. in Syrup. Violarum concreto.

Vires, Uſus, Doſis. Curat pleuritidem, & illico omnes latentes dolores non ſine adſtantium ſtupore, ſedat: ſed æger omni die habeat evacuationes, vel alvus aſſiduè ſit ſubducta clyſteribus lenioribus. Doſis ab unc. j. ad unc. iij. & unc. iv.

Emulſio Laxativa.

℞. *Amygdalar. dulc.* ℥ij. *ſem. 4. frig. major. ana* ʒj. *aq. flor. cichorei, perſicorum, acaciæ, violarum, an.* ℥iv. F. Emulſio, ut eſt artis, in qua diſſolve: *Mannæ calabrin.* Colentur & colaturæ adde: *aq. cinamomi bugloſſat.* ℥ß. M ſce pro uſu.

Vires, Uſus, Doſis. In infantibus, in quibus alvus aliàs tardior, experimentum eſt. Inſuper ad Febres acutas, ardentes, Tertianas continuas, Hecticas, Maraſmodes, Lipyrias, Cauſum & Synochum valdè commendatur. Doſis hauſtus mediocris.

Emulſio Stiptica.

℞. *Amygdalar. dulc.* ℥ij. *ſem. papav alb.* ℥ß. *4. frig. major. ana* ʒj. *lactucæ,* ʒß. *aq. è ſuc. Cydoneor. diſt. mille folii, ana* ℥iv. *plantaginis, tormentillæ, papav. errat ana* ℥iij. *fol. quercin. cinamomi bugloſſ. ana* ℥iß. Fiat Emulſio, ut eſt artis, cui adde: *Julep. Roſarum* ℥iv. *mag. corallor. rub.* ʒj. M ſc.

Vires, Uſus, Doſis. Refrigerat & adſtringit, propterea ventris profluvium & dyſenteriam, quæ ex materiæ acris & bilioſæ effluxu excitatur, ſanat: Tuſſi inde ortæ ſuccurrit, inſomniaque levat. Doſis bonus hauſtus pro una vice.

Emulſio Cannabina.

℞. *Sem Cannabis, unc. iſs. 4. frig. major. ana* ʒj. Et cum aq. Flor. Nymphææ & Roſar. ana ſ q. fiat Emulſio, &

℞. *Hujus Emulſionis unc. xiv. ſyrup. è ſuc. violar.* ℥ij. *aq. cinamomi bugloſſat.* ℥j. Miſc. pro uſu.

Vires, Uſus, Doſis. In fœminis profluvio ſeu gonorrhœa & alijs ejuſmodi vitijs, pollutione, &c. commodè adminiſtratur; nec non ad febres ardentes, bilis & ſanguinis fervorem confert. Doſis ab unc. ij. ad unc. iij.

ENAIMOS.

Ἔναιμος, & ἔναιμον medicamentum dicitur illud quod glutinat, imponiturque maximè vulneribus cruentis pro ſanguine ſiſtendo. Ideò & ſanguinarium, & cruentis opitulans & glutinatorium dicitur. Conſtat autem ex medicamentis non pinguibus, ſed ſiccatorijs & citrà abſterſionem leniter adſtringentibus, quale eſt bitumen verum ac alia id genus.

ENCAUSTUM.

Encauſtum, quod gallicè *Email.* vid. de eo ſub nomine *Vitrum*, ubi ſcilicet de varijs Encauſtorum præparationibus ex Antonij Neri de *Arte Vitraria* tractatu elegantiſſimo.

ENDIVIA, vid. *Cicorium.*

ENEMA, vid. *Clister.*

ENS VENERIS Boylei *ex Lexic. Pharm. Dni. D. Jungken.*

℞. *Vitrioli Hungar. vel Dantiscani, quod de cupro plurimum participat; destilla exinde spiritum, fortissimo igne urgendo. Post hæc exime caput mortuum, & aperto igne ulterius fortissimè calcina, donec calx purpurea & planè omni spiritu priva & fixata restet.* Huic affunde aquam calidam & exactè dulcifica, & exsicca; *tunc adde huic calci tantundem* salis armoniaci, *& ambo subtilissimè pulverisata misce exactissimè*, immitte retortæ vitreæ loricatæ, *& nudo igne per gradus sublima, ultimis horis fortissimo igne* urgendo ac intra 14. vel 16. horas labor erit finitus, tunc cessa & sublima, tunc usque ad retortæ collum exime quod si haud satis flavum extet, secundâ vice cum capite mortuo exactissimè commisce, & sublimationem reïtera, donec sublimatum colore flavo vel rubicundo ascendat, quod serva.

Dosis à gr. iij. ad x. xij. & xxx. grana.

Est specificum contra rachitidem, & anodynum insigne in doloribus capitis, febribus, vermibus expellendis, mensibus pellendis, &c. *vid.* Boilei experimenta, p. 234. 382.

ENTALIUM, vid. *Pantalium.*

ENULA CAMPANA.

Helenium, ἑλένιον, quòd è lachrymis Helenæ natum dicatur, & ideo in Helena infusa laudatissimum esse perhibetur.

Cæterum Helenium partium omnium, radicis, foliorum, florum magnitudine à reliquis integri-foliis flore discoide papposis distinguitur.

Nomina. Helenium *Ger.* vulgare *C. B.* Helenium sive Enula campana. *Park. J. B.*

Folia multa à radice exeunt longa, lata, in terram reclinata, utráque extremitate acuta, ad tactum mollia, supernè pallidè viridia, subtus incana, per ambitum crenata, brevibus pediculis hærentia: è quorum centro *caules* exurgunt nunc unus, nunc plures, recti, canaliculati, villosi, subrubentes, ad trium & quatuor usque cubitorum proceritatem, aliquot alas concavi, quibus *folia* aliquot nullis intervenientibus pediculis adnascuntur, verbasci latioris. *Flores* odorati sed obscure Buphthalmi effigie, sed multis numeris majores, aureo fulgore comantes, quibus squarrosum subest latius capitulum, semen continens gracile & oblongum, pappo coronatum.

Radix notandæ crassitiei, foris fusca, intus alba, sapore aromatico, acrimoniâ cum nonnullo amarore mixta, odore etiam, præsertim cum exsiccata fuerit, suavi & grato, cùm nulla præterea plantæ pars odorata sit. *Raius Hist. Plant.*

ENULA ÆGYPTIA, vid. *Nepenthe.*

EPATICA, vid. *Hepatica.*

EPHEMERON.

Colchicum dictum est quòd plurimum in Colcho nascitur.

Magnitudine sua & foliis latis liliaceis, vasculis seminalibus majoribus, à croco cui aliàs persimile est, distinguitur.

Non convenit inter Botanicos an Colchici radix sit hermodactylus officinarum, aliis id affirmantibus, aliis negantibus. Doctiores & peritiores diversam faciunt, inter quos J. Bauhinus & J. Bodæus à Stapel.

Hermodactylum non esse Colchici radicem probant, quòd Hermodactylus resiccatus albus permaneat, neutiquam rugosus, modicè durus tundique facilis sit pulveremque habeat candidum, quæ omnia Colchici radix siccata non habet. Addit Joan Bauhinus colchici radicem venenatam esse, Hermodactylos præcipuè veteres innoxie gustari posse. Interim tamen, annuente Trago, admonet illos quorum interest pilulas pro podagricis describere, ne suis confectionibus colchicum seu Hermodactylum adhibere velint, quod, inquit, hactenus magno cum errore commissum est. Cæterum Arthritide laborantibus colchici radicem utilem esse Arabes scripsere, & nos aliqua ex parte experti sumus, sed tum cum forinsecus imponitur. *Raius Hist. Plant.*

Datur rursus *Ephemerum Animal* quod Muscæ species est sic dicta, quia creditur diem unum tantùm vivere.

EPICARPIA.

Epicarpium dicitur Medicamentum regioni pulsûs in manuum Carpis applicandum, qualia sunt emplastra vel unguenta antifebrilia variæ compositionis, item confortativa pro pulsibus. Aliis *Pericarpia* dicuntur.

Epicarpium Febrifugum.

℞. *Helleb. alb. Zat. ℥ß. ☉ ℥ij. pulp. ficuum q. s. ut f. Massa cataplasmatis instar.* Carpis adhibend. horis 2. ante parox. tertianæ. *ex Pharm. Bateana.*

EPICERASTICA.

Ἐπικεραστικὰ, seu Καλακεραστικὰ dicuntur illa medicamenta quæ vim habent temperandi & obtundendi malignitatem vel morsum, id est ichorescentiam salinam, corrosivam ac ulcerosam humorum in aliqua corporis parte contentorum.

EPILEPTICA, vid. sub titulô, *Cephalica.*

EPIMEDIUM.

Epimedium Triphylli est species nullius in Medicinâ usus quamvis Domino Lemery humectans ac refrigerans dicatur.

EPISPASTICA, vid. *Attrahentia.*

EPITHEMA.

Materiam pro variis *Epithematibus*, vide capite de *liquoribus.* Hic tantùm quædam, ex Clariss. *Wedelio* & *aliis.*

Epithematis nomen, licèt laxiùs paulò prædicari queat de omnibus localibus medicamentis, siquidem ab ἐπιτιθέναι, applicando, imponendo, nomen obtinuere, propriè tamen & strictiori acceptione id nominis competit humidis ac liquidis, unde definiemus, *Epithema*

Medicamentum liquidum, diffusius, externus, convenientibus locis, tum universali, tum particulari scopo, alterandi vel roborandi, debitum. *Liquidum est*, quo ipso à Cataplasmate, ut pote spissiori & pultaceo distinguitur. *Diffusius est*, & quidem aquosum potissimum; utut enim spirituosa quoque citra aqueorum illorum applicationem, in externum usum veniant, tum oleosa, tum spirituosa, usu tamen edocti dicimus, eadem illam magis cum linimentis convenire & commercium habere, quàm cum epithematibus, nisi hæc ipsa quoque v. gr. aqua apoplectica diffusius paulò adhibeantur. Sic & spiritus vini camphoratus in gangrænâ egregiè prodest.

Variat & determinat id ipsum quoque modus applicandi, prout vel illitu solo, vel applicata per linteum &c. imponuntur.

Et id quidem primario ac principaliter quasi competit epithemati, ut sit liquidum, secundariò & adæquatè, ac paulò latius; etiam sicca sunt, tum per se applicanda epithemata, ut sacculi, tum accessu humidorum aliorum imbuenda ac irroranda, ut sæpissimè v. gr. præscribuntur sacculi ad pulsus cum aquis, quibus irrigati pulsibus imponantur, de quo post.

Ast si molliori consistentia in usum veniant quædam topica, uti quidem *Morellus* illa quoque sub epithemate solido comprehendit, tunc audiunt potius propriè loquendo Cataplasmata. Præstat enim ovum nominare, linimentum, cataplasma &c. quàm confundere dicentes æquivocatione nominum.

Illud tamen non est de nihilo, quod huc referri queant media quoque quædam epithematis instar apponi solita fomenta; v. gr. omentum vervecis calidè ex corpore exemtum, vel postea etiam calefactum abdomini dysentericorum appositum, quod paregoricum est insigne, & sæpius à nobis cum successu suasum. Sic etiam, pulmo agni, gallina dissecta, columbæ dissectæ, quin & secundum quosdam catelli dissecti, calidè apponuntur bregmati in phreneticis, ut tepore hoc transpiratio promoveatur, inflammatio mitigetur & consequenter sensus efferati demulceantur.

Hinc quoad *Modum Fiendi* materia epithematum visenda est. Constituunt vero horum materiam:

1. *Aqua*, sive *simplex*, quod paulò rarius, nihilominus tamen in hæmorrhagiis obtinet, sicut aqua ipsa vulneri applicata frigore suo quoque sanguinem congelat, item fronti eodem fine, scroto pro pruritu insigni tollendo, unde novimus elemento hocce pruritum talem satis molestum ferè unicè sublatum; seu, quod frequentius est, *aqua destillatæ simplices* pro vario fine, variæ, inprimis verò *refrigerantes*, tum *odoriferæ*, tum *confortantes* aliæ. Sic in vigiliis, febribus ardentibus sæpè solam aquam rosarum jussimus applicari fronti, id quod *Piens l. de febb.* tanquam eximium commendat & verum esse probat experientia.

2. *Vinum, lac, acetum*, & interdum quoque *succi*, sive sola nonnunquam & respectivè rarius, sive cum aliis. Sic communissimum & frequentissimum epithema constituit vinum calidum in contusionibus & subluxationibus, vexatione, doloribus & similibus læsionibus. Sic idem, cum sacculis & plantis cephalicis in capitis vulneribus, casu, contusionibus &c. est probatissimum. Lac tepidum in doloribus, magis tamen cum sacculis, frequenter applicari consuevit. Acetum reliquis liquoribus aquosis quasi animam largitur seu repellendi, seu penetrandi, seu alius scopus desideretur. Succi v. gr. plantarum refrigerantium, solani, sedi majoris &c. in cancro non rarò simul in epithemata recipiuntur, succus granatorum in febribus, in epithematibus ad cor. Singula verò hæc, excepto vino, frequentius ferè secundarium ingrediens constituunt, quàm primarium. Tacemus urinam, salivam & alia.

3. Ex aqua & aceto fit *oxycratum* seu *posca*, in hæmorrhagijs & alijs frequenter usitatum & ἐπιέλαιον.

4. Ex aqua & oleis fit *hydrelæum*, ex oleis & aceto *oxyrrhodinum*; quæ ipsa licet hodiè non adeò frequentia sint uti olim, nihilominus tamen adhuc suum usum habent in doloribus partium demulcendis, repellendo &c.

Hæc quasi simpliciora sunt elementa & materia epithematum, ex quibus porrò facilè pervideri potest compositio ulterior.

5. Frequentissimè autem fiunt epithemata *ex aquis destillatis*, cum alijs vel liquidis recensitis, vel in iisdem solvendis, mistura varia, ut recipiantur aquæ parti affectæ & affectui convenientes, addantur spiritus, quorum vicem & aquæ destillatæ cum vino subeunt, ut spiritus rosarum, sambuci, cornu cervi &c. aceta, succi. Sic epithemata constituunt aquæ cum salibus mixtæ, ut nitro anodyno in doloribus capitis, lapide medicamentoso in ulceribus & gingipedio &c. Sic in hunc censum solvendorum cum aqueis, veniunt extracta croci, laudanum opiatum, conf. alkermes, theriaca, sive solutio hæc sit perfecta ut in præcedentibus salibus v. gr. sive imperfecta, ut h. l. singula verò hæc refracta & circiter consignata dosi recipienda.

6. Non minus frequenter epithemata confiunt *ex aqueorum recensitorum cum solidis, seu simplicibus seu compositis, confusione & mistura simplici*, quo fine pulveres & species cordiales, cephalicæ, hepaticæ, recensitæ fuerunt, quin & ex simplicibus radices, cortices, ligna, gummata &c. frequentius tamen composita cum uno vel altero simplici, quàm mera simplicia h. l. recipi consueverunt.

7. Sic & *emulsiones* non rarò constituunt epithemata, præsertim in doloribus capitis pro frontali, ubi ipsæ illæ commodæ aquæ cum succo substantifico lacteo, quem emulgent, seminum & fructuum, nucleorum persicorum &c. miscentur, de quibus jam suo loco superius abunde actum est.

8. Denique in subsidium eorundem quoque arcessenda veniunt *decocta* specierum selectarum, ex quibus cum vino, aqua, aqua & aceto, pro circumstantiarum ratione, coctione vis pro usu externo elicitur, sive more decoctorum recepto, seu forma sacculorum, ubi substantificè ipsæ species, dimidiata quasi saltim coctione vim suam exspirantes promptius v. gr. capiti, lateri, abdomini applicantur, in quo quidem à decoctorum ingredientibus levis est differentia, utroque verò modo calida hæc epithemata applicata usitatius fotuum seu fomentorum nomine veniunt. Et hæc tria si de compositis, loqui velimus, nempè mixtura aquarum cum se invicem & alijs, decocta, & emulsiones præcipua sunt epithematum genera.

Siccorum verò *epithematum*, quæ sacculi forma & nomine non rarò quoque in usum trahuntur, materia ex eodem fonte derivanda, eo saltim notato, quod in primis *paregorica* vel *aromatica* ingredientia hanc in rem soleant eligi, *illa* demulcendi, *hac* roborandi & penetrandi intentione.

Deinde sacculi hi vel majores sunt pro decoctis fotibus, vel ut per se applicentur, vel minores, ad pulsus tempora, cor. Denique quod hi frequentius cum liquidis ordinentur, ut his quasi insuccata eò diutius & efficacius vires suas cum spiritibus & sanguine communicent.

Quoad hanc verò ingredientium mixtionem notandum venit.

1. *Magis aquosa quàm oleosa vel pulposa in epithemata recipi*, ne scilicet forma eorundem desiderata pereat, & quando nihilominus olea simul recipiuntur, post principia stare & refracta respectivè magis dosi ingredi debent, ut taceamus, eadem non tam inter se misceri exactè, quàm confundi.

2. *Contraria contrariis in epithematibus quoque non miscenda*, hinc lac & acetum unà recipere, acetum item & salia lixiva ac similia miscere non consultum est, utut enim in potionibus aceti & salis conjunctio, & ubi minori quantitate utraque recipiuntur non adeò sit reformidanda, quin experientia testatur posse tunc unà recipi, in epithematibus tamen lixiva & acida rarò & inconsultius miscentur; sic & nitrum & vi-

& vitriolum hîc quoque non bene maritantur.

3. *Epithematibus commodè junguntur roborantia*, quæ scilicet tonum partis respiciunt & laxitatem parietum ac villorum prohibent, id quod in stomachicis, hepaticis, spleneticis & cordialibus maxime valet, hinc talia sunt partim aromatica vi pollentia, vel saltim nõ penitus expertia, partim styptica & leniter adstringentia, uti utrumque hoc visitur in sandalo, speciebus diatrion sandalorum, diathodon abbatis.

4. *Epithematibus consultò junguntur penetrantia*, præcipuè si profundius recumbat pars affecta, & penitius vis evibranda fuerit, vel à putredine defendenda pars extima. Hinc acetum, vinum, crocus, camphora & odorata ac penetrantia similia huc pertinent.

Hinc ut *Forma* hæc per jam dicta concinna emergat *proportio ingredientium* ita debet regulari, ut & liquida & diffusa forma in humidis emergat, hinc epithematum elementa aquea non facilè transcendunt ultra ℔j. quin ad ℔ſs. vel uncias aliquot utplurimum sufficit, si recipiantur, & ad ℔j. aquarum circiter aceti ℥j. & ʒj. ʒ ß. ad ʒij. specierum, penetrantia verò ad aliquot grana addi solent.

Eandem ob rem *aqua spirituosæ & spiritus ordinariè minori quantitate adsciscuntur in consortium*.

Cavendum verò est, *ne pulveres nimis diffusi jungantur*, inprimis leviores, quales à seminibus exsurgunt, ne vel ad pulposam cataplasmatum formam fiat deviatio, vel incommoda applicatio.

Neque obstat, quod epithemata alia *limpidiora* conficiantur, alia paulò saturatiora, seu in se, seu ratione mixturæ, uti emulsionum & cum pulveribus mixtorũ exemplo patet. Sufficit enim hæc omnia sub latitudine liquidorum contineri, licet & hoc verum sit, quæ paulò saturatiora sunt humectare cum majori quadam energia, cum non ita citò diffluant.

Pondus verò fomentorum rarissimè ℔j. ceu duplum epithematum excedit.

Notabile quoque est de siccis epithematibus seu sacculis, quod debeant interpassari, seu pulveres grossè contusi sacculo ex sindone rubra vel linteamine mundo inditi acu hinc intersui, ne scilicet hinc inde concitant & inæqualiter distribuantur, sed constantem servent ordinem.

Exempla epithematum v. gr. alterantium in dolore capitis possunt esse sequentia:

♃. *Aq. flor. persic. sambuc. verben. polii mont.* ā ℥j. *nitri anod.* ʒj. M.

♃. *Aq. verben. sambuc. aneth. puleg. rosar.* ā ℥j. *acet. rosac* ʒvj. *opii in spir. vin. solut. gr. vj. camph. gr. iij.* M.

℞. *Nucl. persf.* ʒß *se pap alb.* ʒij. *aq præd.* q. s. m. f. emulsio.

℞. *Rad. rhod. bacc. junip. sem. carv* ā. ʒ j. *fl. papav. rhœad. rosar. lil. convall.* ā *pij. sem. hyosc.* ʒj. ⊖ *prunellæ* ʒß. vel ℈ j. M. f. l. a. sacculus humectandus aquis prædictis & applicandus.

Pertinent huc collyria seu epithemata oculorum, de quibus infrà seorsim.

Epithema ad hæmorrhagias.

♃. *Aq. sperm. ranar. burs. pastor. solan.* ā. ℥ij. *acet. rosac.* ℥j. *succi urtic.* vel *phlegm. alum.* ℥ß.

Cosmeticum:

♃. *Aq. sigill. Salom. rosar. fl. fab* ā ℥ij. *magist. cosm. Clav. saturni per præcip.* ā. ℈j. *camph. gr. ij. ol. tart. per deliq.* ʒß.

Epithema cordiale calidum:

♃. *Aq. rosar melissf. carf. aur. cordial. Herc. Sax* ā. ℥ß. *conf alkerm. spec. cordial. temperat.* ā. ℈j. *ol. cinam. caryoph.* vel *rhod.* ā. *gr. ij, extr. croci gr. ij.* M.

Sacculus ad pulsus:

♃. *Spec. pro epithem cord. cordial. temperat.* ā. ʒj. *fl. 4. cordial.* ā. *pj. rad. zedoar. cortic. citr.* ā. ℈ß. M. fiant sacculi duo vel quatuor interpassati.

♃. *Aq. rosf. fl. namph borrag. bugloss.* ā. ℥j. *aq. carfunc.* ʒiij. *acet. bezoard.* ℥ß. M. S. *Wasser zum Säcklein.*

In mensibus immodicis:

♃. *Aq. sperm. ranar. solan.* ā ℥ij. *acet. rosac.* ℥iß. *sacch. Saturn. sperniol. Crollii* ā. ℈ß. M.

Multa verò consideranda sunt quoad *Applicationem* commodam & concinnam, & quidem 1. *ratione temporis*, adhibenda vel præmissis universalibus, vel non neglectis principalibus aliis internis. Deinde ferè solent hæc ipsa promiscue observari, ut vel per vices singulis 2. 3. horis pro re nata applicentur, si alterandi, penetrandi, humectandi fine præscribantur, vel si paroxysmum quendam avertendi, somnũ inducendi fine, in usum cedant, definito magis tempore id fiat. Sic v. gr. observatum est à *Kergero*, si ante paroxysmum febris quartanæ spiritus vini cum linteamine abdomini applicetur, eundem averti posse, quod ipsum non est de nihilo.

2. *Ratio loci* applicandi diversa quoque est. Sic applicantur epithemata *fronti*, *frontalia* & *frontisteria* dicta, in dolore capitis & ejus varijs speciebus, agrypnia, phrenitide, inquietudine. *Collo*, pro refrigerando sanguine & vasis in hæmorrhagia narium; *mammis* in lactis abundantia & tumore, ubi fotus *Morelli* prodest, qui & aliis roborari potest facilè. *Cordi* in affectibus & debilitate cordis, palpitatione, syncope, febribus, pro ipsis circumstantijs varianda. *Scrobiculo cordis*, licet paulo rarius, pro ventriculo affecto; *hypochondrio alterutri* pro hepatis vel lienis symptomatibus; *Ventri* in hydrope; *pubi* in mensibus immodicis; *Lumbis* in diabete & affectibus renum; *scroto* tum proprio malo, in pruritu, ubi aquam calcis vivæ adhibuimus, tum pro refrigerando intimius sanguine, v. gr. in ebrietate sedanda, quale exemplum est apud *Heer. in observ.* & alibi, in maniacis & furentibus, siquidem & in his maximè opus est alteratione, ut notum est, castrationem furoris & insaniæ ultimum esse, licet non æquè usitatum, remedium, inprimis verò in hæmorrhagijs sedandis. *Pulsibus & temporibus*, roborandi, demulcendi in febribus malignis scopo, in debilitate virium &c. Notandum enim inprimis: *quæ cordi minus tutò, tutius pulsibus applicantur.*

3. Quoad *modum* ipsum *specialem*, adhibentur vel *calida* vel *frigida*; illa, quando penetrandi, vel dissipandi magis est intentio, v. gr. in vulneribus, gangræna, doloribus, ulceribus, &c. ubi ut jam monuimus, *fotus* audiunt magis. Hæc, quando repellendum, alterandum; idque porrò tum ratione affectuum, tum ratione subjecti sive partis affectæ variat. Sic materia morbifica existente frigida, tepida vel calida; calida verò, quando calor intensus est, actu frigida magis conveniunt. Deinde, *quæcunque partes magis læduntur à frigidis, calida epithemata ferè desiderant*, præ frigidis, ut ventriculus, hepar, lien, &c. & vice versa. In specie sunt quidam, qui & capiti sola tepida semper admovere jubent, verùm experientia testatur contrarium, id quod frequentius hinc observatur, ut scilicet capiti toto die applicentur frigida. Notandum verò peculiariter in febribus malignis, eo casu cavenda esse omnino epithemata, cordi quidem debita, frigida, & potius tepida applicanda, aliàs quippe metus est, ne malignitate ad centrum à peripheria translata & retro pulsa major noxa remedio inde resultet. Hinc & sacculi cordiales non æquè præterquam spirituosis liquoribus resperguntur, ob metum repulsionis. Sic & paulò generalius concludere licet; *Epithemata enim immediatè loco affecto quæ accedunt, ferè magis calida, mediatè verò frigidiora respectivè locum habent.* Sic & sacculi sicci sive epithemata sicca non frigida sed calida adhibentur, dissipandi quippe fine.

Quoad instrumentum sive organum ac medium applicationis, illud est v. gr. modò *linteamen* duplicatum vel triplicatum, ut eò plus materiæ vel liquoris continere queat, idque communissimum est, facta, si id opus, expressione; vel *pannus scarlatus* (laneus enim ferè exolevit.) inprimis ad pulsus & cor, neque obstat quosdam huncce improbare, quod de vi quadam & noxa arsenicali participet, adeoque cordi sit infestus, toto enim die experientia tum componendi, tum utendi experimur contrarium.

Usu verò receptum ferè est, ut sacculi ad cor cordis figura interpungantur, quod interpassare appellitant.

Fomenta frequentius modo cum *spongia*, modò cum *vesica bubula*, ipsi inclusa adhibentur, uti v.gr. sæpè lac calidum in pleuritide in usum venit, modus sanè iste jam *Hippocrati* receptus fuit, vel illa saltim ex ratione, quod hoc pacto diutiùs conservetur blandus calor, partem demulcens, cum reliqua per se admota facilè frigefiant. Non negandum tamen est, fomentationes alio quàm paregorico hoc casu melius fieri cum sacculis, vel spongia, e. gr. ubi majori penetratione opus est, quàm dicto modo siquidem per vesicam non æquè vis expetita, nisi sub specie halitus, aliquid tam sensibiliter transpirat. Unde, hac distinctione adhibita, patet *Primirosium de vulgi error. l. 4. c. 46.* immeritò penitus rejicere hunc ipsum modum.

Non rarò quoque, præsertim in scirrhosis vel demulcendis suaviter partibus, epithemata fiunt *vaporis specie*, fotus enim omnis vapidus est, ut liquor ferro, silicibus & similibus ignitis affusus, vaporetenus ad partem derivetur, uti acetum ipsum hoc modo usurpatum in scirrhis commendatur.

Tacemus *pettas*, *stupas* & alia, quæ eodem recidunt & referenda sint.

Peculiaris verò & inprimis notandus ille modus est, qui fit per *embrocham*, seu stillicidium, seu embrocationem, id est, quando liquor ex alto in partem affectam stillando applicatur, ex thermis, decoctis appropriatis, &c. inprimis in affectibus capitis, ut paulatino & successivo tali illapsu evidentior subsequatur alteratio. Hoc apud Italos adhuc maximè in usu est, apud nos verò Germanos paulò rariùs. Legi meretur h. l. & citari exemplum ab *Heerio obs. 22. p. 265.* observatum, ubi jussit in impuritate sanguinis & fervore bilioso hepatis adhibere *stillicidium* ex alto aquæ simplicis frigidæ, quotidiè per aliquod tempus, unde, qui antea quasi lepræ videbatur proximus, felicissimè curatus est.

Et sanè in adultis epithemata frequentius, quàm in infantibus vel pueris applicari consueverunt.

Postremò quoad applicandi modum illud quoque dicendum restat, quod epithemata egeant *repetitione*. Etenim cum facilè exsiccentur, maximè in æstu insigni, præterquam quæ nullo simul stipata sunt oleo, uti sunt oxyrrhodina, quæ speciatim ad frontem applicata ita dicuntur, cum fotus sive calida epithemata citiùs frigefiant, cum ipsi parti alteratio inferendi præsentior, hinc utique iteranda sæpius est applicatio, quocunque demum fine ea fiat.

Usum ergò quod concernit, epithemata æstimanda veniunt ex natura sua, actuali scilicet humiditate & alijs adjunctis; Hinc κατ' ἄρσιν regulæ generalis instar esse potest sequens:

Quicunque affectus & partes affectæ ab actuali humiditate læduntur, intenduntur, exasperantur, illis epithemata minus conveniunt. Hinc non conveniunt in *ambustis*, ibi quippè demulcentia, linimenti forma, consultius ordinantur, quàm pura aquea; non in erysipelate & inflammationibus alijs; licet enim sint, qui linteamina aquis refrigerantibus madida expressa fotus quasi specie applicent in ijsdem, attamen non æquè tutum id est, ob repulsionis metum, præsertim si erysipelas fuerit in facie, sed regulæ instar in praxi notandum: *In omni erysipelate vero topica sicca* (pulveres erysipelatodes *Ludovici*, *Mynsichti &c.*) *præstant humidis.*

Hinc quoque exulant consultius in *exanthematibus*, *variolis*, *morbillis*, *petechiis &c.* unde eo casu quoque non æquè solemus epicarpia humida, sive sacculos & epithemata ad pulsus, cor, applicare, quin nec ad frontem facilè, pro dolore v. gr. capitis symptomatico mitigando.

Hinc non conducunt in *catarrhis*, *coryza* &c. uti enim his nocent balnea, ita & epithemata, quasi loturæ particulares, serum magis commovendo, augendo, & transpirationem impediendo.

Hinc minùs prosunt *in initio*, sed post & cum alijs, velut omnia quasi externa hæcce respectivè potius in subsidium, & si plus largiri volumus, in societatem internorum arcessi debent, quàm prædominium, in quo quidem in utroque excessu peccatur. Quidam topica ejusmodi largo modio, in quantitate continuâ & discreta, præscribunt, quidam nullatenus, & ea penitus rejiciunt, inprimis ex Chimicorum censu illi, qui viæ universali magis insistunt, hæc talia ferè vilipendunt, unde secundùm *Helmontium* frustra ferè omninò sunt & rejectanea. Præstat mediam incedere viam, & nihil intermittere necessarii, nihil admittere superflui. Quin certum est per experientiam, quòd ad vulgi quoque captum accommodare in hoc se debeat medicus non rarò, modò nihil indulgeat, quod ægro fuerit noxium.

Hinc cavendum, ne crisin vel κατ' ἀπόστασιν, quod jam de variolis v.g. monuimus, vel per ἔκκρισιν v. g. per hæmorrhagiam futuram intempestiva epithematum applicatione impediamus, contra intentionem naturæ, (quam ubique benè agentem sequi debet medicus,) intentionem, sive in genere, ne unquam repellamus, ubi id non licet.

Hinc minùs in usum vocanda in *articulis afflictis*, præterquam nervina. Hinc aquæ articulares, ad extra, ad podagram nisi taliter sint, & quidem providè selecta, confortantia, vix laudem vulgò ipsis tributam merentur: quin imò certum est, epithematibus vel in genere topicis illis sæpenumerò humores illapsos, & vapores quandoque impingi ipsis partibus, ut στάσιν ibidem sortiantur, nec in vasa refluant, cum articuli manifesta noxa & sæpè ἀκινησία. Adeoque cavendum est, ne, dum sensum tristem, dolorificum auferre volumus, unà motu privemus necessario debilem jam aliàs partem; quæ sanè non minima, inter alia, causa est, cur tot arthritici & podagrici contracturâ partium affectarum corripiantur, cur nodos & tophos constanter contrahant, & malum immedicabile reddant. Nimirum ultra vulgus, ultra ægros, sapere decet medicum, nec vel illis plus indulgere, quàm medendi selectior methodus, vel urgens usus exposcit, nec superstitiosa medicamentorum accumulatione officiosum se præstare.

Sed satis de priori. Quoad usum κατὰ θέσιν, Epithemata

1. *Alterant*, tum actuali suo vel frigore vel calore, quo delicatus sanguinis & spirituum sensus facilè tangitur, tum potentiali. Frequentiùs verò epithemata refrigerandi, quàm calefaciendi fine præscribi solent, etiam quandoque ipsa calida, ut spiritus vini in principio inflammationum quarundam; hinc in febribus ardentibus, intemperie capitis, phrenesi, sanguinis æstu & motu peccante, commoda sunt præsidia.

2. *Reficiunt*, seu frigida ipsa, mitigando æstum, ardorem & inde natam debilitatem, sive spirituosa, instaurando partes volatiles, balsamicas sanguinis, unde

unde frequentissima sunt in debilitate virium febrili & non febrili, in lipothymiis, syncope, palpitatione cordis, &c.

3. *Repellunt*, actuali frigore potissimum, & quidem cum energiâ maximè tali. Hinc sudores sedant, pruritum tollunt, & inprimis sanguinem rarefactum mobilemque refrenant, unde in hæmorrhagijs narium, uteri, vulnerum, sunt laudatissima. Hoc ipso quoque roborant & defendunt partem ab influxu ulteriori & debilitate.

4. *Humectant & seri defectum insigniter solantur*, unde in agrypniâ, senili præcipuè & febrili, si quid aliud, lympham deficientem restaurant, vapores, ut vulgo loquimur, biliosos eidem impertitos deprimunt, & melancholicis & maniacis ipsis suavem quietem fœnerant. In quibus omnibus, ut & jam dicendo, sacculis sive epithematibus siccis palmam præripiunt.

5. *Penetrant*; siquidem potissimum ipsi cuicunque parti immediatè debeantur, hinc in gangrænâ præ emplastris, unguentis, linimentis proficiunt: hinc in vulneribus & contusionibus capitis, ut taceamus alia, fomenta unicè prosunt, idque præcipuè de calidis est intelligendum, tunc enim undique possunt pervadere, nullâ particulâ intactâ relictâ.

6. *Dissipant & paregorica sunt*, id quod applicabimus itidem tum ipsis fotibus, tum epithematibus, in specie siccis, unde sacculi illi paregorici in pleuritide, calculo, colicâ, cardialgiâ, & aliàs unicè prosunt & præsentaneum afferunt levamen. *Wedelius.*

Epithema significat vi nominis omne medicamentum, quod foris adhibetur, propriè tamen sumitur pro medicamento admovendo partibus nobilibus, ad ipsas alterandas & roborandas.

Duplex est liquidum, & solidum.

Liquidum componitur ex aquis, vel decoctis convenientibus, sive solidis, sive cum confectionibus, pulveribus, electuarijs. Penetrationis causâ additur succus limonum, vel acetum, vinum, aquæ spirituosæ, ros. naphæ, in hac proportione, ut ad ℔. j. liquoris, sint confectis ʒ. ij. pulver. ʒ. j. liquoris ad penetrandum ℥iß. additur camphora in calidis, crocus in frigidis affectibus ad gr. iv. admovetur tepidè partibus principibus, aliquandò etiam frigidè capiti, ut in mania.

Tempus adhibendi est hora quælibet, quando urget virium imbecillitas, aut aliqua causa promptè vires exhauriens. Tempus electionis est manè & vesperè, medio tempore inter unum & alterum jusculum.

Modus utendi est hic, pannus scarlatinus, vel crassum linteum imbutum liquore epithematis, & leviter expressum, tepens adhuc parti admovetur: aufertur ubi exsiccatur, vel nimis refrigeratur, & aliud superapponitur; idque continuatur per horam, bis in die.

Usus est.

Primò, Ad alterandum & roborandum cor, in febribus, in quibus adsunt æstus, imbecillitas virium.

♃. *Aquar. buglos. borrag. rosf. ana ℥. iij. succi limon. & aquæ naphæ ana ʒj. camphoræ gr. iij. Fiat epith. cordi admovend. tepidulè bis in die.*

In febre ardente & maligna.

♃. *Aquæ bugl. borrag. rosf. ana ℥iij. aquæ flor. aurant. ℥iß. confect. alkerm. & hyacinth. ana ʒ. j. pulver. diamarg. frig. ℈ij. camph. gr. iv. Fiat epithema.*

Post epithema, cordis regio inungitur linimento cordiali, quod sequenti modo paratur.

♃. *Confect. alkerm. & hyacinth. ana ʒiß. succi limon. vel pomor. q. s. Fiat linimentum quo post epithema illiniatur regio cordis.*

In febre maligna.

♃. *Confect. alkermes ʒiß. olei scorpion. Matthioli q. s. Fiat linimentum, vel*

Solo oleo scorpionum Math. aut balsamo Peruviano fit inunctio, vel ex mixtura utriusque, vel sine linimento admovetur epithema solidum, infrà describendum.

Aliquandò post epithema admovetur pullus columbinus per medium sectus solus, vel sinapisatus ʒj. pulveris diamarg. frigid.

Secundò, ad spiritus instaurandos & recipiendos in syncope.

In casu calido vel frigido, inpromptu est epithema ex solo vino, vel ex eodem cum theriaca, aut confect. alkerm. calidiusculè cordi admoto, vel si adsit tempus parandi aliud.

♃. *Aquar. scabiosæ, meliss. rosf. ana ℥iij. aquæ Reginæ Hungariæ ℥. j. confect. alkerm. & hyacinth. ana ʒ. j. pulver. diamb. ℈ij. croci gr. v. Fiat epithema.*

Cave in hystericis à moscho & ambara.

Tertiò, ad hepar calidum refrigerandum & roborandum in febre, aut extra febrem.

♃. *Aquar. cich. plantag. portulacæ ana ℥iij. aceti rosf. ℥ iß. pulver. triasantali & diarhod. Abbatis ana ʒ. j. camphor. gr. iv. Fiat epithema admovendum bis in die super hepar.*

♃. *Fol. cichor. portulac. viol. agrim. plantag. ana M. j. 4. semin. frig. maj. ana ʒij. santali citrini & rubri ana ʒiß. rosar. rubr. p. j. Fiat decoct. Colat. ad ℔. ij. adde aceti rosati ℥iij. f. epithema pro epatis regione.*

In fluxu hæmorrhoidum, cachexiâ à causa calida, hepate existente debili, præmissis universalibus.

♃. *Aquar. vel decocti cichor. agrim. rosar. ana ℥. viij. Incoque santali rubri & citrini minutim secti ana ʒj. Colaturæ adde aceti rosf. ℥ iii. camphoræ gr. iv, Fiat epithema admovendum jecoris regioni.*

Post epithema: in prædictis casibus admove sequens linimentum.

♃. *Unguenti rosf. Mesues in oxycrat. loti ℥ iij. sacchari saturni ʒj. Cum succo cichor. vel plantaginis fiat linimentum quo hepatis, & lumborum regio illiniatur post epithema.*

Nota non esse præscribenda epithemata nisi præcesserint universalia, ne, corpore existente pleno, humores magis impinguantur, aut repellantur in partes principes.

Quartò, pro testibus ad partes nobiles alterandas.

In causa calida, delirio, phrenitide, mania, febre ardente, profluvio sanguinis è narinis.

♃. *Oxycrati ℔. ij. utere pro epithemate testibus admovendo, cum linteis frigidè.*

Vel

♃. *Aquar. solani, plantag. rosf. ana ℥iij. camphor. gr. v. Misce pro epithemate.*

In causa frigida syncope, febre maligna pereuntibus viribus, cæterisque casibus, in quibus vires cordis extinguntur à frigida causa, seu externa seu interna, vel à calida admodùm dissipatæ sunt.

♃. *Vini optimi ℔. ß. confect. alkerm. ℥ iij. Misce, fiat epithema admove calide testibus.*

De Epithemate solido.

Epithema solidum componitur ex conservis cardiacis, confectionibus, pulveribus, succis; cum hac proportione ut ad ℥iij. conservæ, sint confect. ʒij. pulver. ʒj. succi, aquæ, vel syrupi q. s.

Præscribitur post epithema liquidum, quo finito, superapponitur solidum.

Aliquandò solo utimur solido, ut quando minor alterandi quam roborandi necessitas est.

Usus ad vires instaurandas, aut conservandas, in febribus malignis, pestilentibus, pleuritide, &c.

♃. *Conserv. rosarum, & bugloss. ana unc. i. ß. confectio. alkermes & hyacinth. ana drach. j. pulver. diamargar. frig. & diarh. Abb. ana drach. ß. Cum syrupo de pomis fiat epithema solidum admovendum cordis regioni.*

In lipothymia, syncope, &c.

♃. *Conserv. flor. anthos, & viol. an. ℥ i ß. confect. alkerm. & theriacæ veteris ana ʒi. pulveris diamb. drach. ß.*

Cum vino opt. vel aquâ theriacali fiat epithema solidum cordi admovendum.

Contra vermes cum vomitu in pueris.

℞. *Theriacæ diatessaron ℥iij. pulveris mastiches, menthæ siccæ an. ʒß. Cum syrupo de absinthio, fiat epithema solidum applicandum umbilico.* Tencke.

Epithemata quædam ex Schrôder. Pharmacop.

Epithema Cordiale.

℞. *Aq. rosar. ℥iv. nymphææ, violar. ana ℥ij. buglosf. meliss. ana ℥ß. vini alb. odorif. ʒj. pulv. sem. acetos. corall. rub. præparat. santal. citrini, albi ana ʒß. cort. citri ℈j. croc. ʒß. M. fiat Epithema.*

Vires. Cordi refrigerium adfert, syncope correptos excitat, panno scarlato susceptum, cordisque regioni tepide impositum.

Epithema Epaticum.

℞. *Aqu. portulac. rosar. plantag. acetos. intyb. ana ℥iv. sem portulac. acetos. endiv. ana ʒj. troch. de camphor. santal. citr. ana ℈ij. aceti parum. M. F. Epithema.*

Vires. Epatis & sanguinis æstum demulcet, & hinc sistit hæmorrhagiam narium Epati tepidè impositum.

Epithema in Febribus malignis.

℞. *Aqu. rosar. sambuc. lactuc. acet. rosac. rutac. an. ℥iß. spec. diatr. santal. ʒj. sal. nitr. præparat. ʒj. theriac. Andr. ʒiß. croci ℈ß. M. F. Epithema, cui & tantillum camphoræ admisceri poterit.*

Vires. Carpis & fronti applicatum æstum febrilem mirum in modum, in febribus malignis præcipuè mitigat, Cephalalgiam lenit, somnum conciliat.

Epithema ad Erysipelata & alias inflammationes *ex Pharm. Reg. Zwelferi.*

℞. *Flor. sambuci recenter siccatorum, rosar. albar. ana M.3 fol. tussilaginis, M. 2. pul. lithargyri, cerussæ ana ℥.4. olibani, mastichis ana subtiliss. trit ʒ.6.*

Coquantur in vini albi & aceti ex vino ana ℔. 2. aquæ simplicis ℔.1. ad consumptionem quartæ partis, coletur per linteum rarum, ut potior pars vulnerum transfluat, fiatque instar lactis virginis.

Est Epithema egregium, cunctis inflammationibus externis, ad gangrænam etiam inclinantibus proficuum, quod linteolis duplicatis vel triplicatis in eo calidè madefactis sæpius citò, tutò & securè applicari potest.

Epithemata ex Hoffman. Thesaur. Pharmaceut.

Epithemata in Melancholicis affectibus.

℞. *Aq. meliss. ℥.3. fl. citri ℥. 1.* ▽ *carfuncul. ℥. ß. spec. temper. cordial. ℈.1. confect. alkerm. ʒß. spir. cinamom ℈.1. aceti rosat. ʒ.2. M. pro epithemate, in quod linteamina sæpius intingantur & applicentur fronti & temporibus.*

Epithema in Defluxionibus ad Oculos.

℞. *Rosar. rub. tut. ppt. myrobal. citrin. ana ʒ.1. pulver. subtil.* indantur in nodulum, qui decoct. seq. immergatur; ℞. *aq. rosar. fœnicul. ana q. s. in quibus ebull.*

℞. *Ros. r. p. iß. sem. fœnicul. ʒ. 1. fl. euphrag. p.1.*

In colatur. ℥4ß. infunde nodulum superiorem, qui cum decocto semper in loco stet calido, intinge, & oculis impone.

Epithema pro pulsibus.

℞. *Fl. cordial. ana p.1. lavendul. p.1. ligni rhod. santal. alb. ʒ. 1. cortic. citri ana ʒ. 1.*

Incis. & contus. in seric. saccul. duobus pro pulsibus, qui seq. aquâ per vices humectandi.

℞. *Aq. destill. pomor. limon. rosar. fr. ana ℥. 3. cinam. ʒ. 2. acet. rosac. ʒ. 3. M.*

Aliud pro pulsibus.

℞. *Aqu. destill. limonum ℥. 3. spirit. rosar. lil. convall. ana ʒ.3. carbuncul. ʒ. 1. ß. ol. d. apoplectic. gutt. 5. confect. alkerm. ʒß.*

Aliud pro pulsibus.

℞. *Cortic. citri exter. recent. ʒ.2. radic. ir. fl. ʒ.1. cinamom. el. macis ana ʒß. summit. majoran. basilic. thymi, rof. r. p.2. ligni aloës ℈. 1.*

Incis. indantur in seric. saccul. pro pulsibus qui seq. aquâ humectandi.

℞. *Meliss. citrat. lil. convall. rof. r. ana ℥. 1. acet. lavendul. rof. r. rub. id. fl. sambuci ana ℥ß. M.*

Epithema singulare ad Nodos podagricos D.W.

℞. *Saponis nigri q. s. cui adde de vitello ovi crudi tantum, quantum est saporis medietas, & optimè misce, donec sapo proprium amiserit colorem, quo facto super stupas lini subtiles cum spatulâ extende, & loco dolenti applica. Desuper autem impone.*

℞. *Albumin. ovor. farinæ tritic. ana q. s. pro linimento panniculo albo lineo obducendo, quod strenuè loco affecto applicandum, nisi 5. aut 6. dies fuerint elapsi.*

Epithema ad dolores podagricos.

℞. *Saponis Veneti q. s. cui adde ol. olivar. s. q. & cerussæ q. s. pro unguento, cui addi potest camphoræ s. q. vel non. M.* obducatur panno lineo.

Epithemata è Joan. Michaël. Operibus.

Epithema in dolore Capitis.

℞. *Aq. verbasci, flor. persic. ana ℥.4. solani, chamomillæ rom. ana ℥.1. pulv. rad. rhod. ʒ.2.*

℞. *Decoct. rad. rhod. & verben. ℥. 6. pulv. zedoari ʒ 1. ß. D.*

℞. *Succ.* ♋ *cum aq. verb. præp. aq. flor. persic. ana ℥. 3.* D. pro usu.

℞. *Nucl. persic. ʒ.3. sem. hyoscyami albi ʒ.1. c. s. q. aq. verb. vel decoct. rad. rhod.* f. l. a. Emulsio.

Potest etiam sem. papav. albi it. nucl. persic. cum lacte muliebri confundi in formâ cataplasmatis & ita applicari temporibus: expertum est remedium, ubi imprimis humectatione opus. Si exiccatum est, iterum humectetur cum lacte muliebri, vel aliud formetur.

Epithema ad tumorem Mammillarum & ad copiam lactis expertissimum.

℞. *Herb. apii, menthæ ana M.1. rad. apii ℥.1.ß. sem. cumini ʒ.6. coriandri ʒ. 3. coq. in dimidia parte aq. & acet.* ℞. *decocti ℔.1.ß.* probatissimum est.

Epithema Hepaticum.

℞. *Aq. flor. cichor. tarax. endiv. ana ʒ.3.* ⊕ *℥. 1. spec. diat. ion. santalon. ʒ. 2.*

Potest etiam addi ∽ ⊖ ✱ cum ⊖ tart. præparatus. convenit valdè in hydrope, possunt etiam addi ⊖ia imprimis ⊖ cichorij Potest quoque præscribi aq. ex hep. vituli cum aq. appropriatis destillato melioris penetrationis ergò. Addatur camphora. Quidam in inflammatione epatis addunt ∽ camphoratum, qui melius refrigerat, quàm refrigerantia omnia.

Epithema Spleneticum.

℞. *Aq. scolopend. genistæ ℥. 4. troch. de capp. ʒ.2.*

Potest etiam præscribi aq. splenetica ex splene bovis castrati cum ∽ ⊖ ✱ & potest etiam addi ∽ gummi ✱.

Epithema Cordiale.

℞. *Melissæ cum vino dest. borrag. buglossæ, rosarum ana ℥.2. specier. cord. temperat. ʒ.1.ß. M.*

℞. *Aq. carfunculi ℥.3. meliss. c. vino, cinamom, borrag. ana ℥.1. confect. alkerm. ʒ.2. M.*

Epithema in Palpitatione Cordis.

℞. ▽ *cord. cervi compos. ℥. 2. meliss. cum vino borrag. rosar.*

rosar. ana ℥. 1. confect. alkerm. ʒ. 1. extract. croci gr. 6. spir. corti. citri ℈ß. M.

Epithema in Febribus malignis.

℞. Aqu. cord. hercul. saxon. ℥. 3. carfuncul. ℥. 2. confect. de hyacinth. ʒ. 1. extract. croci gr. 5. M.

Epithema in Hæmorrhagiâ uteri.

℞. Aq. sperm. ran. ℥ 4. aceti ros. ℥. 1. ß. sperniol. Crollii ℈. 1. M.

Egregium experimentum utero frigidè cum spongijs vel linteis duplicatis applicandum.

Epithema in Hæmorrhagiâ nimiâ narium.

Ijs etiam applicari potest, Vel epithema ad testes ex aq. spermat. ranarum, bursæ pastoris, equiseti cum ✝ rosaceo.

Epithema ad dolores articulorum.

℞. ▽ artic. ad extra ℥. 3. lumbric. terrestr. ℥. 3. ⁓ ⊖ rectif. ℈. 1.

℞. aceti rutac. bezoard. ana ℥. 1. ß. theriac. electæ ʒ. 1 ⁓ lil. convall. ʒ. 2. spec. pro epithemare cordis ℈. 1. M.

℞. ▽ flor. sambuci ℥. 1. puleg. cent. min. ana ʒ. 6. spirit. junip. sambuci ana ℈. 1. ß. caryoph. ℈. ß. opii gr. 5. ⁓ 🜂 acidi ℈. 1. M.

℞. ▽ Anhalt. ʒ. 6. flor. samb. ʒ. 3. camphoræ gr. 3. solve & misce.

℞. ▽. Anhalt. ℥. 2. flor. sambuc. ℥. 1. ⁓ junip. ℥. ß. camphoræ gr. 7. opii gr. 6. dissolve & misce.

Epithemata varia ex Hadriani à Mynsicht Armamentario Chymicô-Medicô.

Epithema in Doloribus Capitis.

℞. Aq. papav. errat. lactucæ, rosarum ana ℥iv. troch. de rad. rhodiâ nost. ℥j.

Misce pro Epithemate.

Aliud ejusdem efficaciæ.

℞. Aq. hyoscyami. salviæ, verbenæ ana ℥ iv. troch. de rad. Rhodiâ nost. ℥ j.

Misc. pro Epithemate; & quando necesse erit, petiam duplam lini intinge, & factâ expressione, tepidam applica fronti & temporibus, quod etiam in sequentibus observandum.

Epithema in Doloribus Capitis à causâ frigidâ, cum, vel sine catarrho.

℞. Aq. betonicæ, rorismarin. verbenæ ana ℥iv. nucl. persicorum ℥iß. cubebarum ʒiij. nuc. moschat. sandaracæ ana ʒj. rad. mandragoræ ʒß.

Misc. & fiat Epithema tepidè applicandum.

Aliud in eâdem causâ.

℞ Aq. chamomillæ, salviæ, rosar ana ℥iv. nucl. persicor. ℥ß. olibani opt. ʒj. caryophyllorum, macis, lig. aloes ana ʒj. rad. zedoariæ ʒß.

Misce pro Epithemate.

Epithema in dolore capitis à causâ calidâ cum, vel sine catarrho.

℞. Aq. rosar. fragrantiss. violarum, malvæ min. ana ℥. iij. santalorum omnium ana ʒiß. succini alb. præp. ʒj. flor. papav. errat. verbenæ ana ʒ ß. camphoræ ℈j.

Misc. pro Epithemate Capitis.

Aliud in eâdem causâ.

℞. Aq. papav. errat. rosar. opt. ana ℥iij. cranii human. s. igne calc. ℥j. croci orienti ʒß.

Misc. pro Epithemate Capitis: mirabiliter enim operatur.

Epithema Hypnoticum.

℞. Aq. rosar. fragrantiss. lactucæ ana ℥iv. opii spagyricè præp. ʒj. croci orient. ʒß. spong. in arbusto rosar. nat. ℈j.

Misce dissolvendo fideliter; postea mixturâ imbuta linea temporibus tepidè applicentur, naresque madefiant, unde protinus dormire incipiunt.

Aliud Sodoriferum.

℞. Aq. nuc. moschat. lactucæ, solatri ana ℥iv. sem. papav. alb. ℥ß. hyoscyami, anethi ana ʒij. rad. cynoglossæ ʒiß. flor. enulæ campanæ, nymph. citrin. violarum ana ℈j.

Pistentur semina in mortario lapideo & pistillo ligneo, postea f. commixtio bona ac expressio pro Epithemate Capitis.

Epithema Cordiale calorificum & expertum.

℞. Aqu. cinamomi, melissæ, buglossæ ana ℥iij. corn. alcis spagyricè calc. caryophyllorum, nuc. moschat. cort. citri ana ʒiß. lign. aloes ʒj. margarit præp. corallor. rub præp. ana ʒß. sem. majoranæ, basilici ana ℈j. croci oriental. anthos ana ℈ß.

Misce pro Epithemate Cordis.

Aliud in eadem causâ.

℞. Aq. rosar. fragrant. basiliconis, flor. tunicæ ana ℥iij. spec. diamoschi dulcis, diambræ ana ʒiß. dianthos, de gemmis cal. ana ʒj.

Misce & f. Epithema, quod regioni cordis applicetur.

Epithema refrigerans in Syncope & alijs cordis affectibus.

℞. Aqu. rosarum rub. ℥ iv. acetosæ, nenuphar. ana ℥iv. aceti vitriolati ℥j. corallor. rub. præp. santalor. omnium. ana ʒ j. terræ sigillat. bol. armen. ana ℈ ij. lap. 5. pretiosi præp. ana ℈j. oss. de corde cervi. margarit. præp. macis, cinnamomi acut, camphoræ ana ℈ß.

Misce pro Epithemate cordis.

Epithema in Palpitatione cordis nobilissimum.

℞. Aqu. majoranæ, basiliconis, melissæ, rosarum, vini malvatici ana ℥iij. aceti rosati ana ℥j. spec. de gemmis calid. diambræ, diamoschi dulc. ana ʒj. lign. aloes, macis ana ℈ij. cinamomi, anthos ana ʒs. oss. de corde cervi, margaritar. præpar. corallor. rub. præpar. cort. citrj ana ℈j. lap. 5. pretios. præp. ana ℈j.

Misce pro Epithemate cordis.

Aliud in Palpitatione Cordis.

℞. Aq. rosar. fragrant. salviæ, borraginis ana ℥iij. vini odoriferi ℥j. aceti violati ℥s. spec. diathamaron. diamarga frig. ana ʒiß. corn. cervi spagyricè calc. cassiæ ligneæ opt.

℞. Santali citrin. cardamom. min. ana ʒs. croci oriental. flor. tunicæ, anthos ana ℈j

Misce pro Epithemate super pectus.

Epithema in debilitate & inflammatione Hepatis.

℞. Aq. nenupharis, absinthii, endiv. rosarum, cichoreæ ana ℥ ij. aceti rosati ℥j. spec. diatrionsantal. ʒs. cryst. saturni ʒij. rhabarb. opt. ʒs. corallor. rub. præpar. ℈ij. sem. portulacæ, acetosæ ana ℈ j. camphoræ, macis, spicæ ana scrup. s.

Misce f. artem pro Epithemate.

Aliud in eadem causâ.

℞. *Aqu. flor. epaticæ alb. rubi idæi, fragorum, centaur. min. ana unc. iij. aceti santalini unc. iß. spec. diarrhod. abbat. drach. iij. rad. scorzoneræ, plantaginis ana drach. ij. sal. endiviæ, cichorei ana drach. ß. sem. 4. frig. major. minor. ana ℈j.*

Misce pro Epithemate Hepatis.

Epithema Epaticum in causâ frigidâ.

℞. *Vini malvatici unc. iv. aq. agrimoniæ, veronicæ, serpilli ana unc. iij. spirit. juniperi unc. iß. spec. diacurcumæ, diacubebæ ana drach. ii. rhabarb. elect. calamit. aromat. cassiæ ligneæ, ana drach. i. sal. absinthii pont. abrotani ana scrup. ii. croc. oriental. semin. ameos, spicæ ana drach. ß. schœnanti, flor. stæchad. citrin. ana scr. i.*

Misce pro Epithemate.

Epithema in Inflammatione Renum præsentissimum.

℞. *Succ. depurat. plantaginis & solatri ana unc. iv.*
℞. *Aqu. sempervivi domest. portulacæ ana unc. iii. vini odoriferi, aceti vini violat. ana unc. iß. nitri præp. unc. i.*

Misce & f. Epithema Renum regioni applicandum, ut est moris. Notandum autem; si Epithemata refrigerantia nobili membro administrari debent, tum non actu frigida, sed tepida imponantur: nisi intensus admodum calor adsit; tunc enim actu frigida adhiberi possunt.

EPITHYMUM, vid. *Cuscuta minor.* sub titulo *Cuscuta.*

EPULOTICA, sive GLUTINANTIA.

Non differunt ratione virium in genere *Glutinantia* à *sarcoticis* & *epuloticis*. Eadem enim vel siccantia, vel balsamica sunt: sed 1. gradibus, glutinantia enim sicciora sunt sarcoticis: epulotica verò sicciora glutinantibus, sicca scilicet effectivè. 2. effectu successivo. Sequuntur enim se ordine invicem, non potest fieri glutinatio, nisi cavitas repleatur & carnes resarciantur, neque cicatrisatio, nisi glutinatio præcesserit.

Ut itaque glutinari nihil est aliud, quàm coire ac uniri, ita & glutinantia *indicant* eadem *unitatis vitia*, v. gr. tùm vulnera recentia, cruentaque, tùm sinus & ulcera, remotis priùs impedimentis, rupturæ item, fracturæ, herniæ, & alia.

Inprimis verò exposcunt eadem hæc vulnera, nimis hiantia, 1. adducantur labia, & 2. adducta firmentur: seu debentur & distentis labijs, & ipsi hiatui, adeoque suturam siccam incruentam, *Heftpflaster*, præbent & efficiunt: quin, ubi sutura in certis casibus planè locum non habet, ut in vulneribus palpebrarum, conveniunt glutinantia.

Conveniunt tamen glutinantia hæc magis, ubi summa cutis magis affecta est, ut in paullò profundius & gravius vulnus inflictum, fibulæ magis in usum trahendæ.

Fit hoc omne *Medicamentorum Glutinantium* beneficio, & inprimis emplastri specie. Talia sunt, uti diximus, 1. *siccantia*, lapides cancrorum, calaminaris, antimonium. 2. *adstringentia*, tormentilla, symphytum, balaust. malicorium, bolus Armena, &c. 3. *viscosa* & *emplastica*, sanguis draconis, sarcocolla, quæ in specie ob id nomen nacta est, à glutinandis scilicet carnibus, item amylum, farina volatilis, &c.

Modus applicandi non variat partim à jam dictis, partim à dicendis sub epuloticis.

De Epuloticis & πορωτικοῖς in specie.

Quod callus est in partibus duris, seu ossibus, id cicatrix in mollibus seu carne, unde ijsdem ferè medicamentis absolvuntur *Cicatrisantia*, seu *epulotica*, & *Callum generantia* seu πορωτικά.

Indicantur epulotica ceu ultimus finis ab ijsdem unitatis solutæ speciebus, quippe ultimum complementum seu coronidem curationi & consolidationi imponunt, *wenn es zuheilet, oder verheilet, eine Narbe gewinnet, beschliesset, &c.*

Sunt itaque epulotica earum virium, ut *exsiccent*, (& quidem magis respectivè, quàm vel sarcotica, vel glutinantia,) & contrahant seu constringant carnem, densent, indurent, & adeò in cicatricem cogant, & hæc sunt, ceu sæpius diximus, validè exsiccantia, multisque cum primis partibus salinis fixis vel terreis abundantia, unde moderatè quidem calefaciunt; attamen citra morsum & dolorem. Notandum enim, vitanda in his esse 1. *abstergentia*, magisque 2. *acria*. Hæc enim non nisi per accidens inter epulotica referri queunt, quatenus colliquant parumper carnem, & cogunt.

Præcedant itaque oportet sarcotica & glutinantia, sequuntur epulotica, licèt id in praxi semper & in omnibus non ita strictè observari vel possit, vel debeat, cùm multa sint polychresta, quæ singula hæc expediant; imò id omne opus est naturæ, quæ solùm hisce externis adjuvatur, ut eo promtiùs res succedat, & impedimenta removeantur.

Hinc à priori notandum est, 1. vulnera & ulcera alia *faciliùs*, alia *difficiliùs* consolidari, & 2. cicatrisationem aliam esse *fidam, constantem & perfectam, revera talem*, aliam saltim *infidam, fucatam, momentaneam, palliativam, non veram.* Fitque id ipsum vel vitio *totius*, sicuti plethora & cacochymia cicatricem moratur, unde ad promotionem hujus toti unà prospiciendum, & vulneribus ac ulceribus conducunt purgantia, & quandoque ipsa V. S. aliaque universalia. Hinc videmus in scorbuticis, cachecticis, hydropicis, fistulis, ulceribus varicosis, cancrosis, difficillimam esse cicatrisationem, quæ quippe aliunde foventur & affluxum habent, & hinc sæpe multum negotij medico facessunt, præcipuè, si neglectis universalibus seu fonte saltim rivos attendat, & sunt sæpe ejusmodi ulcera quasi fonticuli.

Vel vitio *partis ipsius*, sive cavum quod est, nondum sit expletum, tùm ob callum, tum ob defectum succrescentis carnis, (unde cavum est replendum,) sive caro luxurians adsit, quæ absumenda, sive κακοήθεια obstet, & ulcus, vulnusq; sit malignum, quod hinc κακοήθες & δυσεπούλωτικόν audit, quod ipsum etiam corrigendum, & affluxus & intemperies quovis modo tollenda, ac acrimonia, si qua adest, mitiganda est: sive os vitiosum, cariosum, vel separatum subsit, quamdiu enim talis festuca, taléve vitium adest, ulcera vel omninò, vel palliativè saltim & ad breve tempus coalescere queunt, nulla verò perfecta consolidatio speranda est, donec vitiosum os ex toto exemtum, licet & minimum, fuerit; vel non satis mundatum fuerit, &, priusquam par erat, constrictum, ubi materia vitiosa intus relicta novum negotium facit, *wird interkötig*; sive labia se invicem non facilè contingant, unde inprimis vulnera rotunda tardiùs & difficiliùs claudi consueverunt.

Notandum tamen, sæpe in hoc morâ opus esse, & omninò, licet imperfectè quandoque consolidationem talismodi fieri posse, donec natura sibi ipsi tempore opportuno exitum paret, & officulum ejiciat.

Hisce igitur ablatis impedimentis hæc ipsa epulotica dicto modo comparata exactè faciunt officium, neque in his opus est, ut recensioni diutiùs immoremur.

Observari

Observari tamen & id meretur, siccitatem illam epuloticorum moderandam esse ex ipsius partis affectæ naturâ, prout vel mollior, laxior, humidior, sive siccior & excarnis magis fuerit. Sic in ulcusculis tunicæ corneæ oculi sæpiùs cum fructu adhibui pulverem alcoolisatum perlarum, item saccharum Canariense insufflatum, præter pinguedinem viperarum longè probatissimam. Sic in ulceribus & excoriatione labiorum spiritus salis levior applicatio citam affert opem.

A posteriori vero iterum distinctio quædam notanda, alia enim cicatrix est *pulchra*, alia *deformis*. Hinc uti prior & minor expetitur, & deformitas omnis vitanda, non solùm caro cuti æqualis priùs reddenda, aut saltim, ut parum excedat eandem, secus cava erit & deformis; sed & lævigantia huic debentur, quæ duritiem nimiam corrigant, & factam emendent. Sic cicatricem turpiorem delere solent, quæ tùm *lævigant*, ut oleum vitell. ovor. & similia, tùm *sale nitroso* aut *volatili* pollent, ac eandem quasi *refricant*, ut aliâ facie spectanda exhibeatur, v. gr. anagallis, alsine, nitrum, sinapi hoc fine commendantur.

Quod ad *Porotica* seu *Callum Generantia* attinet, dividuntur ea in *interna* & *externa*. *Illa* non differunt à traumaticis modo expositis, neque enim osteocolla, laudatissimi ad hoc usus, aliáque alio modo agunt, ac nuper dicto, absorbendo, & sanguinem pro consolidatione aptiorem reddendo. *Externa* verò ejusdem generis cum jam dictis epuloticis sunt, quæ nempe adstringunt, condensant, incrassant, & adeò alimentum ossium ad callum seu glaream magis disponunt, ut ex simplicibus ulmaria, symphytum, osteocolla, &c. ex compositis explastrum contra fracturas, &c.

Notum verò jam quoque est aliunde, ossa non uniri, & perfectè sibi invicem conjungi, nisi intermedio callo. *Wedelius.*

EQUICERVUS, vid. *Alce*.

EQUISETUM.

Equisetum Latinis à Seta equina nomen traxit. Græcis ἵππουρις, i. e. cauda equina; à similitudine dicitur, quia folia habet setis similia medio scapo adnascentia.

Planta est singularis & sui generis, tùm scapo medio tùm foliis (si modo folia dicenda sunt) pyxidatim articulatis. Propriè loquendo folia non habet, quæ enim folia dicuntur nullam habent pronæ & supinæ partis distinctionem; excepto tamen Polygono fœmina dicto, quod ab aliis Equisetorum speciebus in tantum differt, ut diversum genus à nonnullis meritò constituatur.

Vires. Equisetum astringit validè, hinc ad sanguinis rejectionem, ad profluvium muliebre, potissimum rubrum, & ad dysenterias reliquosque ventris fluxus strenuum & generosum & remedium vel herba ipsa aut ex aqua, aut ex vino epota (pulvis ʒj. pondere, aut decocti in vino ℥iv. manè & vesperi propinatæ) vel aqua ejus stillatitia si cochlearia tria duobus tribusve diebus bibantur. Sanat hæmorrhagias sive per ἀναστόμωσιν, sive per διαίρεσιν, ut loquitur Casp. Hofmannus: item exulcerationes renum & vesicæ.

Hujus Asparagos, autore Matthiolo, in Hetruria, modo in defectu melioris cibi, modo in dysenteriæ aliisque alvinis fluxibus comedunt Hetrusci, & sentiunt aliquando ita sibi stringi ventrem, ut colici fiant.

Exteriùs Emplastri modo imposita conglutinat maxima vulnera, etiam ubi nervi sunt incisi.

Dioscorides urinam movere refert.

In diuturnis febribus, etiam malignis, miracula fecisse cum aliis se comperisse scribit *Casp. Hofmannus*.

Ad sanguinis sputum exhibe radicis exsiccat. & pulveris. ʒj. cum succo granatorum acidorum.

Ad pectoris pulmonumque ulcera decoctum equis. in aquâ mane & vesperi calidè potum ad ℥iij. vel ejus succi ℥ij.

In phthisi pulvis Equiseti ʒj. pondere cum aquæ plantag. ℥iij. mane vesperi aliquot diebus sumptus commendatur.

Alios ejus exhibendi modos contra vomitum sanguinis & dolores ventriculi, contra rupturas, contra calculum, urinæ stillicidium, &c. *Raius Hist. Plant.*

EQUUS.

Equus, Animal fortissimum, velocissimum, pulcherrimum, docillimum; ab *Asino* differt magnitudine quâ eum excellit, Auriculis minoribus, juba longiore, caudâ undique setis prælongis obsitâ.

Gula ventriculo circa mediam partem, ut in Lepore, inseritur, non circa initium seu alterum extremum. Ventriculus pro magnitudine intestinorum modicus. Cœcum maximum, (uti & colon) quadratum, ope ligamenti per uniuscujusque lateris longitudinem producti in cellulas divisum.

Cisti fellea caret; verùm meatus cholidochus magnus, digiti minimi capax; ductus pancreaticus adhuc major. In interiore duodeni membrana foramen amplum, rotundum labiis extantibus undique cinctum conspicitur, quod horum ductuum orificia sibi invicem contigua amplectitur.

In Equa prægnante chorion membrana primis gestationis mensibus utero nusquam cohæret, & simplex est; verùm tractu temporis insigniter crassescit, & carunculas carneas efformat Orobi magnitudine, quæ paulatim augentur, invicem continuantur, & digitulos (non glanduloso alicui corpori utero adnascenti, ut in cotyledoniferis fit, sed) ipsius uteri membranæ interiori, (quæ nihilominus simplex perstat) infinitos inserit: ut reverà continuata quædam placenta, per totum chorion extensa videatur, vel potiùs chorion ipsum è membrana in placentam mutatum. *Raius in synops. Quadrup.*

Officin. nat. ex Equo.

1. *Sanguis.* 2. *Coagulum.* 3. *Lac.* 4. *Stercus.* 5. *Lichenes.* 6. *Testes.* 7. *Pinguedo jubar.* 8. *Ungulæ.* 9. *Pili.* 10. *Saliva.* 11. *Dens.* 12. *Lapis.*

Vires. 1. *Sanguis* (*malunt nonnulli equarum admissuram expertarum*) admiscetur septicis ac causticis.

2. *Coagulum*. (*Hippacen vocant,*) privatim Cœliacis, Dysentericisque convenit.

3. *Lac* utile censetur Epilepticis, Phthisicis, Tussientibus, Asthmaticis.

4. *Stercus* extrinsecus sanguinis eruptiones cohibet, (*tam crudum, quam ustum,*) fœtum mortuum, ac secundinas expellit, [*in suffitu.*]

Internè propinatur in dolore colico, ac strangulatu uteri, & similiter in fœtu mortuo & secundinis expellendis.

N. *Præstat ex equo avenâ nutrito, & non castrato.*

5. *Lichenes* (*callosa excrementa in equorum cruribus nascentia,*) laudantur peculiariter ad uterinas suffocationes, (*suffitu subtus facto,*) ut & ad morbum comitialem, & calculum, (*pulvis propinatus.*)

Præparata.

Extractum Lichenum fit ex lichenibus siccatis cum 🜄 *vel alio appropriato spiritu.* Dosis à gr. v. ad ℈ß.

N. *Hartm. Menstruum parat ex Meliss. & Vini ana* ℔iij. *qua per* ♌. *ex cinerib. destill. super Succini & Gagatis* ℥ij. △. *in fine forti, hinc* 🜄. *ab* ☍. *separatam adhibet.*

6. *Testes castrati* ad secundinas pellendas remedium præsentissimum (*pulverisati.*) Commendatur quoque in doloribus colicis.

7. Pin-

7. *Pinguedo jubati colli* [*Kammschmaltz.*] Illinitur commodè articulis luxatis.

8. *Ungula* fœtus mortuos suffitu exturbat, pediculosque fugat [Antidysentericum præsentaneum frixa in butyro Ungula putatur.]

Ejus suffitus in hæmorrhoidum fluxu præsentaneum dicitur Medicamentum in. M S S. Curiosis.

9. *Pili* sanguinis fluxum reprimunt.

10. *Saliva*, spuma oris, triduo pota, tussim sanat, fervorem faucium contundit.

N. *Aqua frigida ex ore equi non castrati in præterfluente potantis elapsi, & subito vasculo collecta, prodest ad sterilitatem emendandam, (semel ac iterum pota) Hartm in pr.*

11. *Dentes* primùm nascentes dentitionem facilitare dicũtur, (appensi.) Dentes dealbeant, (cinis affricatus.)

12. *Lapis* (*Hippolithus*) in ventriculo aut intestinis equorum nonnullorum repertus, uti Lapidi Bezoar, (Occidentali,) figurâ & lamineâ structurâ non absimilis est, ita & viribus eundem æmulari statuitur.

N. *Historias lapidis hujusmodi, ovi magnitudine reperti, habet Jordanus tract. de peste, Phænom. tr. 3. cap. 9. Schwenckfeldius in Teriotroph. vide &c. Bauh. tr. de Lap. Bez. c. 25. His subjungi meretur lapis ejusdem ferè magnitudinis, quem nostro hoc tempore præbuit mortuus equus (ut audio Hispanicus,) non procul ab urbe hac nostra Francofortensi dissectus; quem apud Henr. Wolrath Comitem de Stolberg. videre contigit. Cujus vires easdem cum Lap. Bez. Occidentali experientia docuit.*

Annotat. Hofman. super Equô ac ejus partibus officin. Hujus 1. *Sanguis*. 2. *Coagulum*. 3. *Lac*. 4. *Stercus*. 5. *Lichenes*. 6. *Testes*. 7. *Pinguedo jubar*. 8. *Ungulæ*. 9. *Pili*. 10. *Saliva*. 11. *Dens*. 12. *Lapis usui inserviunt Medico*.

N. Quamprimum *pullus Equinus* in lucem prodit, vomitu materiam rejicit, quam nisi quis præripiat, mater statim devorat, hæc materia siccata & pulverisata à caduco liberat.

1. *Sanguis*. In summâ etiam copiâ sal suppeditat volatile elegantissimum caduco expellendo præstantissimum.

2. 3. *Lac* exhibetur etiam ad variolarum eruptionem promovendam.

4. *Stercus*. Mulieres etiam offerunt infantibus cum lacte expressum variolis laborantibus ad eruptionem accelerandam, atque hoc fit ratione salis volatilis in eo contenti.

5 6. *Testes castrati* &c. Commendantur etiam in partus difficultate, unde *Heinricus ab Heer Libr. 1. obs. 14.* cuidam fœminæ difficultate partus laboranti pulverem testium equi in aq. lib. alb. cum croco propinaverat, dimidio quadrante citius puerum croceo colore tinctissimum enixa est. In doloribus colicis etiam citissimam præstant opem.

7. *Pinguedo jubati colli. Cutis jubati colli* vi detracta à vivo equo & capillitio abraso hominis imposita renascentes facit pilos, sed non sine cephalalgia, qui prius progerminant æmulantur equinos, & hi tamdiu abradendi, dum humani sequantur.

8. *Ungula*. Equi non luxuriantis in butyro frixa contrà dysenteriam præsentaneum est remedium.

9. 10. *Saliva*. Exterius juncta, in primis à non castrato & nunquam Venerem experto desumpta verrucas tollit & illarum proventum prohibet.

11. 12. *Lapis* (*Hippolithus*) vide in hoc *Lapide* Nobiliss. *Philipp. Jacob. Sachs. à Lewenheimb in suâ gammarolog. cap. 14. p. m. 299.* Lapidem Bezahar viribus æmulari statuitur.

EQUUS MARINUS, vid. *Hippopotamus*.

ERADICANTIA, vid. *Ecrisotica*.

ERICA.

Ericam Martinius ab ἐρείκω frango deducit, quia calculos frangendi vi pollet.

Ericæ *notæ* sunt statura humilis, folium perpetuum, flos nudus, & plerunque urceolaris: Vasculum semile in imo flore ceu calyce clausum; in sterili, squalido & palustri seu spongioso solo vigere, quod paucissimis plantis conceditur.

Vires & Usus. Tùm succus Ericæ tum aqua florum destillata ruborem oculorum tollit & dolorem mitigat: quin & colicâ laborantibus utiliter exhiberi expertus est Tragus.

Fomenta & balnea Sudatoria è floribus confecta podagricis, & paralyticis membris conducere creduntur. Aqua, in qua vulgaris Ericæ folia decocta sunt, sumpta tepide tam manè quàm vesperi per 30. dies ℥v. poudere, tribus horis ante cibum valet ad vesicæ calculos comminuendos & expellendos, experimento Matthioli. Verùm id feliciùs succedere idem notat, si post id tempus malè affecti in balneum decoctionis Ericæ ingredi, atque ibidem morantes super Ericam decoctam sedere jubeantur, idque pluries repetatur. Addit Matthiolus se novisse aliquos, qui servata victûs ratione, hujus tantum potu vesicæ calculos in minimas partes comminutos ejecerunt. Quis hoc credat?

Oleo ex Ericæ floribus confecto ad tollendos herpetes fœdos & inveteratos totam faciem occupantes Rondeletium magno successu usum scribit Clusius.

Nec Mel quod de Ericæ floribus legunt Apes in Anglia adeò improbum est, ut scribunt Dioscorides & Plinius, sed paulô duntaxat coloratius.

Ovium gregibus Erica hyberno tempore pabulum præbet, & ignibus fovendis inopiâ lignorum inservit.

In Scotia materiarii è terra pulla inculcato stramine ex aqua subacta leviter, & alternis Ericæ stratis, extrorsum utrinque spectantibus comis, concurrentibus in medio lignosis radicibus, parietes cùm casarum rusticarum, tum hortorum artificiose extruunt: qui vinculô straminis & Ericæ nec pluvias metuentes, nec atterentium jumentorum affrictibus concussi in multos annos durant. Jac. Cargillus apud J. B.

Scoti montani pro lecto sæpè substernunt Ericam, radicibus deorsum, frondibus sursum versis: adeóque scitè hac ratione lectos concinnant, ut mollitie cum plumis certent, salubritate longè superent. Erica enim naturali siccandi vi prædita supervacuos humores exhaurit, nervisque eorum molestiâ liberatis suum vigorem restituit, ut qui vespere languidi & fessi decubuerint, manè vegeti & alacres resurgant. Quidam ex radicibus Ericæ calices affabrè componunt. *Raius in Hist. Plant.*

ERIGERON, vid. *Senecio*.

ERIGERON MARINUM, vid. *Jacobea*.

ERINACEUS, vid. *Echinos*.

ERRHINA, & PTARMICA.

Errhina liquida sunt medicamenta, quæ vel ex solis aquis, succis, decoctis aut similibus; vel ab iisdem, & pulveribus mixtis parata, inspirando in nares attrahuntur.

Usus est multiplex. 1°. ad purgandum cerebrum à crassis & viscidis humoribus, ut

℞. *Fol. major. salviæ, beton. an M. ß. terantur affuso vino albo, & aquâ Betonicæ ana ad ℥iv.* Expressi liquoris tepidi prono capite, & aquâ ore pleno naribus attrahe q. s. ter aut quater manè jejuno ventriculo. Vel

℞. *Succ. major. & betæ cum vino albo expressorum ℥ij.* Fiat errhinum, de quo, &c.

Secundò, Ad temperandum ardorem acrem narium, cerebri in febribus, aut fluxionibus acribus.

℞. *Lactis caprilli recentèr emulcti ℥iij.* Attrahat frequenter naribus inspirando. Vel

℞. *Aq.*

℞. *Aquar. rof. plantag. ana* ℥ij. Fiat errhinum.

In omni phrenitide omníque delirio à causâ calidâ.

℞. *Fol. lact. solan. papav. rhœad. ana M.ß. flor. nymph. p. j.* Fiat decoct. Colat. ad ℔ß. utatur pro errhino.

Tertiò, Ad ulcera narium tergenda.

℞. *Decocti hord.* ℥iv. *mellis vel syrupi rof.* ℥jß. Fiat errhinum. Vel

℞. *Hord. integr. p. j. fol. plantag. absinth. ana M. ß. florum hyper. p. j.* Fiat decoct. Colat. ad ℔ß. dissol. mellis rof. ℥jß. Fiat errhinum, &c.

Quartò, Ad ficcandum, & adstringendum deterso ulcere.

℞. *Fol. plantag. verbasc. ana M. j. cortic. mali granat.* ℨiij. *rof. rub. p. j.* Fiat decoct. Colat. utatur pro errhino.

Quintò, Ad hæmorrhagiam sistendam.

℞. *Boli armen. terræ sigill. sang. drac. & pilor. lepor. ana* ℨj. Excipe cum succo urticæ, vel cum ovi albumine fiant tentæ aut penicilli naribus immittendi.

Sextò, Ad narium fœtorem.

℞. *Aq. rof. naphæ ää* ℥jß. *aquæ major.* ℥j. *mosci gr. ij. vel in mulieribus caryophyll. pulver.* ℈j. Misce pro errhino.

Similiter in aliis affectibus narium, ut polypo, ulceribus fœtidis, &c. potest parari errhinum ex appropriatis, præmissis in omnibus sufficienter universalibus. *Tencke.*

Ut *Modus Agendi Errhinorum & Ptarmicorum* evidentius patescat, præsupponimus.

1. *Membranam narium esse maximè sensilem*, tùm quoad sensum odoratus proprium, qui admodùm est delicatus, & subtilissima quoque effluvia & ἀναθυμιάσεις percipit & dijudicat, eò diffusior sensus & quasi immaterialis, quò aer ipse universalis est protector microcosmi & vector specierum odorabilium, unde nolentes volentes cum aëre attrahere easdem oportet: tùm quoad communem tactus sensum, qui, ut universalis est, & inter externos communis: ita propriis omnibus seorsim jungitur, quod utrumque in specie hoc loco occurrit.

2. *Narium meatus excerniculum esse transmissioni serositatum superfluarum*, maximè salinarum, *dicatum in genere:* non quidem continuo stillicidio, id enim perquam molestum fuisset; sed paulatinâ collectione, quatenus humores seu lympha superflua è glandulis, vasis salivalibus, & lymphaticis, (neque enim vasa salivalia sunt alia, quàm lymphatica) sensim transsudantes, appulsu aëris in cavernosis narium ductibus crassescunt & in mucum fatiscunt.

3. In specie, *nares esse emunctorium capitis & quasi ventilabrum.* Quidquid enim quidam speculati sint in contrarium de usu hujus excerniculi publico, & totius machinæ usui dicato, per veterum tamen dogmata ac emunctiorum recentiorum experimenta certum est, fontem quidem catarrhorum non esse, quærendum in cerebro; sed in sanguinis individuo comite, sero; è sanguine enim & sero, seu calido & humido, constant vitæ elementa; seu lymphæ abundantiâ, secretæ per glandulis, in quas vasa lymphatica vel abeunt, vel inde emergunt: ast cerebrum immune planè esse in catarrhis, privilegiatum & exemtum, est negare, illud perlui sero, quod absurdum est; illud non affici in coryzâ & aliis catarrhis, quod contra experientiam, de quo latiùs hîc non est dicendi locus.

Hæc jam applicabimus ad ptarmicorum agendi modum & usum, primum ad priorem, duo reliqua ad posteriorem. Activitatis enim & energiæ ratio ptarmicorum & errhinorum consistit in solicitatione, irritatione, ac vellicatione membranæ narium sensilis, non ab internâ; sed externâ causâ. Hinc

1. *Quæcunque afficiunt proximiùs, & quasi titillant membranam hanc, illa vel ad excernendum simpliciter, vel cum sternutatione solicitant.* Sic non solùm intrusa penna vel similia sternutationem excitant, uti & vel solus ambientis aëris inæqualis afflatus, v. gr. si prodimus è domo in publicum, & subimus calorem solis, id ipsum præstat; verùm etiam inprimis omnia illa cum naribus communicata, quæ salinâ tùm fixâ, ut ⊖-lum album cum ▽ majoranæ; tùm volatili, qualitate & acrimoniâ pollent. Sic omnia acria sunt ptarmica, omnia purgantia sunt ptarmica.

2. *Quò magis sibi relicta sunt salina spicula, eò magis stimulant; quò minùs, & magis obtusa, eò minùs: illa* dicuntur ptarmica, id est, quæ cum sternutatione id præstant; *hæc* errhina, quæ sine eâdem liquant. Hinc quò spicula salina intimiùs pervadant & accedant membranæ narium, ptarmica in pulvere seu formâ siccâ operantur magis, & tantò quidem fortiùs & validiùs, quò subtiliùs pulverisata: hinc ptarmica humida & errhina inprimis mitiora sunt. Hinc non differunt, nisi gradibus, &, ut errhina majori dosi data fiunt ptarmica, ita vice versâ ptarmica minori quantitate fiunt errhina.

3. *Accedente hoc modo salino hoc stimulo ad membranam narium, tria sequuntur & accidunt:* 1. *irritatio ipsa,* 2. *fusio & liquatio humorum*, qui stimulo hoc quasi ibi infixo affluunt, & funduntur, quæ utraque præstat vis salina. 3. *Excretio ipsa* cùm vel sine motu fortiori.

Quoad *Utendi Modum* præterea, quæ suprà jam hanc in rem dicta sunt, notabimus.

1. *Errhina magis pro narium usu domestico; ptarmica magis pro aliis partibus usitata sunt.* Sic errhina usitatissima & commodissima sunt in coryzâ, ozænâ, polypo, pro mundificatione, dissipatione, & libero commeatu præstando; minùs verò eodem casu sternutatoria conveniunt, sicuti etiam eadem locum non habent, si dispositio ad hæmorrhagiam adsit: quo ipso casu errhina quædam ischæma, v. gr. è laccâ Florentinâ, crepitu lupi, atramento communi, & similia in usu sunt: facilè enim titillante hâc suâ vi & stimulante excretionem moliuntur. Unde in genere addimus, ceu porisma: *Ubicunque narium parietes firmi non sunt, ibi à ptarmicis abstinendum.*

2. *Sternutatoria caput levant*, tùm in genere, tùm in specie, evacuato corpore, & sublato antecedente fomite, ut in communi superiùs diximus, & hoc loco reperimus, *evacuationes particulares postponendas sæpè esse universalibus*, quando nempe id moram patitur, alia enim festinationis est ratio. Hinc in specie non conveniunt nimis copiosâ, repletâ & restagnante materiâ: hinc in catarrhis ipsis seu coryzâ præstantius porrò est magis in statu & declinatione, quàm principio eadem propinare, ubi omnia adhuc cruda.

3. *Sternutatoria excitant facultatem, excernunt, stimulant:* hinc inprimis tunc locum habent, ubi quasi sopita facultas in machinæ corporeæ speculâ deficit, & torpida recumbit: unde in apoplexiâ, lethargo, & affectibus soporosis egregiè proficua sunt. Hinc materiam in naribus contentam, neque satis & sufficienti quantitate egredientem corrigunt, ut fluxiles fiant hactenùs quasi torpidi humores. Hinc stimulant eadem, ubicunque eo est opus: hinc, ubi eadem adhibita non operantur, facultatem emortuam sæpè notant, quod in puerperâ & aliàs vidi, quatenùs stimulum non sentit ampliùs natura, nec actuat, quod ipsum etiam in aliis, v. gr. purgantibus, valet.

4. *Sternutatoria epilepsiam & ciere & propellere possunt. Prius* patet exemplis eorum, qui continuato sternutatoriorum pulverum usu (in scotomiâ, auditu difficili, &c.) epilepticos motus induxerunt, notante *Schenkio in observationibus*; *alterum* verò per suprà dicta, quod caput levent, & discutiant ipsi molestum insi-

insidens. Hoc loco & occasione, quod observavi sæpissimè in epilepticis, recensebo: scilicet sternutatio modò præcedit epilepsiam, modò sequitur: sive, vidi in aliis prius, quàm paroxysmus ingrueret, aliquot sternutationes, & eas quidem satis frequentes, 20. 30. 40. sæpe præcessisse, idque uno vel altero die, imò horis, ut etiam lactis calidi applicatione mitigare easdem necessum fuerit; subsequente postmodùm ingrato & inviso morbo, quatenus nempe acrimoniam suam in meninges interius vibrat, & cerebri hinc tectum concutit, per consensum ad exteriores quoque partes ipsosque narium nervos pervenit, ac à naturâ quasi excutitur, ut hoc se liberet infausto malo. In aliis vidi paroxysmum finitum hâc ipsâ explosione & excretione saltim intentatâ, quatenus reliquum, quod subigere potest natura, & ad extimos fines eliminare, citra vellicationem majorem, aliò amandatur & exploditur: unde patet, quantum natura in hoc morbo patiatur, & quàm sui provida ipsum abhorreat. Hinc cùm, duo si faciant idem, non fit idem, medicum quidem decet eandem adjuvare; ita tamen, ne noceat, nec lædat, adeóque providè admodum & circumspectè his ipsis utendum, v. gr. 1. mitioribus, fortiora enim abhorret, &, si ipsa sponte fortius impellitur, coactè quasi & invita id facit. 2. Cephalicis, quæ simul gratâ & suavi ἀναθυμιάσει caput roborant, vel nervina sunt, ut pulvis florum liliorum convallium, castoreum, ambra. 3. si æger abundet humoribus, nec adeò εὐαίσθητος sit, quo casu facili negotio malum inducitur à quovis irritante. 4. si magis in paroxysmo affligat & observetur ἀναισθησία, vel detentio functionum principum, quam convulsivus motus. 5. adeóque ad excitationem in paroxysmo vel ejus declinatione. Hinc est, quod *Cœlius Aurelianus lib. 1. tard. pass. cap. 4. p. 288.* negat, sternutatoria convenire epilepticis.

5. *Ptarmica vertiginosis minùs conveniunt.* Par ferè hujus est ratio, ac diximus de epilepsiâ. Turbant enim spiritus eadem, & excutere apta, & irritare: unde, uti à sternutatione iteratâ vertigo quoque suboritur non rarò: ita non minus in vertigine, præsertim essentiali & graviori, ab usu horum, fortiorum præcipuè, vel abstinendum est, vel cautissimè cum iisdem mercandum.

6. *Partibus, quæ ad sternutationem concurrunt necessariò, malè habentibus, eadem minùs locum habent.* Hinc præter ea, quæ jam de turbato spirituum statu in epilepsiâ & vertigine diximus, minùs conveniunt in doloribus capitis Venereis, fracturis vel luxationibus costarum, ubi nihil magis ægris adversum & contrarium fingi potest, quàm sternutatio, pulmonum ulceribus, hæmoptysi; imò in ipsis quoque abdominis læsionibus gravioribus, v. gr. herniâ umbilicali & intestinali cautius frequentanda: illo enim viscera omnia concutiuntur simul, & hinc vel dolorem majorem, vel aliam læsionem à fulgure hoc microcosmico patiuntur.

7. Inprimis *graviores oculorum læsiones ptarmicorum usum limitant.* Uti enim nictitant in actu hoc & contrahuntur, neque minùs ipsa vasa glandosa vicina ad excretionem stimulantur simul, unde in lachrymas quasi solvitur oculus: ita in ophthalmiâ, vulneribus & doloribus gravissimis vix patitur hunc lusum tàm delicatum membrum.

8. *Ptarmica singultum sedant*, non solùm ob consensum insignem capitis cum cerebro & pulmonibus, verùm etiam ob discussionem flatulentæ seu vaporosæ materiæ, parietibus ventriculi superioribus quasi incarceratæ & coagulatæ, inductáque una compressione & calefactione ejusdem fibrarum & villorum. Occurrit hanc in rem, præter *Coi* testimonium *sect. 6. aph. 13.* elegantissimus locus apud *Platonem in sympos. pag. 320. & seq.* ubi, cum alia remedia proposita fuissent, spiritus cohibitio, oris collutio cum aquâ frigidâ, addit post conviva Aristophanes, sedatum esse singultum, non tamen prius, quàm sternutamento repressum, etenim simul ac sternutatio fuerit exorta, continuo destitisse.

9. *Ptarmica partum promovent.* Reverà, quòd de vomitoriis dicit *Galenus, l. 6. epid. comm. 1. aph. 6.* eadem locum habere, ubi morbus quasi vecte est expellendus, id ipsum quoque valet de sternutatoriis. Effectu enim licet æquivoco, reverà tamen compressionem musculorum abdominis versus inferiora juvant, unde positu fœtus legitimè habente, ipsis emeticis, aliàs hoc casu commendatis, palmam reddunt dubiam.

10. *Humoribus debentur ptarmica*, educunt enim serum restitans circa promontoria cerebri, & simul, quidquid ibi hæret, unà discutiunt. Hinc magis à causâ positivâ oriundis affectibus, quàm privativâ, in usum trahenda: hinc in siccitate nimiâ, & biliosis ac melancholicis minùs conveniunt, magis verò pituitosis, quibus serum copiosius est, cujus coagulationem, siquid aliud, mirum quantum prohibent eadem. *Wedelius.*

Nasalia, *ex Pharm. Norimb.*

℞. *Calaminthæ, majoranæ, rad. Iridis, sem. nigellæ, staphisagriæ, castorei, ana* ℈j. *hellebori albi, pyrethri, nucis mosch. myrrhæ rubeæ, Euphorbii ana* ℈ij. *ladani* ʒvj. *Mellis modicum.* Formentur nasalia.

Errhina ex Ioh. Michaël. Operibus.

℞. *Succi anagallid. flor. purpur. cyclaminis, betæ ana* ℥j. M. D. S. *Safft in die Nase zu ziehen.*

℞. *Succi majoranæ, betæ, anagallidis ana* ℥j. *Essent. flor. lil. convall.* ʒij. S. *Safft in die Nase zu ziehen.*

℞. ▽ *anagallid. ex succo dest.* ℥ij. *flor. sambuci* ℥j. *Essent. anagallid. flor. lil. convall. ana* ʒj. *elaterii* ℈j. M. S. *Wasser in die Nase zu ziehen.* Vel addi potest succus ireos nostr. Nicot. &c. Vel

℞. *Herb. puleg. origan. ana m. j. flor. sambuc. lil. convall. beton. ana p. iij. Coq. in s. q.* ▽ *anagallid.*

Col. ℞. ℥vj. adde, *mellis anthosati* ℥j. *elat.* ℈j. [illegible] *lil. convall.* ʒj. D. S. *Tranck in die Nase zu ziehen.*

In forma linimenti.

℞. *Pulv. lil. convall. fol. Nicot.* ãã ʒj. *c. s. q.* 🜕 *irin. Nicot. & ceræ parum.* F. l. a. Linimentum, adde 🜕 *still. at. mug. g. iv.* S. *Nasensälblein.* Vel

℞. *Pulv. nigell. elleb. nigr. Nicot. ana* ʒß. *elat.* ℈ß. *c. s. q.* 🜕 *irini & ceræ parum.* F. l. a. Linimentum.

In Forma Pulveris.

℞. *Pulv. flor. lil. convall.* ʒij. *nicot.* ʒj. *helleb. albi* ℈j. *spec. diambræ, diamosch. ana* ℈ß. S. *Niesepulver.*

℞. *Spec. diatab. Myns.* ʒij. *flor. lil. convall.* ʒj. 🜕 *stillat. maj. g. iv.* M.

℞. *Flor. ptarmicæ, lil. convall. Fol. majoran. nicot. ana* ℥j. *Ambræ, moschi ana gr. ij.* S. *Sonderlich Niespulver.*

℞. *Spec. diamajor.* ʒij. *sem. nigell. flor. lil. convall. ana* ʒj. 🜕 *still. anethi. major.* ãã *g. ij.* M. S. *Niespulver.*

In formâ turundæ.

℞. *Pulv. diatab. Myns.* ʒij. *diamajoran.* ʒj. *c. s. q. ceræ.* F. l. a. nasalia in formâ pyramidali.

℞. *Pulv. flor. lil. convall. rad. elleb. alb. sem. nigellæ in* ✝ *macer. ana* ʒj. *c. q. s. mucilag. tragac.* F. l. a. Nasalia in forma pyramidali.

Nasa-

Nasalia illiniri possunt ℴℴ stillat. majoranæ, anethi, vel etiam ℴℴ expr. sem. nigellæ, hoc enim ℴℴ pro arcano habetur.

Nodulus.

℞. *Fol. majoran. p. 2. flor. ptarmicæ, lil. convall. an. p. 1. sem. nigell ℥ 1. f. l. a. nodulus.*
Adspergi potest ℴℴ stillat majoranæ.

Arcanum Tachenij.

Est ℴℴ amygdalarum dulcium, cum paucâ quantitate dissolutum. Addi potest ℴℴ piperis in paucâ quantitate.

℞. *Succi anagallid. purp. brassicæ an.* ℥ ß. M. D. ad vitrum.

℞. *Succi cyclaminis* ℥ ij. *betonicæ, betæ, heder. salviæ an.* ℥ ß. M. D. in fictili.

℞. *Sem. nigell. pip. albi an.* ℈ ij *myrrh. thuris an.* ℈ j. *rad. cum alchim.* ℈ ß. Terantur in pulverem subtilissimum M. cum oleo irino ad justam linimenti consistentiam.

℞. ▽ *lil. convall. beton. majoran. an.* ℥ ij ß. *euphorb. gr.* 5. *spec. diamosch. gr.* 4. *extr. cucum. asinini gr.* 2. stent in digestione ad extractionem.

Errhina ex Schroderi Pharmacopœa.

Errhina variis parantur formulis videl. liquoris extracti, linimenti, pulveris, &c.

Liquores tum simplices adhiberi possunt, verbi gratia, succus betæ, majoranæ, rutæ, &c. Tum compositi.

Errhini liquidi formula sit Errh. *Cratonis.*

℞. *Sem. nigell. 4. diebus in acet. ros. infus. atque pulv.* ℥ j. *aq. majoran. cum succ. herbar. expr.* ℥ iij. *M.*
Purgat caput. Crato

Errh. Montani.

℞. *Succ. bet. recent.* ℥ iij. *aq. majora.* ℥ ij. *ol. amygd.* ℥ j. *misc. cum brodio pulli.*

Vires. Commendatur, admodum ad eliciendos catarrhos per nares. Ususque eximij dicitur in tinnitu aurium.

Errhinon in formâ pulveris *S. Clossæi.*

℞. *Florum ptarmicæ* ℥ ij. *beton.* ℥ j. *nicotian. rad. angelic. an.* ℥ ii ß. *transmittantur per setaceum, addendo scobis ligni S.* ℥ ij. *cubebar.* ʒ j. *f. pulvis.*

Vires & Dosis. Hujus ʒ j. attrahatur per nares ex tubulo incurvato. Evacuat per nares & os magnam muci liquidi salivæque copiam.

Extractum Nasale. *P. de Spina.*

℞. *Succ. recent anagall.* ℥ iij. *betæ. nicotian. fœm. ana* ℥ ij. *betonic.* ℥ i ß. *turbeth. gumm.* ʒ v. *agaric. albiss.* ℥ j. *Infundantur in s. q. aq. scabiosæ digeranturque in vase clauso* ♂ (8) *Hinc decantetur, abstrahaturque ad consistentiam extracti mollioris.*

Vires. Potentissimè educit pituitam, & humores salsos à capite per nares; catarrhosque ad fauces & pulmones destillantes ad nares divertit, parum naribus inditum.

ERUCA Planta.

Eruca εὔζωμον, eò dicitur quia erodit: nam si gustaveris os & linguam satis acriter vellicabit. Alijs ab urendo, quasi uruca, *u* in *e* verso, quod igneæ sit virtutis, & in cibo sumpta veneris incendium moveat.

Hujus notæ sunt folia laciniata, glabra, siliquæ angulosæ, odor fœtidus.

Vires. Eruca (ut rectè Plinius) diversæ est à Lactuca naturæ, conciliatrix veneris, idcirco jungunt illi ferè in cibis, ut nimio frigori par fervor immixtus temperamentum æquet. Itali etiam nunc dierum acetarij Erucæ tantillum admiscent, ejusque gustu mirificè delectantur.

Martialis,

Et venerem revocans Eruca morantem.

Columella,

Excitat ad venerem tardos Eruca maritos.

Ovidius,

Nec minus Erucas jubeo vitare salaces.

Folia (ut autor est Matthiolus) decoquunt additoque saccharo tussientibus pueris propinant. Semen contusum, ex vino potum lumbricos interimit, tumentem lienem minuit, folia contusa palpebris imposita visum acuunt. Semen cum melle mistum maculas omnes & nævos faciei illitu tollit efficaciùs verò addito felle vaccino aut bovino. Ossium fragmenta extrahit radix in aqua decocta; & imposita *Ego præfero folia radici, quicquid scribat Matthiolus* I. B. At Matthiolus hoc & pleraque alia è Plinio transtulit.

Sunt qui pro certo (inquit Camerar.) affirmant, multos sese annos ab Apoplexia & ejusmodi affectibus immunes perstitisse pulvere ex Erucæ & Cymini partibus æqualibus. *Raius in Historia Plantarum.*

ERUCA Animal.

Erucæ (vel ab *erodendo*, quod erodant olera & pampinos: vel ab *hærendo*, ut *Apuleio* placet quod pertinaciter adhærescant: vel quia olea ἐρέχει, h. e. scindit: vel à *rugis*, quia reptantes se corrugant & erugant,) Κάμπαι (ob undoso & arcuato gressu,) Βρῦχος *Scalig.* dicitur Τρωξαλὶς *Athen.* Vermis est vulgaris notitiæ, longus, mollis, multis constans pedibus, flexo corpore obliquis tractibus repens, colore varius. Erucæ *oriuntur* vel stirpium excrementis, aëris nempe humidiore constitutione, ac putredine tepidâ, vel à papilionum ovis.

Distinguuntur à *Mouffeto* in ἑτερογενεῖς, sive affines à papilionibus & Aurelijs satas Αὐτογενεῖς, sua ex tribu profectas. Utræque rursum sunt vel Glabræ, vel Hirsutæ de quibus non opus est hic seorsim agamus *Charleton.*

Quod in officinis nostris usurpari debet insectum est vulgaris notitiæ brassicæ folia depascens, sub erucarum genere veniens. Illud autem tensum, etiam desiccati pulvis vesicas excitat cutemque denudat non secus ac Cantharides. *Mouffetus* ait hoc insectum facere ut dentes ex alveolis suis decidant. *Hippocrates* anginæ conducere tradit, *Hæc Dale.*

ERVILIA.

Nomina. Ochrus sive Ervilia *Dod. Ger. emac.* Och. sive Er. flore & fructu albo *Parck.* Och. folio integro capreolos emittente *C. B.* Lathyri species quæ Ervilia Sylv. Dodonæo *I. B.*

Angulosos aliarum Lathyrorum instar *caules* profert, cubitales, & bicubitales, quibus, nullo intercedente pediculo, amplexi caulia adnascuntur *folia*, oblonga, priora simplicia, reliqua in capreolos abeuntia, non rarò non in hos tantùm degenerantia, verùm novam foliorum sobolem è lateribus aut mucrone, jucundo naturæ lusu, parientia, *flores* è foliorum sinu prodeuntes singulares & pediculis brevibus hærentes, ὠχροί, petalo erecto seu clypeo intus circa mediam partem nigris lineis striato. *Siliquæ* uncias duas longæ (nobis vox sescunciales) semunciam aut tertiam unciæ partem latæ, secundùm longitudinem pinnatæ lathyri sativi modo, in quibus quinque aut sex plus minus continentur pisa, melina & obscura quadam flavedine, non exactè rotunda, sed ex mutuo compressu utrinque sessilia; linea quadam albicante media longitudine prædita, quæ nihil aliud est quam hilum quo pisum pediculo adhæret, magnitudine pisi albi (nobis tantillo minora fuere) cum magna similitudo, idem quoque sapor.

Siliquæ per maturitatem ferè stamineo aut xerampelino colore sunt.

Inter segetes prope Liburnum portum in Italia sponraneum observavimus.

Parkinsonus alterius speciei meminit, cujus flores ad purpuram rubentem inclinant: semina obscuriora sunt & nigricantia. *Raius in Hist. Plant.*

ERVUM, vid. *Orobus.*

ERVUM SYLVESTRE, vid. *Astragaloides.*

ERYNGIUM.

Græci Philosophi *Eryngium* quasi ἐρύγην, i. e. ructum dictum putant, quòd capræ quæ morsu surculum Eryngij præciderint vel deglutiverint cunctum gregem ponè sequentem quasi stupore attonitum sistant, donec Eryngium ructu rejecerint *C. B.* Gerræ Germanæ.

Cæterum notæ Eryngij characteristicæ sunt folia spinosa saltem summa; floret in summis caulibus & ramulis in capitula congesti quibus radiata subsunt folia.

Nomina. Eryngium vulgare *I. B.* vulg. & Camerarij *C. B.* Mediterraneum *Ger.* Mediterraneum sive campestre. *Parck.*

Radice nititur longa, minimi interdum digiti crassitudine, molli & tenera cum medulla seu nervo in medio solidiore, exterius nigricante, interiùs alba, sapore dulci.

Caulis exinde assurgit teres, striatus, pedalis aut cubitalis & interdum longior, (medullâ fungosâ albâ plenus) summa parte in quamplurimos ramulos divisus, folijs vestitus alternatim positis, glaucis, rigidis, & aridiusculis, profundè utrinque ad mediam ferè costam laciniatis (quorum singulæ laciniæ, consimiliter subdividuntur) ad margines undique acutis & rigidis spinis horridis. In summo caule & ramulis spicæ (J. Baukechini) breves conglobati, dipsaci quodammodo similes ni minores essent *flores* proferunt albicantes, *apicibus* concoloribus donatos, quibus subjecta in orbem folia (veriùs spinæ longæ) striata, longiuscula, & mucrone & marginibus spinosis.

In Anglia rarius est, nec nisi duobus in locis à nobis inventum, nimirum, ad trajectum è Devonia in Cornubiam non procul Plimostio, & in via antiqua Romana *Watling-street* dicta propè *Brook-hall* vicum non longè à Daventria Northamptoniæ oppido: in exteris omnibus quas lustravi regionibus ubique frequentissimum est.

Nomina. Eryngium cœruleum *I. B.* montanum Amethystinum *C. B.*

Solo summitatum & capitulorum colore pulchrè cœruleo seu amethystino à vulgari differre videtur.

In montibus Stiriæ invenimus.

Vires. Eryngium epatic. nephritic. & alexipharmac. est, ducit urinas & menses, torminaque ac inflationes dissolvit: icterum sanat. *Schrod.*

Radices hujus, sed præcipuè Eryngij marini, saccharo conditæ principem inter dulciaria locum obtinent, suntque vel invito Matthiolo, (ut vocant) incentivæ, utiles etiam adversus pestem & aëris contagionem, manè jejuno ventriculo sumptæ, tabidis & macilentis valdè proficuæ: valent insuper & ad luem veneream.

Eryngij radix melle aut saccharo condita maximè confert gonorrhϾ, flos autem ejus cœruleus, si bibatur cum aqua confert squinantiæ. *D. Soham* ex observationibus Marcelli Cumani ab Hieron. Velschio cum alijs editis excerptam communicavit.

Affirmabat Simon Simonius Med. Prof. Lipsiæ multis in Italia cum successu familiarissimum remedium esse ad prohibendum abortum radicem Eryngij veri cataplasmatis modo ventri sub umbilico impositum.

In nimio menstruorum fluxu, ℞. *Rad. Eryngij m.* 2. *in vino coque.* Lavetur probè manè & vesperi linteis calidis post ablationem impositis. Initium verò ablutionis fiat ponè aures, tunc in cervice, hinc per totam spinam usque ad os sacrum, postea inungantur ilia. Hoc remedio nonnullas intra triduum sanatas vidit quæ nullis alijs curari poterant. *Raius in Hist. Plant.*

Eryngium Alpinum, Amethystinum, Genevense aliquibus dictum, cujus Iconem hic adjungimus, vires possidet multò nobiliores quam Eryngium vulgare, quod experti pronuntiare audemus: Radix etenim & in pulvere & in decocto, calculosis, ac nephriticis non parum confert.

ERYSIMUM.

Erysimum alijs ἀπὸ τοῦ ἐρείκειν, à foliorum multiplici sectione: alijs quasi ἐρισιμὸν quòd sit pretiosum; aliis ἀπὸ τοῦ ἐρύειν, quòd ob suam caliditatem trahendi facultate præditum sit dictum videtur *C. B.*

Erysimum Latini ab irruendo nuncuparunt Irionem, quòd Ignea vi & fervido sapore irruat in gustum. *I. B.* Eadem habet *Jo. Bodæus à Stapel.*

Irionem seu Erysimum hoc in loco appellamus herbam hujus generis quamcumque flore luteo, siliqua longa angusta.

Difficile admodum est inter Erucam & Erysimum certas distinctionis notas constituere. Nos pro Erucis habemus herbas hujus generis flore luteo, siliquis brevioribus & habitioribus; pro Erysimis quæ flore luteo sunt, siliquis longioribus & strictioribus,

Nomina. Eruca siliquâ caulo appressâ Erysimum dicta. Erysimum vulgare *C.B.* Er. Dioscoridis Lobelio *Ger.* Er. Tragi flosculis luteis, juxta muros proveniens *I. B.* Irio sive Erysimum vulgare *Park.*

Radice nititur albâ, lignosa, simplici, acri & rapæ sapore; (minimi digiti crassitudinem rariùs assequitur. *folia* altè sinuata (potiùs laciniata) hirsuta, quorum forma ad Erucas aut bursas aut cichoreum sylvestre accedit, extremo tamen obtusa sunt. *Caulis* sesqui cubitum altus foliorum ortu alterno stipatus, hirsutus, ramosus. *Flosculi* pusilli, luteoli, quatuor foliolis constanti qui cum successivè aperiantur in spicas prælongas excurrunt. *Siliquæ* breves, vix digitum longæ, teretes, hirsutæ, cauli appressæ, pediculis brevibus nixæ, in acutum mucronem definentes, geminam *seminum* seriem continent oblongorum, exiguorum.

In muris & ruderibus, & ad sepes non raro invenitur.

Vires.) Irionis usus est in mucilagine teneri pulmonum, atque tussi chronica.

Est (inquiunt adversariorum auctores) moderata quædam totius substantiæ & incidentis cum humidis abstergentibus partibus permixtio, cujus beneficio crassæ pituitæ citra exsiccationem nimiam inciduntur, & incisæ propter flatum nonnihil commixtum non magno conatu expectorantur, & absterguntur. Arteriacum igitur est laudatissimum, nempè idem unum præparans & educans. Exempla succurrunt quamplurima quæ secundissimè tum præceptoribus, tum nobis postea successerunt. Phonascos memini tum juvenes, tum ætatis provectæ quibus fermè jam amissa voce & spiritu limpida sonoraque vox pauculis diebus restituta fuit, unius Erysimi & opera eximij præceptoris Rondeletij, qui primus usum monuit.

♃. *Erysimi totius recentis. m.* VI. *radicum helenij, tussilaginis succo succo adhuc prægnantium, glycyrrhizæ an.* ℥ *iij. boraginis, cichorei, capill. veneris an. m. ij,* ß. *florum cordialium, anthos, stœchadis vel betonicæ anim.* ß. *anisi* ʒ. VI. *passularum mundatarum* ℥ *ij. Incisis & contusis fiat omnium decoctio in s. q. hordei hydromelitis & succi Irionis* ℥ VI. *ad* ℔ *ij. vel iij. expressionis dissolve sacchari q. s.* fiat syrupus qui diu & continuè utendum purgato corpore.

Extrinsecùs utile est Erysimum in cancro non exulcerato, tumoribus renitentibus.

Erysimi


E P

Erysimi decocto multos colico dolore laborantes curavit Riverius, quod etiam ex vino efficacissimum est remedium, *Raius Hist. Plant.*

Erithrodanum, vid. *Rubia Tinctorum.*

Escalotæ, vid. *Ascalonia.*

ESCHAROTICA.

Escharotica, Medicamenta quæ *Escharam* seu *Crustam* inducunt.

ESSENTIA.

Cùm hypotheses suas ex rerum naturâ formassent Chimici & centra mixtorum reseranda sibi sumpserint, varia enata fuere nova medicamina, & consequenter etiam nomina, rei convenientia. Tale etiam est *Essentia*, metaphysicum aliàs vocabulum, quo exprimunt id, per quod ens, habet suum esse. De hoc igitur notamus.

1. *Essentiæ sunt liquores concentrati.* Assumamus & ponamus illam finitionem metaphysicorum, quam si applicemus ad medicamenta, ad principia chimica communia, ⊖, 🜍, ☿, & propria sive specifica, semen & fermentum, hæc esse suum largiuntur medicamentis. Essentia igitur propriè notat extractam quasi mixtorum animam, seu formam, quâ sine cadaverosa sunt. Forma dat esse rei. Essentiæ chimicæ igitur cùm exanima & inertia relinquant corpora formam ipsam suo modo exhibent. Essentia piperis consistit in acrimoniâ volatili salino sulphureâ aromaticâ, hâc evocatâ sive per destillationem in oleo, sive per extractionem, etiam integro ad sensum corpore relicto, piper amplius non audit, vel est potius. Eadem ratio est cinamomi & aliorum. Essentia itaque *latius* etiam omnem liquorem virtuosum ex mixtis depromptum notat, etiam ipsa olea destillata anisi, cinam. fœnic. carvi v. gr. siquidem reverâ essentiam, è quo fuêre producta continent. *Strictè* verò & usitatius essentiæ sunt liquores, ut in fluido virtus ea exhibeatur corpore. Quamvis ergò aliquando quinta essentia pro destillatis usurpetur, ut Lullij tempore quinta essentia vini audiebat 🜄; hodie tamen ad extractionum genera potius pertinent. Operæ pretium est hâc occasione dicere quædam de quintâ essentiâ. Visum fuit quibusdam hoc adeò hyperbolicum nomen, causantibus id chimicis ipsis, ut inter non-entia adscriptæ fuerint quintæ essentiæ. Optimum fuerit, ad ductum summi magistri *Paracelsi*, hæc disquirere. Juxta hunc enim *l.* 4, *Archidox. p. m.* 796. (1) *Quod spiritus vitalis est in animalibus, id quinta essentia est in vegetabilibus & metallis.* Ut itaque spiritus vitalis sive calidum innatum distinctum quid est ab elementis, licet ipsum elementaris naturæ, elementa enim non sunt vitalia, non sustinent vinculum animæ & corporis, non edunt actiones, ut organum animæ proximum suppositum; eundem in motum calidum innatum plantarum v. gr. vocarunt ab extractione inprimis quintam essentiam, quod communia illa principia sive elementa id non præstent, nisi remotè, licet ipsa quoque his constet. (2) *Spiritus vitalis animalium morte perit in vegetabilibus & metallis permanet.* Est enim horum vis magis materialis, est fixior, unde non in auras abit, cum ipsâ brutorum animâ, sed remanet factâ exiccatione decenti; unde quinta essentia ex animalibus haberi non potest, spiritu vitali mox disparente, licet temperies mixti suas dotes retineat, & hinc ex partibus quoque animalium essentiæ utiles extrahi queant. Metalla verò semper eadem manent, illi mutationi, ac plantæ & animalia, non obnoxia. (3) *Quinta essentia est specifica*, reliquis quatuor elementis (nam admittit eadem *Paracelsus*,) superaddita, semine & fermento fœta, si non ad intrà, factâ exiccatione, tamen ad extra, relata ad corpus humanum: unde agit proprietate dotali, non igne, non aquâ, &c, quâ tali. (4.) *Quinta essentia est virtus rerum.* Virtus est in principiis activis, illorumque dotibus fundata, (5.) *Virtus est concentrata*, parva mole, magna virtute, unde separata quasi est à reliquis elementis sive grossioribus alijs partibus, quibus velut involucro virtus illa inserta erat. Id quod illustrat idem *Paracelsus* exemplo bilis magnam quantitatem aquæ amarore inficientis, croci, itidem parvâ mole multum liquorem tingentis. Adeoque quintæ essentiæ oppositæ sunt corporali qualitati & nimis crudæ atque grossæ Galenicorum, vocatæ ab eminentiâ, à subtilitate, q. d. totius κράσει superstructæ, & ultra sphæram elementorum agentes, unde non adeò rigidè sunt tractandi chimici, cum omninò habeant fundamentum in re, & denominandi hinc libertatem omnimodam. Et rigidior paulò est *Helmontius*, utut sumatur, *inquiens*, essentia; nomen improprium, & quinta essentia epithetum insipiens est.

2. *Quæcunque partes habent separabiles, inprimis salinas & sulphureas volatiles, essentias præbent.* Cum nihil aliud sint essentiæ, quàm solutiones, sive potius extractiones virtuosæ, vires extracti in liquido exhibentes, dispiciendum etiam est de subjecto, seu materiâ ex quâ. Affines inter se sunt essentiæ & tincturæ, illæ à viribus concentratis, hæ à colore dictæ magis. Differunt igitur potissimum colore, qui eminentior est in tincturis, minor in essentijs respectivè, unde sæpenumero confunduntur. Cùm ergo virtus expetatur, illa verò radicetur in alterutro principiorum activorum, sal verò magis solvi amet, quàm extrahi, principale subjectum essentiarum est sulphur, calidum innatum plantarum recipiens, velut hospitium; adæquatum sal. Hinc rectè definit *Schroderus*, quod essentia accuratè loquendo significet balsamicam rei partem à crassiore separatam. Sanè ipsæ essentiæ salium expetuntur magis sulphureæ, vel saltim salinæ cum sulphureis, panso sulphure cum sale nupto. Sulphur igitur expetitur resolubile, saltim proportionato liquore sive menstruo; sive respectivè volatile aëreum, sive fixum, modò non sit aquosum & iners, sed roscidum activum. Sic aromata omnia & plantæ aromaticæ essentias largiuntur. Sic resinosa alterantia & purgantia; sic amara easdem exhibent. Et licet videatur hoc primâ fronte in metallis non valere, quod fixiori sint naturæ; reverâ tamen sulphur si non pansum & reclusum, facilè tamen aptandum solutioni exhibent.

3. *Essentiæ ex subjectis ritè apparatis & pansis conficiunt.* Opus est ad extractionem iisdem requisitis, quæ ad menstruâ adaptanda aliàs desiderantur. Cum verò non omnia pansa sint, debent plantæ conscindi & contundi, diffracto enim corpore facilior fit utilium ab inutilibus separatio. Ligna raspari, vel contundi quoque, quod de ligno aloes, cujus essentia balsamica est elegantissima, valet, metalla limari desiderant. Imò in hisce fixioribus & salibus; ipsisque mineralibus, ut ♂io, sæpe præviâ opus est calcinatione, ut disjectum in partes sulphur & debilitatum pateat menstruo, ut conclusum prius sic extrahi & solvi commodius possit; sive calcinatio illa fiat igne actuali, sive potentiali per corrosiva, uti aurum maximè clausum est, & corrosivis aquis aliisve prius apparandum est, quam in rem ingenua legi meretur confessio *Paracelsi l. c.* Facit huc ipsa clavis, centra mixtorum reserans, fermentatio, uti essentia opij fermentationem cum succo cydoniorum optima fit, si essentiam non extractum desideres pulverabile; huic enim minus quadrat. Ad eundem modum reclusus mars essen-

essentiam offert, Summatim, quod ad infusa alias requiritur paranda, idem quoque de essentijs, tanquam infusis concentratis valet.

4. *Essentiis extrahendis inserviunt menstrua ministrantia.* Divisionem sanè novam menstruorum in ministrantia & primaria, sive extrahentia suggerit res ipsa. Ministrans igitur menstruum constituunt, quæ dissolutioni velificantur; primarium, quæ extractioni. Mutuas enim præstant operas invicem. Exemplo sit essentia anodyna, sive tinctura opij, quam si parare velimus, optima habetur ita: ℞. opij pulverisati q. v. v. g. ℥ij. vel iij. affundatur aqua simpl. vel destillata aquosa, roris maj. phlegma aceti destillati insipidum &c. q. s. in vitro locata ponatur in arenam, vel etiam in ollulâ ad ignem, donec coctione vel sufficienti calore penitus sit dissolutum sulphur. Hinc filtretur calibus liquor tinctus & separatus à partibus grossioribus terreis, & evaporetur ad tertiam vel quartam circiter partem, quo facto affusus spiritus vini in momento essentiam cum tincturâ in se recipit, quæ sic habetur elegantissima, intra unam alteramque horam. Sin fibrulæ appareant inæquales, non resolubiles, simul, facilè per filtrationem fit separatio. Menstruum hîc aquosum ministrat spirituoso, unaque coctio hæc corrigit indigestum, immaturum sulphur narcoticum, ut odore non viroso amplius vel ingrato feriat spiritus & nares, sed acceptus sit odor, & virtus præsentanea, unde eâdem toto die cum successu utimur. Haberi quidem potest essentia anodyna etiam citra hanc præviam ministrationem per spiritum vini, cum spiritu vitrioli acuatum, factâ digestione, attamen illa ἐγχείρησις & tædiosa est, aliquot enim dies requiruntur, cùm horaria mora sufficiat, nec colore & efficaciâ assequitur respectivè hanc ipsam dicto modo paratam. Duplex verò menstruum & ideò requiritur, quia aquosum solum corruptioni est obnoxium, unde essentiæ, croci v. gr. quam *Finckius* cum aquâ vitium parat, vix fiunt, præterquam mellaginosæ, ob facilem corruptionem. Conservans verò est spiritus vini, qui experientiæ testimonio adeò commendandus est, ut nobile medicamentum nullum dici mereatur, nisi quod cum spiritu vini optimo arctiori nexu sit nuptum, ut ad penitiores vasorum recessus penetret. Sic etiam in alijs essentijs ministrant acida, ut in essentiâ corall. martis, ipsaque corrosiva, ut diximus, in metallis purioribus, auro & argento. Neque timenda est horum corrosivitas ullo modo, vel ideò infamandæ essentiæ, corrosivitas omnis iterum tollitur, non aliter ac ab aquâ salsâ separari potest aqua. Imò in quibusdam ipsa oleosa menstrua ministrant, ut in essentiâ sulphuris. In alijs salia lixiva sulphuris extractionem & separationem essentiæ adjuvant, ut in essentia ♁nij tartarisata, ipsiusque & vegetabilium cum liquore alcaheſt Glauberi parata, irrorando v. g. rad. helen. summitates absinth. &c. cum alcali nitri liquido, & præviâ digestione factâ hinc extractione affuso spiritu vini. Hic enim à singulis transsumit & in se recipit essentiam. Tacemus in quibusdam sublimationem, calcinationem, digestionem &c. plurimum conferre: quò pertinet & expressio succi, vel coctio, clarificatio & hinc extractio.

6. *Essentiæ genuino menstruo homogeneo extrahendæ.* Variant hospitia virtutis expetitæ, in alijs resina magis menstruum spirituosum desiderat, ut in essentiâ ligni sancti, aloes, benzoes, scammon. gialap. alia solis acidis auscultant medijs, ut martialia; alia aquosis, alia salinis lixiviosis extrahi amant unicè. Universale tamen essentiarum extrahendarum menstruum dici potest constituere spiritus vini. Et ipse quippe sulphuris, quod primariò extrahitur, resolubilis est menstruum, si non à priori, tamen à posteriori, pansi jam & apparati, & facillimus cum alijs nexus est ejusdem. Homogeneum ergò oportet menstruum (1) ratione *virtutis solvendi sive extrahendi*, similia enim similibus solvuntur, unde si hoc charactere non gaudeat, vel non solvit omninò, & relinquit intactum, vel imperfectè saltim, nec pro modulo virium, (2) ratione *virtutis jungendæ*. Optimum est & homogeneum menstruum, quod de alienâ virtute nullâ participat, sed recipit in se omnem, ut transformatum corpus videatur, odore, sapore ex subjecto emigrante, & in menstruum concedente. Quo nomine aquea simplicissima menstrua sunt optima, quia vacua sunt & nullam qualitatem heterogeneam secum ferunt, facillime verò recipiunt omnem. Post illa spiritus vini rectificatus, sive ob acidis feculentijs paratus, quæ si remaneant nocivæ sunt, vel corpori saltim minus convenientes, nec conformes essentiæ. Frequentissimè verò spiritus vini acuitur acidulis, spiritu vitrioli, salis, aliisve, unde aqua temperata dicitur, ut in essentiâ opij, absinth. compos. & essentia carmin, roboratur spiritu nitri. Quod si recipiatur spiritus appropriatus, vel ex ipso simplici prolectus, vel fini aptus, longè melior emergit & efficacior essentia, ut in essentia absinth. cum spiritu proprio, in essentia carminat. cum spiritu zedoar. & sic porrò videre est.

6. *Homogeneitas menstrui in essentiis sulphuri potissimum debetur, minus sali.* Quando similia similibus solvuntur, h. l. non nisi solutio modificata, sive extractio habet locum. Salia verò solutioni quidem, non verò extractioni subjiciuntur. Hinc licet sal essentiale fit principium, licet in multis prædominetur, minus tamen ad essentiam quadrat. Præter id enim quod si inter sulphur & sal fiat comparatio, sulphuris omninò potior habenda est ratio, ipsa quoque salia, si in tincturas vel essentias aptentur, non nisi ratione ipsius sulphuris id præstant. Exempli loco sit essentia sive tinctura salis tartari simplex, & composita cum calce vivâ. Duo sunt ad hanc parandam, necessaria, (1) *calcinatio*, ut debilitetur occultatum sulphur, seu pandatur magis, quod præsidium ab igne in sale quæsierat, unde coloris cœrulei, flavescentis, variegati, apparent vestigia, tanquam indicium sufficientis calcinationis. (2.) *Extractio*, quæ præstanda est cum 🜄i rectificatissimo, vel tartarisato. Hinc etiam acida & salino charactere præeminentia non facilè extrahuntur in essentias, maximè verò omnium sulphurea.

7. *Essentiæ virtutem mixti separatam & fluidam exhibent.* Visitur id quam maximè in resinosis sive mage sulphureis, ut in essentiâ hyperici, succini, scammonij, gialapæ & similium. Suntque vel purgantes, vel alterantes, generali usu; utræque conformes mixto, ita quidem ut residuum iners & effœtum sit, caput mortuum, indicio, virtutem extractum. Essentiæ purgantes resinosæ, largiori paulò dosi dandæ, inprimis locum habent in pituitoso statu, quando humor crassus & tenax, sufficiens tamen exturbandus est; reliquæ partim insidæ, partim ingratæ sunt, minusque in usu. Notatu verò dignum est, cum essentia rerum etiam in aliâ formâ extet, uti resina gialapæ, verbi gratia, fluida essentiæ nomine venit, sicca magisterij sive extracti, aut resinæ, inde liquidi epitheton sæpe essentijs additur, ut essentia martis liquida toto die præscribitur. Atque hinc etiam licet essentias non tantùm extrahere ex mixtis ipsis simplicibus; verùm quoque ex resinâ, verbi gratia.

℞. Resin. scammon. ʒß. vel gr. xii. spiritus cochlear. anis. &c. ℈ij. sir. de cich. cum rhabarb. ℥ ij. M. quod purgans est suave & egregium, sæpè à nobis usurpatum. Sic & ex extractis & quasi talibus, ex rob (de quo infra) & alijs idem licet. Quæ enim eva- pora-

poratione sunt parata ipsa vel sicca, facilè commodo menstruo fluida reddi queunt. Sin essentia elaterij ex solo succo sive rob inspissato extrahitur. Sic fructuum aliorum sive baccarum essentiæ confiunt; Sic sanguis symphyti & satyrij per decoctionem & hinc extractionem parari potest; ut alia non attingamus. Addere & illud possumus, olea ipsa magis æetherea aptari posse in essentias, non solùm in mixturis; uti elixir proprietetis caryophyllatum fit solâ instillatione ad aliquot guttulas additi olei caryoph. sed & alijs artificijs. Sic essentia seu lac cephalicum paratur, si ℞. ol. ligni sassafras, aliudve, ut rutæ &c. ad gutt. v. vj. ∽us ⊖ ✻ci vinos. q. v. ▽ lil. convall. c. v. v. g. ā. ℨj. M. Ipsæ quoque hæ essentiæ magis sulphureæ si adhibentur, instillatæ cerevisiæ vel vino albescunt quoque, ut essentia ambræ, ligni aloës, succini, benzoes cosmetica &c. Adeoque essentiæ sunt liquores concentrati è subjectis ritè apparatis & pansis genuino menstruo extracti, virtutem mixti separatam exhibentes. *Wedelius.*

Essentiæ variæ è variis Autoribus.

Essentia Absinthij. *ex Ph. Aug.*

℞. Summitatum absinthii floridarum ℥. ii. superinfundatur spiritus vini ut tres digitos emineat, post decantationem essentia filtretur.

Vires sunt stomachinæ, & hepaticæ.

Essentia Alexipharmaca *ex Ph. Reg. Zwelferi.*

℞. Aq. scordij, rutæ an. sine addit. aq. simp. still. ℔. ii. cortic. citri, flor. Arantiorum, an. ℔. ſs. his aquis immergantur *Rad. angelicæ, enulæ, Imperat. zedoariæ, an. ℥. i. ſs. flor. calendulæ, sambuci, tunicæ, an. rec. ℥. i. ſs. gran. Juniperi, ℥. iii. sem. angelicæ, anisi, myrrhæ rubræ ana ℥. i. nuc. moschat, macis, cinnamomi optimi. an. ℨ. vi.*

Facta maceratione brevi, destillentur ex baln. ñ. vaporoso, ad siccitatem specierum, rostro capitelli immissis.

Camphoræ ℈. i. succini albi ℨ. ii. liquori egresso denuò immergantur rad. zedoariæ, contrajervæ, cort. citri recent. extim. an. ℥. i. ſs. arantior. recent. ℥. i. myrrhæ rubræ ℥. ſs. croci opt. oriental. ℨ. ii.

Digerantur per aliquot dies, in loco saltem frigido, vel tepido, colentur post & filtrentur; *Essentiaque* servetur. In omnibus naturæ malignantis, ut febribus petechialibus, Castrentibus, Hungaricis, vera Antidotus, à ℥. ii. ad unc. ſs. unc. j. ii. pro sudore eliciendo.

Nota, quod ejusmodi essentiæ ultrà dimidium anni durabiles haud sint, eò quòd careant spiritibus ardentibus. Proinde seduli pharmacopœi strenuè adlaborabunt, ut supra dictas aquas destillatas in promptu habeant; ut potè quæ ætatem ferunt è quibus essentiæ illicò parari poterunt.

Essentia Ambræ Mondereri. *ex Ph. Aug.*

℞. Elixir vitæ Matthioli completi ℥. ii. spiritus cerasorum nigrorum rectificati ℥. i. ambræ ℈. j. moschi Or. gr. iv.

Fiat infusio per aliquot dies, deinde filtrentur.

Præstans hoc & illustre remedium animum & spiritus animales reficit, atque in vertigine, scotomia, caligine oculorum, capitis frigidis affectibus excellentissimum est.

Essentia Ambræ Liquida. *ex Ph. Norimb.*

℞. Ambræ, ℨ. i. moschi gr. xv. sacchari ℨ. iij. spiritûs rosarum ℥. iv. ſs. fiat. s. a.

Essentia Ambræ Sicca. *ex Ph. Aug.*

℞. Ambræ electæ ℨ. j. mosch. ar. gr. xvi. sacchari cantij albi ℨ. vi.

Ambra cum moscho in spiritu rosar. diluta & tenuissimè trita, sacchar in subtilissimum pollinem redacto, ulteriori triturâ, exactè commisceatur.

Essentia Aphrodisiaca Wedelij. *ex Lexic. Pharm. D. D. Jungken.*

℞. Chocoladæ ind. ℥. iij. confect. Alkerm. ℥. i. cantharidum pulv. ℈. j. spir. magnanimitatis q. s. fiat essentia.

Hæc provida cura adhibita insigniter stimulat.

Essentia Benzoin. Compos. *ex eodem Lexic. Pharm.*

℞. Bals. peruviani, florum benzoi an. ℨ. ij. ⊖ Tartari, storac. calam. an. ℨ. j. olei ligni rhod. gutt. v. Zibeth. gr. iii. misce balsamum storac. calamit. cum Zibeth. ☿. ⊖. & oleo. ligni. Rhod. tunc adde flor. benzoi & superfunde spir. vini rect. unc. iij. vel q. s. & extrahatur essentia.

Vires. Præbet insigne & gratum odoriferum. Et si hujus essent. gutt. xl. vel l. cum ▽. rosar. unc. j. misceantur habebis egregium lac cosmeticum, vel si *Elixir. camphoræ* aliquid additur, convenit optimè in inflammationibus, pustulis faciei inflammatis &c.

Essentia Castorei. *ex Pharm. Aug.*

℞. Castorei ℥. iij. salis tartari ℨ. iij. Castoreum minutim incisum, & cum sale tartari permixtum, spiritûs melissæ ℔. j. per octiduum digerendo, extrahatur, ac postea filtretur.

Capitis affectibus, apoplexiæ, epilepsiæ, lethargo, & uterinæ sic dictæ suffocationi inprimis medetur.

Essentia Castorei Sennerti. *ex Ph. Aug.*

℞. Castorei ℔. j. huic in minutissimas particulas inciso adfunde acetum vini destillatum forte, & extrahe tincturam, per chartam filtra, & acetum per balneum destillando separa. Materiæ restanti spir. vini rectificatum adfunde, & per 14. dies digere, postea in vitrum purum essentiam effunde, & serva.

Essentia Catechu. *ex Ph. Aug.*

℞. Catechu sive terræ Japonicæ contritæ ℨ. ii. Solvantur leni calore in spiritûs cydoniorum unc. j. & postea filtrentur.

Utilis est in hæmoptysi, phthisi, alvi fluxibus, urinæ incontinentia, catarrhis, stomachum confortat, pluresque alios morbos vi suâ adstringente emendat.

Essentia Corticum Aurantiorum liquida. *ex Pharm. Aug.*

℞. Corticum Aurantiorum exteriorum recentium ℥. iv. spiritus vini ℔. i.

Abstrahatur in balneo à Corticibus spiritus vini; in quo dein novi cortices aurant. recent. exter. infundantur, sumendo eorum unc. iv. post octiduanam digestionem liquor tinctus filtretur, & cum syrupi è corticibus aurantiorum unc. ii. edulcoretur.

Stomachum roborat, flatusque discutit.

Essentia Cephalica *ex Ph. Aug.*

℞. Corticum exteriorum Citrij pomi recentium, seminis pæoniæ rec. excort. an. ℥. iv. baccarum juniperi maturarum, lauri decortic. an. ℥. ij. Cinnamomi acutissimi. ℥. iij. ligni aloës optimi, dictamni albi, Caryophyll. an ℥. j. nucis moschatæ, macis, galangæ minoris, costi albi aromatici an. ℥. ſs. sandali citrini odoratissimi, cardamomi minoris, piperis albi an. ℨ. iij. longi, Croci orientalis an. ℨ. j.

Macerentur in ℔. IV. spiritus vini optimè rectificati, stent in infusione per decendium, postea filtrentur; speciebus autem remanentibus superfundatur sequens spiritus.

℞. *Menthæ crispæ, lavendulæ, pulegij, nepetæ, salviæ nobilis, fœniculi, melissæ an. unc.* III.

Infundantur cum vini Malvatici optimi ℔. VI. maneant infusa per triduum, postea destillentur, spiritus prolectus prioribus speciebus, ut dictum est, infundatur & post triduanam digestionem filtretur; atque cum priori extracta Essentia permisceatur, usus tempore, pro lubitu & præscripto medici, edulcoranda.

Eadem essentia completa prostare debet, quæ fit, speciebus extractioni destinatis.

Ambræ electæ gr. XV. *moschi optimi* ℈. ß. commiscendo, & unà digestioni committendo.

Cerebrum & omnes ejus functiones corroborat, catarrhos discutit, præservat ab apoplexia, epilepsia, lethargo; utilis etiam est in syncope, cordis palpitatione consumit pituitam in ventriculo & intestinis: omnibus denique à frigiditate ortum ducentibus morbis magnoperè conducit.

Essentia Citri Liquida. ex Ph. Aug.

Paratur eâdem ratione, uti superior è corticibus Aurantiorum facta Essentia, nempe cum spiritu vini à corticibus citri exterioribus recentibus abstracto, extractionem corticum citri instituendo, filtrando, & cum syrupo è succo Limonum edulcorando.

Vires sunt cordiales, & Stomachicæ.

Essentia corticum Aurantiorum sicca ex Pharm. Aug.

Ex corticibus Aurantiorum recentibus digitorum ope in saccharum album pulverisatum exprimitur liquor oleosus, ut & saccharum ipsum eis inspergitur, iterumque abraditur toties id reiterando, usque dum saccharum odore & sapore genuino corticum sufficienter fuerit imbutum.

Essentia citri Sicca. ex Ph. Aug.

Ex corticibus citri recentibus juxta modum in essentia corticum aurantiorum sicca traditum, paratur.

Essentia Citri Liquida *ex Ph. Aug.*

℞. *Elæosacchari citri unc.* II. ß. *succi oleosi ex recentibus corticibus citri exterioribus expressi q. s.* ut fiat essentia liquida. M. f. a.

Præstans est hæc essentia ad cordis & ventriculi imbecillitatem juvandam; venenis etiam adversatur, oris habitum commendat; vino permixta, illud suavissimo suo odore & sapore commendat.

Essentia Lignorum. *ex Ph. Aug.*

℞. *Ligni sassafras unc.* II. *sancti unc.* II. *rhodij unc. s. radicum chinæ, sarsæparillæ, sandali rubri, citrini an* ℥. j.

Incisa cum spiritu fumariæ ad 4. digitorum supereminentiam adfuso, post octiduanam digestionem, extrahatur & filtrentur.

In depuranda massa sanguinea, & sudore pellendo utiliter adhibetur; authorem famigeratissimum quondam Lipsiensium Archiatrum, D. D. Joannem Michaëlem agnoscens.

Essentia Martis, *ex Ph. Aug.*

℞. *Vitrioli Martis arte præparati. crystallorum tartari an. unc. j.*

Coquantur in unc. VI. aquæ fontanæ ad crassam consistentiam, & magma hoc residuum cum spiritus vini unc. V. solutum filtretur.

Viscerum obstructiones, hepatis imprimis & lienis reserat, ac menstruum fluxum suppressum promovet.

Essentia Martis liquida. ex Ph. Aug.

Ferrum limatum candefac igne calido, aut in crucibulo, aut olla, postea extingue in sufficienti quantitate aceti acerrimi, reiteretur labor prædictus ter aut quinquies deinde acetum (essentiâ martis prægnās) filtra per chartam, & impone cucurbitæ, abstrahe acetum in balneo, ad mellis consistentiam, remanentiæ vero affunde spiritum vini tinctum filtra, & in balneo abstrahe, usque ad syrupi liquidioris consistentiam.

Viscerum infarctus aperiendi vi pollet.

Faciliori modo parari potest, Limaturam ferri cum aceto acerrimo in mortario vitreo vel marmoreo terendo, & tinctum acetum ad mellaginem inspissando, posteà hanc, additâ spiritus vini quantitate sufficienti, solvendo & filtrando.

Essentia Saccharina Beguini. *ex Ph. Aug.*

℞. *Sacchari albi crasse contusi unc.* IV. *spiritus vini unc.* VIII

Misce & spiritum vini accende in scutella figulinâ vitreata, continuè spatulâ agitando, donec flamma cesset. Adde, si placet, aquæ rosaceæ unc. II. M.

Est suavissimi saporis, vi suâ incidente tussi à materia lenta & crassa laborantibus opitulatur, asthmati, raucedini, & pectoris affectibus medetur.

Essentiæ Myrrhæ *ex Lexic. Pharm. D. D. Jungken.*

℞. *Myrrhæ el. unc.* IV. *liq.* ⊕. *fixi unc.* II. terantur in pultem, stent in digestione donec siccentur, tunc affunde *spirit. vini unc.* VI. & spiritum probè tinctum decanta & alium affunde, tandem spiritus tinctos in MB. paulisper abstrahe & remanebit essentia Myrrhæ. Cui si crocum, castor. & camphoram addideris, & in essentiam Myrrhæ compositam redegeris, habebis essentiam in affectibus uteri nunquam satis deprædicandam.

Essentia Pectoralis. *ex eodem Lexic. Ph.*

℞. *Liquir. ras. unc.* ß *flor. benzoi*, ʒ. II. *croci* ʒ. *j. bals. mei* ☿*ialis* ℈. II. ⊖. *Tartari*, ʒ. *j. ß spir. vini rectif. unc.* V. digere per tempus, postea filtra & serva; dos. ʒ. ß. ad ʒ. j.

Conducit asthmaticis, & tussi sicca labantibus.

Essentia Purificans Clauderi. *ex Corp. Phar. D. Jungken,*

℞. *Mumiæ Ægyptiacæ, cinerum clavellatorum an. unc. j.* contusa digerantur per aliquot horas cum *aquæ fumariæ unc.* XII. postea filtrentur.

Essentia Satyrij. *ex Ph. Norimb.*

℞. *Radicum cynosorchidum selectarum succul. rejectis flaccidis, q. v. adde micam unius & alterius panis similaginei*; contunde invicem in mortario lapideo, pilo ligneo, diligentissimè, affundeque, ad lentoris dilutionem, *spiritus vini Malvatici s. q.*

Digere in lento M. B. calore, per aliquot menses; deinde prælo exprime succum tenacem, quem denuò in digestione, per bimistre, relinques & separabit se sublimando in superficiem, liquor flavissimus, instar Rubini, qui reservabitur, cautè decantando collectus. Addi huic potest.

Sal ex superioribus fecibus incineratis extractus, ut & sal perlarum & ol. Anisi, Cinamomi. macis, aut nucistæ gutta una & altera.

Essen-

Essentia Traumatica P. A. R. *ex corp. Pharm. D. Jungken.*

℞. *Herb. saniculæ* ℥. *ß. florum hyperici* ʒ. II. *radicum tormentillæ* ℥. *ß. Myrrhæ electæ, catechu ana* ʒ. II. *spiritus vini vulgaris* ℥. VIII.

Post biduanam lenem digestionem exprimantur, & filtrentur.

Usus ejus in varijs internis læsionibus & fluxibus cruentis aliisque esse potest.

Essentia Traumatica Wedelij. *ex eôdem corp. Ph.*

℞. *Mumiæ, sanguinis draconis an.* ℥. I. *terræ Japonicæ, myrrhæ, radicum tormentill, an.* ℥. *ß. flor. rosar. hyperici ana* ʒ. II. *santali rubri* ʒ. III. *nucistæ* ʒ. *j.*

Incisa contusa extrahe cum spiritu vini Tartarisato, vel spiritu hyperici, leni calore ad tincturæ extractionem, quæ decantata usui reponatur.

Vires prædicantur insignes in hæmophtysi, vomitu cruento, mensibus immodicis, dysenteria &c. cum tinctura corallorum, anodina, ♂ adstringentis Elixirio pectorali &c. Dos. gtt. 20. 30. & ultra.

Essentia Trifolij Fibrini P. A. R. *ex eôdem corp. Pharm.*

℞. *Herbæ trifolij fibrini exsiccatæ & minutim incisæ* ℥. IV. *spiritus ex eadem herba per fermentationem parati* ℥. XVI.

Stent in digestione triduana, postea exprimantur, & filtrentur.

Essentia vitrioli ♂ Antiscorbutica Wedel. *ex Lexic. Ph. D. D. Jungken,*

℞. *Vitrioli* ♂ *✳. ♂ial. ana ß. spir. cochlear.* ℥. VIII. *& trahe, & fiat essentia.*

Conducit in obstruct. viscerum, cachexia, tumor. hypochondr. Scorbuto &c.

Essentiæ variæ ex Timæo.

Essentia Bezoardica.

℞. *Theriac. Andromach.* ℔. *ß. confect. orvietan. veræ diascordij Fracastor. ana* ℥. IV. *elec. de ovo* ℥. II. *spec. liberant. C. aloë & Myrrh.* ℥. *j. ß. trochisc. de viperis* ℥. *j. confect. de hyacyntho alkermes ana* ℥. *j.*

Mixtis affunde spirit. vin. citrat. q. s. extrahatur tinctura, quæ filtretur per chartam emporeticam, hinc spirit. vini abstrahatur ad medietatem.

Tincturæ adde *essent. citri. ambræ, Zedoar. ana* ℥. *ß. croci* ʒ. II. *sal. scordij pimpinell. card. bened. absinth. ana* ʒ. *j.*

Circulentur lento cinerum igne per triduum, postea filtrentur.

Essentia Zedoariæ.

℞. *Pulv. zedoar. elect.* ℥. II. affund. *spirit. vini opt. rectificat.* ℔. *j.*

Macerentur dies 7. agitenturque quotidie, postea colentur, à colatura spirit. vini abstrahatur ad medietatem, reliquum filtretur, & servetur pro usu.

Essentia Galangæ.

Fit eodem modo quo Essentia Zedoariæ.

Essentia Hypochondriaca.

℞. *Spec. trochisc. de capar.* ℥. *ß. de rosis, de Rhabard. de eupator. diarrohod. aromat. rosat. ana* ʒ. II. *myrrhæ elect.* ℥. *ß. croci oriental.* ʒ. II. *sal. absinthij, tamarisc. fraxin. veronic. card. bened. ana* ℈. *j. tartari albiss.* ℥. II. affund. Aq. nostr. antihypochondriacæ ex commixtione spiritus ⊖-li acescentis, ad eminent. 4. digitor. Digerantur in B. M. per dies 7. postea colentur menstruoque ad medietatem abstracto residuum servetur pro usu.

Essentia Carminativa.

℞. *Sem. cumini, carvi, nigellæ, dauci, ammeos ana* ʒ. II. *fol. rutæ* ʒ. x. *origan.* ʒ. II. *rad. calam. aromat.* ℥. *ß. piper nigri, longi ana* ʒ. II. *bacc. lauri* ʒ. VI. *croci oriental.* ʒ. II. *cort. aurant.* ℥. *ß.* Incisis & in pulverem .. dactis affund. *spirit. vin. malvatic. ad eminent. IV. digitor.*

Digerantur in B. M. per triduum, colatura abstrahatur ad medietatem.

Essentia Ononidis.

℞. *Herb. ononidis sive restæ bovis una cum florib. & radicibus q. v.*

Incidantur & conquassentur minutissimè, affund. vini malvatic. q. s. stent in loco calido per triduum, postea destillentur. In hoc destillat. iterum infunde herb. ononid. c. toto, q. v. macerent. denuo per dies 3. Labor hic tertium repetatur, deinde exprimantur fortissimè, & colentur.

Colatura digeratur in B. M. per dies 7. deindè filtretur per chartam emporeticam, & sale ex fecibus extracto imprægnetur.

Essentia contra Arthritidem Vagam Scorbuticam.

℞. *Rad. vincetoxic. enulæ, aristoloch. rotund. Zedoariæ, Caryophyllatæ, pœoniæ ana* ʒ. II. *fol. salviæ, betonic. serpill. abrotan. rutæ, chamædr. chamæpyth. ana* ʒ. I. *anthos* ʒ. III. *spec. diamosch. spec. dianthos lætic. Galen ana* ʒ. *j. sem. citri* ℈. IV. *Theriac. Andromach.* ℥. *ß. fœcul. Aron.* ℈. IV.

In subtilissimum pulverem redactis affund. spirit. vin. malvatic. optimè rectificat ad emin. 4. digit. stent in digestione per dies 3. postea s. v. abstrahatur ad consistentiam mellis.

Reaffunde *spirit. vin. modò abstract.* ℔. *ß. spirit. cochlear.* ℥. II. *nasturt.* ℥. *j. de rub. Idæo* ℥. *ß. essent. lumbricor. terrestr.* ℥. VI.

Digerant. in B. M. per diem & noctem postea filtrentur & serventur pro usu.

Essentiæ variæ ex Rolfincio.

Essentiæ vocabulum primus ferè in chimicum forum eduxit *Angelus Sala, in eo, quem essentiarum vegetabilium anatome inscripsit libro.* Parum differunt à tincturis mollibus Beguinæis, quæ in eo à liquidis distinguuntur, quod in his menstrua spirituosa acida, & imprimis oleaginosa, maneant cum corporibus & operationum subjectis, in illis mollibus verò aliqua fiat menstrui evaporatio. Parantur ex floribus, & herbis &c.

Essentia Florum.

℞. *Flores recentes borraginis, buglossæ, caryophyllorum hortensium rubrorum pleno flore, resecto albo pediculo, pæoniæ, papaveris erratici, ablatis antheris, communiter dictis, nigris, rosarum rubrarum, violar. cum calyculo,* ad placitum.

Imple cucurbitam alembico cæco, juncturis benè clausis munitam. Demerge in MB ad mediam altitudinem. Calore leni contabescunt flores, colore suo spoliati: Succus expressus novis floribus affundatur & tertiò iteretur. Clarificatus albumine ovi & percolatus lento vapore balnei, ab aquositate liberatur per evaporationem, ad mellis consistentiam, picis instar resplendentem, persistente odore & sapore. In vase telis emplasticis & duplici chartâ munito adservatur.

Vires Confortant cor, pectus, cerebrum.

Dosis ℈ ß. ad ℈ j.

Modus utendi. in jusculo, vel aquâ stillatitiâ, & sirupo conveniente.

Essentia florum anagallidis, calendulæ, calthæ palustris, chelidoniæ minoris, majoris, hyperici, nasturtij Indici.

℞. *Gemmarum, id est, florum horum nondum ad amussim apertorum, cum foliis tenerioribus incisorum, spiritus vini q. s.*

Contusi flores macerentur in spiritu vini, per ☌ ☍ ternas, in MB, alembico cœco superimposito. Exprimatur succus, & ad essentiæ consistentiam evaporatione institutâ redigatur.

Vires. Essentia anagallidis maniacis auxiliatur. *Calendulæ*, vires sunt cordiales, alexipharmacæ: *Calthæ palustris, Chelidoniæ minoris*, antihypochondriacæ: *majoris*, antiictericæ: *hyperici* vulnerariæ: *nasturtij*, antiscorbuticæ, *dosis*. ℈ *ss.*

Utendi modus. In aquâ propriâ, & sirupo cujuslibet herbulæ.

Essentia Florum croci.

℞. *Croci orientalis* ℥ *j.* ▽ *ad emin. justam.*

In calore tinctus spiritus aufertur, novus affunditur. Evaporatione decenti institutâ, elegans in fundo remanet tinctura, si lenis instituatur evaporatio: essentia, si mediocris: extractum, si ultra mellaginis consistentiam intendatur.

Vires habet cordiales, *dosis* gut. II. III.

Modus utendi in jusculo vel vino generoso. Ingreditur laudatum opij medicamentum.

Essentia Liliorum Convallium.

℞. *Fl. lilior. convallium siccorum.* ▽ q. S.

Stent in digestione lenis caloris, per ☌ & ☍ duas, in vitrea cucurbita, alembico munita. Baculo ligneo, eo remoto, flores nonnunquam agitentur. Tinctum quod est, auferatur, & novus spiritus affundatur. Deinde omnes, prævia florum expressione, infundantur super novis floribus, & idem procedendi observetur modus. Tandem exhalent parum.

Vires cephalicæ sunt, & imprimis commendatur epilepticæ. *dosis.* ℈ *ss.*

Utendi modus, in liquore conveniente.

Essentiæ herbarum simplices I. Absinthij.

Inidoneæ ad essentias extrahendas sunt herbæ, quarum virtus in sale volatili consistit. Sunt tales *chelidonium minus, cochlearia, nasturtium aquaticum, sempervivum minus.* Harum spiritus sale volatili pleni expetendi, inque ijs acquiescendum. Eligendæ ad hunc scopum aliæ fixioris naturæ.

Vulgaris parandi modus hic est.

℞. *Fol. absinthij vulg. vel pontici M. i.* ▽ *optimi q. s.*

In arenâ fiat digestio. Spiritus tinctus aufertur, novus affunditur. Conjuncti tincturâ impraegnati spiritus colati, lento calore, discussis aquositatibus, ad justam consistentiam rediguntur.

Alius Modus.

℞. *Herb. absinth. vulg. q. s. liquoris alcahestici vegetabilis Glauberiani q. s.*

Irroratur & irrigatur herba, & in leni digestione ad extractionem essentiæ, locatur: post decantatus liquor, tincturâ impraegnatus misceatur cum S. V. Hic sine morâ in se recipit tincturam, Separatus S. V. à liquore Alcahestico, in digestione leni exhalat ad justam essentiæ consistentiam.

Virtutes Sunt stomachicæ & epatic.

Dosis, ℈ *j.*

Modus utendi, in vino malvatico.

Essentia Absinthij Composita.

℞. *Summit. absinth. vulg. cum fol. pontici tenuifollij ana mj. fol. & fl. centaur. minoris. agerati ana mj. fl. ros. rubr. m. s. viol. mart. cum caliculis q. v. cort. citr. & aurant. sicc. a.* ℥ *ss. ligni sancti* ʒ *vj. rad. zedoar.* ℥ *i. acori veri, tormentill. an.* ℥ *ss. caryophyl. cinamomi, canellæ albæ an.* ʒ *vii. croci integri orient. nostratis an.* ʒ *j. macis, nucis moschat. caryophyl. arom. an.* ʒ *ii.*

Incis. & contus. g. m. affunde *spiritus vini optimi q. s.*

In arenâ tres stent per ☌ & ☍. Spiritus tinctus exprimatur. Colaturæ per linteum factæ adde *species novas.*

Id tertiâ vice repetatur, donec extractio spiritus vini odorem & saporem amiserit.

Vires. In ventriculi & hypochondriorum infirmitatibus à causâ frigidâ prodest. Quartanis auxilio est.

Dosis. ℈ *ss.* ℈ *j.*

Modus Utendi In vinô vel cerevisiâ.

Essentia Fol. & Florum Centaurij Minoris.

Hæc ex centaurio minori quomodo paranda, docet. *Dioscorides lib. 3. de re medicâ cap. 9.*

℞. *Centaur. minoris q. v.*

χυλίζεται ἡ πόα συλλεγομένη, ἐγκύμων οὖσα σπέρματος, καὶ ἀποβρεχομένη ἡμέρας ε΄. εἶτα ἕψεται, ἄχρις ἂν ὑπερέχοι τὸ ὕδωρ, ἔπειτα τούτου ψυχθέντος, ὑλίζεται δι᾽ ὀθονίου θλιβείσης τῆς πόας, καὶ πάλιν ἕψεται μέχρι μελιτώδους συστάσεως. Exprimitur succus ex herba, semine suo cum prægnans est. Non intelligendum completum semen, sic enim herba, folia exsucca, floresque emarcuêrunt, sed inchoatum, cum omnia succo turgent. Cum verò sicca sit planta, prius *quinque diebus in aqua madescit*; *mox coquitur*, in ollâ opertâ, vel in cucurbitâ alembico cœco munitâ, per XXIV. horas, in MB *usque dum decrescente aqua superstet. Cum refrixit, deinde aqua seu succus per linteum exprimitur, adjiciturque herba.* Expressus succus albumine ovi clarificatus, *ad crassitudinem mellis iterum decoquitur*, seu evaporatione redigitur.

Eodem modo ex alijs herbis minus succulentis, *agerato, agrimonia, betonica, melissa*, essentiæ extrahuntur.

Chimici loco aquæ simplicis adsumunt vel spiritum vini simplicem, vel alcahesticum liquorem, tincturâ herbarum saturum. Extrahunt spiritu vini, huncque à liquore Alcahestico separatum, in vaporem super leni arenæ calore difflant, ad justam essentiæ consistentiam, in vase vitreo vel terreo adservandam.

Vires. Integrarum herbarum pollent potestate: & quidem essentia centaurea calefacit, siccat, aperit, infarctus crassi sanguinis in affectibus hepatis, lienis, uteri resolvit, putredini resistit, lumbricos necat.

Dosis. ʒ *ss.* ʒ *j.* in haustu vini.

Essentia Rorellæ,

℞. *Roris Solis, sereno cœlo, sol. existente in domo propriâ in leone, & ☽ in quadrato prope solem, à musco & omnibus impuritatibus mundati* ℔ *iij. vini boni canthar. iv.*

In terreo vase, vel mortario lapideo marmoreo, pistillo ligneo tritam inde cucurbitæ vitreæ. Eam alembico rostrato munitam loca in MB. Juncturis benè clausis, & vase recipiente admoto, observatis gradibus, destillationem urge, usque ad siccitatem. Liquor exstillatus flavescens exhalet modicum. Post servetur ad usum.

Vires. In bronchiorum infarctu, à vitiosis, per arterias in parenchyma pulmonis, & ex parenchymate in bronchia transsudantibus humoribus, exorto, attenuat, & expectorationem promovet.

Datur lentâ delibatione, quantum cochleari compre-

prehendi potest, horis matutinis & vespertinis.

Essentia anagallidis phæniceæ composita, anti-melancholica, & maniaca.

℞. Herbæ fl. & seminum anagallidis m vj. solani tetraphylli seu herbæ Paridis cum baccis & radicibus m ij. alyssi Galeni, marrubio similis m iij. rad. nymph. luteæ benè mund. ℔ ¼. doronici vulgaris ℥ x. gentian. rub. ℥ v. palmæ Christi succulentæ ℔ ß. cineris cancrorum fluviatil. ἀνᾳρροπυγίων *caudâ carentium unc.* III. *pullor. accipitris. noctuarum majorum an. unc.* II. *sanguinis asini, in clibano siccati unc.* VI. *fl. lilior. convall. m.* III. *succini unc.* IV. *sem. anisi, ocimi spiritus vini vel fecum vini q. s.*

Stent in digestione per ☍ vj. Tinctum quod est, separetur per vasis inclinationem, leniterque exhalet.

Vires indicat titulus. Cum mens depravatis imaginationibus cum timore & mœstitiâ, sine febre, vel cum furore & febre turbatur, auxilio est. Præterea etiam medetur vertiginosis spirituum seu sanguinis tenuioris circumrotationibus & gyrationibus.

Dosis ℈j. ℈ß. in liquore cephalico, ut aqua nymphææ, essentiæ calorem moderante.

Essentiæ fructuum alkekengi, uvarum, cerasorum, myrtillorum nigrorum, rubi idæi, uvæ ursi rubræ, baccarum sambuci, pomorum dulcium borsdorfianorum.

℞. Fructus enumeratos, quos & quantum volueris.

Exprimatur succus, aspersione modicâ vini prægressâ, & albumine ovi clarificetur. Levi digestione clarum à crasso separetur, & clarum seorsim ad mellis consistentiam redigatur. Post extrahatur V.

Vires Alkekengi calculum pellit: *Uvarum* confortat: *Cerasorum* cerebrum roborat: *Myrtillorum* adstringit: *Baccarum Sambuci* sudorem movet: *Pomorum* humectat.

Dosis ad arbitrium moderanda.

Modus utendi. Per se sola sumitur, vel cum alijs.

Essentia baccarum juniperi, aliàs malvaticum Juniperinum, elixir Juniperinum.

℞. Rob. juniperi unc. III. *vini malvat.* canth. ſ.

Misce in vase terreo, pistillo marmoreo vel vitreo, Stent in digestione. Tinctus liquor colligatur percolatione per linteum cum expressione. Servetur usui.

Vires. Aperit, attenuat sanguinem, tartareum & sabulosum coagmentum circà ureterum tubos & caruncular renum collectum disgregat & expellit.

Dosis ℈ß. ℈j. in conveniente vehiculo.

Essentia radicum Pæoniæ, Scorzoneræ.

℞. Harum radicum, vel aliarum, tormentillæ, vincetoxici &c.

Maceratione factâ in aquis vulgari vel proprijs, succus exprimatur, clarificetur, & evaporatione instituta ad usus servetur. Post V extrahatur tinctura, & leni evaporatione ad justam consistentiam redigatur.

Vires essentiæ pæoniæ antiepilepticæ: *Scorzoneræ* alexipharmacæ: *Tormentillæ* cordiales: *Vincetoxici* antihydropicæ sunt notæ.

Dosis à ℈j. ad ʒß. & ultra.

Utendi modus in liquoribus aut julepis ex appropriatis aquis & sirupis concinnata.

Essentia seu Sanguis Satyrij Paracelsi.

Autor hic describit Satyrij essentiam *lib.* 3. *de vita longa cap.* II. *sub titulo: Satyrionis Extractio*, brevibus verbis & obscuris, more suo. Nullam menstrui facit mentionem. *Crollius basil. chimicâ p.* 443. & *Henricus ab Heer observ. medic. opp. do raris* 9. præparandi modum clariùs describunt.

℞. Omnium cynosorchidum specierum radices selectas, & plenas turgidas, rejectis flaccidis & rugosis mollibus, quæ virtute contrariâ (quam Saturninam vocat Paracelsus loco citato) pollent ℔ ij. Panis siliginei candidissimi ℔ j ß.

Radices colligi queunt vel ineunte vere, vel autumno exeunte, floribus folijs vix dum natis, vel deciduis. Divulsis testiculis, pleni & succulenti eligantur. In mortario marmoreo contundantur ligneo pistillo. Mica panis sensim adjiciatur, & affundatur *Spiritus vini* vel *Malvatici* vel *Rhenani.* ad lentoris dilutionem. Potest etiam de hoc spiritu, vel vino ipso Alcantino, ut vocant, amplius in majori copia affundi. Sic in cucurbitâ, alembico imposito, stent in digestione mensis spacio, benè munita. Eligi potest ad hunc scopum fimus equinus, vel M. Post exprimatur succus tenax per prælum. Expressum iterum per mensem digere in cucurbitâ, adjecto prius residuo in forma salis per incinerationem parati, quod certè erit exiguum & paucum. Flavus liquor, interdum rubini æmulus innatans circa superficiem, colligatur, cautè vasculum inclinando relictis fecibus.

℞. Hujus tincturæ ℔ ß. *ol. nuc. moscat. anisi an.* ℈j. *magist. perl. farin.* ʒß. *cinamomi, citri an.* ℈ß.

Vires. *Paracelsus* medicinam vocat, quæ cæteras omnes, quæ conceptionem promovent, facilè post tergum relinquit. *Crollio* autore, mirabilis omnium ferè totius corporis membrorum externorum utriusque sexus signatura, in hisce orchidum speciebus deprehenditur. Ideò totum hominem non immeritò confortare creduntur. Veneri auxiliatur, & frigidis, maleficiatisque. Senibus etiam invalidi femoris virilitatem amissam restituit.

Dosis. an. ℈j. ad ℈ij.

Modus utendi in vino malvatico: vel misceatur cum conserva rosarum ad nucis avellanæ quantitatem. Superbibatur haustum vini Alcantini.

Essentia Ligni febrifugi, seu Corticis Siensis, Palo de Calenturas, Hispanico idiomate, dicti.

℞. Corticis hujus cinamomeo colore præditi, minutim pulverisati, & per setaceum trajecti ʒj. *vini generosi, præpotentis, Rhenani q. s.*

Stent in digestione. Tinctum quod est, effundatur, inclinato vase. Novum menstruum affundatur. Conjuncti liquores leniter exhalent, & serventur.

Vires simplicis hæc habet essentia. Calida licet sit, & subjecti & menstrui ratione, non tamen reformidanda in febribus intermittentibus in actu curationis & præservationis. Calida multa admittunt harum curationes, ut διὰ τριῶν πιπερέων καὶ δι' ἐχιδνῶν *confectionem, quæ ex tribus piperibus conficitur, & ex viperis.*

Dosis cochl. j. vel ij.

Modus utendi, in haustu vini odorati boni.

Essentia Ligni sancti gummosi.

℞. Ligni sancti gummosi seu resinosi potius, raspati ℔ j. *spiritus vini è frumento q. s. ad eminentiam spithamæ.*

Stent in digestione ☍ iv. spatio. Tinctum quod apparet, colligatur. Novus V affundatur. Tandem exhalatione modica facta, servetur ad usum essentia egregia. Addi possunt etiam alia ligna, ut aspalathum rhodium valde resinosum, sassafras seu fæniculatum, santalum rubrum.

Vires. Calefacit, exsiccat, per διαφόρησιν resolvit, impuritati sanguinis simplici & venereæ medetur.

Dosis.

Dosis. Alterationis scopo cochl. j. quantitas si sudorem movere animus est, cochl. ij. Adsumatur vino calefacto mista.

Essentia Cosmetica Benzoina.

℞. *Resinæ benzoinæ, amygdalinæ, seu asæ dulcis unc. j. spiritus vini rectificati q. s.* vel *spiritus rosar. ardentis, si adsit in abundantia.*

In vitro benè clauso stent per aliquot dies, donec tingatur. Filtra per chartam emporeticam, vel simpliciter decanta. Leniter exhalet. Serva ad usum.

Vires. Pectori auxiliatur, impactos humores resolvit.

Dosis. g. viij. ix, xxi ℈ *ß.*

Modus utendi in jusculo, vel aquæ hyssopi cochleari. Tum liquor ab infusione lactescit. In ▽ fabarum florum destillatæ unc. IV. infusa lacteum reddit liquorem & ad manuum lavacra adhibita nitidam reddit cutim.

Essentia Vulneraria.

℞. *Fl. hyperici, chamæmeli Romani, pleno flore. consolidæ regalis fl. simplicis, vel pleno incarnato. mediæ cœruleo flore, virgatæ,* virgæ aureæ vulgò dictæ, *clematis daphnoidis, vincæ communiter dictæ, simplici cœruleo & pleno subpurpureo flore. mille folij* hortensis rubro flore an. Mj. *balaustiorum mj. herbar. saniculæ, pyrolæ, alchimillæ, scabiosæ, lapathi sanguinei an. m ij. rad. tormentillæ, symphyti majoris, betæ* χρυσοῤῥίζου, *rubrâ radice præditæ an.* ℔. ¼. *ligni fraxini traumatici constellati raspati unc. ij. sicca, concisa & contusa irrigentur spiritu vini, vel frumenti. q. s.*

Stent in digestione sex ♂♀. Tinctus spiritus separetur, novus adfundatur, tandem omnes conjungantur, leniter exhalent. Adde *essentiæ mumiæ Ægyptiacæ vel nostratis, lachrymæ sanguineæ seu sanguinis draconis an. q.* v. *tincturæ ♂ astringentis, ad placitum.*

Vires. Sanguinis αἱμοῤῥοὰς, ex narium, pulmonum, ventriculi, renum, uteri, artuum, ob ἀναστόμωσιν, διαίρεσιν, διαπήδησιν, διάβρωσιν fluentis impetum retardant.

Dosis ℈ ß. ℈j. in jusculo.

Essentia aliàs Tinctura Tartari simplex.

℞. ⊖ *Tartari albi. q.* v. ∀ *non rectificati q. s.*

Sal in valido aceto, igne rotæ fundatur, inque eo tam diu detineatur, donec cœruleum acquirat colorem, qui intenditur, si modicum ⊕ addatur. Tum affunditur ∀ in vase vitreo, & in digestione detineatur per ♂♀ IV. Felicius succedit operatio, si spiritûs Tartari modicum adfundatur.

Vires habet in usu medico non contemnendas, aperiendi, incidendi, glandularum lactearum & vasorum sanguifluorum infarctus expediendi.

Dosis. ℈ ß, ℈j.

Modus utendi. Adsumatur horis matutinis in jusculo, horâ nonâ. Medicamentis etiam commodè miscetur, sive sint aquæ simplices, compositæve, aut sirupi, tincturæ, electuaria.

Essentia seu Tinctura Tartari composita.

℞. *Tartari crudi subtiliss. pulverisat.* ℔. *ß. calcis vivæ à furno adhuc calentis* ℔ *i ß.*

M. in ollâ novâ vitreatâ, aut lebete cupreo majore. Affunde ▽ ferventem fontanam q. s. Ebullitio excitatur, quæ modica super igne coctione augeatur. Lixivium hoc per pannum aut saccum linteum coletur & exprimatur. Quod superiùs fluitat, effundatur leniter, deinde filtretur per chartam bibulam, coagulatum extrahatur *Spiritu vini.* Tinctura, quæ, si ritè operatus fueris, apparet; & mista est, non pura, servetur. Abstrahe ad essentiæ consistentiam.

Vires habet resolvendi crassos tartareos humores, in arthritide & calculo.

Dosis gr. XII. ad XXIV. in jusculo vel vino.

Essentia Tartari composita, Antiarthritica, & Lithontriptica.

℞. *Tinct. Tartari spir. Tartarum vini unc.* VI. *extract. rad. saxifrag. rubr. flore albo fol. chamadryos an. unc. j.*

Misceantur, & in leni calore digerantur duorum ♂♀ intervallo. Filtreptur.

Vires nomini habet conformes, diaphoretica etiam est.

Dosis à ℈ß. ad ℈j.

Utendi modus. In conveniente liquore exhibetur matutinis & pomeridianis horis. Sudorem pellit, adsumta matutina sexta, in aqua florum sambuci cum vino destillata.

Essentiæ vegetabilium purgantium. I. Lenientium propriè dictorum. Aloës, Tamarindorum.

℞. *Aloës socoterinæ* ℔ ¼. *succi vel aquæ rosarum q. s.*

In leni calore solutione facta, defundatur quod supernatat, fecibus in fundo remanentibus, & ad balsami consistentiam leni calore redigatur.

℞. *Fructuum tamarindor. aq. calentis communis.*

Caro acida nigra liberetur à nucleis, & filamentis, crebra conquassatione, & aqua commista percolata clarificetur. Iterum trajecta per pannum, cum levi expressione ad justam consistentiam redigatur.

Vires. Aloetica essentia leniter alvum subducit, cum aliarum pilularum massa permista.

Tamar-hendinæ ejusdem efficaciæ: simul etiam ardorem humorum mitigat.

II. Purgantium Essentiæ.

℞. *Rhabarbar. Alexandr. fol. senæ, fibrarum ellebor. nigri, gialapij.*

Menstrua diversa sunt. Rhabarbaro convenit ▽: ut & senæ: Hellebori fibris acetum, gialapo spiritus vini. F. Extractio tincturæ, decantatio, & ad justam consistentiam exhalatio.

Vires. Essentia *rhabarbari* bili: *senæ & hellebori* melancholiæ: *gialapij* pituitæ & sero educendo accommodata est.

Dosis diversa.

Utendi Modus. Rhabarbarina essentia adsumitur per se ad ʒß. in haustu jusculi: *senæ* in haustu vini calidi: *hellebori* cum massis pilularum jungitur: *Phalajæ s. jalapæ essentia* ad ʒII. cum sirupo cinamomi limpidiori.

Essentia Mumiæ Ægyptiacæ.

℞. *Mumiæ Ægyptiacæ optimæ,* vel *nostratis, paratæ ex carne musculosa hominis sani, suspensi, vel rota contriti, à* ☽ & ⊙ *illuminata & constellata, myrrha & aloe conspersa, & spiritu vini irrorata, post in aëre vel clibano exsiccata* ℥ III. *spiritus baccarum juniperi q. s.*

Stent in digestione donec tingatur spiritus. Auferatur, novus affundatur. Spiritus tincti filtrentur per linteum subtile, vel chartam emporeticam. Exhalent usque ad justam consistentiam.

Vires. Confortat membra principalia, mundificat sanguinem.

Dosis. ʒß. ℈j.

Utendi modus in haustu vini, vel cerevisiæ.

Essen-

Essentia Lapidum Cancrorum Fluviatilium.

℞. Lapid. ♋ non coctorum, sed quos vel vivi deponunt sponte, vel ex iis enectis eximuntur, cœruleo colore præditorum q. v. pulveris. minutim, salis tartari liquefacti per deliquium.

Digerantur calore balnei, ♂ x. in phialâ. Post coagulentur in coctione & exhalatione. Coagulato pulverisato affunde ▽. Digestione institutâ, effundatur impregnatus ▽. Abstrahatur evaporatione ad olei crassitiem.

Vires. Σύναγμα λιθῶδες, calculum & arenulas renum resolvit, διάρρησιν movet,

Dosis gr. vj. ℈s. *Modus utendi* in jusculô vel ▽ petroselini.

Essentia Mosci & Ambræ Liquida.

℞. Mosci ʒs. sacchari canariensis ℥s. ambræ gr. iij. ℈s. aq. carfunculi aureæ ℥iii.

Benè mista saccharum & odoramenta locentur in digestione, vesicâ bubulâ phialâ benè munitâ. Post filtrentur, & ad usum, in benè cooperto vase serventur. In filtro quod remansit, odoris adhuc capax, alijs usibus externis inservire potest.

Vires. Confortat cerebrum, cor, horumque viscerum infirmitatibus medetur.

Dosis. gr. vi. ℈s. & ultra.

Exhibetur in cochleari pleno vino generoso Rhenano, Francico vel Hispanico.

Diaromaticum Essentiale, Ambra-moscatum in forma Sicca.

℞. Ambræ griseæ ℈j. sacchari can. albi ℥j. mosci ʒj.

Terantur simul in pulverem, ut exactè singula misceantur. Adde.

Cinnamomi, citri, ligni rhodii, angelicæ à ʒj.

Misce iterum, & in vitro benè munito serva.

Vires. Calefacit hoc medicamentum & confortat. Cordiale & cephalicum est. Convenit ijs præcipuè, qui sunt temperamenti frigidioris.

Dosis. gr. v. vi ℈s. in vino.

Essentiæ seu Tincturæ molles Metallorum Perfectorum & Imperfectorum.

Essentia ☉is.

℞. Crystall. ☉ per spiritum ⊕ sale suo inebriatum paratorum q. v. spir. vini urinæ volatili sale impregnati q. s.

In leni digestione stent per aliquot dies. Quod tinctum, auferatur, & novus spiritus denuò affunditur. Conjuncti destillantur ad medietatem & ultra, vel potiùs justam consistentiam. Possunt etiam ijdem crystalli ☉ digeri in leni calore cum vino malvatico & alcantico.

Essentia ☉ alia.

℞. Calcis ☉ per reverberationem in summam tenuitatem redacti, q. v. spiritus vini sale urinæ volatili & Tartarum exaltati ad eminentiam 6. digitorum.

Digestione μακροχρονική ♂ xij. tinctura apparet, quæ novo adfuso menstruo sæpiùs collecta, evocato spiritu, in quolibet liquore resolubilis est.

Vires harum essentiarum sunt solares, confortant partes principes.

Dosis gr. vi. vii. & ultra pro vehiculi quantitate.

Modus utendi in vino generoso, vel jusculo aut julepô aliquô.

Essentia. Elixir ☉ dicta.

℞. Fol. ☉ libellum j. sacchari τοῦ κανδίζ, i. e. unguloſi, albi, vel flavi ℥j.

In parva phiala locat in leni calore, bacillo ligneo oblongo agitentur. Sic ☉ calcinatur à spiritu acido sacchari canthi. Eximitur spatula lignea, statimque concrescit massa rubescens. Pulverisetur minutim,

℞. Hujus pulveris, spirit. vini sale urinæ & C. C. exaltati ℥ii.

Extrahitur in leni calore citrina essentia, quæ defundenda. Exhalatione peracta ad medietatem, reliquium servatur, & in *aquâ melissæ* exhibetur ad ℈ß.

Verùm plus participat de saccharo cantho, quàm ☉e. Parùm itaque in magnis cordis infirmitatibus huic medicamento fidendum.

Essentia ☉ Alcahestina.

℞. Calcis solaris, purpureâ indutæ veste, p. 1. liquoris Alcahestiæ metallici p. x.

In leni calore digestione peracta, affunde ▽ *Tartarisatum.* Tum ☉ essentia, relicto Alcahest, communicabitur ▽ Inde hic per inclinationem affundendus, & ad usum servandus. S. ut supra.

☽æ Essentia.

℞ Calcis ☽æ in ▽ti solutæ, & communi more aurifabrorum, in cupreo vase, ad fundum præcipitatæ, albicantissimæ. ✱ additione spir. ✱ exaltati.

Stent in leni digestione. Tinctura cærulea mox apparebit.

Sed hæc non tàm soboles ☽æ, quam ♀. Argumento est experimentum. Nisi stiterit in cupreô vase aliquô temporis spatiô, negligensque fuerit edulcatio, & à virore ablutio, nihil impetrabitur tincturæ.

Vires ergò cephalicæ frustra proclamantur, quæ in ☽ a concedi, à ♀ expectari non possunt.

Essentia ♂ in Vinum malvaticum implantatæ, Hartmanni pract. chimiatr.

℞. Limaturæ ♂ tepefactæ ℔ß vini malvatici ℔. i.

Sensim junctæ stent in arenæ calore per ♂, sic sensim vis aperiens ♂ transplantatur in vinum.

Vires. Aperit viscerum tartareos infarctus, suavissimum hydropis & icteri remedium. Tertianis auxiliatur febribus, & quartanis.

Dosis. ʒi. ii. iii.

Utendi modus per se, vel cum aq. cichorij; ut calor temperetur, miscetur. Mane circa nonam, & post meridiem circa quartam proficuus ejus usus.

Essentia ♂ aperiens nigra cum succis acidis, & 1. Acetô parata.

℞. Limaturæ ♂ magnete bene purgatæ q. v. Crucibuli vini lenioris q. s.

In marmore terantur, per horam unam aut alteram. Sensim vase excipiatur tinctum acetum novum acetum, iterùm affundatur. Liquores omnes tincti colligantur unà in scutella, & cum subsederit crassum quod est, effundantur in vitrum, & serventur ad usum. S. Tinctura ♂ nigra.

Vires habet singulares aperiendi, dissolvendi & incidendi viscerum infarctus, humores crassos melancholicos depurandi, & serum acre refrenandi.

Dosis. à ℈s. ad ℈i.

Modus utendi, in jusculô carnium bubularum, vel gallinæ. Admisceri etiam potest electuarijs, conservis & sirupis.

Essentia seu tinctura ♂ aperiens II. parata cum succo acetosæ: Magisterium ♂ aperiens dictum.

℞. succi oxalidis expressi. depur. ℔. iii. pulp. tamarind. à filamentis & nucleis separatæ ℥ viii.

Agi-

Agitentur in vase terreo, ligneo pistillo, digerantur per aliquot dies, vel coquantur, & per laneum pannum trajiciantur. Cum subsederit liquor percolatus, separetur à crassamento.

℞. Hujus clarificati q. s. chalybis limati q. v.

In lentâ digestione, alembico cœco superposito, extrahatur tinctura. Exhalatione ad quartam partem institutâ, aqueis quibusdam partibus exhaustis saturatior facta tinctura ad usum servatur. *S.* ut supra.

Essentia ♂ III. cum succo pomorum parata.

℞. Limaturæ ♂ magnesiatæ ℔ß. succi pomorum borsdorf. recent. express. q. s.

Stent in digestione lenis caloris, per ☍ iij agitatô sæpius vase, & bacillo ligneo, liquore ipso. Post defundatur vel filtretur liquor per linteum subtile. Novus succus affundatur, digestione leni peractâ, iterum, quod tinctum, defundatur. Conjuncti impraegnati succi exhalent ad medietatem, & ultrà. Ut ætatam ferat, nec situm contrahat, penetrantiorque tinctura fiat.

℞. Hujus partes vj. spiritus vini anisati p. ii.

Addi etiam potest seorsim.

Spiritus cochleariæ par. j. vel minus.

Vires. Magnarum virium est hæc tinctura. Crassos & feculentos humores massæ sanguineæ admistos, serosos etiam & acres humores scorbuticos resolvit.

Datur ad pondus ʒj. ij. in jusculo vel vino.

Essentia ♂ aperiens Tartarisata.

℞. Limaturæ ♂ magnes. aquæ fontanæ puriss. Tartari āā ℔ß. canth. VIII. IX. X.

Coq. in lebete, vel cupulâ ferreâ, per sex vel septem horas; ligneo bacillo nonnunquam agitando. Tum nigrescit sensim liquor. Ablato igne cum subsederit Tartarum, liquor tinctus sensim aufertur. Novæ aquæ adfusio & coctio repetitur. Liquores conjuncti arenæ calore exhalant ad medietatem. Quod remanet, in vitro adservatum, salinum præ se fert saporem.

Vires, ut reliquarum, ita etiam hujus sunt aperientes.

Dosis. ℈ ß.

Modus utendi in jusculo vel vino, horis matutinis & vespertinis.

Tinctura ♂ aperiens ex limaturâ & ✱ Minsichtia.

℞. ✱ part. ii. limaturæ ♂ p. i.

M. & per retortam destilla. Essentiam ♂ in fundo residem exime, edulca, spiritum vini superinfunde, tinctum quod est, effunde; denuò spiritum vini affunde. Solutos liquores ad medietatem exhalare sine. Filtratur residuum per chartam. Hæc est vera ♂ tinctura.

Vires, usum & dosin subjungit sequens præpar.

Tinctura ♂ aperiens ex scorijs reguli.

℞. Scorias reguli ♂ ♁iati, in quas, trinâ repetitâ f. a. calcinatione regulus omnis ferè transiit. ✱ an. æquales partes.

Sublimatione eletur ✱ in flores. Reses in fundo 🜕 qua fontana superinfusa extrahitur. Lixivium hoc exhalare jubetur. Coagulum modicè, non tamen ad siccitatem calcinatur. Hoc coagulum, spiritu vini superinfusô, atomos suas luteas per eundem egregiè dispergit. Exsultans tinctura aperit, incidit, hypochondriacis patrocinatur.

Datur ad ℈s. ℈i.

Tinctura ♂ aperiens, ex 🜔-lô ♂, ope terræ foliatæ.

℞. 🜔-li ♂ non calcin. pulv. terræ foliatæ, Tartari an. ʒj.

Misceantur & locentur in cellam frigidam & humidam, ♂ per ☍ iij. Color mutatur, & aliquô modô mistura fluida redditur, aëre sese insinuante in poros Huic colaturæ misturæ affunditur,

Spiritus vini.

Sic statim exurgit tinctura elegantissima.

Vires insignes sunt in obstructionibus viscerum. vino infusô gratum odorem spirat, tincturas etiam alias exaltat.

Dosis à granis xx. ad xxx.

Modus utendi. In jusculo vel vino.

Tinctura Mars Adstringens.

℞. Limaturæ Mars ℔j. ✱ ℔s.

In phialâ ope ⁂ fiat ♎tio in flores primò albos, qui seorsim servandi, deinde flavos, qui itidem seorsim servandi ab aëris humidi appulsu securi, aliàs liquescunt, demum nigros. Hi liquescunt aëri expositi, & tincturam exhibent adstringentissimam, alijs liquoribus diluendam.

Vires. Hæmorrhagias quascunque sistit, ad gt. j. ij. convenienti liquori permista.

Essentia seu tinctura mollis ♁ij, metallis adfinitate juncti.

Veram tincturam ex ♁ vel crudo, vel calcinato, vel sublimato, beneficio ✱ vel digerendo, vel ☊ ♌, seu ultimam ejus prædestinationem, elici, sentiunt *multi*, observantes acetum inde mutationem aliquam subire, creduntque esse substantiam quandam rubram, quæ ex ♁ egressa acetum tingat, non secus, ac lignum Brasilianum, crocus, aut similia aquam colorare consueverunt.

Paracelsus l. 2. magnæ chirurgiæ tract. 3. c. 5. mentionem facit tincturæ ♁, nulli arte se cognitæ, à se primum inventæ, quam Lilij nomine dignatur, eamque obscuris proponit verbis, ut intelligi nolle videatur.

℞. Rhenanus ☉ è puteo emergente, theorem. chimicotechnicis tes. 29. processum hunc illustraturus, eum in quatuor dividit partes. *Prima* est ♎♁ cum ✱. II. *Ablutio* & udulcoratio per 🜄. III. *Calcinatio* in reverberio clauso florum rubrorum ad album, citrinum colorem. IV. *Extratio* tincturæ cum spiritu vini.

Vera est censura *Angeli Salæ an. antimonij p. 1. c. 7.* non posse extrahi ex ♁ veram tincturam: 1. quia talis substantia in ♁ non datur. 2. examen rei contrarium demonstrat. 3 Parecelsi tinctura potiùs est essentia. 4. neque processus Rhenani veram tincturam assequitur.

Libavius apocalypsi hermeticâ c. 13. p. 269. autorem Rhenanum non nominat, sed cen hyperaspisten & monarchanicam Paracelsicum miris perstringit modis, interpretationemque illius nullius assis æstimat.

Analogicæ tincturæ, latâ vocis potestate ita dictæ; sunt *Hartmaniana*, ex ♁ calcis vivæ, *Minsichtiana colchotarina*, & sequentes.

℞. Salis Tartari ℔s. ♁ ℔s.

Fluat 🜔 in crucibulo. Sensim ♁ addatur frustillatim injiciendo. Stent in fluore. Sic ♁ abit in scoriam. Super hanc exemtam & in phialâ vitreâ benè pulverisatam, primùm infunditur spiritus è fecibus vini diligenter destillatus. Stent in digestione. Tinctus spiritus aufertur, novus affunditur.

Vel

℞. Croci metallorum, seu epatis ♁ cum Tartari 🜔. ♁ concinnati, à regulo separati, nondum edulcati, pulverisati, vel contusi q. v. spiritus vini odorati è vino vel fecibus q. s.

Stent in digestione lenis caloris. Extracta tinctura decantata servatur ad usum. Sin minus respondeat voto, exhalet modicum in arenâ, & saturatô se commendabit rubore.

Exaltatur color & virtus, si adfundatur *sanguis seu anima rhabarbari.*

℞. Tincturæ hujus ♁ ⦶ Tartarisatæ ℔j. sanguinis rhabarbari, aq. cichorij Tartarisatâ parati ℥vj.

Vires

Vires. Egregium est medicamentum, epaticum, spleneticum, cachexiæ, hydropi, ictero, & nulli non sanguinis impuritati in scabie auxiliatur.

Dosis ℈ß. ℈j. in jusculo vel vino.

Essentia seu Tinctura mollis Fossilium Oleosorum.

Essentia Succini.

℞. *Succini flavi puris q. v. spiritus vini alcolisati q. s.*

In leni digestione arenæ extrahitur tinctura, decantatur, novus spiritus affunditur. Tincturæ conjunctæ abstrahuntur usque ad, & ultra medietatem.

Vires cephalicæ sunt, antiepilepticæ.

Dos. ℈s. ℈j.

Utendi modus in convenienti appropriato liquore.

Tinctura & Balsamum Sulphuris, epar & pulmones Sulphuris dictum.

Describitur à *Paracelso, libro de naturalibus rebus c.* 8. *parag.* 7. & paratur ex 🜍 & ol. lini.

℞. 🜍 *puri minutim pulveris.* ℔ß. ℴℴ *lini* ℔ß.

Felicius succedit operatio, si ⊖ ♂ri, 🜍ri ante benè permisceatur, & post cum lini oleo coquatur. Coctio hæc fiat cautè, ne ebulliendo oram ollæ transcendat. Color sanguinis instar rubicundus apparet in massâ.

Vires. Signatura ostendit, balsami vicem sustinere, & jecori & pulmonibus prodesse. Lini oleum, abjecta res, & vilis pretij, attamen in dysenteriâ præsentaneam præstat operam, bibitum. Sulphuris balsamicæ virtuti junctum auxiliares habet copias: commodiùs tamen sic solum bibitur oleum. In clysteribus & unguentis ad ulcera admittitur balsamum.

Præbet hoc epar *Tincturam* 🜍, in salutem humani corporis efficacem, si ita paretur.

℞. *Epatis Sulphuris q. v.* 🜔 ⊖-*li q. s.*

Misce ad solidiorem consistentiam. Ex retortâ ad latus destilla in lacteum liquorem, quem sequitur sanguineo-rubicundum oleum.

Vires deprædicantur antiphthisicæ, antiepilepticæ, imò totum corpus, ut ☿ aurum mundare, splendores gemmarum, imprimis Turcoidum flaccescentes erigere & exaltare docent, primum quidem *Paracelsus loco citato*, alterum *Poppius in hodogetico.* Videatur *dissertatio chimica secunda de Sulphur.*

Verùm uterque videtur in recensendis his dotibus ὑπερβολεῖν.

Balsamum 🜍 *internum terebinthinatum Juniperinum.*

Internum simplex communiter paratur hoc modo.

℞. *Fl.* 🜍 *vel solum, vel cum* 🜔 ⊖-*li parat.* ℥iii. ℴℴ *terebinth. juniperi, anisi, fœniculi, quod volueris* ℥vj. VII. VIII.

Digere vel coque, donec tinctura appareat. Felicius & promtiùs succedit operatio, si flores cum ⊖ Tartari misceantur, vel supra ignem lenissimum, in vase terreo plano torreantur in massam epatis instar rubicundam, & post olea superinfundantur.

Compositum Internum duplex: unum laboriosius, alterum compendiosius.

Primum.

℞. *Fl.* 🜍 *cum aloë, myrrhâ, thure, sale communi* ♎*torum* ℔ß. *croci orientalis* ℥ß. *ol. terebinth.* ℔ iß. *succini* ℥j. *citri* ℥ß.

Stent in digestione primò lenis, deinde intensi caloris, per ☍ ij. Refrigeratum balsamum decantatur. Nova iterum olea adfundantur.

Alterum minoris laboris & impensæ.

℞. *Fl.* 🜍 *colcothar.* ℔¼. *myrrhæ troglodit. aloes epat. thuris an.* ℥j. *croci* ʒj. *camphoræ* ℈ii. *ol. terebinth. cypriæ etherei.* ℔ iß. *baccar. juniperi* ℔½. *succini* ß.

Simul mista in curbitâ digerantur leni igni calore, donec tinctura appareat. Inclinato vase effundatur in aliud vas, & camphora, si lubet, *oleo amygdalino* soluta, addatur.

Vires indicat nomen. Balsami vegetabilis instar confortat & restaurat languescens vitale humidum. Pectorale est, stomacho frigido & colicæ medetur.

Datur à gt. v. v.

Utendi Modus in vehiculis adpropriatis; aquâ carminativâ, asthmaticâ. *Exterius* in vulneribus & ulceribus etiam usurpatur. Scrobiculo cordis inunctum, flatuosum sanguinem discutit; & stomacho ab intemperie frigidâ languenti medelam adfert.

Tinctura, seu balsamum Sulphur. externum amygdalinum Rulandinum.

Externum 🜍 balsamum constat ex humido & sicco. Humidum est ℴℴ *amygdal. dulcium*, siccum 🜍. Tertium ingrediens est clavis reserans centra arcana, nempe ⊖ Tartari.

℞. *Ol. amygd. dulc.* ℥vj. *fl. Sulphur* ℥j. ⊖ *Tartari albi* ℈ii. *camphoræ* ʒj.

Primò misceantur flores & ⊖ Tartari, deinde addatur ℴℴ *amygd. dulcium.* Coctio instituatur super leni igne, cavendo ebullitionem, nam sic epatis instar crassescit, & oras vasis transilit. Ultimo *camphora* inter duas chartas comminuta addatur, ol. amygd. ante soluta. Refrigeratô vase effunditur tinctum balsamum, & novum oleum ⊖ Tartari mistum affunditur, & proceditur ut priùs.

Vires externo in usu celebres: digerit, discutit, resolvit, solum, vel cum alijs, in affectibus pectoris frigidis, lienis infarctibus, frigidis in artus destillationibus, adhibitum.

Ingreditur ceu basis celeberrimum *Emplastrum Diasulpharis, à Rulandô centur.* I. *curat. empir.* 93. descriptum. Paratur additione colchotaris, myrrhæ & resinæ terebinthinæ.

℞. *Balsam.* 🜍 *amygdal. camphorat. ceræ flavæ pur.* ℔ß. ℥iii. *myrrhæ pulverisatæ* ℔¼. *resinæ terebinth. Venetæ à destillatione relictæ. colcotharis* ⊖-*li edulcati an. q. s.*

Liquefiant cera & resina, quæ olei terebinthinæ rubri adhuc particeps. Addatur mox balsamum. Demum aspergatur myrrha subtilissimè trita paulatim, spathulâ semper agitando, donec permista fuerint, & colcothar. Post ab igne removeantur, paulatim spathula vel pistillo agitata, refrigescant, & cum oleo olivarum inde fiant malagmata.

Vires insignes habet hoc emplastrum. Prodest in ulceribus inveteratis & sordidis. Pectoris regioni utrinque applicatum in aluta, thoracis molestias, pulmonum gravitates, dyspnœas, asthmata à flatulento sanguine ex hypochondrijs per venas vel utero adscendente, exorta, dissipat.

Tincturæ, seu Balsama Sulphurata alia.

℞. *Florum* 🜍 ⊖-*latorum* ℥iii. ℴℴ *st. hyperici, verbasci, agrimoniæ compositi* ℔j. ⊖ *Tartari albi* ℥ß.

Terantur flores 🜍, & ⊖ Tartari in olla terrea plana, supra ignem lenissimum, donec massa rubeat, epatis instar. Post addantur olea: incalescant benè. Tum adde sensim.

🜔 ⊖-*li rubri* ℥ii. *myrrhæ, thuris an.* ℥i. *terebinth. cypriæ an. q. s. m. F. Balsamum molle. fol. nicotianæ viridis pulveris.* ℥iv. *ceræ colophoniæ parum.*

Vires. In vulneribus recentibus & antiquis ulceribus facit officium.

Essentia Lapidum.

Essentia Lapidis Nephritici

℞. *Lapidis nephritici electi, ex viridi albescentis q.s.*

Calcinetur vel integer, vel, primùm in mortario æneo, pistilli subobedientia, contusus, donec albescat. Super porphyrite redigatur in alcool. Post in crucibulum iterum calcinetur, igne rotæ circumtuto, ut ignescat. Scintillantem projice in patellam terream, aceto radicato repletam. Relinque, donec subsidat. Tum ✱ effunde, lapidem exsiccatum de novo in crucibulum fac candefieri. Candefactum in ✱ radicatum effunde. Hanc ignitionem & exstinctionem toties repete, donec omnis pulvis in ✱ radicato sit solutus. Solutiones filtrentur. Acetum abstrahatur ad medietatem. In loco frigido salinus viridiusculus concrescens liquor, salibus ✱ permistus, adservetur in liquida hac forma. Si addatur ∇, in leni digestione locetur, commodiùs adhuc in liquidâ formâ servari potest.

Vel

Calcinetur lapis contusus, cum Tartaro deinde cum ⊖. ✱irrigetur. Defuso liquore denuò novum ✱ adfundatur. Liquores impraegnati conjungantur, & ad medietatem in arenâ evaporent, ad consistentiam spissiorem. Addi tum potest ∇ modicum.

Vires. Ut exteriùs appensus bracchio lapis dolorem renum lenire, arenulasque & calculos ejicere atque expellere est deprehensus, attestantibus à *Nicolao Monardo medicam. simplicium ex novo orbe delatorum capite* 31. *historiis relatis*, ita ab interiùs adsumto salino liquore idem successus exspectatur.

Dosis gr. VIII. IX. X.

Utendi modus, in aquâ petroserini, cum vino paratâ

Essentia Silicum.

℔. *Silicum fluviatilium* ℔s.

Igniantur, exstinguantur in ✱ vini vel mellis, sex vicibus iteratis. ✱ tinctum filtretur per chartam, leniter evaporet, & ad usum servetur. Vel silices calcinentur cum Tartaro. Stet massa in cella frigidâ. Liquor servatur ad usum.

Vires. Aperit, incidit, obstructionibus resistit, calculum renum pellit.

Dosis. à gr. VII. ad ℈s. in jusculo.

Essentia, vulgò tinctura Coralliorum.

Nullam ex corallijs extrahi posse tincturam adserit *Sala aphorismo chimiatr.* 42. Aliquam ijs, sed parcam inesse concedit *Lauremb. in notis & animadv.* confirmat *defensione, qu.* 13. Si non vera; saltem analoga tinctura admittitur.

Menstruum Minsichtus eligit *spiritum mellis* verum, non autem corrosivum illum, & venenatum vulgi. Hanc tincturam veram & genuinam vocat, dotesque ejus innumeras recenset.

℔. *Corall. rubrorum.* Eligunt *nonnulli subalbida, horum enim tinctura non adeò fixa* ℔¼. *sacchari canthi* ℔s.

Contus. minutim miscentur, & retortæ induntur. Observatis ignis gradib. exstillat liquor rubicundus.

Sed parùm participat de essentia coralliorum. Liquor ille videtur esse sacchari fœtus, cum ♉ saccharum destillatum itidem liquorem promat rubicundum. Non omnino tamen expers est coralliorum, cum ⊖ Tartari liquore resoluto enim præcipitatur albus corallinus pulvis.

Beguinus tyrocin. l. 2. *c.* 10. utitur, ceu menstruo, succo limonum.

℔. *Corallior.* ℥ii. *succi limonum* ℔i.

Stent per octiduum, post filtrentur. Adde

Sacchari albi ℥viii.

Digere ad sirupi consistentiam.

Vires, Dosis, Utendi modus. Exhibetur cochlear j. in fluxu hepatico, dysenteria.

Sed potiùs est solutio, utilis tamen valdè in dictis affectibus, alijsque febribus ardentibus, malignis, pestilentibus.

Cum *spiritu ligni sancti* aut *corylini* quæ paratur, non levis æstimatur momenti in impuritatibus sanguinis.

Non vilipendenda solutio & essentia hæc.

℔. *Corall. rub. minut. pulverisator. q.s. succi citri q.* v.

Stent in digestione Quod solutum, defundatur. Novus succus adfundatur, & rursus defundatur. Solutiones filtratæ stent per ♂♀iij. Tum partim præcipitatio adparet facta ad fundum pulvisculi alicujus, qui edulcatus fungi potest vice *Magisterii*. Reliquum effusum in novam phialam, exhalat modicum: tum subrubinescens apparet liquor. Asservari ad usum potest talis, vel ad mellis consistentiam exhalari, spirituque vini affuso tinctura extrahi.

Vires & dotes veræ tincturæ sunt, quæ prolixâ serie recensentur à *Boëtio de Boodt gemmar. & lap. histor. l.* 2. *cap.* 155. corpus redigit in temperiem cœlesti quâdam vi, & propterea omnes partium affectus evellit radicitus, propter analogiam, quam habet cum spiritibus vitalibus, & innato calido, quod auget, roboratque, ut facilè contrarios morbos superare possit &c. Analogis tincturis hæ competunt κτ̀ μᾶλλον ϗ ἧττον.

Datur è gut. VIII. ad ℈i. in vehiculis convenientibus.

Essentiæ è Ph. Indicâ Herm. Nic. Grimm.

Essentia Cinnamomi.

Destilla primò à cinnamomo aliquoties spiritum vini, hunc spiritum sali cinnamomi aut tartari superfunde, & optimè rectifica, ita, ut sal semper exsiccetur, & phlegma evaporet. Nam si spiritum vis habere purum, necesse est, ut rectifices super ejus sal fixum, usque dum adeo subtilis evadat, ut proprium oleum solvere & cum eo se conjungere possit. *hujus spiritus* ℥. IV. *ol. cinnamom.* ʒ. *ii.* misce & adde *cinnamomum subtilissimè contusum*, quo satis extracto, ad usum serva hoc modo *Essent. bacc. cinnamom. ligni colubr. sassafras, cortic. Rad. cinnam. sylvestr. rorismarin, Menthæ, citri, aurantior. & ex omnibus oleosis vegetabilibus* Essentia parari potest.

Essentia ad Membra.

℔. *Salis volatil. animalis cujusdam, maximè cornuti* ℥*j.* solve illud in Aromatico quodam aqueo liquore, adde *Essentiæ duarum pretiosarum resinarum, quas mare eiicit ana* ℥. IV. *Essentiæ benè olentis Mumiæ* ℥. *ii.* M. & tanquam Thesaurum pro ægris serva.

Essentia Lapidis Porcini.

Extrahitur cum spir. vin. tartarisato.

Essentia Ambræ Gryseæ.

Ambr. spiritum, & oleum q. v. conjunge cum sufficienti spiritu vini tartarisato, & tali misturâ recenti ambra essentiam extrahe. sic etiam essentia succini paratur.

Essentia Cardiaca.

℔. *Olei dest. Benzoini* ℥. *s. ligni aloës* ʒ. *ii. sassafras*, *spir. vin tartarisati* ℥. IV. Dest. & cohoba aliquoties, postmodum.

℔. *Ambr. mosch. ad.* ʒ. *ii. lign. aloës, santal. citrin. rubri, cortic. lign. sassafras an.* ʒ. *i.* immittatur phiolæ, & extrahatur Essentia.

Essentia Antipleuritica.

℔. *Flor. papaver. erratic. herb. & rad. cichorii sylv. taraxac. recent. ana m. ii.*

In-

Incisis in alembico tantum *spiritus sanguinis hirci* affunde, quantum ad vegetabilia obtegenda sufficit; stentin vase clauso, loco quocunque velis, & brevi spiritus tincturam & essentiam extrahet, post aliquot dies spiritum & succum exprime rursusque recentibus herbis atque floribus junge, itera hoc quinquies, & fœcibus tandem abjectis, ad usum reserva.

Essentia Antiscorbutica.

℞. *Herb. & radic. Cochlear. nasturt. hortens. aquatic. raphan. rustican. fumariæ, baccabung. anisi, fœniculi.*

Conquassatis, in alemb. do bene lutato, per Mariæ Balneum, partes spirituosiores destilla. Hujus destillati ℞ ℔. *ii. spir. Carminativ.* ℔. *i.* M. & in phiolâ magnâ prædictis herbis recentibus iterum affunde, & adde *polypodij virid.* ℥. *ii. rad. Calam. aromatic. angelic. Zedoar. galang. maj Zingiberis, cinnamom. ana* ℥. ß. *Caryophyll. maceris, cardamom. an.* ʒ. *ii. cortic. aurant.* ℥. *ii. sem. anisi, carvi, fœniculi, cumini, dauci, flor. croc. opt. an.* ʒ. *i.*

Hæc omnia in loco calido, ad extrahendum per mensem relinque, deinceps spiritum separa, vegetabilia expriment, & abjectis fœcibus reconde.

Vulneraria Essentia.

℞. *Tempore illo, quô vegetabilia multum balsamici continent: flor. hyperici, Centaur an. m. i. consolid. major. tapsi barbati an. m.* ß. *rad. tormentillæ* ℥. *j.*

Extrahe tincturam cum *spir. vini terebinthin.* quando nulla amplius tinctura sequitur, alios infunde flores & radices, fiat extractio, postea effunde, & ad usum serva.

Essentiæ variæ ex Collectione Theoph. Bierlingij.

Essentia aperitiva D. M.

℞. *Herb. agrimon. scolopendr. cuscut. meliss. ceterach. fumar. cichor. taraxac. marrub. capill. vener. adianth. an. m. ii. flor. hyperic. m j. rad. Rhabarb. monach. filic. taraxac. cichor. fragar. gramin. an.* ℥ *ij. curcum.* ℥ *j. flor. Cichor. bellid. minor. epat. nob. genist. an. piij. Cort. cappar. tamarisc. fraxin. an.* ℥ *ii. sem. asparag. fraxin. an.* ℥ß. *anis. fœnicul. an.* ʒ*ij. gumm. lacc.* ʒ*j.*

C. s. q. liquoris appropriati f. l. a Essentia. Dos. gutt. 30. ad 40.

Essentia Carminativa *Ejusdem.*

℞. *Flor. chamomill. m iij. lavend. miß. rosar. hyperic. verben. sambuc. primul. ver. salv. herb. chamædr. chamæpyth. major. rorismar. serpill. puleg. an. m j. Rad. imperat. enulæ, angelic. an.* ℥*iv. ireos florent.* ℥*ii. bacc. juniper.* ℔*j. laur.* ℥*iii. f. l. a. species ad essentiam carminativam.*

Essentia Satyrionis *Ejusdem.*

℞. *Rad. lapath. major. eryng. pastinac. an.* ℥*iij. pyrethr.* ßvj. *ras. priap. cervi* ℥ß. *Bolet. cerv.* ʒ*ii. sem. urtic.* ʒ*i. eruc. pastinac. capar. ling. avis an.* ℥ß. *nasturt.* ʒ*ij. Cinamom. cassiæ lign. opt. an.* ʒ*vj. Cardamom. Cubebar. Granor. paradis. an.* ʒiß. *caryophyll. macis, nuc. moschat. an.* ʒ*iij. Galang.* ʒ*j. zingiber.* ʒß. *diatrion piper.* ʒiiß. *succolat. indic.* ℥*j.*

F. l. a. Species, quæ extrahantur 🜄, qui receperit sanguinem galli adhuc calentem.

Essentia ad Auditum *Ejusdem.*

℞. *Fol. asar. mii. laur. herb. card. bened. an. mij. flor. stæchad. Arabic. piij. chamomill. rom. mj. sem. raphan.* ʒ*ij cæpar. porri an.* ʒiß *cumin. carv. aneth. an.* ʒ*i. rad. asari, cyclam. an.* ʒiß. *hellebor. alb.* ℥*j.*

Incis. incid. & f. l. a. species ad essentiam,

Essentia Castitatis *Ejusdem.*

℞. *Herb. rutæ, menth. an. mii. fol. salic. miß. agni casti, diptamn. crec. an. mi. flor. nympæ. miß millefol. mi. rad. ireos florent.* ℥*ii. bistort. tormentill. nymph. an.* ℥*iii. sem. rut.* ʒ*iii. agni casti* ℥*iiß. lactuc. acetos. portul. endiv. plantag. an.* ℥*ii.*

F. l. a. species, quæ spiritu rutæ extrahantur.

Essentia Hepatica *Ejusdem.*

℞. *Herb. agrimon. eupator. scunigund. flor. bellid. minor. an. mii. herb. chamædr. scariol. flor. rosar. epat. nobil. cichor. an. mi. spic. piii. squinanth. pii. rad. cichor.* ℥ *iv. rhabarb. monach. fraxin. gramin. fragar. an.* ℥*iii. semin. asparag.* ℥*j. rasur. santal. rubr.* ℥ *i* ß. *citrin.* ℥*j.*

F. l. a. species, quæ extrahantur spirit. fragorum.

Essentia ad Fluxum album *Ejusdem.*

℞. *Flor. rosar. albar. nymph. alb. herb. melilot. flor. alb. argentin. sive potent. perfoliat. fol. scarleæ an. mii. rad. bistort. plantag. filipendul. tormentill. nymph. alb. an.* ℥*j. visc. quercin.* ℥*iß lign. lentisc,* ℥*i mastich.* ℥*iß, anther. rosar.* ʒ*iii. sem. portul. plantag. an.* ʒ*ii.*

F. l. a. species, quæ extrahantur spir. scarleæ.

Essentia contra Icterum *Ejusdem.*

℞. *Herb. marrub. miii. abrotan. eupator. agrimon. anserin. an. mii. rad. chelidon. major.* ℥*iii. taraxac. fragor. gramin. rhabarbar. monach. an.* ℥*ii. curcum.* ℥ß. *flor. cichor. hyperic. calendul. epat. nob. genist. an. piii.*

F. s. a. species, quæ extrahantur spir. chelidon. major.

Essentia contra Vermes *Ejusdem.*

℞. *Fol. persicor. miii. hyperic. mii. tormentill. mi. rad. filic.* ℥*iv. gramin.* ℥*ii. sem. portul.* ℥ß. *hyperic.* ʒ*iii. santon.* ʒ*v. nasturt.* ʒ*iii.*

F. l. a. species, quæ extrahantur spir. absinth. & tanacet.

Essentia Antipodagrica.

℞. *Anagallid. purpur.* ℥*ii. rad. acor. aquat. caryophyllat. calam. aromat. rhapontic. an.* ℥*ss.*

M. & affunde vini optimi q. s. ut aliquantulum supernatet, additis aliquot guttulis spir. ⊖-l. f. a. extractio, postea abstrahe dimidiam partem, & adde spir. ⊖-l. ℥ss. ⊖. ℥ii. circula aliquandiu & reserva ad usum. Doss gutt. v. ad x. cum jusculo.

Essentia reguli ♂t. Stellati.

℞. *Reguli* ♂*t. stellat. q. v. sol. in* 🜂. *in ein besondern Glase. In den andern Glase* solvne *gleich. so viel* ☿. *crud. in* ☍ ⊖, *vel* ⊖-*li. giess alsdenn die* solutiones *alle zusammem. und* destillire *das* phlegma in B. *lind davon, dann verschlisse das Glass* cum lo o, *und sesse es in linde Asche, oder* △ *zu* figiren *einen monat lang, mache hernach das Glass auff, und giesse daruber einen guten* spir. vini *und* extrahire *damit die* essentiam. De hac essentia, si sudorem vis prolicere ⊖ ss. si vero tantum purificare sanguinem gutt. v. vi. ad viii. in vino propina, purificat sanguinem, expellit venenum & morbos malignos, unde maximo cum fructu usurpatur in variolis & morbillis.

Essentia Viperarum.

℞. *Viperarum s. serpentum ad albin. calcinat. p. s. spir.* ⊖. *p. æ* 🜄 *pluvial. destill. q. s. sæpius solv. filtra & evapora, donec nullæ amplius fæces remaneant, &* ⊖ *album appareat. Hujus* ⊖. ℞. ℥*j. affunde* 🜄. ℥*iii.* 8 ♂*&*♀ *digerendo extrahe essentiam, manet liquor quidam oleosus. tum* ℞. *gelatin. viperar.* ʒ*ij. liquor. oleol.* ʒ*i. solv. ambo in spir. vin. conjunge & per* 2. ♂ *circula & menstruũ separa, relinquitur rubeus pellucib.* Dos. 2. 3. 4. 5. gr. in 🜄. appropriata. Est optimum contra omnia venena, præsertim vero contra pestem medicamentum

Essentia Sanguinis Humani *Rulandi*.

℞. ▽. s. q. lass in der Aderlass eines gesunden menschen das Blut darein springen, verschliesse das Blut, und ▽ in einem vitr. *und lass es einem monat lang in linder warme* putrescirem. *Denn* destillire *den ▽. heruber, so gehet das ☍ und ▽ mit heruher, das behalte sonderlich, denn* extrahire ex cranio *das ⊖*, conjungire *es* cum spir. & ☍, *und* circulire *es in einer phiole eine Zeitlang, so bekombstu eine stattliche* essentiam sanguinis humani, quæ prodest in epilepsia, paralysi &c.

Essentia Sacchari rubra.

℞. Sacchar. alb. pulveris. ℔j. pone in cucurbitam superaffundendo ⋇ destillat. ℥ij. digere per 3. dies in MB. *Deinde superfunde spirit. vin. rectific. ut supernatet ad duos digitos, digere in cineribus calidis per 4. dies, donec spiritus coloretur, tinctum spiritum effunde, & in* MB. *ad medietatem evoca, & essent. in fundo manebit, quæ cum a. p. aq. rosar. per 8. dies vel 20. circulari debet.* Usus: Cor & vitales facultates exhilarat & confortat, pulmoniac. asthmatic. & pectoris doloribus confert, in phthisi, pleuritide. & raucedine vocis valde efficax est. Dos. à ʒs. ad ʒj.

Essentia Gemmarum.

℞. Mag. perlar. ʒj. smaragd. rubin. sapphir. granat. hyacinth. an. ʒij. mistis superfunde de spiritu mellis ℥s. spirit. nitri ℈j. pone vase obturato ad solvendum leni calore per triduum, solutioni admisce essent. sacchar. ℥is. quint. essent. Matthiol. ʒiii. Aq. borrag. buglos. an. ʒii. circulentur in phiola optimè lutata per 8. dies in MB. serva hanc circulatam essentiam in vase vitreo ad usum. Excellens cordiale in morbis acutis, febribus ardentibus, malignis, melancholia, venenis, palpitatione cordis &c. Dos. à gutt. vi. ad xv. in vehiculis.

Essentia Hypochondrica Cassellana.

℞. Herb. fumar. cochlear. absinth. chamædr. an. miv. cort. aurant spec. diapler. archont. an. ʒvi. digerantur in s. q. spir. vin. ad extractionem tincturæ, postea colentur cum forti expressione, in hac infusione iterum infunde priores species & herbas, & ter vel quater repetatur, ultimò clarifica per resident. adde spirit. cochlear. filic. an. ℥iv ss. tinct. tartari. ʒix. m. f. a.

ESULA, vid. *Titimalus*.

Hic tamen quædam ex *Schroderô* ab *Hofmannô annotatô*.

Officin. Nat. ex Esulâ.

Cortex præcipuè radicis, hinc & *folia*, quibus addi potest & *succus*, sed rarissimi usus est.

Vires. Pituitam & serum validissimè, præcipuè per inferiora purgat, unde & Rusticum Rhabarbarum Esula audit. Est autem acris ignea & erodens, adeo ut impudentium mendicorum fraudi inserviat, qui ejus succo cutem sibimet exulcerant scabritiei specie.

Corrigitur ejus feritas Bdellio, Tragacantho, mucilagine Psyllij. Quinimo mitescit præparatione, i. e. triduana in crucibulum acerrimo ros. infusione ac exiccatione. *Vide August.*

N. *Quercetanus contentus est infusione 24. hor. in Pharm. Restic. Alij singulis diebus novum acetum affundunt. Nonnulli perficiunt eandem macerationem in decocto myrobalanor. cum modico cinamomi vel spicea.*

Præparata.

1. Extractum Esulæ minoris. Salæ.

℞. Cortic. radicis (in principio Veris, quando prodire incipit collect.) q. v. coque cum vino albo generoso in diplomate: Exprime ac inspissa: Inspissatum liquorem solve iterum in ▽ plantaginis, maceraque in MB *5. vel 4. decanta, filtra, vel si opus, clarifica cum albumine ovi, & coagula.*

Dosis à gr. xij. ad xx. vel plura.

2. Aliud Extractum Esulæ, quod Rulandinum existimatur.

℞. Rad. Esul. min. ut in officinis væneunt, q. v. coque lento △ cum ▽ simpl. semper despumando, dum spumat ▽m inde cola & serva, aliamque superfunde & collectam ▽, leniter coagula ad spissitudinem mellis, postea affunde ▽ ad eminent. digit. j. & vase clauso in colo calido, aliquamdiu asserva. Tandem abstrahe leniter ▽. Et relinquetur Extractum.

Vires. Feliciter ▽ inter cutem pellit, &c.

Dosis à ℈j. ad ʒj. *Hartman. in Croll. Senn. in Inst. Tentzel.*

Weckerus describit & Extract. Esulæ ex folijs siccis cum ▽ factum, idque per vomitum ac alvum expurgans.

3. *Extractum Esulæ Quercetani.*

Exprima succum ex radice & folijs, fæcibus remanentibus, affunde serum lactis (vel ▽m lactis ♌atam) digere ♉ aliquot, dein exprime. Expressiones utrasque confusas digere in MB ut defæcentur, ne quicquam amplius crassamenti deponant. Liquorem defæcatum lento MB calore coagula ad consistentiam Extracti.

Dosis ad ʒs. in forma pilulat. vel in liquore dissoluta.

4. Aliter ejusdem Quercetani.

℞. Esulæ viridis contus. q. v. destilla in ℞ *(non tamen comburat) fæcibus affunde destillatam illam ▽m, digere ut extrahatur Tinctura. Tincturam decantatam separa ab aqua sua in* MB *: abstractam aquam reaffunde fæcibus prioribus, ex quibus parasti extractum, idque toties repetendo, donec non amplius tingatur: Ultimò exprime; expressionem prioribus Extractis adde.*

N. 1. *Si ex fæcibus utriusque præparationis (præcedentis atque hujus) combustis, Sal cum sua propria aqua extraxeris, idque extracto proprio addideris ejus purgandi vim & efficaciam validiorem reddes.*

N. 2. *Ad hunc modum Extracta præparabis ex Thymelæa, Mezereo, & reliquis omnibus Tithymali speciebus, & ex ipso quoque Ellebore nigro, si in loco eo habitaveris, ubi recens colligi potest.*

5. *Pilulæ de Esula Fernelij.* V. l. a.

Hofman. Esula, ejus Vires &c.) Hoc Pharmacum magis rusticis, quam Dominis & alijs subtilis texturæ hominibus inservit, ob summam ejus vehementiam.

EVAPORATIO, EVAPORARE.

Evaporare, i. e. liquorem calori exponere, ut exhalet humiditas. *Schrod.*

EVONYMUS.

Evonymus, i. e. boni nominis, κατ᾽ ἀντίφρασιν ἢ κατ᾽ εὐφημισμόν, ut volunt. Evonymi autem descripto apud Theophrastum & Plinium arbori ita vulgò dictæ per omnia non convenit. Quoniam tamen hoc nomen usurpavit per me retineat.

Nomina. Evonymus vulgaris *Park.* vulgaris, granis rubentibus *C. B.*

Evonymus Theophrasti *Ger.* Evonymus multis, alijs Tetragonia *J. B.*

Ramosa est arbuscula, aut certè frutex arboreus, altitudine 4. aut 5. (imò 7. aut 8. interdum) cubito-

rum :

rum: cujus stolones læto virore perfusi, & nuper nati ramuli, propter corticem in quatuor angulos excurrentem, quadrangulares apparent, non secus ac si dolabra ars perpolivisset, ipso alioqui ligno interno tereti, albo aut flavescente. Cortex viret. Rami crebrò intervallo in oppositos ramulos dividuntur. *Folia* oblonga, acuta, crenata, è Periclymeni genere chamæcerasi dictæ folijs similia & æqualia. Paulò post veris initium *Flores* profert pallidos, aut herbaceo quodam colore constantes, ex 4. Foliolis congestos, quibus totidem alternatim posita calyculi folia subijciuntur, pari numero *apicibus* luteis umbilicum curvosum viridantem cum stylo concolore occupantibus. Singulis flosculis singuli succedunt *Fructus*, seu singulæ siliquæ quadrangulæ, rubentes aut puniceæ (rarius albæ C. B.) totidem distinctis loculis *Semina* parva solida continent, cuticulâ croceâ intecta, medullâ albâ, figurâ semini cannabino similia, h. e. ex rotundo oblonga, sed majora, sapore amaro, cum obscura quadam dulcedine nauseabundo. Ipsa etiam arbuscula tota gravem &, injucundum habet odorem.

Materies ejus sic satis solida, fissilis tamen & æqualis est: ea cùm adhuc succo turget cæsa diluto croceo pallore etiam Buxum provocat.

Nonnuli Tetragoniam Thepohrasti esse volunt, quòd rami ob linearum quatuor ruffarum, dorsi modo extantium, recta per viridem corticem porrectarum discursum quadranguli appareant, quod huic arbori peculiare est, & quòd in fructu quadrangula siliqua sit. Quod si Tetragonia sit, Evonymus non erit, nec enim verisimile est eandem arborem diversis nominibus & locis tradidisse Theophrastum.

In sepibus frequens est tam in Anglia, quàm in exteris regionibus. Majo (in frigidioribus locis) floret: Autumno appetente siliquæ quadrangulæ purpureo tinguntur colore donec penitus rubescant, postea sua sponte decussatim quadripartitæ rumpuntur, ac hiantes ita pendent in hyemem usque croceas bacculas vel semina ostentantes non injucundo aspectu. J. B.

Vires. Evonymum pecori noxiam esse, ut Theophrastus tradit, se scire ait Matth. & Ruell. neque pecudem, neque capram, novellarum etiam germinum avidam, hanc attingere scribit. Econtra Clusius se in Pannonia observâsse à capris maxime appeti, easque ejus folijs sine noxâ avide vesci; quod nobis ingratum hujus plantæ odorem & vim catharticam minùs verisimile videtur.

Hujus tres quatuorve baccæ tam per vomitum, quam per secessum purgant: Emolliunt etiam & resolvunt exteriùs appositæ.

In lixivio coctæ capillos flavo colore tingunt.

Pulvis exsiccatarum in usu est apud nostrates mulierculas ad pediculos interimendos & furfures capitis detergendos.

Ex ligno fusi muliebri netu celebres in Germania & Gallia detornantur, unde & *fusanus* & *fusaria* dicitur. Nonnulli ad dentiscalpia utentur.

Triplicem proditum est parari ex hujus fructu colorem, flavum, si post festum S. Joan. Baptistæ dum abhuc viridis est collectus cum tantillo aluminis parum bulliat; viridem & fulvum. *Rajus in Hist. plant.*

EUPATORIUM VERUM.

Agrimoniam cum Lexicographis dictam putamus hanc plantam quia in agris abundat, potius quam, ut nonnullis placere video, ab Ἀργεμώνη, quia medetur τῷ ἀργέματι sive Ἀργεμώνη, i. e. Eupatorium Græcis dicitur ab Eupatore. Plin. l. 25. c. 6. Eupatoria regiam auctoritatem habet. Sunt qui velint nomen ab inventore Mitridate cognomento Eupatore habere. Hepatorium etiam dicitur ab Hepate, cui medetur.

Floribus hexaphyllis summis feminibus innascentibus, seminibus ipsis lappaceis deorsum nutantibus, folijs pinnatis à reliquis hujus sectionis facilè distinguitur: ad quam (ut verùm fateamur) proprie non pertinet, quoniam ejus lappæ seu echini vascula seminalia sint, duobus plurimùm intus nucleis seu seminibus latentibus, non semina nuda. Verùm quoniam integri plerumque decidunt seminum more, nec unquam sponte aperiantur, & à botanicorum vulgò pro seminibus habentur huc eam inpræsentiarum retulimus.

Vires. Hepatica nobilissima imprimis est (unde & hepatorium dicitur) vulnerariaque: ideòque usu creberrimo venit in morbis ab Hepatis imbecillitate ortis, uti sunt hydrops, cachexia, icterus. In usu etiam est in catarrhis, tussi, mensibusque retentis. Extrinsecùs adhibetur sæpissime in balneis & lotionibus.

Autore Rondeletio Agrimonia cum aceto forti emplastri modo imposita verrucas tollit, *fortè acetum solum hoc præstat*.

Pulvis agrimoniæ siccatus, & in vehiculo idoneo quocunque exhibitus à Riverio *prax. & observ.* plurimùm commendatur in mictu involuntario, nec sine ratione; adstringit enim satis valide. D. Hulse.

Cæsalpinus Agrimoniam vulgarem Eupatorium Græcorum non esse contendit. Eupatorium enim est ex herbis aromaticis; at Agrimoniæ plantam totam neque saporem ullum, neque odorem ostendere præterquam siccitatem in ore. At Majo mense (referente Trago) radix dum adhuc tenera est odoratissima deprehenditur. C. Hofmannus odoratissimam invenit æstate media. Variat ergo (ut verissimile est) pro ratione loci.

Singulare est & certum experimentum Joan. Frengij inflammationes testium abigi, si agrimonia in aceto vel vino cocta calide cataplasmatis formâ scroto applicetur; recipi quoque eam in potiones vulnerarias felici successu lippis & tonsoribus notum est.

Quin & decoctis quæ lue venerea laborantibus imperantur utiliter remiscetur: nonnulli etiam fotûs formâ tophis applicant ad mitigandos nocturnos dolores artuum.

Aquam ex ea destillatam commendant ad oris ulcera; eandem Pet. Bembus efficacissimam contra calculum expertus est.

Inter specifica adversùs maniam habetur agrimonia in aqua fontana decocta. *Rajus in Hist. Plant.*

EUPATORIUM CANNABINUM.

Eupatorium Avicennæ dictum *floribus nudis purpureis* à congeneribus differt. Sub hoc enim titulo comprehendi possint omnes hujus plantæ quibus hæ notæ adsunt, sive *foliis digitatis* sint ut Eupatorium cannabinum mas seu Avicennæ proprie & strictè dictum, sive *foliis integris* & Eupatorium Canadense folio Enulæ cornuti.

Posset etiam aliter, & fortasse commodiùs, pro nota Senecionis charactaristica sumi, *folia habere laciniata*; itaùt quæcunque hujus generis herba flore nudo, folio laciniato donata sit, senecionis species habeatur, sive floris color luteus sit, sive purpureus; adeòque Senecio viscosus Æthiopicus flore purpureo *Breynij* & Eupatorium ericoides Capitis bonæ spei *ejusdem* veræ & genuinæ Senecionis species erunt. Harũ prior alias etiam notas Senecionis habet, nimirum calycem striatum, florem celerrimè in pappũ fatiscentem, semen senecionis nostri simile, nec nisi magnitudine differẽs, tactum viscidum: Posterior semina Eupatorij obtinet, & flo-

& flosculos etiam persimiles, ob quas rationes rectiùs fortasse ab authore Eupatorijs accensetur. Verum nos characteres obvios & expositos quique primo aspectu visui se ingerunt sectamur, cum quæ à seminum qualitatibus sumuntur oculos nostros persæpe vel latent vel fallunt.

Nomina. Eupatorium cannabinum *Park. C.B.* Cannabinum mas *Ger.* adulterinum. *J.B.* Avicennæ creditum *Gesn.* Herba S. Kunigundis *Trag.*

Radix oblique acta plurimis fibris majusculis albicantibus terram apprehendit.

Caulis duos tresve cubitos altus, rectus, teres, tomentosus, & in viridi purpurascens, medullâ albâ plenus, gratum & aromaticum odorem cùm inciditur spirans, multis alis concavus. *Folia* in caule crebra, adversa, in eodem pediculo terna, cannabis folia nonnihil referunt, oblonga, acuminata, per ambitum serrata, sapore amaro. *Flores* velut in umbellas digesti, singuli flosculis quinque vel sex purpurantibus compositi, quorum unusquisque *stylum* habet oblongum, & suo insidet semine. Semina autem per maturitatem cum pappo innascente avolant.

Ad fluminum, nec non rivulorum ripas, scrobium, & stagnantium aquarum margines subinde nascitur; Julioque mense apud nos in Anglia floret.

Vires. Eparicum est & vulnerarium, usus præcip. in cachexia, catarrhis & tussi, inq; urina & mensibus retentis. Extrinsecùs è nobilissimis est vulnerarijs. *Schrod.*

Radicibus vim purgativum inesse experimento proprio didicit Gesnerus: cui earum pugillus in vino decoctus, colatus & potus per horam post alvum semel movit; postea verò vomitum duodecies ferè cum magno labore, ut Hellebori albi instar purget, sed multò facilius & tutius. Profuit sanè plurimùm (inquit) magnâ pituitæ copiâ evacuatâ. Hinc verisimile est succum herbæ in catapotijs devoratum intestinorum vermes necare. Tragus Argentinæ in pecoribus tantùm curandis usurpatum tradit; & prudenter nobis facere videntur Argentinenses, siquidem experimento Gesneri constat nimis vehementem esse ejus operationem, quàm ut in humano corpore internus ejus usus possit probari, nisi parva quantitate & alijs corrigentibus mixti. In Belgio rustici feliciter icterum curant hujus plantæ decocto. *D. Regemorter* in M. S.

In Nosocomio cuidam intestina corrosa, ità ut per foramina stercora exirent, jam propè desperato coaluerunt decocto Eupatorij cannabini, quod Ebusinæ adscribitur, cum vino parato, & poto & ulceribus infuso. *Rajus in hist. plant.*

EUPHORBIUM.

Euphorbium unde dictum sit nos docet Plinius *lib.* 25. *cap.* 7. *Invenit (inquit) Rex Juba quam appellavit Euphorbiam medici sui nomine & fratris Musæ, à quo divus Augustus conservatus fuit.*

Dioscorides Euphorbium Libycam arborem esse scribit ferulæ specie; Plinius folijs Acanthinis spectari ait: Galenus spinosam arborem dixit; quod (inquit, Stapelius) experientia comprobat. Verum quam pro Euphorbio proponit Dodonæus herba potiùs esse videtur quàm arbor.

Bodæus à Stapel Dodonæum tenellam plantam describere ait Euphorbij nomine, Lobelium adultam cerei spinosi titulo, vidisse se tenellam bis in horto Medico Lugduno Batavo; adultum semel ibidem.

Atque nec Euphorbium *Dod.* neque cereus spinosus *Lob.* sive diversæ sint plantæ, sive una & eadem, vera & genuina Euphorbicæ plantæ sunt: Ea enim est quam describunt horti Malabarici auctores sub titulo *Schadida-calli.* Quæ quoniam notis præcipuis succo lacteo acri, & vasculo seminali tricocco cum tithymalo convenit ei meritò subjungitur; quamvis flore, si rectè describatur, pentapetalo ab eodem differat. Ut olim, ita nunc dierum Euphorbium è mediterraneis Africæ à mari remotissimis delatum est.

Falsum est quod de fructu refert Leo Affricanus, & Jul. Scaliger, exire eos è radice cucumerum specie, sed oblongos adeò, ut binos interdum pedes expleant, 20. aut 25. numero, qui ubi maturuerint ferrò punctim aperiuntur.

Nomina. Euphorbium verum antiquorum, Schadida-Calli *Hort. Malab.*

Frutex est altitudine duorum hominum, nascens in arenosis, *radice* crassâ, rectâ in terram descendente, fibras hinc inde emittente, intus lignosâ, cortice exteriùs fulco, intus candido & lacteo tecta. *Stipes* qui ex radice simplex exoritur, diversis nodis distinctus, ac inter nodos in tres oras angustas eminentes, quæ planis lateribus terminantur extenuatus; in oris angulis extuberat, inter angulos sinuatus, & in angulis spinis rigidis, acutis & rectis fuscis & nitentibus, quę binæ & binę ac cuspidibus à se mutuo aversis prodeunt, munitus, cortice crasso, exteriùs viridi-fusco, etiam cùm est vetustior, vestitus: intus sub cortice pulpâ humidâ & albicante; nullo ligno; ex qua, ut & è suo cortice inciso lac copiosum emanat. *Folia* in extuberantibus angulis, supra ex spinis surrecta prodeunt, & quidem rara in singulis angulis unum numero in uno parvo, crasso plano, viridi ac lacteo pediculo, suntq; minuta, rotunda, crassa, lactea nullis striata venis, oris versus spinas nonnihil inflexa.

Flores in oris prodeunt maximè ex sinubus cavis inter angulos extuberantes seu spinarum ordines intermedijs ex parte eorum profundiori, terni simul in uno pediculo parvo, fermè semidigitali rotundo, viridi, lacteo, crasso, ex sinubus rectà exsurgente, qui duos minores pedunculos laterales transversim versùs oppositas partes emittit; estq; medius flos pedunculo communi insidens, reliqui duo pedunculis lateralibus: constant autem folijs quinq; curtis, crassis, solidis, rigidis, planis in superiore parte, medio corculo rotundo-plano, piloso, exterius ex viridi flavo circum positis; suntq; etiam lactei & viridi-diluti seu ex viridi subflavi coloris, odoris nullius; habentq; in medio stamina quatuor, quinq; aut sex, surrecta, bifurcata, supernè rubra, quę ex corculo inordinatè prodeunt; suntq; etiam lactei. Floribus prodeuntibus folia decidunt. Fructus qui ex florum corculo medio pedunculo surrecto, crassiolo, semidigitali, rotundo & viridi prodeunt, sunt plani, ac tribus eminentibus rotundiolis ungulis constantes, lactei ac colore viridi, dein ex parte parum rubescentes, saporis quoq; adstringentis, continentq; in unoquoque angulo, tanquam propriâ capsulâ *semen*, quod rotundum est ac cinereum, intus albicans.

Tota planta lactiflua est lacte acri & linguam adurente: semel in anno floret, Januario aut februario maximè.

Joa. Commelinus qui in horti Malabarici partem secundam commentatus est, hanc plantam verum esse Euphorbium se exinde scire scribit, quod sibi frustum hujus cum gummi ex Barbaria fuerit allatum, & deinde invenerit complures capsulas seminales, flores & frusta plantæ in succis coriaceis inter Euphorbium.

Videtur autem Malabaribus modus colligendi gummi esse incognitus, & lacteus succus Medicis tantùm esse in usu.

Non est ergo cur C. Hofmannus fabulosum putet, quòd Cordus 4. hist. 108. tribuat huic plantæ fructum in trifido folliculo, ternis utriculis conjunctum, Lathyridi similem.

Vires. Genera Euphorbij duo sunt. 1. Sarcocollæ modo pellucidum, flavum, pisi magnitudine, in guttas æquales densatum, modicè cavernosum 2. In utriculis quibus excipitur in massam densatur candicantem, aut vitri colore. Schrod. è Dioscor. Dos. à gr. 2. ad 10.

Eli-

Eligendum est purum, translucidum, candidum aut flavum & acre, quod levi linguæ contactu os accensum diu detinet, Annotinum, nimirum per ætatem perfectionem suscipere creditur, acrimoniâ cum tempore mitiore redditâ. Recens improbandum, ceu virium violentiâ suspectum.

Insignem quidem vim obtinet serum ac aquas ex toto corpore purgandi. Verum enim verò non sine violentia ac molestia, quam præter substantiæ proprietatem malignam, vi inflammandi exserit. *Schröd.*

Monet C. Hofmannus non tutum esse Euphorbij usum interiorem ne in visceribus refrigeratis.

Monet autem, 1. ne detur ulli calido & sicco, præsertim in morbo tali. 2. nè tenuet pulverisetur; contrà enim quàm in colocynthide faciendum esse.

Euphorbij usum egregium in carie ossium & vulneribus vide apud *Fabric. Hildanum* & *Wisemannum* nostrum. Sed cavendum est nè inspergatur ulceribus faucium, narium, palati ac linguæ, aut ijs locis ubi tendines aut nervi patent & denudantur, ne mordicando & vellicando symptomata periculosa excitet. D. Tancr. Robinson.

Ex radice addito pauxillo assæ fœtidæ vulgò Emplastrum, præparatur, quod ventri puerorum pro lumbricis commodè superimponitur. Cortex radicis contritus & sumptus cum aqua purgativus est. Lignum ejus contritum & decoctum cum aqua juvat in doloribus podagræ, si ejus fumus seu vapor excipiatur in parte affecta. *Rajus in Hist. plant.*

Eligatur *Euphorbium* purum, translucens, & ex ruso pallidum, in granula Orobi magnitudine concretum, quod levi gustu os diu accensum teneat. Adulteratur sarcocollæ & gummi Arabici, vel etiam sanguinis hœdini admixtione, sed gustus, qui tamen hoc loco, ob linguæ uredinem, difficile experimentum parit, maleficium dijudicat. *ex Ph. Aug.*

Præpar. ex Euphorbiô referente Schroderô ab Hofman. annot.

1. Correctum Euphorbium.

Correctum Euphorbij consistit partim in partium acrium volatilium abolitione, partim in residuarum malignarum ac calidarum mitigatione, quod fit.

℞. Euphorb. purificati ab omnibus fæcibus q. v. redige in exigua frustula ac inde pomo citrio vel Limonio excavato, massaque panis obvoluto, coque in clibano: euphorbium dein sic præparatum, (quod albissimum) vase vitreo serva. Quercet. Ph. Rest.

N. Augustana Pharmacopæa initio Euphorbium cum Ol. Amygdal. dulc. q. s. instar collyrij terere ac massam dein pomo imponere jubet.

2. *Correctio Euphorbij.*

Solve Euphorbium in aceto rosato, cola & inspissa ablueque 🜄 Rosarum.

3. Correctio Præstantior.

℞. Euphorbij (præstat quod prima correctione correctum,) affunde succum Limon. vel granat. acid. depurum, ad eminent. digit. 3. vel. 4. solve digerendo in MB, filtra calide ac coagula, Querc. Ph. R.

4. Correctio Præstantissima.

Solve Euphorbium cum phlegmate ⊖-li totali & integro suo spiritu impregnato, vel cum aquis citonior. pomorumvè curtipendulorum, oleo Sulphuris per C. vel spiritu ⊖-li acuatis, decanta vel filtra & coagula. *Querc. dict. loc.*

5. Extractum Euphorbij.

℞. Euphorb. opt. depurat. (ut supra cum aceto rosato) extrahe cum 🜅, decanta, coagula & denuo circula cum novo alcoole (♂ 8. 10.) dein separato menstruo coagula △ lento, adendo aliquod correctorium pro libitu: fiat mixtura.

Vires paralysi, Arthritidi, Spasmo, Hydropique conducit, pituitam nervis impactam expurgando ducit.

6. *Ol. Euphorb. stillat.*

7. *Ol. Euphorb. commune.*

℞. Euphorb. ℥ß. ol. cheirin ℥v. vini generos. ℥v. coq. ad consumptionem vini.

Præparata illa communiora, quæ Euphorbium ceu basis ingreditur sunt *Hiera Logadij.*

Pilulæ de Euphorbio, &c. V. 1, 3.

Sternutator. Colon.

Hofman. euphorbium.) Ab *Euphorbo Jubæ Regis Mauritaniæ medico* nomen obtinens. Est succus acerrimus ex sauciatâ arbore ferulæ speciem gerente profluens. Hujus Arbor acerrimo succo prægnans est, cujus eximium fervorem expavescentes incolæ, ovillas pelles circumligant, & eminus contra ramos ejus vulnerant. Ex plagâ copiosus succus in pelles defluit, qui posteà contretus colligitur.

Non sine violentiâ & molestiâ.) Per se scil. sumptum corpori damnum infert. *D. Balthal. Timæus à Guldenklee Lib. VII. de Morb. venenat. & malign. casu 8. p. 313.*

EUPHRASIA.

Εὐφροσύνη (inquit Dalechampius) dicta est hæc herba, quia oculos juvat & delectat, quam vocem imperiti Linguæ græcæ depravantes in Euphrasiam verterunt. Hunc refutat J. Bauhinus, quia nihil de hac herbula apud veteres Græcos aut Latinos occurrit.

Hujus notæ sunt folia venosa serrata, semina albicentia.

Vires. Euphrasia quoquo modo sumta, seu in pulverem redacta, & cum vino albo pota, seu per se sola masticata & deglutita, seu succus ejus expressus, aut aqua destillata videndi potentiam mirificè roborat & adauget, debilem aut amissam reparat & restituit. Inflammationibus & caligini oculorum adhibetur tusa, & imposita, aut succus ejus oculis inditus, sed præcipuè aqua destillata.

Fit ex Euphrasia, autore Arnoldo Villanovano, vindemiæ tempore vinum, cujus usu senum etiam oculi rejuvenescere feruntur, &c.

Casp. Hofmannus usum ejus despicabilem facere, ait, incertitudinem herbæ, quodque Arnoldus alijsque usum ejus restringunt ad pingues & pituitosos. Et quod ad vinum attinet malè illud cessisse socio & commilitoni suo Pena scribit. Nec mirum, non enim curat quamvis caliginem, sed illam quæ est à frigiditate, neque hanc omnem, sed positivè à pituita. Calidam enim & siccam esse plantam ostendit gustus; qui amarorem quemdam præse fert. Casp. Hofman.

Verùm si oculorum caligini conducit, non illud efficit calore aut siccitate: multa enim calida & sicca oculis non prosunt, sed vel tenuitate partium, vel specifica quadam proprietate. Tenuium autem esse partium vel illud argumento est, quod Tragus vino decoctam ac calidam propinatam morbo arquato utilissimam comperit.

℞. Macis ℨ. ß. *euphrasiæ* ℨ. ii. fiat pulvis subtilissimus. Dosis factis debitis evacuationibus unc. ii. valet ad Scotomiam & imagines. Maroldus pulverem doctoris Helidæi appellat. Dodonæus semen fœniculi & saccharum addit. Fuschsius in cataractis & suffusionibus commendat.

Fabric. Hildanus Autor imprimis celebris & fide dignissimus *Centur. Epist.* 103. tantum esse ait Euphrasiæ in imbecillitate visûs vim atque efficaciam, ut ejus usu septuagenarios quosdam propter vigilias & studia plurima amisso visu, in decrepita ista ætate eum recuperâsse observaverit. *D. Tancred. Robinson*; qui oculistas

quos vocant tum in Anglia, tum in transmarinis regionibus herbam ipsam exhibere, tum in acetarijs, tum in jusculis, tum etiam pani incoctam, & potui ordinario infusam extrinsecus autem in collyrijs, & fomentis applicare adnotavit. *Rajus Hist. Plan.*

Euphrosyne. vid. *Euphrasia.*

EXACINARE.

Exacinare, i. e. acinos eximere. *Schrod.*

EXALTARE.

Exaltare, i. e. rei potentiam alterando augere. vid. fermentare. *Schrod.*

Excipulum, vid. *Instrumenta Pharmaceutica.*

EXHALATIO, EXHALARE.

Exhalare idem quod evaporare. *Schrod.*

EXPRESSUM, EXPRESSIO, & EXPRIMERE.

Exprimere, i. e. premendo vel pressurâ elicere, sive id sola manu fiat, ut decocta exprimi solent, sive certo instrumento, quod prælum dicunt *Schrod.*

Extergentia, vid. *Detergentia.*

EXTINCTIO.

Extinctio est *ignita materiæ in aliquo humore suffocatio.* Illa verò materia extinguitur sæpius usta, sæpè & ignita tantùm : ut cùm gemmæ, & multa metallica, priusquàm urantur perfecte vino, aceto, aqua simplici, vel stillatia, vel succo quodam, aut liquore extinguuntur, donec planè refrixerint.

Multa pluries extinguuntur, ut lapis pyrites : nonnulli semel tantum, ut galla, & quædam extinguuntur ex se sola, citra materiæ cujusdam humectantis affusionem.

Weckerus Sylvij transcriptor argentum vivum saliva hominis jejuni extingui dicit. Impropriè tamen non ignita dicuntur extingui, sed emendari, seu præparari. Præparatur autem hominis jejuni saliva, emendatur salvia: Nam ut melius alijs miscendis concorporetur rectè saliva cogitur, quæ tamen illius qualitatem nihilo meliorem efficit: Salvia verò & nervos plurimum roborat, quibus argenti vivi malefica vis plurimum obest, quæ succo salviæ debet emendari.

Auri massa sæpius ignita nonnunquam extinguitur aqua communi, quæ utiliter datur dysentericis ad occludenda vasorum oscula, & elephanticis ad robur partium principum & exhilarandos spiritus. Non enim temerè creditur aurum ut exteriora reficere, sic & interiora.

Ut aqua salutaris est ad multorum affectuum profligationem, in qua pluries chalybs fuerit extinctus: Sic chalybs ipse in scobem redactus, ignitus & extinctus aceto eximius est ad multos usus.

Tanta vis est extinctionis, ut vires humoris, quo aliquid extinguitur, in se trahat & retineat. Sic cadmia interdum vino, interdum aceto, pro varia intentione Medici extinguitur: & ferrum ignitum nonnunquam hydrelæo extinguitur, ut magis ductile fiat, ad cassides, & alia arma facienda : aliquando verò aqua sola extinguitur, & magis fragile redditur. *Joan. Renod.*

Extractio, *vid.* de eâ sub titulô *Solutio* & proximè etiam sub titulô *Extractum.*

EXTRACTUM.

Utut extracta latiori significatione generalissimè accipi queant de omnibus ferè pharmaciæ selectioris paratis liquidis spissisque medicamentis, quatenus singulæ hæ operationes, tincturæ, essentiæ, elixiria reverà extracta hoc modo sunt, nisi enim quid extraxerint de corpore extrahendo, nomen hoc vix merentur eadem; attamen usus obtinuit, ut speciali notione discrimen inter hæ quoddam obtineat. Tacebimus item hîc, quod jam sub elixirijs diximus, in singulis his requiri essentialia ingredientia duo, corpus extrahendum & liquorem extrahentem. Notabimus verò.

(1.) *Essentiæ sunt liquores virtute certi simplicis impregnati; extracta saturatiora.* Non scilicet sunt simplices solutiones, ubi integrè atque penitus in liquorem abeunt solvenda corpora, sed sunt solutiones, modificatæ, menstruo convenienti factæ, quatenus non totum solvitur, sed pars, & quidem purior atque subtilior, adeòque quasi ipsa vis, virtus atque anima, quam vulgò sæpè Quintam Essentiam nuncupare consueverunt. Liquores sunt essentiæ absolutè, ut adeò immutatum fuerit menstruum & alterius quasi animam transsumserit, proprium nomen amittat, & novum sibi ab eo mutuetur, quod extraxit & cujus succum & sanguinem velut in se derivavit. Extracta verò in hoc non acquiescunt, sed partem, si non totum, menstrui abstrahi gaudent, ut liquor sit admodum concentratus, saturatus & magis de solutione hâc corporis, quàm de menstruo, sed saltim in æquilibrio utrumque supersit.

(2.) *Ex plantis & aromatibus alijsque sale volatili refertis essentiæ quidem, extracta verò non benè parantur.* Non omnia ex omnibus, quod *Anaxagoræ & Democriti* axioma fuit, hîc æque fiunt, ut itaque plantæ volatili sale imprægnatæ non benè decocta ingrediuntur; ita nec bene extrahuntur eædem. Sic ex pipere, cinamomo, cochleariâ, caryophyllis &c. in quibus nempe vel solum sal volatile eminet, vel sulphuri conjuncto tamen prædominatur, elegans essentia parari potest, & in specie essentiam piperis *Langius tract. de acidulis Ægranis* eximiè ex Chimico Gallo commendat, si nempe spiritus vini granis piperis integris affundatur, & extractio fiat; ast cum extracta relinqui debeant à menstruo, & hoc ipso fixiora esse, esse, minus avolare apta, absurdum fuerit, ex his ipsis extractum parare. Revera enim umbram pro corpore, cadaver pro animâ seu magma iners pro extracto relinquitur, id quod ipsa mechanica satis probat, sic piper post destillationem v. g. olei, plane omni sapore caret, sic caryophylli, sic cinnamomum, evocatis aqua & oleo, plane sunt insipida; Sic neque ex seminibus aromaticis, aniso, fœniculo, cubebis & similibus, adde etiam moscho &c. commode extracta parari queunt.

(3.) *Amara, resinosa, viscosa, gummea, fixiora, extrahi magis apta.* Intentio cum sit, artis beneficio à materiæ crassamento nobiliorem remedij portionem vendicare, & (sicubi eæ adsunt) à qualitatibus ejus noxijs vel adversis detractis, quæ reliqua fuerint in libertatem utilis operationis adserere, verba sunt *Zwingeri exam. princip. chimic. p. 163.* Hinc meritò puri ab impuro, utilis ab inutili hæc diacrisis seu solutio benè est observanda. Cum itaque mercurialia & aërea omnia magis destillationi quàm extractioni sint apta, reliquum est, principaliter quidem sulphur esse extractionum subjectum, adæquatè verò reliqua ipsum illigantia, sive aqua, unde gummosa evadunt seu media, gummi - resinæ dicta, corpora, sive salia fixa & terrena, ut amara & austeriuscula, & ipsa cumprimis resinosa huc faciunt. Sic extractum absinthij, acori veri, castori, croci, helenij, gentianæ, juniperi, zedoa-

doariæ, tormentillæ, symphyti, item extractum ligni sancti, ligni aloes in usu sunt, quæ posteriora resinosa sunt & non minus ac resina scammonij, galappæ & aliorum purgantium similium nomine magisteriorum venire possunt. Adeoque extracta cum evaporatione (quod signum quasi est distinctivum) illis magis conveniunt, quæ evaporari minus & difflari apta nata sunt, contra ea vero magis in fundo relinquuntur, etiam post evaporationem destillationemque. Pertinent huc enim ipsa extracta ex animalium & mineralium classe, uti extractum splenis bovis in usu est; extractum martis purgans describitur à *Sennerto lib. 3. prax. p. 5. s. 1. cap. 6. p. m. 536.*

(4.) *Menstrua extractorum variant & pro diverso subjecto varia eligenda.* Utut enim spiritus vini præter alia supra jam recentia longè sit communissimus, & tanti fiat ab *Helmontio*, ut nobile medicamentum nullum dici mereri judicet, nisi quod cum spiritu vini optimo arctiori nexu sit nuptum, ut ad penitiores vasorum recessus penetret, id quod apprimè ad essentias parandas valet, & ad extracta quoque extendendum est; Attamen diversitas subjecti necessariò quoque varietatem menstrui importat, non enim omnia omnibus solvuntur & extrahuntur. Hinc in extractis panchymagogis unico menstruo commodè vix extrahuntur omnia, v. g. rhabarbarum lixiviosis magis extrahitur quàm spirituosis, galappa & scammonium optimè spirituosis, aloe iisdem deturpatur pro purgandi fine. Ea itaque, quæ resinositatem secum habent, hoc menstruo optimè parantur. Valet id etiam extractus alijs. Menstruum enim seu extrahens & materia extrahenda sunt relata.

(5.) *Menstruum ad extractionem optimum quod immutabile, homogeneum, non relinquit vel imprimit sui characterem.* Agens quidem est menstruum, quod non agit ad modum activitatis suæ, sed ad modum receptivitatis subjecti, id verò solùm valet & intelligendum est de extractionis & solutionis actu, seu in fieri, hæc ipsa verò actio, quando jam facta est essentia vel extractio, quasi cessat, & actuatur ipsius tunc medicamenti desiderata energia, ipsum verò quasi stat post principia. & cedit illi, quod liberavit & sibi quasi reddidit. Hinc nec ipsa menstrua aquea sunt rejicienda, sed in suo gradu longè quoque sunt nobilissima v. g. aqua roris majalis, phlegma aceti destillati insipidum, à præparatione arcani tartari scilicet residuum, aliaque, quod nullam penitus sui notam vel qualitatem post se relinquant. Videri hanc in rem quoque potest inprimis *A Sala, l. de Essent. vegetab.* Hinc nisi spiritus vini sit rectificatissimus, post se relinquit, factâ evaporatione, cum extracto fæces suas acidas & terrestres, unde sæpe vomitum cient, & certus sum, sæpe extractum opij cum spiritu vini paratum magis ciere quandoque, per accidens licet, vomitum ob hoc ipsum, quàm suâ naturâ. Hinc quæ extracta sunt cum aceto destillato, omnia acidulum odorem post se extracto relinquunt, adeoque consultum est quandoque eadem novo menstruo extrahere, præterquam si ✠ corrigentis simul vice fungatur, ut in extracto hellebori nigri communi modò parati. Verbo, quæcunque menstrua post se feces relinquunt; quando evaporantur, illa minus ad extracta paranda apta sunt.

(6.) *Quæ mediæ sunt naturæ, partim gummea, partim resinosa, diversis etiam æquè parent menstruis.* Sic gummata solvuntur & depurantur aceto, est enim in illis pars sulphurea magis pansa & dispersa, adeoque obsequens etiam illis, quibus sibi relicta minus parebat, licet commodius ferè sit, ob dicta jam acetum destillatum recipere. Alias verò simplici aceto, non destillato, nunquam paranda extracta. Sic opium extrahi menstruis aqueis, & quidem longè commodissimè; acidis, ut aceto destillato, quod ipsum magis corrigit & figit; sulphureis & spirituosis, ut spiritu vini, cumque singula hæc extrahant partes ejusdem puriores omnibus æquè obsecundantes, singula etiam possunt retineri, neque absolutè hoc vel illud rejiciendum. Sic aloe & spiritu vini extrahitur & aqueis menstruis, notabile verò est, gummeam illam partem longè præsentius purgare, quam resinosam, seu extractum aloes cum aquâ simplici vel roris majalis, pluviæve destillatæ paratum ad laxandum aptius est, quàm cum spiritu vini factum. Hæc ipsa verò extracta nihil sunt aliud, quàm depuratior & activa magis pars adeoque verbi gratia, opij, scammonij, &c. præparatio per extractionem & evaporationem longè melior est, quàm fumigatum quovis modo, quia in his feces relinquuntur, in illis autem auferuntur. Concludimus hinc porrò illa, quæ diversis parent menstruis, eo, quod convenientius est operationi & effectui eligendum esse. Id enim præcipuè intendimus, ut virtus, quantum fieri potest, concentratior, ac nobilior, citra castrationem excellat, quo ipso quoque & depurationem & propter hanc correctionem consequimur, ut additamentis alijs vix opus sit.

(7.) *Extracta alia sunt liquida, alia spissa, alia simplicia, alia composita; alia alterantia, alia purgantia.* Liquida seu fluida mediocri, spissa totali evaporatione confiunt, menstruo suo abstracto in novos usus, quod in pretiosioribus locum habet, ut spiritu vini; spiritu viridis æris, &c. sive evaporato & in auras difflato, in vilioribus aqueis, quorum facilior est jactura, &c. Liquida guttulis per se, vel cum alijs dispensantur, spissa pro pilulis magis expetuntur. Sæpe etiam succi inspissati extracta, sed impropriè audiunt, quia nondum puriora, & ex his sæpè extractum denuò cum spiritu vini fit, vel essentia, unde exempli gratia, essentia antiquaria fieri potest ex extracto scordij, absinthij, centaur. min. & similibus cum spiritu salis ammoniaci & spiritu vini. Sic essentia tormentillæ, symphyti &c. ex extracto fieri potest. Notandum verò hic, quod essentiæ cum aqueis menstruis factæ facilè corrumpantur, verbi gratia, essentia croci cum aquâ vitis facta, quàm tanti nonnulli æstimant, nisi inspissetur ad consistentiam extracti, perditur & corrumpitur è vestigio. Ipsa verò simplicia extracta sæpe sunt meliora compositis, præsertim non in unum & eundem scopum combinatis. Sic extractum opij vel laudanum simplicissimum ex solo opio factum longè præferendum est, nostrâ quidem sententiâ, omnibus laudanis hinc inde prostantibus, cum essentiâ specierum diambræ, diamoschi dulcis, magisterio perlarum, coralliorum & similibus factis, ipsa enim hæc pro extemporaneo usu longè felicius adduntur pro rei intentione, & variatione circumstantiarum. Par quoque ratio est, si massæ pilularum extrahantur, unde inter alia fit potissimum, quod tam infidum effectum vulgò edant ex hisce talibus præscriptæ pilulæ. Imò præstant extracta simplicia sæpenumerò ipsis compositis, quod & de alijs quamplurimis valet vulgatis combinationibus, in quibus τὸ πρέπον, quoad decentem miscendi modum, minus observatum deprehenditur. Præstat scilicet præparare, quæ præparanda sunt, & componere hinc pro lubitu vel necessitate potius, ne farragine obruti ingredientium vel dubij reddamur, vel decipiamur. Et hoc modo plus scientiæ emergit ex uno processu ritè intellecto, quàm ex centum aliis confusione solâ conspicuis.

(8.) *Essentiæ magis roborant & alterant; Extracta purgantia pigriora,* Potest quidem resina scammonij vel galappæ cum spiritu vini solvi & in essentiam redigi quod commodum satis, sed paullò tamen calidius præbet

bet medicamentum,quo etiam spectat essentia galappæ rosatæ,quam describit *Simon Pauli quadrip. Botan. p.474.* ast communiter extracta magis ex purgantibus in usu sunt, quàm essentiæ. Quod verò extracta cathartica pigriora sint, experimentis patet, hinc resinæ galappæ ℈ß,licet æquet proportionaliter ad minimum ℈ ij. galapæ in substantiâ consideratæ, non plus tamen purgat quàm ℈ 1.galapæ,imò sæpè & utplurimum nullum planè effectum edunt ex solâ resinâ scammonij vel galapæ præparatæ pilulæ, vel infidum, seu, purgant omninò, vel fortius ac debebant. Quæritur verò non immeritò, quare id fiat,nec subsequatur effectus fortior, cum tamen quinta essentia quasi seu pars optime, saltim sint & dicantur resinæ,extractaque. Vera hujus rei ratio consistit in resolutionis ratione.Scammonium, gialapa,rhabarbarum, ut sic mixta purgant, quatenus sulphur est dispersum magis, adeoque facilius resolvuntur, & consequenter stimulum intestinis ad excernendum humores addunt. Hæc ipsa verò resolutio medicamenti fit à sero præcipuè, quod uti est alimentorum,ita & medicamentorum vehiculum. Quando verò unitæ sunt magis particulæ resinosæ sulphureæ conglobantur, ægriusque resolvuntur, & quando resolvuntur tamen, quod fit in corporibus salinis humoribus inprimis abundantibus, longè præsentius tunc salino-sulphureum suum stimulum explicant & cum corpore communicant.Hinc resinæ purgantes optimè dentur cum emulsionibus; hinc consultum est,extractum scammonij vel galappæ cum galappâ ipsâ miscere, quod toto die cum successu facimus. Notabile etiam est, præter resinosas partes in galapio v.g.latitare etiam gemmeas, quæ seorsim, quando præcipitatio fit, in conspectum per evaporationem decantati liquoris veniunt,minus tamen purgantes.Ex dictis his facilè efficitur,quid statuendum sit,de *Lavateri* illâ sententiâ, qui *defens. Galen. p.72.* experientiâ se edoctum,*ait*,simplicem purgantium infusionem si exhibeatur, plura efficere,quàm extracta ipsa,quod virtutem purgantem medicamentorum existimaret magis in sale hærere, quàm in sulphure vel mercurio; sal enim nunquam cum 🜄 misceri, quamvis aliquid tincturæ successu temporis ex eo eliciat.

(9.) *Extracta ob spiritum vini non calidiora fiunt; essentia vero ultra hujus sphæram operantur.* Solet hoc à nonnullis objici contra extracta, illa ipsa non retinenere genium suum, sed à spiritu vini mutuari sibi calorem quendam accessorium, adeoque minus esse utilia. Verùm præter id, quod non omnia extracta fiunt cum spiritu vini,sed & per alia menstrua, uti notabile est & suo loco à nobis jam dictum, quod à destillatione aquarum, quæ gummosa & resinosa sunt, extracta quasi loco superpondij fundant. Est nobis hoc modo in usu extractum scorzoneræ longè elegantissimum solâ inspissatione post destillationem aquæ paratum, temperatum citra ullam excessivam qualitatem. Præter id, inquam planè absonum hoc est per mechanicam, abstrahitur enim vel evaporatur item spiritus vini, ubi nemo non videt, partes spirituosas aufugere relictis aquosioribus. At quod essentias attinet, utut spiritu vini factæ fuerint, attamen plus quàm spiritus vini valent & operantur, alio sapore, odore & alij, conspicuæ. Unde rectè *Zvvingerus exam. princip. chim cap. 11. p.185.* ardens spiritus vini, *inquit*, vehiculum est educendæ spirituosæ virtutis, unde quæ affuso spiritu vini extrahuntur, libera sunt à caliditatis nimiæ calumniâ.

(10.) *Sal proprium extractis addere superfluum est. Penotus* jubet, ut extractis addatur sal proprium 1. Ne extractum digitis hæreat, omne enim digitis adhærens stomacho majus facessere negotium, 2. Quod sic citius in stomacho dissolvatur & penetrando aperiat. Verùm hoc pertinet ad nimiam curiositatem chimicorum, qui sanè sæpenumero in excessu peccant; ut Galenici in defectu, & nimia subtilitate scrupulosè simplicitatem naturæ pervertunt. Hâc ipsâ verò simplicitate efficimus, ut omnia melius sciamus & curemus, hinc exactum opij simplicissimum & pulveris, & liquidâ, & mediâ pilulari formâ facillimè reformari potest. Præcipuè verò id in purgantibus præstare velle planè ineptum est, sal enim ex purgante elicere & hinc extracto suo addere v.g. ex helleboro nigro, reverâ est multiplicare entia præter necessitatem. Non negamus interim, salia his misceri posse, siquidem id usus postulet, sed id potissimum volumus, præstare, ut singula suis loculis adversentur, ex quibus depromi. combinari & in usum cedere possint, citra superstitiosam ejusmodi fabricam. *Wedelius.*

Ex Schrodero ab Hoffmanno annotato.

De Extractis; ac 1. Menstruis.

Extractorum campus latissimus est, fieri nimirum possunt ex *mineralibus*, *vegetabilibus ac animalibus.*

Liquor cujus beneficio extracta fiunt, (Menstruum vulgò dici solet) varius occurrit. Spiritus vini, (spiritus juniperi, spiritus Mannæ,mellis,spiritus Terebinthinæ, Vinum, Hydromel; serum lactis, ros majalis, uti & hujus spiritus, acetum destillatum. Aq. stillatitia, (sive ex aqua fontana pluvialive, sive ex vegetabili uno, aut pluribus, & simil. elicita illa sit.) Nec enim quivis humor, cuivis extractioni convenit, sed certus certæ, sulphureus sulphureæ, salinus salinæ, &c.

Hoffman. *Liquor, cujus beneficio extracta fiunt, Menstruum vulgò dici solet.*) Hoc Nomen communiter liquoribus imponitur,qui corporibus affusi ea solvunt,vel etiam aliquid ex illis extrahunt. Sunt autem *Menstrua* dicta vel *Naturalia*,vel *Artificialia*,Ex *Naturalium* censu est *Aqua communis*, quæ corpora simpliciora, cum quibus habet conformitatem vel symbolum beneficio figuræ vel texturæ partium facillimè dissolvit, corporis compagem reserando, ejus particulas in poros suos ceu sinum quendam reponit, & sales diversæ figuræ ut conformes facile suscipit & imbibit. Hîc *Menstruum* in sua actione resolvens & extrahens veluti ventriculus quidam est, aut interna reliqua viscera appetitu insito simile allicientia, & postea alijs iterum reddentia, quomodo aliqui Aquas solventes Ventriculos struthionis appellarunt ex simili. Nec ventriculus nec alia viscera retinent id quod assumserunt, sed reddunt alteratum. Nostræ Aquæ item sibi commissæ revomere coguntur, sed citius, quàm alterare vel mutare Naturam assumti queant. Libavius in syntagmat. arcan. chymic. Lib. 7. Cap. 9. Sic Aqua non modò pura salia dissolvit, sed & crystallos tartari, aloën, gummi arabicum, bdellium, tragacanth. Sacchar. & alia concreta, quæ alia menstrua sulphurea aut spirituosa intacta relinquunt. Hæc quodammodò subit, & inde aliquid totius concreti naturam redolens aufert. Sic v.g. Vegetabilia, animalia, & illorum partes aquæ communi infusa ipsi de substantiâ suâ atomotenus aliquid communicant, quod in poros suos diversimodè dispositos & figuratos recipit, ut patet ex decoct. radic.cichor.h.absinth.gelatin. C C. eboris, alcis &c. Inter Artificialia menstrua referuntur simpliciter Sulphureæ, aut salino sulphureæ, vel simpliciter salinæ Naturæ &c.

Nec enim quivis humor cuivis extractioni convenit, sed certus Sulphureus certæ, Sulphureæ, Salinus Salinæ. Ideoq; unicuique rei extrahendæ, quod ipsi affine & homogeneum est, menstruum est addendum. Sunt autem

autem Menstrua diversæ naturæ, quædam enim sunt puræ sulphuraæ naturæ, quædam salino-sulphureæ alia salina &c. Puræ Sulphureæ Naturæ Menstrua sunt, quæ ex corporibus sulphureis sub olei formâ per destillationem, ut ol. Cinamom. anisi. Citri. Terebinthin. juniperi &c. vel expressionem, qualia ex amygdalis, olivis & alijs vegetabilium fructibus educuntur. Quæ non solùm ex vegetabilibus, sed & pro extrahendis mineralium Sulphuribus egregiè faciunt. Sed commune Sulphur promptè potest in oleo terebinthinæ dissolvi, & eodem oleo crudum Antimonium subtiliter pulverisatum in sanguinei coloris balsamum dissolvitur. Prout & cum oleo cinamomi d. ex ☉ prius recluso tinctura extrahi potest, *Menstrua salino-sulphureæ naturæ sunt*, quæ præter partes Sulphureas etiam salinas obtinent, ut videmus in spiritu vini tam simplici, quàm Tartarisato &c. quas Sulphureas facilis flammæ conceptio, salinas autem illarum per encherisin à spiritu vini separatio evincit, quibus vegetabilium & animalium partes salinæ & sulphureæ extrahuntur. Unde non modò dissolvunt purum Sulphur concretorum, sed totam etiam substantiam complurium corporum resinosorum, verbi gratia, succinum, benzoi, &c. in liquorem redigunt. Alia autem minus Sulphurea aut resinosa corpora, ut salia fixa herbarum, saccharum & gummi Arabicum in Aqua, solubilia intacta relinquunt. Menstrua salina sunt vel salia volatilia urinosa aut alkalia fixa. Vel acida volatilia, aut, fixa. In salium volatilium urinosorum numero sunt quæ salibus urinosis volatilibus turgent, & ab alkalibus fixis quodammodò differunt, qualia verbi gratia, Sal Tartari volatile. C C. cruoris cervi, humani. Urin. fuliginis &c. superioribus alkalibus fixis longè potentiora. Fixa salia sunt alkalia, seu salia purè salsa, ut sal Tartari, absynthij, Cichor. &c. Ac licet plus præcipitationi, quàm extractioni aut dissolutioni inserviant, cùm tamen valdè penetrantia sint, his non solùm menstrua aquosa, sed & sulphurea pro extrahendis vegetabilium subtilioribus partibus acui & exaltari possunt; Et propterea corporum Sulphureorum compedes solvendo juvant faciliorem illorum extractionem per spiritum vini, ut videmus in tincturâ Sulphuris Antimonij Tartarisatâ, lacte sulphuris &c. *Ad Menstrua Salino-Acida spectant.* Aqua forti, Aqua regia, Sp. Vitrioli, Nitr. Sal. comm. O. Vir, ær. & qui ex eorum pluribus simul mixtis summè corrosivi & penetrantes destillantur, unde corpora pleraque metallica facilè subeunt in illorum compagem & texturam dissolvendo in partes minutas dispescunt Cùm enim omnia metalla cum spiritibus acidis & alijs salibus etiam purè salsis symbolizent, ideoque etiam salia vel salini acidi Spiritus, qui sunt in menstruo solvente metalli partes atomotenus ad se attrahunt, sibique uniunt, & metallis menstrua aliam formam externam induunt, & ita in liquorem redigunt, vel in pulverem aut sali formem substantiam. Hæc menstrua acida contra ceram, picem, & similia non solvunt, contra talia in oleo & pinguibus solvuntur. Atque hoc est, quod Dominus Autor Noster vult cuique rei solvendæ vel extrahendæ symbolicum aut conforme menstruum esse eligendum, cùm non quodvis cuivis extractioni conveniat, sed certum certæ, sulphureum sulphureæ, salinum salinæ &c. Verùm, in quonam ista symbolizatio seu convenientia consistat, in diversum abeunt Doctores, Quidam nudam substantiæ similidinem sufficere statuunt, ut quæ spirituosa spirituosis, quæ Sulphurea Sulphureis, quæ salina salinis sint solvenda, & extrahenda, ut suprà indigitavimus. Alia contra hanc rationem pro minus sufficienti agnoscunt, & non tam similitudinem substantiæ, quàm modum substantiæ hoc est, primò quæ pondera concernit, ut grave & leve; deindè raritatem & densitatem ac denique figuram corporis partium pro causâ similitudinis aut conformitatis intellectum volunt. Cum quibus & ego facio *vid. Sylvester Rattray in tr. de Sympath. & antipath.* Nam quod in phiola spiritus vini rubro colore tinctus supernatet, Spiritus terebinthinæ cœruleo imbutus colore proximum teneat locum, & hunc excipiat aquæ communis portio viridi perfusa colore, terræ denique loco sit scobs delimata, causa est gravitas & levitas dictorum corporum, ut si etiam violento agitentur motu, ut ne ullæ quidem horum corporum atomi ibi deprehendantur, cessante tamen agitatione unamquamlibet quatuor harum substantiarum locum suum naturalem mox repetere conspicias, colligendo scilicet omnes suos atomos & eas revocando in massam adeò distincti ordinis, ut ne minima quidem permistio possibilis ibi amplius deprehendatur. Huc etiam refertur lucta inter aquam salsam marinam & dulcem elementarem. *Deinde*, Natura & Effectus quantitatis est, ut omnes res, quas circumscribit, & in quibus reperitur, in unum cogat, quia formalis ratio quantitatis consistit in indivisibili, ex quo sequitur, eam pluralitate non delectari, ideoque ex se ipsâ & suâ Naturâ mera & continua extensio existit. Cujus primæ differentiæ Raritas sunt & Densitas, quæ similem in corporibus eodem cum illis gradu convenientibus effectum producunt, qui tamen absque locali motu fieri nequit. Et secus si esset, quî fieret, ut aquei liquores tam promptè se ad invicem diffunderent, & tam exquisitè sibi commiscerentur quomodo aquæ particulæ in corporum interiora penetrarent & alterationes cierent, simili modo oleum oleo, spiritus spiritui vini &c. commiscetur, & sacchari vel salis moleculæ in aquam injectæ tam subitò tamque perfectè in eâ dissolvuntur, ut ipsæ penitus evanescant, & dissociatæ partes à partibus aqueis quaquaversum à fundo ad ipsam etiam superficiem circumferantur. Contrà autem difficulter oleum & aqua, Mercurius & spiritus vini cum alijs diversæ tenuitatis & densitatis corporibus uniri possunt. *Tertia* ratio conformitatis corporum, quâ sese amicabili vinculo constringunt, consistit in figurâ, & texturâ æquali, sed non sine motu etiam locali. A motu enim est, quod una pars materiæ agat in aliam, estque ut plurimum textura corporis, quod partes moventes feriunt, quæ motum & impressionem modificant, cumque eo ad productionem istorum effectuum concurrit. Et sanè si perpenderis, inquit Nobiliss. Anglus Robertus à Boyle in paradox. chymic. quousque vel mera texturæ mutatio, facta vel ab Arte vel Naturâ exporrigere sese possit in novis ejusmodi qualitatibus in unâ eâdemque materiæ portione producendis, quodque omnes chymicæ productiones non tàm à formâ substantiali, quàm ab harum qualitatum aggregato denominari ac distingui, si, inquam, hæc perpenderis, quodque variatio vel figuræ, vel molis, vel motus, vel situs, vel nexus corpusculorum, unde ullum horum corporum componitur mutare fabricam ejus possit, forsan unà mecum induceris ad suspicandum non adeo necessarium esse, ut Natura semper habeat in promptu Elementa, aut tria Prima, unde talia corpora, quæ mixta vocamus componat. Non enim illicò sequitur, si virtus alicujus medicamenti extrahitur aquæ aut spiritus vini opera eam in sale vel Sulphure concreti residere, eò quod nisi prius corpus fuerit resolutum ab igne aut aliquo alio potenti agente, ut plurimum in dictis corporibus liquidi, largietur potius subtiliores partes compositas sui ipsius, quàm elementares. Et uti supra innuimus, Aquam non modò pura salia dissolvere, sed & crystallos Tartari, gum-

gummi A. Myrrham, bdellium & alia concreta. Uti etiam olea quædam non modò oleosa & Sulphurea, sed etiam salina dissolvunt. Sulphur promptè potest oleo terebinthinæ dissolvi, licet æquè innato suo acido sale ac vero sulphure abundet, testante illud ipsum magnâ salini liquoris copiâ, quam campana vitrea largitur. Extracta spiritu vini parata non purè Sulphureæ naturæ, aut illorum corporum, ex quibus extrahuntur, Sulphura sunt, sed & ipsa valdè discrepantibus qualitatibus sunt instructa juxta particularium corporum ea largientium naturam, figuram, & texturam, ut satis causæ sit suspicandi, vel ipsum ab aromatibus aliisque minus compactis vegetabilibus substantias, quæ perfecta Sulphura non sunt, sed & alia mixta corpora, ut destillatio docet, per se extrahere, vel portionem aliquam materiæ posse absque eo, ut cum novis ingredientibus componatur, mediante texturæ, figuræ & motus minutarum ejus partium mutatione facile ignis adminiculo novis qualitatibus imbui, magis ab iis, quas antea possidebat, discrepantibus. Quemadmodum enim videmus, cùm lapides Vitriolo abundantes aquâ pluviali sæpe fuere madefacti, liquorem tunc pulchram ac transparentem substantiam in vitriolum coagulabilem elicere, attamen licet hoc vitriolum promptè in aquâ dissolvi possit, non est tamen sal elementare, sed corpus valde heterogeneum, simili ratione, quamvis extracta videantur quodammodò Sulphureæ naturæ affinia, alias tamen etiam obtinent substantias, quæ Sulphureæ naturæ non sunt, sed etiam salinæ vel alterius corporis, prout essentiæ peculiari modo ex Extractis paratæ liquidò declarant. Si demum Menstruum dissolvens corpori dissolvendo aut dissoluto ratione similitudinis substantiæ correspondere debet, qui fit, quod metalla nonnulla à quovis liquore acido facilè corrodantur, interim alia, ut ☉ & Lun. à solvente peculiari reserari postulent? Sic v.g. Aqua fortis Lunam, Sole intacto arrodit, addito ✳ fit proprium aurum dissolvens relicto argento. *Thom. Willis in tr. de fermentatione Cap.* 9. hanc causam reddit, argent. & aurum compactiora esse metalla à terrestri materiâ plurimum defecata, quare non à quolibet solvente, sed ab ejusmodi tantum menstruis, quæ sale cum istis homogeneo constant, in partes frangi. Cùm igitur Lunæ compages à sale Vitriolico dependeat, & ☉ à sale ammoniaco, hinc aqua fortis, quandiu Vitriolicâ pollet virtute cum ☽ sale combinatur, ideoque compagem ejus recludit; veruntamen ☉ concretionem, quæ à vinculo heterogeneo dependet, minimè laxat, quod si huic menstruo ✳ addatur, vitriolici potentia deletur, & solventis spicula salina Lunâ intactâ solummodo Soli adaptantur. Verùm, si primò hujus phænomeni ratio in corporum firmitate consisteret, quâ aliud est compactius altero, argentum compactius ferro, aurum compactius argento &c. Cur Aqua regia non solvit argentum atque ut aurum magis compactum metallum? Diversitatem salium prætendis; dum Luna sal vitriolicum, ☉ sal ammoniacum habet compactum; sed, quis unquam quæso vel ex fixissimo corpore vel ex ☽ aut alio corpore metallico igni expositis, in operationibus etiam violentissimis, sal extrahere potuit? Ejus enim constituentia adeò arctè sibi invicem sunt unita, ut in maximâ etiam ignis torturâ deprehendamus ipsi ne quidem suæ fixitatis aut ponderis quippiam perire, nedum ut vel mica salis inde extrahi possit. Quare & supra citatus Robertus Boyle l. c. nunquam inquit, Sal ☉ conspicere mihi datum, nec ex ullius fide digni autoptæ testimonio habeo, tale quid unquam in naturâ separatum fuisse. Et quod Argentum attinet, nunquam mihi videre contigit, ullum ignis calorem adigere illud potuisse, ut sal suum dimitteret, quomodo igitur in Lunâ vel sal Vitriolicum, in Sole sal ammoniacum prædominabitur? quæ non insunt nec unquam inerunt aut infuerunt. Eadem est ratio de gemmis. Licet etiam spirituum corrosivorum, qualis Aqua regia & Aqua fortis, ope in liquorem salinum redacta Lunaris, solaris, vel gemmarum salis larvam induant, tamen perito ac rigido facto examine ab involucris salinis spoliata pristinam iterum vel ☉ vel ☽ &c. exhibent formam, quamvis nulla horum in patiendo facta substantiæ alteratio, aut ponderis diminutio. Hæc cum ita sint, alia subsit ratio necesse est. Et res altius erit expendenda; Cum autem unaquæque corporum species propriam sibique convenientem affectet figuram, quæ juxta materiæ concursum, motum & quietem retineatur vel mutetur, (sic Natura geometrizat) etiam salibus hanc non deesse inclinationem statuimus cum *Nobiliss. Digbæo ex Gassendo.* Hi enim licet dissoluti, coagulati; & diversimodè permutati, singulis tamen solutionibus & coagulationibus peractis semper ad pristinam & naturalem suam figuram redeunt, & unaquæque atomorum ejusdem salis semper eandem & propriam sibi figuram repetit, Sal communis abit in cubos quadrangulares. Sal Nitri in columnas sexangulares, Sal armoniacus in sexagonos, Sal urinæ in pentagonos, Vitriolum in quadragonos. Et ita etiam cum cæteris salibus comparatum est. Nec hæc sufficiunt, sed & ipsa subjecta) in quæ dicta salia operantur, pro figuræ varietate etiam variant. Sic notum est, si super cap. mort. alicujus Aqua inde destillata vel spiritus per cohobium affundatur, Eam à cap. mort. facilè imbibi & statim cum eodem uniri. Contra vero si alia superinfundatur aqua, Eam supernatare & magnum ut in unum corpus coalescat, facessere negotium. Cujus ratio est, quod scilicet aqua destillata, licet homogeneum, & multis tamen diversæ naturæ & diversæ hoc etiam figuræ corpusculis composita sit. Atomi verò hæ actione ignis ex cubilibus suis & quasi lectis exactissime earum extensioni adaptatis propulsæ, quando antiqua domicilia hoc est, poros illos cap. mort. quos vacuos reliquere, repetunt amico admodum nexu iterum conjungantur, & quasi commensurentur. Dari autem differentis figuræ poros in corporibus, quæ homogenea esse videntur, modo laudatus *Digbæus* probat solutionem salium diversorum ratione figuræ in Aqua factam. Quando, inquit ille tantum salis communis, quantum aqua capere potest verbi gratia, libram unam in eâ solvas, & tantum unicum ejusdem scrupulum libræ dictæ superaddas, eum integrum in fundo instar sabuli relinquet: nihilominus tamen multum adhuc salis Nitri dissolvet, etsi aqua non amplius in salem Nitri agit, tantum adhuc salis ammoniaci solvet, & ita cum reliquis diversæ figuræ salibus comparatum est. Hæc si ad rem præsentem accommodemus, videbimus Menstruorum actionem etiam pro illorum & dissolvendorum externæ figuræ varietate variare, ut, quæ ejusdem figuræ, facilius commisceantur, & potentius coalescant, & contra, quæ diversæ figuræ, etiam difficulter in unum subigantur. Unde præter motus modificationem certam partium etiam determinata figura correspondens poris corporis ab illis dissolvendi requiritur. Quod igitur Aqua regia intacto argento aurum solvat, & contra Aqua fortis argento relicto auro causa est diversorum salium in utrisque externæ figuræ varietas, aliam enim figuram obtinet Sal Nitri & Vitrioli, aliam Sal ammoniacum, illud in argento invenit domicilium, hoc autem in auro suas theculas, salium illorum atomi vi suâ corrosivâ illa subjecta agitando quàm antea capaciora & fluidiora faciunt, ut relicto liquoris fundo liberè quaquaversum ad ipsam quoque sum-

ſummitatem unà cum ſociatis liquoris partibus ferantur, nec ad fundum relabantur, niſi per præcipitationem ab iſtiuſmodi corroſivis inquilinis liberari in priſtinam auri vel argenti redeant formam. Quemadmodum videmus tùm ex ipſo butyro Antimonii ſolùm tùm ex butyro Antimonii & menſtruo illo, cujus beneficio facilè primâ aut ſecundâ deſtillatione tantum ☉ per alembicum traduci poteſt, quantum ad deſtillatum liquorem duraturo colore aureo tingendum ſuffecerit; licet eâdem ſubſtantiâ & pondere Mercurius, Antimonium & aurum perito examine inde iterum repetantur. Ut enim corpora quarundam rerum teſte experientiâ permanentium in ſui pulvere & ſoliditate homogeneâ & inſeparabili patiuntur in ſui diſſolutione actionem à diſſolvente, ita quoque viciſſim diſſolvens patitur à diſſoluto ſine ullâ interim corporis immutabilis participatione. Sic nempe diſſolventia mutantur, licet diſſoluta ne quidquam de ſui materiâ aut ſubſtantiâ perdiderint. Sic v. g. ſi Aquam Regiam deſtilles ab ☉ ſoluto, ejus ſalia coagulantur cum auro & manent ambo in fundo ſalis formâ. Et quicquid inde deſtillatur eſt mera aqua. Dictum Sal ſi lavetur, fit niger pulvis, qui facilè in priſtinum aurum eodem pondere reducitur, quo anteà fuit. Si verò aquam ablutionis deſtillaveris, coagulabuntur in fundo cryſtalli ex ✳, Vitriolo & Nitro. Atque hæc de *Menſtruorum* Naturâ ſufficiant.

Inter alia autem menſtrua famoſiſſima ſunt. 1. Spir. vini. 2. Aq. vitæ Tart. Quercetani. 3. Aq. temperata Baſilii. 4. Acetum Philoſophicum Quercetani. 5. Menſtruum univerſale, aqua cælica Lullii dicta, de quibus paucis diſſerere placet.

Hofman. Inter alia autem menſtrua famoſiſſima ſunt 1. Spirt. vini. Hic quomodo pro menſtruo genuino præparari debeat; vide infrà Libr. IV. de vino ſect. 3.

1. *Spiritus Vini.*

Spiritus vini menſtruum adeo famoſum eſt, ut quoque catholicum nonnullis dicatur. Adhiberi ſolet, ubi ſimpliciter menſtrui mentio facta fuerit. Verum enimvero, num in extractione purgantium commodè adhibeatur, non immeritò dubitatur: anſam dubitandi præbet natura illius ſulphurea, quæ parti ſalinæ extrahendæ, quali purgatrix facultas inhæret, minus commoda eſt: Rationi huic adſtipulatur experientia, quâ conſtat, vim purgatricem, quam Spir. vini intactam reliquit, poſtmodùm alii paruiſſe menſtruo. Eapropter cum farrago ſat copioſa menſtruorum ſuppetat; quæ non modò minus ſunt laborioſa ac minus pretioſa, ſed & purgantibus qualitatibus extrahendis commodiora, ſatius erit loco Spir. vini laborioſi ac pretioſi aliud quoddam menſtruum eligere, e. gr. aquam deſtillatam convenientem.

Adhibetur Spir. vini tum ſimplex, tum acuatus. *vide lib.* 4.

Hofman. Adhibetur ſpiritus vini tum ſimplex, tum acuatus. Sic ſpiritus vini acuitur cum ſale volatili urinæ ſeu ſp. ✳ ſalſo pro tincturâ Lunæ, ſmaragdi. Lapid. Lazuli &c. item cum ſpiritu roris majalis & urinæ an. cum Sal. comm. centrali. Cum hoc extrahi poſſunt multa, & acui poteſt. ✳ In Indiâ Orientali proſtat liquor inſtar aquæ ſimplicis, qui aurum inſtar ceræ reddit ductile, ut teſte *Majoro* Rex Indiæ catenam habuerit auream jucundo ſpectaculo propriis manibus ex illâ aquâ confectam.

N. *Sunt qui ſpir. vini crebris deſtillationibus per ſerpentinas, id eſt, ſerpentales canales deſtillatum & in ſubſtantiam pinguem redactum, circulatum majus Paracelſi eſſe volunt, ſed male.*

2. *Aq. Vitæ Tartariſata Quercetani.*

Hofman. Aq. vitæ Tartariſata Quercetani. Hæc diverſimodè præparari poteſt, vel ex Tartaro communi ad cœrulitatem calcinato vid. l. c. Libr. 4. vel ex Tartaro philoſ. quod ex ſarmentorum lixivio paratur de quo vid. Tenzelius in exeg. p. 687. De Aquâ Temperatâ Baſilii vid. etiam infrà Libr. IV. de Vino.

Quercetanus inter Medicos Hermeticos haud poſtremus, peculiaria prædicat menſtrua, quæ tamen ſibimet reſervavit. Inter hæc ſunt Aq. vitæ Tartariſata ac acetum philoſophicum. De Aq. vitæ Tartariſata in *Pharmac. reſtit. cap. 26. Hactenus*, inquit, *haud dubiè animadvertiſti in variis ejuſmodi purgantibus Extractis, varia quoque menſtrua & diſſolventia apta tamen & congrua à nobis uſurpari, & quorum magni & egregij effectus abundè ſatis patebunt. Sed verus & peritus Chymicus qui ingenioſa quadam arte & induſtria ſciverit præparare Aquam vitæ tartariſatam, hujuſque perfectam cognitionem adeptus fuerit, is poterit inde eruere diſſolvens quoddam ſive menſtruum generale, quo extrahet Eſſentias omnium rerum purgantium, radicum, foliorum, herbarum, ſeminum, fructuum, & florum: is inquam verè gloriari poterit, de ſummo & elegantiſſimo naturæ myſterio, de quo non licèt plura addere, ne juſtam doctorum iram & reprehenſionem incurram, &c.* Hæc Quercetanus de ſua Aq. vitæ tartariſata, cujus præparationem nullibi expreſſè tradidit, niſi intellectam velis Aq. vitæ ex hydromelite Tartariſato prolectam, de qua in Pharmacop. cap. de Hydromel. hæc habet: *Ex commemorato malvatico vino noſtro artificiali* (i. e. hydromelite) *extrahitur præſtantiſſima Aq. vitæ, vino longè accommodatior ad eliciendas rerum eſſentias.* Sit ut ſit, parum cedere videtur, niſi prorſus eadem ſit ut (ut multi opinantur,) ea ſcil. quam dabimus *l.* 4. *Cl.* 2. *de vino.*

3. *Aqua temperata Baſilii.*

Occurrit itidem de menſtruo hoc Baſiliano varietas non parva. In hoc tamen conveniunt omnes, quod ex Spir. vini originem trahit, quem alii acuunt ſale communi, alii ſale ſarmentorum, alii ſpiritu ſalis, de quibus plenius lib. 4. de Vino.

4. *Acetum Philoſophicum Quercetani.*

Hofman. Acetum Philoſophicum Quercetani. Hermeticis Azoth dicitur, item Lac virginis, ſine quo nihil ſolvitur, nihil deſtillatur, fermentatur, coagulatur nec in Lapidem converti poteſt. Norton. in Cathol. Phyſic. p. 15. Rhumel. in Antidot. p. 101. ex ✳ Sublimati ℥ß. cum Acet. diſt. lib. j. præparari putat pro ſolutione metallorum & mineralium. Alii quærunt ex aliâ materiâ, vid. Joſ. Quercetan. in antidot. Zoophilo. it. in Terrad. c. 31. p. 403. idem ibid. p. 407. & 410. idem in Pharmacop. Mineralog. Antimon. p. 687. Acetum philoſ. parant ex aq. pluviali ſupra Antimon. putrefact. Ex his omnibus allegatis juſtam tamen ſtatuimus Domini Autoris Noſtri conjecturam.

Aceti ſui Philoſophi crebrò meminit Quercetanus, eique primas inter aceta tribuit. Verum adeò ænigmaticas illius reliquit deſcriptiones, ut mentem genuinam vix aſſequi liceat. *Acetum Philoſophicum*, inquit, (in tetrad. de antidot. ζωοφίλῳ) *ex acido liquore roris ſeu mannæ cœleſtis, cum eâdemmet minerâ per digeſtiones, & fermentationes Philoſophicas fit & præparatur*, & paulò poſt, *componimus & conficimus*, inquit, (*acetum Philoſoph.*) *ex mixtione & convenienti proportione, fermentatione ac unione aëreæ aciditatis animalis, & mercurialis acoris aquei, cum vegetabili* terre-

terrestri. Hæ sunt descriptiones à Quercetano relictæ, quarum obscuritas diversas peperit interpretationes, adeóque diversas aceti illius præparationes. Libavio fit ex rore martio & manna: aliis fit, ex mellis & salis liquefacti an. ℔j. Acet. dist. ℔ij. quæ digesta simul destillantur cum rectificatione aliquoties reiterata. Modum utrumque etsi non penitus rejiciam, attamen neuter mentem Authoris satis explicasse videtur. Nimirum secundum hunc acetum Philosophicum fieri colligitur, ex aceto hydromelitis vinosi, & sale Tart. vel proprio sale. Etenim mel, quid aliud est, quam ros seu manna cœlestis, industriâ apum [unde & animale audit] congestum? Hinc ipsemet Quercetanus, rejectis aliis acetis, verbi gratia, è vino & simil. utpote quæ ad solutionem & extractionem rerum metallicarum inidonea sint, præfert aceto hydromelitum vinosorum, scil. quæ cum manna cœlesti, naturam animalem percurrerunt, & præter vegetabilem induerunt. *Vide Tetrad. pag. mihi* 406. Idem Quercet. *in Pharmacop. restit.* ubi in descriptione theriacæ de melle agit, Mel produci & elaborari ait ab apibus, quæ solummodo pascuntur mannâ cœlesti, & ex floribus odoriferis suavissimis & delicatissimis succis alimentum exsugunt.

Per terrestre vegetabile Vini tartarum intelligi ex eo liquet, quod vinum omnium vegetabilium nobilissimum facit, adeóque κατ' ἐξοχὴν vegetabile vocari ait.

5. *Menstruum Universale.*

De Menstruo universali satius esse duco tacuisse, quam aliquid incerti tradidisse: Veruntamen non possum quin moneam, posthabitis rebus particularibus, ad subjectum universale esse aspirandum, idque quærendum, non quale pedibus calcatur, sed quatenus Vesta ea est nitidissima, id est, tartareâ veste involuta.

Hofman. De Menstruo universali satius esse duco tacuisse.) A Theophrasto Paracelso, Cl. Helmontio, Glaubero Alkahest vocatur; Optandum foret, ut liquorem illum celebrem possideremus, quem ob insignem in resolvendis corporibus vulgari igne invictis efficaciam ignem gehennæ appellant, de quo *Helmontius* memorat, se hoc ipso Metalla, marcasitas, Lapides, vegetabilia & animalia & quævis corpora, imò ipsum vitrum & omnia in universo mixtorum corporum genera in substantias similares absque ullo Cap. mort. dissolvere potuisse. Ex quo autem subjecto elaboretur, Doctores inter se valde discrepantis sunt sententiæ; Alii quærunt in Nitro, alii in Tartaro, alii in Nitro & Tartaro; nonnulli etiam in Sale centrali, Sale universali Mundi; non desunt etiam, qui ex terra magicâ virginali subjecto quamvis sordido quærunt, *Thom. Willis in tr. de Fermentat.* cap. 9. planè dubitat, licet Nobiliss. *Helmontius* se arcanum hoc proprio labore eruisse jactitet, & quotidiè nunc chymiæ *Adepti* in hanc metam adspirent, tamen licet hæc hypothesis multorum animos habuerit sollicitos, multas chymicorum curiosorum fornaculas calefecerit, tamen plurimos in hoc opere spes & votum fefellerunt. Prætereà nunquam fuit, qui vidisse se talem liquorem asseverare potuerit. Quin ipse *Helmontius* sibi contrarius est, qui alio in loco resolvi in limpidam aquam corpora statuit dicto liquore alkahestino, & alio dicit fæces subsidere. Et si rem ipsam consideres, inquit eruditissimus *D. Morhofius in epistol. de metallor. transmutat.* Naturæ rerum repugnare videntur; distinctæ enim sunt liquidarum & consistentium rerum naturæ, ac licet hæ nonnunquam per illas vinculis, quibus cohærent, exsolventur, ut dissipatæ oculorum aciem effugiant, nunquam tamen inter se commutantur, nec ab illis principium ac originem trahunt.

Modus parandi Extracta.

Hofman. Modus parandi extracta ratio compositionis Extractorum hæc est; comminutum scilicet medicamentum tàm simplex, quàm compositum in matracio perfunditur suo specifico & appropriato menstruo ad quatuor transversorum digitorum excessum, prout Medicamentum valdè siccum est, vel non, in loco, calido per duos aut tres relinquitur dies, usque dum color, odor, sapor arguat, assumptam sic appellatam esse Essentiam. Tunc illud quod saturatum est per decantationem in aliud vas transfertur, & reliquis affunditur novum aliud, usque dum tota vis Medicamentosa sit extracta. Quibus peractis decantati liquores omnes in MB ponuntur & separantur à facultate medicamenti, quod crassiusculum exiguâ quantitate in fundo vasis remanet.

℞. Materiæ ex qua Extractum parare libet, q. v. para ad infusionem grossè pulverisando, scil. incidendo, radendo, & simil. hic affunde menstruum, (e. gr. Spir. vini) ut supermineat digit. (2. 3. 4.) repone in teporem (MB. cineris, fimi, &c.) Extraheque s. a. Tandem depletiones omnes confunde & abstrahe l. Ign. (gr. MB.) ad consistentiam debitam.

N. 1. *Extracta cum menstruis nondum abstractis, confusa, Tinctura dicuntur.*

N. 2. *Crebriora fiunt hujusce Extracta ex purgantibus, rariora, ex alterantibus; quippe horum succi loco ac titulo Extractorum, essentiarumvè ferè asservari solent.*

Sic parantur Extracta.

Ex mineralibus, modo jam descripto, uti patet, *lib.* 3.

N. *Extracta mineralium pleráque Tinctura nomen retinent, de quibus infra.*

Ex vegetabilibus, scilicet 1. *ex herbis*, 2. *floribus*, 3. *seminibus*, 4. *fructibus*, 5. *radicibus*, 6. *lignis & corticibus*, 7. *aromatibus*, *hinc.* 8. *ex resinis*, 9. *ex gummatis.*

I. Herbarum Extracta sunt rara, quippe (uti dictum,) succi eorum loco prostant. Fieri tamen possunt.

1. Modo generaliter dato, ex herbis scil. siccis.

2. Ex succis inspissatis (si subtiliora Extracta expetis,) cum Aq. sua propria dephlegmata (spiritu) quod Extr. dein filtrandum & ad consistentiam redigendum.

3. Quercetanus ℞. Herbas virides, conquassat, elicitque Aquam leniter destillando VB. Fecibus omnino siccis, (nihil tamen adustionis redolentibus,) & in pulverem grossum redactis, affundit Aq. illam destillatam, extrahitque s. a.

II. Florum Extracta in specie sic dicta, rara itidem sunt. Succi econtra expressi inspissatíque (qui communiter Extractorum ac Essentiarum nomine veniunt) crebriores; de quibus in succis agitur.

Extracta prioris generis fiunt.

℞. Flores vel gemmas (e. gr. hypericonis) incide ac affunde Spir. vini rectific. ut undique madefiant, macera (♂ 8.) dein exprime. Expressionem purifica per digestionem ac (subsidentiam) non cum albumine ovi, quod in omnibus tincturis, in quibus aliquid resinæ latitat, benè notandum. Partem puriorem à fæcibus decanta, Spir. vini destillando abstrahe; remanentemque tincturam coagula ac serva. Sic paratum usuale est Extractum, seu Essentia Croci, quæ nonnunquam Tincturæ titulo venit.

N. *Fieri itidem possunt cum aquis propriis, vel alienis, convenientibus tamen, præcipuè si acidulæ eæ fuerint redditæ guttulis aliquot spiritus Tartari, vel Vitrioli.*

Hofman. Fieri itidem possunt cum aquis propriis vel alienis &c. cum etiam aquâ pluviali vel fontanâ

ex

ex floribus, vel herbis siccis mediante coctione, colaturâ & depuratione interveniente justæ consistentiæ sapa fieri potest, quæ etiam extracti vicem sustinebit. Sic fieri possunt extractum fl. papav.rh. herb. absinth. radic. cichor. &c.

III. Seminum Extracta eodem cum reliquis parantur modo, beneficio Spir. vini.

IV. Fructuum Extracta [propriè sic dicta] rariora itidem sunt, crebriores succi inspissati, quæ veniunt nomine saparum, rob, mellium & succorum. Fieri nihilominus quoque possunt, ex fructibus siccatis per Spir. vini, vel quod melius, cum sua propria Aqua vitæ, (spiritu,) quæ postmodum abstrahitur relicto Extracto in consistentia mellis. *Quercetanus in Pharmacop. rest.* Sic fiunt Extractum baccar. juniperi, baccar. lauri. Vide & Tincturas.

V. Radicum Extracta usualia pleráque sunt succi, sufficit enim si succulentæ eæ sunt, faciliorisque expressionis, (non mucilaginosæ) solummodo coquere, exprimere ac inspissare : Nihilominus tamen parari quoque possunt extracta subtiliora; nimirum.

1. Ex radicibus minus succulentis, modo generaliter dato cum Spir. vini parantur.

N. *Quercetanus in Extractis bezoardicis parandis adhibet spiritum juniperi, abstractumque Aquam (in inspissatione) reservat pro usu ibidem bezoardico.*

Sic fiunt Extracta Angelic. Aristoloch. Enulæ, Gentian. (cujus succus magis usualis est) Imperatoriæ, Pæoniæ, Tormentillæ. Zedoariæ.

2. Ex radicibus succulentis mucilaginosis, fit 1. Succus inspissatus, hinc ex succo seu mucilagine inspissata, s. a. cum Spir. vini extractum confic. Sic paratur Extractum Symphyti.

Huc referre licet & succos, qui digestione rubicundiores evaserunt, ideóque sanguinis titulum nacti sunt, vel Mumiæ.

℞. Radicem succulentam quamcunque vis, purifica optimè, contunde ac exprime succum; hunc phiola digere calore MB, donec in rubeum convertatur colorem. Materiâ in rubedinem conversâ, omnique hypostâsi sive crassamento ab ea separato, separetur liquor, qui colore albo inde destillabitur, extracto in fundo remanente sub forma sapæ rubicundæ. *Quercetanus in Pharmac. restitut. c. 26.* Sic fit Extractum ex radice Hyoscyami, cujus usus est in anodyni cujusdam & laudani compositione. Sic paratur & Extractum Esulæ.

N. *Ex radice Symphyti & Satyrii simili ferè modo Extracta sanguinea seu sanguines eliciuntur. Nimirum pulpæ illarum cum pane ac vino vel sp. vini digerantur, defecentur ac inspissentur. Verum enim vero non Extracta, sed succi scilicet propriè dicendi sunt. Vide suis locis*

VI. Lignorum & Corticum lignosorum Extracta, duplicis generis ferè acquiri possunt, Viscosum scilicet ac Resinosum.

Viscosum, quia naturæ est aqueæ, nihil aliud est quam succus inspissatus, eapropter & menstruo paret aqueo, coctionéque interveniente facillimè elicitur.

Resinosum (resina, gummi alias) sulphureo felicius obedit menstruo, in quo excellit Spir. vini, quem aquæ admiscere fas est.

Modus eliciendi Extracta resinosa, seu Gummata.

℞. Rasur. ligni (v. g. Guajaci) q. v. (℔. 7. 8.) affunde Spir. vini optimum, (ex vino, fecibus vini, vel hydromelite vinoso,) digere vitro clauso VB. dies (12. 15.) & rubescet; deinde exprime fortissime, ut egrediatur quoque liquor spissus rubicundus & oleaginosus. Hinc fiat abstractio, donec materia in fundo maneat, in consistentia mellis, bulliendóque bullas emittat, non secus ac mel ipsum. Tunc calentem materiam effunde in Aq. frigidam, & coagulabitur instar aloës, aut gummi rubei. *Quercetan. Pharmacop. restit. c. 26.*

N. 1. *In conficiendis hujusce generis extractis, non incongruè loco Spirit. vini adhibere quoque licet hydromel quoddam vinosum, aut Aquas stillat. convenientes, v. gr. Aq. ulmariæ, cardui benedicti, fumariæ, & similium, quas tamen acidulas reddere oportet cum succo Limonum aut simili. Quinimo & sola fontana, interveniente sufficienti coctione, resinosum extractum elicere potis est.*

N. 2. *Idem Extractum cum Spirit. vini rectificatiss. allectum, præcipitatur nonnunquam affusione Aquæ, diciturque Magisterium, ut Magisterium Cinamomi, Jalappæ, &c.*

Extracta Viscosa.

℞. *Rasuram ligni q. v. coque cum aqua quant. sufficiente, hinc exprime, clarifica & inspissa q. s.*

VII. Aromatum, Extracta ut eo promptius obediant, Spirit. vini nonnihil addere convenit, v. gr.

℞. *Caryophyllor, grossè contus. ℥ j. Aq. still. ℥ xij. spir. vini ℥ iv. macera vase clauso. Dein exprime, clarifica per digestionem, abstrahe aliquantulum in* MB, *(ob spiritum qui primum extillat) reliquum evaporationi sine ad consistentiam debitam.* Eodem modo fieri possunt & Extracta ex aliis aromatibus, v. gr. ex calamo aromatico, cardamomo, cubebis, cinamomo, &c.

Hofman. Abstrahe aliquantulum in MB. *ob spiritum, qui primum exstillat.)* Spiritus, si fuerit aromaticus, & balsamicus, pro alio usu reservari potest, vel extracto etiam denuò admisceri potest, si in formâ expetatur liquida pro essentiâ guttatim propinandâ.

VIII. Resinarum extractio non nisi depuratio est, quâ Resinæ in Spir. vini rectificatissimo solvuntur, colantur, ac demum abstracto Spir. vini inspissantur, vel affusâ aquâ, quâ sulphurea Spir. vini natura diluitur ac debilitatur, præcipitantur. Et hæc nonnunquam titulo Magisterii veniunt, aut Resinæ, e. g. Resina vel Magisterium scammonii, & simil.

IX. Gummatum, Extracta sunt portiones gummatum, tum viscosæ, tùm resinosæ ab invicem scilicet separatæ. Convenit igitur hæc separatio iis solum, quæ parte viscosâ ac mucilaginosâ simul constant, ut ferulacea; fitque, ℞. Gummi aliquod ferulaceum, solve lento calore [præstat in cucurbita cæco alembico occlusa, vel vase simili] solutum ad depuratum, repone aliquot diebus, & subsidebit pars resinosa. Hinc decantetur liquor turbidus à resinosa parte subsidente (clarificeturque si opus) epurando cum albumine ovi, vel per linteum colando, ut clarus evadat, de hinc inspissetur lenissimo calore VB. Sic habes Viscum, i. e. Extractum viscosum.

Resinosa illa subsistentia lento quoque calore exiccata, exhibet resinam, i. e. resinosum Extractum.

N. *Extrahit quoque Resinam Spir. vini rectificatissimus.*

In Animalium familia extracta suppeditare possunt partes carnosæ, quæque his assimilatæ membranosæ, v. gr. Matrix. Hinc stercora, fella, ossa, cornua.

Ex carnibus, carnosisque partibus fieri possunt Extracta, si lotæ exiccentur atque cum Spir. vini, vel simili appropriato spiritu extrahantur, postmodumque ad consistentiam debitam inspissentur.

N. 1. *Præstat, si primum antequam exiccantur, in Spir. vini myrrhâ essentificato, aliquot ♂ macerentur. Vide Extractum splenis bovis, libr. 5. Item Extractum mumiæ humanæ, libr. 5.*

N. 2. *Quercetan. Pharmac rest. cap. 26. inspissat decocta, additque appropriata, (vide supra in decoctis,) atque ita Extracta carnosa parat.*

Ex stercoribus animalium si quæ Extracta parare animus sit, per Spir. vini id optimè perficies, quippe hic fœtorem corrigit.

Ex fellibus. ℞. Fella exiccata, extrahe cum Spir. vini, *vide in Bove.*

Ex ossibus. ℞ Ossa (v. gr. 2. vel 3. crania recentia) tere crasso modo, affundeque aquam vitæ, (juniperi seu salviæ,) ut (dig. 4. 5.) supernatet, digere vase accuratissimè clauso, (♂ 12.) post coletur & exprimatur fortissime. Sic liquor exhibit rubicundus instar sanguinis, qui oleosus & resinosus erit. Iterum affundatur fæcibus novum menstruum, digerendo, (♂ 4. vel 5.) cola & exprime. Expressos liquores destilla in alembico, donec remaneat Extractum in forma Sapæ. *Quercet.*

N. *Digeri & depurari poterit.*

E cornibus. Extracta cornuum fiunt è teneris (cervorum) cornibus, vel è cornibus etiam induratis, sed adhuc recentibus, mediante itidem Aq. vitæ appropriatâ, quæ acidula prius reddita sit cum liquore Sulph. acidulo *Quercetan. Pharmacop. rest. cap. 26.*

N. *Extracta in Syrupos rediguntur, addendo post clarificationem Syrup. pomor. redolent. vel rosar. pallidar. vel Cinamom. In pulverem verò per frequentem cohobationem cum aqua propria & lentam exiccationem.*

Extractorum variæ Præparationes & compositiones.

Extractum Agarici. *ex Pharm. Aug.*

℞. Agarici albi & levis quantum volueris. Huic affunde spiritus vini sufficientem quantitatem, digetantur in vase vitreo arctissimè clauso, in loco calido vel saltim tepido, per dies tres. Postea dum adhuc calent, colentur, & leviter exprimantur, expressum filtretur; & in balneo Mariæ, abstractô rursus lentâ destillatione vini spiritu, in crassamentum cogatur, quod ad commodos usus servetur.

Pituitam lentam & crassam ex ventriculo maximè & mesenterio, nec non jecore & liene, pulmonibus ac utero expurgat; à cerebro quoque, nervis & artubus eandem, licet debiliùs, prolicit: vermes insuper enecat, & expellit.

Alii loco spiritus vini simplicis anisatum usurpant, corrigentis loco eum forsan adhibentes. Verùm corrigitur Agarici extractum pro re & conditione ægri, aut morbi, addendo in singulas doses guttulam unam olei macis, nucis moschatæ, fœniculi, Caryophyllorum, aut alterius similis.

Extractum Agarici compositum. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Agarici electi* ℔ß. *rhabarbari optimi* ℥iij. *seminis anisi, zingiberis, macis ana* ʒß.

Incisis & contusis affundatur spiritus vini rectificati sufficiens quantitas; stent in infusione vitro benè clauso per triduum, post fiat s. a. extractum.

Hanc Extracti compositi descriptionem olim D.D. Urbanus Schlegelius, Decani collegi nostri Medici Vicarius communicaverat, cujus vires cum simplici extracto conveniunt.

Extractum Aloës. *ex Pharm. Aug.*

℞. Aloës Socotrinæ quantum volueris. Redigatur in pulverem: huic adfundatur spiritus vini rectificatus; maceretur in loco calido, aliquoties agitando; donec liquor saturato colore imbuatur: qui per inclinationem à fæcibus decantetur, & novus spiritus adfundatur, tantisper id reiterando, quoad nullus ampliùs color extrahi videbitur. Tandem omnis liquor filtratus ad justam spissitudinem destillando redigatur. Internas putredines & cruditates arcet, ventriculum mundat, ac roborat: ventrem lubricum reddit.

Si quis aquam aliquam destillatam, uti, acetosæ, Endiviæ, &c. loco spiritûs vini adhibere huic operi voluerit, nec is irritum in depuratione hac peragendâ laborem suum experietur.

Extractum Angelicæ sudoriferum. *ex Collectaneis Chym. Leydens.*

℞. *Radic. Angelicæ, petasitid. valerian. imperator. ãã* ℥ß. *sem. angelicæ, levistici. baccar. juniperi ãã* ʒvj. *spir. vini Gallici pint. ij. mista destillentur ad medias.*

Dosis à Cochlear. ß. ad Cochl. j. tempore pestis & morborum contagiosorum.

Potest etiam extrahi sine destillatione, tumque multò magis sudores movet, & tum dicitur Extractum Angelicæ Antipestilentiale; sed saporis est ingratioris.

Extractum Bezoardicum *Quercetani*, pro Laudano suo. *ex Schrôd.*

℞. *Rad. Angelic. zedoar. galang. tormentill. cort. citri. lign. aloës. santal. rubr. citrin. ãã* ℥j. *gran. alkerm. dictamn. spic. nard. caryophyll. nuc. mosch. macis. cinamom. Been alb. rubr. ãã* ℥iß. *camphor.* ʒj. *F. Extractio cum Aq. vitæ Juniperina.*

Vires. Eximiarum est Virium in arcendo Veneno, morbisque contagiosis quales pestis, febres malignæ.

Hofman. Extractum Bezoardicum Q. &c. Spiritus juniperinus bezoardicus abstractus pro Essentiâ theriacali reservari & præsens extractum exaltari potest additis oleis destillatis angelic. zedoar. citri &c. aliquot guttulis.

Extractum Diacarthami Andernaci. *ex Pharmacop. August.*

℞. *Medullæ sem. carthami* ℥iv. *turbith albi, foliorum senæ ana* ℥iß *Scamonii* ʒv. *rhabarbari optimi* ℥j. *agarici trochiscati* ʒvj. *Mannæ electæ* ℥iiß. *Myrobolanorum chebularum* ℥iij. *polypodii* ℥ij. *zingiberis albi* ʒij.

Incisa & contusa in vini spiritu in loco calido per aliquot dies infundantur, spiritus tinctus decanteur & remanentia exprimatur; postea liquor filtratus destilletur, donec ad Mellis spissitudinem pervenerit.

Plerosque humores, serosos tamen præ cæteris blandè ac sine molestia expurgat: caput, ventriculum, & reliqua viscera mundificat. Datur vel per se in pilulas efformatum vel boli specie. Hujus extracti nobilissimi & ad omnes vitiosos humores evacuandos adcommodatissimi, virtutem multimodâ experientiâ comprobatam habemus.

Specierum Diambræ ℥j. quondam pro hoc extracto requisita, cum reliquis uno eodemque labore extrahi, vel in substantia Extracto parato addi potest.

Extractum Catholicum. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Colocynthidos* ʒvj. *agarici optimi, scammonij, hellebori nigri ana* ℥ß. *aloës electæ* ℥j.

Omnia sufficiente quantitate spiritus vini per dies aliquot in loco calido macerentur, qui deinde, relictis fæcibus, decantetur, remanentia exprimatur, & liquor omnis filtratus balnei calore abstrahatur, ut Extracti spissamentum in fundo cucurbitæ remaneat.

Medicamentum est Catholicum seu universale, omnes in universum humores exturbans. Aliud catholicum, magis tamen operosum, describitur à Quercetano in Pharm. Dogm. restituta.

Extractum chalybeatum magnum, *ex Schrôd.*

℞. *Limat. chalyb. præp. rad. Ireos fl.* ʒj. *bugloss. sylv. cyclamin. eryng. bryon. zingib. ana* ʒß. *Fol. ceterach. ling. cervin. betonic. rut. chamædr. chamæpit. agrimon.* cala-

calamenth. ana gr. xv. spic. indic. croc. or. an. g v. cort. fraxin. rad. capp. fag. salic. cost dulc. an. ℈j. *visc. quern.* ʒj. *cinamom.* ʒß. *sem. ameos. cardamom. cumin. acet. macerat. coriandr. agni cast. melanth petroselin. portulac. ana* ʒß. *siler. mont. galang. caryophyll. macis, xilaloës, zedoar. doronic. gentian. an. gr. xv. Incisa, & contusa grosso modo infundantur in s. q. spir. vini & f. s. a. Extractum.*

Vires. Magnas vires obtinet in aperiendis obstructionibus, præsertim lienis, Epatis, uteri ac Mesenterij, adeoque morbis inde subvenit.

Hofman. Extractum chalybeatum magnum. Quid opus est tam inutili ingredientium farragine? dum compendiosiori viâ sequenti modo parari potest.

℞. *Extract. Martis cum succo pomor. Borsdorff. parat.* ℥iij. *ireos fl.* ℥j. *cynamom. eryng. ana* ʒij. *fol. betonic. chamædr. chamæpit. ana* ʒß *cort. fraxin radic. cappar. ana* ʒiij. *ol. d. cinamom. caryophyll. bezoar. macis ana gutt. iij.* M. f. Extractum Chalybeatum.

Extractum Chalybis, *ex Pharm. Norimb.*

℞. *Succi Acetosellæ expressi & depurati* ℔. 3. *tamarindorum opt.* ℥. 8.

Parum coquantur, & colentur per laneum pannum; clarificatum servetur in cucurbita vitrea; cui addantur.

Limaturæ chalybis à sordibus purgatæ ℥. 4.

Digerantur in loco calido tribus diebus & noctibus, & sæpe agitentur; posteà per chartam bibulam filtrentur & inspissentur per arenam, ad consistentiam extracti.

Extractum Cholagogum Quercetani, *ex Pharm. August.*

℞. *Rhabarbari* ℥. 6. *folliculorum senæ* ℥. 4. *scammonii* ℥. 1. *spicænardi Indicæ, sandali citrini, cinnamomi ana* ℥ß. *trochiscorum de berberibus* ʒ. 2. *succi rosarum pallidarum optimè depurati q. s.*

Post justam digestionem omnia calidè exprimantur ac filtrentur, fiatque lege artis extractum, cui addatur æquale pondus Balsami Aloetici.

Benignè ac sufficienter omnes humores serosos calidos & biliosos expurgat.

Extractum Diacitri Reusneri, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Succi pomorum citri expressi, sacchari albissimi ana libr. ß.*

Coque lento igne ad spissitudinem: in fine adde liquidum extractum ex sequentibus cum spiritu vini factum.

℞. *Scammonii optimi* ℥. 2. *Mechoacanæ albæ, turbith. electi ana* ℥. 1. *rhabarbari electi, cinnamomi acuti ana* ℥. ß. *galangæ. nucis moschatæ, caryophyllorum ana* ℈. 1. *gr.* 2.

F. s. a. extractum liquidum.

Ad humores biliosos & serosos expurgandos in cachexia, hydrope, ictero, obstructionibus hepatis & lienis, in febribus item omnis generis feliciter usurpatur.

Extractum Antepilepticum, *ex Pharm. Reg. Zwelferi.*

℞. *Rad. pœoniæ debito temp. coll. Doronici veri ana* ℥. 2. *zedoariæ* ℥. 1. *ligni visci Quercini* ℥. 1. ℥. *aloës ponderosi, rhodii, santali citrini ana* ℥. 1. *croci austriaci* ℥. ß. *flor. paralyseos, pœoniæ, tiliæ ana* ʒ. 6. *succini albi* ℥ 1. *cort. arantior. extim. rasuræ ungulæ alcis ana* ℥. ß. *cranii humani* ℥. 1.

Incisa crassiusculè & contusa immittantur cucurbitæ vitreæ, super quæ fundatur *spirit. vini rectificati* ℔. ß. ut species parum saltem humectentur: factâ autem maceratione per diem unum atque alterum, abstrahantur destillando in balneo ℥ 3. *circiter, spiritus fragrantis:* quo interim curiosè asservato in vitro satis clauso, fiat *specierum residuarum cum s. q. spiritus vini rectificati* extractio & quidem repetitis vicibus, ad virtutum earum plenariam extractionem; *colaturæ* seu spiritus omnes tincti & filtrati in MB. abstrahantur, ad remanentiam circiter ℔. 1. vel ℥. 10. Hic liquor cui pauxillum *Resinæ* inhærebit, coletur per linteum. *Resina in colatorio residua* leni calore nonnihil exsiccetur, quâ interim servatâ, *liquor colatus* in diplomate seu vase duplicato ad consistentiam spissam extracti evaporet, cui extracto tandem jungatur *sua resina*, cum *superiori primitus destillato & asservato spiritu* soluta, addiisque porrò subsequentibus, utpotè *ol. nuc. moschat. expressi* ʒ. ß. *stillatit. cinamomi, ligni rhod. ana* ℈. 1. *lavendulæ, coriandri, succini ana* ℈. ß. *prius cum pulver. sacchari albissimi* ℥. 1. ß. *in Elæosaccharum conversorum.* Item *Magister. solub. Matris perlarum cum spiritu n. veneris parat.* ʒ. 3. *Magister. solub. carpion. lapid. sublunar. itidem cum spiritu veneris parat.* ʒ. 2.

Fiat extractum justæ consistentiæ. Præstans est in affectibus cerebri remedium; ut sunt apoplexia, epilepsia; item in morbis uterinis & hystericis, vertigine, maximè si hi sint complicati morbi, fructuosè usurpabitur; à ℈. 1. ad ʒ. ß. Castoreum ab hoc extracto studiosè abesse volui, ne fortè fœmineo sexui intra corpus sumptum plus obsit quàm prosit, quemadmodum in pilulis de Cynoglosso monui: Cui tamen libuerit Castorei extractum huic jungere, ejus intentioni facilè indulgeo, eo ipso enim nomine istud separatim juxta leges artis conficere docui, ut per se in pharmacopolijs prostet, & in promptu sit.

Extractum Antifebrile, *ex Parm. Reg. Zwelferi.*

℞. *Corticis chinæ chinæ paucis ab hinc annis ex India orientali ad nos translatæ* ℥. 2. *rad. calami aromat.* ℥. 1. *gentianæ, flor. centaurii minoris ana* ℥. 2.

Ex incisis & crassiusculè contusis, eliciatur cum s. q. spiritus vini repetitis vicibus affusi, virtus tota, quousque spiritus vini colore rubro inficiatur: Spiritus tincti omnes filtrati in alembico vitreo per MB. ad extracti spissioris consistentiam destillando leniter abstrahantur. Servetur extractum residuum ad usum: quod præsentaneum est remedium in febribus tertianis & quartanis, cum intermittentibus tùm continuis, instante paroxysmo, vel hora una aut altera antea exhibitum. Dosis ℈. 1. aut ʒ. ß. sive in forma pilularum, sive in liquore appropriato solutum.

Extractum Antifebrile *Dni. Le Mort, ex Collect. Chymic. Leydensibus.*

℞. *Absinth. vulgar. folior. cardui bened. summitat. centaur. min. abrotani āā m. j. scindantur & contundantur parumper. Contusis superfunde spir. vini rectific. ad superemin entiam unius digiti. Digerantur simul per* 24. *horas; deinde tinctura clara separetur abjectis fæcibus.*

Dosis tincturæ ab ℥ß. ad ℥. j. horâ unâ ante paroxysmum, & egregiè tollit febrem tertianam, & quotidianam; præcipuè si camphoræ gr. j. aut ij. singulis dosibus admisceatur. Convenit etiam in ventriculi debilitate.

Si spir. vini non conveniat, aut non expetatur, evaporet tinctura ad medias.

Extractum Gummi gottæ rosatum, *ex Ph. Aug.*

℞. *Gummi de Peru pulverisati* ℥. 1. *dissolve cum spiritu* vini

vini, quousque totum gummi sit solutum; tincturam per filtrum extrahe, & ad quartæ partis remanentiam abstrahe. Resina in liquore residuo separetur, lavetur, & in leni calore exsiccetur; deinde

℞. *Fl. rof. rubr.* ℥. 1. *santal. rubr.* ʒ. 2. *superfundatur spiritus vini* ℔. 1. *vitrioli* ℥. 1.

Fiat in leni calore extractio, & colatura ad dimidias circiter abstrahatur, quæ ad humectandam & insuccandam resinam usurpanda fuerit,

Extractum Holagogum Andernaci. *ex Pharm. August.*

℞. *Colocynthidis* ʒ. 6. *turbith. albi* ʒ. 7. *agarici albi & optimi* ʒ. 4. *veratri nigri* ʒ. 3. *Eupatorii Mesuæ foliorum senæ ana* ʒ. 5. ß. *scammonii* ʒ. 5. *rhabarbari electiss.* ʒ. 7.

Omnia incisa macerentur in s. q. spiritus vini, qui debitè impregnatus effundatur, & remanentia exprimatur. Liquor filtretur atque ad extracti liquidioris consistentiam abstrahatur, in quo extracto aloës præparatæ ʒ. 10. diluantur, simulque agitando uniantur, & ad debitam consistentiam redigantur.

Generale est medicamentum, cunctos in universum humores valenter à remotis partibus evocans ac expurgans, in febribus tamen continuis, ac morbis acutis haudquaquam securum.

Aloe pro hoc extracto sic præparatur: ℞. Aloës optimæ ℔. 1. aceti rosacei quantum pro ea diluenda sufficit; simul bulliant, colentur ac lento igne ad pristinam aloës spissitudinem reducantur.

Quæ de speciebus diambræ in extracto Cnicophar-maco monuimus, huic quoque applicari debent, ad quod aliàs earundem ℥ß. recipienda foret.

Extractum Hydragogum. *ex Pharm. Reg. Zwelferi.*

℞. *Rad. Asari, ebuli ana* ℥. 3. *calami aromatici, enulæ ana* ʒ. 1. *gialappæ, mechoacannæ, vincetoxici ana* ℥. 4. *rhabarb. optimi* ℥. 1. ß. *herb. soldanellæ, gratiolæ, scolopendr. ana* ℥. 2. *agrimon.* ℥. 2. ß. *sem. apii, bardanæ majoris, nasturtii, ebuli, urticæ. thlaspios nostr. ana* ℥. 1.

Incisa & contusa immittantur cucurbitæ vitreæ, ac cum s. q. spiritus vini, repetitis vicibus affusi, extrahantur virtutes omnes, quousque nimirum spiritus vini tingatur; Extractiones omnes in Alembico vitreo ad ℔ 1. circiter abstrahantur; Resina, quæ residuo liquori innatabit studiosè separetur, exsicceturque leniter &, ut sæpius monui, vel amygdal. dulc. benè subacta, & in pulverem conversa, vel spiritu vini recenti rectificatissimo denuò soluta; ultimò tandem extracto jam sufficienter & ad consistentiam debitam abstracto admisceatur.

Porrò ℞. *Succ. depur. rad. Bryoniæ, Iridis nostr. ana* ℥. 10. *hep. nob. martysilv. Mercurial. ana* ℥. 8.

Ac cum superiori jam extracto liquido, à quo innatans sua resina separata est, in leni calore, vel supra lenem ignem in vase duplici, ad competentem extracti consistentiam unita evaporent, cui extracto ultimò jungantur;

Superior separata & asservata resina, amygdalis probè subacta, vel spiritus vini particulâ denuò soluta.

Idem. *Magisterii, seu resinæ scammoneæ amygdalis pariter probe subacti* ʒ. 2. *extracti gummi guttæ* ʒ. ß.

Usui reponatur, Hydropicis proficuum. Dosis ʒ. ß. ad ʒ. 1. in vehiculo convenienti.

Extractum Hystericum, *ex Schrod.*

℞. *Succi sabin. centaur. min. matricar. arthemis. fol. meliss. flor. calendul. ana* Mß. *rap. Angelic. Filicis. aristolcch. rot. ana* ℥ß. *F. Extractio cum aqua Meliss. ac sabinæ addendo sal. tart. tantill. tinctura inspissetur.*

℞. *Hujus extracti* ℥ ii. *extract. myrrh.* ʒj. *croci* ʒ. ß. *castor.* ℈ß, *borrac.* ʒij. *fecul. bryon.* ʒiiß. *F. Massa.*

Vires. Menses obstructos reserat, uterinasque passiones discutit.

Dosis ℈ß. *ad* ℈iß.

N. *Aqua illa abstracta itidem magnas suppetias ferre potis est in iisdem affectibus.*

Hofman. Extractum Hystericum. Hujus satis commendabiles vires loco borracis exaltari possunt sale ✠ urinoso, & in aquâ illâ abstractâ tanquam vehiculo exigente usu ægrotis mulierculis propinari potest.

Extractum Marocostinum Mindereri, *Ph. Aug.*

℞. *Agarici trochiscati* ʒ. 6. *ligni aloës* ʒ. 2.

Infundantur in s. q. spiritus vini, qui tinctus decantetur, & cum liquore ex remanentia expresso uniatur, in quo solvantur.

Myrrhæ selectæ ʒ. 6. & filtrentur, postea: ℞. *Rhabarbari selectissimi* ℥. 3. *costi arabici* ʒ. 6. *croci orientalis, mari veri ana* ℥. ß. *mucari sive infusionis rosarum, damasc.* ℔. 2. *succ. limonum* ℥. 2. *cichorii, pimpinellæ, fumariæ ana* ℥. 8. *apii, fœniculi, absinthii ana* ℥. 3.

Macerentur in loco calido per 24. horas, in liquore colato solvatur.

Aloës socotrinæ ℔. 1. & per colaturam depuretur, cui jungatur *gummi ammoniaci in* ℥. 4. *aceti scillini, &* ℥. 2. *aceti rutacei soluti & filtrati* ℥. 1. ß.

Omnia lento igne ad extracti consistentiam perducantur, additâ circa finem superiori agarici &c. infusione.

Cùm laudatissimum hoc Excellentissimi Medici Aloëdarium, ad plurimos universi corporis humani morbos tàm præservandos quàm curandos adcommodatum, ab ipso auctore publicatum sit, & in omnium ferè manibus libellus de eo versetur, ejusdem virtutes hoc loco recensere supervacaneum duximus.

Extractum Matricale Clossæi, *ex Schröd.*

℞. *Extracti lienis bovis, puleg. regal. & croci cum spiritu vini parati* ℥. 2. *myrrh. in aq. rut. murar. cum spirit. vitr. acida dissolut.* ʒ. 2. *extract. cort. arant. & citri* ʒ. 3. *fœcul. brion.* ℥. ß. *camphor. sublimatæ cum spir. vini, præmissa digestione ejusdemque abstractione, in ciner.* ℈. 1. *M.*

Vires. Hujus portio ad pisi magnitudinem dissolvatur in aquâ aliqua hysterica & exhibeatur.

Extractum Melanagogum Quercetani, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Folliculorum senæ* ℥. 6. *radicum hellebori nigri præparati* ℥. 2 *turbith. myrobalanorum omnium ana* ℥. 1. ß. *trochiscorum alhandali* ʒ. 6. *florum violarum, rosar. rubr. epithymi ana p.* 2. *spec. lætificant. Galeni* ʒ. 2. *succorum optimè depuratorum fumariæ, pomorum redolentium, seri lactis ana q. s. est.*

Incisæ & contusæ species in liquoribus jam dictis digerantur in Balneo, postea colentur, exprimantur, depurentur, ac in extractum reducantur.

Atram bilem, ac salsos, adustos, & retorridos humores evocat: psoræ, scabiei, ac Elephantiasi medetur.

Extractum Nepenthes Aureum, *ex Ph. Norimb.*

℞. *Extracti opii* ℥. ß. *croci* ʒ. 2. *croci solis* ℈. 2. *resinæ ligni aloës, ambræ gryseæ opt. ana* ℈. 1.

Misceantur, & incorporentur simul in vase vitreo, eoque benè clauso, serventur.

Extractum, seu Laudanum Opiatum, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Opii thebaici optimi* ℥. 2. *succi radicum hyoscyami albi inspissati* ʒ. 1. *aceti rosacei* ʒ. 3.

Spiritus

Spiritus vini rectificati tantùm, ut digitis tribus supereminеat. Digerantur, sæpius in die agitando; ubi sic aliquandiu steterint, filtrentur & abstrahatur spiritus vini, lege artis, lento igne, ut in fundo vasis crassamentum remaneat; cui addantur *coralliorum rubrorum, margaritarum, succini albi ana præparat.* ℈.2. *essentiæ croci austriaci* ℈.1. M. Mediæ ejus parti jungatur *Moschi orientalis* ℈. ß. *ambræ griseæ gr.7.* altera verò pars servetur sine moscho & ambra.

Hoc divinum remedij genus, quod à laude meritò nomen accepit, ob effectus stupendos in mitigandis acutissimis totius corporis doloribus, etiamsi à varijs varios præparationis modos sortitum sit, hunc tamen multâ jam experientiâ comprobatum.

Extractum, seu Laudanum Opiatum Cydoniatum, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Opii in particulas conscissi* ℔. ß. *succi cydoniorum recentis* ℔. 5.

Exponantur leni calori ad fermentandum per aliquot dies, liquor rubicundus filtretur, atque ad extracti consistentiam inspissetur.

Nobile hoc medicamentum Nob. Holsatiæ Med. c. D. Joel. Langelotti, naturam motu inordinato peccantem sedat, viribus deficientem reficit, doloribus & vigilijs consumtam refocillat; humores nimium effervescentes, & spiritus justò concitatiores compescit.

Extractum Opiatum *D. D. Langelotti* in Misc. Curios. German. ulterius cum spiritu vini præparatum.

℞. *Opii thebaici in particulas conscissi* ℔. j. *ei affunde in cucurbitula humili succi cydoniorum bene maturorum recentissimi* ℔. x. *adde Sal. tartari puri & siccissimi* ℥j. *Expone leni calori per diem unum aut alterum, usque dum bullæ quædam appareant, quod signum est imminentis fermentationis, tunc adde istius promovendæ causa, sacchari subtilissimè pulverati* ℥iv. *porroque eum caloris gradum observa quem fermentatio requirit, sic satis bene ea procedet, videbisque opium evidenter attolli & resolvi per minima: cave verò à Sulphure narcotico graveolenti, quod tunc solet expirare. Videbis tunc quoque partem impuri volatilis spumosi superiora petere, partem verò magis terrestrem in fundo cucurbitæ subsidere: tandem in medio consistet purior pars, liquor nempe rubicundus, rubini instar pellucidus, quem cautè separabis, filtrabis, & debita destillatione ad mellaginem inspissabis. Hanc denuò Spirit. vini alcolisato dissolvas, filtres & per mensem digeras, ut quicquid adhuc crudi ei inest, cœlesti illo igne maturetur. Posteà spiritum ad justam consistentiam abstrahe & serva veram hanc opii essentiam ad futuros usus. Experiere verò eam tantæ esse virtutis & efficaciæ, ut quarta pars grani vel dimidia ad summum, appropriato vehiculo, vel sicco vel humido, permista intentioni sufficiat, mirandosque planè usus præbeat.*

Extractum seu Laudanum Opiatum, *ex Pharm. Reg. Zwelferi.*

℞. *Extracti opii prius correcti per exhalationem sui Narcotici sulphuris* ℥. 1. *extracti croci* ʒ. 6. *sulphuris vitrioli narcotici rubicundi per præcipitationem, edulcorationem & calcinationem dextrè parati* ℥. 1. *pulv. succini albi præpar. ligni aloes pond. ana* ʒ. 6. *sem. citri excortic.* ℥. 2. *magist. solub. perlarum orientalium, matris perlarum, coralliorum rubrorum, ana* ʒ. 3. *ol. nuc. mosch. expressi* ʒ. 1. ß. *ol. still. cinamomi, ligni Rhodii ana* ℈. 1. *prius cum essentia citri sacchar. n.* ℥. 1. *permixtor.*

Misceantur & cum modico mellis anthosati redigantur in massam bonæ consistentiæ; cui, si placuerit, ambra & moschus admisceri possunt.

Est singulare remediorum genus in mitigandis doloribus acutissimis totius corporis Microcosmici: Cor roborat, cerebrum confortat, & sudorem promovet. Dosis ʒ. ß. in forma pilularum vel cum liquore quodam solutum.

Extractum Diapæonias Mindereri, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Rad. & sem. excortic. pœoniæ ana* ℥. ß. *ostrutii, enulæ, zedoariæ ana* ʒ.2. *dictamni albi, calami aromatici, corticum citri siccatorum, seminis dauci cretici ana* ʒ. 1. ß. *apii, nuc. moschat. rad. doronici, castorei ana* ʒ. 1. *specierum diambræ incompletarum* ℈. 2. *foliorum rutæ siccorum, melissæ hortensis ana M.* ß. *florum liliorum convallium p.* 2. *visci querni* ʒ. 1. ß. *ungulæ alces* ℈. 2. *spiritus vini rectificati q. s.*

Infundantur per triduum, vel quatriduum vase vitreo probè clauso, in loco calente, postea filtrentur, & in Mß. ad justam consistentiam abstrahantur.

Valet in affectibus uterinis & cerebri, maximè si complicati fuerint, ut sunt epilepsia ex utero, item in frigidis capitis morbis, uti sopore, catalepsi, epilepsia, & apoplexia, item in suffocatione uterina, vertigine ex utero, &c.

Extractum Panchymagogum. *ex Pharm. Aug.*

℞. *Scammonii* ℥. ß. *rhabarbari electi, semin. ebuli ana* ʒ. 3. *colocynthidos* ʒ. 5. *agarici optimi*, ʒ. 3. ß. *turbith. albi, hermodactylorum ana* ʒ. 2. ß. *veratri nigri* ʒ. 2. *foliorum sennæ* ℥. 1. *spiritus vini q. s.*

Stent simul in infusione, loco calido, colentur & exprimantur, in quo liquore dissolvatur aloës socotrinæ ℥. 1 ß. filtretur, & spiritum vini abstrahendo, ad extracti spissitudinem redigatur.

Omnes in universum humores expurgat, ac è longinquis partibus potenter educit.

Extractum Panchymagogum juxta Lemery. *ex Corp. Pharm. Dni. D. Jungken.*

℞. *Pulpæ colocynthidis* ℥. 1. ß. *specierum diarrhodonis abbatis* ℥. 2. *agarici optimi* ℥. 1. *ellebori nigri* ℥. 2. fiat omnium pulvis grossus matracio indendus, *huic rorem vel aquam pluviam, destillatam ad digitorum* 4. *eminentiam* affunde, matracium accurate obtura, digere calore arenæ per dies tres vel quatuor vas subinde agitando, hinc in fusionem per linteum trajicito: magmati parem ejus liquoris quantitatem affunde: & ut prius macera, cola & fortiter exprime: infusiones commisce commixtasque donec limpidæ evaserint quiescere permitte, per inclinationem effunde, earumque humiditatem in fictili, ex glarea, igne lento arenæ ad syrupi consistentiam evapora: his tunc resinæ scammonij ℥. ß. & extracti aloës ut dictum parati ℥. 2. permisce, totum id funde, & ad extracti consistentiam evapora.

Omnes humores optimè purgat, exhibetur à ℈. 1. ad 2. in pilulis.

Extractum pestilentiale, *ex Schröd.*

℞. *Rad. angelic. olsnitii, imperator. zedoar. vincetoxic. ana* ℥ß. *tormentill. gentian. petasit. succis. pimpinell. ana* ℥j. *sem. levistic.* ʒ iij. *angelic. meliss. ana* ʒ ij. *semin. citr. juniper. M. ij. fol. veronic. meliss. arthemis. scord. galeg. scabios. card. bened. ana* Mß. *flor. hyperic. M.* 1. *f. extr. cum spir. vini & inspissetur.*

Vires. Maximarum est virtutum in arcendo aëre pestilentiali, eodemque modo & similibus magnis affectibus curandis & præcavendis. Sudorem movet.

Dosis à ℈ j. *ad* ℈ ij. *&c.*

Hofmann. Extractum pestilentiale. Hujus jactura virium, quam patitur per spiritus vini abstractionem, si resarciatur per aliquot oleorum destillatorum v. gr. Angelic. Zedoar. Citri juniperi &c. additionem, tunc laudem merebitur.

Extractum Pestilentiale Tychonis de Brabe, *ex Schrödero.*

1. ℞. *Theriac. Androm. veter.* ℔. j. *extrahe tincturam cum spir. vini rectificatiss. ad superemin. palmæ affuso, Vase bene clauso. Effusiones filtra & abstrahe l. Ign. ad consistentiam mellis.*

2. *Fiant flores sulph. simplices ter per se & quarto ex aloë. myrrha & croco semel leniter elevati.*

℞. *Horum* ℥ *iv. ol. juniper. è bacc. rectific. ad eminent. digit. 4.*

N. *Potest etiam addi olei succini rectificati pars quarta, sic melius.*

Stent in digestione tepidâ & impregnabitur oleum tincturâ sulph. rubicundâ, effunde, ac si libet filtra. Itaque.

℞. *Extract. theriac. part. xij. Balf. illius sulph. part. 1.* Addendo si libet nonnihil extract. rad. Angelic. Mag. Succin alb. & Sal. Absinth. ut & aliquantulum de Spiritu illo theriacali abstracto, digerantur (d.8.) *Hinc fiat separatio ad consistentiam mellis.*

Summum est curativum pestis. Dosis g. viij. x. xij. &c. In aqua appropriata statim ab initio morbi absumpt. ut sudorem citat. Præservationis vice assumi poterunt quotidiè mane g. ij. vel iij.

N. *Potest ulterius exaltari per additionem Tincturæ Corallorum, Saphyr. Hyacinth. & Margarit.*

Quinimo ut universalibus inde medicamen exurgat, acui potest tantillo florum reguli Antimonialis per diuturnam reverberationem rubificatorum. Vide lilium Theophr.

Descriptionem hanc Rudolpho Imperatori submisse communicavit Tycho Brahe.

Ex communicatione D. Joh. Waltheri Held.

Hofmann. Extractum pestilentiale Tychonis de Brahe. Pro Theriacâ A. veter. ad extractionem species theriacales idoneæ substitui debent (quarum extractio cum balsamo Sulphuris ex floribus simpliciter, confecto) non cum aloe, myrrhâ & extracto radic. angelic. sal. volatil. succin. &c. mediante digestione combinari potest.

N. Hoc potest ulterius exaltari non per putatitiam illam tincturam corallor. Sapphir. &c. sed per sal. volatil. Urin. CC. viperarum, Antimonio diaphoretico, Bezoardico Solari, Joviali &c.

Extractum Antipestilentiale, *ex Pharm. Reg. Zwelferi.*

℞. *Rad. zedoariæ, contraiervæ ana* ℥. 2. *angelicæ, Imperatoriæ, succisæ, ana* ℥. 2. ß. *herb. scordii nostr.* ℥. 3. *rutæ hortensis* ℥. 2. *baccar. juniperi* ℥. 2. ß. *cort. arantior. recent.* ℥. 1. *citri recent. extim.* ℥. 2. *croci optimi* ʒ. 6. *sem. citri* ℥. 1. *aquilegiæ, napi ana* ʒ. 6. *myrrhæ rubræ electæ* ℥. 2. *succini albi* ℥. 1. ß.

Incisa & contusa immittantur cucurbitæ vitreæ, quibus superaffundantur spiritus vini rectif. ℥. 6. vel 8. ut saltem nonnihil species humectentur: factâ maceratione unius diei, abstrahantur in MB. ℥. 3. circiter *spiritus affusi*; quo interim asservato, *species prænominatæ* cum s. q. *spiritus vini* extrahantur, & quidem repetitis affusionibus & decantationibus ad totalem virtutum prolectionem. Colaturæ postea omnes filtratæ destillando in MB. abstrahantur, ad ℔. 1. circiter: *qui liquor,* cui nonnihil *resinæ* inhærebit, coletur per linteum, & in diplomate vel vase duplicato ad extracti spissitudinem evaporet, huic tandem *superior separata resina,* parum per prius in vitro largo exsiccata & denuò *cum superiori primitus abstracto spiritu à speciebus* soluta, adjungatur & probè commisceatur, superadditis quoque sequentibus: utpote.

Ol. still. rutæ, baccar. juniperi ana ʒ. ß. *cinamomi, citr. ex rec. cort. ana* ℈. 1. *nuc. mosch. expr.* ℈. 1. *prius cum pulv. sacchari citrati* ℥. 2. *permistor.* Fiat extractum justæ consistentiæ.

Præstans in peste & febribus malignis, ad sudores proliciendos, malignitatemque superandam; Cor roborat, ac à vaporibus malignis præservat. Dosis ℈. 1. ad ℈. ß.

Extractum Antipestilentiale, *ex eâdem Pharm. Reg.*

℞. *Rad. angelicæ contraiervæ, enulæ campanæ, Imperatoriæ, levistici, morsus diaboli, scorzoneræ, zedoariæ ana* ℥. 2. *herb. scordii nostr. rutæ hort. ana recent.* ℥. 3. *flor. calendulæ, croci Austriaci ana* ℥. 3. *cort. citri recent. ext.* ℥. 2. *baccar. juniperi* ℥. 3 *herbæ paridis,* ℥. 1. *sem. citri rutæ, ana* ℥. ß. *myrrhæ rubræ* ℥. 1. ß.

Incisa & contusa crassiusculè ac cucurbitæ vitreæ immissa, extrahantur *cum s. q. spiritus vini,* repetitis vicibus affusi, quousque omnes virtutes evocatæ sint, *nec spiritus* vini tincturam amplius eliciat; Extractiones omnes filtratæ per alembicum, ad extracti consistentiam destillando abstrahantur: cui adde

Ol. stillat. rutæ hortens. succini ana ʒ. 1. *prius cum sacchari citrati* ℥. 2. *permixtor.* Fiat extractum, usui asservandum.

Nota. Resinosa substantia studiosè separanda, nonnihil exsiccanda, *cum particula spiritus vini* primitus abstracti, denuò solvenda, & jam spisso extracto dextrè unienda est.

Extractum Antipestilentiale *Dni. Le Mort ex Collect. Chymic. Leydensibus.*

℞. *Radic. angelic. Imperator. valerian.* ãã ℥ j. *petasitid.* ʒj. *gentian.* ℥ß. *baccar. laur. rad. cavæ* ãã ℥ ij. *croci Britann. caryophyllor.* ãã ʒj. *olei juniperi, succini* ãã ℈ iv. *olei cortic. arantior.* ʒj. *sal. tartar.* ℥ß. *spirit. vini rectificat.* ℥xij.

Primò pulverisentur radices omnes quæ in pulverem possunt redigi: Admisceantur ijs pulveribus in mortariô olea. Deinde adde sal. tartari omnibus. Superfunde spir. vini, atque extrahe tincturam mediante digestione trium vel quatuor dierum, postque clarum à spissô per decantationem separa.

Dos. à ʒj. ad ʒij. in vinô vel conveniente liquore.

Convenit in omnibus morbis per sudorem curabilibus, præcipuè contagiosis Si contra venena hæc essentia paretur, addatur singul. dosibus pulveris contrayervæ ℈j. & mira efficies.

Extractum Phlegmagogum Quercetani, *ex Pharm. Aug.*

℞. *Agarici trochiscati* ℥. 4. *hermodactylorum, turbith. senæ, medullæ carthami ana* ℥. 3. *rad. esulæ præparatæ* ℥. 1. *trochiscorum alhandal.* ℥. ß. *salis gemmæ, macis ana* ʒ. 1. ß. *cum spiritu vini* F. extractum.

Morbis omnibus pituitosis, & à frigidis humoribus ortis convenit, hydropicos, arthriticos, podagricos, & epilepticos juvat.

Extractum Pilularum variarum, *ex Pharm. Aug.*

Cum spiritu vini species pro ijs requisitas digerendo, filtrando & spiritum abstrahendo parantur.

Extractum Pulmonum, *ex Schrödero.*

℞. *Pulmon. Vulpis, incide in frusta minutissima, ac adde herb. veronic. hyssop. scabios. ana* M ß. *sem. anis. fœnic. ana* ʒj. *Coque in phiala capaci benè occlusa in* MB. *ferventi horas 7. vel 8. donec pulmones in liquorem redacti fuerint. Hinc cola, colaturamque inspissa, addendo Sacchari q. libet, ad consistentiam extracti.*

Vires. Imbecillitati ac affectibus pulmonum confert.

N. 1. *Eodem modo fieri quoque possunt Extracta Epatis, Splenis, & similium, ex Decoctis supra è Quercetano allatis.*

N. 2. *Præstat modus quem supra generaliter dedimus.*

Hofman. Extractum Pulmonum. Hoc potius Syrupus, quàm extractum est, sed nullius momenti.

Extractum Scorzoneræ compositum *Magni Ducis Hetruriæ è Pharm. Italica Antonij de Sgobbis.*

℞. Scord. recent. tormentill. mund. meliss. recent. scorsoner. rec. ãã ℥iv. pomor. citrior. num. iv. Conscindantur minutim mala citria, & contundantur optimè cum herbis in mortario marmoreo. Fiat omnium expressio fortis, ac expressioni adjunge croci oriental. ℥ß. Expressio probè colata & depurata reponatur admisto croco in cucurbitula vitrea ac in MB destilletur. Aqua destillata materiæ ab expressione residuæ affundatur, tincturaque extrahatur, quæ pariter in MB destilletur donec materiæ contentæ in extracti consistentiam deducantur. E capite mortuo post tincturam extractam relicto, cum aqua destillata maximè phlegmatica, eliciatur sal, quod conjungatur cum extracto similiter addendo, electuarij de gemmis ℨij. lap. bezoard. veri gr. xxx. margarit. ppt. ℨij. fragment. lap. pretiosor. ppt. ℨiij. camphor. ℨj. Omnibus diligenter incorporatis remedium servetur ad usum.

Valet in febribus malignis, ac pestilentiis. Dos. ℨß. cum saccharo rosato, aut alio commodiori adminiculo.

Extractum contra vermes egregium *Dom. Le Mort ex Collectan. Chymic. Leydens.*

℞. Sem. Zedoar. comar. absinth. ãã ℨvj. vitriol. martis ad albedinem calcinati ℨj. agaric. ℨij. dauci vulgar. ℨiv. fol. tanaceti m. ij. Misce omnia invicem & contunde. Contusis superfunde spir. vini ad supereminentiam dig. j. vel ij. Diger. per 24. horas. Postea filtra per chartam. Si dulcius expetatur extractum adde materijs liquiritiæ rasæ ℥ß. vel ℥j.

Extracta rursus alia varia è Schroderi Pharmacop. ab Hofmanno annotata.

Extractum Satyrij compositum.

℞. Extract satyr. simpl. ℔ß. sal. margarit. ℥ß. ol. nucist. still. anis. cinamom. an. ℥ß.

Vires. Impotentibus succurrit. Dosis gutt. aliquot. ad 20.

HOFMAN. *Extractum Satyrii compositum.*) Huic præfertur extractum simplex, quod infra describitur. Sal Margaritarum est non Ens, & olea addita destillata Nucist. anis. Cinamon. &c. in aliis extractis adhiberi possunt.

Extractum Theriacæ, seu Essentia.

Theriaca simplex & alcolisata.

℞. Theriac Androm. opt. extrahe s. a. tincturam cum Aqua vitæ juniperina, vel aq. ex trohis cervinis, vel simili aq. bezoardica sive Theriacali. Decantatas tincturas destilla ad remanentiam Essentiæ Theriacæ in consistentiam mellis, quam serva pro usu, titulo Extracti theriacæ simplicis, vel adde sal ex incinerata remanentia elixiviatum, sub nomine Extracti s. essentiæ alcolisatæ.

N. *De hoc Theriacæ & similibus extractis, duo, quæ moneam, habeo.*

Primum suggerit ingredientium diversitas, quæ vix credibile est, singulorum essentias æque uni soli menstruo parere. Nec est quod oggerant, fermentando cuncta in unam naturam coaluisse: Dubium enim haud leve, utrum fermentando natura rerum adeo immutari possit, ut quæ antea menstruum tartareum prorsus respuebant, facta fermentatione idipsum amicè amplectantur.

Secundum, quod monere duxi, ipsamet præbet fermentatio, quippe quæ potissimum rerum fermentabilium partem in Q. E. exaltat, id est, volatilisat, spiritualem ac volatilem reddit. Exemplo sint Vinum, Cerevisia, succi fructuum fermentati, & similia. Eapropter cum Tinctura destillationi submittatur, quæ volatilior pars abstrahitur, quis infringet extractum in fundo destillatorij remanens, potissima sua parte esse exutum.

Ut has difficultates evitent, sunt qui species seorsim menstruis idoneis extrahunt, itaque extracta postmodum conjungunt. Verum enim vero, nec hi ad metam, ad quam collimant, pertingere videntur. Etenim compositionem Theriacæ subeunt non pauca naturæ aromaticæ, subtilioris, tenuioris, volatilioris, &c. Quæ facultates ad Theriacæ constitutionem non minus necessariæ sunt, quam reliquæ in substantia minus volatili residentes; Idcirco, cum volatiles illi spiritus à fixioribus in inspissatione separentur, operationem Theriacæ integram in extracto hoc quis sibi spondebit? Adde quod hac ratione nonnullorum ingredientium ferocia, quæ alias fermentando in Theriaca cicuratur, indomita maneat, imo vires suas exerere aptior evadat. Præstat itaque Theriacam in sua propria substantia adhibere, quam laboriosâ hac extractione operam perdere. Id quod de aliis quoque, exempli gratia, pilularum quarundam extractis censendum.

Verum enimvero, non simpliciter Theriaca extracta improbata velim, præcipue si spirituosiores seu oleosiores partes interveniente præcipitatione, sint reservatæ. Qua in re non possum, quin industriam commendem Chymici solertissimi Friderici Greiffen *Pharmacopæi apud Tubingenses celeberrimi, Amici mei honorandi: qui imperfectionem præparationum harundem perpendens, perfectiorem, non ita pridem in Decade sua nobilissimorum medicamentorum, Juris publici fecit.*

HOFMAN. *Extractum Theriacæ seu essentia theriacæ s. & alcolisata.* Justa in hoc est censura *CL. Autoris nostri*. Et sanè non melius aut præstantius extractum theriacale paraveris, atque si species theriacales extractioni aptissimas spirituosas & balsamicas seorsim vel cum sp. juniper. vel sp. baccar. sambuci extraxeris, spiritum abstractum seorsim servaveris & extracto residuo alia resinosa extracta, ut Myrrhæ, galbani &c. adjunxeris, addito Sale volatili viperarum, vel illarum pulvere, &c.

Theriaca benedicta Quercetani aucta & correcta.

1. Solvenda.

℞. Troch. scyllit. Quercetan. ℨvj. de Viper. venetian. ess. (extr. opij cum acet. dist. fact.) ana ℨiij. succ. glycyrr. in aq. still. sol. & inspiss. ℥iß. ess. croci (cum spir. vini.) ℨj. myrrh. in acet. dist. sol. & inspiss. oliban. in gran. ana ℨvj. gran. styrac. cal. in spir. vini sol. & express. gum. arab. albiss. sandarac. in gran. sagapen. in gran. succ. acac. in acet. dist. sol. & insp. hypocist. in acet. dist. s. & insp. ana ℥ß. asphalt. el galban. mastich. opopanac. (singul. in gran.) ana ℨij. essent. castor. ℨj.

2. Extrahenda aromata.

Piper. long. ℨiij. cinam. ac. ℥iß. acori. s. calam. cass. lign. veræ. cost. ver. pip. albi. nigri. schænanth. spic. indici stæchad. arab. zedoar. zinzib. alb. ana ℨvj. cardam. min. carpobals. veri. cubebar. fol. galang. caryophyllor. macer. spic. celtic. ana ℥ß. lign. aloës ℨij.

Extrahenda reliqua.

Mirobalan. chebul. ℨvj. baccar. juniper. ℥ß. laur. ℨij. fl. rosar. rubr. ℥iß. hyperic. centaur. min. an. ℨij. herb. card. bened. scord. cret. ana ℥iß. calamenth. mont. dictamn. cret. marrub. ana ℨvj. abrotani. chamædr. chamæpit. orig. cret. polii cret. rorismar. salv. min. scabios. ana ℥ß. majoran. mari. lign. asphalt. santal. agaric. rad.

rad. irid. flor. ana ℥iß. angelic. pentaphyll. rhabarb. tormentill. ana ʒvj. aristoloch. rot. asar. cyper. rotund. dyctamn. alb. enulæ camp. gentian. imperator. meu. pimpinell. phu pontic. serpentar. succis. valerian. vincetoxic. an. ℥ß. aristoloch. long. cruciat. an. ʒij. sem. buniad seu napi agrest. ℥iß. petrosel. maced. ʒvi. ammeos. ammomi racemos. anis. torrefact. citri. fœnic. cret. hyperic. sesel. seu siler. mont. thlaspi seu nasturt. alb. ana ℥ß. dauci cretic. ʒij.

3. Pulverisanda.

Confect. serpentum juniperinæ. Quercet. ℥iij. terr. sigillat. ʒvi. lemn. c. c. usti ana ℥ß.

4. Liquida.

Balsam. Indici. ol. nucis moschat. expr. ana ℥iß. caryophyllor. ʒj. succin. camphorat. ʒß. spir. vitrioli ℥ß.

1. F. Extractio seorsim medietatis aromatum & reliquorum extrahendorum, singulorum scil. 1. cum spir. vini rectific. 2. cum aq. destil. pluviali essentiam cum spir. vini extractam præcipita cum extractione in aq. destil. Hinc abstrahe in MB. ac collige seorsim spiritum theriacalem primo egredientem, seorsim etiam aq. theriacalem subsequentem ad consistent. mellis, residuam medietatem in pulverem redige.

2. Ex remanentia incinerata elixivia Sal. com. cum aq. pluviali.

3. In spir. theriacali solve sandarac. olib. mastich. storac. omnesque essentias non satis liquidas eo dilue.

4. Cum aq. theriac. in pulverem redige Trochisc. de scyllis & Vip. solve in eodem succum Glycirrhizæ, G. Arabic. & Sal. com. proprium.

5. In spir. Terebinth. ʒvi. solve Asphaltum.

6. Reliqua omnia, ut Ess. opij & Hypocist. acac. myrrh. sagapen. galban. & opopanac. solve in acet. dist.

7. Omnes extractiones, solutiones, pulveres, Balsama, olea, expr. destill. spiritus & sal. com. s.a. commisce quàm optimè & redige in massam pilularem. Hinc.

Theriaca Cœlestis.

℞. Theriac. benedict. prior. ℔iß.

Extrahe cum sp. theriac. effunde & abstrahe ad consistent. mellis. Abstractum spir. (essentia seorsim asservata) reaffunde remanentia priori, extrahe denuo & decanta. Remanentiæ affunde spir. vini rectific. ac extrahe residuam essentiam ejus, decanta iterum, & confunde cum priori. Residuam remanentiam in aq. theriacali & tandem in acet. destill. spir. salis balsamici (sal. nit.) fortificato extrahe. Et his ultimis extractionib. priores præcipita & ad consist. mellis coagula, tandem permisce magist. corallor. perlar. ãã ℥j. hyacynthi. rubin. smarad. ann ʒvi. bezoart. animal. mineral. sal. corallor. perlar. ãã ℥ß. bezoart. oriental. terr. sigillat. unicorn. veri. oss. de C. C. ãã ʒiij. ambr. gris. ʒij. inspissa in vase duplici ad formam. extract. vel massæ pilularis.

Vires. Vires Quercetanus huic attribuit admirabiles in Venenis & contagijs arcendis; in exagitatione spirituum humorumque sedanda, in catharris, dolorib. & vigiliis mitigandis. In Balsamo nativo corroborando, putredine præservanda, &c.

N. *Rationem utriusque hujus compositionis videsis suprà.*

Hofman. *Theriaca Benedicta Quercetani aucta & correcta.* In hac quædam ingredientia corrigi, quædam addi, quædam omitti debent. Loco trochisc. scillitic. pulpa scillæ, loco troch. viper. caro viperarum, loco terræ sigillat. Lemn. CC. ust. Antimonium diaphoreticum, loco salium lixiviosorum salia volatilia viperarum. C C. Urinæ, succini &c. addi possunt Omittenda sunt sandarac, asphalt. Mirobalan. chebul agaric, rhabarbar. asarum & semina nonnulla. In Theriaca cœlesti excludenda Magister. perlar. corall. hyacinth. &c. & horum vice substituantur Cinnabaris Antimonij rectific. seu specific. cephalicum *Dn. D. Iohann. Michaëlis*, bezoardic. Solare pro lapide bezoar. Or. &c. Essentiam opij cum Acet. dist. factam superat illa cum succo cydonior. fermentata & extracta cum spiritu vini.

Theriaca Cœlestis. *ex Corpor. Pharm.*

℞. Extracti Angelicæ, Imperator. gentianæ, aristol. rot. tormentill. calam. arom. zedoar. cardui bened. rutæ, scordi ãã ℥ß. croci, myrrhæ ãã ℥i. castorei ʒii. opii ℥iv. bezoard. or. c c. phil. ppt. cinab. ppt. ♁ ppt. ãã ʒiv. succini ppt. ℥ß. ℴℴ macis, nucis mosch. dest. angelic. dest. ãã ʒi. camphoræ ʒiij.

Ex omnibus his ritè commixtis fiat Theriaca cœlestis reliquis ob incertitudinem dosium tam, quàm & ingredientium farraginem longè anteferenda.

Extracta purgantia ex eodem.

Extractum benedictum.

℞. Fol. sen. el. rhabarb. ana ℥ij. agaric. ℥j. F. extractum.

Vires. Purgat biliosos ac mucilaginosos humores.

Dosis à ℈ß. ad ʒj.

Hofman. *Extractum Benedictum.* Hoc quia simplex est, & ingredientia ob spiritus vini abstractionem nullam virium jacturam subeunt, suo in æstimio reliqui debet.

Extractum Catholicum Francofurtense.

℞. Aloës succotrin. ℥j. turbith. el. ℥ß. colocinth. ʒvi. agaric. albiss. diagrid. rad. ellebor. ana ℥ß. spec. diarrhod. abbat. ℥j. macis. stachad. ar. galang. cardamom. zedoar. caryophyll. cinamom. fl. anth. lign. aloës. visc. querc. ana ʒß. ambr. gris. ℈j.

Infunde omnia in spir. vini ♂ (8.) exceptis speciebus, Diarrhod. & Ambra, fiatque extractum, cui adde extractum specierum Diarrh. itidem per spir. vini factum & ambram.

Vires. Omnes humores blandè purgat.

Dosis à ℈j. ad ℈ij.

Hofman. *Extractum Catholicum Francofurtense.* In hoc ingredientium quorundam partes spirituosæ & volatiles per spiritus vini abstractionem eunt perditum, & licet etiam excipiatur diarrhodos. Abbat. ex quo seorsim cum spir. vini extractum conficiendum & demum in fine cum ambra addendum sit, tamen nihil huic derogat; dum enim spiritus vini iterum quando extractum ad justam consistentiam redigitur, abstrahitur, partes ingredientium aromaticæ æthera petunt, nec quicquam spirituosi balsamici remanet, nisi partes terrestriores & tartarus quidam, quem communiter sal vocant essentiale, in residuo manent. Ideoque singula purgantia per se sigillatim sunt extrahenda, atque his deinde etiam extracta aromata admiscenda sunt. Prout & in 3. *Extracto Catholico Sennerti Cl. Autor noster* fieri jubet. Proinde eodem modo itidem cum 4. Extracto Catholico *Dn. D. Arnoldi Weickhardi* procedendum est.

Extractum Catholicum Sennerti.

1. *Diagryd. trochisc. alb. gumm. de Peru. ana ℥ß. aloës. ℥j.* F. Extractum cum spir. vini seorsim.

Itidem f. Extractum.

1. *℞. Turbith. el. rad. elleb. nigr. ãã ℥ß. rhabarb. ℥j. spec. diarrhod. abb. aromat. rosati ʒij.*

Utrum-

Ut rumque Extractum conjungatur ad massam pilularem constituendam. *Dosis à ℈j. ad ℈ij.*

N. *Felicius forsan procederetur, si Resin. Diagrydij, Magister: Gummi de Peru, extract. aloës per se fierent, ut lib. 4. docebimus, atque trochisci albandali, cum reliquis infunderentur.*

Extractum Catholicum, D D. Arnoldi Weickhardi.

℞. *Aloës succotr.* ℔ß. *rhabarb. opt.* ℥v. *fol. senn. s. st.* ℥iv. *rad. mechoac.* ℥ij. *colocynth. turpethi el.* ℥iß. *esul. præparat.* ℥ß. *gener. 5. mirobalan.* ā ʒij. *cinamom. zinzib. macis. galang. zedoar. caryophyllor. cardamom. cort. citr. schænanth. ana* ʒj. *spec. diambr.* ʒij. *diarrh. alb.* ʒiij. *F. extractio s. a. cum spir. vini & aqua fœnic. exprimatur & inspissetur.* Dosis ad ʒß. vel ℈ij.

Extractum Panchymagogum Crollij, 1.

℞. *Spec. diarrhod. abbat. diambr. ana* ℥j.

Extrahatur Tinctura cum spir. vini ana vitrum crebro movendo.

Deinde.

℞. *Pulp. colocynth.* ʒvij. *turpeth. gummos.* ʒv. *agaric. opt. rad. elleb. nigr. veri ana* ℥j. *scammon. elect.* ʒvj. *fol. sen.* ℥iv, *rabarb. el.* ℥iij. *elater.* ʒj. *sem. ebul. trit.* ℥iij. *hermodact.* ʒiij.

Incidenda incidantur, terenda terantur; affunde Tincturam illam specierum, extrahaturque Tinctura s. a. decantatas extractiones inspissa leni calore MB. ad consistentiam mellis, postmodum adde *ol. cinam. caryophyllor. nucist. ana gutt. x. sal. perlar. corall. ana* ʒij. *salem è fæcibus superioribus calcinatis extractum. rasur. cranij human.* (vel oss. calcinat.) ℥ß. F. Massa.

Vires. Non datur melius catharticum, quod minori molestia omnes humores noxios expurgat.

Dosis a ℈j. *ad* ℈ij. *ex vino malvatico, vel alio generoso è jusculo, vel aliis catapotiis aggregativis admixtis: datur & in forma pilulari.*

Hofman. *Extractum Panchymagogum Crollij.*) In hoc justa est *C L. Zwelfferi* censura de speciebus diambræ & diarrhod. Abb. cum sp. vini extrahendis, negari enim primò nequit in spiritus vini abstractione magnam fragrantiæ & essentiæ aromaticæ portionem simul abstrahi; deindè, nec inficias ire possumus, sp. vini speciebus diambræ saturatè imbutum licet aliquid extrahat, tamen adeò aptum ad ulteriorem & pleniorem additarum specierum extractionem non evadere, ut αὐτοψία edocet. Quare turpeth. gummos. agaricum. Scammon. notandum, hæc præbere resinam, quæ nisi exactè à reliquo extracto prius separetur, & vel pulverisata, vel recenti spiritu vini soluta perfectè inspissato extracto addatur, minus efficax præbeat extractum, duplex incommodum involvens, nimirum, quod in liquoribus totaliter solvi non possit, & nil ferè operetur. Quare resinas tales in mixturis purgantibus, siccis & liquidis, prius amygdalis dulcibus subigere suadet citatus *Zwelfferus.* Ad hæc excipit *Dn. Lucas Schrockius in Pharmacop. Augusta. restit.* p. m. 121. *Class.* 7. Denominatas quidem species resinam præbere; ast ideo vel pulverisatam hanc, vel spiritu vini solutam extracto addi debere non sequitur. Si enim resina ista unà cum extracto ad spissitudinem evaporato, absque præcedente illius separatione &c. cum pistillo probè contundatur & subigatur, optimè misceri statuit, & tale extractum, eundem dare effectum, quem si resina pulverisata vel spiritu vini soluta addita fuisset, præstare. Verùm licet particulæ resinosæ per contusionem & subactionem cum pistillo ad tempus disgregentur, tamen brevi temporis spatio ad genium suum redeuntes sui juris fiunt & se à reliquo extracto iterum segregant & separant, utpote aqueæ naturæ, ut ita recto adhuc stet talo *C L. Zwelfferi* tradita animadversio, similes resinas cum amygdalis dulcibus vel alio oleoso pro partium resinosarum disgregatione prius esse subigendas. Additio Salis perlarum, corallor. Salis ex fecibus calcinatis extracti supervacanea est. Sequentes descriptiones extracti Panchymagogi 2. *Crollij* & 7. *Hartmanni* cum iisdem scateant vitijs, eadem etiam animadversione cum superiori Extracto 1. panchymagogo *Crollii* dignæ sunt, quæ hisce adaptari potest.

Extractum Panchymagogum Crollij 2.

℞. *Pulpæ colocynth.* ʒvi. *agarici. scammon. el.* ā ℥ß. *hellebori nigri. spec. diarrhod. abbat. aloës succo trin.* ā ℥j.

Extrahe s. a. cum spir. vini eumque iterum abstrahe. Et quia in extractione sæpè virtus purgatrix solet debilitari, ideo quidam solent ad unam partem Extractorum addere crudorum purgantium partem alteram; adde ergo superioribus, antequam Extractum in fundo remanens planè inspissetur.

Trochisc. alband. ʒvi. *diagryd. præparat. agaric. troch. ana* ʒß. *aloës epatic.* ℥j.

Pulverisata redigantur in massam justæ consistentiæ Dosis à gran. 20, ad 25. & 30. & ultra.

N. *Aliud vide suprà ex Pharmacop. Augustana.*

Extractum Panchymagogum Hartmanni.

℞. *Fol. sen. s. st.* ℥j. *Rhabarb. el.* ℥iß. *rhad. hellebor. nigr.* ℥j *turbeth. alb. gummos. polypod. quern. trochisc. alband. agaric. trochisc. ana* ℥ß. *medull. sem. cartham. myrrh. rubr. el. ana* ʒiij. *spec. aromat. garyoph. diambr. ana* ʒj. *cortic. citr.* ʒj.

Concisa & contusa extrahantur simul omnia cum spir. vini & aq. cinam. ana ℔ß. F. expressio. Fæces denuo extrahantur cum sola aq. cinam. tenuiori, percoletur postea. Extracto adde extracti aloës cum aq. betonic. vel veronic. facti ℥iij. F. mistio, & inspissatio ad justam consistentiam, addendo ol. garyophyllor. gran. 10.

Dosis. à ℈ß. ad ℈iß. *Hartman. in Croll.*

Extractum seu Chylisma catholicum & holagogum ex *D. D. Rolfincio.*

℞. *Rhabarbari Alexandr.* ℥ij. *gialappæ nigræ resinosæ* ℔j. *fibrarum hellebori nigri, albi ana* ʒvj. *cortic. radic. esulæ* ℥vj. *pulpæ colocynth. folior. senæ Alexandr. ana* ℔ß. *scammonij* ℥iv. *gummi de Peru.* ℥vij. *spir. vini q. s. sal. tartari albi* ℥ß. *F. Extractio in leni calore, ex quibusdam concisis & contusis: seorsim rad. gialappæ, scammonii spir. vini extrahantur. Tinctus spir. aufertur, novus substituitur. Conjunctæ tincturæ leni calore exhalent atomos liquidiores. Sub finem addantur aloës socoterinæ lucidæ, selectæ in spir. vini solutæ* ℔ß. *olei citri, caryophyllor. anisi, fœniculi* ā ℈ß. *In lenissimo calore ad justam redigantur extracti consistentiam. Hæc ut concinnior evadat, addatur gialapij pulver. & trochiscor. alhandal modicum.*

Humores peccantes omnes promiscuè educit. Dos. ℈ß ℈j. *Adhibetur in forma pilulari horis matutinis.*

Extractum Hellebori seu arcanum rad. hellebori purgans Petri Fabri, ex *D D. Rolfincio.*

℞. *Rad. Hellebori albi* ℔j. *aceti stillatitij* ℔iij. *Macerentur per dies octo in vase vitreo bene clauso super cineres calidos. Transactis hisce diebus, fiat expressio fortis, & filtretur per cartam bibulam, deinde destilletur lentè, in alembico vitreo ad mellis consistentiam. Post extrahe cum eodem aceto stillatitio tincturam ex pulvere sequenti.* ℞. *Specier. electuarii diarrhodon abbatis* ℥j. *aloës hepaticæ* ℥j. *caryophyllor.* ʒij. *cinnamomi* ʒj. *moschi. ambræ*

ambræ gryſ. ana gr. viij. F. pulvis ex omnibus ex quo extrahatur tinctura, beneficio aceti ſtillatitij, repetita cohobatione, donec ex illo pulvere nihil amplius extrahatur. Extracta tinctura conjungatur cum extracto helleborino, quod in fundo alembici remanet. Permiſce optimè & abſtrahe quicquid aceti poterit extrahi per deſtillationem levem, donec in fundo remaneat extractum hellebori albi, cum tinctura conjunctum ad conſiſtentiam ſatis duram, ut ex eo poſſint fieri pilulæ, ponderis granor. x. aut xij.

Hæ pilulæ expurgant caput mirificè & ventriculum, ubi potiſſimum eſt focus & nidus ipſius vertiginis, & ſine ullo convulſionis metu, & labore nullo: corrigitur enim helleborus aceto ſtillatitio ſummopere, quia diſſolvit ipſum, & in diſſolutione ſua amittit quicquid habet veneni, unde alteratur ſummopere. Quidni corrigeretur helleborus, cùm & antimonium, & mercurius ſublimatus, aceto illo ſtillat. ſummopere corrigantur, ita, ut benigniſſima fiant medicamenta, ut experto cuique chymicorum ſit manifeſtum? hæ ſolæ pilulæ, tutò, citò & jucundè curant vertiginem. Doſ. ℈ß.

Extracta è Pharmacopœâ Bateanâ.

Extractum Abſinthii.

Fit ex Abſinthij ſummitatibus ſiccis in ſpir. vini digeſtis ut eliciatur tinctura, quæ filtrata ad conſiſtentiam Extracti evaporetur, addendo ſingulis unciis ſal. abſinth. ʒß. Eodem modo fiant extracta card. centaur. gentian. &c. Vel fieri poteſt ex ſuccis depuratis, evaporando in MB. ſ. a. Sed de his jam ſuprà.

Extract. Alhandal.

℞. Pulp. colocynth. à ſemin. opt. liberat. & ♃at. ℥iv. glyc. aniſ. à ℥ß. ▽h ♆ filtrat. ℔v. diger. ♂ 20. f. expreſ. & exhal. ad debit. conſiſt. ſ. a. Humores aquoſos educit ad miraculum. Doſ. à gr. v. ad xv. & ultra.

Extract. Chalybis.

℞. Succ. oxalid. depurat. ℔iv. tamarind. ℥j. coq. parùm, & clarifica. In iſto macer. tepidè ♄ ℥v. per ♂ 4. ſæpe agitando. f. colat. quæ in MB inſpiſſetur ad debit. conſiſt. Vocatur & Magiſt. Martis. *Aliter paratur cum ſucco pomor. vice Oxalidis & tamarindorum.* Dos à ʒß. ad ʒj.

Extract. Diateſſaron.

℞. Spec. Diateſſar. ℥iij. rad. angelic. ℥j. zed. ℥ß. ſem. cardui ʒij. ▽ Scord. comp. Cardui, meliſ. angel. ā ℔j. extrah. tincturam ſ. a. & exhal. ad debit. conſiſt. Confert ad affectus frigidos, tum cerebri, ut Paralyſin; &c. tum ventriculi, ut Inflationem & ab ea dolorem, tardam coctionem: tum hepatis, ut Hydropem, Cachexiam, Obſtructiones. Valet etiam efficaciter ad morſos venenatos, & potionem veneni.

Extract. Draſticum.

℞. Scammon. ♃at. ℥iij. ſucc. aurant cum cortic. expreſſ. ℔ij. Digere tepidè ♂ vj. f. expreſſ. & exhal. ad pil. conſiſt. Doſ. ana ℈ß. ad ʒß.

Extract. Ecphracticum.

℞. Xyloal. galang. caryoph. ā ℥ß. cinam. gent. cort. Winteran. ā unc. j. Rad. Raph. ruſtic. unc. ij. Fol. calaminth. puleg. abſ. ā mi. ♄ cum ♀ præp. unc. viij. V. alb. & Decoct. Tartari albi. ā ℔iiß. macer. ſ. a. colat. exhal. ad debit. conſiſt. addendo aloës unc. j. myrrh. ʒij. Mickletħvv. In morbo virgineo ac Scorbuto eſt efficaciſſimum: magnas enim vires obtinet in aperiendis obſtructionibus, præſertim lienis, hepatis, uteri, ac meſenterij: adeoque morbis indè natis ſubvenit.

Extract. Febrifugum.

℞. ♃ Cort. Peruvian. unc. iv. centaur. min. Rad. gentian. an. unc. ij. ſerpent. Virgin. unc. j. ſp. v. ℔iv. vel q. ſ. extrahe Tincturam, & exhala ſ. a. Titulus vires indicat. Doſ. drach. ſs. ad ʒß.

Extract. Fellis.

℞. Fell. bubuli in ☉e exicc. unc. ij. ſp. V. ℔iß. extrahe Tincturam, & exhala ſ. a. Confert ad menſes ſuppreſſos. Doſ. ℈j. vel ʒß. indies. operatur per ſedem.

Extract. Ictericum.

℞. Sterc. ovill. rec. unc. iv, Rad. chelidon. ʒx. curcum. unc. iß. lumbric. præp. ʒvi. centaur. min. mij. ♄ præp. unc. ij. ſucci limon. unc vj. ▽ cichor. ℔iv. Infund. hora 48. f. expreſ. quæ exhal. ad pil. conſiſt. addendo Lumbric. præp. ʒiß. corall. r. ebor. ſuccin. an. ʒij. m. Doſ. ʒß. ter in die, ſuperbibendo Decoct. Icteric. unc. iv.

Extract. Maltæ comp.

℞. Fol. tuſſilag. pulmonar. maculoſ. rec. ā unc. vi. glyc. unc. viij. uv. paſſ. exacin. ℔ij. cerev. illupulat. fort. debit. ætatis cong. vi. coq. ad conſumpt. cong. 4. f. expreſ. fort. & exhala ad mellaginem. Doſ. ʒij. bis vel ter in die, in Phthiſi, &c.

Extract, Melampodii.

℞. Rad. Helleb. n. veri cum fibris craſſ. ♃at. unc. vi. ſem. aniſ. unc. j. ſp. v. ℔iij. Infund. tepidè per ♂ vi. f. expreſſ. & exhala. Doſ. ʒß. ad ℈j.

Extract. Paregoricum.

℞. Philon. Rom. unc. iß. mithrid. ʒv. theri. Lond. diaſcord. ā ʒiij. ▽ cardui ℔i. ſp. vini unc. iij. macera, cola, & exhala ſ. a. Proficuum in morbis contagioſi, Catarrhis, doloribus, vigilijs, &c.

Extract. Pectorale.

℞. Fol. ſcabioſ. hyſſop. heder. ter. ā mxij. marrhub. alb. jaceæ ā mx. tuſſilag. helen. ā mxviij. contuſ. exprimatur ſuccus, depuretur, & ad mellaginem evaporetur ſ. a. D. coch. i. ter in die, ſuperbib. Decoct. Pector.

Extract. Peticum.

℞. Fol. peti exotic. unc. ii. glyc. unc. i. Fol. Aſari rec. ʒx. ſem. aniſ. ʒiii. coriand. ʒii. Rad. angelic. galang. ā ℈viii. macer. tepidè in Hydromel. unc. xx. hora 24. f. expreſ. & exhal. ad debit. conſiſtentiam. Doſ. ad ℈ij. Craſſos humores per vomitum & nonnunquam per ſeceſſum potenter expurgat. feliciter datur in Aſthmate, & pulmonum tartaro, nec-non in febribus, præcipuè Tertiana, & Quartana. Utile etiam in Ictero, Hydrope, ac Arthritide.

Extracta ex Hoſmanni Theſauro Pharmaceutic.

Extractum Cephalicum Nervinum CL. Z.

℞. Caſtorei elect. q. v. inciſo affunde Spiritus ceraſor. rectiſic. q. ſ. facta maceratione unius diei abſtrahatur per cucurbit. vitr. fortiter deſtillando in MB. *totus ſpiritus affuſus, ad caſtorei ſiccitatem: abſtractus ſtudioſè aſſervetur. Ex reſiduo affuſo ſp. vini ſ. q. repetitis vicibus extrahatur Eſſentia, quouſque ſpiritus affuſus colore inficiatur; tandem ſpiritus tincti omnes filtrati in Alembico vitreo leni balnei calore abſtrahantur ad conſiſtentiam Syrupi liquidam, reſiduum ex cucurbita effuſum in vitream patinam aquæ diplomatis debitè immer-*

ſam

sam evaporet ulterius ad densam Extracti consistentiam, cui demum jungatur & restituatur destillatus ab eo spiritus supra asservatus, & additâ Essentiæ aurantiorum saccharinæ ex recent. cortic. paratæ ℥ß. f. Extractum justæ consistentiæ.

Hujus usus est in apoplexiâ, epilepsiâ, lethargo, necnon variolis & alijs exanthematibus expellendis notabilis.

Aliud.

℞. *Radic. zedoar. doronici. pœoniæ. ana* ℥j. *visci quercin.* ℥iß. *croci* ℥ß. *cortic. aurantior.* ℥iij. *Succ. alb.* ℥j.

Incisis & cucurbitæ vitreæ immissis infunde sp. vini rectificat. ℔j. factâ maceratione per 2. ☍, abstrahe destillando MB. ℥vj. Spiritus fragrantis, quo seorsim asservato in vitro clauso, fiat specierum residuarum cum s. q. sp. vini rectificati extractio repetitis vicibus ad plenariam virium extractionem, spiritus omnes tincti & filtrati in MB. abstrahantur ad remanentiam ℥x. Hic liquor, cui pauxillum resinæ inhærebit, coletur per linteum. Resina in colatorio residua leni calore nonnihil exsiccetur, quâ interim servata, liquor colatus in diplomate ad consistentiam extracti evaporet, cui extracto tandem jungatur sua resina, cum superiori primitus destillato & reservato spiritu soluta, additis

ol. Nuc. moschat. express. ℥ß. *d. cinamom. ligni rhod. ana* ℈ß. *succini.* ℈j.

Prius cum Sacchar. in elæosaccharum conversorum.

Magister. matris perlarum q. s. M.

F. Extractum justæ consistentiæ.

Usus ejus est in apoplexiâ, epilepsiâ, vertigine, uteri suffocatione. Dos. à ℈j. ad ʒß. in convenienti vehiculo.

Extractum Alexiterium D. D. Z.

℞. *Radic. angelic. Carlin. Scorzoner. ana* ℥ij. *zedoar. contrajerv. an.* ℥ij. *fol. scordii nostr. rutæ hortens. an. M.* iij. *cortic. citri. recen. aurantior.* āā ℥iß. *croci optim.* ℥ß. *succini albi* ℥iß. *myrrh. el.* ℥i.

Incisa & contusa immitte cucurbitæ vitreæ, quibus superaffunde

Spir. Vini rectificat. ℥viij.

Ut saltem species nonnihil humectentur. Factâ maceratione unius diei, abstrahantur in MB. spir. vini affusi ℥iij. quo interim asservato species prænominatæ cum sp. vini s. q. extrahantur & quidem repetitis affusionibus & decantationibus ad totalem virium extractionem. Colaturæ postea omnes filtratæ destillando in MB. abstrahantur ad ℔j. qui liquor, cui etiam nonnihil resinæ inhærebit, coletur per linteum & in diplomate ad extracti spissitudinem evaporet, huic superior separata resina prius in vitro exsiccata & denuò cum superiori prius abstracto spiritu à speciebus soluta, adjungatur & probè commisceatur, additis *ol. d. baccar. juniper.* ʒj. *citri. cinamom. ana* ℈j. *expr. nuc. moschat.* ʒj. *prius cum sacchar. s. q.* in elæosaccharum redactorum f. Extractum.

Usus ejus est in febribus malignis pestilentialibus ad malignitatem expellendam & sudores eliciendos. Dos. ℈j. ad ʒß.

Extractum Anti-Pestilentiale T. d. B. à D. D. S. R.

℞. *I. Theriac. optim* ℥iij. *croci or.* ℥j. *f. cum spir. vini extractum.*

℞. *II. fl.* 🜔*ris* ℥j. *myrrhæ el.* ℥ij. *ol. d. baccar. juniperi q. s. ad eminent.* 4. *digitor. ol. d. succini* ʒj.

Digere per quatriduum, postea filtra & de hac extractione adde priori part. xij.

℞. *III. Radic. angelic. enul. ana q. v. f. cum sp. vini Extractum*, Hujus partes xvj. adde prioribus & digere simul calore lenissimo in ⚹ clauso per octiduum.

Tunc filtra & ad Extracti consistentiam redige, cui adde

Sal. c. c. volatil. succini volatil. ana part. xij.

Est summum arcanum in Peste. Dosis à ℈j. ad ʒß.

Extractum Anti-Arthriticum G. P.

℞. *Opii Th.* ℥ij. *succi limonum depurat.* ℥xvij.

Digere per 14. ☍ *in* ∴. *sæpius agitando, exprime, filtra & coagula ad formam mellis, fiant* ʒij. ʒvj. ℈ij. *serva, jam.*

℞. *Radic. imperator.* ℥i. *pimpinell. angelic. vincetoxic. ana* ʒij. *valerian.* ℥ß. *enul.* ʒij. *zedoar. caryophyllor. macis. cubebar. an.* ʒiß. *h. chamædr. chamæpit. meliss. an.* ʒß. *spirit. juniperi* ℥xii.

Pone in digestionem, posteà exprime, destilla per B. destillato adde Extractum superius.

Essent. croci ʒiß. *viperarum* ℥ß. M. adde *moschi* ʒß. *ambræ* ℈ij. Digere per 14. ☍.

Dos. ʒj. cum ▽ cinamomi in paroxysmo arthritico.

Sedat dolorem intrà horæ spatium, & sudabit ægrotus insequente somno. Posteà 24. horar. spatio elapso lenitivo corpus purgandum est.

Extracta ex Collectione Theoph. Bierlingii.

Extractum in Suppressione Mensium.

℞. *Extracti sabin. filic. flor. calend. centaur. minor. aristol. artemis. meliss. matricar. angelic. an.* ʒj. *myrrh.* ʒij. *croci* ʒß. *cast.* ℈ß. *borrac.* ʒij. *fæc. rad. bryon.* ʒiiß. M.

Extractum purgans *Arnisæi M. R. Dan.*

℞. *Extract. cathol. purg.* Arnis. ℥ß. *esul. hellebor. nigr.* ℥j. *gentian. card. bened. centaur. minor.* ā ℈ij. *calam. aromat. zedoar. galang.* ā. ʒß. *resin. scammon.* ʒiß. *gumm. gott.* ʒj. *rad. mechoacann. nigr.* ʒj. *rhabarb. ponderos.* ʒij. *trochisc. alhand.* ʒß. *specier. diambr. diamosch. aromat. rosat. de cinamom. an.* ʒiß. *magister. perlar.* ʒj. *salis gemmæ* ʒß. ☍ *angelic. rutæ, anisi, menth. an.* ℈j. *cinamom. gutt. xv. arcani tartari q. s.* M. f. Massa, dosis ℈j. vel ʒiß.

Extractum catholicum purgans *Arnisæi.*

℞. *Mechoacann.* ℥iij. *rhabarbar. elect. esul. aceto prius ppt. turbeth. gummos. diagryd. in aqua petroselini infus.* ā. ℥ij. *fol. senæ s. st.* ℥iv. *colocynth. medull. semin. cartham. an.* ℥ß. *cortic. citr. specier. diatragac. frig. diarrhod.* Abbat. ā. ℥ß. *salis tartar. absinth. ana.* unc. j. *cum spir. vin. f. l. a. extractum, inter inspissandum inspergantur aliquot guttulæ* ☍ *anisi, cumin. carvi*, dosis à ℈j. ad ʒiß.

Extractum contra vermes.

℞. *Extract. zedoar. absinth. gentian. centaur. minor. an.* ʒj. *hieræ, colocynth. an.* ʒiß. *flor. vitriol. virid. mercur. sublimat. cum* ⊙. *an.* ℈ij. ☍. 🜔*r. per campanam* ʒß. *aurant.* ℈i. M.

Extractum nobile Herbipolensium.

℞. *Spec. diamosch. dulc. diaxyloal. an.* ℈ij. *pleris archontic. liberant. aromatic. rosat. lætificant.* Rhas. *dianthos. an.* ʒj. *flor. salv. chamomill. roman. lilior. convall. paralys. lavend. stœchad. arab. an.* ʒiß. *meliss. borragin. bugloss. spic. celtic. anthos* ā. ʒi. *cheiri, calendul. an.* ʒij. *rad. polypod. aristol. rot. pæon. galang. liquirit. an.* ʒi. *visc. quercin. semin. carv. anis. caryophyllor. cardamom. cubebar. pulv. majoran. salviæ, origan. hyssop. marrub. cinamom. an.* ʒiß.

Omnibus cum spiritu vini extractis f. a. f. inspissatio.

Extractum aperitivum *D. Rothii.*

℞. Summit. abſinth. vulgar. m.iv. abſinth. pontic. Cortic. ſambuc. interior. ã. mj.
Incid. & contund. groſſ. mod. Infund. in vini Rhenan. ad eminent. 4. digitor. per 2. dies & noctes, poſtea exprime, expreſſum per B. evapora, & f. extractio.

Extractum purgans *Magenbuchii.*

℞. Colocynth. ʒiiiß. turpet. elect. ʒiſ. fol. ſenæ ſ. ſt. rad. helleb. nigr. ſtœchad. arabic. ã ʒi. rhab. elect. ʒiß. agar. alb. ʒij. cin. ſantal. citr. rad. aſar. roſar. rubr. ſpic. celtic. maſtic. myrrh. Terebinth. cyprin. ã. ʒß.
Inciſ. & contuſ. omnibus infund. in ſ. q. opt. vini, aliquoties deſtilletur, & extrahatur ſuccus, ultimò admiſce aloës optim. ʒiiß. dagryd. ℈j. f. l. a. extractum.

Extractum umbilicale purgans *D. Dôreri.*

℞. Pulp. colocynth. ℥ij zedoar. galang irid. ã. ℥j. agär. ℥ij. ſalis gemmæ ℥ij. ℈ij.
Macerentur per horas duodecim in vin. abſinth. ℔ij. Expreſſo add. galban. in ✱ ſcillit. ſoluti ʒij. ℈ij. Croci ℈iv. inſpiſſa lento igne ad craſſitiem linimenti.

Extractum chalybeatum *D. Schvvalenbergeri.*

℞. Limat. chalybis ppt. ℥iij. rad. ireos ʒj. zingiber. bugloſſ. ſylveſtr. ciclamin. eryngii, bryoniæ ã. ʒß. Fol. ceterach. lingu. cervin. betonic. rutæ, chamædr. chamæpyth. agrimon. calaminth. an. gr. xv. ſpic. indicæ, croci an. gr. v. cort. fraxini, rad. cappar. fagi, ſalic. coſti dulc. ℈j. lign. viſc. quercin. ʒj. cinamom. ʒiß. Semin. amios, cardamom. cimin. acet. macer. coriand. ppt. agni caſti, melanth. petroſel. portulac. ã. ʒß. ſiler. montan. ʒj. gr. xv. galang. caryoph. macis, lign. aloës, zedoar. doronic. gentian. ana gr. xv.
Inciſ. incidantur & contund. groſſ. mod. infund. c. ſ. q. ſpir. vini, f. l. a. extractum.

Extracta varia ex Hadriani à Mynſicht Armamentario Medico-Chymico.

Bezoarticum Solare.

℞. Theriacæ Andromachi, mithridat. damoc. ana ℥iij. raſ. lag. guajaci, ſaſſafras. ana ℥vj. bac. juniperi, rad. enulæ camp. angelicæ, ana ℥iv. vincetoxici, zedoariæ, tormentillæ, ana ℥ij. ſerpentinæ, imperatoriæ, valerianæ, ſcorzoneræ, diptam. alb. petaſitis, ana ℥j. maſthicis elect. myrrhæ rub. lig. aloës pond. calami aromat. cardamomi min. ziegib. alb. cubebarum, croci orient. macis. an. ʒvj.

Pulveriſata & mixta opt. ſpir. V. ſecundùm artem ſpagyricam extrahantur, ac ſpiritum ab eſſentia extracta in lento balnei calore abſtrahere, donec craſſamentum inſtar mellis in fundo relinquatur; poſtea adde.

Confect. alkermes. ℥j. bezoart. jovial. diaphoret. mineral. lap. bezoar. or. an. ℥ß. corn. alcis & cervi ſpargyricè calcinat. or. cinnabaris nat. præp. terræ ſigillatæ, flor. nitri. ana ʒiij. unicorn. mineralis, ſolaris, animalis. ana ʒiß. ſal. margarit. or. corallor. rub. flor. bentzoin. lact. ſulphuris. ana ʒj. ſal. veronicæ, ſcabioſæ, ſcordii, ana ℈iv. lap. 5. pretioſor. præp. oſſ. de corde cervi, ſerpentum. j. ãã ʒß. ambræ griſeæ, moſchi laudat. ana ℈j.

Omnia diligenter incorporentur & demum immiſc.

Ol. Stil. roſar. veri. ſem. angelicæ, aurantiorum, ſuccini albi, caryophyllorum, nuc. moſchat. cinamomi, camphoræ, rutæ hort. citri rect. ana ʒj.
Denuo miſc. & redigantur in formam juſtæ conſiſtentiæ, & ſaltem è fæcibus calcinatis arte extractum majoris efficaciæ ergò admiſcere poteris.

Vires, Uſus, Doſis. In variis & ferè omnibus morbis ſummum arcanum, immò efficaciſſimum medicamentum eſt, contra omnia metallica, animalia, & vegetabilia venena; utpote; Mercurium ſublimatum, Arſenicum, Nepellum, Cerebrum felis, Toxica, Philtra, Virus aranearum, Viperarum, Serpentum, Scorpionum & Bufonum, &c. quæ à corde & cæteris membris principalibus per ſudorem virtuoſiſſimè expellit, totumque corpus penetrat & conſervat. Valet quoque poſt debitum purgans, in omnibus putrefactionibus & ſuperfluis humiditatibus corporis, undecunque proveniant: Cachexiâ, Hydrope, &c. In eryſipelate (ita tamen ut in robuſtioribus venæ ſectio præcedat) ſudore Anglico, Puncturis laterum, variolis, morbillis, Aſthmate, Melancholia, Lue Venerea, Obſtructionibus & doloribus Hepatis & Lienis, Lepra, Contracturis, longis & obfirmatis morbis, &c. Item in Arthritide, Podogrâ, Gonagra, Iſchiaſi, Febribus, Menſibus retentis, Ictericiâ, nec non in Iliaca & Colica paſſione, &c. ſingulare & incomparabile eſt experimentum. In Peſte, morbo Ungarico, & in omnibus morbis Epidemicis ſecretum magnum eſt, quod ad miraculum, ægrotantium teſtimonio, operari ſolet: Eſt enim veneni totius corporis, ut ſummatim dicam, univerſalis evacuatio. In Apoſtemate, Anthrace, Carbunculo, Pleuriſi vera, doſis una adminiſtretur; deinde exactis quinque horis alteram exhibe, & qui illam horam attingit, ut tertiam doſin accipiat, de felici reſtitutione nequaquam dubitet. Si autem æger medicamentum vomitu rejiciat, mox illud repetendum, imò etſi illud retineat, ſemel exhibere non ſufficit; ſed ut venenum peſtilens planè corpore ejiciatur, omninò neceſſarium eſt Alexipharmaca & ſudorifera intra biduum quinquies vel ſexies repetere: Quod cum ſæpè negligatur, quam plurimi, qui ſervari poſſent, moriuntur, & nobiliſſima etiam remedia infamantur. Inter ſudandum æger reficiatur. Conſ. Roſar. vitriolat. Acetoſ. Rob. Ribium, Succo & Syrup. Citri. Granator. aq. cordialibus & ſimilibus, &c. &c. & à ſomno æger abſtineat, donec bis ſudaverit. Finito ſudore linteis mundis & moderatè calentibus totum corpus exſiccetur, diligenterque videndum, ne aëre frigido occurrente venenum expulſum intrò recedat; linteamina quoque & tegumenta lectorum mutentur: Si autem æger ſudore defatigatus fuerit, utatur cibis confortantibus & reficientibus, ut ovis recentibus, juſculis carnium, Ptiſanâ, & alijs, qui ſunt molles & in parva quantitate multum nutriunt. Doſis à ℈ſs. ad ℈j. Verùm correptus Peſte, ſive extremè deſperatus, ſtatim ab initio ʒſs. vel ℈ij. ex aq. Corn. Cervi noſt. vel Theriacali, aut Card. benedicti, aut alio appropriato vehiculo aſſumat & ſudet; potentiſſimè venenum è centro forâs vi ſua diaphoreticâ pellit: videbitis enim motum corpus ſudore diffluere. Pro quo divino auxilio nomen Domini ſit benedictum.

Aurelia Hadrianea.

℞. Extractorum ſequentium cum aceto deſtillato factorum: Theriacæ venet. mithridatij, conf. alkermes. ana ℥j. rad. anthoræ, enulæ camp. angelicæ. ãã ʒß. ſcordii veri croci orient. uv. lupin. ã ʒiij. corn. cervi & alcis ſpagyricè calc. bol. rub. cum ſuc. citri præp. terræ ſigillatæ, lap. bezoar. or. diaphoretici min. bezoar. jovial. ãã ʒij. hyacinth. præp. ſmaragd. præp. ſal abſinthii pont. card. bened. centaur. min. an. ℈jß. mag. perlar. or. corall. or. rub. oc. cancri. an. ℥j oſſ. de corde cervi, ſerpentum, unicorn. animal. ext. lig. aloës. an. ʒß. ol. ſtill. ſuccini alb. rect. camphoræ, zedoariæ, roſar. ver. an. ℈j. caryophyllorum, cinamomi, citri rectif. angelicæ, rutæ. ana ℈ß.

Extracta miſce diligenter, ut invicem bene uniantur, & poſtquã probè mixta fuerint, adde olea aliquosque pulveres tenuiſſimè tritos; quos paulatim inſperge, tepide miſcendo in formam extracti.

Vires,

Vires, Usus, Dosis. Antidotus hæc à pretio & virium præstantia Aurea dicitur, & in virtute & operatione Bezoartico nostro Solari quam proxime accedit & paratu etiam est facilior. Imprimis contra Pestem, morbos Epidemicos, & adversus omnia venenorum genera, præstantissimum est remedium. Quicunque enim in Peste hanc medicinam usurpaverit, eamque retinuerit, & desuper sudaverit, post Dei providentiam evadet. Infectus autem utatur à ʒs. ad ʒj in summa necessitate, & in lecto operatio expectetur; & somnus, dum sudat, inhibendus, quem Medici quamplurimi ante 24. horarum spacium, præsertim Anthrace & Bubone apparentibus, non concedunt; qui tamen, cùm vires restauret, & in somno ad exteriora potius quàm interiora calor feratur, non ultrà modum inhiberi debet: Neque ægri per vim ad sudores nisi sponte erumpant, impellendi; cum & sine eo, ex hujus Alexiterij usu, per insensibilem transpirationem, fiat evacuatio & pestifera illa vis retundatur, quod in omnibus diaphoreticis exhibitis observandum. Insuper Epilepticis, Hemicranicis, Cephalicis, Vertiginosis, Spasmaticis, Paralyticis & Melancholicis benefacit, Asthmaticis, Cardiacis, Lienosis, Hepaticis, Hydropicis, Hæmoptoicis, Dysentericis, Cœliacis, Colicis, Ischiaticis, Podagricis, nec non Febribus Quotidianis, Tertianis, & Quartanis, præsenti est auxilio. Dosis à ℈s. ad ℈j. & ʒs. in vehiculis appropriatis & specificis.

Extract. Panchymagogon.

℞. *Fol. senæ elect. ℥viij. pulp. colocynth. rad. turbith. alb. hellebori nigri, ā ℥iv. mechaocannæ, hermodact. alb. Elaterii veri, jalappæ resinos. ā ℥iij. aloës rosatæ rhabarb. elect. bac. ebuli. ā ℥ij.*

F. secundum artem spagyricam extractum justæ consistentiæ, cui adde:

Scammonii rosat. acidi tartari, ā ℥j. ol. caryophyllor. cinamomi, fœnic. mastichis, chamom. aurantiorum, ā ℈j.

Misc. & in forma pilulari ad usum repone.

Vires, Usus, Dosis. Catharticum est universale omnique ætati utile: Quia tam in genere quàm in specie omnes superabundantes & molestantes humores quibuscunque corporis partibus & anfractibus delitescentes, suaviter & citra ullam nauseam expurgat. Dosis à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. præsertim in robustioribus.

Extract. Polychrestum.

℞. *Aloës rosatæ, fol. senæ elect. ā ℥iv. hermodact. alb. turbith. alb. & gum. jalappæ, an. ℥iij. hellebori nigri, mechaocannæ, troch. alhandal. an. ℥ij. gum. Peruviani, myrrhæ rub. mastichis elect. ammoniaci, sagapeni, opopanacis, sarcocollæ, ana ℥jß. agarici trochiscat. bac. ebuli exsic. rhabarb. elect. ana ℥j. myrob. citrinor. & indor. polypodii querc. epithymi opt. sem. cymini, flor. stæchad. Arab. ā ℥ß. castorei veri, spicæ indicæ, caryophyllor. ana ʒij.*

Mixta extrahantur l. a op. sp. V. & fiat justæ consistentiæ extractum pro pilulis nostris polychrestis.

Vires, Usus, Dosis. Vocatur polychrestum, quod ad multos affectus corporis præter naturam sit utile & omnes humores purget. Dosis à ʒs. ad ʒj. per se vel cum alijs Catapotiis mixtis. Acuitur cum Scammonio nostro rosato.

Extract. Specificum Hydropicum.

℞. *Suc. inspiss. rad. ireos nost. elaterii veri, an. ℥viij.* Misc. & spir. Vini, in quo spec. Diarrhod. Abbat. maduerint, s. q. extrahe, & extractionem seorsim custodi: deinde

℞. *Pulp. colocynthid. rad. turbith. alb. & gum. hellebori nigri, ana ℥iv. rhabarbari elect. jalappæ gummos. mechaocannæ, ana ℥ij. cort. int. rad. sambuci, juglandis, frangulæ, ana ℥j. herb. gratiolæ, fumariæ, gran. cocognidii, bac. ebuli, ana ʒvj.*

Misc. & similiter cum sp. V. rectif. in quo prius spec. Diacubebæ maduerint, extrahantur; Posteà omnes extractiones mixtæ in lento B. calore abstrahantur, quoad crassamentum instar pultis in fundo relinquatur, & tunc demum adde:

Mag. ghuttajemon, scammonij rosati, āā ℥j. tartari vitriolati, hyacinth. prap. ā ℥ß. croci metallor. absynthiac. mercurij vitæ, āā ʒij. sp. vitrioli rect. ʒj.

Hæc omnia subtilissimè & seorsim pulverisata incorporentur fideliter, & circa finem immisce oleor. Cynamomi, Caryophyllor. Macis, Chamomillæ, Aurantior. Mentæ crisp. ana ʒs. Et fiat s. a. Extractum seu massa justæ consistentiæ.

Vires, Usus, Dosis. Specificum est Hydropicum; principaliter enim ad serosum Hydropicorum excrementum purgandum, omnes superfluas humiditates expellendum, aquam flavam emittendam, & materiam tumoris discutiendam inventum & accommodatum est. Morbos etiam omnes ab humore salso & usto natos; Elephantiasin, Psoram, Lepram, Cancrum, Impetiginem, Serpiginem, Ulcera maligna fistulosa præcavet & curat. Exhibetur in aurora matutinali, & cum cautela, quoniam est Catharticum forte, phlegma, pituitam, seu aquositatem omnem à toto corpore validissimè purgans.

Extractum Diasenæ.

℞. *Fol. senæ elect. ℥iv. rad. jalappæ, polypodij, ana ℥ij. agarici alb. hellebori nigri prap. rhabarb. elect. ana ℥j. sem. fœniculi, ℥ß. cinamomi, schananth. an. ʒij. zingib. alb. zedoariæ, ana ʒj.*

Macerentur in s. q. aq. ad tepidum calorem, extrahatur aqua, & affundatur nova, donec tota virtus sit educta; Evaporentur secundum artem ad mellis crassitiem, cui misce ol. Anisi & Caryophyllor. ana ʒj. Et f. extractum.

Vires, Usus, Dosis. Est purgans utilissimum in omnibus constitutionibus, præsertim Melancholicis, &c. Dosis à ʒj. ad ℈iv.

Extract. Specificum Emeticum.

℞. *Spec. diarrohd. alb. ℥jß. rad. asari recen. exsic. bryoniæ, cyclamin. ana ℥j. cort. int rad. frangulæ, rhabarbar. opt. suc. glycyrrhiz. mastichis elect. ana ℥ß.*

Et his cum sp. V. tincturam in digestione, ut decet, aliquoties in die movendo extrahe & seorsim custodi; deinde:

℞. *Rad. Esulæ min. prap. helleb. alb. prap. ana unc. viij.*

Incisis & mediocriter tritis Spiritus superior tinctus superaffundatur, atque in lento balnei calore per 14. dies macerentur; posteà spiritum per inclinationem aufer, & recentem affunde, tamdiu, donec omnis essentia extracta sit. Ultimo spir. Vini, verè tinctum simulque mixtum s. a. spagyricam abstrahe, usque dum in fundo instar mellis appareat; & tunc adde:

Sal. vitrioli alb. ℥ß. gum. ghuttajemou. tartari vitriolati, an. ʒij. ol. caryophyllorum, cinamomi, nuc. mosch. ana ʒj.

Misce denuo & f. l. a. Extractum.

Vires, Usus, Dosis. Est specificum Emeticum, & operatur variè per vomitum & secessum in omnibus Febribus, dolore Capitis, Arthritide, Podagra, Icteritia, Hydrope, Hepatis & Lienis obstructionibus; nec non in appetitu corrupto & debilitato ventriculo, &c. valdè efficax est; Nihil enim pravi in illo relinquit, sed omnes impuros & peccantes humores radicitus evellit, nec quicquam infert nocumenti. Dosis habita ratione complexionis & sexus à scr. j. ad ʒs. in liquore convenienti vel in forma pilulari non longè à pastu; tunc enim minori molestia vomitum movet.

Extractum Specificum Colicum.

℞. *Flaved. Cort. aurantior.* ℥vj. *spec. diacymini gran. juniperi ā* ℥iij. *rad. enulæ camp. pimpinellæ caryophyllatæ zedoariæ ā* ℥is. *Sem. charefolii bac. lauri. exc. herb. serpilli majoran. suc. glycyrrhiz. ā* ℥j. *cardamomi min. croci orient. ana* ʒvj.
Misc. & extrahantur sp. vini, quem postea in B.M. ad spissitudinem mellis abstrahe & adde:

Nitri vitriolati ʒiij. *corn. cervi spagyricè calc. tali leporini & suilli calc. ana* ʒij. *succini alb. præp. mag. corallorum lap. carpionis ana* ʒj. *diaphoretici mineral. bezoart. jovialis lap. bezoar. or. lact. sulphuris ana* ʒj. *sp. salis rect. f.* ʒs.
Misc. & fiat secundum artem Chymicam extractum; cui denuò immisce:

Ol. Carminativi nost. ℈ij. *angelicæ, caryophyllor. succini alb. mastichis, macis, cinamomi, citri ana* ℈j.
Omnia bene incorporentur & tandem extractum ad usum reponatur.

Vires, Usus, Dosis. Hoc specificum Colicum, valet propriè ad Colicam & Iliacam passionem ex causa frigida, humida & flatuosa ortam; quoniam depositis priùs alvi excrementis, in vehementissimis & gravissimis intestinorum doloribus sedandis, secretum est. Crassos enim & lentos humores tenuat & flatus dissipat. Hypochondriorum & ventriculi distentionem & inflationem placat. Pectoris refrigerationi & viscerum imbecillitati opitulatur. Senibus & quartanariis confert. Stomachi concoctionem juvat & tartarum in intestinis resolutum virtuosissimè expellit, Dosis à ℈j. ad ʒs. in aq. nostra contra Colicam vel in alia appropriata.

Extr. Specificum Uterinum.

℞. *Bac. sambuci exsic. chamæactes ana* ℥iv. *rad. pæoniæ debitè coll. artemisiæ rub. dictam. alb. bryoniæ. ā* ℥ij. *visci quercini, sem. ameos, herb. pulegii, melissæ rec. exsic. cassiæ ligneæ ana* ℥j. *croci orient. castorei veri ana* ℥ß.
Misce & extrahe cum sp. vini tincturam, & separa Spiritum ad remanentiam extractorum; postea adde:

Sang. porcæ in clibano exsiccatæ & cum aq. hysteric. præp. ℥s. *bezoart. jovialis* ʒij. *mag. jov. anglic. matris perlar. corallorum ana* ʒjß. *ol. antophyllorum, angelicæ succini albi, aurantiorum ana* ʒj.
Denuò misce & fiat extractum, quod ad usum reserva.

Vires, Usus, Dosis. Non habemus Uterinum secretius: Quia in suffocatione matricis, ubi omnia irrita & quasi desperata sunt, est medicina saluberrima; Hujus enim ferocissimi affectus causam abscindit & omnes vel deploratissimas mulierum præcipitationes & strangulationes uteri ob spermatis retentionem, aliasque causas quàm plurimas sistit, & matricis motum perfectè sedat. Dosis hujus specifici Uterini est à ℈j. ad ʒs. tribus aut quatuor diluculis continuis in aq. nostra hysterica vel alia convenienti; utpote Artemisiæ, Melissæ, Matricariæ, pulegij, &c.

Laudanum Opiatum.

℞. *Opii Thebaici spagyricè præp.* ℥ij. *suc. flor. papav. errat. inspis.* ℥j. *rad. cynoglossæ, mumiæ transmar. styrac. calamit. suc. glycyrrhizæ, croci orient. ana* ℥s.
Cum sp. vini extrahe tincturam cujusque seorsim, præter opium, quod vel aceto destillato vel suc. Citri extrahendum; postea tincturæ extractiones in lentissimo Balnei calore ad spissitudinem mellis abstrahe & adde:

Ext. lap. bezoar. or. sulph. anodyni vitrioli ana ʒij. *sal. margarit. orient. corallor. rub. ana* ʒj. *corn. alcis hermeticè calc. oss. de cord. cervi, succini alb. præp. ana* ʒs. *ambræ griseæ* ℈j. *moschi laudat.* ℈s.
Omnibus exactè incorporatis & mixtis adde:

auri potab. nost. ʒjß. *ol. camomil. rom. aurantiorum caryophyllor. absinthij nuc. moschat. anethi, citri rect. anisi, carvi ana* ℈ß.
Denuò misce, & ex his secundum artem Chymicam fiat Massa pilularis seu extractum.

Vires, Usus, Dosis. In sistendis omnibus humorum & catarrhorum profluvijs, sanguinis & menstruorum excretionibus: In vigilijs & inquietudinibus immodicis, & in omnibus febrium generibus viriumque resolutionibus: In Phrenesi, mania, melancholia, vomitu, epilepsia, cardiaca, singultu, colica, debilitato Ventriculo, pleurisi, arthritide, gonagra, podagra, ischiasi, lithiasi, & nephritide, medicamentum est stupendum. Quia in sedandis omnibus vehementissimis & acutissimis doloribus, divinum est auxilium & quasi ultimum asylum: Illustrius, præsentius, tutius & secretius Anodynum in Republ. spagyrica vix excogitari potest; testor rerum Medicarum ipsissimam matrem, eandemque Nutricem experientiam. Propterea ad gloriam Altissimi, & proximi ægrotantis salutem hoc loco utere & mecum gratias age. Dosis à gran. ij. iij. ad gran. iv. v. vel vj. quæ vesperi circa introitum lecti, corpore inanito & evacuato offerantur: refert autem cœnam eo die omittere, ne cibus corrumpatur. Et quia Laudanum opiatum hodiè famosissimum & frequentissimè usurpatur: varium ejus usum hic subnectere placet.

De Capitis Affectibus Haustus.

Laudani opiat. gr. iij. iv. v. vel vi. aq. majoranæ ℥s. *syrup. betonicæ* ʒij. *conf. smaragd* ℈j. *ol. margaritar. or. gut. iij fœniculi gut. j. sp. vitr. q. s. ad gratissimam acetositatem.*
Misc. & f. haustus pro una Dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. v. syrup. è suc. Ceras. nigr. aq. verbenæ nuc. moschat. ana* ʒij. *conf. hyacinthin.* ℈j. *sal. corallor. rubr. gr. iij. ol. succini alb. gut. j.*
Misc. & f. haustus pro una Dosi.

Pilulæ.

℞. *Laudani opiati q. s. mag. perlar. or. smaragd. præp. ana gran. iij.*
Misc. & cum ol. fœniculi formentur pilulæ parvæ deaurandæ pro una dosi.

Aliæ

℞. *Laudani opiat. q. s. mag. corallor. rub. hyacinth. præp. ana gran. iij.*
Misc. & cum ol. Succini alb. vel Majoranæ f. Pilulæ parvæ quæ deaurentur pro una dosi.

Bolus.

℞. *Laudani opiat. q. s. conf. majoran.* ʒj. *conf. smaragdinæ* ℈j. *spec. diambræ* ℈s. *elæosach. cinamomi q. s.*
Ut fiat bolus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. s. conf. anthos.* ʒj. *conf. hyacinth.* ℈j. *spec. diamosc. dulc.* ℈s. *ol. macis gut. j. man. christi perlat. q. s.*

In Cordis Affectibus Haustus.

℞. *Laudani opiat. q. s. syrup. Limonum* ʒij. *aq. borraginis, cinamomi, rosarum, nymphææ, ana* ʒj. *conf. alkermes, tinct. corallor. an.* ℈s. *sal. perlarum or. gran. iij.*
Misc. & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. s. syr. acetosit. citri, rubi idæi, ana* ʒij. *aq. melissæ, buglossæ, an.* ʒjß. *conf. pretios. nost.* ℈j. *tinct. rubini veræ* ℈s.
Misce & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

℞. *Laudani opiat. q. v. margar. trochis. nost. oss. de corde cervi. an. gran. iij.*

Misce

Misce & cum Ol. Maceris fiant Pilulæ parvæ inaurandæ pro una dosi.

Aliæ.

℞. *Laudani opiati q. s. lap. quinque pretiosior. præp. bezoar. or. ana gran. j.*
Misc. & cum Ol. Cinamomi f. Pilulæ parvæ, quæ deaurentur pro una dosi.

Bolus.

℞. *Laudani opiat. q. v. conf. borrag. vitriolat.* ʒj. *conf. alkermes* ℈j. *spec. diamarg. frigid.* ℈. *s.*
Manus Christi Perlat. q. s. fiat bolus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. s. conf. flor. tunicæ vitriol.* ʒj. *conf. citri nost.* ℈j. *spec. diarrhod. Abb.* ℈j. *elæosach. cinamomi q. s. ut fiat Bolus pro una dosi.*

In Epilepsia, vertigine, &c.

Haustus.

℞. *Laudani opiati q. s. syr. flor. pæoniæ, aq. lilior. conval. epilepticæ nost. ana* ℥ij. *conf. cephalic. nost.* ℈j. *ol. cubebarum, corn. alcis ana gut. j. spec. vitriol. q. s. ad gratiam.*
Misc. & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. s. syr. de betonic. aq. lavendulæ tiliæ ana* ℥ij. *conf. Smaragd.* ℈j. *ess. camphoræ gran. iij. ol. succini alb. corn. cervi ana gut. j. elix. pæoniæ nost. q. s. ad gratam adetositatem.* Misc. & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

℞. *Laudani opiat. q. v. unicorn. animal. mag. corallorum ana gran. iij.* Misc. & cum Ol. Cranii humani fiant Pilulæ parvæ deaurandæ, pro una dosi.

Aliæ.

℞. *Laudani opiat. q. v. Mag. cranii hum. sulph. Lunæ fic. ana* ʒij. Misc. & cum Ol. Ung. Alcis f. Pilulæ, quæ deaurentur, pro una dosi.

Bolus.

℞. *Laudani opiat. q. s. conf. flor. pæoniæ vitriol.* ʒj. *conf. smaragdin.* ℈j. *spec. Dia Lunæ nost.* ℈ß. *ol. rorismarin. gut. j.*
Misc. & cum Rot. Diambræ f. q. fiat bolus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. s. conf. anthos* ʒj. *conf. cephalic. nost.* ℈j. *spec. Diacranei nost.* ℈ß. *ol. lavendulæ gut. j.* Misce & cum Rot. Diamosch. dulc. f. bolus pro una dosi.

In Vomitu, Singultu & Ventriculo debilitato.

℞. *Laudani opiat. q. s. syr. de mentha, aq. stomachal. nost. ana* ʒij. *ext. calamit. aromat. sal. stomach. nost. ana gran. iv. ol. nuc. moschat. mastichis ana gut. j. elix. vitrioli nost. q. s. ad gratiam.*

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. s. syr. cydoneor. aq. calam. aromat. ana* ʒiij. *ext. galang. min. nitri vitriolat. ana gr. iv. ol. caryophyllor. mentæ crisp. ana gut. j. elix. sulph. nost. q. s. ad gratiam.* Misc. & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

℞. *Laudani opiati q. s. spec. diagalang.* ℈ß. Misc. & cum Ol. Salviæ fiant Pilulæ parvæ pro una vice, quæ deaurentur.

Aliæ.

℞. *Laudani opiat. q. s. spec. aromat. caryophyllat.* ℈ß. Misce & cum Ol. Absinthii fiant Pilulæ parvæ deaurandæ pro una dosi.

Bolus.

℞. *Laudani opiat. q. s. zingiberis condit.* ʒj. *acori condit.* ʒß. *ol. mastichis, zedoariæ ana gut. j.* Misc. & cum Rot. Di galang. fiat Bolus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. s. conf. menthæ crisp.* ʒj. *dyacydon. aromat.* ʒß. *ol. cinamomi, calami aromat. ana gut. j.* Misc. & cum Rot. Aromat. Cariophyllat. fiat bolus pro una dosi.

In Melancholia, Mania, & Phrenesi, &c.

Haustus.

℞. *Laudani opiat. q. v. julap. basilic. aq. bugloss. ana* ʒiij. *spir. terræ sigillat. ess. hyperici ana* ℈j. *elix. proprietatis q. s. ad gratiam.* Misc. & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. v. aq. melissæ* ℥ß. *syr. bugloss.* ʒij. *conf. citri nost.* ʒß. *ess. crocior. gran. iv. tinct. smaragd.* ℈ß. Misce & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

℞. *Laudani opiat. q. v. sulph. Lunæ fic. mag. perlar. or. ana gran. iij.* Misce cum Ol. Cinamomi fiant Pilulæ parvæ deaurandæ pro una dosi.

Aliæ.

℞. *Laudani opiat. q. s. pulvis testudinis combust. mag. corallor. rub. ana gran. iij.* Misc. & cum Ol. Stil. Rosar. fiant Pilulæ parvæ, quæ deaurentur pro una dosi.

Bolus.

℞. *Laudani opiat. q. s. conf. hyacinth.* ʒj. *ess. hyperici* ℈j. *spec. diamargar. frig. elæosach. citri ana* ℈ß. Misc. & cum man. Christi Perlat. f. q. fiat bolus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. s. conf. smaragd.* ʒj. *ess. hyperici, tinct. corallorum, elæosach. cinamomi ana* ℈ß. Misc. & cum Rot. Diarrhod. Abb. f. q. fiat bolus pro una dosi.

In omnium Febrium genere.

Haustus.

℞. *Laudani opiat. q. s. aq. card. bened.* ℥j. *syr. centaur. min.* ʒij. *sal. febril. nost.* ℈ß. *ext. zedoariæ* ℈ß.

Alius.

℞. *Laudani opiat. q. v. aq. febrifug. nost.* ℥j. *syr. de absinth.* ʒij. *elix. febril. nost.* ℈j. *ext. caryophyllor.* ℈ß. Misc. & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

℞. *Laudani opiat. q. s. sal. febril. nost.* ℈ß. Misc. cum Ol. Absinthii; fiant Pilulæ parvę deaurandę pro una dosi.

Aliæ.

℞. *Laudani opiati q. s. nitri vitriolat.* ℈ß. Misc. & cum Ol. Camphoræ fiant Pilulæ parvæ deaurandæ pro una dosi.

Bolus.

℞. *Laudani opiati q. s. theriac. febril. nost.* ʒj. *zingib. condit.* ʒß. *spec. febrifug. nost.* ℈j. *elæosach. myrrhæ* ℈ß. Misc. & cum sacchari candi alb. fiat bolus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiati q. s. theriac. febril. nost.* ʒj. *calam. aromat. condit.* ʒß. *sal. febril. nost.* ℈j. *elæosach. rutæ* ℈ß. Misc. & cum Rot. Diarrhod. alb. fiat bolus pro una dosi.

In Morbis Pectoralibus, Tussi, Asthmate, Phthisi, &c.

Haustus.

℞. *Laudani opiati q. s. syr. de glycyrrhiz. de Prassio ana* ʒiß. *aq. loch. sani, hyssopi, fœniculi ana* ʒj. *elæosach. anisi* ℈ß.

Misc. & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. marrubii, tussilag. veronicæ ana* ℥ i ß. *syrup. de hyssopo, de jujubis ana* ℥j. *rob. nucum* ℥ ß. *elæosach. fœniculi* ℈ ß. Misc. & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

♃. *Laudani opiati q. s. flor. sulphuris comp. benzoini ana gran. iv.* Misce & cum Ol. Salviæ fiant Pilulæ deaurandæ pro una dosi.

Aliæ.

♃. *Laudani opiati q. s. lact. sulphuris, tragacanth. alb. ana gran. iv.* Misce & cum Ol. Chamomillæ formentur Pilulæ parvæ, quæ deaurentur pro una dosi.

Bolus.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. pectoral. nost.* ℥j. *loch. sani & exp.* ℥ß. *suc. glycyrrhiz. ext. elæosach. fœniculi ana* ℈ ß. *ext. croci or. gran. iij.* Misce & cum Rot. Dia-Ireos simpl. fiat bolus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. violarum* ℥j. *loh. de pino* ℥ß. *spec. diasulphuris nost.* ℈j. *ext. enulæ camp. elæosach. anisi ana* ℈ß. Misce & cum man. Christi simpl. s. q. fiat bolus pro una dosi.

In sistendis omnibus Defluxionibus omnium humorum & Catarrhorum tenuium, è capite in asperam arteriam perpetuam tussi insomnium patientium.

Haustus.

♃. *Laudani opiat. q. s. aq. cord. virid. jugland. scabiosæ ana* ℥ij. *syrup. de papaver. errat.* ℥iß. *rob. nucum* ℥j. *elæosach. nuc. moschat. ana* ℈ß. Misce & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiati q. s. aqu. serpilli benedict. nost.* ℥ß. *syr. de jujubis* ℥ij. *diacodii crocat. nost.* ℥j. *elæosach. cubebar.* ℈ß. Misce & fiat haustus pro una dosi.

Alius in Causa valde calida.

♃. *Laudani opiat. q. s. vini granator.* ℥ß. *aqu. rosarum* ℥ ij. *syrup. de papaver. simpl. diamor. ana* ℥ i ß. *nitri vitriolat. gran. ij.* Misce & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

♃. *Laudani opiati q. v. mag. sandaracæ, smaragdin. præpar. ana gran. iv.* Misc. & cum Ol. masticis fiant Pilulæ parvæ inaurandæ pro una dosi.

Aliæ.

♃. *Laudani opiati q. s. mag. mastichis, succini alb. præpar. ana gran. iv.* Misce & cum Ol. Thuris formentur Pilulæ parvæ, quæ deaurentur pro una dosi.

Bolus.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. flor. scabiosæ* ℥j. *loh. de papav.* ℥ß. *spec. Dia-Ireos simpl.* ℈ j. Misce & cum Diacodio solido fiat bolus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. flor. papaver. errat.* ℥ß. *rob. de cornis* ℥ß. *spec. diamarg. frig.* ℈j. Misce & cum saccharo. penidii s. q. fiat bolus pro una dosi.

In omnibus profluviis intestinorum.

Haustus.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. tormentillæ* ℥ß. *syr. styptici nost.* ℥j. *ess. flor. rub. urticæ mort.* ℈ß. *ext. rad. bistortæ, elæosach. nuc. moschat. ana* ℈ß. Misce & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. plantaginis* ℥ß. *syrup. cydon.* ℥ij. *ess balaustiar.* ℈j. *ext. tormentill. elæosach. caryophyllor. ana* ℈ß. Misce & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

♃. *Laudani opiati q. s. mag. corallor. rosat. croci Martis ana gran. iv.* Misce & cum ol. mastichis fiant Pilulæ parvæ, pro una dosi, quæ deaurentur.

Aliæ.

♃. *Laudani opiati q. s. mag. gum. arabici, corn. cervi usti & præp. ana gr. iv.* Misce & cum Ol. Salviæ fiant Pilulæ parvæ inaurandæ, pro una dosi.

Bolus.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. rosar. antiq.* ℥j. *conf. narcotic. nost.* ℈j *spec. dia-martis nost. elæosach. aurantior. ana* ℈ß. Misc. & fiat cum Rot. Diarrhod. Abb. s. q. bolus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. flor. symphyti* ℥ j. *conf styptica nost.* ℥ß. *spec. diaplantag. nost. elæosach. citri.* Misce & cum Rot. Diamarg. frig. fiat bolus pro una dosi.

In Sanguinis Excretione & Menstruorum nimiâ evacuatione.

Haustus.

♃. *Ligni brasilii M j. gum. arabic.* ℥iij. *Coq. in diplomate cum vini alb. s. q.*

♃. *Colaturæ claræ, laudani opiati q. s. syr. cydoniorum, diacodii crocat. ana* ℥ij. *mag. corallor. rosat. ess. croci martis ana* ℈ß. *elæosach. caryophyllor. gr. iv.* Misce & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

♃. *Rad. tormentillæ, serpentariæ, cichorei ana* ℥j. *ras. corn. cervi, antheræ rosarum, sem. plantaginis, acetosæ ana* ℥ß. *herb. bursæ pastor. hepaticæ aur. sanguisorb. ana* ℈j *flor. millefolii, rosar. rub. anthos ana* ℈ß. *sebesten no.* ij. *Coq. in diplomate cum vini rub. stiptici s q.*

♃. *Colaturæ claræ* ℥iß. *laudani opiat. q. s. syr. papav. errat. de symphyto ana* ℥ij. *ess. sang. draconis* ℈j. *elæosach. nuc. moschat.* ℈ß. *rob. ribium q. s. ad gratiam* Misce & fiat haustus pro una dosi.

Alius in mensibus superfluis expertissimus.

♃. *Laudani opiati gr. v. aq. bursæ pastoris ana* ℥iß. *rob. sambuci* ℥iij. *sal. prunellæ* ℈ij. *ext. tormentillæ* ℈ß. *camphoræ gr. iv.* Misce & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

♃. *Laudani opiati q. s. bol. rub. or. præp. mag. corallor. rosat. ana gr. iv.* Misce & cum Ol. Rorismarini fiant Pilulæ inaurandæ pro una dosi.

Aliæ.

♃. *Laudani opiati q. s. usneæ pruni sylvest. mag. matris perlar. ana gr. iv.* Misce & cum Ol. Salviæ fiant Pilulæ parvæ deaurandæ pro una dosi.

Bolus.

♃. *Laudani opiati q. s. cort. cydonior. cond.* ℥j. *troch. de spodio* ℈ß. *pulv. oss. sepiæ, elæosach. zedoariæ ana* ℥ß. Misce & cum Rot. diamarg. frig. fiat bolus pro una dosi.

Alius.

℞. *Laudani opiati q. s. rad. symphyti condit.* ℥j. *troch. de terra sigill.* ℈j *succini alb. præp. elæosach. nuc. mosch. an.* ℈ß.

In

In Colica & Iliaca Passione, &c.

Haustus,

♃. *Conf. rosar. rub.* ℥j. *rad. zedoariæ* ʒj. *coq. in aq. chamomillæ* ℥iij.

♃. *Colaturæ claræ* ℥iß. *laudani opiati gr.vj. syrup. arantiorum* ʒij. *ext. colici nost.* ℈j. *elæosach. carminativ. nost.* ℈ß. Misce & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. serpill. nost. bened.* ℥ß. *syr. de mentha* ʒij. *ext. cortici nost.* ℈j. *elæosach. arantior.* ℈ß. Misce & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. carminativ. nost.* ℥ß. *syrup. cort. citri* ʒij. *ext. zedoariæ, elæosach. angelicæ ana* ℈ß. *spir. salis nitri q. s. ad gratiam.* Misc. & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

♃. *Laudani opiati q. s. mag. lap. carpion. tali leporini calc. ana gran. iv.* Misce & cum Ol. Succini alb. formentur Pilulæ parvæ inaurandæ pro una dosi.

Aliæ.

♃. *Laudani opiati q. s. lap. bezoar. or. tali suilli calc. ana gran. iv.* Misce & cum Ol. Cymini formentur Pilulæ parvæ deaurandæ pro una dosi.

Bolus.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. de mentha* ʒj. *ext. colici nost.* ℈ß. *elæosach. cinamomi* ℈ß. Misce & cum Rot. Diacymini fiat bolus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. flor. papav. errat.* ʒj. *elæosach. chamomillæ* ℈j. *nitri vitriolati gran. iv.* Misce & cum Rot. Diacymini fiat bolus pro una dosi.

In Dolore Pleuritico.

Haustus.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. flor. papaver. errat.* ℥ß. *syr. capill. veneris* ʒij. *ext. rad. glycyrrhiz.* ℈j. *elæosach. anisi* ℈ß. Misce & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. card. Mariæ* ℥ß. *syr. de jujubis* ʒij. *ess. flor. papaver. errat. elæosach. fœniculi ana* ℈ß. Misce & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

♃. *Laudani opiati q. s. mandib. lucii, dent. aprugni ana grana iv.* Misce & cum Ol. Bentzoin. fiant Pilulæ parvæ inaurandæ pro una dosi.

Aliæ.

♃. *Laudani opiati q. s. flor. sulphuris comp. succ. glycyrrhiz. ext. ana gran. iv.* Misce & cum Ol. Hyssopi formentur Pilulæ parvæ inaurandæ pro una dosi.

Bolus.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. flor. papav. errat.* ʒj. *loh. sani & exp.* ʒß. *spec. pleuriticæ nost.* ℈j. *elæosach. cymini* ℈ß. Misce & cum Rot. Diatragacanth. frig. fiat bolus pro una vice.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. violarum* ʒj. *diacodii crocat. nost.* ʒß. *pul. pleuritic. nost. secret.* ℈j. *elæosach. chamomillæ* ℈ß. Misce & cum Rot. Dia-Ireos simpl. fiat bolus pro una dosi.

In dolore Nephritico & Arthritico.

Haustus.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. nephritic. nost.* ℥ß. *syr. de althæa* ʒij. *sal. lap. percar.* ℈ß. *ol. perlar. or. gut. iv.* Misce & fiat haustus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. chamædryos* ℥ß. *syrup. de malva* ʒij. *sal. oc. cancri* ℈ß. *ol. corallor. rub. gut. iv.* Misce & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

♃. *Laudani opiati q. s. mag. lap. Judaici, borrag. venet. ana gr. iv.* Misce & cum Sp. Terebinth. formentur Pilulæ parvæ inaurandæ pro una dosi.

Aliæ.

♃. *Laudani opiati q. s. mag. lap. spongiæ. nitri præp. ana gr. iv.* Misce & cum Ol. Petroselini fiant pilulæ parvæ, quæ deaurentur pro una dosi.

Bolus.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. violarum* ʒj. *rad. pimpinellæ cond.* ʒß. *spec. dianitri nost.* ℈j. *elæosach. petroselini* ℈ß. Misce & cum Sacchar. Violac. fiat bolus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. flor. malvæ* ʒj. *rad. eryngii condit.* ʒß. *spec. nephritic. nost.* ℈j. *elæosach. citri* ℈ß. Misce & cum Sacchar. Rosar. fiat bolus pro una dosi.

In Vigiliis ac Inquietudibus immodicis.

Haustus.

♃. *Laudani opiati q. s. aq. papav. rhæad.* ℥ß. *syr. papav. simpl.* ʒij. *elæosach. anisi* ℈ß. *spir. vitrioli gut. iij.* Misce & fiat haustus pro una dosi, vesperi exhibendus.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. v. aq. hypnoticæ nost.* ℥ß. *syr. flor. papav. errat.* ʒij. *elæosach. fœniculi* ℈ß. *ol. margarit. or. gut. iij.* Misce & fiat haustus pro una dosi.

Pilulæ.

Laudani opiati q. s. mag. perlar. or. ambræ gris. ana gr. iv. Misce & cum Ol. Styrac. cal. formentur pilulæ parvæ, quæ deaurentur pro una dosi.

Aliæ

♃. *Laudani opiati q. s. mag. corallor. rub. lig. aloës ana gr. iij.* Misce & cum Ol. Assæ dulc. fiant pilulæ parvæ inaurandæ pro una dosi.

Bolus.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. rosar. rub. vitriol.* ʒj. *loh. de papavere* ʒß. *spec. diamosch. dulc.* ℈ß. *ext. croci or. gr. iij.* Misce & cum Rot. Diarrhod. Abb. fiat bolus pro una dosi.

Alius.

♃. *Laudani opiati q. s. conf. violar. vitriolat.* ʒj. *diacodii crocat.* ʒß. *spec. diambræ* ℈ß. *ext. flor. elenii gr. iij.* Misc. & cum Rot. diamarg. frig. fiat bolus pro una dosi.

Laudanum Minerale.

♃. *Sulphuris anodyni Vitrioli correcti & fixi* ʒij. *mag. perlar. or. ext. lig. aloës* ʒiß. *croci or.* ℈j. *lap. bezoart. or. unicorn. animal. ana gran. xv. ol. caryophyllor. cinamomi ana* ℈ß. Misc. & cum Syrup. è succ. flor. Papav. errat. f. l. a. massa mollíuscula.

Vires, Usus, Dosis. Anodynum est præstantissimum & ad somnum conciliandum accommodatissimum, nec non ad catarrhum sistendum, Coryzam, Tussim, aliosque his succedentes affectus valet; cohibet enim destillationes sive in Thoracem & Pulmones, sive in dentes & alio procumbant. Dosis à gran. vj. ad gran. viij. & ℈ß. cum conserva aliqua aut liquore convenienie, vel in forma pilulari.

EXTRAHENTIA, vid. *Menstruum.*

EXUVIÆ SERPENTUM, vid *Serpens.*

LIBER VI.

Continens ea quæ incipiunt à Literâ

F.

FABA.

FAba græcis κύαμος, à Faliscis, Hetruriæ populo, *Haba* dicta est unde vocabulum sumptum videtur. Martinius à πάω, i. e. *vescor, pascor*, deducit, ut sit quasi Paba. Isidorus à φάγω.

A Dodonæo hoc genus leguminis *Boona* latinè dicitur, qui germanismo fultus, idiomateque Alemannico abusus, ut aliis doctior videretur, nomenclaturam hanc novam excogitavit (inquit *J. Bauhinus.*) Cæterum *Boonæ* nomen à Bajana Italico deductum videtur, quâ totâ Insubriâ & Liguriâ recentes fabas vendentium voce appellari autor est Hermolaus.

Κύαμοι græcis dicti creduntur quia sunt εἰς τὸ κύειν δεινοὶ, καὶ αἴτιοι τοῦ κύειν.

Fabæ notæ genericæ sunt siliquæ erectæ, crassæ; semen maximum, ad latera compressum oblongum cum hilo magno in extremo, caules angulosi, firmi, concavi.

Duplex est major sc. hortensis, & minor sive communis *Parkinsono* Sylvestris dicta.

Vires & Usus. Fabis (hortenses intellige) in cibis utimur frequentissimè: suntque in multis regionibus (ut rectè adversariorum auctores) vere & tota æstate magnum annonæ supplementum. Nos Trago subscribimus recentes innoxias esse in cibo, & bonum succum gignere. Veteres eosque secuti Dodonæus Casp. Hofman. & è recentioribus alii, fabas flatulentas esse aiunt, & tanto flatulentiores quò viridiores, cujus consequens est, difficilis etiam esse concoctionis; *quod nos non experimur, quamvis æstivo tempore fabis frequenter vescimur; nec probamus sententiam Dodonæi aridas & siccatas recentibus præferentis, quòd scil. minùs flatulentas putet, sed potius cùm Trago eas operariis relinquimus, Nec video cur porcos aliaque animalia saginent, & non æque homines.*

D. Mundy de esculentis p. 125. se novisse scribit rusticum quendam pauperem, qui in gravi annonæ difficultate fabis solis elixis, nec alia re, liberos aluit; pueris tamen ità pastis meliùs coloratos aut habitiores vix alios videres, undè constat copiosè nutrire fabas aridas, postquam ventriculus eas ferre assueverit. *D. Tancredus Robinson.*

De facultate adstrictiora farinæ fabarum, ejusque proinde usu in dysenteria medicos, dissentire video. Casp. Hofm. à farina fabacea, seu faba fresa veteribus dicta, & lomento fabæ, quia paratur sine cortice non oportere ait ullam expectare adstrictionem, quæ corticis est, non autem substantiæ. Qua, pergit, ex limitatione intelligit unusquisque, quo in errore versentur illi, qui hac farinâ vel in aceto solo, vel in aceto & aqua decoctâ utuntur in alvi fluxibus ex debilitate retentricis; nisi enim totæ decoquantur nihil fit.

Dodonæus è contra fabam cum putaminibus descendere ait nec omnino facilè, nec omnino tardè; absque his autem alvum constringere; *Nos in Dodonæi sententiam propendemus, cùm videamus in frumento florem farinæ furfuribus excussis potentiùs astringere, & furfures extergere, farinæque descensum promovere: rem tamen experientiâ determinandam relinquimus.* Faba minor facultate ac temperamento admodum similis est majori; non tamen tam hominum cibo quàm equorum saginæ servit ac utilis est.

Farina fabarum non tantùm intra corpus utilis est in diarrhœa & dysenteria, sed & extra in maculis à Sole contractis, aliisque cutis sordibus extergendis (si illâ fricentur) in sugillatis discutiendis. Aqua destillata ex floribus diuretica est, maximique usûs in maculis, faciei extergendis eâque fucandâ. Flores autem suavissimum odorem exhalant, ut agri aut horti fabis cùm in flore sunt, odor etiam è longinquo sentiatur.

An *Boona* sit veterum faba non levis est inter botanicos controversia. Vide sis Dodonæum, J. Bauhinum & Casp. Hofman. *in De Medicam. Officin.* certè Veterum faba parva fuit & rotunda, ut patet ex innumeris ferè locis Theophrasti, Dioscoridis, &c. E contra impossibile videtur, certè vix credibile est legumen adeò vulgare & quotidiani usus in desuetudinem abiisse, aut nomen mutasse, inque ejus locum & nomen Boonam successisse nemine conscio. Hæc enim nobis pro faba, & faba latinis pro κυάμῳ unanimi consensu tradita est. Contra sententium argumenta (inquit Hofman.) peccant in eo quòd comparationem instituant cum faba nostra majore, cùm deberent cum minore. Fortassis illa tum non fuit perducta ad id magnitudinis mangonio.

Ad renum affectus, ℞. Cinerem è truncis fabarum. Fiat ex iis lixivium, coletur per manicam Hippocratis, dulcoretur sacchato & aromat. cinnamom. de quo ℥. 6. propina: ab atroci dolore renum in feb. dupl. tertiana subintrante sum liberatus hoc auxilio, *Guido à Cauliaco.* Provocat urinas vias mundificando, pus & arenulas expellendo & menstrua provocando. Communicavit *D. Edu. Hulsius* M. D. Philosophus & Medicus insignis, cum aliis multis ex variis autoribus in gratiam nostram à se collectis. Effectum autem, & rectè, tribuendum sentit salibus in lixivio contentis. Nam & ego (inquit) aliquando fœminæ cuidam nephriticis doloribus obnoxiæ, cui pedes valdè intumuerant diætam præscripsi in qua bona quantitas cinerum genistæ incocta est, quæ magno numero calculos è renibus deturbavit, verùm dolore adeò atroci, ut usum ejus omittere coacta sit.

Hinc ad provocandam urinam præscribit *Chesneau* salem ex truncis fabarum extractum, ad gr. 8. in aliquo liquore convenienti sumendum: vel si sal in promptu non sit, lixivii ex cineribus facti & clarificati ad ℥. 6. cum syrup. de Althæa ℥. j. Memini quendam alvi cruenta excretione jugi per tres vel quatuor menses laborantem solo usu fabarum rubratum pulmenti in modum in lacte coctarum, manè & vesperi devoratarum sanatum fuisse, aliis medicamentis nil juvantibus. *Sim. Paulus* Quadrip. Botan. p. 30.

Symbolum illud Pythagoricum ἀπὸ κυάμων ἀπέχεσθαι variè interpretantur veteres & recentiores. Alii de fabis simpliciter accipiunt, à quibus ideò abstinere præcipit Pythagoras, quia sunt flatulentæ, veneris incentivæ, & mentis tranquillitati contrariæ, insomnia turbulenta efficientes: vel ut alii volunt, (teste Plinio lib. 18. c. 12.) quia mortuorum animæ sunt in iis, & quia in floribus earum literæ lugubres reperiantur. Alii κυάμους symbolicè & ænigmaticè testiculos appellatos aiunt, quia sunt αἴτιοι τοῦ κύειν, unde non à faba comedenda, (quâ ipse frequenter vescebatur) sed à rei venereæ proluvio voluisse philosophum homines deducere. Tandem alii, ut Plutarchus ipse, à muneribus rei publicæ tractan-

tractandis abstinendum interpretantur. Nam veteres vice calculorum in magistratibus eligendis fabis utebantur, *Raius in Hist. Plant.*

FABA PURGATRIX.

Faba purgatrix Menardi, seu *Phaseolus Peruanus* Petri de Osma, est fabæ Americanæ species, nostris colore ac figura non absimilis, at iis paulo minor.

Per superiora ac inferiora ea vi purgat, ut discrimen non parvum incurrant qui illa utuntur. Corrigitur post excorticationem ac tenuioris pelliculæ ablationem, tosta in pulverem conteratur. Dosis pulveris apud Americanos est Cochleare j. vino aut sacharo commiscendo.

Bilem, pituitam, humoresque crassos & viscidos benigne satis ut quidam credunt, expurgat. Utuntur ea in febribus chronicis, colicis affectionibus ac juncturarum doloribus, *Hæc ex* Domini Lemery *Tractatu universali de Medicamentis simplicibus.* Verùm quandoquidem fabam purgatricem huic Autori ut & aliis dictam à Ricinô Americano sub proprio titulo describendo non distinguimus, hujusque vim drasticam, atque acrimoniam venenosam faciem etiam eorum qui contundunt in mortario ulcerantem ni velo tenui obvolvatur, novimus; vix induci possumus ut credamus per quamlibet demum præparationem ac correctionem inde elici posse remedium benignum.

FABAGO

Fabago seu Peplus Parisiensium, Capparis leguminosa aliis dicta, est planta quam sæpius in horto nostro coluimus, ut & alibi cultam vidimus, cujus descriptioni non immoramur quia nullius in Medicina est usus, quamvis quibusdam Anthelmintica dicatur.

FABA INVERSA, vid. *Sempervivum.*

FABA SUILLA, vid. *Hyosciamus.*

FABARIA, vid. *Telephium.*

FACULTAS, vid. *Qualitas.*

FÆCES VINI, vid. sub titulo *Vinum.*

FÆCULA.

Fæculæ terendo & subsidendo conficiunt. Habentur sæpè pro Synonymis gersa seu chersa, fecula & cerussa, attamen usitatius nomen est fœculæ; fœcula dicitur non tam quod fex sit & penitus inutilis pulvisculus, uti mox dicemus, quàm à solâ subsidentiâ, quod instar fecis, quam & colore imitatur, fundum petat. Fœcula igitur debetur tantum radicibus; utut enim folia quoque quædam eodem processu præparari possint, ut viridiusculus pulvis subsideat cum succo, attamen & vilior est ille, & non usitatus, adeóque ferè solæ radices hunc censum subeunt, neque tamen eæ omnes, non lignosæ, non aromaticæ, non glutinosæ, viscidæque, sed præcipuè farinaceæ, quæ in pollinem teri & comminui aliàs apta nata sunt, v. g. radices ari, pæoniæ, bryoniæ, iridis simplicis nostratis, serpentariæ seu bistortæ, quæ ferè solæ hoc privilegio gaudent. Porro debentur feculæ tantùm radicibus recentibus, succulentis, quæ teri hinc, comminuique cum pilâ marmoreâ in minimas particulas queunt, fitque hoc modo quædam quasi emulsio. Teruntur, ut succus à corpore possit separari, & subsident, succo supernatante, pulvisculi seu atomi comminutæ radicis, v. g. radix pæoniæ, vel ari mundata contunditur & comminuitur (Not. majores radices melius teruntur, minores melius comminuuntur & contunduntur,) succúsque substantificus, id est, partibus subtilioribus corporis ipsius per colum mittitur, hinc cum per aliquod tempus subsederit fecula, liquor supernatans decantatur, & fecula sensim exsiccatur.

(2.) *Fecula ad virosum saporem separandum & corrigendum apprimè faciunt, adeóque non penitus sunt inutiles vel rejicienda.* Inventum hujus præparationis videtur recentioribus quàmplurimis simplicius paulò & vilius, ex eo potissimum fundamento, quod radices succo suo nativo spolientur, & effœtus pulvillus, omni virtute & qualitate sui simplicis orbus relinquatur; quod abjiciatur melius, deterius asservetur; quod reverà sint feculæ, quasi parvæ feces, corpori inutiles, adeóque melius longè procedi, si v. g. radix ari mundata, & pelliculâ suâ exuta per se exiccetur, & concreto suo cum vigore integro omni in usum veniat, & quæ alia hinc inde contra easdem leguntur. Verum est, radix ari candidissimam & efficacissimam fundit farinam, quæ ad plurimos usus optimè se gerit, incidendo acrimoniâ suâ volatili humores glutinosos & pituitosos, viscidos, roborans fermentum ventriculi salinum, & quæ alia præbet abundè commoda, unde in cachexiis, scorbuto &c. primum locum tuetur. Ast melius fuerit, & subtili curiositati, quin veritati potius convenientius dicere, laudem suam tribuendam esse radicibus integris; per se in pollinem redactis, quæ thesis firma est, nec ab ullo vel veterum vel recentiorum impugnata. Ast altera thesis, feculas omnes nullius esse virtutis, rejectaneas, eliminandas, durior est, nec universalis, ex eo desumpto argumento & medio termino, quia est in radicibus dictis quidpiam, quod correctione eget, in radice ari & iridis v. g. acrimonia, unde ipse *Helmontius* in *dispens. moderno p.* 500. cum aceto corrigit, arum, *inquiens*, aceto politum mitescit, magnorumque casuum medela fit. Quod ipse jam *Theophrastus Eresius l.* 7. *Histor. plantar. c.* 11. suadet, ut prius scilicet in aceto coquantur ad tollendam acrimoniam; acida quippe figunt sal volatile & immutant. Iris verò in hydrope insignem habet usum, sed fauces exulcerat succus (qui à *Platerò* commendatur in *observ.*) & radix ipsa quoque mordicat & gutturi infesta est. Hæc ipsa verò acrimonia mitescit in feculâ, ut fecula ari, licet aliquantò ignavior, delicatis magis conveniat, fecula iridis in hydrope & vermibus necandis. Quin & amylum, si loqui volumus quod res est, fecula est, tantum tamen abest, ut inutilis habeatur, ut potius pretiosioris farinæ titulum sibi vendicet. Notari hîc potest, quod recentiores subtili alio modo tincturâ sandali rubri vel bdellidis tingant & corrigant radicem ari. Sic & in radice pæoniæ & bryoniæ virositas eminet, seu odor & sapor virosus ingratus, qui ipse hoc modo quoque exuitur, ut præferenda sit hinc fecula bryoniæ ipsi pulveri radicis crudo in affectibus hystericis. In bistorrâ verò seu serpentariâ ob subtilitatem videtur fecula facta, ingreditur enim unguentum citrinum Augustanorum, jam verò quò subtiliores pulveres, eò magis se commendant in unguentis, præsertim cosmeticis. Adeóque manet utique sua laus feculis: feculæ scilicet hæ meliores sunt hoc sensu suâ matre, seu radice crudâ, tollitur enim excessiva acrimonia, virosus odor & sapor.

(3.) *Feculæ lentè & in aëre calido exsiccandæ.* Constat enim experimento, si paulò majori exponantur calori, verti easdem in mucilaginem vel gelatinam, quod nobis aliquando contigit in præparatione feculæ bryoniæ. Nimirum adeò subtilis est pulvillus, ut cum succo suo in unum cogi possit, accedente calore non proportionato. Ex quo ipso colligitur & efficitur, non esse orbatas omni suo nativo succo, sed saltem superfluo, ingrato & viroso, acri, unde qui feculam invenerunt, non sine ratione id fecerunt, & alicujus proinde momenti etiam sunt ipsæ hæ feculæ. *Wedelius.*

Hisce

Hisce Cl. Zwelfferus in P. A. animadversion. radicum ipsarum ſiccatarum ſucco ſuo nativo adhuc gaudentium pulverem præfert, cujus rationem addit in appendice animaſverſ. p. 64. quia iſtæ nihil aliud ſunt, quàm ſubtilior radicis pars, quæ, dum per linteum contuſa radix exprimitur, unà cum ſucco transfluit, poſteà verò ſucco ſuo per effuſionem & decantationem privatur & totaliter orbatur: non minoribus contrà relicta ab expreſſione radix gaudet virtutibus, quæ tamen tanquam inutilis abjicitur. Hîc excipit *Dn. Lucas Schrœckius* l. c. p. 501. feculas iſtas ſucco ſuo adeò eſſe orbatas, ut omnis virtutis & efficaciæ expertes evaſerint, non admitti; quia pars illius aliqua pulverem illum humectans remanet, unde Ari quoque fecula ſaporem nonnihil acrem retinet, ſi debitè præparata fuerit. Verùm licet in feculâ ari aliqua ſalis acris pars guſtu perceptibilis remaneat, non tamen omnis ſuperſtes eſt, & quid fiet de cæteris, quæ tantâ ſucci medicamentoſi copiâ non abundant? Amylum nihil probat, ἄποιον enim eſt, unde de hoc nihil certi de ejus virtute pronunciari poteſt. *Hoffmannus.*

Fæcula radicis Ari. *ex Pharm. Aug.*

℞. Radicum Ari ſucculentarum, à ſordibus & externa pellicula liberatarum, quantum libet. Minutim inciſæ & contuſæ, ex ſacco lineo, ſub prælo fortiſſimè exprimantur, & ſuccus expreſſus in vaſe vitreo, vel fictili vitreato in loco frigido reponatur, ut pulvis albiſſimus ſubſideat, à quo liquor ſupernatans per inclinationem ſeparetur, fecula verò remanens in umbra exſiccetur.

Ad humores tartareos, ac tenaces diſſolvendos, duritiem & obſtructiones viſcerum progenerantes, adhibetur.

Ita etiam ſe habet præparatio *Fæculæ Bryoniæ, Ireos &c.* de quarum virtutibus vide ſub propriis plantarum è quibus educuntur, nominibus.

FÆX.

Fæx propriè dicitur de recremento illô vini craſſô unde plura in uſus Medicos educuntur & de quo ſub titulô *Vinum* agetur: ut *Amurca* dicitur de olei recrementô. Latius verò ſumpta hæc fæcis vox denotat omne excrementum, hinc & frequentiſſimè feces pro excremento alvi ponuntur. Sedimentum quoque in urinâ hoc nomine venit: unde urina feculenta. Chymicis in genere fæx inter adjectanea eſt, quæ à puris eſſentiis ſeparata ſeponuntur & ſubſidunt.

FAGOPYRUM, vid. *Fegopyron.*

FAGUS.

Fagus à Doricô φαγὸς pro φηγὸς, à φήγω, i. e. *edo:* ſive quia ejus fructu homines veſcebantur ante fruges inventas, ut Euſtathius ait, ſive quòd vulgò ſaltem hoc cibo uterentur, quia exiguo labore pararetur, contra quàm fruges, ut is rudioribus ſeculis ditiorum tantùm cibus fuiſſe videatur. Cave autem credas Latinorum fagum eandem eſſe arborem cùm Græcorum φηγῶ; hæc enim Quercûs ſpecies eſt.

Fagi autem *Latinorum* (qui Oxya Græcorum Bellonio creditur) deſcriptionem, ut minimè neceſſariam, hic non exhibemus, quamvis medicamenta ad varios uſus inde eliciantur; ſiquidem folia recentia tuſa & impoſita calidis tumoribus proſunt, eoſque diſcutiunt & torpentia membra corroborant, teſte Matthiolô, qui & eſitata labiorum gingivarumq; vitiis mirificè opitulari aſſerit. Aqua quæ in cavis fagis & annoſis quercubus quandoque reperitur, ſingulari remedio ad omnis generis ſcabiem & impetigines, lichenaſque facit; quod ſeipſum in pecoribus & hominibus expertum ſcribit Tragus. Et ſanè ob vim adſtrictoriam vehementem ad hoc utile eſſe veriſimile videtur.

Fagineas glandes uſtas & admiſtas cum axungiâ porcinâ calidè applicatas lumbis conferre calculoſis nonnulli affirmant. *Trag. Matth.* Glires faginâ glande maximè delectantur ac pingueſcunt; quamobrem cùm ejus advenit maturitas, teſte Matthiolô, innumeri capiuntur in Carniolæ, Stiriæ & Carinthiæ ſylvis; ut incolas mane videas ſaccos plenos unâ nocte captos ferentes. Nec glires tantùm eam appetunt, ſed & mures, & ſciuri & turdi & merulæ aliáque multa volatilia. Sues etiam in Germaniâ & Angliâ, iis ſaginantur. At nobis ſanè (inquit Joh. Baug. fagineam glandem potiſſimùm virentem, & nondum exſiccatam, ſi paulò copioſius comedatur, lolii inſtar caput turbare, obſervatum, ac ipſos etiam ſues aſſerunt ejus eſu turbulentos reddi & tandem obdormiſcere. Fertur etiam pinguedo ſuum ejuſmodi glandibus ſaginatorum mollior, quæque dum coquitur magis liqueſcat; quod idem de quernâ glande (ſed malè ut nobis videtur) vulgò traditur. Averſæ foliorum parti, rubicantes, concavæ & acuminatæ pilulæ ſingulis pænè annis ſubnaſcuntur, verrucarum modô extuberantes, in quibus vermiculi procreantur. *Raius in Hiſt. Plant.*

FALCO.

Falco avis eſt rapax ſic dicta ex eô quod ungulas pedum ad inſtar falcis recurvas gerat. Magnitudine gallum gallinaceum æquat. Hujus adepi reſolvendis tumoribus, nerviſque corroborandis, ut & in oculorum morbis confert. Caro contra cerebri morbos proficua creditur. Excrementum ſudoribus ciendis, ac extùs adhibitum vi reſolutivâ pollere aſſeritur.

FARCIRE.

Quæ alimenta medicamentoſa deſiderantur, ſi cavitatem habeant manifeſtam, fructibus aut herbis farciuntur, aut radicibus, quibus etiam ſæpe configuntur. Nunc multa animalia farciuntur ante aſſationem vel elixationem, ut palato magis arrideant, & aliquando ut ſanitati reſarciendæ aut conſervandæ magis conveniant, ut cum polypodium, cappares, paſſulæ, hordeum, vel aliæ plantarum partes ventre exenterati caponis vel anſeris includuntur. Gallinaceus annoſus hordeo ſolet farciri, ut ſimul cum facultate alvum ſubducendi, qua pollet ex Galeno & Oribaſio, detergeat & nutriat. Cucufæ ſæpè farciuntur è cephalicis pulveribus, exceptis bombace, ſindone duplici interſuto, vel ut vulgus loquitur, interbaſtato. Simili modo paratur topicum remedium forma ſcuti, quod regioni ſtomachi adhibetur. Excipit verò pulveres roborantes, & ſtomachicos, quales preſcribi ſolent in ventriculi debilitate. Propriè tamen fartura dicitur, per quam exenterata animalia, vel excavati fructus medicamentoſis rebus, vel alimentoſis, & aliquando aromaticis tantum ad jucunditatem farciuntur. *Renodæus in Inſtitut. Pharmac.*

FARRARIA, vid. *Tuſſilago.*

FARINA.

(1.) *Farina impropriè de quibusvis pulveribus, propriè verò de frumentaceis & ſeminum polline dicuntur.* Sic farina virginea Mynſichti, quæ dentifricium eſt nobiliſſimum, modò uſu continuato non deterantur dentes ipſi, huc pertinet. Sic farinam laterum cum aceto imbutam nuchæ applicatam in ſingultu & vomitu profuiſſe novimus. Et ob hanc ipſam analogiam magiſteria quoque ritè parata audiunt farinacea. Conveniunt nempe intitulati pulveres cum farinis ſi non candore, tamen ſubtilitate, vel formâ cum aquâ facilè ad illinitionem redigibili.

(2.) *Farinæ propriè dictæ emolliendi & diſſipandi potiſſimum fine inter topica præſcribuntur.* Sunt quidem ex his nonnullæ eſculentæ, & in miniſterium aliorum pro bella-

bellariis, pastis regiis, pandaleonibus, obsoletus licet ferè istis, recipiuntur, attamen, uti nihil aliud sunt, quàm pulveres simplices sive puri, albicantes, cribellati & à cortice liberati, seu grossiores & solâ contusione parati; ita præcipuè inter externa seu localia medicamenta locum obtinent. Adhibentur verò emolliendi fine frequentius formâ humidâ, spissâ, in cataplasmatis; Sic vulgi quoque experimento in tumoribus glandularum inguinum seu bubonum farina secalina cum melle utiliter imponitur. Sic hoc ipso pacto tumoribus rebellibus, inprimis mammillarum, succurrimus, præcipuè si oleum accedat simul. Sic farinâ lini in tumoribus ventris, scroti & aliis sæpè utilissimè usi sumus cum lacte coctâ. Dissipandi verò fine frequentius formâ siccâ usurpantur, sive pulveris formâ applicentur, ut ex farinâ secalinâ, cerussâ, vel lithargyrio, & myrrhâ elegans & euporistos fit pulvis erysipelatodes, magni usus in quovis erysipelatico casu, sicut & facilè magis accessione aliorum ipsum pro lubitu augmentare licet, nihilominus quod selectum id & optimum est; Interdum & camphora miscetur, præsertim graviori casu, ubi gangrænam quasi color partis intensior, ceu nonnunquam observavimus, spondet; Seu in suffimentis cedant usui. Sic farina fabarum in auditu difficili multos juvit, inprimis in principio, de quo legi potest latiùs *Simon Pauli in quadripartito Botan.* Referri huc possunt ipsi quóque pulveres cyprii, si quidem cum amylo, odoriferâ virtute per iridem Florentinam, moschum, zibethum, oleum ligni Rhodini &c. imbuto fiant. *Wedelius.*

Farinarum conficiendarum modus vulgaris est.

Sunt usitatiores in Officinis.

Farina Amyli, amydi, *Krafft-Meel.* Farine d'Amydon. *Bran of fine wheat flowr.* Semelen van tarwemeel. Avenæ, Fabarum, Fœni græci, Glandium, Hordei, Lentium, Lini, Lupinorum, Orizæ, Pisorum, Siliginis, Tritici. Volatilis, *Staubmeel.* de la folle Farine. *Bran* or *dust of Meal.* Semelen *of* stof van Meel.

FASEOLUS, vid. *Smylax Hortensis.*

FATUUS SAPOR, seu *Insipidus Sapor*, vid. sub titulô *Sapor.*

FEBRILIA MEDICAMENTA.

Febrilia medicamenta sunt, remedia febribus fugandis ac debellandis apta.

Medicamenta Febrilia Specifica Cnöffelii à Domino Martino de Bernitz in Fasciculo Medicamentorum singularium Cnöffelianorum descripta.

Antidotus lysipyretos.

℞. *♁ii pulv. ♆is citr. crystal. ⊖li Goslar. ad albed. calc. ana ℔j.*

Exactè mixta indantur cucurbitæ magnæ luto obductæ, & adaptato alembico rostrato, cum receptaculo magno, ex arena instituatur destillatio, primò quidem per horas sex lento igne, & extillabit phlegma; cum omnis aquositas exiverit, caloris gradus urgeatur, & flores ascendent pulcherrimi. His apparentibus, igne fortissimo, sublimatio continuanda erit tamdiu, donec nihil amplius ascendat. Flores tali processu parati, & studiosè collecti, de novo capiti mortuo proprio admisceantur, & iterum sublimentur; qui labor & tertia vice reiterandus est; & sic flores ♁ii Vitriolo-♆rati (quorum copia quidem in repetita sublimatione minuitur) tenuiores, puriores & elegantiores evadunt, accipiuntque essentiam ♁ii, & spir. vitrioli, sibique eosdem uniunt. Jam

℞. *Flor. ♁ii dicto modo paratorum* q. v. ∽ ⊕ *pro insuccatione* q. s. & denuo in leni calore exsiccentur; & hoc fac bis, vel ter: tandem ex floribus ita paratis, & insuccatis, cum ▽ *temperat.* q. s. extrahatur digerendo TRa, eademque (prius filtrata) rursus ad consistentiam ℴℴi, à superfluitate, per destillationem abstrahatur.

In febribus omnibus intermittentibus maximè in quartanâ est medicamentum specificum. Præterea in podagrâ eique similibus, & in curandis & extirpandis multis aliis infirmitatibus remedium est excellentissimum, ab authore me præsente hîc Warsaviæ anno 1655. bis elaboratum. Dosis à gtt. iij. ad gtt. vij. in aq. appropriata, vel cum mellagine junip. seu extr. centaurii, & gentianæ, inspissato more nostro, in forma pil. hora una vel altera, ante paroxysmum, cum expectato sudore; qui si prima vel secunda vice non successerit, eadem dosis reiterari potest, sed raro bis ter assumitur, quia prima dosis plerumque sanat, attamen universalibus præmissis.

Nota: Ex floribus ♁ii rubr. (℥iv.) *♆ris ad perfect. albedin. ♎tis* (℥ij.) *colcothar. Vitrioli Ungarici* (in duplo) per trinas reiteratas ♎tiones, parantur flores rubicundissimi. Hi cum *aciditate Vitrioli ♀ris* primo, deinde & cum ∽ ♄ni *æthereo* essentificati, dant antidotum lysipyreton *Quercetani.*

Specificum febrile, quod hîc Warsaviæ in Officina Regia in usu erat, ex ordinatione Cl. Dn. Dn. Cnœffelii.

℞. *♁ii subtiliss. pulv.* ℔j. *♆i purificati, ⊖ ✱ci ana* ℔ß. Pulverisata misceantur exactè, & cum ▣a puerorum q. s. humectentur, ut manibus subigi possint. Hoc facto indantur ♉æ, collo spatioso; lutóque obductæ (quæ in catinum arenarium, tribus digitis à fundo intercedente ∴a superius usque ad materiam imponitur) & recipiente permagno & largo prius applicato, destillentur lenissimo calore, donec omne phlegma exstillarit, & nebula quædam, cum summo impetu, in vas recipiens prorumpere inceperit, qui facilè vas recipiens destruere solet; ideò cautè hîc procedendum, postea calores ignis de gradu ad gradum urgeantur, quousque tota radicalis humiditas expulsa, & flores ♁ii compositi in collo ♉æ apparere incipiant, qui tandem & extrema violentia ignis expellendi sunt. Flores inde colligendi, eximendi, & semper admixto proprio colcothare, de novo, ter vel quater in ♎torio iterum elevandi sunt. Sublimatum collectum, postea in vitro puro, ac leni calore per tres dies acquiescat, ut color exaltetur. Tandem floribus ita paratis, (prius tamen aquâ pluviali destillata bene edulcoratis) ▽ opt. rectif. affundatur, atque in pelicano seu phiala per 6. septimanas in cineribus calidis circulentur; tandem ▽ iterum abstrahendus, & pulvis in fundo phialæ relictus adhuc ▽a ♌atâ aliqua abluendus, & ad usum reservandus est.

Inservit præcipuè ad febres omnes intermittentes, maximè in quartana, ubi hîc pulvis specificum & singulare.

Usus ejus etiam est in hydrope, aliisque affectibus. Dosis à gr. iij. ad v. cum mellagine in forma pilularum toties repetenda, donec malum cesset.

Spiritus egressus cum suo phlegmate ▽ abstracto adjungendus. Topicum externum in doloribus podagricis & chiragricis excellentissimum. Ex ⊙ extrahitur, more chimico consueto, sal febrile de tribus cujus dosis ℈j. ad ʒß. & ℈ij. Tartaro Vitriolato q. s. in jusculo carnis, ▽ centaur. vel cum extracti rad. gentianæ ℈j. in forma pilularum, sumitur, paulò ante paroxysmum, & si post primam adhibitionem effectus non successerit ter vel quater dosis sequentibus diebus reiteranda erit, semper cum expectato sudore. Descriptionem hujus specifici antifebrilis, sub silentii fide accepi olim à Pharmacopœo itinerario Regio, Dn. Joh. Georg. Hahn, qui & hoc pro nostro Dn. D. Cnœffelio bis vel ter elaboravit.

Febrim-

Febrim tertianam curandi Methodus Cl. D. D. Andreæ Cnœffelii.

Omnem febrim intermittentem, dicebat *Cl. Cnœffelius*, fieri ex obstructione, ex eâ ortâ dein putrefactione, & ex hac ebullitione, paroxysmum; ideò in principio curationis febrium putridarum, sequentem per 6. vel 7. dies adhibuit pulverem, qui

℞. *Cremoris Tartari* ℈iß. *ad* ℈ij. ⊖*is centaur Vitriolat.* ℈ß. *Tartari Vitriolat. gr. vij.* *Vitrioli coagul. gr. ij.*

Misc. Fiatque pulvis ad chartam pro dosi, & tales doses n. 6. vel 7. in totidem chartis, ex quibus quotidiè una tribus horis ante prandium in jusculo pulli seu carnis sumitur. In tertiana rarò pulveres omnes consumuntur, quia statim vires tertianæ infringere solent. Finitis & consumptis pulveribus adhuc semel vel bis, aliquando exhibuit Pulverem Puniceum compositum, cujus dosis er. t ʒj. etiam in brodio carnis. Aliquando etiam ante insultum paroxysmi sequens pulvis in aq. centaurii seu fumariæ propinabatur

℞. *Oculor.* ♋ *præpar. corall. rubr. præpar. ana* ℈j. ♁*ii diaphoret. fix. gr. xv. fixati nostri gr. ij.* Misc.

Et post sumptum pulverem, sudori operam det patiens, aliquando & ad usum medicam. specific. antea descriptorum recurrebat. Purgationes quidem aliquando instituit, sed sectionem venarum nunquam.

Pulvis febrilis Cl. Dn. D. Cablowitski, Seren. Caroli Ferdinandi Principis Pol. & Sueciæ p. m. Medici.

℞. ⊖*is centaurii min. absinthii ana* ʒj. *cremoris Tartari* ʒij. *C. C. philos. calc.* ʒiß. *Vitrioli rect.* ℥ß. *sandali rubr. pulv.* ʒj.

Spiritum Vitrioli affunde guttatim, pulverem miscendo spatula lignea in vase vitreo, deinde lento igne mixturam exsicca. Dos. ʒß. ad ʒj. tribus vel quatuor horis ante paroxysmi invasionem, in aq. centaur. vel alia specifica. Eadem dosis reiteranda, si prima vel secunda vice non satisfecerit. (Ex communicatione Dn. Sebastiani Englerts Pharmacopœi Principis.)

Pulvis febrilis Lithuanicus Dn. Georgii Iuchs, Ser. Regis *Joan. Casimiri* Chirurgi.

℞. *Aluminis crudi, nuc. moschat. ana* ʒj. *olibani* ℈j. *piperis nigri gr. v. usque ad vij. caryophyllorum gr. iij. usque ad vj.* M. F. Pulvis subtilissimus.

Præmissis præmittendis datur ʒß. ad ʒj. in aq. centaur. & aceti bezoartici seu simplicis ana ℥ß. tribus repeticis vicibus, semper ante paroxysmum; Febrem tollit cum admiratione. Ex singulari communicatione dicti Chirurgi.

Pulvis antifebrilis specificus D. D. Pauli Podchozimski.

℞. ♁*ii diaphor. magist. matr. perl. per se sola tritura parat. ana gr. xv. dulcedinis aluminis gr. iij. opii gr. ß. ad gr. j.* M. F. Pulvis.

Facta evacuatione & missione sanguinis, datur in aq. febrili, ante ipsum accessum, hora una scil. ante evasionem horroris.

Pilulæ febriles D. D. A. Cnœffelii.

℞. *Extr. centaur. min. gentianæ*, ♁*ii diaphor. resol. ana* ℈ß. ⊖*is centaurii Vitriolat. gr. vij. Tartari Vitriolati gr. iv. cum sir. cardui benedicti* q. s. Formentur pilulæ deauratæ contra omnis generis febres tertianas, quartanas, scilicet exhibendæ ante paroxysmi invasionem; cum vestigia horroris sese ostendunt, expectando sudorem.

Antifebrili cujusdam Eremitæ in majori Polonia.

Quod aliquando empirici, mulierculæ & aliæ plebejæ personæ simplicissimo & unico aliquo remedio homines à multis & gravissimis morbis liberare & curare soleant, sequens historia exemplo suo confirmat. Quidam Eremita, cognomine *Stützel* ex majori Polonia, fama ubique nostris in terris notus & celebris, omnibus charus, inprimis Magnatibus, ob specialem suam medicinam, quam in forma pulveris possidebat, multosque & varios morbos ea mirabiliter curavit. Hic enim feliciter calculum, hydropem, quartanam & varia genera febrium curabat, beneficio solum hujus pulveris, quem panaceam suam vocabat. Unde non solum minoris conditionis personæ, sed & Nobiles & Principes, ad eum tanquam ad sacram anchoram confugiebant. Commendabatur etiam ipsius persona (tanquam sancta) Serenissimo Regi *Joanni Casimiro* p. m. (meo tunc Domino Clementissimo) Is ex instinctu multorum ipsum & videre & alloqui cupiebat; Vocatus itaque Eremita suam medicinam, in habita audientia ad astra, summis laudibus extulit, & cum ejus virtutibus, charta inscriptis, partem hujus pulveris, (ad quadraginta circiter doses) Regi porrexit. Serenissimus quidem clementer hoc accipiens, usum tamen hujus pulveris recusabat, nisi ille prius secretum aperiret, ex quibus ingredientibus medicina constaret: Ad quod Eremita non tam libenter, quàm reverenter consensit, oretenus & in scriptis Regi explicando totum, quod tale erat:

℞. ⦶*ri fixi mineralis* ℔j *zinziberis, cinamomi* ā ℥j.

M. F. pulvis subtilissimus. Dos. ʒß. ad ʒj. In vino vel aq. simplici. Hæc tota fuit compositio illius magni secreti. Utrum vero hæc medicina, vel sola gratia DEI, hoc fecerit (ob sanctam innocentem vitam, quam hic Eremita agebat,) B. L. judicandum relinquo.

Certum est, illum ea curasse, quæ alii Medici præstantissimi aliquando præstare non potuerunt.

Regia Majestas etiam, insciis suis Medicis pulverem hunc aliquoties sumpsit, nec non Eremitæ huic viaticum bonum propriis manibus porrexit: Qui aliàs pecuniam accipere recusabat solum pro porrectis aliquibus victualibus, pro sustentatione vitæ suæ, (nempe pane, caseo, piscibus) contentus, gratis homines curabat.

Nitrum rub. essentificatum.

℞. ⦶*ri purif.* (*lap. prunellæ*) ℔ß. ℥iv. *succi berberum* ℔iiß. Misc.

Facta maceratione ad totalem usque ⦶ri dissolutionem, colatura filtretur, per linteum rarum ac post lenem exhalationem humiditatis superfluæ, reponatur in locum frigidum, ad crystallisandum. Crystallis exemtis, residuum denuo coquatur, ad cuticulam usque, & iterum crystallisetur, quod tamdiu continuandum, donec omne nitrum cum succo berberum in crystallos redactum sit. Nitrum ita insuccatum (ad majorem efficaciam) cum recent. succo berberum q. s. denuò solvi, & dicto modo in crystallos converti potest. Aut nitrum semel ita imbutum, bis vel ter iterum infundatur, cum rec. succo berberum ac sola coctione & evaporatione humiditatis convertetur in substantiam salinam & siccam.

In febribus ardentibus & putridis & quibuscunque calidis, maximè in febri illa Ungarica dicta, usus ejus tàm internus, quàm externus efficax est. Dos. à ℈ij. ad ʒj. simili processu ac methodo, cum aliis & diversis succis, (utpote citri, granatorum, rubi idæi, fragorum, cerasorum, mororum, bacc. myrtillorum, acetosellæ, endiviæ, cardui benedicti, petroselini, scordii, Item florum rosarum, florum viol. martialium, aqui-

aquilegiæ; & similium) ⦶rum insuccari, & diversis virtutibus imbui ac efficacius reddi potest; de quibus *Clar. Zwelff. in mantissa Spagyr. part. 2. c. 12.* inspiciendus est.

Not. Quod de succis plantarum dictum, similiter & cum decoctis specierum efficitur. Item cum solutionibus mineralium, metallorum, & animalium partibus; Nam ⦶rum est salinæ substantiæ, in quibuscunque liquoribus resolubile, & in igne liquabile, cui variæ figuræ & virtutes inde imprimi possunt. Nos ex ⦶ro puro & saccharo, cum TRis florum propria aqua extractis, paravimus crystallos ⦶tri compos. in virtute, sapore & colore gratissimos.

Sal febrile compositum.

℞. *⊖lis ⦶ri cryst all. s. anod. mineralis, centaurij, absinthii, cardui benedicti, aluminis, ✱ci* ana partes æquales q. v.

Solvantur in *aq. cardui benedicti* q. s. solutio filtretur & per evaporationem iterum in sal crystallinum reducatur.

Jam ℞. *Hujus ⊖is compositi* gr. xv. *⊖lis essentialis Tartari* ℈ß. *tartari ⊕lati* gr. v. ad viij. Misceantur in mortario lapideo, seu vitreato, in pulverem subtilissimum. Datur ad chartam.

Est arcanum febrile summum, maximè in febribus intermittentibus, scil. tertiana, quartana aliisque febribus putridis, datur & in aliis morbis diuturnis & chronicis ex obstruct. ortis, ut & in icteritia & hydrope.

Dosis singulis diebus, matutinis horis, & stomacho jejuno per aliquot dies, in aqua appropriata seu jusculo carnis.

Ex communicatione cujusdam amici, qui beneficio hujus medicamenti, in curandis, & extirpandis varijs morbis miracula quasi præstitit. Vocabatur ab authore ⊖ lavendulæ compositum (sed malè) propter odorem & colorem lavendulæ, quem ipsi eum guttula una & altera tincturæ lunæ & elæosaccharo lavendulæ conciliaverat.

Not. Purgationes in adhibendis specificis febrilibus nunquam negligendæ sunt, nam absque illis minera febrilis vix exterminari potest, ideò in febribus intermittentibus & putridis valdè necessarię sunt, quod *Petrus Monavius in epist.* 248. confirmat.

Si in febribus putridis, intermittentibus, quibuscunque apparente aliqua, etiamsi non perfecta, in urinis coctione, ægro ipso die paroxysmi medicamentum purgans dederis, ita ut effectum suum, ante poroxysmi invasionem compleat, (horis scil. 4. aut 5. antequam paroxysmum adventurum putas) videbis febrim post illum, non amplius reverti, sed prorsus tolli, incantamenti instar, probavi in pluribus sæpius, & semper eventus respondit.

Quartanæ febris curandæ methodus Cl. D. D. Luberti Erbenii, D. D. And. Cnœffelio communicata.

1. Primò exhibet vomitorium ex infusione croci metallorum paratum, in dosi, pro exigentia morbi & personæ.

2. Secundo pedes ponit in aquam calentem, maximè sub paroxysmo usque ad genua, & superdormire ægrum permittit.

3. Postea per tres dies adhibet pulverem specificum febrilem qui talis est:

℞. *Cor leporis benè exsiccatum, & opt. pulv. in tres part. æq divisum.*

Partem pro una dosi, jejuno stomacho, in vino exhibet, & si possibile ante ipsum paroxysmum; & sic reliquas duas doses sequentibus adhibet.

4. Singulis intercedentibus diebus bis sudores promovere solet, vino sulphurato, per infusionem parato; quod fit ex *tincturis crudi, sed crystallini & optimè pulverisati* ℥iv. *vini opt. generos. Hungarici* ℔ij.

Quæ mixta, & per aliquot dies infusa, ad tertiæ partis consumptionem usque incoquantur. Vini tandem, quod à relicto pulvere aufertur (aciduli saporis,) manè bonum haustum præbet, & sudorem provocat. Post meridiem hora quarta alterum scyphum, etiam cum expectato sudore; sic 5. 6. vel 7. dies continuando. Quo interstitio se perfectè absolvere curam quartanæ cujusvis asserebat.

Ex libro manuscripto Cl. Dn. D. Cnœffelii.

Spiritus de tribus D. D. A. Cnœffelii.

In ☊am superius tubulatam, apto operculo instructam, & candefactam, tertia pars cochlearis de materia sequente injiciatur, claudendo semper arctissime tubulum suo operculo: Recipiens vero, qui capacissimus applicetur, aquæ vulgaris cochlearia quatuor vel quinque contineat.

℞. ☿ii quintupla parte ⦶ri in pulverem album fixati, postea edulcorati benè, vel loco illius.

Reguli ☿ialis opt. pulver. ♁*ris crudi pulv. ana* ℥ij. ⦶*ri puri benè siccati* ℥iv. è pulverisatis & probè mixtis, in ☊am sic per particulas injectis, evibratur cum fulmine ∽ cum floribus incarnatis mixtim circulandus per octiduum, postea, filtrandus pro usu suprà dicto, servatis pro alio usu floribus.

Vires ac virtutes conveniunt cum clysso seu ▽ stimmi sulphurea, *Cl. D. Schrœderi*, ad attenuandam crassam tartareamque mucilaginem, ubicunque locorum in corpore humano delitescentem, quam postea & per emunctoria convenientia expurgat, per alvum scilicet, per urinam, per sudorem, per salivationem, inde & utilissimum medicamendum in obstructione hepatis, lienis, mesenterij, uteri, & in affectu hypochondriaco, arthritico, colico, & similibus.

Dosis à ℈j. ad ʒß. in jusculo vel aqua specifica; miscetur & cum aq. fontana & sirupo conveniente ad gratam aciditatem, pro julapio, reiteratis vicibus usurpando.

In curatione febrium pestilentialium pro sudore sequentem D. D. C. præscripsit potiunculam.

℞. *∽ de tribus* ʒj. (ad ʒij.) *mixturæ de tribus Andernaci* ʒj. (ad iij.) *flor.* ♁*ris* ℈j. *aq. fumariæ* ℥ij. *sir. acetos. citri* ℥j.

M. & F. Potiuncula pro una dosi. Quæ supplebat dosin unam theriacæ Cnœffelianæ, loco ejusdem tot vicibus per viginti quatuor horas, prout de ea in exercitatione sua (*de curat. febr. pestilent.*) scripsit, repetenda & tot diebus continuanda.

Elixir febrile Cnœffelianum.

℞. *Elixir. propriet.* ∽ *terr. sigill. ana* ℥ij. *M. S. extr. absinth. liqu. ana* ℥iv. *centaur. solidi, angelicæ solid.* ana ʒij. ℈j. gr. iv.

M. & stent in vitro bene clauso per 24. horas in digestione, postea filtrentur. Sign. ut supra.

Vires. Omnis generis febres curat, maximè intermittentes, tormina ventris atque uteri sedat; insuper stomachicum, spleneticum & hepaticum est singulare. Tempore pestis est præservativum & curativum præsentaneum, ab authore sæpè probatum, aliàs ingrati saporis & odoris.

Dosis à ʒj. ad ℥ij. & ℥iij. cum convenienti vehiculo, bis vel ter in die repetendum.

Liquor febrilis Cl. D. D. P.

℞. *Aq. fumariæ* ℥iij. *centaur. minoris, cardui benedicti, fragorum, acetosellæ ana* ℥j. *rosarum* ℥j. *sir. ex succo citri, ex toto citro compos.* Cl. D. D. Oehl. an. ℥j. *granator.* ℥ß. *conf. alkermes* ʒj. ∽ ♁*ris* q. s. ad grat. sap.

M. filtrentur per linteum. Confert in febribus intermittentibus & putridis. Ardorem enim febrilem potenter extingit, & per sudores expellit; insuper corroborat, & urinam promovet. Dos. ab ℥j. ad ℥ij. & ℥iij. in ipso paroxysmo jam declinante, & alias aliquoties in die.

Liquor nitratus D. D. L.

℞. *Ap. font. pane correct.* ℥viij. *scorzonerae. cardui benedicti ana* ℥iv. *rubi idaei e fruct.* ℥ij. *rosar. alb.* ℥j. *ucci citri acidi rec. expr.* ℥ij. *rotul. de succo ribium* ℥j. *manus Christi s. perlis, sir. fruct. rubi idaei ana* ℥ij. *anodyni mineralis crystall.* ℈ij. ad ℈iv. vel q. pl.

(In copia enim sumptum stomachum debilitat & potum facit ingratum) M. F. potus gratissimus. Nos utimur in omni æstuante febre, ac maligno morbo, non solum calorem febrilem coërcet, & sitim extinguit, sed & potus seu liquor est diaphoreticus, bezoarticus & diureticus acceptissimus. Dosis per se ab ℥i. ad ℥iii. singulis horis.

Liquor contra prunellam.

℞. *Aq.* ♋*orum* ℥vj. *sedi majoris, sperm. ranar. rosarum ana* ℥ij. *phlegmatis* ⊕*li* ℥iv. *sir. rubi idaei, violat. ana* ℥iß. *diamoron*, (*ex fruct. nigr. c. sacch. prap.*) ℥j. ∾ ⊕*li seu* 🜍*ris cum* ⦶*ro coagulati* q. s. ad g. s. M. & F. collutio oris.

Contra inflammationem, siccitatem, asperitatem, ac fissuras linguæ ac faucium, febribus ardentibus & malignis, quod symptoma à Germanis vulgo *die Braune* dici solet. Post gargarisationem illinatur lingua, cum butyro rec. aq. spermatis ranar. loto. Extrahendus est etiam quamprimum sanguis ex venis sub lingua: & mirum sine dubio videbis effectum.

Tinctura florum prunellæ.

℞. *Flor. prunellae rec. coll.* ℥j. *aquilegiae, violar. rec. coll. ana* ℥ß.

(*Not.* Eorum, quæ recenter haberi non possunt substituitur conserva in duplo.)

Aq. prunellae ℥viij. *spermatis ranar. cancror. compos. c. sedo maj.* ♌*at. ana* ℥v. *rosarum* ℥ij. *phlegm. Vitrioli non acidi, sed solum prima abstractionis* ℥xviij.

Stent per horas aliquot, donec liquor omnem colorem ex floribus extraxerit. Liquori filtrato adde

Sir. flor. prunellae, malvae roseae ana ℥iß. *rubi idaei* ℥j. ∾ *Vitrioli cum* ⦶*ro coagulati, pro acore* q. s.

Misceantur probè in vase vitreo.

In prunella & angina, atque inflammatione faucium, à vaporibus calidis, in febribus pestilentialibus, diaclysma est insignium virium.

Tinctura externa florum malvæ.

℞. *Aq. pruuellae, plantaginis, salviae ana unc. viij. rosar. violar. martial. ana* ℥ij. Quibus calidè immergantur *flor. malvae roseae atro-purpurascentium* miij. *rosarum m. j.*

Stent per spatium unius horæ in quiete, & mox extrahitur TRa purpurea pulcherrima, quæ per chartam filtranda est. Post adde *sir. rubi idaei, ex rosis siccis ana* ℥iß. *rob. berberum* ℥j. ∾ *Vitrioli pro acore* q. s. Misceantur op. & F. gargarisma.

In inflammatione, & tumore gutturis, faucium, & tonsillarum, frequentis usus nobis est.

Mucilago pro asperitate linguæ & faucium.

℞. *Sem. cydoniorum, psyllii ana* ℥j. *gum. tragacanthae* ℈j. extrahatur mucilago, cum *aq.* ♋ *compos. & spermat. ranar.* ana q. s. expressæ mucagini adde *sir. violar. & rubi idaei* an. q. s. vel ad pl. Misceantur benè. Sign. *Schleim zur trucknen Zunge in der Braune und gifftigen hitzigen Fiebern.* Sunt qui aliquid ⦶ri, & guttam unam vel alteram 🝆i 4. sem. frigid. admiscere solent.

Lingua singulis diebus scalpro absterforio mundificanda est, & si venæ sub lingua turgeant, aperiantur.

Aqua Cancrorum.

℞. ♋ *fluviatil. rec. & contusor.* n. 30. *semper vivi majoris m. vj. florum prunell. m. ij.* ▽ *seu liqu. transcolati sperm. ranar.* ℔iij. *rosarum, phlegmatis Vitrioli* an. ℔ß. Mixta destillentur in B. V. seu M. ▽a prolecta postea tingatur *linteolis torna solis, ex succo mororum factis, ad colorem purpurascentem* q. s.

In prunella & angina, ubi gutturis & faucium maxima est inflammatio multum valet, etiam in ulceribus palati, ex lue ♀ea ortis, est valdè efficax. Porrigitur tepidè, pro collutione oris, singulis horis usque ad sanitatem perfectam. Inflammationi etiam externæ, ex quacunque causa originem ducenti & ambustis multum confert.

Oleum Febrifugum.

℞. 🝆 *Hypericonis nostr. descr.* ℥viij. *rutae, absinthii umbricor. terrestr. viperarum ana* ℥iv.

Quibus mense Julio (☉e existente in signo ♌ seu ♏) immergantur *bufonum v v. n.* 2. *aranear. vivent. maj. num.* 100. *Scorpionum num.* 150. *theriacae opt.* ℥. 1.

Mixta insolentur per duos menses, in lagena vitrea probè clausa; post oleum coletur; cui ultimo adde.

Axung. serpentis ℥ß. 🝆 *rutae, citri, junip.* ♌*t. ā.* ℈viij. fiatque oleum febrifugum & alexipharmacum.

In omnibus febribus, tàm intermittentibus, quàm malignis, & pestilentialibus, pulsibus, spinæ dorsi & regioni cordis inunctum; præstans est & in Venenatorum animalium morsibus & puncturis. In super inservit etiam emplastro febrifugo parando.

Cataplasma febrile.

℞. *Nucleor. vel digitor. capitis allii, à pellic. mundatorum* ⊖*is p.* 1. *croci.* ℈i.

Misceantur omnia in vase ligneo, cum pistillo etiam ligneo, affuso subinde ✛o, ut palticulæ consistentiam; Mixtura in linteolo extensa, paroxismi tempore, cum calor febrilis jam corpus occupat, sinistro annulari toti applicetur, sinatur novem diebus, iisque præteritis eadem hora, qua erat applicitum auferatur, & in aquam profluentem projiciatur. Sunt qui hoc cataplasma die illo, in quo patiens à febre liber est, applicare solent, & per 24. horas solum in digito geri, & hoc ter vel quater reiterari volunt; vesicula excitata, quæ valdè molesta, tegitur cum empl. sperm. ranarum. Cum hoc cataplasmate, (quod abhinc viginti annis circiter à quodam amico, ex singulari gratia, & sub secreta fide accepi) à febre tertiana liberavit & sanavit Illustriss. Ensifer Regni D. D. Franc. Biliuski &c. cum charissima sua conjuge, plusquam centum personas, ex amicis nempè, famulis, & subditis propriis: cujus descriptionis processum, tibi quoque B. L. commendatum esse volui.

Platerus corticem interiorem ramorum nucis, in aceto maceratum carpis applicat, & se feliciter hoc remedio usum testatur.

Emplastrum Febrifugum.

℞. *Terebinthinae cypr.* ℥iß. *storacis liquidi* ℥ß. Quibus in patella cuprea liquefactis, *admiscebis aranearū maj. vivar. & in locis mundis captarum num.* 20.

Contundantur & misceantur in tigello vitreato terreo, seu in dicta patella cuprea, pistilloque ligneo, tamdiu donec araneæ non amplius conspiciantur, & mixtura quasi cinerei coloris appareat. Mixturæ parum calefactæ adde *pulv. bufonum, pyrii vulg. ex capicibus serpent. parat. ana* ℥i. ⊖ ✱*ci* ℥ß. *communis, centaur. miner. ana unc.* ß. *campho-*

camphoræ ℥ij. fuliginis ex camino q. s. f. massa ad consistentiam Empl. nigerr.

Usus. Ex hac massa formentur 2. Emplastra rotunda, magnitudinis dimidii imperialis, quæ auri seu argenti foliis obducta, pulsibus manuum utriusque carpi imponantur, hora una vel altera ante accessum paroxysmi; ubi ita reliquantur per 9. dies, tunc eâdem horâ iterum removeantur, & in flumina projiciantur. Certum est, quod hoc emplastrum omnes febres intermittentes, præsertim autem tertianam notham & spuriam, sæpius sine adhibitione alicujus medicamenti cohibere solet, etiam ipsas febres pestilentiales. Interim tamen methodica cura non negligenda est, quæ causam occasionalem removere, recidivam præcavere, & ab aliis symptomatibus (quæ aliquando febres malè curatas sequuntur) defendere solet.

Poma & Pocula Febrilia.

℞. *Salis nitri pur.* (*lap. prunellæ*) ℥viij. *absinthii, cardui benedicti, centaurii, rutæ ana* ℥j.

Nitrum prius liquetur in crucibulo, igne quidem leni: cui pòst per vices reliqua salia injiciantur. Salia ita liquata, & in unum chaos coacta, effundantur in ventrem detruncatæ phialæ vitreæ parvæ (magnitudinis pilæ lusoriæ) circumcirca luto optime munitæ, ut sic pilæ seu pomi formam referant; quæ refrigerata è vitro confracto eximantur & ad usum necessarium serventur.

Poma dicto modo fusa, tractentur manibus, in calore febrili, eum enim temperant. In eundem finem & simili processu fiunt ex sulphure, item ex solo puro nitro, poma pulcherrima splendentia & quasi polita.

Poculum Pulcherrimum Febrile.

Curiosum ex nitro purificato fusum, externè & in superficie emblematibus ornatum poculum, dono à me olim accepit Illustrissimus D. N. Kasanovius, Mareschallus Curiæ, quod poculum febricitantibus, in ardore & calore febrili ad extinguendam sitim solatium est magnum, si ex illo bibat. *Schrod.*

Fecula, vid. *Fæcula.*

FEGOPYRON.

Nomina. Fegopyrum *Dod.* Fragopyron *Ger. emac. Park.* fagotricum *J. B.* Erysimum Theophr. folio hederaceo. *C. B.*

Radice nititur surculosa, plurimis fibrillis capillata. *Caule* surgit cubitali & altiore, simplici, tereti, glabro, solido, viridi sed in apricis purpureo, ramoso, ramulis alternatim è foliorum sinubus exeuntibus *folia* ima pediculis duas uncias longis insident, superiorum in caule pediculi sensim breviores sunt, donec tandem in summo immediate adnascantur, hederacea, glabra, atrovirentia, per margines æqualia, sapore fatuo. In summis caulibus & ramulis ex alis foliorum egrediuntur surculi seu pediculi unciales (J. B. trientales aut quadrantales,) tenues, *flores* sustinentes in spicas habitiores seu racemos conquestos, satis amplos, pulchellos, pentapetalos, ex albo purpurascentes, apicibus rubentibus. In umbelicis florum singula nascuntur *semina*, oblonga, triquetra, nigris glumis obducta, farinam intus continentia candidissimam, insipidam.

De loco ubi sponte provenit mihi non constat; Aiunt Africanæ originis esse: Apud nos in arvis seritur, nec ullum ferè solum refugit. Gaudet imbribus, citò provenit, celeriter maturescit, ut rectè *J. Bauhinus.*

Veteribus incognitam & indictam fuisse hanc plantam Botanici peritiores opinantur.

Usus. Rura (inquit Matthiolus) non solùm ex ea panes pinsunt, sed & pultem quoque conficiunt, quæ non est ingratus cibus, ubi rectè fit. Dodonæus pulmentaria ac placentas, quæ ex ejus farina conficiuntur, facilè concoqui, citò descendere, alimentumque corpori afferre, exiguum quidem non tamen aut malum vitiosum scribit; panem qui ex eo aliquando, cogente annonæ penuriâ coquitur, aut farinam ejus ejus admixtam habet, humidum esse citiusque descendere, ac flatulenti plus obtinere quàm ex secali cocti. Herbam viridem, priusquam semen maturverit, boves juventáque pascuntur. Semine Gallinaceum genus pastum citissimè pinguescit. *Raius in Hist. Plant.*

Fel Terræ, vid. *Centaurium Minus.*

FELIS.

Felis domestica seu Catus, Animal est notissimum, muribus venandis natum; ut in eo describendo tempus terere, otio meo esset abuti, & Lectoris patientiâ. Liceat tantùm adnotare, pupillæ foramen non rotundum esse ut in homine, sed oblongum; nimirum ut prædam suam, hoc est, mures, qui in domorum parietibus persæpe rectà ascendunt, visu facilius assequi possit, ut conjectatur nobilissimus vir ὁ ἐν ἁγίοις *D. Robertus Boyle.*

Intra anum foramina duo, (utrinque unum) cernuntur, è quibus exprimitur fœtidissimus liquor, quem secernunt glandulæ parvæ Sphincteri incumbentes. A Leporibus, cuniculis, *&c.* differt, quod glandulæ intra anum sitæ sint, nec ullos habeant sacculos aut vascula ad liquorem excipiendum & continendum, quemadmodum in illis. Penis osseus non est, retrorsum flexus. Glandulas prostatas habent sed vesiculas seminales nullas. *D. Willoughby.*

Notandum autem, quòd in Felino hoc ferarum genere Dentium numerus longè minor est quàm in Canino, nimirum in illis 28. non excedit, cùm in his ad 40. ascendat: totidem enim in Lupa observavit doctissimus Vir *Joannes Faber Lynceus.* In dentium a. molarium numerò differunt in hoc Felino genere *Leo* & *Tigris*, & fortè etiam Pardalis, à *Lynce* & *Fele.* Illæ enim sex in utráque maxilla molares habent utrinque scil. tres; Hæ verò quinque tantùm, nimirum duos ex utráque parte in superiore maxilla, in inferiore tres; ex observatione Parisiensium. *Jo. Faber Lynceus* molarium numero cum Leone & Tigride convenire asserit: felem tantùm differre. Rem diligentius examinent & controversiam dirimant, quibus Lyncium inspiciendarum opportunitas est.

Felis Syriaca, multis punctis variegata. *The Cypress Cat.* Raius in Synops. Histor. Quadruped.

Officin. nat. è Fele ut à Schrödero ab Hofmanno annotato adferuntur.

1. *Axungia.* 2. *Sanguis.* 3. *Caput.* 4. *Stercus.* 5. *Pellis.* 6. *Secundina.*

1. *Axungia* cati castrati, calfac. emoll. discut. mirificè articulorum affectibus prodest. [colicis doloribus & uterinis.]

N. *Præstat axungia cati sylvestris.*

2. *Sanguinis* gutt. 3. (*ex venula sub cauda aperta cati maris.*) caducum penitus curant (*epotæ*) Schwenckf. Quin & cati sanguinem, (*ex incisa aure detractum*) herpeti cum successu vidi inunctum.

3. *Caput* cati nigri incineratum ad oculorum vitia, unguem, nubeculam, albuginem, &c. remediū præstantissimum esse, si quotidie ter insuffletur, scribit Mizald.

N. *Venenum quod felibus adscribitur, in solo capite ac cerebro stabulatur, non reliquo corpore, utpote quod in cibum nonnullis venit.*

4. *Stercus* (*cum sinapi ana ex ✠ illitum*) alopecias curat, & podagricos juvat.

5. *Pellis* gestatur ad calfaciendum ventriculum, articulosque contractos.

6. *Secundinam* de collo suspendunt ad oculorum affectus arcendos. Præferunt autem cati primipari, ejusque nigri.

Hofman. *Catus domesticus.*) *Est vel domesticus, vel sylvestris. Illius castrati pinguedo* mirificè articulorum doloribus succurrit. *Hujus, scilicet sylvestris pinguedo* umbilico calidè juncta colicos tollit dolores.

Ex *cerebro*, puellæ philtra sua componunt.

Pellis cati sylvestris ad calefaciendum ventriculum & articulos contractos gestatur.

FELIS ODORATA, vid. sub titulo *Canis Zibeticus*, de Zibetho verò vid. sub propriô titulô.

FERMENTARE, FERMENTATIO.

Habet sub se Destillatio Fermentationem, operationem nempe illam, quâ plurima phænomena explicant Medici, & quâ indagandâ plurimi desudarunt, unde integri quoque libri à *Billichio, Willisio, Schookio, Kergeto*, aliisque conscripti sunt. Nos verò hîc contenti erimus in summariâ quasi, & concisâ ejus pertractatione.

(1.) *Fermentatio præsupponit heterogeneitatem particularum*, quæ sive in molli corpore, ut in fermento panificum, sive in humido, ut musto, quæ duo sunt subjecta fermentationum adæquata, versentur, altera alteram implicat, ligat, ut activa cum passivis principia seu elementa quoque concordent, & unum mixtum constituant; ast

(2.) *Fermentatio est motus intestinus particularum à se invicem secessum meditantium.* Motus est, ergò motorem præsupponit; intestinus est, nam spiritu intus agit; particularum est mobilium; mobile verò primum est mercurius; secedentium est motus ab invicem, unde quo magis sunt mixta & confusa, ut ita loquar, elementa, eò facilius fit fermentatio; quô simpliciora, eò difficilius, imò planè non. Sic non apta fermentationi sunt elementa ipsa, non aqua simplex, non aqua & terra mixta, non aqua cum spiritu, non aqua cum sale combinata, & sic porrò. Ast si singula, sal, sulphur, mercurius, aqua, terra, concurrant, inæqualibus frontibus, dispari & laxiori mixturâ, facilius fit. Quæ enim vel planè homogenea sunt, vel quasi talia, illa fermentationi inepta.

(3.) *Quod ultimum est in effectu* (*operationis,*) *illud primum est in motu.* Finis principalis scilicet fermentationis est, partes volatiles, spirituosas, mobiles liberare, saltim ex parte, & sui juris reddere, exaltare, producere, sive hinc in mixto maneant, sive auferantur per destillationem, & seorsim novum quasi ens constituant. Hæ particulæ spirituosæ, mercuriales, salinæ volatiles & subtiles primum motorem constituunt. Naturâ enim suâ sunt activæ, volatiles, avolare aptæ, nisi impediantur, ast, vinculo ablato vel excusso, prompta adest via.

(4.) *Vincula ergò mixtionis in fermentatione resolvenda, ut turgescentiam seu ὀργασμὸν*, quæ omni fermentationi cohæret, *acquirere possint partes volatiles*, unde fit inflatio, & reliqua exterentia se harum activitatis & prædominii signa. Vincula verò hæc potissimùm sunt duo, alterum extrinsecum, alterum intrinsecum magis. Hinc

(5.) *Concisas & confractas oportet esse particulas extimas corporeas*, sive expressione, quod in succis fit, qui hinc facillimè fermentescunt, sive contusione, quod in seminibus maximè & fructibus locum habet, ut aptentur hoc modo omnia, ut mixtio prior simplicior tollatur, & nova exoriatur. Hinc plantæ, flores & reliqua fermentanda non integra & cruda, sed quasi sic præparata ad fermentandum recipienda.

(6.) *Fermentatione partes sulphureæ seu oleosæ expanduntur*; Vinculum reliquorum principiorum est sulphur, hoc implicat & obviscat sibi sal volatile, hinc liquari quasi, expandi, dispergi & subtilisari debet, undè hâc clave, quæ est fermentatio, ex particularum oleosarum elementis progignuntur spirituosæ.

(7.) *Humiditas sufficiens ad fermentationem est necessaria.* Solutio enim hoc loco destructionis principium est, solvunt verò liquida & aquea, ut & volatiles partes in eâ fluctuare, & partes viscosæ, oleosæ implicantes, factâ jam comminutione particularum cum aquæ sufficienti quantitate misceri queant, & se invicem hinc, accedente præsertim calore, ad motum, exitum, liberationemque sui exstimulare queant. Hinc sicca non fermentantur; Succi magis fermentescibiles, mollia & spissa corpora medio modo se habent.

(8.) *Quæcunque ligant magis particulas, fermentationem impediunt; quæcunque magis laxant poros, magis facilitant.* Hinc viscosa, gummosa, pinguia, glutinosa minus per se hunc censum subeunt, hæc enim magis implicant particulas, & ad motum magis ineptas reddunt; Contra ea verò in minus resinosis, & ubi sulphur dispersum magis est, ut in herbis & seminibus frumentaceis, facilior fit fermentatio. Hinc oleum infusum succis, musto, hinc lardum inditum impedit fermentationem.

(9.) *Quæcunque figunt magis particulas vel roborant sulphur, fermentationem impediunt, & contrà.* Figunt magis acida, quæ & obtundunt sulphur & figunt sal volatile, unde ad fermentationem non concurrit nisi acor lenis & quidem subjugatus, volatilis, qui incidendo & attenuando partes, facilitat dissolutionis vincula. Par ratio est, salium aliorum; Lixiva destruunt fermentationem, quatenus sulphur roborant, colliguntque & unà sal volatile, uti notum est salium fixorum alcalium, lixivorum & volatilium urinosorum consortium & sulphuris ipsius esse amicabile. Ast sal commune ob dictam causam sufficienti proportione rebus fermentationem subeuntibus maritatum eandem promovet. Sic etiam.

(10.) *Calor moderatus, aër liberior & patulus, fermentum additum, spatium amplius fermentationem promovent.* Omnia enim hæc motum facilitant particularum. Motus intestinus particularum parit calorem, (calorem verò à motu fieri, tum *Platonis in Theatet.* tùm Philosophorum aliorum elogio & experimentis certum est) calor expandit partes oleosas & ad communionem facit particularum; calor agitat & propellit, ut nisi capiantur hinc partes justo tempore, planè avolent. Hinc hyeme minus promptè fit, æstate facilior fermentatio; hinc in loco calido instituenda, ubi facilius quàm frigido succedit, testimonio vulgatissimo musti. Et calor tamen nimius, qui planè destruit humorem omnem, contrarius fermentationi, idcircò moderatus sit oportet. Hinc conclusa & ab aëre defensa, ut itidem multum, non fermentant; liber enim motus & exitus denegatus est. Hinc fermentum panificum, feces cerevisiæ & similia eandem promovent. *Wedelius.*

FERMENTUM.

Fermentum in genere describi potest per materiam firmam & quasi fixam quæ sibi affinem aliam materiam ad suam firmatam conditionem præparat. Sic fermentum panis est farina in pastam firmata, quæ farinam similem raram & discontinuam in aliam pastam fermentatam adducit. De fermento Chylificante,

ut & de fermento apud Philosophos pro lapide conficiendô tantopere decantatô hîc non agimus. Fermentum autem panis de quô jam præcipuè cum salis volatilis, ut & acidi ac oleosi multùm in se contineat, incidit, attenuat, digerit, resolvit ac suppurationem promovet.

FERRARIA, vid, *Scrophularia*.

FERRUM.

De Ferrô hîc tantum adducemus quæ habet Schrôderus ab Hoffmannô annotatus in suâ Pharmacopœâ Chymico-Medicâ, consultò omittentes quæ in eâdem materiâ scribit Athanasius Kircherus in suô Mundô Subterraneô tanquam ad rem nostram minùs facientia, aut à prædictô Schrôderô sufficienter descripta.

Schröd. Ferrum Metallum est ignobilius, constans ex Mercurio & Sulphure minus liquabili, crudiori, seu si mavis ex Sulphure, ac Sale, quæ partibus terreis crudioribus immixta sunt.

Vires. Diversis ♂ dotatum est viribus: adstringendi scilicet & aperiendi, Vis aperitiva in volatiliori potissimum residet parte, ac proinde in sale: vis adstrictoria in fixiori, adeoque in terra latitat. De his, qui ulterius erudiri cupit, adeat problem. Horst. Decad. 7. qu. 2.

Hofmann. Ferrum metallum est ignobilius constans ex Mercurio & Sulphure, Hæc omnibus metallis communia sunt principia proxima, de sale nihil scimus. Et prout Sulphur vel purius vel impurius fuerit, aliam vel aliam sortitur mistionem: unde vulgò diversæ illæ metallorum species constituuntur. Quæ utrum ita vocandæ sint, inutiliter disputatur. *Ferrum & Cuprum* majorem Sulphuris impuri copiam cum minori mercurii parte obtinent; Plumbum autem & stannum plus habent Mercurii metallici, quàm Sulphuris, & quidem adhuc candidi immaturi, unde & hoc facilius excoqui in rubrum perfectius à perfecto sulphure potest.

N. *Ex Luto beneficio olei Lini Ferrum se confecisse testatur Beccherus in Supplem. Physic. Subterran.* ut inibi ferrum reverà generatum fuisse sibi persuadeat. Verùm, durum hoc est credere; Ferrum ex Luto separatum fuisse, non autem de novo productum, facile crediderim. Notum enim est, Lutum sive Argillam sæpè istiusmodi mineris martialibus non esse destitutum. Unde & *Gilbertus* Libr. I. cap. 8. de Magnete, Nullam esse terram testatur, quæ martiali non sit imprægnata substantia.

Vires. Diversis ♂ dotatum est viribus.) De Martis seu Ferri admirandâ facultate & in domandis Morbis mirâ potestate vid. *Galen.* 9. Simplic. c. 26. *Avicenn.* Lib. 2. tr. 2. Cap. 211. *Aëtius* tetr. serm. 3. cap. 11. *Nicol. Monard.* in tr. de ferro *Fallopius* libr. de tumoribus p. 1. cap. 2. de Scirrho. *Matthiol.* in comm. Lib. V. *Dioscorid.* cap. 50. *Lud. Mercat.* in Meth. Med. *Jul. Cæsar. Claudin.* Libr. de ingress. Medic. ad infirm. sect. 4. tit. chalybeat. Medic. de Malo hypoch. *Nathan. Highmorus* de Affect. hypoch. cap. 9. *D. D. Rolfinck.* in tr. de Ferro & Alii. Hoc in præsentiarum inquirendum restat, unde operandi diversitas in *Ferro* vel chalybe dependeat, ut modò adstringat, modò aperiat. Sententiarum discrepantiam & numerum accumulatum videbis in modò allegato opusculo Nathan. Highmori. *Dominus Autor* Noster vim aperitivam in volatiliori potissimum residere parte, ac proinde in sale, vim adstrictivam in fixiori, adeoque in terrâ latitare putat. Sed cuinam unquam verum ac genuinum sal martis nativum conspicere datum, vel quis unquam ex marte separatum fuisse testabitur; Alii diversitatem operationis in præparationis diversitate quærunt. At *Nathan. Highmorus* l. c. inquit: Præparationem Martis quod attinet, licet plures illum resolvendi reperiantur modi, tamen omnes ad mutationem in vitriolum aut vitriolatam Naturam tendunt; ideóque præparatio non diversificat effectum, cum illa solùm suppeditet quod vitriolatum, quod ratione suarum qualitatum diversos effectus producere nequit; cùm ejus virtus propria prout & Ferri sit constringere, de quo *Galen. Libr.* 9. de Simplic. Medicament. facultat. Jam autem quomodo suâ stypticitate contrariam peragat actionem & obstructiones reseret, uti volunt Nonnulli, non tam certâ fide constat. Modò laudatus Autor eidem adstrictioni etiam causam facultatis aperitivæ per accidens adscribit, dum scilic. in cachexiâ aut Malo hypochondriaco vasa majora totius massæ sanguineæ turgida Vitrioli seu Martis stypticitas constringit rursus & contrahit, ut æquali proportione ad singula vasa derivetur sanguis, & hoc modo minoribus iterum vasis suus restituatur sanguis ad excretionem dicatis, ut debito tempore iterum excernant, & ita Circulatio Sanguinis, suum recuperet tenorem. Verùm, utut hæc sententia sano intellecta sensu ex parte saltem non sit rejicienda, tamen nondum totum solvit scrupulum; nam in dictis affectibus non solùm sanguinis irregularis motus est incusandus, ut impeditus aut depravatus, sed adsunt & salia corrosiva sæpè sylvestria in lymphâ & sanguine ex acidis & salsis nitrosis, vitriolaceis, ammoniacis &c. effluviis invicem minùs symbolizantibus composita ad diaphoresin & diuresin inepta, quæ Medicamentis purgantibus non auscultant, sed vel in primâ, vel in ultimâ corporis regione existentia fluctuant & oberrant, quæ adsumptis Medicamentis Martialibus ad illa præcipitia ruunt, eisque adhærent, ut illa dissolvant, adeoque salia ista juxta saporis speciem vel salis, dum Marti adhærent, illumque rodunt, coagulantur. Sicuti videmus cum spirit. Vitrioli ♂tem verti in Vitriolum, cum Acet. in rubiginem &c. Cum autem in alimentum transmutari nequeunt, cum Marte soluto sub nigricante colore ejiciuntur foras, qui color oritur, cum salia acida Martem rodunt, & alkalia illum in colcothar præcipitant. Cùm verò Ferrum seu chalybs in acido liquore solutum potatur, absumptis & penitus admissis iisdem liquoribus, ferrum mox alimoniæ ineptum ab acido separatur, à commisto. In quâ segregatione confluunt salia ad ferrum, & illi adhærent. Sicuti videmus Argento evenire in ▽F. soluto, inquit Tachenius in Hippocr. chymic. in hanc solutionem si cupri lamellæ injiciuntur, tunc statim aciditas ▽F. deserit Argentum & rodit Cuprum, Argentumque cupro adhæret. Rursus in illud solutum jam à Cupro viridescens mitte lamellam ferri & ▽a confestim cuprum deponit & rodit ferrum, cuprumque ferro adhæret. Ita etiam in humano corpore contingere posse, mechanica ratio & necessitas dictitat. Nisi enim humor excrementitius seu Salia ista cujusdam semiacidæ Naturæ forent, Mars seu ferrum in corpore non dissolveretur in viride vel nigrum liquamen. Et nisi excrementa ita tingantur, ferrum inconsideratè propinatur, non enim reperit humorem idoneum, qui illud solvat. *Hæc Tachenius.* Contrà autem *Cl. Zwelferus* in apolog. contra Tachenium ex *Helmontio* probat paradox. quint. §. 12. Martem aperire potestate specificâ & appropriatâ, constringere verò qualitate secundâ, aut per accid. quatenus acredinem & mordacitatem humorum demit. Verùm nec in hoc Domino *Tachenio* à *Zwelfero* de Martialium Medicamentorum viribus satisfactum. Adstringunt scil. illa, si acidum in corpore, partibus extrà stomachum hostile, imbibant, nec quidquam est, quod magis acida imbibat, quàm martis corpus, hinc cum iis etiam in de-

liquium abit. De cætero aperitivas illius virtutes, etiamsi colliquatum fuerit cum acidis, ut spiritus ex Cap. mort. hæmatitis volatilis, tamen & striatus has probat. Proinde martialium medicamentorum operationis diversitatem puto non tam ex diversâ illorum præparatione, quàm ex appropinquatione & approximatione illorum seu adaptatione ad causam morbificam dependere.

Schröd. *Purgatio ♂ à sordibus superficiariis*

Purgatur ♂is limatura à sordibus, quibus forsan scatet, tùm ventilando, tùm abluendo ▽ communi.

1. Purgatio ♂ Gradatoria: unde Chalybs.

℞. ♂is in lamellas vel virgulas, (digiti majoris crassitudine) redacti p. 1. Carbonum salicis vel fagi pulver. Rasur. cornu bovis, p. 1. stratifica, ac in vase clauso igni committe furni anemii fortissimo, hor. 4. aut 6.

N. *Chalybs igitur nihil aliud est quàm ♂ optimè purgatus, ideoque loco Ferri Chalybem præstat recipere.*

Hofman. 1. Purgatio Martis Gradatoria: unde Chalybs.) Chalybem partim Natura producit, partim etiam Arte conficitur. Quem Natura suppeditat, reperitur in quibusdam certis locis; Alias Arte elaboratur, dum Ferrum ignitum in Aquâ extinctum tale acquirit chalybeatum robur. *Nobiliss. Robertus à Boyle* in tract. de coloribus modum adducit non ubivis obvium chalybem attemperandi ad conficienda glyphia, terebra, elastra aliaque mechanica instrumenta, quem consule.

N. Si bacillum à chalybe & æqualem alium ex Argento candefacias, eosque △ni exemptos ad Septentrionem & Austrum accuratè directos refrigescere finas, quanquam in utrumque metallum ab igne operatio facta & chalybs, quoad sensum variatus non videatur, tamen cùm textura utriusque sit diversa, Argentum non acquirit novam aliquam qualitatem per istam operationem, cum ignitio chalybis, postquam poris ejus reclusis partes ejus magis flexiles effecit, facillimè dum eo in situ versus Septentrionem & Austrum tenetur, illum pervadunt magnetica terræ effluvia, quæ perpetuò per aërem à polo ad polum feruntur, ut ita per transitum illorum magneticâ quâdam proprietate afficiatur, cujus virtute in aëre libero ad æquilibrium suspensus spontaneâ directione versus polum Septentrionalem & Australem vertetur; & operationes aliquas magneticis corporibus familiares exercebit. Quod si metallum illud ab oriente ad occidentem porrectum tam diu jacuerit, nihil magneticæ virtutis acquiret. *Robertus à Boyle in tr. de Cosmicis Rerum qualitat. pag. meâ 17. & 29.*

Schröd. II. Calcinatio: unde Crocus.

1. Calcinatio Reverberatoria, unde Crocus ♂ obstructivus.

Limaturam ♂is igne fortissimo eo usque reverbera, donec in Crocum elevetur levissimum & rubicundissimum.

N. 1. *Sal commune vim habet reverberationem hanc accelerandi. Hinc sunt, qui citioris reverberationis gratiâ limaturam initio aliquoties urinâ puerorum (vel ▽ salsâ, acetovè) conspergunt, iterum exiccant, postmodum reverberationi subjiciunt. Sic reverberatione unius atque alterius diei ♂ in florem surgit rubicundissimum, qui quotidie (ne vi ignis pereat vel nigrescat,) colligatur.* Hartmann. in pract. Gluckr. in Beguin.

N. 2. *Si qua pars nondum satis reverberata sit, elaboratioremque separare velis, affunde ▽m. agita, atque antequam penitus subsideat, ▽m leviore scil. & magis elaborato Croco turbidam, in aliud vas effunde, parte graviore, quæ subsidet, in priori vase relicta, abstractâ vel decantatâ dein aquâ, habes Crocum leviorem, crudioribus suis ac gravioribus portionibus spoliatum.*

Alii ℞. Limatur. ♂ ℔ij. *Sal. comm. decrepit.* ℔iij. (*vel ana*) *mixta reverberant per diem. Hinc ♂ iterum edulcoratum subtilissimè lævigant. denuoque reverberant, (dies octo vel decem) donec elevetur Crocus subtilissimus, quem quotidiè auferunt, atque aquæ plantaginis præparant.*

Vires. Obstructivus hic Crocus est, ac siccativus, confert in Dysenteria, Lienteria, Gonorrhœa & similibus.

Externus ejus Usus est in exiccandis ulceribus & vulneribus. Quercetanus in Pharmacop. restitut. Sennert. in Institut.

Dosis à ℈ß. ad ℈j.

N. *Adhærescit & Crocus ♂is baculis ferreis furni destillat.*

2. Calcinatio fusoria: unde Crocus & aperitivus.

Laminis ♂ seu Chalybis ignitis adeo ut scintillent optime admove magdaleones Sulphuris sic liquescit ♂ instar ceræ, deciditque granulatim in frigidam suppositam, teratur subtilissimè & servetur pro usu. (Dicitur quibusdam Crocus ♂ niger.)

Vires. Virtutem habet reserandi, aperiendi & attenuandi. Querc. in Pharmac. rest. Beguin.

N. *Maximus requiritur calor, ideoque præstat officinam fabrilem adire.*

3. Calcinatio Cementatoria: unde ⊖-m ♂is.

Lamin. (Limatur.) ♂, cementa cum Sulph. pulv. igne paulatim adhibito per horam, ita Sulphure accenso calcinatur ♂: Materiam exemptam ac tritam calcina iterum per se. (non secus ac calcinatur ♁ in præparatione vitri,) ut Sulphur penitus efflagret, diligenter movendo, donec ferro adhærere incipiat.

℞. ♂ hujus calcinati ac triti ℔. 1. *Sulphur.* ℥ß. *Misce exactè, ac calcina iterum per hor. Dein tere iterum, ac adde tantundem Sulphur. idque repete quinquies vel pluries.* Croll.

Ex hac ♂ calce fit ⊖-m ♂is.

2. Alter.

℞. ♂ laminatum. cementa cum Sulphure & Tartaro ana, Crocum laminis adhærentem absterge. Parac. l. de morte rerum natur.

4. Calcinatio Immersiva.

Solutio ♂ fit in quolibet liquore corrosivo, etiam minori acrimoniâ prædito. Ut ▽ vulgaris, ⌒-⊖-i, Sal. nitri, & Sal. communis, Sulphuris, O. ✳iaci. Coagulatio fit, vel inspissatione, vel præcipitatione, sed rarò.

E. gr. per ▽.

℞. Limatur. ferri ℥j *affunde sensim ▽.* ℥viij. *digere per noctem. & abstrahe ▽ in arena. Sic relinquitur Crocus rubicundissimus, per deliquium solubilis.*

Per ⌒m Sulphuris.

℞. Ferri laminat. vel limatur. vel croc. mart. aperit. cum sulphure præparat. (affunde guttatim ☍ Sulphuris, simplex vel aquâ mixtum,) solutioni affunde aquam calidam, filtra, coagula aliquantulum, ac repone ad Crystallisandum s. a. Crystallos purifica solvendo ac coagulando. Hartmannus in pract. Beguin. Gluckrath. & Kesler. lib. 1. cap. 13. Tentzel. in Exeges. loco de ☍ Sulphur.

N. 1. *Similiter fiunt & Crystalli ♂ cum ⌒m Sal. com. p. 1. & ✳ p. 3.*

N. 2. *Eodem*

N, 2. *Eodem modo fiunt & Crystalli ♂ cum ⤳u. ⊖-i. Et hi dicuntur Sala.*

Magisterium Chalybis ⊖-latum. Nimirum.

℞. ♂ purgatum solve in ⤳u Vitrioli rectificatiss. coagula. Sic habes Magisterium Chalybis Vitriolatum in forma Vitrioli viridiusc. Sala in Tartarolog.

5. *Calcinatio Vaporosa.*

Laminas ♂ supra 🜄 in cucurbita clausa suspende, cucurbitamque in arenam calidam colloca, sic vi vaporum adhærescet paulatim laminis crocus pede leporino abstergendus.

N. *Labore repetito major copia croci colligi poterit. Sennert. Inst. Hartman. in disp. Chymiatr.*

6. Calcinatio Illinitionis.

℞. Laminas ♂ illine ☍ Vitrioli, vel Sulphuris, vel limaturam ♂, eodem liquore consperge, & repone in cellam. Postea ablue aqua, & subsidebit crocus, qui parum ad rubedinem solummodo calcinandus.

N. *Quercetanus infundit ⤳ Sulphuris, ac 🜄 ana in cochleare ferreum: omnia bullire sinit ad ignem lentum usque ad consumptionem: Hinc reponit per aliquot dies, pulveremque croceum abstergit, qui facilè liquescit. Hunc verum Epatis restaurativum appellat, eumque in Tragea hepatica ceu basin recipit. Vide Pham. cap. 26.*

Vires. Utilissimus est hic crocus in Cachexia, insigne est aperitivum.

Dosis gran. 3. 4.

Eodem modo fieri quoque potest Crocus ♂ beneficio ⤳. O. ✱, Sal. nit. *Paracelf l. de mort. rerum natur.* Verum hic Crocus non nisi extrinsecus adhibendus est.

Aliter.

℞. 🜄 (ex Vitrioli calcinat. & Sal. commun. ana cum argilla destillata,) infunde in cochlear ferreum, ut evaporet. Sic statim relinquitur crocus tenerrimus, qui abradendus & in vitro (quia facile liquescit;) reservandus est. Glackr.

Hofman. 2. Calcinatio unde Crocus 1. Calcinatio Reverberatoria, unde crocus Martis obstructivus.) Ex hujus croci præparatione innotescit, non solùm croceum hunc Martis colorem à mutatione ipsius texturæ provenire, dum idem metallum successivâ ignis operatione diversos colores adsumere potest, sed & inter alia acidum etiam in flammâ esse, Martem in crocum mutans: Inde & planè nulla est differentia inter crocum Martis, qui fit cum igne, & qui cum Sal. comm. Urin. Acet. &c. *Tachen. in Hippocrat. Chemic.* Cui *Clarissimus Zwelferus* in apolog. contradicit; Nos tamen addimus negari non posse, aporrhœam aliquam acidam unà cum flammâ ex lignis accensis exhalare, quemadmodum videmus ex accenso Sulphure humidum acidum unà cum flammâ evehi, quod non est ipsa flamma, sed unà cum fumo æthera petit & in aërem dispergitur, id quod tamen dictos præstare potest effectus. vid. De Corallis. Vires hujus croci sunt notissimæ.

2. *Calcinatio fusoria: Unde crocus Martis aperitivus.*) Hæc cum calcinatione tertiâ cementatoriâ & sextâ illinitionis omnes tendunt ad Vitriolum Martis conficiendum, nullaque indigent animadversione. Calcinatio quarta immersiva in aquâ forti, spir. Nitri Salis, Onis & quinta Vaporosa, non Vitriolum seu crystallos Martis, sed crocum largiuntur. Illa igitur præparatio est optima, quæ cum spiritu Vitrioli seu Sulphuris absolvitur, inserviens cachexiæ, malo hypochondriaco &c. Sequenti igitur modo optimum ac copiosum conficitur Vitriolum Martis. Recip. Limatur. Martis q. s. affunde spirit Vitrioli vel Sulphuris bonâ quantitate aquæ prius dilutum successivè ac sensim, hoc facto, novam aquam affunde usque dum Vitriolum ex Marte satis fuerit extractum, solutionem decanta ac in sartagine ferreâ ad cuticulæ apparentiam coque. Sic in frigido crystalli concrescent, qui in leni calore exsiccandi sunt, reliquus liquor iterum exhalet, ut in frigore crystallisetur, Hoc tam diu repetendum, usque dum omnis liquor Martialis in crystallos fuerit absumptus.

N. *Quercetanus infundit Spirit. Sulphuris ac spirituum vini ana in cochlear ferreum.*) Benè observandum est, Crocum Martis saccharinum inde parari, & quidem aperitivum cum pulveribus aut pilulis purgantibus in virginum cachexiâ miscendum, non sine notabili effectu; illum autem beneficio Spir. O. ✱. Nim. 🜄 fort. &c. non extrinsecus adhiberi.

Schröderus. III. Volatilisatio ac destillatio; unde 1. Aqua ♂.

℞. Limatur. ♂is expone aëri humido in cella aliquamdiu, (septimanas aliquot,) hinc destilla, vel ex humili Aludele, vel ex Retorta. Sic nanciseris aquam ♂is sal redolentem sed paucam.

N. 1. *Destillatio hæc felicius procedit, ☾â crescente, & circa plenilunium.*

N. 2. *Post abstractionem reponi denuò potest, ut solvatur; denuoque destilletur ut prius.*

3. ♎ Martis.

℞. Mineram ♂, destilla per Retortam liquorem destillatum reaffunde; digere ac iterum destilla.

3. ☍ Martiale album.

℞. ♂ q. v. solve in ⤳u Sal. com. solutio destilletur per retortam, sic ⤳ prodit, Essentiâ ♂is impragnatus sapore subdulcis.

Vires. Aperit obstructiones præsertim Epatis, Lienis, venarumve mesaraicarum ac Uteri.

Dosis gran. aliquot.

4. ☍ Martiale rubrum.

℞. Solutio ♂ præcedens, impregnetur cum crem. Tartari, destilletur igne fortissimo, ex cucurbita vitrea humili, varios intus videbis colores instar caudæ pavonis, extillatque primò liquor: igne dein fortiori, ☍ grave cum Crystallis, quos per del. solve & junge prioribus.

Vires. Leviter adstringit, & roborat. Hinc in Dysenteria & fluxibus alvi aliisque maximi commodi existit Clariss. Dn. D. Helvicus Dietericus, Archiater Sereniss. Elect. Brandeburg.

Dosis gran. 3. 4. & ultra.

5. ☍ Martiale Sulphureum.

℞. Mannæ ♂ (Tincturæ) circula cum 🜄 rectificat. & supernatabit ☍, destilla per XX, ut transeat & oleum.

N. *Fragrantissimum hoc ☍ perhibetur ac pingue.*

Vires. Maximas vires habere censetur in obstructione ac debilitate Lienis, &c. D. D. Paulus Kesler.

6. Ol. Mart. præstans.

℞. Croc. Mart. per Reverberationem Spirit. ⊖-i philos. q. s. Digere, extrahe aliquoties recenti spiritu rubedinem. Spiritus tinctos junctos abstrahe ad mellaginem. Hanc extrahe cum 🜄, Sal verò cum △ comm. Spiritus tinctos abstrahe ad oleaginositatem, cui additur sal purificatum per digestionem.

Vires. Summum est obstructivum.

Dosis gran. 4. 5. &c.

Clariss. D. D. J. C. Faus.

Vitrioli ♂is destillatio.

Destillatio ⊕-i ex ♂ confecti nihil peculiare è destillatione ⊕-i vulgaris habet, iisdem enim modis perficitur, omnesque Medicamentorum formas, quas ex eodem illo vulgari ⊕-lo descripsimus, exhibet; felicioris tamen est operationis; in morbis ad ♂is affinitatem accedentibus.

Hofman. III. Volatilisatio ac destillatio unde 1. *Aqua ♂tis. Mazotta in Triplic. Philosoph.* hujus liquoris mentionem facit, eundemque mirè ad transmutanda metalla commendat. Hac ratione etiam *Burrus*, prout ex *Dn. D. Johannis Michaelis* p. m. ore excepi, præparare voluit ol. ♂tis. Cum minerâ ♂tis Casseliensi aeri humido ad longum tempus expositâ etiam procedit; Inde nonnulli spiritum mundi destillare volunt. Sed toto cœlo errant.

2. *Spiritus ♂tis*) Hic ex minera ♂tis destillatur, in quâ Vitriolum quoddam latet nativum, ut ita facili negotio inde destillari possit spiritus, prout etiam ex minerâ ♂tis & ♀neris hermaphroditicus conficitur, vel ex hisce duabus mineris Vitriolum hermaphroditicum fit, cujus spiritus in affectibus spleneticis ac uterinis mira præstat, v. g. ℞. *Mineræ ♀ ℔.iij. miner. ♂tis ℔j. Vitrioli vulg. ℥xiij. subtiliss. pulveris. affunde ▽ comm. stent per ♂℘ & tingetur. Tincturam effunde, recentem affunde. Hoc reiterandum est, dum non amplius tingatur, ▽ evapora, & concrescet Vitriolum. Optimum in desperatis uteri affectibus remedium. Dosis gr. j. ij. iij. &c. cum duplo fecul. bryon. in vehiculis appropriatis.*

N. Ex hoc Vitriolo hermaphrod. fit communi modo spiritus.

3. *Ol. Martiale album.* Si juxta præscriptum Domini Autoris elaboraveris, acquires ex hâc solutione cum ♂te factâ spiritum salis ♂tialem, qui aliquid præstat in obstructionibus viscerum reserandis. Melius autem, si spiritum Salis limaturæ ♂tis infusum & per aliquot ♂℘ leni calori expositum coles, postmodum coagules; & demum per retortam vel cucurbitam terream destilles, sic spiritus non solùm coloris aurei subflavus prodibit, sed & flores ♂tiales in fine subsequentur magnarum in plurimis affectibus virium, quales etiam suppeditat ♂ cum ✱co sublimatus seq. modo,

℞. *Limaturæ ♂tis purissimæ ✱ci ana ℔.ij.*

Hæc probè invicem pulverisata immitte cucurbitæ fictili vitreatæ, obductæ, & apposito capitello ac præmisso recipiente destilla △gne aperto, primò, leni, postmodum aucto, donec spiritus ✱ salsus urinosus elicitus sit. Postea auge △gnem ad fundi cucurbitæ excandescentiam & capitelli nigredinem. Inde flores ✱ ♎mabuntur ad capitellum usque in minori copiâ, majori autem ad latera alembici nigricantis caloris. Peractâ ♎atione & omnibus fractis massam in fundo cucurbitæ relictam restitutis ipsi floribus ✱ nigricantibus jam ♎tis & probè mixtis expone humido aeri. Elapso brevi temporis spatio mixtura hæc efflorescet in colorem cineritio flavum, odoris vitriolacei & saporis dulcis martialis. Hanc massam impone retortæ terreæ luto probè munitæ, recipiente amplo præfixo, fugisque optimè clausis aperto igne gradatim destilla, fortiori ignis gradu sensim ac successivè subsequente, quoad spiritus in formâ appareant nebulæ. Sic sensim fortissimo caloris gradu destillatio continuanda donec nebulosi spiritus dispareant. Hâc destillatione absolutâ spiritus acidus salinus coloris aurei in vitro optimè custodiatur.

4. *Ol. Martiale rubrum.*) Solutionem martis præcedentem cum Tartaro crudo albissimo imprægna & destilla igne fortissimo, acquires liquorem martialem; Cap. mort. humido aeri expone & solvetur in ol. Huic si terram foliatam Tartari jungas, præstantius fuerit.

5. *Ol. Martis Tartareum.*) Hoc supersedere possumus, cùm superius allata satis sine sufficientia ad viscerum obstructiones reserandas & tonum illorum restituendum, spir. vini additio plus nocet, quàm prodest

6. *Ol. Martis præstans.*) Non solùm crocus martis à sale liberatus, sed & nuda limatura martis satis ad hunc laborem sufficiens est; & loco spir. vitrioli phil. etiam spirit. Salis rectificat. substitui potest, Affunde igitur spirit. vitrioli phil. vel spirit. Salis limaturæ martis purissimæ, digere, & extrahe additâ aquæ fontanæ s. q. tinctos liquores abstrahe ad mellaginem, hanc ex cucurbitâ non nimis altâ ♎ma, & acquires flores, qui aeri humido expositi in liquorem aureum solvuntur, qui vel per se ad gutt. j. ij. vel iij. vel cum arcano Tartari soluti mixtus ad gutt. v. x. xx. &c. cum appropriato vehiculo in tono viscerum labefacto, vomitu, dysenteria, & aliis alvi fluxibus, item hæmorrhagiâ maximæ est energiæ. In Hæmoptoe aliquid crystallor. ♄ni admisceri potest. Vel:

℞. *Scoriat. martis ex Regul. martis resid. ☿rii ♎ati ana misce exactissimè & destilla per retortam igne fortissimo, ut ☿rius vivus penitus ♎etur & elevetur; residuum expone humido aëri, & ex liquore ♎ma dicto suprà modo flores, qui etiam per deliquium abeunt in ol. martis, præstantissimum,*

7. *Vitrioli martis destillatio.* Dominus Autor statuit hujus destillationem nihil peculiare à destillatione vitrioli communis habere & iisdem modis perfici. Verùm si vulgari modo, prout communiter sp. vitrioli destillari solet, procedatur, certè non ita felicioris operationis erit. Proindè sequens modus mihi valdè probatur.

℞. *Vitrioli martis q. v. non calcinati, immitte retortæ fictili probè lutatæ, expone igni aperto, præfixo recipiente amplissimo, fugis undique clausis destilla per gradus igne tandem altera die aucto ad △ reverberii, ut omnis humiditas exhalet, quousque nebulæ egredientes desinant. Hinc spiritum aufer, ac denuo Cap. mort. superfunde successivè & repetè dicto modo ex novâ retorta destillationem, quibus peractis acquires spiritum martis omni laude majorem, qui nullâ amplius rectificatione indigeat.*

Hic spiritus martis odoris admodum Sulphurei est, qui temporis tractu in suavem degenerat violaceum, gratissimi cæteroquin saporis in potu ac jusculis oblatus non solùm febricitantibus egregium affert solamen, sed & in roborando ventriculo & obstructionibus reserandis summæ est efficaciæ.

N. Hic spir. Vitrioli martis cum spiritu vini circulatus & sæpius cohobatus spiritum Vitrioli præbet cephalicum. Ex Cap. mort. sp. Vitrioli martis elegantissimus crocus martis adstringens conficitur in omni alvi fluxu & hæmorrhagiâ utilissimus.

Schrod. IV. Extractio unde Tinctura.

℞. *Limatur. ♂ ℔.ß. candefiat, & extinguatur aliquoties in vini malvatic. ℔iv. sic essentia ♂ ⊕-lata communicatur malvatico.*

Dosis ab ℥.ß. ad unc. ij. in jusculo vel haustu aquæ cichorei. Hartm. in pract.

(*Sumitur etiam succus pomorum Borsdorffens. pro extract.*)

Aliter.

℞. *♂ limat, ✱ ana ℔.i. coque in sartagine ferrea l. △. semper agitando donec ✱ consumptum sit, (quo sæpiùs, eò melius,) infunde postea in vino malvatico ℔. 4. 5. 6. digere, quotidiè aliquoties agitando, (♂℘ 14.) postea depleto & adhibeto.*

Vires. Prodest ad omnes affectus splenis, item ad menstrua, tum provocanda, tum inordinanda corrigenda.

Dosis

Dosis ℥ß. *ad* ℥ij.

N. *Potest aromatisari Garyophyll. & simil. Finck.*

Tinctura ex ♂ crudo.

℞. *Limat.* ♂ *extrahe rubedinem cum* ✳ *acerrimo s. a. decanta & abstrahe. Dein extrahe cum* ∀. *Quo tandem iterum abstracto, relinquitur Tinctura seu Essentia* ♂ *in fundo.*

Dosis ad ℈j. *vide Senn. Inst.*

Aliter.

℞. *Limat. Chalyb. q. pl. irroretur* ✳ *aliquoties & exiccetur. Hinc extrahe cum spir. vini Tartarisato. I. C. F.*

Alia ex Croco martis Quercetani.

℞. *Croci martis* (*per* ∀ *facti,*) *extrahe Tincturam digerendo cum* ∀ *vulgari. donec rubescat, decanta à fæcibus, & abstrahe ad oleositatem.*

Dosis: Præmissis universalibus, propinantur mane ac vesperi gutt. 9. vel 10. in decocto juniperi Hartm. in pract. loco de Hæmorrhag. & de Hydrope.

Alia ex Croco Martis.

Sic & ex croco martis per reverb. fit Tinctura cum ∀, cujus eadem Dosis.

Alia quæ Basilij est.

℞. *Limat. martis solve in sp.* ⊖*i rubr. p.* 1. *aq. fontan. p. ij. filtra calide & crystallisa, s. a. Cristallos exicca sub tegula continuò agitando, habebisque crocum purpureum: affunde* ✳ *& extrahe s. a. Hinc abstrahe in* MB ✳, *ac elue, aquam font. aliquoties abstrahendo.* Tholdius.

N. 1. *Eodem modo ex* ⊖*o martis ad summam rubedinem reverberato extrahitur Tinctura seu Sulph. beneficio* ✳ *s. a. Quæ abstracto* ✳ *in forma pulvisculi rubicundissimi asservanda.*

N. 2. *Ex remanente terra extrahitur Sal com. per aquam mellis corrosivam.*

Alia ex Scoriis cœruleis.

℞. *Scorias martis cœrul. virescentes, pulverisa.* (*alii calcinant prius hor. 24.*) *extraheque tincturam rubram digerendo cum* ✳ *acerrimo, filtra & abstrahe, restantem Tincturam edulcora aliquoties aq. pluvial. Tinctura hæc liquescit sponte in cella.*

N. *Efficaciorem habebis Medicinam si per* ∀, *Tincturæ, solutionem ac extractionem denuo iteraveris.*

Vires. Longè efficacior est, quam Crocus vulgaris reverberatione factus. Vim habet sistendi omnes fluxus, sive sint Menstrua, sive Gonorrhæa, Dysenteria, Diarrhæa, Hæmorrhagia: &c.

Alia ex floribus Croci martis.

℞. *Croci martis* (*per reverber.*) *sublima cum* ✳, *ex floribus edulcoratis extrahe Tincturam cum* ∀, *abstracto iterum* ∀, *relinquitur Essentia in fundo.*

N. *Dicitur præcipitare* ☿*m, Kesler. lib. 3. c. 71.*

Alia ex Calce martis.

℞. *Martis Limat. à quo* ✳ *sexies vel pluries sublimatum sit, extrahe cum* ∀. *decanta & abstrahe aliquoties cohobando.*

N. *Pulvis ille ante extractionem in liquorem resolvi potest, qui* ▽ *elotus etiam intrinsecus exhibetur.*

Alia.

℞. *Croc. martis probè calcinat. q. v. irrora cum spir.* ⊖. *digereque in Arena calida, donec spir.* ⊖ *exiccatus fuerit: hinc tere super marmore affusaque* ▽ *fontanâ macera in Arena calida per* ♂ (3.) *postea filtra per chartam: filtraturam inspissa & extrahe cum* ∀ *Tincturam.*

Ex communicatione Affinis mei dilecti Jacobi *Holtzapffel*, Pharmacopœi nostratis laboriosissimi.

Alia Tinctura, Manna martis.

℞. *Martis laminat. q. v. extrahe cum* ~um *martis alcalisato, filtra & abstrahe, sic habes Tincturam martis.*

Basium martis & ♀is seu Tinctura extemporanea S. Closs.

Compara tibi ⊖ ex viridi æris (*distillierten Grünspan*, Verdet distillé, *Vert de grees destilled, Roper-groen gedestilleert.*)

Pelle per ◯ ignis Arenæ quidquid plegmatis & spiritus volatilioris exire poterit. Hoc affunde super limaturam martis in vase strictiori. Intra quadrantem horæ absque adjuvamine ignis sanguine martis ♀us imprægnabitur, abstrahe phlegma atque fusibili croco ∀ superfunde, denuoque extrahe.

Sal saccharinum & Tinctura flava mart. ejusdem.

℞. *Croci martis parati cum Sulph. q. v. Affunde aq. restantem post præcipitationem butyri* ♁*ii, quam Spiritum* ⊖*li Philosophicum vocant, unà cum phlegmate* (*si hic desit cape,* ~um *Sal. com.* ⊖*lati diureticum ut cap. de Sal. com. indicabitur*) *sine extrahere in arena tincturam flavam cum fœtore quodam Sulphureo, qui mox evanescit. Hanc coagula post filtrationem in Sal. Com. Sacchariо dulcius, & majoris virtutis gratia spir. vini circula.*

Vires. Hepar roborat, unde hydropicis, iisque qui diffluentia in tibiis ulcera patiuntur prodest, menses superfluos & hæmorrhoides siccat, dysentericos juvat, sumpta cum ther. rec. lienem deobstruit.

Dosis sal. (scr. (s.) cum ol. nuc. mosch. Tinct. gutt. vij. in vino aq. linariæ.

Tinctura rubra martis.

Laminas martis subtiles stratifica cum pumice & reverbera per 24. horas. Rubescet pumex, è quo cum ✳ tincturam poteris elicere & in sal rubrum coagulare.

Ad Calcinationem reverberatoriam pertinet seq.

Limaturam martis calcina absque ulla præparatione aut commixtione ignis reverberii, donec ex rubedine summa in calcem albam transierit.

Dosis ʒß. *in vino albo. Frater D. Rondelii hoc medio ab Ischuria curatus est. Ex communic. S. Closs.*

Tinctura alia & inde,

Magisterium martis albissimum.

Limat. martis ignis fortiss. eousque reverberetur: donec elevetur in crocum leviss. & rubicundiss. Irroretur cum sp. ✢i atque siccetur. Repetendo hoc (4.) Dein tantum affundatur sp. ✢i q. s. ad extractionem. Digeratur usque dum colore rubicundo tingatur, sæpius vero agitetur. Extractio lento calore redigatur ad mellaginem, quæ soluta aq. pluv. destillata & filtrata præcipitetur cum sp. Vitroli. Sic habebis magisterium albissimum, quod probè edulcorandum.

Vires. Ex ipsa descriptione cuivis patebunt, prodest in morbis quamplurimis hypochondriacis, hepaticis, &c.

Ex commun. Cl. D. Joëlis Langelot.

Hofman. 4. *Extractio: Unde Tinctura. Recip. Limatur. Martis* ℔ß. *condefiat* &c.) Frustum martis, non ejus limatura sumenda est, quia melius candefieri & extingui potest quàm limatura. Instituitur autem eo fine, ut vinum malvaticum vim adstringendi inde acqui-

acquirat; Unde in omni alvi fluxu usurpari potest.

Notandum tamen, ejus potum statim post extinctionem in usum esse trahendum, alias humido aëri diu expositus vim aperitivam acquirit, interdum etiam emeticam. Unde & circumspectus *Dn. D. Sennertus* de dysenteria monet, ejus extinctionem moderatam esse debere, nec nimis crebram, cùm certum sit, si multum de ferri substantia adsumatur, alvum turbari. Quæritur igitur, quid hujus diversè operandi modi causa sit? Nos statuimus, martem ignitum & extinctum amittere partes spirituosas volatiles, singulari texturâ præditas in illâ subitâ violentâ quasi vicariâ reverberatione, si jam ignitus in lacte extinguatur, communicare eidem vim adstrictoriam, quæ in partibus fixis terrestrioribus hæret, quæ tum superant subtiles volatiles aliâ figurâ & texturâ præditas. Post ignitionem verò frigefacto in marte reviviscere in centro volatiles partes Vitriolaceas à sale centrali aëris, quemadmodum crocus martis adstringens aliquot mensium spatio sibi relictus rursus aperiendi acquirit vim in centro ipsius resuscitatis partibus Vitriolaceis. Si colchotar Vitrioli, ut notum est, aëri exponatur humido, matrix reviviscit & ex gremio suo novos producit spiritus à sale Naturæ suppeditatos. vid. Dissertat. meam de Dysenteriâ.

Aliter. *Recip. martis Limatur. acet. destill. ana ℔j.*) Melius procedit elaboratio, si sumatur Limatur. martis. Tartari crudi ana cum aq. coq. & ad mellis consistentiam inspissatis superfundatur acet. destill. liquor martialis non injucundus prodibit in vino malvatico infundendus. Vel: Recip. Vitrioli martis, Tartari depurati ana ℔j. coq. in aqua ad mellis consistentiam, ex hac cum spiritu vini malvatico extrahe Tincturam, quæ potest aromatisari cum eleosachar. s. q. caryophyllor. vel cinamomi.

2. *Tinctura ex marte crudo.*) Si loco acet. destill. sumatur sp. Vir. ær. hujus elaboratio erit convenientior v. g. Recip. Limatur. martis, extrahe rubedinem cum spiritu Vir. ær. tinctum spiritum effunde, aliumque affunde, donec nulla rubedo in extractione amplius appareat; Tincturam collectam abstrahe in alembico per Aren. ad crassitiem, huic superfunde sp. vini, extrahe, filtra, & ad liquorem rubicundissimum per abstractionem reducatur. In Cachexiâ virginum & malo hypochondriaco præstans est medela. Dosis est à ℈ß. ad ℈j. in convenienti vehiculo. Altera cum spiritu vini Tartarisato extracta nihil etiam peculiaris habet à priori allatâ.

3. *Alia ex croco martis Quercetani*) Hæc convenit cum essentiâ martis aperitivâ *Cl. Zwelferi*, quam describit in Appendice ad animadvers. p. m. 58. & ex sp. Nitri conficitur, qui nisi fuerit fortissimus, post adjectum Vitrioli phlegma albus saltem & ferruginem ingratè sapiens liquor prodibit.

4. *Alia ex croco martis cum spiritu vini.*) Verùm hujus elaboratio non procedit, nisi crocus martis per reverber. factus prius ab alio menstruo salino fuerit resolutus & in crocum redactus, v. g. sp. Sal. com. Nitr. Vir. ær. &c.

5. *Alia, quæ Basilii est. Recip. Limatur. martis solve in sp. Vitrioli* &c.) Præsens est remedium in hemicraniâ, epilepsiâ, calculo, ulceribus internis abstergendis & ad sanguinem purificandum aptissimum. Dos. est à gutt. x. ad xx. Melius autem seq. modo paratur.

℞. *Vitriolum ad rubedinem calcinatum, vel Cap. mort. Vitrioli, (à quo spir. saltem volatiliores sunt expulsi) q. v. ex hoc extrahatur salsedo Vitriolata repetita acet. destill. affusione & decantatione, quousque sapor Vitriolatus in acet. destill. extrahente gustu percipiatur. Extractiones filtratas ex alembico balnei calore destillando abstrahe ad mellaginem; Hunc crassum liquorem addito sabulo immitte retortæ vitreæ luto obductæ ac igne aperto gradatim aucto in liquorem rubicundum destilla.*

6. *Alia ex scoriis cœruleis.*) Dicitur hæc tinctura adstringens, & maximè commendabilis est; efficaciorem tamen & præstantiorem habebis, si loco acet. destill. sumas vel sp. Vir. ær. vel Sal. comm. ac scoriis martialibus sensim ac successivè infundas, & affusâ aquâ liquorem tinctum colligas, quem ad mellaginem abstrahe, & denique per cucurbitam prius phlegma, hinc spiritum & tandem ♎atum eleva. Quod per deliq. solutum optimum evadit remedium, viribus longè excedens præsentem tincturam. vid. ol. martis præitans.

7. *Alia ex floribus croci martis.*) Extractio cum spiritu vini inutilis est. Tradidit eandem Cl. *Zwelf.* in mantiss. spagyric. pag. meâ 338. Prout & 8. ex calce martis.

9. *Alia. Recip. Croci martis probè calc. q. v. irrora cum sp. Vitrioli* &c.) Hæc tinctura nihil aliud est quàm Vitriolum martis solutum & sp. vini impregnatum, prout & seq. 10. Manna martis dicta, viribus non differens à Mannâ Vitrioli dictâ, cujus infrà de Vitriolo fiet mentio, quæ non solâ laxatarum ventriculi fibrarum adstrictione, sed & manifestâ erodentium acidorum humorum imbibitione & quasi Vitriolisatione, ac subsequio orificiorum aut ductuum, tam excretoriorum, quàm lactiferorum detersione hypochondriacos levat & obstructis confert. Huic præfertur tinctura martis *Cl. Zwelferi* ex Vitriolo martis cum terrâ foliatâ Tartari præparata, cujus descriptionem vide sis in mantiss. spagyric. part. 1. cap. 3. p. m. 337.

10. *Alia Tinctura, Manna Martis dicta.*) Hujus præparatio tam ratione elaborationis, quàm energiæ cum antecedente convenit; sequens tamen etiam non inpostremis erit habenda.

℞. Vitrioli Martis q. v. tere, affunde liquorem silicum Glauberi, incoque, ut forti igne fluat. Mixturam hanc pone in cellam, adde aliquid aquæ, ut instar pultis fiat, superfunde sp. vini, digere in MB. per 8. vel 10. ☍, extrahe tincturam. Quod de silicibus in liquore est, se ▽tat, filtra tincturam & exalta. Saporis non est ingrati & magnarum virium.

11. *Basium Martis & ♀neris seu Tinctura extemporanea S. Clossæi.*) Spiritus iste volatilis nihil aliud est, quàm spiritus Vir. ær. ex ejus crystallis paratus, & Limaturæ Martis affusus, ex quo elegantissima parari potest tinctura adstringens seq. modo.

Recip. Limaturæ Martis q. v. affunde sp. Vir. ær. iterumque exsicca, idque bis vel ter repete, donec limatura in crocum quasi conversa fuerit, cui in pulverem redactæ superaffunde denuò sp. Vir. ær. ad eminentiam 4. transversorum digitorum, qui præviâ digestione rubicundo imbuetur colore. Tinctus spiritus effundatur, & alius affundatur, donec nulla rubedo in extractione amplius appareat. Tincturæ collectæ ad mellaginem abstrahantur, quæ porrò cum spiritu vini extrahendæ, filtrandæ & ad liquorem rubicund. per abstractionem reducendæ sunt. Hæc tinctura magnarum est virium in omni hæmorrhagiâ, vomitu, diarrhœâ, dysenteriâ, fluxu hepatico &c. Dosis est à gut. v. x. ad xx. &c. in appropriato vehiculo.

12. *Sal saccharinum & tinctura flava Martis ejusdem.*) Hæc non differt ab ol. martis, quod suprà descripsimus; Acidulæ artificiales commodè exindè præparari possunt, si cum aquâ fontanâ diluatur s. q.

13. *Tinctura rubra Martis.*) Hæc etiam nihil obtinet singularis præ reliquis. Crocus martis exindè confici potest, de quo suprà jamdum egimus.

Ad calcinationem reverberatoriam pertinet seq.) Notum est ex *Nobiliss. Robert. à Boyle* de coloribus, quomodo martem flamma ignis in varios transmutat

tat colores, ut inde diversas etiam acquirat qualitates, quid mirum? si & inde diversæ etiam resultant operationes Medicinales; ut hæc calx alba martis in vino albo propinata Ischuriam curaverit. Quæ ut plurimum ab acido serosis oritur humoribus, quorum in hoc marte calcinato ad albedinem imbibitionem ægroti Ischuria laborantis levamen insequutum est.

14. *Tinctura alia & inde Magisterium martis albissimum*) Limatura martis △ fortiss. reverberetur, donec elevetur in crocum rubicundissimum. Irroretur cum sp. Acet. & siccetur; Hoc quater repetendo; Deindè tantum affundatur sp. Acet. q. s. ad extractionem. Digeratur usque dum colore rubicundo tingatur, sæpius agitando. Extractio lento calore ad mellaginem redigatur, quæ soluta aq. pluvial. destill. & filtrata non quidem ♒tatur, ut Dominus Autor tradidit, sed coagulatur demum post sp. Vitrioli instillationem. Sal inde coagulatum oritur martis in malo hypochondriaco utile.

N. Omnes hactenus in medium prolatæ tincturæ nihil aliud sunt, quàm simplices tantùm martis solutiones pro diversitate affusi Menstrui hac vel illa tinctura imbutæ, quæ tamen vera martis non est essentia, sed ut plurimum ejus vitriolum, sive metallum solutum fucato tinctum colore. Interim tamen tales solutiones in effectu valdè inter se differunt, quod tamen non fit ob artificiosam eorum præparationem, sed propter menstruum affusum, cujus ratione magis vel minus efficaces, magisque aut minus aperientes vel adstringentes sunt, nec non volatiliores aliæ, aliæ fixiores. *Hæc Nobiliss. Zvvelferus in Pharmacop. Aug. animadvers.* pag. 437. Ad hæc contrà *Dominus Schræck in Pharmacop. Aug. restituta* p. m. 485. excipit, cum istæ essentiæ seu tincturæ martiales sint liquidæ, minus rectè in vitriolum Ferrum redactum dici, cùm vitriolum corpus obtineat solidum, ferri quidem solutiones rectè dici non autem vitriolum, prius quam parte liquida separata in solidam abierint consistentiam. Verum non video, quid obstet, quo minus rectè *Cl. Zvvelferus* scripserit, essentias illas martiales cum liquoribus acidis confectas nihil aliud quàm ferrum solutum, vel in vitriolum redactum esse. Prius enim sumit generaliter & latè, alterum specialiter & strictè. Quoad prius, nam non ex omnibus martis solutionibus v. g. cum sp. Nitr. Sal. O. aqua forti &c. factis vitriolum producitur; sed coagulata tantum fiunt. Benè autem ex quibusdam, scilicet, cum spiritu vitrioli vel Sulphuris solutis. Ideoque cum Nobilissimus Vir scribit, vel in Vitriolum redactum esse, intelligit synecdochitè contentum pro continente, nimirum Vitriolum, quod in ista solutione continetur; Nihilominus tamen licet hoc quarundam Essentiarum Martialium vices haud indignè supplere statuat, tamen non excludit & reliquas diversis menstruis elaboratas unde addit, horum ratione magis vel minus efficaces, magisque aut minus aperientes, vel adstringentes esse, nec non volatiliores alias, alias fixiores.

Schrôderus. V. Sublimatio. Hinc

Flores ex marte crudo.

Sublima limaturam martis cum ✱, (vide in ✱) & elevatur quoque portio martis hæc à ✱ elota, habere vim sclopetentem, æque ac ☉ fulminans dicitur; sed erroneè.

Flores martis ex crystallis.

♃. *Crystall. martis* (*cum* ♈ *nitrosa fact.*) *sublima cum* ✱, *& habebis flores rubicundos, quos edulcora.* Kesl. lib. 1. cap. 63.

Vires. Vim maximam habent in lienis & mesenterii obstructione.

HOFMAN. 5. *Sublimatio* Hinc 1. *Flores ex marte crudo.*) De hisce floribus jamdum suprâ egimus, quod vide.

2. *Flores martis ex crystallis.*) Per cryst allos vitriolum martis intelligitur, quod cum ✱♎tur in flores elegantes ad viscerum obstructiones commendabiles. Aliàs etiam ex vitriolo martis in aqua simplici soluto per ♒tationem cum ol. Tartari p. d. flores martiales parari possunt; qui vim laxandi habent, & vermes unà expellunt.

VI. Salificatio.

Sal martis duplicis videtur esse sortis; subdulce scil. & Vitriolatum.

Sal martis subdulce.

♃. *Limatur. martis irrora* ✱ *optimè, ut pasta inde fiat, quæ siccescat: siccatam tere ac irrora iterum, &c. idque repete multoties. Tandem effunde phlegma aceti, coque bulliendo & filtra, humiditate in* MB *abstractâ digere cum* ▽ *Crystallosque serva pro usu.*

Vires. Vim habent incidendi & aperiendi, obstructiones etiam contumaces, viscerum & uteri. Vide in Epist. Greg. Horstii observationibus annexis lib. 1.

(*Ex hoc sale pilulæ Spadanæ constant.*)

(*Hoc sale ignis soluto acidulæ parantur.*)

(*Hoc sale ignis Riverius multum effecit.*)

2. Idem Sal assequi poteris vi aq. simplicis, loco ✱ ac phlegmatis ejusdem adhibitæ, sed quantitate minimâ.

N. *Suecicum ferrum sale abundantissimum est, ideoque reliquis in salis hujus confectione præferendum.*

Aliter.

♃. *Calcem seu croc. martis* (*per* ♈ *factum*) *extrahe Sal cum aqua filtra, coagula, ac repone ad crystallisandum, vel inspissa prorsus. Salem Vitriolicum, quem nactus fueris, solve denuo aliquoties & coagula, sic habebis Sal martis subdulce.*

N. *Filtratio siquidem fieri nequit, quin chartâ vi corrodente corrodatur, dilui potest solutio aquâ fontana, quo minus acris & filtraturæ aptior evadat.*

Aliter, Sal Basilianum.

♃. *Materiam in Tincturæ præparatione residuam,* (exempli gratia, in Tinctura Basilii,) *affunde* ▽ *mellis corrosivam, ac extrahe Sal. com. s. a. Hinc abstrahe* ▽*m mellis, edulcoraque cum aqua fontan. per destillationem iteratam abstracta. Tandem clarifica cum sp. vini* Thold. in Halograph.

Dosis gran. 6. 7. 8. *&c.*

Vitriolum martis ex cementato.

♃. *Calc. martis,* (*cementatam cum Sulphure, ut suprà.*) *extrahe Sal. com. ut moris per aq. calidam, filtra & crystallisa, s. a.* Croll.

⊖ ♂ ex soluto martis.

♃. *Limat. martis solve in* ☍ *Vitrioli rubr. p. 1. aquæ font. p. ij. filtra calidè, & crystallisa, s. a.* Tholdius.

N. *Simili modo & per alios liquores acres crystalli martis exhiberi possunt, de quibus in Crocorum præparationibus, quippe nihil aliud sunt quam ipsemet Crocus, quem ipsum vel solâ exiccatione ad ignem referunt.*

Sal martis purgans.

♃ ✱i, *Limat. martis p. æq. misce leniter terendo in marmore, inde cucurbitæ fictili &* ♎ *primo lento igne dein fortiori, sensim & per gradus ignis augendo. Tandem refrigescere sine, fractoque vase, partem superiorem albam reserva, novæ sublimationi cum recenti limatura martis peragendæ; Partem mediam Croceam*

ceam similiter serva (sunt flores martis diaphoretici.) Denique partem quæ in fundo remansit (☿) exime & modo vulgari Sal. com. extrahe, idque solvendo & coagulando purifica, clausoque vitro reserva.

Vires. Vim obtinet purgandi.

Dosis ℈ß. *ad* ℈j. *in cochl.* 1. *aut* 2. *Syrupi violarum laxativi, &c.*

N. *Quando Sal. com. prædictum in syrupo violarum solvitur, necessum est ut bene agitetur, donec Syrupus totus spuma evadat, quæ stet per noctem, ut clarescat iterum. Tunc additur pro libitu aliquid clareti laxativi.*

Ex commun. amici Hamburg.

HOFMAN. 6. *Salificatio. Sal. martis duplicis videtur esse fortis.)* Scil. pro diversitate menstrui, ut suprà ostendimus.

1. *Sal martis subdulce.*) Recip. Limatura martis, irrora acet. destill. ut pasta inde fiat, (massa incalescit) quæ siccescat; siccatam tere ac irrora iterum &c. Idque repete multoties, donec scil. fiat instar pollinis, nec amplius incalescat. Tandem affunde phlegma Acet. coque bulliendo & filtratum ditate in MB. abstractâ, digere cum spiritu vini, & sal martis prodibit, non quidem in crystallorum, sed coaguli formâ crocei coloris, sub quo sal martis latet. De hoc sale scribit *Johann. Wallæus* quod sit corrigens omnium purgantium & vim purgantem adjuvet. Ex hoc sale martis conficiuntur etiam Pilulæ spadanæ, sic dictæ, quod loco Acidularum spadanarum esse queant, vel quod spadæ frequenter usurpentur. Hoc sal martis dulce in aq. fontis solutum loco acidularum inservit.

2. *Idem sal assequi poteris vi aq. simplicis, loco acet. destill. &c.*) Non sal, sed crocum aperientem acquiris, in quo sal delitescit ab acido aquæ sale nitroso inductum. Nec resultant inde crystalli, sed nudus crocus.

N. *Suecicum ferrum sale abundantissimum est* &c.) Verùm in ferro, quodcunque etiam fuerit, nullum sal actu reperitur; ideoque hæc antecedentia, & quæ sequuntur, impropriè martis salia sunt & dicuntur, quia saltem quoad apparentiam talia, & nihil aliud, quàm vitriolum sunt, aut huic analogon, id quod ex sapore & alijs cognosci potest qualitatibus. Jam autem vitriolum quid aliud est, quàm solutum metallum, quod facilè pristinam induit naturam; Frustra igitur sunt, qui omnia metalla in hæc tria, sal scil. Sulphur & Mercurium verè solvere satagunt. Unde metalla, quæcunque illa sint, calcinari quidem possunt, non verò in cineres redigi, ex quibus sal verum extrahi queat; sed quædam illorum abeunt in scorias calcinata, quæ scoriæ autem particulam metalli adhuc habent absconditam, quæ beneficio acidi cujusdam spiritus solvi, in Vitriolum converti, ac denuò in pristinam suam formam metallicam reduci potest.

2. *Aliter.*) Recip. Crocum martis per aquam regiam factum extrahe sal cum aq. fort. filtra, coagula, non autem in crystallos abit, sed in salinum concretum flavum, quod sæpius solvendum & coagulandum est.

3. *Aliter. Sal Basilianum.*) Hoc non succedit, quia omnia 🜄tan ur.

4. *Vitriolum martis ex cementato. Item 5. Vitriolum martis ex soluto marte.*) Hæc omnia succedunt. Sed seq. N. simili modo & per alios liquores acres crystalli martis exhiberi possunt, animadversione indiget. Hoc enim experientiæ chemicæ non respondet; Etenim, si cum sp. Nitri, aq. fort. acet. distill. &c. tentes martis solutionem, martis quidem roditur, perfectè tamen non solvitur, nec in crystallos convertitur, sed in crocum, pulverem flavescentem, aut si extracto f. q. Acet. dist. affusa fiat, substantiam subdulcem vitriolato-salinam abstracto Acet. dist. remanentem habebis. Sic & salia acido salsa, ut sal comm. martem, ☉ & ☽nam aggrediuntur quidem, sed corrodendo solum & erodendo rubiginem, & crocum ex ferro eliciendo.

Sal martis purgans.) Hujus plenariam descriptionem communicavit *CL. Zwelferus* in mantiss. Spagyric Part. 1. Cap. 3. p. m. 338. Ex hujus cap. mort. massa remanet Vitriolacea, non tam verè purgans, quàm abstergens aut exstimulans, Vitriolo tamen martis posterior. Ex Cap. mort. martiali per deliq. soluto spiritus flavescens destillatur jucundè acidus, reliquis acidis Spiritibus ex ✱co elegantior.

VII. Schröderus. Liquatio.

Mars per se minimè liquescit, verum si in crocum (calcinatione humidâ,) redigatur, aliquo modo liquabilis evadit; unde Liquor seu Balsamus, medicamentum in vulneribus aptissimum.

HOFMAN. 7. *Liquatio.*) Hæc non ex marte, sed ex salibus in croci præparatione adhibitis oritur.

Variis Ferri præparationibus ex Schrödero & Hofmanno hactenus allatis duas alias rursus adjicimus è Pharmacopæa Bateanâ quarum prima est.

Mars Diaphoreticus.

♎a ✱ cum ā martis f. a. ♎atum solve in exiguam quant. 🜄 ont. filtra, & 🜄a affundendo guttatim oleum tartarum p. d. vel sp. ✱ci 🜄atum exicca f. a.

Sudores movet, & diureticus est. Eximii usus in Melanch. hypochondriaca, quartana, &c. Dosi. ℈ß. ad ℈i.

Mars Potabilis.

Solve Chalyb. tartarisat. in 🜄 ont filtra, & coagula f. a.

Optimè valet in cachexia, hydrope, scorbuto, chlorosi, Quartana, &c.

FERRUM EQUINUM.

Ferrum equinum planta est leguminosa, securidacæ non absimilis, cujus floribus succedunt siliquæ semina plura in ferri equini similitudinem contortas ac compressas per sui longitudinem disposita gerentes, nullius aut minimi in Medicinâ usûs, quamvis abusivè forsan à quibusdam venenis resistere, stomachum corroborare, obstructiones reserare, ac vi traumatica pollere, prædicatur.

FERRUMINATRIX, vid. *Sideritis.*

FERULA.

Ferula, Græcis Νάρθηξ, à ferendo dicitur (ut nonnulli volunt) quòd Scapi illius pedamenta fruticibus ac senibus baculi & scipiones. Plin. lib. 13. cap. 22.

Nulli fruticum levitas major, ob id gestatio facilior, baculorum usum senectuti præbet.

Alij ferulæ nomen à feriendo impositum contendunt: Antiquitus enim discipulorum manus ferulâ cædebantur, unde Martialis ferulam *Sceptrum pædagogorum* appellat.

Ferula ab aliis hujus generis distinguitur foliis fœniculaceis, seminibus oblongis per maturitatem nigricantibus, quibus addi potest medulla fungosa, igni concipiendo idonea.

Vires & Usus. Hujus caulis cùm exaruerit levissimus est, quia fungosus, adeò tamen robustus, ut sufficiat pro baculo ad sustentandam senectutem. *Cæs.* Medullâ caulium fungosâ nonnullos in Sicilia pro fomite ad ignem è silice excussum côcipiendum usos observavimus, cùm in insula illa peregrinaremur; unde, intelligitur cur Poëtæ finxerint, Prometheum ignem cœlestem furatum, cavâ ferulâ exceptum deportasse in terram. *Raius in Hist. Plant.*

FESTUCA.

Festuca à *fissione* denominata quòd facilè findatur. *Dodon.* Ægylops, *Tabern.* Syphonium, seu Broncos herba, *Trago* Lolium secundum *Dalechamp.* Gramen, murorum, dicitur, & inter segetes triticum scil. secale ac hordeum nascitur præcipuè dum hyemes sunt humidiores. Ejus autem plures sunt species quas vide apud Raium in Hist. Plantarum fusè descriptas, sub titulo *Graminis Avenacei.*

Adversus infantum vermes tanquam singulare auxilium radicis in vino albo decoctum, diebus aliquot continuis potum, commendat *Tragus.*

Fiber, vid. *Castor.*

FIBRÆ.

Fibræ sunt veluti stamina rebus nonnullis interretexta, v. g. *ligno foliis*, &c. Sic fibras ligneas vocamus corpora seu filamenta in longum extensa in quibus maximam partem lignum componitur. Item fibræ dicuntur minutissimæ & extremæ radiculæ. *Raius in Hist. Plantarum.*

Ficaria, vid. *Scrofularia.*

Ficariæ Herbæ, vid. *Clymenum.*

FICEDULA.

Ficedula avis est perexigua, Gallis *Becquefigue* dicta: Corpore breviusculo. Color capitis, dorsi, alarum & caudæ, ex cinereo, seu leucophæo-viridis est, nonnullis ex fusco viridis.

Vires. In cibo visum acuere dicitur. *Schrod.*

Fictile, vid. *Instrumenta Pharmaceutica.*

FICUS.

Ficus Arbor (inquit Vossius) non ineptè deducitur à συκῆς, id est, *ficus novella*, sed malim ab Hebræo Fag פג, quomodo dicitur ficus quæ nondum satis maturuit. At minimè audiendus Isidorus, qui lib. 16. cap. 6. *ficus latinè à fœcunditate vocatur, feracior enim est cæteris arboribus nam ter quaterque per singulos annos generat fructus atque altero maturescente alter oboritur.*

Cæterum ficus ab alijs omnibus arboribus distinguitur flore vel nullo, vel intra fructum edulem, dulcem occulato.

Vires. Ficus recentes, modò maturæ sint, à ventriculo ocyssimè & facillimè conficiuntur, imò quovis alio horario fructu celeriùs concoquuntur. Quod vel inde constat, quòd non solùm citra noxam copiosiùs alijs fructibus eas ingerimus, sed etiam quòd illis præsumptis si consuetum & parem cibi modum addamus id nihil incommodet.

Facultatem ficubus glutinosam & salsam inesse probat J. Bauhinus, quòd ob lentorem manibus adhærescant, & illos tamen abstergunt salis lixivialis & nitri modo. Hinc alvi dejectionem moliuntur, sine torminibus tamen aut perturbatione. Augetur salsugo addito sale, quocum ferè recentes comedi solent etiamnum hodie in Italia & Gallo-provincia. Est autem post sumptas ficos affatim bibendum, nè in ventriculo subsistant sed faciliùs concoquantur & promptius descendant. Veteres Dioscorides, Plinius, Galenus in descriptione virium hujus fructus admodum sunt prolixi.

Pectoris & Pulmonum vitijs, Asthmati, tussi, &c. caricas conducere inter Medicos convenit. In usu est duas tresve caricas macerare per noctem in aqua vitæ, & manè dare edendas asthmaticis. Verùm (inquit C. Hoffmannus) exiguum est, valdè quod cum saliva in masticatione descendit ad pulmonem: efficacissimum est decoctum cum hyssopo quod magnum abstersorium dicitur à Mesue. Arenulis renum & vesicæ medentur & urinam ducunt (virides G. Hofman. nam siccis hoc denegat.)

Virides etiam hanc habent laudem quòd sitim sedent & calorem extinguant: siccæ contra; præcipuè in biliosis, & cum naturæ ipsorum convenientibus febribus affliguntur. Bilescunt enim facilè, ut saccharum, Mel & alia dulcia.

Ficus maturrimas & ultimas cavebit (monente C. Hofmanno) quicunque est humidioris alvi. In primis cavebit in prandio, quòd febres generent putridas, si ob moram putrescant.

Hodie usu ferè siccarum ficuum in duobus tantùm casibus est: in decoctis pro puerorum variolis & morbillis, inque gargarismis pro inflammationibus faucium & tonsillarum. *C. Hofman.* At superius diximus eas Asthmati, Tussi, aliisque pulmonum affectibus, unanimi ferè medicorum consensu, apprimè conducere. Mulierculis nostratibus, appropinquante partu, ficuum tostarum esus ad partum facilitandum est familiarissimus. Quin & familiare est super ficus spiritum vini accendere, brodiumque ad tussim sedandam propinare.

Caricæ extrinsecus applicatæ maturant, molliunt, attrahunt. Cùm fermento tritæ admixto sale bubones pestilentiales aliosque abscessus intra paucos dies rumpunt. Eodem medicamento Regem Ezechiam Prophetæ monitu usum fuisse (2. Regum 20.) existimat Tragus.

Ficuum frequentem esum pediculos generare præter Galenum Paulus Ægineta, Oribasius & recentiorum quamplurimi sibi persuasum habent. Quæ opinio & apud vulgus nostratium viget. An experientia suffragetur dubito.

Fici succus, sive is ex incisa arbore emanet, sive è foliis expressus sit, valdè calidus est & mordax, ut sit inter caustica; debito tamen modo præparatus locum suum habere potest, in ulceribus malignis, lichenibus, lepris & alijs cutis sordibus abstergendis foris adhibitus: Verrucas etiam quas myrmecias vocant ejicit.

Idem judicium est de grocis sive fici, sive Caprici (inquit C. Hofm.) Nam hujus præcipuè habent non minùs caustici quid quàm arbores ipsæ; ut intelligere est ex illo quod in aceto soluti sanguinem taurinum dissolvere valeant.

Hæc qui considerabit, mirabitur quomodo succus tam virosus in ficu matura possit excoqui in tantam dulcedinem. Ast hoc in alijs etiam arboribus multis accidit. Plantarum enim succi coctione mitescunt; fructusque ipsi ex acerbis dulces fiunt: ficum imperfectè maturum in cibo usurpatum multorum sanorum valetudinem afflixisse. Tales autem ferè sunt ficus quæ in locis algidioribus proveniunt.

℞. *Surculos ficus, in frustula incidantur, ad* ℔ ij *decoquantur in vi* ℔. j. *& aquæ* ℔ j ß. *Dosis* ℥ iv. manè in hydrope: Egregie sudorem movet, ut asseruit mihi vir quidam religiosus. *Chesnau.*

Literæ quæ lacte seu succo turionum ficus exarantur in charta, omnino conspicuæ sunt, donec charta igni admota vehementer incalescat, tunc autem velut ustulatæ se manifestant: quod etiam aceto, succo limonum aliisque acidis commune est: hinc & lac succo isto coagulatur in caseum. *Raius in Hist. Plant.*

Ficus Indica, vid. *Opontium.*

Ficus Ægyptia, vid. *Sycomorus.*

Ficus Infernalis, vid. *Ricini semen.*

Ficula, vid. *Polypodium.*

Filicula, vid. *Adianthum.*

Filago, vid. *Gnaphalium.*

FILIPENDULA.

Filipendulæ notæ characteristicæ sunt flores polypetali, *Radices* tuberosæ, glandulis oblongis ab extremis fibrarum filamentis pendentibus. Semina in circulum disposita.

Vires. Radix attenuat & subastringit. Decoctum ejus urinam & calculos pellit, dysuriæ & urinæ stylicidio subvenit. Pulverem radicis, ejusve succum adversus morbum comitialem commendant nonnulli. Alij filipendulam proximè accedere qualitatibus ad Pœoniam scripsere & hinc epilepticos, analepticos ac vertiginosos juvare filipendulæ radices retulit Lobelius. Medetur & anhelosis & suspiriosis, & ventriculi inflationibus cum semine fœniculi.

In albo mulierum profluvio, inque nimio lochiorum fluxu usus est eximij. *D. Needham.*

Pulvis radicum filipendulæ celebratur in fluore albo mulierum, omnibus alijs medicamentis incassum propinatis, ab experientia *S. Pauli* Quadrip. Bot. Class. 3. p. 300. Dosis ʒ I. in decocto Dauci. Harman. Corbæus pro experimento habet quotidie ʒ I. radicis filipendulæ virentis cum vino nigro exhibere in fluore albo mulierum. D. Soame è Dolæo, l. 5. c. 4, S. 20.

Dysenteriam sæpius à se curatam notavit Jo. Prævotius in Adversarijs suis exhibito ʒ I. pondere ex vino aut ovi vitello pulvere radice. Filipendulæ, quem ante ipsum secreti loco commendaverat Ludovic. Mercatus lib. 1. de recto præsidiorum usu, cap. 14. Est sanè huic plantæ insignis vis adstringendi, ut hernias quoque ejusdem esu curatas observavit Thom. Carthusius. Velschij transcripsit & ad nos misit. *Raius in Hist. Plant.*

Filius ante Patrem, vid. *Tussilago.*

FILIX.

Filix Græcis πτέρις à πτέρον ala dicta est, quia folia ejus in ramulis seu potius pediculis disposita alarum speciem referunt. *Folia habet lateribus pennata, unde nomen græci imposuere* Plin. lib. 27. cap. 9.

Filix latinis à findo nonnullis dicta putatur, quòd folia habet minutim fissa & divisa. Haud dubito (inquit *Vossius* in Etymolog.) quin à πτέρις derivata sit vox hæc (quæ in libris antiquis *felix* etiam scribitur) eliso scilicet τ; ut in *pinso* à πτίσσω, π. in *f.* mutato, ut in *fido*, à πίθω, *trophæum*, à τρόπαιον, &c. & ρ, in λ, ut in *Paulum* à παῦρον, Lilium à λείριον, &c.

Duplex est Græcis & Plinio, *mas*, & *fœmina.* Nos filicem non ramosam marem facimus ad aliorum imitationem, ramosam fœminam.

FILIX MAS.

Nomina Filix mas vulgaris *Park.* Filix non ramosa dentata *C. B. F.* vulgò mas dicta sive non ramosa *I. B. F.* mas non ramosa, pinnulis latis, densis, minutim dentatis *Ger. emac.*

Mense aprili, authore Trago aliquantò serius apud nos, multos promit asparagos, primo exortu inflexos (ut in alijs filicibus ferè fit) cano capillitio obductos, atque ij, progressu temporis abeunt in *folia* ampla, bicubitalia, crebra, recta, frangi facilia, diluto colore virentia, ferruginea lanugine aversa parte hirsuta, aliis seu tarsis ex quibus componuntur mediæ costæ alternatim adnascentibus, non conjugatim, longiùs distantibus quàm in proximè sequenti, in pinnulas seu cristas latas, & latâ basi nervo tarsi medio adnascentes, obtusas, circa margines dentatas divisis. Linea nigra nervum uniuscujusque aliæ medium supernè producta notat. Singulæ pinnulæ supina parte venulis insignes sunt, pronâ duplici ordine punctorum ferrugineorum.

In hac specie costa folij media musco ferrugineo, minùs tamen copioso quàm in sequenti, obducitur; alæ ex quibus folium componitur longiores sunt, adeoque folium totale multò latius.

Vires In aggeribus sepium præsertim umbrosis ubique invenitur.

Radix hujus generis mulieribus inimica censetur, sterilitatem enim facit, conceptionem impedit, abortum causat, quemadmodum & filicis fœminæ.

Quod si equus conciderit, nesciaturque qua ægritudine laboret, particula hujus radicis linguæ subjiciatur, quo facto equus confestim utrinque dejiciet excrementa, rursusque consurget; id quod ipse ita habere comperi, inquit Tragus, Credat qui volet, quique credit experiatur.

Cæterum planta hæc cum filice fœmina vulgari viribus convenit peculiariter tamen Rachitidi morbo dicto confert.

FILIX FOEMINA.

Nomina. Filix femina *Germ.* sem. vulgaris *Park.* major & prior Trago, seu ramosa repens *I. B.* ramosa major, pinnulis obtusis non dentatis. *C. B.*

Caule (seu verius pediculo) assurgit tres quatuorve cubitos alto, rigido, ramoso, lævi & aliquatenus angulo so: *folia* (quod nomen indicat) pinnata, alatave, in tarsos, primo, deinde in pinnulas seu lacinias angustas, acutiusculas, obiter interdum dentales, alias æquales, dissecta, supernè viridia, infernè canescentia; & punctis ferrugineis notata. Nos in filicis fœminæ folijs hujusmodi puncta non observavimus: Verùm qualibet folia in exteriore margine versus interiora reflexo semina copiosè custodiunt & alunt. Non elegantis utrisque membranis curantis folij fit quasi nidus seminum, ut docet D. *Malpighius*, quocum consentit D. *Colius* qui expressiùs semina hujus speciei marginibus dentium in quos folia dividuntur aversa parte accrescere tradit. Revera enim experientiâ teste margines pinnularum seu denticulorum in quos folia dividuntur circumcirca reflectuntur. *Radix.*

Digitum subinde crassa, foris nigricans, intus albida, longè lateque importuno reptatu terram occupans, sapore amaricante succoque glutinoso prædita, quæ summa parte obliquè aut etiam transversim incisa bicipitis Aquilæ speciem quandam exhibet.

In pascuis sterilioribus ubique ferè luxuriat hæc planta, agricolis maximè exosa: prolixa autem non indiget descriptione; sufficit ad eam ab alijs omnibus distinguendum dixisse, quòd sit è maximis, omnium in Anglia vulgatissima; ramosa radice repente.

Hujus etiam species non minùs quàm aliarum filicum superficies ex meris folijs constat qui enim *Caules* esse videntur ramosorum foliorum revera pediculi sunt, ut patet tum quia partem anticam seu supinam posticæ seu pronæ dissimilem obtinent, tum quia in folium terminantur.

Vires & Usus. Ex hujus & filicis etiam maris exustæ cineribus cum aqua in massam coactis pilas seu globulos efficiunt nostrates præsertim.

Vires

Warvvicenses & Staffordienses, & in sole exsiccant: quorum usus est lotricibus ad linteamina mundanda, saponis aut lixivij loco. Antequam ijs utantur in ignem luculentum immittunt donec candefiant, tunc enim facile in pulverem fatiscunt. Hâc exsiccatâ, ligni aut straminis inopiâ, ad furnos excalefaciendos rustici utuntur: in Sussexia etiam ad calcem coquendam: est enim ejus flamma vehemens admodum & huic usui valdè idonea, ut ab amico ingenioso, qui & ipse sæpius expertus est, & alios ejus usum edocuit, certior factus sum.

Hujus radix in pulverem redacta, & pondere ℥ß. (ʒiß. paulo) ex aqua mulsa sumpta lumbricos latos (atque etiam longos) enecat, imò præsentissima earum pestis est, teste S. Paulo, eamque inter secretissima secreta adversus lumbricos habet & venditant Agyrtæ.

Eadem in vino decocta, & per aliquot dies pota laborantes lienis excremento recreat; Gravidis autem infensa censetur, ut quæ abortum faciat. *Eveteribus.*

Ad ambusta omnia vel igne, vel fervidâ aquâ, aut oleo mirificè conducit radicis succus, vel recentis tusæ, vel exsiccatæ, affusâ aquâ rosaceâ, vel aquâ è fimo vaccino, vel florum Tiliæ, vel harum defectu fontanâ commune tunc enim succus lentus seu mucilaginosus exprimitur qui ijs medebitur, ubi reliqua medicamenta auxilium negaverint. *Trag. S. Paulus.*

Aremoricos & Neustriorum ultimos, qui vastas sylvas colunt in frugum inopia è radicis filicis panem conficere notum est ex Dalechampij relatione. ejusdemque cineribus nitri loco injectis saxa liquare, & vitrea vasa fingere colore viridi & subobsuro.

Hujus speciei varietatis cujusdam meminit. *J. Bauhinus*, titulo *filicis majoris mollis ramosæ*, cujus segmenta singularia paulò videntur latiora breviotaque quàm illius (superiùs proximè descriptæ) nec ut illi dura sed mollia nec subtus incana.

Circa Tigurum Helvetiorum se collegisse putat autor, meminitque (inquit) ejus Gesnerus in *App. Hort.* nomine *filicis maris mollioris.*

Plinius filicem biennio mori scribit si frondem agere non patiaris: id efficacissimè contingere germinantis ramis baculo decussis, quod & experientia hodierna confirmat, quamvis rationem quam addit Plinius ingeniosè sane excogitatam si experientia confirmaret, non probem, nimirum quòd succus ex ipsa defluens radices necet.

Prætereà famam esse ait & circa Solstitium avulsas non renasci, quod alijs experiendum proponimus. *Raius in Hist: Plant.*

FILIX FLORIDA.

Nomina. Filix florida sive Osmunda regalis *Ger.* Osmunda regalis sive filix florida *Parck.* filix fibribus insignis *I. B.* filix ramosa non dentata florida *C. B.*

Ex uno perplexarum *radicum*, longarum, nigricantium cespite *caules* attollit bicubitales & altiores, virides, glabros, striatos, ramis patulos. Hinc inde alæ exoriuntur; pinnatis octo novemque conjugationibus *foliorum*, impari una alam claudente, constantes. Singularia autem folia omnia sursum spectant, trium quatuorve unciarum longitudine, semunciam lata, ex principio latiore sensim extenuata, in obtusum mucronem desinentia, à nervo per longitudinem decurrente exporrectis in margines, (qui integri sunt nec crenis secti) infinitis obliquè venulis. Caulis scopus in surculos aliquot divisus, racemulos unciales in singulis surculis multos sustinet, seminibus multis confertissimos.

Nascitur locis riguis ac palustribus putridis, in humidis quoque sylvis, in multis Angliæ provinciis. In Insula Mona in clivis maritimis & rupium intervenijs udis copiosam observavimus.

Flores herbarijs dicti nobis nihil aliud esse videntur quàm folia ob semina adnascentia non explicata, sed ad margines reflexa.

Vires. Hujus radicem ad hernias & ulcera exploratissimi commodi esse scribit Lobelius, quin etiam colicis & spleneticis plurimùm conferre; nonnihil calidam esse & acrem, odoris non ingrati.

Pars illa radicis media subcandida efficacissimam putatur non modò vulneratis, sed & cæsis, ruptis, ex alto deturbatis decocta vel etiam tusa & cùm aliquo liquore sumta. *Dod.*

Rachitidi morbo dicto remedium præstantissimum & quasi proprium & specificum censetur hujus radix, cui percurandæ vel sola sufficiat. In Rachitide uti soleo conservâ Asparagorum seu germinum teneriorum hujus & filicis maris, vel etiam Asplenij & Phyllitidis, prospero successu. *Raius in Hist. Plant.*

FILTRARE & FILTRATIO.

Filtratio fit beneficio vel chartæ bibulæ, vel panni lanei: Ex charta fit pyramis, quæ tritorio inditur ne concidat. Hinc liquor pyramidi infunditur, ut paulatim per chartam in suppositum vasculum defluat.

Per pannum filtratio fit vel colando, de quo paulo ante; vel separando liquorem à pulveribus suis subsidentibus. Ad hoc duo itidem requiruntur vascula, alterum ex quo, alterum in quod liquor filtratur. Prius quod filtrandum continet, inclinatur ad latus, eique imponitur frustulum panni, ut limbus alter extra vas dependeat: posterius supponitur, ut liquorem per panniculum paulatim defluentem suscipiat: similem modum infrà docemus oleum ab aquis separandi. *Schrod.*

Filtrationem vocamus (colatorium & manicam Hippocratis potissimùm Pharmacopœis relinquimus) quando liquor sive solutum aliquod per chartam bibulam trajicitur. Charta bibula requiritur, quia rarior hæc est, & liquores faciliùs imbibit, sicque transitum præbet. Unde charta complicata in hunc finem filtrum vocari solet, quale aliud ex vitro &c. quod chartam continet, habetur. Quomodo autem complicari debeat charta, non tàm describi, quàm ad oculum demonstrari potest. *Cæterùm circa filtrationem observari debent* 1. *Liquor* sive solutum, quod filtrandum est, 2. *Modus filtrationis.* 3. *Enchirisis.*

1. Patet autem quoad primum ex antecedentis, quidnam filtrari debeat, & in quem finem, ut feces scil. in filtro remaneant, ac solutum clarum permeet. Contra ea sunt nonnulla, & præcipitata quidem. quæ propterea filtrantur, ut *menstruum ex quo solutum*, quod præcipitatum fuit ex menstruo, in filtro remaneat. Observandum enim est, pulveres, metalla, & quæcunque alia soluta, quamdiu adhuc in menstruis suis sunt ac soluta permanent, tamdiu illâ simul cum liquore suo chartam permeare; imò licet præcipitatio facta fuerit, nihilominus unà cum liquore, utut limpidus ille appareat, quædam particulæ corporum permeant, ut ex eo spontè deinde in fundum decidunt aut denuò præcipitari possunt. Hinc sunt animæ seu Magisteria sic dicta Antimonij diaphoretici: Antihectica Poterij, ita emeticum vinum ex infusione vitri Antimonij, corrosas reverà

ipsius vitri particulas continet, & ab ijs præcipuè vis vomitoria est, utpotè quam observavi amittere vinum, quando tractu temporis particulæ illæ fundum petunt. Filtramus insuper e. gr. ut oleum ab aquis, spiritibus &c. separetur: & hi præcipui filtrationis fines sunt. 2. Quoad secundum & modum filtrationis, vix de eo quicquam peculiare notandum est; filtro liquor ac solutum infunditur, idque per vices, donec omne transierit: hoc autem meliùs innotescet ex ipsis Encheirisibus quæ etiam 3. sequentes sunt: ut *filtrum & solutum eò meliùs contineat, & citiùs illud transeat, fulciri debet tribus bacillis: Duplicata debent fieri filtra, per quæ alkalia transeunt, ab iis quippè facile rumpuntur, illa, prout etiam si residuum quod in filtro remanet, prævaleat pondere: quia præcipitatum seu solutum filtri parietibus adhæret; si pretiosum illud fuerit, aut in nimia quantitate, satius est minora conficere filtra, in majoribus enim dispendium fit:* Spirituosa quæ filtrari debent, filtris clausis, quantum ejus fieri potest, excipi debent: unde ex vitreis filtris alterum alteri, infuso jam liquore imponi potest: *vasculum, quod excipitur filtratum, mundum sit & siccum, alioquin illud, si oleosum fuerit, facile iterum turbatur: factâ filtratione, residuo in filtro aqua affunditur, si instituti ratio hoc postulat, ut reliquum liquoris & menstrui abluatur; & hoc edulcorationem vocamus*, Oleum *ut ab aquis separetur, triplici modo procedi potest*: 1. enim filtrum aquâ madefit, sic solummodò aqua transit, & remanet oleum, quippe quod cum aquâ non miscetur: vel 2. & vice versâ Oleum chartæ inungitur, sic oleum solummodo transit, & remanet aqua (sufficit tamen sola decantatio, quâ oleum aquæ supernatans, effunditur) 3. per Gossypium separatur oleum ex vasculo uno in alterum. Estque notanda hîc Encheirisis, alterum vasculum, ex quo filtratio fit, ab affusâ aquâ semper plenum esse debere, ut oleum, quod adeoque supernatet, necessariò gossypium attingat. Præter hæc & pro separatione olei ab aquâ, in usum quoque venit separatorium, foramen ejus inferius angustissimum esse debet, largius verò superius, per quod liquor infunditur, quod ultra medietatem adimpleri debet: unde si non sufficiat aqua, à quâ oleum separare volumus, aliam superaddere possumus, id quod etiam inserviet ulteriori olei ab aquâ separationi. Sic clauso cum cerâ superiori foramine, aperitur deinde inferius, ne tamen effluit liquor, deficit quippè aëris tractus, à cujus impulsu motus est: sed si ad medietatem saltem impletum separatorium fit, sufficit aër, & effluit liquor. Utimur separatorio hocce pro meliori olei ab aquâ separatione, etenim destillatitijs aquis dicam, quamvis oleis cum aquis nulla intercedat affinitas, attamen quædam ipsorum oleorum particulæ aut confusæ nonnunquam cum aquis permanent, aut quadantenus iis assimilantur. Ut adeòque melius separetur oleum hoc in separatorio quiete aliquandiu perstare debet; Sic enim superiora oleum omne petit; quo facto superius foramen aperitur, ac sensim admoto digito emittitur aqua, oleumque ultimò vasculo alio excipitur. Aqua quò minùs lactescit, eò magis ab eâ separatum oleum est. Securitatis gratiâ separatorio, dum in eo quiete perstat liquor, vel supponimus, ut si fortè effluat liquor, excipi ille possit. *Jac. Bernerus in Chym. Philos.*

FILTRUM, vid. *Filtrare.*

FIMUS, vid. *Stercus.*

FIMUS EQUINUS.

E fimô equinô paratur illud Balneum, quod Balneum ventris equini vocatur, dum scilicet vasa materias digerendas continentia in prædicto conduntur fimo, cujus calore leni foventur ac attenuantur.

FISTICI, vid. *Pistacia.*

FIXATIO, FIXARE.

Spectat ad calcinationem *fixatio*, quæ contrariâ est volatilisationi. Chimici enim & fixa volatilia, & volatilia fixa reddunt, pro re natâ. Hinc

1. *Fixum dicitur tùm respectu ignis, tum respectu subjecti mobilis, volatilis.* Ignis quidem, hic enim propellit volatilia, unde quicquid perdurat in igne, id fixum est; quicquid non durat, magis vel minus volatile. Adeoque hoc respectu fixare idem est, ac eò perducere, ut in igne fixum permaneat corpus, nec amplius diffletur. Hujus verò respectu sive subjecti v. g. donantur mercurius, ut non currat & immutetur in naturâ suâ, Alia verò per se sunt volatilia & facilè aufugiunt, ut salia subtiliora, eboris, serpentum, cornu cervi, quod intra paucos dies, etiamsi benè firmetur vitrum, avolat, & liquorem rubescentem post se relinquit; alia ad ignem relata, ut mercurius & similia.

(2.) *Fixatio alia est propriè dicta, alia impropriè; alia secundum quid perfecta, alia absolutè, alia vera, alia apparens.* Sic variæ huc spectant præparationes & mortificationes quoque ☿ij, quæ fixatio saltem est apparens. Mortificatio enim tantùm est dissipatio ejusdem in infinitas atomos, unde patet, quid sentiendum sit de extinctione ☿ij per salivam, quæ longè ad id debilior est, pinguia melius id præstant. Sic figitur fumo Saturni, quatenus ipsi commixtus in amalgama abit, ipsumque corrodit, & concorporatur, ut pulverisari possit, in emplastra mercurialia magno cum usu adsciscendus. Sic etiam metalla sæpè quando videntur jam quasi penitus calcinata: iterum possunt recorporefieri. Sic cinnabaris ☿ij & nativa, si cum ⊖e tartari miscetur & per retortam propellitur, reddit mercurium currentem, & hoc modo, quod arcanum est multorum, sulphur hinc acquiri potest purum. Inprimis verò apparens illa est fixatio ☿ij, quæ vulgò usitata est sub ☿ij coagulari & fixati titulo facta cum viridi æris, in quâ non solùm empirici, sed & ex peritiorum classe multi singulare quid quærunt & sibi persuadent, cum tamen in rei veritate & massa ipsa & inde factitati annuli nil aliud exhibeant, quàm ipsissimum cuprum cum tutiâ colore exaltatum,

(3.) *Fixatio fit vel additione fixorum, vel propulsione & inversione volatilium.* Sic sal ammoniacum fixatur, juxta communem quidem morem, cum calce vivâ; Sic ∽us vitrioli fixatur ⊖le ✱co, juxta *Helmontium.* Sic præstant id quandoque terrea, quandoque acida, quæ inprimis omni volatili sunt contraria. Sic quandoque id fit suffumigatione, ut in scammonio sulphurato, (quæ tamen præparatio non est genuina; castigat enim scammonium, non corrigit;) decoctione, sublimatione, calcinatione, &c. sic fixatur arsenicum cum nitro, cinnabaris juxta quosdam cæmentatione cum sale, ⊖lo, & aceto.

(4.) *Salia volatilia fixantur spiritibus acidis, resuscitantur lixivis.* Utut enim quidam beneficio sublimationis, cum C. C. usto v.g. velint fixare ⊖ C. C. volatile, alij abstractione cum 🜄 frequentatâ; attamen optima est ratio per spiritus acidos, præcipuè ∽um salis rectificatum, qui compedibus injectis ea in album fixorum redigunt, facta hinc abstractione & cristallisatione. Notari tamen id quoque potest, mutatâ volatilitate mutari naturam & vires. Addito verò lixivo, quod acorem seu vinculum destruit, iterum sibi redditur, & conspicua fit volatilitas. *Wedelius.*

Flammula Jovis. vid. *Clematitis.*

Flatus Discutientia, vid. *Carminativa.*

FLOS

Flos est pars plantæ tenuior, colore vel figurâ vel utroque insignis, fructui prævia, eique plurimùm cohærens, & tenello tegendo fovendoque inserviens, quæ postquam explicatur brevi aut decidit aut inarescit. Flos simplex & compositus seu aggregatus, uniformis & difformis, discoides, radiatus, &c. *Rajus.*

FLORES OFFICINALES sunt.

Flores Acaciæ, pruni sylvestris. *Schlehendornblut.*
Amaranti purpurei, *Floramor.*
Anethi, id est, coma seu Umbellæ, *Dillenblut.*
Anthos seu Rorismarini, *Rosmarienblut.*
Aquilegiæ, *Agleybut.*
Basilici, *Basilienblumen.*
Betonicæ, *Betonicke.*
Borraginis, *Borragenbl.*
Buglossæ, *Ochsenzunabl.*
Calcatrippæ, seu consolidæ regalis, *Rittersporen.*
Calendulæ, Galthæ, *Ringelb.*
Caprifolij, Periclymeni, *Specklilien.*
Cartami, Cnici, *Flor, Safflor, Wildsaffran.*
Centaurij minoris, *Tausendguldenbl.*
Cerasorum, *Kirschenbl.*
Chamæmeli seu camomillæ vulgaris, *Camillembl.*
Romanæ, *Romisch. Camillenbl.*
Cheiri, *Gelbe Violen.*
Cichorei, *Wegvveissbl.*
Cyani s. Bapti-seculæ, *Blau Kornblumen.*
Fabarum, *Bonenbl.*
Genistæ, *Binstern - Pfrimmenbl.*
Flor. Granatorum, Balaustia, *Granatenbl.*
Hepaticæ, albæ, nobilis, *Liberkrautblut.*
Hyperici, *Joannisblut.*
Juglandis, *Nussbl.* Juli Juglandis.
Lavendulæ, *Lavendelb.*
Ligustri, *Hartriegel.*
Liliorum alborum, *Weiss Lilienbl.*
Antheræ liliorum alborum.
Liliorum convallium, *Meyenbl.*
Malvæ hortensis, *Minter-Rosen, Maul-Rosen.*
Meliloti, *Steinkleebl.*
Nympheæ albæ. *Weisse Seebl.*
Luteæ, *Selbe seebl.*
Pœoniæ, *Peonienbl.*
Papaveris erratici, Rhæadis, *Klapperrosen.*
Hortensis, *Magsamenbl.*
Persici, *Persigbl.*
Populi, id est, gemmæ seu oculi, *Pappelnospe.*
Primulæ veris, paralysis, *Schlusselblumen.*
Rosarum albarum seu potiùs pallidarum, *Weiss Rosen.*
Damescenarum.
Rubearum.
Salviæ, *Salvveyblut.*
Sambuci, *Holderbl.*
Saxifragiæ albæ, *Steinbrechbl.*
Scabiosæ, *Apostembl.*
Schœnanthi, *Camelhen, &c.*
Siliginis, *Kornlut.*
Spicænardi, *Spicanardi.*
Stœchados arabicæ, *Stechasbl.*
Stœchad. citrin. *Reinblumen.*
Tanaceti, *Reinfarnbl.*
Tiliæ, *Lindenblut.*
Tunicæ, *Grasnaglein.*
Tussilaginis, *Hufflattichblut.*
Verbasci, *Wulkrautbl.*
Violarum matriatum, *Violen.*

Ex his famosiores sunt 4. qui peculiari nomine cordiales dicuntur, Borraginis, buglossæ, rosarum, violarum.

Præparata ferè omnis generis ex floribus compilari queunt, Decocta, Destillata, Electuaria, Infusiones, Unguenta, Emplastra, Tincturæ, Essentiæ seu spiritus ac olea, &c.

N. *Flores qui constant ex parte volatili, vix quicquam vel parum salis exhibebunt, aptioresque sunt ad medicamenta, quæ sine diutina exhalatione parata prostant.*

Vires. : Vires florum etsi in genere describi nequeant, cum pro diversitate herbarum varient: attamen hoc loco notare expedit, recentes esse humidiores, adeoque ferè vi lenitivâ seu laxativâ pollere, quæ marcescentibus cum tempore adimitur.

FLOS ADONIS.

Adonidis floris meminit Ovidius 10. Metamorph. qui Anemone esse à multis creditur; alij huic id nomen tribuunt. Quibusdam hæc verba φλὸξ Theophrasti à floris flammeo igneoque colore censetur; qui inter flores vernos & odore carentes eam recenset.

Vires. Qui flore sunt phœniceo in vino infusos & potos ad dolores colicos & nephriticos leniendos utiles esse experientiâ compertum est. *Rajus.*

Flos Amoris, vid. *Amaranthus.*

Flos Chrystalli, vid. *Axungia vitri.*

Flos Æris, *vid.* Squama Æris sub voce *Metallica.*

FLOS FRUMENTI.

Cyanus à floris colore cyaneo seu cœruleo nomen accepit. Battisecula seu baptisecula officinis olim dicebatur, quæ vox Hermolao à Latino derivata videtur, nimirum à batuo sive bato verbo antiquo, quod percutere & tundere significat, unde Anglicum.... & secula i. e. falx, à secando dicta, unde Anglicum..... à percutiendo scilicet & remorando messorum falces.

Cyanus flosculis in flore marginalibus speciosioribus minusque laciniatis infundibuli formam habentibus à Jacea differt: rectiùs genere cum Jacea convenire statuitur: namque si hanc distinctionis genericæ notam ponamus, duæ tresve duntaxat erunt Cyani species, nimirum vulgaris Cyanus, & Turcicus odoratus.

Vires. Flos hujus ut & aqua stillatitia utilis esse dicitur in oculorum inflammationibus, rubedine, lippitudine. Erysipelati inspergitur pulvis ex floribus unà cum capitibus factus. Ad putrida ulcera valet succus instillatus: Pulvis eorum assumptus Camerario efficax est contra morbum regium: Dos. ℨ. j. Alias multas & ferè contrarias inter se facultates eidem attribuunt: v. g. æstus febriles restinguere adversus venenatarum bestiolarum morsus & puncturas prodesse, quæ frigidum esse arguunt: in palpitatione cordis, in suffocatione uterina prodesse, iis qui ex alto delapsi sunt aut contusi. & quacunque de causa sanguinem concretum intus habentibus utiliter exhiberi, quæ calidum esse suadent. Et revera sapor totius plantæ amarus, & nonnihil acris vis deobstruendi, & purgandi aquas, quam C. Hofmannus sibi compertissimum longo usu esse tradit, calidum potiùs quam frigidum eum esse probant.

Flores in spiritu vini, aut etiam aquâ communi macerati suo eam colore imbuunt, itemque saccharo, elegantem calorem communicant, cujus usus omni periculo vacat. Idem præstant flores Cichorei, Delphini, &c. *Rajus in Hist. Plant.*

FLOS MARIS, vid. *Spuma Maris.*

FLOS PASSIONIS.

Granadilla Hispanis dicitur hæc planta à similitudine fructûs cum malo punico seu granato. Merucuia & Maracoc sunt voces Americanæ, hæc Virginiana, illa Brassiliensis, quibus hæc planta indigenis innotescit, quarum significationem nescimus. Flos passionis cur dicta sit te docebit Jo. Baptista Ferrarius, nimirum, inquit, quòd Divini amoris manu vitalibus inscriptus doloribus sit, qui de similitudine partium floris cum corona spinea, clavis, flagello, reliquisque quibus cæsus, tortus, vulneratus & cruci affixus est dominus Christus fuse rhetoricatur.

Usus. Quando comeditur scinditur transversim (non secundum longitudinem) & pulpa paullùm separatur à cortice, adhærens illis processibus, ac dein unà cum seminibus sorbendo instar ovi tremuli exhauritur.

Quando autem animus est semen colligere & servare, pulpa cum seminibus per linteolum leniter exprimenda, & ita à granis separanda, granaque deinde suis folliculis adhuc inclusa triduo aut quatriduo chartæ imponenda, ut ex parte siccentur, postea summis digitis cuique grano folliculus detrahendus: alias ita glabra sunt ut comprehendi, nec inter edendum ore separari quant. *Rajus.*

FLOS S. JACOBI, vid. *Jacobea.*

FLOS & SPUMA NITRI, vid. *Aphronitrum.*

FLOS REGIUS, vid. *Calcatrippa.*

FLOS SALIS, *vid.* sub titulô *Sal.*

FLOS SOLIS, HELIOTROPIUM quibusdam.

Flos solis dicta planta à novo Orbe advecta, veteribus incognita fuit, recentioribus à similitudine cum sole denominata est, barbulis ambientibus solares radios, disco medio ipsum syderis clypeum referentibus.

A reliquis cujuscunque generis plantis distinguitur florum omnium maximo barbulis umbonem medium coronantibus flavis & cuspidatis.

Nomina. Flos solis *Ger.* Chrysanthemum Peruvianum, sive flos solis *Park. parad.* Helenium Indicum maximum *C. B.* Herba maxima *J. B.*

Caule surgit singulari, brachij crassitudine, decem aut duodecim pedum altitudine in nostris hortis, vicenûm etiam & quatuor referunt alij in solo Hispano incondita per hunc *folia*, Cacaliæ formâ, non item magnitudine, quippè spithamam longa, aut etiam sesquispithamam, haud multò angustiora, acuminata, aspera, hirsuta, in ambitu serrata, pædiculis longis hærentia. Summum caulis fastigium *florem* sustinet unicum, nutabundum, orbiculatum, Helenij simile, sed tam amplum ut facile pedem in diametro colligat, folijs auri nitore luteo micantibus ambitum obsidentibus; disco plano, lato, è plurimis flosculis, obscuriùs flavis, arctè stipatis, quarum singuli singulis insident seminibus, composito. *Semina* oblonga, tumidiuscula & nonnibil compressa nigra (interdum alba) singula singulis alveolis pulchro ordine dispositis contenta, qui seminibus exemptis favum referunt. *Radix* fibris innumeris composita, nec altè in terram descendens, nec tantum ausa promittere germen.

Flos aliquando tantæ magnitudinis ut 2362. semina exempta fuerint.

Flos solis meritò appellatur, quia non solùm effigiem solarem præse fert, sed versùs eum semper caput inclinat.

Flores interdum (& ut Parkinsonus, caulis etiam ad foliorum pediculos) resinam tenuem, pellucidam exsudant, pauca quantitate, Terebinthinam Venetam colore, odore & sapore planè referentem.

Hujus plantæ tres aut quatuor seu species, seu varietates observantur: nimirum, 1. *flos solis major flore singulari, maximo,* Helenium maximum Indicum C. Bauhino dictus, atque hic vel semine nigro, vel albicante seu cinereo.

2. *Flos solis prolifer* seu *ramosus,* C. Bauhino Helenium Indicum ramosum scribit Parkinsonus se in una planta sexaginta interdum ramos observasse, flores in hac specie multò minores sunt quam in priore, multitudo tamen parvitatem compensat. Has duas plantas pro distinctis speciebus admittimus.

3. *Flos solis minor* Ger. C. Bauhino Helenium Indicum medium laciniato folio. Hic non alia in re quam partium omnium parvitate à prima specie differre dicitur, quamvis folia in icone quam exhibent nonnihil laciniata pingantur.

4. *Flos solis minor fœmina* Ger. Helenium indicum minus C. B. his addi potest &

5. *Flos solis minor mas* Ger. quem omittit C. Bauhinus: & pari sane ratione omittere potuit tertiam & quartam species: nam si omnino differant, non aliter quam accidentibus quibusdam ratione cœli aut soli, aut seminis aut temporis sationis differunt. Nam Tabernamontanus, cujus in hoc simia Gerardus est, quatuor quas exhibet figuras pro corona solis, non aliter ab invicem distinguit quàm primam & secundam flore majore à tertia & quarta flore minore.

Usus in cibo & Medicina. Flos hujus plantæ benè repurgatus à foliolis, coctus cum oleo, sale & aromatibus, melioris est saporis quam fagi, Asparagi, cardui, & scolymi, ac ad venerem insigniter stimulat, ut in se ipso expertum scribit *Cortusus,* nec minùs esu suaves & grati sunt pediculi foliorum teneri adhuc in craticula decocti, sale oleoque priùs præparati.

Semina licèt liberaliùs devorata capitis dolorem excitent, pectus tamen leniunt, ardorem extinguunt, & apud aliquas gentes tusa, coacta in panem, assaque frumenti usum præbent. *Hernandez.*

Datur rursus alius Flos solis *cujus*

Nomina. Flos solis pyramidalis, parvo flore, tuberosa radice, Heliotropium Indicum quorundam *Ger. emac.* Helianthemum Indicum tuberosum *C. B.* Battata Canadensis *Park.*

Ab una *radice caules* unus, duo, tres, pluresve exsurgunt, teretes, virentes, striati, asperi, pilosi, duodecim aut interdû sedecim aut amplius pedes alti, crassitudine minore multô quam *floris solis,* medullâ alba fungosâ farcti, *foliis* crebris, nullo ordine positis ab imo ad summum usque cincti, pallidè virentibus, asperis, acuminatis octo circiter digitos longis, decem aut undecim latis, circa margines profundè dentatis, floris solis vulgaris persimilibus, non tamen rugosis nec æque latis, caules ab imo statim ramosi sunt, ramis longis, folijs paulatim magnitudine decrescentibus ab imo ad summum usque: unde planta arbusculæ similitudinem exit in coni seu pyramidis figuram effigiatæ. *Flores* apud nos in summis tantùm caulibus & ramulis nascuntur. Floris solis similes, non tamen majores quàm calendulæ vulgaris, duodecim aut tredecim striatis, cuspidatis, aureo fulgore micantibus barbulis radiati, medium seu umbonem occupantibus flosculis luteis densè stipatis: *Calix* floris è squamis villosis componitur. *Semina* apud nos non perficit, quoniam seriùs post æquinoctium autumnale floret. Caulis plures emittit *radices,* tenues, repentes, (quibus alimentum attrahit) fibrillis tenuibus capillatas, longè lateque se diffundẽtes, inter quas à radice primaria multæ aliæ sobo-

boles tuberosæ excrescunt, glomeratæ, nunc radici primariæ seu matri adhærentes, nunc fibris longis ad pedis ab ea distantiam adnascentes, terram elevantes, & nonnunquam supra ejus superficiem apparentes. Unica Radix triginta, quadraginta, quinquaginta, aut etiam plura non raro producit hujusmodi tubera. Radices hæ tuberosæ foras colore rufescunt, substantiâ seu carne internâ fungosâ candicante, varijs prominentijs gibbosæ, pugni humani interdum magnitudine, parte qua germinaturæ sunt velut in rostellum elatæ. Caulibus marcescentibus radices tuberosæ per hyemem in terra restant & sequenti vere regerminant, raro tamen ante initium Maij. Hæc omnia è Gerardo emaculato transtulimus. Quibus adhuc, quamvis nimis fortè multa nonnullis videantur, caulis floribus onusti descriptionem è F. Columnæ Hist. adjiciemus. Caulis ab imo è foliorum sinubus alternatim hærentium adeò ramis dividitur frequentibus undequaque, ut pyramidem efficiat, decrescentibus ramulis summis paulatim, adeoque floribus oneratur quatuor vel quinque in singulis ramulis, ut obeliscum sive metam rotundam stellatam dicas.

Usus & Vires. Radicum tubera sapore dulci gustui se' commendant, & dulcia sunt, & gratiora (inquit Columna) cruda quàm cocta. Nostrates varijs modis ea præparant, alij in aqua decoquunt & cum butyro & Zingiberis tantillo condita esitant: alij in furno aut clibano cum aromatis, medullâ, uvis passis, butyro, vino Hispanico, &c, massâ farinaceâ involventes coquunt. Quocunque autem modo præparantur (inquit D. Goodyerus flatulentæ sunt, & ventriculo inimicæ; alij autem aliter sentiunt, nec ullam ejusmodi flatus excitandi vim in illis percipiunt aut agnoscunt, *Rajus in Hist. Plant.*

Flos Trininatis, vid. *Jacea.*

FLORES PRÆPARATI.

Flores ex ijs quæ aufugere apta nata sunt, *Mercurialibus, sulphureis & salinis sublimantur.* Flores hoc loco nihil aliud sunt, quam subtiles flocculi, ceu depuratior pars sui simplicis. Uti enim omne humidum igni subjectum, per supra dicta, evaporat in roridas stillas, ita omne humidum siccius evaporat in atomos siccas, id est, sublimatur. Videmus id exemplo culinario & notissimo, scilicet lignorum combustione; quæ humida sunt & volatiliora, in auram abeunt, quæ verò irretiuntur particulis sulphureis terreis volatilia, in camino adhærent, tùm floccorum facie, tùm splendentis picis. Sic sulphur cum accenditur, non perit nec in ignem abit totum, sed in Gas resolvitur acidum, impeditâ verò flammâ, in minima sua dispergitur & recorporescit, si aptum nanciscatur receptaculum; unde flores sulphuris nihil aliud sunt, quam atomi sulphureæ seu sulphur depuratius. Sic camphora si immittatur vitreo vasi, & leni igni exponatur, tota (ne unico quidem, quantum æstimare licet, grano post se relicto) ad vasis summitatem in flores sublimari potest, qui odore, albedine &c. non videntur à camphorâ ipsâ differre, quod observat *Boyleus Chimist. sceptic. p. 20.* Quicquid itaque mobile & vaporabile est, sub specie fumi nempe, principaliter sublimationem subit, ut flos sit spirituosa rei substantia, per sublimationem ex centro & imis partibus extracta, ac in formâ siccâ coagulata, reliqua terrea & grossiora adæquatè, quatenus tunc implicatione reliquorum alas acquirunt, & dissociando reliquas, maximè salinas, volatum promovent.

(2.) *Flores vel salini sunt, vel sulphurei, vel medii.* Salini sunt v. g. flores salis ammoniaci simplices, ac compositi martiales, corallati, & omnia salia volatilia, sub specie florum, quin & arbusculorum & fruticum sublimantur, licet facillimè hinc liquescant. Pertinent ad hanc classem etiam flores arsenici, & mercurius sublimatus, imò ipsum sal commune post perfectam spiritûs destillationem in cornutæ collo sublimatur. Memorandi inter hos inprimis sunt flores nitri, qui à *Mynsichto* describuntur, *armam. chim. p. 26.* dicti ab efflorescentiâ, quâ poros ollæ pertranseunt & leni mollugine visuntur expansi. Idem non minus observatur in salibus ammoniacalibus & medijs, v. g. sale polychesto ex ⊕ spiritus salis Armoniaci Tartarisato, & alijs; quod oras quasi vitri transcendit & totum illud incrustat; ut hinc colligere sit facillimum, salia urinosa volatilia accessu aëris promptissimè aufugere, media efflorescere facilè, fixiora tùm acida, tùm lixiva magis quieta adservari, minusque ad motum solicitari. Sulphurei sunt, à potiori factâ denominatione, flores sulphuris, benzoes & similes. Medio modo se habent cinnabaris antimonij & mercurius dulcis, item flores antimonij & alia.

(3.) *Flores & sublimata magis nomine, quam re ipsâ differunt.* Hinc non adeò opus est, ut aliam sublimatorum, aliam florum faciamus differentiam & classem, nam omnes quoque flores sublimantur seu in altum evehuntur, licet alij magis, alij minus ascendant. Subtiliores nimirum in summitatem seu alembicum elevantur; quidam minus subtiles & paullò grossiores in medio cucurbitæ vel retortæ, ut cinnabaris ♁ij, hærent, quidam planè in fundo sublimantur, graviora scilicet corpora, unde eleganti spectaculo v. g. in floribus salis ammoniaci martialib. visuntur certæ classes, & certa quasi strata sublimationis in ipso fundo cucurbitæ, nobis id *Schichtweise* vocatur, singula suum in usum seligenda. Variat verò tùm secundum hunc sublimationis gradum, tùm diversitatem qualitatum essentialem virtus quoque, uti speciali recensione id patere potest.

(4.) *Flores & sublimata alia per se sublimantur, alia vectore egent & pulsore.* Per se sublimantur flores benzoes, sulphuris, antimonij, camphoræ &c. in his quippe volatilitas facilè à calore exeritur. Reliqua verò minus. Notabile inprimis est, salia vectoris vice in sublimatione fungi, vel domestica & intrinseca, vel extranea. In singulis v. g. recensitis combinatum cum sulphure est sal, in benzoe, sulphure, camphorâ, arsenico, quod expandit sulphur, & alas quasi ipsi conciliat. Tale quoque sal volatile metallicum est in mercurio, qui igne solo subdito totus avolare solet, irretitur verò ipse & sublimatur sale communi, vitriolo & nitro additis, unde corrosivus evadit, & solâ hâc enormi corrosivitate venenum, armatur quippe in spicula, quæ infixa parietibus ventriculi ipsi escharam conciliant ferè immedicabilem, & destruunt penitus ejus machinam. Sic & ex cinco flores fiunt per se in ophthalmiâ utiles, vid. *prax. Barbettæ.* Sic sal ammoniacum additione salis culinarij non decrepitati, quod vulgò præcipiunt citra rationem, sublimatur. Sic ♂, hæmatites, ut & alia corpora fixa hoc vectore in altum adiguntur, unde & aquilæ nomine chimicis venit. Sic ex sulphure communi, & mercurio vulgari, qui salis instar est, fit cinnabaris vulgaris, ubi notabile est, primos hujus inventores mercurium in solem beneficio sulphuris coagulare conatos esse.

(5.) *Flores igne fortiori egent, exceptis floribus benzoes, eoque concluso.* Fluitat quidem sulphur in leviori calore, ast non æque sublimatur, sed opus est pulsore graviori. Hinc flores sulphuris si parandi sunt, cucurbita terrea consultius igni immediato imponitur, non commodè verò in arenam ponitur, imò ex eodem fundamento consultius est, libram unam vel alteram sulphuris imponere simul & semel, quam si parum unâ vice injiciatur, tecto interim

orificio cum tegulâ, nē accēndatur sulphur, ut quidam præcipiunt. Sola quasi benzoe respectivè leniori eget gradu, quia cavendum est in ea, ne comburatur, unde & non adeò magna quantitas hujus recipienda simul est; parantur verò facillimo omnium negotio, indita benzoe in ollulam, tectam desuper pyramide chartaceâ, per vices cum alterâ mutandâ. Conclusus est verò ignis sublimationis secundum maximam partem, ne admittatur penitus & liberè aër, quo facto & flores avolarent, & accenderetur sulphur; non curatè tamen, nec omnino, ut eò promptius ascendant, invitati aliquali aëris patentiâ. Hinc in floribus antimonij parandis id observandum curiosè, si enim nullus planè aëris detur accessus, frustra ferè laboratur. Hinc saltim imponitur capitellum vel alembicus, sive unus, quod in floribus benzoes & salis ammoniaci sufficit, sive plures, quod in floribus sulphuris commodius. Quò longius enim datur evolandi spatium, eò flores copiosiores colliguntur. Par ratio est florum antimonij, qui tamen hodie sensim incipiunt exolescere, datis emeticis antimoniatis correctioribus. Idem hoc in mercurio dulci & cinnabari ☿ij observatur, obturato solùm orificio cum chartâ leviter & negligenter. Notandum tamen, ignem quidem fortiorem paullò requiri, non tamen nimium, nimius quippe calor liquat flores sublimatos, ut confluant, & per alembici oras in furni pomœria defluant, quod contra intentionem est. Item, quod minus prompte evolare materia apta est, eò fortior ignis est necessarius, hinc flores benzoes lenissimum calorem, fortiorem flores sulphuris, hinc flores antimonij, hinc mercurius dulcis, & hinc demum (qui gradus quasi sunt) cinnabaris antimonij fortissimo egent & suppressionis quoque, (ita verò audit, qui ἄνω & κάτω subditur) si id lubeat, igne. *Wedelius.*

Flores in Chymia sunt subtiliores corporis partes, per sublimationem, à crassioribus particulis, sub forma sicca separatæ.

Modus, ut singulis ferè diversus est; ita & in singulis describi postulat.

Usitatiores sunt.

Flores Antimonij.
Cinnabaris Antimonij.
Flores Arsenici Auripigm. sublimatum.
Benzoin.
Mercurij varij, hoc est, Mercurij dulcis.
Salis Armoniaci.
Sulphuris varij. *Schroderus.*

Sequuntur Florum Chymicorum quædam præparationes è Pharmacopæâ Bateana.

Flores Antimonii. ♎a ♁ △e forti, aut per se, aut cum ⁂; vel Tartaro calcin. admixto. Flores albiss. colligantur, usuique serventur. *Vomitum nonnunquam promovent. Dos. gr. 2. ad 4. Sudorifici sunt.*

Flor. Antim. Diaphoret. Fiant ex Flor. ♁ij ☍o 🜂ris irroratis, & Crucibulo clauso calcinatis s. a. *Viribus pollent cum prioribus.*

Flores Benzoini. F. ex ♀re Benz. opt. vasi vitreato indito, desuper ponendo chartam duplicem pyramidatam, & l. △. ♎ando s. a. Flores adhærescentes (chartâ sæpius mutatâ) eximantur. v. *aliter in Pharmacop. Londin. Pulmonici, bechici, ac asthmatici sunt insignes, & Catarrhos sistunt. Sudorem movent. Dos. gr. 5. ad 12.*

Flores Bismuthi. ♃ Marcasit. calcin. & Sal Armoniaci ā., & ♎a s. a. in cucurb. fort. *Cosmetici sunt. celebrati ad dealbandam faciem, cum duplici quantitate Pomati. Conferunt ad cutis Vitia, Lichenes, Impetigines, &c.*

Flores Joviales ♃. ♃. p. i. ☽ p. ij. ♎a s. a. Ablue Flores ▽â calida. *Præstant magnopere in uteri suffocatione, tam intrinsecus quàm extrinsecus adhibiti. Dos. gr. ii. ad vj. repetitis vicibus.*

Flores Salis. fiunt augendo △em post ♌ationem ☍i ⊖is, & ♎ando. Flores collo ☊ adhærescentes colligantur. *Alexiterij sunt. Dos. ad ℈i.*

Flores Salis Armoniaci, F. ex ⊖fusi & Salis Armoniaci, ā. ♎ atis s. a. *Diuretici, & Diaphoretici. Dos. gr. 5. ad 15.*

Flor. Sal. Armoniaci, Martiati, f. ex Marte, & Sal. Armon. ā. ♎atis, Aëri exponendo ♁m, miscendo cum dimid. quant. Sal. Armon. siccando, & ♎ando s. a. *Tollunt perfectè cruditates ventriculi, cum Vino Absinthiaco, aut Decocto sassafras, sudorem promovendo. Optimè valent in Quartana.*

Flores Sulph. Albi. ♃. Lap. prunell. Horis 2. calcinat. in Crucibulo optimè operculato positis, ℥ııı. 🜍 ℥vj. m. ac ♎a △e ⁂æ s. a *Lacti 🜍ris viribus æquivalent. Dos. ℈j. ad ʒß.*

Flores viridis æris. Solve ⊕ in ✛ dein filtra ac crystallisa s. a. summum est mundificativum in vulneribus.

Flores vitrioli. ♎a ⊖ fusi & ⊕li ā. s. a. Inserviunt plagis putridis mundandis, incarnandis, & cicatricibus inducendis.

Flores Zinci, f. uti Bismuthi; easdemque vires obtinent.

FOEMINA, vid. *Homo.*

FOENICULUM.

Fœniculum (græcis Μάραθρον) diminutivum esse videtur à fœnum, quòd quasi fœnum in hyemes arefactum, & marcidum reponatur. C. B. Alij dictum putant quòd satum magno cum fœnore semen reddat. Μάραθρον ἀπὸ τοῦ μαραίνεσθαι à marcescendo, quòd ejus cùm inaruerit ad condienda plurima multus usus sit.

Fœniculum autem folijs in capillacea filamenta divisis, seminibus striatis parvis oblongis ab alijs umbelliferarum generibus distinguitur.

Nomina. Fœniculum vulgare *Ger. Park.* Vulgare minus acriore & nigriore semine *J. B.* vulg. Germanicum *C. B.* item, vulg. Italicum, semine oblongo, gustu acuto *ejusdem.* Item fœnic. Sylvestre *ejusdem.* Hæc enim tria non aliter differunt, quam accidentibus à loco & cultura ortis.

Ex *radice* digitali, aut majore, si ramosior fuerit, rectâ, alba, sapore cum quadam dulcedine aromatico *caulis* surgit tres aut quatuor cubitos altus, rectus, teres, striatus, geniculatus, atrovirens, fungosâ, medullâ farctus, crebris alis concavus. Pediculi ceu vaginâ caulem & ramos complectuntur, quibus *folia* insident in longa, acutissima filamenta dissecta, atrovirentia, sapore dulci, odore suavi, umbellæ *florum* latæ, luteæ, odoratæ. *Semen* oblongum angustum, striatum anisi, nigricans, sapore acriori, minus dulci.

Monspelij & Lugduni sponte passim provenit.

Nascitur enim locis calidis & saxosis. J. B. In Anglia etiam in aggeribus maritimis & clivis cretaceis in extrema parte Cornubiæ, & in Sussexia ad occidentalem terminum paludis Pevenseiæ, reperitur hoc genus in calidioribus regionibus semine dulci, quod J. Bauhinus inscribit *fœniculum vulgari simile, dulce.*

Vires. Si febribus putridis adjunctam malignitatem advertamus, & quæ aperiendo, & quæ discutiendo per

per sudores prævalet, planta vix fœniculo secunda reperietur. Hinc in variolis & morbillis laborantibus decocto fœniculi vel seminis, vel radicum nihil erit salubrius. *Sim. Paulin.*

Seminum pulvis cum saccharo manè quotidie jejuno ventriculo sumptus mirificè visum acuit. Si semen fœniculi aceto infundas, exsicces & cinnamomi tantumdem addas addito Saccharo..... sumendo de hoc fit mirabile in præservando visum, & debilitatem reformando, & in oculis octuagenarijs jam obtenebrato visu, ut incredibile visum sit. *Arnoldus de Villa nova.* Pro Saccharo commodius fortassè esset melle uti. Ad caliginosos oculos nihil hoc semine efficacius, inquit Tragus.

Idem præstat succus foliorum aut radicis, & aqua destillata oculis indita.

Præterea semen hoc ventriculum roborat, nauseam sedat. (At C. Hoffmannus tantum abesse inquit ut juvet concoctionem aliorum semen aut herba viridis, ut ipsum potiùs adjutorio opus habeat.) Hæc ergo de semine sicco accipienda sunt, quod & flatus discutit secundùm tritum illum versiculum.

Semen fœniculi reserat spiracula culi.

Et Medicamentis thoracicis admixtum asthmaticos juvat, & venenis adversatur.

Folia in aqua Hordei decocta lac nutricibus augent. Quin & foliorum aut seminis decoctum dolores nephriticos lenit, urinam movet, calculum pellit.

Radices menses provocant, obstructiones hepatis & lienis reserare, atque ictero mederi traduntur.

Herba tota jusculis & sorbitionibus incocta ad corpus obesum extenuandum utilis esse perhibetur.

Usus. Germina fœniculi tenuiora antequam excaulescant, cum superna radicis particula, unde scilicet emergunt, decisa, cum oleo & pipere mensis secundis adjiciunt Itali & Narbonenses Galli, eodem modo quo Apium dulce. Nostrates folia recentia minutim concisa aceto immittunt pro condimento piscium elixorum in muria asservatorum, ut, v. g. Salmonum, Luciorum, Sturionum, &c.

Ad quartanam & alias febres, ℞. Succ. Rad. fœniculi ℥.iv. cum saccharo dulcoretur, & jejuno propinetur in aurora decem diebus continuis. *Zacutus* qui plurimis in lecto benè coopertis ait sudores plurimùm moveri, alijs lentæ pituitæ screatum, alijs ructus fœtidos & crepitus, facile sed utile vocat auxilium.

Vidit Jo. Crato Med. Cæsareus monachum quendam novem dierum spatio à præceptore suo ex suffusione facillimo remedio curatum, radicibus nempè fœniculi in vino coctis, & decocto oculis applicato. D. Soame ex observ. *Hieron. Reusneri.*

Mulier quædam sentiens ante justum tempus fœtum descendere ad pectinem cum alijs signis abortûs, apposuit anteriori ventris parti sub umbilico, & posteriori usque ad os sacrum cataplasma ex pane tosto cum aceto & pulv. seminum fœniculi: unde statim omnia symptomata cessarunt, fœniculum enim plurimum facit ad prohibendum abortum. *Rajus in Hist. Plant.*

FOENICULUM-ERRATICUM.

Fœniculum Erraticum, seu sylvestre *Bobelio & nobis* à vulgari diversum non est, inquiunt Ebrodunensis historiæ auctores; quibus & nos libenter suffragamur. *Rajus in Hist. Plant.*

Foeniculum Marinum, vid. *Crythamum.*

Foeniculum Porcinum, vid. *Peucedanum.*

Foeniculum Tortuosum, vid. *Seseli.*

Foenum Camelorum, vid. *Schœnanthum.*

FOENUM GRÆCUM.

Fœnugræcum, ità enim in Columellæ & Plinij codicibus, græcis τῆλις, à veteribus pro jumentorum pabulo seri solitum est.

Notæ ejus sunt siliquæ productiores, incurvæ, compressæ, seminibus angulosis, lineâ ab angulo ad angulum depressâ sulcatis, repletæ.

Nomina. Fœnum græcum *Ger.* fœnugræcum *J. B.* fœnum græcum sativum. *C.B. Park.*

Caulem emittit singularem, tenuem, virentem, intus concavum, in alas ramosque divisum, (semicubitum non excedentem *Cæs.*) folia pratensi Trifolio similia, rotundiora tamen ac minora, (majuscula, crenata, modo oblonga, modò latiora quàm longiora J. B.) quæ superiore parte virent, inferiore verò parte ad cineritium inclinant. *Flores* ex foliorum alis exeunt, Lupinorum pares, aut potius minores, subcandidi: *Siliquas* longas palmares & sesquipalmares profert, brevissimis pediculis hærentes, falcatas, graciles, angustas, compressas, mucrone tenui, longo, inani, in quibus *semina* non magna formâ oblongâ, ferè quadrata, flavescentia, odorata (cum gravitate nonnullâ) cavitate quadam singulis oblique impressâ. *Radice* nititur tenui, candida, simplici, lignosa.

Multis in locis seritur, ubi sponte oriatur proditum non invenio.

Vires. Farina seminis (quod solum in usu est) emollit, digerit, maturat, discutit, paregoricum est, ususque adeò famosi, ut cataplasma dictarum intentionum chirurgis vix usitatum sit, quin fœnugræcum vel hujus mucilaginem recipiat. Crebrique usus est in clysteribus emollientibus; mucilaginosâ quippe sua substantiâ obtundit acrimoniam, intestinaque erosa oblinit, insuper conducit ejus mucilago ad oculorum sugillationes discutiendas imposita. *Schrod.*

Decoctum, secundum veteres, quos consule, fœminarum malis plurimis subvenit.

Ad Ischiadem, ℞. fœnugræci in melicrato coct. usque ad dissolutionem q. v. quod deinde contundatur & cum melle iterum coquatur, extensumque super pannum applicetur: confestim juvat & ad podagram, & ad omnem dolorem articularem inquit Bayrius. Hanc observationem inter alias multas à se ex varijs Autoribus collectas ad me transmisit Eruditissimus & amicissimus vir D. Edv. Hulsius, M. D. Londinensis.

Certissimum est fœnugræcum optimum esse ophtalmicum, & notavi in quodam puero, qui post purgationem syrup. foliorum senæ cum tantillo radicis Mechoacannæ sequenti remedio spatio tridui omnino discussam esse sugillationem, adnatæ oculi tunicæ, quam violentior Epilepsiæ insultus invexerat. ℞. pulp. pomorum dulcium ad consistent. pultis in s. q. aq. fœniculi & verbenæ coctæ ℔.ß. agita per setaceum novum, deinde add. mucilag. fœnugræc. aq. ros. extract. ℥.i. Lapidis hæmatitis exquisitè triti ʒ. i. Camphoræ. Tutiæ præparatæ ℈.i. Bol. Armeniacæ parum, Aq. rosac. q.s.f. epithema pro oculis.

Tumoribus mammarum frigidis applicetur farina fœnugræci cum succo Apij mixta. *Rajus in Hist. plant.*

Foetuum Conservantia, vid. *Uterina.*

FOLIUM:

Folium, definiente Jungio, est quod à sede cui adhæret ita in longitunem & latitudinem extenditur, ut tertiæ dimensionis termini inter se differant, hoc est, superficies folij interna seu superior caulem respiciens ab externa seu inferiore. *Rajus.*

FOLIA seu HERBÆ OFFICINALES, *vid.* sub *Titulô Herba.*

FOLIA ORIENTALIA, vid. *Senna.*

FOLIUM INDUM, vid. *Malabathrum.*

FOLIUM LEONIS, vid. *Leontapetalum.*

FOLICULUS.

Folliculus, est theca tenuis, quæ granum, vel semen continet involutum. *Rajus.*

FOMENTATIO.

Fotus est remedium liquidum varijs partibus admovendum, pro varia intentione.

Fit ex decocto radic. herbar. partibus affectis convenientium, aliquando etiam ex oxycrato, lacte, hydræleo, &c.

Liquor in quo fit decoctio, vel est aqua simplex, vel aqua & vinum cùm simul roborandum est, vel lac quando dolor demulcendus, vel aqua fabrorum & chalybeata quando est adstringendum. Additur ad penetrationem acetum in morbis calidis, vinum album in frigidis.

Admovetur æstate cum linteis crassioribus, vel duplicatis: cæteris temporibus cum pannis laneis albis aliquando cum spongijs, aut vesicis bubulis.

Semel aut bis in die fit formentatio, prout urget affectus, & æger obtemperat; manè duabus horis post jusculum, vel statim à sumpto julepo, aut dosi apozematis; vesperè ante jusculum, aut cænam.

Vel

Primò, ad æstus viscerum, & humorum in imo ventre ebullientium temperandum, cum vel sine febre.

℞. Rad. oxylap. ℥. ii. utriusque malvæ, cichor. lact. violar. agrim. an. m. j. semen. 4. frig. mai. an. ʒ. ii. santali citrini minutim secti ℥. ß. rosar. rubr. p. i. Fiat decoct. colat. ad ℔. iii. adde aceti ros. ℥. iv. fiat fotus admovendus toti ventri infimo, cum pannis lineis crassioribus, bis in die tepidule, per horam.

Secundò, ad emolliendum, refrigerandum, aperiendum, & roborandum quando adest durities, tensio in hypochondrijs cum obstructionibus, quod in febribus continuis & intermittentibus ferè semper accidit, & in alijs affectibus sine febre.

℞. Rad. alth. lapati acuti an. ʒ. i. ß. utriusque malvæ, violar. cichor. totius, capill. ven. agrim. an. m. i. semi. althaæ & lini an. ℥. i. santali citrini crasso modo triti ʒ. ß. rosar. rubr. p. i. fiat decoct. colat. ℔. iii. adde aceti ros. ℥. iv. fiat. fotus admovendus toti ventri infimo, &c.

Nota, primò quod in ijs, & similibus decoctis, semper addenda sunt specifica roborantia, quæ Gal. in Arte parva docet esse spirituosâ substantiâ prædita, & vi quapiam adstringente, ad temperiem & tonum partium conservandam; quæ remedijs alterantibus, & laxantibus dissolvuntur. Talia sunt santalum citrinum, rubrum, rosæ rubræ, absinth. cinnam. spica nardi, & similia. Frigida in calidis, calida in frigidis affectibus usurpanda.

Secundo nota fomenta non esse admovenda, nisi post præmissa universalia, alioquin fundendo humores, eos movent in partes infarctu, aut obstructionibus laborantes, aut flatibus ventrem distendunt, dum humore crassi præ copiâ fermentantur, & non transpirant; aliquandò etiam febrem fusis & agitatis humoribus excitant; unde dicitur, impura & plena corpora non esse balneanda, neque fovenda.

Tertiò, Ad adstringendum in morbis, in quibus alvus laxior est, ut in diarrhœa, cholera, dysenteriâ, profluvio menstruorum, fluxione hæmorrhoidum, &c.

℞. Radic. bistort. torment. pentaph. an. ℥. i. fol. cich. cum toto, agrim. plantag. equis. bursæ past. & verbasci an. m. i. santali rubri crasse triti ℥. i. rosar. rubr. balaust. an. p. i. fiat decoctio ad ℔. iii. addendô sub finem, vini rubri austeri, & aceti ros. an. ℥. fiat fotus admovendus, &c. detrahe vinum, si fluxus sanguinis adsit, aut febris & æstus viscerum insignis.

Aliquando cum alvi, aut sanguinis profluvio, ut notatum est supra cap. de hystericis, adsunt infarctus in hypochondrijs cum viscerum obstructione, tunc sociandæ sunt indicationes, & miscenda cum emollientibus & aperientibus adstringentia. Ea debent prævalere, quorum indicatio urgentior est.

℞. Radic. oxalid. pentaph. an. ℥. ii. malvæ, cich. totius, equiseti, agrim. an. m. i. sem. portul. paliuri an. ʒ. iii. santal. rubri ℥. i. rosar. rubr. m. ß. fiat decoct. colaturâ, addito aceto rosato ad ℥. iv. foveatur totus venter inferior, &c.

Quartò, Ad emolliendum, & discutiendum in colicis doloribus, alijsque morbis à flatu, aut causâ frigidâ.

℞. Rad. alth. calami aromar lan. ℥. i. ß. malvæ, calament. puleg. marjoran. & summit. anethi an. m. i. florum chamom. melil. an. p. i. fiat decoct. in aqua fontis, addendo sub finem vini albi ℥. iv. Colaturâ foveatur, &c.

In dolore pleuritico, nephritico, aut alterius partis; ex emollientibus, anodynis, & resolventibus.

℞ Rad. alth. & lilior. an. ℥. i. fol. mal. utriusque, violar. pariet. an. m. i. semin. lini, & fœnug. an. ℥. i. florum chamomill. & melil. an. p. i. fiat decoct. colaturâ foveatur latus dolens, vel regio lumborum vel alia pars affecta tepidè cum pannis lineis, vel cum vesica bovis, bis in die, superilliniendo cum oleo amygdal. dulcium, vel linimento appropriato, vel insuper admovendo cataplasma, prout expedire videbitur.

In dolore & calore acuto fiat fotus cum vesica lactis tepentis semiplenâ.

Embroche differt à fotu, quod ejus materia ex alto irrigando affundatur, aliquando etiam admovetur ad modum fomenti.

Usus est.

Ad temperandum capitis ardorem, somnum conciliandum in febribus ardentibus, phrenitide, mania, omnique insigni delirio.

℞. Fol. viol. lactuc. solan. beton. an. m. i. sem. alth. & papav. albi an. ʒ. iii. flor. viol. nymph. an. p. i. fiat decoct. Colatura foveatur sinciput derasis capillis, bis in die, vel utere solo oxycrato.

In apoplexia cæterisque soporosis affectibus, in causa merè frigidâ.

℞. Rad. zedoar. ireos Florent. an. ℥. j. fol. beton. salviæ, rorismar. marjor. an. ℥. j. baccar. lauri ℥. j. ß. florum stœchad. p. i. Fiat decoct. in aquis partibus aquæ & aceti, colaturâ utere pro fomento cum spongiis vel linteis, præmissis universalibus.

Iis accedit fotus ille, qui dicitur siccus, qui fit cum sacculis, in quo includuntur herbæ, & aromata convenientia, maceratur in vino rubro, aut alio liquore.

Usus est

In

In alvi fluxu, cholera, dysenteriâ, dum partium naturalium vires, & tonus dissolvuntur.

♃. *Radix cyperi & calam. aromat. ad. m.j. cinna. nucis mosch. & caryoph. an. ʒ. ii. rosar. rubr. p. iii. fiant duo sacculi interpuncti, macera in vino generoso, & vicissim tepidè applica per horam supra umbilicum manè & vesperè.*

De Lotionibus.

Lotiones sunt quædam fomenta, quæ pro diversis partibus, & scopis variè componuntur.

Primò, pro capite, ulceribus, tineâ, & pediculis scatenti.

♃. *Radic. ireos flor. & enulæ camp. an. ℥. ii. folior. absinth. salviæ, beton. & abrotani an. m. i. semin. staphisag. urticæ, & sulphuris vivi an. ℥. ß. summit. centaur. min. stœchad. an. p. i. Fiat decoct. in æquis partibus aquæ & vini rubri vel in lixivio sarmentorum, colatura foveatur, caput mane calidè, postea exsiccetur, & unguento appropriato illiniatur.*

Secundò, pro pedibus roborandis in cachecticis, arthriticis, &c.

♃. *Flor. salviæ, rorismar. & absynth. an. m. i. flor. salviæ & rosar. an. p. i. salis & aluminis an. ℥. ß. fiat decoct. in aqua & vino pro lotione pedum manè & vesperè.*

Tertiò, ad summum conciliandum urgentibus vigilijs, in delirio, phrenitide, &c. tum & insanis.

♃. *Flor. malvæ, violar. lact. & solani an. m. i. capit. papaveris albi m. i. ß. nymph. m. ß. Coquantur in oxycrato, colaturâ foveantur pedes irrigando manè & vespere horâ somni. Tencke.*

Sequuntur Fotum aliquot formulæ in varios usus ex variis Autoribus & 1. Fotus è Pharmacopœâ Bateanâ.

Fotus Arthriticus.

♃. *Salv. rorism. chamam. artemis. hyperic. abs. vulg. ana m. iv. ⊖ nigr. m. iii. coq. in* ▽. *cong. iii. ad ii. f. colat, pro fotu. Pharm. Batea.*

Fotus Scorbuticus.

♃. *Artemis. hyperic. cochlear. utriusque, chamæpit. ana m. iii. abs. com. & rom. an. m. iiii. rorism. m. ii. rad. raph sylv. ℥. iv. coq. in* ▽ *s. a. pro fotu. Pharm. Bat.*

Fotus ex Joa. Michaelis operibus.

In Ulceribus Capitis.

♃. *Fol. beton. m. ii. flor. chamomillæ m. i. ß. herb. origani cere fol. majoranæ, anet. an. m. i. flor. salviæ, stœch. arab. an. p. ii. anthos p. i. rad. aristol. rot. ʒ. i. ß.*

Incisa grossò modò. D. S. species possunt coqui in vinô, vel quod melius est, infundi & ita applicari cum linteô duplicato: vel possunt fieri sacculi aliquot.

Fomentationem egregiam habet Schmuck.

In delirijs egregium quoque lenimentum fit ex anagallide.

In Dolore Lateris.

♃. *Flor. chamom. m. ii. melilot. papav. rhœad. malvæ an. m. i. rad. alth. lil. albor. an. ℥. ii. sem. lini, fœnugræci an. ℥. i.*

Incisa & contusa grossò modô D. ad chartam. possunt coqui in lacte vel inde fieri sacculi duo.

Pro Ventriculo.

♃. *Herb. menthæ m. ii. puleg. meliss. calaminth. summit. absith. an. m. i. flor. rosʃ. rub. m. ß. rad. calam. arom. ℥. ii. mastich. ʒ. iii. nuc. mosch. n. ii. macis caryophyll. an. ʒ. ii.*

Incisa & contusa grossò modô D. S.

In Dolore Colico.

♃. *Flor. cham. m. iii. summit. anethi m. ii. fol. lauri herb. menthæ an. m. i. rad. angel. ℥. ii. Zedoar. galang. an. ℥. ß. cort. aurant. ʒ. vi. Bacc. juniperi m. i. lauri ℥. i.*

Incisa D. potest inde fieri sacculus & adspergi cum 🜄 carminativô vel oleis destillatis carvi, cumini &c. vel coqui in vino & ita applicari.

Fotus adstringens in affectibus uteri, in amissâ virginitate & post partum.

♃. *Fol. plantag. myrthi rosʃ. rubr. an. m. i. flor. balaust. p. ii. cort. granat. ʒ iii. cupul. glandium ℥ ß. sem. myrtill. plantag. an. ʒ i. O ʒ vi.*

Incisa & Contusa

D. S. *Eusserliche* Species cum sacculô applicandæ.

In dolore post Partum.

♃. *Herb. artemis. rubr. m. ii. matric. puleg. flor. chamon. an. m. i. cheiri alth. an. p. iii.*

Incisa D. S. *Eusserliche* Species *aufzulegen.*

Fiat inde sacculus Pubi applicandus.

Si metus suffocationis uteri, potest addi radix bryoniæ.

In Pedum tumore ab ▽ vel vapore.

♃. *Baccarum lauri, Aluminis rochæ, thuris an. ℥. ß.* 🜍 ʒ ii.

Bulliant in lib. ij. ▽ pluvialis ad ℥. partes. Hâc ▽ madefiat pannus, qui imponetur pedibus. Antequam autem eâ utatur, excipiat vaporem ex decocto harum herbarum.

♃. *Origani Absinthij artehemis. an. mj. coq. in aq. partibus vini A* ▽ *& vaporem excipe pedibus mane.*

Fontalis, vid. *Potamogeton.*

FORMICÆ.

Formica (vel *à forandis micis*, vel quod *ferat micas* farris; *ut Virgil.* 4. *Æneid.*

Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Cum populant, &c.

Vel forte à græco μύρμηξ; modum explicante *Caninio*, qui docet, Æoles, quos Romani inprimis imitantur, pro μύρμηξ dicere βύρμηξ, atque obliquo βύρμακα, solitos esse, μ in β mutato. Quod etymon summoperè arrisit *Vossio*)

Animalculum est parvum, fugax, laboriosum, nulli imperio subditum; corpusculo gracili langiusculo; cujus capitulo antennæ, ceu exploratoria filamenta, prætenduntur. *Ocelli* ad latera nigri, tantæ subtilitatis, ut visum nostrum fere effugiant. *Denticuli* bini, introrsum adunci, forficulam veluti, qua cibum apprehendit, constituunt, *pedunculi* ex pectusculo nascuntur seni. *Venter* adiungitur crassior. Omnis generis succos appetunt, quos partim in plantis quærunt; partim ex fructibus exugunt. Mel mire appetunt, unde apibus insidiantur. Eadem semita ambulant. Luna plena laborant; interlunio quiescunt. Formicarum respublica non videtur ad Monarchiam, sicut apum, pertinere; sed ad eas quæ populariter administrantur, & quarum gubernatio Democratica aut Aristocratica nuncupatur. Nullus enim illis Rex; nullus præses, omnes ex æquo cives, pro opportunitate temporum, aut præesse, aut subesse solent, servatis institutionis suæ reipublicæ ordinibus: attamen omnes, ut veri cives solent, omnia ad communem utilitatem agunt, maxima solertia.

Harum variæ constituuntur *Differentiæ.* Nam ratione *Quantitatis*, aliæ sunt *magnæ*, quales in novo orbe reperiuntur, (apud. Bragmanas palmaris esse longitudinis, scribit *Scaliger*, *Exercit.* 367. & in

Nova

Nova Hispania Scarabæos æquant:) qualesque sunt etiam apud nos formicæ majores *Herculaneæ ἱππομύρμηκες*, quibus isthmus exiguus, longiusculus, gracilis, utrinque extremitatibus crassiusculis: aliæ *parvæ*, ratione *loci*, aliæ *Indicæ*, *Brasilienses*, *Philippinæ*, aquilonares, &c. ratione *effectus*, aliæ sunt *innoxiæ*, aliæ *venenatæ*, quales *lacertas* vocat *Telephus Cretensis*. Ratione coloris, aliæ sunt *albæ*, aliæ *nigræ*, &c. Ad hæc aliæ *impennes*, aliæ *pennatæ*. *Charleton.*

Officin. nat. ex formicis referente Schrodero ab Hofmannâ annotatô.

1. *Formica.* 2. *Ova.* 3. *Acervus.*

Vires.

1. *Formicæ* calfac. & siccant. Venerem proritant. Odor acidus mirè spiritus vitales reficit. Formicæ majores [Herculaneæ] psoram, lepram & lentiginem sanare dicuntur, (adjecto sale exiguo tritæ & illitæ.)

2. *Ova* ad aurium gravitatem faciunt, malas hirsutas pueris infricata corrigunt.

3. *Acrevus*(*Myrmecium*) calf. & siccat, nervosum genus roborat. Hinc usus celebris in paralysi, arthritide, hystericis affectib. cachexia & simil. (*lotione adhibitus.*)

[N. *Inveniuntur in acervis frusta odore Thuris*; (*Wald-Weyrauth, particulæ Resinæ ex abiete & Picea*) *in Norwegia, & Germania, & pro fumo adhibentur.*)

Præparata.

1. *Oleum* ex infusione formicarum (præstant alatæ) in ☿ comm, ☌ 4.

Vires. Valet ad coitum.

2. ▽ *stillat. Magnanimitatis dicta.*

3. *Liquor* fit in clybano ad modum, quo liquor lumbricorum.

Vires. Insigne est ophthalmicum suffusioni oculorum auxilium.

Hofman. Formic. 1.) Colligendæ sunt *formicæ* Luna crescente circa solstitium æstivale in Junio die serenâ in cucurbitam, in qua frustum casei repositum, ubi sufficientem earum copiam habueris, baculo exime acuto caseum & superfunde sp. vini ad trium digitorum eminentiam ac destilla. Destillatus spiritus iterum affundatur formicis & denuò destilla lento igne per Aren. vid. thesaur. nostrum Pharmaceutic. sect. 1. nu. vi. & num. xxix.

Vires.) Valet in capitis affectibus, memoriam confortat, externè commendatur in arthritide vaga, item atrophia, ad excitandam venerem.

N. *Acervus formicarum* sacculo inclusus & in insessu adhibitus nervosum genus roborat, unde in arthritide vaga, paralysi, &c. convenit.

FORNAX, *sive* FURNUS. *vid.* sub titulô *Ignis.*

FOSSILIA

Fossilia dicta, quod major eorum pars fodiendo è terrâ eruatur. Ab aliis mineralia vocantur, qui fodinas *Minas* volunt appellatas, & venas *mineras*. Metallica etiam à quibusdam, à potiore specie, Metallis nempe.

Horum propagatio non minùs admiratione digna est, quam vegetabilium & Animalium; est enim multiplicativa, & regenerativa, (detur verbis venia) ut cuiq; in rebus subterraneis seu fossilibus versato notum est; hæc etiam causa fit quod quanquam formæ externæ fiat mutatio, ut in liquore, pulvere, vitris, &c. in metallicum nihilominus, nullo negotio redigi possint, ut in Mercurio, Auro, Antimonio, &c. videre licet; stupenda sanè & incorruptibilis natura; plantis & animalibus non concessa; homo ipso metallo vilior.

Fossilia multifariam dividuntur ab Auctoribus. *Dioscorides* omnia subterranea Metallica vocat. *Avicenna* quatuor statuit, Lapidem, Metallum, Sulphur, Sales. *Albertus Magnus* tria, Lapidem, Metallum, & media mineralia, quo nomine reliqua omnia accipit, quia mediam quandam naturam inter lapidem & metallum habere videntur. Alij omnes divisiones reprobant præter lapidem, & Metallum. Quidam sunt pro solâ terræ, & succo concreto. *Wormius* fossilia dividit in media Mineralia, Lapides, & Metalla; Media Mineralia illa vocat, quæ mediam quasi naturam habent inter lapides & Metalla; hæc rursum sunt vel Terræ, vel sales, vel sulphura, vel bitumina. Divisionem fossilium uberiorem v. in *Tabulâ Swenckfeldi* præfixâ *lib. de fossilib Silesiæ.* Dale.

FOTUS, vid. *Fomentatio.*

FRAGARIA.

Fragaria à fragro Latinis dicta videtur, quia hic fructus optimi odoris est. Vossius ita dictum existimat potiùs à *fragilis*, unde *mollia fraga* dixit Ovidius Metamorph. 13. Nobis prius Etymon magis placet. Fructus hic græcè est μιμαίκυλον, quæ tamen vox latiùs patet, & ad Arbuti fructum significandum extenditur. Fragariæ notæ characteristæ folia venosa, in singulis pediculis terna, fructus molli esculenta pulpa constans seminibus exteriùs adnascentibus, odore fragranti, cauliculi reptatrices.

Vires & usus. Fraga refrigerant & humectant, venenis resistunt, picrocholis conveniunt & siticulosis, sed copiosiore cibo caput tentant & inebriant (inquit Cæsalpinus) quod tamen nos qui copiose satis ea multoties ingessimus, nunquam expe[r]ti sumus, habent quidem saporem vinosum etiam non affuso vino, verùm debilem. Ideo tamen à copiosiore eorum u[s]u abstinendum, quia in ventriculo putrescere apta sunt. Nec sola comedenda sunt sed cum saccharo & vino ad frigiditatem & humiditatem illorum corrigendam, ut nostrates facere solent.

In Gallia alicubi, teste Bruyer (& in Anglia etiam passim) comedunt cum lactis cremore; qui præstat, inquit, id quod vinum: Nobis aliter videtur.

Aqua fragorum destillata cor confortare dicitur, vicia Thoracis expurgare, morbum arquatum discutere, sanguinem purgare, ulceribus oris & Anginæ auxiliari gargarisatu, calculum renum comminuere; alia etiam juvamenta præstare, si Trago credimus.

Qui ex calida intemperie habent faciem pustulosam, quin scabiem vel in toto, vel in parte siccam & pruriginosam, singulis diebus manè h[a]uriant ejus ℥ j. præter propter. Idem calculosi jubentur facere. Nam & refrigerat renes & arenulas abstergit. *Casp. Hofm.* Ad *Calculum* fraga matura in phialam aqua ardente optima plenam conjicito, post horas quadraginta circiter colata, & rursus nova in eandem aquam ardentem injicito, ac sic relinquito optimè tecta ac munita ne aliquid expiret. Prima autem fraga quæ post colaturam supersunt per linteum validè exprimere poteris, & expressum etiam liquorem seorsum servare. Cùm uti voles, ter aut quater in mense cochlearium plenum sumes manè, & addes pulverem de saccharo cando. Gratum, probatum, efficacissimumque hoc remedium est, quod ultra vingi annos calculo conflictati, præ cæteris omnibus, quæ innumera eis diversi medici præscripsere, Gesnero commendarunt, *J. B.*

Herba refrigerat & siccat moderate. Sapore cum sua radice est amaro, cum evidenti adstrictione. Diuretica est, usûsque crebri in ictero; ut & in gargarismis & balneis, in cataplasmatis &c. ad sistendos sanguinis fluxus, ad dysenteriam, ulcera sordida purganda, ad Catarrhos & destillationes cohibendas.

Hujus decoctum cum tota (ut loqui amant Medici) hoc est, plantæ integræ cum foliis, radicibus & flagellis, optimo cum successu Ictericis propinatur, vel seorsim, vel alijs huic malo medicamentis appropriatis admixtum. M. Rulandus post corpus extract. Esulæ purgatum illud præscribere solebat hac formula.

℞. Fra-

℞. *Fragariæ m.* III. *passularum exacinatarum ℥. iii, bulliant in aq. fontan.* ad sufficientiam & bibe. *D. Hulse.*

Vidi (inquit C. Hofmannus) in eo qui copiosiùs comederat fraga multas illarum particulas in matula ut renes putarentur colliquari. *Rarum hoc & incredibile.*

Idem asserit fragariam præstare egregium diureticum in febribus colliquativis, cum volumus aquam abdomini infusam & hydropem mentientem ad renes derivare.

Incerto autore doctus sum fragariam in vino rubro coctam, & aliquoties pubi & pectini impositam instar cataplasmatis fluxum album mulierum sistere; quod etiam in pollutione nocturna, & gonorrhœa non virulenta efficacissimũ comperi. *Sim. Paulus.* G. Fabricius Hildanus cent. 5. obs. 38. cujusdam feminæ mentionẽ facit, quę post esum fragorum, jejuno adhuc ventriculo, horrendis symptomatibus statim vexabatur, ut lipothymiâ, vertigine, hypochõdriorum intumefactione, dolore ventriculi, &c. sed hic notandum est fœminam comedisse hæc fraga cruda & illota, sine vino aut sacharo. Ego planè censeo has fruges venenatas fuisse ab urina, saliva, aut halitu serpentis vel bufonum, quæ fragis summoperè delectantur: vel fortè (ut rectè *D. Tancredus Robinson* qui observ. transmisit) insectum aliquod succum quendam noxium & venenosum ijs insperserat.

Sunt qui ex fragorum solo odore in animi deliquium incidunt, ut Nosocomij præfectus Eslingiæ. Virgo quædam Austriaca ex esu fragorum epileptica facta est, atque exinde quotannis tempore quo efflorescunt paroxysmo obnoxia est. *Rajus in Hist. Plant.*

FRANGULA, vid. *Fragaria.*

FRAMBESIÆ, vid. *Mora.* item *Rubus.*

FRANGULA.

Frangula Arbuscula cujus Nomina sunt Alnus nigra, baccifera, *C. B.* I. frangula, *Matth. Dod. Lob Cam.* Alnus baccifera, *Tab.* Arbor fœtida, *Lrn. Trag.* Avornus *Cresceneiò.* Ger. *Faulbaum, Zaffholtz. Black Alder-Tree (Dog-Berry Tree, Sugar Chest, Butcher-prick Tree. Stincking Tree. Sporckel-hout, Pylhout, Honts-boom.* Latinis autem *Frangula* eò dicitur quod facillimè frangatur.

Officin. Nat.

Cortex interior potissimùm radicis.

Vires. Purgat humores noxios omnes, maximè serum, tàm per vomitum, quàm per secessum, idque sat violenter, Eà propter corrigi solet Cinam. Zinziber. sem. anis. fœnic. & sim. Extrinsecus, coquitur cum butyro, ad scabiem & similes morbos [Prima germina cocta in aqua calidè imposita ad Odontalgiam prosunt.]

Dosis ad ʒii.

N. Rusticis familiare exhibet purgans in hydrope & sim. morbis.

FRAXINELLA.

Fraxinella à foliorum cum fraxineis similitudine dicta est.

Folijs fraxini, floribus in spica speciosis, seminibus magnis nigris splendentibus ab alijs plantis discernitur.

Nomina. Fraxinella. Officinis Dictamnus *J. B.* Dictamnus albus vulgò sivè fraxinella *C. B.* fraxinella *Ger. Park.*

Radices candidæ sunt, varióque implexu multifidæ: unde emergunt quotannis *scapi* plurimi sesquicubito proceriores, hirsuti, rubescentes, (in ea tamen specie quæ florem album profert pallidè virides) medullâ multâ farcti; folijs vestiti nullo ordine positis, alatis, tribus vel quatuor pinnarum conjugationibus ad costam annexis cum impari in extremo costam terminante, fraxini similibus, supernè atro-virentibus, infernè dilutioribus & splendentibus, laurinis æqualibus, crenatis. In summis scapis *florum* thyrsi pulcherrimorum ex intervallis positorum, odore gravi, folijsquinque ex albo purpurascentibus, strijs saturatioribus notatis, aversaque parte nonnihil hirtis constantium, fibris longis recurvis, denis numero, purpurascẽtibus, subq; apicibus luteolis ex purpureo herbidis, minutis micantibus granulis atrò purpureis, respersis, medium obsidentibus, unà cum stylo pentagono *pericarpio* insidente, quod in plures siliquas seu thecülas dividitur. *Semen* nigrum, lucidum, paulo majus quàm Milij solis.

In præruptis montium Rheno flumini vicinorum hanc non semel observavimus, floret Junio.

Vires Radix (quæ sola ferè in usu est) cardiaca & alexipharmaca censetur, contra pestilentiæ contagia utulis, quoquo modo sumpta. Autoritate Matthioli valet adversus venena & venenosorum animalium ictus. Necat interaneorum vermes drachmæ pondere hausta. Datur contra frigidos uteri morbos: nam & menses & urinam movet, partum adjuvat, secundinas & emortuũ fœtum educit tum suppositā, tum cùm Pulegio suffita, tum ex vino meraco ʒ ii. pondere pota. Valet quoque ad alvi torsiones, & ad ejciendos renum calculos.

Additur quoque utiliter in potionibus internorum vulnerum. Datur comitialibus & alijs cerebri affectib.

Aquam destillatam pro Cosmetica habent Romanæ mulieres, & utuntur in inflammationibus oculorum. Ex his apertum est neutiquam posse esse succedaneum veræ dictamni (inquit Casp. Hofman.) verùm cum acris sit & amara, non video cur non eadem possit præstare quæ dictamnus.

Siliquæ & flores contactu pruritum faciunt, & in cadilioribus regionibus cutim exulcerant. Variat flore colore alba. *Rajus in Hist. Plant.*

FRAXINUS.

Fraxinus græcis Μελία & μελίη, τελζος etiam cognominatur, i. e. trinodis, quod ramos ordinatos & numero pares habeat. Latini nominis Etymon probabile apud grammaticos non invenio: nam à *frago* dici, quod in fragosis locis nascatur; aut à φράξις *sepimentum*; quod ad sepes conficiendas utilis sit minùs placet.

Fraxini notæ sunt folia pinnata, folliculi membranacei oblongi, semine extremum inferius seu quod ad pediculum est occupante, non ante Autumnum maturo; flores staminei congesti, ante folia erumpentes; & brevi evanescentes.

Vires fraxini semina contrita & cum vino pota urinam ducunt *Hipp.* Cortices fraxini in vino coctas per triduum daporcello, & in quarto die occide ipsum & (si credere fas sit) non invenies splenem, Gal.

Foliorum fraxini olim usus fuit pro pabulo boum & caprarum: siccant validè, curantque ictus serpentum, si veteribus fides. De antipathia inter serpentes & hujus arboris ramos foliaque mira refert Plinius, quæ quoniam se expertum affirmat adscribere non pigebit. *Tanta est vis,* inquit, *ut nè matutinas quidem occidentes-veumbras quum sint longissimæ, serpens ejus arboris attingat, adeò eam procul fugit. Experti prodimus, si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potiùs quam in fraxinum fugere serpentem.*

Idem etiam se expertum prodit Ambrosius Paræus. At Camerarius contrarium se expertum scribit in serpentibus germanicis: & D. Charas in observ. & experim. de viperis non ita pridem gallice editis asserit se facto circulo è folijs fraxini, qui habuerat circa tres pedes diametri viperam vivam in eum immisisse, quæ folia (ut videtur) nihil verita, illico sub ijs sese occultatum ivit. Vel ergo deceptus erat Plinius à magico quodam impostore, vel aliam arborem intelligit.

Cortex & lignum fraxini siccant & attenuant, lienis duritiem specificè emollire creduntur, unde & in poculis ex ligno factis si quis assiduè bibat lienem exte-

extenuari aiunt, eoque nomine & corticis decoctum quidam exhibent: quo etiam aliqui vice ligni Guaiaci felici successu utuntur. Corticem medianum fraxini in exteris regionibus in febribus intermittentibus frequenter præscribi observavit D.T.R. eundem & in Anglia cum successu exhiberi audivisse retulit idem, in observationibus nobis communicatis. Foliorum & summitatum seu surculorum teneriorum succus quotidiè manè paucâ quantitate potus hydropicis conducere dicitur: Sal fraxini sudores movet; diureticis mixtus: idem efficit & decoctum corticum.

Semen, *Lingua avis* dictum, calfacit & siccat validè; conducit hepaticis, pleuriticis, calculosis. Chymici moderni, & præ alijs Glauberus, ad calculum renum & vesicæ conterendum miris illud præconijs extollunt, cum nucleis Pistaceis, pinis & saccharo comestus coitum juvat. Exiccati post plenam maturitatem pulvis non ad calculum tantùm, sed etiam ad icterum & hydropem remedium est præstantissimum, attestante D. *Bowle*, Medico Insigni.

Semina fraxini ad ʒ. i. cum vino ex Plinio hydropicos curat, & corpore obesos ad maciem reducit: Arabibus etiam maximè commendatur. Epiphanius Ferdinandus historia 81. D. *Hulse*.

Semina fraxini viridia, seu potiùs fructus collecti ante maturitatem in Angliâ muriâ ex aceto & sale condiuntur pro acetario. *Rajusin Hist. plant.*.

Aqua è Fraxinô per incisionem eô præcipuè tempore quâ Sol Leonem subintrat peractam, prolecta, ac postea destillata, magnarum est virium; commodè enim externè adhibetur in omnibus vulneribus; si post eorum cum prædictâ aquâ electionem, linteô mundô eâdem imbutô obvolvantur, idemque ter de die repetatur. Valet præterea intus assumpta in Dysenteriâ, in torminibus ventris & flatulentiâ. Aqua autem hæc dum recens est bonum spirat odorem ac fortem cum aliquali fragrantiâ quæ sensim per asservationem evanescit. Fraxinus maturiùs forsan quàm alia quæcunque apud nos arbor succum suum, seu aquam per incisionem emittit, nam ante Martij finem fluere potest; sylvestris autem succus scorbuticis ac spleneticis non parum conferre certissimum est experimentum. Nec ejus vis ignota fuit veteribus, *Quintus* etenim *Serenus Sammoniacus* liquorem ex accensô fraxini lignô exudantem in aurium doloribus his verbis commendat.

Cùm sævus teneras dolor altè sauciat aures,
Fraxinea in flammis fundit quem talea, succum
Instilles.

In penis etiam pustulis aquam valere, item in perinæô in primô partû laceratô, si, ut supradictum, ex linteô eâ non parcè imbutô frequentius adhibeatur, asserit D. *Samuel Ledelius* è quô præcipuè hæc omnia attulimus, qualia scil. ab eô enarrantur *Miscell. Curios. Dec. ii. Annô vi. observat. 26. & 66.*

FRITILLARIA.

Fritillaria à tabulâ Scaccariâ seu abaco in quo Scaccorum lusus exercetur, quem fritillum dici existimant, nomen accepit, verùm fritillus non est propriè tabula Scaccaria, sed vasculum aleatorium seu pixis cornea ligneave turriculæ aut infundibuli specie, è qua mitterentur aleæ vel tesseræ in tabulam ad cavendam fraudem.

Gesnero & alijs *Meleagris* dicta est, à Meleagridis avis plumis, quas si non coloris specie, tamen varietate & dispositione, & macularum magnitudine refert. *C. B.*

Meleagridis *notæ* sunt radix in duas velut partes divisa, Morisono è duabus velut magnis squamis composita; filos tulipæ æmula, deorsum nutans vel pendula, maculis quadratis tabulæ scaccariæ in modum pictis.

Vires. Odore fritillariæ quam Clusius Aquitanicam vocat hæmorrhagiam in juvene Belga suppressam observavi Lugduni Batavorum. Est verò teterrimi odoris, cui similem putidissimum ovum spirat. *S. Pauli Quadritot. Class. 2. p. 83.*

Fritillariæ flos (autore *Paul. Renealmo*) non tantum ardentibus frebribus confert, sed & sedandæ siti ex hujus succo fit unguentum ad carcinomato sa ulcera præstantissimum. Vim prætereà hic flos roborandi cordis & cerebri non parùm possidet, meconijque (ut me docuit experientia) malignitatem infringit. Aqua, ut decet, destillata oculorum inflammationibus succurrit. *Raius in Hist. plant.*

Frixio, vid. *Assatio.*

FRONTALIA.

Frontale est topicum medicamentum, quod fronti admovetur citra simplicem illinitionem.

Componitur ex herbis, floribus contusis, & in aceto maceratis: vel ex unguentis, pulveribus aqua ros. ovi albumine, aceto rosaceo, & similibus, includuntur hæc duobus linteis, & fronti, temporibusq; applicantur.

Usus est

Primò, Ad hæmorrhagiam, & fluxiones in aures & oculos sistendas.

℞. *Pul. boli armen. rof. terræ sigill. an.* ʒ *j. mastich.* ʒ. *ʃs. farinæ volat.* ℈. *iv. cum album. ovi. & aquâ rosar. agitentur, cumque stupis cannabinis fiat frontale admovendum fronti, & temporibus.*

Secundò, ad demulcendum capitis dolorem.

℞. *Fol. lact. violar. an. m. ʃs. rament. cucurb.* ʒ. *ij. minutim seca, & applica fronti & temporibus.*

Tertiò, ad somnum conciliandum.

Communiter fit frontale ex ovi albumine agitato cum aqua & aceto rof. stupis cannab. excepto.

Vel

In febribus, delirijs, vigilijsque, quandò validius desideratur.

℞. *Conser. rof.* ʒ. *i. ung. populei.* ʒ *s pul. requie. Nicolai* ʒ. *j. gran. kermes* ʒ *s. cum. ovi albumin. agitato cum aquâ rof. fiat frontale admovendum fronti, & temporibus, singulo vespere renovandum.* Tencke.

Frontalium Medicamentorum variæ formulæ.

Frontale. ex Pharm. Batean.

Frontale Cephalicum, *fit ex Rhodostagmatis q. s. in aceto, vel sp. V. frixâ. inspergendo Iris nuc. m.* ʒ. *i. Zedoar.* ʒ. *s. camp.* ℈. *ii.* adhibe fronti & temporibus.

Frontalia, *ex Jo. Michaëlis Operibus excepta.*

℞. *Pulv. verben. ex totô* ʒ. *i. s. rad. rhod.* ʒ. *i. sem. anethi* ʒ. *iij. nucl. persicor.* ʒ. *ij.*

F. l. a. pulvis, qui indatur sacculo lineo oblongo, potest adspergi ▽ florum persicorum vel verbenæ.

℞. *Flor. chamomillæ Rom. m. s. summit. anethi p.* 3. *pulv. rad. rhod.* ʒ. *s.* pulverisata inde sacculo oblongo qui fronti ac temporibus applicetur.

Sacculus Refrigerans in dolore Capitis à causâ calidâ.

℞. *Flor. rosar. Nymph. violar. an. p. 2. sem. lactucæ indiv. papav. alb. an.* ʒ. *i.* f. l. a. Sacculus oblongus.

℞. *Fol. lactuc. recent. m. ii. hyosc. albi m. s.* Contunde cum ℴℴ rosarum & nymphæ, cum pauca quantitate aceti rosarum. f. l. a. frontale cum sacculô oblongo.

In febribus & delirijs, ubi dolor ingens cum agrypniâ.

℞. *Ol. papav. expr.* ʒ. *i. nucl. persic. expr.* ʒ. *s. hyosc. expr.* ℈. *i. still. aneth. chamom. an. g. vi. cum paucâ quantitate ceræ.* f. l. a. linimentum. S.

In dolore Capitis cum agrypniâ.

℞. *Sem. papav. alb.* ℥. III. *nucl. persic.* ℥. II. *lactis muliebris q. s.* pro cataplasmate S.

℞. *Sem. papav. albi* ℥. III. *nucl. persic.* ℥. II. *em hyosc. albi* ℈. 2. *c. s. q.* ▽*flor. persic.*

F. l. a. Emulsio S.

In dolore Capitis solùm.

℞. ▽*flor. cham. Rom.* ℥. I I. *sambuci, verben. ana* ℥. I. ß. *pulv. Zedoar.* ℨ. I. m.

In Hæmorrhagia.

℞. ▽*plantag. portulac. anâ* ℥. II. *boli armeni, lapid. hæmat. ana* ℨ. I. *sperniol.* Crollij ℈. I. *S.*

℞. *pulv. boli Armeni* ℨ. II. *lapid. hæmat.* ℨ. I. ß. *mastich. thuris ana* ℨ. *i. c. s. q. album. ovorum conquassetur atque applicetur fronti.*

In hæmorrhagiâ mirè etiam convenit pulvis sympatheticus, quem describit Medicus Gallus *Beverovicius in Epist. suarum ultimâ.* Scripsit quoque de eâ Nicol. Papinius.

FRONTATUM.

Frontatum petalum seu floris folium nobis dicitur quod in extremumu latius & non rarò rectâ lineâ terminatum desinit, ut in *Calendula* & similibus. *Dale.*

FRUCTUS.

Fructus sunt grandiores illi ac succulenti plantarum fœtus, seminum receptacula, ut poma, pyra, pruna, &c. à fruendo, sed & latiùs extenditur nomen fructus ad omnem agrorum proventum. Jungio *fructus* dicitur *pars plantæ annua, flori cohærens & succedens, qui ubi maturuerit, i. e. ad perfectionem suam pervenerit, sponte à planta abscedit, & terrâ aliâve commodâ nutrice excepta, novæ plantæ fit initium.* Sunt ergo fructus, vel pericarpia integra cum seminibus contentis, vel semina sola in ijs quibus pericarpium deest. *Rajus in Hist. Plant.*

Fructus usitatiores sunt.

Fructus: Acaciarum, prunorum sylvestrium, id est, Pruna, *Schlehen.*
Alchermes, Grana tinctorum, grana kermes, *Ferberkorne, Scharlachbeeren.*
Alkekengi, Baccæ Halicacabi, *Judenkirschen, Boborellen.*
Amygdalæ amaræ, *bitter Mandel.*
A. dulces, *süss Mandel.*
Anacardia, *Elephanten laufs.*
Avellanæ, *Haselnusse.*
Aurantia acida, *saure pomerantzen.*
A. Dulcia, *süss Pomerantzen.*
Been, grana, *Beenkorner.*
Cappares, *Kappern.*
Cassia fistula, *Cassien in Robelein.*
Cerasa acida passa seu exiccata, *gederte Kirschen.*
Citri coma, *Citronen Aepffel.*
Cocculæ, *Kockelkorner.*
Colocynthidis poma, *Coloquintapffel.*
Cydonia poma exiccata, *Quittenschnitten.*
Cynosbari exacinati, *Hagebotten.*
Dactyli, *Dattelkorn.*
Ebuli baccæ, *Attichbeerlein.*
Ficus communes, Caricæ Hispanicæ, *Laubfeigen, grosse Korbfeigen.*
F. Marsilianæ, Caricæ Marsil. *Korbleinfeigen, kleine Marsilienfeigen.*
Fraga exiccata, *gedorte Erdbeeren.*
Gallæ communes, *Gemeine Gallapffel.*
G. Turcicæ, *Turckische Gallapffel.*
Granata mala, *Granatapff.*
Hederæ baccæ, *Ephewbeeren.*
Jujubæ, *rothe Brustbeerlein.*
Juniperi baccæ, *Lorberbeeren.*
Limones, Limonia mala, *Limonien.*
Mespila siccata, *gedorte Mespel.*
Myrobalani, bellirici,
Chebuli,
Citrini,
Emblici,
Indi, seu nigri.
Nux aquatica, Tribuli aquatici, *Wassernusse.*
N. Cupressi, *Cupressnusse.*
N. Indica, *Indianische Nusse.*
N. Moschata, Nucista, *Muschatnuss.*
N. Vomica, *Kraenauglein.*
N. Juglans, *Welsche Nuss.*
Olivæ, *Oliven.*
Papaveris capita sine seminibus, *Magsamen Kopff.*
Passulæ maximæ, Zibebæ, *Zibeben.*
P. Majores, *grosse Rosinen.*
P. Minores, Corinthiacæ, *kleine Rosinen, Corinthen.*
P. Massiliaticæ, *blau Rosinen.*
Pineæ nuces, *Pinien.*
Pistacia, Fistici, *Pistacien.*
Prunella, *Weinpflaumlein, Brunellen.*
Pruna acida, *sauro Pflaumen Zwetschen.*
P. Citrina, *gelbe Spilling.*
P. Hispanica, *Spannische pflaumen.*
P. Ungarica, *Ungrische pflaumen.*
Rubi idæi baccæ exiccatæ. *Himbeeren.*
Sambuci baccæ, *Hollunderbeeren.*
Sebesten, *schwartze Brustbeeren.*
Siliquæ ceratiorum, Xyloceratiorum, *Johannsbrod.*
Sorba exiccata, *gedorte Speyerling.*
Sumach Rhus, *Ferberkorner.*
Tamarindi, *saure Dattlen.*
Uvæ seu baccæ Paridis, uvæ lupinæ, *Embeer, Wolffobeer.*

Præparata, Fructus aridiores, solidiores, & minùs succulenti nihil peculiare habent ab herbis. Ea propter & easdem suppeditant præparatorum formulas. Fructuum succulentorum verò partus præcipui sunt: Succi inspissati seu Extracta, succi fermentati seu vina, Spiritus s. Quintæ Essentiæ, Olea & Tartara. *Schroder.*

FRUMENTUM.

Frumenta, seu *frumentacea*, Botanicis dicuntur quæcumque geniculato culmo & arundinaceis folijs constant, semenque pultibus panificio aptum in spicis aut jubis producunt, ut *triticum, hordeum, milium, Panicum*, &c. frugum enim duo sunt summa genera, frumentacea & legumina. Cæterùm & ficuum grana illa exigua frumenta dicta sunt Plinio. *Rajus in Plant.*

FRUTEX.

Frutex definiente Bodæo à Stapel, est stirps inter lignosas altitudine ac crassitudine mediocris, cui pro superficie stipes perennis natura multiplex, quique facilè in naturam arborum stolorum abscissione transcendit. *Rajus in Hist. plant.*

Fu, sive Phu, vid. *Valeriana.*

FUCUS Animal.

Est *Musca* quæ Gallicè *Bourdon* vocatur, api non absimilis sed paulò major aculeum gerens cujus puncturæ sunt

ſunt admodum dolorificæ. Hoc autem inſectum apum mel comedit.

Fuci deſiccati pulvis capiti inſperſus pilorum vegetationi ac multiplicationi facere creditur.

Fucus Marinus, vid. *Alga.*

Fuga Dæmonum, vid. *Hypericum.*

FULIGO.

De Fuligine ſic Schroderus ab Hoffmannô annotatus.

Fuligo eſt pars rerum combuſtibilium levior, à partibus craſſioribus ſub ſpecie fumi elevata, inque ſubſtantiam craſſam nigricantem, vi frigoris compacta, German. *Roſt.* de la Suye. *Soot* of the Chimney. *Roet Swertſel* uyt de ſchouvven of Ovens.

Delectus. Fuligo eligitur ſplendens, inſtar ſuccini nigri, quæque fumarij parietibus proximè adhæreat (quò fornaci proprior, eò melior) imò nec abs re foret, delectum quoque inſtituere, ratione materiæ combuſtæ, quæ quantò Medicæ intentioni convenientior, tantò quoque fuligo præſtantior cenſenda eſt.

Vires. Acris eſt, extergit, rarique uſus per ſe, nec adhiberi eam memini, niſi quòd intelligam, in ſuffocatione matricis à mulierculis plebeiis cum ſucceſſu eſſe propinatam. Quin & cum alijs mixta carpis imponitur ad arcendam febrim. (cum albumine ovi, ſale & aceto ad hæmorrhagiam uteri.)

Præparata.

1. *Spiritus.* 2. *Oleum,* & 3. *Sal.*

℞. *Fulig. el. q. v. imple ad collum uſque retortam vitream lutatam & deſtilla, ignis aperti gradibus ſucceſſivè adhibitis, in Receptacul. capaciſſ. ut prodeant cum phlegmate ſpiritus albicantes, ac oleum flavum, ultimoque rubeum. Spiritum cum oleo aliquamdiu digere, poſtea affunde medietatem* 🜄 *& deſtilla ſæpius: prodit cum* 🜄 *ſpir. fuliginis & ſimul ol. rectificatiſſ. caput mortuum incinera & extrahe ſal more ſolito cum aceto.*

Vires. Spiritus ac oleum confortativa ſunt inſignia, mirabiliter agonizantes exhibita refocillant.

Doſis Spiritus gr. vi. ad ℈ß.

Olei gr. 2. 3. in vino vel alio vehiculo convenienti.

Vires Salis. Præſtantiſſimum curativum eſt in cancro exulcerato, ſi in cella ſolutum cancroſis ulceribus ſemel ac iterum inungatur, venenoſitas inſtar vaporis viſibiliter extrahitur. Tandem oleum (craſſius) leni aſpergine ſæpius illitum, cruſtam inſtar cuticulæ ſuperinducit, quæ ſponte, ſpatio 5. vel 6. dierum decidens, ulcus conſolidatum eſſe indicat, *Hartman. in Pract.*

Hofman. Fuligo.) Omnis Fuligo conſtat ex phlegmate, oleo ſubtili & craſſo fœtido, ſale volatili & fixo, ac terrâ effœtâ: quemadmodum pyrotechnia manifeſtat.

Eligenda eſt ſplendens inſtar ſuccini nigri ex ligno quercino.

Vires. Acris eſt, extergit, &c.) Apud vulgus ſanè non rari uſus eſt, quod in contuſionibus, caſu ab alto, lypothymiâ, febribus cum aceto offert. Externè in gangræna conducit. Non deſunt, qui fuliginem ſolvunt in Acet. diſt. ſeparant per reſidentiam, ſolutionem tandem repetunt, donec in ſalem candidiſſimum convertatur, qui in humido ſolvitur, & omnia ulcera cacoëthea inſanabilia fœtida, fiſtulam, cancrum, lupum & ſimilia phagædenica parvo tempore ſanet.

Præparata. 1. *Spiritus.* 2. *oleum* (*ſcilicet ſubtile & craſſum.*) & 3. *Sal,* (*ſcilicet volatile & fixum.*) Recip. fuligin. el. q. v. imple retortam non vitream, ſed fictilem, non lutatam, & deſtilla igne aperto gradibus ſucceſſivis, primò elevatur phlegma cum ſpiritu albicante, poſteà oleum flavum & ultimò rubeum cum ſale volatili, quod interdum in primâ etiam ejus deſtillatione impetratur, ſed non ſemper, licet plerumque etiam illud non ſeparetur à primâ aut ſecundâ rectificatione, atque interdum nonniſi in tertiâ. Hujus D. Auctor planè non meminit: atque hoc ſal videtur unum ex maximè volatilibus corporibus in totâ rerum univerſitate, exceptô eô quod è tartarô elicitur; ſique rectè paratum fuerit, leni calore ad ſummam phiolam promptè adſcendet. Additio ſp. vini non eſt eſt neceſſaria pro ſpiritu fuliginis parando.

Caput mortuum incinera & extrahe ſal &c.) Ex Cap. mort. extrahitur ſal fixum, in cancro remedium polychreſtum, id quod præſtat etiam ejus oleum per deliquium.

Vires. Spiritus ac oleum confortativa ſunt egregia &c.) Pro oleo ego ſubſtituo ſal fuliginis volatile à ſcorijs Sulphureis depuratum albiſſimum (quæ encheiriſis in omni ſalium volatilium rectificatione obſervanda, aliàs in horum uſu oleum & operam perdes) inſtar camphoræ granulatæ, de quo *Cl. Hartmannus* docet, ſi æger adſumpto hoc animam agens non convaleſcat, eum certò eſſe moriturum, ſi autem hujus uſum euphoria inſequatur, ad valetudinem rediturum. Atque hoc eſſe veriſſimum à me non ſemel probatum ſcias:

N. Recip. Salis volatilis fuliginis part. vii. calcis ☉laris part. j. vel ij. miſce exactiſſimè, donec ☉ evaneſcat, nec amplius conſpiciatur, pone in digeſtionem per 10. ♂♀, denique ♎ma, tunc ☉ ♎matur, & calx alba remanet in fundo, in ſuperficie apparet ☉ Sulphur. rubicundum, quod ſp. vini extrahi poteſt.

N. *Oleum mirabile ex fuligine.* Recip. fuliginis ſplendentis. Succini albi ana, ♌la lento ignis gradu ex Aren. per retortam primò phlegma, deindè ſpiritum album, & ultimò oleum album & rubrum cum ſale volatili prodibunt, poſtea oleis ſeparatis liquorem per MB. rectifica, & acquires Sal. com. volatile, oleis demum affunde ſp. vini, digere aliquantiſper, poſteà ♌la & nanciſceris ol. camphoræ odorem æmulans. Hujus doſ. gutt. iij. ſunt in omnibus ferè affectibus, in primis in pleuritide. Imò agonizantibus exhibitum edit miracula, & ſi ſudor poſt ejus uſum ſubſequatur, erit ſignum infallibile reconvaleſcentiæ.

Fulminatio, vid. *Detonatio.*

FUMARIA.

Fumariæ herbæ notiſſima res fumus nomen quondam fecit, quoniam vis illi contra hominis oculos lachrymoſa ſit, qualis in fumo eſt. Claritatem facit munctis oculis delachrymationemque ceu fumus, unde nomen accepit καπνος Plin. 25. cap. 13.

Fumariæ notæ characteriſtæ ſunt folia umbellatarum in modum diviſa. Flores ſpicati ad papilionaceos accedentes, in calcar quoddam retrorſum producti, pediculo è media parte egreſſo hærentes.

Vires Fumaria purgat bilem & humores aduſtos, verùm magnâ doſi exhibita. Sto cum illis (inquit C. Hofmannus) qui aiunt mentem Meſuæ & Avicennæ eſſe, ſuccum quidem dari debere ad ℥. 5. ad 11. decoctum autem ad 15. pulverem à 4. ad 5. Hinc clarum & purum efficit ſanguinem. Noſtrates verno tempore herbam ipſam in ſero lactis decoquunt & decoctum propinant ad ſanguinem depurandum. Hinc etiam mirè prodeſt morbis omnibus humores prædictos (bilioſos & ſeroſos) ſequentibus, ut lepræ, ſcabiei, pruritui, impetigini, ſerpigini & ſimilibus cutis vitijs, ajunt & lui venereæ.

Diuretica est ut & sudorifica. Ideò datur aqua fum. in lue venerea, & in peste cum Theriaca.

Obstructiones hepatis reserat, perque urinam icterum ducit, Conserva, inquit C. Hofmannus, apud me in magna æstimatione est ad expediendas viscerum obstructiones, post unversi purgationem.

Succus ejus vel aqua destillata oculis indita caliginem eorum discutere creduntur, hinc plantæ nomen, quod claritatem faciat inunctis oculis delachrymationemque ceu fumus. *Plin.*

Essentia fumariæ, itidem succus ejusdem, cum sero lactis in Melancholia per aliquot dies assumi, potest. Ob sal etenim volatile, quod continet diuturnam non sustinet coctionem. *Rajus in Hist. plant.*

FUMARIA BULBOSA, & SILIQUOSA.

Fumaria Bulbosa triplex est 1. qua radice cavâ, 2. quæ radice solidâ, 3. quæ à flore lutea dicitur, illæ omnes ordine describendæ veniunt, ac primò

Fumaria bulbosa cava.

Nomina. Fumaria bulbosa radice cava major *C.B.F.b.* radice cava flore purpurascente & albo *J.B.* radix cava major alba *Ger.* Item R.c. major purpurea ejusdem R.c. ma. flore albo. *Park.* item R. c. ma. flore carneo *ejusdem.*

Radice est bulbosa, cava, lata, & sessili, fibris aliquot donata, colore intus foris buxea, sapore amaro, interdum non major nuce juglande aliàs pugno maximo major, quasi ex compluribus bulbis compacta, continuis tamen eâ formâ qua Brutorum renes nonnunquam conspiciuntur. Hinc exsurgit *caulis* unus plures, teneri & magna sui parte sub terra latentes, angulosi, compressi, dodrantales & altiores, floris obsoletâ purpurâ colorati, intus pallidi, nervorum agmine rubentium in circulo stipati, succum remittentes, qui primo statim occursu linguam cum amarore & acrimonia vellicat. *Folia* in caule bina ortu inæquali, pediculis crassis, cauli concoloribus & longis; colore glauco prædita, quæ trifariam rursum cum peculiaribus pediculis subdividuntur: singularia sola divisurâ Aquilegiæ minoris: A caulis medio ad summitatem usque in thyrsi modum digesti *flores* pulcherrimi, ex brevibus pedicellis, veluti consolidæ regalis, calcaria extremo recurvo & veluti nucleato obtusove, ut in Aquilegia, purpurei vel albi, labris utrinque divulsis rictum ostentantes, lingula tanquam in ore latente, binis foliolis ad capita coeuntibus, cannulatis, foris albis, intus puncto coccineo aturo in summitate notatis, id quod commune est tam ei quæ flore albo est, quàm ei quæ purpureo: quin etiam utrique inter flores quâ eorum pediculis oriuntur prosingulis pediculis singula folia oblonga, striata, mucronata, integra & modicè concava. *Siliquæ* maturo ortu sequuntur oblongæ, in quibus *semen* parvum, nigrum.

Plantulæ ex semine deciduo folium unicum producunt oblongum, subrotundum, simile Auriculæ leporis primùm provenienti.

Eam quæ flore est purpurascente in agro Mediolanensi copiosam invenimus primo vere, cùm Mediolano Taurinum iter faceremus. Flore albo prædita ubique fere ad sepes, inque scrobibus umbrosis Alpium Helveticarum nobis observata est.

Radicem cavam viridi flore *Lob.* à descripta non separat C. Bauhinus, quem nos hac in parte non inviti sequimur.

2. *Fumaria bulbosa radice solidâ.*

Nomina. Fumosa bulbosa radice solida, calcari & folio cristato *J. B. F.* bulb. radice non cava major *C. B.* itemque minor *ejusdem.*

Radice est bulbosa, non cavâ, rotundâ, avellanæ magnitudine, interdum majore, non tam altè defixa ut ea quæ radice cava, membranula quæ facile trahenti cedit investita, floris buxea, intus subalba, amara; cui fibræ capillares aliquot adnatæ. Planta sæpè palmaris & minor, interdum dodrantalis & pedalis, nec multò minor radice cava, *caule* lævi, subrubro, binis folijs prædito, ex oblongis pediculis cauli concoloribus, non adversis, in tria alia subdivisis, quæ tenuiùs deinde subdividuntur. Juxta radicem aut paulo altiùs folliculus unicus carinatus, calcaris gallinacei instar, membraneus, in quo aliorum fol orum rud menta. Extremo cauli insident *flores* radicis cavæ, purpurantes, qui pediculo mediocriter longo tenuique adhærescunt, albi, tres, quatuor, novem, duodecim aut plures, conferti in spicæ formam; inter quos ad singulorum pedicellorum exortum folium unum, dissectum variè, fimbriatum & cristatum, succedunt siliquæ, ut in præcedenti.

In hoc genere flores albos nondum observavi.

In Belgio, Germania, & Sabaudia arvorum quorundam sepes & margines hac scatere dicuntur.

Non separabimus nos unquam (inquit J. Bauhinus) has duas fumarias radice solida non cava (majorem & minorem *C.B.*) siquidem magnitudine tantùm varient. C. Bauhinus diversas affirmat, & florum herbaceis rudimentis differre ait. Nos fratris senioris sententiam amplectimur. *Rajus.*

Fum. bulb. radice non cavâ dicitur Aristolochia rotunda vulgaris radice solidâ, *Trag.*

Crescunt in dumetis, locis frigidis & opacis, ut & in vineis. Florent Aprili.

[Fumaria bulbosa radice non cavâ minor sive 3. Capnos altera, *runde kleine Osterlucey, Bonges holwutz.* Mulierculis in frequenti usu est ad scabiem & pectoris angustiam, imponitur cerevisiæ tam nutricibus quàm infantibus.]

Officin. Nat.

Radix: raro *Herba* cum floribus.

Vires. Calf. 2. sicc. 3. absterg. subastr. aperit. Epatica est, Uterina, Alexipharmaca, sudorifera, diuretica & vulneraria. Usus præcip. in ciendis mensibus lochijs: fœtum mortuum expellit, Ictero medetur, sanguinem mundificat, adeoque & faciei, succurrit. Extrinsecus commendatur quam maxime ad vulnera etiam inveterata & fistulosa, utpote quæ mundificat & consolidat; ad scabiem, ad dolores podagricos (à frigidis humoribus) ad sanguinem coagulatum in contusionibus, ad putredinem oris.

Annotatio Hofmann. fumaria bulbosa.) Sive *Aristolochia rotunda.* Germ. *Falsche holwurtzel.*

Vires, calefac. sicc. absterg. subastring. aperit. &c.) Hinc Uterina est, alexipharmaca, diaphoretica, diuretica & vulneraria. Unde in lochiorum retentione doloribus ab humorum crassitie natis tam interne quam externe adhibita multum confert. Item summo cum sanitatis emolumento ijs, qui asthmate Scorbutico laborant, in potionibus & infusis cum alijs antiscorbuticis immiscetur. Theriacæ etiam ingrediens est.

Habet hoc præterea Clariss. Hermannus in suo de Materiâ Medicâ tractatu Manuscriptô quod si pulvis fumariæ bulbosæ non cavæ, seu Aristolochiæ, ut ipsi dicitur, fabaceæ, ossibus denudatis inspergatur, omnem humiditatem imbibit, & à carie præservat. Quod Cava peragit, & à Chirurgis adhibetur.

3. *Fumaria Lutea montana.*

Nomina. Fumaria quæ *splìt* dicitur J. B. fumaria lutea *Ger. C. B.* lutea montana *Park.*

Numerosos, teneros & delicatos profert *caules*, dodrantales, per quos *folia* spectantur radicis cavæ vel Adianti, sed minora multò, mollicella, glauca, potissimum parte inferiore, sapore insigniter acri & fauces vellicante pauco adjuncto amaro.

Flores lutei vel albidi cornicula relinqunt fumariæ bulbosæ, minora, *semine* plena nigro, nitido. *Radix* crassiuscula nigricat.

Provenit in collibus cultis & agris Apuliæ & Calabriæ, albi etiam in Italia & Illyria.

Vires & usus. De hac herba Achilles Gasserus in observationibus ab Hier. Velschio editis, observ. 99. hæc habet: cùm in Italia studiorum gratiâ versarer, in magno usu & fama erat herba quam *split* in Sclavonia, Venetijs autem herbam Sclavonicam vocabant, amara & folijs rutam fere æmulantibus, quæ causa est ut quibusdam illius genus, aut *Harmel* Arabum videretur. Hæc copiosè nata in finibus Bosniæ, circa castrum dictum *Bosmaprin* mirè laudabatur ad varios affectus, podagram, arthritidem, Ischiadem, nervorum affectus, Spasmum, paralysin, Epilepsiam, apoplexiam & similes. Quod cùm clariss. viro Georgio Laubio Med. Aug. & amico meo literis significassem, hoc modo respondit: mitto tibi pro Ἀντιδώρῳ quæ habeo de herba *split*, ex Venceslao Lavinio Moravo hom. liter. Est species fumariæ seu Corydalis. Invenitur in montibus Bosniæ inter saxa; folio, sapore & flore fumariam referens: semen habet in siliquis. Est semper viridis, pluresque radices agit, inter se commixtas: possit fumaria Alpina nominari. Usus ejus in omnibus nervorum affectibus frigidis: cerebrum confortat, leniter purgat, urinam movet, oppilationes mesenterij aperit & hepatis. Radix amara & acris est; formula hæc.

℞. Radic. split ℥. i. vel m. i. contunde minutim; pone in vini albi m. i. in olla vitreata sat magna: integatur crusta panis bene oblita in circumferentia: bull. lento igne per horam unam. Datur jejuno pro vice ℥. i. hujus decocti tepidè, & per 5. dies continuetur, prima vice sumptum inebriat, post leviter exhilarat & morbum citò levat; victu convenienti instituto. Corroborat cerebrum, & quòd Melancholicis ac Maniacis conveniat credit quidam Medicus. Greg. à Klo Medicus in Bavaria asserit hæc omnia vera esse, & ipsemet cùm esset debilitatis artubus, ut vix ambulare posset, timens præterea Epilepsiæ superventum curatus est hac herbâ, ita ut in alium quasi novumque hominem se conversum putaret. Hic verò dat. ℥. ii. decoct. *Rajus in Hist. plant.*

FUMIGATIO, FUMARE.

Fumare, i. e, per fumum Mercurij vel Saturni calcinare, solorumque est metallorum.

N. Nimirum Mercurius vasi calcinatorio orificij angusti inditus apponitur igni nudo, ut fumus exhabet. Orificio imponitur Metallum calcinandum laminatum, ut fumo Mercurij transeunte friabile reddatur. *Schrod.*

FUNDUS PLANTÆ.

Fundus plantæ (πυθμὴν) *Jungio* est limes communis in quo radix & pars superna cohærent. *Dale.*

FUNGUS.

Fungus nonnullis à *funere*, vel à *funus* & *ago*, vel à *fungor* dictus videtur, quia veneno suo ad funus vescentes deducit. Quicquid sit de Etymo, fungus certè hoc nomine non immeritò malè audit, ut qui avidè deglutientibus non rarò funestus & exitialis fuerit. Nam, ut eos prætereamus fungos qui se noxios fatentur, & habitu ipso malitiam produnt: Alij non pauci maligni cum sint salubres simulant, adeoque incautos persæpè fallunt, & ad se colligendum invitant, unde de oblatorum salubritate securos nos esse non sinunt colligentium vel imperitia, vel incuria, vel fortè etiam malitia. Quin & salubres & esculenti habiti vitium facilè contrahunt, vel ex genio loci ubi nascuntur, vel ex natura succi quem combibunt, vel ex putridorum aut venenatorum vicinia & afflatu. Quòd si nihil horum sit, consentientibus Dioscoride & Galeno vel optimi largiùs sumpti lædunt, ut qui pravum succum generent, ægrè concoquantur, strangulent, & bilis sursum ac deorsum eruptionem inducant. Recentiores etiam nonnulli fungos in universum omnes in cibis damnant, & mensis abdicant. Præ alijs Athanasius Kircherus his verbis, *fungus qualiscunque sit semper malignus est, semper exitialium qualitatum apparatu instructus: & si non statim sentiatur, frequenter tamen comesus nescio quid successu temporis occultæ machinationis interiore viscerum administratione moliatur.*

Apagete ergo perniciosa isthæc gulæ blandimenta. *Quæ tanta* (ut cum Plinio loquar) *voluptas ancipitis cibi?* An usque adeò vitæ tædet, ut eam tam vili offâ permutemus, mortemque semper in procinctu stantem ultrò solicitemus. *Rajus in Hist. plant.*

De Fungis hæc habet Kirkerus Mund. Subterr. Tom. 2. p. 359.

Inter spontaneos naturæ vegetabilis partus, primum imperfectum naturæ vegetabilis gradum obtinent. Tubera & Fungi, *quæ uti radice, ramis, foliis, fructibus carent, ita quoque inter plantas, γεώφυτα, sive plantoterrea appellamus, veluti in vitalis naturæ gradum constituuntur. Sunt autem* Tuberum *variæ species: alii enim in umbones, in pileos alii, in tuberones quidam; nonnulli in conos pinorum ad instar adolescunt, quidam in hepatis morem diffunduntur; non desunt qui veluti in digitorum confusam propaginem extenduntur: tandem nonnulli quoque in humani veretri figuram, aut pedis umbilicique figuram abeunt. Non minor colorum varietas in iis observatur; sunt fusci alii, alii subnigri, quidam crocei, aut viridis coloris; quæ ex coloribus terreæ substantiæ, quibus seminalis materia jungitur, oriuntur: & proxima quidem materia rerum differentiam efficit, quod remota non conceditur: nascuntur autem omnes vel ex arboribus lignisque putridis, vel ex muco terrestri, vel etiam ex saxis. Et primò quidem fungos ex saxis nasci, quotidiana nos decet experientia. Habemus hic Romæ in domestico nostro viridario saxum, quod prægrandes & optimæ notæ fungos producit, idque ex monte Tyburi vicino, quem vulgò* monte di Poli *aut* di Quadagnuolo *vocant adsportari curavimus; in eo siquidem monte, uti propriis oculis meis vidi, fungi tantæ granditatis, vel ex siccissimis saxis excrescunt, ut cucurbitas majores si non excedant, saltem adæquent, qui terræ fructus tanto in pretio habentur, ut excellentissimus* Johannes Nicolaus Appius De Comitibus *Dux Poli, & pro tempore Romanæ urbis meritissimus Gubernator, legitimus horum montium possessor, certos homines ad id officij destinare soleat, qui ubi in saxo quodam erumpentis fructus vestigia viderint, singulari cura statim saxum spinis muniant, ne à caprarum oviumque gregibus, armentisque, quæ in dictis montibus pascuntur, cœptum fungi opus conculcatione sua destruatur: fungos verò hosce maturitatem suam jam consequutos tum summo Pontifici, tum cæteris Romanæ curiæ proceribus, veluti mirum, rarum & innoxium gustus irritamentum offert.* Ferrantes Imperatus *in sua naturali historia, sub nomine* Tuberis Fungarii, *jam recensitos fungos vocat, atque visos esse ultra pondus centum librarum. Nascuntur autem,* Cardano *teste, sepultis lapidibus quibusdam latis, mensarum modo, quos in Samnitico agro inveniunt quatuor Digitorum altitudine sub terra, inde aqua inspersa intra quatriduum abundant in nemoribus & celerem ortum habent; quibus subscribit* Matthiolus. *Tanta hodie intercessit* Fungis *cum mensis in Italia gratia, ut Neapoli potissimum sint lapides, qui defossi & in cellas vinarias*

narias translati, terrâ aliquantùm cooperti, & inde tepida aqua inspersi intra quatriduum fungos non ingratos producant, Porta ait, *demessis veteribus fungis è saxis novos semper subnasci, septendio perfici, sexies anno demeti terra denuo dodrante lapides operiente. Neapoli ex Vesuvio, Surenti ex Fageto altissimo sui tractus monte, Abellani in monte Parthenio, in Apulia ex Gargano. Referunt, Neapoli in Divitum viridariis passim hosce lapides fimo coopertos numerosam fungorum sobolem producere; quosdam etiam dolii vinarii stillicidio suppositos lapides, fungos non gustui solùm gratos, sed & innoxios vel una nocte producere.*

Fungi Officinales sunt.

Fungus, Agarici, *Lerschenschwamm.*
Cynosbati, Spongiolæ è Rosis siccis, *Schlaffkantz, Rosenschwamm.*
Juniperi, *Wacholderschwamm.*
Sambuci, *Holderschwamm.*
Huc Boletus cervi, *Hirschbrunst.*

Præparata Communem ut naturam habent cum herbis; ita & communem aptitudinem, qua præparationem subire possint.

N. *Adnascuntur quoque fungi Ulmo, fago, quercui, populo albâ, juglandi. Schroderus.*

Hactenus de fungis in genere, de iisdem verò in specie vid. sub proprijs illorum nominibus. Hic revera de illis fungis quorum alter Gallicè *Morille*, alter verò *Mouceron* vocatur dicendum veniret, si ex ijs aliquid in medicos usus cederet, & gulæ unicè non facerent.

FUNGUS MARINUS, vid. *Spongia.*]

FUNIS ARBORUM, vid. *Smylax Levis.*

FURNUS, vid. *Fornax*, seu potius *Ignis.*

FURFUR.

Furfur propriè significat pelliculam sive corticem, quæ à frumentô inter molendum abscedit, quæque facultatis est detergentis ac propterea pro gargarismis & clysteribus non inconveniens. Ab ejus autem similitudine etiam furfures dicuntur particulæ excrementorum cum urinâ prodeuntes, unde furfureum sedimentum & urina furfurea vocatur. Furfurosi quoque dicuntur quibus assiduè quamulæ veluti furfures in scabie gignuntur, quæ & pectendo, aut scalpendo decidunt.

FUSANUS, vid. *Evonymus.*

FUSIO.

Fusio inter nobilissimas operationes militat, illa producens, quæ cæteroqui invisa forent, illa cogens, quæ invicta deprehenduntur citra hanc torturam; à fundendo dicta, ut fluere videantur & effundi possint, quæ compactissima erant. Hinc.

1. *Fusio est fluor corporum solidorum temporarius, igne fortiori inductus.* Fluor est, seu liquefactio, consistentia fluida, quo pacto cum liquefactione convenit. Fluor est corporum solidorum, non tam apparenter talium, quæ exterius talia videntur, unctuosa tamen & cerosa sunt in recessu, exemplo ceræ, bituminum & similium; sed revera talium, imò solidissimorum, unde & igne non quovis, non levi fusio hæc peragitur, sed summo, proportionato tamen, & sufficiente mora admissus. Hinc fusio violentiam majorem importat, diverso igne, diverso subjecto peragitur. Fluor verò non est permanens, vel perpetuus, sed temporarius saltim, tamdiu durans, ac debitus ignis gradus, quo remittente etiam consistentia fatiscit in priorem solidam. Eleganter hinc dicitur Germanis appropriato & genuino vocabulo *schmeltzen, giessen*, unde *Glockengiesser, Rothgiesser*, & speciatim de ferro *schweissen*, ut consistentia liquida exprimatur.

2. *Fusio cohærentia actu dissociat, potentiâ consociat.* Formalis hæc est ratio ejusdem, ut solida & compacta cohærentia ita dissociet, ut cohæsio particularum per ignem laxetur, & pars post partem effundi, granulari pro lubitu, exemplo plumbi, possit; non cohærentia verò actu, potentiâ tamen tali instructa, consociando ita unit, ut novam consistentiam inde acquirant, solidam scilicet & compactam ex priori laxâ. Hinc si summatim lustremus quæ fusionem patiantur, ejusdemque subjectum constituant, præter unguinosa, quæ liquefieri diximus, quod ipsum in suo genere nihil aliud quàm fundi est, & fusionis quasi primum gradum constituit; præstant id tum salia, tum metalla; illa laxius & compage facilè dissociabili, hæc strictioribus tenaculis. Notanda vero h. l. phrasis in scholis medicis admodum usitata: salia fluorem indepta, quæ notat non tam fusa illa, quam ex statu consistentiæ pristinæ, è centro suo detrusa & in liquidam consistentiam vi ignis redacta, seu uno verbo salia ita dicuntur fluorem evaporatione adepta, inprimis acida, exemplo vitrioli, nitri, aluminis. Hæc ipsa salia funduntur, unde nitrum promptissimè, ipsumque alumen & vitriolum instar aquæ fluida redduntur, igne etiam non magno, hinc verò consociata manent, quamdiu fusionem sustinent & fovent.

3. *Fusio ab intra fit ob sulphur salinum fixius.* Principium intrinsecum quodnam sit fusionis, disquisitione dignissimum est, quam in rem supponemus, (1.) non fundi propriè aquea, quippe quæ jamdum sunt liquida, fusio verò supponit solidum, & consistentiam hanc induci ab extra; hinc & aquea concreta non funduntur, nisi impropriè id de glacie dixeris, quæ magis liquescit igne, quàm funditur. (2.) Non fundi terrea, sibi relicta, ut talia spectata, de quo seorsim agimus sub vitrificatione, imò (3.) nec salia sibi relicta, & eodem modo ut terra abstractivè spectata; nec (4.) mercurialia, quippe quæ evolant potius, nec ignem sustinent; fusio verò est fixiorum, ut quæ fixa non sunt, & avolare magis apta, illa strictè loquendo nec fundi dicantur æquè. Fundi verò (5.) sine dubio illud præcipuè & καθ' ἐξοχὴν, quod vinculum & consistentiam reliquis præbet. Quicquid cohærere aptum est, illud & fundi, quod ex dictis satis patet. Jam verò sulphur sine dubio unit & copulat reliqua principia, ergò primariò fusio est sulphuris, id quod etiam in liquefactione ad oculum patet, quæ ob sulphur abundans unicè fit, & quidem igne mediato magis, ut quod pabulum est ignis, intercedente medio auscultet tamen & liquetur, exemplo tum omnium, tum maximè sulphuris ipsius communis. Consistentiam verò largitur terra & sal, seu sal terrenis particulis immersum penitius, unde, præter sulphur, & sal in consortium fusibilitas venit, sulphur fusum, sal coagulans requiritur. Sulphur scilicet, sibi relictum, totum in pabulum ignis cedit, nec sustinet illum æstum citra destructionem sui. Quodcumque verò fixum & tutum est terræ salisque connubio, illud demum fusionem principaliter præstat; reliquum deflagrat & consumitur.

4. *Calcinationem apparat*; non solùm consistentiam compactam exuendo, ut erui è visceribus possit quid insit, verum etiam sulphur abigendo & deflagrando. Duo hæc maximè ad fusionem præstandam & acquirendum hic finem unicè necessaria sunt, pulverisatio & calcinatio. Illa poros laxat, ut undi-

undique admitti ignis possit, expromens è sinu absconditam materiam, hæc sulphur abigit. Hinc utrumque in acquirendis metallis usitatissime & necessariò obtinet. Contunduntur mineræ, ita enim vocantur metallorum matrices, *puchen* vocant metallarij Germani, item *puchwerck* totam operationem; & torrentur, *rosten*, seorsim vel conjunctim pro statu minerarum diverso, unde *Rostofen*. Imò bis vel ter quædam ustulari seu calcinari oportet prius, quàm ultimus fusorius ignis colophonem addat. Et ut mittamus ista, velut alius fori, reverà tamen chimicæ scientiæ plenissima, exemplo sit antimonium, in vitrum fundendum, cujus ἐγχειρήσεις sunt duæ, aut pulverisatum leniter calcinatur, ut calce impetrata, de quo seorsim, in vitrum fundi possit, aut simul ac semel pulverisatum, eodem fine, cum nitri ana & calcinatur & funditur, contractâ operâ. Verbo, quamdiu non æquè pansæ sunt & sibi relictæ particulæ fusiles, hoc prodromo est opus.

5. *Fusionem sulphur magis vel minus viscidum, magis item vel minus fixum modificat.* Quò sulphur fixius & viscidius, eò magis est malleabile, id quod proprium est metallorum ac pathognomonicum; & quidem tum in genere & absolute, tum speciatim & respective pro diversis gradibus. In omnibus metallis suo modo fixum & viscidum est, implicito & occultato mercurio sub sulphuris tutelâ, uti, sulphuris quæ sint tegmina, jam docuimus. Positis verò his fit extensio æqualis magis, nec licet feriantur metalla fortissimis ictibus, franguntur, quin diducuntur potiùs incredibili tenuitate, exemplo cumprimis veneris, lunæ & auri. Malleabilia & ductilia metalla unicè sunt ob sulphur descriptum; malleabilia ut sic, ob sulphuris hujus qualitates diversas. Regulus verò ♁ij, cincus & vitrum omne cumprimis non malleabile est, ob sulphuris viscidi fixioris defectum, unde mox dissiliunt in plures partes, nec ferunt malleum, durioresve ictus quoscunque, adeò ut hæc fragilitas in proverbium abierit. Et si impetrabile est ullo modo vitrum malleabile, metallicum sit oportet. Hinc & dictus regulus antimonij vel cincus additus alijs metallis viscedinem temperat & magis compactam reddit, quod apud *Glauberum* latiùs videas. Omne ergo malleabile est etiam fusile, non contra. Hinc mineræ minus fusiles dicuntur *stredg und unflussige Ertze*.

6. *Fusionem ignis præbet sufficiens concentratus vel patulus, mediatus vel immediatus*; idque omne pro diversitate subjecti. Distinctus omninò ignis est calcinationis & fusionis, sed intuitu solùm subjectum ejusque partitas id requirunt, ipsaque additamenta. Exemplo sit antimonium, quod in calcem redigitur igne leniori, calcinatorio, in vitrum majori, fusorio; sin inverso ordine procedas, parum effeceris. Ignis in antimonio diaphoretico si detur minor, non calcinans, non deflagrans sulphur, quod inprimis in vase clauso seu retortâ tubulatâ accidit, emeticum erit; sin major, ebullit, funditur & oras transilit crucibuli, cum deperditione processûs ipsâ. Par ratio est in regulo apparando, qui partium metallicarum fusionem desiderat, quod nisi fiat, non nisi sparsim coëunt particulæ, ut non effundi in conum vel pyramidem, vel colligi saltim queant. Sufficientem ergò cum dico, medium inter duo extrema, & extremum, si id requiratur, intelligo. Ignis enim, quod ex dictis patet, sulphur aggreditur, & cum non possit illud deflagrare, ob tenacula quibus gaudet, liquatur tamen ipsum & conjuncta. Concentratus vel patulus ignis fit pro aëris admissu, & ignis directione per instrumenta; concentrati & directi exemplum præbent fusiones per tubulum, *durch ein Blassrohrlein*, quod ipso & antimonium diaphoreticum in regulum fundi potest. Dici etiam talis potest, qui in furno docimastico administratur subter tegulam, & fortissimus est. Hâc enim arte minor alioqui in se ignis multum præstat. Patulus majoribus furnis metallicis administratur, imò & folle ipso intenditur. Aër enim afflatus in poros magis immittit & animat ignem, ut in sulphur potentiùs agat. Mediati etiam & immediati ratio patet, pro minerarum, metallorum, saliumque diversitate. Latius tamen immediatus dicitur omnis sibi relictus.

7. *Quacunque sulphuris viscedini adversantur, vel ignem duplicant quasi, fusionem accelerant.* Præstant id diversis classibus contenta, & primâ quidem cumprimis salia, unde boracem ad vitri ♁ij fusionem & ad auri reliquorumque plurium liquationem toto die adhibent aurifabri, ut & ipsorum cinerum clavellatorum nomine veniens sal. Sic ad regulum martialem parandum antimonio & limaturæ martis candefactis fluorem præbet nitrum successivè injectum. Præstant idem, quæ secundæ sunt classis, φλογιστὰ & deflagrabilia. Sic mars cum sulphure funditur in crocum nigrum, extemporaneâ operâ. Sic pinguia & fusionem promovent, & præcipuè deflagrando sulphur impurum nitidius reddunt, magisque depuratum subjectum fusum; sic cum pice sunt qui regulum antimonij parant & fundunt. Præstant idem, tertiæ classis, conjuncta utraque, salina & sulphurea, qui tertius veluti gradus est, unde celerrimè fluunt & funduntur fundenda, ut nitrum & tartarus, sulphur, tartarus & nitrum, unde audit communiter *der schnelle Fluss*, ad cogenda fixiora & refragantia magis mineralia ac metalla. Quorsum illud Paracelsi pertinet, pingues adole verbenas, ℞. nitri ℥iv. sulphuris ℥ii. tartari ℥i. m. Hæc enim ignem experta potentissimè colliduntur, effervescunt, strepunt. Tale etiam est vitrum saturni, aliaque, de quibus videri potest *Erckerus*, alijque. Ut taceamus ipsum arsenicum maximè etiam huc facere, ad fusionem accelerandam & depuranda metalla: est enim metallum immaturum, unde sunt, qui in eo aucupantur sublimiora, non sine successu. Imò etiam ad tertiam hanc classem spectat antimonium. Digna sunt hæc, ut lustremus penitiùs, unde addimus.

8. *Salia intus & extus, seu ab intra & extra, fusionem promovent.* Æterna est regula, tale additum tali reddit illud magis tale, ignis igni, fusile fundendo. Sanè mercurius, qui laxior & copiosior quibus contigit, facilitatem fundendi largitur, quibus parcior & fixior, difficiliorem, non id tam præstat aufugiendi promptitudine, quam salinâ virtute, ob quam etiam in amalgamatione simplici, & cum igne poros metalli intimè pervadit & sulphur extricat, ipse simul compedes pati visus, quod in fixatione vulgò dicta mercurij cum saturno ad oculum patet, unde non cohæret amplius saturnus, sed fragilis redditur, quousque à mercuriali tactus est sidere. His igitur, saturno & jovi v. g. non opus est velificari fundendis, additione dictorum fluorem accelerantium & juvantium, quod domi jam habeant & intrinsecus junctum tale sal. Quibus verò fixior & parcior mercurius, seu sal consimile, obtigit, illa potissimum juvantur tali accessione. Hinc non solùm huc faciunt aliena à metallis laudata, sed etiam metalla ipsa; unde ratio patet, quare plumbum ad fundenda & probanda reliqua usitatissimè & toto die adhibeatur; habet nempe potentiam tum fluendi, tum fluendo fundendi egregiam, quare & vitrum saturni, lithargyrium, fel vitri aliaque huc faciunt. Vim hanc salinam intrinsecam illustrat inter alia aurum ipsum, quod fusum ferri corrosivum est, experimento *Tachenii*. Ex quibus singu-

gulis confirmatur magis assertum nostrum, fusionem fieri ob sulphur salinum respectivè fixius, licet gradus admittat hinc varios.

9. *Fusione specialiter metalla & scoriæ consurgunt.* Manifestissimum συγκρίσεως & διακρίσεως exemplum præbet fusio, ubi colliguntur & uniuntur partes metallicæ subsidentque, separantur seorsim collecta & supernatantia recrementa, scoriarum nomine metalla pars purior sunt, scoriæ impura, saltim respectivè. Ad oculum id patet in pharmaceutico foro, exemplo reguli antimonij, qui pars est metallica antimonij, scoriæ verò ex partibus terreis, sulphureis, aliisque constant. Imò hinc regulum dicunt, partem metallicam puriorem & omnium imam, quasi dicas magis electam & nobiliorem. Ita in cupri quoque fusione & argenti reliquorumque in furnis metallariorum audit eodem nomine, &, sensu teste, purius & nobilius quid spirat. Fusio metalla invenit & produxit, siquidem omnia metalla fusione parata sunt, exceptis αὐτόθεν καθαροῖς, statim suis. Metalla fusionem sustinent à priori, ipso suo ortu sustinent à priori, ipso suo ortu; sustinent à posteriori, semel conflata & fusa tamdiu illud retinent, quamdiu metalla sunt. Imò speciatim scorificatio, ut ita loquar, sæpe finis est fusionis mediatus, unde nota de hoc, antimonium præcipuè fusionem hanc & in scorias redactionem juvare. Hinc inter probandum, si saturno addito metallum non æquè fluat, antimonio addito id impetratur. Hinc ad aurum purum putum, finum, seu finissimum vocant, idem adhibetur, unà fundendo id ipsum, non purum, cum triplo antimonij. Hinc mars ad antimonium martiale cachecticum in scorias redigitur, repetitâ fusione. Germani vocant *verschlacken.* Scoriæ tamen illæ metallicæ sæpè occultant adhuc partes nobiliores, novâ operâ impetrandas. Ut nostri ævi exempla non laudemus, *Strabo* refert *lib. 9. Geograph. p. m.* 275. cum in Africâ deficerent sectiones argentariæ, operarios, recrementa vetera & scoriam recoquentes, adhuc inde eliquatum argentum invenisse, cum veteres imperitè fornacibus metalla excoxissent.

10. *Effectus fusione producti vel homogenei sunt vel heterogenei.* Homogenei sunt quando producit metalla, quando depurat eadem, quorsum & ipse mercurius metallorum omninò referendus est; fit enim tum per salia resuscitativa, i. e. fusionem modificantia, tum per fusionem actu præstitam, ut hoc pacto partes metallicæ ex se abeant, & in primum velut ens, homogeneum tamen secundum quid, mutentur. Reducit etiam ipsas calces in metalla, seu corpus pristinum, solo diverso igne, vel additamentis quoque, ut emortua vel variè etiam transformata resurgant de novo, & pristinâ refulgeant facie, ut regulum ex antimonio diaphoretico, saturnum ex nimio, putare licet. Et divisis partes denuò unit & coire facit. Heterogenei effectus exempla sunt *vitra*, de quibus seorsim; *electra*, seu mixta inter se metalla, quæ quidem confundi magis possunt, alia enim amicè magis coëunt, alia minus: Neque tamen communiter ita dicuntur æquè, exemplo monetarum, quæ ex auro, argento & cupro ordinariè fiunt, venere utriusque connubium amante. Item *calces*, quatenus fusione continuatâ viscedo metallica disperit, & in pulverem fatiscunt prius cohærentia. Quo loco notari operæ pretium est, scorias propriè magis prædicari de recrementis, resultantibus ab admixtis, vel ipso corpore metallico, exemplo scoriarum ferri, adhuc tamen cohærentes magis; calces verò prædicari de discontinuatis & pulveribus à fusione residuis. *Flores* denique, exemplo florum sulphuris, benzoës, pompholygos, fellis vitri & similium. Summatim diversis effectus fusionis consurgit ex diversitate subjectorum & tractandi modi. *Wedelius.*

Fusus Agrestis vid. *Carthamus.*

LIBER VII.
Continens ea quæ incipiunt à Literâ
G.

GAGATES.

Gagates Gallicè *Geest, Iays,* vel *Iayet* est Lapis bituminosus, durus, niger, lævis, qui in pluribus Europæ locis, Germaniâ, Sueciâ, Narbonensi Provinciâ & Irlandiâ inter rupes reperitur. Continet autem multum olei cum paucô sale volatili acerrimo. Quibusdam creditur Succinum ab ignibus subterraneis conflagratum ac propterea partibus suis volatilioribus denudatum. Seligi debet hic lapis durus, nigerrimus ac splendens.

Gagates & succinum nigrum offic. Est genus terræ nigræ lapideæ crustosæ, adeò bitumine prægnans, ut bitumen redoleat, & accensum picis ferè modo flagret, nigerrimumque emittat fumum. Differt à Terra ampelite, quod hæc nec flammam emittat nisi follibus excitetur, nec bituminis odorem spirat; Gagates verò igni admotus flagrat, odoremque bituminis exhibet.

Galactites, vid. sub titulo *Lapis.*

GALANGA.

Galanga, recentioribus græcis γαλάγγα, vocem Arabicæ originis esse minime dubium est; sed corruptam mirificè, ut sudandum fuerit illi qui legitimam eruere velit. *C. Hofman.*

Quidam radicem Schœnanthi esse volunt; alij Acorum Dioscoridis; alij Cyperum ejusdem: Ne desit (inquit C. Hofmannus) quod effutiant distinguunt etiam *majorem* è *minore*: ego nihil video quo minus ab eadem planta fit utraque quæ Iridis fortè fit. At peritissimi botanici distinguunt, & pro diversis habent. Iridis tamen cujusdam radices esse nos etiam cum Hofmanno & Clusio opinamur, quod pari modo foliorum vestigijs, ceu Zonulis circularibus cinctæ sint.

Utramque Galangam veteribus ignotam fuisse, & Arabibus non satis perspectam Botanici plerique sentiunt.

Vires. Radix Galangæ majoris ad omnia utilis est ad quæ Zingiber, atque eodem modo quoque condiri solet: in usu etiam est ad orexin excitandam, non secus ac cappares & Oleæ fructus apud Europæos: recens quoque utriusque galangæ radix in taleolas dissecta cum carnibus piscibusque coquitur in eundem finem. Sic quoque cruda sale & aceto & oleo inspersa cum piscibus & carnibus assis commodè editur ad juvandam concoctionem. Malabarenses & Javani non solum contra hominum sed & jumentorum mala frigida magni faciunt. Polentas seu panes è farina radicis confectos in frequenti usu habent, quas cum succo nucum *Cocos* præparant contra uteri

& vesicæ mala exhibent. Vide Bontium & Acostam.

Galanga medicamentum est cephalicum, cardiacum & stomachicum, ad frigidos affectus magni usus. Ventriculum roborat & concoctionem promovet. Acidis ructibus commenducata subvenit, flatus discutit, halitum oris emendat. Colicæ opitulatur. Renes calfacit & venerem excitat. Sacchara condita ad frigidos cerebri & nervorum affectus, Cephaleam, & artuum dolores conducit.

Cordis palpitationi cum succo plantaginis utilis, & ad lipothymias si à frigore causentur pulvis cum vino generoso aut aqua Melissæ, vel succo Boraginis: quare consuevere Germani ijs quibus vena secta masticandam præbere. *Raius in Hist. Plant.*

Clariss. Raius Galangam majorem à minore forsan non satis distinguit, dum illud ab Hermanno in Materiæ Medicæ Tractatu manuscripto diligentius peragitur. Hic scilicet Autor sic habet. Galanga major est plantæ Indicæ *Lanquas* dictæ, radix tuberosa, pollicem crassa, nodosa, in superficie circulis quasi geniculis notata, flavescens, saporis acris, aromatici, amaricantis, odoris fragrantis. Galanga verò minò minor est plantæ Indicæ *Lagendi* dictæ radix tuberosa, nodosa in superficie circulis, quasi geniculis notata, flavescens, minimi digiti crassitie, saporis & odoris fragrantioris Galanga majori.

Eligenda gravis, rubra, sapore acerrimo linguam vellicans ac odorata. Adulteratur radicibus Cyperi vulgaris repurgatis, & cum pipere in aceto maceratis deprehenditur fucus abraso cortice, interior namque pars nec acrimoniam, nec saporem Galangæ obtinet.

GALBANUM.

De *Galbani* natalibus, vid. sub titulo *Ferula.*

Galbanum laudatur, quod ex multis granulis albis constat, purum, pingue, nec valdè humidum, nec nimis aridum, acri & amaro sapore & gravi odore præditum; nec improbatur, quod adjecti seminis ac ferulæ nonnihil admixtum habet. Adulteratur Resinâ, & Ammoniaco ac fabæ fresæ pulvere, sed id cùm notas jam dictas non habeat, facilè à vero dignoscitur. *Ph. Aug.*

Vires. Calfac. sicc. 2. com. emollit, resolvit, extrahit.

Usus præcipuè intrinsecus in mensibus ac partu pellendis, in tussi inveterata ac Asthmate: Advertatur toxicis.

Extrinsecus prodest in partu ac mensibuss, suffocatione uteri vertigine, in furunculis ac lentiginibus: quin & glandi impositum Emplastri vice Urinam provocare dicitur.

Præparat.

1. *Galbanum depuratum*: solve in liquore, exprime ac inspissa.

N. 1. Solvitur ut alia gummata ferulacea, in quolibet liquore aqueo, aceto, succo, vino.

N. 2. Galenus suspendit in linteo super 🜄B atque purum extillare facit.

N. 3. Dioscorides dimittit in 🜄m ferventem, impuritatesque supernatantes ejicit.

2. *Oleum stillat.* Fit l. a. per ☊m ex Arena, addito sabulo, vel silicibus contusis.

N. Sunt qui Galbanum cum aceto in formam mellis miscent atque destillant. At exit primò liquor, dein ℴℴ, adeoque opus protrahitur circa necessitatem.

Vires. Maximarum est virium in passione hysterica intrinsecus exhibitum, vel extrinsecus umbilico illitum. Maturat bubones & anthraces.

Oleum aliud Sam. Closs.

Solutio Galb. in ✠ non est de nihilo, præsertim ubi spiritus Galb. expetitur, omnium optimè fit oleum cæruleum ex catino ferreo ad latus inclinato, cum ☊ super tripodem terreum imponitur, deinde pertuso operculo obturatur, ita servantur gradus △, exitque primò spiritus, mox oleum, & balsamus empyreuma redolens.

3. Galbanetum i. e. Balsamum Galbanetum, seu spiritus Terebinth. Galbanetus.

℞. *Galban. trit.* ℔ ß. *Spirit. Terebinth.* ℔ 1. Digere ♂ aliquot, dein destilla ex cucurbita humili, vel ☊.

Vires. Summarum virium censetur in contractura ex colica, extrinsecus illitum.

N. Est & aliud Galbanum Theophrasti dictum.

℞. *Galban* ℔ ß. *Gumm. Hederæ* ℥ iij. trita seorsim, misce ac destilla per ☊m in arena, ℞to adde *Terebinthin.* ℔. 1. *Ol. laur. ac spic. ana* ℥ 1. destilla denuò.

Vires. Cephalicum est ac nevriticum insigne, contracturas ac morbos similes curans. *Med. destill. part.* 1.

4. Ceratum de Galbano, s. Ceratum Matricale. *Schroderus.*

Annotatio Hofmani Galbanum.) Est etiam Gummi, resinosum ex ferulâ Syriacâ galbaniferâ, quæ jam nostris etiam colitur in hortis, in Amano monte luxuriante defluxus, quod nonnulli Metopium appellant.

Optimum est cartilaginosum, syncerum, ad similitudinem Gummi Ammoniaci, in quo nonnihil ex ipsis ferulis adhuc admistum gravis odoris.

N. Ex hoc Balsamum matricale P. H. D. conficitur in Thesaur. Pharmaceutico n. 6. sect. 4.

GALBULUS, vid. *Cupressus.*

GALEGA.

Galega. Herbarijs cur dicatur ignoramus. C. B. quasi Gallica Fracastorio dicta putatur. Verùm Galega Italica vox est testibus Matthiolo, Dodonæo, alijs. Quod nomen apud veteres obtinuit non constat. A quibusdam rutæ nomen inditum ab effectu & viribus, non verò odore.

Galegæ notæ genericæ sunt flores spicati penduli reliquæ erectæ, teretes, tenues.

Nomina Galega *Lob. Ger. I. B.* vulgaris *C. B. Park.* ruta capraria *Gesn.*

Hinc indè per terram spargit tenues *radices*, albas; *Caules* verò tollit bicubitales, & altiores, striatos, inanes, ramis compluribus brachiatos. *Folia* Viciæ pinnata, impari alam claudente, longiora, spinulam mollem ex extremitate proferentia, sapore leguminaceo. *Flores* peculiaribus insident fercuĺis, ex foliorum alis exortis, viciæ multifloræ, jubam longam efficientes, colore albo, vel ex albo violaceo. *Siliquæ* teretes, tenues, longæ, erectæ, in quibus *semen.*

In Italia passim provenit, ad aquarum rivos præcipuè, &, ut aiunt, in Hispania. Clusius in Pannonia abundantissimam vidit, inter Muram & Dravum flumina, paullo supra eorum confluentes Radix multos annos durat.

Vires. Celeberrimum est Alexipharmacum ac sudoriferum, venenum, imprimis, pestilentiale, insigniter discutiens. Usus ejus præcipuus petechijs expellendis, alijsque morbis pestilentialibus, ipsaque peste

ſte curanda, in morbillis, in Epilepſia infantum (exhibetur ſucci cochl. 1.) in ictibus ſerpentum, in lumbricis, quos etiam extrinſecus applicata fugat. Eſtur & herba ipſa cruda vel cocta ad hos uſus *Schrod.*

Herba hæc, ſecus ac aliæ (Alexipharmacæ) citra ſaporem eſt, & inſuper qualitatibus primis temperata. *Idem* quod inprimis notabile eſt.

Galegæ planta tota, & totius illius aq. Stillatitia commendatur ad pellendos contagioſos, peſtilentes & malignos morbos, cujus adeo certa experimenta volunt nonnulli, ut qui Galegâ ſolum ſit inſtructus vindicari ab his malis certo queat.

Nobiliſſ. Vir, Patriæ ſuæ decus, *D. Robertus Boylius* in tractatu *de ſalubritate & inſalubritate aëris*, tres quatuorve paginas impendit Galegæ viribus celebrandis in peſtilentialibus & malignis morbis ex propria obſervatione & experientia; ut nos monuit *D. Tancred. Robinſon.*

Galegæ ſylveſtris ſuccus Epilepſiam ſanat. *D. Palmer* ex dictatis D. Hermanni: Quam plantam intelligat Galegæ ſylveſtris nomine non ſatis ſcio, fortè viciam ſylveſtrem multifloram.

Varias Galegæ præparationes ad uſus prædictos vide apud Hofmannum, Schroderum, & alios. *Raius in Hiſt. Plant.*

GALENA, vid. *Molybdena.*

GALEOPSIS.

Galeopſis, γαλίοψις vel γαλοψις. Qui galiophin ſcribunt per *i* à florum affigie galeata deducunt, quod ejus flores velut galeæ aſpectum referant. At quoniam hoc inuſitatum Græcis, præſertim veteribus, nomina Latina cùm Græcis componere. γαλήοψις potius per η ſcribendum eſt, à florum figura felis vel muſtelæ faciem & rictum quodammodo repræſentantes. Folijs urticæ, odore fœtido, ſeminibus minoribus, nigris ab Hormino diſtinguitur.

Nomina. Galeopſis legitima Dioſcoridis *Park.* vera vera *Germ. emac.* Gal. ſive urtica iners magna fœtidiſſima *I. B.* Lamium maximum ſylvaticum fœtidum *C. B.*

Radix ſub terra reptat, fibras tenues è geniculis ſubinde demittens. *Caules* indè exurgunt cubitales aut ſeſquicubitales, quadrati hirſuti, inanes, ramoſi *folia* ex adverſo bina, urticæ majoris nonnihil latiora, acuminata, innocua lanugine obſita, in ambitu ſerrata, pediculis longis inſident, ea etiam quæ in caule ſunt. In ſummis caulibus & ramulis *flores* in *ſpicas* longas, anguſtas, Verticillis non admodum crebris compoſitas digeſti, oblongi, cucullati, colore purpureo, concoloribus ſtaminibus, labello tamen albis lineis picturato, è calice quinque partito, brevi, patulo. Singulis floſculis ſuccedunt in imo calice quatuor *ſemina* mediocris magnitudinis, per maturitatem nigra folia ad verticillorum baſes exigua ſunt & anguſta. Odor totius plantæ fœtidus & ingratus admodum.

Æſtate floret: in ſepibus frequens.

Huic ſimile aliud folijs non ita amplis, ſed inferius incanis & lanuginoſis, (Lamium incanum dici poterit.) *Thal.* Parkinſono Galeopſis altera incana dicitur.

Vires. Hujus ſuccus cum aceto exhibitus valere dicitur adverſus hæmorrhoïdas; itemque ad diſcutiendas verrucas, tumores duros, quoſcunque panos, &c.

D. Bovvle herbæ decoctum ejuſve exſiccatæ pulverem commendat in affectibus lienis. *Raius in Hiſt. Plant.*

GALLERÆ, GALLÆ CUPRESSI, vid. *Cupreſſus.*

GALERITA, vid. *Alauta.*

GALLA, vid. ſub titulo *Quercus.*

GALLÆ CUPRESSI, vid. ſub titulo *Cupreſſus.*

GALLINA & GALLUS.

Avis hæc, Græcis Ἀλεκτρυών, & generali olim nomine ὄρνις dicta, adeo omnibus in terris nota & familiaris eſt ſemperque fuit, ut ei curioſius deſcribendæ diu inſiſtere omnino ſupervacaneum foret. Caudâ erectâ, pennis componentibus in angulum diſpoſitis criſtâ in vertice carneâ, nudâ, ſerratâ, paleis ſub mento dependentibus & calcaribus longiſſimis ab alijs omnibus ſuis generis avibus abundè diſtinguitur, & primò ſtatim aſpectu agnoſcitur. Gallus Gallinaceus è diurnis avibus ſolus, ſi Philomelam excipias, internoctu cantat, poſt mediam ſcilicet noctem duabus tribuſve vicibus per intervalla ante lucis ortum. Remiges pennæ in utravis ala, ſi omnes ad minimas uſque computes, viginti ſeptemſunt. Cauda quatuordecim pennis conſtat; quodhuc ſpeciei quantum novimus) peculiare eſt: nam reliquarum hujus generis quarum pennas numeravimus caudæ vel ſexdecim vel octodecim componuntur. Harum mediæ duæ in maribus longiſſimæ ſunt & eleganter reflexæ ſeu arcuatæ. Gallus Gallinaceus ſalaciſſimus cùm ſit brevi ſeneſcit, & ad coitum minus idoneus redditur: ſiquidem immoderato veneris uſu ſpiritibus exhauſtis, & conſumpto humido radicali quem vocant, corpus neceſſario areſcit & libidinis ardor extinguitur.

Aldrovandus experientiâ ſe didiciſſe ait, Gallos cùm trimatum excedunt; implere quidem Gallinas, ſed ad venerem impotentiores evadere. Gallinæ quoque cùm per maximam anni partem dietim plerunque ovâ edant, tot partibus non diu ſufficiunt, ſed poſt tres quatuorve plurimum annos ſteriles & effœtæ fiunt; delapſis enim quæ ovario ab initio inerant ſeminibus, parere deſinant neceſſe eſt, cùm nova intus non ſuboriantur. Quamdiu vivant hæ aves non conſtare arbitror; quamvis Aldrovandus decennio earum ætatem circumſcribat. Cùm enim emolumenti tantùm causâ alantur, & intra paucos ut diximus annos ad generationem ineptæ evadant quotuſque eſt qui eas ingratis abſque ulla lucri ſpe alere velit, ut experimentum tantùm capiat quamdiu poſſent durare? in ſuo tamen genere brevis ævi eſſe à ſalacitate & veneris intemperantia quæ corpus enervat & vires dejicit, rectè arguitur.

Galli cum aves magnanimæ ſunt & indomitæ, à noſtratibus ad pugnam diligenti cura & exacta victus ratione ali & præparari ſolent. Sunt autem frequentia per opida majora, non tamen ſtatis diebus ſed pro re nata indicta Gallorum certamina quandocunque ſcilicet voluerint vel inter ſe conſenſerint qui gallos alunt. Quinetiam theatra paſſim extructa ſunt in quibus exhibeantur hujuſmodi ſpectacula; ad quæ magno numero undique concurritur. Sponſiones deinde utrinque fiunt ingentis non rarò pretij, & inſana nummorum profuſione, ſummis immenſis, vel depoſitis vel pactis, quæ iis cedant quorum Galli victores evadunt, maxima partium contentione & ſolicita victoriæ expectatione certatur. Galli autem generoſiores cedere neſcij, mori quàm vinci aut ignominioſâ fugâ ſibi conſulere malunt.

Caro gallinacea pulli nimirum anniculi, aut capi bene

benè saginati meo sanè judicio primùm dignitatis locum sibi vendicat, nec Phasiani aut Perdicis carnibus bonitate cedit. Sunt tamen qui existimant, neque nos ab ea opinione alieni sumus, illas gallinas suavioris carnis esse, quæ cibo non abunde eis apposito, sed quem ipsæ pedibus fodientes eruant, non absque labore pastæ fuerint: illas autem minus probant quæ in caveis conclusæ & turundis in os inditis saginatæ sunt: imò nonnulli hac in re adeò curiosi sunt, ut eas etiam in partes seu membra salubriora existiment quæ maximè exercentur, ideoque in feris avibus alas, in domesticis cruscula præferunt.

Ovarij, uteri & vulvæ gallinaceæ anatomen & descriptionem vide apud Aldrovandum *tom.* 2. *pag.* 199. aut si adhuc exactiorem desideras Harvæi nostri de *Generatione* Exercitationes adeas. De coitu, partu, incubatu & exclusione ovorum iidem Harvæus & Aldrovandus consulendi, nec non Clariss. Marcellus Malpighius in libello de *ovo* qui omnium exactissimè processum generationis seu formationis & augmenti pulli in ovo per totum incubationis tempus observavit, descripsit & figuris illustravit. De carnium, ovorum, aliorumque omnium partium gallinacearum usibus in cibo & medicina Gesnerus & Aldrovandus abundè scripserunt.

Quod Leo Gallum expavescat, nec ejus aspectum ferat, quin cantu ipso terreatur, à priscis & recentioribus consensu unanimi traditum & receptum est, ejusque rationes variæ exquisitæ & assignatæ, cùm rem ipsam falsam esse experientiâ constet. Siquidem Leo ille quem Jacobus Rex in eadem area cum Gallo quodam concludi fecit, Gallum illico dilaniavit & deglutivit (ni memoria fallat, nam historiam illam olim legi apud Verulamium) certè multum abfuit ut eum exhorresceret, ullave formidinis signa ostenderet.

Semel atque iterum non sine voluptate & admiratione vidimus capum pullos gallinaceos matris more curantem, voce, scilicet glociente eos convocantem pascentem, & sub alis foventem, non minori στοργῇ quàm matres ipsæ solent. Ad quod officium præstandum eodem ferè modo institutum & invitatum accepimus, quem præscribit J. Baptista Porta *lib.* 4. *Magiæ nat. cap.* 26. Pectore scilicet deplumato cutem nudam urticis perfricando, quòd sub vesperam fiebat, unâ vel alterâ nocte post inflictas ab urticis plagas pullos ei (mansuefacto priùs & è manibus cibum capere edocto) substituendo, donec iis favere inciperet: an quia pruriginem ex urticarum morsu excitatam pulli capitibus suis demulceant, & quæritando miserum miseris succurrere cogant? Capus autem huic ministerio assuefactus ab opere non cessat, verùm adultioribus remotis recens exclusos pullos suppositos pari affectu prosequitur & curâ educat, donec omnibus vel adultis vel amotis ferias aliquandiu egerit.

Infinitus essem si quæ de hac ave dici possent singula persequerer; ejusve historiam plenam & accuratam conscribere vellem. Qui plura velit Aldrovandum consulat, cujus consilium fuit historiâ suâ omnia complecti, nec quicquam quod aut sibi cognitum aut ab alijs ante eum literis proditum fuit, omittere.

Gallinarum in Ornithologia sua plures species aut potius varietates exhibet Aldrovandus, nimirum 1. Gallinam Villaticam albam cristatam *lib.* 14. *cap.* 2. 2. Gallinam pumilionem, cui nimirum crura brevia sunt. Hanc varietatem nostrates etiam alunt. 3. Gallum Patavinum & Gallinam, quæ potiùs pulverariæ dicendæ sunt, à Pulverara vico aliquot milliaribus à Patavio distante, ubi habentur. Hæ vulgaribus majores sunt & speciosiores, nec alia in re differre videntur; unde etiam si in alias regiones transferuntur degenerant paulatim & ad indigenatum magnitudinem brevi contrahuntur; earum progeniem intellige non ipsas aves translatas. 4. Gallum & Gallinam pedibus hirsutis seu pennatis, ejusdem *lib. cap.* 5. 5. Gallum Turcicum & Gallinam, colorum varietate & pulchritudine præcipuè à nostratibus diversas, *cap.* 6. Gallum persicum & Gallinam quarum insigne est, quòd caudâ careant. Hoc genus à nostratibus alitur, & nonnullis *Rumkins* dicitur. Priores quinque varietates nostrâ sententiâ specie non differunt. Nam aves hæ pro ratione loci, victus aliorumque accidentium coloribus infinitùm variant, magnitudine quoque discrepant & cristis seu cirris vel donantur vel carent. Quas describit & depingit cap. 10. & 11. sub titulis *Galli alius indici & gallinæ indicæ cap.* 12. subtit. *aliarum duarum gallinarum indicarum*, aves ipse non vidit, sed earum imagines pictas tantum. Mihi autem semper suspectæ sunt ejus picturæ. Plerunque enim verarum avium icones non sunt, sed vel omnino fictitiæ vel ad libitum pictoris mutatæ, & adulteratæ.

Fabulam quoque omnino existimo Gallinam lanigeram, ejusque iconem fictitiam quam habemus apud Aldrovandum, eodem libro *cap.* 14. è charta quadam Geographica desumptam. Fortè Gallina crispa fuit quam Odoricus de foro Julij & Joannes de Mandreville lanigeram appellant. Certè *Emeu* avis esse videtur cujus meminit M. Paulus Venetus his verbis. *In Civitate* Quelinfu *in regno Mangi inveniuntur Gallinæ, quæ loco plumarum pilos habeant ut cati, nigri scilicet coloris, & ova optima pariunt.*

Præter has ab Aldrovando exhibitas, aliam adhuc Gallinæ sive speciem sive varietatem aliquoties vidimus à nostratibus Gallinam Frislandicam dictam; non ut ego arbitror, quoniam è Frislandia ad nos primùm delata fuit, sed quia pennæ per totum corpus crispæ sunt & velut concinnatæ, hoc enim vox *frisled* nobis valet, quâ avem hanc initio designatam puto per errorem vulgi postea corrupta ob vocum vicinitatem. Cùm enim Gallinam hanc exoticam esse scirent non aliunde rectius quàm à patria sua denominandam putarunt, indeque nimirum à Frislandia denominatam imaginârunt. Nec sanè probabili argumento destituebantur quo sibi persuaderent Frislandicæ eam originis esse, quòd scilicet plumæ frigoris vehementiâ per totum corpus inhorrescentes hac modo crispari viderentur. Verum hæc omnia ex conjectura. Hanc esse putamus quam in capite de monstris ultimo loco posuit Aldrovandus, cujus iconem à Pompilio Tagliaferro Parmensi ad se missam ait cum hac descriptione. *Scias* velim duo potissimum in hoc gallo reperiri admiratione digna. Primum & præcipuum est, quod alatum pennæ contrario quàm in alijs modo situantur, nam pars illarum prona, quæ ex naturæ præscripto in alijs interius vergit, in hoc exterior conspicitur; ita ut tota ala penitus inversa videatur. Alterum quòd cervicis plumulæ caput versus citri instar eriguntur; quorsum etiam tota cauda attolli conspicitur.

Gallina dissecta (præferunt nigram) sanguine adhuc calente imponitur capiti in phrenitide, cephalalgia, &c. Morsibus itidem venenatorum animalium simili ratione mederi aiunt anthracibus: imposita venenum elicit, nec prætereundum, quòd sanguinis eruptionem in vulneribus recentibus sistat.

Viva gallina (gallus) circà anum deplumata è bubonibus venenum extrahit (imposita.)

1. *Gelu*

1. *Gelu seu decoctum gelatinum gallinæ (veteris) insigne est nutritivum & corroborativum.* Fit autem ex carne gallinæ in frusta concisæ, additisque pedibus vituli, vervecis, aut carne bovina per se in diplomate horas aliquot (sex septemve) vase clauso cocta & expressa. Addi possunt aromata & aquæ cordiales prout libet.

2. *Jus Galli Veteris per se vim habet molliendi, & ob nitrosas partes quibus decrepitum illud animal præditum est, quæque fatigatione exaltatæ sunt, virtute pollet incidendi, abstergendi, alvum ciendi idque multò magis si medicamenta similium facultatum in eo incoquantur. Hinc celeberrimum est in dolore colico (coctum cum purgantibus & discutientibus,) in tussi tartaroque pulmonum (cum bechicis elixum) &c.* Paratur autem scilic. gallus antiquus (annorum 2. 3. 4.) fatigetur optime, donec lassitudine cadat. Hinc trucidetur, deplumetur, exenteretur, farciaturque medicamentis idoneis, coquaturque in liquor mensuris aquæ, donec caro ab ossibus ferè discedat; hinc coletur.

3. Cerebrum gallinæ vim habet incrassandi, fluxusque compescendi . e. g. fluxum alvi (*in vino sumptum*) gingivis ad dentitionem à mulieribus illinitur.

4. *Tunica interior ventriculi* extracta, siccata (ad solem) & pulverisata, singularem vim habet tum astringendi & corroborandi ventriculum, adeoque vomitum & fluxum alvi compescendi, tum & calculum comminuendi.

5. Testiculi deperditas in morbis vires mirificè restituere dicuntur: semen prolificum suppeditant, & venereas vires roborant (*recenter usurpati*) febribus itidem medentur *assumpti*.

6. Fel maculas cutis aufert (*illitum*) oculis convenit.

7. Pinguedo gallinarum & caponum calf. humect. emol. lenit, mediaque inter suillam & anserinam existit, harumque acrimoniam obtundit: convenit labiorum rimis, aurium doloribus, oculorum pustulis.

8. Guttur galli ustum & non consumptum, sed tostum & exiccatum, sub noctem ante cœnam exhibitum, proprietate sanat mictionem involuntariam nocturnam. *Solenand. s. 4. cons. 1.*

9. *Stercus* omnia eadem præstare aptum est, quæ columbinum, sed inefficacius, privatim tamen colico & uterino dolori convenit. Valet itidem ad icterum, calculum & urinæ suppressionem. N. Præstantius habetur id quod in stercore album est. Dosis ℨ. ß. mane ac vesperi diebus continuis 4. vel 5. exhibit. *Quercetan. Pharm. Ress. c. 21.* Extrinsecus exiccat achores capitis aliamque scabiem manantem (*cinis inspersus.*) Luteum stercus consolidat vesicæ exulcerationem, assatum in butyro recenti, vel oleo olivarum & conjectum in frigidam, ut sordes secedant, & liquor olei supernatet. *Hartman.*

10. *Ova* medicinæ exhibent testas, membranulas, albumen vitellumque. *Testæ* vim habent lithontripticam, tartareamque mucilaginem incidendi. *Membranulæ* vim habent diureticam intrinsecùs & extrinsecùs adhibitæ, præputioque imponuntur infantum.

Albumen vim habet refrigerandi, astringendi, agglutinandi, ususque crebri est in conglutinatione vulnerum (cum bolo commun.) in fracturis &c. Inservit & anacollematis. N. Hippocrates exhibet febrientibus albumina n. 3. aut 4. ad refrigerandum & egerendum.

Vitellum ovi vim habet anodynam maturandi, digerendi, laxandi, proinde usu crebertimus clysteribus immisceri; quin & cum salis tantillo mixtum infantum umbilico (in testa juglandis) imponi solet ad ciendam alvum. Paratur inde oleum, quod crebri usûs est in consolidatione vulnerum, rimarum, in maturatione tumorum, &c. *Willughbeius.*

GALLION.

Gallium Γάλλιον ἀπὸ τοῦ γάλα πηγνύειν ἀντὶ πυετίας, quòd coaguli vice lacti injectum illud cogat & inspisset, dicitur, testibus Dioscorid. Galeno & ipsa experientiâ.

Nomina. Gallium luteum *C. B. Ger. Park.* Gallium verum *J. B.*

Tractu contumaci *radiculâ* donatum est, longo tractu repente, tenui, lignosa, fuscâ, ex qua *virgulæ* surgunt dodrantales & cubitales, tenues, subhirsutæ (in apricis rubentes, & ut nobis videbatur quadratæ. *Folia* ad genicula ex intervallis radiatim caulem ambiunt longiora & angustiora quam Rubiæ sylv. lævis obscuro virore nitentia, novena plerumque. Ad singula etiam genicula bini plurimùm ramuli, in quibus ut & in summis caulibus flosculi copiosi, in racemulos digesti, lutei, quorum singuli quatuor foliolis stellarum radios imitatis constant succedentibus unicuique binis *seminibus.*

In pascuis siccioribus, apricis locis, inque collibus juxta margines agrorum passim provenit.

Vires. Gallium lac coagulandi vi pollere veteribus traditum, & experientiâ comprobatum est.

Gerardus nostras Cestrienses suos circa *Nantvicum* oppidum, ubi laudatissimus conficitur caseus, coagulo suo gallii lutei summitates immittere solere tradit, & multò pluris facere caseos eo coactos quam alios quoscunque. Sequentia D. Mart. Lister suggessit.

Acetum ex hac planta destillando elicuit D. Olaus Borrichius modum ipse describit his verbis.

Recentissimas Gallii lutei comas, defluente matutino rore sicciores, ad manipulos aliquot legi, lectasque cucurbitæ vitreæ recenti commisi, & nè quam ab aëre aut mora subirent mutationem, subito evulsas subito igne subjecto invitavi ad distillandum. Nec mora, surrexit stillatitius liquor primus, & is pœnè insipidus, odore tamen fragrantes Gallii flores non parum referens. Post unam circiter liquoris hujus unciam successit acetum non ingrati saporis ad ℥. propemodum 3. tandem validiori igne admoto subsecutum est cum liquore acido oleum flavum ad ℨ. penè 2. nec illud admodum ingrati odoris. Cùm verò operatio tota ab evulso flore ad acetum usque prolectatum paucis duntaxat horis duraverit, & miti destillatione peracta sit in arena, contiterit hinc abundè, opinor, spiritum hunc acidum tam promptè volatilem, lactisque coagulatorem flori Gallii adhuc crescenti verè inesse, nec aliorum more acetorum fermentationem præviam expectare, sed in flore statim ipso (quod raræ avis instar est) vim suam separatricem profiteri. Hoc acetum ferventi infusum lacti statim secretionem illam partium, quam ab infuso vulgari aceto experimur, procuravit.

Libuit experiri an ex floribus acetosæ summisque ejusdem foliis, ut Gallio ad linguæ fidem longe acidioribus, tale subito acetum destillando evocari posset: sed facto eodem modo experimento nil nisi insipidus liquor prolectum est, argumento evidenti longè subtilius & πνευματικώτερον acidum in Gallio quàm in acetosa habitare. *Tho. Bartholin. acta Medic. obs. 69.*

Herba aut pulvis ipsius hæmorrhagiam & sanguinis profluvia sistit, quod facit sanguinem incrassando & coagulando; commendaturque contra cancrum & cancrosa ulcera. Decoctum herbæ acopon censetur, lassitudinis utile. *Raius in Hist. Plant.*

Florem hujus plantæ in olivô copiosius infusum ac decoctum certissimum esse remedium extus applicandum membris convulsis aut ex punctu is contractis habuimus non ex unô locô, nunquam tamen ipsi de re sanctissimè nobis asserta à fide dignis experimentum sumpsimus.

GALLITRICUM, vid. *Horminum.*

GALLUS, vid. *Gallina.*

GARGARISMA.

Gargarisma est remedium formâ liquidum, quod ore contentum diù circa fauces agitatur.

Usus multiplex est.

Primò, ad trahendam pituitam, è cerebro, palato, faucibus, corpore ante remediis universalibus convenienter expurgato.

℞. Radic. pyrethri, ℨ. iij. liquirit. ℨ. j. ß. fol. salviæ, majoran. hyss. an. M. ß. passul. purgat. paria iij. flor. stœchad. p. j. Fiat decoct. in aquâ, colat. ad ℔. j. Fiat gargarisma, quo utatur manè jejuno ventriculo, os colluendo per semi horam.

Secundò, Ad sistendam inflammationem oris.

Gargarisma adstringens, & repellens in principio fluxionis, & inflammationis.

℞. Oxycrati ℔ ß. utatur pro gargarismate.

Vel.

℞. Aquarum plantaginis, rosar. caprifol. ana unc. ij salis prunellæ drachm. j. diamor. unc. j. Misce, fiat gargarisma.

Vel.

℞. Fol. plantaginis, lactucæ, bursæ pastoris ana M. j. summitat. rubi & rosarum rubrarum ana p. j. Fiat decoctio. Colat. ad ℔. j, adde aceti rosati ℥. ß. Fiat gargarisma.

In progressu miscenda sunt lenientia, ut liquiritiæ, passulæ, mel violatum.

In declinatione gargarisma detergens & resolvens.

℞. Fol. agrimon. hyssopi ana M. j. liquiritiæ contus. drachm. iij. passul purgat. paria iij. hordei integri p. j. Fiat decoct. col. ad ℔ j. dissolve mellis rosati ℥. ij. Fiat gargarisma.

Tertiò, Ad ulcera oris & faucium detergenda, & dolorem leniendum.

℞. Fol. plantaginis agrimon. bursæ pastoris ana M. j. hordei integri p. j. Fiat decoctio, Colaturæ ad libram j. dissolve mellis rosati vel syrupi de rosis siccis ℥. ij. Fiat gargarisma.

Quartò, Ad dolorem dentium.

℞ Radic. pentaphil. cyperi ana ℥. ß. fol. hederæ M. j. rosarum rubrarum p. j. Fiat decoctio in oxycrato, vel in aquâ & vino rubro. Colaturâ utatur pro gargarismate, & lotione gingivarum.

Quintò, Ad ardorem & acrimoniam oris temperandam, in febribus, vel in salivatione ab hydrargyrosi.

℞. Lactis, vel seri lactis ℔. ß. utatur pro lotione

Vel.

℞. Decocti pulli ℔ ß. ad eundem usum.

℞. Emulsionis amygdalarum dulcium extractæ cum aqua hordei ℔. ß. syrupi violati ℥. j. Fiat gargarisma.

Vel.

℞. Decocti hordei ℔ j. diamori & mellis rosat. ℥. j. Misce, &c.

De Injectionibus.

Injectio generaliter idem significat ac enema; in specie verò est illud omne remedium liquidum, quod per syringam in quascumque partes internas immittitur.

Materia injectionis pro variis partibus & affectibus diversa est. Paratur ex liquoribus, succis, aquis, decoctis; vel ex solis oleosis; vel ex pluribus eorum simul mixtis.

Usus multiplex est pro variis partibus & morbis.

Primò, in aurium affectibus ad dolorem & inflammationem mitigandum.

℞. Lactis recenter emulcti ℥. ij. liquoris albumin. ovi agitati detractâ spumâ, vel aquæ rosar. ℥. ß. Misce, fiat tepidè injectio in aurem.

Vel.

℞. Succi lactuc. & solani ana ℥. ß. olei amygdal. dulcium sine igne extract. ℥. ß. Misc. fiat injectio.

Si rumpatur abscessus paranda injectio detergens.

℞. Decocti hordei ℥. iv. mellis ros. ℥. j. Misce, fiat injectio.

Quando materia est crassa & frigida.

℞. Succi apii & porror. ana ℥. j. mellis rosati ℥. ß. fiat injectio, &c.

Ad gravem auditum.

℞. Olei anisi arte chymicâ extracti, vel caryophyllorum, gut. vj. per se, aut cum oleo amygdalarum dulcium, vel amararum, aut cum pauco lacte, Fiat injectio.

Secundò, In thoracis morbis, & vulneribus, pro empyemate, & vulneribus pectoris ad pus detergendum.

℞. Hordei integri p. j. fol. agr. plantag. pimpin. an. M. j. rasæ ℨ. ij flor. hyper. p. j. Fiat decoct. Colat. ad ℔. j. dissolve mell. ros. ℥. ij. Fiat injectio.

Tertiò, In uteri affectibus.

Injectio fit in uterum per syphonem, qui metrenchyta dicitur; pro virginibus nusquam præscribenda, pro puerperis & recenter enixis, dosis pro una vice est ad unc. iv. pro cæteris ad unc. iij. vel iv.

Ad dolorem & inflammationem sedandam.

℞. Aq. plantag solan. an. ℥iij. Fiat injectio.

Vel

℞. Succi plantag. solan an ℥iij. mucilag sem. cydonior. & psyll. j, extractæ in aquâ plantag. ℥ß. Misce, fiat injectio.

Vel

℞. Folior. lact. plantag. semperviv. an. M j. flor. nymph. p. j. Fiat decoct. Colat. ad ℔ß. dissol. salis prunell. ℨjß. Fiat injectio.

Ad tumorem uteri œdematosum, vel schirrosum.

℞. Rad. alth & lilior. an. ℥j. fol. malvæ, parietar. arthem. an. M. j. sem. lini, althææ an. unc. ß. flor. chamomill. p. i. Fiat decoct in aqua & vino albo, vel in jure omasorum. Colaturæ ad ℔j. dissolve olei lilior. & chamom. an. ℥j. Fiat injectio.

Quartò, Ad ulcus tergendum.

Si adsit acrimonia, ardor, dolor,

℞. Decocti hordei & seri lactis an. ℥ ij. mellis rosati ℥jß. Misce fiat injectio pro unâ vice sæpè iterandâ.

Si Ulcus sit simplex.

℞. Hordei integri p. j. fol agrim. plantag. sanicul. an. M. i flor hyperic. p. i. Fiat decoct. Colat. ad ℔i. dissolve mell. ros. ℥ij.

Si ulcus sit sordidum, & multis scateat excrementis injectio necessaria est efficaciùs detergens, modò non adsit dolor, vel hæmorrhagia, quæ à detergentibus acribus augerentur.

℞. Rad. ireos Florent. gentian. an. ℨiii. agrim. plantag. absinth. & marrub. an. M. j flor. hyper. p. i. Fiat decoct in sero lactis vel hydromellite. Colat. ad ℔j. dissolve succi apii, & mell. ros. an. ℥iß. Fiat injectio.

℞. Aquæ vel decoct. agrim. ℥ii. salis jovis ℨß. Fiat injectio.

Ad provocandos menses in frigidis, & obæsis, tum ad detersionem quandò pituitosis humoribus sordet uterus.

Utendum pro injectione aquis thermalibus, quales sunt Balerucanæ, præmissis sufficienter universalibus.

Quintò in vesicæ, & penis morbis.

Nota, non esse præscribendam injectionem, nisi priùs redditâ urinâ depleatur vesica.

Ad dolorem leniendum ab acrimonia, calculo, &c.

℞. Aquæ hord. ℥iij. olei amygdal. dulc. recenter extracti ℥iß. Misce fiat injectio.

Potest

Potest parari ex lacte tepido cum aqua hordei, vel ex mucil. semin. alth. & psyllij extract. cum aquâ sani & lilior. si adsit inflammatio.

℞. *Aquæ plantag. solan. an. ℥iij. camphoræ gr. iij.* Fiat injectio.

Vel

℞. *Fol. sempervi. lactuc. an. M. j. hordei integr. & flor. nymph, ana p. j. Fiat decoct. Colat. ad ℔ß. dissolv. salis prunell.* ʒi. Fiat injectio.

Ad ulcus detergendum.

℞. *Hord. integr. p. i. fol. plantag. ſanicul. millefol & absinth. an. M. ß. summit. hyperic. & rosar. rub. an. p. i. Fiat decoct. Colat. ad ℔i. dissol. mellis rosʃ. unc. ij.* Fiat injectio.

Si ulcus fit depascens, & fœtidum, sæpè etiam utere sequenti injectione.

℞. *Aquæ plant. ℥iv. collyr. Lanfranci* ʒß. *unguenti ægyptia.* ʒß. *vel præcipitat. rubri* ℈ii. Fiat injectio.

Si Ulcus sordidum sit, & scateat plurimis excrementis, utendum magis detergentibus, qualia suprà dicta sunt in ulcere uteri; sed fieri debet decoctio in aqua & vino albo; vel si magis roborandum sit, in vino rubro.

Sæpè etiam interjicienda sequens injectio.

℞. *Præcipitati rubri* ʒß. *vel unguent. ægyptiaci* ʒß. *aquæ plantag.* ℥iij. Fiat injectio.

Nota quòd aliquandò cum prædictis ulceribus adsit inflammatio, vel intemperies calida insignis, vel tumor aliquis callosus aut cancrosus: quo tempore non est agendum nimis exsiccantibus, & calidis, sed temperatis, anodynis, & refrigerantibus, dum præscribuntur universalia alterantia & evacuantia.

Ad exsiccandum, & consolidandum paratur ex modicè adstringentibus, & exsiccantibus, ut.

℞. *Rad. symphyti major. bistort. an. ℥i. fol. plantag. equiseti, polygon. an. M. i. granor. sumach. plantag. an. ʒii. summit. hyper. & rosar. rubr. an p. i. Fiat decoct. Colatur. ad ℔i. dissolve syrup. de rosis siccis ℥ii. salis saturni* ʒß. Fiat injectio.

Sæpè etiam dissolvi possunt in ℥iv. prædicti decocti trochiscor. Gordonij ʒij

Sextò, In ulceribus profundis, vel etiam fistulosis cæterarum partium, & cavitatum, quando detergendum & exsiccandum.

℞. *Radic. gentianæ, rhapont. & aristoloch. rotund. an. ʒiij. fol. pimpin. scabios. bugulæ an. M. j. pul. cancr. fluviatilium in nodulo positi ʒi. rosar. rubr. Mß. Coque in vino albo ad ℔j. Quo decocto fove ulcera, ter aut quater in die, & ex eo fiat injectio in fistulas per syringam.*

Si ulcus sit sordidum, dissolve in parte ejusdem decocti collyrium Lanfranci, ægyptiacum, præcipitatum rubrum, ut suprà. *Tencke.*

Faucium isthmo prospiciunt gargarismata, sive à motu tremulo, seu undulatione simul exercitâ, (sono, uno verbo,) dicta, seu ἀπὸ τοῦ γαργαρεῶνος à *gutture*, ab uvulâ ceu termino, illi enim alliduntur. Adeoque.

Gargarismata sunt medicamenta liquida pro collutione faucium alterandi & abstergendi potissimum fine facta.

Liquida sunt & quidem extemporanea, cum facilè aliàs corrumpantur, illa quippe sola collutioni apta, eluunt capacitatem faucium, & secum auferunt vel ejectioni aptant inibi inhærentia.

Materiam ergò agnoscunt unam in effectu, duplicem verò quoad præparationem; vel enim *fiunt ex solis aqueis*; & pro usu exigente in his solutis, uti toto die aquâ simplici collutio talis fit. Sic ex lacte calido commodum fit gargarisma, leniens, mitigans & emolliens, inprimis cum ficubus decocto. Sic simplex, ast commodum, gargarisma fit ex aqua simplici & nitro antimoniato, ʒß. circiter ad ℔j. recipiendo.

Sic ex aquis destillatis plantarum refrigerantium & nitrosarum communissimè fiunt, *prunellæ, plantaginis &c.* additis addendis, quæ solvi itidem queunt.

Vel ex decoctis cum aquâ simplici, inprimis ex plantis & ingredientibus pectoralibus, traumaticis, emollientibus & abstergentibus alijs, quarum præparatio sanè non differt ab alijs decoctis, nisi solo usu & fine huic parti appropriato.

Formam quoque non aliam sortiuntur eadem, quam decocta. Notabile tamen est, commodè ipsis jungi tum nitrosa, tum dulcia; illa alterandi & abstergendi, hæc demulcendi & leniendi unâ scopo, in neutris tamen nimis excedendum esse.

℞. ▽ *plantag. sedi maj. prunell. scabios. ã. ℥ij. vel iij.* ⊕ *diat.* ℥ij. *diamoron.* ʒvj. M.

℞. *Decoct. pro gargarism. Hartm.* ℔j. *lap. prunell.* ʒiij. *de jujub. myrtin. a.* ʒß. *mell. ros.* ʒij. M.

Usurpantur gargarismata ab ipso ægro 1. vel simplici collutione ore detinendo, vel 2. gargarisatio fit capite reflexo magis, ut penitius ferri versus postica queat, & retento tantisper spiritu, delapsum in œsophagum, ac asperam arteriam impediente; vel 3. si debilis fuerit idem, si parietes penitius & profundius affecti, per siphonem à chirurgo injiciuntur; ubi sunt, qui, ut *Simon Pauli* alicubi commendat, ex sambuco siphonem præferunt, ob virtutem ⊖-licam, utrobique, quocumque demum modo fiat applicatio, liquor non deglutitur, sed respuitur & ejicitur.

Liquor ipse vel calidus est, seu tepidus, quod in decoctis magis obtinet, vel frigidus, quod in aquis alijs variat. Frigidi magis alterant & repellunt, calidi magis mitigant, leniunt & rumpunt, absterguntque. Repellentia verò talia, inprimis fortiora aluminosa, in anginâ cautè & planè non usurpanda, de quo insignis est locus apud *Martian. comm. in Hipp. p.* 389. ubi eleganter non nisi discutientia tunc, nonnisi calida admittit.

Quoad *usum*, gargarismata pro apophlegmatismis & capite levando minus in usu, simplices eluitiones pro dentium dolore, gingivarum laxitate & putredine magis usurpantur, frequentius verò in affectibus faucium, sub quo nomine partes contentæ aliæ, lingua tonsillæ, uvula, larynx & pharynx latitudine quâdam comprehenduntur. Horum inflammationibus, tumoribus, ulceribus, laxitatibus, ardoribus unicè medentur, non omissis tamen internis. Hinc in anginâ, febribus ardentibus, dysenteriâ, sicubi, ut sæpè fit, fauces rubeant, doleantque, deglutitio sit difficilis, nigror adsit, officium faciunt. Oleosa temperata & mucilaginosa huc pertinent quoque, oleum amygdalorum dulcium, juscula avenacea ex leniter deglutiendis, substantificè quippe & efficaciter humectant. In lue item venereâ, ex decocto lignorum cum alijs prosunt. Summatim, abstergunt, alterant, & vias præstant liberas. *Wedelius.*

Gargarismata varia è Schrödero.

Diaclysma seu Gargarisma Odontalgicum & apophlegmatizans.

℞. *Piper. alb. long. cubeb. staphisagr. cort. mori, mandrag. ana ʒj. rad. pyrethr. ʒij.*

Contundantur & ex vino albo f. decoctum ad ℔j. In colatura dissolvatur tantillum aceti.

F. Diaclysma.

Diaclysma refrigerans.

℞. *Cancros viv. N. v. vi. vel viij. sedi major. M. iij. vel iv. Contunde & exprime succum.*

Vires. Maxime prodest in inflammatione oris & faucium.

Diaclysma ad gingivas.

♃. Aq Chelidon. min. bis destillat. ℥iv. *O usti* ʒj. *m. & si libet f. filtratura.*

Vires. Insignium virium est in gingivarum putredine.

Aliud.

♃. Aq. Chelidon. min. plantag. ana ℥iß. *cochlear.* ℥j. *extr. chelid. min.* ʒj. *mell. rosar.* ℥ß. *sp. vitr. g. vj. m.*

Vires. Vires easdem cum præcedenti obtinet, sed feliciores, præsertim in gingivarum putredine scorbutica.

Diaclysma seu Gargarismus antiscorbuticus S. Closs.

♃. Herb. cochlear. pyrol. becabung. nasturt. aquat. ana. mj. rad. aristol. rot. enul. camp. ana ℥j. *rhabarb. opt.* ℥ß. *baccar. laur.* ℥vi. *croci* ℈j. *zinz. b. alb.* ℥ *i.*

F. pulvis grossus: Maceretur per biduum in ℔ij. cerevis. veter. idque in diplomate, decoctum coletur.

Vires. Valet ad gingivas scorbuticas & sanguifluas. Patiens eo os colluat, ac mane & vesperi ℥ij. de eodem hauriat.

Diacl. Ad faucium inflammationem.

♃. Aq plantag. ℥ij. *rosar. acetos. ana* ℥i. *prunell* ℥ii. *rob diamor.* ℥ß. *sal. nit. præparat.* ʒß. *M. F. Gargarismus.*

Diacl. apophlegmatizans.

♃. Cort. rad. sambuc. ℥j. *rad. galang.* ʒß. *pyrethri.* ℈ii. *fol. betonic. origan. majoran. meliss. ana m j. cubebar.* ʒiß. *sem. sinap.* ʒi. *uvar. passar. m. i.*

Coquantur in vino vel aqua.

♃. Colatur. ℔iß. *præter propter. oxymel. scyllit.* ℥iij. *m. f. gargarismus.*

Vires. Phlegma à cerebro elicit.

Gargarismata è Pharm. Persica.

Gargarisma ad linguę gravedinem procedentem à phlegmate.

♃. Salis armoniaci, ʒiii. *zingiberis, salis Indi. Nigellæ, Pyrethri, staphisagriæ, Satureiæ, Hiera picra, iridis, ana* ʒvii. *nitri armeni, acori, ana* ʒv. *hyssopi, piperis longi, ana* ʒii.

Pulvis fiat, & ex melle, aut ex syrupo acetoso excipiatur; & f. gargarisma.

Gargarisma conferens ad ulcera gutturis.

♃. Aluminis, atramenti tinctorii, chartæ adustæ, gallarum viridium, thuris, ligustri foliorum, croci ana m. i. salis usti, salis armoniaci m. s.

Pulverentur, & cribrentur; & ex aceto f. gargarisma.

Gargarisma juvans pro linguæ gravamine; pro apoplexia, & paralysi.

♃. Staphisagriæ, sinapi, zingiberis, pyrethri, piperis longi, piperis, nitri Armeni, iridis, majoranæ, ana q. u.

Fiat pulvis, cribretur; & syrupo acetoso dulcoretur ad gargarisma.

Gargarisma ad lapsum Epiglottidis à causa humida.

♃. Balaustiorum, ʒvi. *aluminis scissilis, m. ii. salis gemmæ m. iiß. capitum seu apicum granatorum, seminis rosarum, ana* ʒiß.

Fiat pulveratio, & inde gargarisma ex Rob merorum.

Gargarismata, ex Joan. Michaelis operibus.

In resolutione linguæ.

♃. Herb. salv. chamædr. chamæpyth. ana mj. flor. primul. veris tunica, ana P. iii. rad. pyrethri ℥ß. *sem. anisi* ʒij *sinap. erucæ nasturtii ana* ʒi. *coq. in s. q.* ▽ *communis in vitro clau. o.*

Col. ♃. ℥vi. *in quibus dissolve mellis anthosati* ℥iß. ∽ *prim. veris Theriacal. ana* ʒi. D. S. *Tranck den Mund und Gaumen damit zu gurgeln.*

♃. Aq. lil. convall. cum vino ℥iv. *lavend.* ℥ii. ∽ *ceras. nigr. flor. prim. veris ana* ʒi. *sang. turturis calid.* ℥ß. *D. S.*

Potest etiam addi quinta essentia Matthioli.

In resecatione uvulæ:

♃. Herb uvular. mij. fol. pyr. sylv. mj. ros. rubr. p. iij. coq. in s. q. ▽ *com. Decocti.*

♃. Lib. j. adde o ʒij. *rob. diamor.* ℥i. *syr. de rosis siccis* ʒiij. *rob. acaciæ* ʒi. *m.*

In Exulceratione uvulæ in Lue Venereâ.

♃. Ras. ligni sancti ℥iß. *coq. in s. q. aq. com. in fine adde herb. Persic. mij.*

Col. ♃. Lib. j. adde syrup. de symph. Fernel. unc. ij De pro usu.

Vel *♃. Aq. lignor.* ℥vi. *vulner.* ℥iij. *syr. de ros. sicc. symph. Fernelii ana* ℥ii. *sacchari* ♄ *gr. xv.*

In Inflammatione faucium in morbô Hungaricô.

♃. Aq. prunellæ semperviv. ana ℥iv. *rob. diamoron.* ℥ß. ⏀ *præp.* ʒj.

♃. ▽ *prunell. rosarum sempe. vivi ana* ℥iii. *rob. diamoron* ℥i. *dianuc.* ℥ß. M.

♃. ▽ *contra anginam Guntermanni lib. j. rob. diamoron. dianu: um ana* ℥i. *d.* Vid. Hartmannus.

♃. ♋ *fluviat. n. viij. vel x. sedi major. m. iij.*

Contunde in mortariô & exprime succum, adde. *Syr. de syr. de semperviv.* ℥ii. *D*

In Morbô Ungaricô, certum experimentum est, quô nullum præstantius.

In Gustu depravato & abolitô ex Anginâ.

♃. Malv. hortensis Mi. herb. prunellæ veronicæ salviæ ana Mß. rad. polypod. quercini ʒii. *coq. in s. q. aq. fontana.*

Col. ♃. ℔j. adde ✝ *rosac.* ℥ii. M. Vid. Hartmanum.

In Inflammatione, asperitate & scabritie linguæ.

♃. Auriculæ (fung. samb.) ℥ß. *coq. in s. q.* ▽ *Prunellæ, sempervivi ana q. s.*

Col. ♃. lib. j. adde *syr. de sempervivô* ℥i. *rob. diamor.* ℥ß. M.

Pro infantibus fungi hi in cerevisiâ injici possunt.

Ad *ulcera oris & inflammationes* tanquam certissimum, citissimum & optimum remedium est decoctum pilosellæ in vinô, quod commendat Heurnius.

In gulæ tumoribus rubentibus decoctum lentis palustris cum lacte bubulo tanquam expertum medicamentum idem commendat.

In anginâ.

♃. Flor. malvæ arboresc. herb. scabios. ana. mj. rad. althææ ℥ß. *albi Græci* ʒvj. *coq. in s. q. Lactis bubuli.*

Col. ♃. Lib. j. M. S.

In Scorbuto Gingivarum.

♃. Aq. chelidon. min. bis destill. ʒvj. *syr. scelotyrb.* ℥j. ⊖ *usti* ʒj. M.

♃. Aq.

℞. Aq. chelidon. min. ℥vj. *tinct. flor. aquileg. laccæ ana* ʒii. *syr. flor. aquileg.* ℥i. M.

In catharris salsis.

℞. Flor. papav. rhœad. Mj. *ros. rubr.* Mß. *spong cynosb.* N.j. *rad. plantag.* ℥iß. *bistort.* ℥ß. *coq. in s. q. aq. com.*

Col. ℞. ℥viii. adde *syr. de papav. rhœad.* ℥i. *ros. siccis* ʒvi. M.

℞. Aq. Prunell. ℥iii. *laq. prunellæ* ℈i. *syr. viol.* ʒ'i. S. *Gurgelwasser.*

℞. Aq. plantag. prunellæ, cochlear. ana ℥i. *Mellis rosat. Diamoron ana* ℥ii. M.

℞. Rad. irid. Florent. ʒiß. *pyrethri* ʒß. *fol. origan. salviæ, stœchados, rorismarini ana* mß. *cubeb.* ʒiß. *liquirit.* ℥ß. *coq. in s. q. aq. & vini albi, colat.* adde *Oxymellis scillitici* ℥j. S. *Gurgelwasser, den Mund offt damit zu gurgeln und zu sprützen.* In Apoplexia.

Gargarismi varii ex Hadriani à Mynsicht Armamentariô Medico-Chymicô.

Gargarismus de Altheâ.

℞. Rad. altheæ ℥j. *malvæ* ℥ß. *Herb. violar fragar. hyssopi, salviæ ana* ʒiij. *Fol. persicorum, cerasorum ana* ʒij. *ras. ligni hederæ, albi Græci cum aquâ calend. præp. mellis saturni, ana Drach.* jß. *vitrioli martis, veneris ana Drach.* j. *Flor. calendulæ, malvæ arb. pâpav. errat. Prunellæ, ana Drach.* j.

Crassiusculè incisa & contusa misc. & coquantur in aq. Fontan. & aceti vini ana lib. is. ad tertias, & circa finem adde Rob. Sambuci q. s. ad gratiam.

Vires & Usus. Anginam & Apostemata gutturis, faucium, linguæ, uvæ & amygdalarum resolvit, inflammationes & transglutiendi difficultatem & dolorem sedat ac emendat: Sed patiens omni hora gargarizetur. Et notandum quod omnia gargarismata exhibenda sunt tepida.

Gargarismus de Glycyrrhiza.

℞. Rad. glycyrrhizæ rasæ, ℥j. *albi græci,* ʒij. *aluminis roch.* ʒj.

Coquantur parum in aq. plantag. rosarum, malvæ min. Prunellæ ana s. q. &

℞. Colaturæ, ℔j. *vini alb. unc.* iij. *diamoron. dianuc. ana* ʒjß.

Misc. & f. Gargarizatio.

Vires & Usus. In Angina desperata cæterisque oris & gutturis vitijs multum facit, si tepidè & frequenter in die æger eo utatur.

Gargarismus Lacteus.

℞. Lact. vaccini noviter mulsi, ℔ij. *albi græci,* ℥ß. *mellis rosat. cochl.* ij. *virid. æris.* ʒß.

Coquantur, & cum colatura f. gargarizatio.

Vires & Usus, In Angina efficax, est, necnon faucium, oris &c. tumores & dolores inhibet, ulcera deterget & consolidat, sed gargarisatio sæpè repetenda.

Gargarismus de Cortice granatorum.

℞. Cort. granator. ℥ß. *herb. endiviæ, scabiosæ, solatri, anagallid. querc. ana* ʒiij. *sem. acetosæ, cydoneor. gran. berber. ana* ʒii. *aluminis usti,* ʒiß. *flor. malvæ, arbor. rub. balaustiar. prunellæ, ana* ʒj.

Decoq. in aqua plantag. rosar. vini rub. Stiptici ana lib. j. ad tertias.

℞. Colaturæ claræ, ℔ij. *diamoron. dianuc. ana* ℥j. *syr. granator. mellis despum. aceti rosacei, ana unc.* j. *sp. nitri q. s. ad gratam acetositatem.*

Misc. & f. Gargarismus tepidè offerendus.

Vires & Usus. Anginæ maximè confert, quia tam in exstinctione inflammationum, quam resolutione apostematis, mirum in modum valet, & multam discussoriam vim habet, Gargarizatio autem frequentissimè repetatur.

Gargarismus de Auricula Judæ.

℞. Hordei excort. ℥ß. *rad. glycyrrhiz. rasæ, auric. Judæ incis. ana* ʒj. *flor. malvæ arbor. rub.* ʒj.

Coq. parum in s. q. aq. Plantaginis.

℞. Colaturæ claræ, ℔j. *syr. violarum,* ℥ij. *nitri præp.* ʒj.

Misc. pro gargarismate, quo colluatur os sæpius.

Vires & Usus. Contra inflammationem, siccitatem, asperitatem, scabritiem, rimas & fissuras linguæ, faucium, vicinarumque partium, quod à vaporibus calidis, acribus & putridis accidit in Febribus continuis, malignis, ardentibus &c. linguam & os exsiccantibus & quasi comburentibus, experimentum est.

Gargarismus de Tormentilla.

℞. tormentillæ, acori aquat. ana ℥j. *cort. granatorum, cort. rad. acatiæ, ana* ʒß. *balaustiarum, aluminis, ana* ʒiij. *herb. rorismarin. pentaphyll. vermicular. salviæ acut. plantaginis, hyssopi, ana* ʒij. *flor. calendulæ, rosar. rub. ana* ʒj.

Coq. in aq. fontan. & Aceti vini ana ℔iß. ad tertias, & in fine adde Mellis rosat. q. s. ad gratiam.

Vires & Usus. Oris scorbutum & Putredinem curat, gingivas à morbo aliquo læsas seu apostemate corruptas renovat. Dentes confirmat, illosque regenerata carne obducit. Casum uvulæ exaltat, & ad cætera depascentia oris, linguæ, uvulæ & tonsillarum vitia, ulcera inflammationes, proficit. Porrigitur tepide alternis vel singulis horis ad sanitatē perfectā.

Gargarismus de Pyrethro.

℞. Rad. Pyrethri ʒij. *olibani opt. zingib. alb. an.* ʒiß. *sem. Hyoscyami contusi, salviæ acut. an.* ʒj. *piperis longi,* ℈j

Coq. in Aceti vini & aq. fontan. an. ℔ß. pro gargarismate.

Vires & Usus. In Dentium doloribus præstans & valde efficax est: Habet enim vim anodynam. Æger autem sæpius eo quotidie utatur, donec acutissimi dolores & cruciatus placentur.

Gargarismus de Hyosciamo.

℞. Rad. Hyoscyami, ℥j. *urticæ min. pentaphyll. pyrethri.* ℥vi. *ras. lign. sancti, buxi, tamarisci, thuris alb. sem. staphidagriæ. an.* ℥ß. *cort granatorum, piperis longi, zingib. albi, caryophyllorum, an.* ℥ij. *herb. salviæ acut. serpilli, mentastri, persicariæ, origani, ana* ʒij.

Misc. & f. Pulvis grossus, qui reservetur usui. Tempore usus verò recipe hujus grossi pulveris ℥j. Aceti vini, aq. fontan. an. ℔j. Coquantur, & f. gargarizatio.

Vires & Usus. Colatura calida in ore retinenda est sic enim dentium dolores, etiam vehementissimos & acutissimos, sistit.

Gargarismus de Acacia.

℞. Acatiæ opt. & rect ℥ß. *nuc. cupress. balaustiar. malicorii, ana* ʒj. *herb. majoranæ, hyssopi, salviæ, ana* ʒiß. *rad. ireos flor. aluminis, an.* ʒ.... *glandium, rosar. rub. an.* ʒß.

Bulliant in vini rub. & aq. fol. quercin. an. s. q. ad tertiæ partis consumptionem,

℞. Colaturæ, ℔iß. *rub. nucum,* ℥ij. *sp. vitrioli,* ℈j.

Misc. & detur in fictili.

Vires & Usus Mobilitatem dentium aufert, eosque figit, & immobiles reddit, atque conservat. Dentes verò & gingivæ sæpè quotidie hoc decocto eluantur.

Gargarismus de Papavere.

℞. *Cap. papav. alb. cum semine, nu. iv. spong. in arbust. rosar. nat. nu. ij. rad. plantaginis, bistortæ, an.* ℥ß. *sem. nigellæ, flor. papav. errat. rosarum.*

Balaustior. ana ʒj. *Coq. in aq. lact. & rosar. ana s. q.*

℞. *Colaturæ* ℥xij. *syr. papaver. simpl. diacodij violati ana* ℥iß. *vini granator. tinct. papav. erratici ana* ℥j. *phlegm. aluminis rectif.* ℥ß. *m.* pro Gargarism. quòd in ore retinendum.

Hôc Gargarismate os sæpe colluatur, vel absque multâ agitatione in ore, ad intercipiendum acrem, tenuem, & calidum catarrhum, detineatur.

GARUM.

Garum seu Muria, Gallicè *Saumure* est liquor salsus in quo asservatæ sunt carnes quadrupedum, piscium aut aliorum animalium.

Valet in detergendis ulceribus veteribus, ut & contra rabidi morsum, ac gangrænam incipientem, item pro resolutione ac desiccatione. Eô autem foventur partes affectæ. Quidam etiam clysteribus immiscent pro hydrope ac Ischiade.

GARIOPHILLATA vid. *Caryophyllata.*

Hoc tantùm adjungemus quod illic omisimus scilicet vires caryophyllatæ non tantùm esse commendabiles in decoctô, sed etiam in ipsa radicis substantia, pro certo enim experimento habuimus à D. Boccone, quod radix hujus plantæ siccata, pulverata & ad ʒj. quantitatem aliquoties in vehiculo apto, vel etiam in bolo exhibita febres intermittentes fugat.

GARYOPHYLLI, vid. *Caryophylli.*

GATARIA, vid. *Mentha.*

GELATINA.

1. *Mucilagines ex viscosis extrahuntur, principaliter ex seminibus, & gummatibus, adæquatè ex radicibus.* Frequentissimæ scilicet sunt mucilagines paratæ ex semine lini, malvæ, cydoniorum, psyllii, quæ singula sunt mucilaginosa, item mucilago gummi tragacanthæ, Arabici, quæ extrahendæ veniunt aqueis menstruis, aquâ rosarum, sedi majoris, & pro circumstantiarum ratione, aliis refrigerantibus, vel simplici quoque ipsâ, aquea enim menstrua perfectè solvunt gummosa. Sunt verò & radices quædam gummosæ & mucaginosæ, ut in specie radix althææ & symphyti, quæ adeò glutinosa est, ut carnes quasi cum quibus coquitur, ipso *Dioscoridis lib.* 4. *cap.* 11. experimento, concrescere faciat. Imò leguminosa & farinacea quælibet secum habent mucilaginem alimentosam unde pultes conficiunt ex milio, oryzâ, hordeo, avenâ, cujus juscula apprimè faucium ardoribus in febribus ardentibus succurrunt, & mucilaginum instar sunt; pisis, & alijs similibus; quæ tamen magis ferè sunt culinaria & substantifica, firmum hinc nutrimentum largientia, seorsim verò non extrahi solita. Factâ verò infusione ferè solâ mucilagines fiunt, uti coctione in gelatinis & pulmentosis magis utimur, idque pro usu ferè extemporaneo.

2. *Quod mucilagines sunt ex regno vegetabili, id gelatina ex animali.* Utut enim ipsæ mucilagines paullò spissiores æmulentur galredas, &, si quis id urgeat, ita nominari queant, veluti notavimus quoque post destillationem spiritus sambuci citrati, si l. a. procedatur, concrescere in fundo cucurbitæ mucilaginem, etiam ex corticibus, instar gelatinæ; attamen proprium ferè subjectum galredarum sunt ossa, quæ uti γλισχρὸν illud seu mucaginosum coagulatum magis secum habent, ita infusione & coctione mollescunt, & hinc illud de se mittunt, quo ceu vinculo ablato pulverisari possunt, unde cornu cervi philosophicum nil aliud est quàm cornu gelatinâ suâ coctione cum aquâ maximam partem orbatum. Hinc extrahuntur vel aqueis, vel acidis, quæ sunt durabiliores paulò. Hinc conveniunt formâ tùm externâ, tùm internâ, magis tamen alimentosæ sunt quàm vegetabiles illæ, usu enim culinario quoque notæ sunt galredæ ex ossibus suillis cum parte carnium paratæ.

3. *Gelatinæ sunt vel dulces vel acidæ, utræque recentes, teneræ, liquabiles eligendæ.* Dulces sunt tùm per se, tùm additione moderatâ sacchari edulcatæ; acidæ additione aceti, vel succi citri q. s. ad gratiam. Id verò probè notandum est. Gelatina enim cornu cervi v. gr. dulcis ad confortandum, tussim ac raucedinem asperæ arteriæ magis expetitur, acida ad refrigerandum, unde non promiscuè sunt confundendæ. Tinguntur etiam pro lubitu colore rubello, addito quoque, si placet, succo berberum, vel ribium. Eligendæ verò 1. recentes, vetustæ enim mucescunt, & ingratum ac putidum saporem acquirunt; 2. teneræ & albicantes, non nigræ opacæ, duræ, cornu referentes, stomacho maximè ingratæ & infaustæ. Hinc cùm ante annos non ita multos suasu medici cujusdam illustrissimo puero, variolis decumbenti, gelatinæ cornu cervi magna admodum quantitas esset propinata, inde verò paullò ante mortem vomitus oborirentur nigricantes ferè, & colore æmulantes gelatinam, brevi spatio post moriente Principe, magna inde nominis jactura redundavit in eundem. Adeoque 3. liquabiles, totæ in ore ac linguâ & sponte quasi solvi aptæ, ut defluant delicato admodum sensu & gratiâ.

4. *Gelatinæ & mucilagines humectant, demulcent, temperant, sitim sedant.* Hinc mucilagines nobilissimum habent usum in siccitate & fissuris linguæ, ibi enim cum summa sit ariditas, & æstus Vesuvianus interna urat viscera, omnemque absumat humiditatem, substantifica requiritur humectatio, non transitoria, quæ à solis aquis oritur, unde eo casu præscribimus mucilaginem seminis psyllii, cydoniorum cum aquâ sedi majoris, prunellæ, nympheæ &c. extractam, addito nitro antimoniato seu lapide prunellæ, & sirupo violarum, rob nucum &c. cum penicillo inungendam. Gelatinæ item in febribus commodè sumuntur in hunc ipsum finem. Demulcent utraque etiam acrimoniam humorum, seri & bilis, quos obviscant quasi & incrassant tenuiores, unde mucilagines ingrediuntur looh seu linctus pectorales. Temperant fervorem sanguinis gelatinæ, ejusque consistentiam sartam tectam, ne diffluant plus justo fibræ, præstant. Sitim quoque sedant gelatinæ, ob dictas jam rationes, demulcendo non solum ventriculum, sed & pulmonum æstum, unde sitis oritur potissimum. His omnibus tamen non inviscandus ventriculus. Præstant quidem & gelatinæ hæ & alimentosæ aliæ insignem usum, ut fermentum depascens sanguinis in hecticis & phthisicis doment & obtundant, unde utiliter ijs præscribuntur: Vid. *Malpigh. apud Barthol. de usu pulm. diatr. p.* 117. ut etiam cochleæ, testudinata & similia alimenta, quæ difflari non tàm æquè possunt, sed roridum substantificum partium nectar solantur & reficiunt; Tacemus alios mucilaginum usus ad orbiculos, trochiscos &c. uti v. gr. Trochisci narcotici Plateri nobilissimi usus fiunt cum mucilagine tragacanthæ; Attamen in singulis ratio habenda est ventriculi, ne his ipsis fermentum ejusdē nimis obtundatur, vel parietes & tonus laxetur.

5. *Mucilagines in vase aneo nec coquendæ, nec adservandæ; exiccatæ verò ignobiliores.* Prius cavendum est, ne sale venereo vitriolico inquinentur, & corpori

pori noxam inferant certam, unde hoc ipsum quoque aliàs de decoctis in genere valet, neque enim ullum metallum liquoribus quibusvis suis characterem affricat tàm promtè, ac Venus. Læditur inde primùm ventriculus, inque vomitus, licet vano conatu sæpè, sollicitatur, quod intempestivum virus quantum pessundare possit debiles vires, dicere non attinet: cum verò facilè corrumpantur ob humiditatem copiosam, exsiccatione quidem huic succurritur, sed non citrà in mutationem manifestam, unde præstat in minori copiâ parare, & recentes dispensare. *Wedelius.*

Gelatina est succus inspissatus, purior, clariusculus, cum sacchato in scatulas effusus & congelatus. Et hinc Gelatina dicitur.

Parantur è fructibus nonnullis succulentis, tum è cornibus ac ossibus tenerioribus.

E fructibus.

♃. *Fructus, exprime succum, expressum coque & clarifica, (cum albumine ovi,) hinc addito saccharo inspissa sensim & effunde in scatulas.*

Aliter.

♃. *Fructus, coque in Aqua, decoctionem citra expressionem decanta, vel filtra, saccharumque addendo inspissa.*

E Cornibus & Ossibus tenuioribus fit sine Saccharo.

♃. *Rasur. cornuum ossiumvè* (vel eadem in fragmenta minutiora redacta,) *coque vel digere aliquamdiu in Aqu.* (commun. stillatitiave appropriata,) *hinc coque & filtra calide, coagulaque.*

N. *Quod si ossa & cornua nimis dura sint, acuari Aqua poterit liquore aliquo acido, verbi gratia, Spirit. Vitrioli. Acet. dist. & simil.*

Exemplo sit

Gelatiua ossium de corde cervi.

♃. *Rasur. ossium cordis cervi ℥ iij. Coq. in aq. & vini alb. ana ℔ i ß. per horas 6. aut 8. ad medias, deinde colentur, in colatura diss. sacch. opt. ℥ vj agitentur. Simul cum succi limon. ℥ ij. aq. rof ℥j. Dein recoquantur ad medias, addendo sub finem ambr. grisea seorsim in aq. rof. infus. ʒ ß. Tinctura cinnam. in vino fact. ʒ j.* Colentur & refrigerentur.

Sic fiunt.

Gelatina Cranii humani, cornu cervi, cytoniorum, eboris, pomorum, pyrorum, ribium, ungulæ alcis.

N. 1. *His immiscentur nonnunquam pulveres, vel Extracta, & simil. unde Gelatinæ compositæ, tùm alterantes, tùm purgantes, verbi gratia, Gelatina Cytoniorum purgans. vide lib. 4.*

N. 2. *Sunt qui Gelatinas Cytoniorum* Marmelatas *vocant, easque tùm simplices, tùm aromatisatas pro usu domestico parant, varii coloris.*

Gelatiua Cydoniorum seu Diacydoniorum pellucidum purgans, *ex D. D. Zuvelfero.*

♃. *Cydoniorum maturorum & mundatorum & in aliquot frusta majuscula conscissorum* No. XXX. *vel* XL. *Coquantur cum aqu. s. s. q. in vase terreo, vel alio stanno obducto, quo usque nonnihil mucilaginosum ast clarum reddatur decoctum, cui colato & aliquantulum expresso adde, nimirum ℔ iv. hujus mucilaginosi decocti, Sacchari canarini albiss. ℔. ij. & ad consistentiam gelatinæ percoque: Huic jam ab igne remotæ admisce resinæ scammonii & gialapii in spiritu vini rectificatiss. priùs solutor. ana ℥j. ʒi Et postquam probè mixta fuerint, spiritusque vini maximâ ex parte vel totaliter exhalarit, effunde gelatinam in exsculptas figuras plumbeas, priùs nonnihil madefactas: & ex his deinde immitte in scatulas oleo quodam grato fragranti inunctas.*

Educit bilem & pituitam pro delicatis, & iis qui pharmaca aversantur & respuunt, concinnatum. Dos. ʒij. ad ℥ß.

Gelatina Cydoniorum Simplex Mesuæ *ex Pharm. August.*

♃. *Succi cydoniorum medii saporis depurati* ℔. 12. *sacchari* ℔ 3. Coquantur ad justam consistentiam.

Adversus alvi profluvia efficax: Ventriculum & cætera viscera firmat, ac vomitionem prohibet.

Miva Cydoniorum Aromatica Nicolai, *ex Pharm. August.*

♃. *Succi cydoniorum depurati* ℔ 20. *sacchari* ℔. 6.

Clarificentur cum album. ovor. & coquantur ad consistentiam spissiorem, Pharmacopœo perito notam; quibus ab igne depositis misceatur sequens infusio.

♃. *Cinnamomi electi, cardamomi majoris ana* ʒ. 3. *caryophyllorum* ʒ. 2. *zingiberis mastiches, macis ana* ʒ. 1. ß. *croci* ʒ. 2. *ligni aloës* ʒ. 2. ß. *ambræ, moschi ana* ℈. 2.

Incisa & contusa macerentur per 24. horas in vini albi generosi ℔. 1. postea filtrentur.

Ventriculum frigidum & humidum, & à pituitosis humoribus laxum constringit: ob id diarrhœam indè causatam refrænat, præcipuè verò lienteriam cohibet, & concoctricis facultatis vires plurimùm auget.

Gelatinæ duæ ex Pharmac. Bateana.

Gelatina Corroborans.

♃. *Pedes 4. ovillos, 2. vitulinos. ras. ebor. Rad. satyr. ā ℥ij. virgæ Hippopot. ℥j. c. c. ʒx. fol. alchimil. bellid. ā mij. ▽ ont. ℔ x. coq. s. a. ad ℔. iij. f. colat. adde sacch. cand. alb. ℥ij. Refrigeret & resideat Gelatina, auferendo pinguedinem ac faces s. a.* Detur haustus manè cum Priap. cerv. cerv. pulv. ℈j. præmissis pilulis adstring.

Gelatina Ichthyocollæ.

♃. *Ichthyocoll. albis. incis. & contus. ℥. ij. ▽ ont. ℔. ij. coq. s. a. ad med. adde colaturæ Neogalact. ℔. j. sacch. cand. ℥. j.* Dos. ℔ j. bis in die. Ad profluvium album, Gonorrhœam, &c.

GEMMA PLANTÆ.

Gemma in Phytologia idem est quod oculus. Id scilicet quod in arboribus tumescit cum parere incipiunt. *Raius in Hist. Plant.*

GEMMA LAPIS, vid. *Lapis.*

GENICULUM.

Geniculnm est nodus quidam herbarum in caule. *Dale.*

GENICULATA, vid. *Sigillum Salomonis.*

GENISTA.

Genista à genu dicta putatur, vel quòd genu instar flexilis sit, vel quod genubus medeatur dolentibus.

Foliis in eodem pediculo ternis, viminibus tenuibus angulosis confertis ab aliis siliquosis & flore papilionaceo donatis plantis distinguitur.

Vires. De viribus genistæ sic breviter Schroderus. Genista vulgaris splenetica & nephritica censetur, hinc & hepatica. Calculum pellit, serosos humores educit, tàm

per vomitum, quàm per alvum, & urinas. Hinc usus ejus insignis in obstructionibus hepatis, lienis & mesenterii, adeoque in hydrope, catarrhis & arthriticis affectibus. In usu sunt flores, semina & summitates.

Folia, ramuli & summitates genistæ, cocta in vino, aut aqua, eorumve succus utilia sunt hydropicis, & omnibus obstructionibus renum & vesicæ; partim enim purgant omnes serosos & aquosos ac superfluos humores per alvum, partim per urinas. Eadem præstat semen, sumptum circiter pondere ʒj. *Dod.* Purgat genistæ semen non minùs potenter ferè quàm Spartium & Helleborus ℥ i ß. pondere ex hydromelite ventriculo jejuno sumptum. Quare ejus magnus est usus contra Podagram. *Matth.* Idem confirmat Lobelius, semine genistæ scopariæ vomitum non secus ac spartio Dioscor. sæpius ℥. 2. decocto propinato citra magnam contentionem se movisse scribens. Verùm flores recèns decerptos sæpissimè quàm plurimos & per se acetariis inditos vocat (inquit) plebecula Arverna & Aquitaniæ maximâ copiâ innocuos non modo sed etiam admodum gustui suaves, nec quicquam vomitionis nauseæve, aut commotionis movere solent. Quin apud Brabantos, & Anglos non minùs, gemmantes dum adhuc virides sunt condiuntur sale & aceto flores, mensisque inferuntur, Capparum olearumve pari commendatione. Creduntur enim non modo cordi vires, ac stomacho appetitum augere, sed etiam obstructiones reserare ac calculum frangere. Idcircò falluntur falluntque qui hosce flores officinis vomitioni ciendæ siccandos præcipiunt.

Hinc patet diversas partes ejusdem plantæ diversis imò planè contrariis facultatibus pollere. Eadem differentia observatur inter Betonicæ radices, ejusque folia & flores, ut in ejus historia monuimus. E contra lapathi semen alvum obstruit, folia subducunt.

Electuarium florum genistæ pulverisat. & melle rosato except. ad scrophulas expertum, si eo quis utatur continuè *D. Hulse* è MS nondum edito. Ego non multum auxilii inde expectem.

Pulvis seminum cum hydromelite exhibitus in liene tumido, hydrope, ictero utroque mira præstat.

Paratur ex genistæ ramulorum ac virgultorum aridorum & combustorum cinere cum vino tenui albo lixivium quod ad cachexiam & Leucophlegmatiam à nonnullis valdè celebratur, & potentèr quidem aquosos & serosos humores cum urina per vesicam expellit. *Cam.* Ego non multò plus sperem ab hoc lixivio quàm ab alterius cujuscunque fruticis. Verùm iis quæ de genista traduntur repugnat Casp. Hofmannus, si Germanica intelligatur. Quia (inquit) de semine ejusdem scimus habere, quidem ἐμετικόν τι, sed non quale Helleborus, verum ut Rhaphanus, oleum, ficus & alia talia, & quidem in tripla aut quadrupla dosi, quis non statim objiciat ampla illa encomia quæ genistæ nostrati ab ignaris dantur. Idem dicit de virgarum succo. Summâ, se libenter abstinere ait à genista, quia omnia quæ scribuntur incerta & dubia sunt. Verùm nos ei non penitus assentimur, cùm quæ de summitatibus & seminibus traduntur tot graves & fide dignos autores habeant nec putamus Italicam genistam tantum præstare Germanicæ quantum ille vult; imo vix omnino præstare catharticæ facultatis respectu crediderim.

Genistâ Arabicâ quæ à nostra diversa, planities ad montem Sinai oblitæ sunt quæ etiam in Arabiæ solitudinibus nascitur. *Bellon. obs* sed quid? (inquit C. Bauhinus) qui hanc quintam suam genistæ non spinosæ speciem facit. *Raius Hist. Plant.*

GENISTA HISPANICA, seu *Spartium non Spinosum.*

Nomina. Genista Hispanica *Ger.* juncea *J. B.* Spartum Hispanicum, frutex vulgare *Park.* Spartium arborescens seminibus lenti similibus *C. B.*

Frutex est ad 4. vel 5. cubitorum altitudinem excrescens, interdum minor. Vimina juncea, teretia, obsequiosa, viridantia, per quæ, dum floret & novella adhuc planta est, sparsa sunt rara quædam *folia*, decidua, oblonga, ramis concoloria ferè.

Flores in virgularum summitatibus multi, lutei, magni, aspectu læto, floribus similes Pisorum & Cicercularum, gustu dulces. Floribus succedunt *siliquæ* surrectæ, ℥. 4. vel 5. longæ, compressæ aliquantulum incurvæ, colore ferè castaneæ. In iis ad 20. circiter *semina*, vel pauciora, compressa, rubentia, lucida, lente minora, non ita circinata. Lentem potiùs referunt quàm Ervum aut Viciam, quicquid scribit Matthiolus. Sapor Leguminosus qualis pisorum.

Hanc plantam Dioscoridis spartium esse, Botanici peritiores consentiunt. Nec obstat quod Dioscorides Spartii virgas ἀφύλλας esse scribat: nam quamvis in hac primo exortu raris quibusdam foliis vestitæ sint, ea tamen brevi decidunt, ut maximam partem foliis vidua cernatur.

Cæterum ad Spartium Dioscoridis Plinii genistam omnino referendam esse existimat J. Bauhinus.

In Italia, Sicilia, & Gallia Narbonensi vulgatissima est. In hortis nostris ex semine facile provenit, nec multam curam aut culturam exigit, verùm celeri auctu ad frugem brevi pervenit.

Vires. Viribus cum genista vulgari convenit, quâ tamen efficacior est. Pituitam & serosos humores vomitu & dejectione valenter expurgat, unde hydropicis, ischiadicis, arthriticis opitulatur, urinam movet, & calculum in renibus frangit.

Hujus etiam flores, autore Dioscoride, cum aqua mulsa obolorum quinque pondere poti vomitiones faciunt: Cùm tamen genistæ vulgaris flores plenis discis multi in acetariis ex multo oleo vorent, nec quicquam nauseent. Oleum è floribus extrinsecùs illitum lienis tumores dissolvit. Flores quoque cum melle rosato aut ovo strumas. *Raius in Hist. Plant.*

GENISTELLA.

Nomina. Genista aculeata *Ger. Park.* aculeata foliosa *J. B* Spinosa minor germanica *C. B.*

Horridus frutex est genistella aculeata, genistâ trifoliâ angulosa minor, densis tamen ramis fruticans, in quibus *folia* hirsuta alterno positu nascuntur, genistæ vulgaris formâ acuminata: sed præter folia longis creberrimisque spinis minacibus armatur, majoresque spinæ minorum sobolem infesto mucrone pungentium è lateribus pariunt. *Flores* lutei, spicati, genistæ tinctoriæ vulgaris. *Semen* in exiguis siliquis. *Radix* lenta, & sublutea.

Botanici nostrates (Gerardus & Parkinsonus) plantam hanc cum genista minore aspalathoide imperitè confundunt.

In Germania passim occurrit, præsertim in arenosis, secus vias, &c.

Vires. Adstringentem cum amaritudine facultatem obtinet, ac proinde valenter & circa mordacitatem exsiccantem ut rem in pauca contraham (inquit J. Bauhinus) idem genistella quod Hippuris potest. *Raius in Hist. Plant.*

GENTIANA.

Gentium Illyricorum regem omnes hujus herbæ inventorem faciunt, eique nomen suum imposuisse aiunt.

Gentianæ notæ genericæ sunt folia nervosa in caulibus ex adverso bina, flores calathoides, margine in lacinias aliquot totidem folia imitantes plerunque diviso, sapor amarus.

Vires gentianæ majoris. Radix hujus plantæ (quæ præcipuè in usu est), alexipharmaca censetur. Usus præcipuè in peste aliisque venenatis affectibus; in obstru-

obstructione epatis & lieni, &c. & hinc in hydrope, tum in suffocatione uteri, in i becillitate ventriculi, lumbrici, febribus intermittentibus, morsu canis rabidi, &c.

Extrinsecus adhibetur creberrimè in vulneribus ac fonticulis mundificandis, in morsu canis rabidi arcendo;(cum Theriaco imposita) *Schroderus*. Chirurgi ex ea efficium turundas ad ulcera & vulnera dilatanda. *D. Palmer*.

Ad canis rabidi morsum & ad ventriculi imbecillitatem exhibetur radicis pulvis è vino potandus. Ad febres pellendas aqua destillata, vel succus inspissatus magnitudine castaneæ aut nucis juglandis, (dimidium ejus uno die, alterum postridie) deglutiendus. *Schroderus* succum hunc creberrimi esse usus scribit in febribus intermittentibus, in quibus ante paroxysmum à ℥. ß. ad ℥. j. aut ℈.iv. exhibetur cum felici successu.

Gentiana & solitaria & (vetus experimentum tentantibus) tantillo nucis vomicæ sociata nobis quoque olim in gregariis haud parùm certa, æquivalens aut constantius quid quàm nunc carior illa china chinæ seu pulvis patrum præstitit. Dan. Ludovicus de Pharmac. moderno seculo applicanda, p. 257. communicavit *Dom. Tancred. Robinson*. Dolæus lib. 3. cap. 12. S.12. Inter febrifuga Chinæ de China à plerisque æquiparari gentianam scribit, quæ item cum vino exhiberi potest, vel in forma extracti in pilulis, vel in decocto.

Putredinis gentiana hostis infestissima & veneni mors (inquit Lobelius) pesti adeò præsens remedium, ut non modò homini sed etiam brutis, incolumitatem tueatur, & amissam restaurat, eoque solita Helvetia istam cum flammula porcis propinare ne anima in vivo cadavere puteret.

Simlerus in descriptione Alpium refert pastores uti gentianis ad ubera vaccarum, si à muribus araneis aut aliis bestiis venenatis lædantur.

Puer quidam integro anno cœcus rad. gentianæ incisæ & in vino ad dimidiæ partis consumptionem coctæ decocto oculis siphunculo injecto manè, per 3. vel 4. dies, convaluit. Oculos autem vellicabat & dolorem excitabat. Ex observ. Reusneri à Velschio editis excerpsit.

Vires gentianæ minoris. Hujus radices recentioribus magnis laudibus efferuntur contra pestilentiam, & venenosorum animalium ictus. Matthiolus radicem tusam & ventri emplastri modo impositam ad vermes intestinorum, remedium expertum affirmat, nec non ad strumas ulceratas sanandas eodem modo tusam quæ nuper effosa sit, vel siccam in pulverem contritam valere.

Cùm autem sit & foliis & radice verisimile est eadem præstare quæ reliqua amara. *Raius in Hist. Plant.*

GERANIUM

Geranium à gruini capitis & rostri imagine quæ summo ejus plantæ capitulo inest, aptissima similitudine dicitur: nec aliam quærere necesse est notam geranii characteristicam quàm vasculum pentacoccum rostratum, quo ab omnibus cujuscunque generis plantis distinguitur, si addas florem pentapetalon.

Geranium Robertianum propriè est in usu Medicô.

Vires geranii Robertiani. Valdè vulnerarium est geranium tùm Columbinum, tum Robertianum, tam potionibus vulnerariis inditum, quàm exteriùs applicatum. Fluxum sanguinis sistit, ipsumque sanguinem coagulatum resolvit: vulnera quoque & ulcera mundificat calculum vesicæ & arenulas pellit, colicos dolores sedat, autore Lobelio. Decoctum in vino arthriticos dolores lenit (in fomentis) Ad herniam & rupturam commendatur.

Usus est vulgò ad erysipelata, ad oris, mammarum, & pudendorum ulcera & vulnera. Rarò intus assumitur ob frigiditatem. *Fuchs. Vix credo plantam frigidam esse posse à quo odor adeò vehemens, teter & ingratus exhalat.*

Simplex decoctum geranii robertiani mammis cancrosis applicatur sæpe non infelici successu. *Fabr. Hildan. Chirurg.* Relatum est mihi de cancrosa quadam unicum habere solatium in dolore ab aqua hujus. *C. Hofman. de Med. Offiin.* Decoctum pastores præbent jumentis cruenta mingentibus. *Raius in Hist. Plant.*

GERSA, idem quod *Fæcula*.

GESMINUM, vid. *Jasminum*.

GHITTA JEMOU, vid. *Gummi Gutta*.

GILLA, vid. *Vitriolum*, sub titulô *Sal*.

GINGIBER, vid. *Zingiber*.

GINGIDIUM, vid. *Lepidium*.

GITH, vid. *Nigella*.

GLADIOLUS.

Gladiolus à foliorum formâ dictus, Dioscoridi ξίφιον, foliis ensiformibus, floribus in singulis caulibus pluribus longa serie & forma peculiari à congeneribus distinguitur. *Raius in Hist. Plant.*

Duæ præcipuæ Gladioli species, quarum utraque vires possidet incidentes, digestivas, aperitivas ac suppurantes. Eô autem uti libet tum extus, tum intus.

GLANS.

Glans dicitur quod cortice constat crustoso unicum tantùm semen continens, cujus pars posterior, quæ arbori adhæret, calyce proximè cooperitur, parte superiore nuda. *Spigel. Isag.* rectiùs glans dicitur ipse fructus calyce contentus. *Raius in Hist. Plant.*

GLANS SUBDITITIA, vid. *Suppositorium*.

GLANS UNGUENTARIA, vid. *Ben*.

GLASTUM.

Glastum Latinis, *Vitruvio*, *Mela*, *Cæsare & Marcello Empirico* Testibus, vitrum dicebatur. Vitrum ideò à Latinum dictum existimo quòd Gallis & Britannis antiquis *Glassa* diceretur, quod vitrum rectè interpretati sunt. Glassa autem fortè dicta est à colore vitreo seu ὑαλινῳ.

Glasti notæ sunt folia ad tingendum utilia, siliquæ compressæ, latæ, pendulæ, per maturitatem nigræ *Linguam avis* dictam imitantur.

Nomina. Glastum sativum *Ger. Park.* Isatis sativa vel latifolia *C. B.* sive glastum sativum *J. B.*

Pollicaris seu radix albida & lignosa ad cubitum & sesquicubitum descendit, inquit J. Bauhinus. *Caules* surrigit minimi digiti crassitie, bicubitales, rigidos, teretes, læves subrubentes, in summo valdè ramosos; *Foliis* creberrimis, nullo ordine positis vestitos. *Flores* in ramulis lutei, crebri, exigui, quatuor foliolis longiusculis, obtusis, minimè bifidis compositi, pediculis longis, tenuibus subnixi (J. Bauhinus octo folio flori tribuit, verùm quatuor illa quæ minora vocat calicis sunt non floris) *stamina* lutea exigua. Capsulæ seminum per maturitatem nigricantes, latæ, obtusæ, *linguæ avis* similes sed minores, costa longitudinem percurrente, secundam etiam aperiuntur, singulæ singula semina flavicantia continent. Ob pediculo um tenui-

tenuitatem capsulæ deorsum dependent ac si pilis appensæ forent. Folia ima ad Cynoglossum accedunt, nonnihil glauca, oblonga, glabra. Quædam tamen ex prioribus interdum hirsuta, inquit *J. Bauhinus*, ac etiam nonnunquam sinuata, ad Hesperidis folia accedentia. Quæ in caulibus & ramis nullo pediculo interveniente adnascuntur, pinnatis barbulis ad basin donata, oblonga, angusta, in acumen desinentia, glauca, glabra, quædam tamen ex inferioribus aversa parte ad margines præsertim & nervum medium rarioribus pilis hirsuta. Tum caules tum folia glauco quodam polline obducta sunt, quæ facilè detergi potest. Secundo à satione anno cauleſcit & floret, & postquam semen perfecerit radicitus exarescit, semine deciduo se renovans.

Seritur in Mediterraneis Angliæ. Sylvestris à sativo nonnisi cultura differre videtur.

De Isatidis cultura & præparatione ad lanas tingendas integrum librum scripsit Henricus Crolachius.

Vires & Usus. Glastum facillimè & copiosissimè præbet salem volatilem, imò sine igne, egregii usus in Scorbuto & Angina. Hæc planta multò meliùs tingit lanas quàm *Indigo*, quod admixtione salis corrosivum evadit. *Wedelius de sale volatili plantarum.*

De cultura & præparatione Isatidis lubet huc transferre quæ habet *Wedelius* loco citato.

Optimè inquit crescit iis in arvis, quibus priùs linum satum fuerat; sin minùs antecessore hoc gaudeat; stercorari eadem probè postulant.

Alterutro horum facto, aut foditur terra ad sationem, aut aratro ad id aptato quadri jugali profundiùs aratur. Sin communi aratro præstare id libuerit, lentè festinandum est, morâ enim eget.

Quod Autumno aratro præparatum est arvum hyemalibus feriis ad purificationis Mariæ festum relinquitur uberi irrigationi.

Semen ipsum perindè est, recens ne an vetustum sit, modò non fumi accessione (quod notabile est) corruptum fuerit.

Post festum purificationis, molliori cœlo, seritur, & ex voto quidem magis modicâ nive posita, & ea quidem cautione, nè densè nimis satio fiat.

Elapso uno alteroque die, quæ mora non de nihilo est, studiosè mediante occasione, terrâ obtegitur.

Post Pentecosten diligenter repurganda ab aliis herbis.

Post festum S. Joannis ad primam messem maturescit: cùm extima folia flavedinem præseferunt, vel metus est flores ipsum meditari, ferro ad id parato in terra herba detruncatur in cumulum hinc colligitur & ad loturam fertur.

Factâ lotione pabone ad locum aptum mittitur, sparsim dispergitur, & vertendo siccatur: marcor hic seu colono, si minor fiat & superficiarie, seu emtori, si justus, lucrum fœnerat, illi quidem aucto globulorum numero, huic meliori præparatione. Sin inconstans tempestas minùs faveat, ut modò siccetur, modò imbribus irrigetur, quæ liberari ab extraneo humore debebat, periculum subit corruptionis, & testis hujus, nigredinis, quod sæpe unica nocte contingit.

Assumpta superflua humiditate congeritur, & trusatilibus molis infertur. A conquassatione seu comminutione & tritura hæc, quibus quidem succulentis adhucconvenit, in acervum obtusum seu rotundum compingitur, superna parte tecta pro arcenda pluvia, circa latera, verò ventilabra fabricantur, ut herbacea sanies residua per noctem excludatur.

Abacto liquore digeritur in magnos globos, & tecto parulo ad id facto, ad machinam illam vecta imponitur, ut siccetur, adeò omni studio superflua humiditas abigitur, nè in putrilaginem fatiscat. Relinqui hîc loci potest, quamdiu id fert occasio; aut globuli jam leniter exsiccati propriæ inferri domui, vel ad ulteriorem præparationem mercatoribus vendi possunt.

Globuli enim hi, quos sexagenos vendi videas, tabulatis ingesti & accumulati, sensim incalescunt, & urinosum sal volatile de se exhalant, eò citiùs quo calor ambientis æstivo tempore, & eorum copia major; illud verò non solùm quo continentur spatium, sed totam sæpe domum & vicinas odore suo replet. Tandem aquâ etiam affusâ magis intenditur calor, donec non in cineres, ut quidam volunt, sed pulverem grossum tinctorum usibus aptum fatiscat, quod hinc Glastum κατ' ἐξοχὴν seu præparatum audit.

Secunda vice propullulans, non, uti prius, solicitis unguiculis ab immixtis aliis herbis repurgatur, sed oves in agrum mittuntur ut pasti interitto hoc gramine repurgent isatidem, neque enim illi vel esu nocent, vel conculcando in terram, nisi pastoris negligentiâ diutius ac par est inhæreant agro.

Exactis sex septimanis à prima messe denuò ut superiori tempore detruncatur, & iterum elapsis totidem hebdomadis, si cœlum autumnale faveat, tertiâ vice; licet hæc minori bonitatis notâ, tum ob caloris solaris digerentis insufficientiam, tum ob tempus loturæ minus aptum.

Sequenti anno iisdem arvis, quæ prius isatidem tulerant hordeum inseritur.

Sin semina desiderantur, tertia Messe pars intacta relinquitur, unde vertente anno in semen exit. Hactenus. *Wedelius.*

Nostrates in præparando Glasto methodum hanc non per omnia observant, ut ab amico, quem super hanc rem consului, certior factus sum.

Seritur circa initium Martij apud nos, solo pingui, calido & benè stercorato; circa medium Maium seriùs citiùsve pro anni temperie & herbæ maturitate decerpitur.

Quamprimum demetitur ad molam ilico defertur & molendo comminuitur tandiu donec in globulos formari aptum sit absque ulla mixtura.

Globos hosce craticulis vimineis imponunt ad exsiccandum; cùmque penitus sicca evaserint, molæ iterum subjiciunt & in pulverem quàm possunt subtilem comminuunt.

Pulverisatum in area complanata, seu tabulato in acervum componunt, & copiosâ aquâ affusâ irrigant seu madefaciunt, donec concalescat & vaporem emittat, adeoque per plures septimanas calentem & effumigantem sinunt ut paulatim maceretur & maturescat, humore aqueo evaporante medicamentoso concocto. Ad calorem moderandum nè nimis invalescat, per tres, quatuorve hebdomadas palâ quotidie versant; mucedinem autem inter exsiccandum & canitiem contrahit, quam iterum deponit, antequam plenam maturitatem adipiscitur, perfectum saccis inferciunt, & divendunt.

Æstate calidâ & serena succo meliùs concocto ad pigmentum conficiendum nobilius & præstantius evadit; pluviâ autem & humidâ folijs magis luxuriat, & uberiore proventu ferentem dicat cùm citâ regerminatione ad quatuor aut etiam quinque messes eâdem æstate adolescat. Prima messis omnium præstantissima habetur, reliquæ ordine, sequentes antecedentibus, deteriores.

Glastum autem non solùm colorem cœruleum de se præbet, verùm aliorum ferè omnium colorum basis & fundamentum est. Verùm pro instituti nostri ratione de Isatide satis: qui plura desiderat (nec enim hæc ad artis hujus prorsus rudem & ignarum instruendum sufficiunt) eos consulat qui hanc materiam ex professo tractârunt, nimirũ Crolachiũ prædictũ, & Auctore anonymum *Artis Agricult.* Anglice conscriptæ.

Joan-

Joanni Bodæo à Stapel non assentio agrum Glasti proventu non emaciari, sed lætificari potius, quamvis frumento producendo magis fortasse idoneum evadat: nec enim triticum solo valdè opulento satum fortissimum est; siquidem foliis & culmis supra modum luxurians vim omnem in ea effundit, nec granorum admodum ferax est, neque plena & farina prægnantia procreat. *Raius in Hist. Plant.*

GLASTUM INDICUM.

Nomina. Nil sive anil, glastum indicum *Park.* Coluteæ foliis Anil nominatum *J. B. Herva de Anil* Lusitanis *Marggr.* Phaseolus Americanus vel Brasilianus *6. C. B.* at perperam Phaseolum vocat. Ameri *Hort. Mal.* Polygala Indica frutescens *Hermanni.*

Qualisnam planta sit ex qua *Indigo* vulgò dicta conficitur inter Botanicos non convenit. Verior sententia est fruticem leguminosum esse, coluteæ affinem. J. Bauhinus quos habuit ramulos pedales similes ferè ramis Cytisi siliqua lata fuisse scribit, rigidulos, incanos ac ferè argenteos in folia divisos Coluteæ vulgaris, ovata, glaucæ, quinque folia communiter, rariùs trifolia ex communi costa incana. *D. Finchius* apud Parkinsonum folia *sennæ* ei attribuit, sed breviora & latiora, qualia & Parkinsoni icon repræsentat. Marggravius *Anil* plantam sic describit.

Ex radice gracili longa, in multos ramis distributa lignosa ac lenta plures assurgunt *caules* duos, tres & quandoque plures pedes longi, teretes, humi serpentes, & hinc inde filamentis in terram demissis se firmantes, versùs extremitatem autem se surrigentes: ex hisce maximam partem jacentibus caulibus alii plures in altitudinem assurgunt, ex quolibet octo, novem, sæpius & decem, itidem teretes, lignosi, uno latere paulùm rufescentes. *Caules* ornantur ramulis unum digitum longis, alternata serie dispositis, & quilibet habet septem cinerascentia foliola, bina sibi opposita, & extremum solum. Foliola in medio secundùm longitudinem nervulum habent, non serrata, similia foliis trifolii corniculati *Dod.* Juxta ramulos enascuntur breves pediculi, & in iis *flosculi* quatuor, quinque, sex aut plures, planè parvuli, purpurei cum albo diluti, figurâ cassidis apertæ, ut in Hederâ terrestri vel urtica mortua, odoris jucundi.

Malè comparat flores hujus plantæ floribus Hederæ terrestris aut Lamii, cùm hujus flores proculdubio papilionacei sunt.

Fr. Hernandez stipites multos, sex cubitos longos, ac minimum digitum crassos ei attribuit, coloris cinerei, læves; *Folia* Ciceris; *Flores* ex albo rubescentes, siliquas asservatim cauli appensas ascaridibus crassiusculis similes, semine nigro plenas, sapore nonnihil amaro & leguminoso.

Parkinsonus fruticem hunc *Sesban* Alpini affinem facit; *siliquis* teretibus, *uncialibus*, fœnugræci *seminibus*, sed utraque extremitate acutioribus.

Siliquula Anil quam Terentius ad C. Bauhinum transmisit angusta erat, vix uncialis, cui grana aliquot exigua, subviridia cum hilo albo in medio, ut in Phaseolis, inerant.

Cùm ergo in florum colore, & siliquarum parvitate consentiant hi autores, unam & eandem plantæ speciem esse quàm describunt mihi persuadeo: quamvis in descriptione foliorum non benè conveniant. Nec diversam esse puto quam sub *Ameri* titulo proponunt & describunt *Horti Malabarici* Autores pro arboris specie, cùm tamen hæc planta vix frutex, nedum arbor censenda est, siquidem duos duntaxat (Finchius apud Parkinsonum tres annos durare scribit) annos vivat, ut Hermandez asserere videtur. In magnitudine certè insignis est differentia: quocirca Ameri descriptionem subjiciemus.

Arbuscula est altitudine humana, brachii crassitie, ligno duro, ramis maximè transversis, *Foliis* alatis, è quinque aut septem pinnarum mediæ costæ adnaxarum conjugationibus compositis cum impari in extrema casta folio; sunt autem singulæ pinnæ seu foliola oblongo-rotunda, texturâ tenui & densa, nervo, medium percurrente aversa parte, elato, nullas, saltem conspicuas, venas emittente, colore ex viridi subcæruleo, parte adversâ obscuriore, aversâ clariore, sapore subamaro, & languido ardore, diutiùs masticata. *Flores* in brevibus surculis è foliorum sinubus exeuntibus plures simul spicatim aggregati, parvi, papilionacei, quatuor petalis compositi, quorum inferius & carinatum stylum viridem occultans viride, lateralia duo angusta, interiora saturo rosaceo rubore tincta, superius & Clypearum reflexum est ac viridi dilutum. Sunt autem flores odoris nullius. Calyx florum quinque cuspidatorum & viridium foliorum est.

Floribus deciduis succedunt parvæ, fermè unciales, & angustæ *siliquæ*, suis surculis brevibus, tenuibus pedunculis appensæ spadiceo fuscæ, *semina* oblongo-rotunda, per maturitatem fusca & nitentia continentes.

In arenosis & petrosis locis nascitur.

Usus Parandi pigmenti; quod Latini cæruleum; Mexicani *Mohuitli* & *Tlecohuilli* appellant, referente Hernandez, hic est modus. Folia incisa in ahenum cortinamque ferventis aquæ, sed jam ab igne sepositæ tepentisque aut meliùs (ut rei affirmant periti;) frigescentis neque ignem expertæ conjiciuntur concutiunturque vehementer rutris, ac paulatim aqua infecta transfunditur in testam aut dolium, & tandem per foramina paulo sublimiora effuso humore, quicquid è foliis discessit permittitur residere. Fæx illa pigmentum est: siccatur id sole, & sacco cannabino percolatur, mox efformantur parvæ rotæ, quæ cannis superpositis carbonibus solidantur, ut recondi tandem queat in annuos usus.

Pigmenti hujus parandi modum paulò aliter describit autor anonymus historiæ gemmarum à *Domino Chapuzeau* editus, quem apud ipsum vide, vel apud Wedelium in experimento novo Chymico de Sale Volatili plantarum. Descriptio enim Hernandez mihi verisimilior videtur.

Cæterum Wedelius non levi errore tenetur, cùm Indigo & Glastum ex eadem prosapia propullulare scribit, neque nisi præparatione differre: cùm certissimum sit plantas ipsas diversissimas esse, nec minùs naturâ quàm loco distare, cùm hujus respectu toto cœlo, illius toto genere differant.

Datur & alia *Nil* sive Indici species, quam Marggravius describit, toto genere à præcedente diversâ, & Corymbiferis plantis annumeranda; Hernandez quoque aliam describit speciem, & fortè diversam à Marggraviana; Nos inter Colymbiferas dictas plantas de iis agemus.

Vires. Quod ad vires attinet, ad dolores calculi nephriticos migandos servit radix in decocto data.

Eadem & viribus veneni obsistit decocta cum aqua *Lanie*, scilicet teneri *Coqui Indici*, & epota. Folia in difficultate mingendi juvant, si trita cum aqua ventri applicentur. *Amè* vulgò dicta Indigo pro exsiccandis tumoribus proficua est. *Hort. Malab.*

Hernandez scribit pulverem mederi plagis veteribus si ante urinâ abluantur. Folia contusa & emplastri

emplastri modo applicata dolorem capitis mitigare dicuntur, maximè in infantibus, etiam in aqua macerata & cerebro applicata.

Ingeniosissimus Vir *Dominus Martinus* Medic. *Lister* D. in Ictericis affectibus pilulas ex Indigo Barbadensi ad ʒ. j. quotidie sumendas præscripsit aliquoties; quæ id effecerunt ut ægri copiosius urinam redderent. Et reverà verisimile videtur Indicum non minus quàm crocum huic morbo profligando idoneum esse; cùm partium tenuium sit & facilè penetret, quemadmodum alia tingendo apta. Observat *D. Tancredus Robinson* confectionem hanc venenosæ qualitatis participem à Medicis antehac haberi solitam.

Color vulgò dictus *Indigo* fluxiones mirè sistit, nam valdè astringit; ut lochiis nimium fluentibus, & alvi, uterique procidentiæ decantatum remedium præbeat. Ex observatione D. Muralti; *Ephem. German.* Ann. 3i. 113.

Plantam hanc ob convenientiam in multis cum colutea eidem subjungendam duximus, quamvis revera siliquarum respectu, quæ ut puto articulatæ non sunt, ad hoc genus non pertineat, *Raius in Hist. Plant.*

GLAUCE, vid. *Golega.*

GLAUCIUM, vid. *Papaver Corniculatum*, sub titulo *Papaver.*

GLAUX.

Glaux, Gallicè *Herbe au laict*, plantula est folia gerens ad instar *Herniariæ* in ripis maritimis ac præcipuè Zelandiâ & Angliâ pronascens, multum olei & salis essentialis continens.

Apta reputatur hæc planta, si in jusculis aut decoctô adhibeatur, lacti mulierum augendo.

GLEBRA, vid. *Terra.*

GLESSUM, vid. *Succinum.*

GLIS.

Glis, gallicè *Loir* vel *Rat velu*, species est muris sylvatici, mure vulgari major: cava arborum inhabitat ubi per totam hyemem obdormiscit. Rictum habet oblongum, aures auctas, caudam largiorem. Vescitur glandibus quernis aut faginis, pomis & aliis fructibus. Ædificia ruinosa sæpe etiam inhabitat. Ejus urina venenosa reputatur, & dicitur ulcera maligna in partibus quibus affricatur procreare. Caro comesta in Appetentiâ caninâ creditur proficua, ut & in urinæ incontinentiâ. Pinguedo verò plantis pedum illita somnum conciliare asseritur.

GLUMA.

Gluma, utriculus, folliculus grani seu involucrum seminum in frumentis, à glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. *Raius in Hist. Plant.*

GLUTEN.

De *Glutine* videatur ex parte sub titulo *Icthyocolla.*

GLUTINANTIA, vid. sub titulô *Epulotica.*

GLYCYRRHIZA.

Glycyrrhiza, i. e. radix dulcis, recentioribus Græcis, Theophrasto Scythica radix dicta est, quia Scythæ hac & Hippace, i. e. caseo equino, ad duodecim dies durare posse dicuntur in fame & siti. Hippacen nonnulli Plinium secuti pro herbæ nomine perperam habuerunt: Plinius hac de re sibi non constat ut patebit loca conferenti: *lib. 28. c. 14. equinum coagulum quibusdam hippacen vocari ait*: at l. 25. c. 8. herbam eam facit, inquiens, *His duabus herbis*, Scythice sci. & Hippace; *Scythas etiam in duodenos dies durare in fame, sitive tradunt.* Reprehendendus etiam est Plinius, quòd Scythicam radicem *Theophrast.* diversam fecerit à Glycyrrhiza.

Glycyrrhiza insuper à sedanda siti nonnullis Adipson vocatur. Columella. Et quia famem sitimque sedat Glycyrrhiza, ob hoc ἄδιψος vocata est; nonnulli ipsam hydropicis dedere, teste Galeno, nè sitirent: hoc (inquit Jo. Bad. à Stapel) non parvo ægrotorum levamine fieri recentiorum comprobatum est experimento.

Glycyrrhizæ notæ sunt radices dulces, repentes, luteæ, caules proceri, siliquæ breves, compressæ, erectæ.

Nomina. Glycyrrhiza vulgaris *Germ. emac.* vulgaris *Park.* siliquosa vel germanica *C. B.* radice repente, vulgaris germanica. *J. B.*

Sarmentosæ *radices* longè latèque implexu vago repitant, colore buxeo, foris nigricantes, sapore melleo, cui stipes multum dulcedine cedit, subhirsutus, nonnihil purpurascens. *Folia* in alam fraxini instar disposita, quorum singularia minora, per ambitum integra, atrovirentia, modicè viscosa, dum adhuc tenera; sapore acerbo & subacido (Trago autore, dictamno vulgari aut Ciceri sunt similia.) *Flores* racemosi, purpurantes, Dod. dilutè cœrulei, singularibus Trifolii bituminosi floribus persimiles. Hos excipiunt *siliquæ* glabræ in quibus *semina* parva, rotunda, compressa, dura, tria aut quatuor.

Apud nos seritur Pontefracti in Comitatu Eboracensi, & Worksopi in Notinghamia. Glycyrrhiza autem Anglica præcipuæ æstimationis est, & ex transmarinis regionibus advectæ præfertur. In Germania quoque multis in locis, in agris colitur. Rariùs autem in Germania & Anglia floret, ideoque sterilis à nonnullis, sed temerè, credita.

Tam folia quam caules hyeme quotannis pereunt, & novæ sequenti vere proveniunt.

Non paucis Galliæ Narbonensis locis autore Lobelio multum sponte oritur, etiam propè *latera* oppidorum floret Julio & semen fert Septembri.

Vires. Glycyrrhiza caliditate & frigiditate temperata est, in reliquis ad humiditatem inclinat, pulmonica ac nephritica, acrimoniam mitigat, expectorationem promovet; asperitatem lenit, (humores scilicet incrassando) alvum infantium leniter mollit. Usus præcip. in tussi, raucedine, phthisi, pleuritide, vesicæ erosione, urinæ acrimonia. *Schrod.*

Succus glycyrrhizæ inspissatus ad hæc præcipuæ æstimationis est.

Tragus glycyrrhizæ radicem ejusque succum extractum ipsi etiam saccharo præfert. Nemo enim (inquit) ignorat amara & saccharum sitim excitare, quam dulcis radix & succus ejus restinguunt.

Cortex ejus (inquit Dodonæus) amaritudinem quandam habet, & calidioris est qualitatis particeps, quam idcirco abradere oportet. At C. Hofmannus hoc nihil esse ait, nam amaror est interior (augetur is etiam à diuturna coctione ut in aliis dulcibus) ab eo verò est abstersio. Est ne ergo, pergit, semper tutus in leniendis asperis, non est, quantumvis reclamant ignari. In universum omnibus malis succurrit ab acribus, salsis & mordacibus humoribus excitatis.

Ex hujus succo cum aromatibus mixto fiunt parvi panes seu rotulæ ad tussim & pulmonis vitia.

Glycyrrhiza cum tantillo Cinnamomi in aqua decocta, inservit nonnullis pro potu ordinario, & post fermentationem inebriat non minùs quam Cerevisia. *Raius in Hist. Plant.*

GNAPHALIUM.

Gnaphalium, Γναφάλιον Dioscoridi, quòd folijs ejus ἀντὶ γναφάλυ, id est, tomento, utantur, *C. B.* potius quia folia ejus tomento obducta sunt Γνάφειν (inquit Lob. id adver.) dicunt Græci vellere carpereve lanas aut pannum, unde Gnaphalium, quod centunculum Romani nuncupârunt & Tomentariam. Herba impia Plinio dicitur. Ob id autem impiam appellavere, quoniam liberi (posteriora capitella) supra parentem, i. e. primum & medium, summo cauli innascens, excellant. Alij potius ita appellatam quòd nullum animal eam attingat, existimavere. Ruminantibus opitulatur, & rumen amissum revocat: & etiam ad intertrigines valet, autore Turnero. Notæ generis indices sunt folia tomento obducta, ut nomen indicat, flores nudi, flosculis eos componentibus præ parvitate, vix conspicuis. *Raius in Hist. Plant.*

GNAPHALIUM VULGARE.

Nomina. Gnaphalium vulgare majus *C. B.* gn. minus sive herba impia *Park.* gn. Germanicum *I. B.* Filago sive herba impia. *Ger.*

Plures ex eadem radice *caules* surrigit tenues, semipedales, aut dodrantales, plurimùm erectos, teretes, incanos & lanugine obsitos, summa parte ramosos, *foliis* vestitos creberrimis, nullo ordine positis, pariter lanuginosis, angustis, oblongis, quàm Lavendulæ multò minoribus, caulibus plerunque appressis, quibus absque pediculis adnascuntur. *Florum* globuli (ut rectè eos vocat J. Bauhinus) tum in extremis ramulis tum ipsis angulis, quos ramorum divaricationes deformant, sessiles, è pluribus floribus stipatis coagmentati. Sunt autem flores qui globulos hosce componunt & ipsi compositi è *flosculis* ob exiguitatem suam ægrè visibilibus. Pappi è floribus eminentes ex luteo pallescunt. Propè medium globulum ramulos aliquot emittit caulis, qui supra medium caulem assurgentes suos singuli globulos flosculorum altius attollunt, velut filios supra parentem unde & Herba impia dicitur. Præter *radicem* mediam majusculam altiùs descendentem innumera plerunque capillamenta spargit è fundo quibus terram apprehendit.

In siccioribus, sterilioribus, glareosis & ad vias passim provenit.

Vires. Aqua ab hac destillata ad cancrum, præcipuè mammillarum, magni est usus: continet enim occultos cancros nè exulcerentur cum linteolis semel in die imposita. Sunt verò & qui Asari folijs hujus aquâ madefactis non infeliciter ad cancros reprimendos utuntur. *Dod.*

Ego parum præsidij aut juvaminis adversùs cancrum in hac aqua esse suspicor: facultatem autem reficcantem & nonnihil adstringentem obtinere hanc plantam Dodonæo concedo: Hinc fortasse hæmorrhagiæ, dysenteriæ, nimio mensium fluxui, atque etiam Anginæ conducit. Ad hæmorrhagiam reprimendam nostrates sequentem plantam præcipuè adhibent.

Herbâ contusâ, oleo maceratâ & coctâ Occiduæ Angliæ plebs ad livores, concussiones, cæsa & verbera utuntur feliciter: menses etiam supprimit. *Raius in Hist. Plant.*

GNAPHALIUM ALPINUM.

Nomina. Gnaphalium Alpinum pulchrum *I. B.* Alpinum magno flore, folio oblongo, *C. B.*

Caulibus est palmaribus, dodrantalibus, altioribus etiam, tomentosis, quos *folia* vestiunt longa, angusta, villosa, trium quatuorve unciarum longitudine, culmo latiora: summum fastigium flores gerit satis magnos, corymbatos, papposos ex staminibus lateris atq; splendentibus constantes, sessiles, molli lanuginne intertextos in medio foliorum xilicarptam lanam imitantiam, radiatorum. *Folia* propter terram multa superioribus non multùm absimilia, statim è radicum satis crassarum, nigrarum, multis fibris pullis capillatarum capitibus oriuntur.

In montis Juræ prætalto vertice *la Dolaz* dicto invenimus. Huic affinis si non eadem planta est. *Raius in Hist. Plant.*

Hujus vires in pectoris à seri acrimoniâ enatis morbis sunt insignes, indeque syrupi & alia medicamenta conficiuntur.

Gossipium, vid. *Xilum.*

GOBIUS.

Gobius pisciculus est qui Gallicè *Gouion* vocatur in Lacu nostro Genevensi admodum familiaris, qui satis gratum præbet mensis cibum, & in medicinâ vires aperientes possidere creditur.

GRACULUS.

Graculus, Gallice *Geay*, vel *Geais*, avis est perquam nota, sic dicta vel à Garrulitate, vel quod gregatim volet; ingratus est mensis cibus, sed tamen viribus reparandis apta creditur, ex ejusque pullis aquæ cuti decrassanda apta prolicitur.

GRAMEN.

Gramen à gradiendo seu progrediendo, serpendove, quòd geniculatis viticulis per terram mirificè repat, nomen habet: vel à gignendi fœcunditate, siquidem crebro à se novas spargat radices, idque non tam ut terram amœno virore ornet, quàm ut ejus perenni proventu bobus & jumentis pabulum suppeditet. *C. B.* verùm non omne gramen viticulis serpit, sed caninum præcipuè, quod ob id Gramen simpliciter & κατ' ἐξοχὴν dictum.

Græcis Ἄγρωστις dicitur quasi agrestis παρὰ τῶν ἀγρῶν, eò quod in agris ubique sponte, quovis cœlo, & solo etiam non satum, nec cultum luxuriet.

Gramina in duo genera dividemus, spicata nimirum & panniculata.

Vires Officinales. Gramen viride non tantùm κατ' ἐξοχὴν officinis dictum, sed quodcunque, dissolvit calculos præsertim biliosos: Oves & boves calculis vexati in hyeme verno tempore liberantur à Gramine recenti, ex Observ. *Fr. de le Boe Sylvij p.* 300. Idem jam pridem observavit D. Glissonius in lib. de Anatomia hepatis.

Graminis radices præcipuæ Officinis in usu sunt, rarius folia, rarissime semen. Refrigerant & siccant moderate, aperiunt (partium enim tenuium sunt) & subastringunt. Hinc egregiè conducunt in obstructionibus viscerum, ictero, calculis renum & vesicæ &c. partim quòd sine calefactione agant hoc opus suum, quod profectò rarissimum est, nam diuretica & lithontriptica medicamenta pleraque calida sunt; partim quòd ob adstrictionem suam tonum reddant partibus. *C. Hofman.* ad Lumbricos infantum necandos & expellendos commendantur: nec non ad expuitionem sanguinis.

Non minùs faciunt contra febres malignas vi suâ exsiccatoriâ, ut & contra fluxus alvinos, præsertim puerorum. In hos fines utimur ferè aquâ ex tota plantâ destillatâ, (inquit C. Hofmannus) non quidem nostratis, sed *nodosi* seu tuberosi. Extrinsecùs in dolore capitis leniendo, in oculorum inflammationibus ac defluxionibus compescendis, in naribus purulentis, in odontalgia, in tumoribus podagricis discutiendis usus earum est.

Adhibetur autem vel aqua stillatitia ex radicibus Maio vel Septembri collectis diligenter mundatis & concisis *N. B.* elicita; vel decoctum earum in vino: vel infusum in musto. Reliquos ad usum præparandi modos vide apud C. Bauhinum in Theat. Bot.

Radices graminis ad obstructiones hepatis, lienis, maximè si febres ex iis scaturiunt, item ad calculos

renum pellendos valent, & ubi est insignis dyscrasia viscerum calida, cum eorundem obstructione, vix exoptatius medicamen quàm radices Graminis ars nostra nobis suppeditat, atque ut Hofmannus observat sine calefactione opus suum perficiunt, quod profectò rarissimum est, & simul cum adstrictione tonum addunt partibus *Simon Paulus*. Ex exerptis *Dom. Husle*.

Aqua radicum Graminis stillatitia commodissima omnium est aquarum quâ pulveres contra lumbricos verminantibus pueris diluimus, præsertim si una vel altera gutta spir. vitrioli cum tantillo syrupi acetos. citri instilletur. *Raius in Hist. Plant.*

GRAMEN DACTYLOIDES.

Hoc genus graminis inter spicata & paniculata ambigere videtur: panicula enim è pluribus spicis composita est, unde & gramen multiplici seu polystachion dici potest.

Dactylon appellatur eo quòd panicula in quaternas, quinas, senas & plures partes divisa, quasi digitos manus expansos referat. ἴσχαιμον verò à sistendo sanguine nomen invenit,

Vires & usus. Maximum usum semina apud omnes habent, ad eos scil. qui tum renum, tum vesicæ calculis laborant, atque ad frangendos lapides in vesica concretos: quod genus morbi ibi est familiarissimum & quasi endemium. Mulieres radicis, decoctum tum ad pueros variolis atque morbillis correptos maximè sequuntur, tum ad seipsas, ubi cupiunt interceptas menstruas purgationes rursum evocare. Sunt aliqui qui pro secreto auxilio habent decoctum ex seminibus modicè contusis paratum ad jucunda exanthemata in febribus pestilentibus, quas peticulas nostri appellant. Ad usum quoque vulnerum & ulcerum non parvum apud eos tota herba, præcipuè radices habent usum. Aiunt radicem frigidam atque siccam esse, tenuissimarumque partium quamobrem non desunt multi, qui ad movendum sudorem ejus decocto familiarissimè utuntur.

Abundantissimè in Insula Java crescit non secus ac in Ægypto, Jac. Bontio autore, ubi & sequens stellatum Veslingi reperitur.

Usum item medicum eundem obtinent, quamvis calculis intra vesicam duratis frangendis vires pares non possideant. Qui lapidosum aliàs vesicæ synagma citra sectionem eduxerit, ut alibi Prosp. Alpinus scripsit in magna Ægyptiorum Memphi, quamvis curiose inquisiverim, neminem deprehendi. Hominem tamen religiosum à monte Sinai, calculos extra vesicam in urethra subsistentes, compressâ supposito digito vesicâ, & meatu urinario per immissum pennæ Anserinæ tubulum validè inflato, eosdem extrorsum propulisse ab ægris ipsis acceptum satis & cognitum habeo,

Circa Heracleam oppidum sive Rossetum primùm conspexit Veslingius. *Raius in Hist. Plant.*

GRAMEN DACTYLON SCOPARIUM.

Figura ei graminea Ischæmi vulgaris; gracilis *culmus*, rigidus, geniculatus, cubitalis, in quaternas, quinas, interdum senas & plures elegantissimas, lucidas spicatas caudicellas Ischæmo gramini similes, fastigiatus: folijs item non dissimilibus, gustu graminis, dulcioribus.

Copiosè provenit in Galliæ sabulosis vicinis castri Insulani locis vocitati (vulgò *Château de l'Isle*) propè Aureliam.

Ex hujus prælongis, præ tenuibus rigidisque cubitalibus & longioribus radicum cirris concinnantur scopulæ illæ vulgatissimæ, nitentis comæ conciliatrices frictionibus capitis accommodatissimæ & usitatissimæ. Cremæ in Lombardia Italiæ hujusmodi scopulæ laudatissimæ fiunt. Gramen ex cujus radicibus scopulas faciunt ibidem *Capriolam* vocant quo nomine in Hetruria Gramen Mannæ vocitari scribit Matthiolus. Fortè *Capriola* nomen commune est omnibus hujus generis graminibus; vulgus enim non distinguit. Gramen autem quod nobis pro *capriola* ostenderunt non videbatur differre à gramine digitato hirsuto: idem tamen prorsus esse nos audemus fidenter asserere.

Cacumina pueri naribus inserunt, extrahuntque ut sanguinem eliciant, & hinc ab effectu Hetrusci *Sanguinellum* vocant. In Germaniæ locis seri ac coli audio (inquit Matthiolus) non minore cura quàm cætera frugum & leguminum genera, siquidem ejus frequenter vescuntur in cibis quod in jure carnium pinguium decoctum non minorem cum palato ineat gratiam quàm Oryza, cui ego facilè præposuerim. In pila autem ipsum tundere oportet ut à suo resiliat putamine.

Vires Graminis canini nodosi saporis amari & acerbi sunt radices, quare valentiùs obstructiones expedire, & urinam ciere aiunt quam vulgare. Herba, inquit Marcellus, quæ Gramen dicitur, nodorum 27. ex vino ad medias decocta & expressa, atque colata, potuique stranguriosо ex vini Cyatho uno mixta data, adeo potenter succurrit, ut ubi sine tormento urinam facere cœperit, dari non oportet: sed febricitantibus ex aqua sola dabitur. Ex quibus verbis appare t nodosum illud Gramen apud veteres pro Gramine propriè dicto seu Agresti habitum, & adversus calculum & vesicæ morbos commendatum quoque fuisse, *Raius in Hist. Plant.*

Gramen Tridactilites seu Paronichia vid. *Paronichia*.

Granadilla, vid. *Flos Passionis*

Grana Paradisi, vid. *Cardamomum*.

Grana Tinctorum, vid. *Kermes*.

GRANATA.

Malus Punica, Græcis ῥοιὰ, Dioscoridi & Theophrasto ῥοὰ, quo nomine & fructus donatur.

Flores sativæ punicæ κύτινοι dicuntur Dioscoridi lib. 1. cap. 152. & Gal. 6. simpl. At Gal. 6. κατὰ τόπους. Cytinus fructus rudimentum est, quod deciduo flore primùm apparet & formatur. Et Plinio l. 23. c. 6. Primus hujus pomi partus flore incipientis cytinus vocatur Græcis: & in hoc ipso Cytino flosculi sunt, antequam scilicet, malum ipsum prodeat, erumpentes quæ Balaustia vocari diximus. Verùm Βαλαύσιον sylvestris Punicæ flos est Dioscoridi l. 1. c. 154. Officinæ Plinium sequuntur, & Punicæ tam Sativæ quàm Sylvestris flores citra distinctionem Balaustia vocant, quibus Cytinorum appellatio de sativis ignota est. Cytinus Theophrasto Calyx est floris, quo flos continetur: adeo ut Cytini significatio apud Græcos ambigua sit.

Mali punici putamen, quòd tanquam corium fit, cortice durius, nucis involucro tenerius Malicorium vocant, quod Græcis nunc Σίδιον, Dioscoride monente, nunc τὸ τῆς ῥοιᾶς λέμμα, ἀπὸ τοῦ λέπειν; id est, decorticare dicitur. Plinius l. c. vulgus ex Punicis acerbis coria perficere novit, ob id Malicorium appellant Medici *C. B.*

Malum Punicum à Carthagine, ubi laudatissimum proveniat, nomen accepisse volunt, à granis verò quæ intus continentur granatum, non à Granata Hispa-

Hispaniæ regione, ut nonnullis videtur, cùm jam ante Catonis & Varronis tempora ita fuerit nuncupatum. *I. B.*

Temperamentum & Vires. Poma omnia in genere censentur boni succi ventriculo convenientia, sed pauci nutrimenti: omnia (autore Dioscoride) veneris impetus excidunt, ea præcipuè quæ frigidæ temperaturæ sunt, ut acida.

Dulcia eorumq; syrupus exhibentur in tussi chronica, & pleuritide: in febribus minùs commoda sunt, quia inflationes, caloremque augent.

Acida frigida sunt & adstringentia: stomachica: unde eorum ut & syrupi ex iisdem confecti usus est ad sitim: febres biliosas, gonorrhœam, picam gravidarum, oris putredinem & similes affectus.

Vinosa (acido-dulcia, granata *Muza*) mediæ sunt naturæ inter dulcia & acida, cardiaca & cephalica, usus præcip. in syncope, vertigine, &c. Ex malis hisce ad usus supradictos succus exprimitur & fermentatus depuratusque vinum dicitur.

Varios modos parandi vinum granatorum vide apud Joan. Bauhinum simplicissimus videtur sequens.

Acini maturi diligenter à cortice & membranis repurgati prælo committuntur ac exprimuntur, mox vinum saccis ad id accommodatis percolatur, & in vasculis id excipientibus desidere sinitur, defœcatum reponitur affuso oleo nè vappescat aut acescat. Utilis est potus ad sitim febrientium extinguendam.

Potest etiam ex succo expresso & defœcato, admixto sacchara, & decocto, deinde fermentato, parari vinum generosum & inebrians.

Flores, tam *Balaustia*, quàm Cytini, naturæ sunt terrestris & valdè adstringentis, unde creberrimus eorum usus esse solet in omnis generis fluxionibus, verbi gratia, diarrhœa, dysenteria, fluxu uterino, &c.

Extrinsecus in pulverem trita & inspersa intertriginibus aliisque ulceribus celerrimè ad cicatricem absque erosione producunt: sanant etiam oris ulcera, tonsillas, uvulam, &c. in collutionibus. Scorpionibus etiam adversari dicuntur.

Cortex (*malicorium, psidium*) ejusdem naturæ cum floribus est; utilis etiam ad coria præparanda, & ad atramentum vice gallarum. Addit Constantinus Malicorium vino decoctum & potum omnes ventris tineas necare, maximè eas quas Ascaridas vocant.

Nuclei itidem refrigerant, astringuntque, imprimis qui ex pomis acidis collecti. Breviter flores, cortex, nuclei (adde & folia) ad ea conducunt quibuscunque adstrictione opus est.

Ex Malis Punicis contusis cum suis corticibus exprimitur succus qui purgat bilem flavam, ut scribit Cæsalpinus. Hoc de punicis dulcibus accipit J. Bauhinus, & corticis amaritudini tribuendum censet. *Raius in Hist. Plant.*

GRANATUS LAPIS.

De eo agemus ubi de Lapidibus in genere, hic tantum quædam ex *Pharmac. Augustana.*

Granati facilè nascuntur, & in ignem projecti colorem non mutant, quod vix ulli Gemmæ coloratæ concessum est; utiles sunt utrique, tàm Bohemici quàm Orientales. Granatos Bohemicos modernos ipsis Orientalibus longè præstantiores esse compertum est: Orientales enim vi fortioris ignis liquescere, & in massam instar vitri alicujus fusilis & colorati coagulari: Bohemicos verò ignem fortissimum sustinere, & in eo neque colorem neque pondus mutare, neque etiam diffluere, sed solidos ex ipsis flammis emergere, observavit & expertus est Vir artis Pharmaceuticæ quondam peritissimus, Casparus Welschius, Reipub. hujus Pharmacopœus primarius.

GRANULARE.

Granulare, id est, in grana reducere. *Schrod.*

GRANUM IN PHYTHOLOGIA.

Granum propriè semen frugum dicitur, indè generalius quicquid minutum est, & similitudinem aliquam habet cùm grano frumenti. *Raius in Histor. Plant.*

GRANUM, vid. *Pondus.*

GRANUM GNIDIUM, vid. *Thymalea.*

GRANUM INFECTORIUM, vid. *Kermes.*

GRANUM REGIUM MAJUS, vid. *Ricinus.*

GRAPOLE, vid. *Gravellata.*

GRATIA DEI, vid. *Gratiola.*

GRATIA DEI, vid. *Emplastrum.*

GRATIOLA.

Ubertim luxuriant hujus *radices*, pennæ Anserinæ crassitudine, obliquè reptantes, albæ, crebris genicalis nodosæ, à quibus plurimæ demittuntur fibræ albæ: *Caules* plures dodrantales surgunt, teretes, propter terram rubentes, superius ex albido virescentes, creberrimis geniculis distincti, ad quorum singula *folia* bina, Saponariæ minora, interdum in ambitu nonnihil crenata, aliàs æqualia nascuntur, & ex eorum alis modò surculi folijs hyssopi minimè crenatis donati, modò *flores* singulares, striati, oblongi, colore qua pediculo semunciali & longiori committuntur subflavo, per reliqua albo, excepto folio, ex quatuor quæ habet supremo, sursum reflexo, quod interna parte lanuginem luteam ostentat; insidet autem totus flos calyculo quinque partito, cui bina foliola hyssopi apposita: Porro autem pericarpium ex rotundo est, *semen* continens minutum. Tota planta insigniter amara est & inodora, quadam cum obscura adstrictione.

In palustribus propè Constantiam Germaniæ orbem uberrimè provenit: in aquosis etiam tùm in Italia, ubi *Stanca-Cavallo* appellatur, tum in Gallia Narbonensi flos communiter in purpura albicat, interdum luteus est.

Vires. Efficax remedium est in humoribus aquosis, lentis biliosique specificè evacuandis, quos vel ex remotissimis partibus trahit, atque tum per secessum tum per vomitum expurgat. Hinc magni usus esse poterit in hydrope & ictero flavo, necnon ad diutinos coxendicum dolores & inveteratas febres sive sicca in pulvere, sive recens decocta & exhibita: verùm quia violenter nec sine molestia purgat corrigenda est Zingibere, Sale Gemmæ, Cinnamomo, &c. Quin amaritudine dotata est insigni lumbricos fugat, eorumque saburram expurgat. Vulneribus celeriter medetur ea glutinando trita & imposita, autore Matthiolo. *Raius in Hist. Plant.*

GRAVELLATA, vid. *Cynis Clavellatus* sub titulo *Vitis Vinifera*, ubi de *Vino & Vini facibus*, undè præparatur hic Cinis.

GROSSI vid. *Ficus*,

GROSSULARIA.

Uva crispa dictus est hic frutex ab intortis & velut

luti crispis, foliis & acinis quos producit, grossularia verò à dura illa membrana seu cuticula, quâ obducuntur acini isti, quidem manducati crepant instar membranæ quæ dirumpitur *J. B.* Aliis ita dicta putatur quod fructus grossos referat. Certè vox est Gallica *Groseslier*, latina facta: cur autem Gallis ita appelletur nos latet.

Grossulariam sic describit J. Bauhinus.

Frutex est bicubitalis & tricubitalis, ac etiam major, numerosa stolonum segete luxurians, varieque in ramulos subdivisus, cortice purpurante (in adultioribus ramis, nam in junioribus virgis & circulis albicat) materie ferè buxeo colore pallescente; spinis longiusculis, acutis ac rigidis ad foliorum exortum passim armatus singularibus binis aut ternis. *Folia* unguem lata, nonnunquam ampliora, nonnihil rotunda, modice divisa (Apii modo dissecta. *Ruel.*) Superiùs saturo virore splendentia, inferiùs dilutiora; utrinque hirsuta (pilis rarioribus) sapore acido, ex brevibus pediculis. *Flosculi* pulchelli, parvi, suavi sed nonnihil gravi odore, simul multi ex eodem tuberculo ex quo folia prodeunt, ex pediculo brevissimo, punicante, hirsuto, nutantes, quibus subsunt globuli hirsuti futurarum baccarum rudimenta, ex foliolis quinis utrinque rubentibus extrorsum reflexis, ut radiatam stellam exprimant, quæ totidem adnatas quasi lingulas albicantes, intus hirsutas surrigentes, florem reliquum concavum efficiunt, inter lingulas autem lingulas singula stamina recta se tollunt à rubris illis florum foliis similiter orta: ex globulo autem stylus virescens, alba lanugine circa infimam partem obsitus. *Baccæ* succedunt rotundæ (aut ovales) interdum hirsutæ, plerunque glabræ, ante maturitatem acidæ, maturæ dulces, in quibus grana multa exigua.

Hujus frutices multæ sunt fructûs respectu varietates; nimirum,

1. Grossularia simplici acino spinosa sylvestris C. B. quæ variis Germaniæ in locis sponte provenit.

2. Grossularia spinosa sativa C. B. Grossularia majore fructu Clusii, uberiùs nascens, majoribus foliis & baccis prædita; quæ (ut puto) culturâ evadit talis.

3. Grossularia fructu maximo, hispido, margaritarum fere colore. Nostrates Grossulariam albam maximam Belgicam vocant. Foliis est amplioribus, spinis longioribus & validioribus, fructu maximo albicante, aut Margaritarum propemodum colore, spinulis innocuis hispido, sapore delicato.

4. Grossularia spinosa sativa altera foliis latioribus C. Bauhinus hoc genus (describente Clusio) amplioribus nigrioribusque est foliis; spinas ad singulos foliorum exortus binas vel unicam habens, interdum etiam nullas, breves & vulgari multò infirmiores, præter alias inertes & longè breviores sparsim ramis cortice ex fusco purpurascente tectis innascentes: fructum dum immatura est vulgaris instar virentem, qui maturus purpurascit, plena autem maturitate ex purpura atrum colorem contrahit, perinde ac nonnulla pruna. Triplicem hujus varietatem describit Parkinsonus. Nimirum. 1. Jam descriptam fructu obscurè purpurascente. 2. Alteram huic similem, baccis minoribus, rubicundioribus acidis cum dulcedine. 3. Tertiam vulgari fructu luteo per omnia similem excepto baccarum colore pulchre rubente. Fortè Grossular. vulgaris fructu rubro *Clus.* quem Ungaros minorem marinam uvam appellare scribit. 4. His addi potest quam pro specie distincta ponit Parkinsonus grossularia cœrulea, cui folia majora & primo exortu rubicundiora attribuit quàm sunt secundæ varietatis prædictæ, baccas in ramulis rariùs sitas, minores etiam quàm prædictæ grossulariæ rubræ minoris, colore cœruleo Pruni Damasceni instar, qui pariter detergi potest. 5. Grossularia viridis hirsuta. *Parkinsonus* Spinæ huic mitiores: fructus virides etiam cùm plenè maturi, spinulis seu setis innocuis obsiti, gustu præ reliquis omnibus dulci & grato. Ex hujus seminibus enatæ sunt plantæ baccis lævibus & minimè hispidis. 6. Grossularia simplici acino cœruleo non spinosa, quàm in hortis nunc haberi ait C. Bauhinus

Amat frigidos tractus, nec ullum frigus reformidat: in Gallia Narbonensi, Italia, reliquisque calidioribus regionibus minùs frequens nec nisi in hortis ferè reperitur; per totam Helvetiam in sepibus vulgatissima.

Usus. Sepibus hortorum imprimis commoda est, facillime enim nascitur, densè fruticat & propagat se ipsam, & spinis suis transitum prohibet, & acinis jucundi saporis placet. *Gesn.*

Veris initio pubet ac virescit Martio, sæpe etiam ante.

Flores Aprili, fructum fert Maio, quem Junio & Julio perficit.

Vires & Usus. Fructus immaturus adhuc & acidus coquitur cum carnibus & piscibus, nam succo suo subacido cibos commendat. E baccis immaturis probè coctis, contusis & saccharo edulcoratis cum cremore lactis lautissimum ferculum parant nostrates. Placentæ etiam omnium delicatissimæ, quas *Tartas* vocant, ex eis fiunt.

Ipse autem maturus fructus (inquit J. Bauhinus) pueris, pauperibus & gravidis mulieribus satis expetitus, imò apud nos ditiores & delicatiores meliora genera non aspernantur. Sunt autem adeò innoxiæ & ventriculo amicæ hæ baccæ, & nemo unquam, quod equidem audiverim, ex earum esu quamvis ad satietatem usque ingesserit, vel minimum nocumentum senserit.

Immaturæ jusculis incoctæ febrientibus non sine utilitate exhibentur. Frigidæ namque sunt & adstringentis qualitatis. Quapropter diversimodè administrari possunt cholericis, calidis, & bile refertis corporibus, tàm sanis quàm ægris in intinctibus & condimentis. Valent contra gravidarum picam: Appetentiam cibi excitant. Omne ventris profluuium, potissimùm verò Diarrhœam & Dysenteriam & Iliacam passionem compescunt, ut tradit Matthiolus. Commendantur etiam ad hæmorrhagiam quamcunque, gonorrhœam & fluorem album. Utiliter etiam applicantur inflammationibus calidis & Erysipelatis.

Rectè autem monet Parkinsonus immaturarum esum largiorem, quomodocunque præparentur, ventriculis frigidis & flatibus obnoxiis non permittendum, ne dolores colicos aut tormina inducant. Nobis equidem liberior earum esus in quocunque ventriculo improbandus videtur, non tam quòd flatus excitent, quàm quòd ob exsuperantem aciditatem intestinorum tunicas interiores corrodere & violare aptæ sunt: in condimentis autem & embammatis, si modus adhibeatur, egregiæ sunt: in cibis etiam probamus modò non seorsim & nimia quantitate sumantur. Matronæ nostræ cum saccharo conditas asservant pro bellariis, febricitantibus autem conveniunt.

Vinum etiam è maturis parant nostrates hoc modo, baccis in dolium injectis aquæ ferventis q. s. affundunt, & vase exactè clauso per tres quatuorve hebdomadas restare sinunt, donec liquor baccarum succo & spiritu penitus impprægnatus fuerit, baccæ autem planæ exsuccæ & insipidæ reddantur; deinde exhaustum cum saccharo in ampullas vitreas infundunt, quas probè obturatas ad tempus reservant, donec liquor cum saccharo intimè mixtus & fermentatus in generosum & vini æmulum laticem exaltetur. *Raius in Hist. Plant.*

GOSSULÆ RUBRÆ, vid. *Ribes.*

GUARIA, vid. *Germanium.*

GRUS.

Corpus huic avi grande, decem interdum libra-rum pondere. Ab initio rostri ad extremos digitos commensuratum ad quinque pedes longitudine ac-cedit. Collum ei longissimum esse notius est quàm ut ictibi debeat, quin & crura quoque longissima sint.

Rostrum rectum, acutum, subviride (ex nigro viride) 4. ferè digitos longum, ad latera compres-sum. Lingua lata & in extremo carnea. Vertex ni-ger, à rostro ad occiput usque pilis seu setis nigrican-tibus potiùs quàm plumagine vestitus. In occipite areolam habet lunulatam, nudam aut raris pilis obli-tam, rubicundam; infra quam plumæ cinereæ trian-gulari maculâ supremam cervic. partem occupant. Ductus albi bini, à singulis oculis incipientes, retror-sum tendunt; uterq; autem ductus in postica colli par-te ad verticem maculæ triangularis cinereæ modò di-ctæ coeunt, & deinde ad summum usque pectus con-tinuantur. Guttur & latera cervicis colore nigro seu obscuro imbuuntur. Dorsum, scapulæ, pectus, fe-mora alarum tegetes, præter eos quæ in extremo ar-ticulo sunt penitus cinerea.

Alæ amplissimæ sunt, Remiges pennæ 24. nigræ; minores tamen ex nigro nonnihil ruffescunt; ut & vestitrices quoque primariæ, quæ in extremo articu-lo sunt. Cauda pro avis mole exigua & perbrevis; pennarum 12. cum expanditur subrotunda. Ejus pennæ cinereæ sunt, apicibus nigris.

Tibiæ nigræ sunt, ad spatium unius palmi supra ar-ticulos nudæ. Digiti nigri, longissimi: Extimus au-tem medij infimo internodio crassâ membrana adne-ctitur.

Rara & præcipuè notabilis, imò admiratione di-gna est asperæ arteriæ conformatio. Foramine nem-pe ad id excavato sternum profundè ingreditur, inibi-que aliquoties reflexa, ut schema appositum repræ-sentat, eodem iterum foramine egreditur & ad pul-mones tendit.

Appendices seu intestina cæca 5. digitos lon-ga, Ventriculus musculosus: Caro sapidissima est.

Frequentes Romæ in foro venales vidimus.

Sæpissimè ad nos commeant, suntque in palustri-bus agri Lincolniensis & Cantabrigiensis æstivo tem-pore magni eorum greges. An verò in Anglia nidu-lentur (ut ex narratione cujusdam Angli qui eorum pipiones sæpissimè se vidisse dixit, refert Aldrovan-dus) mihi nondum est compertum. Carnis sapor delicatus & ventriculus musculosus avem hanc mi-nimè piscivarum esse arguunt, sed omnino grani-voram aut herbivoram, quemadmodum etiam au-tores qui de ea scripserunt referunt.

Grues ab Ardeis differunt, 1. Ungue medij digiti minimè serrato. 2. Magnitudine quâ illas superant. 3. Rostro breviore. 4. Ventriculoso. 5. Appendicibus binis, cùm Ardeæ singulas habeant. 6. Mira asperæ arteriæ revolutione. *Willughbeius.*

Officin. Nat.

1. Grus integer 2. Pinguedo. 3. Fel. 4. Caput, O-culi, Ventriculus. 5. Medulla tibiæ.

Vires. 1. Avis hæc quia nervosa est, nervosis ac membranosis partibus peculiariter convenire statui-tur.

Hinc usus ejus commendatur in doloribus colicis.

2. *Pinguedo* surditati auxilio est, (*auribus instillata*) Lienis duritiem, aliosque tumores renitentes emollit (*cum* ✠ *scyllitico subacta*) rigori cervici velocissimè succurrit.

N. Ejusdem naturæ esse dicitur ejus anserina pin-guedo.

3. *Fel* oculis prodest.

4. *Caput, Oculi, Ventriculus*, pulverisata fistulis, cancris, & varicosis ulceribus insperguntur.

5. *Medulla tibiæ* inservit unguento Ophthalmico inde parando.

GRUTUM.

Grutum Gallicè *Gruau* sive avena per excortica-tionem præparata, vid. sub titulo *Avena.*

GRYLLUS.

Gryllus super ejus descriptione vid. Titulo *Locusta Animal.*

γρύλλος { Domesticus.
Acheta { Agrestis, arvensis.

Insectum est alatum è genere locustar: cicadis si-mile, focorum, terrarumve aridar. incola, stridulo suo cantu sedulum, Germanicè...

The Cricket, one sort of Locusts.

Vires. Commendatur ad diæresin, (cinis exhibi-tus) ad visus imbecillitatem (succus expressus instilla-tus) tonsillas lenit, (afficatus.) *Schrod.*

GUAIACUM.

Nomina. Guajacum *Ger.* Guajacum sive lignum san-ctum *Park.* Guajacum magna matrice *C. B.* fructus Guajaci putatus & folia *I. B.*

Hanc arborem plenè & accuratè descripsit Jo. Terrentius Lynceus, *notis in res Medic. N. Hispan. Fr. Hernandez*; atque idcirco ejus descriptionem mu-tuabimur.

Guyacan est arbor juglandis vel Ilicis magnitudine, cujus cortex colore extrinsecùs cireniceo, Betulæ si-milis permixtis tamen multis maculis viridibus, in-trinsecùs verò subruber, non admodum densus sed immodicè durus, crassitudinis nempe semidigitalis, is ligno recenter cœso adeò firmiter hæret ut vix fer-ro separari queat, progressu verò temporis facilè se-jungitur.

Lignum in extremis colore qui in Buxo, internè ni-grescente conspicitur, & meditullium ejus est maxi-mum, totùmque adeò lignum splendida quadam do-natum duritie.

Pinguedo ejus resinaceum quid spirat, uriturque odore non insuavi, & ab accenso gummi profluit, quod prædurum est ubi refrixerit.

Pondus ejus quale nulli præterea ligno; nulla ejus quantumvis minima pars in qua fluitat, sed mergitur continuò & subsidit, unde lignum est fortissimum, quod duritie omne robur superat, & idcircò quàm minime hiat, neque facilè videas quod rimas tra-xerit.

Saporum non ingratus, amarus statim, cum acri-monia miti palatum ac fauces compungens, qui se-mel cognitus nunquam errare finit emptorem in co-gnoscendo.

Decoctum ejus æstate ultra tertium diem non per-durat. *Folium* crassum, parvum, durum, viride, multis venis distinctum, quidam Arbuto comparant, alij Bu-xo; in ramo situm habet ex opposito alterius; ut in siliqua vel lentisco videre est, quaterna vel sena ad medium nervum adnexa.

Flores multi, quasi umbellam vel corymbum con-stituentes, pediculis viridibus insistunt pallidè lutei hexa-

hexapetali, multis è medio ſtaminibus prodeuntibus; in quorum medio rudimentum fructus Burſam paſtoris effigie refert.

Fructus à quibuſdam Caſtaneis, ab alijs Prunis ſimilis refertur, duobus Lupinis ſibi conjunctis, aliquando etiam tribus, ut Cluſius refert, vel acoris fructibus, ſed ſine alis conſtat, cordis figuram eleganter referentibus, leviſſima porro diſtractione unum ab altero, ſicut & aceris fructus, dividitur.

Longitudo eſt tranſverſi digiti, latitudo paulo minor; color totius corij caſtaneus aliquantulum corrugatus Pruni inſtar. In conjunctione cum altero fructu membrana eſt, denſitate, odore, duritie perſimilis ei quæ Juglandis ſemen bifariam dividit. Corium externum corrugatum melius eſt, internum verò nucis interno putaminum duritie & colore reſpondet.

Nucleus intus concluſus colore & varijs venarum ductibus Nuci myriſticæ vel buxi radici admodum ſimilis. Hunc ſi diu in ore volvas pulpam quandam abradis quæ acrimoniam manifeſtam linguæ imprimit, & nucleus in recenti fructu manet coloris caſtanei, in alijs vero omnino niger.

Nucleum ſi ſecundùm longitudinem findas, duritiem Dactylorum offendes, totumque oſſeum, flavum in recente cinereum in obſoleto. Albæ autem lineæ tranſverſim parallelos totum pertranſeunt, ut admodum eleganter Lyncurium ſive Belemnitem radijs & ſplendore referat.

In medio ejus concavitas eſt longa à ſummo ad imum pertingens, ſed ſine ulla ferè latitudine qualis in Evonymo etiam conſpicitur, ubi ſeminis duo Ovalia ſed plana, viridia quaſi foliola ſejuncta in ſummo uniuntur, eoſque extrorſum verſus componunt, ad modum planè Evonymi, niſi quod cor in Evonymo verſùs pediculum ſit conſtitutum.

Creſcit hæc arbor in Hiſpaniola, Jamayca, & in continentis regione *Nagrando* dicta tantâ copiâ ut numero ſuperent Pinus Hiſpaniæ.

Vires. In lue venerea curanda nullum eſt medicamentum decocto guajaci præſtantius aut certius. Nam ſi ut decet procedat curatio, ſuoque tempore decoctum illud propinetur, certiſſimum eſt huic morbo ſanitatem perfectam adferri; nec recidivam pati qui ſimili lue laborabat, modo in idem cœnum ſe non provolvat denuo.

Convenit item hydropicis, aſthmaticis, epilepticis, morbis veſicæ & renum, doloribus juncturarum, omnibus morbis ab humoribus frigidis & flatibus procedentibus & diuturnis, quibus inutilia fuerunt ordinaria medicamenta, præſertim ſi morbum gallicum ſubſequantur. *Monard.*

Uſum decocti in curanda L. V. Hiſpani ab Indis edocti ſunt. Magnis doloribus morbi gallici (quem ab Inda muliere contraxerat) Hiſpanus quidam torquebatur: ejus famulus Indus, in illa provincia medicum agens, aquam Guajaci propinavit, quâ non ſolùm magnis illis cruciatibus liberavit, ſed priſtinæ ſanitati eum reſtituit. Hujus exemplo plurimi alij Hiſpani ſimili morbo infecti curati ſunt. Unde brevi per totam Hiſpaniam & univerſam orbem ejuſmodi cura evulgata eſt.

Morbus iſte Indiæ Occidentali familiariſſimus & endemius in hunc modum in Europam propagatus fertur.

Anno 1493. eo bello quod Neapoli geſtum eſt à Rege Hiſpaniæ adverſus Regem Galliæ cognomento magno capite Chriſtoph. Columbus, ex prima illa profectione, quam Novi orbis inquirendi causâ ſusceperat, rediit, & detectis S. Dominici aliiſque inſulis, indè Neapolin (ubi tum Rex Catholicus erat pace cum Gallo facta) viros & mulieres deduxit. Commeantibus ultro citroque exercitibus, ſpani primùm cum Indicis mulieribus, & Indi cu Hiſpanicis conſuetudinem habuerunt: deinde in Ita & Germanos ſerpſit hoc malum; poſtremò etiam i Gallos & ſic per univerſum orbem.

Initio varia ſortitus eſt nomina. Hiſpani itantes ſe à Gallis contagium hauſiſſe Gallicum rbum nuncupârunt; Galli exiſtimantes ſe N apo eum conſecutos Neapolitanum vocârunt; Germ i ab Hiſpanorum contubernio hanc ſcabiem ad ſe nnâſſe videntes ſcabiem Hiſpanicam appellârunt. Alij rectiſſimo nomine Serpiginem Indicam eum vcârunt, inde enim prima hujus mali origo. Fruſtra etim de cauſa & origine hujus morbi à medicis tunc temporis diſceptatum eſt.

Decoctum parandi modum & methodum eo utendi ad morbi hujus curationem non pigebit è Monardis hiſtoria huc tranſcribere.

Ligni minutim conciſi aut ejus ſcobis ℥ xii. corticis ejuſdem ligni contuſi ℥ ij. in ſex aquæ ſextarijs macerantur fictili novo, aliquantulum capaciore, 24. horarum ſpatio: fictili bene obturato lento & luculento igne coquantur ad 4. aquæ ſextariorum conſumptionem. Cocta aqua refrigeratur, colatur, & fictili novo aſſervatur. Statim ſupra idem lignum quod decoctum fuerat injiciantur denuo octo alij aquæ ſextarij, coquanturque ad duorum conſumptionem: coletur hæc aqua, & ſeorſim aſſervetur, ſumitur autem hoc modo.

Infirmus purgato corpore ex medici conſilio cubiculum deligit apricum, quo neque aër, neque frigus penetrare poteſt. Lectum ingreſſus diluculo aquæ prioris calidæ ℥ x. ſumat & egregiè operiatur ut ſudare poſſit duarum horarum ſpatio: deinde ſudore abſterſo linteamina mutet, & induſium calefactum induat, quatuor deinde poſt horis uvæ paſſæ illi dabuntur & Amygdalæ, paniſque biſcoctus, neque affluenter neque parcè, & de aqua ſecunda bibet quantum ſatis erit, interdiu. Octo horis poſtquam comederit ex priore aqua calente denuò ℥ x. hauriat, ſudabit item duabus horis, & à ſudore uti ſuperius mundabitur. Unâ poſt ſudorem horâ de iiſdem paſſis, Amygdalis & pane biſcocto cœnabit, & ex aqua ſecunda bibet. Servabitur hic ordo 15. diebus prioribus, niſi vires nimium collabantur, quia eo caſu etiam præter ſupradicta pullus gallinaceus aſſus concedetur. In minùs robuſtis, qui extremam illam victus rationem ferre nequeunt novem dies ſufficient, quibus elapſis pullus exiguus aſſus ſimiliter concedetur. Si verò æger adeò tenui eſt valetudine, ut prædictam iſtam victus rationem nullo modo ferre poſſit, ab initio pullus gallinaceus exiguus illi dabitur, cibi quantitatem ſenſim augendo. Elapſis 15. diebus, 16. purgabitur ʒ 10. pulpæ caſſiæ fiſtulæ per cribrum tranſmiſſæ, aut alio ſimili medicamento, & eo die tenuiorem aquam ſive ſecundæ decoctionis bibet: 17. die ad priorem ordinem redibit, ſumetque manè & veſperi aquam prioris decoctionis, ſudabit, eademque victus ratione utetur niſi quod pulli loco dimidiam gallinam comedere poterit, & ſub finem diætæ aliquanto plus eamque victus rationem ad 20. uſque diem producet quo tempore per cubiculum veſtitus & benè amictus ambulare poterit. Quibus elapſis denuò purgabitur, & per alios 40. dies aquam bibet ſelectiſſimam victus rationem obſervando in rebus non naturalibus, mulieribus abſtinendo & vino, cujus loco ſimplicem ejuſdem ligni aquam, aut ſi eam faſtidiat; aquam in qua aniſum & fœniculum decocta ſunt bibet, eritque cœna ſobria & ſine carnibus. Hæc, inquit, methodus luem cujuſcunque ſit generis radicitus extirpat. Alij aliter ſentiunt, neque hanc peſtem abſque ope

ope hydrargyri extirpari posse affirmant, si penitus radices egerit.

Cæterum de præparatione decocti Guajaci ejusque utendi ratione in curanda Lue venerea consulantur Fernelius aliique Medici. *Raius in Hist. Plant.*

GUMMI.

Gummi est succus concretus qui in aqua facilè dissolvitur, in igne nec liquescit, nec flammam concipit, sed duntaxat crepitat; cujus generis sunt gummi *Arabicum*, gummi *Cerasi*, &c. Hoc genus (D. Grevio) nihil aliud est quàm mucilago exsiccata, cujus substantia parum vel nihil olei continet. *Raius in Hist. Plant.*

Gummi resinas voco concretas arborum lacrymas in oleo quidem promptiùs, attamen & in aqua, licèt difficulter, solubiles. Tales sunt, Caphura, Mastiche, Styrax Calamita, Huc Myrrha & Bdellium.

Vires, & præparata, Vid. proprijs locis.

Gummi seu gummata sunt concreti liquores, aqueis faciles solutu, profusi tum è stirpibus ferulaceis, tum ex fruticibus: tum ex arboribus excelsis. Ex his sunt, quæ ferulacea vulgo dicuntur, à ferulaceis arboribus è quibus stillant. Suntque,

Gummi Ammoniacum, Galbanum, Euphorbium, Opopanax, Sagapenum Sarcocolla.

Vires. Calida sunt, emolliunt, discutiunt, tartaream mucilaginem resolvunt. Usum internum vide speciatim lib. 4.

Præparata. 1. Gummi depuratum. Nimirum quia gummi pleraque heterogeneis (arena, sabulo, &c.) conspurcata afferuntur, expedit illa depurare. Hoc fit solvendo in liquore aqueo (calido) solutum colando, exprimendo; & denique lento calore inspissando.

1. Extractum Viscosum seu viscus, Vide infra in Extractis.

Vires. Conveniunt cum gummatis mucilaginosis, quia non est nisi pars mucilaginosa à parte resinosa sequestrata.

3. Extractum resinosum. Vide item infra in Extractis.

Vires. Virtutes, quæ integro gummi adscribuntur, latitant præcipuè in resina, unde & resinæ in medicamentis tam internis, quàm externis, successu feliciori adhibentur. Ex iisdem destillatur quoque felicius oleum, quàm ex integro gummi.

4. Oleum stillatitium. Vide infra in Oleis. Gummata mucilaginosa sunt, Gummi Arabicum, Cerasorum, Sandaracha, Tragacanthum.

Vires. Sunt Emplastica, incrassant, acrimoniam hebetant, asperitates leniunt, &c.

GUMMI ARABICUM,

Cortices spinas, siliquas & semina quæ reperiuntur cum gummi Arabico satis demonstrare censemus gummi illud provenire ex Acacia inquit J. Bauhinus, Accedit Bellonij & Alpini testium idoneorum id asserentium autoritas; quibus potius fidendum quàm Matthioli & aliorum ratiunculis in contrarium adductis, quibus refutandis immorari non erit operæ pretium. Scio (inquit Alpinus) totam gummarum quantitatem quæ ex Ægypto convehitur esse acaciæ arborum, quando nulla ibi arbor sit excepta hac quæ gummas educat, ac Ægyptus & Arabia prunis, cerasis atque pomis careat.

Vim habet hoc gummi meatus obducendi, acria medicamenta quibus admiscetur heberandi; & in ambustis pustulas excitari non sinit illitum cum ovo. *Raius in Hist. Plant.*

Præterea in alvi fluxibus, urinæ ardoribus, ac ieri in pectus defluxionibus prodest hoc Gummi.

GUMMI HEDERÆ, vid. *Hedera*.

GUMMI GUTTA, vid. *Gutta Gemou*.

GUTTA GEMOU.

Lachryma flava, quæ officinis nostris *Gutta Gemou* corruptè dicitur, Indis *Lonan Cambodia* vocatur; quòd in Cambodiâ vicina Chinæ regno provincia proveniat; ubi etiam copia Aloës hepaticæ exprimitur. Succus hic præparatus longè tutiùs quàm crudus sumitur; nam eo modo vomitivam suam & infestam ventriculo facultatem maxima ex parte deponit. Modus autem præparandi talis est.

℞. *Gutt. Cambodiæ* ℔ i. contundantur grosso modo: contusa infunde in vitrea phiala capaci, in acetò acerrimo destillato, ut materiam superet tres digitos circiter expone dein solaribus radijs qui propter fervorem nobis in multis ignis chymici usum præstant: post octo aut decem diès rursus arctissimè coletur. & rursus l. a. inspissetur in extracti debitam consistentiam. Hujus extracti gr. 12. ad 20. exhibentur in forma catapotiorum solida, vel vino diluta, & sic materiam peccantem educunt copiosè & sine molestia, per alvum solummodo: Hoc extractum ego longè prætulerim scammonio in his calidis & humidis regionibus. *Raius in Hist. Plant.*

Gutta Gemou, seu *Cambogij* Notæ sunt, folia conjugatim bina, flores tetrapetrali in summis surculis, fructus mali aurei æmuli.

Nomina. Cambegium *officin*. Goreapuli *Parck. C. B. J. B.* Fructu malo aureo æmulo *H. R.* Coddampulli *Hort. Malab.*

In Malabar crescit, & communiter Gutta Gamba, Gummi Gutta, Gutta Germandra, vel Gamandra & Gutta Jemou dicitur. Substantia est gummosa & resinosa, indurata, aut aurei coloris, saporis acris, nauseosi, Expurgat per superiora & inferiora &c.

De Generatione hujus gummi multæ sunt opiniones. Alij enim naturalem esse aiunt; alij verò factitium; quidam ad Esulam referunt; Bontius ad Esulæ affinem plantam Indicam; alij ad flores ricini Indici; colorem verò ex curcumâ advenire; alij autem à Tithymalo & Scammonio derivare conantur: Nobis verò succus est concretus ex arbore spontè effluens. Confundi autem non debet, inquit *de Syen* in Annotationibus suis ad Hortum Malab., gummi gotta hic descriptum cum vulgari quod ab Esulæ Indicæ affini plantâ colligi testatur Jacobus Bontius in Histor. suâ Naturali & Medicâ Indiæ Oriental. lib. 6. cap. 57. & ab Indis vocari *Lonam Cambodia*, quòd in Cambodia, vicinâ regno Indiæ provinciâ, frequenter proveniat.

Hæc Dominus Dale in sua ad Materiam Medicam Manuductione, cum circa arborem gummi hoc ferentem non multùm discrepat Celeberr. Hermannus in suo de Materiâ Medicâ Tractatu Manuscripto. Verum Dominus Poncet ab Interprete Siamensi, à quo magnam *Cambogij* quantitatem coëmerat Parisiis, aliter edoctus, affert gummi hoc nihil aliud esse quàm succum inspissatum, stillantem è trunco plantæ rumpentis, singularis sanè indolis, quando quidem nec folia, nec flores, nec fructus de se promat, sed tantum raucos spinosos non pravo numero de se invicem enascentes, illiusque iconem in suo de Aromatis Tractatu exhibet.

Addit idem quòd Siamenses & Cochincinenses incidunt majorem plantæ truncum, quòdque sic ex eo excidat prædictus succus med ocris consistentiæ quæ

postquam aëri per aliquod tempus expositus, inspissatus est ac flavus redditus in massulas cogitur figuræ ejus sub quâ ad nos adsportatur. Addit præterea, quòd rustici qui in locis vicini *Odiæ*, vel *Indiæ* urbis Regni Siamensis principis, degunt, succum hunc colligant, ac præparant, eumque non aliter in urbem deportent, quàm in alias urbes butyrum aliasque merces rustici vicini deferunt.

Quandocunque autem educatur hoc gummi & ex quâcunque demum arbore aut humiliore plantâ extillet, advertendum ut seligatur minime arenosa nec alij gummi rubro pellucido commixtum ut satis est familiare.

Pictoribus in multo majori est usu quàm Medicis, siquidem tunc per se aureum colorem conciliat, tum colori Indo ex illa plantâ quæ Anil dicitur confector, cujusque massæ vulgò apud Gallos sub nomine *Indic, Indigo*, veniunt, commixtum, viridem facit colorem verò elegantem. At verò Medicis non prorsus est inutile ex sequentibus patebit.

Gutta Gemou, Gutta Gamandra &c. Est succus concretus aut inspissatus (potius quam Gummi,) Cujus autem plantæ succus sit, nondum certò constat. Sunt enim qui ad Esulam, ad cataputiam majorem, ad flores Ricini Indi originem ejus referant, coloremque aliunde (Exempli gratia, ex Curcuma) conciliatum volunt, alij Euphorbij succum censent: alijs ex Scammonio & Tithymalo compositus est: nonnulli compositum ex Chelidoniæ majoris succo, Scammoneo & croco suspicantur, alijs ex succo corticis mediani Frangulæ. Nos præcipuè de Usu solliciti, eligere suademus purum, flavique coloris.

Adfertur ex Sinarum regione, primumque adferri cœpit ante annos 40. *Videatur Clus. lib. 4. exot. 4. cap. 8. su c. 11.*

N. Videtur esse Gummi contra podagram Monardi.

Vires. Expurgat per superiora & inferiora, præcipuè humores serosos & aquosos, tum quoque omnem saburram vitiosorum humorum ex toto corpore educit. Hinc usus ejus creber est in Hydrope, Febri, scabie, pruritu & sim.

Dosis à gr. v. ad XIV.

Præparata.

Etsi crudum quidem, non citra commodum adhiberi queat, attamen cum nauseabundam possideat qualitatem, operæ precium duxerunt hunc obtundere. Unde,

1. Ghitta Jemu correctum per spir. 🜔i aut Tart. Mindereri.

℞. Ghitta Jemu q. v. dissolve cum spir. 🜔i abstrahatur dein spir. 🜔 residuumque exiccetur lentè, ne scil. nigrescat, sed colorem suum retineat.

N. Edulcora si volueris ▽ aliquoties ablue.

N. 2. Procedit felicius correctio ad modum quem habes de Scammonio: vel Gummi Guttæ terna vice cum spir. 🜔 aut ✚ imbibe, tere exicca.

Dosis à gr. xv. ad xx.

2. Extractum s. Magisterium,

℞. *Gitta Iemu pulv.* ℥ ij. 🜄 *ept.* ℥ i.j. fiat solutio digerendo in MB 8 aliquor (2, 3. 4) decanta & filtra calidè, præcipita affundendo ▽ ros. (Vel aliam aliquam,) abstrahe 🜄 & coagula lentè.

N. 1. Melius succedit processus.

℞. *Gitta Gem.* ℥ ij. *opt.* 🜄 ℥ v. ☍ *Tartari* ℥ 1. digere, & solvetur in MB brevi tempore.

N. B. Sunt qui ℞. 🜄. Santali tincturâ impregnatum.

3. Magisterium G. G. S. Closaei, sive Gammandra correcta.

Imbibatur pulvis Chittæ Jemou, ol. Tart. deliquioso, ita ut liquescat instar pastæ, malaxetur diutissimè in mortario, terendo pistillo vitreo, donec colorem mutet, affunde 🜄 Tartarisatum, macera per 15. horas in tali calore, qui colliquando solvendoque gummati non sit satis, decanta, malaxa ut prius, addito novo ol. Tartari, idque, tertia vice reitera, tandem albescentem hanc materiam lava pluries aq. ros. & ex illa desiccata Tabellas aut trochiscos finge.

Vires. Leniter & absque vomitus provocatione operationes suas in plerisque absolvunt.

Integrum doctumque Tractatum de Gitta Jemou conscripsit Clar. ss. Dn. D. Joan. Petrus Lotichius, Marpurgi Med. Professor publ. amicus meus singularis, ad quem Lectorem remitto. *Schrederus.*

Annotatio Hofman. Ghitta Iemen.) Cambodia, gutta gamba, succus Laxativus quibusdam & flavè ubescens *Bauhini*, succus undecimus *Clusii*, qui *gitta jamau* dicitur, *gutta Gamandræ* &c.

Est succus purus nullis sordibus inquinatus, fulvi coloris, liquore aut salivâ madefactus flavo colore inficiens. Interim tamen resinosus etiam est, quia inflammabilis & candelæ admotus lucida ardet flamma, fumum ex fusco cœruleum spargens, cinerem relinquens nigrum, solvitur sp. vini seu Menstruo homogeneo; solo menstruo aqueo facta heterogenea est, potius atomorum segregatio, quàm vera solutio.

Cujus plantæ succus sit, nondum certò constat) Verum hîc Nobis tradidit *Iacobus Bontius apud Indos in Regno Iacatriensi, Coloniæ Batavicæ novæ Archiater*, qui in suâ *Meth. Mea. Indica* Cap. 9. Eam ad *tithymali* sive *Esulæ* quandam speciem *Iavanicæ* refert, Planta inquiens, quæ *Guttam Cambodiam* fert, seu lachrymam istam flavam, quam in patriâ habetis, suprà dictæ similis est, nisi quòd non tam altè excrescat, ita ut fermè solo colore succi hi inter se differant, crescit hæc Planta, ut & Aloë maximâ copiâ in Cambodiâ regione Chinæ vicinâ, inde etiam nomen sortita est. Corrupto igitur vocabulo gutta gamba audit, quæ gutta cambodia nominari debet. *Vid. Medicin. Indor. ad Garzæ Hort.*

Vires. *Expurgat per superiora & inferiora, præcipuè humores serosos*) Instar vitri ♁ n. j, unde noxæ quædam ipsi sunt communes cum alijs validioribus, ventriculi subversio, vomitus, &c. Usus hujus est frequentissimus in hydrope; dosis est à gr. IV. ad ℈ß, vel gr. XII. Hydropicis ℈ß. exhiberi potest.

Corrigitur spir. Sulphuris, vel Vitrioli Acet. dest. &c.

De hoc succo acriter disputarunt *Reudenius & Haesthaterus* in peculiari tractatu, quem consule.

GYPSUM.

Gypsum est lapis albus, mediocriter durus, porosus; in lapidicinis frequens, qui semi calcinatus abit in *gypsum coctum*, cujus usus apud Lapidarios, seu ædificiorum structores familiaris est.

Gypsum autem crudum adstringens est absorbens, desiccans, ac in hæmorrhagijs utile. Commiscetur remedijs ad hernias, ac emplastra & unguenta quædam subintrat.

LIBER VIII.
Continens ea quæ incipiunt à Literâ
H.

Hæmatites vid. sub titulo *Lapis*.

Hæmionitis, vid. *Scolopendrium*.

Hæmorrhoidalia, vid. sub titulo *Splenicà*.

Hæmorrhous, vid. sub titulo *Serpens*.

HALCEDO.

Halcedo, seu potiùs *Alcedo*, quæ Gallicè *Alcyon, Martinet, Oiseau de S. Martin*, vel *Drapier* dicitur, avis est maritima versicolor, magnitudinis coturnicis. Illius rostrum longum est, tenue coloris flavi. Nidos suos ædificat super rupibus, ac in maris littoribus, vescitur pisciculis. Hyemis tempestate, sereno, ut dicunt cælo, ova sua edit.

Siccatur hæc avis ac de collo infantum suspenditur ad præcavendam Epilepsiam. Verum satius fuerit, si pulvis ex ea paratæ quotidie ad ℈ j. in aquâ betonicæ propinetur.

HALEC.

Halec (ab ἁλικὸς id est ἁλμυρὸς, salsus, quia pisciculus est ad liquorem salsamentariorum idoneus, ut Isid. lib. 12. cap. 6.) τρίχιες, Germanis *Harengus*, Angl. *The Herring*. qui hoc sibi peculiare habet quòd aqua extractus citissime moriatur: quia peramplam, pro ratione corporis, branchiarum sortitur fissuram, Britanniam nostram immensis exercitibus circumdatant. Circa solstitium æstivum ex alto *Scotiæ* littora petunt inde *Anglica* littora adeunt, & ab Augusto medio ad Novembrem à Castro *Scarboroug* ad *Thamesin* capiuntur. Postea aliqua vehementiori procella in *Britannicum* mare deferuntur, & in eo ad *Christi natalitia* piscantibus se offerunt. Hinc *Hiberniam* utrinque pernatante, in Septentrionalem Oceanum, circum navigata quasi *Britannia*, se transferunt, & ibi ad Junium usque occultantur. Postquam fœtificavere, redeunt. Haleci est intestinulum rectum, & excrementis vacuum. Harengus infumatus, *tuburnus, a red herring* dicitur, à rubente ob fumum colore: *haleces* muriatos crudos nonnulli pedibus podagra infestatis imponunt, non infelici successu, præsertim si ortum habuerit à pituitâ crassâ seu congelata. Glutinosum humorem incidunt & attenuant, ac sua siccitate absumunt, congelatum vero dissolvunt, & dissolutum discutiunt.

Littora nostra, autumno præsertim, frequentat & aliud halecum dicam, an *leucomanidarum*, an *alosarum* genus priori haud multum dissimile; Latinorum alijs quidem *harengi minores* dicuntur, *alosæ minores* alijs: nostratibus vero nomine *pylchards* semper innotuerunt, nescio an ab Anglo Saxonico Pylce, togâ pellicea & belgico *ard*, naturâ, à cutis scilicet lævitate: de his *Camdenus noster* in *Britanniâ*, suæ in folio editæ pag. 135. his verbis egit, uberrimus etiam quæstus his (de *Clanmoniis* seu *Cornvvalliæ* incolis loquitur) existit è pisciculis illis quos *Pylchardes* vocant, qui magnis quasi examinibus littora à Julio ad Novembrem circumfusi capiuntur, exenterantur, saliuntur, infumantur, conduntur, premuntur & in Galliam, Hispaniam, Italiamque infinita multitudine exportantur, quibus sunt gratissimæ merces & *fumados* appellantur. *Charletonus*.

Halecum *nota caracteristica* est linea ferrata è squamis composita in imâ ventris, carinâ; color in lateribus & ventre argenteus, splendens, squamæ grandes & facilè deciduæ. *Willbugheius in Ichthologia.*

Partes Officinales naturæ ex Halece.

1. Vesiculæ, (halecis animæ dictæ) 2. Ipsum halec & 3. Muria.

Vires. 1. Animæ dictæ num. 9. exhibitæ urinam ciere dicuntur. 2. Integrum Halec salitum imponitur plantis pedum ad humores à capite derivandos, æstumque febrilem domandum, cinis exhibetur ad calculum atterendum, (fit ut cancrorum) 3. Muria (garum) est brodium quo Halec vel alius piscis fuerit conditum. Inservit clysteribus in coxendicum dolore & hydrope, mundificat ulcera fœtida, gangrænam cohibet, strumas dissipat, ad anginas valet (cum melle illita) *Schroderus*.

HALIMUS.

Nomina. Attriplex halimus dicta latifolia, Halimus *Clusii I. B.* hal. latifolius *Ger.* latifolius sive fruticosus. *C. H.* latifolius sive portulaca marina incana major.

Frutex est omnino candidus, rhamno similis, ipso etiam candidior, eademque altitudine (trium quatuorve aut plurium cubitorum) assurgens, nullis ramis ex una radice prodeuntibus, crassis, lignosis, & fragilibus, & dum Juniores sunt ut atriplicibus fungosis, folia oleæ seu potius rhamni (*I. B.* atriplicis marinæ, non tamen sinuata serratave) breviora tamen & latiora, interdum rhomboide figura, ordine nullo per ramos disposita, pediculis satis longis hærentia, etiam hyeme virentia, crassa, succulenta, candicantia & quodammodo splendentia, sapore subacido prædita, flos oleæ pænè, parvus, muscosus, purpurascens racematim in summis ramis cohæret, semen parvum, compressum, fuscum in lappulis non absimilibus nostræ attriplicis lappaceæ, Monspessulanæ, minoribus tamen & candidis, radix dura est lignosa & in multos ramos sparsa, floret æstate, semen autumno maturescit.

Hiemes asperiores in regionibus Septentrionalibus, Anglia scilicet aut Belgio, non fert nisi diligenter custodiatur & à frigore defendatur.

Sponte provenit Ulyssipone vicinisque locis ad Tagum aut ejus ostia & æstuaria mari proxima in sepibus. Hispali etiam in sepibus mari vicinis prope Messanam copiosam invenimus sponte ortam. *Raius.*

Radix in nutricum lacte augendo, item in ventris torminibus, convulsionibus, ac hernijs, intus in decocto, vel pulvere assumpta, proficua creditur.

Hastula Regia, vid. *Asphodelus*.

HEDERA ARBOREA.

Hedera Græcis κισσὸς, nonnullis ab *hærendo* dicta videtur, sed malè cum antepenultimam corripiat, unde etiam in antiquis & melioris notæ codicibus male scribi per *æ* nemo non videt, alij *edera* scribunt & ab *edendo* dictam volunt, etenim arborum importuna amasia & velut assentatrix, cortice rimoso impacta macerias vetustiores demolitur & radicatis propagationibus arbores amplexa enecat & exedit præsertim illa species

species quæ major & arborea dicitur. Et mihi sanè (inquit Vossius) hæc posterior placet ἐτυμολογία, neque obstat quod in antiquis codicibus per *h* scribatur, nam additur ea, quemadmodum Pontanus quoque sensit, ut in accusativo utroque dativo atque ablativo plurali à verbo *ederam, ederas* & *ederis* distinguatur.

Κίσσον Græcis dictum putant à *Cisso*, quem pusionem Liberi patris fuisse Græci fabulantur, & in nominis sui fruticem conversum, dum administer cum eo Deo saliens allisus terræ periit, at probabilior etymologia est ἀπὸ κιὸς, i. e. verme seu curculione, qui in frumentô, hordeô & triticô maximè nascitur; cui natura est semina illa cuspide potius, quàm ore exiguis foraminibus terebrare; unde *κισσηρὶς, pumex* ob fistulosas ac porosas cavitates dicitur. Eodem modo planta hæc κίσσος vocatur & à porosâ texturâ & innumeris spiraculis perviâ, quâ vinum transmittit.

Planta hæc à nonnullis non ineptè *parasitica* appellatur; quòd alienâ quadrâ vivat, & partem saltem alimenti ab arboribus quas amplectitur exugat, partem inquam alimenti: non enim (ut vult *Theoprastus*) apud nos nascens ulla hederæ species si inferius succidatur durat, nec emoritur; quin contrarium experientia constat, & nostra & aliorum; miramur autem tot hederæ species in Græcia inveniri quot recenset *Theophrastus* aut ubi eas viderit, cum in omnibus quas nos lustravimus regionibus unica tantum hactenus observata fuerit. Nam hederam helicen dictam, provolutam & sterilem, à majore arborea & fertili non aliter differre cum *Trago Cæsalpino* & *J. Bauhino* putamus, quam vel ratione ætatis, vel loci ubi crescunt: hinc enim solum fieri quòd aut formâ differant, aut fructu.

Vires. Omnis hedera, authore Dioscoride acris est, astringit, nervos lædit. Internus hederæ foliorum usus (quia capili nervosóque generi adversatur) rarus est, externus creber in ichoribus exiccandis & sanandis: in fonticulis ab inflammatione tutandis, (imponitur quotidie folium) apertis, conservandis, humoribúsque illuc fluentibus eliciendis vi sua attractoria; in ozænis curandis in aurium purulentarum dolore sedando, veteres folia cum vino cocta ad ambusta & ulcera maligna commendant, & maculas solares: cum aceto cocta aut cruda cum pane trita lienosis prosunt. Arthritici quidam dolenti parti imponunt cruda folia hederæ, quibus aliquis impræsentiarum levamen se sensisse narrat, adeo ut per multos annos non aliis topicis usus sit, *Antonius do Heyde* in centuria observationum. Florum siccatorum pulvis quantum trium digitorum apicibus comprehendas, ex vino bibitus fluxum dysentericum sistit.

Acini drachmæ pondere cum vino assumpti mirificè calculum pellunt & urinam movent, ad menses suppressos minimè fallax traditur remedium, si acini tres hederæ arboreæ in pulverem triti, cum aqua stillatitia pulegii & pauxillo croci bibantur calide, idque mane diebus aliquot continuis.

Quinque aut sex acini ante poculorum certamen comesti ebrietatem arcere dicuntur.

Baccæ purgant per inferiora & superiora, unde à nonnullis contra febres exhiberi solent. *Schrod.*

Pulvis baccarum hederæ plenam maturitatem adeptarum larga dosi exhibitus arcanum est contra pestem, remedium est *Alexis Pedemontani D. Boyle. de utilitate Philosophiæ experim. ad medicinam.* ♃. grana hederæ quæ vergunt ad Septentrionem bene matura: In umbra siccat. in pulverem redigantur. Dos. ʒj. in vino albo sudorem provocando, expertum sæpe remedium, ejusdem meminit & *J. Bauhinus* è Camer. Corymborum pulveratorum scrupulus unus ex aqua menthæ, aut simili efficax est ad ventriculi dolores; alicubi & peste correptis exhibent, quibus sudores eliciunt potenter.

Oleum è baccis destillatione elicitum præstans est ad frigidos articulorum morbos: menses ciet, calculos pellit, sordida ulcera extergit.

Hedera hoc à natura peculiare habet, quòd prima ejus folia sint angulosa & varia, posteriora & summa rotunda. Solet enim natura aliàs scindendo procedere à simplici ad varium, inquit *C. Hofmannus in de medicam officinal. lib.2. cap.*102. Idem tamen (quod pace illius dixerim, observatur etiam in agrifolio, in Smirnio, cretico, in Sio aquatico maximo, Thlaspi vero Dioscoridis Zanoni, aliisque quarum folia ima, & ad radicem sinuata aut laciniata, superiora integra sunt.

Vulgo jactatur & Wecherus ex Evonymo & aliis refert, ab aqua separari, si vas ex hedera conficiatur, eique vinum infundatur cui aqua permixta, brevi enim permanente vino aquam extillare, (*Veteres Cato, Varro, Plinius*, vinum extillaturum aiunt, remanente intus aqua, quod verisimilius est, cum vinum spirituosius sit & tenuiorum subtiliorumque partium) in hujus experimenti veritatem ut inquirerem ex ligno hederæ (cum mihi frustum obtigerit brachii magnitudine) pocula confici curabam, quorum maximum liquoris libram semis capiebat, cui vini duas partes, aquæ unam infundebam: quæ per tres dies mixta ubi stetissent, paulatim una transudabant, ex quo de experimenti veritate judicium ferre quis poteit, *Worm. muf. lib. 2. cap. 17. p.*171.

Lignum hederæ de radice dissectum ubi crassitis esse consuevit à sutoribus in eum usum parari solet, ut postquam cultellos suos ad corium dissecandum idoneos ad colem exacuerint asperiores etiam tunc illos æquales lævigatosque reddant ad dictum lignum ultra citraque ducendo, quod præ aliis ad hunc usum idoneum judicetur, fortè ob mollitiem substantiæ ipsius, quæ etiam sensu percipitur.

Grana baccis exempta, triticeis nonnihil similia, cum à sturnis aliisque avibus in arcis & templorum tectis sparsa à nonnullis inventa fuerint, occasionem iis dederunt, & sibi imaginandi & in vulgus prodigiorum credulo rumorem spargendi tritico pluisse.

Habetur in officinis hederæ lachryma seu gummi ex saturo virore ferè nigrescens, vitreo nitore, sed non pellucido, durâ satis compactaque consistentia, non tamen uniformi, rubiginosis intercursantibus micis: haud difficulter in pollinem redigitur, saporem imprimens siccum haud injucundum, cum levi quadam amaritudine salivam croceo colore tingens. Candelæ admotum claram & pertinacem edit flammam, nidore ferè thuris, & nè tum quidem liquescit. Hujusmodi resinam J. Bauhinus rubram odoratam, pellucidam gustui acrem, chartam imbuentem olei instar, igni admotum flammam concipientem ut cæteræ resinæ in castello *la Bastie* prope Genevam, nec dissimile ad nos misit amicus quidam *Worcestriæ* in *Anglia* collectam: Rarius tamen apud nos invenitur.

In setaceis stylus fabricari potest è ligno hederæ, novusque imponatur semel in mense. Experior, id quoque in meis fonticulis, quibus loco pilorum globulos ex hoc ligno hederaceo à torniario concinnatos impono, commodissimi sunt, egregiè enim attrahunt & non nisi semel in mense eos mutare necesse est. Hildanus centur. 1. obs. 4. *Raius.*

HEDERA TERRESTRIS.

Hedera dicta est hæc herba ob foliorum aliqualem similitudinem, & quod hederæ instar in terra reptat foliis subrotundis, flagellis reptatricibus, florum labio superiore, galeam vocant, bifido & reflexo à reliquis verticillatarum generibus distinguitur.

Nomina. Hedera terrestris, *Ger.* terrestris vulgaris *C. B. Park.* Chamæcissus sive hedera terrestris, *J. B.* dicitur.

Flagellis tenuibus quadratis, humi fusis, è geniculis radices agentibus latè se diffundit, Caules (qui flores sustinent) tenues, hirsuti, quadrati, rubentes, inanes, infirmi & vix se sustinentes, palmares aut semipedales, foliis vestiti per intervalla ex adverso binis, pediculis longis insidentibus subrotundi, aut in acumen modicè productis, per oras crenatis, hirsutis cum adhuc tenera sunt & primitùs germinant purpurantibus. Flosculis ad Caulium nodos in verticillis, è singulis foliorum alis tres quatuorve aut etiam plures exeunt, cœrulei, oblongi, utrinque labiati, labio superiore seu galeam mavis dicere, bifidô, & ad latera reflexô, inferiore in quatuor segmenta divisô, tubo intùs saturatioribus purpureis maculis & lineolis variegato, rictu pilis brevibus albis velut lanugine quadam obsitô. Stylus tenuis, bicornis. Calix floris oblongus, angustus, striatus, marginibus in quinque segmenta brevia partitis, flore marcescente in ventrem turgescit, & quatuor semina oblonga continet, sapor plantæ amarus. Odor gravis ad mentham quodammodo accedit, aut inter lamium & mentham ambigit.

Aprili mense apud nos plerumque floret ad sepes & macerias.

Duplex est (inquit C. Bauhinus) major quæ vulgata; & minor elegantior, cauliculis erectioribus, brevioribus ut & foliis, floribus magis cæruleis, quæ locis humidioribus circa arbores antiquas invenitur.

Vires. Hedera terrestris vulneraria est, tum intrinsecus sumpta, tum extrinsecus adhibita, diuretica, emmenagoga: usus creberrimi in tartaro pulmonum & renum resolvendo: quin & ictero conferre dicitur, & ad dolores colicos conducere in clysteribus.

♃. Summitatum hederæ terrestris nonnihil rubescentium s. q. contusa formetur in placentam quæ sole servido statim exsiccata, in pulverem subtilem redigatur, & in vitro servetur. Hæc planta virtutem cum odore & colore optimè ac diutissimè supra omnes conservas aut sirupos retinet atque in tusse gravi & pertinace inque phthisi summopere prodest, sumatur drachma semi ad drachmam unam bis in die cum aquâ destillatâ aut decocto pectorali. *Willis Pharmaceutic. rational. part. 2. sectio. 1. capit. 6.*

Vidi ego utentes quosdam ad torsiones post partum ventri apposita; ac ipse sanè utiliter usus sum. Hujus porro felicem usum observavi in expellendis vermibus equorum si contusa detur cum avena. *J. Bauhinus.*

Hederam terrestrem Angli præsertim Septentrionales in dolia immittere solent ad depurandam seu clarificandam cerevisiam, quod brevi, nempe viginti-quatuor horarum spatio præstare solet, unde & nomen *Alehoof* adepta est; verùm hic mos post receptum lupulorum usum paulatim desuevit.

Succus hujus plantæ naribus attractus Cephalalgiam etiam vehementissimam & inveteratum non lenit tantum, sed & penitus aufert, medicamentum hoc (inquit autor meus *Joannes Oldacres* Ludimagister olim Tamworthensis) quamvis facilè parabile, & ubique obvium sit, non satis potest laudari, si res ex usu æstimarentur auro æquiparandum. Novi quippe qui per decennium & amplius acerrimis doloribus conflictati statim ab ejus usu recreati sunt, nec unquam postea paroxysmum senserunt.

Ad colicum dolorem ♃. fol. hederæ terrestris q. v infund. in oleo ad solem æstivum, est singulare remedium injectum & epotum *Chesneau* ex Matthiolo communicavit *D. Hulse.*

Ad calculum, erat qui vino in quo hedera terrestris infusa esset, addito saccharo candi cum successu quidem uteretur, sed & cum dolore cum arenulas excerneret insigni. *D. Soame,* ex observat. *Hieronymi Reusneri* à Welschio editis. *Raius in Historia Plant.*

HEDYPNOIS.

Hedypnois, Rhagadiolus, seu Hieracium capitulum inclinans semine adunco: planta est cujus folia non multum absimilia sunt foliis cichorei sylvestris. Illi autem describendæ non immoramur quia ad usus Medicos non facit: quamvis aperitiva, detersiva ac vulneraria quibusdam credatur.

HEDYSARUM.

Hedysarum à suaveolentia dicitur, odorem enim emittit Fænugræco, Lupino & Meliloto non dissimilem, hujus notæ sunt flores spicati, siliquæ oblongæ, asperæ, articulatæ, isthmo loculos dirimente.

Nomina. Hedysarum clypeatum, *Ger. Emac.* clypeatum vulgare, *Parkinson.* Astragalus romanus sive hedysarum clypeatum siliqua aspera *J. G.* onobrychis semine clypeato aspero major. *C. B.*

Ramis est Cubitalibus, Bicubitalibus, & Tricubitalibus, concavis, procumbentibus, glabris, crassiusculis multis ex radice statim ortis; per quos alternatim ferè nascuntur, folia palmaria & ferè dodrantalia alæ instar hærentia, quinque aut sex conjugationibus, extremoque folio impari constantia, folia singularia glycyrrhizæ foliis quodammodo similia, paulo breviora, latioraque & glabra exceptis marginibus brevibus, pilis ornatis, sapore nullo manifesto, nisi tantillum adstringente ex alarum sinu prodeunt circuli singulares qui in spicam digestos ferunt flores amænos, genistæ, sed rubentes: è quibus siliquæ compressæ, asperæ, ternis aut quaternis aut quinis seminibus orbicularis, clypeoli effigie in eadem recta locatis complures visuntur, (siliquæ ex pluribus orbiculis clypeiformibus asperis sibi invicem articulatim commissis componuntur) in plures annos vivit, nisi hyems asperior fuerit, quàm non facilè tolerat.

In montibus Messanæ imminentibus provenit, ubi à flore albo observavimus, *Frid. Meyerus* in pratis Senensium copiose enatum observavit.

Ob florum pulchritudinem in hortis colitur.

Vires. Incidit, attenuat, aperit, deterget, vulneraria est, ac adhibetur intùs & extùs.

Helenium, vid. *Enula Campana.*

Helianthemum majus & minus, vid. *Flos Solis.*

Heliotropium Vulgare, vid. *Flos Solis.*

Heliotropium majus & minus, vid. *Verrucaria.*

Heliotropius Gemma, seu Jaspis Orientalis, vid. sub titulô *Lapis.*

Helix, vid. *Hedera.*

HELLEBORINE.

Helleborine latifolia montana denominationem suam ex eô habetur quòd folia gerat foliis Ellebori albi non absimilia. Detersiva ac vulneraria quibusdam dicitur; verùm donec de hisce facultatibus certiùs constiterit illâ carere in Medicinâ commodè poterimus.

HELLEBORASTRUM.

Nomina. Helleborus maximus, *Ger.* maximus sive Consiligo. *Park.* Helleborus niger fœtidus, Consiligo Plinii lib. 27. cap. 9. *C. B.* Elleborus niger sylvestris, adulterinus, etiam summè virens *J. B.*

Planta est cubitalis, odoris virosi, radice fibrosa, obliqua, cortice subnigro, nonnihil cum acrimonia leni amaricante, lignosam & duram medullam obducente: Caule tereti, quem investit primum cortex mixto cum virore rubellus, alter pallide virescens, cui subest caulis lignosus, copiosam medullam viridentem complexus, folia pediculis palmaribus appensa, densissimo stipatu caulem ambiunt in tria quinque, sæpius novem folia subdivisa, longa, striata, atrovirentia, in ambitu serrata, nullis interdum crenis incisa, rigida, nervo per mediam longitudinem valde conspicuo decurrente, à quo utrinque in latera obscuriores venulæ prodeunt: at superiora folia, ut in pauciores portiones sunt divisa, ita & latiores sunt tum portiones ipsius folii, tum pediculus: ex alis prodeunt ramuli multi dilutè virentes, ob mollitiem floris ponderi imparem deorsum reflexi; paucis foliis pallidulis parvis, integris donati, quibus insident flores singuli, bini, terni, quaterni, ovales ferè, nec ita ut in helleboris expansi, ex pediculis semipalmaribus quadrantalibusvè, ex foliis quinis herbaceis, extremâ horâ cum se magis explicant rubente striata compositi: in medio stamina plurima, capitello sulcato, exalbido, extra quæ intra floris calathum, quatuor rarius tres aut quinque, seu tubuli concavi, magis virentes brevioresque quàm staminula, oris fimbriatis, leviter interdum purpurantibus: penitissimum floris medi-tullium occupant cornicula aquilegiæ vel hellebori, bina ternave, tuberculo innixa in quibus semen.

In Germania, lateribus montium quos eluctatur Rhenus, inter Coloniam & Moguntiam copiosissimum & alibi in montibus regionum transmarinarum. *Raius.*

Planta hæc vomitiva est ac cathartica, unde extractum paratur non infimarum sanè virium, sed multùm ingratum decoctum enecandis pediculis tum in brutis animalibus, tum in hominibus aptum est, si eô calidè foventur cutis affecta.

Helleborus albus, vid. *Veratrum.*

HELLEBORUS NIGER.

Helleborus etymon traditur in capite de Elleboro albo, sub nomine *Veratrum.*

Hellebori nigri notæ sunt folia digitata, flores non decidui, si modo flores seu florum petala, & non potius floris Calyx, dicenda sunt folia illa lata, speciosa, alba, purpurascentibus unguibus, quæ florum petala vulgò habentur; floris autem petala tubulosa illa foliola virentia quæ stamina & capitulum velut corona cingunt, quæ foliis prædictis calycis occultantur. Radices catharticæ.

Nomina. Helleborus niger verus *Ger. Park.* niger flore roseo *C. B.* niger flore albo, interdum etiam valde rubente *J. B.*

Radicem habet numerosis fibris vulgari paulo crassioribus donatam: folia à radice pediculo, spithameo, crasso, succulento, tereti, punctis purpureis vel dracunculi majoris notato appensa, divisa, ut plurimum in folia novem, viridentia, lævia, rigidiora crassioraque quam in vulgari flore viridi, lata, obtusa, in extrema folii ora & paulo inferius, crenis autem viduâ reliqua portione tota: pediculi singularium foliorum, ut & aversi folii nervus purpurascentes. Inter folia flores occultantur, pediculo plurimum palmari & sesquipalmari, succulento & maculoso, ex foliis quinque candidis, ungue purpurascente extrinsecus, subrotundis striato venularum discursu prædîtis. Ad floris imum foliolum oblongum integrum, pauló-que inferius aliud tanquam vagina, interdum divisum in plura. Floris medium occupant staminula multa lutea, breviaque. Cum corona decem, duodecim tubulorum virentium succedunt siliquæ corniculatæ, intortæ, septenæ, in quibus semen parvum, rotundum, nigrum; fit interdum, ut eunte in semina flore ejus folia colorem contrahant ferrugineum tam intra, quam extra, aliquando florem habet valdè rubentem, interdum album pro anni constitutione.

In Alpibus non longè à Ponteba copiosum invenimus. J. B. se eum in variis sylvis observasse tradit.

In horto Blæsensi aliam hujus speciem invenio quam helleborum nigrum flore roseo, minorem Belgicum vocant; quod omnibus suis partibus, foliis, caulibus, flore, præcedente minor est; flore ex albo-roseo.

Vires. Purgat potenter humores melancholicos, utile perconsequens medicamentum est omnibus affectibus indè originem trahentibus quales mania, insania, hypochondriaca passio, elephantiasis, herpes, cancer, quartana, vertigo, epilepsia, apoplexia, scabies, sed cautè & nonnisi robustis ob violentiam quam exercere aptus natus est, exhibere conducit, in decocto tamen minus est periculi, corrigitur mastiche, cinamomo, aniso, fæniculo & simil. *Schrod.*

Alii helleborum nigrum rectè præparatum innoxium esse medicamentum scribunt, ut tutò pueris gravidis & debilibus corporibus dari possit.

Dosis in substantia à gr. 15. ad ʒß. ℈ij. robustissimis etiam in infuso vel decocto à ʒj. ad ʒij. exhibetur vel substantia ipsius, vel infusum, vel decoctum substantia exhibetur 1. forma pulveris sumendo helleb. nigri ℈ij. zingib. mastich. rosar. rubr. cinamom. anis. ana gr. 4. misce in jusculo in pueris sume ℈j. 2. forma pilular. formando ex prædicto pulvere cum syrupo idoneo pilulas. 3. forma placentularum vide Le Brun. 4. Forma Cydoniati. V. eundem apud quem & reliqua.

Vis omnis hujus radicis est in cortice aut fibrillis rejecta medullâ optimè corrigitur caryophillis aromaticis *D. Palmer* è dictatis D. Hermanni Horti Leydensis Præfecti.

Joh. Hartmannus in fluxu mensium nimio cingulum ex foliis hellebori nigri compactum ita ut folia recentia assuantur fasciæ, circa lumbos corpori applicat. *Raius.*

Radix hellebori nigri seligi debet crassiuscula, bene nutrita, recens, munda, longis fibris stipata, coloris nigriusculi. Multum autem possidet salis acris ac olei.

HEMEROCALIS.

Nomina. Lilium floribus reflexis montanum *C. Bauhin.* flore nutante ferrugineo minus *I. Bauhin.* Lilium montanum sive silv. 2. minus *Clus.*

Fulvus hujus bulbus ex squamis acuminatis compactilis subdulci & viscido sapore, fibris donatus albidis aliis in imo, aliis quam cauli committitur, quem erigit bicubitalem, teretem, punctis rubentibus maculosum, cui ex intervallis radiata circumnascitur foliorum liliaceorum, atrovirentium series; circa caulis etiam summum singularia temerè quà fors tulit apponuntur, caulis fastigium ornant liliacei penduli flores sex foliis pinguibus purpurascentibus, sanguineo saturatiore guttatis, reflexis admodum constantes quorum meditullium occupant totidem ferruginei apices cum pistillo odore gravi. *Joh. Bauhinus.*

Veres. Martagonis radix urinam ciet.

HEMIONITIS.

Illam à *Linguâ Cervinâ*, seu *Phyllitide* diversam non credit *Raius*, & aliis eò tantùm à Linguâ Cervinâ differt quod in imô foliorum duas quasi auriculas promat. Vires autem sunt eædem.

HEMINA, vid. sub titulô *Mensura.*

HEMMENAGOGA, vid *Emenagoga.*

HEPATICA sive LICHEN.

Lichen Græcis & Latinis ita dicitur quod lichenas, id est impetigines sanat. Plin. lib. 26. cap. 4. lichen herba in lichenis remediis omnibus præfertur, inde nomine inventô.

Est autem *lichen* herba ex meris foliis, in terræ superficie aut in arborum corticibus se diffundentibus constans.

Hic autem duplex est, vel sterilis, saltem quantùm hactenus observatum est, vel fertilis seu semine prægnans, de quâ hic.

Nomina. Lichen sive hepatica vulgaris *Parkinson.* lichen sive hepatica fontana *J. Bauhin.* hepatica terestris *Ger.* lichen petreus latifolius sive hepatica fontana *C. B.*

Cum lichen primum Plinii, pileatum Col. pro hepatica terrestri vulgari seu lichene officinatum habeam, ejus descriptionem subjungam Columnianam, quæ cum nostris observationibus exactè congruit.

In saxis aquosis oritur, umbrosis, septentrionem maxime respicientibus. Radicibus hæret sericeis similibus pilis, tenuibus admodum, copiosis sub foliis, quæ digiti sunt latitudine & dupla longitudine vel majore, supernè virentia vel parum flavicantia, squamosa velut serpentum cutis vel limacis, singulisque squamis punctum in medio scriptum elevatur. Florem non producit, quod observare potuimus. Caulem ex parte folii extrema parum scissa & sinuosâ, lunatâ, album, lævem, firmum, succosum junci crassitie, diaphanum, quatuor uncias longum habet supra quem pileolus veluti fungus insidet parvus, in quatuor aut quinque partes infernè divisus, (quibus subtus impacta sunt totidem semina, seu potius vascula seminalia, pulvisculo viridi repleta,) Columnæ pileolus primò viridis est, parum ad flavum inclinans, postea flavescit, atque demum ruffus efficitur, & partes illæ inferiores divisæ fructum nigrum disruptæ ostendunt, atque apertis fructus decidunt nigro purpurei, succosi cùm virides adhuc, siccatos verò pulverem pro semine nigrescentem fuliginosum habere comperimus.

Martio mense caulem edit, Aprili verò perficitur.

Vires. Lichen sapore est aqueo cum amarore nonnullo & adstrictione, hepatica est insignis (in calidis cum siccitate hepatis malis, C. Hofman) usus præcipuè in obstructionibus hepatis & vesicæ quorum signaturas in foliis gerit, hinc in hectica, in ictero, in scabie & lichenibus, in gonorrhœa, in febri. Extrinsecus sistit sanguinem vulneribus. *Schrod.*

De sapore non bene disserit Autor præcitatus, quandoquidem nihil minus quàm aqueus est, sed admodùm acris, cubebarum saporem non parum referens.

Notavit *Cæsalpinius* quòd purget leniter humores adustos, & crassos, si in magna copia ut pond. ℔ij. ejus decoctum sumatur, quô remediô iteratô per multos dies sanatos multos vidit ex maligna scabie & ulceribus exedentibus; oportet autem singulis diebus novam decoctionem parare præcipue cum sero lactis, quia facile exolescit.

C. Hofmannus hepaticam peculiari vi purgante præditam esse non magis credit quam serum, imo serum ipsum copiosè exhaustum non rarò purgat. *Hac colligente Raio in Hist. Plant.*

HEPATICA NOBILIS, vid. *Trifolium indivisum.*

HEPATICA STELLATA, vid. *Asperula.*

HEPATICA MEDICAMENTA.

Utut Hepatis dignitas tanta hodie non sit amplius ut ipsi sanguificationis, juxta *Galenum*, contra *Hippocratem*, *Platonem*, & *Aristotelem*, demandetur provincia; eximium tamen & nobilissimum viscus est, cujus actiones læsas consequuntur morbi satis molesti & graves.

Notandum verò in his ipsis cumprimis ut & aliis occurrere medicamenta quæ cum reliquis sunt communia, v. g. aperientibus, splenericis; iis tamen recensendis opera meritò impenditur, ut pateat quid speciatim præstent in hujus visceris morbis; quæ circa ea observanda, & ut eò certiùs memoriæ infigantur.

Solemus ergo hæc ipsa *Hepatica* itidem in calida & frigida communiter, more aliorum divisa, partim secundùm ipsas partes ad fermentum, seu Archeum hepatis constituendum concurrentes ut sic pathologiam complectamur simul quatenus respiciunt vel vasa, quibus confertissimum est hepar, venosa, arteriosa, lymphatica, choledoca, qui ductus & pori totius parenchymatis hisce debiti facillimè obstruuntur, vel humores, sanguinem, lympham, & inprimis bilem; vel villos, tonumque fibrarum & robur acinorum glandosorum.

Vasis obstructis debentur aperientia, quæ eadem extricant, bilisque amurcam & viscedinem mucilaginosam expediunt, qualia sub aperientibus & diureticis fuere jam exposita; tum propriè dictâ partium tenuitate conspicua, & præcipuè ad urinarias vias unà ducentia; tùm mediatè talia, quæ licet fixiora sint, absorbendo tamen humorum acorem austeritatem & στάσιν corrigunt, quorum tamen pleráque sunt polycresta, tantóque majori jure hepatica audiunt, quò magis non uni soli, sed pluribus indicationibus dictis satisfaciunt.

Sic aperientia hepatica sunt *amara & quasi talia*, rad. cichor. sylv. & hortens. seu endiviæ, rad. 5. aper major (κατ' ἐξοχὴν ita dictæ & in *pharmacopœis quibusdam*, omissis minoribus, solæ recensitæ;) apii, asparagi, fœniculi, petroselini, rusci; minores verò ab aliis quoque adduntur: eryngii, capparum, graminis, onon. rub. tinctorum; Item rad. duæ aperientes, fœnic. & petrosel,) gentian. tarax. rhab. cujus solius usu aliquoties icterum curavimus, acor. ver. helen.

Ex herbis absinthium f. & pont. agerat. fumar. chamædr. chamæp. adianthum, marrubium. summ. cent. min. fumar. cich. cort. citr. aur. Ex compositis elix. propr. f. ♂le & cum rhabarb. ess. abs. f. & comp. sir. de cich. cum rhab. diaser. Andernaci, extr. acori veri, fumar. rhab. MP. ♀ear. Querc. conserv. fumar. elect. diacor. troch. de eupat. anim. rhab. MP. ♀ear.

Aperientia hepatica sunt *aromatica*, & partium tenuitate, lenique vel majori acrimoniâ, licet particulis aliis immersâ, prædita, ut rad. pimpin. ari; herb. capill ♀. cochl. cuscut. epith. hyssop. beton. veron. fl. acac. schœnanth. cort. tamar. cappar. cass. caryoph. (quam canellam adulteratam nonnulli, sed minus rectè statuunt,) cost. arab. aromata varia, pulv. stom. Quercet. ol. aromat. spir. cochlear. sir. de adianth. rob ebul.

Aperientia hepatica sunt *acida*, rad. & fol. acetos. berberes, crem. & cryst. ♀i, hepat. rubr. Dresd. ♒ aper. Penot. ⊖is, ⊕li ♂, clyst. ♉ uterque, Tinctura aperit. M. S. vario modo miscenda.

Aperiunt denique hepar *absorbentia* salina, alcalina, martialia, lap. ♋. mater perlar. croc. ♂. aper. ⊕l. sacchar. ♎at. ♉ ♂le cachect. bez. ♂le, ♃iale, ☿ ⊕l. spir. ⊕l. coagul. arcan. ♀. pulv. cach. Querc. Tinctura ♀i, sil. Glaub. ♂is variæ, ♉ i, simpl. & rhabarbarina elegantissima, quæ ita fit: ℞ rhab. Alex pulveris. ℥ij. ☍ ♀ri p. d. ℥iß. aquæ s. q. f. v. g. ✱ ß. vel ij. coquantur in ollâ, igne carbonum, hinc filtretur Tinctura instar sanguinis rubicunda, genuina anima rhabarbari; miscenda subduplo vel subtriplo est. ♉ii ♀is. ut & aliis casibus cum ♒ ⊖ ✱ci, usu polychresto, mundificante, aperitivo, in scabie, ictero. febribus intermittentibus, affectu hypochondriaco, guttâ rosaceâ, variis.

Usus horum generalis paulò est, ictero, cachexiâ, dolore hypoch. dextri, hydrope &c.

Bilem inertem, particulis salinis & sulphureis volatilibus non instructam, aquosam & viscidam acuunt & restaurant: 1. *incidentia*, tum sulphurea oleosa aromatic, spirituosa balsamica, ut aromata omnia, caryophylli, cardamom. vinum, ♈i, tum inprimis sale volat. pollentia, acria, quæ calorem quóque restaurant utraque, ut cochlear. piper, sinapi.

2. *Absorbentia* & absumentia humores austeros, acidos, figentes sal volatile & obtundentes sulphur volatile ejusdem, & consequenter aperientia & resolventia, ductus & poros obstructos reserantia, alcalia, sal. cichor. absinth. ♂ialia. Ut enim illa per se id præstant, addendo stimulum & exacuendo; ita hæc tollendo impedimenta, partes aquosas, acidas, terreas, fluxilitatem simul largiendo.

3. Ex utrisque constantia, *mixta*, quibus etiam suo modo *dulcia* accensenda. Cum enim hæc polleant particulis sulphureis & spirituosis, blandis aquis immersis, meritò etiam in bilis inertiâ corrigendâ habent locum, modò ne quid nimis. Plurimum enim nutriunt & abstergunt simul, speciatim in siccitate hepatis & bilis, temperata illa, unde & passulæ minores & majores consultò tunc dantur, quatenus simul humectant, & glandulas intestinales suaviter demulcent, abstergunt. Locus *Riverii l. 4. Inst. c. 15. p. 130. fol.* ita habet: Nos, *ait*, aliquot puerulos ab hydrope liberatos vidimus usu electuarii simplicis parat. Coquebantur passulæ in vino albo ad consumtionem vini, & per setaceum trajiciebantur, atque iterum recoquebantur, ad cidoniati consistentiam, eáque utebantur in omni pastu; interjectis aliquot purgationibus specificis.

Occasione hâc verò notabimus obiter, quæ in praxi observavimus sæpiùs, nempè solenne esse pueris, 1. scrotum subtumidum & quasi aquâ repletum habere, id quod sponte, succedente ætate cedit, 2. eosdem tumidum sæpè gerere ventrem, extremis arefientibus, ad instar adultorum aliorum hydropicorum, idque 3. potissimùm ob glandulas intestinales obstructas, unde 4. præter purgantia blanda, quæ optimè ferunt, duobus potissimùm curati sunt præsidiis, tinct. ♂ aperit. cydoniatâ, & arcano duplicato.

Laborabat infans 2. annorum, post potum nimium in variolis haustum, tumore ventris maximo cum vesiculâ crystallinâ membri virilis, seu illâ intumescentiâ, ut cuticula elevata, & subtus repleta omnia aquâ viderentur ac extensa, solo usu arc. dupl. laudati curatus.

Usus verò horum est in cachexiâ, hydrope, anasarcâ, scirrhis, tumoribus pituitosis, alvo torpidâ, & similibus. Omnibus enim illis causam præbet bilis torpor & inertia.

Bilem verò *copiosam & acriorem*, mobilem nimis temperant, refrænant & densant, coarctantque 1. *mediatè* quidem & per accidens *aperientia*, quatenus & abstergunt, & abstergendo ad exitum disponunt eandem, unde hæc ipsa inter refrigerantia, contra intemperiem calidam facientia, referuntur, etiamsi calida sint, utpote amaricantia. 2. *purgantia*, inprimis cholagoga. Omnia siquidem purgantia eò potissimum gaudent agendi modo, quod acrimoniam suam cum partibus membranosis communicent, tum maximè cum bile, quæ inde liberiùs effusa stimulat intestina eorumque glandulas in tunicâ villosâ, seu mucosâ potius confertissimè reperiundas, unde tantum purgantia operantur reverà, quantum bilem exstimulant; unde nisi fluxilitas simul adsit, vel à naturâ in corpore ipso, vel à medicamento, & vehiculo, non planè operantur. Hinc & nimio purgantium usu bilem damnoso cum effectu educi posse, egregio exemplo confirmat *Mœbius Fundam. Med. Phys. cap. 15. de bile, p. 368.*

Per se verò & proprè magis id præstant 1. *diluentia* sal acre, corrosivum, sulphureum, aqua, ut aquæ destillatæ, cich. hep. nob. antiscorbut. polychr. Rolf. fragor. hepat. Dorncrell. potiones, infusa, decocta, præsertim simul abstergentia, & vehiculum aperientibus præbentia. Exempli loco adduximus tertianas, in quibus etiam ferè epidemicis & magis rebellibus observavimus formam liquidam infusorum maximè profuisse, præter alia. Cum enim bilis acrior ibi & viscosior sit, fermentum febrile largiens & fovens, reliqua aperientia quidem officium faciunt, reserandis ductibus, incidendo & attenuando, optima verò sunt infusa talis modi ex rad. acetos. plantag. gentian. ex fol. card. bened. tertianar. summ. cent. min. fumar. cort. chin de chin. cass. caryophyllat &c.

quæ

quæ penitius insidens glandulis intestinalibus viscus extergunt promptissimè, & fluxilitatem largiendo simul unicè prosunt, si vel reliquorum vehicula constituantur; quæ ratio medendi febribus est expertissima, adeóque meritò commendanda.

Meritò verò huc pertinere etiam diximus, in statu febrili ipso, acidulas, extra eum thermas quoque. Videri hanc in rem possunt, qui de medicatorum torrentium venis, ut vocat *Seneca tract. de benef. p. m.* 81. scripsere. Consultum verò est non tam empiricè ad hoc velut ultimum asylum ægros amandare, quàm intimius nosse quid præstent, quid minus. Observatum sæpius fuit, hypochondriacos hisce solis curatos, frustra adhibitis aliis. Acidulæ cumprimis conducunt, ubi, salvis pulmonibus, & visceribus, diluendi & temperandi sunt humores, ac laxitas corrigenda villorum, magis, ubi biliosi humores calidi, sulphurei, volatiles, alcalini peccant, habitu corporis magis sicciori & squalido, vires suas debentes particulis vitriolicis largiter expansis in aquam. Thermæ verò, ubi humores acidi magis exuperant, & corpus laxiori habitu gaudet, de quo egimus *Ann. I. Dec. II. Ephemer. German. p.* 20. ubi & de earundem origine mentem exposuimus. Conferri etiam possunt, quæ de causâ caloris thermarum earumque viribus commentatus est *Meara Histor. rar. p.* 146. *seq.* & *Baccius libr. de thermis.*

Referuntur huc etiam à practicis 2. *amara*, per jam dicta, quippe hæc detergunt bilem & ejus excursionem ad intestinum promovent, unde in febribus intermittentibus sunt optima. Sic specificum in ictero est curcuma, ut vel nomen inde apud Germanos sortita sit, quod nempè unicè partibus amaricantibus, acribus, detergentibus polleat, quam soliti hinc sumus cum sale absinth. ana in ictero cum successu propinare.

De aloë verò seorsim quædam dicenda sunt & tangendum *Scaligeri* fulmen *ex.* 160. *t.* 3. *p.* 535. qui negant, *inquit*, aloe jecur offendi, experientiæ scuticâ digni sunt. Hoc per annos amplius quadraginta compertum habuimus. Verum est, de aloe moderatius esse sentiendum, illiusque abusum, tunc temporis jam incipientem, esse noxium, quatenus putant vulgò: Qui vult vivere annos Noe, sumat pilulas de aloe, & notum est alterum illud: *bitter im Munde, starckt im Hertzen grunde.* Aloe balsamica est, & fel quoddam naturæ, bili, corporis balsamo tam similis ferè, si concretionem excipias, ac ovum ovo, hinc quibuscunque bilis deficit, iners, debilis est, cachecticis, pituitosis, seu phlegmaticis, torpidis quoad alvum & mores, obesis, torosis, unicè prodest, supplens quod deficiebat, & corrigens. Quibus itidem excedit, & obstructa est, præsente simul humoris serosi coagulo, iis quoque, licet quasi per accidens, ut jam diximus, confert, quatenus attenuat coagulum bilemque ad excretionem deficientem stimulat.

Qui verò biliosi sunt magis, bilem habent fervidam, acrem, sero magis privam, sicciorésque sunt, Illis, continuato præsertim usu, aloëtica nocent; & quidem tum siccando magis, tum, quod in aliis quoque commune est ejus vitium, quateus tenesmum hæmorrhoidalem excitat, vel hæmorroides ipsas ciet, quo nomine solo *Scaliger* illam *loco citato* admittit & laudare cogitur, si id necessarium fuerit, positâ obstructione earundem. Observatumque est nobis, bilem copiosius affluentem hæmorrhoides immodicas citâsse in viro primario, quod alibi laudavimus, & certum est, eos potissimum hæmorrhoides, imò solos quasi pati, qui sunt atrabilarii magis, i. e. quorum bilis acribus acidis humoribus est confermentata, ut magis hinc stimulet.

Pertinet huic etiam crocus ipse ex parte, qui in ictero egregiè prodest, ad inertem & viscidam bilem expediendam.

3. Bilem refrænant *acida*, jam satis adducta, inprimis hepatic. rubrum Dresd. dictum, quod roborans simul est, ob sandali accessionem, aperiens & digerens egregium.

4. *Terrea* & *absorbentia* quoque motui bilis effetato frenum ponunt, quatenus à terreis, inprimis simul mucilaginosis particulis, spumescentia & fervor contemperatur maximè verò si humores acetosi simul lateant. Hinc crystallus mineralis à *Lang. l.* 3. *ep.* 4. *p.* 899. & *Valeriolâ l.* 4. *enarr.* 3. *p.* 536. bilis porraceæ & æruginosæ propria antidotus vocatur, seu in febribus luxuriet & exuperet, seu in cholerâ & dysenteriâ effrenis sit. Sic lap. ♋. mater perl. & alia huc faciunt, inprimis verò in affectibus hepatis laudatissima est cinnabaris nativa, particulis sulphureis acrimoniam salinam temperans & absorbens, mercurialibus coagulum & στάσιν resolvens, utrisque eximiè temperans excessum omnem. Fœmina primaria dolore dextri hypochondrii cum serpiginibus pruriginosis & admodum molestis conflictata, frustra adhibitis aliis, solis curabatur perfectè cinnabarinis.

Præstat in ejusmodi casibus intimius morbi & medicamentorum vires inquirere, quàm in uno acidi & alcali abstractivo conceptu acquiescere, dantur enim casus, ubi & alcalina & acida utraque prosunt, licet sibi contraria, sed diverso respectu, ut in podagrâ, calculo, affectu hypochondriaco ipso, testante id abundè experientiâ. Et hæc laudata conducunt in ictero, guttâ rosaceâ, leprâ, scabie, phthisi, tertianâ &c.

Tonum verò roborant & villos, quæcunque acinos glandosos firmant, humores verò superfluos, lymphaticos, aquosos amovent, v. g. 1. *leniter styptica*, quæ cum partium tenuitate etiam terrea sunt in recessu, & adstringunt aperiendo, & aperiunt adstringendo, unde hæc ipsa sunt κατ' ἐξοχὴν hepatica, ut cinam. cichor. rhabarb. hinc anima hepatis dictum, sandala omnia, schœnanth. ebur. s. △. præpar. corall. spec. diatr. sand. diarh. abb. quas diarhodon hepatis vocandas censet *Heer. in obs.* Inprimis verò hanc vicem sustinent amaricantia, in quibus natura vices atque operas insigniter partita est.

2. *Absorbentia vitriolata*, ut martialis, maximè hepatica, icteri, chloroseos, hydropicis, scorbuti, affectus & melancholiæ hypochondriacæ unicum & summum remedium, quæ quidem jam satis nominavimus. Hinc martialia magis in laxis & præhumidis malis conveniunt, abundante, vel exundante & vappescente lymphâ, quàm siccâ intemperie, ubi eadem deficit, præterquam humidâ formâ.

3. Lympham vel *discutientia*, vel superfluam spissescentem *resolventia*. Quo loco obiter notandum est, impuritates sanguinis ad exteriora redundantes inprimis characterem suum & fontem nancisci in hepate, ut lues venerea, scabies, lepra, quatenus & bilis erodens, & lympha spissescens ibi potissimum resident & dominantur. Et ex hâc ratione *mercurialia* sunt hepatica, quippe quæ summam habent vim & præcipuam resolvendi serum & lympham, ut fluore recepto æqualiter decurrat, nec gravet partes. Par fat o est *antimoniatorum*, bez. ♂ial. ♁ diaph. ♁ ♂ial. cachect. essent. ♁ii, item *diaphoreticorum*, ut ess. lignorum, decocta eorundem & similia.

Conveniunt hæc tum seorsim & speciatim in fluxu hepatico dicto, exceptis mercurialibus, tum in reliquis quoque attendenda veniunt.

Merentur verò & circa horum singulorum usum attendi quædam cautelæ ac monita practica. Quorum universale esse hoc potest: 1. *in hepaticis non solum bilis, sed & lymphæ vitia attendenda, ne vel*

excedat vel deficiat. In hoc verò maximè peccatur communiter, dum aperire sustinent citra diluentia. Omnis obstructio vasorum notat motum impeditum humorum, tum ab intrinseco ipsorum cumprimis vitio, tum ab extraneo quocunque.

Ad motum verò requiritur non solùm status blandus, ut non acidus, austerus, tartareus, viscosus sit humor, verum ipsum principaliter humidum, absque humido enim nulla fluxilitas, nullus in corpore motus fit.

Hinc observavimus sæpè hypochondriacos, imprimis virum literatissimum, qui dolore hypochondrii dextri per aliquot annos laboraverat, à chimicis fortioribus & exsiccantibus omnibus læsos eximiè, malo prius exasperato, quibus sola infusa ex aperientibus, & humectantibus, non omissis acidulis, opem tulerunt. Hinc in opprobrium sæpè medicorum dictæ jam acidulæ asylum sunt & extremum morborum remedium, quatenus aperientes, quas possident, virtutes vitriolicas & martiales plurimo diluente humore habent immersas. Hinc decocta lignorum non tam solâ vi diaphoreticâ juvant, quàm diluente & fluxilem reddente lympham, neque enim essentia, spiritus vel olea eorundem æquè juvant & id præstant. Hinc observavit sæpè *Heer. obs. 22. p. 264.* melancholicos, quibus hepar æstuabat, nimio guajaci usu elephanticos factos, alios, qui calidiori essent hepate, nisi dilutissimum potum sumerent, cumque ex ligno longè à cortice remoto concinnatum, icterum aliàque mala sævissima sibi peperisse, ubi etiam egregium exemplum refert dignum lectu. Hinc continuo aperientium non simul diluentium usu læditur hepar; imò ipsa martialia, ipsum rhabarbarum noxium evadere potest.

2. *Ita adstringentibus utendum toxicis in affectibus hepatis, ne obstruamus*, præcipuè quando obstructiones curandæ adsunt. Neque quod de adstringentibus cum certâ conditione talibus dictum est, intelligendum de iisdem absolutè & simpliciter. Siccant enim adstringentia, & siccando hinc lymphæ motum impediunt. Valet id ipsum quoque de croco martis adstringente, quo ipso sæpè partes læduntur, nimio usu.

3. *Aperientia moderentur adstringentia, adstringentia aperientia*; seu optima sunt, ut jam innuimus, hepatica, quæ aperiunt & humorum motum promovent, unâ verò laxitatem ejusdem prohibent, quoad acinos glandosos.

D. *Dulcia non humectantia facilè bilescendo hepar lædunt.* Ut enim passulæ sunt hepaticæ, quod blandè humectent simul & bilem inertem suo quoque modo corrigant; ita mel, saccharum, sirupi facilè non solùm bilescunt, sed & cœnosum reddunt sanguinem ac lutulentum.

Tacemus exterius quoque hepatica illa locum invenire, quæ mediantibus poris virtutes interius vibrant, digerentia, aperientia, demulcentia, & alia id generis, quamvis refractè agant, inprimis in dolore vel ardore dextri hypochondrii. *Wedelius.*

Hactenus Clariss. VVedelius de Hepaticis Medicamentis, Sequuntur jam Hepatica Specifica ex Clariss. Cnœffelij Fasciculo Medicamentorum Singularium.

Aperitivum Martiale.

℞ Croci ♂tis aperitivi, (ex solo ⊕lo ♂tis, per calcinationem lenem, ad rubedinem usque, parat.) ℈vj gr. iv. ⊖is essentialis acetosell ℈iv. gr. xv. sacchari Canarii alb. pulver. ℈xvj. ☍ still. ver. rosar. gtt. iv. Misce, fiat pulvis, colore, odore & sapore gratus.

Vires sunt epaticæ & splenéticæ. Dosis à ℈j. ad ℈iß. & ℈ij. in jusculo carnis.

Pulvis hepaticus Dn. D. Cn.

℞ ⊖is essentialis acetosell. ℥ß. sacchari rosati simpl. (per aquam rosar. simpl. & fragrant. scil. præparat.) citrati ana ℥ß. ʒij. essent. citri ex cort. recent. extract. s. q. magist. sandal. rub. (seu Tincturæ) ℈ij. Misce, fiat pulvis gratissimus incarnati coloris.

Vires, Dosis & Usus. Eædem cum præcedente pulvere sunt. Ex hoc pulvere cum aq. fontana fit & potus gratissimus, pro iis, qui pulveres fastidiunt.

Alia compos. pro S R. Maj. ex præscript. D. D. Cn.

℞. Corallior. rub. præpar. ʒiij. ⊖is essent. acetosell. ʒj. ∾ ⊕li coagul. gr. xij. Tincturæ sandal. (seu pulv. sandal.) q. s.

Fiat pulvis. Dosis est ℈ß. ad ℈iß. & ℈ij. Exhibetur utplurimum jejuno stomacho, & 3. horis ante prandium in brodio, vino Rhenano, vel alio liquore.

Liquor hepaticus.

℞. Cremoris ♀ri alb. ℥ij. ∾ ⊕li non dephlegmat. sed solum per chartam filtrat. ℥viij. confect. alkermes ʒij. Stent in calore ∴æ, donec omnia sint soluta. Filtrato liquori adde *Tincturam corall. nost. ℈viij sandal. (per ∾ rosar. extr.) q. s. essent. rosar. gtt. xvj.* Mista omnia serventur usui.

Vires titulus indicat Dosis à ℈ß. ad gtt. xv. & ℈j. in jusculo vino vel alio liquore, horis matutinis.

Elect. hepaticum Dn. D. Cn.

℞. Conserv. rosarum ⊕lat. flor. tunic. acetosell. condit. pulp. citri, rad. cichor. cort. citri ana ℥ß. pulv. nost. hepat. ℈vj. ∾ ⊕li coagul. ℈ß. essent. citri ex recent. cort. nostro m. extract. ad placitum.

Confert in intemperie calida hepatis, & in febribus calidis continuis pro corroboratione & refrigeratione virium insigniter. Dosis magnitudine juglandis parvæ per intervalla in die.

HEPATORIUM, vid. *Eupatorium.*

HEPTAPHYLLON, vid. *Tormentilla.*

HERACLEA, vid. *Herba Judaica.*

HERACLIA, vid. *Nenuphar.*

HERBA.

Herba, definiente Bodæo à Stapel ex Antiquorum sententia, est stirps, cujus superficies est ex foliis tantum vel etiam ex caule, sed illô annuô, carnosô, & qui diutius durare nequit, lignosusque non est, nisi cùm exaruerit. In Praxi Medicâ pro foliis solis ut plurimum usurpatur. *Raius.*

Hæc de Herbâ in generè; Herbæ autem Officinales ut apud Schrôderum habentur sunt sequentes.

Foliorum & herbarum nomina in praxi seu receptis sæpissimè confunduntur, notantque folia à caulibus separata. Hæc si minutiora fuerint, summitates dici solent.

Herbæ usitatiores in Officina.

Abrotanum, mas, *Stabwurtz.*
N. *Fœminina cyparissus est.*
Absyntium ponticum, *Rœmich Wermuth.*
Vulgare s. rusticum, *gemein Wermuth.*
Acetosa, *Saurampff.*
Acetosella, alleluja, *Buchampffer*, *Hasenklee.*
Agrimonia, *Odermenig.*
Achimilla, *Ginnau.*
Alk. kengi, Halicacabus, *Judenkirschen-Blætter.*
Alsine, Morsus gallinæ, *Hünerdarm.*
Althæa, Bismalva, Ibiscus, *Eibisch-Kraut.*

Anagallis, *Gauchheil.*
Anethum, *Dill.*
Antirrhinum, *Hundskopff*, *Dorant.*
Aristolochia longa, *lange Osterlucey.*
Arnica, *Mutterwutz.*
Artemisia, *Beyfuß.*
Asarum, *Haselwurtzkraut.*
Auricula muris, Pilosella, *Maußœhrlein.*
Balsamitha, sisimbrium aquaticum, *Bachmüntze.*
Basilicum, *Basilien.*
Becabunga, *Bachbungen.*
Betonica, *Betonien.*
Borrago, *Borretsch.*
Branca ursina, *Beerenklau.*
Buglossum, *Ochsentzunge.*
Bursa pastoris, *Teschelkraut.*
Calamintha, *Kornmüntze.*
montana, *Bergmüntze.*
Capillus Veneris, adianthum nigrum, *Frauenhaar.*
Caprifolium, periclymenum, *Weltwinde*, *Speck-lilien.*
Cardiaca, *Hertzgespan.*
Carduus benedictus, *Cardobenedictkraut.*
C. Mariæ, *Mariendistel.*
Cerefolium, *Kœrbelkraut.*
Ceterach, Asplenium, *Miltzkraut*,
Chamædrys, Iva moschata, *Gamanderkraut.*
Chamæpitys, Iva arthetica, *Nidridpin*, *Jelänger je lieber.*
Chamæmelum Romanum, *Rœmisch Camillen.*
C. Vulgare, *gemeine Camillen.*
Chelidonium majus, *Schœllkraut.*
Ch. minus, *Schorbockskraut.*
Cichorium, *Wegwart.*
Cicuta, *Wüterich.*
Cochlearia, *Lœffelkraut.*
Consolida regalis, *Ritterspörn.*
Cuscuta Cassutha, *Flachsseyde.*
Cynoglossum, *Hundszung.*
Cyparissus hortulana, *Gartenzypreß.*
Dictamnus Creticus, *Cretischer dictam.*
Dictamnus alb. Fraxinella, *Weisser dictam.*
Ebulus, *Attich.*
Endivia sativa, *Endivien.*
Sylvestris, Sonchus, *Sandistel.*
Epithymus, *Thymselde.*
Equisetum, cauda equina, *Roßschwantz*, *Schaf-flenhen.*
Eupatorium Arabum, Ageratum, *Leberkraut.*
Euphrasia, *Augentrost.*
Farfara, Tussilago, *Hufflattich.*
Fœniculum, *Fenchelkraut.*
Filipendula, Saxifraga rubra, *roth Steinbrech.*
Fragaria, *Erdbeerkraut.*
Fraxini folia, *Eschenlaub.*
Fumaria, *Erdrauch.*
Galega, ruta capraria, *Geißkraute.*
Geranium, Herba Ruperti, *Storchschnabel.*
Gratiola, *Erdgalle.*
Hedera arborea, *Ephen*, *Eppich.*
H. Terrestris, *Gunderman.*
Hepatica alba, Gramen Parnassi, *weiß Leberkraut.*
H. Aurea nobilis, *gülden Leberkraut.*
H. Fontana, Lichen, *Brunen Leberkraut.*
H. Stellaris, matris sylva, *Sternleberkraut*, *Wald-meister.*
Herniaria, millegrana, *Harnkraut*, *Bruchkraut.*
Horminum vulgare, Sclarea, *Scharley.*
Hyoscyamus albus, *weiß Bilsenkraut.*
Hypericum, *S. Johanskraut.*
Hyssopus, *Ysop.*
Illecebra, Fabaria, *Donnerkraut.*

Lactuca, *Lattich.*
Lauri folia, *Lorbeerblätter.*
Lentes palustres, *Wasserlinsen.*
Levisticum, *Libstöckel.*
Ligustrum, *Hartriegel.*
Linaria, *wilder Flachs*, *Leinkraut.*
Lotus urbana, trifolium odoratum, *Siebengezeit.*
Lupuli Juli, *Hopffensprœßlein.*
Majorana, *Meyran.*
Malva vulgaris, *Hasenvappeln.*
Marrubium album, Prassium, *weiser Andorn.*
- - - Marum.
Matricaria, *Meterkraut.*
Melilotus, *Steinklee*, *gelb Steinkle.*
Melissa, *Meisenkraut.*
Menta, *Spitzbalsam.*
M. Crispa, *Kraußbalsam.*
M. Sarecenica, *Frauenmüntz*, de la mente Sarrasenique. *Spear mint. Saracen. mints.* Roomsche Munte, Balsem-Munte.
Menthastrum, menta equina, *Reßmünge*, *Waldmüntze.*
Mercurialis, *Bingelkraut.*
Mezereum, *Seidelbest*, *Kellershalskraut.*
Millefolium, *Schaffgarbe.*
Mororum folia, *Maulbeerblatter.*
Morsus Diaboli, Succisa, *Abbiß.*
Myrti folia, *Myrtenblatter.*
Nasturtium aquaticum, *Brunnenkreß.*
N. hortense, *Gartenkreß.*
Nepeta, Cattaria, *Katzenkraut*, *Katzenmüntze.*
Nicotiana nostras, *Toback.*
N. Peruviana seu Indica, *Indianisch Toback.*
Nummularia, *Pfenningkraut*, *Egelkraut.*
Nymphæa alba, *weiß Seeblumenkraut.*
N. Lutea, *gelb Seeblumenkraut.*
Origanum vulgare, *Dosten.*
O. Creticum, *Cretisch Dosten.* Origan de Crete. *Origanum Cretick*, *or from Creta.* Origanum Cretische, *of* van Creta.
Papaveris folia, *Monbletter*, *Magsamen.*
Parietaria, Helxine, *Tag und Nacht.*
Paris, *Einbeerkraut.*
Pastinaca sylvestris, *Vogelsnest.*
Pentaphyllum, quinquefolium, *Fünfffingerkraut.*
Perfoliata, *Durchwachs.*
Persicaria, Pulicaria, *Flœhkraut.*
Persici folia, *Pfersingblatter.*
Petroselinum vulgare, apium hortense, *Petersilien.*
Pimpinella Germanica, *Teutsch Bibinell*, *Vockspeterlein.*
P. Italica, Sanguisorba, *welsch Pimpinell.*
Plantago major, *breit Wegrich.*
P. minor, *spitz Wegerich.*
Polygonum, Centumnodia, *Wegdritt*, *Weggras.*
Polium Creticum, *Cretischer Poley.*
Portulaca, *Burtzelkraut.*
Potentilla, Anserina, *Genserich.*
Primula veris, *Schlüsselblumenkraut.*
Prunella, *Braunellen.*
Pulegium, *Poley.*
Pulmonaria arborea, muscosa, *Eichlongenmoeß.*
P. vera maculosa, *Lugnenkraut.*
Pyrola, *Wintergrün.*
Quercus folia, *Eichenlaub-blätter.* Oak-Leavs.
Rosmarinus, *Roßmarin.*
Rubi Cymæ, summitates, *Brumbeegipffel.*
Ruta, *Weinrautten.*
Ruta mauraria, adianthum album, *Maurautten.*
Sabina, Savina, *Sevenbaum.*
Salicis folia, *Weydenblätter.*

Salvia hortensis major, *grosse Sabey.*
S. minor, cruciata nobilis, *Creutzsalbey.*
S. sylvestris, *wilde Salbey.*
Sambuci cymæ, seu summitates, *Holderkeimen.*
Sanicula, *Sanickel.*
Saponaria, *Seiffenkraut.*
Satureja, Thymbra sativa, *Pfefferk. Sodaney-Hünerfüll.*
Saxifragia alba, *weiß Steinbrech.*
Scabiosa, *Apostemenkraut.*
Scolopendria, lingua cervina, *Hirschzunge.*
Scordium, *Lachen Knoblauch.* du Scordium.
Sedum majus, sempervivum, *Haußwurtzl.*
S. minus, Vermicularis, *Maurpfeffer.*
Senæfolia, *Seneblätter.*
Senecio, *Creutzweißkraut.*
Serpillum, *Ovendel.*
Solanum, solatrum, *Nachtschatte.*
Tamariscus, *Tamariscken blätter.*
Tanacetum, *Reinfahrn.*
Taraxacum, *Pfaffenröhrlein.*
Thymus, *Thym, Thymian.*
Tormentilla, *Tormentill, Nabelkr.*
Valeriana, Phu majus, *groß Baldrian.*
V. minor, Phu minus, *Baldrian.*
Verbascum, thapsus barbatus, *Wullkr. Königskertz.*
Verbena, *Eichenkraut.*
Veronica, *Ehrenpreiß.* Veronique.
Vinca pervinca, *Singrün, Ingrün.*
Violaria, *blau Violkr.*
Virga aurea, consolida Saracenica, *Heydnisch Mundkraut.*
Vitis folia, *Weinrebenlaub.*
Urtica mortua, *taube Nessel.* Dead-Nettles, *Doove Netelen.*
U. urens, *Brennessel.*

N. *Ex his peculiariter numerantur.*

6. *Herbæ capillares:* capillus veneris, ruta muraria, polytrichon aureum, trichomanes, ceterach, scolopendria.

Præparata non omnes eadem exhibent, sed pro diversitate substantiæ diversa; adeóque ferè præparatis omnis generis inservire possunt.

HERBA APOLLINARIS, vid. *Hyosciamus.*

HERBA BENEDICTA, vid. *Valeriana*, item *Caryophyllata.*

HERBA CAMPHORATA, vid. *Abrotanum.*

HERBA CANCRI, vid. *Verrucaria.*

HERBA CANICULARIS, vid. *Hyosciamus.*

HERBA CASTA, vid. *Pœonia.*

HERBA DORIA.

Hæc Planta sub generico virgarum aurearum nomine comprehenditur; estque major & minor, quæ apud Raium describuntur.

HERBA FULLONUM, vid. *Saponaria.*

HERBA GALLICA, vid. *Galega.*

HERBA JUDAICA.

Hæc Planta ad Sideritides pertinet ut ex Raio ipsam describente patet, & vilis est in Medicinâ usus.

HERBA LACTARIA, *Tithymalus.*

HERBA MURALIS, vid. *Parietaria.*

HERBA PAPPA, vid. *Senecio.*

HERBA PARALYSEOS, vid. *Primula Veris.*

HERBA PARIS, vid. *Uva Vulpina.*

HERBA PEDICULARIS, vid. *Staphisagria.*

HERBA PULICARIS, vid. *Psyllium.*

HERBA REGIA, vid. *Artemisia.*

HERBA ROBERTI, vid. *Geranium.*

HERBA SACRA, vid. *Nicotiana.*

HERBA SALIVARIS, vid. *Pyrethrum.*

HERBA SANCTI JACOBI, vid. *Jacobea.*

HERBA SANCTÆ KUNIGUNDIS, vid. *Eupatorium Aviceunæ.*

HERBA TRINITATIS, vid. *Jacea.*

HERBA VENTI, vid. *Anemone*, item *Pulsatilla.*

HERMETICE CLAUDERE, vid. *Sigillare.*

HERMODACTYLUS.

Non convenit inter Botanicos an Colchici radix sit Hermodactylus officinarum, aliis id affirmantibus, aliis negantibus. Doctiores & peritiores diversum faciunt; inter quos J. Bauhinus & J. Bodeus à Stapel Hermodactylum non esse Colchici radicem probant, quod Hermodactylus reficcatus albus permaneat neutiquam rugosus modice durus tundique facilis sit, & pulverem habeat candidum, quæ omnia Colchici radix siccata non habet. Addit J. Bauhinus, Colchici radicem venenatam esse Hermodactylos, præcipuè veteres, innoxè gustari posse. Interim tamen, innuente Tragô, admovet illos quorum interest pilulas pro podagricis describere ne suis Confectionibus Colchicum, seu Hermodactylum adhibere velint, quod, inquit, hactenus magnô cum errore commissum fuit. Cæterum arthritide laborantibus Colchici radicem utilem esse Arabes scripsere, & nos aliquâ ex parte experti sumus, sed tum cùm forinsecus imponitur. *Raius.*

D. *Pomet* in suâ Aromatum Universali Historia Hermodactylos inter fructus recenset, propter eorum figuram, & quia hoc habet attestatum à Mercatore Massiliensi; verum neutrum horum concludit; præcipuè cum expertissimum habeamus *Hermannum* hic in sua *Materia Medica* Manuscriptâ Hermodactylos describentem. Hermodactyli sunt Colchici radice siccatâ albâ, radices rotundæ, tuberosæ, compressæ, albidæ, saporis subdulcis, farinacei, paulum viscosi aut lenti, odoris nullius. Bicapsularis & hexapetala est hæc planta.

Seligatur Hermodactylus crassiusculus recens, bene nutritus, ac probè siccatus, integer & non verminosus, extus subrubeus, intus albus, qui multum olei & salis essentialis possideat. Purgat autem leniter humores cerebri ac juncturarum pituitosos; imo sudorem ciere creditum.

HERNIARIA, vid. *Centinodia.*

HESPERIS.

Hesperis unde dicta sit, in ejus descriptione dicemus. *Notæ* ejus genericæ sunt, flos speciosus, Leucoi æmulus, semina teretiuscula, oblonga majora.

Nomina. Hesperis hortensis *C. B.* Hesperides flore purpureo, albô & variô, *J. Bauhini* viola matronalis *Dod. Lob.* matronalis purpurea *ger.* eruca alba & purpurea *Lugd.*

Radicibus aliquot parvis, lignosis & albis nititur, caules erigens cubitales & sesquicubitales aut altiores (teretes) hirsutos (medulla farctos) in quibus alterna-

alternatim folia erucæ, sed non ita laciniala, in ambitu serrata, acuminata hirsuta, in virore nigricantia (quatuor digitos longa pediculis brevibus nixu) sapore acriusculo, ex alis foliorum erumpunt ramuli, in quibus (ut in summitate caulis) flores forma ad leucoium luteum accedentes, odoris suavissimi, quadrifolii, colore nunc albo, nunc purpureo, aliàs confusis cum albedine maculis purpureis variato (pediculis semuncialibus & longioribus insidentes) semen in siliquis longis (bivalvibus, membranâ intergerina dissepris) continetur oblongum, ruffum, acre.

Aprili, Maio, & Junio mensibus floret, provenit, inquit J.Bauhinus, in Sequanorum vallibus, quà Rhenus fluit, sub sepibus. In agro Neapolitano, cum Salerno Neapolim iter facerem in pratis Florentem observavi mense Junio. In Anglia nondum vidi spontaneam, quamvis Lobelius in Angliæ pratis eam fruticare scribit.

Hesperis dicitur, quoniam ejus flos vesperam præsertim grato odore nares feriat, interdiu aut nullum, aut levissimum spiret, quod Theophrastus & Plinius de Hesperide tradunt.

Ab hortulanis nostris *Hochet* i. e. erucæ nomine colitur cum flore purpureô, albô & vario.

Erucæ ut sapore ita facultate proxima videtur tum foliis tum semine *Dod. Lob.* tussi, convulsis & difficulter spirantibus mederi traditur, apud Clusium, urinas insuper & sudores propellere, incidere, abstergere & digerere. *Raius.*

Hesperidis allium redolentis datur species quæ ad Alliarias pertinet, de qua & ejus virtutibus sub nomine *Alliaria.*

Hidrotica, vid. *Idrotica.*

Hiera, vid. *Electuarium.*

HIERACIUM.

Hieracium ἱεράκιον i. e. accipitrina eò dicitur quoniam accipitres scalpendo eam, succoque oculos tingendo obscuritatem cum sensere discutiant. Plin. lib. 20. cap. 7. vel propterea fortè quòd pappi ejus accipitrariis utiles sunt, ad vomitum accipitribus ciendum.

Hieracium à Soncho differt caulibus gracilioribus nec adeo teneris & fistulosis; seminibus longioribus non compressis, sed teretiusculis aut angulosis. Quæ Chondrillæ feruntur plantæ, vel ad lactucæ vel ad hieracii genera pertinent. *Raius.*

Hæc planta undiquaque in campis, ac inter gramina excrescit, atque non unius est indolis, siquidem aliud est Hieracium murorum quod Pilosella major quibusdam ac Pulmonaria Gallica, de quâ sub ultimô hoc nomine; aliud Hieracium murorum laciniatum minùs pilosum; aliud Hieracium dentis leonis foliô oblongô; aliud Hieracium foliô dentis leonis bulbosum; aliud Hieracium minus dentis leonis foliô subasperô; aliud Hieracium amygdalas olens, seu odore Apuli suave rubentis; aliud Hieracium luteum hirsutum; aliud Hieracium erucæ folium hirsutum; aliud Hieracium asperum majori flore in limitibus agrorum; aliud Hieracium fruticosum latifolium foliis dentatis glabrum; aliud Hieracium fructuosum lactifolium hirsutum; aliud Hieracium fruticosum angustifolium majus &c. recensente Clariss. D. de Tournefort in sua Plantarum circa Parisios enascentium Historiâ. Hic autem de eô quod est dentis leonis foliô obtusô majore præcipuè agitur, quodque inter segetes ac gramina subinde excrescit, ac multum phlegmatis, & olei, cum paucissimo sale essentiali & fixô continet. Ejus autem radix usualis est, ac humectans, refrigerans & subadstringens reputatur.

HIPPOCAMPUS.

Hippocampus insectum est marinum (ab ἵππος & καμπή, flexura, dictum: repando enim corpore est, & in arcum se curvante, erucæque cauda maximè refert, reliquo verè corpore equum imitatur) nonnullis *Gallus marinus*; aliis *Salamandra marina, Caballio marinus*; Vegeto *Dracunculus marinus*; hippidium *Athen*; cui equinum caput, & collum, & corpus, cauda erucæ, rostrum oblongum, teres, tubulo modo cavum, capite & collo protuberante. Totius longitudo sex digitorum, venter longiusculus est, ex circulis cartilagineis, ceu costis, à capite ad caudam duodecim compactus: in cujus parte prona triplici, in dorso autem quadruplici serie processus acuti prominent, cauda longa, inflexa, quadrangularis, sensim gracilescit, ex continuis constat internodiis, eminentibus utrinque supina parte aculeis. Oculorum meatus visuntur ad frontis initium, branchiæ nullæ. *Schwenkfeld.*

Præstans reputatur contra rabiem medicamentum, ut & contra vermes, si intùs assumatur, extùs autem capiti impositum, capillis augendis facit.

Hipecacuana, vid. *Ypecacuana.*

Hippace, vid. *Equus.*

Hippoglossum, vid. *Bislinga.*

HIPPOLAPATHUM.

Nomina. Hippolapathum sativum *ger.* Hippol. latifolium *C. B.* lapathum maius sive rhabarbarum monachorum *I. B.* lapathum sativum sive patientia. *Park.*

Hominis proceritatem interdum assequitur, caule surgens striato, rubente, superiora versus in numerosos surculos diviso: floribus serie longa per totos fere ramos mucosis semine subsequente angulosO, folliculis membraneis circumdatô. Folia pedalia & sesquipedalia, lata, acuminata, non tamen dura & rigida ut vult J. Bauhinus. & rubentia sed potius mollia, lævia & obscuriùs viridia, oris aliquando sursum nonnihil reflexis, ut canalem quendam imitentur, æqualibus tamen minime crenatis, pediculis rubentibus longis nixa, radix prolixa, crassa, multis adnatis fibris donata extensè crocea.

Folia mense Martio emergunt, appetente Junio floret & sponte semine se propagat. J. Bauhinus se in variis Germanice, Galliæ, & Italiæ locis observasse se scribit.

Radix bilem flavam & serosos humores educit, radix aridæ drachmam, zingiberis scrupulum in pulverem redige, sume jejunus in jure calido. Pro rhabarbaro qui substituunt duplici dosi utuntur. Trag. radicis succum cum sulphure illitum scabiem sanare, cum lupinorum verò farina lentigines. Radicis dilutum ex vino paratum, aut siccæ pulvis ex meraco potus ad pellendos renum calculos præstat. Idem quinetiam ex marrubii decocto haustus auriginem curat idem huic idem nobis videtur.

Lapathum sativum Lapas J. B. *Lap. hortense folio oblongo, sive secundum dioscoridis.* C. B.

Hanc speciem Lausannæ Sabaudiæ oppido Tragus & Gesnerus provenire scribunt, est autem inquiunt rhabarbaro monachorum quadantenus similis, at folia tenuiora sunt pinguiora & molliora, ac etiam magis exigua, quare inter olera reliqua ob dulcedinem suam in culinas recepta est. *I. B.*

Judicium seu sententiam de hac planta adscribam cui & ipse libenter suffragor ut libere dicam, quod sen-

sentio, suspicor Tragum & Gesnerum pro lapatho hortensi Lausannensi observare rhabarbarum Monachorum primo anno satum, quod tunc delicatius est quàm sequentibus. Si quis nos aliter doceat rem gratam faciet.

Cæterum bardanam majorem Monspeliensibus lapas dictam scribit *D. Magnol.* in indice plantarum circa Monspelium nascentium. *Raius.*

HIPPOLITHUS, vid. sub nomine LAPIS, item sub nomine *Equus.*

HIPPOMANES.

De Hippomane diversi diversum statuunt. Quidam accipiunt pro herbâ quâdam in Arcadiâ nascente, philtris aptâ, quam *Flaviam* putat esse Casp. Reies in Camp. Elys. quæst. 29. tamque valentem ad Amatoria prædicat, ut si quis ab aliô illâ tangatur, occultâ quâdam ratione in amorem illius trahatur; idque experimentô comperisse Marcum Aurelium Imperatorem. Deinde & rectiùs accipitur pro humore quôdam ex genitalibus equarum dum equiunt stillante, de quô ita Aristot. Histor. Anim. lib. 6 cap. 18. Tum (scilicet quando libidine incenduntur equæ) aliquid emittunt quod Hippomanes appellatur eôdem quô illud quod nascitur nomine. Tale sanè hoc est, quale illud suis, quod Apriam vocant. Et paulò post. Equæ tempore coitus humorem emittunt suis genitalibus similem genituræ, sed multò tenuiorem quàm mares, quem Hippomanes nonnulli appellant. *Et Virgil. lib. 3. Georg.*

Hinc demùm Hippomanes verô quod nomine dicunt
Pastores: lentum destillat ab inguine virus.

Unde fortè; etiam ipsius nominis deductio, quasi τῶ ἵππω μανία, sive quòd equæ quando hic humor fluit amoris furore corripiantur, sive quòd juxta Veterum opinionem aliis exhibitus in furorem agat eosdem. Tandem Hippomanes vocatur Caruncula illa, sive potiùs massa carnea nigricans lieniformis, quæ cum pullô nascitur. Quâ quidem de re an, ubi, & quid sit, non convenit inter Autores. Communis, sed & dixerim, anilis fabula est pullum recens exclusum supra linguam habere lienem, quem statim ac primâ vice respirat, deglutiat, qui autem, si priusquàm respiraverit præripiatur & auferatur, equum fieri velocissimi cursus. Sed quid quæso lieni cùm velocitate, aut cur lien singulare cursus impedimentum? taceo quomodo deglutitus in ventriculum lien, sedem suam petat extra eundem, venasque & arterias acquirat tam copiosas. Quidam considerationes non lienem dicunt, sed venam esse sub linguâ quæ usque ad lienem descendat, hæc si, antequam sugat equus, rumpatur, lienem arefieri & equum evadere optimum cursorem. Alii Hippomanes in fronte situm, alij lumbis, alij genitalibus adhærescere contendunt. Marcus Fugger Dom. in Kirchberg & Veissenhorn, in libr. suo Germanico quem de natura & cura equorum scripsit, certe laudatissimo, cap. ultimo ingenue fatetur & testatur se sæpius talia à probatis & fide dignis viris, tum audivisse, tum legisse; sed utut bene attenderit ipse, aliosque attendi jusserit, nihil quippiam vel in fronte, vel sub lingua pullorum nascentium invenire potuisse. Sed pace tanti viri, in reliquis certè accuratissimi & versatissimi; datur revera Hippomanes, & in plerisque, ausim dicere in omnibus; si probè attendatur, reperitur pullis.

Referam paucis quid mihi compertum, quidque viderim ipse. Cùm ann. 1676. circa finem februar. apud Illustriss. Dom. Comitem Joh. Sig. à Kollonitsch Levarini medendi gratia essem, allatum tale Hippomanes recens à fronte nati pulli avulsum, adhuc calens. Non leviter exhilaratus cùm sæpius recens videre optassem, exiccata enim aliquot & vidi, & ex dono præfati Illust. D. Comitis habebam; Proinde & formam & figuram externam bene consideravi, quæ exactè lienem referebat, (unde fortè fabulæ origo, quòd pro equi liene fuerit habitum) nisi quòd colore nigricantius, quasi subcinericium: cæterùm substantiæ erat laxæ, mollis, extrinsecùs undique glabrum, membranâ satis crassâ tectum non orbicularum, sed oblongum, non caricæ parvæ magnitudine, sed pollices prope duos latum, quatuor circiter longum. Per longitudinem dissectum interiùs structuram habuit cordi non absimilem. Nam & interstitium in medio erat instar septi transversi, ex utraque parte binæ cavitates, sinistra dextra profundior, quasi duo ventriculi, adjunctis fibris carnosis similibus illis, quas alii cordis ligamenta, Vesalius & Riolanus carneas columnas appellant. In cavitatibus humor erat subnigricans, odore succum quasi nucum viridium recens expressum referebat.

Quid autem natura hâcce tam mirabili ac curiosâ structurâ intenderit, aut quem in finem in istius particulæ adjectaneæ, quæ cum pullo nullum habet commercium, efformatione, tam studiosa fuerit, aut cui usui destinaverit, explicatu difficile est. Sunt qui ad amores illicitos conciliandos, ad philtra & incantamenta alia valere dicunt; sed magica illa & fabulosa jam suô tempore judicavit Aristot; fallacia & nefanda Naso lib. 2. de Arte amandi, dum pulcherrimè ait:

Fallitur Æmonias quisquis descendit ad artes,
Datque quod à teneri fronte revulsit equi.
Non faciunt ut vivat amor Medeides herbæ,
Mixtaque cum magicis versa venena sonis.
Sit procul omne nefas. Ut ameris amabilis esto.

Alij incitamentum amoris dixerunt matris erga pullum, ita ut si præripiatur equa ad ubera non admittat eundem, Hinc Virg. lib. 4. Æri:

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.

Vid. Plin. Ælian. Verùm nec hic usus genuinus videtur, siquidem multæ reperiuntur equæ quarum à pullis hæc particula præripitur, quæ tamen amant & nutriunt suos pullos, quod ipse vidi in illâ equâ & pullô unde meum accepi Hippomanes.

Si quid de meo addendum, cùm Deus & natura nihil faciant frustrà, credo usui esse fætui equino adhuc in utero latenti, quo in lucem edito, officio suo functum æquè ac secundinas deglutiri à matre. Notum quippe varia naturam in fœtus gratiam fabricare quorum usus nos latet & divinari magis quàm asserere licet. In Medicina usum, quantùm scio habet nullum, nisi quòd Epilepsiæ mederi siccatum, pulverisatum, & in aq. appropriata exhibitum dicant nostrates. Probavi & dedi quibusdam cum aliis Anti-Epilepticis, sed dubio eventu.

Hæc Clariss. Raygerus de Hippomane in Miscell. Curios. Dec. I. Ann. 8. *quibus quædam subjungit* Clariss. Clauderus in Miscell. Curios. Decur. 2. Ann. 3. *verùm à jam allatis non multum absimilia, addendo tantùm quod à Celeberr. Practicô assertum habeat*, si puero semestri exhibeantur 10. gr. siccatæ hujus carnis, illum toto vitæ transitu ab Epilepticis insultibus fore immunem.

HIP-

HIPPOPOTAMUS.

Hippopotamus, magnitudine sua, crurum brevitate, ungula quadrifida cum Rhinocerote convenit.

Formam corporis externam ejusque partium omnium, ex Animali sale asservato, quod integrum attulit *Federicus Zerenghi* Narniensis Chirurgus ex Ægypti paludibus propè urbem *Damiata* dictam, quàm potuit accuratè descripsit curiosissimus idemque veracissimus Fab. Columna; apud quem & Bellonianam, & Aristotelicam & Plinianam Hippopotami descriptionem vide.

Corporis figurâ ad Bubulinam vel potiùs Ursinam accedere videtur: magnitudine Bubalum excedit, (quem vidit Columna) crurum effigie Ursum satis simulat. A capite ad caudam pedes 13. longus erat: latitudo sive diameter corporis ped. $4\frac{1}{2}$ altitudo $3\frac{1}{2}$, ut planum potiùs quàm carinatum ventrem habeat. Ambitus corporis (*the girth*) longitudini æqualis. Crura à terra ad ventrem ped. $3\frac{1}{2}$: ambitus crurum ped. 3. Pes latus pedem: Ungulæ singulæ unc. iij. Caput verò (quod erat respectu corporis oculorum & aurium) latum ped. $2\frac{1}{2}$, longum 3; crassum ambitu $7\frac{1}{2}$; oris rictus pedem unum. Rostrum crassum, carnosum, sed propter siccitatem minùs repandum visum. Oculi exigui, unciam lati, duas longi. Aures tenues; parvæ, breves, non excedebant unc. iij. Dentes habebat in inferiore maxilla sex, quorum bini exteriores è regione, longi semipedem, lati & trigoni, uncias $2\frac{1}{2}$, per ambitum semipedem, Aprorum modo parùm retrorsum declives, non adunci, non exerti, sed admodum conspicui aperto ore. Reliquorum dentium descriptionem videsis apud autorem. Durities dentium silicea vel major; cultelli quidem costa, non parva conspicientium admiratione, ignis excitabantur scintillæ, parùm vel nihil tot percussionibus signi remanente. Corpus obesum admodum omni sua parte; Caput grande, bubulino proximum; crura brevia, pes latus & in 4. ungulas divisus, Ungulæ verò nigræ & bisulcorum similes, non tamen bifidæ (ut *Plinius* ait) sed quadrifidæ; talus bisulcorum modo, callosus atque latus. Mandibula superior Crocodili more mobilis.

Cauda Testudini aut Urso proximior est quàm Apro, crassa ab origine, brevis, & statim in acutum desinens, nec semipedem æquat, nec involvi aut torqueri ob brevitatem & crassitiem potest. Cutis admodum crassa, dura, colore pullo. Rostrum habet, ut in Leone & Fele, pilis asperum, pluribus è poro prodeuntibus; nec alij præterea in toto corpore conspiciuntur: in quo *Plinius* deceptus videtur, qui vitulo marino eum comparat pilis & dorso.

N. Hippopotamus hic non erat è maximis: nam post menses aliquot (inquit *Columna*) longè majorem idem (*Zerenghi*) Romæ nobis ostendit, cujus dentes Aprini pedali longitudine fuerunt proportione crassiores, sic & reliqua omnia majora.

In Nilo & Nigro Africæ flumin bus, inque *Zaire* magno Regni Congensis fluvio inque Indo Indiæ invenitur. E fluminibus in siccum exit, & in terra parit. Frumento, & Oryza, & gramine vescitur, atque etiam Colocasiæ radicibus.

Mirum autem inprimis videtur, quòd Animal hoc, amphibium cùm sit, pedes ungulatos habeat, nec digitos membranis junctos, aut ad natandum ullatenus comparatos; unde illud non bene natare, sed potiùs in fundis fluminum versari & divagari cum Bellonio existimamus.

Hoc Animal esse, quod nomine *Behemoth* in libro *Job* describitur à D. *Bocharto* in *Hierozoico* solidè demonstratur. *Raius in Synopsi Hist. Anim. Quadrup.*

Equus Marinus. Est animal marinum degens in mari, formam equi præsentans exceptis pedibus & alijs inferioribus partibus. Dicitur & *Hippopotamus*, Græcis; Hayma Syris.

Spectantur in lacunis littorum Oceani Sinici & Indiæ passim hujusmodi animalia. In Hainan, Insulis Philippinis, Maldivis & maximè Mozambici ad littora Africæ Meridionalis.

Ne quicquam rerum curiosarum hîc omisisse videamur, subjungam, quæ de hoc Animali *P. Boim*, qui illud vivum & mortuum quàm exactissimè, dum ventum prosperum expertus Mozambici commoraretur, examinavit, in scriptis reliquit. Duplex, inquit, schema veri equi marini subjeci, quorum cùm essem Mozambici in Africâ, aut verius in Cafrariâ, greges ad littora marina in lacunâ quâdam volutari plures vidi. Erat Mozambici Civitatis judex amicus meus singularis, qui Hippopotami Caput integrum ad collegium misit, eo fine, ut diligenter illud observarem. Quoad mensuram itaque hoc inveni ab ore versus scapulas habere tres cubitos, ex parte infernâ duos recurvos maximos dentes, quibus supernè similiter grossi aptè congruebant, linguâ intermediante extortâ. Cum verò postea à Nobili quodam Lusitano ad interiora continentis Cafrariæ è regione insulæ Mozambici perlustranda fuissem invitatus, radentes littora Maris in Navi (quàm remis viginti mancipia remigando propellebant) vidimus ad jactū unius lapidis equos marinos hinnientes ad 50. qui varijs lusibus indulgebant intrà aquas jucundo spectaculo. Quidam ex mancipijs Cafer cum socijs propius accedens & exploso sclopeto cum frontem equi graviter offendisset, tandem mortuum reperit, quem etiam ob vastam molem non sine difficultate ac labore operâ sociorum in littus extractum pulverisandum obtulit. Postquàm autem Carnem Cafres inter se diviserunt, dentes extractos eosque majores exhibuerunt.

Pellis hujus Animalis adeò dura est, ut sæpè Cafres acutis suis lanceis illam perforare nequiverint. Nullos pilos habent, præterquam in caudæ extremitate, qui flexiles ac veluti ex cornu nigro pellucidi, quovis modo contorti non franguntur, calamum grossitie facilè æquant, etsi singulis pilis armillas faciunt Cafri, quas in ornamentum manu gestantes simul earum virtute à paralysi immunes se fore arbitrantur.

Dentes Diarrhœas & sanguinis fluxum compescere, item scorbuto mederi probatum est. Certum tamen non cujuslibet promiscuè Hippopotami dentes hâc virtute pollere, verùm illorum solummodo, qui certo Anni tempore capiuntur.

Goæ in Regio Nosocomio unus est ex maximis dentibus equi marini, cujus admirandæ virtutis si experimentum sumere volunt, dentem venæ sectæ adhibere solent, & ecce mirum dictu, statim sanguinis prosilientis impetus sanguine intrà venam recepto sistitur. Hæc P. Boim.

Hujus Penis totus osseus spithamas tres æquat in nonnullis, crassus pollices duos, utroque extremo spongiosus & tuberosus.

Singulare calculosis prædicatur remedium. Ejus pulvis partum promovet & secundinam expellit. Quod si extremâ penis spongiosi parte tuberosâ & spongiosâ fugatur cerevisia stranguria statim sedatur. *Ol. Wormius in Musæo. Hæc Hofmannus in Clavi Schröderian.*

HIPPOSELINUM, vid. *Levisticum.*

HIPPURIS, vid. *Equisetum.*

HIPPURUS.

Est piscis quidam marinus nullius in Medicinâ usus, quamvis aliquibus aperitivas facultates possidere credatur.

HIRCUS.

Vide ejus descriptionem specialem sub titulô Caprâ. Hic tantùm addemus, ejus urinam hydropi sanando aptam esse, asserente Clar. Reiselio in Miscell. Curios. Dec. 1. ann. 2. verùm etiam propriâ experientiâ idem constare, ut & de ejusdem viribus in calculô renum pellendô.

HIRUNDINARIA, vid. *Chelidonium Majus.*

HIRUNDINARIA MINOR, vid. *Vincetoxicum.*

HIRUNDO.

Hirundinum notæ characteristicæ sunt caput grande; rostrum breve; oris hiatus amplus, ad muscas aliaque insecta inter volandum facilius captanda: pedes breves & exigui, nec enim multum incedunt, alæ longissimæ, volatus pernix & fere continuus, ad muscas & alia insecta, quibus vescuntur in aere volitantes acrius insequenda. Cauda longa & forcipata ad corpus expeditiùs flectendum &circumagendũ,ova alba quotquot saltem nos hactenus vidimus. Aldrovandus tamen sese observasse ait ova hirundinis magnitudine olivæ, maculis conspersa ferrugineis: Veris nuncia est hæc avis, siquidem hieme tota in Europa non conspicitur;unde adagium illud Græcum omnibus ferè linguis commune Μία χελιδὼν ἔαρ ἐποιεῖ, una hirundo non facit ver.

Hirundinum quatuor species in Anglia observavimus nimirum, 1. Domesticam. 2. Agrestam Plinij. 3. Ripariam Aldrovandi. 4. Apoden dictam, nec plures alibi, vidimus tamen apodis iconem toto albo. Julius Scaliger hujus postremi generis unum se vidisse asserit, magnitudine buteonis, sed facie ab his nullo modo dissimili: cruribus tamen atque unguibus ad prædam & pugnam idoneis, nec minus rostri aduncitate.

1. Hirundines integræ epilepsiæ specificè subveniunt,oculorum hebetudini, lippitudini, cinis cum melle illitus anginæ ac uvulvæ inflammatæ medetur. Idem faciunt hirundines, comestæ, vel assumptus earum cinis.

2. Cor hirundinis epilepsiæ itidem conferre, memoriamque roborare ajunt, alij contra quartanam devorant.

3. Sanguinem peculiariter oculis conferre volunt, præferunt autem sub ala dextra extractum.

4. Lapillus in pullorum nonnullorum ventriculo (raro licèt) invenitur, chelidonius dictus, grani lentis vel pisi magnitudine, hunc epilepsiæ puerorum convenire volunt, brachio alligatum vel collo suspensum.

N. Ferunt crescente luna, hunc potissimum inveniri, atque in pullo primogenito, alij mense Augusto circa plenilunium eximunt.

5. Nidus auxilio est anginæ extrinsecùs impositus, oculorum rubedini medetur, ictui viperino convenit impositus.

6. Stercus calfacit impensè, discutit, acre est, usus præcipui in morsibus canis rabidi, intrinsecùs & extrinsecùs, in doloribus colicis & nephriticis propinatum, alvum irritat subditum hæc; Schroderus.

Remedium adversus epilepsiam expertum.

Recipe hirundines centum, castorei, radicum pæoniæ maris ana ℥i. vini Gallici albi q. s. destillentur in alembico, bibat æger aquæ destillatæ singulis matutinis tres drachmas, purgando interim Corpus per vices stibio, prout vires ferunt. *Willugbeius in Ornitologiâ.*

Sal volatile ex pullis hirundinum in vinô suffocatis ac postea desiccatis conficitur, quod magnarum creditur virium in affectibus apoplecticis, epilepticis, hystericis & innumeris alijs: Unde ex præscriptô Augustanorum & Zvvelferi ingreditur aquas hirundinum & basin earum constituit. De hisce autem aquis vid. sub titulô. *Aquâ.*

HIRUDO.

Hirudines (ab hauriendo) sanguisugæ, βδέλλαι à βδέλλω i. e. emulgeo) sunt venenatæ, & innoxiæ, item maximæ & lacustres λιμνάτες. Insectum est palustre instar lumbrici oblongum, lubricum, lineis & punctis nigris varium, corpus veluti ex quibusdam circulis colligitur (absque ossibus, pedibus & pinnis) quibus extensis contractisve movetur, os ei trisulcum, quod ex vulnere inflicto cuti apparet. *Charleton de Insectis.*

Usus hirudinum est propriè tantùm in sanguine extrahendo, dum scilicet applicantur vel ano, vel pedibus, vel brachiis, vel temporibus, vel interioribus naribus pro variâ Medici intentione. Cinis tamen à quibusdam commendatur in calculô pellendô.

HISPIDULA, vid. *Pilosella.*

HŒDUS, vid. Sub titulô *Capra.*

HOLLI.

Species est balsami, sive liquoris resinosi ex incisa arbore Americana *Chilli* dictâ stillantis. Hujus arboris truncus est levis ac medullosus, coloris fulvi. Flos est stellatus largior coloris ex albo subrubescentis. Fructus avellanæ non est absimilis, saporis amari.

Liquor hic Chocolatam (qualis apud Americanos conficitur) subintrat; ac facit roborando stomacho ac cordi, ut & diarrhæis sistendis.

HOLOSTEON.

Holosteon Bellonij, seu *Ostracion* Gesneri Piscis est Nili indigena, sic dictus quòd quasi totus osseus duritie suâ videatur. Nullius est in Medicinâ usus, saltem apud Europæos.

Datur & *Holostium* planta itidem ex duritie sic dicta, de quâ non opus est ut pluribus hic agamus

HOLOSTEUS LAPIS, vid. *Osteocolla.*

HOLOTHURIUS.

Holothurius (unde nomen veniat, nescimus) Zoophytum est alterô extremô obtusum & planum, in quô rosæ sculptam imaginem dicas, circa quam apparent acetabula, inde parva appendix & mollis dependet: alterô tenuius intus partes omnes sunt indiscretæ. Aliud genus descriptum invenies apud Aldrovandum, lib. de piscibus 4. cap. 4. Belgæ *qualem*

lem vocant, de exurente hujus qualitate videatur Jacobus Bontius, de medecin. incl. lib, 2. cap. 4. ubi affirmat, Chinenses potum istum ardentissimum quem *arac* vocant ex oriza cum holuthurijs, in mari fluctuantibus conficere: indeque alvi profluvium ac dyssenteriam, Batavis Javam in India orientali incolentibus adeo infestam deducit.

HOMO.

Homo totius universi quasi compendium, Animal ad Dei imaginem efformatum, non debet hic alia ratione describi nisi quatenus usus in Medicis præstat. Illi autem vel à vivô corpore desumuntur, vel à mortuô.

A vivo corpore desumuntur 1. *Capilli*, 2. *Ungues*, 3. *Saliva*, 4. *Aurium sordes*, 5. *Sudor*, 6. *Lac*. 7. *Menses*, 8. *Secundinæ*, 9. *Urina*, 10. *Stercus*, 11. *Semen*, 12. *Sanguis*, 13. *Calculi ex vesicâ*, 14. *Membrana caput fœtus cingens*.

E corpore verò demortuô desumuntur.

1. *Integrum Cadaver, s. Caro*. 2. *Cutis*. 3. *Pinguedo*. 4. *Ossa*. 5. *Cranium*. 6. *Usnea Cranii*. 7. *Cerebrum*. 8. *Fel*. 9. *Cor*.

De hisce omnibus jam ordine ac 1. de iis quæ ex homine vivô.

1. *Capilli* commendantur ad capillorum productionem, (*liquor inde destillatus & cum melle illitus*) ad Lethargum aliosque affectus soporosos (*cinis capiti inspersus*.) ad Ictericiam, (*pulvis propinatus*) ad membra luxata, (*cum adipe ovillo illitus cinis* (ad hæmorrhagiam vulnerum.

N. *Sunt qui ad quartanam capillos patientis, cum aliis in corpore dispersis pilis permixto, ovo imponunt, duriter coquunt, & avibus deglutienda objiciunt, qua ratione quartanam curatum iri volunt.*

Præparata.

Destillatum fit per se ex ♉ *igne arena non admodum valido.*

II. Ungues cient vomitum, (*intus assumpti, tum in pulv. tum in infus.*) aquas Hydropicor. ducere dicuntur (*resecti à pedibus & manibus atque umbilico alligati.*

N. 1. *Sunt qui ad curandam febrim segmenta è manibus & pedibus ovo includunt avibusque devoranda objiciunt, alii eadem cera involvunt, matutinoque tempore ante Solis ortum januæ affigunt, alii dorso cancri vivi alligant, cancrumque fluenti committunt.*

N. 2. *Ad recuperandas vires abscissos ungues & capillos cerasi radici incisæ imponunt, vulnusque fimo cooperiunt.*

Præparat.

℞. *Rasur. vel resegment. pulverif. ℥j. Vini generosi ℔j. macera, donec in mucilaginem abierint. Hinc filtra & sp. vini ℥j. reserva.*

Dosis à ʒj. ad ʒvj. vel ℥j.

(Inter Antiepileptica reponuntur, multumque ipsis attributum à Digb.)

III. Saliva jejuni hominis commendatur ad venenatos morsus serpentis, canis rabidi, ulcera, serpigines, & simil.

IV. Aurium sordes (*cerimen*) colica laborantibus præsentissimum perhibentur Remed. (*in potu si assumantur*.)

Extrinsecus medentur ictibus Scorpionum, conglutinant vulnera, fissuras & scissuras cutis.

V. Sudor usus proficui dicitur, contra scrophulas, si cum herba radiceque verbasci mixtus folio involvatur, inque cineribus calefactus imponatur.

VI. Lac refrigerat, lenit, maturat, oculorum rubedini subvenit.

(Phthisicis præ alijs conveniens.)

Præparata.

1. ▽ *lactis* ⊖*-ta*.

℞. *Lactis & ⊖-i alb. an. destilletur ut phlegma saltem prodeat, relictis acrioribus spiritibus.*

Vires. Oculorum rubedini, aliisque inflammationibus mirè confert.

2. *Butyrum*: *Insigne est ophthalmicum*, (*& ad atrophiam puerulorum dorso inunctum*.)

VII. Sanguis menstruus, (*Zenith juvenculæ*) exiccatus commendatur intrinsecus ad calculum & Epilepsiam. Extrinsecus sopit dolores podagricos, (*cum adipe bovino inunctus*.) Conducere item dicitur in Peste, apostematibus carbunculisque (*impositum linteum quod fuerit humectatum in* ✢ *vel* ▽ *rosar menstruo illo sanguine impregnata*) erysipelata extinguit, pustulas faciei abstergit.

N. 1. *Commendatur qui prima vice erumpit.*

N. 2. *Ad immodicum menstruorum fluxum cohibendum, sunt qui pannum menstruo sanguine imbutum certo tempore Cerasi radici in cortice aperta indunt, incisuramque iterum operiunt.*

VIII. Secundina (*vel hujus loco Umbilicus infantis*) magni fit ad strumas gutturis tollendas, (*calcinata & in* ▽ *abrotani quotidie exhibita pondere* ʒß. *idque* ☾ *decrescente*,) ad Epilepsiam & philtra compescenda; ad molam & fœtum exterminandum, necnon ad animalia enecanda, etiam ea, quæ maleficio in homine exstiterint. *Hartm. ad nævos maternos commendat, alii ad dolorem colicum* (*gestatum loco amuleti*.)

Destillant spiritum ex secundina Antiepilepticum pretiosum.

IX. *Urina*, calf. exiccat, resolvit, abstergit, discutit, mundificat, putredini resistit, ideoque usus est præcipui intrinsecus, in obstructione Epatis, Lienis, Vesicæ biliariæ, Pestis præservatione, Hydrope, Ictero. Quin & Mariti urina hausta partum difficilem facilitare dicitur.

Extrinsecus siccet, scabiem, resolvit tumores, mundificat vulnera etiam venenata, arcet gangrænam, solvit alvum, (*in clysmate*) abstergit furfures capitis, (*cum Sal. nitr. mixta*,) compescit febriles insultus, (*pulsui applicata*,) exulceratas aures sanat, (*instillata pueri urina*) oculorum rubedini subvenit, (*instillata*) artuum tremorem tollit, (*lotione*) uvulæ tumorem discutit, (*gargaris*) Lienis dolores sedat (*cum cinere cataplasmatisata*.) *V. de Hieronymum Reusnerum Synops. de remediis ab urina desumptis. Tabernamont. Wasser-Schatz.* l'Urine *The Treasury* or *riches of Urin* or *Mans vvater. Den schat van't Menschê Water.*

Præparata.

1. Spiritus volatilis, Sal volatile.

℞. ⊡*-æ pueri*, (ann. 12.) *Vinum bibentis recentis, destilla per* XX *in ferventi* MB. *Hinc cohoba super faces, prodibit* ♒ ⊡*-æ cum suo phlegmate mixtus, quem si libet dephlegma, & habebis spiritum. Hunc si ex phiola eleves nancisceris sal volatile candidissimum.*

Vires. Auxilij nobilissimi censetur in pellendis lapillis, (potus cum conveniente liquore,) sed valde fœtet.

N. 1. *Celeberrimus est, ob tincturam cœruleam Smaragdi, cujus præparationi menstruum præbet*, (cum phlegmate.)

N. 2. *Libavius rectificat imponitque podagricis, asthmaticis, calculosis, per syringam in vesicam immittit, (impregnatum tamen antea essentia saxif. agor. v. gr. Crystall. lap. Lync. & simil.)*

2. Alii

2. Alter ∽ ⊡ igneus f. Sal volatilis.

℞. ⊡ *pueri Vinum bibentis, q. s. (menf. 30.) evaporet leni admodùm △ ad consistentiam usque Syrupi. Residuum hoc reconde in phiola longissimi colli, & destilla aëre frigidiore;* (ut scil. in ✕✕ condensetur,) *in ⊞ib. vel arena & prodibit* ∽ *in* ✕✕ *instar nivis sese elevans, frigore coagulabilis, sed leni calore fusibilis.* Osvvald.

N. 1. *Hunc spiritum si purificato suo Sal. com. ex fæcib. scilicet elixiviato conjunxeris, cohobitisque aliquot volatilisaveris, menstruum habes insigne ad eliciendu vitriola è metallis & præcipuè è ☾a.*

N. 2. *Eundem spiritum (Sal. com.) solutionibus & & coagulationibus purificatum, si aliquamdiu (☍ ♉) in MB digeris, solvetur: Solutionem ergo si denuò cum V rectificatiss. maceraveris (☍ ♉.) menstrui particeps es solvendo ☉ idonei.*

3. Spiritus ⊡ per putrefactionem.

℞. ⊡ *hominis juvenis (annor. 12.) vinum bibentis quantitatem magnam (menf. 30.) pone in fimum equinum vel MB, ☍. 40. ad putrescendum. Hinc decanta à fæcib. ac destilla per* ✕✕, *(vel per vesicam, ex arena,) idque donec omnis humiditas destillando abstracta sit. Humiditatem hanc coboba aliquoties, 3. à capite suo mortuo. Tandem destillatum in cucurbita oblongi colli, committe calori, ut alembicus semper frigidus maneat. Sic ascendit Spiritus instar Crystalli, nulla comitatâ humiditate. Crystallos rectifica solvendo in ▽ pluviali ♌at. & ex phiola, ut prius destillando, idque sexies, semper novam ▽ pluv. stillatit. adhibendo. Hinc digere Crystallos in phiola Herm. cl. ☍ 15. lento △e, donec in liquorem limpidissimum abeant.*

N. 1. *Sennertus ab ⊡ dicto modo defæcata, destillando elicit, saltem quartam aut sextam partem, eamque leni calore ex phiola oblongioris colli dicto modo sublimat. Vide Inst.*

N. 2. *Alii ⊡m putrefactam destillant ex cucurbita, cujus orificium obturant chartâ triplici oleo imbuta, vel spongiâ, similiter imbutâ, quâ* ∽ ⊡ *igneus tantum transeat.*

N. 3. ⊡ *quia facile destillando exæstuat, cautè ignem adhiberi oportet.*

N. 4. *Sunt qui fœtoris corrigendi gratiâ (qui tamen & dicto modo aliquatenus correctus) V affundunt, eumque rursus lento calore abstrahunt, idque aliquoties novum semper V affundendo. Verùm Sal urinæ hac ratione correctum, non Sal urinæ simplex, sed Magisterium potius, i. e. Sal urinæ sale vini impragnatum dici meretur. Vide de his destillationibus Hartm. in pract. & Croll. Sennert. in Instit. Gluckr. in Beguin. l. 3. c. 2. Kesl. 1. c. 1 4. c. 24. Beker. in Spagyria Microcosmica, &c. Tenzel. in Exegesi.*

Vires. Insigne anodynum est in doloribus (si cum liquore conveniente affricetur,) reserat quoque tartareas obstructiones Viscerum ac Mesenterii, unde magnus ejus usus esse poterit in Scorbuto, Hypochondriaca, Cachexia, Ictericitia flava ac nigra: atterit calculum renum & vesicæ, doloresque inde ortos sopit, &c. Idem Sal si in Sp. ⊖-i solutus, ac iterum in arena destillatus fuerit, liquor prodit in Epilepsia efficacissimus, (& Mania) Idem spiritus optimè purificatus, (scil. aliquoties in ▽ pluvia solvendo, & destillando,) cumque V analyticè unitus solvit ☉, unde ☉ potabilis.

4. ∽ ⊡ *Antepilepticus*, ex ⊡ & ⊖-i duplo digestis & destillatis. Vide *lib. 2. de* ⊖-o.

N. *Quercetanus de signat. Rer. pluribus eundem describit, eademque opera elicit* MB.

1. *Phlegma Ophtalmicum (primum egrediens.)*

2. *Antipodagricum (acrius 2. destillans.)*

3. *Per retortam spiritum glacialem i. e. coagulabilem, quem maximopere deprædicat ad reserandas obstructiones Epatis, Lienis, ad promovendas urinas & dissolvendum calculum, tumquoque ad extinguendas inflammationes & gangrænas.*

[Spir. ⊡ cum ⊖ volatili, nupti oleo Tartari per deliqu. cum Aq. lil. convall. subitò guttatim mixtis & exiguo vitro angusti orificii vapor auri immissus egregium auriculare.]

5. Magisterium ⊡ seu Microcosmi.

℞. ⊡ *putrefactam, (ut dictum,) & defæcatam, destilla l. △ ex MB, donec phlegma omne prodierit, tunc subsiste & rectifica spiritum ex phiolâ oblongi colli, sic acquires sal volatile, quod collige phlegmate relicto. Residuum destilla ex arena & ascendet ulterius sal volatile: Ex* ⊕ *elixivia sal fixum, idque coagula ad siccitatem, atque cum triplo argillæ mixtum, inque globulos redactum, (postquam globuli exiccati fuerint,) destilla per* ⊃*m, (ut destillatur* ∽ *sal. com.) Spiritui huic affunde stillatum priorem illum* ⊡ ∽*m, vel sal volatile, donec cesset strepitus. Hinc da △m sublimationis in arena, & sublimabitur Sal* ⊡ *elegantissimum, visuque jucundum.*

Vires. Efficacius agit hoc sublimatum quam præcedens, tartarumque totius corporis incidendo per sudorem, urinam, imò vel per alvum expellendo. Plurimos inde ortos affectus curat, vel saltem levat, quales sunt, Atrophia, &c. Præservat itidem à doloribus calculi, (si singulis Mensibus ante novilunium assumatur.)

Dosis gr. VII. VIII. IX. X. in liquore convenienti.

Usus ejus quotidianus aliquamdiu continuari poterit.

6. *Oleum Ludi*, i. e. tartareæ materiæ quæ matulæ inhærescit, fit calcinando, per deliquium solvendo.

Vires. Insigne est ad resolvendum calculum.

Dosis ℈j

X. *Stercus* [*carbon humanum Paracelso, aliis Sulph. Occidentale.*] emollit, maturat, anodynum est. Ea propter magni usus ad mitigandos dolores incantatione introductos (*impositum*) ad anthraces pestilentiales maturandos, ad phlegmonem, v. g. gutturis s. anginam curandam [*siccatum, tritum, & cum melle illitum,*] ad inflammationes vulnerum arcendas. Quin & intrinsecus à nonnullis adhibetur, in Angina, (*crematum & potui datum,*) in febribus ad paroxismos profligandos, (*eodem modo propinatum. Dos.* ʒj.) in Epilepsia, (*quam stercus primum Infantuli siccatum & pulverisatum & ad complures dies exhibitum, radicitus evellere aiunt.*)

Præparata.

1. ▽ *stillatitia* fit unâ & eâdem operâ cum oleo.

Vires. Mederi dicitur oculorum unguibus reliquisque passionibus tunicæ adnatæ, (guttula una vel altera instillata,) faciei conciliare colorem, pilos producere, ulcera corrosiva & fistulas curare, cicatricesque manuum removere.

Internè prodesse ajunt comitialibus & hydropicis, lapidemque renum & vesicæ pellere, morsibusque canis rabidi, venenatorumque animalium subvenire.

2. *Oleum.*

℞. *Stercor. Juvenis, (non pueri) q. p. exiccetur in Aëre vel furno lento △e, postea per* ✕✕ *destilla, △e primum lento, sic prodibit phlegma, tandem cum aliis Spiritib. oleum. Utrumque per MB rectificetur.*

Poterius Andegav. parat hoc modo.

℞. *Sterc. humanum quant. magn. corrumpatur per se, ac convertatur in exigua quadam animalia; & hinc*

hinc ferè in ♃rem abeat. Stercus hoc ita præparatum destilla ex ♉ i. ▽ blando, mox validiori, sic prodibit ♂ & ▽.

N. *Graveolentia utriusque tollitur rectificationibus & cohobationibus repetitis.*

Vires. Valet ad tineas capitis, erysipelas exulceratum, lichenes, impetigines (illitum) podagricis doloribus subvenit, cancrum curat & mortificat.

Internè Icterum solvit, *Libav. l. 2. Alchym. Poter. in Pharmac.*

3. *Zibetta occidentalis nihil est aliud, quam stercus mediante digestione ad suaveolentiam redactum, quæ Zibettam mentitur. vid. Agricol.*

XI. Semen s. Sperma, non modo comperimus per se à nonnullis ad Veneris scilicet ligaturam maleficam dissolvendam adhiberi; sed & Mumiam magneticam inde fieri, qua amoris concilietur fervor; Quin & homunculum suum inde meditatur Paracelsus.

XII. Sanguis, [*recens adhuc & calidè potus*] conferre dicitur ad Epilepsiam, si scil. potum motus excipiat vehementior, cursusque celerior ad sudoris usque proruptionem, hæmorrhagiam quamcunque sedat, (*epotus recens vel incineratus*) Quin & extrinsecus sanguinis eruptioni medetur, & præcipuè narium hæmorrhagiæ, (*cinis inditus vel & recens fronti illitus, ut inibi exiccetur.*)

N. 1. *Potio sanguinis summâ cautione opus habet, quippe assumentibus non modo truculentiam induxit, sed & Epilepsiam quandoque generasse compertum est.*

N. 2. *Sanguis puerperii sanat scabiem volaticam, (recens cum secundina semel ac iterum illitus) Hartm.*

Præparata.

1. *Aq. destillat.* Fit eodem labore cum ♂o.

Vires. Valet in Phthisicis & aridis (epota ad ℥j. vel membris affricta,) fistulis purificandis & sanandis, ambustis refrigerandis.

N. *Destillatur & ▽ è sang. & lactis human. ā. commendaturque ad maculas cutis extirpandas. Hartm.*

2. ♂o destillatum.

℞. *Sang. Juvenum (verno extracti,) quant. magn. Alcohol. vini ⅕. cucurbitis probè minutis, digere in F. E. ☍ 40. dein destilla per ✕✕, è cineribus, & prodit unà cum ▽ ♂o Utrumque rectifica ▽ per MB, ♂o per ♉, è cineribus aliquoties (9. 10 ℞ando.)*

Vires. Maximè commendatur ad Epilepsiam radicitus tollendam, (si singulis diebus per mensem integrum sumatur ℈ß. à Novilunio incipiendo & postmodum singulis Novilunijs semel per annum ℈j.) ad paralysin, apoplexiam, pulmonem exulceratum, pleuresin. *Beguin.*

N. *Destillatio Sangu. Human. non uniusmodi instituta reperitur.*

Nimirum:

Destillant alij S. Hm. recentem adhuc calentem, idque modo duplici, per se scil. & sine additione, tum quoque admixta aliquota parte ▽ rectificati.

Alij S. Hm. non recentem, sed vel exiccatum, vel digestum aliquamdiu destillationi subjiciunt. Digestionem autem peragunt alij solius sanguinis (addito tantillo Sal com. alij sang. cum ▽ rect. fic. confusi.)

Exhibet autem Anatomia Sanguinis 1. ▽m. & 2. ~m, i. e. ▽m. rectificatam, 3. ♂o i. e. Liquorem crassiorem, 4. Sal volatile, 5. Sal fixum. Verùm nos usitatiora damus.

3. Oleum rectificatum.

℞. *Sanguinem juvenis sani, mense Majo venâ secta extractum, suscipe cucurbita, ut solum ¼. repleatur. Hinc clauso vase detineatur, in calore mediocri, ut sanguine intumescente tota cucurbita impleatur. Hinc F. ℞atio primumque exit ▽ [non magnæ æstimationis, nisi quod amplius elaborata, nonnullis ad extrahendum Sal inserviat.) Reliquum pellatur in cineribus per ♉m, juncturis optimè clausis: Destillatum refundatur super fæces; fiatque cohobatio vice nonâ, ut color subsequatur rubinus.*

N. *Attendere oportet in destillatione, ne nimio ▽ fæces comburas, inque carbonem redigas; ideoque tantum ad siccitatem destilles.*

Vires. Maximarum habetur virium ad refocillandos ægrotos. Libav. Syntagm.

4. Balsamus Antipodagricus s. Oleum Sang. Hum. alcalisatum. Fit eodem modo.

℞. *Sangu. Hum. adhuc calentis, Mens. 1. putrefac. aliqu. ☍ (9.) dein destilla ex arenâ per gradus 1. lento ▽e, hinc 2. fortiori per ♉, & exibit ol. rubicundum & fœtens, sale volatili ad spondilia colli adhærescente, ♂o rectifica per colchotar ex cucurbitâ △ arena aliquoties à recenti colchotare ℞ando: demum solve in correcto hoc oleo sal & serva.*

Vires. Mirandarum est virtutum in podagra, quotidiè bis terve, sex diebus continuis; sistit dolores tumore simul & rubedine evanescente.

N. *Similis energia est balsamus è sanguine hircino & cervino prolectus, in quibus tamen & viscera, pulmones scilicet, cor & Epar addidisse expedit. Vide suprà.*

5. Spiritus Antepilepticus.

℞. ~ *S. H. dephlegmati & ter rectificati, ℔ij. infusi fl. lavendul. [in vino] ℔ij. M. & destilla per B. M. ad medietatem, idemque repete tertia vice: dein adde ▽ rectific. ℥ij. & serva.*

Vires. Valet ad curandam Apoplexiam, paralysin, ut & ad Asthma, &c.

N. *Habet & Beguinus insuper S. H. Qu. Ess. Biolychnium, Philtrum, Balsamum, ▽m. sanitatis, Arcana duo. Verùm cum prolixa horum descriptio, Authorque alias in omnium manibus versetur, illorum descriptione supersedeo.*

6. *Mumia vitæ alexiteria.*

Est sanguis florentis & benè valentis hominis, lento calore exiccatus, spiritu limonum & ⊖-i spiritu imprægnatus, & in trochiscos cum pauca myrrha paratus.

Vires. Insignis est efficaciæ in curandis carbunculis.

Dosis ʒß. in ▽ cinam. mane jejuno propinata. P. I. Fab. in Chirurg. c. 9.

7. *Arcanum sanguinis humani.*

P. I. Fabri vide Myrothec. c. 8. Byllich. de natura Spagyr. n. 66.

XIII. Calculus Tartarum s. calculum in omnibus partibus solvit, & expelli facit, ideoque omnibus obstructionibus subvenit

Clar. D. Author in prioribus Pharmac. suæ editionibus, de Calculo humano, (*minùs in ordine*) inter alios lapides dum verba faceret, illum cum Ludo confundebat; circa quod non incongruum fuerit recensere Doctiss. D. Hoffmanni animadversionem, quæ hæc est.

D. Author Calculum humanum Ludum vocat, sed minus propriè, nam Ludus Theophrasti Paracelsi, *& quem pertractat.* Cl. Helmontius, *ab hoc toto differt cœlo. Estque lapis siliceus, tenerior tamen, & qui ferè totus bidui spatio per ignem diuturnum avolat: cum nitro verò multò celerius. Nec ludus hic dat lixivium, sed salem ex acido amarum. Inde vocat Paracelsus* sel

fel terræ. Hunc sub metaphora & inauspicata verborum tenebritate posteris tradidit idem in lib. de morb. tartar. *cap.* 20. *Atque hujus qui propriè ad lib. iij. pertinet ut minerale, veram ac Philosophicam præparationem apertiori sensu descripsit citatus Helmontius* de lithiasi cap. 7. artic. 22. *Reperiri illud dicens ad ripam Scaldis prope Antverpium, ubi lateres coquuntur, situsque est, plus minusve* 40. *pedes subter horizontem secundum profunditatem fluvij. Non est autem in fundo fluvij, sed extenditur unica & simplici camera, subter fundum marginis in agro vicino ad latera juxta ripas, idque per aliquot milliaria. At Ludi camera ista vix pedis crassitudinem superat, nec etiam supra aut infra præfatam cameram extenditur ampliùs, qui etsi sub terra perdurus sit, mox tamen sub aura fit friabilis, fatiscente sc. sensim vitriolo.* Ludus *lapis est pallescens, subinde crusta perspicua per commissuras obductus magna sui parte in clibano figulino volatilis. Hic flavo & aureo colore præditus reperitur etiam ad ripam Danubij; felix ille qui eundem calcinare potest. Qui verò putat additione Nitri, vel Aceti destill. &c. hoc assequi, hic scias ejusmodi salia utut exquisitè* ludo *commista, sola per deliquium defluxura, relictâ terra tanquam fæce in patina. Beneficio igitur liquoris alkahestini* Helmontius Ludum *destillat, & primâ vice mutat in salem, qui in patina vitrea humido aëri expositus per deliquium solvitur absque ulla residua terrestreitate, & liquor defluens fulvi est coloris, & Hermetico sigillo clausus, bulliendo veluti spuma supernatat totus in forma pinguedinis viridis liquatæ.*

[*Pulv. exhibitus. Dosi* ʒj.]

Præparata.

1. Sal Crystallinum.

℞. *Calcul. optimè calcinatum* [*ut durities lapidis emolliatur*] *coque in* ▽, *& solvetur in* ▽*m Citrinam. Hinc filtratura evaporata, manet Sal in fundo, quod si libet denuo calcina & in* ▽ *fervente solve ut Sulphur impurum amittat & coagula reponeque ad crystallisandum.*

N. *Calcinatio institui potest diversimodè: Alij calcinant cum Sal. nitr. 6. horis: Ali cum Sulph. & Sal. nitr. Alij cum duplo carbonum faginorum.*

Sennertus calcinat calculum tritum △e circulari, hinc reverberij, & tandem cum carbonibus faginis [*in fornace figulina. Inst. l.5. p.3.s.3.c.5.*]

2. *Oleum s. Liquor*, fit si Sal in aëre humido solvatur.

Dosis gr. vi. ad x.

N. *Sennertus calcinat cum Sal. nitr. hinc Sal. com. cum* ▽ *extrahit, &* ▽ *separato, Sal reponit ad liquescendum.*

3. Essentia s. Elyxir.

℞. *Sal calculi Crystall. volatilisa cum* 🜄, *hinc abstrahe leni calore* 🜄, *& remanet essentia.* Sennert. d.l.

Dosis à gr. v. ad x.

N. *Si ita placuerit, calculum iisdem præparationibus cum aliis lapidibus subjicere poteris. Vide l.2.*

XIV. Lumbrici intestinorum, ἔλμινθες ϛρογγύλαι, *Würm, Spuhlwürm.* Generantur ex cruditate intestinorum.

Vires. Sunt qui pulverisatos exhibent ad lumbricos expellendos.

XV. Pediculi, Pediculus φθεὶρ, Σάρθεξ, Pedunculus, *Lausz. The Louse. Een Luys.*

Vires. Devorantur à rusticis contra icterum, simili modo ad Atrophiam nonnullis probantur. Urinam cient foramini penis impositi.

XVI. Membrana, quæ caput nonnullorum fœtuum cingit, maximam vim habere dicitur adversus colicum dolorem.

De partibus ex homine vivente desumptis.

Hoffmann. *Capilli*) *Capilli à pube desumpti.* Hæmorrhagiam narium sistunt naribus inserti, qui non solùm hunc ex naribus profluentem & vulneribus, sed & ferocientem in erysipelate compescunt. *Henricus ad Heer Libr. 1. observ. 5.*

N. Curæ virorum admovendi *pili mulieris pectine avulsi*, & contrà muliebribus affectibus nonnihi masculini crines adhibendi.

Aurium sordes vomitum movent in nicotianæ usu pro fumo.

Lac refrigerat, lenit &c.) Omnibus Lactis generibus præfertur muliebre, ut Naturæ nostræ magis familiare, in primis si ex ipso sugatur ubere, unde & omnes indicationes ad phthisicorum curationem propositas adimplet. Abstergit parte sua serosâ, conglutinat caseosâ, corpus nutrit & reficit butyrosâ. Hujus usu se aliquos restitutos vidisse testatur *Fœlix Platerus*; Ex iisque unum non solùm convaluisse, sed etiam tantas recepisse vires, ut ne Lac sibi in posterum deficeret, nutricem de novo imprægnarit.

Verùm Medici Practici tres conditiones observare debent in lactis exhibitione. Quarum prima est, ne capitis adsit debilitas & dolor. Deinde si febris non magna. Tertiò si viscera flatibus non sint distenta. Et cum exhibetur, duplex est intentio; vel ut ulcus abstergatur, & consolidetur, ad quam intentionem facit serosum, quale est asininum & caprinum cum melle & salis modico. Si verò nutritionem solùm spectamus, nihil muliebri lacte convenientius, præsertim si illud æger ex mammâ fœminæ bonæ constitutionis sugat & hauriat. *Crato in consil. à Laur. Scholz edit. Schenck. in observ. libr. 6. de febrib. obs. 70. Cl. Riverius in praxi.*

Butyrum) Ex Lacte humano confecto contrà phthisin nihil est præstantius.

Sanguis menstruus) Ex hoc puellæ philtra sua componunt, cujus potum plerumque mania vel dementia insequitur. Hujus antidoton sunt margaritæ præparatæ. Panis calidus prout ex furno extractus & à menstruatâ gestatus suppressioni mensium medetur, si hujus exsiccati ʒß. vel ʒj. in vino detur. Item, linteum mundum intinge cruori menstruatæ sororis virginis, & exsiccatum infunde in vino enulato, cola ac propina manè.

N. Externè, induatur indusium recenti menstruo alterius (si consuanguinea fuerit, melius succedet) adhuc conspurcatum, quòd teste experientiâ in fluxu menstruo suppresso proritando probatum est. Fermentum enim sanguinis mumiale specificum interius uteri fermentum per symbolicam harmoniam idealem suscitat.

N. *Ad immodicum menstruorum fluxum cohibendum &c.*) Hoc fit beneficio mumialis transplantationis ad distans; de quâ vide *Medicinam diastaticam Andreæ Tenzelij.*

Secundina) Ad epilepsiam, uteri suffocationem, dolores post partum &c. strenuum est remedium pulvis scil. secundinæ torrefactæ mulieris primiparæ filium enixæ, Dosis est à ʒß. ad ℈j. in jusculo gallinæ calido Spiritus etiam inde parari potest seq. modo.

Recip. Secundinam mulieris sanæ (si possit esse alicujus primiparæ eò melior est) unà cum vasis & reliquis additamentis prodeuntibus post partum, ℞la per retortam in recipiens amplum ac capacissimum, ac prodibit phlegma, spiritus, oleum cum sale volatili, per tritorium oleum separa & sal volatile cum spiritu per phiolam oblongam rectifica. Dosis est à gutt. iij. ad x. ad partum facilitandum, menses ciendos & reliquos uteri affectus. Hoc spiritu etiam Rex quidam ab epilepsiâ fuit liberatus.

Urina) Pueri scilicet vinum bibentis; multum enim

enim intereſt à quibus urina petatur, dum uni plus ineſt ſalis volatilis, quàm alteri. Nam urinis puerorum & juvenum plus illius ineſt, quàm in ſenum, plus in ſanorum, quàm ægrotorum, itemque plus vini potorum, quàm Zythobibulorum & hydropotorum.

Deſtilla per alembicum in ferventi MB. &c.) Sed non eſt neceſſaria deſtillatio per alembicum in MB. Melius autem ſuccedet, ſi urinam recentem, in quâ partes ſalinæ reliquis etiamnum complicantur, coquas ſaltem ad tertiæ vel dimidiæ partis conſumptionem & demum, quod urinæ incoctæ reſtat, ex phiolâ deſtilles, & tunc ſpiritum & ſal volatiles acquires.

N. 1. *Celeberrimus eſt ob tincturam cœruleam &c.*) Si ſpiritum urinæ ter vel quater cohobando deſtillaveris à ſilicibus nigris calcinatis acquires tincturam cœruleam inſtar ſapphiri, in urinæ ſuppreſſione à calculo utiliſſimam.

Imponit podagricis.) Vel per ſe vel cum ſp. lil. convall. nuptus partibus affectis inunctus notabile affert levamen.

Aſthmaticis. Interne opitulatur ad gutt. 10. vel 15. in vehiculo appropriato, in primis ſi cum ol. d. aniſi imprægnatus balſamicus factus fuerit. Opitulatur etiam calculoſis.

2. *Aliter Spir. Urin. igneus ſeu ſal volatilis.*) Hic modus Oſvvaldi optimè ſuccedit.

N. 1. *Hunc ſpiritum ſi purificato ſuo ſali &c.* Hoc modò multum ſpiritus & ſalis volatilis ibi perditum. Unde præſtat ſpiritum cum ſale volatili rect ficatiſſimum pro iiſdem operationibus reſervaſſe.

3. *Spiritus Urin. per putrefactionem.*) In hoc non neceſſaria eſt totalis humiditatis abſtractio, nam in putridâ urinâ particulæ conſtituentes ſoluto nexu ab invicem ſejunctæ, & ſalinæ ſeſe à reliquis expedientes admoto calore etiam leviſſimo avolant & liquorem poſteà phlegmaticum relinquunt.

N. Urinæ non ſunt indifferenter incoquendæ, & multum intereſt utrum recentes ſint, an vetuſtæ. Nam recens cocturam ſuſtinet, citrà ſalis volatilis jacturam, vetus autem ad putredinem vergens non ita.

N. 4. *Sunt, qui fœtoris corrigendi gratiâ ſp. vini affundunt &c.*) Notandum ex miſtis Urin. & vini ſpiritibus volatilibus omnibus rectificatis & à phlegmate liberatis coagulationem inſequi.

Vires. Inſigne anodynum eſt in doloribus &c.) Omnem aciditatem in lympha, liquore nervoſo, & maſſa ſanguinea corrigit, unde ſumma cum euphoria in Scorbuto, malo hypochondriaco, cachexia, ictero flavo & nigro, ſuffocatione hyſterica, epilepſia, ſpaſmo, apoplexia, febribus malignis, imò ipſa peſte ſtatim ab initio adhibetur.

Idem ſal ſi in ſp. Vitrioli ſolutus ac iterum in Aren. deſtillatus fuerit &c.) Ex hujus ſalis urinoſi & ſp. Vitrioli acidi mixtura poſt deſtillationem prodit ſpiritus ant-epilepticus CL. Hartmanni, qui tamen teſte meâ propria experientia non tam in epilepſia, quàm ipſa etiam Mania admirandæ eſt virtutis.

N. In aurium affectibus ſp. Urin. cum ſale volatili nuptus oleo Tartari p. d. cum aquâ lil. convall. ſubito guttatim mixtus in exiguo anguſti colli vitro vaporibus exurgentibus, & aures intrantibus mira præſtat.

5. *Magiſterium Urin.*) Non opus eſt omnis phlegmatis abſtractione, cum, uti ſuprà animadvertimus, in putrefacta urina ſpiritus & ſal volatile ſemper prius eleventur, quam phlegma ſequatur.

Et adſcendet ulterius ſal volatile) quod non eſt, quia ſatis jam ſalis volatilis elevatum fuit, ut nihil amplius in reliquiis in fundo hærentibus ſuperſit.

Sublimabitur Sal comm. urinæ elegantiſſimæ.) Non ſuccedit, dum ſal volatile urin. quaſi compedibus ab altero ſale acido fixo ligatur, ita ut fiat inde ſal flavum, fixum aurum ſolvens.

OleumLudi.) Hoc nihil aliud eſt, quàm ſal fixum urin. reſiduum à deſtillatione, & per deliquiũ ſolutum. Alias materia iſta Tartarea, quæ matulæ adhæreſcit, calcinari quidem poteſt, ſed nunquam per deliquium ſolvitur.

Stercus.) In hoc principium Magnetis Microcoſmici quærendum eſt, ſeu mumiæ microcoſmicæ ſpiritualis. Hic magnes uſtus aut crematus ſimpliciter prunis injectis vel etiam vino aduſto & pipere ſimul inſperſo tantis cruciatibus nates depoſitoris incivilis onerat, quantas vix prunæ ipſæ partibus iiſdem admotæ inuſſiſſent. In hac mumia ſpirituali latet arcanum curandi omnes affectus à veneficiis inductos. Hujus adminiculo odium & amor inter maritos foveri poteſt, inimici inter ſe placati redduntur, ſimia & ſerpens Natura ſibi invicem maximè infenſi mirè inter ſe redeunt in gratiam, & aliâ naturâ diffidentia animalia. Imò varii etiam morbi curari poſſunt. *vid. Medicin. Diaſtatic. D. D. Andreæ Tenzelii.*

Magni uſus ad mitigandos dolores incantatione introductos &c.) Scil. addito allio impoſitum & poſt impoſitionem elapſis 24. hor. fumo culinari commiſſum.

N. Napelli antidotum eſt ſtercus ſiccatum & pulveriſatum adhibitum; Si quis Napellum ſumſerit ad gr. j. morietur intrà 4. horas, & nullo alio remedio juvabitur, quàm ſtercore humano, quod recens vel aridum bibendum datur.

N. Si ruſticæ mulieres ob veneficium butyrum conficere nequeant, lac vaccinum recens emulſum ſtercorique humano infuſum vel cloacæ illicò à veneficio liberat, ſi ferrum ignitum unà ſtercori humano lacte vaccino conſperſo inſeras, veneficæ puſtulas in facie inducet, certo experimento.

N. Ex ſtercore humano carbon ſeu Zibetta occidentalis mediante digeſtione, vel Sulphur Occidentale conficitur.

Semen ſeu ſperma.) Ex hoc etiam mumia magnetica fit ad amoris conciliandum fervorem.

Quin & homunculum ſuum inde meditatur Paracelſus.) Semen ſcil. maris & fœminæ phiolæ includit fimoque imponit, menſtruo nutriens ſanguine, uſque dum perfectus homunculus producatur, hunc omnia ſcire docet, quæ alii homines ignorant. Cùm, enim arte vitam & corpus acceperit, artem & ſcientias illi connatas eſſe arbitratur. Verùm fabulæ hæ ſunt impiæ, & ab omni ratione alienæ. Hoc enim modo talis homunculus nunquam produci potuit, quia Paracelſus verum ſemen fœmininum ignoravit, liquorem illum ſeroſum genitalia humectantem pro vero ſemine habens, & ſic verum ſemen fœminarum cum maſculino nunquam conjungere potuit. Etquid hujus fœtus menſtruo ſanguine facta nutritione inconvenientius?

Sanguis (recens adhuc & calidè potus) conferre dicitur ad epilepſiam &c.) Sed ſumma in hujus exhibitione opus eſt cautela, eò quòd extrà vaſa ſua ſeu locum ſuum naturalem conſtitutus facilè grumeſcẽs & concreſcens putredicis virus induit, uti patet, ſi ex capitis contuſione ſanguis intrà cranium & meninges ſubſtiterit, tunc in grumos concretus epilepſiam vel phrenitidem, ſi in pectoris cavitate, aut pulmonibus phthiſin &c. inducit, unde verendum, ne ita epotus in ventriculo concreſcens lypothymiam, tormina ventris, dyſpnœam, vel tãdem ſuffocationem inferat. Nec obſtat, epotum ſtatim excipere concitatiorem motum vel curſum, uſque ad ſudoris elicium, ut ita nihil horum metuendum ſit. Præterquam enim quòd certa ac firma nondum experientia conſtet, ſanguinem humanum ità crudum ſpecifica proprietate antepileptica præditum eſſe, beſtiale inſuper ac truculenti quid

qu'd in se habet sanguinem humanum calentem epilepsia correptis propinare. Notum enim est, non sine gravi corporis humani noxa & alteratione sæpe fuisse porrectum, dum ideæ ejusdem speciei vel alterius speciei animali truculentæ, ferinæ &c. in sanguine existente alteri, qui sanguinem adsumsit, fuerunt communicatæ, unde *Aristot. Libr. 2. de part. animal. c. 3. & 4.* dicit, cum sanguine communicari aliquid ejus naturæ, cujus propriè est sanguis, id quod historia *Fausti-a M. Anton. Philos. Imp.* uxoris, teste *Julio Capitolino in ejus vitâ* comprobat: hæc enim cùm sanguinem gladiatoris illius, quem efflictim deperibat, calidè exceptum ebibisset, statimque cum marito concubuisset, gravida facta peperit Antonium Commodum, hominem crudelissimum ac truculentissimum, qui pugnis gladiatorijs ac cruentis cædibus Rempublic. Roman. ferè attrivit. Ita humano bibito sanguine carnifices fieri audaciores à pluribus creditur. Dignum relatione, quod in Bressâ accidit, *teste Weinrichio in Libr. de Monstris cap. 15.* Puella quædam mollior non multorum annorum, cum publicè spectaret à carnifice, Latronem capite truncari territa spectaculi fœditate in epilepsiam incidit. Multa pro remedio tentata, frustrà omnia. Ex vulgo quispiam suasit, Felium sanguinem porrigi utile esse, quo ebibito malum facilè cessaturum. Offertur, accipit misera, infelici admodum eventu, paulò post enim felis induit naturam ex intervallo, & quod id animal solet in ædibus, id illa imitatur voce, saltu, gestu, vestigijs, mures in silentio venatur. Aliam idem Autor historiam proponit de quodam, qui suillo sanguine pastus, luto ad fastidium usque delectatus fuit. Sic Studiosus quidam, *inquit Zacut. Lusit. Libr. 3 Prax. Medic. admirand. obs. 82.* cum alio condiscipulo pugnam iniens, eum pugnis & contumelijs affecit. His non satisfactus adhuc de eo sumere vindictam satagit. Quare hâc est industriâ usus. Amicitiam simulans eum ad convivium pro amicitiæ redintegratione invitat. Inter potandum offert illi poculum vini, uncijs duabus sanguinis hominis rufi, cui nuperrimè erat vena secta. Post diem nihil mali persensit, sed post triduum serpente veneno delira loqui visus est. Demum fatuus in æternum remansit. Hæc & alia utut verissima sunt, tamen minimè intelligenda de sanguinis humani salibus volatilibus & alijs salibus ex cranio, ossibus & urina hominis, sanguinis cervi & ejus cornu, viperis, serpentibus &c. præparatis. Qualis enim hæc est sequela, sanguis humanus crudè adsumptus interdum corpori humano noxam intulit, Ergo & salia volatilia & alia medicamenta ex eo præparata sunt noxia? In illo enim glacit adhuc idea mumialis, in his autem per vulcani torturam destructa est, & concretum illud planè in aliud ens degeneravit, ut non amplius jam sit, quod anteà fuit. Nostram hanc sententiam assensione comprobat *Matth. Untzerus de Epileps. Libr. 2. p. m. 235.* Postquam enim ultro citroque habito discursu de sanguinis humani ita crudè adsumpti usu multa in medium protulisset, quod tamen, pergit, minimè accipiendum de Q. Essentia, Tinctura, &c. quemadmodum ista omnia, non quidem à spurijs scholæ Paracelsicæ discipulis, sed à genuinis ac industrijs Hermeticæ disciplinæ sectatoribus elaborantur ac præparantur.

Præparata. 1. ▽ *destillata* 2. *Ol. destillatum &c.*) In hâc elaboratione non opus est alcohol vini additione, nec in fimo equino digestione, hoc enim modo oleum & operam perdes.

N. *Destillatio S. H. non unius modi instituta reperitur &c.*) Recens scil. à sano homine non ruffo sumptus vel post capitis decollationem, vel venæ sectionem tempore balsamico institutam & exsiccatus s. a. sumi debet, & sine sp. vini additione aut præ-via digestione, (nisi putridum velis) retortæ impositus aperto ignis regimini committendus est apposito receptaculo convenienti probè etiam luto munito, sic acquires primò phlegma, deinde liquorem spirituosum oleo subtili turgidum, tertiò sequitur oleum fœtidum crassum cum sale volatili receptaculo undique adhærente, non nisi cum extrema Vulcani vehementia. Post effusionem ex recipiente acquires liquorem oleo fœtido levi, tenui & crasso ac sale volatili imprægnatum, quæ singula s. a. ab invicem sunt separanda, & demum per phiolam oblongam rectificanda sunt. In rectificatione sal volatile primum meteorisatur.

Vires. Hoc sal volatile si probè à suis scorijs defæcatum ac depuratum fuerit, quod artis est, omnem malevolorum effugit censuram, ut in eo non invenire possint, quod incilent, si methodicè à sanioris Medicinæ cultore adhibeatur, scil. in dyscrasiâ acidâ massæ sanguineæ, lymphæ & liquoris nervosi &c. Ut non solùm in Epilepsia, spasmo, apoplexia, suffocatione hypochondriaca s. hysterica, sed & in febrium malignarum, imò ipsius pestis initio & alijs morbis inveteratis, quales arthritis, hydrops, Scorbutus, malum hypochondriacum &c. summum & polychrestum evadat remedium; Sin autem salia acria, volatilia, biliosa &c. massam infestent sanguineam, ab hoc & alijs ejusdem farinæ salibus volatilibus abstinendum est. Et tunc spiritus acidi resolventes volatiles, non crudi ac venales isti in usum sunt trahendi. In utrisque tamen probè observandum, ut tempore debito, exigente materiâ morbificâ, nec crebro ac in nimiâ copiâ adhibeantur, aliàs utraque noxam corpori humano inferre possunt, tam acida, quàm alkalica. Ideoque modus omnium rerum est optimus πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. Sic observavit *D. Matthias Jacobaus in Actis Medicis Bartholinis pag. 208. 209.* quod noverit amicum, qui sanguinem crassum, melancholicum & nigricantem habuerit, ita enim ex venis sæpius fuit eductus, hunc sale volatili oleoso sylviano corrigere tentans, successu quidem non caruit, nam quotidiano ejus usu sanguis floridior factus rubicundo colore pulchrè oculos affecit, sed dum largiori manu quotidiano potui illud immiscuit, fluidior justo sanguis factus, consistentiam amisit debitam, unde in hæmorrhagiam narium crebram & largam cum palpitatione cordis incidens, periculum fuit, ne vel totus sanguis per nares defluxisset, vel syncope cardiacâ derepente occubuisset, nisi maturè acidis astringentibus & opiatis sanguis rursus incrassatus fuisset. Idem accidit & hîc Hallis Saxonum Viro cuidam Magno, qui aliàs cholericus, massâ ejus sanguineâ salibus acribus volatilibus biliosis naturâ scatente à nimio ac crebro spiritus volatilis urinosi usu in hæmoptysin incidit, quæ tandem in pulmonum exulcerationem seu phthisin terminata tandem vitæ finem cum magno suorum cordolio imposuit. Et quod de Salibus volatilibus jam monitum fuit, idem istud & de Acidis est notandum; hæc enim nisi reperiant salsum sive alkalicum oberrans in corpore humano à vitalitate proscriptum & ob id morbosum, quod acidum in se recipiat medicamentum, tunc plus nocebunt, quàm proderunt. Nimirum enim tunc proximum stomachi alimentum suâ aciditate inficiunt & alendo ineptum reddunt. Medicus Amicus, *inquit CL. Tachenius in suo Hippocr. Chemic.* Romæ Anno 1656. temporis pestis præservationis gratiâ usus fuit spiritu Sulphuris acido in copiâ, hic arthriticus factus, postmodum salibus volatilibus animalium fuit restitutus. Hîc posset sanè quispiam inferre & dicere. Ergonè Acidum & Alkali tam in morborum cognitione seu theoriâ,

theoriâ, quàm curatione & Praxi rem totam exhauriunt? Nec symbolum suum hûc conferunt primæ elementorum qualitates, calidum, frigidum, humidum, siccum? Hinc cochlearia curiosa scribit, Medicamenta ex salibus volatilibus constantia in tertio & quarto gradu calida esse & sapor & odor produnt, qualia sanè medicamenta non solùm manifestè, sed & vehementer neque citrà molestiam & noxam, imò vehementissimè & non sine gravissimâ læsione corpus nostrum alterare &c. possunt. Verùm à Nobis Acidum & Alkali generaliter pro duobus quasi *Salibus* fundamentalibus, ab uno summo Sale primitus ortis, (ut nonnulli statuunt) habentur. Pro horum diversa constitutione, dum rarò per se in concretis naturalibus inveniuntur, quia alijs mixti particulis sint immersa, etiam productum reciprocæ istius actionis & mutui concursus variat, ut ex hisce cùm alijs naturæ minimis diverso modo connexis quoad figuras, texturas, magnitudines & inde resultantes diversas motiones, non solum eorum varietas, sed omnes ferè in naturâ notabiles alterationes originem suam trahant. Per hæc adeo potentia Principia metiendas esse causarum morbificarum operationes sub saporum schemate docuit Hippocrates de Priscâ Medicinâ. Præter horum tamen rationem uniuscujusque etiam sapor specificus semini appropriatus & ex seminali concreti crasi oriundus ceu appropriatum specificis morbosis corporis nostri saporibus remedium considerandum & examinandum erit, non luridum illud quatuor qualitatum elementalium figmentum, quas nemo adhuc vel ullâ apertâ ratione demonstrare vel certa aliqua experientia confirmare potuit: quin Natura rerum ipsis vel maximè repugnat: de quibus vide C L. Helmont. in tr. Mist. & compl. Elem. figment. Francisc. Baconum de Verulam. Nobiliss. Robert. à Boyle de origine format. & qual tat. & in chymist. sceptic. Item David. *van der Becke* Mindanum in aureo opusculo de Experiment. circa Rerum natural. principia. Johann. Marcus Marci in Philos. Veterum restituta p. 2. s. 4. p. m. 133. D. D. Ettmüller. in Medicina Hippocrat. chemica. Salium igitur volatilium crasin & operationem quod tandem concernit, non sanè qualitatum primarum virtute, sed etiam ratione potentiarum Hippocraticarum agunt, dum scil. particulæ salinæ intemperatæ & conspicuæ factæ ac inde acriores redditæ additione & interpositione aliarum particularum materialium in specie contrariarum salinarum, mutata figura & textura acrimoniam & corrosivitatem amittunt, & sic effervescentias ab acido vitioso inductas nunc caloribus nunc horroribus comitatas compescunt. Ubi tamen nec specifica cujusque salis volatilis proprietas, quam ad hunc vel illum habet morbum, est posthabenda. Hinc non immeritò quæritur, An inter tot volatilia salia specifica quædam ac seminalis intersit differentia, cujus respectu in operandi etiam viribus, quodam modo differant, an verò ejusdem omnino cuncta speciei sint? *Ingeniosissimus Helmontius in tr. spiritus vitæ* §. 16. Cruor, inquit, humanus per destillationem dat hunc spiritum salsum, planè volatilem, ac ne quicquam à spiritu urinæ distinguibilem; in eo tamen essentiali ambos proprietate differre consideravi, quod spiritus salis cruoris curet epilepsiam, etiam adultorum, non item spiritus salis urinæ. Idque verissimum esse teste experientia infinities à me probatum sanctè affirmare possum, nisi interdum curam obstreperi animi impediverint. Et licet optimè sciam spiritum salis ammoniaci, urinæ sobolem, in convulsivis motibus præcavendis, vel sedandis, non adeò spernendum esse, dum effluvia acida liquorem nervosum infestantia infringit, id quod in genere omnia salia volatilia urinosa acidum imbibendo præstant, ubi tamen in morbis specifica adsunt fermenta venenata, ut in epilepsiâ, peculiari ideâ impraegnata, specificis etiam volunt exstirpari ideis in salibus specificis radicatis. Quæ causa etiam, quòd figurarum quædam in salibus volatilibus inveniatur diversitas, ita ut sal volatile C. C. & cruoris cervi parallele pipedi referat figuram in peste, ac febribus malignis specificum, sal volatile sanguinis humani Rhomboidem; licet etiam spir. vini non accedat: Nullum dubium, hujus diversitatis causa alicui Idearum seu seminum diversitati sit accepta referenda. Modus enim operandi sequitur modum essendi. Ut adeò figurarum hæc diversitas diversitatem idearum notificans doceat Nos, ipsa etiam salia volatilia urinosa specificam quandam à se invicem obtinere differentiam, quæ omnino in morborum curatione etiam attendenda est, & experientia confirmat. Quicquid contradicat D. David *van der Becke* Mindanus l. c. In hoc enim alterantium consistit diversitas & simul etiam potestas, ut correspondeant peculiaribus partium suarum figuris, poris & meatibus alterandorum humorum. Unde acidissima mutata textura possunt fieri insipida; At hæc salia volatilia utut magnarum sint virium, tamen non solùm palato sunt ingrata, sed & nimis fœtida sunt, ac nihilominus non tantum oretenus, sed odore tenus etiam offeruntur, cùm tamen nimis fœtida, pergit curiosa cochlearia, consensu omnium authenticorum Medicorum, cerebro, utero & nervis noceant, cordi inimica sint, spiritus labefactent ac prosternant. Exempla etiam non pauca docent, nimis fœtida sopitas revocasse epilepsias, apoplexias, lipothymias & abortum concitasse &c. Verum ignoscat curiosa Cochlearia; Si omnia medicamenta fœtida ab fœtorem ex medicamentorum classe exterminanda fuerint, quid futurum de allio, cepis, vulvaria, radice Valerianæ, matricariâ, asâ fœtidâ, castoreo, ammoniaco, galbano, fumo combustarum pennarum, cornuum &c. quorum tamen eximiam ac stupendam in pluribus affectibus curandis energiam nemo authenticorum Medicorum in dubium vocabit. Quod tamen non omnibus æquè opem præstent, & sæpè huic vel illi etiam sint hostilia, non ipsis, sed Naturæ idiosyncrasiæ & antipathiæ est tribuendum; Differt enim Natura à Natura, temperamentum à temperamento &c. nec omnia ferimus omnes; est videndum cui hoc, cui illud hostile vel amicum sit; Verùm alicujus rei usum non ferus tollit abusus. Sunt vice versa, quibus optimè etiam fragrantia, ut v. g. Moschi, ambræ, Zibethii, Cinamom. rosar. Nuc. Moschat. odor. lipothymiam inferunt, qui tamen tam inconsideratus foret, ut propterea ob hujus vel illius antipathiam omnia etiam fragrantia exulare vellet? Propterea distinguenda sunt fœtida, quædam admodum putridum virus seu sulphur abominabile Naturæ hostile secum vehunt, quod occultum in se acidum habet cum sale volatili adhuc conjunctum, quod Archeus odoretenus etiam non solùm aversatur, sed quod & causam morbificam saltem movet, non promovet, & spiritibus infestum est, qualia olea non rectificata sanguinis humani fœtida, CC. tartari &c. à quibus certis in casibus est abstinendum; Quædam contra fœtida videntur & tamen non sunt, qualia dicta salia volatilia, hæc si ab oleo suo crasso ac fœtido probè sint per rectificationem liberata ut instar crystall. tartari vel camphoræ sint albissima ac pellucida, omnem illam laudem merentur, quam ipsis suprà adsignavimus. Si cujuspiam tamen nares

nares delicatulas specificus illorum offendat adhuc odor & sapor, huic suasor ego extiterim, (licet tunc non sint tantæ specificæ energiæ,) ut vel in sal volatile oleosum Sylvii citratum, anisatum, cinamomeum &c. redigantur, vel mutua acidi cujusdam conjunctione in tertium sal abstersivum ac diaphoreticum & diureticum transmutentur.

4. *Balsamus Antipodagricus seu oleum S. H. alkolisatum*) Hæc descriptio, uti cum antecedentibus ejusdem valoris, ita & eadem digna est censura. Putrefactio est inutilis & minus necessaria, Destillatio ex Aren. per retort. ad ol. & Nitr. volatile eliciendum ad spondilia colli insufficiens. Quare hujus loco melius substituitur Spiritus S. H. cum sale ejus volatili optime sine sp. vini rectificatus, omisso ol. fœtido, quod cephalalgiam excitat, spiritibus hostile & ventriculo abominabile existit.

5. *Spiritus Antepilepticus.*) Hic paratu est facilis, modo spiritui S. H. rectificatissimo jungas spiritum cerasorum nigr. vel lil. convall. & destill. per MB. omisso sp. vini.

6. *Mumia vitæ alexiteria.*) Huic rectius substituitur spiritus S. H. cum sp. Vitrioli mixtus; & sic obtinebis liquorem in epilepsia, imò ipsa mania, peste, &c. præstantissimum.

Calculus.) Ex hoc *Cl. Tachenius in Hipp. suo Chemico* duos spiritus per mechanicam liquidum & solidum elicere tentat Accipe, inquiens, calculum ex vesica excisum, vel sponte de renibus elapsum, drachma una vel altera sufficit. Hunc inde retortæ vitreæ novæ ac mundæ (calculus non sit pulverisatus) retortam pone in Aren. cui appone receptaculum mundum ac novum, urge moderato igne & primo extillabit alkali similis urinæ, nullius tamen odoris in receptaculum, & paulò post fixior pars ejusdem alkali sublimari in retortæ collo videbis; ambos spiritus liquidum & solidum misce ac diligenter vasculo vitreo cera obturato serva, aliàs aperto in auras abiret.

In frigefacta retorta reperies Calculi frustula, ea forma, qua posita fuerint, adeò tamen levia & friabilia, ut si digito leviter saltem tangas in pulverem concidant, quibus frustulis integris si rursus affuderis alkali ex calculo reservatum, vel aliud urinæ statim indurescit, ut erat &c.

N. Hæc à me sæpius Vulcani examini exposita vera & probata me expertum fuisse, sanctè attestari possum.

Juxtà *Nobiliss. Helmont. in tract. de Lithiasi* processus generationis Calculi talis est. Primum est terra volatilis, (quam Tachenius alkali vocat) quæ extrà corpus in urina excreta fermentata & putrefacta se tetro prodit odore, quem in recenti lotio statim excitat matula, jam illa mephiti perfusa. Intrà corpus verò putridum, sive renum sive alterius partis seminium, inquinamentum & dispositio vel hæreditaria vel adscititia, fermentum hoc stercoreum imprimit urinæ & format terram illam volatilem. Secundum, quod pytotechnia patefacit, in urina est aqua quædam ardens, destillatione inde extracta, & veluti spiritus vini inflammabilis. Tertium est ipse spiritus urinæ destillatione etiam prolectus, qui si affundatur prænominato spiritui ardenti, cum dicto illo indissolubili conjugio sibi maritat, & in offam albam mutat.

Modus igitur generationis Calculi talis est, Terra scil. volatilis ex fracido suo seminio prognata recipit occursantem urinæ spiritum cui si obviet Aqua illa ardens, lucta oboritur & permeant sese intimè perque aromos in se operantur, quoadusque exhausta vel alterutrius vel utriusque δυνάμει condensetur Calculus.

N. Verùm longè aliud est ignis, aliud Archei productum. Optandum foret, hanc mechanicam pyrotechnicam non minus in calculo adhuc in corpore existente ita demonstrari posse, atque jam extra corpus constituto.

Tartarum s. Calculum in omnibus partibus solvit.) præter hanc suam vim lithontripticam, quam etiam exterius in manu grandior detentus exercet, sudores etiam instar Bezoardici potenter ciet. Et sudorificum melius ac excellentius non invenisse testatur *Jacobus Bontius in notis ad Garc. ab Ortâ*, cum admixtâ theriacâ aut Mithridatio addito tantillo oleo destillato Succini aut juniperi. Ac philtrorum perniciem illo mitigavit *Henricus ab Heer observ.* 13.

Præparata.

1. *Sal Crystallinum.*) Hæc non Philosophica ac genuina est operatio chemica, & hoc modo per calcinationem scil. in æternum non elicies Sal crystallinum, principijs calculi constitutivis in auram evanescentibus. Si cum Nitr. Sulphure vel Sale comm. calcinaveris, non ex ipso calculo, sed ex additis salibus Sal emerget toto cœlo à calculo differens. Non Entis igitur nullæ dantur affectiones. Nullum scilicet oleum s. Liquor, nec Essentia s. Elixir inde sunt expectanda.

Ex Cadavere, s. homine mortuo.

I. *Cadaver integrum Carovè* Officinis *Mumiæ* titulo venit Munce, Mummus.

Hæc resolvit sanguinem coagulatum (assumpta ʒj) conferreque dicitur purgationi capitis, punctioni Lienis, tussi, inflationi corporis, mensibus obstructis, aliisque affectibus uterinis & sim.

Extrinsecus adhibetur vulneribus consolidandis.

N. *Mumia communiter* 4. *denotat.*

1. *Mumiam Arabum, quæ est liquamen seu liquor concretus exudans in sepulchro è cadaveribus Aloë, Myrrhâ, Balsamoque conditis.*

2. *Ægyptiorum, quæ est liquamen ex cadaveribus pissasphalto conditis. Nimirum, hoc condiebantur cadavera vilioris sortis, adeoque & ipsamet cadavera nonnunquam eo modo condita prostant.*

3. *Pissasphaltum factitium, id est, mixtum pici bitumen, quod pro Mumia venditant.*

4. *Cadaver sub arena Solis æstu torrefactum. Fitque in Hammoniorum Regione, quæ est inter Cyrenarum Regionem & Alexandriam, ubi arenarum Syrtes Ventor. turbine sublatæ incautos viatores obruunt; unde horum cadavera à flagrante Solis æstu torrentur & excrescunt.*

His 5. *& Mumia recentiorum addi poterit, quæ fit: Eligatur Cadaver hominis ruffi (quia in hoc sanguis habetur tenuior adeoque & caro præstantior,) integrum, recens, sine macula,* 24. *aut circiter annorum, morte violenta (non morbo) interemptum, per diem & noctem luminarium radiis, sereno tamen tempore irradiatum. Hujus carnes musculosas frustulatim conscinde, & consperge pulvere Myrrhæ & tantillo saltem Aloës, postea imbibe macerando aliquot ♂ in ▽ suspendatur per hora* 6. *vel* 10. *ac iterum cum ▽ imbibatur; tandem in aëre sicciori, locoque umbroso frusta suspensa siccescant, tunc assimilatur carni fumo duratæ, sine fœtore. Crollius.*

N. *Ex his jam recensitis Mumiarum generibus, etsi prioribus, si saltem è sanis corporibus haberi possint, suas laudes non derogem, præcipuè primo, quod tamen vix ad nos perferri credo: Attamen iis posteriora duo præferenda autumo, utpote in quibus metu summus saluti, quem incutit Renodæus, Mumiam Officinarum nihil aliud esse perhibens, quàm expressum putridi cadaveris succum inspissatum, ideoque magno mortalium damno divendi.*

Præpa-

Præparat.

Vulgaria quæ Mumia officinarum ingreditur passim occurrunt.

Suntque.

Pulvis ad casum. Athanasia magna. Balsam. Petri de Ebano. Unguentum Sympathetic. Emplastr. Apostol.nigrum. Cerat. pro herniosis. Laudan. Opiat. &c.
Insuper sunt minus vulgaria.

1. Tinctura s. Extractum Mumiæ Quercetan.

Fit ex Mumia vulgari, extrahendo cum 🜈 & Terebinth. an. iterumque menstr. separando ad mellis consistentiam. Querc. Spagyric.

Vires. Alexipharmaca est, putredinique summopere resistit. Commendatur itidem ad morbos pectoris, Asthma, phthisin, &c.

N. *Fæces remanentes admodum sunt anodynæ.*

2. Tinctura s. Extr. Mumiæ Crolii.

Fit ex Mumia recentiorum dicta cum 🜈 aut Sp. Sambuci.

N. *Ex hac facit Crollius Theriacam de Mumia: quæ ℞. Tinctur. Mum. ℥ß Theriac. Androm. ℥iv. Ol. Olivar. Mumiati ℥ij. Sal. com. Perlar. & Corall. ana ʒij. Terra sigillat. ℥ij. Moschi ʒj. Dig. per mensem.*

Vires. Commendatur ad quævis venena & contagia, subvenit pesti præcavendo, ℈j. & curando, ʒj. vel ʒiß.

N. *In assumptis venenis exhiberi potest cum Ol. Amygdal. dul. ad Vomitum.*

3. Tinctura Alcalisata, s. Elixyr Mumiæ.

℞. *Mumiæ, scilicet carnis humanæ induratæ, tenuiter incisæ, affunde Sp. Therebinth. vaseque Hermet. clauso per mensem, ad putrescendum sepone. Expressioni vesica bubula excepta affundantur aliquot partes* 🜈 *rectific. Inde in* XX *cœco super cucurbitam juncturis optimè minutis adaptentur, ita ut cucurbita in frigidam* ∇*m posita, arena, prunaque circa* XX *lento calore officium faciant, cujus beneficio Liquor, s. Q. E. in forma perquam subtili cum* 🜈 *per vesicam delabitur. Materia residua reverberanda & in Sal. com. sublimatione redigenda, demum cum Q. E posteaquam illa à* 🜈 *per* MB *fuerit separata, circulationis medio unienda. Quibus peractis Q. Ess. Mumia cum Theriaca & Moscho amplius digeri, & ita in forma Elyxirii reservari poterit.* Tentz. in Med. Diastat.

Vires. Remedium est præsentaneum cum ipsiusmet pestis, tum aliorum deleteriorum.

N. *Circumfertur & Tinctura Mumiæ ex 4. suis Elementi; à se invicem separatis denuò conjunctis, quam qui voluerit, videre poterit apud Tenz. in Med. Diastat.*

4. Alia Tinctura seu Arcanum carnis humanæ.

Carni humanæ superfunditur 🜈 rectif. per σρ (4.) decantato 🜈 irroratur eadem.

2. Spir. communis, per vices ut magnam ejus quantitatem imbiberit, hinc exicca, habes carnem conditam summè proficuam.

3. Ex hac extrahe Tincturam cum Spiritu Vini, vi digestionis in summam fragrantiam redacto. Circulando defæca, ex fæcibus calcinatis sal extrahe, idque depuratum Tincturæ admisce, & abstrahe. P. I. Fab. Myroth. cap. 11.

5. Ol. Oliv. Mumat.

℞. *Mum. ante paratam, (induratam) scinde per minima, digereque cum Ol. Olivar. vase H. C. per mensem. Hinc transfunde in cucurbitam vitr. atque in* MB *exhalet Mercurius, donec nullus exeat fœtor, & Mumia tota dissoluta sit. Solutionem digere aliquamdiu* σρ *20. cum* 🜈, *postea eundem abstrahe, & remanet* 🜍 *rubicundum & odoriferum.*

N. *Quercetanus recipit recentem.*

Vires. Omnes Balsami naturalis habet proprietates, venenatis & pestilentibus affectibus conducit. Quercetan. Spagyr.

6. Ol. exaltatum.

🜍 hoc dicto modo paratum exaltari amplius potest, si cum 🜈 aliquamdiu digeratur, 🜈 iterum abstrahatur, idque aliquoties (3. 4.) repetatur.

Vires. Tinctura seu oleum hoc Mumiæ exaltatum, tanta dicitur pollere facultate vivificâ, ut nulla sit particula, quam ipsa non penetret, nullum ulcus, nullave corruptio quam non curet, si ipsius exhibeas bis quotidiè per aliquot tempus gr. 4. 5. cum decocto convenienti. Querc.

N. *Libavius carnibus recentibus incisis addit parum Sal. communis & spir. Terebinth. macerat vas. claus. colat. & fœtorem ape to vase exhalare sinit, post destillat per* ♉, *vel* XX *rectum, additoque moscho, &* 🜈 *digerit.*

7. Aqua Divina.

℞. *Totum Cadaver cum ossibus, Carnib. Visceribus (perempti scilicet morte violentâ:) secetur in frustula minutissima, probéque subigantur omnes corporis partes, ne quid maneat incommixtum. Hinc destillabis vice secundâ.*

Vires. Sunt qui Aquam hanc divinam magneticâ suâ virtute maximopere prædicant.

Nimirum.

Guttulas aliquot Sanguinis, (sc. 3. vel 9.) ex Ægro aliquo extracti, miscent cum aliquota parte, (ʒj.) dictæ ∇æ, Δique apponunt, quod si sanguis & ∇ invicem misceantur, intra breve temporis spatium (hor. 24.) sanitatem promittunt, sin incommixta manserint, brevi mortem subsequuturam autumant. In defectu sanguinis similiter procedunt cum excrementis, scil. ⊡, stercore, sudore, sanie & simil. Quæ tamen majori Dosi adhibent.

II. Cutis commendatur in difficili partu & affectibus hystericis, (*si venter eâ ligetur*) in aridura & contractura articulor. (*si chirotheca inde factæ induantur.*)

III. Pinguedo, roborat, discutit, mulcet dolores, removet contracturas, cicatricum duritiem lenit, foveas post morbillos relictas explet.

Præparata.

Linimentum, misce axungiam cum spir. ⊖-i, exactione & redactione relinquitur aliquod viscidum.

Vires. Penetrans est, usumque habet in ariduris.

IV. Ossa humana, exiccant, discutiunt, astringunt, fluxus quoscunque sistunt, adeóque utilia sunt in Catarrho, fluxu mensium, Dysenteria, Lienteria. Insuper articulor. dolores compescunt.

N. 1. *Usitatum est recentioribus purgantibus ea admiscere.*

N. 2. *Adhibentur & dentes è maxilla mortui evulsi, commendanturque ad morbos maleficio introductos (in suffitu, & ad corrosos dentes evellendos, (si sæpius illis tangantur,) Hartmann. in pract.*

Præparata.

1. *Pulvis s. Cinis* fit l. c. calcinando in fornace figulina.

2. *Ossa præparata* fiunt l. c. cum aq. conveniente lævigando.

3. *Magisterium* fieri item potest l. cit.

4. *Oleum* fit destillatione per 🝭. v. l. 2.

Vires. Discutit, anodynum est ideóque insigne antipodagricum.

V. Medulla ossium; commendatur summè ad contractutas membrorum *zur Lahme der Glider.*

VI. Cranium ad capitis morbos conferre compertum est, & nominatim ad Epilepsiam, unde & varias passim compositiones Antepilepticos ingreditur.

Laudatur autem præcipuè Os triquetrum temporum peculiare Epilepsiæ specificum.

[Sunt qui Crania puerorum affectibus puerilibus magis convenientia censent.]

Præparata.

1. *Cranium calcinatum* fit l. c. in fornace figulina.

2. *Cran. præparatum* fit à calcinato cum aq. antepileptica, v. gr. flor. Tiliæ lævigato.

3. *Magisterium Cranii* fit l. c. solvendo in spirit. aliquo acido, v. gr. s. 🜔 & præcipitando.

Dosis ad ℈j. vel ʒß.

4. *Magisterium compositum, seu spiritus Cranii essentificatus* fit, si liquori acido, oleo ac sali volatili, Sal quoque fixum ex ☠ ue extractum conjungatur, & postea simul per mensem philosoph. in cinere illa digerantur ac uniantur.

Vires. Antepilepticum est, cujus vires vulgarium antepilepticorum facultates longè superant. *Brendel.*

5. *Oleum* fit destillando crania contusa per Retortam. Exit liquor °°. Sal. com. volatile.

N. *Officinis hoc vulgare est incorrectum, præstaret tamen cum 🜈 rectificasse.*

Dosis à gr. iv. ad vi.

6. *Sal. commun. volatile* unâ operâ cum oleo acquiritur.

7. *Extractum s. Tinctura Cranii.*

℞. *Crania 2. vel 3. grossè contusa, digere ♂♀ aliquot (14.) & cohoba cum spir. Juniper. vel Salviæ ad eminent. digit. 4. & 5. affuso, macera in phiola longi colli optimè clausa \B ♂♀ (12. 13. 14.) Hinc exprime per torculare perquam fortissimè, & exibit liquor rubicundus oleosus. Cola & abstrahe in \B, ad consistentiam sapæ.*

Vires. Extractum hoc digestum & perfectè depuratum, tanquam thesaurum pretiosissimum adversus Epilepsiam diligenter asservare fas est.

Dosis ℈ß. ad ℈j. cum sua ∇ propria ♌ar. *Quercetan. Pharmacop. restit. cap. 26.*

8. *Extractum seu Galreda Theophrasto.*

℞. *Limatur. Cranii, digere cum 🜈 (salviato ♂♀ 15.) dein destilla per 🝭m (præmissâque maceratione ♂ 15.) cohoba vice tertiâ: tandem destillatum circula, (♂ 5. 6.) & 🜈 MB separato, Essentiam instar coaguli serva.*

Dosis g. 5. 6. quotidiè. *Quercetan. de Med. Spagyr. præpar.*

VII. Usnea Cranii (i. e. Muscus nascens in cranio interempti, aëri exposito,) astringit validè.

Usúsque magni est in Hæmorrhagia quacunque, v. gr. narium (indutus.)

N. 1. *Sunt qui Usneam in manibus retentam Hæmorrhagiam quamcunque incantamenti instar, supprimere tradunt.*

N. 2. *Adnascitur & aliis Ossibus aëri expositis Usnea quædam quam viliorem quidem reputant, verum & huic magnam vim adstringendi inesse, experientia docuit.*

Ingreditur Usnea Cranii compositionem unguenti Sympathetici s. Magnetici. v. l. 2. c. 78.

VIII. Ex cerebro fiunt.

1. Spiritus Cerebri humani: Aqua aurea dicta.

℞. *Cerebrum hominis juvenis (intra an. 24.) sani, violentâ morte peremti, cum omnibus membranis, arteriis, venulis & nervis, cum medulla spinali tota, conquassa & affunde aquarum Cephalicarum, (fl. Tiliæ. Pœon. Beton. Ceras. nigr. Lavendul. Lil. Conval. imprimis diaphoretici in acutis) q. s. ad eminent. dig. 4. vel 5. relinquantur aliquamdiu, postea per cohobia destillentur. Ex fæcibus calcinatis elice Sal. quem deinceps cum ∼∼u facto conjunge & totum curiosè serva.*

Vires. Antepilepticum insigne reputatur.

Dosis à ℈j. ad ℈iv. Hartmann. in pract.

N. *Ex cerebro Alcis insigne itidem Antepilepticum simili ratione parari poterit.*

2. Oleum Cerebri.

Substantiæ Cerebri admisce nonnihil sal. commun ac destilla per 🝭m vitream ex arena.

Vires. Insigne quoque Antepilepticum est, caputque summè confortat.

N. *Tota fere Cerebri substantia in °° redigi poterit, hinc parum Salis expectandum.*

3. Aqua Antepileptica.

℞. *Cerebri humani ℔iij. Aq. Lil. Conval. Lavendul. primul. Ver. Vin. Malvat. an. ℔ij. stent infusa ♂ 5. dein ♌entur per* MB.

IX. *Ex felle humano* fit Extractum cum 🜈, quod auri instillatum mirè surditati subvenit.

X. *Cor*, Epilepsiæ medetur, (*siccatum & exhibitum.*)

[Ex Matrice Sal Volatile paratum memini pro fœcunditate.]

Et hæc sunt, quæ de medicamentis ex homine depromptis compendii ratio scribere permisit, ulteriorem farraginem qui cupit, passim apud Authores inveniet. Peculiarem quoque inde conscripsit Tractatum Clarissimus Dn. D. Daniel Becker, Professor & Physicus Regiomontanus, qui primùm in 12. postmodum superioribus annis in 4. sufficienter augmentatus prodiit.

Hæc Schrôderus de remediis ab homine mortuô desumendis, super quæ

Cadaver integrum, Carove, officinis Mumiæ venit titulo) Mumiæ vocabulum *Rhasi & Avicennæ* Arabicum est, *Pissaspaltum* denotans. *Isaac* Persicum esse dicit, quod liquamen quoddam in sepulturis inventum significat, in quibus hominum cadavera aromatibus condita per multos annos servata fuerunt. Olim, apud Ægyptios reperiebatur tantum in Regum & aliorum Heroum Sepulchris, qui aliquam futuræ resurrectionis spem haurientes, ut humanum corpus diutissimè incolume servarent, aloë, myrrhâ & aliis plurimis balsamicis aromatibus condierunt. At illa hisce temporibus ad Nos non amplius transfertur. In tantâ enim existimatione apud Ægyptios sunt Regum ipsorum, Principum eorumque agnatorum cadaverum reliquiæ, easque tam reverenter habent, ut non nisi in maximâ egestate aut extrema necessitate tanquàm pretiosissimum suum Diadema pro magno ære aliis oppignorent. Quæ ad Nos hodie transvehitur ex Ægypto, ea non ex Aloë & Myrrha condimentum est corporum, sed ex Asphalto. Ut enim illis nempe Croco, Myrrhâ, aloë nobiles utuntur; Ita plebeios homines Asphalto ad corruptionem inhibendam corpora munire Strabo testatur. Cum verò easdem huic virtutes tribuant, quas Dioscorides Pissasphalto, idemque efficere dicant, quod permixtum pici bitumen, intereà verò neque vera Mumia, neque, nisi raro, Dioscoridis Pissasphalton habeamus, ex pice bitumine permistam Pissasphalton factitiam pro Mumiâ venditant, vid. *Renodæus in dispensat. Medic. Libr. III.*

III. cap. 2. D. Andr. Tentzel in Medicin. Diastatic. cap. 1. Cùm igitur Mumiæ tanta sit diversitas & varietas, hoc remedii genere sine pharmaceutices incommodo facile carere possimus, & hujus loco alia Medicamenta ejusdem energiæ substitui queant, Mumiis ad Nos delatis ex pharmacopoliis exulantibus & pro explenda curiosorum cupidine ad conclavium ornamenta repositis, majoris securitatis gratiâ vel Arte confectas Mumias, vel alia Medicamenta ex carne humanâ præparata adhibere possumus.

Præparata.

Vulgaria; quæ Mumia Officinarum passim ingreditur &c.) Tot sane Medicamenta balsamica, alexipharmaca & vulneraria, tot Essentias diaphoreticas, præservantes, alexiterias &c. possidemus, ut hisce carere possimus, æquè ac pulvere contrà casum, Athanasiâ magnâ &c. dum vel solus spiritus sanguinis humani cum Sale volatili rectificatissimus vel cruor hirci, ut suprà descriptus, cum oculis cancri cum & sine ammoniatis & alia ex tempore miscibilia abundè satisfacere possunt.

Insuper sunt minus vulgaria 1. Tinctura s. Extractum Mumiæ Quercet. 2. Tinctura s. Extr. M. Crollii. 3. Tinctura alcolisata Mumiæ. 4. Alia Tinctura s. Arcanum carnis humanæ.) Nisi loco sp. vini s. spiritum salis tartari volatilis substitueris in subsextuplâ portione hisce Tincturis Mumiæ, parum vel nihil extrahes ex carne humanâ, aliàs simplicibus Myrrhæ & aloës Essentiis longè inferiores erunt. vid. Balsamum antipodagricum D. A. G. num. 7. sect. 4. Thesauri pharmaceutic. annexi.

5. *Ol. Oliv. Mumiat.*) quoad usum ejus internum commodè carere possumus; licet externè adhibitum non sit inefficax.

7. *Aqua Divina.*) Huic Aquæ præfero Mumialem Magnetem, quem D. Andr. Tenzelius describit in Medicin. Diastatica Cap. VI. & usu spiritualis Mumiæ Cap. VII. quem vide.

2. *Cutis.*) Hæc in suffocatione hypocondriaca & partus difficultate commendatur, ventre ea ligato, item in atrophiâ & contractura alicujus partis, si chirothecæ inde factæ gestentur. Ex hâc etiam nobile emplastrum vulnerarium confici potest.

3. *Pinguedo.*) internè recens sumpta phthisi medetur, atrophiam tollit, externè discutit, roborat, anodyna est contracturis opitulatur.

4. *Ossa humana*) falsò his affingitur vis antiarthritica, & inde minus rectè ea purgantibus admiscentur.

N. 2. *Adhibentur & dentes ex maxillâ mortui evulsi &c.*) Sed homo naturali morte peremptus sit, necesse est. Hujus effectus causa Archéus est, qui adeò mortem timet, ut cadaver juxta ignem tepidum tactu frigidum videatur, eò quod spiritus vitalis cadaver pertimescens ex manu recedat, adeò Archei opera, sensatio & ejus defectus ubique manifestantur. Sic & Strumæ, Nævi materni, aliique tumores abolentur, si pars affricetur ad manum cadaveris humani lentâ morte defuncti, usque dum incalescat, ita enim sensim evanescunt, prout sensim putrescit cadaver, quod tardius hyeme, æstate citius contingit, hoc fit oblitterando ideam parti maculatæ ob phantasiæ maternæ impressionem inhærentem.

6. *Cranium.*) Hoc contrà Epilepsiam tanquam specificum commendatur, in quo cerebrum totum consumptum & liquidum redditum, quale suspensorum aut rotæ impositorum, cujus liquoris irroratione continua Cranium vires acquirit majores. Laudatur autem præcipuè Os triquetrum temporum. Si frustula cranii de homine sano adhuc in vivis constituto, qui olim vel cæsim vel globo plumbeo in cranio læsus fuit, haberi possent, majoris essent virtutis antepilepticæ. Prout notus mihi fuit tum temporis Juvenis iste Hallensis, cujus honorificam mentionem facit *D. D. Joh. Freitagius Medicus Ratisboniensis in Gregor. Horst. obs. Libr. 2. de Morbis Capitis obs. 9.* p. m. 64. qui ex bombardâ Mosquetâ plumbeo globo tactus in vertice, ubi sutura sagittalis cum lambdoide concurrit, hic senex tandem factus de particulis istis ossium de cranio evulsorum, quorum numero 85. pondere ferè quadrantis libræ fuêre, ad parentum desiderium multis gratificabatur & opitulabatur infantibus epilepticis, sed quod notandum non sine cephalalgiâ ipsum semper post peractam illorum distributionem infestante.

Præparata.

1. *Cranium calcinatum.* Prætereà habemus etiam Cranium i. △ sive philosophicè præparatum ad modum CC. s. △ Magisterium Cranii fit more consueto vel cum sp. vitrioli cranium solvendo, & cum sp. vitrioli philos. ♒ando, vel cum sp. nitri Vit. ær. &c.

4. *Magisterium compositum &c.*) summum hoc erratum est, cranium enim, nec ulla alia pars ex corpore humano aut aliis animalibus desumpta nec liquorem acidum, neque sal fixum ex Cap. mort. suppeditat, quomodo igitur, quæ non sunt, invicem conjungi & digestioni committi possunt, remanente oleo ac sale volatili cum ejus liquore?

7. *Extractum seu Tinctura Cranii.* Loco spiritus juniperi vel Salviæ spiritus Salis Tartari volatilis substitui debet, aliàs nihil solvet.

8. *Extractum s. Galreda Theophrasti.*) elaboratur etiam in modum galredæ CC. vel Eboris. Vel Recip. rasur. cranii humani q. v. affunde Acet. dest. ad 3. digitorum eminentiam, stent per ☍ aliquot in digestione, exprime & accipies gelatinam, expressæ iterum Acet. dest. novum affunde & continua, donec omnis gelatina extracta. Gelatinam hanc destilla ad dimidias, & affunde sp. vini, digere, & in fundo subsidebit liquor aurei coloris, qui per inclinationem separandus. Hæc ad epilepsiam singulariter commendatur.

VII. Usnea Cranii.) *Usnea* tanquam ossium humanorum vigor confermentatus virtutem etiam mumialem in se habet absconditam. De hâc *Doctores* inter se diversæ sunt opinionis. Dum alii statuunt ex solis craniis suspensorum diligendam esse, quod spiritus mumiales strangulati in calvariam intrarint; Alii parum referre ajunt, sive sit ex strangulatis, sive ex alterius cujusdam capite. Et *Th. Paracelsus* usu comprobatum dicit, usneam ex cranio rotâ interemptorum non minus laudabilem esse, quàm laqueo suspensorum. Et colligendum esse, inquiunt, in Lunæ incremento in Veneris domo existentis, vel Lunâ in piscibus, vel tauro aut librâ versante. In Hæmorrhagiâ quâcunque observavi magni usus esse vel in nudis manibus usque ad incalescentiam retentam. Est *potissimum Unguenti Sympathetici ingrediens.*

VIII. *Ex cerebro fiunt.*) Quemadmodum D. *Author* spiritum cerebri humani, item oleum ejusdem &c. conficere docet, in æternum non succedit, nunquam enim sic spiritum & sal volatile ex cerebro humano vel alterius animalis elicies, nisi per retortam hoc fiat △ui aperto expositam per gradus aucto, & adaptato receptaculo capaci; Postmodum horum sequatur rectificatio, & demum cum aliis specificis balsamicis aromatitis, quæ *D. Author* adducit, mixtura facienda.

Ex facibus calcinatis elice sal &c.) ne hilum quidem salis inde acquires, quia nullum inest, sed omnia in animalium partibus sunt volatilia, non fixa salia. Totum cerebrum vulcani adminiculo transit in phlegma, spiritum, oleum subtile & crassum, sal volatile & cap. mort, in ultimo illo ne gry Salis fixi inest.

HOR-

HORDEUM.

Hordeum Velio teste, prius fuit *fordeum*, unde per adspirationem scribendum liquet, videri posset hordeum dictum ab *horreo*, est enim horridum ob aristas hispidas & mordaces. Sed malim statuere fordeum & forbea ejusdem esse originis nempe à φέρβω alo, nutrio unde Φορβὴ alimentum, à quo *forbea*, sed in fordeum *b*. in *d*. convertitur *Vossius, etymolog*. ubi plura vide

Hordeum à reliquis culmiferis spicatis grano, cortice crassioréque und que arctè adhærente, nec ullis præterea glumis tecto differt; ab oryza spica simplici compactiore.

Nomina. Hordeum distichum. *Ger. J.B. Parkinson. C. B.*

Breviore culmo est, quàm vel triticum, vel secale, sesquicubitali tamen interdum, & in latiori solo bicubitali, quinque plurimum interdum sex geniculis intercepto ad quæ singula folia culmum aliquousque obvolventia, ima triticeis angustiora, superiora nonnunquam, æquè lata, & quousque ulmos obvestiunt glauco quodam polline plerumque obducta, spica longis asperisque horret aristis, quæ singulæ è singulorum granorum capitibus exeruntur, grana vero glumâ tenui simplici clauduntur, quam nulla tritura deponunt, nisi vel molarium confrictu, aut sacculi asperioris, calida prius macerata, aut denique pila, disthicon nonominatur hoc genus quod duos habeat granorum ordines, quibus tamen interjecta & aliorum rudimenta, sed quæ nihil sint quam inutiles glumæ.

Stipulæ per maturitatem molliores sunt, minusque fragiles quàm triticeæ, unde & succulentiores sunt. Et pabulum bobus & vaccis alendis commodius & pinguis suppeditant, spicæ ob longitudinem & gravitatem plerumque nutant & deorsum incurvantur, & vel viginti interdum grana in singulis versibus continent, radices ut in reliquis culmiferis fibrosæ ab eodem grano plures stipulæ exeunt.

Seritur hoc genus vere, nec enim hyemes nostras asperiores tolerat.

Nomina. 2. Hordeum distichum spicâ breviore & latiore, granis confertis, an hord. distichum minus, *Park*. Hordeum dictum Germanis oryza *J. B.* Zeocrithon sive oryza Germanica *C. B.*

Hoc à præcedente differt statura plerumque breviore, spicâ breviore latioréque, granis magis confertis, & à scapo medio exantibus, aristis quoque brevioribus nonnihil: quin & ab avium injuriis tutius esse creditur quia grana ejus ante perfectum maturitatem à spica difficilius avelluntur.

Hæc duo genera apud nos in Anglia hyemem non ferunt, ideóque seruntur vere.

Inter geminos granorum versus duo alii utrinque i. e. quater gemini intercedunt, paleacei nullum granum continentes mollicellis & brevibus aristis donati, *J. B.* hi & in hordeo vulgari habentur, sed conspectiores sunt in hoc genere.

Nomina. 3. Hordeum polistichon *J. B.* & ut mihi videtur hexastichum pulchrum *ejusdem*, polystichum vel Hybernum. *Park*.

Hujus spica plerumque terrastichos est, aliquando plures granorum ordines obtinet, unde hordeum hexasticum pulchrum *J. B.* ab hoc non differre putamus, quin & polystichon vernum & Hibernum solo sationis tempore & accidentibus inde ortis distare.

Hanc speciem quia frigoris patiens est, & asperiores hyemes tolerat, in Septentrionalibus Angliæ, montosis regionibus serunt, ubi hordeum distichum ad frugem non perveniret.

Notandum hic veteres eosque secutos recentiores nonnullos errâsse plurimum cum hordeum & reliqua frumenta extremo utróque pullulare scriberent, ex altera grani parte deorsum germinante radicibus exeuntibus, ex altera sursum tendente herba, eadem enim grani extremitate, tam in hordeo, quàm in aliis frumentis tum culmus seu folia, tum radices exeunt, ut in tritico manifestum est: in hordeo & avena quæ glumas non exeunt, folium sub gluma crassiore reptans & summitate grani egreditur: quod errori occasionem præbuit: quam rem ita se habere facile animadvertes si granum postquam germinaverit cortice exuas.

Vires & Usus. Hordeô quomodocumque paratô eô utaris, nunquam corpus calefacit, sed variè pro modo præparationis tum humectat, tum siccat, coctum veluti in ptissana humectat, tostum veluti in polenta siccat. Differt à tritico quòd succum mitem & detersorium generet, cùm triticum crassum ac lentum sit, & nonnihil obstruentis naturæ obtineat.

Ex hordei farina olim apud potentissimos populos ut v. g. Athenienses, panes fiebant, & hoc etiam seculo fiunt, verum in annonæ Caritate, ut ad sublevandum tritici inopiam à tenuioribus præcipuè. Apud nos certe, non minus quam apud Romanos olim, nullam habet authoritatem ad panificia intellige, nam ad conficiendam cerevisiam valde expetitur, & quotidiano usu frequentatur, æque necessarium populis septentrionalibus pro potu præparando, ac triticum pro pane.

Variis modis hordea parantur, vel ut alimentum, sint vel ut alimentum medicamentosum, quod videsis apud Caspar. Bauhinum Theat. lib. 1. sect. 4. cap. 18.

Anodinum est contra omnis generis dolores cataplasma è farina hordei & butyro paratum.

Si polenta hordei decoquatur in aceto, ac id percoletur per linteum, eoque os proluatur, aut potius aliquandiu in ore detineatur, sæpe id intolerabiles dolores dentium mitigat. Sim. Paullus.

Affinis quidam meus vehementissimis calculi doloribus, & intolerabili ischuriâ laborans, post usitata remedia incassum usurpata, ei quod sequitur applicui: recipiebam arbitrariam quantitatem probè contusæ polentæ, ex aheno calidæ, & tantundem lupuli, quæ frigebam additâ bene magna quantitate butyri, (commendare quoque eum in finem oleum possumus) ex quibus parabam cataplasma, quod tam calidè pectini & perinæo applicabat implicatum linteo quàm ferre posset; & vir hic intra quadrantem horæ ad votum familiæ à recensitis symptomatis liberatur; cui simile cataplasma post pluribus dein ægris calculo & dysuriâ laborantibus felici successu imperavi. Idem.

Pleuritides populariter grassantes solo decocto hordei sanavit Th. Bartholinus, ephemer. German. an. 2. observ. 2. Decuriæ primæ.

Ptissana, πτισσάνη, dicta est, ἀπὸ τοῦ πτίσσειν tundendo deglubere seu decorticare, quod quamvis omnium frugum decorticatarum generale nomen sit, tamen cum simpliciter & sine adjectione ponitur, ptissanam hordeaceam significat, quæ κατ᾽ ἐξοχὴν ptissana dicitur; nam cum pro aliorum frumentorum ptissanis accipitur frumenti nomen semper adjicitur, ut ptissana tritici, Zeæ &c. Ptissana veterum decantatissima, variis in locis describente Galeno, hoc modo parabatur; hordeum in aqua maceratum dum extumescat, in sole siccatur, mox in pila pistillo ligneo tantisper tunditur donec corticem exuat. Hoc in aqua lentô igne decoquitur, donec succulentum reddatur (alii decorticatum

ticatam molebant & in farinam in sacculo coactam diutissimè discoquebant atque resicatam & in offas convolutam ad sorbitionum usum servabant, & cum usus exigeret decoquebant) uni parti hordei decem partes aquæ admiscet Oribasius, S. Paulus, quæ inter coquendum citissimè amplissiméque intumescit optima censetur, cum in chylum seu cremorem redacta est, aceti momentum infundendum, dein olei (vel butyri) exiguum, quod tamen etiam per initia injici potest; postquam ad exactam coctionem ventum est, sub edendi tempus sal friatus inspergendus.

Egregiè humectat, refrigerat & deterget, eduliumque est in acutis morbis omnibus frumentaceis præferendum. Datur etiam commodissimè tabidis & hectica aut marasmo laborantibus.

Antiquorum ptissana hodie non utuntur medici, sed ejus vice hordeum suspensâ molâ decorticatum, quod mundum vocant, tantisper in aqua decoquunt, donec pultis speciem referat, deinde tundunt & tenui incerniculo percolant; saccharum addentes, aliaque deinde admiscent pro varia medentis intentione aut scopo.

Fit & hodie à Pharmacopæis, Gallicis præcipuè potio quam ptissanam καταχρηστικῶς vocant; cùm nec ptissana sit, nec ptissanæ cremor, sed tantum hordei tenuius decoctum ipsius substantiæ parum aut nihil retinens. Fit enim ex hordeo mundato, glycirrhizâ rasâ, & uvis passis, quandóque pruna & dactyli & jujubæ aliaqua similia adduntur; hæc potio in Gallia frequentissima est æstivo tempore, ubi in omnibus fere pharmocopoliis venalis prostat, vix biduum servari potest antequam acescat & corrumpatur; usus ejus est ad refrigerandum & humectandum, iis qui inflammatione pulmonis partiumque respirationi inservientium, vel renum vesicæque exulceratione aut inflammatione laborant proficuus censetur.

Polenta Græcis ἄλφιτον, hordei tosti seu frixi farina est: præparandi plures modos docuit Plinius lib. 18. cap. 7. Græci perfusum aquâ hordeum nocte una siccant, ac postero die frigunt, dein molis frangunt, reliqua apud ipsum vide. Eustathius è Pherecrate præparandi modum brevibus absolvit τὰς κριθὰς δεῖ πτίσσειν, φρύγειν, ἀποσερίττειν, ἀλέσαι, μάξαι, παραθεῖναι, oportet hordeum pinsere, frigere, torrere, in cerniculo cribrare, aspergere, molere, manu subigere, mandendum apponere.

Rusticos pro pane alicubi ea usos olim legimus. Veteres etiam Græci polentam præbebant. Romani tamen milites ipsius imbecillitatem damnârunt. Maza est polenta cum aqua sola, aut cum aqua & oleo permixta.

Βύνη, Aëtio hordeum est madefactum, quod germen emisit, & deinde unà cum enatis ligulis tostum est. Maltum recentiorum ex quo fit cerevisia describere videtur.

Maltum apud nos in Anglia ex hordeo disticho potissimum conficitur. Quanquam apud Septentrionales, ubi distichum non provenit, è polysticho fiat: modum conficiendi breviter describit Lobelius, cujus idcirco verba adferemus.

Hordeum biduo & tribus noctibus aqua maceratur, deinde effusâ aquâ in horreum acervatur, loco ventis minus pervio, quoad perpusillos radicum cirros & pullulationes (hyeme quidem tardius, vere autem & æstate biduo aut triduo) emiserit. Mox priusquam nimium incalescat in area complanata sulcatim dispersum sesquipalmari densitate, ter quaterve die ac nocte aperto aere subvertitur. Octo vel decem (imo plures) dies continuos versando perficitur. Tandem in tabulato pertuso igne subdito, vel calatho vimineo acuminato texto fornaci aptato, & hordeo superstrato, igne lento è palea cremiis vel arido ligno, (palea seu stramen huic usui aptior est, nam lignum odorem & saporem fuligineum malto & cerevisiæ inde confectæ communicat) fornacis ostiolo admoto, sesquipalmari intervallo ab imo interposito, exsiccatur quoad molis frangi queat. Hyeme & vere laudatissimum efficitur; qui vero malti faciendi modum accuratum scire desiderat rei rusticæ scriptores consulat. Nam de his prolixius agere instituti nostri ratio non permittit: & consulat transactiones Philosophicas N. 142. pag. 1069.

Biera sive *Cerevisia* ex malto & lupuli salictarii floribus seu potius fructibus modo proportionéque certis aqua dulci permixtis coquitur. Et simplicissima quidem propriissima talis est, proxima quæ triticum, Zeam aliasque fruges unà cum multo hordeaceo admittit. Quæ vero præter fruges herbas, semina, flores, aromata aut alia hujusmodi permixta habent, compositæ quædam Bieræ sunt ac medicatæ ab hordeacea triticeave & sapore & qualitate dissidentes. J. B.

Veteres ex hordeo potum variis nominibus appellârunt, quidam, ut Herodotus, οἶνον κρίθινον, Aristoteles, Athenæo teste πῖνον dixit: alii βρῦτον Ægyptii, apud quos olim in usu fuit, hordeaceam potionem, ζῦθον apellarunt, Theophrasto & Plinio testibus, Hispani, Autore Plinio, cæliam & ceriam, Galli cerevisiam. Ex iisdem (frugibus) fiunt & potus. Zythum in Ægypto, Cælia & ceria in Hispania, cerevisia & plura genera in Gallia aliisque Provinciis, l. 22. c. 25. Dioscorides unum hordeacei potus *Zythum*, alterum *curmi* nominat.

Hæc autem omnia, inquit Joh. Bauhinus, sive similia sive genera diversis appellata nominibus, sive proprietate aliqua discrepantia cum Biera sive cerevisia in eo convenire possunt, quòd ex hordeo & frugibus componantur præparationis tamen modo, vel alia qualitate aliqua ab ea fortassè differunt.

Dioscorides & Galenus Zythum antiquorum multis nominibus damnant & improbant. Verum suspicamur non satis perspectum illis fuisse Zythi præparandi modum. Quidquid sit de Zytho, nos fidenter affirmamus non dari potum salubriorem biera sive cerevisiâ hodiernâ, si modo ex bonis frugibus ritè præparata & probè decocta tandémque idonee fermentata fuerit, copiosum, bonique succi alimentum præbet. Nos verò generosiorem fortioremque cerevisiam in quotidiano usu improbamus; ut & nimis tenuem & aqueam, mediam inter eas eligimus, & saluberrimam existimamus.

Modum Conficiendi Bieram seu Cerevisiam breviter describit Lobelius in Adv. part ultim. his verbis.

℞. Malthi mollis, leviter contriti modios Britannicos octo: Cui superfunde aquæ fluvialis Limpidioris ferventis, in qua aliquot manipuli furfuris triticei incocti fuerint, quantum satis fit implendo dolio Aureliano aut Aquitanico & Semissi, exactè mixta, infusa calidè perstent tres horas: deinde foraminulo paleâ aperto aut duplicato fundo apto subterfluant. Id quod transmissum est recoquitur semihoram, sesquihoram aut aliquot horas ut melius conservetur, adjectis unc. duodecim florum lupuli salictarii: mox longo latoque lacu, depressis

depressis labris vix pedem alto perfrigerantur, & hujus decocti frigefacti libris octo vel decem, fermenti sive fæcis bieræ vel alæ potentioris libra aut sesquilibra adduntur exactè agitando, loci tepidiore permiscentur, stragulis aperiendo, sensimque reliquum liquorem affundendo ut commodius fermentescant. Quibus absolutis transcolantur, vasa adimplentur; demúmque fermentatione absolutâ, exactissimè occluduntur, eidem malto novam affundunt fervidam, transcolant, eoque tenuem cerevisiam concinnant. N. Quo diutius liquor malto impragnatus dictus decoquitur, eo durabilior est cerevisia & ætatem melius fert, cæteris paribus.

2. Quò maltum magis exsiccando tostum & adustum fuerit eò cerevisia inde confecta coloratior & rubicundior evadit; particulæ enim adustæ hunc colorem communicant; Cerevisia è maltô lentô igne exsiccatô pallidior est seu candidior.

3. Lupulus cerevisiæ incoctus ejusdem diutius asservandæ, & ab aciditate tuendæ inservit, quod efficit amarore insigni quâ pollet, quin & eandem sapidiorem salubrioremque reddit, nimium alæ lentorem attenuando, aperiendo, abstergendóque, ala præsertim si generosior sit, corpus nimis obesum & pigrum reddit, cerevisia lupulata calore suo dissipat pinguedinem corpusque vegetius & ad motum aptius efficit.

4. Lobelius, quamvis natione Belga, fatetur cerevisias Britannicas quaslibet Septentrionales bonitate longè superare; idoneus testis, qui in plerasque regiones ubi in usu est cerevisia peregrinatus fuerat. *Hæc de Hordeo Raius in Historiâ Plantarum.*

Aliis Hordeorum Descriptionibus addo hic in Curiosorum gratiam illud cujus Nomina

Hordeum exoticum causticum *Caspar. Bauhin.* Cevadilla sive hordeum causticum Americanum, *Parkinson.*

Planta est à Nicolao Monarde proposita, quæ in Hispania Nova Cevadilla, id est, hordeolum vocatur, à similitudine quam cum nostro hordeo habet, in spica & vaginulis quibus semen includitur, sed eò minus & lini semine neutiquam majus & longè aliis facultatibus prædìtum.

Vires. Hujus semen adeò urente vi præditum est, ut in gangrænis, putridis & impuris ulceribus, eosdem quos sublimatum & cauterium ignitum effectus præbeat: pulvis sensim inspersus vermes in ulceribus necat, ulcera putrida expurgat, pro ulceris magnitudine majori minoréve quantitate inspersus, modo præservativa, quæ in horum remediorum usu usurpari solent adhibeantur, ad hujus facultatem infringendam pulverem aqua rosarum aut plantaginis excipiunt, & linum intinctum ulceribus & gangrænis imponunt. Dein medicamenta sarcotica adhibent hæc omnia Monardes. *Raius.*

HORMINUM.

Horminum dictum videtur ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν, quod πρὸς τὴν συνουσίαν παρορμᾷ ad Venerem stimulet, ut Dioscorides loquitur.

Notæ ejus characteristicæ sunt flores in spicis longis & laxis seu ex verticillis longius à se invicem remotis compositis, folia rugosa, odor satis vehemens, minus tamen gratus quam ocimi.

Spicatas in hoc genere vocamus plantas in quibus folia è quorum sinubus florum verticili exeunt, diversæ figuræ sunt ab inferioribus in caule & ad radicem quantumvis verticilli in iis aliquanto remotiores sunt à se invicem & spicam laxam & velut interruptam efficiant ut in hoc genere. Reliquas in quibus folia verticillis subjecta ejusdem formæ & constitutionis sunt cum reliquis in caule, & ad radicem pro non spicatis habemus quamvis in illis non raro verticilli in summis caulibus & ramulis proximè admoti, & densè spicati spicas simulent: has tamen non raro cum vulgo spicatas appellamus.

Inter varias Horminorum species, usuale est sativum vulgare, sclarea, & Gallitricum sativum dictum.

Vires & Usus. Vinum Gallitricho imposito si efferbuerit apprimè stomachi frigidati convenit, nam phlegmata incidit & consumit; Idem potum frigidis & infæcundis & albis mensibus laborantibus mulieribus subvenit. Sunt qui Gallitrichon capiti, ob odorem quem habere gravissimum noxium esse dictitant. *Trag.* qui hac occasione in vina sulphurata declamitat.

Semen (inquit Lobelius καρηβαρίαν capitisque gravitatem inducit odore, quem etiam universa spirat planta, non tamen ingrato, eóque magni usus quibusdam Septentrionalium, ad Zythi Bieræque confectionem lupuli namque vel penuriâ, vel vegetioris potionis faciendæ causa, cortinis ferventibus addunt, fitque temetum, quo non multis poculis depletis temulenti fiunt, hilaritate propemodum insanâ.

Scribit C. Hofmannus non cerevisiam tantùm, sed & vinum ab impositû hujus herbæ planè muschatellinum mentiri & facillimè decipere incautos.

Herba in pulverem redacta & naribus indita sternutamenta provocat, catharrum tollit, & cerebrum purgat. In aqua decocta in desessionibus mulierum utilis est ad trahendos menses & alia id genus. Non aliter atque dictamnum ad menses movendos & secundas ejiciendas quôvis modô sumptum valere scribit Dodonæus.

Nostrates folia ovis conquassatis cum flore lactis & pauca farina perfusa, & in sartagine frixa pro placentis mensis secundis inferre solent, & ad lumborum imbecillitatem commendant. Sunt certe ferculum palato satis gratum quod ad renes corroborandos & venerem stimulandam valere creditur.

Folia aceto imposita panos per se vel cum melle discutere dixit Matthiolus: item furunculos antequam acuminentur eadem præstat & mucilago seminis: quæ & in affectibus oculorum creditur appropriata esse.

Schwenckfeldius sclaræam mederi epilepsiæ & suffocationi matricis: *& Crato* inter alia sua ὑπόθεσιν commendat in suffocationibus uteri & similibus affectibus unguentum ex sclaræa cum butyro coctum, cui adjicitur aliquid tacamahacæ, umbilico imponendum.

Semen oculis inditum utile esse traditur, ad excutiendam eorum caliginem, & educenda corpuscula quæ in illos inciderunt quippe multa revolutione circa bulbum oculi circumductum, tandem humore prægnans & sordibus onustum elabitur.

HORTULANUS.

Hortulanus, Gallicè *Ortolan* avis est minutior, sed pinguior palato quammaximè grata, & inter præcipuas mensurarum delicias habita, in quibus præcipuus ejus terminatur usus.

HYACINTHUS.

Hyacinthum, ut habet Plinius lib. 21. cap. 2. duplex comitatur Fabula, luctum præferens ejus quem Apollo dilexerat (Hyacinth. vocat) aut ex Ajacis cruore editi, ita discurrentibus venis, ut græcarum litterarum Figuræ A. I. inscriptæ legantur: utraque Fabula habetur apud Ovidium in Metamorph. altera lib. 10. ubi de Apolline ita canit v. 215.

Ipse suos gemitus foliis scribi. A. A.
Flos habet inscriptum, funestaque litera ducta est.

Altera lib. 13. quam sic concludit.

------Rubefactaque Sanguine tellus
Purpureum viridi genuit ille cespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Litera communis mediis pueroque viroque
Inscripta est foliis, hoc nominis, illa querela

Nam literæ A j, sunt primæ nominis Αἴας, suntque interjectio lamentandi aut deflendi.

Hyacinthus veteribus duplex est, Medicus & Poëticus: poeticum eruditi plurimi ob venarum in flore ductus literas A j. referentium consolidam regalem esse opinantur.

Cæterum Hyacinhtus ab ornithogalo differt florum staminibus tenuibus & angustis, petalis puris seu unicoloribus, nam flores seu spicam florum habere nullo perianthio involutum utrisque commune est, non tamen leucoio bulboso quem quidam ad Hyacinthum reducunt.

Vires. Folia cum vino in forma cataplasmatis adhibita pubi & mento crinium excrescentiam impediunt. Et Semina cum theriaca in fluxu conveniunt *D. Palmer* apud *Raiur.*

HYACINTHUS GEMMA.

Adulteratur hæc gemma vitro Saturni, id autem à verâ gemma pondere & duritie facilè distinguitur, mollius enim & gravius est vitrum ipsâ verâ gemmâ: plura in hoc argumento vide sub titulo *Lapis.*

HYDRARGYRUS, vid. *Mercurius.*

HYDRAGOGA.

Sunt medicamenta aquas educentia, de quibus vid. sub titulo *Purgantia.*

HYDROLAPATHUM.

Nomina. Lapathum maximum aquaticum sive Hydrolopathum *I. B.* Hydrolopathum magnum, *Ger.* Majus, *Park.* Lapathum aquaticum folio cubitali *C. B.*

Magis huic in fibras diducta est radix quam vel oxylapatho vel Hypolapatho, foris nigra, intus buxea, cum notabili adstrictione amaricans; caules assurgunt ad duos, tresve cubitos, flore & semine lapathi acuti sed majore, folia lata, prælonga, rhabarbari monachorum non dissimilia, sed multo longiora, duriora & rigidiora (longitudine ferè sesquicubitali, lapathi acuti folijs similia, sed leviora minusque rugosa *I. B.*) leviter crispatis oris, subacida & strenue adstringentia,

Folia hujus plantæ non longiora tantum sunt quam cujusvis alterius nobis cognitæ lapathi speciei, sed & surrectiora.

Nascitur inquit J. Bauhinus, aquosis, palustribus ac stagnantibus locis, & fossis humilioribus; imò in ipsis plerumque aquis oritur, raro extra eas.

Quicquid existimet J. Bauhinus hanc plantam à vulgari oxylapatho tota specie differre & non variare tantum ob situm, minime dubito.

Vires. Radix crassa, crocea, lenit alvum, ictéritiam discutit, folia podagricis calidis & ulceribus utiliter imponuntur fluentibus *Schvvencht.*

Hæc planta est quam sub titulo Britannicæ antiquorum veræ describit & depingit Abrahamus Muntingius: quamvis descriptio quoad radicem non convenit cum Bauhiniana: verum Muntingij veriorem & accuratiorem esse existimo: quam idcirco nonnihil contractam proponam.

Nomina, Lapathum longifolium nigrum palustre sive Britannica antiquorum Vera vel hydrolapathum nigrum Muntingij.

E radice crassa, rotunda, lata ac spongiosa (annosa dum sit) & succulenta manus circiter longitudine in varias partes crassiusculas, non adeo longas, inferius divisa, & radiculis fibrosis cinctâ colore recens effossa in loco natali, exterius nigro, intus candido: qui mox in luteo rufescentem qualis est rhabarbari veri mutatur, per siccitatem plane fusca, folia protrudit haud multa, lapathorum omnium longissima; juxta se posita non tamen arctè juncta, sed separatim, sursum semper vergentia, sesquipedem aut duos pedes longa tres aut quatuor digitos lata, in medio latissima, & in mucronem acutum tandem desinentia, colore superius saturo viridi vel è cœruleo atrovirente, subtus pallidiore, venulis pallidè viridibus, substantia crassiuscula, tactu duriuscula, densa, constipata & firma, marginulis interdum, præsertim in cauli adnascentibus, parum crispis, pediculo modicè longo & crasso, prope terram interdum rubente adstringentia & ex parte acida, sub augusti finem evanescentia, Caulis unicus aut etiam plures pro ætate & magnitudine plantæ, duos, tres & quatuor pedes interdum longus, rectus, teres, viridis, cavus, folijs minoribus hinc inde adnexis ornatus, tam sursum quam deorsum parumper vergentibus, è quorum sinubus ramuli rariùs dispositi exeunt, flosculis pallidis, sub julij initium, aperientibus, raro non tamen verticillatim ad articulos dispositis, è brevibus & teneris petiolis pendulis onusti: foliola tria floris exteriora duabus, ab utraque parte è pallido calore albidis hirsutis gemmis. In nulla lapathi specie præterquam Virginiana Britannica visendis exornantur. Semen parvum, spadiceum.

Hanc plantam veram & genuinam antiquorum Britannicam esse contendit Abrahamus Muntingius: Siquidem descriptionibus ejus quæ apud veteres extant, tum facie tum viribus per omnia respondeat.

Verùm de ijs *vid.* sub nomine BRITANNICA.

HYDROMEL.

Hydromel, ut ex nomine satis patet nihil aliud est quàm liquor ex aquâ & melle confectus, in eo autem variæ parantur compositiones, quę sub Hydromel, compositorum nomine veniunt, quales sunt sequentes.

Hydromel compositum *Pharm. Aug.*

℞. *Aquæ fontanæ* ℔ *v. mellis despumati* ℔ *j. salviæ, origani an. pugillum* ß. *anisi, coriandri an.* ʒ j. *glycyrrhizæ* ʒ *ij. cinnamomi* ʒ *i*ß. bulliant in vase bene cooperto & colentur.

Hydromel purgans commune *Pharm. Aug.*

℞. *Hydromelitis mensuram dimidiam, caricarum pinguium numero octo fol. senæ elect. polypodij querni an.* ℥ ß. *sem. anisi* ʒ *j. cinnamomi* ʒ ß. *zingiberis* ℈ *j.* coquantur in vase benè tecto, colaturæ addantur *sacchari cantij rubri* ℥ *ij.* misceantur, ut artis est

Datur ijs qui medicamenta cætera respuunt, ac interim alvi levatione indigent, Eccoproticon pro pueris, senibus, ac ijs quos sedes remorantur, maxime cum aliquo diacrydij stimulo addito.

Hydromel laxativum tartarisatum antimelancholicum *Pharm. Aug*

℞. *Aquæ pluvialis destillatæ libras decem, tartari crystallini electi contusi* ℥ *ij. folior. senæ mundatorum* ℥ *iv. epithymi, polypodij quercini an.* ʒ *vj. herbarum scolopendrij, fumariæ, melissæ, ana manipul. j. florum borraginis. violarum, genistæ, stæchadis arabicæ an. pug. j. seminis anisi, fœniculi an.* ʒ *j.*

Coquantur in vase benè clauso; colaturæ addantur *mellis despumati* ℔ ij. *salis nitri purgati* ʒ vj. *fol. rorismarini recentis pugilli ij. cinnamom. acuti* ʒ j. *galangæ* ʒ ß.

Cum fermenti pauxillo reponatur ad fermentationem in loco calido tandem colentur.

Virtute singulari præditum est in humore melancholico, & atrabilioso præparando & evacuando, in obstructionibus lienis, venarum item meseraicarum & exinde primogenita melancholia hypochondriaca.

Hydromel purgans, *Zwelferi.*

℞. *Fol. senæ elect. & sine stipitibus* ℥ i ß. *in petia ligatorum vel sacculo inclusorum tartari albi puri venet.* ℥ ß. *rad. asari* ʒ ij. *caryoph.* ℈ j. *cinnamomi optimi & acuti* ʒ ij. *coriandri* ʒ ß. incisa infundantur cum hydromelitis ℔ ß. addendo *liquoris seu olei tartari per deliquium* ʒ i ß.

Fiat digestio per diem, sacculum cum foliis senæ quandoque exprimendo, postea coletur saltem sæpius; aut filtretur & servetur usui, ejus dosis ℥ iij. circiter sunto.

HYDROPICA MEDICAMENTA.

Sunt ea quæ Hydropi sanando faciunt de quibus abundè apud Practicos. Hic tantùm solùm quædam qualia in fasciculo Medicamentorum singularium Cnoffelianorum reperiuntur, trademus.

Hydropis curandæ Methodus Cl. Dn. D. Andr. Cn.

Primò exhibuit purgantia sua specifica, & universalia, & quidem reiteratis vicibus, in forma pilularum, quæ erant *extractum hellebori nigri.* ℈ j. cum ☿io *suo fixo corallino.*

Peractis illis ordinavit tabulas sequentes:

℞. *Bezoar. mineralis, aperitivi nost. ♂tiati an.* ℥ ß. ☿ *ij fixi diaphor. tartari ♂tiati an.* ʒ iij.

M. pro pulvere, & cum *sacch. albiss. Canar.* ℥ vi ß. *in aq. melissæ, cinnamomi cordial. & rosar. an. q. s. dissolut.*

Fiant tabulæ more consueto, de quibus patiens sumsit, ter in die, scil. manè, à meridie & circa noctem, & semper tribus horis ante vel post cibum. Dosis erat ʒ i ß. vel ʒ ij. per octiduum. Hinc accessit ad sequentia.

Vinum Martiale compositum.

℞. *Limatur. ♂tis* ℥ ß. *ad* ʒ vj. *cort. fraxini, ligni tamarisci an.* ʒ iij. *juniperi* ℥ ij. *sassafr.* ʒ ij. *rad. hellebori nigri* ℥ iij. *polypodii* ℥ i ß. *caryophyllat. tartari albissimi an.* ℥ ß. *sem. carthami* ʒ iji. ∾ ⊖ *is gr.* XII.

Species incisæ & grosso modo contusæ, includantur sacculo immergendo in vini opt. Ungar. ℔ VI. & post sufficientem macerationem, in vase terreo satis capaci vinum ♂tiale compos. asservetur in loco frigido. Dosis ℥ ij. ad iij. in aurora, per duos dies, tertio sumantur.

Trochisci Martiales.

℞ *Tartari ♂tiati* ℥ ß. *flor.* 🜂 *ris* ℈ XIII. ☿ *ij. fixi diaph.* ʒ *ij. bezoart. mineral. ♂tialis, corall. rub. præpar. an.* ʒ i ß. *sacchari Canarii alb.* ℥ IV ß. *f cum* ▽ *meliss. citrat. q. s. & essent. citri, ex rec. cort. extr.* ℥ ß.

Rotulæ in forma & magnitud. man. Chr. Dosis nu. 6. ad 7. bis in die, scil. mane & vesperi, per tres vel quatuor dies, sexto vel septimo iterum sumitur vinum ♂tiale, & sic alternatim continuando, per tempus aliquod. Et ne semper purgetur æger & vires labescant, adhibeatur sequens

Mixtura Hydropica.

℞. *Elixir. proprietatis,* ∾ *Tartari, per lign. sassafras correcti* ℥ ß, *mixturæ de tribus* ℥ *iij. extr. liquidi absinthii* ℥ j.

Mixta stent in digestione per ☌ & ☍, postea adde *essent. cort. citri rec.* q. pl. Dosis ℈ j. ad ʒ j. in vino seu aq. baccar. & florum sambuci ℥ iij. Summè prodest.

Pulvis Anti-hydropicus.

℞. *Cremor. Tartari ♂tiati* ℈ j. ⊖ *lis fraxini* ⊕ *ati Tartari* ⊖ *lati an. gr.* VIII. *bezoart. mineral. ♂tiati gr.* VII. *corall. rub. præp. gr.* VI. *ess. citri ex cort. rec. extr.* ad pl.

Misce in mortario lapideo, detur ad chartam pro dosi, & tales doses n. 14. ad 14. chartas. Sign. pulv. antihydropicus, in intermediis diebus sumendus.

Cataplasma ad tumores œdematosos & duros & molles, maximè in hydrope.

℞. *Fimi vaccini* ℔ *ij. columbin.* ℥ VI. *gallinac.* ℥ *iij. ovilli* ℥ *ij. herb. hyoscyam. solani, chamomill. c. toto an. m.* IV. *cap. papav. cum semine & stipit. gr. contus. m. iij. lithargyr. pulveris.* ℔ *ij. myrrh. rubr. pulv.* ℥ *ij. camphor.* ℥ *iß. sec. vin.* ℔ *ij.*

Vel loco sec. vin. accipe *mucilagin. sem. lini* q. s. His insimul mixtis, F. cataplasma.

Applicetur abdomini calidè & removeatur singulis 24. horis. Accidit sic, ut intercutaneum illud lixivium, excitet aliquando postulas rubentes & dispersas, magna spe juvaminis. Non adeò ingratum cataplasma habet odorem, quia myrrha & camphora fœtorem stercorum reprimit & occultat.

Ex applicatione hujus cataplasmatis, & usu vini medicati ♂. (superius descripti,) intra 24. horas, 16. quartæ aquarum intercutanearum, per urinam ejectæ sunt, in quodam nobili Polono, & intra 9. dies postea totum corpus detumefactum, & æger integrè convaluit.

Cataplasma aliud, ad tumores hydropicos.

℞. *Baccar. juniper.* p. IV. *lauri* p. j. pulverisata excipiantur cum *mellis* q. s. in consistentiam *cataplasmatis.*

Usus. Applicetur per omnem ambitum abdominis, calidè, singulis 24. horis renovetur.

Beneficio hujus cataplasmatis, curabat quidam rusticus in Prussia suum consanguineum, qui integro anno cum dimidio è nimio 🜄 i usu hydropicus erat factus, ubi ex illius continuato usu, tumor sensim & sensim detumuit, & singulis diebus melius se habere cœpit.

In tumore abdominis *Cancros vivos in formam cataplasmatis contusos, & tumenti abdomini superpositos,* tumorem è vestigio sustulisse, cum admiratione omnium, observavit *Cl. Dominus Doct. Christianus van Paulitz* S. R. M. p. m. Johannis Casimiri Archiater, & amicus atque Collega meus fidelissimus.

Cataplasma insigne ad tumores œdematosos Cl. Dn. D. M. Littav.

℞. *Stercoris columbini in aceto macerati* ℔ *j. caprini* ℥ IV. ⊖ *is com. minutim triti* ℥ *ij.* 🜂 *is vivi* ℥ *j.* ⊕ *i,* ℥ *ß, pulv. rad. enul. ebuli, bacc. lauri contus. summitat. anethi. flor. chamomill. an.* ʒ VI, *sem. nasturtii* ʒ *ij.* cum *aq. flor. sambuci* & *vini* ana q. s.

Coquantur ad pultis solidioris formam; ne manibus adhæreat cui immisce *terebinth. opt.* ℥ i ß. *mellis* ℥ *ij. facci ebuli* ℥ *ij rad. irid. nostr.* ℥ iß. Fiat cataplasma hydropicum.

In Hydrope ascyte desperato.

Suasit anno 1666. Legatus Cæsareus Illust. & Excell. Dn. Baro de Isola, Magn. Dominæ Pirre de la Gava, sirupum de spina cervina è fermentatione factum, qui sub singula intumescentia insolentiore ad duo cochlearia sumptus, mirificè tumorem consumpsit, in abdomine, in pedibus verò non ita, ideò & sequens cataplasma communicabat.

℞. *Fimi columbini* q. v. Fiat cum partibus tribus ✠ti cerevisiæ & parte una ✠ti vini cataplasma, ad consistentiam pultis subactum linteo duplicato inducendum.

Hoc

Hoc cataplasma à calce per suras utriusque pedis extensum ad genua usque, & singulo biduo renovatum est. Interea & sequentes rotulæ quotidie bis sumptæ, ex consilio Cl. Dn. D. Gnoeffelij, quæ

℞. *Acidi tartari* ʒ vi. *♉ij fixi flor.* *♎is an.* ʒ *iij. pulv. aperitivi nostr. ex ♂te, bezoartici ♂ an.* ʒ *j. sacch. alb.* ℥ vii *spir. rosar. aq. cinnamomi an.* ʒ*iij. flor. cichorij lumbricorum* ana pro dissol. sacch. q. s. *ol. lign. rhodi* gut. ij. Fiant s. art. rotulæ.

Dos. n. 7. manè & vesperi, tribus horis, ante & post cibum, sicque tumor subsedit, atque Domina illa integrè restituta fuit.

Gangrænæ topicum Cl. Dn. D. C. in Illustriss. Dom. de Ostrorog, Pocillatore Regni.

In hydrope, intensissimo rubore & ardore cum tumore duro gangrænam utriusque pedis, à spondylo ad inguen minitante, topicum, seu vinum balsamicum, quotidie bis ferve applicatum, tale erat:

℞. *Herb. solani, hyosc. c. tot. an. m. ij. flor. sambuc. m.* i. *sem. fœnigræci, lini, psyllij an.* ʒ *iij. mucaginis aquaticæ non destillatæ, sed solum transcolatæ*, vel in defectu hujus *aq. sperm. ranar. stillat.* ℔ *j.* Coquantur ad ebullitionem levem & seminum mucaginem usque Colatura Sign. vinum balsamicum, seu topicum gangrænæ.

Topicum sive Locale ad genitalia.

Isthoc cum duplicato linteo tepidè 24. horarum spatio, ter, quater, quinquies, aut sæpius, prout morbus exigit, applicatum tantopere profuit, ut ferè singulis horis ardor, rubor & tumor remissionis manifestum indicium videntibus facerent. Ejus præparatio talis erat.

℞. *Magmatis residui, præcedentis vini balsamici,* ℥ viii. *sperm. ranar. non destill.* ℥ i. *factæ per expressionem. mucagini* add. *myrrh. in aq. flor. nymph. dissol.* ʒ *iß. camphor. (in ol. amygd. dulc.* ʒ *ß.* dissol.) ʒ *j.*

Mixturæ lactescenti add. *pulv. topici* q. s. probè iterum misc. ut fiat justæ consistentiæ & optimi odoris mixtura mucaginosa.

Pulvis Topicus.

Lithargyrij pulv. ℥ *ij. masticis, myrrh. an.* ʒ *j. ceruss. sperm. ceti an.* ʒ *ij sperniolæ Crollij s. Theoph.* ʒ *iij.* M. F. Pulvis.

Alias & hoc vinum balsamicum locale pedibus cum notabili successu applicatum est.

℞. *Myrrh.* ℥ *j. aloes, masticis an.* ʒ *ij. spermatis ceti* ʒ *iij. vini opt. Ungar. cum semin. lini, fœnigræci & rad. alt.* ana q. s. cocti ℔ *iij. sperm. ranarum non destill.* ℥ xi. bulliant prius cum vino species, postea colato, & frigefacto decocto, admiscebis tandem mucaginem.

Not. Mucago ex seminibus & rad. althææ, separatim extrahi debet, postea sperma ranar. admiscetur.

Ulcerum erodentium topicum in scroto & gangræna.

℞. *Balsami sulphuris compos.* seu *simpl.* ℥ *ij. spermatis ceti* ʒ *ij. camphoræ* ʒ *j.* M. F. balsamum, cui aliquando *ol. hyperici*, ad lubitum admiscebatur.

Gangrænæ Topicum.

Illustrissimo Principi van Eggenberg. præscriptum.

℞. *Herb. verbasci, solani, hyoscyami m. v. flor. sambuc. m. iij, rosar. m. j. sem. lini, fœnigræci, psyll. an.* ℥ ß. *aq. sperm. ranar. non destill.* ℔ viii.

Coquantur forti ebullitione, inque mucilagine expressa solv. *camph. per amygdal. excort. l. a. subacto* ℥ *ij.* Jam ℞. *Hujus mixtura camphorat. aq. sperm. ranar. non destill. an.* ℔ *ij, myrrh. in aq. nymph. sol.* ℥ *ij. pulveris topici* q. s. Misceantur.

Topicum hoc singulo bihorio applicetur calidè, linteamina semel applicata nunquam removendo, sed identidem humectando cum spongiâ medicamine calente imbuta.

HYDROTICA.

Pro nutriendis Animalium corporibus, unico tantum aditu, scilicet per os, alimenta ingeruntur, at natura satis provida, exitum multiplicem, sive plures evacuationum modos efformavit, quibus materiæ alibilis recrementa, vel particulæ quævis incongruæ, aut aliunde susceptæ, aut intus genitæ, foras ejiciantur: Eodem semper Ostio, quicquid pabuli offertur, ingredi oportuit, nempe ut satis dignosci, & examinari queat, per plures enim aut posticas fores introrsum patentes, facile cum alimentis una irrepant venena. Quod si in via hac ostij singularis custodia materia quæpiam hostilis intraverit, aut interni regiminis culpa, progenita fuerit, hæc in nullo recessu, aut angulo latere potest, quin ibidem pro exclusione ejus foramina pateant. Nam si heterogeneum aliquid in primis viis subsistat, Vomitu aut Purgatione excernitur: quod si ulterius pergens Sanguini vel Liquori Nervoso se immisceat, aut solidis partib. adhæreat, mox Transpiratione, & Sudore, aut etiam Urina eliminatur: sin vero per has vias, Natura, utpote segnis, aut impedita, res extraneas sua sponte, aut non cito, aut satis amandat, Medicina, quibus omni circa Excretionum modos, aut vias defectui, aut vitio succurratur, remedia perquam idonea suppeditat. Quemadmodum igitur de vomitu, Purgatione, & Diuresi, in superiorib. satis fuse differentes, cujusmodi tum Humorum, tum Spirituum, tum Viscerum affectionib. pharmaca ad fines istos destinatas Operationes suas producunt ostendimus; ita jam proximè explicandum restat, quo ritu, & quibus Medicamentis, Diaphoresis uberior, aut sudatio, si quando indicatur provocari soleat. Quo hæc melius innotescant, imprimis declarare oportet, quænam Sudoris Materies, & ratio formalis fuerit, & in quibus & quot modis ἱδρῶσις, b q; Pharmacia propter accidentia externa, vel non est, non humorum aut spirituum, orgasmo; sæpenumero contingat.

In Diaphoresi, contra ac in Catharsi, à primis viis ac velut intimo corporis centro, versus Peripheriam excretionis motus tendit in utrisq; his Arteriæ ad Evacuationum loca plus deferunt, quam venæ regerunt: interim à locis, quæ istis opposita sunt, Venæ plus referunt, quam Arteriæ perduxerunt. In Catharsi, Arterijs splanchnicis, simulq; Venis habitum corporis respicientibus, major sarcina bajulanda imponitur: at omnino è contra habet in Diaphoresi, quippe in hac dum, Arteriæ plus solito versus corporis ambitum corripiunt, Venæ Mesaraïcæ à coctionis visceribus majorem penum auferunt, quam arteriæ illuc attulerunt. Pariter in altera Evacuatione, dum Arteriæ splanchnicæ plus debito visceribus suffundunt, venæ extrinsecæ plus à corporis habitu regerunt, quam Arteriæ illic deponunt. Quapropter cum utraq; Evacuatio pluribus modis, ita non minimum hac etiam via, procuratur: viz. dum Arteriæ, aut ad viscera, aut ad habitum corporis spectantes, in motus rapidiores urgentur, in venas quæ ditionis oppositæ sunt, major humorum saburra urgebitur. Quo ritu Diaphoretica utrasq; has intentiones perficiunt, mox dicetur. Interea circa Diaphoresin in genere advertimus, Sudationem respectu διαπνοῆς ordinariæ pariter habere, ac Diarrhæam ad Secessum Alvi naturalem, illa nimirum est tantum transpiratio citatior, & magis intensa. Nam quoties sanguis, plus solito efferverescens, ac velut efflagrans, effluvia calorifica copiosius emittit; hæc complures seri particulas secum convehentia, Sudorem constituunt.

Sudoris Materies dicitur aut Elementaris, aut Humoralis; quoad priorem hæc pariter ac Urina, constat ex Spiritu, Sale, ac Sulphure mediocribus, sero copioso ac terræ pauxillo. Rem ita habere, ex spirituū inter sudandum dispendio excrementi hujus substantia aquosa sapore salso, unctuositate, & fæculentia, facile colligitur. Enimvero dum sanguis, pro vita Animalium proroganda, in pulmonibus continue accenditur, & dein efflagrans, è corde per Arterias in partes omnes corripitur,

-ur,è liquore ejus rarefacto,& accenso particulæ subtiles,nempe spirituosæ quædam,ac sulphureæ,utpote ad avolandum maximè habiles,copiose decedunt;quæ per poros corporis manantes,secum seri corpuscula complura,& reliquorum aliquota una foras rapiunt.Quod si hujusmodi ἀπόρροιαι pauciores fuerint, sensim effugiunt,& modice exhalantes fere inconspicuæ in auras evanescunt; sin vero effluvia hæc magis agglomerata dense erumpunt,dum poros cutis vix pertranseunt, in aquam condensantur;pari scil.ritu,ac cum vapores,ab aqua ebulliente emissi,operculum ollæ impositum madefaciunt.

Sudoris materies humoralis ordinariè vix alia est quã Serum sanguinis,cui interdum,siquidem excretio istæc inordinata fuerit, liquoris Nutritij,& Nervosi portiones,aliiq; humores è viscerib.glandulis,vasis lymphicis surrepti,immo & partium solidarum farcimenta,aut liquamina adjunguntur:iste tamen qualiscunque fuerit, potissimum ex arterijs ejicitur,etsi præterea haud inficias imus,etiam è nervis nonnihil exsudare ; insuper è fibris,& partibus solis humoris quidquam vi caloris in vaporem attentari, quod rursus circa cutem in madorem concrescit.At vero ipse tantum est sanguis,qui calore suo humorem quemvis evaporare facit, & è proprio sinu,istius qui exsudat,partem maximam emittit.

Ut sudor copiosus,& facile erumpat,hæc Tria requiruntur,scil.primo ut sanguis plus solito effervescens rapidius circuletur; secundo ut latex ejus particulis pluribus aquosis iisque solutis,hoc est,reliquo liquore secerni, inque vaporem resolvi aptis, abunde scateat. Tertio demum ut totius corporis pori satis reclusi, & patentes fuerint.

1. Primæ conditionis ratio satis manifesta videtur: nisi enim sanguis rapide circulatus,per Arterias in tanta copia effertur, ut à venosa reductione residuum in totum à vasis lymphicis excipi,aut per διαπνοὴν insensilem exhalari nequeat,nihil superfluum erit, quod per sudationem emanet; hujus enim latex ex illorum ductuum materia superflua aut rejectanea constat. At vero sanguis pro cienda ἐφιδρώσει rapidius circulatur, quatenus ob crebriores,& vehementiores cordis systolas,cum majori impetu circumpellitur. Cujus effectus cum plures sint causæ evidentes,illæ omnes,aut saltem præcipuæ,ad duo genera sequentia reducantur.

Pro cordis motu tum actuando,tum varie alterando, causa efficiens sunt spiritus Animales à cerebello affluentes; causa autem finalis, est sanguinis circulatio: namq;hujus gratia uti motus ejus primitus instituitur, ita juxta quod sanguis,propter multas occasiones,subinde citius,aut tardius, vehementer,aut sedate, aliisq; modis circulari debet,etiam cordis pulsus diversimode variatur.Quotiescunq;igitur adeo intenditur iste,ut sudationem cieat, ita fieri contingit, aut sanguinis necessitate,sive indigentia,vel spirituum Animalium instigatione.

1. Quandocumq.sanguis plus debito effervescit, sive accenditur,ne intra cordis sinus suffocetur, rapidius circumagi debet.Talis vero effervescentiæ,sive accensionis nimiæ plures sunt causæ,& προφάσεις.Nam cruor interdum à proprio sulphure nimis evecto,vinorũ ritu, sponte turgescit.Porro iste à calidis ore assumtis,propter æstum ambientem,motum corporis citatiorem,pororum occlusioné,& multas occasiones supra modum agitatus aut excalfactus,& plus solito accensus,adeo rapide circumagi postulat,propterea ut sudatio succedat.

2. Interdum sanguis,ex se quietus,spiritum Animalium instigatione, in effervescentiam hydroticam cietur.Enimvero in doloribus acutis,passionibus violentis,functionum naturalium aut vitalium magnis impedimentis,ipso mortis agone,aliisq;spirituum deliquiis, aut affectibus,ubi corporis salus valde periclitatur, Anima sensitiva,ut sanguinis flammam vitalem ab exspirando conservet, cor in motum rapidissimum,quo,dum cruor impetuosius circumpellitur, plerumque etiam sudor accietur, instigat.

Secundum pro sudatione excitanda requisitum est, ut,dum cruor valde effervescit, sive plus solito accenditur,& effluvia copiosa emittit,latex ejus humore seroso,qui insuper à massa reliqua ejus, ad abscedendum, & exhalandum aptus fit,abunde scateat; secus enim evaporatio tantum sicca,velut ab oleo cocto,urgente licet calore febrili,aut alias intenso, ac minimè sudor erumpet.Quorum sanguis serò refertus compagem laxam,& nonnihil solutam habet, à levissima quavis incitatione,in sudorem exsolvitur.Verumtamen si serum deficiat,aut à cruore nimis compacto, vel ob fæculentias incoctas valde incrassato, non facile secernitur; & si febris Causonis incendium urgeat, simulque Diaphoretica potentissima exhibeantur sudatio vix omnino succedet.

Tertio ad sudationem ritè procurandam requiritur, ut dum cruor effervescit,& humore aqueo facileq; separabili satis diluitur,etiam cutis pori satis reclusi, & patentes fuerint; nisi enim corpus sit perspirabile, frustra erit quod diaphoresin moliamur. Quorundam cutis valde crassa,& fere imperforata existit, cui si frigus hybernum accedat, sæpe aquam ex pumice citius, quam eorum corio, exprimas.

Hæc de præcipuis ad ἐφίδρωσιν ciendam necessarijs, quæ prout interdum ex parte deficiunt, propterea ut sudor ægre,aut vix omnino succedat,ita aliquando propter horum excessus, insuper ob alias quasdam circa Humores, aut habitũ corporis inordinationes,Sudatio crebra,& copiosa nimis quosdam infestare solet, ita nimirum ut succus nutritius,haud citius sanguini convehatur,quin totus statim,cum latice seroso,è poris cutis exsudans, in madorem profundatur. Hujus rationes si inquiramus,hæc tria potissimum occurrunt,in quorum aliquibus,aut simul omnibus, illæ consistere videntur.

1. Nimia igitur in sudationem proposito, interdum oritur,quoniam sanguis in crasi vitiatus,& debilior factus succum nutritium,quem è chylo excipit, assimilare nequit;quare,velut stomachus toni perfracti, humorem infusum,quamprimum ejus satur est,evomere cogitur.Hinc est,quod sudationes nocturnę,ac valde molestæ febribus diuturnis utplurimum succedunt; quatenus nempe in his massa sanguinea(instar lactis acescentis,quod super ignem incalescens sua sponte, & sine coagulo adjecto funditur, & in serositatem præcipitatur) compagis adeo laxæ existat, ut à levi quavis occasione in mixtione solvatur. Cui accedit, quod sanguis depauperatus haud plene accenditur, quapropter succi crudi, quo minus per Efflagrationem absumantur, eo nececesse habent, dum sanguis incitatur, copiosius per sudorem erumpere.

Secundo non improbabile est nimiam in sudores propensionem aliquatenus etiam ab hac causa pendere,viz.quod aut renes,aut lymphæductus, ubiq; officio suo non satis defunguntur. Namq; si forsan hac aut ista via sanguinis arteriosi serositates superfluæ non statim eximantur,necesse erit eas alicubi ad plenitudiné congeri,proindeq;nisi per sudorem excernantur,sanguinis circulationẽ impedire,& non raro hydropem inducere.

Tertio siquando ob rationes prædictas diathesis hydrotica invaluerit,eadem insuper augetur, & sudores crebri & copiosi magis emanant,si cutis pori, & meatus solito apertiores fuerint; cujusmodi affectio interdum à natura inest,quandoque propter accidens quoddam contrahitur,Novi quorundum corpora adeo cribrosa extitisse,ut ne levissimum aeris afflatum sufferre potuerint,qui etiam à motu quovis citatiore,aut à solis, ignis, aut lecti calore protenus in madorẽ solverentur.

Ex his quæ ad ἐφίδρωσιν omnino acciendam requiruntur, atque nimirum faciunt ita statutis facile erit colli-

colligere, quæ sit sudoris tum Ratio formalis, tum Causa conjuncta; utraque nimirum in eo consistit, quod sanguis sero scatens, & in compage nonnihil solutus, dum à cordis pulsu citatiore rapidius circulatur, adeoque plus effertur per arterias, quam ut pars cruenta per venas regeri, & serosa per renes, & lymphæ ductus mox tota amandari queat; idcirco necesse erit, quicquid seri superfluum est, particulis etiam alijs imbutum per cutis poros satis patentes exsudare.

Quod spectat ad alias sudandi Causas, sc. Procatarcticas & Evidentes; quæ Prioris generis sunt, vel massam sanguineam, vel spir. animales respiciunt. Hi namque (prout supra innuimus) affectionib. spasmodicis, aliisque anomalijs obnoxij, interdum aut sponte, aut occasionaliter motus explosivos, & inordinatos ineunt; quibus etiam præcordia immaniter agitata, sanguinē impetuosius circumpellent, proindeq; in sudores exsolvi faciunt. At vero ἐφιδρώσεως spontaneæ causa Antecedens sæpius in massa sanguinea delitescit, siquando enim particulæ heterogeneæ, & prorsus, incongruæ in hujus sinu ad plenitudinem congerantur, iste demum aggravatus fluore oborto effervescit, ut, quod molestum est, una cum latice seroso secernatur, & per sudorem foras ejiciatur. Cujusmodi sudor juxta materiæ peccantis facilem, difficilem, aut impossibilem excretionem, dicitur vel Criticus (qui insuper plus aut minus perfectus est) vel Symptomaticus. Super his in πυρετολογίᾳ nostra satis fuse disseruimus, ut non opus sit hic plura dicere.

Sudationis Causæ Evidentes, quæ nempe sine procatarxi, aut indicatione modica ἐφίδρωσιν solitarie, & per se passim cient, cum variæ ac diversimodæ fuerint, sc. ore assumta, exterius admota, nimia animi; aut corporis commotio, cum multis alijs; libet hic illarum præcipuas unà cum distinctis afficiendi rationibus breviter notare: A quibus ritè intellectis, melius innotescet, quo ritu & quale discrimine, pharmaca in hanc rem destinata, Diaphoresin cum sudore movent.

1. Imprimis igitur, à motu corporis citatiore, laborioso, ac diuturno sudor provocari solet; uti passim cernitur in cursu, solutione, ponderosi vectione, tractione, & similibus. Cujus ratio est, quod musculi totius corporis vehementer exerciti, vasa interjecta comprimunt, proindeque sanguinem exagitant, & huc illuc rapide impellunt; cumq; hoc modo venæ potissimum constringuntur, sanguis per earum ductus magis usq; ac magis patentes, facilius elabitur, ac multo celerius versus cor proripitur; cumque adeo intra dextrum ejus sinum copiosius aggestus, ipsum opprimat, aut fere suffocet, & cor pulmones pro sanguine rapidius circumpellendo, per nixus crebriores, & fortiores impigre laborāt; hinc demum uti iste intra præcordia magis accensus, proindeque rarefactus, & compage solutus, caloris, h. e. spirit. & sulphuris corpuscula longe plura exhalet; quæ serositates, (dum vasa omnia ita turgent) reduci inhabiles, secum foras convehentia, sudorem constituunt. Prout corporis sic etiam Animi exercitia immodica sudores movent.

2. Calor ambiens, prout à sole, igne, Balneo, hypocausto, & similibus, sudorem provocare aptus est, quoniam effluvia calida, corporibus nostris ab extra immissa, & cutem subingredientia, tum poros, & meatus ejus reserant, tum sanguinem effervefaciunt, ipsumq; velut aquam ab igne supposito, ebullire cogunt, proinde ut è compage ejus soluta, & rarefacta, vapores sudorifici copiosius exhalentur. Nec tantum calor mere extrinsecus, sed etiam proprius circa ambitum corporis, à quo exhalavit, detentus, sudorem movet. Nihil enim usitatius est, quam ut quisquam in lecto jacens, dum pluribus stragulis cooperiatur, in sudorem incidat. Cujus ratio satis liquet, in quantum halitus jamjam decidui, & circa superficiem corporis coerciti, Balnei sicci naturam habent.

3. Transpirationis solitæ cohibitio nonnunquam sudorem accersit; cujus ratio est, quia sanguis è διαπνοῇ liberiore prohibitus, velut mustum dolio arcte nimis inclusum, impetuosius fermentescit; proindeq; magis rarefactus, & consequenter circuitu rapidiore agitatus necesse habet in sudorem exsolvi. Olim Hybernis in more fuit febre quapiam laborantes pannis se laneis, aqua frigida madefactis, involvere, ex quo sudor copiosius succedens non raro morbum solvebat. Simile huic experimentum, etiam apud nostrates, bono cum fructu tentatum audivi.

4. Alimenta calidiora assumta, præsertim sale, pipere, & Aromatis condita, item aquarum ardentium, cervisiæ fortioris, & vini generosi potus, quatenus aut sanguinem particulis activis, velut stimulis sive œstro quodam, imbuunt, aut eidem efflagranti pabulum sulphureum, & inflammabile, velut oleum lampadi, ministrant; uberiorem materiæ halituosæ διαπνοὴν proindeque seri abundantis exsudationes majores cient.

Hæc de sudoris natura, & causis tum conjunctis, tum manifestis. Quod ad differentias ejus spectat, multifariam distingui solet, nimirum quod si spontaneus, vel coactus; vel partialis, vel universalis vel criticus, vel symptomaticus; quorum omnium rationes ex prædictis satis clare innotescunt. Porro sudor aut Calidus est, de quo hactenus disseruimus, vel actu Frigidus, cujusmodi frequenter à timore panico; dolore valde acuto, in lipothymia, & subito quovis spirituum deliquio, inque mortis agone excitatur. Hujus causa in eo consistere videtur, quod à passione subita, ac immani tota Anima subsidens, Ambitum suum contrahit, proindeque spiritibus consternatis, & sanguine cum calore versus cor retracto, effluvia extima per cutem emanantia à sequentibus derelicta, & calore destituta, illico in vaporem frigidum condensantur: pari quidem ratione, ac inter destillandum accidere solet. Nam si ignem subito reprimas, vel extinguas, mox exhalatio calida, Alembicum replens, in madorem exsolvitur.

Ex his ita præmissis, & ostensis, quæ sunt præcipua ad sudorem provocandum requisita, & propter quas potissimum occasiones, & accidentia ordinarie hic excitari solet; non difficile erit designare quibus potentiis & partiulis medicamenta Diaphoretica pollere debent, qua ratione effectus suos edunt. Et primo, quod ad illorum δυνάμεις spectat, Hydrotica intus sumenda ejusmodi esse debet, quæ sanguinem plus solito effervescere, & per consequens evaporare faciant; item quæ massam ejus sæpe compactam nimis, & incrassatam, quadantenus referent, & fundant, proinde ut serositates ejus facilius decedere ac secerni possint, simulque eas ita secretas per Diaphoresin potius quam per Urinam aut Sedem eliminandas disponant. Hæc sunt duo ad ἐφίδρωσιν primaria requisita, sive indicantia; quibus rite complendis Diaphoretica varij generis, & ἐνεργείας adhiberi solent. Quod ad Tertium requisitum (cujus supra mentionem fecimus) sc. Pororum Apertionem spectat, hoc fere tantum per Administrationes externas peragitur; quo tamen ritu, & quot modis fieri solet, infra ostendetur. Interim ut de medicamentis Hydroticis ore assumendis dicamus, imprimis ostendere oportet, qua Ratione Generali hæc operantur; dein quo discrimine, & particulari afficiendi modo; quibus demum cujusq; speciei, nempe aut totius mixti, aut unius cujusdam elementi, viz. spiritus, sulphuris, aut salis virtutibus insignita, tum in visceribus circa sudoris provocationem, viret suas exerunt.

1. Quoad ejus igitur, circa medicamenta Diaphoretica in genere, annotamus ea ex particulis ejusmodi constare, quæ ventriculo ac intestinis satis amicæ nullum in ijs spasmum aut excretionis motum cieant insuper ut nullatenus ab ijs subigi, aut alimentorum instar assimilari queant; at vero stomacho, ingestæ, illico tum spi-

ritus animales, tum sanguinem ad ἐφίδρωσιν obeundam disponant. Enimvero quædam ex iis ventriculo immersa, & dissoluta, mox spiritus Animales intra fibras nerveas (ex quibus Tunica interior constat) ubique scatentes exsuscitant, recreantque, proinde ut totius Animæ sensitivæ hypostasis statim erecta, ac in majorem ambitum expansa, præcordia vegetius actuari, adeoque sanguinem rarefactum, & plus accensum rapidius circumagi, proindeque in Diaphoresin adigi faciant. Porro interea ejusdem pharmaci particulæ, etiam sanguini vasa stomachica (quæ Tunicā nerveam densissime obducūt) perluenti sese ingerunt, ipsumq; dum mox fermentant, & effervefaciunt, per venas solito rapidius versus præcordia urgeri cogunt; quibus cum impetuosius infertur, statim aucto cordis pulsu, tota cruoris massa rarefacta, & magis accensa, simulq; à medicamenti particulis intime admistis agitata, per Arterias ad partes omnes exteriores citatius provehitur; ubi, cum totus ejus latex, per venas, aliosq; ductus reduci, aut excipi nequeat, necesse incumbit plurimum serosi humoris in sudorem exsolvi. Cæterum pharmaci hydrotici particulæ, juxta modum prædictum in sanguinem admissæ, non modo liquorem ejus fermentant, & exagitant, at sæpe mistionem ejus ita laxant, reserantque, ut serum aliaque ejus recrementa facilius secerni, & amandari possint. Quandoquidem autem hoc vario ritu, juxta diversimodam tum sanguinis constitutionem, tum medicamenti indolem aut apparatum, fieri contingat, operæ pretium hic videtur, præcipuas circa diaphoresin adhibendam indicationes, & varios easdem prosequendi modos, una cum singulorum Ætiologiis breviter explicare. Super his autem imprimis adnotetur pharmaca hydrotica quoad operandi vias, & operationes cum Cardiacis plerisque ita vulgo dictis, magnam affinitatem habere, in tantum, ut multa utriusq; generis, usus sint cōmunis, sive reciproci, cūq; adeo potissimū quoad majorem, aut minorem efficaciam differant, quoties à genere uno ad alterum transire incūbit, fere tantum opus erit dosin augere, aut diminuere, & maxime idonea exhibendi tempora eligere.

Quod itaq; spectat, ad variam materiæ tum speciem, tum apparatum, ex quo medicamenta hydrotica conficiuntur, illa ut plurimum mixti cujusdam aut partes Integrales, aut Elementares existunt. Nempe aut concreta naturalia in tota substantia sua aut simplici, aut extracta exhibentur; velut cum folia, radices, aut semina, Cardui, Contrayervæ, Angelicæ, aut similium in pulvere, decocto, conserva, aut magisterio sumuntur: vel Diaphoretica particulis hujus aut illius Elementi, nempe spirituosis, sulphureis, aut salinis, vel simplicibus, vel quibusvis aliis præpollentibus constant; veluti si ex Carduo, aliove corpore vegetabili, minerali, aut animali, aut sal, aut spiritus, aut oleum, extrahantur, & seorsim per se, aut cum aliis præparatis in medicamenti formam redigantur. Singulas, aut saltem præcipuas, harum species breviter perstringemus.

1. Diaphoretica, quorū virtus in totius cōcreti particulis integralibus cōsistit, inæqualiter mista, etiā uno quodā elemento (viz. salino) præcæteris eminenti pollere, eiq; virtutem suā potissimū debere videntur: Atqui sal iste, à quo vis hydrotica dependet, sub duplici statu occurrit: Nā in quibusdā cōcretis iste Volatilis, & acris, vel amarus est; inq; aliis Alchalisatus, & quodāmodo fixus. I. In priori censu pleraq; vegetabilia, à veteribus pro Antidotis habita, uti folia Scord. Card. Scabios. vincetoxici, flores Calendul. Chamom. radices Petasitid. Zedoar. Galang. &c. Item confectiones Mithrid. Theriac. Diascord. item Gujaci, Buxi, aliorumq; decocta similia ponuntur. Cujusmodi pharmaca ventriculo ingesta, & dissoluta, tincturā cōstituunt, cujus particulæ, utpote calidiores, & exoticæ spir. Animales exsuscitant, unde præcordia, vegetius actuata, sanguinem rapidius circumpellunt. Quin & sanguinem in vasis stomachicis calentem subeunt, & fermentant, ipsumq; adeo dum versus cor citatius per arterias in habitum corporis vehementer, & sudorificei propellatur. 2. Diaphoreticorum species altera, quæ, dum ex mixti partibus integralibus constant, salem Alchali præpollentem habent, sunt lapides, & Animalium, ac vegetabilium partes Osseæ, vel Testaceæ, uti Bezoar, Marigartæ, oculi, & chelæ Cancrorum, & similia, quorum virtus Diaphoretica potissimum à sale Alchali procedit; quatenus nempe hujus particulæ, Sali Acido tum in visceribus tum in sanguine interdum occurrentes, cumque eo effervescentes proinde massam fundi, ejusque serositates secerni, inque sudorem exsolvi faciunt.

II. Medicamenta hydrotica, quæ post Analysin spagyricam particulis elementaribus, aut his, aut illis virtutem suam debent, è variis subjectis, & cum diversmodo apparatu formata, potissime sunt aut spirituosa, aut salina, aut utraque simul inter se, aut cum particulis aliquotis sulphureis combinata. Nam quæ sunt mere, aut maxima ex parte Sulphurea, huic intentioni minus accommoda existunt; quippe talia, ut plurimum visceribus infesta, sæpe nauseam, & non raro vomitum cient. Porro quæ ob sulphuris copiam oleosa, & pinguia sunt particulas suas intra sanguinis massam non ita prompte insinuant. Quo ritu, & quali spirituum, aut sanguinis affectione isthæc altera Diaphoresin movent, speciatim disquiremus.

1. Et primo ad spirituosa referimus Aquas Ardentes, liquores quosvis spiritu vinoso præditos; cujusmodi passim è vegetabilium fructibus, aut succis fermentatione maturatis, aut putrefactione resolutis, arte chymica destillantur; uti sunt spiritus Vini, Pomacei, Cervisiæ, Baccarum Juniperi, Sambuci, Cerasorum nigrorum cum multis aliis, quæ vulgo spiritus dicuntur; atque vel simplices & limpidi per se sumuntur, vel aliorum simplicium infusione imprægnati, rursus destillantur, aut sub forma tincturæ exhibentur. Hujusmodi liquores vinosi intus sumti, & quatenus spiritus Animales erigunt, inque majorem expansionem (qua itidem cordis motus intenditur) cient, & quatenus sanguinem exagitant, & velut olei ad flammam accessu, plus accendi faciunt, Diaphoresin movent. Propter eandem rationem, & afficiendi ritum, quo hæc Diaphoretica, etiam Cardiaca; siquidem in minori dosi exhibeantur, appellari solent.

2. Ad Diaphoresin ciendam Præparata Salina varii generis, & diversimodi status, & quidem bono cum fructu præscribi solent; quæ tamen non, uti particulæ totius mixti, aut mere spirituosæ sanguinem vel ob heterogeneitatem exagitant, vel inflammabilitatem accendunt, at solummodo in salinas ejus particulas agendo; quas dum in amplexus suos rapiunt, à combinatione cum aliis nimis stricta divellunt, proinde ut laxata sanguinis compage, & pulsu aucto serositates superfluæ, aliaque recrementa facilius secedere, perque sudorem amandari possint. Ad hunc censum (quod pariter in diureticis habere supra ostendimus, etiamque in Cardiacis, uti postea liquebit) sales cujusque fere status, præsertim vero sal Volatilis, Fluidus, Fixus, & Nitrosus referri debent; ex quibus singularibus, aut intra se compositis, Diaphoretica præcipuæ notæ conflantur; quæ intus sumta, atque salibus aliis tum intra viscera, tum intra massam sanguineam scatentibus occurrentia, eosque à particularum aliarum complexibus avocantia, sanguinem reserant, ac rarefaciunt, proindeq; ad Diaphoresin disponūt. Præcipuas horū species, & operādi modos inferius explicabimus; interea tamē cū eadē medicamēta salina, quæ ad sudores, etiā ad urinas movendas, quādoq; etiā pro Cardiacis exhiberi solēt; ostēdere oportet, quo apparatu, & quibus insuper requisitis dum eadem pharmaca propinamus, Diaphoresin seorsim ab alteris istis intentionibus prosequi debemus.

Et quidem advertimus, Sudorifica intus sumta, raro aut nunquam sua sponte, sicut Emetica, Cathartica, aut Diuretica operari; quinimo regimine semper opus est, ad Medi-

Medicamentum actuandum, ac ad ἐνέργειαν istam determinandam. Quapropter à Diaphoretico exhibito, illico Patiens eo ritu tractandus est, tum ut pori corporis aperiantur, tum ut cordis pulsatio plurimum intendatur. Propter hos fines, vel in lecti, balnei, aut Hypocausti calore detineatur, vel corporis motu citatiore, aut duriore exerceatur; quæ ut melius pro sudore concitando succedant, & Tempus & Subjectum, quoties in nostra potestate fuerit, maxime idonea eligantur; quando nimirum sanguis crasi laudabili, aut non admodum maligna potius, tum seroso humore satis abundat, tum quoad particulas suas, haud nimis confusus aut perturbatus existit quin facile reserari inque partes secedere ac fundi aptus sit. Quippe in temperamento bilioso constitutione gracili, ac sicca, inque medio causone, cum omnia perturbata, ac indigesta sunt, Diaphoretica sæpius incassum, aut perperam cedunt. Porro quoties ex usu fore videntur, non quælibet indifferenter exhibere convenit, verum juxta variam sanguinis conditionem, & diversimodas in eo elementi modo hujus, modo illius præpollentia, atque salium status, etiam pharmaca appropriata seligantur. Super his, quo cum delectu, & in cujusmodi formulis præscribi debent, in sequentibus dicemus.

Diaphoreticorum species, ac Formulæ, necnon quorundam ex iis Chymicorum Ætiologiæ.

Medicamenta sudorifica quandoquidem multiplicia, & diversimoda existant, atq; vario respectu ordinari, inq; classes redigi soleant; ideo imprimis tũ quoad formam sive cõstitutionis modũ, tũ quoad materiam ex qua cõflatur, eadẽ hic loci distinguere, ac recensere visum est. Formulæ eorum maxime usitatæ, sunt 1. pulvis, 2. liquores Chymici, 3. potio, 4. bolus, 5. Dieta. Cujusq; horum Materies aut totius mixti partes Integrales sunt, aut sunt mixti cujusdam per spagyriam resoluti Partes quædam Elementares, illæque aut simpliciores, viz, aut Spirituosæ, vel Salinæ; quæ itidem posteriores, aut volatiles, aut Fixæ; aut etiam acetosæ, aut nitrosæ existunt: aut denique particulæ sudorificæ, ita per chymiam divisæ, & separatæ, sunt Elementares inter se compositæ, viz. Spirituo-salinæ, atque Salino Sulphureæ. Dum singulas hasce species ordine percurrimus, unicuiq; materiæ generi, selectiores præscriptionum formulas adaptavimus.

1. Diaphoretica quorum Bases sunt mixti partes integrales, in quibus itidem sal acris, sive volatilis præpollet; sub hac ratione ad sudorem provocandum sæpe conferunt, quatenus eorum particulæ in sanguinem admissæ, cum immiscibiles simulq; indomabiles fuerint, massam ejus exagitant, valde dividunt, ac quasi in minutias distrahunt, proinde demum ut cruoris compage plurimum laxata, atque in effervescentiam acta, unà cum pharmaci particulis, propter heterogeneitatem eliminandis, serositates superfluæ, atq; sanguinis recrementa, ac corruptelæ foras ejiciantur Quæ sunt hujus census, exhiberi solent in specie Pulveris, Boli, Potionis, & Diætæ, juxta sequentes præscriptionum formulas.

℞. *Pul. rad. contrayerv. serpent. virgin. Petæsit. ana ʒj. coccinellæ, croci, ana ʒß. f. pul. dosis ʒß. cum vehiculo idoneo.*

℞. *Pul. viperarum ʒj. detur in liquore convenienti.*

℞. *Pul. Bufonum pr. ʒß. ad ʒj.*

Cum Diaphoretica sale alchali singulari, aut prioribus admisto pollere debent.

℞. *Bezoart. orientalis ℈ß. ad ʒß. detur è cochl. aq. destil. aut alterius vehiculi.*

℞. *Pul. è Chelis compos. ℈j. ad ʒß. exhibeatur eodem modo. Pul. Bezoarticus ad hunc modum conficiatur.*

℞. *Pul. rad. contrayervæ, è Chelis can. simp. ana ℥ij margar. corall. utriusque, succini albi, oculor. can. C. C. crystalli præpar. ana ℥j. bezoar. occident. terræ lemniæ, ana ℥ß. ceruss. antimonii ℥ii. coccinellæ ʒß. ambræ griseæ ℈iß. moschi ℈ß. f. pul. subtilis, qui cum gelatina è viperarum exuviis in globulos formetur. Dosis ℈j. ad ʒj.*

℞. *Pul. hujus Bezoart. ℈j. Bufonum pr. gr. vj. f. pul. detur in cochl. j. aq. Theriacalis.*

2. Boli, quorum bases sunt partes mixti integrales, in confectionis, extracti, aut conservæ formam redactæ.

℞. *Mithridatii ʒß. ad ʒj pul. Bezoart. ℈j. ad ʒß. syrup. e succo citri q. s. f. bolus. Loco Mithridatii substitui potest theriacá, aut Diascord. vel confec. liberans, de hyacinth. etiam pulveris Bezoartici locum supplere potest Bezoar. pulverat. aut rad. contrayer. aliorumve similium pulvis.*

℞. *Extract. theriacalis ʒß. ad ʒj. pul. Bezoart. ℈j. f. pulvis.*

℞. *Extract. cardui ʒß. pul. Bezoart. ℈j. salis absinth. gr. 15. cum q. s. syrup. è succo citr. f. bolus.*

3. Potiones, quarum bases sunt vegetabilium decocta communia, vel infusiones, & Tincturæ.

℞. *Rad. Petasitidos ℥j. sem. ejusdem ʒij. rad. Eryn. condit. ʒvj. sem. card. ʒij. coquantur in aq. font. ℔ j. ad ℥. ß. in colat. clara diss. Mithridat. ʒß. vel ℈ij sumatur calide in lecto.*

Pari modo *folia Cardui, flores Calendulæ,* aut *chamomeli* coquantur in q. s. liquoris posset. Cujus ℥vj. vel viij. dentur calide per se, vel cum pulvere, confectione, aliove diaphoretico adjecto.

4. Infusiones, & Tincturæ varii generis Diaphoreticæ parari possunt extrahendo virtutes vegetabilium simplicium, & confectionum cum vino, aceto, aut aq. destillat. quæ dein colatæ, & per subsidentiam clarificatæ, aut per se, aut aliis liquoribus adjectæ, sæpius cum fructu exhibentur. Huc referri debent aquæ, vina, & aceta Bezoartica per infusionem parata, quorum formulæ passim apud Authores prostant. Porro vegetabilium Tincturæ, in parva dosi plurimum efficaces, ad hunc modum conficiuntur.

℞. *Rad. contrayer. ℔. j. contus. & Matracio indit. affunde spiritus vini ℔. iij. digerantur ad extrahendam tincturam, quæ coletur: & in balneo abstrahatur ad consistentiam mellis. Spiritum primo abstractum serva seorsim à reliquo, reaffunde residentiæ, & denuo tincturam extrahe; cujus dosis ʒß. ad ʒj. in vehiculo idoneo.*

5. Diætæ, quorum Bases sunt liquorum decocta pro luis venereæ, & quorundam aliorum Affectuum Chronicorum, in sanguine & humoribus altius radicatorum, curatione designata;

Enimvero pro morborum quorundam sanatione sudatio valde intensa, & crebra, viz. per longum tempus assidue requiritur, nempe ut viscerum, & humorum non tantum impuritates, & corruptelæ expurgentur, verum & tincturæ morbificæ iisdem altius impressæ deleantur prorsus, seu velut eradicentur. In hunc finem non satis erit pulverem, aut bolum sudorificum per vices quasdam exhibere, verum Diæta integra in hunc scopum institui debet. Quapropter potus omnis sit decoctum Diaphoreticum, post cujus dosin quoque mane assumtam, adhibito insuper Balnei, aut laconici calore, sudatio copiosa provocetur. Deinde cum hac ratione, & cutis pori reserantur, simulque natura ad Diaphoresin inclinatur, toto præterea die sanguinis, & succi nervei recrementa per ἀδήλως, usu ejusdem potus, usque continuatam, evaporent. Hac methodo non tantum lues venerea tutissime, & plerumque certissime curatur, sed & alii quidam morbi Herculei interdum feliciter sanantur.

℞ *Rasur. lign. sanct. ℥iv. sarsap. ℥vj. Chin. ℥ij sant. omnium an ℥j. rasur. Ebor. C. C. an. ℥ß. antim pul. & nodulo ligat. ℥vj. s. art. infundantur & coq. in aq. font. ℔ 16. ad mediet. & fiat colatur. Magmati ingredientium residuo affunde parem aq. quanticatem, f. infusio, & decoctio ad tertia part. cõsumtionem, addendo passul. ℔j. liquir. ℥j. colat. servetur pro potu ordinario.*

In temperamento bilioso, & sanguine acriori, & calido, omittatur lignum Gujaci, augendo quantitatem Chinæ, & Sarsæ.

Diaphoretica, quæ ex totius mixti particulis integralibus constant, pro pauperibus facile parabilia, juxta formulas sequentes præscribantur.

In febribus malignis ℞. *Conser. Lujulæ ℥j. Mithridatii*

℈ iiß. *misce, sumatur superbibendo haustum liquoris posset. cum foliis Card. Scordii aut floribus chamomel, vel Calend. incoctis.*

℞. *Rad. pul. serpentariæ virgin.* ʒß. *ad* ʒj. *detur in vehiculo idoneo. Vel* ℞. *pul. rad. Petasitidos* ʒj. *eodem modo.*

In casibus ordinariis adhibeatur *Decoctum milii solis, rad. Petasitidos*, vel *serpentariæ Virg.* vel *rad. & sem. Bardanæ.* In lue venerea *Decoctum Saponariæ*, vel *rasura ligni Buxi*, & similium; *Decocti ex lignis* quæ majoris sunt pretii vicem supplere possunt.

2. Medicamenta sudorifica è mixti partibus Elementaribus parata, pro basi habent aut spiritum, aut salem, modo simplicem, modo cum sale altero vel cum sulphure combinatos. Spirituosa juxta formulas sequentes præscribantur.

1. *Spiritus Theriacalis camphorat.* ʒß. *ad* ʒj. *vel* ʒiß. exhibeatur in conveniente vehiculo. Eodem modo spiritus plures alii, è vegetabilium succis fermentatione maturatis exstillati, & affectibus quibusdam appropriati, ad sudationem, si quando indicatur, ciendam exhiberi possunt. Cujusmodi nimirum sunt *spiritus cerasorum nigrorum, è baccis sambucci, Hederæ, & Juniperi, cum multis aliis. Sp. C. C. fuliginin, sanguinis, & similium, salinorum* potius classi accenseri debent.

2. Diaphoretica, quorum bases sunt spiritus cum particulis aliis elementaribus combinatis, ad hunc modum præscribantur. ℞. *Mixturæ simplicis* ʒj. *detur in conveniente vehiculo.* Huc etiam referantur, quæ ex *spiritu sale fixo*, aut *sulphure combinatis* constant. Cujusmodi sunt *Tinctura salis Tartari, & Antimonii quorum Dosis* ℈j. *ad* ℈ *ij.* in alio liquore. Porro *aquæ destillatæ*, in quibus particulæ spirituosæ aquosis diluuntur, ad sudores movendos sæpe cum fructu exhiberi solent.

℞. *Rad. Petasitidos, Valerianæ, ana* ℥ij, *zedoariæ, contrayervæ, serpentariæ, virgin. ana* ℥iß. *florum Petasitidos, M. iv. croci* ʒj. *incisis & contusis affund. vini Xeroensis.* ℔iv. *destil. s. a. liquor totus misceatur. Dosis* ℥ iiß. *ana* ʒ *iij. Vel* ℞. *rad. angelicæ, imperatoriæ, ana* ℥ *iv. zedoariæ, enulæ campanæ, vincetoxici, gentian. galang. min. an.* ℥j. *summit. cardui, rutæ, angelicæ ana M. iij. cort. mediani fraxini* ℥ *vj. incis. & contus. adde Mithridatii theriacæ Androm. ana* ℥ij. *misce, & affunde vini generosi* ℔. *vj. aceti destill.* ℔. *ij. destil. s. a. dosis* ℥iij.

Aquarum prædictarum doses actuari possint additione liquorum, aut salium chymicorum. Hujusmodi medicamenta spiritu vinoso prædita senibus, item temperamento frigidiori præditis, atque paralysi, aut hydropi obnoxiis præcipue, ac ferè tantum conveniunt; in constitutione autem calida, cumque adest viscerum æstus, aut sanguinis effervescentia febrilis quatenus ista torrefaciunt, & hunc plus nimis accendunt, obesse potius, quàm juvare solent.

Diaphoretica, quorum basis salina est, prout variæ sunt indolis, viz. (juxta quod sal volatilis, fixus, acetosus, aut nitrosus existit) ita diversimodi sunt usus, & operationis, hinc in quibusdam casibus, ut melius hæc, inque aliis illa, vel ista adhibeantur; quemadmodum in Diureticis habere supra notavimus.

1. Sal fixus, & volatilis maxime conveniunt iis quorum sanguis seroso humore plurimum scatet. Insuper siquando succus tum viscera, tum nervosum genus irrigans, in acorem vergit, prout habere solet in hydropicis, cacochymis, & qui affectibus spasmodicis obnoxii sunt medicamenta ista ad ἐφίδρωσιν ciendam utilius adhibentur; quin, dum particulis humorum acido salinis occurrunt, cumq; iis combinantur, sanguinis compagem reserant, simulque, ob mixturam heterogeneam, ejus massam exagitant; hinc ut serositates facilius secernantur, & exterius per cutis poros adigantur, præscribuntur ista, in forma pulveris, boli, & liquoris.

℞. *Florum salis Armoniaci* ℈ß. *Crystalli mineralis gr. xv. pul. Bezoart.* ℈j. *misce; detur in cochl. Aq. sudorif.*

℞. *Salis Tart.* ℈j. *ceruss. antim. gr. 15. f. pulv. detur eod. modo.*

℞. *Pul. Bezoart. mineralis* ℈j. *ad* ʒß. *pul. Gascon.* ℈j. *f. pul. detur similiter.*

℞. *Cerus. Antimon.* ℈j. *ad* ʒß. *florum salis Arm.* ℈ß. *f. pul.*

2. Exhibeantur ista in forma boli, miscendo doses prædictas cum Theriaca, Mithridatio, vel Diascordio, aut cum extracto Cardui, Gentianæ, vel similibus.

Bezoart. mineralis ℈j. *florum salis Arm gr. vj. Mithridatii* ʒß. *f. Bolus.*

℞. *Salis C. C. gr. viij. pul. Bezoart. gr. xv. extract. Theriac.* ℈j. *f. bolus, vel pil. iij.*

3. Si in forma liquoris magis convenict; ℞. *Sp. C. C. vel fuliginis, vel salis Armoniaci gr. 15. ad 20. Aq. sudorif.* ℥j. *ad* ℥iij. *haustus, sumatur cum regimine.*

℞. *Florum salis Armoniaci* ℈ß. *salis Tart. gr. 15. Aqu. sudorif.* ℥iij. *misce, f. haustus.*

3. Diaphoretica, quæ pro basi sua salem nitrosum habent, in iisdem fere casibus ac superiora ex sale fixo, & volatili conflata, juvare solent, quatenus nimirum salis acidis præpollentias destruunt, adeoque sanguinis mistionem disponunt, ut dum effervescit ille, serum, & recrementa ejus facilius secerni, & amandari queant.

℞. *Crystalli mineralis* ʒiij. *salis C. C. aut fulig. aut viperarum* ʒj. *misce. Dosis* ℈j. *ad* ʒß. *in vehiculo idoneo.*

℞. *Salis prunellæ* ʒij. *Bezoart. mineralis, vel cerus. Antimonii* ʒj. *f. pul. Dosis* ℈ij. *ad* ʒj.

4. Diaphoretica, quorum basis est sal acidus, præcipue salis fixi ac sulphuris præpollentias valent. Siquando nimirum ob particulas salino-fixas, cum sulphureis vel terrestribus combinatas, sanguinis massa obserata nimis, & constricta evadat, ut serositates suas per sudorem amandandas haud facile dimittat (prout interdum in febribus continuis, & affectione scorbutica fieri solet.) Sal acidus à medicamine exhibito; sali fixo in corpore occurrens, inque amplexus suos rapiens, combinationes ejus iniquas tollit, proindeque sanguinem effervescentem reserat, ac in ἐφίδρωσιν disponit.

℞. *Spiritus Tart.* ʒß. *ad* ʒj. *Aq. sudorif.* ℥iij. *florum salis Arm.* ℈ß. *misce.*

℞. *Mixturæ simpl.* ʒß. *ad* ℈ij. *detur in cochl. Aq. Theriac. ac Bezoardica.*

℞. *Aceti Bezoart.* ℥ß. *ad* ℥j, *Aq. Card.* ʒij. *Aq. Pestilent.* ʒvj. *misce, f. haustus.*

℞. *Sp. Guiaci* ʒj. *Aq. sudorif.* ʒiij. *misce, f. haustus.*

6. Diaphoreticorum classi, quædam mere, aut maxima ex parte sulphurea vulgo accensentur; uti nimirum Balsama quædam naturalia, aliaque factitia insuper olea chymica, ac imprimis Gujaci, Buxi, Camphoræ, C. Cervi, & fuliginis; item lignorum ponderosorum extracta resinosa, cum multis aliis, quæ sudori ciendo licet per se parum efficiant, attamen aliis salinis conjuncta haud prorsus inutilia fore arbitror; quatenus in constitutione frigidiore, & nimis phlegmatica, sulphureo-salina, haud minus quam spirituosa, sanguinem nimis aquosum rarefaciunt, & ad liberius evaporandum disponunt.

℞. *Opobalsami gr. vj. ad xiij. Aq. meliss. vel hederæ terrestris* ℥iij. *sudorific.* ʒß. *sumatur omni mane per plures dies provocando ἐφίδρωσιν. Convenit Phthisicis, & in Ulceribus renum.*

Pariter, sed in majori dosi exhibeatur *Balsamus Peruvianus*, item *Tinct. Balsam. Tolutani, etiam Balsama composita stillatitia.*

℞. *Resina Guiaci pul.* ʒij *olei chymici ejusdem Bezoart. mineralis, Gum. Guiaci an.* ʒß. *Balsam. Peruv. q. s. f. massa pilularis: Dosis* ʒß. *ad* ℈ij. *superbibendo dosin Aq. sudorif. vel Decoct. lignor.*

Diaphoreticorum quorundam præparationes chymicæ cum earundem Ætiologijs.

Bezoarticum minerale.

℞. *Butyri Antimonii rectificati* ℥iij. *affunde guttatim spiritus nitri, vel aqu. Stygiæ tantundem; abstrahe in calore Arenæ, & reaffunde, addendo menstrui ejusdem novi* ʒj. *iterumque abstrahe, repetendo per tres vel quatuor vices.*

Materia

Materia exemta, & pulverata calcinetur crucibulo, per horam, dein edulcoretur abluendo, & desuper accendendo spiritum vini ter quaterve; Dosis ℈j. ad ʒj.

In hujus præparatione observatu dignum est, quod dum liquores hi acerrimi committuntur, mox sales sibi invicem occurrentes strictè combinantur, interim particulæ sulphureæ, quæ uberi copia suppetunt; prorsus exclusæ & manumissæ avolant, atque salina quædam corpuscula secum auferentes, calorem, & fumum (quasi aliquid actu combureretur) valde tetrum ciens, dein his abactis, salinæ relictæ cum aliquotis Antimonii terreis strictius combinantur, demumque ignem passæ, ut sulphur Emeticum penitus exhalet, atque salium aculei corrosivi destruantur, Diaphoreticum insigne constituunt, in quantum scil. medicamenti sales diversimodi, corporis nostri salibus occurrunt, quibus dum uniuntur, sanguinis, & humorum compages laxantur, ut recrementi serosi exitus patescat, pari omnino ritu ac cum spiritus nitri Butyro Antimonii, etiam Aquæ fortis limaturæ ferri affusa, ebullitionem magnam cum calore, & fumo nigrescente ciet; in quantum sc. particulæ sulphureæ, dum sales combinantur, velut ab igne accenso confertim avolant. Quodque flamma actualis hic non accenditur, ratio est, quia particulæ plures salinæ, una cum sulphureis accendunt; à quibus hæ, ne prorsus coeuntes effiagrent, ubique sejunguntur.

Bezoart. minerale compendio magis parandum perhibetur ad hunc modum: *Butyrum Antimonii aq. font. infusum, præcipitabitur in pulverem album, Mercurium vitæ dictum: qui exsiccatus injiciatur sensim sali nitro in crucibulo fuso, per horæ quadrantem fluere sinatur. Postea nitro aq. font. affusione crebra soluto, calx alba, & fixa remanebit:* Quæ tamen, etiamsi pro diaphoretico usurpetur, longè differt à Bezoart. minerali; quorum in illa sales menstruorum à quibus medicamenti virtus plurimum dependet, fere in totum abluuntur: quinimo illud propius ad naturam Cerussæ Antimonii accedit, seu potius idem cum ea esse videtur.

2. Antimonium Diaphoreticum.

Antimonium bis, vel ter calcinetur, cum nitri æquo pondere, dein in crucibulo liquatum, vel aliquandiu fundatur, vel carbone injecto tamdiu detonet, donec, sulphure penitus absumto, calx sale & terrâ fere tantum constans, atque particulis igneis imbuta remaneat: quæ cum crebra ablutione (uti mos est) edulcoratur, mere caput motuum, sive terra insipida evadit. Et quamvis diaphoretici nomine insigniatur, nescio cujusmodi ejus particulis hæc virtus attribui possit; atque talem effectum ab hoc pharmaco sæpius frustrà expectavimus. Pro sistendis seri aut sanguinis fluxionibus non raro cum fructu adhibetur, eo quod hæc terra propriis salibus orbata, alienos (quibus forte in corpore nostro occurrit) acidos sales imbibit; qualem energiam Crocus Martis, per reverberii ignem paratus, à simili causa, prout alibi innuimus, obtinere videtur.

Cerussa Antimonii, è puriore ejus parte. scil. Regulo cum nitro calcinato, parata, solummodo calx ejus purior, seu magis defæcata existit. In cujus præparatione Tartarus additur, quoniam Regulus Sulphure (sine quo nitrum non efflagrat) pauciore datatur: quamobrem ut calcinatio melius peragatur, Tartari, qui particulis sulphureis abundat, additione opus est.

3. Flores Salis Armoniaci.

℞. Salis Armoniaci pul. ℔ j. limaturæ ferri ℥xij. simul trita, & mista destillentur in retorta colli amplioris, igne reverberii per gradus aucto: liquor flavescens, qui spiritus salis est, in recipiens extillabit, atque flores partim in hujus latera partimque in retorta collum sublimabuntur, qui collecti in vitro serventur. Dosis gr. v. ad xv.

Hæc operatio peragitur miscendo salem Armoniacum cum colcothare loto, etiam cum calce aut sale tartari. Hujusmodi mixturæ ratio est, Primo ut sal Armoniacus à fusione impediretur Secundo ut cum salis fixioris particulæ ferro colcothari, aut calci Tartar adhærent, volatiles eorum, vinculis liberæ, faciles ascendant. Tertio ut flores, dum ascendunt, quidpiam alterius concreti, sc. Martis Veneris, aut salis Tartari secum vehant, ejusque virtute imprægnentur. Quando sublimatio cum ferro, aut calce Tartari peragitur, è capite mortuo utroque, Tincturæ cum spiritu vini non contemnendi usus eliciuntur.

4. Spiritus Salis Armoniaci.

℞. Tartari cum nitro calcinati, & salis Armoniaci ana ℔. iij. singulatim pulverata, & mista, ponantur in cucurbita ampla, affundendo aq. font. ℔. vj. vel viij. & destillentur furno arenæ. Spiritus lenissimo calore ascendet, purus & valde penetrans sine ullo empyumate; hunc si Cucurbita altiore rectifices, sal. volatilis purissimus in alembicum sublimabitur.

Processus hujus ratio est. Sal Armoniacus constat sale volatili ex fuligine, & urina, & sale marino: qui omnes cum inter sublimandum combinantur, particulæ salino volatiles, sulphureis adhærere solitis exutæ prorsus, à salino-marinis figuntur adeo, & staturninantur, ut aufugere nequeant. Quamprimum vero hoc vinculum solvitur, viz. quando hic sal compositus, cum sale Tartari in aqua dissolutus intime miscetur, Particulæ salis marini, salino fixis Tartari cohærent; proindeque volatiles earum complexibus dimissæ, & ad avolandum paratæ, facillime ascendunt: quod autem spiritus sale Armoniaco extillatus, nullam, uti fuliginis, aut urinæ stigmata, graveolentiam habet, ratio est quoniam in compositione ista, sal volatilis, salis marini interventu particulis quibusque sulphureis exuitur, quæ, cum fuligo aut urina per se destillantur, sali volatili pertinaciter adhærent: quod ex utriusque fœtore plane liquet: tum insuper quia liquores è concretis istis extillati, primo limpidi & clari, postea flavescunt, ac demum rubri, ac nigri, & opaci evadunt; viz. in quantum particulæ sulphureæ à salinis primo subjugatæ, & occulatæ, sensim emergentes, sese explicant, aliisque supereminent.

Quod vero in compositione salis Armoniaci, particulæ Salis marini, urinæ, ac fuliginis partem sulphuream abigunt, atque salem volatilem figunt, etiam hoc experimento (quod Clariss. Zuvelferi; pro figendo sale volatili inventum est) manifeste patet: Ex. gr.

℞. Salis volatilis è viperis, urina, aut C.C. prolicit q.v. huic Cucurbitæ stricti, & excepto parvo foramine, clausi orificii indito, guttatim instilla spiritum salis marini ad eminentiam ij. vel iij. digit. donec sal omnis dissolvatur: solutionem hanc filtra, & in cucurbita ad siccitatem abstrahe. In fundo sal boni odoris, subacidus, & salini saporis remanebit; cujus usus ad plures affectus eximie prædicatus: super hoc amplius expertus sum, nempe quod, salem tuum volatilem si recuperare velles, huic salem Tartari committas, & in phiala sublimes; sal volatilis purissimus ascendet. Hoc modo spiritus fuliginis, C. C. & sanguinis ita rectificare possis, ut sulphure eorum penitus abacto, remedia magis grata, & minus corruptibilia evadant.

Spiritus Salis Armoniaci etiam aliis mediis destillatur, viz. si quando salis istius solutio cum Lixivio salis fixi, aut calcis vivæ in æq miscetur; namque his, & forsan quibusdam aliis modis, dum particulæ salis marini nova connubia ineunt, priores nuptæ aufugiunt. Pariter se habet circa destillationem urinæ, uti proprio in loco ostenditur.

5. Spiritus Fuliginis, Sanguinis, C. C. &c.

℞. Fuliginis è lignis combustis ponderosæ, ac instar picis cum nigredine splendescentis q. s. ut retorta terrea supra medietatem impleatur; dein recipiente amplo adaptato, destillatio igne reverberii, per gradus ad mediocritatem aucto instituatur, brevi ascendent spiritus in fumo albicante, dein oleum flavum, cum sale volatili, ac ultimo oleum nigricans, sal per se colligatur, liquor reliquus ab oleo nigro

per

per filtrationem separatus, rectificetur, destillando in Balneo Mariæ, aut arena, bis vel ter: etiam sal volatilis rectificando in cucurbita altiore depuratus servetur ad usum. Dosis sp. gr. 12. ad 20, salis à gr. 6. ad xij. vel xv.

Frustula vel ramenta C. C. vel eodem modo, igne nudo, vel in retorta vitrea fumo arenæ destillentur, Pariter à cranio, ossibus, & sanguine, spiritus, cum sale volatili ac oleo fœtido proliciuntur.

6. Guiaci, Buxi, aliorumque lignorum ponderosorum spiritus, & Extracta resinosa.

Hujusmodi ligna Diaphoreticis merito accenseri inde constat, quod decocta sudorifera potissime ex iis parantur. Horum virtus Hydrotica in principio tam salino, tum sulphureo consistere videtur; quippe utriusque generis particulis hæc corpora abunde referciuntur. Quare præter communem per infusionem, & coctionem, præparandi modum, Analysi chymica principia illorum nempe salis, & sulphuris seorsim educuntur, atque in concreta peculiaria, nempe in spiritum oleum, & resinam redacta, Diaphoretica elegantia, jucunda & magis efficacia constituunt.

1. *Spiritus, & oleum* ad hunc modum parantur. *♃. Scobis ligni Guiaci ℔ ij. destilles igne reverberii, vel in furno Arenæ cum calore forti. Prodibit liquor acris, & nonnihil acidus, oleumque flavum, ac nigrum; ultimum hoc separa, & reliquum in cucurbita rectifica, habebis spiritum clarum, & odore acrem, atque etiam flavum & ponderosum oleum, quod in fundo laticis aquosi subsidet. Dosis spiritus ʒ ß. ad ʒ i ß. olei gr. vj. ad xv. in convenienti vehiculo.*

Medicamentum utrumque Diaphoreticum est, & cum fructu in Hydrope, Scorbuto, & Lue venerea usurpatur. Proculdubio hujus concreti pars salina, quæ partim in fluore est, partimque volatilis, una cum phlegmate, spiritum ita dictum constituit; & pars sulphurea purior oleum flavum, quod insuper ob salis portionem adhærentem grave est, ac subsidet: Quinimo spiritui, sive stagmati acido-acri particulæ quædam sulphureæ pertinaciter adhærent, propterea ut semper fœteat, & limpiditatem cito amittens in flavum, & rubrum degeneret. Oleum nigrum constat sale, & sulphure crassiore, hoc est, cum terræ portione admista. In Guiaco Elementum salinum, quoad maximam partem, ultra fixitatis, in fluoris, & volatilitatis statum evehitur, quare lixivium è cineribus ejus, minus salis exhibet. Longe secus habet in Tartaro, cujus particulæ salinæ aliquotæ tantum in fluore, & volatilitatis statu sunt, pluri æ tamen manent fixæ.

7. Resina Guaiaci *paratur eodem modo, quo resina Scammonii, aut Jalap. sc. tinctura extrahitur cum spiritu vini, dein abstrahitur ad medietatem, atque lympha cucurbitæ infusa, resina in copia ingenti præcipitabitur, quæ exsiccata & pulverata, detur à ℈j. ad ʒ ß. cum aliis sudorificis in forma solida.*

Resinam hanc Guiaci partem sulphuream esse, inde constat, quia post extractionem hujus, si magma reliduum in retorta calore Arenæ, aut igne nudo destillabis, phlegma, & liquorem acidum in proportione solita habebis; olea vero in perexigua tantum quantitate prodibunt. Quamobrem à spagyrica hac ligni istius Analysi concludere licebit, elementa chymica, quot, & qualia olim alibi, asserimus, mixtis re vera inesse; & non ab ipsa ἐγχειρήσει (prout nonnulli aiunt) tantum apparenter produci.

8. Spiritus Tartari.

♃. Tartari albi electi, ac splendescentis, loti, & exsiccati (seu potius uti Zwelferus præscribit soluti ac unica vice chrystallisati) ℔.iv. destil. in retorta cum recipiente amplo, igne per gradus aucto, donec fumi penitus cessabunt. Habebis phlegma, spiritum, oleum flavum, & nigrum: hoc ultimo separato, liquor reliquus cucurbitæ vitreæ inditus, calore Arenæ bis, terve rectificetur, abstrahendo quaque vice tertiam solummodo partem. Dosis spirit. ʒ ß. ad ʒj. olei ℈ß. ad ℈j. in corpore præparato satis potenter sudores movent.

Tartari genesin, & Analysin, consideratione multa dignam, non est ut hic loci plene tradamus: verum, ut breviter Anatomen ejus perstringamus, concretum hoc plurimo sale (cujus particulæ plurimæ in fixitatis, & aliquotæ in fluore, & volatilitatis statu sunt) multo sulphure, pauco spiritu, atque phlegmate, & terra mediocribus constat. In destillatione sal volatilis cum spiritu ascendens, liquorem nonnihil acrem, & pungentem reddit; qui insuper, ob salis fluidi, & sulphuris copiam, aliquantulum acidus est, ac insigniter adeo fœtet, ut vix ulla rectificatione bonum odorem acquirat. Quoad hujus stagmatis extillati contenta, haud multum à Guiaci producto discrepat, nisi quod spiritus minus acidus est ac non ita promte corallia, ac testacea dissolvit: verum inter hujus, & illius caput mortuum discrimen ingens occurrit, quoniam è Guiaci cinere salis fixi minimum, ac è Tartari calce ejus plurimum elixiviatur. Cujus ratio è prædictis patet. *Willisius in Pharmac. suâ Rationali.*

HYOSCIAMUS.

ὑοσκύαμος i. e. faba suilla vel porcina, quòd apri ejus pastu resolvantur & convellantur, præsertim mortis periculo, nisi aquâ copiosâ statim se foris & intus proluerint, ut Ælianus prodidit Lib. 10. Notæ ejus sunt folia in caule alternatim posita: vascula seminalia operculo tecta, quod per maturitatem abscedit, calyx oris quadripartitis acuminatis insignis, vis narcotica & virosa.

Nomina. Hyoscyamus vulgaris, *J. B.* niger, *Ger.* niger vel vulgaris *C. B. Park.*

Odore fætido facilè se prodit hyosciamus niger, nusquam non obvius, Acanthii vulg. foliis, follibus, lanuginosis, pinguibus, incanis, per margines altius incisis, copiosis, nullo ordine in caulibus, cubitalibus ramosis, crassis, densa lanugine obsitis. Flores confertim enascuntur calathi effigie, lutei purpurascentium linearum crebro discursu versiculores, fundo obscurè purpureo in quinque obtusa segmenta partiti. Stamina quinque brevia purpureos apices crassos & oblongos gestant; stylus longior apice rotundo albo, medium florem occupat; Calyx floris hirsutus, oblongus, margine in denticulos rigidos acuminatos quinque partito, delapso flore in ventrem extumescit & vasculum seminale continet, in bina loculamenta divisum, semine pusillo obscure cinereo refertum, Radix subest crassa, rugosa intus alba, foris fusca, minus olida quàm folia.

Secus vias ubique ferè gignitur in incultis, ruderatis & pinguibus locis.

Vires. Hyoscyamus refrigerat & emollit mirè, somnum inducit, dolores sedat, acrimoniam mitigat, at rationem perturbat, unde internus usus rarissimus est; adversus acres calidasque oculorum defluxiones prodest: sanguinis eruptiones, muliebriaque profluvia compescit, ad testium aliarumque partium inflammationes adhibetur; necnon ad podagram & dolorem ischiadicum in fomentis.

♃. Fol. hyoscyami decoquantur in lacte bubulo, & fiat cataplasma quod mirificè proderit, ut ait Duretus in adversar. supra Hollerium.

Vini Hispanici vel Græci in quo seminis hyoscyami modica quantitas per diem unum vel alterum infusum fuerit patera una hora somni sumpta requiem suaviter conciliat.

Seminum hyosciami ex papaveris albi ana ʒij. conservæ rosarum rubrarum ℥ij. in formam electuarii redacta, & nucis myristicæ magnitudine exhibita hæmorrhagiam quamcumque sistunt *D. Boyle de utilitate Philosoph. Nat.*

Apud nos (inquit C. Hofmannus) ex semine hyoscyami fit oleum, cujus ad parandum somnum miræ sunt

ſunt vires, temporibus illiti. Eſt etiam in uſu in gonorrhæa & nimiis menſibus, regioni lumborum & perinæo adhibitum. In doloribus aurium, ubi leviora anodyna non inveniunt locum cum croco aut caſtoreo etiam infunditur. Ita in dentium doloribus cum lanâ imponitur.

Andegavenſes & Pictones adverſus pruriginem illam moleſtam, & tumores manuum pedumq; à frigore contractos hyoſciami citinos carbonibus inſpergunt, fumumq; exhalantem manibus, pedibusq; excipiunt.

N. Expreſſus quoquo modo ſuccus (ut rectè Caſp. Hofmannus) tutior eſt illô qui ex inciſa planta profluit eſt enim opio ſimilis. Rurſus expreſſus ex ſemine ſicco affuſâ aquâ, tutior eſt illo qui ex tota planta viridi fit. Tandem aqua deſtillata omnium tutiſſima eſt.

Hyoſcyami albi uſus mitior eſt & tutior multo quàm *nigri*.

Ratio cur ſuccus expreſſus mitior ſit è vulnere inflicto effluente hæc nobis videtur. Cum in omni planta duplex nimirum ſuccus ſit, alter aquoſior magiſque inſipidus, alter plantæ proprius & ſpecificus; hic autem inciſione facta è vaſis, utpote majoribus, ſponte effluat, ille ob vaſorum anguſtiam non item: qui fit per expreſſionem totam lympham continet, quæ longè copioſiſſima eſt; & ſuccum plantæ eſſentialem valde diluit & enervat. Cum qui ſponte effluat eſſentialis ſit & ſpecificus, ſyncerus & immixtus in quo tota vis plantæ qua talis reſidet.

Semen hyoſcyami prunis impoſitum fumum emittit teterrimi odoris, quô naribus vel ore per infundibulum exceptô empirici expellunt vermiculos, qui aliquando in naſô aut dentibus naſcuntur, eoſque in ſubjecta pelvi aqua repleta excipiunt, ut melius oculis percipiantur. *Hæc ex Raii Hiſt. Plant.*

Clariſſ. Gabr. Clauderus Miſcell. Curioſ. Dec. ij. Ann. 6. de viribus hyoſcyami, hæc habet. Jubebar 6. ab hinc luſtris à Magiſtratu noſtrô Ducali cum aliis Medicis auxilia ſuppeditare oppido vicino à Dyſenteriâ Epidemiâ crudelia patienti: præſens ſimul Medicus rerum Chymico-Medicarum apprimè gnarus, inter alia varia commendabat experientiâ probatam potionem ſequentem ℞. aq. hyoſciam. ℔. iij. ſyr. flor. papaver. errat. cydonior. ana ℔. ß. M. Hæc felici affectû acres ebullitiones reprimebat, tormina ſedabat, ac vires refocillabat. Quanquam poſtea diverſis in modis, additis tamen ſemper appropriatis, adhiberi ſoleo; & cùm in reſiduô à deſtillatione potiorem virtutis portionem reſtare crediderim, ſuccum expreſſum in extractum inſpiſſare curari, ubi obſervabam inter coctionem innatare ſpumam craſſam, fœtidam, quam cochleari cautè ſeparari, cùm extra dubium maligna iſta ſulphurea, ac quaſi venenata ſylveſtreitas, præprimis in eâ reſideat. Huic extracto ſuperfudi ſpir. lilior. convall. q. ſ. pro eſſentiâ extrahendâ. Mixtam hanc eſſentiam approprietatis confortantibus, purificantibus, figentibus &c. prout affectus juſſerit, hucuſque ſecurè propino eâdem doſi ac methodô, veluti eſſentias opii cautè præparatas doloribus ſedandis, fermentationibus p. n. calidis ſupprimendis, ſomno leniter procurando adhibere ſolent Practici moderni ſagaciores. Ipſum quoque hyoſcyami ſemen innoxiè, & laudabili ægrorum ſolatiô internè datur, præcipuè in emulsô cum aliis, & Hæmoptiſicis proficuum eſt. Quemadmodum ita uſui interno ſe ſe accommodare patitur hyoſcyamus, ita multò magis externis miſcetur remediis, præcipuè ubi virtus anodyna expetitur; ſic v. g. ſæpe contra dolores abdominis à ſerô acri vel acidô ortos (junctis tamen ſimul internis) mirè proſunt bini ſacculi in lacte cocti alternatim impoſiti, qui continent herb. hyoſcyam. flor. chamom. ſumm. anethi, ſem. cumini, bacc. junip. Non minus oleum è ſem. expreſſum oleo chamomill. vel anethi, & ſtill. chamom. optimè conducit. Quamvis autem hyoſcyamus, uti dictum, citò, tutò ac jucundè viribus ſuis beet ægrotos, tamen juniores Practicos monere conſultum cenſui, quòd hic quidem omnino aliis ſit miſcendus; temperatis ſcil. & minimè violentis, aut nimirum penetrantibus, v. g. ſalibus alcalibus copioſis. Candidè apponam exemplum. Fæmina primaria corripiebatur intensô abdominis dolore ſcorbuticô. Internè propino ſtatim ſal. vol. oleoſi cortic. aurant. poſtea oleum amygd. dulc. mixtô vini malvatici modicô; exteriùs vero applicari ſpecies in lacte coquendas paulò antea notatas. Medicus verò ſimul in conſilium vocatus pro magis augendâ remedii efficaciâ mihi perſuadet ut locô lactis ſpecies coquantur in aquâ calcis vivæ. Dum famula ſacculum decocto exemptum exprimit pro applicatione, ambæ manus ut & per conſenſum brachia, corripiuntur ſubitò tumore ac ſtupore valde dolorosô per aliquot dies, ſpiritû lumbricor. terreſtr. ac ſpiritû ſal. armon. item decoctô ſpecierum ne ... vinatum corrigendo. Hæc *Clauderus*.

Hyoſcyamum lacti incoctum & ſub clyſteris formâ injectum non parum quibuſdam pro dyſentericis commendatur. Verùm ſuccus ejuſdem plantæ eodem modô injectus ſulphuribus narcoticis ac etiam ex parte malignis, cùm nimiùm ſit prægnans, ſopores graviores ac periculoſiores inducere poteſt, ut patet ex experimentô de quô Domin La Serre Miſcell. Curioſ. Dec. ij. Ann. 6. de Monpelienſi Chirurgô qui cum integram libram ſucci hyoſcyami per anum ægro dyſenterico infudiſſet, hic omnino catalepticus evaſit, ut vix remediis appropriatis intra viginti quatuor horas ab affectione funeſtâ liberari potuerit; imò per 6. ad minimùm ſeptimanas quaſi temulentus perſtiterit.

Noxia autem non parum eſt hæc planta ſi integra comedatur, tum cruda, tùm cocta, mentis enim perturbationem non parvam, ac furoris aut maniæ ſpeciem, cum aliquô ſopore inducit, aut patet exemplô quatuor juvenum ſtudioſorum de quibus *Clariſſ. Simon Schultzius Miſcellan. Curioſ. Decur. j. Ann. 4.* quorum hic poſt comeſtas hyoſcyami radices frixas, non tantùm verberibus excepit ſocios, ſed etiam omnia aurea credebat; ille non itidem minori furore percitus homines præterea porcos opinabatur &c. Item ex obſervat. *Clariſſimi Wolffii* quæ in *Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 2.* reperitur, ubi ex hyoſcyami radicum esû in paupere viduâ obmuteſcentia, occæcatio, amentia aliaque inducta ſunt, quæ vomitu eumque ſubſequente trium dierum ſomno profligata fuere. In puerulô verò ac puellâ ex eôdem esû conſtrictio faucium, oculorum caligatio, motus convulſivi, deliria, diarrhæa, immodicus ſomnus, pectoris anguſtia, vertigo, oculorum inverſio, vomitus, lipothymia, & alia enaſcebantur ſymptomata, quæ tamen ſponte ſuâ tandem evaneſcebant; ſecus ac evenit ruſticis Roſtochienſibus de quibus Sim. Pauli in Quadripart. Botanicô, qui deinde enecti ſunt: Quia nimirum præcipua venenoſitas in ſpuma quâdam fœtidiori deliteſcens ex obſervatione Clauderi, inter elixandum fuerat procul dubiò ablata. Nam nos ipſi apud quendam Concivem noſtrum vidimus tum patrem ac matrem familias, cum numeroſiori familiâ, ex ſupremæ radicis ac caulis hyoſcyami eô tempore quô primum è terrâ erumpunt pro carduô tomentoſo collectorum, & vini pipere & ſale ſine ullâ præmiſſâ coctione eſitatione, vomitus enormes, ſyncopes frequentes, deliria, ſapores aliaque verè funeſta ſymptomata introducta fuiſſe, quibus ſanè ni citò ac in tempore remediis aptis occurſum fuiſſet, procul dubio major eorum pars ad certum properabat lethum.

Hyoscyamus Peruvianus, vid. *Tabacum.*

Hypactica & Hydragoga, vid. *Purgantia.*

Hypecacuana, vid. *Ypecacuana.*

HYPECOUM.

Ejus duæ sunt species in regionibus calidioribus satis familiares, sed nullius in Medicinâ usus quamvis non minùs narcoticæ credantur quam papavera.

HYPERCATHARTICA.

Remedia superpurgantia, de quibus ut & corundem medela, vid. sub titulô *Purgantia.*

HYPERICUM.

Hypericon, Androsæmum, Ascyron non aliter inter se differunt quàm ut genus & ejusdem species, hypericum enim generis nomen habet Ascyron & Androsæmum quarundam ejus specierum.

Hyperici nominis rationem non invenio, Ascyron grammatici per antiphrasim dictum volunt cum mollis herba sit, σκῦρος enim Græcis asperitatem significat, Androsæmum autem ab ἀνδρὸς αἷμα dictum constat, quod comæ ejus tritæ terentium digitos velut cruentent.

Notæ hyperici characteristicæ, præter foliorum in caule situm adversum, sunt flores flavi staminibus multis, vasculum seminale è tribus partibus (in uno genere quinque) compositum, triplici stylo, comâ attritu sanguineum succum reddens.

Vires. Diureticum est & vulnerarium insigne, decoctum & potum febri tertianæ & quartanæ medetur, Trag. Cam. exscreationes sanguinis sistit, vulneribus & erosionibus internis auxiliatur. Sanguinem coagulatum resolvit. Cum sanguinis fluxum sistat, quomodo coagulatum dissolvit? Calculum renum atterit, lumbricos expellit semina in pericardiis seu summitates ad vulneraria balsama nulli secunda, experimento Chirurgorum Monspeliensium.

Oleum hyperici duplex habetur simplex & compositum & utrumque variè apud varios struitur. Gerardus noster oleum hyperici quod magnis laudibus effert & balsamo cuivis naturali præfert, sic parat ℞. vini albi sextarios duos, olei olivarum ℔. iv. olei terebinth. ℔ ij. foliorum, florum & seminum hyperici leviter contusor. ana ℥ ij. vasi vitreo capaci indantur & insolentur per octo vel decem dies, deinde coquantur in balneo M. & colentur, abjectisque herbis novæ indantur & operatio repetatur.

Herbæ decoctum quadraginta diebus potum, vel etiam seminum pulvis uterum & podagram sanat, calculo apprimè conducit, interaneorum vermes necat, & balsamica qualitate sanguinem imbuit *D. Bowle.*

Tinctura florum hyperici egregium est medicamentum in mania intus sumptum, *Sala, Grembs*: mihi quoque sæpius expertum idem præstat & in melancholia *D. Needham.*

Inter varias hyperici virtutes unius hic meminisse publico ægrotorum plurimorum commodo intererit. Est vero præstantissimum ad lumbricos pellendos si flores in spir. vini infusi exhibeantur: id quod certa nobiliss. matronæ experientia didici *I. Bartholin. Act. med. an.* 1671. 1672. *Obs.* 40. non est autem hoc novum experimentum, hyperici enim succum ad vermes necandos commendat *Camerarius* & alii, ut superius vidimus *Schroderus* superstitiosus nimis, hypericum lumbricos fugare ait, sed si tempore exaltationis collectum fuerit, aliàs hâc facultate destitui.

HYPNOTICA.

De iis forsan jam satis abundè sub titulô *Anodyna.* Hic tamen rursus quædam ex Celeberrimô Willisiô.

Quoties spiritus Animales supra modum incitati, circa munia supra obeunda, aut nimis, aut irregulariter agunt, ad sedandos eorum impetus, aut inordinationes, narcotica tempestive exhibita opem sæpenumero egregiam præstant: tales illorum exorbitantiæ, à quibus Opiatarum usus indicatur, aut sensum aut motum respiciunt. Functio prior cum sit duplex; sensuum internorum vitia præcipua sunt, vigiliæ, ac delirium; externorum vero ægritudo, medicinam hanc potissime requirens, est Dolor. Motuum Anomaliæ, à narcoticis regulandæ, imprimis sunt pulsus vehementior, præcordiorum, aut viscerum spasmi, quin & horum excretiones nimiæ ac violentæ. Adeo plures, & diversimodi sunt casus, in quibus, dum spiritus animales, tanquam equi ferocientes aut furiosi decurrunt, aut extra orbitas desiliunt, ab Opiatis, tanquam frænis injectis, coërceri, aut reduci debent. Cujusque horum instantias, una cum fiendi modis, & medendi rationibus hic breviter subjiciemus.

1. Primo igitur Opiatæ necessario & maxime proprie indicantur à Vigilia in quantum sc. somnus affectio huic contraria, proindeque curativa ejus existit. Quot modis, & ob quas causas vigiliæ excitari, & diutius permanere solent, in nupero tractatu satis fuse declaravimus; in quibus singulis casibus, quandoquidem spiritus Animales nimis efferi, & irrequieti sese importunius exerunt, & tùm organa sensoria, tum præcipue extimam cerebri oram, usque quaque inflant, & irradiant; particulæ opiaticæ sanguinis commeatu huc traductæ, illico spiritus in prima acie excubantes perimunt, aut consternunt, proinde ut proximi quique intro compulsi sistantur, & ab emanatione sua quaquaversus habenda multum coërceantur: quapropter mox spiritus omnes extrinseci, tum sensus motus cujusque spontanei organa incolentes, capitalium istorum affluxu solito destituti, etiam excubias suas dimittunt, ac intus recedentes otiosi decumbunt.

Secundo in affectibus Deliris, Opiata sæpe cum fructu adhibentur, (quamvis interdum ea noxam potius afferunt, prout infra declarabitur.) Prioris ratio est, quod cum spiritus intra cerebrum nimis incitati, ac velut œstro perciti, meatuum suorum vias solitas, & tritas facile transiliunt, tunc medicina narcotica, juxta cerebri oram appulsa, afflatus eos tanquam canes venaticos exspatiari aptos, reprimit, & è motu omni paululum sistit; ut sæpius, cum denuo moveantur, tractus suos priores repetant, & functiones pristinas rite obeant.

Tertio Opium pro doloribus quibuscumque sedandis præstantissimi semper usus habetur; quamobrem merito Nepenthe appellari solet, & remedium vere divinum existit. Et quidem satis mirari vix possumus, quomodo urgente visceris aut membri cujuspiam tortura insigni, & intolerabili cruciatu, pharmacum hoc, incantamenti instar, levamen & ἀναλγησίαν subitam, immo interdum absque somno, aut saltem prius quam advenerit, concedit. Porro adhuc magis stupendum est, quod donec particulæ Opiaticæ operari, & potentiam suam narcoticam exere continuant, immo etiam aliquamdiu postquam somnus finitur summa alleviatio, & indolentia in parte affecta persistit; dein vero, exactis medicamenti viribus, illico redeunt tormina, nec atrocitatem suam remittunt, nisi dum ab eodem pharmaco rursus incantantur.

Hujus rationem inquirenti non facile occurrit, in qua parte medicamentum Anodynon potissimum operatur & virtutem suam exerit, dum absque somno, aut post finitum, dolores sedat, & pro stato quodam tempore ἀναλγησίαν continuat: viz. utrum vis ejus narcotica in partem dolentem, vel in commune sensorium, vel in totam Animam sensitivam impendatur. Propositorum discriminis ratio est, quia dolor in uno loco excitatus, in al-

in altero sentitur, ejusque effectus per totam animam diffunditur. Productio ejus in hoc consistit, quod fibræ nerveæ à quodam incongruo, valde improportionato irritantur plurimum, & ab invicem divelluntur, proinde ut spiritus in iis scatentes, mox distrahantur, & ab æquabili sua expansione correpti in confusionem agantur; attamen doloris sensus efficitur, quatenus illa spirituum perturbatio, undulatione quadam per ductus nerveos ad commune sensorium, sc. corpora striata, delata, spiritus ibidem consitos, in parem distractionem concitat; cujusmodi affectio, ulterius ad cerebri meditullium pergens, imaginationem commovet, indeque mox reflexa per totam spirituum hypostasin molestiam, sive inquietudinem quandam diffundit. Cum itaque doloris passio ita late extensa & tã varij respectus fuerit, jure inquiritur cujusmodi activitatis sphæram Anodyna habeant.

Super his nullus dubitandi locus est, quin quoties ab Opio assumto primo somnus inducitur, consequenter ἀναλγησία succedit; tunc enim hæc illius immediatus, effectus è vestigio sequitur, quatenus nempe cum spiritibus cerebri incolis etiam πρῶτον αἰσθητήριον actuantes ligantur, & proinde, quantumlibet pars dolens irritatur, doloris sensus omnis inhibetur: at vero quod, cum patiens evigilet, adeoque persistens, functionis qualq; Animales vegete exerceat, per totidem ab Opio exhibito horas indolens maneat, & deinde pharmaci viribus absumtis mox eadem tragœdia redeat, hic certe nodus vindice dignus videtur.

Ad quem solvendum, non est ut dicamus spiritus partis dolentis aut communis sensorii incolas, viz. aut hos, aut illos singulatim, aut simul utrosque, à pharmaco Anodyno ligari. Quippe haud credibile est, Opii particulas cerebrum, & nervorum genus ita penetrare, ac altius subire, ut illo superato, illæso, ad ultimas hujus oras tam brevi descenderunt: porro nec putandum est, spiritus corpora striata incolentes, (cum durante vigilia ἀναλγησία aliquamdiu maneat) pro captandis quibusque aliorum sensibilium impressionibus expergefactos, solummodo ad appulsus à parte dolente factos obsurdescere. Quandoquidem igitur indolentia, post somnum finitum, neque ad partem dolentem, neque ad primum sensorium, ab Opio stupefactum referri debeat, videamus quomodo hujus Ætiologia à totius Animæ sensitivæ affectione quadam narcotica deduci possit. Hoc autem facile liquebit, postquam hæc duo præmisimus.

Primo ad dolorem quemvis excitandum aut continuandum peropus esse, ut spirituum copiæ satis uberes usque in parte affecta scateant: quippe horum tumultuantium excandescentia, distractio, & mutua aliorũm alios allisio, ipsissima causa cõjuncta sunt molesti istius sensus, qui dolor appellatur; quapropter si nervis constrictis, spirituum ad locum dolentem affluxus inhiberi, aut multum diminui possit, necesse foret dolorem cessare; eo nimirum quod spiritus isti subsidiis, aut supplementis usque novis destituti, tenuiter, & sparsim adeo in fibris jacerent, ut vix se mutuo tangerent, saltem in furorem & indignationem minime erumperent.

2. Cujusmodi hic pro ἀναλγησίᾳ accienda spirituum destitutio, sive subductio requiritur, nulloque alio remedio aut ἐγχειρήσει procurari potest, sæpissime ab Opio exhibito produci solet. Enimvero à pharmaci hujus particulis τῦ ἐγκεφάλυ oram obsidentibus, non solum spiritus quidam extimi, & velut præcursores (uti dictum est) perimuntur, sed illorum intra cerebri, & cerebelli meditullia, mox primæ scaturigines, indeque in nervosum genus effluxus valde supprimuntur, adeo, ut durante Opij ἐνεργείᾳ, multo parcius, & diminutius illi in præcordia, viscera, imo & in qualcumq; alias partes dispensentur. Hinc pulsus, & respiratio de vehementia, & crebritate sua remittunt, & nonnunquam subito hæc difficilis, & iste debilis evadit; plerumque etiam membra quæque ac artus languor insolitus, ac pigrities incessit. Porro hinc viscera in spasmos, sive excretorios, scil. per vomitum, aut secessum, sive dolorificos, uti in colica, aut Nephritide prius irritata inordinationes suas deponunt: viz. ob hanc rationẽ, quia dum in parte affecta spirituum copiæ subsidiariæ, & supplementa deficiunt, pauciores illi superstites tumultui, & excandescentiæ non amplius vacant; quinimo, ut omnino subsistere, & se tueri possint, quieti jacent: deinceps vero quando difflatis Opij particulis, spirituum intra ἐγκέφαλον penus, eorumque inde in partes nerveas emanatio redintegratur, ita, ut pleno rursus alveo, illi ad partes affectas descenderint, earumque rursus fibras adimpleverint, illico, ob spiritus iterum accumulatos, & sicut antea proritatos, iidem spasmi, aut dolores redeunt.

Proculdubio juxta hunc afficiendi modum, & juxta rationem modo assignatam, Opiatæ dolores atrocissimos plerumque sedant, atque indolentiam cum, vel absq; somno procurant, eamque post hunc finitum aliquandiu, & pro stato quodam tẽpore continuant; quo spatio elapso dolores mox recrudescunt, & brevi ad solitam ferociam augentur. Hujusmodi narcoticorum effectus, in curatione Colicæ scorbuticæ satis vulgò notus, exorcismo cuidam similis videtur; quatenus nempe dolor, tanquam dæmon aut spiritus malus, solummodo pro tempore quodam determinato ligari possit, deinde ut, rursus deſævire incipiat. Inter affectus dolorificos, quibus Opium succurrit, jure hic locum vindicant, Podagra, & calculus vesicæ. In doloribus Arthriticis Anodynon istud opem sæpe egregiam, & quasi divinam præstat. Posterior hic morbus, cum in senibus immaniter sæviat, & per lithotomiam curari nequeat, à nullo alio remedio præterquam à narcoticis levamen admittit. Quamobrem in hoc casu nonnullis Laudani aut Diacodij usum constantem & quotidianum suasi, quod cum magno vitæ solatio, nullam ab eo noxam sortiti, fecerunt, quamvis dosin ejus subinde augentes, ad magnam quãtitatem ascenderint. Hæc de medendi aut juvandi rationibus, quas circa functionis sensitivæ enormitates regulandas, Opium præstare solet: videamus tandem quomodo, & quantum hæc Panacæa, pro Motuum Anomaliis sanandis, aut sedandis conferat.

B. Functionis motivæ immoderatio, aut irregularitas, pro quibus ritè componendis, Opiatarum usus indicatur; præcipuè spectant ad præcordia, & viscera, (nam spasmi circa caput aut membra non ita necessario hanc medicinam requirunt.) Ad prius illorum referri debet Pulsus, & Respiratio, quoties hæc, vel iste debito crebrior, aut vehementior fuerit: quippe cum in febribus cordis, & pulmonum motus, intensiores facti, sanguinem rapidissime circumagant, proinde ut tum quoad accensionem, tum crasin suam valde pervertatur, & recrementa sua ita penitius incocta secernere nequeat, à narcotico exhibito partium istarum impetus nonnihil refringitur; ita ut sanguis, mox leniter, & temperate circulatus, calorem minus intensum diffundat, atque in compage solutus, serum, & impuritates suas per sudorem, & urinas excernat. Opiata pulsus, & Respirationis actus extenuant, & deprimunt; quatenus spirituum Animalium in cerebello scaturigines sistut, eorumque exinde in nervos præcordijs destinatos effluxum diminuunt; quod si nimis fieri contigerit, propterea functionis vitalis dejectio magna, imo interdum lethalis succedit.

Respiratio non solum quà vehemens, sed insuper quatenus eadẽ interrupta, convulsiva, aut alias diversimode irregularis fuerit, non raro medicinam narcoticam desiderat, hæc in Tussi violẽta aut valde crebra, & continue molesta, præ quibusq; aliis remediis juvare solet. Cæterum in paroxysmis Asthmaticis, ubi Respirationis organis laboriosissime exercitatis, affe-

& in ipsius mortis agone positi videntur, Opiatæ peridoneæ dosis quasi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς omnia mox serena, & tranquilla reddit. Cujusmodi affectuum ratio est, quod in pathematis istis, ubi molestum aliquod partes maxime vitales obsidet, spiritus harum incolæ summe irritati in excandescentias immanes irrumpunt, atque nimis agendo, omnia perturbant & invertunt: quare cum à narcotico assumto, spiritibus ita debacchantibus suppetiæ detrahuntur, illi mox extenuati, & velut orbi, inordinationes suas dimittunt. Porro medicina Narcotica haud minus contra viscerum, scil. ventriculi, & intestinorum, motus immoderatos, aut convulsivos necessaria videtur: namque hæc in vomitu horrendo, in catharsi nimia, aut violenta juvamen sæpe maximum præstare solet. Affectus Dysenterici sine Opio vix curari possunt, non quod pharmacum hoc succos, & humores ebullientes, & efferos figit, sed fibrarum spasmos excretorios sistit, idque partim intra viscerum ipsorum cavitates mero contactu suo spiritus ibidem insitos stupefaciendo, partimque intra cerebellum spiritus inde ad partes illas affluxuros supprimendo, quorum subsidijs illi destituti excandescentias suas spasmodicas facile dimittunt. Possim hic partium aliarum aut spasmos, aut dolores, ab Opio sedari, aut tolli solitos recensere, sed de pharmaci hujus ἐνεργείᾳ, & effectis Anodynis, qui primo ac potissime, in spiritus Animales exeruntur, jam satis dictum est, modo videamus cujusmodi in sanguinem, & humores virtutem, ac vim alteratricem obtineat.

Et quidem Opiata in sanguinem, & succos corporis nostri operari, eorumque inordinationes compescere, nullus fere è plebe est, quin satis perspectum habeat. In catarrhis & defluxionibus cujusque generis, sæpe ad hæc, tanquam ad ultimum Asylum, confugimus; excretiones sanguineas hæc potenter sistunt, item serosas, siquando nimiæ, & colliquativæ fuerint, cohibent, aut reducunt: cruoris febriliter æstuantis ebullitionem immodicam reprimunt, ejusque accensionem nimiam imminuunt. Denique hæc fluctus omnes quacunque fere de causa in corpore nostro excitatos, felicissime sedant, & sanguinis, utut perturbato, statum sæpissime halcyonium, inducunt.

Quanquam hujusmodi effectus magna ex parte, propter mediantes spirituum Animalium affectiones (prout supra innuimus) producuntur (nam in quantum fibræ nerveæ inordinatim contractæ, sanguinem, & humores exagitant, inq; varias fluctuationes, & exundationes cogunt, idcirco spasmorum illorum per Opiatas suppressio, horum æquor mox tranquillum reddit:) veruntamen etiam probabile videtur, particulas Opiaticas, dum sanguini confunduntur, mera συγχρώσει sua, liquori ejus alterationes quasdam inducere: enim vero has cruori heterogeneas prorsus, & immiscibiles, simulque indomabiles esse supra ostendimus; quæ propterea, siquidem latici ejus minime hostiles, aut injuriæ apparent, pro Alexiterijs quodammodo habeatur: ejusmodi nimirum, quæ sanguini confusæ, massam ejus cito; ac fere illibata pertranseunt, atque transitu suo poros, & meatus omnes aperiendo sero, alijsque recrementis, aut miasmatis malignis intime conclusis, & constrictis, exitum patefaciunt, imo eadem ante se foras propellunt. Quapropter non immerito prorsus est, quod Antidotorum præcipuorum, uti Theriacæ, Mithridatij, & Diascordij compositiones, Opium (quasi Alexipharmacum esset) ingrediatur.

Profecto Opij devorari particulas, brevi in sanguinem traduci: ejusque massam celeriter pertransire, indicio est, quod illæ derepente, postquam medicamen assumitur, ad ἐγκέφαλον provectæ somnum, & indolentiam procurant. Porro eas (ubi congruũt) sudores provocare & urinam movere experientia communi constatio tantum, ut hi effectus Opij Virtutibus vulgo accenseantur. Porro hujus particulas haud sanguini venenosas, sed potius Alexiterias existere inde colligitur, quoniam in peste, variolis, febribus malignis, imo in quibuscumque alijs, Laudanum cum magno sæpe fructu exhibetur: interim vero quas nonnulli huic pharmaco qualitates, sanguinem figendi, & incrassandi attribuunt, non facile deprehendimus; nisi forsan illud dicatur efficere, quatenus, compagem ejus reserando, serositates ejus copiose secerni, & amandari facit, proinde ut liquor residuus spissior, & compactior evadat.

Enim vero medicamenta Opiatica sanguinem fundere, atque interdum Alexiteriων ritu tum sudores, tum urinas potenter movere, uti ex crebra observatione compertum habui, ita per Historiam sequentem (quã Coronidis hic loco adjicio) omnibus manifestum reddetur. Olim pro Generoso quodam valde cocochymico, & doloribus nocturnis à lue venerea, male, aut minime curata, oriundis miserrime divexato consulebar. Multa præscripsi, sed incassum: quia medicamenta plurimum abhorrens, fere nihil præter Laudani dosin semel tantum aut bis in hebdomade pro sedandis doloribus ei concessam sumere voluit; brevi Hydropicus factus, ab Ascite, simulque ab Anasarca in tantum intumescebat, ut vix à latere in latus, sine ministrantium auxilio, se devolvere potuerit. In hoc statu ad eum denuo accersitus, & præceptis medicis obstinatum reperiens, quod supererat, mortis non longe abfuturæ, & pro certo expectandæ, propter æternitatem componeret, prognosticon dedi. Ille, non multum perturbatus, obnixe rogabat ut εὐθανασίας gratia Laudanum nostrum, parcius ante permissum, ad libitum, aut saltẽ quoq; vespere sumeret, hoc cũ admonitione quadã concedens discessi, ac, uti putarem, supremum vale dixi. Postea pharmacum illud quotidie sumsit ille, & quotidie dosin auxit, ita, ut brevi tempore quantitatẽ ejus vix credibilem absumpsisset. Pharmaco hoc unico constanter usus indies melius habuit, ac intra mensis spatium in tantum convaluit, ut, tumore omni, & doloribus immunis factus, stomacho valeret, & foras obambularet. Ab assiduo hujus Opiatæ usu, sitis, antea multum urgens cessabat; & quaque nocte in sudorem magnam dissolutus insuper & urinam copiosam excernebat. Possim hic plures aliorum affectuum, pro deploratis habitorum curationes solius Opij beneficio peractos attexere; verum hoc cum tædio, & nonnihil extra rem foret, ideo libet hic unam tantummodo, aut alteram breviter notare.

Tribus fere abhinc annis fœmina prænobilis, post febrem Autumnalem in Colicam atrocem cum vomitu, & doloribus acutis, & viscera, & membra miserrime affligentibus, incidit. Remedia cujusque generis, tum interna, per plures septimanas sedulo exhibita ne hilum profuere; quin nobilissima Domina intra 20. dies ad tantum languorem, & corporis extenuationem redacta fuit, ut de salute recuperanda spes minima, aut vix ulla superesset: nam lecto affixa, & fere semper insomnis, ventriculi molestia, sive ægrotatione constante afficiebatur, ingesta quæque tum pharmaca, tum alimenta vomitu rejiciens; insuper circa ventrem, & lumbos, quandoque etiam in capite, & artubus tormina, & cruciatus pene continuos perpessa erat: ad hanc accersitus cum medicamina varia tentarem, nihil congruebat præter Laudani liquidi dosin; quam ad levandos dolores, primo bis tantum in hebdomada, idque non sine cautione, & metu exhibere audebam: impetravit illa tandem ut noctibus alternis, & dein ut singulis remedium illud assumeret. Itaq; hoc sine ullo incommodo quotidie usa, noctu somnum uberem, & satis placidum, atque interdiu indolentiam, & stomachi εὐφορίαν obtinuit, adeoque vires sensim recolligens lecto exurgere, & alimenta quotidie ingerere cœpit: quin alia medicamenta assumere tunc potuit, & voluit, donec tandem integre convalesceret.

Nec minus pharmaci hujus divini laudes prædicare solebat fœmina quædam lectissima, doloribus subinde colicis atrocissimis per plures annos obnoxia. Nam quoties ab eo morbo decumbens, cruciatus intolerabiles sentiebat, à nullo remedio præterquam ab Opio relevari potuit; quare hujus dosin quaque nocte sumebat, donec, materia morbifica sensim absumta, demum languore omni, & doloribus immunis evaderet.

De Opii nocumentis, ac incommodis; quibus subnectuntur cautiones circa usum ejus.

Hactenus Opij bona, seu faciem velut Angelicam, unà cum juvandi modis, ac rationibus ostendimus. Pharmaci istius, velut numismatis inversi, si φάσις altera inspiciatur, plane diabolica apparebit; in qua haud minus damni, ac maleficii, quam in priori ista emolumenti vidimus, detegere licebit; adeo Panaceæ huic plurimum toxici adjungatur, ut de usu ejus crebro, ac familiari, minime liceat securos nos esse; quare prout commodorum, ita & noxarum ejus admoneri nos oportet; proinde ut circa pharmaciam hanc, non secus ac profectionem maritimam, cum ex utraque parte, tum potius adpellandi, tum scopuli evitandi plane innotescant, minus periculi, aut discriminis incurratur.

Opij usum quandoque noxium, & maleficum fuisse, tristi quorundam experimento verum vidimus, in quantum nonnulli statim ab hoc assumto somnum perpetuum inivere, aliique propter nimiam, aut intempestivam ejus dosin, aut vitam suam corripuere, aut facultatum principum læsione eam incommodam postea, aut infelicem reddidere. Instantiæ & exempla hujus generis ac Agyrtis, & empiricis passim facta nimis crebra occurrunt. Memini quosdam, à Laudani pilula devorata, illico soporem adeo profundum obdormivisse, ut nunquam expergefieri potuerint: vixerint quidem per tres quatuor dies, quoad pulsum, respirationem, & calorem satis recte habentes; nullis interim remedijs, aut torturis, ad sensum, & vigiliam revocandi. Attamen observavi alios ab Opio assumto, mediocriter tantum, imo interdum, parum aut vix omnino dormivisse; quoad pulsum vero, & respirationem, & calorem mox deterius habuisse: illi nimirum statim ab hoc pharmaco assumto languescere, dein anhelosi magis atque magis deficere solebant; nec cardiacis ullis illorum vigor instaurari potuit, quin sensim fatiscentes vitam exhalarent. Alibi Historiam recitavi cujusdam viri robusti ab Opio interemti, cui somnus plane nullus, priusquam ultimus ac lethalis, viz. mors ipsa supervenit; ille statim ab assumpto pharmaco de insigni ventriculi gravamine, & frigore conquestus, mox languore insigni cum spirituum omnium concidentia, & extremorum infrigescentia afficiebatur, atque intra quatuor horas oculos suos caligare, & prorsus cæcutire queritans, expirabat.

Ex his facile colligitur, opium non uno semper, eodemque modo vitam destruere, sed binas saltem præcipuas trucidandi vias obtinere. Unius ratio in eo consistit, quod pharmaci assumpti particulæ, prius ac potius cerebrum; ac alterius, quod ita cerebellum afficiant. Quoad posterius hoc, res juxta modum sequentem habet: si, post pharmacum assumptum, forte accidat cerebelli ambitum à corpusculis narcoticis in tantum obsideri, ut spiritibus extimis illico deletis, interiorum versus præcordia affluxus minuatur, & deinde paulatim rescindatur, necesse erit cor, & respirationis organa, circa functionis vitalis munia primo fatiscere, & dein prorsus ab opere cessare, interim ut ægrotantes corpore graviori immunes evigilent, satis animo constent, & usque dum vivunt sensu vigeant. Sin vero particulæ Opiaticæ primo, & pleno agmine in cerebri oram irrumpentes, ejus incolas potissimum adorientur, in tantum, ut spiritibus extimis mox profligatis, etiam interni quique, meditullia ejus occupantes, valde consternantur, & ne rursus emergant, & acies sua de novo conserant, prorsus supprimantur, tunc statim sopor altus seu veternus invincibilis, & perpetuus succedit, pulsu interim ac respiratione in debito statu aliquamdiu perstantibus.

Præter exitiales hujusmodi clades, quas Opium vitæ humanæ passim intentat, insuper hoc pharmacum plures alios nocendi modos sortitur; quibus privatæ cuidam functioni, aut corporis parti, sæpe maleficum existit. Cum tædio fuerit noxarum minorum, quas narcotica uspiam excitare solent, species omnes recensere, hic tantum referre libet, quæ mala ab improprio, aut intempestivo ejus usu, in capite, quæque in pectore, quæ item in ventre imo quandoque accidunt.

1. Quoad prius satis vulgo notum est, functiones Animæ principes, viz. memoriam, discursum, & ingenij acumen sæpenumero à narcoticis insigniter lædi. Frequens eorum usus in multis hominibus memoriam debilitat. Novi quendam à Laudani dosi majori, cum febricitaret, assumpta, facultatem istam penitus amisisse; dein post aliquot septimanas, quando usus ejus redire cœperat, tantum quæ intra peculiarem temporis tractum, & nihil eorum quæ ante, & post gesta fuerunt, recordabatur. Scio quosdam ab hoc pharmaco ingenii tarditatem, aut stupiditatem, aliosque amentiam contraxisse. Hinc (notante *Freitagio*) cum *Prosper Alpinus, & Bellonius tradant Ægyptios, & Turcas vesci Opio ad comparandam alacritatem, Audaciam, venerisque appetitum; addunt tamen Opii devoratores, etsi ejus usu recte valere, & minime lædi videantur, tamen frigidiores reddi, eorum functiones esse deteriores; ebrios, & torpidos fere perpetuo apparere; fieri comatosos, stupidos, inconstantes; modo affirmare, modo negare; adeo, ut caveant tractare & conversari; ut etiam in dicterium, convitio non absimile, quod sibi mutuo objiciunt, abierit; tu edisti opium; non aliter quam cum nostrates alicui temulentiam vel ebrietatem exprobrant. Freitag. lib. de Opio cap.* 3. Horum Ætiologia ex superioribus satis manifesto liquet; viz. Opium Affectus modo citatos producere, quatenus cerebrum primum, ac potissimum impetat; dumque ibidem spiritus quosdam Animales destruit, aut profligat, plerosque alios à solitis emanationum vijs pervertat, inq; tractus devios deflectat. Quod vero opium à Turcis (addam & quibusdam è nostratibus propter diutinam consuetudinem contra virus ejus munitis, ac velut armaturam quadam nactis) in magna quantitate impune, vel saltem absque vitæ periculo devoretur; ratio est, quoniam particulæ ejus, etiamsi spiritibus primo infestæ, & venenosæ, crebro tamen usu tandem magis congruæ, & familiares evadunt; quemadmodum observamus circa nicotianæ fumum per tubulum ore exceptum: cum enim primis diebus vertiginem, ac sæpe vomitum, aut purgationem, quinimo sudorem frigidum, cum tremore, & crebris animi deliquiis inferre soleat, postea tandem, eum imperturbare imo cum magna delectatione assumimus. Quod autem major Opij dosis, illis Animi fiduciam, adeoque, ut intrepide pugnam ineant, audaciam insignem addat; in causa videtur esse, quod pharmacum illud spiritus nonnihil stupefaciendo, attonitos reddat, proinde ut sensibilium utut terribilium occursus immoti perferant. Quod denique asseritur, Opiata venerem stimulare, cum potius videretur ea spiritus extinguendo œstrum illud supprimere, & domare; dicimus (si modo effectum istum revera habeat) humorē genitalem, spiritusque in eo scatentes, non à cerebro descendere, sed immediate in vasa spermatica suffundi; id propter, quatenus Opiata spirituum intra cerebrum genesim impediunt aut imminuunt eos forsan uberius ad membra genitalia diverti faciunt.

2. Opiata præcordijs, & pectori inimica interdum exi-

existere, inde satis constat, quia pulsum, & respirationem deprimunt, & diminuunt; quandóque item (prout supra ostensum est) vacillare, & sensim penitus cessare faciunt. Quare in febribus, ubi sanguis, insigniter depravatus, crisin nullam aut non bonam habiturus videtur, simulque iste, spiritus regimini Animali perpaucos tantum, & debiles suppeditat; narcotica fere semper malefica & quasi venena sunt. Nam quamvis in peste, & febribus malignis, donec pulsus & respiratio vigent, Theriaca, Mithridatium, & Diascordium, immo & Laudanum sæpe cum fructu exhibeantur; attamen si quando in morbis istis, aliisque in febribus haud multum malignis, functio vitalis languet, Antidotis istis celeribus parcè admodum, fortioribus vero Opiatis non omnino utendum erit. Porro in tussi laboriosa, phthisi, pleuritide, empyemate, aliisque morbis Thoracicis, in quibuscunque viz. natura ad illud quod molestum est, ac pectus aggravat, subito excernendum incitatur, magnóque suo molimine urget; simulque respirationis organa, spirituum copia satis uberi destituta, vacillant, atque opus suum ægre, & difficulter peragunt; ab Opio haud minus quam Aconito abstinendum erit: nam in tali casu narcotica pondus amovendum augent, figuntque; atque partium, quæ istud amoliri debent, vires minuunt.

3. Opiata intra coctionis viscera, aliasque ventris imi partes operari, iisque vario respectu sæpe juvamina insignia conferre, supra ostendimus; attamen illa regioni huic non adeo semper amica, & benigna existere, quin & magnam quandóque noxam inferre, æque facile erit declaratu. Enim vero narcotica crebro assumta facultati principi, sc. alimentorum Appetitui (à quo nutritio omnis, & vitæ radix dependet) nonnunquam valde injuria sunt; utpote quæ hunc plurimum obtundunt, & non raro prorsus destruunt. Quippe cum spiritus, Tunicam ventriculi interiorem incolentes, à particulis Opiaticis stupefiunt aut perimuntur, ut ut fibræ istæ nerveæ quantumvis inanitæ, non amplius corrugentur; proinde fames omnis cessat, atque alimenta minime appetuntur; quin eadem, stomacho oblata, quia molestiam potius quam delicias exhibitura sunt, mox respuuntur. Porro ob eandem rationem ventriculi vis concoctrix sæpe debilitatur, atque tum hujus, tum intestinorum motus excretorii pigrescunt. Nam communis observatio est βραδυπεψίαν & Alvi segnitiem, medicinæ Opiaticæ familiares effectus esse.

Ex his non difficile erit præcepta, & cautiones medicas, circa rectum pharmaciæ Opiaticæ usum designare? quod quidem fiet, quatuor hæc sequentia observanvo; Viz. priusquam medicamen narcoticum exhibeatur, perpendere oportet. 1. Cujusmodi sit patientis constitutio. 1. Qualis sit morbus quo laborat. In quo statu spiritus Animales respectu functionis tum Animalis tum vitalis versentur. 4. Denique in qua conditione sanguis aliique humores fuerint.

1. Quoad prius, quando hypnoticum indicatur, vide ne sit contra indicem Ægrotantis temperamentum, corporis habitus, vel indispositio, consuetudo, vitæ genus. E. gr. qui statura mediocri, corpore firmo, & quadrato, sanguine calido, aspectu vivido aut acri præditi sunt, medicinam istam melius ferunt, & sæpius cum emolumento sumunt; quâ insuper multo securius utentur, si prius eidem assueti fuerint: è contra autem ea minus convenit, immo interdum valde officit illis, qui obesi nimis, vel admodum graciles sunt, insuper qui aut rarioris texturæ spiritus facile dissipabiles, aut temperamenti frigidioris, carnes molles, & flaccidas habent, atque indolis pigræ & indocilis ex se hebetes, & somnolenti existunt; quibus scrupulus hic accedit, & reliquorum pondus auget, si medicinam istam prius nunquam experti sunt.

2. Morbi natura, propter, vel contra Opiata magni interdum momenti est. In levioribus affectibus (juxta Septalium) Adulatoris medici est, eadem in usum ducere. Porro in quibusdam magnis aut vetatur iste, aut valde suspectus habetur. In Paralysi, Vertigine, Incubo, Apoplexia, item in Orthopnœa, Hydrope pectoris aut abdominis, in membrorum stupore aut tremore, in febribus admodum malignis, inque intermittentium paroxysmis, aut aliarum crisibus narcotica sæpissime interdicuntur. Porro in tussi cum sputo copioso, & crasso, Asthmate, & in quibusque aliis cum pulmonum oppressione affectibus thoracicis, inque passionibus hystericis, aliisque convulsivis rarius, & non sine cautela, & prudentis medici consilio exhibenda sunt. Veruntamen in cephalalgia immani, catarrhis, colica, pleuritide, febribus ordinariis, in vomitu, dysenteria, in paroxysmis nephriticis & doloribus quibuscunque pharmacia Opiatica non modo conceditur, sed ad ipsam, quasi ad panacæam divinam, accurritur.

3. At quoties hæc proponitur, aut in deliberationem venit, insuper considerare oportet in quo tenore spiritus Animales cujusque ditionis præsides fuerint: nam si pauciores, vel oppressi jam jam concidunt, & vela sua non satis explicant, nequaquam certe à pharmaco amplius minui, aut consterni debent. Quapropter dum nedo facultates Animales quoad sensum, vel discursum non clare vigent, aut satis vegete se exerunt; aut cum pulsus & respiratio reciprocationum suarum vices non nisi debiles, item celeres, aut etiam solito tardiores, impeditas, & inæquales habent; aut denique si membra, & partes motivas stupor, & enervatio cum languore insolito occupabit, pharmaciæ, cuivis hypnoticæ omnino supersedendum erit. Eadem vero in usum ducere non hæsitabimus, siquando ob graviores affectus indicatur, simulque spiritus animales secundum hos aliosque respectus satis robusti existant, aut etiam expansi nimis, vel supra modum efferi, ac feroces evadant.

4. Interea tamen sanguinis, & humorum status haud negligendus est, quippe interdum iniqua, aut improba horum conditio, Opiata prorsus vetat aut non nisi parcius, & cum restrictione quadam sumenda permittit. Sanguis eorum usus contra indicat, quatenus vel quantitate, vel qualitate sive in crasi sua peccat. Quoad priorem, latex cruentus vel superabundat, vel deficit; & utroque respectu pharmaciam narcoticam excludit. Primo enim si quando sanguis copia turgens, simulque in febre ebulliens, vasa immaniter distendat, adeóque præcordia ad eum ocissime, ne alicubi stagnet, aut exundet, circumpellendum cum systolῶν vicibus celerrime repetitis summe adlaborant; tunc certe narcoticum exhibere, quo iste cordis labor & nixus ultimi ad vitam tuendam necessarii præpediantur, venefici potius, quam medici officium esset. Quare in sanguinis plethora, phlebotomia Opiatarum usui semper præmitti debet. Secundo nec minus malum à narcoticis imminet, quoties in sanguinis defectu, sive penuria, uti post magnas hæmorrhagias, longas inedias, aut diuturnas ægrotationes exhibentur: quippe cum, sanguinis rivus perexiguus est, & præ exiguitate vix continuus, ne fluor ejus interrumpatur, & proinde cesset, cor pulsu admodum veloci agitatum velut nixibus duplicatis circumactionem ejus celerrimam molitur. Hinc obvium est concipere, quantam Opiata, quæ huic cordis molimini tunc apprime necessario, sufflamen sive remoram imponunt, noxam inferant. Profecto ob hanc rationem videtur esse quod mulieribus, mox à puerperio, lochiis copiose fluentibus, & quibusvis à libera sanguinis missione, aut immensis hæmorrhagiis, somnum interdicimus; viz. ne cor, quibus sanguinis rivum diminutum ocius circumpellat, spiritus inter dormiendum revocati destituant. Porro interdum sanguis qualitate (sive ut propriè magis loquar) in Crasi sua peccans, Opiatarum usum contra indicat: quippe dum in cacochymia,

aut

aut febre, cruor recrementis plurimum refertus majori cordis nixu agitari, & velocius circulari debet, nempe ut particulæ heterogeneæ subjugentur, & cite evaporent; narcotici operatio interveniens hæc præcordiorum molimina sufflaminat, proinde sanguinis lustrationem retardat, & nonnunquam frustratur.

Quod spectat ad alios humores recrementitios, intra ventriculum, aut intestina accumulari solitos, etiam hos per vomitum, aut secessum subduci, & expurgari oportet, priusquam Opiatum propinatur; secus enim illic defixi, pertinacius hærebunt. Quippe fibræ sphlanchnicæ, à pharmaco stupefactæ, non uti prius irritantur; nec recrementis istis expellendis spasmos excretorios facile ineunt, aut vegete perficiunt: quare, juxta vetus præceptum, si quid evacuandum fuerit, ante pharmaciam Narcoticam evacuetur.

Opiatarum species, præparationes, & formulæ.

Post pharmaciam Narcoticam in genere nunc traditam ejusque rationes, & operandi modos satis fuse explicatos proxime incumbit medicamenta tali virtute prædita tum simplicia, tum composita recensere, & particulatim expendere, adeóque Opiologiam quandam instituere.

Itaque imprimis, juxta methodum à plerisque Authoribus observatam remedia pro Anodynis habita, in binas hic classes viz. prout fortiora aut debiliora existunt, distinguere visum est. Enimvero quædam ex illis plane narcotica non modo somnum præternaturalem cogunt, sed, cum occasio requirit, indolentiam, & stuporem, atque indebite exhibita non raro lethum accersunt, attamen alia hujus generis medicamenta perhibentur, quatenus spiritus excandescentes, non perimendo, aut stupefaciendo, sed tantum leniendo, & demulcendo in quietem allectant, & blande componunt.

1. Ad priorem ex his (quæ proprie tantum Opiata sive Narcotica dicuntur) classem referri solent, Papaver tum album, tum erraticum, Hyoscyamus, Cynoglossus Mandragora, Solanum, & quædam alia venenosa magis, adeóque nunquam medice præscribenda. Quorundam vero ex iis, non ideo insalubrium, radices, folia, flores, semina, & succi inspissati, crebro sunt in usu, & maximo sæpe cum fructu (prout supra ostensum est) sumuntur. At vero, quandoquidem singula hæc quidquam toxici admixtum habent, idcirco non, prout in alia pharmaceutice, licebit modo hæc, modo ista indifferenter præscribere, sed tantum, quæ maxime tuta, & longa experientia comprobata sunt, experiri. Hinc demum mos obtinuit (à quo sine vitæ humanæ periculo recedere non licebit) ut papaver, ejusque præparata fere totius pharmaceutices Opiaticæ basis, aut complementum sint. Semina hyoscyami, atque radices aut succus cynoglossi, hypnoticorum quorundam compositiones ingrediuntur: attamen, quoties somnum efficaciter, simulque tuto provocare studemus, tota medicinæ vis in Opio, aut Diacodio collocatur. Non opus erit Papaver album, ex quo hæc conficiuntur, hic describere, neque succi Opiatici extractionem, aut syrupi istius compositionem tradere, siquidem hæc omnia tum in veterum, tum recentiorum libris Botanicis, atque antidotariis latis fuse declarantur. Quod itaque superest, atque maxime ad propositum nostrum facit, Opii partes elementares exponere; indéque tum illius, tum Diacodii virtutes; & intoxicandi rationes eruere nitemur.

Opii corpus integrum, & illibatum melius, quam spagyrice resolutum, quoad partes ejus constitutivas examinari, & dignosci potest: quippe si per ignem destilletur, propter sulphuris impuri copiam, empyreuma horrendum contrahit, simulque fœtorem valde novicum diffundit. Attamen tantum obvium est, particulas sulphureas in hoc concreto abundare; quod etiam odor ejus teterrimus, & inflammabilitas manifesto declarant: & quamvis æque certum est, sulphuri huic particulas salinas adjungi, adeóque concretum hoc, his duobus unà cum terra aliquanta potissimum constare, attamen cujus indolis, & in quo statu sal iste fuerit, definire non licet, tantummodo autem ab effectis statuere possumus, concretionem hanc sulphureo-salinam spirituum Animalium texturæ; quæ spirituosa, & salino-volatilis est, omnino contrariam, & destructivam existere. Et quidem pluribus instantiis colligere datur, vim narcoticam in sulphure cum sale aculeato, (unde fœtorem adeo tetrum acquirit) latere; hujus enim naturæ sunt Papaver album, Mandragora, hyoscyamus, Nicotiana, & cætera Opiata, quæ omnia graveolentiam fere similem, & inter olfaciendum spiritibus nostris valde ingratam, habent. Porro juxta quod spiritus Animales in variis corporibus texturæ nonnihil diversæ fuerint, idcirco Opiata fortius, & virulentius in aliquibus quam in aliis operantur. Turcæ ac Ægyptii, quibus ex adusto sanguine spiritus fixiores, aut minus volatiles procreantur, Opium impunè, aut saltem absque vitæ periculo comedunt; non adeo Europæi, qui spiritus magis subtiles, & puriores obtinent. Canes Opium in quantitate magna, absque sopore ullo, aut letho devorant, Dosis ejus perexigua felem è vestigio perimit; eo nimirum, quod hujus spiritus, admodum, salino volatiles, sulphur narcoticum non omnino sufferre possunt. Atque hinc est, quod gr. unica olei nicotianæ, hujus Animalis linguæ imposita, mox spasmos, & stuporem excitat; quibus illico mors succedit. Olim cani gregario Opii panis offæ involuti ℥ij. exhibitas vidi: brevi postea valde ægrotans ille torpidus seu potius stupidus fiebat, atque difficulter, laboriose suspirans plane moribundus videbatur; deinde vero intra semihorulam, alvum cum fœtore teterrimo, & maxime omnium quæ unquam sensi molesto, copiose dejecit, & derepente sanus, ac vegetus evasit. Quod autem tanta Opii quantitas Animali huic minus nocuerit, in causa forsan ex parte fuit ventriculi ejus fermentum insigniter acidum, à quo particulæ sulphuris narcotici refringi, & aliquantulum subigi potuerint; adeóque propter hoc sulphur, à stomachi menstruo acido plurimum dissoluto, alvi dejectio summopere fœtida processit. Quippe de aliis corporibus observare est, dum acidum in sulphureum agit, fœtorem ingratum excitari: Ita namque fieri solet, cum aqua stygia, aut spiritus vitrioli limaturæ ferri affunditur. Pariter item, cum spiritus aceti, lixivio Antimoniali committitur. Possim, & multa alia hujus generis notare. At vero haud negandum est, Opii particulas in spiritus caninos operari, qui tamen fortium, quam aut hominis, aut aliorum quadrupedum spiritus, veneno narcotico resistunt; prout ab historia modo citata liquet; quatenus nempe cum torpor, & respiratio difficilis ac impedita, propter spiritus τοῦ ἐγκεφάλου hospites narcosi affectos, oriri cœperunt, symptomata isthæc, quamprimum fomes narcoticus per catharsin subducebatur, mox evanuerunt. Porro hujus sententiæ veritatem experimento Anatomico amplius confirmatam novi. Ante multos annos Opii tincturæ, in vino Canarino ad saturitatem factæ, circiter tres uncias in venam jugularem canis vivi transfusam vidimus; vase composito canis soluto more discurrebat, parum aut nihil affici aut immutari visus; post quartam horæ partem parum obstupescere, caput nutare, & tandem somno obnoxius cœpit: cui tamen ne indulgeret, eum verberando, terrefaciendo, & in cursum urgendo cum aliquamdiu impedivimus, demum affectione soporosa ita prorsus abacta satis

ſatis ſanus, vegetus evaſit: hinc ut conſtet virus Opiaticum adeo vel intra coctionis viſcera, à fermentis eorum ſubigi, vel ab ſpiritibus animalibus reſiſti, ut non ſemper nec pariter in omnibus, aut hypnoticum aut exitiale fuerit.

Quod ſpectat ad Papaveris albi capita, cum ſeminibus, è quibus Diacodium, item decocta, emulſiones, aliæque confectiones hypnoticæ parantur; facile conſtat, hæc longe minus quam concretum Opii ſuccum, ſulphure narcotico prædita eſſe; quodque hujus iilis ineſt, multo prius atque innocentius exiſtere. Quapropter remedia ex his compoſita ſæpius, & ſecure magis exhibemus: Neque enim ad Laudanum fas ſit aſcendere, niſi quando præ ſymptomatum vehementia Diacodiata minus efficiunt. Porro cum hæc minus virulentiæ in ſe continent, non multa præparatione egent, quin ſimplice aut decoctione, aut infuſione, aut expreſſione facta in uſum medicum adhibeantur: Opium vero, raro admodum ſimplex, & per ſe præſcribitur, ſed vario, & diverſimodo apparatu corrigi, & componi ſolet, quo Anodynon ſatis tutum evadat.

Opii præparatio, aut ſimplex eſt, aut cum diſſolventibus, & corrigentibus adjunctis. Prioris ratio fere tantum in hoc conſiſtit, ut maſſa ejus in taleolas diſciſſa, calori ignis, aut ſolis tamdiu exponatur, donec, ſulphure narcotico ex parte evaporato, reliquum friabile, & minus graveolens fiat: cujuſmodi præparatio ejus, plerîſque aliis præmitti ſolet. Nam ſive Opii tincturam extractum, aut confectionem molimur, prius ἐγχειρήσ hac prævia exſiccatur, & in pulverem redigitur. Porro huc referri debet fumigatio ejus cum ſulphure, eodem ſc. ritu quo Scammonium cicuramus: quippe vapor acidus à ſulphure communi, dum efflagrat, aſcendens, ſulphuris utriuſque alterius, tum narcotici, tum cathartici virulentiam ſubigit aut multum infringit.

Opii præparationes cum adjunctis, ſeu potius compoſitiones ejus, plures ac diverſimodæ exiſtunt, quarum aliæ apud Antiquos aliæ inter recentiores uſitatæ magis ac celebres fuere. Veterum Opiata maxime inſignia ſunt pilulæ de cynogloſſo, Requies Nicolai, & Philonium, cujus ultimi quatuor habentur, ſc Romanum & Perſicum (quorum uſus etiam aliquatenus retinetur) atque Philonium Galeni, & Meſuæ.

Horum omnium deſcriptiones, in pleriſque Antidotariis ſatis vulgo proſtant, ut non opus ſit eas hic repetere. Compoſitionum iſtarum maxime Anodynῶν ratio, etſi fundamento erroneo innixa quoad alium reſpectum ſatis recta deprehenditur. Quippe ex ſuppoſito falſo, Opium in quarto gradu frigidum eſſe, Philonis, quæ plurimum ejus recipiunt, multa in eodem gradu calida, ſcilicet Pyrethrum, Euphorbium, Piper album, & ſimila adduntur: quæ quidem Opii correctiva haud impropria exiſtunt. Attamen non quatenus horum caliditas, illius frigiditate contravenit, (quippe revera non frigidum, ſed calidum potius exiſtit) verum actia iſthæc, ſale volatili referta, Opii ſulphur narcoticum perdomant & virulentiam ejus infringunt.

Neotericorum Opiata propter talis pharmaci laudabilitatem vulgo Laudana dicuntur, quibus inſuper à nonnullis; quia dolores tollunt, *Nepenthes* nomen imponitur. Quo tempore hæc primo innotuere Renodæus perquam ingenioſe queritur, *Pſeu-medicorum cohortem coortam eſſe, qui pro pilulis de cynogloſſo uſitatiſſimis, confectionem Opiatam, Laudanum illis dictam, exhibent, qua non tantum ſomnum conciliare, ſed morbos quoſvis abigere pollicentur. Hujus* (inquit) *pharmaci nunc apud circulatores adeo invaluit Encomium, ut nullus ſit Empiricus, nullus tam hebes Mediçaſter, nullus vel plebejus Tonſor, qui ſe Laudaniſtam non profitetur.* Proculdubio hic mos, ut ut peſſimus ac in vitam humanam valde perniciofus, nondum exolevit. Quippe etiamnum apud noſtrates pſeudochymicorum, & Agyrtarum non cohors, ſed potius examen eſt: quorum unuſquiſque peculiare ſuum Laudanum jactat, quo in unoquoque morbo, ejuſque ſtatu temerarie exhibent, &, ſi forte contigerit ægrotantem dormire, & rurſus evigilare, protenus Io canunt, & ſibi gallum deberi clamitant, cum ſæpe furcam potius mereantur, in quantum pulſu, & reſpiratione propter Opiatam intempeſtive exhibitam dejectis, non raro criſeos, & curationis ſpes omnis fruſtratur: quare à Laudaniſtis illis imperitis ut ſedulo caveatur, quibuſcunque vita in pretio eſt, admoneri oportet.

Nec tantum Opiatarum uſus, ſed multo magis earundem inventio, & præparatio empiricis, & Agyrtis interdicantur, enim verò Medici prudentis, & docti opus eſt, toxica ita temperare, ut non in venenum ſed Antidotum cedant. Quapropter Laudana, non, niſi à peritis inventa & diu experta, in praxin admittantur; cujuſmodi ſatis multa jamjam publice recepta, & probata extant, ut nihil opus ſit nova quotidie procudi. Laudana Antiquiora à Paracelſo, Crollio, Quercetano, Hartmanno, aliiſque Chymicis celebrioribus tradita, in pleriſque item pharmacopœis deſcripta, tantummodo ſub forma Extracti componuntur; in quibus omnibus pro baſe eſt Opii tinctura cum menſtruo idoneo prolicita; cui tincturæ aliæ, ſcilicet Croci, Caſtorei (quod Guianerus Opii Bezoar appellat) ſpecierum Diambræ, & ſimilium adduntur; adeóque omnes ſimul confuſæ deſtillentur in balneo, ut menſtruo avocato, reſiduum ad mellis conſiſtentiam redigatur, in cujus denique complementum, Magiſteria, pulveres pretioſi, olea chymica, aliáque pro cardiacis habita adjiciuntur: Pharmacum ita confectum in forma pilulari fere tantum exhibetur.

Quamvis hujuſmodi Laudana ſatis efficacia, & eleganter compoſita videantur, Neoterici tamen, formam nonnihil variantes, conſiſtentiam eorum (quo melius poſſint in liquore quolibet aſſumi) liquidam fecere; cui accedit, quod cum Pilula Opiatica (haud minus propter nocumentum, quam commoda inſignis) quibuſdam terrori fuerit, doſis Laudani liquidi (ſi forſan patiente reluctante neceſſaria videantur) melius obſcurari poſſit, atque alteri liquori affuſa pro cardiaco potius, quam hypnotico cedat. Et quidem circa Opiatarum uſus, ægroti interdum nimis, æque ac minus caute exiſtunt, adeóque ſicut in uno caſu admonendi ſunt, ita in altero traduci ac falli debent. Pro Laudano liquido pariter ac ſolido conficiendo, pari fere ritu Opii, & adjunctorum tincturæ ſeorſim extrahantur: quibus dein confuſis, & menſtruis ad medietatem avocatis, manebit pharmacum ſplendide rubeſcens; cujus doſis à ℈ß. ad ℈j. eſſe ſolet.

Circa hæc utriuſque generis Laudana, maxime intereſt cum quo menſtruo Opii tinctura extrahitur; adeo, ut hæc res inter quoſdam haud minoris notæ chymicos in magnam contentionem venerit; dum quidam illud frigidum ſupponentes, ſpiritu vini utuntur, aliique è contra ad refrænandum Opii calorem, ipſum in ſpiritu aceti, aut ſucco citri diſſolvunt: profecto utrumque menſtruum ſatis, & fere ex æquo convenit, dummodo in extractum redigatur: attamen ſi in forma liquidâ, nullum præſtantius Opii ſolutivum occurrit, quam ſpiritus vini, ſale tartari volatiliſato imprægnatus. Hic namque maſſam ejus promtiſſime diſſolvit, tincturam inſtar rubini ſplendeſcentem recipit; porro ſulphur narcoticum nonnihil ſubigit, ejuſque graveolentiam tollit: revera ſal tartari Opii correctivum optimum; ſeu potius antidoton, exiſtit. Hinc Empirici cujuſdam pilula Opiatica, in qua Opii diſſolvens eſt ſal tartari, oleo Terebinthinæ imbutus, uſus non contemnendi habetur: compoſitioni iſti additur pulvis Hellebori albi, verum adeo tantum, ut opinor, quia Paradoxi quidam aſſerunt, venena cicurata in medicamina præſtantiſſima evadere.

A nuperis annis increbuit uſus Laudani cujuſdam liquidi, cujus Author, Helmontius vulgo perhibetur: pro men-

menstruo recipit succum Cydoniorum in fermentationem per flores cervisiæ concitum, cum hoc simul Opij, & Croci tinctura saturata extrahitur, quæ colata, & aromatisata, ad medietatem in balneo avocatur; dein residui pars usui servatur, estque Laudanum hoc liquidum: cujus dosis à gr. 15. ad 20. Pars altera destillatione ulteriori in formam pilularem redigitur, & à gr. j. ad ij. exhibetur. Opiatum istud liquidum, in affectibus dysentericis, sæpius cum felici successu exhibui: Laudanum vero nostrum liquidum, (quo sc. frequentius utimur) pro menstruo habet tincturam salis tartari, ad summam rubedinem longa digestione evectam; cumque Opij tinctura per hanc extracta medicamenti basis sit, pro complemento addimus Crocum, Castoreum, Caryophyl. & lignum Aloës: dosis à gr. 15. ad 25.

2. Post papaver album, ejusque præparata Opiatica, dicendum sequitur, de sylvestri sive erratico, quod certe virtutem quandam hypnoticam, sed longe mitiorem & benigniorem, quam illud alterum obtinet; quare in quibusdam casibus eximie convenit, & circa usum ejus securiores esse licebit. Ex hoc syrupus, & aqua destillata parata in Pharmacopoliis prostant, quæ in febribus plerisque continuis sæpe cum fructu exhibentur, inque pleuritide, vi quadam specifica juvare creduntur; quia nempe dolores tollunt, atque pulsum nonnihil sufflaminando, sanguinis æstuationem febrilem deprimunt. Porro ex floribus hujus, in spiritu vini infusis, tinctura paratur, quæ apud Empiricos, & mulieres Beneficas, celebre medicamen est, & contra crapulam valere perhibetur. Cujus juvaminis ratio videtur esse, quod spiritus vini stomachi contenta à putrefactione vindicet, atque florum virtus narcotica febrem ingruentem præcaveat.

3. Exacta Meconologia, in narcoticorum classe succedunt, Mandragora, Hyoscyamus, Cynoglossus, Nicotiana. De binis prioribus, quia in usum medicum vix omnino (exceptis hyoscyami seminibus) recipiuntur, non est, ut verba faciamus, Cynoglossus vero odorem plane soporiferum spirans, indolem suam narcoticam aperte profitetur, & formæ pulchritudine ad seipsum assumendum nos ultro quasi invitat: est enim planta perelegans, folia habens mollia, & grate virentia; floribus puniceis, & amœnissime purpurascentibus coronatur: Pulvis radicum ejus ingreditur, ac denominat antiquum & celebre istud Opiatum dictum pilulæ de Cynoglosso: succus ex tota planta, circa initium veris collecta, expressus, & digestione clausa & calida depuratus, & à fœcibus decantatus, liquorem exhibet clarum, & instar rubini splendide rubescentem. Hic usurpari potest vel pro menstruo ad componendas alias confectiones narcoticas; vel syrupus hypnoticus ex eo paratur: vel denique blande evaporatus in extractum redigitur, ex quo, sicut ex Opio, cum idoneis menstruis tincturæ, & extracta conficiuntur.

Narcoticorum agmen claudit, & inter ea jure locum vindicat Nicotiana; quamvis enim eorum compositiones minime ingrediatur, attamen fumus ejus per tubulum haustus eundem sæpenumero, quem illa, effectum producit: quinimo, quod magis mirandum est, non modo ipsum somnum, sed quandoque contrarium ejus, nempe vigiliam accersit. Non est ut instituti hujus originem, aut morem, communissime notum, utpote ab hominibus cujusque sexus, ætatis, & conditionis usitatum, describere facessam: profecto quod Opiatis illud accenseram ideo est, quoniam fere idem apud nostrates, quod Opium apud Turcas præstat: utraque nimirum spiritus animales motu quodam inassueto afficiendo, & velut attonitos reddendo, absque magno molestiæ aut lassitudinis sensu, ad quodvis agendum aut patiendum disponit. Quapropter Nicotianæ fumo, juxta morem vulgarem ore suscepto, virtutes & effectus non solum multiplices, sed diversimodi, imo (sicut jam diximus) contrarij, & sibimet invicem repugnantes ascribuntur. Quippe vulgo dicitur nos infrigidatos sive algentes calfacere, atque æstuantibus refrigerium præbere; somnum inducere, aut abigere; pariterque famem atque sitim restinguere, aut excitare: quorum omnium ratio in eo consistit, quod spiritus Animales ab enthymiamate hoc blande agitati, & velut in choreas quasdam conciti, ad molesti cujusvis appulsus plane obsurdescunt; imo quidquid difficile ab ijs agendum, aut patiendum incumbit, insensibiles fere ac imperturbati obeunt: quapropter militibus, & nautis Tabaci usus (ubi congruet) non modo utilis, sed penè necessarius videtur, in quantum sc. utrosque illos ad pericula quævis intrepidos, atque famis, frigoris, & laboris patientes reddat. At vero fumum hunc valde narcoticum, & spiritibus (priusquam crebra assuetudine ijs familiaris evasit) valde infestum esse, inde constat; quoniam à primo ejus tentamine, & usu, nullus fere est, qui non maximas in cerebro, & genere nervoso peturbationes patitur. Si quando enim ad potationem hanc siccam quispiam initiatur, mox quasi ebrius vertigine, & scotomia afficitur; dein vomitio immanis, & non raro purgatio succedit; vacillant pedes, tremunt manus, lingua balbutit, aut delira loquitur. Non raro item sudor frigidus, & lipothymiæ terribiles sequuntur; quorum omnium causa est, quod spiritus Animales, sulphure narcotico velut intoxicati, in toto regimine suo distrahuntur plurimum, inque ἀταξίαν adiguntur; nec tantum prima aut secunda vice, verum ab initio sæpissime perquam diu est, priusquam Tabaci fumus sine magna spirituum confusione hauriri potest. Quamprimum vero mos iste cuipiam fit assuetus & familiaris, etiam gratissimus evadit; & cum tanto lenocinio spiritus Animales captat, ut nonnulli cibo, aut potu citius, quam usu ejus interdici mallent. Cujus ratio est, quod fumi-suctio ista, spiritus Animales uspiam segnes, & desides, blande exsuscitans, & quasi titillans, in motus lenes, & expansivos, quibus mire tanquam à vino potu recreantur, ciet.

Hæc de Narcoticis præcipuis, eorumque præparatis, ac utendi modis, quorum omnium census ad vegetabilium genus spectat: attamen ut putetur mineralia nihil non efficere posse, etiam ex durioribus hisce concretis quidam Opiata præstantissima, prorsus sine Opio, se parasse venditant. Quercetanus ex vitrioli sulphure narcotico, atque oleo solis, & lunæ, cumque tinctura coralliorum, aliorumque cordialium insignium, Nepenthen quoddam, ad dolores, & languores omnes tollendos adprime efficax, conficiendum præscribit: cujus medicamenti tantum abest me virtutes admirari, ut potius existimem, sulphur ac olea ista metallica aut revera non esse, aut parum vel nihil posse: itaque his posthabitis, ad narcotica genuina & realia reversi, demum coronidis loco, eorum selectas quasdam formulas subjiciemus: quas insuper in classes quasdam digeremus, juxta quod Opiata pro basi sua vel *papaveris erratici syrupum* aut *aquam destillatum*, vel *Diacodium*, vel *Laudanum extractum*, aut *liquidum*, vel *pilulas de styrace* vel de *Cynoglosso*, vel denique *Philonium* habeant.

℞. Aq. Papaveris erratici, Paraliseos ana ℥vj. syrupi papaveris rhead. ℥j. salis prunellæ ʒß. misce, f. Julap. dosis ℥iij. vel ℥iv. ter in die, in pleuritide, doloribus, ac vigiliis sine febre, aut causa manifesta.

℞. Aq. Papaveris, ℥iv. ad vi. sumatur interdum per se bis aut ter in die propter easdem intentiones.

℞. Diacodii ℥ß. ad ℥vj. aq. paralyseos ℥iij. aq. theriacalis ℥iij. f. potio.

℞. Aq. Cardui ʒiij. Diacodii ʒß. sp. C. Cervi ℈ß. ad ℈j. f. haustus ad somnum & sudores provocandos.

℞. Diascordii ʒß. pul. Gascon. ℈j. Diacodii ℥j. misce, sumat. è cochleari.

℞. Diacodii ℥iij. aq. Limacum ℥j. misce. Convenit in tussi, & phthisi: dosis cochl. j. hora somni; & si opus fuerit, repetatur post mediam noctem.

℞. Laudani Londinensis gr. j. pul. è chelis comp. ℈ß. ad ℈j. cum q. s. syrupi ea ypph. f. pil. 3 sumenda hora somni.

℞. Laudani gr. j. pil. stomach cum gummi, ʒß. f. pil. iv. sumend. hora somni, in Colica.

℞. Laudani gr. j. ad jß. Diascordii ℈j. f. bolus; loco Diascordii add. confect. Alchermes vel de Hyacint.

℞. Lad gr. j. dissol. in cochl. j. aq. Theriacalis, adde aq. paralyseos ℥j. f. haustus.

℞. Laud. nost. liquidi Tartarisati gt. 20 detur in cochl. j. Aq. Mirab. vel Cinnam. aut cujusvis alterius idoneæ: Convenit in doloribus colicis nephriticis, aut arthriticis.

℞. Specier. hieræ ʒß. Laudani ejusdem gt. 20. f. pil. iv. sumantur hora somni ad purgand. simulque dolores sedand. in Colica.

℞. Laud. liquidi Cydoniati gt. 15. ad 20. detur in coch. j. aq. Cinnam. tenuis, ad affectus dysentericos.

℞. Conf. rosar. rub. ℥j. Theriacæ Androm. confect. de hyacintho, ana ʒj. pul. Pannonici rub ℈j. Laud. Cydoniati ℈ij. Syrupi è corallis q. s. f. confect. dosis ℥j. quarta vel 5. quaque hora in Dysenteria valde cruenta, cũ torminibus.

℞. Pil. de styrace gr. v. ad vj. lactis sulphuris ℈ß. olei Anisi gt. j. balsami peru. q. s. f. pil. iij. in tussi, Asthmate, &c. sumend.

℞. Pil. de Cynglosso gr. vj. ad viij f pil. ij. devorand. hora somni, propter easdem intentiones.

℞. Philonij Romani ℈j. ad ℈ij conser. Caryophil. ʒß. misce. f. Bolus sumendus hora somni. Convenit ad Colicam in temperamento frigid.

Post remedia narcotica modo satis fuse explicata, proxime dicendum esset de medicamentis mere Anodynis, quæ vidl. spiritus Animales quovis modo perturbatos, aut excandescentes, non profligando, aut stupefaciendo, sed tantùm leniendo, & demulcendo in quietem allectant, & blando componunt. Attamen circa horum τὸ ὅτι. Et utrum talia revera existunt? manifesto constare oportet, priusquam περὶ τοῦ διότι disquisitio instituitur: præterquam enim hoc, quod Fotus, Cataplasmata, Linimenta, exterius exhibita, atque Enemata intestinis injecta dolorem quandoque sedant, nullum alium effectum ab ejusmodi mere Anodynis, saltem quando intus ore assumuntur, præstari novi: quare super his, quibus pro somno conciliando, aut torminibus quandoque atrociter urgent, sedandis minime fidendum sit, haud operæ pretium videtur Ætiologiam quamvis contexere.

At vero cum hactenus de Opiatis, earumque præparatis, & operandi modis ita plenè differuimus; juxta methodum superiorem, de medicamentis hisce contrarijs, sive Antihypnoticis, quæ videlicet somnum nimis urgentem arcendo, nos vigiles reddunt, modo tractandum sequeretur; nisi quod olim in cerebri pathologia (ubi de Lethargo alijsque affectibus soporosis, eorumque remedijs agitur) pensum hoc omnibus fere numeris absolutum peregerim; ita ut non opus sit eadem hic repetere. Quandoquidem vero tum ibidem, tum alijs in locis, liquoris cujusdam Coffee dicti ad narcosin pellendam summe efficacis, frequens à nobis mentio facta est; omnino ex re fore videtur de potu hoc, ejusque effectibus, & agendi rationibus (quas alibi innuimus) pauca quædam amplius hic subjungere. Circa Antiquitatem, & communissimum ejus modo apud Turcas, & olim Arabas, aliosque orientales usum, extra propositum nostrum esset hic differere: quandoquidem vero à nuperis annis hic potus etiam inter nostrates in morem abiit, & virtutem ejus pro somno abigendo fere nullus est quin experimento facto satis efficacem persentit; idcirco in effectus hujus satis noti, & experti rationes modo inquiramus. Hujus Ætiologiam (in capite de Pervigilio) diximus in eo consistere, quod potus iste particulas adustas (quibus abunde sensu tum gustus, tum olfactus indice, scatet) mox sanguini, & dein succo nerveo insinuat, quæ proinde tum incongruitate, tum mobilitate sive inquietudine sua, & cerebri exterioris poros usque apertos detineant, & spiritibus copula quavis alia, & torpore exutis œstra quædam, ac stimulos, à quibus ad munia sua diutius obeunda excitentur, addunt: enimvero ad somnum ineundum hæc duo necessariò requiruntur, quorum modo unum, modo alterum in efficiendo prius ac potius existit. Nimirum oportet cerebri exterioris, sive corticis ejus poros, & meatus omnes à liquore ibidem, à sanguine velut exstillato, ac inundante inferciri plurimum, ac impleri, proindeque occludi; dein præterea ad affectum istum acciendum, opus est, ut spiritus Animales poris, & meatibus illis exclusi, ac insuper particulis nutritiis, & serosis sæpe onusti, versus cerebri meditullium se recipiant otio indulturi. Circa hæc pensa ad somnum requisita non semper unus, idemque ordo est. Quandoque enim spiritus Animales primo, & sponte sua istæc spatia derelinquunt, succo nerveo in eadem inanita mox irruente; interdum vero humor nerveus cum sero uberius suffusus, meatus istos primo invadit, spiritus exinde licet invitos propellens, ac intus cogens.

At vero operatio *Coffée* utrisque his effectibus contraria videtur. Non statim à potu ejus, particulæ, summe agiles, ac impigre in sanguinem delatæ, liquorem ejus nonnihil fundunt, seroso latici versus renes, & habitum corporis detruso; porro illæ cerebrum adpellentes, poros ejus facillime aperiunt, quos & mobilitate sua valde apertos detinẽt; dein spiritibus illæ accrescentes, eos particulis quibusque alijs, tum gravitatis, tum nutritijs denudant; adeoque leves, & pernices ubique in motus cient, atque per totum cerebri ambitum oppletione gravi, & obstructione liberum, expandi faciunt.

Interea tamen, dum spiritus ad hunc modum jugiter, ac indefessim exerciti, succi nervei accessu, & assimilatione privantur, copiæ illorum haud satis, ac solito more instaurantur. Spiritus quidem veterani agiliores, ac impigri magis redduntur, at novorum subsidia minuuntur. Hinc ut facile constet, potum hunc communissimo licet in usu, ac in quibusdam casibus valde utilem, & adprime medicum, in alijs forsan noxium aut minus salutarem existere. Ita quidem rem habere, non tantum ratio, sed & vulgaris observatio passim dictitat; in quantum *Coffee* potatores nimij, macilenti, sæpenumero item paralysi, atque veneris impotentiæ obnoxij evadunt. Prior effectus ita frequens & passim notus est, ut pluribus *Coffee* potum ideo tantum interdixerim, quoniam ad macilentiam disponit.

Quippe cum sanguis ex assiduo, & nimis crebro ejus usu acris, & magis retorridus fiat, proinde ad nutriendum minus habilis existit. Quoad cerebri autem & nervosi generis affectus, existimo me ad eos interdum curandos, hunc potum adeo frequenter præscribere, ut non alius quispiam magis: quippe ad tabernas, ubi venditur iste, Ægrotantes quosdam potius quàm ad pharmacopolia ablegare soleo.

Profecto in morbis, & ægritudinibus plerisque cephalicis, videl. Cephalalgia, vertigine, lethargo, catharrho, & similibus, ubi cum pleno corporis habitu, & temperamento frigido, aut minus calido, atq; sanguine aquoso, adsint cerebrum humidius, ac spirituum Animalium segnities, & torpor; potus *Coffee* magno sæpe cum fructu sumitur: nam assidue haustus utramque animæ partem mire clarificat, & illustrat, atque functionum quarumcunque nebulas omnes dispellit: verum è contra, qui graciles, & temperamenti biliosi aut me-

melancholici, sanguinem acrem, aut retorridum, cerebrum calidius, atque spiritus animales nimis incitatos, & irrequietos habent, à potu isto prorsus abstinere debent; utpote qui tum spiritus, tum humores magis pervertit, & functionibus quibusque obeundis inhabiles prorsus, simulque impares reddit. Observavi enim multos spirituum copia haud satis uberi præditos, ac insuper cephalalgiæ, vertigini, palpitationi cordis, artuum tremori, aut stupori obnoxios, à potu *Coffee* illico deterius habuisse quoad istos affectus, & statim in toto corpore languorem insolitum persensisse. *Willisius in Pharm. suâ Rationali.*

ANTIHYPNOTICA, vid. mox sub titulô, *Hypnotica.*

HYPOCAUSTUM.

Est locus per furnum vel alia instrumenta excalefactus, vel pro frigore tantùm intensiori arcendo, vel pro sudore etiam eliciendo.

HYPOCISTIS.

Nomina. Orobanche quæ Hypocistis dicitur, Hypocistis. *Ger. Park. I.B. C.B. & aliorum.*

Hypocistis è variorum cisti generum radicibus excrescit. orobanches seu limodori quoddam genus videtur; Crassum est, pingue, carnosum, succi plenum, ex multis veluti hyosciami utriculis, aut mali punicæ cytinis totum constans, hæc *Bodæus à Stapel.* Multis, describente *Parkinsono*, exurgit Caulibus erectis, folijs parvis crebris undique obsitis, vix pedem altis, multos in summitate flores confertos gestantibus, crassos & succulentos, albentes, mali punicæ cytinis similes, relinquentes post se semina in capitulis duris pulveris instar tenuissima.

Clusius sub cisto mare primò Hypocistidé nasci refert elegantissimam omnium quas unquam viderit. Nam quando primum è terra emergit, purpureum siveKermesinum sericum esse diceres; deinde paulatim assurgens & sese explicans multum de pristini coloris elegantiâ remittit & cytinos suos profert candicantes, turgidos & lentô succô plenos.

Idem ad radices cisti halimi folio hypocistin observavit omnino luteo seu ochræ colore ipsius plantæ florem referentem.

Idem ad Ledi Narbonensis radicis adnatam inveniebat, multis veluti squamis, ut quod in aliorum cisti generum radicibus crescit; compactum, pallescentis coloris quibusdam tamen lineis purpurascentibus & nonnihil virescentibus distincti, cytinos suos summa parte proferens, lentô & glutinosô succô totum prægnans.

Quin & aliarum etiam cisti specierum radicibus adnasci Hypocistidem in calidis regionibus verisimile est.

Vires, admodum efficax remedium est ad omnes fluxiones puta sanguinis rejectiones, profluvia muliebria, cæliacos, dysentericos affectus, quin si quam partem roborare consilium sit, quæ viz. plusculo humore exoluta fuerit, robur & firmitatem illi non instrenue addit. Sic sane stomachicis epithematis, hepaticisque commiscetur, & ex viperis confecto antidoto inditur *J. B.* è *Galeno.*

Hodie ad hunc ferè præparatur modum, cytinum contundunt recentem, ex eodem eliciunt succum, qui subinde insolatur ac densatur servaturque ad usum. *Bod. à Stapel. Raius.*

Seligatur extractum Hypocistidis recens, ponderosum, nigrum, empyreuma minimè redolens, saporis acidi ac adstringentis. Multum autem extractum hoc salis essentialis acidi terræ ac oleo commixti continere creditur.

HYSSOPUS.

Ὕσωπον dictum volunt quasi ὕομενον (pro χεόμενον) ἐπὶ τὸν ὦπα, quia super vultus effundatur: quia ejus olim in aspergillis ad expiandum peccata usus erat, verum rectius ab Hæbreo derivatur, quam vocem septuaginta Hyssopum vertunt non semel.

Spicis florum longis è verticillis rarioribus compositis, floribus versus unam partem spectantibus tegmento supremo quod pro galea est bifido & sursum reflexo, folijs virentibus à reliquis suffruticibus verticillatis distinguitur.

Vires. Hyssopus calida est & acris (sapore fervido, inquit C. Hofmannus, suaque acrimonia palatum totum pervadente) unde attenuat, aperit & abstergit, usus præcip. in affectibus pulmonum, tartareis, tussi, asthmate &c. Syrupus in affectibus pectoris paululum progressis, ubi scilicet de glycyrrhiza, capilli veneris, alij non satis sunt operi quod molitur, eximij usus est.

Extrinsecus adhibetur crebrò ad sugillationes oculorum, ad uterum mundificandum, aurium que tinnitus tollendos (per tritorium suffitus susceptus) ad oris abstersionem (in gargarismis) *Schrod.*

Urinas etiam movet & ad urinæ stillicidium utilis est, sunt qui absinthio in corroboratione ventriculi præferunt, idem.

Cum carnibus bubulis decocta cum alijs oleribus minutim concisis, non insuaviter ex jure editur, ori ac ventriculo grata.

Quantopere hyssopus sugillationi oculorum confert, testis sit Riolanus Senior. Expertus sum verum, inquit, quod affirmat Archigenes apud Galenum, quod si hyssopi coma nodulo inclusa bulliat in aqua, & tepide nodulus oculo cruento applicetur, tam manifestè sugit. Sanguinem, ut linteum ipsum sanguinolentum videri possit, hujus auctoritatem sequutus ubi occasio tulit, decoctum hyssopi aliquam multis adversus sugillationes, imo etiam oculorum commendavi: loco aquæ sacculum in vino bulliendum quandoque curavi & ex voto eas evanuisse recordor, dum lectum petentibus, sacculus subtepidus clausis palpebris fuit applicatus. *Simon Paullus.*

Vir quidam celebris mihi notus, cui femur ictu equi calcibus incusso graviter contusum fuit sola applicatione cataplasmatis cujusdam ex hyssopi folijs minutim concisis & cum butyro recenti non salitô commixtis parati intra paucas horas à dolore liberatus est, deleta etiam livida & decolori nota in cute. *D. Boyle. Raius in Histor. Plant.*

HYSTERICA MEDICAMENTA.

Hysterica medicamenta dicuntur, quæ peculiariter uterô pro diversis ipsius affectibus, destinantur.

Usum ipsorum à vario fine desumitur.

Primus, Ad uteri commotionem sedandum in Hysterica passione.

℞ *Aq. arthem. napha an. ℥ iß. aquæ cinnam. gutt. x. castorei gr. ij.* Fiat haustus.

Quando symptomata maligna apparent, ut motus convulsivi, epileptici, modò febris absit, aut non sit valde intensa.

℞ *Aquar. melissæ, arthem. an. ℥ iß. theriacæ vet. ʒß. castorei gr. ij.* Misce, capiat.

Prosunt in aqua appropriata, ut arthem. bardanæ, flor. arant. melissæ, &c. Ex chymicis

Aqua Reginæ Hungariæ ad gutt. x. vel xv. oleum succini ad gutt vj aq. theriac. ad ʒß. pilulæ hystericæ Horstii, ad ʒß. extractum hystericum Schroderi ad ℈ß. ad ʒß. antimonium diaphoreticum ad gr. x vel xv. sal jovis ad gr. v. sal antimonial. ad gr. iij vel iv spir. salis armoniac. ad gutt. x. vel xij. spir. vini camph. à gutt. ij. ad viij. sal

volat.

volat. viper. cornu cervi, tart à gr. v. ad vj. Tinctur. cinnam. myrr. à gutt. vj. ad xx. Tinctur. castor. croci, à gr. iv. ad xij. Elixir. propriet. à gutt. vij. ad xij. in torminibus violentis, & à causa calida, laudanum opiaticum ad gr. ij. vel iij.

℞. *Aquæ fumar. ℥iv. spiritus salis armoniaci gutt. xij. antimonij diaph. ℈ß. aquæ Reginæ Hungar. gutt. x.* Misce capiat uno haustu, aut in duas vices. Vel.

℞. *Aquar. meliss. naphæ an. ℥jß. aquæ theriacalis ℥ß. laudani opiati gr. ij.* Misce, fiat haustus, capiat una vice in vehementi paroxysmo à causa calida, vel mixta.

Quæ omnia remedia diaphoretica, & calida conveniunt, maximè quandò vires videntur admodum fractæ, & pulsus parvus, languidus, tardus, rarus: tunc enim sanguis ab hysterico vapore vel aliâ quacumque hujus qualitatis participe materia cogitur & coagulatur; spiritus corrumpuntur vel irretiuntur, deficit fermentatio & motus circularis morsque sæpè instat, ni natura vel arte alkalinis volatilibus munita, hostilia fugando naturalem sanguini & spiritibus libertatem restituat.

In violenta omni causa, & calida, motibus convulsivis, doloribus, nausea, vomitu, &c. utilissimè exhibetur laudanum, modò insignis virium jactura non adsit, imitando Hipp. qui in hujusmodi casibus remedia cum succo papaveris concinnabat.

Nos sæpè motus hystericos gravissimos, & maximè periculosos compescimus, simili modo. Referam duos casus.

Primus. In gracili & melancholica virgine adustâ satis provectæ ætatis, quæ tertianâ duplici laborabat, cum motibus convulsivis, & contractione membrorum atrocissimos dolores inferente. Post præmissam sufficienter venæ sectionem in brachiis & pede, cæteráque remedia evacuantia & alterantia, præscripsimus ut duabus horis ante paroxysmum, sumeret ʒij. sequentis opiatæ; ter sumpsit, & sedata est symptomatum immanitas.

Secundus casus in virgine sanguinea & melancholica, quæ per singulas noctes ab utero deliramenta cum risu & cantu agebat, quæ pacata sunt, post universalia præmissa evacuantia & alterantia, usu ejusdem opiatæ.

℞. *Conservæ flor. cichor. ℥j. confect. hyacinthor. sine odoratis, magisterii perlar. & salis prunellæ ana ʒß. laud. opiat. ℈j. castor. gr. x. Cum succo melissæ vel cich. fiat opiata de qua sumantur ʒij. cùm ibit cubitum superbibendo aqua cich. ℥iij.*

Vel quod citiùs paratur.

℞. *Laudan. opiat. gr. ij. vel i j. conser. flor. cichor. ʒj. Fiat bolus, iterandus prout v debitur.*

Secundus usus est in mensibus movendis, pro quo.

Nota, menses moventia non solùm sanguinem attenuare, sed etiam vasorum uteri obstructiones, & oscula aperire, sunt enim calida & tenuium partium, nec tamen vehementer (quocumque modo id fiat) exsiccando; ne sanguinem validiùs exsiccando materiam menstruis auferant.

Exhibentur in forma apozematis, jusculi, opiatæ, pulveris, tabellæ, de quibus in proprio cujusque capite extant.

Tertius. Usus est ad menses sistendos, ut in mensium profluvio.

℞. *Rad. symph. torment. ana. ℥j. folior. portul. plantag equis. consol. m. j. & millef. an. M. i. sem. acetosæ, plantag. an. ʒij. flor. ros. rubr. balaust. an. p. j. Fiat decoctio ad ℔iß. pro 2. dosib. Addecuique syr. cydon. vel de rosis siccis ℥i. capiat vesperè & manè.*

In forma jusculi, opiatæ, tabellæ, pulveris, vide in proprio cujusque capite.

Nota, sæpè in mensium profluvio complicari tumores, abscessus, infarctus mesenterij, & obstructiones viscerum, quibus omnibus demendis incumbendum, antequam simpliciter adstringentibus & incrassantibus utamur: tunc autem utendum leviter aperientibus & detergentibus immixtis paucis incrassantibus & adstringentibus, & per vices adhibitis leniter purgantibus.

Quartus usus est ad expurgandum uterum à prava colluvie, quâ scatet, ut in fluore albo, omnique alio impuro.

℞. *Radic. aspar. apij, brusci an. ℥i. radic. aristol. rotund. gentia. an. ʒii. folior. cich. cum toto, capillar. omnium, agrim melissæ, an. M. i summit. arthem. mß. semin. melon. cucurb. apii an. ʒii. flor. calend. p. i. Fiat decoct. ad ℔iß. pro 3. dos. adde cuique syrupi de duabus radic. ℥i.*

Continuari debent per aliquot dies intermixtis purgantibus. Est quoque observandum sæpiùs affectiones viscerum, & infarctus conjungi, quibus omnibus propria debentur remedia.

Quintus, ad juvandum conceptum, quod præstant ea medicamenta, quæ roborant uterum moderato calore, aromaticâ vi recreant, & adstrictione firmant.

Nota, quod remedia ab omnibus ferè Authoribus proposita contra sterilitatem sint admodum calefacientia; cùm tamen sæpiùs ipsius causa sit juncta cum intemperie viscerum calidâ: ideóque studendum est causis sterilitatis antecedentibus, discrassiis, obstructionibus viscerum, & infarctibus circa uterum latentibus, auferendis. Ad quem scopum alterantia, venæ sectio, purgantia, aquæ minerales, thermales, vitriolatæ adhibentur; expurgato verò corpore, & omni dempto infarctu, partibus officialibus reseratis, tùm ad roborandum uterum deveniendum est, restituendo tonum ipsius constitutum in substantiæ modo & debita temperie, quod fit opiatâ, tabellis, suffitu, &c.

In casu frigido.

℞. *Radic. eryngii, satyrionis sacharo conditar. an. ʒvi. confect. alkerm. ʒi. pulver. elect. diamoschi, & de gemmis an. ℈i. ambræ grisea gr. v. Cum syrupo conditura cortieum citri, fiat opiata de qua capiat ʒiß. manè & vesperè, superbibendo parùm vini.*

In casu calido.

℞. *Conser. ros. & cynorrh. an. ℥i. confect. hyacinth. magisterii. corall. rasur. eboris an. ʒi. perlarum praeparat. granor. kerm. pulver. mastich. an. ʒß. Cum syr. gr. fiat opiata, de qua capiat ad magnitudinem nucis juglandis, manè & vesperè, dum ibit cubitum, superbibendo parum aquæ plantag.*

Nota primò, benè olentia nocere his, quæ hystericæ passioni sunt obnoxiæ, aut quæ naturaliter hæc aversantur; ideóque tollenda sunt, quæ moschum & ambaram recipiunt.

Nota secundò, accedente menstruorum tempore, non esse utendum astringentibus, sed potissimùm post triduum ab eorum fluxu.

Cæteræ formulæ tradentur in capite cujusque.

Sextus usus est, ad partum juvandum, secundinas, aut fœtum mortuum educendum.

In partu difficili.

℞ *Aq. arthem. ℥iv. aq. cinnamomi ℥ii. confect. alkerm. & trochisc. de myrrha an. ʒß. croci gr. iii. Fiat julep. Capiat uno haustu, vel in duas vices.*

Sequens potio id potentiùs præstat, sed magis calefacit, idéoque frigidis & crassis parturientibus sine febre magis convenit.

Dictamni Cretici, aristol. utriusque & trochisc. de myrrha an. ℈ß. croci & cinnam. an. gr. x. confect. alkerm. ʒß. aquæ naphæ & artemis. an. ℥iß. Misce, fiat potio,

potio, capiat uno haustu.

Ex chymicis exhiberi possunt cum prædictis, vel cum jusculo, aut vino, vel alio quodam liquore idoneo, ut aqua naph. arthemis. &c.

Aqua imperialis ad ℥iij. aqua capitis cervi ad cochlear. j. oleum anisi arte chymica extractum ad gutt. vi. vel x. oleum cinnam. ad gutt. v. oleum succini ad gutt. xii.

Prædicta valent etiam ad fœtum mortuum, & secundinas expellendas.

Sequentia etiam id validè præstant.

Spirit. volat. salis armon. à gutt. x. ad xx. sal volat. viper. cornu cervi, tartar. à gran. vi. ad xv. tinctur. cinnam. à ℨß. ad ℨij. tinctur. myrrh. à gutt. vi. ad xv. essentiæ cinnam. gutt. iij. Tinctur. castor. croci à gutt. iv. ad xii. elixir. propriet. à gutt. vij. ad xij.

Cave, ne nimis calefacientibus agas, si viscera sint calidiora, potissimùm quando fœtus moritur, & partûs difficultas provenit à febris vehementia; tunc enim hæc & similia calidiora remedia inflammationem, & necrosim invehunt.

Observa à qua causa fit partus difficultas; si enim fiat sanguinis copia, quæ vasa distendens comprimit & prohibet liberum uteri, & fœtus motum (quod sæpè contingit) venæ sectio in brachio prudenter celebrata mense nono, vel partu instante aut præsente difficili, ipsum reddit facilem, & sola sufficit modò vires constent. Quòd si ultrò etiam post eam pigrior sit natura & fœtus ad exitum, convenienti potione vires sollicandæ. Si humorum saburra & fæces adsint, clysteribus emollientibus educendæ. Si ulteriùs perseveret partus difficultas, viribus adhuc valentibus suadetur saphænæ apertio, imò & ipsa purgatio, si carus obrepat. *Tencke.*

HYSTRIX.

Descriptionem vid. ex Raio sub titulo LEPUS, seu *Leporinum genus*. Hic tantùm addimus, quòd hujus animalis adeps utilis est in hernijs ac nervorum debilitatibus.

NB. Quòd *Lapis Malacanus* tantopere contra venena ac in corde roborando commendatus, quique aliàs *Bezoar Hystricis* appellatur, & ad gr. 4. ad 8. operationem suam per transpirationem exerit, reperitur, sed rarissime, in capite, ventriculô, vel vesiculâ fellea hystricum quarundam Indicarum.

FINIS TOMI PRIMI.

MAG
BIBLI